GERARDI IOANNIS VOSSII ETYMOLOGICON LINGUAE LATINAE:...

Gerardus Johannes Vossius, ...

A1

GERARDI IOANNIS
VOSSII,
ETYMOLOGICON
LINGVÆ LATINÆ.

C1

GERARDI IOANNIS VOSSII,

ETYMOLOGICON LINGVÆ LATINÆ;

PRÆFIGITVR EIVSDEM TRACTATVS

DE PERMVTATIONE LITERARVM.

ET IN FINE ADIECTVS EST LVCVLENTVS
Index Vocabulorum extra Seriem.

Opus, omnibus numeris abſolutiſſimum, omnique ex parte perfectum, Literarum reconditiorum Studioſis perneceſſarium.

Editio noviſſima, & à mendis omnibus accuratè repurgata.

[redacted] LVGDVNI, [redacted]
Sumptibus IOANNIS GREGOIRE, in vico Hoſpitalis ad Imaginem S.Rochi.

M. DC. LXIV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

ILLVSTRI ET NOBILISSIMO VIRO,

D. IACOBO DE WIT,

Vrbis Dordracenæ sæpius Consuli, & in supremo consessu & Collegio DD. Ordinum Hollandiæ ac VVest-Frisiæ, nec non Præpotentium DD. Ordinum Generalium Federatarum Provinciarum sæpius Deputato, multisque Legationibus ad Reges Daniæ, Sueciæ, Poloniæque defuncto, nunc in Camera Rationali dominiorum Hollandiæ & VVest-Frisiæ Senatori.

OPVS quod vides, Illustris Vir, jam olim à parente tibi promissum, licet serò ad te veniat, non tamen ideo ingratum aut injucundum, vt spero, est futurum. Si Typographo placuisset, ante octo vel plures annos lucem potuisset adspicere: sed illo in aliis occupato, me verò propter absentiam in oris exteris editionem non vrgente, segnes admodum fuere operæ, nec permisere vt voluntatem patris aut etiam meum officium maturius expedire potuerim. Non rectè facerem, si multis apud te contenderem, vt benigna fronte munus quod offero admittere digneris: tuum erga parentem quamdiu vixit studium & benevolentia, honorificum tuum de scriptis eius judicium, faciunt vt non in securum tantùm, sed & in felicem portum scriptum hoc adpulsurum esse confidam. Quod si seposito affectu ipsius saltem operis à te habeatur ratio, & tum quoque est quod bene sperem. Quamvis enim jam ab ineunte juventute amplissima Reip. semper obieris munia, nec legationibus tantum ad Septentrionis regna, sed & domi talem federato Belgio operam navaveris, vt nemo sit qui aliquam rerum nostrarum habeat cognitionem, qui, prout læta vel difficilia fuere tempora, tuam non laudet prudentiam, vel miretur constantiam; vixque fieri potuisse videatur, vt tot tantisque publicis negotiis destricto ad Musas divertendi fuerit otium: attamen etiam rhamu conscendisti sacraria, earúmque consuetudine illud consecutus es, vt quidquid ferè vtile aut præclarum in studiis & scientiis occurrit, ita teneas, ac si omne vitæ spatium in solis tibi effluxisset literis. Cum verò non tam nostro quam eruditorum fretus judicio, non possim non bene sentire de scriptis paternis, quidni etiam tibi vel solo sui pretio placituro existimem?

ſtimem? Quia tamen etiam alia adeſt ratio, quæ mihi fiduciam faciat, non eſt quod vltra dubitem. Sive itaque ſolo, ſive pluribus nominibus non tibi diſpliceant iſti paterni labores, vt eos benigno animo ſuſcipere digneris, etiam atque etiam rogo. Quod ſi noſtræ quoque quidquam apud te valeant preces, hoc etiam libenter flagitem, ne noſtrum aſpernere obſequium, ſed quem parenti olim præſtitiſti adfectum, eundem in nos tranſcribas. Vale, Vir Illuſtris, & in longum tempus poſteris tuis interſis, & in illis quam diutiſſimè imaginem tuam recognoſcas.

Tuus omni cultu & obſequio,

cIↄ Iↄc LXII. 20. Ian.

ISAACVS VOSSIVS.

BENIGNO

BENIGNO LECTORI S. P. TYPOGRAPHI.

TANDEM aliquando exhibemus tibi, Lector Benevole, opus magni VOSSII de Natura & Origine Linguæ Latinæ. *Si nostra in eo divulgando tarditas aliquamdiu te suspensum tenuerit, ipsa libri bonitas & utilitas facile, ut speramus, hanc moram compensabit. Quamvis etiam alij in eodem laborarint argumento, quantum tamen cæteros in hoc scripto post terga reliquerit, & tuo & eruditorum judicio libenter permittimus. Solæ autem voces Latinæ continentur hoc opere; Barbaræ enim & exoticæ recensentur in eo scripto, quod de vitiis & glossematis Linguæ Latinæ olim in lucem edidimus. Quod si te præsens delectet labor, curabimus ut & aliud hoc quamprimum videas scriptum, non tantum priori emendatius, sed & altera ut minimum parte auctius.*

Simul quoque hic habes tractatum de Literarum Mutatione. *Invenies forsan in eo nonnulla quæ tibi displiceant, dum non suas, sed aliorum sequitur sententias circa originem quorundam vocabulorum: Auctor nempe non perfecit hoc opusculum, quia tamen dignum censuimus, quod lucem aspiciat, ita ut in schedis invenimus, ita etiam exhibemus. Vale, & laboribus Vossianis fruere.*

REGIS

REGIS PRIVILEGIVM.

LVDOVICVS Dei gratia Galliæ & Nauarræ Rex: Carissimis nostris Consiliariis, supremæ Curiæ Senatoribus, supplicum Libellorum Regiæ nostræ Magistris, Balliuiis, Senescallis, Præfectis, eorúmque legatis, & quibuscumque aliis Iudicibus & Administris, Salutem dicimus. Nobis humiliter expositum fuit à parte dilectorum nostrorum IOANNIS GREGORII, & PETRI GVILLIMIN Bibliopolarum & Typographorum Vrbis nostræ Lugdunensis, se, suo, suorúmque amicorum studio ac labore reperisse & recepisse apographum libri inscripti, GERARDI IOANNIS VOSSII *Etymologicon Linguæ Latinæ*, aliàs in lucem editi Amsterodami, quem in regno nostro, typico prelo excudere cuperent; Verùm quia multæ ad hoc insumendæ sunt pecuniæ, sibi verentur, ne quidam Bibliopolæ aut Typographi illum vel per se vel per alios imprimendum suscipiant, quod eis non parum obesset, habita insuper ratione sumptuum iam impensorum, qui tunc forent inanes eorúmque vanus labor: Ideo necessarias ad hoc authoritates nostræ literas enixè postulant. Quapropter Nos eorum votis fauentes, ipsos, hunc librum sub quo libuerit caractere & forma typis mandare, aut mandari curare permittimus his præsentibus, eúmque per nouennium ab absoluti libri die, vendere & venalem exponere indulgemus, inhibitione interposita ne qui Bibliopolę aut Typographi, & quilibet alij cuiuscunque sint auctoritatis, dignitatis & conditionis, eo currente tempore in locis nostræ ditionis sub cuiuscumque alterius notæ, & sigilli ficti, aut suppositi prætextu, absque eorum licentia, vel ab ipsis ius habentium, imprimere, curare imprimi, & vendere ausu temerario præsumant, sub amissione exemplarium, nec non ter mille librarum multâ, mediæ nobis, alterius verò partis Xenodochio generali ab vnoquoque contraëuntium, simul cum indemnitate dictorum exponentium, illicò soluendarum: hac lege, vt huius libri ad publicam nostram Bibliothecam duo exemplaria, tertium ad Bibliothecam dilecti nostri, [illegible] Domini SEGVIER Galliæ Cancellarij, Giennensis Comitis & Ducis de Villemort, offerre & deponere teneantur: secus verò hoc nostrum Priuilegium irritum & reuocatum Volumùs: Et mandamus vobis, vt ipsis per vos liceat vti suo iure pacificè & omnimodè, & ne sitis impedimento, sed auxilio. Volumus autem vt diligenti collatione facta à quodam dilectorum nostrorum Consiliorum & Tabellione, harum nostrarum literarum exemplari, initio vel in calce cuiusque libri impresso, eadem prorsus quæ præsentibus si essent exhibitæ, fides adhibeatur. Iubemus itaque vt Apparitores nostri aut vnus eorum super hoc requisitus, nulla alia petita facultate hac in parte, oppositionibus, appellationibus, cæterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, munus suum obeant: hoc enim volumus & iubemus. Datum Parisiis die vigesima quarta Iunij, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio, Regni nostri vigesimo.

DE MANDATO REGIO.

DENIS.

GERARDI IOANNIS VOSSII
DE LITERARVM PERMVTATIONE TRACTATVS.

A *additur in initio.*

ÆOLES ἀσφὶ pro σφὶ dicunt.

Attici ἄσταχυς dicunt pro στάχυς.

A *additur in medio.*

Ποσειδάων pro Ποσειδῶν.

Ita forte *Iacio* factum est ab *Ico*, quod ipsum tamen deductum putant ab Hebræo נכה, *Icere, ferire.*

Gemio deduxerunt aliqui à κνύω vel κνύζω, quod inter alia exponitur *Garrio.*

Laganum, λάγανον, Delicatius placentæ genus, in ganeis atque aliis vitiorum officinis frequens, à λάγνος, qui Hesychio est καταφερὴς πρὸς τὰ ἀφροδίσια, περὶ πορνείαν ἐπτοημένος, hoc ipsum tamen λάγνος dici putant quasi λάγυνος, hoc est, λίαν γυναικώδης.

A *additur in fine.*

Sic Græci, more Chaldaico, literis Hebræorum in fine adjiciunt *A*: facientes *Alpha* pro *Alepha* ex *Aleph*; *Beta* ex *Beth*; *Gamma* ex *Gimel* vel *Gamal*; *Delta* ex *Daleth* vel *Deleth*. vide hac de re Postellum libro de Phœnicum literis.

A *abjicitur in initio.*

Ita Græci dicunt νάλιπον, νοῦδις, νόδυνος, νώνυμος, pro ἀνάλιπον, ἀνίδεις, ἀνώδυνος, ἀνώνυμος. Iisdem quoque ῥάσσω vsurpatur pro ἀράσσω. Imò & Græcum σοφὸς pari prorsus ratione quidam derivarunt ab אשף.

Fruti ab Ἀφροδίτη.

Lalisio ab ἀλαλίζω.

Menior, vnde postea *Melior*, putant esse ab ἀμείνων, quod Tarentinis est ἀμείνων.

Meto ab ἄμητος ab ἀμῶ.

Minium ab ἀμίνιον.

Mollis ab ἀμαλός.

Mulgeo ab ἀμέλγω.

Munio ab ἀμύνω.

Natolia quasi *Anatolia* ab ἀνατολή.

Necesse, auctore Nunnesio, est ab ἀνάγκη, κατ' ἀφαίρεσιν τοῦ α.

Rarum ab ἀραιόν.

Stella ab *asterula*, quod est diminutivum ab *aster*.

Temerè ab ἀθεμερῶς.

Sparagi quoque sunt *Asparagi*; Varro apud Nonium in *Sparagi*. Græcis integrè ἀσπάραγος dicitur. Vide interim Casaubonum in Tranquilli Iulium, cap. LIII. Attici σπαρὶς dicunt pro ἀσπαρὶς· σπαίρω, σπάλαξ, σφάραγος, σφαραγίζω, pro ἀσπαίρω, ἀσπάλαξ, ἀσφάραγος, ἀσφαραγίζω. Sic *arrabo rabo, asparagi sparagi, aprugnus prugnus.*

A *abjicitur in medio.*

Æoles pro ἄλλαλος dicunt ἄλλος.

Ita Græcum ἀδρὸς, eâ notione quâ apud Athenæum libro VI. legimus μέγας καὶ ἀδρὸς τὴν ψυχὴν, locer meus Fr. Iunius deducebat ab הדר, *Honoravit, honorem habuit, honore affecit.* vnde & הדר est *Decor, honorata conditio, maiestas.* הדור, *Decorus, speciosus.*

Balneum à βαλανεῖον.

Brutus à βαρύτης. nam *Brutum*, auctore Festo, *antiqui Gravem dicebant.*

Caco à κακκάω.

Cupressus à κυπάρισσος.

Damnum à δαπάνη.

Glaber desumtum censebat socer meus Franciscus Iunius à גלב, *Tonsor*. Eidem quoque *Glomus* & *Gluma* videntur esse à גלם, *Convolvit, complicavit, conglomeravit.*

Glos à γάλως.

Hercules, Ἡρακλῆς.

Malva à μαλάχη.

Manica à μανιάκαι.

Mulceo à μαλακίω.

Palma à παλάμη.

Armentum quasi *Aramentum* ab *Aratum*.

A *mutatur in Æ.*

Æsculapius ab Ἀσκληπιός.

Præmium à βραβεῖον.

A *mutatur in AV.*

Æoles pro ναῦς dicunt ναῦς, pro ἀὴρ αὐὴρ, pro ἄως αὔως.

Ita Græcum αὐλὸς deduxerunt ab ἄω.

Audio ab ἀΐω.

Caupo à κάπηλος.

Claudo à Dorico κλᾴζω pro κλείζω.

Faunus à Πὰν vel obsoleto Πάος.

Gaudeo à Dorico γαδέω pro γηθέω.

Haurio ab ἀρύω.

Plaudus à πλαδὸς, vnde πλαδαρός. Scal.

Plautus à πλατύς.

A *mutatur in E.*

Æoles pro κράτος dicebant κρέτος, γαλήνη γελήνη, δράκων δρέκων.

Attici dicebant Ἴλεως pro ἵλαος, νεὼς pro ναὸς, λεὼς pro λαός. vnde & Ἀρκεσίλεως, Μενίλεως, Πρωτεσίλεως iis erat Ἀρκεσίλαος, Μενέλαος, Πρωτεσίλαος.

In illis quæ à γαῖα derivantur, mutatur quoque α in ε, vt ἐπίγειος, ὑπόγειος, περίγειος, &c.

Belus deduxerunt viri docti à בעל, *Dominari.* σέβω similiter deducunt à זבח, *mactavit, sacrificavit*; quia sacrificium erat potissima externi cultus pars.

Ante ab ἄντα.

Ardelio ab ἄρδαλος. prout ἀρδάλος

Hesychius exp. εἰκαίως, *temerarios, vanos, futiles.*

Betere vel *bitere* antiquis erat *ire*, à βατεῖν, quod Hesychio exp. πορεύειν, πορεῖν.

Breuia à βραχία.

Camera à καμάρα.

Cedere à χαζεῖν.

Centum ab ἑκατόν.

Decem à δέκα.

Deuir & postea *Leuir* à δαήρ.

Dies è Punico *Dia*. Caninius.

Elucus ab ἀλύω. A. Gellius XVI, XII.

Hirpex ab ἅρπαξ.

Lepesta à λεπαστή.

Palpebra à βλέφαρον.

Pellex à παλλακὴ vel παλλακίς. A. Gellius IV. III.

Pello à βάλλω vel πάλλω.

Pessulus à πάσσαλος.

Pretium à πράτιον.

Rego ab ἄρχω.

Securis à σάγαρις, *Securis Amazonica.*

Segesta ab Αἰγέστα.

Siser à σίσαρον vel σίσαρος ἄγριος.

Sorex ab ὕραξ.

Stagnum à στεγνόν. Siculi σαγνὸν dicunt. Salm.

Talentum à τάλαντον.

Tellus à Punico *tall*. Caninius.

Titex à τίταξ, quod Hesychio exp. ἔντιμος.

Ventus ab Æolico ἄντος. Caninius.

Latinis quoque ab *Arceo* est *Corrceo*. ab *Ager* est *Peregrè*. ab *Ars* est *Iners*. sicuti & à quinque artibus dictum est *Quinquertium*, &c.

Avarus ab *Aveo*. A. Gellius x, v.

Compescere est velut in eodem pascuo continere. Festus.

Delectare & *Oblectare* sunt à *Lactare*, hoc est, dulcedine aliquâ tenere; Donatus in Andr. v. IV.

Exemplum videtur dici, cùm ex amplâ materiâ adducimus in vnum duo similia. Cæsar Scaliger libro tertio Poëtices, cap. LXXI.

Integer propriè est ἀδικῖος vel ἀθιγής. ab *In* & *Tago* pro *Tango*.

Intemeratus quidam volunt de libris sacris, commutatis literis, esse præsumptum; *timaram* enim Fidem, id est, Scientiam in sacris dicebant. Servius ad Æneid. II, CXLIII.

Particeps est, qui certam capit partem, & non indivisè agit, vt Socius. Asconius in Verrinam de Præturâ vrbanâ.

A mutatur in I.

Bibliander Græcum κινέω deducit à *CANA*, à quo *Canaan*, quod Hieronymus & Philo exponunt σάλος, *Commotio, concitatio.*

Apina ab ἀφαίνας.

Aries ab ἄρρην.

Bitere veteres pro Ire vsurpabant, à βατεῖν.

Buccina à βυκάνη.

Cachinnor à καχχάζω.

Caliga à χαλάω.

Canistrum à κάναστρον.

Catinus à κάτανος.

Comissari à κωμάζειν.

Disco à δάω, δάσκω.

Fascinus à βάσκανος.

Fiscus à φάσκος.

Gibbus à גב, *Eminentia, gibbus.*

Hio, hisco, à χάω, χάσκω.

Hirrire ab ἀρρίζειν.

Humilis à χαμαλός.

Ira à χαρά.

Lapithum à λάπαθον.

Lepista à λεπαστή.

Libitina primùm *Labitina* à λαβεῖν. vnde quoque originem trahunt *Labor* & *Labrum*. Cæsar Scaliger Poëtices III. xc.

Limpidus, à λάμπω.

Machina à μηχανή.

Masinissa à Μασανίσσης.

Massilia à Μασσαλία.

Mithridates à Μιθραδάτης.

Mollis à μαλακός.

Numida à Νομάδες.

Patina à πατάνη.

Petilus à πέταλον.

Pila à πάλλα.

Pinguis à παχύς.

Popina à πόπανον.

Pumilus à πυγμαλίων.

Runcina à ῥυκάνη.

Scribo à γράφω.

Scutica à σκυτάλη.

Sica ab ἄκα. Salm.

Sicharbas ab Ἀχάρβας.

Silex à χάλιξ.

Similis ab ὁμαλός.

Sinè ab ἄνευ. Salm.

Sinister ab ἀριστερός. Salm.

Sino ab ἀνίω, ἀνῶ. Salm.

Spolio à σκυλάω.

Stillare à σταλάζειν.

Stringo à στραγγίζω.

Tristis à ταράσσω.

Trutina à τρυτάνη.

Vesica à φυσάω.

Vitricus à πατρωιός.

Vmbilicus ab ὀμφαλὸς sive ὀμφαλικός.

Ita quoque Latini pro *è manu* dixerunt *Eminus*. à *Pro* & *Stabulum* fecerunt *Prostibulum*.

Huc etiam refer *Adipiscor, despio, precido, accino, illicio, efficio*, ab *Apiscor, sapio, cado, cano, lacio, facio*, & eiusmodi innumera.

Concilium à *Concalando*. Festus.

A mutatur in O.

Ita socer meus Iunius Græcorum ὅλμος, *Tudes, tudicula, pila culinaria*, deduxit ab הלם, *Contudit, contrivit tudite sive tudiculâ.*

Guili. Stuckius in Arriani Periplû suspicatur Græcum βωμὸς profluxisse ex protritâ atque in Sacris literis passim obviâ voce במות, *Excelsa*: quo nomine cùm montes atque colles, tum altaria quoque atque sacella in iisdem à Gentilibus ædificari solita designantur.

Attici certè, quemadmodum auctor est Athenæus libro tertio, ἄσταχυν dixerunt ὄσταχυν, sicuti & ἀσταφίδας ὀσταφίδας.

Æolibus quoque & Cretensibus familiare fuit α in ο permutare, dicebántque ὀνόγυεις pro ἀνάγυεις, βότις pro βάτις.

Atque adeò reliquis etiam Græcis derivata à βάλλω plerumque desinunt in βολὴ vel βόλος. Huc etiam faciunt sequentia. Θορίως Æolicè pro θερσίως, ὀνὴρ pro ἀνήρ, βροδίως pro βραδίως, στροτὸς pro στρατὸς, ὄνω pro ἄνω, ὀνάλυται pro ἀνάλυται, ὀνεχώρησεν pro ἀνεχώρησεν, σολὲς pro σαλὲς, πλορμὸς pro πλαρμός.

Corylus à κάρυλος.

Corymbus, κόρυμβος, à κάρα.

Crocio à κράζω.

Domo à δαμάω, δαμῶ.

Donum à δᾶνος.

Follis à φαλλός.

Loqui à λακεῖν.

Marmor à μάρμαρον.

Mollis à μαλακὸς vel ἀμαλός.

Monile à μάννος, μάνος, vel μανιάκης.

Ocrem antiqui montem confragosum vocabant; vnde fortasse etiã *Ocrea* sint dictæ, inæqualiter tuberatæ; Festus. ab ἄκρις vel ἄκρις *Summum cacumen.*

Oratores quasi ἀρητῆρες, ab ἀρῶ, vel ἀρῶμαι. Festus. Ita & Caninius Latinum *Oro* desumtum putat ex ἀρῶ.

Polenta à παλαίστη. Æolicè πολαίστη.

Pollen à πάλη.

Porrus à πάῤῥος antiquo, ex quo πάρσος & πράσος.

Posco à φάσκω.

Puer à παῖς. nam Cretenses & Lacones dicebant πὸϊρ pro παῖς.

Sapio & *Sapus* à σοφὸς.

Sopor ab ὕπαρ.

Sordes à σαρόω.

Thronus à θρᾶνος à θράω.

Tolero à ταλάω. atque indè fortasse & *Tollo*.

Colossus à *Calete* artifice. Festus.

Fouea priscis Romuli nepotibus dicebatur *Fauia*; vnde & *Fabij* olim dicti quasi *Fouij*.

Sporta dicta est à *Sparto*.

Toxicum à *Taxus*.

A mutatur in V.

Σάρκας Æoles σύρκας. Item pro κρίας vel κρῆς, illi κρῦς dicebant.

Ita Bibliandro Græcum κηρύσσω est ab Hebræo *CERAZ*.

Aplustra ab ἄφλαστα.

Botulus à βόθαλον, quod Hesychio exp. ἔντερα. Salm.

Capulus

Capulus à κάπηλος. vnde & *Cupa.* Salm.
Cicuma à κικαβὴ, κόρυξ.
Crapula à κραιπάλη.
Culmus à καλάμη.
Curculio siue *Gurgulio* à γαργαρεών.
Dumus à θάμνος.
Gelu à γέλα.
Hecuba ab Ἑκάβη.
Hercules ab Ἡρακλῆς.
Humi à χαμαί.
Iuno à Ζανώ.
Lucunter à γλυκαντής.
Lurco à λαρκός.
Malus à μέλας.
Molucrum, μύλακρον. Festus.
Mucro à μακρὸς, ob longitudinem. vndè & *Machæra.* Isidorus Originum XVIII,VI.
Mulceo à μαλακίω.
Pecudes à πεκάδες.
Pessulus à πάσσαλος.
Pluteus à πλατεῖον Dorico pro πλησίον.
Prudens, φρόδων vel φράδμων à πέφραδα Præt. perf. medio verbi φράζω, *Considero.*
Rudis, virga, olim *Raudus*, à ῥάβδος.
Scrupus, à σκιρόφιον. [ca.
Securis à σάγαρις. *Securis Amazonica.*
Secus ab ἑκάς.
Spinturnix à σπινθαρίς.
Strangulo à στραγγαλῶ.
Triumphus à θρίαμβος.
Trix à τρίχες.
Vapulo ab ἀπαλῶ.
Vitulus ab ἰταλός.
Vmbones ab ἄμβωνες.
Vncus ab ἀγκύλος. Caninius.
Vrsus ab ἄρκτος.
Vulpes ab ἀλώπηξ.
Adtubernalis, habitator contiguæ *tabernæ*; Festus. Huc etiam refer *Contubernalis* & *Contubernium*, ac reliqua deriuata ex *Taberna.*
Amussis ab *Am* & *Assis*, quod veteribus idem cum *As.* vnde & *Decussis*, &c.
Crepundia à *Crepando.*
Culcita à *Calcando.*
Cumera quasi *Camera.*
Delubra dicunt ea templa, in quibus sunt *labra* abluẽdorum corporum mortuorum, &c. Asconius in Diuinationẽ Ciceronis.
Ebur quasi *è barro.*
Furfur à *Far.*
Insubidus est *sapientia* carens.
Insulsus quasi minimè *salsus*, nihil habens salis atque elegantiarum.
Lubricus à *Labor.*
Muria à *Mare*, propter gustum maris. Isidorus.
Pulpa est Caro sine ossibus, à *Palpitando* dicta; mollis enim est ac tremula. Casaubonus ad Persij Satyram II.LXIII. vbi quoque monet Satyricum eo in loco *Pulpæ* vocem accepisse pro Carne totóque adeò corpore mollitie ac luxu diffluente. planè sicut in Sacrâ paginâ *Caro* accipi solet.

Æ mutatur in A.

Agrippa, auctore A. Gellio, ab *agritudine pedum* dictus est.
As ab *Ære*, iuxta Varronem. Vide Casaubonum ad Tranquilli Octauium, c.LXIV.
Harviga dicebatur Hostia, cuius *adhærentia* inspiciebantur exta. Festus. *Haruga* nũcupatur istiusmodi hostia Donato in Phorm. IV, IV. Huius vocis occasione visum est Soceri mei coniecturam hoc in loco adscribere: Ab Hebræo חרג, *Occidit, interfecit*, sunt Græcorum ἄρχα apud Hesychium, & Latinorum *Ariga* vel *Haruga* (vnde *Aruspices* vel *Haruspices* dictos volunt) pro Hostiâ vel Ariete mactando. Festus ab *Herendo*, Donatus ab *Hæra* deriuatum putat, Varro ab *Arietando*, quum ait, *in hostiis ea est Ariga quæ cornua habet.* Hæc Iunius.

Æ mutatur in E.

Tanta certè affinitas est inter *Æ* & *E*, vt olim *Edepol, era, erumna, esculus*, &c. pro *Ædepol, æra, ærumna, æsculus* scripserint. Vnde & Latinum *Æstimo* putant esse ab αἰτιμῶ.
Cespes à *Cædo.*
Erinaceus ab *Herendo.*
Teter, à *Tædet.*
Venetia priùs *Ænetia* dicebatur. vide Servium ad Æneid. I, CCXLVII.

Æ mutatur in I.

Scipio certè Africanus pro *Pertæsus* scribebat *Pertisus*, teste Festo in *Redarguisse.* Huc etiam refer *Excido, occido, cicuta, cisium, allido, collido*, & reliqua composita à *Cædo* & *Lædo.*
Cicatrix est à *Cæco*, id est, occludo.
Litus putant esse à *Lædo.*
Hirudo ab Hæreo.
Iniquus ab *Æquus.* Ita quoque *Amicus* quasi *Amæquus*, hoc est, Vtrimque æquus, videtur dictus Scaligero.
Succidanea hostia priùs *Succædania* dicebantur. A. Gellius IV.VI.

Æ mutatur in O.

Bolo bolonis à *Balæna.*

Æ mutatur in V.

Cudo à *Cædo.*

Æ mutatur in AV.

Cauda à *Cædo.*

AI *Græcorum exprimitur per Æ.*

Æ syllabam antiqui Græcâ consuetudine per *AI* scribebant: vt *Aulai, Pictai, Musai.* Festus.

AI *interdum additur.*

Lyæus, Λυαῖος, ἀπὸ τοῦ λύειν.

AI *quandoque omittitur.*

Αἰαῖα, *oppidum Colchidis*, & Αἶα.
Agolum ab ἀγκάλαι.
Lino à λειαίνω.

AI *Græcorum frequenter amittit* I, *vel (quod eodem recidit) sæpenumero mutatur in* A.

Pro Θηβαῖος Æoles dicunt Θηβάος, & pro ἑταῖρος ἑτάρος; pro Ἀλκαῖος Ἀλκάος.
Maximè locum id habet in Præt. baryt. vt φαίνω πέφαγκα, πέφασμαι. Sic ἀμίαντος venit à μιαίνω. Id ipsum quoque accidit eorundem verborum Futuris, vt φαίνω, φανῶ. Atque ita *Epiphania* est ab ἐπιφαίνομαι.
Aqua ab αἰκὰς, *æquus, leuis.* Caninius
Ara ab αἴρω, *attollo, sursum tollo.* eâ nempe acceptione quâ margines siue prominentes crepidines earum molium, quibus flumina oppilantur, olim dicebantur *Aræ.* Vide Scaligeri Ausonianas lect. lib. II.c.XXII.
Asarum à σαίρω, vnde & *Asarota.*
Ater ab αἴθω.
Atrium ab αἴθριον. Scaliger.
Basis à βαίνειν.
Catharticum à καθαίρω.
Catus ἀπὸ τοῦ καίνυξ. vide Servium ad Æneid. I, CCCCXXVII.
Chartam nonnulli ab eo putant denominatam, quòd epistolis præfigi soleat χαίρειν.
Chlamys à χλαιναῖον.
Crapula à κραιπάλη.
Dapes à δαὶς δαιτός.
Diabatrum à διαβαίνειν.
Lamæ, lacunæ maiores continentes aquam pluviam seu cœlestem, ἀπὸ τοῦ λαιμοῦ, quæ ingluuies est & vorago viarum, seu fossæ fluuiorum. Hinc quoque dictæ sunt *Lamiæ*, puerorum voratrices. Vetus commentator in Horatij lib. I. epist. XIII.
Rarum ab ἀραιόν.

AI *mutatur in* AE.

Phaëthon ἀπὸ τοῦ φαίνειν. Servius ad Æneïd. V.CV.

AI *mutatur in* E.

Ita γαῖα Græcis dicitur & γέα in compositione. ἀκριβὲς est τὸ ἐπὶ τὰ ἄκρα βαίνειν.
Arutena ab ἐρύταινα.
Citheron, Κιθαίρων.
Clytemnestra, Κλυταιμνήστρα.
Creo à κραίνω.
Esculus olim *Æsculus* ab αἰγίλωψ.
Fenestra à φαίνω.
Horreum ab ὡραῖα.
Olea & *Oleum* ab ἐλαία & ἔλαιον.
Peto ab αἰτῶ vel ἐπαιτῶ.
Phlegethon conflatum est ex φλέγω & αἴθω.
Que est ex καί.
Seta à χαίτη.
Venio à βαίνω.
Verro à σαίρω.

Vonco à βεβαίω.

A I *mutatur in* I.

Dalivus à δείλαιος

Fascino à βασκαίνω

Humi à χαμαί.

Spiro à σπαίρω.

Titio à δαίω.

A I *mutatur in* O.

Marmor à μαρμαίρειν.

Scorta dicuntur ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, quod Græcè *palpitare* intelligitur, quod illa faciunt crissando, &c. vide Donatum ad Eun. III, 1.

Sordes à σαίρω.

A I *mutatur in* V.

Curro à καίρω.

Fuscus à φαιός.

Pusio à παιδίον.

Puvire à παίειν. Festus in *Depuvire*.

A I *mutatur in* AV.

Audio ab αΐω.

Caussa à καίω. vnde & καυτήριον, item ἐγκαυστικά.

Claudo à κλαὶς κλαῖδος.

A N *mutatur in* A I Σ.

Æoles τέναις pro τενᾶν, γέλαις pro γελᾶν.

AV *mutatur in* A.

Sic ἀὴρ fit ab αὐτήρ.

Caminus, κάμινος quasi καύμινος, ab inusitato, καύω pro καίω.

Largus à λαῦρος.

Parum à παῦρον. *Parũper* à παῦρόν περ.

Catus quasi *Cautus*, à *Cauendo*.

Mactus quasi *Magis auctus*.

A V *mutatur in* E.

Obedio ex *Ob* & *Audio*.

AΥ *mutatur in* I.

Siccus à σαυκός. Hesychius: Σαυκόν, ξηρόν. Συρρακούσιοι.

A V *mutatur in* O.

Aulas antiqui dicebant, quas nos dicimus *Ollas*; Festus.

Aurata, *orata*; Macrobius lib. III. cap. XV.

Auricula, *oricula*: vnde *Oricilla*.

Ausculari, *osculari*. *Ausculana* vel *Osculana pugna*, de eâ in quâ victus vincit. Festus.

Caudex codex, *caulis colis*, *saurex sorex*; hæc tria habet Servius ad Georg. II. XXX.

Caupo, *copa*. *Caurus*, *corus*. *Cautes*, *cotes*.

Claudius, *Clodius*. *Claustrũ*, *clostrũ*.

Fauces, *suffoco*.

Plaudo, *explodo*. *Plaustrum*, *plostrum*. *Plautus*, *plotus*.

Scrautum, *scrotum*; Festus.

Sodes est *si audes*, vt *sis* est *si vis*: nã delirat, qui σῶος ζῇς interpretatur *Sodes*. Donat. in Andr. I, I.

AV *mutatur in* V.

Susurrus à σαυσαρός. Hesychius certè σαυσαρὸν exp. ψιθυρόν. vnde & σαυσαρισμὸς Aristoteli est Affectio linguæ susurrantis magis quàm loquentis præ ariditate.

Apluda est ab *Applaudo*.

Caupa, *cupa*. Cicero in Pisonem, *Panis & vinum à propolà & de cupâ*. quo significatur eum non viuere de penu suo; sed de cauponâ; quod Horatio est *numerato viuere*.

Cupedia quasi *Caupedia*. Scaliger.

Defrudo à *Fraudo*. vnde quoque *Frustra* & *Frustum*.

Includo & *Occludo* sunt à *Claudo*.

Rudis, virga gladiatoria, olim *Raudus*. AV *vsurpatur pro* AO.

Laudicea pro *Laodicea*.

Laumedon pro *Laomedon*.

B *additur in initio*.

Æoles β præmittebant. nam ex ῥάκος (quomodo dicitur *Vestis lacera*, ἀπὸ τοῦ ῥήγνυμι) fecere βράκος, vnde *Bracca* nomen accepit. ex ῥυτὴρ fecerunt βρυτήρ, vnde Gall. *bride*. ex ῥοδινὸν quoque βροδινὸν, & ex ῥῶπες fecerunt βρῶπες, vnde *Vepres*. ex ἄγος βάγος, ex ἰχὺς βιχὺς, ex ὖνις βύνις, vnde *Buris*. Sic Salmasius. Notandum tamen Æoles non semper initiali ρ præfigere β, sed tantum, vt monent Grammatici, ὅταν ὑπεφέρηται τὸ κ, ἢ τὸ δ, ἢ τὸ τ, ἢ τὸ ζ. Itaque pro ῥυκάνη dicebant βρυκάνη, pro Ῥαδάμανθυς Βραδάμανθυς, Βρυτίον pro ῥυτίον, *poculi genus*, pro ῥάζω *latro* βράζω, vnde Belgicum *blaffe*. Hinc patet βρῶπες pro ῥῶπες non esse Æolicum. Heraclides quoque apud Eustathium tradit Pamphylios gaudere τῷ β vocalibus affixo; atque ita pro φάος dixere φάβος, pro ἀίλιος βαβίλιος. qui mos non multum recedit ab Æolibus digamma præponentibus. Latinis quoq; *Bruscus* est ex *Ruscus*. *Bustũ* ex *Vstum*.

B *additur in medio*.

Græci β interiiciunt in Syncope post M. vt γάμος γαμερὸς γαμβρὸς, μεσημερία μεσημβρία, μέλομαι μεμέλομαι μέμβλομαι.

Bibo à πίω.

Bolbitum quasi βόλιτον, à βολή.

Bubo ab Æolico βύβας vel βύβας pro βύας.

Calbeos armillas dicebant quibus triumphantes vtebantur, & quibus ob virtutem milites donabantur; Festus. dictæ à καλός.

Dubium à *Duo*. vt δοιὴ à poëtico δοιὼ pro δύω. vnde δοιάζω, *dubito*. & δοιή, *dubitatio*.

Gibbus à κυφός.

Morbus à μόρος, quod Hesychio exp. νόσος, φθόρος.

Palpebra à βλέφαρον.

Robur à ῥώω.

Subare à συᾶν vel θυᾶν. vide Festum in *Suillum genus*.

Vber ab ὕω, *irrigo*, *quadam veluti pluuiâ perfundo*.

Ambages ab *Am* & *Ago*,

Ambio ab *Am* & *Eo*.

Comburo à *Con* & *Vro*.

Consobrini quasi *Consororini*.

Creber à *Cresco*.

Criber, vnde *Cribrum*, à *Cerno*.

Flebilis à *Fleo*.

Rutuba à *Ruo*, *rutum*.

Scaber à *Scarreo*. vnde *Scarrosus* Lucillio est λεπρός.

Suber à *Suo*; insuitur enim solo calceamenti.

Superbire à *Super* & *Ire*.

B *abijcitur in initio*.

Rancus à βρόγχος.

Rigo à βρέχω.

Rugio à βρυχάομαι.

B *abijcitur in medio*.

Gener à γαμβρός.

Grabatus à κράββατος.

Larus quasi λάβρος.

Rudis à ῥάβδος. vnde & *Radius*.

Ocrea ab *Ob* & *Crura*.

Omitto ab *Ob* & *Mitto*.

Operire ab *Ob* & antiquo *Perire*. nisi fortè contendas hîc *P* omitti; esset enim *Opperire*, propter *P* sequens.

Opiter ab *Ob* & *Pater*.

Oscita pro *Obscita*, hoc est, *adscita*. nam *Ob* persæpè est *Ad*. vnde & *Obstetrix* videtur dicta quasi *Adstetrix*.

Ostendo ab *Obs* & *Tendo*.

Ostium ab *Obstando*.

Suspicor à *Sub* & *Specio*.

B *mutatur in* C.

Occatio dicta est quòd sit Obcæcatio seminis; Nonius ex Cicerone.

Occino, *succino*, &c. eandem patiuntur permutationem literæ B.

B *mutatur in* D.

Βελὸς. Æolib. est δελὸς. ὀβελὸς, ὀδελός.

B *mutatur in* F *vel* PH.

Ita ab Hebræo בר, *Cibus*, non malè fortasse deriuarũt aliqui Græcũ φαγεῖν, & Latinum *Fames*. prorsus vt *Far* deduxerunt à ברה, *Comedere*, vel בר, *Frumentum*. Huc etiam facit illud Eustathij in Dionysij Periegesin; ἀμφιλαφὴς κυρίως ἐστὶ τὸ δασὺ, ὅθεν ἀμφολίβροθεν λαβίδης, τραπέντος τοῦ β εἰς φ, Μακεδόνων ἔθει. Rectius tamen dicemus ἀμφιλαφὴς dici quasi ἀμφιλαφής, vndique tectum. Macedones pro φίλιππος dicunt Βίλιππος. Similiter βαλακρὸς pro φαλακρὸς, Βρύγες pro Φρύγες, Βερενίκη pro Φερενίκη. Item *ventos* παρὰ τὸ φυσᾶν φυσῆτας, illi βύκτας adpellant.

Bufo ab Æolico βύβας pro βύας.

Fascia à βασκία.

Fascino à βασκαίνω.

Flacceo à βλακεύω.

Fluo à βλύω.

Formica ab Æolico βύρμαξ pro μύρμηξ.

Fremo à βρέμω.

Fruges

Fruges à βρύκειν, *Manducare*, *devorare*.
Frutex à βρύω.
Fullo dictus est quasi ὁ βυλλῶν. nam à βύω, *Impleo, stipo, farcio*, est βυλλὸς, *Confertus, oppletus*: & βυλλόω, *Oppleo*. vnde ὁ βυλλῶν est *Condensator*.
Fundum à βύθος.
Furfur à βόρβορος.
Triumphus à θρίαμβος.
Latini quoque pro *Bubalus* scripserunt & *Bufalus*. item pro *Sibilare* apud Nonium Marcellum est *Sifilare*, quibus adde *Rufus* ex *Rubeus*: item *Officio* ex *Ob* & *Facio*, &c.

B *mutatur in* G.

Æoles pro βλέφαρ, Eustathio teste, dicunt γλέφαρ. Hesychius: γλέφαρα, βλέφαρα, ὀφθαλμοί. Iidem Æoles pro βάλανος dicebant γάλανος, vnde κατ' συγκοπὴν est Latinorum *Glans*, ac fortasse quoque κατ' ἀφαίρεσιν *Galla*. Dicebant & pro θλίβω, φλίγω, vnde *Affligo*. item pro πρέσβυν dicebant πρέσγυν, vnde *Priscus*. Salmasius.

B *mutatur in* M.

Κάμιλος vel (vt Varinus legit) κάμιλος Græcis est *Rudens*, *funis densus*: quod socer Iunius, mutato B in M deriuata à חבל, *Funis, chorda, restis, fides, fidicula, laqueus, rete, rudens, pes navis, & si qua sunt eiusmodi*, propriè: metonymicè verò *Possessio vel possessionis portio quævis*, *magna aut parva, privata aut publica*, ex eo dicta, quòd funibus dividi soleret communis hereditas.
Ἀμφίσβαινα, Hesychio teste, dicebatur, & ἀμφίσμαινα.
Γομολῖται Stephano dicuntur Idymæi, qui aliis Γοβολῖται nuncupantur.
Græcis Ἄβαντες Latinis *Amantes*.
Ἐρεμνὸς quasi ἐρεβεννὸς ab ἔρεβος. στιμνὸς quasi στιβνὸς à στίβειν.
Cicuma à κικαβὴ, κίκαβος.
Præmium à βραβεῖον.
Formosus dicimus, quibus color sanguinis ex rubore pulchritudinem creat. nam *Forbum* est *Calidum*. Seruius ad Æneïd. VIII. CCCLI.
Glomus est ex *Globus*.
Gluma, hordei tunicula, dicta quòd *glubatur* id granum; Festus.
Promuscis ex *Proboscis*.
Summitto, summones, summoveto, sunt à *Submitto*, &c.

B *mutatur in* P.

Πάλαι deriuant ab Hebræo בלה, *Vetustatem habet, consenuit*.
Παλάθη Græcis est *Massa pinguium caricarum*. Socer meus Iunius deriuat à בלה vel בהלה, *Palatha*, *massa ficuum coacta*. Sublatâ nempe primâ radicali.
Pario desumptum putant à ברא, *Creavit*. vnde & *Paro*: nisi postremum hoc malis esse à πορίζω.
Precor deriuant à ברך, *In genua procumbere*.
Cretẽses ἀβλόπες dicũt pro ἀπλαβίς.
Ampulla ex ἀναβολὴ vel ἀναβόλλα.
Canopus à κάνωβος.
Cuppa à κύββα.
Lappa à λαβεῖν.
Palea à βάλλειν.
Palpebra à βλέφαρον.
Papa à βάβας. quamquam Græci etiam παππᾶ dicunt. Sed Charisius pro eodem habere videtur *Baba* & *Pape*.
Pasco à βόσκω.
Pateo, patens, à βαθύς. Caninius.
Pedo à βδέω.
Pello à βάλλω.
Pessum ab Ionico βυσσός.
Planta ab Æolico βλάτη pro βλάστη.
Plautus ex βλαύτη.
Pluo à βλύω.
Præmium à βραβεῖον.
Premo à βάρημα.
Puber à βούβων.
Pulegium, βλήχων.
Pulpitum à σύμβιτον, quomodo Arrianus appellat Cathedram cui pulvinũ impositum. vide Casaubonũ in Persij Satyram I, XVII.
Puteus à βύθος.
Stipa à στιβὴ.
Stipare à στίβειν.
Turpis à τύρβη.
Alpes ab *Albore nivium* denominatæ.
Nuptiæ dictæ quòd nubentium capita *obnubantur*.
Scopa à *Scobs* vel à *Scabo*.
Scripsi, nupsi, &c. sunt à *Scribo, nubo*. etsi *B* in his retineant alij.

B *mutatur in* R.

Arripio est ab *Abripio*.
Surripio à *Subripio*.

B *mutatur in* T.

Ritus à τρίβος.
Tardus à βραδύς.
Telum à βέλος.
Tussio à βήσσω vel βήττω.

B *mutatur in* V *vocale*.

Ab Hebræo נבל non modo νάβλον, sed & ναῦλον fecere Græci. vtrumque enim apud eos in vsu est.
Rudis, olim *Raudus*, à ῥάβδος.
Aufero pro *Abfero*.
Aufugio pro *Abfugio*.

B *mutatur in* Vau.

Arvina est à Siculo ἀρβίνη.
Avus videtur esse ex Hebræo אב.
Ervum ab ὄροβος.
Gavia à γάβια.
Gilvus à γίλβος. [βῶν.
Lavernio, vnde Gall. *laron*, est à λα-
Livor à Λίβυς. quoniam Libycæ genti ardentissimũ cœlum colorem facit ex pallido nigrescentẽ.
Pavor à φόβος.
Pravus à παραβαίνω.
Severus à σέβομαι.
Vacca à βοίκη. Caninius derivat è Punico *Baccara*.
Vado à βατῶ pro πατῶ. vel à βάζω sive βάδω, ὃ παράγωγον, Eustathio teste, est τὸ βαδίζω.
Vadum quasi βατόν.
Vah à βᾶ, Irridendi particulâ.
Valgus à βλαισός.
Vallum à βάλλω.
Vappa est ab Æolico βάππα pro βάμμα. quoniam Vinum acetosum inter omnia alia βάμματα vel ἐμβάμματα principem locum tenet. Salmasius, & ante eum Scaliger in Catalecta.
Varius à βαλιός.
Vatius à βατός.
Venenum à βέλεμνον.
Venio à βαίνω.
Vepres ab Æolico βρῶπες.
Ver ab Ionico βῆρ. Varro v. de L.L.
Vescor à βόσκω.
Vetus à βαίτης. βῆ intendit.
Vicia à βικία.
Vio obsoletum verbum (vnde remanserunt *Vieo, vimen, vitex, vitis, vitrix*, &c.) est ab Æolico βίω pro μίω, *Ligo, plico, plecto*. atque adeò Latinis quoque *Vitta* dicta est ab Æolico βίτος pro μίτος. vide Salmasij Plinianas exercit. pag. 246.
Vis à βία.
Viscus ab Æolico βίσκος pro ἰξός.
Vivo & Vita à βιῶ & βιοτή.
Voco à βοῶ. *Vola* à βολή.
Volo à βόλομαι.
Vorax à βορός.
Voveo à βοαῶ.
Vulva est ab Æolico βόλφυς pro δέλφυς, ἡ μήτρα.
Clavi quasi *Calybi*, quod fiant ex calybe, hoc est, ferro. Isidorus Originum XIX, 19.
Cohivum à *Cohibeo*.
Helvus ab *Albus*.
Vacillare est Baculo tarditatem le- [vare.
Vervascum quasi *Barbascum*.
Verona dicta est quasi *Brennona*, à *Brenno*. eam etenim solam Brennus à suo nomine appellauit, licet in Italiâ condiderit etiam Bergomum, Brixiam, Comum, & Cremonam. ita Ios. Scaliger in Iulij patris vitâ.

C *additur*.

Bacchus est ab ἰαχή. nam indè factum est Græcorum ἴακχος, *Bacchus*.
Buccina à βυκάνη. [ex-
Cætera ab ἕτερα. vel potiùs ex καὶ ἕτερα.
Calx, extremus pes, à λάξ.
Caulæ, munimenta & septa ovium. est autem Græcum nomen, C detracto: nam Græci αὐλὰς vocant Animalium receptacula.

vnde & in ſacris ædibus, & in tribunalibus ſepta quæ turbas prohibent aulas vocamus. Ita Servius ad Æneïd. IX. 60.
Centum ab ἑκατόν.
Cnephoſum, κνεφαῖον à νέφος.
Coſta ab ὀστᾶ.
Elucus fortaſſe ab ἴουλος.
Fauces à φαύω.
Flacceo à βλακεία.
Gracilis à γράω.
Lurco à λαῦρος.
Maccus παρὰ τὸ μὴ ἀκέειν.
Marceo à μαραίνω.
Muſca à μυῖα.
Parcus à παῦρος.
Quæſo ab αἰτῶ, quod idem. vtrumque enim *Peto* ſignificat: atque adeò apud omnes in confeſſo eſt C & Q nihil aut parum diſtare.
Specus à σπέος.
Vacca à βοική.
Voco à βοῶ.
Cacumen ab *Acumen*.
Cortina, locus vnde oraculum datur, quibuſdā videtur dicta quaſi *Ortina*, quòd indè vox oriatur. Servius ad Æneïd. III, 92.
Eruca ab *Eruo*.
Ferctum vel *Fertum* à *Fero*.
Mancus à *Manus*.
Merces à *Merendo*.
Muccus à *Mugo* pro *Mungo*.
Mulcta, quæ & *Multa*, à multus, a, um.
Nuncubi, ſicubi, alicubi pro *Nunubi, ſiubi, aliubi*.
Parcus à *Parum*. vide A. Gellium III. 19.
Scirpus à *Sirpus*.
Succus à *Sugo*.
Vncia ab *Vnus*.
Ab ἔω pro εἰμὶ Imperfectum eſſet ἦον, & ſine Augmento ἔον. pro quo Æoles, σκ inſerto, ἔσκον dicunt. Latini ſimiliter in hoc verbo ſubſtantiuo *C* inſeruere, ſed in Futuro. nam *eſcit* dixere pro *eſit*, hoc eſt, *Erit*; quemadmodum auctor eſt Feſtus. atq; ita Lucretius lib. I. *Atque inter rerum ſummam minimúmq; quid eſcit?* Sic *obeſcit* pro *obeſit*, hoc eſt, *oberit* vel *aderit* vt idem Feſtus monet: & *Supereſcit* pro *Supererit*, in illo Ennij, *Dum quidem vnus homo Romæ tota ſupereſcit*. ſicuti emendat Turnebus Aduerſ. lib. X. cap. XV. Librarij veteres ſolebant *C* multis in locis inſerere, vt ſciunt mediocriter in vett. membranis verſati. vide Feſtum in *Dumella*, & in *Deblacterare*. *C* quoque additur, vbi *S* mutatur in *X*, de quo in *S*.

C *abijcitur*.

Alapa fortaſſe à κόλαφος.
Aper à κάπρος.
Cacabus à κάκκαβος.
Cacare à κάκκη.
Cucullus à κόκκυς vel κόκκυξ, quod Heſych. exp. περικεφαλαία, λόφος. ita Salmaſius in Notis ad ſcript. Hiſtoriæ Aug. pag. 129.
Cuculus à κόκκυξ.
Lacus à λάκκος.
Mica à *Dorico* μίκκος pro μικρός.
Sævus à *Scævus*, quod à σκαιός.
Vrſus ab ἄρκτος, extrito κ, & mutato τ in ς. Caninius.
Cleropeplum (quod dicitur quaſi *Cleri peplus*) nunc corruptè dicitur *Liropipium*.

C *mutatur in* B.

Tabes à Dorico τάκω pro τήκω.
Craber, qui poſtmodo dictus eſt *Crabro*, à *Craceo*, hoc eſt, gracilis ſú.
Faber à *Facio*.
Suburanam tribum antea *Succiſanam* appellabant. Feſtus.

C *mutatur in* CH.

Anchora ab ἀγκύλος vel ὄγκη.
Bacchus, Βάκχος deriuant à בקק, *Euacuauit, exhauſit*. vnde & βακχάω, *Inebrior, demens ex ebrietate fio*. βάκηλος, *Demens*.
Bruchus, βροῦχος à βρύχειν.
Stomachus, στόμαχος quaſi στόμα μύχος. Ariſtot.

C *mutatur in* D.

Dama à καμμάς. Siculi καμμὰς dicebant. vnde Latinorum *Damma* & *Dama*. Salm.
Liuidus quaſi *Libycus*.

C *mutatur in* F.

Fleo à κλαίω.
Frigus à κρύος.

C *mutatur in* G.

Agrigentum ab Ἀκράγας.
Angina ab ἄγκυρα.
Angulus ab ἀγκύλος vel ἀγκών, vt Scaliger.
Culignum à κύλιξ κύλικος.
Cygnus à κύκνος.
Digitus à δείκνυμι.
Dignus à δεικνύειν. Facilè enim æſtimari ac monſtrari poſſunt ea quę dignitatem habent. Sic Attici τὸ ἄξιον vocabāt, quod facilè poterat æſtimari. vide Scaliger. in Cirin.
Dogma à δοκέω. vnde & *Doceo*.
Frigus à φρίκη.
Fruges à βρύκειν, *Mãducare, deuorare*.
Galbea à καλός.
Gallus à κάλλαια.
Gannio à κνύω vel κνύζω.
Gargara, montis Idæ cacumina, dicta ſunt quaſi κάρα καρὸς. hoc eſt caput capitis, altitudinis altitudo. Seruius ad Æneïd. IX, 86.
Gavia à καύης καύηος.
Gibbus à κυφός.
Gladius à κλάδος.
Gleba à κολοβόν.
Glocire, κλώζειν, Græcis eſt *Graculorum inſtar vociferari*; ſed Plutarchus gallinaceo quoque generi tribuit κλωσμόν.
Gloria Paſſeratio videtur dici quaſi *Cleoria*, à κλέος.
Gobius à κωβιός.
Grabatus à κράββατος.
Gradiuus Mars appellatus eſt, quòd vibret haſtā, à κραδαίνειν. vide Feſtū.
Graxo à κράζω.
Groſſus à κρῶος.
Guberno à κυβερνῶ.
Gummi à κόμμι.
Mugio à μυκῶμαι.
Nanus, &, vt olim ſcribebant, *Gnauus*, ſunt à κνάω pro διαφθείρω.
Niger à νεκρός.
Plaga à πλὰξ πλακός.
Pugil à πύκτης. quod ipſum tamen eſt à πὺξ, *Pugno*, hoc eſt, manu in pugnum complicatâ conſtrictâque. vnde Lat. *Pugna*, atq; etiam *Pugnus*. Niſi malis *Pugnum* indè potiùs dictū, quòd manus antea paſſa & μακρὰ (vnde & nomen accepit,) contracta clauſis digitis facta eſt πυκνή. Iulius Scaliger, Poëtices libro primo, c. XXII.
Rugoſus à ῥικνώδης.
Sagitta ab ἀκίς. ἀκίδος. Caninius.
Segeſta, Ἀκέστα.
Signum à δείκνυμι.
Viginti ab εἴκοσι.
Gladius dictus, quòd fit in hoſtium *cladem*. Varro.
Gracilis à *Cracere*.
Negotium à *Nec* & *Otium*.
Quadringenti, quingenti, &c. à Centū.
Sagmina quaſi *Sanctimina*.
Segmentum à *Seco*.
Suggillo à *Sub* & *Cello*.
Vagina quaſi *Vacina* à *Vaco*.
G certè aliquamdiu ignorârunt Veteres. vnde in Regiis legibus ACNOM legas pro *Agnum*. ACROM pro *Agrum*: LECE pro *Lege*, &c. In Columnâ quoque Duillij ſcribitur LECION. PVCNANDO. MACESTRATOS. EXFOCIONT. pro *Legion, pugnādo, magiſtratus, effugiunt*. Feſtus quoque teſtatur *Acetare* olim dixiſſe, quod nunc dicimus *Agitare*. putátque idem *Prodigium* ſimili mutatione à *Prædicendo* dictum; contráque, mutando G in C, *Orcum* ab *Vrgendo* nuncupatum cēſet. *Cererem* adhæc quaſi *Gererē* à *Gerendo* dici volunt Varro, Cicero, Arnobius, alij. *Caius* deníque & *Gaius*, *Cneus* & *Gneus*, atque alia his ſimilia in vett. libris paſſim quoque confunduntur.

C *mutatur in* M.

Hamus fortaſſe eſt ab ἀκὴ, *Mucro, cuſpis*.
Murex piſcis à κήρυξ. vbi tamen & metatheſis eſt literarū Υ atque Η.

C *mutatur in* N.

Planus à πλακόν.
Dani olim *Daci*.

C *mutatur in* P.

δικεῖν ἐνεδεῖν, ἀπλικᾶς. Heſychius.

Clypeum

Clypeum ab Æolico κλύπειν pro κύκλον Græci enim τὴν ἀσπίδα vocabant κύκλον. vnde Latini, transpositione ab originibus suis Æolibus familiari, fecere κλύπιον, & mox, permutato κ in π, *Clupium*, *Clypeum*. Salm. Plinianarū exercitat. p. 321. Sic quidem ille, sed rectius ex κόλλον, κόλλοπος formes *clupeum*. Olim namque clypei ex tergoribus bubulis.

Lupus à λύκος.

Sepes à σηκός. nam σηκὸν Græci vocant qualemcunq; περίβολον. Salm.

Spina à σκῶλος vel σκίζω.

Spolium à σκῦλον. *Spolio* à σκυλάω.

Vespa à σφὴξ σφηκός.

C *mutatur in* Q.

Æquum à Dorico αἰκὸς pro εἰκός. vnde & *Aqua*.

Aquilo, ab ἀκύς. Caninius.

Loqui à λακεῖν.

Qua ab Ionico κῇ pro πῇ.

Qualus à κάλαθος.

Que à καί.

Querquedula à κερκίς.

Querquerus à κάρκαρος.

Quos ab Ionico κόσος.

Siliqua à ξυλική.

Tesqua à δάσκια.

Vsque ab ὄσκε.

Aquila quasi *Acutè volans*. item *Aquilo*.

Arquites ab *Arcu*.

Cunire est Stercus facere. vnde & *Inquinare*; Festus suo loco, & in *Anculenta femina*.

Curis est Sabinè Hasta: vnde Romulus, quia eam ferebat, *Quirinus* dictus est; & Romani à *Quirino* dicuntur *Quirites*. Festus. vide quoque Servium ad Æneid. I, CCXCVI.

Inquilinus ab *Incolendo*.

Qualus à *Colando*. Isidorus.

Quoniam à *Cum* & *Iam*.

Sanqualis porta à *Sanco* deo, vnde & *Sanqualis*, avis que aliter *Ossifraga*, ita dicta, quia in Sanci tutelâ est, vt ait Festus.

Squama à *Scabo*.

Sterquilinium à *Stercus*.

C *mutatur in* S.

Æstimare ab ἐκτιμᾶν.

Salpista, *salpicta* à σαλπιγκτής.

Lassus à *Lacio*.

Mulsum à *Mulceo*. Seruius ad Æneid. I, LXX.

C *mutatur in* T.

Τῆνος Doricum est pro κεῖνος.

Τυφλὴ κυφλὴ, *Aurium sordes*.

Bestia videtur esse à βόσκημα. Caninius.

Lutetia est à λευκετία. prorsus vt *Lutum* herba est à λευκόν. vide Salmasij Plinianas exerc. p. 256.

Otium ab ὄκνος.

Toleno priùs fortè *Coleno* à κάλων κάλωνος. atque ita quoque ἄντλον Latini vocant *Anclum*. ἀντλῶ, *Anclare*. Salmasius Plin. exerc. p. 589

Arista ab *Aresco*.

C *mutatur in* Vau.

Vanus à κενός.

Vapor & antiquè *Vapos* à κάπνος.

Venari à κυνεῖν vel κυνάειν.

Verro à κορῶ.

Foueo à *Focus*.

C *mutatur in* X.

Bœoti κ mutant in ξ. vt in illo οἱ δ' ἶξον κοίλην Λακεδαίμονα.

Æoles pro δὶκ dicunt δὶξ vnde apud Archilochum δὶξ σοιῆνος. & alibi apud eundem δὶξ τὸ μέτρον, ἀντὶ τοῦ διὰ τὸ μέτρον, διὰ μυρτίνην σημαίνει.

Ita ἀλξίνη est ab ἄλκω. πλίξιμον à πλέκω.

Falx à πέλεκυς.

Lux à λύκη.

Lynx à λύκος.

Malaxare à μαλακίζειν. Varro v. de L. L.

Nex à νέκυς.

Pellex à παλλακή.

Arx ab *Arceo*.

Auspex ab *Avibus speciendis*.

Bifax, *trifax* à Facies.

Dux à *Duco*.

Fax, quòd *Faciat lucem*.

Nox & *Noxius* à *Noceo*.

Pauxillum, *pauxillulum* à *Paucum*.

Pax à *Paciscor*.

Vox à *Voco*.

CH *abijcitur*.

Ab Hebræo חמה, *Calor*, Græci habent suum ἄμμος vel ἄμαθος, & κατὰ μετάθεσιν vnius literæ ψάμμος vel ψάμαθος, *Arena*, *sabulum*; quia arenosæ sunt, & ex arenâ æstuant solitudines. vnde & Iupiter Ammon vel Ammoniacus in loco arente ac solitudine siticulosâ habitans. & ἀμμὼν Athenis festum Iovis, quod etiam ἀμμωνεῖον nuncupabant. item ἀμμὼν, *Dipsas*, genus serpentis qui etiam ἀμμώδης, ἀμμώδιος, καὶ ἀμμοβάτης dicitur Cyrenæis. Sed hæc omnia cum aspirationis nota scribi debere censebat socer meus Iuniùs.

Λιαρὸν, χλιαρόν. Hesychius.

Aranea ab ἀράχνη.

Ianus à χαίνειν. vide Festum in *Chaos*.

Ira à χαρά.

Lana à χλαῖνα.

Ora à χώρα.

Res à χρέος.

Bacar à *Bacchus*.

CH *mutatur in* B.

Bilis à χολή.

CH *mutatur in* H.

Ita ab Hebræo חלף, *Mutavit*, *novavit*, socer Iunius deriuat καλαφάζειν, quod in re nauticâ vsurpatur pro *Curare naveis atque reficere*. Galli corruptâ voce dicunt *calfatrer* vel *calefeutrer vne navire*.

Ἐκεχειρίαν significanter Græci dixerunt (*cessationem pugnæ pactitiam*), exemptâ vnâ literâ sonitus vastioris, & subjunctâ lenioris. nam quòd eo tempore non pugnetur & manus cohibeantur, ἐχεχειρίαν appellârunt. vide A. Gellium noct. Attic. I, XXV.

Κάδος putatur dictus à χαδεῖν.

Κάρκινος à κάρχνος.

Κίβδηλος quasi χίβδηλος à literâ χ, quâ in odium Chiorum nummi adulterini signabantur.

Κρίνος à χρῖνος.

Acus aceris ab ἄχυρον.

Aringa. Hesyc. ἄριχα, ἄρρεν περίβαλον.

Aruncus ab ἤρυγγος.

Cære, vrbs Tusciæ, de quâ hæc habet Seruius ad Æneid. VIII, CCCCXCV. Agylla ciuitas est Tusciæ à conditore Agellâ appellata, cui ex inscientiâ Romanâ aliud est inditum nomen. nam cùm Romani euntes per Tusciam interrogarent Agyllinos quæ diceretur ciuitas; illi, vtpote Græci, quid audirent ignorâtes, & optimum ducentes si prius eos salutarent, dixerunt χαῖρε. quam salutationē Romani nomen ciuitatis esse putaverunt, & detractâ aspiratione eam *Cære* nominauerunt.

Calasis, tunicę genus, quasi χάλασις.

Calculus à χάλιξ.

Caliga à χαλᾶν.

Calx à χάλιξ.

Canere Latini ab hiatu dixere Græcâ voce ἔχανον. nam Æoles ab eo quod est χαίνειν, non apponunt incrementa Præteritis, sed dicūt κάνω, dementes aspirationem quasi rem barbaram. Scaliger cap. LII. de Causis L. L.

Carcer, κάρχαρον, αἱ μάνδραι. Scaliger.

Carini à χαίρειν.

Carissa à χάρις. item *Carus*.

Casteria à χαστεῖα.

Cavus à χάος. vel ab antiquo χάω pro χαίνω.

Corpus à χρὼς χρωτός.

Cyathus, κύαθος, à χύω.

Furca ab ὄρχη.

Glisco à γλίχεσθαι à γλίχομαι.

Lancea à λόγχη.

Locus à λόχος. nisi quis malit deducere à λόχος, quod Homero significat *Locum insidiis accommodum*.

Muscus à μόσχος.

Nauci à ναὶ & οὐχί.

Ocrē antiqui vocabāt Montē confragosum. Festus. Fortasse ab ὀχυρὸς vel ὀχυρός, *Locus natura munitus*.

Orca ab ὄρχη.

Orcus ab ὄρχος, *Fovea in qua conduntur mortui*. Ipsū verò ὄρχος dicitur quasi ὀρυχός, ab ὀρύσσω. vide Casaub. in Tranquilli Octauium, cap. 34.

Procerus.

Procerus à προχὴς, pro quo Æoles προχὴρ, πρεχὴς, & προχὴς dicebant.
Scindo à σχίζω.
Scrapta à χρίμπτεσθαι.
Siccus à σιχὸς,
Socci à σύκχοι.
Spica à σαχύς.
Stica à στιχὺ.
Trica, τριχώματα.
Trucalus à τρύχω.
Vrceus ab ὕρχη.

CH *mutatur in* CT.

Bractea à βρέχιν. Isidorus Originum XVI, XVII.
Rictus à ῥύγχος, abiecto prius γ, deducitur. Sed perperam: est enim à *ringo*.

CH *mutatur in* F.

Fel à χολή.
Funis à χοῖνος. vnde & *Funis*. Antiquis à χοῖνος erat *Sfœnis*, vt à σφόγγος *Sfungus*. à σφενδόνη *Sfunda*. at postea σ periit: indè igitur *Sfœnire* primùm, *Fœnire* postea, nunc autem *Finire* est χοίνῳ μετρῆσαι Scaliger.
Flos à χλόος.
Floris à χλωεῖν.
Fovo siue *Foveo*, vnde *Fovea* & *Fovissa*, sunt ab Æolico χόϐω pro χέω, *Cavo*.
Fundo à χύω vel χυόω. χυτὸς, *Futus*. atque inde est *Futilis*.

CH *mutatur in* G.

Amygdala ab ἀμυχή.
Angina ab ἀγχόνη.
Ango ab ἄγχω.
Anguilla ab ἔγχελυς.
Anguis à Dorico ἄχις pro ἔχις.
Caliga olim *Calga* à κάλχη, *Pellis*. Salm. in script. Historiæ Augustæ.
Caligo ab ἀχλὺς, κατ μετάθεσιν.
Congia à κόγχη.
Culigna à κυλίχνη.
Doga à δοχὴ.
Egeni, ἰχῆνες, Hesychio sunt κενοὶ, πτωχοί. Cambro-Britannis quoque *achanog* est *Egenus*.
Galbanum à χαλϐάνη.
Ganna, vnde *Gannare* & *Subgannare* pro Deridere, à χάνος, *Rictus oris hiatu maximo diducti*.
Gero à χεὶρ χειρὸς vel χερὸς.
Glarea à γλαρὶς.
Grates à χάριτες.
Gutta à χύω.
Lingo à λείχω. vnde & *Ligurio*.
Longus à λόγχη.
Mingo ab ὀμιχέω.
Pinguis à παχὺς.
Pulegium à βλήχων.
Rego ab ἄρχω.
Rigo à βρέχω.
Rugio à βρυχάομαι.
Stigium à στίχιον
Vnguis ab ὄνυξ ὄνυχος.
Vulgus ab Æolico ὄλχος, βόλχος pro ὄχλος.

CH *mutatur in* H.

Halo à χαλῶ.
Hara à χοῖρος.
Her heris, sic *Herinaceum* vocabant, à χήρ. Salm.
Heri, quod olim *Hesi* dicebant, est ab illo χθὲς, vnde χθὶς.
Hiems à χειμὼς.
Hio hisco à χάω χάσκω.
Hir à χείρ.
Hirundo à χελιδὼν.
Hortus à χόρτος. Veteribus denotabat *villam*: vnde *Cohortem* dixere Aream cum Horto, id est, villâ iunctam. Posteriores *Cortem* & *Curtem* nuncupabant. vide Salmasij Plinianas exercit. pag. 310.
Humi, χαμαί.
Humilis, χαμαλὸς.
Humor, à χυμὸς.
Menalmi à Μέναχμοι.
Veho ab Æolico ϝόχω.

CH *mutatur in* I *consonum*.

Ianus à χαίνω. vide Festum in *Chaos*.

CH *mutatur in* K.

Derivata à δέχω mutant χ in κ, vt μελανδόκος, πανδόκος, ξενοδόκος.

CH *mutatur in* M.

Mille, à χίλιοι.

CH *mutatur in* PH.

Æoles αὐχένα vocant αὐφένα.

CH *mutatur in* QV.

Aqua ex ἀχοῦ, à fusione, Caninius. Cæsar Scaliger in Primú Theophrasti de Plantis, quemadmodum & Exercitat. CCCXXV, II. adversus Cardanum, nomen Aquæ antiquioribus Græcis non fuisse incognitum, colligit ex nomine Ἀχελῷος. nam vt initio non obscurè præ se fert Aquæ vocem, ita pars posterior videtur respondere Dorico λάω pro λύω. Hæc Scaliger. Quod autem Acheloï nomine quamlibet olim aquam intellexerint Græci, docet nos Macrobius Saturnal. V, VIII. vbi & eius rei rationem reddit.
Quatuor à χάτερον. postquam enim dixerant ἕν, δύο, τρία, dicebant χάτερον pro καὶ ἕτερον, & inde καὶ ἕν κε vel χένκε. ab illo est *Quatuor*, ab hoc *Quinque*.
Squarra ab ἰχώρ.

CH *mutatur in* S.

Ensis ab ἔγχος.
Seta à χαίτη.
Silex à χάλιξ.

CH *mutatur in* T.

Hortus fortasse est ab ὄρχος, quod idem signat.
Mostus siue *Mustus*, hoc est, Novellus, videtur esse à μόσχος. Scaliger ad Varronem.
Nato à νήχω.

CH *mutatur in* TH.

Ὄρνιχες pro ὄρνιθες dicebant Tarentini.
Similiter quoque κάλχη dicebatur κάλχη Siculis, *Caltha* Latinis.
Carthago à Καρχηδών.

CH *mutatur in* Vau.

Brevia à βραχέα.
Brevis à βραχὺς.
Malva à μαλαχή.

CH *mutatur in* X.

Coxa à κοχώνη.
Trux à τραχὺς.
Truxalis à τρύχω.

CT *mutatur in* S.

Vrsus ab ἄρκτος.

CT *mutatur in* TT.

Trutta à τρώκτης. Scaliger Ausonianarum lectionum libro primo, cap. III.
Sagitta à *Sagaci ictu*, secundùm nonnullos.

CT *mutatur in* X.

Atrox appellatur ex Græco, quia illi ἄτρωκτα vocant quæ cruda sunt, Festus.
Flexum, à φλικτόν. vstulata enim prava fiunt. Scaliger.
Flexuntæ veteribus erant Equites, à *Flecto*. vide Seruium ad illud Virgilij Æneid. IX. DCVI. *Flectere ludus equos*.
Pax dicta est à *Pactione*. Festus.

D *additur*.

Ita Græcis ἰχθυδόντων est ex ἴχθος & ὀδ. πίδαξ à πίω. ὕδωρ ab ὕω. ἀνὴρ, ἀνέρος, ἀνδρός.
Alcedo παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ κύειν.
Amygdala ab ἀμυχή.
Andabata ab ἀναβάτης.
Audio ab ἀΐω.
Blandus à πλαδός.
Cedes à κέω.
Claudus à χωλὸς.
Cordax à χόρος.
Coriandrum à κορίαννον.
Fendo vetus, vnde *Infensus* & *Offensus*, videtur esse à φένω.
Foden à χέειν.
Fœdus à φαῦλος.
Fundo à χύω vel χυόω.
Lædum à λαφὸν.
Medulla à μυελὸς.
Ordo ab ὄρος. Dicebant enim militibus Tribuni, vt ait Cæsar Scaliger de Caussis LL. c. XXXV. Hactenus tibi licet. Hic consistes. Eò progreditere. Huc revertere. ὅρον δῶ. Indè *ordo*.
Sordes à σαίρω vel σαρόω vel σαρὸς.
Tæda à δαΐς δαΐδος vel δᾷς δᾳδός.
Tendo à τείνω.
Tondere à τομεῖν.
Trudo à τρύω, *Vexo*.
Ardeo ab *Areo*.
Audeo ab *Aueo*.
Bidens quasi *Bidennis* siue *Biennis*. vide Aulum Gellium XVI. VI. *Bidentes dicta sunt quasi Biennes*, inquit

inquit Servius ad Æneïd. IV. LVII. *quia neque minores, neque maiores, licebat hostias dare. Sunt etiam in ovibus duo eminentiores dentes inter octo, qui non nisi circa bimatum apparent; nec in omnibus, sed in his quæ sunt aptæ sacrificiis, inveniuntur.*

Candeo à *Caneo*.

Carduus à *Carco*.

Corruda à *Corruo*.

Cupido à *Cupio*.

Forda à *Ferendo*. Notum est illud poetæ Sulmonensis Fastorum IV, DCCXXIX.

Forda ferens bos est, fecundaque dicta ferendo;
Hinc etiam fetus nomen habere putant.

Gaudeo ab antiquo *Gaveo*, vnde *Gavisus*.

Grandis à *Granum*. item *Grando*.

Indagare ab *In* & *agere*.

Indigere ab *In* & *egere*.

Induciæ ab *In* & *Ocium*.

Mendum à *Minus*: vt *Mando* pro περγύνω est à *Manus*. à *Mendo* quoque est *Mendicus*, cui deest aliquid: nam *Mendum* propriè defectus. Itaque qui minùs quàm opus est, dicit, is veritatem imminuit, dicitúrque *Mendax*. Velum quoque minus vocabant *Mendicum*, quod nempe in prorâ ponitur. Græcè ὁ ἀρτέμων, aliter τίρθρον. vnde locus ex quo proreta speculatur scopulos in mari, dicitur τερθρεία. Hæc Scaliger.

Præcipuè tamen interjicitur *D* in compositione, sequente vocali. Ita ab *Ago*, *amo*, *arguo*, *eo*, sunt *Prodigo*, *redamo*, *redarguo*, *redeo*. Occurrit & *Antideo* apud Plautum pro *Anteeo*. Similia sunt *Redigo*, *redimo*, *redintegro*, *redundo*, &c. Interdum quoque id vsu venit sequente consonâ, vt in *Reddo*. Immò & euphoniæ sæpe caussâ in diversis vocabulis extra compositionem concurrentibus. vt *med erga* apud Plautum & *ted obsecro*. & *Simulabo med esse ebrium*. aliaque id genus.

D *abjicitur*.

Æoles pro Ἀρτίμιδος dicunt Ἄρτιμιος, pro μήνιδος μήνιος, pro Θέτιδος Θέτιος.

Ionicè & Æolicè tollitur aliquando, vt δεινὸς αἰνός.

Subinde quoque cadit ob metrum, vt μόλιβδος. μόλιβος.

Exuo manifestè est ab ἐκδύω.

Ros à δρόσος.

Simila à σεμίδαλις.

Aperio ex *Ad* & *Pario*.

Ara fortassè ab *Ardeo*.

Clavis à *Claudo*. ac fortè *Clavus*.

Igitur ex *Id agitur*.

Incus ab *In* & *cudo*.

Penis à *Pendeo*.

Recens à *Re* & *candeo*.

Solium dictum quasi *Solidum*, ac propriè denotabat Armarium vno ligno factum, in quo vno Reges sedebant propter tutelam corporis sui. Servius ad Æneid. I, DX.

Subucula à *Sub* & *Duco*, pro *Induco*.

Tomentum à *Tondeo*.

D *mutatur in* B.

Æolicè Δύθυλος genus avis Βύδυλος, Δελφοὶ Βελφοὶ, ἐνδῦσαι, ἐνβῦσαι. Sed & iisdem δίλεαρ, est βίλεαρ, δύπτης βύπτης, ὀδελὸς ὀβολὸς, δελφὺς βελφὺς, vnde *Vulva*. Κλάδα κλάβα, vnde *Clava*. Δερτὺς βερτὺς, vnde *Verber*. Salmasius Plinianarum exercit. paginâ 87. Non autem Æoles soli, sed & Bœoti δ vertunt in β, vt cùm δελφῖνας vocant βελφῖνας.

Bis, δίς.

Bipes, δίπους.

Boa, quatenus Serpentem aquatilem denotat, est ab illo δύας, pro quo Æoles & Bœotij βύας dicebant: nam δύας & δύτης idem sunt quod κολυμβητὴς. at *Boa*, quatenus Tumorem qui ex labore viæ in cruribus colligitur, significat, aliam habet originem, sed æquè Græcam. nam δύη est κακοπάθεια, πόνος, ταλαιπωρία. Æolicè βύη. Latinè *Boa*.

Morbus à Punico *mard*. Caninius.

Sibilla est ab Æolico σίβα pro σίδα. Salm.

Terebra vocata à verme ligni, quem Græci τερηδόνα vocant. Isidorus Originum XIX, XIX.

Bellum à *Duellum*.

Bes à *Des*, quia triens demitur de asse. Varro.

Bonus à *Duonus*.

D *mutatur in* C.

Cecrops à κέρδος.

Iucundus ab ἰδανός.

Feciales olim dicebantur *Fœdales*. Servius ad Æneïd. I, LXVI.

D *mutatur in* G.

Pro δαμάτηρ Dores dicunt γαμάτηρ. Exemplo Doriensium reliqui etiã Græci commutârunt δ in γ. nam διφύρα iis est γεφύρα. δνόφος, γνόφος. δᾶ, γᾶ. ἰδᾶν, ἰ μὰ τὰν γᾶν. φεῦ δᾶ, φεῦ γᾶ. ἐνδαλα, ἀλέω τὰν γᾶν.

Carthago à Καρχηδών.

Eugium ab εὔδιον.

Aggero, *agnosco*, *aggravo*, &c. pro *Adgero*, *adnosco*, *adgravo*.

D *mutatur in* I.

Ius quidam deduxerunt à δίκη.

D *mutatur in* L.

Λάσιη δάσιη, Περγαῖοι. Hesychius.

Λίτλος δίτλος. Hesychius.

Alacris ab ἄδακρυς.

Lacryma à δάκρυμα.

Levir à δαήρ, quasi primò fuerit *Devir*.

Lautia, *dautia* à δώτια.

Lepista, λεπαστη à δεπαζω.

Licet à δίκη.

Lolium quasi δόλιον.

Lorica antea *Dorica*, θώρηκα. Salm.

Lotus à δορός.

Olere ab ὄζειν.

Olor ab ᾠδός.

Pollux à πολυδεύκης.

Vlysses ab Æolico Ὀλύσσευς pro Ὀδυσσεύς.

Allabi, *allicere*, *allidere*, *alloqui*, &c. pro *Adlabi*, *adlicere*, *adlidere*, *adloqui*.

Calare à *Cadendo*. Festus in *Ancasa*.

Consilia dicta sunt quasi *Considia*. Sedentium animi tranquilliores fiunt. Servius ad Æneid. IX, IV.

Delica pro *Dedica* sive *Indica*. vide Nonium.

Delicatus quasi *Dedicatus*.

Dingua in priscis legibus est *Lingua*.

Famelicus quasi *Famedicus*, à fame & edendo dictus; Donatus in Eun. II, II.

Fidius (vnde *Medius fidius*, μὰ Διὸς υἱόν) postea fuit *Filius*.

Gralla à *Gradior*.

Impelimenta pro *Impedimẽta*. Festus.

Melicæ gallinæ quasi *Medicæ*. Festus.

Myrmillones à *Myrmidones*.

Novensides postea *Novensiles*.

Odefacit, *olefacit*. Festus.

Pelluvia, quibus pedes lavantur, quasi *Pedilavia*.

Seliquastra, *sedilia*. vide Festum.

Selium à *Sedeo*, quasi *Sedium*. nam & *Sella* quasi *Sedda* dicta est. Servius ad Æneïd. VII, CLXIX.

D *mutatur in* M.

Ammoneo pro *Admoneo*.

Gremium ab *Ingrediendo*.

Premium à *Præda*.

D *mutatur in* N.

Lacinia à λακίδες.

Annitor, *annumero*, pro *Adnitor*, *adnumero*.

Arvipennium pro *Arvipendium*. Dicebant enim *Dispennere* & *Tennere* pro *Dispendere* & *Tendere*. Donatus in illud Terentij, *Non rete accipitri tenditur, neque milvio. Legitur*, inquit, *& Tennitur: habet enim N litera cum D communionem.*

D *mutatur in* P.

Appareo, *Apparo*, *Appello*, *Appeto*, *Applico*, *Appono*, pro *Adpareo*, *adparo*, &c.

D *mutatur in* R.

Corium à κώδιον.

Lepus leporis à λέπος λέπορος.

Veteres pro *Ad* sæpè *Ar* adhibebant: quemadmodum videre est in *Arcesso*, *arrepo*, *arrideo*, *arrado*, &c. Ita quoque *Arferia aqua* est

apud Festum. & *Arvorsum* pro *Adversum* occurrit in priscis legibus.
Asseres ab *Assidendo* putantur dicti.
Caro dicta quasi *Cado*, vt *R* pro *D* ponatur. Donatus in Hecyram III, IV.
Feroniam, libertorum Deam, dictam volunt quasi *Fidoniam*, fortassè quòd in eius templo mancipia, post fidelem operam heris navatam, raso capite pileum acciperent. In huius etiam templo Tarracinæ sedile lapideum fuit, in quo hic versus incisus erat; *Benè meriti servi sedeant, surgent liberi*. Servius ad VIII. Æneïd. CCCCLXII.
Laudus & *Laudea*, si audimus Isidorum, priùs à *Laude* nomen acceperunt; postea verò *Laurus* & *Laurea* obtinuerunt. vide quoque Servium ad Eclogam VIII.
Meridies quasi *Medidies*.
Merula quasi *Medula* à *modulando*.

D *mutatur in* S.

Ita ab ὦτα priùs dixere *Audes*, vnde *Audio*: hinc *Auses*, vnde *Ausculto*: tandem verò *Aures*, quod remansit.
Pusio à παιδίον.
Rosa à ῥόδον.
Signum à δείκνυμι.
Assideo, assigno, assimilo, pro *Adsideo*, &c. Multa quoque sunt verba in *DEO* & *DO*, quorum Supina desinunt in *SVM*; vt *Ardeo arsum, Mordeo morsum, Cado casum*, vnde *Casus, occasus, occasio*. *Cudo cusum*, vnde inusitatum *Cuso*, cuius composita sunt *Accuso, incuso*.
Cæsaries à *Cadendo*, vnde quoque *Cæsitium, casius, castus, caspes, cisium*.
Cuspis à *Cudo*.
Fons à *Fundo*.
Impensa ab *Impendo*.

D *mutatur in* T.

Catamitus videtur à γαδαμήδης, quod idem est cum γανυμήδης, detortum esse: γάδεξ enim & γάνεξ idem, atque ita priùs fuerit *Gadamidus*, indè *Catamitus*. Scaliger in Elegiam de Mæcenatis obitu.
Intus ab ἔνδον.
Mutus à μῦδος.
Sagitta ab ἀκὶς ἀκίδος.
Spatium ab Æolico σπάδιον pro στάδιον. Scal.
Sporta à σπυρὶς σπυρίδος.
Tæda ab Acc. δᾷδα, à recto δαὶς, & fortasse *Titio*.
Tapes à δάπεδον.
Tenebræ quasi *Denefræ* à δνοφερὸς. Caninius.
Tesqua à δάσκια.
Terra à δάπεδ.
Tina à δῖνος.
Titio à δαίω.
Tussis à δύσις Martinio.
Vterus ab ὀδερός.
Attamino, attero, attingo, pro *Adtamino*, &c.
Catax à *Cadendo*.
Matala à *Madeo*.
Ostentum ab *Ostendo*.
Patavium dictum à *Padi* vicinitate. Seruius ad Æneïd, I. CCXLVI.
Pedetentim à *Pedibus tendendis*.
Præputium, quòd sit *Præpudendo*.
Vitrum à *Videndo*.

D *mutatur in* Vau.

Clava à κλάδα, Æolicè κλάβα.
Verber à δερτὺς, Æolicè βερτύς.
Fovea à *Fodio*.

D I *mutatur in* Z.

Διαφλεγὴς Æolicè ζαφλεγὴς, & διαμενὴς ζαμενής.
Καρδία cor Æolicè καρζα, διακρυδὴς ζακρυτὸς.
Διάπλυτος, Ζάπλυτος.
Diabolus, Zabulus, διαβάλλειν ζαβάλλειν.
Diata, Zeta.
Diarrhytus, Zarrhytus.

E *additur in initio*.

Æoles οἶνον vocant ἔοινον, δάπεδον ἐδάπεδον, vnde credo ἔδαφος factum esse.
Attici dicunt ἐώρων & ἑωρακέναι, &c. pro ὤρων & ὤρακέναι. Item ἔειπε pro εἶπε, & ἐέδνα pro ἕδνα. Sed & pluribus vocabulis eadem litera præponitur à Græcis. Sic εἴκα ἐοικα, ὕδωρ ἐέδωρ, ὃς ἕος, οἷς ἕοις, ἄ ἐὰ, ἧ ἐῆ, ἐλπομένη ἐελπομένη.
Elysium, ἀπὸ τῆ λύσεως, à *solutione*; Servius ad Æneïd. V. DCCXXXV.

E *additur in medio*.

Frequens id Ionibus. nam in Nominibus μνέα dicunt pro μνᾶ, ἀδελφεὸς pro ἀδελφὸς, πορφύρεον & χρυσέον pro πορφυροῦν & χρυσοῦν. in verbis verò ἐὼν & παρεὼν dicunt pro ὢν & παρὼν, item ὁρέω pro ὁρῶ. in Participiis χρεώμενος malunt quàm χρώμενος. in Adverbiis ἀληθέως dicunt pro ἀληθῶς.
Ager ab ἀγρός.
Algeo ab ἀλγῶ. vide Festum.
Apeo ab ἅπτω.
Aranea ab ἀράχνη.
Asperum ab ἀσπρὸν, vnde & *Aspredo*.
Audeo ab αὐδάω, τὸ τολμῶ. vt exponit Suidas in Αὐδώντες.
Caliendrum à κάλλυνδρον.
Castanea à κάσανον.
Celebro à κλείω.
Cieo, vnde *Citus*, est ab antiquo *Cio*. quod est ex κίω pro πορεύω, *Vado*, & *ad ambulandum provoco*.
Fateor à φατὸς, quod à φημί.
Fervco à φλέω Æolico pro θέω.
Glarea à χλαρόν.
Habeo ab ἄβω.
Lageos à λαγώς.
Lancea à λόγχη.
Laqueus à λίγος.
Lateo à λήθω, Doricè λάθω.
Macer à μακρὸς, quòd macri longi sint. ita quoque *Tenuis* παρὰ τὸ τείνεσθαι. Scaliger.
Maneo à μένω.
Medeor ex μήδομαι.
Mereo à μείρω. quòd distribuitur *Merces*.
Misceo à μίσγω pro μίγνυμι.
Moveo à μόω.
Mulgeo ab ἀμέλγω.
Niteo à νίπτω vel νίζω.
Oleo ab ὄζω.
Palea à πάλλω, vnde & *Palear*.
Palleo à παλλύνω.
Pasceolus à φασκωλον.
Pereo à φθείρω.
Phæniceus à φοινικοῦς.
Pileus à πῖλος.
Polleo à πολύς.
Puteo à πύθω.
Scateo à σκάτος.
Sedeo ab ἕζομαι.
Suadeo à *Suavi* vel ab ἥδω.
Teneo à τείνω.
Tepeo à τύφω.
Terreo à τρέω.
Torpeo à τέρπω.
Tumeo à θυμὸς.
Video ab εἴδω.
Aleo, ferveo, oleo, strideo, olim fuere pro *Alo, fervo, strido*.
Careo à *Carus*.
Cavea à *Cavo*, vnde & *Caveo*.
Corneus à *Cornu*. *Laureus* à *Laurus*, &c.
Delibero quasi *Delibro*, à *Libra*.
Facetus à *Factus*.
Granea à *Granum*.
Irceus ab *Hircus*.
Luteus color à supino *Lutum*.
Mulleus à *Mullus*.
Noceo à *Neco*.
Rideo à *Ringo*.
Solea à *Solum*.
Veterinus ab *Vterus*.
Vigeo & *Vegeo*, vnde *Vegetus*, à *Vi* & *Ago*.

E *abjicitur in initio*.

Iones dicunt κεῖνος pro ἐκεῖνος, ὁρτὴ pro ἑορτή. Bœoti quoque (ficuti observat Salmasius de Hellenisticâ, pag. CCCLXXVI.) pro ἐγὼν, detractione τοῦ ε, primùm γὼ vel γὼν dixere, postea verò γ in ι mutantes, ἰὼν fecerunt ex γὼν. Retinuerunt autem aspirationem, quoniam γ densiorem plerumque spiritum in se continet, quem non pariter cùm ipsâ litera putabant abjiciendū. Fortasse interim hinc ortum traxit

traxit Hispanorum atque Italorum *io*. Huc pertinet quoque,
Centum ab ἑκατὸν.
Fui fuisti fuit, ἔφυν ἔφυς ἔφυ.
Lamina ab ἐλαμῖνα.
Liber fortasse est ab ἐλεύθερ@.
Lis ab ἔρις.
Lutra ab Æolico ἐλύδρις pro ἐνύδρις.
Paean Græcè Laus omnis dicitur, ab admiratione, ἐπαινεῖν etenim Græcis est *Laudare*. Lactantius in Statij Thebaid. VIII, CCXXIV.
Peto ab ἐπαιτῶ.
Remus ab ἐρετμός.
Rixor ab ἐρίζω.
Ruber ab ἐρυθρὸς, vnde & *Rutilus*.
Rugo vel *Ructo* ab ἐρεύγω.
Ruo ab ἐρύω.
Squarra, vel, vt Veteres scribebant, *Scara*, sunt ab ἐσχάρα.
Ruta Vlpiano sunt *Eruta*.

E abjicitur in medio.

Iones dicebant ἱρὸς pro ἱερὸς, ἰρηξ pro ἱέρηξ. νεῖθος pro νεοττὸς Atticum est.
Agmen ab ἄγημα. Caninius.
Ars ἀπὸ τῆς ἀρετῆς dicta est. Donatus in Andr. I. I.
Βάτερχ@ παρὰ τὸ βουλῆ τεσχῶαι ἔχειν.
Gulus à κύλιξ.
Eurus ἀπὸ τοῦ ἠῶ ῥέειν, vel ἀπὸ τῆς ἠοῦ ῥέων, vt A. Gellius II, XXII.
Falx à πέλεκυς.
Grus quasi *Gerus*, ex γέρανος, καὶ ἀποκοπήν.
Inquio ab ἐνέπω.
Mingo ab ὀμιχέω.
Nascor olim fortè *Gnascor*, vnde *Gnatus*, à γενάω.
Plus à πλέον.
Sandapila quasi σανὶς τοῦ πυελοῦ.
Satura à σατύρος.
Spontè & *Spondeo* à σπονδὴ. nam quod per sacrificia firmabatur, erat σπονδὴ. atque ab eâ mente *Spontè*, nam id non inviti facere debemus: vnde & *Liber*, olim *Loeber* vel *Loiber*, ab eadem quoque causa dictus est: siquidem λοιβὴ Græcis est *Libatio*. Scaliger.
Struo à στορέω.
Sycomorus à συκομορέα.
Templum à τέμενος.
Trabs pro *Trabes* à τέραμνα.
Trans à πέραν.
Vlna ab ὠλένη.
Huc etiam refer *Cappadox*, Græcè Καππάδοξ teste Stephano ex Καππαδόκης. Cui similis fuerit *Pharnax* apud Priscianum, à *Pharnaces*, Græcè Φαρνάκης.
Quibusdam quoque Grammaticis Latinis *Ara* videtur dicta ab *Area*.
Bonus à *Beo*. *Aprilis* quasi *Aperilis*, quamvis potiùs ab *apro* dictus videatur.

Cerritus quasi *Cereritus*, à *Ceres*, sicut Δημητειακὸς à Δημήτηρ.
Cervisia à *Ceres*.
Clam a *Celando*.
Concio à *Concieo*.
Creo olim erat *Cereo*.
Demo quasi *Deemo*.
Dira quasi *Deorum ira*.
Divido à *Dis* & *Video*.
Dorsum quasi *Deorsum*.
Extra, *infra*, *intra*, *supra*, quasi *Extera*, *infera*, *intera*, *supera*.
Fretum quasi *Fervetum* à *Ferveo*.
Fruor à *Fero*, item *Frustum*.
Granum à *Gerendo*, item *Gravis*.
Ignis quasi *ingenis*.
Latro quasi *Latero*, à *Latere*.
Libra quasi *Libera*.
Lumen à *Luceo*.
Monstrum quasi *Monestrum*, à *Monendo*.
Mortarium quasi *Moretarium*, à *Moretum*.
Privignus quasi *Prigenius*, vt *Bigna* quasi *Bigena* Festo.
Promo ex *Proemo*.
Salictum quasi *Salicetum*.
Scrancia à *Screando*.
Scrapta à *Screando*; Festus.
Sculna quasi *Seculna*. A. Gellius XX. II.
Sedo à *Sedeo*.
Seps à *Sepes*.
Sido à *Sedeo*.
Soror à *Seorsum*. A. Gellius XIII, X.
Strufertum à *Strue* & *Fertum*.
Trama à *Trameando*.
Triones quasi *Teriones*.
Vitis & *Vimen* à *Viere*.

E abjicitur in fine.

Cis à κεῖσε pro ἐκεῖσε.
Haut ab οὔτε.
Nunc ex νῦνγε.
Quandrantal ex *Quadrantale*.
Quin ex *Quine*.
Seu ex *Sive*.

E mutat quantitatem.

Ita ex ἀνὴρ est ἀνέρα. Hoc accidit in Nominibus Quintæ decl. simpl. in ηρ vel ην. πατὴρ πατέρ@, ποιμὴν ποιμέν@, φρὴν φρενὸς, vnde φρενίτις, &c.
Verba in εω Primæ circumfl. ε mutant in η in formatione Futuri, vt φιλέω φιλήσω πεφίληκα.
Ἀθλητὴς ab ἀθλέω.
Crepida à κρηπὶς.
Mederi à μήδομαι.

E mutatur in A.

Vbi Iones ε habent, Dores amant α. nam Ἄρταμις dicunt pro Ἄρτεμις, πιάζω pro πιέζω, τράχω pro τρέχω, φρασὶ pro φρεσί. vsurpant & γα pro γε, & κα pro κε. Iidem Dores pro πότε, ὅτε, ἄλλοτε, τότε, dicunt πόκα, ὅκα, ἄλλοκα, τόκα. Æoles quoque, quibus aliqua est cum Doribus affinitas, dicunt μεγάθω, παράθω, ὠράω, vbi

Iones μεγέθω, παρέθω, ὠρέω.
Bibliander censet Græcorum κεράζω esse à Syriaco KERAZ. Ab Hebræo ac Syro EREB, quo significatur *Vespera*, dicti sunt Arabes, quasi ἑσπέριοι, vt censet Ios. Scaliger. Græcorum terminatio Fœminina Latinè vertitur in *A*, vt *Apotheca* ex ἀποθήκη, *sambuca* ex σαμβύκη, &c.
AEsculapius ab Ἀσκληπιός.
Amygdala ab ἀμυγδάλη.
Anas à νῆσσα.
Anguilla ab ἔγχελυς.
Anguis ab ἔχις, inserto *N*. Caninius.
Angulus ab ἀγκύλος.
Annus ab ἔνος.
Ardea ab ἐρωδιός.
Aretalogus ab ἀρετὴ & λόγ@.
Aria in Glossis Isidori dicuntur Mortuorum pulvinaria, ab ἠρίον, quod Suidæ exp. τὸ ἐν τῇ γῇ μνῆμα.
Aries ab ἔρρας vel ἔρριφ@.
Aruncus ab ἤρυγγ@.
Basium à Punico *Besas*. Caninius.
Caduceus à κηρύκειον.
Caleo à κήλε@.
Calpar à κάλπη.
Calvarium à κεφαλή.
Camus à κημὸς.
Caput à κεφαλή.
Castigo à κεστὸς.
Castus à κεστός.
Choragus à χορηγός. vide Casaubonum in Tranquilli Octavium, cap. LXX.
Clarigo ἀπὸ τοῦ κλήρου.
Clathrus à κλῆθρον.
Clavis à κλεῖς.
Coram à κόρη. quasi dicas ob oculos. Scaliger de Causis L. L. cap. CLV.
Crotalum à κροτέω.
Dama à κεμμάς. Salmasius.
Fagus à φηγός.
Fallo à σφάλλω.
Falx à πέλεκυς.
Flagro à φλέγω.
Gigas quasi γηγενής.
Gramia à γλήμη.
Lacus à λάκκος.
Ladanum à λήδανον.
Lamentor à λημᾶν.
Lana à λῆνος.
Magister à μέγιστος.
Magnus à μέγας.
Malus à μέλας. Isidorus.
Manto à μένω.
Narita, ostrei genus, Græcis est νηρίτης.
Palla à πέπλ@.
Palleo à πελιός.
Palpebra à βλέφαρον.
Palus ab ἕλ@ vel πηλός.
Pando à πετάω.
Pango à πήγω vel πήγνυμι.
Pancula à πηνίκη.
Pannus à πῆν@.
Panus à πηνίον.

Papilio ab ἠπίολος.
Pardus à πάρδος.
Pastinare, repastinare, à πάστω.
Pateo à πετάω.
Plaga à πληγή.
Prandium à πρὶ & ἔνδιον.
Rates à ῥέω.
Sabini quasi *Sebini*, à σέβομαι, quòd præcipuè Deos colant, iuxta Varronem.
Sacoma à σήκωμα.
Scapus à σκῆπτρον.
Scrapta à χρίμπτεσθαι.
Stagnum à στεγνὸν, quod Siculis σταγνόν.
Stamen, στήμων.
Stomachus quasi στόμα μάχος. Aristot.
Strabo à στρέφω.
Talis à τηλίκος.
Vanus à κενός.
Zamia à ζημία.
Ador olim *Edor*.
Amurca ab *Emergo*.
Antarius ab *Ante*.
Arca ab *Arceo*.
Asparagi, quòd crescant in locis *Asperis*.
Atque ex *Et equè*.
Cinara ex *Cineres*.
Decanus à *Decem*.
Familia à *Femore*.
Germanus à *Germen*, quasi de eodem germine. vide tamen Servium ad Æneid.v,ccccxii.
Graculus quasi *gregatim volans*.
Gramen quasi *Germen*.
Patavium quasi *Petavium*. Seruius ad Æneid.i,ccxlvi.
Derivata à *Pes*, quæ in *peda* desinunt, videntur huc pertinere; vt *decempeda*, *centipeda*, *millipeda*, &c.

E mutatur in Æ.

Æoles pro θνήσκω & μιμνήσκω dicunt θναίσκω & μιμναίσκω.
Ita *Ædes* deducunt ab ἕδος, *Sedes*.
Cape fortasse est ex γήπεον. pro quo Æoles γᾶπυ vel γάπυ dixerunt.
Manala mons Arcadiæ dictus ἀπὸ τῶν μήλων, id est, *ab ovibus*, quibus plenus est. Seruius in Georg. i, xvii.
Anta ab *Antè*. vel potiùs quòd primùm fuerit *Anta* in Singulari.
Carites à *Cerâ*.
Obscænus à *Scenâ*.

E mutatur in AV.

Claudo à κλήζω.

E mutatur in E I.

Bœoti pro ὀλίγος dicunt ὀλιγεῖς, pro ἐσθὴς εἰσθεὶς.

E mutatur in I.

Lacones pro Θεὸς dicunt Σιὸς.
Posteriores quoque Græci pro *Censu* dixere κῆνσος.
Anguilla ab ἔγχελυς.
Animus ab ἄνεμος. item *Anima*.
Apyrinus à πυρήν.

Aries ab ἄρσος.
Arsineum ab ἀρσένι.
Blitum à βλιτόν.
Brevia à βραχέα.
Canistra à κάνεα.
Cinædus, κίναιδος, ὁ κινῶν αἰδῶ.
Cœmiterium à κοιμητήριον.
Crista à κέρας.
Figo à πήγω.
Fingere & *Pingere* deducit à φίγγος Iul. Scaliger de causis L.L. cap. lxxxvii.
Firmus ab ἕρμα.
Gigas quasi γηγενὴς.
Hirundo à χελιδών.
Impilia ab ἐμπίλια.
In ab ἐν.
Induo ab ἐνδύω.
Inquio ab ἐνέπω.
Intus ab ἐντός.
Irrito ab ἐρίθω.
Lamina ab ἐλαμίνη.
Liber olim *Leber* à λέπος.
Lira à λῆρος. & *Delirare* à ληρεῖν.
Lorica à θώρηκα.
Meditari à μελετᾶν.
Milium à μελίνη, *Panicum*. ob similitudinem.
Niger à νεκρός.
Nimium ex νὴ & μεῖον.
Ocyus ex ὠκέως.
Pampinus ab ἄμπελος.
Patior à παθέω.
Pingo à φίγγω.
Piper à πέπερι.
Pirata à πειρατὴς.
Plico à πλέκω.
Rica, ῥῖκος, ῥῆκος. *Ricinium*. Scal.
Rigo à βρέχω.
Rima à ῥῆγμα.
Rivus à ῥέω.
Scena dicta est ἀπὸ τῆς σκιᾶς. apud antiquos enim theatri scena parietem non habuit, sed de frondibus vmbracula quærebant. Seruius ad Æneïd.i, clxviii.
Sicilia, Σικελία.
Signum, Σημεῖον.
Simila, Σεμίδαλις.
Stirps à στερεότης.
Striblita, *striblίgo*, à στρεβλός.
Tingo à τέγγω.
Tiro à τείρω.
Vestis ab ἐσθὴς.
Vitulus à ἰταλός.
Vbi antiquiores Romani in Præt. *E* habent, *I* extulere iuniores. nam columna Duilliana vbique habet ORNAVET, CEPET, vbi iuniores *Ornavit*, *cepit*. & contra: vbi posteriores *Conseptum*, priores dixere *Consiptum* teste Festo. Olim quoque dicebant *Leber*, *magester*, *Dijove*, *Vejove*, pro *Liber*, *magister*, *Dijovi*, *Vejovi*.
Propter cognationem *E* & *I* literarũ, inquit Donatus in Phorm. i, i, non dubitauerunt antiqui & *Here* & *Heri* dicere, & *Mane* & *Mani*, & *Vespere* & *Vesperi*.
Acidus ab *aceo*.
Ædilis ab *Ædes*.
Ambitus ab *Ambeo*.
Amplio, *amplius*, ab *Am* & *pleo*, quasi Vndique impleo.
Anticus ab *Ante*, ac fortè etiam *Antiquus*.
Antigerio ab *Ante* & *Gero*.
Antistes ab *Ante* & *Sto*.
Aridus ab *Areo*. item *Arista*.
Avidus ab *Aveo*.
Candidus à *Candeo*.
Canis veteribus numero singulo dicebatur *Canes*, quemadmodum ex Ennio Lucillióque docet Varro libro Sexto de L. L.
Comes à *Comitari*. vnde & *Comitia*.
Cribrum à *Creber*, vel à *Cerno*, *crevi*.
Duodecim, *tredecim*, &c. à *Decem*.
Erinaceus ab *Hærendo*.
Eximius quasi *Exemptus*.
Faliscus à *Falenis*.
Familia à *Famel*, voce Oscâ.
Ianus postea dictus est, qui priùs *Eanus*.
Illico quasi *E loco*.
Lentiscus à *Lentesco*.
Libido, *lubido* à *Libet*, *lubet*.
Ligna à *Legendo*, quòd ea caduca legebantur in agro, quibus ad focum vterentur. Varro lib. v. de L. L.
Macies à *Maceo*.
Mantissa quasi *Manu tensa*.
Miles à *Merendo*.
Minerva veteribus *Menerva* dicebatur à *Meneo* veteri pro *Moneo*.
Mulciber non à *Mulcendo ferro* dictus est, sed à *Mulcendo*, hoc est, Mitigando, deliniendo. nam *Mulciber* vetustissimis Latinis propriè μειλίχιος θεὸς erat, qualis colebatur Athenis, qui Plutarcho περὶ ἀοργησίας dicitur μαιμάκτης. Scaliger.
Nihilum à *Ne* & *Hilum*.
Obsideo, *desideo* à *Sedeo*.
Pertinax à *Per* & *Tenax*.
Prabia à *Prabeo*.
Protinus à *Pro* & *Tenus*.
Religio à *Relegendo*.
Sica à *Secando*.
Spissus à *Sapè*.
Subsicivum à *Subsecando*. de tempore quod succidimus debitis officiis.
Subtilitas à filis tenuioribus originem traxisse videtur, quæ in telâ benè textâ oculorum aciem penè fallunt: vnde significationis proportio ad alia quoque translata fuit. Scaliger in ipso statim initio Exercitationum adversus Cardanum.
Suspicor à *Sub* & *Specio*.
Tignum à *Tego*.

Tilia

Tilia à *Telum.*
Vesica à *Vissire*, quod est βδέειν.
Via à *Vehendo.*
Villus à *Vellendo.*
Viscus visceris à *Vescendo.*

E *mutatur in* O.

Æoles pro ὑπὲρ σε dicunt ὑπὸρ σε.
Pleraque Præt. med. coniugat. Baryt. verborum dissyllaborum mutant *E* in *O*. vt λέγω λέλογα, τεύχω τέτοχα, &c. Id ipsum quoque vsu venit in ὀδὶς ex ἴδω, τόρος ex τέρω, φορμὸς ex φέρω, ἄφρων, σώφρων à φρὴν, &c.
Ador ab ἀδὴρ.
Agolum ab ἀγέλη vel ἀγελαῖον.
Alo ab ἀλέω.
Amor ab ἵμερος.
Amphora ab ἀμφὶ & φέρειν.
Apocha ab ἀπέχω.
Apologus ab ἀπολέγω.
Beronice, Βερονίκη.
Cardo à κραδη.
Celox à κέλης.
Cor à κῆρ.
Corallium quasi κῆρ ἁλός.
Corcyra, Κέρκυρα.
Corgo à καρδίη, *cordicitus.*
Dolus à δόλος. obsoletum enim δέλω, vnde δέλεαρ, peperit δεδολα, δόλος.
Domus à δέμω.
Dorcas à δέρκω.
Dormio olim *Dermio* ἀπὸ τῶ δερμάτων, nam pellibus olim incumbebant dormientes.
Ecloga ab ἐκλέγειν, vnde & *Elogium.*
Episcopus ab ἐπισκέπτομαι.
Epistola ab ἐπιστέλλω.
Formus à θερμός.
Gonorrhea à γονὴ & ῥέω.
Heliotropium ab ἥλιος & τρέπειν.
Io ab ἰὴ.
Locus à λέχος.
Lopas à λέπος.
Meneo pro *Moneo* à μέμνημαι, vel à μένος, vel à μηνύω.
Modus à μέδομαι.
Novem ab ἐννέα.
Novus à νέος.
Ob ab ἐπὶ.
Obolus ab ὀβελός.
Oleum ab ἔλαιον.
Opus ab ἕπω, *facio, administro.* vnde δίεπος, *administrator, praefectus.* Scaliger.
Orcus ab ἕρκος.
Organum ab ἔργω. item *Orgia.*
Parochus à παρέχειν.
Ploro à πληρῶ.
Ploximum à πλέξιμον.
Pompa à πέμπω.
Probum ex πρέπω.
Pronus ex πρηνής.
Proserpina, Περσεφόνη.
Ptolemaeus, Πτολεμαῖος.
Rhombus ἀπὸ τῶ ῥέμβεσθαι.
Rhomphaea à ῥέμβω.
Rhonchus à ῥέγχω.
Rogo ab ὀρέγω.
Res ab ἐρεω.
Scopulus ἀπὸ τῶ σκεπάζειν, quòd sit nauium tegumentum. Servius ad Æneïd. I, XLIX.
Socer ab ἑκυρός.
Sodalis à poëtico ἕταρος.
Sol à σέλας.
Stola à στέλλω. vnde & *stolo.*
Stomachus quasi στενὸν μῆκος.
Tollo à τέλλω.
Tomus à τέμνω.
Torpeo à τέρπω.
Torreo à τέρσω.
Trochus à τρέχω. item *trochilus, trochlea.*
Tropicus à τρέπω. vnde & *tropeum.*
Vomo ab ἐμῶ. *Vomitus*, ἐμετός.
Voveo à βεβαιῶ.
Veteres *Apello* dixere, & *Hemo*, & *Elus*, & *Benus*, pro *Apollo, Homo, Olus, Bonus.* Dicebant quoque vice versâ *Amplocti* pro *Amplecti*, quemadmodum & *Animaduorti* pro *Animaduerti*, teste Prisciano libro primo, cap. de Literarum accidentibus. Pro *Adversus* denique dicebant & *Advorsus*, hinc *Advorees* Philoxeno ἐναντίοι.
Colossus à *Caleto* artifice,
Cortina, locus vnde oraculum datur, dicta videtur quasi *Certina*, quòd certa illinc responsa funduntur. Servius ad Æneid. III, XCII.
Forda à *ferendo*, vnde & *Forum, Fors*, &c.
Humor, Calor, Favor, ab *humeo, caleo, faveo*, &c.
Mossec populi Iosepho dicti, Melæ dicuntur *Moschi*, hodie verò *Moscovita*, quemadmodum auctor est Postellus cap. XXI. libri de Originibus.
Noceo à *Neco.*
Non à *Nenu* vel *Neno.*
Officium dicitur quasi *efficium*, ab *efficiendo* quod vnicuique personæ congruit. Donatus in Adelph. I, I.
Podex à *Pedo*, vt πορδὴ à πέρδω.
Polliceor à *Pellicio.*
Pollio, priùs *Pellio*, à *Pellibus.*
Polluo à *Perluo.*
Pondus à *Pendo.*
Porta & *Porticus*, quod sint *Aperta.*
Sobrius quasi *Sebrius*, hoc est, ab ebrio separatus. Donatus in Andr. IV, IV.
Socors, secors, à *se* & *cor.*
Solium à *sedendo.*
Toga à *tego.*
Vortex à *verto.*

E *mutatur in* V.

Brundusium, Βρεντέσιον.
Caballus à καβάλλης.
Camurus à καμπὴ.
Capsula à κυψέλη.
Capulus à κώπη.
Catapulta à καταπέλτης.
Clueo à κλέω, ex quo κλέομαι.
Corusco à κόρη.
Crumena à κρεμᾶν, quia plerumque de collo suspensa gestabatur. Plautus Truculento;

—— *Homo crumenam sibi de collo trahit.*

& alibi tribus quatuorve locis. Indè est *decollare*, quod propriè de marsupio dicitur, quod collo abest & periit. vnde & *Decollare* sumitur pro οἴχεσθαι, vt cùm *spem Decollare* ait Varro. Casaubonus ad Theophrasti characteres.
Funda à σφενδόνη.
Fundum à βένθος.
Hulcus, vlcus, ab ἕλκος Æolico pro ἕλκος.
Luna à σελήνη.
Mulgeo ab ἀμέλγω.
Nebula à νεφέλη.
Nubes à νέφος.
Pubes ab ἥβη.
Pulvis à πηλός.
Pungo à πήγω.
Scopulus à σκόπελος.
Struo à στορέω.
Sum ab Æolico ἐμὶ, *sum.* ἐστὶ, *sunt*
Suus ab ἑός.
Turpis à τρέπω.
Tuus à Dorico τεός.
Vnus ab ἑνός.
Vpupa ab ἔποψ ἔποπος.
Vrruncus ab ἤρυγγος.
Vter ab ἕτερος.
Vtor ab ἔθω.
Zumum alibi scriptores Latini dixere *Ollam* ἀπὸ τῶ ζέματος. Salm.
Arcus ab *arceo.*
Arundo ab *arceo.*
Augustus ab *augeo.*
Colustra à *coalesco.*
Continuus à *contineo.*
Culullus à *culeus.*
Decumanus à *decem.* vnde & *decuria.*
Diu, diuturnus, diurnus, à *dies.*
Famulus ab Olco *famel.*
Matula à *madeo.*
Meditullium quasi *Medium telluris.*
Monumentum à *moneo.* Nonius.
Occulo ab *ob* & *celo.*
Pulso à *pello.*
Sedulus à *sedeo.*
Trua, trulla, à *terendo.* Nonius.
Tugurium à *tego.*
Turunda à *terendo.* nam *terere* est μάζειν, vnde & Græcis μάζα.

E *mutatur in* Y.

Ita Græcorum ζύμη est à ζέω, quemadmodum Latinorum *Fermentum* est à *Ferueo.*
Oesypum ab οἶς & σήπεσθαι.
Zephyrus quasi τὸ ζωὴ φέρων.

E I *quandoque additur.*

Πανάκεια à πᾶν & ἄκος.

E I *abjicitur.*

Æoles pro ἀγείρω dicunt ἄγρω & pro ἐγείρω ἔγρω. Solent enim illi τὰ βαρύτονα τ῀ ῥημάτων συγκόπτειν.

Æther ab ἀεὶ θέειν. Aristot.

Damnum à δαίειν.

Ornus quasi ὀρεινός.

E I *mutatur in* A.

Dores κλεῖδας vocant κλάδας.

Calare à καλεῖν.

Careo à κείρω, ἔκαρον. indè *Carduus.* & *Floccum* Latini, κάρφος Græci vocant id, quod manibus carminantium deteritur, nihili rem. Scaliger.

Clathrum à κλεῖθρον.

Dalivus à δείλαιος.

Errare ab ἐρύειν. Varro circa finem libri v. de L.L. vbi Scaliger reponit ἔρρειν.

E I *mutatur in* Æ.

Æquus ab εἰκός. vnde ἐπιείκεια, *Æquitas.*

Cado à κλείνω, vel à καίνω.

Lada à λαῖς λαῖδος.

E I *mutatur in* AI.

Ita pro εἶθε, κλείνω, φθείρω, Dores dicunt αἶθε, κταίνω, φθαίρω, Item κύπειρον κύπαιρον, εἶκεν αἶκεν.

Tania, ταινία, à τείνω.

E I *mutatur in* AV.

Claudo à κλείω vel κλειδόω.

E I *mutatur in* E.

Iones ἀπόδειξις & ἀποδείξαι dicunt pro ἀπόδεξις & ἀποδέξαι.

AEneas, Αἰνείας.

Aër, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ῥεῖν.

Alexandrea, Ἀλεξάνδρεια. proinde quoque hîc est *E* longum. *Alexandrea supplex*; Horat. Carm. IV,XIV. at Propertius III,II.

Noxia Alexandria, dolis aptissima tellus.

Alpheus fluuius, Ἀλφειός.

Calliopea, Καλλιόπεια.

Chorea, χορεία.

Comopoles, Κωμοπόλεις.

Conopeum, κωνωπεῖον.

Experientia, vsu nata doctrina, hoc est, ἡ πεῖρα. Servius circa initium Primi Georg.

Forbea, φορβεῖα.

Lageos, Λάγειος.

Lebes ἀπὸ τοῦ λείβειν. Ita Sabini Liberum appellabant *Lebasium,* quia Græcè λοιβὴ dicitur res divina. Servius circa initium primi Georg.

Leo verbum, ex λείω.

Mereo à μείρω, quòd distribuitur merces. Scaliger.

Odeum, Ὠδεῖον.

Panacea, πανάκεια.

Pereo à φθείρω.

Periri, vnde *Experiri.* à πειρᾶν sive πειρᾶσθαι.

Plateam Πλατεῖαν dixerunt Græci. Secundùm formam eiusmodi Μηδείαν quoque *Medeam,* & σπονδεῖον *Spondeum* scribimus; vt ait Donatus in Andriam IV,V.

Retrix à ῥεῖθρον.

Sterilis à στεῖρα.

Strutea mala, στρούθεια.

Talea à θάλεια.

Temo à τείνω. vnce & *teneo* & *tenuis.*

Tero à τείρω.

Tres à τρεῖς.

E I *mutatur in* I.

Aliptes ab ἀλείφω.

Apica ovis dicitur quæ ventrem glabrum habet; Festus. ἄπειρος Græcis est *Glaber.* nam πεῖκος & πίκος in Neutro idem quod πόκος in Masculino.

Archivum, ἀρχεῖον.

Boia à βοεία, scilicet δορὰ, *Pellis.*

Catamitus à γανυμήδης. Scaliger.

Centaurium, κενταύρειον.

Cercolips à κέρκος & λείπω.

Charonium, Χαρώνειον.

Chilo, χείλων.

Chiragra, χειράγρα. & reliquæ comp. à χείρ.

Ciborium, κιχόρειον.

Cimeliarchium, κειμηλιαρχεῖον.

Ciris à κείρειν.

Cis à κεῖσε.

Cliens à κλείω, *honoro.*

Crocodilus, κροκόδειλος.

Darius, Δαρεῖος.

Dico, dicis, à δείκω sive δείκνυμι. vnde & *Digitus* & *Dignus.* nihil interim aliud est *Dicere,* vt loquitur Caninius, quàm ostendere animi sui sententiam.

Dirus à δεινός.

Durius à δούρειος.

Enchiridium, ἐγχειρίδιον.

Epiphania, Ἐπιφάνεια.

Exilis ab ἐξειλεῖν.

Firmus ab εἱρμός.

Graphium, γραφεῖον.

Hir à χείρ.

Icon, εἰκών.

Idolum, εἴδωλον.

Idyllium, εἰδύλλιον.

Ileus, εἰλεός.

Iris παρὰ τὸ εἴρειν.

Ironia, εἰρωνεία.

Libo à λείβω.

Libs, ventus pluuius, à λείβω, *Stillo.*

Lichen à λειχήν.

Lilium à λείριον.

Limus à λειμών.

Lingo à λείχω.

Lio ex λειῶ.

Minor à μείων.

Miuri, Μείουροι.

Nilus, Νεῖλος.

Nimium ex νὴ & μεῖον.

Orchites ab ὄρχεις.

Paradisus, παράδεισος.

Pinarij à πεῖνα, *Fames.* Servius ad Æneïd. VIII, CCLXVIII.

Pirata à πειρατής.

Raphium, ῥαφεῖον.

Si, ab εἰ.

Signum à δείκνυμι.

Sirenes à σειράζω.

Siri, Σειροί.

Sirius, Σείριος.

Sirpo ab εἴρω.

Sistrum, Σεῖστρον.

Spira, Σπεῖρα.

Stipo à στείβω. Varro IV. de L.L.

Thalia, Θαλεῖα.

Timeo à δείμα.

Tina à δεῖνος vel δῖνος.

Video ab εἴδω.

Viginti à Dorico εἴκατι pro εἴκοσι.

E I *mutatur in* I E.

Sic *Hiems* videtur esse ex εἶμαι, vt Præpositiua Subiunctivæ, hæc illius locum teneat.

E I *mutatur in* O.

Tonus à τείνω.

Volvo ab εἴλω.

E I *mutatur in* O I.

Æolibus ὄνειρος est ὄναρος.

Μοῖρα à μείρω.

E I *mutatur in* V.

Alumen ab ἄλειμμα.

Aluta ab ἀλειπτής.

Sum ab εἰμί.

E I *mutatur in* Y.

Agyrta ab ἀγείρω.

Myops ex μείων & ὄπτεσθαι.

EV *abjicitur.*

Stringo à στρεύγω.

Vrino ab οὐρεύω.

E V *mutatur in* E.

Cethra à κεύθω.

Vlysses ab Ὀδυσσεύς.

EV *mutatur in* E I *&* I.

Paradisus, παράδεισος, à παρὰ & δεύω.

Angario ab ἀγγαρεύω.

Ithyphallus ab ἰθὺς pro εὐθύς.

Picea à πεύκη.

E V *mutatur in* O.

Latrones, conducti milites, à λατρεύειν, *Obsequi & seruire mercede.* Seruius ad Æneïd. XII, VII.

EV *mutatur in* V *&* Y.

Batuo à βατεύω.

Dulcedo à δεῦκος.

Erysipelas ab ἐρεύθω & πέλας.

Fugio à φεύγω.

Fuano à φυτεύω.

Gnavus à γναφεὺς vel κναφεύς.

Gustus à γεῦσις, quod à γεύομαι.

Lucunter, λευκαντήρ.

Lutetia, Λευκετία.

Nuo νεύω. *Abnuo,* ἀπονεύω.

Pulmo, πλεύμων.

Putus à πεύθω.

Ructus ab ἐρεύγω. *Erugere.* vide Festum.

Ruma à ῥεῦμα.

Salum à σαλεύω. vnde & *Salacia.*

Vber, copiosus, ab εὔπορος.

Vro, vssi, ab εὕω vel εὔω, εὕσω.

EV *Vsur*

E V *vsurpatur pro* EO.
Theudosius pro *Theodosius*.

F *additur.*

Felis ab Æolico φαιλὶς pro αἰλὶς, vnde Græcis quoque dictus est αἴλουρος, *alurus*. vide Salmasij Plinianas exercitat. paginâ M IX.
Filius ab υἱὸς, quod Hesychio exp. υἱός.
Frago, *frango*, à ῥάγω vel ῥήγω pro ῥήγνυμι.

F *abjicitur.*

Aio à φάω.
Rana à φρῦνος.
Renes à νεφροί.

F *mutatur in* B.

Plutarchus certè in Hellenicis quæstionibus tradit Macedones *B* vsurpare pro φ, ac pro φαλακρὸς, Φίλιππος & Φερενίκη dixisse βάλακρος, Βίλιππος & Βερενίκη. manifestè quoque in nomine *Beronices* imitantur eos Latini, quemadmodum liquet vel ex solo Catulli Carmine de Comâ Beronices.
Albus ab ἄλφος. vide Festum.
Ambi, vel *ambe*, i. Circum, ab ἀμφί.
Ambo ab ἄμφω.
Balana à φάλαινα.
Bruges Priscis dicebantur Φρύγες.
Carbo à κάρφω.
Corbis à κόρφινος.
Gibbus à κυφός.
Glaber à γλαφυρός.
Nebula à νεφέλη.
Nubes à νέφος.
Obryzum ab ὄβρυζον.
Orbus ab antiquo ὀρφὸς, ex quo ὀρφανός.
Probrum ex προφερόμενον.
Scribo à γράφω.
Scrobs à σκαφίον.
Sibi à σφίν.
Sibilo à σιφλόζω.
Sibus à σοφὸς, pro quo Æoles σίβος. *Sibus* verò exp. *callidus* Festo.
Sobrius à σώφρων.
Strabo à στρέφω. ita quoque ἀστράβη est à στρέφειν.
Suber à σύφαρ, quod *corticem* significat: atque indè nomen arbori quæ tota est cortex.
Tenebræ quasi *denefra* à δνοφερόν. Caninius.
Trabes pro *Trabs* à τράφηξ.
Tuber à τῦφαρ pro τῦφος.
Vber ab Æolico οὖφαρ pro οὖθαρ.
Vmbilicus ab ὀμφαλικός.

F *mutatur in* G.

Gero à φέρω.
Ningo à νίφω.
Tergus ab Æolico τέρφος pro τέρφος.

F *mutatur in* H.

Herba ab Æolico φερβὴ pro φορβή. à φέρβω, *Pasco, nutrio*. vnde & φορβὴ Hesychio inter alia exp. βοτάνη. atq; ita accepere veteres. Quemadmodum igitur antiqui, teste Festo, dixere *Fedus*, *folus*, *fostis*, *fostia*, pro *Hedus*, *holus*, *hostis*, *hostia*; ita quoque priùs fuerit *Ferba* quàm *Herba*.
Heu à φεῦ.
Hanula, parva delubra, quasi *Fanula*; Festus.
Hariolus quoque putatur Latinis dictus quasi *Fariolus* à *Fari*. Donatus in Phorm. IV, IV.

F *mutatur in* P vel PH.

Græcis idem sunt ἀφυεία ἀπυεία, ξίφος ξίπος.
Alpes ab ἄλφον.
Alphesibœus, Ἀλφεσίβοιος.
Alpheus fluuius, Ἀλφειός.
Aper ab ἀφρὸς, *Spuma*; quoniam Apris irritatis, *Fervida, cùm rauco latos stridore per armos Spuma fluit*, vt loquitur Ovidius VIII. Metamorphos. vers. CCLXXXVII.
Aphrodisia, Veneris Festa, Ἀφροδίσια.
Aplustra ab ἄφλαστα.
Apricus quasi ἀφρίκος, id est, sine horrore frigoris; Festus.
Apricum quasi ἀπὸ φρίκης, *Sine frigore*: indè & Aphrica, quòd est calidior. Servius ad Æneid. V, CXXVIII.
Apua, ἀφύη.
Atriplex, ἀτράφαξις.
Bupthalmum, βουφθάλμον.
Caput, κεφαλή.
Capisterium, Σκαφιστήριον.
Carpo à κάρφω.
Catampo quasi κατ' ἄμφω.
Clypeus, ἀπὸ τοῦ γλύφειν.
Crepus, vnde *Crepusculum*, à κνέφος.
Delphinus à δελφίν.
Ephebus, ἔφηβος.
Ephemeris, ἐφημερίς.
Ephippium, ἐφίππιον.
Graphica, ars pingendi, γραφική.
Ophites lapis, ὀφίτης.
Panula à φαινόλης.
Palanga à φάλαγγες.
Palatium à φαλάντιον. Ita vocabant summa iuga veteres Latini & Græci. Scaliger.
Palpebra à βλέφαρον.
Pando à φαντὸς à φαίνω.
Pasceolus à φάσκωλον.
Paveo à φοβέομαι.
Paulum à φαῦλον.
Pellis à φελλὸς, quod Hesychio inter alia exp. φλοιὸς δένδρου.
Pereo à φθείρω.
Perperus & *perperam* à περπέρειος.
Pirati appellantur, quorum pedes formati sunt in speciem Sphingum, quod eas Dorij *Phicas* vocant. Festus. Huc facit illud Hesychij, φίκα, σφίγα, σφίγγα. Et mox, φικιῶν, σφιγγῶν.
Pilo, vnde *Compilo*, à φιλήτης, quod Hesychio exp. κλέπτης. vide Festum in *Pilare*. vt & Senecam epistolâ L I.
Pingere & *Fingere* à φέγγος deducit Scaliger cap. LXXXVII. de Causis L. L.
Plancæ à φάλαγγες. priùs enim *Palancas* dicebant *Plancas*. Scaliger.
Phœnus, φοῖνιξ.
Porto à φόρτος, vnde φορτίζω.
Prudens, φράδων vel φράδμων à φράζω τίθεσθαι. *Considero*.
Pubes à φύβος.
Puniceus à φοινικός.
Purpura à πορφύρα.
Sapiens à σοφός.
Scalpo à γλάφω, Æol. γάλφω, Sicul. σγάλφω.
Scrupus à σκορπίον.
Sculpo à γλύφω, γύλφω, σγύλφω.
Sipho à σίφων.
Sirpe à σίλφι.
Stipo à στύφω.
Stroppus à στρόφιον. vide Festum.
Supparus ex *Sub* & φᾶρος.
Talpa à τυφλός.
Tepeo à τύφω.
Tipula à τίφη.
Quibus adde, quòd Iudaïcarum antiquitatum scriptor, etsi Hebraïcè sit Ioseph, maluit tamen scribere Ἰώσηπος, quàm Ἰώσηφος. & quidem eo sæculo, quo nullum *P* agnoscebant Hebræi: vnde & eo nomine culpatur à Iosepho Scaligero epistolâ quadam ad Laur. Ioubertum.

F *mutatur in* T.

Rufuli olim, postea *Rutuli*. Festus

F *mutatur in* TH.

A φῦμα, id est, *Tumor*, venit *Tumeo*.

F *mutatur in* Vau.

Calvarium à κεφαλή.
Gnavus à γναφὸς vel κναφεύς.
Vanus à φαῦλος.
Vates quasi φάτης à φημί. *Fari* nempe veteribus Latinis erat θεσπίζειν.
Vesica à φύσκα.
Vespa à σφῆκα.
Vilis à φαῦλος.
Vos à σφέ.
Vulva ab Æolico βόλφυς pro δέλφυς, ἡ μήτρα.
Videtur & mutari in Germanicum W. nam quæ olim *Flaccia* à *Flacco* præside Romano vocabatur, ea nunc Walachria nominatur, quemadmodum etiam annotavit Vincentius Lupanus ad Flavium Vopiscum.

G *additur.*

Quæ ab Aoristo *B* fiunt, paragogâ sæpe adsumunt γ, vt ab ἔφυγον φυγγάνω, ab ἔτυχον τυγχάνω, ab ἔλαχον λαγχάνω, ab ἔλαθον λαγχάνω.
Ab Hebraïco certè לשון putatur γλῶσσα dicta quasi λῶσσα. נכר quoque

quoque Græcè est κίδχαρις apud Iosephum lib. III. Iudaicarum antiquitatum cap. VII. quod Rufino est x. Sed apud eum perperam edidere *Cibaris* vel *Cytharis*. Assumitur & Γ ab Æolica dialecto: vt cum γίττο dicunt pro ἴττο ab ἴλω. Sic à νέφος est νέφος, γνόφος, teste Eustathio. à λήμη est γλάμα, vnde *Gramia* ab ἔλμεος μῦς est γίλιος, atque indè *Glis*. ab ἦτρον est γῆτρις, atque inde *Venter*.

Algor & *Algeo* videntur esse ab ἄλγος, quod est ab α privativo & ἴλη.

Caliga à χαλάω.

Clingere pro *Cingere*, à κλείειν.

Ergo ab ἄγε. Caninius.

Frigus à ῥῖγος.

Græcus à Γραικός.

Largus à λαῦρος.

Murgiso à μωρός. Scaliger.

Orgia ἀπὸ τῆς ὀργῆς.

Pergo à περῶ.

Pingo à πίναξ.

Rigo à ῥέω vel *Rivus*.

Salgama ab ἁλμαία.

Signum à σημεῖον.

Spargo à σπορά vel Aor. ἔσπαρον.

Valgus à βλαισὸς, vt primò per metathesin fuerit *balsus* vel *valsus*, ac deinde, mutato *S* in *G*, *valgus*. Caninius.

Auriga ab *Haurio*, id est, Ferio.

Gigno à *Geno*.

Murgiso à *Mora*. Festus.

Tongo Prænestinum, hoc est, Nosco, rem omnem teneo. fortassis est à *Teneo*.

G *abjicitur*.

Γιγνώσκω & γνώσκω, γίνομαι & γίγνομαι.

Cachinnor à καγχάζω.

Lac lactis ex veteri γλάξ γλακτός. Salm. in script. Historiæ Augustæ pagina 196.

Lucunter, authore Festo, *genus operis pistorij*, est à γλυκαντήρ.

Narro antiquitus *Gnaro*, à *Gnarus*. vnde *Gnarigo*, apud Festum, & *Dignorare* apud eundem. Omnia παρὰ τὸ γνωρίζειν. Sic *Gnascor* & *Gnatus* παρὰ τὸ φύω, φύσκω. vt à γνόω, γνώσκω sunt *Gnosco* & *Gnotus*. Scaliger.

Norma à γνώριμα.

Nosco à γνώσκω.

Pumilus ex πυγμαλίων. ita quoque πίγματος legas apud Hesiodum pro πίγματος.

Rima à ῥῆγμα.

Latini promiscuè scribunt *Narus gnarus*, *Natus gnatus*, *Navus gnavus*.

Culina dicta est, quòd in eâ *colamus ignem*.

Purus à *Purgo*.

Sanies à *Sanguis*.

Sumen quasi *Sugimen* à *Sugendo*.

G *mutatur in* B.

Ἄργος Ætolis, Æolibus est Ἄρβος, ex quo *Arpos*. Servius ad versum CCCLXXXVI septimi Æneidos: *Non vna est Argos. Fuit enim & in Italia, quam Diomedes condidit; quæ primò Argi, post Argyrippa* (nempe ex Ἄργος ἵππιον) *post Arpi dicta est*.

Fibula à *Figo*.

G *mutatur in* C.

Arceo, ab ἀργω vel ἔργω.

Cachinnari videtur esse à γαγδαλιᾶν, quod Hesychio est γαγδαλίζειν, ἥδεσθαι, *Titillari*, *lætitiâ affici*. pro quo tamen & καγχαλᾶν habet idem Grammaticus.

Κάμαλος est ab Hebræo גמל, *Spica tusa, triticum comminutum*. quæ soceri mei Francisci Iunij coniectura est. Quibusdam dicta videtur à γῆρις, *Pollen*. Varroni & Ciceroni quasi *Geres*.

Latinum *Amurca* est ab ἀμοργή.

Cape ab Æolico γάπτω pro γάπτω.

Caius est à Γάϊος Dorico pro γῆϊος.

Calathus à γάλα & τίθημι.

Camela virgines, γαμήλιοι θεαί. adi Festum.

Catamitus quasi γαδαμήδης. Scaliger.

Candela à γανδᾶν, quod Hesychio exp λάμπειν.

Clivus à γεωλόφος.

Clypeus ἀπὸ τῶ γλύφειν.

Cneus à γνήσιος, quod est *Generosus*.

Congrus à γόγγρος.

Corytus à γωρυτός.

Crates à γέῤῥα. Rectiùs tamen à κερτῶν derivant, quòd virgulta in cratem contexta atque implicata invicem se teneant. Prior tamen originatio videtur habere auctorem Festum in *Cerrones*.

Curvus à γυρός.

Elucus ab ἠλυγὸς, ὁ ἐπισκιασμένος.

Æsculus olim *Æculus* ab αἰγίλωψ.

Focus à φῶγος.

Misceo à μίσγω pro μίγνυμι:

Nunc à νῦνγε.

Orca ab ὄρυγα vel ὄρυξ.

Periculum est ab Æolico πεῤῥίγολον pro πεῤῥίβολον. nam Æoles, præter vsitatissimam sibi transpositionem literarum, τὸ β quoque in γ mutare solebant, vt γλέφαρον pro βλέφαρον, &c. vide Salmasium de Modo vsurarum, paginâ 671.

Planca à φάλαγξ.

Racemus à ῥάξ ῥαγός.

Sacer ab ἅγιος.

Scalpo à γλάφω, pro quo Æoles & Siculi dicunt γλάφω, σγάφω.

Scribo à γράφω.

Scruta à γρύτη.

Sculpo à γλύφω, γλύπτω, σγίλφω.

Arcus ab *Arrigendo*.

Securis à σάγαρις; *Securis Amazonica*.

Curculio quasi *Gurgulio*. Varro.

Fruginal & *Frucinal*, quemadmodum ex Paulli epitomâ cognoscimus, dictum est templum Veneris Fruti. apud quem tamen *Frutinal* quoque legimus, vt sit à *Frutis*, quod cognomen Veneris nemo non videt corruptum esse ex Ἀφροδίτη.

Graculi, quòd *gregatim* volent.

Iuncus à *Iungendo*.

Licium à *Ligando*.

Mucus à *Mugo*.

Mustricula à *Mus* & *Stringo*.

Pertica à *Pertingo*.

Sancio à *Sanguis*.

Succus propriè quasi *Sugus*, quem sibi ex alimentis membra sugunt, vt se repleant. Donatus ad Eun. II. III.

G *mutatur in* CH.

Ἀράχνη socero Iunio videtur dicta ab ארג, *Tenuit*. vnde & *Argon* dictus est filius Nini primus rex Sardium ex Heraclidarum genere, qui Sardios textrinam mollem docuit. Herodotus.

Γαλβάνη dixerunt olim, nunc χαλβάνη.

G *mutatur in* CT.

Τρώκτης à τρώγω.

Acta, littus, ab ἄγω vel ἄγνυμι, *Frango*.

Analecta ab ἀναλέγειν.

Flecto à φλέγω.

Ructo ab ἐρεύγω.

Hæc mutatio frequens est in Præteritis pass. secundæ conjug. Græcorum Baryt. vt & in Supinis Latinorum verborum in *GO*.

Lictor à *ligando*; A. Gellius XII, III.

G *mutatur in* D.

Dores pro γνόφος dicunt δνόφος, & δνοφερὸν pro γνοφερόν.

Δημήτηρ quasi γημήτηρ.

Dulcis à γλυκύς.

Rodo à τρώγω.

Rideo à *Ringo*.

G *mutatur in* H.

Hinnus, quo significatur paullus mulus, vt multi interpretantur, vel potiùs Equus pumilus, venit à Græco γίννος, quo Aristotelem Strabonémque vsos ostendit Scaliger Castigationibus in Manilium.

G *mutatur in* L.

Sileo à σιγάω.

Pala à *Pungendo*.

G *mutatur in* M.

Fames à φαγεῖν.

Fulmen à *Fulgere*.

G *mutatur*

G *mutatur in* N.

Anchises, Ἀγχίσης.

Anchora, ἄγκυρα.

Angelus, ἄγγελος.

Anguilla, ἔγχελυς.

Ango ab ἄγχω.

Angulus, ἀγκύλον.

Lancea à λόγχη.

Sphinx, Σφίγξ.

Varro libro Primo de L. L. & Victorinus de Orthographiâ auctores sunt Attium Græcos secutum scripsisse *aggulum, aggillam, agguem, iggerens*, pro quo alij *angulus, anguilla, anguis, ingerens*, atque ita in aliis. Attij illius versus est;

Pallas bicorpor agguiũ spiras trahit.

Tingo, τέγγω.

G *mutatur in* P.

Lepus à λαγώς. *Rupes* à ῥώξ ῥωγός.

G *mutatur in* Q.

Aquila Caninio est ab Æolico ἀγύρ. Hesychius: ἄγυρ, ἀετός. Κρῆτες.

Laqueus à λύγος.

Loquor à λόγος.

G *mutatur in* S.

Miser ab Æolico μυγερὸς pro μογερός.

Alsiosus ab *Algeo*.

G *mutatur in* T.

Turtur ab Æolico τυργὼν pro τρυγών.

G *mutatur in* V vocale.

Raucus à βρόγχος.

G *mutatur in* V consonum.

Favus à φαγεῖν. Isidorus Originum xx, II.

Frigola sunt propriè vasa fictilia quassa: vnde dicta verba *Frivola*, quæ minùs sunt fide subnixa. Festus.

G *mutatur in* X.

Atrox à τρώγω. *Laxus* à λαγαρός.

Metaxa à μετάγω.

Styx dicta est ἀπὸ τοῦ στυγεροῦ, à tristitiâ. Servius ad Æneïd. VI, CXXXIV.

Sphinx dicta est ἀπὸ τοῦ σφίγγειν, *Constringere, vincire*; quòd ita stringeret homines suis quæstionibus, vt se expedire non possent. Lactantius in Statij Thebaïd. I, XVI.

Ambaxiosi ab *Ago*.

Fraxinus quod crescat in locis *fragosis*.

Iuxta & *juxtim* à *Iugando* vel *Iungendo*.

Lex à *Legendo*.

Rex à *Regendo*.

Rixa à *Rigendo*.

Strix à *Stringendo*.

Taxo à *Tango*.

Texo à *Tego*.

Vxor ab *Vngo*.

G *mutatur in* Z.

Iones pro φύγω dicunt φύζω, pro ὀλίγον ὀλίζον.

Dores pro γάω dicebant ζάω: vide quæ annotamus in Z.

H *additur in initio*.

H *litteram, sive illam spiritum magis quàm literam dici oportet, inserebant Veteres nostri plerisque vocibus verborum firmandis roborandisque, vt sonus earum esset viridior vegetiórque, atque id videntur fecisse studio & exemplo linguæ Atticæ*, &c. Gellius II, III.

Habeo ab ἄβω. prout Hesychio ἄβεσ exp. ἔχεις. quod ipsum quoque habet Phavorinus, addens ita loqui Pamphylios. Salmasius putat desumtum ab illo ἀπέχειν, quod ponitur pro ἔχειν ἀπό τινός. vide eum cap. VI. de Vsuris.

Halo ab ἄω.

Haurio ab ἀρύω.

Haut ab οὔτι.

Herniam Ios. Scaliger putat dictam ab ἔρνος, quod interdum *Ramum* denotat; firmátque hanc ἐτυμολογίαν; quòd & Latini *Ramicem* appellant, quoniam intestinum in scrotum incidens videtur *ramum* facere. vide eum in Catalecta Virgilij.

Hirrire ab ἀρρίζειν.

Historia ab ἴσωρ.

Honor ab ὄνημι.

Horreo, ab ὀρρωδέω.

Hortor ab ὄρω.

Hortus fortasse est ab ὄρχος, quod idem signat.

Humerus ab ὦμος.

Hamus ab *Amus*.

Helluo ab *Eluendo*.

Helvus ab *Albus*.

Horius ab *Oriendo*.

H *additur in medio*.

Anchora ab ἄγκυρα.

Cythisus, κύτισος.

Gehenna, γέεννα. sed satius fortè sit *Gehenna* vocabulum immediatè petere ex Syro & Chaldęo גהנא, quod per metaphoram accipiunt pro loco sceleratis torquendis destinato. Est autem translatio hæc desumta à valle Hinnomi vel filiorum Hinnomi Hierosolymorum vrbi vicinâ, vbi sacrificiis humanis litabatur. Iosuæ XV, VIII. vide Eusebium lib. I. de Præparat. Evangelicâ.

Gryphes, γρῦπες.

Stilpho, Στίλπων.

Triumphus, θρίαμβος.

Trophæum, τρόπαιον.

H *abjicitur in initio*.

Ἀλαλὴ, quod exp. ᾠδὴ ἐπινίκιος, ὕμνημα, est ab הלל, *Luculentus fuit*, item *illustravit, ornavit laudibus* quæ conjectura est soceri mei Fr. Iunij. Cui quoque Græcum ὄρος est ab הרר, הרר, vel הר, *Mons, montosa regio*.

Æoles & incolæ magnæ Græciæ omittebãt spiritũ asperum, teste Dionysio Halicarn. & Fabio Quintiliano. vnde & Latini ἀπὸ τῆς αἰολίας τοῦ ἥλιος dixere non *Hæmulium*, sed *Æmilium*. Similiter quoque spiritum hunc amittunt plurima derivata ab ἅλς.

Æmidum, tumidum, Festus. ex οἰδαίνειν.

Alcedo, παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ κύειν.

Amor, ab ἵμερος.

Aptum ἀπὸ τοῦ ἅπτεσθαι.

Aqua ex ἁ χοά. Caninius.

Is, ab ὅς.

Olympus quasi ὁλολαμπής.

Omnis ab ὁμοῦ vel ὁμοῦ.

Opus ab ἕπω, *Operor, ago*.

Ora ab ὅρος.

Orcus ab ἕρκος.

Ordo ὅρον δῶ. vide Scaligerum de de Causis L.L. cap. XXXV.

Orgia ἀπὸ τοῦ ὁρμᾶν.

Rica à ῥῖγος.

Rima à ῥῆγμα.

Ringo à ῥίνες.

Riscus à ῥίσκος.

Vber ab ὕω. *Vbi* ab ὅπου.

Vdus ab ὕδωρ, poëticè ὕδος, Æolicè ὕδος.

Vlcus ab ἕλκος.

Vnda ab ὕδωρ. *Vnus* ab εἷς ἑνός.

Vnque ab ὅπη.

Vter ab ὅτερος.

Allucinari pro *Hallucinari*.

Auriga ab *hauriendo*, id est, feriẽdo.

Auster quasi *Hauster*, ab *hauriendo*.

Erinaceus ab *hærendo*.

Ircens ab *Hircus*.

Olus & *Olera*, olim *Helus* & *Helesa*.

H *abjicitur in medio*.

Βαλαιὸν & βαλιὸν Græci appellant *Citum, festinum, celerem*. Socer meus Fr Iunius desumtum putat ex בהל, *Accelerare, tumultuariè aliquid agere*. indè deducit βαλλίζειν, *celeri saltationis genere vti*.

Πέλεκος Ios. Scaliger deduxit ex Syriaco PHELEQ.

Acus ab ἄχυρον.

Caron antiquis dicebatur *Charon*, qui Græcis Χάρων. Ita enim, aspiratione interlisâ, dixisse veteres jam olim docuit Ios. Scaliger epigrammate isthoc L. Manilij;

Cascum cascã duxisse non mirabile est;

Quoniam Caron cas faciebat nuptias.

Incib. (?) *aues*, quæ obstant quò minùs aliquid fiat, ab *inhibendo*.

Probrum, proebrum, à *prohibendo*.

H *mutatur in* F vel PH.

Faleri; oppidum à *Sale* dictum, teste Festo: nempe ab ἅλς, quasi *Halerij*, quia apud eos Sal fieret. vide quoque Servium ad Æneïd. VII, DCCXCV.

Familia videtur esse ab ὁμιλία.

Favus fortè ab ὕφος, *opus textum*.

Fermè ab ἁρμοῖ. Scaliger.

Festum ab ἑστιᾶν.

Firmus ab ἔρμα vel εἱρμός.
Fistuca ab ἱςῶ, *statuo*.
Formica ab ὅρμος. vide Festum.
Fortis ab ἱρκτός. *Horctem & forctem pro Bono dicebant*; Festus.
Furca ab ὕρχη.
Phialæ dictæ, quòd ex vitro fiant. *Vitrum* enim Græcè ὕαλος dicitur. Isidorus Originum XX, V.
Febris priùs dicebatur *Hebris*, teste Servio ad Æneïd. VII. DCCXCV.
Filum ab *hilum*.
Findo ab *hio*.
Fœdus nomen habet ab *hirco* & *hædo*. hunc veteres in gravi significatione ponebant. Isidorus *X*. Originum.

H *mutatur in* G.

Gesum vel *Gessum* fortasse idem cum ὑσσός.
Gibber ab ὕβος.
Tragula à *trahendo*.

H *mutatur in* P.

Palus ab ἕλος.
Pollex fortasse est ab illo *allex* vel *hallex*, quæ veteribus, auctore Festo, denotabant Pollicem in proximum digitum veluti insilientem, ἀπὸ τῦ ἅλλεσθαι.
Posterior ab ὕστερος.
Pubes ab ἥβη.

H *mutatur in* S.

Sacer ab ἅγιος.
Sal ab ἅλς. item *Salum*.
Salio ab ἅλλομαι.
Sarpo ab ἁρπῶ.
Satis ab ἅλις.
Se ab ἕ.
Seculum ab ἡλικία.
Secus ab ἑκάς. vide Casaubonum in Suetonij Tiberium, c.11.
Sedeo ab ἕζομαι.
Sedes ab ἕδος.
Semis ab ἥμισυ. vide Festum.
Septem ab ἑπτά.
Sequi ab ἕπεσθαι.
Sermo ab εἱρμός. Scaliger.
Serpo ab ἕρπω.
Serpyllum, ἕρπυλλον. Servius in Eclogam secundam.
Sex, ἕξ.
Sexus ex Græco ἕξις. Festus.
Similis ab ὁμαλός.
Sisto ab ἱςῶ siue ἵςημι.
Socer ab ἑκυρός.
Socrus, ἑκυρά.
Sodalis à poëtico ἕταρος.
Solea ab ὑλίας, *Pellis*. Salmasius in scriptt. hist. Aug.
Soleo ab ὅλος.
Solus, *solium*, ab ὅλος, ὅλον.
Solvo quasi ὅλον λύω. Iul. Scaliger cap. 25. de Causis L. L.
Somnus ab ὕπνος.
Sopor ab ὕπαρ.
Sorex ab ὕραξ.
Sors ab ὅρος.
Suadeo ab ἥδω.
Sub ab ὑπό.
Sudor ab ἵδρως vel ὕδωρ.
Sui ab οὗ.
Sulcus ab ὁλκός.
Sullus ab ὕλλος.
Sulphur quasi ὅλον πῦρ.
Super ab ὑπέρ.
Superbus ab ὑπέρβιος.
Supinus ab ὕπτιος.
Sus ab ὗς.
Suculæ, ὑάδες.
Suus ab ἑός.
Sylva ab ὕλη. vnde & *Sylvanum* prudentiores dicunt esse ὑλικὸν θεὸν, hoc est, Deum τῆς ὕλης. vide Seruium ad Æneid. VIII. CCCCXCIX.

G *mutatur in* TH.

Amabant maiores, vbi aspiratio erat, θ ponere, inquit Servius ad Æneid. VIII. CCCXXVIII.

H *mutatur in* Vau.

Velia ab ἑλία. Servius ad Æneïd. VI CCCLIX.
Vermis ab ἕρπω.
Verpus, Lumbrici genus, ab ἕρπειν. translata vox est & ad obscœna, ob exilitatem, non à vertendo pellem vt aiunt. Scaliger cap. XXVIII. de Causis L. L.
Vesper ab ἑσπέρα.
Vesta ab ἑστία.
Volvo ab εἴλω.
Venetus ab *Henetus*.
Verbena quasi *Herbena*, redimicula sunt ararum. Donatus in Andr. IV, III.

I *additur in initio*

Γλῆτες & Ἰγλῆτες, populus Hispaniæ.
Γνῆτες & Ἰγνῆτες dicti Rhodij.
Ipse est à Dorico ψὲ pro σφέ.

I *additur in medio*.

Iones hanc vocalem plurimis interserebant vocabulis; dicebant enim εἰρωτῶ pro ἐρωτῶ, κεινὸς pro κενός, ξεῖνος pro ξένος, vnde ξεινίζειν apud Herodotum, & *Euxinus Pontus*, qui priùs Ἄξενος, *ob inhospitalitatem accolarum*.
Acies ab ἀκή.
Alius ab ἄλλος.
Arrugia ab ὀρυγή.
Aulio ab αὐλός.
Κάρκινος à κάρχινος.
Corallium quasi κῆρ ἁλός.
Cranium à κρανίον.
Cybium παρὰ τῦ κύβου.
Gladius à κλάδος vel *Clades*.
Gramia à γλήμη.
Gumia à γόμος.
Helcium ab ἕλκω.
Hernia ab ἕρνος.
Inquio ab ἐνέπω.
Ithyphallum ab ἰθὺς & φαλλός.
Maceries à μακρός.
Medius à μέσος.
Metior à μετρῶ.
Mina à μνᾶ. *Mugire* à μυκᾶσθαι.
Munio ab ἀμύνω.
Navis à ναῦς.
Navita, *nauta*, à ναύτης.
Opium ab ὀπός.
Orior ab ὄρω vel ὄρνυμαι.
Papilio ab ἠπίολος.
Pario ab Hebræo ברא.
Pelvis à πέλυς.
Pinguis à παχύς.
Quiesco à κίω.
Radius à ῥάβδος.
Rapio ab ἁρπῶ.
Salaputium à *Puta*, quod πόσθη, vnde & *Præputium*.
Scipio à σκίπων.
Sibilo à σιφλάζω.
Spurius à σπορά.
Studium à σπουδή.
Tænia à ταινία.
Tertius à τρίτος.
Tilia à τίλω vel *telum*.
Vatius à βατός.
Venio à βαίνω.
Vesica à φύσκη.
Vrino ab οὐρῶ.
Antiæ ab *Antè*.
Cliens à *colendo*.
Everriator ab *everrendo*.
Genius à *geno* pro *gigno*.
Gradior à *gradus*.
Intemperies, *temperies*, à *tempero*.

I *additur in fine*.

Iones addunt *I* Dativis plurativis primæ, secundæ & tertiæ declinationis.

I *abjicitur in initio*.

Crux ab ἰκρίον.
Balsa pro Ἴβαλσα oppidum Hispaniæ. Γνῆτες pro Ἴγνητες, & Γλῆτες pro Ἴγλητες.

I *abjicitur in medio*.

Θυβαῖος Æolicè Θυβάος, ἀρχαῖος ἀρχάος.
Ἑταῖρος Æolicè ἑτάρος. Iidem Æoles τὸ ι sæpe mutant in sequentem consonantem, vt cùm φθέῤῥω dicunt pro φθείρω, ἔῤῥω pro εἴρω.
Calx à χάλιξ.
Chlamys, χλαμὺς, à χλιαίνω.
Cordus à κρείδιος.
Dextra à δεξιτερή.
Eugeium ab ὠδίνιον.
Festum ab ἑστιᾶν.
Grates à χάριτες.
Gula à γύαλος.
Lana, χλαῖνα, à χλιαίνω.
Norma à γνώριμα.
Obliquus à πλάγιος.
Onager quasi ὄνος ἄγριος.
Opilio ab ὀιοπόλιον.
Persona quasi περὶ σῶμα.
Poema, *poëta*, à ποίημα, ποιητής.
Pumilus à πυγμαλίων.
Sandapilam dixerūt σανίδα τῦ πτώματος.
Sarpa à σαίρω.
Scelus à σκολιός.
Scrupus à σκίρρον.
Sum ab εἰμί.
Trochlea à τροχιλία.
Valgus à βλαισός. *Vesta* ab ἑστία.

Ardum

Ardum pro *Aridum* Lucillius dixit. Nonius.
Audacter pro *Audaciter*.
Augurium dictum quasi *Avigerium*, id est, quod aves gerunt. Servius ad Æneid. v, DXXIII.
Auspicium quasi *Avispicium*.
Caldus, *Calidus*.
Caussa quasi *Cavissa*.
Cautio quasi *Cavitio*.
Clam pro *Calim*, quod in priscis Legg. occurrit.
Contus quasi *Conitus* à *Cono*.
Dudum ex *Diu* & *Dum*.
Fautor olim *Favitor*.
Flamen quasi *Filamen*.
Fluta à *Fluitando*.
Germen quasi *Genimen*.
Lamna à *Lamina*.
Lana à *Laniando*.
Lardum à *Laridum*.
Lurco quasi *Lurico* à *Lura*.
Murus à *Muniendo*.
Nasturcium quasi *Nasitorium*.
Nucleus quasi *Nucileus* à *Nux*.
Orno quasi *Orino* ab *Ora*.
Prætor quasi *Præitor*.
Quæstio, *quæstor*, pro *Quæsitio*, *quæsitor*.
Salmo, *salar*, à *Saliendo*.
Segnis à *Se* & *Ignis*.
Subula quasi *Subitula* à *Suo*.
Surgo à *Surrigo*.
Vetus quasi *Vietus*.

I abjicitur in fine.

En ab ἰδὲ.
Est ab ἐστί.
Mel à μέλι.
Per à περί.
Piper à πίπερι.

I mutatur in A.

Ala ab ἴλη.
Amor ab ἵμερος.
Cancelli, κιγκλίς.
Hora ab ὁρίζειν.
Ruga à ῥυτίς.
Tango à θίγω.
Prosapia quasi *Prosipia* à *Sipare*, hoc est, Iacere. vnde *Dissipare*.
Reapse pro *Reipsâ*. Festus.
Scandula à *Scindendo*.

I mutatur in Æ.

Præneste locus est haud longè ab Vrbe, dictus ἀπὸ τῶν πρίνων, hoc est, *ab ilicibus*, quæ ibi abundant. Serv. ad Æneid. VII, DCCLXXVIII.

I mutatur in E.

Iones pro ψιμύθιον dicũt ψιμύθιον. Ita Græci *Capitolium* scribunt Καπετώλιον, *Britanni* Βρεττανοὶ, *Domitianus* Δομετιανὸς, *Trebacus* Τρέβακος, vnde *Trebacius*. Ac fortasse hinc est, quòd Euangelista Marcus cap. VI. *Speculatorem*, qui sic à *Spiculo* dictus est, vocat σπεκουλάτωρα. Hinc denique est, quòd Bibliander Græcum σημεῖον derivat ab Hebræo & Syriaco SIMAN.

Constat interim veteres Latinos literis *I* & *E* indifferenter vsos. dicebant enim *præfiscini* & *præfiscine*, *heri* & *here*, *vipres* & *vepres*, quæ in MSS. crebrò occurrunt. Dicebant & *die quincti* & *die quincte*, quæ aliud sunt quàm *die quincto*: nam hoc dicitur de præterito, vt *die quarto*, similiaque; at *die quarti* vel *die quarte*, *die quincti* vel *die quincte*, dicitur de futuro. vide A. Gellium lib. x, cap. XXIV. Macrob. lib. I, cap. IV. Itidem dixere *germin* & *germen*, *rumin* & *rumen*, *macifcat* & *macescat*, *putiscat* & *putescat*.
Acer ab ἀκίς.
Anima pro Ventis & flatu ἀπὸ τῶν ἀνέμων.
Ardea ab ἐρωδιός.
Beo à βιῶ.
Bybleum à βυβλίνον.
Caduceus à κηρύκιον.
Cepe à γήτειον.
Cochlea à κοχλίας.
Coprea sunt homines βωμολόχοι, γελωτοποιοί. Græci κοπρέας ἄνδρας vocant vel κοπρολόγους. vide Casaubonum in Suetonij Tiberium, cap. LXI.
Cupressus à κυπάρισσος.
De à διά.
Ferè à πέλ.
Iubeo à βία.
Lacero à λακίζειν.
Menta à μίνθη.
Merda ex μίνθη.
Mille à χίλιοι.
Nausea à ναυτία.
Neptunus à νίπτω. Iul. Scaliger cap. XXV. de Causis L.L.
Ocrea ab ὀκρίς.
Palleo à πελιός.
Pincerna à πίνω & κιρνᾶν. [τίον.
Pluteus à Dorico πλατίον pro πλαυ-
Puteus à πύθιον.
Rheno à ῥινός.
Scorteus à σκύτινος.
Silex à χάλιξ.
Sirpe à σίλφι.
Sublestus ab ὑπόλειπτος.
Termes à τέρμις.
Tertius à τρίτος.
Tomex à θώμιγξ.
Troclea à τροχαλία.
Vello à τίλλω.
Vena ab ἶς ἰνός.
Ameria vrbs in Vmbriâ ab Amiro sic appellata; Festus.
Amuletum ab *Amolior*.
Arena ab *Ariditate*.
Bipennis à *Pinna*.
Clemens quasi *Clinans mentem*.
Cœtus quasi *Coitus*.
Cupedia à *Cupiditate*.
Delubrum à *Diluendo*.
Electabo, *eliciam*: Festus. *Elegantem* priùs *Eligantem* dicebant. A. Gellius XI, II.

Elementum quasi *Alimentum*.
Fex quasi *Fixa* sive *Affixa* vasi.
Inebra ab *Inhibendo*.
Intemeratus volunt de libris sacris commutatis literis esse præsumptum; *timaram* enim Fidem, hoc est, scientiam in sacris, dicebant. Servius ad Æneid. II. CXLIII.
Malleus à *Molliendo*.
Mendum à *Minus*.
Passer à *Passim*.
Salebra à *Salio*, quòd salientes per eas transire soleamus.
Sepes à *Sepio*.
Stellionem Verrius dictum ait, quod virus stillet cibo. Festus.
Vesica à *Visire*.

I mutatur in H.

Hui est ab ἰοῦ, particulâ irridendi.

I mutatur in N.

Rheginos seu *Rhegienses* sic facere notat Aristarchus iunior Grammaticus in canonum Thesauro. Ipsũ quoq; hoc faciunt Argivi. Cretes similiter pro ι ponunt ν, vt cùm dicunt πιδίνς pro πιδίς.

I mutatur in O.

Post ab ὄπισθε.
Scrobs à σκαρίφω.
Sons à σίνω.
Caupo à *Copiis*.
Leno à *Lenio* vel *Delenio*.

I mutatur in V.

Botulus à βιοτὴ, *cibus*.
Carus à χάρις.
Crux ab ἰκρίον.
Cucumis, κικυός. indè *Cucuma*, quòd ventrem magnum habeat. Scal.
Decumatum, δέκιμον.
Duplex à διπλοῦς.
Esculus olim *Æculus* ab αἰγίλωψ.
Glus, *gluten*, à γλία.
Idno pro Scorsim pono, forçasse est ab ἴδιος vel ἰδία.
Mucro à μικρός.
Notus à νοτὶς, quòd sit nebulosus atque humectus. A. Gellius II, XXII.
Rumpo à ῥιπτῶ.
Seculum ab ἡλικία.
Scrupus à σκίρος.
Sumo ab αἰρίμῶ.
Biduum, *triduum*, à *Dies*.
Capulum à *Capiendo*.
Colurnus pro *Corylinus* vel *Corylnus* à *Corylus*.
Delubrum à *Delibrando*. Huc facit illud Servij ad Æneid. IV, LVI; *Simulacrum dicimus Delubrum, à libro, hoc est, raso ligno factum, quod Græcè ξόανον dicitur.*
Ferula à *Feriendo*.
Frustum à *Frio*.
Infula ab *Infilando*.
Præsul à *Præsilio*.
Recupero à *Recipio*.
Satur à *Satiare*.
Stupeo quasi *Stipeo* à *Stipes*.

I *in* Y.

Æoles ἀφροδίτα pro ἀφροδίτη, μῦτος μῦθος, δίκα δίκη.

I *mutatur in* AI.

Κορυφαῖος à κορυφή.

I *mutatur in* OE.

Fœdus à *Fides*.

K *additur*.

Sic ab ἱερ est κίεραμος quasi ἱέραμος, vt propriè sit *Terra figularis*, μετωνυμικῶς verò τὸ ἐκ κεράμου πεποιημένον, nempe πίθος vel aliud aliquod vas fictile. Inseritur quoque κ in μηκέτι, οὐκέτι pro μὴ ἔτι, οὐ ἔτι.

Reliqua ad hanc literam pertinentia vide in literâ C.

L *additur in initio*.

Labor ab ἄπος.

Loligo fortasse est ab ἴλος, qui *Niger est succus sepiæ*, cuiusmodi succum & de se loligo fundit.

Laridus quibusdam est ab *Aridus*, non longè abeunte Avieno apud Macrobium libro septimo, cap. XXII. cui *Laridum* videtur dici quasi *Largè aridum*.

L *additur in medio*.

Abella à Dorico ἀμβολά pro ἀναβολή.

Ampulla quasi *Ampla* vel ab ἀναβολή.

Anguilla ab ἔγχελυς.

Apollo dictus est ἀπὸ τοῦ ἀπολύειν. Servius in Eclogam Quintam.

Argilla ab ἄργιλος.

Aula ab ἄω. item αὐλή.

Bellum à πόλεμος.

Bulla à βολή.

Chylus, χυλὸς, à χύω.

Collis à κολώνη.

Collum à κῶλον.

Corallium quibusdam quasi κῦρ ἁλός.

Crotalum à κροτέω.

Dulcedo à γλυκὺς.

φαλὸς à φάω.

Fallo à σφαλῶ.

Fello à θηλῶ.

Filius ab Æolico φυϊὸς.

Fulix, *fulica* à φαλίξ.

φύλλον à φύω.

Halo ab ἄω.

Medulla à μυελός.

Megallium à μέγας μεγάλου.

Mille à χίλιοι.

Mollis à μαλακὸς vel ἁμαλός.

Pales, *palatum*, à πάω.

Palleo à πελὸς, vel à Dorico παλύνω pro πολιῶ.

Pellis à φελλός.

Pollen à πάλη.

Polleo à πολύς.

Polluo à μολύνω.

Pullus à πῶλος. Caninius vtrumque derivatum censet è Punico *falu*.

Salus, *salvus*, à σάος Poëtico pro σῶς.

Sollus Oscis erat Totus, ab ὅλος. indè *Sollicitare* est Totum ciere. & *Sollers* dicitur, qui Totus ars. & *Sollenne*, quod Totis vel omnibus annis frequentatur.

Stella à σέλας.

Sterilis à στεῖρα.

Stillo à σταλάω vel σταλάζω.

Suggillare, à *Sub* & *Gula*, vel συγκολλᾶν.

Tithymallus à τιτθὸς ὁμαλός.

Tollo à ταλάω.

Trochlea à τρόχος. Isidorus XIX, II.

Vallis ab αὐλών.

Aclides, teli genus, ab *Acies*.

Batillum à *Batulum*.

Callus à *Cala*, hoc est, *lignum*.

Capillus quasi *Capitis pilus*.

Caula à *Cavo* dictæ: antiquitus enim, ante vsum tectorum, oves in antris claudebantur. Festus

Cella à *Celando*. Seruius ad Æneid. I. CCCCXXXVII.

Helluo ab *Eluendo*.

Incile ab *Incieo*, hoc est, *increpo*.

Vllus ab *Vnus*, *vnulus*.

L *additur in fine*.

Animal ab *Anima*.

Arferial pro *Arferia*.

Ianual à *Ianus*.

Tribunal à *Tribunus*, &c.

L *abjicitur*.

A θάλλω θαλὸς, ab ἀγέλλω ἄγγελος, à ποικίλλω ποικίλος.

Abolere ab ἀπολλύειν.

Alibi ab ἄλλοθι.

Alius ab ἄλλος.

Alter ex Æolico ἀλλότερρος pro ἀλλότερος.

Angelus ab ἀγγέλλω. Accidit hoc in Futuris Baryt. verborum in λλω. vt ψάλλω ψαλῶ, &c.

Bolus, βαβολὰ à βάλλω.

Cavo à γλάφω.

Κίλης à κέλλω.

Cilibas à κυλλὸς, Doricè *Asinus*, & βάσις.

Coliphium à κόλλιξ.

Cymbalum ἀπὸ τοῦ κύμβος βάλλειν.

Digitus à δάκτυλος. Caninius.

Epistola, ἐπιστολὴ ab ἐπιστέλλω.

Magis à μᾶλλον.

Melere, vnde *Remeligines*, non minùs dicebant veteres quàm *Mellere*, vnde *Promellere* est apud Festum. vtrumque verò est à μέλλειν.

Pala à πάλλω. item πάλλε.

Palea à πάλλειν.

Palumbes à πάλλειος.

Parabola à παραβάλλειν.

Pila à πάλλω.

Pulex à ψύλλος. *Silenos* ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν dictos putant: σιλλὸν enim interpretantur ψόγον μετὰ παιδιᾶς δυσαρέστου, *Contumeliam cum ioci acerbitate*.

Salio ab ἅλλω.

Stola, στολὴ, à στέλλω.

Tapes quasi θάλπος.

Temere à τολμηρῶς.

Thalia à θάλλειν.

Vncus ab ἀγκύλος.

Asilus ab *Asellus*.

Favillas prisci Latini videntur *Flavissas* dixisse; quòd in eas non rude æs argentúmque, sed flata signatáque pecunia conderetur: vnde liquet flavissas iis dici quos thesauros Græco nomine appellamus. vide A. Gellium, noct. Attic. II, X.

Fuligo à *Pullo colore*.

Melior quasi *Mollior*, item *Mulier*.

Milium à *Mille*. Festus.

Solidus à *Sollus* Oscâ voce pro *Totus*.

Vilis à *Villa*, vel à *Villus*.

L *mutatur in* C.

Scutica à σκυτάλη.

L *mutatur in* D.

Ita דלילה, quæ Iosepho Δαλαλὴ, LXX. Interpretibus est Δαλιδά.

Videntur etiam Laconum φιδίτια dicta quasi φιλίτια. quòd istiusmodi συσσίτια amorem benevolentiámq; civium foverent. Alij tamen censent φιδίτια dici quasi φειδίτια, à frugalitate ac parsimoniâ. Porphyrius περὶ ἀποχῆς libro quarto. Iosephus quoque Scaliger *Mediam* insulam haut aliam putat, quàm Μῆλον, ob frequentem literarum *L* & *D* permutationem: nam & contra *Medica Gallina* (sicuti supra monuimus) dictæ quæ aliàs *Melicæ*.

Dithyrambus olim in honorem Liberi patris videtur factitatus, ad exemplum Nympharum acclamantium parturienti coxæ Iovis λῦθι ῥάμμα. Cæsar Scaliger Poëtices libro primo, cap. XLVI.

Madidus à μυδαλέος.

Meditari à μελετᾶν.

Rigidus, ῥιγηλός.

Dedicare olim *Delicare*. Festus.

Reduvia quasi *Reluvia*. Est autem *Reduvia* quum se reluit ac resolvit cutis circa vngues. Turnebus lib. XVII. Aduers. cap. VIII. putat *Reluvia* scribendum, non *Reduvia*; quoniam est à *Reluo*. videtur tamen hîc locum habere familiaris harum literarum commutatio.

L *mutatur in* G.

Attici μόγις dicunt pro μόλις.

Magis à μᾶλλον.

L *mutatur in* I.

In primis locum id habet in Græcis, quando alterum λ' antecedit.

Alius ab ἄλλος.

Baliares insulæ, & Βαλιαρεῖς οἱ σφενδονῆται, sunt à βάλλω.

Calien

Caliendrum, κάλλυντρον.
Cilium, κυλλὸν.
Folium, φύλλον.
Melior, ab ἀμέλλων pro ἀμείνων, ἀμείνων.
Salio ab ἅλλομαι.
Thalia à θάλλος.
Solium est ex *Sollum*, quod Oscis est Totum; quia *Solium* propriè dicebatur Sedile ex materiâ solidâ excisum. *Solla* verò antiquis dicta Sedilia; testis est Festus.

L *mutatur in* N.

Cretes pro βελτίον dicunt βέντιον.
Ita *Non* derivant ex לא.
Ἄλλον & ἄνον Græci dicebant *Cœnam*, *postcœnium*.
Dores ponunt ν pro λ sequente θ vel τ, dicentes ἦνθον pro ἦλθον, βέντιϛος pro βέλτιϛος, φίνταθος pro φίλταθος.
Ἀθήνη Eustathius dictam vult quasi Ἀθήλη, ὡς μὴ θηλάζουσα.
Cauponor à καπηλεύω.
Grunnio à γρυλλίζω.
Mænala, mons Arcadiæ, dictus ἀπὸ τῶν μήλων, id est, *ab ovibus*, quibus plenus est. Servius ad 1 Georg. XVII.
Minium à μίλτος.
Nympha à λύμφη.
Pampinus ab ἄμπελος.
Penè à πέλας.
Spina à σκῶλος.
Tenus à τέλος. vnde *Hactenus* nihil aliud est, quàm Huc vsque, vel Hic finis est. item *Quatenus*, authore Festo, significat Quâ fine.
Venenum à βέλεμνον, *telum*. prorsus vt *toxicum* est à τόξον, *sagitta*. atque ita ὀρεκύεμος, cujus succo sagittarum cuspides inunguntur, Hispanis etiamnum hodie dicitur *veleño*.
Nuscitiosus veteres pro *Luscitiosus*. Festus.
Pisinnus ex *pusillus*.
Prænum pro *Prelum*, Glossæ vett. *Prænum*, ἐκπωτήριον λινοῦ, vbi ληνοῦ legendum.
Vannus ex *vallus*.

L *mutatur in* P.

Parnassum grammatici Græci dictum volunt quasi *Larnassum*, quòd eo in monte diluvij λάρναξ constiterit. Confutat id Casauboni ad Persij prologum commentarius.
Scalpo à σκάλλω.

L *mutatur in* R.

Ita σαραβάρα est à Chald. סרבל. τέρτος quasi τέλατος· est autem Æolicum à τρίτος, quod indè venit, vt & Lat. *Tertius*. Attici κεφαλαργία dicebant pro κεφαλαλγία· κρίβανος pro κλίβανος. item ἀργαλέος pro ἀλγαλέος. Cypriis ἀβραμὶς est ἀβλαπής. ἀλαβάρχης scribitur & ἀραβάρχης.
Area ab ἅλων vel ἀλωά.
Cantherius à κανθήλιος.
Flagellum posteriores Græci φραγέλλιον.
Gramia à γλάμη Æolico pro λήμη.
Grex ab ἀγέλη.
Hirundo à χελιδών.
Larus, quia λάλος.
Marcus, *marcidus*, *murcidus*, à μαλακὸς, & Æolico μολκὸς, *imbecillis*, *ignavus*, *imbellis*.
Palilia & *Parilia* dicebant Romani. vnde & Græci non modò Παλίλια & Παρίλια, verùm etiam Παρίλια dicebant.
Sirpe à σίλφιον.
Strigil à στλεγγὶς vel à *stringo*. Priscianus lib. VII.
Varius à βαλιός.
Vermis ab Æolico ϝέλμινς pro ἕλμινς.
Cæluleus olim, nunc *Cæruleus*.
Conflages & *Confrages* dixere à *conflando*.
Flatularius & *Flaturarius*. Scaliger ad Manilium.
Ianualius quoque & *Ianuarius* veteres dixisse argumento est, quòd Hymni in *Ianum* dicti *Ianualij*, at mensi nomen *Ianuarius* est inditum.
Latialis olim, pòst *Latiaris*.
Mortualia olim, pòst *Mortuaria*.
Prælialis olim, pòst *Præliaris*.

L *mutatur in* S.

Cæsium colorem quasi *Cæleum*, de colore cœli denominatum putabat Nigidius, teste Gellio.
Annibal Græcis est Ἀννίβας.

L *mutatur in* T.

Mitis à μείλιχος.
Satis ab ἅλις.
Thelis olim, at postea *Thetis*: Varro libro tertio de Re rust. cap. IX.

L *mutatur in* V.

Cretenses αὐκυὼν dicunt pro ἀλκυὼν, αὐκὰ pro ἀλκὰ· αὖσος pro ἄλσος, θεύγεσθαι pro θέλγεσθαι.

L *mutatur in* X.

Axilla ab *ala*.
Maxilla à *mala*.
Taxillus à *talus*.
Paxillus à *palus*.
Vexillum à *velum*. Aliter tamen de his omnibus sentit Scaliger de Causis L. L. cap. XXXI.

M *additur in initio*.

Mamma μάμμα, ab ἄμμα.
Mars ab Ἄρης. nisi fortè malis deducere ab Hebræo מרץ, *pollere*, *validum esse*.
Mancus ab *Ancus*, quod est apud Festum.
Mundus & *Mundare* ab *vnda*.
Ἄχεις, μέχεις.

M *additur in medio*.

Almus ab *alo*.
Ambrosia ab α priuatiuo & βροτὸς.
Ambubaia à Syr. אבוב.
Campana à καπάνη.
Camphora à Chaldaïco כופר.
Campus à Dorico καπὸς pro κῆπος. at καμπὸς Syracusanum est.
Clamo à κλάω pro κλαίω.
Columna à κολώνη.
Coram à κόρη vel à κάρα.
Crumata à κρέω.
Cucumis, κικυὸς. indè *Cucuma*, quòd ventrem magnum habet. Scal.
Cymba à κύπη.
Damnum à δάπανον. Nisi fortè cum Ios. Scaligero malis *Dampnum* (nam ita quoque scribebant) derivare à δαπάνη.
Decempeda, ab Græco Accusativo, ἀπὸ τοῦ δεκάποδα, inquit Priscianus libro VI.
Gemma à *geno* vel γέμω.
Lambo à λάπτω.
Lemniscus à λῆνος.
Limbus à λοβός.
Lucumo Tuscum, & tamen origo Græca. nam in Latio dicebantur *Lucumones*, qui in Arcadiâ Λυκάονες. Scaliger.
Mamphula à *Chald.* פפל.
Nummus à νόμος, vnde νόμισμα, νοῦμμος.
Poëma, ποίημα, à ποιέω.
Remus à ῥέω. nisi malis esse ab ἐρετμός.
Romphæa, ῥομφαία à ῥέπω.
Rumor à ῥύω vel ῥέω.
Rumpo à ῥιπή.
Sambuca à Chal. סבכא.
Simpulum à ספל.
Syrma à σύρειν.
Tympanum quasi τύπανον à τύπτω.
Arcuma ab *arcuatâ formâ*.
Femur ab inusitato *feo*.
Fermè à *ferè*.
Germen à *gero*.
Lumbi à *lubidine*.
Lumbricus quasi *Lubricus*.
Numella quasi *Nuella* à *nuo*.
Salmo à *saliendo*.
Sermo à *serendo*, vel à *serie*, vt Varro.
Summam à *sumendo* derivat Iul. Scaliger.

M *additur in fine*.

Decem à δέκα.
Item ab ἔτι.
Septem ab ἑπτά.

M *abjicitur in initio*.

ἴα dicunt Æoles pro μία, ἄχρις pro μέχρις, χεράδας pro χερμάδας.
Ala à μάλη.
Axilla fortasse est à μασχάλη. vocabulum etenim hoc non factum esse per deminutionem ex *Ala* docet Scaliger de Causis L. L.
Imitor à μιμοῦμαι.
Voxum vel *Voxosum* hodie nonnulli appellant Glirem, voce ex μυοξὸς detortâ; vide Salm. Plinianarum

nianarum exercit. pag. MIX.

M *abjicitur in medio.*

Alumen ab ἄλειμμα.
Amenta ab ἅμματα.
Amor potest dici vel ab ἅμμα, *vinculum*; vel ab ἅμα, *simul*.
Coma à κέκομμαι à κόπτομαι.
Dama à κεμμάς. Salm.
Labda à λάμβδα.
Palo à παλάμη.
Sagitta à σάγμα.
Scipio à σκίμπων.
Scrapta à χρίμπτεσθαι.
Sipho à σίμπων.
Venenum à βέλεμνον.
Aplustre ab *amplus*.
Hibris ab *imber*.
Mamilla à *mamma*.
Quasi ex *quàm* & *si*.
Squatus, piscis, quasi *Squamatus*.

M *mutatur in* B.

Atticis βεμβρὰς dicitur species Apuæ, quæ communiter μεμβρὰς dicebatur.

Æoles mutant μ in β, ita μέλλειν dicebant βέλλειν. ὀπισομεῖν ὀπισοβεῖν. μεμβράδες βεμβράδες. ἀμφίμαλλον ἀμφίβαλλον. τήμενος τήβενος & consonante geminatâ τήββενος. τέρμινθος iis quoque est τέρβινθος. μύρμηξ βύρμηξ. μυρσίνη βυρσίνη. μύσαξ βύσαξ. μύτος βύτος, vnde *puta* posterioribus sæculis accipi cœpit pro *muliebri pudendo*, atque Italis ab eadem quoque origine *putana* dicitur scortum. μολγὸς βολγὸς, vnde *bulga*. μίω βίω, vnde *vio* seu *vieo*. item μίτος βίτος, vnde *vitta*. μῦκα Hesychio sunt κέρατα, quæ dicebant & βῦκα, à quo non abludit Teut. *Beck*, *Rostrum corneum*. βάσκα, βασκάνια & προβασκάνια vocabant *res turpiculas & larvas deformes ad avertendum fascinum adhibitas*: pro βάσκα tamen dicebant & μάσκα, vnde *mascas* recentiores Latini dixerunt *larvas & personas*. Syracusanis quoque βάμμα vel ἔμβαμμα dicebatur βάμβα teste Hesychio: at Æolibus βάμμα dicebatur βάππα, vnde *vappa* dicebatur Latinis *vinum acetosum*, quoniam acetum inter ἐμβάμματα principem obtinet locum. Hæc ferè sic habet Salmasius in Notis ad Tertullianum de Pallio, pag. LXX. βλίττω fit à μέλι, quasi μελίττω. Caninius.

Barbitus, βάρβιτος quasi βαρύμιτος.
Basilica & βασιλεὺς à משל, *dominari, præesse*.
Faba à πύαμος pro κύαμος.
Stibium, στίμμι.
Bascanda dicebatur & *Mascanda*.
Globus à *glomus*.
Scabellum à *scamellum* vel *scamillum*, diminutivis à *scamnum*.

Tuber à *tumeo*.

M *mutatur in* D.

Sordes à σάρμα.

M *mutatur in* F.

Φόρμυγγα, μύρμηκα. Hesychius. indè *Formica*.
Fors à μόρος.

M *mutatur in* G.

Agnus ab ἀμνός.
Frugum nomen tractum est à *frumine*, id est, eminente gutturis parte. Servius ad Æneid. I, CLXXXII.

M *mutatur in* L.

Balbus à βαμβαίνω.
Silus vel *Silo* à σιμός.
Prelum à *premo*. Isidorus.
Squaleo à *Squamma*.

M *mutatur in* N.

Ita νάλκη est à μάλκη, qvod ipsum tamen est ex μαλακία.
Casno dicebant olim pro *Cano*. Credo ἀπὸ τοῦ χάσματος, ita vt huius quoque originationis occasione *Casmenæ* priùs dictæ fuerint, quæ postea *Camenæ*.
Catena à κάθημα.
Gener à γαμβρός.
Ne à μή.
Nideo, vnde *Renideo*, à μειδιῶ.
Nuceris, *nux*, à μύκηρος.
Ocimum dixere antiquiores Latini herbam Græcis ὤκιμον dictam. *Nimas* mons in pluribus antiquis codicibus *Minas* scribitur. Proclives nempe in harum literarum mutatione fuere pleræque nationes. ita quæ veteribus *Matta*, hodie Franco-Gallis est *natte*. quæque illis erat *Mappa*, Franco-Gallis nunc est *nappe*. vide Salmasij Plinianas exercitat. paginâ DCCCLXI.
Persona quasi περὶ σῶμα.
Pugnus à πυγμή.
Signum à στιγμὴ, vel à σημεῖον.
Tondere à τομεῖν.
Annus, *solennis*, olim *amnus*, *solemnis*.
Antenna quasi *ante amnem*.
Cano ex *Camena*, permutato *N*, vt ait Varro v. de L. L.
Docanus à *Decem*.
Duntaxat à *Dum* & *taxo*.
Perendie quasi *Peremto die*.
Quantus & *Tantus* à *Quàm* & *Tam*.
Quoniam ex *Quum* & *Iam*.
Sinciput quasi *Semi caput*.
Vindico quasi *Vim dico*.

M *mutatur in* P.

Æoles pro μετ' ἐμοῦ dicunt πετ' ἐμοῦ, pro ὄμματα ὄππατα, pro ὄμμα ὄππα. Imò & pro ὄψον dicunt ὄππα. atque indè sumserunt Latini suum *offa*.
Iidem Æoles pro μικκύλος dicunt πικκύλος, vnde remansit Italorum *piccolo*.

Cypriis ἀβρεμὴς est ἀβλεπής.
Polluo à μολύνω.
Plumbum à μόλιβος.
Vappa est ab Æolico βάππα pro βάμμα. Syracusiis certe βάμμα erat ἔμβαμμα. & quoniam Acetum inter ἐμβάμματα familiam ducebat, Romanis quoque *Vappa*, ex Æolico βάππα, vsurpari cœpit pro vino acetoso. Salm.

M *mutatur in* P S.

Ψὶν pro μίν.

M *mutatur in* R.

Passer à *Passim*.
Squarrosus à *Squamma*.

M *mutatur in* S.

Similis à μιμηλὸς, *Imitatus, imitando repræsentatus*.
Sors à μόρος.

M *mutatur in* Vau.

Vellus à μαλλός.
Flavus à *Flamma*.
Pulvinar, *pulvinus*, à *Pluma*.

N *additur in medio*.

Ita δάκνω, *Mordeo*, est ab inusitato δήκω, quod ipsum socer meus Fr. Iunius deducebat ab Hebræo דכא vel דכה, *Contudit, contrivit*.
Ita ab obsoletis βάω, φάω, χάω, sunt βαίνω, φαίνω, χαίνω, &c. Præcipuè tamen Dorienses inserunt ν verbis in ιω & υω. ita τίω iis est τίνω, πίω πίνω, ἐσθίω ἐσθίνω, θύω θύνω, δύω δυνω, ἀρτύω ἀρτύνω, ἰσχύω ἰσχυίνω.
Amenta ab ἅμματα.
Anguis à Dorico ἄχις pro ἔχις.
Annus ab ἔνος.
Ansa est à veteri *Asa*, quod ipsum tamen est ab Hebræo און, *Auris*.
Aringa ab ἄρχα, quod Hesychio exp. ἄρρεν πρόβατον. Scal.
Averrunco ab ἀπερύκω.
Canna à קנה, *Calamus*.
Canus à κάω.
Carinari à χαρίειν.
Centum ab ἑκατόν.
Cincinnus à κίκιννος.
Clingere pro *Cingere*, à κλείειν.
Cornu à κέρας. Caninius vtrumque derivatum censet è Punico *carn*.
Culigna à κύλιξ.
Cunnus à κύσον.
Densus à δασύς.
Fermentum à φύραμα φυράματος.
Frago, vnde *Frango*, olim significabat *Lento, flecto*, παρὰ τὸ φρά-γειν & φράττειν, vnde φράγνυμι est *Lentare*. Scal.
Fundo à χύω vel χεύω.
Fundus à βυθός.
Gannire à γάνυσθαι.
Hirundo à χελιδών.
Inanio ab ἰνέω vel ἰνάω.
Iungo à ζεύγω.
Lenis à λεῖος.
Lingo à λείχω.

Linquo

Linquo à λίπω.
Linx à λύκος.
Magnus à μέγας.
Mensa Varroni dicta est quasi μέσα, puto, quòd media inter accumbentes ponebatur. Idem tamen Varro ibidem quoque innuit, indè etiam videri posse *Mensam* denominatam, *quòd ponebant pleraque in cibo mensa.*
Mingo obsoletum ab ὀμιχέω.
Minor à μινύω.
Ningo, vel *Ninguo*, à νίφω.
Omnis ab ὁμῶς vel ὁμοῦ.
Orno ab ὄρω.
Pando à πετάω.
Pango à πήγω vel Dorico πάγω.
Pannus à *Panus vel* πῆνος.
Pinguis à παχύς.
Pinso à πτίσσω.
Planca à πλάκος vel πλάξ.
Planta pedis à πλάτη.
Planta arboris ab Æolico βλάττη pro βλάστη. Salm.
Plenus à πλέος.
Prandium à πρώϊον. Scal. ad Festum.
Pungo à πύγω.
Runcina à ῥυκάνη.
Sanus à σάος. vnde & *Sanguis* derivant.
Scandalum à σκάζω.
Scena dicta est ἀπὸ τῆς σκιᾶς. apud antiquos enim theatri scena parietem non habuit, sed de frondibus vmbracula quærebant. Servius ad Æneid. I. CLXVIII.
Scindo à σχίζω.
Sindon à *Sidon* vrbe, vel à Syr SADIN.
Sperno à σπείρω.
Spinturnix à σπινθαρίς.
Splendeo à σπλενδέω. prout nempe σπλενδῶ Hesychio exp. σποδὸς, λεπτὴ κόνις.
Sturnus à σορῖν.
Supinus ab ὕπτιος.
Tango à θίγω.
Thensa, vehicula quibus Deorum simulachra portantur, ἀπὸ τοῦ θείου, à re diuinâ. Seruius ad Æneid. I, XXI.
Thronus ab inusitato θρέω.
Truncus à τρύχω.
Tunc à τόκα.
Verrunco ab ἐῤῥύκω.
Viginti ab εἴκασι, quod Doricè εἴκατι.
Vnda ab ὕδωρ.
Vnus & antiquè *oinus* ab οἶνος.
Vrina ab οὖρον.
Vulnus ab ἑλῶ.
Annus dictus quasi *Anus*, id est, *Annulus*. Varro.
Cerno ab antiquo *Cereo* pro *Creo.*
Dani priùs *Daa* dicti. Servius ad Æneid. VIII, DCXXVI.
Findo ab *Hio.*
Finis à *Fio.*

Granum à *Gero.*
Lacerna quasi *Lacera.*
Lancino à *Lacino.*
Nundinæ à *Nono die.*
Pignus à *Pago.*
Plango à *Plaga.*
Ranceo à *Raceo.*
Regnum à *Rego.*
Sancio à *Sacer.*
Secundus à *Sequor.*
Tignum à *Tego.*
Tolleno à *Tollo.*
Transenna à *Transeo.*
Tunica à *Tueor.*
Veternus à *Vetere.*

N *additur in fine.*

N addunt Græci propriis nominibus Latinis in *O* terminantibus; ita dicunt Κάτων, πολλίων, Σκιπίων, pro *Cato, Pollio, Scipio,* &c.
Æoles ἐγὼν dicunt pro ἐγώ. Dorienses autem ἐγὼν vsurpant pro ἐγὼ, ἐμὶν pro ἐμοὶ, τὶν pro σοὶ, vtrobique expuncto ι.
Culmen à *Culmus.*
Nomen ab ὄνομα.
Ren à ῥέω.

N *abjicitur in medio.*

Græci abjiciunt ν in Latinis aliquot nominibus propriis. ita Κλήμης est *Clemens*, Πούδης *Pudens*, Ῥοῦκος *Rhuncus*, Ταῤῥούτιος *Tarruntius*. quamobrem quoque perperam censuit Lambinus, rectiùs *Hortesius* quàm *Hortensius* scribi propter Græcum Ὁρτήσιος.
Ascia à Dorico ἀξίνα pro ἀξίνη.
Bubleum à βύβλινον.
Camillus à κάμιλος.
Cieo à κινέω.
Creo à κραίνω.
Dumus à θάμνος.
Mampur à μαγγανεύειν.
Memoria à μνήμη.
Palantium primò, pòst *Palatium*, à φαλάντιον.
Palor à πλανῶ.
Ramus ab ὄρμενος.
Rugosus à ῥυσώδης.
Salpicta, salpista, à σαλπιγκτής.
Scorteum à σκύτινος.
Siligo à σίλιγνις.
Strix avis, à στρίγξ.
Tomex, & *Vomix*, à θώμιγξ.
Temnus à τέμνω.
Trua à τορύνη.
Ægrum & priscè *Aigrum* est ab ἀνιχρόν. Festus. vbi tamen vide Scaligerum.
Canalis à *Canna.*
Clytemestra Ausonio est *Clytemnestra*, quum ait in Agamemnonis epitaphio;

Quid prodest Helenes raptum punisse dolentem,
Vindicem adulterij si Clytemestra necat?

Huc etiam facit quòd Cassius Hemina, vt ex P. Danielis Servio discimus, scribit Siculum quendam nomine vxoris suæ *Clytemnestræ* condidisse *Clytemestrium*, mox corrupto nomine *Crustumerium* nuncupatum.
Cottiones vel *Cuctiones* à *Cunctatione*; Festus.
Columella à *Columna.*
Conivum à *Connivendo.*
Conjux à *Conjungendo.*
Contiguus à *Contingo.*
Contumax à *Contemno.*
Creo, & olim *Cereo*, à *Cerno.*
Fatui sunt, non stulti, sed multùm fantes, id est, loquentes. nam *Fatui* quoque Dij sunt, qui & *Fauni* dicuntur. Donatus ad Eun. V, VIII.
Figura à *Fingo. Effigies* ab *Effingo.*
Fragor à *Frango.*
Fusus à *Fundendo.*
Ignis quasi *Ingenis.*
Iugum à *Iungendo.* ita & *Iugerum.*
Ligula, mensuræ genus, à *Lingua.*
Ligurio à *Lingo.*
Mostellum à *Monstrum.* vnde *Mostellaria* Plauti & *Mostellarius vicus.*
Mustricula à *Mus* & *Stringo.*
Nix à *Ningo ninxi.*
Pertica à *Pertingo.*
Pervicax à *Pervinco.*
Pugillus à *Pugnus.*
Repagulum à *Repango.*
Rideo à *Ringo*, item *Rictus* & *Rixa.*
Scabellum, scamellum, à *Scamnum.*
Seta quasi *Sema*, quòd *sentium* instar pungat.
Solipuga à *Sole* & *Pungo.*
Strigosus morbus, quasi *Stringosus*, à *Stringendo.* Nonius.
Tesum pro *Tensum* dixere veteres. vnde Scaliger vult *Mantisam* dici quasi *Manu tensam.*
Trado à *Transdo.* sic & alia comp. à *Trans.*
Tuditantes, & *Tudites*, à *Tundendo.* Festus.
Vermis ab Æolico ϝέλμινς pro ἕλμινς.
Verruca à *Verrunco.*
Vxor quasi *Vnxor* ab *Vngo.*

N *abjicitur in fine.*

Latini plurima nomina propria Græcorum desinentia in ΩΝ, per O efferunt. vt Πλάτων, Ξένων, *Plato Xeno*, &c.
Arrabo, ἀῤῥαβών.
Bubo, morbi genus, à βουβών.
Draco, δράκων.
Fullo, ὁ βυλλῶν.
Leo à λέων.
Pulmo ab Æolico πλεύμων pro πνεύμων.
Pusio à παιδίον.
Sapo à σάπων.
Scipio à σκίπων.

Serpedo

Serpedo ab ἑρπηδών.

Sipho à σίφων. Græci certè σίφωνα, & σιφώνιον, vocant *Avenam*. & σιφωνίζειν τὸν οἶνον iis est *Calamo vinum sorbillare*.

Spado, σπάδων.

Teredo à τερηδών.

Vmbo ab Æolico ὄμβων pro ἄμβων.

O *mutatur in* A.

Æoles pro πίθοιντο dicunt πιθοίατο, pro φερόσαιτο φερσαίατο, pro γνοῖντο γνοιατο.

N *mutatur in* B.

Bibo à πίνω.

Habena ab ἡνία.

Tibi ex Dorico τὶν pro σοί.

N *mutatur in* C.

Amaracus ab α privativo & μαραίνω.

Lacus à λανός.

Stercus à *Sterno*.

N *mutatur in* D.

Cado à κλίνω vel καίνω.

Coriandrum à κορίαννον.

Tendo ab Æolico τέννω pro τείνω.

Pendere à *Pennis avium* ductum.

N *mutatur in* G.

Cingo à ζωννύω.

Rigo à ῥαίνω.

Præsertim tamen apud omnes in confesso est, *N* ante γ, κ, ξ vel χ plerumque transire in γ, quemadmodum videre est in ἐγγύη, ἔγκυος, ἐγχέω, &c. Excipiuntur tantum duo vocabula Æolica ἰγύργα ἢ Γάγγα, atque ita quoque constat veteres Romanos *Agceps, Agchises, Agcora, Aggens Agguilla, Aggulus, Iggerunt* scripsisse pro *Anceps, Anchises, Ancora, Angens, Anguilla, Angulus, Ingerunt*. Sed *G* istud videtur intermedium quid habere inter mutam *G*, & liquidam *N*: vnde & Græcis per adulterinum Γ, Latinis verò per *N* adulterinum scribitur. Illustria hac de re verba Nigidij Figuli & Marij Victorini, antiquorum iuxta atque eruditissimorum Grammaticorum, adduximus cap. xx. libri primi de Arte grammaticâ.

Religiosus à *Relinquendo*. A. Gellius IV, IX.

N *mutatur in* I.

Siculi pro αὐτόν dicunt αὐτόν, pro ἐνδον ἐνδοί, pro ἐντύγχανον εἰτάνυχον.

Ocium ab ὄκνος.

N *mutatur in* L.

Scaliger certè in Notis ad vett fragmenta operi de Emendatione temp. subjecta docet Chaldæos NVN cùm LAMED commutare; vt *Nabonidus Labonidus, Nabo-nassar Nabolassar*.

Etiam Græci *N* Latinorum, sequente *L*, mutabant in λ. ita *Manlius* iis erat Μάλλιος. Æoles atque Attici sæpe mutabant ν in λ, dicentes pro αἰθράχνη αἰθράχλη, pro νίτρον λίτρον, pro νίπτει λίπτει, vnde *Lepus*. pro ἐνύδρις ἐλύδρις, vnde *Lutra*. pro πνεύμων πλεύμων, vnde *Pulmo*. pro ἴθυνος ἴθυλος. pro ἀνάβαστρος ἀλάβαστρος. est autem ἀνάβαστρος propriè *vas quo aliquid gestatur*, ab ἀναβάσαι, *Ferre*; vnde & βαστάζειν. Hæc ferè habet Salmasius Plinianarũ exercit. pag. CLXXXVII.

Amuletum ab ἀμύνω.

Anculo ab ἄγκυλος. prout ἀγκύλους Hesychius exp. διακόνους, δούλους.

Cilium à σκύνιον. vnde ἐπισκύνιον.

Cillere, movere, à κινεῖν.

Collis à κολωνός.

Filius, ab ἶνις, quod Hesychio exp. υἱὸς, νιὸς, παῖς, βρέφος, ἀπόγονος, νήπιος.

Lympha à νύμφη, Æolicè λύμφη.

Melior est ab antiquo *Menior*, quod ipsum tamen est à Tarentino ἀμείων pro ἀμείνων. Scaliger ad Festum in *Meltom*.

Scutilum quasi σκύτινον.

Silenus à σίνος, τὸ αἰδοῖον. Schol. in Aristophanis νεφέλας.

Templum à τέμενος.

Trichila à τείχιον, quod Tarentinis denotabat *Spissum à pilis*. nam nihil aliud est *Trichila* quàm *Iugamentum & vmbraculum vitium aut cucurbitarum*. vide Scaligeri notas ad Festum in *Vmbra*.

Trulla pro *Torulla* à τορύνη.

Bellus à *Bonus* vel *Benus*.

Catella à *Catena*.

Catillum à *Catinum*.

Collido, colligo, colludo, &c.

Femella à *Femina*.

Illaqueo, illido, illimis, &c.

Malluviæ, quibus manus lavantur; vt *Pelluviæ*, quibus pedes. Festus.

Nuscitiosus, quod occurrit apud Festum, postea *Luscitiosus* dixerunt.

Peculator, qui furtum facit pecuniæ publicæ. Asconius in Procem. Actionis in Verrem.

Villum à *Vinum*.

Vlnus ab *Vnus*.

Bononia nunc *Bologna*.

Naupactus nunc *Lepanto*.

Panormus nunc *Palermo*.

N *mutatur in* M.

Hæc mutatio potissimùm contingit, cùm *N* positum est ante β, π, φ.

Amphora ab ἀναφέρω.

Amplus ab ἀνάπλεος.

Ampulla ex ἀναβολὴ vel ἀναβάλλω.

Chlamys à χλαίνω.

Hem ab הן, *Ecce*.

Lima à ῥίνη.

Mamphula à μονοπώλης.

Mamphur à μαννοφόρον.

Marceo à νυρκάω.

Meo à νέω, quod Suidæ exp. πορεύομαι.

Ramus ab ἔρνος.

Temo à *Teneo* vel τείνω.

Huc refer etiam derivata à Græcis nominibus in ON desinentibus. vt Παλλάδιον, *Palladium*. Πήλιον, *Pelium*. Ἄντρον, *Antrum*. Ἄροτρον, *Aratrum*. Βαλανεῖον, *Balneum*. Κύμινον, *Cuminum*, &c.

Abstemius olim erat *Abstenius* ab *Abstineo*.

Bimus, trimus, quadrimus, ab *Annus*.

Cremor à *Cerno*.

Gemma à *Geno* pro *Gigno*.

Imbellis, imbutus, immaculatus, immitis, immunis, impræmeditatus, &c.

Melo dictus est *Nilus* à veteribus Romanis necdum assuetis Linguæ Græcæ. vide Festum in *Alcedo, Alumento*, & suo loco in *Melo*.

N *mutatur in* P.

Tempus à τέμνω.

N *mutatur in* Q.

Torqueo à τόρνος.

N *mutatur in* R.

Buris ab Æolico βῦνις pro ὕνις.

Crepus à κνέφας. vnde *Crepusculum*.

Crispus à κνίσσος.

Crissare à κνισσᾶν vel κνίζειν.

Dirus à δεινός. *Dira* δεινά.

Furere à φονᾶν.

Furia à φονία.

Groma à γνῶμα, quod idem cum γνώμων. Salm.

Merda à μίνθη, quod est *Stercus humanum* auctore Hesychio.

Merus ab Æolico μῆρος pro μῖνος. nam *Merum antiqui* teste Festo, *dicebant Solum*.

Mora à μονή.

Myrrha à σμύρνα.

Parum ab Æolico παῦρος pro παῦνος.

Torus à τόνος. Salm.

Ita quoque Latinis *Carmen* dicitur quasi *Canimen*, à *Cano*. *Germen* quasi *Genimen*, à *Geno* pro *Gigno*.

Carcer à *Cancer*. nam *Cancri dicebantur ab Antiquis, qui nunc per deminutionem Cancelli*; Festus. *Inter Orci cancros iam ipsos adhæsisti*; Appuleius.

Clura quoque est πίθηκος in veteri Glossario pro *Cluna*. eodémque modo in MSS. Plauti atque Arnobij codd. legisse ait Io. Meursius.

Huc etiam pertinent *Corrigo, corrodo, corrumpo*, &c. item *Irrepo, irretio, irrigo, irrogo, irrumpo, irruo*, &c.

N *mutatur in* S.

Æoles pro ὀρθῖν dicunt ὄρθοις, pro γυψῖν γύψοις, pro χρυσῖν χρύσοις.

Cestrum

Cestrum à κέντρον.
Cos ab ἀκόνη.
Gurges à γυργύρ.
Limus à λειμών.
Plus à πλέον.
Prius à πρίν.
Pubes à βυβών.
Pumilus à πυγμαῖον.
Res pro opibus à ῥῶ.
Mantissa quasi *Manu tensa*.
Masturbare quasi *Manu stuprare*.
Passus à *Pando*. A.Gellius, xv, xv.

N *mutatur in* T.

Περσεφάττα pro Περσεφόνη Attici.
Πέτλε pro Πέντε Siculi.
Catamitus dictus est *Ganymedes* à veteribus Romanis needum assuetis Græcæ Linguæ. vide Festum in *Alcedo*, *Alumento*, & suo loco in *Catamitus*.
Clitella à κλίνω. vnde & κλιτὺς & κλιτύς.
Matutinus quasi *Manutinus*, à *Manè*. nisi malis esse à *Matuta*.

NN *mutatur in* ST.

Asbestum, ἄσβεστος, à σβέννυμι.

O *additur in initio*.

Οὐ poëticè ὄυ, vt apud Homerum. Sed & in his redundat τὸ ο. βέλος ὄβελος, βελὸς ὀβελὸς, ταφὶς ὀταφὶς, κρυόεις ὀκρυόεις.
Obliquus à πλάγιος. nisi fortè putes coaluisse vocabulum ex ὁ πλάγιος.
Oceanus quasi κυάνεος. Isidorus, Originum xiii, xv.
Opimus à πιμελής.
Opinor à πινύω.
Osiris putatur quibusdam Sol dictus, quasi ὁ Σείριος. vide Plut. de *Iside* & *Osiride*.

O *additur in medio*.

Ξενοφόων pro Ξενοφῶν.
Eous, ἑῶ⊙ ab ἕως.

O *abjicitur in initio*.

Cello ab ὀκέλλω.
Dentes ab ὀδόντες.
Mingo obsoletum ab ὀμιχέω.
Nomen ab ὄνομα.
Post ab ὄπισθε.
Ramus ab ὄραμνος.
Rego ab ὀρέγω.
Ruo ab ὀρύω.
Ricinus fortè ex *Oricinus*, quia Canum (vt Isidorus ait) *ores* hoc est, aures infestat.

O *abjicitur in medio*.

Ἄγνος quasi ἄγονος, qui non genuit.
Alter ex Æolico ἀλλότερρος pro ἀλλότερος. Caninius.
Antrum ἀπὸ τοῦ ἄνω τετρῆσθ.
Ardea ab ἐρωδιός.
Ars ab ἄρος, *Vtilitas*.
Arteria ab ἀορτή.
Βοϐυλὰ à βοῦς & βάλλω.
Clura pro κόλουρα.
Collis à κολωνός.
Cornix à κορώνη.
Ervum ab ὄροβος.
Extra ab ἔξωθεν.
Flos à χλόος.
Gens à γένος.
Glus, vnde *Gluten*, à γλοιός. Salm.
Hesperus quasi ἕως πέρας.
Manipula à μονοπώλης.
Mamphur quasi μαννοφόρον.
Mens à μένος, quo vis animi significatur.
Mons à μένος, vel potius à βουνός.
Mors à μόρος.
Otium ab οἴοθι, Solitariè.
Pars à πάρος.
Pus à πύος.
Res à χρέος.
Ros à ῥόος.
Sarcio à σάκρακος.
Scordalus à σκόροδον.
Thus à θύος, quod idem cum θυμίαμα.
Trua à τορύνη.
Vita à βιοτή.
Vulpes ab Æolico Γαλώπης pro ἀλώπηξ.
Almus & *Alnus* ab *Alo*.
Carcer à *Coërcendo*. Varro.
Chortes pro *Cohortes*.
Cliens quasi *Colens*.
Copis quasi *Coopis*, à *Cum* & *Ope*.
Dubium à *Duo* & *Via*.
Trossuli quasi *Torosuli*. Nonius.

O *abjicitur in fine*.

Ab ab ἀπό.
Ob ab ὑπό.
Sub ab ὑπό.

O *mutatur in* A.

Æoles ἄατα pro ὦτα. Iidem Ποτείδαν dicunt pro Ποσειδῶν, παίδαν pro παίδων.
Doricè ο aliquando conuertitur in α. vt cùm ὄκαλα dicunt pro ὄκωσι. Iidem Dorienses ω in α productum conuertunt: ita πράτιστος dicunt pro πρώτιστος, φαεινάμας pro φαεινώμας, θᾶκος pro θῶκος.
Æoles in Participiis secundæ contractorum γελᾶν dicunt pro γελῶν, ἰλᾶν pro ἰλῶν.
Bœotiis Ποτειδᾶν est Ποσειδῶν, φυσάντες, ευσάντες.
Arator ab ἀρότης.
Aratrum ab ἄροτρον.
Arrugia ab ὀρυγή.
βάτραχος olim βότραχος, παρὰ τὸ βοᾶν τραχέως ἔχειν.
Branchiæ βράγχια, à βρόγχος.
Capulus à κώπη.
Ceratum, κηρωτὸν, à κηρόω.
Gnarus à γνώριμος.
Lancea à λόγχη.
Lauo à λόω.
Parapsis à παροψίς.
Paro est ab illo πορῶ, ex quo πορίζω.
Pasco à βόσκω. Scaliger deriuat à πάω πάσκω. vnde etiam πῶϋ, *Grex*.
Prædium est à Græco προάστειον. Scaliger ad Festum.
Sapor ab ὀπὸς, vide Salm. Exercitat. Plinianas.
Sapus, vnde *Sapiens*, à σοφός.
Taxus à τόξον.
Arbor à *robur*.
Area ab *areo*.
Aulla, *ouilla*; Festus
Caliga à *colligendo*.
Fabi: *olim Foui*:; Festus.
Faulla à *fauendo*.
Fauissa olim *Fouissa*; Festus.
Valua à *voluendo*.

O *mutatur in* Æ Vel AI.

Sic pro ἀπὸ Nicander dixit ἀπαί. & Homerus pro ὑπὸ dixit ὑπαί.
Præ à πρό.
Præputium à προπόσθιον.

O *mutatur in* AV.

Audes olim nunc *Aures*, ab ὦτα vel ὦτες.
Aurichalcum ab ὀρείχαλκος. Festus.
Aurum ab ὀρεῖον. Festus.
Claudus à χωλός.
Faunus ἀπὸ τῆς φωνῆς dictus; quod voce non signis ostendat futura. Seruius ad Æneid. vii, lxxxi.
Lautia, *dautia*, à δῶτια.
Caupo à *Copiis*.
Præcipuè tamen *O* longum vel *OO* fit *au* in denominatione *Austriæ*, quæ non accepit nomen ab *Austro*, quòd hoc potissimùm vero perfletur, vt Wolfg. Lazius putabat, sed ab *oost*, hoc est *Orientalis*; quia comparata cum reliquâ Germaniâ, sit maximè ad *Orientem* sita, vti rectè visum Leunclauio in Pandecte historiæ Turcicæ, cap. ccxxiv. Similiter prætorem Græciæ ὀρείων dixere, vt ibidem monitum.

O *mutatur in* E.

Æoles πρὸς οἱ pro πρὸς σὶ, ἰδόντες pro ὀδόντες. ἐδύνη pro ὀδύνη.
A φέρω φερέοικος & φερέοικη, à μέλω Μενέλαος.
AEdes ab αἶθος, quod est apud Pindarum.
Alpes ab ἄλφος.
Anethum ἄνηθον, ab ἀνωθεῖν.
Area ab ἀλωά.
Aries ab ἔρριφος.
Auernus ab ἄορνος.
Bellum à πόλεμος.
Bestia fortasse est à βόσκημα.
Choraules à χόρος & αὐλός.
Cocles à κύκλος vel κύκλωψ.
Coluber quasi κολοβὸς ἐρπ.
Decumatum, δόκιμον.
Dentes ab ὀδόντες.
Dies ἀπὸ τοῦ Διός.
Ervum ab ὄροβος.
Ethruriam Scaliger dictam putat quasi ὀθρυεῖαν, ab ὄθρυς, *Montes*; quia montosa est: non quasi

ἑτέρου ὄρος, quòd alteram Tyberis ripam Hetrusci, alteram Romani incolebant; nec, vt vult Stephanus, ἀπὸ τοῦ τὴν ἄθεγον ἀγκεῖν, ob auguriorum peritiam; neque ab oppido Ethruriæ *Atria*, quod à Diomede conditum ac primò *Æthriam* nominatam idem Stephanus tradit.

Februarium mensem ἀπὸ τῆς κατεδαίων φόζων dictum putabat Iuba Maurus, quasi φοζερόν. vide Athenæum Deipnos. lib. III. cap. XVIII.

Fel à χολή.

Frater à φράτωρ Æolico pro φράτηρ.

Genu à γόνυ.

Gleba à κολοζῶν, vel à *Globus*.

Gurges à γόργυρ.

Hirnea vel *Irnea*, genus vasis vinarij. Antiquitus *Ernenm* vocabatur, παρὰ τὸ ὄρνιον, quòd figuram avis haberet. vide Scaligerum in Catalecta.

Humerus ab ὦμος, Laconicè ὤμορ.

Lepus ab Æolico λεπορὶς pro λαγώς.

Liber ab Æolico λέπορ pro λέπος, *Cortex*.

Magister à μέγιστος.

Marceo à ναρκάω.

Merus à μόνος.

Metus à μόθος. ab antiquo nimirum μίθω est μέμοθα, μόθος. prorsus vt ab antiquo μίδω, vnde μέδιμνος, est μέμοδα, μόδος, *Modus*. vnde *Modius*. Scal.

Miser à μυσος.

Moretum à μύρωτον.

Nepenthe, νηπενθὲς, à νὴ & πένθος.

Nubes à νέφος.

Pecudes à πεκάδες. Scaliger.

Pellis à φολίς.

Pes ab Æolico πὸς.

Pedes à πόδες.

Peto à ποθῶ.

Precium à *Procando*. *Procare* verò à προὶξ προικός. vnde προίξ. Scal.

Propero, προπορδάω vel προπορεύομαι.

Pubes à βιζάω.

Rigeo à ῥιγέω.

Scelus à σκολιός.

Sedes ab ἕδος.

Serapis ex Varronis atque Eusebij sententiâ dictus est quasi *Sorosapis* vel *Sorapis*; quia ad sarcophagum, qui etiam σορὸς dicitur, primò venerati sunt eum.

Serum lactis ab ὀρός.

Stamen à στήμων vel στάμων.

Sternere à στορεννύειν. Varro sub finem libri quinti de L.L.

Stipes à στύπος.

Temerè à τολμηρῶς.

Tenebræ quasi *denefræ* à δνοφερόν. Caninius.

Teres quasi τορδίτης, *torno elaboratus*.

Termen à τέρμων.

Vber, copiosus, ab εὔπορος.

Vrbs ab Æolico ὀρχῶ pro ὀχῶ.

Vepres ab Æolico βρῶπες.

Verro à κορῶ.

Vescor à βόσκω.

Vlex ab ὖλος.

Cercuri, vt vult Scaliger ad Festum, dictæ quædam naves ab insulâ *Corcyra*; prorsus vt *Parones* & *Myoparones* dictæ à *Paro* insulâ; *Liburna* itidem vel *Liburnica* à *Liburniâ*, regione Illyridis.

Epula ab *Opulens*.

Honestus ab *Honos*.

Melior quasi *Mollior*.

Merula à *Modulando*.

Pendere à *Pondus*; pondere enim omnia deorsum vergunt. Iul. Scaliger in Hypercritico.

Testa quasi *Tosta*, à *Torrendo*.

Velites à *Volando*. item *Velox*.

Vester, olim *Voster*, à *Vos*.

O *mutatur in* EV.

Ἀγγαρεύω ab ἄγγαρος.

Ζεῦς ἀπὸ τοῦ ζῶντος. Servius ad Æneïd. I, CCCXCII.

O *mutatur in* I.

Æmidum, *tumidum*, Festus. Manifestè est ex αἰμώδης.

Alibi ab ἄλλοθι. Caninius.

Alsine herba, ἀλσίνη, ab ἄλσος.

Angina ab ἀγχόνη.

Axis ab ἄξων.

Bilis à χολή.

Caulis à καυλός.

Ciccus à κόκκος, quod *Granum est mali punici*.

Cingo à ζωννύω.

Cinis à κόνις.

Cirri ab Æolico κόῤῥοι pro κόρσαι. Salm.

Collis à κολώνη vel κολωνός.

Cutis à σκύτος.

Exomis, ἐξωμὶς, ab ὦμος.

Felis à φῶλος.

Fibra à φορβὴ, quod quidam *Ligulam* vel *Vinculum* interpretantur.

Imber ab ὄμβρος.

Irnea, genus vasis, ab ὄρνεον, quòd Avis figuram repræsentaret.

Is ab ὅς.

Lenis à λεῖος.

Limbus à λοβός.

Nidus à νοσσίς.

Omnis à μόνος. Caninius.

Opilio ab οἰοπόλος.

Panis à πανός. nam ita *Panem* vocant Messapij.

Pixis à πύξος.

Primus à πρόμος.

Proditor à προδότης.

Qui à καὶ ὅ.

Quis à καὶ ὅς.

Scrinium à σκρίνιον.

Sibus à σοφός.

Similis ab ὁμαλός.

Sodalis à Poëtico ἕταρος.

Terminus à τέρμων τέρμονος.

Testis à θέστωρ.

Vilis à φαῦλος.

Vrina ab οὖρον.

Ilico quasi *è loco*. cui simile *Extemplò*, quia (vt ex Festo discimus) veteres *templum* vocabant locum *qui ab omni parte adspici*, *vel ex quo omnis pars videri potest*.

Illi antiquè *olli*; vnde & *Ab olees* dicebant olim pro *Ab illis*, vt scribit Festi epitomator.

Inquilinus ab *Incolendo*.

Titivilitium à *totum vile*.

O vel Ω *mutatur in* OI.

Bœoti pro πατρῷος dicunt πατροῖος, pro ἥρῳος ἡροῖος pro ἡρῷος ἡροῖος.

O *mutatur in* OV.

Μοῦχος à μόχος.

Thucydides, Θουκυδίδης, ἀπὸ τοῦ θύειν, τοῦ θρόνου, quibusdam, cùm tamen sit à θεὸς & κῦδος.

O *mutatur in* V.

Æoles μύγις pro μόγις, ὔμφαλος pro ὄμφαλος, ὔμοιον pro ὅμοιον. ὄνομα ὄνυμα, στόμα στύμα.

Ambulo ab ἀμφὶ & πολῶ.

Ampulla ab ἀναζόλλα vel ἀναζολή.

Amurca ab ἀμόργη.

Anculo ab ἄγκων.

Argentum, ἄργυρος ab ἀργὸς.

Atabulus ab ἀτάζολος.

Bajulus à βαιὸς, *Parvus*; quòd onera minora bajulentur, majora vehantur.

Bitumen à πίτλωμα.

Brachium, βραχίων.

Bruma Ios. Scaligero est à *Bruno*. hoc à βρόμιος, quia December est genialis.

Bulbus à βολζός.

Bulga à μολγός.

Bura quasi βοὸς οὐρά. Servius.

Coluber à κολοζός.

Columna à κολώνη.

Cothurnus à κόθορνος.

Cuculus à κόκκυξ.

Culmus ab Æolico κόλαμος pro κάλαμος. Salm.

Culpa à κολπή.

Cunila à κόνυζα.

Duco pro Opinor à δοκῶ.

Esculus olim *Æculus* ab αἰγίλωψ.

Fluta, muræna, à πλώτης.

Fungus à σπόγγος.

Funus à φόνος.

Fur à φώρ. A. Gellius, I, XVIII.

Furere à φορεῖν.

Furia à φοιτία. Aliam interim atque (vt puto) veriorem verbi *Furo* Etymologiam invenies, vbi agimus de mutatione *TH* in *F*.

Furfur à ζόρζορος.

Genus à γένος.

Gruma à γρῶμα. vide Salmasij Plinianas exercitation. paginâ DCLXX.

Gumia

Gumia à γάμ@ .quod significat πλήρωμα τ͂ γαςρὸς, ἔρμα. *Saburram* vocant Latini. Ita qui nimis ingurgitant se cibo,ita sunt dicti, quòd semet ipsos plus iusto saburrent. Scal.
Gummi à κόμμι.
Gurges à γοργὸς.
Humerus ab ὦμ@.
Imbulbitare, puerili stercore inquinari, à βόλβιτον. *Fimus*; Festus.
Iubeo ab ἰῶ βίᾳ.
Iubilo ab ἰὼ ἰὼ voculis triumphantium. Scaliger cap. XXXIII. de Causis L.L. vide locum.
Laus à λαὸς, vel à λάω, id est,φάω.
Lautumia à λατομία.
Mamphur à μαγγεφορον.
Murgiso à μυρὸς. Scaliger.
Murmur à μορμύρω.
Murra à μύῤῥα. vide Salmasij Plinianas exercitat.pag.CCIII.
Musæ à Dorico μῶσαι pro μοῦσαι.
Muscbus à μόσχ@. item *Mustum*.
Num à μῶν, per metathesin.
Numa dictus est ἀπὸ τ͂ νόμου, ab inuentione & constitutione legis. Servius ad Æneid.VI, DCCCVIII.
Numero à νόμ@. vnde & *Nummus*.
Numida à νομάδες.
Penula à φαινόλης.
Populus olim *Populus* à πολὺς, geminatione syllabæ principis.
Preputium à περὶ πόσθιον.
Pullus à πῶλ@.
Pulpamentum à πολφὸς.
Puls à πόλτ@.
Puppis à πόπποι, Dæmones vel Dij tutelares in puppe depicti.
Purpura à πορφύρα.
Puta, vt obseruavit Ios. Scaliger, est à πόσθη.vnde paullò ante fuit *Preputium*. imò & *Salaputium* apud Catullum à *Puta salacitate*.
Satura à σατύρος.
Scurras à σκῶρ.
Spurius ἀπὸ τ͂ σπορᾶς.
Sturnus à ψαρὸν.
Sulcus ab ὄλκ@.
Sulphur quasi ὅλον πῦρ.
Sum ab ἔσομαι.
Surus, piscis, quem & Lacertum vocant, à σαῦρ@. Iulius Scaliger cap.XXVII. de Causis L. L.
Syrupus quasi Συρίας ὀπός.
Tripudium à τριπόδιον.
Trutta à τρώκτης.
Turba à θόρυβ@.
Turgeo ab ὀργῶ.
Turma à τόρμ@, *Rotunditas*. Scaliger.
Vbi ab ὅπη.
Vlciscor ab ἀλίσκω pro ἀλίσκω vel ὄλλυμι.
Vlna ab ὠλένη.
Vlulare ab ὀλολύζειν.

Vlysses ab Ὀδυσσεὺς.
Vmbo ab Æolico ὄμβων pro ἄμβων.
Vmbra ab ὄμβρ@.vnde quoque terra *Vmbria* nomen accepit.
Vncus ab ὄγκιν@.
Vnguis ab ὄνυξ ὄνυχ@.
Vpupa ab ἔποψ ἔποπ@.
Vrgeo ab ὀργάω.
Vrus ab ὄρ@.Servius ad Georg.II. CCCLXXIII.
Vsque ab ὠκὺς.
Vt, ὡς.
Vter vtrius à πότερ@.
Vterus ab ὕδερ@.
Vti ab ὅτι.
Vulgus ab Æolico ὄλχ@ vel ὄλλχ@ pro ὄχλ@.
Adulari olim *Adolari* ab *adorando*.
Alumnus ab *alo*
Amuletum ab *amolior*.
Angulus item *Angustus* ab *ango*.
Apluda ab *applodo*.
Arbustum ab *arbor*.
Bucina à *vocando*.
Caducus à *cado*.
Calculus à *calco*.
Campiductor pro *campidoctor*.
Credulus à *credo*.
Culina, quia in eâ *colitur ignis*.
Cupedia, item *Forum cupedinis*, à *cupa*. ipsum verò *cupa* est à *copa* vel *caupa*.
Cura dicta, quia cor edat, vel quia cor vrat; Festus.
Denuo quasi *de nouo*.
Dolus à *dolor*.
Exul quasi *Extra solum constitutus*.
Fulgur à *fulgor*.
Iubilare priùs fuit *Iobilare*,ab *io* acclamatione rusticâ.
Iuglans quasi *Iovis glans*.
Iupiter quasi *Iovis pater*.
Iusiurandum quasi *Iovis iurandum*.
Legumen à *lego*. item *ligustrum*.
Lucumones à *loco*, verbo.
Multus olim *moltus* à *moles*.
Murgiso à *morando*.
Muto à *motus*.
Nasturtium quasi *nasitortium*.
Nundina à *nono die*.
Nuncupo à *nomen capio*.
Occulo à *colo*.
Petulans à *peto*. item *Petulcus*.
Publicus quasi *populicus* à *populus*.
Rubigo olim *Robigo*, quia coloris *robi*. *Robum* enim τὸ πυῤῥὸν vocabant seu Rutilum.
Sedulò à *se*, id est, *sine*, & *dolo*.
Surdus olim *sordus* à *sordibus*.
Tullius est à *tollo*.
Vrbs dicta est ab *orbe*, juxta Servium; quia solebant *vrbes* in *orbem* condere.
Vultus à *volo*,alius enim atque alius pro affectibus animi solet esse *Vultus*.

O *mutatur in* Y.

Ὄνυμ@ Æoles ὕνυμ@.
Ita Æoles μύνα dicunt pro μονή.
Bibliander quoque ζυγ@ siue ζύγ@, *iugum*, *par*, vult esse à Syriaco Zog, quod à Zaveg, *Iugavit*.
Hymenaum quibusdam dictum placet ἀπὸ τοῦ ὑμῶ ναίειν.

OE *mutatur in* I.

Pilumnoe poploe pro *Pilumni popli*.
Oloe pro *Oli* & postea *Olli*. vide Regiam legem apud Festum in *Plorare*.

E *mutatur in* V.

Coerare & *Coerator* veteres scripsere pro *Curare* & *Curator*; vnde in vett. inscript. legas De Svo Coeraverunt.
Moenire olim erat *Munire*, indè *moenia* & *moenicipium* in vett. inscript. pro *municipium*.
Moerus olim erat *Murus*. vnde *pomoerium*.
OEtier & *OEtantur* dixere pro *Vtier* & *Vtantur*. vide Scal. ad Festum in *Publica*.
Poeniceus color veteribus, nunc *Puniceus*.
Punicus à *Poenus*.
Punire, & *Impunè*, à *poena*.

OI *mutatur in* A.

Hara à χοῖρ@.
Vacca à βοικὰ.

OI *mutatur in* I.

Finis à χοῖν@.
Liber, olim *Loeber* vel *Loiber*, à λοιβὴ, *libatio*. prorsus vt *Spondeo* & *sponte* sunt à σπονδὴ, Libatio foederibus sanciendis adhibitâ. nam id noninviti facere debemus. Scaliger.
Pampinus quasi ἀμπὶ οἴνῳ.
Pica quasi ποικίλα.
Stica à στοιχὴ. vt *Stipa* à στοιβὴ. vide Salmasij Plinianas exercitat. paginâ 1062.
Via ab οἶμ. Scal.
Vinum ab οἶν@.

OI *mutatur in* OE.

Alphesiboeus, Ἀλφεσίβοι@.
Coelebs quasi κοίλοψ, *Concubitu carens*, à κέω & λείπω.
Coelum à κοῖλον.
Coemiterium, à κοιμητήριον.
Coena à θοίνη, quasi κοινή.
Coenum à κοινόν. Scalig. cap.XXXIV de Causis L. L.
Coera priùs dicebant pro *Cura*, & *Coerare* pro *Curare*. *Coera* igitur παρὰ τὸν κόρον, κοῖρα, à satietate. hinc *Satagere*, curare. vnde κοίρανος. Scaliger.
Melibaeus, Μελίβοι@.
Moechus à μοιχὸς.
Moereo à μοῖρα, quod pro Dolore τροπικῶς sumitur. Scaliger.
Moerus priùs, postea *Murus*, à μοῖρα, quòd quisque pro parte suâ

eos servaret. Hoc docet Lucillius, cùm ait;

Mœnu' tamen fungi ac mœros servare potessint.

Item adsignificat & *Mœnia*, quod partes officij cuiusque significat, quasi *Mœria* dicta, postea *Munia*. Scaliger.

OEdipus, Οἰδίπυς.

OEnanthe, οἰνάνθη, quasi οἴνος ἄνθ@.

OEnophorus, οἰνοφόρ@.

OEstrus, musca bubus molesta, οἶστρ@.

OEsypum, οἴσυπον. ab οἶς & σήπεσθαι.

Phœbus, Φοῖβ@.

Pœna, ποινή.

Pœnis olim à φοῖνιξ. at postea dixerunt *Punus*, vt *Hilaris* & *Hilarus*.

OI *mutatur in* V.

Bœoti pro ἐμοὶ dicunt ἐμύ, & pro καλοὶ καλύ.

Brucus à βροῦκος.

Bucula à βοικά.

Futuo Latinorum, & Gallorum *putain*, censet Henr. Stephanus derivari posse ab illo φοιτᾶν, quod scriptores Græci vsurpant de feminis stupri causâ frequenter ad viros commeantibus, Venerémque impetu furiato appetentibus. vide Thes. Stephani in φοιτᾶν & φοιτάς.

Indu à *Syracusano* ἐνδοῖ.

Mutuum à Siculo μοῖτον. Varro IV. de L. L.

Pubes à φοῖβος.

Puniceus à φοινίκεος.

Vnus ab οἶνος, hoc est, μόνος. vnde οἰνάω & οἰνίζω, *Ago vitam solitariam*. Doctè de hoc Salmasius Notis ad Vopiscum, pag. 471.

Vtor, *vsus*, olim erant *OEtor*, *œsus*, vel *oitor*, *oisus*, ab οἴω οἴσω. Scaliger.

OY *omittitur.*

Κυρήτη priùs dicebatur, quæ postea per syncopen Κρήτη. auctor Strabo.

Stirps à στερέωτος.

OY *mutatur in* A.

Valeo ab οὐλέω.

OV *mutatur in* AV.

Aura pro vento fortasse est ab οὖρος. Ita Virgilio in Culice *Aura secunda* est πόμπιμος οὖρος. qui aliàs quoque ἴκμενος οὖρος, item φορὸς vel ἐπίφορος ἄνεμος nuncupatur.

Haut ab οὔτι.

Lautola Latinè, quæ Græcè λουτρά. nam *Balneum* est ex βαλανεῖον. Dicebantur & *Albulæ*. Lautolæ autem vocatus Romæ locus ab eâ fabulâ quam narrat Ianus apud Ovidium,

Súmque repentinas ejaculatus aquas, &c.

OY *mutatur in* E.

Æoles pro φοῦβημος dicũt φοβήμενος.

Duplex à διπλοῦς.

Placenta à πλακοῦς πλακοῦντος.

Tripes à τρίπους.

OY *mutatur in* I.

Ita, quum similitudinem denotat, est ab οὕτω.

Vbi ab ὅπου.

OY *mutatur in* O vel Ω.

Μοῦσα Doriensibus dicitur Μῶσα.

Antipodes, *tripodes*, à πούς ποδός.

Bos à βοῦς.

Cordus à κουρίδιος.

Nepos à νέπους. Varro.

Orion ab οὖρον. vide Lactantium in Statij Thebaïd. VII, CCLVI.

Volo à βούλομαι.

OY *mutatur in* V.

Adulari à δοῦλος vel ab οὐρά.

Ampulla ex ἀναβουλή.

Arcturus, ἀρκτοῦρος.

Bubalus, βούβαλος.

Bucephalus, βουκέφαλ@.

Bucerus, βουκέρως.

Butyrum, βούτυρον. & cætera à βοῦς derivata.

Buleutæ, βουλευταί.

Bulla à βουλή. Festus.

Bunias, species naporum, βουνιάς.

Ceruchus, κεροῦχ@.

Cerussa, κηροῦσσα.

Clura, pro κόλουρος.

Coluri, κόλουροι.

Crumata à κρούω. item *Crus*.

Culus à κουλεός.

Dasypus, δασύπους.

Durum à δοῦρον, *Lignum*. vnde & *Durateus*.

Eunuchus, εὐνοῦχ@.

Hinnuleus ab ἶνν@.

Luna à λούνα.

Lutra à λουτρίς. vnde & ἐνυδρὶς, eadem. Scaliger.

Lutum à λοῦτρον.

Lyncurium, λυγκούριον.

Melanura à μέλαινα οὐρά.

Muri à μούρος.

Musica, μουσική, à Μοῦσα.

Nummus à νοῦμμ@.

Nuncius à Syracusano νοῦγκι@. quemadmodum enim Siculi ab ὁ ἰνὸς οὐγκία declinârunt, sic à νί@, νοῦγκι@. Scaliger.

Paliurus, παλίουρ@.

Polypus, πολύπους.

Pubes à βοῦβων.

Remulcum à ῥυμουλκεῖν.

Rura ab ἄρουρα.

Sciurus, σκίουρ@.

Silurus, σίλουρ@.

Strutheum in Mimis præcipuè vocant obscœnam partem virilem, à salacitate videlicet passeris, qui Græcè στρουθὸς dicitur. Festus.

Struthio à στροῦς vel στρουθός.

Studium à σπουδή.

Suber à σοῦβαρ.

Vber ab οὖθαρ.

Vdo, genus calcjamenti, ab οὖδ@.

Vlex ab οὖλ@.

Vncia, οὐγκία.

Vrina ab οὖρον.

Vulnus ab οὐλή.

OY *mutatur in* VI.

Sui ab οὗ.

OY *mutatur in* Vau.

Va, οὐαί.

P *additur.*

Ita Græcis δραπέτης est ab inusitato δράω vel δρῆμι, *Fugio*.

Cercops à κέρκ@.

Cippus olim erat Lignum bipatens ac multipliciter perforatum ad includendos constringendósque sontium pedes. ποδοκάκη, ποδοστράβη. Videtur esse à κύπη, quod Hesychio exp. τρώγλη, *Caverna*, *foramen*.

Dapes à δαίς.

Lapis à λᾶας vel λᾶς.

Lappa à λαβεῖν.

Lippus à λίπ@ vel λιπῶν.

Pampinus ab ἄμπελ@. nisi malis dici quasi πάα ἀμπὶ ὄινω.

Papilio ab ἠπίαλ@.

Peto ab αἰτῶ.

Plumbum, præfixo *P*, fortasse factum est ex *Lumbus* sive *Lumbum*, quod ipsum tamen κατὰ μετάθεσιν fortasse erit ex μόλιβ@.

Pubes videtur esse ex ἥβη.

Puppis à πύπα.

Sarpo à σαίρω.

Scalpere à σκαλλίειν. Varro sub finem libri quinti de L. L.

Scrupus fortasse à σκίρ@.

Sirpo, hoc est, Ligo, as, ab εἴρω.

Sospes à σώζω.

Templum à τέμεν@.

Cespes à *Cado*.

Cuspis à *Cudo*.

Oppidum dici putant, quòd *Opes* illò munitionis gratiâ congestæ sunt. Seruius ad Æneid. IX, DCVIII.

Scrapta à *Screatus*.

Stuppa quasi *Stippa* à *Stipando*.

Supparus à *Supra*.

Vappa quasi *Vapida*.

P *abjicitur.*

Ita Græci quandoque dicunt ἤγανον pro τήγανον, sicuti & ἀλαιὸς pro παλαιός.

Æsculus olim *Æculus* ab αἰγίλωψ.

Aluta ab ἀλυπτός.

Camelus à καμπύλ@. vnde quoque *Camera* & *Camerus*.

Cocles à κύκλωψ.

Damnum à δάπτομαι.

Latus à πλατύς.

Niteo à νίπτω.

Prosapia à πρόσταπ@.

Sero à σπείρω. Addere hoc in loco libet soceri Iunij conjecturam: Ab Hebræo זרע, *Sevit*, *seminavit*, sunt Græcum σπείρω, per epenthesin τοῦ π, & Latinum *Sero*, vnà cum conjugatis: vt sunt

Seria

Seria, Dea sementis apud Plinium lib XVIII. Nat. hist. cap. II. quæ etiam *Seia* & *Sessia* Tertulliano dicitur. item *Sirelia*, locus Romæ portam Romanulam versus, dicta à serendis & texendis funibus, Varroni lib. V. de L.L.

Tudo à τύπτω.

Vro à πῦρ.

Vter vterius à πότερος.

Sarmenta quasi *Sarpimenta*.

P *mutatur in* B.

Plutarchus certè in Hellenicis quæstionibus observat Delphis Β pro Π vsurpari, ac βατεῖν & βικρὸν dici pro πατεῖν & πικρόν. Simili prorsus ratione Thraciæ vrbem Πελλήνην vocant Βαλλήνην. vnde apud Aristophanem Βαλληνάδε βλέπειν.

Ab ab ἀπό.

Abolere ab ἀπολλύειν.

Absinthium, ἀψίνθιον.

Absis, ἀψίς.

Absyrtus, Ἄψυρτος.

Ambulo ab ἀμ & πολῶ.

Arabs, Ἄραψ.

Attubus ab ἄττυγος. Scaliger Ausonianarum lect. lib. II, cap. IX.

Barba Martinio videtur esse παρειῶν φύα. sicuti πώγων eidem est πᾶ φύειν, *Herba genarum* vel *menti*.

Bellum à πόλεμος. nisi fortè est à *Duellum*.

Bibo à πίνω.

Bitumen à πίτυς.

Blandus à πλάνος.

Brassica, hortulanum olus, à πρασική. Scaliger.

Burgus à πύργος.

Burrus à πυῤῥός. vnde *Byrrhia* nomen.

Buxus à πύξος.

Cambio à κάμπτω. Priscianus lib. X.

Carbasus à κάρπασος.

Cælebs à κοῖ & λείπω. quâ formâ χερνίψ & αἰγίλιψ dicimus.

Cubo à κύπτω. vnde quoque κύβος & κύμβη.

Diribeo à διαφέρω.

Hebdomas ab ἑπτά.

Labor ab ἄπος.

Lambo à λάπτω.

Libs, ventus qui aliàs nuncupatur Africus, Græcis est λίψ.

Libya quasi λιπυία, *Egens pluvia*. Servius ad Æneid. I, XXVI.

Ob ab ὄπως deducit Scaliger. non malè tamen videtur deduci posse ab ὀπὶ, quod aliquando διὰ vel ὑπὸ significat.

Obliquus à πλάγιος.

Probum ex πρέπον.

Scabo à σκάπτω.

Sub ab ὑπό.

Tubi à τύπω, quòd cavi. Scaliger.

Vber, copiosus, ab ὑπέρος.

Vbi ab ὅπη.

Batillum quasi *Patulum*.

Publicus quasi *Populicus* à *Populus*.

P *mutatur in* C vel K.

Iones in interrogativis & Relativis mutant π in κ. ita κῶς dicunt pro πῶς, ὅκως pro ὅπως, κῇ pro πῇ, πόσος κόσος, ὁπόσος ὁκόσος, ποῖος κοῖος, ὁποῖος ὁκοῖος, πότε κότε, ὁπότε ὁκότε. Græcis quoque κύαμος vel πύαμος est *Faba*.

Iecur ab ἧπαρ.

Scintilla quasi *Spintilla*, à σπινθήρ.

Æoles quoque vti Κ pro Π testatur Etymologici auctor in Κοῖος.

P *mutatur in* D.

Tudo, vnde *Tundo*, est à τυπῶ.

P *mutatur in* F vel PH.

Bosphorus, Βόσπορος.

Faba à πύαμος pro κύαμος.

Falx à πέλεκυς.

Faunus fortasse est ab Æolico Πᾶνος pro Πάν.

Ferè à πέρ.

Fides ab Æolico πίθις pro πίστις.

Fido à πιθῶ.

Figo à πήγω.

Fluta à πλωτής.

Forare à πόρος.

Frio à πρίω.

Fungus à σπόγγος.

Gryphes, γρῦπες.

Offa ab Æolico ὄππα pro ὄμμα. Salm.

Phiala, φιάλη, à πιεῖν ἅλις.

Rhomphæa, ῥομφαία, à ῥέμβω.

Riphæi montes, Ῥίπαια ὄρη.

Sulphur quasi ὅλον πῦρ.

Trophæum, τρόπαιον.

Filum à *Pilus*. Isidorus, Originum XIX. XXIX.

Fulica à *Pullo colore*. item *Fuligo*.

Officina quasi *Opificina*.

Philistæi iidem qui *Palæstini*.

Solipuga & *Solifuga*. vide Salmasij Plinianas exercitat. pag. 100.

P *mutatur in* G.

Luctus, & *Lugere*, à Græco λυπεῖν. Festus.

P *mutatur in* L.

Palla fortasse à πέπλος.

P *mutatur in* M.

Æoles ματῶ dicunt pro πατῶ, μαθοῖσα pro παθοῖσα. Cypriis ἀβρεμύλις est ἀβλεπής, mutatis π in μ, & λ in ρ.

Clam à κλέπω. Fortasse enim priùs à *Clepo* vel κλέπτω dixerint *Cleptim*, vt *Furtim*, atque indè fuerit *Clam*.

Damnum à δαπάνη.

Scomma, σκῶμμα, à σκώπτω.

Somnus ab ὕπνος.

Summa, τὸ ὕπατον.

Vermis ab ἕρπω.

Decermina à *Decerpendo*.

P *mutatur in* N.

Lentus à λεπτός.

Persona à πρόσωπον. nonnihil interim firmat hanc etymologiam, quod etiam à Περσεφόνη est *Proserpina*.

P *mutatur in* Ψ vel PS.

Mutatio hæc accidit Fut. verborum primæ Baryt. vt τύπτω τύψω, &c.

Clepsydra, κλεψύδρα, à κλέπω (quod Atticè, inserto τ, est κλέπτω) & ὕδωρ.

Hapsus ab ἅπτω.

PH *mutatur in* P.

Æoles ἀπῆκαν dicunt pro ἀφῆκαν, & ἀπείλκυσεν pro ἀφείλκυσεν.

PH *mutatur in* PS.

Φαιδρὸν ψαιδρόν. Hesych.

Φθεὶρ ψείρ.

Ψυλλίον herba quasi φυλλίον.

P *mutatur in* Q.

Maximè tamen locum id habet in iis vocibus, in quibus iuxta Ionicæ atque Æolicæ dialecti proprietatem Π transiit in Κ.

Equus ab Æolico ἴκκος pro ἵππος.

Inquio, ab ἐνίπω, Æolicè ἐνίκω.

Linquo ab Æolico λείκω pro λείπω, vel à λείπω λιμπάνω.

Quà ab Ionico κῇ pro πῇ.

Quatuor à πέττορες κέττορες.

Quinque à πέντε, πέμπε, κέμπε.

Quis à τίς, κίς.

Quoties ab Ionico κότε pro πότε.

Quotus à κότος pro πότος.

Sequo ab ἕκω pro ἕπω, vnde *Sequester*, & *Insequo* pro ἐνέπω.

Sequor ab ἕκομαι pro ἕπομαι.

P *mutatur in* S.

Ita Græcis κόσσυφος est eadem Avis quæ aliàs dicitur κόψιχος, *Merula*.

Sternuo à πταρνύω.

PS *mutatur in* B S. vide Festum in *Abs*.

P S *mutatur in* S.

Ita Græcis idem sunt, ψίττα σίττα, ψιττακὸς σιττακός, ψάγδας σάγδας, κάψαι κάσαι.

Susurro à ψιθυρίζω.

P *mutatur in* T.

Blatta à βλάπτω.

Lista à λίπτω. indè *Sublestus* ὑπόλιπτος.

Studium à σπουδή.

Sturnus à ψάρος. vbi præter metathesin, etiam est ν insertum.

Tessera à πίσυρες.

Trans à πέραν.

Verto à τρέπω.

Tuta fortasse est à *Puta* (πόσθη) vnde *Tutinus* vel *Tutunus* Deus, qui & Priapus. Notum interim *Mutuni Tutuni sacellum* ex Festo. vide Cl. Salmasij Plinianas exercitat. pag. 310.

Carpentum à *Carrus* & *pompa*.

Catinus à *Capiendo*.

Catus à *Captando*.

Percote oppidum dicitur à *Percope* Meropis filia.

P *mutatur in* Vau.

Averrunco ab ἀπερύκω.

Clivus ab Æolico κλιτὺς pro κλιτύς.
Levis à λεῖος.
Vas à πάω.
Vitricus à πατρικὸς, quia privigno veluti pater est.
Vitulus à ἰταλός.
Vervex à *Verpa*.
Vilus à *Pilus*.
Volo volás à πετῶ.

PS *additur.*

Ἄμαθος ψάμαθος.

PS *mutatur in* M.

Ψίχαι, *mica*.

PT *mutatur in* SP.

Spuo à πτύω.

PT *mutatur in* SS.

Æoles pro ἐμπίπτειν dicebant ἐμπίσσειν. pro πίπτειν πίσσειν, pro quo Tarentini dicunt πίζειν. Iidem Æoles pro ὄπτω dicebant ὄσσω, pro πίπτω πίσσω.

Q vel QV *additur in initio*

Quiescendi verbum habet modum & originem Græcæ vocis ἧχον vel ἧκον Ionicè, à verbo ἧχω ἥκω. vide A. Gellium lib. VI, cap. XV.

Q *mutatur in* C.

Q in *C* abire nihil est mirandum, cùm doctissimorum hominum iudicio eadem sit litera. Ita *Aquipencer* & *Acipenser* idem sunt. *Cuius* & *Cui* sunt obliqui à *Quis*.
Cur à *Quare*.
Hircus ab *Hirquis*. vnde *Hirquitallire*.
Locutuleius à *Loquor*.
Percutio est à *Quatio*.
Seculum est à *Sequor*. vnde & *Secundus, secus, socius*.
Sublices à *Sub* & *Liquus*. vnde *Obliquus*.
Torcular à *Torquendo*.
Græci mutant *Q* in *K*. Ita pro *Quadrans*, quæ Romana vox est, Marci XII. habes κοδράντης.
Latinis quoque *Aquilo* dictus est ab ἀκυλός. nam ἀκυλὸς Hesychio exp. ὁ βοῤῥᾶς.
Calamus, κάλαμος, à Punico *qalam*. Caninius.
Canna, κάννα, à Punico *qane*. Caninius.

Q *mutatur in* L.

Ita Prisciano non tantùm *Coquina*, sed & *Culina*, derivantur à *Coquo*, cùm tamen à *colendo* dicta sit, quasi *colina*.

Q *mutatur in* M.

Tormina à *Torquendo*. Nonius. Attamen nulla hîc fit literarum mutatio, sed *tormen* est contractum ex *torquimen*.

Q *mutatur in* P.

Pitpit Oscè *quidquid*. Festus.

Q *mutatur in* V.

Torvus à *Torqueo*.

Q *mutatur in* X.

Elixus à *Liquore aqua*.
Pracox à *Pracoquo*.

R *additur.*

Ita Græcis ἄῤῥην est ab Ἄρης, θαῤῥὸς à θάω, τολμηρὸς à τολμάω, &c. Latinis *Æther* est ab αἴθω.
Antra ab ἄνθος vel ab ἄντρον.
Aplustra ab ἄφλαστα.
Averrunco ab ἀπορύκω.
Aura ab ἄω.
Barrus à βαρύς.
Boreas à βοῇ. A. Gellius, II. XXII.
Braxea à βάξις.
Calpar à καλπίς.
Calyptra à καλύπτω.
Celebro à κλείω.
Cestrum à κέντω pro κεντέω.
Cetra à κείδω.
Cholera à χολή.
Corbis à κόρφος.
Coriandrum à κορίαννον.
Curro à κύρω.
Cylindrus à κυλινδέω.
Extra ab ἔξωθεν.
Ferre à φέρειν. Varro sub finem Libri quinti de L. L.
Flagro à φλέγω.
Fratrias, quas Tribus vocamus, dixerunt ἀπὸ τοῦ φρέατος. magna enim erat societas inter eos qui vno puteo vtebantur. Servius ad Æneid. VII, CCCLXXXVI.
Garrio à γαρύω Dorico pro γηρύω.
Gonorrhœa à γονὴ & ῥέω.
Hilaris ab ἵλαος.
Hirrire ab ἀφαρίζειν.
Horreum ab ὁρᾶν vel ὤρειν, hoc est, ἀποθήκη. ὁρᾶν certè Græcis est *Videre, curare, defendere*; vt & Latinis *Tueri*. vnde οὖρος & Doricè ὦρος est φύλαξ.
Irrito ab ἐρίθω, vel ab *Irâ*.
Lepra à λέπω, vel λέπος vel λεπίς.
Mercor à מכר.
Mitra à μίτος.
Murex à μύαξ.
Norma à νόμος.
Nurus à νυός.
Ostreum ab ὄστρεον.
Phlegra regio est in quâ debellati Gigantes ignitis fulminibus perierunt. φλέγειν enim Græcè *Ignire* propriè dicitur. Lactantius in Statij Thebaïd. VI, CCCLVIII.
Phrasis à φράζω, quod ipsum tamen est ab illo φάζω quo Siculi quidam vsi sunt pro φάω. vel φημί.
Pirum ab ἄπιον.
Prorsum à πρόσω.
Putreo à πύθω.
Putredo, πυθεδών.
Rarus ab ἀραιός.
Sarrio à σαίρω.
Scorteus à σκύτινος.
Tartari corruptè nobis dicuntur, qui propriè *Tatari*, ab Hebræo TATAR, *Residuum*. Rationem denominationis tradit Postellus cap. XVIII. Libri de Originibus.

Terra ab ἔρα vel à *Terendo*.
Terreo à τείρω, vel τρέω. nisi fortè malis esse à ταράσσω.
Theatrum à θεάομαι.
Thyrsus à θύω.
Tolero à ταλάω.
Torreo à θέρω.
Verro à κορῶ vel σαίρω.
Vrruncus ab ἤρυγγος.
Antrorsum ab *Ante* & *versus*.
Calcitro à *Calcibus*.
Capreolus à *Capio*.
Castrare à *Castus*.
Clarus à *Calando*.
Cochlear à *Cochlea*.
Diurnus à *Dies*.
Diuturnus à *Diutinus, diu*.
Fragro ab antiquo *Frago* pro *Frango*.
Inebra aves ab *Inbibendo*.
Iter ab *Itu*.
Iubar à *Iuba*.
Laurus à *Lavo*. Martinius.
Liber à *Libet*.
Lumbricus à *Lumbis*.
Marceo à *Macies*.
Narro à *Narus* pro Gnarus; nam vt ait Varro V. de L. L. *Narro, cùm alterum narum facio*.
Probrum à *Prohibendo*.
Proprius à *Propè propiùs*.
Serranus, cognomen Attilij, à *Serendo*. Plinius XVIII, III: *Serentem invenerunt dati honores Serranum, indè cognomen*. Respexit eò Virgil. VI. Æneïd.
—— *Vel te sulco, Serrane, serentē.*
Spectrum à *Specto*.
Spurcus à *Spuo*.
Tergus est à *Tego*, juxta Varronem. nam veteres videntur dixisse *Tegus*.
Vitrum à *Video*.

R *abjicitur.*

Aries ab ἔριφος.
Artus ab ἄρθρον.
At ab ἀτάρ.
Calasis Græcis est καλάσιρις.
Cassis quasi *Carassis* à κάρα.
Centones Græcis sunt κέντρωνες.
Diribeo à διαῤῥίπτω.
Dumus à δρυμὸς, *Sylva querna*, & in genere *Arbusta quævis*.
Fimus à φύρμα, quod Hesychio exp. κόπρος.
Lampiam civitatem Arcadiæ, nivosis montibus constitutam, à candore pruinarum dictam nominis ipsius proprietas monstrat. λαμπρὸν enim Græcè *Splendidum* dicitur. Lactantius in Statij Thebaïd. IV, CCXC.
Lectus à λέκτρον.
Lutum à λύτρον.
Mica à μικρός.
Pedo à πέρδω.
Acerra ab *Arcendo*, quòd cadaveris graveolentiam arceat.
Arilator ab *Arra*.
Carina à *Currendo*. item *Crus*.

Culticula

Culticula à *Culter.*
Curules, quia *Curru vehebantur.*
Intestinus ab *Inter* & *Sto.*
Lacinia à *Lacerando.*
Mas à *Mars.*
Nefarium est, quod sacra polluit, *farre* pio solita celebrari. ergo Nefarij, sacrilegi. Asconius in Verrinam de Præturâ vrbanâ.
Ocrea ab *Ob* & *Crura.*

R *traijcitur.*

Ingentem numerum vocabulorum, non modò huius literæ, sed & aliarum literarum transpositione notabilium, congessimus ad calcem huius opusculi.

R *mutatur in* C.

Paucus à παῦρος.
Arcus ab *Arrigendo.*
Farcio à *Farre.*

R *mutatur in* D.

Caduceus à Tarentino καρύκειον pro κηρύκειον.
Gaudeo à γανειῶ.
Gaudium, γανέωμα.
Limpidus à λαμπρός.
Querquedula à *Querquerus.*

R *mutatur in* G.

Agna ab ἀρνή.
Seges à *Serendo.*

R *mutatur in* L.

Ita Græcis, Hesychio teste, λάκη sunt ῥάκη. vnde fluxit inusitatum *Laco*, ex quo *Lacero, lacino*, & *lacinia*. Latinum *Adulari* est ab οὐρά vel ab *Adorare.*
Aquila Caninio est ab Æolico ἀγύρ.
Aquilo ab ἀκριβὴς, qui Hesychio est ὁ βοῤῥᾶς.
Baculus à βάκτρον.
Balathrones à βάραθρον.
Calvus à καρεῖν.
Clibanus à Dorico κλίβανος pro κρίβανος. quod Eustathius dici vult quasi κενῶς βαῦνος.
Exoletus ab ἔξωρος.
Gurgulio à γαργαρεών.
Lautola Latine, quæ Græcè λυτρόν. nam *Balneum* Græcum est. Scaliger.
Lilium à λείριον.
Lima à ῥίνη.
Lis ab ἔρις.
Mille à μύρια.
Paulum à παῦρον.
Satelles à Syro סטר.
Sodalis à Poëtico ἑταῖρος.
Stella ab ἀστὴρ ἀστέρος.
Stellio est ab Æolico ἀστέῤῥιον vel τέῤῥιον pro ἀστερίον Salm.
Cancellus ex *Cancer*, *Libellus* ex *Liber*, *Nigellus* ex *Niger*, *Pulchellus* ex *Pulcher*, &c.
Capella ex *Capra.*
Castellum ex *Castrum*, *Rastellum* ex *Rastrum*, *Mostellum* ex *Monstrum*, &c.
Familia à *Femore.*
Flagellum à *Flagrum.*
Fratellus à *Frater.*
Hira deminutivè dicitur *Hilla*; Festus.
Indulgere contrarium est τῷ *Vrgere*. ea enim origo vocis. *Indulgere* nimirum pro *Inurgere* dixerunt, inserto *D*: vt *Indolescere* pro *Inolescere*, vnde & *Indoles* dicta est. deinde *L* pro *R* posito. Sunt enim in omnibus linguis eæ literæ facilè invicem permutabiles. *Vrgere* est severi ἐργοδιώκτου, qui pensum morosè exigit. *Indulgere* est eius, qui de summo iure aliquid remittit, vt ferè parentes liberis. Hæc habet Casaubonus ad Persij Satyram v.
Lemures quasi *Remures.*
Magalia à *Magar.*
Miles à *Merendo*. Olim etenim dicebant *Merites*, postea *Melites*, ac tandem *Milites.*
Palma, palmularij, pro *Parma, parmularij.*
Peculatus à *Pecore*; Festus.
Pellucidus, *perlucidus*, &c.
Rallus à *Rarus.*
Remeligines à *Remorando.*
Rubellio à *Ruber.*
Rullus à *Rure.*
Sacellum ex *Sacer* diminutum est. A. Gellius VI, XII.
Stilla à *Stiria*. Festus *in Stiricidium.*
Vespillones, qui præerant funeri, primùm *Vesperones* dicti à *Vesperâ*: quoniam Romani cadavera noctu efferebant ad funalia. Servius ad Æneïd. XI, CXLIII.

R *mutatur in* M.

Amomum videntur veteres vocasse omne genuinum sincerúmque ἄρωμα. vnde neque mirum cuiquam videri potest, si nomen indè putemus desumptum.
Autem ab αὐτάρ.

R *mutatur in* N.

Angina ab ἄγχειν. Scal. ad Festum in *Anginam.*
Donum à δῶρον.
Plenus à πλήρης.
Sinister ab ἀριστερὸς.
Teneo à τηρέω.

R *mutatur in* S.

Attici dicunt ἄρσην, θαρσαλέος, κόρση, ταρσὸς, pro ἄῤῥην, θαῤῥαλέος, κόῤῥη, ταῤῥός.
Arbusius ab *Arbor*. Obserua interim hic ex Festo, quòd *Arbosem* pro *Arbore* antiqui dicebant, & *Robosem* pro *Robore*. vnde *Robustus.*
Assus ab *Ardendo.*
Caseus fortasse est ab antiquo *Casies* pro *Caries*. ita καρυώδη vocat Theophrastus, quæ sunt vermiculata. Scal.
Fas à *Fari.*
Nasus à *Naris.*
Talassio à τάλαρος. vide Festum.
Testis à ἵστωρ.

R *mutatur in* ST.

Bastaga à βαρὺς.
Vstum, bustum ab *Vro.*

R *mutatur in* X.

Celox à *Celer.*

S *additur initio.*

Sæpissime nempe addunt Latini *S* principio vocabulorum à vocali inchoantium: & sicuti supra quàm plurimis docuimus exemplis eos Lenem spiritum Græcorum in Sibilum plerumque permutasse, ita & hoc in loco monendum eos Lenem quoque Græcorum spiritum frequenter in *S* commutare.
Sagitta ab ἀκὶς ἀκίδος.
Saltus à Dorico ἄλδος pro ἄλσος.
Sapimus ab ἀβεῖν.
Sapor ab ὀπὸς. vnde & *Sapa* & *Sapio*, quum ad gustum referuntur.
Segesta ab Αἰγέστα vide Festum in *Segesta.*
Sequo pro Dico est ab ἔπω. vnde apud veterem Poëtam *Inseque* est ἔννεπε. A. Gellius XVIII, IX.
Sermo ab εἱρμός· nam ab εἴρω vel ἔρω est priscum verbum *Sero* pro Dico; vnde remanserunt *Sermo*, *assero, dissero.*
Serum ab ὀρὸς. vtrumque nempe signat Aqueum illud quod in lacte est.
Servus ab Æolico ἔρυος. pro ἥρως.
Sesopia in Augurali & Saliari carmine appellantur quæ alias *Esopia*, pro Sedilibus. Festus.
Si ab εἰ.
Sica ab ἄκη.
Sicharbas Servio, *Sichaeus* Virgilio, *Acervas* Iustino dictus est Didonis maritus, qui Græcis Ἀχάρβας nuncupatur.
Sidus ab εἶδος, quia species vel effigies est rei stellis pluribus adumbratæ.
Sinè ab ἄνευ.
Sinister ab ἀριστερὸς.
Sino ab ἐάω ἐῶ.
Sirpare Latinis est πλέκειν, *plectere colligando implicare*, à *Sirpus*, quod non χοῖνον, sed πλέγμα significat. nam ῥίπες sunt πλέγματα. Æoles pro ῥῖπος dicebant ἴρπος vnde *Sirpus.*
Sorbeo ab Æolico ὀρφέω pro ῥοφέω.
Spatior à πατῶ pro περιπατῶ.
Sudus fortasse est ab ὕδος, quomodo nuncupatur *Calida* & *sicca cæli temperies.*
Sum à Dorico ἐμμί, pro εἰμί.
Frequenter adhæc σ additur initio vocabulorum à consonante inchoantium: plenioris enim soni gratiâ Σ principiis vocabulorum sæpenumerò addebant Græci, dicentes φῶ, φάζω, σφάζω· μῶ, σμῶ, σμήχω·

σμύχω· μίρδω, σμίρδω· μῦς, σμῦς· μυδρὸς. σμυδρὸς· quæ ex antiquis authoribus adducit Hesychius. Dicebant quoque σμικρὸς & σμύεγινα pro μικρὸς & μύεγινα.

Scala à κᾶλον.

Scalpo à γλάφω, γάλπω, σγάλφω.

Scarabaus à κάραβος.

Scrapta à χριμπτίζω.

Scribo à χάρω.

Scrinium à χώνιον.

Scrotum à σγωρυτὸν pro γωρυτόν.

Scrupedas Scaliger dictos monet *Ægrè incedentes*, à κρύπεδα quæ & κρύπεζα.

Scruta à χύτη. ita Græci dicunt Variam ac minutam mercem.

Sculpo à γλύφω, γύλφω, σγύλφω.

Smaragdus à μάραγδος.

Stella a τέλλω.

Strida à τρίζω. nisi vtrumque à sono.

Stropus à τρόπος. vide Salmasij Plinianas exercitat. pag. 371.

Scudicia nomen ex *Caudice* retinet, quòd circa caudicem terram aperiat. Isidorus Originum xx, xiv.

Sterna quasi *Trena*. vide Festum.

Stritare pro *Tritare* legit Scaliger apud Varronem.

Stritavum antiqui dicebant pro Tritavo; Festus.

S *additur in medio.*

Obstrudo vsurpauit Plautus pro *Obtrudo*; vide Festum.

Subscus à *subcudendo*.

ST *additur initio.*

Latini Veteres, ut docet Festus, dicebant *Stlata* quæ *Lata* erant. *Stlitem* quoque *Litem* dicebant, & *Stlocum Locum*.

S *additur in medio.*

Classis ἀπὸ τ͂ κάλων. Isidorus Originum xix, 1.

Discus à δίκω.

Ensis ab ἴνω vel ἐνδύω.

Esculus, olim *Æculus*, ab αἰγίλωψ.

Fasciculus à φάκελος.

Glisco à γλίχομαι.

Grossus à κρύος.

Hesperus quasi ἐω πέρας.

Lustra veteres Latini vocabãt quæ Græcis λύτρα. Varro tamen *Lustrum* vult dictum à *Luendo*; & propriè *Lustrum* quod pendebatur quinto quoque anno. Scal. in Catal.

Mensis à μήνη.

Musca à μυῖα.

Nassa quasi νᾶσις à νάω.

Pausa à παύομαι.

Pessum à πισεῖν.

Tussis à *Tussione* Isidoro. à δύσις Martinio.

Ast ab *At*.

Capsa à *Capiendo*.

Colossus à *Calete* artifice.

Dusinoso in loco apud Liuium significat Dumosum Locum. antiqui enim interserebant σ literam, & dicebant, *Cosmittere* pro Committere, *Casmenæ* pro Camenæ; Festus.

Fasti & *Nefasti dies* à *Fando*.

Faustus à *Faueo*.

Festuca à *Feru*.

Luscus à *Luce*.

Pæsnis pro *Pœnis* dicebant antiqui. Festus.

S *additur in fine.*

Græci addunt Σ Latinis nominibus propriis in *A* desinentibus: ut ὁ Κατιλίνας *Catilina*. ὁ Φιμβρίας, *Fimbria*. ὁ Σύλλας, *Sylla*.

Meus à Dorico μεῦ.

Napus ab Attico νάπυ.

Nos à νώ.

Vos à σφώ.

Trans à πέραν.

Potis à Dorico ποτὶ pro πρός.

Antes ab *Ante*.

Postes à *Post*.

S *abijcitur in initio.*

Capisterium, χαπιστήριον.

Casteria χαθήρια.

Culium à σκυλίον, vnde ὀλισκυλίον.

Cio pro Diuido, vt *erctum citum* est à σχίω pro σχίζω.

Cirrus à σκιῤῥός. vide Salmasium, Plinianarum exercitat. pag. 762.

Cutis à σκύτος.

Fallo à σφάλλω.

Fascis à σφάκελος.

Funda à σφενδόνη.

Fungus à σφόγγος.

Funis à χοῖνος.

Myrrha à σμύρνη.

Palpo ab Æolico σπαλαφῶ pro ψηλαφῶ.

Parum ab Æolico πάρος pro σπάνος.

Tego à στέγω.

Torus à στορέω.

Vespa à σφὴξ σφηκός.

Irpix à *Serpendo*.

Pumex à *Spuma*. nam *Spumex* prius dictus fuit: neque enim aliud est quàm spuma & fæx quædam lapidum liquefactorum, vt Scoria aliorum metallorum Scaliger in Ætnam.

S *abiicitur in medio*

Nonnulli è Doriensibus populis, quales sunt Argiui, Lacones, Pamphylij, Eretrienses, & Eropij, ἀντὶ τοῦ σ δασεῖαν χαράττουσιν ἐν τοῖς ἐπιφερομένοις φωνήεσιν, vt cum dicũt ποιῆαι pro ποιῆσαι, βοὰ pro βοσά, μοῖνα pro μουσικά.

Anas à νῆσσα.

Casno dicebant olim pro *Cano*. Credo ἀπὸ τοῦ χάσματος. itaque ab hac, vt videtur, origine veteribus *Casmen* & *Casmena* erant Carmen & Camenæ.

Catamitus à κατὰ & μισθός.

Cneus à γνήσιος, quod est *Generosus*.

Como à κοσμῶ. vnde & *Coma* & *Comis*.

Gloria antiquè *Glosia*, à γλῶσσα. Scal.

Ligo ligonis à λίστρος. Salm.

Nitor, à νίσσομαι.

Pisum à πίσος.

Pisana à πτισάνη.

Pulex à ψύλλος.

Puta à πόσθη, hoc est τὸ αἰδοῖον vnde & προπόσθιον dictum est *Preputium*.

Putus a πυτὸς, quod ἀπὸ τοῦ πτίσσειν vel πυθέσθαι, *Aurum explorare*. Theocritus, χρυσὸν πυθόμενοι ἀμοιβαί. ita Scaliger in Catalecta Virgilij.

Vado a Dorico βάσδω pro βάζω.

Aper ab *Asper*.

Camilla prius *Casmilla* dicebatur.

Pradium à *Prastando*.

Serius à *Se* & *Risus*, quasi dicas Sinè risu. Nonius.

Soror à *Seorsum*.

S *abjicitur in fine.*

A vocatiuis in σ desinentibus Æoles auferunt σ. vt pro Σώκρατες Σώκρατε, pro Ἀριστοφάνες Ἀριστόφανε & sic in cæteris. In genitiuis similiter auferunt hanc literam, vt cum dicunt Σωκράτε, Ἀριστοφάνε, Σοφοκλέε.

Vbi Græci Σωσίας, Latini maluere Sosia.

Homo ab ὁμῶς, est enim animal sociale, vt ait Iul. Scaliger cap. xxviii de Causis L.L. Rectius tamen derives ab ἅμα, *Simul*, quam ab ὁμῶς, Æquè.

Penula à φαινόλης.

S *mutatur in* C.

Barca quasi *Barsa* à βάρις. Caninius.

Con, *cùm*, à σύν. ita συμβύω est *Conniue*. συμφέρω, *Confero*, & c.

Porca à πρασιά.

Procsimus siue *Proximus*, est à *Propè propior*. nam ἀναλόγως indè esset *Propissimus* & *prossimus* κατὰ συγκοπήν.

S *mutatur in* CT

Præcipuè locum id habet in verbis in σσω Quartæ Barytonorum. vt μυκτὴρ à μύζω vel μύσσω, &c.

Cataphractus à καταφράσσω.

Cataracta à καταράσσω.

Character χαρακτὴρ, à χαράσσω.

Luctra à λύσις.

Tacticus à τάσσω.

S *mutatur in* D.

Dorienses dicunt ὀδμὴ pro ὀσμή, ἴδμεν pro ἴσμεν, κεκαδμένος pro κεκασμένος.

Audeo, ab αὔσω, τὸ τολμῶ. quemadmodum exponit Suidas in Αὔσοντες.

Crepido à κρηπὶς κρηπῖδος.

Medius à μέσος.

Stadium ἀπὸ τῆς στάσεως.

Acredula ab *Acris*.

Claudius olim *Clausus*. nam Appius Claudius Sabinus, qui sexto post

Reges

Reges exactos anno se Regillo Sabinorum oppido Romam contulit cum clientibus apud Sabinos Clausus dicebatur. Romam verò vt venit, *Claudus*, & pòst *Claudius*, dictus est; à quo gens Claudia descendit.
Fraudo à *fraus*.
Laudo à *laus*, &c.
Pecus, *pecudis*.

S mutatur in F.

Ficatum, συκωτὸν. Ital. *fegato*, *figadello*. Gall. *foye*.
Ficus, σῦκος. *Ficedula*, συκαλίδες.

S mutatur in G.

Tergo ab Æolico τέρσω pro τρίβω.
Vulgus à βλωσὶς τῷ μετάδοσιν.

S mutatur in H vel aspirationem.

Lacones, Argiui, Pamphylij & Eretrienses Σ eximere solent, atque aspirationem eius loco sufficere, ita μῶσα iis est μῶὰ μουσικὰ μωικά. πᾶσα πᾶά. βωσία βωιά. ποιῆσαι ποιῆαι. δ' σοὶ δ' οἱ, quæ est bacchantium acclamatio *Eu* vel *Euohe*.

S mutatur in L.

Hannibal ab Ἀννίβας.
Hasdrubal ab Ἀσδρούβας.

S mutatur in N.

Æoles pro εἰρηκὼς dicunt εἰρήκων, pro νενικηκὼς νενίκηκων.
Amazones dictæ sunt quasi ἅμα ζῶσαι, quòd simul viuant sine viris: vel quod vnam mammam exustam habent, quasi ἀνευ μαζῶ. Seruius ad Æneïd. I, CCCCXCIV, & ex eo Lactantius in Achilleïd. II, CLVI.
Hemina ab ἡμισυ. Festus.
Pinso à πίσσω.
Pesna olim, teste Festo, quæ postea *Penna*.

S mutatur in P

Pulpa à *Pulso*.

S mutatur in R.

Acer ab ἀκὶς. vnde & *Acerbus* & *Aceruus*.
Arator ab ἀρόσας.
Celer à κέλης
Coluber à κολούειν τὴν οὐρὰν.
Cruor à κρύος.
Erit, olim *Esit*, ab ἔσαι.
Ero, ἔσω, ex quo ἔσομαι.
Gloria, antiquè *Glosia* à γλῶσσα. Scaliger
Honorus ab ὦμος.
Inter ab ἐντὸς.
Labor ab ἆσος.
Magister à μέγιστος.
Miser à μῦσος.
Moretum à μύσωτος.
Olo ab ὄσδω.
Pavor à φόβος.
Por veteribus, qui postea *Puer*, à Laconico πὸρ pro παῖς vel παῖς. indè *Quintipor*, *Marcipor*, *Gneipor*, apud Festum.
Procerus à προσχὸς vnde & *Proceres*.
Torreo à τέρσω.
Turris ab Attico τύῤῥις pro τύρσις.
Vapor à κάπος.
Acus aceris, *Pecus pecoris*; *pignus pignoris*, &c.
Æs æris. vnde *Æra* & *Ærumna*.
Alburnum ab *Albus*.
Asa, *asena*, *casmen*, *fesia*, *lases*, dicebant antiqui pro *Ara*, *arena*, *carmen*, *feria*, *Lares*.
Asser olim *Assis*.
Auselij, *Fusij*, *Papisij*, *Valesij* priùs dicti, qui postea *Aurelij*, *Furij*, *Papirij*, *Valerij*.
Cesna olim, quæ deinde *Cerna*, ac tandem *Cena*. a *Cerna* interim remansit *Silicernium*, hoc est, Conuiuium funebre.
Helesa priùs, postea *Helera*; Festus.
Humor ab *Humus*.
Lucar à *Lucus*.
Marci nomen quibusdam videtur esse à *Marrâ* instrumento rustico; sed omnino à *Mas* priùs fuit *Mascus*, unde *Marcus*, a quo *Marcellus*.
Pignosa, *pignora*. Festus.
Plusima, *plurima*. Festus.
Satur à *Satis*.

S mutatur in T

Æoles pro σὺ dicunt τὺ, & pro σὶ τὶ.
Lacones pro ἐπιούσιος dicunt ἐπιούτιος, pro πλοῦσιος πλούτιος, pro πλησίος πλατίος.
Attici frequenter vertunt Σ in T. ita γλῶσσα iis est γλῶττα, τέσσαρα τέτταρα, σήμερον τήμερον, φυλάσσω φυλάττω, &c.
Botulus à βόσις.
Fides ab Æolico πίττις pro πίστις.
Myrtus à μυρσίνη.
Nitor à νίσσομαι.
Pastino, *repastino*, à πάσσω.
Prata à πρασιαί, quomodo Horti olim vocati.
Quot ex Ionico κόσοι.
Saltus ab ἄλσος.
Titanes dicti sunt ἀπὸ τῆς τίσεως, ab *vltione*. Ferunt enim fabulæ Titanas ab iratâ contra Deos terrâ ad eius vltionem creatos. Seruius ad Æneïd. VI. DLXXX.
Tityrus à Tarentino τίτυρος pro σίτυρος, quo κριὸν significari monuit interpres Theocritis.
Tot à τόσα.
Tristis à τρίστος.
Tu à Dorico τὺ pro σύ.
Turpis à σαπρὸς.
Tuus à Dorico τεὸς pro σός.
Viginti à Dorico ϝίκατι pro εἴκοσι.
Vi ab ἴς.
Hæc mutatio frequens est apud Latinos in plerisque nominibus Tertiæ decl. in Σ desinentibus; vt *Ars artis*, *Mars Martis*, *pars partis*; *sors sortis*; *Samnis Samnitis* &c.
Aconitum ab *Aconis vico* iuxta Theophrastum. *Adgretus* & *egretus* pro *adgressus* & *egressus* dici monet Festus.
Astula pro *Assula* occurrit in vett. libris.
Exfuti exfusi; Festus.
Mertat pro *Mersat*; Festus.
Pultare pro *Pulsare*.
Terta pro *Tersa*. Nonius.

S mutatur in Vau.

Verro à σαίρω.

S mutatur in X.

Æoles pro ψάφος dicunt ψάφαξ.
Ξὺν pro σὺν dicebant veteres Attici. item ξύμμαχος, ξυγγραφὰς. ξυνθήκη, &c.
Dorienses Σ mutant in Ξ in Fut. & Aor. priore Quartæ baryt. κλείω κλείσω κλαξῶ. καθίζω καθίξω ἐκάθιξα. ἁρπάξω. ita quoque κλεὶς iis erat κλαξ, & pro ὄρνις ὄρνιθος dicebant ὄρνιξ ὄρνιχος. ψᾶρος Æolibus est ψάραξ, & δίφρος δίφραξ.
Latinis *Aiax* est Αἴας.
Baxea à βάξις pro βάσις.
Callixtus pro *Callistus* à κάλλιστος.
Duplex, διπλοῦς.
Filix quasi *pilix* à πιλεῖς, vel à πτερίς. nam veteres scribebant quoque *Felix* & *Felicata opera*.
Pistrix, πρίστις.
Pulex à ψύλλος.
Spinturnix, σπινθαρίς.
Vlex ab ὗλος.
Pulvis antiquis etiam *Pulvix* dicebatur.

SS mutatur in Z.

Æoles pro ἐκπλήσσω dicunt ἐκπλάζω. Sappho, τὸν δ' ἐκπλάζοντ' ἄνεμοι φέροιεν.

SS mutatur in X.

Iones δίξος dicunt pro δισσὸς, & τριξὸς pro τρισσὸς. Invenias quoque *Vlyxes* pro *Vlysses*.
Malaxo à μαλάσσω.
Maxilla à μασσάομαι. Scal. cap. XXVIII de Causis L. L.
Paxillus à πάσσαλος.
Pix à πίσσα.

S T mutatur in S.

Segestre à στέγαστρον. Vide mox *T* in medio abjectum.

T additur initio.

Taceo ab ἀκέων vel ἀκὴν, *Tacitè*, quod derivant ex α & χάσκω.
Tædeo ab ἀηδέω,
Tephria ab ἄφη.
Terebinthus ab ἐρέβινθος.
Terra ab ἔρα.
Turgeo ab ὀργῶ.
Tyberis siue *Tybris*, vel *Vrgeo* priùs *Tbris* vocabatur ἀπὸ τῆς ὕβρεως. vide Servium ad Æneid. III, D. itē ad Æneid. VIII, CCCXXVIII.
Teter ab *Ater*.

F T *additur*

T *additur in medio.*

Cyprij & vetustiores Attici τ interjiciunt Nominibus & verbis; dicunt enim πτόλις, πτόλεμ☉, πτόρϑ☉, αὐύτω, ϕύτω, κλίπτω, κίπτω, κύπτω, τύπτω, pro πόλις, πόλεμος, πόρϑ☉, αὔω, ϕύω, κλίπω, κίπω, κύπω, τύπω.

Attubus, ab ἄτυπ☉. Scal. Auson. lect. I I, IX.

Catus, callidus, doctus, ardens, παρὰ τὸ καίειν, unde & *Cato* dictus; ingeniorum etenim igneus vigor esse videtur. Donatus in Andriam, V, I I.

Chartam nonnulli deduxerunt ab isthoc χαίρειν, quod præmittitur epistolis.

Coctum à κυκεών. Casaub. ad Theophrast Charact.

Christa à κέρας.

Flecto a ϕλίγω. vstulata etenim curuantur. Sal. Sed videtur potiùs factum ex πλέκω, vnde *flecito flecto*.

Frutex à βρύω.

Gutta à χέω.

Hortor ab ὄρω.

Historia ab ἵςωρ ab ἴσημι.

Pecto à πέκω.

Pestis à πεσεῖν.

Plecto à πλέκω.

Protelare à πρὸ & ἑλεῖν dictum est, quod est *Ante* & *Trahere*. Donatus in Phorm. I, III.

Tittex à τίταξ.

Actio, *actor*, ab *ago*.

Cautes à *cavus* vel à *cauendo*.

Consuetudo à *consueo* pro *consuesco*.

Cortina à *Corium*. Seruius.

Doctus à *doceo*.

Dubito à *dubium*.

Fautor à *faueo*.

Fautor & *confestim* à *ferendo*.

Iustus à *fusus*.

Habitus ab *habeo*.

Identidem pro *idem*.

Linteum à *linum*.

Multus à *moles*.

Opto ab *ope*.

Planta pedis à *planus*.

Propter, hoc est, Iuxta, à *propè*.

Simultas à *simulo*.

Tutor à *tueor*.

Vastus à *vase*.

Vitica ab *vrendo*.

T *additur in fine.*

Fremit, βρέμει.

Tremit, τρέμει.

T *abjicitur initio.*

Ritus à τρίβ☉.

Rodo à τρώγω.

Atavum Festus dici vult, quia est aui *Tata*, hoc est, *Pater*, vt pueri vsurpare solent.

Vulcanus à *Tubal-cain*.

Huc etiam pertinet, quòd Hebræorum צ, quòd valet *TS* vel *TZ*, pronunciarunt veteres abjecto *T*. nam à צור, tum est τύρ☉, tum *Sarra*; siquidem eadem est *Sarra* ac *Tyrus*; vnde Poëtis idē sunt *Sarranum ostrum* & *Tyrius murex*. Sed & qui Arabicè صفي *Tzophi*, nobis sunt *Sophi*. Ea vox, vt scribit Ios. Scaliger, significat puræ religionis hominem & in melius reformatum, cuiusmodi suam esse religionem Persæ contendunt, eóque nomine perpetuæ iis cum reliquis Mahumedanis inimicitiæ, haut secus ac Samaritis cum Iudæis.

T *abjicitur in medio.*

Bitumen à πίττωμα.

Cado à κλίνω.

Campus à κάμπτω. vnde Syracusanum καμπός.

Charta à χαράττω.

Citeria, κίττα & ἱερὸν. quod imaguncula talis loquacior sit picâ.

Clepo à κλέπτω.

Crupellarius à κρύπτω.

Cubo a κύπτω. item *Cubus*.

Diribeo à διαῤῥιπτέω.

Filix, & antea *Pilix*, à πτίλις Salm.

Fratilli à ϕράττω.

Lambo à λάπτω.

Lyra à λύτρον. notissima est fabula quæ huic Etymologiæ ansam præbuit.

Nidus à νοττὸς.

Penna ex Æolico πτεννὸς pro πετεινὸς.

Perna à πτέρνα.

Pilus à πτίλον.

Piso, vnde *Pinso*, est à πτίσσω. indè & *Pissum*. sic etiam πιςὴρ, ὁ λιπὸς, amittit *T*, à πτίσσειν. à quo πιςικὴ νάρδ☉ in Euangelio est Nardus expressa & contusa in liquorem & vnguentum; quod spicatum dicebatur, si ex spicâ exprimeretur, foliatum, si ex foliis. Scaliger.

Remus ab ἐρετμὸς.

Scapula à σκάπτειν.

Scopa à σκάπτω.

Scopus à σκέπτομαι.

Segestre à στέγαστρον. vide Casaubonum in Suetonij Octauium, cap. LXXXIII.

Signum à στιγμὴ.

Stica à στιχὴ.

Supinus ab ὕπτι☉.

Vrsus ab ἄρκτ☉.

Arcum ab *Arctus*.

Macellum à *Mactandis pecoribus* dictum. Donatus ad Eun. II, II. vbi tamen ex Varrone idem Donatus verisimilem aliam præmiserat Etymologiam.

Torus quasi *Tortus*. nam vt vir illustris ad Varronem monet, propriè eo significatur Funis ex loris tortus, quomodo Cato vsurpat. Hinc Lectus dicitur *Torus*, quòd *toris* tendatur. vide quoque Seruium ad Æneid. I, DCCXI.

Veru à *vrto*.

T *mutatur in* B.

Balbus fortasse à βάττ☉, vel βαμβαίνω.

Libra à λίτρα.

Terebra à τέρετρον.

Tribus à τριττύς. vnde & *Tribuo*.

Verber à ϑερτύρ. Æolicè βερτύρ.

Cælibem quasi *Cælitem* dicuntur Romani. Donatus in Adelph. I, I.

T *mutatur in* C.

Dorienses id faciunt in aliquot Adverbiis: ita pro ὅτε dicunt ὅκα, pro πότε πόκα, pro ἄλλοτε ἄλλοκα, pro τότε τόκα.

Anclare, haurire, à Græco ἀντλεῖν descendit Festus.

Lascivus à λάσϑη.

Piracula ἀπὸ τῆ πειρατῶν. Seruius ad Æneid. VII. DCLXVIII.

Proceres à πρότεροι.

Fæcundus à *Fætus*.

Hirbus quasi *Hirtus*.

Mulciber quasi *Multiber* à *Multando*. Donatus in Adelph. I, II.

Nasturcium quasi *Nasitorcium*.

T *mutatur in* D.

Ædes ab αἴϑ☉.

Andabata, ἀνταβάται.

Brundusium, Βρεντήσιον.

Cado à κάτω.

Caliendrum à καλλιύτρον.

Cidaris à κίταρις.

Cudo, à כתת, *Tundere*.

Dama, quasi *Tamma*, à Siculo, καμμὰς pro καμμάς.

Endo ab ἐντὸ.

Fides ab Æolico πίττις pro πίςις.

Nidus à νοττός.

Pando à πετάω, vel à ϕαντὸς à ϕαίνω.

Sodalis à Poëtico ἑταῖρ☉.

Tudo à τύπτω.

Turunda factum ex τυρὸ ἔντα τυρῶντα, ac propriè quidē Caseati siue Libi genus denotat, postea tamen accipi cœpit vox pro Massâ qualibet vel Globo cuiuscunque materiæ. Salm.

Vado à βατῶ pro πατῶ.

Vadum à βατὸν.

Fides nomen ipsum mihi videtur habere, quum fit quod dicitur. Cicero IV de Rep. apud Nonium.

Lodix lodicis à *lotus*.

Mendax à *mentior*.

Prædium à *præstando*.

Pudor ab antiquo *putus*, hoc est, *purus*.

Quadra, *quadrans*, &c. à *quatuor*.

Spondeo à *sponte*. Varro, V. de L.L.

T *mutatur in* G.

Ἰσγὸν ἴχνον. Hesychius.

Purgo à ῥύπτω.

Ruga à ῥυτὶς.

Vergo à *verto*.

T *mutatur in* I.

Apio antiquum pro *adligo*, ab ἅπτω.

Cambio à κάμπτω.

Capio à κάπτω, quod Etymologo exp. χωρῶ, prout nempe locus dicitur aliquid capere.

Farcio à Poëtico φαρκὶς pro φερκίς.

Eximius quasi *exemtus*.

T *mutatur in* L.

Thelis antiquioribus Romanis, Varrone teste, dicebatur quæ Græcis θέτις.

Volo volas à πετῶ.

Exemplum quasi *exemptum*.

T *mutatur in* N.

Naniam extremam cantionis vocem ab eo appellarunt, quòd chordarum vltimas Græci νήτας dicunt; Festus.

Pinus à πίτυς.

Fœnum, & *fœnus*, à *fœtu*; Festus.

T *mutatur in* P.

Æoles pro στολιὼ, dicunt σπολιὼ, vnde *spolium*: σπολὶς σπελλὶς, τέλεστλα πίτεστλα.

Dores pro στάδιον dicunt σπάδιον.

Τέσσαρες Comm. Τέσσερες Ion. Τέτορες Dor. Πίσυρες Poët. Πέσυρες vel πέτορες Æolicè. vnde *Petoritum*. vide Festum.

Æoles quoque pro γήτειον dicunt γήπειον, vnde *Cepe*. & pro κλιτὸς κλιπὸς. pro θύτης φύπης, vnde *Popa*.

Cretenses στάδιον dicunt σπάδιον, vnde *Spatium*.

Corpus à χρὼς χρωτός.

Dapes à δαὶς δαιτός.

Pauo ab Æolico ταῶς pro ταώς.

Pipire à πιπίζειν.

Spica ab Æolico σπαχὺς pro σταχύς.

Arriano Πίχος dicitur qui aliis Τίχος. vide Salmasium Plinianarum exercitat. paginâ DCXCIV.

Hospes est ab *Hostis* hoc est, Peregrinus. Ita quoque ξένος non modò Græcis dicitur *Hostes Peregrinus*, verùm etiam ξένων appellatione designantur iis οἱ μισθοφόροι, *Exteri mercede militantes*, *mercede conducti*. Festus. vt & Seruius ad Æneid. IV, CCCXXIV.

T *mutatur in* Q.

Quatuor à τέτορες.

Que à τε.

Quis à τίς. Omnino tamen hîc recurre ad ea quæ supra annotauimus in mutatione τῶ *P* in *Q*.

T *mutatur in* R.

Careo à χατέω.

Ciborium à κιβώτιον.

Maturus à *matuta*.

Parricida quasi *patricida*.

Verro à *verto*.

T *mutatur in* S.

Nausea à ναυτία.

Ossa ab ὀστᾶ.

Resina à ῥητίνη.

Rhapsodia à ῥάπτειν τὰς ᾠδάς.

Seruo à τηρῶ.

Vrsus ab ἄρκτος, extrito κ, & mutato *T* in *S*.

Censi more veterum dicebantur, qui *centum* millia professione detulissent. hujusmodi adeò facultates Census vocabantur. Asconius in Verrinam de Præturâ vrbanâ.

Colossus dictus est à *Coleto* artifice; Festus.

Procapis à *caput*.

Russeus color à *rutilus*.

Sonus à *tonus*.

Tensus pro *tentus*.

Versuti, quorum mentes crebrò ad malitiam *vertuntur*. Festus.

Visula à *vitis*.

T *mutatur in* TH.

Thensa sunt vehicula sacra, quæ alii à diuinitate dici putant: alii, quòd ante ipsas lora *tenduntur*, quæ gaudent manu tenere & tangere qui eas deducunt. Asconius in Verrinam de Præturâ vrbanâ.

T *mutatur in* Vau.

Curuus à κυρτός. quod incuruata contrahantur.

Vello à τίλλω.

Verto à τρέπω.

Lauerna in viâ Salariâ lucum habet. est autem Dea furum, ac simulachrum eius fures colunt, & qui consilia sua volunt tacita; nam preces eius cum silentio exercentur. sic dicta fortasse à *latendo*; nam Fures olim *Laterniones* & *Lauerniones* dicebantur. Vetus commentator in Horatij librum primum, epist. XVI.

T *mutatur in* X.

Mutatio hæc frequens est Quartæ coniugat. barytonorum in πτω vel σσω.

Apoplexia ab ἀποπλήττω.

Saxum à σάττω.

Laxus à *latus*.

Medioxumus à *mediotumus*.

T H *additur*.

A τεῖχος & τίτεχνα pleonasmo τῶ θ, fit τειχθὰ & τιτεχθά.

Πλήθω & πλῆθος à πλέος.

T H *abjicitur*.

Dores ἐσλὸν pro ἐσθλὸν, vt Pindarus.

Minuo à μινύθω.

Pereo à φθείρω.

Suem non modò θῦν sed & ὗν dixere ἀπὸ τῦ θύειν. atque hanc quidem originem non modò Athenæus & Clemens Alexandrinus afferunt, sed & Varro confirmat quum scribit immolandi pecoris initium cœpisse à suillo. vide quæ hac de re obseruauit doctissimus Sept. Florens Christianus in Aristophanis εἰρήνην.

T H *mutatur in* B.

Alibi ab ἀλλόθι. Caninius.

Liber fortasse est ab ἐλεύθερος.

Plebs olim *Plebes* à πλῆθος.

Ruber ab ἐρυθρός.

Ruber ab Æolico ἔρυθερ pro ἐρυθρός.

Vber ab οὖθαρ, Æolicè οὖφαρ. nam Æoles mutabant θ in φ, at Latini hoc ipsum φ permutabant in *B*. vide Salmasij epistolam super Herode infanticidâ, pag. CCXVI.

T H *mutatur in* C.

Cœna à θοίνη.

Lasciuus à λάσθη, vel à λάσθω.

Placeo fortasse à πλήθω. quòd ea quæ nobis grata sunt, abundè expleant animum. Pari prorsus ratione Teutonicum *genoegen*, *satisfacere*, *placere*, est a *genoeg*, *Satis*. vnde quoque *genoegte* est *Iucunditas*, *voluptas*, &c

T H *mutatur in* C H.

Siculi & Tarentini ὄρνιχες dixere ὄρνιθες. Similiter etiã quæ Afris *Carthada*, quod *Nouam ciuitatem* significat, ea Siculis Καρχαδὼ, atque aliis Græcis Καρχηδών. Latini fideliùs *TH* seruant, dicentes *Carthago*.

T H *mutatur in* D.

Ador ab ἀθήρ.

Deus à θεός.

Dumus à θάμνος.

Fido à πιθῶ.

Fundum à βένθος.

Gaudeo à Dorico γαθέω pro γηθέω.

Inde ab ἔνθεν.

Merda à μίνθα.

Ordo ab ὀρθός.

Pardus à πάρθος.

Perdo à πέρθω.

T H *mutatur in* F.

Affinitatem literarum φ & θ attingit. Athenæus lib. XI, cap. XIV, Θλάται, φλάται. Æoles.

Æoles & eorum exemplo Attici sæpè mutant Θ in Φ, quod ipsum quoque Latini factitasse videntur, quum iis

Fello, quod Nonius interpretatur Sugo, desumitur ex Æolico φηλᾶν pro θηλᾶν.

Fera ab Æolico φὴρ pro θήρ.

Feruco à φέρω pro θέρω.

Fiber à φιβρὸς pro θιβρός.

Fio vnde *Suffio*, & *suffitus*, à φυῶ pro θυῶ.

Fligo vnde *Affligo*, à φλίγω pro θλίβω.

Follis à φύλλις pro θύλλις.

Foris à θύρα.

Foras à θύραζε.

Formus, hoc est, Calidus, à φερμὸς pro θερμός.

Fumo à φυμιῶ pro θυμιῶ.

A θύω, *Fio* θύμα, *Fumus*. vt Galeno θυμαλέα θυμιάματα.

Furia & *Furoris* etyma ab Æolico

 Græco

Græco, vnde omnia ferè Romana vocabula descendunt. nam θορῶ idem est quod *Irruo cum impetu*. θῶρος, *impetus violentus & furiosus*. θῶρος Ἄρης, *Furiosus Mars*, qui & absolutè quandoque dicitur Θῶρος. Æoles porrò pro θορῶ dicebant φορῶ. vnde *Furo* Latinorum. similiter quoque pro θῶρος dicebant φῶρος, vnde *Furos* & *Furor* pro θορία denique dicebant & φορία, ex quo Romani sumserunt suum *Furia*. vide CL. Salmasij epistolam super Herode infanticidâ, p. CCXXVI.

Popa est ab Æolico φύτης pro θύτης.

TH *mutatur in* G.

Cergo apud antiquos pro Aduerbio, quod est Profectò, ponebatur; Festus. Ios. Scaliger putat esse à κηρόθι, ex animo, cordicitùs.

TH *mutatur in* L.

Lorica à θώρηκα factum putatur, sed perperam, cùm sit à *loro*. Olim enim è *loris* fiebant *loricæ*.

TH *mutatur in* P.

Palpo à θάλπω.

Pio à θύω.

TH *mutatur in* Q

Quatuor quidam putauerunt esse ex θάτερα Attico pro τὰ ἕτερα. Similem ferè originationem habet Iul. Scaliger cap. XXVIII. de Caussis L. L. Sed rectiùs deducitur ab Æolico πίτορα, vt alibi indicauimus.

TH *mutatur in* S

Græci veteres videntur olim Θ ore blæso extulisse atque in tantum eliquâsse, vt potiùs sonaret Σ quàm Θ. vnde quoque Æolibus, qui receptæ pronunciationi scribentes insistebant, Πάρσοι, dicti sunt, qui aliis Πάρθοι item Πέρσαι. Σῖναι quoque & Θῖναι iisdem sunt, quos *Chinas* hodie pronunciant. vide Salmasium de Hellenisticâ, pag. CCCLXVII.

Iones pro βυθὸς dicunt βυσσός.

Lacones Σιὸς dicebant pro Θεός. item Ἀσάνα pro Ἀθάνα. σίγω pro θίγω. κισιὸς pro κιθιός. ἀγασὸς pro ἀγαθός.

Capis à καπίθη.

Erysipelas, ἐρυσίπελας ab ἐρύθω vel ἐρυθρὸς & πέλας.

Seruus ab Æolico σέρϝος pro θέραψ. Salmasius de vsuris, pag. CCLVI.

Sus à θῦς.

Subare à θυᾶν.

Susurro à ψιθυρίζω.

TH *mutatur in* ST.

Æstus ab αἴθω.

TH *mutatur in* T.

Æoles pro καθίκω dicunt κατίκω.

Bibliander censet Græcum τηρεῖν desumtum à Syriaco THAR, *obseruare*, quemadmodum & Græcum τείβειν deriuatum putat à Syriaco THEBAR, *Terere, frangere, scalpere*.

Ante ab ἄνθος.

Artus ab ἄρθρον.

Ater ab αἴθω.

Atrium ab αἴθειν. Scal.

Bootes à βοῦς & θέω.

Botulus à βόθαλον. quod Hesychio est βύσμα. Salm.

Calantia pro καλὸν ἄνθος.

Catena quasi καθ' ἕνα, vel à κάθεμα.

Cetra à κάθω.

Extra ab ἔξωθεν.

Fistula à φύσηθλα.

Irrito ab ἐρέθω.

Lateo à λήθω, Doricè λάθω.

Letum à λήθη.

Maltas veteres *Molles* appellari voluerunt, quasi μαλθακούς. Nonius.

Menta à μίνθη.

Metus à μόθος.

Opturare à θύρα. Festus.

Opisthographum ab ὄπισθε & γραφή.

Opto à ποθῶ κατὰ μετάθεσιν.

Pati à παθεῖν.

Peto à ποθῶ.

Post ab ὄπισθε.

Præputium à περιπόσθιον.

Puta à πύθω.

Puteo à πύθω.

Puteus, quòd Æoles dicebant τὸ πύθεον καὶ πόλεμον. Varro IV de L. L.

Putus à πάθω.

Retrix à ῥεῖθρον.

Reto à ῥοθῶ.

Rutilus ab ἐρυθρός.

Satyrus à σάθη *Penis*.

Spatalium à σπαθάλιον.

Tago vnde *Tango* à θίγω.

Talea à θάλλα.

Talla à θαλλός.

Tangere, & in comp. *Tingere* à θιγεῖν. Varro sub finem libri quinti de L. L.

Tapes quasi θάλπης.

Temere ab ἀθεμερῶς.

Testis, sicuti ad Phallica scribit Scaliger est à θέσαρ, quomodo veteribus Græcis dicebatur ὁ μάρτυς. nempe à θίξ, quia dicebant μάρτυρες θὶξ & ἀποθίξ.

Titio fortassè à θύω.

Tomex & *Tomix* à θώμιγξ.

Torreo à θέρω.

Tueor, intueor, à θεῶ vel θεωρῶ.

Tumor à θυμός, *Tumeo* à θυμοῦμαι. Plautus; *Vxor tumet*, θυμοῦται.

Turba à θόρυβος.

Tusci quasi θυσκόοι. Festus.

Vestis ab ἐσθής.

Vtor ab ἔθω.

TT *mutatur in* CT.

Mattea à ματτύη. vide Casaub. in Tranquilli Caligulam, cap. XXXVIII.

Hecta pro *Hetta*.

V vocale plerumque exprimit Υ *Græcorum.*

Arrugia, ab ὀρυχή.

Auerrunco, ἀπερύκω.

Aula, αὐλή.

Austerus, αὐστηρός.

Bardus, sardus à Poëtico βαρδὺς pro βραδύς.

Bitumen à πίτυς.

Botrus, βότρυς.

Brutus ἀπὸ τοῦ βαρύτητος.

Buxus, πύξος.

Caduceus à κηρύκειον.

Cliuus ab Æolico κλιτύς.

Clunis à κλύζω.

Cubus, κύβος.

Cuma, Κύμαι.

Cuminum, κύμινον.

Cupressus, κυπάρισσος.

Curuus, κυρτός.

Cutis à κύτος.

Dumus à δρυμός.

Duo, δύο.

Fruges à φρύγω. Priscianus.

Frutex à βρύω.

Fucus, φῦκος.

Fuga, φυγή.

Furca ab ὄρχις.

Futuo à φυτεύω.

Genu, γόνυ.

Guberno à κυβερνῶ.

Lucubro à λύχνη.

Ludi & *Ludij* ἀπὸ τῶν Λυδῶν.

Luo à λύω.

Lupus, λύκος.

Mimo, μινύθω.

Mugio, μυκάω.

Munio ab ἀμύνω.

Murmuro à μορμύρω.

Mus, μῦς.

Mutilus, μύτιλος.

Mutus à μύδος.

Nunc, νῦν vel νῦνγε.

Nurus, νυός.

Pus à πύος.

Puteo, πύθω.

Romulus, Ῥώμυλος.

Ruga à ῥυτίς.

Rumor à ῥύω.

Runcina à ῥυγκάνη.

Ruo, ἐρύω.

Ruta, ῥύτη.

Scruta à γρύτη.

Scutum à σκύτος.

Spelunca, σπῆλυγξ σπήλυγγος.

Spuo, πτύω.

Suggillo à συγκιλῶ.

Supinus, ὕπτιος.

Sus, ὗς.

Tribus à τριττύς. vnde & *Tribuni*.

Trua à τορύνη.

Truncus à τρύχω.

Trutina à τρυτάνη.

Tumba, à τύμβος.

Turba à τύρβη.

Turris à τύρσις.

Vdus ex Æolico ὕδος pro ὗδος.

Vnda ab ὕδωρ.

Vrceus ab ὕρχη.

V *additur*.

V *additur.*

Æoles pro ναὸς dicunt ναῦος, pro ἀτὰρ αὐτὰρ, pro δαλὸν δαυλόν.

Æsculapius ab Ἀσκληπιός.

Alcumena Plauto, ab Ἀλκμήνη.

Alumen ab ἅλμη. quòd sit Salsugo terræ.

Andruare ab ἀναδρᾶν.

Arguo ab ἀργός.

Caupo à κάπηλος.

Fatuus à φάτης. vnde & *vates*. Constat sanè *Fatuos* primùm vocatos fuisse *vates*, postea tamen vocabulum ad Væsanos translatum: prorsus vt Plato in Phædro μαντικὴν suam putat dictam, quasi μανικήν. Scaliger.

Fibula est ex φίβλη, illud autem ex ἐπιβολὴ pro ἐπιβολή.

Fraus à φράζω.

Fulgeo à φλέγω.

Haurio ab ἀρύω. Caninius.

Hercules ab Ἡρακλῆς.

Langueo à λαγάζω. *Pigror, otior, tricor*, vt solent languescentes.

Lituus à λιτός. Nisi fortè malis deducere à λίγδω. A. Gellius, V, VIII.

Statuo à στατός.

Plaudo à πλάδος.

Plautus à πλατύς.

Pulegium à βλήχων.

Strebula à στρεβλός.

Strenuus à στρηνής.

Tenuis à τείνω.

Tueor, Intueor. à θεῶ vel θεωρῶ.

Alius olim *Alis.*

Ampulla quasi *Ampla.*

Cernuus à *cerno.*

Consualia à *Conso*, Deo consiliorum.

Contiguus à *contingo.*

Continuus à *contineo.*

Genuini à *genendo* siue *gignendo.*

Inguen ab *ingeno.*

Lingua à *lingo.*

Vacuus à *vaco.*

V *abijcitur.*

Dores ταῦν dicunt ταν.

Græci pro *Proculo* Πρόκλον, pro *Catulo* Κάτλον, dicunt.

Barbiton à βαρὺ μίτον.

Nero appellatus est ex Claudiis, quos à Sabinis oriundos accepimus, qui erat egregiâ atque præstanti fortitudine; sed id Sabini accepisse à Græcis videntur, qui vincula & firmamenta membrorum νεῦρα dicunt. vide A. Gell. noct. Attic. lib XIII, cap. XXI. vide quoque Casaubonum in Tranquilli Tiberium, cap. I.

Faba à πύαμος pro κύαμος.

Orca ab ὄρυξ ὄρυγος.

Pulcher à πολύχρους

Semis ab ἥμισυ.

Anclabris apud Festum ab *Anculando*, hoc est, ministrando.

Bellum à *duellum.*

Circlos pro *circulos*. Virgilius; *Suspende ex limine circlos.*

Hercle pro *Hercule.*

Lucmo pro *Lucumo* apud Propertium;

Prima galeritus posuit tentoria Lucmo.

Manceps quasi *manuceps.*

Mando quasi *manu do.*

Mansuetus quasi *manusuetus.*

Manterium apud Varronem quasi *manuterium.*

Mantica, mantile, &c. à *manu.*

Publicus olim *poplicus* quasi *populicus* à *populus.*

Saltem à *salutem*. Egregiè Donatus ad Act. II Sc. II. Adelph. *Natum est à captiuis SALTEM, qui nihil aliud præter salutem à victore petant.* vide quoque A. Gellium lib. XII, cap. XIV. & Seruium ad Æneid. IV, CCCXXVII.

Surclos pro *Surculos* apud Varronem lib. de R. R.

Tablinum quasi *tabulinum*. est enim locus, teste Festo, in quo antiquitus rationum suarum tabulas magistratus collocabat.

Templum pro *tempulum*. Plautus Aulularià;

Nam si ignis viuit, tu extinguere extempulo.

pro *Extemplo.*

V *mutatur in* A.

Æoles pro κυλίω dicunt καλίω, vnde καλινδέω.

Γαλλιῶς & γαλερὸς à גיל, *Exultauit.*

Calix à κύλιξ.

Canis à κυὼν κυνός.

Capsa à κυψέλη.

Cicatrix à κικύω significante ἰσχύω.

Condalus & *Condalium*, teste Festo, anuli genus, κόνδυλος.

Galea à γυαλίς.

Gannio à κνύω vel κνύζω.

Gena à γένυς.

Laqueus à λύγος.

Madeo à μυδάω.

Sisarra à σίσυρος.

Talpa à τυφλός.

Tragedia quasi *Trygœdia*; & *Tragœdi* quasi *Trygœdi* dicti sunt. Τρὺξ enim Græcè, *Fex* dicitur Latinè. nondum enim vsu personarum inuento, Actores fece vini faciem perungebant, vasis fece tenus epotatis. Vetus commentator adversum CCLXXVII Horatij de Arte.

Vlulare ab ὀλολύζειν.

Balteum vocabant cingulum è corio *bullatum*. Varro.

Carina quasi *currina* à *currendo* Isidorus Originum XIX, II.

Glaber à *glubo*. Scaliger.

Prosapia à *prosupando*, hoc est, *proferendo*. Nonius.

V *mutatur in* E.

Alcedo ab ἀλκυὼν siue ἀλκυδών.

Ardea ἀπὸ τοῦ ἀεροδύειν. quòd altè volet.

Argentum ab ἄργυρος.

Glaber à γλαφυρός.

Ibex ab ἶβυξ.

Mattea à ματτύη.

Meta à Siculo μύτος.

Moneo à μηνύω.

Pessum ab Ionico βυσσός

Polenta à παλυντή.

Remus à ῥυμός.

Ῥυμουλκῶ, *Remulco.*

Socer ab ἑκυρός.

Tepeo à τύφω.

Venari à κύνες vel κυνάγεια.

Verber à δερτύς.

Vesica à φύσκα.

Vibex ab ἶβυξ.

Arcera ab *arcus.*

Dejerat, Pejerat quasi *dejurat, perjurat.*

Dives quasi *diuus.*

Fleo à *fluo.*

Fretus à *fruor.*

Iter ab *itu.*

Litera quasi *litura.*

Nebula à *nubes.*

Ocrea ab *ob* & *crura.*

Ponderosus à *pondus.*

Selembus à *lumbis.*

V *mutatur in* I.

Deriuata à νῦς, χρῦς, ῥῦς, πλῦς & βῦς mutant υ in ι. Sic à πρωτεύω πρωτεῖον, ab ἀριστεύω ἀριστεῖον, à δευτερεύω δευτερεῖον, à βραβεύω βραβεῖον.

Accipiter ab ὀξύπτερος.

Æmilius ab αἱμύλος. teste Plutarcho in Paulo Æmilio, sicuti & in Numâ.

Alacris ab ἄδακρυς.

Ancilia ab ἀγκύλος.

Aspis à ἀσπίς.

Caries à κάρυον. Scaliger ad Varronem.

Cunila à κόνυζα.

Dulcis à γλυκύς.

Ficus à σῦκος.

Filius à φυλόν.

Fimus à φυρμός.

Fio à φύω.

Frigo à φρύγω.

Garrio à γαρύω.

Gibbus à κυφός.

Haurio ab ἀρύω.

Hiems ab ὕω.

Hinnus ab ὕννος, ἴννος, vel γίννος.

Ligo ligas à λύγος, quod *Viticem* denotat.

Mattici dicuntur homines magnarum malarum; Festus. quia ματτύας veteres Græci τὰς σιαγόνας vocabant. Scal.

Miser à μῦσος. vel à μυγερὸς pro μογερός.

Nenia à νηνίατον.

Odi ab ὀδύω, pro quo & ὀδύσσομαι.

Pio à θύω.
Rictus à ῥύγχος.
Riscus à ῥίσκος.
Rivus à ῥύαξ.
Sandapilam dixere σανίδα τῆς πυελοῦ.
Siliqua quasi ξυλική.
Stipes à στύπος.
Stipo stipas à στύφω.
Vibices ab ἴβυκες.
Acicula quasi *acucula* vel *acutula*
Ancilla ab *anculo*.
Anniculus ab *annus*.
Batillum à *batulum*.
Circinus à *circus*. item *Circiter*, *circitor*, *ventus circius*.
Consilium à *consulo*.
Exilium ab *exulo*.
Familia à *Femur*.
Finis à *funis*. veteres enim agros funibus circumscribebant ac finiebant. vnde perantiquo cujusdam Agrimensoris fragmento legas, *Finis dicta eò, quòd agri funiculis sint diuisi*.
Ianitor & *Ianitrix* à *Ianua*.
Indigena ab *Indu* pro *In*, & *Geno* pro *Gigno*.
Ira ab *Vro*.
Optimus maximus ab antiquis *optumus maxumus*.
Suggillare à *sub* & *gula*. vide Scal. ad Festum.
Tibia à *tuba*.
Timor à *tuaor*.
Titulus à *tutando*. Festus in *Titul. milites*, &c.
Vacillo à *baculus*, *bacillus*.
Vitiligo à *vitulus*.

V *mutatur in* O.

Anchora ab ἄγκυρα.
Boa ab Æolico βύνς pro δύνς.
Botulus à βύθαλον, quod Hesychio exp. βύτμα, *Fartum*, *farcimen*. Salm.
Coccetum à κυκεών. vide Casaubonum in Theophrasti Charact.
Cocles à κύκλωψ.
Folium à φύλλον.
Follis à θύλακις.
Fores à θύρα.
Grossus à κρύος.
Moretum à μυσωτός.
Mola à μύλη.
Nox à νύξ.
Orca ab ὕρχη Ionicè ὕρκη.
Scorteus à σκύτινος.
Socci, σύκχοι, ὑποδήματα φρύγια. Hesychius.
Solea ab ὑλίας, *Pellis*. vide Cl. Salmasium in scriptt. Historiæ Augustæ.
Somnus ab ὕπνος.
Sopor ab ὕπαρ.
Sorex ab ὕραξ.
Sors à σύρειν.
Spolio à σκυλάω.
Sporta à σπυρὶς σπυρίδος.
Storax à στύραξ.
Ador ab *aduro*.

Bolus à *bolo*, quomodo dicebantur olim qui Cete, hoc est, Pisces magnos venditabant.
Cloaca ab antiquo *clus* vel *conluo*.
Comitari à *cum* & *Itare*.
Corbis quasi *curvus*.
Costa à *custodiendo*.
Fons à *fundendo*.
Iouem Latini veteres à *Iuvando* appellauere. A. Gellius v, XII.
Orbis ab *vrvum*.
Soboles à *suboleo*, hoc est, succresco.
Tonsa à *tundendo*.

V *mutatur in* OI *vel* OE.

Ita Poëtis δοιοὶ sunt δύω.
Lagœna à λάγυνον.
Amœna sunt loca solius voluptatis plena, quasi *amunia*, vnde nullus fructus exsoluitur; vnde quoque nihil præstantes *immunes* vocamus. Seruius, ad Æneid. v, DCCXXXIV.

V *mutatur in* OY.

Bruchus, βροῦκος vel βροῦχος παρὰ τὸ βρύκειν, τὸ ἐσθίειν. Bœoti pro ὑμῖν dicunt οὑμίον vel οὑμῖν. λιγυρὸς pro λιγυρός, οὕλη pro ὕλη, οὕδωρ pro ὕδωρ.

V *mutatur in* R.

Vibro ab ἰβύω.

V *mutatur in* Vau.

Gania à καύης καύηος.
Neruus à νεῦρον. vide A. Gel. noct. Attic. XIII, XXI.
Peluis à πέλυς.
Soluo ab ὅλον λύω.

V *mutatus in* Y.

Abyssus, ἄβυσσος.
Amylum ἄμυλον.
Moly herba μῶλυ.
Oryza ab ὄρυζα.
Assyria ab *Assur*.
V consonans, quod aliàs *Vau*, exprimit Æolicum digamma.

Vau *additur initio*.

Valeo ab ἄλω.
Vallis ab αὐλών.
Vapor ab ἀποφορὰ, *Exhalatio*.
Vapulo ab ἀπαλοῦμαι, *Percutior* ab ἀλοάω, *Trituro variis ictibus*, *comminuo & frango*.
Velia, auctore Seruio in v Æneid. dicta est à paludibus quibus cingitur, quas ἕλη dicunt Græci.
Vena ab ἐν ἰνός.
Veneo ab ὠνέομαι.
Veneti, Ἐνετοί.
Venetia priùs *Æenetia* dicta. Seruius ad Æneid. I, CCXLVII.
Venter ab ἔντερος.
Ventus ab ἀεὶς ἄεντος.
Ver ab ἦρ pro ἔαρ.
Vergo ab ἔργω & ἄγω.
Vesper ab ἕσπερος.
Vesta ab ἑστία.
Vestis ab ἐσθής.
Vetus ab ἔτος.
Via ab οἶμα. Scal.

Vibex ab ἴβυξ.
Vibro ab ἰβύω.
Video ab εἴδω.
Viginti ab εἴκοσι.
Vinco à νικῶ, post metathesin.
Vindico ab ἐκδικέω.
Vinum ab οἶνος.
Viola ab ἴον, ὑποκοριστικῶς.
Vis ab ἴς. alii à βία.
Viscus ab ἰξός.
Vitulus ab ἰταλός. vnde & *Italia*.
Vitus ab ἴτυς.
Volvo ab εἰλῶ.
Vomo ab ἐμῶ.
Vomitus, ἔμετος.
Vulgus ab ὄλχος pro ὄχλος.
Vulnus ab οὐλή.
Vulpes ab ἀλώπηξ.

Vau *additur in medio*.

Achiuus, Ἀχαιός.
Æuum ab αἰών.
Archiuum ab ἀρχεῖον.
Argiuus, Ἀργεῖος.
Auernus ab ἄορνος.
Boues à βόες.
Calvus à καρφόν.
Cauo à χάω, Æolicè χάϝω.
Ceruus à κεραός.
Clauis à Dorico κλαῒς pro κλείς.
Coruus à κόραξ.
Curvus à γυρός.
Dalivus à δείλαιος.
Davus à Δᾶος.
Divus à Δῖος.
Faveo ostendo beneuolentiam à φαύω, vnde πιφαύσκω. & *Faustus*, φαυστός. Scaliger.
Feruco à θέρω.
Fouo obsoletum pro Cauo, fodio est ex Æolico χόϝω pro χόω.
Leuir à δαήρ. tanquam primò fuerit *Daver* vel *Devir*.
Lævus à λαιός
Lauo à λούω vel λόω.
Levis à λεῖος.
Maleuentum, Μαλόεντος, quæ postea *Beneuentum*; vide Stephanum in Βενέβεντος. Procopius, Latinâ pronunciatione deceptus, putauit *Maleuentum* dici à malo vento.
Minerva olim dicebatur, à *Menerva*, à *Meneo* pro *Moneo*. quod est è μένος.
Moneo à μάω.
Nauis à ναῦς.
Nouem ab ἐννέα.
Nouerca quasi νέα ἀρχή.
Novus à νέος.
Oliua ab ἐλαία vel ἐλάα.
Ouis ab οἶς.
Ouum ab ὠόν.
Pauio à παίω, pro quo Æoles diuisim πάϊω & cum digamma πάϝιω, dicebant. Sed & πόϊω dixere Æoles, & cum digamma πόϝιω vnde *Pavio*. nam α frequenter mutabant Æoles in ο, dicentes πόϊς & πόϊς pro παῖς, vnde Lat.

Puer

Puer. vide Festum in *Depuvire*,
Pauo à ταώς.
Prauus à πρᾶος.
Priuignus à πρόγονος.
Priuus à πρίν.
Prouidere à προϊδεῖν. Varro sub finem libri quinti de L. L.
Puluis à πηλός, vel πάλη.
Riuus à ῥύαξ.
Salina à σίαλος.
Scaeuus à σκαιός. item *Scaeuola*.
Seruo à τηρῶ.
Seruus ab ἔρος. vnde & ἔειδοι dicebantur Mercenarij. *Etritudo* *seruitudo*; Festus.
Syluа ab ὕλη.
Viuo à βιόω.
Voluo ab εἰλύω.
Cadauer à *cado*.
Ciuis à *coeundo*.
Compluuium, *impluuium*, à *pluo*.
Diluuium, *proluuium*, *malluuia*, &c. à *luo*.
Exuuia ab *exuo*.
Larua à *lara*.
Proteruus à *protero*.
Reduuia à *reduo*.
Saluus à *salus*.
Toruus à *terreo*.
Veruactum quasi *vere actum*.

Vau *abjicitur*.

Ita pro Latino *Fauonius* Graeci dicunt φαώνιος.
Antorsum, *retorsum*, *prorsum*, *seorsum*, sunt à *versum* pro *versus*.
Fretum à *feruendo*.
Labrum quasi *lauabrum*.
Pulex à *Puluis*.

Vau *mutatur in* B.

Lacones Cretenses, & Pamphylij pro digamma adhibent β. siquidem, vt tradit Heraclitus, Pamphilij β praeponunt omnibus vocalibus, dicentes φάος φάβος, ἀίλιος βαβίλιος, ὁρέω ὀρεβῶ. Cretensibus ἀλλικιῶται erat βαλλικιῶται. Laconibus ἄξιν est βάξον, ab ἄγνυμι. αἰδῶνός est βίνδωνος. Hesychius citat δάβαλος & δάβαλος pro δᾶλος & δαλός.
Bestia dictae quòd earum plurimae homines *vestiant*.
Betonica à *Vetonibus* populo Hispaniae.
Bucina à *vocando*.
Corbis quasi *curuus*.
Delubra quidam dicunt esse templa multarum aedium sub vno tecto à diluuio pluuiae munitarum. Asc. Pedianus in diuinationem Ciceronis.
Dubium ex *duo* & *via*.
Fabij olim dicebantur *fouij*.
Febris à *feruendo*. item *februa*.
Gabata quasi *cauata*.
Nobilis quasi *non vilis*. Isidorus.
Rabula à *rauus*.
Vrbs ab *vruum*. vnde & *Orbis*.
Graeci *Vau* Latinum nunc in *B* mutant, nunc pro eo ponunt *OY*. ita *Varro* iis est Βάῤῥων *Valens*, Οὐάλης. *Virgilius*, Βιργίλιος & Οὐεργίλιος. *Valerius*, Βαλέριος & Οὐαλέριος. *Neruii*, Νέρβιοι & Νερούιοι. Sic *Liuius* Λίβιος,& *Ouicula* Ὀυικόλας apud Plut. in Fabio. Etsi verò neutrum damnare est nostrum, tamen, quod & Xylander in Plutarchi Camillum attigit, puto B rectiùs pro *Vau* vsurpari, quàm *OY*. partim quia consona meliùs pro consonâ ponitur, quàm pro vocali: partim quia vocabulum alioqui syllabâ totâ augetur.

Vau *mutatur in* C.

Focus à *fouendo*.

Vau *mutatur in* D.

Fodio à *foueo*, vnde *fouea*. *Foueo* interim seu *foueo* est ab Aeolico χόϝω pro χόω.
Suadeo à *suauis*.

Vau *mutatur in* G.

Vestis & *Venter* Γέστις & Γέντηρ apud Hesychium. Nempe ille passim pro digamma vtitur gamma.
Ligones quòd terram leuent, quasi *Leuones* Isidorus, Originum xx, xiv.

Vau *mutatur in* M

Samnitibus nomem factum ab *hastis*, quas σαυνία Graeci apbellant. Festus.
Σαυνίον, ἀκόντιον βαρβαρικὸν καὶ τὰ δόρυ χαῦνον ἀπὸ τοῦ σαυνὸς Κρητῶν. Hesychius.
Amita quasi *auita*.
Bruma à *breuitate*.
Fomes à *fouendo*.
Promulgare quasi *prouulgare*. Festus.

Vau *mutatur in* N.

Furnus à *furuo colore*.

Vau *mutatur in* P.

Calpitur pro *caluitur*.
Opilio quasi *ouilio*.

Vau *mutatur in* S.

Casa à *cauendo*. Festus.

Vau *mutatur in* T.

Tolutim quasi *volutim*. Nonius.

Vau *mutatur in* V vocale.

Soliiit pro *soluit*. Catullus.
Quod Zonam soliiit diu ligatam.

X *additur*.

Cornix à κορώνη.
Fax à φάω.
Grex ab ἀγέλη.
Ilex ab אלה.
Matrix à μήτηρ.
Calx à *calore*.
Carex à *carendo*.
Ceruix quasi *cerebri via*.
Frux à *fruendo*.
Limax à *limus*.
Lodex à *Lotum*.
Murex à *Mure*.
Pollex à *Pollendo*.
Pumex à *Spuma*.
Rumex à *Rumpo*.
Sagax à *Saga*.
Salix à *Saliendo*.
Vertex à *Verto*.
Vix à *Vi*, negat enim facilitatem Aduerbium hoc, vt censet Scaliger cap. xxxi de Causis L. L.

X *abjicitur*.

Coliphium à κόλιξ.
Pingo à πίναξ.
Egens velut *Exgens*. Festus.

X *mutatur in* C.

Abacus ab ἄβαξ ἄβακος.
Cicada à κίκιος, vel à κὶκ (sono insecti) & ἄδω.
Graco, vnde *Graculi* fortasse dixere à κρώζω.
Licium à λίξ.
Mucus à μύξα.
Calceus à *Calx*.
Crucio à *Crux*.
Lacio à *Lax*.
Luceo à *Lux*.
Piceus à *Pix*.

X *mutatur in* C C.

Accipiter ab ὀξύπτερος

X *mutatur in* χ vel CH.

Ἀ κρόνυχος quasi ἀκρὰ νύξ.

X *mutatur in* CS.

Γίγαξ pro ἱέραξ.

X *mutatur in* CT.

Ἐκτικός. ab ἕξις.
Blaterare (quod alibi saepè *Blacterare* scribitur) est à βλάξ. Festus quem ipsum quoque vide in *De blacterare*.
Nox noctis, νύξ, νυκτός.
Carectum à *Carex*.

X *mutatur in* G.

Sic verba Quartae coniugat. baryt. quae Fut. habent in ξω, mutant illud ξ in γ Praet. medio. πλήσσω, πλήξω, πέπληγα, &c A *Grex*, *lex rex*, sunt deriuata *Gregarius*, *legitimus*, *regius*, &c
Augeo ab inusitato αὐξέω. vnde & *Auxilium*.
Frugi & *frugalis*, à *Frux*.
Impetix, *impetigo*; Festus.
Reganiolus quasi *Rex auium*, Graecis βασιλίσκος. vide Casaubonum in Tranquilli Iulium, cap. LXXXI.

X *mutatur in* Q.

Laqueus è *Lax*.
Liquor à *Lix* hoc est, aqua; vnde *Lixa*, & *Elixum*.

X *mutatur in* S.

Coruus à κόραξ.
Flos à φλόξ.
Riuus à ῥύαξ.
Senonas Gallos, quia noui venerint ex Transalpinâ regione, Verrius putat primùm appellatos ξένους, postea *Senonas*. Festus. At Seruius ad Aenеid. VIII. DLIV. *Senones* dictos vult, quòd Liberum patrem hospitio recepissent.
Siliqua à ξυλικά.

Trabs à τρέρηξ.
Vulpes ab ἀλώπηξ.

X *mutatur in* SC.

Ita Æoles σκίνος dicunt pro ξίνος, σκιφίας pro ξιφίας.
Ascia ab ἀξίνη.
Viscus ab ἰξός.

X *mutatur in* S S.

Asseres, ἄξονες. similiter quoque dixere *Assamentum* & *Axamentum* item *Coassare* & *Coaxare*.
Cossim quasi *Coxim*. Nonius.
Oximè, *ocissimè*; Festus.

Υ *additur*.

Cyniphes κνίφες, vel κνίπες. vide plura in *u* vocale, quod similiter exprimit Υ Græcorum.

Υ *mutatur in* I.

Æoles pro ὑψηλὸν dicunt ἰψηλόν. pro ὑψόθεν ἰψόθεν, pro ὕπαρ ἴπαρ. Iidem pro ἀνθρώπους dicunt ἀνθρώποις, pro τοὺς θεοὺς dicunt τοὶς θεοὶς.

Z *additur*.

Additur in quorundam verborum Sextæ coniugat. deriuatione. ἑρπύω ἑρπύζω, μύω μύζω, τρύω τρύζω, κνύω κνύζω.

Z *abjicitur*.

Grunnio à γρυλλίζω.
Lacio à λακίζω.
Porto à φορτίζω.
Vado à βαδίζω.
Vlulo ab ὀλολύζω.

Z *mutatur in* B.

Tabula à τάζω. vide Scaligerum cap. XXXI de Causis L. L.

Z *mutatur in* C.

Bucca à βύζω.
Cingo à ζωννύω.
Crocire à κρώζειν.
Glocire à κλώζειν.
Licet à λίζω, hoc est, ἐάω.

Z *in* C T.

Stacte, στακτὴ, à στάζω.

Z *mutatur in* D.

Æoles pro ζυγὸς dicunt δυγὸς, pro ζωμὸς δωμός.
Cedo à χάζω.
Claudo à κλάζω.
Lado fortasse est à λάζω, quod Hesychio exp. ὑβρίζω.
Nidor à κνίζα.
Odor ab ὄζω, ὄδωδα.
Prudens, φράδων, vel φράδμων, à φράζω πέφραδα. Scal.
Scandalum à σκάζω.
Scidia à σχίζειν. vnde & *Scindere*.
Sedeo ab ἕζομαι.
Strido à τρύζω vel τρίζω.
Vado à βάζω.
Medentius, teste Prisciano, antiqui scribebant pro *Mezentius*.

Z *mutatur in* D D.

Lacedæmonij & Bœoti commutant ζ in δδ. ita iis μᾶζα erat μᾶδδα, γυμνάζομαι γυμνάδδομαι παίζειν παίδδειν, χρήζω, χρήδδω, σφαρίζειν σφαρίδδειν.

Z *mutatur in* D S

Æolij ζ sæpè resolvunt in σδ, dicentes Σδεὺς pro Ζεὺς, μελίσδειν pro μελίζειν, παίσδειν pro παίζειν.

Z *mutatur in* G.

Harpago ab ἁρπάζω.
Lugeo fortasse est à λύζω, *Singultio*.

Z *mutatur in* I.

Bajo obsoletum, vnde *Bajulo*, κατὰ συγκοπὴν factum est à βαστάζω.
Iungo à ζυγόω.
Iugum, ζυγόν.
Iuno à Ζανώ.
Iupiter, Ζεὺς πατήρ.
Maius à μεῖζον.
Vice versâ *Zasu* pro *Iesu* legas in Annalibus Francorum à Pythœo editis: *Sic me Deus adiuuet* Zasu *patrocinio*. Locus est paginâ 510 editionis Wechelianæ, anno 1594.

Z *mutatur in* L.

Cunila à κόνυζα.
Oleo ab ὄζω.
Stilus à στίζω.

Z *mutatur in* M.

Stimulus à στίζω.

Z *mutatur in* N.

Clunis à κλύζω.
Spina à σπίζειν.
Stannum à στάζω.

Z *mutatur in* R.

Lacero à λακίζω.

Z *mutatur in* S.

Futura verborum in ζω Quartæ coniug. baryt. desinunt in σω. vt φράζω φράσω, &c.
Adamas à δαμάζω.
Agaso est à Tarentino ἀγάζω pro ἄγω. sicut Acus quâ mulier scalpit caput, vocatur *Cnason* à κνάω κνάζω. Scal. ad Festum in *Cnasonas*.
Persona quasi περιζώνη.
Pes à πέζα.
Saguntum à Ζάκυνθος.
Salum à ζαλόω.
Setus à Ζῆθος.
Sospes à σώζω.

Z *mutatur in* SD.

Dorienses & Æoles μελίσδειν & Συρίσδειν dicunt pro μελίζειν & Συρίζειν.
Æoles pro Ζεὺς dicebant Σδεὺς, sed & ζυγὸς illis σδυγός.

Z *mutatur in* SS.

Assiduè ab ἀζηχὲς poëtico pro διηνεκὲς, id est, διατελεστικῶς. Caninius.
Atticisso ab Ἀττικίζω.
Comessari à κωμάζειν.
Conisso à κονίζω.
Crisso à κρίζω.
Massa à μάζα.
Musso à μύζω.
Patrisso à πατρίζω.
Pitisso à πιτίζω.
Tablisso apud Diomedem est è Semi-Græco ταβλίζω.

Z *mutatur in* ST.

Amystis à μύζω.
Pristis ἀπὸ τοῦ πρίζειν τὰ κύματα, à secatione fluctuum. Seruius ad Æneid. V, CXVI.

Z *mutatur in* T

Buteo à Syro בז, *Diripere*.
Glutio & *Glutto* sunt ab illo γλύζω, quod Henr. Stephanus in veteri Lexico inventum sibi ait pro *Glutio*. Eximiè interim magnus Casaubonus ad Persij Satyram V, vers. CXII? *Gluttus* est ea colli pars, per quam cibi transmittuntur. vox est ficta per Onomatopœian: *glut* enim est imitatio soni, quem edit liquor per angustum tramitem means. Vetus poëta de rustico ebrio.

Percutit & frangit vas, vinum defluit, ansa
Stricta fuit, glut glut murmurat vnda sonans

Niteo à νίζω.

Z *mutatur in* X.

Graxo à κρώζω.
Rixor ab ἐρίζω.

Vocabula aliquot in quorum deriuatione R *vel alia quadam litera sede suâ mouetur*.

Ἀμάλη vel ἄμαλλα, *Manipulus*, per metathesin videtur esse ex עמר. quæ soceri Iunij coniectura est.
Βραβεὺς, *Brabeutes*, qui præmia certaminis tribuit. Grammatici & Lexico-graphi deriuant à ῥάβδος. vide eos.
Λοιμὸς plerique putant dici quasi ὄλιμος ab ὄλλυμι.
Φλαῦρος quasi φαυλρός.
Anas à νῆσσα.
Apud vel *Aput* à ποτί.
Ara ab ἱερόν. Hesychius, ἱεραί, βωμοί.
Arx fortasse est ab illo ἄκρος, quod per se positum significat ἄκρος τῶν ὀρῶν. quomodo ἀκροπόλεμος dicebatur *Arx* in editiore vrbis loco atque ἐν τῷ ἄκρῳ τῆς Κορίνθου extructa.
Bardus à βραδύς.
Byrsa à βύρσα, id est *Arx*. Dido nempe captâ insulâ Cothone in portu Carthaginensi, ibi priùs consedit locúmque muniuit, quo vsa est arce belli aduersùs Afros, qui eam litore prohibebant. At nono anno postquam à Pygmalione pulsa erat, locum in continente occupauit, quem βύρσα vocarunt, id est *Arcem*. nam בצרה est ὀχύρωμα, idem quod vltimis Romani imperij temporibus *burgus* dicebatur; quemadmodum docet Scaliger Lectionum Ausonianarum libro Secundo, cap. IX. Sed Hellenismus non patiebatur dici βύρσα, quare βύρσα dictus est locus

eus, appellatione in Græcam terminationē deflexâ, & caussa huius appellationis relata est ad illam corij bubuli fabulam, de quâ Maro I. Æneid. versu CCCLXXI.

Mercatique solum, facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circundare tergo.

Vide eundem Scaligerum Notis in in fragmenta veterum subiecta operi de Emend.temp. pag. 27. & 28. vide quoque eiusdem Scaligeri annotata ad Festum in *Sufes*.

Calculus à κάχληξ.
Caligo ab ἀχλύς.
Calx à λάξ.
Cancer à καρκῖνος.
Cardo à κορδύη.
Caro à κρέας.
Carthago à Καρχηδών.
Centum ab ἑκατόν.
Cerberus dictus est quasi κρεοβόρος. nam Cerberus terra est, quæ est consumptrix corporum. Seruius ad Æneid. VI, CCCXCV.
Cerno à κρίνω.
Circus à κρίκος.
Chacendix à κάχληξ.
Classis ἀπὸ τῶ καλεῖν. Seruius ad Æneid. I, XLIII.
Clingere à κιγκλίζειν.
Colei, siue Testiculi, Oppiano dicuntur ὄλλοι.
Colus ab ἠλακάτη.
Contra ab ἄντικρυ.
Copula à πλοκή.
Coturnix ab ὄρτυξ.
Crates à γέῤῥα.
Culpa à κλοπή.
Decus à κῦδος.
Dominor à δυνάμαι.
Dulcis à γλυκύς.
Epulæ ab εἰλαπίνη.
Et est ex τέ.
Fascis, *fasciculus*, σφάκελος.
Fibra à φορβή.
Ficedula, συκαλίδες.
Fistula quasi φυσῆθλα.
Forma à μορφή.
Fucus à φῦκος.
Fulgeo à φλέγω.
Glans ab βάλανος.
Gratiæ à χάριτες.
Haurio ab ἀρύω.
Inula herba, ab ἑλένιον.
Item ab ἔτι.
Lac, à γάλα γάλακτος.
Lædo à δηλέω.
Laterna à λαμπτήρ.
Latus hoc est, portatus, à τλάω.
Manare à νᾶμα.
Mentula videtur dicta Martinio, quòd sit sexus μηνυτὴς siue *Index*.

Metior à μετρῶ.
Meus ab ἐμός.
Mutilus à μίτυλος.
Nares à ῥὶν ῥινός.
Neruus à νεῦρον.
Num à μῶν.
Omnis à πάνος. vt inquit Caninius, significatio non aliena est.
Opto à ποθῶ.
Palor à πλανῶ.
Palpebra à βλέφαρον.
Paro à πορίζω.
Paruum à παῦρον.
Patella à λοπὰς λοπάδος.
Pateo, à πετάω.
Pedo, à βδέω.
Perca. Nonnulli à περκνὸς, conuerso α. in ε. vt *Porrus* à πάῤῥον antiquo, ex quo πάρσον, & πόῤῥω. vt πόῤῥω, πόρσω, πρόσω, à quo *Porro*, & *Prorsus* vt *Prorsi limites Prorsa* & *oratio*, deinde *Prosa*: vt *Rursum*, *Rusum*: *Sursum*, *Susum*: *Prorsum*, *Prosum*: Afranius. Scaliger.
Porrum, à πράσον.
Proserpina à Περσεφόνη.
Pruina & *Pruna* à πῦρ.
Pulex à ψύλλα.
Pulmo à πλεύμων.
Qualis ab Æolico κᾶλικα. Caninius.
Ramus ab ῥάμνος.
Rapax, ἅρπαξ.
Rapio, ἁρπάζω.
Ratis à τάρσος.
Rego ab ἄρχω.
Rex regis, ἀρχὸς.
Renes, abiecto φ, à φρενί.
Repo ab ἕρπω.
Ros ab ἔρση.
Salum à σάλος.
Scalpo à γλάφω.
Scio ab ἴσκω.
Scrupus à σκίρος.
Sculpo à γλύφω.
Seco à χάζω.
Seculum ab ἡλικία.
Sinister ab ἀριστερός.
Specio à σκέπτω.
Specula à σκόπελος.
Sterno à στρώννυμι.
Sudor ab ἱδρώς.
Talpa quasi τυφλή.
Tantalum Plato in Cratylo dictum vult quasi ταλάντατον, quòd auaro nihil miserius.
Tapes quasi τάπης.
Tardus à βραδύς.
Tartarus à ταράττειν, quia omnia illic turbata sunt. Isidorus Originum XIV, IX. vide quoque Seruium ad Æneid. VI, DLXXVII.
Tata ex ἄττα.

Tener à τέρην.
Tero à τρίβω.
Territus ἀπὸ τῶ τρεῖν.
Tonitru à τονθορύς, murmur.
Tunica à χιτών.
Turpis ex σαπρός.
Valgus ex βλαισός.
Vallis ex αὐλών.
Varus ex ῥαιβός.
Vepres ab Æolico βρῶπες.
Verto à τρέπω.
Vespa à σφὴξ σφηκός.
Vester à σφέτερος.
Vinco à νικῶ.
Vos à σφέ.
Vterque ab ἑκάτερος.
Vulgus ab ὄχλος.
Caper à *Carpendo*.
Clientes quasi *Colentes*.
Cloaca à *Conluendo* dictæ.
Celum poëtæ Cœlum dixerunt à *Chaos*. Festus.
Creo à *Cerno*. vnde & *Cremor*.
Diuido ab antiquo *Iduo*, hoc est, partior. vnde *Idus*, quia mensem partiuntur. & *Vidua*, à viro seiuncta separatáque.
Febris à *Ferueo*. vnde & *Februa*
Fretum.
Geminus quasi *Genitus*, à *Geno* pro Gigno.
Gramen quasi *Germen*.
Ingluuies à *Gula* dicta est.
Lauernio à *Leuando*, hoc est, furando.
Macer à *Macendo*. Varro.
Palumbes à *Pabulo*.
Pristes à *Pistris*.
Procella, quòd omnia impetu suo *percellat* atque euertat.
Puluinar quasi *Pluminar*.
Taberna quasi *Trabena*, à validioribus dicta est *trabibus*, quibus superiora suspensa sunt. Donatus in Adelph. III, III.
Tunica quasi *Induca*. Varro.

Vocabula quibus adjicitur aliquid in initio.

Cacula à κάλω.
Populus, antiquè *Popolus*, à πολύς. Scal.
Propero à πρῶ. nisi sit à προτερῶ, aut προτερέομαι, aut potius à πρὸ πρό, quæ reduplicatio insinuat celeritatem. Scaliger.
Susurro à σύρος. vnde σύριγξ. Scaliger.
Tartara dicta ἀπὸ τῆ ταραχῆς, quòd omnia illic turbata sint. Lactantius in Statij Achilleïd. I, CXXXIV.
Titillo à τίλλω.
Cucumeres dicuntur à *Curuore*, vt *Curuimeres*. Varro IV de L. L.

in

in medio.

Audio ab αἴω.
Aurora ab αὔρα.
Calator à καλήτωρ.
Celebro à κλείω.
Crepitus, κρότος.
Crepitaculum, κρόταλον.
Habena ab ἡνία.
Humerus ab ὦμος.
Iaculum ab ἄκων.
Laqueus à λύγος.
Maceries à μακρὸς.
Origo fortasse ab ἀρχή.
Palpito à πάλλω.
Paruus à παῦρος, primâ reduplicatâ. Scal.
Priuignus à πρόγονος.
Actutum ab *actum*.
Cinctutum à *Cinctum*.
Culullus à *Culeus*.
Hedera ab *Hæreo*.
Suppositorius, à *Suppositus*.
Territorium dictum est quasi *Triterium*, tritum bubus & aratro. Condituri enim ciuitates taurum in dexterâ, vaccam in sinistrâ iungebant; & cincti ritu Gabino, id est, togæ parte caput velati, parte succincti tenebant stiuam obliquam, vt glebæ omnes intrinsecus caderent; & ita sulco ducto, loca designabant murorum; aratrum suspendentes circa loca portarum. Seruius ad Æneïd. v, DCCLV.
Veneror à *Vereor*.

in fine.

Abacus ab ἄβαξ.
Aconitum ἀπὸ τῆς ἀκόνης. Ouidius Methamorph. VII, CCCCXX.
Alica ab ἅλιξ.
Alucinor ab ἀλύω, A Gellius XVI. XII.
Astutus ab ἄστυ. sic enim Athenienses, teste Donato ad Eun. v, v, vocabant vrbem suam, vt ipsi incolæ ἀστοὶ dicebantur. vide Stephanum de Vrbibus.
Calamistrum à καλαμίς.
Capulus à κώπη.
Castigare à κάστος, *Lignum*. Hesychius, κάστον, ξύλον. Ἀθαμᾶνες. atque ita *Castigare* olim proprie fuerit, quod postea *Fustigare* dicebant. vide tamen Casaubonum in Persij Satyram I, vers. VI.
Diplomata non tantùm propter publicum cursum ab eo, qui Remp. tenebat, dari petique solita, sed ita quoque vocabant alias literas indices ac testes concessi beneficij ab eo, qui præest Reipublicæ. Sunt autem à formâ *Diplomata* appellata; nam formabantur in modum tabellarum *duplicum*, quare etiam διπλᾶς Græci vocant. At literæ aliæ Principium quibus aliquid iubebatur aut vetabatur, ἁπλᾶ vocabantur. Casaubonus in Tranquilli Octauium, cap. I.
Fritinnio à φρίττω.
Ganeum veteres dixerunt Meritoriam tabernam ἀπὸ τῆς γῆς, quòd ipsa sit in terrâ, non vt cœnacula superiùs. Donatus, in Adelph. Act. III, Scenâ III.
Lepidus, qui politus est vt λεπὶς, hoc est, *Lamina*. Donatus ad Eun. III, I.
Ligo ligonis, λίγξ, ἐργαλεῖόν τι. vel quòd Terra λίγξ. Clemens Alexandrinus. Hæc Scaliger ad Varronem.
Ligurire est ἀπὸ τῦ λιγυρῦ. nam λιγυρὸν Græci *Suaue* appellant. Donatus ad Eun. II, II.
Memoria à μνήμη.
Mensis à μὴν.
Metreta, mensuræ genus, à μέτρον.
Mussare dictum, quòd muti non ampliùs quàm μῦ dicunt. Varro VI. de L. L. Donatus in Adelph. II, I.
Pulpamentum à πολφὸς.
Pedica, πέδη.
Petaurista ἀπὸ τῦ πετάυρου. Nonius.
Pinguis à πίων.
Spelunca à σπῆλυγξ.
Spinturnix Latinis, producto nomine est à σπὶγξ σπιγγὸς.
Strenuus à στρηνής.
Tartarus ἀπὸ τῦ ταρταρίζειν, id est, à tremore frigoris. Sole enim caret. Seruius ad Æneïd. VI, DLVII. Lactantius in Achilleïd. I. CXXXIV.
Termentarium. ita vocatunt linteum ποδηρικὸς. nam vestem ποδηρικῆ & talarem Græci vocant τερμιόεντα. Scal.
Thyades, Bacchæ, à θύω, id est, *Sacrifico* & *Insanio*. Commentator vetus in Horat. Carm. II, XIX.
Vrceus ab ὕρχη.
Vrina ab οὖρον.
Æditumus, *finitimus*, *legitimus*, &c. A. Gellius, XII, X.
Amorabundus, *errabundus*, *ludibundus*, *ridibundus*, &c. A. Gellius XI, XXV.
Arcera ab *Area*. Nonius.
Bellarium, & *Bellaria*, res bellas appellabant; Festus. vbi Scaliger; Sanè Latini *Bellariorum* nomine accipiunt, quæ Græci ὀψαρια vocant, hoc est, *Cupedias*, vnde & *Pulchralia* eadem dixit Cato, &c.
Curia locus est, vbi publicas curas gerebant, &c. Festus. Lactantius in Statij Thebaïd. II, CL.
Delubrum nominatus est locus, in quo Deum ponerent, sicut *Candelabrum* appellabant locum, in quo figerent candelam. Varro apud Macrobium Saturnal. III, IV.
Morosi homines, qui sui cuiusdam moris sunt. Donatus in Hecyram IV, II.
Necessitudo, *acerbitudo*, *seruitudo* &c. A. Gellius XIII, III.
Pauimentum à *Pauio*.
Pecunia à *Pecu*, quòd omnis veterum substantia in re pecuaria. Sic Græci πρόβατα à *pronentu* dixere: nam πρόβατα Homero *Prouentus*. Scaliger.
Sanniones à *Sanna*. de quâ voce vide Casaubonum ad Persij Satyram I, LXII.
Stipatores à *Stips* denominati sunt: sicuti *Latrones* olim dicti sunt Satellites vel Milites mercenarij, à λάτρον. *Merces*.
Testamentum. vide A. Gellium lib. VI, cap. XII.
Veterator est *Vetus* in astutiâ, & qui in omni re callidus est. Donatus in Andr. II, VI.
Volema dicuntur pira quædam, eò quòd *volam* impleant. Seruius ad Æneid III. CCXXXIII.

Vocabula quibus detrahitur aliquid in initio.

Cello ab ὀκέλλω.
Dentes ab ὀδόντες.
Lactes, partes intestinorum, γαλακτίδες. Priscianus, libro sexto.
Lamentari ab ἰαλεμίζειν.
Latrare ab ὑλακτεῖν.
Luna à σελήνη.
Muria ab ἀλμυρὶς.
Ramus ab ὀρόδαμνον.
Ruo ab ὀρύω.
Sumo ab αἱσιμῶ.

in medio.

Abolla est à Dorico ἀμβολὰ. pro ἀναβολή.
Apricus quasi ἄνευ φρίκης. Isidorus, Originum XIV. VIII.
Bruma quasi βραχεῖα ἡμέρα. Isidorus, Originum libro quinto, cap. XXXV.
Brutus ἀπὸ τῆς βαρύτητος.

Buris

Buris quasi βοὸς οὐρά. Isidorus, Originum XX, XIV. Seruius ad Georg. I, CLXX.
Carinari, χαριεντίζεσθαι.
Cliuus à γεωλόφος.
Dego à διάγω.
Dico à δικάζω. Varro lib. V. de L. L.
Exilis quasi ἐξίτηλος.
Forcipes quasi *Forbicapes*, nam *Forbum* est Calidum. Seruius ad Æneïd. VIII, CCCLI.
Grus à γέρανος.
Horreo ab ὀρρωδέω.
Imus ab *Infimus*.
Incestum, quòd sit αἴσχιστον κακόν.
Ocrea ab ὀκρυόεις. Scaliger.
Pæan παιάν, Hymnus in Appollinem ἀπὸ τοῦ παίειν τὰς ἀνίας. vide tamen Scaligerum Poëtices libro I, cap. XLIII.
Palpo ab Æolico ψαλαφῶ pro ψηλαφῶ.
Pica quasi ποικίλη.
Planca à φάλαγγος.
Plaudus à πλαδαρός.
Polio quasi ποιῶ λεῖον.
Procerus à προυχὴς, *Qui in aliquâ re eminet*. Æoles προυχὴρ, προχὴρ, & προχὴρ dicebant.
Promo à προκομίζω.
Pronus quasi προπρηδηνὸς, à πρηδόω. Dicebant tamen & προπετής.
Pulcher à πολύχρους.
Sibyllæ dictę sunt quia diuinam voluntatem hominibus interpretari solebant. nam Σιὸς Æolico sermone *Deum*, βουλὴν Græci *Mentem* nuncupant, quasi *Dei mentem*. Isidorus, Originum lib. VIII, cap. VIII. & Seruius ad Æneïd. III, CCCCXLV. Aliter Salmasius Plinianarum exercitat. pag. 80. quem vide.
Sterno à στρωννύω.
Stirps à στερέμνιος.
Teres quasi τορνωτός.
Trux à τραχύς.
Triticum à τρύγη.
Turba à θόρυβος.
Tussis quasi δύσπνοος.
Vapor ab ἀτμὸς ἀήρ. *Exhalatio*.
Vindico ab ἐκδικέω.
Alacrem putant dici Festinantem & properum, quasi *aliis acrem*. vide Asconium in Prooemium Actionis in Verrem.
Apisci pro *Adipisci* vsurpauit Lucillius. vide Nonium.
Bigæ, trigæ, quadrigæ, quasi *Bijugæ, trijugæ, quadrijugæ*.
Caprona, comæ ante frontem, quasi à *capite prona*. Nonius.
Cautionem olim *Cauitionem* dicebant.
Cette olim pro *Cedite* dicebant. Nonius.

Cogitatio quasi *Coagitatio*. Festus.
Cuncti quasi *Coniuncti*.
Cura quòd *Cor vrat*. Varro. Seruius ad Æneïd. I, CCXII.
Dies dictus quòd *diuini* sit operis; siue ab Ioue eius, vt putabant, rectore, quem Græci Δία appellant; siue quòd aër diurnus *dehiscat* in candorem. Festus. Sanè linguâ Oscâ *Lucetius* est *Iupiter*, dictus à *Luce* quam præstare dicitur hominibus. Ipse est nostrâ linguâ *Diespiter*, id est, *Diei pater*. Seruius ad Æneid. IX, DLXX.
Dirum quasi *Deorum irâ missum*. Nonius.
Discrimen quasi *Discernimen*.
Dorsum quòd pars ea corporis deuexa sit *deorsum*. Festus.
Ericeus & *Erinaceus* ab *Eres*. Sanè *eres*, *ericeus*, & *erinaceus*, idem animal ac Echinus.
Exta quasi *Exsecta*.
Frater quasi *Ferè alter*. A. Gellius, XIII, X.
Fermentum quasi *Feruimentum* à *Feruendo*.
Frui est *Vesci*, à *Frumine*, quæ est summa pars gulæ; à quâ re etiam his, quæ nec cibo nec poculo sunt, *Frui* dicimur καταχρηστικῶς. Donatus ad Eun. IV. VII.
Gliscit, est *Congelascit* & *colligitur* vel *crescit*. Nonius.
Ilicet per συγκοπὴν semper finem rei significat, vt *Actum est*. Sic Iudices de consilio dimittebantur, supremâ dictâ, quum Præco pronunciâsset *Ilicet*; quod significat *Ire licet*. Donatus in Phorm. I, III.
Imago quasi *Imitago*.
Induciæ ab *Indè vti iam*. A. Gellius, I, XXV.
Initium olim *Endoitium*.
Inuolare est *Intra volam tenere*. Seruius ad Æneïd. III, CCXXXIII.
Labrum quasi *Lauabrum*.
Lardum & *Laridum* quasi *Largè aridum*.
Mactus Festo, Nonio, Isidoro est *Magis auctus*. éstque nomen tractum à sacris. quoties enim thus aut vinum super victimam fundebatur, dicebant Mactus est taurus vino vel thure, hoc est, Cumulata est hostia & magis aucta verbenis, floribus, auro, vittis, molâ salsâ, thure, vino. vide Seruium ad Æneïd. IV, LVII.

Monstrum quasi *Monestrum*. Festus.
Nequitia propriè libidinosa inertia dicta est, quòd nihil queat nullique rei apta sit; vnde & *Nugæ*, quòd *nihil agant*, vel à *non agendo*. Donatus in Adelph. III, III.
Nomen quasi *Nouimen*.
Obnunciare propriè dicuntur augures, qui aliquid mali ominis læuúmque viderint. Ergo *Obnuncio* est malum imminens quasi *omen nuncio*; indè enim etymologia huiusce verbi est. Donatus, in Adelph. IV.
Obscænum quasi *Obscæninum*, quia bonæ scævæ obstat. Varro.
Officina quasi *Opificina*.
Omen velut *Oremen*. Festus.
Penus à *Penitus*. A. Gellius, IV, I.
Pernix à *Pernitendo*.
Plaustrum, quasi *Palaustrum*, à *Palare*, quod Extendere significat. Scal.
Possum quasi *Potis sum*.
Præbeo à *Prahibeo*.
Priscum à *Priusquam*, vt *Antiquum* ab *Antequam*.
Pristina quasi *Priustina*.
Probi velut *Prohibi*, qui se delinquendo prohibent. Festus.
Proles à *Pro* & *Olescendo*. vt *Suboles* à *Subolescendo*.
Prudens quasi *Porro videns*. Isidorus.
Sarmenta quasi *Sarpimenta*.
Securis quasi *Semicuris*. Seruius ad Æneïd. I, CCXCVI.
Seditio dicitur, *quòd seorsum eunt alij ad alios*. Cicero, VI de Rep. apud Nonium.
Semen quasi *Serimen*.
Serra quasi *Secerra* à *Seco*.
Seuerus quasi *Satis verus*. Isidorus.
Siccus, quòd sit *Sine succo*. Isidorus.
Squatus quasi *Squamatus* à *Squama*.
Sudum quasi *Semi vdum*. Nonius. vide Seruium ad Æneïd. VIII, CCCCXXVII.
Sumen quasi *Sugimen*.
Taberna quasi *Tabulerna*.
Vafer quasi *valde Afer*. Nonius.
Venerari quasi *Veniam orare* Festus.
Veredus quòd *Vehat redam*.
Vligo detritum ex *Vdiligo*.

in fine.

Acus aceris ab ἄχυρον.
Adamas, ἀδάμας, quasi ἀδάμαστος, *Indè*

Indomitus, ob duritiem.

Antes ab ἀντιτείνειν. Seruius, ad Georg. II, CCCCXVI.

Calasis à κανάσιες.

Capsa à κυψέλη.

Hecaten dictam esse tradunt, quòd eadem & Diana sit & Proserpina ἀπὸ τῶ ἑκατέρων vel quod Apollinis soror sit, qui est ἑκατηβόλος. Servius ad Æneïd. IV, CCCCX.

Nenia à νηνεάζειν vel à νηνίατος.

Pratum à Dorico πρατιὰ pro πρασιά. Scal.

Tartarus ἀπὸ τοῦ ταρταρίζειν, id est à tremore frigoris. Sole enim caret. Seruius ad Æneïd. VI, DLXXVII. Lactantius, in Achilleïd. I, CXXXIV.

Telum secundùm Græcam etymologiam dicitur à τηλόθεν, id est quicquid longè iaci potest. Seruius.

Trabs à τρόπηξ.

Bulla à *Bulliendo*. vide Asconium in Verrinam de præturâ vrbanâ.

Funus à *Funalibus*: etenim noctu efferebantur, propter sacrorum celebrationem diurnam. Donatus, in Andr. I, I. vide quoque Seruium ad Æneïd. XI, CXLIII.

Persona à *Personando*. A. Gellius, V, VII.

Retæ vocabantur Arbores, quæ aut ex ripis fluminum eminerent, aut in alveis eorum exstarent, quòd prætereuntes naues impedirent & quasi irretirent. A. Gellius, XI, XVII.

GERARDI

GERARDI IOANNIS VOSSII ETYMOLOGICVM ROMANVM.

A Præpositio fit ab integro *αν*, qua ratione *e* fit ab integro *ec*. Veteres enim, vt ex antiquis, & lapidibus, & libris, apparet, scripsere *ecfero*, *ecfari*, *ecsequor*, atque ita in aliis. AB verò simili apocope recisum ex ἀπὸ, abjectâ vltimâ, ac tenui in mediam conversâ. quomodo ab ὑπὸ est *sub*. Ac Cæsar Scaliger, de caussis L.L.c.XXXIV. censet *o* itidem venire ab ὅπου, id est, *ubi*, vel πῶς, hoc est *quomodo*. Sed recedit nimis significatio, vt potius videatur esse ab ὑπὸ, quod interdum διὰ, hoc est, *propter*, significat: vel ab ἐπὶ, quod sæpicule per *ob* exponitur. A præpositione *ab* per paragogen literæ *s* fit ABS, similiter atque Græci ab ἐκ fecere ἐξ. Nam *ξ* in duplici continetur. Imo & Latini ab *ec* fecere *ecs* sive *ex*. Sed de *abs* dissentit Festus Pompeius, cum ait: *Abs præpositio à Græco deducitur ἄψ. Significat autem retractionem in partem posteriorem.* Sed sive ἄψ valet ὀπίσω, hoc est *retro*, sive πάλιν, ἐκ δευτέρου, *rursum*, (vtramque significationem Hesychius agnoscit) longius abit vtraque notio ab ea, quam *abs* possidet. Sed ἄψ, ab ἀπὸ venire, planum est. Nam quod retrocedit, id ab aliquo abit. Quod si *obs* dixere, similiter hoc erit ab *ob*. Sane Priscianus extremo libro IX. censet, *obsoletus* esse ab *obs* & *oleo*: item *obscenus* ab *obs* & *cano*, vel *cœnum*, vel κοινὸν. Addunt aliqui *obscurus*, quod à *cura*, cum Peroto, deducit Scaliger loco eo, quo antè diximus. Quid autem de compositis hisce sentiendum sit, suis meliùs locis de singulis exponemus. Ex *abs* & *que* componitur ABSQVE. *Que* verò hic non tam conjunctio est, quàm syllabica adjectio: vti in aliis multis. De quo ita Priscianus in XIV. ABSQVE *quibusdam composita à præpositione* ABS *&* QVE *conjunctione videtur: sed nunquam* QVE *conjunctio compositione suam vim amittit: vt, atque, neque, quoque. Ergo quando amittit significationem, syllabicè magis adjecta videtur. Est igitur, vt mihi videtur, derivatio ab* ABS *absque, quomodo ab vnde vndique, ubi, ubique, (leg. vbi, vbique) ita, itaque, vter, vterque, quis quisque, in quibus conjunctionis significatio nulla remanet. Ostendimus tamen in superioribus, quod etiam Græci soleant addere δὲ sine aliqua conjunctionis significatione, vt ὅδε, τοῦδε, τῷδε.*

AB

ABACVS, ab ἄβαξ, ἄβακος. Multa enim formant Latini ab obliquis Græcorum. Guicharto est ἄβαξ quasi μὴ ἔχων βάσιν, vt est apud Etymologum. Itaque propriè abacus est mensa quæ basin non habet, vt illa logistarum de pariete suspensa: item coquinaria, quæ nunc parieti applicatur, nunc soluta demittitur, vt vasa super ea reponantur: vnde & *repositorium* dicitur Plinio lib. XXVIII. cap. II. Guicharto *Abacus* Latinus, & ἄβαξ Græcus, dicuntur ab אבך, pro quo vsitatum est התאבך, *extolli, elevari*: quòd rem aliquam elevatam notet, ad reponendum in eo aliquid. De variis *abaci* significationibus plura vide apud Cælium Rhodiginum lib. II. cap. XXX. Fulvium Vrsinum ad Ciacconium de Triclinio, Turnebum lib. II. Advers. cap. III, & lib. XXVI. cap. III. & Bernardinum Baldum libro de vocibus Vitruvianis. Apud Papiam legas: *Abax & abacus tabula, in qua viridi pulvere formæ depinguntur, qua Philosophi vtuntur.* Barthius pro *viridi* legit *vi radij*. Fortasse trajectis literis *viridi* ex *radio in* factum fuit. Sanè radio Mathematici scribebant in erudito illo pulvere: vt Cicero vocat in secundo de Nat. Deor. Cujus & illud Tuscul. v: *Ex eadem vrbe humilem homunculum à pulvere & radio excitabo, qui multis post annis fuit, Archimedem.*

ABARE apud Ausonium legitur Epist. I:

——— Nam suppare avi

Sum tibi ego, & possum fratris abare vicem.

In vulgatis est, *fratris habere vice*. Sed prius illud in optimo & antiquissimo Ausonij codice invenere Scaliger & Vinetus. Etsi autem suspecta ea vox esse possit, propterea quòd in nullo præterea scriptore, ac ne in vetustis quidem Glossariis invenitur; tamen eruditæ Scaligeri conjecturæ fidem derogare non ausim, propterea quod, vt a *lallus lallare*, *à pappa pappare*, sic ab *aba* dicere potuerunt *abare*: quod Isocrati in Æginetica est ἀδελφίζειν, hoc est, ἀδελφόν τινα καλεῖν, vt interpretatur Pollux. *Aba* autem fuerit ab ἀπφὰ, qua appellatione erga fratrem, aut sororem, blandientes vtebantur. Suidas: Ἀπφὰ, ἀδελφῆς καὶ ἀδελφοῦ ὑποκόρισμα. Eustathius tamen in Il. ε, p. DLXV. edit. Rom. vult, solam sororem sorori dicere ἀπφά. Atque addit, inde fieri τὸ ἀπφίον, ὑποκόρισμα ἐν ἐρωτικοῖς. At ἀββᾶ, aliud est. Nam vox est, qua alij ipsos seniores, aut parentes, appellabant. Estque plane à Syris, qui patrem vocant אבא, nempe per anadiplosin Hebræi אב, quod idem signat. Apud Marcum cap. XIV. XXXVI; Paulum ad Rom. cap. VIII. XV, & ad Gal. cap. IV. VI; invenias Syriacum nomen, sed sic, vt semper additum habeat πατήρ: sive id, ἐξηγητικῶς factum, quod scribit Hieronymus in epist ad Galatas; sive, quod alij censent, ob ἔμφασιν eam vocem geminet Syrus interpres. Ab Syriaco אבא monachorum antistes dicitur ἀββᾶ. Quod legas apud Iustinianum Novellâ CXXIII. De ea voce sic B. Hieronymus comment. ad Gal cap. IV. *Cum Abba pater Hebræo Syroque sermone dicatur, & Dominus noster in Evangelio præcipiat, nullum patrem vocandum, nisi Deum, nescio quâ licentiâ in monasteriis, vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquiescamus.* Qui *Abbatissa* vocem probant ex Hieronymianâ regulâ monacharum, scire debent, eam non Hieronymi esse, sed hominis indocti, quod & res clamat, & optimus Patrum censor, Erasmus, observavit.

ABDOMEN, in vett. Glossis exponitur λαπάρα, ὑπογάστριον, ὑποχόνδριον. Ita dici censet Perottus, quòd abditum sit. Tegere enim eas partes natura jussit. In vett. Glossis est *Abdumen*, quasi vt à *lego* est *legumen*, sic ab *abdo* fit *abdumen*. Sed *o*, & *u*, facilè commutantur.

ABIES, dicta putatur ab *abeo*, vt à *facio facies*, à *specio species*. Isidorus lib. XVII. cap. VII. *Abies dicta quòd præ cæteris arboribus longè eat, & in excelsum promineat.* Græcis similiter, Etymologo teste, ἐλάτη vocatur, παρὰ τὸ ἐλαύνω, ὅ ἐστιν, εἰς ὕψος ἀνατεινομένη. Indéque & Homero, Iliad. ε, dicitur ἐλάτη οὐρανομήκης. Ἐλάτην vero esse abietem, clarè scribit Plinius lib. XII. cap. vlt. Ab abietibus coëmendis, Festo teste, dicitur *abietaria*

negotiaria. Sic enim, non *negotia*, in manuscripto legi, indicauit Fulvius Vrsinus.

Ablegmina dici debent, quæ corrupte *albegmina* vocantur in Festi Epitome. Sane in quibusdam etiam MSS^tis partim *amblegmina*, partim *aolegmina* legitur: vt illis præceptoris mei Nantij. Ac, quemadmodum ad Festum monet Scaliger, ita dicuntur partes, quæ a reliqua visceratione separabantur, Diisque porricebantur: vnde & *prosicia*, vel *pro secta* vocata sunt. *Ablegmina* autem dicta ab *ablegere*, quod *separare* notat, vt Græcis ἀπολέγειν, vt *ablegmina* nihil aliud sint, quam ἀπολέγματα. Ab eodem ædes eas, quæ quasi pro derelictis haberentur, *ablectas*, vocat Plautus Mostell. act. III. sc. III. Falsi enim fuere Turnebus, & Lambinus, qui *abjectas* legunt, contra antiquorum & MSS^torum, & prælo excusorum, fidem.

Abolla fuerit ex Græco ἄβολος, si verum est quod putabat Gulielmus Stukius, scholiis in periplum maris Erythræi: vbi tradit, *abolos* & *abollas* idem esse vestimenti genus. Sed aliud Arriano esse ἄβολοι, aliud [illegible] (vtroque enim vtitur) certissimum est. Siquidem ἄβολοι χιτῶνες vocantur, quæ alter, ἀπλοΐδες & ἀνακώλοι, vt ἄβολοι iisdem quæ & [illegible]. Qua de re plura Salmasius ad Vopiscum. Nihilo verius est quod ibidem Stukius tradit, & a Battio quoque proditum ait, *abollas* dici quasi *abullas*, quod vndique essent *bullata*. Nam quis vnquam bullas agnouit in abollis? Et, si etymon id verum est, vnde princeps litera in *abolla*? Omnino autem venit *abolla* à Græco ἀμβολὴ, quod ab ἀναβολὴ, quo *amictus* Græcis significatur, ab ἀναβάλλεσθαι, *induere*. Aristoph. in Vesp. In vett. Glossis *abolla* exponitur ἱμάτιον, quod etsi generatim *vestem* notat, tamen speciatim significat τριβώνιον, sive *pallium*. Erat sane *abolla* pallium militare, vnde & *toga* apud Varronem & Martialem opponitur. Nonius: *Abolla, vestis militaris*. Varro Cosmotoryne, [illegible]. *Toga detracta est, & abolla data est ad turbam mihi, fera militiai munera belli vt præstarem.* Sic Varronis locum emendat Palmerius. Martialis lib. VIII. ep. XLVIII:

> *Nescit, cui dederit Tyriam Crispinus abollam,*
> *Dum mutat cultus, induiturque togam.*

De *abolla* quædam veterum loca collegit Marcellus Donatus dilucidationum in Sueton. Calig. cap. XXXV. Ex iis pleniùs cognosces, & cuiusmodi vestis fuerit abolla, & qui eam gestarint. Non audiendus tamen, cùm ait, abollam quoque fuisse Philosophorum. Nec movet quod Iuvenal. sat. III. de Stoico Philosopho ait:

> ——— *atque audi facinus maioris abollæ.*

Nam ita loquitur poëta καταχρηστικῶς, & cum irrisione quâdam. Sententia enim est: Audi quid commiserit, non jam miles aliquis, sed qui majoris sit dignitatis, ac à quo longè aliam, quàm à milite, sanctimoniam expectes.

Abrotonum aliquibus quasi ἀβρότονον, *inhumanum*, quia ipso est absinthio amarius: vel quasi ἄβρωτον, quia *cibo inutile*: vel διὰ τὸ πρὸς τὴν ὄψιν ἁβρὸν καὶ ἁπαλὸν φαίνεσθαι· ἢ διὰ τὸ [illegible], quòd *conspectu appareat molle ac delicatum*, vel quòd *halitum difficilem siue grauem vel acrem spiret*, vt scribit Nicandri interpres. Quibus scholiastæ verbis duplex, ac à prioribus diuersum, adfertur ἔτυμον. Prius est, vt dicatur, quia conspectu tenerum, molle, & delicatum appareat: vnde & ἁβρότονον dicebatur, Hesychio teste. Hoc etymon si verum est, videtur ἁβρότονον dicendum spiritu aspero, vt in ἁβρός. Alterum est, vt dicatur quasi ἀβαρὲς ab α ἐπιτατικῷ & βάρος, i. *grauitas*; quia grauem acremque halitum spiret. Sed prius malim. Nec illud de spiritu monet, cum multa deriuata eum mutent. Posteriores duæ syllabæ erunt vocis productio: nisi malis esse à τόνος, quia ἁβρῶς τείνεται, *molliter extenditur*. Atque hoc quintum etymon esto.

Absinthium, Gr. ἀψίνθιον, pro quo & ἀψινθία, & ἀσπίνθιον per π dicitur. Latini π mutant in β. Quomodo iidem pro ὀψώνιον dicunt *obsonium*, pro Ἄψυρτος *Absyrtus*, pro ἀψὶς *absis*. Sic enim hæc proferri debent, non per *p*. Dicitur ἀψίνθιον, quasi *indelectabile*: ab α στερητικῷ, & ψίνθος, quod Hesychius interpretatur τέρψις, *delectatio*. Id malo, quam vt sic dicatur quasi ἀπίνθιον: etsi ita, Etymologo teste, quidam veterum Comicorum, id ad etymon, credo, alludentes, appellarunt. Ἀπίνθιον vero sonat *impotabile*, quasi [illegible], vt idem Etymologus ait. Quibusdam & ἀψίνθιον per ἀντίφρασιν dici videtur ab ἅπτεσθαι, quod est *tangere*; quia, ob insignem amarorem, à nullo animalium attingatur. Sed nos ἀντιφράσεις abunde in Rhetoricis nostris explosimus. Quod si ἀψίνθιον dixere, non absurde deduxeris ab Apsintho, Thraciæ ciuitate. Stephanum vide. Ab absinthio est vinum *absinthites*, quod posteriori seculo, vt ex Lampridij Heliogabalo patet, *absinthiatum* dicebatur. Sic *rosatum* ibidem vocatur, quod priores Græcâ formâ dixissent vinum *rodites*, à ῥόδον, h. e. *rosa*. Capitolinus ea circumlocutus in Gordianis, vbi ait, *Fuit vini cupidior, semper tamen vndecunque conditi, nunc rosa, nunc mastiche, nunc absinthio, cæterisque rebus, quibus gula maximè delectatur.* Posteriori seculo pro *absinthium absenthium*, & inde *absenthatum vinum* dixisse videntur: vt ex MSS^tis codd. probat Salmasius ad Capitolinum.

Absis scribo per *b*, non per *p*, etsi Græce sit ἀψίς. Nam Latini in huiusmodi conuertunt π in β, quemadmodum in *absinthium* diximus. Est vero ἀψὶς ab ἅπτω, significante συνάπτω, *ligo, necto*. Confirmatur hæc originatio, tum ex Hesychio, qui συναφαί, ἁρμογαί, interpretatur: tum quod etiam, quando sic dicuntur τὰ κύκλα τῶν τροχῶν, αἱ συνδέσεις [illegible], (quomodo idem Hesychius exponit,) planè accommodata est hæc originatio. Quippe in omni curvaturâ & fornice, siue arcuatâ figurâ, pars vna alteri est connexa. Fallitur igitur cum aliis doctissimus Hermolaus Barbarus, qui in Glossematis Plinianis putat, quia *absis* etiam ponitur pro rotæ curvaturâ, siue ligneo rotæ circulo, quo terram, dum volvitur, contingit: iccirco planè esse ab ἅπτομαι, i. *tango*. Non enim tam ad specialem quempiam vocis vsum, quam ad generalem eius notionem, attendere oportet. Apud Isidorum legas Originum lib. XV. cap. VIII. *Apsida Græco sermone, Latinè interpretatur lucida, eo quod lumine accepto per arcum resplendeat.* Videtur eò respexisse, quòd lumen de lumine accendere Græci dicant λύχνον ἅπτειν, vnde ἀψὶς verbale inusitatum. Sed de etymo fallitur, vt antea ostendimus. Sequitur apud Isidorum: *Sed vtrum absidam, an absidem dicere debeamus, hoc verei genus, ambiguum quidam doctorum existimant.* Nempe posteriores ex obliquo accusativo fecere rectum *absidam*, vt dixere *lampas* & *lampada*, *hebdomas* & *hebdomada*, *Narbon* & *Narbona*, *Ancon* & *Ancona*, aliaque. *Absidem* autem hic Isidorus dixit pro sanctuario templi, siue, vt loquimur, choro quod lumen ait recipere per arcum, siue, vt alibi vocat, cameræ lacunar. Sic *absidis* vel *absida* vocem crebrò legas apud scriptores Ecclesiasticos. Vt Paullinum epist. XII. ad Severum. Nihilque apertius loco illo Concilij Carthaginensis III. Can. XXXI. *Cuiuscunque autem pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod vniversa Ecclesia noverit, ante absidem ei manus imponatur.* De variis *absidis* significationibus aliquid legere potes apud Cælium Rhodiginum, lib. XXVIII. c. 2. Sed & *absis* in Glossis Philoxeni exponitur περιφερής, νεαρός: Indéque fortean *absitanum*, νέον χρυσόν, vt in iisdem Glossis exponitur. Dicam quid hac de voce existimarit vir quidam longè doctissimus. *Absitanum* sic coniectabat dici ab ἀψὶς, quod per crasin erit ab ἀπέψησις, h. e. *purgatissimum & percoctum* igne: nam ἕψω *coquo*. Vel ab *Ausitanis*, qui in Hispania. Nam apud Ptolomæum lib. II. cap. VI. Αὔσα est oppidum Hispaniæ Tarraconensis situm in Αὐσητανοῖς, vt apud Ptolomæum est, siue in Ausetanis, vt est apud Plinium lib. III. cap. III. vel, quod maximè ei placebat, ab ἀψὶς, quod in Glossis Philoxeni *recens* siue *nouum* exponi dicebamus: ἀψὶς verò sit ab ἄψ h. e. *denuo*; quod dicitur quasi *de nouo*. Itaque *absitanum* propriè esse suspicabatur aurum *recens*, nec vsu tritum. Iudicium penes lectorem esto. Ab *apsis* est *parapsis* iuxta Cujacium, vt in *parapsis* dicemus.

Abstemius, ab *abstinentia temeti* dictus, teste Fabio lib. I. cap. VII. Idem sensit Gellius. Cuius hæc verba lib. X. c. XXIII. *Mulieres Romæ, atque in Latio, ætatem abstemias egisse, h. e. vino semper quod temetum priscâ linguâ appellatur, abstinuisse, dicunt.* Nisi etymon hoc certissimum esset, videri posset, venire non ex *abs* & *temetum*, sed simpliciter ab *abstinendo*, vt putarunt, qui *abstenius* scripsere superioribus seculis. Imo & dixerit aliquis, hanc esse caussam, cur interdum ab antiquis addatur *vini*. Vt apud Plinium lib. XXII. cap. XXIV. *mulieribus vini abstemiis*. Ac Ausonium, in Professoribus Burdigalensibus: *vini cibique abstemius*. Sed de cibo, quod additur, planè καταχρηστικῶς. Nam propriè abstemius, ὁ μὴ πιπίσκων οἶνον, vt Philoxeni Glossæ interpretantur. Appuleius, lib. XI. pro eo novè *invinius* dixit.

Absurdus, est à *surdus*, vt à *sonus absonus*. Propriè itaque absurdum dicitur, quod surdis auribus audiendum, siue quod auditu plane indignum. In Glossis Philoxeni *absurdum* exponitur ἀνάρμοστον, ἀπηχὲς ἀσύμφωνον. Plus verò esse, quam *ineptum* & Terentius claré indicat Adelphis act. III. sc. III. & act. V. sc. VIII. & ad vtrumque locum vetus interpres. Græcis *absurdum* dicitur ἄτοπον, quasi cui nullus sit in naturâ locus. Quamquam & κωφὸς non admodum absimili tralatione sumatur, vt κωφὸν βέλος apud Homerum, pro *irrito telo*; κωφὰ ἔπη, apud Sophoclem, *verius frigida, & inepta*.

Abyssus, ἄβυσσος. Quod Aretas, in explanatione Apocal. cap. XXVI. deducit à βύω, *tego, operio*. Atque addit, sic dici, vel [illegible] quia semper pateat hiatus, *nec vnquam obturetur*: vel διὰ τὸ [illegible], *ob summam profunditatem*. Vt α hic non στερητικὸν sit, sed ἐπιτατικόν. Hac ratione ἄβυσσος dicetur

cetur pro αἴθυσσε, à ἀΐσσειν. Quæ originatio satis dura. Nihilo mollius, quod Etymologus scribit in hac voce apud Suidam quoque legere est, ἄβυσσος dici quasi ἄδυσος, à δύω, quod est εἰσχωρῶ, *subeo*, *ingredior*. Simplicissimum, verissimumque, quod idem Suidas tradit, esse ab Ionico βυσσὸς, pro βυθὸς, θ conuersio in σ. Quomodo & Lacones pro θεὸς dicunt σιός. Vnde Σιόφιλος, quasi θεόφιλος, & Σιόβουλος, quasi Θεὸς βουλεύει. Et τῷ σιῷ, τῷ Διοσκούρῳ, Atticè.

A C

Ac, putat Becmannus, per apocopen fieri ab integro *atque*. Sed omnino *atque* est ex *ac* & *que*, vt *neque* à *nec* & *que*, *absque* ex *abs* & *que*. *Que* autem hic syllabica est adiectio. Vide Prisciani locum in *A* citatum. Est autem *ac* τῶ μεταθέσει à ἀγε, vt *et* a τε. Id malim, quam vt sit ab אך *ach*. Quippe hoc signat, *sed*, *omnino*, *sanè*, *duntaxat*: quę significationes longius abeunt.

Academia, etsi vsu commune, siue, vt vulgo loquuntur, appellatiuum factum sit: propriè tamen ita dicebatur nemorosus extra Athenas locus, in quo Philosophiam primus docuit Plato. Dici quidam putarunt, quasi ἀκος δήμου, *medicina populi*. Alias quoque eius generis allusiunculas fingunt. Sed certum est, prius fuisse Ἑκαδημία, ac sic vocari ab *Ecademo* Heroe. Quod ex Timonis versibus probat Hesychius illustrius; ex iis verò, & Eupolide, Laertius, vterque in Platone. Respexit eodem Horat. lib. II. epist. II.

Scilicet vt possem curuo dignoscere rectum,
Atque inter siluas Ecademi quærere verum.

Quanquam in quibusdam libris Herois eius nomen per *A* scribatur, *Academus*. Quòd penultima vocis *Academia* nunc correpta inueniatur, nunc porrecta, id ex eo est, quod Græci & Ἀκαδημία dicant, & Ἀκαδήμεια. Corripiunt itaque Claudianus & Sidonius. Producit Cicero, I de Diuinat. cùm ait:

Inque Academiâ vmbriferâ, nitidoque Lyceo.

Item Laurea Tullius, epigr. ad patronum suum Ciceronem:

Atque Academiæ celebratam nomine villam.

Becmannus autumat, hic Græci accentus habitam rationem. Sed cùm apud Aristophanem, aliósque per ει quoque scribatur, nihil isthac excusatione opus. Præterea probandum fuerat, non minus Tullij, quam Prudentij ac Sidonij æuo, solere syllabam, naturâ correptam, haut aliâ de caussâ produci, quam quia acuatur ea apud Græcos.

Acanthis, ἀκανθὶς, ab ἄκανθα, id est, *spina*. Caussam ponit Plinius lib. X. c. LXXIV. *Et acanthis in spinis viuit: idcirco asinos & ipsa odit, flores spinæ deuorantes.* Acanthidem, & carduelem, eandem esse auem, sensit Probus: *Acanthis*, inquit, (al. acalanthis,) *ea est, quæ Græcè ἀκανθὶς dicta est, Latinè Carduelis, à carduo.* Similiter Isidorus lib XII. cap. VII. *Carduelis, quod spinis & carduis pascitur: vnde etiam apud Græcos acanthis dicta est, ab ἀκάνθαις, id est, spinis, quibus alitur.* Seruius dubiè magis loquitur. Nam ad illud III. Georg.

Litoraque halcyonem resonant, & acanthida dumi.

scribit in hunc modum: *Acanthidem alij lusciniam esse volunt, alij verò carduelem, quæ spinis & carduis pascitur: vt inde etiam apud Græcos ἀκανθὶς dicta sit, ἀπὸ τῶν ἀκανθῶν, id est, spinis, quibus pascitur.* Etiam in Glossis Cyrilli legas: Ἀκανθυλλὶς, *cardeilis*. Vbi *carduelis* legendum esse, satis liquet. Sed Brodæus, lib. VII. Miscell. c. I. diuersas facit. Sanè nihil caussæ video, cur eandem putarint, præterquam similem originationem. In Maronis loco Pierius, deleta copula, legit, *acalanthida*; séque cum Probi loco tuetur; tum imprimis, quòd eam lectionem vno consensu inuenerit in codd. antiquis. Et sanè Græcis ἀκαλανθὶς quoque dici, ex Hesychio & Suida, cognoscimus. Sed pro vulgatâ, cùm Theocriti hoc facit, Idyll. VII.

ἄειδον κόρυδοι, καὶ ἀκανθίδες

tum hoc Calphurnij, eclog. VI.

Astyle, credibile est, vt vincat acanthida cornix?

Theodorus Gaza ἀκανθίδα vertit *spinum*; quod à spinis, vt ἀκανθὶς ab ἄκανθα. Ferri poterat, nisi Latini proprium *carduelis* nomen haberent. Bellonius verò nō audiendus, qui *spinum* Gazæ, & σπῖνον Græcorum, idem esse arbitratur. Nam Gazæ *spinus* est *acanthis* siue *carduelis*. At quæ Theophrasto σπῖνος, aliis etiam σπίζα, hæc Latinis *fringuilla*, vel etiam *fringillus*.

Acanthium, ἀκάνθιον, folia habet aculeata, instar τῆς ἀκάνθης λευκῆς, *spinæ albæ*: vt Dioscorides ait. Atque ob has ἀκανθώδεις ἐξοχὰς siue aculeos, nomen habet acanthij. Idem auctor est, lanuginem habere, vnde vestes texantur. De eodem sic Plinius lib. XXIV. c. XII. *Huic* (spinæ albæ) *similis, quam Græci acanthion vocant, minoribus multo foliis, aculeatis per extremitates, & araneosa lanugine obductis: quâ collectâ etiam vestes quædam bombycinis similes fiunt in Oriente.* Varro apud Seruium in illud Virgilij: *Et circum textum croceo velamen acantho*, tegtas ait, *in India esse arbores, quæ lanam ferant. Item Epicarmus in Sicilia, quarum floribus cum desint suni acules, ex his* implicitis mulieres multiplicem conficere vestem. *Hinc vestimenta acanthina appellata.* De arboribus Indicis quod ex Ctesia ait, ex Theophrasto etiam constat. Sed in Sicilia non sunt eiusmodi arbores, vt omnino lanugo illa Sicula, vnde vestes texebantur, fuerit ex acanthio spinâ. Nec tamen de eo Virgilius loquitur, qui non *acanthino* dicit, sed *acantho*, herba topiariâ & vulgari. Vnde Seruius ad hunc locum interpretatur, *herbâ acantho, id est, flexibili virgulto.* Quomodo ait auctor carminis de Phœnice quod Lactantio solet tribui: *& olentis vimen acanthi.* Et Maroni quoque *mollis acanthus* nihil aliud est, quàm lentus & flexibilis, quomodo idem *mollia crura* dixit, & *mollia colla*. Imò neque virgultum ipsum per croceum acanthum à Marone intelligitur, sed limbus coloris crocei, qualis cernitur in acantho. Quomodo & Hesychio Ἀκανθος, ἄκαρπος ἢ ὑφασμάτων. Acanthinæ vestis meminit & Isidorus: sed perperam putauit, eam fieri ex acantho herbâ Ægyptiâ: cùm ea soleat texi ex pappis siue lanugine acanthij, quod spinæ vel cardui genus fuit. Vide, si voles Isidorum l. XVII. c. IX.

Accendo, *incendo*, *succendo*, à *cendo* venire ait Velius Longus libro de Orthographia. Nec movet eum, quòd non dicatur *cendo*. Nam, inquit, nec dicitur *cuso*: & tamen dicitur *accuso*, *excuso*. Sed hæc sunt a *caussa* & *caussare*. Melius, qui dicunt, esse à *candeo*. Reuera autem sunt ab antiquo *cando*. Nam vt *suspendo*, non à *pendeo*, sed à *pendo* esse, tum terminatio indicat, tum significatio: ita & hæc duo, *accendo* & similia, à *cando* esse euincunt. De significatione quod dico, id huiusmodi est. *Pendeo* neutrale est, venitque a *pendo*, quod actiuum est, vnde *suspendo*, quod itidem actiuum. Ergò *candeo*, quod neutralis significationis est, similiter erit à *cando*, quod actiuum fuit, indéque *accendo*, *succendo* & *incendo*, quæ & ipsa actiua sunt. Ex hac vocis origine patet, *accendere* & *incendere* propriè notare *candidum reddere*, *illuminare*, *illustrare*; sed μεταφορικῶς accipi pro *inflammare*, quia flammam comitatur lux; μεταφορικῶς verò sumi pro *celebriorem reddere*: vt apud Plautum Trinummo, act. III. sc. II. *Si istuc, vt conare, facis indicium, tuum incendes genus.* Et fortasse Cornelium Seuerum in Ætna: *Nunc opus artificem accendit, caussámque reposcit.* Quod Scaliger interpretatur, opus in caussa est, vt artificem admiremur, caussamque accuratius exquiramus. Quod si *incendere* propriè est *excandefacere*, quod origine vocis comprobauimus, nil mirandum sane, Varronem, vt *excandefacere annonam*, sic & *incendere annonam* dixisse. Ita enim ait lib. III. de R.R. cap. II. *Aut collegiorum cœna, quæ nunc innumerabiles excandefaciebant annonam macelli.* Et paulò pòst: *Quotus quisque enim est annus, quo non videas epulum, aut triumphum, aut collegia non epulari, quæ nunc innumerabiles incendunt annonam?* Item περὶ Μενίππου apud Nonium in Edones: *Edones Romam, vt turba incendat annonam? Sed propter phagones ficedulam pinguem, aut turdum, nisi volantem, non video.* Sic locus hic ex Scaligeri & aliorum emendatione legi debet: vt sententia sit: Romamne se Edones conferunt, quo annonam cariorem reddant? Atqui tantum istic helluonum est, vt nec turdum, aut ficedulam, videre sit, nisi volantem. Fabius quoque declamat. XII. similiter dixit, *annonæ incendium*.

Accensi, sæpius nominantur cùm in scriptoribus, tum lapidibus antiquis. Nec eâdem semper notione ea vox sumitur. Asconio quidem sic describitur in III. Verr. *Accensus nomen est ordinis & promotionis in militia, vt nunc dicitur princeps, vel commentariensis, aut cornicularius. Hæc enim nomina de legionaria militia sunt.* Plurimum autem ita dicti fuere ministri magistratus. De vocabuli origine non conuenit. Varroni interdum placet, ita ab *acciro* vocari, siue quòd accirent alios ad prætorem; siue quia accirentur ipsi ad eorum, quibus ministrarent, arbitrium. Varro lib. V. de L.L. *In aliquot rebus, item vt præco, accensus acciebat, à quo accensus quoque dictus. Accensum solitum ciere, Bœotia ostendit: quam Comœdiam Ælii esse dicunt, hoc versu: Vbi primùm accensus clamarit meridiem. Hoc item Cosconius in actionibus scribit, prætorem accensum solitum tum esse iubere, vbi ei videbatur, horam esse tertiam, inclamare horam esse tertiam, & horam nonam.* Aliter idem Varro in VI. de L.L. *Accensos, ministratores Cato esse scribit. Potest id ab arbitrio, nam inde, Ad arbitrium eius, cuius minister.* Nam videtur hoc velle, *censere* idem esse ac *arbitrari*: vnde *censores* dicti. Atque ab ea notione *censendi*, dictos esse *accensos*, quia ad arbitrium eorum agerent, quorum ministri forent. Non multum abit Nonius Marcellus in *Decurionès*. Vbi sic dici ait ab *accensendo*, id est, *attribuendo*. Atque huc refert verba ista Varronis lib. III. de vita pop. Rom. *De adscriptivis, cum erant attributi decurionibus, & centurionibus, qui eorum haberent numerum, accensi vocabantur.* Ita legit Scaliger, vbi in vulgatis: *Quid ea scripsi vis, cùm erant*, &c. Ecce & tertium Etymon apud eundem Varronem lib. XX. Rhetoricorum, vt est in vulgatis codd. Nonij, siue potius rerum humanarum, vt viri eru-

diti emendant: *Consules ac Praetores qui sequuntur in castra, quod ad necessarias res saepius acciantur, velut arcessiti, quos nunc dicimus deputati.* Ecce ait, *accensos* dici quasi *accersitos*. Sed placet emendatio Scaligeri, legentis, *accensitos*. Sanè à *censendo*, *accensos* dici ἀναλογία docet: vnde & *accensi*, qui aliter *adscriptitij*. Festus: *Adscriptitij, veluti quidam scripti, dicebantur, qui supplendis legionibus adscribebantur: hos & adcensos dicebant, quòd ad legionum censum essent adscripti.* Vide quæ ibi notat magnus interpres. & quæ Godscalcus Stevvechius in Vegetij lib. II. cap. XIX. item Robortelum lib. II. Emendat. cap. XXI. Sigonium de antiquo iure Italiæ, lib. II. cap. XV. Onuphrium Panvinum in ciuitate Rom.

Accentvs, quòd vulgò pro tenore siue tono vsurpatur id fit κατ' ἐξοχήν, cùm natura sua tam latè pateat quàm Græcum προσῳδία, quod & ἔτυμον indicat. Nam vt προσῳδία est à πρὸς, *ad*, & ᾠδή, *cantus*, ita & *accentus* dicitur quasi *accantus*; ac comprehendit vtraque vox præter tenorem, etiam spiritum & quantitatem: e quibus tenor quidem syllabæ accidit secundum longitudinem, spiritus secundum latitudinem, quantitas secundum profunditatem. Vnde verò accentus alius acutus dicatur, alius grauis, alius circumflexus: dictum nobis lib. II. Exercitationum Grammaticarum.

Accipiter, planè censeo esse corruptum ex ἀκύπτερος, quod genus est accipitris. Eius meminit & Macarius homil. XXXII. p. 415. Aliis placet, *accipitrem* vocari, quòd male *accipiat aues*. Gregorius lib. XXXIII. Moral. cap. XI. (al. XVI.) *Accipere aliquando auferre dicimus, vnde aues, quæ alias rapiunt, accipitres vocamus.* Eandem Etymologiam sequitur Beda in quæst. super sentent. cap. X. & Isidorus lib. XII. cap. VII. Cum hoc etymo consentit appellatio Germanica *Habbich*; pro quo inferiores Germani *Havik*. Est enim *Habbich* ab *Happen*, quod est *arripere, apprehendere*. At species ea, quæ *accipiter fringillarius*, aut etiam *nisus* vocatur, Germanis, cum superioribus, tum inferioribus, Belgísque, dicitur *Sparvver*, seu *Spervver*, vti & Italis *Sparaviero*, Gallis *esprevier*. De origine eius vocis sic Cæsar Scaliger, Exercit. CCXXIII. *Sparverium aliquando à Græco deduxissem, παρὰ τὸ σπαράττειν aues; quam vocem in Italiam simul Exarchatus cum Græculâ superbiâ importassent, nisi Germanice sic eum appellaremus.* Hæc ille. A Germanis igitur hanc vocem habent Itali ac Galli, diciturque iis *sparveer*, quasi *spar-veer*, h. e. *expandens pennas*. Nam *sparren* iis *expandere* siue *extendere*: *veer* autem contractum ex *veder*, seu *feder*, h. e. *penna*, siue *ala*. Ratio nominis est, quòd auis ea sereno cælo, quo calorem Solis omni corpore attrahat, alas expandat instar conopæi, quod & Itali iccirco appellare videntur *sparaviero*. Plura de accipitris, vocumque synonymarum notatione, tum imprimis de ipsius auis natura, vide sis apud Vlyssem Aldrovandum lib. IV. Ornithologias.

Accvsare, *incusare, recusare, excusare*, à *cuso* veniunt hoc à *cudo*: vt quidem Priscianus credit lib. X. *Eius (verbi cudo) frequentatiuum cuso est, ex quo composita incuso, recuso, accuso, excuso.* Idem censuit Velius Longus lib. de Orthograph. *Mihi placet vt accusator per vnum c scribatur. Nam, quemadmodum in eo, quod est incusare, cusare nihil est. & accendere, cendere per se nihil est: dicimus tamen & accendere & incendere*, &c. Sed bis peccat Velius. Primum in eo, quòd censet, *accuso* esse à *cuso*, cum sit à *causso*: Deinde quod *accendo* putat esse à *cendo*, cum sit à *cando*: de quo superius dictum. Eadem verò ratione à *caussa* est *caussare*, indéque *accusare* & similia: quâ ab αἰτία, quod est *caussa*, est αἰτιάω, quod est *caussam tribuere, caussari*: & inde ἐπαιτιάω & κατηγορέω, *accusare*; quâ in notione & simplex vsurpatur. Obiter addo, apud Ciceronem, atque alios, plurimum tria hæc differre, *postulare, deferre* & *accusare*. Primò enim postulabatur, vt deferre aliquem liceret: Deinde sequebatur nominis delatio: Postrema fuit accusatio. Cælius ad Cic. ep. V: *Illud mihi occurrit quòd inter postulationem & nominis delationem, vxor à Dolabella decessit.* Cic. pro Domo: *Sexti Propertij nomen detulit, accusare propter calumniæ metum non est ausus.* Pro *postulare* etiam dicitur *reum facere*: vt eâdem Cælij epistolâ: *Non dubito, quin perlatum ad te sit, Appium a Dolabella reum factum.* Sic pro Scauro: *Reus est factus à Capione.* Et sanè diuersum esse ab accusatione, Asconius docet in II. contra Verrem: *Quid est reum fieri, nisi apud prætorem legibus interrogari? Cùm enim in ius ventum esset, dicebat accusator apud prætorem reo, Aio, te Siculos spoliâsse. Si tacuisset, lis ei æstimabatur: si negâsset, petebatur à magistratu dies inquirendorum eius criminum, & instituebatur accusatio.* At longè aliud est *reum peragere* quod de accusatore dicitur, cùm caussam vicit. Malè igitur, *reum agere*, & *peragere*, vulgus confundit, & cum vulgo magnus Desiderius.

Acer, arbor, quia acris, hoc est, durì admodum ligni est. Vnde & Græcis à σφενδάμνος (quomodo iis acer vocatur) σφενδάμνινος, non pro *acerno* solum, sed etiam τῷ ἀκλάστῳ pro *duro & solido*, vsurpatur. Hæc magis verisimilia sunt, quam Perotti sententia, cui *acer* dici videbatur, quia *acria* in ea artificum ingenia exercerentur, iuxta illud Plinij, lib. XVI. cap. XV. *Acer eiusdem (ac tilia) amplitudinis, operum elegantia ac subtilitate citro secundum.* Sic iam olim eum locum legit Perottus. Nec aliter antiqua mea Parmensis anni CIↃCCCCLXXV. In vulgaris *cedro* malè editum. Sanè cum citro coniungit & Martial. l. XIV. epig. XC. cuius lemma, Mensa acerna:

> *Non sum crispa quidem, nec silvæ filia Mauræ;*
> *Sed norunt lautas & mea ligna dapes.*

Citrus enim crescit in Atlante Mauritaniæ monte. Vnde Petronius: *Ecce Afris eruta terris Citrea mensa.* Indéque idem Martialis lib. XII. epig. LXVII. *Et Maurusiaci pondera rara citri.* Et lib. XIV. epig. LXXXIX. cuius lemma, De mensis citreis: *Accipe felices Atlantica munera silvæ.* Nec est quod obducat quis illud Plinij, lib. XIII. cap. XV. *Atlas mons peculiari proditur silva, de qua diximus. Confines ei Mauri, quibus plurima arbor cedri, & mensarum insania, quas feminæ viris contra margaritas regerunt* &c. Nam hic quoque (vt de MSS taceam) citri, non cedri habet optima illa Parmensis editio, cuius antè memini. Quare fallitur Matthæus Raderus, qui in suis ad Martialem notis ex superiori Plinij loco colligere conatur, citrum & cedrum a veteribus confundi.

Acer, adjectivuum, videtur esse ab ἀκὶς, *acies, acumen*. Iuuat hanc ἐτυμολογίαν, quòd tum de acie ea vox dicatur; vt apud Cic. III. de Orat. *Acris acies in naturis hominum & ingeniis*: tum de aceto, quòd primam suam originem ab ἀκὶς trahere, suo loco dicetur. Horat. lib. II. sat. III: — *Acre potet acetum.* Et Cornelius Celsus lib. IV. cap. IV: *Asclepiades, auctor bonus, acetum ait quàm acerrimum esse sorbendum.* Vel *acre* est ab ἄκρος, *extremum*: vt *acre* propriè vehementiam ac perfectionem significet. Ab *acris* est diminutiuum *acriculus*, vt à *fortis* *forticulus*. Cic. III. Tusc. *Et hoc ille acriculus, me audiente Athenis, senex Zeno.* Sic legit quoque Turnebus lib. XX. c. XVI. pro quo alij *Graculus* aut *acrochoreus* substituunt. Ab eodem est *acrimonia*: vbi tres postremæ syllabæ sunt vocis productio; vt in *sanctimonia, castimonia, cærimonia*; item *testimonium, vadimonium, matrimonium*. Quæ omnia fiunt à casu in *i*. Est verò *acrimonia* propriè ἀκρίβεια. Nam ἀκριβὲς propriè τὸ εἰς ἄκρον βαῖνον, prout scitè ἐτυμολογίζει Iulius Scaliger lib. III. de re Poet. cap. XXXIII.

Acerbvs, ab ἀκὶς, *acies, acumen*; quia, quod gustatu acerbum, id linguam pungit ac mordet. Id malim, quam vt sit ab *acerum* asperitate: Vel ab *acer*; quòd acerba saporem acrem habent. Dispar tamen quantitas in adjectiuo *acer*, ac *acerbus*. Vnde aliqui malunt esse a substantiuo *acer*; quod quantitate conuenit. Sed, vt dixi, verisimilius est, à Græco ἀκὶς venire.

Acerra, non potest esse patera, in qua libatur: quod tamen legere est apud pseudepigraphum Cornutum ad Pers. sat. II; & veterem Horatij interpretem ad lib. III. Od. VIII. Quippe cum patera coniunxit Ovidius, extremo lib. IV. Fast. *Cùmque meri paterâ thuris acerra fuit.* Quare rectius Festus siue Paullus: *Acerra, ara, quæ ante mortuum poni solebat, in quâ odores incendebantur. Alij dicunt, arculam esse thurariam.* In Glossis quoque Philoxeni legitur: *Acerra* λιβανωτρίς. Ac in iisdem quoque Glossis, vbi vulgo, *acceptuaria*, λιβανωτρίς, rectè emendat Scaliger, *acerra thuraria*. An ergo acerra prius fuit arcerra, & sic dicta quòd odores in eâ accensi arcerent cadaueris graueolentiam? Sanè & Cicero, II de Legg. de funeribus tractans, ait: *Ne sumtuosa respersio, ne longæ coronæ, nec acerræ prætereantur.* An ab *acere* quasi *acerna*? Nempe à materia, vt *pixis*, quia è πύξῳ, hoc est, *buxo*. An verò est ab *ago*, & *ara*? vt sic dicatur, quòd esset agilis ara, quæque huc illuc transferri posset? Nam veteres *c* vsurpabant pro *g*. Vnde Festo teste, *acetare dicebant, quod nunc agitare*. Sic eadem, *subicitare* *subigitare*, *cerro gerro*, *calbei galbei*, &c. An potius quemadmodum à *cista* est *cistula*, inde *cistella*, (à quo & *cistellulam* dixit Plautus;) sic ab *arcâ* est *arcula*, vnde *arcellá*, ac pro *arcella* dicitur *acerrá*? Hanc opinionem firmare videtur, quod Festus scribit, quibusdam *arcerram* dici *arcellam*, siue arculam thurariam. An vero ex Græco ἐσχάρα, i. e. *focus*: item *ara*? An origine potius Hebræum, τὸ ἐκ μεταθέσεως nempe, ab חרר *charar*, id est, *accendere*? Nempe vt ara sit, in qua odores incenderentur, iuxta definitionem Festi? Sane sacrorum vocabula pleraque Thusca sunt, & ab Orientis linguis deflexa.

Acersecomes, ἀκερσεκόμης, Apollinis epitheton. Sed Iuuenalis vtitur pro catamito, siue puero vsurario. Locus est Sat. VIII.

> ——— *Si nemo tribunal*
> *Vendit acersecomes.*

Conflatum ex α priv. & κείρω, siue Dorico eius futuro κερῶ pro κερῶ, *tondere*, & κόμη, *coma*. Vt ἀκερσεκόμης notet *intonsum*.

Acervvs, vel est ab ἀκὶς, *acies, acumen*; vt propriè sic dicatur rerum minutarum congeries fastigiata, siue in acumen desinens. Vel ab *acus aceris*, vt propriè significet aceris siue paleæ cumulum.

cumulum. Hinc verò extensâ latius significatione accipi cœperit pro quantumuis rerum minutarum congerie. Vel à Græco *ἀγερμὸς*, quod Hesychius *ἄθροισιν* interpretatur. Nempe ἀπὸ τοῦ *ἀγείρειν*, quod est *colligere*.

Achates, *ἀχάτης*, gemma est, ita dicta ab Achate Siciliæ fluuio, vbi Achates primum inuentus, vt Plinius ait lib. xxxvii. cap. x.

Aciarium videtur esse ab *acu*, vt sit *ἀκιδοθήκη*. Sed in Glossis Philoxeni legas: *Acciarium, στόμωμα*. Vbi, *aciarium, στόμωμα*, legi debere liquet ex loco alio in iisdem Glossis; vbi est, *dentesinium aciarium, στομωμάτιον*. Fuerit igitur *aciarium* ab *acie*; propriéque sit σίδηρος ἐστομωμένος, *ferrum acie roboratum*: Est *aciarium* vox æui posterioris. Pro eo Plinius *aciem* dixit. Vt cum ait, *ferrum excoqui ad indurandam aciem*. *Indurare* hic est, *στομοῦν*, vt in vett. Gloss. exponitur. Ergo acies indurata, *στόμωμα*. Quæ & Damacho apud Athenæum *χαλυβδικὸν στόμωμα*, *acies chalybdica*, à Chalybibus Ponti populo, optimam aciem, siue, vt postea locuti, optimum aciarium, mittentibus.

Acidus, ab *acer*, siue verbo *aceo*, unde *acesco*; nempe vt *calidus*, à *calor*, vel *caleo*, unde *calesco*. *Acor* verò & *aceo* sunt ab *ἀκὴ* siue *ἀκίς*, quod generatim *aciem* siue *acumen* notat. *Aceo* vsurpat Cato de re rustica cap. cxlviii. Item Sidonius lib. vii. ep. vi. *Aceris* vox haut ignota Perotto, qui pro ipsa *acerositate* poni ait: sed apud eum, etiam in Aldina, pro *acor* vitiosè *acer* editum est. Vtitur, præter Columellam, Fabiúmque, Tertullianus, libro primo aduersus Marcionem cap. ii. *Modicoque exinde fermento totam fidei massam hæretico acore desipuit*. Sic eum locum in castigationibus ineditis præclare emendat Ios. Scaliger. In vulgatis minus rectè est: *hæretico acore decepit*. Quid sint *sipare*, *desipere*, *insipere*, suo loco dicemus. Porro Dictionarium, quod *Gemma* inscribitur, Antuerpiæ anno clɔcccccxciv excusum, *acidum* sic deriuat: *Vinum aqua mixtum citò in aceti saporem redigitur. vnde acidum quasi aquidum*: ab *acidus* in Glossis est *dulcacidus*, exponiturque *ὀξύγλυκυς*. Cui voci affine illud Catulli de Venere: *quæ dulcem curis miscet amaritiem*. Quemadmodum verò Græcis ab *ὀξὺς*, id est, *acutus*, venit *ὀξύνω*, *aceo*, & *ὄξος*, *acetum*, & *ὀξὶς*, *acetabulum*: sic apud Latinos quoque ab *aceo* (quod eiusdem originis est ac *acuo*, cum vtrumque descendat ab *ἀκὶς*, significante *ὀξύτητα*) tum venit vox *acetum*: (nam acuisse, ac coacuisse, Vlpiano, ac Pomponio, id vinum dicitur, quod in acetum versum, acoremque contraxit:) tum etiam nomen *acetabulum*. Nec enim dubium, quin prius dictum ita sit vas cui acetum infunderetur: inde autem translatum ad significandum mensuræ genus, quod heminæ quartam partem, id est, drachmas xv continere scribit Plinius lib. xxi. cap. vltimo. Atque hoc etymon eo certius est, quòd *acetabulum* Græcis non *ὀξὶς* tantum, sed & *ὀξύβαφον* vocetur, quod manifestè est παρὰ τὸ ὄξος, καὶ βάπτω, τὸ δύω. Displicet tamen hæc *acetabuli* originatio doctissimo Hermolao Barbaro, qui in Plinij lib. xix. cap. vlt. *acetabulum* dici ait, quasi *acceptabulum*; similitérque *acetaria* (quomodo Plinius vocari ait olera hortensia) dici quasi *acceptaria*. Verba eius apponam: *Acetarium non ab aceto, vt credi cœptum est, sed ab accipiendo, flectitur. Ideo enim*, inquit Plinius, *Acetaria appellabantur horti, hoc est, hortensia, quoniam expedita res, & parata semper esset. Nam & acetabulum ab accipiendo dicitur: etiamsi Græci oxybaphum appellant, quasi ab aceto*. Hactenus Hermolaus. Sed fallitur. Nam acetaria sunt olera, quæ cruda sumuntur ex aceto. Acetabula autem vascula, quibus acetum infunditur. Ab eâ autem notione *acetabuli*, quâ notat vasculum acetarium, transfertur ad significandum sinum, seu cavum, in quo caput femoris volvitur: quomodo Plinius vtitur lib. xxviii cap. xi. Nempe quia os hoc figuram habet oxybaphi: quippe est formâ orbiculari, cauâ & sine magnâ latitudine: vt Marcellus ad Dioscoridem annotauit. Simili translatione *acetabula* dicuntur forcipata brachia polyporum, cancrorum, similiúmque animantium. Sic vsus Plinius, libro ix. cap. xxix. vbi de polypis tractat. Ovidius iv. Met. Fab. xi. quæ de Hermaphrodito, *flagella* nominat. Nam omnino illic flagella, quæ Plinio cum acetabula, vti diximus, tum etiam cirri, chelæ, brachia, aut forcipes denticulati, appellantur. Beroaldus tamen *acceptabula* apud Plinium legit: vti & apud Senecam lib. vi. epist. vbi præstigiatorum caliculi, seu vascula, sic dicuntur. Videre autem hæc apud Beroaldum potes, T. i. Thesauri Critici, p. cccvi. Sed *acceptabulum* vox nihili est, & ab eruditis hominibus ficta: etsi ea non displicuit Cæsari Scaligero lib. x. de histor. anim. cap. iii. ubi *κοτυληδόνας acceptabula* & ipse appellat. Nisi autem certum esset, quod de origine *acetabuli* diximus, videri posset, *acetabulum* hac notione venire inde, quòd veteres *acetare* dicebant, quod nunc *agitare*, teste Festo. Veteres nempe pro *g* vsurpabant *c*, vt *leciones*, *pucnando*, *Carthacinienses*, *ecfociunt*, aliáque in Columnâ Duillianâ. Item in plerisque *e* posuere pro *i*: ut *carpet*, *exemet*, *nanebos*, *enque*, & alia in eâdem columnâ. Vtrumque est in *macestratos* pro *magistratus*; & *aceto*, penultimâ correptâ, pro *agito*. Vnde *acetabulum*, vt à *suscito suscitabulum*, à *tintinno tintinnabulum*. Ergò *κοτυληδόνες* eò Latinis dicerentur *acetabula*, quia forent instrumenta *acetationis*, hoc est, agitationis. Quod si placet, *acetabulum* erit inter *ὁμώνυμα* ἀπὸ τύχης. Aliâ enim ab origine fuerit cùm *ὀξύβαφον* notat: aliâ cùm *κοτυληδόνα*. Sed omnino prior sententia verior est. Quippe & Græcis *κοτυληδὼν* non tantum de hominis & polypi acetabulo dicitur: sed etiam vniuersè de cauitate; vt apud Nicandrum, *κοτυληδόνι κυάθου*. Estque *κοτυληδὼν* à *κοτύλη*, quòd cùm vniuersè cauitatem, tum vasculum acetarium seu oxybaphum notat. Ergò, imitatione Græcorum, Latini in homine quoque *κοτυληδόνας* acetabula dixere, quod acetabuli, hoc est, oxybaphi, formam habeant. Ac par ratio de polypi caliculis, & præstigiatorum.

Acerra, vt Festus ait, *est securis ærea, qua in sacrificiis vtebantur Sacerdotes*. Ita constanter MSS. nisi quod quidam numero singulo, *vtebatur Sacerdos*. At Gloss. Philox. *Acceris, ἀξίνη ἱερατικὴ, ὡς Πλαῦτος*. Si rectum est *aceris* fuerit ab *acie*. Perottus *acieris* scribit, quasi ab *acie æris*. Si magis de rectâ scripturâ constaret, dispici posset, an non origine sit Hebræum, vt pleraque sacrorum vocabula.

Acinaces, Gr. *ἀκινάκης*. Malè igitur pleraque Lexica, *acinacis*, per tertiam vocalem. Etymologus ait, esse genus jaculi Persici. Suidas quoque, *μικρὸν δόρυ Περσικόν*. Verùm Hesychius non tantum *δόρυ Περσικὸν* interpretatur, sed etiam *ξίφος*, vti & vetus Horatij interpres: eaque interpretatio est subnixa auctoritate Herodoti, qui in Polym. disertim scribit, καὶ Περσικὸν ξίφος, τὸν ἀκινάκην καλέουσι. Horatio vocatur *Medus acinaces*; quia Medos & Persas confundere solent poetæ. Non dubitandum autem, quin cum re à Persis vox ipsa in Græciam peruenerit; inde ad Latinos. In peregrinis autem Græcum quærere etymon, insanire est. Quare non probo Etymologum, cui *ἀκινάκης*, per *α*, dici videtur παρὰ τὴν ἀκὴν, τὴν ὀξύτητα, *ἀκινάκης* verò per *ι*, (quomodo apud Herodotum scribitur,) quasi *ἀκινάκης* (h.e. *ὀξινάκης*) ἔχων τὴν ἀκήν.

Acinus, siue *acinum*, (hoc Varro crebrò; illo Cicero vsus,) ab *acuo* deducit Perottus. A quo non admodum discedunt, qui deducunt ab *ἀκὶς*, *acumen* siue *acies*. Nam quin ab *ἀκὶς acuo* deriuetur dubium non est.

Acipenser, genus piscis; vt ait Festus: vbi MSS.[1] complures, *aquipenser*. Idem est Martiali, *acipensis*. Hic vt apud Perottum legitur, sic dictus videtur ab *accipiendo* quod frequens mensis accipiatur. Quæ sententia refellitur eo, quòd primam corripiat Lucillius apud Cic. lib. ii. de Fin. Ovidius in Halieuticis. & Martialis in Xeniis. Præterea rarus erat piscis, vt constat ex Plinio & Macrobio, imò & Martiale, qui *munera rara* propterea eum appellat. Ideo & à coronatis ministris cum tibicine inferri mensis solet, vt ex Athenæo & Sammonico scimus. Apud Gesnerum triplicem inuenio de vocabulo eo conjecturam. Nempe, vt præposito *a* fiat à *κίπος πῖον*, quomodo galeus Rhodius vocabatur Syracusis: eundem enim esse hunc ac acipenserem, putabat Archestratus; vt apud Athenæum legitur, lib. vii. Vel vt prius fuerit *oquirenfis*, idque à Græco *ὀξύῤῥυγχος*, ab *acuta rostri* figura. Vel ab Latino *acutus*; ob eandem causam. Quibus duplicem originationem addit Martinius: vt dicatur ita, quia se in *aqua pandat*; (nam *c* & *q* eadem est litera:) vel quia est *acie* siue *acumine pansus*, hoc est, quia lato est rostro & patente. Denique Salmasius censet, *acipenser*, ὑπερθέσει dici pro *acipesner*, ab *acumine peinæ*, hoc est, *pennæ*. Nam antiqui, Festo teste, *pesna* & *cæsna* dixêre pro *penna* & *cæna*: vti & *dusmosus* pro *dumosus*, *Casmœna* pro *Camœna*, & similia. Pennam verò dixêre pro quauis re in acumen exeunte. Vnde, vt idem ait, spicæ cum aristis in Saliari carmine dictæ, agnæ pennatæ: *Penna* igitur de acumine rostri; vt inde sit *acipenseri* nomen. Sanè Cæsar Scaliger putabat, aciperensem eâdem de caussâ *ὀξύῤῥυγχον*. Sed est quidem acipenser inter pisces *ὀξυῤῥύγχους*, h.e. acutum rostrum habentes: verùm veteribus piscis ab acciperense diuersus proprio nomine oxyrrhyncus: vt diximus in *Oxyrrhynchus*. Idem Scaliger cum Rondeletio putabat, sturionem nostrum esse aciperensem veterum. Sed acipenser solum marinus: cum sturio non fluuiatilis minùs sit quàm marinus.

Aclides, breue fuisse jaculum, indicat Nonius. Sed curatiùs de eo Seruius ad illud vii. Æn. — *Teretes sunt aclides illis*
Tela; sed hæc lento mos est aptare flagello.
Aclides, inquit, *sunt tela quædam antiqua adeò, vt nec vsquam commemorentur in bello. Legitur tamen, quòd sint clauæ cubito semis factæ, eminentibus hinc & hinc acuminibus quibusdam: quæ ita in hostem jaciuntur religata loro vel lino, vt peractis vulneribus possint redire*. Meminit *aclidum* quoque Valerius Flaccus, lib. vi. Sidonius, Carm. v. & Vopiscus in Claudio. Quod ad etymon: cùm Seruius dicat, habuisse eminentia hinc & inde acumina, facilè adducor, vt credam dici *aclides*,

 quasi

quasi ἀκίδες. Ἀκὶς enim generatim *aciem* siue *cuspidem* notat, & peculiariter *cuspidem sagittæ*. Nec minùs tamen placet sententia Turnebi, qui lib. xxx. c. xxi. *aclides*, κατὰ συγκοπὴν factum putat ex ἀγκυλίδες, quod ab ἀγκύλαι. Quippe ἀγκύλη jaculi genus fuit; vt Hesychius, Eustathius, & Suidas testantur: & quidem jaculum amentatum, vt ex Euripidis scholiaste patet, qui auctor est, ἀγκύλην forte dici, διὰ τὸ τῷ μέσῳ ἀγκύλας λαμβανόμενον ῥίπτεσθαι. Et is, qui indicem in Eustathium confecit, scribit, siue ex Eustathio, siue aliunde, ἀγκύλην tum jaculi genus notare, tum amentum, hoc est, lorum, quo vinciuntur jacula, vt mitti possint. Quare cum Seruius dicat, aclides solere loro religari, & ἀγκύλας Græci dixerint tela quæ loro religabantur; planè verisimile est ab ἀγκύλαις per diminutionem esse ἀγκυλίδας, atque inde, luxatâ fractâque paullum voce, *aclides* à Latinis appellari.

ACNVA: quid sit, indicat Varro, lib. I. de R.R. cap. x: *Actus quadratus, qui & latus est pedes* CXX. *& longus totidem, is modus acnua Latinè appellatur.* Ita in vett. omnibus codd. P. Victorius inuenit. Apud Columellam verò lib. v. cap. I. legas: *Sed hunc actum Prouinciæ Bæticæ rustici agnuam vocant.* Sed in vett. libris est *acnua*, vel *agnua*. Videtur vtrobique rescribendum *acnam*. Quod fuerit ex ἄκαινα vel ἄκενα. Priores ἄκαιναν dixere mensuræ agrariæ genus. Vsus Apollonius, lib. III. Vbi scholiastes eius annotauit, sic dici tum pedum, siue virgam pastoritiam, tum etiam μέτρον δεκάπουν, siue *decempedam*. Sed prior significatio magis propria. Est enim ἄκαινα sic dicta ἀπὸ τῆς ἀκῆς, *ab aculeo*, quo boues incitantur. Inde translatum ad mensuræ genus. Pro ἄκαινα verò postea dixere ἄκενα. Vt apud Heronem Geodæten, qui ait, habere σπιθαμὰς xv. Id fuerit pedes duodecim. Ex ἄκενα verò est *acna* κατὰ συγκοπήν. Mensura tamen non conuenit, cum Varro dicat, acnam longam latamque esse pedes cxx. Adde, quòd Columella Bæticum esse vocabulum dicat. Sed si Latini, vt ait Varro, sic dixere, Bætici à Latinis acceperint. Et videtur acena vtrumque mensuræ genus notâsse: putà pedes decem, & pedes cxx. Vt idem fuerit decempedæ nomen, & mensuræ eam duodecies complectentis.

ACOLYTHI, ἀκόλουθοι. Platoni in Cratylo ita dicti videntur quasi ὁμοκέλευθοι, ex trito μὲν, & ο in α abeunte. Sed magis placet, vt in ἄκοιτις, ἀδελφὸς, & similibus, ita hic quoque, α significare ἁμοῦ. Interim conuenit, alteram compositi partem esse κέλευθος, *via*. Petrus Lombardus, lib. IV. dist. XXIV. literâ F. Latinè putat sonare *ceroferarios*, h. e. qui cereos deferunt, quando vel Euangelium legendum, vel sacrificium offerendum. In quo, si audimus Erasmum in cap. I. Matth., spisse errat: quanquam non tam vitio suo, quàm seculi Græcè nescientis. Sed puto, Lombardum non tam ἔτυμον vocis, quàm munus eius apud Latinos voluisse indicare. Præsertim quando idem legere est apud Isidorum, lib. VII. cap. XII. quem exscripsit Lombardus.

ACONITVM, ἀκόνιτον. Theophrasto, lib. IX. cap. XVI. dictum videtur ab *Aconis*, vico Periandinorum, vbi plurimum nascitur. Sed *Mariandynorum* apud eum legi debere, ex Ptolemæo, Strabone, Plinio, aliîsque, jam alij obseruarunt. Stephanus, περὶ πόλεων *aconitum* quoque ab *Aconis* deducit: sed oppidum esse ait propè Heracleam. Itaque Theophrastum, Stephanúmque, dissentire hic a me; à quibus ipse dissentio. Nam eundem vterque Bithyniæ locum intelligit, quando & Heraclea, Bithyniæ ciuitas est; & Mariandyni, populi sunt Bithyniæ, vt patet ex octauo Strabonis. Ambigitur, an eundem locum in animo habuerit Nicander, cùm in alexipharm. scribit:

——— ἐν δ' Ἀκονιτοις
Θηλείης ἀκόνιτον ἀνεβλάστησεν ἰωγαῖς.

Magis verisimile est, cùm Theophrastus agnoscat, non Aconis tantùm, sed vbique, attamen in locis petrosis, nasci; non hic certum intelligi pagi siue oppidi nomen, verum *cautes*, quas Græci ἀκόνας vocant. Et hinc sane *aconita* quoque dedu*c*it Ouidius, Met. l. VII:

Quæ quia nascuntur durâ " *viuacia caute,*
Agrestes aconita vocant. (Alij legunt, " *dirâ.*)

Eandem originationem adfert Plinius nisi quòd is non ἀπλῶς *cautes* dicat, sed nudas & sine puluere, respiciens ad originem vocis ἀκόνιτον quæ est ab α στερ. & κόνις, *puluis*; vt propriè signet saxa ne puluere quidem tecta. Imò aliam quoque apud eum rationem nominis legas, vt *aconitum* dicatur, quia vt τῆς ἀκόνης vis se habet, statimque persentiscitur in acuendo ferro; sic huius in acceleranda morte. Sed ipsius Plinij verba adferam, e lib. XXVII. cap. III. *Nascitur in nudis cautibus, quas aconas nominant: & ideo aconitum aliqui dixere, nullo iuxta, ne puluere quidem, nutriente. Hanc aliqui rationem nominis attulere. Alij, quoniam vis eadem in morte esset, quæ cotibus ad ferri aciem attereudi, statimque admota velocitas sentiretur.* In hac opinionum diuersitate, eam, quam secundo loco Plinius commemorat, ineptam puto: planè verò acquiescit animus in illa, quam Ouidius adfert, quamque priori loco commemorat Plinius. Sententiam verò Theophrasti, quam & Solinus sequitur, cap. XL. eò minus probo, quia ἀναλογία τῶν ἐθνικῶν sic non seruetur. Nam ab oppido Ἀκόναι esset ἀκόνιος, vel ἀκοναῖος, vel ἀκονίτης, vel ἀκονιάτης, non verò ἀκόνιτον. Crescebat quidem iuxta Aconas Heracleoticas aconitum. sed hoc inde erat, quia locus illic πετρώδης, quales amat, eóque non ibi solum, sed vbicumque similis locus, solet prouenire. Vt omnino ab ἀκόναις, siue *cautibus*, verisimilius sit prouenire.

ACOROS, siue *acoron*, herba, de qua Theophrastus, lib. II. Hist. Plant. Dioscorides, lib. I. cap. I. Plin. lib. XXV. cap. XIII. Vbi de ea sic inter alia: *Vis ei ad calfaciendum extenuandumque efficax, contra suffusiones & caligines oculorum succo eiusdem poto.* Vnde colligimus, ita dici, quia medeatur κόραις, h. e. oculorum *pupillis*. Vide de ea Ruellium, lib. II. cap. 13; Matthiolum ad Dioscoridem; atque alios. Non galangam esse, sed calamum aromaticum, ait Robertus Constantinus.

ACREDVLA, ab *acri* & *acuto* cantu nomen accepit. Vsus Cic. I. De Diuin.

Et matutinis acredula vocibus instat.

Et apud Isidorum, lib. XII. Origin. cap. VII. versus iste ex Ciceronis Prognosticis adducitur:

Et matutinos exercet acredula cantus.

Addit ibidem Isidorus, acredulam esse eandem ac lusciniam. Sed multum metuo, ne fallatur. Apud Aratum enim, quem Cicero vertebat, est iste versus:

Ἢ τρύζει ὄρθρινον ἐρημαίη ὀλολυγών.

Vnde etiam colligo, Ciceronem potiùs scripsisse,

Aut matutinos exercet acredula cantus.

Quis autem vnquam dixit ὀλολυγόνα idem esse ac ἀηδόνα, siue lusciniam? Theon quidem ad Aratum nihil tale; qui tamen ait, auem esse loca sola amantem, ac matutino tempore cantui instantem. Festus Auienus vertit *vlulam*:

Si matutinas vlula dant carmine vires.

Sunt quibus placet esse fulicam. Et videtur fauere iis hoc Plinij, lib. XVIII. c. XXXIII. *Fulicæ matutino clangore tempestatis præsunciæ sunt.* Ceterùm *acredula* vocem retinet quoque auctor Philomelæ:

Vere calente, nouos componit acredula cantus:
Matutinali tempore, tunc modulans.

Siue, vt in MSS[o] reperit Andr. Schottus,

Matutinali tempore rurminans.

Vnde coniectabam legi debere,

Matutinali tempore rite vlulans.

Sanè hoc conuenit cum eo, quod Auienus *vlulam* vertit. Apud Isidorum. lib. XII. cap. VI. legas & *agredula*: sed dicitur, sic vocari ranas paruas, in sicco vel agris commorantes, atque inde etiam, nempe ab agro, nomen accepisse. Sed sunt hæc inepta.

ACRONYCHVS, *ortus* vel *occasus*. Ἀκρόνυχος, qui fit ἀκρονυχίᾳ, siue quando est ἄκρα νύξ, hoc est, *vespera*. Vsus Firmicus, & vetus scriptor, qui Censorino solet subiungi. Locus est c. III. vbi in membranis est, *aronicos* pro *achronychios*. Pro eo Hesiodus dicit ἀκροκνεφαῖος, loquens de ortu vespertino Arcturi. Ad eum locum sic Proclus: Αὕτη ἐστὶν ἡ ἑσπερία ἐπιτολὴ τοῦ Ἀρκτούρου ἐν τῷ ἄκρῳ τοῦ κνέφους τῆς νυκτὸς ἀνατέλλοντος· κνέφας γὰρ ἡ νὺξ, τὸ ... τοὺς ἀστρονόμους ἀκρονύχους τούτους καλεῖν.

ACROSTICHIS, ἀκροστιχίς, quando initiales literæ versuum continent aliquam dictionem; vt in argumentis Comœdiarum Plauti, & aliquot oraculis Sibyllinis. Ab ἄκρον, & στίχος. Quippe ἄκρον τοῦ στίχου, vt monet Scholiastes Thucydidis notat τὴν ἀρχὴν τοῦ στίχου: eique opponitur ἀκροτελεύτιον, quod est finis versus.

ACRVMERVMA, legas in codd. Festi MSS[tis]: atque additur, sic dici *vtensilia ampliora*. Vett. editt. habent *arumeruma*: vnde Scaliger legit, *arumina*, vel *aramina*; q. d. χαλκώματα. Dionysius Gothofredus mavult *macrarumina*; q. d. μακρὰ ærumina, h. e. *aramenta maiora*. Sed ad hybridam eiusmodi compositionem haut facilè recurrendum.

ACTA, ἀκτή, *litus*, vel speciatim potiùs *litorum* virides vestitus ac amœnitates. Est ab ἄγνυμι, *frango*, quia ad litus *franguntur* vndæ. Vsus Cicero, lib. v. in Verrem, & Maro v. Æn. In Culice quoque vsum putat Scaliger. Sed coniectura eius non vsque adeò certa est. Porrò, non, quia Cicero & Maro vtuntur, idcirco passim *actam* pro *litore* dicere liceat. Quippe vterque horum de Sicilia loquitur. In rebus autem externis suâ res linguâ licet appellare. Imò, vt dixi, propriè ita vocabant amœnitates *litoris*. Nam Seruius interpretatur, *secreta & amœna locorum*: ac in veteri quoque Glossario legas, *Amœnia, αἱ ἀκταί*. Porrò, quia veteres, quando genio indulgere vellent, actam partim piscium gratiâ, partim ob eorum amœnitatem, sectabantur; inde est, quòd formarint verbum ἀκτάζειν, quod nouâ voce *actari* dixeris. Itaque quoties sese liberalius inuitare vellent, prouerbialiter dicebant, Σήμερον ἀκτάσομεν, q. d. *hodie actabimur*. Ponam hac de re locum Plutarchi lib. IV. Sympos. probl. IV. Τί δ' οἱ πολλοὶ βουλόμενοι, περὶ ἑαυτοὺς

ποιεῖν

ἰδίων σκοπῶν παρέχομεν ὅπως ἀκτάλας, λέγουσι : Σύμπερ ἀκλοίστρως ἔχει τὰς [illegible] ὥσπερ [illegible], ὥσπερ ἰσίης. Quid autem. per Deos, *vestros, qui ad obiectationem se nauseo imitantes, dicunt. Heus tu. acta conninauimus? nonne quod in littore versatum eye nauseissimum sentiunt, vti reuera est?*

Actvarivm minutum, vel *actuariolum*, (vtroque modo loquitur Cicero) est nauigij genus ita appellatum, siue ob celeritatem, quia citò agatur, quod fensit Nonius: siue potiùs, quod non velis modò, sed & remis agatur, vt præeunte Isidoro scripsit Baduius. Græcis ἄκατος, & diminutiue ἀκάτιον dici. post Vallam scripsit Hermolaus Barbarus. In quo ei refragatur Bethus. Sed immeritò. Nam remis velisque ἄκατον agi solere, ex Xenophonte & Thucydide, cognoscitur. Loca ipsa apponere, vt et in Thesauro suo fecerit H. Stephanus.

Actvs, pro Comœdiæ aut Tragœdiæ parte, eâ ratione ab *agendo* est, quâ apud Græcos δρᾶμα ἀπὸ τοῦ δρᾶν, quia nempe οἱ δρῶντες μιμοῦνται. Quam nominis rationem Aristoteles adfert eo de re poëtica libro, qui tribus solus superest. *Actus* vero in agris sic dicitur, quia hoc *agebant* fructus. vt scribit Varro, IV. de L.L. vel quod eo armenta *agebantur*, vt vult Pomponius IC. Differt a via & semita, quod via sit dimidium actus, semita dimidium viæ. Nam in semita pedibus tantum ire licet, carpento vero non licet: diciturque à semis, quia est semissis viæ. Via autem dicta quasi veha, quia eâ vehebant fructus; vnde vehiculi vnius capax fuit. At *actus* est via duplex quâ occurrentia sibi vehicula commeare possunt. Et hæc quidem ex Seruij sententia, cuius hæc verba ad IV. Æn. *Semita est semis via, vnde & semita dicta est. Via est actus dimidius, qua potest ire vehiculum. Nam actus duo carpenta capit, propter euntium & venientium vehiculorum occursum.* Sed si vocis propriam natiuámque vim spectemus, quod de actu ait, verum non est. Nam cum homo ire possit, quò grex vel armentum agi non potest, hæc autem agantur angustiori aditu, quàm vehicula trameant: planè *semita* atque *iter*, cui ab ire nomen, angustiora sunt *actu*, quod ab agendo pecore nomen accepit; actus verò angustior *via*, quæ à *vehendo* sic vocatur. Nec vocabulorum origo tantum, sed & auctoritas Varronis Seruio aduersatur. Quippe Varro vult, viam esse octo pedes latam, actum verò quatuor duntaxat: quod & Caius confirmat in l. VIII. de seruit. Insuper Iustinianus sub tit. de seruit. rustic. præd. *Et iter*, inquit, *& actum in se via continet.* Plura hac de re dicturi sumus voce *Via*. At longitudo actus erat CXX. pedum. Atque vt centuriæ in iugera, ita iugera diuidebantur in actus. Ab ea *actus* mensura dicuntur *limites actuarij*: qui ab omni latere CXX. pedes continerent. Sic *actuarij pali*, qui inter CXX. pedes figerentur. Vide de his Hyginum, & alios agrimensores.

Actvtvm, ab *actum*, per anadiplosin, quomodo à *cinctus*, *cinctutus* antiquè dixit Horat. in arte. Vnde verò fit quod *actutum* significet *statim*, ignorare nequit, qui cogitarit Terentianum illud Andr. a. II, sc. III: *Dictum ac factum, inuenerit aliquam causam, quamobrem eijciat oppido.* Vbi Donatus monet, *dictum factum, pro verbum esse celeritatis, id est, cito.* *Actutum* igitur, quasi *actum dictum*. Non quasi ex vtroque hoc conflatum sit, sed ἁπλῶς ab *actum*. Nam *actutum* sonat tam citò, quam *agere* possis, vt *mox*, quàm citò te possis *mouere*. Priscianus in XV: *Actutum deriuatum est ab actu, id est, celeritate.* Virgil. in VIII. Æneid.

—— Tum cætera reddet
Actutum pius Æneas, atque integer æui
Ascanius.

Acvs aceris, est palea, vt Festus exponit, siue quod Græci καθάρμα vocant, id est, *purgamentum tritici*, vt Priscianus interpretatur lib. v. A Græco ἄχυρον, quod idem notat, deducit Angelus Caninius in Hellenismi Alphabeto, ac Iulius Scaliger cap. XXVI. de caussis L.L. Isaacus Casaubonus lib. VIII. Animaduers. in Athen. cap. II. addit, Lacones ἄχυς dixisse pro ἄχυρον: atque ab ἄχυς esse Latinorum acus, ς in ς conuerso; quomodo contra Lacones, ς conuertebant in ρ, quemadmodum cùm ex vett. Glossographis videre est, tum veteri Lacedæmoniorum aduersus Timotheum Senatusconsulto. Quòd verò ad χ, quod in ἄχυς, id in tenuem conuertitur, more Ionum. Ab *acere* in Glossis est *acerosus*, ἀχυρώδης. Ab eodem Lucillius dixit *cantum aceratum*, h. e. cum paleis mixtum: vt Festus, & Nonius interpretantur. Sic cum Petronius dicit, *panem luto factitium & palea*, planè significat panem acerato factum. Ab eodem *far acerosum*, i. sordidum, h. e. acere paleæque retrimentis carens. Frustra est Nonius, distinguendo inter *acerosum*, & *aceratum*: vt qui panem *acerosum* esse dicat, qui fit è farre minus purgato, nec sordibus à candido separato, qualem Græci vocant αὐτόπυρον. Nam talis Latinis *cibarius*, aut *secundarius* dicitur: *acerosus* verò est, non qui furfures retinet, sed qui fit è farre acerosio.

Acvs quartæ declinat. nunc sarcinatricum est; quomodo dicimus vestes acu pictas: nunc ornatricum, quam Græci ἀκεστρὶς dicunt; atque acum crinalem vocat Appuleius lib. VIII. Eius geminus erat vsus. Prior erat, capillum distinguere; vnde aliter *discriminalem* dicebant, teste Nonio. Alter erat, capillos comptos figere ac sustinere. Nempe hac *in feminis ornatorum crinium compago retinetur, ne laxius fluant, & sparsi dissipentur*: vt eam descripsit B. Hieronymus in cap. III. Iesaiæ & ex eo exscribit Isidorus lib. XIX. Orig. Habes apud Martialem lemma, *Acus aurea*: cui hoc distichon subijcitur:

Tenuia ne madidi violent bombycina crines,
Figat acus, sparsas sustineatque comas.

Eiusdem est illud:

Vnus de toto peccauerat orbe comarum
Annulus, incertâ non bene fixus acu.

Vnde satis indicat, capillos multis orbibus circa acum volui solere: ita vt eo fixi continerentur, ne fluere possent. Quod ad etymon, non dubium, quin vtraque *acus* ab eodem fonte descendat. Sunt quibus dici videtur ab ἀκὸς, *acutus*. Nam & acum comatoriam, verè esse acum, indicat quod Appuleius ait, *Acu comatoria malas pungebat*. At Iul. Scaliger cap. XXVI. de caussis L.L. *Acus*: inquit, *ab ἄχυρον, tam pro arista excussa, acus aceris propriè, quàm metaphoricè pro instrumento sutorio.* De *acere* rectè, de *acu* non item. Est enim hoc ab ἀκέσασθαι, *sarcire*. Quanquam & possis ab ἀκὴ siue ἀκίς. Quod etsi propriè *mucronem* siue *cuspidem* ferri notet, generatim tamen pro *acumine* siue *acie* passim accipitur. Quare nec dubium, quin *acies* ab ἀκὴ originem ducat: nempe inserto i: quomodo à *σκῆπτρον* est *scipio*, à μνᾶ *mina*. Ab eodem est *acuo*, vnde *acutus*. Fallitur Perottus, qui *aciem* vult dici ab *acu*, propriéque esse *acumen acus*. *acus* verò dici ab *ἄχυρον*, *cos*, quia nempe cultri eâ acuuntur. *Acus*, piscis, nomen habet à similitudine *acus*. Nam est rostro acuto, tenui, & longo. Ac similiter Græcis ῥαφὶς & βελόνη vocatur. *Acicula*, ὑπογραμματεὺς est ab *acus*, non quà sarcinatricum, sed ornatricum, instrumentum notat. Itaque *acicula capitis* legas lib. I. de repudiis, in C. Theodos. Quod si Priscianum audimus *aculeus* ab eodem diminutiuum est. Id si est, formatione, non significatione, fuerit diminutiuum. Sed rectius statuitur eiusdem originis ab *acus*. Ab *acus* est *acia*, de quo ambigit Had. Iunius, num *suturam*, an *filum acus*, significet. Sane in vett. Glossis exponitur ἄμμα, quod vtrumque notat. Sed *aciam* omnino filum acus notare, indicat hic locus ex Barbato Titinnij, apud Nonium in *Phrygio*:

Phrygio fui primò, beneque id opus sciui:
Reliqui acus aciasque hero atque heræ nostræ.

Et ille Celsi, lib. V. cap. XXVI. *Vtraque optima est ex acia molli non nimis torta, quo mitiùs corpori insidat.* Sermo est de glutinatione, quæ vel fibula, vel suturâ fit. Omnino falluntur Gulielmus Pantinus, & Balduinus Ronssæus, qui in suis notis *acu* pro *acia* legere iubent.

A D

Ad & At, non tantùm ob significationem, sed & originem diuersam diuersimodè scribere satius est. Quippe *ad* venit ab Hebræo עד, quod pro *Ad* accipitur Hos. XIV, II. & Deuter. IV, XXX. *At* vero est ab ἀτάρ: vti ab *at*, *ast*, inserto *s*. In veteribus tamen inscriptionibus, librísque antiquis, *Ad* sæpe copula; *At* verò præuerbium est. Vt Nannius monet lib. III. Miscell. cap. XXV. ac ante eum ostenderat Pierius in III. Georg. & initium IV. Æn. Et sanè Charisius lib. II. etsi fateatur, vulgò inter Ad, & At, discrimen obseruari; putat tamen, id negligi debere, quando aliud postulat εὐφωνία. Vti in illo Licinij Calui: *At ita mihi Iouem Deosque immortales [illegible] bene fecisse, iudices.* Vbi εὐφωνίας gratia ait Ad per d scribi, *ne subsequens t litera, duriorem, sibique similem consonantiam ambiens, dictum faciat inamitius*. Similiter *adque* pro *atque* legas in vett. Inscript. vt dicemus in *Atque*. Quòd composita cum Ad, etsi, qui de Orthographia scripsere, monent, d fere abire in eam consonantem, à quâ altera compositi pars incipit, in Pandectis tamen Florentinis, quarum maxima ob antiquitatem auctoritas esse debet, præpositio hæc semper integra seruatur. Itaque in iis legas *adnatus pro annatus*, siue *agnatus*. Item *adcresco*, *adfinis*, *adcro*, *adsono*, *adrogo*: atque ita in aliis. Componitur autem & cum aduerbiis: vt, *adeo*, quod valet *eò vsque*, siue *ad eum vsque modum*.

Adagivm, & *adagio*, idem notant. Iraque cùm in Glossis Philoxeni *adagium* exponitur παροιμία, *adagio* παροιμία, priori quoque loco παροιμία legi debet. Dicitur *adagio*, non quia ad agendum apta sit, vt ἐτυμολογεῖ Festus: sed vel quòd è sua propria significatione agatur ad aliud indicandum, vt Iul. Scaliger sentit lib. III. de re Poët. cap. LXXXIV. vel quasi *abagio*, aut *ambagio*, h. e. *circumagio*, quod apud Varronem legas

lib. VII

lib.vi.de LL. Nempe quia *adagio* sit sermo circumambulans. Sane similiter *paroemia* seu παροιμία vocatur a παρὰ & οἶμος, i. ὁδὸς, quasi *ad viam* dicas. Vnde Basilio παρόδιος λόγος appellatur. & à Suidâ παρόδιον ῥῆμα. Nisi hoc malis esse à παρὰ & οἴμη, quod non tantum ᾠδὴν siue *cantum* significat, sed & λόγον, ἱστορίαν, φωνὴν, vt exponit Hesychius. Quam etymologiam si sequimur, ad verbum respondebit voci *proverbij*. Nam *prouerbium* similiter dictum, quòd sit commune omnium verbum, h. e. sententia. Id enim hic *verbum* significat. Quomodo & Plautus accipit in Truculento, act.v.

Venitne in mentem tibi, quod verbum in caueâ dixit histrio?
Omnes homines ad suum quaestum callent, & fastidiunt.

De voce *adagionis*, & imprimis de eius definitione, vide sis, quæ dissertamus in Oratoriis nostris lib.iv.cap.ii.

Adamas, ἀδάμας, dubium, sitne ab Arabibus, quibus היאמס *diamath*, à דום *dum*, *durare*. an ab α priuatiuo, & δαμάω siue δαμάζω, eò quòd *indomabilis*: quam originem adducit B. Hieronymus in Zachariæ cap.vii.12. *Adamas*, inquit, *lapis fortissimus, qui Hebraicè dicitur* Samir, *in tantum durus est, vt cuncta metalla confringat, & ipse non confringatur ab vllo. Vnde à Graecis* ἀδάμας *dicitur, quasi indomabilis*. Præiuit autem ei Plinius lib.xxxvii.cap.iv: *Incudibus hi deprehenduntur, ita respuentes ictum, vt ferrum vtrimque dissultet; incudésque etiam ipsa dissiliant. Quippe duritiâ inenarrabilis est, simulque ignium victrix natura, & nunquam incalescens. Vnde & nomen indomita vis Graecâ appellatione accepit.* Sed quod de tanta duritie prædicat Plinius, id Garcias ab horto l.i. rerum Indicarum, vanum se comperisse ait: nam & in scobem malleolo redigi, & facillimè confringi, atterique in mortario pistillo ferreo. Idem quoque vanum se expertum scribit, id quod paullo pòst subiicit Plinius de hircino sanguine rumpente adamantem: déque dissidio magnetis & adamantis. Ab illa adamantis duritie *adamanteus*, pro, adamantis instar, *duro*, dixit Ovid.7.Met.Fab.1:

Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant
Æripedes tauri.

Veteribus ἀδάμας etiam notabat ferrum durissimum: quomodo Hesiodus vsurpat in Theogonia. Hesych. Ἀδάμας, γένος σιδήρου. Item, κίονες, τὸ ἐκ σιδήρου ἀδαμάντινον. Nempe aciem signat, quæ Græcis στόμωμα vocatur. Vide *Aciarium*. De cetero, quid adamas propriè notet, vide apud Guichartum. p.346.& seqq.

Adasia, *ouis vetula recentis partus*, vt ait Festus. Apud quem sic constanter MSS'. & excusi. Similiter Glossæ Isidoro tributæ: *Adasia ouis major nata*. Vbi *natu* legendum. Sed præterit ea de partu. Num nomen ex eo, quia præter ætatem adacta ad partum, quasi adaxia? Nempe ab *adaxint*, pro *adegerint*, vt ab *axim*, i. *egerim*, axies, i. *vnà agentes*. & axitiosi i. *factiosi*.

Adeps, neque ita dicitur quia *ad dapes* pertineat: neque quia ex multo cibo proueniat, quasi sit ab ἅδην, *affatim*, & ἕψω, *coquo*: sed potius vt ex *bicapu* est *biceps*, ita ex *adapu* est *adeps*. *Adapu* autem est ab antiquo *adapio*, id est, *conjungo*. Nempe quia cohæret *adeps* carni. Simplex est *apio*; de quo fusè suo loco. Nec minus placet, si dixeris, esse ab Hebræo טפש, quod est, *incrassatum & impinguatum esse*. Semel tantum eo vsæ sacræ literæ; puta Psal. cxix,70. Vel vt sit à Chaldæo טפשא, *atpesch*, quod & ipsum notat *impinguare*.

Adiantum, quod Officinæ appellant *capillum Veneris*, Græcè ἀδίαντον, à διαίνω, *humecto*. Plinius lib.xxii. cap.xxi. *Aliud adianto miraculum: æstate virét; brumâ non marcescit: aquas respuit; perfusum, mersumve, sicco simile est: tanta dissociatio deprehenditur. Vnde & nomen à Graecis.* Idem tradiderat Theophrastus lib. vii. cap.xiii. historiæ plantarum. Placuit & Nicandro. Ac Cælius quidem Calcagninus caussam eius rei adferre conatur lib. 11. ep.xii. Frustra. Nam falsitatem eius rei expertum se scribit Brasauolus; vti & Brodæus lib. 11. c.xxviii. vbi ait. *adianti folium plerumque humore conspersum videri, ac si quis leniter aquam injiciat, nunc planè & expanso eam insidere, nunc & paruis orbibus globari.*

Adjicialis cœna, & *adjiciale* epulum. dicebatur, quòd adjici soleat ab eo qui inaugurabatur, aut alioqui in publica lætitia. Ad etymon hoc respexit Tacitus lib.11. Annal. *Rhescuporis* (al. Thrascypolis) *sanciendo, vt dictitabat, fœderi, conuiuium adjicit; tractaque in multam noctem lætitia per epulas ac vinolentiam, &c.* Adjicialis cœnæ meminit Plinius lib. x. cap.xx. Adjiciales epulas nominat idem lib.xxix. penè initio capitis iv. Plura de eis Fuluius Vrsinus in appendice de Triclinio.

Adminiculum, quia ad *manum* ac præsto est. Græci similiter πρόχειρον dicunt. A *minando* aliquis deducat, aut baculum, funem, quo pecudes *minarent* h.e. *agerent*. Sed vox *minas* (vt in *minor* dicemus) posterioribus tantum seculis in vsu fuit, vt inde vetus & proba *adminiculi* vox esse non possit. In Glossis Isidori legas: *Miniculo, auxilio*. Vnde cognoscimus, infelici eo seculo *miniculum* corruptè pro *adminiculum* dici solere.

Adolere, propriè est *crescere*, vt scribit Seruius ad Ecl. viii. Sed κατ' ἀντίφρασιν ponitur pro *sacrificare*, ac *comburere*, quia flamma sacrificiis augetur: qua de re satis diximus lib. iv. Orat. Inst. cap.x. Doctissimus Ioachimus Camerarius in notis ad Ecl.viii. putat, cùm *olere* sit *odorem emittere*, *adolere* proprie notare, *incensum odorem emittere*. Et sanè hoc simplicius fit quàm vt ad ἀντίφρασιν recurramus, etsi hac parte Seruium in Oratoriis secuti sumus. Aduersus tamen hanc Camerarij sententiam objici possit *adolescentis* vox; quam ab *adolescendo* esse scribit è Varrone Censorinus. Quod indicio esse videtur, *adolesco* proprie *crescendi* habere significationem. Verùm ad hoc respondet Camerarius, fortasse & *adolescentis* nomen habere *odoris* significationem, qui in ætatis sentitur *incremento*. Sed mihi quidem hoc longè nimis arcessitum videtur. Puto, potius respondendum, etsi *oleo* habeat, & *crescendi*, & *odorem emittendi* notionem; tamen potiùs ab ea venire *adoleo*, quâ signat *odorem emitto*. Nam thus, aliaque odorifera, in sacrificiis incendi solere. Ad *adolescens* redeamus, quod aliqui sic dici censent, quasi ἀδολεσχεῖν. Id *loquaculum* ac *nugatorem* notat. Solent esse tales adolescentes. Sed hoc non etymon, verum allusio est. Quanquam & id apud Festum, in *Adolescit*; quod ab ἀδολεσχῶ deducunt autem exponit *adcresco*. Sed sunt ista à Paullo, vel librariis. Pro *adolescens* in veteribus libris quoque *adulescens* legas per *u*. Id damnant quidam, quia *adolescens* sit ab *adolescendo*; quod eâ ratione est ab *adolendo*, quâ ab *alendo* est *alescere*. Vt apud Lucretium lib.11.

Donicum alescendi summum tetigere cacumen.

Sed scrupulus hic facilè eximitur. Nam fatendum, ἀναλογίαν exigere *adolescens* per *o*: verum ob affinitatem literarum *o* & *u*, facilè eas olim commutabant; vnde & *adultum*, pro *adoltum*, siue *adolitum*, dicimus ab eapse voce. Cumque Græcè sit ἐπιστολὴ, in veteribus tamen libris non *epistola* tantùm, sed & *epistula* legas. Quis *adolescens* κυρίως dicatur, disputant viri eruditi. Propriè, arbitror, sic vocari mares vsque ad annum ætatis quintum & vigesimum: feminas vsq; ad vigesimum primum. Tum enim adolescere desinunt. Si tamen vsum veterum, vti conuenit, spectemus, *adolescentis* & *iuuenis* voce promiscuè vsi Romani de omnibus, qui necdum pertigissent vsque ad annum quintum & quadragesimum, à quo anno incipit *cruda viridisque senectus*, vt vocat Maro. Sic apud Plautum Menæchmis, Peniculus parasitus, qui se plus annis triginta natum dicit, aliquoties vocatur adolescens. Et Curionem, qui non minor, quàm annorum xxx, adolescentem vocat Cicero epist.11.lib.11. Idem, pro Muræna adolescentem appellat Sulpitium, qui nec ipse minor quàm triginta annorum erat. Et libro 11. de Orat. cùm dixisset de L.Crasso, *Non multa cum, quæ quidem extarent, & ea ipsa adolescentem scripta reliquisse*: postea lib. de Claris Orat. significat, extare orationem eius, quam habuit pro lege Seruilia annos natus xxxiv. Sallustius quoque Cæsarem vocat adolescentulum, quo anno pontificatum maximum est adeptus. hoc est, minimùm post annum xxxv. Liuius libro ix. de Alexandro Magno ait: *Adolescens in incremento rerum, nondum alteram fortunam expertus, decessit.* At obiit annos natus xxxii. Valerius quoque Maximus Scipionem Æmilianum, qui triginta & quatuor impleuerat annos, admodum adolescentem vocat. Imo Cicero Brutum & Cassium, anno præturæ, id est, anno ætatis xl. adolescentes appellat: eundemque Brutum eopse anno adolescentem nominat Cornelius Nepos in Attici vita. Itaque nec mirum, si *peradolescentulus* ab eodem Nepote appelletur Eumenes, qui annorum erat plus quam viginti: vt omnino immerito hic locus viro docto de mendo fuerit suspectus. Vide Paullum Manutium comm. in Cic. lib.11. epist.1. Robertum Titium libro v. loc. contr. cap.xvi. Ianum Dousam schediasmate succidaneo ad Tibullum.

Ador, farris siue frumenti genus, teste Festo, Nonio, Seruio in vii. Æn. ac Glossis Philoxeni, quæ ζέα interpretantur. Originem genuinam ponit Festus: *Ador farris genus, edor quondam appellatum, ab edendo: vel quod adoratur, vt fiat tostum: vnde in sacrificio mola salsa efficitur.* Priscianus deducit ab *adoro*, quia eo vterentur in sacrificiis. Sic enim ille, lib.iv: *In or & in ur à verbis inuenio fieri abjectione o, vt coloro color, laboro labor, honoro honor, decoro decor, adoro ador, murmuro murmur, auguro augur, saturo satur.* Idem lib.vi. de genitiuo *adoris* tractans: *Puto*, inquit, *ideo produci, quia à verbo deriuatur producente ò penultimam, id est, adoro.* Sed Nonius contrà putat, *adorare* esse ab *ador*. *Ador*, inquit, *frumenti genus, quod epulis & immolationibus sacris pium putatur: vnde & adorare, propitiare religiones, potest dictum videri.* Verissimum puto, venire *ador* ab ἄθηρ, *arista*, conuerso θ in d, vt à θεὸς, *Deus*. Vir summus

sumimus pro ἄδος, ad Festum scribit ἄδος. quod, Hesychio teste, Aegyptiacum est mensis nomen. Sed Græcum non est. Dicitur autem & *ador adoris*, & *adus adoris*, *vt decor decoris*, & *decus decoris*. Gloss. vett. *Adus* ὄλυρα. Penultimam producit A. Gannius apud Priscianum lib. VI:

Benè ac si nuces nidoribus ador adoris.

At corripit idem cum ait:

Etiam sponte satos adoris strauisse maniplos.

Item:

Hic adoris dat primitias, tibi sanguine libat.

Nec est quod contendat quis etiam *ador* penultimam corripere, quia Ausonius dixit Idyll. V:

Mox ador atque adoris de polline pulrificum far.

Quippe *ador* hoc antiquè ponitur pro *adus*, quomodo veteres *decor* dixere pro *decus*. Posteriores vero *ador* dixere in masculino, producta penultima in genitiuo: *adus* autem in neutro eadem correpta. Ab *ador* est *adoreus*, vt *adoreum far*, apud rei rusticæ scriptores; *adorea liba*, apud Maronem in VII. Æn. *Adorea fatte*, apud Varronem lib. IV. de L.L. vbi quidam *arborea* malunt. Sed nihil mutatione opus. Ab eodem substantiuè dicitur *adorea*, quomodo veteres vocabant omnem ex agris prouentum. Plautus, Amph. a. I, sc. I: *Qui prædâ atque agro adoreâque affecit populares suos.* Sulpicius apud Varronem lib. IV. de L.L. *Pocti rura largiuntur adoream.* Sic locum eum legit Scaliger. Postquam verò militibus præmium fuit frumentum, *adorea* pro *laude* accipi cœpit. Gloss. vett. *Adorea*, νίκη, ἔπαινος. Plinius lib. XVIII. cap. III. *Gloriam denique ipsam a farris honore adoream appellabant.* Festus: *Adoream laudem siue gloriam dicebant, quia gloriosum eum putabant esse, qui farris copiâ abundaret.* Vsus hoc pacto Appuleius, lib. III. & VII. Metam. item in Apolog. ac Solinus cap. VI. Quod nisi certa essent quæ diximus: poterat videri, *adoream* esse dictam ab אדר *adar*, *magnificentia*. Ab *adorea* est *adoreosus*, ἔνδοξος, vt ex Festo Pompeio probant veteres Glossæ. Sed in epitome Paulli vox hæc neglecta est.

ADORARE esse ab *ador*, scribit Nonius, quia nempe eo in immolationibus vterentur. Nonium vt videtur, secutus, Robortellius annot. in I. Æn. Sed hoc refutatione indignum videtur. Alij ab *os* deriuant, proprieque esse aiunt, *manum ad os admouere salutando*. Is enim Deos salutantium mos. Lucianus περὶ θυσιῶν· Καὶ Ἰνδοὶ, ἐπειδὰν ἀναστάντες προσεύχωνται τῷ Ἡλίῳ, ἐπ᾽ αὐτὸν τὴν χεῖρα κύσαντες, καὶ εὐξάμενοι εὐτελῆ ἡγοῦνται τὴν ὁσίαν, &c. Simplicissima autem, verissimáque ἐτυμολογία est, vt sit compositum ab *oro* quod ab *ore* factum, ac propriè significat *ore precor*. *Adoratio* igitur propriè ore fit, sed generatim pro veneratione vsurpatur. Gloss. vett. Προσκύνησις, *adoratio*, *adueneratio*. Προσκύνημα, *veneratio*. Προσκυνητός, *venerandus*. Προσκυνῶ *adoro*, *venero*. Aliquid de *adorandi* voce Valla lib. V. cap. XI. & nos quoque in Oratoriis nostris, quæ repetere non visum.

ADVERSARIA, & *codex*, opponuntur. Nam, *aduersaria* erant tabulæ tumultuariæ, in quibus memoriæ caussâ res perscribuntur, vt per otium referantur in *codicem*. At *codex* notat tabulas iustas, æternásque, in quibus res sunt digestæ & ordine conscriptæ. Atque hoc discrimen manifestè colligitur ex orat. Cic. pro Roscio. Erant igitur *aduersaria*, vt quotidianæ vitæ, ac ephemerides. Nomen ex eo esse tradit Becmanus, quod semper essent *aduersa*, h. e. obiecta, ac præsto. Vel ab *aduertendo*, quòd in iis scitu necessaria consignarent. Sed verius, cùm alij, tum Melchior Guilandinus commentario de papyro, vbi ait, sic dici, quòd in aduersâ paginâ scriberetur. Caussam tamen nominis non satis commodè enarrat. Nam qualis, quæso, est quod ait, in aduersariis non auersæ tantum, sed etiam aduersæ paginæ inscribi solere? Quis nescit, nunquam veteres scripsisse in auersa, quin prius scripsissent in aduersa? Quare rectius Ios. Scaliger animaduersionibus in Guilandinum, vbi docet, eadem fuisse *aduersaria* & *opisthographa*, ac vtrique paginæ inscribi solere, vnde dicta *opisthographa* ab ὄπισθεν & γράφω. Sed *aduersaria* dici ab vtriusque pagina, quæ erat *aduersa*. In hac enim rationes dati & expensi perscribi solitæ, vt in *auersa* accepti: quæ paginæ si conuenirent, h. e. si rationes accepti congruerent cum rationibus dati & expensi, tunc hoc dicebant *vtramque paginam facere*, item *pariare*, aut *paria facere*; cui opponitur *reliquari*: vt dicemus voce *Reliquus*.

ADVLARI vnde sit, disceptant. Multæ sane afferuntur originationes eius vocis, quædam etiam putidulæ. Simplicissimum videtur, quod Festo placuit, κατὰ μετάθεσιν fieri ab *adludo*. Sanè veteres dixere *adulo*. Alij volunt, esse ex *ad* & οὐρά, *cauda*. Vtrumque hoc etymon eò verisimilius, quòd vt Nonius scribit, canum proprium sit, qui caudâ adludunt & adulantur: Immo & de aquilæ cauda vsurpat Accius Prometheo apud Nonium:

——— *Sublime aduolans*

Pennatâ caudâ nostrum adulat sanguinem.

Vbi, vt Turnebus monet lib. II. cap. IX. sermo est de aquila, quæ aduolans, tractu caudæ sanguinolenta Promethei vulnera nonnihil detergeret, eáque palpando quasi adularetur. Monet idem imbecille audisse, qui *adulari* hic per diminutionem pro *adorare* dictum crederet. Nunnesio, & quibusdam aliis, non displicet venire à Dorico ἀδυλίζω, pro ἡδυλίζω quo Menander vsus teste Eustathio: ac valet idem ac ἡδύλογεῖν, siue *suauiter ac suauiloquè verbis vti*, more adulantium. Laurentius Valla putabat, *adulari* constari ex *a* & δοῦλος, quia seruile quiddam est adulatio. Eúmque secutus Cæsar Scaliger, in Arist. Hist. animal. lib. I. cap. III. Præpositionem *a* præfigi ait, quia assentatio est à seruis: similitérque in *ebur* præfigi *e*, quia est è barro. Perottus & alij componunt ex *ad* & *aula*, quia ab omnibus retro seculis in Principum aulis maximè in vsu fuerit: *au* vero in *u* mutari censet, vt in *excludo* à *claudo*. Sunt & quibus videatur esse ab *ad* & *ala*; vt propriè sit, *ad alam* alterius esse: *a* vero in *u* abire, quomodo à *taberna* est *contubernalis*. Denique aliqui putant, veteres *olare* dixisse pro *colere*: indéque factum *adolari*, & post, a *adulari*. Quod recipro interdum pro simplici sumitur, vt apud Tertull. de pallio, *adulari Æsculapio*. Atque hoc etymon eo confirmatur, quòd in antiquis codd. haut temerè aliter reperias, quàm *adolari*, per *o*. Sane Glossæ Philoxeni: *Adolat*, προσκολακεύει. Indéque *adolabilis* pro *adulabilis*, dixit Ennius apud Nonium voce *Propitiabilis*. At malè Nonius *adolabilis* dici censet quasi *sine dolore*. Sic enim & vetus habet Aldina anni MDXIII, & ea antiquior Veneta Pinciana anni MDI. Pro quo, nescio quâ auctoritate, *sine dolo* scribit Marsilius notis ad legg. XII. Tabb. Sed multò minus eidem assentio, cùm in Ennij loco legit *ira adolabilis*. Nam omnino recta est vulgata lectio: *Haec est animus propitiabilis ira & adolabilis*. Sed de hoc alibi dicemus.

ADVLTER, Angelo Caninio videtur esse à Syriaco *gaiar*, vt, *adultera* à *gaiarta*, siue *gaiafta*. Sed Simplicius veriusque Festus: *Adulter & adultera dicuntur, quia & ille ad alteram, & hæc ad alterum sese conferunt.* Nempe *a* abit in *u*. Quod in compositione interdum fieri docet, quod à *taberna* est *contubernalis*, & *ebur*, vt aiunt quasi *e barro*. Ab *adulter* est *adulterium*, vt a *magister magisterium*. Vnde liquet, Fungerum & alios falli, qui *adulterium* dici putant, quasi *ad alterius torum*. Nam postrema vocabuli pars, eius tantummodo productio est.

ADVOSIS, *advorsus* siue *adversus*. Festus: *Advosem*, *adversarium*, *hostem*. At Glossæ Philoxeni: *Advores*, ἐναντίοι. Nempe, vt ex *prorsa*, *prosa*, extrito *r*: item ex *sursum*, *susum*: ita ab *advorsus*, *advosus*: & *s* in *r* mutato, *advorus*, vel *advores*: quomodo *Valesij*, *Auselij*, *Papysij*, *Alases*, *asena*, prius dixere, pro *Valerij*, *Aurelij*, *Papyrij*, *Alares*, *arena*.

ADYTVM, ἄδυτον, ἀπόρρητον μέρος τοῦ ἱεροῦ. Rectè id Seruius ad II. Æn. deducit ab *a* & δύω, quod est, *ingredior*, *subeo*; quod nulli liceret ingredi præterquam Sacerdoti. Ex eo enim oracula reddebantur. Vnde locum Vaticinationis idem interpretatur ad VI. Æn. Cæsar lib. III. de bello ciuili: *Pergami in occultis ac remotis templi, quo, præter Sacerdotes, adire fas non est, quæ Græci ἄδυτα appellant, tympana sonuerunt.*

A E

ÆDEPOL vulgo scribunt, ac dici putant quasi per *ædem Pollucis*. Sed non ita est. Nam scribendum *edepol*: quod conflatum ex tribus vocibus; particula iurandi *me* vel *e*, & *deus Pollux*. Simile est *me dius Fidius*. Ex duobus autem est *epol*, vt in *mecastor* & *ecastor*. Vide de his fusius in *Me dius Fidius*.

ÆDES ex Græco αἶθος, quod idem notat. Eustathius enim, p. 1819, exponit οἴκησιν, *habitatio*, *domicilium*. Vsus Pindarus in Olympionicis, vnde Eustathius adducit, Διὸς αἶθος πανδόκον, *Iouis domicilio omnes capiente*. Ait autem, esse λέξιν μονήρη, & quam alibi non reperias, Non, vt puto, quia noua, sed quia prisca, & propè obsoleta. Huius vocis ignoratio dici nequit quam multos fefellerit in *ædium* etymo. Quod vt liqueat, non defugiam commemorare, more nostro, variorum sententias. Ac Isidorus quidem, lib. XV. cap. III. auctor est, quosdam ab *edendo* deducere, eóque trahere illud Plauti, Pœnulo, act. III. sc. I.

At si ad prandium me in ædem vos dixissem ducere,

Vinceretis ceruum cursu, vel grallatorem gradu.

Verùm hic loquitur Plautus, non de priuatis ædibus, quas Isidorus intelligit; vnde idem mox addit, *ædificium similiter dictum, quod prius fuerit ad edendum factum.* Sed de æde sacra, in quam olim, quando sacrificarent, amicos conuiuatum inuitare solent. Quâ de re plura apud Acidalium. Verisimilior paullo originatio Varronis, lib. IV. de L.L. vbi *ædes* dici scribit, quasi *ades*; quod eas plano pede adirent. Immo Festus quoque eandem secutus ἐτυμολογίαν, si recta emendatio Scaligeri, legentis: *Ædis, domicilium in aditu positum, simplex, atq;*

minis aditus. Quam originationem eo confirmat Scaliger, quòd ædificia prius à veteribus Romanis dicta fuerint, quæ à Græcis ἐπιπέδων, *quæ de plano adeuntur*, vel vt Tertullianus loquitur, libro de pallio, *planitus adeuntur*. In vulgatis Festi cod. erat; *Ædis* (MSS *Ædes*) *domicilium in edito positum*. Itaque Angelus Decembrius lib. VII. de politia literaria, parte XXXVII, scribit, *forte ædes domos altiores dici, quod sint casta, vel loco edito positæ*. Sed aliud quoque etymon ibidem agnoscit Festus, his verbis: *Siue*, inquit, *ideo ædis dicitur, quod in ea æuum degatur, quod Græcè αἰὼν vocatur*. Vbi dubium, an velit conflari ex *æuum* & *dego*: an ita quasi ἀΐδιος, id est *perpetuam*. Nec multum abeunt, qui coniectant, dici ἀπὸ τοῦ ἀεὶ δύειν, quia *semper subimus*. Nunnesius in Grammatistice deducit ab ἕδος, *sedes*. Próque eo est, quod *sedes* non rarò ponatur pro *domicilio*. Vt cum Tibullus ait: *Est visus nostrâ ponere sede pedem*. Et apud Cic. in Cluentiana. *Sceleratorum sedes atque regio*. At sententia est Becmanni, venire ab אדן, *eden*, *basis*; vel ab ἀΐδης, vt propriè notet *domum opacam*, ab α στερητικῷ & ἰδεῖν. Omnia enim ædificia opaca sunt, si conferantur cum locis apertis & patentibus. Adde quod olim, vt Ovidius canit, *domus antra fuerunt*. Ea autem opaca. Confirmat quoque hanc sententiam, quod Plutonia domus vocatur ᾍδης, quia solis luminisque expers. Denique apud Martinium reperio & ista, alibi nobis nòn visa, venire forte ab αἴθουσα· quomodo Homero dicitur *porticus*, vbi se calefacerent, quod Græcis αἴθειν· vel ab αἰθωνες, id est, φρυγμοί, siue *sepes*, vt Hesychius exponit. Sanè & Lucretius *septa domorum* dixit, τὰς περιβόλους. Sed omnino, vt diximus, *ædis*, siue, vt veteres loquebantur, *aides*, est ab αἴθω. De origine satis. Iis hoc addimus, aliud esse ædem sacram; aliud, templum. Nam templum per se auguratum est, non sanctum: ædes per se sancta, non augurata. Itaque rostra in foro sæpe templa vocantur, quia augurato constituta. Non tamen dicuntur ædis sacra; quia nulli erant dicata Deo. At si quid & augurato constitutum & Deo dicatum esset, tum & templum & ædis sacra dicebatur. Atque hinc quoque cognoscere est, qua ratione differant templum & curia. Nam curiæ non ante dici potuere templa, quam inauguratæ. Itaque curia Hostilia, Pompeia, ac Iulia, cum prius fuissent profanæ, templi appellationem acceperunt, postquam sunt per augures constitutæ, vt in iis senatusconsulta more maiorum iusta fieri possent. Docet hoc ex Varrone Gellius lib. XIV. cap. VII.

ÆDILIS, ex Festi sententia, ita dicitur, quòd facilis ad eum plebi *aditus* esset. Sed remota nimis est hæc ἐτυμολογία. Simplicius, qui, vt ab *ouis ouilis*, sic ab *ædis ædilis* esse volunt. Varro, IV. de L. L. *Ædilis, qui ædes sacras & profanas procuraret*. Ab eadem voce, sed ab alia caussa, deducit Pomponius l. II, D. de origine iuris: *Vt essent*, inquit, *qui ædibus præessent, in quibus omnia scita sua plebs deferebat, duos ex plebe constituerunt: qui etiam ædiles appellati sunt*. Imò sunt, qui putent, vt prætoris, & alia aliquot honorum vocabula, ita hoc, non tam Romæ esse natum, quàm è Latio Romam perductum. Sanè ex veteris æui historiis & antiquis inscriptionibus constat, in Latinis oppidis fuisse, qui dicerentur *ædiles quinquennales*. Munus hoc signat Spartianus in Hadriano: *In Hetruria præturam Imperator egit. Per Latina oppida Dictator, & Ædilis, & Duumvir fuit*. Ita Romæ *ædiles* non ex re sint cognominati, sed ab exemplo. Non tamen hoc prohibet, in Latio *ædilem* primo ab *ædibus* dictum esse. Si Romæ hoc nomen factum, dicendum, à potissima muneris parte esse impositum. Nam *ædilium* erat: tum plebis scita in *æde* Cereris asseruare, adeò vt iccirco potissimum constitutos putet Pomponius: tum *ædium* sacrarum curam gerere: vnde Dionysius scribit lib. VI. ἀφ' ἑνὸς, ὧν πράττουσιν, ἱερῶν, ἱερῶν τινῶν κατ' ἰδίαν ἐπιμελείας, ab vno operum, quæ agunt, ædiles di[...] quasi *ædium sacrarum curatores*: tum curare ædificia publica priuatáque, item balnea, aquæductus, cloacas, plateas, & loca omnia vrbis, vt pura mundáque essent. Atque hinc liquet, cur Papinianus *ædiles* ἀστυνόμους, quasi vrbis curatores, vocet in l. 3. D. de via publica. Quod verò dixi, synecdochicam esse appellationem, liquet ex eo, quòd tum rerum quoque venalium cura atque æstimatio ad eos pertineret: vnde Dio vbique eos ἀγορανόμους vocat: tum etiam ludorum sollemnium; quod vel ex Terentianarum comœdiarum inscriptionibus patet. Quin à scenica illa cura, quâ fabulas agendas examinabant, verisimile est, manâsse ius iudiciúmque in libros alienos. Liquet ex Senatusconsulto, apud Tacitum, lib. IV. Annal. quo iubentur Ædiles cremare Cremutij Cordi scripta. Porrò tria ædilium munera, quæ hactenus exposuimus, paucis lege suâ complexus Cicero III. de Legg. *Suntoque*, inquit, *ædiles, curatores vrbis, annonæ ludorúmque sollemnium*. Cetera de ædilibus; vt de eorum diuisione, in curules, cereales; de prima eorum institutione, de curis quibusdam ad res nobis intactas pertinentibus; eò prætermus, quia vocum caussas, non ritus antiquos, scribimus. Vide de iis, si voles, eos qui scripsere de magistratibus veteris pop. Romani.

ÆDITIMVS, quasi *ædis intimus*, dici, scribit Paullus Diaconus. Sed rectius Seruius Sulpitius, qui, vt in Topicis scribit Cicero, putabat, *timus* in *æditimus*, *finitimus*, *legitimus* non minus esse vocis productionem, quàm *tullum* in *meditullium*. Pro *æditimus* postea *æditum* dici cœptum: sed prius illud, vt antiquum ac genuinum, magis probabat Varro, vt scribit Agellius lib. XII. c. X. Putabat autem Varro, quem & Festus, & Charisius, & alij, sequuntur, *æditum*, dici à *tuendis ædibus*: ideóque Lucretium, extremo libro VI. pro eo dixisse *æditumentes*. Sed omnino secus est. Nam ex *æditimus* siue *æditumus*, κατὰ συγκοπὴν, extrita est litera *m* ad commoditatem sermonis. Simili errore *testamentum* credidere esse compositum a *mente*, cum *mentum* vocis tantùm productio sit, vt in *paimentum*, *vestimentum*, *iuramentum*, & similibus. Vide Gellium lib. VI. cap. XII.

ÆGIS nomen habet ἀπὸ τῆς αἰγός. Nam etsi muniuen sit corporis æneum, prius tamen è pelle *caprina* fuit. Sic *lorica*, quod esset facta è *loro*: & *scutum* a σκῦτος, *corium*, *pellis*. Virgil. XI. Æn. de Ornitho:

Cui pellis latos humeros erepta iuuenco
Pugnatori operit.

Dicitur autem lorica in homine, ægis in Deo. Martialis l. VII. ep. I:

Accipe belligeræ crudum thoraca Mineruæ,
Ipsa Medusææ quem timet ira Deæ.
Dum vacat hæc, Cæsar, poterit lorica vocari.
Pectore cum sacro sederit, ægis erit.

ÆGRVM, olim *aigrum*, quibusdam factum putatur à voce doloris αἶ αἶ. Auctor Festus. Apud quem & alteram legas originationem, vt sit ab ἀνιχρὸν, quod idem ac ἀνιαρὸν, vnde etiam, ex Etymologi sententia, factum per syncopen, & pleonasmum literæ γ. Sed ἀνιχρὸν merè poëticum est: at Latini quidem à Græcis multa habent, sed rariùs alia quàm quæ essent recepta in vulgus. Si ab αἶ fuerit, ger erit productio vocis. Id quia aliis displicet, coniectant, esse ab αἶ & γοερὸς, *lamentabilis*. Sed durè. Isidorus lib. X: *Æger, quod agatur infirmitate vel tristitia ad tempus*. Quod etymon ineptum. Verisimilius magnus Cæsar Scaliger, animaduersionibus in cap. X. lib. V. historiæ Theophrasti, vbi vult, *æger* esse ab ἀεργὸς· quæ vox propriè notat *priuationem operis officiorúmque*. Sane *ægritudo*, siue morbus, definitur *læsio aut ablatio officiorum*. Doctissimus socer, Franciscus Iunius putabat, *aigrum* potiùs esse ab αἰκισμὸς, quod ab αἰκία. Nec abludit à vero, cum αἰκία inter alia cùm *plagas*, tum *cruciamenta* signet, Hesychio teste. Nec ineruditè Martinius, vt dicatur quasi *auger*. Nam Cretenses αὐγῶ pro ἀλγῶ, *doleo*, dixere, teste Hesychio. Ab *ægrum* est *ægritudo*, & *ægrotare*, vnde *ægrotatio*; quæ eo ab ægritudine differt, quòd ægrotatio propriè corporis sit, *ægritudo* animi: quemadmodum Cicero scribit IV. Tuscul. Vbi & illud inter alia: *Præclare nostri, molestiam, sollicitudinem, angorem, propter similitudinem corporum ægrorum, ægritudinem nominauerunt*. Hoc tamen *ægri* & *ægrotis* discrimen non semper obseruatur: vt ex Horatio, Marone, Lucretio, atque adeò aliquot ipsius Tullij locis, ostendit Iosephus Castalio cap. XI. Var. Lect. Ab *ægrum* quoque est *ægresco*, vt quidam Grammatici volunt; eos inter P. Consentius: *Præterea*, inquit, *fiunt etiam à nominibus inchoatiua verba, vt æger, ægrescit*. Sed omnino magis verisimile est, illa in *sco* venire à verbis, vt *ægresco* sit ab *ægreo*, quâ ratione *senesco* est à *seneo*, quo vsus Catullus; item à *labo labasco*, à *puero puerasco*; quod postremum vsurpant Ausonius, Claudianus, Mamertus, & Sidonius. At *ægreo* vsurpat Lucretius lib. III. v. DCCCXXXVII:

Præter enim quàm quod morbis cum corporis ægret.

Sic legendum, pro quo leuicula immutatione in calamo exaratis est *ægrit*: vnde *ægrire* pro *ægrere* dici, colligebat Turnebus lib. XXX. cap. X. Verùm si *ægrire* diceretur, *ægrisco*, non *ægresco* dicendum esset. Nam vt à *tremo* est *tremisco*, sic ab *ægrio* esset *ægrisco*. Nunc, *ægresco* dicimus ab *ægreo*, vt *calesco* à *caleo*, *horresco* ab *horreo*.

ÆMIDVS, Festus interpretatur *tumidus*: ac Glossæ vett. πεφυσημένος, *inflatus*. Similitérque in Isidori Glossis inuenias: *Æmidus, tumidus, inflatus*. Videtur autem esse ab αἷμα, *sanguis*; quod plethorici sint corpore inflato. Αἷμα forte à Chaldaico אדמ, quod Hebræis דם *sanguis*.

ÆMVLATIO, per *æ* scribi, quia qui *æmulatur*, alteri esse *æqualis* conetur, legas apud disertissimum virum Ioannem Sturmium, lib. I. de Imitatione, in Notis quas capiti primo subiecit. Sed id mallem non scripsisset. Vt & nec illa, *quam Græci dicunt* μίμησιν, & ζήλωσιν, *Latinis tum imitationem, tum æmulationem vocari*: ζήλωσιν *verò quasi* ζήτησιν *appellari*. Cuiusmodi etyma quis probare possit?

ÆMVLVS, ab αἱμύλος, mutatâ nonnihil notione, venire censet Mexerchus lib. de Pronunt. L. Gr. cap. XXXII. Sed nimis sanè abit significatio. Nam αἱμύλος, vel αἱμύλιος, est, *lepidus*, *festiuus*.

festiuus, atque, vt Hesychius exponit, ἀστεῖος, *urbanus*. Vnde αἱμυλία λόγων, *blandiloquentia*. A qua nomen *Æmilius*, vt in Paullo Æmylio tradit Plutarchus. Censeo igitur *æmulus* esse ab ἁμιλλᾶσθαι, *certare, contendere, æmulari*. Quæ conjectura meo judicio tam certa, vt pluribus eam firmari opus non sit. Sanè & ἁμιλλητὴς Græcis, qui Latinis *æmulus*.

ÆNIGMA dictum allegoricum, ambagibus inuolutum. αἴνιγμα verò ab αἰνίσσομαι, *obscurè loquor*; quod ab αἶνος *oratio obscura, & figurata*. Sed non hic sistendum est; sed ad עין, abeundum, quo *speculatio*, aut *consideratio* vocatur.

ÆQUILAVIUM ab *æquatione in lauando*. Festus: *Æquilauium significat ex toto dimidium; dictum à lauatione lanæ: quæ dicitur æquilauio redire, cùm dimidium decidit sordibus*. Ita & MSS[ti]. At Glossæ Isidori: *Æquilatium æquatio*. Vbi vel legendum *æquilauium*, vel *æquilotium*. Nimis enim laxè *æquatio* exponitur pro *æquatione lotionis*.

ÆQUUS, vt Ios. Scaliger, multóque ante eum Angelus Caninius, ac post vtrumque Petrus Nunnesius scripsit, venit ab εἶκος, ei in æ siue a conuerso, more Dorum, qui pro εἰ αἰ dicunt αἰ, pro εἴθε αἴθε, pro φθείρω φθαίρω, pro κτείνω κταίνω. Ab *æquus* est *æquor*: teste Varrone lib. VI. & Nonio in *Æquor*. Qui ab aqua sic dici putant (quos inter Cæsar Scaliger c. XXVI, & XXVIII. Lib. de caussis L. L.) planè falli puto. Nam sic dici ab æquitate, clarè indicat hoc Ciceronis à Nonio citatum ex secundo Acad. quæst. *Quid tam planum videtur, quàm mare? ex quo etiam æquor illud poetæ vocant*. Meritò autem *à poetis* sic appellari ait Cicero, cùm propriè non mare notet, sed planiciem eius. Id manifestè comprobat, cùm Maronis hoc VII. Æn. *Sterneret æquor aquis*: tum istud Poëtæ veteris apud Marium Victorinum lib. II. cap. de metro Anapæstico: *Mare non amo, quod, modo cum placido fletu æquore, litora cadit*. Æquoris itaque descriptionem habemus in illo Maronis Eccl. II. *Cum placidum ventis staret mare*. Opponitúrque ei mare magnum, quomodo locuti Lucretius, Catullus, Virgilius. Quamquam nec desunt, qui per mare magnum intelligunt mare Tyrrhenum; vt ita vocetur ad discrimen superi siue Adriatici, quod angustius.

AER, ἀήρ, ab ἄημι, *spiro*, Ἡ γὰρ κίνησις αὐτοῦ ποιεῖ τὸν ἄνεμον. Eò Cicero alludit, lib. II. de nat. deor. *Principio enim terra, sita in media parte mundi, circumfusa vndique est hâc animabili spirabilíque naturâ, cui nomen est aër, Græcum illud quidem, sed receptum iam tamen vsu à nostris*. Sunt & aliæ originationes, sed quæ minùs placeant, quàm ea quam posuimus. Vt cùm ex Platone tradunt, ἀὴρ esse ab ἀεὶ ῥεῖν, quòd *semper fluat*. Aut cùm nonnulli, Etymologum sequuti, deriuant παρὰ τὸ αἴρω, τὸ ἀνυψῶ, *eleuo*; quoniam in eo quædam animalia tolluntur; siue quòd sit κοῦφος, *leuis*. Aut cum quibusdam placet, κατὰ μετάθεσιν fieri ab Ἥρα, *Iuno*: cùm hoc potius ex ἀὴρ sit factum μεταθέσει. Aut, cùm satis ineptè deducunt ab α & ὁρᾶν. Cui etymologiæ occasionem præbuit, quòd apud Homerum ponitur pro *caligine*, seu ὀμίχλῃ.

ÆRAM dixere illustre annorum initium. Vt *æram* Alexandri magni Diocletiani, Napopolassaris, & similes. Vsitatissima hæc vox in Hispania fuit: vnde ad Afros, etiam Gallos, & alios defluxit. Incipit autem æra Hispanica ab anno XXXVIII. ante Christum natum. Itaque si velimus æram Hispanicam, reuocare ad æram Christi Dionysianam, vel Christi annis addemus XXXVIII, vel æræ Hispanicæ XXXVIII adimemus. Vt cùm in Concilio Toletano legimus, id contra Priscillianistas celebratum esse anno CCCCXXXVIII; fuerit is annus Christi CCCC. Et qui hodie annus est CIↃ IↃCXXIII, is æræ Hispanicæ sit CIↃ IↃCLXI. Quamquam hodie ea numerandi ratio nec in Hispaniis obtinet. Imò jam ante ducentos annos, primum in Arragonia, anno CIↃ CCCLVIII, hinc in Castella, anno CIↃ CCCLXXXIII, tandem & in Lusitania, anno CIↃ CCCCXV, exoleuit. Quæritur, vnde *æra* illa appellatio originem habeat. Ioannes Sepulveda Cordubensis, libello, quem scripsit de correctione anni mensiúmque, censet, primitus sic breuitatis caussâ scribi solitum. A.ER.A. id autem notâsse, *Annus erat Augusti*. Pro eo facit, quòd æra incipit ab eo anno, quo Calendarium Romanum receperunt. Factum id anno proximo, quàm victi essent à Domitio Calvino, vt Dio testatur. Is autem eos deuicit proximo post consulatum suum anno, vt ex eodem Dione scimus. Nihil igitur certiùs, quàm satis conuenire quod Sepulveda ait, cum annis iis, quibus sub Augusto esse cœperunt. Is enim tum temporis Occidentis imperium habebat, vti Antonius, Orientis. Objicit Scaliger, caussam non fuisse, cur scriberent potius, *Annus erat Augusti*, quàm *Iulij*. Sed si à reformatione Calendarij voluissent ordiri, debuissent quinquennio ordiri altius. Id cùm factum non sit, nihil mirum, si ab Augusto potius numerarint, quo auctore Iulianum annum receperunt. Obiectat quoque, non AERA, sed ERA, scribi in monumento veteri. Sed vetustissimum, quod affert, habes, *era* DIII. Qui erit annus Christi CCCCLXV. Quo tempore jam in desuetudinem abire diphthongi cœperant: præsertim in Hispaniis, Africa, alijsque terris longius ab Vrbe dissitis. Alia quoque adfert summus ille Vir: sed, vt mihi videtur, nihilo firmiora. Nec tamen Sepulvedæ opinionem certam esse dejectare ausim. Sed existimo, minimè esse puerilem, vti Vir ille incomparabilis putabat, verùm ingeniosam planè, & non verisimilem minus, quàm eorum est, qui ab *ære* deducunt. Quod Isidorus & Scaliger faciunt, etsi diuersâ de caussâ. Isidorus quidem de eo sic scribit Originum lib. V. cap. XXXVI: *Æra singulorum annorum constituta est à Cæsare Augusto, quando primum censum exegit, ac Romanum orbem descripsit. Dicta autem æra ex eo, quòd omnis orbis æs reddere professus est Reip*. Vbi manifestè confundit tempus descripti orbis ab Augusto, quo Ioseph cum Maria prægnante Hierosolymam adscendit; & illud, quo Hispani, à Domitio Calvino Proconsule victi, recepere annum Iulianum, annis XXXVIII ante natum Christum. Rectius igitur dixisset, *æram* ex eo dictam, quòd Hispani post cladem à Calvino acceptam Romanis *æra* persoluerent. At Iosephus Scaliger censet, *æra* accipi pro numero, atque hoc inde esse quia in rationibus olim *æra* notarent, vt vulgo ITEM solent. Lucillius apud Nonium: *Hæc est ratio? peruersa æra, summa subducta improbè*. Siue, vt legit Scaliger, *Hæc est ratio peruersa, æra summa subducta improbè*. Cicero Hortensio: *Quid tu, inquam, soles, cum rationem à dispensatore accipis, si singula æra probasti, summam, quæ ex his confecta sit, non probare?* Censet autem, cùm veteres in pluratiuo dicerent *æra*, posterioribus seculis *æram* dixisse: quomodo in veteri lingua *Ostiam* dixere oppidum, ab ostio Tiberis: item posterioribus seculis in singulari *aëra, æthera, biblia*, & similia. Mihi quidem hæc conjectura summi Viri admodum esse incerta videtur. Et tamen magis in eam inclino sententiam, quàm illam Christmanni, cui Arabicum esse placet ab ארח *arach, supputare, numerare*: à quo תאריח *tarich, æra, supputatio*. Nam seculis aliquot ante Arabum in Hispaniam aduentum vox *æra* recepta ibidem erat: vt ex iis liquet, quæ suprà de Concilio Toletano dicebamus.

ÆRO, idem est φορμὸς siue *phormio*: nempe vasis spartheі genus, quod sportam vel fiscinam dicimus: atque vt φορμὸς ἀπὸ τοῦ φέρειν vocatur, ita *æro* dicitur ἀπὸ τοῦ αἴρειν, quod est βαστάζειν. Vas enim erat tollendo ferendóque aliquid idoneum. Vnde liquet, perperam *hæro* scribi cum *h*: ac pejus etiam *hero*, vel *ero*. Idem esse *æronem* ac *phormionem* seu φορμὸς, indicat Donatus in Phorm. I, II: *Phormio, inquit, non à formula, sed à phormione sparteo, quem nos æronem dicimus triuialiter & pro consuetudine*. At φορμὸς, πλέγμα, vt ex Hesychio constat. Ac in Glossis Philox. legas: *Æro*, κὼξ. Κὼξ autem inter τὰ ἐκ πλέγματος σκεύη à Polluce etiam refertur lib. X. cap. XLVI. Vbi vulgò corruptè ea vox legitur: sed *æronum* vocem viri docti reponunt. Vitruuius lib. V. cap. XII: *Et inter destinas creta æronibus ex vlua palustri factis calcetur*. Vbi vulgò *destinatas* pro *destinas*; & pro *æronibus*, *meronibus*, Philander perperam *peronibus*. Plinius libro XXXVI. cap. XIV: *Id consecutus est ille æronibus arenâ plenis*. Vbi vulgo *peronibus*. L. XXXI. D. Locati, *æronibus clausum frumentum*. Vbi *heronibus* malebat Cujacius: sed inuitis Pandectis Florentinis, vt ipse agnoscit.

ÆRUMNA, quidam olim per simplex *e* scripsere, quidam per *æ*. Vt indicat hic Sosipatri locus lib. I: *Erumnam Ennius ait per e solum scribi posse, quòd mentem eruat: vel per æ, quòd mærorem nutriat*. Quo loco intelligendus videtur Ennius Iunior, quem de literis, syllabis, metris, & augurandi disciplina, scripsisse, auctor est Tranquillus, initio Libelli de illustribus Grammaticis: Nisi malis cum Paullo Merula (comment. ad Ennium pag. 180) pro *Ennius* legere *Annæus*, vt intelligatur Annæus Cornutus. Sed quod ad ἐτυμολογίαν attinet, omnino ridiculæ sunt. Quin nec satisfacit Festus, qui voluit *ærumna* esse κατὰ συγκοπὴν ab *ærumina*, siue αἰρομένη: quomodo nempe ab ἐλάμινα est *lamina*, inde simili συγκοπῇ *lamna*. Verba Festi sunt: *Ærumnulas Plautus refert furcillas, quibus religatas sarcinas viatores gerebant. Quarum vsum quia C. Marius retulit, muli Mariani postea appellabantur. Siue à Græco sermone deducuntur. Nam αἴρειν Græcè, Latinè tollere dicitur*. Fungerus quoque ab αἴρω esse vult, sed quia tollit ac conficit hominem. Idem ab *ære* duci posse censet, quia *æris*, id est, pecuniæ caussâ, homines magnos subeunt labores. Mallem dixisset, ab *ære* esse, propriéque notare laborem, qui in ærifodinis insumitur. Sed simplicissima ἐτυμολογία est, si dicamus, esse à μέριμνα, quo significatur *anxia sollicitudo*, ἀπὸ τοῦ μερίζειν, quòd animum distrahat. Vnde eam egregiè describit Maro lib. VIII. Æneid.

——— *Magno curarum fluctuat æstu,*
Atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc,
In partésque rapit varias, pérque omnia versat.

ÆS, vnde dicatur, minùs euidens est. Forte est ab Hebræo אש, *esch*, id est, *ignis*, ob splendorem. Vnde *micantia æra*, & *Ære renidenti*, dixit Maro. Aliunde tamen sit, si prius in recto fuit

aris; quomodo *as* dicitur pro veteri *assis*, vnde *decussis*, *centussis* &c. Nempe *ais* nomen fuerit, vel ab ארץ *erets*, *terra*: quia *effodiuntur opes*, vt Naso 1 Metam. ait: vel potius *aris* sit ex *asis*; quomodo *ara* prius fuit *asa*, *lares* item ex *lases*; *arena* prius *asena*; *carmen* est ex *casmen*, & ita in sexcentis. *Æsis* autem forte ex αἶσα, quod est μοῖρα, *portio*: nempe quia eo effosso illud divideretur inter illos qui reperissent. Aut ab αἰσιμον, quod Hesychius exponit, ἀγαθὸν, συμφέρον· nempe ob insignem æris vsum. Vel potius sit ab αἴθω, & ita dicatur à *splendore*; vt verbale sit ab αἴθω, quod non tantùm *ardeo*, sed & *splendeo* signat: proque hac sententia impensè facit, quod poëta ab eodem αἴθω dixit αἴθοπα χαλκὸν, *æs splendidum*, ac coruscum instar ignis. Sanè absurda hæc non sunt. Sed vide quantò simplicius sit, si dicamus, esse ab ἄρης. Vnde antiquus rectus *aires*, & κατὰ συγκοπὴν *as*, vt à *plebes plebs*. Nec obstat, quòd ἄρης non *as*, sed *ferrum*, videatur notare. Nam pro *ferro* cœpit accipi, postquam *ferrea* arma in vsu esse cœpere: at pro *ære* sumebatur, cum *area* solum obtinerent. Notum illud Hesiodi:

> Χαλκῷ δ' εἰργάζοντο· μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος.
>
> *Ære operabantur: non enim nigrum erat ferrum.*

Pluráque ea de re diximus lib. IV. Instit. Orat. cap. VIII. Et sanè hinc quoque esse videtur, quod Germani ferrum vocant *aisser* seu *eiser*: quod κατὰ μετάθεσιν est ab ἄρης, seu *aires*. Ab ære est *aramentum*, vt à *ferro ferramentum*. Gloss. *aramentum*, χαλκωμα. Ab eodem prius fuit *arineus*, vt à *muccio muccinium*, Arnobio lib. II. Postea per syncopen *aneum* dixere. Fallitur igitur Priscianus, lib. I. cap. de literarum numero & conuersione, vbi ait, *aneus* dici pro *areus* conuerso *r* in *n*. Ab *aneus*, est diminitivum *aneolus*. Festus *aneolum* exponit, quod ex ære fit. Ab eodem *aneatores* dicuntur, qui *aneâ* canerent tubâ: quod prius fiebat cornu animalium; vnde & *cornicines* dicebantur. Sed post inuentionem tubarum, diuersus cornicinum atque æneatorum in castris vsus fuit. Vide Scalig. ad Festum in *aneator*. In Gloss. vett. *aneator* exponitur ἀυλωδολογιστής. Sed aliter vsus Suetonius in Iulio cap. XXXII. *Cum inter eos concurrissent & aneatores, rapta ab vno tubâ, prosiluit ad flumen.* Pro *aneus* dixere & *aenus*, κατὰ διάλυσιν. Vt apud Maronem. *Et luce coruscus aenâ*. Indéque fuerit *aenator*, quasi ab *aena* tubâ. Sanè *anator* pro *aneator* constanter est in MSS[is] Festi codd. Ab *aenus* est *aenum*, pro quo & insertâ aspiratione *ahenum* dicebant. Eius diminutivum *aenulum*. Festus: *Aenulum, vas ex are paruum*. Nisi à diphthongo incipere malis. Apud Isidorum *a* planè omittitur. Nam *enuinm* interpretatur *caldarium*. Quia verò antiquissima pecunia *area* fuit, inde est quod *are diruti* milites dicantur, quibus ob ignominiam stipendium adimebatur. Item *obarati*, qui *are* alieno obstricti. Item *astimo*; siue sic dicatur, quasi *as taxo*, quod scribit Perottus: siue ab *as* & Græco τιμῶ, de quo plenius suo loco. Videri etiam possit hinc esse *aruscare*, siue *asculari*. Nam *aruscare* Festus exponit, æra vndique colligere. Ac Glossæ, in operum Cyrilli calce inuentæ, *asculor* interpretantur χαλκολογῶ. Verùm non hac in voce respiciendum ad *area* pecuniæ antiquitatem, sed quod minimi pretij nummi *ara* vocarentur, vt Græcis χαλκοῖ. Glossæ Cyrillo tributæ, κέρμα, *as*. Itaque de mendicorum stipe sæpe dicitur. Martialis, lib. XI. ep. XXVIII:

> *Nec nisi prima velit de Thuco Serica vico,*
>
> *Aut centum aureolos, sic velut ara rogat.*

Ovid. quoque primò de Ponto *stipis ara* dixit. Et Appul. VIII. Met. *stipes areas*. Hinc igitur, qui Græcis χαλκολόγοι, Latinis *aruscantes*, siue *aruscatores*, aut etiam *asculatores*, appellantur. Gloss. eædem: χαλκολόγος, *nummularius*, *asculator*. Glossæ Philoxeni: *Æsculator*, χαλκολόγος. *Æsculans* est apud Gellium lib. IX. cap. II. *Æruscator* apud eundem lib. XIV. cap. I. Eandem vocem Vulcatio Gallicano restituit Io. Bapt. Pius lib. annot. post cap. LIX. Optimè *aruscatorum* nomen conuenit famulis Ideæ matris, qui stipem Megalensibus cogebant, vnde & μητραγύρται vocantur Græcis, à μήτηρ, & ἀγείρειν, *congregare*. De his sic Cic. 2. de Legg. *Præter Idea matris famulos eósque iustis diebus, ne quis stipem cogito.* Caussam legis idem paullò pòst assignat, his verbis: *Stipem sustulimus, nisi eam quam ad paucos dies propriam Idea matris excepimus: implet enim superstitione animos, & exhaurit domos.* Quod ipsum verissimè de Ordine Mendicantium dici posse, censet Guil. Budæus in comment. L. Gr. vbi Græcorum Romanorúmque μητραγύρτας siue *aruscatores*, confert cum iis, qui B. Mariæ, Sebastiano, aut Rocho, stipem cogunt; & addit, eos *epulones potius esse diuorum, quàm cultores*. Ab *are* quoque *ararium* dicitur, locus pecuniæ publicæ. Hanc nominis caussam adfert vetus Persij interpres à Pytheo editus, ad illud sat. II: *Saturniáque impulit ara*. *Æs*, inquit, *in ade Saturni condebatur, nondum argento auróque signato: vnde ararium nomen accepit*. Item Isidorus lib. 15. cap. 5: *Ærarium*, inquit, *vocatum, quia prius as signatum ibi reconditebatur. Hoc enim olim in vsu erat, auro argentóque nondum signato: ex quorum metallis quamuis postea facta fuisset pecunia, nomen tamen ararij permansit, ab eo metallo, vnde pecunia initium sumsit.* Eadem legas cap. XVII. Vbi & ærarium vult ideo Saturno fuisse sacratum quia is primus signarit pecuniam. Aliam rei eiusce rationem adfert Macrobius lib. I. Saturn. cap. 8. Differt ærarium à fisco, quòd illud esset imperij, hic principis. Hinc Tacitus l. 5: *Bona Seiani ablata arario, vt in fiscum cogerentur.* Plinius Panegyrico: *At fortasse non eâdem seueritate fiscum, quâ ararium, cohibes. Imò tanto maiore, quanto plus tibi licere de tuo, quàm de publico, credis.* Spartianus in Hadriano: *Damnatorum bona in fiscum priuatum redigi vetuit, omni summâ in arario publico receptâ.* Plura de *area* pecunia diximus in *AS*. Ab *are* quoque est *aripes*. Quo modo *aripedem* ceruam legimus apud Maronem, VI Æn. & *aripedes* tauros apud Ovid. epist. Medeæ. & Var. Flaccum lib. VIII. Ab *are* verò sic dici clarè docet, quòd Græci similiter dicant χαλκόποδας, vt Homerus Il. I. & Apollon. l. III. Propriè autem ea vox dicitur de equis sub pedibus soleas *aneas* siue ferreas habentibus. Qualem signat Maro cum ait, *Cornipedem ferratâ calce fatigat*. Sed quia ea res celeritatem in currendo adiuuat, inde est, quod κατὰ μετάληψιν *celeripedem* notat. Atque hoc, ni fallor, occasionem præbuit fabulæ, quæ *areos* pedes tribuêre omnibus, quæ à celeritate commendabantur. Sic Ovidius epist. Medeæ, cùm primo dixisset, *aripedes* tauri, postea ait, *Ære pedes solidi*. Cúmque ceruam Maro vocat *aripedem*, intellexit eam, quæ reuera pedes *aneos* haberet. Iuuat quoque hanc sententiam, quòd Prudentius pro *aripedem* dicat *anipedem*. Falluntur igitur Charisius lib. IV. cap. de metaplasmo; Diomedes, lib. II. cap. V; Priscianus, lib. XVII. c. I; Beda, de orthographia; atque alij; qui volunt, *airipes* dici ab ἀέρι, eóque apud Poëtas esse συναλοιφήν. Nec mouet, quòd quidam velint exprimi Græcum ἀερσίπους, quod apud Suidam; siue ἀερσίποδες, quo Homerus vsus Il. γ. Nam ἀερσίπους non est ab ἀήρ, sed ἀείρω, eúmque notat, *qui pedes in altum erigit*. Quin apud Suidam pro ἀερσίπους planè lego ἀερσίπους. Quippe subjicit, ὁ εἰς ὕψος αἴρων τοὺς πόδας.

Æsalo, Aristoteli & aliis αἰσάλων, pro quo apud Hesychium, vitiosè, vt suspicor, αἴσαρον per ρ editum est. Nomen videtur esse ab ἀΐσσω, *ruo*, *prosilio*; quin in aues irruat. Albertus Magnus, & alij recentiores, corruptè vocant *assalon*, & *azalon*. Iidem & vocis similitudine decepti, malè confundunt cum *salo*, h.e. ægitho auiculâ. Est enim *æsalo* auis ea quæ Isidoro *smerillus*, Petro Crescentiensi *esmerlius*, Italis *smerlo*, siue *smeriglio*, Germanis *smirle*, vel *merle*, Gallis *esmerillon*. quæ omnes voces videntur descendere à Latino *merula*: quia nempe, vt Isidorus ait, *merillus* non multò maior sit merulâ: imò, vt Albertus M. scribit, figurâ coloréque adeò similis sit, vt, nisi rostrum & vngues haberet aduncos, vix ab ea dignosci posset. Quod verò Plinius, lib. X. cap. LXXIV. inter aues paruas reponit, id non accipiendum ἁπλῶς, vt Turnebus cepit lib. VIII. Adversf. cap. XVI. vbi Plinium in eo falsum putat: sed de iis potiùs intelligendum, quæ sunt minimæ è genere auium rapacium. Plura de *æsalone* si voles, adi Aristotelem lib. IX. histor. animal. cap. I; Plin. lib. X. cap. I. & LXXIV; item Albertum, Gesnerum, & imprimis Aldrovandum in Ornithologia.

Æsculus, arboris genus est ex quatuor glandiferis. Eæ sunt robur, quercus, fagus & æsculus. Pro quo quidam esculus malunt, etymon, vt aiunt, secuti. Nam, quemadmodum fagus ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, *edere*: ita ex eorum sententia esculus ab esca: quia veteres, nondum inuentis frugibus, glandibus vescebantur: ac jam inuentis frugibus, pauperes tamen ac tenuiores glandibus contenti erant. Placuit hoc etymon Isidoro lib. XVII. Orig. cap. VII. Et ante eum sic Seruius ad II. Georg. *Æsculus, arbor est glandifera: qua, licet ab Esu dicta sit, tamen per Æ scribitur: sicut & Calatum, licet à Celo Celas habeat deriuationem.* Sed multo verisimilius est, *æsculus* esse ab αἰγίλωψ. Glossæ: *Æsculus*, εἶδος δένδρου φηγοῦ βαλανοφόρου. Clarè arborem glandiferam facit, sed perperam cum fago confundit. Omnino enim æsculus est à fago diuersa: planéque fagus est φηγὸς, æsculus est αἰγίλωψ, aut saltem tam vicina, ac similis, vt mirum non videatur, si Latini æsculum eo nomine vocarint. Vide quæ de ægilope scribit Theophrastus Histor. Plant. lib. III. cap. 18. De eadem sic Plinius lib. XVI. cap. VIII: *E glandiferis sola, qua vocatur agilops, fert panos arentes, muscoso villo canos, non in cortice modò, verùm & è ramis dependentes cubitali magnitudine, odoratos, vt diximus inter vnguenta.* Ab αἰγίλωψ fit *acilus* vel *aculus*, vt à κύκλωψ, *cocles*. Sed *s* inseruere, vt esset *æsculus*: quomodo à μυῖα fecere *musca*, à ποινὴ *pœsna*, à *subendo subscus*. Ab *æsculo æsculeam coronam* Plinius: *æsculinos axes* Vitruuius dixit. Item hinc *æsculetum*.

Æstimo, cùm idem sit quod τιμῶ, & primò æneâ pecuniâ vsi fuerint Romani (quâ de re abunde in *Æs* dictum;) planè censeo, ex vtroque esse conflatum. siue *æstimo* sit ex τιμῶ & *are*: siue

siue à τιμᾶν *timare* dixerint prisci, ac huic post *æris* voce adiecta, cuderint vocem *æstimare*. Nec repugno tamen, si quis totum Græcum putet ab ἐστιμᾶν, vel ἐστιμᾶν, quorum vtrumque *æstimo* notat. Vt apud Platonem epist. VII: ἄν ἐστιμᾶ τις ὀρθῶς· *si quis æstimet recte*. Est verò τιμᾶν à τιμή, *pretium*, hoc à τίω, quod non tantum *vlcisci* notat (vnde Furiarum vna Τισιφόνη, quasi τίουσα τὸν φόνον, *vindicans cædem*), sed etiam *pretium statuere, æstimare*. Quare non sequor doctissimum Angelum Caninium, qui vocem τιμᾶν arcessit a Punico *theman*, conuerso *th* in *t*; quomodo, vt idem addit, ab *harrath* est ἀῤῥαβών. Ab *æstimo* non *æstimatio* tantum, sed pro eo etiam *æstimia* dixere: teste Festo. Habes in legg. XII. Tabb. ÆRISQVE ÆSTIMIAM IVDICAT EI PRÆDICATO. Postea *æstimium* maluere. Hygenus de agr. mens. *Nam & possessiones pro æstimio vbertatis angustiores sunt assignatæ*. Sæpius etiam apud Iul. Frontinum de limitibus legas. Ab *ex* & *æstimo* est *existimo*, *æ* in *i* abeunte; quomodo à *cædo*, *occido*. Nempe quia demum rebus perpensis & æstimatis existimamus ac iudicamus. Marius Victorinus in orthograph. *Quid enim facietis in his, quæ velitis, nolitis, & scribenda sunt, & legenda, vt scripta sunt? Vt exempli causâ, existimo, non exæstimo, & conquinat, non coinquinat.*

ÆSTVS (vnde *æstas*) est commotio vel in igni, vel in aqua, vel in animo. Omnis autem commotio fervorem gignit. Itaque apposité æstus deducitur ab Hebræo אש *ignis*. Vnde & Græcum ἐσχάρα, *focus*. Vel forte veteres Græci dixere αἰστὸς, quod verbale sit ab ἦσαι, perfecto verbi αἴθω, *accendo*. Quæ Nunnesij in Grammatistice sententia videtur, quando ab αἴθεσθαι deducit. *Æstus* verò nomen etiam maris commotioni tribui, non mirum magis quàm eius partem *fretum* dici à *feruendo*. Hinc *æstuaria, qua mare tum accedit, tum recedit*, vt ait Festus. Ab *æstus* est *æstuo*, quod & ipsum nunc de iis, quæ verè calent, dicitur, vt illo Iuuenalis, *si dixeris, æstuo, sudat*: nunc de mari, vt apud Curtium, *æstuare semper fretum*. Nec cum μεταφορικῶς sumitur, obscurum est, videre, ab vtro æstus genere sumatur translatio. Nam cùm ait Sallustius *æstuare inuidia*, vnde sit, indicat, quod similiter dicimus *flagrare inuidia*. Cùm verò Cicero, IV Verrina, inquit, *æstuare dubitatione*, patet, esse ab æstu marino, quando apud Maronem similiter legimus, *magno curarum fluctuat æstu*; & Græci eodem modo dicunt, κυμαίνεται ψυχή. Ab *æstu* quoque nomen *æstiua*, quo nomine vocata, quæ æstu cœpta; adeò vt nec nomen id amitterent exacto iam autumno. Sic Cicero, epist. IX. lib. III. ad famil. *æstiua confecta nonnisi capto Pindenisso*, significat. At Pindenissum captum Saturnalibus, hoc est, 14. Cal. Ianuar.

ÆTHER, αἰθὴρ, Aristoteles lib. de cælo dici ait ab ἀεὶ θεῖν, quod semper currat ac moueatur: vbi & Anaxagoram damnat, quòd αἰθέρος voce abusus sit pro elemento ignis. Auctor quoque libelli de mundo (quem vulgò, Iustinum secuti, Aristotelem esse falsò persuasum habent,) idem adducit ἔτυμον, eorúmque sententiam damnat, qui ἀπὸ τοῦ αἴθειν deducunt. Auctoris huiusce locum sic interpretatur Appuleius lib. de mundo: *Sed cælum ipsum stellæque caligera, omnisque siderea compago, æther vocatur: non, vt quidam putant, quod igneus sit & incensus, sed quòd cursibus rapidis semper rotetur.* Quibus in verbis pro *caligera*, omnino *coligera* legerim, idque præeunte Scaligero in ineditis eius viri, quæ apud me. Sanè non stellæ cælum, sed cælum gerit stellas. Stellæ verò scitè cælo genitæ dicuntur, quandoquidem, ex Aristotelis sententia, nihil sunt aliud, quàm densiores sui orbis partes. Anaxagoræ sententiam secutus Cicero, II. de nat. Deor. *Hunc, inquit, aerem rursus amplectitur immensus, æther, qui constat ex altissimis ignibus, &c.* Sed hanc opinionem solidè diluit ὁ τῶν φιλοσόφων Philosophus. Tertium quoq; ἔτυμον reperio, quod proponere visum verbis Cælij Calcagnini, extremo libello de perenni motu terræ: *Quum, inquit, diu perquisitum foret à priscis Philosophis, vnde æther nomen accepisset, & eorum aliqui ἀπὸ τοῦ θεῖν, ab excurrendo, alij verò ἀπὸ τοῦ αἴθειν, hoc est, à calfaciendo, dictum existimassent: Empedocles, quasi honorarius arbiter inuocatus, pro iis stetit, non qui motum, sed quiætheri calorem tribuissent.* Est & quartum ἔτυμον. Nam Becmannus deducit ab Hebræo fonte. Si quidem אור est, *illustris fuit*, & clarus instar purissimi ætheris. Nomen est אורה *illustris, splendidus, clarus*. Ab *æther* est *æthereus* siue *æthérius*. Vtroque enim modo inuenitur in libb. antiquis, vt *aëreus* & *aërius*. Hoc, more Græco, qui scribunt αἰθέριος, ἀέριος. Illud more Romano, qui per *e* dicunt, *igneus, flammeus, aureus, areus*, &c. Ab eodem *æternus* dici volunt quasi *ætherinus*. Sed magis placet per συγκοπὴν dici pro *æuiternus*, quo vsus Varro. Nam & *ætas* similiter contractum ex *æuitas*, quod idem Varro vsurpat, vt in *Æuum* dicemus. Ab *æther* quoque est *æthra*, vt scribit Seruius ad III. Æn. & Eustathius confirmat, qui docet, vt a genitiuo πατρὸς est πάτρα *fundum vasis*, à πατρὸς, πάτρα, *patria*; sic ab αἰθέρος esse αἴθρα, *æthra*. Propriè verò αἴθρα est *aeris serenitas*. Vnde τῇ αἰθρίᾳ, *caligini*, opponitur apud Homerum Il. ρ. Sed Latini id non obseruant. Sanè Seruius cùm dixisset, *æthera* esse elementum, *æthram* verò splendorem aeris: subiicit pòst, *æthra* & *æthram* idem videri, eòque *æthera sidereum* intelligi in illo Maronis lib. III. Æn.

> *Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus æthrâ*
> *Sidereâ polus.*

AETITES, ἀετίτης, ab ἀετὸς, *aquila*. Duplex eius nominis lapis est. Vnus, qui in aquilarum nido inuenitur, & ex eo nomen accepit. De quo dicimus in *Gagates*. Alter sic dicitur à colore plumarum *aquilæ*, candidam habentis caudam. Pleræque enim gemmæ nomen habent à colore *animantium*. Sic *geranites*, γερανίτης, à colore *gruis*, qui Græcis γέρανος. *Hieracites*, ἱερακίτης, à colore *accipitris*, qui Græcè ἱέραξ: miluinis enim, nigrisque plumis distinguitur, vt Plinius ait, ac Aëtius confirmat. Similiter *echites*, ἐχίτης, à *vipera*, quæ ἔχις. *Carcinias*, καρκινίας, à colore *cancri* marini, qui καρκίνος. Plinius lib. XXXVII. cap. XI: *Ab animalibus cognominantur, carcinias marini cancri colore; echites, vipera; & a grue collo, geranites; hieracites, accipitris.* Pluráque id genus ibidem recenset.

ÆVVM, ab αἰὼν, inserto *v* consono, more Æolum; quomodo ab ὠὸν est *ouum*, ab οἷς *ouis* à λεῖος, *leuis*, &c. Αἰὼν verò dicitur quasi ἀεὶ ὢν, *semper existens*: vt scripsit Aristoteles lib. I. de Cælo. Nisi potius (quæ doctissimi Abrahami Costeri suspicio est) ab Arabum اوان *auan*, quod illis *æuum* denotat. Pro *æuum* quoque *æuom* dixere veteres. Plautus, Pœn. act. V, sc. IV: *Vitalem æuum*. Et Lucretius lib. III: *Non omnem possit durare per æuum*. Porrò ea Græci αἰὼν etymologia, quam posuimus, confirmat sententiam Seruij, sic scribentis in VI. Æn. *Æuum propriè, æternitatis est, quæ non nisi in Deos venit.* Ennius:

> *Romulus in cælo cum Dis genitalibus æuum*
> *Degit.* ——

Malè autem vendicauit vsus, per quem dixit Maro: Longæuósque senes. Hæc Seruius. Pleniùs verò de æuo Censorinus c. XVI: *Æuum, inquit, est immensum, sine origine, sine fine; quod eodem modo semper fuit, & semper futurum est*, &c. Ab *æuum*, vt Priscianus scribit in secundo, est *æuitas*. Quo vsus Varro, Tithono, siue περὶ γήρως, apud Nonium in *Æuum*: *Quia volantis æuitatis extima, adrigit metam æuitas.* Sic eum locum legit Theodorus Marsilius. Est & in legibus XII. Tabb. apud Gell. lib. XX. c. I. SI MORBVS ÆVITASVE VITIVM ESCIT. Priori loco *æuitas* ἁπλῶς ætatem, posteriori malam ætatem siue senium significat. Quod si *ætas* prius fuit *æuitas*, falli necesse est qui ab *ἔτος* deriuant, i. *annus*. Ab *æuum* quoque *æuiternus*. Varro, Pseudonea apud Priscianum, extremo propè lib. XI: *Per æuiternam hominum domum tellurem propero gradum.* Ab *æuitas* verò per συγκοπὴν fit *ætas*. Eius accusatiuum *ætatem* poni aiunt aduerbialiter, & notare, *sæpe ac diu*, prout à Nonio exponitur. Sed rectius dixisset, poni pro *æternum*. Nam *ætatem* dicunt antiqui pro *per omnem ætatem*; estque Hellenismus. Nam similiter Græci dicunt δι' ἐμοῦ βίου, pro διὰ παντὸς βίου. Plautus, Asin. act. II, sc. II. *Ætatem velim seruire, Libanum vt conueniam modo.* Lucillius similiter, in aureo illo dicto:

> ——— *Vt multos mensesque diesque,*
> *Non tamen ætatem, tempestate hac scelerosi*
> *Latentur.* — Ita optimè legit Duza in Centurion. l. I. c. VI.

Vtrobique *ætatem* notat *omnem ætatem*. Vt autem *ætas* est ex *æuitas*, ita & ab *æuiternus* similiter *æternus*: vt ibidem scribit Priscianus. Quare falluntur, meo iudicio, qui *æternus* quasi *ætherinus* dici censent, quia cælum sit ἀΐδιον καὶ ἄφθαρτον. At ineptius multo, sed seculi vitio, non suo, M. Albertus; qui super IV. Sententiarum tractatu vlt. *æternum* dici ait, quasi *extra terminos existens*: nempe quia *æternitas* est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio: prout definit Boëthius lib. V. de consol. Philos. pros. VI. Ab *æternus* est *sempiternus*, *æ* in *i* conuerso, quomodo à *cado* est *occido*.

A F

AFFANIÆ, à fando quoque dictæ: vt censet Beroaldus ad illud Appuleij libro IX. *Hac & alias similes affanias frustra oblatrantes eos retrorsum abducunt pagani.* Nempe vt fabula, cui itidem à fando nomen, natura de veris fictísque dicitur, speciatim verò de falsis vulgo accipitur: sic vox *affaniarum* etsi cuilibet affamini & confabulationi conueniat, tamen speciatim de congerronum nugis vsurpatur. Mihi tamen magis placet, Affanias ab Ἀφάνιαι, quod ignobile Siciliæ oppidum, aut, vt alij, Atticæ locus fuit: sed prouerbialiter, de remotissimis dicebatur: vt præter Hesychium docent Hermolai Byzantini ex Stephano excerpta. Scaliger ad Festum in *butrubata* ab Ἀφάνιαι deducit *Apinæ*, quod idem notat. Gloss. vett. *Apinæ* Ἀφάνιαι. Sic enim legit. Sed mihi dubium non est, quin *Apinæ* potius sint dictæ ab *Apina*, quæ non Siciliæ, aut Atticæ: sed Italiæ ciuitas

ciuitas fuit. Nam in Daunia siue Apulia fuit, vti & Trica: quarum vtraque in prouerbium abiit. Plinius lib.III. cap.XI. *Daunorum præter supra dicta coloniæ Luceria, Venusia: oppida Canusium, Arpi: aliquando Argos Hippium Diomede condente, mox Argyrippa dictum. Diomedes ibi deleuit gentes Monadorum, Dardorumque, & urbes duas, quæ in prouerbij ludicrum venêre Apinam & Triccam.* Quo ex loco apertè discimus, quòd res futiles ac nugatorias, *apinas* ac *tricas* appellamus, id originem trahere à duobus ignobilibus Apuliæ oppidis. Sic vsus Martialis, epig.I. lib.XIV:

Sunt apinæ tricæque & si quid vilius istis.

Et alibi:

Apinásque nostras, quas nec ipse jam noui.

Alias *trica* accipitur pro impedimento, sed tunc sumta translatio à pilis, quibus innoluuntur pedes pullorum gallinaceorum: qua de re dicemus suo loco. Qui verò *apinas* dici putant ab apino fructu, cui Plinius fragilem tribuit corticem, decepti sunt corrupto Plinij loco, qui est libro XV. cap.X. vbi, vt legit Perottus: *Tertium* (nucum pinearum genus) *apinaè pinea fatiua, nucleorum cute verius, quàm putamine, adeò molli, vt simul mandatur.* Et in vett. sanè libris est *appinia*. Sed *Sapinia* Plinius scripsit: de quibus nucibus idem agit cap.XII. eiusdem libri, & lib.XVI. cap.XXXIX.

AFRICVS ab occidente spirat hiberno, vt docent Vitruuius l.I. cap.VI. Seneca lib.V. nat. quæst. cap.VI. Gellius lib.II. cap. XXII. Nomen ex eo, quia ab *Africa* spiret, vnde & Λίψ siue *Libs* vocatur, quia Libya eadem ac Africa. Ita Isidorus lib. XIII. Orig.c.XI. *Africa* autem eiusdem originis putatur ac *apricus*: nempe ab α priuatiuo, & φρίκη, id est, *horror*: quia torrida est, vnde Maro *sitientes Afros* dixit. Ita idem Isidorus lib.XIV. cap.V. Sed addit aliis ita dictam videri ab Afro, vno ex posteris Abrahæ de Cethura. Quod ipsum est legere apud Hieronymum, quæst. ad Genes.c.XXV. Nec displicet eorum sententia, qui nomen habere putant, quod ob æstum ac siccitatem puluerulenta sit, ab Hebræo עפר, quod est, *puluis*, vnde עפר, *puluerauit, puluerem excitauit.* Nec in re adeò incerta improbare velim sententiam Io. Leonis Africani, qui initio descriptionis Africæ ait Arabibus dici Iphriciam, à verbo פרק *aphrak*, id est, *diuide*. Nempe quia ab Europa quidem mari mediterraneo: ab Asia autem, seu Nilo seu isthmo, inter sinum Arabicum, & mare mediterraneum diuidatur. Addit & alteram rationem, vt sit ab Iphricio primo Arabiæ Felicis Rege. De quo nihil legere memini.

A G

AGASO is *dicitur, qui iumenta tractat*, vt Acro scribit ad Eccl. VII. lib.II. Satyrarum. Vett. Gloss. Philoxeni similiter interpretantur δοῦλος ἐπὶ κτηνῶν. Sic locum eum corrigit Scaliger. Paullus è Festo interpretatur *equos agentes*, quod seculi sui voce interpretatur *minantes*. Est verò *agaso*, non ab *agendo*, qua forma ab *equo* est *equiso*: sed ab ἀγάζω, quod Tarentinum pro ἄγω. Tarentini enim, vt ad Festum notauit Scaliger, solent voces τῶν παραγωγῶν producere. Sic pro κνάω, κνῶ, quod est *scalpo*, dicunt κνάζω, vnde ὁ κνάζων, *cnaso*. Festus: *Cnasonas*, (ita & MSS[ti],) *acus, quibus mulieres scalpunt caput.* Glossæ vett. Isidoro tributæ: *Casona* (l. Cnason) *acus, qua mulier scalpit caput.* Duplices enim *acus* ornatricum; vna, qua caput scalpunt, quæ *discerniculum* dicitur; altera, qua crinem fingunt & sustinent, quam Græci περόνην appellant, ac περόνην quoque, vt Hesychius indicat voce περόνη.

AGEA, ab agendo. Festus siue Paullus: *Agea, via in naui dicta, quòd in ea maxima quæque res agi solet.* Ita & MSS[ti] omnes. Isidorus lib.XIX. c.II: *Agea, peruia loca sunt in naui, per quæ ad remiges hortator accedit.* Sic locum eum è MSS[to] meo lego. Subjicit deinde locum Ennij: *Multa foro ponit, & agea longa repletur.* Ios. Scaliger legit: *Multa forum, pontes &, ageáque longa replentur.* Paull. Merula emendat: *Multa foro ponens, ageáque longa repletur*: quæ emendatio si vera, aut *agea* ab *agendo* non est, aut recedit à quantitate primogenij. Quod non existimo. Potius puto, esse ab ἀγυιὰ id est, *via*. Et sic quoque originis caussa eadem erit, quia & ἀγυιὰ est ab ἄγω. Vett. Glossæ Philoxeni: *Agear*, παρόδιον, καὶ πάροδος πλοίου. Scaliger corrigebat: *Agea*, πάροδος ἐν πλοίῳ, ἡ πάροδος πλοίου. Possis & cum B. Vulcanio legere, *Agea*, παρόδιον, καὶ πάροδος πλοίου. Ab *agea* est *ageator*. Isidori λέξεις· *Egeator* (rectè Vulcanius corrigit *ageator*) *hortator nauis.* Additur ibidem in Glossis, sic dici à *mari Egeo*. Sed ab *Ægeo* esset *egeator*.

AGER, Græcè ἀγρὸς, vtrumque factum videtur ἀπὸ τοῦ ἄγειν, vel ab Hebræorum כר, *ager*, vel אגר, *colligere*, quòd inde fructus colligantur: vel potiùs à Chaldæorum חקל, adspiratione tenuata, & ל in ר verso. Si Varronem audimus, lib.IV: de L.L. *ager* nomen habet ab *agendo*, nempe *in quo terram agebant, & vbi agebant aliquid fructûs caussâ*, aut (vt Donatus scribit) *quòd in eo multa sunt agenda. Id Græci dicunt ἀγρὸν*, ait Varro. At si Græcis dicitur ἀγρὸς, quæ inuidia est aliunde deducere? Sanè, vt ex Aurelij sententia scripsit Charisius, nomina quæ apud Græcos desinunt in ρος, aut τρος, aut δρος, aut κρος, ea à Latinis per *er* efferuntur; vt ἀγρὸς, *ager*; Ἀντίπατρος, *Antipater*; Μένανδρος, *Menander*, Τεῦκρος, *Teucer*. Duo tamen hinc excipi agnoscit, *Codrus*, & *Congrus*. *Teucrus* verò, & *Euandrus*, quæ Maro vsurpat, Poëtica sunt. Ab ager *agellus*, vnde *Agellius*, qui vulgò *Aulus Gellius*. *Agellius* approbant libb. vett. & Priscianus. Ab eodem *agrosus*, diues agri. Varro lib.IV. de L.L. *Si ab agro ad agrosum hominem & agricolam perueneris.*

AGILIS, quia facilè agit: vti qui leui & expedito est corpore, animóque ad agẽdum prono. Cornelius Fronto, libello de differentiis vocum: *Agilem actio facit, strenuum motus, fortè corpus.* Siue, vt in quibusdam libb. est, *fortem animus, robustum, corpus.*

AGINA, quia in ea trutina agitur, vertitúrque. Vnde *aginari*, pro negotiari, aut tricari. Vt ab hoc *aginator*, qui leui lucro mouetur, haut secus ac *agina* exiguo pondere, attollitur deprimitúrque. Festus: *Agina est, quo inseritur scapus trutinæ, id est, in quo foramine trutina se vertit. Vnde aginatores dicuntur, qui paruo lucro mouentur.* Ita constanter MSS[ti]. At Glossæ Isidori: *Acinari, tricari, in paruo morari.* Vbi *aginari* legendum liquet. Gloss. Latino-Græcæ Philoxeni: *Aginat*, διαπραγματεύεται, τρίφει, μηχανᾶται. Et paullo pòst *Aginat*, τραγδίζει. Vbi Scaliger legit: τρακτεύει, quod infimæ vetustati notat *negotiari*. Inuenias id verbum in Græcis Imperatorum constitutionibus. Vti & nomen τρακτευτῶν, h.e. *tractantium*, siue *negotiantium*. Estque omnino τρακτεύειν factum ex Latino *tractare*.

AGMEN, Græcè ἄγμα. Vnde & *agmen* dici censet Angelus Caninius. Sed non dubium, quin *agmen* sit ab *ago*, vt ἄγημα à Græco ἄγω. Eustathius ad Od. α, pag.1399, ed.Rom. scribit, ἄγημα Macedonibus esse cohortem ex selectis equitibus & grauis armaturæ militibus, ac sic fortasse dici οὐκ ἀπὸ τοῦ ἄγειν, ἀλλὰ διὰ τὸ ἄγαν, ὁ ἐν ἀγωνίᾳ. Sed fallitur. Nam omnino est ab ἄγω, vel potiùs ἀγίσμα, pro ἄγισμα. Nempe vt à πνέω πνεῦμα, sic ab ἄγω ἄγημα. *Agmen* verò vel per syncopen dicitur pro *agimen*, à præsenti *ago*, vel à supino *actum* pro *acmen*, c in g conuerso. Sic *momen* vel dicitur quasi *mouimen*, à *moueo*; vel à *motum*, conuerso *tum in men*. Item *nomen* vel dicitur quasi *noscimen*, à *nosco*, siue *nouimen*, à *noui*, vel à supino *notum*. Sanè sunt quæ rectiùs à præsenti deducas, vt à *doceo*, *documen*, vnde *documentum*: non a *doctum*, *doctimentum*; sunt quæ omnino sint à supino: vt à *stratum*, *stramen*; non à *sterno*, *sternimen*. De origine satis. Quod ad significationem, Seruius ad VIII. Æn. sic scribit: *Agmen est, propriè exercitus ambulans. quicquid fuerit aliud, abusiuè dicitur.* Verum origo comprobat omnino naturâ suâ vocem latiùs patêre: eóque sæpius absque vllâ κατάχρησιν pro actu siue ductu vsurpatur. Contentus ero eâ de re ponere hæc verba Macrobij è libro VI. cap.IV: *Agmen pro actu & ductu quodam ponere, non inelegans est: vt,*

——— *Leni fluit agmine Tibris.*

Imo & antiquum est. Ennius enim quincto ait:

Quod per amœnam vrbem leni fluit agmine flumen.

Hactenus Macrobius.

AGNVS quasi agnatus. Varro, IV, de L.L. *Pecori ouillo, quòd agnatus, agnus.* Ἀμνός. Festus duas alias adducit Etymologias. Prior est, vt sit ab ἁγνὸς, id est, *castus*, eò quòd sit hostia pura & innocens. Itaque & nonnulli *arietem* in ouillo pecore ab *ara* dictum existimarunt. Altera apud eum etymologia est ab ἀμνός. Ita enim vocant Græci. Addamus & quartam, vt sit à genitiuo ἀρνὸς, facto per syncopen ex ἀρνὸς τοῦ ἀρὴν, vel ἀρὴν quod idem ac ἀμνός. Quippe Latini ab obliquis Græcorum rectos suos plurimum formant. Ab *am* & *agnus* est *ambiegnus*, siue *ambegnus*, *ambignus*. Variè enim hæc vox scribitur. B cur inseratur, dicimus in AM. Varro. lib.VI. de L.L. *Ambiegna bos apud Augures, quam circum alia hostia constituuntur.* Festus: *Ambegni, bos, & veruex, appellabantur, cùm ad eorum vtraque latera agni in sacrificium ducebantur.* Fulgentius de prisco sermone: *Babius Macer, qui fastalia dierum scripsit*, (sic locus is in Basilæensi Hervagij, ac codd. mss. legitur,) *ait, Junoni eas, quæ geminas parerent oues, sacrificare, cum duobus agnis altrinsecus alligatis; quas oues, ambignas* (in Hervagiana malè est *ambiguas*) *vocari, quasi ex vtraque parte agnos habentes.*

AGO, ab ἄγω, quod est, *duco*, *ago*. Vti differant, *agere*, *facere*, *gerere*, optimè exponetur verbis Varronis è quincto de L.L. *Tertium gradum agendi dicunt, vbi quid faciunt. In eo, propter similitudinem agendi, & faciendi, & gerendi, quidam error his, qui putant, esse vnum. Potest enim aliquis facere, & non agere, vt poëta facit fabulam, & non agit: contrà, actor agit, & non facit, & sic à poëta fabula fit, & non agitur; ab actore agitur, & non fit. Contra imperator, qui dicitur res gerere, in eo neque agit, neque facit, sed gerit, id est, sustinet. Translatum ab his, qui onera gerunt, quod sustinent.* Hæc Varro. Sanè *agimus* tum verbis,

vt

vt in stipulatione, tum re, vt numeratione: sed *gerere*, de re dicitur siue verbis. Vnde liquet, cur res gestæ, quæ Imperatorum propriè sunt, opponantur actis, h.e. iis quæ togatus quis in magistratu fecit. Discrimen tamen hoc perpetuum non est. Magis interim obseruatur, quàm quod inter hæc constituebat Valla, qui *acta* putabat esse rerum priuatarum; *gesta*, publicarum. Acta etiam speciatim dicebantur, quæ auctoritate iudiciali ad indubitatam memoriam describuntur apud magistratum. In vett. Gloss. ὑπομνήματα exponitur. Indéque in iisdem Glossis, *actuarius*, ὑπομνηματογράφος· pro quo & *actarius* dicitur in veteri lapide. Munus eius, acta Senatus excipere velociori manu. Vide sis de iis Beroaldum, & Torrentium, ad Suetonij Iulium cap. LV. Langlæum lib. VII. c. XIX. otij semestr. Lipsij comment. ad annal. Taciti. Ab agendo quoque dicta *actio*. Quæ vox etsi latè naturâ patet, speciatim tamen ad vsum forensem restringitur, sæpiúsque accipitur pro accusatione, & potissimum eâ, quæ legitima est. Similiter *actoris* appellatio, etsi generatim competit omnibus caussarum actoribus, siue patronis, speciatim tamen tribuitur accusatori siue petitori. Sed & *actor* Theophilo in Institutionum paraphrasi vocatur δεσπότης πάσης οὐσίας, h.e. vt Plautus loquitur Asinariâ, *cui omnium rerum herus summam credidit*. Ita dictus, quod ei rerum omnium *actus* incumbat: non autem, quòd apud *acta* constituatur, vt Theophilus putabat: neque quia eius officium fuerit in litibus exercere & persequi *actiones*: quod Hottomannus & Brissonius scripserunt. Videndus Hamenvelto Goldastus, notis ad Dositheum. Ab agendo quoque sunt *actus* & *actuarium*: de quibus seorsim. Item hinc dictus est *Agonius*. Festus: *Agonium putabant Deum dici præsidentem rebus agendis. Agonalia, eius festiuitatem.* Sed de Agonalium festo fallitur seu Festus, seu Paullus. Nam erant ea festum, quo hostia, dicta agonia, offerebatur. Vide quæ in *Agonia* diximus. Ab *ago* composita multa. Vt *abigo*: vnde *abacti magistratus, qui coacti deposuerant imperium*, teste Festo: & *greges furto abacti*. Cuius criminis reus est *abactor* & *abigeus*: illo Paullus vtitur, hoc Vlpianus. Ab *abigeus* verò & *abigeator* formarunt: quomodo appellatur in Lege Dei, Tit. XI. siue de abigeatoribus. Item *abiga*, quia abigit partus. Plinius lib. XXIV. cap. VI: *Chamæpitys Latinè abiga vocatur, propter abortus: ab aliis thus terræ: cubitalibus ramis, flore pinus, & odore.* Vnde & liquet, cur χαμαιπίτυς, quasi terrestris pinus, dicatur. Sed pro *abiga* in Parmensi anni CIϽ CCCCLXXVI *aiuga* legas: quam lectionem mirum præteritam esse Dalecampio, cum ea satis vitiata sit mediocrium filiis. Nec quicquam ad eum locum Hermolaus, vel Pintianus. Aquæus ibidem monet, *aiuga* aliis dici: sed facilis error is ex *aiuga*, vti is ex *abiga*. Quibus *aiuga* placet, volunt esse ex Græco ἄζυξ: vel Latino *a* & *iugum*: quia abortus aduersantur iugo matrimonij. Sed hæc duriuscula. Quare *aiuga* corruptum putamus ex *abiga*, hoc ab *abigo*. Est & compositum *satago*, vnde *satagens*, apud Senecam epist. XCVIII. *Et istos satageos ac sibi molestos.* Ita enim ibi legere Erasmus, Alciatus, Gruterus. Quid *satagere* sit, constat ex notissimo Domitij Afri dicto de Sura multum in agendo discursante, manus iactante, aliísque talibus intento: quem non agere dixit, sed satagere, teste Fabio Quinctiliano. Pro eo & satagitare dicitur. Quo κατ' ἔμφασιν vsus Plautus, Bacch. IV. III. *Nunc agitas sat tute tuarum rerum.* De cæteris ab *ago* compositis, seorsim dicemus.

Agolum, (penultimâ correptâ,) ab agendo, vt sensisse videtur Festus, siue Paullus, cum scribit: *Agolum* (ita & MSS) *pastorale baculum, quo pecudes aguntur.* Sed magis placet, quod ad locum hunc monet Scaliger, *agolum* esse detortum ab ἀγελαῖον, quod est *armentale*, ab ἀγέλη, id est, *armentum*. Nempe ab ἀγελαῖον prius per syncopen fuerit *agelum*, ac postea, *e* in *o* mutato, *agolum*, quomodo, quod prius *hemo, elus, benus*, id postea *homo, olus, bonus*.

Agonia, hostia, vt est in Glossis quæ Isidori nomine circumferuntur. In iisdem est, *Agones, victima*. Vbi *agones* scribendum, patet ex loco Varronis, quem mox ponam. Glossæ Philoxeni: *Aglonia* (leg. Agonia) ἱερεῖον. Eædem: *Agonalia, & Agonaria*, θυσία. Vbi lege θυσία. Quanquam *Agonalia* non tam sunt sacrificium ipsum, quàm dies festi, quibus sacrificatur ab eo, qui principem tenet locum in ciuitate. Auctor Festus. Et ante eum Varro lib. V. de L.L: *Dies Agonales, per quos rex in regia arietem immolat, dicti ab agone, eò quod interrogatur princeps ciuitatis, & princeps gregis immolatur.* Sic eum locum legit Scaliger. In vulgatis est, *à principe ciuitatis.* Ex hoc autem loco colligo, voluisse Varronem, dies hos ab agone, id est, victima, κατ' ἐξοχὴν dictos *Agonales*. Aliter tamen Festus, cùm scribit: *Agonias hostias putabant ab agendo dictas.* Et postea: *Agonium putabant Deum dici, præsidentem rebus agendis, Agonalia, eius festiuitatem.* Sed omnino meliùs Varro. Verùm vnde *agon*? A Græcis puto, sed hi strictiùs vsi. Nam Suidas auctor est, ἄγωνα vocari τὰ ἐπὶ τοῖς νεκροῖς χαίρματα eamque & caussam esse, cur ἄγωνα dicerentur: atque hac significatione ἀγῶνας χοὰς legimus apud LXX interpretes: vt etiam Cælius Rhodiginus obseruat, lib. X. cap. III. Putat Meursius, *agonis* vocem a Plauto vsurpari, Pœnul. act. II. Nam vbi in Aldina, Basiliensi, aliísque aliquot codd. legitur, *Sexagenos immolaui*; vnde fecere, *ex agnos immolaui*; censet, reuocatâ voce antiquâ, scribi debere, *sex agnos immolaui*. Ingeniosè. Verum *sex immolaui agnos*, etiam est in optimis MSS[tis] Palatinis. Porrò habet *Agonium* & alteram significationem præter antè dictam. Nam, vt ad Festum docet Scaliger, sic quoque dicebatur locus, in quo ludi initio facti sunt, nempe ab ἀγών. Quæ vox Bœotis ἀγορὰν significauit: vt monet Eustathius ad versum primum Iliad. ω. Vbi & triplicem eius vocis originem ponit his verbis. Ἐτυμολογοῦσι δὲ ἀγῶνα ἢ παρὰ τὸ ἄγω, ἢ ἀπὸ Ἀγῶνος τινὸς ὥς φασι Πέλοπος, ἢ παρὰ τὴν στέρησιν, καὶ τὴν γωνίαν, διότι ὁ τόπος κυκλοτερὴς, καὶ γωνίαν οὐκ ἔχων, καὶ διὰ τοῦτο δίφρον. Duplicem etymologiam assignat etymologicum magnum: Ἀγὼν λέγεται ὁ κυκλοτερὴς, καὶ γωνίαν οὐκ ἔχων τόπος· οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ συνάγεσθαι. Eorum opinionem, qui ab α & γωνία deducunt, sequitur & Festus: *Agonium, inquit, id est, ludum, ob hoc dictum, quia locus, in quo ludi initio facti sunt, fuerit sine angulo: cuius festa Agonalia dicebantur.* Et Festo igitur ἀγών, quasi ἀγώνιος, παρὰ τὸ μὴ ἔχειν γωνίαν quia sit rotundus, & sine angulo. Hæc opinio confirmatur eo, quod vett. Grammatici ἀγῶνα κύκλον interpretentur, vt verba hæc Eustathij indicant, ad Iliad. ω. pag. 1148. edit. Rom. Ἀγὼν γὰρ, φασὶν, ὅμιλος, κύκλος, μάχη, ἕδρα, ἀγορὰ, συναγωγὴ, καὶ ἐπίδειξις. Et Apollonij est de certaminis cuulis loco:

——— εἰς δίφρα κύκλος ἀγῶνος.

Agrippa, ὁ ἐπὶ πόδας γεννηθεὶς, vt interpretantur Philoxeni Glossæ. Agellius lib. XV. cap. XVI: *Quorum in nascendo non caput, sed pedes primi exstiterant, (qui partus difficillimus ægerrimúsque habetur,) agrippæ appellati, vocabulo ab ægritudine & pedibus conficto.* Verùm, si partus is ægerrimus, vt Agellius verè ait, cur non potius ab ægritudine partus nomen impositum dicamus? Sensit id Nonius. Cuius hæc verba: *Agrippa, qui cum labore matris eduntur; hoc est, per pedes contra naturam, non per caput. Quasi ab ægro partu.* Et fortasse tamen ne illud quidem etymon verum sit: sed Græcum sit ab ἀγρεῖν, *venor, capio*, & ἵππος, *equus*. Nam Græcanicum nomen est τοῦ Ἀγρίππα.

Agumentum, farciminis genus. Est ab ago, vt à tego, tegumentum; ab moneo, monumentum, &c. Varro. IV. de L.L. *Agumentum, quod ex immolata hostia desectum in iecore, imponendi caussâ.* Vsus Arnobius lib. VII.

Agyrta, ἀγύρτης, quia ἀγείρει τὸν ὄχλον, vt est apud Hesychium. Vbi & exponitur συρφετώδης. Sed legendum συρφετώδης. Per υ scribitur, more Æolum, qui pro ἀγορὰ dicunt ἄγυρις, vnde πανήγυρις. Μητραγύρτης, qui Latinis *cruscator*, siue *ascutor* magnæ Matris. Vide Institutiones nostras Oratorias lib. IV. cap. VI.

A H

Ah, si Priscianum audimus, κατ' ἀποκοπὴν fit ab *aha*, vt *vah*, à *vaha*. Sic enim ille lib. I. cap. de numero literarum: *Quæritur, cur in vah, ah, post vocales ponitur adspiratio? Et dicimus, quòd apocopa facta est extremæ vocalis cui præponebatur adspiratio. Nam perfecta, vaha, aha, sunt.* Hæc ille. Sed (quemadmodum pluribus in *vah* dicemus) nil opus hoc commento, cum *ah* interiectio sit, πόνου significans, non θρήνου. Itaque & Hebræi dicunt אח, vt Ezech. XXI. XV. Indeque אנח, *suspirium*. In optimis autem libris, pro *ah* sæpe reperias *a*; vt *pro* loco τοῦ *proh*, sine spiritu. De quo nos plura in Methodicis lib. VI. cap. vlt. Græci pro eo itidem dicunt ἆ ἆ. Aliquis deduxerit hoc ab Hebræo: verùm obstat, quòd, vt dicebamus, istiusmodi interiectiones naturâ magis significent, quàm instituto. Quod de quibusuis vocibus malè credebat Plato. Porrò, Græcis ἆ ἆ, non gementis tantum, sed & ridentis aduerbium est. Romani distinguunt. Nam, cùm gementis est, spiritum subdunt; *ah*. Cum est ridentis, eundem præponunt. Dicunt enim, *ha ha he*; vt videre est apud Plautum, Pseudolo, act. IV. sc. I; & Terentium, Eunucho, act. III. sc. II.

A I

Aio, suspicor esse à φάω, vnde φημί. Nec minùs tamen placet Martinij originatio, vt sit ab היה *haiah*, id est, *fuit, est, erit*. Quæ simplicissima ratio est affirmandi. Ausonius, Idyllio IX. cuius inscriptio, Ναὶ καὶ οὐ Πυθαγορικόν.

Est, & non, cuncti monosyllaba nota frequentant,
His demtis, nihil est hominum quod sermo volutet.

At durius, qui arcessunt ab Hebræo Dei nomine יה. Nec enim in omni assertione Deus testis aduocatur. Nec magis ab ἄω, id est, *spiro*, cùm etiam spiremus tacentes.

A L

Ala ab ἴλη, *i* in *a* abeunte, vt a θίγω *tango*, *amor* ab ἵμερος, &c. Ἴλην Græci dixere *agmen*, & peculiariter *agmen equitum* LXIV: vnde & plerique *alam* exponunt. Sane, & *alas* dic. *equitum turmas*, apud Gellium quoque Cincius ait: sed de etymo dissentit. Nam ita dici arbitratur, eo *quod circum legiones dextra sinistraque, tanquam alæ in auium corporibus, locabantur.* Similiter Vegetius lib. II. cap. I: *Equitum alæ dicuntur ab eo, quod ad similitudinem alarum ab vtraque parte protegant acies.* Et satis hæc sententia verisimilis est. At non item liquet, vnde in auibus hoc nomen. Varie ἐτυμολογίζει doctissimus Martinius. Nempe vt vel origine sit Latinum, quasi *auola*, quia iis volant aues, quomodo Græcis πτερὸν, & πτέρυγες, ἀπὸ τοῦ πέτεσθαι, quod est, *volare*: vel Græcum ab ἄελλα, id est, *procella*, cuius velocitatem imitatur: aut ab ἀλέα, id est, *effugium*, cuius ergò alæ concessæ a natura: vel vt Hebræum sit ab עלה, *alah*, id est, *adscendere*, quòd alis superiora petantur: vel ab אל, *el*, id est, *fortis*, quia in aliis est auium fortitudo: vnde & Hebræis *ala* est אבר *ever* ab אבר *abar*, *fortis*. Hebræum esse, magis placet. Quod si est, ab *ala* sit ὑποκοριστικῶς *axilla*. Verùm aliter veteres. Quippe censent, *ala* κατὰ συγκοπὴν factum esse ex *axilla*. Docet hoc Cic. Orat. ad Brutum; cúmque sequitur quoque Cæsar Scal. lib. I. de causs. L. L. Vtriusque verba adfero in voce VELVM. Quæ sententia si magis placet, vel ob summam Tullij auctoritatem; porrò, vnde *axilla* sit, quæri oportebit. Nempe hoc fuerit ab *axula*, hoc ab *axa*, quod ab *axo*. Sic enim veteres dixere pro *egero*: vnde *axitiosi*, quo vsus Plautus apud Varronem: *Axitiosa annonam caram e vili concinnant viris.* Item *axites*. Nam ita, vt Scaliger obseruauit, cùm apud Festum legendum, tum in vett. Gloss. vbi exponitur συνεργοῦσαι. Festi verba sunt: *Axitiosi factiosi dicebantur, cùm plures vna quid agerent, facerentque. Axit autem antiquos dixisse, pro egerit, manifestum est. Vnde Axites* (male vulgo *Axic.*) *mulieres, siue dij, dicebantur vna agentes.* Ab eodem, Festo teste (sed vna apud eum litera excidit), *axes*, vel *axei*, adglomerati, vniuersi. Item compositum eius, *ambaxes*, vel *ambaxies*, quæ circumeunt cateruatim: vt idem exponit: nisi malimus, *ambaxitiosi*: quod sit ab *Axitiosus*, vt dictum in *Ambaxioqui*. Quemadmodum autem ab *ago* est *axo*, vnde *axa*, vt hinc *axula*, a quo *axilla*, ex quo *ala*: sic videri possit, ab antiquo *pago*, pro *pango*, fuisse *paxi*, pro *panxi*; vnde *paxus*, a quo *paxulus*, vt hinc *paxillus*, e quo κατὰ συγκοπὴν *palus*. Ratio nominis sit, quia palus in solo figitur pangitúrque. Sed vt hoc minimè ineptè dici possit, ita magis mihi verisimile fit, esse à Græco πάσσαλος, quod idem significat, σ conuertitur in *x*. Quomodo à πίσσα est *pix*, ab Αἴας, *Aiax*, &c. At simile magis est *taxillus*, vt nempe à *tago*, pro *tango*, sit *taxi*, vnde *taxus*; a quo *taxulus*; vnde *taxillus* & per syncopen *talus*. Vult & Iul. Scaliger itidem, *mala* esse a *maxilla*, hoc à *maxa*, istoc a *maxo*. Ita enim priscos dixisse, vt *axo*, *faxo*, &c. quod Iul Scaliger addit, *graxo*. Quo vsus putatur Plautus, prologo Asinariæ: *Age nunc reside, caue modo ne graxis.* Prout legit Hermolaus Barbarus in Glossis Plinianis, voce *Plauti*; & obseruat Giffanius, in indice Lucretiano, voce PROGRAXE, editúmque hoc pacto in antiqua editione, ante annos nonaginta Venetiis excusa, cum variorum annotationibus. Sed metrum omnino reclamat: quod Iambicum trimetrum esse debet. Itaque Bernardus Saracenus, ante hos annos centum, legit *ingrassis*: quem Riuius secutus. Sed sententia exigit *grassis*, quod & Lambinus probat, & pluribus comprobat Acidalius. Validior est alter locus, quo iidem, Hermolaus, dico, & Giffanius, vocem hanc adseruunt. Nam & in MSS. & excusis legitur, lib. V:

Quippe viri se multi, per somnia sæpe loquentes,
Aut morbo delirantes, prograxe ferantur,
Et celata diu in medium peccata dedisse.

Imò Lambinus quoque hanc lectionem probat: nempe vt, quemadmodum ab κάμψω, siue futuro, κάμψω est Latinum *campso*, teste Prisciano: sic ab κράξω, siue à κράξω, sit Latinum *craxo*, vel, mutatâ tenui in mediam, *graxo*. *Procraxe* autem, siue *prograxe*, (vtro enim modo scribas, nil refert) κατὰ συγκοπὴν fuerit è *prograxisse*: h.e. indicasse, effutiisse. In Aldina & quibusdam aliis est *protraxe*. Quod similiter factum è *protraxisse*. Nec malè huic loco conuenit. Quare vtro modo scripserit Lucretius, haut facilè dixerim. Nisi quod magis inclino in *protraxe*. Quia, si *graxo* dixissent Latini, puto, vox adeo insolens, in tam nobili scriptore, non fugisset Festi, Nonij, vel aliorum industriam. Nunc de eo altum apud Veteres silentium est.

Alabarches quis sit, disputatur. Pompeium ita vocat Cicero ad Att. lib. II. epist. XVII. Et apud Iuuenalem est Sat. I:

Atque triumphales inter, quos ausus habere
Nescio quis, titulos Ægyptius, atque Alabarches.

Quidam scribunt *halabarches*, quasi Græcè sit ἁλαβάρχης. Nempe iis dici videtur quasi ἁλὸς ἀρχὸς, h.e. *salis præfectus* siue princeps: quomodo cùm in historia Ecclesiastica, tum in Iosephi translatione, vertit Ruffinus. Iosephi quidem hæc verba, l. XX. c. VIII: Τῷ δὲ Φάδῳ διάδοχος Τιβέριος Ἀλέξανδρος διάδοχος, Ἀλεξάνδρου παῖς, τοῦ καὶ ἀλαβαρχήσαντος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, γένει τε πρωτεύσαντος τῶν ἐκεῖ καθ' αὐτόν. Quæ verba sic transtulit Ruffinus: *Venitque Fado successor Tiberius, Alexandri filius, qui etiam in Alexandria fuit Halabarches, id est, Princeps salis, genere diuitijsque Alexandrinorum cunctos excellens.* Sed Ruffino, puto, nemo hac in parte assentietur, nisi Græcanicæ compositionis ignarus. Omninò enim ἁλάρχης dici oporteret. Verisimilius igitur Iac. Cujacius, lib. VIII. obseruat. c. XXXVII, qui Ἀλαβάρχης dici censet ab ἀρχὴ & ἀλάβα, quod Hesychius interpretatur μέλαν, ᾧ γράφομεν, *atramentum, quo scribimus.* Ita *Alabarches* propriè erit magister siue præfectus scripturæ, hoc est, vectigalis, quod percipitur è pastione pecorum in pascuis publicis. Itaque Cicero Pompeium vocat Alabarchen, quod in multis Asiæ locis constituisset vectigalia, seque gloriaretur auxisse vectigalia populi Romani. Et sane Alabarchiæ vectigal legas quoque l. IX. Cod de vectigal. Nicolaus autem Fullerus, lib. IV. Miscell. Theol. c. XVI. multis refellit eam Cujacii interpretationem, ac contendit maioris fuisse dignitatis Alabarchen, quam vt atramenti siue scripturæ præfectus, vel publicanus, dici meretur: quippe cum fuisse præsidem eum, seu præfectum gentis, qui alius, nempe eius cuius ἀντιπρόσωπον foret vicem obtineret: eoque esse ex חלף, id est, *vice, loco*, &, ארכן, atque in compositione ארכא, hoc est, ἄρχων. Vt Ἀλαβάρχης, sit idem ac ὕπαρχος, hoc est, ὁ ὑπ' ἄλλῳ ἄρχων. In quibusdam Ciceronis, & Iuuenalis codd. legitur *Arabarches*. Quæ lectio si placet, non quidem dicendum *Arabarchen* dici, tanquam Arabum Ægyptiorumque instar mollem & effeminatum, quod Baptista Pius scripsit, Annotat. Poster. cap. XCIII. sed neque Antonius apud Cic. intelligendus, vt is ita dicatur, quod vectigalia exigeret ab Arabibus & Ægyptiis, vt scribit Alciatus in priori Prætermissorum lib. Sed statuendum, Pompeium ita dici, quia domuerat Arabas, vti & Palæstinam, ac vicina Orientis loca: vt nempe Arabarches, Arabum præfectum signet, dicatúrque eâ formâ, quâ apud Strabonem, atque alios, legimus Afarches. Vel potius; cùm verisimile non sit, Alabarchen & Arabarchen esse diuersa, statuendum Arabarchen iis locis poni pro Alabarchen, quâ ratione Latiales dicimus & Latiares, præliales & præliares, Palilia & Parilia, mortualia & mortuaria: quomodo item pro Latino *flagellum* Græci scribunt φραγέλλιον; vnde apud Marcum Evangelistam cap. XIV. est φραγελλώσας.

Alabaster, seu *alabastrum*, Gr. ἀλάβαστρος, seu ἀλάβαστρον. Vtroque vtuntur Latini, ac Græci. Dicitur ἀλάβαστρος vel ab α & λαβὴ quasi, ὃ λαβέσθαι, (hoc est, *quod prehendere*,) ob leuorem, sit impossibile: quam originationem Methodius attulit, teste Etymologo. Vel ab α & λαβὴ, id est, *ansa*: quod ansas non habeat: quod apud eundem Etymologum, & Suidam legas. Vtramcumque sequaris etymologiam, *l* inseritur per pleonasmum. Aliis tamen placet (vti doctissimo Salmasio,) ἀλάβαστρος dici pro ἀβάσταστος, ν in λ Atticè & Æolicè conuerso, quomodo dixere λίτρον pro νίτρον, πλεύμων pro πνεύμων, &c. Ἀβάσταστος verò sit ab ἀβαστάζω, quatenus notat *ferre, gestare*, vnde βαστάζειν. Sic ἀλάβαστροι pro ἀβάσταστροι dicebantur *perticæ*, siue *falangæ*, quibus onera a baiulis ferebantur. Et sanè hæc doctissimi viri sententia magis, quàm veterum, probatur. Est verò ἀλάβαστρος, vasis vnguentarij genus, longitudine fastigiata in pleniorem orbem desinens: vt indicant quæ de elenchorum figura (quos alabastris confert) scribit Plinius, lib. IX cap. XXXV. Hinc *alabastrites*, ἀλαβαστρίτης, lapidis genus, ex quo fierent hæ μυροθῆκαι, alio nomine ὄνυξ dicitur. Dioscorides, lib V. cap. CX. Ἀλαβαστρίτης λίθος, ὁ καλούμενος ὄνυξ. Plinius lib. XXXVI. cap. VII: *Onychem etiam tum in Arabiæ montibus, nec vsquam aliubi, nasci, putauere nostri veteres*, & de eodem, initio sequentis: *Hunc aliqui lapidem alabastritem vocant ad vasa vnguentaria, quoniam optimè seruare incorrupta dicitur.* Onyx verò nominatur, quia referat vnguis humani colorem leuorémque: Nam ὄνυξ, *vnguis*, per μετωνυμίαν, seu μετωνυμίαν materiæ, pro alabastro vsurpat Horatius, lib. IV. Oda XII. *Nardi paruus onyx eliciet cadum.* Vbi Acro monet, *onyx* poni pro ampulla marmorea, propriéque sic dici marmoris genus, ex quo ad vnguenta odorata parva fierent vasa. Eodem, ac Horatius, modo vsus Propertius lib. III. eleg. IX; Catullus de coma Berenices; Martialis lib. VII. epigr. XCIII; &c. Caue autem putes antiquis id fuisse alabastrum, quod nos hodie sic vocamus. Vulgò enim sic dicitur lapidis genus, è quo torno vasa fiunt, venis subnigris per ea discurrentibus, pellucido liuore, materiâque planè fragili: quæ gypsi species est, non species veteris alabastri: qui cuiusmodi fuerit, imprimis sciunt, qui Romæ veterum ædificiorum rudera vident.

Alacer, est à priuatiuo *a*, & *lacer*, vt quidem censuit Asconius Pedianus. Cuius hæc verba: *Alacrem, hunc alacer, dicitur is, qui intentus est sensibus vniuersis, quod est indicium erecti animi, atque sublimis. Nam e contrario lacer dicitur amputatis à corpore sensuum membris, hoc est, auribus oculisque. Quæ significatio ad animum sæpe transfertur. Vt enim plerumque affecto animo sensibus non vtimur erectis, sic alacer dicitur is, cui omnes sensus in loco quisque suo vegeti sunt & intenti.* Paulo post idem alteram quoque ἐτυμολογίαν subjicit: *Sunt, inquit, qui alacrem, festinantem & properum dici putant, quasi alis acrem.* Placuitque hæc sententia Perotto quoque. Sed ea originatio dispari quantitate refellitur. Quia Christophorus Colerus notis ad fragmenta Sallustij apud Asconium pro *alis acrem* vnius literæ traiectione legendum putat *salacrem*; quia ratione *alacris* propriè fuerit, qui *in saliendo* est expeditus. Quod si ab *ala* fiat, non tam componatur ex *ala* & *acer*, quam fuerit simplex deriuatum. Quantitas tamen primæ nonnihil repugnat. Quare verissimam arbitror ἐτυμολογίαν Donati, qui Eun. act. 2. sc. III. verba *alacer es*, interpretatur, *latus*; atque addit. *Nam, alacris, l litera pro d posita, non tristis, id est, ἀπενθὴς, intelligitur.* Sanè quod ait de mutatione literæ *d* in *l*, id in alijs quoque multis vsu venit. Vt, δάκρυον, *lacryma*; ὀδυσσεύς, & Æolicè ὀδυσσεύς, *Vlysses*. Ab *odere* quoque prius fuit *odere*, postea *olere*; & *odefacit* pro *olefacit*; eodémque modo, teste Festo, *delicare* veteribus fuit, quod posterioribus *dedicare*, & *dingua* dixere pro *lingua*, & *Capitolium* pro *Capitolio*; quemadmodum scribit Victorinus.

Alburnum, est mollis ac pessima ligni pars, cortici proxima: ab *albore* ita dicta, vt Plinius ait, lib. XVI. cap. XXXVIII. Adipi in homine respondere, ibidem scribit: ac Glossæ quoque vett. παρ τοῦ δένδρου interpretantur. Inde *exalburnare* idem Plinius dixit, libri eiusdem cap. XL. h. e. *alburnum amputare*.

Alburnus, piscis. Ausonio in Mosella:

Nota & alburnos, prædam puerilibus hamis.

Argenteis est squamis, vt a candore omnino nomen acceperit. Nec propterea cum Agricola generatim *Weissfisch* exponendum: cum varia sint alborum piscium genera, alburnus autem sit id genus, quod Germanis, Belgisque, *blyk*, vel *bliek*, similiter appellatur, a *blicken*, hoc est, *candicare, splendere*.

Albus, Festo teste, ab ἀλφός, quod est λευκός, vt interpretantur Hesychius & Suidas. Itaque & vitiliginis species est, quæ à colore ἀλφὸς dicatur. De ea sic Cornelius Celsus lib. V. c. VII. *Ἀλφὸς vocatur, vbi color albus est, fere subasper, & non continuus, vt quædam quasi guttæ dispersæ esse videantur. Interdum etiam latius, & cum quibusdam intermissionibus, serpit.* Sabini, Festo teste, pro *album* dixere *alpum*, indéque idem *Alpes* vocatas ait, ob niuium candorem. Multi quoque inter quos Cambdenus in Britannia sua, suspicantur, Britanniam quoque siue ab ἀλφός, siue Latino *albus*, dici *Albionem*, ob rupes albicantes, a quibus & Orpheo in Argonauticis λευκαῖον χέρσον, id est, *albicantem terram*, dici arbitrantur. Sed Buchananus arbitratur antiquis *albin*, siue *alpin*, non colorem tantum, sed & altitudinem notasse, indeque cùm Alpibus nomen impositum, tum Albioni, ob montium altitudinem. De Alpibus fauet, quod Glossæ *Alpes* interpretantur ὄρη ὑψηλά: quódque Isidorus lib. XIV. c. VIII. ait, *Gallorum lingua Alpes montes alti vocantur.* Vide sis Buchananum lib. I. rerum Scotic. Fortasse tamen verius, *Alpes* dici quasi *alberg*, id est, *omnino montes*. Interim, *Album* ab ἀλφὸς venire, certum est. Est verò ἀλφὸς per μετάθεσιν ab Hebræo לבן (*laban*,) quod idem notat. Angelus Caninius ἀλφόν: *alba* vult dici a *laban*. Sed magis verisimile fit, Cadmum eam vocem tulisse in Græciam, hinc hausisse Romanos. Ab albo colore *Album* dicebant id, in quo proponebantur edicta Prætoris. Græcis similiter appellatur λεύκωμα, teste Polluce. Ælius Lampridius in Alexandro Seuero nominat *pittacium*. Vulgo *matriculam* vocari scribit Budæus, annot. in Pandect. At caue id circo barbarum credas. Nam *matricula* voce sic quoque vsus Vegetius, lib. I. cap. 26. Vide, si voles, quæ de *albi* voce scribit Hermolaus in Glossis Plinianis. Ab *albus* est *albatus*, vt à *candidus candidatus*. Illud, albis, hoc, candidis vestibus indutum, significat Pers. Sat. 2:

——— *Negato*

Iuppiter hoc illis, quamuis te albata rogârit.

Hoc est, quamuis puris albisque vestibus te accedens, egregiè simulet pietatem. Ab *albus* est *albumen*, vt Græcis λεύκωμα. Ab eodem est *albugo*, vt à *salsus salsugo*. Et ea macula in oculo alba, quæ Græcis similiter λεύκωμα & λεύκωσις, à λευκός. Ab eodem est *albarium*, opus quod calce pura illitum est. Legas apud Plinium semel iterumque: item lib. VIII. cap. II. de tectoriis. Græcis opus eiusmodi dicitur κονίαμα. Vnde apud Matth. XXIII legas, τάφοι κεκονιαμένοι, *sepulchra operis albarij*. Hesych. κονιᾶται, λευκαίνονται. Hinc *albarij*, in codd. Theod. lib. XIII. Tit. IV. qui & *albini* dicuntur Theodosio & Valent. Cod. leg. X. de excusat. artif. Sic vocantur qui dealbant, quod calce fit mera. Nam tectorium opus fit arenata calce. Ab eodem est *albeo*. Tacitus lib. VI. Annal. *Simul, albentibus spiritis in montani deuectus, iunare orbes, &c.* Hinc *albesco*, vt, à *clarus clareo*, vnde *claresco*. *Clarere* dixit idem scriptor, lib. IV. Hist. *Quantis exercituum nostrorum laboribus, quot cæsis Germanica bella tractauerimus, satis clarere.* Ita enim est in Vaticano exemplari, pro quo in vulgatis, *satis clarum*. Ab *albeo* fuerit *albegmen*, vt à *frango fragmen*. *Albegmina autem sunt partes extorum, quæ dijs immolabantur*; vt est apud Festum. A candore nomen hoc accepisse, censet quoque Perottus. Sed Scaliger legit *ablegmina*, quod eadem *ablegantur* sit ab *ablego*. Et sane magis placet. Vide quæ de hoc suo loco dicimus. Est quoque ab *albeo*, *albico*, vt à *fodio*, *fodico*. Ab *albico* verò *albicasco*, vt à *lauo labasco*. Cn. Matius apud Agellium lib. XV. cap. XXV: *Iamjam albicascit Phœbus*, h. e. λευκαίνεται, vt loquitur Euripides. Alij *albicascit* legunt, sed hoc fuerit futurum subjunctiui, vt *leuasso* pro *leuauero*; *expugnasso*, pro *expugnauero*.

Alces, juxta meliores libros, dicitur Latinis, quæ Græcis ἄλκη. Ita *hæ alces* Capitolino: *τὰς ἄλκας* Pausaniæ. Hæc res mouet nonnullos, vt nomen ei credant esse à *vi* & *robore*. Nam ἀλκή, *robur*. Nempe quia, vt de ea Alciatus in Emblem. ait,

Fortior hac, dum ætes, octo annos, fiet.

Sed non dubito, quin vox ab ea sit gente, vbi animal nascitur. Germanis & Belgis *ellend*, *elent*, vel *elend*, vocatur, quæ vox *miseriam* sonat. In caussa esse aiunt, quod quotidie laboret morbo comitiali. Addunt, non liberari eo, priusquam dextri posterioris pedis vngulam inseruerit auriculæ sinistræ. Quod puto hominum esse vanorum commentum. Vide de hoc animali Cæsarem, lib. VI. de Bello Gallico, Plinium lib. VIII. cap. XV; Pausaniam, in Eliacis. Qui tamen in eius descriptione non conueniunt.

Alcedo, παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ κύειν, quod in mari cubet: quomodo & *halcyon* ἀλκυὼν vocatur ab ἁλὸς & κύω, id est, τίκτω, quod in mari pariat. Nec obstat, quod *alcedo* scribi soleat, non *halcedo*. Nam & ἀλκυὼν, eiusque deriuata sæpius tenui spiritu scripta reperias quam aspero. Plautus, Pœnulo, act. I. sc. II. *Iam hercle tu periisti, nisi illam mihi tam tranquillam facis quam mare est olim, cum ibi alcedo pullos educit suos.* Varro lib. VI. de L. L. *Hæc auis nunc Græce dicitur ἀλκυὼν, à nostris alcedo. Hæc hieme quod pullos dicitur tranquillo mari facere, eos dies Halcyonios appellant.* Plin. lib. X. cap. XXXII. *Fetificant halcyones bruma* (siue, vt idem refert, lib. II. c. XXVII. circa brumam, siue Vergiliarum occasum:) *qui dies Halcyonides vocantur, placido mari per eos & nauigabili, Siculo maxime. Faciunt autem septem ante brumam diebus nidos, & totidem sequentibus pariunt.* (Brumam patrum Latine *solstitium hibernum* vocant.) *Nidi earum admiratione, pilæ figura, paullum eminentiore ferquam angusto, grandium spongiarum similitudine. Ferro intercidi non queunt, franguntur ictu valido, vt spuma arida maris: nec vnde confingantur, inuenitur, &c.* Vide eumdem, lib. II. cap. XLVII. item Senecæ Nat. Quæst. Seruius in illud I G. *Dilectæ Thetydi halcyones*: *Hæ aues, inquit, nidos faciunt in mari, media hyeme, quibus diebus tanta est tranquillitas, vt prorsus nihil in mari moueri possit: vnde dies Halcyonij vocantur.* Qui dies solent esse εὔδιοι (vt Aristoteles, lib. V. de Hist. Animal. cap. VIII, siue Cæs. Scal. cap. 12. sect. 12. loquitur) h. e. *tranquilli*, sic vt mare non agitetur ventis: vnde Simonides, vt ibidem Philosophus ait, *Alcyonia* eleganter vocat λαθάνεμον ὥραν q. d. *tempus ventos recondens*. *obliuionem ventorum* haud inscite Cæsar Scaliger vertit. Vide & Lucianum in halcyone, seu περὶ μεταμορφώσεως & illustrem Eustathij locum in Il. pag. 776. Quemadmodum verò à Græci dicuntur ἀλκυόνειοι, vel ἀλκυονίδες ἡμέραι ita & ab *alcedine* Latini *alcedonia* appellarunt. Vnde Apulus [illegible], prologo Plautinæ Casinæ: *tranquillum est: alcedonia sunt circa forum.* Vide & de *alcedone* & *alcyonis* Isacium in Lycophronem: atque alios.

Alchimiæ *scientiam* nominat Firmicus lib. III. cap. XV. Ita quidem editum ab Aldo. Sed in chirographis est *chimiæ*. Græci χημείαν dixere, & χημευτικήν. Vide Suidam in voce Δέρας, atque iterum in voce χημεία. Sed viri eruditi legere malunt χυμεία. Nempe vt sit à χέω pro χύω, vel à χυμός, sublato s. Vnde & χημεύειν. Vt apud Aristophanem Θεσμοφοριαζούσαις [illegible]. Sic enim legendum; pro quo prauè [illegible] ac corruptus etiam [illegible], pro [illegible]. Sanè si χημεία est ἡ τοῦ ἀργύρου καὶ χρυσοῦ κατασκευή, *argenti atque auri præparatio*, vt eam describit Suidas: absurdum non videtur, nomen eam accepisse à χύω, pro χέω, quod est, *fundo*, vel *fluo*. Nempe quia fundit metalla, immutat, vtriúsque in melius conuertit. Nisi malis nomen esse a quodam, qui arte ea excelluerit, cui nomen Χήμης. Eius meminit Zosimus Panopolita.

polita. Sed eidem & *χύμας* vocatur, vnde sit *alchimia*, de quo diximus. Et potuit ei verum nomen esse *χυμεία*, vnde *χυμεία* foret: quomodo Suidæ hanc artem vocari diximus. Et recentiores Græci dicunt *ἀρχημίαν*. Nempe pro *ἀλχημίαν*. Vbi *al* est articulus ab Arabibus præfixus: vt in *ἀλκινέγον*, pro *κινέγον* & *almagesle*, pro *μεγίστη*, & aliis, in nomine *Manacus* adductis. Non audiendus Cælius Rhodiginus, cum lib. VIII. cap. II. scribit, *alchimiam* luxato vocabulo dici pro *archymiam*, quasi *ἀρχικὴν χυμείαν*. Quemadmodum nec audiendus Quercetanus, lib. I. de priscorum medicina, cap. XL. vbi *halchimiam* scribit, atque esse ait ab *ἁλς* & *χέω*, vt propriè sonet *salis fusionem*.

Alea, vt Isidorus scribit lib. XVIII. cap. LX. *inuenta à Græcis in otio Troiani belli à quodam milite nomine Alea, à quo & nomen accepit.* Sed de Alea milite vellem laudâsset auctorem. Raphael Volaterranus, lib. XXXIX. c. de ludo, Palamedi aleæ inuentionem tribuit, atque id perscriptum refert à Philostrato in Heroicis. Sed fallitur. Sic enim Philostratus in Palamede: *ὅτε δὲ τῶν Ἀχαιῶν ἐν Αὐλίδι, πεττοὺς εὗρεν.* At *πεσσοὺς*, siue calculos, siue latrunculos transferre lubet, aliud sane à tessera siue alea, quæ Græcis *κύβος*. Itaque Eustathius hæc manifestè distinguit, ad *Οδ. α'* sententiamque suam confirmat loco Herodoti è lib. I; vbi ait, a Lydis inuentos *τούς κύβους, καὶ τοὺς ἀστραγάλους, καὶ τὴν σφαῖραν, καὶ ἄλλα παίγνια, πλὴν πεσσῶν*, *tesseram, siue aleam, & talos & pilam, & alia ludicra, præterquam calculos.* Sed Palamedi tamen ab aliis adscribi, minimè diffiteor, quando id testatum facit vel hic locus Sophoclis in Palamede, quem paginâ proximâ ad discrimen idem comprobandum adducit Eustathius: *ὁ κεῖνος ἐφηῦρε πεσσούς, κύβους τε, τερπνὸν ἀργίας ἄκος.* *Inuenit is calculos, tesserasque, iucundum otij inertiæque remedium.* Ægyptiis quoque quidam tribuunt. Sed de Alea milite nihil alibi reperio. Quare non tam ab Alea milite sic dici placet quam ab *ἀλᾶσθαι*, quod est *vagari, incertùmque esse*. Nihil enim aleâ incertius. *Aleonem* pro *aleatore* dixisse veteres, Nævij auctoritate comprobat Festus.

Alectoria, & *alectorius*, dicitur: in priori *gemma*; in altero *lapis* intelligitur, ab *ἀλέκτωρ*, qui est *gallus gallinaceus*, in cuius ventriculo reperitur. Plinius lib. XXXVII. cap. I: *Alectorias vocant, in ventriculis gallinaceorum inuentas, crystallina specie, magnitudine fabæ; quibus Milonem Crotoniensem vsum, in certaminibus inuictum fuisse, videri volunt.* Apud Solinum cap. IV. perperam edidit Delrio: *Sanè alectore traditur vsus, qui crystallina specie.* Pro *alectorio*. Nam *ἀλέκτωρ* non lapis, sed gallus.

Ales, vt Varro IV. de L.L. ait, ab *alis* dicitur, quâ nempe ratione à *πτέρυξ* est *πτερωτός*. Differt ab aue, vt species à genere. Nam auium aliæ oscines, aliæ alites: illæ ore, hæ *alis* auspicium faciunt. Prioris generis sunt corvus, cornix, noctua; posterioris, buteo, sanqualis, &c. Picus autem Martius, Feroniúsque, quia & cantu & volatu faciunt auspicium, inter oscines & alites reponuntur. Auctor Festus in *Oscines*. Coniungit vtrumque auium genus Cicero II. de nat. Deor. *Aues quasdam, inquit, & alites, & oscines, vt augures nostri appellant.* Et planius epist. VI. lib. VI. ad fam. *Non igitur ex alitis volatu, nec è cantu sinistro oscinis, vt in nostra disciplina est, tibi auguror.* Item Plinius lib. X. cap. XIX: *Nunc de secundo ordine dicamus, qui in duas diuiditur species, oscines, & alites: illarum generi cantus oris, his magnitudo differentiam dedit.*

Alga, *κατ' συγκοπήν*, ex *alliga*, ab *alligando*, quia natanti atque etiam submerso inuolvi & alligari soleat. Sic dicitur herba, quæ in mari nascitur, vt scribit Servius ad illud Ecl. VII:

Horridior rusco, proiectâ vilior algâ.

Festus similiter. *Alga, inquit, herba, quam mare ad litus proijcit.* Vnde liquet: cur Maro dicat, *alga proiecta*. Glossæ, *φῦκος, alga, fucus.* At *φῦκος* est quod Dioscoridi *βρύον θαλάσσιον*, siue *τὸ ἀγριόχορτον*, *ἀπὸ τῆς θαλάσσης τῇ γῇ*, vt exponit Hesychius. Id in fluuio ac palude dicitur *vlua*. Maro VI. Æn.

Tandem trans fluuium incolumes, vatémque virúmque,
Informi limo, glaucáque exponit in vlvâ.

Vbi Servius *vlua* interpretatur *herba palustris*. Vti & ad illud II. Æn.

Limosóque lacu per noctem obscurus in vlvâ
Delitui.

Sed non videtur id discrimen esse perpetuum, vt mox parebit. *Algæ* geminum etymon ponit Isidorus lib. XVII. cap. IX. *Alga nomen sumsit ab algore aquæ: vel quod alliget pedes, quia crassa est, foliis aquam ex parte superantibus.* Ibidem ait, *vluam* esse algâ molliorem, magisque fungosam; & nasci circa fontes, paludes, stagna, & dici ita ab *vligine*. Sed Scaliger, exercitatione XXXIX. ex eo dictam ait, quod prisci Syri aquam vocarent *vlva*, indeque & *vliginem* dici arbitratur. Sed de Syris illud, adstrui debuit. Malim accedere Scaligero filio; cui *vlva* ab *vdus*, pro *vdilge*; vt à *vitium vitilgo*, quia infectæ cutis vitium est. Ac ab *vdo* similiter *vlva* nomen accepit pro *vdua*. Nam *d* & *l* commutari solent. Nisi ab *alluendo* malis, quia aquis alluitur. Ab *alga* est *algosus*. Auson. epist. VII. ad Theonem:

Algoso legitur litore concolor.

Sidonius lib. VIII. epist. XII. *Algoso prope concolor profundo.* Idem epist. II. lib. II. *Lacus is circa principia sui solo palustri voraginosus, & vestigio inspectoris inadibilis est; ita limi bibulis pinguedo coalescit sese fontibus algidis, litoribus algosis.* Vbi vt *pelagus* paullò antè dixerat, pro *lacu*; sic nunc *litus* ait, pro *ripa*; & *vluam*, pro *alga*.

Algere propriè dicitur, cui membra dolent immodico frigore. Venit enim ab *ἀλγεῖν*, *doleo*. Festus: *Algeo ex Græco ἀλγῶ dicitur, id est, doleo; vt sic algor, dolor quidam membrorum rigore collectus.* Sic optimè eum locum restituit Bon. Vlcanius, notis ad vett. Gloss. At in vulgatis, imò & MSS[is], pro *algor* est *frigus*, quod ex Glossatoris cuiuspiam interpretatione irrepsit in contextum. Perperam etiam pro *collectus*, *coniectus* reposuere. Possis & deducere ab *ἄλγος*, quod ex *α στερητικῷ* & *ἄλη*, quomodo dicitur *ὁ ἐκ ἄλης ὤν*. Inseritur *g* vt à *mari mergo*, ab *σπαράσσω spargo*. Ab *algeo* est *alsiosus*. Gloss. *Alsiosus, κρυώδης*. Nisi *algiosus*, quod puto legendum. De eo mox. Ab eo quoque non tantum *algor*, sed & *algus* dicitur, vti Græcis *ἄλγος*: sed his dolorem notat. Ablatiuo *algu* vsi apud Nonium, Accius, Varro, Lucillius. *Algo* pro eo dixit Lucretius, si fidamus vulgatis Nonij codicibus. Nam Lambinus apud Lucretium *algu* legit. Si *algo* placet, dicendum, *algus* olim etiam fuisse secundæ. Neque enim verisimile mihi fit, quod in Indice Lucretiano scribit Giffanius, *algo* dixisse Lucretium pro *algore*, per apocopen, quâ ratione idem, & Lucillius, *guberna* dixere pro *gubernacula*, vt Nonius & Victorinus testantur. Ab eodem pro *algidus* dicitur *algiosus*. Gloss. Philoxeni: *Algiosus, δύσριγος*. At *algosus* aliud est. Nam ab *alga* venit: de quâ antè diximus.

Alica potionis genus, quod Græcè *χόνδρος*: ex quo Arabes corrupte fecere suum *Caudarusinum*. Fit ex zeæ specie, quæ *δίκοκκος* dicitur, teste Dioscoride, lib. II. cap. LXXXIX. Quâ ratione fieri soleat, docebit Plinius lib. XVIII. cap. XI. & Dionysius Vticensis, siue Cassianus Bassus Scholasticus, vel quisquis auctor *Γεωπονικῶν*, Constantino Cæsari dicatorum, lib. III. cap. VII. Cuius lemma, *χόνδρου ποίησις*. *Alicam* sine adspiratione scribi, tradidit Verrius, teste Charisio lib. I. Ab *alendo* dici, scribunt Festus, & Velius Longus. Ab *alica*, meretrices dictæ *alicariæ*, vt apud Plautum, Pœnulo, act. I, sc. II: *Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias.* Festus: *Alicariæ meretrices appellabantur in Campaniâ; solitæ ante pistrina alicariorum versari quæstus gratia, sicut eæ, quæ ante stabula sedebant, dicebantur prostibula.* Sunt & qui ab alica *ὑποκοριστικῶς aliculam* dixisse putent Martialem. Locus poetæ est lib. XII. epigr. LXXXIII:

Brumæ diebus, ferijsque Saturni
Mittebat Vmber aliculam mihi pauper:
Nunc mittit alicam: factus est enim diues.

Sed falluntur. Nam alicula hic est vestimenti genus, quomodo & vsurpatur ab Vlpiano in l. XXIII. §. II. Dig. de aur. arg. *Sic autem* (Velij Longi verbis vtor) *existimant dictam, quod alas nobis iniecta contineat.* Verum potius censeo, vt Latini ab *οἶνος* non *vinum*, vel *via* dicunt, sed *ὑποκοριστικῶς viola*; sic eosdem ab *ἄλλιξ ἄλλικος*, pro *allica*, & abiecto priori *l*, *alica*, per diminutionem dicere *alicula*. Hesychius. *Ἄλλιξ, χιτὼν χειριδωτός, ὥσπερ Εὐβοεῖς* h. e. tunica manuleata, seu manicata, siue chiridota. Quam Græcam vocem retinet P. Africanus apud Agellium lib. VII. cap. XII. Huiusmodi igitur tunicam, quâ pueri vti solent, ait Martialis sibi ab Vmbro, dum pauper erat, donari solere. At postquam diues factus, non aliculam, inquit, misit, sed alicam, h. e. *χόνδρον*, siue potionem ex zea decorticata: cuiusmodi pauperum donum esse solet. Vnde idem Martialis, in Xeniis, lemmate VI:

Nos alicam; mulsum poterit tibi mittere diues.

Videtur Martialis dicere, plus ab Vmbro mitti quàm solet, quia nunc alicam mittit, non aliculam. At reuera perstringit hominis auaritiam, qui postquam maiores nactus diuitias, sordidior sit factus, quia reuera plus est alicula, quàm alica. Vide de alica Plinium lib. XVIII. cap. XI; & lib. XXII. cap. XXV. vbi inter alia ait, omnes ptisanæ laudes in alicam transire. Adi & Palladium in Iunio Tit. XII.

Alipilus, siue *alipilarius*, dicitur, qui Græcis est *ψιλωθρωτής*. Erat inter seruilia munera. Sic dictus quia alarum pilos velleret. Seneca epist. LVI: *Præter istos, quorum, si nihil aliud, rectæ voces sunt, alipilum cogita, tenuem & stridulam vocem.* &c. Antiquiores Romani alarum pilos vellebant; idque absque vlla mollitiei nota. Posteriores verò, qui magis molles & effeminati, brachia, crura, aliásque corporis partes volsellis, pice, ac resinâ depilare solent.

ALIPTES, ἀλείπτης, ἀπὸ τοῦ ἀλείφειν, quod est *ungere* : vnde propriè signat *vnctorem* ; eâque notatione sæpe vsurpat Cælius Aurelianus. Non tamen id solum aliptarum munus fuit; sed insuper & virium & coloris habebant rationem, quæ non vnctione procurantur, sed ratione exercendi, quam gymnastæ præscribebant. Eaque est ratio, cur, vt palæstra sæpe ponitur pro gymnasio, cuius alioqui pars erat, sic quoque aliptes interdum accipiatur pro gymnasta, quamquam, si vocem spectes, tantum partem muneris signet. Sic vtitur Cicero, lib. I. ad fam. ep. IX: *Sed vellem non solum salutis meæ, quemadmodum medici, sed etiam, vt aliptæ, virium & coloris habere rationem voluissent.* Et Celsus lib. I. cap. I: *Sanus homo, qui & bene valet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet, ac neque medico, neque alipta egere.* Quamquam in aliis est *iatraliptá* : sed eâdem mente. Aliud autem ἀλείφειν, aliud χρίειν, si propriè loqui volumus. Χρίειν est *linere*. Gloss. *Linit*, χρίει. Vnde, *quæ illinuntur*, dicuntur φάρμακα ἐπίχριστα. Hæc sunt spissiora. At ἀλείφειν conuenit liquidis, quibus aliquid perfundimus. Vnde liquet, quid discriminis sit inter χρίσματα, & ἀλείμματα.

ALIQVIS, est ab antiquo *alis*, pro *alius*, (de quo in *Alius* dicam,) & *quis*. Ab *aliquis*, & *vbi*, est *alicubi*. Ab *aliquis*, & *vnde*, est *alicunde*. Quo de sic scribit Cæcilius apud Cassiodorum de Orthogr. cap. X: *Aliqunde, per quum debet scribi. Diuisio enim illius est, aliquo, & vnde, hoc est, ex aliquo loco. Sed certe n, non m, erit, quia vnde per n scribitur. Et aliqunbi, æquè. Ex aliquo enim, & vbi est, hoc est, in aliquo loco. Sed hæ syllabæ, quæ litteris q, v, o, constant, non exaudiuntur, perscribi tamen debent.* Verùm de scribendi modo non assentio, quando, vt Papirianus apud Cassiodorum eodem libello ait, aliter scribere, & aliter pronuntiare, vecordis est.

ALIVS, ab ἄλλος. Nam duobus λλ concurrentibus posterius interdum commutatur in *i*, vt à φύλλον *folium*, ab ἅλλομαι *salio*. Ab *alius* fit antiquum *aliuta*, id est ἄλλως. Fuit id, vt Festus docet, in legibus Numæ Pompilij: SI QVIS ALIVTA FAXIT, IPSOS IOVI SACER ESTO. In MSS[o] tamen est *aliuta*. Antiqui pro *alius* dixere *alis*; vt Priscianus testatur lib. XIII. cap. de secunda declinatione, & lib. XV. vbi agit de aduerbiis in *r*; item Carisius, lib. II. cap. de pronomine; & Diomedes, lib. I. cap. de compositis pronominibus. Probant id hoc Sallustij in Catilina: *Alis alibi stantes, omnes tamen aduersis vulneribus conciderant.* Aliter tamen hodie legitur is locus in codd. vulgatis; quibusdam & consentiunt mei manuscripti. Sed extra controuersiam est, id vsurpasse Catullum de coma Berenices:

Anne bonum oblita es facinus, quo regium adepta es
Coniugium? quod non fortior aut sit alis?

Aldus Manutius, scholiis in Sallustij Catilinam, eodem vsum putat Varronem, Meleagris, e quibus citat hunc locum: *Cum etiam alis Menandri tunicam demissam habeat ad talos.* Quem locum citat Nonius in *demissum*. Sed pro *alis* apud eum est *Thais*, quæ vera lectio est. Idem ait, Lucretium ab *alis* in neutro dicere *alid*. Vt lib. I:

Quando alid ex alio reficit natura. ———

Item:

Sic alid ex alio per te tute ipse videre
Talibus in rebus poteris.

Et aliquot aliis locis. Sed hic quoque fallitur Manutius. Nam, vt à *potis* dicitur *pote*, sic ab *alis*, *ale* dici deberet. Sanè veteres *alid* dixisse, nemo veterum scripsit. Quare omnibus iis locis, quæ adducit, *aliud* scripsit Lucretius; sed id per synecphonesin in metiendo versu dissyllabum est. Sic eidem *potius* dissyllabon est lib. VI: *Ianua ne potius his Orci regionibus esse Credatur.* Hæc enim vett. codd. lectio est. *Fiat* item monosyllabon est lib. eodem: *Naturam, quo fiat tantus decursus aquarum.* Sic in antiquis libris legi monet Giffanius. Ab *alis* est *aliter*, vt à *fortis fortiter*. Ab *alius* quoque *alioqui*, vt à *ceterus ceteroqui*. Item ab antiquo genitiuo *alis*, & *modi*, *alimodi*, pro *aliusmodi*, teste Festo. Ab *alius* & *versum*, *alioversum*, & κατὰ συναίρεσιν *aliorsum*. Festus: *Aliorsum, & illorsum, sicut introrsum, dixit Cato.* Ab *alius*, & *vbi*, est *alicubi*, & per συγκοπὴν *alibi*. Gloss. Philoxeni: *Alicubi*, ἀλλαχοῦ. Vtitur integro hoc Plinius aliquoties. Vnum ponam locum e lib. XI. cap. XIV. vbi ter iunxit: *Alicubi fauis cerâ spectabiles gignuntur; vt in Pelignis, Siciliâ: alicubi mellis copiâ, vt in Creta, Cypro, Africâ: alicubi magnitudine; vt in Septentrionalibus.* Vsurpat & Tertullianus lib. de spectaculis, cap. XVI. vt quidem in Parisinâ Rhenani, Antverpianâ Pammelij, & Franekeranâ Iunij, rectè editum est: pro quo Ganæus minùs rectè *aliicubi* substituit. Nam vt in *Aliquis* dicimus, *alicubi* non est ab *alius* & *vbi*, sed ab *aliquis* & *vbi*. Neque enim *alio loco* signat, vt *alibi*, sed *aliquo loco*. Falluntur ergò & illi qui ab *alius* esse censent, interiecto *c*, quomodo a *si* & *vbi* est *sicubi*, quod est, *si aliquo loco*; quomodo item à *num* & *vbi* est *numcubi*, quod est, *num aliquo loco*. Ab *alius* quoque est *aliennus*, vt à *dubius dubiennus*, a *socius sociennus*, a *porcula porculena*: de quibus vocabulis, quia nonnullis noua videbantur, pauca adjicere visum. De *aniennus* fidem facit Festus, si quidem Scaligeri placet emendatio, sic legentis apud eum Grammaticum: *Ad amsegetum, ad dubium.* Item. *Dubiennus apud antiquos dicebatur, qui nunc dubius.* Pro ea interpretatione faciunt Glossæ Philoxeni: *Dubiennus*, διστακτός. Nam & hic *dubiennus* legendum censet. In vulgatis Festi exemplaribus scribitur: *Dubenus apud antiquos dicebatur, qui nunc dominus*: pro quâ lectione (cui & MSS[ti] fauent) facit, quod in iisdem Glossis est: *Dubius*, δεσπότης. At *sociennus* pro *socij* voce vsus Plautus, Amph. act. I, sc. I. vbi cum Socia dixisset, se esse Amphitryonis Sociam, ac hoc nomine à Mercurio vapularet, callide fingit, se non Sociam, sed sociennum, h. e. socium, dicere voluisse. Meursius tamen *socium* hic, non *sociennum*, legendum putat: sed, vt *sociennus* malim, facit, quod & codd. MSS[ti], & editiones antiquissimæ, habent *socium ne*, vel *socium ne*, quod plane factum puto ignoratione vocis *sociennus*. Ne quis tamen ob hunc dissensum eam vocem in dubium vocet, addam & alterum Plauti locum, in quo quin *sociennum* sit legendum, nullus dubitat, ob vett. codd. consensum. Is est Aulul. sc. Foras foras. *Ibo intro, atque illi socienno tuo iam interstringam gulam.* Postremum, quod exempli loco attuleram, erat *porculena*, pro *porcula*. Eo vsus Plautus, Mil. Glor. act. IV, sc. II.

Non hic suo seminio quamque porculenam impertiturus est.

Sic enim is locus in vett. mss. legitur, vti & antiquâ Venetâ anni 1518, quæ cum Saraceni, Pyladis, aliorúmque commentationibus prodiit. In vulgatis audaciter pro eo *porcula* substituerunt.

ALLIVM vulgo scribitur sine adspiratione, vnico *l* & per vocalem tertiam. Quæ partim rectè, partim male. Vnico *l* scribi debere, ex codd. antiquis probat Pierius, ad Ecl. II. Penultimam per *e* quoque legere est in quibusdam codd. vt & in *doleum*, & *paleum*. Imò iam Charisij ætate hic mos inoleuerat, vt *alea* scriberetur: sed meritò eum damnat, ac Maronis auctoritate refellit Charisius lib. I. Sunt & qui *halium* scribere iubeant, quia sit ab *halando*. Verùm hæc ἐτυμολογία parum certa, sanè non tanti, vt quis ea subnixus scribendi rationem immutare possit. Præsertim cum Isidorus lib. XVII. c. X. sic dici velit, quòd *oleat*. Aliis visum deducere ab ἀλίσθαι, quod *exiliendo* crescat. Mihi vix dubium, quin *allium* sit ex eo, quia Græcis ἄγλιθες, sunt σκορόδων κεφαλαί, *alliorum capita*. Ab *allio* moretum dicitur *alliatum*, quòd ei allium esset immixtum. Plautus, Mostell. a. I. sc. I. *Tu tibi istos habeas turtures, pisces, aues, sine me alliato fungi fortunas meas.* Nisi potius *alliatum* scripsit Plautus, h. e. allio vtentem. Ab *allio* est *alliatus*, vt ab *vnguento vnguentatus*.

ALMVS ab *alendo* dicitur: ac propriè idem est quod *alens*, eâque ratione accipitur, cum Ceres, quæ tellus est, *alma* appellatur: sed impropriè sumitur, cum Venus dicitur *alma*, vbi *alma* est *sancta*. Festus: *Alma sancta siue pulchra, vel alens, ab alendo scilicet.* Servius ad I. Æn. *Alma propriè tellus est, ab eo quòd nos alat, abusiue etiam aliis nominibus hoc epitheton datur.* Idem ad I. Æn. *Lux alma dicta, quòd alat vniuersa, vnde alma Ceres, quòd nos alat. Nam Physici dicunt, omnia per diem crescere.* Glossæ Philoxeni: *Almus*, ἁγνός, ἰνδόξος. Et paullo ante: *Alma* κάλη, ἁγνή, ὡραία, θρεπτική. Qui locus plane illustris est. Nam κάλη siue ἔνδοξος notat, cùm Horatius od. IV. lib. IV, adoream almam dixit. Ἁγνὴ est, cum Maro VI. Æn. Sibyllam, quia virgo erat, almam nominat: ὡραία videtur significare, cùm idem Ecl. VIII. almum diem inquit. Denique θρεπτικὴν significare liquet, cum eidem I G. Ceres alma nominatur, vti & cum Plautus Curcul. ait, *Inuoco almam meam nutricem.* Videri autem possit, *alma*, cùm pro *sancta* accipitur, esse ab Hebræis, quibus עלמה est *puella*. Quippe B. Hieronymus, cùm docuisset, *Alma* Hebræis semper de Virgine vsurpari, quam significationem, & in linguâ Punicâ habet: subjicit, Latinis etiam *alma* esse *sancta*. Sed, vt scribit Erasmus ad I cap Matthæi, *loco verius, quàm seriò, locutus videtur. Neque enim, inquit, si in tot millibus vocum vna aut altera casu conueniat, continuò videri debet linguarum commercio fuisse factum.* Vtrùm lingua Latina in pauculis adeo conueniat cum Punicâ, non disquiram hoc loco. Sed *almum* non poni pro *sancto*, quia *alma* Pœnis virginem notet, lubens Erasmo concessero. Fuerit fortè à חלם *pinguescere, saginare*, de quo vide Guichartum, p. 284. 285. Ab *almus* est *almities*. Festus, siue Paullus: *Almities, habitus almarum rerum.* Gloss. Philox. *Almities*, αὔξησις ἀρχῆς. Eædem: *Almities*, (male vulg. *almetes*,) ἠπιότης ἀνατροφῆς. Charisius, lib. I: *Almities, almitties*, ἁπλότης. Ab eodem est *almitus*, pro educatione. Glossæ, quas ante laudauimus: *Almitus*, ἀνατροφή, ἀναγωγή.

ALNVS, Græcis est κλήθρα. De origine sic Isidorus lib. XVII. cap. VII: *Alnus vocatur, quod alatur amne. Proxime enim aqua nascitur, nec facilè extra vndas viuit. Hinc & tenera, & mollis, quia in humecto loco viuit.* Arboris eius præconium habes apud Vitruuium, lib. II. cap. IX. *Alnus, quæ proxima fluminum ripis procreatur, & minimè materies vtilis videtur, habet in se egregias rationes. Etenim aëre est & igni plurimo temperata, non multum terreno, humore paullo. Itaque, quia non nimis habet in corpore humoris, in palustribus locis infra fundamenta ædificiorum, palationibus crebrè fixa, recipiens in se quod minùs habet in corpore liquoris, permanet immortalis ad æternitatem, & sustinet immania pondera structuræ, & sine vitiis conseruat. Ita, quæ non potest extra terram paulum tempus durare, ea in humore obruta permanet ad diuturnitatem.* Postrema verba occasionem præbent deducendi ab אל, id est, *robustus*. Videri possit venire ab אלה, *allah*. Sed ea potiùs est ilex, robur, quercus. Ex iis autem, quæ Vitruuius de alni natura tradit, liquet, cur primum ex eâ nauigia fecerint, si Maroni credimus in I. G.

Tunc alnos primum fluuij sensere cauatas.

Nisi συνεκδοχικῶς pro quauis arbore placet accipere.

ALO, an ab ἀλέα, h. e. *calor*, quo opus vt plantæ atque alia alantur? Sed fouet quidem & firmat calor; at potiùs alit atque educat pluuia: juxta illud Catulli de flore,

Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber.

An igitur potiùs ab ἄλευρ, id est, *farina frumenti*, quod ab ἀλέω, *molo*? An ab ἀλδῶ extrito δ, id est, *augeo*? Sanè, hoc si verum, propriè *alo* erit *incrementum do*: συνεκδοχικῶς autem de nutrimento animatorum dicetur. Ab *alendo* dicta *altilia*. Apud Bedam de Orthographia. p. 2330. legas, *altilia*, *quasi alatilia, id est aues saginatæ*. Sed legendum *quasi alatilia*, à supino *alitum*, pro quo κατὰ συγκοπὴν *altum* dicitur. Si hoc Beda non dixit, dicere saltem debuit. Nam, etsi *altile* quoque dicatur id quod alit: tamen ei etiam, quod saginatur, conuenit. Vnde in Gloss. vett. *Altiles*, σιτιστοί. Et, *Altiliarius*, ὀρνιθοτρόφος. h. e. qui altilia, siue aues, alit. Festus: *Alebria, bene alentia. Altudo, corporis pinguedo.* Isidori Glossæ: *Altilis, pasta, ab alendo. Alebra, bona, quibus alimur. Alibre, alimentum.* Vbi pro *Alebra*, leg. *Alebria*. Gloss. Philoxeni: *Alerius*, ἀνατροφός, θρέμμα, τροφαῖς. Vbi pro θρέμμα Salmasius θρέμμα legit Martinius θρεπτός, quomodo & in Glossis aliis, θρεπτός, *alumnus, nutritius*.

ALOE, ab *adolendo* fuerit, si audimus Isidorum, lib. XVII. c. VIII: *Aloes lignum vice thymiamatum adoletur altaribus: vnde & nomen traxisse videtur.* Sed quomodo ab *adolendo* sit, si & Græci ἀλόην vocant? Verisimilius igitur, qui deriuant ab ἅλς, id est, *mare*, quia in locis maritimis crescat. Sed sine dubio est ab Hebræis, quibus dicitur אהלות, *ahaloth*. Habes eam vocem Cant. IV. XIV. vbi interpretes vertunt ἀλόην, ac in quibusdam est ἀλώθ, quod contractum ex *ahaloth*. Ab integro *ahaloth* videtur esse ἀγάλλοχος, *agallochus*, quæ est aloë aromatica. Nicomedes Iatrosophista in Lexico: Ἀγάλλοχος, ἀλόη.

ALOSÆ, piscis, primus meminit Ausonius in Mosella:

Stridentesque focis, obsonia plebis, alosas.

Siue, vt in aliis libris, *alausas* Gallis hodiéque est *alose*. Et inde accepit Gallus Ausonius. Nam, si Latinum foret, meminissent Plinius, & alij. Quare non est, quod ab *alendo*, quia alat, dictum putemus. Si veteribus Latinis piscis is notus erat, fuerit fortasse, qui *Clupea* est Ennio, hoc versu, apud Appuleium, in Apologia:

Omnibus, vt clupeâ, præstat, mustela marina.

Eundem sanè Massarius putabat. Et pro eo est, quòd Veneti alosam vocant *chiepam*, quæ vox ex *clipea* esse corrupta videtur. Sed scrupulum injicit, quod Plinius, lib. IX. c. XV. vocet eum *piscem minutum*. Alosa autem ad cubiti magnitudinem accedit. Huic argumento non est difficile obuiam ire. Nam Plinius non ἁπλῶς minutum vocat; verùm comparatione attili, piscis cetacei, quem iugulat. Hæc enim sunt Plinij verba: *Attilus in Pado, inertiâ pinguescens, ad mille aliquando libras catenato captus hamo, nec nisi boum iugis extractus. Atqui hunc minimus piscis, appellatus clupea, venam quandam in eius faucibus mira cupidine appetens, morsu exanimat.* At extra comparationem eam magnum piscem dici posse, cognoscimus ex Stobæi sermone XCVIII περὶ ποταμῶν, vbi ex Callisthenis Gallicorum libro tertiodecimo citat hæc verba: Γεννᾶται δ' ἐν αὐτῷ μέγας ἰχθὺς, Κλυπαῖα καλούμενος ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων. *Nascitur in eo magnus piscis, Clupea dictus ab incolis.* Nec ignoro, Iosephum Scaligerum Ausonianarum lect. lib. I. c. III, putare, aliam esse Plinij Clupæam, aliam Callisthenis. Sed argumento eius, quod Plinij loco subnixum est, iam occurrimus. Ceterùm, Κλυπαῖα non esse nomen Græcum, discere inde est, quod ab incolis Gallis sic vocari in Gallicis suis scripserat Callisthenes. Est igitur origine Celticum. Græcis autem vocatur θρίσσα, vt ex Athenæo cognoscimus.

ALSINE, ἀλσίνη ab ἄλσος, *lucus*. Dicitur & *myosoton*, quasi *muris auricula*. Plinius lib. XXVII. cap. IV: *Alsine, quam quidam myos oton appellant, nascitur in lucis, vnde & alsine dicta est.* At vtriusque appellationis caussam adfert Dioscorides lib. IV. cap. LXXXVII. (al. LXXXII.) Ἀλσίνη, οἱ δὲ μυὸς ὦτα, διὰ τὸ ἔχειν φύλλα ὅμοια μυὸς ὠσίν. ἀλσίνη δὲ, διὰ τὸ σκιεροῖς καὶ ἀλσώδεσι φιλεῖν τόποις. *Alsinen nonnulli myos ota vocant, quoniam folia aures musculorum imitantur. Alsine verò dicta, quod locis opacis, lucisque gaudeat.*

ALTARE dicimus, & κατ' ἀποκοπὴν, *altar*. Gloss. Isidor. *Altar, altare*. Prudentius: *Ossibus altar & impositum.* Vnde dicatur, & quomodo ab *ara* differat, docet his verbis Seruius ad Ecl. V: *Nouimus, aras esse superis & inferis consecratas: altaria verò esse superorum tantum deorum; quæ ab altitudine constat esse nominata.* Et aliquanto post: *Varro diis superis altaria, terrestribus aras, inferis focos dicari adfirmat. Alij altaria, eminentia ararum, & ipsa libamina. vt, Pateris que altaria libant.* Ex quibus Seruij verbis cognoscere est, altaria, ex quorumdam sententia, significare τὸ ὑπερῷον siue superiorem aræ partem, vbi ignis accenditur, extaque comburuntur: item sic vocari ea ipsa, quæ aræ imponuntur. Sed vtraque, vt puto, impropria significatio est. De eadem voce sic Festus, siue Paullus: *Altaria*, inquit, *sunt, in quibus ignis adoletur. Altaria ab altitudine dicta sunt, quòd antiqui diis superis in ædificiis à terra exaltatis sacra faciebant, diis terrestribus in terrâ: diis infernalibus in effossa terra.* Hæc ille. Eadem fere scribit Placidus Lactantius, ad quartum Thebaïdos. *Tria sunt in sacrificiis loca, per quæ piationem facimus. Scrobiculo facto inferis, terrestribus supra terram sacrificamus, cælestibus exstructis focis, ad quæ sacrificantes manus porrigimus in altum.* Est igitur ab *altus altar* siue *altare*, vt a *lucus lucar*, quod prius fuit *lucare*. At minimè placet, quod Isidorus lib. XV. cap. IV. scribit, & cum eo Fungerus, *altare* dici quasi *alta ara*; aut, quod alij tradunt, esse a supino *altum*, quia igni adduntur alimenta. Porro, differre aram & altare, cùm ea indicant, quæ ex Seruio supra diximus, tum hic Arnobij locus lib. VII: *Ara ista, quas dicitis, altariáque hæc pulchra, infelicissimique animalium generis vstrina*, &c. Iacobus Dauus, Episcopus Ebroicensis, lib. aduersus D. Plessæum, pag. 164. & seqq. probare conatur, aras esse, quæ Græcis βωμοί, altaria verò θυσιαστήρια: illa fuisse Gentilium, qui accendebant in aris; hæc Christianorum, in quibus θυσία ἀναίμακτος, καὶ μυστικὴ ἱερουργία, vt vocat Eusebius, in vita Constantini, lib. IV. Sed de hoc alibi dicemus.

ALTELLI in etymo quàm veteres sudarint, indicant hæc verba Festi: *Altellus Romulus dicebatur, quasi altus in tellure, vel quòd tellurem suam aleret. siue quòd aleretur telis, vel quod à Tatio Sabinorum rege postulatus sit in colloquio pacis, & alternis vicibus audierit, locutúsque fuerit. Sicut enim fit diminutiuè à macro macellus, à vafro vafellus, ita ab alterno altellus.* Hæc Festus. Sed in omnibus istis οὐδὲν ὑγιές. Verisimilior multò est sententia Scaligeri, qui in notis docet, ab *alendo* esse *altum*, & ὑποκοριστικῶς *altellum*: ac generatim sic dictos pueros suppositítios, postquam inuenti, ab aliis, quàm parentibus, alebantur. Meritò igitur sic Romulus vocabatur, quando is quoque expositus est, & à Faustulo, regis pastore, educatus. Quod si hæc sententia non arrideat, vide an magis placeat illa Meursij, qui ex *alter* formabat *altellus*, vt ita dictus sit Romulus, quia alter erat è geminis.

ALTER prius fuit *alterus*, vt *vir virus*, *satur saturus*. Dicitur verò *alterus* non quidem ἁπλῶς, ab ἕτερος, quod Nunnesius in Grammatistice tradit: sed vel quasi ἄλλος ἕτερος; quam originationem legere est apud Festum, & ex eo apud Scaligerum de caussL. L. cap. LXXXIX: vel, quod Angelo Caninio visum, & magis mihi verisimile sit; ab ἀλλότερρος, quod Æolicum pro ἀλλότριος. Æoles enim ρ transponunt. ac geminant, ac ι mutant in ε: vnde κότερρα dicunt pro κόπρια, Πέρραμος pro Πρίαμος, &c. Voce *alter* vsi veteres pro *secundo*. Vt apud Maronem:

Alter ab vndecimo iam tum me ceperat annus.

Hoc est, decimus tertius. Liuius similiter, *Altero & vigesimo*, hoc est, vigesimo secundo. Etiam Iurisconsultos similiter loqui, ac Manilium obseruat ad eum scriptorem Ios. Scaliger. Ab *alter* & *plico*, *alterplices* dicti, vt à *duo* & *plico*, *duplices*. Et sanè iidem *alterplices* qui *duplices*, hoc est, ἀμφίβολοι. Festus: *Alterplicem, duplicem.* Sic plures MSS[ti]. Quidam, *Alteriplicem*. Isidorus verò in Glossis: *Araplicem (l. alterplicem,) duplicem, dolosum.* Eædem: *Biplicitas, duplicitas, alterplicitas.* Ab *alter* est *alternus*, vnde *alternatio*, per vices successio: vt ait Festus. Ab eodem est *altero*, vt Terentius loquitur, &, quod vsitatius, *altercor*. Itaque *altercari* non semper de iis dicitur, qui verbis contendunt, vnde Festus *altercationem* exponit iurgationem: sed generatim quoque significat, *alternatim loqui*. Quomodo Appuleius vsurpat, lib. II. Met. *Dum hunc & huiusmodi sermonem altercamur, paucis admodum confectis passibus, ad domum*

Byrrhenæ

Tyrrhena pervenimus. Ab *altercor* etiam herba *altercum* dicitur, quæ Græcis ὑοσκύαμος, quasi dicas *faba suilla*. Auctor huius rei Scribonius Largus cap.CLXXXI: *Altercum, quod Græci ὑοσκύαμον vocant, qui biberunt, caput graue, venterque distentum habent; mente alienabuntur cum quadam verborum altercatione. Inde enim hoc nomen herba trahit altercum.* Plinius tamen ab Arabibus acceptum putat. Sic enim ille, lib.XXV. cap.IV: *Herculi eam quoque adscribunt, quæ Apollinaris, apud Arabes altercum sive altercangenon, apud Græcos verò hyoscyamos appellatur.*

ALTHÆA, ad verbum sonat *herbam medicam*. Est enim Græcum ἀλθαία ab ἄλθος, id est, *medicamentum*. Ita autem vocatur, quia multis medeatur morbis: vt Dioscorides docet lib. III. cap.CLXIII. Imo & eadem ἰβίσκος seu ἐβίσκος (*hibiscum* etiam Maro appellat) dici videtur à חבש, quod notat *obligare*, & speciatim *obligare vulnus*, ac *vulneri mederi*. vt Iobi XXXIV. XVII. Item Germanis nuncupatur *heilwurtz*, quasi dicas, *sanans radix*, vel *hiswurtz*, hoc est, *sanans radix*.

ALTUM, quasi *alitum*, quia alimonia plantæ & animantia in sublime crescunt. Quam originem adducit Franc. Iunius, Animaduers. in Bellarminum, Controuers.V. lib.II. pag.620, edit.Rapheleng.

ALTUS, pro educato, est ab *alendo*; pro sublimi autem non quidem dicitur ab *altitudine*, vt est apud Paullum; (nam *altitudo* potiùs est ab *altus*,) sed cùm Græcè sit αἰπύς, (vtrumque enim notat *excelsum*,) ex Græco fortasse originem capit. Nisi malis esse ab Hebræo, à quo minus abit. Nam על, *altus*, à radice עלה *ascendit, sursum euectus est*. Sane horum vtrumque verius puto, quam vt cum quoque sit ab *alendo*, quia quæ alimonia non desunt, in altum excrescunt: vel ab ἅλλεσθαι, id est, *salire*, vt propriè significet motum in sublime. Ab *alto*, vnde spirat, ventus *altanus*. Plinius, lib.II. cap.XLIII: *Videmus & alios, quos vocant altanos, è terra consurgere*. Servius in VII. Æn. *Ventus, qui pelagi, altanus vocatur*. Isidorus lib. XIII. Orig. cap.XI. *Altanus qui in pelago est, per derivationem ab alto, id est, mari, vocatus.*

ALUCINARI, pro quo alij *allucinari*, & *hallucinari*, scribunt, notat aberrare, & non consistere, vt interpretatur Nonius. Festus similiter: *Alucinatio, aberratio*. De etymo summus est dissensus. Gellius lib.XVI. cap.XII: *Cloatius Verus, in libris, quos inscripsit,* VERBORUM A GRÆCIS TRACTORUM, *alucinari factum scripsit ex eo, quod dicitur Græcè ἀλύειν: vnde elucum quoque esse dictum putat, a literâ in e versâ, tarditatem quandam animi & stuporem, qui alucinantibus plerumque vsu venit.* Fulgentius de prisco sermone: *Alucinari, dicitur vana somniare: tractum ab alucitis, quos nos κώνωπας dicimus, sicut Petronius Arbiter asserit: Nam centum vernales me alucitæ molestabant.* Octauius Panthagathus, vt in Orthographia scribit Aldus, deducebat à præuerbio *à* & *luce*; vt propriè sit, *à luce aberrare*. Eius sententiam confirmat, quod similiter *obluccinare* dixerint pro *errare*. De qua significatione assentit Festus, non item de origine. Sic enim scribit: *Oblucinasse dicebant antiqui mente errasse, quasi in luco deorum alicui occurrisse.* Aliquibus, *alucinari* dicitur quasi ὡς ἄλη λύειν quòd, qui in mare soluerunt e portu, non ampliùs suo se antur arbitrio, sed acti ventis errent per mare vastum. Alij παρὰ τὸ ὡς ἄλη νοεῖσθαι quod errare valeant, qui aliò, quam oportet, mouent, & appellunt animum. Nec desunt, qui *hallucinari* velint propriè esse *illidere pedem*, μεταφορικῶς verò sumi pro *errare*, quomodo *impingere* pro eodem vsurpatur. Atque his placet, quâ ratione à *sermo* est *sermocinor*, à *balbus balbucinor*, eâdem ab *hallus* esse *hallucinor*. Est verò *hallus*, non ἀντίχειρ δάκτυλος, id est, *pollex*, vt est in veteri Onomastico: sed ποδὸς μέγας δάκτυλος, prout exponunt Glossæ Philoxeni. Paullóque strictius Festus: *Allus, pollex, scandens proximum digitum: quod veluti insiluisse in altum* (MSS[ti] *altum*) *videatur, quod Græcè dicitur ἅλλεσθαι*. Idem: *Hallus pedis, scandens super proximum digitus a saliendo. Nam ἅλλομαι Græcè, Latine significat salio.* In quibusdam tamen Festi exemplaribus pro *allus* legitur *allex*. Ac similiter in Isidori Glossis inuenias: *Allex, pollex in pede*. In hoc dissensu eos sequor, qui à *luce* deriuant. Nec tamen arbitror, tam esse *à luce aberro*, quam *ad lucem offendo*. Eóque scribendum puto *allucinari*, quasi *adlucinari*. Vnde iis dicatur, qui, luce oculos perstringente, minus vident. Quemadmodum illis vsu venire solet, qui contra claram solis lucem direxere pertinacius oculos, vel è locis apricis in tenebricosa abiere.

ALUMEN, quibus id pro salsugine terræ celebratur, illi non ineptè ad τὴν ἅλμην, quod salsuginem, muriam, salsilaginem, notat, reducunt. De hoc reliqua videantur in *Aluta*.

ALUMNUS, ab *alo*. Nisi per syncopen sic dici putes, quasi *alitumnus*, vel *alitumnus*: vt nempe sit ab *alitum* seu *altum*; quomodo ab *auctum* est *auctumnus*. Sed prius simplicius; neque omnia ab eodem formantur verbi tempore aut casu. Alumnus autem vocatur tam qui alit, quam qui alitur: vt quidem ait Isidorus initio decimi Originum. Idem variis auctorum locis adstruere conatus Nonius Marcellus, sed quam inualidis vtatur argumentis, docebit Valla lib.IV. cap.I. Non dubium tamen, quin pro eo, qui alit vsurpetur à Marone in Ciri, cùm ait:

——— *Nec & illa quidem communis alumna*
Omnibus iniectâ tellus tumulabit arenâ.

Nisi *alumnus* legendum, quod suspicatur Scaliger: sed me non probante. Similiter enim locutus Appuleius in Apolog. *Cuivis merito est concessum, olus, & vinum, ex nobilitate soli commendare. Vinum Thasium, olus Phliasium. Quippe illa terra alumna multum ad meliorem frugem iuuerit: & regio fecunda.* Ac vt hi terram, ita aquam alumnam vocat Festus Auienus in Arateis: *Arentesque locos unda fecundat alumna.* De Nilo loquitur.

ALUTA dicitur pellis, quando subacta & tincta est, quod a βυρσοδέψαις, *coriariis*, alumine fiebat & gallâ. Gloss. vett. Στυπτηρία, *alumen, aluta*. Στυπτηριασμένον δέρμα, *aluta*. Στυπτηρία verò à Græcis dicitur, quia στύφει & στύμμα est *tinctura*. Vt στυπτηριασμένον δέρμα nihil aliud sit quam corium perfectum, hoc est, domitum ac tinctum. Nempe quia tinctura adstringit, quod Græcis est στύφειν. Quod si aluta alumine subigebatur ac tingebatur, verisimile est, & *aluta* & *alumen* ab eadem origine venire. Nempe ab ἀλείφω quod est, *inungo*. Ita *aluta* sit ab ἀλειφή: *alumen* autem ab ἄλειμμα, quod Æolibus ἄλιμμα: vnde *alumen*, vt fortasse ab ὄνομα *nomen*. Vel, vt ab *albo albumen*: ita *alumen* fuerit ab ἅλς, id est, *sal*. Est enim salsugo terræ vt Plinius ait, lib.XXXV. cap.XV. At eorum sententia non placet, qui, vt à *fluo* est *flumen*, ita ab *alo* censent esse *alumen*. Nec enim significatio conuenit. Neque assentior Servio in Eclog. IV. vbi ait, *alutam* naturâ suâ esse albam, artéque reddi luteam, id est, croceam, & hinc *alutam* dici. Nec probare possum, quibus placet esse ab ἄλυ, id est, *calor*. Neque Isidorum, qui lib.XVI. Orig. cap.II à *lumine* deriuat, quia *lumen coloribus præstat tingendis*. Nec magis satisfaciunt, quibus *aluta* dici placet quasi *abluta*, quia abluitur. Primam enim corripiunt Iuuenalis atque alij. Potius censeam, si non sit ab ἀλειφή, κατὰ συγκοπὴν sic dici, quasi *aluminata*. Sane *aluminatam pellem* dixit Marcellus Empiricus. Nempe, quia, vt dixi, alumine tingitur, & adstringitur. Ita ex *aluminata* fit *aluta* per syncopen. Ab *aluta* est *alutarius*, apud Plautum. Ab *alumen* verò *exaluminatus*, apud Plinium: qui auctor est, *exaluminatum* esse colorem optimum in lapidibus ac margaritis. Nempe claras margaritas dixere exaluminatas; à claritate aluminis, quia quasi alumine sint infectæ. Peccant, qui vocem hanc mutare satagunt.

ALVUS, ab *alo*. Festus: *Alvus, venter feminæ, ab alendo dicta est*. Sed, quod *mulierum* ait, cautè capiendum. Nam & virorum esse, Agrætius meritò agnoscit. Attamen hoc non impedit, quo minùs significatione primâ feminis conueniat. Sin placet primâ notione vtrique sexui conuenire, fortè est ex *eluuies*, extrito *e* & *u* vocali in *v* consonum degenerante. Sanè sordes eâ abluuntur, siue eluuntur: vnde *cloacam* à *colluendo*, Plautus in Cistellariâ, *ventris proluuiem* Maro appellat, III. Georg. Ab *alvo* in fluuiis dixitur *alveus*, quòd eius quasi alvus est. Nisi malis, quia alluit vtramque ripam. Sed prius magis placet. Καὶ μεταφορικῶς autem ad alia quoque vasa transfertur. Atque inde *alveare*, & *alvearium*; quia in eo sunt alvei apum. Caper de dubiis verbis: *Alvus hæc, nunc sedapium*. Lego, *Alveare, nunc sedapium*. Vel, *Alveare, non sedapium*. Vel, quod imprimis placet, *Alveare, sed nunc apiarium*. Nam vulgi ea vox; vt indicat Agellius lib. II. cap.XX. Vsus tamen non vno loco Columella, scriptor Latinissimus. Dixere autem *sedapium*, quasi *sedem apium*.

A M

AM, valet *circum*. Vnde VII. Æn. *amsancti valles*, id est, *omni ex parte sancti*, vt Servius interpretatur. Fuerit ab Græco ἄμ, si eo vsus Theocritus, vt censet Iul. Scaliger, de caussis L.L. cap.CLV. Sed decipitur. Est autem *am* ab ἀμφὶ, κατ' ἀποκοπὴν, quomodo ab ἀπὸ & ὑπὸ, sunt *ab*, & *sub*. Præpositio est loquelaris. Ita Festus aliique veteres Grammatici eas vocant, quæ non inueniuntur separatim. Veteres tamen etiam vsi extra compositionem videntur. Vt Cato in Originibus, apud Macrobium, lib.I Saturn. cap.XIV: *am terminum*. Quod Macrobius interpretatur *circum terminum*. Sed falli Macrobium, vnâque voce *amterminum* legi debere, censet Ios. Scaliger: quâ de re dicemus voce *Terminus*. Præuerbium hoc ante vocalem accipit *b*. vt, in *ambire, ambigere, ambarvale*, & similibus; de quibus suo loco.

AMARACUS, siue *amaracum*, Græcè ἀμάρακος, & ἀμάρακον. Vtramque enim in vtraque lingua habet terminationem. Vulgo *Majorana* vocatur. Volunt esse ab Hebræo מר *amar*,

quod *myrrham* notat. Forte ob odorem. Sed fortè dici videtur quasi *immarcessibilis*, ab ἀ στερητικῷ, & μαραίνω, id est, *marceo*: vt eiusdem sit originis ac *amarantus*, de quo mox dicam. Sanè origine Græcum esse, eò lubentius credimus, quod aliud nomen, nempe *sampsuci*, habuerit apud Syros & Ægyptios. Verba quippe Plinij sunt lib. XXI. cap. XI: *Amaracum Diocles medicus, & Sicula gens, appellauere, quod Ægyptus & Syria sampsucum.* Infirmius tamen hoc argumentum foret, nisi Artemidorus distingueret, Oneirocriticon lib. I. cap. LXXIX, vbi ait: Σισύμβριον δὲ, καὶ ἀμάρακον, καὶ λάπαθον, φρύγιον, καὶ ἑλένιον, καὶ ἀνεμώνας, καὶ σαμψύχου στεφάνους ἀναδεῖσθαι, πᾶσι πονηρόν. *Ex sisymbrio autem, & amaraco, & rumice, & phrygio, & helenio, & fremito, & sampsucho, coronas* (in somnio) *circumdatas habere, omnibus malum est.* Vtcumque hoc est, origine Græcum putamus, vt quasi ἀμάρακος dicamus. Poetæ, aliam etiam nominis caussam adferunt. Nam quia laudatissima amaracus cresceret in Cypro, fabulati sunt, puerum Cinyræ Regis, nomine Amaracum, dum alabastrum vnguento fragrantissimo refertum ferret, lapsum esse, præque luctu ob fractum alabastrum contabuisse, inque florem versum esse, qui ab eo amaracus vocaretur. Tangit hanc fabulam quoque Servius, ad illud I. Æn.

— *Vbi mollis amaracus illum,*
Floribus, & dulci adspirans complectitur vmbrâ.

Vnguentum ex amaraco confectum dicitur *amaracinum*, quod aliter *sampsucinum*. Meminit Lucretius, lib. VI:

Denique amaracinum fugitat sus, & timet omne
Vnguentum: nam setigeris subus acre venenum est.

Quo ex loco lucem capit illud Agellij, cap. vlt. lib. vlt. *Vetus adagium est, Nihil cum fidibus graculo, nihil cum amaracino sui.*

AMARANTHVS male vulgò per *th* scribitur: *amaranthus*. Nam Græce est ἀμάραντος quod & florem notat, & adiectiuè significat *immarcessibilis*: ab α priuatiuo, & μαραίνω, *marceo*. Cur verò eo nomine flos iste dicatur, indicant hæc verba Plinij lib. XXI. cap. VIII: *Mirumque, postquam defecere cuncti flores madefactus aqua reuiuiscit, & hibernas coronas facit. Summa eius natura in nomine est, appellato, quoniam non marcescat.* Etymon hoc respexit Artemidorus lib. I. cap. LXXIX. vbi, vt rosas ait malum ægrotis portendere διὰ τὸ εὐμαραίνεσθαι, *propterea quod facile marcescant*: ita amarantum portendere bonum, & nomine suo, & colore non marcescente.

AMARVS, ex sententia Cæsaris Scaligeri, lib. de caussis L. L. cap. LXIII, venit a *mari*: hoc ab Hebræo *marath*. Sanè מרת *marath*, Hebræum quidem, verum femininum constructum, pro מרה *mara*. Quare procliui errore *marat* pro *marar* scriptum puto. Nam radix est מרר *marar*, id est, *amarescere*. vnde מר *mar*, *amaror*, siue *amarities*. Et vera hæc *amari* origo videretur, nisi princeps litera foret in Chaldæo אמרר *amrar*: quod & ipsum notat *amarescere*. Inde igitur *amarus*.

AMBACTVS legimus apud Cæsarem, lib. VI. de bello Gallico: *Plurimos circum se ambactos clientésque habet.* Vsus quoque Ennius: vt indicant veteres Glossæ, in quibus legas: *ambactus*, δοῦλος μισθωτὸς, ὡς Ἔννιος. Cæsar tamen non pro seruis conductitiis vsurpat, sed pro viris dignitate præstantibus, municipij alicuius, aut agri præfectis. Ideo clientibus eos Cæsar præponit, tanquam digniores. Esse vocem Gallicam clarè ait Festus, siue Paullus. Et sanè veteri lingua Belgica *ambacht* signat *iurisdictionem*. Vnde *ambachts-heeren* vsitatè vocantur, penes quos territorij alicuius dominium ac iurisdictio est. Quod autem vulgò Belgæ *ambacht* pro opificio vsurpant, id ex abusu vocis prouenit; vt pluribus ostendit Goropius Becanus, vir ingeniosè eruditus, & à quo interdum etiam verum exspectes, vtcumque sæpius iudicio frustretur. Atque hæc, quæ de *ambacti* originatione diximus, falli ostendunt, qui per ambactos Cæsaris intelligunt libertinos, nempe vt ita dicantur quia circumagerentur in manumissione. Vnde Persius, sat. V: — *Quibus vna Quiritem vertigo facit.* Est hæc sententia Antonij Augustini, in notis ad Festum. Sed ei obstat, quòd à Cæsare clientibus præponantur. Vt omnino fuerint viri illustres. Et Festus clarè agnoscit, Gallicum nomen esse. Ac ne quidem origo ea conuenit Ennianæ notioni, qua seruum conductitium vocat, non libertum. Potiùs ex eo nomen, quia serui conductitij circumagantur, quò lubet conducentibus: vt qui quæuis vbiuis exsequi teneantur. Ita eiusdem sit originis, ac *ambages*, de quo nunc dicam.

AMBAGES, ab *am*, id est, *circum*, & *ago*. vt propriè, περίοδον seu *circuitum* notet. Gloss. vett. *Ambages*, πλάνη, περίοδος. Aliæ: *Ambages*, περιαγωγή. Nec est quòd turbet penultimæ productio. Nam idem fit in *indago*, & *fatigo*; quorum vtrumque ab *ago*. Sed de *fatigo* ratio hæc adferri potest, quod vt ex *deago* fit *dego*, ex *coago cogo*, in quibus ob crasin prior est porrecta: sic *fatigo*, dicatur pro *fatiago*, vt quod fiat ex *ago* & antiquo *fatim*, id est, *adfatim*. Sed in *ambages* & *indago* vix video, vt contractio huiusmodi locum habere possit. An dicendum, *indago* non esse ab *in* & *ago*, sed *inde* & *ago*, quia *inde*, hoc est, ex loco suo, *agimus*, quæ venamur? Sic sanè censet Scaliger de caussis L. L. cap. XXXII. Mihi vero placet esse ab *indu*, pro *in*, vnde & *induperator* pro *imperator*, & *industrius*, *inducia*, aliáque. *Indago*, igitur contractum ex *induago*. Ac *ambages* similiter ex *ambeages*. Nam ab ἀμφὶ *ambe*, ex quo *am* κατ' ἀφαίρεσιν. Vide *Ambe*.

AMBAXIOQVI, *circumeuntes cateruatim.* Sic vulgo legitur apud Festum. Vbi MSS[ti] similiter, alij *Abi anxioqui*, alij *Ambiaxioqui*. Puto, legendum, *Ambaxitiosi*, *circumeuntes cateruatim*. Vel, *Ambaxes*, *qui circumeunt cateruatim*. Vel, *Ambaxies*, *quasi circumeuntes cateruatim*. Vt ab *am*, & *aruales*, *ambaruales*: sic ab *am* & *axitiosi*, *ambaxitiosi*; ab *am* & *axies*, *ambaxies*. Qui verò *axitiosi*, quæque *axies* dicantur, docent hæc verba Festi: *Axitiosi, factiosi dicebantur, cum plures vnà quid agerent facerentque. Axit autem antiquos dixisse pro egerit, manifestum est. Vnde axies mulieres, siue dij, dicebantur, vnà agentes.* Ex iis etiam discimus, *axitiosos*, & *axies*, sic dici ab *axo* pro *egero*. Indeque & *axes* vel *axes*, adglomerati. Vide de eo plura in *Ala*.

AMBE, vel *ambi*, significat *circum*, & est ab ἀμφὶ. vt *ambo* ab ἄμφω. Præpositionem eam agnoscit Varro, lib. VI. de L. L. vbi sic scribit. *Apud Lucillium: Quid tibi ego ambages, Ambiuii, scribere coner? Profectum à verbo Ambe, quod est, in ambitu, & ambitiosus.* Scio Vertranium pro *ambe* reponere *ambio*. Sed multa Vertranius audacius immutauit. Quare editionem Romanam præferimus, quam ex MSS[tis] repræsentauit Antonius Augustinus. Et ita quoque editiones veteres: vt Aldina (an. 1513.) & eâ antiquior, Mediolanensis (an. 1500.) Etiam deriuatis idem comprobatur. Nam cur in *ambages*, & participio *ambitus*, media est longa, contra quam fit in simplicibus *ago*, & *itum*? Nonne propter contractionem vocalium *ea* in *a*, & *ei* in *ei* diphthogum? Nam *ambages* est ex *ambeages*, *ambitus* ex *ambeitus*, vnde *ambeitus*, &, *ei* in *i* longum abeunte, *ambitus*. Fit igitur simile in *ambitus*, ac in *Diana*; quod conflatum dicebamus ex *dea Iana*. Nam & hoc quando syncope est, corripit *i*; quando contractio in *ei* diphthongum, vel pro eo *i*, producit mediam.

AMBIGVVM, vt Festus ait, *quod in ambas agi partes animo potest.* Vnde colligunt, esse ab *ambo*. Nempe vt *dubitare* à *duo*: & Belgicum *twijfelen*, id est, dubitare, a *twe* siue *twee*, id est, *duo*. Sed omnino vt ab *exigo* est *exiguum*. ita ab *ambigo* est *ambiguum*. *Ambigo* autem est ex *ambe*, id est, *circum*, & *ago*. *Ambe* ab ἀμφὶ: vt paullò antè diximus. Imo, vt ex *ambe*, & *ago*, est *ambiguum*: ita & Græcis ἀμφίβολοι, ab ἀμφὶ, id est, *ambe*, siue *circum*, & βάλλω, *ferio*; vt propriè notet, quod vtrimque feritur. Similéque *anceps*, quod *vtrimque capitur*.

AMBITVS, & *ambitio*, ab *ambe*, id est, *circum*, & *itus*, siue *itio*, quod à verbo *eo*. De præpositione *ambe* diximus suo loco. De proprietate vocis ita Festus: *Ambitus propriè dicitur inter vicinorum ædificia locus duorum pedum, & semipedis, ad circumeundi facultatem relictus: ex quo etiam honoris ambitus dici cœptus est, à circumeundo, supplicandóque.* Romani enim ambibant, aut populi captantes suffragia, aut implorantes iudicum misericordiam. Indéque & qui gratiam iudicum, & qui magistratum captarent, dicti *ambitiosi*. Adscribam & hac de voce locum Tertulliani, lib. de habitu muliebri, cap. IV: *Hæc erit ambitio, vnde & nomen eius interpretandum, quod concupiscentiâ apud animum ambiente, nascatur, ad gloriæ votum.* Camerarius in Orat. pro Murænâ annotauit, *ambitum* & *ambitionem* ita differre, quòd illud sit criminis (Græci δωροδοκίαν vocant;) hoc, cupiditatis. Nam licebat quidem circumire, & prensare, hoc est, benignè manus omnium prehendere ad suffragia impetranda suæ beneuolentiæ significatione: at non licebat corrumpere profusione & largitionibus; quod crimen *ambitus* vocabatur, & latis legibus puniebatur. *Ambitiosa* decreta quæ dicantur apud Vlpianum, docet Ræuardus lib. V. Var. cap. VI.

AMBO, ab ἄμφω. Ab eo & *catampo*, quasi κατ' ἄμφω. Quæ verba videntur eorum qui ludum hunc exercerent. Nam *catampo* esse lusus genus, scribit Festus, ad quem plura hac de voce Scaliger. Sanè *catampo* etiam est in MSS[tis].

AMBO vocatur ab Ecclesiasticis scriptoribus *suggestus Episcopi concionantis*. Latinum id nomen putabat VValafridus Strabo, de exordiis & incrementis rerum Ecclesiasticarum, cap. VI: *Ambo ab ambiendo dicitur, quia intrantem ambit, & cingit.* Sed accepêre Latini à Græcis, qui similiter vsi suo ἄμβων· vt Sozomenus lib. VII. cap. II. Nempe ita dixere, quia Græcis ἄμβων sit, quicquid eminet ac protuberat formâ rotundâ vel κωνοειδῆ. Nomen ἀπὸ τοῦ ἀναβαίνειν, siue ἀναβαίνω. Atque inde & Latinum *Vmbo*, de quo suo loco.

AMBRICES, *regulæ, quæ transuersæ asseribus & tegulis interponuntur.* Ita Festus: de cuius verbis magis laborarem, nisi inconstan-

tet

ter in MSS[to] nunc *ambricos* esset, nunc *acrobices*, vel *acobrices*. Sed & MSS[ti] quidam, *reguli interponuntur*. Martinius à Celtis arcessit: quia Francis *lambris*, laquear: ac Belgis, *bricke* later: vnde coniectat dici, quasi, *am bricke*.

AMBRO in Isidori Glossis exponitur, *deuorator, consumtor patrimoniorum, decoctor, luxuriosus, profusus.* Caussam appellationis adicit Festus his verbis: *Ambrones fuerunt gens quædam Gallica; qui subita inundatione maris cum amisissent sedes suas, rapinis & emunctionibus se suosque alere cœperunt. Eos, & Cimbros, Teutonosque, C. Marius deleuit. Ex quo tractum est, vt turpis vitæ homines Ambrones dicerentur.* In eo, quod de inundatione scribit, Ephorum sequitur: sed eum refellit Strabo lib. VII.

AMBROSIA, cibus est Deorum, *nectar* verò potus: vnde Ovid. I. de Ponto. el. XI: *Nectar & ambrosiam, latices, epulasque Deorum.* Græci tamen interdum id discrimen negligunt. Nam & ἀμβροσίαν pro nectare, & νέκταρ pro ambrosia ponunt: vt Anaxandridis, Sapphus, & Alcmanis locis comprobat Athenæus lib. II pag. 39. edit. Commel. Idem monet Eustathius in Il. α, pag. 102. edit. Rom. vbi & vocis vtriusque etymon ponit. Ἀμβροσίαν quidem dici putat ab α στερητικῷ, & βροτὸς, *mortalis*, quia nullus eam habeat mortalis, inserto μ ante β, vt in aliis multis. Νέκταρ verò dici a νε στερητικῷ, & κτῶ siue κτῶμαι, quasi ἄκτητον, quod nullius mortalis esset κτῆμα, κτῆσις, *possessio*. Auctor Etymologici magni, duo alia eius vocis etyma adducit. Vnum est, vt dicatur quasi νεόταρ, à νέος & ἴχω, quòd iuuentutem conseruet, eóque & fingere Poëtas, id fundi ab Hebe, quæ est Iuuenta. Alterum est, vt dicatur παρὰ τὸ νε στερ. καὶ τὸ κτῶ, τὸ φονεύω, *occido*: quod, qui id bibunt, occidi non possint, sed sint immortales.

AMBVBAIA (quâ voce vsus Horat. lib. I. sat. II. & Suetonius in Nerone, cap. XXVII) putat Turnebus, lib. XI. Advers. cap. XXIII. venire ab *ambu*, pro am, h. e. *circum*, & *Baia*, fuisséque mulieres impudicas circa Baias versantes. Addit ibidem, se iis assentiri non posse, qui ex Syriâ vsque hanc vocem repetunt. Reiicit autem sententiam Acronis, sic ad Horatium scribentis: *Ambubaiæ dicuntur mulieres tibicinæ, linguâ Syrorum. Etenim Syris tibia, siue symphonia, ambubaia dicitur.* Quam etiam sententiam secutus erat Angelus Caninius, in Hellenismi Alphabeto. Est & tertia ἐτυμολογία. Nam Cruquius censet, *ambubaias*, vel potius *ambuieias*, esse agyrtas, omnium morborum remedia vanissimè pollicentes, atque ita dici ab *ambubeia* herba, ex qua pharmacopœi conficiebant τὸ φάρμακον, *medicamentum ad omnes morbos vtile*. Sed vera est Acronis & Caninii sententia. Nam Syris אבוב, *abub*, est *tibia* siue *fistula*: sed Arabes inserunt נ, אנבוב, *anbub*. Latini *m* maluere: quomodo & à Syro *tuppim* est τύμπανον: aliis *n* similiter inserunt, vt a Syro *Sadin* σινδών. Sunt igitur *ambubaiæ* mulieres & prostituendo & tibiarum cantu sese sustentantes: cuiusmodi est illa Copa Syrisca, de qua carmen est incerti scriptoris in Virgiliana appendice. Neque mouere debet aut Turnebus, qui mirari se ait, ex Syria hanc vocem arcessi; aut Torrentius, qui in comment. ad Suetonium, Turnebum sequi maluit quam Acronem. Nam vestium, eduliorum, instrumentorumque musicorum genera, vna cum nominibus suis, in alias gentes inuehi solere, planum fit ex plurimis exemplis, cum antiquis, tum iis etiam quæ hodiéque aduehuntur ex India, aliisque regionibus longinquis. Syros verò tybicines ac tympanystas Romæ fuisse, docebit ille locus Iuuenalis:

Iampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas nec non gentilia tympana secum
Vexit, & ad circum iussas prostare puellas.

Hanc *Ambubaiarum* ἐτυμολογίαν sequuntur Ios. Scal. in coniectaneis, itémque in *Copam*; Is. Casaubonus comment. in lib. VI Suetonij; P. Mercerius; doctissimus socer meus Fr. Iunius; Schindlerus, &, vt arbitror, quotquot Syriace sciunt.

AMBVLO, venire ab *am*, hoc est, *circum*, scribit in Actio suo Iouianus Pontanus (fol. 132. edit. Ald.) Sed hoc integram notationem non indicat, quam nos adferemus. Πολεῖν est idem ac στρέφειν: ac interdum absolutè sumitur pro ἀναστρέφεσθαι, Eustathio teste in Iliad. α, pag. 178. edit. Rom. vbi ait: ὁ πολεύων, ὁ ἀναστρεφόμενος. Diciturque etiam de hominibus huc illuc itantibus, vti pascentes solent, dum pecus errans sequuntur. Ita Hesychius πολεῖν exponit, [illegible]. Locum item habet de iis, qui in multitudine versantur, quos *verti* similiter dixit Maro:

——— Ipse cateruis
Vertitur in mediis, & toto vertice supra est.

Quomodo & ἀναστρέφεσθαι accipitur. Vt apud Plutarchum in Fabio: Ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς ἀνεστρέφετο, *in foro versabatur*. Ab hac notione verbi πολεῖν est ἀναπολεῖν, idem hac ἀναστρέφειν, vt περιπολεῖν idem ac περιστρέφειν. Vnde Proclus in Hesychium: Τὸ δὲ στρέφειν, πολεῖν ἔλεγον, καὶ τὸ ἀναστρέφειν ἀναπολεῖν, ὥσπερ καὶ τοὺς ἱερεῖς [illegible] διὰ τὴν στροφὴν τὴν περὶ τὰς πόλεις λέγουσι περιπολεῖν. Est igitur περιπολεῖν *obire*, siue *circumire*: ἀναπολεῖν, *ire ac redire, reciprocare gressum, versari in loco*. Pro ἀναπολῶ autem dicitur ἀμπολῶ, vnde *ambulo*. Romani enim solent sequi Æoles ac Dores. Qui similiter pro ἀναβαίνω, dicunt ἀμβαίνω: pro ἀναβολὴ ἀμβολὰ, vnde Latinum *abolla*, vt superius dictum. Hæc omnino magis placent, quam vt *ambulo* sit ab ἀμβαίνω, pro ἀναβαίνω, *ascendo*: vel ab ἀμείβω, *permuto, alterno pertranseo*: quæ Nunnesij sententia erat. Dixere & *Perambulo*, iuxta Varronem. Et *Auambulo*. Festus: *Auambulantes, abscedentes*.

AMBVRBIVM, locorum circa vrbem lustratio, ad expiandam vrbem. Vopiscus in Aureliano: *Lustrata vrbs, cantata carmina amburbium celebratum.* Habes & apud Festum in *Antermenis*. Atque vt ab arvorum lustratione ambarvale sacrificium, ita ab *amburbio*, *amburbiale* dictum sacrificium. Festus: *Amburbiales hostiæ dicebantur, quæ circum terminos vrbis Romæ ducebantur.* Amburbialem hanc lustrationem signat Lucanus lib. I. hisce versibus:

Mox iubet & totam pauidis à ciuibus vrbem
Ambiri, & festo celebrari mœnia lustro.

AMELETIDES apud Ouidium legas, lib. III. de arte:

Conueniunt tenues humeris ameletides altis:
Angustum circa fascia pectus eat.

Ita est in Aldina, &, antiquiore hac, Veneta, à Bernardino procurata anno CIↃ CCCCLXXXVI. Nec multum abit MSS[tus] meus, vbi est *amaletides*. Scaliger, Coniectaneis in Varronem, legit *omaletides*, quod vnius literulæ mutatione abit. Et facile *a* in *o* commutatur. Ὁμαλητίδες fuerint fasciæ, quibus humeros complanarent nimis luxuriantes. Ab ὁμαλὸς, seu ὁμαλὴς, id est, *planus, æquus, æqualis*. Cælius verò Rhodiginus, lib. XIII, cap. XXXI. legit *analectides*. Quod fuerit ab ἄνω, id est, *sursum*, & [illegible], *cubo*: vt signet pulvillos humeris incubantes.

AMELLVS, est ἀστὴρ Ἀττικὸς, si Matthiolum audimus. A quo Hadrianus Iunius dissentit. Nempe quia in astere Attico folia sunt rara, in amello multa: in eo stellatus vertex, vnde & nomen asteris: at eum ignorat in accurata descriptione sua Maro: cuius verba ista IV. Georg.

Est etiam flos in pratis, cui nomen amello
Fecere agricolæ: facilis quærentibus herba:
Namque vno ingentem tollit de cespite siluam,
Aureus ipse, sed in foliis, quæ plurima circum
Funduntur, violæ sublucet purpura nigræ.
Sæpe Deum nexis ornatæ torquibus aræ.
Asper in ore sapor: tonsis in vallibus illum
Pastores, & curua legunt prope flumina Mellæ.

Ad extrema verba ita Servius: *Mella, fluuius Galliæ est, iuxta quem herba hæc plurima nascitur. Vnde & Amello* (malim Amellus) *dicitur: sicut etiam populi habitantes iuxta Lemannum fluuium Alemanni dicuntur. Lucanus: Deseruere cauo tentoria fixa Lemanno.* Hæc Servius. A quo abire videntur Glossæ Philoxeni: quæ à *melle* originem arcessunt. Sanè in iis legas, *Amellum*, μελίφυλλον.

AMENTVM, est lorum, quo hasta media religatur: vt [illegible] Servius ad VII. Æn. Gloss. vett. *Amentum*, ἄμμα [illegible] *iaculorum*. Eædem: *Amentum*, ὅθεν [illegible], *id quo tenetur hasta.* Paullus siue Festus: *Amenta, quibus vt emitti possint, vinciuntur iacula.* Amentum est ab *amen*, quod ab *apo*, seu *apio*, id est, *ligo, necto, vincio*, vnde *aptus* [illegible]. *Apio* autem ab ἅπτω, id est, *ligo*. Apud Festum geminam amenti etymologiam legas: sed quæ ab allato etymo non multum recedunt. Vnam sine dubio ex Festo Paullus Diaconus exscripsit: *Amenta*, inquit, *ex Græco, quod est, ἅμματα, sic appellata.* Nempe ab ἅμμα foret *ammen*, eliso altero *m*, inde *amentum*, quâ ratione à *momen* fit *momentum*, à *limen limentum*, à *monimen monumentum*, &c. *Amen* sic vsurpat Arnobius lib. VII. quemadmodum idem nec *momen* aut *termen* reformidat. Græcis verò ἅμμα, & ἅμμος, est εἶδος πλοκάμου, vt ait Hesychius. Hebræis *amen*, אמן, est [illegible], ἀληθῶς, vt Suidas exponit, id est, *certè, verè*, quomodo in dominicæ orationis exodio vsurpatur. Atque hæc ad illustrandam priorem Festi originationem. Alterius propemodum auctorem crediderim ipsum Paullum: *Vel*, inquit, *amenta dicta, quia aptantur ea ad mentum trahunt.* Inuenitur tamen & *amentum* siue *ammentum* quâdam significatione, quâ à *mento* omnino dici videatur. Nam si sic vocatur in animalibus pars mento proxima, quis dubitat, quin *ammentum* dicatur quasi *admentum*? Confirmat hanc rem, quòd in Glossis vett. legitur *armentum*. Nam veteres dixere *ar* pro *ad*, vt diximus in *arcessere*. Iuuat idem, quod *submentum* itidem ex præuerbio, ac voce *mentum*, conflatum est. Nam in Glossis Cyrilli legas, Ἀνθερεών, *mentum, submentum*. *Amentum* autem hac, quà pro-

xumè

ximè dixi, significatione, vsurpasse videtur Plautus, Menæchmis, act. III, sc. III. Scio, Turnebum legere *ictamentorum*. Sed longius hoc recedit à vett. libb. in quibus planè *amentorum* perscriptum est: quod & approbat Lambinus. Ad priorem illam amenti significationem redeamus. Ab eâ *amentare*: vt apud Lucanum: *Cum jaculum parvâ Libys amentavit arena*. Indéque *hasta amentata*, apud Cicer. & alios. Differunt à velitaribus, ac manipularibus: quod hæ essent leuiores, eóque leui opera eminus iacerentur: at amentatæ maiores grauioresque erant, atque idcirco amento opus erat, quò in medio religatæ, maiore cum impetu torquerentur. Hinc scitè B. Ambrosius: *Intorquenda est amentata illa, non manipularis sententia*. *Amen* verò, quo Arnobium, si plerisque libris fides, vsum diximus, facit ex se compositum *examen*. Quam etymologiam sic probamus. *Apes*, vt Charisius lib. II. docet, dictæ sunt, *quasi apta, quod invicem colligentur*. Quibus verbis indicat *apes* esse ab antiquo *apio* siue *apo*, quod est *vincio*, *ligo*. Atqui *apo*, est à Græco ἅπτω, quod idem significat; indéque ἅμμα, *vinculum*, *nexus*: ab ἅμμα verò *amen*, vnde *examen*, eâdem nempe de caussâ, ob quam *apes* ab *apere* deducebat doctissimus Charisius. Apium igitur *examina* dicta, quasi ἐξάμματα siue ἐξάμματα, ac Æolicè ἐξαμμάτα. Ac hinc quoque vocis *examen* originem petendam puto, cum ponitur pro filo quo trutina regitur: vt definit Servius ad duodecimum, & Isidorus lib. XVI. cap. XXIV. Siquidem filum istoc ligamen trutinæ est: quod Græcè ἅμμα vt diximus. Non igitur audiri debent, qui *examen* ab *exeundo* dici putant, tum in staterâ, quia eò exit, quò pondus vergit: tum de apibus, quia noua earum soboles à parentibus ex alvearibus ad nouas sedes exire cogatur.

AMES, inter aucupum est instrumenta. Horat. Epod. Od. II:

Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos.

Vbi vetus interpres: *Ames propriè est furcula, qua rete suspenditur, ad capiendas aves*. Gloss. Phil. *Amites*, σκόλοπες. *Amites*, ἐξώστραι κάμακες. Nomen ex eo videtur, quòd retia amitem circumeant, ab *am*, & *eo*. Quâ formâ ab *eo* quoque sunt *comes*, & *trames*.

AMETHYSTUS, ἀμέθυστος, pro quo & ἀμέθυσον dicitur. Vtrumque ab α στερητικῷ & μεθύσκω, *inebrio*. Caussa nominis duplex adfertur. Vtramque ponit Plinius lib. XXXVII. cap. IX. *Caussam, inquit, nominis adferunt, quòd vsque ad vini colorem accedens, priusquam eum degustet, in violam desinat: fulgorque quidam in illâ purpura, non ex toto igneus, sed in vini colorem desinens*. Et paullo pòst: *Magorum vanitas resistere ebrietati eas promittit, & inde appellatas*. Si priorem sequimur nominis caussam, erit ab eâ ἀμέθυσος significatione, quâ notat *non ebrius*; ac sic dicetur, quia ita colorem vini habet, vt eo tamen ebrius non sit, verùm leuiter degustet. Sane & Theophrastus οἰνωπὸν τῇ χροιᾷ facit. & Thryphiodorus ait μαρμαρίην ἀμέθυστον nempe ob dilutum sanguinis colorem. Et Dionysius Afer inquit, Καὶ γλαυκὴν ἀμέθυστον ὑπὲρ μέσα πορφύρουσαν. *Et dulcem amethystum leuiter purpurascentem*. Sin pòsterius magis etymon placet, erit ab ἀμέθυσος, quâ notat *arcens ebrietatem*. Quomodo Medici dicunt ἀμέθυσον φάρμακον aut πόμα. Nempe vt ἄλιμος dicitur, qui famem non sentit, & qui famem pellit: vt item ἄκοπος dicitur, qui lassitudinem non patitur, & qui tollit lassitudinem: (vnde medicamenta lassitudinem pellentia, *acopa* appellantur à Plinio, lib. XXIX. cap. III. Celso, lib. V. cap. XXIV. & Scribonio Largo, quatuor extremis capp.) sic *amethystus* dicitur, & non ebrius, & ebrietatem arcens. In amethysti originatione lusit Martialis lib. XIV. distich. CLIV. cuius lemma: *Lana amethystina*:

Ebria Sidoniæ cum sim de sanguine conchæ,
Non video quare sobria lana vocer.

Sententia est, cùm bibam purpuram, eâque ebria fiam, cur dicor *lana amethystina*, quod Latinè esset *sobria*? Nec *amethystinum* tantum, sed & *amethystinatum*, de eo dicitur quod colorem habet amethysti. Martialis lib. II. epigr. LVII: *Amethystinatus media qui secat septa*.

AMIA, *genus piscis*, vt ait Festus. De eodem sic Plinius, lib. IX. Hist. Nat. cap. XV. *Amiam vocant, cuius incrementum singulis diebus intelligitur*. Atque idem Aristoteles tradit in Hist. anim. lib. VI. De etymo ita Athenæus lib. VII: Ἀμίαι δὲ, τῶν τμηματικῶν εἰσι ... Aristoteles, *non tam rationem eius nominis quàm allusiunculam reddens, ait ita vocari, quia simul eat cum suis similibus. Quippe gregatim viuit*. Sanè inter ἀγελαῖα, siue *gregatim degentia*, reponit & eam Aristoteles, lib. I. Hist. suæ. Sed si hæc non ἐτυμολογία, verùm παρετυμολογία, quod verùm ἔτυμον, Eustathius vero in Il. Λ. pag. DCCCLXVIII, edit. Romanæ, etiam alterum etymon adfert, vt sit ab α στερητικῷ, & μία vna, quia nulla amia sola conspiciatur.

AMIANTUS, ἀμίαντος, lapis fossilis, qui in ignem coniectus, non inquinatur, sed splendidior apparet, vnde & nomen ab α στερητικῷ, & μιαίνω, *polluo*. Vide de eo Dioscoridem lib. V. cap. CXIII, & Plinium lib. XXXVI. cap. XIX.

AMICINUS, siue cum Philoxeni Glossis visum exponere ἀμβικὸς, siue cum Festo, *vasis genus, ex quo vinum diffunditur*: quia limbo amicitur, dictus Martinio videtur.

AMICIO, est ex *am*, hoc est, circum, & *iacere*, hoc est, iacere. Nam *amicire*, nihil aliud est, quam vestem corpori circumiicere. Varro lib. IV. de L. L. *Amictus dictum, quod amiectum, id est, circumiectum*. Sic eum locum legit Ios. Scaliger. Idem confirmatur illo Arnobij, lib. II: *Habitare jussa sunt has partes, & humani corporis circumiectione vestiri*. Imò & Christophorus Colerus legit apud Plautum, Milite, act. II, sc. II: *Heram meam elephanti corio circumiectum esse, non suo*. In vulgatis pro *circumiectam* est *circumtectam*. Mihi non displicet *circumvectam*, prout è manuscriptis Camerarij legit Gruterus. Ab *amicire* est *amictus*, & *amiculum*. Cùm autem verbalia à *iacio* habeant e vocalem, vt *objectus*, *rejectus*, *injectus*, similiaque, patere puto, cur *amicire* potius ab *icere* quam *iacere* deducam. Nam, vt ab *icere*, *ictus*, sic ob *amicire* dicimus *amictus*, non *amjectus*. Quomodo verò ab *amicire* fiat *redimire*, dicemus suo loco.

AMITA triplicem originationem ponit Festus. Prima est, vt *amita* dicatur, quasi *a me tertia*: quæ originatio durior est. Altera est, vt factum dicatur ex *avita*, quomodo veteres dixere. Sanè apposite. Nam cum patris fratrem appellassent *patruum*, quasi alterum patrem; matris sororem *matertera*, quasi alteram matrem; commode & condecenter ab auo & patris sororem *avitam*, veluti alteram auiam, & matris fratrem *avunculum*, quasi alterum siue exiguum avum, nominarunt. Tertia originatio est, vt *amita* sit ab *amore*, qui a patre meo amata est. Nam, vt Festus, inquit, *plus sorores à fratribus quam fratres diligi solent: videlicet propter dissimilitudinem personarum, quæ ideò minus habent dissensionis, quo minus æmulationis*. Sed & *amita* dicta videri potest, *ab amore*, quo fratris liberos prosequi solet ac debet: quam rationem cum superiori coniunximus. Nam vt magis amatur à fratre, sic eam liberos fratris magis quam sororis, amare verisimile est. Ad amorem hunc amitæ erga fratris liberos pertinet locus Plinij lib. IV. ep. XIX. *Filiamque eius vt suam diligat, nec tantum amita eius, sed etiam patris amissi affectum repræsentes*. Quod sicut nulla superiorum sententia probatur, videat, an non rectiùs cum Martinio ab Arabibus originem arcessat. Nam iis עם *am*, *patruus*, cuius femininum עמה *ammat*, amita.

AMMONIACUM, siue vt Plinius vocat, *Ammoniaci lacryma*, ferulæ succus est, quam iuxta Cyrenen Africa gignit vt Dioscorides scribit lib. III. cap. LXXXII. Nomen est ab ἄμμος, *arena*; quòd ab arbore sua destillans, incidat in arenas, inque iis in grumos quosdam durus modo concrescat: vel potius ab *Ammonia* Libyæ regione, in qua templum erat Iouis Ammonis, iuxta quod isthoc ferulæ genus imprimis nascebatur. Vtramque etymologiam confirmant hæc verba Plinij lib. XII. cap. XXIII. *Ergo Æthiopia subiecta Africæ Ammoniaci lacrymam stillat in arenis suis: inde & nomine, etiam ab Ammonis oraculo, iuxta quod gignitur arbor, quam metopion vocant, resinæ modo aut gummi*. *Ammoniacum* quoque, pro sale Ammoniaco, ab eâdem origine descendit. Nam & in arenis inuenitur, & optimum iuxta Ammonis oraculum ab accolis effoditur. Hinc Plinius lib. XXXI. cap. VII: *Quo exemplo postea inter Ægyptum & Arabiam, etiam squallentibus locis, cœptum est inueniri, detractis arenis: qualiter & per Africæ sitientia vsque ad Ammonis oraculum. Is quidem crescens cum Luna noctibus. Nam Cyrenaici tractus nobilitantur Ammoniaco & ipso, quia sub arenis inveniatur, appellato*. Meminit eius & Dioscorides lib. V. cap. LXXXV. Alij cum spiritu aspero scribunt, *Hammoniacum*, vt & Iupiter *Hammon*: eamque scripturam præter veterum codicum auctoritatem, quam & Lud. Carrio agnoscit, notis ad lib. II. Val. Flacci, comprobat quoque Festus qui *Hammon* ponit in litera *H*. Et sane quanquam Græcè sit ἄμμος, Ἄμμων, & Ἀμμωνιακὸς, nihil tamen prohibet, ni Latinos per adspirationem extulisse. Nam similiter ab ἔρπω dixere *herpta*, & cum priores *triumpus* dicerent, (vt ex columnâ Duillianâ scimus,) posteriores ex eo fecere *triumphus*; ac ab *oriendo* quoque *hortum* pro *ortum* dici sentiunt Charisius, & alij. Sed vnde Iupiter *Hammon* siue *Ammon* appellatus? Num quia templum eius in locis arenosis exstructum à Libero patre? Vnde Propert. lib. IV. Eleg. I. [*Hoc neque arenosum Lybici Iouis explicat antrum*.] An potius *Ammon* Ægyptia vox est, ac Iovem iis significat? An ab Hebræo חמה, *Sol*: vnde &, iuxta Rabbinos, *Chammanim* dicuntur sacrificia in locis excelsis, solisque calorem excipientibus. Nisi potiùs ea vox à Persis, quod Iosephus Scaliger ait, qui & ab eo, præfixo א, *Achaman* factum

censet.

censet, indéque Persas istos Achæmenios, seu Achæmenidas. Vide quæ in hanc & eandem rem vir omnia de *Achæmeniorum* voce disserit ad Catulli epigr. LXXXVIII.

AMNIS etymon non perspexit Isidorus. Sic enim ille lib. XIII, cap. XXI: *Amnis, fluuius est, nemore ac frondibus redimitus, & ex ipsa amœnitate amnis vocatur.* Omnino autẽ parct esse ab *am*, i.e. *circum*. Varro IV de L.L. *Amnis id flumen est, quod circuit aliquid. nam ab ambitu amnis.* Iovianus quoq; Pontanus, in Actio, pag. CXXXII. b. edit. Aldinæ, sic dici ait, quod amnium cursus plerumq; sint flexuosi. Sed aliis placet, non simplex esse deriuatum, sed compositum, siue ex ἀμφί, & νεῖν, siue potiùs ex *am* & *no*, hoc est, *nato*. Festus: *Amnis propriè dicitur à circumnando: quoniam am, ex Græca præpositione sumtum, quæ est ἀμφί, significat circum; & nare fluere.* Porrò, ex etymo hoc ratio promi posse videtur, cur oceanum qui Orbem ambit vniuersum, *amnem* appellant poetæ. Vt Tibullus lib. 3. El. 4.

> *Iam nox, æthereum nigris emensa quadrigis*
> *Mundum, cæruleo lauerat amne rotas.*

Quomodo & ante dixerat idem:

> *Solis anhelantes abluit amnis aquas.*

Sed simplicius puto, si dicamus, id factum imitatione Homerica, qui itidem Oceanum ποταμὸν, *fluuium*, appellauerat. Vt Od. λ, sub finem:

> Τὴν δὲ κατ' Ὠκεανὸν ποταμὸν φέρε κῦμα ῥόοιο.

Et Od. μ.

> Αὐτὰρ ἐπεὶ ποταμοῖο λίπεν ῥόον Ὠκεανοῖο
> Νηῦς.

Et pluribus aliis locis. Vide illustrem hac de re locum philosophi Stagiritæ lib. I. μετεωρ. c. IX. A *per*, & *amnis*, est *peremnis*. Festus: *Peremne dicitur auspicari, qui amnem aut aquam, quæ ex sacro oritur, auspicato transit.* Idem: *Petronia amnis est in Tiberim profluens, quam magistratus auspicato transeunt, cùm in campo quid agere volunt: quod genus auspicij Peremne vocatur.* Cic. lib. II. de Diuinat. *Bellicam rem administrare maiores nostri, nisi auspicato, noluerunt. Quàm multi anni sunt, cùm bella à proprætoribus & proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent? Itaque nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur.* Etiam vt à medio terræ est *mediterraneus*, sic à medio amnis dicitur *mediamna*, teste Prisciano in XVII. Similiáque sunt *Interamna*, & *Antemna*, opida. Varro lib. IV. de L.L. *Oppidum Interamna dictum, quod inter amnes est constitutum: item Antemna, quod ante amnem, qui influit in Tiberim; quod in bello malè acceptum consenuit.* Festus: *Amnenses appellabantur vrbes sitæ prope amnem, vt à mari maritimæ. Vnde Interamna & Antemna dictæ sunt, quod inter amnes positæ sunt, vel ante se habeant amnes.* Servius ad Æn. VII. *Antemnæ dictæ sunt, quòd eas amnis præterfluit, quasi ante amnem positæ.*

AMO, & *amor*, veniunt ab ἅμμα, *vinculum*; vel ab ἵμερος, *amor*. Vbi ι in α abit, vt à θίγω, *tango*. Nisi magis placet *amo* esse ab ἅμα, *simul*; quòd amor est appetitus vnionis. Vel ab חמם *cham*, siue *ham*; id est, *calefacere*; vt propriè sit, *ardere amore*. Vel ab חמד, id est, *desiderare*, *concupiscere*. Sanè, quanto hæc verisimiliora, quàm vt, quia amantes sint loquaces, eo tum ἔρως, hoc est, *amor*, deriuemus ab εἴρω siue ἐρῶ, quod est *dico* (quam vocis caussam etiam legere est apud Etymologum;) tum *amo* similiter deducamus ab אמר (*amar*,) hoc est *loqui*. Cuius etymi quoq; meminit Caussinus, lib. VIII. de Eloquentia, cap. XIV. Sunt, qui ab Hebræo אם, *mater*, ducant. Matribus enim primum amorem competere. Ab *amo* est *amasco*, hoc est, amare incipio, vt Glossæ Isidori interpretantur. Ab *amasco* vero est *amasius*, hoc est amator. Diomedes, lib. I. cap. de qualitate verborum: *Ab amo veteres inchoatiuo modo dixerunt amasco. Vnde & amasios amatores dicebant.* Vt Plautus Truculento: *Istos mundulos amasios.* Nævius: *Nunc primulum amasco.* Hactenus Diomedes. Cuius verba adduxi, prout in vett. libris legi, iam alij monuerunt. In vulgatis & Næuij locus omittitur, & pro *amasius* scribitur *amascius*. Quæ scriptura refellitur Plauti loco. Neque enim dubium, quin Diomedes respexerit locum hunc Trucul. act. III. sc. I.

> *Nunc ego istos mundulos vrbanos amasios*
> *Hoc ictu exponam, atque omnes eiiciam foras.*

Est verò *amasco* à secunda verbi *amo*, vt à *labas labasco*, à *cales calesco*, à *tremis tremisco*. Nam vocalis ante *sco* sequitur naturam verbi vnde deducitur. Quod dum non perpendit Pierius, in Castigationibus Virgilianis, *tremesco* dicendum ait, quia dicamus *calesco*, *frigesco*, *horresco*. Qui error viro tanto indignus. Ab *amore* vulgo *amicum* dici putant. Sed sententia hæc facile refellitur. Nam veteres dixere *amecum*, pro quo posteriores *amicum*. Festus: *Ab antiquis* AMECI *&* AMECÆ *per e literam efferebantur.* Plautus Casina:

> *Mihi beneuolentes atque ameci prodeunt.*

Ita eum locum corrigit in Plautinis Quæst. Ianus Guilielmius, ad Cas. c. II. In vulgatis est *à me*: quomodo si legas, & sententia & numerus claudicabit. *Amecus*, vt veterum quibusdam persuasum esse video, per syncopen factum ex *animæcus*, quod ex *animus*, & *æquus*, conflatum. Propriè enim is *amecus*, qui æquo erga alium animo est. Glossæ Philoxeni: *Animecum*, ἰσόψυχον. Scribe, *Animæcum*; quomodo dixere pro *Animæquum* q in c conuerso, vt in sexcentis factum. Quodsi hoc etymon verum est, apud Festum pro *amecum* legi debet *amæcus*. Vnde *amicus* fuerit, quo pacto à *cado* est *occido*. Nisi malis, ex *æquus* perire diphthongum in *amecus*: vt ab ἔλαιον est *oleum*, à βαίνω *venio*, à βούλω *voueo*, &c. Atque hæc quidem pro veterum opinione. Sed quanto simplicius, imò & verius est, vt à φιλέω est φίλος, sic ab *amo* esse *amicus*. Vel, vt à *mero* est *meracus*, sic ab *amore amoracus*, aut *amicus*. *Amicitia* est ab *amicus*, vt *iustitia* à *iustus*. Sed pro *amicitia* etiam *amicities* dixere, vt testatur Charisius lib. I. Apud Festum est: *Amatio ab amore denominatum.* Hoc monere Festum, non fuit operæ. Sed in MSS[is] est *amusio*. Qua La Festum scripsisse, non est vero simile.

AMOENVM Festo dictum videtur, quod ad se *amandum* alliciat, licet non raro damnosa. Plaut. Menæchm. act. II, sc. III:

> *Munditia illecebra animo est amantium.*
> *Amanti amœnitas malo est, nobis lucro est.*

Hæc originatio si placet, videtur *amœnus* scribendum, per æ. In vett. tamen libris scribitur per œ. Proque eâ etymologiâ facit sententia Seruij, sic scribentis ad V Æn. *Amœna sunt loca solius voluptatis plena; quasi amunia, vnde nullus fructus exsoluitur: vnde etiam nihil præstantes, immunes vocamus.* Vult igitur Seruius, *amœnus* dici ab antiquo *mœnia*, pro quo posteriores *munia*, œ in u conuerso, quomodo à *Pœnus* est *Punicus*, à *pœna impunè*. Vtramque autem etymologiam coniunxit idem ad VI Æn. *Amœna, inquit, quæ solum amorem præstant. Vel, vt suprà diximus, quasi amunia, h. e. sine fructu*; vt Varro & Carminius docent. Sed nec absurdè *mœnibus* deduxeris, quorum amœnitas magna esse solet, cùm quia arboribus ipsa consita sunt, tum quòd inde in hortos proximos longè latéque pateat prospectus. Hinc Apuleius, lib. de Mundo: *Quare & eos, qui nobis vnius loci ingenia, qualitatesque describunt, aut mœnia vrbis, aut alicuius amnis fluenta, aut amœnitates, & magnitudines montium.* Vides vt *mœnia vrbis* inter amœnitates reponat. Fortasse tamen apud Appuleium potiùs legendum *amœnia vrbis*, prout Bonauenturæ Vulcanio videbatur. Nam fauet huic scripturæ codex Manuscriptus optimus, ac in Gloss. veteri est, *Amœnia, αἱ ἄλση*. Cui interpretationi fauet Seruius in V Æn. in illud,

> *At procul in sola secreta Troades acta.*

Vbi ait, *Acta, nomen substantiuum, significat secreta & amœna locorum.* Puto tamen, interpretationem eam Seruii mutilam esse, dicique debuisse, acta esse *secreta & amœna locorum iuxta mare.* Quæ & propriè *amœnia*, iuxta Glossas. Ab *amœnus* est *amœnare*, vox vsurpata Sidonio lib. I. epist. IX. ad Heronium, Cypriano lib. IV. ep. II. ad Donatum, Salviano item atq; aliis, quorum loca integra apponit Sauaro ad Sidonium.

AMOMVM, ἄμωμον, vua ex Indica labrusca, vel potiùs frutex, cuius lignum ita in se conuolueretur, vt βότρυν seu vuam referret. Adeatur de eo Theophrastus, Hist. Pl. lib. IX. cap. VII. Diosc. lib. I. cap. XIV. Plin. lib. XII. cap. XIII. Videri possit à præstantia dictum, quasi ἄμωμον ἄμωμον. Nam ἄμωμος idem ac ἀμώμητος, *irreprehensus*, *reprehensione maior*. Sed potiùs vox ea est ab Orientalibus. Sanè Arabibus vocatur חמאמא, *amama*. Mouet etiam, quòd Maro in Eclogis dicat, *Assyrium amomum*. Et Papinius, in epicedio Pileti Vrsi, ait;

> ——— *Phariæque exempta volucri*
> *Cinnama, & Assyrio manantes gramine succos.*

Vbi per *Phariam volucrem* intelligit Phœnicem, quòd Heliopolim Ægypti vrbem deuolaret: at per *Assyrium gramen* signat amomum. Quomodo, de Phœnice itidem loquens, vocat Auienus, his verbis. *Ales, amica Deo, largum congessit amomum.* Vbi per *Deum* intelligit Solem. Quare cum re puto *amomi* vocem ab Oriente acceptam. Amomum addebant vnguentis, quibus corpora condirent. Vnde Pers.

> ——— *Tandémque beatulus alto*
> *Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,*
> *In portam rigidos calces extendit.*

Hinc vnguenta, quibus corpus condirent, vocarunt *amomiam*: vnde postea, truncatâ voce, fecere *momiam* & *mumiam*: vt nunc loquimur. Ab *amomum* est *amomis*, ἀμωμίς, herba adeo similis amomo, vt hoc eo adulteretur: quemadmodum Dioscorides ait.

AMPHIBIVM, ἀμφίβιον, animal in aqua & terra viuens. Vt interpretatur Hesychius; & è Latinis Varro, lib. IV. de L.L. Columella lib. VIII. c. XIII. Isidorus lib. XII. cap. VI. Dicitur ἀμφίβιον, quasi *vtrobique viuens*, ab ἀμφί & βίος. Hinc Suidas: Ἀμφίβιον,

φύσιν, ἐν ἀμφοτέραις δυνάμενον ζῆν, καὶ θαλάσσῃ, καὶ γῇ. Cicero, lib. I. de natura Deorum, *ancipitem bestiam* appellat: sed noue, vt indicat, quod præmittat particulam *quasi*. *Bestiarum*, inquit, *terrenæ sunt aliæ, partim aquatiles, aliæ quasi ancipites, in vtraque sede viuentes*.

AMPHIMALLA Plinio, lib. VIII. cap. XLVIII. sunt vestes vtrimque villosæ. Gr. ἀμφίμαλλα, ab ἀμφὶ, & μαλλὸς, hoc est, *vellus*, siue *lana promissa*. Dicuntur & ἀμφιτάπητες. Vnde Hesychius: Ἀμφιτάπης, χιτὼν, ἑκατέρωθεν ἔχων μαλλούς. Hinc Latinum *amphitapa*, quod Isidorus, lib. XIX. cap. XXVI. similiter interpretatur, *ex vtraque parte villosa tapetia*. Ibidem adducit illud Lucillij, è primo satyrarum, quod apud Nonium quoque legas:

Psila atque amphitapa molles cum ingentibus villis.

Sic eum locum legit Scaliger. Idem Lucillius lib. VI:

Pluma, atque amphitapa, & si aliud quid deliciarum.

Varro, Manio: *Alterum bene acceptum dormire super amphitapa bene molli*. Vtrumque locum citat Nonius. Vsus & Vlpianus, l. vestis. §. vestimenta. ff. auro & argent. leg. Eustathius ad Il. ι, pag. DCCXLVI. ed. Rom. Εἴρηται δὲ καὶ μηχανικοῖς τάπησιν εἶναι ἰδεῖν Αἴλιος Διονύσιος, ἀμφιτάπητας φησὶ τοὺς μὴ ἑτερομάλλους, ἀλλ' ἐξ ἑκατέρων τῶν μερῶν δασεῖς. καὶ Παυσανίας δὲ λέγει, ὅτι ἀμφιτάπητες, οἱ ἀμφίμαλλοι· οἱ δὲ, ἑτερόμαλλοι τάπητες. Ἑτερόμαλλα autem non tantum τάπητες siue τάπιδες, dicebantur, quod cùm aliunde, tum ex hoc Eustathij loco, colligimus, sed & ψιλαί. Vnde *psilas* vocat Lucillius, vt antè vidimus. Nempe quia ψιλὸς est *nudus*, *pilis* seu *villis carens*. Ψιλὰ autem genere muliebri maluere, quia respexerunt ad δάπις, quod idem ac τάπης, sed genere differt. De *psilla* quod dixi, confirmatur Glossis Philoxeni, in quibus legas: *Tapedus*, τάπης ψιλά. Vbi rectè corrigit Bonav. Vulcanius: *Tapetus*, τάπης, ψιλή. Quin & coniunctim: ψιλοτάπιδες, αἱ χαλάζεσθαι ὑποφορεῖσθαι ψιλαί. Cùm autem non tantùm τάπης aut τάπις dicatur: sed & δάπις (quo Xenophon, Plutarchus, Athenæus, aliique vtuntur:) planè arbitror, dici δάπις quasi δάπεδον, παρὰ τὸ ἐν δαπέδῳ φαίνεσθαι, vt scribit Eustathius ad Il. ω. pag. MDCCCXLVII. ed. Rom. Idem Eustathius ibidem, & ad Iliad. κ, pag. DCCXCV. hac ipsa de caussa, quemadmodum πάτος dicitur ἀπὸ τοῦ πατεῖν, sic τάπης quoque dici ait quasi πάτης ἀπὸ τοῦ πατεῖσθαι. Nempe quia, vt dixi, pauimenta his tori instar sternerentur: quemadmodum Turcæ hodiéque ea sternunt tapetis exterius villosis: eorúmque imitatione Hispani idem agunt tapetibus crassioribus è Turcia aduectis, quæ illi, (vt me Bonav. Vulcanius docuit,) voce ab Arabibus siue Mauris relicta, *alhombras* nominant. Præter hæcce duo est & etymon tertium quartúmque apud Eustathium, ad Il. ν, easpe pag. Nam ait, à θάλπω esse θάλπης, &, omissâ liquidâ, ac substitutâ tenui pro adspiratâ, τάπης. Vel, τάπης dici pro ταφὴς, à ταφῶν, ὃ ἐστιν ἐκπλαγεὶς, quia ὁ τάπης τοῖς ὁρῶσιν ἐκπλήττει. Addo & quintum, ex Becmano, qui deducit à טפח, id est, *extendit*, vel, *apertus est*. Item sextum, è Martinio; vt sit à דף *daph*, id est, *asser*, *tabula*, cuius vsum interdum præstat. Porrò Latini non tantum *tapes* dicunt, sed etiam *tapetum*, vel *tapete*, vt ad VII. Æn. monet Seruius. Primo vsus Maro, Æn. IX. cùm ait, *pulcrosque tapetas*. Similiterque Statius, I Theb. *altosque inferre tapetas*. Ineptit Nonius, cùm Maronis loco probat, dici *tapete* in neutro. Nisi forte quædam desunt. Alterum habes, cùm Maro VII. Æn. ait, *pictisque tapetis*. Tertium est in hoc Turpilij & Cæcilij, *glabrum tapete*: & istoc Plauti, Pseudolo, act. I. sc. II.

Ita ego vestra latera loris faciam, vt validè varia sint,
Vt ne peristromata quidem æque picta sint Campanica,
Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.

Vbi *tapetia belluata* vocat, vt Græci ζωωτά, h. est, in quibus ζῷα siue *belluæ* sunt acu pictæ. Nonius *tapete* dici probat eo, quod Varro & Maro *tapetibus* dicant. Sed hoc nõ minùs à *tapes*, quàm *tapete*, esse potest. Plures *tapetũ* appellationes vide in *Aulæum*.

AMPHISBÆNA, ἀμφίσβαινα, serpentis genus, nunc in anteriorem progrediens partem, nunc in posteriorem: vnde & nomen, ab ἀμφὶς, *vtrimque* & βαίνω, *eo*, quasi ἑκατέρωθεν βαίνουσα. Quomodo & Gallis dicitur *Double-marcheur*. Quia autem vtrimque progreditur, eo, qui non satis caput à cauda distinguerent, credidere, vtrimque caput habere, vnum quo loco reliqua animantia, alterum in cauda. Hanc sententiam etiam Plinius sequitur, lib. VIII. cap. XXIII. Item Galenus, lib. de theriaca. Etiam Lucanus, Solinus, Isidorus, qui ait, *currere ex vtroque capite, tractu corporis circulato*. Sed si quis serpens visus biceps, vel triceps, inter monstra haut minus debuit referri, quàm cum homines vel canes bicipites nascuntur.

AMPHITHEATRVM, Ἀμφιθέατρον, ex eo nomen habet, quòd è duobus constaret theatris: adeo vt, cùm theatrum forma esset hemicyclij, ac ante se haberet scenam, quæ ab vno theatri cornu ad alterum porrigebatur: amphitheatrum scena hac (nomine eo proscenium quoq; & postscenium comprehendo) careret, sedilibusque continenter dispositis ambiret in orbem. Dio Cassius, lib. XLIII: Θέατρόν τι κυνηγετικὸν, ὃ καὶ ἀμφιθέατρον, ἐκ τοῦ πέριξ πανταχόθεν ἕδρας ἄνευ σκηνῆς ἔχειν, προσερρήθη. *Theatrum venatorium, quod & Amphitheatrum (eo quòd in orbem vndique sedes, absque scena, habeat) dictum est.* Cassiodorus lib. V. epist. XLII: *Cùm theatrum, quod est hemisphærium, Græcè dicatur, amphiteatrum, quasi in vnum iuncta duo visoria, rectè constat esse nominatum.* Isidorus, lib. XVIII. c. LII: *Amphiteatrum locus est spectaculi, vbi pugnant gladiatores.* Et mox: *Amphiteatrum dictum, quòd ex duobus theatris sit factum. Nam amphiteatrum rotundum est, theatrum verò ex medio amphitheatro est, semicirculi figuram habens.* Non tamen, quod Isidorus dicere videtur, amphitheatrum planè circuli habuit figuram, sed oui: quemadmodum scribit Cassiodorus, loco ante dicto: sed in Parisiensi, anni CIↃ IↃLXXIX, vitiosè scriptum: *Qui speciem eius arena concludens*. Pro, *oui speciem*. Respexit huc Calp. in Ecl. de venatione Carini:

Et geminis medium se molibus alligat ouum.

Nam vult duas moles, hoc est, duo theatra, in oui speciem coniungi. Nec figurâ tantum, sed & vsu theatrum & amphitheatrum differebant. Nam in theatro ludi scenici, in amphitheatro gladiatorij fiebant, ac circenses. Itaque illud Veneri, hoc Marti sacrum fuit. Cetera si voles, adi Lipsij de amphitheatro commentarium.

AMPHORA, à Græco ἀμφορεὺς, quod κατὰ συγκοπὴν factum ex ἀμφιφορεὺς, quo Homerus vsus aliquoties: hoc conflatum ex ἀμφὶ & φέρω, nempe quòd hoc vasis genus vtrimque ansas haberet, quibus ferretur. Hesychius: Ἀμφιφορεῦσιν, ἀγγεῖα τὰ ἑκατέρωθεν ὦτα ἔχοντα. Idem tradidit Athenæus lib. XI. item Eustathius ad Il. ψ, pag. CIↃCCLXXXIX. & Od. β. p. MDCCCCXLV. Fuit & amphora liquidorum aridorumque mensura, capiens vrnas duas. Columella, lib. XII. cap. XX: *Quadrantem medicaminis in binas amphoras miscere solitus sum, ita vt quatuor vrnarum esset musti modus.* Festus: *Quadrantal vocabant antiqui, quam Græci amphoram dicunt, quod vas pedis quadrati octo & quadraginta capit sextarios.* Iulius Africanus, in fragmento περὶ μέτρων: Ὁ δὲ οἴνου ἀμφορεὺς, ὃν καὶ μετρητὴν λέγουσι πολλοὶ, ἡμιαμφόρια μὲν ἔχει δύο, ἃ κάδους ὀνόματι κοινῷ, οἱ δὲ Ῥωμαῖοι οὔρνας· ὥστε τὸν ἀμφορέα εἶναι ξεστῶν μη'. *Amphora vini, quam & metretam multi vocant, continet semiamphoras duas, quas cados communi nomine appellant, Romani vero vrnas dicunt: ita vt amphora sit sextariorum* XLVIII. Volusius Metianus: *Nam quadrantal, quod nunc plerique amphoram vocant, habet vrnas duas, modios tres, semodios sex, congios octo, &c.* Sed hæc capienda de amphora Romana. Nam Attica trium vrnarum fuit. Hinc Fannius:

Attica præterea discenda est amphora nobis,
Seu cadus: hanc facies nostra si adieceris vrnam.

Caue iis credas, quæ de amphora, ceterisque mensuris scripsit doctissimus Politianus, epist. vlt. lib. X. Nam ea erroribus scatet, planéque indigna est Politiano: quod si à nobis dici mireris, lege quæ hac de re scripsit Budæus initio lib. V. de asse.

AMPLVM, vt M. Victorinus scribit, dicitur, quod latè patet, & per multa diffunditur. Sipontinus putat, *amplus* esse ex *am* & *plus*, vt *amplum* propriè dicatur, quasi *ex omni parte plus*. Sed aliis videtur propriè dici de *maris* spatio, vt sit ex ἀνάπλοος, siue ἀνάπλους, quod ab ἀναπλέω, *nauis in altum prouehor, à portu soluo*. Nempe vt ab ἀναβάλλω est ἀμβάλλω, ab ἀναβαίνω ἀμβαίνω, ac ἀμβωμοῖς dicitur pro ἀνὰ βωμοῖς· sic ab ἀνάπλους erit ἄμπλους, vnde *amplus*. Sed nihil opus à *mari* arcessere originem. Simplicius dixeris, *amplus* esse ex ἀνάπλεος, quod Atticè ἀνάπλεως, hoc est, *plenus*, *refertus*. Ab *amplus* est *ampliare*, verbum forense. Sosipater Charisius cap. de Aduerbio: *Amplius adeo prolixum temporis spatium significat, vt iudices, quotiescumque significarent, adhuc se audire velle, AMPLIVS dicebant. Itaque negotium differebant: vnde hodieque, AMPLIARE IVDICIVM, differri dicitur.*

AMPVLLA, qui ex ἀναβολὰ, siue Tarentino ἀμβόλα factum putant, vellem sententiam suam rationis alicuius pondere firmassent. Nunnesio, in Grammatistice, placet, esse à πομφόλυξ, quomodo bulla vocatur, & quicquid bullæ simile, vt ὀμφαλὸς siue *vmbo* in clypeo. O abire ait in *a*, quomodo & à πείρω deducit *paro*, à λόγχῃ *lancea*, &c. Videri etiam possit ex eo nomen accepisse, quòd esset *ampla*. Erat enim vas ventricosum, vt appellat vetus Horatii interpres. Hinc *verba ampullosa*, ac tumentia, κατὰ μεταφορὰν ab Horatio, in Arte, *ampullæ* dicuntur: *Proiicit ampullas, & sesquipedalia verba*. Neq; enim, quòd vulgò sentiunt, ampullæ hic sunt verba dithyrambica, & magnitudine ampullas æquantia (nã hæc mox vocat sesquipedalia), sed turgida tumentiaque: vt ampullæ sint διθυραμβικὰ, sesquipedalia λέξεις: quemadmodum eruditè Yvo Villiomarus notat, animaduersionibus in Titij lib. II. cap. IX. Atque hoc quoque confirmat verbum *ampullari*. Nam id non ad verborum magnitu-

gnitudinem, sed dictionis ac compositionis grandiloquentiam pertinere, clare indicant verba Horatij lib. I. ep. III.

An Tragica desaeuit & ampullatur in arte?

AMVLETVM videri possit dictum ab ἀμύνω, id est, *propulso*, *auxilior*: vel ab ἅμμα, *vinculum*, quia alligatur: vnde & Græcis vocatur περίαμμα: sed omnino est ab *amoliendo* dictum, ideóque per *o* rectiùs scribitur in secundâ. Gloss. Philoxeni: *Amolimentum*, φυλακτήριον.

AMVRCA, vt quidem Isidorus ait, lib. XVI. Originum cap. VII. *ab emergendo dicta, quod ab oleo mergat, & fex eius sit.* At fex post oleum desidit, quum amurca sordes sint, quæ ante oleum emergunt. & id præcedunt. Omnino est a Græco ἀμόργη. Nam, quod, Græcos a Latinis eam accepisse vocem, Isidorus ait, ipsius est error. Gloss. Philoxeni: *Amurca*, ἀμόργη· τοῦ δὲ τρὺξ ἐλαίου. Polluci quoque, lib. I. cap. 12. τρὺξ vocatur: Τρὺξ, inquit, ἐπὶ μὲν οἴνου μόνου, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ ἐλαίου. Diosc. lib. I. c. CXXXV. Ἀμόργη ὑπόστασμα ἐστιν ἐλαίας τῆς συνθλιβομένης, *expressa oliuæ recrementum*. Similitérque interpretatur Erotianus, Lexico in Hippocratem. Ἀμόργη verò dicta παρὰ τὸ ἀμέργειν, *terendo premendoque*. Amurcæ vtilitatem docet Varro, lib. I. c. LV. de re rust.

AMVSSIS, ex quorumdam sententiâ, vt Festus ait, fit ex *a* negatiuo, vt in *amens*, & verbo *mutire*, id est, loqui; vt *amussim* sit *non tacite*. Perottus deriuat ab *æmulor*, quia est norma, quam æmulamur, hoc est, imitamur. Franciscus de S. Quercu ab *am*, & *æquus*; quasi *vtrimque æqua*. Melius Martinius, ab *am*, & antiquo *assis*, pro *asser*, quia adhibetur ad tabulas dirigendas: vel a Græco ἅμμα, id est, *nexus*, quia nectitur & suspenditur, ad explorandum, quid rectum quid curuum. vnde & *perpendiculum* vocatur. Festus: *amussim, regulariter, tractum à regula, ad quam aliquid exaquatur, qua amussis dicitur.* Nonius Marcellus: *Est amussis regula fabrorum, quam architecti, cum opus probant, rubrica illinunt.* Ibidem citat hæc verba Varronis ex eius secundo, siue, vt in veteri Veneta legitur, ex tertio Quæstionum Plautinarum: *Amussis est æquamentum læuigatum, & est apud fabros tabula quædam, quâ vtuntur ad saxa coæquanda.* Etiam ex Sisenna hæc adducit Charisius, cap. de Aduerbiis: *Examussim, pro, examinato. Amussis enim est tabula rubricata, quæ demittitur, examinandi operis gratiâ, an opus surgat.* Inque Glossis Isidori est: *Amussis, regula, fabrica, quâ tabula dirigun-tur.* Ab *amussi* est *adamussim*, & *examussim*. Posterius hoc crebrum est Plauto. Ac Carrio, lib. I. Antiquarum Lect. cap. XIX. eandem vocem Gellio ait restitui debere lib. I. Noct. Att. c. IV. vbi in vulgatis legi solet, *adamussim*. In quo Carrioni assentio, quia ita in MSS[tis] inuenit. Ceteroquin *adamussim* furcillari non oportet. Nam ita locutus Varro, περὶ παιδονόμου, vt idem Nonius testatur. Item lib. I. de re rust. cap. I. & Macrobius lib. I. Satur. cap. IV. Ab *amussis* legas *amussium*, apud Vitruuium lib. I. cap. VI. siue, iuxta edit. alias, cap. 2. *Amusium*, simplici *s*, pro eo legas in Florentinâ anni CIↃ IↃXXII. *Sed amussium*, geminato sibilo, habet Florentina anni M. CCCCXCVI. Similiter apud eum reperias *opus amussiatum*: quod Plauto, Mil. act. III. sc. I. vocatur *amussitatum*. Citat Nonius ex Plauti Milite: *Inest in hoc amussitata sua sibi ingenua indoles.* Atque addit, id est, *examinata*. Vbi pro *amussitata* (quod etiam est in Aldinâ) legendum *amussiata*: prout habet Veneta à Philippo de Pinzis excusa ann. CIↃ CCCCXCVI. Minime vero audiendus Hadr. Iunius, in Nomenclatore; vbi, cum amusium Vitruuio dixisset esse tympanum circinatum; Plinio autem tabulam ex quâ ad libellam collocatâ cognoscitur vnde spirent venti: adiungit, fortasse ex eo nomen esse, quia ἄμουσοι, hoc est, imperitis hominibus eo consulatur in ventorum exploratione. Nam, vt diximus, omnino ex eo nomen est, quoniam ad libellam amussimve exigeretur.

AMYGDALA, ἀμυγδάλη, iuxta Etymologici magni auctorem ex eo nomen habet, quia in osseo putamine, quod vindicat externo proximum est, habet multas strias, siue sulcatas lineas, quas Græci ἀμυχὰς vocant, ab ἀμύσσω, quod est, *rado*, *carpo*, *vellico*, *lancino*.

AMYLVM, vt Plinius lib. XVIII. cap. VII. ait, *inde est appellatum, quod sine molâ fiat*. Nempe ab *a* στερητικῷ & μύλη, quæ est *mola*. Caper, de Verbis dubiis: *Amolum, non amylum, quod non molatur.* Ac similiter Isidorus, lib. XX. Originum cap. II. Falli vtrumque ex iis liquet, quæ iam diximus. Modum conficiendi eius docet Plinius ibidem, vti & Cato de R. R. c. LXXXVII. Inter placentarum genera reponitur ab Athenæo lib. IV.

AMYSTIDEM, ἀμυστὶ siue ἄμυστιν, dixere potationem, qua sine respiratione & vno quasi spiritu poculum ebibebant, ab *a* στερητικῷ & μύω, quod est, *os & labra claudo*: quia haustum, & labris non clausis, bibebatur. Aristophanis Scholiastes in Acarnan. Ἄμυστιν ἔλεγον ἔκποσιν, ὃ παρὰ τὸ ἀπνευστὶ πίνειν, ὃ παρὰ τὸ μὴ μύειν. Ἐκ δὲ ἑνὸς πνεύματος. Similia apud Eustathium legas. Eo autem, quo dicebam, modo Thraces bibere solent. Vnde Pollux, lib. VI. cap. III. Ἄμυστι πίνειν, καὶ ἀμυστίζειν, χανδὸν πίνειν, Θρᾳκία πρόποσις. Σκυθικῶς τὸ πίνειν. Hinc ἐπισκυθίζειν, pro *ingurgitare se vino*. Et Callimachus, apud Athenæum, lib. X. pag. 442. edit. Comm. & lib. XI. p. 477. & Macrobium, lib. V. cap. XXI. ἄμυστιν vocat: Θρηΐκιον ac similiter dixit Horatius, lib. I. od. XXXVII. *Bassum Threicia vincat amystide.*

AN

ANAGLYPTA, Ἀνάγλυπτα, *vasa figuris extantibus excisa*: quæ & ἀνάγλυφα ab ἀναγλύφω, *in asperitatem excido*. Plinius lib. XXXIII. cap. XI. *Vasa ex argento, nunc anaglypta, atque asperitatemque exciss, circa linearum picturas quærimus.* Circa hæc versabatur pars quædam artis toreutices: vti altera circa emblemata, siue sigilla, quæ vasis illigabantur: alia circa crustas cælatas, vnde dicti *crustarij*. Γλύφω ab Hebræo גלף, quod idem ac γλύφω.

ANALECTA, Martiali creduntur esse quisquiliæ cibi sub mensâ. Græcè ἀνάλεκτα, q. dicas, *collectanea*, ab ἀναλέγω, id est, *colligo*: quia per mediastinos colligerentur, dum triclinium purgant, siue scopis verrendo, siue spongiâ extergendo, quod imprimis fiebat, si pauimenta essent maioris pretij. Saltem constat, hoc qui facerent, ab eâ causâ dictos *analectas*. L. quæsitum. §. item spongiæ. ff. de fund. instr. Vide I. Gruterum ad illud Senecæ ep. XXVII. *Vt Grammaticos haberet analectas* &c. Et sanè nihil prohibet, quo minùs similiter accipiamus apud Martialem: nempe vt *analecta*, non τὰ ἀνάλεκτα, sed ὁ ἀναλέκτης dicatur: quæ P. Scriuerij sententia est. Locus Martialis est lib. VII. ep. XX.

Colligere longâ turpe nec putat dextrâ,
Analecta quicquid, & canes reliquerunt.

Quem versum aliter vulgò distinguunt, vt *analecta* cum *colligere* cohæreat. Alter versus est in Apophoretis carm. LXXX.

Otia sed scopis nunc analecta dabit.

Sic optimè legit idem Scriuerius: vbi vulgati, *dabunt*.

ANAS, vt Varro, IV. de L. L. scribit, nomen habet à *nando*. Quâ ratione Græcis νῆσσα seu νῆττα dicitur à νήχεσθαι. Vnde & νῆσος, *insula*, quia mari velut innatat. Angelo tamen Caninio, & Petro Nunnesio, magis verisimile fit, *anas* κατὰ μετάθεσιν fieri ex νῆσσα: similiáque esse ἅλς *salina*, σφάκελος *fascis*, ψῆφος *calculus*, φλέγω *fulgeo*, &c. Hinc *anatarius*, νησσοφόνος, vt exponunt Glossæ veteres, & *anataria aquila*, quæ anates occidit, νησσοφόνος. Porro *anas* alteram quoque significationem habet. Nam & *anas* dicitur vetularum ætas, ita morbus. Sed tunc venit ab *anus*, estque contractum ex *anitas*. Vide *Anus*.

ANATHEMA priori porrectâ aliud fuerit, quam *anathema* priori correptâ. Ἀνάθημα significat donarium numini dicatum, inque templo suspensum. Nempe est ab ἀνατιθέναι, quod significat *dedicare*, *consecrare*. Pollux: Ἀναθήματα ποιεῖσθαι, ἀνατιθέναι εἰς τὸν ναόν. Habet ἀνὰ hic eam vim, quam habet in ἀναβαίνειν. Vt hoc notat, *sursum iacere*, ita ἀνατιθέναι est *ponere in sublimi*. Itaque ἀναθήματα sunt coronæ, phialæ, acerræ, & alia, quæ Pollux enumerat. Nec vnquam ea vox in malam partem sumitur. At ἀνάθεμα est ab ἀνατιθέναι, significante, *remouere*, *separare*. Quomodo dicimus, ψῆφον ἀναθεῖναι, *dimouere ac reducere calculum*. Vbi ἀνὰ sumitur vt in ἀνακαλεῖν, *reuocare*. Itaque ἀνάθεμα est ἀφωρισμένον, *separatum*. Vt quæ à communi vsu segregantur ac sacrantur Deo. Vnde Photius apud Oecumenium, ἀνάθεμα εἶναι, interpretatur, χωρίζεσθαι καὶ ἀλλότριον γίνεσθαι, *separari & alienum reddi*. Expositionem hanc imprimis firmat, quod Apostolus dicat, ἀνάθεμα ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ. q. dicat, *separatum quid à Christo*. Itaque ἀνάθεμα propriè iis dicit Ecclesia, quos à communione & coniectu fidelium seiungit. Vide, quæ pro hac sententia scribit Chrysostomus.

ANCEPS, prius fuit *ancapis*. Dubium autem, num dicatur à *caput*, an *capiendo*. Posterius magis probat Festus: *Anceps*, inquit, *videtur significare id, quod ex vtraque parte caput habeat, vt securis, bipennis. Sed magis à capiendo, quod ex vtraque parte æquè capiatur, appellatum est.* At priorem sententiam secutus Priscianus, cuius verba mox ponam. Similiter *praceps* prius fuit *pracapis*. De quo itidem ambigunt, sitne à *caput*; vt propriè sic dicatur quod in caput ruit, atque inde ad alia transferatur: an potius sit à *capiendo*, vt *praceps* propriè sit, qui prius capit locum, consilium, aliudve, pro naturâ rei, de qua sermo. *Princeps* item, prius fuit *primicapis*: quod si à *capite* venit, princeps dicetur, quasi primum caput; sin à *capiendo*, princeps vocabitur, quia prius cepit. Et pro posteriori etymo est, quod similiter *deinceps*, Festo teste, dicatur, quia dein capiatur: vt cum Appuleius ait, tertio Flor. *deincipe die*; & alibi, *deincipem sermonem*. Petrus Colvius pro *deincipe die* mauult *deincipiti*. Sed vt à *primò*, & *capio*, est *princeps*, sic à *dein*, & *capio*, est *deinceps*. Verius puto, vt *princeps* facit *principe*, sic *deinceps* facere *deincipe*. Sanè veterum ea Grammaticorum opinio est, quæ à *capiendo* veniunt, non augeri in obliquis. Locum id habet in *forceps*: sine prius *formicapis* fuit, atque ita dictum, quod capiat forma, hoc est, calida: quod Seruius scripsit ad VIII Æn. siue, quod longe verisimilius videtur,

tur,prius fuit *ferricapis*,ac de fabrorum forcipibus propriè dicatur, quia ferrum caperet. Quo de etymo plura diximus in *forceps*. Eam autem,quam dixi, veterum fuisse Grammaticorum opinionem,idem fecerint hæc verba Rhemnij Palæmonis: *Quæstio est, si princeps principis, præceps præcipitis, quare non præcipis,quomodo principis dicimus? Sed princeps, quòd primus capiat,dictus est,& venit à capiendo.præceps verò à capitis significatione dicitur, quòd præbeat caput.* Ac similiter Priscianus lib.VII. c. de genitiuo tertiæ declin. *Omnia, quæ à capite composita in ps desinunt, habent duabus syllabis superantem genitiuum,vt anceps ancipitis,biceps bicipitis,centiceps centicipitis: quæ veteres,in es proferentes,secundum regulam declinabant,ancipes ancipitis,bicipes bicipitis, sicut hospes hospitis, sospes sospitis.* Nec tamen hæc Rhemnij ac Prisciani sententia validis adeo rationibus subnixa est,ut nihil contra obloquere possimus.Nam,cur dicere non liceat,ut ab vsitato *iter* est obsoletum *iteris*,& ab inusitato *itiner*,est vsitatum *itineris*:|*iteris* & *itiner* Paccuvium dixisse,docebit Charisius lib.I.|sic ab vsitato *præceps* vel *anceps* esse inusitata *præcipis* & *ancipis*,sed ab inusitato *præcipes* & *ancipes* esse vsitata *præcipitis* & *ancipitis*? Hanc sententiam probatum eo ipsius Prisciani verbis. Sic enim ille extremo lib.VI. *Antiqui ancipes & præcipes & bicipes proferebant in nominatiuo, & sic secundum analogiam sequebatur genitiuum,ancipes ancipitis,vt sospes sospitis.* Plautus in Commorientibus.*Saltam in puteum præcipes.* Idem in Rudente. *Post altrinsecus est securicula ancipes item aurea.* Idem tamen vetustissimi etiam *præcipis* genitiuum, qui à nominatiuo *præceps* est, secundum analogiam nominatiui protulerunt. Liuius in Ione: *Sequi in alta maria præcipem,inops,agra, sanitati,heroïs* Ennius in XVII. Annalium:

Occumbunt multi letum ferroque, lapique,
Aut intra muros, aut extra præcipe casu.

Hactenus Priscianus. Porro *ancipes* & *præcipes*, dici quasi *ancapes* & *præcapes*.eo quoque argumento probatur,quod similiter à *caput* dixere *concapes*. Vt in legg.XII.Tabb.TIGNOM IVNCTOM ÆDIBVS,VINEAQVE CONCAPES,NEI SOLVITO. Ita rectè legit Scaliger; vt *Concapes* tignum dicatur,quia caput habeat cum capite vineæ commissum. At haut ἄλογως Simo Bosius ad epist. 10. lib.I. ad Att. *Tignum iunctum ædibus, vineæque, è compage ne soluito.* Nam nulla est compago tigni eius quod vineæ iungitur. Quædam etiam de vocabulis in *ceps* exeuntibus vide in *Caput*.

ANCILIA,quæ Nonius scuta grandia interpretatur,Mureto lib. XIII.Var.Lect. cap.XVII.dici videntur à Græco ἀγκύλ☉, *incuruus*. Est & aliorum quorundam hæc opinio, qui idcirco *ancylia* per y scribunt.Verùm in veteri Antonini Pij nummo, vbi tria scuta,ouali prope figurâ,conspicere est ANCILIA adscriptum. Eodémque modo in antiquis codd. mss. inueniri, auctor est Pierius ad VIII.Æneid.Verius etymon apponit Varro lib.VI.de L.L.*Ancilia* inquit,*dicta ab ancisu,quod ea arma ab vtráque parte,vt pelta Thracum incisa*.De iisdem sic Festus: *Mamurius Veturij nomen frequenter in cantibus Romani frequentabant hác de caussâ. Numa Pompilio regnante,è cælo cecidisse fertur ancile, id est, scutum breue; quod ideo sic est appellatum, quia ex vtroque latere erat recisum, vt summum, infimumque eius,latius medio pateret,vnáque edita vox,Omnium potentissimam fore ciuitatem, quamdiu id in ea mansisset. Itaque facta sunt eiusdem generis plura, quibus id misceretur ne internosci caleste posset. Probatum opus est Mamurij Veturij, qui præmij loco petiit, vt suum nomen inter carmina Salij canerent.* Hactenus Festus. Eadem ferè legas apud Servium, ad illud VII. Æn.

——Læuáque ancile gerebat.

Et ad istud VIII. Æn.

Lanigeró'que apices, & lapsa ancilia cælo.

Sed alterum quoque ibidem etymon adjicit. *Ancile*, inquit, *dicitur,aut quasi vndique circumcisum, aut quasi ἀμφίχειλον, id est,vndique labrum habens.* Prius etymon secutus quoque Ouidius III. Fast.

Atque ancile vocat,quòd ab omni parte recisum est;
Quémque notes oculis, angulus omnis abest.

Idem eopse Ouidij loco tuetur Isidorus lib. XVIII. cap.XII. Inuenio & quartum etymon,sed ineptum.Nam volunt nonnulli, esse ab ἄκ☉, *remedium*, quoniam pestilentiæ esset remedium. De ancilibus quædam Turnebus lib.V.Adv.c.I.Sed veriùs de iis Iustus Lips.l.V.Antiq.lect.c.XVI.vbi docet,quotannis,mense puta Martio,ancilia moueri,certóque die condi solita; dúmque mouebantur, religionem fuisse Romanis vel bellum adire, vel iter ingredi. Quemadmodum neque coniugium eo tempore felicitet adiri putabant. Vnde Ouidius, tertio Fast.

Arma mouent pugnam: pugna est aliena maritis;
Condita cum fuerint, aptius omen erit.

ANCILLA nomen qui ex *an* & *cella* conflatum putant,vix merentur,vt eorum ratio habeatur.Melius de eo Festus,qui geminum etymon ponit his verbis: *Ancilla dicta ab Anco Martio.quod is bello magnum feminarum numerum ceperit. Sine ideo sic appellantur,quòd antiqui anculare dicebant,pro ministrare. Ex quo dij quoque ac deæ feruntur coli,quibus nomina sunt Anculi & Anculæ.* Hæc Festus. Sed extra controuersiam poni debet,*ancilla* esse ὑποκοριστικὸν ab *ancula*, quod illud de Diis Anculis liquidò probat. Erant enim hi Deorum quasi ministri.Quippe sic,meo quidem iudicio,dicti non ab *am* & *colo*, quasi *amcoli*, quia in circuitu colebantur: verùm potiùs ab *anculare*,hoc est, *ministrare*.Pro *anculare* per syncopen dixere *anclare*: vnde *anclabris,anclabria,anclator*.Festus: *Anclabris, mensa ministerius diuinis apta. Vasa quoque ænea, quibus sacerdotes vtuntur,anclabria dicuntur.* Gloss.vett. Philoxeni: *Anclator*, ὑπηρέτης. Vbi,*anclator* legendum, omnes vident. *Anculare*, siue *anclare*, etiam interpretantur *haurire*. Festus: *Anclare,haurire*. Liuius: *Florem anculabant Liberi ex carchesio*. Sic legit Scaliger,vt sit trimeter. Glossæ Philoxeni: *Anclem*, ἀντλεῖν. Vbi Scaliger emendabat, *anclat*. Ego, & apud Festum,& in Liuij versu, & in Glossis, *anclare* per *e* scribendum puto. Huius rei caussam adferam in verbo, *Exanclare*. *Anculare* verbum vnde sit, mirificè docere conatus Iouianus Pontanus,in Actio **,fol.132.edit.Ald.*Cum*,inquit,*tempestate eâ hominum vita esset agrestior, magnaq; daretur laudi fruges ipsas post annum obseruasse, vnde perannare factum esset, formatum primò verbum exannicolo, donec ex eo subductum fuit exanclo,quod verbum relatum esset ad labores,ad pericula, ad difficultates. Quid enim difficilius,quàm vina,triticum, poma,in alium atque alium annum illæsa perducere,et atque ita addere,quibus à naturâ vix aliqua esset data:* Hæc Pontanus. Quorum mens,ab *anno* esse *anniculo*,hinc per syncopen *anculo*.Muretus lib.XIII.Var.Lect.c.XVII.ait,*anculo* esse ab ἀγκύλ☉, *curuus*:indéque & *angulum* dici,& *ancile*.Sed cùm Græci curuaturam brachij, itémque manûs, ἀγκάλην nominent, ac ἀγκύλη iisdem sit ἡ καμπὴ τοῦ ἀγκῶν☉, *cubiti incuruatio*. item τὸ ἐντὸς τοῦ ἀγκῶν☉, *pars cubiti interior*, (vtraque interpretatio Hesychij est;) fortasse hinc rectiùs *anculare* deduxeris; quandoquidem cubito,seu brachio,siue manu imprimis, vtimur in ministeriis ac operibus peragendis. Ita ab ἀγκὼν,siue ἀγκύλη,erit *anculus*, quâ ratione a *manu* est *amanuensis*. Atque hoc etymon quoque placuit Hermolao Barbaro,& eum, vt agnoscit ipse, secuto Cæsari Scaligero, Animaduersiin LL. Theophrasti Historiæ cap.XXI. Video,& placuisse Becmano. Ac fauet quòd similiter,à *manu*,*minister* à *pedibus*,*pedisequus*. Vel potiùs *anculo* dicetur pro *ancuno*,vel *ancono*,ab ἄγκον☉, quod *ministrum* notat.Hesychius: ἄγκονος, διάκονος δοῦλος. Estque ἄγκον☉ sine dubio eiusdem originis ac διάκον☉ de quo suo loco. Ab *anclare* est *exanclare*: sed de hoc separatim dicturi sumus.

ANCORA, ἄγκυρα. Quod esse volunt ab ἀγκύλ☉, *incuruus*. Mihi fit magis verisimile, ab ὄγκος,quod *vncum* siue *hamum* signat,venire tum ἀγκύλ☉, tum ἄγκυρα, tum ὄγκιν☉, tum etiam Latinum *uncus*.

ANCVS, ἀπὸ τοῦ ἀγκῶν☉, id est,*cubito*. Quippe ita,vt inquit Festus,*appellatur, qui aduncum brachium habet,vt exporrigi non possit*. Et vett. Gloss. *Ancus, mancus*, κυλλὸς, λεῖος. Ab hoc vitio nomen accepit quartus Romanorum rex.Seruius in VI. Æn. *Ancus*, ἀπὸ τοῦ ἀγκῶν☉, *id est,à cubito, quem incuruum habuisse dicitur*. Similiter Zonaras T. II. Annalium: Ἀγκὼν propriè est flexus siue curuatura brachij: vnde & Ancon,vel Ancona, dicta Piceni vrbs in Italiâ. Quò respiciens Plinius lib.III. *In ipso, inquit, flectentis se oræ cubito sita*.

ANDABATÆ,ex Erasmi sententiâ, est à Græco ἀναβάτας, conuerso *e* in *d*. Sic autem dici putat,quòd hostem inuadentem sustinerent, quomodo ianuæ repagulum inuadentibus obsistit; ab ἀντὶ,*contra*,& βαίνω, *vado*. Sed cùm andabatæ dicti sint,qui ex equis frontem oculósque tecti pugnarent,non dubium, quin ea vox sit à Græco ἀναβάτης, *d*,vt in aliis multis, inserto.Nam ἀναβάτης etsi naturâ generatim *adscensorem* notat,peculiariter tamen Xenophonti,& aliis,eum significat,qui equum conscendit. Scripsit Varro librum,qui nomen *Andabata*. In eo de hominum cæcitate & erroribus disserebat. Exinde hoc fragmentum citat Nonius in *Præstinguere*: *Aurum non minùs præstinguit oculos,quàm τὸ οὖ κρύο☉*. Sic corrigit Lipsius,vt sententia sit; non minus aurum homines excæcat,quàm tua hæc galea,quâ oculos tegeris, dum pugnas. Vide plura de Andabatis apud Erasmum in Chiliadibus in *Andabata*; Turnebum in Aduersariis, lib.XIX. cap.VIII. Lipsium in Saturnalibus, lib.II. cap.XII.

ANDROSACES, Ἀνδρόσακες, est herba,quæ sic dicitur, quasi ἀνδρὸς ἄκ☉, quòd *hominis remedium* afferat. De ea sic Dioscorides(vt quidem is locus in quibusdam codd.legitur) lib.III. cap.CL.

cap.CL. (al. CXXXIII.) *Ἀνδρόσακες γεννᾶται ἐν Συρίᾳ ἐν παραθαλασσίοις τόποις· πόα δ' ἐστὶ λευκή, λεπτόκαυλος, πικρά, ἄφυλλος, θυλάκια ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχουσα περιέχοντα σπέρματα. Androsaces nascitur in Syria in maritimis locis. Est autem herba alba, tenuioribus virgultis, amara, absque foliis, folliculos in capite habens, quibus semen continetur.* Eadem legas apud Plinium lib. XXVII. cap. IV. Apud vtrumque verò eius quoque vires inuenias. Est & herba *androsæmon*, *ἀνδρόσαιμον*, de quâ ibidem Plinius, & Dioscorides lib. III. cap. CLV. siue, aliis, CLXII. Vterque hanc nominis caussam adfert, quod eius flores, si digitis atterantur, succum emittant sanguini humano similem. Nam *ἀνδρὸς αἷμα*, *sanguis hominis*. Ab eadem *ἀνδρὸς* voce est proprium *Andreas*, *Ἀνδρέας*, quod, cum per ε scribatur, vt videre est apud Euangelistas, male vulgò pronunciatur penultimâ porrectâ. Germanis sit *Carolus*, seu *Karolomannus*, *Keri*, seu *Karel*. Quippe *Karel* conflatur ex *kar*, seu *gar*, id est, *plane*, *omnino*, & *wel*, *vegetus*, *strenuus*, *acer*. Equidem veriorem longè hanc coniecturam nostram puto, quam eorum qui dici volunt ab Hebræo קרא, *inuocauit*, & אל, *Deus*. Nam Germanicæ vocis origo, vnde melius quam è linguâ Germanicâ petatur? *Carel* autem, seu *Karl* (vnde *Karlman*,) priscâ Germanorum linguâ robustum ac fortem significare, agnoscit quoque Cæsar Scaliger, Exerc. CCLXVI.

ANDRVARE. Festus interpretatur *recurrere*, vultque esse ab *ἀναδρᾶν*, id est, *iterum facere*. Sed quod complures monuere, & MS^ti codicis auctoritate firmatur, legendum *ἀνδραμεῖν*, siue *ἀναδραμεῖν*, quod est, *recurrere*. Imo similiter in Glossis Philoxeni, in quibus scriptum, *andruare*, *ἀνδρείζεται*, pro *ἀνδρείζεσθαι* videtur *ἀναδραμεῖν* vel *ἀνδραμεῖν* legi debere. Fatendum tamen, has emendationes parum esse certas. Quippe fieri potest, vt Glossographus *andruare* ἀπὸ τῆς ἀνδρείας deduxerit; ac proinde putarit, *andruare* idem esse, quod *masculè agere* Quodque ad Festi locum attinet, cùm apud eum legatur, inde *truam* dici, valde verisimilis est Scaligeri coniectura, Græcam vocem ab alio esse adiectam, Festum verò in hunc modum scripsisse: *Andruare est recurrere, à verbo truare, id est, mouere.* Vide quæ de vocibus *trua*, *truare*, *amtruare*, & *redamtruare*, dicimus voce *Trua*.

ANEMONE, *ἀνεμώνη*, ab *ἄνεμος*, *ventus*. Caussam adfert Plinius lib. XXI. cap. XXIII. *Flos nunquam se aperit, nisi vento spirante: vnde & nomen accepit.* Ad etymon hoc alludit Ouidius X. Met. fabulâ de Adonide in Anemonem conuerso. His enim fabulam & librum claudit:

——— nec plenâ longior horâ
Facta mora est, cum flos de sanguine concolor ortus;
Qualem, qua lento celant sub cortice granum,
Punica ferre solent: breuis est tamen vsus in illo.
Namque malè hærentem, & nimiâ leuitate caducum
Excutiunt iidem, qui præstant nomina, venti.

In MS^o meo est *qui præstant omnia*: sed rectum est *qui præstant nomina*, prout in aliis quibusdam MSS^tis inuenitur. Sententia est: iidem venti excipiunt, à quibus nomen accipit. At male in vulgatis excusum, *qui perflant omnia*. Porro ex eo Ouidij loco patet, falli illos, qui florem Adonidis censent esse *eranthemum*.

ANETHVM, *ἄνηθον*. De quo sic Etymologus: *Ἄνηθον παρὰ τὸ ἄνω θεῖν, διὰ τὴν ἐν τάχει αὔξησιν. Anethum, ab ἄνω, id est, sursum, & θεῖν currere, quia citò crescat.*

ANGARIARE, non tantum legimus apud vulgatum interpretem Matth. cap. V. XLI. & cap. XXVII. XXXII. & Marc. cap. XV, XXI: verum etiam apud Vlpianum, l. XV, Dig. Tit. de priuilegio veteranorum: *Naues eorum angariari posse, Ælio Firmio, & Antonino Claro, veteranis, rescriptum est.* Est à Græco *ἀγγαρεύειν*, hoc ab *ἄγγαρος*, quomodo Persicorum regum nuncij vocantur, vt scribit Suidas, & Hesychius confirmat, qui sic apud Persas appellari ait eos, qui regias epistolas alter alteri succedendo ferunt. Galli nominant *postas*, quod *positas* habeant equorum stationes. Quia verò hi regij Persarum nuncij ius habebant, cuiusvis equos, aut naues, atq; adeo homines ipsos rapiendi ad cursum, vti hodie apud Turcas: inde factum, vt *ἀγγαρεύειν*, siue *angariare*, capiatur pro *cogere*: vti ex Euangelistarum locis, & Vlpiani, cognoscimus. Similitérq; *ἀγγαρείας*, Suidâ teste, dixerunt coactam seruitutem, siue ministerium quod quis coactus obit. Cùm autem, seu sonum & corpus vocum, seu formam ac significationē earum spectes, summa sit inter *ἄγγελος* & *ἄγγαρος* similitudo: planè vnam ab altera originem capere, verisimile est. Sane *ἄγγελος* Græcis *nuncius*: at Persis κατ' ἐξοχὴν *ἄγγαρος* est *regis nuncius*. Λ autem in Ρ, & vicissim Ρ in Λ, sæpe abit. Sic à *βαλιός* est *varius*, à *σίλφη* *stirpe*, & contrà à *λείριον* *lilium*. Suntque trecenta id genus, quæ suis locis proponimus.

ANGELVS, *ἄγγελος*, *nuncius*. Sed Christianis κατ' ἐξοχὴν sic dicuntur spiritus Deo ministrantes. Isidorus lib. VII. cap. V. *Angelorum vocabulum officij nomen est, non naturæ. Semper enim spiritus sunt, sed cum mittuntur, vocantur angeli. Quorum ideo pictorum licentia pennas facit, vt celerem eorum in cunctis discursum significent: sicut & iuxta fabulas poetarum, venti pennas habere dicuntur, propter velocitatem scilicet. Vnde Scriptura sacra dicit, Qui ambulat super pennas ventorum.* Et mox: *Angeli vocantur, propterea quod de cælis ad annunciandum hominibus mittuntur.* *Ἄγγελος* est ab *ἀγγέλω*, *nuncio*: nisi vtrumque, vt planè censeo, à Persis fuerit: quo de in *Angariare* satis diximus. Ab *ἀγγέλω* quoque est *ἀγγελία*, *res nunciata*, vnde *εὐάγγελος*, *bonus nuncius*. Quam varias ea vox habeat notiones, & pueris notum.

ANGERONA, siue *Angeronia*, dubium, an sit ab *angina*, cui præerat, an *angendo*, siue *angoribus*, quibus medebatur. Sed *ἀναλογία* magis fauet posteriori etymo, vt *Angeronia* sit ab *ango*; quomodo à *pello* *Pellonia*, apud Arnobium; à *populor* *Populonia*, apud Augustinum. *Pellonia* enim dicta à pellendis hostibus, *Populonia*, vt videtur, quòd populationes arceret. Similiter igitur *Angeronia*, quòd anginam morbum, vel quòd angores & anxietates pellat. Prius etymon secutus Festus in *Angerona*, & Iulius Modestus apud Macrobium, lib. I. Sat. c. X. Posterius amplexus Verrius Flaccus, & Masurius apud eundem Macrobium ibidem. Sed potiùs *Angerona*, quia angit, & comprimit os. Nam est dea *ἐχεμυθίας*. Ideo in Glossis Philoxeni *Angeronia* dicitur *dea consilij & temporum*, *ὁ θεὸς τῆς βουλῆς καὶ καιρῶν*. Ambigunt aliqui, an non potius legi debeat, *Ageronia*; quæ sic dicta, quod ad agendum excitet: vt docet Augustinus, lib. IV. de Ciuit. Dei, cap. VI. Sed sana est vulgaris lectio. Nam *Angeronia* ideo consiliis præest, quia in iis opus est silentio. Consilia enim non sunt consilia, si ea hostes resciscant. Ideo simulacrum Angeronæ, fuit *ore obligato signatoque*, vt est apud Plinium: similitérque Masurius apud Macrobium: *ore prænexo, obsignatóque*, vt pro eo est apud Solinum. Macrobij quoque est, lib. III. cap. IX. *Angeronam, quæ digito ad os admoto silentium denunciat*. nempe ad indicandam taciturnitatem quâ in arcanis, seu sacris, seu consiliis, opus. Idem quoque clarius liquet, si cum Ios. Scaligero legamus *Angenora* vt sit ab *angendo ore*. Sed rectum est *Angerona*. *Angenora* verò respuunt omnes libri. Masurius, cur ore signato dea hæc effingi soleat, caussam adfert aliam; quam apud Macrobium vide lib. I. Sat. cap. X. Angeronæ festum dictum *Angeronalia*, teste Varrone lib. V. de L. L. & Festo. Fuit illud XII. Kal. Ianuarias, Plinio, Solino, Macrobio, testibus.

ANGINA, præter vulgarem significationem, etiam notat ancoram. Glossæ Philoxeni: *Anguina*, *ἄγκυρα*, *συνάγχη*, *κυνάγχη*. Isidorus tamen *anguinam* siue *anginam* (sic enim apud eum legendum pro *anguina*) funem nauticum interpretatur, quo antenna constringitur. Locus est lib. XIX. c. IV. vbi illud Cinnæ adducit: *Atque angina regit stabilem fortissima cursum.* Quo loco si angina est ancora, non dubium, quin vt ancora, sic angina quoque sit à Græco *ἄγκυρα*. Sin placet, cum Isidoro funem interpretari, quo antenna malo alligatur, *angina* dicta erit, quia angit ac constringit. Quod ad vulgarem anginæ significationem, patet, hanc dici ab *ango*, vt Græcis *συνάγχη* à σὺν & *ἄγχω*. Sic autem vocatur, quòd hominem laquei instar suffocet ac strāgulet: vt rectè scribit Cælius Aurelianus, l. III. *ὀξέων*, c. I. At malè addit idem, fortasse *συνάγχην* dici à *συνέχειν*, *continere*, quòd, spiritum continendo, respirationem neget. Nam omnino ab *ἄγχω* venire, indicat quoque vox *ἀργυράγχη*, quæ lepidè à quodam conficta, cùm Demosthenes, ne diceret contra Milesios, à quibus pecuniam acceperat, se synanchen pati, simularet: quo de Gellius lib. XI. cap. IX. Simili ioco *anguinam vinariam* pati dicitur, qui vino suffocatur. Festus in *Anguina vinaria*. Græcè sit *οἰνάγχη*. *Mentis* quoque *angina* scitè dixit Tertullianus, lib. de anima, cap. XLVIII.

ANGIPORTI de etymo sic Varro, lib. IV. de L. L. *Angiportum & id angustum, ab angendo & portu.* Idem lib. V. *Agitur pecus pastum, qua vix agi potest: hinc angiportum, quia nihil in eo potest agi.* Festus: *Angiportus, iter compendiarium in oppido, eo quòd sit angustus portus, id est, aditus in portum.* Quam *ἐτυμολογίαν* quoque sequitur Hermolaus Barbarus in Glossis Plinianis. Vlpianus, Tit. de verb. signif. *Portus appellatus est locus conclusus, quò importantur merces, & inde exportantur: eáque nihilominus statione conclusa atque munita sunt: inde angiportum dictum est.* Quem ad locum monet Cælius Calcagninus, quanquam Iureconsultus velit *angiportum* dictum, quòd locus sit angustè munitus & conclusus; tamen potiùs dici ab *ango* & *portus* quatenus ea vox antiquis viam significat; vt *angiportus* nihil aliud sit quàm angusta via. Atque hoc etymon simplicissimum videtur. Interim & aliud addemus. Sanè, si veteres *angus* dixere pro compitis in angulum desinentibus; indeque est diminutiuum *angulus*: non dubium, quin ab *angus* quoque & *portus*, dicatur *angiportus*. Vide *Angulus*.

Ango, Perotto teste, quibusdam conflatum videtur ex *an* & *ago*; quia, qui cruciantur, in diuersum agi videntur. Sed rectè ipse deducit ab ἄγχω, χ conuersa in g. Quomodo ab ὄνυξ ὄνυχος est *vnguis*. Ἄγχω notat, *strangulo, suffoco, constringo fauces*: quomodo & veteres Latini *angendi* voce vsi: indéque inflammatio faucium, cum angustiæ sensu, & spirandi difficultate, vt Græcis συνάγχη, ita Latinis *angina* appellatur: item, ἀργυράγχη, *argentangina*. Diomedes, lib. I. *Præfoco, præfocaui, Probus, quasi nouam vocem, miratur. Angit, enim, veteres dicebant. vt Virgilius. Et faucibus angit inhærens*. Glossæ Philoxeni: *Angit*, θλίβει, στενοχωρεῖ, ἄγχει, πνίγει. *Anger*, μέριμνα. *Antli*, ἀγχόμενοι. *Antlos*, ἀγωνιῶντες. Est verò *anctus* ἀγχόμενος. Apud Festum legas: *Antios, excruciatos*. Sed rectum esse *anctos*, prout Scaliger legit, satis ex dictis liquet. Ab ἄγχω est ἄγχουσα, *anchusa*, quod vim habeat adstringendi. Errant, qui sic dici putant à florido radicis colore. Nam ab ἄνθος esset *anthusa*, non *anchusa*. Ab *angendo* est *angor*, vnde *angustus*. Scio, Nunnesium velle, ex στενός, κατὰ μετάθεσιν, fieri *angustus*. Sed ἀναλογία docet, ab *angor* esse *angustus*, vt ab *honor honestus*, ab *onus onustus*, &c. Aiunt aliqui, esse ab *ango angustus*, vt ab *augeo augustus*. Sed *augustus* est ab *augurio*; de quo suo loco. Sæpe autem à librariis *angusti* & *augusti* voces confunduntur. Vt apud Iuuenalem, sat. X.

——— *Tutor haberi*
Principis angustâ Caprearum in rupe sedentis
Cum grege Chaldæo.

Vbi corruptè vulgo *Augusta*. Ab *anxi* est *anxius*. Nisi potiùs dicimus, *anxius*, pro *anctius*, à supino *anctum*.

Anguillam, quia *angui* similis sit, ita vocatam, scribit Varro, IV. de L.L. Nempe non tam substantiæ diminutionem, quàm imitationem signat, vt ait Cæsar Scaliger de caussis L.L. cap. XCV. Sed Caninio magis placet, esse ab ἔγχελυς, vt *anguis* ab ἔχις. Homerum anguillas è piscium numero exclusisse, sentire videtur Rondeletius, lib. I. de Piscibus, cap. XIII. In hanc autem sententiam eum impulere verba illthæc Athenæi, lib. VII. pag. CCXCVII. edit. Commel. Διὸ καὶ Ὅμηρος, τὰς τῶν ἰχθύων φύσεις χωρίζων ταῦτ' εἰπεῖν·

Τείροντ' ἐγχέλυές τε, καὶ ἰχθύες, οἳ κατὰ δίνας.

Quamobrem Homerus, eas ab aliorum piscium naturâ segregans, ait:

Vexantur anguillæ, & pisces, qui circa aquarum vortices.

Sed quid vsitatius, præsertim apud poëtas, quàm vt vocabulo speciali subiiciatur generis appellatio? Quare argumentum istud planè ridiculum est.

Anguis de etymo sic Isidorus, lib. XIV. Orig. cap. IV. *Anguis vocabulum, omnium serpentium genus, quod plicari & contorqueri potest. Et inde anguis, quod angulosus & nunquam sit rectus*. Becmanus putat, *anguis* esse ab *ango*, id est, stringo; quia se mire stringit, & in gyrum vertit. Mihi, vt & Scaligero, maximè placet, esse ab ἔχις, inserto *n*. quomodo ab Hebraico fadin est *sindon*, à κίκιννος *cincinnus*, à λείχω *lingo*, à ῥύγμα *rimina*, à σχίζω *scindo*, &c. De discrimine anguis, serpentis, draconis, sic scribit Seruius, ad illud II. Æn.

——— *immensis orbibus angues*
Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt.

Angues, inquit, *aquarum sunt; serpentes, terrarum, dracones, templorum. vt in hoc loco indicat, Tranquilla per alta Angues.* Paullò pòst: *Serpens amplexus vterque*. Item, *Delubra ad summa dracones. Sed hæc significatio plerumque confunditur.* Hactenus ille. Quod ipsum discrimen iisdem verbis transtulit Isidorus in suum differentiarum libellum: si modo hic eius auctor. Ac discrimen hoc videas à Plinio obseruari: non item à Solino. Ab *anguis* est *anguesco*. Tertull. lib. de Pallio, c. III. *Taceo ceruum, quòd & ipse ætatis suæ arbiter, serpente pastus, veneno anguescit in iuuentutem*. Sic legit Scaliger. In vulgatis est *languescit*.

Angulus, ab *ago*, si Varronem audimus. Cuius hæc verba lib. V. de L. L. *Primum, quòd dicitur ago: (Actio ab agitatu facta.) Hinc dicimus, Agit gestum tragœdus, &, agitantur quadrigæ. Hinc, agitur pecus pastum, quà vix agi potest. Hinc angiportum, quia nihil in eo potest agi. Hinc Angulus, quod in eo locus angustissimus, cuius loci is angulus*. Duo alia etyma ponit Festus: *Angulus*, inquit, *à Græco* ἀγκύλος (corruptè in Aldina editum, γωνία) *siue ab eo quod est* ἐγγύς, *id est, prope: quòd aduncatur, quod ex diuerso coacta faciunt anguli formam.* Quem locum traiectis verbis sic emendo: *Angulus à Græco* ἀγκύλος, *quòd aduncatur. siue ab eo quod est* ἐγγύς, *id est, prope, quòd ex diuerso coacta faciunt anguli formam*. Sententia est, vel venire ab ἀγκύλος, *incuruus*, idque quia omnis angulus aduncatur, hoc est, καμπύλεται, siue *incuruatur*: vel esse ab ἐγγύς, *prope*, quia duo latera approximando ac concurrendo efficiunt angulum. Aut sanè sic legendum, aut pro *aduncatur*, scribendum *adducatur*: prout editum in veteri Aldina. Horum tribus hisce etymis addo & quartum, vt ab *ango* dicatur, *quia angulus omnis angustior est loco, cuius est angulus*, vt bene inquiebat Varro. Adiicio & quintum, vt sit diminutiuum ab antiquo *angus*, quomodo dixisse videntur *compitum* in angulos desinens: vt inde sit vox *angiporti*; item *angustus*; quod ab *angus* erit, quâ ratione ab *arbo* est *arbustum* pro *arbosum*. *Angus* verò fuerit ab ἄγκος, quod de locis depressis ac præruptis dicitur. Vel potiùs ab ἀγκών, quod curuaturam brachij significat. Ex hisce etymis nullum minùs arridet, quàm illud Varronis ab *agendo* deriuantis; aut posterius Festi, quo ait, esse ab ἐγγύς. Quod postremo loco ponebamus, valide placeret, si certioribus indiciis constaret, veteres ea notatione *angus* vsurpasse. Quare vel ab *ango* esse statuimus, vel, quod simplicissimum, & nostro iudicio, omnium verissimum, à Græco ἀγκύλος.

Anima, & *animus*, vt differant, indicat hic locus Accij Epigone apud Nonium: *Sapimus animo: fruimur animâ: sine animo anima est debilis*. Et ille Varronis, Andabatis: *In reliquo corpore ab hoc fonte diffusa est anima. Hinc animus ad intelligentiam tributus*. Quod ad etymon, *anima* est ab *animus*, vt *domina* à *dominus*, *regina* a *rex*. Meritò autem illa feminino, hæc masculino genere appellata, quia animus potior est animæ pars, eámque moderatur ac regit. *Animus* verò est a Græco ἄνεμος, quod dici volunt quasi ἄημος, ab ἄω, siue ἄημι, quod est πνέω. Becmanus deducit ab הנה, quod interpretatur, *spirauit, flatum edidit*. Seu hoc, seu illud etymon sequaris, primâ significatione notabit *ventum*, neque aliter differet ab αὔρα, quàm apud Latinos discrepant *ventus* & *aura*. Auctor libelli de mundo, Aristoteli tributi: Τὰ δ' ἐν ἀέρι πνέοντα πνεύματα, καλοῦμεν ἀνέμους· αὔρας δὲ, τὰς ἐξ ὑγροῦ φερομένας ἐκπνοάς. *Flatus verò, qui in aëre spirant, ventos vocamus; Auras verò, exspirationes ex humore prodeuntes*. Similiter ventus & Græcis πνεῦμα dicitur, à πνέω, & Latinis a *spirando spiritus*, ac vtraque vox animo quoque tributa. Imò & ψυχὴ est à ψύχω, quod Hesychius exponit πνέω, & Hebræis vocatur נפש, quod itidem est à נפש, quod *spirare* notat. Caussam appellationis indicant hæc Tertulliani verba, lib. de anima, cap. III. *Animam ex Dei flatu, non ex materia vindicamus, muniti & illic diuinæ determinationis inobscurabili regulâ; Et flauit*, inquit, *Deus flatum vitæ in faciem hominis, & factus est homo in animam viuam, vtique ex Dei flatu*. Atque hoc de voce Hebræa. Quod ad nationes alias; aut dicendum, eas, voces suas formâsse ad Hebræorum imitationem, aut ab effectu nomen imposuisse, quia, quamdiu viuimus, spiramus. aut, κατὰ μεταφοράν, ἄνεμον seu *spiritum* vocâsse, quod eam ad venti aëriisque naturam proximè accedere putarent. Quod postremum eo minùs in cæcis nationibus mirandum, quando & Tertullianus, antiquus ac grauis scriptor, Carthaginensis Ecclesiæ Presbyter, is quem Cyprianus magistrum suum appellare solet, in spisso adeò errore hæsit, vt animam putaret esse corpoream, & quidem effigiem habere, eámque coloris aërij ac lucidi. Qui his purgandis aut excusandis mantelum quærunt, meliùs tacendo poterant operam collocare. *Animam* pro *vento* accipit Horat.

Impellunt animæ lintea Thraciæ

Pro *halitu* accipit Titinius: *Interea fœtida anima nasum oppugnat*. Et Plautus, Asin. act. V. sc. II. *Dic, amabo, an fœtet anima vxoris tuæ*. A posteriori hac significatione interdum bene maleue *animatus* dicitur, cui anima bene maleve olet. Sic sanè interpretantur quidam illud Varronis; Bimargo: *Aui & ataui nostri, cùm allium ac cæpe eorum verba olerent, tamen optimè animati erant*. Ab *anima* est adjectiuum *animalis*. Vnde *Animales Dij*, qui certis sacris ex animis humanis Dij facti sunt; vt ex Labeone scribit Seruius ad III. Æn. Item *hostiæ animales*, quando sola anima Deo sacratur; vt ex Trebatio tradit Macrobius, lib. III. Sat. c. V. Ab *animale* per ἀποκοπὴν factum *animal*, quomodo *vectigal* & *Mineruai* facta ex *vectigale* & *Mineruale*.

Anisum, ἄνισον, quia ἀνίησι, hoc est, *remittit ac laxat flatulentas tensiones*. Plinius de eo, lib. XX. cap. XVII. *Præcipuum est ad ructus. ideo inflationibus stomachi, & intestinorum torminibus, & cœliacis, medetur*. Etiam *anicetum*, ἀνίκητον, vocatum, ab α στερητικῷ & νικᾶν, quasi à nullo medicamento vincatur, sed cetera exsuperet. Idem Plinius paullò antè: *Appetentiam ciborum præstat, quando id quoque inter artificia deliciæ fecere, ex quo labor desiit cibos poscere. Ob has caussas quidā anicetum id vocauere*.

Annona, quanquam res omnes ad victum pertinentes contineat, propriè tamen notat rem frumentariam, & quidem quantum anno prouenit, vnde & nomen. P. Faber, lib. II. ἀγωνιστικῶν, cap. XVII. censet, vocabulum ex eo ductum esse, quòd hieronicis à ciuitatibus, vnde oriundi erant, annua cibaria obsoniáque persoluerentur. Sed vox ea non est ab sacris certaminibus, sed ab agricolis. Vt enim pomona est pomorum prouentus, quomodo Solinus hanc vocem vsurpat: sic annona est anni

prouentus

proventus. Vnde vt dea est Pomona: sic & Annona. Inscriptio vetus: DIVA ANNONA. At inepte omnino Isidorus, qui lib. XX. cap. II. censet, vt ex *ad* & *nuo* est *annuo*, sic ex *ad* & *nona* esse *annona*, quia nempe Romani horâ nonâ simul cibum caperent: vnde Cic. lib. IX. epist. ad Pætum: *Accubueram horâ nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exaravi*. Et Martialis, lib. IV. epig. VIII: *Imperat exstructos frangere nona toros*. Sane videntur Belgæ ab hac consuetudine retinuisse vocem *noen* & *noenmael*: quomodo *prandium* vocant.

ANNVS, vnde sit, veterum verbis ostendam, Varro lib. V. de L. L. *Tempus à brumâ ad brumam, dum sol redit, vocatur annus: quod, vt parvuli circuli anuli, sic magni dicebantur circites* (al. *circi*) *ani: vnde Annus*. Festus Pompeius: *Annus ex Græco venit, quem illi ἔνον dicunt. & quod nos triennium, illi dicunt τριένον*. Macrobius lib. I. Sat. c. XIV, cùm dixisset, annum lunarem ex lunæ circuitione confici, ac annum brevem appellari, annum verò solarem peragi solis circuitu, ac dici annum magnum, vt apud Maronem, *interea magnum Sol circumvolvitur orbem*: subiicit hæc verba. *Hinc Atteius Capito annum a circuitu temporis putat dictum: quia veteres an pro circum ponere consueverunt, vt Cato in originibus, An terminum*, id est, *circum terminum, & ambire dicitur pro circumire*. Servius ad illud I Æn. *Triginta magnos volvendis mensibus orbes. Annus*, inquit, *dictus, quasi, anus, id est, anulus, quod in se redeat, vt est, Atque in se sua per vestigia volvitur annus. Vel ἀπὸ ἀνανεώσεως, id est, ab innovatione*. Vtrumque hoc è Servio etymon ponit quoque Isidorus lib. V. cap. XXXVI. Posterius etiam legas apud Honorium Augustodunensem, libro de Temporibus, c. VIII. Imò vtrumque posuisse censeo. Sic enim lego: *Annus dicitur ab innovando, sive eo quod in se revolvitur, vt circulus*. In vulgatis omittitur *sive*. Porro Græcum etymon planè ineptum. Meliora duo reliqua etyma. Si placet esse ab ἔνος, quod Suidas interpretatur ἐνιαυτός, dicendum, *e* in *a* mutari, quomodo à μένω est *maneo*, ab ἔριφος, *aries*, ab ἐρωδιός *ardea*, syncope τοῦ ε. E iunioribus hoc *anni* etymon amplexus Angelus Caninius, qui & addit, ἔνος, literarum traiectione factum esse à Punico *sene*. Sin placet inde nomen impositum, quia *annus* propriè *circum* notet: *annus* autem circuli instar in se redeat: tum prima origo erit *am*, id est, *circum*, quod ab ἀμφὶ dicendumque *annus* διπλασιασμοῦ gratia dici pro *anus*. Quam originationem è recentioribus secutus Iovianus Pontanus, in Actio, pag. 133, edit. Ald. Sed quod idem addit, veteres *amnus* prius dixisse, postea *annus* frequentatum esse, id verum non puto. Nam veterum Grammaticorum aliquis huius rei meminisset, aut vestigia aliqua eius rei extarent in antiquis inscriptionibus. Ideo *bimus* & *trimus* scribi per *m*, quia contracta sint ex *biamnus* & *triamnus*, id infirmo fundamento subnixũ est: vt alibi dicimus. Quod si probari posset, veteres *amnus* per *m* dixisse, equidem non aspernarer hanc Ioviani opinionem. Quemadmodum tum neque ab iis dissentirem, qui *solemnis* ideo in antiquissimis libris per *mn* scribi putant, quia sit ex Osco *sollus*, & antiquo *amnus* pro *annus*. Nunc potius dicendum, *mne* in *sollemne* tantum syllabicam esse adiectionem, qua de re plura in *Sollemnis*. Ab *annus* est *annos*. Gloss. vett. Philox. *Annos, annua*, πολυετής. Vbi pro *annua* B. Vulcanius *anna* vel *anus* legendum suspicatur. Fortasse autem pro *annos* scribendum *annosus*. Qui error fuerit proclivis. Vt a *cras crastinus*, sic ab *anno annotinus*. Vel, si sit rectum *annos*, genitivum fecerit *annotis*: vnde *annotinus*. Glossæ eædem: *Annotini*, ἐπέτειοι, ἐνιαύσιοι. Ab *annus* quoque *annales*, quod naturâ adiectivum. Gloss. vett. *Annale*, ἐνιαύσιον. Item *annosi*, quod eædem exponunt πολυετεῖς. Item *anniculus*, ἐνιαυσιαῖος vt eædem explicant. Hinc quoque nomen accepit *Anna Peranna*, nempe quòd eius beneficio annare perennaréque contingat; vt ostendit Macrobij locus lib. I. cap. XII. Aliter tamen Ovidius. Cuius illud III Fast.

Amne perenne latens, Anna Peranna vocor.

Quemadmodum idem & tertiam opinionem paullo pòst adducit: vt *Anna* quidem sit anus paupercula nomen, *Perenna* autem vocata sit, quia huic, ob beneficia ac sedulitatem,

Pace domi factâ, signum posuere perenne.

Vt autem ab *annus* est *perennis*, ita ab hoc est *perennare*; quo vsus Ovidius, atque alij.

ANSA prius fuit *asa*. *N* insertum, vt in *densus* à δασύς, *lingo* à λείχω, item *tango, frango, mingo*, aliis multis. *Asa* autem, iuxta Franciscum de S. Quercu, est ex Hebræo אזן *ozen*, id est, *auris*. Nempe κατὰ μεταφοράν, quia ansæ sunt auriculæ vasorum: vnde & Belgæ hodieque *een oor* vocant. Sanè *ansis teneri solere vasa, quis dubitet?* Vt Macrobius inquit lib. III. Sat. cap. II.

ANSER, vel à similitudine *anatis*, vel à *nando* dici, ait Isidorus lib. XII. Orig. cap. VII. Esse à Syris, censet Angelus Caninius. Nempe ab *auza, oza, anser*. Possis &, vt ab obliquo κυνὸς est *canis*, ita & à genitivo Dorico χανὸς deducere *anser*. Sed simplicius puto dici, esse id nomen à sono factum. Varro lib. IV. de L. L. *De his pleraque à suis vocibus, vt hæ: Vpupa, Cuculus, Corvus, Hirundo, Vlula, Bubo. item hæ: Pavo, Anser, Gallina, Columba*. Dicitur propriè anser *gratitare* vel *gingrire*. Auctor Philomelæ: *Cacabat hinc perdix, hinc gratitat improbus anser*. Glossæ Latino-Gr. Philox: *Anseres gingriunt*: Χῆνες ἀμβοῶσιν. *Gingrinum*, φωνὴ χηνός. Vtrumque est à sono; quem varius vocibus aliter atque aliter exprimi, nihil sane mirandum, cum sonus is sit inarticulatus, nec semper vniusmodi. Vide *Gingrire*.

ANTÆ, Vitruvio sunt postes sive pilæ lapideæ, quæ in lateribus ostiorum sunt. Græcis παραστάδες. Glossæ: *Postes*, παραστάδες. Hesychius: Παραστάδες, οἱ πρὸς τοῖς τοίχοις τετράγωνοι κίονες. Festus *antas* interpretatur *latera ostiorum*: Nonio sunt *quadræ columnæ*, hoc est, plinthi seu plinthides quadratæ columnarum; quomodo *quadra* voce vsus Vitruvius, lib. III. cap. III. Videtur Nonius conciliari posse cum Festo, si dicamus, *antas* esse propriè *quadras* columnarum, quæ ad latera ostiorum ponuntur. Quemadmodum autem Græcis dicuntur παραστάδες, quasi *iuxta* sive *a latere stantes*, à παρίστημι, quod est *adsto*: sic Latinis vocatæ *antæ* ab *antè*, quia ante stent. Quanquam & possit esse ab ἀντάω, quod est *occurro, obviam eo*. Nam *antæ* ante hominem se offerunt, & quasi occurrunt. Ab ἀντάω fit ἄντα, vnde *anta* vt à χάρτης *charta*, à μαργαρίτης *margarita*. At planè falli puto Festum, & Nonium, cùm deducunt *antas* à voce *antes*. Verba eorum infra in *Antes* adferam. Ab *anta*, & *pango*, dicta *antipagmenta*. Festus: *Antipagmenta, valuarum ornamenta, quæ antis adpanguntur, id est, affiguntur*. Quo ex loco discimus, antipagmenta dici sculpturas Deorum, hominum, animantium, aliarumve rerum, quæ fieri solent in postibus aut columnis fores sustinentibus. Possis tamen dicere, & *antipagmenta* esse ab *antè*; vt simile sit *antefixa*, item *anteparta*, & similia. Plautum *antipagmenti* voce in Mostellariâ vsum, censet Nicolaus Loënsis; quem, si voles, vide lib. I. epiphyl. cap. XIII. At non audiendus Philander, qui in Vitruvium scribens, *antas* & *antipagmenta* idem censet. Nam falli eum, liquet ex iis quæ diximus.

ANTE, quidam κατ' ἀντίφρασιν dici censent ab ἄρτι, id est, *nunc*, vel *paullo antè*. Scaligero, de caus. L. L. cap. CLV. fieri placet ex *am*, & *te*, syllabica adiectione, quæ & in *tute*. Sed significatio repugnat quia *am* est *circum*. Itaque omnino est ab ἄντα quo, eâpse significatione vsus aliquoties Homerus. Ab *ante* est *antea*, & *antehac*; quasi *ante ea, ante hæc*: puta *tempora*. Ab eodem est *anticus*, vt à *pòst posticus*. Festus: *Anticum veteres etiam pro ianuâ posuere*. Gloss. Phil. *Antica linea*, διάμετρος. Vide quæ de antico & postico in *Post* dicemus. Ab eodem videtur esse *antarius*. Idem Festus: *Antarium bellum, quod ante vrbem geritur*. Gloss. vett. *Antarium bellum*, ὁ πρὸ τῶν πυλῶν πόλεμος. Ac censet Scaliger, exinde etiam Vitruvio lib. X. cap. III, *antarios funes* vocari. Sed potius id nomen est ex eo, quod ad antes pertineant, hoc est, extremas fabricæ columnas. Vel ἀπὸ τοῦ ἀνταίρειν, quod est *contra aliquid attollere*. Quomodo *antarij funes* etiam sint qui Homero πρότονοι, puta τὰ σχοινία τὰ ἀντέχοντα τὸν ἱστόν, *funes qui malum sustinent*, vt exponit Scholiastes eius. In Glossis Philoxeni legas: *Antarium*, ἀντάριος. Scaliger ad Festum ἀντάριος exponit *antipagmentum*. Sed hoc quoque est ab ἀνταίρω, significante *resisto, obnitor*. Gloss. Cyrilli: Ἀνταίρω, *rebello*. Ἀνταρσία, *rebellatio*. Ἀντάρτης, *rebellio, perduellio*. Vbi maluissem, *rebellis, perduellis*. Sanè Hesychio ἀντάρτης exponitur τύραννος ἀντιστάμενος βασιλεῖ, *tyrannus adversus regem insurgens*. Et fortasse ne quidem *bellum antarium* dicitur, quod ante portas geritur, vt Festus exponit: sed ab ἀνταίρω, vt propriè signet ἀνταρσίαν seu *rebellionem*. Mihi quidem hoc magis probatur. Ab *antè* est *inantè*. Propertius lib. II. eleg. III:

Hic dominam exemplo ponat inante meam.

Eodemque modo *abante oculis*, legere est in antiqua inscriptione, quam ponit & exponit Scipio Gentilis lib. I παρεργ. c. XIV.

ANTELOGIVM legimus apud Plautum, prologo Menæchmorum:

Huic argumento antelogium quidem hoc fuit.

Neque enim rectè Camerarius edidit *ante elogium*. Est *antelogium ab antè, & λόγος*. Simile est *anteloquium*, nisi quòd hoc Planè Latinum. Vsurpat id Macrobius lib. I. cap. XXIV. & lib. VII. cap. XIV. Est tamen qui his quoque locis præferat *antelogium*. Verùm nil mutatione opus, cùm eodẽ modo apud Plautum legamus *pauciloquium*, & *multiloquium*. Sunt alij, qui contra, nec apud Plautum *antelogium* probant, sed *antilogium* per *i*. vt sit à Græco ἀντίλογον. Verùm non convenit significatio, cùm nulla in prologo illo antecesserit ἀντιλογία seu ἀντιλογισμός. Nec hybrida hæc compositio facit pro iis, qui *prologus, prepolo, elogium*, & similia, itidem è Latino præverbio ac Græco vocabulo facta esse arbitrantur. Nam horum longè alia ratio est: quandoquidem voces sunt in vulgus receptæ. At *antelogium* novè

finxit

finxit Plautus. Cùm enim dixisset, comœdiam non Atticissare, sed Sicilissitare, fingit & ipse vocem quasi Sicilissitantem, hoc est, quæ nec pura esset Græca, nec Romana.

Antenna, est lignum in malo transuersum. Vnde Cæsar, lib. III. de bello Gallico: *Funes, qui antennas ad malos destinabant.* Græcis dicitur κέρας, vel κεραία, siue, vt Artemidorus compositâ voce nominat, ἀκροκεραία. Glossæ Philoxeni: *Antemna*, κέρας πλοίου. Id ad verbum sit *cornu*. Sed Latini τὰ ἀκροκέραια, hoc est, *antennæ extremitates*, hoc nomine appellant. Maro, III. Æn. *Cornua velatarum obuertimus antennarum.* Quod ad etymologiam, plerique eiusdem esse originis censent, ac *Antemna*, seu *Antemna*, Sabinorum oppidum cis Anienem. Id ex eo dictum, quòd *ante amnem*; vt ex Varrone, Festo, & Seruio, diximus in *Amnis*. Atque hinc liquet, cur Grammaticorum vulgus vocem hanc scribat per *mn*. Verum Ludouicus Carrio, ad primum Valerij Flacci librum, monet in libro calamo exarato, cæterísq; antiquitatibus, *Antenna* per geminum *nn* legi, nec etymon aduersari, cùm sit ab *an* & *tenendo*. Equidem hanc originationem iuuare videtur, quòd & *tenendi*, siue *distinendi* verbo de ea vtatur Cæsar, vti vidimus. Sed tamen veriorem arbitror coniecturam, vt vel simplex sit deriuatum ab *ante*; quomodo à *socius* est *socienus*, ita ab *ante* sit *antenna*: vel compositum quidem, verùm ex *am*, id est, *circum*, & *tennere*, pro *tendere*. quæ vox apud aucupes in vsu remansit. Terent. Phorm. II, II: *Quia non rete accipitri tennitur, neque miluio.* Ita enim legendum esse, constat ex Donato. Atque hinc, vt, *distennere* pro *distendere*, sic *dispennere* pro *dispendere*: quo Meursius vsum putat Plautum Mil. Glor. sc. vlt.

Dispennite hominem diuersum, ac distennite.

Pro quo in vulgatis:

Distendite hominem diuersum, & dispendite.

Nec ineptè dicatur, *tennere* factum esse ex *tendere*, ob literæ communionem, vt Donatus ait. Sanè & Muretus quoque, lib. XIX. Var. lect. cap. VII. scribit, vulgus Tiburtium, Interamnatium, & aliorum quorundam, similiter pro *nd* duplex *n* plerumq; pronuntiare. Interea longè magis verisimile, nō *tenno* esse à *tendo*, sed *tendo*, ab antiquo *tenno*, vel potiùs *teno*. Veteres enim non geminabant consonantes, vt ex Fabio, & Festo, alibi diximus. Ita in *teno* *d* insertum erat, quomodo, vt vir eruditus I. Meursius censet, ab *aneo* est *andeo*, à *caneo* *candeo*, à *gaueo*, vnde *gauisus*, *gaudeo*, &c. Vt hanc opinionem veriorem putem, facit, quod *tendo* Græcis est τείνω, & Æolicè τένω, absque *d*. Ab eo igitur *tenno* & *teno*, ut ab hoc, *tendo*.

Anterides, ἀντηρίδες, pilæ lapideæ, aut ligneæ, quæ muris obiiciuntur, vt, eorum ponderi renitendo, fabricam fulciant. Vsus Vitruuius, lib. X. cap. XVI. Aliter dicuntur *erismæ*. Vnde idem Vitruuius, lib. VI. cap. XI: *Deinde in frontibus anterides, siue erismæ fiunt.* Ac *erisma* quidem est ex ἔρεισμα, *firmamentum, fulcimentum*. Quod ab ἐρείδω, *fulcio, firmo*. Ab ἔρεισμα dixere *erismam*, vt à σχῆμα *schemam*: multaque eius generis adduximus Oratoriar. Inst. lib. V. cap. I. Ἀντηρίδες itidem ab ἀντερείδω, *ad fulciendum obiicio, atque oppono*. Gloss. Ἀντερείδω, *obiicio*. Ἀντηρίδες, *tibicines*. Vbi per *tibicines* intellige pilas quę fabricam sustinent. Hesychius: Ἀντηρίδες, τὰ ἀντερειδόμενα ξύλα, ἢ λίθοι πρὸς ἀσφάλειαν. Si Seruium audimus, Latini pro *anterides* etiam dixerint *antes*. Sic enim scribit in II Georg. *Propriè antes sunt, eminentes lapides vel columnæ, quibus fabrica sustinetur.* Sed metuo, ne *antes*, & *anterides*, confuderit. Nam *antes* propriè anteriores vitium ordines, vel etiam exercitus, aut rei alterius. Vide *Antes*.

Antes esse tantùm pluratiuum, ac generis virilis, ait Phocas. Vsus Maro, II Georg. *Iam canit effœtos extremus vinitor antes.* Quem ad locum sic Seruius: *Antes alij extremos vinearum ordines accipiunt: alij macerias, quibus vinea clauduntur: quæ maceriæ fiunt de assis, id est, siccis lapidibus. Vnde assa tibia dicuntur, quibus canitur sine chori voce. Dicuntur autem antes à lapidibus eminentioribus, qui interponuntur ad maceriam sustinendam: nam propriè antes sunt eminentes lapides, vel columna vltima, quibus fabrica sustinetur. Et appellantur antes ἀπὸ τοῦ ἀντέχειν. Ad quam etymologiam etiam extremos ordines vinearum possumus trahere, qui antè stant.* Quod ad priorem illam Seruij, quâ sic vocari ait ordines vinearum, eam confirmant Glossæ Philoxeni, in quibus lego: *Antes*, στίχοι, ἀμπέλων στίχοι. Et: *Antium* (patrius is casus) στίχων, ἐσχάτων. Item Festus, cuius hæc verba: *Antes sunt extremi ordines vinearum; vnde etiam nomen trahunt antæ, quæ sunt latera ostiorum.* At Nonius aliter: *Antes, inquit, sunt quadratura; vnde & antæ, dictæ sunt quadræ columnæ.* Hinc superiorem Maronis locum subiicit Iunius Philargyrius. Ad eundem versum sic scribit Cato de re militari: *Pedites quatuor agminibus, equites duobus antibus ducas. Sunt autem extremæ quadratarum partes.* Vbi non dubium, quin Cato *antibus* dixerit pro *ordinibus*. Sed si, vt ait Philargyrius, *antes* naturâ suâ *extremitatem* designat, caussa non erat, cur Maro diceret, *extremos antes*. Quare dicendum, esse in vineis & primos antes, & medios, & vltimos. Interim *antes* omnes sunt anteriores, hoc est, a fronte sunt. Indéque nomen, iuxta Isidorum, cum ait, *antes*, & *postes*, esse ab *ante*, & *post*; vt nempe eodem modo opponantur, quo *antica*, & *postica*. In eo tamen lapsus Isidorus, quòd *antes*, & *postes*, composita censeat, cùm sint simpliciter deriuata. Verba eius apponam è lib. XV. cap. VII: *Postes, & antes, quasi pòst, & ante, stantes. Et antes, quia ante stant, vel quia antea ad eas accedimus, priusquam domum ingrediamur. Postes eò, quòd post ostium stent.* Quæ verba, non dubito, quin more suo, ex antiquo aliquo Critico exscripserit Isidorus. Hinc igitur colligimus, propriè in ianua dici *antes*, & *postes*: illos antè, hos pòst, stare. Indéque & Turnebus, lib. XIX, cap. XIX, interpretabatur Maronis locum, vt is extremos vineæ antes dicat, quia essent in ingressu, qui & finis est laboris, cùm ad eum peruentum. Hoc si placet, *antes* Maro *extremos* dixerit ἐπιθετικῶς, quia omnes *antes* sunt extremi. Sed verisimilius est, quòd dicebam, sic scribere διακριτικῶς, vt a primis & mediis antibus distinguat. Porrò quod *antes*, ab *ante* appellatos ex Isidoro dicebamus, id etymon quoque ex Seruio ipso confirmare est: tum quà dicit, ante stare extremos vinearum ordines: tum quâ antes quoque dici ait extremas fabricæ columnas. A posteriori notione hac *antarij funes* dicūtur Vitruuio lib. X. cap. III. Nisi malis, esse ab ἀνταίρω, de quo in *Ante* dictum. A priori autem significatione etiam saltationis genus *Antes* dicebatur. Inde *Antiosa*, quæ saltationem eam saltat. Eædem Glossæ *Antiosa*, ὀρχήστρια.

Antiæ ab *ante*. Sic enim dicuntur anteriores capilli de fronte pendentes, quos scitè *ante ventulos & propendulos* vocat Appuleius, lib. I. Florid. *Iam primum*, inquit, *crines eius præmulsis antiis & promulsis capronis anteuentuli & propenduli.* Aliam originem ponit Festus, sed quæ minus placeat. *Antiæ*, inquit, *muliebres capilli demissi in frontem, appellati ex Græco videntur: quod enim nos contra, illi ἀντί dicunt.* Quid sint, docent & Glossæ Philoxeni, vt in quibus *Antiæ* (sic enim in iis pro *Antide* legendum patet) exponantur κόμαι ἀπὸ τῶν κροτάφων κρεμάμεναι γυναικῶν. In antiquo Onomastico, olim Argentorati edito, ac nuper Lugduni recuso, *antiæ* exponuntur προκόμιον. In aliis Glossis legitur: *Antiæ*, τρίχες αἱ μεταξὺ τῶν κεράτων τῶν βοῶν. Leonis antias nominat Tertullianus in scholastico scripto de Pallio, cap. IV: vbi sermo de exuuiis leonis ab Hercule domiti: Verba eius sunt: *Ne sobria mulieris quidem aut viraginis alicuius scapula sub exuuias bestiæ tantæ introire potuissent, nisi diu mollitas & enigoratas & exodoratas, quod apud Omphalen balsamo aut telino spero factum. Credo &, iubas pectinem passas, ne ceruicem eneruem inureret stiria leonina; hiatus crinibus infarsos, genuinos inter antias adumbratos, ne tota oris contumelia mugiret.*

Antidotus, ἀντίδοτος, ab ἀντί, *contrà* & δίδωμι, *do*; quia contrà venena datur. Natura sua adiectiuum est: vnde Anthologia lib. II: φάρμακον ἀντίδοτον.

Antigerio *Antiqui pro valde dixerunt*: vt ait Festus. Gloss. Isidori: *Antigerium, quemadmodum imprimis*. Vbi leg. *Antigerio*. Ex eo quod additur, *quemadmodum imprimis*, cognoscitur etymon. Nam vt, *imprimis*, quod *in primis* fit: sic, *antigerio*, quod *antè alia geritur*. Et simile quoque est *præsertim*, quod *præ aliis seritur*. Quare non audiendi illi codd. Festi MSSi, vbi *Anugerio* legitur.

Antipodes, in Glossis vett. *aduersipedes* exponuntur. Conflata vox ex ἀντί quod est *contra*, & πούς. Eiusmodi respexit Maro, cùm de polo antarctico I G. ait: — *At illum*

Sub pedibus Styx atra videt, manésque profundi.

Iidem *antichthones*, ἀντίχθονες, ab ἀντί, & χθών, *terra*; Quia in terra habitant nostris pedibus opposita.

Antiquus, ab *ante* venit. Significat enim id quod ante nostra fuit tempora. Nunc per *q* scribitur; sed fuit tempus, cùm *q* necdum inuento per *c* scriberetur Anticus. Imò hoc pacto ea vox non rarò legitur in vetustis codd. Vnde cognoscimus, eodem modo ab *ante* dici *anticus*, ac à *post* venit *posticus*. Velius Longus: *In* Antiquo *videmus literam* (de *q* sermo antecesserat) *habere, & in postico non habere. Nam & antiquum ab eo quod est ante, quod apparet ex scriptione temporum.* Atque ex his satis liquet, falli eos, qui *antiquum* dici putant quasi *ante annum*. Aliud autem *antiquum*, aliud *vetus*: quæ iccirco non semel coniungit Plautus. Illud nouo, hoc recenti opponitur. Recens verò & nouum itidem iunxit Cicero pro Flacco, & epist. XXI. lib. XI. ad famil. quem ad locum plenius hac de re P. Manutius. Ab *antiquus* est *antiquarius*, ἀρχαιολόγος, παλαιολόγος, vt exponunt Glossæ Philoxeni. Ita dictus, quia antiquis gaudet.

Antistes, ab *antisto*. Quomodo veteres non rarò scripsere

pro

pro *anteſto*. Itaque Fulgentius exponit, *præcellere*. Ita accipit Lucretius lib. v:

Herculis antiſtare autem ſi facta putabis.

Vſi quoque eodem modo Æmilius Probus, in Ariſtide; Agellius lib. VII, cap. V. & lib. IX. cap. XII. Cenſorinus, de die natali c. XV. Mela lib. II. cap. V; multique alij. Femininum eius *antiſtita*. Quo non tantum vſi Plautus, Rudente; Virgilius, Ciri, Ouidius, XIII Met.; Seuerus in Ætna: ſed & Cicero ipſe; *qui*, (Gellii verbis vtor,) *cum inſolentias verborum à veteribus dictorum reſpueret, huius tamen verbi in ea parte ſenitu delectatus, Sacerdotes*, inquit, *Cereris atque illius fani antiſtita*. Locus Gellii eſt lib. XIII, cap. XIX. Ciceronis autem lib. IV. in Verrem. Sed corruptè ibi vulgo, *antiſtites*.

Antræ, conualles, vel arborum interualla, vt exponit Feſtus. Suſpicor, ita dici, quia loca ea ſint floribus grata. Nempe quaſi ἀνθηρά, ab ἄνθος, *flos*. Vel ἀπὸ τοῦ ἀντᾶν, quia ibi alter alteri *occurrit*. Aut, quia ibi fiant Diis ἀντιάσεις hoc eſt, *ſupplicationes*. Sed primum malim. Verum obſtare videtur, quòd in Iſidori Gloſſis eſt, *Angra, interualla arborum, vel conualles*. In Gloſſis item Philoxeni: *Ancra*, ἄγκη, αὐλῶνες. Sanè, ſi pro eo Græcè dicant ἄγκεα, (id *valla* notat,) veriſimilis admodum fuerit coniectura Scaligeri, legentis *ancra*, vel *angra*. Nam *c* facilè in *g* abit. Sed *antra* conſtanter eſt in MSS Feſti codd. ſiue potius Paulli.

Antrvm, ab *atro* eſſe ſcribit Ambroſius. Sed purum putum Græcum eſt vocabulum. Vt fruſtra Ambroſio patrocinetur Ptolemæus Flauius. At ſimilia multa eſſe apud Varronem: vt in voce *Agri, Furis*, aliiſque. Sed hoc eſt quod dicitur, omnes ire, non quà eundum, ſed quà itur. Porro, ἄντρον, fortè παρὰ τὸ ἄνω τετράφθαι. Alia quoque etyma vide apud Etymologum. Heſychius & Etymologus interpretantur σπήλαιον, quo ipſo quoque Latini vtuntur. Sed Ammonius cenſet, ἄντρα eſſe cauernas ſponte ortas: σπήλαια verò manufactas. Ab *antrum* videri poſſint veteres dixiſſe *antruare*: vt quod Gloſſæ Philoxeni, ſi emendationem Ioſephi Scaligeri ſequimur, σπηλαΐζειν interpretentur. Ego, tametſi non videam, quid melius pro σπηλαΐζειν ſubſtitui poſſit: tamen ſolâ ſummi viri coniecturâ ſtare non auſim. Sed nec εὐχαριστεῖν vſurpatum puto pro *gratias agere*: quomodo exponit Feſtus. At propriè *amtruare* haud aliud eſſe cenſeo, quam *vndique commouere*, ab *am*, i. *circum*, & *truare*, i. *mouere*; quòd à *trua*, quomodo vocatur *id quo permouent coquentes exta*; vti ſcribit Feſtus ipſe in *Antruare*. Κατὰ μεταφορὰν autem, *amtruare*, vel *redamtruare* potiùs, poſitum fuiſſe ab aliquo pro *gratias referre*, facile mihi perſuadeo. Vide *Andruare* & *Trua*.

Anvs, priori productâ, ſic vocatur ab orbiculari figurâ. Nam *anus*, ſiue, vt poſteriores ſcripſere, *annus*, propriè notat *circulum*, ab *am*, i. *circum*. Indéque ὑποκοριστικῶς *annulus*, ſiue, vt veteres ſcribebant, *anulus*. Veteres enim non geminabant conſonantes, vt præter alios docent Fabius, lib. I. cap. VII. & Feſtus, in *Anus*. Atque hinc quoque Solaris Lunariſque annus nomen accepit, ſi Varronem, Atteium Capitonem, Seruiúmque audimus: nempe quia in ſe redeat inſtar annuli. Quòd verò *anum*, pro podice à figura ſic dici dicebam, id eo quoque confirmatur, quòd ſimiliter Græcis eadem δακτύλιος vox, & *annulum* notat, & τὸν σφιγκτῆρα· vt cùm Alexander Aphrodiſienſis lib. I. Problem. ait, πάντες οἱ σφιγκτῆρες ἐμβάλλονται εἰς τὸν δακτύλιον. Imò in Syriaca quoque lingua, vt Scaliger in Coniectaneis monet, idem nomen, & pro annulo & pro parte pudendâ accipitur: nempe vox טבעת, *tabbath*. Iouianus Pontanus, in Actio, fol. XXXII, b. edit. Ald. vult ab hac ſignificatione vocis *anus*, quà ab *Am* venit, vetulam quoque *anum* dici: nempe, quia, vt ait, *ſenilia corpora plurimum à capite inclinant in pedes, ac redduntur incurua*. Sed de hoc aliter Feſtus, *Anus*, inquit, *dicta ab annorum multitudine: quoniam antiqui non geminabant conſonantes; vel quòd iam ſit ſine ſenſu, qui Græcè dicitur* νοῦς. Prius etymon probare non poſſum, tum quod quantitas aduerſetur: tum quia, ſi vetulæ ab annis nomen imponere placuiſſet, non nomen finxiſſent ſolâ quantitate, ſed potiùs terminatione differens: cuiuſmodi eſt *Anna*; de quo alibi dictum. Quare, etſi video, eſſe, qui non niſi ab antiquitatum rudioribus vocem hanc Græcè originis credi velint: tamen nondum aliorum ſententiam damno. Nihil enim prohibet, primò voce hac ſignari eas, quæ iam ſenio delirant, poſteàque latiùs extenſam eſſe ſignificationem. Cic. lib. II. de Diuin. p. CXXXVII: *An tu cenſes, vllam anum tam deliram futuram fuiſſe, vt ſomniis crederet, niſi iſta caſu nonnunquam, fortè, temerè concurrerent?* Ab *anus* eſt *anas*. Feſtus: *Anatem morbum anuum dicebant, id eſt, vetularum, ſicut ſenium morbum ſenum*. Gloſſ. vett. *Anas*, γραΐας νόσος, ἢ ὁ λῆρος. Puto, vt ex *ſatietas* factum *ſatias*, ſic ex *anitas* factum *anas*: præſertim quando in iiſdem eſt, *Antas*, γηρεία· & in aliis Gloſſis legitur, *Anitas*, γῆρας. Porro, vt à *ſenex* eſt *ſeneo*, ſic ab *anus* quoque eſt *aneo*. Gloſſæ Philoxeni: *Aneo*, γηρῶ. In iiſdem paullo poſt legitur: *Anas*, γηρωνή. Vbi itidem legendum *aneo*, vel *aneſ*.

A P

Apage, ἄπαγε, imperatiuus eſt aduerbialiter poſitus, ab ἀπάγω, *abduco*. Similiter à ſimplici ἄγω eſt Græcum Latinúmque ἄγε *age*, quod hortantis eſt, vt ἄπαγε, abominantis ac reiicientis.

Apellam idem eſſe, quod *verpum*, ſeu *recutitum*, ac dici quaſi *ſine pelle*, etiam magnus Turnebus cenſet, lib. XXIV. cap. IX. & lib. XXVIII. cap. XXI. Eadem & Fungeri ac Becmani in Etymologico, multorúmque aliorum opinio eſt. Quemadmodum &, errorem hunc, à magiſtris ſuis hauſtum, ſecutus, Illuſtris Hermannus Comes Nouæ aquilæ, carm. de Paſſione Chriſti ſcripſit: *Venditur exili pretio quem fœdus apella*. Imo in veteri quoque Gloſſario, Argentorati excuſſo, anno CIↃ IↃXXX. & Lugduni Bat. anno CIↃ IↃC recuſo, legere eſt, *Apella*, λειπόδερμος. Impoſuit iis illud Horatij lib. I. ſat. V: *Credat Iudæus Apella, Non ego*. Vbi *Apella* eſſe proprium viri; tum quantitas primæ ſyllabæ comprobat, tum quod eodem modo *Chinnis Apellam* legere ſit apud Ciceronem. lib. XII. ad Att. epiſt. XIX. cuius initium: *Eſt hic quidem*. Sed & *Apellæ* liberti meminit idem, epiſt. XXV. lib. VII. ad famill. cuius initium: *Quod epiſtolam*. Iudem Iudæum Ἀπελλῆν, Romæ habitantem, ſalutari iubet B. Paullus ad Romanos cap. XVI. X.

Apenarii, apud Trebellium Pollionem legas in Gallienis. *Cyclopea*, inquit, *luſerunt omnes apenarij*. Marcellus Donatus in Elucidationibus ſuis, exiſtimat, *apenarios* eſſe gladiatores: atque ita dici quaſi ἀπηνεῖς, id eſt, *crudeles & ſanguinarios*. Ioanni Meurſio in Gloſſario Græcobarbaro videtur, *apenarios* eſſe mulo-medianos ſeu carrucarios, à Græco ἀπήνη, quod eſt vehiculi genus. Claudius Salmaſius, notis ad Trebellium, cenſet, eſſe μωρολόγους, quique tum moribus & ſalibus *ridiculi* eſſent, tum corporis motibus ac geſtibus aliorum mores & geſtus deridiculi cauſſa imitarentur. *Apenarios* autem dici arbitratur ab *apinis*, quomodo eoſdem à *ſanna ſanniones* dictos exiſtimat. Sanè ſimpliciora hæc, & vt puto veriora. Quid enim gladiatoribus, aut carrucariis, cum Cyclopum ludo? At vt Cyclopem ſaltarent mimi ac ſanniones, planè conueniens erat. *Apenarios* per *e* dixere pro *apinariis*, vt *patena* pro *patina*, *legula* pro *ligula*. & multa id genus.

Apeo, verbum antiquum, pro *remoueo, prohibeo*, ab ἀπὸ· vt propriè ſit, facere vt aliquid ſit ἄπω, hoc eſt, *remotum, longinquum*. Feſtus: *Ape, apud antiquos, dicebatur, prohibe, compeſce*. Gloſſ. vett. *Ape*, κώλυσον. *Apet*, ἀποκωλύει.

Aper vnde ſit, neſciuit Iſidorus. Verba eius hæc, lib. XII. cap. I: *Aper à feritate vocatus, ablatâ f literâ, & ſubrogatâ p*. Sic eum locum, manuſcripto meo aſſentiente, lego; vt ſententia ſit, *Aper* factum ex *fera*, *a* in primum locum traiecto, & pro *f* poſito *p*. In vulgatis, quotquot vidi pro *f* eſt *e*, facili errore. Verum etymon non neſciuit Varro, etſi more ſuo, aliud, ceu verius, præmittat. Sic enim ille, lib. IV. de L.L. *Apri ab eo, quod in locis aſperis, niſi à Græcis, quòd hi* κάπροι. Non dubitandum, quin poſterius verum ſit, truncatâ principe literâ; quomodo à Tarentino ἀφροδίσιον eſt *Veneris*, ab Ἀφροδίτη *Fruti*, ab ἀνατολῇ vulgo *Natolia*, &c. Aliud autem κάπρος Tyrrhenis, aliud Græcis. Nam Tyrrhenis *caprum* notabat. Heſychius: Κάπρα, αἶξ, Τυρρηνοί. Inde igitur Latinorum *caper*. At Græcis tranſmarinis κάπρος eſt *aper*: in quo multi lapſi interpretes, qui, non tam, puto, inſcitiâ quam oſcitantiâ, *caprum* transferre ſolent. Id aliquot exemplis oſtendit Paullus Leopardus, lib. II. cap. X. Ab *aper* eſt *aprugnus*, vt ab *abies abiegnus*. Plautus, Perſâ, II, V: *Magis calleo, quàm aprugnum callum callet*. Et Pœn. III, II: *Callum aprugnum callere æquè non ſinam*.

Aperio, vt Priſcianus lib. VIII. agnoſcit, factum ex *ad* & *pario*, quomodo & Belgis aperire eſt *openbaeren*, quod conflatum ex *open*, hoc eſt, *patefactum*, & *baeren*, hoc eſt, *párere*: ita vt & Latinum *aperire*, & Belgicum *openbaeren*, propriè dicantur de partu, quo id quod in vtero latebat, patefit. Similiter contrarium eius *operire*, eodem Priſciano teſte, factum ex *ob* & *párere*. Vt in *aperire* perit *d*, ita *b* extritum in *operire*. Neque obſtat, quòd *aperio* & *operio* ſint quartæ, quia & *pario* olim quartæ fuit, vt Diomedes lib. I. & Priſcianus lib. VIII & X, Ennij verſu comprobant, quem infrà ponam. Ab *aperio* ducit Feſtus *Aperta*, quod Apollinis cognomen fuiſſe cenſet, vt nempe ſic dicatur, *quòd patente*, vt ait, *cortinâ reſponſa ab eo dentur*. Sed Ioſephus Scaliger, in notis ad eum locum, arbitratur, *aperta* eſſe à Tarentino ſiue Æolico Ἀπεράτω, pro Ἀπεράτου, quòd tranſmarinus Deus ſit & peregrinus. At aduerſus Titium, (neque enim Yvo ille alius, quàm magnus Scaliger,) *Apertam* ne quidem cognomen eſſe putat, ſed erraſſe Feſtum, dum oſcitanter legit illud veteris poëtæ, à Nonio quoque adducti: *Apertè ſatur dictio*, hoc eſt, Τρανῶς αἰνιγματώδης.

[illegible]. At verè ab *aperiendo Apertularius*, si sic dictus, qui ianitor. Glossæ Philox. *Apertularius, θυρανοίκτης*. Sed subiungunt eædem: *Apertularius, θλάσμα ἔχων ἵππος, fracturam, attritum, contusionem habens equus*. Ab *operio* est *operto*. Festus: *Opertat, sæpe operit*. Ab eodem *operio* est *operculum*, ac à *cooperio cooperculum*; nempe, per syncopen, pro *opericulum* & *coopericulum*, vt à *fero ferculum* pro *fericulum*. Nam integra hæc non esse, docebunt, quæ de *periculi* voce mox subiiciam. Eiusdem quoque originis sunt *opertorium* & *coopertorium*. Porrò *coopercuti*, *opertorij*, & *coopertorij* vocibus posterioris æui scriptores vti, docebit Sauaro ad Symmachi lib. III. epist. XII. A *pario* quoque sunt *reperio* & *comperio*. Nam *repertum* dicitur quasi *repartum*, & in lucem editum, parque ratio in *compertum*. Hanc etymologiam adducit & Alexander ab Alexandro, lib. I. cap. XII. Cumque *parere* sit, *cum labore parare*, vnde *pecunia parta*: comprobat hinc, *reperire* esse consilij, non fortunæ; vti senserat Valla, qui *inuenire* consilij esse putârat, *reperire* fortunæ. Fefellerat Vallam (in quo præter alios Alexander quoque cæcutiit) Ovidij locus malè intellectus. Est is lib. I. Met. fab. X:

——— Tune es quæsita per omnes
Nata mihi terras? tu non inuenta, reperta es.

Nam est ὀξύμωρον. *Non inuenta*, inquit, *inuenta es. Non inuenta, quia vaccam, non filiam, vidit suus pater; & inuenta tamen, quia filia in vacca quodammodo erat*. *Opperior* quoque eiusdem originis est, propriéque significat, *adsidere parturienti, partúmque exspectare*. Nam *ob* veteribus notabat *ad*. Quo de Festus in *ob*. Sunt & qui *experior* ab hoc fonte arcessant. Eos inter Priscianus, lib. X. cap. de præteritis quartæ coniugationis. Verba ponam, quoniam confirmant ea quæ suprà de *aperio*, *operio* & *reperio* diximus. *Aperio aperui; quod videtur à pario compositum, quod vetustissimi non solum secundum tertiam, sed etiam secundum quartam coniugationem declinabant.* Vnde Ennius:

Oua parire solet genus pennis condecoratum.

Igitur ex eo composita, si principalem syllabam puram, nec ex integrâ præpositione habuerint, io in ui conuertunt in præterito: vt, aperio aperui, cooperio cooperui. Reperio verò duplicauit p in præterito, quippe diminutâ vnâ syllabâ repperi. Simile est præteritum à comperio, comperi. Sunt & alia ex hoc ipso composita deponentia, experior, opperior; quorum participia, expertus & oppertus, ostendunt à pario esse composita, cuius participium partus est. Hactenus Priscianus. Sed de *experior* quod hic ait, fallitur. Nam vt ab antiquo *parire* est *aperio*; sic ab antiquo *periri* est *experior*. Fuit autem *periri* idem quod *conari*, *tentare*, *discere*. Vnde, *periculum facere*, pro *experiri*. Vt in γνώμῃ istâc apud Terent. Heaut. act. I. sc. II. *Scitum est, periculum ex aliis facere, tibi quod ex vsu siet.* Vt à *notare notaculum*, à *perpendere perpendiculum*, à *specere speculum*, ab *amicire amiculum*; sic à *periri periculum*, pro quo *pericilum* scribebant, per *i*, teste Velio Longo. Eiusdemque originis est *peritus*. Nam, vt à *doceor* (puta supino eius) est *doctus*, ab *erudior eruditus*, sic à *perior peritus*. *Periri* verò est à πειρῶ seu πειρῶμαι, eliso ι more Ionum, qui μέζων dicunt pro μείζων, χερεῖος pro χειρεῖος, ἐπιτήδεος pro ἐπιτήδειος, ἀπόδεξις pro ἀπόδειξις, ἀποδέξασθαι pro ἀποδείξασθαι, ne quis hoc apud Herodotum legens, putet esse ab ἀποδέχεσθαι. Est vero πειρῶ idem quod *perior*, hoc est, *experior*, *tento*. Vnde medici quidam Græcis ἐμπειρικοὶ, ac Latinis similiter *emperici* dicuntur; quia nempe, neglectâ rationum obscurarum indagatione, solùm experimentorum habent notitiam. Vide de iis Celsum, in præfatione Operis; & Plinium, lib. XXIX. cap. I.

APES, & *apis*, dici aiunt. Sed malè in *apis*. Vt apud Ouid. XIII. Met.

Non apis inde tulit collectos sedula flores.

A pes venire Priscianus ait, in VI. Caussam adfert Seruius, ad illud IV. Georg.

Aut illa pedibus connexa ad limina pendent.

Vbi sic Seruius: *Hinc multi dictas apes volunt, quòd se pedibus inuicem teneant: licet crebrior sit illa opinio, quod sine pedibus primò esse dicantur.* Isidorus similiter, lib. XII. Orig. cap. VIII. *Apes dictæ, vel quod se pedibus inuicem alligent, vel pro eo, quod sine pedibus nascantur. Nam postea & pedes & pennas accipiunt.* Pro posteriore ratione est Maro, IV. Georg.

Trunca pedum primò, mox & stridentia pennis
Miscentur.

Item Ouid. XV. Met. fab. seu tmemate XXXIV.

Nonne vides, quos cera tegit sexangula fetus,
Mellisferarum apium sine membris corpora nasci,
Et seróque pedes, seráque assumere pennas?

Sed etymo isti aduersatur, quod needum apes sint, cum pedibus carent: vt Cæsar Scaliger ait, in Aristot. hist. de anim. lib. IX. cap. III. At pro causa priori est, quod Maro ait, *pedibus connexas pendere*, vt ante vidimus. Eaque res etiam alterius etymi occasionem præbet. Nam si connexæ cohærent, atque (vt Isidorum dicere audiimus) *se pedibus inuicem alligant*: quid prohibet deducere ab antiquo *apio*, id est, *necto*, *ligo*? à quo & *apex*, & alia. Est hæc sententia Cæsaris Scaligeri, in libb. de caussis L. L. Ac præiuere veteres. Nam apud Charisium, lib. II. legas: *Apes, quasi apta, quòd inuicem colligentur.* Vbi *apta* non valet *idonea*, sed *vincta*, *colligata*. Vt in illo Catulli:

Aptis sarcinulis & expeditis.

De *Apiendi* voce suo loco dicetur.

APEXABO, vel *apexao*, vt in aliis est libris, farciminis genus. Vt ostendunt hæc Arnobij verba, libro VII. *Quid, inquam, sibi hæc volunt, apexabo, isicia, silicernia, longabo? Quæ sunt nomina & farciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus.* De etymo sic Varro, lib. IV. de L. L. *Quòd in hoc farcimine summo quiddam eminet, ab eo, vt in capite apex, apexabo dicta.*

APHRONITRVM, ἀφρόνιτρον Atticis, ἀφρὸς νίτρου dici, auctor est Phrynichus. Id *spumam nitri* notat. Vitruuius vocat *florem nitri*, lib. VII. c. XI. Nempe quia spuma floris instar est. Differre tamen *aphronitrum* & *spumam nitri*, censet Aëtius, lib. I. c. LX. Ἔτυμον, quod dixi, adserit & Martialis, in Apophoretis, carm. LVIII.

Rusticus es? nescis, quid Græco nomine dicar.
Spuma vocor nitri. Græcus es? ἀφρόνιτρον.

APHROSCORODON, ἀφροσκόροδον, prægrandis allij genus, quod aliter ἀντισκόροδον. Liquet, venire à σκόροδον, quomodo *allium* vocatur. Sed quæritur, vtra prior sit compositi pars, num Afer, an ἀφρὸς, id est, *spuma*. Pro vtroque etymo facit locus ille Plinij, lib. XIX. c. VI. *Vlpicum quoque in hoc genere Græci appellauere allium Cyprium, alij antiscorodon, præcipuè Africa celebratum inter pulmentaria ruris, grandius allio. Tritum in in oleo & aceto, mirum quantum intumescat spuma.* Ecce ait, Africæ celebrari; vnde *Aphroscorodon* diceretur: ait item, tritum excitare spumam, quæ Græcis ἀφρός: vnde item ἀφροσκόροδον erit. De Africa quod ait, etiam confirmatur verbis istis Columellæ, l. XI. c. III. *Vlpicum, quod quidam allium Punicum vocant, Græci autem ἀφροσκόροδον appellant, longè maioris est incrementi, quàm allium.* Aphroscorodon & *antiscorodon* idem notare, etiam auctor est Gorræus in definitionibus medicis, item Dodonæus.

APIASTRVM ab *apibus* dictum, quæ eo delectantur: vnde & Græcis μελισσόφυλλον dicitur; quasi dicas, *apifolium*. Plinius, lib. XX. c. XI. *Apiastrum Hyginus quidem melissophyllon appellat.* Imo non Hyginus sic primus nominauit: sed antea sic vocarat Varro: vt testis est Iunius Philargyrius, ad Georg. IV. *Melisphylla, inquit, herba est, quam, vt ait Varro, alij apiastrum, alij melinen appellant.* Vbi videmus, *melisphyllam* dicere, non *meliphyllam*, nempe κατὰ συγκοπὴν, quia sic metri caussâ vocarat Maro, pro *melissophyllum*:

Trita melisphylla, & cerinthæ ignobile gramen.

Nam *meliphylla*, vt vulgo scribitur, modulis versus refragatur. Non desunt, qui ab *apio* dictum putent *apiastrum*. Sed Scaliger, cap. XCV. de caussis L. L. & Dalecampius, ad superiorem Plinij locum, meritò hos redarguunt, quia apiastrum hoc nullam habeat cum apio cognationem. Rectius igitur ab apibus deducitur. Vnde & dictæ *aues apiastræ*: sed dissimili de caussa. Seruius ad illud IV. Georg. *Meropésque, aliæque volucres*; Ostendit etiam *aues* esse *meropes*. Sunt autem virides & vocantur *apiastræ*, quia apes comedunt. *Apiastrum*, quia apes eo gaudent; *apiastra*, quia apibus gaudent.

APICÆ oues dicuntur, quæ ventrem lanâ nudum habent. Varro, lib. II. de R. R. c. II. *Ouem esse oportet corpore amplo, quæ lanâ multâ sit & molli, villis altis & densis toto corpore, maximè circum ceruicem & collum; ventrem quoque vt habeat pilosum. Itaque quæ id non haberent, maiores nostri apicas appellabant, ac reiiciebant.* Festus: *Apica dicitur ouis, quæ ventrem glabrum habet.* Ita constanter MSS[1]. Plinius, lib. VIII. c. XLVIII. *In ipsa oue satis generositas ostenditur breuitate crurum, ventris vestitu: quibus nudus esset, apicas vocabant, damnabantque.* Est verò *apicus* (quemadmodum Scaliger, in Coniectaneis, & ex eo Nunnesius atque alij monuere) ab ἄποκος, *glaber*: hoc à πόκος, quod *lanam* seu *vellus* notat. Hesychius interpretatur ἔριον, λάχνος. Est à πέκω, *pecto*, *carmino*. Apicæ oues aliter dicuntur *minæ*. Varro, lib. II. de R. R. cap. II. *Vti pecus ouillum, quod rectè sanum est, extra luscam, surdam, minam, id est, ventre glabro.* Plautus, Trucul. act. III. sc. I.

Minas viginti mihi das, accipio libens;
Condo in crumenam: ille abiit, ego perperas minas
Ouis in crumenâ hâc in vrbem detuli.

Vbi venustè ludit Comicus voce *minas*. Nam & respicit minas argenti, quas adolescens ex asinis venditis acceperat, & simul alludit ad id, quòd apicas oues aliter *minas* appellarent.

APIO, siue *apo*, antiquis erat *adligo*, siue *vinculo comprehendo*:

prout scribit Festus, in *Apex*; Seruius, ad x Æn. Isidorus lib. xix. cap. xxx. Confirmat & Glossarium Arabico-Latinum; vbi legas, *Apio, ligo*. Est à Græco ἅπτειν, *nectere, ligare*. A quo ἀφὴ, & cum præpositione συναφὴ, siue συνάφεια, *connexio*. Ab *apere* iidem deducunt *apex*; quomodo dicebatur *virga, quæ in summo pileum Flaminum lanâ* (ita lego, pro, *lanaſe circumdata*) *& filo colligata erat*: vti ibidem Seruius definit. Siue, vt idem ad ii. Æn. scribit: *Apex propriè dicitur in summo Flaminis pileo virga lanata: hoc est, in cuius extremitate modica lana est*. Atque hæc significatio propria: quomodo accipit Maro, ii. Æn.

Ecce leuis summo de vertice visus Iüli
Fundere lumen apex.

Sed, per συνεκδοχὴν partis, pro integro Flaminis pileo sumitur: quâ de significatione sic Seruius Danielis ad superiorem Maronis locum: *Suetonius* (l. *Suetonius*) *tria genera pileorum dixit, quibus sacerdotes vtuntur; apicem, tutulum, galerum. Sed apicem, pileum sutile, circa medium virga eminente: tutulum, pileum lanatum, metæ figura: galerum, pileum ex pelle hostiæ cæsæ*. Isidorus, lib. xix. cap. xxx. *Apex pileum sutile, quo sacerdotes gentiles vtebantur; ab apiendo, id est, ligando*. Sic apicis voce hac vsus Cicero, i. de Legg. *Nec dubito, quin iidem & cum Egeria collocutum Numam & ab aquilâ Tarquinio apicem impositum putent*. Ab *apio* est *apiculum* vox. Festus: *Apiculum, filum, quo Flamines velatum apicem gerunt*. De materiâ & formâ *apicis*, vti & de *apiculo*, & *albo galero*, vide quæ scribit Philippus Rubenius, lib. ii. Electorum, cap. xxv. Ab *apio* quoque, Festo teste, *aptus* is dicitur, *qui conuenienter alicui iunctus est*. Nempe quia *apio* est *iungo, ligo*. Græcè sit συνηρμοσμένος. In quibusdam libris veteribus (Maronis imprimis) est *haptus*, cum spiritu aspero: puta, quia ἅπτω primam adspirat. Verum nec, si hinc *aptus* veniret, quod Nunnesio placebat, isthæc iusta adspirandi ratio foret, quando Latini in Græcis spiritum sæpe vel adimunt, vel addunt. *Apti* voce, ea, quâ dixi, significatione vsus Maro, xi. Æn. *Intorsit cælum stellis ardentibus aptum*. Vbi Seruius *aptum* interpretatur *coniunctum*, ac scribit, esse ἀπὸ τοῦ ἅπτεσθαι, nempe non proximâ origine, sed mediatâ. Idem pleniùs hac de voce ad illud iv. Æn.

——— *Vbi maximus Atlas*
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

Vbi cùm eadem legas, tum hæc insuper: *Benè aptum, colligatum*. Cicero in Timæo: *Quæ ex coniunctione cælum ita aptum est*: id est, *constrictum & complexum*. Item in Oratore: *Facilius est enim, apta dissoluere, quàm dissipata connectere*. Hactenus Seruius. Iunius quoque Philargyrius, ad illud ii. Georg. — *ipsis è torquibus aptos Iunge pares: Aptos*, inquit, *est vinctos aut connexos. Est enim apta, iungi*. Vbi pro, *apta*, vel *api*, vel saltem *aptari* legi debere, rectè censuit P. Merula. Similiter Glossæ Fornerij: Ζευχθεὶς, *aptus, connexus*. Sæpius sic vsus Lucretius. Nec aliter accipi debet hoc Catulli. ep. xxviii.

Aptis sarcinulis & expeditis.

Aut quod Solinus vrsos ait congredi *aptos congressibus mutuis*: pro quo apud Plinium est, *non vulgari quadrupedum more, sed cubantes complexósque*. Similiter etiam capiendum in illo, apud Cic. lib. iii. Offic. *Fides apta pennis*, id est, *pennata*. Sanè & Appuleius, Apol. ii. (vt Turnebus monet lib. vi. cap. xviii.) copiose modo dicit, *verba pinnis apta*; quod Homero est πτερόεντα, nempe quia nihil est velocius verbis: vnde est, quòd Mercurius, qui sermonis typum gerit, fingi soleat alatus. Optimè quoque *aptum*, iunctum siue nexum interpreteris in illo Sidonij, Carm. i.

Tunc Faunis Dryades, Satyrísque Mimallones apta,
Fuderunt lepidum, rustica turba, melos.

Plura loca alia suggeret Nonius Marcellus. Nec *aptus* tantum, sed & *exaptus* dixere, ab *exapto*, quod est ab ἐξάπτω, hoc est, ἐξαρτῶ. Lucilius lib. x.

Pelicula extrema exaptum pendere opus ingens.

Lucretius, lib. iv.

Brachia tum porro validis exapta lacertis.

Atque ea propria *apti* & *exapti* notio est. Hinc petitâ translatione *aptus* ponitur pro *conuenienti*: a quâ significatione *ineptus* dicitur, qui à quouis reprehendi potest: vt Donatus ait, in Andr. act. i. sc. v. Sed curatiùs hac de voce Tullius, ii. de Orat. Curatissimè verò Iul. Cæsar Scaliger, oratione, quam de *inepti* voce conscripsit. Ex ea discas, *aptum* dici, qui aut natura, aut institutione, eam ingenij morúmque est temperationem consecutus, vt sui, aliorúmque, rei, loci, temporis, modi, & calleat, & habeat rationem: qui contra se habet, *ineptum* appellari. Hinc *ineptia*; pro quo in pluratiuo tantum *ineptias* dici vulgo putant. Sed singulari vsus Plautus, Mercatore, act. i. sc. i. *Ineptia, stultitiáque adeo, & temeritas*. Dixitque similiter Terentius: *Ita me Di ament, vt video ego tuam ineptiam*. Sic in vett. codd. vtrobique legi, monuit & Muretus, lib. viii. Var. Lect. cap. ix. *Ineptitudo* pro eo dixit Cæcilius, teste Nonio. Et hæc de ista *apti* significatione, quâ *ligatum*, vel *conueniens*, notat: sed tunc est ab ἅπτω. Alias *aptus* est idem quod *adeptus*. Festus, siue Paullus: *Aptus, cum propria significatione intelligatur, poni tamen solet pro adeptus: sicut apisci pro adipisci*. Sic vsus Plautus, Captiuis act. iv. sc. i. *Sine sacris hæreditatem sum aptus effertissimam*. Et in epitaphio, iuxta quosdam: *Postquam mortem aptu'st Plautus, Comœdia luget*. Valens Acidalius sic legit: *Postquam morti datu'st Plautus*: quomodo & in Stephanica Gellij editione legitur. Vsus & Varro:

Hic Demetrius æneas tot aptu'st,
Quot luces habet annus absolutus.

Nugatur Ausonius Popma, qui legit *nactus* reclamante versu, qui Phaleucius esse debet. Sed & Accium, Pacuuium, Lucilium, similiter locutos docebit Nonius. Ab *apio* est *apiscor*. Nam quæ apimus, id est, comprehendimus, ea apiscimur. Quod Nonius interpretatur *inuenire*. Vett. Glossæ exponunt κτῶμαι & ἐπιτυχεῖν. Vtitur Tacitus, lib. vi. Annal. *ius apiscerentur in quatuordecim ordinibus sedendi*. Et eodē. *Scientiam Chaldæorum artis, cuius apiscendæ otium, apud Rhodum, magistrum Thrasyllum habuit*. Ex eodem libro: *Nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur*. Vsus & Lucretius, lib. i. & vi. Sæpiúsque in Ciceronis, Sallustij, & plerorumque omnium scriptorum, antiquis codd. inuenitur: sed indocti [illegible] in vulgatis *adipisci* substituerunt. Ab *apisci*, non *adipisci* tantum dicimus, sed & *indipisci*, Festo teste, ac antiquè *indipiscere*. Plautus Asin. act. ii. sc. ii. *Nunquam edepol quadrigis albis indipiscet postea*. Vnde liquet, veteres quoque dixisse *apisco*: Vtrumque ἀναλογία comprobat. Nam vt a *tremo tremisco*, sic ab *apio*, vel *apo*, *apisco*. At vt a *paueo pauescor*, sic ab *apere apiscor*. Vt ab *apio*, vel *apiscor*, est *aptus*; sic ab *indipio*, vel *indipiscor*, est *indeptus*; vnde *indepto*. Festus: *Indeptare, consequi*.

Apium est, quod Græcis dicitur σέλινον: nempe, vt Etymologus ait, παρὰ τὸ ἐξ ἴλυος [illegible] vnde & species eius vocatur ἐλεοσέλινον, q. d. *paludapium*. Apud Isidorum, lib. xvii. c. xi. vitiosè pro eo etiam in MSS[is] meis *oleoselinum* legitur. Quanquam nec damnem *oreoselinum*, cuius meminit Plinius, lib. xx. c. xi. Id ad verbum sit *apium montanum*. Est & *hipposelinon*, q. d. *equapium*; quod Latinis *olus atrum* vocari, scribit Plinius. Quod verò à *petris* vulgò *petroselinum* vocatur, illud, iuxta Gorræum, est, quod ἄπιον Græcis σέλινον nuncupatur. Latinam vocem video quosdam deducere à Dorico ἄπιον, pro [illegible]. Vellem, adiecissent, quis Græcorum σέλινον nominarit ἄπιον. Mihi quidem nunc nullus occurrit. A Latinis originem arcessit Isidorus, loco citato, vbi ait: *Apium dictum, quod ex eo apex, id est, caput antiquorum triumphantium, coronabatur*. Confirmat hanc sententiam, quod fuerit inter præmia quatuor sacrorum Græciæ certaminum: vt vel ex illo Archiæ notum;

Ἆθλα δὲ τοῖς, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.
Præmia sunt, pomum, pinus, oliua, apium.

Aliis placet sic dici, quòd eo apes gaudeant. Sanè ob eandem caussam herba alia *apiastrum* ab Hygino, dicta est: nēpe Græcorum exēplo, qui μελισσόφυλλον vocant; vt superius diximus.

Apluda, siue *appluda*, quid sit, Plinius docet, lib. xviii. cap. x. *Milij & panici, & sesamæ purgamenta, appludam vocant; alibi aliis nominibus*. Gellius, lib. xi. cap. vii. *Legerat ille, appludam veteres rusticos frumenti furfurem dixisse; idque à Plauto in comœdiâ, si ea Plauti est, quæ Astraba inscripta est, positum esse*. Eadem Nonius in *Apludae*. Glossæ vett. *Apluda*, [illegible]. Festus: *Apluda, est genus minutissimæ paleæ frumenti, siue panici, de qua Næuius*:

Non hercle apluda est hodie, quàm tu, nequior.

Addit deinde: *Sunt qui appludam sorbitionis liquidissimum putent genus, quod flatu depellatur, & quasi applaudatur*. Sed, de sorbitionis genere, alibi non memini legere. De etymo ἀναλογία non repugnat. Nam *au* in *u* sæpe abit; vt *claudo occludo*, *fraudo defrudo*. Imo & MSS[i] quidam Festi codd. habent hic *aploda*, &, *applodatur*. Vt a *plaudo plodo*, à *Caurus Corus*. Porro tale minutum liquidissimum, quod spiritu deijcitur, non est cogitandum, quòd illud, solo allisum, edat plausum, strepitumve; sed quod, flatu deiectâ sorbitione liquidissimâ intra labia, vel ex ore, applaudatur, id est, plausus, strepitus, crepitusve, quantuluscumque, inter expellendum edatur.

Aplustra, siue *aplustria* (vtrumque dici, docet Priscianus l. vii.) quid & vnde sint, docere conatus Festus Pompeius: *Aplustra*, inquit, *nauium ornamenta. Quæ, quia erant Amplius quàm erant necessaria vsu, etiam Amplustria dicebantur*. Iul. Scaliger, Comm. in Arist. hist. animal. lib. ix. sect. clxii. deriuat ab *amplus*, id est, *capax*. Alij putant, sic dici ab ἀ priuatiuo, & πλέω, *nauigo*. Nempe quia Festus, vt iam audiuimus, dicat, non esse ea ad nauigandum necessaria. Verum omnino placet, *aplustra* esse à Græco ἄφλαστα. Docet hoc vetus inter-

pres

pres Iuuenalis, sat.v. *Aplustra, tabulatum, ad decorandum superficiem nauis appositum. Alii dicunt, rostra nauis, ornamentum puppis.* ἄφλαστα. Item Glossæ Philoxeni, in quibus legas, *Aplustra*, ἀσφαλῶς, καὶ τὰ ἄκρα τῆς πρύμνης· vbi pro ἀσφαλῶς, legendum, ἄφλαστα. Etiam in Glossis legas: *Aplustra*, πλείονα πλοίου, ὡς Ἔννιος. Significat, Ennio eâ voce notari τὰ πλείονα τοῦ πλοίου· vt cristas, vel simile ornamentorum, in prora. Vsus ἄφλαστον voce Apollonius. lib.II.

——— ἀφλάστοιο περιδραξάμενος ἄκρα κόρυμβα.

Cui simile hoc Lucani, lib.III.

——— *Validis apluſtre lacertis,*
Auulsasque rotans excusso remige sedes.

Aplustrium quoque meminit Lucretius, lib.II.& VI. Vsus & Cicero & Germanicus Cæsar, vterque in Arateis, apud Priscianum, lib.VII. Item Silius, & alij. Græcum vero ἄφλαστον vnde deducant Grammatici, docebit Eustathius, loco antè monstrato; Scholiastes Appollonij, in I Argonaut. & auctor Etymologici magni. Vide & quæ his de vocibus notauit B. Vulcanius, ad Glossas Philoxeni, col.XI.XII.& XIII.& Salmasius imprimis in exercitationibus ad Solinum pag.572. *Latini veteres ex Græco* ἄφλαστα *fecerunt aplustrum. antiquissimi dicebant amplustre, unde Grammatici amplustria dicta interpretantur, nauium ornamenta, quia erant amplius quàm essent necessaria vsu.*

Apocha, scriptum quo creditor debitorem absoluit. Gr. ἀποχή, ab ἀπέχειν quod est, ἀποφέρειν, siue ἀπολαμβάνειν. Quomodo Christus Matth.VI. ait, eos, qui eleemosynas dant, aut hoc fine precantur Deum, vt ab hominibus videantur, ac laudentur, ἀπέχειν τὸν μισθὸν αὐτῶν. Ac Plutarchus quoque similiter locutus, vt ad eum locum notauit doctissimus interpres. Quomodo differat ab *acceptilatione*, cognoscimus ex l. 19. D. de Acceptil. vbi sic loquitur Vlpianus: *Inter acceptilationem & apocham hoc interest, quod acceptilatione omni modo liberatio contingit, licet pecunia soluta non sit: apocha non aliàs, quàm si pecunia soluta sit.* Eadem habes in Glossario Græco: Διαφέρει ἀποχὴ ἀθετήσεως, ὅτι ἡ μὲν ἀπ... [illegible] ... ἐλευθεροῖ. καὶ πάλιν ἡ μὲν ἀθέτησις πάντως ἐλευθεροῖ. ἡ δὲ ἀποχὴ, οὐκ ἄλλως ἢ ὅτι μετὰ ... τὰ χρήματα.

Apologus, ἀπόλογος, quia sit λόγος ἀπὸ λόγου. Nam aliud apertè dicit, aliud innuit. Apologia, ἀπολογία, ab ἀπολογεῖν, si vim partium, τοῦ ἀπὸ & λέγειν spectemus, propriè notat *refellere*. Quod quia facit, qui se defendit, hinc factum, vt ἀπολογεῖν sit *caussam dicere*, siue *defendere se*; ἀπολογία *defensio* seu *caussa dictio*. *Apologare* etiam apud L. Senecam legas, epist.XLVII. *Ipse illum inuicem apologauit, & ipse non iudicauit domo suâ dignum.* Ea constans vett. libb. lectio est. Quæ si recta; fuerit ab ea notione τοῦ ἀπολέγειν, quâ notat, *admittere nolle, reijcere, repellere*: quomodo Polybius, Plutarchus, aliique vtuntur. Ita Lipsio etiam videtur. Nec insolens eo seculo, vt Latini Græca vocabula donarent terminatione Latinâ; quando similiter dixerunt, *catomidiare, aporiari, chromatiare*, & alia. Henricus tamen Stephanus malebat *ablegauit*: sed inuitis libb.

Apophoreta, ἀποφόρητα, ab ἀποφέρω, id est, *aufero*. Nominis caussam non intellexit Calderinus. Nam ait, *sic dici dona, quæ amici remitterent illis, à quibus dona accepissent: ita populum Vespasiano misisse xenia, Vespasianum ei remisisse apophoreta.* Sed sunt ista λῆροι. Apophoreta enim dicuntur, quæ conuiuis dantur domum auferenda: iuxta interpretationem ipsius Martialis, cùm, epig. I. Apophoretorum, ait:

Præmia conuiuæ det sua quisque suo.

Turnebus. Aduers. lib.IX, cap.XXIII. probat idem, hoc Ambrosii Exhortatione ad virgines. *Qui ad conuiuium magnum inuitari solent, apophoreta secum reportare consueuerunt. Ego ad Bononiense inuitatus conuiuium, vbi sancti Martyris celebrata translatio est, apophoreta vobis plena sanctitatis & gratiæ reseruaui.* Idem, vel potius sub eius nomine alius (Hilarius diaconus, vt arbitror), in epist. ad Rom. *Ad quod omnes inuitati apophoreta duplicia consequuntur.* Isidorus, lib.XX.c.IV. in muliebri genere dicit *apophoretam*, idque ex more seculi; vt *bibliam* posteriores, pro bibliis. Exponit idem, vas escarium, quo poma, vel alia, inferrentur. Plura de *apophoretis* Lipsius, Saturn.lib.I.cap.XVI. & Fulnius Vrsinus, appendice extremâ de Triclinio.

Apoplexia, ἀποπληξία, quasi *vehemens percussio*, ab ἀποπλήττω, quod est, *percutio*. Cælius Aurelianus, lib.III.cap.V. *Apoplexia dicta est, quòd tanquam ex letali percussu repentinum faciat casum.* Scribonius Largus vocat *siderationem*; quia hoc morbo laborantes, quasi sidere aliquo sunt percussi. Cornelius Celsus, lib.III.c.XXVI. tales appellat *attonitos*: sed tamen, latiùs patere agnouit. *Attonitos*, inquit, *raro videmus, quorum & corpus & mens stupet. Fit interdum ictu fulminis, interdum morbo: ἀποπληξίαν Græci appellant.* Nempe attonitum, propriè, τὸν ἐμβρόντητον dicimus: sed per translationem, τὸν ἀπόπληκτον. Idem Celsus, cap. seq. suo seculo *paralysin* vocari ostendit his verbis: *At resolutio neruorum frequens vbique morbus est. Sed interdum tota corpora, interdum partes, infestat. Veteres auctores illud ἀποπληξίαν, hoc παράλυσιν nominauerunt. Nunc vtrumque παράλυσιν vocari video.* Nempe παράλυσις est ἡμιπληξία, cùm altera tantum cerebri pars ab humore pituitoso, vel etiam melancholico, obstruitur: ἀποπληξία verò, cùm humor is vniuersum cerebri corpus imbuit; ac facit, vt vel nullius, vel perexiguus, spiritus animalis subeat in neruos: vnde fit vt aboleatur motus facultatis animalis. Qui si non aboletur penitus, sed tantùm corrumpitur; (fit hoc cum humor non tam obstruit cerebrum, quam copia & malignitate grauis ac molestus est; vnde ipsum mouendi & sentiendi principium in se recurrit, & eam à se amoliri contendit crebrâ & inæquali corporis conuulsione & concussione eâque tantâ, vt ex humore in cerebro exagitato spumam eliciat.) hoc, inquam, cum fit, ἐπιληψία vocatur, ἀπὸ τοῦ ἐπιλαμβάνειν καὶ κατέχειν τὰς αἰσθήσεις, vt ait Trallianus: quia *sensus inuadit, eosque retinet*. Nam vtrumque, τὸ ἐπιλαμβάνειν notat; *inuadere* siue *corripere*, & *retinere* seu *sistere*. Vnde & Trallianus duo hæc, ἐπιλαμβάνειν (pro quo corruptè apud eum ἐπιλανθάνειν editum est) & κατέχειν, coniungit.

Apostema, Plinio, quod Celso, *abscessus*. Ἀφίσταμαι, *abscedo, secedo*. Vnde ἀπόστημα esse, etiam Galenus scribit, ad Glauconem. Nempe quia humor, qui digeri non potuit, in suppurationem versus partes eas, quæ humorem præter naturam in se recepere, resoluit, ac cùm antea essent contiguæ, separat, ac disiungit. Eiusdem originis est ἀποστάτης, *apostata*, desertor religionis Christianæ. Vnde *apostatare*, apud veterem Sirachidæ interpretem, cap. X. 14. & XIX. 3. est ἀφίστασθαι, *deficere*.

Apostolus, ἀπόστολος, *legatus*; ab ἀποστέλλω, quod est, *cum mandatis emitto*. Matth.cap.X.5. Τούτους τοὺς δώδεκα ἀπέστειλεν ὁ Ἰησοῦς· *Hos duodecim legauit*, siue cum mandatis emisit, *Christus*. Classem quoque emittendam Græci vocarunt ἀπόστολον &, quibus eius emittendæ cura esset, ἀποστολεῖς. cuiusmodi & iudices erant in controuersiis nauticis. Auctores Suidas & Harpocration. Aliam quoque notionem docet Paullus, Sentent. lib.V. tit XXXIV. *Ab eo*, inquit, *à quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est, literæ dimissoriæ dirigantur, quæ vulgò apostoli dicuntur.*

Apotheca. ἀποθήκη, ab ἀποτίθημι, quod est *reponere, recondere*. Isidorus lib. XV. cap.V. *Apothecæ, vel horrea, à Græco, verbum ex verbo, repositoria, vel reconditoria dici possunt, eò quod in iis homines elaboratas fruges reponunt. Vnde & entheca, Græco sermone, repositam res copiosam substantiam appellamus.* De *entheca* quod ait, sic sæpe vtuntur scriptores Ecclesiastici. Vt Cassianus, libro de institutis monachorum, cap.IV. *Cùmque totam enthecam cœnouij, suam esse credat substantiam.* Et Gelasius, XII.q.II.c. *Vobis enim si quæ forte fuit annuâ remanebit expensâ, electo idoneo ab vtraque parte custode, credatur enthecis.* Sed redeamus ad *apothecam*. Quæ vox generalis est. Vnde à Iurisconsultis, & aliis, tribuitur vinorum, olei, librorum, similibúsque receptaculis. Quomodo ab *officina* & *tabernâ* differat ostendimus in *Taberna*.

Apricum opponitur *opaco*. Vnde in Glossis vett. exponitur, ἡλιαζόμενος. Item τόπος ἀνήλιος, προσήλιος. Est igitur locus soli expositus. Dicitur *apricum* quasi *africum*, ab α στερητικῷ & φρίκη, *horror*. Sic Festus, in *Apricum*. Seruius, in V Æn. Isidorus, lib.XIV.cap.VIII. Atque ab eâdem origine *Africam* dici volunt iidem. Sed de *Africâ* quidem quin fallantur, nullus dubito. Vide quæ hac de re in *Africus* dicimus. Nec de *aprico* assentire ausim. Magis placet, *apricus* quasi *apericus* dici, quia locus sit *apertus*, solique expositus. Nec tamen quiuis locus soli expositus sit apricus: sed temperatus, atque ad apricandum idoneus. Vnde est, quòd in vett. Gloss. exponitur εὐήλιος. Vbi attendere oportet vim aduerbij εὖ. Hinc *apricitas*, de temperie loci. Sic vsi Plinius, Iustinus, Solinus.

Aprilis geminum etymon ponit Isidorus, lib. V. cap. XXXIII. Vnum est, vt sic dicatur, quasi *aperilis*, quia *aperit omnia*. Quod etymon cùm Varroni placuit, cuius verba mox ponemus, tum Ouidio, lib.IV. Fastorum; Macrobio, lib.I. Saturn. cap.XII.& Seruio, ad illud I. Georg.

Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus.

Alterum etymon est, vt *aprilis* dicatur, quasi *aphrilis* ab ἀφρὸς, *spuma*; quia nempe ex hâc nata Venus; cui is mensis sacer. Huius etymi auctores qui sint, mox ex Varrone dicemus. Eósque etiam Nunnesius sequitur in Grammatistice: vt cui *aprilis* sit ab Ἀφροδίτη. Verùm Cincius, vt ibidem auctor est Macrobius, negabat, huic mensi à Venere indi nomen potuisse, eo quòd Venus antiquis illis Romuli nepotibus fuerit ignota,

ea, vt cui nullum instituerint diem festum, ac cuius nulla in Saliaribus hymnis mentio fiat. Cincio adstipulatur Varro. Vt hæc eius indicant verba, è lib. v. de L.L. *Secundus mensis (vt Fuluius Flaccus scribit, & Iunius Gracchus) à Venere, quod ea sit Ἀφροδίτη. Cuius nomen ego, antiquis literis quòd nusquam inueni, magis puto dictum, quòd ver omnia aperit, Aprilem.* Iosephus Scaliger, Coniectaneis in Varronem, idem ab Arnobio proditum ait, lib. II. Sed apud eum haud aliud lego, quam Apollinis nullam fieri mentionem in indigitamentis Numæ Pompilij. De Venere autem ne γρῦ quidem. Quare hoc quidem ἀμνημονικὸν ἁμάρτημα esse suspicor. Porro illud adjiciamus, nec *aprilem* ab *aperiendo* dictum videri, quamquam id putabat Varro; sed ab *aper*. Visum hac de re adducere illustrem Iosephi Scaligeri locum è schedâ eius meditâ, quam penes me habeo. *Quomodo*, inquit, *mensis Aprilis dici potuerit ab aperiendo, equidem non video. Primum cum annus ab initio x tantum mensium fuerit, necesse est semper menses vagos fuisse, neque stationes temporum fixas tenuisse. Ita Aprilis semel tantum incidebat in tempus vernum, & post XII. annos Romuleos, hoc est, x. Lunares, redibat in orbem. Deinde Aprilis non potest descendere à verbo. Nam nomina, quæ huius terminationis sunt, si descendant à verbo, penultimam corripiunt: vt probabilis, vtibilis vel vtilis, facibilis vel facilis. Si autem à nomine, eandem producunt: Equus, equilis; ouis, ouilis; caper caprilis* (vtitur hac voce Varro II. de R.R.) *aper, aprilis, &c. præter pauca. humilis, iuuenis, &c. Ergò Aprilis ab apro, hoc est, porco. Vt Athenis ἐλαφηβολιών, hoc est, ceruilis. Sic Aprilis καπροφόνιος vel κατροφόνιος.*

Apva, genus minimi pisciculi, vt ait Festus. Venit ab ἀφύη mutatâ adspiratâ in tenuem. Quomodo à πορφύρα est *purpura*, Φοῖνιξ *Poenus*, &c. Etsi autem ἀφύαι etiam dicantur quædam, quæ nascuntur è semine, vti apua cobitis & quædam aliæ: verè tamen propriéque id nomen conuenit ei speciei, quæ non è semine nascitur, sed superfluitante in mari spumâ, quæ excitatur, cùm aqua multa è cœlo fluxerit. Hoc genus Aristoteli iccirco ἀφρὸς. Athenæo ἀφρίτις, alijs, eodem Athenæo teste. ἀφρύα appellatur. Estque Veneri dicatum, quia & Dea illa è spuma maris nata fingitur, indéque nomen Ἀφροδίτης accepisse, a Platone & alijs putatur. Dicta verò ἀφύη ab ἀεὶ & ὕειν, *pluere*, quia imbribus multis collectis, excitatur spuma istæc, è quâ apuam nasci dicebamus. Plinius lib. XXXI: c. VIII. *Apuam nostri, aphyen Græci vocant; quoniam is pisciculus è pluuiâ nascitur.* Vel dicta ἀφύη, quasi ἀφυὴς, hoc est, ἀνοφυὴς, quasi non nata, quia nempe coitu non procreetur. Hanc etymologiam ponit Athenæus, lib. VII. In Aldinâ pro ἀνοφυεῖς, editum διφυεῖς, quasi *bis natæ*; vt quæ temporis spatio pereant, ac denuo nascantur, auctore Aristotele. Verùm, sic non ἀφύαι, sed ἀναφύαι dicerentur. Neque hoc dicit Aristoteles, easdem numero apuas renasci, sed specie easdem. Quare non dubitandum, quin rectè in postremâ editione ἀνοφυεῖς legatur. De apuis videre præter alios potes Aristotelem, lib. VI. de histor. animal. cap. XV. Rondeletium, lib. VII. de piscibus; Isaacum Casaubonum, lib. VII. Animad. in Ath. cap. VIII.

Apvd, quasi *ad pedes*: vt censet Cæsar Scaliger, de causs. L.L. cap. CLVII. Sed obstare videtur, quòd veteres pro eo *apor* dixere, teste Festo. Nisi malis *apor*. Sic enim MStus vnus: vbi complures *apor*. Vel scribendum *ape*. Nam in Glossis Philoxeni est, *Ape*, παρά. Verùm potius emendandæ Glossæ ex Festo. Nam & legas apud Victorinum: *Sed nos nunc & aduentum & apud per d potiùs, quam per t scribimus, aruentum, & aput*: fortasse autem *apor* siue *apur* sit ex *apere*, quod valet *apisci*: hoc est, *inuenire* ac *comprehendere*. Sanè, quæ *apud nos* sunt, inuentu ac comprehensu facilia sunt.

Apvs, ἄπους, quasi, *sine pedibus*. Plinius lib. x. cap. XXXIX. *Plurimum volant, quæ apodes, quia carent vsu pedum. Ab aliis cypseli appellantur. Nidificant in scopulis. Hæ sunt quæ toto mari cernuntur: nec vnquam tam longo naues tamque continuo cursu recedunt à terrâ, vt non circumuolitent eas apodes. Cetera genera residunt, & insistunt: his quies, nisi in nido, nulla: aut pendent, aut iacent.* Ceterùm, non in totum pedibus carent: sed eos pilosos, adeóque minutos habent, vt carere videantur. Ideo Aristoteles, lib. I. historiæ de animal. Ὄρνιθες δέ τινες κακόποδες, οἳ διὰ τοῦτο καλοῦνται ἄποδες. Non dicit, carere pedibus, sed pedum vsu carere. Nam κακόποδες, non *depes*, vt Gaza vertit; sed potiùs *prauipes*, vt transfert Cæsar Scaliger. Sed in Americâ aues sunt vere *depedes*; vt ex Hispanicis nauigationibus constat. Quod autem Plinius ait, *apodes* aliter *cypselos* vocari, id claré dixerat Aristoteles in histor. animal. lib. IX. cap. XXX. Οἱ δ' ἄποδες, οὓς καλοῦσί τινες κυψέλους, ὅμοιοι ταῖς χελιδόσιν εἰσί. Et videntur *cypseli* dictæ, à κυψέλη, quod est *capsæ* genus: siue è vimine plexum, siue è luto factum. Caussa nominis erit, quia nidos faciunt ad *capsulæ* formam. Etiam Periandri pater, quia delituisset ἐν κυψέλῃ, Κύψελος dictus, eiusque posteri Κυψελίδαι. Herodotum vide in V. Becmanus volebat, cui cypselo nomen esse à קפוז *kippoz*. Sed eo potius *ericius* notatur, vt R. Salomon sentit, & Aben-Ezra, vt testatur Kimchi in libro Radicum. Eóque modo, præter vulgatum interpretem, vertit Vatablus. Sunt, qui *testudinem* exponant, & quibus *auem* esse placet, aut *vulturem*, aut *vlulam*, aut *meruiam* esse arbitrantur. *Meruiam* quidem vertit socer Iunius, idque approbante etiam in Lexico suo doctissimo Buxtorfio.

Apyrinorvm mentio apud Martialem, in Xeniis, epigr. XLII. & XLIII. item Plinium, lib. XIII. cap. XIX. & lib. XXIII. cap. VI. Est ab α στερητικῷ, & πυρὴν, *nucleus*, siue ligneum osseumve illud, quod inest pomis, vti cerasis, mespilis, & similibus. Hanc vocis originem claré indicat Plinius, his verbis: *Diuisit & in genere, apyrinos vocando, cui ligneus nucleus abest.*

AQ:

Aqvam Festus dici ait, quasi *à qua iuuamur*: vbi codd. alij *viuamur*, alij *viuamus*. Possis & dicere, *à quâ sumus*; quia aqua rerum omnium principium est, vt quidem voluit Thales. Hanc etymologiam confirmare videtur, quòd Lucretius primam producere videatur, cùm scribit, lib. VI.

Quæ calidum faciunt aquæ tactum atque saporem.

Verùm, etsi Lambini audaciam probare non possum, qui solâ fretus coniecturâ, pro *aquæ* reposuit *laticis*, tamen nec iis assentio, qui primam hic produci putant: quos inter Scipio Gentilis, lib. II: παρέργ. cap. vlt. Nam *aqua* hic trisyllabon est, quasi *acuam* dicas: quomodo eidem alibi *relicuus* tetrasyllabon est, pro, *reliquus*. Quare si hic versus quicquam facit ad eruendum etymon, potius crediderim, eo confirmari illorum sententiam, qui *acuā* esse volunt ab ἀφύη, quod erit ab ἀεὶ, & ὕειν vt propriè notet aquam pluuialem, vt & ὕδωρ, siue ὕδος quādo hoc quoque ab ὕω Grammatici esse volunt. Quod si cui hoc etymon improbatur, quia ἀφύη non inueniatur ea notione apud Græcos, is, vel cum Varrone, possit *aquam* deducere ab *æquitate*, hoc est planitie. Vel possit, cum Angelo Caninio, & *aquam*, & *æquor*, deducere à Dorico αἶγες, quod *aquam* ac *litus* notat. Vel, cum Petro Nunnesio, deducat ab ἰχὼρ quod est, ὑγρότης λεπτὴ, *humor tenuis*, vt explicat Galenus. Vel denique, cum Iulio Scaligero dicere possit, veteribus Græcis *aquam* dictam ἄχα. Quod probari videtur voce Ἀχελῷος. Siquidem ea est, non παρὰ τὸ ἄχη λύειν, quod scripsit Eustathius: sed, vt Scaliger, cap. XXVIII. de caussis L.L. & Exercitat. DCCXXV. docet, ab ἄχα & λῶος, quòd à λούω, vt ad verbum sonet, *aqua lauacrum*. Pro hac sententiâ est, quòd veteres *Acheloum* pro quâuis aquâ dixerint: vt Macrobius ait, lib. V. cap. XVIII. Seruius, in I Georgicorum; Eustathius, in Iliad. φ' & Etymologus, in Ἀχελῷος. Non ignorauit hoc diuinus poeta, cum scripsit;

Poculaque inuentis Acheloia miscuit vuis.

Euripidem quoque aliquot locis sic locutum, docuit Fulvius Vrsinus. Sed, vt verum dicam, ex cunctis his nullum Etymon satisfacit. Verum autem puto, vel *aqua* vocem non habere originem in Latio aut Græcia: vel esse à *fusione*; quod Caninius quoque scripsit; quasi ἁ χοά. Nam interdum Latini articulum nomini iungunt. Sic ex τὸ μῖδο, *tomentum*. Ac videtur similiter ex ὁ χὴν (quomodo *anser* vocatur à Græcis) factum *ocha*, vel *ancha*. Glossæ vett. χὴν, *auca*, *anser*. Ab *aqua* est diminutiuum *aquula*; apud Cicer. I. de Orat & Plautum, Curcul. Pro quo & *aquila* legitur per *i*. Quia verò hæc vox & aquilam militarem notat, more suo lusit eâ Plaut. Persa. act. V. sc. I. *Hic statuo volo primum aquilam mihi, Vnde ego omnes hilaros &c.* Ita plerique emendant, consentientibus ferè MSStis, & vetere Aldi. In vulgatis verba sunt trajecta. Ab *aqua* & *ago* in Digestis est *aquagium*; quod ad verbum sonat ὑδραγωγεῖον vnde Festus *aquæductum* interpretatur. Dicitur verò & *aquagium*, & *aquæductus*, quia aqua ex loco quouis ageretur siue duceretur in castellum, vt inde in loca distincta certâ effluerct mensurâ. Gloss. vett. ὑδραγωγεῖον, *aquiductium*, *aquarium*, *aquagium*. Vbi & *aquarium* dici videmus: quod reperias in quibusdam Solini codd. Dionysius Hal. l. III. vocat τὰς τῶν ὑδάτων ἀγωγάς. Alij simpliciter ἀγωγοὺς appellant. Vide de his duos Frontini libros; Plinium, lib. XXXI. cap. VI. & è iunioribus G. Fabricium, in Româ suâ; ac Aldum Manutium, lib. I. de quæsitis per epist. *Aquileges* sunt, qui aquarum indagatores vocantur Columellæ, l. II. cap. II. ac aquarum libratores appellantur, l. II. de excusat. artific. in Cod. Theodos. sic autem ab aquis legendis siue colligendis dicuntur, vt ex Nonio cognoscimus. Vbi hæc citat è Varronis Quinquatribus: *An hoc præstat Herophilus Diogeni, quòd ille è ventre aquam mittit? an hoc te iactas? At hoc pacto vtilior te Tuscus aquilex.* Vtitur & Seneca, lib. III. natur. quæst. cap. XV.

Sæpe colligitur, roris modo, tenuis & diſperſus liquor, qui ex multis in vnum locus confluit. Sudorem aquileges vocant: vbi malè quidam, *aqua leges*. Inuenias & apud Plinium Veronenſem, lib. XXVI. cap. VI. & Nouocomenſem, epiſt. ad Trajanum. Budæus quoque, in verbis Caſſiodori, *aquileges* pro *aquilices* legendum ſuſpicatur. Sed nihil mutatione opus cenſeo. Nam *aquilegæ* quoque ab aquis eligendis dicuntur *aquilices*. Gloſſ. vett. *Aquilices*, οἱ τὰ ὑδ[illegible] [illegible], οἱ [illegible], [illegible]. Alias *aquilices* ſunt, qui in ſiccitatibus, rei diuinæ procuratione, aquas cælo eliceren. Hinc *aqualicium*, ſiue *aquilicium*, ipſum ſacrificium, quod pro impetrandis imbribus fiebat. Feſtus, vel potius Paullus: *Aqualicium dicitur, cum aqua pluuialis remediis quibuſdam elicitur, vt quondam manali lapide, ſi creditur, in vrbem ducto.* Tertullianus, apolog. cap. XL. *Aquilicia Ioui immolatis, nudipedalia populo denuntiatis.* Aliquid hac de re quoque dicemus in *Manalis*. Ab *aqua* item *aqualis* dictus, vt Varro ait, IV. de L. L. Vas eſt aquarium, vnde manibus aqua affunditur. Eſt & apud Plautum, Curcul. actu II. ſcen. III. & Mil. act. III. ſc. II. *Aqualiculus* autem ſumitur pro imo ventre, quia vt aqualis aquam, ſic ea pars vrinam fundat. Perſ. ſat. I.

> ——— *Nugaris, cum tibi, Caine,*
> *Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extat.*

Nec pro imo tantum ventre, ſed & pro ſtomacho ſeu ventriculo accipitur. Seneca, apud Lucillium: *Cùm peruenit cibus in ventrem, aqualiculi feruore concoquitur, tunc demum corpori accedit.* Marcellus quoque Empiricus vtitur hoc pacto aliquoties. Huius etiam loci eſt, *aquamanalis*; quo vſus Varro, apud Nonium, in *Trulleum*. Poſteriores pro eo dixere *aquamanile*. Nam *manale*, & *manile*, dicebant vt *librale*, & *librile*. Vtitur Paullus, l. III. in princ. ff. de ſupell. Sic enim apud eum legi debere, rectè cenſent Cuiacius, lib. X. Obſeru. c. XIII. & Ioſ. Scaliger, ad Feſtum, in *Manalem lapidem*. Vulgò trajectis malè literis *aquiminale* apud eum ſcribitur. In vett. Gloſſ. exponitur χέρνιβον. Sic verò dicitur, vel quòd ex eo aqua manet; quod Varro exiſtimabat: vel potiùs ab *aqua* & *manibus*. Quod confirmatur veterum ritu, qui aquam ante cibum his verbis poſcebant. *Aquam manibus*. Plautus, Perſâ, act. V. ſc. I. *Meum natalem agitemus amœnum: date aquam manibus; apponite menſam.* Fabius Pictor, apud Nonium, in *Polubrum*: *Aquam manibus pedibuſque dato: polubrum ſiniſtrâ manu teneto, dexterâ vaſum cum aquâ.* Eiuſdem originis eſt *aquiminarium*, vel potiùs *aquamanarium*, apud Pomponium, in l. XXI. ff. de arg. & aur. leg. Vide quæ de eo Cuiacius, l. X. Obſeru. cap. XVII. *Aquarij* dicuntur, qui aquam ferunt, ὑδροφόροι. Item ὑδροφύλακες, aquarum cuſtodes, ſiue aquæductuum curatores. Cui hominum generi cum cura incumberet deducendi in vrbem aquas publicas, ſæpe eas in priuatum vſum conuertebat, aut, aliis facientibus, conniuebat. Iulius Frontinus, lib. I. de aquæductibus: *Cauſſa eſt fraus aquariorum, quos aquas ex publicis ductibus in priuatorum vſum deriuare deprehendimus. Sed & plerique poſſeſſorum, & quorum agris aqua circumducuntur, fraude formas riuorum perforant: vnde fit, vt ductus publici hominibus priuatis, vel ad hortorum vſum ſubſeruiant, vel ad itinera ſuſpendant*, &c. Hinc liquet, cur Cælius epiſt. VII. ad Cic. ſcribat, ſe pugnare cum tabernariis & aquariis. Nam erat Cælius ædilis curulis. Ad hos autem cura aquarum publicarum pertinebat. Ac putat Paullus Manutius, in comment. ad eam Cælij epiſtolam, eos, qui in ſtupris vxorum conniuerent inde *aquariolorum* nomen indeptos, quòd *aquarii* eſſent ſimiles, qui itidem conniuerent in publicarum aquarum deriuationibus. Sic ſanè *aquariolus* voce vſus videtur Appuleius. Apol. II. *Aquariolus iſte vxoris ſuæ*. Sed magis placet, *aquariolos* propriè eſſe προαγωγούς. Feſtus: *Aquarioli dicebantur mulierum impudicarum ſordidi aſſeclæ*. Sic etiam Tertull. in Apolog. cap. XLIII. *Primi erunt lenones, perductores, aquarioli.* Videtúrque id nomen eſſe [illegible] factum ab altera illa aquariorum ſignificatione, quâ ὑδροφόρους notat: vt nempe propriè ſic dicantur, quòd aquam ferrent meretricibus, quâ Veneri operatæ indigerent ad ſeſe cluendas. Hinc apud Plautum ait meretrix, Pœnulo, act. I. ſc. II. *Aggerundaque aquâ ſunt viri duo defeſſi.* Idem docet Lampridius, in Commodo: *Aquam geſſit, vt lenonum miniſterijs proſtrobis natum magis, quam ei loco, crederes, ad quem fortuna peruexit.* Itaque & in vett. Gloſſis legas: *Aquariolus, lenocinatur.* Vide Turnebum, lib. XIV. cap. XII. Lipſium, lib. I. Antiq. cap. XII. Colvium & Scip. Gentilem. ad II. Apol. Appulei. Nec tamen diſplicet doctiſſimi Salmaſii ſententia; qui, ad Sidonij epiſt. II. lib. IX. *aquariolos* dictos ſcribit, quia ad aquas verſarentur, meretricum gratiâ, quæ olim cellas ſuas in actâ conſtituebant. Firmat hanc rem M. Tullius de ſuppliciis: *Tamenſi in acta cum mulierculis iacebas ebrius.* Et poſtea: *ipſam illam ad partem litoris, vbi per eos dies tabernaculis poſitis caſtra luxuriæ collocarat.* Item Suetonius, in Nerone, cap. XXVII. *Quoties Oſtiam Tiberi deflueret, aut Baianum ſinum præternauigaret, diſpoſitæ per litora & ripas diuerſoriæ tabernæ parabantur, inſignes ganea matronarum, inſtitorio copas imitantium, atque hinc inde hortantium vt appelleret.* Vide & quædam, quæ huius item loci ſint, in *Lupanar*.

AQVIFOLIVM ὀξυάκανθος, vt *Aquifolia ilex*, ἡ ὀξύφυλλος πρῖνος. Nomen vtrique ab aculeatis foliis ac pungentibus. Plinius lib. XVI. cap. XXIV. *Folia aculeata aquifolio, & ilicum generi.* Aquifolium igitur quaſi acuti folium. *c* & *q* facile commutantur: vt, *quis*, *cuius*; *quatio*, *percutio*. Imò forſitan, vt à *rigo riguus* dicitur, à *noceo* ſunt *nocuus*: ſic *acuo acuus*: vnde *acuifolium*, vel *aquifolium*. Simile eſt *aquipedium*, ab acumine pedum. Quod ſimile eſt Græco ὀξυποδεῖν, de iis qui celeriter currunt. Gloſſæ: *Aquipedium*, ὀξυποδία. Feſtus: *Acupedius dicebatur, cui præcipuum erat in currendo acumen pedum.* Lucillius: *Aquipes vocem mittere cœpit.* *Aquipes*, vel *acupes*, quaſi ὀξύπους, qui & πόδας ὠκύς. Vulcanius, notis in Gloſſarium, putat, apud Feſtum pro *acupedius* legendum *acripedius*. Nec enim arbitratur, acumen commodè dici pro celeritate. Sed eum refellunt, quæ diximus. Et *acupedius* conſtanter eſt in MSS[tis], & vett. editt.

AQVILÆ geminam originationem ponit Feſtus, ſiue Paullus. Vna, quam ipſe ſequitur, eſt ab *aquilo*, hoc eſt, fuſco ſiue ſubnigro colore, qualis aquæ eſſe ſolet, vnde & *aquilo* nomen: vt ſuo loco dicemus. Altera, quam aliis tribuit, eſt ab *acutè volando*. Nam *auis hac nulla volat vehementior*, vt eſt apud Cic. II. de Diuinat. Ac apud Cedrenum legimus, videri Veteres, ad ſignificandam raptus celeritatem, finxiſſe, Ganymedem aquilâ à Ioue raptum eſſe. *Aquila* autem ab *acumine*, hoc eſt, celeritate volatus, eâ ratione dicetur, quâ, ab *acumine* ſiue celeritate *pedum*, dixere *aquipes*, & *acupedius*: vt in *Aquifolium* oſtendimus. Quod ſi quis volatui acumen haut rectè tribui putet, per me licet, aquilam ab *acuto*, non volatu, ſed viſu, dictam eſſe exiſtimet. Quippe, vt B. quoque Auguſtinus, poſt Homerum, & alios, ſcripſit, *aquila eſt acutè adeo intuitus, vt cum in eam altitudinem elata ſit, vt nec humanis pateat oculis, tamen & minutos videat piſciculos in mari natantes, & lepuſculos ſub vmbroſo frutice recubantes.* Notum etiam, vt aquila, quemadmodum Silius Italicus cecinit,

> *Phœbeâ ambos explorat lampade fetus.*

Duplicem, vel triplicem potiùs, aquilæ etymologiam vidimus. Addam & quartam, quam veriſſimam cenſeo. Planè enim adſentior doctiſſimo Angelo Caninio, qui *aquilam* eſſe putat ab ἄγλε, quomodo avis ea Cypriorum dialecto vocatur, teſte Heſychio. Eamque ſententiam amplexus & Petrus Nunneſius, *r* conuerſum in *l*, quomodo à κανθήλιος eſt *cantherius*, à στλεγγὶς *ſtrigilis*, à [illegible]. Hetruſcum *gangbero*, & ſimilia, quemadmodum in *Aquilo* dicemus. Hæc de primâ aquilæ ſignificatione. Inſuper verò & piſcis ſic vocatur, quia velut expanſis alis aquilam imitatur. Sic quoque dicebatur id Romanarum legionum ſignum, quod à primâ cohorte legionis ſuſcipi ſolet: vt ſcribit Vegetius .... Sic autem appellabatur, quod eſſet aurea argenteáve effigies aquilæ in ſacrario conſtitutæ. Id ſacrarium imponebatur haſtæ, quæ ex parte inferiori acuta erat, quo in terram defigi poſſet. Meminit tum aquilæ argenteæ, tum ſacrarij eius Cic. Catil. I. & II. Erat autem vna vnicuique legioni aquila, cùm ſigna tot fuerint, quot cohortes. Vnde liquet, meritò ſigna & aquilas, tanquam diuerſa, coniungi à Claudiano lib. II. in Eutrop. verſ. CCXXV:

> ——— *Hos aquila, Romanáque ſigna, ſequuntur.*

Vti & Tacito lib. I. & XV. Annal. ac II. & III. Hiſtor. & apud alios auctores paſſim. Vide H. Iun. lib. III. Animadv. c. XIII. & imprimis Iuſtum Lipſium, comment. in II. Annal. Taciti.

AQVILO Latinis dicitur, qui Græcis *boreas*. Eſtque ventus ſpirans ab ortu ſolſtitiali ſiue æſtiuo; vt ſcribit Gellius, lib. II. cap. XXII. Confirmat id Cornelius Nepos, in Miltiade. Vbi idem, Lemniorum reſponſum commemorans, priùs, *ventum aquilonem*, ait, pòſt, *ventum boream*, inquit. De etymo ſic Feſtus: *Aquilo ventus à vehementiſſimo volatu ad inſtar aquilæ appellatur.* Sed verius Angelus Caninius; iuxta quem, vel & Petrum Nunneſium, *aquilo* eſt ab ἀκυλὸς, quomodo ὁ βορρᾶς, *boreas ventus*, vocatur, Heſychio teſte. Conuerſum *r* in *l*, quo pacto à βάκτρον eſt *baclum*, ſiue *baculum*, ac à *Remo Lemures* dicimus, non *Remures*. Plura id genus adferebamus, cùm à Cyprio ſiue Æolico ἄγλε, *aquilam* ſimiliter dici, oſtenderemus.

AQVILVS, coloris huius meminit Plautus, Pœn. act. V. ſc. II. & Suetonius Aug. Lucillio quoque eam vocem tribuunt vett. Gloſſæ, vt mox parebit. Apud Nonium item, in *Lauis*, ſic locum Varronis emendat Scaliger:

> *Atque Ægeus fluctus, quam lauit antè aquilo,*
> *Samus vbi poſuit Neptuni filius vrbem.*

De vocis origine ſic Feſtus: *Aquilus color ab aqua eſt nominatus,*

vae Nam cùm antiqui duos omnino naturales nossent, id est, album & nigrum: intermedij autem ij quoque, qui ita neutri similes est, ut tamen ab utro que proprietatem trahat: potissimum ab aqua enim denominarunt, cuius incertus est color. In vett. Glossis est. *Aquilum* αὐγὸν ὡς λευκόν. Quod non refragatur Festo. Nam, quod subnigrum est, id & nigrum vocari solet. Homerus, Odyss. γ, sub finem:

— Καὶ μέλανα οἶνον

Πίνειν.

Maro:

Quà niger humectat flaventia culta Galesus.

Nigra autem vel subnigra vocatur aqua, non quia talis est, sed quia ob agitationem aut profunditatem nigricans videtur. Isque apparens aquæ color, ratio est, cur Neptuno nigrum taurum sacrificare soleant; vt auctores sunt Phurnutus, & Eustathius in illud Od. γ· Ταύρους παμμέλανας. Ab *aquilus* est *aquilius*. Festus: *Aquilius, prænomen, ab aquilo colore, id est, nigro, est dictum.*

A R.

Ara geminam ἐτυμολογίαν adfert Varro, IV. de L.L. *Vbi, inquit, frumenta secta teruntur, & arescant, Area. Propter horum similitudinem loca in urbe pura, Area. A quo potest etiam Ara deum esse, quod pura. Nisi potius ab ardore, ad quem ut sit, fit ara: à quo ipsa area non abest: quod, qui arefacit, ardor est solis.* Posteriorem ἐτυμολογίαν adfert quoque Isidorus, lib. XV. Orig. cap. IV. Ab *ardendo* autem *aram* dictam putant ob sacrificiorum ignes, qui in iis fiebant. Hinc apophthegma illud Augusti Cæsaris, qui, cùm Tarraconenses nuntiarent, palmam in ara eius esse enatam: *Apparet*, inquit, *quam sæpe accendatis.* Auctor Fabius, lib. VI. cap. III. quod de risu. Scribit Isidorus loco assignato, quosdam velle, *aras* dici *ab altitudine.* Quæ inepta est etymologia. Quare puto, eos non simpliciter dixisse, *aram* dici quasi *altam*: sed, *ara* esse ab αἴρω, quod est *tollo in altum.* Tertiam ibidem ponit his verbis: *Alij aras dicunt à precationibus, quas Græci ἀρὰς vocant, unde contra imprecatio satura dicitur.* Vbi pro *satura* (quomodo in vltimâ Parisinâ Breulij expressum, ac in MSS° quoque meo legitur) plane corrigendum κατάρα. Est enim locus desumtus ex istis Seruij ad II. Æn. *Ara autem dicitur à precibus, quas Græci ἀρὰς dicunt, unde contrà imprecatio κατάρα dicitur.* Imò ἀρὰ non tantum precationem siue preces, sed etiam imprecationem siue diras significat. Item ἀρᾶσθαι *precor* & *imprecor* notat. Estque hæc notio ab Hebræo ארר arar, *maledixit, execratus est.* Sed ab altera notione τῆς ἀρᾶς, quà precationem notat, *ara* nomen accepit. Est autem hæc Etymologia simplicissima. Non inepta tamen illa Varronis, vt *ara* sit ab *asa*, conuerso *s* in *r*. Quomodo, qui prius *Valesij, Fusij, Papisij*, postea dicti *Valerij, Furij, Papirij. Asa* vero antiquis fuit, quod postea *ansa.* Iuniores inseruere *n*. Quomodo *tango* dixere pro antiquo *tago*, vnde *tagax*: *frango* pro *frago*; vnde *fragilis*: *tensa* item & *mensa*, pro *tesa* & *mesa*. De hac *ara* originatione ponam verba Macrobij, è lib. III. cap. II. *Multifariam legimus, quòd litare sola non possit oratio, nisi & is, qui deos precatur, etiam aram manibus apprehendat.* (Inde Varro, diuinarum libro quinto, dicit) *aras primum asas dictas; quod esset necessarium à sacrificantibus eas teneri. Ansis autem teneri solere vasa, quis dubitet? Commutatione ergò literarum aras dici cœptas, ut Valesios & Fusios dictos prius, nunc Valerios & Furios.* Hæc omnia illo versu Poëta exsecutus est:

Talibus orantem dictis, arasque tenentem,
Audiit omnipotens.

Nonne eo auditum crederetis, non quia orabat tantùm, sed quia & aras tenebat, auctum? Nec non, cùm ait:

Talibus orabat dictis, arasque tenebat.

Item:

Tango aras, medios ignes ac numina testor:

Eandem vim nominum ex apprehensione significat. Hactenus Macrobius. Plaut. Rudente. Gr. *Tange aram hanc Veneris.* La. *Tango.* Gr. *Per Venerem hanc iurandum est tibi.* Et paulo post: Gr. *Tene aram hanc.* La. *Teneo.* Gr. *Deiura, te mihi argentum daturum.* Appuleius, lib. VI. *Tunc genu nixa, & manibus aram tepentem amplexa, detersis ante lacrymis, sic adprecatur.* Vide plura in formulis Brissonianis. Græcis *ara* est βωμὸς, à במות *bamoth.* Eo pro arâ excelsâ, in montibus aut collibus exstructâ, sæpe vtuntur Hebræi in sacris literis.

Araneus, & *aranea*, ab ἀράχνης, omisso χ. Quomodo à χλαῖνα est *læna.* Sic ἀράχνιον Latinis *araneum*, nempe tela araneæ. Sed transfertur ad plantas. Nam ἀράχνιον inter oleæ morbos refert Theophrastus, quando iis quiddam innascitur simile telæ araneæ. Plinius similiter lib. XVII. cap. XXIV. *Est etiamnum peculiare oliuis ac vitibus. Araneum vocant, cùm veluti tela inuoluunt fructum, & absumunt.* Varia Græcæ vocis ἀράχνης etyma apud Etymologum, & alios, legere est. Sed certum, meo iudicio, est, venire ab ארג, *arag*, id est *texere.*

Arbiter Nunnesius Valentinus in Grammatice Græca credidit esse a βραβευτής, nempe κατὰ συγκοπήν. Sed verisimilius multo socer meus Franc. Iunius putabat, in notis ad Tertull. Apologet. cap. VII. venire ab antiquo *ar* pro *ad* (vnde *arferia, arcesso*, similiaque) & antiquo *bito* pro *eo*, vnde *perbitere*, pro *perire.* Pro eo est propria & vetus significatio *arbitri*, qua inspectorem ac testem significat, vnde *arbitrari* pro inspicere, *arbitrium* pro inspectione. Cic. postremâ actione in Verrem: *Amœno sane & ab arbitris remoto loco.* Passim sic Plautus: vt Aulular. act. IV. sc. I. Mil. Glorioso, II. II. & alibi. Hinc *arbitrium* pro arbitrorum sententia; & *arbitrari* de arbitris sententiam ferentibus. Sed generatim iis vulgo vtimur. Antiquus Ecclesiæ Doctor Hypognost. lib. III. *Arbitrium ab arbitrando rationali consideratione, vel discernendo quid eligat, quidue recuset, puto quod nomen accepit.* In Glossis Isidori legas, *Arbiterium, collectio arbitrorum multorum, id est, ipsa consensio.* Puto, *arbitrium* legendum. Loquitur de cœtus alicuius arbitrio, h. e. de multorum collectis in vnum sententiis.

Arbor à *robore* dici vult Priscianus lib. VI. At ab *aruo* venire, putat Isidorus lib. XVII. cap. VI. Sed Cæsar Scaliger Exercit. CXXXIX. censet ex eo nomen fieri, quia αἴρεται βία. Ita arbor factum sit ex *arbiior*, noménque fuerit a magnitudine, quià valdè attollitur. Post hos liceat & nobis coniectare. *Arbosem* veteres pro *arbore* dicebant, vt *robosem* pro *robore.* Auctor Festus. Quid si igitur *arbos* sit ex *arbosis*, hoc ex αἴρω, h. e. *attollo, eueho* & βόσις, id est, *cibus, pabulum.* Sanè cum reliquus è terra, vel in terra, nascens cibus, oculis manibusque proximus sit, solus ille arborum plurimum longe a terrâ atque oculis nostris attollitur. Quod cum aliquam mortalibus molestiam adferret, si frui vellent, iure hinc plantæ isti nomen dedêre. Quod si etymon hoc subtilius, quam verius, videatur, non displiceat origo ab אב *arbor*, inserto *r*: vt *herba* à Chaldaïco עבא, itidem *r* inserto. Est verò אבא, *viror, primum plantæ germen.* Ab *arbore* est *arboretum*: quo Claudius Quadrigarius vsus primo annalium. *Censuale*, inquit, *& arboreta magna erant.* Citat Gellius lib. XVII. cap. II. atque addit, *Arboreta ignobilius est verbum, arbusta celebratius.* Vt à *ius* est *iustus*, ab *onus onustus*; sic ab *arbos arbustum.* Vel, vt à *salix salicetum, salictum*, à *carex caricetum, carectum*; sic ab *arbos arbositum, arbustum.* Ab eo *arbustare agrum*, dixit Plinius: *arbustiuas vites* Columella, ac Palladius, hoc est, quæ arboribus maritantur. Notum Plinij illud: *Longo tractu dicitur auo, nobilia vina non nisi in arbustis gigni.* Apud Tertullianum quoque *arbustior* legas lib. II. aduersus Marcionem, cap. vlt. Vbi *arbustior* videtur dixisse pro *arbustiuior.* Nisi *arbustiuior* legendum: vel (quod Latinio placebat) *austerior.*

Arbutus, genus arboris frondibus raris, vt Festus ait, ac Seruius. Plenius de eo Plinius. Sit ex ἄκρυδος, si rectè Glossæ Philoxeni: *Arbustus* (leg. *Arbutus*) κόμαρος, ὁ ἐστι δένδρον, ἢ καρπὸς ὅμοιος ἀκρύδῳ. Sed κόμαρος quidem *arbutus*, at ἄκρυδος *sempervue.*

Arca, *quod arcentur fures ab ea clausa.* Sic Varro lib. IV. de L.L. Nec abit Seruius, cuius hæc verba ad I. Æn. *Arcana est secreta, unde & arca & arx dicta, quasi res secreta, à qua omnes arcentur.* Græce similiter φωριαμὸς διὰ τὸ τοὺς φῶρας ἀπείργειν, vt scribit Eustathius. Nisi cum Etymologo sic dictum malis, ὅτι παρὰ Φυλακὴν τῶν φωρῶν κατεσκεύασται, *quoniam ad cauendum sibi à furibus est parata.* Alias quoque originationes ponit idem Etymologus, sed quibus parum veri inest. Imò neque ea arcæ etymologia, quam ex Varrone adtuli, admodum verisimilis est, longéque magis placet arcam dici, quod inclusa contineat ac seruet. Nam *arcere* idem Festus ait, antiquis notabat *continere.* Imò, si audimus Iulium Scaligerum in IV. de re poët. cap. XVI. hæc princeps eius verbi significatio est. De diminutiuis arcæ sic idem Festus: *Arca diminutiuum facit arculam, & arcellam: vt à porco porculum & porcellum, à mamma mammulam & mamillam.* Ab *arca* dictus Deus *Arculus.* Idem Festus, *Arculus putabatur Deus, qui tutelam gereret arcarum.* Sic enim legendum non *arearum.* Est & *Arcula* ab *arcendo*, id est, vetando. Quo pertinet hoc Festi: *Arcula dicebatur auis, quæ in auspicijs vetabat aliquid fieri.* Vbi Scaliger mavult *arcina.* Sed MSS[ti] constanter *Arcula.* Redeo ad *arca*: vnde & est *arcarius*: quomodo in Cod. Theodos. dicitur, *qui pecunias arcis publicis includendas reciperet, receptásque adseruaret.* Gloss. Isidori: *Arcarius, dispensator, actor.* Gloss. vett. *Arcarius*, ὑποδέκτης χρυσοῦ. Latinam vocem retinuit Macarius Homil. XVI.

Arcanum, ἀπόρρητον, μυστηριῶδες, ἀπόκρυφον vt interpretantur Glossæ Philoxeni. In quibusdam videtur esse ab *arce*, vel *arca*: aliis contra, & *arx*, & *arca*, videntur esse ab *arcanus.*

Prior est sententia Festi, sic scribentis: *Arcani sermonis significatio trahitur siue ab arce, quæ tutissima pars est vrbis; siue à genere sacrificij, quod in arce fit ab auguribus, adeo remotum à notitia vulgari, vt ne literis quidem mandetur; sed per memoriam successorum celebretur: siue ab arca, in qua quæ clausa sunt, tuta manent: cuius ipsius origo ab arcendo pendet.* Altera est opinio Seruij, cuius hæc verba ad I Æn. *Arcana est secreta, vnde & arca, & arx dicta, quasi res secreta, à quâ omnes arceantur.* Sed rectius Festus. Nam vt ab *oppido oppidanus*, à *fonte fontanus*; sic ἀναλόγως ab *arca* fit *arcanus*: vt propriè ita dicatur, quod arca continetur, conseruatúrque.

ARCEO & *arcio* plurimum differunt. Nam *arcio* venit ab antiquo *ar* pro *ad* & *cio*: vnde *arcesso*, de quo mox dicam. At *arceo* est *propulso*, éstque iuxta Festum à Græco ἄρχω, *impero*, quia τὸ ἄρχειν, est prohibere, ac cogere. Vel potius, est ab ἀρκεῖν, quod non tantum significat *sufficio*, vnde αὐτάρκης, *sibi sufficiens*; sed etiam *propulso*, & *auxilior*. Hoc nisi esset, poterat, quod Nunnesio placuit, videri factum ab εἴργω, vel ἔργω, mutato γ in c. quomodo à Γάϊος est *Caius*, ab ἀμόργη, *amurca*, à κώρυκος *corycus*: aliáque id genus, vt dicemus voce *Congrus*. Ἀρκεῖν forte est ab Hebræo ערק, quæ notat *insequi, fugare, pellere*. Ab *arceo* est *arcinus*. Gloss. vett. ἀρκῆνος, κωλυτικός. Indéque *arcina* auis, iuxta Scaligerum, qui apud Festum legit: *Arcina dicebatur, auis, quæ in auspiciis aliquid vetabat fieri. In vulgatis est arcula.* Ab *arceo* quoque est *arcus*, vnde quidam scribunt *arctus*. Sed de hoc separatim secundùm seriem dicemus. Compositum est *coërceo*, quod Festus exponit *continere*. Item hinc *porceo*, quasi *porro arceo*. De quo in *Porca*. Et *abarceo*. Festus: *Abarcet, prohibet.* Vbi MSS[i], *Abercet*, vt *coërcet*.

ARCERA, vt Varro in IV. de L.L. ait, *etiam in XII tabulis appellatur, quod ex tabulis vehiculum erat factum, vt arca, arcera dictum.* Possit & videri esse ab *arcus*, quia vehiculum fuerit arcuatum, seu fornicis instar. Sed Scaligero visum, esse ex antiquo *ar* pro *ad* (de quo sæpius dictum) & *carrus*. Vt simile sit voci *epirrhedium*, quod itidem ex ἐπὶ & *rheda*.

ARCESSO, non tantum cum *voco*, sed & cum significat *accuso*, eodem modo scribitur, eiusdémque originis est. Nec adeo diuersæ sunt hæ significationes, quam volunt. Nam qui accusat, is in iudicium vocat. Nec obstat: quod *accerso* & *arcesso* differre velint Charisius, Diomedes, Agrætius, Adamantius, Martyrius, pluresque alij. Nam multis argumentis evincere possumus, *accerso* per *c* non esse Latinum, sed posterioribus seculis, quibus hi vixere Grammatici, corruptum esse ex *arcesso*. Sane, quod præter alios Adamantius scribit apud Cassiodorum in Collectaneis de Ortographia, *accerso* per *c* *esse advoco*: *arcesso* per *r* esse *prohibeo*, *repello*: id facile refellitur. Primo enim obstant antiquiss. & optimi quique libri, in quibus (vt Pierius in X Æn., Manutius in Cic. lib. VII. ep. XXIII, pluresque alii monuerunt) *arcesso* per *r* in vocandi scribitur significatione. Vt apud Cæsarem lib. III. de bello Gallico: *Auxilia à Belgis arcessiti.* Vbi vulgo *accersiti*; in MSS. est *arcessiti*. Et possim mille eiusmodi locos adferre. Similiter Glossæ: *arcessit*, μετεκαλέσατο. Deinde, *arcesso* nunquam significat *prohibere*, eóque nec ab *arceo*, esse potest, quod nihil ad vocationem facit, ac potiùs contrarium significat. Quod si omnino fatendum *accerso* quoque dici, idque ob Charisij, & aliorum quorumdam auctoritatem; qui videri possunt & ipsi, antiquis codd. nixi, sic statuisse: nihil tamen hinc aliud efficitur, quàm *accerso*, & *arcesso*, esse vnum idémque verbum, quæ Terentij Scauri, Velij, plurimúmque aliorum sententia est. Verum nos, quanquam horum sententiam non audemus planè damnare: tamen longè præferimus *arcesso* per *r*. Nam alterum illud vnde quæso erit? Ab *accio*? At tum esset *accesso*, non *accerso*. At *arcesso* vnde sit, planum est. Venit enim ab *accio*, siue, vt veteres dicebant, *arcio*, quod ex *ad* siue *ar*, & *cio* siue *cieo*. Antiqui enim *r* pro *d* ponunt in præuerbio *ad*: vnde *arcedere* pro *accedere*, dixit Turpilius, & *arvectum* pro *advectum* dixit Cato libb. de R.R. cap. CXXXV. & *arversarius* pro *adversarius* legitur in inscriptione antiqua, quæ est p. DVII. edit. Gruter. Hanc originationem secuti è veteribus Velius Longus, & Priscianus. Vtriusque verba ponam. Sic igitur Velius in Orthographia: *Et in eo quod est arcesso, accerso, putaverunt quandam differentiam esse, vt accerso sit voco, tractum ab acciendo: arcesso, summoveo, ab arcendo tractum. Sed erraverunt. Arcesso enim, pro eo quod est arceo, nunquam positum est. Verum quod putant a literam obstare significationi, errant: d enim non minus in r literam transit, quam in c, cum dico & accedo & accommodo; quam apud antiquos in arvorso, in arversario. Vnde pro audiculis ab audiendo, auriculas dicimus, & meridiem pro medio die loquimur. Id ergo nihil interest, vtrum arcesso, an accerso dicant, eadem significatione manente.* Illustris quoque hac de re locus est apud Priscianum lib. I. cap. de literarum numero & permutatione: *Antiquissimi, inquit, pro ad frequentissimè ar ponebant, arvenas arventores, arvocatos, arfines, arvolare, arfare dicentes, pro advenas, adventores, advocatos, adfines, advolare, adfari; vnde ostenditur, rectè arcesso dici ab arcio verbo, quod nunc accio dicimus, quod est ex ad & cio compositum.*

ARCHITECTVRA, & *architectonica*, idem sunt, vt Græcis ἀρχιτεκτονία & ἀρχιτεκτονική, sed illud venit ab *architectus*, hoc ab *architecton*, cuius obliquus *architectonis*. Vsus Plautus aliquoties. Est vero ἀρχιτέκτων, vnde vtrumque descendit, ab ἀρχὴ & τέκτων, quasi dicas, *structorum* siue *fabrorum principem*. Nam ita vocatur, qui mathematica quadam dispositione fabris modum singula disponendi præscribit. Hinc τὸ ἀρχιτεκτονικόν, *architectonicus* finis pro *summo ac principali* apud Aristotelem atque alios. Exstat de Architectura M. Vitruuius, siue (quomodo is in quibusdam libb. vocatur) Victruuius.

ARCHITRICLINVS in Glossis Isidori exponitur *maior domui*. Vbi malim *maior domus*: quomodo Francis dicebatur *magister* siue *præfectus aulæ*. Est autem ἀρχιτρίκλινος ex eo, quia triclinio præsit.

ARCHIVVM Græcè tum ἀρχεῖον, tum ἀρχαῖον dicitur. Si ab ἀρχεῖον, esse placet, tantummodo interseretur digamma Æolicum, quomodo ab ὄϊς est *ouis*, à λεῖος *leuis* &c. Sin malis esse ab ἀρχαῖον (quomodo apud Athenæum legitur) erit ab ἀρχαῖον *archiuum*, quomodo qui Græcis Ἀχαιοὶ & Ἀρχαῖοι, Latinis sunt *Achiui* & *Archiui*. Est vero *archiuum* id, quod aliter dicitur *grammatophylacium*, quasi γραμμάτων φυλακή: locus nempe vbi disponebantur & seruabantur tabulæ publicæ. Vlpianus de pœnis. l. moris: *Solent & sic, ne in loci sedeant, quo in publico instrumenta deponantur, archiuo forte vel grammatophylacio.* Dicitur ἀρχεῖον, non, quod Becmanus scribit, παρὰ τὸ ἀρκεῖν καὶ ἔχειν, sed ab ἀρχὴ, quæ *magistratum* notat. Inde enim ἀρχεῖον primò vocata *magistratus curia*; post accipi cœpit pro *grammatophylacio*, quia nempe acta publica in curia asseruarentur, vti hodiéque fit. Latinis dicitur *tabularium*, à tabulis publicis: quod clare indicat hic Ciceronis locus, Orat. pro Archia: *Hic tu tabulas desideras Heracliensium publicas, quas Italico bello, incenso tabulario perisse scimus omnes.* Vsus & Maro, II. G.

——— Nec ferrea iura,
Insanúmque forum, aut populi tabularia vidit.

Vbi sic Seruius: *Tabularia sunt, vbi actus publici continentur. Significat autem templum Saturni, in quo & ærarium fuerat, & vbi reponebantur acta, quæ susceptis liberis faciebant parentes.* Iuuenalis: *Tollis enim & titulis actorum adspergere gaudes Argumenta viri.*

Hæc Seruius. Volunt idem *tablinum* dici, quasi *tabulinum*, quomodo *figlinum* dicitur pro *figulinum*. De etymo recte, sed non memini me vocem hanc legere, nisi pro loco in ædibus priuatis, vbi tabulæ reponerentur. Sic sane vsos patet Vitruuium lib. VI. cap. IV. Plinium lib. XXXV. cap. II. Appuleium lib. II. Florid.

ARCHON, ἄρχων. Vsus Cicero de Fato. At idem interdum vertit, *prætor*; Plinius crebro, *magistratus*. Ita lib. III. ἄρχοντος Νικοδώρου, id est, *Nicodoro magistratu*, quemadmodum & Seneca, epistola XVIII. dixit, *Charino magistratu*, h. e. Χαρίνου ἄρχοντος. Sed loca vtriusque in vulgatis codd. corrupta, quæ sic, vti dixi, corrigit Casaubonus, notis ad Theophrasti characteres. Hebræis dicuntur *sophetim*, vnde Punicum *suffetes*. Vulgo *iudices* vocamus; vt, cum dicimus, *libri Iudicum*. Athenienses primo habuere βασιλέας siue *reges*. Primus eorum Cecrops, vltimus Codrus. Postea habuere ἄρχοντας διὰ βίου, *magistratus* siue *iudices perpetuos*. Hinc ἄρχοντας δεκαετεῖς siue *decennales*. Tandem ἄρχοντας ἐνιαυσίους siue *annuos*. Etsi autem nouem erant *Archontes*, vnus tamen eorum dicebatur ἐπώνυμος, à quo fasti signabantur. Itaque vt Romæ dicebant hoc vel illo consule aliquid accidisse, sic Athenis dicebant τῶν γεγονότων ἄρχοντος τοῦ δεῖνα. Est vero *archon* siue ἄρχων, ab ἄρχω, quod ab Chaldæo *rac*, quod *regem* significat. Vide quæ de eo dicemus in *Rego*.

ARCIFINIVS *ager*, quis sit, & vnde dicatur, ostendit Frontinus de agrorum qualitate: *Ager arcifinius, sicut ait Varro, ab arcendis hostibus est appellatus. Qui postea, interuentu litium, per ea loca quibus finit, terminos accipere cœpit. In his agris nullum ius subseciuorum interuenit.* Similiter alij qui de limitibus agrorum scripsere. Sed perspicuè magis Isidorus lib. XV. Originum, cap. XIII. *Arcifinius ager dictus est, quia certis linearum mensuris non continetur; sed arcentur fines eius obiectu fluminum, montium, arborum; vnde & in iis agris nihil subsiciuorum interuenit.* Satis indicat *arcifinium* agrum non limitibus vllis claudi: sed monte, via, arboribus, aqua, vel culturæ discrimine terminari. Dixere & *arcifinalis* eadem notione, & origine. Siculus Flaccus de condit. agr. *Bellis gestis victores populi terras omnes, ex quibus victos eiecerunt, publicè atque vniuersaliter territorium*

vitorium dixerunt, intra quos fines ius ducendi esset: deinde vt quisque virtute colendi occupauit, arcendo vicinum arcifinalem dixit.

ARCTOS, ἄρκτος, *vrsa*, à figura. A qua & prius ἅμαξα, siue *plaustrum*, nominabatur. Ab *arcto* nomen habet *polus arcticus* & *antarcticus*. Item, *arcturus*, ἀρκτοῦρος, quasi ἄρκτου οὐρά, *vrsa cauda*. Item, *arctophylax*, quasi ἄρκτου φύλαξ, *vrsa custos*. Qui aliter *Bootes*.

ARCVMA, inquit Festus, *genus plaustri est modici, quo homo gestari possit*. Si hominis vnius solum capax erat, videri posset ex eo dicta, quod *arcta* esset. Fortasse idem ac Petronij *cheramaxium*, quod à χείρ, *manus*, & ἅμαξα, *currus*, quia non ab equis traheretur, sed seruis. Possit & *arcuma* dicta videri ab *arcuata figura*. Imò fortasse nec verum est *arcuma* nomen, sed *arcirma*: vti, idque ex MS° codice, ad oram legitur Festi; item in Onomastico veteri, Argentorati edito, *Arcirma*, ἁμαξίς.

ARCVS, pro *fornice*, duplex etymon ponit Festus: *Arcere*, inquit, *est continere; vnde & arcus in ædificijs dictus est: quia se ipsum continet. Alij dicunt arcum dictum esse, ab opere arrigendo in altitudinem*. Tertium ponit Isidorus lib. XV. cap. IIX. *Arcus*, inquit, *dicti, quod sint arcta conclusione curuati: ipsi & fornices*. Idem etymon ponit lib. XIIX. cap. IX. Sed nullus dubito, quin *arcus* in ædificiis dicatur à similitudine arcus, qua notat instrumentum, quo sagittæ emittuntur. Quemadmodum & ob hanc ipsam translatum ad *arcum cælestem*. Nonius distinguit inter *arcum* & *arquum*. *Arcus*, inquit, *& arquus hoc distant. Arcus enim suspensus fornix appellatur: Arquus non nisi, qui in cælo apparet, quem Irim poetæ dixerunt: vnde & arquati dicuntur, quibus color & oculi virent, quasi in arqui similitudinem*. Lucret. lib. VI.

Tum color in nigris exstabat nubibus arqui.

Hæc Nonius. *Arquati* autem voce sic vsus idem Lucret. l. IV.

Lurida præterea fiunt, quæcunque tuentur Arquati.

Varronem quoque vsurpare, docebit Nonius in *Arquatus*. Discrimen verò illud, quod inter *arcum* & *arquum* Nonius ponit, minimè obseruant codices antiqui. Vidimus vnde *arcus* dicatur, cum pro *fornice* accipitur: dicendum vnde sit, cum ἀντὶ τόξου ponitur. Isidorus lib. XIIX. cap. IX. *Arcus vocatur eo quod arceat aduersarium*. Ita *arcus* sit ab *arceo*, vt *decus* à *deceo*, *promus condus* à *promo condo*. Vel *arcus* dicetur quasi *arcitus*: & ideo quartæ erit, quia sit verbale substantiuum in *us*, quæ ferè quartam sequuntur: vt, *successus*, *volatus*, & similia. Sed obscurius id in syncopen passis, quale fuerit *arcus*. Adferam de huiusmodi vocabulis locum Prisciani, lib. VI. *Illud etiam possumus dicere, quod artus ideo quartæ est declinationis, quod à verbo arto artas rei vocabulum fit artatus, & per syncopen, artus, quomodo à poto potas potatus, potus. Ideoque nomen etiam quod significat ἄρθρον, h. e. artus, quia vocabulo rei est simile, etiam eandem seruauit declinationem, quomodo exercitus, saltus, magistratus. Et forsitan ideo etiam acus ab acutu, portus à portatu, lacus à laqueatu, sinus à sinuatu, currus à cursu, gradus à gressu nata, primitiuorum seruant declinationem, quomodo vniuoca fixa*. Ab *arcus* dicti *arquites*. Gloss. Phil. *Arcutes*, Τοξόται. Item *arculum* & *arculata*: etsi hic non semicirculi figura, sed circuli totius. Festus: *Arculata dicebantur circuli, qui ex farina in sacrificijs fiebant*. Idem: *Arculum appellant circulum, quem capiti imponebant ad sustinenda commodius vasa, quæ ad sacra publica capite portabantur*. Quomodo idem alibi *Cesticillum* describit. Sed & aliam *arculi* notionem adfert Seruius Danielis in IV. Æn. *Arculum est virga ex malo Punico incuruata, quæ fit quasi corona, & ima summáque inter se alligatur vinculo laneo albo, quam in sacrificijs certis regina in capite habebat*. Vbi *regina* est vxor eius, qui dicebatur *rex sacrorum*. Hæc *arculo* insigniebatur, loco coronæ aureæ, quæ regum Romanorum fuerat insigne. Notum, vt, regibus exactis, ob ea sacra quæ rex solitus erat administrare, creatus sit, cui hæc sacra faciendi cura esset: ac ne quid de nomine decederet in diuinis, regis ei nomen datum: sed ne id nomen spiritus nimios adderet, rex is Pontifici Max. subesse iussus est. Pro *arculo* autem & *inarculum* dixere. Festus. *Inarculum virgula erat ex malo Punico incuruata, quam regina sacrificans in capite gestabat*.

ARDEA siue *ardia* (vt eam vocem in vett. libb. sæpè inuenias) Græcè dicitur ἐρωδιός. Nam Ciceronem fugit ratio, cum Græcum hoc apud Aratum vertit *fulicam*. Yuonem Villiomarum vide, aduersus Titum. lib. I. cap. XVI. & imprimis Salmasium ad Solin. cap. VIII. Omnino vero *ardea* est ab ἐρωδιός, syncope τοῦ ω, & ι conuerso in *a*, quomodo à μένω est *maneo*, ab [illegible] *aries*. &c. Quare fallitur Seruius, cum ab *arduo* altóque volatu sic dictam putat. Sic enim scribit ad illud Maronis I. G.

Atque altam supra volat ardea nubem:

Ardea dicta est quasi ardua: quæ cum altius volauerit, significat tempestatem. Lucanus.

Aut siccum quod mergus amat; quodque ausa volare
Ardea, sublimis pennæ confisa natanti.

Idem etymon ponit Isidorus lib. XII. c. VII. At ineptius quoque, qui sic dictam putant ab ardore, i. e. calore. Neque veritas exspectanda à poetis, qui ita appellatam volunt, quod ea auis emerserit ex *Ardea* vrbe in cineres redacta. Vide Ouid. XIV. Met. fab. XIV. Ab *ardea* est diminutiuum *ardeola*. Ab *ardeola* verò, Perottus non ineptè *ardeliones* dictos putat, vt nempe sic dicantur, quia, auis huius instar, huc illuc volitent, & omnia circumcurrant, dum omnibus se student negotiis immiscere. Vt à *fictula ficedula*, à *tabella tabellio*, sic ab *ardeola*, *ardelio*. Domitius Calderinus ad Martial. lib. II. epigr. VII. deducit ab *ardendo*, i. e. *festinando*, quia ardore quodam omnia ordiatur, nihil pertexat ac perficiat. Sed magis placet Perotti sententia. Elegantem *ardelionum* descriptionem habes apud Martialem cum loco dicto, vbi Attalum depingit, & lib. IV. epist. LXXIX. vbi itidem Afri mores describit: tum apud Phædrum, Augusti libertum, fab. XXVI. lib. II.

Est ardelionum Romæ quædam natio
Trepide concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi molesta, & alijs odiosissima.
Hanc emendare, si tamen possum, volo
Vera fabella. &c.

ARDEO, quod Nonius *ignescere* interpretatur quibusdam, Perotto teste, videtur fieri ab *areo*, quia quæ arida sunt, facile ardeant. Nec displicet. Nam, seu deducit ab *arduus*, pro eo veteres (vt Lucillij auctoritate Nonius probat) dixere *ardus* vnde erit *ardeo*: seu *aueras* ab *areo* esse malis, d interietur, quomodo ab *aueo* est *audeo*, à *caueo candeo*, à *gaueo*, vnde *gauisus*, *gaudeo*. *Areo* autem, vt quidem censet Verrius siue Festus, eúmque secutus Nunnesius in Grammatistice, κατ' ἀντίφρασιν dicitur ab ἄρδειν, h.e. *irrigare*. Sed ἀντίφρασιν alibi explosimus, vt putidum Grammaticor. [illegible]. Mihi magis verisimile fit, *areo* esse à חרר, *charar*, id est, *ardere*, *exsiccare*, *arescere*. At laudare magis, quam probare eos possum, qui censent, *ardeo* factum esse ἀπὸ τοῦ ἄερα δύειν, quia nempe flamma superiora siue aërem petat. Nec item satisfaciunt quibus placet esse ab Hebræo בער, quod tum actiue *comburere*, tum neutraliter *ardere* significat. Nec enim satis conuenire videntur vtriusque vocis literæ. Quod si omnino, contra quam diximus, *areo* ab *ardeo* esse malis; dicendum abijci *d*, quomodo à δαΐω Ionice & Æolice dicitur καίω, ac à σεμίδαλις est *simila*. Inuenio verbi *areo* & aliud etymon. Nam Perottus censet, *areo* esse ab *ara*, quia quæ diis adolentur, torrendo sicca aridaque reddi solent. Idem putat ab *ardeo* fieri *arduus*. Sed ingeniosius, qui *arduum* dici putant ab ἄερι δύειν, vt propriè notet *celsum*. Interim simplicius videtur, ita dici, quia instar flammæ, corúmque quæ ardent, ad summa tendit. Vt à *resideo*, *residuus*, ab *assideo assiduus*, sic ab *ardeo*, *arduus*.

AREA ab *areo*, vnde *aresco* & *aridus*. Varro, IV. de L. L. *Vbi frumenta secta teruntur & arescunt, Area. Propter horum similitudinem loca in vrbe pura Area*. Vbi *pura loca* sunt *non ædificata*. De origine *areæ* paullo aliter Festus. *Area*, inquit, *propriè dicitur locus vacuus, quasi exaruerit, & non possit quicquam generare*. Quæres vtrum Festi an Varronis magis placeat sententia? Autumem, cum area in se arida sit, & quia arida est, in ea arescant fruges, videri potius accepisse nomen ab eo, quod in se est, quam ab effectu. Fortasse tamen vtrumque respexerunt. Imò fortassè an neutra opinio vera est, sed *area* est vel à Punico *arba*, quod ἐπίπεδον, siue *solum*, significat: vel ab ἅλως, quando, vt in *Strigilis* quoque dicimus, λ & ρ sæpè commutantur. Sanè hoc impensè placet.

ARENA à Græcis arcessit Petrus Nunnesius, vt cui in Grammatistice *arenosus* fit à ψαμμώδης, sanè dura originatione. Mihi placet cum vulgo, esse *arena* ab *areo*, quia arida bibuláque, vnde *arentes arenas* dixit Horatius in Odis. Alij tamen *harena* cum adspirando malunt, aliásque adferunt nominis caussas. Ponam hac de re illustrem locum Velij Longi: *Nonnulli*, inquit, *harenam cum adspiratione, siue quoniam hæreat, siue quod aquam hauriat, dicendam existimauerunt: alij sine adspiratione videtur enuntianda. Nos non tam per illas caussas, quas supra proposuimus, quàm propter originem vocis; siquidem, vt testis est Varro, à Sabinis fasena dicitur: & sicut s familiariter in r transit, ita f in vicinam adspirationem mutatur. Similiter ergo & hædos dicimus cum adspiratione, quoniam fædi dicebantur apud antiquos. Item hircos, quoniam eosdem atque fircos vocabant. Nam & è contrario, quam antiqui habam dicebant, nos fabam dicimus*. Sanè *harena* per *h* probat quoque Marius Victorinus in Orthogr. & Eutyches apud Cassiodorum lib. de Orthogr. cap. IX. Ac interdum in vett. libb. sic scriptum inuenitur: verùm placet iudicium Seruij, qui ad illud I. Æn. *optata potiuntur Troes arena*, in hunc modum scribit: *Quæritur*,

citur, habeat nec, ne, nomen hoc adspirationem, & Varro sic definit: Si ab *ariditate* dicitur, non habet, si ab *herendo*, vt in fabricis videmus, habet. *Melior tamen est superior etymologia*. Hæc Seruius. Charisius, l. I. probat vtrumque. *Harena* tamen cum adspiratione vult grauius sonare. Quare in hoc veterum Grammaticorum dissensu vtram sequamur vel scribendi rationem, vel etymologiam, parum interest. Ponitur vsitate *arena* pro *amphitheatro*, quia is locus soleat arena sterni in vsum pugnæ. Nam si lapide aut ruderato, solum nimis fuisset lubricum in tam crebra sanguinis effusione. Itaque *Arenarum spectacula* pro *amphitheatralibus*, legimus apud Imperatorem, l. VIII. C. de repudiis. *Nec vllo, inquit, modo vxorem expellet, nisi adulteram, vel Circensibus, vel Theatralibus, vel Arenarum spectaculis, se prohibente, gaudentem*. Hinc *Arenarij*, qui in arena depugnant: quomodo hac voce, præter Iurisconsultos, vsi, Tertullianus, Symmachus, Firmicus, alij. Nec Arcadius IC. per *arenarium testem* aliud intellixit, quam arena alterutra (nam & circus arena sternebatur) pollutum, eóque infamem. Ab *arena* priori illâ propriâque acceptione dictum *arenatum*, quia ex calce arenâque fieret. Vsi Varro, Vitruuius, Plinius, alij. Vide quæ de *tectorij* voce tractamus in voce *Tego*.

AREOPAGVS Iuuenali, sat. III lib. III. dicitur *Martis curia*.

Ergo occulta teges, vt curia Martis Athenis.

Hieronymus in epist. ad Titum, cap. I. *In Areopago, quæ est curia Atheniensium*. Non tamen id τῷ λέξει sonat, sed *Martis collem*, vel *arcem* siue *rupem*, ab Ἄρης i. e. *Mars*, & πάγος, *rupes*, vt apud Æschylum, τόδ' ἀπανθρώπῳ πάγῳ, *in hunc inhumano saxo*. Vt igitur Romæ Tarpeium saxum, sic Athenis Ἀρειόπαγος, *Martium saxum*. Sane e Stephano, siue potius Hermolai Byzantini excerptis, discere est, *Areopagum* fuisse ἀκρόπολιν Ἀθηνῶν, qualis Corinthi Ἀκροκόρινθος: quomodo dixere *arcem Corinthi in colle structam*. Augustinus, lib. X. de Ciu. Dei, cap. X. *Areopagum* vertit *Martis pagum*. Quomodo Sedulius, lib. I. postea dixit:

———*Athenæi pudorem linquite pagi.*

Sed in errorem induxit Magnum Doctorem, quod Latinis *pagus* sit *vicus*: verum Græcis aliud est, puta *collis*, qui fortasse sic vocatur à παγὴ, siue πηγὴ, i. e. *fons*, quia fontes in collibus oriri solent; qua de re Aristoteles in Meteorologicis. Eadem res imposuit Fungero, quippe qui similiter ac Augustinus interpretatur in Etymologico suo. Imo, quod magis mirandum, excidit idem tum Bedæ, in Actorum cap. XVII. & libro de Nomin. Locor. in Actis Apost. tum Græce doctissimo Budæo, annot. in Pand. in longa illa digressione ad l. vlt. de Senatoribus: & præstantissimo Carol. Sigonio, lib. III. de rep. Atheniens. cap. de iudicio Areopagi. Sed nondum munere nostro functi sumus, nisi ostenderimus, cur, cum prius ἁπλῶς vocatur πάγος, postea Ἄρειος πάγος dici cœperit. Rationem inuenio non vnam. Communis opinio est, ita appellatum esse, quod *Mars* primus in eo caussam dixerit, atque cum interfecisset Halirrhotium Neptuni filium, qui Alcippen Martis filiam attentârat. Sic Pausanias, Apollodorus, alij. Seruius, vt agnoscit ex caussa Halirrhotij primum capitis iudicium in Areopago disceptatum, ita de cæde ipsa non conuenit cum ceteris. Vult enim, cum Halirrhotius indignè ferret patrem suum Neptunum à Minerua victum esse, oleas cœpisse excidere, dúmque id agit, ferrum de manubrio decidisse, ac caput amputasse: Neptunum autem ob hanc rem Martem ipsum in iudicium vocasse. Vide eum ad illud I G. *Oleaque Minerua Inuentrix*. Verum Æschylus, Eumenidibus, putat, non Martem, sed Orestem primum in Areopago cædis fuisse accusatum: cur vero *Areopagus* dicatur, eam adfert caussam, quod Amazones hunc locum pro arce belli muniuissent, inque eo hostias Marti immolassent. Atque huc pertinent quoque, quæ Harpocratio refert in Ἀρεόπαγος. Vide quæ fusius hac de re scribit Ios. Scaliger in animaduers. Eusebianis, ad annum CCCCXCVIII. h. e. pag. XXX. Plura de *Areopago* & *Areopagitis* si voles, adi cum Budæum, & Sigonium, locis ante indicatis: tum imprimis Ioannem Meursium, singulari libello de Senatu Areopagitico.

ARETALOGVS Suetonio in Augusto ea forma, qua *Chrestologus* Spartiano in Pertinace. Nempè ab ἀρετὴ & λόγος, non quasi verus philosophus eo signetur, sed is qui in mensis suauiter apud lautos Romanos de virtutibus disputaret, ad sui ostentationem & aliorum oblectationem. Vel hoc verum est, vel dicitur quasi ἀρεστολόγος, quia proferret ἀρεστὰ, hoc est, *placentia*. Sanè in veteri Lexico legas, *Aretus, placitus*: *aretalogus, placita loquens*. Placet hoc Turnebo in Aduersariis, lib. X. cap. XII. Prius autem Casaubono, ad Sueton. Certiora adferremus, si Græci ea voce vsi essent. Sed nata est Romæ, neque id, vt videtur, ante tempora Augusti.

ARFERIA, & *arferia*, aqua, ab *arferre* pro *adferre*. Nam veteres *ar* dicebant pro *ad*: vt pluribus ostendimus in *Arcessere*. Dicta autem *arferia*, quia eam cum funere efferebant, quò manibus proficeretur. Festus: *Arferia, aqua* (ita constanter MSS'.) *quæ inferis libabatur: dicta à ferendo: siue vas vini quod sacris adhibebatur*. Priorem interpretationem sequuntur Glossæ vett. in Cyrilli calce inuentæ. Vbi legas: ὕδωρ τὸ ἐπὶ νεκροῖς σπενδόμενον, *Adferiat*. Græci vocant χοὰς νεκρῶν.

ARGENTVM ab ἀργυρος esse patet. Ac agnoscit id quoque Isidorus lib. XVI. cap. XVIII. Ἄργυρος verò sic dicitur παρὰ τὸ ἀργὸν, τὸ λευκόν, vt rectè scribit Etymologici Magni auctor. Videtur & ab eadem ἀργὸς notione esse ἀργεννὸς, quod idem notat. Vsi Homerus, alij. Imo apud Festum est, *Argennum, argentum percandidum*. Siue, vt Scaliger mauult, *argenteum, percandidum*, quod verius. Alterum tamen constanter est in MSS". Ab ἀργὸς quoque Ἀργέστας, *argestes*, qui aliter λευκόνοτος. Latinis *albus notus*, quia non est imbrifer, sed nubes pellit. Horatij illud notum,

Albus vt obscuro deterget nubila cælo

Sæpe notus, neque parturit imbres

Perpetuos.

De *argentariis*, Brissonij Lexicon adi, & Tit. ff. de Edendo. lib. II.

ARGEORVM sacelli meminit Varro in IV. de L. L. Locum item adducit ex iis quæ in Argeorum sacris scripta erant. Etiam in lege Flaminia erat: CVM EAT AD ARGEOS, NEQVE CAPVT COMITO, NEQVE CAPILLVM DEPECTITO. Auctor Gellius lib. X. cap. XV. Meminere & *Argeorum* Ouidius in Fastis, Plutarchus, alij. Caussam nominis adfert Festus: *Argea, loca Romæ appellantur, quod in his sepulti essent quidam Argiuorum illustres viri*. Ergo *Argei* ex Ἀργεῖοι. *Argeos* etiam, vt Festus ait, *vocabant scirpeas effigies, quæ per virgines Vestales annis singulis iaciebantur in Tiberim*. De his quidam Liuium loqui putarunt, cum ait lib. I. *Multa alia sacrificia, locaque sacris faciendis, quæ Argeos pontifices vocant, dedicauit*. Sed ea sententia satis ipsis Liuij verbis refellitur. Gloss. vett. *Argiarra*, ἀφίδρυμα. Lege cum Scalig. *Argei ara*. Vult *Argei* fuisse *aram ac simulacrum*. Nam hoc Græcis ἀφίδρυμα significat.

ARGILLA, ab ἄργιλλος, siue ἄργιλος, vt apud Hesychium ea vox scribitur. Ἄργιλλος dicta videtur ab ἀργὸς, qua *album* notat: vt propriè notet λευκάργιλον, de qua sic Plinius lib. XVII. cap. VII. *Leucargillon vocant candidam argillam, qua in Megarico agro vtuntur*. Nisi verisimile magis, sic dici ab ἀργὸς, qua *inertem* ac *desidem* notat: nempè quia terra istiusmodi infecunda est.

ARGVO, planè est ab ἀργὸς. Sed cùm ea vox variè sumatur, meritò quæritur a qua notione descendat. Omnino, arbitror, est ab ἀργὸς, significante, *clarum ac manifestum*: vt cùm dicunt λευκὸς λόγος. Mouet, quod *arguo*, propriè notat, *ostendo*: vt illo Horatij:

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.

Hoc est, ἐλέγχεται. Hac de significatione ita Agrætius: *Arguere, ostendere, & patefacere*. Virgilius:

Degeneres animos timor arguit.———

Vnde argumenta dicuntur, quæ caussam caussæ ostendunt. Aliquibus tamen verisimile magis fit, *arguo* propriè notare *reprehendo, accuso, conuinco*: posteáque latiùs extensam acceptionem, vt generatim signet *ostendo*. Ita *argumentum* propriè erit, quo aliquem erroris aut delicti conuincimus. Συναγωγικῶς verò quæuis ratio ad aliquid probandum assumta. Ex horum mente dici debeat venire ab ἀργὸς notante *segnem*, ab α & ἔργον. Nempè vt *arguo* propriè quidem notet *ferior*, siue *ab opere cesso*: sed μεταληπτικῶς accipiatur pro *reprehendo, castigo*; idque quia ij, quibus abs re suâ otium, aliena curare solent, inque alienis vitiis tam acutum cernunt, quàm aut aquila aut serpens Epidaurius, vt est apud poëtam Venusinum. Etiam tertia sententia occurrit. Nam quid si dicamus, quia ad alios arguendos ἀγχινοίᾳ & *celeritate mentis* opus est, iccirco *arguo* videri non tam esse ab ἀργὸς, quà *clarum* vel *otiosum*, quàm quà *celerem* notat? Confirmant hanc sententiam verba Isidori, lib. X. *Argutus, inquit, quia argumentum cito inuenit*. Ac Glossæ Philoxeni similiter exponunt ὀξύς. Pertinet huc quoque quod Probus sic vocari docet, qui præpropere multumque loquantur. Nam huic quoque interpretationi celeritatis inest mentio. In hac originatione præiit Seruius P. Danielis. Eius verba multifariam sunt corrupta: sed apponam, prout ad oram codicis mei manu sua felicissimè restituit magnus Ios. Scaliger: *Pelias, cùm accepisset responsum ab Apolline, fore vt ab eo priuaretur regno & vitâ, qui altero pede nudo ei sacrificanti occurrisset, fortè vidit Iasonem nudo pede venisse, qui dum Iunonem, transformatam in anus speciem, credens mortalem, pedetentim per vadum fluminis transferret, alteram ex caligis in limo amiserat. Igitur Pelias metuens ex responsis fata, iussit eum Colchos proficisci ad petendā auream pellē arietis qui Phryxum*

& Hel

& Hellen Colchos pertulerat, qui fabricatâ navi, quam ab Argo fabricatore Argo appellavit, contractâque iuventute Graecia, Typhim habuit gubernatorem. Sanè quidam Argo à celeritate dictam volunt. Vnde, verso in Latinum verbo, argutos celeres dici. Socij verò Iasonis Minyæ appellati sunt, vel ab agro huius nominis Colchorum, vel quod multi ex quâdam Minyâ nati Iasoni se coniunxerint, vel quod Minya Iasonis materna avia fuerit: qui autem cum Iasone profecti sint, apud eos qui de fabulis scripserunt, planiùs inveniuntur. Etsi tribus prope verbis absolvuntur, quæ ad præsens institutum pertinent: integrum tamen locum adscribere visum fuit, quia fœde adeo in vulgatis corruptus: vt in quibus post *vitâ*, τὸ *qui* sit omissum: pro *avus* legas *anni*: pro *pedetentim*, petentem: pro *facta*, fata: pro *agro*, Argo: pro *Iasonis materna*, Iasoninia terra. Porrò ex ijs, quæ hactenus diximus, satis patet, quid propriè sit *argutus*. At κατὰ μεταφορὰν ad res quoque inanimas translatum, vt apud Maronem. I. Georg.

Arguto coniux percurrit pectine telas:

vbi Servius interpretatur, *sonoro & stridulo*: idémque epithetum pectini tribuit Appuleius lib. II. Met. & Theodosius Imp. in L. temperent. C. de vestibus oloveris & auratis. L. x. *Ilicem* quoque *argutam* dixit Maro in Ecl. Vbi *sonantem* interpretatur Nonius. Sed quia homines *arguti* aut loquaces multas comminiscuntur nugas, inde est, quod Glossæ Philoxeni quoque interpretentur ἀδολέσχου, φλυάρου. Ab *argutus* est verbū *arguto*, *argutas*: cuius verbi meminit Sosipater lib. I. Vsus eo Propert. lib. I. el. VI.

Illa mihi totis argutat noctibus ignes.

Vsitatius pro eo dicitur *argutor*. A supino *argutum* fit *argumen*, vnde adiecto *tum*, *argumentum*, vt à *testatum*, *testamen*, vnde *testamentum*: de cuiusmodi vocabulis sæpius diximus. Ab *argumentum* verò est *argumentor*: vnde *argumentatio*. Differt ea ab *argumento*, quod *argumentum* dicitur sola ratio, qua conclusio probatur; *argumentatio* verò & rationem & conclusionem comprehendit. Pro *redarguo*, *redorguo* dicebat Scipio Africanus, Paulli filius, teste Festo; quomodo idem *pertisum* malebat, quàm *pertæsum*. A *redarguo*, est *redargutio*, quomodo Boetius transfert Græcum ἔλεγχος. Quare non ausim id damnare cum Laurentio Humfredo.

ARIÆ, mortuorum pulvinaria, vt Isidori Glossæ interpretantur, ab ἔρα, quod significat γῆν, τὸ ἐν τῇ γῇ μιγῆναι, vt interpretatur Suidas.

ARIES, cur pro instrumento bellico ponatur, à quâ notione verbum *arieto* defluxit, docet his verbis Vegetius lib. IV. cap. XIV. *Testudo intrinsecus accipit trabem, quæ aut adunco præfigitur ferro, & Falx vocatur, ab eo quod incurva est; vt de muro extrahat lapides: aut certè ipsius caput vestitur ferro, & appellatur Aries; vel quod habet durissimam frontem, qui subruat muros; vel quod more arietum retrocedit, vt cum impetu vehementius feriat.* At vnde animali ipsi *arietis* nomen factum sit, conatur aperire Isidorus L. XII. cap. I. *Aries*, inquit, *vel* ἀπὸ τοῦ Ἄρεος, i. *à Marte vocatus, vnde apud nos in gregibus masculi mares dicuntur: Sive quòd hoc pecus à Gentilibus primum aris est immolatum. Aries quod aris imponeretur. Vnde est illud, Aries mactatur ad aram.* Sed verisimilis magis sententia Angeli Caninij, & Petri Nunnesii, qui deducunt ab ἱερὸς, pro quo quidam scribunt ἱρός. Hesych. ἱρὸς κριός. Et sanè hac in sententia acquiesceret animus, nisi scirem, *arietem* quoque ἄρακα appellari. Hesychius; ἄρακα, ἄρρεν πρόβατον. Vbi ἄρακα, Glossographorum more, in accusandi casu ponit, prout apud veterem scriptorem repererat. Rectus vero est, ἄραξ, vnde ἄρακος, vt ab ὕραξ ὕρακος. Ab ἄραξ igitur abiecto κ fit *aru*, sive *ares*. Nam in plerisq; *e* & *i* promiscuè vsurpabant, vt alibi ostensum. Veteres autem *ares* dixisse, ex Varrone scimus. Ex *ares* antiquo factum *aries*: quod idem Varro agnoscit. Quare vnde *aries* acceperint Latini, amplius dubitandum non est. Porrò pro *aries*, vel *ares*, etiam *arvix* dixere antiqui Romani. Auctor idem Varro, cuius tandem verba ponimus è lib. IV. de L. L. *Aries, quòd eum dicebant ares veteres nostri, arviga; hinc arvignus.* Vbi pro *arviga* malim *arvix*, vel *arvigem*. Nam Græcus accusativus in *a*, vt à poëtis vsurpari soleat, non tamen agricolis ac vulgo in vsu erat. Rectus autem *arviga*, hac quidem notione, esse nequit. Quippè cùm ea vox solam marem ovem notet, non nisi masculini generis esse potest: cui generi ea terminatio in huiuscemodi vocibus repugnat. Præterea *arvigem* mox dicit ipse Varro. Nam continuò subiicit: *Ita sunt, quarum in sacrificiis exta in olla, non in veru coquuntur. Quas & Attius scribit, & in pontificalibus libris videmus in hostiis tam arvigem, quæ cornua habet.* Censeo autem, vt pro ὕλα Æoles dixere ὕλϝα vnde *silva*, item pro ἱερὸς ἱερϝός, vnde *servus*: sic eosdem pro ἄραξ dixisse ἄρϝιξ, vnde *arvix*. Ita huius quoque vocis etymon invenerimus. Ab *arvix* autem, vt ex Varrone vidimus, est *arvignus*, nempè vt à *salix saligneus*. Quemadmodum verò ab ἄραξ Latini omisso *a* dixere *aris*, vel *ares*; vti superius dictum: ita ab Æolico ἄρϝιξ, eâdem literâ omissâ, dixere *arvus*. Colligimus hoc ex derivato *arvinus*, quod ea ratione ab *arvus*, qua *ovinus* ab *ovis*. Itaque *arvina* primò fuit *arietinum sevum*, etsi postea latiùs extensum: vt nempè generatim significet *sevum*. At nimis notionem eius extendit Paullus Diaconus, apud quem in Festi epitoma legas: *Arbilla* (ita constanter MSS) *arvina, pinguedo corporis*. Meliùs Philoxeni Glossæ: *Arvina* λίπος ἄνευ σαρκός. Vsus Maro in VII. Æneid.

Pars leves clypeos & spicula lucida tergent
Arvina pingui.

Vbi sic Servius: *Secundum Suetonium, in libro de vitiis corporalibus, Arvina est pingue durum, quod est inter cutem, & viscus. Alij arvina nomine laridum dicunt.* Hæc Servius. Dixere autem, & *arvina*, & *arbina*. De *arvina* in Philoxeno vidimus; & antè idem ex analogia ostensum. At *arbina* dixisse, patet ex *arbilla*, quod apud Festum. Nam vt ab *ovinus* est *ovillus*; sic ab *arbinus*, *arbillus*. Sed *arbina* vnde? A Siculis, censeo. Nam apud Hesychium est ἄρβινα, κρέας Σικελοί. Vbi pro κρέας legendum στέαρ, vti in Glossario Græco-Barbaro (voce ἄρβινα) monuit doctissimus I. Meursius. & multo ante eum ad Festum notarat illustris Scaliger. Ergo vt Latini ab *arvis arvina*, ita Græci ab ἄρϝιξ ἄρβινα seu ἄρβιννα. Ἄρϝιξ vero quin dixerint Græci, nullus dubito. Nam vt Æolicâ dialecto vocalibus præmittitur digamma, ita aliorum dialecto β. Sic Pamphyliorum Heraclito teste, est βάβος pro φάος, ἀβέλιος pro ἥλιος, ἐρίβω pro ἐρίω. Cretensium quoque βελιοιοτες pro ἐλιοιοτες, Laconum βίδιος pro ἀΐδιος conversa insuper vocali, item βάζει pro ἄζει ab ἄγνυμι. Ergo pro ἄραξ cum ἄρϝιξ dictum, vnde *arvix* & *arvignus*: cum ἄρβιξ, vnde *arbina* & *arbilla*. Ab *arvix* est *arviga*. *Arvigam* dixere hostiam, cum *arvigem* mactarent. Sed postea latius extensum. Nam generatim apud Festum legas: *Harviga, dicebatur hostia, cuius adhærentia inspiciebantur exta.* Sive, vt editum in antiqua Mediolanensi anni CIↃ.IↃ. *cuius ad hepatia inspicienda conducuntur arioli*. Fortean scripsit Diaconus, *cuius ad hepar & exta inspicienda conducuntur arioli*. Quod autem apud Festum, ac Donatum, sit *harviga* cum spiritu aspero, id est à consuetudine posterioris seculi, quo plerique vocales, ac consonas, adspirare amabant: quem morem iam Catulli ævo cœpisse patet ex eius epigr. de *Arrio*: *Aringa* autem, quomodo apud Varronem, Festum, Donatum, legit Scaliger, Latinum non est. Vide *Aruspex* vbi & Velij Longi hac de voce locum emendamus. Ab *aries* est *arietinus*, apud Columellam & Plinium, nempè vt à *paries parietinus*. vnde *parietinæ*, supple, *ruinæ*. *Arieticum* oraculum est Iovis Ammonis, cuius caput habebat *arietis* cornua.

ARILATOR Festus (apud quem MSS[1] quidam *arillator*) deducit à Græco αἶρε, i. e. *tolle*, quia, vt ait, *sequitur merces*. Sed longè verius Scaliger ab *arra* ortum putat. Quippe Gellius lib. XVI. cap. VII. ac Festus in *Arilator*, eundem esse dicunt *arilatorem* & *cocionem*, sive *coctionem*. Idem verò in *Coctio* sic scribit: *Coctiones dicti videntur à cunctatione, quòd in emendis vendendisque mercibus tarde perveniant ad iusti pretij finem. Itaque apud antiquos prima syllaba per u literam scribebatur.* Ex quibus cum Scaligero colligimus *arrulatorem* dicendum esse, ac sic vocari, quia emturiens datâ *arrâ* postulet sibi credi: *coctionem* verò à *cunctatione* sic dici, quasi *cunctionem*, sive *cuctionem*, pro quo *coctio* dixere, &, eliso *t*, *cocio*. Turnebus lib. XIII. cap. XIV. censet, *cocionem* dici à *coquendo*: eundémque *arulatorem* vocari ab *arula*, h. e. *foculo*, in quo *coquit*: eámque sententiam comprobat è Glossis Philoxeni, in quibus, col. XXV. Stephanicæ editionis, *arulator* exponitur ἰδιώτης. Sed neutrum vocabulum sic vnquam accipi puto. Sanè videtur Glossographus, vel is, quem secutus, existimasse *cocio* ea ratione fieri à *coquus*, quâ à *pusus* est *pusio*: nisi forte præ illâ Festi originatione arrideat sententia viri eruditi Ioannis Meursij, qui Auctarij Philologici cap. XXXIV. *cociones* dictos putat ob ollas, quas auro habebant plenas. Nam quia ollæ *coctioni* inserviunt, ideo hi, qui ollis aurum servabant, & quasi elixabant, quodammodo à *coquendo cociones*, non *ciborij*, sed *aurarij*, vulgi dicterio appellati videri queant. *Arrulatores* verò eosdem vocatos ab *arra* censent, quia etsi opulenti essent, tamen tricones essent maximi, *arraque* datâ reliquum persoluere cunctarentur. In iisdem Philoxeni Glossis adducitur altera *cocionis* interpretatio: sed, vti sentio, æquè, ac prior illa, à falsâ originatione profecta. Nam exponitur βωμολόχος, quasi nempè sit ab *arâ*, quæ Græcè βωμός. At verior enarratio tertia, cum exponitur παλιγκάπηλος quod, Suida teste, idem ac ἔμπορος h. e. *negotiator*, seu *mercator*. Eâdem mente paullò pòst in iisdem Glossis legas: *Ariblator* (scribe *ariator*, vel *arrilator*) μεταβολος; ἀρχώνης. Nam μεταβολος, seu μεταβολεύς, idem quod παλιγκάπηλος, Hesychio teste. Suidas similiter μεταπράτην exponit. In iisdem Glossis *cocio* quoque μεταβολος exponitur. Imò in Isidori quoque Glossis scriptum: *Ariolator*

(scribe *arulator* seu *arrulator*) *cocio*, ὁ μεταβολεύς. Quæ Glossographorum loca clarè docent, falli Turnebum, cùm *arulatorem*, aut *cocionem*, putat esse *coquum*. Nihilo meliùs Muretus, qui lib. IX. Var. Lect. cap. XI. *cotionem* per *t* scribit atque ita dici censet pro *cautione*, quomodo ex *aula* factum *olla*: vt nempè Plautini loci, *Nihili cocio*, hæc mens sit, Nihili esse *cautionem* siue *syngrapham*, tutiúsque præsenti pecuniâ emi. Sed hæc sententia facilè diluitur Grammaticorum veterum auctoritate; Festi dico, Philoxeni, Isidori, vel quicumque Glossarum istarum auctores. Eadem caussa facit, quo minus adsentiam viro magno, qui *cocio* putabat dici à *conciendo*, ac significari eum, qui Græcis λαοσυνάκτης. At multò etiam minus probatur Andreæ Alciati sententia, qui Annotat. in tres posteriores Codicis libros, & lib. I. παρ. cap. 14. censet *coactio* pro *cocio* legendum apud Plautum. Cui & hac in re subscribit Lævinus Torrentius ad Suet. Vesp. cap. I. *Cocionis* voce vsus Laberius apud Agellium lib. XVI. cap. VII. Ab Agellio autem vox ea reponitur inter peruulgata, & conculcata. Credo ita visum Gellij æuo. Ceterùm vsus & Plautus, Asin. act. I. sc. III.

Vetus est. Nihili cocio est. Scis cuius? non dico amplius.

Monuit autem me clarissimus vir Ianus Rutgersius, eandem Latini huius prouerbij vim esse, ac Græci istius:

Οὐδεὶς δυσώνης χρηστὸν ὀψωνεῖ κρέας.

Difficilis emtor haut bona edit obsonia.

Quod prouerbium respexisse videtur Pollux, cùm lib. III. cap. XXV. ait: ὁ δὲ δυσώνης ἐκ οἶδα μὲν εἰ παρά τινι, ἐν παροιμίᾳ δ. *Vox* δυσώνης *nescio an à quopiam vsurpetur: ceterum est in prouerbio.* Sanè Δυσώνης est *cocio*. Dispiciendum autem, integréne enuntiârit Comicus prouerbium id; vt nempè sententia sit, δυσώνης nullius æstimari: an potiùs *est* sit *edit*, ac intelligi debeat *carnem*: vt nempè integrum prouerbium sit, *Cocio est nihili carnem*: quòd ad verbum exprimet illud Græcum, Δυσώνης ἐκ ὀψωνεῖ χρηστὸν κρέας. Sed prius malim. Vt nihili esse cocio dicatur, propterea quòd bonam carnem non edat. Nam quia difficilis ac cunctator est in emendo, faciles emtores præ eo carnes bonas nanciscuntur.

ARISTA, *apex spicæ*, eo quod *arescit prima* vt Varro ait lib. I. de R. R. cap. XLVIII. Seruius in illud VII. Æn.

Vel cum sole nouo densæ torrentur aristæ,

& Isidorus lib. XVII. Orig. c. III. Sed etsi sententia hæc satis sit verisimilis, censeo tamen potius τὸ μετάθετον esse ab ἀθέρξ, quod idem notat. Nam ἀθέρικας & ἀνθέρικας, Hesychio teste, sunt τὰ τῶν σταχύων ἄκρα, nempè idem ac ἀθέρες. Ac placuit idem etymon Nunnesio.

ARISTOLOCHIA, ἀριστολόχεια vel ἀριστολοχία, herba, cui ex eo nomen, quia ἄριστα βοηθεῖ ταῖς λοχείαις, *optimè iuuat partus*; vt est apud Dioscoridem lib. III. cap. IV. Plinius similiter lib. XXV. cap. VIII. *Inter nobilissimas aristolochiæ nomen dedisse grauidæ videntur, quoniam esset ἀρίστη λεχώσαις.* Pro quo in antiqua Parmensi anno CIƆCCCCLXXI. edirum *aristetecuses*, hoc est, ἀρίστη τεκούσαις. Sed satis liquet esse ab ἄριστος, & λοχεία, quod est, *partus* siue *puerperium*. Nimirum sic dicitur, quia post partum educit secundas, & quod remanet post partum.

A RMA (vt quidem Varro IV. de L. L. ait,) *dicta ab arcendo, quòd his arcemus hostem.* Sed magis placet esset ab *armis*: quâ *humeros* olim ea vox notabat, vt diximus in *armilla*. Festus: *Arma propriè dicuntur ab armis, id est, humeris dependentia, vt scutum, gladius, pugio, sica, & ea quibus propè præliatur: sicut tela, quibus procul.* Seruius ad illud IV. Æn.

——Et arma viri, thalamo quæ fixa reliquit.

Arma, inquit, *dicit gladium abusiuè.* Nam ait paullo post:

——Ensemque relictum.

Propriè enim arma sunt, quæ armos tegunt, hoc est scutum. quod Græcis ὅπλον (f. solum) ὅπλον dicitur, cum cetera sua nomina habeant; vnde ipse ait,

At Lausum socij exanimem super arma ferebant.

Sed hic ideo (Dido) *generaliter arma nominauit, ne inuentione solius gladij consilium proderetur.* Isidorus lib. vlt. cap. V. *Arma propriè dicta sunt, eò quod armos tegunt. i. humeros; vt, Latos huic hasta per armos Acta tremit.* Quod ibidem addit Isidorus, posse & arma sic dicta videri ἀπὸ τοῦ Ἄρεος, h. e. *Marte*: id longè posthabendum censeo priori. Ab *armis* dicti *armites*. Glossæ Philoxeni: *Armites*, ὁπλῖται, οἱ ἐν ἐσχάτῃ τάξει. *Armites*, παραμαχὸς ἱππεύς. Ab eodem est *armare*, vnde *armamenta*: vt *vinearum armamenta* apud Plinium. Sed imprimis sic vocari solent in naui funes ac rudentes. Sic vsi Plautus, Cicero, Columella, Plinius: qui lib. XIX. c. de lino, ait: *Hinc fuisse & nauium armamenta apud Homerum interpretantur eruditiores, quoniam cum sparta dixit, significauerit sata.* Sic vero loquûtur Græcorum exemplo, qui similiter vocant ὅπλα. Hesychius: ὅπλα, τὰ τῆς νηὸς σχοινία. Gloss. Græc. ὅπλα, σχοῖνος ἀπὸ σπαρτίου, ἡ ναυπήγιον. Vt ab *armis* est *armarium*: ita ab *armamentis armamentarium*: quæ vox propria armis militaribus. Isidorus lib. XV. cap. V. & τὸ λέξιν apud Bedam de Orthographia: *Armarium, vbi quarumcunque artium instrumenta seruantur: armamentarium, vbi tantum tela armorum.*

ARMENTVM ab *arando* per syncopen dicimus pro *aramentum*. Varro, IV. de L. L. *Armenta, quòd boues ideo maximè parabantur, vt inde eligerent ad arandum: inde aramenta dicta, postea tertia litera extrita.* Nisi magis placet sententia Festi, ab *armis deducendum*: quam & sententiam secutus Seruius ad III. Georg. *Armenta*, inquit, *sunt equorum & boum, quòd hæc animalia apta sunt armis: vt scutis boum coria, equi prælio.* Vtramque sententiam ponit Isidorus lib. XII. cap. I. Sed de scutis, quod ait Seruius, id mihi longius quæsitum videtur. Magis ad rem facit, quod de equis addit: quibus *armenti* appellationem competere, vel illud Maronis fidem fecerit,

Bello armantur equi, bello hæc armenta minantur.

Verùm probandum fuerat Seruio, magis *armenti* vocem equis competere quam bubus. Sanè mihi contra videtur *armentum* propriè magis de bobus, *iumentum* verò de equis dici. Nam Pomponius, de verb. signif. l. boues. *Boues*, inquit, *armentorum magis, quàm iumentorum nomine appellantur.* Ac Columella ferè *iumenti* vocem de equis accipit, vt cum lib. I. cap. VI. ait: *Non altius edita esse præsepia conuenit, quam vt bos aut iumentum sine incommodo stans vesci possit.* Ἀναλογία quoque Varronis sententiam confirmat. Nam vt ab *incitatum*, *incitamen*, inde *incitamentum*; à *iuratum*, *iuramen*, inde *iuramentum*: sic ab *aratum*, *aramen*; vnde *aramentum*, & per syncopen *armentum*. Estque similis syncope in *iumentum*: siue à *iugando* esse placet, siue *iuuando*. Nam à *iugatum* est *iugamen*, à quo *iugamentum*, & per syncopen *iumentum*. Ac similiter à *iutum* erit *iutamen*, *iutamentum*, *iumentum*. Imò si ab *armis* quoque *armentum* esse placet, non tamen ἀμέσως hinc descendet, sed ab *armando*, eóque simili hic syncope opus erit. Nam ab *armatum* erit *armamen*, inde *armamentum*, à quo *armentum*.

ARMILLÆ sunt, quæ *brachialia* appellantur, vt ait Priscianus lib. XII. Glossæ Philoxeni interpretantur ψέλια, & κλόνια. Itidem *armillarius* interpretantur ψελιοφόρος. De vocis origine sic scribit Festus: *Armillas ex auro, quas viri militares ab imperatoribus donati gerunt, dictas esse existimant, quod antiqui humeros cum brachijs armos vocabant. Vnde arma ab his dependentia sunt vocata.* Videtur autem *armillarum* vox ὑποκοριστικῶς facta esse ab *armea*, quæ sic vocatæ, quia *armorum* sint ornamentum. *Armea* sanè voce Plautum vsum putant Meursius, qui Epid. act. V. sc. I. legit. *Armeam ad te adferre.* Sed planè correctio hæc incerta. Porro præter superius etymon, alterum quoque lego apud Isidorum, qui non *armos*, sed *arma* ijs nomen dedisse censet. Sic enim ait lib. XIX. cap. XXXI. *Armillæ autem propriè virorum sunt, collata victoria caussâ militibus ob armorum virtutem.* Quod etymon confirmat Festus ipse, cum agnoscit, eas viris fortibus donari solere ab imperatoribus. Idem docet Liuius lib. decimo, extremo; Iuuenalis sat. vlt. & hic locus Tertulliani, lib. de Pallio, cap. IV. *Cum lactrinarum antistes sericum ventilat, & immundiorem loco ceruicem monilibus consolatur, & armillas, quas ex virorum fortium donis ipsa quoque matrona temerè vsurpassent, omnium pudendorum conscias manus inserit.* Verùm non si *arma* sint caussa, cur *armillæ* donarentur, eo necesse est, vt *arma* quoque sint nominis caussa. Quare magis placet Festi sententia, vt nempè, quemadmodum illas Hispani vocant *manilla* à *manibus* (cuius appellationis causam indicat hoc Plinij secundi in Romulo: *Illa petijt quod illi in sinistris manibus gerebant, videlicet annulos, & armillas:*) quemadmodum item eæ à *brachijs*, Plinio, lib. XXVIII. cap. VII. dicuntur *brachialia* (vnde & Itali vocant *bracciaIetto*, & Galli *brasseles*:) ita *armillæ* dicantur, quia circumdari soleant *armis*, h. e. *brachijs*, quomodo hodiéque Germani, & Germano-Belgæ, *brachia*, *armen* vocant. Quamquam veteribus Latinis, non solum *brachium*, vti postea, sed *humeros cum brachijs* notabat: vt clarè ait Festus. Magis verò propriè notabat *solos humeros*: vnde est, quod nunc quoque in ἀλόγοις *armus* dicatur, quod in homine est *humerus*. De homine vsus Maro, XI. Æneid.

——Latos huic hasta per armos

Acta tremit.——

Vbi sic Seruius. *Armos dicit abusiuè; nam propriè armi quadrupedum sunt.* Mallem dixisset Seruius, antiquè sic locutum Maronem. Nam si etymon spectes, caussa non est, cur ea vox non sit generalis. Est enim *armus* ab ἁρμός, hoc est, *compages*, *commissura*: vt hinc pareat, nec *humeros* quidem κυρίως notâsse, sed *humerorum cum brachiis commissuram*. Porrò ab ea significatione, quâ Maro accepit, nuncupata videntur & *arma*, & *armillum*. Sed de his separatim diximus, partim dicemus.

ARMILLVM, vt, cum Festus, tum Isidorus in Glossis, docet, fuit *vas*

vinarium

vinarium ut sacris: vnde prouerbium, *Arma ad armillum*: quod ex Lucilio citat Nonius in *armillum*. Vide quæ de eo diximus in Oratorijs lib. IV. cap. XI. Festus *armillum* ita dictum ait, *quod armo, id est, humero deportetur*. Nempè prius fuit *armentum*, vnde ὑποκοριστικῶς *armillum*. Itidem suspicantur *armillam* dici ab *armea*, quia sit *armorum ornamentum*. de quo iam ante diximus.

ARMILVSTRVM, siue *armilustrium*. Haut rectè Varro lib. IV. de L.L. *Armilustrum ab ambitu lustri locus*. Melius lib. V. *Armilustrium, ab eo quòd in armilustrio armati sacra faciunt. Nisi locus potius dictus ab his: sed quod de his prius. Id ab luendo, aut lustro, h.e. quod circumibant ludentes ancilibus armati.* Verum vocis etymon est ab *armis* & *lustrando*. Vnde Glossæ Philoxeni: *Armilustrium*, ὁπλοκαθαρμὸς, ὁπλοκαθαρσία. *Armilustrium* enim dictum, quia exercitus lustraretur armatus: eáque vox, & tempus, & locum significabat. Diaconus cum, quid *armilustrium* sit, docet, non satis Festum intellexit.

ARNA, *agna*, vel *mater agni*. Festus: *Arna caput, agna caput*. Nempè ex eo, quia Græci ἄρνας *agnos* vocant. In Gloss. Philox. col. XX. ed. H. St. *Arna*, μήτηρ τῶν ἀρνίων. Intellige μήτηρ οἰς, *ouis mater*. Vt dicat, agnæ matrem sic dici à Varrone.

ARO, ab ἀρῶ, vnde ἄρουρα, a quo Latinorum *rura*. Vt suo loco dicemus. Ἀρόω verò est ab Ἄρης, significante *ferrum*: eo enim terra in arando scinditur: vel ab ἄρος, quod *pratum* vel *locum irriguum* significat: vel potiùs ab Hebræo חרש, *charasch*, omisso spiritu. Quippè ea vox inter alia notat *arare*, vt Iud. XIV. XVIII. Hos. X. XIII. & alibi. Ab *aro* est *aruum*, vt ait Varro lib. IV. de L.L. Idem lib. I. de R.R. cap. XXIX. *Seges*, inquit, *quod aratum satum est: aruum, quod aratum necdum satum est*. Festus: *Aruum dicimus agrum necdum satum*. Vel pro ἄρος, de quo dixi, Æoles dixerint ἄρϝος, inde *aruum*: vt ab ὕλη, Æolicè ὕλϝα, vnde *sylua*. Ab *aruo* dicti *fratres arvales*. Varro lib. IV. de L.L. *Fratres arvales dicti sunt, qui sacra publica faciunt propterea, vt fruges ferant arua*. *Ambarvale* sacrificium dictum, Festo teste, ab *am*, & *arua*, *b* interiecto: vt in *ambitus*, *ambedo*, & similibus. Nominis ratio est, quod ter arua segetésque lustrarent, ac circum ea victimam ducerent. Ecl. V.

——Et cum lustrabimus agros.

Georg. I.

Térque nouas circum felix eat hostia fruges.

Tibullus.

Quisquis adest, faueat: fruges lustramus & agros.

Aratrum non ineptè deducunt ab ἄροτρον, quod idem notat. Interea verum id etymon non est: quipppè cum penultimam producat, planè dicendum ab *aratum* dici *aratrum*, qua forma à *rusum* est *rursum*. Nec admodum dissimile à *lauatum*, *lauacrum*: à *sepultum*, *sepulcrum*, &c.

AROMA, ἄρωμα. Ἀρόω, *aro*, vnde Attici ἄρωμα *sementem*: ex quo ἀρώματα, quæ suffimentis & vnguentis apta sunt. Ita Bibliander Verborum Indice in Marcum. Verùm aliis placet, ab ἀρόω quidem esse ἄρωμα, sed ἄρωμα venire ab ἄρι particula αὐξητικῇ, & ὄζω siue ὀσμή, vnde à Suida exponatur εὐωδίασμα μυρεψικόν. Vti & in Glossario Græco-Barbaro, quod hactenus ineditum seruo. Turnebus, notis in Theophrastum de odoribus, censet, quia veteres ante pecudum immolationem litarent odoramentis, eo hæc *aromata* dicta ἀπὸ τοῦ ἀρᾶσθαι, quod Ionibus est *precari*. Martinio placuit ἄρωμα venire ab ἄρω, id est, *apto*; quia eo conditi cibi fiant aptiores ac gratiores palato. Qua ratione nunc Græci ἀρτύματα vocant, quia ijs cibos ἀρτύουσι, h.e. *condiunt*. Legas id verbi in Turco-Græcia Crusij. In hoc dissensu maximè placet secunda sententia: vt nomen sit à fragantia odoris: atque ἄρωμα propriè sit, quod bonum spirat odorem. Hodie *aromata* appellant quæ aliter dicunt *droguas*, hoc est, species omnes seu grati, seu ingrati odoris. Olim vero ἄρωμα dicebatur herba siue species odorifera, siue domi crescens, siue peregrina. Item quiddam arte factum & compositum ex pluribus speciebus ad bonum odorem. Vt apud Theophrastum lib. IX. Histor. Plant. cap. VI. Τὰ δ' ἄλλα πάντα τὰ εὔοσμα, οἷς πρὸς τὰ ἀρώματα χρῶνται. *Cetera odorata, quorum ad aromata vsus*. Recenset deinde magnum talium numerum. Hinc μύλαρος ἀρωματικὸς dictus, qui Dionysio ἀηδών.

ARRA siue *arrha* vocem præter Plinium & Iurisconsultos vsurpat Iul. Capitolinus in Maximino Iuniore. Quid, & vnde sit ex parte discere est ex hisce verbis, lib. V. cap. XXV. *Interest in loquendi vsu inter pignus & arram. Nam pignus est, quod datur propter rem creditam, qua dum redditur, statim pignus aufertur. Arra verò est primum quod pro re bonæ fidei contractu empta ex parte datur, & postea completur. Est enim arra complenda, non auferenda: vnde, qui habet arram, non reddit sicut pignus, sed desiderat plenitudinem; & dicta arra à re pro qua traditur*: Hæc Isidorus. Sed quod *arram* ex præuerbio *à*, & voce *res* conflatū putat, hoc verè ineptum est. Omnino autem est ab *arrhabo* τῷ ἀπεσκομμένῳ. Vsus hoc Plautus, Mil. act. IV. sc. I.

Hunc arrhabonem amoris primùm à me accipe.

Et Terent. Heaut. act. III. sc. I.

Ea relicta arrhaboni est huic pro argento.

Quem ad locum rectè monet Eugraphius, *arrhabonem* poni pro *pignore*. Quare aut *arrhabo* non planè idem est, quod *arrha*, aut discrimen id perpetuum non est, quod inter *arram* ac *pignus* posuit Isidorus, & ante eum Hieronymus comment. in Pauli epist. ad Ephes. cap. I. XIV. Est autem *arrhabo* à Græco ἀρραβών. Varro in IV. de L.L. *Arrhabo sic dicta, vt reliquum reddatur; hoc verbum à Græco ἀρραβών*. Suidas & Etymologus: Ἀρραβών, ἡ τοῖς ὠνοῦσι παρὰ τῶν ὠνουμένων διδομένη πρώτη καταβολὴ ὑπὲρ ἀσφαλείας. Vnde sit, dissentiunt veteres Grammatici. Quidam ab ἄρραγες deducunt, quod *infragile* ac *firmum* significat: vt nempè sic dicatur, quia *arrhabone* uidenter firmitérque comprobari potest, de pretio conuenisse. Meritò autem hanc opinionem improbat Etymologus, sed nihilo meliores duæ quas ipse ponit. Ignoscendum hominibus Hebraicè nescientibus. At qui oram eius linguæ adbibit, is scit esse ab Hebræo ערבון, quod *pignus* significat, ab ערב, *spondere*, ἐγγυᾶν.

ARRVGIA, quid sit, docet Plinius lib. XXXIII. cap. IV. *Tertia*, inquit, *quærendi auri ratio opera vicerit gigantum: cuniculis per magna spatia actis, cauantur montes ad lucernarum lumina. Eadem mensura vigiliarum est, multisque mensibus non cernuntur dies. Arrugias id genus vocant*. Hinc liquet, *arrugias* esse cuniculos, è quibus effoditur aurum. Quid si igitur statuamus, ita dici quasi *aurorygia*, ab *aurum* & ὀρύγω siue ὀρυχή, quo *fossio* significatur? Sed obstat, quod prior pars Latina sit, altera Græca. Quare verius videtur, esse simplex deriuatum ab ὀρύγω, quasi *orugia*, *o* in *a* abit, vt à βόσκω, *pasco*. *r* additum, vt à φλέγω, *flagro*.

ARS forsasse ab ἄρος, quod Æschylo in Supplicibus ὄφελος siue *vtilitatem* signat, vt Eustathius annotauit in Ὀδ. α. Vt à μένος, *mens*, sic à γένος *gens* sic ab ἄρος *ars*. Ἄρος autem, παρὰ τὸ ἄρω, τὸ ἁρμόζω, vt ibidem Eustathius ait. Possis & *ars* deducere ab hoc ἄρω. Nam *artis* est cuncta ἁρμόζειν, hoc est, *apta ac congrua reddere*. Vel erit ab ἀρτύω, id est, *paro*, *struo*. Vt rectus prius fuerit *artis*, vnde *ars*, vt è *plebes plebs*. Et facit pro hoc, quod similiter Græci à τεύχω, i. *struo*, *paro*, τέχνην dixere. Aliter tamen hac de voce veteres. Eorum enim plerisque ita dicta videtur ab *artus*, siue *artare*. Festus: *Artifices dicti, quod scientiam suam per artes exercent, siue quod apte opera inter se artent: quâ ex caussâ etiam artes appellatæ sunt*. Quod probare non possum. Melius Donatus, Andr. act. I. sc. I. *Ars* ἀπὸ τῆς ἀρετῆς *dicta est per syncopam*. Et Eunuch. a. III. sc. II. *Solers*, inquit, *quasi totus ex arte consistens, vt* ὅλος ἀρετή, *quod Latinus verbis, quasi solus in arte sit. Huic iners contrarium. Nam solers, quasi* ὅλος ἀρετῇ *dictus;* ὅλος *solum, vt* ἕξ *sex, &* ὗς *sus, dicimus*. Idem *artis* etymon ponit Seruius ad V. Æn. Diomedes vtrumque ponit, penè initio lib. II. *Ars dicta, quòd arto præcepto singula definiat, & veluti vias quasdam ostendat: vel* ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, *vnde veteres artem pro virtute appellabant*. Item Isidorus lib. I. cap. I. *Ars dicta est, quod artis præceptis regulisque consistat. Alij dicunt, à Græcis hoc esse vocabulum,* ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, *id est, à virtute, quam scientiam vocauerunt*. Et sanè hoc etymon præ ceteris probem. Nam solent Latini suos rectos formare ab obliquis Græcorum. Ita *ars* τῷ συγκοπῇ fit ex ἀρετῆς. Vel sit ex Siculo ἀρτῆς pro ἀρετῆς. Ἀρετὴ vero est ab Ἄρης, quod *Martem* notat: vt propriè ἀρετὴ sit *fortitudo*, ac imprimis bellica. Sanè *fortitudinem* solam antiqui homines æstimasse videntur, vnde & ab Ἄρης dixere ἄρειος, quod propriè notat *maximè Martium* siue *Martialem*. Id magis verum putamus, quam vt, quod Becmanus sensit, sit ab Hebræo אשר, i.e. *beatus*, seu *felix fuit*. Similiter φέριστος dixere, quod propriè ei competit, *qui maximè in ferendo valet*. Item βέλτιστος, cum propriè id ei conueniat, *qui valet in iaciendo*, quod Græcis βάλλειν. Latinis quoque *virtus* dicitur τῇ συγκοπῇ, quasi *viritus*: quod ipsum argumento est, primo hanc vocem *fortitudini* conuenire. Nam virorum propria fortitudo: vnde & *mares* dictos arbitrantur, qui deducunt ab Ἄρης, h.e. *Mars*. Ἄρης verò *fortem* propriè sonare, ostendit origo, quam putamus esse ab Hebræo ארי, quod *leonem* notat, & μεταφορικῶς etiam dicitur de magnatibus se leonum instar gerentibus, vt lib. II. Sam. cap. XXIII. Propriè igitur Ἄρης erit *vir leonino robore præditus*. Sanè ἐτυμολογία nostra, si non vera, saltem magis verisimilis est, quàm illæ, quas apud Eustathium & Etymologici Magni auctorem legere est. Quod verò Donatus, vti paullò ante vidimus, *iners* ab *arte* deducit, verissimum est. Nam propriè eum signat, qui nullam exercet artem, sed generatim de eo dicitur, qui se non mouet: vnde Ouidius.

Nec quicquam nisi pondus iners.——

 Lucillius:

Lucillius:

Vt perhibetur, iners, ars in quo non erit vlla.

ARSENICVM. ἀρσενικὸν, idem quod *auripigmentum*. Glossæ Philoxeni: *Auripigmentum*, ἀρσενικὸν, χρυσοπίγμενον, ψιλωθρον. Sed *arsenici* vocem retinet Plinius lib. XXXIV. cap. vlt. ἀρσενικὸν, quasi *masculum* dici videtur à *mascula* vi ad hominem interimendum. Nam ἄῤῥην, siue ἄρσην, *mas*. Ælius Dionysius ait Atticè ἀῤῥενικὸν dici debere, non ἀρσενικὸν, vt auctor est Eustathius. Sed, vt ibidem ait Eustathius, Strabo etiam ἀῤῥενικὸν dicit. Vide eum in Il. μ. pag. DCCCCXIII. edit. Rom. Quamquam autem Glossæ generatim interpretentur *auripigmentum*, videtur tamen *arsenicum* latius patere, solúmque *arsenicum* luteum sic vocari. Quod *auripigmentum* dicebatur, quia colorem haberet auri, isque picturæ esset vtilis. Plinius lib. XXXIII. cap. IV. *Aurum faciend est etiam vna ratio ex auripigmento, quod in Syria foditur pictoribus in summa tellure, auri colore, sed fragili lapidum specularium modo. Inuitaueratque spes Caium principem, auidissimum auri; quamobrem iussit excoqui magnum pondus: & planè fecit aurum excellens, sed ita parui ponderis, vt detrimentum sentiret, illud propter auaritiam expertus, quamquam auripigmenti L. XIV. permutarentur: nec postea tentatum ab vllo est.* Isidorus lib. XIX. cap. XVII. *Arsenicum, quod Latini ob colorem auri, auripigmentum vocant. Colligitur in Ponto ex aurea materia, vbi etiam Sandaracha. Optimum est, quod in auri colorem transit, purum & fissile, gracile venarum discursu.* Vide de eodem Dioscoridem lib. V. cap. LXXX. siue aliis CXXI. item Georg. Agricolam libro III. de Nat. Foss. cap. XXII.

ARSINEVA, vsurpat Cato in VII. Orig. A Festo exponitur *ornamentum capitis muliebris*. In vett. Glossis est, *Arsinum*, διάκρισις. Διακρισμός verò, siue διάκρισις, est ornatus capitis, quo capilli in duos ordines discriminantur. Fiebat id vitta, pectine, acu, quæ exinde *discriminalis* vocabatur. Fortasse *arsineo* nomen ἀπὸ τοῦ ἀείρειν; quia attolleret & eleuaret capillos. Certius verò aliquid adferri posset, si satis constaret, cuiusmodi fuerit hoc ornamentum. Vt mittam, quod nec de genuina lectione satis liquet. Nam in MS° quodam pro *arsineum* est *arnejium*: ac proximè post *Arma* memoratur.

ARTEMISIA, vnde dicatur, Plinius indicat lib. XXV. cap. VII. *Mulieres quoque hanc gloriam affectauere, in quibus Artemisia, vxor Mausoli, adoptata herba, quæ antea παρθενὶς vocabatur. Sunt qui ab Artemide Ilithya cognominatam putent, quoniam priuatim medeatur feminarum malis.* Ἄρτεμις Εἰλείθυια quæ sit, satis liquet ex Horat. carmine seculari, vbi sic Ἄρτεμιν, hoc est, *Dianam*, compellat:

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithya, tuere matres.

Estque eadem,

Quæ laborantes vtero puellas
Ter vocata audit.

vt idem loquitur lib. III. od. XXII.

ARTEMON vocatur Latinis *trochlea collocata in radice machinæ cuiusdam πολυσπάστου*. Græci *trochleam* hanc, ἐπάγοντα vocant. De vtroque auctor Vitruuius lib. X. cap. V. Planè autem falluntur, quibus *artemo* dici videtur, quasi *arrectus temo*. Nomen enim ab ἀρτάω, *appendo, suspendo*: vnde & in naui *artemo* dicitur, non quidem *antenna*, prout interpretatur Erasmus Act. XXVII. sed *velum*. Quod cognoscere est ex veteri Iuuenalis interprete, qui ad illa sat. XII. verba,

———*Quod superauerat vnum*
Velo prora suo iam deficientibus austris,

annotat in hunc modum: *id est, artemone solo velificauerunt*. Nec tamen omne velum est *artemo*, sed minus illud, quod velorum potius additamentum est: vnde in Digestis legas lib. V. Tit. XVI. Leg. CCXLII. *Malum, nauis esse partem, artemonem non esse, Labeo ait, Artemon magis adiectamento, quam pars nauis est.*

ARTERIÆ geminum etymon ponit Isidorus lib. XI. Origin. cap. I. *Arteria, inquit, vocata, siue quòd per eas à pulmone aer, hoc est, spiritus, feratur: seu quod arctis, & angustis meatibus spiritum vitalem retineant, vnde vocis sonos emittunt.* Sed est planè Græcum ἀρτηρία, quod vsurpant Plato in Timæo, Aristoteles lib. II. de anima, atque alij. Ἀρτηρία autem satis concinnè ita dici putatur ἀπὸ τοῦ ἀέρα τηρεῖν. Est enim *spiritus conceptaculum*, vt Gellius vocat. Sanè magis id placet, quàm vt dicatur ita διὰ τὸ ἠρτῆσθαι τῆς καρδίας, vel ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ῥεῖν, quasi ἀειρηρία, quæ aliorum sententia est. Addamus & quinctam etymologiam. Fortasse enim prius fuit ἀορτηρία ab ἀορτή, quod ἀγγεῖον notat, vt ex Polluce constat. Sunt autem *arteriæ*, vasa ac conceptacula spiritus, vti diximus. Pro hac sententia est, quòd veteres Græci *arterias* omnes dixere ἀορτάς, vt scribit Rufus Ephesius: & vsitatè adhuc ἀορτὴ vocatur *arteria* magna, quæ à sinistro cordis ventriculo exoritur. Quam ἀορτὴν vocari, quia sit sanguinis ἀορτή, hoc est, ἀγγεῖον siue *conceptaculum*, nemo, puto, in dubium vocauerit. Vtcumque est, *arteria* planè est à Græcis, qui itidem ἀρτηρίαν dicunt. Lucretius verò haut imitandus, qui in neutro eo vtus in IV.

———*facitque*
Asperiora foras gradiens arteria clamor.

ARTOPTA (vnde *artopticius panis*, h. e. *tostus*) sic dicitur ab ἄρτος, i. e. *panis*, & ὀπτᾶσθαι, quod est *torrere*. Perottus multique alij putarunt, sic dici mulierem: quem in errorem eos impulere verba Plinij male intellecta. Est verò *artopta* vasis genus, in quo *panis tostus* fiebat. quod etiam ex Polluce discimus. Meminit Plautus, Aulul act. II. sc. IX.

Ego hunc artoptam ex proximo vtendam peto.

Quamquam hoc de versu iam olim magnâ concertatione pugnatum fuit: vt ait Plinius lib. XVIII. cap. XI. Ibidem Plinius tria enumerat *panum* genera, *furnacium, clibanitem, & artopticium*: quæ ipsa, vt diuersa, recenset Athenæus lib. III. Vide & Turnebum lib. XIV. cap. V.

ARTVS vel adiectiuum est, ac notat idem quod *angustus*: vel substantiuum, ac *compagines & nodos corporis* signat: qua in significatione & *artua* dicitur, vnde *artua* apud Plautum, Mostell. etiam Prisciano, & Nonio, testibus. Estque ab *artua*, *artuare*. Onomast. Latino-Græcis. *Artuo*, διαρθρῶ. Hinc, *deartuare*, apud Plautum Captiuis, scen. Iniicite huic asturum, notat, *in articulos dissecare*. Ac putat Simo Bosius. Ciceronem similiter *exartuare* dixisse epistola II. libro VII. ad Att. Ad priorem *artus* significationem pertinent hæc loca in Glossis Philoxeni: *Arta*, στενά. *Artè*, ἐμφυλώνως. *Artat*, στενοχωρεῖ. At vtramque complexæ, cùm scribunt: *Artus*, μέλη τὰ ἐλάχιστα, ἐμφερόμενα. Priori significatione dicitur *artus* ab *arceo*. Nam vt à *farcio* est *farcitum*, & per syncopem *farctum*, pro quo *euphoniæ* causâ dicimus *fartum*: sic ab *arceo* esset *arcitum*, & per syncopem *arctum*, pro quo dicimus *artum*. Et sanè vulgò *arctus* scribunt. Sed in antiquis melioris notæ codd. est *artus* sine c. quemadmodum testatur Pierius ad I. Æn. Confirmat quoque hanc scribendi rationem tum Valerius Probus, qui *artus* pro *angusto* & *artus* pro *membro*, solâ declinatione distinguit: tum Festus voce *Artifex*, vbi *artus* dici vult, *quòd aptè inter se opera arteant*. At *artus* pro *membro*, aut *compage membrorum*, vel est ab ἄρθρον, omisso ρ, quomodo à λύτρον est *lectus*: vel est ab *artare*, i. e. *coartare*, *arte compingere*. Festus: *Artus ex Græco appellantur, quos illi ἄρθρα dicunt: siue artus dicti, quòd membra membris artentur.* Posterius etymon agnoscit quoque Priscianus lib. VI. pag. DCCXIV. edit. Putsch. & Isidorus lib. XI. Orig. cap. I. vbi addit, ab *artus* esse diminutiuum *articulus* ac *artus* maiorum esse membrorum, vt brachij: *articulos* minorum, vt digitorum. Glossæ Philoxeni: *Articuli*, ἄρθρα, κόνδυλοι. Hinc *articulare*, tum nomen, tum verbum. De priori sic eædem Glossæ: *Articulare*, Ἀκροκόνδυλοι. Ἀρθρικοι. Ἀρθριτικοί. A verbo *articulare*, est *articulator*, quod eædem Glossæ explicant, μελοκόπος. Item *articulatim*, quod itidem à supino, vt à *raptum raptim*. Ab *artus* quoque censeo esse *artitus*, dicique id pro *artatus*, quomodo *impetrire* dicebant pro *impetrare*, *negibundus* pro *negabundus*, teste Festo. De *artitus* sic idem: *Artitus, bonis instructus artibus.* Vbi *artibus* antiquè ponitur pro *artubus*. Nam veteres, siue ab *ars*, siue ab *artus*, *artibus* per i scripsisse, ostendimus alibi ex Velio, & imprimis Scauro. Id quidam non cogitantes scribere iubent *artubus*. Verum si quis in Festi verbis error, potiùs fuerit in verbo antecedente. Neque enim displicet, quod quidam corrigunt, *bonis & strictis artibus*. Postremæ vocis ambiguitate deceptus quoque vetus Criticus. Quippe in Glossis Philoxeni legas: *Artitus*, πάντεχνος, δόλιος. Qua ex interpretatione patet, eum sic *artitus* accepisse, quasi esset ab *ars*. *Artiti* voce Plautum vsum censet Turnebus lib. XXIV. cap. XXXI. Sic enim apud eum legit Asin. act. III. sc. II.

Vbi sæpè caussam dixeris pendens aduersus octo
Artitos viros, valentis virgatores.

In vulgatis, adsentientibus MSS[ti] Camerarij, & antiquis editt. legitur *Astutos, audaces viros*. Sed *artitos* reiicere non ausim, tum quia veteri codice correctio ea est subnixa: tum quòd parùm verisimile sit, ab imperito librario profectam esse vocem adeò insolentem, atque ei loco accommodatissimam, præsertim si de artuum neruorúmque robore intelligamus. Quod optimè conuenit cum eo, quod sequitur, *valentes virgatores*. Imò nec planè aliena à proposito erit, si cum Turnebo interpretari lubeat ex Philoxeni mente. Nam refertur ad id quod de caussæ dictione antecedit, in qua valent viri eloquentia & artibus instructi. Sed prius simplicius veriúsque est.

ARVIPENDIVM, funis erat, quo agros metiebantur, vnde σχοῖνος γεωμετρικὸς exponitur in Glossis vett. Videtur vocabulum

lum Gallicum, quia Columella lib. v. cap. 1. ait: *At Galli candetum appellant in areis urbanis, spatium centum pedum, in agrestibus autem pedum CL. quod aratores cadetum nominant: semiiugerum quoque arepennem vocant.* Imo H. Stephanus, cap. VIII. expostulationis suæ de Latinitate falsò suspecta, suspicatur, Columellam scripsisse *arpennem*: quia hodiéque Galli dicunt *arpent*. Imò in Glossis quoque ante memoratis legas, *Arpendia*, πλέθρα. Contra Ios. Scaligero, in Valerii Catonis diras, magis verisimile fit, vocem Gallicam corruptam esse è Latina. *Arvipendium* autem dici, quasi *arvipennium*, vt *n* in *d* sit conversum, qua ratione *dispennere* dicitur pro *dispendere*, quod à *dis*, & *pando*. Vtitur Plautus, Mil. Glor. act. v. sc. 1. *Dispendite hominem diversum & dispendite.* Aliter quidem de voce *dispennere* Nonius sentit: vt qui non à *pando* deducat, sed à *pennis*: vt propriè signet *pennas aut amputare*. μισθοφόρους autem Plauto notet *brachia hominis abscondere*. Sed hæc sanè φλήναφος, ac putida, vt multa alia apud Nonium. Nec propterea Scaligero assentio: sed si Galli eam vocem a Latinis acceperunt, censeam *arvipendium* dici ab *arvis pendendis*, id est, *metiendis*. Scio *pendere* propriè dici de *pondere*, quod *libra expendere*, non de fune aut pertica, quibus agros metimur. Verùm minus hoc mirabitur, qui cogitet, ipsam *libræ* vocem ad agrorum mensuram itidem esse translatam à Gallis. Sic enim scribit Hyginus in Gromaticis: *In Narbonensi quoque provincia varia sunt vocabula: alij appellant libram, alij parallelon, in Hispania centurias: ita sicut in consuetudine regionis alicuius invenitemus, ita renuntiandum: iugera tot, versus tot, sive libra tot, sive quodcunque aliud vocabulum.* Sed vt hæc non absurdè dicuntur: ita nec minus mihi fit verisimile, vocem esse peregrinam. Movet me auctoritas Columellæ, qui vocem esse Gallicam dicit. Hoc puto non diceret si rustici Romani similiter loquerentur. Movet etiam, quod Bæticam vocem alij vocent. Vt in libro, de agrorum conditionibus & limitum constitutionibus, a Turnebo primum edito in quo post verba illa, *Actus quadratus vndique finitur pedibus CXX.* hæc subiunguntur. *Hunc Bætici arapennem vocant.* Scio continuo subiici, *ab arando scilicet*: sed planè censeo, hæc ab alio esse adiecta. Nam si Bætici ita locuti, origine quoque Bæticam esse vocem verisimile est. Scio, multa accepisse Hispanos ac Gallos à Romanis. Sed eiusmodi voces non iccirco desiere esse Romanæ, vtve Bæticæ ac Gallicæ factæ sint. Tum autem si scriptor hic priorem partem in *arapennis*, vel *arvipendium*, vidit esse *ara*, cur partem alteram non expressit? Præterea in lingua Belgica (quæ profluxit a veteri Celtica: hæc autem eadem prope erat Germanis, Gallis, Hispanis) *aerdpant* notat certum terræ ambitum ab *aerd*, id est, *terra*, & *pant*, quod signat *ambitum*, sive *quicquid certo termino circumseptum*. Vnde & *thoracis lacinias priores dependentes, in quadrum fere concisas*, appellamus *voorpanden* & *schootpanden*. ipsaque *vestis quadratas illas lacinias habens, pantrock* nominatur. Atque idem etiam visum doctissimo & amicissimo viro Isaacio Pontano in Glossario Prisco-Gallico, vbi plura hac de re disserit.

Arvncvs est, quod Martialis vocat,

——Barbam incanamque barba

Hirci Cinyphii.——

Id nos Plinius docet lib. VIII. cap. 1. *Dependet* (capris) *omnibus mento vidua, quem aruncum vocant.* Græcè est ἤρυγγος. Doricè ἄρυγγος, vnde *aruncus*. Ita vocat Aristoteles lib. IX histor. animal. cap. III. quem Plinius, loco ante dicto exscripsit.

Arvndo, canna est, ab *ariditate* sic dicta, vt auctores sunt Agrætius & Isidorus lib. XVII. cap. VII. Eutyches tamen *harundo* cum *h* probat apud Cassiodorum lib. de Orthogr. cap. IX.

Arvspex dici putatur, quia in *ara inspicit exta*, vnde & Varroni *extispex* vocatur. Imo Græcum ἱεροσκόπος, quomodo *aruspicem* interpretantur Glossæ, similiter est à βωμὸς *ara*, & σκοπῶ, *specio*. Verum nonnihil obstat quantitas, quæ dispar in *ara*, & *aruspex*. Sunt quibus placet, sic dici ab *hara*, aue augurali. Sed istiusmodi avis nec Plinio, nec aliis nota, qui avium historiam tractant. Ad verum etymon præivit Donatus, cuius verba prius ponam, prout ea leguntur in vulgatis codd. ad Phorm. act. IV. sc. IV. *Haruspex*, inquit, *ab haruga nominatur. Nam haruga dicitur hostia ab hara, in qua concluditur & servatur. Hara autem est, in qua pecora includuntur. Plautus, Rusticus, hircus, hara. Mostellaria.* Hæc Donatus. Sed de etymo *haruga*, vel potius *harviga*, aut *aruiga*, planè fallitur doctissimus Grammaticus. Nec enim ab *hara* venit, sed à Græcorum voce, vt qui ἄρραχα *arietem* vocent, teste Hesychio. Propriè igitur *harviga*, sive *aruiga*, erit *hostia, qua aries caditur.* Sed postea latiùs patuit. Festus: *Harviga, hostia, cuius adhærentia inspiciebantur exta.* Non audiendus magnus Scaliger, cum apud Varronem, Festum, Donatum, *arvga* legi iubet, vt id ἄρνακα sit, inserto *n*. Nam omnino ab ἄρξ est *arvix*, inserto digamma, more Æolum, quos Romani solent imitari. Et sanè vel *arvga*, vel *arvga*, nusquam autem *aringa*, reperio in antiquissimis Varronis, Festi, Donati codd. Apud vnum Velium invenio *aringa*. Sic enim habent codd. vulgati: *Item aruspex ab aringa, quæ esset hostia, non aruspex.* Verum & hic omnino legendum *aruiga*. Nec enim video, cur non ab *aruiga* esse possit *aruispex*. & per syncopen *aruspex*: quod Velius apertè damnat. At tum demum validum erit Velij argumentum, si legamus *aringa*, vnde *aringispex* & per syncopen *arispex*, vt quidem Velius dicendum putat: pro quo vulgo, *i* in *u* converso, scribimus, *aruspex*. Vide plusculа, huc pertinentia, in *Aries*.

Arytena, vt est in MS°, vel potiùs *arytæna*, planè Græcum est. Nam ἀρύταινα legas apud Aristophanem Equitibus, Athenæum lib. XI. Pollucem in X. ac meminit quoque Eustathius, qui vasis esse genus ait, ita dictum ab ἀρύω, id est, *haurio*. Similiter Festus: *Arutæna, sive artæna, vas ab hauriendo sic appellabant.* Vtitur Lucilius, cuius est, *Arutænæ & aquales.* Refert Charisius. Κατὰ συγκοπὴν pro eo etiam *artena* dici, ex allatis Festi verbis cognoscimus. Glossæ Philoxeni: *Atena* (leg. *Artena*) εἶδος ποτηρίου κεραμεοῦ, ὁ ἱερεῖς ἐν ταῖς θυσίαις χρῶνται.

Arx ab *Arcadibus*, si credimus Solino, initio Polyhistoris sui: *Arcades*, inquit, *quoniam in excelsa parte montis habitassent, derivatum deinceps, vt tutissima vrbium arces vocarentur.* Sed hoc probare neutiquam possum. Nec puto sit ab *arcendo*: etsi Varro lib. IV. de L. L. *Arx ab arcendo, quod is locus munitissimus vrbis, à quo facillimè possit hostis prohiberi.* Neque, puto, ab *arcano*: quod Servio visum ad I. Æn. *Arcana*, inquit, *est secreta: vnde & arca & arx dicta, quasi res secreta, à qua omnes arceantur.* Longè autem magis placet, *arx* κατὰ συγκοπὴν esse ex ἀκρόπολις (sanè Charisius in primo *arx* exponit ἀκρόπολις) vel ex ἕρκος, quo *locus septus & munitus* significatur: vel κατὰ μετάθεσιν fuerit ab ἄκρα, aut obliquo ἄκρας. Nam, Hesychio teste, ἀκρόπολις etiam dicebatur ἄκρα. Sic vsi Æschines, Plutarchus, alij. Porro ἄκρα à Syriaco [illegible] venire, censet Angelus Caninius. Ab *arx* & *cubare*, dictæ *arcubiæ*, quasi *in arce excubiæ*, teste Festo. In quibusdam verò MSS^tis eius *arcuby* legas.

A S

As, *assarius*, & *assipendium*, idem sunt. *Assarius* veteres dixisse docet Charisius lib. I. Apud Evangelistam quoque ἀσσάριον legas, item Plutarchum in Camillo: ac Hesychius quoque τὸ λιτὸν interpretatur. At cave iccirco à Græcis esse putes. Nam cum veteres Græci hanc vocem ignorent, dubitari nequit, quin posteriores eam acceperint à Latinis. Est verò *assarius* ab antiquo nominativo *assis*. *Assipendium* est apud Varronem l. IV. de L. L. sive ab *assis*, id est, *unius*, & *pondo* quia *vnica sit libra*, sive ab *as* & *pendus*, quia *assis*, h. e. *libræ*, *pondus* contineat. Varronis verba sunt: *Dupondius à duobus ponderibus, quod vnum pondus assipondium dicebatur, id ideo quod as erat libra pondus.* Ibidem vnde *as* sit docet. *As*, inquit, *ab ære.* Id malim*, quam, quod tradit Georgius Henischius libro de asse, *as* esse ab [illegible], id est, *assamentum*, sive quicquid ex asseribus concinnatum: vt sunt arca, capsa, dosium. Vt Varronis sententiam plenius exponamus, sciendum *as* priscis fuisse *aream laminam*, ac primò quidem fuisse *rudem* & *libralem*, h. e. vnciarum XII. post *signatam*, & semiunciæ duntaxat. Servij Tullij tempore pro *rudibus assibus* vti cœperunt *signatis*. *Librales* autem permansere vsque ad primum bellum Punicum. Tum facti *sextantarij*, hoc est, *ex vno asse seni*, qui tamen tantundem valerent. Post *vnius vnciæ*, tandem *semunciæ* factæ sunt. Auctor Plinius libro XXXIII. cap. III. Quia autem pro diversis temporibus differebat *assium pondus*, iccirco scriptores, si de *assibus liberalibus* loquantur, *as grave* appellant: vt Livius lib. IV. *Indicibus dena millia æris, quæ tunc divitiæ habebantur, data.* Et lib. V. *Denis millibus æris gravis eos condemnavit.* Falluntur igitur, Budæus, atque alij, qui *as grave* & *rude* habent pro eodem. *Æs grave* opponitur *assibus unius sextantis, unciæ, aut semunciæ*. *Æs rude* opponitur *signato*. *Æs grave* in vsu fuit vsque ad primum bellum Punicum. *Æs rude* tantum duravit vsque ad Servij tempora. Quia autem ante Servium pecuniam *appendebant*, non numerabant, hinc vocabula illa *impensa, compendij, dispendij, libripendis, dispensatoris*, & similes. Quia item *ærea* vsi primum *pecunia*, inde voces *ærarij, obæratorum, militum ære dirutorum, æris vxorij*, quod solvebatur ab ijs, qui sine vxore ad senectutem pervenerant. Ac pleraque hæc apud Plinium ibidem invenias. Obscurius autem est, quamdiu *æreâ* tantum *pecuniâ* vsi sint Romani. Scribit Plinius, *argentum signatum* esse quinquennio ante primum bellum Punicum. Nec aliter Eutropius, si meliores codd. consulimus. Nam in vulgatis, novennio post bellum Punicum id factum dicitur. At aliter Varro, è cuius tertio Annali hæc verba adducit Charisius lib. I. *Nummum argenteum conflatum primum a Servio Tullio dicunt. Is quatuor scripulis maior fuit,*

quam

quàm nunc est. Num dicemus Seruii tempore vsos argento nō signato? At idem est conflari & signari, quemadmodum argumento est vox *flamissa.* Nam quos thesauros Græco nomine appellamus, prisci Latini *flamissas* dixerunt. quod in eos, non rude æs, argentumque, sed *flata* signataque pecunia conderetur: vt ex Varrone (qui ex Q. Sorano id didicerat) Agellius docet lib. II. cap. X. & Nonius Marcellus voce *Flamissa.* Quare à vero non abludit, Seruium quidem primum signasse argentum, sed ob tenuitatem Reip. id postea esse omissum, obsoletúmque: quæ Hottomanni suspicio est lib. de re numaria, cap. de Denario. Hæc vniuerse de *asse*, æreàque pecuniâ. Non incōmode autem hoc loco subiiciemus partes *assis*, ne, si de singulis dicamus singulatim, eadem sæpius repetere cogamur. Diuiditur *as* in partes vel æquales, vel inæquales. In æquales, vt in duos semisses, tres trientes, quatuor quadrantes, sex sextantes, octo sescuncias, duodecim vncias. In inæquales, vt in vnciam & deuncem, in sextantem & dextantem, in quadrantem & dodrantem, in trientem & bessem, in quincuncem & septuncem. *Vncia* est vel ab *vno.* quod Varro putauit: vel à Siculo οὐγκία, quam vocem Aristoteles agnoscit. Vide quæ hac de re infra dicimus in *Vncia.* Duæ vnciæ dicuntur *sextans*, quia sunt sexta pars assis. At *sextula* aliud est. Nam sic vocatur sexta pars vnciæ, vt docet Varro, IV. de L.L. Item Fannius, versu isthoc:

Sextula quæ fertur. Nam sex his vncia constat.

Item Isidorus lib. XVI. cap. XXIV. vbi solidum *sextulam* dici ait, quia iis sex vncia compleatur. Tres vnciæ vocantur *quadrans*, quia est quarta pars assis. Vide *Quadrans.* Quatuor vnciæ sunt *triens*, quia tertia pars assis. Quinque vnciæ sunt *quincunx*, a *quinque* & *vncia.* Sex vnciæ, *semissis*, in quo, vt Varro ait, *se valet dimidium, vt in selibra, & semodio.* Ergo, vt *selibra*, quasi *semilibra*, *semodius*, quasi *semimodius*, sic *semissis*, quasi *semiassis* κατὰ συγκοπήν. Septem vnciæ dicuntur *septunx*, a *septem* & *vncia.* De ceteris sic ibidem Varro: *Reliqua obscuriora, quod a deminutione, & ea quæ deminuuntur, ita sunt, vt extremas syllabas habeant: vt, à duodecim vna dempta vncia, deunx. dextans, dempto sextante, dodrans, dempto quadrante; bes, vt olim des, dempto triente.* Varronis mentem plenius explicabimus. Octo vnciæ dicuntur *bes*, quod prius fuit *des*, quomodo *bonum* factum ex *duonum*, *bellum* ex *duellum*, *bis* à *dis.* *Des* autem dictum, quia *demitur triens*, nisi potiùs, quia *deinceps* (neque enim id factum in *assis* partibus, quæ antecedunt) *ab asse fiat deminutio.* Quippe *nouem vncias* vocamus *dodrantem*, quia *demimus quadrantem*: *decem vncias* dicimus *dextantem*, quia *demimus sextantem*: denique *vndecim vncias* appellamus *deuncem*, quia *detrahimus vnciam.* Festo *bes* compositum videtur ex *bis* & *triens.* Sane is constat *duobus trientibus.* Sed etymon plane durum: verum autem, quod ex Varrone ponebamus. Hæc de *assis* partibus. Videamus porrò de iis ab *asse* compositis, quæ plures *asses* significant: vt sunt *tressis*, *quinquessis*, *octussis*, *nonussis*, *decussis*, *vicessis*, *tricessis*, *centussis.* Hæc sic dicuntur, tribus, quinque, octo, nouem, decem, viginti, triginta, centum assibus. Itaque Varro, lib. IV. de L.L. cùm docuisset, *vnum assem*, *assipondium* dici, *duosque asses* vocari *dupondium*, scribit hunc in modum: *Ab tribus assibus, tressis, & sic proportione vsque ad nonussis. In denario numero hoc mutat, quod primum est ab decem assibus: secundum ab duobus decussibus, vicessis.* Et mox: *Reliqua conueniunt, vt tricessis à tribus, sic proportione vsque ad centussis, quo maius æris vocabulum non est.* Hæc Varro. *Tressis* igitur quasi *tres asses.* Vtitur Pers. sat. V.

——Hic Dama est non tressis agaso.

Tripondium quoque, siue *trepondium*, pro eo eadem forma, qua *dupondium*, dicitur: vt docet Fabius lib. I. *Quadrussis*, quasi *quatuor asses.* *Quincussis*, quasi *quinque asses.* Vsus Appuleius in Epitoma, vt discimus ex sexto Prisciani. Sic *sexcussis*, quasi *sex asses*, *septussis*, *septem*; *octussis*, *octo.* Vsurpat Horat. II. Serm. Sat. III. *Nonussis*, quasi *nouem asses.* *Decussis*, quasi *decem asses.* Verum, quod clare satis indicant verba, quæ paullo ante ex Varrone adduximus, *vndecussis* non dicitur, sed *vndecim æris*; nec *duodecussis*, sed *duodecim æris*: vt apud Tullium pro Roscio Comœdo: *Nam illa membra merore per se non amplius poterant duodecim æris.* Sic *tredecim æris*, *quatuordecim æris*, vsque ad *viginti asses*, qui dicuntur *vigessis*, vt apud Martialem lib. XII. ep. LXXVII. *Amphora vigessis.* Item *triginta asses*, *trigessis*: párque ratio in aliis vsque ad *centussis*, quo vsi Lucillius apud Agellium lib. II. cap. XXIV. Varro sat. περὶ ἐδεσμάτων, Pers. sat. V. &c. *Centumpondium* aliud est. Sic enim vocatur *lapis vnicus centenarij ponderis*, quo in appendendo vtuntur. Cato, cap. XIII. *Centumpondium incertum vnum, & pondera certa.* Vbi rectè pro *incertum* emendāt *increturn*, quod Festus interpretatur, *indiuisum.* Post *centussim* disiunctim dicimus, *ducenti asses* vel *æris*, *trecenti asses* vel *æris*, &c. Sic *ducenti æris* est apud Agellium lib. II. cap. XXIV. & *trecenti septuaginta quinque æris* apud eundem lib. XVI. cap. X. *mille asses* apud Vlpianum, in reg. iur. Quamquam & forma hæc loquendi crebrò vsurpatur in iis, quæ vocibus *decussis*, *vigessis*, & similibus, poterant exprimi. Ita *æris deni*, *viceni*, *triceni*, *centeni*, dixit Agellius lib. II. c. XXIV & lib. II. cap. I. Cetera, quæ ad rem numariam pertinent, imprimis persequimur in voce *Denarij*, *Sestertij* & *Talenti.*

ASAROTA, ἀσάρωτα quæ & ἄσαρα, teste Hesychio. Sic dicitur pauimenti genus, picturæ arte elaboratum. Plerique tenuunt sic vocari ab α στερητικῷ & σαίρω, verro, quia scopis verri non soleant, aut debeant. Quippe moris fuisse aiunt, vt purgamenta manu colligerentur, postéaque pauimenta huiusmodi spongia mundarentur. Sic sane Perottus, &, qui eum secutus Bernardus ad Statij lib. I. Siluarum, carm. III. Contrà Domitio Calderino ad Martialis lib. XIV. ep. LXXXII. videtur esse ab α ἐπιτατικῷ & σαίρω, id est, *purgo.* Sed vera est ea nominis ratio, quam nos docet Plinius, qui sic vocari indicat, non quia præ aliis verri debeant, quod voluit Domitius, nec quia non essent versa, vt censuere alij; sed quia hæc pauimenta viderentur non versa. Verba Plinij apponam è lib. XXXVI. cap. XXV. *Pauimenta originem apud Græcos habent elaborata arte, picturæ ratione, donec lithostrota expulere ea. Celeberrimus fuit in hoc genere Sosus* (sic vitiosè vetus Parmensis. vnde non malè quidam faciunt *Zenodotus*: in vulgatis est *genere Sosus*) *qui Pergami strauit, quem vocant asaroton œcon, quoniam purgamenta cœnæ in pauimento quæque euerri solent, velut relicta fecerat, paruis è testulis, tinctisque in varios colores.* Plura ibidem de *asarotis* videre potes. Vsus & ea voce Statius Papinius lib. I. Siluar. carm. in Tiburtinum Manlij:

——Varias vbi picta per artes
Gaudet humus superántque nouis asarota figuris.

Placet enim Salmasij emendatio, pro *suberant* reponentis *superant*, vt sententia sit, Tiburtinæ villæ pauimentum superare artificio Veterum *asarota.*

ASARVM, ἄσαρον, ab aliis *nardum silnestre* appellatur, teste Plinio lib. XII. cap. XIII. Caussam nominis idem docet lib. XXI. cap. IV. *Asaron inuenio vocitari, quoniam in coronis non addatur.* Miratur hanc nominis caussam H. Stephanus in Thesauro suo. Nempe quia σάρον notet *scopas.* At quid scopis cum corona? Sed occurrit Stephano Dalecampius. Nam esse ait ab α στερητικῷ & σαίρω, *orno*, vnde Plutarcho in Catone, γῆ σεσαρωμένη, *terra floribus ornata.*

ASBESTINVM, lini genus, ita dictum, quia ἄσβεστον, id est, *inexstinguibile*: ab α & σβέννυμι id est, *exstinguo.* Plinius lib. XIX. cap. I. *Inuentum iam est etiam linum, quod ignibus non absumeretur. Viuum id vocant, ardentesque in focis conuiuiorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes igni magis, quam possent aquis. Regum inde funebres tunicæ, corporis fauillam ab reliquo separant cinere. Nascitur in desertis adustisque Sole Indiæ, vbi non cadunt imbres, inter diras serpentes: assuescitque viuere ardendo, rarum inuentu, difficile textu propter breuitatem. Rufus de cetero color, splendescit igni. Cum inuentum est, æquat pretia excellentium margaritarum.* Linum hoc *asbestinum* confundunt viri eruditissimi cum *lapide Carystio*: in quibus Hieronymus Mercurialis: nempè quia lapis hic in filamenta deductus linum gignat, quod itidem igni resistat. Imo aiunt lintea olim præbuisse idonea ad cineres exustorum cadauerum adseruandos. Sed hanc rem, vt fabulosam, reiicit meritò Casaubonus ad Suet. Aug. cap. C.

ASCIA de notatione & etymo sic Isidorus lib. XIX. cap. XIX. *Ascia ab astulis (l. assulis) dicta, quas a ligno eximit, cuius diminutiuum nomen est asciola. Est autem manubrio breui, ex aduersa parte referens, vel simplicem malleum, aut cauatum, vel bicorne rastrum.* Perotto, Hadriano Iunio in Nomencl. & Fungero in Etymologico, nomen accepisse videtur ab *à* vel *ab*, & *scindo.* Sed omnino est à Dorico ἀξίνα pro ἀξίνη ξ conuersum in *cs*, more Æolum. qui pro ξίφος dicunt σκίφος, pro ξιφίας, σκιφίας, &c. Hinc *sub ascia dedicare* dicebant: de quo vide Indicem Grut. Inscriptionum. Ab eo *exasciare*, *ascia præparare.* Ἀξίνη autem ab ἄγνυμι, i. *frango*, cuius fut. ἄξω.

ASCOPERA, ἀσκοπήρα, ab ἀσκός, i. *vtris*, & πήρα, i. *pera*, *saccus.* Est igitur *ascopera*, saccus coriaceus seu pelliceus. Suidas *marsupium* exponit. Sed prior interpretatio magis conuenit huic loco Suetonij in Nerone, cap. XLV. *Alterius collo & ascopera deligata, simúlque titulus, Ego quid potui? sed tu culleum meruisti.* Sic primus hunc locum ex vett. lib. restituit Angelus Politianus. cap. XX. Miscell. Scio etiam in MSS[tis] multis esse *ascopa*, vel, *& scopa*, quod etiam reperi in MS[o] ornatissimi & amicissimi iuuenis Guil. Oomtij. Sed obortus error ex eo, quòd librarius, compendio literarum studens, scripserat *ascopa*, lineola per p traiecta, vt *per* denotaret. Sane multò id verisimilius, quam vt *ascomia* scribamus, vt facit Turnebus, Aduersariorum libro XXV. cap. XI.

cap.xi.Vocem *ascopera* vsurpat & vetus interpres Iudith.x.v. *Imposuit itaque abræ suæ ascoperam vini.* Vbi Vatablus, *vtrem vinarium ancillæ tradidit.* Græcè est, Ἔδωκε τῇ ἄβρᾳ αὐτῆς ἀσκοπυτίνην οἴνου. *Ascopera* vocabulo similis vox *hippopera*, ἱπποπήρα, ab ἵππος, i. *equus*, & πήρα; vnde liquet sic vocari *saccos*, quibus equites necessaria itineri circumferunt. Idem ostendunt verba Senecæ, epist. LXXXVII. *M. Cato Censorius canterio vehebatur, & hippoperis quibusdam impositis, vt secum vtilia* (Pincianus, *vtensilia*) *portaret.*

Asilus, quia à *Silaro* amne: vt *adulari*, quia à *dulis*, siue δούλοις, *ebur*, quia è *barro*. Maro Georg. III.

Est lucos Silari circa, ilicibúsque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo
Romanum est, œstrum Graij vertere vocantes.

Aliis *asilus*, ab *asellus*, quia *asinorum* gregem infestet: quamquam non *asinos* modò, sed etiam alia *armenta*. Vnde Maro continuò subiungit:

Acer, acerba sonans, quo tota exterrita siluis
Diffugiunt armenta: furit mugitibus æther
Concussus, siluæque, & sicci ripa Tanagri.

Vide & Senecam, epist. LVIII. Vel quia nascitur è *limo*. Nam ἄσις idem ac ἰλύς, *limus*. Græcum nomen est οἶστρος, vt allatus Virgilij versus indicat. Item Isidorus lib. XII. *Oestrum animal armentis aculeis permolestum. Oestrum autem Græcum est, quod Latinè asilus, vulgo tabanus vocatur.* Eustathio placet, οἶστρον venire ab οἴω *fero*, quia animalia œstro percita cum impetu ferantur.

Asinus. Huius vocis mirificum etymon adfert Isidorus lib. XII. cap. I. *Asinus, inquit, & asellus, à sedendo dictus, quasi assedus. Sed hoc nomen quod magis equis conueniebat, ideo hoc animal sumsit, quia priusquam equos caperent, huic præsidere cœperunt. Animal quippè tardum, & nulla ratione renitens, statim vt voluit, sibi homo substrauit.* Hæc Isidorus. Quibusdã ob *pigritiem* sic dici placuit, ab עצל, quod est, *pigrescere*, vt עצל, *piger*. Sed magis placet esse ab אתון (*athon*) quod agnam notet. Nempe *t* conuertitur in *s*, quomodo Iones pro βυθὸς dicunt βυσσὸς, vnde ἄβυσσος. & Lacones pro Θεὸς dicunt Σιὸς, vnde Σιθυλλα, quasi Σιῶ βουλή. Vel ab α στερητικῷ, & σῖτος, id est, *esca*, vt dicatur *asinus*, quasi ἄσιτος, qua voce Homerus & Æschylus vsi pro *impransus* Ita ingeniose Heinsius in erudita & festiua laude asini. Fuit, cum suspicarer esse ab antiquo *asnus*, interiecto *i*; hoc, ab ὄνος, *s* inserto, ex more veterum, quomodo dixere *casnar* pro *cane*, *dusmus* pro *dumus*, *pœsna* pro *pœna*, *Casmilla* pro *Camilla*. Nec sententiam hanc damno. *Monoceros* quoque *asinus* dictus est, sed discriminis causa *Indicus*. Plinius lib. XI. cap. XXXVII. *Nec solipedum vlli, excepto asino Indico, qui vno armatur cornu.* At idem alibi bouem appellat. Sic enim scribit lib. VIII. cap. XXI. *In India & boues, solidis vngulis, vnicornes.* *Asellus* piscis sic dictus nonnullis videtur, quia fuste, *asini* instar, feriatur, priusquam coqui possit. Sed hoc verum dumtaxat est de *asello arefacto*. At ὀνίσκος sic dictus, quia colore *asellum* refert: vt Varro scribit lib. IV. de L.L. Insecti quoque genus est, quod *asellum* vocare possumus, Græcorum more, quando Latini videntur propriâ carere appellatione Id sic describit Scribonius Largus, cap. XXXIX. *Item bestiola multorum pedum, quæ tacta conduplicant se in orbem, pilulæ rotundissimæ similem* (ὀνίσκους οἴνου, *aut* πολύποδας *Græci hoc genus animalium vocant*) *oleo domestico compluries infernefacta vasa ferreo, benefaciunt.* Quem locum ijs adde, quos hac de bestiola adducit Hadr. Iunius lib. v. Animadu. cap XV. Vnde Corneliæ genti, *Asina* cognomen adhæserit, docebit Macrobius lib. I. Satur. cap. VI. Nempè quia Cn. Cornelius Scipio, qui bis consul, ac etiam triumphalis fuit, emto fundo, vel, vt alij malunt, filiâ elocatâ, cum ab eo exigerentur sponsores, *asinam* pecuniâ onustam in forum produxerit ad tribunal, quasi pro sponsoribus præsens pignus. Cur Iunius Bassus sit *Asinus albus* appellatus (quod Fabius testatur lib. VI. cap. de risu) hanc caussam adfert Turnebus, quòd *Asinus* quidem dici meruerit ob ineptias ridiculas, *albus* verò propter iucunditatem. Vide eum lib. XXVIII. Aduers. cap. XXXXV. De adagione apud Petronium, *Post asellum diaria non sumo*, videre potes Palmerium in Spicilegio. Vnde Iudæi, atque adeò Christiani quoque à Gentibus sint dicti *Asinarij*, docet Tertullianus in Apologetico, cap. XVI.

Asparagus, vnde sit, docet Varro IV. de L.L. *Asparagi, quòd ex asperis virgultis nascuntur, & ipsi scapi, asperi sunt, non leues. Nisi Græcum. Illic enim quoque dicitur ἀσπάραγος.* Hæc Varro. Sed non dubium, quin sit à Græcis. Nec dubitauit de eo Varro, sed prudens sciens errare maluit, quam rectè sentire. At mitum, Festum siue Paulum, vero etymo neglecto, prius tantum ponere. Vti & Isidorus facit lib. XVII. Orig. c. x.

Asper, vnde sit, docere conatus Perottus, cum ait: *Monendum iudicamus, asperum, à Græco deduci. Quippe Græci ἄσπρον asperum ἀσπρότητα asperitatem dicunt.* Sed quæ de Græcis istis vocabulis scribit, planè commenticia sunt. Paullò pòst addit idem: *Sunt qui asper non à Græco deductum velint, sed à spe, quemadmodum prosper.* Verùm hoc quoque vanum, quando *prosper* est à πρόσφορος, hoc est, *vtilis*: quemadmodum suo loco dicemus. Vera autem *asperi* etymologia est, quam in vulgaris Lexicographis legas. Aiunt enim esse ab ἄσπορος. Caussam appellationis, quam reticent, affert Iul. Scaliger in Theophrastum de plantis: vbi docet, *asperum* vocem esse priscorum agricolarum, sumtam à terra quæ cultui est inepta, παρὰ τὸ μὴ σπείρεσθαι, nempe quia hæc ob saxa & squalorem partes habet inæquales; quæ propriè est *asperitas*: vnde & sapori ea vox accommodatur, ob partes dissimiles & inæquales. Est enim sapor is terreus, vnde non mirum si humore diluatur. Dura enim tenerescunt aquâ. Ab *asper* non tantum *asperitas* dicimus, sed etiam *aspredo* & *asprendo*, quibus vsus Cornelius Celsus: illo quidem, lib. v. cap. XXVIII. hoc, lib. VII. cap. XXIII. & XXVI. Item *asperitudo*, quod est apud Tertullianum lib. de Pœnitentia, cap. XI.

Aspis, ἀσπὶς, quæ vox Græcis non tantùm *serpentis genus*, sed & *clypeum* notat. Perottus non audiendus, cùm *clypeum* dici vult ἀσπίδα ob *asperitatem signorum*: nempe quia Græcis (vt falsò putat) *asperum* ἄσπρος dicatur, & ἀσπρότης *asperitas*: tum autem, quia *clypeus* similiter ob *signorum cælaturam*, ἀπὸ τοῦ γλύφειν, nomen acceperit: quod tamen etymon planè incertum, vt suo loco patebit. Isidorus deducit ab ἰὸς, id est, *venenum*. Sed quam alteram compositi partem esse velit, non satis liquet. Forte Latinum *spuo*, vel Græcum πτύω, vt *aspis* dicatur, quia *spuit ion*. Sanè & *aspides* quædam πτυάδες vocantur, h. est, *spuentes*: atque earum non morsus modò, sed saliua etiam venenata est. Vel φθίω, id est, *occido*, quia *aspis* φθίνει ἰῷ, hoc est, *veneno necat*. Verba quidem Isidori sunt ista lib. XII. cap. IV. *Aspis vocata, quod morsu venena immittat & adspergat. Ios enim Græci venenum dicunt, & inde aspis, quòd morsu venenato interimat.* Græci censent, esse ab α στερητικῷ, & τείνω, id est, *extendo*, quia forma sit non oblonga, sed rotunda. Vel à σίζω, id est, *sibilo*, quia non sibilet. Priorem originis caussam ponit Scholiastes Aristophanis in Vesp. Verba eius adscribam Δοκεῖ δέ μοι τὴν ἀσπίδα τὸ ὅπλον ἀπὸ τοῦ τοιούτου ὀνομάζειν, διὰ τὸ μὴ κυκλοτερεῖς πολλὰς ἰλυσπωμένας ἀναδιδόναι, κυκλικαὶ γὰρ εἶναι αἱ ἀσπίδες τῶν παλαιῶν, ὡς Αἰσχύλος. Κλῶ δὲ πολλὰς (ἀσπίδος κύκλον λέγω) Εὐρεῖα δινήσαντος, ὅτω δὲ τὸ ζῶον ἀσπὶς ἐστιν ἀπὸ τοῦ α ἐπιτατικοῦ μορίου καὶ τοῦ σπίζω τὸ σπεύδω, διὰ τὸ ὀξὺ αὐτοῦ συριγμόν, ἢ διὰ τὸ τοῦ σώματος αὐτοῦ πίνος. Verba Æschyli sic distinguenda, prout à nobis factum. Aliter autem de his vocibus alij, vt ex Eustathio & Etymologo discere potes.

Assa, τροφοί, vt est in vett. Glossis. Iuuenalis, sat. XIV.

Hoc monstrant vetulæ pueris repentibus assa.

Vbi vetus Scholiastes *assa* interpretatur *sicca*: atque hæc præmittit: *Assa nutrix dicitur, quæ lac non præstat infantibus, sed solum diligentiam & munditiam adhibet.* Varronem quoque vsum censet. Sic enim hunc eius locum legit Scaliger in Coniectaneis: *Assa non multo pòst, quòd ea parere non poterat mulier, eam betere foras iussit.* Citat Nonius in *Betere*. Verùm in vulgaris est *Assa nos multos*. Quodsi emendatio hæc vera, *assa* hic erit *obstetrix*. Sed profectò magis placet Mureti emendatio, qui l. XV. Var. Lect. cap. XV. Varronem egisse putat de Spurio Carnilio, qui, cùm vxorem liberûm quærendorum caussâ censori se habere iurasset, sterilem à se dimisit. eóque verba Varronis legit in hunc modum: *A se annos multos, quod ea parere non poterat mulier, eam betere foras iussit.* Vide quæ hoc de loco disserit Carrio lib. II. Emend. cap. IX. Quod ad caussam nominis, eam ponit Nonius his verbis: *Assas nutrices difficilis multi existimant intellectus. At verò certi intentione potuimus indagare, ob eam proprietatem officij eo nomine nuncupari, quòd assint ijs quos nutriant, nec vel exiguo diuellantur.* Censet igitur Nonius ex eo *assas* dici, quòd veteres *assum* dixerint pro *adsum*: vnde apud Plautum, Pseudolo, dicente seruolo, *Assum apud te eccum*, respondet herus Agorastocles: *At ego elixus sis volo.* In vett. quoque Vallerij Flacci codd. lib. II. *assunt* pro *adsunt*, & *assit* pro *adsit*, semper legi, scribit in Castigat. ad eum poëtam Ludouicus Carrio. Verùm quid sit dicamus, *assam* dici ab antiquo *assus*, id est, *merus*, vt quarum simplex esset cura valetudinem ac munditiem tuendi, non item lactandi? Quæ nominis ratio fiet ex ijs manifestior, quæ ex Nonio proximè dicemus de voce *Assum*. Sed profectò nec hæc, nec quam Nonius ponit, vera est etymologia. Imò nec illa, quam Muretus loco antè citato adducit. Ait, *assa* esse ab ἄττα, quod idem notat. Eustathius ad Il. ζ. pag. I[o] CLIX. ed. Rom. Ἔστι δὲ τὸ μὲν ταττα φίλον, τὸ δὲ ἄττα τροφικόν. Τὸ δὲ πάππα πατρός; τὸ δὲ ἄππα ἀδελφοῦ. Vide eundem ad Il. ι, pag. I[o] CCLXXVII. Omnino autem *assus*, pro *sicco*, venit ab ἄζω, id est, *siccare*. Eadémque ratione, quâ Latini

dixere *assam nutricem*, Belgæ quoque dicunt *een droege minne.* Plura hac de notione in *Assum* pro *assato.*

ASSENTARI dicuntur, *qui alicui in omnibus assentiunt, vt eidem placeant.* Itaque ab *assentiri* venit: imo quandoque etiam pro eo ponitur. Ita locutus Velleius lib. II. *Et ijs, qui a Cæsare dimittendos exercitus contendebant, aduersabatur; ijs, qui ab ipso, assentabatur.* Nec aliter capio illud Tertulliani. lib. V. aduersus Marcionem, cap. XIV. *Non altum sapientes, sed humilibus assentantes.* Transtulit Tertullianus illud Pauli ad Rom. cap. XII. *Μὴ τὰ ὑψηλὰ φρονοῦντες, ἀλλὰ τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι.* Sanè *συναπάγεσθαι* (vt compositio indicat) propriè est, *sinere se aliquo à quopiam abduci.* Eóque allusit vir eruditus, cùm *assentari* ait hic Tertulliano à *semita* dici, quasi *assemitari*, siue *assemtari*. Verùm absque hac significationum pro diuersis etymis diuersitate, locum Tertulliani optimè exponere possumus. Nam cum illi, qui se patiuntur abduci, communémque cum aliis insistunt vitam, hoc ipso ostendant, se aliis nolle aduersari, sed ijs velle accommodare: meritò *συναπάγεσθαι* quoque sumitur pro *assentari*, hoc est, *assentiri*, siue *obsecundare*: vnde & vetus interpres, in ipso eo Pauli loco, *συναπαγόμενοι* exponit *consentientes.* *Assentari* verò, quod apud Tertullianum est, poni interdum pro *assentiri*, non tantum superior Velleij locus indicat; sed etiam ea, in quibus similiter *assentatio* ponitur pro *assensu*: vt in illo eiusdem scriptoris: *M. Fuluio tantum tribuere, vt penè assentatione sua, quibus vellet, principatus conciliaret.* Et illo Petronij: *Tacentibus adhuc nobis, & ad neutram partem assentationem flectentibus.* Et, ante omnes isthoc Plauti, Bacch. III. III.

Hei mihi, hei mihi, isthac illum perdidit assentatio.

ASSERES dicuntur crassior angustáque materies, feréque quatuor pollices lata: quæ trabibus insterni solet. Belgæ *eiken ribben* vocant. Eius vocis etymon ponit his verbis Festus: *Asseres dicti, quod assideant parieti trabibúsque.* Sane Græcis similiter *σφηκίσκοι* dicuntur, quod trabibus insternantur. Sunt enim *σφηκίσκοι, τὰ μικρὰ δοκίδια τὰ ἐπάνω τῶν δοκῶν τιθέμενα*, vt Harpocration scribit & Suidas. *Asseres* verò idem esse ac *σφηκίσκοι*, docet hic locus in Glossis Philoxeni: *Asseres, κορμοί, δοκοὶ σφηκίσκοι.* Item, *Asseres, δοκίδες, οἱ ἰκριωτῆρ*. In Glossis quoque Cyrillo tributis legas: *σφηκίσκος, ἡ λεπτὴ δοκὸς, asserculus; σφηκίσκοι, asseres.* Est & alterum *asserum* etymon, quod Iul. Scaliger adducit ad Theophrastum, & libb. de causs. L. L. cap. XXIIX. & Ios. Scaliger ad Festum in *Asser.* Hos secutus sentio, pro *asseres* prius dictum *axeres*: id verò esse ab *ἄξων.* ξ abit in *ss.* quod non mirabitur, qui cogitabit, similiter & *coaxare* & *coassare* dici. *n* vero in *r* mutatum, quomodo a *genimen* est *germen*, à *gnoma groma*, à *condolium*, *cordolium*, &c. Tertium quoque etymon, sed quod probare non possum, ponam ex Rodolphi Agricolæ epistola ad Alexandrum Hegium, quæ extat in centuria philologica epistolarum a Goldasto editarum: *Asser*, inquit, *ab asserendo id quo gestamen aliquod aut libitinam manu asserimus, h. e. prehendimus, nomen habet. Nam quod vulgò asserem vocamus, tabula dicitur propriè.* Hæc Agricola. De propria vocis *asser* significatione subscribit quoque Grapaldus, qui in ea vocabulorum explicatione, quæ libro de partibus ædium, in veteri Parmensi editione subiecta est, scribit in hunc modum: *Asseres tigilla dicuntur, non tabula, Vitruuio, Iuuenali, Plinio. Fuit, quando tabulas errore cum multis communi existimarem.* Hæc ille. Sed de etymo, subscribit Festo. Nobis media placet sententia. Vide quædam ad eam pertinentia, in voce *Axis.*

ASSIDVI (pro quo & *adsiduus* & *adsiduus* in vett. codd. legi scribit Pierius castigat. ad Ecl. II.) geminam, vel potius tergeminam *ἐτυμολογίαν* adfert Festus: *Adsiduus* inquit (per *d* hanc vocem scribit) *qui in eâ re quam frequenter agit, quasi consedisse videatur, alij adsiduum, locupletem, quasi multorum assium, dictum putarunt; alij eum, qui sumtu proprio militabat, ab asse dando vocatum existimarunt.* Hæc Festus. Sed & prima & tertia *ἐτυμολογία* vera esse potest. Siquidem *assiduus*, vel, *in re aliqua frequentem atque adeò perpetuum* significat: vel, *diuitem ac locupletem.* Cùm priori modo sumitur, videtur esse ab *adsidendo*, quomodo à *residendo* est *residuus*, & à *desidendo desiduus*, in vett. Glossis. Sanè quia à *sedendo* est, hinc quidam *adseduus* dicebant, quos damnat Caper de verbis dubiis. Ergo *assiduum esse in aliquo*, dixere Latini; vt Græci, *προσεδρεύειν περί τι.* Vt Aristoteles lib. II. Polit. cap. III. vbi aduersum Platonicam bonorum communionem disputat. Ait enim, si quisque propria possideat, facere id vt bona ac possessiones augeantur. *ὡς πρὸς ἴδιον ἕκαστος προσεδρεύοντος*: *dum quisque in propriis assiduus est*, siue, *dum suis quisque assiduè occupatur.* Hæc docent, vt *προσεδρεύειν* est ab *ἕδρα sedes*: ita à *sedendo* esse *assiduum.* Cum verò *assiduus locupletem* notat, dicitur hoc modo, quia *asses dat*, h. e. *dat.* Cic. in Topicis: *Cum lex Ælia Sentia assiduo vindicem assiduum esse iubeat, locupletem iubet locupleti. Locuples enim est assiduus, vt ait Ælius, appellatus ab ære dando.* Fortasse tamen acutior hæc originatio est quam verior. Sanè & alteram apud Agellium legas lib. XII. cap. X. *Assiduus*, inquit, *in duodecim tabulis aut pro locuplete & faciè facienti dictus ab assibus, id est, ære dando, cùm id tempora reip. postularent; aut à muneris pro familiari copiâ faciendi assiduitate.* Imo & Sosipater, licet vnam tantum originem afferre velle videatur, geminam tamen atque adeò triplicem suggerit. Earum vna, ab *assibus dandis*: altera, ab *assiduitate*, h. e. *frequentia in munere publico*: tertia, quòd *locupletes perpetuò in negotijs publicis assint*, vt loquitur Plautus, h. e. *adsint.* Verba ipsa Charisij, lib. I. hæc sunt: *Adsiduus quidam per d scribunt, quasi sit à sedendo figuratum, sed errant. Nam cum à Seruio Tullio populus in quinque classes esset diuisus, vt tributum, prout quisque possideret, inferret: ditiores, qui asses dabant, assidui dicti sunt, & quoniam soli in negotijs publicis frequentes aderant, eos qui frequentes assunt, assiduos, ab assibus, dixerunt.* Accedat tam diuersis etymologiis hæc quoque, quod sic dicti queant videri, quia, non labore sibi victum parent, vt homines paupertinæ sortis, verum molliter domi considéant, ac diuitiis suis incubent: quæ, si rectè assequor, Becmani sententia est. *Assiduum* pro *locuplete* videtur & Plautus dixisse, Amphitr. I. I. *Noctes diésque assiduo satis supérque est*, &c. Agellius quoque *κατὰ μεταφορὰν*, scite *assiduum scriptorem*, pro *proletario*, dixit, lib. XIX. cap. VIII. *Classicus*, inquit, *assiduúsque scriptor, non proletarius.*

ASSIRATVM dicitur, vti *silatum.* Vtrobique subintelligitur *vinum.* Illi nomen ab *assir*, huic a *sili.* Festus: *Assiratum apud antiquos dicebatur genus quoddam potionis ex vino & sanguine temperatum, quod Latini prisci sanguinem assir vocarent.* Gloss. Philoxeni: *assir, αἷμα.* Vtitur Cato, cap. CXXXII. de re rustica: *Daps Ioui assir à pecu in vrnâ vini, castè profanato in contagione.* Ita eum locum emendat Radulphus Fornerius, lib. II. rerum quotidianarum, cap. vltimo. In vulgatis legitur hunc in modum: *Daps Ioui assaria pecu na vrna vini Ioui castè. Profanata sine contagione.*

ASSVLA, est diminutiuum ab *assis*, siue *axis.* Vtroque enim modo efferebant, vt *coassare*, & *coaxare.* *Assula* igitur sunt tabellæ: vti ex quibus conficitur ianua. Vnde Plautus, Mostell. act. II. sc. II. *Pultando pedibus pene confregi assulas.* Et Mercat. act. I. sc. II. *At etiam cesso foribus facere hisce assulas?* Neque solùm tabellæ sic vocantur, sed etiam minuta illa fragmenta, quæ desiliunt, quando asser frangitur. Plinius lib. X. cap. II. *Alij assulis tædæ subiectis, & subinde instratis, oleo adspersum accendunt.* Paulinus Natali X.

———*Vicit breuis assula flamam.*

Atque vsurpat idem epist. XI. & XII. Festus: *Fomites sunt assula ex arboribus, dum caduntur, excussa.* Vide & Seruium Danielis in hoc Maronis:

——— *Rapuitque in fomite flamam.*

& Isidorum libro XVII. capite VI. in *Hastula*, & libro XIX. capite XIX. in *Ascia.* Nec ligni tantum, sed etiam lapidum *assula* sunt, vti marmoris. Vitruuius libro VII. capite VI. *Quibus autem locis hæ copiæ non sunt, camenta marmorea, siue assula dicuntur, quæ marmorarij ex operibus deijciunt, pilis ferreis tunduntur, & cribris excernuntur.* In vett. libris pro *assulis* interdum legas *astulis.* Nempe vt *aggretus* dixere pro *aggressus*, *pulso* pro *pulso.* Ab *assula* est *assulatim*: quod Nonius rectè interpretatur *minutatim.* Plautus, Captiuis. act. IV. sc. II. *Aperite hasce ambas foreis, Prius quàm pultando assulatim foribus exitium affero.* Idem, Menæchmis, act. V. sc. II

———*Securim capiam ancipitem, atque hunc senem*
Exossabo, dein dedolabo assulatim viscera.

Assulosè pro eo dcit Plinius lib. XII. cap. XXII. *Calamus melior, qui minus fragilis, & qui assulosè potiùs, quàm raphani modo, frangitur.*

ASSVM, quà pro *assato* ponitur, Varro, IV. de L. L. dictum ait, *quod ab igne assudescit.* At Perottus (quem alij sequuntur) venire putat ab *ore*: suámque sententiam eo probat, quòd *assum* propriè sit, *ad ignem torrefactum.* Sed Iul. Cæsar Scal. de caussis L. L. cap. XXXI. censet, *assum* dici ab *ardeo*, quasi *arsum.* Mouet illum ea ipsa vocis proprietas, quam ex Perotto adduximus. Ac præit Scaligero hac parte Isidorus, lib. XX. Orig. cap. II. *Assum, quod ardeat, quasi arsum.* Sanè, vt Latinis *assum*, & *arsum*, solùm literâ differunt: ita Belgis *braden*, id est, *assare*, & *branden*, i. e. *ardere.* Angelus Caninius, in Hellenismi alphabeto, vult esse à Punico *esna*, *e* in *a* conuerso, quomodo à Punico *besas* est *basio*, à Punico *fets*, *fatuus*, &c. Possis & simili mutatione deducere ab *אש*, i. e. *ignis*, vnde & *æstus*, ac *æstas.* Sed maximè omnium placet, vt sit ab *ἄζω*, id est, *ξηραίνω*, *sicco.* Nam Latini *z* in geminum *s* mutare solent. Et Seruius fauet

in II.Georg. cùm scribit, ex quorumdam sententia *antes* esse *maceriem de assis, id est, siccis lapidibus.* Etiam huc facit, quod *assam nutricem* siccam dixere, vt iam ostensum. Item quod Celsus lib.III. de re medica. cap. vlt. *assas sudationes* vocat, quæ, vt loquitur ipse, lib.II. cap.XVII. fiunt calore sicco: vt quæ sole, vel exercitio corporis fiunt: aut in laconico, vel clibano, aut similibus modis. Quibus opponuntur sudationes ex calore aquarum in balneis. Hæc de *assi* significatione, quâ dicitur de *cibis assatis*. Sed longe aliâ notione accipitur *assus*, cùm *assâ voce canere* dicuntur ij, qui nullis vtuntur instrumentis musicis, aut *assa tibiâ*, si nulla vox admisceretur. Asconius Pedianus in Diuinat. *Cum remigibus celeuma per symphoniacos solebat, & per assam vocem, id est, ore prolatam, &, vt in Argo naui, per citharam.* Ait *assam vocem*, cum vel solum humana vox, vel solum organum musicum auditur, puta, cithara, tibia, vel aliud. Festus: *Assa dicebatur cantus tibiarum.* Sententia est, *tibicines assare, cum solis canunt tibijs*. Similiter Seruius ad II.G. *Assa tibia dicuntur, quibus canitur sine chori voce.* Nonius: *Assâ voce, solâ voce, lingua tantummodo, aut vocis humana, non admistis alijs musicis* (sic est in antiqua Veneta,) *esse voluerunt*. Varronem, & Catonem, sic locutos, docet ibidem Nonius. Quod si verum magnum audimus, *assare* quoque hinc dicebantur poëtæ veteres, cum in vnum solum facerent poëma. Hinc enim vult, Ianualia, Iunonia, Mineruia, similiáque Saliorum prima carmina, vocata esse *assamenta*, quia nempe in singulos erant Deos conscripta. Itaque & idem censet, id nomen maxima ex parte mereri poemata Siluarum Statij Papinij. Verùm hæc *assamenta* dici posse, nullo argumento comprobari potest: neque adeò vera hæc etymologia, vt parebit ex ijs, quæ in voce *Axis* afferemus. Vnde igitur, dixerit aliquis, *assâ voce* aut *tibiâ* canere dicebantur? Num dicemus hanc *assi* notionem esse ab ᾄδω, id est, *canere*? Non displicet. Alij tamen malunt, hic *assus* significare *merus*. Idque propterea, quod, si quid assetur, aut torreatur, humidum abeat, solúmque id remaneat, quod siccum aridúmque est: siue, quòd cibi, qui assantur, soli coquantur, non cùm humore: eóque cibi, assati tostíque, proprium solùm saporem habeant, contrà quàm fit in elixis, quæ varios à iusculo sapores accipiunt. Nonius: *Assum existimandum est, vt in obsonijs sine pigmentis saporis alicuis, quemadmodum merum dicitur solum.*

ASTER, ἀστὴρ, *stella*. Ἀστὴρ vnde sit, alibi dictum. Sed κατὰ μεταφορὰν vox ea ad multa transfertur. Vt *floribus*. Quomodo ἀστὴρ Ἀττικὸς dicebatur, quia haberet folia similia stellæ. Item *gemmis*. Ita apud Plutarchum de flum. *aster* dicitur gemma, quæ aliter βαλλὸς. Item *plantis*. Nam *bubonium*, aliter *aster*, teste Plinio lib.XXVII. cap.V. Item *terra*. Vt *aster Samius*, genus terræ candidissimæ. Plin. lib.XXXV cap.XVI.

ASTERIAS, ἀστερίας, gemmæ nomen. Plinius de ea lib.XXXVII. cap.IX. *Proxima candicantium est asteria, principatum habens proprietate naturæ, quod inclusam lucem pupilla modo quodam continet, ac transfundit cum inclinatione, velut intus ambulantem ex alio atque alio loco reddens, eadémque contraria soli regerens candicantes radios: vnde & nomen inuenit, difficilis ad calandum.* Satis liquet, putasse, *asteriam* dici, quia candicantes radios regerat *astro*, hoc est, *soli*. Sic enim interpretatur. Sed Græci non vocant solem *astrum*. Eóque rectius Dionysius Periegetes, cum ait:

> Ἔνθα μελιχροτάτοιο κατ' ἀκτάδας Παλλήνης
> Φύεται ἀστερίας ὑγρὸς λίθος, οἷά τε ἀστὴρ
> Μαρμαίρων.———

Quod Priscianus sic vertit:

> *Nascitur hic scopulis Pallenæ gemma refulgens,*
> *Asterium perhibent; stellas certare putatur.*

Sed alter interpres Auienus maluit, ἀστερίαν, *stellatum* interpretari. Perperam sanè. Nam *asterias lapis* non est stellis compunctus. Verum interim est, ἀστέριος tum significare *stellans*, h.e. *stella instar fulgens*; tum *stellatus*, h.e. *stellis distinctus*. A priori solum significatione lapis hic dictus *asterias*, vel *asterius*. Sed à posteriori significatione multa nomen acceperunt. Ita *ardea genus* à plumæ varietate dicitur Aristoteli lib.IX. histor. animal. cap.I. & Plinio lib.X. cap.LX. *Asterias* similiter *aquila genus* esse arbitrantur, ac de eo intelligendum Ælianum lib.II. de animal. cap.XXXIX. Est & *accipitrum genus*, de quo Aristoteles hist. lib.IX. cap.XXXVI. Item *piscis*, ex genere γαλεῶν, siue *mustellarum*, vt Gaza vertit: de quo idem Aristoteles, lib.V. cap.X. & lib.VI. cap.XI. item Athenæus. *Asteriam* accipitrem, vulgo *asturem* nominant, quod vocabulum cum Albertus Magnus purum putum Latinum putaret, scribere non dubitauit, sic dici ab *astu* maximo, quo in venatu vtitur. Quippe qui semper lateat, prætérque aliorum accipitrum morem, è latebris improuiso prouolans, aues inuadat. Sed omnino *astur* detortum ex Italico *astor*: hoc verò est à Græco ἀστερίας, à quo ipso est Gallicum *austour*, s, more gentis, omisso. Ἀστερίας verò est ab ἀστὴρ, i. e. *stella*. Quare Latinè *accipitrem stellarem* dixeris. Sic verò vocatur, quia auis hæc punctis & maculis quibusdam, veluti stellis, distinguatur. Nam, quamuis & alij accipitres huiusmodi notis ac maculis ornentur, *asteria* tamen hoc conuenit imprimis. *Asteria* quoque *ardea*, *aquila*, ac *pisci* similis est nominis ratio, nempe punctis, quibus, ceu stellis, insigniuntur.

ASTRABA, in Glossis Isidori exponitur *tabella, vbi pedes requiescunt*. Etiam in Philoxeni Glossis est, *Astrama*. Σανίς, ὑποπόδιον. Vbi legendum *Astraba*. Nam est ἀστράβη ab α & στρέφεσθαι, quia non vertitur, sed stabile est. Verùm Græcis ἀστράβη aliud esse videtur. Nempe *ephippium* seu *clitella*: item *mula clitellaria*. Hesychium vide in Ἀστράβη, & Eustathium in Od. α. pag. cIↄccccx. edit. Rom. Planéque hanc sententiam firmat, quòd Plautus Comœdiam edidit, quam & Græco nomine *Astrabam*, & Latino *Clitellariam* inscripsit. Meminere Varro, Probus, Gellius, atque alij. Operæ verò etiam fuerit adire, quæ de *astraba* erudite scripsit Salmasius, epist. secunda de Cruce, pag. lxxxi. ac seq.

ASTRVM, Græcum: vnde Seruius ad Ecl.IX. *Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum: Astrum, inquit, Græcè dixit, nam stellam debuit dicere.* Καταχρηστικῶς *astri* vocem vsurpat, si Grammaticorum scita audimus, qui inter ἀστὴρ & ἄστρον distinguunt. Suidas: ἀστὴρ δὲ ἄστρου διαφέρει· ὁ μὲν ἀστὴρ εἷς ἐστιν, ἄστρον δὲ συνάστρωμα. Similitérque distinguunt apud Latinos *stella* & *sidus*: vt docet Isidorus lib.III. cap.LIX. Sed apud neutros obseruatur. Hesych. Ἄστρα Ἀττικοὶ τοὺς ἀστέρας. Glossæ Philoxeni: *astra*, ἀστέρες. Et sic sanè accipit Maro. Nomen & ἄστρον & ἀστέρες esse putant ab α στερητικῷ, & τῶ, h. e. *sto*, quasi ἀδιάστατοι ἱσταμένα, ἀλλ' ἀεὶ κινούμενα. Nam semper vna cum cælo mouentur, cuius, si Peripateticis credimus, sunt densiores eóque lucidiores partes. Sanè ob perpetuum illum motum cælum quoque dictum αἰθὴρ, nempe ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν, vt putabat Aristoteles. Aliis placet, ἀστὴρ & ἄστρον esse ab Hebræo אש, h. e. *ignis*. Quippe sidera igneæ videntur naturæ: vnde & ignea poëtæ appellant. Sed veram nominis caussam in *Stella* adducemus, quæ Persis *ster*: vnde ἀστήρ.

ASTVRCO est *equus tolutaris*, siue *gradarius*, ab *Asturia*, Hispaniæ regione, ita dictus, vt Plinius nos docet libro VIII. capite XLII. *In eadem, inquit, Hispania Gallaica gens, & Asturica, equini generis, quos theldones vocamus minori forma appellatos asturcones gignunt: quibus non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio: vnde equos tolutim carpere in cursu traditur arte.* Martial. lib.XIV. epigr. CXCIX.

> *Hic breuis ad numerum rapidos qui colligit vngues,*
> *Venit ab auriferis gentibus Astur equus.*

Vbi *Asturem equum* pro *Asturcone* ait. Vocem & ad alios gradarios esse translatam, indicat illud Petronij in Satyrico: *Cras puero asturconem Macedonicum optimum donabo.*

ASTVS, ab ἄστυ. Festus: *Astu apud poetas astutiam significat, cuius origo ex Græco, ab oppido ἄστυ deducitur: in quo qui conuersati adsidue sint, cauti atque acuti esse videantur.* Voce ἄστυ vsus quoque Terentius. Eunuch. act.V. sc.V. *An in Astu venit?* Athenas intelligit. Ita & Cic. II. de Legg. *Vt vestri Attici, priusquam Theseus eos demigrare ex agris, & in astu, quod appellatur, omnes conferre se iussit, & Sunij erant ijdem, & Attici.* Quem locum in commentariis horum librorum fusè enarrat Turnebus. Vide & Germanum Valentem Pimponcium, in Ecl. II. Virgil. & in Paralipomenis: & quæ scripsimus in Oratoriis nostris, lib.IV. cap.X. Ab *astus* est *astutus*, sed simplex deriuatum est, non compositum, vt censet Festus, vel potius Paullus, qui *astutus* dici ait, quasi *arte tutus*. Ferè autem vox hæc in malam partem sumitur. Seruius ad XI. Æn. *Astu, h. e. malitia. Nam propriè astutos, malitiosos vocamus.* Glossæ Philoxeni: *Astutia*, πανουργία, πονηρία.

ASYLVM, ἄσυλον, habet adfinitatem cum Hebræo אשל, quod est, *nemus*. Et siluas interdum fuisse *asylum* vel fidem fecerit hoc Maronis in VIII. Æn.

> *Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer asylum*
> *Rettulit.*———

Sed fere templa potius, quam nemora, *asylum* erant. Vnde Liuius lib.XXXV. *Ea religione, & eo iure sancto, quo sunt templa, quæ asyla Græci appellant.* Itaque & Seruius ad superiorem Maronis locum *asylum* interpretatur *misericordia templum*: quale primum Athenis ait statutum ab Herculis nepotibus, cum sibi ab eorum metuerent insidiis, quos auus adflixerat. Idem in illud II. Æn. *Iunonis asylo, asylum* vocari dicit templum, non quoduis, sed cui consecrationis lege esset concessum, vt inde nemo rapi posset ad supplicium. Ac ideo ἄσυλον, quasi ἄσυρον, dictum, ab α στερητικῷ, & σύρειν, quod est *trahere*. Alterum quoque ἔτυμον addit, vt sit ab α priuatiuo, & σύλη, quod

quod est, *spolium*; quia, eò qui confugissent, hos spoliare non liceret. Quod ἴσμεν verius puto. Σύλη vero est à שלל. quod est, συλᾶν, *prædari, spoliare*. Ἀ σκυλᾶν vero est σκυλᾶν, inserto κ. Ἀ σκυλᾶν fortè fit *spolio*, κ in π converso, quomodo a λύκος fit *lupus*. Vide *Spolium*.

Atabvlvs, ventus Apuliæ proprius, vt cognoscimus ex Horat. sat.v.lib.i.& Plinio lib.xvii. cap.xxiv. vbi ait. *Est in Apulia Atabulus. Hic si flauit circa brumam, frigore exurit arefaciens, vt nullis postea solibus recreari possint*. Atque hinc liquet, cur veteri Horatij interpreti Ἀταβουλος dici videatur, quasi τὴν ἄτην βάλλων, id est, *perniciem adferens*.

Atanvvivm (vt Festus interpretatur) *est poculi fictilis genus, quo in sacrificijs Romani vtebantur sacerdotes Pontifi*. Sed in Glossis Isidori legas: *Astanabo, genus vasis*. In Glossis autem Philoxeni: *Atnanulus*, ἀγγεῖον ἱερατικὸν, κεραμεοῦν. In diuersa adeò scriptione difficile est originem coniectare. Si *atnanulus* rectum, videbitur esse à *nanus*. Nam, vt Festus alibi ait, *Nanum Græci vas aquarium dicunt humile & concauum, quod vulgò vocant situlum barbatum*. Sin *attanabo* placet, videri posset habuisse formam *sartaginis*, quæ Græcis ἀτάγηνον vocatur, Hesych. Ἀτάγηνον, τὸ τήγανον.

Ater aliqui, satis ineptè, ab *atterendo* dici scripsere; quia alba vsu nigrescunt. Melius illi, qui ab αἴθω, i. *vro*, quia, quæ vsta sunt, colorem hunc habent. Nam similiter à *duro*, quod est, *incendo*, est δαιερὸς, quod Hesychius exponit μέλαν & ἀμαυρὸν. Vel erit ab ἀτηρὸς, i. *noxius, damnosus*. Nam albus color boni est ominis, niger contrà res infelices signat, ac portendit. Vnde Æthiopis occursus infortunium credebatur portendere: magis sanè hæc placet, quàm quæ scribit Scaliger Exercitat.cccxxv. tmem.xvii. *Ater*, inquit, *quasi à terra. Quid si etiamnum magis argutemur; Chaldaam esse vocem, vt pleraque alias! Fumum enim apud eos significat*. Hæc ille. Si placet esse *à terra*, dicendum sic vocari, non quia terra natura sua atra sit (nam si elementa, in se considerata, coloris sunt expertia, vt sciscunt Peripatetici, terra ne nigra quidem naturâ suâ erit, nedum atra:) verùm quia terra, quò ad generationem melior, hoc magis pulla atráque est, idque ob humoris compositionem: vt argumento est, quòd ea sole excocta pulliciem amittat: quemadmodum & lintea humore nigrescunt, siccata candescunt. Sed hæc quamquam de terræ colore verè ab eodem Scaligero asseruntur aduersus Cardanum Exercitat.xxxv. de etymo tamen assentire non possum. Dura enim est compositio: etsi non ignorem, aliquos velle, *ater*, quasi *à terra* dici, vt *amarus*, quasi *à mari*. Quod alibi refellimus. Nec magis assentio, quod putat esse à Chaldæis, quibus עטר, *atar, fumauit*, vnde עטרא, *itra, fumus*. Nam & hoc, si rem spectes, longiùs abit. Sed si recurrendum ad Orientis linguas, maximè placet esse ab Hebræo קדר, *coder*, quod est, *ater, pullatus, obscurus*: à קדר, i. *nigrescere, tenebrescere*. Initiale ק siue κ abiectum à Latinis, simili planè ratione, ac ijdem à κάπρος dicunt *aper*. Ab *ater* est *atritas*, quod idem ac *atror*. Hoc Agellius vsus; illo, Plautus. Festus: *Atritas, ater color*. Ab eodem videntur dixisse *atrare*, vt à *niger*, *nigrare* & *denigrare*. Ab *atrare* est *atratus*. A supino quoque *atratrum* est *atramen*, vnde *atramentum*, à quo *atramentale* & *atramentarium*. Glossæ Philoxeni: *Atrum*, μέλαν, *atramentum*, μελάνιον, *atramentale*, μελανοδοχεῖον, *atramentarium*, καλαμάριον. *Calamarium* dicebatur, quia in eo tingeretur calamus: vnde & ἐμβάφιον vocabant, ab ἐμβάπτω, *intingo*, vnde & ἔμβαμμα, *intinctum*.

Athleta. Græcè ἀθλητὴς, verbale est ab ἀθλέω, hoc est, *certo*: quod ipsum est ab ἆθλος, hoc est, *certamen*. Ἆθλος κατὰ συγκοπὴν vel ἀφαίρεσιν factum ex ἄεθλος, vt ἀδω ex ἀείδω. Ἄεθλος iuxta Eustathium est ex α στερητικῷ, & ἐθέλω, quia ἀέθλους ἐν ἀ' τις ἐθέλει; *certamina ac labores nemo non refugit*. Contra ἆθλον, h.e. *certaminis merces* siue *præmium*, est ex α ἐπιτατικῷ, & ἐθέλω, quasi τὸ πάνυ ἐθελητὸν, *quod quis valdè expetit*, vt scribit Etymologus. Erasmus *Athletas* dictos scribit quasi ἀθλίους, hoc est *miseros*. Eum hoc nomine, more suo, exagitat Robortelius. Nannius haut alio Erasmum defendit, quam quod miré in ἐτυμολογίαις ludant auctores. Vellem addidisset, Galenum ipsum hanc adduxisse nominis rationem lib.iii. cap.xxx. ad Thrasybulum. Interim certum est, ἀθλητὴς esse ab ἀθλέω, ac ipsum ἀθλιος venire ab ἀθλητὴς ob immensos eorum labores. Nisi malis tum ἄθλιος, quod *miserum* notat, tum ἀθλιότης esse ab ἆθλος, quod non *certamen* tantum, sed & *labores* notat; quomodo dicimus, ἆθλοι, siue *labores Herculis* aut *Vlyssis*.

Atqve non fit ex *at* & *que*, sed *ac* & *que*. Quippe *neque* est idem quod simplex *nec*, & *absque* idem quod simplex *abs*, sic *atque* est idem quod simplex *ac*. Becmanum non audio, qui *ac* putat decurtatum esse ab *atque*: qua nempe ratione ab ἀπὸ est *a* & *ab*: & *am* ab ἀμφὶ. Quemadmodum autem in vett. lapidibus ac libris crebrò legas *ad* pro *at*, & contrà; sic in ijsdem inuenias *adque* per *d*, pro *atque*. Ita pag.ccccxii. edit. Gruter. habes. Bellis adqve Victoriis. Item, adqve ab inevnte ætate. Item, amore adqve Providentia. Videri possit hoc facere pro sententia Iulij Scaligeri, qui ex *ad* & *que* conflatum putat. Sic enim scribit lib.i. de causs. L.L. cap.xxi: *T posuimus pro d. Adque illi dixere, nos Atque. Sanè melior priscorum ratio. Nam & mollior sonus est, & origo seruatur. Præpositionis enim vis adhuc manet, vt dicamus, Tu atque ego: & sic, Tu, & ad te ego. Sed voluere discrimen esse inter præpositionem, & coniunctionem*. Hæc Scaliger. Accipitur antiquè pro *statim*. Alias quoque nonnullas significationes habet. Vide Agellium lib.x. cap.vlt. & quæ ex eo Nonius in *Atque*. Adi & Godescalcum Steuvechium lib.i. de particulis L.L. & notis ad ub.v. Arnobij, pag.583.

Atriplex, herba, quæ Græcè χρυσολάχανον, quomodo interpretantur Glossæ Philoxeni. *Atriplexum* priùs vocatum, scribit Festus. Sic dictum aiunt, quòd comestum homines reddat atros. Idem per *atrum olus* intelligi volunt apud Plautum, Pseudolo, act.iii. sc.ii. Ego censeo, *atriplex* corruptum esse *atraphax*, à Græco ἀτράφαξις. Sic enim Græci vocant Dioscorides lib.ii. cap.cxlv. siue alijs cxii. Ἀτράφαξις, οἱ δὲ χρυσολάχανον γινώσκουσι. Columella lib.xi. cap.iii. *Chærephyllon, itémque olus atriplicis, quod Græci vocant ἀτράφαξιν*. Martinio ita vocari videtur παρὰ τὸ ἀθρόως αὔξειν. Nam octauo ex quo sata est, die erumpit è terrâ, vt Theophrastus ait in Historia Plant. lib.vii. cap.i.

Atrivm vnde sit, docet Varro lib.iv. de L.L. *Atrium appellatum ab Atriatibus Tuscis; illinc enim exemplum sumptum*. Et hanc & alteram originationem adfert Festus. Locum integrum penam: *Atrium*, inquit, *propriè est genus ædificij ante ædem, continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluuia descendit. Dictum autem atrium, vel quia id genus ædificij Atriæ primùm in Etruria sit institutum; vel quia à terra oriatur, quasi aterreum*. At aliter Seruius, cuius hæc verba ad illud Maronis i. Æn.—— *vocémque per ampla volutant Atria. Tangit*, inquit, *morem Romanorum. Nam, vt ait Cato, & in atrio, & duobus ferculis epulabantur antiqui. Vnde ait Iuuenalis: Quis fercula septem Secretò cœnauit auus? Ibi & pecunias habebant: vnde qui honoratiores serui erant, liminum custodes adhibebantur: vt, Qui Dardanio Anchisæ Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos. Ibi etiam & culina erat, vnde & atrium dictum est, atrum enim erat ex fumo*. Hactenus Seruius: cuius sententiam confirmant, quæ de fumosis imaginibus scribunt poëtæ. Nam imaginum in atrio locus erat. Affert eam *atrij* ab *atro colore* ἐτυμολογίαν Isidorus quoque, lib.xv. Orig. cap.iii. Sed aliam mirificam adiungit, quasi nomen fit ex præpositione *à*, & voce *trium*. *Atrium*, inquit, *est spatiosa domus, & dictum est atrium, eò quòd addantur ei tres porticus exterius*. Sed hoc ineptum. Quatuor his etymis accedat quinctum, quod est Iosephi Scaligeri in Coniectaneis. Is *atrium* factum putat ex αἴθριον; eaque etymologia locum habet, siue sumas pro *area subdiali ante ædes*, quomodo accipit Festus: siue pro *prima ædium parte*, vt vtitur Seruius. Si prius placet, sic dicetur, quia ὑπαίθριος, siue *sub dio*, sin alterum, nomen erit ex eo, quòd fornice amplissimo, & ornatissimo *aithram* repræsentet. Sed prius malim. Ab *atriorum* tutela, Varrone teste, nomen habent serui *atrienses*: quorum non semel mentio in antiquis inscript. tùm imprimis apud Iurisconsultos. In veteribus Glossis *atriensis* exponitur ἀτριάρχος, ἀτριάρχης. In aliis item Glossis habes, *Atriary, atrienses, sunt custodes atrij*. Fuluius Vrsinus, appendice de triclinio, suspicatur, eosdem esse, qui in inscriptionibus dicuntur servi Svpellectili: quia nempe seruarint supellectilem conuiualem, veterésque cœnitarent in atrio, hoc est, in culina, vel prope culinam: quod colligere est è Seruij verbis quæ suprà adduximus.

Atrophvs, ἄτροφος, ὁ μὴ τρεφόμενος, *qui non alitur*, hoc est, qui ex cibo potúque nihil, vel parum nutritur, sic vt non augescat, sed deficiat. Plinius lib.xxviii. cap.ix. de lacte asinino: *Et bibitur ab imbecillitate vires recolligentibus, quos atrophos vocant*. Et lib.xxxi. cap.x. *Prosunt atrophis, opisthotonis, tetanis*. Crebrò etiam vsurpat Firmicus.

Atrox, vnde sit, docet his verbis Festus: *Atroces appellantur ex Græco, quia illi atrocia appellant, qua cruda sunt. Siue, atrox dicitur ab eo, quòd nihil timeat. Τρεῖν enim Græci dicunt timere*. Sic sanè hæc verba adducit quoque Fungerus. At debuerit is saltem consuluisse, quæ ad eum locum notauit Vir Illustris. Inuenisset pro *atrocia* legi debere *atrocta*, siue ἄτρωκτα. Nam aliquando dixisse videtur ἄτρωξ ἄτρωγος, atque id significauit quod nondum esui est maturum, ab α στερητικῷ, & τρώγω, *edo*. Inde igitur *atrox* pro *crudo*, quomodo vsus hac voce Næuius apud Nonium, cùm ait: *Simul extra porricerent* (in vett. libris est *proiecerunt*) *atrocia ministratores*. Μεταφορικῶς verò translata hæc vox ad animum, vti & Latinum *crudus* pro *crudeli*. Apud Isidorum,

Isidorum, lib.x. legas, *atrox* dici à *tetris moribus*. Quibusdam etiam placet *atrox* dici ab *ater* quia homines sæui & atroces ira fuscescunt. Ita Perottus. Sed si *atrox* propriè *crudum* est, quam significationem Nonius agnoscit, omnino vera erit prior Festi: ἰσχυρόλογα, quam & Numicsius sequitur. Vel dicendum, esse à τρῶω, id est *saucio, vulnero*. Vnde ἄτρωτος, id est, ἄτρωτος, *illæsus, non vulneratus*. Suidas: ἄτρωτος, ἄτρωτος, ἀπαθής. Qui & veteris scriptoris hunc locum adducit: Ἀλλ' ἔμενεν ἄτρωτος ὑπὸ τῶν τοιούτων παθῶν, ἢ ὁ Αἴας ὑπὸ σιδήρου. *Sed ab huiusmodi affectionibus illæsus permanebat, vt Aiax à ferro*. Describit hominem affectibus non succumbentem: qualis creditur Cato. Vnde Horatius lib.II.Od.I.

Et cuncta terrarum subacta
Præter atrocem animum Catonis.

Vbi *atrocem*, planè est, ἄτρωτον, hoc est, *inuictum*. Nam opponit *terras subactas*, & *animum atrocem*. Hesychius: ἄτρωτος, ἀνίκητος.

Atta dicitur, *qui talipedat*, hoc est, propter vitium crurum, aut pedis, plantis, vel talis, insistit. Planè est ab ἅττω, *salio*. Quia qui terram metuit tangere, confestim subsilit. A veteribus placuit, dici *atta*, quasi *attinga*, quia magis terram *attingit*, quam *tangit*. Nam *attingere* est *leuiter tangere*. vnde est, quod Donatus ad act.II.sc.I. monet *attingere*, minus esse quam *tangere*. Nempe (vt ludere liceat) quemadmodum *atta talipedans* terram quasi metuit tangere: ita in pronuntiando integram *attinga* vocem efferre quasi formidarunt. Fuit hoc cognomine Quinctius poeta, cuius, præter Plinium, Diomedem, Nonium, aliósque plurimos, meminit Horatius, qui scitè, de fabulis eius loquens, *perambulandi* voce vtitur, quasi ad *Atta* nomen alludens. Locus est lib.II.ep.I.

Rectè, nec ne, crocum florésque perambulet Atta
Fabula.

Et etymi, & poëtæ meminit Festus: *Atta*, inquit, *appellantur, qui propter vitium crurum, aut pedum, plantis insistunt, & attingunt magis terram, quàm ambulant. Quod cognomen Quinctio poetæ adhæsit*. Interpretationem verò confirmant Glossæ vett. in quibus est: *Atta*, ὁ τοῖς ποσὶν ἀρχόμενος ἀσθενῶν. Idem ferè erunt *strictiuillæ*, quomodo Turnebus dictas censet feminas, quæ terram tantùm euntes stringerent. Vide, quæ hac de re dicimus in *Tentipellium*. Ab *atta* videri possit nomen accepisse gens *Attia*. Neque enim rectè sentiunt, qui eo, quod apud Maronem legere sit,

Alter Atys, genus vnde Atij duxere Latini.

ideo *Atius* vnico *t* semper scribendum esse, semper id nomen esse ab *Atys*, existimant. Nam, meo iudicio, diuersæ sunt familiæ *Atia* & *Attia*. Sanè apud Dionem legimus, Ἀττία, ac Hieronymus quoque Ferrarius ait, se Philippicâ secundâ in omnibus vett. libb. reperisse. M. Attivs Balbvs. Sed & hanc scribendi rationem non vno loco firmat Pierius in castigationibus Virgil. Ab vtroque differt *Actius* per *ct*, quod cognomen est Apollinis, sic dicti ab *Actio*, Acarnaniæ oppido, quod se offert ab Ambraciæ sinu venientibus. Maro in VIII.

Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo.

Malè in quibusdam libb. est *Accius* per duo *c*. Nam *Actius* idem hîc est, quod *Actiacus*.

Attagen, vel *attagena*, ἀτταγὴν & ἀτταγᾶς, Latinis *gallina rustica*, & *rustica perdix*, & *rusticula*: vbi *rustica* & *rusticula* est *agrestis*. Glossæ Philoxeni: *Gallina rustica*, ἀτταγήν. Glossæ Cyrilli: Πέρδιξ, *perdix, gallina rustica*. Sed perdices distinguit Plinius, lib.X. cap.XXXVIII. *Currunt, vt perdices, rusticulæ*. Imò & Martialis lib.XIII. epigr.LXXVI. cuius lemma est *rusticula*.

Rustica sim, an perdix, quid refert, si sapor idem est?
Carior est perdix, sic sapit illa magis.

Nempe *perdix*, & *rustica gallina*, siue *rusticula*, eiusdem generis sunt: sed vulgatior *rustica indigena*, rarior *perdix*, siue *attagen Ionicus*: qui idcirco maximè celebratur. Horatius Epod. od.II.

Non attagen Ionicus.

Plinius lib.X.cap.XLVIII. *Attagen maxime Ionius, celebratur, & vocalis aliàs, captus verò obmutescens, quondam existimatus inter raras aues: iam & in Gallia Hispaniáque capitur, & per Alpes etiam*. Martialis lib.XIII.epigr.LXI.

Inter sapores fertur alitum primus
Ionicarum gustus Attagenarum.

Attagen (vt apud Athenæum est, in XI.) ὄρνις ποικίλος τὸ χρῶμα... κεραμεοῦς τὴν χρόαν, ὑποπυρρίζων μᾶλλον, *toto dorso varijs est compunctus notis, colorem habet fictilium, sed subrufus magis*. Ὑποπυρρίζων enim ibi cum Casaubono malim, prout est in Excerptis, quàm ὑποπερκάζων. Quod si aui est huic color κεραμεοῦς, siue *fictilium*, videri possit nomen accepisse à *vase fictili*, quod ἄτταγον Græci, Latini *sartaginem* vocant.

Attamino, compositum esse, inque eo *d* præpositionis *ad* in *t* conuerti, vt in *attingo* & *attinet*, scribit Priscianus lib.I. cap. de literarum numero & permutatione. Alteram compositi partem reticet. Ea est obsoletum verbum *tamino*, quod patet ex alijs compositis, vt *contamino*, item *intaminatus*, quod vsus Horatius lib.III.Od.II. *Intaminatis fulget honoribus*. Quod malè quidam mutare conantur. Glossæ Philox. *Intaminata*, μιανθέντα. Eodémque modo interpretantur vocem, *attaminata*. Itidem in Glossis Cyrillo tributis, legas: Μιαίνω, *attamino, contamino, inquino, polluo, incesto*. Assentio autem Becmano, & alijs, qui *tamino* censent esse ab *tame*, טמא, hoc est, *contaminatum, pollutum*, siue *immundum esse*. Quamquam & affinitatem habet cum voce דמן, hoc est, *stercus, sterquilinium*. Sed prius magis placet. Putabat Perottus, *contamino* dici à *manibus*, propriéque notare, manibus luto plenis aliquid attingo, ac per μετάληψιν poni pro *polluo*. Sed hoc si est, vnde *ta* syllaba in *contamino, attamino*, & *intaminatus*?

Attegiæ, Iuuenali, sat. XIV. *tuguria*. Græcè καλύβαι, ἀπὸ τῆς καλύπτειν. Similitérque & *tuguria* dicuntur à *tego*, quasi *teguria*. & ex *adtego*, seu *attego*, *attegia*. Vetus Onomasticum Latino-Græc. *Ategia* (scr. *attegia*) καλυβοποιΐα.

Attelabvs, ἀττέλαβος. Plinius lib.XXIX.cap.IV. *Aduersantur & locustarum minima sine pennis, quos attelabos vocant*. LXX. interpretes quoque vsi prophetæ Nahum cap.II. Nisi quod ea vox per ι ab ijs scribatur, ἀττίλαβος. Quem ad locum sic B. Hieronymus: *Locusta, & bruchus, & parua genimina locustarum, quæ vocantur attelabi*. Et mox: *Porrò attelabus, quem significantius comessorem interpretatus est Aquila, parua locusta est inter locustam & bruchum, & modicis pennis reptans potius, quàm volans, sempérque subsiliens, & ob hanc caussam vbicumque orta fuerit, vsque ad puluerem cuncta consumit: quia donec crescant pennæ, abire non potest*. Atque iterum: *Confertur exilienti attelabo, & locustæ, quæ in die frigoris, eo quod auolare non possit, resideat in sepe, & postea orto sole, & in illius ardore calefacta, exiliat, & ad alias regiones auolans, nequaquam meminerit sepis, in qua tempore frigoris sederat*. Quod eam semper subsilire ait Hieronymus, ac calore solis calefactam, aliò è sepe exilire: id satis probabilem reddit coniecturam H. Stephani, qui ita dici putat ab ἅττω, id est, *salto*. Vnde & *attacus* dici videtur. Est id in vulgata translatione, Leuitici XI. 22. Atque etiam apud interpretes LXX. in edit. Complutensi. In Romana enim est τὸν ἀττάκην, non τὸν ἄττακον. Sed de origine *attelabi* dispiciendum, an non potius sit à fonte Hebræo. Nam & עטלף, *ataleph*, Iesaiæ cap.II. Quod Dauid Kimchi interpretatur *murem alatum, noctu volantem*, h. e. *vespertilionem*. Cum & *ataleph*, & *attelabus*, sint animantia alata, volantia quidem, sed reptantia in terris, eiusdem esse originis, planè, vt puto, existimandum.

Attvbvs, qui laborat linguæ vinculo, quod Græcis medicis γλωσσοδέσμος vocatur. In Euangelio dicitur μογιλάλος. Fit à Græco ἄτυπος, quod ab α στερητικῷ & τύπος, quia sensa animi expedire nequit verborum typis siue formis. Sunt enim verba typi atque vmbræ cogitationum: cogitatio verò est imago rei extra intellectum. Gloss. vett. Philoxeni, & aliorum: *Attubus*: μογιλάλος, μογίλος, ἄτυπος. Vsus Ausonius versu isthoc: *Cerritus, cornosus, hispidus, trux, attubus*. Ita optimè emendat Scaliger in lectionibus Ausonianis, lib.II.c.XXIX. In vulgatis malè est *attubus*.

A V

Avceps, quasi *auiceps*. Ab *aucupe* verò *aucupium* & *aucupari*. Priscianus lib.I. *Auceps aues capiens, vt menceps* (idem de *menceps* scrit lib.V.) *mente captus, municeps munera capiens*. Eâdem de voce sic Velius Longus: *Item qui aucupium per u scribunt, putant ab aue occupanda dictum. aut quia aucupium ab aue capienda, cum a litera in i familiariùs transitus sit. Quibus aquè opponi potest, non minùs in i transire quam in u. Nam & ab amico fit inimicus, & à salso insulsus*.

Avctor, *autor*, an *author* scribendum sit, disputant. *Author* per *th* præter alios probat Adolphus Mekerchus, lib. de pronuntiat. Ling. Gr. vultque esse ab αὐθέντης. Et sanè in vett. Glossis legere est, *Auctoritas*, αὐθεντία. Item, *Auctor*, αὐθέντης. Mihi diu placuit, *autor*, simplici scribi *t*. Non quia esse putarem ab *audeo*, *d* in *t* conuerso, quæ quorumdam sententia est: nec quasi sit à Græco αὐτουργὸς, παρὰ τὸ αὐτουργεῖν vt aliqui arbitrantur: verùm quia esse crederem ab inusitato supino verbi *aueo*. Vt à *cautum, cautor*; à *fautum, fautor*: sic deducebam ab *autum, autor*. Quippe *autor* is propriè dicitur, qui aliquid auet ac cupit fieri, siue id ipse exequitur, siue per alium, vt quid fiat, hortatur. Verùm aduersus hæc non exiguum scrupulum injicit, quòd Veteres semper *auctor* per *ct* scripserint. Quare videri possit vtrâque significatione ab *augendo* esse. Verùm obstat, quòd posterior significatio (quâ pro illo sumitur, cuius quis auxilio & auctoritate ad agendum impellitur) non satis isti etymo conuenit. Idcirco non displicet, vt sit ab antiquo *augeo*, quod

Aldus in Orthographia scripsit. Hoc si parùm arridet, proximum est, vt statuamus, cùm prius diceretur de eo, qui rem ab alio cœptam promoueret, postea ad eum quoque extensum, qui inciperet, ac suaderet. Vtut est, insistendum nobis Veterum consuetudini, qui, vti dicebam, siue accipiatur pro illo, qui auget, siue illo, cuius auctoritate & sententia aliquid fit: semper per *ct* hanc vocem scribebant. Id enim clare indicat hic locus Charisij. lib. I. *Auctor propterea dicitur, quòd augeret & generaret: & auctricem dicemus, quòd pariter augere possit: cum verò ad auctoritatem refertur, pro communi accipiendum.* Idem docet Valerius Probus in Catholicis: *Auctor si sit tractum à verbo augeo, auctrix facit; si non venit à verbo, sed significat principem, quod nomen non venit à verbo, etiam feminino genere auctor facit: sicut Virgilius ex persona Iunonis, Auctor ego audendi princeps: non qua augeat; nam auctrix diceret.* Hæc Probus. Imò Pierius ad XII. Æneid. docet, se in exemplaribus antiquis, quotquot videre contigit, vtrâque significatione *auctor* per *ct* inuenisse: aliquot quoque inscriptiones adducit in quibus vox ea hoc modo legatur. Eandem Orthographiam probat Hieronymus Ferrarius, initio Emendationum in Philipp. I. & Aldus Manutius in Orthogr. pluréſque alij, quorum & ipse sententiæ inscribo. Ab *auctor* est *auctorare*, quod significat, aliquem sibi obligare, adeò vt quis non amplius sit sui arbitrij, sed res alio agat auctore: vnde & nomen. Liuius lib. VII. *Eo enim pectore vetustis auctoratum sibi proditorem ratus est*, i. obligatum obstrictúmque. Item Pomponius lib. IV. D. de auctoritate & consensu tut. *Etsi pluribus datis tutoribus vnius auctoritas sufficiat: tamen si tutor auctoretur, cui administratio tutelæ concessa non est; id ratum à prætore haberi non debet.* Vbi *auctorare* est *auctoritatem alicui accommodare*, &, quod dicunt Belgæ, *iemant volmachtich macken.* Huic contrarium *exauctorare*, pro eo quod est, *obligatione soluere.* Ab *auctorare* est *auctoramentum*, pretium & quasi stipendium auctorati pro facta obligatione. Est & cū magis speciatim hæ voces dicuntur de gladiatoribus. Nam scribit Acro ad sat. VII. lib. II. *auctoratos* ab antiquis dictos, qui se ludo vendiderant. Quod confirmant Glossæ Philoxeni, in quibus legas: *Auctoratus*, αὐθαίρετος εἰς δοῦλον ἑαυτὸν βάλλων, ἢ μονομάχος. Sic vsurpat Seneca, ludo de morte Claudij: *Qui contra hoc SC. Deus factus, fictus, pictusve erit, eum dedi laruis & proximo munere inter nouos auctoratos, ferulis vapulare placet*: Item Quinctilianus in argumento Declam. CCCII. quæ inscribitur, *Auctoratus ob sepeliendum patrem*: GLADIATOR, inquit, IN QVATVORDECIM GRADIBVS NE SEDEAT: *quidam vt patrem sepeliret, auctorauit se: die muneris productus*, &c.

AVDEO, ex mente quorumdam, venit ab αὐθένται, hoc est, αὐτόχειρες, *qui manu sua interimunt.* Hoc enim est audentis. Iuxta Nunnesium verò est ab αὐθάδης, *arrogans, superbus.* Verum, quid si deriuemus ab ἄνω, hoc est, *audeo*? Suidas: Αὔσονες οἱ βασιλεῖς παρὰ τὸ ἄνω τὸ τολμῶ, οἱ πάντα ἐπιτολμῶντες τῷ ἐπιτάγματι. *Ausones, reges Itali, ab ἄνω, id est, audeo, quia suis mandatis omnia auderent.* Vid. Pimponcius in Virgilium, pag. 597. Sed multum metuo, ne forte allusiuncula fuerit Græculi perstringentis Romanos, quasi iure *Ausones* dicantur, qui in victas gentes quiduis *ausint*. Sed vtrum Græci etiam ἄνω dixerint, haut facilè pronuntiem. Nec in vna hac allusiuncula, quæ à voce Romana esse videtur, firmum satis argumentum posuerim. Quocirca magis placet, *audeo* esse ab *aueo*, inserto *d*, quomodo *gaudeo* est à *gaueo*, vnde *gauisus*, *tendo* à *teno*, quod à τείνω. Vel *audeo*, τῷ μεταθέσει erit à θαῦσος, quod *audacem* notat. Hesychius: Θαῦσος, ὁ θρασύς. Sed vt *audeo* inde sit, *audax* ἀμέσως inde non erit, etsi ita videatur viro erudito, quia *audax* iccirco dici ait, quasi *audox*, à θαῦσος. Omnino enim ἀναλογία requirit, vt ab *audeo* deducamus *audax*, quomodo à *rapere* est *rapax*: vel, si hoc ab ἅρπαξ esse malis, saltem, vt à *tagere* *tagax*, à *sagire* *sagax*, à *tenere* *tenax*. Ab *audace* autem dicta *audacia*, non ab *auidè agendo*, vt durè ἐτυμολογεῖ Festus. Nec multò melius, quibus *audax* placet esse ab αὐθάδης. Ab *audaci* quoque *audaciter*, & τῷ συγκοπῇ *audacter*. Integro, non Sallustium modò, sed Ciceronem ipsum, Oratione pro Roscio Amer. vsum, scribit Priscianus lib. XV. Faërnus ait quoque, se Orat. pro Fonteio in antiquo suo codice reperisse: *Audaciter hoc dico, iudices.* Fortasse tamen hæc librariis tribuenda, quando apud Quinctilianum legimus lib. I. cap. VI. *Inhærent quidam molestissimâ diligentiæ peruersitate, vt audaciter potiùs dicant, quàm audacter, licet omnes oratores aliud sequantur.*

AVDIO, quidam ab *aura* dici putant, quia vocem per aëra ad aures nostras deferri necesse est. Alij ab *haurio*, tum *audio*, tum *auris*, deducunt, quia audientes, auribus haurimus vocem: vnde Maro,

——*Vocemque his auribus ausi.*

Sed hæc merito reijcimus. Omnino autem est vtrumque à Græco fonte. Nempe vel ab αὐδή, quod est, *sonus*, vnde *audio* erit, quia sonus est auditus obiectum. Αὐδή verò ab ἄνω, quod est, φωνῶ. Vel est *audio*, ab ἀΐω, quod idem significat, inserto *d*, quomodo à τείνω, quod Æolicum pro τανύω, est *tendo*, item à *caneo* *candeo*, & similia. Ab *audiendo* verò dictæ sint *audes*, quæ postea *aures*, vt à *laude* *laudus* & *laudea*, quæ postea *laurus* & *laurea*: quod & *aurium* & *laurus* etymon Isidorus probat, lib. XVII. cap. VII. Ac adfert quoque Velius Longus: *Pro audiculis ab audiendo auriculas dicimus, & meridiem pro medio die loquimur.* Vel *audio* contrà est ab antiquo *audes*, pro quo postea *auses*, & tandem *aures* dixere: quomodo qui prius *Ausesij, Fusij*, hi postea *Aurelij, Furij*. *Audes* verò quasi *auses* dictæ. Nam pro οὖς ὠτός, id est, *auris*, Cretice & Tarentine dicitur αὖς αὐτός. Sic Cretenses quoque pro αὐτοῦ dicunt αὐτοῖ. Æolis similiter pro ὑψοῦ ὕψοις, pro χρυσοῦ χρύσοις, pro τοῖς ἵπποις τοὶς ἵπποις nisi hic antiptosin malis statuere. Ὦτα verò ab Chaldæo אודן, *vdan*. Ab antiquo *auses*, pro *aures*, est *ausculto*: de quo seorsim. Ab *audio* est *auditaui*, pro *sæpè audiui.* Sed pro eo *auditaui* male est, etiam in MSS[ti] Festi codd. Ab eodem est *inaudio*, hoc est, *leniter audio.* Nam imperfectam ἀκρόασιν notat. At *inauditum*, nunc significat *non auditum*, nunc verò *quod non audit*, vt docet Nonius. *Inauditiuncula*, quod Græcè ἀκουσμάτιον. Vsus Gellius lib. V. cap. XXI. De *Obedio* seorsim dicam. *Oricilla*, quo Catullus vtitur, alterum diminutiuum est ab *auricula*. *Au* in *o* abit, vt in *orata* pro *aurata*, *olla* ab *aula*.

AVELLANAM, caue cum *corylo* confundas, cum vulgo. Nam *auellana* nomen specialius est: vt bene monet scriptor Anonymus in notis ad Theophrasti historiam plantarum. Eum si nescis, eruditissimum virum Iacobum Dalecampium esse scito. Quod ad etymon, sunt qui ab *auellendo* dici censeant. Sed rectius Seruius ad II. Georg. *Auellana*, inquit, *ab Auellano, Campaniæ oppido, vbi abundant, nominata sunt.* Eadem, more suo, exscripsit Isidorus lib. XVII. cap. VII. Quod autem hi *Auellanum* vocant, id Silio, lib. VIII. est *Auella*. Hinc *Auellinates* apud Lucanum. Veteres hæc vocabula quoque, per *b* scribunt, *Abella, Abellinates* &c. Indéque est quòd nuces hæ prius *Abellinæ* sint vocatæ. Plinius lib. XV. cap. XXII. *Cæteris, quidquid est, solidum est, vt in auellanis, & ipso nucum genere, quas antea Abellinas patrio nomine vocabant.* Sic sanè & vetus habet Parmensis. Possis tamen & *abellanas* legere, quod Turnebus ex MSS[tis] codicibus comprobat lib. XXVII. c. XVII. Dicuntur Græcis κάρυα Ποντικά, prout Glossæ Philoxeni interpretantur. Plinius: *In Asiam Græciámque è Ponto venêre, & ideo Ponticæ nuces vocantur.* Idem ait Macrobius. Item Isidorus loco antè citato: *Hæ à Græcis Ponticæ appellantur, eo quòd circa Ponticum mare abundent.* Ac vt generali nomine Ponticæ, ita speciali dicta Ἡρακλεωτικά, nempe ab Heraclea, quæ discriminis causâ dicebatur Pontica. Quamquam Oppius apud Macrobium dicat *Heracleoticam nucem* quibusdam esse *castaneam*. Prænestinas etiam vocari Plinius docet. Vocantur & λεπτοκάρυα. Dioscorides lib. I. cap. CLXXX. τὰ δὲ Ποντικά, ἃ ἔνιοι λεπτοκάρυα καλοῦσιν, ἐν κακοστομάχα, &c. Verisimile est, ad λεπτῶν καρύων appellationem respexisse Iuuenalem, cùm sat. V. ait:

——*Viridem & thoraca iubebis*
Adferri, minimásque nuces.

AVENA, Græcè βρόμος, alia satiua est ac frugifera, alia sponte proueniens ac sterilis: cuius species est αἰγίλωψ. Posterior sola in vsu erat Romanis. De qua Maro, I. Georg.

Infelix lolium, & steriles dominantur auenæ.

Vbi Seruius: *Steriles autem auenas secundum situm Italiæ dixit; nam in Thracia fructuosæ sunt.* Ac similiter Hesychius: Βρόμος, ὃς καὶ βρόμιος λέγεται· ἔστι δὲ σπέρμα τι χρήσιμον εἰς τὸ πολλαχοῦ μὲν ζιζανίου, ἐνίοτε δὲ καὶ αὐτοφυῶς φυόμενον. Vtriusque etiam meminit Plinius, lib. XVIII. cap. XVII. *Primum omnium frumenti vitium auena est, & hordeum in eam degenerat: sic vt ipsa frumenti sit instar: quippe cum Germaniæ populi serant eam, nec alia pulte viuant.* Vbi in eo peccat, quod ob ambiguum vocabulum rem eandem credat; cum auena illa, in quam hordeum degenerat, specie differat à satiua, quæ in pultem cedit. Nec tamen penitus ignorabant satiuam Romani. Nam Maronis est, I. Georg.

Vrit enim campum lini seges, vrit auena.

Vbi Seruius sic: *Celsus lib. 3. seri auenam ostendit. Sed videtur poëta velut interrogatus, cur linum, & quæ sequuntur, dicat, non seri debere: respondisse, Vrit enim: quia Enim caussalis coniunctio est. Auena* συνεκδοχικῶς pro *stipula*, siue *calamo auena*. Vt I. Ecl.

——*Tenui Musam meditaris auena.*

In vett. Glossis *auena* non solum αἰγίλωψ exponitur, sed etiam αἶρα, quæ *loliū* est. Sed ea distinguit Maro, vt antea vidimus. *Auena* Perotto sic dici videtur ab *a*, & *venio*, quod *ad fructum non veniat*:

veniat: vt quæ sterilis sit, ac frumenti vitium. Nam etsi satiua etiam sit, tamen appellatio ab ea fit, quæ in vsu erat Romanis vt ostendit, quod rei rusticæ scriptores de satione eius nihil præcipiant. Sed huic etymo modulus secundæ syllabæ refragatur. Rectius igitur dixeris, vt ab *habeo* est *habena*, sic ab *aueo* esse *auena*: siue ab *occupandi auiditate*, quod Agrætius scripsit siue potius, quòd *aueant illud edere* pecudes ac equi. Vnde Hesychius ὄγκα· vocat τροφὴν τετραπόδων. Ac hodiéque pro pabulo equis datur.

AVERE, pro *salutare*, vide in *Haue*. *Auere* aliàs est *cupere*. Lucillius apud Nonium: *Cocus non curat caudam insignem esse, dum pinguis siet. Sic animum amici quærunt, parasiti ditias auent*. Est ab Hebræo אבה, quod est, *velle, concupiscere*: vel ab חפץ, quod itidem notat, *velle, cupere*: vel ab אוה, *expetere, desiderare*: vnde תאוה, *desiderium*. Ab *auere* est *auidus*, vt recte scribit Festus in *auere*, & Nonius in *Auarus*. At ineptè apud eundem Festum perscriptum: *Auidus, à non videndo, propter nimiam cupiditatem, appellatur, sicut amens, qui mentem suam non habet*. Ineptè, inquam. Nam vt à *torreo torridus*, à *caleo calidus*, à *rapio rapidus*: sic ab *Aueo auidus*. Eiusdem originis est *auarus*: siue dicitur, quasi *auidus aeris* detritâ e diphthongo, quod scripsit Nigidius Figulus, teste Agellio: siue, quod ipse mauult Agellius, sit ab vno solùm verbo inclinatum, putà *aueo*: vt nempè *arus* sit vocis productio, quemadmodum in *amarus*. Vide Agellium lib. X. cap. V. Mihi Nigidij sententia non improbatur. Nec ei derogat vox *amarus*, quia hæc verbale non est, quale esset *auarus*, si vera est Agellij sententia. Nec est, quod obducat quis, similiter ab *ignoro* fieri *ignarus*. Nam *ignarus* fit à *gnarus*. Ab *ignoro* verò foret *ignoratus*. Agellij tamen sententiam sequitur quoque vetus Horatij interpres, ad sat. I. lib. I. *Auebat*, inquit, *i. e. auide cupiebat, vnde auidi dicti sunt auari*. Apud Isidorum, lib. X. legas, *auarus* dici, quasi *auidus auri*, extrito *u*. Sed si compositum est, non tam ab *auro* est, quàm *aere*, ex quo antiquitus pecunia erat.

AVERRVNCARE non modò Afranius dixit apud Nonium in *Verruncent* aut Paccuuius apud Festum ipse voce, aut Cato libb. de R. R. sed & Liuius lib. VIII. ab V. C. *Placuit auerruncandæ Deûm iræ victimas cædi*. Et Cicero epist. II. lib. IX. ad Atticum: *Dij, inquit, auerruncent*. Significat *auertere*, vnde *auerruncus*, ἀλεξίκακος, vt *Dij Auerrunci*. De *auerruncandi* ratione videndus Desiderius Heraldus ad Martial. lib. XI. epigr. I. Quod ad ἔτυμον, Ludouicus Viues ad lib. IV. Augustini, de Ciuitate Dei, vti & in Thesauro suo R. Steph. itémque in Etymologico suo Becmanus, censent esse à *runcare*: vt nempe conficetur ex *ab* & *erruncare*, ac *au* pro *ab* ponatur, vt in *auferre*: *erruncare* autem pro *exruncare* dicatur, ab *ex* siue *ex*. & *runcare*: quomodo, & *ecfari*, & *effari*, dicitur. *Runcare* verò est *cædere runcâ*, vnde & nomen. Hanc ἐτυμολογίαν confirmat interpretatio in vett. Glossis, vbi exponitur ἀποτρέπω. Verùm & aliæ duæ etymologiæ occurrunt. Vna est, vt esse dicamus à Græco ἀπερύκω, quod Suida teste, est ἀποκωλύω. Præter Homerum, Xenophontem, aliósque, vsus Sophocles in Aiace:

——— ἀλλ' ἀπερύκοι
Καὶ Ζεὺς κακὰν καὶ Φοῖβος Ἀργείων φάτιν.

Alterum etymon est, vt sit à simplici *verruncare*: quod cum in vsu sit, dubitandum non est, quin hæc vera sit origo. Meminit, cùm Festus, qui interpretatur *verto*, tum Nonius, qui insuper Accij & Paccuuij loca adducit. Illius est:

Te, sancte, venerans precibus, inuicte, inuoco,
Portenta vt populo patria verruncent bene.

Huius est:

Precor veniam, petens, vt quæ egi, ago, axim, verruncent bene.

Apud Festum vulgo legitur *veruncet*. Sed in MSS. est *verruncent*. Cùm autem *auerruncare* sit *auertere*, *verruncare* item *vertere*: videri possit, *verruncare* esse à *vertendo*. Sensit id Varro: cuius hæc verba sexto de L. L. *A vertendo* (f. *auertendo*) *auerruncare, vt Deus, qui ijs rebus præest, Auerruncus. Itaque ab eo precari solent, vt pericula auertat*. Magis tamen placet, vt ab ἐρύκω sit *verrunco*, præmissa digamma, quomodo ab ἴδω *video*, ab ἰταλὸς *vitulus*. Vide N vero insertum, vt in *runcina*, quod à ῥυκάνη. Porrò pro *Auerruncus* videntur quoque dixisse *Auruncus*, pro *auerruncare aurunčare*; quomodo *prudens* factum ex *prouidens*, *dites* ex *diuites*, *iunior* ex *iuuenior*, &c. Sanè, in Glossis Philoxeni legas, *Auruncius*, θεὸς ἀποτρόπαιος, vbi *Auruncus* legendum nemo non videt. Apud Festum quoque, cum ait, *aurum* dici ab *auertere*, *auruncare* planè substituendum, vt monuit Scaliger. Sanè hinc decenter & commodè magis *auri* vocem deriuaris, quàm ab *auertendo*. Censet idem, *Auruncos* sic dictos, quasi ἀποσκεδίους, h. e. *auerruncatos* siue *auersos auulsósque à sedibus suis*. Sunt verò *Aurunci* (vt ad VII. Æn. scribit Seruius) antiquissimi Italiæ populi, qui Græcè, vt ait, Αὔσονες appellantur. Glossæ quoque ante laudatæ interpretantur Αὔσονες Ἰταλοί, & Festus in *Ausonia*, indicat, ab *Ausone* descendere, vt quem *Auruncam* vrbem in Italia condidisse dicat.

AVGEO, ab αὔξω, siue inusitato αὐξέω. Σ, quod in ξ inest, perit, ac κ, quod in eodem, abit in γ, quomodo à κυβερνῶ est *guberno*, à κόμμι *gummi*, &c. Magis ab αὔξω accedit præteritum *auxi*. Ab eo est *auxilium*, quod esset legionibus augendis & iuuandis. Varro, IV. de L. L. vbi distinguit *præsidium*, *subsidium*, & *auxilium*: *Auxilium*, inquit, *appellatur ab auctu, cùm accesserant, qui adiumento essent, alienigenæ*. Vegetius lib. II. cap. II. *Legionibus semper auxilia, tanquam leuis armatura, in acie iungebantur, vt in his præliandi magis adminiculum esset, quàm principale subsidium*. A supino *auctum* est *auctio*. Est enim publica venditio, quia quid addicitur ei, qui postremus pretium auxerit: hinc *auctionari*. Ab *auctu* quoque est *auctarium*, *quod supra mensuram vel pondus iustum adijciebatur, vt cumulus vocatur in modio*, teste Festo. Idem *aucta* (si recta hæc scriptura) exponit, *sæpe aucta*. Ego pro *aucceta*, siue vt in MS. est, *aucatamalum auctata*. Nam *auctare* propriè *sæpe augere*. Idem quid *auctum* in Circo sit, docet: *Auctum vocabatur spatium Circi, quod supra definitum modum victoriæ adiungitur. Auctumnus*, pro quo fere, eliso *c*, scribimus *autumnus*. Festus: *Auctumnum quidam dictum existimant, quod tunc maxime augeantur hominum opes, coactis agrorum fructibus*. Hinc *auctumnitas*, auctumni tempestiuitas. Cato de R. R. cap. V. *Circum oleas auctumnitate ablaqueato*. Sic idem ab *olina oleitas* dixit c. LX. h. e. tempestiuitas legendæ oleæ. Ab *auctumno* est *auctumnale*, & per apocopen *auctumnal*, quomodo & *vectigal*, *ceruical*, *capital*, *tribunal*, *animal*, dicimus. quæ, si rationem audimus, in *e* desinere debebant: vt ait Charisius lib. I. Similiter igitur Varro, eodem auctore, dixit, *æquinoctium auctumnal*.

AVGVR, οἰωνοσκόπος, ὀρνεοσκόπος vt interpretantur Glossæ Philoxeni; quid sit, docet his verbis Seruius Petri Danielis ad III. Æn. *Augurium est exquisita Deorum voluntas per consolationem* (lego, *consultationem*) *auium aut signorum; quod tunc peti debet, cùm id quod animo agitamus, per augurium à Dijs volumus impetratum*. Plura ibidem de *augurio* legas, quæ in vulgatis Seruij codd. neglecta. Quod ad etymon, docet idem ad V. Æn. *augurium* dici, quasi *augerium*: quod ipsum habes apud Isidorum lib. VIII. Orig. cap. IX. Est igitur ab *auium gestu*: vbi *gestûs* nomen non *ad tripudium solistimum* refero, (vt Torrentius facit ad Suetonij Augustum) sed *ad modum quo se aues gererent in volando*. Apud eundem Isidorum, alterum quoque etymon reperio, vt *auguria* dicantur, quasi *auigarria*. Vtrumque etiam complexus Pompeius: *Augur*, inquit, *ab auibus gerendóque dictus, quia per eum auium gestus edicitur: siue ab auium garritu, vnde & augurium*. Sunt & quibus placeat, *augur*, non ab *auium gestu garritúve* dici, sed *auium gustu*, quòd communis hic sit vtriusque syllabæ vocalis, & felix augurium crederetur si aues pascerentur. Nec desunt quibus ab *augendo* vox ea ducta videatur. Sanè pro priori etymo sunt quæ de *augusti* voce scribit Festus: *Augustus, locus sanctus, ab auium gestu, id est, quia ab auibus significatus est, sic dictus: siue ab auium gustatu, quia aues pasta id votum fecere*. At pro vtroque etymo facit hic locus Tranquilli, in Aug. cap. VII. *Loca religiosa & in quibus augurato quid consecratur, augusta dicuntur ab auctu, vel ab auium gestu gustúve, sicut etiam Ennius docet scribens,*

Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.

Ouidius quoque & *Augury* & *Augusti* vocem ab *augendo* deducit. Sic enim ille, I. Fast.

Sancta vocant Augusta patres: augusta vocantur
Templa, sacerdotum rite dicata manu.
Huius & Augurium dependet origine verbi:
Et quodcumque sua Iupiter auget ope.

Idem, ad etymon hoc alludens, continuò subiicit in gratiam Augusti:

Augeat imperium nostri ducis, augeat annos.

Adderem & Egesippi auctoritatem, nisi is scriptor esset suppositicius, & infimæ vetustatis. In hocce auctorum dissensu, de vtraque voce sententiam nostram proponemus. Quod igitur ad *augurii* vocem attinet, non magis *augur*, quàm *auspex*, ab *augendo* fieri puto. Potiùs autem *augurium*, quasi *augerium*, quá *auigarrium*, dici censeo, quia alioqui produceretur antepenultima. Quódque ad vocem *augusti*, quanquam fateor, eam posse ἀναλόγως ab *auctu* deduci (nam vt ab *ango* est *angustus*, ita ab *augeo* erit *augustus*) si tamen propria vis vocis attendatur, puto præferendam esse eorum opinionem, qui ab *augurio augustus* dici volunt. Nam *augustum* propriè dicitur quod *augurio* est *consecratum*, eóque sanctum & venerabile. Id indicat superior Tranquilli & Festi locus, ac Ennij versus, quem &

Varro

Varro citat, lib. III. de R.R. c. I Dio quoque, lib. XLIII. & Pausanias in Laconicis, *Augustus* vertunt Σεβαστὸς, i.e. *venerabilis*. Pro eadem sententia est interpretatio veterum Glossarum Philoxeno tributarum. In ijs legas: *Augustus*, Σεβαστὸς, Ἱερὸς, Σεβάσμιος, & *Augustissima*, Σεβαστοτάτη. Nec repugnat ἀναλογία. Nam erit ab *augurio augustus*, quomodo (vt in Coniectaneis scripsit Scaliger) ab *vnco* est *vngustus*, à *fide fidustus*, à *veru verbustum*, vt, *caro verbusta*, apud Plautum, &, si Varronem sequimur, à *corio corusta*, & per συγκοπὴν *crusta*. Et hæc quidem de etymo *auguris* & *augusti*. Ab *augur* est *auguraculum*, locus siue arx Romæ, vbi auguria capiebant. Græcè οἰωνοσκοπεῖον dixeris. Festus *Auguraculum appellabant antiqui, quam nos arcem dicimus: quod ibi augures publicè auspicarentur*. Ab eodem est *inauguratum*, h.e. augurium actum perfectúmque. Glossæ Philoxeni: *Inauguratus*, ἀνοιωνιστος. Vtitur Plautus, Asinar. act. II. sc. I. *Impetritum, inauguratum'st, quouis admittunt aues*. De *augurio canario* vide Cælium Rhod. l. XVII. cap. XXVII. Sed de totâ *augurorum* ratione adi Vlyssem Aldrouandum, qui generatim de eo tractat in prolegomenis operis sui, quod ὀρνιθολογίαν inscripsit, speciatim verò de singulis auibus, in speciali earum historiâ. Aliquid quoque addamus de deriuatis ab *Augustus*. Huiusmodi est *Augustale*. Fabius, l. VIII. c. III. siue de perspicuitate: *Carmen funebre propriè nænia, & tabernaculum ducis, Augustale*. Ab eodem dicti milites *Augustales*. Vegetius. lib. II. cap. VII. *Ordinarij dicuntur, qui in prælio primos ordines ducunt. Augustales appellantur, qui ab Augusto ordinarijs iuncti sunt. Flauiales item, tanquam secundi Augustales, à D. Vespasiano sunt legionibus additi*. Vide quæ hac de voce scribit Andr. Alciatus annotatiunculis in tres posteriores Codicis libros. Ab *Augustus* est *Augustinus*, vt à *Faustus Faustinus*, à *Macer Macrinus*, à *Martius Martinus*, pluráque id genus adducimus in *Catharticum*.

Avis, meo iudicio, est ab עופה, *oph*, id est, *volans*, siue ab radice eius עוף, *oph*, *volauit*. Veriùs id, quàm quod scribit Festus: *Aues*, inquit, *ab aduentu earum dicuntur, quod inde veniant, vnde quis non suspicetur*. Vel, quod Isidorus ait lib. XII. Orig. c. VII. *Aues dictæ, eò quòd vias certas non habeant, sed per auia quæque discurrant*. Festum sequitur etiam Perottus.

Avla, αὐλὴ, vt Athenæus lib. v. scribit, ὁ διαπνεόμενος τόπος, *locus subdialis, ac perflatilis*. Nempe ab ἄω, i.e. *flo*, vnde & αὐλὸς, *tibia*, quia *insufflatur*. Idem ibidem docet Homerum sic semper αὐλῆς voce vti: sunt tamen loca, vbi interpretentur *atrium*, h. e. prægrande illud triclinium, quod vulgò *salam* dicimus. Ait quoque Athenæus, Homeri posteros vocem hanc vsurpare pro *regia*, siue *domo principis*: quomodo Menandrum & Diphilum vsos comprobat. Rationem quoque huiusce appellationis, adiicit, nẽpe, vel quòd ante huiusmodi domus sint loca illa subdialia, quæ αὐλὰς propriè dici dicebamus: vel quòd satellites in regiis aulis soleant παρακοιτεῖν, h.e. *excubare*. Ab *aula* dicta *aulæa*, eadémque ab *Attalo* dicta *Attalica*. Seruius ad III. G. *Aulæa dicta sunt ab aula Attali, in qua primum inuenta sunt vela ingentia, postquam is populum Romanum scripsit heredem*. Plinius lib. VIII. c. XLVIII. *Aurum intexere in eadem Asia inuenit Attalus rex: vnde nomen Attalicis*. Donatus de Comœd. & Trag. *Aulæa quoque in scena in terra sternuntur, quod pictus ornatus erat ex Attalicâ regiâ Romam vsque perlatus: pro quibus siparia, ætas posterior accepit*. Eadem vocantur Babylonica: cuius caussam continuò post verba superius allata subiicit Plinius: *Colores, inquit, diuersos picturæ intexere Babylon maximè celebrauit, & nomen imposuit*. Græcis quoque περιπετάσματα dicuntur, à περιπετάζω, quod est, *in orbem expando*, siue *circumquaque obtendo*. Vsus & Cicero quarta in Verrem: *Quid? illa Attalica, tota Sicilia nominata, ab eodem Heio peripetasmata emere oblitus es?* Eadem, vel affinia, sunt περιστρώματα, quæ sic dicta à περιστρωννύω, i.e. *circumcirca sterno*: eâdem nempè ratione, quâ Latini à *sternendo*, vestes *stragulas* appellant. Græco illo vsus Plautus Pseud. act. I. sc. II. Item Cic. Philip. II. *Conchyliatis Cn. Pompeij peristromatis*.

Avlio, tibicen, ab αὐλὸς, *tibia*, Gloss. Philox. *Auliones*, αὐληταί. Αὐληταὶ ab αὐλέω, *tibia cano*. Iidem & *aulœdi*, αὐλῳδοὶ, ab αὐλὸς & ᾠδὴ, *cantus*. Ab eodem, & μόνος, *solus*, est μόναυλος *tibia singularis*: cui oponitur ζεῦγος, h. e. *par tibiarum*. Mart. de tibicina:

Sæpè duas inflat, sæpè monaulon habet.

Plinius l. VII. c. LVII. *Fistulam & monaulon Pan Mercurij, obliquam tibiam Midas in Phrygia, geminas tibias Marsyas in eadem gente*. Sed Athenæus ex Iuba facit μόναυλον εὕρημα Ὀσίριδος. Cui subscribit Pollux, qui dicit esse εὕρημα Αἰγύπτιον.

Avra, pro *ventulo*, est ab αὔρα, quod ab ἄω, *spiro*. Etymologus ait esse ab ἀὴρ. Nam ab ἄω esse ἄρα, & per epenthesin τοῦ υ, αὔρα. Aliis placet esse ab ἀὴρ & ῥέω. Sed Angelus Caninius censet esse à Punico *rauh*, cuius plurale *aruah*. Hebræis dicitur רוח, *ruah*. *Aura* verò, pro *splendore* (vt in VI. Æn. *Auri per ramos aura refulsit*) est ab Hebræo אור, hoc est, *flamma ignis*. At videntur Græci similiter vsi voce αὔρα, vnde αὔριον & ἀγχαυρος, vt in *Aurum* dicemus.

Avrichalcvm, Festus, Seruius & Isidorus, putarunt esse vocem hybridam ex Latino *aurum*, & Græco χαλκὸς, quod *as* significat. Ac Seruius quidem ad XII. Æn. & Isidorus, lib. XVI. Orig. cap. XIX. ita dici putant, *quòd & splendorem auri, & duritiam æris possideat*. Festus verò duplicem sententiam ponit. Vna est eorum, qui putant compositam ex *ære* & *auro*. Altera illorum, qui sic vocari censent, *quòd colorem habeat aureum*. Quam Festus priori loco adfert, eam secutus quoque Philoxenus, vel quisquis auctor Glossarum, primitus editarum ab H. Stephano. In ijs legas: *Aurochalca*, Χρυσόχαλκα. Vbi rectè B. Vulcanius corrigit: *Aurichalcum*, ὀρείχαλκον. Sed profectò mixtura istiusmodi non est in rerum naturâ: quemadmodum auctor est Aristoteles apud interpretem Appollonij. Et tamen commentitium istud *aurichalcum* tanto olim in pretio fuit, vt seruus ille apud Plautum, Pseud. act. II. sc. III. summi pretij metallum nominaturus, dicat: *Aurichalco contra non carum fuit meum mendacium*. Curculione quoque, act. I. sc. III. cum dixisset adolescens: *Auro contra cedo modestum amatorem, à me aurum accipe*: subiicit seruus: *Cedo mihi contra orichalco, cui ego sano seruiam*. Imò disertim scribit Seruius ad XII. Æn. *Apud maiores orichalcum pretiosius omnibus metallis fuit*. Et mox: *Orichalcum fuisse pretiosum Plautus docet, qui ait in Milite Glorioso: Ego istos mores orichalco contra comparem*. Quamquam Seruius non de commẽtitio illo *aurichalco* Plautum loqui censet, quod ex *auro* & *ære* conflatum putabant, sed pretiosissimi intelligit æris genus quale Corinthiacú fuit. Sic enim scribit: *Sicut Lucretius dicit, cum primum homines siluas incendissent, nullarum adhuc rerum periti, terra casu fertilis omnium, ex incendij calore desudauit metalla: inter quæ orichalcum pretiosius visum est, quod & splendorem auri, & æris duritiem possideret. Namque de auro primùm securis facta displicuit caussa mollitiei, simili ratione & argenti contemptus est vsus; mox æris; orichalcum placuit, donec veniretur ad ferrum; vnde etiam secula ita dicuntur fuisse diuisa*. Hæc Seruius. E quibus cognoscimus, Seruium, quem & Isidorum sequi, ante diximus, *orichalci* nomine intellexisse æris genus cui aurum, argentum, ceteráque metalla essent admista: cuiusmodi metallum effodi ait ex visceribus terræ, siluarum incendio calefactis. Verùm negamus, id veteres *orichalci* nomine intellexisse: neque id probari potest e Lucretio, cuius se auctoritate tuetur Seruius. Quippe locis istis, vbi de mixtura istiusmodi ex siluarum incendiis tractat Lucretius, nulla planè *orichalci* mentio fit. Vide eum lib. v. versu cIↃ CCXLII. & seqq. Omnis erroris fons Grammaticis hisce fuit vitiosa pronuntiatio. Nam cùm Græcè sit ὀρείχαλκος, *orichalcum* dicere debuerunt: atque ita vsus Horatius, in Arte: *Tibia non vt nunc orichalco vincta*. Vbi, vt optimè ad Festum monuit Scaliger, *orichalci* nomine intelligendum, quod vulgò vocamus *latonum*. Id clarè docet Hesychius, cum dicit, esse ὕλην ὁμοίαν χαλκῷ, *materiam æri similem*. Quia vero æri simile fuit, quod Græcè χαλκὸς, & è *montibus* effoditur, qui Græcè ὄρη, inde est quod dixere ὀρείχαλκον, quasi *æs montanum*. Sed Latini, quemadmodum, Festo teste, pro *aurum* dixere *orum*, pro *aurata orata*: sic contra ex *osculor* fecere *ausculor*, ex οὖς quasi ab οὖτα, *audes*, posteáque *aures*, similitérque pro *orichalcum* quoque dixere *aurichalcum*. Vbi verò ea inualuit appellatio, inualuit simul opinio, esse *aurichalcum* ex *auro* & *ære* conflatum: vti nomen ipsum sonare videbatur.

Avres, priùs dictæ *Audes*. Indeque *Audicula* pro *Auricula* teste Velio Longo. Vide, *Audio*.

Avriga de origine ita Isidorus lib. XVIII. cap. XXXIII. *Auriga propriè dictus, quòd currum agat, siue quòd feriat iunctos equos. Nam haurit, ferit dicimus: vt, Latus haurit apertum*. Quibus verbis Isidorus duplicem proponit ἐτυμολογίαν: vna est, vt *auriga* dicatur quasi *curriga*, quia *currum agat*; altera, vt sit ab *aurire* siue *haurire*, h.e. *ferire*, quomodo Maronem vsum docet. Sed vtraque originatio satis dura, vt pleræque Isidori. Quare alij ita dici putant ab *agendo*, vnde & *agitator* dicitur, vt ibidem docet Isidorus. Alij etiam ex eo nomen accepisse putant, quod *auris* ac clamoribus populi *agat*. Ita Priscianus lib. XII. Sed nihilo hæc meliora istis Isidori. Paullò verisimilius, qui *auriga* dici volunt, quasi ὀρείγας, ab ὀρεὺς, quo vel *mulus sitnestris* significatur, vel generatim *mulus*, quia animal id præ aliis idoneum sit ad opera montana. Nam ὄρος, *mons*. Sed vera origo est ab *aureis*, quomodo vocantur τὰ ἡνία. Festus: *Aureax, auriga. Aurea enim dicebatur frenum, quod ad aures equorum religabatur: orias, quo ora coërcebantur*. De *aureax* quod Festus dicit, probatur etiam cùm veteri Glossario, tum Glossis Isidori, in quibus exponitur *iorarius*, & *eques solitarius*, vt omnino *aureax* ex horum mente sit, quem Græci ἡνίοχον vocant.

cant, Latini autem *singulatorem*: vt ex iisdem Glossis discimus. Sanè *auriga* quoque a Lucano in Catalectis ad Pisonem, pro equite tantùm accipi, censet Iosephus Scaliger.

Avrigo est morbus, inquit Germanis, ac Belgis, *geelsucht*. Sic dicitur ab *auri* colore, quem bilis toto diffusa corpore repræsentat. Græci recentiores similiter appellant χρυσίασμον: quod crebrum est apud Ioannem archiatrum. Alij scribunt *aurugo*: & rectius, vt puto: vt ab *auro* sit *aurugo*, quemadmodum a *ferro ferrugo*, ab *ære ærugo*. *Aurugo* quoque perscriptum apud Scribonium Largum, cap. cxxvij. Idem approbant Glossæ Philoxeni; in quibus legas: *Aurugo*, ἴκτερος. *Auruginosus*, ἰκτερικός. Si tamen vulgatam appellationem defendere animus est, dicendum eâ formâ dici, quâ à *rubore* est *rubigo*. Sunt & aliæ huius morbi appellationes. Celsus lib. iij. cap. xxiv. *Æquè notus est morbus, quem interdum Arquatum, interdum Regium nominant. Arquatus* vocatur à colore *arquus cælestis* æmulo. *Regius* dicitur ab Horatio epist. ad Pisones:

Vt mala quem scabiens, aut morbus regius vrget.

Caussam nominis docent hi versus Sereni Sammonici, capite lviii.

Regius est autem signatus nomine morbus,
Molliter hic quoniam celsâ curetur in aulâ.

Celsus quoque inter alia, quæ de morbi huius curatione ait, scribit in hunc modum: *Per omne verò tempus vtendum est exercitatione, frictione, si hyems est; balneo, si æstas, frigidis natationibus: lecto etiam, & conclaui cultiore, clauso loco, vti & ludis, lasciuia, per quæ mens exhilaretur. Ob quæ Regius morbus dictus videtur.* Hæc Celsus. Aliis placet regium dici, quod curaretur mulsi potione, quæ in regum erat delicijs. Mulsum sanè præscribit & Plinius lib. xxx. cap. xi. Græcè hic morbus vocatur ἴκτερος, & qui eo laborant ἰκτερικοί. Ictericorum appellationem retinet & Plinius lib. xx. cap. ix. Vnde appellatio sit, non conuenit. Aëtius lib. x. cap. xvii. tradit ἴκτερον dici ab animalculo, quod ἴκτις, hoc est, *viuerra* appellatur; esse autem mustelam siluestrem, quæ auricolores oculos habet. Eadem sententia Aretæi. At Plinius aliter, cuius hæc verba lib. xxx. cap. xi. *Auis icteros vocatur à colore, quæ si spectetur, sanari id malum tradunt, & auem mori. Hanc puto Latinè vocari galgulum.* Hæc Plinius.

Avrvm, vnde sit, docent hæc verba Festi: *Aurum*, inquit, *dictum quia præcipuè custoditur. Græcè enim αὔειν custodire dicitur. Hippocrates medicus* (Scal. rectè corrigit *Hypsicrates*) *de nomine inuentoris id dictum putat, quem vocitatum a.t. Aurum* (MSS. *Aurinum*) *quidam à similitudine auroræ coloris nomen traxisse existimant; nonnulli quia mentes hominum auertat* (Scaliger corrigit *auruncet*, id est, *auertat*; nam indifferenter dicebant *aruncus* & *auerruncus*, *auruncare* & *auerruncare*) *alij à Sabinis translatum putant, quod illi ausum dicebant.* Hæc Festus. Quinta est sententia Seruij, qui ad illud vi. Æn.

Discolor vnde auri per ramos aura refulsit:

Aura, inquit *id est, splendor. Hinc & aurum dicitur, à splendore qui est in eo metallo.* Idem tradit Isidorus lib. xvi. cap. xvii. Item Angelus Decembrius lib. iv. de politia liter. mem. xxxij. Sextum etymon, quod nulli eorum, quæ diximus, cedit, est Ioachimi Camerarij, qui, quinctâ decuriâ Etymologicâ, mem. iv. censet *aurum* ob igneum nitorem dici ab אור, i. *flamma, ignis*: vnde & Solem ab Ægyptiis *Orum* tradit appellari. Septimum etymon, quod sequor, est Iul. Scalig. qui sic de eo Exerc. lxxviii. *Est autem tota Græca vox, Aurora. Cuius postrema pars adhuc in vsu est Græcis ipsis, ὥρα; prior autem nobis tantum, Aurum: illis non nisi in composito, θησαυρός.* Et Exerc. cccxxv. tm. xij. *Aureus color à Græco vocabulo, quod desitum est: vnde Aurora. Compositum remansit θησαυρός, quod & alibi dictum est.* Et de causs. L. L. cap. xci. *Metallo & pretiosi dici parti: fulgoris nomen inditum est Græcâ voce αὖρον. Prisca enim est, quod testatur αὔριον, scilicet sequens mane, quod & Germani imitati sunt, & Hispani, & Itali.* Eadem sententia Iosephi filij in Coniectaneis: *Aurora*, inquit, *ab αὖρον; vnde ἄγχαυρον. Ἄγχαυρον κνώσσοντες ἀδελφειοὶ φάος ἠοῦς. Apoll. Sic Aurum, αὖρον. Nam remansit θησαυρός.* Idem tradit ad Festum in *Aurum*. Verba vtriusque adscripsi, vt eâdem pateat, vnde *aurora* nomen acceperit: nempe, non ab *aureo* colore, quod Varro scripsit lib vi. de L. L. (quem & Camerarius sequitur, loco antè citato) neque, quæ aliorum sententia est, ab *aura*, hoc est, ventulo, qui matutino tempore spirat: neque ab *aurum*, & *rosa*, etsi Homero ἠὼς dicatur ῥοδοδάκτυλος; neque quasi *aurea hora*: quæ duo etyma apud Fungerum legas: sed à priscâ Græcorum voce notante fulgorem, siue ea αὖρος fuit, siue αὖρον, quando & Latini sic vocant. Sanè ab alterutra est ἄγχαυρος, quo diluculum significatur, παρὰ τὸ ἄγχι ἢ πλησίον ἔχειν τὴν αὔραν ἢ αὖρον. Vbi αὔρα, non ventus lenior intelligi debet (etsi id senserit Suidas qui pro sententia sua adfert isthoc Homeri hemistichium, αὔρη δ' ψυχρὴ πνεῖ ἠῶθι πρό:) sed *aura* ibi notat splendorem: vt dicatur ἄγχαυρος, quia cælum tunc rutili & aurei sit coloris. A quâ τοῦ αὖρον notione etiam αὔριον venit, hoc est *cras*, quasi simul ac sol denuo cælum aureo fulgore suo cœperit lustrare. Similiter igitur *aurora*, quasi τὸ αὖρον ὥρας, *aura*, siue *splendoris tempus*: quemadmodum ex Cæsare Scaligero antè dicebamus. Ab *auro* quoque *aurata piscis*: de quo dicemus in *Orata*. Ab eodem etiam *Aurigo*, siue quod magis placet, *aurugo*. Sed & de hoc suo loco. Item *aurilegus*, & *aurilegulus*, qui aurum legit, seu colligit. Glossæ vett. *Aurilegulus*, χρυσολογεύς. In vet. Onomastico exponitur χρυσολόγος. Sed hoc potius orationem respicit: vt idem sit, ac χρυσόστομος. Itaque, vt Græcis Iohannes, Episcopus Constantinopolitanus, dictus *Chrysostomus*, ita è Latinis Petrus Rauennas vocatus *Chrysologus*.

Avscvlto ab antiquo *auses*, pro *aures*: quomodo & Papisij, Ausesij, Valesij, Fusij, asa, Lases, asena veteres dixere, quæ posteriores extulere per *r*. Varro ab *audiendo* deducit, lib. v. de L. L. *Ab audiendo*, inquit, *auscultare declinamus, quod hi auscultare dicuntur, qui auditis parent, à quo dictum poetæ, Audio, haut ausculto.* Poëtæ loco quem tangit Varro simile hoc Cæcilij.

Audire, ignoti quod imperant, soleo, non auscultare.

Et hoc Pacuuij:

Magis audiendum, quàm auscultandum, censeo.

Citat vtrumque Nonius in *Auscultare*. Ac Pacuuij locus etiam extat apud Cic. extremo i. de Diuinat.

Avspex, οἰωνοσκόπος, vt interpretantur Glossæ Philoxeni quasi *auispex*, ab *auibus*, hoc est, *videndis*, teste Festo, nempe quomodo *auceps* quasi *auiceps* ab *auibus capiendis* dicitur, vt addit Isidorus lib. x. Ab eius obliquo *auspicis* est *auspicium*, & *auspicari*: vt ab *aucupis*, *aucupium*, & *aucupari*. Ab *auspicium* verò est *auspicalis*. Eædem Glossæ: *Auspicium* οἰωνοσκοπία. *Auspicalis* οἰωνικός. Quemadmodum autem *aucupari* μεταφορικῶς ponitur pro solertia quadam quærere, & consectari: vt cùm legimus, aucupari syllabas, famam, rumusculos hominum: ita *auspicari* μεταληπτικῶς sumitur pro *inchoare*: vnde in iisdem Glossis, *Auspicatur*, ἐνάρχεται, ἄρχεται, *auspicium*, ἀρχή. Hoc loquendi genus inde originem cœpit, quòd veteres nihil publici, aut priuati, inciperent *inauspicato*. Ita inter alios erant *auspices nuptiales*. Eædem Glossæ: *Auspex pronubus*, παράνυμφος. Ad hos allusit Plautus, Casina, vbi de meretrice ait: *Vltro ibi nuptum, non manebit auspices.* Legas quoque apud Ciceronem in Cluentianâ: *Nubit genero socrus, nullis auspicijs.* Suetonius ait Sporum puerum Neroni nupsisse, dote inter *auspices* consignata. Meminit & Cicero libb. de Diuinat. *auspicij per acumina*, quod militare esse ait. Eo quid intelligatur, docet in epistolicis quæstionibus Cælius Calcagninus lib. i. ep. ii. Scribit Becmanus in Etymologico suo, quia gentium *auspicia* sunt Christianis abominatio, videri pijs hominibus voce hac penitus abstinendum esse, etiam cum μεταληπτικῶς accipitur. Non abstinuere tamen Ecclesiastici scriptores. Nam grauissimus auctor Tertullianus, sic vsus aliquoties de primo hominis peccato tractans. Vt Apologetici sui cap. xxii. *Sic malitia spiritualis à primordio auspicata est in hominis exitium.* Et lib. de Pœnitentia cap. ii. *Nam Deus post tot ac tanta delicta humanæ temeritatis à principe generis Adam auspicata.* Et lib. de Patientia cap. v. *Quid primum fuerit ille Angelus perditionis, malus an impatiens, contemno quærere, palam cum sit, impatientiam cum malitia aut malitiam ab impatientia auspicatam.* Et quomodo aliter interpretemur in hoc lib. de Corona militis, cap. i. *Ibidem grauissimas caligas posuit reuelare auspicatus?* Nam sententia est, Gloriosus ille in Deo miles exutâ lacernâ iam detegi cœperat. Vbi vides vt in re quoque laudabili ac piâ, hac voce vtatur. Quare non reformidem dicere, bellum aliquod ductu huius vel illius principis, auspiciis verò Regis, aut Illustr. Ordinum, gestum esse. Imo nec versum Horatij metuam hoc pacto παρῳδίζειν.

Nil desperandum Christo duce & auspice Christo.

Scio auspicem gentium, vbi ex auibus, deorum quasi nuntiis, felicem successum rei cognôrat, fuisse auctorem aliis, vt inciperent quod instituissent: atque hanc caussam esse, cur *auspex* pro auctore, *auspicium* pro initio, *auspicari* pro incipere, passim accipiatur. Verùm si omnibus iis vocibus abstinendum, quorum ortus à superstitione dependet, magnâ profectò cateruâ Latinarum vocum carendum erit. Sanè non pauci viri eruditi ipsi *Dei* vocabulum primo Ioui, ceterisque planetis impositum putant: nempe à perpetuo cursu siue motu. Nam θέειν *currere*, vnde θεοὶ dici censent. Quod si persuaserint, ipsa *Dei* voce in posterum fuerit abstinendum: quod nemo dixerit. Et fortasse hoc si verum, Christum non liceat dicere summum *Pontificem*: quia Romanis ea vox notârit abominandæ impietatis antistitem, cui id nomen à *ponte sublicio*, quem faciebat. Sed de hoc satis.

Avster, ventus est humidus ac calidus. Nec satis liquet, vtrùm

ab humore, an calore, nomen acceperit. Prius placet antiquis, nempe vt, *ab hauriendis aquis* quasi *hauster*, dicatur, vt Græcis νότος, διὰ τὸ νοτερόν. Ita Agellius lib. II. cap. xxij. & Isidorus lib. xiij. cap. xj. De *humore* testis Maro, I. Georg.

——Quid cogitet humidus auster.

Ac Horatio similiter *notus* dicitur *vdus*, Ouidio *aquaticus*, Claudiano *madidus*. Augustinus quoque scitè vocat *pincernam pluuiarum*; quemadmodum idem *Boream* eleganter nominat *terræ scopas*. Fortasse tamen propter *calorem* potiùs videatur dici, quasi αὐστής, ab αὔω, siue αὔω, id est, *sicco*, *vro*. Nam Hesychius αὔειν interpretatur ἀνάπτειν, idémque αὔειν exponit ξηραίνειν, φλέξαι. Sanè ventus hic ob æstum plantis plurimùm incommodat. Vnde Maro in Georgicis:

Arboribúsque satisque Notus pecorique sinister.

Imprimis autem flores torret atque interficit. Vnde idem in Eclogis:

Eheu quid volui misero mihi? floribus austrum
Perditus & liquidis immisi fontibus apros.

Et Statius Papinianus lib. III. Siluarum III.

Pubentesque rosæ primos moriuntur ad austros.

Eóque impensius hoc etymon placet, quia similiter ab αὔω est *austerus*, de quo nunc dicam.

AVSTERVS, à Græco αὐστηρός, quod idem notat. Cornelius Fronto: *Austerus Græcâ consuetudine: seuerus à sæuo.* Est verò αὐστηρός ab αὐστός, quod ab αὔω, hoc est, *sicco*. Non retinet quantitatem primogenij, vti nec αὖος, quod est *siccus*: vnde illud Heracliti philosophi, αὔη ψυχὴ σοφωτάτη, *sicca anima sapientissima*.

AVT, vult Angelus Caninius esse à Punico *au*, adiecto *t*. Quomodo Latini addunt *t* in tertijs personis: vt βρέμει *fremit*, τρέμει *tremit*, &c. Sed Iul. Scaliger de caussis L. L. cap. xxij. disiunctiuum *aut* deducit à Græco αὖτε; ac à disiunctiuo *aut*, censet esse negatiuum *haut*, quia nihil est negatio, quam prædicati à subiecto remotio ac disiunctio. Sed magis verisimile est haut venire ab οὐκ, quod κατ' ἀποκοπὴν fit. vel potius οὐδὲ, aut οὐδ'. Hinc *aud* vel conuersa media in tenuem, *aut*. Olim enim eodem modo, & disiunctiuam, & negantem particulam, scribebant: pòst, discriminis caussâ, pro negandi aduerbio scripsere *aud* vel *haut*. At frustra quidam vtrumque discrimen coniungentes scribunt *haud*.

AVTEM iuxta aliquos ab *aut*, vt *item* ab *ita*. Censeo potius venire ab αὖτις, quod eiusdem est significationis. Estque αὖτις, ab αὖτε ἄρ. ab αὖτις verò κατὰ συγκοπὴν fit αὖτις, quamquam Eustathius contrà censeat, αὖτις venire ab αὖτις.

AVTHENTICA scripta Iurisconsultis veteribus dicuntur quæ vulgo *originalia*: vti exemplum ijsdem, quod vulgo *opia*. Ita dicuntur ob auctoritatem quam habent. Nam αὐθέντης Græcis *auctor*, αὐθεντία *auctoritas*: vt Glossæ Philoxeni interpretantur. Hinc Ciceroni αὐθεντικῶς dicitur nuntiari, cuius auctor scitur. Vide l. x. ep. x. ad famil. Alias αὐθέντης, *homicida*, ὁ αὐτοχειρίᾳ φονεύς. Quod cùm non animaduerteret Iulius Firmicus, *auctorem* vertit, vbi *homicidam* dicere oportuerat. Vt lib IV. c. XV. *Faciet auctores, audaces, periculosos.* Vbi Græcè sine dubio erat, ποιήσει αὐθέντας, παραβόλους, παρακινδυνευτάς. Vide Scaligeri notas in barbaricam Manilij sphæram.

AVTHEPSA, vasis genus esse, patet ex hoc loco Ciceronis pro Roscio Amer. *Domus referta vasis Corinthijs, & Deliacis, in quibus est authepsa illa, quam tanto pretio nuper mercatus est, vt qui prætereuntes pretium enumerari audiebant, fundum venire arbitrarentur.* Verum cuiusmodi vasis genus fuerit, non aliunde, quam ex sola vocis origine cognoscere est. Viris quibusdam eruditis videtur esse ab αὖτε, i. *rursus*, & ἕψω, i. *coquo*: vt nempe intelligatur vas illud, quod in mensis solemus patinis supponere, ne cibi è iure refrigerentur. Sed communis magis opinio est, *authepsa* esse ab αὐτὸ, i. *ipse*, & ἕψω, vt propriè sit vas duos habens fundos, quorum inferiori igniculus superimponebatur, superiori, siue interiori, cibi, quos igniculo coqui volebant. Sanè appellatio satis accommodata, quia cum lebes siue olla huiusmodi ignem contineat, non indiget exterius foculo, eóque quasi per se cibos coquat. Qui audiere Patauij Lazarum Bonamicum superiorem Ciceronis locum enarrantem, aiunt, dixisse, Romæ aliquando à se vas non dissimile visum esse: quod tamen non constanter adfirmabat.

AVTVMARE, vnde Romanorum post Varronem doctissimus Nigidius Figulus deduxerit, docet Agellius lib. quincto decimo, cap. 3. *Inuenimus*, inquit, *in commentario Nigidiano verbum autumo compositum ex ab præpositione & verbo æstumo, dictúmque intercise, autumo quasi ab æstumo, quòd significaret totum æstumo, quasi abnumero.* Sed merito hanc Nigidij sententiam improbat Agellius. Verba eius sunt: *Quod sit cum honore multo dictum P. Nigidij hominis eruditissimi, audacius hoc argutiúsque esse videtur, quàm verius.* AVTVMO *enim non id solum significat, sed &* DICO, *&* OPINOR, *&* CENSEO, *cum quibus verbis præpositio ista, neque cohærentia vocis, neque significatione sententia conuenit.* Hæc Agellius. Quod ait *autumo*, notare *dico*, id è Pacuuio, Lucillio, Plauto comprobat Nonius. Ac in Glossis quoque Philoxeni legas, *Autumat*, λέγει. *Autumatori* δοκησισόφῳ. Verùm etsi Nigidij etymon improbat Agellius, verum tamen non ponit. Videtur autem *autumo* esse ab obsoleto *augeo*, quod videtur significasse, ad agendum aliquem meo consilio & auctoritate impello. Id colligo ex verbo *auctor*, quomodo vocatur is, cuius auctoritate aut sententia aliquid fit. Verum si hoc persuadere non possumus, proximum erit, vt dicamus, ab *auctor* fieri *autumo*, eliso *c*, quomodo & *autumnus* vulgo dicitur pro *auctumnus*. Ita *autumare* propriè erit *auctor sum*, quod valde conuenit cum interpretatione Agellij. Nam quid aliud est, *auctor tibi sum*, quàm *sic tibi agendum censeo ac dico?*

AVVS, vnde dicatur, quadrifariam ostendit Festus: *Auus patris matrísque pater; dictus à Græco vocabulo, quod est apud eos πάππος, mutatis quibusdam literis. Alij volunt, quòd ex ea voce appelletur, quòd apud eosdem Græcos τίτας* (Scaliger ex Callimacho legit ἄττα) *appellatur, significátque Magnum, cùm veluti magnus pater sit auus. Alij putant auum dictum esse, quia ad duos attineat, quasi adduum, vel quia ad patrem sit additus.* Hæc Festus. Ex his primam opinionem imprimis amplexus Nunnesius Valentinus. Quinctam quoque originem ponit Isidorus lib. IX. cap. v. *Auus patris pater est, ab auo dictus, id est, ab antiquitate.* Sextam septimámque commenti alij. Nam vulgo aiunt, *auus* dici ab αὖος, quod est. *siccus, aridus*: quia talis est ætas senilis: vel ab αὔω, quod est, *clamo, resono*, quia ætas illa impendio loquacior. Ex hisce etymis simplicissimum videtur illud Isidori. Verum hoc ipso magis arridet Cæsaris Scaligeri sententia lib. de caussis L. L. cap. xcv. deducentis ab ἀββᾶ, אבא, quod Chaldæis & Syris est *pater*. Arabes pro eo *Aba* dicunt. Hebræi אב, *ab* seu *au*. אבות, *aboth*, siue *auos* patres. Nec dubitandum, quin ab אב sit *auus*. Nec enim אב solum dicitur de *patre*, sed etiam de *auo*: vt Genes. XXXII. 10. *Dixit Iacob, Deus aui mei Abraham.* Vbi Hebraicè אבי אברהם. Quid mirum? quando & *auus* est pater. Nam & *auum* hoc nomine rectè censeri docet illud Virgilij, x. Æn.

Pilumnúsque illi quartus pater.

Et hoc Persij, sat. v.

——Quære ex me, quis mihi quartus
Sit pater.

Vbi intelligendus *abauus*. Nam *aui* parens *proauus*, qui quasi tertius pater; vt *abauus*, quartus. Sic & quinctum, sextumque patrem dicere possimus. Sed proprias secundum seriem appellationes docet hic Plauti locus Persâ, act. I. sc. II.

Pater, auos, proauos, abauos, atauos, tritauos,
Quasi mures semper edere alienum cibum.

Item hæc Seruij ad VIII. Æn. *Minores non dicimus, nisi quoties graduum deficit nomen, vt putà filius, nepos, pronepos, abnepos. Vbi isti gradus defecerint, meritò iam dicimus minores: sicut etiam maiores dicimus post patris, aui, proaui, abaui, ataui que vocabulum.* De eodem sic Isidorus, lib. IX. cap. v. *Proauus, aui pater est, quasi propè auum. Abauus, proaui pater, iam longè ab auo. Atauus, abaui pater. Tritauus, ataui pater, quasi tetrauus, id est, quartus supra abauum. Sed tritauus vltimum cognationis nomen est.* Hæc Isidorus. Porrò ex Isidori, & imprimis Plauti verbis, patet, mutilam esse Seruianam enarrationem, cùm post *atauum* putat appellationum seriem deficere. Sanè contra Seruium manifestè quoque est hic locus Paulli, l. vlt. D. de gradibus & aff. *Parentes vsque ad tritauum apud Romanos proprio vocabulo nominantur: vlteriores, qui non habent speciale nomen, maiores appellantur: item liberi vsque ad trinepotem, vltra hos posteriores vocantur.* Quod ad caussas nominum, patet ex Isidoro, *proauum* dici à *pro*, i. *ante*, quia ante auum: *abauum* verò, qui ab *auo*: quippe vnus inter eum, & auum, interiectus. Similiter Festus: *Abauus dicitur, quia abest ab auo, & est auus aui. Atauus* verò vnde dicatur, non indicat Isidorus. Festo videtur esse compositum à *tata* & *auus*, vt dicatur quasi *tatauus*: nisi fortè, vti censeo, pro *tata* apud Festum legi debet *ata* vel *atta*, quod ab Hebræo אבא, i. *pater*. Quippe ἄττα, vt Didymus scribit ad Odyss. O, est ἐπίφθεγμα προσηγορικὸν νεωτέρων πρὸς πρεσβυτέρους, *honorifica appellatio iuniorum ad senem.* Imò ipse Festus paullò pòst ait: *Attam, pro reuerentiâ seni cuilibet dicimus: quasi eum Aui nomine appellemus.* Mihi interea dubium non est, quin *atauus* dicatur ab *ad* & *auus*, vt recta ἐτυμολογία sit *adauus*: quomodo ea vox in melioribus codd. Iuris scripta inuenitur. Sanè vt *proauus*, & *abauus*, sic *adauus* quoque à præuerbio venire verisimile est. Par ratio in *atnepos*, & *atneptis*, pro quibus ἐτυμολογία requirit *adnepos*, & *adneptis*. Sanè posterior hæc scribendi ratio auctoritate Pandectarum Florent. confirmatur. Nec tamen damnem vulgarem

vulgarem scribendi modum. Nam vt in vett. libb. legas *haud*, & *haut*; *sed*, & *set*, similiaque sic etiam *adavus* & *atavus*, *adnepos* & *atnepos*, scripsisse. verisimile est. De *tritavus* appellatione non audiendus Isidorus, cùm dici censet, quasi τέταρτον, h. e. *quartum avum*. Nam si a Græco, cur non potius à τέτρα? Sed omnino vtraque compositi pars Latina est, diciturque *tritavus*, quasi *tritavus*: quomodo ea vox scribitur in Pand. Florent. vel quasi *tertavus*, h. e. *tertius avus*. Et sane suspicor, Isidorum, vel alium quempiam, quem secutus Isidorus, apud veterum aliquem legisse *tertavum*, vnde ipse fecit *tetravum*, falsa adiecta interpretatione. Ab *avus* quoque est diminutiui formâ factum *avunculus*, vt Adamantius Martyr scribit apud Cassiodorum, & Beda de Orthographia. Sed & ante eos sic de eodem scripserat Festus: *Avunculus matris meæ pater, traxit appellationem ab eo, quòd æquè tertius à me, vt avus est: sed non eiusdem iuris: ideóque vocabuli facta deminutio est, siue avunculus appellatur, quòd avi locum obtineat, & proximitate tueatur sororis filium.* Secutus eos Scaliger de caussis L. L. capite XCV. *Patris fratri, cum patrui nomen, quasi patrem alterum attribuerent, matris fratrem quasi remotiorem, pusillum avum appellarunt.*

AXILLA, non dubito, quin vel abiecto μ fiat à Græco μασχάλη, quod idem significat: vel ab Hebræo אצילה, *atzila*, quod similiter idem notat. Doctissimus tamen vir Isaacus Casaubonus, lib. II. de Satyra, cap. IV. putat, *axilla* non magis esse ab Hebræo illo, quàm Græcum Σωτὴρ ab Hebræo סותר, *soter*, i. e. *qui tegit*: etsi *protegere* sit *tueri* ac *seruare*. Nempe quia ἀναλογία clamat, Σωτὴρ esse à σώζω. Similiter, inquit, analogia docet, *axilla* esse diminutiuum ab *ala*. Vt nempe à *palo paxillus*, à *mala*, *maxilla*. Quæ ita esse & Ciceroni visum fuisse, addit. Sed memoria fugit summum virum. Contrarium enim docet Cicero in Oratore ad Brutum. Vbi ait, *ala* ἐκ συγκοπῆς fieri ex *axilla*, & itidem è *maxilla* esse *mala* è *palus paxillus*, & ita in aliis. Vide quæ hac de re disseruimus in *Velum*.

AXINOMANTIA, ἀξινομαντεία, ab ἀξίνη, *ascia*, *dolabra*, & μαντεία, *diuinatio*. Plinius lib. XXXVI. cap. XIX. *Gagate dicuntur vti Magi in ea, quam vocant axinomantiam*. Fuerit ea *diuinatio per ascias* seu *dolabellas*. Sed quid illa ad *gagatem*? Dalecampius ait, eam fieri, si *gagates* imponatur securi candenti. Sed hæc dicuntur sine auctore. Locum verò corruptum esse, indicat dissensus librorum. Sanè in aliquibus est *necyomantia*: vt antiqua Parmensi anni CIↃCCCCLXXIV. Salmasius legit *causinomantia*, vt καυσις intelligitur καυσις, hoc est, *ea quæ vruntur*. Sane de *gagate* sequitur apud Plinium: *& perire negant, si eventurum sit quod aliquis optet.* Sic κατοπτρομαντεία, quæ fit per κάτοπτρον, i. e. *speculum*. Meminit eius his verbis Spartianus in Didio Iuliano: *Carmina profana incantauerunt, & ea, quæ ad speculum dicuntur fieri, in quo pueri præligatis oculis, incantato vertice, respicere putantur.* Vide quæ ibi Casaubonus fusè annotauit.

AXIOMA, ἀξίωμα, ab ἄξιον, *dignum*. Propriè enim sic vocatur eiusmodi pronuntiatum, cui quiuis consentit, qui id audierit, nec probationem vllam requirit. Sed generatim pro quouis pronuntiato sumitur: vt Donatus non vno loco testatur, ac Cicero ipse sæpius vsurpat. Possis & generalem hanc notionem deducere ab ea significatione verbi ἀξιόω, quo notat, *putare*, *opinari*. De *axiomatis* voce, & quomodo verti debeat Latinè, déque eius generibus, vide eleganter dissertantem Gellium, cap. XVI. Att. Noct. cap. VIII.

AXIS, non solùm id esse, circa quod rota vertitur, cum Festus dodocebit in *axis*, tum vel fidem fecerit hic locus Vitruuij, l. IV. cap. II. *Trabes enim supra columnas, & parastatas, & antas ponuntur: in contignationibus, tigna, & axes*. Nec minus latè patet Græcum ἄξων, vnde Latinorum *axis* descendit. Quippe ἄξονες quoque Athenis dicebantur tabulæ, quibus erant incisæ leges ciuitatis. Nam Solonis leges incisas fuisse ἐν ξυλίνοις ἄξοσι, tradit Plutarchus in Solone. Eóque respexit Horatius in arte, cùm ait:

——Leges incidere ligno.

Neque nescio, Pollucem scribere, ἄξονας fuisse χαλκοῦς, id est, *æreos*. Verùm cum Plutarcho, præter alios, est quoque Agellius, qui sic de eo, lib. II. cap. XII. *In legibus Solonis illis antiquissimis, quæ Athenis axibus ligneis incisæ sunt, quásque latas ab eo Athenienses, vt sempiterna manerent pœnis & religionibus sanxerant, legem esse Aristoteles refert*, &c. Vbi veteres libri pro *axibus* habent *axeribus*. Rectè sanè. Nam (quemadmodum ad Festum, in *Asseres*, monet Scaliger) veteres, vt *sus sueris*, *bonus boneris*; *nucis*, *nuceris*: *louis loueris*: sic & *axis*, *axeris*, dixerunt. Ab more eo axibus inscribendi leges, profluxit vox *axare*, pro *nominare*. Festus: *Axare, nominare*. Glossæ Philoxeni: *Anaxant*, ὀνομάζουσι. Vbi malim. *Adaxant*, vt propriè signet, ad axem, siue asserem, siue tabellam, decretum aliquod adscribo, vt publicitus innotescat. Literarum tamen ordo requirere videtur, vt *anaxant* retineamus, cùm legatur inter ea quæ *n* habent post *a*. Porrò pro *axis* in quibusdam libb. scribitur *assis*, vt in illo Plinij, lib. XXXVI. cap. V. *Quernísque axibus contabulare*: quomodo & in veteri Parmensi est: quidam habent, *assibus*. Idem in Columella, aliorúmque locis, tacitum. Nec damnandum, quando similiter compactio assium siue axium, quibus cœnacula ad pauimenta sustinenda sternuntur, *coassatio* vel *coaxatio* vocatur. Ita in antiquis Vitruuij codd. lib. IX. cap. II. nunc *coaxatio* legas, nunc *coassatio*. Prius est in Florentina anni MCCCCLXXXVI. alterum in Florentina anni CIↃIↃXXII. Apud Plinium quoque lib. XXXVI. cap. XXV. vbi in vulgatis *coassationes*, in vett. fuit *coaxationes*: quemadmodum quoque argumento est, quod pro eo in Parmensi anni MCCCCLXXVI. *taxationes* corruptè editum est. Imò similiter ab ipsa *assium* seu *axium* voce, & *assamenta* dixere, & *axamenta*: vnde est quod Scaliger in Coniectaneis velit, *assamenta* esse ab *assare*, quod interpretatur, *in vnum solum hominem poëma condere*: idem verò ad Festum velit, *axamenta* dici ab *axare*, id est, *nominare*, qua de notione ex Festo, & Glossis, paullò ante diximus: vel, quod ibidem addit, ab *axibus*, quod inscriberentur Græcorum leges ἐν τοῖς ἄξοσι, quemadmodum superius retulimus. Verùm omnino postremum etymon prioribus, meo iudicio, verius certiúsque est. Nam quòd vir magnus scribit ab *assus*, id est, *merus*, venire *assare*, id est, *primum*, *& in vnum aliquem, carmen componere*, indéque *assamenta* dici eiusmodi carmina: eóque nomen id etiam Statianis Siluis magna ex parte competere: id non video, vnde probari possit: non quidem ex Festo, qui non aliud docet, quam hymnos in singulos Deos, à nomine Dei vocatos, Ianualios, Iunonios, Mineruios: sed eos, qui in homines vniuersos componebantur, *axamenta* nominatos: neque item ex vett. Glossis, quando *axamenta* interpretentur, ὕμνοι ἐπὶ θυσιῶν Ἡρακλέους; vnde non aliud exterebrare est, quàm *axamenta* dici versus, quæ canebantur à Saliis in sacrificiis quæ Herculi fiebant. Quippe Maronem, & alios secutus, Herculi Salios tribuit Glossographus, non Marti.

AXUNGIA ab *vnctione* dici, tradit Isidorus lib. XX. cap. II. nempe ita dicta, quod ea curruum axes vngantur, vt faciliùs circa eos voluantur, breuique tempore maius conficiant spatium: Plinius lib. XXVIII. cap. IX. *Antiqui maximè axibus vehiculorum perungendis ad faciliorem circumactum rotarum vtebantur, vnde nomen*. Martialis lib. II. epigr. LXXVIII.

Cosconi, qui longa putas epigrammata nostra,
Vtilis vngendis axibus esse potes.

Glossæ Philoxeni: *Axungia*, λίπος ᾧ ἀλείφουσι τοὺς ἄξονας χοίρειον. Hinc Græcorum ἀξούγγιον, quo præter alios vtitur Dioscorides, lib. III. cap. CIV. Glossæ Cyrillo tributæ: Ὀξύγγιον, *arbina*, *vnguen*, *vnguina*. Falsus Hermolaus Barbarus, cùm deducit ab ὀξὺς, ac nunc *poscam*, nunc *aceti fecem* interpretatur. Nam, cùm eo solum recentiores Græcorum vtantur; manifestum est, non *axungia* esse ab ὀξύγγιον, sed ὀξύγγιον à Latino *axungia*. Imò & ἀξύγγιον dixere: quod legere est apud Phæmonem, in Cynosophio, capite VIII. & in Constitut. Alexij Comneni.

A Z.

AZYMUS *panis*, ἄζυμος ἄρτος, *panis fermenti expers*, apud Athenæum lib. III. Et *azyma*, apud Iudæos festum erat Pascha præcedens, quo fermentatis abstinebant. ἑορτὴ τῶν ἀζύμων, Luc. cap. XXII. vers. I. & Act. Apost. XII. 3. Sed κατὰ μεταφορὰν ponuntur *azymus* & *azyma* pro *sincero*: vt, I. Co inth. v. 8. Est ἄζυμος ab α στερητικῷ & ζύμη, h. e. *fermentum*. Ζύμη verò (vt inter alia etyma docet Etymologici Magni auctor) dici videtur, quasi ζέμη, à ζέω, i. e. *ferueo*; quâ ratione ζύμη est à ζέω. Pro hoc etymo est, quòd Isidorus lib. XX. cap. I. similiter Latinis ait à *feruendo*, *fermentum* dici, quasi *feruimentum*, nempe quia massam in quâ continetur, quasi *feruefacit*, & attollit; turgidámque reddit. Idem consumat, quod Plato inter ζύμωσιν & ζέσιν non distinguens, definit eam τὸ ...... ἐκ τοῦ ......, quorum verborum mens est, *fermentationem* esse motum in terreno crassóque corpore, quo id in tumorem leuiter attollitur, conceptóque aëre inflatur ac distenditur. At non puto audiendum Angelum Caninium, vel Petrum Nunnesium, qui *fermentum*, deducit à φύραμα, quasi non aliud sit ζύμη, *quâ fermentat*; aliud, φύραμα, *quod fermentatur*. Est enim φύραμα, *massa* ad panificium *macerata subactáque*, à φυρᾶν, quod est, *macero*, *subigo*. Priori ad Corinth. cap. V. vers. VI. οὐκ οἴδατε ὅτι μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ; ἐκκαθάρατε οὖν τὴν παλαιὰν ζύμην, ἵνα ἦτε νέον φύραμα, καθώς ἐστε ἄζυμοι. At Græcum ζύμη possis & κατὰ μετάθεσιν deducere ab Hebræo חמץ, quod notat, *fermentari*, vt videre est Exod. XII. vers. XXXIX. & Hos. VII. IV. Imò, vt Hebræa vox interdum ponitur

pro *excandescere, exacerbari, irasci*: vt Ps. LXXII. siue al. LXXIII. vers. 21. sic & apud Latinos *fermenti* vox ad eundem transfertur adfectum: quomodo Plautus, Mercat. act. V. sc. III. de iratâ vxore ait, *Tota in fermento iacet*. quia nempe animus irâ tanquam fermento & acescit & turgescit. Posterius respexit Pers. sat. III. cum ait:

——*Turgescit vitrea bilis.*

Et Cicero ex Homero, lib. III. Tuscul. quæst.

Corque meum penitus turgescit tristibus iris.

Imò aliis quoque affectibus accommodari, docebit illud Prudentij.

Cùm fermentati turgescant mores.

B A

Babæ, *βαβαί*, vsus Plautus, Pseud. act. I. sc. III. sed vsitatius pro eo est *papæ*: à παπαῖ, quod apud Lucianum legas, pro βαβαί. Auenarius, Becmannus, alij, censent esse ab אבוי. Sed metuo, ne obstet diuersa significatio. Nam illa admirantis sunt, hæc, abominantis, maléque minantis, particula est: vt liquet Prou. XXIII. 29. Itaque non dubito, quin אבוי, sit Græcum οὐαί, vnde Latinorum *væ*. Nisi malis οὐαί, ac *væ*, esse ab Syro וי, vel Hebr. הוי: quod idem.

Bacar, Festo exponitur, *vas vinarium, simile bacrioni*. De *bacrione* autem mox subdit: *Bacrionem dicebant genus vasis longioris manubrij: hoc alij trullam appellant. Bacar*, siue *baccar*, fortasse à *Baccho*. Nam vinarium erat vas, vt vidimus. In Glossis Philoxeni ἀμφῶν est, *Bacar* (leg. *Bacar*) εἶδος ἀγγείου. In Glossis autem Isidori. *Baccarium, vas aquarium*. Item, *Bacario, vrceoli genus*. Vbi perperam, *Bagario, vrceoli genus*. A *bacario*, τῷ συγγενεῖ, *bacrio* de quo iam vidimus è Festo. A *bacar* est Belgicum *beker*, quod *calicem* notat. A *baccario* vel *bacarione* vase, etiam *aquarij* siue *aquarioli*, hoc est, meretricum ministri, dicebantur *bacariones*, quasi *bacario* seu *bacarione aquam* ijs *ferentes* ad eluendas partes Veneri sacratas. Glossæ vett. *Bacario*, πορνοδιάκονος.

Bacca, Græcè ῥάγος, de minuto & rotundo dicitur fructu, vt non conueniat pomis, quæ maiora. Vnde Plinius distinguit lib. XV. cap. XXVIII. *Quæ baccæ naturæ & pomi*. Oliua baccas habet. Vnde Maro:

——*Teritur Sicyonia bacca trapetis.*

Hac de voce sic Perottus: *Bacca non deducitur à Baccho, sed primogenium est. Significat minutiores arborum fructus, vt sunt lauri & oliuæ, à quorum similitudine gemmæ quoque & lapilli baccæ vocantur.* Sed primogenium non est, si propriè de fructu mori dicitur. Sanè Hebræis בכא, dicitur *morus* arbor, quæ & *sycaminus*. A *baccis*, h.e. margaritis, est *baccatum*, quod Græcè ῥαγωτόν. Nam *bacca*, ῥάγος, vt dictum.

Bacchari, etsi de cunctis piæ ita vel alio adfectu furentibus, atque adeò de ventis etiam dicatur; tamen proprium est *baccharum*, quæ tertio quoque anno cum thyrso conueniebant: magnóque cum vlulatu Orgia celebrabant. Locus, vbi bacchæ bacchatentur, *bacchanal* dicebatur. Isidori Glossæ: *Bacchanal, sacrarium Liberi patris*. Eò adlusit Plautus, Aul. act. III. sc. I. *Neque ego vnquam, nisi hodie, veni in bacchanal coquinatum*. In vett. quibusdam libris est *bacchinal*. Nempe vtroque modo dixere, vt, *Fontanalia*, & *Fontinalia*.

Baculum putatur *Bacchus* inuenisse, quò vino grauati hoc se sustentarent: & hinc nominis quoque caussam arcessunt. Isidorus lib. XX. cap. XIII. *Baculus à Baccho, repertore vitis, fertur inuentus, quò homines moti vino inniterentur.* Hoc etymon amplexus quoque Perottus. Sed melius Iouianus Pontanus, fol. CXXXIII. edit. Ald. ob affinitatem literæ *b* & *v* consoni, *baculum* censet prius fuisse *vaculum*, vt ita dictum sit, quod infirmiores, eo in viâ innitantur, séque sustentent. Próque hac sententia est, quod, vt mox dicam, *imbecillem* dicimus pro *infirmo, languido*. At hoc ipso Pontani etymo magis arridet sententia viri docti, qui notis in X. cap. Matth. censet esse ab Hebræo מקל, *makel*, quod hâc ipsâ significatione legitur Genes. XXXII. 10. Exod. XII. 11. 1. Sam. XVII. 40. Verùm omnium simplicissima verissimáque videtur sententia Angeli Caninij, qui censebat, esse à βάκτρον, conuerso ρ in *l*, quomodo ab ἄκρος est *aquilo*. Βάκτρον autem dicitur παρὰ τὸ βαίνειν, quomodo & ῥάβδος dicta existimatur παρὰ τὸ ῥᾷον ποιεῖν βαδίζειν. A *baculo*, est *vacillo*, si Nonium audimus. *Vacillare*, inquit, *est trepidare, vel cum lassitudine niti, à senibus, qui sunt æuo defessi, atque ad sustinendam lassitudinem baculo grauitatem leuant.* Sed hac de voce fusius dicemus suo loco. A *baculus*, est *imbecillus*, siue *imbecillus*, quia nempe baculo innitatur, qui infirmis sit pedibus. *Imbecillus* dixit Attanius apud Nonium in *Vescus*: & Sallustius initio belli Iugurthini. Mirum autem, cum prima in *baculus* sit correpta, secundam in *imbecillus* produci ab Horatio, lib. II. sat. VII.

Badius color in Glossis Philoxeni exponitur χαλκοειδής. Meminit apud Nonium Varro Ὄνος λύρας *Equi colore dispares: hic badius, iste gilvus, ille murinus.* Palladius, lib. IV. cui index *Martius*, Tit. XIII. *Colores hi præcipui, badius, aureus, albineus, russeus, murteus* &c. De etymo sic Isidorus, lib. XII. cap. I. vbi de equi coloribus inter alia ait: *Badium antiqui vadium dicebant, quòd inter cetera animalia fortius vadat.* Subiicit deinde Isidorus, *badium colorem* esse eundem, qui *spadix*, aut *phœniceus* dicitur. Qui cuiusmodi sit, docet Agellius lib. II. cap. XXVI. *Spadix*, inquit, *pœnicei* συνώνυμος, *qui factus Græcè noster est, exuberantiam splendorémque significat ruboris, quales sunt fructus palmæ arboris non admodum sole incocti, vnde spadicis & pœnicei nomen est. Spadica enim Dorici vocant auulsum è palma termitem cum fructu.* Porrò ex horuncce duorum scriptorum locis hoc pacto verum *badij coloris* etymon suspabimur. Ait Isidorus *badium* eundem esse colorem ac *phœniceum* ac *spadicem*. At vt φοινίκεος, siue *phœniceus*, dicitur à φοῖνιξ, quo palma & eius termes, & fructus signatur idque, quia color ille refert palmæ fructum: ita & constat, *spadicem colorem* sic dici à σπάδιξ quomodo vocatur κλάδος seu ῥάβδος φοίνικος, *ramus palmæ*, vt Pollux exponit. Gellius ad etymon respiciens (est enim σπάδιξ à σπάω, siue potius, si id quidem in vsu, σπάζω, hoc est, *traho, auello*) interpretatur, auulsum è palma termitem cum fructu. Atqui βάϊς quoque ab Hesychio exponitur ῥάβδος φοίνικος; & Etymologus itidem βαΐον interpretatur κλάδον φοίνικος. Ac Glossæ similiter. *Palma*, χείρ, βαΐς, φοῖνιξ. Vt omnino idem sint σπάδιξ & βαΐς siue βαΐον. Nec obstat, quòd Euangelista Ioannes, cap. XII. dicat, ἔλαβον τὰ βαΐα τῶν φοινίκων. Nam id simile est ei, quod apud Herodotum est σκύλακες λέοντος, & apud Lucretium, *scymnique leonum*, cùm tamen σκύμνοι propriè dicantur ἔκγονα leonum: vt testatur Pollux. Nempe id eo factum, quia voces hæ aliquando latius vsurpantur. Atque hoc eò maiori fiducia dicimus, quia & Hieronymus, lib. II. aduersus Iouinianum, dicat, *palmam* in Ægypto βαΐα appellari. Concludimus igitur, quâ ratione à σπάδιξ, quod *palmæ ramum* notat, *color puniceus* dicitur *spadix*: sic à βαΐς, quod ipsum quoque *palmæ ramum* notat, eundem *colorem puniceum* nominari *badium*. Nempe à βαΐς est βαΐδιος & βάδιος, vt à δαΐς δαΐδιος & δᾴδιος. A βάδιος verò *badius*. Imo ab eodem *balium* colorem dictum contendo: nec alium eum esse, quam *badium*. Nam δ mutatum in *l*: vt ab Ὀδυσσεύς, *Vlysses*: ab δάκρυμα, *lacryma*: à δαήρ *leuir*, &c. A *balius*, est ὑποκοριστικὸν, *baliolus*: quod Afrorum cognomen à colore. Plaut. Pœn. a. V. sc. V. *Non pudet puellam amplexari baliolum in media via.* Vbi *baliolum* vocat Hannonem Pœnum.

Bæticus color, qui & *Hispanus*, ita à *Bætica* Hispaniæ regione appellatur. Antonius Tylesius, libello de coloribus, ita ait *colorem pullum* vocari, propterea quod in Bætica coloris eius lanæ tingerentur. Atque addit, eundem similiter *Mutinensem* dictum à *Mutina*, Galliæ Cisalpinæ oppido. Arbitror potiùs, *Bæticum*, & *Mutinensem*, dici, quia color is locis ijs natiuus foret. Atque idem voluisse videtur Cæsar Scaliger aduers. Cardan. Exercit. CCCXXV. mem. XII.

Bætulus, Græcè βαίτυλος. Priscianus lib. V. *Abadir Deus est; dicitur & hoc nomine lapis ille, quem Saturnus dicitur deuorâsse pro Ioue, quem Græci βαίτυλον vocant.* Hesychius: Βαίτυλος, οὕτως ἐκαλεῖτο ὁ δοθεὶς λίθος τῷ Κρόνῳ ἀντὶ Διός. Etymologus: Βαίτυλος δὲ ἐκλήθη ὁ λίθος, ὃν ἀντὶ Διὸς ὁ Κρόνος ἔπιε. *Abadir* igitur siue *bætulum* intelligit Hesiodus cùm in Theogonia ait: Τῷ δὲ σπαργανίσασα μέγαν λίθον ἐγγυάλιξεν. *Huic autem, Saturno nempe, fascijs inuolutum magnum lapidem in manus dedit.* Et Lactantius, cum, lib. I. institut. cap. XX. sic scribit: *Quid, qui lapidem colunt informem atque rudem; cui nomen est Terminus? Hic est, quem pro Ioue Saturnus dicitur deuorasse: nec immeritò illi honos tribuitur. Nam cum Tarquinius Capitolium facere vellet, eóque in loco multorum Deorum sacella essent: consuluit eos per auguria, vtrum Ioui cederent, & cedentibus ceteris, solus Terminus mansit. Vnde illum Poeta, Capitoli immobile saxum vocat.* Sed de origine vocis videamus. Etymologus deducit à βαίτη, quod idem ac διφθέρα, h.e. *pellis* siue *corium*: quia nempe ἡ Ῥέα λίθον βαίτῃ αἰγὸς σπαργανώσασα τῷ Κρόνῳ δέδωκε, h.e. *Rhea lapidem pelle caprinâ inuolutum, &* (vt cum Celso & Spartiano loquar) *fasciatum, Saturno dedit.* Sed magis arridet sententia Ios. Scalig. qui vult, morem inungendi lapides, cepisse originem ab eo lapide, quem vnxerat Patriacha Iacob in Bethel, vt legimus Genes. XXVIII. 18. 19. indéque lapides huiusmodi, vocatos βαιτύλους. His adde quæ eruditè de cultu huiusce lapidis notat idem, animaduers. Eusebian. ad annum MMCXLVIIJ. pag. 188. & 189.

Baiulo, forte prius fuit *baio*, vt, *tolero*, à *tolo* siue *tollo*. *Baio* τῷ συγκοπῇ ex βαστάζω. Nam ζ in ι abire solet, vt ζυγός, *iugum*. Vel κατ' ἀντίθεσιν erit ab Hebræo סבל, *portauit, baiulauit*: vnde סבל, *baiulus*. Vel à פעל, *operatus est*.

Baiulus est, qui proprio gestat corpore. Perottus putat esse à *Baiis*, oppido iuxta Lucrinum sinum: nempe quod propter aduenas eo confluentes, multi ibidem *baiuli* forent. Alij deriuant à βαιὸς, *paruus*: quia minora leuioráque gestantur, grauiora vehuntur. Nunnesius in Grammatistice censet esse à βαστάζω. Gloss. *Beolas* (l. *baiulas*) βαστάζει. Sed nihilo propius accedit ad βαστάζω, quam ad Hebræum סבל, *portauit*. Martinius censet, omnino esse à פעל, *operari*, vt idem propriè sit ac ἐργάτης. Infimæ ætati *baiulus* vocabatur ὁ τροφὸς, *nutritor*, qui & *pappas*. Vide Scaligerum ad Eusebij annum DCCXXXVI. siue pag. 39. a.

Balaena inter Oceani belluas à Plinio quoq; recensetur, l. XXXII. cap. XI. Isidorus, lib. XII. cap. VI. ait, ita dici, à βάλλειν, id est, *iacio*, *emitto*: nempe quia altius alijs maris bestijs vndas iacit. Sed est à φάλαινα, conuersâ adspiratâ in mediam. Festus: *Balana nomen à Græco descendit; hanc illi φάλαιναν dicunt antiquâ consuetudine, quâ πύῤῥον burrum, πύξον buxum dicebant. Balanam bellnam marinam, ipsam dicunt esse pristim, id est, cetum.* Sic postrema verba rectè restituit Scaliger. Dictam φάλαιναν putat Becmannus ab Hebræo בלע, quod est, *absorbere*, *deglutire*. Φάλαινα quoque dicitur insecti genus, quod Plinio *cicindela* & *lampyris* vocatur. Nicander in Theriacis:

———φαλαινα ... λύχνων
... παραΐσσουσα.

Quem ad locum Scholiastes alia quoque huius animalculi nomina recenset, atque inter alia ait, φάλαιναν esse Rhodiorum vocabulum, qui sic appellent *animalcula circum lucernas volitantia*. Itaque & sic dici putant, παρὰ τὸ εἰς φῶς ἅλλεσθαι.

Balanus, βάλανος, *glans*, ex eo nomen accepisse videtur; quia propriè *fructus* est *quercus*. Nempe vt compositâ voce dicatur quasi בלון, *belon*, id est, *in quercu*. Eo magis autem à Phœnicibus & Hebræis profecta ea vox videtur, quod, vt Martinius obseruat, apud Plinium legatur, lib. XIII. cap. IV. *In aliqua parte Phœnices, Cilicesque, populari etiam nomine à nobis appellantur balani*. Hinc *myrobalanus*, μυροβάλανος, *glans vnguentaria*, ex μύρον *vnguentum*, & βάλανος *glans*. Itaque sic ... Martialis in Apophoretis, dist. LVII.

Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus,
Hoc ex vnguento constat, & ex balano.

Plinius lib. XII. *Myrobalanum Troglodytis, & Thebaidi, & Arabiæ, quæ Iudæam ab Ægypto disterminat, commune est, nascens vnguento, vt ipso nomine apparet.* Significat nomen huic *balano*, siue *glandi*, ab *vnguento* esse impositum, quia ex ea fieret oleum, cuius vsus esset in pretiosissimis vnguentis. Simile est apud Plinium *Phœnicobalanus*, vt Dioscoridi φοινικοβάλανος, quasi φοίνικος βάλανος, *palmæ glans*: non, vt putant aliqui, quasi φοινικὴ βάλανος, *glans punicei coloris*.

Balare, est à sono vocis factum, vt rectè scribit Charisius, l. IV. & Festus, in *Barrire*. Alijs placet, esse à Dorico βλάχειν pro βληχᾶν. Romani enim in multis imitati sunt Dores: vt scribit Halicarnassensis. Belgæ, communem linguam secuti, *bleeten* dicunt. Sed in ... parum refert, vtrum dicamus, gentes plures in vocabulis suis vocis sonum imitatas, an gentis vnius vocem ex alius vocabulo formatam, quæ prior vocis sonum expresserit. Quod si etiam vnum ab altero longiùs abeat, minimè dubitandum, quin vtraque gens sonum exprimere conetur, sed diuersimodè id interdum fecerint. Hæc caussa est, cur non assentiam Cælio Rhodigino, qui, lib. XXV. cap. I. à μηλα censet esse *balare*, μ in *b* transeunte: quod & censet discipulus eius Cæsar Scaliger, de caussis L. L. cap. XXIIX. ac Petrus Nunnesius in Grammatistice. Porrò ex voce βλήχειν satis paret, ἦτα non sonuisse olim ι, sed ε longum: quod ipsum etiam paret ex voce μηκᾶν, quæ & ipsa vox à sono facta, etsi aptum magis βελᾶν futurum fuerit, quam μηκᾶν. Nam βῆ μιμητικῶς τῆς τῶν προβάτων φωνῆς, vt Eustathius scribit, atque illo Cratini probat, quod est apud Ælium Dionysium: Ὁ δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βῆ, βῆ, λέγων βαδίζει. Vide, si voles, quæ de voce βλήχειν Ioannes Checus respondit primæ epistolæ Stephani, Vvintoniensis episcopi.

Balatronis voce vsus Horatius lib. I. sat. II.

Mendici, mimæ, balatrones.———

Quem ad locum sic vetus interpres: *Balatrones, luxuriosos ac perditos vocat, à Seruilio Balatrone, cuius in secundo libro meminit. Ex huius autem vita nomine simili vita homines balatrones sunt appellati; à balatu forsasse dicti, qua vox intorta est & ridicula. Legitur & barathrones, qui bona sua deuorando, quasi in barathrum mittunt. Iidem & blatrones propriè dicti sunt, à blattendo, id est, stultiloqui.* Hæc ille. Primum autem etymon probare non possumus. Nec enim *balatrones* id nomen habent a *Seruilio*, sed *Seruilius* potiùs id nomen accepit quod nihili homo foret, ac decoctor meus. Nec magis placet, à *balatu* ita dictos. Quod si foret, ita vocarentur propriè *locutu*-*li*: & *blaterones*, quod falsum est. Verisimilius est tertium etymon, vt *bonorum gurgites* ita vocentur: quia sunt

Ingluuies & tempestas, barathrumque macelli:

vt loquitur idem Horatius. Sanè *barathrum* Athenis locus erat immensæ profunditatis. Sed καὶ μεταφορικῶς sumitur à Plauto pro *stomacho*. Inde igitur *decoctores* dicti *barathrones*, quia cuncta conderent in *barathrum*, hoc est, *stomachum*. Quod autem addit Horatianus interpres aliter dici *blaterones*, id satis refellitur iis, quæ diximus. Est & aliud *balatronum* etymon apud Festum: ex cuius verbis cognoscitur. *balatrones ita dictos* videri, à vocabulo *bulla*, siue (vt MSS[1] habent) *balla*, aut simili, significante *lutum, quod ex itinere adhæret, siue quod de calceamentorum soleis raditur*. Iuxta hanc sententiam *balatrones*, non tam fint *decoctores*, quàm *homines nihili*. Sanè pro *flagitioso* vsurpat Varro, lib. II. de R. R. cap. V. *Videte iam vos*, inquit, *balatrones, & hoc auferam meum corium, & flagra.* A *balatronis* voce est, quod Italis homines nequam *balatroni* & Gallis *belistres* dicuntur.

Balbus, à *balando*, si credimus Isidoro lib. X. Nunnesius in Grammatistice deriuat à ψελλὸς, *balbus*, vt ψ in *b* abeat. Aliis placet, esse à βαμβαίνω, *inarticulatè loquor*, *balbutio*. Vnde *infans* Italis *bambino*. Vel à βαμβαλίζω, *præ frigore dentibus crepito*, quod qui facit, etiam verba confusè profert. Mihi *balbus* effictum videtur à sono, vti & verba βαμβαίνειν, & βαμβαλίζειν: nisi hæc à βάζω esse malis, quod est, *loquor*. A βαμβαλίζω est *bambalio*. Cicero Philipp. III. *Tua coniugis, bona femina, atque locupletis quidem certe, bambalio quidam pater, homo nullo numero: nihil illo contemtius, qui propter hæsitantiam linguæ, stuporémque cordis, cognomen ex contumelia traxit.*

Balista, siue potius *ballista*, ἀπὸ τοῦ βάλλειν, id est, *iaciendo* quod iis iacerent lapides. vnde Græci λιθοβόλους, & πετροβόλους, & ὄργανα πετροβολικὰ nuncupant. In Glossis Philoxeni est, *Ballista*, Σφενδόνη μάγγανον πολεμικόν. Vides hic vocari *manganum*, quo vocabulo vsi posteriores. Et inde *manganica*, etiam Cedreno, Βαλίστρη ἐστὶ τὸ μαγγανικὸν λίθων. Vide Lipsium Poliorceticon lib. III. dial. III.

Balneum, à βαλανεῖον, quod simplex deriuatum est à βάλανος, id est, *glans*: iuxta alios autem compositum ex βάλανος & ἀνία, quod Hesychius exponit ..., ... Caussa nominis est, quod veteres, qui βαλανευταὶ erant, putamina glandium soleant succendere. Auctor Suidas. Etymologo placet, sic dici, παρὰ τὸ τὰς βάλλειν τὰς ἀνίας, *quod pellas ex animo dolorem ac tristitiam*. Quod etymon & B. Augustinus adfert lib. IX. Confessionum: *Visum etiam mihi est, vt irem lautum, quod audieramus, inde balnei nomen inditum, quod anxietatem pellat ex animo.* Sanè medentur balneæ lassitudini: vnde Plautus, Mercatore:

Nunquam adepol omnes balnea mihi hanc lassitudinem eximent, &c.

Athenæus quoque lib. I. *balnea* idcirco vocat ἄκη πόνων ... Sane lotione animus exhilaratur, quia crassus ac melancholicus humor eâ temperatur. De balneis, eorum partibus, lotione, vnctionéque balneari, aliisque ad balnea pertinentibus, fuse scripsit Fuluius Vrsinus in Appendice de triclinio. Hoc magis nos ea tantùm persequemur, quæ ad vocabula pertinent. A *balneo* dicitur *balneator*, qui iis præest. Vtitur Capitolinus in Claudio. Ac in veteri inscriptione, ANTEROS, BALNEATOR. *Balnearij fures* Catullo sunt, qui vestes in balneis lauantium surriperent. Ab eodem est *imbalnities*, ἀλουσία. Lucilius:

———Hic cruciatur fame,
Frigore, inluuie, imbalnitie, imperfundie, incuria.

Quod Scaliger, comment. in Cirin, expressum putat ex illo Euripidis in Oreste:

Ὡς ἠγριώμεθ' ... ἀλουσίας.

Balneaticum dicebatur, quod pro balneis soluebatur. Gloss. vett *Balneaticum*, βαλανευτικόν.

Balsamum, βάλσαμον, quomodo Seruius ad II. Georg. & Isidorus lib. XVII. cap. VIII. arborem vocari ait, vt succum eius *opobalsamum*. Verùm *balsamum* Dioscoridi est, tum liquor aromaticus, tum planta fragrantissimum illum odorem fundens. Interdum tamen liquor ille differentiæ caussâ vocatur ὀποβάλσαμον, hoc est, *succus*, seu *liquor olei*. Nam ὀπὸς, *succus*, *liquor*, seu sponte, seu scarificatione aut alio vulnere emanans. Plinius lib. XII. cap. XXV. *Succus è plaga manat, quem opobalsamum vocant, suauitatis eximiæ, sed tenui guttâ.* Dioscorides quoque nunc ὀποβάλσαμον nunc diuisim, ὀπὸν τοῦ βαλσάμου, appellat. Plinio est *oleum balsaminum*, quomodo & Simeoni Sethio dicitur βαλσαμέλαιον. Similiter *lignum balsami* dicitur ξυλοβάλσαμον, vt Seruius & Isidorus locis citatis monent. In Seruio tamen P. Danielis vox ea corrupta est. Vsus Plinius copie capite. Simile est καρποβάλσαμον, *carpobalsamum*, *fructus balsami*, apud Dioscoridem, & Galenum. Iustinus tamen, quod mi-

mirum *opobalsamum* ponit pro *arbore*, *balsamum* pro *succo*. Sic enim scribit de *arbore*: *In ea silua est, & vbertate & amœnitate insignis, siquidem palmeto, & opobalsamo distinguitur.* Ac postea: *Arbores opobalsami formam similem piceæ arboribus habent.* De *succo* autem ait: *Hæ arbores certo anni tempore balsamum sudant.* Quod ad *balsami* etymon, cum è Iudæa balsamum acceperint gentes exteræ, non displicet, quod aiunt, sic ob præstantiam vocari, quasi בעל שמן, *bahal schemen*, i. *princeps* siue *dominus olei*. Vicina huic voci est *balsamen*: quod Punicum, vt videre est è Plautina Pœnulo, vbi Hanno Pœnus hac vtitur. Sed & idem clare patebit ex loco Philonis Bybliensis, vnde discere erit, *balsamen* idem esse Pœnis, quod Hebræis בעל שמים, *princeps* aut *dominus cæli*. Nam (vt de vtroque vocabulo quædam mantissæ loco adiiciamus) שמים, est *cœlum*. Quod factum aiunt, ex שם, i. *ibi*, & מים, i. *aqua*. Sed etymon hoc planè incertum, præsertim quando Aben-Esra (vt ad 1. Gen. caput notauit P. Fagius) *schamaim* idem ait significare *altum* vel *supra*. quod & comprobat ex lingua Ismaelitica, cum qua Hebræa magnam habuit affinitatem. Verùm, vt etymon illud verum esse demus, me quidem aries iste non percellet. Dicam enim, sic nuncupari ratione aëris, in cuius media regione sunt nubes. Triplex enim in Scripturis cælum; superum, siue aërium, vt, cum legimus, *Volucres cæli*: superius, seu ætherium, in quo sidera: & supremum, quod Angelorum beatarúmq; animarum sedes est. Primo cælo propriè Hebræa vox conueniet, sed συνεκδοχικῶς tribuitur toti illi expanso, quod ab terræ & aquæ globo ad extimam ætherei cæli superficiem extenditur. Quare qui censent ex huius vocis etymo comprobari posse, aquas esse supra æthercam plagam, infirmo admodum tibicine suam fulciunt sententiam. Nec loca illa Scripturæ, quæ adducunt, id euincunt, quo de alibi commodior sese offeret dicendi locus. Et quia de parte vna Punici illius *balsamen* diximus, age, de altera quoque pauxillum disseremus: præsertim, quando ea res cum Latinis, tum Græcis scriptoribus, afferet lucem. Est ea vox בעל, i. *dominus*. Sanè à *baal* seu *bael* est Græcum Βῆλος. Vsus & Maro, 1. Æn.

——Quam Belus & omnes
A Belo soliti.

Vbi Seruius, cùm dixisset, *Belum* fuisse primum Assyriorum regem, addit, Pœnis *Bal* significare *Deum*. Rectè sanè. Nam nomen בעל commune est cuiusuis Dei apud Tyrios, Sidonios, & Ammonitas: indéque est, quod Hebræi multis בעלים, i. *baalibus* seruisse dicantur. Sed cùm ἀπλῶς ac sine adiectione diceretur בעל, intelligebatur בעל שמים, *baal-schamaim*, i. *dominus cæli*. Verùm, vt ante dicebamus, Phœnices, (quorum lingua ab Hebræa tantùm dialecto differt) dicebant pro eo *beelsamen*. Philo Bybliensis ex Sanchoniathone Berythio: τὸν γὰρ θεὸν ἐνόμιζον μόνον οὐρανοῦ κύριον, ΒΕΕΛΣΑΜΗΝ καλοῦντες, ὅ ἐστι παρὰ Φοίνιξι κύριος οὐρανοῦ, Ζεὺς δὲ παρ' Ἕλλησι. Ad verbum igitur est, Ζεὺς Ὀλύμπιος. Sic *baal-reem*, *dominus tonitruum*. Nam רעם, *tonitru*. Sed Scriptura eum ridiculâ appellatione nominat *baal-phegor*, quod est, *deus crepitus*, πορδαῖος, non βρονταῖος. Nam Hebræi non solent deos gentium suo nomine appellare; sed per contumeliam. Itaque (vt videmus è 11. Reg. 1. 2.) Accoromtarum deum dixere *beel-zebub*, בעל זבוב, quod est, *dominus muscæ*. Videtur autem verum nomen fuisse *bahal-zebahim*, בעל זבחים, *dominus sacrificiorum* seu *victimarum*. Confirmat idem quoque, quòd cùm Samaritæ dicerent *beth-el*, i. *domus Dei*, Hebræi vocabant *beth-auen*, *domum vanitatis*. Nam בית, *domus*, און, *mendacium*, *vanitas iniquitas*. Vide quæ de his scribit Ios. Scaliger, appendice lib. de emendat. temp. pag. xxiv. & xxv. & Elencho trihæresij Serariani, cap. 1. Sanè mihi quidem hæc sententia maximè probatur. Non desunt tamen, qui existiment, *beel-zebub* fuisse vocatum ab ipsis Tyriis, & Sidoniis: vt nempe sic dicatur, siue quia *muscarum* coleretur *effigie*, siue quòd *muscas abigere* crederetur. Ac pro hac sententia aduocant, quod Apollo quoque à σμίνθος (quomodo *murem* vocari, auctor est Eustathius) dictus sit Σμινθεύς, quasi μυοκτόνος. Vtitur Ouid. xii. Metamorph.

Talibus intonsum compellat Sminthea dictis.

Huc respiciens Arnobius, lib. iii. Appollinem vocat *perniciem murium*: quod non satis perspexit Desiderius Heraldus. Locum Arnobij alibi emendamus. Caussam verò, cur Apollo sic à muribus dicatur, attulimus in Oratoriis nostris lib. iii. cap. ii. A בעל quoque venit *Hannibal*, quod notat *dominum gratiæ*. Altera compositi pars est חנן, quod est, *rem gratam fecit*. Vnde liquet, rectè eam vocem aspirari, etsi Græce sit Ἀννίβας. Par ratio in *Hanna*, & *Iohannes*, quæ eiusdem originis. Sed quod vulgò spiritum omittant, id fit imitatione Græcorum, qui Ἄννα scribunt & Ἰωάννης.

Balteus, Thuscum est vocabulum, vt Varronem scripsisse, lib. xviii. rerum humanarum, è primo Charisij cognoscimus. Aliter tamen Varro lib. iv. de L. L. *Balteum*, inquit, *quod cingulum è corio habebant bullatum, balteum dictum.* Μεσοπεζικὸς *balteus* dicebatur in amphitheatro, gradus latior altiórque, reliquos minores velut præcingens, vnde & *præcinctio* vocabatur. Eadem de caussa Græca voce *diazoma* dicebatur. *Balteus* dicitur Tertull. de spectaculis, & Calpurnio in Ecl. *Præcinctionem* nominat Vitruuius lib. v. cap. iii. *Diazoma* appellat idem c. vii. eiusdem libri. Lipsium adi de amphitheatro, cap. xiii.

Balux, seu *baluca*, vel *balluca*, est χρυσάμμος, siue ὁ χρυσῖτις ἄμμος. Vocabulum hoc ab Hispanis acceptum. Plin. l. xxxiii. c. iv. *Hispani aurum, quod minutum est, balucem vocant.* Glossæ Cyrillo tributæ: Γάδιοι χρυσοῦ ἀποψήγματα, *balluca*. Eædem, χρυσάμμος, *valuca*. Itaque Turnebus apud Martialem lib. xii. epigr. lvii. corrigendum putat:

Hinc balucis malleator Hispanæ.

Vbi in vulgatis est *paludis*. Legas & *balluca* nomen C. Theod. lib. x. Tit. xviii. qui est de metallis & metallariis, leg. iii. Vbi Impp. Valentinianus & Valens, AA. sic scribunt: *Itaque, si qui sponte confluxerint, eos laudabilitas tua octonos scripulos in balluca cogat exsoluere.* Et leg. prox. *Quatuordecim vncias balluca pro singulis libris constat inferri.* Quæ verba & Tribonianus in Codice Iustinianeo refert lib. xi. Tit. vi. qui est de metallariis: sed post *balucca*, addit, *quæ Græce χρυσάμμος appellatur.* Hesych. Βάλλιξ, ψῆγμα. Nempe vult, *ballucam* esse auri calculum exiguum: quod & superior Plinij locus innuit; vt Turnebus parum aptè *ballucam* exponat auri massam.

Baptismvs, βαπτισμὸς, pro quo & *baptisma*, βάπτισμα, dicitur, vt apud Tertull. lib. 1. aduersus Marcionem, & alibi. Estque Titulus Codicis: Ne sanctum baptisma iteretur. Fuit verumque à βαπτίζω; quod ipsum à βάπτω est. Βάπτω autem (vt Bibliander Indice in Marcum scripsit) venit κατὰ μετάθεσιν ab Hebræo טבל, quod idem significat. Cum autem βάπτω sit *mergo*, βαπτίζω, commodè vertamus *mergito*: præsertim, si sermo de Christianorum baptismo, qui trinâ fit immersione. Sic transtulit Tertullianus lib. de Cor. Milit. cap. iii. *Denique vt à baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto priùs in Ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis eius. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quàm Dominus in Euangelio determinauit.* Cyprianus quoque in eo secutus magistrum suum Tertullianum, quod Latinam vocem vsurpat, sed is *tingendi* voce vtitur. Nam epistolâ ad Cæcilium verba baptismi, quæ sunt cap. vlt. Matthæi, interpretatur in hunc modum: *Docete omnes gentes, tingentes eos in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti.* Etsi autem βάπτω & βαπτίζω tum *mergo*, vel *mergito*, tum *tingo* transferri soleant; propriè tamen *mergo* notat, & μεταληπτικῶς, *tingo*. Nam posterior est immersione tinctura: quia hæc immersione fit. Porrò ab ea significatione, qua *mergere* notat, factum, vt modificatè in Scripturis sumatur de *baptismo sanguinis*: vt ab altera illa, quâ *tinctionem* significat, factum, vt in ijsdem transferatur ad *baptisma*, quod *flaminis* vulgo nominant. A βαπτίζω quoque est βαπτιστήριον, *lauacrum*. Vsus Plinius lib. ii. epist. xvii. ad Gallum. & lib. v. epist. vi. quæ ad Apollinarem; & Sidonius lib. ii. epist. ii. quæ ad Domitium. Sunt & pluscula à βάπτω venientia, quibus vtuntur Latini: vt *bapta*, de quo Politianus cap. x. Miscell. *Bammam*, quod est apud Cassiodorum de Orthographia, in excerptis ex Adamantio: est vero idem ac βάμμα. Exponitur autem ὀξυγάριον, sed legendum ὀξύγαρον. Quomodo dicebatur *vas oxygari*. Βάμμα autem, *quia in eo tingerent*. Pro βάμμα, Syracusij dixere βάμβα. Hesych. Βάμβα, τὸ χρῶμα, καὶ μέρος τι μίγμα καὶ τὸ ἔμβαμμα, Συρακούσιοι. Ab illo *bamba* est *bambata*, hoc est, *intinctu condita*. Vt *bambata scilla* apud Columellam lib. xii. cap. xxiv. Et *bambatum* pro *intincto* apud Appuleium. *Embamma*, ἔμβαμμα, i. *intinctus*, ab ἐμβάπτω. Vsi Columella, lib. xii. cap. lv. & Vlpianus lib. ix. fin. de contrah. empt. *Dibapha*, δίβαφα, purpura Tyria, vel alia melioris notæ, à δὶς & βάπτω; quo vsus Plinius lib. ix. cap. xxxix. *Dibapha tunc dicebatur, quæ bis tincta esset, veluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes penè commodiores purpuræ tinguntur.* Est & apud Ciceronem lib. ii. epist. xvi. *Curtius noster dibaphum cogitat: sed eum infector moratur.* Et lib. ii. ad Att. epist. x. *Denique etiam Vatinij strumam sacerdotij* διβάφῳ *vestiant.* Quem locum explicat Rhodiginus lib. xxx. cap. xxvi.

Barathrvm, βάραθρον, pro quo Homerus βέρεθρον. Nempe ε & α commutantur sæpè, quomodo Iones μέγεθος, τέμνω, τρέπομεν, τρεφθεὶς, dicunt pro μέγεθος, τάμνω, τράπομεν, τραφθείς. Generatim βάραθρον ab Hesychio exponitur ὄρυγμα, βάθος, γῆς βάραθρον. Peculiariter verò Atheniensibus sic dicebatur τόπος βαθὺς, ὅπου οἱ κακοῦργοι ἐνεβάλλοντο καὶ οἱ ἐπὶ θανάτῳ, vt Spartæ εἰς τὸν καιάδαν, quemadmodum scribit Suidas. Diomedes lib. 1. *Barathrum; locus apud inferos, propriè autem apud Athenienses, in*

quem

quem noxii præcipitabantur. Hanc significationem respexisse videntur, qui βάραθρον deducunt à βαρὺς, hoc est, *grauis, molestus*. Verùm ea originatio refellitur vocis proprietate. Nam generatim notat locum profundum, vt ex Hesychio vidimus, & hæc Festi verba indicant: *Barathrum Græci appellant locum præcipitem, vnde emergi non possit*. Addit ibidem Festus, venire à βάθος, i. *profundus*: nisi apud eum quoque βαθὺς legi debet. Ridiculè verò Isidorus lib. XIV. cap. IX. vbi *barathro* Latinam originem assignat: ac *barathrum* dici putat quasi *voratrum*, *Baratrum*, inquit, *nimiæ altitudinis nomen est, & dictum barathrum quasi vorago atra, scilicet à profunditate*. Nec audiendus Bocacius lib. I. de genealogia deorum, cap. XIV. qui *barathrum* ait dici à forma vasis viminei, quod propriè dicatur *barathrum*. Nec multo meliùs Cælius Rhodiginus lib. IX. c. XXXIJ. à βαίνω, id est, *eo*, nempe quia, ex eius mente propriè ita dicantur cataractæ, ob aquarum ingressum. Quanto verisimilius doctissimus Martinius a Chaldæis esse putat quibus בּיר, *ber*, *puteus*, & אתר, *athar*, *lacus*. Quippe Ionibus dicitur βέρεθρον, quod Hesychius ponit κοίλωμα, χάσμα ...

Barbam, si quis quasi *virarbam* dictam petet, quid nisi fatuitatem prodat? etsi apud Isidorum lib. XI. cap. I. legere sit, *barbam* sic dici, quod virorum, non mulierum sit. Nisi respexerit is, quòd *Baro* virum notat, vnde Hispanis est *Varon*. Sed quantillo id melius? Nec minùs stultè, qui *barbam* dici putant, quòd eam barbari prælongam ferre consueuerint: quos meritò ridet Perottus. Is autem *barbam* esse censet primogenium. Apud Becmannum legas, sic dici à βαρὺ; quod etymon tribuit Valentino Hartungo. Sed *pilus* à *pondere* nomen esse impositum, mihi non fit verisimile. Quamquam nec diffitear, alò respexisse Valentinum. Nempe quod *barba* grauitatem atque auctoritatem conciliet. Acutius Martinius, *barba*, quasi παρειὰ, *παρὰ gena herba*, vt πόα quasi πόα φύουσα, *herba, mente*. Stephanus Guichartus deducit à πώγωνος inserto r. Est vero πώγων, *lanugo*, prima barba. Statuunt Grammatici discrimen inter *barbam*, & *barbas*: illam hominis, hanc pecudum esse censent. Sic quidem Velius Longus lib. de Orthogr. & Seruius ad II. Æn. Sed refellit hanc sententiam Charisius lib. I. Et sanè Plinius de hircis in singulari vsus lib. XXIIX. cap. XIIJ. *Rabiem hircorum, si mulceatur barba, mitigari: eadem præcisa non abire eos in alienum gregem*. Ac de pluribus hominibus rectè *barbas* in pluratiuo tribui, docet isthæc Silij lib. XIIJ.

> *Spectabantque viros, & læta & tristia ferre*
> *Indociles: nunc propexas in pectora barbas*
> *Verrere humum.*

Porrò *cirros*, siue *brachia polypi*, Plinius quoque *barbas* vocat, lib. IX. cap. XXX. Pro *barba* dicitur quoque *barbitium*, quo vsus Appul. V. Met. *Confingit esse iuuenem quendam, & speciosum, commodum lanoso barbitio genas inumbrantem*. Ac alibi quoque similiter ait: *Hircino barbitio philosophum mentiebatur*. Vt à *seruus seruitium*, à *capillus capillitium*, à *satelles satellitium*, à *lana lanitium*, sic à *barba barbitium*. Compositum eius *imberbis*, pro quo & dicitur *imberbus*. Imò, si Charisium audimus posterius tantùm rectum. Sanè *imberbus* dici, Varronis, Ciceronis, & Liuij auctoritate confirmat. Idem Lucilij, alteróque Varronis loco probat Marcellus. A *barba* quoque species aquilæ dicitur *barbata*; éstque ea, quæ alio nomine *ossifraga* appellatur. Plin. lib. X. cap. III. *Quidam adijciunt genus aquilæ, quam barbatam vocant, Tusci verò ossifragam*. Est & *barbatus* vasis nomen, cuius meminit Varro libro IV. Item Festus his verbis: *Nanum Græci vas aquarium dicunt, humile & concauum, quòd vulgò vocant situlum barbatum: vnde Nani, pumiliones appellantur*. In Glossis quoque Philoxeni est, *Bardatus*, Νᾶνος, τὸ σκεῦος. Vbi *barbatus* rectè emendari, ex Varronis & Festi loco patet. Etiam piscis, qui Græcis τρίγλη, ac φάγρος, Ciceroni à *barba forma*, quam habet, nunc *mullus barbatus*, nunc *barbatulus mullus*, Ausonio *barbus*, Glossario Philoxeni *barbulus* vocatur. Ex ijsdem Glossis discas, tonstrinam dictam *barbatoriam*, vt hodie Belgis *barbiers-winckel*, q. d. *barbatorum officina*. Verba Glossarum sunt: *Barbatoria*, κουρεῖον.

Barbarus, βάρβαρος. Ridiculè deducunt à *barba* & *rure*, quòd qui rure habitant, barbam hispidam habere soleant. Quam originationem Cassiodoro tribuit Antonius Delrio comment. ad Medeam Senecæ. Vellem locum Cassiodori annotasset. Perottum quoque à *barba* deriuasse scribit Becmannus, qui & eum hoc nomine castigat. Sed Perottum neutiquam putasse, vel *barbarus*, à *barba*; vel *barba*, à *barbarus*, venire vel fidem fecerit, quod in ipso operis ingressu ait, *barbarus*, esse nomen à sono ijs tributum, qui dure asperéque loquerentur; stultéque quosdam hinc *barbam* deducere, quod eam *barbari* prælongam ferre consueuerunt. Quare non dubito quin Perotto hac in re fiat iniuria. Sed *barbarus* esse ὀνοματοποιητικὸν, quod Perottus scripsit, id & Strabo sensit lib. XIV. vbi fusè disputat, cur Homerus Cares præ alijs vocarit βαρβαροφώνους, easdémque docet nationes alias à Græcis dictas *barbaras*, tum vernaculus earum sermo Græcis videretur inconcinnus absonúsque (vti & Græcorum sermo gentibus alijs) tum quod Græcè loqui volentes, difficulter, duriter asperéque Græca sonarent: vti & Græci linguas exterorum. Ac hanc quidem ait primam fuisse τοῦ βάρβαρος notationem: postea autem ea voce vsos Græcos in diuisione nationum, *barbaros* Græcis opponentes. Nec Cares solum βαρβαρόφωνοι, sed & Phryges. Hesychius: Βαρβαρόφωνοι, οἱ Ἕλληνες, καὶ οἱ Κᾶρες, ὡς τραχύφωνοι, καὶ ἀσαφῆ τὴν φωνὴν ἔχοντες. Vbi pro Ἕλληνες plane legendum Ἴωνες. Error natus ex eo quod η, vt ι vulgo efferretur. Sunt qui scribant, nationes ceteras Græcis dictas *barbaras*, quia identidem in hanc vocem βάρβαρ inciderent. Sed hoc putare, ridiculum est. Dicere debuerant βάρβαρ esse vocem confictam ab ijs, qui exteros ridere vellent idque quia aut hoc, aut simile quid ipsis sonare viderentur. Etsi vero hæc *barbari* originatio satis verisimilis est, tamen alteram quoque ponam ex Leonis Africani, de Africa, commentarijs, vnde & Iul. Cæsar Scaliger eam, vti alia multa, in Exercitationes suas transtulit. Docet igitur Leo, Arabibus *barbar* significare *murmuro*, indéque esse quod Africæ pars ab Arabibus dicta sit *Barbaria*, quòd nempe Africanus sermo Arabibus non aliter sonet, quam belluarum vox, nec loqui illis, sed inconditum quid murmurare viderentur. Quare & Græci fortean ab Arabibus hanc vocem hauserunt. Sed de originatione satis. Græcos præter se omnes vocasse *barbaros* antè dicebamus: atque id etiam scribit Ammonius libello de differentiis, ac Festus in *barbarum*. Eorum imitatione Plautus aliquoties Italos ipsos *barbaros* vocat: vt Asinariæ prologo, *Marcus vertit barbare*. Et prologo Trinummi, *Plautus vertit barbare*. Et Pœnul. act.... sc.... *Macerato hoc pingues fiunt in barbaria boues*. Alioqui Romanis *barbari* dicebantur omnes præter Italos & Græcos; vti Hispani, Galli, &c: imo sub Cæsaribus solum *barbari* vocabantur, qui sub imperio Romano non essent; vt, Sarmatæ, Persæ, Scythæ, &c. Hoc pacto crebrò ea voce vtitur Ammianus Marcellinus, vti & alij eius æui scriptores. Vide quæ de huiusmodi acceptionibus notat Scipio Gentilis lib. I. cap. XXIV. Imprimis autem antiquioribus Græcis Romanísque scriptoribus Phryges ac Persæ *barbari* vocantur, quod κατ' ἐξοχὴν fit. Nam cum vtrorumque summæ opes & potentia fuere, tum illi bello Troiano nobilitati, hi bellis, quæ Græciæ infeliciter intulere. Sanè similiter per excellentiam Persarum rex, qui alioqui & μέγας βασιλεὺς & βασιλεὺς βασιλέων dicebatur, ἀπλῶς Græcis *Rex* vocabatur, vt præter Suidam testatur Curtius. Græcorum imitatione dixit Terent. Heaut. I. I.

> *In Asiam ad regem militatum abijt, Chreme.*

Barbaricum pro Persico poni, facile mihi persuadeo in istoc veteris poëtæ apud Cic. II. Tuscul. quæst.

> ——— *Quibus*
> *Magis palæstra, Eurotas, Sol, puluis, labos,*
> *Militia in studio, est quam fertilitas barbara.*

Nisi & hic Phrygio malis interpretari. Romani enim imprimis hac voce Phryges signare solent, vti Græci Persas. Ac in caussa est, quod Romani à Phrygibus originem traxerint. Quare non tantum sic loquuntur, cum de bello Troiano sermo est, vti in illo Horatij lib. I. epist. II.

> *Græcia barbariæ lento collisa duello:*

sed etiam extra hoc argumentum: vt cum idem ait Epod. od. IX.

> *Sonante mixtum tibijs carmen lyra,*
> *Hac Dorium, illis Barbarum.*

Ab hac *Barbari* acceptione est, quòd qui acu pingunt (quod artificium Phryges inuenisse dicuntur,) vt, Phrygiones, ita etiam *barbaricarij* dicebantur: ipsæque vestes acu pictæ similiter *barbarica* vocarentur. Donatus ad illud II. Æn. *Pictus acu tunicas & barbara tegmina crurum*: *Nomine*, inquit, *artis, qualis esset tunica demonstrauit. Nam huiusmodi, vestes acu picta dicuntur. Tegebantur autem crura eius barbarico opere tegminibus factis, & hoc nomen est. Nam qui hanc exercent, barbaricarij dicuntur, exprimentes ex auro & coloratis filis hominum formas, & diuersorum animalium & specierum imitatam subtilitate veritatem*. *Barbaricariorum* voce sic vsi Iurisconsulti. Sed loca apud eos interdum corrupta. Quemadmodum præter alios monuere Alciatus annotat. in poster. codd. libros, & Brissonius lib. II. de verborum significationibus, in voce *barbaricarij*. Vestium *barbaricarum* meminit Appul. libro X. Miles. *In modum Paridis Phrygij pastoris, in barbaricis amiculis humeris defluentibus, pulcrè indusiatus adolescens, aurea tiara contecto capite, pecuarium simulabat magisterium*. Citant & viri docti ex Glossis Palæmonis: *Barbarica, ornamenta ex auro*. Item ex MSS[is] veteris & noui Test. Glossis. *Barbarica, opera ex auro*. Et *Barbarica, opera subtiliter ornata*. At à generali magis notione *barbaricum* pro clamore

more exercitus. Festus: *Barbaricum appellatur clamor exercitus: videlicet quod eo genere barbari vtantur.* Item *barbarismus*, βαρβαρισμός, qui Latinis *sermo rusticus*. Sed de hoc plura in Methodicis dicta nobis.

Barbitvs, quidam a *barbaris*, deduxere, quia instrumentum hoc à *barbaris*, acceptum sit. Sed originem eam iure Perottus improbat. Interim negare non ausim, esse à *barbaris*: quando id Strabo clarè ait lib. x. Fallitur tamen Strabo, si *barbitus*, est (vt plerique volunt) Anacreontis, vel Terpandri inuentum, vel etiam Alcæi, quod indicare videtur Horatius lib. 1. Od. xxxii. cùm ait:

Lesbio primum modulate ciui.

Quare nec improbare ausim sententiam Etymologi. Is ait, Æoles pro βαρβιτον dicere βάρμιτον, atque id argumento esse, quòd sic dicatur quasi βαρύμιτον, quia *grauem emittat sonum*; μίτους enim dictas fuisse τὰς χορδάς, quoniam ante neruorum inuentionem vti solebant λινοῖς μίτοις, h. e. *lineis staminibus siue filis*.

Bardi vox varias habet significationes. De duabus sic Festus. *Bardus stultus à tarditate ingenij appellatur.* Cæcilius: *Nimis audacem, nimisque bardum, barbarum. Trahitur autem à Græco, quod illi βάρδις (leg. βαρδεῖς) dicunt. Bardus Gallicè cantor appellatur, qui virorum fortium laudes canit, à gente bardorum, de quibus* Lucanus: *Plurima securi fudistis carmina bardi.* Hæc Festus. Quod ad priorem significationem, Nonius similiter exponit ingenio tardum, itidémque esse ait à βαρδεῖς, quo Homerum sic vsum docet. Adamantius Martyrius apud Cassiodorum de Orthographia exponit ἀπαίδευτος. In veteribus quoque Philoxeni Glossis legere est: *Bardus* ἀπαίδευτος, βαρδὺς ἄφρων. Quare quin propriè ingenio tardum notet & τῷ μυνδὸς è βαρδὺς factum sit, dubitandum non est: præsertim cum & Græci ipsi in superlatiuo βάρδιστοι dicant pro βράδιστοι. *Bardi* voce ita vsi Latinæ linguæ principes, Plautus ac Cicero. Accedo ad alteram acceptionem. Nam & Gallis sic vocantur ὑμνηταί τε καὶ ποιηταί, vt ait Strabo lib. iv. μελῳδοὶ ποιηταί, vt est apud Diodorum Siculum, idémque confirmat Posidonius apud Athenæum lib. iv. Τὰ δ' ἀκούσματα αὐτῶν εἰσιν οἱ καλούμενοι Βάρδοι. Ποιηταὶ δ' οὗτοι τυγχάνουσι μετ' ᾠδῆς ἐπαίνους λέγοντες. Et Ammianus Marcellinus lib. xv. *Et Bardi quidem fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt.* Quæ planè confirmant sententiam Festi, scribentis *bardum* esse vocem Gallicam, ac significare cantorem. Sanè hodiéque Britannis *Bard* dicitur, qui versibus pangit facta illustria, insupérque pertexendis genealogiis operam imprimis nauat. At vetus Celtarum lingua eadem fuit, ac Britannica: quâ de re vide Cambdeni Britanniam. Egregius, & Philologus, & Theologus, Abr. Vandermyl, in Glossario suo censet, *bardos* esse à veteri Teutonum voce *Bardo*, siue, vt alij extulere *wardo*, quod est, *video*, vel *obseruo*: vt nempe sic dicantur, qua ratione *vates* seu prophetæ apud Hebræos dicti חזים, i. e. *videntes*: vel cum summo viro, Mat. Martinio, statuendum venire à *waerdo*, id est, *verus*, quo & verbum & carmen signâsse videntur, vt Græcis ἔπος vtrumque notat. Quare *bardus* significat ἐπωποιὸν, quod optimè cum eo conuenit, quod poetæ erant Gallorum. Alterutri horum etymo facilè subscribet, qui sciat eandem fuisse veterum Germanorum, ac Gallorum linguam: quod idem Mylius eruditè demonstrat in suis de lingua Belgica commentarijs. Pythœus putabat, *bardos* esse eosdem, ac Druidas. Sed *bardi*, poetæ Gallorum; Druidæ, eorundem erant sacerdotes. Ita manifestè distinguit Lucanus:

Vos quoque, qui fortes animas, belloque peremptas
Laudibus in longum vates dimittitis æuum,
Plurima securi fudistis carmina, bardi:
Et vos barbaricos ritus moremque sinistrum
Sacrorum, Druidæ, positis repetistis ab armis.

Distinguit & eodem Strabo li. iv. Perperam autem cum *bardis* Galliæ, viri docti confundunt *bardæos* seu *bardæos* Dalmatiæ, de quibus ita Glossæ Latino-Græcæ, ab Henrico Steph. primum editæ. *Bardei*, Ἰλλυριοὶ δοῦλοι, οἱ δὲ ἀγωνιστικώτεροι ... τῆς Ἰταλίας καὶ Κίννα καὶ Μαρίου στρατιῶται ... καὶ ἐπὶ τούτου ... ἀπαιτοῦσιν ... Σερτώριος δ' ἄλλο ... Ac paullò pòst in ijsdem legere est, *Bardei*, δορυφόροι, Γαλάται, δοῦλοι. Vbi scribendum coniunctim, Ἰλλυριοὶ δοῦλοι. Egregius quoque de ijs est locus Plutarchi in Mario, vbi narrat, vt is prius ante portas constiterit, cauillatus se exsulem esse, sibique patria interdictum: mox priusquam tres quatuórve tribus suffragia inijssent, abiecta simulatione & caussatione exilij inierit vrbem circumseptus seruis, quos Bardiæos appellabat, ac serui isti multos ad nutum imperantis Marij obtruncarint. Καὶ τῷ δορυφόρους ἔχων λογάδας, οὓς Βαρδιαίους προσηγόρευεν. Item Vatinij imper. epist. ad Cic. lib. v. *Dicitur mihi tuus seruus anagnostes fugitiuus cum Vardæis esse: de quo tu mihi nihil mandasti. Ego tamen terra marique vt conquireretur, præmandaui: & profecto tibi illum reperiam, nisi in Dalmatiam aufugerit: & tamen aliquando eruam.* Similiter Plinius lib. iii. cap. xxii. vbi de Liburniæ populis tractans, ait *populatore quondam Italiæ Vardæi*. Ptolomæo sunt Οὐαρδαῖοι, Straboni & Appiano, sed corruptè, Ἀρδιαῖοι, vt Ortelius obseruat. Ab hisce Βαρδαῖος, siue Βαρδιαῖος, siue Βαρδαϊκὸς, *bardaicus* vel *bardiacus* dicitur. Nempe vt ab ἀρχὴ est ἀρχαῖος, vnde ἀρχαϊκὸς, a quo *archaicus*; sic a Βαρδαῖος, Βαρδαϊκὸς, vnde βαρδαϊκὸς, à quo *bardiacus*. Iuuenalis sat. xvi.

Bardiacus index datur hæc punire volenti.

Et Martialis lib. iv. epig. iv.

Lassi Bardiaci os quod euocati.

Vbi *euocati* sunt veteranorum militum genus: de quo inter alios Lipsius multa in Electis.

Bardocvcvllvs, vtrum a *Bardis* Galliæ, an *Bardæis* Dalmatiæ veniat, quæri possit. Sed prius malim. Nam vocatur Santonicus. Santones autem in Gallijs. Martial. lib. xiv. distich. cxxviii.

Gallia Santonico vestit te bardocucullo.

Et Iuuenal. sat. vi. i.

———Si nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Etiam Lingones in Gallia, vnde Lingonicus dicitur Martiali lib. i. epigr. iv.

Sic interpositus vili contaminat vsu
Vrbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus.

Vir eruditissimus *bardocucullus* interpretabatur *cucullum viatorium*, h. e. quo peregrè vterentur. Esse enim à Gallica voce *bardus* notante viam. Hesychius: Βαρδοὶ, οἱ ᾠδοὶ, παρὰ Γαλάταις. Et sanè Germanis & Belgis *fard* seu *vaert* est iter, profectio, à *faren*, seu *vaeren*, quod est proficisci, in itinere esse. Sanè ingeniosa sententia. Sed veriorem puto, quam antè diximus. Quodque ad Hesychij locum, quo vno nititur: Turnebus optimè vidit, apud eum pro ὁδοὶ legendum esse ᾠδοὶ, id est, *cantores*, *poëtæ*. Quales Gallis *bardos* fuisse, satis ex ijs liquet, quæ dicimus in *Bardis*.

Bargvs, *bargina*, *vargus* & *vargina*, appellatio est barbarica hominis extorris, & latrocinio viuentis. Sidonius lib. vi. epist. iv. *Namque vnam feminam de affectibus suis, quam forte Vargorum (hoc enim nomine indigenas latrunculos nuncupant) superuentus abstraxerat, isto deductum ante aliquot annos.* Vbi fortasse pro *indigenas* scribendum *indigenæ*. Legis Salicæ tit. lvii. §. v. de corporibus exspoliatis: *Si quis corpus iam sepultum effoderit, wargus sit, hoc est, expulsus de eodem pago.* Et legis Ripuariæ tit. lxxxvii. §. i. *Wargus sit, hoc est, expulsus.* Gloss. Philox. *Bargina*, νεκροφόρος, βάρβαρος, ἀλλοφύλου βάρβαρος. Vbi triplicem tribuit notionem, vt sit *vespillo*, vel *homo barbarus*, vel *barbarica compellatio*. Ac postremum hoc etiam est in Glossis Cyrillo tributis. Sic enim illæ: Πεγροφόνιος βαρβαρικὸ, bargina. Quod autem etiam βάρβαρος exponitur, confirmatur illo Flauij Capri libro de Orthographia: *Bargina, non bargenna, id est, homo vitiosa gentis, quia barbarus interpretor vitiosus: vnde & barbarismus dicitur vitium.* Item Glossis Isidori, vbi est, *Barcie, barbari.* Nam pro *barcia*, scribi debuit *barcina*. Ac in Glossis MSS[ti] Pauli diaconi est, *Bargina, peregrina*, scribe, *peregrini*. Et in Glossis alijs: *Varginus, alienigena, peregrinus, quasi barbarus genitus.* Vult, cum Capro, *Vargus & Varginus* corruptum esse ex *barbarus*, ob affinitatem literarum *b* & *v*. Sed si *appellatio* est *barbarica*, vt in Glossis Philoxeni, ac Cyrilli item legi dicebamus, verisimilis fit sententia Bonauenturæ Vulcanij, qui acutè coniectabat, *bargena* esse Teutonicum, quo obuium interrogamus, *Waer-henen*? id est, quo tendis? Nec impedit, quod vtrobique per *i* legitur *bargina* seu *barginna*. Nam ex allatis Capri verbis cognoscimus, aliquos *bargena* dixisse. Alioqui enim id non damnaret. Nempe superiores Germani dicunt *hin*: Belgæ & alij *henen*. Ex appellatione autem ea qua *barbari* vterentur, factum fortasse, vt *barbaris* ea vox aptaretur, atque adeò extorribus & latronibus, qui cum *barbaris* se miscerent, vel moribus eos referrent.

Baris esse nauigij genus testes Hesychius & Suidas. Ionum id vocabulum esse, Corinthus auctor est. Videntur & illi à *barbaris* accepisse, ac propterea, puto, Euripides βάρβαρον βάριδα dixit. Et à quibus potius, quam Ægyptijs? Nam Herodotus in Euterpe, cum locutus esset de genere nauigij Ægyptiaci, atque id nominasset βάρις, subijcit; τῇσι γὰρ δὴ οὔνομα ἐστι πλοίοισι τούτοισι; *hoc enim his nauigijs est nomen.* Propertius quoque, qui vnus Latinorum vsus videtur, sic de Ægypti regina scribit lib. iii. Eleg. x.

Scilicet incesti meretrix regina Canopi,
Vna Philippeo sanguine inusta nota,

Ausa

Ausa Ioui nostro latrantem opponere Anubin,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas.
Romanámque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos & contis rostra Liburna sequi.

Vicinum est *barca*, vox posterioris æui, de quo Isidorus l. xix. cap. i. In Glossis Græcobarbaris: pro eodem habentur ἀκάτιον, βάρκα vel βαρκίον, & λέμβος. Legas apud Arnoldum presbyt. in Chronico Slauorum cap. viii. Ac nunc quoque est in vsu Hispanis, Italis, Gallis. Sed vtrum à βάρις sit, haut facilè dixerim. Non puto.

Baro aliud notat antiquis, aliud infimi æui scriptoribus. Veteribus signat *bardum* ac *stupidum*: quomodo Ciceronem aliquot locis vsum, docebit P. Victorius castigationibus in Cic. lib. ix. epist. ad famil. In vett. quoque Persij codd. legitur Sat. vi.

Baro regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si cum Ioue viuere tendis.

Quem ad locum sic vetus Scholiastes: *Linguâ Gallorum barones vel varones dicuntur serui militum: qui vtique stultissimi sunt, serui videlicet stultorum.* Sunt qui nomen id arcessant à *Barone*, muliere philosophiæ deditâ: cuius meminit Suidas. Ita *barones* per contemptum vocabuntur, qui non tam veris philosophis, quàm qui mulierculæ isti comparari merentur. Sed hæc sententia omnino explodenda. Planè autem arbitror, *baronem*, pro *stulto*, venire à *Varo*. Nam veteres non duplicabant consonas. *B* autem & *V* facilè commutantur. Lucilius sanè *Varronem* dixit pro *stupido* & *agresti*:

Varronum & rupicum squarrosa, incondita rostra.

Vnde autem *Varrones* dicantur, ostendimus in *Vallum*. Et hæc de priori notione. Posterioribus autem seculis *baro* notauit *virum*. vnde Glossæ Philoxeni: *Baro*, ἀνήρ. Sic sanè *Baronis* vox passim vsurpatur in veteribus legibus Saliorum, Longobardorum, Alamannorum, & Ripuariorum. Non semper tamen ἀνδρὸς accipitur pro *viro* siue *mare*: sed & pro *viro strenuo*: vnde Glossæ Arabico-latinæ: *Baro*, *Gr. fortis in laboribus*. Indéque factum putatur, quòd *Baro* vulgò vocatur, qui (vt eum Baldus definit) merum mistúmque imperium in aliquo castro oppidóve concessione Principis habet. Hoc etsi verius puto, tamen & aliquot aliorum sententias apponam. Nonnullis placet, esse ab Ægyptiaco *pharao*: quod illis *regem* notabat: quam opinionem proponit Keckermannus in Systemate Geographico: Erasmo, & aliis, sic dicitur à βαρὺς id est, *grauis*, quomodo Latinis, *graues* dicuntur viri eximij ac magnæ auctoritatis. Imò Græcos quoque sic loqui argumento est, quòd Plutarchus in Demetrio, cùm prius dixisset, τὸ γὰρ ἀνὴρ, ἐ χαίρει, ἐ βαρὺς, ἐ ἄγροικος, paullò pòst pro βαρὺς dicit ζημιῶντα Σαρδιανόν. Non multum ab hac sententia abit Isidorus, qui & ipse βαρὺς deducit, verùm censet is, *barones* propriè dictos *milites mercenarios*. Quod si verum est, dicendum fuerit, vocabulum hoc esse vsu & longo tempore emollitum. Verba Isidori sunt lib. ix. cap. iv. *Mercenarij sunt, qui seruiunt acceptâ mercede: ijdem & barones Græco nomine, quòd sint fortes in laboribus. Βαρὺ enim dicitur grauis. quòd sit fortis: cui contrarius est leuis, hoc est, infirmus.* At Alciatus in parergis, lib. v. cap. xvi. originem vocis ex eo arcessit, quòd Βαρέωνες, siue Doricè Βαρέωνες, sint Hispaniæ populi; quos ait, vt nunc Germani principibus, solere excubias agere, ac verisimile esse solitos eligi, qui prægrandi essent corpore, quamuis mente essent stolidâ. Quæ Alciati sententia, si veterum auctoritate comprobari posset, magis saltem verisimilis videretur quàm eorum opinio, qui à Græcis originem petunt.

Barrire, & *bardire*, facta sunt à sono, cuiusmodi ὀνοματοποιῒα appellantur. Illud elephantorum est; hoc, ceruorum. qui & rugire dicuntur. quo tempore Veneri student. Glossæ Philoxeni: *Barrit*, τρίζει, ἐλέφας βοᾷ. Glossæ Cyrillo tributæ: ἐλέφας τρίζει. *bardit, rugit*. Elephantos *barrire* cùm Festus docet, tum etiam indicat hic Spartiani locus in vita Getæ: *Agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, vrsi sæuiunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt, asini rudunt, tauri mugiunt.* Imò & ipsi elphanti *barri* dicuntur, vt docet Adamantius apud Cassiodorum lib. de Orthographiâ, cap. v. & Gloss. vett. in quibus est *Barrus*, ἐλέφας. Vsus hoc pacto Horatius lib. Epodon.

Quid tibi vis mulier nigris dignissima barris?

Est verò *barrus* à βάρος, ob *grauitatem*. Est enim maximum id animal inter quadrupedes, vti inter volucres struthio: inter fluuiarilia crocodilus: inter marina, balæna. Vel potius *barrus* est è *bar*, בר, id est, *extra, foras*, quia est animal peregrinum. Vnde & βάρβαρος deducimus. Vel potius est à *beira*, seu בעירא, quæ voce in Targo exponitur, Iobi xl. Hebræum *Behemoth*, בהמות. Quod si placet, ita κατ' ἐξοχὴν dicetur. Nam *behemoth* generatim notat *maximam bestiam*. Vide Fullerum Miscell. libro iv. capite x. A *barrire* est *barritus*, vox elephanti. Significat etiam clamorem militarem. Vegetius libro iii. de re milit. cap. xviii. *Clamor, quem barritum vocant, non priùs debet exaudiri, quàm acies vtraque se iunxerit.* Existimare aliquis possit vocem esse ab elephantis translatam. Sed secus est. Est enim vox ea à barbaris. Docet hoc Ammianus lib. xxvi. *Pro terrifico fremitu, quem barbari dicunt barritum.* Item lib. xxxi. *Romani quidem voce vndique Martiâ concinentes, à minore solitâ ad maiorem protolli, quam gentilitate appellant barritum, vires validas erigebant.* Nec desunt, quibus videatur esse à Germanica voce *bare*, quæ fluctum notat. Atque hoc firmare conantur loco isto Ammiani lib. xvi. *Cornuti, & braccati, vsu præliorum diuturno firmati, excipiunt eos, iam gestientes barritum ciere vel maximum: qui clamor ipso feruore certaminum à tenui susurro exoriens, paullatimque adolescens, ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum.* Sed puto, non tam esse à fluctibus translationem, quàm vocem petitam à communi notione Germanici verbi *baeren*, quod signat, *clamare*, *tumultuari*. A qua vndæ ipsæ *baeren* appellantur.

Barucæ, ædes sunt, latæ quidem, sed ob raritatem columnarum humiles, vt pondus superimpositum faciliùs sustineant columnæ. Vnde & nomen. Nam βαρὺς, *grauis*. *Barucephala* autem dictæ, quod pro columnarum paucitate satis graue pondus sustineant. Quasi dicas, *grauicipites*, qua forma à binis capitibus est *biceps*. Nam κεφαλὴ, quæ altera compositi pars est, *caput* designat. Vitruuius lib. iii. cap. ii. *Ipsarum adium species sunt, barucæ, barucephalæ, humiles & latæ, ornántque signis fictilibus, aut æreis inauratis earum fastigia.*

Basaltes est marmor ferrum & colore & duritia imitans, atque inde Æthiopico nomine ita vocatum ab Ægyptijs, qui illud in Æthiopia inuenere. Nam *basal* Æthiopibus, *ferrum* signat, vti Hebræis ברזל, *barzel*: vnde Æthiopicum illud eiectâ literâ caninâ. Plinius lib. xxxvi. cap. vii. *Inuenit eadem Ægyptus in Æthiopia, quem vocant basal, ferrei coloris atque duritia: vnde & nomen ei dedit.* Super basalten hunc exstructa est Stolpa, arx Miseni Episcopi: vt scribit Georg. Agricola de natura Fossilium lib. vii. cap. iii.

Basanus, siue, *basanites lapis*, βάσανος & βασανίτης, fortasse ita dicitur à colore ferri, quod Hebræis *barzel*, Æthiopibus *basal*, vt diximus in *basaltes*. Voluisse id videtur Isidorus lib. xvi. cap. v. *Basanites ferrei coloris sine duritia, vnde & nomen ei datum est, inuentus in Ægypto & Æthiopia.* Sed quis veterum dixit, *basanum* in Ægypto & Æthiopia esse repertum? *Basaltes* est, qui ab Ægyptijs in Æthiopia inuentus. At *basanus* vbi reperiri soleat; argumento est, quod is aliter dictus *lapis Lydius* & *Heraclius*, ab Heraclea Lydiæ ciuitate. Clarus etiam iste Plinij locus lib. xxxiii. cap. viii. *Auri argentique mentionem comitatur lapis, quem coticulam appellant, quondam non solitus inueniri, nisi in flumine Tmolo, vt auctor est Theophrastus: nunc verò passim; quem alij Heraclium, alij Lydium vocant.* Quare omnino emendandus est Isidori locus, próque *basanitis*, legendum *basaltes*. Sed enim vnum huic correctioni obstare videtur, quod Isidorus dicat, esse hunc lapidem ferrei quidem coloris sed *sine duritia*; cum *basalti* Plinius etiam ferri tribuat duritiem. Vulgo quidem ita apud Isidorum legi agnosco: sed emendandum, *ferrei coloris sine duritia*; prout est in vno è MSS[is] meis. Anselmus Boëthius arbitratur. eundem esse qui *basaltes* & *basanites* dicitur. Sed Plinius apertè distinguit.

Bascauda vsurpat Iuuenalis sat. xii.

Adde & bascaudas, & mille escaria.

Domitius Calderinus ait, se in antiquo codice *bascanda* per *n* reperisse. In optimo MS[o] meo plane est *bascauda* per *u*. Quid sit, ostendit vetus Iuuenalis Scholiastes. *Bascauda* inquit, *vasa vbi calices lauabantur & cacabus.* Britannicam esse vocem, ostendit hoc Martialis, lib. xiv. dist.

Barbara de pictis veni bascauda Britannis.
Sed me iam mauult dicere Roma suam.

Sanè Anglis *basket* sonat sportam, vel canistrum. Inde, credo, *bascauda*.

Basilicæ, Romæ complures fuere. Primam Cato extruxit, Porciámque appellauit: De qua Plinius, vel quisquis auctor libro de viris Illustr. capite xlvii. Aliam ædificauit Iulius Cæsar: de qua Plinius libro v. epist. vlt. atque Suetonius in Caligula, & Inscript. antiquæ. Huic construendæ præfuisse se scribit Vitruuius lib. v. Fuere & aliæ, de quibus Sex. Victor, & è iunioribus Onuphrius Panuinus, atque alij. Quod ad nomen attinet Statius Papinius, i. Siluarum, transfert *regia*, cum ait:

Illic belligeri sublimis regia Paulli.

Ac putatur ex eo sic appellari, quòd omnia, quæ grandia sint,

excellentiáque, βασιλικοὶ appellentur, etiam apud Latinos: vt, cum Plautus dicit. *basilicus* iactus, status, victus, *basilica* edictiones, *basilica* facinora, *basilicè* eleutheria agere, *basilicè* ornatus incedit; imò etiam in se mala, *basilicè* interij. Apud Plinium quoque habes, *basilicam vitem*, & *basilicam nucem* pro iuglande. Verùm etsi hanc opinionem non damno, verius tamen puto ex eo *basilica* nomen impositum, quod βασιλέων appellatione non solùm reges vocantur, sed & alij ἔνδοξοι ἢ βασιλικοὶ, Eustathio teste. Ita Hesiodus iudices vocat βασιλῆας. Nec nomen repugnat: siue sic dicatur à βάσις, & λαὸς, quasi *populi fundamentum*. Siue, vt Becmannus monuit, à בעל, id est, *dominus*: vel à שלט, id est, *dominari praeesse*: quæ etyma molliora sanè, quam vllum ex ijs omnibus, quæ apud Etymologici magni auctorem legas. A generali igitur illa significatione esse putamus, quod domus amplæ, in quibus magistratus ius dicit, *basilicæ* nominentur. Erat basilicarum ea forma, quæ nunc templorum. Nam forma erat oblonga Orientem versus, naui similis; quæ Ecclesiarum siue templorum forma præscribitur apud Clementem, Apostolic. constitut. lib. II. cap. LVII. Hinc factum, vt & basilicis dirutis ecclesiæ earum spatium occuparent: & integræ etiam in ecclesias converterentur: quo pertinet illud Ausonij, orat. ad Gratianum: *Basilica olim negotiis plena, nunc votis.* Ac facilè assentio amplissimo doctissimóque M. Velsero, qui hanc caussam putet, cur passim maximæ amplissimæque ecclesiæ vocentur *basilicæ*; quamquam aliter hac de re Isidorus lib. XV. cap. IV. *Diuina*, inquit, *templa basilicæ appellantur, quia ibi regi omnium Deo cultus & sacrificia offeruntur*: eamque rationem etiam sequuntur Ammalarius lib. III. capite II. Vvalfridus Strabo cap. VI. & VII. Ioannes Stephanus Durantius, lib. I. cap. I. Vide & aliqua quæ de Basilicis notauit Barthius, Aduersariorum lib. LI. col. 2833. & seq. A basilicis dicti *subbasilicani*. Ita Plauto Captiuis Act. IV. sc. II. dicuntur ij, qui sub basilicis versantur. Vnde idem Curcul. Act. V. sc. I. *Dites* (al. *dictus*) *damnosos maritos sub basilica quærite.* Simile est *subrostrani*, quo modo à Cæsare (epistola ad Cic. lib. 8. earum quæ ad familiares dicuntur) vocantur ij, qui plurimum obambulant sub rostris; quod faciebant homines otiosi, omniúmque rumorum aucupes. In Philox. Glossis quoque legas, *Basilicarius*, ἀγελαῖος ἀγοραῖος, vbi Ianus Gruterus mauult *basilicarius*, vel potius *basilicanus*. *Blasius* quoque ex *Basilius* corruptum.

Basilinda, βασιλίνδα à βασιλεὺς, *rex*; ludi genus, in quo qui rex electus, imperat, alij imperata facere coguntur. Vide Pollucem lib. IX. cap. de ludis conuiualibus. Non simile ei, quod inter Christianos obtinet *ferijs*, vt vocant, *regalibus*.

Basiliscus, βασιλίσκος, *regulus*, serpentis genus. Geminam nominis caussam adfert Festus: *Basiliscus*, inquit, *appellatur genus serpentis: vel quod in capite habeat album instar diadematis: vel quod reliqua serpentium genera vim eius fugiant.* Vtrumque ἔτυμον confirmant hæc Plinij verba lib. VIII. cap. XXI. *Eadem & basilisci serpentis est vis. Cyrenaica hunc generat prouincia, duodecim non amplius digitorum magnitudine, candida in capite macula, vt quodam diademate insignem. Sibilo omnes fugat serpentes*, &c. Diadema, regium erat insigne. Erat id in Persicis regibus purpurea fascia cidarim siue tiaram ambiens, & albo distinctum. At in alijs tantum fuit candida fascia regum frontem præcingens. Hinc liquet, cur Festus velit, *basiliscum*, qui candidam maculam diadematis instar in capite habuit, *basilisci*, h. e. *reguli* nomen hinc adeptum esse. Sed alteram nominis caussam sequi maluit Isidor. lib. XII. cap. IV.

Basis, βάσις, *fundamentum*, vnde & Vitruuio ita vocatur spira scapo supposita: item apophysis siue contracturæ conflexus, vbi in dimensione columnæ diametros intelligitur. Philandrum vide & Bernardinum Baldum. Pro pede seu fulcimento columnæ vsus & Naso lib. III. de Ponto, el. II.

Quóque minus dubites, stat basis orba Deâ.

Non tamen propria hæc significatio: sed primo *gressum* notat, à βάω, siue βαίνω, *eo*, *incedo* Atque ita Sophocles, & alij, vsurpant. Hinc pedibus tributum, quod è Platone comprobat Pollux lib. II. cap. IV. Fundamento autem attributum, siue, quia tum è terra nascentia, tum quæ arte construuntur, ab imo βαίνειν ac consurgere soleant. Quod & cõfirmat axioma illud, *Omnis motus fit super immobili.* Nisi hæc certissima forent, deducerem à Chaldæo בסים *besis*, id est, *basis* quod Schindlerus deducit à בסס, id est, *calcare*. A *basis*, quo imum notari diximus, est Gallicum *bas*, id est, *humilis*: ac vulgo in Musica dixere *bassum*, pro imum: quemadmodum argumento est, quòd ei opponunt *altum*.

Basium, *osculum*, & *suauium*, sic distinguit Donatus ad Eunuch. act. III sc. II vt *oscula* officiorum sint, vt, cùm peregre aduenientes osculamur; *basia*, pudicorum affectuum, vt patris erga liberos; *suauia*, libidinum, vel amorum. Sed discrimen id minimè obseruatur, vt ostendimus alibi. Quod ad originem, Petrus Nunnesius censet, id τῶν μιμητικῶν venire à ciò, *colo*. Angelus Caninius, in Hellenismi Alphabeto, ait, *basi* esse à Punico *besas*, vt *basium* à *bes*. Quæ sententia perplacet. Alioqui videri possit venire à Chaldæo בסים, *basim*, id est, *suaue*. Addam & etymon Cæsaris Scaligeri, quod etsi verum non putamus, tamen acumine suo delectare potest. Is, exerc. CCCX. putat, *basium* esse à βάσις; nempe quia sapientes id putarunt amoris esse fundamentum. Nam βάσις, *fundamentum*.

Bassarides sunt Mænades, siue Bacchæ, vt *Bassareus*, Bacchus ipse. Vtriusque vocabuli eadem origo: quàm è Latinis adducit vetus Scholiastes Persij, ad illud sat. I.

Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris. ———

Vbi sic scribit: *Bassarides, Bacchæ, quibusdam videtur à genere vestis, quâ Liber pater vtitur, demissâ ad talos, quam Thraces bassaram. Quidam à vulpibus, quarum pellibus Bacchæ succingebantur. Vulpes Thraces Bassares dicunt.* Hæc confirmari possunt è Græcis Grammaticis. Nam Hesychio βασσάραι sunt χιτῶνες, οὓς ἐφόρουν αἱ Θρᾴκιαι Βάκχαι; *tunicæ, quas gestabant Thraciæ Bacchæ.* Lycophronis vero Scholiastes scribit, ἀλώπεκας τὰ εἴδη nominari βασσάρους. Idem quoque testantur Hesychius, Suidas, Etymologus: quamquam in terminatione eius vocis discrepant. Nam apud Suidam & Etymologum habes, Βασσάρος, ἀλώπηξ τῇ Ἡρωδότου. At apud Hesychium est: Βασσαρεῖς, ἀλώπηξ, καὶ βασσάρα (βασσάρα reponendum censeo cum H. Stephano) παρὰ Κυρηναίοις. Porrò non Thracum solum hæc vox fuisse videtur, sed & Afrorum. Nam, vt idem Hesychius scribit: Βασσάρια, τὰ ἀλωπέκια οἱ Λίβυες λέγουσι. Ex hisce igitur concludimus, Bacchum & Bacchas dictas *Bassarides* à *bassara* significante tunicam talarem, qua indui solent: tunicam verò hanc sic vocatam, quia esset è *pelle vulpium*, quæ *bassaros* vel *bassaris* Thracibus diceretur: vnde & vocem *Vossen* apud Belgas hodiéque superesse verisimile est. Quamquam Bacchæ non vulpinis tantum, sed & hinnulorum pellibus vtebantur, quas Statius lib. II. Thebaïd. & II. Achill. *nebridas* dixit, Græcorum more, qui pelles eas νεβρίδας vocant à νεβρὸς, id est, *hinnulus*; siue *cerui pullus*. Vide *Nebris*.

Bastaga, onus iumentis impositum, vt res fisci portent. lib. VIII. Cod. de cohortalibus, lib. XII. & in Leonis Imp. libro de Bellico apparatu sæpius. Est à Græcis. Hesychius: βασταγὴ, βάρος. Hinc *bastagarij*, qui, vt *bastaga*, id est, onera iumentis imponantur, procurant. lib. IV. & lib. VIII. Cod. de murilegul. lib. XI. & l. IV. & l. XI. eod. Tit. in Cod. Theodos.

Basterna, posterioris æui vox. Vsi Lampridius, Ammianus, alij. Est vehiculum muliebre, vt cognoscimus ex veteri Iuuenalis interprete ad sat. IV. Vbi legas in MS° meo, ad locum eum, vbi Specularium poëta meminit: *Est basterna vehiculum, unde speculabantur matronæ.* In eo à lectica veterum differebat, quòd illa ferretur à seruis: hæc traheretur à burdonibus, hoc est, mulis. Vnde epigramma vetus *de basterna*:

Aurea matronas claudit basterna pudicas
Quæ radians latum gestat vtrumque latus:
Hanc geminus portat duplici sub robore burdo,
Prouehit & modico pendula septa gradu.
Prouisum est cautè, ne per loca publica pergens
Fucetur visis casta marita locis.

Et sanè à mutis animantibus, non à seruis trahi solere *basternam*, indicat etiam Isidori locus iste lib. XX. capite XII. *Basterna, vehiculum itineris, quasi via sterna; mollibus stramentis est posita, à duobus animalibus deportatur.* Animalibus autem generatim, quàm burdonibus, aut mulis, dicere maluit, quia interdum & ab alijs animantibus traheretur. Vt à mannis. Vnde Isidorus in Glossis: *Basterna, tecta mannalis*: Sic rectè corrigit doctissimus Salmasius, vbi vulgo *manualis*. *Tecta* autem, vt idem monet, absolutè dixit pro *lectica tecta*. Ad originem vocis quod attinet, planè ineptum illud etymon, quod Isidorus adfert, à *via* & *sterno*. Nec ratione vlla subnixum est, quod comminiscitur Marcellus Donatus, in Elucidationibus; vbi, quia *Bastarnas* sciret Sarmatiæ esse gentem, suspicatur inde dictam *basternam*, quia fortasse huic populo in vsu esset. Sed verum est, quod ibidem addit, venire à βαστάζω, id est, *baiulo porto*. Præsertim cùm posteriores Græci pro βαστάζειν dixerint βαστάνειν & βαστᾶν. Inde *basterna*, vt à *luce*, vel *luceo*, *lucerna*, à *cauo*, *cauerna*, aliàque id genus.

Batillus, seu *batillum*, siue *vatillum*, (nam ob affinitatem literæ

literæ *B* & *V* factum, vt vtrumque reperiamus in codd. antiquis) est instrumentum ferreum, quo cineres & prunas tollimus, aliòque transferimus, Belgis, *een vierschuppe*; Celtis, *une paele a feu*. Glossæ Philoxeni, *Vatilum πυράγρα*. Vbi scribendum, *Vatilum, πυράγρα*. Vsus eâ notione Plinius cum alibi, tum lib. XXXIII. cap. VIII. Et Apitius lib. VII. cap. IX. Quorum loca iam olim huic rei firmandæ adduxit Perottus. Addit idem, *batillum* esse ὑποκοριστικὸν a *baculum*: id verò dici quasi *paculum*. Sunt & *batilli* in armis rusticis, sed hi lignei, non ferrei, vt illi, de quibus dictum. Meminit Varro lib. III. de R.R. cap. VI. quod de pauonibus. *Vtrumque, inquit, locum purum esse volunt ha volucres. Itaque pastorem earum cum batillo circumire oportet, ac stercus tollere.* Habet & tertiam ea vox significationem. Significat enim foculum gestatilem, in quo odores accendebantur, aut qualis hieme mensis imponitur. Vetus Horatij interpres ad illud lib. I. sat. V.

Prætextam, & latum clauum, prunæque batillum.

Vatillum, inquit, *diminutiuum à vase. est vas paruum, in quo pro felici hospitum aduentu incensis odoribus locus hospitalis sacra fiebant.* Et paullò pòst: *Est & vatillum, in quo ponuntur prunæ in hieme super mensam, ne cœna frigeat.* Hæc ille: Puto autem eo veteres vsos in hospitum aduentu, non tam sacrificij caussa, quam vt hospites grato odore delectarent: Sanè suffitus gratia & olim viris principibus (vt hodiéque nationibus quibusdam mos est) præferri solet, vnde apud Abdiam legas lib. IX. historiæ Apostolicæ. *Erant autem virgines cum lyris cantantes, alij cum tibijs, alijs cum symphonijs, alij cum batillis & thuribulis.* Quo de more fusè alicubi Casaubonus. De *batillo* seu *vatillo* voce sic Isidorus in Glossis: *Vascilium paruum vas:* Macrobius; *soluens radijs in aqua subiecta vascillo.* Vbi Ianus Rutgersius emendabat: *Vatillum paruum vas.* Marbodæus: *Dissoluens radijs in aqua subiecta vatillo.* In Marbodæo enim de gemmis versus sic legitur. De origine autem vocis, non dubito, quin Acron fallatur. Nec placet sententia Perotti, qui à *pateo* deducit *batulum*, inde *batillum*. Potiùs credo, *batillum* esse ὑποκοριστικὸν à *batinum*, hoc autem ea ratione fieri à Siculo βατάνιον, quâ *patina* fit à πατάνη, *catinus* à κάτινος, *runcina* à ῥυκάνη, &c. Hesychius: Βατάνια, τὰ λοπάδια· ἡ δὲ λέξις Σικελική. Apud Athenæum quoque lib. I. laudantur, Κνίδια κεράμια, Σικελικὰ βατάνια, Μεγαρικὰ πιθάκνια. Vti Alexis & Antiphanes apud eundem lib. IV. Budæus foculum mensarium, hoc est, vas illud, quod in mensis cum prunis lancibus escarijs subijci solet (authepsam veterum quidam esse autumant) *batillum mensarium* appellare non dubitat. Sed illum planè abuti *batilli* voce, patet ex ijs, quæ hactenus diximus. *Batilla* etiam fuisse inter instrumenta quibus Christiani à Gentilibus torquerentur. Vt in actis Laurentij apud Surium. *Interim Decius iubet omne genus tormentorum exhiberi ad tribunal suum, plumbatas, fustes, laminas, vngues, lectos, batilla.*

Batiola, ποτήριον, vt Glossarium vetus exponit. Vsus Plautus Sticho Act. V. sc. IV.

Suum quemque decet: quibus diuitiæ domi sunt scaphio & cantharis

Batiolis bibunt: at nos nostro Samiolo poterio

Tamen viuimus: nos tamen efficimus pro opibus nostris mœnia.

Etiam ex Plauti Colace citat Nonius: *Batiolam auream, octo pondo habebat, accipere noluit.*

Fortasse tamen vtrobique legendum *batiocis*, vel *batiacis*. Sanè in Stichi loco MSS^ti Palatini *Batiochis*, vel *batiobis*, habent. Præterea in Isidori Glossis clarè est, *Batioca, patera*. Denique origo vocis *batiocam*, vel *batiacam*, requirere velle videtur. Nam βατιάκη & βατιάκιον, inter poculi genera clarè reponitur ab Athenæo lib. XI.

Batrachites, βατραχίτης, lapis Copto mitti solitus, habens ranæ colorem, vt apud Plinium legimus lib. XXXVII. cap. X. A βάτραχος, *rana*. Pro quo vetustiores βρόταχος dixere. De Hippocrate quidem Galenus testatur. Confirmat hoc sententiam Etymologi magni: vbi legas, ita dici quasi βοάτραχος παρὰ τὸ βοὴν τραχεῖαν ἔχειν, *quia aspero est clamore*. Quamquam & alterum ibi additur, vt ita à sono dicatur. Βατράχιον herbæ genus, quod Latinis similiter *ranunculus*. Vide Dioscoridem lib. II. cap. XXVI. & Plinius lib. XXVI. cap. vlt. Etiam βατράχειον, coloris genus, quo histriones inungebantur ante personas siue laruas inuentas. Auctor Scholiastes Aristoph. in Equites.

Battologia, βαττολογία, non est ab Ouidiano illo *Batto*, vt putant quidam; sed huic ipsi à poëtis nomen ex re impositum, quod βάττος foret, hoc est ταυτολόγος, ἢ φλύαρος. Estque βάττειν vox à sono facta, propriéque de infantibus dicitur identidem *ba* vel *bat* in ore habentibus: vnde & est quod *battubata* Næuij hinc tertiam accepit syllabam. Est enim ea vox conflata ex *ba, tu, ba*, & *ta*: quâ de re plenius suo loco. Possis & βάττος deducere ab Hebræo בטא, quod est, *aperire, proferre, pronunciare*. Item *effutire*. Ab hoc est Græcorum βάζειν, quod est *loqui*: vnde ἄβαζος, quod Suidas exponit ἄναυδος, ἤγουν ἐστερημένος τοῦ βάζειν, ὅ ἐστι λέγειν. Βαττολογία Hesychio exponitur ἀργολογία ἢ ἀκαιρολογία. Vnde apud Matth. VI. 7. βαττολογεῖν rectè vertitur, *multum loqui*. Nam subiungitur, facere id ethnicos, quia fore sperent, vt exaudiantur ἐν τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν.

Batuo, tum notat, *concido, contundo*: tum & *Venerem exerceo*. Gloss. Philox. *batuit*, κόπτει, *batutum*, τὸ ἐλάσθη. ἀναιδῶς. Vbi legendum, *batuit*, & *batutum*. ἀναιδῶς verò corruptè scriptum pro ἀναιδὲς, id est, *impudens, obscœnum*: nisi malis, compendij gratia sic scriptum, pro ἀναιδὲς λέγεται, quod idem notabis similiter sanè in ijs ἀργ. legas pro ἀργύριον. Quod verò de obscœnâ significatione indicat, id confirmatur illo Ciceronis, lib. IV. epist. XXII. *Batuit, inquit, impudenter: depsit multo impudentius*. Hac obscœna notione est à βατεῖν, quod de maribus dicitur feminas insilientibus rei Venereæ gratiâ. Theocritus Idyll. α.

———ὅκκ' ἐσορῇ τὰς μηκάδας, οἷα βατεῦνται,

id est, *cum capras intuetur, quando coëunt*.

Vbi Scholiastes βατεῦνται interpretatur τοῖς τράγοις μίγνυνται. Ac Eustathius quoque in Il. I. pag. 1DCCCXXI. βατεῦνται ait à Theocrito dici, ἐπὶ ζώων μίξεως. Βατεῖν autem est à βαίνω siue βάω, vti hoc à בוא, *venit, ingressus est*. Sane & Hebræum בוא, & Græcum βαίνω, & Latinum *inire*, ac *coire*, de venereo congressu vsurpantur. At alia ratio est vocis *batuo*, quæ significat *percutio*. Tum enim est à πατάσσω, quod idem notat: quâ voce etiam descendere putatur Gallicum *patarasse* pro ictu: pro quo malè quidam dicunt *petarasse*. Πατάσσω verò censeo esse ab Hebræo פטש, quod & ipsum notat *percutere*. Possis & hinc deducere *batuo*, pro *coeo*. Nam & Græcum πατάσσω interdum est obscœnum. Docet id Aristophanis Scholiastes in Aues, vbi interpretans verba illa, ἄξεις, πατάξεις, sic scribit: ἐπιφέρει πάλιν ἐπ' ἀνδρὸς εἰς τὸ ἀφροδίσιον παρὰ τὸ δέρειν συγγίνεσθαι. ἢ τὸ πατάξεις, ὅτι καὶ γυναῖκες αἱ πόρναι· καὶ Μένανδρος ἔν τινι ἄρσενα ... Batuere, pro *percutere*, ac *concidere*, dixit Plautus, Casina, Act. II. sc. VIII.

———*Sculponeas,*

Quibus batuatur tibi os, senex nequissime.

Pro *dimicare*, ac *velitari*, vsurpat Sueton. in Caligula capite XXXII. *Myrmillonem è ludo rudibus secum batuentem & sponte prostratum, confodit ferreâ sicâ, ac more victorum cum palmâ discucurrit*. Et c. LIV. *Batuebat pugnatorijs armis, aurigabat exstructo plurifariam circo*. Ab hac *batuendi* significatione posteriori seculo *batualia*, & corruptè *battalia* dicta: quæ vox etiam in lingua Italica, Gallica & Hispanica remansit. Adamantius Martyrius in Collectaneis Cassiodori de Orthographia: *Bat in vno tantum reperitur nomine generis neutri, pluraliter enuntiato, id est, batualia, quæ vulgo battalia dicuntur, quæ B mutam habere cognouimus, exercitationes autem militum vel gladiatorum significant; inde etiam battuatores, τοὺς βασανιστὰς, dici puto.*

Batus, mensura apud Hebræos in Scripturis sæpius memorata. Erat autem eiusdem capacitatis ac epha: sed batus erat liquidorum, epha aridorum. De voce ita Isidorus libro XVI. cap. XXV. *Batus vocatur Hebraïca lingua ab olearia mola, quæ bath apud eos; vel olearia mola, capiens L sextaria, quæ mensura vnâ mola vice proteritur.* Ab Hebræis esse rectè ait Isidorus: sed de originis caussa vellem certiora attulisset. Interim quæ nominis caussa sit, satis obscurum est in Hebræa lingua. Quod si ex Arabica liceat originem arcessere, res plana erit. Nam ijs בתח, *distribuere, diffundere, dispertiri*: vt est in Lex. Raphel. De re ipsa, si voles, adi Stanislaum Grsepsium libello de mensuris Hebraïcis.

Baubari, est idem quod latrare, éstque verbum factum à sono canum, qui apud Aristophanem in Vespis est αὖ, αὖ; vnde & in prologo Casinæ scriptum: *Plautus cum latranti nomine*. Nempe *Plauti* nomen *latrantem* exprimit, ratione prioris syllabæ. Voce *baubari* vtitur Lucretius libro V. *Et cum deserti baubantur in ædibus*. Glossæ Philoxeni: *Baubantur baubant, latrant, ὑλακτοῦσι*. Est & poculi genus angusti oris, quod βαυκάλιον dicitur, quia, dum liquor ei infunditur, velut βαΰζει ac *baubatur*. Hanc nominis caussam adfert Alexander Aphrodis. lib. I. probl. 94. cùm ait; Διὰ τί τὰ λεγόμενα ... (rectè Gaza legit βαυκάλια) ἐν τῷ πληροῦσθαι ὕδατος ψόφον τινὰ ἀποτελεῖ, ὥσπερ καὶ ἡ φωνή, καὶ τὸ ποιεῖν τὸν ψόφον εἰς ὄνομα αὐτοῖς μετήνεγκεν ὡς καὶ τὸ φλοῖσβος καὶ βορβορυγμὸς καὶ τὰ λοιπά; Solutionem verò problematis apud ipsum Alexandrum vide. A βαυκάλιον est Italicum *baucal*, ac Belg. *bocael*.

Baxearum mentio apud Plautum, Menæchmis, act. II. sc. III.

Esse calciamenti genus, clarè iam olim comprobauit Beroaldus isto Appuleij, lib. xi. Met. *Iuuenem quempiam, linteis amiculis intectum, pedésque palmeis baxeis indutum.* Et illo eiusdem in Floridis: *Vestem de textrina emere, baxeas istas de sutrina prastinare.* Ideo cum socco coniungit Tertullianus, lib. de idol. cap. viii. vbi ait: *Soccus, & baxea quotidie deaurantur.* Philosophos autem potissimùm hoc calciamenti genere vsos, patet illo eiusdem Appuleij: *Nec quid pallio, baculóque, & baxeis & hircino barbitio, philosophum fingeret.* Atque hinc lucem accipit illud Tertulliani, lib. de pallio, cap. iv. *Si philosophus in purpura, cur non & in baxea Tyria calciare?* Nam *baxea* quidem philosophis conueniunt. *Tyria* non item. Videri autem queant Imperatores his vti solere propter illud Spartiani in Alexandro: *Fasceis semper vsus est, baxeas albas habuit, non coccineas, vt prius solebant.* Sic enim locum Lipsius restituit, lib. i. Elect. cap. xiii. pro quo in vulgatis est, *baccas albas*, vel *braccas*. Sed profectò rectum est *braccas*: quemadmodum in notis ad hunc locum ostendit doctissimus Casaubonus. Quod ad Etymon *baxearum*, censeo esse à πὰξ. Hesychius: Πὰξ ὑπόδημα, ἀνυπόδητοι. Vel dicendum tum πὰξ, tum *baxea*, esse originis eiusdem. Sanè eruditissimus socer meus Iunius, in notis ad superiorem Tertulliani locum, *baxeas* dici scribit ἀπὸ τοῦ βάξιος, hoc est, βάσιος, quo *gressus*, item *pes* signatur. Nempe, vti arbitror, à Dorico βαξῶ pro βάσω. Nam & Latini (vt & Dionys. Halic. scripsit) Dores solent imitari; qui pro κλείσω dicunt κλαξῶ, pro ἁρπάσω ἁρπαξῶ, pro ἱζόλασα ἱζόλαξα, pro κλεὶς κλὰξ, pro ὄρνις ὄρνιξ, &c. Viri eruditi pro *baxeis* etiam dicunt *braxea*. Ac laudant illud Isidori, libro xix. capite xxxiv. *Braxea calciamentum comœdorum erat, sicut tragœdorum cothurni: quos quidam etiam calones appellant, eo quòd ex salice fierent. Nam Graci lignum Κᾶλον vocabant.* Ac aliquanto post: *Braxea calciamenta mulierum sunt.* Itaque censent, vt à βάσις est *baxea*, ita à βράξειν esse *braxea*, quia sonum inter eundem ederet. Hesychius: Βραχεῖν, ἠχεῖν, ψοφεῖν. Hoc est, *sonum edere, crepitare*. Hæc minimè improbarem, si constanter apud Isidorum *braxea* legeretur. Nunc vtrobique apud eum in MSS[is] meis constanter vel *baxa* lego, vel *baxea*, sine r; quod rectum arbitror.

Bdellivm, βδέλλιον, diminutiuum est à βδέλλα; quod apud auctorem Peripli non semel. In vett. Plauti libris scribitur *bedellium*. *Bedella* dicitur Isidoro. *Bedella*, inquit, *India & Arabia arbor.* Ac ne calami errorem putes, etiam apud Marcellum Empiricum legas:

——Crocon, atque bedellam.

Est autem βδέλλα à בדלח, cuius mentio, Genes. ii. xii. Sunt quibus placeat, hac voce à Mose signari *lapidem pretiosum*: qui Prisciano se tuentur. Sed apud eum nunc lib. i. legitur, *bdellium, abdir, genus lapidis*; vbi *abdir* est, *abaddir*, siue βαίτυλος, lapis quem Saturnus pro filio deuorauit. Et sanè, si Mosi *bdellium* lapis esset, præmisisset vocem lapidis vocabulo *bedolach*, non vocabulo sequenti. Nunc ait: *Ibi est bedolach, & lapis onyx.* Quare per βδέλλιον (quomodo iam olim transtulere, vt indicat Hieronymus quæst. in Genesin) intelligi debet arbor nigra, magnitudine oleæ, folio roboreo, fructu caprifici, gummi genus exudans. Maximè commendatur bdellium, quod in Bactriana prouenit; quanquam & in Arabia, & India, & Media. & Babylonia. Vide de eo Plinium, lib. xii. cap. ix. & Dioscoridem, lib. i. cap. lxix. siue, iuxta aliorum distinctionem, lxxxi. Meminit & *bdellij* Plautus, Curcul. act. i. sc. ii. vbi sic anus alloquitur vinum:

Nam omnium vnguentûm odor pra tuo nautea est.
Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa.
Tu crocum & casia es, tu bdellium.——

Non tamen vsque adeò certa est hæc lectio, quando in MSS[is], & vett. excusis, est *psellium* vel *petalium*, quod Saracenus, Valla, & Pylades interpretati sunt *foliatum*, quia πέταλον *folium* esse scirent. Alij legunt *megalium*, quod propè ad *petalium* accedit: alij item malunt *telinum*, quod non longè abit à *psellium*. Porrò, & *megalij*, & *telini*, inter vnguenta meminit Plinius, lib. xiii. cap. i. vnde & discere potes, ex quibus vtrumque fieri soleat. *Megalium* Græcè est μεγαλεῖον μύρον, ac sic dici putatur ab eâ μεγαλείου significatione, qua notat *magnificum*, vt nempe sic dicatur à *magnificentia*, siue *virium magnitudine*. Estque hæc sententia Plinij, cum ait, *Postea multò successit propter gloriam appellatum megalium*. Sed aliter Grammatici Græci, qui ab inuentore *Megaro* nomen accepisse putant. Etymologus: μεγαλεῖον ἐστὶ μύρον ἀπὸ Μεγάλου Σικελιώτου εὑρόντος ὠνομασμένον. Eadémque Suidæ sententia. *Telinum* verò dici [illegible]atur à *Telo*, maris Carpathij insulâ, quæ & Agathussa Callimacho vocata apud Plinium & Stephanum. Hanc insu[illegible] cum Isidorus nesciret pro *Telo*, nominat *Delum*. Sic enim [illegible] iv. cap. xii. *Vnguenta quadam dicuntur à locis, vt Telinum, cuius Iulius Cesar meminit dicens: Corpus suaui Telino vnguimus. Hoc conficiebatur in insula Delo, qua est vna ex Cycladibus.* Verum neutra sententia vera est: τήλινον μύρον dicitur, quia præcipuum eorum ex quibus componitur, est fœnumgræcum, quod Græcis τῆλις; vnde similiter τήλινον ἄλευρον dicunt Græci, *farinam ex fœnograco confectam*. Hoc verum etymon esse, clarè docet Dioscorides lib. i. c. lxix. vbi τηλίνου σκευασίαν explicaturus, sumere iubet τήλεως λίτρας ί, ἐλαίου λίτρας θ'. &c. Idem confirmat hic locus Plinij, lib. xiii. cap. i. *Telinum fit ex oleo recenti, cypero, calamo, meliloto, fœnograco, melle, melino, maro, amaraco.* Porrò *telini* quoque *vnguenti* (vt Athenæum aliósque Græcos mittam) meminit è Latinis Tertullianus, lib. de pallio, cap. iv. *Quod apud Omphalem balsamo aut telino spero factum.* At ineptè planè ille, qui hic *phyllino* substituebat.

Beatvs est, quem fortuna (vt vulgus loqui amat) donis suis beauit. Quare nemo non videt, ea ratione id dici, à *beo*, qua *legatus*, est à *lego*. Nugatur more suo Isidorus, cum, lib. x. sic scribit: *Beatus dictus, quasi bene auctus, scilicet ab habendo quod velit, & nihil patiendo quod nolit.* Mouit autem Isidorum ea beati acceptio, qua accipitur pro diuite: vnde Varro, lib. iv. de L. L. *Beatus, qui multa bona possidet*. & Seneca, epist. xlv. ait, vulgo appellari *beatum, ad quem pecunia magna confluxit*. Sic sane Ouidius dixit lib. i. Amorum, el. viii.

Seu bene te, mea lux, iuueni placuisse beato.

Similitérque vsi Horat. Iuuenal. alij. *Beo* verò dicitur fortasse quasi βιῶ. Nam βίος non rarò notat *diuitias* ac *bona*: vnde Tzetzes inter sex huius vocabuli significationes ponit, quod notat *fortunas*, vt πολὺς ἦν αὐτῷ ὁ βίος. Quomodo non poëtæ modò loquuntur, sed etiam Aristoteles, & alij qui prosâ scripserunt. Fortasse existimet aliquis, *beo* esse ab antiquo *benus*. Sed hoc si sit, necesse est dicamus, prius fuisse à *benus*, *beneo*, id est, bene alicui facio. Inde κατὰ συγκοπὴν esse *beo*. Sed quanto verisimilius est, *benus* esse à *beo*, quâ ratione *fenus* est ab antiquo *feo*, vnde *fetus*, & *femina*? *Beo* autem, si minus à βίος esse placet, possis deducere à βάω, id est, βαίνω. Hesychius: Βάσκειν, πορεύεσθαι, ζητεῖν. Est hæc sententia doctissimi Martinij, ingeniosa sanè & erudita. Ita *beo* propriè erit, facio, vt res eat, siue procedat. Nam *eundi* & *procedendi* verba propè in omnibus linguis vsurpantur, cùm bene res habet. Vt, cum Germani dicunt, *es gehet*; Belgæ, *'t gaet*; Galli, *il va bien*, hoc est, *vadit bene*. Et apud Græcos εὐπραγεῖν & εὐοδοῦν; apud Hebræos item אשר, propriè notat *incessit*, vt Prouerb. ix. 6. ac κατὰ μεταφορὰν *beauit*, vt Malach. iii. 12. Quid igitur prohibet, quò minus credamus similiter βάω siue βιῶ propriè quidem *eo* notare, sed translatum esse ad beandi notionem?

Bela, quomodo teste Varrone, lib. ii. cap. i. oues antiqui appellarunt, vt Græci μῆλα; venit à יובל *iobel*, *aries*, abiecta principe syllaba. יו *io*.

Bellaria (vt vulgò quidem, atque etiam in MSS[is] legitur apud Festum Pompeium Paullum) dicuntur *res apta bello*. Eóque Festi loco motus Perottus, scribere non dubitat, arma, sagittas, similiáque, antiquis dicta *bellaria*. Sed nihil eo ineptius. Melius, qui legunt, *res aptas epulis*. Vera autem est emendatio Scaligeri, sic Festi locum corrigentis: *Bellarium, & bellaria, res bellas appellabant.* Nam cupediæ hoc nomine intelligendæ: quod indicat locus iste Agellij lib. xiii. cap. xi. *Significat id vocabulum omne mensa secunda genus. Nam qua πέμματα Graci, aut τραγήματα dixerunt, ea veteres nostri bellaria appellauerunt; vina quoque dulciora est inuenire in comœdijs antiquioribus hoc nomine appellata, dictáque esse ea Liberi.* Hæc Agellius. Similiter Glossæ Philoxeni: *Bellaria*, τραγήματα. Et Onomasticum vetus, *Bellaria*, ὡραῖα. Quare non dubium, quin *bellaria* dicantur, quia *bella* sunt, eâdem ratione, quâ Græci illa, appellant ὡραῖα (nam ὡραῖος, *bellus*, ac *pulcer*;) quâ item Cato *pulcralia* vocat in eâ, quam habuit fundo oleario: vt Festus in hâc ipsâ *pulcralium* voce indicat: quâ denique *res bellas* pro cupedijs dixit Terentius Adelphis, Act. iv. sc. ii.

Nam iam adibo, atque vnum quidquid, quod quidem erit bellissimum,
Carpam, & cyathos sorbillans paulatim hunc producam diem.

Quem ad locum sic Donatus: *Propriè bellissimum dixit, vnde & huiusmodi ad irritandam gulam cibi, bellaria dicuntur.* Mirum verò, non hoc Terentij ac Donati loco motos fuisse, vt desipere desinerent, qui *bellaria* vocata dixerunt, *quia minimè bella*, vtpote valetudini noxia: quod etymon haut damnandum censet Fungerus: tum item, qui sic appellari credunt, *quia bellatoribus sunt oportuna*, quod Francisco Patritio excidit. & Fungero ingeniosè excogitatum videtur, cùm nihil sit stultius.

Bellva, ridiculè quidam sic dictum aiunt, quasi *velua*, nempe ob communionem literæ *b* & *v*, vt sit a *ve*, id est, *sine*, & *mens*, quia sine mentis lumine feratur. Doctissimus Hadrianus Iunius, quia hac voce notatur immanis fera & formidabilis, sic dictam censebat, quasi *immanem belluam*. Sed quid de ἀνωφελεῖ sentiendum sit, sæpius diximus. Quare magis placet id nomen esse à *vello*, quia bellum gerant inter se, & pleræque etiam cum hominibus. A *bellua* est *belluatus*: vt apud Plautum, Pseud. Act. I. sc. II. *belluata taperia*, hoc est, in quibus belluæ acupictæ, ζωωτά, vt interpretantur Gloss. vett. olim Argentorati excusæ, & postea Lugduni recusæ. Apud Festum, *Belluatus*, *bestiæ similis*. Fortasse tamen *belluatus* legendum. In Glossis, quas diximus, etiam in MSS^{is}, legas: *Belluinus*, θηριώδης; vt in Philoxeni Glossis, *belluinus*, θηρίων ὅμοιος; item *belluile*, θηριώδης. In iisdem Argentoratensibus Glossis est *belluosus*, κητώδης; quo loco Glossographus in animo habuit illud Horatij, lib. III. Od. XIV.

Te belluosus, qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis.

Vbi vetus interpres, *Belluosus* interpretatur *marinis abundans*. Atque ab hac quoque mente est, quod Glossæ Philoxeni *belluam* exponunt κῆτος; quódque in Onomastico antè memorato scribitur *Belluosus*, κητώδης. Videndum an & *belluus* dixerint pro *belluinus*. Sanè in Glossis Cyrillo tributis est Θηριώδης, *belluus*, *efferus*. Inque Glossis Isidori: *Belluus*, *moribus bestiarum*.

Bellvm, quasi *minimè bellum* dici, scribit Charisius lib. IV. Diomedes lib. II. Donatus cap. de barbarismo, Seruius Fabricij, ad illud primo Æn. *sic voluere Parcas* (in illo Danielis Seruio non reperias,) Sidonius lib. II. epist. I. Hieronymus, Fabiolæ, Mansione XXXIII. Cassiodor. Psalm. LV. & CXVIII. Sed ἀντίφρασις, vt sæpè diximus, tantummodo inscitiæ est asylum. Alijs placet, *bellum* dici à *belluis*, quia belluarum perniciosa sit dissensio: quod etymon ponit Festus siue Paullus. Verùm *belluæ* contra dictæ à *bello*: vt antè diximus. Tertia eorum opinio est, qui censent esse contractum ex *duellum*. Quam præter alios secutus Isidorus lib. XVIII. cap. I. è iunioribus autem Ioachimus Camerarius, in problematis de etymis, cum prius proposuisset belli tale etymon, vt sit à βέλος, quod *telum* notat, cuius imprimis vsus in bellis; mox tamen id ipse damnat, ac à *duello* factum censet. Eadem sententia Cæsaris Scaligeri, lib. III. de re poëtica, cap. XC. De hac autem opinione iudicium meum mox ponam. Quarta est illorum, qui a *Belo bellum* volunt. Hyginus, de fabulis, cap. CCLXXIV. *Afri, & Ægyptij, primùm fustibus dimicauerunt, postea Belus, Neptuni filius, gladio belligeratus est: vnde bellum dictum.* Eum secutus Cassiodorus, lib. I. epist XXX. *Inter ipsos*, inquit, *aduersarios, vt scitis, non erant primùm armata certamina; sed pugnis se, quamlibet feruida, lacessebat intentio; vnde & pugna nomen accepit. Postea Belus ferreum gladium primus produxit, à quo & bellum placuit nominari.* Sed profectò hoc de *Belo* puto esse Latinorum commentum: nec aliunde, quàm ex *belli* vocabulo confictum. Sanè non Belum, sed Beli filium, Ninum, primum finitimis bella intulisse, scribunt Trogus, & alij. Plinius, VII. cap. LVI. Lacedæmonijs tribuit inuentionem galeæ, gladij, & hastæ. Alijs tribuunt alij: at nemo Belo. Quincta est, opinio Angeli Caninij, qui in Hellenismi Alphabeto putat, *bellum* factum ex πόλεμος; quod etymon, scio, ridebunt indocti. Sed censuit vir ille doctissimus (quem & Nunnesius in Grammatistice sequitur) à πόλεμος fieri hanc vocem abiectâ & mutatâ π in mediam *b*, abiectâ terminatione ος, quomodo ab ἀπὸ est *ab*, ab ὑπὸ *sub*, ab ὅπου *vbi*, à πύῤῥος *burrus*, &c. Equidem planè huic etymo subscriberem, nisi putarem priùs *duellum* dici solitum, quam *bellum*: quod si est, non dubium, quin ex eo *bellum* factum sit. Sanè hæc sententia cum auctoritate maximorum virorum, tum etiam ἀναλογίᾳ subnixa est. Varro lib. VI. de L. L. *Apud Ennium: Quin inde inuicti sumserunt perduellibus. Perduelles sunt hostes; vt perficit, sic perduellum, duellum: id postea bellum. Ab eâdem caussâ facta Duellona, Bellona.* Cicero in Oratore: *Vt duellum, bellum, & duis, bis, sic Duellium eum, qui Pœnos classe deuicit, Bellium nominauerunt, cum superiores appellati essent semper Duellij.* Quinctilianus libro I. capite IV. *Nec non eadem fecit ex duello bellum, vnde Duelios quidam dicere bellos ausi.* Iniurius, puto, tantis viris sim, si addam, idem sensisse Isidorum lib. XVIII. cap. I. ac quosdam alios eius farinæ scriptores. Nam sanè adeò frequens est Isidoro, & similibus, falsum etymon adferre, vt propè metuam, ne eò falsum hoc etymon credatur, quia apud huiusmodi reperiatur scriptores. Sic igitur statuimus, vt à *duis* (quod à Græco δὶς) venit *bis*; vt à *duonum* est *bonum* (quemadmodum suo loco ostendemus,) sic à *duellum* est *bellum*. *Duellum* verò dictum à *duobus*, vnde & propriè videtur esse μονομαχία. Vetus Horatij interpres ad epist. II. lib. I. *Duellum propriè est, quod à duobus bellum geritur.* Verùm nihil impedit, quo minùs ea vox haberet locum, cùm *bellum* est *inter plures*: quandoquidem tum quoque est inter duas, vrbes, gentes, & partes. Gloss. vett. *Duellum*, πόλεμος ἀρχαῖος: lege ἀρχαίως, vel ἀρχαϊκῶς. Vsi tamen eâ voce non antiqui solùm (vt Ennius, I. Annal. Plautus Truculento, act. II. sc. VI. & alibi) sed & Horatius lib. I. epist. II. Ouid. VI. Fast. Iuuenalis sat. I. plurésque alij. A *duello* dicti *duelles* pro hostibus. Arnobius lib. I. *Cur, duelles cùm pereunt, lætum augurium non sum, nec aduersus spes bonas mali ominis obscænitate traducor?* Ab eo *perduelles*. Plautus, Amph. Act. sc. I. *Perduelles penetrant se in fugam.* Hinc quoque ortum capit vox *perduellio*. Priscianus lib. XII. *Duellum dicebant antiqui pro bellum, ex quo perduellio.* Est verò *perduellionis crimen*, idem quod læsæ maiestatis. Nomen ex eo est, quòd à quo committitur, *perduellis*, hoc est, hostis, debeat censeri. Nam *per* hic notat *perquam*, seu *valde*, teste Charisio, cui *perduellis* significat *valde duellem*, siue *hostem*. At non audiendus Sacer Grammaticus, qui, vt ibidem Sosipater dicit, *perduellionis iudicium ab Horatio sumtum ait, dictúmque, quod per tempus belli sit factum, cùm in sororem suam gladio vsus esset.* Est & Plauti, *duellator*, prologo Capt. *Domi duellique duellatores optimi.* *Duellicus* dixit Lucretius lib. II. *Equorum duellica proles.* Similiter *Duellona* veteres dixere pro *Bellona*. Gloss. Philoxeni: *Duellona*, πολεμική. Pleniùs eædem in voce *Bellona* interpretantur, Ἐνυώ. Ἐρινύς. Θεὰ πολεμική. Eam malè quidam confundunt cum Pallade bellatrice. Nam *Bellona* est ex Dijs inferis. Dicti ab hac *Bellonarij*. quâ voce vsus Acro ad sat. II. *Bellonarij*, inquit, *lacertos humerósque concidunt*; vbi respicit morem Bellonariorum, sese cultris ferientium. quò sanguine suo Bellonam placarent. In Gloss. Philoxeni legas: *Bellonarij*, οἱ θεοφορούμενοι, lib. de offic. Proconsulis. Nempe sic interpretatur, quia furentes vaticinarentur: vnde Martialis lib. XII. epig. LVII.

Nec turba cessat entheata Bellonæ.

Et lib. XI. epig. LXXXV.

Alba minus sanis lacerantur brachia cultris,
Cùm furit ad Phrygios enthea turba modos.

Quibus ex verbis etiam Acronis locus locum accipit. Sed & illud de vaticinijs, & alterum de voluntaria Bellonariorum cruentatione, clarè complexus his versibus Tibullus:

Hæc vbi Bellonæ motu est agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet:
Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos,
Sanguinéque effuso spargit inepta Deam:
Státque latus præfixa veru, stat saucia pectus,
Et canit euentus, quos Dea magna monet.

Pertinet huc quoque locus Tertulliani in Apolog. c. IX. *Hodie istic Bellonæ sacratus sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus suis datur signatis.* Quare non belli solùm rationem habuit, sed & morem hunc Bellonariorum respexit Horatius, cum, lib. II. sat. III. ait:

Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.

A *bellonariis* dicta herba *bellonaria*, quam sumentes fiebant enthei, ac spiritu pleni. Itidem à *vatibus* dicta *vatica*. Vide Appuleium in Herbario.

Bene, aduerbium est ab antiquo *benus*, pro *bonus*: quomodo & *hemo*, & *olus*, & *Apello*; pro *homo*, *olus*, *Apollo*, dixere. A *benus* est *benignus*, de quo postea; item *benulus*, vnde *bellus*, vt ab *vnus*, *vnulus*, *vllus*, à *vinum*, *vinulum*, *villum*, &c. Quare fugit eos ratio, qui scripsere ideo in priori syllaba esse *e*, non *o*, quia sit ex *bonellus*: qua in sententia Becmanno præiuit Cæsar Scaliger de caussis L. L. cap. XXIX. *Bonus*, inquit, *bellus*. *Fuit enim bonulus bonellus.* Imò & Priscianus non satis ad antiquum *benus* attendisse videtur, cum lib. VIII. scribere est contentus: *Bonus bellus, bona bella, bonum bellum facit. Omnia in vs desinentia masculina geminant in diminutiuis, vt geminus gemellus.* Nam apertè ait, vt à *geminus gemellus*, sic à *bonus* esse *bellus*. Atqui *gemellus* ἀμέσως non est à *geminus*, sed à *geminulus*: vti *bellus* non ἀμέσως à *bonus*, sed à *benulus*, quod à *benus*. A *bellus bellitudo*, vt à *magnus magnitudo*. Venius vsurpat, vt quidem vulgo, atque etiam MSS^{is}, legitur apud Festum, Venij epitomatorem. Sed pro Venio puto *Varum* scripsisse, vt Antonius Augustinus ad oram annotauit. A *belle* est *bellule* apud Plautum, quod & Festus obseruat.

Benignvs est largus, liberalis: quod Ciceronis ac Plauti locis plusculis ostendit Lambinus in Horatij od. XXVII. libro I. *Malignus* contra, est illiberalis, parcus: vnde Plautus, Bacch. Act. III. sc. II. *Iustus, iniustus, malignus, largus, commodus, incommodus.* Et Horat. ad Augustum, lib. II. epist.

Cùm rectè tractent alij, laudare malignè.

Vbi plura id genus congessit idem Lambinus. Festus ait, *benignum* dici propriè, qui *bonus & dignus* largitur. Vnde & conflatum videri queat. Sed addit Festus, esse ex *bono & gignendo*. Vt nempe contractum sit ex *benegignus*. Sed neutrum etymon est verum. Nam à *bonus*, siue potiùs antiquo *benus*, est *benignus*, addito *gnus*: ac similiter à *malus* est *malignus*.

BENNA est à Gallis, Belgis, quibus hodiéque *benne* est corbis, cista, item vehiculum vimineum quadratum, duabus rotis volubile. Festus: *Benna lingua Gallica genus vehiculi appellatur; vnde vocantur combennones, in eadem bennâ sedentes.* Gloss. vett. *bennarius*, συνοχέχος. Fortasse *benna* à ϐῆναι. Nisi potius à Belgico *bane*, id est, via, callis, & imprimis via aperta, plana.

BERYLLUS, βήρυλλος, ab Oriente accepimus. Sanè Arabibus est בלור. Isidorus lib. XVI. cap. VII. *Beryllus in India gignitur, gentis suæ lingua nomen habens.* Plura de eo ibidem, & Boëthium, aliósque, qui de gemmis scripsere.

BESALIA à Charisio, lib. I. capite eo, quo in nominibus genera & numeros discernit, reponitur inter illa, quæ singulo numero destituuntur. Βήσαλον pro eo Græci dixere. Glossæ Cyrillo tributæ: Βήσαλον, *later coctus.* Legas & L. XII. D. Vrbanorum; vbi pro *opere figlino* sumitur. Item L. I. §. I. D. de tigno iuncto vbi *testa* sic vocatur. Etiam apud Theophilum, lib. II. Tit. I. qui est de rerum diuis. *tigni* appellatione βήσαλον dicitur contineri. Sed Iacobus Curtius perperam vertit *pessulum*, cum *laterem* deberet. Rectè autem obseruat Martinius, esse purum putum Chaldæum. Nam בשלא, *beschala, coctile*, à *beschal*, quod Hebræis בשל, *baschal*, id est, *coxit*.

BESTIÆ, quasi *vistiæ*, vt sentit Isidorus lib. XII. cap. II. *Bestiæ*, inquit, *dictæ à vi, quâ sæuiunt.* Sed si à vi, quâ sæuiunt, nomen accepere, potius ἀπὸ τῆς συγκοπῆς, ita dictæ, quasi βιάστιαι quod Martinio non temerè placuit. Qui & etyma alia addit, nempe vt ex eo sit nomen, quia truculentæ feræ non tam alendis, quàm *vestiendis*, hominibus seruiant. Vel, vt sit nomen ex loco, vbi plurimùm agunt. Nam βῆσσαι Homero sunt *saltus*, ac *conualles*. Vel à *Bessis* Thraciæ populis, quos *immanes* vocat Valerius Flaccus. Quamquam, si horum alterum ab altero foret, potiùs *Bessis* à *bestijs* nomen foret. Nec enim dubium, quin Latio nomen *bestiarum* notum fuerit ante *Bessos*. Aliud & etymon reperio apud Caninium, & Nunnesium, qui esse à βόσκεσθαι censent, conuersâ κ in τ, quomodo Dores, quos Latini solent imitari, pro πόσος dicunt τόσος, pro ἐκεῖ, τηνεῖ. *Bestiarij* dicti, tum qui in hoc damnabantur, vt bestijs subijcerentur; tum qui citra damnationem intromittebantur in arenam, cum bestijs pugnaturi. Onomasticum vetus: *Bestiarij*, θηριομάχοι. Glossæ Philoxeni: θηριομάχος, *bestiarius.* At corruptè mox: θηριάτης, *bestiarius.* Fortè voluit, θηριώδης. Sequitur enim: θηριώδης, *belluinus, efferus.* *Bestiarij* voce vsi, Cicero pro Sextio, & in Vatinium; Seneca lib. II. de benefic. cap. XIX. & epist. LXX. Tertullianus Apolog. cap. XLII. Ammianus lib. XV. &c. At Græcis posterioribus, vt Codino, atque alijs, βεστιάριος est, qui Latinis *vestiarius*, hoc est, qui Imperatoris vestes, & pretiosissima quæque adseruaret. Vnde & fecere πρωτοβεστιάριος. Atque vt à Latinis Græci *vestiarius*: ita à Græcis Latini *protouestiarius* accepere. Vide de istis Meursij Glossarium Græcobarbarum.

BETA, à figura literæ βῆτα, quam habet, cum turget semine. Columella:

> *Nomine tum Graio, ceu litera proxima primæ*
> *Pangitur in cerâ docti mucrone magistri:*
> *Sic & humo pingui ferratæ cuspidis ictu*
> *Deprimitur folio viridis, pede candida, beta.*

Quia autem Græci literam secundam integrè *beta* nominant, Latini priorem tantùm syllabam efferunt: inde est quod Symposius siue Symphosius (variè enim poëtaster ille vocatur in codd. antiquis) sic de eâ scribat, ænigm. XLII.

> *Tota vocor Græcè, sed non sum tota Latinè,*
> *Ante tamen mediam caupona scripta tabernam,*
> *In terra nascor, lymphâ lauor, vngor oliuo.*

Est verò beta saporis insipidi, nisi condiatur: vnde *fatuam* appellat Martialis. Eadem languida: maximè tenera. Vnde Catullus:

> *Languidior tenera cui pendens sicula beta.*

Hæc caussa est, cur Augustus Cæsar (vt Suetonius auctor est in vita eius, cap. LXXXVII.) à *beta* dixerit *betizare*, pro *languere*, nempe quâ formâ vulgò à λάχανον, quod Atticis *beta*, dicebant *lachanissare*, hoc est, λαχανίζειν. Glossæ Philoxeni interpretantur *vacillare*, sed in ijs corruptè scriptum λαχανίζειν, vt monuit Casaubonus. A *beta* quoque est *betaceus*, vt à *malua*, *maluaceus*. Cum verò vtrumque naturâ suâ adiectiuum sit, tamen olim quoque substantiuè vsurpabantur, idque pro *parua* *beta* aut *malua*. Docet id clarè Sosipater lib. I. *Hypocorismata*, inquit, *semper generibus suis, vnde oriuntur, consonant; pauca dissonant, velut, vnguis, vnguicula: hæc rana, hic ranunculus, hic anguis, hæc anguilla, hoc glandium, hæc glandula: hic panis, hoc pastillum, vt Varro dixit: hæc beta, hic betaceus, hæc malua, hic maluaceus: hoc pistrinum, hæc pistrilla, &c.* Ac ne excidisse hæc Charisio putes, inter alia hæc ipsa *betacei & maluacei* exempla repetit lib. II. cap. de Nomine; ac Priscianus eadem plane docet extremo lib. tertio. Eandémque sententiam tuetur Turnebus lib. XI. cap. III.

BETONICA, siue, vt alij scribere malunt, *vetonica*, aut *vettonica*, ita dicitur à *Vettonibus*, Lusitaniæ populo: eadem Latinis *serratula*, à folijs circumquaque *serratis* vocatur: Græcis ψυχότροφον, à ψυχρός, *frigidum*; & τρέφειν, *nutrire*; quia in humidis crescit locis: item κέστρον, ab ἀκεῖσθαι, *mederi*, nempe quia morbis admodum varijs medetur. Plinius lib. XXV. cap. VIII. *Vettones in Hispania eam, quæ Vettonica dicitur in Gallia, in Italia autem serratula, à Græcis cestron, aut psychotrophon, ante cunctas laudatissima.* Imprimis commendata est ab Antonio Musa, Augusti medico, qui de eius præstantia atque vtilitate commentariolum reliquit. Etiam à multiplici eius remedio originem trahit prouerbium apud Italos, quo laudantes aliquem vtuntur, *Tu hai più virtù, che non ha la betonica*: tu pluribus es præditus virtutibus, quam betonica. Matthiolum vide ad Dioscor. lib. IV. cap. I.

BETULA de arbore sic Plinius lib. XVI. cap. XVIII. *Gaudet frigidis sorbus, & magis etiam betulla. Gallica hæc arbor mirabili candore atque tenuitate, terribilis magistratuum virgis. Eadem circulis flexilis, item corbium sportis. Bitumen ex ea Galliæ excoquunt.* Quibus ex verbis geminum atque adeò triplex etymon ruspantur viri docti. Cambdenus in Britannia, & ex eo in Galliæ descriptione Merula, suspicantur, quia scribat Plinius esse arborem Gallicam, vocem *betula* esse à Gallis, eo magis, quia vetus Celtarum lingua, aut eadem, aut non longè diuersa, fuit à Britannica, hodiéque Britannis, apud quos arbor ea latè latéque prouenit, *Bedu* nominetur. Sanè non facilè hoc etymon respuet, qui vocabula Gallica, quæ apud antiquos habemus, cum Britannica contulerit: cuius rei speciem qui volet, videat apud Cambdenum. Interea nec altera nobis omittenda originatio, quæ itidem ex Plinij verbis adstrui potest. Nam ait is, *betullam* esse terribilem magistratuum virgis. Quare Dalecampius (in notis ad Theophrasti historiam, quæ absque auctoris nomine in lucem prodierunt, vna cum animaduersionibus Iulij Scaligeri) suspicatur *betulam*, quasi *batuulam*, à *batuendo* dici, quia eius viminibus pueri cædantur, ac adulti etiam à magistratu. Tertiam quoque legas ibidem, vt *betula* sit à *bitumine*, quia Plinius dicat Gallias ex ea bitumen excoquere. Hoc etymon placuit Matthiolo in Dioscoridis lib. I. cap. XCIII. Reijcit autem id Dalecampius. Mihi Cambdeni sententia maximè arridet.

BIBLIA, βιβλία, κατ' ἐξοχὴν sic dicuntur libri θεόπνευστοι Veteris & Noui Testamenti. Sed natura sua quibusuis libris conuenit. Propriè autem βύβλος, siue βίβλος, *papyrus*, planta Ægyptia. Sed quia inde chartæ conficiebantur, hinc factum, vt pro *libro* accipiatur. Ab eo ὑποκοριστικῶς fit βιβλίον, quod propriè *libellum* significat, sed ἀδιαφόρως sæpè pro *libro* vsurpatur. Hinc βιβλιοθήκη, quasi βιβλίων θήκη; vnde liquet propriè sic vocari armaria in quibus sunt libri collocati: quomodo χειροθήκη dicitur, quasi χειρῶν θήκη, vbi manus reponimus. Sed & *bibliotheca* locus ipse, ipsique libri dicuntur, vt Nerua apud Vlpianum scribit. l. librorum, 52. §. sed si bibliothecam. D. de legatis, 3. Gloss. Isidori: *Bibliothecarius, qui codices secat.* scr. *seruat.* Vide de bibliothecis syntagma Iusti Lipsij.

BIBO meritò videtur Angelo Caninio esse à πίνω conuerso Π in B, quomodo à πυ est *tibi*. Vel est à πίω, adiectione literæ. *Bio*, à פה, siue פי, id est, *os*. Triplex enim oris vsus, *loqui, edere, bibere*: eóque tria inde hæc verba fecere φῶ, φάγω, πίω. A *bibere* est *biber*. Charisius l. I. *Biber*, τὸ πιεῖν. C. Fannius Annalium octauo: *Domina eius, vbi villam venerat, iubet ei biber dari.* Cato quoque vsus libris Originum. Sed & Titinnius in Prælia: *date illi biber, iracunda hæc est.* A *biber*, extrito *b*, est Belgicum *bier*, id est, *ceruisia*.

BIDENTAL in Glossis exponitur, τόπος κεραυνόβολος, *locus fulmine ictus*. Paullus è Festo sic scribit: *Bidental dicebant quoddam templum, quod in eo bidentibus sacrificaretur.* Vbi Festus per *templum* intellexit, locum religionis caussa muro, palis, fune, aut simili re clausum septúmque. Id enim templum notare alibi ex Seruio diximus. Cornelius Fronto: *Bidental, locus fulmine tactus & expiatus oue. Bidentes enim oues appellantur.* Persij vetus interpres in sat. II. *Bidental est locus sacro percussus fulmine, qui bidente ab aruspicibus consecratur, quem cal-*

care

care nefas est. Satis ex his liquet, *bidental* à *bidente* sic dici: proptéque sic vocari locum fulmine ictum, & bidentibus ouibus expiatum consecratumque: quem icc irco ingredi & calcare nefas esset. Nimirum aruspex purâ indutus veste *bidente* locum expiabat, expiatum consecrabat, consecratum sepiebat, quia calcari nefas erat. Hinc Artemidorus, lib. II. cap. VIII. Ὁ κεραυνὸς τὰ ἄσημα τῶν χωρίων ἐπίσημα ποιεῖ διὰ τοὺς ἐνιδρυμένους βωμοὺς, καὶ τὰς ἐν αὐτοῖς γινομένας θυσίας, τὰ δὲ πολυτελῆ χωρία ἔρημα καὶ ἄβατα ποιεῖ, οὐδεὶς γὰρ ἐν αὐτοῖς ἐνδιατρίβειν ἐθέλει. *Fulmen ignobiles locos nobiles facit, propter aras quæ in ijs statuuntur, propterque sacrificia, quæ in ijs fiunt: loca vero sumtuosa, deserta & inaccessa efficit, nemo enim in ijs commorari amplius vult.* Modus vero aris consecrandi, cum & reliqua sacrificiorum pompa, fulguralibus Tagetis libris ac reliquorum Hetruscorum continebatur. Quemadmodum verò *carcer* a Lucilio sumitur pro eo, qui dignus est carcere, sic & *bidental* notat hominem fulmine occisum, cuius caussa fieri debeat *bidental*. Sic vsus Persius, sat. II.

Triste iaces lucis euitandúmque bidental.

Græci *bidental* vocant ἐνηλύσια, quod discere est ex nono Pollucis lib. o, & Hesychio, qui interpretatur, κεραυνόβλητα χωρία, id est, *fulmine icta.* Nam ζεὺς τὸ *fulmen*, vt discere est ex auctore libelli de Mundo, qui malè vulgò Aristoteles putatur. Vide *Fulmen.*

BIDENTES, *oues bimas*, interpretatur vetus Horatij interpres ad lib. III. od. XXIII. Quin sic ab ætate dici, quasi *biennes*, disputat Agellius, lib. XVI. cap. VI. Eadémque sententia Nonij Marcelli, vel & Macrobij, qui totum Agellij caput exscripsit, lib VI. cap. IX. Hi si rectè, sanè vt à *trabs, plebis, mentis*; dicimus, *trabs, plebs, mens*: sic à *biennis* erit *bidens*. *Bidennis* autem diceretur pro *biennis*, interiecto *D*, vt in *redarguo, redintegro*, & similibus. Sed contra hanc sententiam illud afferimus, quòd si ab *annus* veniret *bidennis*: *biennis* diceretur, vt *triennis*. Quare patet, *bidentes* dici à *dentibus*, præsertim quando & *ambidentes* similiter vocabantur, vt indicat Festus in *Ambidens*. *Ambidens*, inquit, *sine bidens, ouis appellabatur, quæ superioribus & inferioribus est dentibus.* Vt *bidens*, & *ambidens*, sit ἀμφόδους, hoc est, *vtrimque dentatus.* Non igitur putandum, *bidentes* vocari, quasi duos tantum habeant dentes, quam opinionem merito rident A. Gellius, & Macrobius: verùm quia binos haberent dentium ordines, vtpote dentati in vtrâque maxillâ. Vel si non de ordinibus dentium, verùm dentibus duobus capere lubet, eò respexere, quia in sacrificijs requireretur, vt duos haberent dentes eminentiores, haut aliter ac in tauro πλήρει requirebatur, vt cornua haberet diuersa & patentia, cuiusmodi boues icc irco *patales* dicuntur Plauto in Truculento. Quod de duobus dentibus dixi, clare ostendit locus Hygini, è cuius quarto librorum de Virgilio, hæc verba citat Agellius: *Quæ bidens est hostia, oportet habeat dentes octo, sed ex his duo ceteris altiores, per quos appareat ex minore ætate in maiorem transcendisse.* Ei subscribit Festus, qui itidem *bidentes*, exponit *duos dentes longiores ceteris habentes.* Similiter Seruius ad 6. Æn. *Bidentes oues sunt circa bimatum, habentes duos dentes eminentiores: quæ erant apta sacrificijs.* Et Isidorus lib. XII. cap. I. *Ex ouibus quasdam bidentes vocant, eo quod inter octo dentes, duos altiores habent: quas maxime Gentiles in sacrificium offerrebant.* Sic enim legendus is locus. In vulgatis editt. etiam Parisina Breulij, pro *habent*, corruptè iteratum *vocant*. Porrò ex his patet, quomodo capiendus sit locus ille in Glossis Philoxeni: *Bidentes*, ἱερεῖα τὰ δύο ὀδόντας ἔχοντα, διὰ τὸ διέτη αὐτὰ εἶναι. Nam patet, non ea verba τὰ ἔχει accipienda: sed intelligenda esse de duobus dentibus eminulis: vt ceteros vidimus locutos. Sic igitur statuimus, *bidens* esse, non quidem à *bis*, vel *binus*, & *dens*, sed à *duo* & *dens*; vt *tridens*, non a *ter*, vel *ternus*, & *dens*: sed à *tribus dentibus*. Prius fuit *diuidens*, vnde *bidens*: vt à *duonum, bonum*; à *duellum, bellum*; à *duis, bis*.

BIFARIAM, *trifariam, omnifariam*, sunt à *fari*, vt Priscianus ait in XV. Nempe qua ratione Græcis à φάω sunt διφάσιος, *duplex*, τριφάσιος, *triplex*. Glossæ Cyrilli: διφασίως, *bifariam*. *Bifarius* pro διφάσιος dixit Apuleius περὶ ἑρμ. *Vt bifaria sit sublata illatio.* Dicitur & *amfariam* quod Glossæ Philoxeni interpretantur, *in amborum partes*: non quasi sit ab *ambo*, sed ab *am*, id est, *circum*, & *fari*.

BIGA, quasi *biiuga*, *quadriga*, quasi *quadriiuga*, vt indicat Fronto apud Agellium, cap. VIII. lib. XI. Similiter Isidorus lib. XVIII. cap. XXXVI. *Quadrigæ & bigæ, trigæ & seiugæ, ab equorum numero & iugo dictæ.* Rob. Stephanus in Thes. existimat, *biga, triga, quadriga*, dici, quasi *biaga, triaga, quadriaga*. Et magis placet id Martinio, partim quia Græci similiter δίφρος dicunt, à δὶς & φέρω cui similis fit *biga* ex *bis* & *agere*; partim quia eodem modo est *auriga*, quasi aureis agens: partim quia omnino durius sit, vt coalescat *I* consonum cum vocali priori, vt fieret, si ex *biiuga* sint *bigæ*. A *bigis* & *quadrigis* insculptis nummi dicti *bigati* & *quadrigati*: teste Plinio, lib. XXXIII. cap. III.

BILIS, Perotto conflatum videtur ex *bis*, & *lis*. Nempe quod *biliosi*, hoc est, ij qui bile abundant sint iracundi & *litigiosi*. Próque sententia sua citat, quod veteres in accusandi casu *bilem* dixerint, vbi posteriores *bilem*. Prora & puppis huic rei istoc Næuij: *Bil tam mihi nuper excitauit.* Vbi *stlitem* legendum, quod antiquum pro *litem*, vt *stlata* pro *lata*. De quo alibi. Alijs placet, *bilis* esse ex πικρός. Quod sane longe abit. Alij à *bullio*, vel βρύω, quod Hesychius exponit, πλήθω, id est, *confertus, oppletus.* Mihi vix dubium, quin, cùm & *i* in *bilis*, & *o* in χολὴ solum sint productio vocis, duo ista, *fel*, & *bilis*, sint ab vna origine: Sanè *bilis* esse è voce χολή, etiam Nunnesius putauit. Et inde etiam *fel* fuerit κατ' ἀποκοπήν. Nam χ quandóque abit in F; vt alibi dictum.

BILLIS quid sit, Festus docet: qui & Africanam esse vocem indicat. Martinius obseruat, videri esse à Chaldæis, quibus בלם, *miscere*, vel ab Hebræis, quibus בלל, *perfundere, miscere.*

BIMVS, *trimus, quadrimus*, pro quibus, de pueris loquentes, potiùs, *bimulus, trimulus, quadrimulus*, dicimus, ab annorum numero ortum dicunt. Sed quæritur; vtrum simpliciter sint deriuata à *bis, tria, quatuor*: an verò conflata sint ex istis, & voce *annus*. Posterius censet Cæsar Scaliger de caussis L. L. cap. XCVIII. Etiam negat facile caussam adferri posse, cur, cum dicamus, *legitimus, finitimus, aditimus*, penultimâ correptâ; *bimus* tamen, *trimus, quadrimus*, eam producant: nisi propter concisionem. Vult igitur esse concisa ex *biannus, triannus, quadriannus*. Sed cur per *M* scribuntur? Iouianus Pontanus in Actio suo, pag. CXXXIII. edit. Ald. hoc inde fieri ait, quia veteres ab *am*, id est, *circum*, dixerint *amnus*. Eóque contracta ista esse ex *biamnus, triamnus, quadriamnus*. Mihi magis placet, *bimus, trimus, quadrimus*, simplicia æquè esse ac *binus, trinus, quaternus*. Quódque *bimus* & *trimus* per *M* scripsere, id differentiæ caussa factum censeo. Et, cum in *bimus*, & *trimus*, id fecissent, etiam placuit in *quadrimus*.

BIPENNIS, δίστομος ἀξίνη, vt Glossæ Philoxeni interpretantur. Belgæ *hellebaerd* nominant. Nomen adiectiuum est, in quo per ἔλλειψιν intelligitur *securis*, quod & ipsum interdum additur, vt ostendit hic Varronis locus à Nonio adductus: *Ferens ferream humero bipennem securim.* *Bipennis*, à *bis*, & *pinna*; quod est acumen: vnde & *pinna* templorum, murorúmque legimus. Fabium hâc de re audiamus, libro I. capite IV. *Nec miretur, cur ex scamno fiat scabellum, aut à pinna, quod est acutum, securis vtrimque habens aciem bipennis: ne illorum sequatur errorem, qui, quia à pennis duabus hoc esse nomen existimant, pinnas auium dici volunt.* Fabio subscribit Seruius ad XI. Æn. *Bipennis dicitur, quòd ex vtraque parte habeat aciem, quasi duas, quas veteres dicebant.* Et Nonius Marcellus: *Bipennis manifestum est dici, quod ex vtraque parte sit acutum. Nam nonnulli gubernaculorum partes tenuiores ad hanc similitudinem pinnas vocant eleganter.* At opinionem, quam Fabius damnat, secutus est Isidorus, lib. XIX. Orig. cap. XIX. *Securis apud veteres penna vocabatur, vtram que autem habens aciem, bipennis dicitur: quòd ex vtrâque parte habeat acutam aciem, quasi duas pennas. Pennum autem antiqui acutum dicebant. Vnde & auium penna, quia acuta. Et ecce nomen, quod reseruauit antiquitatem, quia veteres dicebant pennas, non pinnas.*

BIS, à *duo* esse scribit Priscianus in quinctodecimo. Sed est ab antiquo *duis*, quod à Græco δὶς. Cicero in Oratore: *Vt duellum bellum, & duis bis, sic Duellium eum, qui Pœnos classe deuicit, Bellium nominauerunt, cum superiores appellati semper essent Duellij.* Quo in loco, pro *Duellij* & *Bellij*, rectius legatur *Duilij* & *Bilij*: quando *Bilia* seu *Billia*, non *Bellia*, ea gens dicta, vt ad Ennium ostendit Paullus Merula. De *duis* Tullium secutus est Festus: *Duis*, inquit, *duas habet significationes: nam & pro bis ponebatur, & pro dederis.* Extant prioris significationis vestigia in vocibus *duicensus* & *duidens*, pro *bicensus* & *bidens*. Festus: *Duicensus dicebatur cum altero, id est, cum filio, census.* Idem: *Duidens, hostia bidens.* A *bis* est *bimus*, vt à *pris* (vnde & *pridem*) est *primus*, à *ter, ternus*. Fallitur Priscianus in IV. & XVII. cum *bini* dici censet, quasi *b uni*, à *bis*, & *vnus*.

BISON, qui & Græcis Βίσων, feri bouis genus, vt ex Plinio, Solino, alijs, constat. Nomen ijs à *Bisionibus*, Thraciæ populo. Oppianus lib. II. Κυνηγ. vers. 155.

Εἰσὶ δὲ καὶ ταῦροι φονίοις ἐπὶ φῦλον ἔχοντες,
Τοὺς καλέουσι Βίσωνας, ἐπεὶ ποιμένες τελέθουσι
Βιστονίδος θρῄκης.
Est indomitum cruentis taurorum genus,

Quos-

Quos Bisonas vocant, quia è patria sunt
Bistonide Thracia.

In veteri cod. est βισῶνας; sed vel βίσωνας scribendum, vt Budæo & Gesnero visum, vel, vt in vulgatis est Oppiani libris, βισῶνας, vt ω liquescat in dimetiendo versu, quod non est insolens. Sed prius malim, cum nemo alius βίσωνας appellet. Sanè Pausanias in X, βίσωνας vocat, Xiphilinus in Seuero βίσωνας, qui ait esse βοῶν τι γένος βαρβαρικόν. Latini potius dicunt, *bisontes*. Vt contra Græci, λέοντας, δράκοντας, dicunt, vbi Latini, *leones*, *dracones*.

Bitienses, Festo teste, *dicuntur, qui peregrinantur assiduè*. Obertus Giffanius, in Indice Lucretiano voce *Dubitare*, legendum censet *betiensis*, per secundam vocalem, idque, quia, vt ait, veniat ab antiquo *betere*; pro *ire*. Et sic sanè veteres dixisse, negari nequit, cum id vno Varronis, & duobus Pacuuij locis comprobat Nonius. Ac locis ijs addere possis illud Plauti Astraba: *Qua nisi sic beteris, nimis is vegrandi gradu.* Non tamen cum Giffanio *betiensium*, vocem refingere ausim, verùm potiùs ex *bitiensium* voce colligam, veteres & *betere* dixisse & *bitere*: præsertim quando in codd. antiquis *vitere* nonnunquam legas hac significatione: quod clarè ex seculi more scriptum, pro *bitere*. Id in Lucillij quodam loco factum putat Palmerius pag. 724. facis Criticæ. Adde quod sunt plurima alia in quibus antiquiores E, posteriores I, vsurparunt. Illustrem hac de re Fabij locum ponam è lib. I. cap. IV. Quid non E quoque I loco fuit? *vt Menerua, & leber, & magester, & Dijone, & Vejoue*, pro *Dijoui, & Vejoui*. Videtur autem *betere*, esse à βάω, vel βῶμι, quod idem signat. Sanè βάδε quid aliud est, quam *bete*? Quod verò in Calepino legas *bito*, quasi *bene ito*, id planè ineptum. A *betere*, seu *betire*; sunt hæc composita, *adbito*, *cambito*, *imbito*, *perbito*, *prabito*, *rebito*. Plautus Captiuis Act. III. sc. IV. *Námque edepol si adbitas propius, os denasabit tibi Mordicus.* Idem eàdem Com. Act. II. sc. III. *Si non rebitas huc, vt viginti minas dem pro te*, id est, *redeas*. Idem, Epidico Act. I. sc. II. *Meam domum ne imbitas*, id est, *ineas*. Idem Rudente, Act. II.

———*Qui homo:*
Vtinam te prius quam oculis vidissem meis,
Malo cruciatu in Sicilia perbiteres.

Vbi *perbitere* est *perire*. Itaque nihil caussæ est, cur displiceat lectio isthæc in Captiuis Act. III. sc. V.

Qui per virtutem perbitat, non interit.

Vbi Camerarius (quem Obertus Giffanius sequitur, Indice Lucretiano, voce *Dubitare*,) pro *perbitat* mauult *peritat*; ac ne claudicet versus, *Qui per* ἀλφιλυσεν efferre in dimetiendo iubet, vt sit iambus.

Bitvæ dicuntur mulieres, quæ Græcis δίκοροι, quia *duplex* ijs *pupilla*, quæ Græcis κόρη, atque Aristoteli etiam ὄψις. Id propriè *obtutum* notet. Similitérque *bitua*, à *bino intuitu*.

Bitvmen, ex sententia Becmanni, primùm dicebatur, quod flueret ex pinu, quæ Græcè πίτυς, vnde *bitumen*, conuerso Π in B, quomodo à πύξος est *buxus*, ab ἀπὸ, *ab*, ab ἄψυρτος, *Absyrtus*, &c. Sed rectius Martinius deriuat a πίττα, *pix*, vnde πιττόω, à quo *bitumen*, quasi πίττωμα dicas. Sanè *bitumen* dicitur Germanis *erdpech*, q. d. *pix terrestris*. Idque, quia pici simile est, eíque miscetur, vt è Plinio mox ostendam. Græcè *bitumen* dicitur ἄσφαλτος, vnde *lacus* in Iudæa *Asphaltites*. A πίσσα, id est, *pix* & ἄσφαλτος est πισσάσφαλτος. Plinius lib. XXIV. c. VII. *Est & pissasphaltus mistâ bitumine pice naturaliter ex Apolloniatarum agro* Hebræis *bitumen* vocatur כפר, à כפר, quod est, *bitumine oblinere*. A כפר est καφουρα, *caphura*, quæ vulgò *camfora*. Primus *caphura* ex antiquis meminit Aëtius. Est gummi arboris Indicæ, nuci persimilis, vt ait Garcias ab Horto, qui & auctor est, id quod in Christianum orbem aduehitur ex China apportari: sed esse præter id, alterum *caphora* genus ex Borneo allatum, idque centuplo pretiosius, quæ & caussa est, cur in hosce tractus non soleat apportari.

Blæsvs, à βλαισὸς, quomodo Græcis vocatur qui Latinis *valgus*, ὁ τοὺς πόδας ἐπὶ τὰ ἔξω διεστραμμένος, ἐκ τοῦ Λ στοιχείου ἐοικὼς, vt explicat Etymologus, qui & addit, matrem Cypseli, tyranni Corinthij, eò quòd *valga* esset, λάμβδα appellatam. Nomen verò βλαισὸς censet esse a βλάπτω, hoc est, *lædo*, quia valgi oblæsum habeant gressum. Sed Latinis aliud est *blæsus*. Neque enim ijs sic dicitur, qui cruribus est distortis, sed κατὰ μεταφορὰν sic his appellatur, qui ex oris tortura certas literas distorquet. Hanc cum secundariam esse significationem non videret Isidorus in X Originum: scripsit, *blæsum*, vt & *balbum*, à *balando*, dici, quia verba frangit. Sed & tributa hæc vox ijs qui R literam pronunciare non possent. Hoc verum esse, indicat locus iste in carmine Ithyphallico:

Cùm loquor, vna mihi peccatur litera. Nam pra,
Pa, dico semper, blæsáque lingua mea est.

Quare non audio Iulium Scaligerum, cum in lib. de causs. L. L. cap. XIV. Erasmum eo nomine reprehendit, quòd *blæsos* vocarit, qui R pronuntiare non possent: quo vitio laborauere inter alios, cum Aristoteles, & Alcibiades, tum Cæsar Scaliger, vt de se ibidem testatur.

Blandvs, fortasse à βλὰξ, id est, *mollis*: vel potiùs à πλάνος, seu *planus*, quo impostor signatur. Ita *blandus* sit, qui suauibus, sed fallacibus vtitur verbis. D insertum, vt à μυελὸς, *medulla*; à τείνω, *tendo*. Quid, si & dicamus, *blandus* esse effictum ad exprimendum molliculum verborum sonum, quo palpantes gaudent? Is sonus est in syllaba *L A*, & *B L A*, quibus & pueruli blandiri sciunt. Hinc, *lallare*, & verbum *blatio*, etsi hoc in contemtum abijt. Nam signat inania verba funditate. Facilitas & mollities soni præcipuè est in L. Nam quod Plato etiam testatur, vt R conuenit iratis, ita L blandientibus. Sanè blandiendi caussa diminutiua Latini ferè per L extulerunt. Vt *puellus*, *labella*. Etiam sapientissimus Maro frequentat L in rebus blandiculis. Vt, IV. Æneid.

———*Si quis mihi paruulus aula*
Luderet Æneas.———

Item Næuij est: *Liberâ linguâ loquuntur ludijs Liberalibus*. A *blandus* est *blandiculus*, vnde *blandicellus*. Festus: *Blandicella verba blanda, per diminutionem sunt dicta*. *Blandidicus*, qui blanda dicit. Onomasticum vetus: *Blandidicus*, χαριτολόγος. Proximè antecedit: *Blandicus*, ἐπαγωγὸς Lege *blandidicus*.

Blasphemvs, βλάσφημος, in Glossis Cyrillo tributis, *maledicus* vertitur: vt, βλασφημῶ, *maledico*, *iurgo*; βλασφημία, *infamia*; vbi actiue Latina vox sumitur, pro *maledicentia*. Dicitur βλάσφημος, quasi βλαψίφημος, seu βλαισίφημος, à βλῆν, siue βάλλειν, i. *peto*, *impeto*, & φήμη, *fama*, quia sinistram de alio famam spargit, eóque rumore alium, velut telo impetit. Eustathius in Il. Α. pag. 219. Τυτέστιν ἐπεσιν ὡς βέλεσι βάλλοιτο; ὁ τοιοῦτος ἐστὶ τὸ βλασφημεῖν. Βλάσφημος γὰρ ὁ βάλλων ταῖς φήμαις. Apud Etymologum verò legas esse à βλάβη, id est, *noxa*, & φήμη. Idem dicunt, qui volunt dici, quasi βλαψίφημος, παρὰ τὸ βλάπτειν τὴν φήμην, quia *famam lædit*.

Blaterones, quos cum *baratronibus* perperam confundit vetus Horatij interpres, sunt homines in verba proiecti, vt ait Agellius, lib. I. extremo, cap. XV. vbi & eos *lingulacas* dictos ait, ac pleniùs initio capitis describit, vocans leues, & futiles, & importunos locutores, quique nullo rerum pondere innixi verbis humidis & lapsantibus diffluunt. Dicti autem *blaterones* à *blaterare*: qua de voce adeundi Festus, Nonius, Fulgentius. De camelorum voce dici, Festus indicat: de ariete vsurpat auctor Philomelæ:

Blaterat hinc aries, & pia balat ouis.

Nisi hîc *braterat* legendum, vt est in MS° Schotti: quod verum censeo. Sane *blatero* primum corripit apud Horatium, contrà quàm hîc fit. Non de mutis solùm animantibus, sed etiam hominibus garrulis dici, clarè ait Festus: & confirmat Glossæ Philoxeni; vbi est, *Blaterat*, ματαιολογεῖ. Hinc, *deblaterare*: pro quo apud Festum *deblacterare*. Sed MS^tis *deblaterare*. *Blaterare* est à *blatio*. Vsus eo Plautus, Amphitr. II. I.

Qui malum intelligere quisquam potis est? ita nugas blatis.

Et Curcul. Act. III.

Credo hercle te esse ab illo, nam ita nugas blatis.

Vt à *lambo*, *lambero*, à *prope*, *propo*, *propero*, ita à *blatio*, *blatero*. *Blatio* à sono incondito garrulorum effictum videtur. Vel quando *blaterones* sunt homines *in verba proiecti*, vt Gellium loqui paullò antè dicebamus: possis & deducere à Dorico βλατὸν, pro βλητὸν, quod est, *iactum*, seu *proiectum*, ἀπὸ τοῦ βάλλειν; vel cum Festo deriuemus à βλὰξ, quomodo propriè vocatur *piscis inutilis* quemadmodum Hesychius & Etymologus docent, ac Erotianus confirmat, qui & ab hoc pisce βλακεύειν venire putat. Ac κατὰ μεταφορὰν notat βλὰξ, *simplicem*, *stupidum*, *fatuum*: vnde Glossæ Philoxeni, *Blanx* (leg. *blax*) ἀνόητος. Ceterum, vt à *blaterando*, *blateronem*: ita à *blatiendo*, *blatonem* etiam dixisse videntur. Gloss. Philox. *Blato*, ψευδολόγος. In Isidori Glossis etiam legas, *Blato*, *cubicularius*, *hospitalarius*.

Blatta, vermiculus, quasi *blapta*, ἀπὸ τοῦ βλάπτειν, id est, *nocendo*, quia libros ac vestes erodit. A vermiculo hoc dicta herba *blattaria*. Plinius lib. XXV. cap. IX. *Herba hac abiecta blattas in se contrahit, ideo Romæ blattariam vocant*. Posterioribus autem seculis à rubore, quo *blatta* apprehensa inficit manum hominis: *blatta* etiam dicebatur exquisitæ purpuræ genus. Ita sumitur L. I. Cod. quæ res vendi non possunt. *Fucanda atque distrahenda purpura, vel in serico, vel in lana, qua blatta, vel oxyblatta, atque ianthina dicitur, facultatem nullus possit habere priuatus*. Sic vsus Cassiodorus, lib. I. Var. epist. II. *Cùm blatta,*

ta, quem nostro cubiculo dare singulis annis consueuisti, venire festina. Et Sidonius Apollinaris, in Paneg. Mario:

Pontus Castorea, blattam Syrus, æra Corinthus.

Item carmine, epist. XIII. lib. IX.

Rutilaque ferte blattas,
Recoquente quas aheno
Meliboea fucat vnda.

Et Lampridius, in Heliogab. *Parauerat igitur funes, blatta & serico, & cocco intortos.* Quem ad locum monet Baptista Egnatius, *blattam* esse purpuram ex Indico conchylio factam. Verum Sidonii locus satis indicat, non debere *blattam*, ad Indicam purpuram restringi, Verum etiam nomen hoc mereri Sarranum ostrum, seu Tyrium muricem, vt vocat Maro. Cum autem hæc *blatta* significatio posterioribus tantùm seculis nota fuerit; patet falli Isidorum, cum, lib. XII. cap. VIII. ait insectum illud libros vestimentáque erodens (qua significatione etiam vsus Maro, Horatius, Columella) sic dici: quia apprehendenti manum tingat colore, qui exinde *blatteus* appellatur. Contra enim dici debuerat, colorem *blatteum* dici, quia similis sit colori, quo blattæ apprehensæ tingunt manum hominis. Idem, lib. XIX. cap XXVIII. *blatteam* sui seculi voce *blatinum*, interpretatur. Sed si quis ambigat, num rectè statuerimus, *blatteum* esse purpureum, ei scio scrupulum omnem eximet locus Eutropii in Nerone: *Retibus aureis piscabatur, quæ blatteis funibus extrahebat*. Nam Tranquillus hæc ita extulerat: *Piscatus est reti aurato, purpura coccoque funibus nexis*, id est, funibus purpurei ac coccini coloris. Vsus & hac voce Cassiodorus, lib. V. epist. XXXIV. *Chamaleon colores suos multifariam qualitate commutat, vt modo Veneta, modo blattea, modò prasina, modo possit cyanea reperiri*. Sic tunicam *blatteam* dixit Gregorius Turonensis, lib. II. Hist. cap. XXXIIX. *Igitur ab Anastasio imperatore codicillos de consulatu accepit, & in basilica B. Martini tunica blattea indutus est.* Itidem legas apud Vopiscum in Aureliano: *Idem concessit, vt blatteas matronæ tunicas haberent, & ceteras vestes.* Sed & paullo antè dixerat idem: *Cùm ab eo vxor sua peteret, vt vnico pallio blatteo serico vteretur, ille respondit, absit, vt auro fila pensentur. Libra enim auri tunc libra serici fuit.* Fit quoque mentio *blatteæ sericæ*, seu *sericoblattæ*, vel *sericablatta*, seu *sericablattea* (diuersimodè enim vox hæc scripta inuenitur,) lib. X. de murileg. lib. II. C. Iust. & l. vlt. de murileg. in Cod. Theodos. & l. XIII. eodem Tit. eiusdem Codicis. *Blattifer Senatus*, legas apud Sidonium in carmine, epist. vlt. lib. IX.

BLENNVS, *stultum* notare comprobat Festus illo Plauti Bacch. Act. V. sc. I. *Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones*. Propriè autem *blennus* est *muccosus*. Nam narium catarrhus, qui recentioribus, Galeno teste, μύξα dicitur, antiquioribus tum κόρυζα vocabatur, tum etiam, quod ex Hippocrate patet, βλέννα & βλέννα; quod recirco μύξα interpretantur Hesychius, & Etymologici auctor. Inde igitur *blennus*, quasi βλεννώδης, ὁ κορύζης μεστός. Ἐτυμολογίαν hanc adducit Camerarius, in vtriusque linguæ Commentariis. Eandem post secutus Turnebus, libro III. Adu. capite X. & sanè meo iudicio certissima est. Videtur autem & Plautus, Curcul. II. III. *dentes blennos*, hoc est, stupidos, & quasi muco plenos. Vide quæ hac de re notauit Ianus Gruterus in Suspectis, quæque ex eius schedis ad eum Plauti locum adnotat Taubmannus.

BLITVM, genus oleris insipidi. vnde beatam & blitum coniungit Plautus, Pseud. Act. III. sc. I. Græce βλίτον, pro quo vitiosè apud Dioscoridem est βλῖτον. apud Theophrastum, βλίτον, apud Suidam. βλίτιον. Festus scribit esse à Græco βλάξ, hoc est *supinus, stultus*. Quod probare non possum. At ineptius etiam Isidorus, lib. XVII. cap. X. *Blitum, genus oleris, quasi vilis beta*. Verisimilius Bauhinus, qui dici censet, quasi βλητὸν, id est, *abijciendum*. Nempe ob vilitatem, vel saporem fatuum. A βλίτον, βλίτ. καὶ βλιτωνες, οἱ ἀναίσθητοι. Hesychio teste. Similiter βλιτομάμας, οἱ ἀνωφελεῖς γυναῖκες. Eò respicit Plinius, lib. XX. c. XXII. *Blitum iners videtur ac sine sapore, aut acrimonia vlla. Vnde conuicium feminis apud Menandrum faciunt mariti.* Latinis quoque *bliteæ* dicuntur. vt apud Plautum Truculento Act. IV. sc. IV. *Blitea & lutea est meretrix, nisi quæ sapit in vino ad rem suam.*

BOA, vocatur *hydrus*. hoc est, *serpens aquaticus*, teste Festo, cuius verba infrà adferam. Nominis caussam ponit his verbis Plin. l. VIII. c. XIV. *Faciunt his fidem in Italia appellatæ boæ, in tantam amplitudinem exeuntes, vt, D. Claudio principe, occisæ in Vaticano solidus in aluo spectatus sit infans. Aluntur primò bubuli lactis succo, vnde nomen traxere*. Quo ex loco alterum quoque etymon suspatus Perottus. Nam putat, & inde nominis originem capere potuisse, quòd *instar bouis turgeant*. Mihi Plinii sententia magis placet. Præterea sumitur *boa*, pro morbi genere: quomodo vsus Lucilius hoc versu.

Inguen ne existat, papulæ, tama, ne boa noxit.

Originem vocis aperire conatus Plinius, cuius hæc verba lib. XXVIII. cap. XVIII. *Boas, inquit, abolet fimum bubulum, vnde & nomen traxere*. Meminit eiusdem, lib. XXVI. cap. XI. vbi & quis morbus sit, explicat; *Ebuli*, inquit, *folia contrita, & è vetere vino imposita, etiam boam sanant, id est, rubentes papulas*. Sunt igitur *boæ*, quæ Græci ἐξανθήματα, Belgæ autem, *maselen*, appellant: quod & confirmat hic eiusdem Plinii locus libro XXIV. cap. VIII. *Boa appellatur morbus papularum, cum rubent corpora*. Sanè morbi Gallici papulæ hodièque ab Hispanis *boa* appellantur. Aliter tamen hæc vox à Grammaticis exponitur, vt videri queat & alias habuisse acceptiones. Festus: *Boa serpens est aquatilis, quem Græci ὕδρον vocant, à quâ icti obturgescunt. Crurum quoque tumor viæ labore collectus boa appellatur*. Sensit igitur Festus, *boam* quoque dici, cum crura ex viæ labore tument, ad similitudinem eorum, qui à *boâ* serpente icti obturgescunt: vnde & nomen. Et fortasse hinc etiam etymon *boæ*, quæ papulas notat, non ineptè colligamus: vt nempe sic dicatur, non quia fimo bubulo sanetur: quæ Plinii sententia est; verùm quia corpus tingeat haut secus ac illis euenit, qui à *boa* icti sunt. Vidimus, vnde *boa* origo peti debeat Si eam è Latio ἀμέσως arcessere velimus. Sed doctissimus Salmasius censet hanc etiam vocem Æolibus deberi. Nam *boam* Græcis dici ὕδρον, & ὕδω; Æolibus verò qui ὕ in β mutare solent, βύδρον, & βύδω; vnde *boa*. ὕδρος vero dicatur ea de caussa, ob quam & *natrix* vocatur. Gloss. *Natrix, boa*, ὕδρος ὄφις. Vt ergo *natrix* à *nando*: sic ὕδρος, à ὕδω, quod est *vrinare*. Hesych. ὕδωρ, χρυσοφορεῖν ὕδωρ. Nec minus *boam*, pro morbo, idem deriuat ab Æolico βοῦ pro ὗς, quod Hesychio & Suidæ exponitur. νόσος, μελανχολία, δυσχέρεια. Videntur autem aliæ etiam esse *boa* significationes. Nam quemadmodum carcer etiam ponitur pro homine carcerem merente: Sic *boa* quoque vsurpatur pro homine *boâ* laborante. Id enim colligi potest ex Glossis Philoxeni: in quibus vulgò quidem legitur: *bov*, ὁ τὰς πόδας φλεγμαίνων; sed *boa* scribi debere, iam olim monuit Scaliger. Sanè aut hoc verum est, vel *boas* scripsit Glossographus, aut vocem huic similem, à *boâ* deriuatam. Cum autem hoc Glossographi loco confirmetur sententia Festi; nondum ausim subscribere Perotto qui ob allatam à Plinio *boa* interpretationem, non dubitat Festum insimulare erroris atque inscitiæ. Quartam quoque *boa* acceptationem reperio Nam in Glossis Philoxeni est: *Boua*, νόσος βοῶν. Neque est, quod quis ob insertum *V* consonum, censeat, hanc aliam esse vocem à priori. Nam &, in Plinii ac Festi locis antè adductis, codices alii quidem *boam*, alii verò *bouam* habent, vt vtroque videantur vsi veteres; haut aliter ac & *boare* dixerunt, & *bouare*, vnde apud Ennium fuit:

———*Clamore bouantes.*

Interim nihil ausim asserere. In mentem enim venit, pro βοῶν, legi posse. βεσφῶν. Præsertim cum itidem corruptè paullò antè scribatur, *boa*. βεῖφος. Vbi excidisse potest vox νόσος. Vt fuerit itidem, νόσος βεσφῶν. Hæc interpretatio cum Pliniana illa de exanthematis, ac papulis rubentibus, optimè conuenit. Eóque minùs damnare eam audeo, quòd pro morbo *bouam* nemo, quod sciam, vsurpet. Ait quidem Scaliger ad Festum, sic vsurpari à rei rusticæ auctoribus. Sed multum metuo, ne eum memoria fefellerit. Nec verum puto, quod Turnebus existimabat, *bouam* etiam sumi pro vase vinario, longo, turgido & amplo, bouæque serpenti simili. Colligebat hoc vir summus ex loco istoc Varronis in Mysteriis, apud Nonium in *Portitor*: *Æs defraudâsse cauponem, bouam luto oblenisse, tum portitores terram duxe.* Sine, vt in MSS[tis] est, *terram dux*, vnde Mercerus optimè *circumduxe*, hoc est, *circumduxisse* Sed pro *bouam* sine, vt in libris aliis, *bouam*, Cuiacius *obbam* faciebat. Sanè hoc malim, quam nouam ex corrupto loco architectari *boua* notionem.

BOETHORVM mentio fit in l. IV. C. de tabulariis, scribis, logographis & censualibus. Sic vero appellantur, qui officialibus morbo vel occupationibus nimis detentis, succurrunt, eósque operâ suâ subleuant. Βοηθεῖν, *auxiliari, succurrere*. quasi, ἐπὶ βοὴν θέειν, *ad alicuius clamorem iuuandi caussa accurrere*. Inde βοηθητὴς, & βοηθὸς, *auxiliator, adiutor*. A βοηθὸς seu *boetius*, est nomen proprium *Boëthius*, quod malè indocti absque spiritu efferunt. Nam & in antiquo marmore, quod Derchonæ in B. Martiani cœnobio extat, inscriptio tumulum factum indicat Boëthio & Euthario coss. Iouianus Pontanus in mortuorum dialogis indicat Grammaticum dicentem. *Boëthium* non ex eo nomen accepisse, quòd natus sit in Bœotia, sed à *vescenda bouum carne*: atque id se ex Boethii coquo audiisse. Quæ, cùm risus tantummodo caussa à Pontano conficta sint, minimè vir summus hoc nomine a nasutulis reprehendi debet.

BOIA factum ex βοεία, id est *bubula*, quod substantiuè accipitur,

subintellecto δέρμα, hoc est, *pellis*. Eâ re motum censeo Brodæum, vt lib II. cap. X. scriberet *boias* esse lora è corio bubulo confecta: cóque has intelligi, cum Plautus Amphit. scribit: *Faxo, vt bubulis coriis onustus sis*: cúmque in Asinaria ait: *Vbi viuos homines mortui incursant boues.* Sed male confundit Brodæus *boias* cum taureis. *Taurea* enim scuticæ sunt è pelle taurina seu bubula. *Boia* verò sunt genus vinculi, vt ait Festus: torquis damnatorum vt Isidorus exponit. Ac quamquam, si originem spectes, propriè fuerit e corio bubulo, tamen καταχρηστικῶς (quâ nempe ratione pyxidem argenteam dicimus) etiam de ligneis ferreisve vsurpatur; quod idem Festus, siue Paullus, testatur. Itaque pro collari clarè sumitur apud Aldhelmum de laudibus virginit. *Boiam in collo & compedes in cruribus nectans.* Atque ita in Martyrologiis passim. Quamquam non solum colli vincula, sed etiam manicas, hoc est, manuum vincula, hoc nomine significari indicant Glossæ Cyrillo tributæ; vt in quibus legas, Κλοιὸς, *boia*. Κλοιοῖ σφίγγω, *in boia*. Vbi scribendum *imuoio*, quod erit *boijs vincio*. Κλοιὸς verò, tum *collare*, tum *manicas*, notare, ostendit hic locus Hesychii: Κλοιὸς, σιδηροῦς κλοιὸς δεσμός, κημάγρα, ὅπερ μανίκας. Isidorus lib. v. cap. XXVII. (quem Perottus, & alii multi hodie sequuntur,) vult, *boias* sic dici, quod similes sint vinculis, quibus iugum bubus adstringitur: quidam etiam propriè id vinculi genus *boiias* dici censent, vnde & *boias*, quasi *bouias*, dici volunt. Sed simplicius, meo indicio, vtriúsque, *boias* factum esse ex βύρσα, propriéque sic dici à materia, quomodo & *taurea* sic vocatæ, quod fierent è corio taurino, siue bubulo: vt antè dicebamus, & plenius ostendemus voce *Taurus*. Quia vero *Boij*, etiam sunt Galliæ populus (quod ex Cæsare & aliis liquet.) inde est, quod vocis huius ambiguitate ludens Plautus Captiuis, Act. IV. sc. II ait:

At nunc Siculus non est, Boius est, Boiam terit,
Liberorum quaerundorum caussa ei, credo, vxor data est.

Nam etsi *boia* hic *collare* signat, tamen hoc sic accipi voluit Plautus, quasi dixisset, Gallum cum Gallâ cubare. Quippe *terendi* verbum hic ex notione sumitur, quâ Petronius dixit, *Mutuis libidinibus attriti*. A Latino *boia*, Germano-Belgæ manicas & pedicas *boeye* appellant.

Bolbiton, vocari *fimum bubulum*, Plinius auctor est, libro XXVIII. cap. XVII. Schol. Aristophanis in Equites: βόλβιτον, ὁ σπέλεθος τῶν βοῶν. Quanquam idem in ranas paullò aliter: βόλιτον κυρίως τὸ τῶν ὄνων ἀποπάτημα. Sed *asini merdam*, *inde*, *boum*, βόλιτον, dici, ait Pollux, lib. v. cap. XV. Nomen est, ἀπὸ τῆς βολῆς. Ὁ κόπρος γὰρ ζώου βάλλεται, ἤγουν ῥίπτεται; vt ait Eustathius in Odyss. α. p. MCCCCIV. Addit mox, dici βόλιτον, & βόλβιτον. Quod & agnoscit Scholiastes Aristophanis in Acharnenses: sed ait, communiter βόλβιτον. Atticè autem βόλιτον dici. A βόλβιτον est *bulbitum*, & *imbulbitare*, de quo dicemus in *Bubinare*.

Bolona vsurpat Arnobius, lib. II. *Quid bigarios, salinatores, bolonas, vnguentarios.* Ita est in MSS regiis, vt Heraldus obseruat, non *volones*. Quid *bolona* sint, docebit Donatus in Eunuch. *Cetarij*, inquit, *sunt, qui cete, id est, magnos pisces venditant, & bolonas exercent.* Vt *bolona* videatur esse *cetaria mercatura*. Sed videtur potius dici de ipsis *cetarijs*. Glossæ Philoxeni: *Bolona*, μεταβολεύς, πελαγοθήρης. Isidorus in Glossis: *Bolona*, *cetarij*, *qui diuersa genera piscium emunt.* Turnebus coniectabat, *bolonas* dici à *bolo piscium*. Vide eum Aduers. lib XIII. cap. XIV. Ita *bolona* dicentur, quia emerent simul, quantum retis bolo siue iactu caperetur. Martius dispiciendum relinquit an non possit esse ex πωλῶ, *vendition*, & ὠνῶ, *emptio*. Vel à *balæna*, præsertim quando *balona*, per A in prima, habent Glossæ Philoxeni: & vt à *ceto cetarij*, ita à *balana balona*, quasi *balatarij*, dici potuere.

Bolus, priori correpta, est à βόλος, similitérque *bolis* est à βολίς. Vtrumque est à βάλλω, id est, *iacio*. Ac βολὶς quidem *iaculum* notat. Græcam *bolidum* appellationem retinet Plin. l. II. c. XXVI. vbi eas reponit inter meteora ignita, & à lampadibus distinguit. Alias βολὶς est *perpendiculum*, quo nautæ altitudinem maris explorant. Vnde apud Lucam in Actis XXVII. 28. βολίσαντες, quod vulgatus interpres vertit, *summittentes bolidem*; Erasmus, *bolide demissa*. Βόλος, verò est *iactus*. De aleæ iactu vtitur Plautus Curcul. Act. v. sc. II.

Si vel tribus bolis, vel in chlamydem.

Et Rudente, Act. secundi sc. III. ait:

——Ob Neptune lepide, salue,
Nec te aleator vllus est sapientior. Profecto.
Nimis lepidè iecisti bolum: periurum perdidisti.

At *bolus*, priori producta, est à βῶλος, quod *glebam* notat. vnde βῶλος Ἀρμενία, *bolus*, seu *gleba Armenia*. Est lapis pallidus, ac friabilis, instar calcis ac asteris Samii, astere tamen Samio lentior. Aëtium vide lib. II. cap. X. Μεταφορικῶς βῶλος, notat massam. & partem siue frustum: vnde est, quod Latinis *bolus* esset, & μεταφορικῶς, *pradam*, notat: vt apud Terent. Heautont. Actu IV. sc. II.

Crucior bolum tantum mihi ereptum tam subito ex faucibus.

Vbi Eugraphius *bolum* interpretatur *pradam*. A βῶλος est βωλίτης, vnde Latinum *boletus*. Est fungi genus, omnium fungorum minimè noxium. Vide sis, quæ de eo tradit Plinius l. XXII. cap. XXII. Apparatum eius docet Apicius lib. VII. cap. XIII. Quanto olim in pretio fuerint, indicat hoc Martialis lib. XIII. dist. XLVII.

Argentum atque aurum facile est, lanámque, togámque,
Mittere: boletos mittere difficile est.

Maximè autem nobiles morte Claudij Imperatoris, qui iis ab Agrippina veneno tinctis periit: vt, cùm assignato Plinii loco, legere est, tum apud Tranquillum in Claudio, cap. XLIV. Hinc Iuuenalis Satyra v.

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino: sed quales Claudius edit
Ante illum vxoris, post quem nil amplius edit.

Et Satyra VI.

——Minus ergo nocens erit Agrippina
Boletus.——

Et Martialis, lib. I. ep. XXI.

Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Arguté autem Nero Cæsar, quia *boletus* Claudium necando, eius ἀποθέωσιν maturauit, *boletos* vocabat cibum Deorum: quemadmodum tradit Dio sine libri vltimi. Quod ad etymon attinet, à βῶλος, βωλίτης, seu *boletus*, nuncupatus, quia figura sua conuolutâ globosâque similis sit βώλῳ, hoc est *gleba* vel potiùs, quod colore suo referat βῶλον, hoc est, *rubricam*, qua pictores vtuntur in deaurando: quippe *boletus* exterius rubet, etsi interius sit luteo colore. Id quod de conuolutione & luteo colore dixi, hæc Plinij verba, loco antecitato, adstruunt: *Voluam terra ob hoc primo gignit, ipsum postea in volua, seu in ouo, est luteum.* A *boletis*, patina, quibus *boleti* inferebantur, *boletarium* dicebatur. Interim *boletarium* etiam *coliculis* qui *boletis* multò viliores, inseruiebat: vnde est quod apud Martialem, lib. XIII. dist. CI. cuius lemma, *boletarium*, loquatur in hunc modum:

Cum mihi boleti dederint tam nobile nomen
Prototomis, pudet heu, seruio coliculis.

Pro eodem, vt etiam Turnebus, Marcellus Donatus, atque alij, obseruant, *boletare*, vel *boletar*, dixere. Apicius. lib. II. cap. I. *Exinanies in boletari.* Vbi corruptè vulgò *in volutari*. Ac similiter, vt Salmasius testatur, MSS. veteres apud Trebellium Pollionem: *Boletar balieuticum argenteum librarum XX.* Vsus vetus etiam interpres Iuuenalis, in illud Satyr. XI. vers. CXXXVII.

——Cui cedere debeat omnis
Pergula.—— [gram.

Coquina, inquit, *quia boletaria penetrat.* Est & in veteri epi-

Comptas nolo dapes, vacuum mihi pone boletar.
Quod placet adspiciam, renuo quod saturat.

Bombax est interiectio apud Plaut. Pseud. I. III. Accepit à Græcis. A quibus βομβάξ, fictum ad instar βαβαί, & ex compositione eius βομβαλοβομβάξ, quod apud Aristophanem habes in Thesmophoriazusis. Scholiastem ibi vide, & Eustathium in Odyss. M pag. 1718. edit. Rom.

Bombus, βόμβος, vox est à sono facta. Propriè conuenit apum murmuri, etsi ad alios quoque sonos transferatur: vt in illo Neronis Cæsaris apud Persium, Sat. I.

Torua Mimalloneis implerunt cornua bombis.

Quod expressum ex illo Catulli, de nuptijs Pelei & Thetidis:

Multis raucisonis inflabant cornua bombis.

A *bombus* est *bombilare*, quod de apibus propriè dici indicat auctor Philomelæ. Fortasse tamen rectiùs *bombitare* dicitur, quod analogia postulare videtur, cùm sit frequentatiuum. Addo, quod *bombito*, non modò in nuperis Festi exemplaribus excusum est, sed & antiquâ Mediolanensi anni 1500. Quin Obertus Giffanius, in Indice Lucretiano in voce *Persce*, non *bombire* modo approbat, sed similiter quoque apud Catullum *pipito* mauult, quàm *pipilo*; quippe quod non à *pipulus* veniat, sed à *pipio*. Eo vsus Tertullianus, lib. de monogamiâ, cap. XVI. *& vteros nauseantes, & infantes pipantes.* Et in Valentinianos, cap. XV. *Celestes imbres pipiant Achamoth.* Imò, nisi vett. codicum obstaret auctoritas, dubitari posset, an non verius rectiúsque esset *bombulo*, quàm vel *bombilo*, vel *bombito*. Sanè doctissimus Th. Gaza, *bombylio*, seu *bombulo*, scribebat, quem eo motum puto, quòd Græcis βομβύλιος sit genus apis aut vespæ, sic dictæ à *bombo*, siue sono, quem edit. Id docet Hesychius: Βομβύλιος ζῷον, ἠχὼ ποιοῦν, τῆς φύσεως τῶν σφηκῶν, ὃ μέλισσα μεγάλη, ὃ μῦς. Aliter dicebatur βομβύλη. Nam eam esse εἶδος μελίσσης, *genus apis*, tradit Scholiastes Apollonij Rhodij. Quin etiam, vt idem ait, sic dicitur,

dicitur, ποτήριον στενόστομον, ὡς Ἀθήναιος· παρὰ δὲ τὸν βόμβον τὸν γινόμενον. Vnde cognoscimus, βομβύλιον etiam Gallice *un collo stretto*, ac sic forte appellatum a sono, quem liquor ex angusto currens emittit. Idem etiam βομβύλιος dictum, vt in prouerbio, *ramosa bombylius*, apud Athenæum. Pollux *bombylium* definit, ποτήριον ἐκ τοῦ βομβεῖν ἐν τῇ πόσει. Id Latine sonet, *Angustum poculum, quod inter bibendum bilbit*. Nam *bilbere*, seu *bilbire*, dicunt Latini, quod Græcis est βομβεῖν, seu βομβύζειν, vel βομβυλιάζειν, a quo βομβυλιός. Glossæ Philoxeni: *Bilbit*, βομβύζει. Esse ὀνοματοπεποιημένον, indicat hic locus Festi: *Bilbit, factum est à similitudine sonitus, qui fit in vase*. Næuius. *Bilba: amphora*. Inde *bilbinus* idem quod βομβύλιος. Gloss. Philox. *Bilbinus*, εἶδος ἀγγείου. Addamus & rei nouæ vocem nouam, sed ab eadem origine. Ea est *bombarda*, a *bombo* & *ardore*. Descripsit hanc carmine heroico Ioa. Maria Catanæus. De origine autem vocis hæc habet:

Adjiciunt nec tormenta noua vi reuse boarda,
Siue placet bombarda magis: qua dicta bouatu,
Seu bombo, procul existens mortalia corda
Territat horrendo strepitu, longoque fragore.

Carmen id subiunxit commentariis in Plinium, Mediolani ciuis c I Ͻ I Ͻ vi.

BOMBYX, βόμβυξ quæ vox, vt puto, ab Oriente. Nota res de Assyriis *bombycinis*, & Sericis vestibus. Nempe vocabulum vna cum re ad Græcos manauit. Id malo credere, quam nomen acceperit a *bombylio* vase, quia vt hoc bibendo exhauritur, & exhaustum nihil præter aera habet: ita *bombyx* exhauriatur nendo, & solum aera contineat, quod Isidorus videtur voluisse, lib. xii. cap. v. Sane si a *bombylio* vase sic dicitur, potius censeam sic vocari a figura. Nam *bombyx*, textili suo nido inuoluta refert *bombylium* vas, cui collum angustum, venter prominens ac turgidus, fundus acutus. A *bombyce* dictæ *bombycinæ* vestes. Vt hæ a byssinis, & sericis, differant, fuse persequimur voce *Byssus*, & *Sericum*. Quare hoc loco solùm ostendam, aliud esse vestes *bombycinas*, aliud *bombacinas*, siue *bombacinas*. Nam *bombyx* est notus vermiculus: è cuius filis erant vestes *bombycina*, Quæ & *Coa* dicebantur, quia *bombyces* in Co insula nascerentur. Ab mollitie huius lanæ vox *bombycina* etiam extensa ad omnem molliorem lanuginem, vnde vestes texerentur. Id ita esse liquet è Plinio, qui *erioxylon*, siue interiorem gossipij lanuginem, *bombycem* vocat. Verba eius mox adducam. Quod vero priores dixere *bombycem*, id posteriores vocarunt *bombacem* & *bombacium*. Ita βομβάκιον habes apud Nicolaum Myrepsum. Hinc & *bambacem*, & *bambacium*, & aliter, dixere: quod hic Suidæ locus indicat: Βόμβαξ, ὁ Πάμβαξ, καὶ Παμβάκις, ὃ παρ᾽ ἡμῖν λέγομεν βαμβάκιον. Fortasse & *mambax* dixerint. Saltem id credidit auctor Glossarij Arabico-Latini, vbi in litera *M* legas: *Mambax*, id est, *bombyx*, *gossipium*. A βαμβὰξ, aut βομβὰξ, est Italicum *bambagia*, ac *bombazo*: quanquam & alitem (vti & Celtis, Belgis, Anglis) *cotone* nominatur. Germanis dicitur *baumwol*, ac Belgis Germanizantibus *boomwol*, q. d. *arboream lanam*. quæ appellatio vel ex eo est, quod frutices etiam arbuscularum nomine vulgo dignentur, vel potius à veterum errore, existimantium plantam hanc esse arborem: quod etiam præter alios sentit Theophrastus, lib. iv. hist. plant. cap. ix. vbi arborem eam ait crescere in Tylo, Arabici maris insulâ. At recte Plinius, qui lib. xix. cap. i. fruticem appellat. Sic enim scribit: *Superior pars Ægypti in Arabiam vergens, gignit fruticem, quem aliqui gossipion vocant, plures xylon, & ideo lina inde facta xylina. Paruus est, similémque barbatæ nucis defert fructum, cuius ex interiore bombyce lanugo netur. Nec vlla sunt eis candore mollitiáue præferenda. Vestes inde sacerdotibus Ægypti gratissimæ*. Hæc Plinius. Vbi per *bombycem* minime intelligere oportet fila bombycum, sed lanuginem fructu xyli contentam, quam sic vocat, quia & mollitie similis est bombycum operi, & similiter ex ea telas nent, vestésque texunt. De hac lanugine sic Vlpianus in leg. si cui lana legetur. ff. de legatis iii. *Lana legata etiam leporinam lanam & anserinam & caprinam credo contineri: & de lino, quam Græci ἐριόξυλον, hoc est, ligneam lanam, appellant*. Vbi obseruandum, ξύλον ab Vlpiano *lignum* reddi, & ἐριόξυλον, *ligneam lanam*: imò Pollux quoque videtur ξύλον, generali hac notione accepisse: quippe qui lib. vii. cap. xvii. ἀπὸ ξύλου ἔρια, appellet. Sed ad ambiguitatem vocis vitandam, meliùs puto, Græcam *xyli* vocem retinebimus. Crescit autem hic frutex non in Tylo modò, cuius rei Theophrastum meminisse diximus; sed etiam in plerisque Mediterranei maris insulis: vti Melita, Creta, locisque aliis ad Austrum vergentibus.

BONA dici, quòd *beent*, hoc est, beatos seu fortunatos, aut locupletes faciant, legere est l. xlix. de verb. signif. Festus siue Paullus scribit, *bona* ex eo dici, quod bonis sint digna: quæ sententia hoc veteri senario confirmari videtur; Ἐσθλοῖ γὰρ ἀγαθοῖς ἐσθλὰ καὶ δίδωσι θεός. Sed etymon id, boni definitione facilè refellitur. Quippe est quidem *bonum*, genus ἀφ᾽ ἑνὸς, siue, vt Scholastici vocare solent, *analogum*, verùm non ideirco ὁμώνυμον ac omnis definitionis expers putari debet: sed tantummodo hinc concludi potest esse intermediæ inter homonyma & synonyma naturæ, ac quanquam non sic propriè dictæ definitionis capax, posse tamen describi: vt ab Aristotele factum, qui lib. i. Eth. Nicom. cap. i docet *bonum* esse id, quod omnia desiderant: hoc est, eam rerum conditionem, secundum quam id, quod expetitur expeti dicitur. Quare, cum opes quoque sint inter ea, quæ expetantur, imo a vulgo præ ceteris rebus expeti soleant, patet, & ipsas bonorum nomen accepisse, non quia homines ob eas *boni*, hoc est, probi & virtute præditi, dici mereantur: verum quod opes reuera bonæ sint, hoc est, reapse expeti soleant, siue sui, siue alterius, siue vtriusque gratia. Quare videtur *bonus* esse ab Æolico ὄνῃος, quod ab inusitato ὄνω, siue ab ὀνῶ vel ὀνημι, hoc est, *iuuo*, *prosum*, *vtilitatem adfero*. Tale enim quod est, id bonum censetur. Vel quod censet Vlpianus, à *beando*, bonum dicitur. Nam vulgo beati censentur a quouis boni genere, siue illud animæ sit, siue corporis, seu fortunæ. Ac pro hoc etymo illud quoque facit, quòd antiqui pro *bonus* dixere *benus*, vnde etiamnum in vsu sunt *bene*, & *bellus*; eique simile *Apollo* ab *Apello*, quod a Dorico Ἀπέλλων. Verùmenimvero vnum est, quod contra hæc etyma adferri queat. Nam nec veteres primò *benus* dixisse videntur; sed *duenus*; vnde *benus* eâ ratione venit, quâ *bellum* est à *duellum*, quod antiquius esse etymon docet. Siquidem a *duobus* dictum, vt suo loco ostendimus. Sed & simile est *bis* à *duis*, vnde id factum Cicero docet, & Græcum δὶς comprobat. Putamus igitur, similiter *benus* factum esse ex *duenus*, *bonus* item ex *duonus*. *Duenus* nusquam nunc reperias: quod haud mirandum. Nam ne *benus* quidem, quod à *duenus* factum nunc, legas. Sed cum sciamus, veteres vsurpasse E pro O, idem hic factum cognoscimus ex *bene*, & *bellus*. At vero non *benus* tantùm dixisse sed & *duenus*, non obscurè ex eo patet, quod *duonus* dixerint pro *bonus*. Festus: *Duonum, bonum*. Glossæ Philoxeni: *Duonus*, ἀγαθός. Saliari carmini vocem hanc restituit Ios. Scaliger in Coniectaneis

———*Omnia*
Dapatilia comisse Iani cusiones
Duonus ceruses Diuius Ianusque venit.

In illo quoque Plauti versu, *Iouem se placare posse donis hostiis* pro *donis* substituendum *duonis*; quomodo ad oram codicis nunc mei manu sua correxit idem Scaliger. Alios quoque, qui hâc voce vtantur, laudat Sauaro ad Sidonij epist. i. lib. ii. Vnde autem *duenus*, seu *duonus* sit, satis obscurum est. Interea, vt acutè excogitatam, laudamus sententiam Camerarij. Censet is in problematis *Duonum* dici à *duobus*; nempe quia omne bonum, vt participatione Dei, est, ita ipsum etiam sui sit communicatiuum, quæ res *duum* mentione indicatur. Quia autem *duonus* veteres dixere pro *bonus*, siue *duenus* pro *benus*: inde est, quod etiam quidam non dubitarunt dicere *duelius* pro *bellus*; cui simile, quod & forte *duilis* dixerint pro *bilis*. Prora & puppis eius sententiæ sunt Glossæ vett. Guilielmi Fornerij, in quibus legitur *Duilis*, χαλὴ (χολὴ legendum patet,) *duelius*, καλὸς, apud Næuium: *Facies virginis duella*. Næuium igitur, & eos, qui Næuium secuti, designat Fabius, cùm lib. i. cap. iv. ait. *Nec non eadem fecit ex duello bellum; vnde duellos quidam dicere bellos ausi*. Porrò cum Nonius in *Contemplo*, adducat hoc Næuij ex Danaë: *Contemplo placidè formam & faciem virginis*: acutè conspiciebat Paullus Merula: hunc ipsum locum signari à Glossographo, eóque scripsisse Næuium: *Et faciem virginis Duella*. Interim ambigo, num librarius postremam vocem neglexerit, quod non assequeretur: an potiùs Nonius ipse, quod nil faceret ad præsens institutum.

BOOTES, βοώτης, hoc est, *bubulcus*, à βοῦς, *bos*, & ὠθέω, *trudo*, *pello*. Etiam *booten* dixere sidus cæleste, quia antiqui vrsam maiorem, cui sidus hoc proximum est, vocarent ἅμαξαν, siue *plaustrum*, stellásque duas pariles, maximè loco coniunctas, pro bubus, Hygino teste, haberent; reliquas quinque pro plaustro. Postquam verò Astrologi plaustrum stellis auxerunt, sic vt non amplius tam plaustri, quam vrsæ haberet effigiem: tum & pro plaustro ἄρκτος huic *vrsa* dici cœpit, & *bootes* similiter vocatus ἀρκτοφύλαξ, hoc est, *vrsæ custos*.

BOREAS est ventus flans ab ortu solstitiali siue æstiuo: quemadmodum ait Fauorinus apud Agellium, lib. ii. cap. xxii. & Appuleius lib. de mundo: si modo quæ illic de ventis speciatim ex Fauorino adscripsit, ab Appuleio ipso, ac non potius à sciolo quopiam sunt inserta. Sanè apud Aristotelem, quem transfert eo libello Appuleius, nihil istorum legas. Sed hoc, vt ut est, idem de borea sensit Plinius, lib. xviii. cap. xxxiv. *Ina*

cali exactâ parte, quod fuerit linea caput, septentrioni proximum, à parte exortinâ, solstitialem habebis exortum, hoc est, longissimi diei, ventûmque Aquilonem, Boream Græcis dictum. Sed hæc quidem ex eorum opinione, qui octo tantummodo ventos agnoscunt, triplicem orientalem, & totidem occidentales, idque pro triplici solis ortu occasúque: vnum item à meridie, vnum à septentrione. Sed quibus duodecim vel plures ponere libuit, his boreas ventus est septentrionalis, non orientalis. Docet hoc Plinius ipse, lib.II. cap.XLVII. *A septentrionalibus, inquit, Septentrio, interque eum, & exortum solstitialem, Aquilo: Aparctias dicti, & Boreas.* Item Vitruuius, lib.I. cap.VI. Locum integrum apponam: *Itaque dextra & sinistra circa Austrum, Leuconotus & Altanus flare solet. Circa Aphricum, Libonotus & Subuesperus. Circa Fauonium Argestes, & certis temporibus Etesiæ: ad latera Cauri, Circius & Corus. Circa Septentrionem, Thrascias & Gallicus. Dextra ac sinistra circa Aquilonem, Supernas & Boreas. Circa Solanum, Carbas, & certo tempore Ornithiæ. Euri verò medias partes tenent: in extremis Cæcias, & Volturnus.* Hæc Vegetius. Quod ad vocis etymon attinet, *boream*, ἀπὸ τῆς βοῆς, dici, quòd sit *turbulentus* ac *sonorus*, non Nonius modò Marcellus scribit: sed & Plinius, ac Agellius, locis antè citatis. At magis placet, sic dici, ἀπὸ τῆς βορᾶς, id est, *cibo*, siue *pabulo*: idque vel quoniam eo abundant boreales tractus, vt censet Porphyrius: vel quod vento hoc flante auidiores ac edaciores simus: vel quod frugibus præbens incrementum, nobis ferat βορὰν, siue *alimentum*: quas duas nominis caussas ponit Etymologus. Sanè à βορᾶ venire, illud quoque confirmat, quod & Nicander, in Theriacis, scorpionis chelas vocat βορίας, quasi πολυφάγους, id est, *voratrices*. Sunt & aliæ nominis caussæ apud Etymologum: sed maximè verisimilia visa, quam adduxi.

Bos, à Græco βοῦς, vt agnoscit Varro in IV. de L. L. Nempe more Dorum, qui βῶς dicunt. Possis & dicere, *bos* esse κατὰ συγκοπὴν factum ex *bouis*, hoc autem esse ab obliquo βοὸς, siue potiùs Æolico βοϝὸς. Nam Latini interdum rectos formant ab obliquis Græcorum. Sic à κυνὸς, est *canis*. Veteres autem in recto dixisse *bouis*, auctor est Varro, lib.VII. de L.L. A *bouis*, dixere *bouare*: vnde Ennius, *Clamore bouantes*. Citat Varro lib.VI. de L. L. In Glossis quoque Philoxeni legas *bobantes*, (sc. *bouantes*) βοῶντες. Sed vsitatius pro eo, *boare*, quod ἀπὸ τοῦ βοὸς· nisi potius cum Festo deducere malis à Græco βοᾶν, hoc est, *clamare*. Nam *boatus* est βοὴ τοῦ βοὸς. Veteres etiam *boere* dixerunt: quemadmodum comprobare est illo Pacuuij, Medeâ: *Clamore & sonitu colles resonantes bount*. Et hoc Varronis, Parmenone: *Exeunt citi, strepunt, bount*. Quibus locis, *bount*, à boum mugitibus dici scribit Nonius. A *bos* est diminutiuum *buculus*, apud Columellam, lib.VI. cap.II. item *bucula*, vt ad Ecl.VIII. scribit Seruius. Nempe id contractum ex *bouicula*, quomodo à *sus* est *sucula*, quasi *suicula*. Simili crasi vel συγκοπῇ, pro *bouibus* dicitur *bobus* ac *bubus*; item pro *suibus*, *subus*, quod apud Lucretium, & Varronem legas. A *bubus* est *bubulus*. Item *bubile*, vt à *boue bouile*. Vsi Cato, Columella, Plautus. Ab eodem est *bubulcus*, vti à *subus subulcus*. Gloss. Philox. *Bubulcus*, ὁ βουκόλος. Pro *bubulcus* etiam dicitur *bubsequa*: quod est à bubus sequendis, eo inclinatu, quo dicitur *pedissequa*. Vsus Appuleius, lib.VIII. Met. in Apologiâ, & lib.I. Floridor. item Sidonius lib.I. epistolâ VI. Onomasticon vetus: *Bubsequa*, βουκόλος. At longe aliud *bucæda*, quod Plautus vsurpat Mostell.act.IV. sc.II. Neque enim sic dicitur, qui boues cædit; sed qui cæditur loris bubulis. Alij scribunt *bucida*, vt simile sit illis *homicida, parricida, tyrannicida*, & similibus. A *boue* quoque est *bouilla*. Philox. Gloss. *Bouilla*, βοεία. Etiam pro eo *bostar* dixere, à *bos* & *sto*, vt Græci βουστάσιον, & βουστάσις. Gloss. Isidori: *Bostar, vbi stant boues*. Item à *boue*, *bouatim*, id est, boum modo. Nigidius Figulus apud Nonium: *Sunt etiam assimulanter dicta hæc, canatim, suatim, bouatim, quæ ab animalibus sumuntur*. Sunt alia ab hoc fonte, de quibus seorsim.

Boscas, βοσκάς, auis palustris, ac marina: quæ Columellæ, lib.VIII. cap.XV. *boscis* dici videtur. Meminit eius Aristoteles Hist. Animal. lib.VIII. cap.III. Vocem *boscas* ibi retinet Gaza. Sed Iulius Scaliger in tralatione sua *pascula* vertit. Nempe quia nomen ei sit à βόσκω, *pasco*. Sanè βοσκὰς, *pastui indulgens*: vt apud Nicandrum in Theriacis: βοσκὰς νηδύς, *venter pastui indulgens*, & eidem βοσκὰς ὄρνις, hoc est, ἡ ἐσθίουσα, *pascens auis*, vt Scholiastes interpretatur.

Botrus, βότρυς, vt *botryo*, βοτρυών. Martialis lib.XI.

Nec toto dignum se botryone putat,

hoc est, *conditio racemo*, vt in vet. Glossis explicatur. Dicitur βότρυς, iuxta Etymologum, vel παρὰ τὸ πότον, quasi πότρυς, quia, quod bibamus, inde effluit: vel à πούς, quod est, πούς, quia pedibus calcetur. Βότρυς quoque dictæ Pleiades, seu Vergiliæ: Eustathio teste, nempe à *racemi figura*. Artemisia quoque herba ita vocata est, siue *quòd circa imum caulem in ramulis semen est, ex iis dependentibus odore vinoso*; quam nominis rationem Plinius adfert, lib.XXVII. cap.IV. siue quòd plura eius semina totis caulibus sic conserta pendeant, vt *racemi* in vua *imaginem* faciant: quod mauult Marcellus Empiricus. A *botro* est *botronatum*, quod inter ornamenta muliebria reponitur à Tertulliano, lib.de cultu feminarum, & Cypriano. Nomen ex eo, quod βοτρυδόν, hoc est, *botri in modum*, extuberet.

Botulus est φύσκη, prout exponunt Glossæ Philoxeni. Nempe idem est, quod lucanica carnis suillæ *bolis* farta; vnde & nomen esse putabat Festus: *Botulus*, inquit, *genus farciminis propter connexionem à bolis* (ita & MSS^ti) *sic appellatur*. De etymo hoc mox videro. Vsus Laberius in mimo, qui inscribitur *Saturnalia*: teste Agellio, lib.XVI. cap.VII. Legas & apud Tertullianum Apolog. cap.IX. *Denique inter tentamenta Christianorum, botulos etiam cruore distentos admouetis*. Item aduersus Psychicos, cap.I. *Exteriores & interiores botuli Psychicorum*. Vir eruditus, quia Tertullianus ait fuisse sanguine distentos, eo dici putabat à colore *bos*: quomodo vocantur rubentes pabulæ, vt testatur Plinius, lib. XXVI. cap.XI. & lib.XXIV. cap.VIII. Sed parùm verisimile fit, ab ingratissimo morbidi corporis colore imponere voluisse nomen ciborum deliciis. Potiùs ex eo sit nomen, quia inter cibos delicatiores haberetur: nempe à βόω (vnde βόσκω) est βόσις & βορὰ, *cibus, alimonia*: vnde ὑποκοριστικῶς erit *botulus*. Vel, quod solum verum puto, *botulus* sit à βόθυλος, quod veteres exponunt φύσκη. Hoc à βύω, vel βύζω, quod est, *farcio, oppleo*. Est enim farciminis genus. Vt igitur à *farcio farcimen*. Sic à βύζω, βόθυλος. Diminutiuum est *botellus*, in quo primam corripit Martialis, lib.V. Epigr. LXXIX. At, si, vt Festus censuit, *botulus* veniret à *bolus*, quod Græcè βῶλος, ἀναλόγως ea produceretur. Vsus & *botelli* voce Sidonius lib.VIII. Epist.II. Item Apicius, qui eius apparandi modum docet, lib.II. cap.V.

Bovinari, & *bouinator*, est à *boue*. Nam propriè ea vox dicitur de boue macilento, inque arando strigante, non autem sulcum vno ductu peragente. Verùm κατὰ μεταφορὰν vsurpatur de homine, qui instar iumenti istiusmodi morabundus est: vnde Agellius, lib.II. cap.VII. *tergiuersatorem* interpretatur: vbi & Lucillium sic vsum ait isthoc versu:

Hic strigosu' bouinatórque ore improbu' duro.

Eadem sententia Nonij: *Bouinatores*, inquit, *sunt quos nunc malitiosos & tergiuersatores dicimus*. Deinde eumpse Lucillij versum subiicit. In Glossis quoque Isidori hâc ipsa mente exponitur, *inconstantes*. Sed alteram quoque significationem habet, si rectè Festus, cùm, *bouinatur*, exponit, *conuiciatur*. Sanè pro eo sunt Glossæ Philoxeni, vbi: *Bominatores* (omnino legendum, *bouinatores*) ἠχοδοκοί, ῥήτορες πολύπους, ὁ μεγαλόφωνος. Et coniectabat Martinius, cœpisse à moribus rusticorum, qui, vbi de lucello minimo agitur, ad iurgia ac conuicia sunt propensi. Hinc βουκολία, Hesychio teste, κακολογία, βουκολεῖ, ἀπατᾷ, σοφίζεται βουκολητής, ἀπατεών· & apud Suidam, βουκολήσας, ἀπατήσας.

Box, piscis Plinio, lib.XXXII. cap.XI. Festo est *boca*, Græcè βόαξ & βὼξ, παρὰ τὴν βοὴν, vt Athenæus scribit in VII. atque etiam Festus indicat, cum ait, sic *bocam* dici, à *boando*, id est, *vocem emittendo*. Similiter Oppiani Scholiastes: Βὼξ λέγεται, διὰ τὸ μόνον τῶν ἰχθύων φωνὴν ἀφιέναι. Atque inde caussam cognoscimus, cur eum Mercurio, vocis præsidi, antiquitas dicârit: vt ab Athenæo ibidem proditum est. Etsi autem προσηγορικῶς dicatur in *boce* φωνὴ, tamen, cum vnus eam habere dicatur, videtur propius ad φωνὴν accedere, quàm pisces alij, quos ψόφον, aut τετριγὸς, non φωνὴν, habere, Aristoteles scripsit in quarto historiæ de animalibus. Ceterum non audiendus Aristophanis Scholiastes, qui βόακα, ait appellari debere βόωπα, quia, cum piscis sit minutus, grandes tamen habeat oculos. Neque enim debet ille bonus vir sine populi suffragio censuram vocum exercere, próque sensu suo receptas voces damnare, & nouas reponere.

Brabyla, Plinio, lib.XXVII. cap.VIII. pruna sunt siluestria, quæ serò admodum maturescunt. De iis sic Athenæus, lib.II. Σέλευκος δ' ἐν γλώσσαις, βράβυλά φησι, ἔλα, κοκκύμηλα, μάδρυα, τὰ αὐτὰ εἶναι. τὰ μὲν μάδρυα οἷον μηλίδρυα. τὰ δ' βράβυλά φησι, ὅτι ἄγγλια, ἐξ τῆς βορᾶς ἀναβάλλειν. ἄλλα δέ, οἷον μῆλα, ὡς Δημήτριος ὁ Ἰξίων λέγει ἐν ἐτυμολογίᾳ. Dici ait βράβυλα, quasi βορόβολα, à βορὰ, id est, *cibus*, & βάλλω, *iacio*, quia eius sunt naturæ, vt *aluum ducant*. Vnde videmus, corruptè apud Suidam scribi βράβυλα. Et sanè repugnat modulus penultimæ: quam Theocritus corripit Idyll. VII. vbi & Scholiasten eius vide.

Braca (pro quo vulgò *bracca*, vel *bracha*, minùs rectè scribunt)

bunt) Isidoro, lib.xix. cap.xxii. videtur dici, quòd sit *breuis*, nempe à Græco βραχύς. Alijs placet, esse à ῥάκος, quod, à ῥήσσω seu ῥήγνυμι; vnde ab Eustathio esse dicitur διεῤῥωγὸς ἱμάτιον, *vestis disrupta*. Æoles (quos Romani maximè imitantur) literam β literæ ρ præmittunt, quando post ρ sequitur α, ι, vel δ; vt, ῥυτὴρ, βρυτήρ, ῥόδον, βρόδον, ῥάκος, βράκος, &c. Sed sanè *braca* vox est à Gallis Belgis. Quippe hodiéque Belgæ, siue Germani inferiores, eam *broeck*, appellant, vt Cimbri, *brog*. Britanni, *broache*. At *braca* esse à Gallis, clarè docet Diodorus Siculus, cuius illud de Gallis, χρῶνται δ' ἀναξυρίσιν, ἃς ἐκεῖνοι βράκας προσαγορεύουσι. Similiter Hesychius, olimque Galliæ pars ab harum vsu dicta *bracata*. Idem confirmant versus isti apud Sueton. in Iulio, cap. lxxx.

Gallos Cæsar in triumphum ducit: ijdem in curiâ
Galli bracas deposuerunt, latum clauum sumserunt.

Sed & *bracarum Gallicarum* liquido meminere Vopiscus in Aureliano. Lampridius in Alexandro Seuero, pluréſque alij. *Bracatos* quoque milites Gallicos appellat Ammianus. li. xvi. Quare & *braca* vocem Gallicam putamus: vel, si origo est Græca, vocem eam acceperint Galli à Massiliensibus: qui Græcè loquebantur. Non soli autem *bracis* vsi Galli; sed & Persæ, quibus eas tribuit Ouidius v. Trist. el. xi. item Sarmatæ, siue Scythæ, vt ex eodem, item Mela & Valerij v. Argon. constat.

BRACHIVM, βραχίων, καὶ ὁ βραχιόνιος. Festus: *Brachium nos, Græci βραχίων dicunt; quod deducitur à βραχὺ, hoc est, breue; eo quòd ab humeris ad manus breuiora sint, quam à coxis planta.* Sed videtur obstare Festo, quod *brachium*, ac βραχίων, propriè dicatur de osse, quod inter scapularum, & cubiti articulos, interiacet. Eóque potiùs *brachium* sic dici censeo, quia os id, quod dixi, breue sit, imprimis si conferetur cum osse femoris, cui ἀνάλογον est. Nam vt pedibus manus, lacertus tibiæ, genui cubitus, sic femori brachia respondent. At, quia de hac vocis proprietate aliquis litem mouere possit. addo, τὴν ὅλην χεῖρα (intelligo per χεῖρα totum illud ab humero vsque ad extremos digitos, quomodo hâc voce etiam vsi Homerus, & Hippocrates) diuidi à Galeno in partes tres; βραχίονα, πῆχυν, & ἀκρόχειρα; quæ ipsa etiam complexus Naso, cùm, 2. Met. ait:

——Laudat digitósque manúsque
Brachiáque & nudos mediâ plus parte lacertos.

Quare, cùm tres sint brachij partes, os illud totius brachij maximum, quod est inter humerum & cubitum, propriè βραχίων, seu *brachium*, appellabitur. Os alterum inter brachium & manum Latinis fuerit *lacertus*, Græcis πῆχυς; quanquam hæc vox & angustiùs interdum sumatur. Nam cùm os illud duobus constet ossibus; vno inferiori & grandiori, altero superinsidente, & minori; illud quidem eodem nomine cum toto dicitur, πῆχυς, siue *vlna*; hoc verò, quia paruarum rotarum radios refert, κερκίς, siue *radius* nominatur. Quod superest, ἄκρα χεὶρ, & vnâ voce, ἀκρόχειρον, ac, κατ' ἐξοχὴν, χεὶρ, Latinis *manus* dicitur. Ex his igitur liquet, quid propriè *brachij* nomine sit intelligendum. At Celsus, lib. viii. cap. i. quemadmodum pro *brachio humerum* dixit, ita per brachium intelligit omne illud à scapulis dependens vsque ad extremam manum. Quin similiter βραχίονος vocem vsurpat Aristoteles. lib. i. histor. animal. cap. xv. vbi hæ à philosopho statuuntur partes βραχίονος; ὦμος, ἀγκὼν, ὠλέκρανον, πῆχυς, χείρ. Ὦμος ei est articulus brachij cum ὠμοπλάτῃ, siue *scapulâ*. Ἀγκὼν est, quod interiacet inter dictum articulum & eum, cui innitimur. Is articulus Aristoteli est ὠλέκρανον, quibusdam *cubitus*, alijs *gibber brachij*, nominatur. Πῆχυς est, quod inter manum & acutam gibberámque brachij partem, situm est. Χεὶρ palma & digitis constat. Quædam tamen ex hisce vocabulis aliter ab Hippocrate, & alijs, accipi, non ignoramus: & qui nescit, discere possit ex definitionibus medicis doctissimi Gorræi. Isidorus autem planè audiri non meretur, cum lib. xi. cap. i. hoc pacto scribit: *Brachia à fortitudine nominata: Βαρὺ enim Græcè graue & forte significat; in brachijs enim tori lacertorum sunt, & insigne musculorum robur existit.*

BRACTEA, est exilis auri, vel alius metalli, lamina. Imò & *ligni laminam*, dixit Plinius, lib. xvi. cap. xliii. Suspicor esse à ברק, quod de metallis, aliísque rebus *fulgidis*, dicitur. Itaque & speciatim pro ferro seu lamina lanceæ vsurpatur Nachum iii. iii. Fauet quoque huic coniecturæ, quòd Belgis *blech*, aut *blick* dicitur à *blicken*, vel *blinken*, id est, *fulgere*. Nec tamen displicet sententia Isidori, qui, quia tenuis est & præ exilitate crepitans lamella, eò lib. xvi. cap. xvii. deducit à βράχειν, id est, *crepitare*: vnde Maro dixit vi. Æn.

——Sic leni crepitabat bractea vento.

Sanè & Hesychio βράχειν est ἠχεῖν, ψοφεῖν. Eique Etymologus subscribit, qui addit, esse verbum ὀνοματοπεποιημένον. Quidam hoc *bracteæ* etymo adducti, non *bractea*, sed *brachtea*, scribere iubent: sed, vt Pierius ad vi. Æn. monuit, contra veterum codd. fidem, in quibus vel *bractea* est vel *brattea*, gemino *TT*; quomodo & in Latino-Græcis Philoxeni Glossis scriptum est. Sed prior scribendi ratio vera est: altera errore quodam nata ex eo, quod in Longobardicis literis *C* & *T* haut multum distent. A *bractea* est *bracteatus*, hoc est, bractea obductus: vt, *bracteatum lacunar*, apud Sidonium, lib. ii. ep. x. & translatè, ornatus atque elegans: vt, *dictum bracteatum*, apud Ausonium ad Gratianum: *bracteata eloquentia*, apud Fulgentium: vt Solinus in præfatione dixerat, *bracteam eloquentia*. Etiam, quia *bracteæ* exterius apponuntur, *bracteatum* dixere, cùm interius minus est, quam foris apparet: vt apud Senecam, epist. cxv. *Omnium istorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas est.* Ab eodem, *bractearius*, in Pandectis; & *bracteator*, apud Iulium Firmicum, lib. viii. cap. xix. Græcè πεταλουργός. Item, *inbracteare auro* apud Ammianum lib. xiv. & xvii.

BRANCHIÆ, Græcis similiter βράγχια, vocantur, à βρόγχος, id est, *guttur*. Quippe ijs sunt gutturis loco. Alia enim animantia pulmones ac guttur habent ad aëra hauriendum, quo intus refrigerentur: etiam gutture vocem formant. Pisces autem aquam ore acceptam ad refrigerandum, branchijs reddunt: etiam branchijs, non quidem vocem, sed tamen, vt Aristoteles vocat, τριγμὸν, seu *stridorem*, edunt. His igitur de caussis βράγχια dixere à βρόγχος, Ο in Α conuerso, quomodo ab eodem βρόγχος fecere βράγχος, id est, *raucedo*, vnde βραγχᾶν, *raucescere*.

BRASSICA, Catonis panacea (vti liquet ex cap. clvii. libri de R. R.) Festo, siue Verrio, dicta videtur a *præsecando*. Dura sanè ἐτυμολογία: sed mollior tamen videbitur, si duo sciamus. Vnum est, composita à *seco*, in compositione, E solere mutare in *I*, vnde *dissico*, *subsico*, aliáque, de quibus fusè Aldus in Orthographia. Alterum est, *B* in multis olim sonuisse vt *P*; quâ de re vide Lips. lib. de pronuntiat. L. L. cap. xii. Quibusdam placet, *brassicam* dici, quasi *passicam*, quod ex *scapo præsecetur*, & *passa* fiat. Imo hanc etymologiam Varroni ipsi tribuunt Grapaldus, Raderus, & alij. Sed Varro idem scripsit, quod Festus. Sic enim ille, lib. iv. de L. L. *Brassica vt præseca, quod ex huius scapo minutatim præsecatur.* Sic enim locus is legitur non solùm in nuperis editt. sed etiam Aldina anni CIↃ IↃ xiii. & Mediolanensi anni CIↃ IↃ. Tertia eorum sententia est, qui deducunt à βρώσκω, id est, *voro*, quia auidè ea veteres vesci solebãt. Quartum est etymon Iosephi Scaligeri. Docet is in Coniectaneis, *brassicam* dici à Græco πρασικὰ, vtpotè *hortulanum olus*. Nam πρασιὰ, notat *areolas hortenses*: vnde & *pratum* nomen accepit. Hoc etymon imprimis placeret, nisi esset *brassica* vox à maiori Græcia, quæ pro eo dixit βράσκαν. Hesychius: Βράσκαν, κράμβην Ἰταλιῶται. Vbi Ἰταλιῶται non sunt Latini sed Tarentini, atque alij. Aliud *brassicæ* genus est *crambe*: vt Plinius docet, lib. xx. cap. ix. De hoc prouerbium, Δὶς κράμβη, θάνατος. Et creditur Iuuenalis eo allusisse, sat. vii.

Occidit miseros crambe repetita magistros.

Sed in plerisque manuscriptis *cambre* legitur: quod in suo etiam codice inuenisse se testatur Io. Pincierus in Parerg. l. iv. cap. v. Legit item hoc pacto Domitius Calderinus: sed interpretationem eius mirè exagitat Politianus, Miscellaneorum cap. xxxiii. Dicitur κράμβη, quasi καράμβη, quia τὰς κόρας ἀμβλύνει; hoc est, *pupillam*, seu *visum hebetat*. Vel quia τῷ κάρῳ ἀντιβαίνει, ὅθεν ἐν πρώτοις ἐν τοῖς συμποσίοις δίδοται; quia ebrietati, atque inde prouenienti *sopori ac veterno, resistit: vnde & in conuiuijs primum datur*. Vtrumque & Suidas adfert, & Etymologus.

BREVIS, Festo teste, est à βραχὺς, nempe conuerso χ in *V*, quomodo à μαλάχη, est *malua*. Βραχὺς autem à Chaldæo, Syriaco & Arabico פרך, id est, *frangere*, vnde Chaldæo פר, *par*, id est, *frustum*. Hesychius. βρὰξ, μικρόν. *Breuis*, *breues*, *breuia*, *breuicula*, *breuiarium*, dicuntur breues tabellæ, seu libelli: vnde Zonaras in Concilio Carthaginensi: Βρέβιον, ὁ ἐπιτομὴ λέγεται, ἢ σύντομος γραφή; hoc est, *compendiaria scriptura*. Hinc in antiquâ inscriptione Romæ sub Ianiculo: *Accipere autem, secundum constitutum breuem, molendinarias tam in Ianiculo, quam per diuersa, præcipimus.* Vid. inscript. pag. cxiv. Latinam vocem retinet Saliarius epist. ad commune Iudæorum. Ananias Alex. vi. crebra etiam in βασιλικῶν libb. Plura si voles, adi Barnabam Brissonium, lib. ii. de Vocum significat. & Marcellum Donatum, Dilucidat. in Tranquillum, cap. ci. Est & aduerbium *breue*, pro *breui*: nisi quod illud præteriti, hoc, futuri sit temporis. Itaque sic ex vet. MS° legit Scaliger apud Catullum:

Vos bona senibus viris
Cognita breue fœmina.

Breui, pro *breuiter* ac *paucis*. dixit Varro, lib. ix. de L. L. *Quibus rebus solui arbitraremur posse, quæ dicta sunt priore libro con-*

tra analogiam, vt potui, breui percurri. *Breuia* etiam dicuntur *loca vadosa*, per quæ possumus *vadere*: vt scribit Seruius ad illud I. Æn. *In breuia & syrtes vrget.* Pomponius Sabinus, à *breuitate aquarum*, sic dicta opinatur: nempe quia *aqua* sit *breuis*, hoc est, minimè profunda, eóque non idonea naues sustinere. Sed omnino quemadmodum *breuis* est a βραχὺς, ita *breuia* est à βράχεα. Sic enim Græci hæc loca vocant, siue ἀπὸ τοῦ βράχειν, quod est ἠχεῖν, *sonare, crepitare*, quod videbatur Romulo Amaſæo, Romuli filio, vt ad primum Æn. notauit Sebastianus Regulus: siue, quod alij malunt, ἀπὸ τοῦ βρέχειν, quod est, ἄρδειν, siue ζεῖν; vel potiùs συγκλύζειν μετὰ κινήματος. Vide Brodæum, lib. VI. cap. XXIV. & Florentem Christianum ad εἰρήν. Aristoph.

BRISA, ex sententia Georgij Merulæ Alexandrini, dicitur *vinaceus*, cum calcatur. Forte a πρίω, *seco*, vel potiùs à βρύω, *mano, scaturio*, quia, cum calcatur, vini liquorem effundit. Vsus Columella, lib. XII. cap. XXXIX. *Postea vinaceos calcare adiecto recentissimo musto, quod ex alijs vuis factum fuerit, quas per triduum insolaueris: tum permiscere, & subactam brisam prælo subijcere, passúmque secundarium statim vasis oblinitis includere, ne fiat austerius.* Hinc posteriores dixere *brisare*. Cornutus in illud Persij, sat. I. *Est nunc Brisæi quem venosus liber Acci*: *Est Brisæus Liber pater cognominatus, vt aliquibus videtur, ab vua, quod vuam inuenerit & expresserit. Brisare enim dicimus exprimere.* Sed est *brisare* vox posterioris æui, à quo Gallicum *briser*, obterere, comminuere. Nisi malis, hoc esse a βριάζειν, *impetum facere*. Volunt & *brisare* accipi pro *consumere*. Huic rei adferunt illud Afranij in Diuortio, apud Nonium, in *Vafer*: *Qui coner noctu clanculum brisare dotem, ne renuntiat vafer.* Sed in vett. edit. vti Mediol. Ald. alijs, legas *irusire*. Vera autem lectio est: *Qui conere noctu clanculum rus ire, dotem ne repromittas vafer.* Vt in Merceriana editum.

BROMOSA, in Glossis Isidori exponitur *immunda*. Et *exbromare*, pro *emundare*, siue *purgare*, legas apud scriptorem rei culinariæ, qui Cælius Apicius vocatur. Origo est Græcanica. Nam βρώμος, ὀζόμενον, teste Hesychio. Et Dioscorides Castorea, quæ Maio *virosa* vocat, dixit βαρύοσμα, ἢ βρωμώδη, hoc est, *virosa*, & *grauis odoris*. *Bromosa* igitur propriè *grauiolentia*, & μεταληπτικῶς, *immunda*: quomodo eo vsos Zenonem Veronensem & Aldhelmum Salmasius obseruauit.

BRVCVS, in Gloss. Philoxeni exponitur, βροῦκος, Μακρός, ἠλίθιος, ἀγροῖκος. Sed patet legendum *brutus*, quod & Dionysius Halicarnassensis, & Glossæ Græco-Latinæ Cyrillo tributæ, similiter ἠλίθιον, exponunt. Pro βροῦκος verò, βροῦτος scribendum, vt indicetur *Brutus* etiam fuisse familiæ nomen apud Romanos. Nec tamen putandum *bruchus*, siue *brucus*, Latinum non esse. Vsus enim Hieronymus, sed aliâ longè significatione. Locus est Comment. in Malach. cap. III. *Sed fieri potest, vt agros irrigantibus pluuijs sit quidem fertilitas, verum aut locusta, aut bruchus, aut arugo, aut eruca, destruant, & labores hominum pereant.* Quem locum eo lubentius attuli, quia ex illo patet, falli Suidam, cum ait, βροῦχος (inde enim *bruchus*) notare κάμπην, siue *erucam*. Rectiùs Etymologus, qui ait, esse εἶδος ἀκρίδος, *locustæ genus*. Nec obstat quod *locustæ* etiam meminerit Hieronymus. Nam strictè *locustæ* voce vtitur. Ita Leuitici cap. XI. XXII. apud veterem interpretem coniungi videmus, *brucum, attacum, ophiomachum, ac locustam*. Vatablus retinet Hebræas appellationes, *arbe, saleam, hargol*, & *hagab*. Porrò pro βροῦχος Hesychius scribit βροῦκος, qui & ipse ait, ab Ionibus sic vocari certum *locustæ genus*: addit autem, Cyprios *viridem locustam* vocare βροῦκαν. Tarentinos ἀττέλαβον, alios ἀγροίκαν μάντιν, hoc est, *agrestem vatem*: nempe quia, vbi apparet, famem portendit. Valde autem appositum est etymon illud apud Etymologum, cum ait, βροῦκος, siue βροῦχος, esse, παρὰ τὸ βρύκειν τὸ ἐσθίειν. Nam & κόρυξ (quomodo Ambraciotarum dialecto *locusta* vocatur, vt ex Clitarcho idem tradit) nomen similiter habet ἀπὸ τοῦ κορύσσειν, hoc est, *dendo*: vnde Nicander dixit, Μάργαι κατὰ βίον ἐμπλέγματος; quia nempe segetes depopulatur. At aliud *bruchus* aliud *brochus*, vnde *brochitas*. Plinius lib. XI. cap. XXXVIII. *Labra, à quibus brochi labeones dicti.* Sic enim ea vox scribitur in optima Parmensi anni CIƆ IƆ LXXVI. Similitérque in Glossis Latino-Græcis Philoxeni legitur: *Brochus*, ὁ τὰ ἄνω χείλη ἔχων ἐξέχοντα. Apud Nonium, absque spiritu & insertâ liquidâ, legitur *broncus*. Sic enim ille: *Bronci sunt producto ore, & dentibus prominentibus.* Lucilius sat. lib. III. *Broncu' Bouillanus, dente aduerso, eminulo; hic est Rhinoceros.* Pro *nonis lanius*, vel *Bouillanus* legendum cum Turnebo, vel *nonus lanius*, cum P. Merula. *Broncum* vocat *Rhinocerota*, ob dentem eminulum, quò rhinocerota refert. Francisc. Duza, adductus superiori loco Nonij, in Gloss. quoque *broncus* pro *brocus* legere iubet. Dicere possum, quosdam qui nascente demum typographiâ vixere, quando Nonij locum adducunt, *brocus* absque N scripsisse: quomodo & legit Ioannes Petrus Valla, in commentarijs Plautinis ad Mil. Act. III. sc. I. Sed quia in vetustis Nonij edit. *broncus* lego cum liquida, malo Nonij codd. opponere tum Plauti veterem editionem, quæ cum Vallæ, Grapaldi, & aliorum commentarijs prodijt ante annos centum, & amplius: in qua liquidò eo loco, quo proximè diximus, *brochus* editum est: tum etiam Græco-Latinas Philoxeni Glossas, item Plinij locum antè citatum, & alterum eodem capite, vbi ait: *Senectus in equis, & ceteris veterinis, intelligitur dentium brochitate.* Item hoc Varronis, lib. II. de R.R. cap. VII. *Cum dentes facti brocchi, & supercilia cana, & sub eâ lacuna, ex obseruatis dicunt, eum equum habere annos sedecim.* Alia aliorum loca adferre in tantula re piget. *Bronchus* tamen requirat ἀναλογία si est à βρόγχος, id est, *guttur*: vt nonnulli arbitrantur. Sed cum longè aliud Latinis sit *brochus*, vt vidimus, ex incerto etymo de ὀρθογραφίᾳ, nihil certi colligere est.

BRVMA, ἡ χειμερινὴ τροπή, vnde eius dies, vt Ouidius primo Fastorum, ait:

——Noui prima est, veterisque nouissima Solis.

Nobis igitur ac Romanis initium est hiemis: vti Græcis media hiems. Nam Græcis solstitium & bruma non inchoant æstiuum & hibernum tempus, sed diuidunt in partes æquales. Quod indicat Galenus in Hippocratis principium Epidemicorum, pag. 164. edit. Ald. Οἱ δὲ αὐτοὶ ἐς τὴν χειμερινὴν τελευτῶσι τροπήν, μέσον μὲν αὐτοῦ ποιοῦντες τὸ ἀπὸ τῆς τροπῆς χειμῶνι. Quod ad etymon *brumæ*, Varro lib. V. de L.L. & Festus, eam à *breuitate dierum*, appellari aiunt. Sed hoc non omnes similiter interpretantur. Sunt enim, qui *bruma* κατὰ συγκοπήν, ex *breuissima*, factum putent. Alijs placet, abiecto ε fieri è βραχὺ ἦμαρ, hoc est, *breuis dies*: quam originationem quoque amplexus Macrobius, lib. I. Saturnal. cap. XXI. Isidorus, lib. V. cap. XXXV. & Cæsar Scaliger, cap. XIX lib. I. de causa L.L. Alterum quoque etymon dicto loco refert Isidorus, vt sit a βορά, hoc est, *cibus*, quia brumæ tempore sumus voraciores. Atque hinc inquit, *embrumati dicuntur, quibus fastidium est ciborum.* His accedat sententia Tzetzis in Hesiodi ἔργ. A. & Ios. Scaligeri in coniectaneis, nec non in notis ad initia, siue hymnos Orphei. Hi volunt *brumam* esse à Βρῦμος; quomodo *Dionysium*, siue *Bacchum* vocari docent. Est autem Βρῦμος, factum è Βρόμιος. Ratio, cur *bruma*, a *Baccho* nomen esse velint, obscura esse nequit, quandoquidem id circiter temporis incidunt *Bacchanalia*, & alioqui Decembri genio indulgeri solet. Hinc Ouid.

Acceptus genijs illa December habet.

Sed sententia hæc magis placeret, si ipse brumæ dies Baccho sacer foret. Quod quia non est, maximè placet, quod ex Varrone & Festo diximus, sic à *breuitate* nominari: & quidem origine Latina. Nempe vt ab *exterus*, dicimus *exterior*, inde esset *exterrimus*, pro quo dicimus *extremus*, & *extimus*: vt item à *superus*, *superior*, fit *superrimus*, pro quo dicimus *supremus*, & *summus*: sic à *breuis*, *breuior*, *breuissimus* fit *breuimus brouima, breuma, bruma*. Cui etiam similia à *citerior*, *citimus*; à *posterior*, *postumus*. At à *bruma* sunt *brumalia*. Etymologus: Βρουμάλιον παρὰ τὸ ἐξ ἀλλοτρίων βρωμάτων τρέφεσθαι ἄνους; ἐστὶ δὲ λέξις Ῥωμαϊκή. Si Romana est dictio, vt fatetur, quid insulsius, quam conflatum dicere ex βρῶμα, & ἄλλος, quia de alieno tum affatim homines satientur? Omnino autem est simplex deriuatum.

BRVTA, arbor solum Orienti nota, de qua sic Plinius, lib. XII. cap. XVII. *Petunt igitur in Elymæos arborem brutam, cupresso fusæ similem, ex albidis ramis, iucundi odoris accensam, & cum miraculo historijs Claudij Cæsaris prædicatam. Folia eius inspergere potionibus Parthos tradit. Odorem esse proximum cedro, fumumque eius contra ligna alia remedio. Nascitur vltra Pasitigrim in finibus oppidi Sitacæ, monte Zagro.* Hæc Plinius. Forte autem est à ברוש, vel ברות, quæ duo idem significant. Hieronymus *cupressum* interpretatur, Kimhi *buxum*, alij *abietem*. Iesa. XLI. XIX. Cantic. I. XVII.

BRVTIANÆ *parmæ dicebantur scuta, quibus Brutiani sunt vsi.* Ita Festus. Idem de *Brutianis* hoc pacto: *Brutiani dicebantur, qui officia seruilia magistratibus præstabant: eò quòd hi primum se Hannibali tradiderant, & cum eo perseuerauerunt, vsque dum recederet de Italia.* Eadem refert Gellius, lib. X. cap. III. Atque addit; ita *Brutianorum* voce vsum Catonem, libro de falsis pugnis, vbi de Q. Thermo ita conqueritur: *Dixit à decemuiris parum sibi bene cibaria curata esse; iussit vestimenta detrahi, atque flagro cædi; decemuiros Brutiani verberauere; videre multi mortales, &c.* *Gerones* aliter à Romanis dicebantur: vt auctor est Fulgentius in *Congerrones*. Nempe à literis magistratuum gerendis, vt videtur. Vel quia ex magistratuum iusso res *gerebant*, hoc est, faciebant. Sed prius cum Strabone malim. Nam & Strabo, extremo lib. V. clare ait, hoc pœnæ ijs esse impositũ,

vt loco

vt loco militiæ cogerentur ἡμεροδρομεῖν καὶ γραμματοφορεῖν, hoc est, vt *cursores essent & tabellarij*.

Brvtvs, quasi *obrutus*, dici, sensit Isidorus, lib.x. Sed hoc ineptum. Nec magis placet à βροτὸς venire, id est, *mortalis*, quæ sententia est Iulij Scaligeri, libb. de caussis L.L. cap.xxvi. Nec à βρότος, *sanies*, vti scriptum apud Petrum Nunnesium in Grammatistice. Nec iis assentio, qui deducunt à βρωτὸς, hoc est, *vescus*, *edulis*. Nam immane quantum horum discrepat significatio. Potiùs è ἀβάρυτος, hoc est, *onus*, contractum sit brutum. Sanè verè id *brutum* animal. Vel fuerit, ἀπὸ τοῦ βαρύνοντος, id est, *grauitate*. Nam *grauem*, interpretatur Festus in *brutus*, & *obrutus immobilem* (vt videtur) Seruius, quem vide ad illud x. Æn. *Et tremefacta solo tellus*, &c. Vt propriè locutus sit Horatius, lib.i. od.xxxiv. cùm *terram* vocat *brutam*, id est, *grauem*, & *immobilem*. Et conuenit huic expositio etiam Isidori, lib.x. vbi *brutum* interpretatur, *sensu carens*. Nam terra à sensu longissime abest. Sed κατὰ μεταφορὰν ὑπερβολικὴν, postea vox hæc, tum *tardis* ac *stupidis*, accommodata; quomodo Plinius, lib.xi. cap.xxxvii. ait: *Bruta æstimantur animalium, quibus durum cor riget: audacia, quibus paruum est: pauida, quibus pergrande*: tum *stultis*, vnde L. Iunius, primus consul Romanus, *Brutus* dictus est, quòd se ad imitationem stultitiæ effinxisset, vt contemtu tutus esset à Tarquinio, qui patrem fratrémque eius interemerat. Auctores Dionysius, Liuius, Plutarchus, alij. Ouidius lib.ii. Fast.

Brutus erat stulti sapiens imitator, vt esset
Tutus ab insidijs, dire Superbe tuis.

At hinc est, quod Dionysius quidem Halicarnassensis, lib.iv. & Glossæ Græco-Latinæ in Cyrilli calce inuentæ interpretantur ἠλίθιον; Festus, in *obbrutuit*, *stupidum*; Nonius, *hebes*, & *obtusum*. Quòd si hæc præcipua est significationum, non illa, quam prius dicebam, posses deducere ab Chaldaico בירות, *biruth*, id est *stupiditas*, *stultitia*. Ab ea significatione, quâ ἀναισθησίαν significat, *obbrutescere*, pro sensum vitámque amittere, de anima dixit Lucretius, lib.iii.

Nec refert, vtrum pereat dispersa per auras,
An contracta suis è partibus obbrutescat.

Ab eadem significatione est, quod notat *obstupescere*, quia & id cùm fit, sensuum animique vigor amittitur. Afranius apud Festum: *Non possum verba facere: obbrutui*.

Bvbalvs, Græcè βούβαλος, vulgo sumi solet pro boue siluestri, qui aliter *vrus* vocatur. Ita accipit Martialis, siue alius Spectaculorum libello:

Illa tulit geminos facili ceruice iuuencos,
Illi cessit atrox bubalus atque bison.

Ac apud Agathiam quoque lib.i. Histor. legas: Νῦν δὲ ἐπὶ θήραν ἰόντι ταῦρος αὐτῷ ἐπεφοίτησε, μέγας τε καὶ ὑψίκερως, οὐ τῷ ἡμέρῳ δὴ που τούτῳ καὶ ἀροτῆρι, ἀλλ' ὑλαίῳ τε καὶ ὀρείῳ, καὶ τοῖς ἀγρεῦσι τὸ ἀντίπαλον διαθεῖσθαι· βουβάλους οἶμαι τόδε τὸ φῦλον καλοῦσι. *Nunc verò, cum venatum isset, occurrit ei taurus ingens, & excelsis cornibus, non domito & aratori similis, sed siluestris ac montanus, & quicquid obuium foret, disperdens: bubalos puto hoc genus appellant*. Extrema verba B. Vulcanius sic vertit: *Bupalos, vti arbitror, gens illa appellat*. Quare videri possit vox Celtica. Sed non hoc dicit Agathias, quod putauit doctissimus vir. De bestiæ enim, non hominum genere, intellexit. *Bubalo* autem nomen potius à *similitudine bouis*. Isidorus, lib.xii. cap.i. *Bubali vocati per deriuationem, quòd sint similes boum: adeò indomiti, vt præ feritate ceruicibus non recipiant. Hos Africa procreat*. Sed aliud Græcis & Latinis antiquis *bubalus* erat. Plinius. lib.viii. cap.xv. *Germania gignit insignia boum ferorum genera, iubatos bisontes, excellentique vi & velocitate vros, quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit, cùm id gignat Africa, vituli potius ceruiue quadam similitudine*. Similiter Solinus, cap.xxiii. *Bubalus* igitur integrius loquentibus Africanum animal erat, cerui quadam similitudine, sed ceruo minus. Vnde Hesychius: βούβαλος, δορκάδιον. Nec βούβαλος modo, sed & βούβαλις, dicebantur. Idem Hesych. βουβάλιες, βούβαλοι. Vide de hoc animali inter alios Oppianum, Cyneget. lib.ii. vers.300. At de *bubalo*, vt *vrum* notat, vide quæ in *Vrus* diximus.

Bvbinare, & *bulbitare*, vel potiùs, *imbulbitare*; sic differunt, quod illud sit, menstruis feminarum, hoc, stercore infantium, inquinari. *Bubinare* suspicor esse à *buo*, vnde *imbuo*, vt propriè sit, imbuere menstruis. Vel, vt *dominor*, est à *domus*, ita *bubino* erit à βύω, quod notat, *plena conferta que*; quâ ratione *bubinare* propriè fuerit, *repleri mulierum profluuio*. Sed hoc coniectare est. At de *bulbitare* res magis patet. Est enim à βόλβιτον, quod idem ac βόλιτον, vnde & deriuatur, vt βόλιτον ἀπὸ τῶν βοῶν, vel potiùs βολὸς, vt non simpliciter βοῶν ἀφόδευμα, signet. (quomodo explicat Scholiastes Aristophanis, ipso etiam firmante Comico, qui tribus locis, vbi à Scholiaste hæc vox explicatur, βοῶν mentionem facit) sed ἁπλῶς, *stercus* notat, quia ab animantibus βάλλεται, hoc est, ῥίπτεται; quam etymologiam apud Eustathium legimus ad Od. ε. pag.1404. edit. Rom. Festus: *Bubinare est menstruo mulierum sanguine inquinari*. Lucilius: *Hæc*, inquit, *te imbubinat, & contra te imbulbitat. Imbulbitare est puerili stercore inquinari; dictum ex fimo, quod Græci appellant* βόλβιτον. Quod ad Lucilij versum, omnino placet emendatio Francisci Duzæ:

Hæc te imbubinat, & contrà te imbulbitat ille.
Vel, ———*Et contrà te imbulbitat infans.*

Vocem *bubinare* etiam legas in Glossis Isidori, in quibus est: *Buuinare, sanguine inquinare mulieris menstruatæ*. V pro B positum ex more posterioris seculi.

Bvblevm, siue *biblinum*, vini genus esse tradit Paullus Diaconus in epitoma Festi. Sanè, οἴνου βιβλίνου meminit quoque Hesiodus, ἔργ. β. Item Theocritus, & alij. Volunt sic dici à Byblo ciuitate, vel Byblinis Thraciæ montibus, vbi proueniebat. Sic Athenæus, Suidas, Etymologus. Scaliger, dissertatione aduersus Guilandinum, dici tradit à *biblo*, siue *byblo* stirpe Ægyptia, quæ aliter *papyrus* dicebatur. Hanc enim fuisse aquaticam, indéque οἶνον ὑδαρῆ dictum βίβλινον. Itaque senario hocce quem Suidas adducit:

τὸ μὲν δὲ πίνε, τὸ δὲ βίβλινον πίνε.

indicari vult, vinum hoc adeo fuisse dilutum, vt etiam aquâ eo esset firmior.

Bvbo, auis est nomen à sono factum: vt Isidorus ait, lib.xii. capite vii. & multò antè docuerat his verbis Varro, iv. de L. L. *De his (volucribus) pleraque à suis vocibus, vt hæ; Vpupa, cuculus, coruus, hirundo, vlula, bubo: item hæ; Pauo, anser, gallina, columba*. Confirmatur id quoque tum Græcâ voce βύας, quæ *bubonem* significat (à qua Latinum *bubo* Nunnesius deducit:) tum verbo βύζειν, quæ vox est *bubonum*, βῦ sonantium. Latini id dicunt *bubulare*: vnde auctor Philomelæ:

Bubulat horrendum ferali carmine bubo.

Sed & eundem sonum exprimit Hispanicum *bubo*, & Italicum *buso*, quomodo nationes hæ *bubonem* vocant. Quare omnino falluntur, qui *bubo* venire putant à βοῦ intensiua, quia nempe sit τὴν μὲν ἰδέαν ὁμοία γλαυκί, τὸ δὲ μέγεθος οὐκ ἐλάττων ἀετοῦ; *specie quidem similis noctuæ, sed magnitudine non minor, quàm aquila*: vt scripsit Aristotel. lib.viii. hist. animal. cap.iii. Æquè falsum, quod sic vocari aiunt, siue quia *bouem mugitum* voce sua imitetur, siue quod *bouem* æmuletur *cornibus*. *Bubo* quoque vocatur *inguinis morbus*, à Græco βουβὼν, quo tum *inguen*, tum *tumor inguinis* denotatur: nempe à βοῦ particula intensiua, & βάω, siue βαίνω, id est *eo*: quia μεγάλως βαίνει εἰς οἴδημα. Inde *bubonium* herba, quæ inguinum præsentaneum remedium est, vt Plinius ait. lib.xvii. cap.v. Videtur & *bubo*, vel *bubio*, esse verbum. Auctor Philomelæ:

Inque paludiferis butio bubit aquis.

Sed illuc *butit*, ex MS° codice reponit Schottus. Est id à *sono butionis* factum.

Bvbvlcito, vel *bubulcitor*, est à *bubulcus*, ac propriè signat, *bubulcum ago*, *boues pasco*, βουκολῶ. Plautus Mostell. Act.i. sc.i.

Decet me amare, & te bubulcitarier.

Apuleius Floridis: *Est apud illos gens, quæ nihil amplius, quàm bubulcitare, nouere: ideóque cognomen illis bubulcis inditum*. At transtulisse alio videtur Varro, cum apud Nonium ait: *Vinicius meus, quòd apud Plotium Rhetorem bubulcitaret, alteri in dolore non defuit*. Videtur *bubulcito* posuisse, pro declamitare more *bubulcorum* verius, quàm Oratorum. In Onomastico veteri est *bubulcio*, βουκολῶ. Ambigo, vtrum *bubulcito* legi debeat. Fortasse enim & *bubulcio*, & *bubulcito*, dixerunt.

Bvcardia, βουκαρδία, à βοῦς, *bos*, & καρδία, *cor*. Plinius lib.xxxvii. cap.x. *Bucardia, bubulo cordi similis, Babylone tantùm nascitur*. Annotat ad eum locum Dalecampius; *Callaidis est, siue Turcicæ genus, quale ego vidi*.

Bvcca, propriè est cauitas interior genarum. Vt videatur esse ab illo Hebræo בקה, *buca*, id est, *vacua*, *caua*. Nisi malis esse à βύζω, id est, *inflo*. Nam inflantur, præsertim ab arrogantibus, qui inde dicuntur *buccones*. Sanè *bucco* eâ ratione à *buccis* dicitur, quâ, Hesychio teste, γνάθων, à γνάθος, hoc est, *maxilla*. Sed distant significatione. Nam γνάθων, *parasitus*: vnde Terentianus *Gnatho* nomen habet. *Bucco* verò plurimum est *garrulus*, ac imprimis, qui laudes suas plenis *buccis* prædicant: quales Belgis similiter *blaeskaken* appellantur. Isidorus: lib.x. *Bucco garrulus, quòd cæteros oris loquacitate, non sensu exsuperet*. Idem legas in Glossis Isidori, sed in his additur, *rusticus, stultus*. Glossæ Latino-Gr. Philoxeni: *Buccones*, παράσιτοι, βουκίονες. Vbi vides confundi discrimen, quod ante inter *bucconem*, & *gnathonem*, ponebamus. Et sanè Plauto etiam

Bacch:

Bacch. v. 5. atque Appuleio apol.11. *bucco*, non tam *inflatum* signat, quàm *stultum*: vt Isidorus exponit. Imò *buccones* interdum etiam *parasiti* ac *scurræ*. Qui & *bucca* dicuntur. Vt Iuuenali saty.111. —— *notaque per oppida bucca.* Itémque sat. x1. —— *An Curtius & Matho bucca.* Errat enim vetus interpres, cùm *bucca* exponit, *iactanticuli, qui tantum buccas inflant, & nihil dicunt.* Sæpè tamen ita accipi, verum est. A *bucca* quoque diminutiuum *buccula* est, pro maxilla: vt apud Suetonium in Galba, *bucculam apprehendere.* Et Appuleius. lib.111. *bucculis rubentibus*, lib.v1. *perpresâ cupidinis bucculâ.* Atque inde & *buccula* dicitur ea cassidis pars, quæ *buccas tegit*. Gloss. Philox. *Buccula*, παραγναθίς. Legas apud Iuuenalem, sat. x. Spartianum in Maximino Iun. item l. 1. de Fabricensibus, in Cod. Theodos. Hinc *buccularij*, L. vlt. D. de iure immunit. Ita quidem legit Turnebus lib. 1x. cap. xv1. Vbi corruptè vulgo *bacularij*. *Buccularij* sunt, qui galeas faciunt.

Bvccea à *bucca*. Frustum rei esculentæ, vt, *buccea* panis apud Tranquillum. Sed sumitur ἀπλῶς, pro *pane*. Vt & diminutiuum eius, *buccella*, pro quo & *buccellum* dixere. Vtrumque, ψωμίον exponitur in vett. Gloss. Hinc & *buccellatum*, panis sex vnciarum. Ab eo *buccellarij* dicuntur, qui aliter domestici, vel custodes, aut stipatores corporis. Nomen ex eo, quia domini sui viuerēt *buccellâ*, siue quadrâ, aut pane. Isidorus in Glossis: *Scurra, parasitus, buccellarius.* Item: *Adsecula* (l. *adsecla*) *buccellarius, homo.* Vbi *homo* strictè sumitur, vt sæpè apud posteriores. Aliter de *buccellarijs*, scio, Turnebus, Marcellus Donatus, alij. Sed sequor Salmasium, quem vide in aureo commentario ad histor. August. scriptor.

Bvcephalvs, vt ait Strabo, lib. xv. nomen ἀπὸ τοῦ πλάτους τοῦ μετώπου, hoc est, quòd latitudine frontis bubulum caput referret. De eodem ita Plinius, lib. v111. cap. xl11. *Bucephalum vocarunt, siue ab adspectu toruo, siue ab insigni taurini capitis, armo impressi.* Gellius lib. v. cap. 11. *Equus Alexandri regis, & capite, & nomine, bucephalus fuit.* Quamquam hinc non satis dilucet, num à similitudine capitis bubuli, an à magnitudine ita dictum censeat, vt βοῦ sit ἐπιτατικόν, vt in βούπαις, βούλιμος & similibus. Festus: *Bucephalus vocatus est propter quandam bubuli capitis similitudinem.* Hæc illi: Vera autem nominis ratio est, quod fuerit vnus ex generosioribus equis Thessalis: qui etsi κοινῶς ita dicerentur, equus tamen Alexandri, quia tantoperè historijs celebraretur, κατ' ἐξοχὴν, illud nomen retinuit solus. Hæc ita esse didicimus ex Etymologo, qui & ex Aristophanis gemino loco sententiam suam probat. Ipsum audiamus: Βουκέφαλος ὄνομα ἵππου, ὅτι ἵππος ἐν Θεσσαλίᾳ ἐγκαλοῦνται οἱ ἵπποι ἔχοντες ἐγκεχαραγμένον βουκράνιον. Ὅτι δὲ τοὺς Θεσσαλικοὺς ἵππους τινὲς ἐκάλουν βουκεφάλους, δηλοῖ Ἀριστοφάνης ἐν Ἀναγύρῳ, Μὴ κλαῖ' ἐγώ σοι βουκέφαλον ὠνήσομαι. Καὶ πάλιν, Ψώχε τὸν ἵππον τὸν βουκέφαλον, ἢ κοππατίαν. Vera igitur nominis ratio est, quod generosioribus equis Thessalicis (qualis fuit ille Alexandri Magni) inureretur bucranium, siue cranij bubuli figura: quomodo Σαμφόραι, vocati equi, quibus impressum Σ, quasi σὰν φοροῦντες, hoc est, σίγμα (nam Græcis vetustioribus, Eustathio teste, litera hæc vocata σὰν, Syrorum more, qui שִׁין dicunt pro *Sin*, vel *Schin*, *I* in *A* conuerso,) quomodo item Κοππατίας, dixere equos, quibus inustum κόππα, quo nomine, si Hesychium Eustathium, & Aristophanis Scholiastem audimus, קוֹף antiquis signabatur: sed reuera sic dicta *Kophe*, siue *Kuph*, quæ eiusdem est potestatis ac Latinorum *Q*. Vide quæ de hac litera monet Ios. Scaliger, Animaduersionibus Eusebianis, in longa illa, sed & longè doctissima, digressione de literis Ionicis. Rob. Titius, *samphora*, & *coppatij*, scribendum putauit: sed ipsissè errat, cum σαμφόραι, & κοππατίαι, Græcè dicatur. Ergo vt Πανδέκτης, est *Pandecta*, ita Σαμφόραι, & Κοππατίαι, *Samphora*, & *Coppatia*.

Bvcervs, βούκερως, à βοῦς, & κέρας, vt propriè sit, *bubulis praditus cornibus*. Nisi βοῦ hic auget, vt sit *ingentia habens cornua*. Sed prius magis placet, vt *boues* signet. Pro eo & *bucerius* dicitur. Lucretius lib. 11. vers. dclxiii. *Buceriaque greges.* Ita est in MS^tis, & apud Nonium Marcellum: sed vsitatius est *bucerum*, vt apud eundem Lucretium, lib. v. vers. dccclxiii.

Lanigeraque simul pecudes, & bucera secla.

Et Ouidium, lib. v1. Metamorph.

——— *Armentáque bucera putauit,*

Imò est & apud Festum *Bucerum pecus de bubus dicimus*. Et in Philoxeni Gloss. scriptum. *Bucerum*, βούκερως βίος; vbi βοὸς, legendum paret. Rectè verò *secla*, quod est in versu Lucretiano, Glossographus interpretatur γένεσις; hoc est, *propaginem, sobolem, genus*. Nam & similiter, lib. 11. ait: *Secla animantum*, &, *Secla ferarum*, & lib. 111. *Scriptorum secla priora*. Quæ non aliter, quàm μεταφορικῶς, accipi debent.

Bvcetvm, à *bubus*. Signat locum, vbi boues pascuntur. & vniuersè armenta. Vsus Lucanus, lib. 1x. vers. clxxxv. item Sidonius, libro 11. epistola 12. Legitur & *bucita* per *I*, quomodo Varronem vocare censet Scaliger. Ita enim corrigit in 1v. de L. L. *Quòd ea pecus in bucita, tum ant quum oppidum, exigebant.* In vulgatis vnica voce legitur *bucitatum*. Idem Scaliger tuetur receptam lectionem apud Gellium, libro x1. capite 1. *Quoniam boues Græca veteri lingua ἰταλοὶ vocitati sunt, quorum in Italia magna copia fuit, bucetáque in ea terra gigni pascique solita sunt complurima.* Vbi pro *buceta*, alij *bucera* reponunt, id est, *armenta*. Quod mihi quidem sententia requirere videtur, propter sequentia illa, *gigni, pascique*: etsi non ignoro, vt ea interpretetur Scaliger. Idem vir summus censet, *bucita* dici, quia eo *boues cieant*, id est, compellant. Et pro eo sunt Glossæ Isidori, vbi disertim, *Bucita, pascua, vbi cientur boues.* Sed si dixere *bucita*, & *bucetæ*, absque dubio eadem vox erit, nec diuersa quærenda est origo. At *buceta* secundam producit apud Lucanum. Vt omnino ea forma sit factum, qua dicimus *dumetum*, *oletum*, & similia. Quod igitur *bucitum* dixere, id factum *E* in *I* abeunte.

Bvcina, & *bucinus*, sic distinguit Flauius Caper, libello de Orthographia: *Bucina erit tuba, quâ signum dat bucinator: bucinus ipse canor ex hac editus.* Dicta *bucina*, quia quasi *bou bou* canit. Id voluit Varro, lib. 1v. de L. L. cum ait: *Etiam buccinator à vocis similitudine & cantu dicitur.* Ac nomen sit à *vocando*, quasi *vocina*: si fidem habemus Isidoro, lib. xv111. cap. 1v. Sed hoc ineptum. Alijs placet, *buccinam*, vel à *bucca* sic dici, vel à *boue*, quia boum exprimat mugitum: quæ duo etyma ponit Perottus. Posteriorem vero co firmatum it, quod Græci dicunt βουκινίζειν, & βουκινιστής. Glossæ Cyrillo tributæ: Βουκινιστής, *buccinator*, βουκινίζειν, *buccina, buccinum*. Sed meritò addit Perottus, iudicare se has voces Græcos hausisse à Latinis. Neque enim quisquam eorum qui purè scripsere, sic locutus. At posteriori æuo etiam βουκίνον legas, pro *buccinâ*: vt apud Nicetam in Manuele Comneno, lib. v. Leonem, Constit. v11. & alios. Similitérque βουκινάτωρ pro *buccinatore*, dicunt Codinus, Cedrenus, Leo, & alij: quemadmodum te docebit Glossarium Græco-barbarum doctissimi Meursij. Sed hæc quomodocunque vidit Perottus; Verum autem etymon non magis perspexit, quam Isidorus. Est enim *buccina*, à βυκάνη, vt *patina*, à πατάνη, *trutina*, à τρυτάνη &c. Festus: *Buccina quam nos appellamus, Græci βυκάνην, à similitudine soni, dicunt.* Sic enim legendum. Glossæ Philoxeni: *Buccinum*, βυκάνη; legendum βυκάνη. Sanè & Suidas docet, βυκάνην esse ὄργανον μουσικόν. Ac βυκανᾶν, ab eo dixit Dionysius Halicarn. pro quo posteriores βουκινίζειν dixisse, antè dicebamus. Βυκάνη verò Festo videtur à sono nomen accepisse. Sed docuit me Angelus Caninius, omnino esse à Syriaco & Arabico בוק, *buk*, quod *tubam* notat. Quamquam, si Syriacum illud à sono fiat, etiam alterum, quod Græcam solum terminationem assumpsit, à sono factum dici potest. Hieronymus epist. ad Dardanum ait: *Bucca vocatur tuba apud Hebræos: deinde per diminutionem buccina dicitur.* Sed videtur Syriacum illud *buk* spectâsse. Nam Hebræis בוקים, potiùs est *vacua*, vel *caua*. De vsu *buccina*, & an differat à cornu, docebit Lipsius de Militia Romana, libro 1v. Dial. x. A *buccina*, vel *buccinum* (vtroque enim modo dicitur,) conchæ marinæ datum nomen *buccinum*. Plinius libro lx. capite xxxv1. *Buccinum minor concha, ad similitudinem eius buccini, quo sonus editur, vnde & caussa nomini.*

Bvcolicon carmen, βουκολικὸν, hoc est, *pastorale*, à βουκόλος, quod ex βοῦς, *bos*, & κόλον, id est, τροφή; vt βουκόλος propriè *bubulcum* notet: generatim tamen pro *pastore* accipitur, quia boues inter ea, quæ pasci solent, principatum obtinent. De *bucolico carmine*, vide quæ scribit Seruius ad Ecl. 1.

Bvfo, ab Seruio in 1. Georg. dicitur esse *rana terrestris nimiæ magnitudinis*. Vt videri possit esse à particula βου, quæ *magnitudinem signat*. Vel fuerit à βοῦς, *bos*, & φόνω, vel potius φάω, *occido*: quod voluisse videtur Perottus, cùm ait, plerosque ita dictum putare, quia deuoratus à bobus eos anguinâ necet. Addit Martinius, posse & deduci à βύθος, id est, *plenus, confertus*: vel βυφὸς, qui *inguinis est tumor*. Tumida enim bestia est, vnde Belgis prouerbium, *hy swelt als een padde*. Quod & Germanis in vsu. Sed his dicitur *eine krötte*, vel *erdkröte*. Græcis est φρῦνος, si credimus Onomastico veteri. Nam φρύνην esse *glirem*, censet Cæsar Scaliger, aduersus Cardanum Exercit. cxx111.

Bvglossvs, vel *buglossum*, βούγλωσσος, seu βούγλωσσον, ὅτι ἔοικε βοὸς γλώσσῃ, vt Dioscorides ait, lib. 1v. cap. cxxv111. alijs cxx111. Atque addit, τοῦτο ἐμβαλλόμενον εἰς τὸν οἶνον εὐφροσύνην ποιεῖν. Similiter Plinius, lib. xxv. cap. v111. *Iungitur huic buglossos, boum linguæ similis: cui præcipuum, quod in vinum deiecta animi voluptates auget, & vocatur euphrosynum.* Atque idem dicit Isidorus, lib. xv11. Origin. capite 1x. Quidam ob vim

ob vim exhilarandi ei tributam. idem. Galeno teste, esse autumant. ac Homericum *nepenthes*, quod ita dicitur a τὸ particula priuatiua, & πένθος, id est, *luctus* quia *animi tristitiam pellat*. Quam autem hodie *buglossum* vocant, ea non est *buglossum* veterum sed quæ *borrago*, vocatur Pro quo apud Appuleium lib de herbarum medicaminibus, *corrago* scriptum est. Itaque prius *corrago* videtur dicta, quia *cordis affectibus* opitularetur prout Matthiolus ἐτυμολογῶν. Iuniores ex principe consona secundam fecerunt.

Bulbus, à βολβὸς, o mutato in u. quomodo qui Græcis *Nomades*, Latinis dicuntur *Numidæ*, & quæ Græcis Πολυξένη, veteribus Latinis est *Pulyxena*. Βολβὸς verò dictus, quasi ὁ ἐκ γῆς ἀναβαλλόμενος, vt ex Herodiano Grammatico tradit Eustathius. Simplicius dixisset esse ἀπὸ τῆς βολῆς, inserto λ, quomodo alibi a βο deducit βόλιτον ἢ βόλβιτον. A βολβὸς est βολβίνη, quippe *bulbi* species. Sed Latini vt pro βολβὸς, *bulbus*; ita pro βολβίνη, *bulbine*: dixere. Vide de ea Theophrastum, lib xvii. cap. xiii. & Plinium lib. xx. cap. ix.

Buleutas nominat Plinius. lib. x. epist. cxiii. Ita dicti in Græcia & Asia *senatores*. βουλευτὰς, a βουλὴ, *consilium*. Qua *bules* voce vsus idem eadem epistola: *Eos qui in bulen a censoribus leguntur*. Similiter *buleuterium*, vbi *senatus conueniret*, apud Ciceron. Verr. iv. & Plinium, lib. xxxvi. cap. xv. Latini *curiam* vocant.

Bulga, vt ait Nonius, *est folliculus omnis, quam & crumenam veteres appellarunt: & est sacculus ad brachium pendens* Lucil. Satyr. lib. vi.

> *Cui neque iumentum est, nec seruus, nec comes vllus,*
> *Bulgam, & quicquid habet nummorum, secum habet ipse.*
> *Cum bulgà cœnat, dormit, lauit. Omnis in vnà*
> *Spes hominis bulgà, hac deuincta est cetera vita.*

Varro Oclogesi. περὶ ἐσμησμάτων. *In quo nobilitas est Philippeum, quod accipimus, quam quod bibimus: cum alterum addamus in bulgam, alterum in vesicam* Lucill. lib xxvi. *Ita vt quisque nostrum è bulgà est matris in lucem editus*. Hæc Nonius. Aiunt Latinos *Bulga* vocem accepisse à Gallis, qui hodie que dicunt *bouge* & diminutiuo vsitatiori *bougette*. Fauet Festus: *Bulgas Galli sacculos scorteos appellant*. Sed quid repugnat, quo minus Gallos hanc vocem dicamus accepisse a Massiliensibus, qui Græcè loquebantur? Nempe vt *bulga* sit ex βολγὸς pro μολγὸς quod Hesychio teste est θύλακος δερμάτινος, *saccus coriaceus*, *bulga*. Æoles μ in β conuertunt: quomodo dicunt βροτὸς pro μορτὸς, βύρμαξ pro μύρμηξ. & similia. Similiter igitur pro μολγὸς βολγὸς. vnde *bulga*.

Bulimus. & *bulimia*. βούλιμος. & βουλιμία. à λιμὸς, *fames*, & particula βου, quam amplis rebus Græci præponunt. teste Festo qui iccirco interpretatur, *magnam famem*. Aliter vocatur *Phagedæna*, ἀπὸ τοῦ φαγεῖν ἀθρόως, *quod affatim edatur*. E Latinis *phagedæna* vocem referuant. Plinius lib xxvi. cap xi & Cælius Aurelianus qui de ea tractat lib iii Tard Pass cap iii. Horatiano edacitas præter consuetudinem appellatur.

Bulla, proprie πομφόλυξ, vt interpretantur Glossæ Cyrilli. Vtrumque forte sit inter ὀνοματοποιΐας. Huiusmodi enim sonum edunt bullæ in liquidis excitatæ. Quanquam & à βρύω deducere possis, vt proprie sit, quod ebullit è terra. quæ ἀναβρύει. hoc est *scatet*, ac *effluit* Vel à βουλὴ, quod idem notat teste Hesychio. Vel. quod maxime placet. à βοῦ quod est *fornice bullio*, *ebullio*. Καὶ μεταφορικῶς verò *bulla* aliis rebus tribuitur. Nam in ostiis *bullæ* dicuntur *vmbellata clauorum capita*, quibus diuitum fores exornabantur. Meminit eorum Plautus Asin Act ii. sc. iv. Hinc *bullatas nugas*, dixit Persius Satyr. v. Nisi ἀπὸ τοῦ potius *bullata* pro vanis & inanibus, instar *bullæ* spiritu in aqua excitatæ pérque aëra volitantis sed mox pereuntis. *Bulla* quoque insigne erat ætatis prætextatæ. De quo sunt hæc Asconij verba in iii. Verr. *Simul cum prætexta etiam bulla suspendi in collo infantibus ingenuis solet aurea, libertinis scortea, aut si bullentu nata; siue communicans, pectusque puerile*. At vnde ea notio? An à propria *bullæ* significatione, siue quia esset πομφολυγώδης hoc est, *bullæ similis*: siue ad significandum, pectus puerile affectionis aquæ instar perpetuò bullire: An à Græco βουλὴ, id est *consilium*? Sane Varro (vt Plutarchus tradit, ἐν Ῥωμ. quæst. c. i) putauit esse ab Æolico βόλλα, pro βουλὴ, ac pueris id datum, vt σύμβολον τῆς εὐβουλίας. hoc est, *boni consilij signum*. Festus itidem, siue Paullus: ait à βουλὴ esse, ac geminam eius etymi caussam ponit: nempe vel quia pectus tegat. in quo βουλὴ, hoc est *consilium*, vel quòd adhiberetur ad indicandum, puerilem ætatem alieno indigere consilio. Huc quoque referri posset. quod esset *cordis figura*, vt Macrobius indicat his verbis, lib. i. Saturn cap. vi. *Nonnulli credunt, ingenuis pueris attributum, vt cordis figuram, in bulla ante pectus annecterent, quam inspicientes, ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent*. De origine *bullæ*, sic Plinius. lib xxxiii. cap. i. *Sed à Prisco Tarquinio omnium primo filium, cùm in prætexta annis occidisset hostem, bullà aureà donatum constat: vnde mos bullæ durauit, vt eorum qui equo meruissent filij, insigne hoc haberent, cæteri lorum*. Hinc *bullatus heres*, Iuuenal. Sat. xiv. quod vetus interpres *paruulus* interpretatur: quippe *bullam* adhuc gestans quod fiebat vsque ad annum xiv Nam vt Porphyrius testatur in Horatij lib. i. Sat. v. puberes facti Laribus eam suspendebant, vt puellæ Veneri pupas suas: vnde Persius Sat. v.

> *Bullaque succinctis Laribus donata pependit.*

Bumastus, βούμαστος, vuæ genus. crassioris mammæ instar intumescens: vnde & nomen. Nam βου, vt dixi, μαστὸς, *mamma*. Plinius lib. xiv. cap. *Tument vero mammarum modo bumasti*. Virgil ii. Georg

> ——— *Tumidis bumaste racemis.*

Vbi sic Seruius: *Bumastus, vua in mammæ bouis similitudinem*. Probus itidem. *Bumastus, quod imitetur papillas vaccæ* Meminit & Columella. lib. iii. cap. ii. & Macrobius lib iii. Saturn. cap. xx vbi addit, *bumammam* Latinis vocari. Et sanè ita appellarat Varro lib. ii. de R R. cap. v. *Noni*, inquit ille, *maiestatem boum & ab his dici pleraque magna, vt βούπαις, βούσυκον, βούλιμος, βοῶπις, vuam quoque bumammam*. Vnde colligo Varronem putasse *bumastum*, & *bumammam*, non tam dici à similitudine *mammæ bubulæ* quàm à particula βου, quæ magnitudinem signat. Dalecampius ad superiorem Plinij locum annotat, etiam *vuas ollares* vocari, non modo a Cælio Aureliano. sed etiam Martiale. lib. vii epig xvii. Ac similiter Aëtio dici, ἀπὸ τοῦ ἐν χύτραις, vt & ἀπὸ τοῦ ἐν τῷ τεταρτῷ. Dioscoridem quoque appellare ... Est & *bumastus*, herbæ genus, quod aliter *bumanes*. Hesych. Βουμάστης, οἱ ζωμὸς.... Nomen vtrumque quia *eo gauderent boues* Nempe ..., quia *in eam in modum ament* Βουμάνης vero a μαίω, *quærere*: vnde μαιὸς, *quæstio*. Legitur apud Maronem in Culice: *Bumastique virens*. Sic enim editt. vett. vt Mediolanensis. anni cIↃ cccc. lxxx. Aldina cIↃ IↃ xxxiv. Posteriores *buphthalmus* edidere.

Bunias. *bunion* βούνιον. βουνιάς, napus siluestris, à βουνὸς id est, *collis*, ob figuram, qua colles refert Nam in altum excrescit, cum orbiculari tumore.

Buprestis. Gr. βούπρηστις, insectum est de genere cantharidum habens pedes, sanguine carens: vnde patet male cum *ricino* confundi qui hirudinis genus est grandis pulicis similis, pedibus carens & sanguine tumens: vt liquet ex iis, quæ de *buprestis* scribunt Dioscorides, lib. ii cap. lv & lib. vi. cap iii. Galenus lib. xi. de simpl. med. facult. Plinius lib. xxx. cap. iv de *ricino* autem Cato de re Rust. cap. xcvi. Varro. lib. ii. cap. ix Plin. lib. xxx. cap. xii. & inprimis Cæsar Scaliger Exercit cxcvi. dist. v. i. Vocis *buprestis* originem indicat Nicander in Alex.

> Ἢ δ' ὁπόταν μόσχοι τε, νέαι βόες ἀγραύλοι,
> Πίμπρηνται, ὅτε τὴν ζῷον ἀναζωίσουσι δαεῖσαι,
> Τοὔνεκα τὴν βουπρῆστιν ἐπικλείουσι νομῆες.

Id sic transtulit Gorræus

> ——— *fortes nunc illa iuuencos.*
> *Nunc vitulos inflat, si quando pascua lata*
> *Carpentes auido lacerarint ore latentem:*
> *Vnde illam Graio buprestida nomine dicunt.*

Dubitatur autem, cum πρήθω, tum *inflammare* significet, tum *inflare*. vtra hic significatio habeat locum. Plinius priori modo accepisse videtur. Sic enim ille, lib. xxx. cap. iv. *Buprestis animal est rarum in Italia, simillimum scarabæo multipedi. Fallit inter herbas bouem maximè, vnde & nomen inuenit: deuoratámque, tacto felle, ita inflammat, vt rumpat*. Quæ ipsa totidem verbis exscripsit Isidorus. lib. xii. cap. vlt. Sed apud eum, etiam in MS° meo antiquissimo, pro *rarum*, meo iudicio vitiosè legitur *parium*: próque *multipedi* corruptè itidem *longipedum*. editum est Quanquam verò tum Plinius tum Isidorus, πρήθω vertant *inflammare*; tamen vir doctissimus Io. Gorræus putabat potius transferendum *inflare*. Idque tum quia inflationi potius quam inflammationi succedit ruptio: tum auctoritate Dioscoridis, qui fidus Nicandri interpres esse solet. scribat, *buprestide* magnos excitari tumores. qui inflationem potius. quam inflammationem. sequuntur: tum quod experientià ipsà *buprestidem* inflare comprobetur. Quod verò ad Plin: auctoritatem, *inflare* pro *inflammare* apud eum legendum suspicatur. Ergo nihil mutandum puto partim quia *inflammare* inueniam in antiquissimis, tum prelo excusis tum manu exaratis, tam Isidori, quàm Plinij codicibus: partim quia nihil prohibet, simul inflare & inflammare: nec inflationem solum.

sed & inflammationem tumor sequitur, aut supputat: vt tum ex vlceribus notum, tum fulmine nubes rumpente. Meminit *buprestis* quoque Marcianus, l. III. § alio SC. ff. ad legem Cornel. de sicar. Sed apud eum legitur *bubrostis*. In Pandectis verò Florentinis habes *bubrestis*. Est & βούπρηστις herbæ genus, ab eadem caussa ita appellatum, quod ostendit hic locus Plinij lib. XXII. cap. XXII. *Buprestim magna inconstantiâ Græci in laudibus olerum etiam habuere: iidemque remedia, tanquam contra venenum, prodiderunt. Et ipsum nomen indicio est, boum certè venenum est, quo dissilire degustato fatentur.* Galenus, in Gloss. Hippocratis, λαχανὸν ἄγριον appellat. Ac Hesychius, etiam λαχάνου speciem facit. Descriptionem eius si voles, Theophrastum adi lib. VII. de plantis, cap. VIII.

B V P H T H A L M V M, βούφθαλμον, herba sic dicta à βοῦς, & ὀφθαλμός, quod *sit similis boum oculis*: vt tradit Plinius lib. XXV. cap. VIII. Isidorus. lib. XVII. cap. IX. ἀπὸ τοῦ tradit, *ab oculo* sic nominatum, vt ex eo cognosci non possit, vtrum senserit, βοῦς, hic animal notare, an esse ἐπιτατικὸν: quam notionem in compositione etiam Varro agnoscit. lib. II. de R.R. cap. III. *Noui maiestatem boum, & ab his dici pleraque magna.* Vbi obiter videmus, bubus tribui maiestatem, quam superstitiosuli quidam regibus metuunt tribuere, quasi diuinæ sic maiestati iniuria fiat. Plinius memorato loco addit, quibusdam vocari *chalchan*. Sed κάλχα videtur aliud esse, nempe Latinorum *caltha*. Nam Siculi κάλχα pro κάλχη, vel κάλλα, dixere. Nec Romani videntur habere, quo *bupthalmum* exprimant, ideóque Græcam appellationem retinuit Maro in Culice: *Bupthalmúsque virens.* Tamen apud Noephytum quoque legas: χρυσάνθεμον, ἢ χάλκας, οἱ δὲ χαλκῖτιν, οἱ δὲ χαλκάνθιν, οἱ δὲ χαμαιάνθεμον, οἱ δὲ βούφθαλμον, Ῥωμαῖοι κάλθα. Etiam Glossæ: *Caltha*, βούφθαλμον. Quæ argumento sunt, aliquos βούφθαλμον vocâsse *caltham*. Nimirum Romani vocem eam etiam *caltha* ob similitudinem tribuêre, significatione latiùs extensa, quod iis insolens non est, vt non semel ostendimus.

B V R A, quæ Maroni *buris*, est pars aratri posterior incuruata: vt interpretatur Nonius. Vnde Maro I. G.

> *Continuo in siluis magna vi flexa domatur*
> *In burim, & curui formam accipit vlmus aratri.*
> *Huic à stirpe pedes temo protentus in octo,*
> *Bina aures, duplici aptantur dentalia dorso.*

Satis hinc liquet, esse imam temonis partem cui aptatur dentale, vti dentali vomer præfigitur. *A bubus* sic dici, scribit Varro. lib. IV. de L. L. Pleniùs illi, qui à *bura* dici aiunt, quasi βοὸς οὐρὰ quod instar caudæ bouinæ incuruata sit. Ita Seruius in I. Georg. & Isidorus, lib. XX. cap. XIV. Vbi corruptè *boosira*, vel *boosorra*, legitur in MSS. pro *boosura*. Perottus deriuat ab *vro*, quod, vt curuari possit ante peruritur. *B* præponitur, vt in *bustum*. Imo idem sensisse videtur Philargyrus, vt qui *burim* esse dicat, *partem aratri curuam, quæ, vt curuari possit, ante preuritur.* Sed verisimile magis est *buris* esse ex Æolico βύρις, pro ὕνις, quo *vomer* significatur. *N* crebro abit in *R*. vt, à φονᾶν, *furere*; à μονὰ, *mora*, à δονεῖς, *doreis*, & similia. Si displicet, quod significatio non omnino eadem est, dicamus, quia *bura*, pars est aratri incurua, καὶ μάλιστα fieri *bura* ex *vrba*. *Vrbum* enim & *vruum*, dixere veteres pro *curuo*. Indéque incuruam aratri partem *vrbum* quoque dictum, clarè Varro indicat. in IV. de L. L. Ac similiter Isidorus, lib. XV. cap. III. *Vrbs ab vrbo parte aratri, quo muri designabantur.* Qua de re plura in *Vrbs*. Onomasticon vetus *buram* interpretatur ἐχέτλη. Sed in Glossis Cirilli ἐχέτλη vertitur *stiua*, quæ à *bura* differt. Etiam in Glossis legas: *Buris*, γύης. Atqui ῥυμὸς, *temo*: *buris* autem non temo, sed ima eius pars. At *buris*, γύης, quod Hesychius exponit, τὸ καμπύλον μέρος τοῦ ἀρότρου. Iulius Pollux: Ὁ δὲ ῥυμὸς ὑπέρκειται τοῦ ... ἡ δὲ ἐχέτλη ... γύης, τὸ δὲ μετὰ τὸ γύης ... Ἔλυμα verò dicitur ... vt ad Hesiodum notauit Proclus.

B V R D O, id est *mulus*, à פרד *mulus*.

B V R G I, sunt limitum ὀχυρώματα, hoc est, *arces ac propugnacula*: indéque Germinacum *burg*, à quo *burggraue*, hoc est, arcium præfecti. Est verò *Burgus* à Græco πύργος. Hoc forasse ab Hebræo בירה, quod *basilicam*, aut *palatium* notat. Germani *P* in *B* mutauere, exemplo Macedonum, qui *Bilippus* dicunt pro *Philippus*. In Glossis Cyrillo tributis legere est: πύργος, *turris*, *burgus*: vbi *burgus* legendum, quiuis videt. Quia verò ex limitaneis arcibus castrisque temporis tractu vrbes factæ, inde est, quod per Germaniam aliisque locis tot *burges* habemus. Inde etiam est, quod ciuis siue oppidanus Gallis est *bourgeois*. Belgis Germanísque, *burger*. A *burgis* quoque *Burgundiones* nomen accepisse, præter Paullum Diaconum, Luitprandum & alios, tradit Isidorus, lib. IX. cap. II. & IV. Pro *burgis* etiam *clusuras* dixere: vt in leg. II. § in Sardin. & leg. curæ. Cod. de offic. mag. officiorum. Luitprandus, Ado, Sigebertus, aliique eius æui scriptores, *clusas* pro eo dicere solent: vt monet Pythœus, Subsecinorum lib. I. cap. XIV. Dictæ verò *clusæ* & *clusuræ*, à *claudendo*, quasi *clausa* & *clausura*; quia regionum tanquam *claustra* essent. *AV* in *V* mutari paret ex *defrudo*, à *fraude*; *copa*, à *caupa*; item *accuso*, *recuso*, & similibus à *caussa* venientibus.

B V R R I R E, est ὀνοματοπεποιημένον, ad sonum formicarum exprimendum. Appuleius lib. VIII. Met.: *Cuius in ipso carioso stipite, inhabitantium formicarum nidificia burriebant.* Nam *bulliebant*, quomodo emendat Beroaldus, nec manuscripti aut editi cuiusdam codicis fide subnixum est; nec sonum formicarum tantopere exprimit, vt bene obseruauit P. Colluius. Addere illud possit, formicam Græcis βύρμηκα etiam vocari, à sono, vt arbitror. Hesychius, Βύρμακας, μύρμηκας. Quamquam & Græcum βρύειν, & Latinum *burrire*, videri queat esse à βρύω, id est, *scaturio*. Quippe post verba allata continuò subiicit Appuleius: *& vltro citroque commeabant, multiiuga scaturigine.*

B V R R V S, à Græco πυῤῥὸς, quod idem notat. Gloss. Philoxeni: *Burrum*, ξανθὸν, πυῤῥόν. Festus: *Burrum dicebant antiqui, quod nunc dicimus rufum: vnde rustici burram appellant bucculam, quæ rostrum habet rufum, pari modo, rubens cibo ac potione ex prandio, burrus appellatur.* Sanè ab hac *burri* significatione Comicis dicuntur *Barrhia*, οἱ Πυῤῥίαι à colore capillorum. Ab eodem vultus colore esse videtur, quod Hispanis ebriosus, *borracho* appellatur. At à generali notione fuerit, quod *asellam*, quæ colore ad τὸ πυῤῥὸν accedit, *burram* nominant, vt ad Glossas Philoxeni monuit præceptor meus B. Vulcanius. A *burrus* quoque Latinis *burranica* dicebatur mulsum lacte dilutum. Idem Festus: *Burranica potio appellatur lacte commixtum sapa, à rufo colore, quem burrum nominant. Burranicam* igitur designat Ouidius, cum quarto Fastorum ait:

> *Dum sicet appositâ veluti cratere camellâ*
> *Lac niueum potes, purpureámque sapam.*

A *burranica* vero *vas burranicum* dictum censeo, vt à *vino*, *vinarium*. Paullus ex Festo: *Burranicum genus vasis.* Etiam vestis genus *burrus*, vel *byrrus*, vel *birrus* dicebatur: nempe quia plurimum esset coloris burri, siue russei. Habes leg. I. Cod. Theodos. *De habitu quo vti oportet intra vrbem.* Verba apponam: *Seruos sanè omnium, quorum tamen domini sollicitudine militia constat non teneri, aut birris vti permittimus, aut cucullis.* Legas quoque apud veterem Persij interpretem, qui in Sat. I. *lacernam* interpretatur *birrum*, ac esse ait *pallium fimbriatum*, quo soli milites vtebantur. Distinguit tamen Seuerus Sulpitius dialog. I. cap XIV. *Illa vt byrrhum rigentem, hac vt fluentem texat lacernam.* Itaque non multum, attamen aliquid inter ea discriminis fuisse censeo. Dicere etiam liceat diuersimode loqui scriptores, quia sæpe fit, vt rebus tempore mutatis maneat vetus appellatio. *Birrus* gestamen philosophorum erat Gentilium, nec non Christianorum sacerdotum. Vnde in vita Cypriani, à Pontio eius diacono conscripta, legas, *birro* fuisse indutum, cum ad supplicium duceretur. Augustini quoque verba sunt in sermone diuersis ad clericos suos: *Offeratur mihi, verbi gratia, birrum pretiosum: forte decet episcopum, quamuis non deceat Christianum.* At pretiosius est, quàm vt deceat monachum, statuit Cassianus, de habitu monachi, cap. VII. Atque idem tradidit Isidorus. Non desunt tamen, qui putent *burram* adeo vile fuisse vestis genus, vt etiam pro nugis & ineptiis sumeretur. Nempe quia apud Ausonium legatur. Idyll. VII.

> *At nos illepidum rudem libellum*
> *Burras, quisquilias, ineptiásque.*

Verum opinatur Scaliger in Auson. Lect. poëtam vti hic voce Aquitanica: quando hodiéque maior pars Aquitanorum *burras* dicat, pro *quisquiliis*. Negare interim non possumus etiam *burram* dici, pro *burro*: & pro vili veste accipi. Quod ostendunt versus hi Eucheriæ in epigrammatis antiquis.

> *Nobilis horribili iungatur purpura burræ.*
> *Nectatur plumbo fulgida gemma graui.*

Græci ex *birrus* fecere βίῤῥος; quomodo vocatur concilij Gangrensis can XII. Artemidoro lib. II. cap. III. dicitur βηῤῥίον. Suidas vocat βίῤῥον. Vnde βυῤῥοφόροι apud Palladium in Lausiaca, vbi de Serapione.

B V R S A, à בורסא, *pellis, cutis.*

B V S T V M, si ἀπὸ τοῦ sepulcrum notaret, videri possit venire à βύω, id est, *tego*, *operio*. Nunc ab *vrendo* dici patet. Sed dubium, an dicatur quasi *bene vstum*, quæ veterum est sententia, an καὶ ἀφαίρεσιν fiat ex *combustum*, an antiqui, dixerint *buro*, vnde *comburo*: an ἀπὸ τοῦ fiat ab *vstum* præposito *B*, more Æolum, qui, pro ῥῆμα dicunt Βρῆμα. Quæ maximè nobis placeat sententia, dicimus voce *Vro*. Quid *bustum* sit, docet

Dom

Donatus in XI. *Busta*, inquit, *sunt loca, in quibus iam corpora arserunt*. Plenius que Festus his verbis: *Bustum propriè dicitur locus, in quo mortuus est combustus, & sepultus: diciturque bustum quasi benè vstum: vbi verò combustus quis tantummodo, alibi verò est sepultus, is locus ab vrendo vstrina vocatur; sed modò busta, eo, quod sepeliuntur, sepulcra vocamus*. Seruius ad XI. Æn. *Pyra est lignorum congeries. Rogus, cum iam ardere cœperit, dicitur. Bustum verò iam exustum vocatur. Quem ordinem seruat Poeta, dicens, Constituere pyras. Item, Subiectisque ignibus atris Ter circum accensos Decurrere rogos. Item postea, Semiustaque seruant Busta*. Inter Festum & Seruium, hoc interest, quod Seruio locus sit *vstrina*, at *bustum* sit ipsa rogi vstio: Festo verò, siue Paullo, locus generatim dicatur *bustum*, quasi bene *vstum*: at speciatim idem locus, si in eo cadauer sepeliatur, *sepulcrum* dicatur: sin alio transferatur, *vstrina* nomen obtineat. Procopius quoque lib. IV. rerum Gothicarum, cum retulisset, vt Narses aduersus Totilam cum exercitu profectus consedisset, vbi olim Camillus Gallos Senonas occidisset, qui locus *busta* Gallorum vocaretur, addit, Βοῦσ‑ γὰρ Λατῖνοι τὰ λείψανα τῆς πυρᾶς καλοῦσι. *Busta enim Latini appellant reliquias rogi*. Nos Festo subscribimus. Quippe quia plurimum nobiles Romani eodem loco, & cremarentur & sepelirentur, inde est, quod *bustum* accipi soleat pro sepulcris; præsertim, si ibidem essent extructa, vbi cadauer combusissent. Hanc rem non ibo probatum variis auctorum locis, quando id factum à Marcello Donato scholiis in Sueton. Neron. cap. XXXIII. Quemadmodum autem aliquid *bustum* esse poterat, licet *sepulcrum* non esset: puta, quando cineres alio transferrentur: ita & *sepulcrum* quoque esse poterat, quod *bustum* non esset. Nam *bustum* tantum eorum fuit, quibus iam enati dentes, vt docet Plinius, lib. VII. Nat. histor. Infantes, qui XL. dies nati nondum forent, sepeliebantur, non cremabantur. *Sepulcrum* horum dicebatur *suggrundarium*, vt discimus e Fulgentio Planciade, lib. de prisco sermone. Nominis huius caussam aperimus in *Suggrunda*. Pro *busto* etiam *bustar* dixere. Charisius lib. I. *Bustar, locus, vbi concremantur mortuorum corpora*. A *busto* est *busticetus*, apud Plautum Truculento, hoc est, *busto* proximus, siue ad *busta* portandus. Inde & *bustuarius* dictus, qui corpora comburit. Isidorus in Glossis. Etiam gladiatores ante sepulcra dimicantes, *bustuarij* dicebantur; vt in X. Æn. scribit Seruius. Onomasticon vetus: *Bustuarij*, ἐπιτυμβίοι. Mœchas quoque diobolares, seque inter *busta* penè in propatulo prostituentes, *bustuarias*, vocarunt. Martialis lib. III. epigrammate LI.

Admittas inter bustuarias mœchas.

De quibus similiter libro I. epigrammate XCI. ait:

Abscondunt, spurcas & monumenta lupas.

Sic & Catullo *semiraſi ustores* appellantur qui sub dio in agrorum semitis scortilla subigerent: vt monuit Turnebus, lib. XIII. Aduersariorum, cap. XIX. Aliter autem aliquanto τυμβάδας Græci dicunt, quam Latini *bustuarias*. Hesychius: Τυμβάδας ἔλεγον τὰς φαρμακίδας ἀπὸ τοῦ περὶ τοὺς τύμβους διατρίβειν, καὶ τοὺς νεκροὺς ἀκρωτηριάζειν. *Tymbadas dixere veneficas, quia in tumulis, hoc est, sepulcris, siue monumentis, versarentur, ac mortuos mutilarent*. Propius ad hanc notionem accedit, quod Ammianus, lib. XXVIII. Leonem notarium vocat *bustuarium*, quasi, busta spoliantem. Affine ei *bustirapus*, quâ voce vsus Plautus Pseudolo, Act. I. sc. III. Sic verò dicti, qui nec è silicernio quidem hoc est cœna funebri (id enim *silicernium* est, vnde in vett. Gloss. exponitur περίδειπνον,) lucelli caussâ cibum rapere dubitabant. Hoc est, quod Terentius dicit, *è flammâ cibum petere*: & Catullus, *rapere de rogo cœnam*: quam ipsam rem ita expressit Tibullus:

Ipsa fame stimulante furens, escasque sepulcris
Quærat & à sæuis ossa relicta lupis.

Vide *Silicernium*. *Bustare*, pro sepelire, quod in Isidori Glossis legas barbarum est. Fortasse & *busticeta*, pro sepulcris in agris, quod ibidem reperitur.

BVTEO, ὀρνίθιον, vt est in Glossis Philoxeni. In Onomast. veteri est: *Buteo*, τριόρχης. Atque ita vocatur Aristoteli, lib. IX. Hist. cap. XXXVI. De eodem sic Plinius, lib. X. cap. VIII. *Accipitrum genera sexdecim inuenimus*. Et mox: *Triorchem, à numero testium; cui principatum in augurijs Phœmonoe dedit: buteonem hunc appellant Romani: familia etiam ex eo cognominata, cum prospero auspicio in ducis naui sedisset*. De *Buteonum* cognomento videre potes Cæliũ Rhodiginum, lib. XXIV. cap. IV. Aliquid quoque de hoc ante eum Philippus Beroaldus annotat. post. cap. XVI. item Baptista Pius annotat. post. cap. XVI. Quod ad vocis originem, cum auis sit rapax, satis verisimile est, venire à Syro בזז, *buz*, id est, *diripere*. A quo Arabes *accipitrem* vocant באזי *bazi*. Ac *buteonem* esse accipitris genus Aristoteles, & Plinius, clare dicunt. Alij putant, esse a *bubo*, vel potius Græco βύας, quæ eadem est. Pro his est Festus Pompeius, cùm scribit: *Buteo genus auis, quæ ex eo se alit, quod accipitri eripuerit: vastitatisque est caussa his locis, quæ intrauerit, vt bubo, à quo etiam appellatur buteo*. Quibus in verbis nonnulla censoriam notam merentur. Nam quod *buteonem*, siue à *bubone*, siue a Græco βύας, dici ait, metuo ne omnino vanum sit. Cùmque indicat, caussam esse vastitatis, signum dicere debuerat, vt quæ auis sit mali, ominis. Imò ne mali quidem, sed prosperi; quod superior Plinij locus indicat. Neque verum esse potest, quod dicit, viuere eo, quod accipitri eripuerit, quando haut verisimile est, eam auem accipitri aliquid eripere posse, quæ, Alberto teste, adeo timida sit, vt nonnisi minutas sectetur aues, imo ab his non rarò fugetur. Et sanè quomodo accipitri eripiat cibum, quæ & ab ardeâ sibi cibum eripi patitur? quod indicant hi versus Simonidæ, apud Athenæum:

Ἐρωδιὸς γὰρ ἐγχέλυν Μαιανδρίην
Τριόρχην εὑρὼν ἐσθίοντ' ἀφείλετο.
Ardea enim, anguillam Mæandriam
Buteonem cum reperisset edentem, hanc eripuit.

Itali quoque ab hac aue homines meticulosos vocant *poiane*, hoc est, *buteones*: & Germani otiosè confidentes dicere solent, *Du sitzest wie ein bushard*, hoc est, *buteonis instar consides*. Prouerbium id originem ex eo cepit, quod auis hæc adeo segnis sit, vt telo petita, non solum non ad primum aut secundum, sed ne tertium quidem ictum, cedere dicatur. Græcis ea dicitur τριόρχης, vt vel ex Plinij & Simonidæ loco videre fuit. Ea vox sonat *tritesticulum*; quomodo, Plinio teste, vocatur quòd tres habeat testes. Negat id quidem doctissimus Gesnerus; verùm assentior hac in parte curatissimo scriptori, Vlyssi Aldrouando, qui, lib. V. ὀρνιθολογίας, cap. VII. in anatome ternos se obseruâsse ait. Neque obstat, quòd tertius ille non verus fuerit testiculus. Nam cùm in ea præter binos testiculos inueniatur glandosa portiuncula, testiculo non absimilis, eáque in alio nullo auium genere reperiatur: satis patet, non aliunde, quam hinc veteres auem eam τριόρχην appellâsse.

BVTVBATA, siue *butubata*, quid sit, docet his verbis Festus: *Butubata* (MSti *butabuta*) *Næuius pro nugatoriis posuit, hoc est, nullius dignationis*. Non ingeniosè minus, quam verè, vt mihi quidem videtur, originem vocabuli exposuit in Etymologico suo V. Cl. Matthias Martinius. Censet ille, esse ex Hebræo ביטוי בטה, *bitu bote*, hoc est, *locutionem garriens, siue futilia effutiens*. Nec aspernandum, quod addit, fortè & originem præbuisse stultum Buthum, de quo apud Hesychium, Βοῦθος περιφοιτᾷ, παροιμία ἐπὶ τῶν ἀνοήτων καὶ παχέων εἰρημένη. Nec tamen præteriri meretur sententia Iosephi Scaligeri, qui esse eam vocem conflatam putat ex quatuor aliis, quæ omnes sint inter nutricum ineptias. Ea sunt, *bu*, *tu*, *ba*, & *ta*: ex quibus, *bu*, *buam*, hoc est, *potum*; *ba*, siue *pa*, *papam*, hoc est, *cibum*; *ta*, *tatam*, hoc est, *patrem*, significat. Docet id hic Varronis locus è *Cato*, siue *de liberis educandis*, à Nonio citatus in *Bua*: *Cùm cibum ac potionem buas ac papas vocent, & matrem mammam, patrem tatam*. De syllaba *tu* non satis conuenit. Nos contenti erimus posuisse sententiam Ios. Scaligeri, qui eam censet notâsse cibum, atque hinc factum *tuburcinari*, quod Nonius interpretatur, *raptim manducare*. Eiusdem quoque originis eidem videtur *titia*. Glossæ Philoxeni: *Titia*, κεία γενικῶς λέγεται. Sed neque de syllaba *pa* omnibus satisfacit superior interpretatio. Credo, quia TV, in *butubata*, *cibum* notare diximus, minus iis verisimile fit, alteram quoque in eo vocabulo vocem inueniri, quæ idem significet. Sed his fortè non displicebit, quod idem Scaliger monuit, *ba* hîc poni pro *ma*, vt facilis est lapsus à *b*, ad *m*. *Ma* verò erit *mamma*, hoc est, *mater*, vt ex superiori Varronis loco constat. Imò quid, si dicamus *ba*, siue *bat*, esse vocem infantilem nullius certæ significationis, in quam subinde incidant, quamdiu inarticulatè loquuntur. Quin ea non infantium modo est, sed & blæsorum, & fatuorum: addo &, cornicinum, lituum ex ore eximentium, quemadmodum de sententiâ Cæsellij Vindicis tradit Charisius, lib. II. cap. de interiectione. Vsus Plautus, Pseud. Act. I. sc. III. Ps. *Potin aliam rem vt cures?* CA. *At*. Ps. *bat*. CA. *Crucior*. Ps. *Cor dura*. Quia verò *ba*, siue *bat*, est vox ἄναρθρος, & imprimis (vti dicebamus) infantibus, blæsis, ac fatuis familiaris: inde est, quod veteres varias hinc voces per ὀνοματοποιΐαν formarunt. Tale est βαβάζειν, quod Hesychius exponit, τὸ μὴ διηρθρωμένα λέγειν. Item βάβαξ quod idem interpretatur, φλύαρος, λάλος, φλήναφος. Item βαβών, quod idem explicat, ἐμπαίκτης, ἰχνεύτης. Fortasse & hinc fuerit βάκηλος, quod eidem est, ἄνανδρος. Vnde & Augustus Cæsar pro stulto ἀποκεκομμένως *baceolum* dicebat, vt Suetonius scribit in Augusto. c. LXXXVII. Nisi potiùs, iuxta aliorum codicum fidem, *baceolus* legere malis cum Casaubono; quod fortasse erit à βάκηλος, quo-

modo, vt Harpocration scribit, Demosthenes ab Æschyne vocatus ob mollitiem. Meminit eiusdem rei Etymologus, qui & ait, βάταλον notare τὸν μαλακὸν, καὶ βδελυρὸν, καὶ αἰσχρὸν, idque a *Batalo* quodam tibicine, qui vt mollis atque effeminatus erat, ita quoque eius generis αὐλήματα inuenerit. Verisimile quoque est, à *ba* syllaba esse fictum nomen *babas*: quomodo homo notissimæ fatuitatis vocatur a Seneca, epist. xv. *Quam tu nunc*, inquit, *vitam dici existimas stultam? Babæ, & Ixionis?* Meminit & in ludo de morte Claudij. Inde & *baburrus*, & *babiger*. Glossæ Isidori: *Baburrus, stultus.* Eædem, *Babiger, stultus.* Prius illud etiam est in Glossis Arabico-Latinis. In Glossis Philoxeni pro eo est *Barburra*, quod exponitur, ἄφρων, ἀνόητος, μωρός. Suspicor & Belgicum *babock*, quod *blitum*, ac *imperitum* notat, venire ab eapse syllaba *ba*, & voce *bock*, quod propriè, *hircum*; at μεταφορικῶς, *stupidum*, significat. Imò, cùm literæ *c* & *r* in manuscr. sæpe confundantur, putet aliquis, *babuccus* fuisse. Sed puto potius, *baburra*, vel *barburra*, esse a *burra*, quomodo Aquitani vocant nugas, & eorum exemplo Ausonius, vt suprà vidimus in *Burrus*. Inde igitur *baburrus*, *baburra*, vel *barburra*.

BUTYRUM, βούτυρον, quanquam ex aliorum quoque animalium lacte fiat, propriè tamen hæc vox ei conuenit, quod fit è *lacte bubulo*. Docet id quoque Plinius, lib. XXVIII. cap. IV. *E lacte fit butyrum, barbararum gentium lautissimus cibus, & qui diuites à plebe discernat. Plurimum è bubulo; & inde nomen.* Nempe conflatum ex βοῦς, id est *bos*, & τυρός, quod hic non speciatim *caseum*, sed latè *coagulum* notat; vnde τυρόω, est ταράσσω, κινέω, *agito, turbo, misceo*, vt exponit Hesychius. Dicitur autem βούτυρος, & βούτυρον. Vsi Dioscorides, Galenus, alij. Sed apud Aristotelem, ne quidem vbi rem ipsam tangit, inuenias vspiam. Quid mirum, quando Græci Romanique *butyro* non vtebantur? Imo, fortasse è Græcis Dioscorides, è Latinis primus eius meminit Plinius. Saltem antiquior nemo occurrit. Imò cum Dioscorides, lib. II. de materia medica, cap. LXVI. celebrasset *butyrum* ex lacte ouillo & caprino: contra Galenus, lib. x. de simplic. med. facult. cap. x. miratur, eius *butyri* Dioscoridem maximè meminisse, cum etiam ex *bubulo* fiat, atque addit, tanquam de re non vulgari, sese oculis suis tale *butyrum* vidisse, atque inde appellari *butyrum*. Imprimis autem memorabilis est superior Plinij locus, vbi appellat *barbararum gentium cibum*. Sed vt Romanis Græcisque antiquis *butyrum* in vsu non erat, ita barbari *caseum* nesciebant. Vnde idem Plinius, lib. XI. cap. XLI. *Mirum barbaras gentes, quæ lacte viuant, ignorare aut spernere tot seculis casei dotem, densantes id alioquin in acorem iucundum, & pingue butyrum. Spuma id est lactis, concretiórque, quàm quod serum vocatur. Non omittendum in eo olei vim esse, & barbaros omnes, infantésque nostros, ita vngi.*

BUXUS, Isidoro teste, lib. XVII. cap. VII. est à πύξος, nempe conuersa tenui in mediam, quomodo à Κάνωβος est *Canopus*, à Syriaco *abba*, Græcum ἄππα. Πύξος videtur esse à πύκα, id est, *densè, spissè*; vndè πυκνὸς, *spissus*. Rationem adfert Plinius, lib. XVI. cap. XL. *Spississima ex omni materie, ideo & grauissima iudicatur ebenus, & buxus.* A buxo *buxetum*, πυξεών, vt Glossæ Cyrilli exponunt. Item *color buxeus*, quem luteo dilutiorem esse ait Scaliger, Exercit. CCCXXV. XII. Pro eo Appuleius, lib. VIII. *buxantem pallorem* dixit. Ouidius, IV. Met.

——Oraque buxo
Pallidiora gerens.——

In carmine Ithyphallico:

Buxo pallidior, nouáque cerâ.

BYSSUS, à Græco βύσσος; hoc ab Hebræo, Chaldæo, & Syriaco, בוץ, quod eâdem significatione legas, II. Par. II. Hesychius ait, βύσσον esse χρῶμα ἀπὸ τῆς ὕγρας πορφύρας λαμβανόμενον; Idem βύσσινα exponit πορφυρᾶ. Suidas etiam ait, βύσσον esse εἶδος ἐν πορφύρᾳ; & βύσσινον, τὸ βύσσῳ βεβαμμένον. Sed iis, qui purè locuti, constat, βύσσον non esse coloris, sed lini præstantissimi genus. Melius igitur Pollux, lib. VII. cap. XVII. & Isidorus, lib. XIX. cap. XXVII. vbi tradunt, esse lini genus apud Indos candidissimi & mollissimi. Ac Isidorum secutus & Papias in Glossis. His refellitur Antonius Tylesius Cosentinus, qui ait, *byssum* coloris fuisse penè aurei. Cui & aduersatur illud Eucherij, lib. I. Instructionum. *Byssus castitatis vel continentiæ candor, in Exodo.* Arethas in Apocalypsin interpretatur, corticem arboris Indicæ, in linum redactam. Sic enim scribit cap. LVII. Τινὲς ὄντι γὰρ ἡ βύσσος. φλοιὸς δένδρου Ἰνδικοῦ εἰς λίνον ἐξυφαινόμενος. Sed fallitur. *Byssus* enim è terrâ nascitur, similisque fuisse videtur lino isti, quod vulgo *Cameracense* appellamus. Plinius lib. XIX. cap. I. post linum asbeston *bysso* tribuit principatum. Quamquam verò Indiæ solum meminerant Pollux & Isidorus, tamen in Ægypto quam-maximè creuisse cognoscimus ex Ezechielis cap. XXVII. & Hieronymi in illud commentariis. Idem Hieronymus, epistola ad Fabiolam, *bysso* non modò decorem tribuit, sed etiam quod difficulter rumpatur. Quod & Eucherius facit, lib. II. Instruct. Vt de Isidoro taceam. Sed non prætereundi versiculi Paullini ad Cytherium:

Nam fila byssi fortiora & sparteis
Feruntur esse funibus.

Differre autem *byssum* à *serico*, vel fidem fecerit hic locus Tertulliani, lib. de cultu feminarum: *Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ.* Nec quomodo differant, obscurum esse potest, cum *byssus* è terra nascatur: *sericum* verò producatur à vermiculis; siue cura in ædibus asseruatis, vti id fit apud nos; siue fila in arborum foliis gignentibus, vnde postea depectatur: quod olim fieri solere testantur Maro, Plinius, atque alij; ac hodie etiam in Oriente obtinere ex nauigationum commentariis cognoscere est. *Coa* autem vestes, quarum Horatius, Propertius, Ouidius, Plinius, atque alij meminere, non *byssina* sunt, sed *bombycina*; sic dictæ à *Co* insulâ, in quâ *Pamphile*, Latoi filia (sic apud Plinium ex Aristotele scribendum, non *Plates*, vt vertit Gaza, quem etiam secutus Baifius,) prima reperit rationem telam à Seribus missam redordiendi, hoc est, in fila dissoluendi, ac denuò texendi. Hæc mens loci Pliniani, lib. XI. cap. XXII. Sed in quibusdam codd. pro *redordiri* scriptum *retorqueri*. Quod si placet, *retorqueri* sit ἀναλύειν, siue ἀναπλέξαι, quod est euoluere stamen inuolucro tramæ. Ita sententia fit, telam, quam bombyces texuerant, resoluisse, nouámque inde telam texuisse. Hermolaus Barbarus in notis ad eum locum censet, pro verbis illis *in Co insulâ*, scribendum *in Ceâ insulâ*. Est hæc insula illa, quam tenuit Aristæus. Et sane in Ceo hanc rem inuentam tradit Plinius, lib. IV. cap. XII. his verbis: *Ex Ceo profectam delicatiorem feminis vestem, auctor est Varro.* Plinium quoque secutus Solinus, cap. XIII. *Multa*, inquit, *insulæ obiacent Atticæ continenti: sed suburbanæ ferme sunt Salamis, Sunium, Cos, Ceos, quæ, vt Varro testis est, subtilioris vestis amicula arte lanifica scientia prima in ornatum feminarum dedit.* Atque idem apud Isidorum legas. Sed qui hinc colligunt, vestes, non *Coas*, sed *Ceas* dici debere, non cogitant à quam multis scriptoribus antiquissimis *Coæ* appellentur, iuxta omnium & MSS.orum & antiquitus excusorum fidem. Quare hi non minus errant, quam illi, qui contra, cum *Ceæ* id feminæ ab aliis tribui vident, non *Ceæ*, sed *Coæ* legendum censent: in quibus est Ortelius in Thesauro, voce *Ceos*. Nam ex iis, quæ diximus, paret, non conuenisse antiquos in huius inuenti gloriâ, quam alij *Ceæ*, alij *Coæ* mulieri tribuerunt. In hoc veterum dissensu, cum Brodæo illis potius subscripserim, qui in *Co* hanc artem inuentam prædicant, idque potissimum auctoritate compulsus Aristotelis, cuius hæc verba, lib. V. de historia animalium, cap. XIX. Πρώτη δὲ λέγεται ὑφῆναι ἐν Κῷ Παμφίλη, Λατώου θυγάτηρ. *Prima autem Pamphile, Latoi filia, in Co insula texuisse dicitur.* Vbi ἐν Κῷ, est *in Coo*, non *in Ceo*: vt Varro & Plinius cepere.

C A

CABALLI nomen de equis vilioribus dicitur: ψ ἀδιάφορος Cornutus innuit notis in Persium. Itaque de iis, qui in pistrino essent, vsurpat Pomponius in l. si ita. in principio. D. de instruct. & instrum. legat. Horatius lib. I. sat. II.

——Aut olitoris aget mercede caballum.

Lucill. lib. II. apud Nonium, in *Caballus*:

Succussatoris tetri tardique caballi.

Idem origo indicat. Nam venit à Græco καβάλλης, quod, Hesychio interpretante, est ἐργάτης ἵππος. Venit autem à Dorico καβάλλας, pro καβάλλης. Vide quæ fusè de *caballi* voce disserit Isaacus Casaubonus in anteloquium satyrarum Persij. At Isidorus audiri non debet, qui de vocis origine sic scribit. XII. Origin. cap. I. *Caballus, à cauando dictus, propterea quòd gradiens vngula impressa terram concauet: quod cætera animalia non habent*: Pro *caballo* æuo posteriori extulere *cabo*, vt ex Glossis Isidori constat. Ab eodem *caballinum* dixere, pro stercore equino: quomodo vsus scriptor historiæ miscellæ, lib. XXI. Item *caballarius*, pro equite quomodo Iul. Firmicus vsurpat. In Glossis Græco-Lat. nunc κέλης ἱππεὺς; nunc ἱπποκόμος; in Glossis Isidori *alaris* exponitur: hoc est, qui est in ala seu turma equitum. Ab eodem fecere *caballico*, qua ratione Galli à *cheual* (quod à *caballus* deductum) dicunt *cheuaucher*. Legas id verbi in lege Salica, Tit. XXII. apud VVeibertum in vita Caroli M. & Haimonem; Anastasium in Conone, Haimonem in Homiliis: quos adducit Meursius in Lexico Græcobarbaro.

CACABARE, κακκαβίζειν, perdicum vox, quæ κακκάβαι dicuntur, teste Hesychio. Athenæus quoque lib. IX. auctor est,

τὰς

τὸν πέρδικα. à quibusdam dici κακκαβίζειν, ab Alcmane κακκαβίδας. Auctor Philomelæ, Ouidio falso tributi:

Cacabat hinc perdix: hinc gratitat improbus anser.

Non tamen omnis perdix *cacabat*. Nam, vt Aristoteles scribit, lib. IV. Hist. animal. cap. IX. vbi de vocum differentia agit, διαφέρουσι δὲ τῶν ἐν ταὐτῷ γένει ζῴων κατὰ τὴν φωνήν τινες τῶν πέρδικων, οἱ μὲν κακκαβίζουσιν, οἱ δὲ τρίζουσι. Theophrastus pro τρίζειν dicit τιττυβίζειν, vt & Pollux, ac in Onomastico veteri legas, *cacabo*, τιττυβίζω. Est verò κακκαβίζειν, à κάκκη, quomodo *stercus* vocabant, vnde κακκᾶν, puerilis vox, pro χέζειν. Vsus vtroque Aristophanes, éstque à κακκᾶν, Latinorum *cacare*. Similiter πέρδιξ (vnde Latinum *perdix*,) est ἀπὸ τοῦ πέρδειν, quod est *crepitum ventris edere*. Ratio verò, cur & *perdici*, à *pedendo*, & *voci* eius à *cacando* nomen fecerint antiqui, ea est, quod vox huius auis cacantium, & crepitum ventris emittentium, referat sonum. Vulgò *perdix* eadem putatur ac *gallina rustica*: sed secus est. Martialis hâc de re locum ita emendat B. Vulcanius è MSS.

Rustica sim, an perdix, quid refert, si sapor idem est?
Carior est perdix. Sic sapit illa magis.

Nempe, vt ait Satyricus:

———Magis illa iuuant, quæ pluris emuntur.

CACABVS, à κάκαβος, pro quo frequentius κάκκαβος legas gemino κκ. Imò Latinè quoque rectius *caccabus* dixeris, quomodo scribitur ea vox in Pandectis Florent. Cùm autem (quemadmodum ex quarto Athenæi paret) voce κακκάβη, & κάκκαβος, vtantur Aristophanes & Antiphanes, scriptores antiquissimi; frustra dubitat Isidorus, num forte vocem eam Græci acceperint à Romanis: quod nonnisi in ijs vocabulis locum habet, quæ irrepsere in linguam Græcorum, postquam deuicti sunt à Romanis. Verba Isidori sunt, lib. XX. cap. VIII. *Cacabus & cucuma à sono feruoris cognominantur. Hæc in Græcis & Latinis communia nomina habent: sed vtrum Latini à Græcis, an Græci à Latinis, hæc vocabula sumserint, incertum est.* Sed neque audiendus Varro, qui *cacabum* à *caldo* deducit, indéque & *calicem* dici ait, cum hoc quidem sit à κύλιξ, illud à κάκκαβος. Verba ipsa Varronis ponam è lib. IV. de L. L. *Calix*, inquit, *à caldo, quòd in eo calda puls apponebatur: & calidum eo bibebant. Vas, vbi cibum coquebant, ab eo cacabum appellarunt.* Interim ex hoc loco discimus, quid propriè *cacabus* dicatur: idémque paret ex illis Paulli verbis, l. 18. D. de instruct. & instrum. leg. *Caccabos, & patinas, in instrumento fundi esse dicimus: quia sine his pulmentarium coqui non potest. Nec multum refert inter caccabos, & aenum, quòd supra focum pendet: hic aqua ad potandum calefit: in illis pulmentarium coquitur.* Eadem sententia Vlpiani, l. cùm aurum. 19. §. si cui escarium argentum legatum sit. D. de aur. argentóque legat. Cùm autem & Isidorus scribat, *cacabus*, seu κάκκαβος, à sono nomen accepisse: paret non esse commentum Huguitionis, cum scribit: *Cacabus, lebes à sono feruoris dictus est: feruendo enim exprimit hunc sonum, ca, ca, ca.* Quanto at eruditiùs Martinius, qui cùm sciret è Varrone, *cacabum* esse vas, quo cibi coquuntur, coniectabat esse ex καίω, *vro*, & κάβος, *cibus*, vt propriè signet, vas quod imponitur igni, vt in eo coquantur cibi.

CACHINNARI dicunt Latini, à καγχάζειν, extrito γ; quod ipsum & Græci interdum prætereunt. Anacreon od. 11. δοκῶ δ' ἄπαντα καχάζειν. Aliter si legas, non constabit versus. Καγχάζω autem est ὀνοματοποιητικόν, vt & nostrum, *lacchen*, quod alioqui videri queat esse τῶν μιμητικῶν, factum ex καχλάζειν, extritâ primâ syllabâ & duplici. Sed neque multum abit ab Hebræo לעג, quod est *deridere, subsannare*: vnde Græcorum γελᾶν, id est, *ridere*, à quo *gelasini* dentes, Polluce teste, qui in ridendo nudantur. Item corrugatio oris in ridendo; quomodo vsus videtur Martialis, lib. VII. XXIV.

Nec grata est facies, cui gelasinus abest.

Ad *cachinni* vocem redeamus: quam per ὀνοματοποιΐαν efformatam, docet & Porphyrio. Est vero *cachinnus*, cum voce risus lasciuior, vt scribit vetus Persij interpres, ad Sat. II. Salonius quoque, in Ecclesiasten, interpretatur risum immoderatum, dissolutum atque perstrepentem. Consentit Suidæ interpretatio, cui καγχλάζειν est, ἀθρόως γελᾶν, *effusè ridere*: quod Latini dicunt *cachinnum* vel *risum tollere*. Ita locutus Cicero, lib. de fato. Locum apponam integrum historiolæ caussâ: *Quid? Socratem nonne legimus quemadmodum notârit Zopyrus physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturásque ex corpore, oculis, vultu, fronte, pernoscere? stupidum esse Socratem dixit & bardum, quod iugula concaua non haberet: obstructas eas partes & obturatas esse dicebat: addit etiam mulierosum: in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse.*

CACO, iuxta Nunnesium, à χέζω, quod idem notat. Sed omnino est à κακκᾶν, hoc est, *cacare*, vt κάκκη, *stercus*. Κακκᾶν autem, seu κακκᾶν, à κακός esse arbitrantur, διὰ τὸ δυσῶδες. A *cacare*, posteriori æuo *cacabulum* dixere, pro loco vbi *cacatur*. Sæpius legas id Vitis Sanctorum.

CACTVS, à Græco κάκτος. Vsus Tertullianus in scholastico scripto, de Pallio, capite II. *Eradicato omni aconito hostilitatis, & cacto & rubo subdolæ familiaritatis.* Vbi minimè mutanda vox *cacti*, eò quòd fuerit inter esculenta. Quippe eò meminit Tertullianus, quod spinosa esset: quemadmodum cum ex alijs veterum locis notum, tum illo Hesychij: Κάκτος, ἄκανθα, ὑφ' ἧς ἐὰν νεβρὸς νυγῇ, ἀχρεῖα ἔχει τὰ ὀστᾶ εἰς αὐλούς, hoc est, *Cactus, spina, qua si pupugerit hinnulum, ossa eius faciendis tibijs sunt inepta.* De *cacto*, sic Plinius, lib. XXI. cap. XVI. *Et cactos quoque in Siciliâ tantum nascitur, suæ proprietatis & ipsa, etenim in terrâ serpunt caules à radice emissi, lato folio & spinoso; Caules vocant cactos: nec fastidiunt in cibis inueteratos quoque: Vnum caulem rectum habent, quem vocant pternica, eiusdem suauitatis, sed vetustatis impatientem. Semen ei lanuginis, quam pappon vocant: quo detracto, & cortice, teneritas similis cerebro palmæ est: vocant ascaliam.* Qui locus expressus ex Theophrasti plantarum historiæ lib. VI. cap. IV. Eundem adducit Athenæus, libro II. vbi & inter alia docet, κάκτον esse, quem Romani *carduum*, Græci κινάραν nominant. Germano Belgæ altiles hosce carduos, siue caules, vocant *Artischok*, Galli *artichaut*: nempe, quasi ἀρτυτικοὺς καυλούς, vt quidam aiunt, qui & eos ab Alexandro Tralliano ἀρτυτικά vocari admonent. Alij quasi *archicarduum* dici arbitrantur. Vide quædam de eo apud Baptistam Egnatium Annotat. poster. cap. CLXVIII. & nos infra voce *Cinara*.

CACVLÆ voce vsus Plautus, Trinummo, Sc. *Sta illico: Video*, inquit, *caculam militarem me futurum.* In Glossis Philoxeni exponitur, δοῦλος στρατιώτου. Eadem interpretatio Festi, qui & etymon adferre conatus. Verba eius pono: *Cacula, seruus militis. Dicitur autem à Græco κᾶλον, quòd fustibus clauísque ligneis ad tutelam dominorum armari soliti sunt.* Hæc ille. Quo in loco notandum, milites Romanos habuisse seruos clauigeros, qui iccirco (vt Festus in *calatores* ait,) *clauatores* appellantur à Plauto, Mercatore. Militarium clauarum meminit & Cicero in Catone maiore: *Sibi igitur habeant arma, sibi equos, sibi hastas, sibi clauam, sibi pilam, sibi venationes.* Ijs clauis solent tirones se exercere ad palum, vt docet Vegetius, libro I. capite XI. Pugna hæc dicebatur *palaria*, vt Charisius docet, libro I. Meminit & eiusce pugnæ Vegetius, lib. II. cap. XXIII. Et Iuuenalis, Sat. IV.

———Aut quis non vidit vulnera pali?
Quem cauat assiduis sudibus, scutóque lacessit,
Atque omnes implet numeros.———

Ex his quidem abunde lucem capit, quod de clauis ait Festus. Sed quis non videt, *calones* quidem à *cala*, vel κᾶλον, deduci ἀναλόγως; at *caculas* non item? Vt autem nil opus sit multum insistere inquirendo vero eiusce vocis etymo, fecit Iul. Scaliger, qui appositè admodum originem *caculæ* indicat, Exercitat. CCC. sect. III. & de L. L. capite XXII. quibus locis docet, *caculam* ex eo nomen accepisse, quòd non esset in numero militum, sed imbellium, à κακός, quod propriè *imbellem* notat. Nempe ἀπὸ τοῦ χάζεσθαι, quod est vitium in militia, cùm locum amittunt in acie. Vsus Homerus aliquoties. Nec longe abit Nunnesius, cum *caculam* quasi deducit à χάζεσθαι. Ab adducta κακοῦ significatione Becmanno placet nomen inditum *Caco* illi, quem deuicit Garanus pastor, vt Verrius Flaccus scripsit, qui & auctor est, quod poëtæ ab Hercule interemptum dicant, id ex eo esse, quòd omnes magnarum virium veteribus *Hercules* dicerentur. Auctor Seruius, ad VIII. Æneid. Sed verisimilius est, quod Seruius ibidem ait, *Cacum* ab Arcadibus sic appellatum, à κακός, quà malum prauúmque notat. Nam & hoc sensisse videtur Ouidius in Fastis:

Cacus Auentinæ timor atque infamia siluæ,
Non leue finitimis hospitibúsque malum.

A *cacula*, est *caculatus*, quod Festus generatim interpretatur *seruitium*. Sed intelligendum seruitium eorum, qui militibus famulantur.

CACVMEN, quin ab *acumen* veniat, dubium non est. Est enim summitas arborum ac montium. Sed dispiciendum, vtrùm princeps litera (quod sanè non displicet) similiter assumatur ad roborandum sonum: quomodo ab αὐλή est *caula*, teste Seruio, & ab αἰνῶ, *quæso*: an verò sit ex compositione: putà vel ex *caput*, vt *cacumen* sit *capitis acumen*, quæ Francisci de S. Quercu opinio est: vel ex præpositione loquelari *con*, vt *cacumen* factum sit ex *coacumen*, quia in vnum coëunt acumina, quæ coniectura est doctissimi Martinij. *Cacuminare*, pro *acuere*, legas apud Sidonium non semel.

Cadaver, à *cadendo*, quia absque anima corpus sese fulcire nequit: Sic Isidorus, lib. xi. cap. ii. & ante eum Seruius, ad illud vi. Æn.

———Bellóque caduci.

Dardanidæ.———

Græci similiter vocant πτῶμα, ἀπὸ τοῦ πίπτειν. Suauiter nugantur, qui *cadauer* conflatum aiunt ex tribus vocibus, *caro data vermibus*. Vt nempe princeps solum syllaba remanserit ex quaque voce. *Cadauerosa facies* Terentio, qualis cadaueris esse solet.

Cadivvs, a *cado*, quod sponte, vel facile, cadit. Onomasticum vetus: *Cadiuus*, αὐτόπτωτος. Ab eo, & loquelari præuerbio, est *recidiuus*, quamquam ei, non tam inusitatum *cadiuus*, quam vsitatum *caducus*, solet opponi. Ausonius in doctissima pro consulatu gratiarum actione: *Quæ bona præstas, efficis ne caduca sint: quæ mala, prospicis ne possint esse recidiua.* Differt *recidiuus* à *rediuiuus*, vti Sosipater monet quod *rediuiua* dicantur, quæ post interitum redeant: *recidiua* autem, quæ ex suo casu restituuntur.

Et recidiua manu posuissem Pergama Teucris.

Vbi tamen quidam libri *rediuiua*: sed *recidiua* agnoscit quoque Seruius. Itidem lib. x. Æn.

———Recidiuáque Pergama quærunt.

Quamquam hic quoque eâdem in voce variant antiquissimi codices. Nec mirum: quando etsi *rediuiuus* propriè conueniat τοῖς ἐμψύχοις (dicitur enim quia redit in vitam, vnde & in Glossis Philoxeni exponitur παλίνζωος,) tamen & de ædificiis vsurpatur κατὰ μεταφοράν; vnde in Græco-Latinis Glossis exponitur παλιγγενής. Sanè vocem esse architectonicam, etiam discimus ex illo Ciceronis in Verrinis: *Verum existimatis minimi operis esse, vnam columnam efficere nouam, nullo opere rediuiuo.* Et Catullus pontem *irrediuiuum* appellat, qui prolapsus nequit instaurari.

Cadmea *terra, quæ in æs conijcitur, vt fiat orichalcum.* Ita Festus: vbi in MS° est *Cadmea*: sed perperam. Nam Plinius similiter, lib. xxxiv. cap. x. *Ipse lapis ex quo fit æs, cadmia vocatur, fusuris necessarius, medicinæ vtilis.* Meminit & cap. i. eiusce libri. Nomen ex eo esse creditur, quia Cadmus Tyrius auri metalla, eorúmque fusuram, inuenit. Ita Agricola de Metall. lib. i. cap. iv. Alij, quia in Cypro effoderetur, Plinio teste: ac Cyprus Græcis sit ad Orientem. Nam Cadmus notat orientalem, à קדם, *oriens*.

Cado, à κάτω, hoc est, *deorsum*. Nam cadere, nihil aliud est, quàm naturaliter, hoc est, ob grauitatem, deorsum ferri. Iul. Scaliger, comm. in libro ii. Theophrasti, de causs. pl. capite xiii. & libb. de causs. L. L. capite lxxx. dictum ait, vel à χάζω, id est, *cedo*, cuius aorist. ii. κεκαδὼν; vel à χάω, seu χάσκω, Æolico flexu: hoc est, *hisco*: quia nempe in omni casu fit interuallum. Argutè sanè, sed, vt censeo, prius etymon simplicius veriúsque: quod & Nunnesius in Grammatistice amplexus. A *cado* sunt *cadauer*, *cadiuus*, *caducus*, *casus*, alia, de quibus seorsim.

Cadvcevs, pacis signum, vt Nonius vocat ex Varronis lib. ii. de vita pop. Rom. est κηρύκειον, ὃ βαστάζουσιν οἱ κήρυκες; *caducifer*, κηρυκοφόρος; *caduceator*, κῆρυξ ὁ τοὺς εἰρήνης ἀποστελλόμενος καὶ τὸ κηρύκειον φέρων; prout voces hæ in veteribus Glossis explicantur. *Caduceo* autem seu *caryceo* exteræ solum gentes vtebantur: Romanis verò pro eo *sagmina* in vsu erant: Hinc Martianus, L. sanctum. de diuis. rerum: *Sunt*, inquit, *sagmina quædam herba, quas legati populi Romani ferre solent, ne quis eos violaret; sicut legati Græcorum ferunt ea, quæ vocantur cerycia.* Et Plinius, lib. xxix. cap. iii. *Hic*, inquit, *complexus anguium, & efferatorum concordia, causa videtur esse, quare exteræ gentes, caduceum in pacis argumentum circumdatâ effigie anguium fecerint.* Quod Martianus *Cerycium* dicit, id Plinio est *caduceus*; quod si scisset Alexander ab Alexandro, non scripsisset, lib. v. cap. iii. *Cerycium* esse legatorum ornatum. Sanè nec dubium, quin Latina vox è Græca originem ceperit. Neque obstat, quod κηρυκεῖον vulgò scribatur per η, etiam apud Pollucem, lib. viii. cap. xi. Τὸ κηρύκειον φέρειν ἐν τῇ πρεσβείᾳ. Nam in Glossis Philoxeni est, *caduceum*, καρύκειον. Imò lib. ii. Epigr. legere est, καρύκειον γὰρ ἔχων καὶ ἀπαρχὰ πολλά. A κηρύκειον igitur, vel potius καρύκειον, siue καρύκαιον (quomodo Tarentini dixere & Syracusani,) dixere Latini *caduceum*, pro *caruceum*, R in D conuerso, quomodo pro λαμπρὸς Latini dixere *limpidus*, & Hetrusci à *rarus* fecere *rado*; à *quaro*, *chiedo*: cui contrarium Latinis *meridies* pro *medidies*. Vulgò *caduceum* dici aiunt à *cadendo*, siue quia facit ne in eundo cadatur, siue quod cadere faciat contentiones atque certamina: quia nempe, vt per *feciales* bella indicebantur, ita per *caduceatores* finiebantur. Sed si à *cadendo* esset, prima corriperetur, quam Ouidius in *Caducifer* producit. Quare simplicior veriórque sententia eorum, qui deducunt à καρύκειον, quam etiam amplexus Angelus Caninius in Hellenismi Alphabeto, & Ios. Scaliger ad Festum in *Caduceator*. Quæ *caducei* sit forma, origo, & quid συμβολικῶς notet, vide sis apud Hyginum, libro ii. signorum cælest. cap. viii. vbi de lyra; Plinium, lib. xxix. cap. iii. Macrobium, lib. i. Saturn. cap. xix. Cælium Rhodiginum, lib. xxi. cap. xvi.

Cadvcvs est à *cado*, quo respexit Appuleius in Apolog. *Tu potius caducus, qui iam tot calumnijs cecidisti.* Gloss. Philox. *Caducus*, πτωματικός. Onomasticon vetus: *Caducus*, πτωσιμος. Hinc *caduca oliua*, apud Columellam, lib. xii. extremo cap. l. quod alijs xlix. & *caduca glans*, L. xxx. D. de verbor. signif. Hoc est, quæ cecidit, vel casura. Maro, i. G.

Sæpe leuem paleam, & frondes volitare caducas.

Morbus caducus, Isidorus, lib. x. Originum: *Caducus à cadendo dictus, id est, lunaticus, eo quod certo lunæ tempore patiatur.* Gloss. Cyrilli: Ἐπιληπτικός, *caducus*. Etiam *caduci*, qui bello cecidissent. Maro, vi. Æn.

———Bellóque caduci

Dardanidæ.———

Caduca aqua dicuntur Frontino, lib. ii. quæ è castellis & fistularum manationibus effluunt ac cadunt. Nam propria hic *cadendi* vox; vnde lege prædiorum vrbanorum (vt Varro testatur, lib. iv. de L. L.) scriptum fuit: *Stillicidia, flumina, aqua, vti* (ita emendat Scaliger) *fluant cadántque.* Et in Senatusconsulto apud Frontinum. *Quo minus ea aqua ire, cadere, fluere, &c.* Ab eadem mente dixere *caduciter*, quod Nonius explicat, *præcipitanter*. Varro:

At frigidos nimbos aqua caduciter ruentes
Pertimuerint aquatiles querquedulæ natantes.

Sic locum hunc apud Nonium emendo. *Caduca auspicia* dicebantur, *cum aliquid in templo exciderit, veluti virga in manu*: vt scribit Festus; qui his verbis indicat, si virga è manu Flaminis, quam *commentaculum* vocabant, cecidisset, id dictum *auspicium caducum*: videtúrque fuisse infelix, vt ad eum Festi locum monet Scaliger. *Caducæ hereditates* apud Cicer. Philipp. x. Iuuenalis, Sat. ix.

Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.

Isidorus libro v. capite xxv. *Caduca inde dicuntur, quia eis heredes ceciderunt.* Vnde liquet, cur Iuuenalis *dulce* vocet *caducum*, nempe quia insperato contingit. Sed plenius rem exponit Vlpianus in fragment. tit. vii. *Quod quis*, inquit, *sibi testamento relictum, ita vt iure ciuili capere possit, aliqua ex caussa deinde non ceperit, caducum appellatur, veluti ceciderit ab eo: verbi gratia; Si cælibi vel Latino Iuniano legatum fuerit: nec intra dies centum vel cælebs legi paruerit, vel Latinus ius Quiritium consecutus fuerit: aut si ex parte heres scriptus vel legatarius ante apertas tabulas decesserit, vel peregrinus factus sit.* Hactenus Vlpianus. Legibus autem caducarijs bona vacantia in fiscum redigebantur. Vnde in Glossis Philoxeni: *Caducum*, πολιτικὸν δημόσιον. Et in Glossis Beati Germani Parisiensis: *Caducum*, τὸ χωροῦν εἰς τὸν φίσκον. Rex Theodoricus apud Cassiodorum: *Caduca bona, fisco nostro competere legum cauta decreuerunt.* Huc quoque pertinet *caducarius*. Isidorus in Glossis: *Caducarius, ad quem pertinent, quæ cadunt, defuncto aliquo, cui non est, qui succedat.*

Cadvrcvm legas apud Iuuenalem, Sat. vi.

Magnaque debetur violato pœna cadurco.

Et Sat. vii.

———Cede Palæmon,
Et patere inde aliquid decrescere, non aliter quàm
Institor hibernæ tegetis, niueique cadurci.

Ad priorem locum sic vetus interpres: *Per cadurcum, membrum muliebris intelligitur, cum sit membri velamen. Vel, vt alij, est instita, qua lectus intenditur.* Vnde ait Sulpitia.

Ne me cadurcis destitutam fascijs,
Nudam Calano concubantem proferat.

Ad posteriorem autem locum sic scribit: *Cadurcum quidam cucullum dicunt candidum, propter hiemes & niues comparatum: alij tabernaculum, aut tentorium, quibus merces suas protegere consueuerunt.* Ex Sulpitiæ loco satis liquet, *cadurcum* fuisse tegmen lecti, quo pudori consulitur concumbentium: fuisséque id niuei coloris, ait Iuuenalis. Sed fueritne stragulum, an cortina, siue peripetasma, dispiciendum adhuc. Posterius malim. Nam & tabernacula similiter ijs velarunt: vnde Vetus vocabularium exponit, *tentorium*: sed ridiculam addit nominis caussam, *quod facile cadit*. Est enim appellatio ea à *Cadurcis*, populo Galliæ Celticæ, cuius vrbs *Cahors*. Meminit *Cadurcorum* Cæsar. lib. vii. & Plinius, lib. iv. cap. xix. vbi eos Narbonensi Galliæ conterminos facit. Item, lib. xix. cap. i. vbi inter alia inquit; *Nullum est candidius linum lanæve similius: sicut in culcitis præcipuam gloriam Cadurci obtinent Gallarum.*

rum. Hoc ad tomenta pariter inuentum, Clarè ait à *Cadurcis* esse laudatissimum linum, eiúsque vsum esse in culcitis ac tomentis. Sequitur continuò apud eundem: *Italos quidem mos etiam nunc durat in appellatione stramenti*. Quorum sententia est, morem illum culcitam siue stramentum faciendi ex lino *Cadurcico* indicari appellatione siue nomine stramenti, quod in Italia obtinet: nempe quod culcita, siue stramentum dicatur *cadurcum*, quasi *stramentum cadurcicum*, siue *culcita Cadurcica*. In huiusmodi culcita dormiebant feminæ, quæ peruigilij tempore in templo secubarent. Quo tempore si cum viris concubuissent, credebatur *cadurcum* esse *pollutum*. Ac cogebantur viri veniam petere eius delicti. Quod clarè indicat Iuuenalis:

Ille petit veniam, quoties non abstinet vxor
Concubitu, sacris obseruandisque diebus,
Magnaque debetur violato pœna cadurco.

Ac videntur Sulpitiæ versus eodem pertinere: vt sententia sit, nolle se accusari eius criminis, quasi cum mulieres aliæ in casto essent Cereris, vel Isidis, ac seorsim cubarent à viris, ipsa cum marito iacuerit nuda. Nisi malis loqui de fasciis, ex lino *cadurcico*, quibus destitutæ οἱ [illegible], nudi conspicerentur. Quod autem interpretem Iuuenalis, dicentem audiuimus, quosdam per *cadurcum* intelligere τὸ αἰδοῖον γυναικεῖον, id quoque legere est in Glossis Isidori: nisi quod ibi corruptè est, *Cadurda, labra pudenda mulieris, aut sponda lecti*. Scribe *Cadurca*. Similiter in voce, quæ proximè ibi antecedit *Cardudum, membrum femina*: traiectis literis scribendum *cadurcum*. Sed quod partem eam, qua feminæ id sunt, quod dicuntur, ita vocari credit, omnino errat: nec aliunde is error profectus, quam ex loco Iuuenalis non satis intellecto.

CADVS, Gr. κάδος, quod Etymologus dici monet, παρὰ τὸ χανδάνειν, τὸ χωρεῖν. Eius opinionem firmat nonnihil quòd pro κάδος, poëticè quidem κηάδος, at ionicè κάδος, dicitur. Sanè etymon verum videri poterat, nisi כד (*cad*) Hebræis notaret *hydriam* aut *lagenam* aliudue vasis genus. Vsus *cadi* voce aliquoties Plinius: sed, vt Georgius Agricola monuit, non nisi cùm, vel Græca transfert, vel de Græcis vinis loquitur. Extat & ea vox apud Vlpianum, l. sed si xv. §. proprietatis, vi. ff. de vsufructu, & Proculum leg. penult. de vino leg. Nonius *cados* interpretatur vasa, quibus vina condiuntur. Atque ita vsum docet Lucilium Virgilium, Varronem. Sed habet præterea notionem strictiorem, qua mensuræ est genus. Capiebat ea vrnas tres vt Isidorus ait, lib. xiv. cap. xxv. atque hic Rhemnij Fannij locus indicat:

Attica præterea dicenda est amphora nobis,
Seu cadus, hanc facies, nostra si adieceris vrnam.

Nam per *nostram* intelligit amphoram Romanam, quæ vrnas capiebat duas. Vide sis, quæ de *cado* habet Pollux, lib. x. cap. xx.

CÆCIAS ventus, καικίας. Seneca lib. v. Nat. Quæst.: *Ab oriente solstitiali excitatum Græci καικίαν appellant, apud nos sine nomine est*. Vide de eo Aristotelem, lib. ii Meteor. cap. vi. Plin. lib. ii. cap. xlvii. Gellium lib. ii. cap. xii. Ita dicitur, quia spirat à Caico Mysiæ fluuio. Etymologus: Καικίας [illegible] Apud Hesychium legas: Καικίας, ὁ Καικίας ἄνεμος [illegible] Κάδου ποταμοῦ. Sed scribendum Καΐκου ποταμοῦ. Latini, vt ex Φαέθων fecere *Phaeton*; ita ex καικίας, *Cæcias*.

CÆCVS, quòd *careat* visu appellatus videtur Isidoro lib. x. Perottus non tam dici putat à *carendo*, quòd oculis careat, quemadmodum neque à *capiendo*, quod oculis captus sit; (quam quorundam sententiam esse, ait) quam à *cædendo*, quòd sit oculis concisus. Vtrumque verò etymon (tam, inquam hoc à *cædendo*, quam alterum à *carendo*) adducit Angelus Decembrius, lib. vii. de politiâ literariâ parte lxxviii. Martinius, quia ignis, & fumus, maximè visum impediunt, coniectat *cæcus*, quod olim *caicus*, esse à καίω, [illegible] id est *accendo*. Sed vt bene idem agnoscit, *cæci* originario planè cæca est occultáque. A *cæcus* est *cæco*, τυφλῶ. Lucretius lib. iv.

Sol etiam cæcat, contrà si cernere pergas.

Item, *cæcutio* & *cæculto*. Festus: *Cæcultant, cæcis proximi sunt oculorum acie obtusa*. Plautus.

Numnam mihi oculi cæcultant? estne hic noster Hermio?

Ita & MSS. Forte tamen rectum est *cæcutio*. Onomast. vetus: *Cæculto*, Ἀμβλυώττω. Τυφλίνος est *cæculus*. Vnde *cæcula* inter serpentes Isidorus lib. xii. cap. iv. *Cæcula dicta eo, quod parua sit, & careat oculis*. Cæcatum serpentium mentio & apud Plinium lib. ix. cap. xi. Columella lib. vi. cap. xvi. *cæcitium* vocat. Sic Græcis [illegible], & [illegible], vocatur à τυφλός, *cæcus*. Etiam à *cæcus* sunt cognomenta Romana *Cæcilius*, & *Cæcina*; quæ iccirco per æ scribuntur in vett. lapp. & libb. *Cæcigenus*, τυφλογενής; Lucretius lib. ii.

Nam cum cæcigeni, solis qui lumina nunquam
Adspexere, ———

CÆDO, olim *caido*, ab Hebræo [illegible] quod idem notat vnde & [illegible]. Id magis placet, quam vt *cædo* sit à *cado* vel κείρω, vel καίνω, quod scribit Festus in *Cades*, & Iul. Scaliger de caussis L. L. cap. xxviv. & xxviii qui hoc exemplo N in D conuerti probat: vti & facit Nunnesius in Grammaticistice. A *cædo* est *cædes*, quæ vox non hominum modò est, sed & arborum: vt apud Gellium, lib. ix. cap. xii. *Cur tantam ligni ac frondium cædem faceret, percontatus est*. Nempè quâ ratione *materiem*, vel *frondem cædere*, dixere rei Rusticæ scriptores; item Plinius, Vegetius, alij. Sic *cædua silua*, quæ in hoc habetur, vt cædatur, ac succisa rursus renascitur. Item *arbores cæduæ*, quæ Hesychio [illegible], quæ *cæduæ* sunt naturæ, hoc est, eius, vt cæsæ iterum crescant. Composita à *cædo* sunt *occido*, *incido*, *concido*, *succido*, *præcido*, *excido*, *trucido*, quod dicitur, quasi *truciter cædo*, eoque plus est, quam *cædo*. Item ex *am*, id est *circum*, & *cædo*, dicta *ancæsa*. Festus: *Ancæsa dicta sunt ab antiquis vasa, quod circumcædendo cælata fiant*. *Excidio*, ab *excidendo*, teste Festo. Ab *homo* & *cædo*, est *homicida* per syncopen, pro *hominicida*, vt *sanguisuga*, pro *sanguinisuga*. Item à *cædendo*, *bouicidium* dictum Solino, Græcis βουφόνια, qua *bucædia* voce vsus & Tranquillus. Id esse ex βοῦς θύειν, satis liquet. Etiam huius loci sunt *præcidanea*, *succidanea*, *succidia*, & alia de quibus seorsim.

CÆLARE, & *celare*, sic Nonius distinguit, quòd hoc sit, *tegere*, & *abscondere*; illud, *insculpere*. *Cælo* puto esse à *cædo*. Nam D & L sæpe commutantur: vt ab Æolico Ὀδυσσεὺς, *Vlysses*. Coniectabam etiam, vt ab *vstum* est *vstulo*, & à *postum*, vnde *repostum* pro *repositum*, est *postulo*, sic à *cæsum* fuisse *cæsulo*, & κατὰ συγκοπὴν, *cælo*. Ac sic quoque fuerit à *cædendo*. Nempe quia *cælator* incidit metallum. A *cælando*, id est, *cædendo*, est *cælum*, instrumentum sculptoris: quomodo Græcis id dicitur τορεύς, à τορεῖν, quod Hesychius exponit: τὸ τρυπᾶν. Ac fortasse hic quoque fuerit συγκοπὴ, *cælum*, ex *cædulum*, à *cædo*, vt *prelum*, ex *premulum*, à *premo*. Seruius videtur *celum*, per nudam vocalem; *cælo*, per diphthongum, scripsisse. Vide eum in illud Virgilij i. Æneidos:

——— *Cælatáque in auro*
Fortia facta patrum ———

Cælum pro instrumento cælatorum vsurpat Varro apud Nonium:

Numnam cælatus in manu dextra scyphus
Cælo dolitus artem ostentat Mentoris?

Ausonius, Epigramm. lvi.

Talem fecerunt ferrea cæla deam.

Vsi quoque Martialis, Statius, alij. Conueniunt *cælatura*, & *sculptura*, quod vtraque figuras facit extantes, & è plano protuberantes: quanquam de cælatura multi contrarium tradant, & in his Cardanus libro de lapidibus. At differunt eo, quòd materies sculpturæ latius patet vt his verbis ostendit Fabius Quinctilianus lib. iii cap. xxi. *Et cælatura quæ auro, argento, ære, ferro, opera efficit: nam sculptura lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas, præter ea quæ supra dixi, etiam complectitur*. Itaque *cælatum argentum* legas passim: at *gemmas sculptas*, item *sculptorem* legas *ligni*, aut *marmoris*. Poëtæ tamen id non obseruant. Nam Maronis est in Eclogis:

——— *Pocula ponam*
Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis.

Cælatum dixit pro *sculptum*. *Cælator* in Glossis Phil. exponitur, τορευτής. Nempe τορεύειν est *cælare*, vt τόρευμα, *aurum* vel *argentum cælatum*. Vsi *cælatoris* voce Fabius lib. ii & Iuuenal. Sat. ix. *Cælatura* est apud Senecam, epist. v. In Glossis exponitur τόρευσις.

CÆLEBS (pro quo *celeps*, per *p* magis probat Curtius Papirianus apud Cassiodorum, in Collectaneis de Orthogr.) per *æ* scribere iubent Aldus Nepos in Orthogr. & Marius Corradus, lib. ii. de L. L. Nec damnare ausim, quando sic vett. habent libb. & lapp. Etymon tamen repugnat. Nam à κέρκος, & λείπω est κερκολιπής, *carens cauda*; sic à κοίτη, vel κοίτης, & λείπω, est κοιτολιψ, quia ei λείπει ἡ κοίτη γαμική, deest lectus nuptialis: quod sic [illegible] Maro:

Non licuit thalami, expertem, sine crimine vitam
Degere. ———

Ad verbum igitur, *cælebs* sonet *decubis*. Glossæ vett. *decubis*, ἄλεκτρος. Miro autem consensu antiqui à *cælo* nomen arcessunt, vt *cælebs* dicatur, quasi οὐρανόβιος, hoc est, *cælicola*. Quintilianus, lib. i. cap. v. *Ingeniosè sibi visus est Caius Granius cælibes dicere, veluti cælites, quòd onere grauissimo vacent: idque Græco argumento: ἠιθέους enim eadem de caussa dici affirmat*. Festus: *Cælibem dictum existimant, quòd dignam*

quam cælo vitam agat. Donatus ad illud Adelph. act. 1. sc. 1.

Quod fortunatum isti putant, uxorem nunquam habui.

Romani, inquit, *cælibem, quasi cælitem dicunt.* Priscianus, lib. 1. *Pro v consonante b ponitur Cælebs, cælestium vitam ducens.* Quare nihil mirandum, si etymon vulgò receptum arripuerit b. Hieronymus, acerrimus virginitatis defensor, cuius hæc verba, lib. 1. contra Iouinianum: *Cælibes, quod cælo digni sunt, mansitum nomen.* Nec abit Beda. qui lib. de Orthogr. ait. *Cælebs, qui sibi iter facit ad cælum, & Cælebs cælestium ducens vitam.* Item Isidorus lib. x. *Cælebs* inquit, *connubij expers, qualia sunt numina in cælo, quæ absque coniugibus sunt. Et cælebs dicitur, quasi cælo beatus.* Imò, quod mirari satis non possum, Cæsar Scaliger de causs. L.L. cap. xii. scribere non dubitat: *An hanc*, inquit, *naturam non potuit v aspirare, sed transiit in pleniorem, scilicet in b, cælebs. Neque enim temere à cælo & vita deduxit Caius, minimè meritus hoc, qui à Quintiliano notaretur.* Sed quis coniugij expertibus, à cælo nomen impositum, persuadere sibi possit, qui sciat, Lycurgi, ac Romanis legibus, mulctatos esse cælibes? Tertium quoque etymon apponam. Nam Iulio Modesto placuit esse à *Cælo*, qui Saturni pater fuit, vnde de eo Ennius, apud Sosipatrum, lib. 1.

Quem Cælus genuit. ———

Rationem eiusce etymi indicat Fabius, lib. 1. cap. vi vbi, cum superiorem Granij opinionem indicasset, subijcit hæc verba: *Nec ei cedit Modestus inventione. Nam quia Cælo Saturnus genitalia absciderit, hoc nomine appellatos qui uxore careant.* Omnino autem verum etymon est, quod primo loco ponebamus.

C æ m e n t v m, à *cædo*, quamquam in Pandectis Florentinis scribatur *cementum* absque diphthongo. Sed vitiosè, cùm certum sit, *cæmentum* eiusdem esse originis ac *cæsura*; ac sic dici, quia fit cæsum à lapide maiore. Neque enim *cæmentum* intritum siue ferruminationem ex calce & arena, significat, vt Accursius putauit; ac vulgò hac voce vtuntur multi: sed lapides minores, rudes, ac informes, & quæuis lapidum fragmenta, atque assulas, quibus vtuntur artifices ad operum farcturas. Liquet hoc ex Vitruuio, lib. vii. cap. vii. Atque ita etiam vsus Liuius, lib. 1. de bello Punico: *Nec erat difficile murum subruere, quòd cæmenta non calce durata erant, sed interlita luto, structura antiquo genere.* Vide & Vitruuium, lib. ii. cap. viii. Adi & Nonium qui *cæmenta* lapides esse ait, quibus ædificia consurgunt. Idem ostendit, Sisennam, Varronémque, *cæmenta* in neutro dixisse. At Ennium eo vsum in fœminino. Hinc *cæmentitia structura*, & *cæmentitij parietes*, apud Vitruuium. Item *cæmentarius*, qui *cæmentum* componit siue ea luto interlinat quod ruinæ caussa: seu calce ducet quod firmitatem præstat.

C æ p e, seu *cæpa*, teste Isidoro, lib. xvii. cap. x. ita dici videtur à *capitis* magnitudine, eáque caussa est cur per Æ scribatur. Imperitus aliquis huic rei firmandæ ad vocet illud ex auctore Moreti.

——— *Et nomen capiti debentia cæpe.*

Sed hoc ineptissimum fit. Nam, cùm duo sint cæparum genera, condimentaria & capitata posterius genus tangit poeta. Plinius, lib. xix. cap. vi. *Apud nos duo prima cæparum genera. Vnum condimentaria, quam illi gethyon, nostri pallacanam vocant. Seritur mensibus, Martio, Aprili, Maio. Alterum capitata, quæ ab æquinoctio autumni, vel à Fauonio.* Vbi videmus, *gethyon* opponi *capitatæ*. nempe quia gethyon caput non habet, aut vix habet. Theophrastus, Historiæ Plant. lib. vii. cap. iv. Τὸ δὲ γήθυον ἀκέφαλον, ἀλλ' ὥσπερ ὁ τράχηλος μακρὸς ἔχει. *Quod gethyon dicitur, sine capite est, & quasi longam ceruicem habet.* Id Plinius sic expressit: *Gethyon penè sine capite est, ceruicis tantùm longæ, & ideo totum in fronde.* Pro γήθυα etiam γήθυλλα dixere. Hesychius: Γήθυα κρόμμυα, ἃ καὶ γήθυλλα καλοῦσι. Etiam apud Plinium & Apicium vett. libri, assumpto N, *gentia* habent. Ac censet Salmasius Æoles pro γήπιον dixisse γάπιον, inde esse *cæpe*; vel venire illud ex Æolico γάπυς vel γαπύς, pro γήπυς Æoles enim η in α conuertebant: vt, pro σκηνὴ σκανὰ vnde *scæna*. Simile fit pro γήπιον γάπιον, inde *cæpe*. Græcis *cæpa* dicitur κρόμμυον, imprimis *capitata*. Nam altera proprium nomen habet γήθυον, vt diximus. Ac fortasse κρόμμυον à κάρα, id est, *caput*: quomodo *cæpa* à *caput*, iuxta Isidorum. Aliis placet, κρόμμυον vocari, ὅτι τὰς κόρας συμμύειν ποιεῖ. Nempe quia vapore tenui & acri lacrymas ciet. Vnde Lucillius, lib. v.

Flebile cæpe simul lacrymosáque ordine talla.

Nam *talla* sunt interiores *cæparum* tunicæ: vt monet Festus. Ex eodem citant Nonius & Priscianus.

Tunicas ei etiam acri asside cæparum cæpa.

Eâpse de caussâ, κρόμμυα ἐσθίειν, καὶ κρόμμυα ὀσφραίνεσθαι, *cæpas edere & olfacere*, dicuntur, qui sunt infortunium plorant. Ita Bias apud Laërtium. Haliatti, Lydorum regi, mandanti, vt ad se veniret rescribit. Ἐγὼ Ἀλυάττῃ κελεύω κρόμμυα ἐσθίειν, pro κλαίειν καὶ οἰμώζειν. Et apud Aristophanem. Ranis, Xanthias vapulans, rogante Æaco, Τί δῆτα κλάεις; respondet, Κρομμύων ὀσφραίνομαι. A fertili *cæparum* prouentu agri Corinthiaci vicus dictus videtur Κρομμυὼν, seu Κρομμυών, pro quo & Κρεμμυὼν, seu Κρεμμυών scribitur: non pe, vt suspicor, quia & *cæpe* non κρόμμυον tantum, sed etiam κρέμμυον dicitur: quemadmodum testis est Hesychius. Hinc ὗς Κρομμυωνία, seu Κρεμμυωνία, quam Theseus interfecit vnde *Theseidem* vocat Maro in Ciri, iuxta restitutionem Scaligeri:

Infesta magnique suis dira Theseidos exit

Spelaum. ———

Occasionem fabulæ vide apud Plutarchum in Theseo.

C æ r i m o n i a per Æ & I in secunda scribendum censeo; quomodo eam vocem legi in antiquo lapide, docet Aldus in Orthogr. Sed veterum quoque originationes satis comprobant, per diphthongum scripsisse antiquos. Festus enim testatur, alios quidem putâsse, id nomen esse à *caritate*, alios autem à *Cære* oppido. Fuit id oppidum Thusciæ, non longè à Tarquiniis situm, conditum à Pelasgis, qui è Thessaliâ venerant. Sed hi *Agyllam* vocarunt. Postea autem nomen *Chære* accepit, idque occasione istiusmodi. Lydis, qui Tyrrheni dicti sunt, aduersus Agyllinos bellum gerentibus, quidam ad vrbem propiùs accessit, nomenque vrbis interrogauit: à Thessalo autem è muro responsi loco accepit χαῖρε; id omen accepere Tyrrheni, captáque vrbe, *Chære* nomen fecerunt. Auctor Strabo lib. v. Cur verò à *Cæretanis*, seu *Cæritibus*, dictæ existimentur *cærimoniæ*, id ex eodem Strabone cognosci potest. Nam paullò ante dixerat, *Cærites*, quo tempore Galli Romam obtinebant, conseruâsse, cùm Romanos, quotquot hoc in oppidum confugissent tum etiam æternum ignem, Virginésque Vestales. Idem narrat Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. Florus lib. 1. cap. xiii. & ante hos Liuius, lib. vii. vbi iccirco *Cære* appellat *sacrarium populi Romani, diuersorium sacerdotum, ac receptaculum Romanorum sacrorum.* Existimarunt igitur Romani, remunerationis ergo, sacros ritus à *Cære* dixisse *cæremonias*. Quam sententiam, cùm quincuplicem prius originationem attulisset, præ aliis sibi probari scripsit Iosephus Vicomes, de antiquis Baptismi ritibus, lib. 1. cap. 11. Ac secundum hos *cærimonia* per Æ scribi debeat. Vti & fortasse secundum illorum etymologiam, qui à *carendo* deducunt. Eos inter Massurius Sabinus apud Agellium, lib. iv. cap. ix. *Religiosum*, inquit, *est quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum à nobis est, verbum à relinquendo dictum, tanquam cærimonia à carendo.* Macrobius lib. iii. cap. iii. *Seruius Sulpicius religionem esse dictam tradidit, quæ propter sanctitatem aliquam remota ac seposita à nobis sit; quasi à relinquendo dicta, vt à carendo cæremonia.* Augustinus lib. ii. Retractat. cap. xxxvii. *Cùm agerem de obseruationibus Iudæorum, à quibusdam escis secundum veterem legem abstinentium, dixi, Quarundam escarum cærimonia, quod nomen non est in vsu literarum sanctarum, ideo tamen mihi congruens visum est, quod à carendo appellatas cærimonias, quasi caremonias, memoriâ tenebam, eò quòd obseruantes careant his rebus, à quibus abstinent.* Isidorus lib. vi. cap. vlt. *Cærimoniæ apud Latinos dicuntur sacra omnia, quæ apud Græcos Orgia vocantur. Propriè autem visum est doctoribus, à carendo appellari cærimonias, quasi carimonias, eò quòd ea quæ in sacris diuinis offeruntur, in ipso vsu careant homines; quod etiam nomen in vsu est literarum sanctarum. Alij cærimonias propriè in obseruationibus Iudæorum credunt: abstinentiam scilicet quarundam escarum secundum veterem legem, eo quod obseruantes careant his rebus, quibus se abstinuerint.* Hactenus Isidorus. Eandem ἐτυμολογίαν sequuntur illi, qui à *cælo cærimonias* dici aiunt, quasi *cælimonias*, L in R conuerso, quomodo à *cælo cæruleus* dicitur, pro *cæluleus*. Nam & *cælum* veteres per Æ videntur scripsisse: vt dicemus suo loco. Et hæc quidē etyma inuenio quæ per Æ scribendum adstruant. Ponam nunc ea quæ monophthongum probent: vt quod nonnulli propriè ritus sacrorum *Cereris ceremonias* dici putarunt. Hinc Glossæ Latino-Græcæ Philoxeni: *Ceremonia*, Δημήτρεια. Nam Δημήτηρ, *Ceres*. Certum tamen est, *cærimoniarum* vocem latiùs patuisse apud Romanos. Seruius ad iv. Æn.: *Sane sciendum, Orgia apud Græcos dici sacra omnia, sicut apud Latinos ceremoniæ dicuntur.* Quod ipsum Isidorum dicere suprà vidimus. Per E quoque simplex scribi debeat, si (vt Ioachimus Camerarius verisimile putauit, Etymologiarum decur. iii. cap. iv.): *quasi gerimonia dicatur à gerendo, sicut à gemendo gemonias scalas fecerunt, à querendo querimoniam, vt indicentur ea, quæ in sacris geri ritu solenni deberent.* Quamquam & alterum ibidem etymon addit, vt sit à *caritate*. Sed prius illud

quantopere etiam placuerit Bartholomæo Keckermanno, hinc videre est, quod lib. I. Systematis Logici, sect. II. cap. I. cum diuisisset etymologias, in veras, & apparentes, veræ exemplum esse ait, *cerimonia, quasi gerimonia, aut a Cære oppido*. At verisimilius longè Iosephus Scaliger, qui censet, *cerimonias* dici ab antiquo *cerus*, id est, *sanctus*, vnde in Saliari carmine, *cerus manus*, id est, *sanctus, bonusque*. Ita à *cerus* erit *cerimonia*, vt à *sanctus sanctimonia*, à *castus castimonia* à *cultus cultimonia*, qua voce idem Tertullianum vti censet, lib. de Pallio, cap. IV. circa finem. In vulgatis, *cultum omnia* corruptè editum est. Sunt & eiusdem generis *alimonia*, & *querimonia*; quia etsi à verbis veniant, similiter tamen *monia*, vocis productio est. At in *histrionia* (quod simile esse scripsit Camerarius. & ex eo Taubmannus) longè aliter se res habet. Quippe cùm sit à Latino *histrione*, solum primam vocalem voci additam paret. Sed neque id *cerimoniarum* etymon, quod è Scaligero ponebamus, controuersia caret. Nam Festus, seu Paullus Diaconus (in voce *matrem matutam*.) *cerus manus* interpretatur, *creator bonus*: quod si rectum, *cerimonia* hinc nomen accepisse non possit. Et sanè puto Festi sententiæ standum. Nam *cerus* est à *cereo*, id est, *creo*: Qua de re plura in *Creo* dicemus.

CÆRITES tabulæ, ita dictæ à *Cære*, Hetruriæ oppido, quod *Agylla* antè dicebatur. Eius ciuitatis incolæ ad hoc tantum ciues censebantur, vt tributum penderent. Hinc *Cerite* cerâ digni Horatio, qui merentur loco poni parum honesto. Plenius rem exponit Asconius, in Diuinat. *Qui plebeius erat, in Ceritum tabulas referebatur & ærarius fiebat: ac per hoc non erat in albo centuria sua, scilicet ad hoc, vt ciuis esset: sed tantummodo, vt pro capite suo tributi nomine æra penderet.* Gellius lib. XVI. cap. XIII. *Primos municipes sine suffragij iure Cærites esse factos accepimus: concessúmque illis, vt ciuitatis Romanæ honorem quidem caperent, sed negotiis tamen atque oneribus vacarent, pro sacris bello Gallico receptis custoditisque. Hinc tabulæ Cærites appellatæ, versâ vice, in quas Censores referri iubebant, quos notæ caussa suffragiis priuabant.* Vide Horatij interpretem veterem, in epist. VI. lib. I. Festum in *Municipium*, & *præfectura*: & è Græcis Strabonem, lib. V.

CÆSARIES, nunc dicimus; fortasse & olim, *cæsaria*. Est à *cæso*, vt à *luxu*, *luxuria*, vel *luxuries*. Cùm autem sit à *cædendo*, tantum erit virorum: quemadmodum scribit Seruius ad I. Æn. & Isidorus, lib. XI. cap. I. Idem quoque etymon ponit Marius Victorinus, lib. I. extremâ parte capitis de Orthogr. Perottus ait, similiter apud Græcos κόπω dici, à κόπτω, hoc est, *secare*. Vbi κόπω librarij errore pro κόπτω irrepsisse videri poterat: nisi is passim proderet Græcæ linguæ imperitiam; vt, cum *brachium* dici ait, ἀπὸ τοῦ βραχύνειν, hoc est, *breuitate*. Nam βραχύτητος dicere debuit. Súntque apud eum id genus plurima. A *cæsaries* est *cæsariatus*, quod Festus exponit, *comatus*. Præter Plautum & Appuleium vsus quoque Tertullianus de Pallio, cap. IV. *Numidas etiam equus cæsariatos*. Qui locus lucem capit ex illo Maronis, X. Æn.

———*Cristaque hirsutus equinâ.*

CÆSITIUM, siue *Cæsicium*, nominat Plautus. Epid. II. II. *Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum cæsicium.* Quid, & vnde sit, docet his verbis Nonius Marcellus: *Cæsicium, linteolum dicitur purum & candidum, à cædendo, quod ita ad candorem perueniat, vel quòd oras circumcisas habeat.*

CÆSIUS, γλαυκὸς, vt interpretantur Glossæ Philoxeni. Similiter Donatus, ad Hecyræ Act. III. sc. IV. *Cæsius*, inquit, *glaucis oculis, quasi felis oculos habens, & glaucos.* Fronto apud Gellium lib. II. cap. XXVI. *Neque potuit Virgilius, colorem equi significare viridem volens, cæruleum magis dicere equum, quàm glaucum: sed maluit verbo vti notiore Græco, quam inusitato Latino. Nostris autem veteribus cæsia dicta est, quæ à Græcis γλαυκῶπις, vt Nigidius ait, de colore cæli, quasi cælia.* Quod ad etymon hoc attinet, Claudius Verderius in sua scriptorum censura negat, eundem esse colorem *cæsium*, ac *cæruleum*, eóque nec *cæsium* à *cælo* deduci ait; sed à *cæsum*: atque id in caussâ esse, cur color is tribuatur diis, qui *cædibus* gaudent. Imò & Perottus scripserat, *cæsium* dici, quasi *cæsum* apertúmque. Sed idem alibi à *cælo* ipse diriuat. Melius sanè. Si enim id nomen à *cæde* esset, potius oculos *sanguinei coloris* signaret, quàm *glaucos*. Nunc quis dubitat, quin Minerua quæ Græcis γλαυκῶπις, ea Latinis *cæsia* sit?

CÆSONES, à *cædendo* dicti. Festus: *Cæsones appellati, ex vtero matris exsecti.* Idem tradit C. Titius Probus, siue Iulius Paris in epitoma de nominum ratione, quæ Valerio Maximo subiici solet. Imò & *Cæsares* putantur hinc nomen accepisse. Scripsit id Accurtius in præf. inst. in voce *Imperator*. Vapulat hoc nomine à quibusdam. Atqui hoc non primus scripserat Accurtius: sed veterum quorundam sententiam est secutus. Plinius, lib. VII. cap. IX. *Auspicatius enecata* (ita MSS', vnde leg. è necata) *parente gignuntur: sicut Scipio Africanus prior natus, primusque Cæsarum à cæso matris vtero dictus: qua de caussa & Cæsones appellati.* Solinus, more suo Plinium exscribens, similiter cap. IV. *Rursum necatis matribus ortus est auspicatior: sicut Scipio Africanus prior, qui defunctâ parente, quod excisus vtero in diem venerat, primus Romanorum Cæsar dictus est.* De Scipione idem indicat Tertullianus, lib. de anima: *Possumus illos quoque recogitare, qui exsecti matris vtero viui auram hauserunt: Liberi aliqui, & Scipiones.* Vbi cùm Liberi meminit, ortum Bacchi respexit. Vt omnino fallantur, qui *Laberij* reponunt. De etymo consentit & Nonius Marcellus: *Cæsares dicti, qui cæsâ matre nascuntur.* Isidorus, lib. IX. cap. III. *Cæsar dictus, quòd cæsa mortuæ matris suæ vtero prolatus eductusque fuerit, vel quod cum cæsarie natus sit, à quo & Imperatores sequentes, Cæsares dicti, eò quòd comati essent. Qui enim exsecto vtero eximebantur, cæsones, & cæsares, appellabantur.* Quod *Cæsarem* à *cæsarie* dictum ait, id non Isidori somnium est, sed multò ante idem scripserat Festus: *Cæsar*, inquit, *quod est cognomen Iuliorum, à cæsarie dictus est, quia scilicet cum cæsarie natus est.* Nec dubium, quin idem tradiderit Verrius Flaccus, quem Festus in compendium redegit. Vt non temere hæc sententia debeat damnari: cum Verrius non solum Augusti ætate vixerit, sed ab eo etiam præfectus fuerit nepotibus, quos in palatio docuit, teste Tranquillo. Potuit igitur doctissimus Grammaticus facilè scire, quid *Cæsarum* familia de nomine suo sentiret. Iuniores tamen & tertiam nominis caussam addunt. Seruius, in I. Æn. *Cæsar*, inquit, *vel quod cæso matris vtero natus est, vel quod auus eius in Africa occidit elephantum, qui Cæsar dicitur Pœnorum linguâ.* Imò quatuor caussas adfert Spartianus in Ælio Vero: *Cæsarem, vel ab elephanto (qui lingua Maurorum Cæsar dicitur) in prælio cæso, eum, qui primus sic appellatus est, doctissimi & eruditissimi viri putant dictum: vel quia mortuâ matre, ventre cæso sit natus: vel quòd cum magnis crinibus sit vtero parentis effusus: vel quòd oculis cæsiis & vltra humanum morem viguerit.* Ex hisce quatuor etymis, postremum tale videtur, vt eius ratio haberi non debeat. Nam à *cæsiis* oculis non *Cæsar*, sed *Cæsius* dictus esset: cum id fuerit inter Romana nomina. Nec sane inueniatur, qui hanc sententiam sequatur. At tertium non indignum est, de quo cogitetur. Nam multa nomina Punica in *ar* desiere: vt hoc quoque nomen aliquid Punicum videatur redolere: & nisi *Cæsar* esset elephas Pœnis, vnde id Spartianus & Seruius hausissent? Fortasse & hanc sententiam confirmant Cæsaris numi, cum nota elephanti, quos inter vnicus est Punicis literis circa elephantum inscriptus. Sed hoc argumentum non est admodum firmum: cùm eius imaginis aliam caussam adferre possimus, quàm quòd Cæsar hoc pacto publicare voluerit originem familiæ suæ. Nam Carolus Sigonius, libello de Romanis nominibus, ostendit, instrumenta in altera nummi facie non esse interimendi elephanti (vti erat fabrile scalprum cum malleo;) sed pontificalia ac religionis: puta, albogalerum, vel tutulum, secespitam, aspersorium, & vas sacrificale. De quorum singulis pluribus ibi tractat, ac tandem colligit, esse ea instrumenta pontificalia, quæ diuo Iulio Cæsari consecrato, inque deos relato, tributa sint ab Augusto, qui, in patris Pont. max. honorem, hunc nummum percusserit: eóque elephantem quoque, qui ab altera parte conspicitur, consecrationis symbolum videri. Præsertim cùm etiam apud Suetonium in Claudio legatur, Claudium auiæ Liuiæ diuinos honores, & Circensi pompa currum elephantorum, Augusto similem, decernendum curasse. Accedit, quòd elephanto subiiciatur anguis, qui heroibus sacer, vt Plutarchus in Cleomene auctor est. Vnde Maro, vt Seruius obseruat, de angue ait, ad ἀποθέωσιν Anchisæ indicandam.

Incertus geniumne loci, famulumne parentis
Esse putet, cædit quinas de more bidentes.

Nec video, quid aduersus ista dicere possimus nisi forte illud; eo elephantum pro symbolo Iulij, elegisse Augustū, quia inde Cæsarum familia nomē haberet. Mihi tamen potius Latinum hoc nomen, quàm Punicum videtur: vt nempe *cæsaries* caussa sit appellationis. Vel siquis ob Plinij auctoritatem pertendat à *cæso vtero*, *Cæsaris* nomen esse: non multum repugnabo, dum inde nomen accepisse credat aliquem ex Iulij maioribus, non ipsum Iulium, quod Cedrenus, Suidas, & Græcorum alij, temere tradidere. Hæc enim sentētia abunde eo refellitur, quod matrem demum amisit, cùm in Galliis subigendis occuparetur: vt Tranquillus auctor est lib. I. cap. XXVI. Porro à *Iulio Cæsare*, successores eius *Cæsares* vocati sunt, vt ab *Augusto*, *Augusti*. Sed posterioribus sæculis separari cœpere hæc nomina, ita vt *Augustus* esset, qui imperaret; *Cæsar* verò qui futurus esset imperij successor. Sextus Aurel. Victor in Diocletia-

M no:

no : *Is Maximianum Augustum effecit, Constantium & Galerium Maximianum, cognomento armentarium, Cæsares creauit.* Vbi Maximianum ait, vocatum *Augustum*, vtpote collegam, & ex æquo imperij consortem ; at Constantium, & Maximianum armentarium, *Cæsares* ait creatos, quia in spem vocati futuræ successionis. Similiter loquuntur, cùm Spartianus, Lampridius, Capitolinus ; tum etiam veteres Iurisconsulti. Hodiè *Cæsarem* vocant, quem veteres *Augustum* : & *Regem Romanorum*, quem illi *Cæsarem*. Fallitur autem Aurelius Victor, cùm scripsit, morem hunc separandi, *Augusti* & *Cæsaris*, appellationes, cœpisse a Trajano, qui primus Hadrianum dixerit *Cæsarem*. Nam L. Vero primò hic honos habitus, vt docet Spartianus, iuxta codicis regij lectionem, quam in notis suis indicauit Casaubonus.

CÆSTVS sunt *arma pugilum*, teste Festo. Addit, idem esse & muliebrem ornatum, *cingulum* nempe. Sed in hoc manifestè fallitur, siue Festus, siue eius compilator Paullus Diaconus. Nam arma pugilum *cæstus* dicuntur per Æ : estque ea vox à *cædendo*. At pro *cingulo* est *cestus*, à Græco κεστὸς, quia sit κατακεντημένος καὶ ῥαφαῖς. Mirum verò, eadem quoque confundi à Cæsare Scaligero : quippe qui, lib. I. poet. cap. XXII. scribat, lora, pugnis pugilum ad munimentum addita, *cestus* dici, quia κεστὸς Græcè sit *cingulum*. Vbi & in ὀρθογραφίᾳ & etymo falli, planum est ex superioribus. Erant autem duo *cæstuum* genera. Nam non tantum *cæstus* dicebatur, genus clauæ, plumbeas pilas loris bubulis appensas habens: sed & laminæ ferreæ aut annuli connexi, quibus vel alterutrum, vel vtrumque brachium armabatur. Propertius lib. III.

Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris.

Cæstuum certamen inter Daretem & Entellum describit Virgil. V. Æn. vbi Seruium vide : E Iunioribus Onuphrium Panuinum adi, lib. II. de ludis Circensibus, cap. II. & Hieronymum Mercurialem de arte Gymnastica, lib. II. cap. IX.

CÆTERA, τὰ ἕτερα, vnde liquet per Æ diphthongum scribi debere, etsi in vett. & libris & lapp. per simplicem vocalem inuenias : quod icciirco in Orthographia sua magis probat Aldus. In singulo numero est *cæter* κατ' ἀποκοπὴν pro *cæterus*. Quamquam integro illo Cato esse vsus dicatur, in libris de R.R. Sed aliter est in vulgatis. Interim singulo numero sæpe vsi veteres : vt *cætera vita*, *cætera series*, *omne cæterum*, & similia, etiam apud Tullium ipsum.

CALAMISTRVM est, ferrum, quo calefacto capillus intorquetur. Id, quo teneri possit, dum calidum est, manubrium habet ligneum. Vnde nomen acceperit, docere conatus Varro, lib. IV. de L.L. *Calamistri*, inquit, *quòd his calefactis in cinere capillus ornatur*: siue, vt Scaliger corrigit, *Calamistrum, quòd calfactum in cinere, quo capillus ornatur.* Nonio Marcello *calamistrum est fistula breuis, qua cirri continentur.* Vbi Godscalcus Stevvechius, ad secundum Arnobij librum, corrigit : *Calamistrum, ficula breuis, quâ cirri concinnantur.* Sed rectum est *fistula*, vt Græcè σύριγξ. Cauum enim ferrum erat. Quamquam vero *calamistrum* & *acus crinalis* differant : illius vsus fuerit in torquendis & vibrandis capillis : huius in discriminandis & continendis; veteres tamen videntur & acu calefacta capillos vibrasse. Vnde Isidorus, lib. XX. cap. XIII. *Calamistrum est acus, quæ calefacta & adhibita calefacit & intorquet capillos. Vnde & calamistrati appellantur, qui comam torquent.* Imo Seruius similiter in illud XII. Æn.

——Et fœdare in puluere crines

Vibratos calido ferro, myrrhâque madentes.

Vbi sic scribit: *Vibratos calido ferro, hoc est, crispatos calamistro. Nam calamistrum est acus maior, quæ calefacta & adhibita intorquet capilles. Vnde etiam Cicero calamistratam comam appellat frequenter.* Non Seruius & Nonius *calamistrum* atque *acum* confunderent, nisi & *acu* pro *calamistro* quandoque vsi fuissent. Quod ad originem, meritò à Varrone abeunt viri docti, cùm docent, esse à Græco καλαμὶς, quod Hermolaus Barbarus rectè *calamistrum* interpretatus est. Hesychius : Καλαμὶς, κονδύλιον ᾧ περὶ τὰς πλοκαμίδας. Hinc fecere καλαμίζω, etsi nunc id aliud Græcis : nempe *calamo canere*. A καλαμίζω autem *calamistrum*. Καλαμὶς verò à κάλαμος, *calamus*, *arundo*. Καλαμὶς igitur propriè erat *acus arundinea*. Ab huius similitudine sic dixere, etiam cum esset è ferro, sed arundinis instar cauo : vnde *fistulam* vocat Nonius, vt vidimus.

CALAMITAS videri queat leuicula metathesi fieri è קמל, quod est, *excidere*, *succidere*. Sed longè simplicius veriúsque, qui à *calamis* deducunt : vt quæ propriè sit *calamorum imminutio*. Scitè allusit Parmeno Terentianus, qui *Thaidem* sic vocat, Eun. I. I.

Sed eccam ipsa egreditur, nostri fundi calamitas.

Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.

Quem ad locum sic Donatus : *Propriè calamitatem rustici grandinem dicunt, quòd comminuat calamum, hoc est, culmum ac segetem.* Ita propriè fuerit *calamitas*, quod Græci dicunt χαλαζοκοπία, hoc est, cum calami segetum confringuntur grandine ac procellosâ aliquâ tempestate, qualem describit Maro, cum I. G. ait :

Omnia ventorum concurrere prælia vidi,

Quæ grauidam latè segetem ab radicibus imis

Sublime expulsam eruerent.

Allusit Cicero, cum Verr. III. ait, *Verrem per omnes prouinciæ partes, tanquam aliquam calamitosam tempestatem pestemque, peruasisse.* Plautus, Casina, Act. V. sc. II.

——Profectò hercle non fuit quicquam olerum :

Nisi quicquid erat, calamitas profectò attigerat nunquam.

Ita, quicquid erat, grande erat.

hoc est, χαλαζοκοπία τούτου οὐχ ἥψατο πώποτε. Intelligit autem τὸ αἰδοῖον. Porrò, quod ad superiorem Donati interpretationem attinet, cum grando fruges quidem contundat, at non intercipiat : videndum an non rectiùs senserit Petrus Nannius, qui, lib. I. Misc. cap. XV. ob illam Comici ἀναλογίαν, eum respexisse putat ad *locustam*, quæ messem agricolis destinatam intercipere consueuit. Sententiæ huius fundus est, locus Theocriti in Messoribus, vbi puellam, alicui patrimonij comestricem, eâ ratione καλαμαίαν vocat, quâ Terentius *meretricem* appellat, *calamitatem*. Sic enim ait: Μάλις τοι τὰς νύκτας χροΐζεται ἁ καλαμαία. Verum Theocritus non ἁπλῶς *locustam* vocat ἀκρίδα, vt Nannius scripsit: sed καλαμαίαν ἀκρίδα, ac per καλαμαίαν intelligit ἀκρίδα, quam sic vocat, quia *famem prænuntiet* : vt monet ad eum locum Græcus Scholiastes. At καλαμαίαν idem interpretatur, ἐν καλάμῃ χλωρᾷ οὖσαν.

CALAMITES, vel *calamita*, καλαμίτης, & quid sit & vnde dicatur, Plinius docet his verbis, lib. XXXII. cap. X. *Ad sanguinem sistendum & ranarum illinunt cinerem vel sanguinem inarefactum. Quidam ex ea rana, quam Græci calamitem vocant, quoniam inter arundines fruticésque viuat, minima omnium & viridissima, cinerem fieri iubent.* Meminit & cap. VII. eius libri.

CALAMOCHNVS est, quæ aliter *adarce* dicitur Plinius lib. XXXII. cap. X. *Inter aquatilia dici debet & calamochnus. Latinè adarca appellata. Nascitur circa arundines tenues è spuma aquæ dulcis ac marinæ, vbi se miscent.* Dicitur καλαμόχνοος, & contractè καλαμόχνους, ex κάλαμος, *calamus* : & χνόος *lanugo*; q. d. *arundinum lanugo*. Quia nempe in arundinibus inueniatur, quasi concreta lanugo. Vide quæ de ea Gorræus scribat in definitionibus medicis, voce ἀδάρκη.

CALAMVS, propriè de arundine dicitur; at κατὰ μεταφορὰν pro *tibia* vsurpatur. Nam primo tibiæ ex *calamis* fiebant: vnde & Pollux, cùm earum materiam adfert, primo loco κάλαμον ponit. Isidorus putauit, *calamum* esse originem Latinam. Sic enim scribit, lib. VI. cap. XIV. *Dictus calamus, quòd liquorem ponat. Vnde & apud nautas calare, ponere dicitur.* Sed satis constat, Græcos eadem significatione κάλαμον dicere. Ac censet Etymologus, κάλαμον appellari, παρὰ τὸ καλῶς ἀμᾶσθαι, *quod benè metatur & congregetur.* Sed cui hoc etymum placere potest : is fortè nec damnabit, si dicatur esse à קל, id est, *leuis*. Vel leuicula transpositione ab Hebræo קמל, quod est, *excidere*, *succidere*. Ita Ies. XIX. VI. vbi in Latino est, *calamus*, & *iuncus*, *excidentur*, in Hebræo est קמלו, à קמל, *torrere* : quomodo *arundo* ab *areo*. Quæ etyma Martinius adfert. Si poetas audimus, *calamus* sic dicetur à *Calamo*, Mæandri fluuij filio in calamum transmutato. Fabellam sic narrat Seruius P. Danielis, ad illud Ecl. V. *Ne calamus solum æquiparas : Fabula*, inquit, *de calamo talis est. Veteres Zephyro vento vnam ex Horis coniugem adsignauit, ex qua & Zephyro Carpon filium pulcerrimi corporis editum dicunt, quem cum Calamus Mæandri fluuij filius amaret, a Carpo mutuâ vice etiam ipse adamatus est. Sed Carpos cum in Mæandrum fluuium cadens esset extinctus, Calamus patrem propter hoc scelus auersatus aufugit, rogauitque Iouem, vt finem suis luctibus daret, sibique mortem præstaret, vt amato post obitum iungeretur : quem miseratione Iuppiter ductus in arundinale calamos verti iussit, qui semper circa oras fluminum nasci solent. Carpon verò in fructus rerum omnium vertit, vt semper renasceretur.* Hactenus Seruius. Vulgò, etsi tantummodo pennis vtamur, pro iis tamen καταχρηστικῶς *calamum* dicimus, cùm *calamus* propriè fiat ex arundine ; *penna* verò auium sit : vt hæc quoque distinguit Isidorus. In causa autem est, quòd veteres *calamis* in scribendo vti soleant. Ad hoc autem munus imprimis expetebantur Ægyptij Martialis lib XIV. dist. XXXVIII.

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus,

Texantur reliquâ tecta palude tibi

Nam sententia est, *calamis* Ægyptiis scribi debere, cæteris tecta muniri. Plinius tamen præfert Cnidos, & qui iuxta Anocam

Cariæ

Cariæ vrbem creſcunt. Sic enim ſcribit. lib. XIV. cap. XXXVI. *Chartiſque ſeruiunt calami, Ægyptij maximè, cognatione quadam papyri. Probatiores tamen Gnidij. & qui in Aſiâ, circa Anaiticum lacum, naſcuntur.* Calamus etiam ἁπλῶς ponitur pro *calamo odorato*, qui in India, Arabia, Syria gignitur, multis modis geniculatus, fuluus, fragrans ſpiritus ſuauitate, qui cum frangitur, in multas partes fit fiſſilis. Auctor Plinius, lib. XII. cap. XXII. Vulgo nominant *calamum aromaticum*; ſed *odoratum* appellat Plinius, cum loco dicto, tum lib. XIII. cap. XI. quem ad locum fusè de *calamo odorato* ſcribit Guilandinus, in comment. de Papyro. At ἁπλῶς *calamus* vocatur cum à Sereno Sammonico, lib. de medicinâ, tum apud Marcianum in l. vlt. §. ſpecies, ff. de publicanis. Fugit eos ratio, qui locum Marciani corruptum, & *calais* reponendum, arbitrantur. A *calamus* dicta *calameta*, qua voce non καλαμὼν ſignatur, hoc eſt, *arundinetum*, ſed *fragmenta veterum calamorum*. Vtitur Columella initio capitis XXVII. lib. IV. Sed in antiquiſſima editione Regienſi, quam Beroaldus dedit, corruptè *calmetu* eſt pro *calametu*.

CALANTICA, tegmen muliebre, quod capiti innectitur, vt Nonius ait; qui hoc adducit Ciceronis in Clodium: *Tune, cum vincirentur pedes faſciis, cum calanticam capiti accommodares?* Ita editum in veteri Mediolanenſi, & Aldina, & apud Iunianum Maium. Sed M[ss] Nonij codex habet *calautica*, etiam in Gloſſis Philoxeni eſt *cacautica*, quod proximè accedit. Sed exponitur, ᾤα ζώνης. Apud Seruium incerta eſt lectio. Nam ad illud IX. Æn.:

——— *Et habent redimicula mitræ:*

ſic quidem legas in vett. editt. *Pilea virorum ſunt, mitra feminarum, quas calaticas vocant.* Ita quidem Vicentina, anni CIↃ CCCCLXXIX. Mediolanenſis, anni proximi; & CIↃ IↃ XVI. & Veneta, CIↃ CCCCLXXXVI. Sed cum illa Georgij Fabricij, tum P. Danielis: *calantica* habet. In Digeſtis Florentinis, tit. II. lib. XXXIV. per V legas. Verba ibi Vlpiani ſunt *Ornamentorum hæc, vitta, mitra, ſemimitra, calautica, acus cum margarita, quam mulieres habere ſolent.* Contra, *Calantica*, per N. eſt apud Auſonium in Periocha Odyſſ. V. *Quæ calanticam capiti ſuo demtam natanti accommodat.* Apud Homerum ibi eſt κρήδεμνον, quod Euſtathius ait, eſſe κεφαλῆς κάλυμμα, παρειάδιον μέχρι τῶν ὤμων. Higynus tamen *balteum* vertit. Et conuenit cum eo, quod Philoxeni Gloſſæ dicunt, eſſe ᾤα ζώνης. A *calautica* eſt *decalauticare*. Prout apud Nonium conſtanter, quotquot vidi, editt. habent. Verba Lucillij, quæ citantur, ſunt iſta:

Depeculaſſere aliqua ſperans me, ac deargentaſſere,
Decalauticare, eburno ſpeculo depeculaſſere.

Vbi, *decalauticare*, eſt, *calauticam detrahere*. Sed nondum diximus, vnde ſit ſeu *calautica*, ſeu *calantica*. Si *calantica*, vel *calanthica* rectum eſt, videtur conflatum ex καλὸς & ἄνθος, ac nomen ex eo erit, quia floribus intextis variegata eſſet. Sin *calautica* vera eſt appellatio, fuerit à καλύπτω, id eſt, *operio*. Sanè Heſychio καυνάκιον, κοσμητήρια. Item, καλυντήρια, κοσμήματα κεφαλῆς. Et ex horum altero fortaſſe *calautica* eſt corruptum.

CALARE antiquum, à Græco καλεῖν, id eſt, *vocare*. Sane Pontifex ſolet in curia Calabra dicere populo, *dies te quinque calo, Iuno nouella: ſeptem te dies calo, Iuno nouella*. Auctor Varro in V de L.L. A *calare* ſunt *calator*, *calendæ*, *clarus*, & *claſſis*, de quibus ſeorſim. Item *Calabra Curia*, de quo in *Calendæ*. Ex eodem varia componuntur. Vt, *incalare*. Feſtus: *Incalanto, inuocanto. Incalationes, inuocationes.* Item, *intercalare*. Gloſſ. *Intercalo, ἐμβολίζω.* Onomaſticon. *Intercalo παρεμβάλλω.* Hinc *verſus intercalaris*, qui ſæpius intercalaretur, ac repeteretur: vt ille Ecl. VIII. *Incipe Mænalios.* Item, *intercalaris menſis*, qui Græce ἐμβόλιμος, vel ἐμβολιμαῖος. Ita dictus is, cui dies intercalabatur, quod fiebat ante V. Kal. Mart. Vide Macrobium lib. I. Sat. cap XIV. De intercalari & die & verſu ita ſcribit Seruius, Ecl. VIII. *Dicitur verſus intercalaris, qui frequenter poſt aliquanculos interponitur verſus: ſicut intercalares dies, aut menſes, vocantur, qui interponuntur, vt ratio lunæ ſoliſque conueniat.* Hæc qui legat, putare poſſit, *verſum intercalarem* dictum ad exemplum, quo dicerent, *dies intercalaris*. Sed contra eſt. Nam (vt Scaliger lib. VII de emendat. temp. ait) diei intercalationem vocarunt à *carmine ſuccentino, quod colis & strophis abſolutis iterabatur.* Iſidorus lib. VI. cap. VII. ait, *intercalares dies* dici, quia interponuntur, a *calare*, id eſt, *ponere*. Sed *calare*, eſt, καλεῖν, vti dictum.

CALASIS, dubitarunt olim, vtrùm *tunica* ſit, an *nodus tunicæ*. Quod his verbis docet Feſtus: *Calaſis* (ita & MSS[i]) *tunicæ genus, quod Græci καλάσιρις dicunt. Alij dicunt nodum eſſe tunicæ muliebris, quo conneχa circa ceruicem tunica ſubmittitur.* Καλάσιρις etiam legas apud Herodotum, lib. II. Eſtque χιτὼν πλατύσημος, item ποικίλος ἢ στρεπτὸς χιτών, vt Heſychius tradit. Videri poſſit eſſe à χαλᾶν, & σύρειν, *trahere*. Sed nomen eſt Ægyptium. Pollux, lib. VII. cap. XVI. Καλάσιρις, χιτὼν θυσανωτὸς Αἰγύπτιος, *Tunica fimbriata Ægyptia.* Suidas, Καλάσιρις, χιτὼν πλατὺς ἤτοι Αἰγύπτιος. Itidem Ariſtophanis Scholiaſtes ex Cephiſodemo docet, eſſe vocem Ægyptiam, eóque ab aliquibus reprehenſam, vt peregrinam, & barbaram. Quare vocabulum hoc habere originem Græcam nequit. Nec puto, vocem, vix Græcis cognitam, fuiſſe notam hominibus Romanis. Magis igitur placet altera ſententia, vt *calaſis* ſit *nodus* vel *laxamentum tunicæ muliebris* Nam χάλασις, *laxamentum, reſolutio*, ἀπὸ τοῦ χαλᾶν, quod eſt, *laxare*. Et inde *acalaſis*, atque ex eo *aclaſſis*. Feſtus: *Aclaſſis, tunica, ab humeris non conſuta.* Gloſſ. Philox. *Aclaſſi* (leg. *Aclaſſes*) ἐπένδυμα. Eſt autem ὤμια, ῥακὸς ἀλλόμορφος εἰς τὸ ἀμπέχεσθαι τοῦ σώματος, vt Heſychius ait Nec prætereundum videtur in MSS[is] codicibus Feſti, quæ fuere præceptoris mei Nanſij, fuiſſe *Anclaſſes*. Et puto, ſic legendum, vt ſit ab *am*, id eſt, *circum*: quippe *amictus genus*.

CALATA comitia, non ἁπλῶς ἀπὸ τοῦ καλεῖν dicuntur, ſed ab antiquo verbo *calare*, quod idem ſignificat ac καλεῖν. Agellius, lib. XV. cap. XXVII. *In libro Lælij Felicis ad Q. Mucium primo ſcriptum eſt, Labeonem ſcribere, calata comitia eſſe, quæ pro collegio pontificum habentur, aut regis aut flaminum inaugurandorum cauſâ: eorum autem alia eſſe curiata, alia centuriata. Curiata per lictorem curiatum calari, id eſt, conuocari; centuriata per cornicinem.* Theophilus ad Iuſtinianum, lib. II. tit. X. Καὶ τὸ γὰρ calatis comitiis, ἐγίνετο περὶ ὧν εἶπον, δὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ, τοῦτον τὸν τρόπον, ὁ κῆρυξ ἅπασαν συνεῖχε τὴν πόλιν συγκαλῶν, καὶ πᾶς ὁ δῆμος συνίστατο, καὶ ὁ διαθέμενος ὑπὸ μάρτυρας διετίθετο τοῦ δήμου, ὅθεν λέγεται calatis comitiis ὠνομάσθαι. Calare γάρ ἐστι, τὸ καλεῖν. Comitia δὲ ὁ σύλλογος. ἐπειδὴ οὖν συγκαλουμένου συνιόντος, ὠνομάσθη calatis comitiis. Hactenus Theophilus. Vide plura in *Comitia*.

CALATHVS, κάλαθος. Feſtus: *Calathos Græci, nos dicimus quaſillos.* Seruius ad Ecl. III *Sanè calathus Græcum eſt, nam Latinè quaſillum dicitur.* Cicero, Philipp. III. *At verò huius domi inter quaſilla appendebatur aurum.* Iſidorus, lib. XIX. cap. XXVIII. *Calathus, leue geſtamen ex ligno vel cannâ, aut ex iunco factum, in quo vel penſa ponuntur, vel leguntur flores. Κάλον enim Græcè lignum eſt, à quo deriuatum eſt calathus.* De etymo aſſentit Euſtathius, cuius hæc verba, in Il. θ. p. 726. Κᾶλα δὲ τὰ ξύλα ἐνταῦθα φασί, καὶ ἐν Ὀδυσσείᾳ ἀσφοδελοὶ ξύλοι, καὶ ὁ κάλαθος δὲ, ὃ χρῆσις παρὰ ποιηταῖς, ὃν δηλαδὴ ἀπαρτίζουσι κάλα θέντες, ἤγουν ξύλα καὶ λύγοι συμπλεκόμενοι εἰς κύκλον. Sed ab Euſtathio diſſentit Etymologus: Κάλαθος, inquit, ἀγγεῖον ἐν ᾧ τὰ ἔρια ἀποτίθεται, κάλα δὲ ἐστι τὰ βεβαμμένα ἔρια, καλλιχρώματα δὲ, καὶ ἐπὶ τὸ διαλαβεῖν τοῦ ποιεῖν καὶ φυλάττειν. ἢ παρὰ τὸ γάλα, γάλαθος, εἰς ὃν τὸ γάλα ἐντίθεται τυροῦντες. Quod Etymologus ait, κάλαθον dici, à *lanis tinctis*, quæ Græci κάλα nominant: id facilè ipſa vocis ſcriptura refellitur. Veriſimiliùs, quod ait, κάλαθον vocari, quaſi γάλαθον, à γάλα, id eſt, *lac*, quod eo aſſeruaretur. Sanè pro vaſe huiuſcemodi vſus quoque Maro, III Georg.

Quod ſurgente die mulſere, horiſque diurnis
Nocte premunt: quod iam tenebris & ſole cadente,
Sub lucem exportant calathis.

Vbi Seruius, *calathis*, exponit, *vaſis areis, in quibus lac vel recens caſeus diſtrahitur.* Similiter vſurpat Columella, lib. VII, cap. VIII. *Confeſtim, cum concreuit, liquor in fiſcellas, aut in calathos, vel formas transferendus eſt.* Nec tamen ineptè, qui cum Iſidoro & Euſtathio deducunt à κᾶλον, id eſt, *lignum*, vt propriè *calathus* ſit, in quo penſum & fuſos reponerent: γυναικεῖον ταλάρισκος, εἰς ἔρια παρεσκευασμένος, vt interpretatur Heſychius Sic vſus Maro, in ſeptimo:

——— *Non illa colo, calathiſve Mineruæ*
Femineas aſſueta manus. ———

Ac diminutiuum *calathiſcus* (quod à Græco καλαθίσκος,) ſimiliter vſurpat Catullus, de nuptiis Pelei & Thetidos:

Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgati cuſtodibant calathiſci.

Erat & *calathorum* vſus in reponendis floribus: Maro, II. Ec.

——— *tibi lilia plenis*
Ecce ferunt Nymphæ calathis. ———

Et Naſo, IV. Faſt. vbi deſcribit puellas, in campo Ennæo flores cum Proſerpina legentes:

Hæc implet lento calathos è vimine nexos:
Hæc gremium, laxos degrauat illa ſinus.

Aliam quoque apud Maronem ſignificationem habet, Ecl. V.

Vina nouum fundam calathis Arutſia nectar.

Vbi ſic Seruius; *Ordo eſt, Vina fundens calathis, id eſt, calicibus,*

quæ vina sint nostrum nectar. Eodem modo accipitur in illo Propertij lib. II. el. XV.

Ac veluti folia arentes liquere corollas,
Quæ passim calathis strata natare vides.

Et hoc Martialis lib. IX. ep. LX.

Expendit veteres calathos, & si qua fuerunt
Pocula Mentorea nobilitata manu.

Eandem significationem discimus ex Apophoretis, in quibus lemma 97. est, *Calathi*: distichon verò tale:

Nos Satyrus, nos Bacchus amat: nos ebria tigris,
Perfusos domini lambere docta pedes.

Etiam multi codd MSS[i], lib. I. epigr. LXXI. habent:

Nævia sex calathis, septem Iustina bibatur.

Vbi alij, *cyathis*. Nec hanc acceptionem nesciunt Græci. Nam Hesychius, varias huius vocis significationes recensens inter alia ait etiam notare ποτήρια, ὁ καὶ ψυκτήρ.

CALATOR, à *calare*, quod antiquum est pro *vocare*, à Græco καλεῖν. Ita dictus, non tam quod calaret eum dominus, quam quod alios calaret, domino iubente. Paullo tamen aliter Festus: *Calatores dicebantur servi, ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quod est vocare; quia semper vocari possent, ob necessitatem seruitutis.* Plautus, Rudente. Act. II. sc. III. *Estne hic Trachalio, quem conspicor, calator Pleusidippi?* Eodem modo vsus, Pseud. Act. IV. sc. II. καθ' ἐξοχὴν vero ita appellari *serui publici*; cuiusmodi quoque erant *sacrorum ministri*. Hinc Isidorus in Glossis: *calator, minister publicus*. Pluribus id probat Carrio, lib. I. Ant. Lect. cap. XIV. & lib. III. cap IV. Sed & Scaligerum ad Festum adi, in *Calatores*, item in *Curiales*, & in *Respicimus*. A *calator* & *nomen*, est *nomenclator*. De quo suo loco.

CALBEOS, vt Festus ait, *armillas dicebant, quibus triumphantes vtebantur, & quibus ob virtutem milites donabantur.* Videtur eodem pertinere, quod in Glossis Philoxeni legitur: *Calbe*. κόσμια. Vnde vir doctus coniectabat, *calba*, & *calbeus*, esse à χλωρός. Malim à calore *galbeo* id est, *viridi*. Nam Festus similiter: *Galbeum, ornamenti genus*. Fortasse & in Glossis Philoxeni pro *calba*, *calbei* scribendum. Quod idem ac *galbei*, vel *galbea*. Lucem ista capiunt ex iis quæ in *galbus* dicemus. Verum eruditissimus Salmasius ingeniosè censet, cum *calbei*, Festo teste, sint *armillæ*, *calbeos* esse à καρπός, id est, *iunctura manus*. Vnde primo *carpion*, hinc *calpion*, ac tandem *calbion* vel *calbeum* fuerit. Armillis ex lana veteres includere solent remedia quædam aduersus morbos. De quibus idem (longè sanè aliter, quam Casaubonus) intelligit istoc Suetonij, in Galba: *Alij, quòd in diuturna valetudine galbeo, id est, remediis lanâ inuolutis, assiduè vteretur.* Atque vti hic *galbeorum ex lana*, ita *galbeorum lineorum* mentio fit à Catone apud Festum in *Ruscus*.

CALCAR, à *calce*, quia *calcibus* alligetur. Ita Priscianus in IV. & Isidorus, lib. XX. cap. XVI. Vel à *calce* quidem fuerit *calco*; à *calcando* autem, *calcar*, vt ἀπὸ τοῦ κεντεῖν, κέντρον.

CALCEVS, vnde sit, non satis vidit Isidorus, lib. XIX. cap. XXXIV. *Caligarius non à callo pedum, sed à calo, id est, ligno vocatus: sine quo consui calciamenta non possunt, quod Græci καλοπόδιον dicunt. Fiebant autem prius ex salice tantum: hinc & calciamenta dicta, quod in κάλῳ, id est, in ligno, fiunt, vel quòd calcentur.* Vbi pro *caligarius* aliquis existimet legendum, *calcearius*, præsertim quia inscriptio capitis est. *de calciamentis*. Sed in MSS[ti] constanter invenio *caligarius*. Et *caligæ* sunt *calciamenti* genus, vt suo loco ostendemus. Quare nihil mutandum. Duplex autem *calcei* etymon adfert Isidorus. Vnum fit à κᾶλον, id est, *lignum*, quia fieret olim è ligno saligno: alterum à *calcando*. Prius illud non est aliis. Omnino autem *calceus* est à *calx*, quia calcem munit, contra quàm facit *solea*, quæ tantum tegat *solum* siue plantam pedis: vt in *Solea* dicimus. *Calceorum* varia genera, de quibus Pollux. lib VII. cap. XXII. Raphael Volaterranus, lib. XXVII. Philologiæ, cap. vlt. Hieronymus Magius Miscell. lib. III. cap. III. Fungerus in Etymologico, voce *Calceus*, & imprimis Benedictus Balduinus Ambianus, libro de calceo antiquo & mystico A *calceus* est *calcearium*, siue, vt in Pandectis Flor. legitur, *calciarium*. Vsus Suetonius, in Vespas. cap. VIII. & Vlpianus, l. VIII. XIV. de transact. & l. diariis, XXI. de alim. legat. Quamquam autem in Rob. Steph. Thes. legas, eo signari *calceum*, aliudue pedis munimentum: tamen Suetonij & Vlpiani verba satis indicant, eo non *calceum* vnum signari, sed quantum *calceorum* vsui satis est: quod pro personæ conditione accipi debere eadem loca indicant.

CALCITRO, *calcibus peto*. Vt apud Plinium lib. XXX. cap. XVI. *Mulas non calcitrare, cùm vinum biberint.* Vt autem à *verberando*, *verberones*, ita à *calcitrando*, *calcitrones*. Nonius: *Calcitrones, qui infestant pedibus.* Plautus, Asin. *Clamas procul, si quem vides ad se ire calcitronem.* Varro, Sesquiulyss.: *Itaque tum equum mordacem, calcitronem horridum, miles ac vir vitabat.* Corrupta hæc vox in Glossis Isidori: *Calcitio, rusticus, eo quod durè calcet. Plautus: Clamat, si quid videt ad se ire calcitionem.* Quæ ex Nonio sunt corrigenda. Dicitur & *calcitrosus*: vt *iuuencus calcitrosus*, apud Columellam, lib. II. cap. II. Onomasticon vetus, *Calcitro*, λακτίζω. *Calcitrosus*, λακτιστής.

CALCO, *calcibus premo*. *Calcatorium*. Palladio, vbi vuæ *calcantur*: vt Græcis πατητήριον, *torcular*; πατητής, *calcator vuarum*. A *calco* quoque est *culcita* de quo seorsim.

CALCVLVS, à *calce*. Ita quidem Isidorus, lib. XVI. cap. III. *Calculus est lapillus terra admistus, rotundus atque durissimus, & omni puritate leuissimus. Dictus autem calculus, quod sine molestia breuitate sui calcetur: cui contrarius est scrupus lapillus minutus & asper: qui, si inciderit in calceamentum, nocet & molestia est animo: vnde & molestiam animi dicimus scrupulum. Hinc & scrupea saxa, id est, aspera.* Isidorum sequitur Fungerus. At Becmanus ita dici innuit, quia *calces* sit *molestus*. Verùm esse ὑποκοριστικὸν à *calx*, rectè docet Festus in *Cancri*: quod mox planius faciam. Speciatim autem *calculi* vox restricta ad *calculos lusorios*. Perperam hic nouum etymon quærit Isidorus, lib. XVIII. cap LXII. *Calculi*, inquit, *quod per vias ordinales, quasi per calles, eant.* Nam pro *latrunculis*, vt *calculos*, ita etiam *calces*, dicimus. Plautus, Pœnulo, Actu IV. sc. II.

Profectò ad incitas lenonem rediget, si eas abduxerit.
Quin prius disperibit saxo, quam vnum calcem ciuerit.

Lucillius, lib. XIV. apud Priscianum, lib. VI.

Naumachiam licet hac, inquam, alueolúmque putare, &
Calces: delectes te, hilo non rectius viuas.

Calculis quoque numerabant: vnde Iuuenal. Sat. IX.

——— *ponatur calculus; adsint*
Cum tabula pueri. ———

Gloss. Philox. *Calculus*, ψῆφος. Vnde *calculator* Martiali, lib. X. epig. LXI. Glossæ Cyrillo tributæ: ψηφιστής, *calculator*. Onomasticum vetus: *Calculo*, ψηφίζομαι.

CALENDÆ, *idus*, *nonæ*, vnde appellentur cum Græculi ignorarent, ridiculam admodum fabellam sunt commenti. Aiunt, tempore Antonini Imp. cum vrbs fame laboraret, tres fuisse istos, *Calandum*, *Idum*, *Nonum*: eos vrbem totam pauisse; vnum, XVIII. alterum, VIII. tertium, diebus IV. atque eos mercedem hanc retulisse, vt à se dies cuiusque mensis appellarentur.

Auditum admissi risum teneatis amici?

Quis nescit, ante Antonium Imp. moris semper fuisse, vt Romani per Calendas, Idus, Nonas numerarent? Ne hoc quidem vel ex Ciceronis epistolis possunt nescire, qui necdum ære lauantur. Quid, quod nec satis consentanea sunt, quæ fingunt; Nam, cum semper octo sint Idus, Nonæ vel quatuor vel sex, cæteri dies à Calendis nominentur, oportuit dicere, Idum octo dies pauisse Romam; Nonum, IV. Calandum, seu Calendum, duodeviginti. Nunc dicunt, Idum quatuor, Nonum octo pauisse diebus: quasi Nonus Idi pretium interceperit. Sed Græculum ista referentem audiamus. Est is iactantissimus ille Iohannes Tzetzes, Chil. III. hist. VI. VII. VIII.

Ἐν Καλάνδαις, Νώναις τε, καὶ Εἴδοις οὕτω γράφω,
Ὥσπερ τὸ διηγηματικὸν ἡμέρας παρεισγράφω.
Ἐν χρόνοις Ἀντωνίνου γὰρ Ῥωμαίων τυραννοῦντος,
Καὶ συγκλεισθέντων ἐν αὐτῇ τῇ μεγίστῃ Ῥώμῃ,
Κινδυνευόντων τε λιμῷ πάντων ἀπαφθαρῆναι,
Οὗτοι τοὺς δήμους σίτῳ θρέψαντες τῆς Ῥώμης.
Ἡμέρας ὀκτωκαίδεκα Καλάνδος τὰς μηνὸς,
Νῶνος ἡμέρας δ' ὀκτὼ, τὰς τέσσαρας Εἴδος δέ.
Ἠύχετο Ἰουστῖνος, Πλούταρχός τε καὶ Δίων,
Καὶ Διονύσιος ὁμοῦ, γράφουσι ταῦτα πάντα.

Satis autem mirari nequeo potuisse hæc placere graui & docto scriptori Balsamoni. Eius hæc verba ad Concilium. VI. Can. LXI. Καλάνδας λέγονται αἱ πρῶται ὀκτὼ ἡμέραι τοῦ μηνὸς, νῶναι αἱ δεύτεραι, καὶ εἴδοι αἱ τρίται. Ἐκλήθησαν δὲ οὕτως ἀπό τινων τριῶν Ῥωμαίων μεγιστάνων ἀνδρῶν ἐν καιρῷ λιμοῦ τὸ ἔθνος τῶν Ῥωμαίων διαθρεψάντων. Verum de commento istoc satis, & plus satis. Nunc, quæ *Calendarum* vera sit ἐτυμολογία, videamus. De *idibus* enim, & *nonis*, suis videbimus locis. Dum autem de *calendis* agimus simul referemus, vnde *Calabra curia* vocetur. Eadem quippe origo & iisdem vtrumque veterum locis lucem capit. Macrobius, lib. I. cap. XV. *Priscis temporibus, antequam fasti à Cn. Flauio scribâ, inuitis patribus, in omnium notitiam proderentur, pontifici minori hæc prouincia delegabatur, vt nouæ lunæ primum obseruaret adspectum, visámque regi sacrificulo nuntiaret. Itaque, sacrificio à rege & minore pontifice celebrato, idem pontifex kalatâ, hoc est, vocatâ in Capitolium plebe iuxta curiam kalabram, quæ casæ Romuli proxima est, quot numero dies à kalendis ad nonas superessent pronuntiabat: & quintanas*

quidem,

quidem, dicto quinquies verbo καλῶ, septimanas repetito septies, prædicabat: verbum autem καλῶ Græcum est, hoc est, voco. & hunc diem, qui ex his diebus qui kalarentur, primus esset, placuit kalendas vocari: hinc & ipsi curiæ, ad quam vocabantur, Kalabra nomen datum est. Hactenus Macrobius. Idem cognoscere est ex Varrone lib. v de L. L. Locum adponam, prout restituit Ioseph. Scaliger: *Primi dies mensium nominati Kalendæ, ab eo, quod iis calentur eius mensis nonæ à pontificibus, quintanæ an septimanæ sint futuræ, in Capitolio, in curiâ calabrâ sic:* DIES TE QVINQVE CALO, IVNO NOVELLA. SEPTEM TE DIES CALO IVNO NOVELLA. Hæc Varro. Quædam etiam de *curiâ calabrâ* diximus in *Curia*. à *Calendis* est *calendarium*, quomodo à Scæuolâ aliisque Iurisconsultis vocatur, is codex accepti, & expensi, qui pertinebat ad pecunias in fœnore positas. Ratio nominis est, quod antiquis moris esset pecunias Kalendis credere, & vsuras exigere: vnde est, quod Plutarchus, libello de non fœnerando, ait, neomenias ac Kalendas, dies sacratissimos, à fœneratoribus reddi nefandos ac detestabiles. Ad hunc vsurariorum morem pertinet etiam Horatij locus, lib. I. Serm. Sat. III.

> *Odisti & fugis vt Drusonem debitor æris,*
> *Qui, nisi cum tristes misero venere Calendæ,*
> *Mercedem aut nummos vnde vnde extricat.*

Et ille, od. II lib. Epod.

> *Hæc vbi locutus fœnerator Alphius,*
> *Iam iam futurus rusticus,*
> *Omnem relegit Idibus pecuniam.*
> *Quærit Calendis ponere.*

Vbi Iduum eo meminit poeta, quòd fœneratorum is fuerit mos, vt quamquam Calendis vsura deberetur, tamen in Idus concederent dilationem. Quam consuetudinem ait Pythœus reperisse se a veteri Glossario annotatam ad illud Ciceronis in Catil. *Prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis idibus senties.* Quædam etiam de Calendariorum, & Iduariorum corporibus, quorum in antiqua inscriptione mentio fit, annotat idem Pythœus. Ipsum adi lib. II Subsec. cap. IV.

CALEO fuerit a Dorico καλέω, pro κηλέω, si recte id vulgaria Lexica exponunt, *comburo*. Hesychius quidem longè aliter, qui καλεῖ interpretatur, ἐλχεί, ac καλεῖ, ἐλχεῖ θεῷ. Quare malim *caleo* deducere à Dorico καλός pro κηλεός, quod Hesychius exponit, καυστικόν, θερμόν, λαμπρόν. Ignis epitheton est apud Homerum, Il. Σ & Χ. Κήλεος verò, ab Hebræo כוה, quod est, *torrere, assare, vstulare.* Vnde & Germanicum *kolen*, ac Belgicum *kolen*, id est, *carbones*. Possis & ... ab Hebræo deducere *caleo*. Et fortasse non aliunde Græcum καίω. A *caleo, calor*, vt ab *humeo, humor*. Non contra Elli apud Varronem in Andabatis sit: *Alterum appellamus a calendo calorem, alterum a feruore febrim.* Sed priorem sententiam ἀναλογία defendit: eóque nec audiendus Cæsar Scaliger, in primum de plantis, vbi *calorem* dici ait, ἀπὸ τοῦ χαλᾶν, quia *laxat* & *soluit*. A *caleo*, integrè *calidus*, & per syncopen *caldus* dicitur: vnde apud Vitruuium *calda lauatio*, apud Senecam *calda aqua*, vti & apud Iurisconsultos. Gloss. Philox. : *Calda*, θερμόν, vbi *aqua* intelligitur. Sed Augustus Cæsar, vt auctor est Quintilianus, lib. I. cap. VI. *in epistola ad C. Cæsarem scriptis emendat, quod is calidum dicere quàm caldum malit: non quia illud non sit Latinum, sed quia sit odiosum, & vt ipse Græco verbo significauit, περίεργον.* Quo loco (vt censet Scipio Gentilis, Παρέργων lib. x. cap. XII.) *odiosum* id dixit verbum, quia proximè accedit ad *callidum*: περίεργον autem, quia vnum & idem significet. & antiquius dicatur. *Calder* quoque, pro *calor* similiter legere est apud Arnobiû. Item *caldarius*, θερμάριος, prout exponitur in excerptis è vett. Gloss. col. CCCVIII. edit. H. Steph. & *caldaria*, vasis genus, apud vulgatum interpretem, I. Samuelis, cap. II. vers. XIV. *Et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam.* Pro quo & *caldarium*. Onomast. vetus: *Caldarium*, λέβης. Plurimum autem per *caldarium* intelligitur locus in balneis, testudinis instar constructus, aërem planè continens ab igni siue fumo accenso: vnde ξηρὸν θόλον vocat Alex. Aphrodis. *Caldarium* appellat Vitruuius, lib. v. cap. x. & lib. VIII. cap. II. A sicco vapore dicitur etiam *vaporarium*. Cicero, lib. III. ad Q. Fr. ep. I. *In balneariis assa in alterum apodyterij angulum promoui, propterea, quòd ita erant posita, vt eorum vaporarium, ex quo ignis erumpit, esset subiectum cubiculis.* Ac quia id esset eliciendo sudori etiam *sudatorium* vocatum. Seneca epist. LI. *Quid mihi cum istis calentibus stagnis? quid cum sudatoriis? in quæ siccus vapor corpora exhausturus includitur.* Laconicum quoque vocatum: quia de voce separatim dicemus. *Caldarium* quoque pro vasis genere sumitur. Itaque Vitruuius, lib. v. cap. x cum priùs dixisset, *Ipsa autem caldaria tepidariaque lumen habeant ab occidente hiberno:* vbi per *caldarium* & *tepidarium*, cellas balneorum intelligit: paulò post eodem capite iisdem vocibus vtitur de vasis: *Ahena*, inquit, *supra hypocaustum tria sunt componenda: vnum caldarium, alterum tepidarium, tertium frigidarium: & ita collocanda, vt ex tepidario in caldarium, quantum aquæ caldæ exierit, influat.* Caldarium *æs* dicitur: quod caldore ignis fusile fiat. Polluci lib. VII. cap. XXIV. dicitur χαλκὸς τηκτός, quia nempe ignibus liquefactum per scrobes τρέχει, hoc est, *currit*. Ei opponitur *regulare*, sic dictum, quod obsequatur malleo, usque in quamlibet partem *regatur*. Idem etiam *ductile*, ac Polluci σφυρήλατος vocatur, quia *malleis*, quos Græci σφύρας vocant, *ducitur*, hoc est, in laminas attenuatur. Plinius, lib. XXXIV. extremo cap. VIII. *Differentia, quod caldarium funditur tantum, malleis fragile; quibus regulare obsequitur, ab aliis ductile appellatum, quale omne Cyprium est.*

CALIENDRVM legas apud Arnobium, lib. VI *Fasciculæ, clauos, caliendra, fomites, salaria.* Ante eum vsus Horatius, lib. I. Sat. VIII.

> *Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum*
> *Excidere.* ———

Vbi sic vetus interpres: *Caliendrum peplum capitis, aut crinis suppositicius, seu capillamentum, aut galericulus, capitisue ornamentum. Caliendri meminit & Varro, in eo libro, qui inscribitur, Virgula diuina, dicens: Ego nunc postulo Agamemnona meum: tantis cothurnis accipit Critona caliendrum.* Ex hisce verbis liquet, olim fuisse dubitatum, vtrum *caliendrum* notet *comam* πρόσθετον, siue *appositam*: an *capitis operimentum*. Posterius amplectitur Turnebus, lib. VII. Aduers. cap. XX. Atque addit, *caliendrum* videri esse à Græco κάλυμμα. Hesych. Κάλυμμα, κόρυμβος. Similiter Suidas: Est verò κάλυμμα, eiusdem originis ac καλύπτειν, seu καλυπτήρ. Nempe ἀπὸ τοῦ καλύπτειν, quod est, *operire*. Sane ea origo vtrique conuenit notioni. Nam & *galericulus*, & *coma apposita* operit caput.

CALIGÆ triplex ἔτυμον reperio apud Isidorum, lib. XIX. cap. XXXIV. Nempe vt sit, vel à *callo pedum*, vel a *colligando*, vel à κᾶλον, id est, *lignum*. Verùm potius ex eo dicta videri queat, quod *calorem pedum foueant*. Sanè nihilo durior hæc etymologia, quam illa Isidori, à *calore* similiter *caligo* deducentis, quia calore aëris gignatur. Interea agnosco, parum mihi tam hoc, quam istud, etymon probari. Ac *caliginem* quidem à *calis*, id est, *lignis*, dici, magis verisimile est: quemadmodum suo loco comprobamus: *caliga* vero commodius deducitur a *calce*, vnde *calcia*, & τῷ μετασχηματισμῷ *caliga*, quomodo veteres scripsere: quippe qui G literam non haberent, vt ex columna Duilij constat. Vel est *caliga* à χαλάω, hoc est, *laxo*, quod χαλαρὸν, seu *laxum*, esset id calciamenti genus, vti ocreæ hodie solent. Neque enim *caliga* est id crurum tegumentum, quod vulgo sic vocant: sed σανδάλιον ὑπόδημα, *militare calciamentum*, vt vocat Dio; indéque, vt idem ait, C. Cæsar, Germanici filius, quod puer etiamnum *caligâ* in castris vteretur, *Caligula* quasi *parua caliga*, nomen reportauit. Idem docet Suetonius in vita Caij Cæs. cap. IX. *Caligulæ cognomen castrensi ioco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur.* Et Tacitus lib. I. Annal.: *Iam infans in castris genitus, in contubernio legionum eductus, quem militari vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi studia, eo tegmine pedum induebatur.* Sed, quod non satis Dio percepisse videtur, non quorumuis militum *caliga* fuit sed gregariorum; vnde Suetonius vti vidimus, manipularium. Tacitus vulgi habitum facit: quemadmodum & idem Tacitus *gregalem habitum* postea appellat: *Tanquam*, inquit, *parum ambitiosè filium gregali habitu circumferat, Caligulámque appellari velit.* Itaque, cum *caligatorum* militum mentio fit intelligendi obscuri, gregarij, seu manipularij: siue qui in armata militia nullum militare officium haberent. Venuleius lib. IX. Dig. de custod. & exhib. *Is autem qui exercitum accipit, etiam ius animaduertendi in milites caligatos habet.* Nempe *caligatos* cum exceptione ait, quia dispar ratio insigniorum. Similiter etiam locutus Quinctilianus in Declam. *Parere caligatum tribuno lex iubet.* Et paulò pòst: *commendem tibi ordinem caligati militis.* Vide Anton. Augustinum libro singulari ad Modestinum: Brissonium, lib. secundo selectarum Antiquitatum: Iustum Lipsium in Annal. lib. I. Taciti; & Ioh. Drusij Miscellan. Centur. I. cap. LXIX vbi ex B. Hieronymo, & veteri Actorum interprete, *caligas* pro *sandaliis* accipi ostendit.

CALIGO, nomen, verbumque quid & vnde sit, docere conatus Isidorus, lib. XIII. cap. X. *Caligo*, inquit, *vmbra est de spissitudine aëris effecta. Et dicta caligo, quod maximè aëris calore gignatur.* Hæc Isidorus. Sed magis placet, *caligo* esse ab antiquo *cala*, hoc est, *lignum*, propriéque de fumo dici, qui è

lignis oritur igni appositis. Hoc pacto, è Seruij sententia, *cala* voce vsus Lucillius: *Scinde puer calam, vt caleas.* Igo erit productio vocis, vt in *prurigo, vertigo.* Possis & deducere à κᾶλον, quia vniuersè de *ligno* vel *arbore* dicitur. Sunt enim nemora vmbrosa ac opaca, vnde & Græcis βαθύσκια, & πολύσκια dicuntur. Nec minus verisimilis est coniectura Martini, vt sit vel ab antiquo *calim* pro *clam*: facit enim *caligo*, vt, quæ cæteroquin cerneremus oculis, sint *clam* nobis: vel à κηλὶς, quod Hesychius δεσμωτήριον, siue *carcerem*, interpretatur. Clara satis originis caussa erit, cum *carcer* sit *obscurus*, vnde *tenebrosus* appellatur à Lucano, Seneca, Iuuenale. Aliud etiam etymon reperio, sed meo iudicio argutum magis, quam verum. Censet enim Iulius Scaliger, vt *instigo* est ab *instare* & *agere*, sic *caligo* conflatum esse ex *calare* & *agere*: nempe quia pastores, cùm aëris spissitudine ademtus esset conspectus, inter se *calare*, hoc est *vocare*, soleant, quid agerent, & vbi locorum essent. Hæc sunt eius verba, in Commentario in priorem eorum de Plantis, qui perperam Aristoteli tribuuntur: pag 99.edit. Crispin *Huius vocis, si patiuntur delicatiores, videor acutissime originem vestigasse. Primum sui ortum habuit inter pastores: quorum mutuus conspectus cum esset eiuscemodi aëris* (nebulæ puta, quam & caliginem dicimus) *ademtus spissitudine, vocibus inter se monebant, vbi essent locorum, quid agerent, quo eundum esset. Vsitatum Priscis verbum calare. Altera vocis pars est, sicut in alio verbo instigo, ab instando, & agendo, pastorum quoque soboles, certè comes.* Vide eundem Scaligerum in Theophrasti, lib. II. hist. plant. Tam diuersis sententiis addamus & coniecturam nostram. Quid si enim τὸ *caligo* dicamus esse ab ἀχλὺς, quod idem notat? Glossæ Phil. *Caligo*, ἀχλὺς, ὁμίχλη. Ita diceretur, quasi *calugo*, pro *aclugo*, quod ab ἀχλὺς, vt à *falsus*, *falsugo*, ab *albus albugo*. Μετάθεσις similis exempla sunt non pauca. vt, μορφὴ *forma*, τέρην *tener*, &c.

CALIX, vnde sit, sic docere conatus Varro, lib. IV. de L. L.: *Calix à caldo, quòd in eo calda puls apponebatur, & calidum eo bibebant.* Vbi respicit veterum morem, qui calidam aquam bibebant, eámque vino permiscebant: quo de multa veterum loca congerit Fuluius Vrsinus, appendice de Triclinio, & I. Lipsius, lib. I. Electorum, cap. IV. Sed non dubitandum, quin *calix* sit à κύλιξ, vt ait Priscianus in quincto. Festus, tam hoc quam illud, Varronis ἔτυμον adfert. Κύλιξ autem dicitur, παρὰ τὸ κυλίεσθαι, teste Athenæo. & Eustathio. Olim enim *torno calices* fieri solent. Ita scripsit Theophrastus, de terebintho tractans, ... ἐξ αὐτῆς κύλικας Θηρικλείους. Quod ipsum legas apud Plinium, lib. XVI. cap. XL. *Celebratur*, inquit, *& Thericles nomine, calices ex terebintho solitus facere torno, per quem probatur materies.* Turnebus in Aduersariis, lib. VII. cap. XIX. monet, vocalem quæ in *calix*, mutata est, permansisse in *culigna*, quod & ipsum, *vas potiorum* notat Catoni. Sed fallitur in eo vir summus, quod vtrumque à *calix* venire censet. Nam *culigna* est à κυλίχνη. Vide quæ in *Culeus* de eo dicemus. A *calix* est *caliculare*, & τὸ συγγενὲς *caliclare mensa*, cui *calices* imponuntur. Gloss. ... (scr. ...) *caliclare.* Græcum hoc est & apud Pollucem, qui interpretatur, ...

CALLAICVS color vocatur, quem vulgo dicimus *viridem marinum*, ac veteres aliter *Venetum* dixere. Gloss Cyr. Καλάϊνον, *Venetum.* Incertus de Circo scriptor. ... Vsus è Latinis Martialis, lib. XVI ep. CXXXVII.

Iungere nescisti nobis, ô stulte, lacernas,
Indueras albas, exue callaicas.

Nomen colori huic à *gallorum barba*, siue *palea*, quæ Græcè κάλλαιον, atque etiam κάλλαιος. Hesychius: Κάλλαιον, οἱ τῶν ἀλεκτρυόνων πώγωνες, ... χρῶμα ... Αἰγυπτίοις χρῶμα καλάϊνον. ... Etymologici magni scriptor: Κάλλαια ... τῶν ἀλεκτρυόνων, ... Ex his eâdem videmus, *callaicum* colorem, nunc exponi ... hoc est, *purpureum* aut *puniceum*: nunc *Venetum*, qui est purpuræ dilutioris, vt in smaragdo, qui è pallido viret. Etiam dicitur is color γαλαΐζων, pro καλαΐζων, κ in γ conuerso vt sæpe. A *callaico* hoc colore nomen habet gemma *callais*. De qua sic Plinius, lib XXXVII. cap. X. vbi gemmas literarum ordine exponit: *Callais sapphirum imitatur, candidior & litoroso mari similis.* Vbi *litorosum mare* exponit pro *alto*, illius color dilutior: huius turbidior. Videtur idem ab *callai* diuersam facere *callainam*. Nam post *callain* sequitur *capnites*, ac deinde subiungit: *Callainas* (in turbido callaino) *feruntque plures concinnatos semper inveniri.* Verba illa, *in turbido callaino*, in Dalecampiana editione neglecta: sed ad oram adiecta: pro quibus in Parmensi antiqua tantum est, *è turbido.* Videtur igitur *callais* colorem habere maris litoralis: *callaica* non planè eundem, sed è turbido. Quod discrimen & Salmasius annotauit. De *callai* Sic Solinus cap. XXIII. *In Germania continentibus callais reperitur: quam gemmam Arabicis anteponunt. vincit enim gratiâ. Arabes quidem dicunt, non alibi eam deprehendi, quam in nidis auium, quas ... vocant: quod nullius recipit, cùm apud Germaniæ populos, quamuis rara, in saxis tamen appareat. Honore & pretio ... smaragdos viret. Pallidum nihil iucundius aurum decet.* Isidorus pro *callais*, legit, *callaica*, vel saltem eandem gemmam putauit. Sic enim loquitur, lib. XVI. Orig. cap. VII. *Callaica color viridis, sed pallens, & nimis crassa: nihil iucundius aurum decet. Nascitur in India vel Germania in rupibus gelidis, oculi modo exuberans.* Vbi videmus, vt *callaicam* putarit idem ac *callain.* Plinius tamen distinguit. vt diximus. Ait Isidorus nasci in Germania. Sed in MSS. meis est *Carmania.* Atque ita legendum. Ac sæpe vox similiter corrupta à scriptoribus. Præterea ex verbis Isidori videmus, putasse eum, *callaicam* dici, vel a κάλλος, id est *pulchritudo*: vel quia deceat *callaicum aurum*: cuius meminit Martialis, lib. XIV. ep. XCV. Lemma est: *Phiala aurea calata.* Distichon tale.

Quamuis Callaico rubeam generosa metallo,
Glorior arte magis, nam meus iste labor.

Dictum autem *Callaicum aurum*, à *Callaicis*, hoc est, vt nunc loquimur, *Gallæcis*, Hispaniæ populo: vnde *Callaicum Oceanum* idem poëta dixit, lib. X. ep. XXXVII. Sed quod censet, *callaicam* dici ab *auro Callaico*, planè fallitur: Nam eiusdem est originis at *callais*, à quo non multum colore differt, vt diximus.

CALLIONYMVS, καλλιώνυμος, q. d. *pulcrinomius*, seu *pulcrinominis*, à καλὸς, & ὄνομα. Dicitur & καλλίχθυς, quod ad verbum sonat *pulchrum piscem.* Nam ἰχθὺς, *piscis.* Est autem piscis σαρκοφάγος. Eóque etiam λύκος, seu *lupus*, est vocatus, si vulgatæ Athenæi lectioni standum est, lib. VII. Nam Rondeletius λαῖος mauult legere: eò quod nullus piscis λύκος dicatur. Sed eum Casaubonus refellit auctoritate Hesychij scribentis, ἰχθὺς ὃν ... vocari λύκον. Quare arbitratur, cum λύκος diceretur ob violentiam, δι' εὐφημίας caussâ vocatum esse καλλιώνυμον, vt pontus *Euxinus*, qui ἄξενος foret. Huius piscis fel volunt medici oculorum aciem plurimum iuuare, & initia suffusionum digerere: eóque facile assentio Francisco Vallesio, cùm de sacra philosophia, cap. XLIII. suspicatur, huius piscis felle sanatum esse Tobiam, qui stercore hirundinis fuerat excæcatus.

CALLES, in Glossis exponitur, via pecorum vestigiis trita. Quomodo Liuius, lib. XXII. ait: *Nos hoc pecorum modo per æstiuos saltus & deuias calles exercitum ducimus.* Itaque *callem* dici putant, quia *callo pecorum* calcata perduratáque. Sed ... dicere malim *callo pedum*, quam ..., *callo pecorum*: quanquam sic etiam loquuntur Seruius, in IV. Æneid., & Isidorus lib. XV. cap. XVI. Item è iunioribus Turnebus. lib. III. cap IX. & XXII. Sic Græcis ..., à ..., *tero*; ..., à ..., *calco.* Est verò *callis*, *minor semita*; vt, *semita*, *via*; *via*, *actus.* Seruius, ad illud IV. G. *Conuectant calle angusto*: *Callis*, inquit, *est semita tenuior callo pecorum praedurata. Vnde & callum & callidos dicimus. Semita est semis via: vnde & semita dicta est. Via est is actus dimidius, quà potest ire vehiculum. Nam actus duo carpenta capit propter euntium & venientium vehiculorum occursum.* Sic Seruius Danielis. Sed pro *tenuior* leg *tenuior.* Deinceps etiam corrigo: *Vnde & callem ac callidos dicimus.* Nam quemadmodum vbi, quid semita sit, dixit, originem eius ex allatâ definitione eruit: ita hic quoque idem in *callis* factum puto. Quod verò Seruius ait à *callo* venire *callidus*, id verissimum est. quamquam non ... inde descendat. Nam à *callus* est *calleo*, vnde *callidus*, vt in *Callus* dicemus.

CALLISTRVTHI ficus genus. Plinius lib. XV. cap. XVIII. *Callistruthia ficus parum sapore præstantiores* (*Lydiis*) *ficorum omnium frigidissima.* Vbi rectè ex Athenæo emendat Dalecampius. *haut parum.* Capitolinus in Clodio Albino. *Quingentas ficus passarias, quas Græci callistruthia vocant, ieiunum comedisse dicunt.* Satis autè concinna est coniectura Marcelli Donati, qui in Capitolini hoc loco, pro *passarias*, legere malit *passerarias*: ita enim dici, quia gratus is cibus passeribus foret, eósque pingues redderet: atque hoc quoque Græco nomine cognosci. quod est ex κάλλιστος, *optimus*; & στρουθὸς, *passer.* Metuo nihilominus, ne fallatur. Sanè στρουθίον etiá *herba* est *genus*: item *genus mali cotonei.* Sed ficus hoc genus non ... placuit vocare: verum καλλιστρούθιον, à στρουθὸς, quod *elegantiam* notat Itaque propriè *egregia struthia* signet. Meminit & Onomastichon vetus, vbi legas, *Callistrutia*, ... Lege cum

cum Martinio, *Callistrubia*, ψυκτήρια, vel ψυκτήρια οἴνων; quod sint *vinis refrigerantes*. Quia autem non modo *callistrutima*, sed & alia à καλὸς deriuata, accepere Latini à Græcis: illud vniuerse hoc loco semel dixisse sufficiat, καλὸς esse à κάλον *pulcer*: καλὸν autem dici, non, vt aiunt, à καλεῖν, quia quod *pulcrum* est, aduocat atque allicit homines: sed potiùs ab Hebræo כליל, quod est, *absolutus, perfectus*: vt Ezech. XXVII. II. כללו יפיך, *perfecerunt pulcritudinem tuam*. Nam *pulcrum* id, in quo omnia perfecta absolutáque.

CALLVS, à *calx*, vel *calco*. Vt propriè sit durities ea, quæ eundo in *calce* pedis contrahitur. Vel durities, quæ *calcando* contrahitur in pedibus. Postea κατὰ μεταφορὰν extensa significatio ad manus, & alias corporis partes. Addit & aliam coniecturam Martinius, vt sit à *cala*, vel κᾶλον, id est, *lignum*. Ita propriè sit *lignosa cutis*, hoc est, *dura*: vt *durum* à δρῦς, id est, *lignum*. A *callo* est *callosus*, vt, *callosa dextra* apud poetam, *callosa tunica* apud Plinium. A *callus* est verbum *callere*, quod propriè est, *callum contrahere*: Sed μεταφορικῶς, à corpore ad animum transfertur. A *calleo* autem est *callidus*; vt à *caleo*, *calidus*, à *torreo*, *torridus*, &c. Propriéque *callidus* est, cuius, *tanquam manus opere, sic animus vsu concalluit*: quemadmodum ipse Cicero interpretatur, lib III. de nat. Deor. Ac similiter Donatus in Adelphis, Act. III. III. ait: *Callidus dicitur, qui callum sibi vsu artis induxerit*. Ludit non semel Plautus ambiguitate vocis *calleo*. Ita, Pers. II. V. & Pœn. III. II. cùm dicere vellet, quempiam totius rei esse intelligentissimum, ait, eum *callere* magis, quàm *callum aprugnum*, hoc est, lumbos, vel sumen apri; quod *calli* etiam nomine appellat Plinius. lib. VIII. cap. V. idque, vt censeo, ob teneram ac *callosam* duritiem. Eapse de caussa aliis quoque rebus vox *calli* tribuitur: vt illo eiusdem Plinij, lib. XV. cap. XXVIII. *Carne, palmæ placent; crusta, Thebaïca; succo, vua & cariota; callo, pyra ac mala; corpore, melimela; mora, cartilagine*. Et hoc Lucretij, lib. IV.

Propterea que feremus omnes aut corio sunt,
Aut etiam conchis, aut callo, aut cortice tecta.

Item, cùm Catius *callosa* maximè *oua* probat, apud Horatium, lib. II. sat. IV.

CALONES, & qui sint, & vnde dicantur, docet his verbis Seruius, in septimum Æn. *Calas dicebant maiores nostri fustes, quos portabant serui, sequentes dominos ad prælium: vnde etiam calones dicebantur. Nam consuetudo erat militis Romani, vt sibi arma portaret & vallum. Vallum autem dicebant calam*. Sic Lucillius: *Scinde, puer, calam, vt caleas. Id est, ò puer, frange fustem & fac focum*. Est igitur *calonum* Latina origo, vt hic Seruius vult. Sed idem, in primum Æn. *Classis*, inquit, *dicta est ἀπὸ τῶν κάλων, id est, à lignis; vnde & calones dicuntur militum, qui ligna deportant; & καλοπόδιον*. Eâdem de voce sic Festus Pompeius: *Calones, militum serui dicti, quia ligneas clauas gerebant, quas Græci κᾶλα vocant*. Nonius Marcellus Seruio assentit: *Calonum* inquit, *proprietas hæc habetur, quod ligna militibus subministrent. Κᾶλα enim Græci ligna dicunt. Is quoque qui huiusmodi telo vtitur, clauator appellatur*. Seruij quoque verba, more suo, exscripsit Isidorus, lib. XIX. cap. I. *Classis*, inquit, *dicta est à Græco vocabulo, ἀπὸ τῶν κάλων, id est, lignis, vnde & calones, naucula, quæ ligna militibus portant*. Vbi legendum, *calones, caculæ, qui* &c. Operæ autem fuerit, cùm pateat, Grammaticos veteres non conuenire, vtrum *calo* sit à *cala*, an κᾶλον; tum item, num *calonum* fuerit clauas ligneas ferre, an ligna colligere, ac foco subministrare; vt nostram de vtroque sententiam adferamus. Sanè, si *cala*, idem est quod κᾶλον, verisimile est, *calo* esse à *cala*, hoc à κᾶλον. At potius *calones* à κᾶλον deduci debet, si *cala* μοχλὸν, siue *vectem*, notat: quomodo in Lucillij loco accipit Ios. Scaliger; vel si ita vocatur ἐπίξηνον, siue ἐπίξηνον, hoc est, *mensa coquinaria*, supra quam carnes conciduntur: quam ei significationem tribuunt veteres Glossæ. Vt in quibus legere sit: *Cala* ἐπίξηνον, siue ἐπιγλωσσίς. Sed, vt *cala* etiam, pro κᾶλον, dixisse Latinos putem, facit allatus ante Lucillij locus. Quodque ad munus *calonum* attinet, censeo, iis vtrumque verè tribui: imo aliis quoque ministeriis fuisse obnoxios arbitror. Fortasse & publicis. Nam in Glossis Latino-Græcis legitur, *Calo*, δοῦλος δημόσιος. Verùm, vt hic *calator* potius legi debeat: at de priuatis ministeriis dubitari nequit. Quippe in Onomastico veteri est *calo*, ὑποδοχεύς. Et in Glossis Isidori. *Calones, galearij milites*. Ac similiter Vegetius, lib. III. cap. VI. *Ex ipsis calonibus, quos galearios vocant, idoneos ac peritos vsu legebant*. Qui *calones* sint, & vnde dicantur, ex his satis liquet. Solum refellendus nobis Festus, qui, parum sibi constans, alibi *calones*, æquè ac *calatores*, ἀπὸ τοῦ καλεῖν dici scribit. Vide eum in *procalare*. Eúmque errorem altero etiam auget Porphyrio, siue eius interpolator, in illud poëtæ: *Hunc perminxerunt calones*: vbi legas: *Calones dicuntur à calando, & hoc est, quod vocent ad ministerium: nonnulli à calendis putant, quod eâ die cibaria accipiant*. Sanè, si *calo*, à καλεῖν esset, primam haberet correptam, quam Horatius producit, secutus modulum Græci κᾶλον. Idem dictum velim de altero etymo, vt sit à *Calendis*. Sed hoc leuius, quam ei vt immorandum sit. Cæterum, apud Festum quoque legas, *Calones esse calceos ex ligno factos*. Hoc si verum est, erit & ipsum à κᾶλον, hoc est, ξύλον. Multum autem metuo, ne Paullus confuderit *calones* cum *calopodiis*. Nam καλοπόδιον, *pes ligneus*, à κᾶλον, & πούς. Horatius, Sat. III lib. II. vocat formam: *Si scalpra & formas non sutor*. Vbi Acro exponit, *calopodias*. Nempe ex more seculi, pro *calopodia*. Nam neutra fere muliebri genere efferebant: vt alibi dictum.

CALPAR, genus vasis fictilis, siue dolium, à Græco κάλπη, quod est *vrceus*, siue, vt Glossæ Cyrillo tributæ explicant, *vrna*: Hesychius similiter exponit, ὑδρία, σταμνίον, ἢ κάλπιν, *vrnam*. At σταμνίον, *vrceus, vrna*, vt est in Cyrilli Glossis. Atque hæc prima est propriáque *calparis* significatio: μετωνυμικῶς autem pro *vino* accipi solet: vt Nonius ait, validéque firmat illo Varronis, lib. I. de vita Pop. Rom. *Quod, antequam dolij nomen prolatum esset, cum id genus vasorum calpar diceretur, id vinum calpar appellatum*. Κατ' ἐξοχὴν autem *calpar* vocatum id vinum, quod libabant Vinalibus. Festus: *Calpar vinum nouum, quod ex dolio demitur sacrificij caussâ antequam gustetur. Ioui enim priùs sua vina libabant, quæ appellabant festa vinalia*. Idem tamen alteram quoque significationem agnoscit. Nam mox subdit: *Calpar genus vasis fictile*. Significationem illam à Festo adductam, tradunt & Glossæ Philoxeni, in quibus est: *Calper* (lege *Calpar*) οἶνος ὁ ἀπὸ πίθου. Item: *Calcar* (lege *Calpar*) πίθος ἀπαρχῶν οἴνου. Quemadmodum igitur in frumentis, quod sacrificij caussâ antè præmetebant, *præmessa* appellabant: sic in vinis *Calpar* vocatum, quod, antequam vina gustarent, sacrificij caussa è vase demptum, Ioui libabant: quippe id ni facerent, vinum omne in apothecis sacrum fiebat, vsibúsque humanis eripiebatur: *calpare* vero libato, hâc religione soluebantur. Mouuit id in Coniectaneis Scaliger, vbi plura hac de re; & inter alia, vinum hoc etiam dictum fuisse *inferium*, quia solùm inferretur, his verbis: *Macte hoce vino inferio esto*. Festum, quo id fiebat, Pompeio teste, *Vinalia* appellabatur, quomodo vocat Varro, lib. V. de L. L. Atheniensibus simile festum, doliorum apertione (nam πίθος, *dolium*, οἴγω, *aperio*,) πιθοιγία vocabatur: vt indicat Plutarchus, lib. III. Sympos. probl. VII. & lib. VIII. probl. X. item Proclus, & Tzetzes, ad Hesiodum in voce πίθος. Vide & quæ de *inferio vino* scribit Carrio, lib. II. Emendat. cap. III.

CALTHA, aliter χρυσάνθεμον. Eundem enim esse florem, constat ex Dioscoridis lib. IV. cap LIII. Vulgo *calendulam* appellant: quod corruptum ex *calthula*, vnde *caldula*, &, *e* inserto, *caledula*, posteaque *n* addito, *calendula*. *Chrysanthemum* dixere à colore aureo. Χρυσὸς, *aurum*; ἄνθος, *flos*. Vt & Belgis *gouds-bloem*. Sanè luteum colorem tribuit & Maro in Eclogis.

Mollia luteola pingit vaccinia caltha.

Caltha autem dicitur, non, vt aiunt, à forma, quâ *calathum*, siue *calicem* refert, sed à Græco κάλχα, quod apud Nicandrum & Hesychium. Siculi commutant θ & χ. vt ὄρνιθος, ὄρνιχος. Sic κάλχα, κάλθα, *caltha*. A *caltha* est *calthula*, genus tunicæ à colore ita dictum: vt *crocotula* à colore *croceo*. Ideo coniunxit Plautus. Audiamus Nonium: *Calthulam & Crocotulam, vtrumque à generibus florum translatum, à caltha & croco*. Plautus Epidico:

Indusiatam, patagiatam, calthulam, aut crocotulam.

A *calthula* fit *calthularius*, qui *calthulas* facit. Id se Lambinus ait reperisse in MS° Plauti codice, in Aulul. III. V. vbi vulgò *carinarij* legitur.

CALVMNIA est callida & malitiosa iuris interpretatio; vt scribit Cicero I. Off. Nonio definitur malitiosa & mendax infamatio. Philoxenus in Glossis interpretatur ἐπήρεια. Generatim autē signat vexationem, quæ fit per fraudem & frustrationem. Atque id etymon quoque confirmat. Neque enim est à καλεῖν, id est, *vocare*, neque ab Hebræo כלם, quod est, *pudefieri*, sed (quod & Beda lib. de Orthographia vidit) à *caluor*, hoc est *frustror*, aut *decipio*, nempe à supino *calutum*. Bedæ hac in parte præeunt antiquiores Grammatici, ac primo Charisius, lib. I. *Calumnia*, inquit, *prima correpta effertur, venit enim à verbo caluor, hoc est, frustror*. Sententia Charisij est, priorem in *calumnia* corripi, quia ea sit correpta in supino verbi *caluor*, vnde descendit. Id confirmare est verbis Prisciani, lib. X. *Soluo, solui; voluo, volui; caluo, calui; vnde Sallustius, in III. Histor. infinitum passiue protulit: Contra ille calui ratus. Calui, pro decipi*. Et mox: *Supinum, I in TVM conuertentia, faciunt, V necessario in vocalem redeunte, solui solutum, volui, volutum, sic debet*

debet etiam calui, calutum facere, quod tamen in vsu non inueni; & puto, Calumniam ex hoc esse deriuatum. Hactenus Priscianus. Sit & altera loci Charisiani interpretatio. Nam fortasse hoc vult, priorem in *calumnia* corripi, quia etsi prior in *caluor* positione sit longa, *A* tamen in eo, sono profertur correpto. Sic enim sæpè loquuntur veteres Grammatici. E.g. cum Festus docet, *lustrum* priori correptâ significare lamas, ac lupanaria: quod de quantitate vocalis solius, non totius syllabæ, est accipiendum: vt pluribus ostendimus in animaduersionibus Grammatici. Vocem *caluor* legere quoque est in legg. XII. Tabb. SI CALVITVR, PEDEMVE STRVIT, MANVM ENDOIACITO: vnde illud Lucillij, lib. XVII.

Si non it, capito, inquit, eum; & si caluitur, endo
Ferto manum. ———

Ita eum locum apud Nonium in *Caluitur*, emendari debere docet Carrio, lib. II. Emendat. cap. XII. His verò adde illud Plauti, Casina, Act. I. sc. III.

——— *Nam vbi domi sola sum,*
Sopor manus caluitur. ———

Pacuuium quoque Acciúmque vsos esse, ex Nonio discimus. Imò & Terentium quidam vsum existimant, Eunucho, Act. I. sc. II.

——— *Nuncubi meam*
Benignitatem sensisti in te caluier.

Quæ lectio placuit Mureto. Sed rectum est *claudier*, quod Donatus agnoscit, ac interpretatur, *claudicare*. quomodo & semel iterúmque Sallustium vsû docet. Plura hàc de eius vocis acceptione dicemus in *Claudico*. Est & alter locus Terentij, in quo magis caussam suam mihi probant. Est is Adelphis, Adelph. Act. IV. sc. III. *Propter suam impotentiam se semper credunt caluier.* Vbi quamquam in meis aliorúmque MSS[ti], ac vett. editt. etiam antiquâ meâ Taruisinâ, anni 1476. pro *caluier* inueniam *negligi*: tamen cùm Donatus ad eum locum scribat, in quibusdam codd. legi *claudere*, vel *claudicare*, ac horum neutrum satis conueniat, facile credo, pro *claudere* apud Donatum *caluier* legi debere. Quod ad vocis etymon, vel est *caluor* à καλύπτω, id est, κρύπτω, quod est, *tego*; nempe vt *caluor* sit, aliquem tectè decipio. Vel potiùs est à *caluus*, ac significat, aliquẽ *frustror* more *caluorum*, qui pugnaturi in alienos inuolant capillos: ipsi autem aliorum conatus eludunt quia nullus ijs est capillus, quo capi, aut rapi possint. Idem dicit, nisi quod ad scenam restringit, Nonius Marcellus: *Caluitur*, inquit, *dictum est, frustratur: tractum est à caluis mimis, quod sint omnibus frustratui.* Ita habet Aldina. Intelliguntur autem *frustrationes*, quas mimi dant in comœdijs. Ita *comicas frustrationes* legas apud Plautum, Mostell. sc. vltima.

Dicito ijs, quo pacto seruus tuus te ludificauerit:
Optimas frustrationes dederis in Comœdijs.

In Venetâ Philippi de Pinzis, anno CIↃ CCCC XCVI. pro *mimis* est *inimicis*. Non displicet id Marsilio, qui de vtrâque lectione fusè edisserat, ad leges XII. Tabb. Sed omnino rectum est *mimis*, provt habet Aldina. Nec in eo Marsilius tantùm fallitur: sed etiam quod *caluos inimicos* cum hostibus confundit: tum etiam in illo, quod ad *caluos mimos* refert illud dictum in Iul. Cæs. quod est apud Suetonium in Iulio, cap. LI.

——— *Mœchum caluum adducimus.*

CALVA à *caluus*, quia ossibus sit caluis, vt rectè Isidorus, lib. XI. cap. I. Cur *cranium* aliter vocetur, suo loco dicimus. *Caluariam* quoque appellari, ex Celso Plinióque constat. *Caluaria*, quasi *calua* capitis *area*. Sed in Glossis Philoxeni quoque legas, *Caluarium*, κρανίον. Ambigo, quàm rectè. Etiam piscis est *caluarium*, qui similiter à κεφαλή, *cephalaum*. Ennius apud Appuleium, Apol. I.

——— *Caluaria pinguia Atarna.*

Turnebum vide, lib. XXI. Aduers. cap. XXI. *Caluus* vnde sit, infra dicimus. Vti & vnde *nuces auellanæ* dicantur *caluæ*.

CALVVS, quasi *capillis vacuus*, si credimus Scaligero in primum Aristoteleæ Hist. de Animal. Vbi & hoc à se expositum ait in Originum libris. Nec ineptè deduxeris à κείρω, vnde ἴκαρον. Vt à λείριον, *lilium*, sic à καρῶ, *caluus*, conuerso vtrobique *R* in *L*. Καρῶ manifestè est ab Hebræo קרח, hoc est, *tondere, depilare, decaluare*. Longè tamen magis arridet, vt vel sit à φαλακρὸς *caluus*, καὶ μετάθεσιν, & ablato ρ; vel ab Hebræo קַל, quod significat tum leue, vt graui opponitur, tum leue priori porrectâ, vt contrarium est aspero: qua notione est à Græco λεῖος. A posteriori notione est קָלָה, *tersus, politus*, Ezech. I. VII. Hoc *calui* etymon firmat ipsa definitio *caluitij*, quæ est apud Aristotelem, lib. III. hist. animal. cap. XI. Ἡ τῆς κορυφῆς λειότης φαλακρότης καλεῖται. Quod Gaza vertit: *Capitis leuitatem caluitium nuncupamus.* Iul. Scalliger autem: *Verticis glabritia caluitium dicitur.* Nec prætereundum, quod Martinius addit, *caluus* videri esse à Chaldæo קְלַף, quod est, *decorticare, delibrare*. A quo & Græcum κέλυφος, *crusta*, *putamen, inuolucrum*. De proprietate vocis satis. Κατὰ μεταφορὰν autem *caluus, caluatus, caluitium*, ad alia etiam transferuntur: vt apud Columellam *caluitium loci*, in vinea, quando pampinis destituitur: & apud Catonem Pliniúmque *calua* aut *caluata vinea*, vbi raræ vites. Nux item *calua* dicitur, quæ non obducitur vndique cortice, sed summo apice nuda est. Cato de R.R. cap. VIII. *Nuces caluas, auellanas, Prænestinas & Græcas, hæc facito vti serantur.* Itaque in Glossis Philoxeni, legas: *Calua*, ποντικὸν πεφρυγμένον; hoc est, *Pontica* siue *auellana tosta*, quasi nempe tosturâ sit facta *calua*. Sed certum est *caluam* dici non à tostura, sed natura. At malè, in ijsdem, inglandibus hæc appellatio tribuitur, si vera est nostra emendatio. Nam vbi vulgò *calbaria* βαλανικὰ φαλάκρα, lubens scripserim, *Calua*, βαλανικὸν, φαλακρόν. Vt nempe gemina ponatur explicatio, quia vox Latina tum de nuce, tum de homine dicitur. Sed si vera est ea nominis ratio, quam paullo ante adducebamus, inglandibus non conuenit *caluarum* appellatio; cum vndique cortice obducantur, nec alicunde *caluitij* speciem repræsentent. Fit & *caluarum* mentio apud Plinium, lib. XV. cap. XXII. *Adijcit præterea auellanas, & caluas Prænestinas.* Sic corrigit ex Catone Turnebus, lib. XXVIII. cap. XVII. Subijcit deinde Plinius de Catone: *Quas maximè laudat, & conditas ollis in terra virides tradit.* Vnde liquet, quod dixi, natura *caluas* esse, non tostura. Iosephus Scaliger suspicatur quoque in carmine Ithyphallico legi posse: *Nucémve longam, quæ vocatur & calua.* Quamquam nec improbat, *quæ vocatur Albana*: vt nempe intelligatur Albensis, quam cum Thasia suo æuo celebratam tradit eopse capite Plinius. Sanè *Albanæ* quoque dicuntur in vett. Gloss. quæ interpretantur *nuces Prænestinas*. Adde quod *Albana* proximè accedit ad libb. vett. in quibus scriptum, *quæ vocatur alua*, vel, *quæ vocatur Alana*. In vulgaris est: *Nucémve longam, quam vocant Auellanam.* Vnde quidam collegere, *nucem longam*, & *auellanam*, esse eandem. Sed decepti sunt falsâ lectione. Quanquam neque si hæc vera sit, inde eandem esse consequitur, cum *longa nux* species *auellanæ* esse possit: quod verum est. Nam duo sunt *auellanarum* genera, vnum rotundum, alterum oblongum: quâ de re Theophrastus, & alij.

CALX, pro significatione diuersa, diuersam habet etymologiam; quippe pro *extremo pede* venit à λὰξ, hoc est, λήγων μέρος τοῦ ποδὸς, vt Eustathius exponit. Estque λὰξ, à λήξω, futuro verbi λήγω, hoc est, *desino*, quomodo πὼς, vnde *pes*, est à παύσω, futuro vocis παύω, hoc est, *cesso*, *desino*. Nisi potiùs ab Hebræo, de quo suo loco. A *calx* est *calcaneum*, quod idem notat. Item verbum *calcare*. Non contrà *calx* à *calcando*: quod putabat Fungerus. *Calcare* enim propriè est, *calce premere*, cuius composita sunt, *inculco*, *conculco*, *proculco*. A *calx* quoque est, *calcitro*, quod est, *calce peto*: item *calcar*, ac *calceus*, de quibus seorsim. *Calx* verò, qua cæmentarij vtuntur (Græci κονίαν vocant,) si Perottum audimus, ex eo nomen accepit, *quòd in ædificijs calcetur*. Nonnullis autem à *calore* ita dici videtur, quia fiat è lapide calido & adusto. Sed verisimilius est, venire ab ea notione *calcis*, qua ἀποτελεσματικῶς ex se *calculum*, hoc est, *lapillum*, format. Sanè non è conchis solum fit, de quo Dioscorides, libro V. capite XCI. sed etiam vario lapidum genere. Palladius, lib. I. cap. X. *Calcem ex albo saxo duro, vel Tiburtino, aut columbino fluuiali, coquemus, aut rubro, aut spongia, aut marmore. Postremo, quæ erit ex spisso & duro saxo, structuris conueniet: ex fistuloso verò aut molliori lapide, tectorijs adhibetur vtilius.* Vitruuium quoque vide, lib. II. cap. IV. & V. Plinius, lib XXXVI. cap. XXIII. & XXIV. Quare non dubito, quin *calx* dicatur ratione materiæ, quia fit *lapis coctus*. Nam *calx*, vt diximus, *lapis*, à χάλιξ, quod notat *lapidem*, vel *lapidum fragmenta*, è quibus *cæmentum fit*. Ita Thucydides vsus, lib. I. item Plutarchus, lib. VI. Problem. V. vbi quærit, cur putei frigidiores fiant, si in eos conijciantur οἱ χάλικες ἢ αἱ μολυβδίδες. Et sanè à χάλιξ prius fuit *calix*: vnde *calicatum*, vel *calecatum*. Festus: *Calicata ædificia, calce polita. Calicatis, calce politis.* Hoc Græcè sit κεκονιαμένοις. Ita in veteri tabula Aletri: COIRAVIT BASILICAM CALICANDAM. Item *decalicare*, vel *decalecare*. Festus: *Decalicatum, calce litum.* Sed à *calix*, καὶ συγκοπῇ *calx*. Inde est *calcarius*. Legas id apud Catonem, cap. XVI. qui in Iure, *calcis coctor*. Item *calcaria* in Digestis, qui *calcarius fornax* est Plinio, libro XVII. capite IX. Prius etiam apud Tertullianum habes, in scito istoc de carne Christi, cap. VI. *De calcaria in carbonariam.* Nec *calx* solùm est *lapis coctus*, sed & is, quem natura facit. A qua *calcis* notione venit diminutiuum *calculus*: vt in *Calculus* dictum. *Calx* verò ea acceptione per syncopen factum est à χάλιξ, quo nomine generatim *lapilli*, siue *caculi*, significantur.

ficantur, peculiariter autem *lapilli*, quos inuenire est *in aquis & maris littoribus*; vt ex Suida discimus, cui κόχλακες, sunt λίθακες ἐν τοῖς ὕδασιν: Vel erit *calx* à χάλιξ; quo, vt paullò antè diximus, significantur *camenta*, hoc est, *lapidum fragmenta*, quibus farciunt structuras. Hesychius: χάλικες, οἱ εἰς τὰς οἰκοδομὰς μικροὶ λίθοι. *Calcem* quoque pro *circi meta* dixerunt veteres. Siue pro *alba linea*, quæ non longè à carceribus ducebatur; vbi & cursus initium, & finis erat. *Calx* ea linea dicebatur vel μεταφορικῶς, quomodo & *calx*, vltima in homine est, vel potiùs μετωνυμικῶς, quia *calce* seu *creta quodam genere* linea illa designaretur. Seneca, epist. CVIII. *Hanc quam nunc in circo metam vocamus, calcem antiqui dicebant.* Sic vsus Varro Margopoli.

Nemini Fortuna currum carcere emissum intimo
Labi inoffensum per æquor candidum ad calcem sinit.

Vbi *calcem* pro *meta* accipit, idque genere virili: vnde aliquis existimet, significationem hanc potius esse a *calce humano*, quam *calce* pro *creta*. Nam *calx cæmentarij* semper generis est mulieris: at pro *humano calce* dubium est, siue generis promiscui. Verum huic sententiæ obstare videtur, quod Varro *candidum calcem* dicit: eo enim planè respexit morem illum creta notandi locum in circo, vbi cursus esset finis. Vnde in melioribus codd. Propertij sic legitur, lib. IV. eleg. II.

———*Hæc spatijs vltima creta meis.*

Plinius, lib. XXXV. cap. XVII. *Est & vilissima (creta,) qua Circum producere ad victoriæ notam, pedésque venalium trans mare aduectorum denotare instituerunt maiores.* Isidorus, lib. XVIII. cap. XXXVIII. *Septem spatia quadrigæ currunt: quibus peractis vita terminus consummatur, quorum finis est creta, id est iudicium.* Vbi libri aliqui pro *creta* habent *certa meta*. Sed perperam. Respicit enim Isidorus, quod ad *cretam* cursus finiretur, atque ibi victores pronuntiarentur. Vnde & Plinius, vt vidimus, *cretam* vocat victoriæ notam. Nempe quia post cursum soli illic consisterent, qui victores pronuntiarentur. Ita enim locum illum capiendum arbitror. Chrysostomus, oratione de Circo itidem appellat λευκὴν, hoc est, *cretam*. Pro quo λευκὴν edidere hoc est, *albam*. Sed non sumitur ea vox absolutè pro λευκῇ γραμμῇ. Rectum igitur λευκήν. Gloss. Tit. de Spectaculis: Λευκὴ, *creta*. Ac similiter Gloss. Philox. *Creta*, λευκή.

Calyptra, genus vestimenti, quo capita operiebant. Ita Festus, nisi quod per *I* perperam apud eum scriptum *calipera*. Est enim Græcum καλύπτρα, quod ἀπὸ τοῦ καλύπτειν, id est, *tegere, operire*: vnde κεφαλῆς κάλυμμα, exponit Hesychius. Esse autem tegumentum muliebre, cognoscimus ex Pollucis lib. III. capite III.

Calyx, & *calix*, vt significatione, ita origine plurimum differunt. Nam *calix*, est poculi genus, quo calidam bibebant potionem: estque à Græco κύλιξ; quâ de re plura suo loco; at *calyx*, quod & Græcè κάλυξ, est à καλύπτω, id est, *tego*, ac notat folliculum, quo primum flos, post herbarum semen, inuoluitur: item quo castaneæ, iuglandes & similes fructus proximè conteguntur. Plinius, lib. XV. cap. XXII. *Nec non & honor his* (de nucibus iuglandibus sermo est) *natura peculiaris, gemino protectis operimento, puluinari primum calyces, mox lignei putaminis.* Verum imprimis sic vocari solet, globus rosæ nondum patentis, sed adhuc conniuentis: quod, præter Hesychium, Suidam & Etymologum, etiam B. Hieronymus docet, in Esaiæ cap. XXXV. *Calyx* etiam vocatur crusta, ex gypso, vel cera malis seruandis inducta. Plinius, lib. XV. XVII. *Mala verò generosissima eâdem ratione crustant gypso vel cerâ, quæ nisi maturuerint, incremento calycem rumpunt.* Quamquam ibi vulgo *calicem* per *I* scribitur. Aliter *conuum* vocatur, quia flos nondum sit apertus, sed tantummodo conniueat. Glossæ: *Conuum*, κάλυξ ῥόδου, μύρμηξ. Vide de eo plura in *Cobium*.

Cambio, & *campso*, à κάμπτω, *flecto*. Priscianus, lib. X. *Cambio, ἀμείβομαι, ponit Charisius, & eius præteritum campsi, quod ἀπὸ τοῦ κάμψαι ἔκαμψα Græco esse videtur. Vnde & campso campsas solebant vetustissimi dicere.* Ennius in X. *Leucatem campsant.* Gloss. Isidori: *campsat, flectit.* Cambiendi verbum præter alios vsurpat Appuleius. Apol. I. Gloss. Philox. *Cacumbeat*, διαλλάσσει. Leg. *cambit*, vel *cambiat*, vt corruptè posteriores dixere. A *cambiendo* vulgo *campsorem* dicunt *argentarium*, siue *nummularium*: item hinc vulgo dictæ literæ *camby*: hoc est, *collybi*. Vide Alciatum lib. I Παρεργ. cap. XLV. Etiam *cambium* dixere humorem illum in corporibus nostris, qui proximè commutatur in glutinosam substantiam, vti proximè hæc in carnis substantiam transit. Caussa est nominis, quia in glutinosum illud, quod proximum est partium corporis alimentum, *cambitur* siue mutatur. Vtuntur Arabum interpretes: vnde Arabicum esse, sed falsò, credidit Keckermannus, in systemate Physico, lib. III. cap. XII.

Camelopardalis, καμηλοπάρδαλις. Varro, lib. IV. de L. L. *Camelus suo nomine Syriaco in Latium venit: vt Alexandria Camelopardalis nuper adducta, quòd erat figurâ, vt camelus, maculis, vt panthera.* Confirmat idem Plinius, lib. VIII. cap. XVIII. Dio, lib. XLIII. & Solinus, cap. XXXII. qui aiunt, *camelopardalim* ex eo nomen accepisse, quod sit capite *camelino*, corpore, vt *pardalis*, variegato. Similiter Isidorus, lib. XII. Orig. cap. II. Vbi *camelopardus* vocatur. Saltem scribi sic debet. Sanè & vulgatus interpres, Deuter. XIV. 5. *camelopardum*, vel iuxta alios codices, *camelopardalum*, appellat. Etiam ἐτυμολογίαν hanc stabilit hoc Horatij, lib. II. epist. I.

Diuersum panthera genus confusa camelo.

Et istoc Oppiani, lib. III de Venat.

Πάρδαλιν αἰολόνωτον, ὁμοῦ ξυνώνυτε καμήλῳ.
Pantheram tergo variam, similemque camelo.

Heliodorus quoque in X. Æthiopic. Τὸ ζῶον ἐκ τῆς ἐπικρατεστέρας τοῦ σώματος καμηλοπάρδαλις κατηγορήθη. *Animal hoc ex præcipuis corporis partibus camelopardalis nuncupatum.* Solinus addit, dictam quoque *ouem feram*, quia adspectu magis, quam feritate, sit conspicua. Sanè minimè feram esse, & Strabo testatur in XVI. Maculæ sunt *camelopardali*, non rotundæ & oculis similes, quales habet *panthera*, sed virgatæ, in que longum ductæ: quas ῥαβδωτοὺς σπίλους vocat ibidem Strabo. Est vero *camelopardalis* animal forma referens *camelum*, *pardum* autem colorum varietate: vnde nomen: quemadmodum Varro ait in IV. de L. L. non exinde, quod nascatur ex *camelo*, & *pardo*: quæ non miscentur: imo *pardus* non generat, sed ipse est hybrida.

Camelus, Græcè κάμηλος. Sed Græcis non *animal* tantum ita dicitur, verùm & *rudens*, siue *funis nauticus*; vt quidem scribunt Suidas & Camers. Ac facit pro iis Theophylactus, qui ita accipi putat à Matth. cap. XIX. cùm dicit Christus, facilius esse, κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν. Sed omnino hic *animal* intelligi debet: quomodo acceperunt Origenes, & Hieronymus, atque adeò etiam Syrus interpres. Estque prouerbialis locutio, quam apud Thalmudistas quoque obseruauit Caninius. Neque obstat sermonis absurditas. Nam ea ad emphasin facit. Quod ad vocis originem, eam duplicem ponit Isidorus, lib. XII. cap. I. *Camelis caussa nomen dedit, siue quod, quando onerantur, vt breuiores & humiles fiant, accumbant, quia Græci χαμαί* (leg. χαμαίζηλον, vel χθαμαλόν) *humile & breue dicunt: siue quia curuus est dorso: camur enim* (leg. καμπύλος) *verbo Græco curuum significat.* Sed si à *curuitate* nomen habet, videri queat potius ita dictus à *camerus*, siue *camurus*, id est, *curuus*. Attamen obstat, quod κάμηλον Græci vocent. Ergo verisimilius deduxeris, non quidem à καμπύλος, quod longius abit: sed à κάμνω, *laboro*. Est enim animal ad labores natum. Vel à κάμπτω, *flecto*, & μηρὸς, *femur*, quia genu flectat. Artemidorus lib. Onirocritic. capite V. Κάμηλος οἱονεὶ κάμμηρος, ὥς φησιν Εὔηνος ἐν Εὐνοίαις ἐρωτικοῖς. Atque hæc quidem speciosè dicerentur, nisi Syri *gemal*, Hebræi *gamal*, Chaldæi *gamla*, dicerent. Hesychius: Γαμάλ, κάμηλος παρὰ Χαλδαίοις. Varro, lib. IV. de L. L. *Camelus suo nomine Syriaco in Latium venit.* Quod si κάμηλος quoque pro *rudente* ponitur, erit ὁμώνυμον ἐκ μεταφορᾶς, non ἀπὸ τύχης. Nam vel κατὰ μεταφορὰν sic dicitur, quia rudens referat animal illud ingens ac distortum, vel per μετωνυμίαν, siue συνεκδοχὴν, materiæ pro materiato, quia olim rudentes è pilis camelorum texerentur. Vtramque hanc significationis caussam adfert quoque Erasmus, ad XIX. cap. Matth. qui tamen meritò ambigit, num ita accipi soleat, cùm neque Pollux κάμηλον nominet inter instrumenta nautica, neque veterum quemquam ita vsurpâsse constet. Etiam illud aduersatur isti homonymiæ, quod apud Aristophanis Scholiastem legere est, *funem nauticum* dici κάμιλον, vt *I* sit in secundâ syllabâ. A *camelus* est, *camelarius*, quomodo qui *camelorum* curam gerit, appellatur, l. vlt. §. Camelasia. D. de muneribus & honoribus, quibus camelorum cura mandatur. *Camelasia* ibidem est munus alendi *camelos*. Indéque *camelasium*, tributum, quod *camelasiæ* nomine pendebatur. Vtitur Ammianus, lib. XVII. Budæus credidit pro *camelasia* dici debere *camelaria*. Idem secutus Turnebus, Aduers. lib. II cap. XIII. Sed postea mutauit. Nam, lib. XXI. cap. XXVIII. docet, vt ἀπὸ τοῦ ἱππηλάτειν ἱππασία dicitur, sic καμηλασία formatum esse quasi ab καμηλάζειν. At caue ad *camelum* quicquam pertinere putes *Camelas Virgines*: de quibus sic Festus: *Camelis virginibus supplicare nupturæ solitæ erant.* Nam *Camelæ virgines* γαμήλιαι θεαί; G. & C commutantur: vt ab Hebræo *gamal*, κάμηλος. Sic Γάϊος, *Caius*; *Galbei*, *calbei*; *agitare*, *acetare*; & similia. *Camela* igitur, vel *Camelia*, ἀπὸ τοῦ γάμου.

Camena est à *canendo*, vt rectè tradunt Festus in *Camena*, Seruius in Ecl. III. & Macrobius in lib. II Som. Scip. Licet contra, *Cano* à *Camena* deducere videatur Varro, lib. v. permutato nempe *M*. Vide *Cano*.

Camera, siue *camara*, à *curuatione*, quæ Græcis καμπὴ, nomen habet: vt ait Festus. Similiter Isidorus, lib. xv. cap. VIII. *Cameræ sunt volumina introrsum respicientia, appellata a curuo. Καμπύλον enim Græcè curuum est.* At Seruius & Nonius deducunt à *camurus*, hoc est, *curuus*, *obtortus*; quomodo interpretantur illud Maronis, III. Georg.

———Et camuris hirtæ sub cornibus aures.

Est verò *camurus*, Festo teste, à καμπύλος, eiecto π, quomodo à παππας est *papa*; à δαπάνη, *damnum*; etsi & quidam olim scripsere *dampnum*. Vt differant bos *camurus*, *patulus*, & *licinus*, disco ex veterum Grammaticorum libellis, qui de verborum proprietate incumbunt. Sic enim in excerptis è Seruio legere est: *Camuri sunt boues qui conuersa introrsum cornua habent: quibus contrarij patuli, qui cornua diuersa habent, quorúmque cornua terram spectant: His contrarij licini, qui sursum versum cornua habent.* Dubitat autem Erythræus in indice Virgiliano, num *camurus* per quinctam vocalem scribi debeat, an *camurus* per secundam, quomodo in Nonij codd. legitur. Sed, seu hoc, seu illo modo scribas, non minùs falsi sunt veteres illi, cùm ab eâ voce *cameram* deduxere, quàm illi, qui à καμπύλος. Nam planè est à καμάρα, quod & ipsum, vt Latinis *camera*, *fornicem* siue *testitudinem* notat. Ideo *camera* per *A* malebat Verrius. De eo sic Charisius in primo: *Camara dicuntur, vt Verrius Flaccus affirmat, non camera per E. Sed Lucretius, —Cameraque caminis Ex cratibus, — etiam cameram dici posse ostendit.* Καμάρα autem scitè H. Stephanus dictum vult παρὰ τὸ κάμνειν τῷ βάρει. Quomodo nempe *fornicem* dici arbitrantur, quia *ferendo nitatur*. Non minùs tamen verisimilis est coniectura doctissimi Martinij: qui ab Oriente originem petit. Nam Chaldaicum est קמר, *cingere*, à quo קמור, *cingulum*, *zona*. Cinguli enim formam habent loco fornicata. Vel à Rabb. קמר, *clausit*, vnde קמיר, *arca*. Quippe *camera* locum supernè claudit. Vel ab Arabico [illegible], *luna*, *media lunati*. Huius enim formam *camera* interdum habet: de quo Philander ad Vitruuium, lib. VII. cap. III. *Camerum* quoque idem Martinius deducit à כמור, id est, *clausum*, vt quod curuatione clausum sit. Mihi de hoc Caninij, quam retuli ante, sententia minimè improbatur. Sunt & *naues*, quas Ponti ac Bospori accolæ *cameras* vocant. De ijs sic Tacitus, lib. III. Histor. *Quin & barbari contemtius vagabantur, fabricatis repentè nauibus, quas cameras vocant, artis lateribus, latâ aluo, sine vinculo æris aut ferri connexa.* Strabo quoque idem confirmat in descriptione oræ Bosporianæ: Siquidem cum Lipsio legamus: Κα[illegible] δ' αὐτοῖ (ἀκάτια) καμάραις. Nam in vulgatis additur, οἱ Ἕλληνες.

Camillus à veteribus, nunc, *puer ingenuus*, exponitur: nunc *minister, in rebus occultioribus, veluti sacris, aut nuptialibus.* Priori modo interpretatur Festus. Atque ita accipitur in istoc veteri dicto rustico: *Hiberno puluere, verno puluere, grandia farra, Camille, metes.* Sed posterior expositio est apud complures alios. Varro lib. IV. de L.L. *In Medo Ennius: Calitum Camilla, expectata aduenis, salue hospita. Camillam, qui glossemata interpretati, dixerunt administram: addi oportet, in his quæ occultiora. Igitur dicitur in nuptijs, qui cum merum fert, in quo quid sit in ministerio, plerique extrinsecus nectunt. Hinc Casmillus nominatur in Samothraces mysterijs Dius quidam administer dijs magnis. Verbum Græcum arbitror, quod apud Callimachum in poëmatis eius inueni.* Dionysius Halicar. lib. II. Ὅτι δὲ παρὰ Τυῤῥηνοῖς, καὶ ἔτι πρότερον παρὰ Πελασγοῖς ἐτελεῖτο ἐπί τε Κουρήτων καὶ Μεγάλων θεῶν ὀργιασμοῖς οἱ καλούμενοι πρὸς αὐτῶν Κάδουλοι, ταῦτα δὲ τὸν αὐτὸν τρόπον ὑπηρέτουν τοῖς ἱερεῦσιν οἱ λεγόμενοι νῦν παρὰ Ῥωμαίοις Κάμιλλοι. *Quod apud Etruscos, atque antea etiam Pelasgos in Curetum, & Magnorum Deorum mysterijs peragebant ij, qui vocabantur ab ipsis Cadoli, ea ministeria eodem modo sacerdotibus præstant, qui nunc à Romanis Camilli appellantur.* Macrobius, lib. I Saturn. cap. VIII. *Statius Tullianus, de vocabulis rerum, libro primo, ait dixisse Callimachum, Tuscos Camillum appellare Mercurium: quo vocabulo significant præministrum Deorum; vnde Virgilius ait, Metabum Camillam appellasse filiam. Dianæ scilicet præministram. Nam & Pacuuius, cum de Medea loqueretur, Calitum Camilla, exspectata aduenis; salue hospita. Romani quoque pueros & puellas nobiles & inuestes Camillos & Camillas appellant, flaminicarum & flaminum præministros.* Quæ ijsdem verbis Seruius refert in illud XI. Æn.

———Matrisque vocauit
Nomine Casmilla mutatâ parte Camillam.

Solùm ex Macrobio corrigenda verba illa: *Ait dixisse Callimachum apud Camillam appellari Mercurium.* Vbi leg. *Dixisse Callimachum, Tuscos Camillum appellare Mercurium.* Idem Seruius mox ad illud poëtæ:

Alma, tibi hanc, nemorum cultrix Latonia virgo,
Ipse pater famulam voueo.

Voueo, inquit, *consecro in tuum ministerium.* Vbi in veteri codice hæc subiunguntur: *Ministros enim & ministras impuberes Camillos & Camillas in sacris vocabant. Vnde & Mercurius Etruscâ linguâ Camillus dicitur, quasi minister Deorum.* Hæc quid Camilli nomine veteres intellexerint, non obscurè docent. Sed vnde nomen? Num à κάμνω, quod est, *laboro*. Id enim conuenit ministris. An potiùs ab Hebræo כמר, est, *camirus*, & ὑποκοριστικῶς *camillus*? Habes II. Reg. XXIII. 5. Cessare fecit כמרים, *camarim*, hoc est, *sacerdotes*, vt vertit vetus interpres. siue, vt Montanus habet, *sacrificulos*. Vatablus in notis interpretatur, *dignitate primarios sacerdotes fanorum.* Sed Iunius transtulit, *Præterea aboleuit atratos*: Sed addit, per *atratos* intelligi *sacrificulos pullis vestibus amictos*. Sanè cuncti conueniunt. Verùm de etymo assensum moratur, quod veteres non *camillum* dixere, sed *casmillum*. Hoc non tantum ex Virgilij versu liquet: sed etiam ex Varrone. Ac, ne dicas, Latinos *S* inseruisse, vt in *dusmosus*, *Casmena* & similibus: etiam Græci Κάσμιλος, vt de Callimacho idem Varro auctor est. Atque Apollonij interpres auctor est, quatuor esse Cabiros, atque addit, ὁ δὲ προστιθέμενος τέταρτος Κάσμιλος, Ἑρμῆς ἐστιν, ὡς ἱστορεῖ Διονυσόδωρος.

Caminus, κάμινος. Virgilius, Æn. III.

———Ætnam ruptis flammam exspirare caminis

Vbi Seruius, *id est, fornacibus. Græcè dixit*, ἀπὸ τοῦ καίειν. Isidorus, lib. XIX. cap. VI. *Caminus est fornax, & est Græcum, deriuatum* ἀπὸ τοῦ καύματος, *id est, à calore. Caminus* igitur vox veteribus *fornacem* notat. Quamquam & pro *hypocausto* sumitur, vel *igni*. Nos hodie sumimus pro *gula*, *quæ fumum extra tectum emittit.* At veteres istiusmodi *caminos* ignorarunt. Neque enim, vt nunc fit, in excauato pariete, sed in medio cubiculo hiberno, quod conclaue dicebatur (nam in æstiuis & exhedris non fuisse focum, colligitur ex Vitruuio, lib. VII. cap. III.) fieri solebat. Præterea *caminus* veterum non habebat exitum, vnde ijs necesse erat fumi molestias perpeti, nisi vel fenestram aperirent, qua ratione vento & frigori aditus patebat: vel, quod Cato docuit, lignis vterentur amurcâ illitis quæ res non exigui sumptus erat. Hæc Philander ad Vitruuij dictum locum pluribus docet: multisque ea testimonijs comprobat Paullus Manutius comment. in Cic. epist. X. lib. VII. ad famil. Ab Ἥλιος, id est, *sol*, & κάμινος, est *heliocaminus*: vt ad verbum sonet *solaris fornax*: Eo veteres in locis apricis vsi ad excipiendum solis calorem. Plinius, lib. II. epist. de diæta quapiam agens: *In hac heliocaminus quidam, alia xystum, alia mare, vtraque solem prospicit.*

Cammarus, celebratur Plinio, lib. XXXII. cap. vlt. Item Iuuenali Sat. V.

Sed tibi dimidio constrictus cammarus ouo
Ponitur exiguâ feralis cœna patellâ.

Et Martiali, lib. II. epigr. XLIII.

Concolor in nostra, cammare, lance rubes.

Ennio quoque, cuius versus corruptissimè leguntur apud Festum in *Narica*, restituere id vocabuli conatus Scaliger coniectaneis in Varronem. Appellatio est à Græcis, quibus dicitur κάμμαρος, κάμαρος, γάμμαρος, vel κόμμαρος. Suspicor autem κάμμαρος dici, quasi καμπύλος, ἀπὸ [illegible]; nempe vt sit à κάρα, hoc est, *κεφαλὴ*, vnde & καρὶς vocatur. Hesychius: Κομμάρεια, ὁ κάμμαρος. καρίδες, Μανιδεῖς. Glossæ Philoxeni: *Cammari*, καρίδες. De etymo καρίδος ita Etymologus: Παρὰ τὸ κάρα καρὶς· καὶ γὰρ ὅλη ἡ καρὶς σχεδὸν κεφαλή ἐστι. Vel nomen acceperit κάμαρος, ab *incuruo* & *gibbo* tergo. Nam seu κάμαρος vnico μ primò dixere, erit hoc à καμάρα, id est, *camera*, *fornix*: seu primum est κάμμαρος gemino μ; fuerit à κάμμα, inusitato verbali à κάμπτω, *flecto*, *incuruo*, vnde κάμψις, καμπτὸς, & alia. Si Plinium audimus, à *cammaro* pisce etiam *aconitum* aliter *cammoron* vocatur. Sic enim ille, lib. XXVII. cap. III. *Aconitum habet radicem modicam cammaro similem marino. Quare quidam cammaron appellauere.* Etiam Galenus in Glossis Hippocraticis: Κάμμορον τό-τε τῆς θαλάσσης καρίδι ἐοικὸς ζῶον, καὶ ἀπὸ δὲ πρὸς τοῦτο τῆς ῥίζης ἐοικότος, τὸ ἀκόνιτον. Sed non ita est. Nam nomen ex eo accepit. quia κακῷ μόρῳ, id est, *malo fato*, seu *malâ morte* hominem tollat. Hesychius: Κάμμορος, κακόμορος. Atque hoc alia quoque nomina *aconiti* indicant. quæ recenset Dioscorides, lib. IV. cap. XXVII. Ex his liquet eâdem, non *cammaron*, vt apud Plinium legitur, sed *cammoron*, vocari.

Campana, forte à καμπὴ, inserto *M*, quomodo à Syro

Sedm

Sadin est *sindon*, à *tappin* *tympanum*, &c. Κάμπτειν propriè, Hesychio teste, est *vexire* κασσὶ, *galea è pilis*. Inde dicta fuerit *campana* quia forma eius à *campana* non abluderet. Nisi potius dicendum, καμπάνην vocem extensam ad *galeam aream*: has autem loco *tintinnabuli* solitas pulsari, atque ab hac consuetudine *campana* nomen originem traxisse. Sed metuo ne, quæ hactenus diximus, plus argutiarum habeant, quam veritatis. Quippe planè puto, *campana*, addo & *nola*, vocabulum, à posteriori esse seculo, etsi res sit admodum vetus. Nam & veteres *æra*, *tintinnabula*, ἠχεῖα, χαλκεῖα, aliisque vocabulis nominarunt: qua de re Hadr. Iunius, lib. III. Animaduers. cap. II. Primus autem putatur Paullinus Nolanus episcopus, Hieronymi æqualis, in ecclesia sua ad pios vsus transtulisse: vt nempe eius pulsu qui longius abessent, ad conciones vel preces sacras conuocarentur. Atque hinc etiam factum creditur, vt a regione quidem *campana*, à ciuitate autem, *nola* nomen imponeretur. Adferam hac de re locum illustrem Vvalafridi Strabonis (qui Ludouici Pij temporibus vixit,) lib. de diuinis officijs cap. V. *De vasis fusilibus, vel etiam productilibus, quæ simpliciter signa vocantur, quia eorum sonoritate, quibusdam pulsibus excitata, significantur horæ, quibus in domo Dei statuta celebrantur officia: de his, inquam, hoc dicendum videtur, quod eorum vsus non adeo apud antiquos habitus proditur, quia nec tam multiplex apud eos conueniendi assiduitas, vt modo est, habebatur. Apud alios enim deuotio sola cogebat ad statutas horas concurrere. Alij pronuntiationibus publicis inuitabantur, & in vna solennitate proximè futuras dicebant. Apud quosdam tabulis, apud nonnullos cornibus horæ prodebantur. Vasorum autem de quibus sermo ortus est, vsum primo apud Italos affirmant inuentum. Vnde & à Campania, quæ est Italiæ prouincia, eadem vasa, maiora quidem, Campanæ dicuntur: minora vero, quæ & à sono tintinnabula vocantur, Nolas appellant, à Nola eiusdem ciuitate Campaniæ, vbi eadem vasa primò sunt commentata.* Fortasse autem aliquis etiam pertinere huc credat locum Isidori, lib. XVI. cap. XXIV. *Campana à regione Italiæ nomen accepit, vbi primum eius vsus repertus est.* Sed secus est. Nam loquitur Isidorus de *trutinâ campanâ*, quæ constat scapo notis distincto, discrimina librarum indicantibus. Indicant hoc ipsius Isidori verba, quæ continuo subdit: *Hæc duas lances non habet, sed virga est signata libris & vncijs, & vago pondere mensurata.* Glossæ Cyrillo tributæ: Καμπανὸς, *stater*. Leg. *Statera*. Putare etiam aliquis possit, *nola* vocabulum antiquius esse, quam dicebamus: quando apud Fabium, lib. IX. cap. III. legimus ænigma istoc, *In triclinio coa, in cubiculo nola*. Cælius quidem Rhodiginus, lib. IX. cap. XI. per *coam* intellexit *bibacem*, à *coâ* mensuræ genere; per *nolam* notari putat *garrulam ac sonoram*, *nolæ* seu *tintinnabuli* instar. Sed planè fallitur. Nam *coa* & *nola* voces hic à *coëundi* & *nolendi* verbis nouè sunt confictæ, planèque eo ænigmate signatur femina quæ vbi extra cubiculum foret, paratam se simularet ad coitum, seu Venerem: sed vt in cubiculo staret dictis, adduci nequaquam posset. Diximus & hoc de ænigmate, lib. IV. Orat. Instit. cap. XI.

CAMPE, pro *eruca*, à Græcis, quibus itidem κάμπη. E Latinis Columella vsus, lib. X. item lib. XI. cap. III. Sed & κάμπη dicitur *cetaceum omne & quiuis ingens piscis*, nempe quia caudam κάμπτει, id est, *flectit*. Martialis ita vsus:

Campus dinos Apollo sic marinos.

Vbi κῆτ' ἱερὸν signat *delphinum*, qui Phœbo sacer: vt ex nummis XV-virûm cognoscere est. *Marinus* autem, non *murinus*, legi debet, quod ad Manilium Scaliger obseruat. Hinc *Hippocampus*, quâ voce signantur *equi marini* vehentes currum Neptuni, ab ἵππος, & κάμπη quomodo vocabant *cetacea omnia*, & *ingentes pisces*: vnde & Epicharmus finxit καμπιλόκερως. Nempe quia caudam κάμπτουσι, hoc est, *flectunt*. Festus: *Cappas* (leg. *Campas*) *marinos equos Græci à flexione posteriorum partium appellant.* Nonius: *Hippocampi equi marini à flexu caudarum, quæ piscosa sunt.* Dicitur & *hippopotamus*, quasi *equus fluuialis*. Nam ποταμὸς, *fluuius*. Calphurnius:

———*Et equorum nomine dignum,*

Sed deforme pecus.———

Hoc animal in imo sceptro sculpebant antiqui, vt ciconiam in summo; eo significantes, improbitatem esse iustitiæ obnoxiam. Nam *hippopotamus* improbitatis est symbolum; *ciconia*, iustitiæ; cuius ratio nota ex Græco Prouerbio, ἀντιπελαργεῖν. Vsus eo symbolo in libris prælo suo excusis Ioannes Gymnicus. Pluscula eruditè de *hippocampo*, *hippocampa*, & *hippopotamo*, notauit Scaliger, in Coniect. ad IV. Varronis.

CAMPI quadruplicem reperio ἐτυμολογίαν. Prima est Varronis à *capiendo*. Sic enim is, lib. IV de L. L. *Quod primum ex agro plano fructus ceperunt, campus dictus.* Altera est Isidori, lib. XIV. cap. VIII. qui putat contractum esse ex χαμαίπους, hoc autem constari ex χαμαὶ *humi*, & πούς, *pes*, quomodo & πεδίον vocatur. Ita autem dici ait quia *breuis sit pedibus*. Tertia est Angeli Caninij in Hellenismi Alphabeto, & Cæsaris Scaligeri, Exercitat. XCIX sect. 2. Hi volunt esse a Dorico κᾶπος pro κῆπος, quomodo vocatur ὁ ἀφετήριος, καὶ ὁ ἀνθρώπων τόπος, à κάπτω significante πνέω, vt docet Hesychius, cui subscribunt Eustathius, & Etymologus. Quarta est Iosephi Scaligeri quam solam amplectimur. Is in Coniectaneis censet omnia plana, quæ poëtæ *æquora terræ* appellant, *campum* dici, ab eo, quod *circus*. Inde *hippodromus* Siculis, Hesychio teste. καμπὸς vocatur: nempe ἀπὸ τῆς καμπῆς hoc est, *equorum flexu*; vnde & *meta* ipsa, καμπτὴρ. Pollux lib. III. cap. XXX ἐκαλεῖτο δὲ ὁ καμπτὴρ, νύσσα καὶ καμπή. Satis indicat, καμπτῆρα esse *flexum metæ*, siue *decursum circa metam*: vnde & pro *meta* sumitur. Sic vsus Pacuuius apud Nonium.

Extremum intra campterem ipsum

Iam progreditur Parthenopæum.

Pro eo & καμπτὸς dixere. Glossæ: Καμπτὸς, *flexus*, *hæc meta*. Iidem Latini à κάμπτειν, dicunt *campsare*: vt Priscianus, lib. X. probat isthoc Ennij, X. Annal. *Leucatam campsant*. Isidorus in Glossis: *Campsat*, *flectit*. Est ab ἔκαμψα, *campso*, vt ab ἔγραψα, *graxo*, quo de verbo suo loco. De voce *campso* Prisciani illustrem locum vide, adductum à nobis in *cambio*. De eadem vide & Casaubonum ad Apolog. Appuleij. Κάμπτειν verò est ab Hebræo כפף, hoc est, *curuare*, *incuruare*, *flectere*. A *campo* est *campestris*, quod in Glossis Cyrilli exponitur, πεδινός. Sic dicimus loca *campestria*. Ab eodem inter tegmina est *campestre*, ita dictum, quia iuuentus nuda, & solo induta *campestri*, in campo Martio exercebatur. Vnde Horatius:

Penula solstitio, campestre niualibus auris.

Vbi Acro ait, nihil præter inguina tegere. Asconius in orat. pro Scauro: *Cato prætor iudicium, quia æstate agebatur, sine tunica exercuit, campestri sub toga cinctus; in forum quoque sic descenderat, iusque dicebat: idque repererat ex vetere consuetudine, secundum quam & Romuli ac Tatij statuæ in Capitolio, & in Rostris Camilli, fuerunt togatæ sine tunicis.* Inde *campestratus*. De vtroque ita Augustinus lib. I. contra duas Pelagianorum epistolas, cap. XVI. *Neque enim (primi homines) sibi tunicas, vt totum corpus tegerent post peccatum, sed succinctoria consuerunt: quæ nonnulli interpretes nostri minùs diligenter tegmina interpretati sunt. Quod quidem verum est; sed generale nomen est tegmen, quod indumentum & operimentum omne possit intelligi. Et ideo debuit ambiguitas euitari; vt quemadmodum Græcus perizomata posuit, quibus non teguntur nisi pudenda corporis partes, sic & Latinus aut ipsum Græcum poneret, quia & ipso iam consuetudo vtitur pro Latino, vel, sicut quidam, succinctoria; vel, sicut alij melius, campestria, nominarunt. Ex illo quippe hoc nomen est, quod pudenda iuuenis tegebant antiquo more Romano, quando nudi exercebantur in campo: vnde campestrati appellantur hodie, qui eadem membra cingendo cooperuerint.* A prisco καμπὸς etiam dicta Campania, quia πεδινὴ, siue *campestris*. A καμπὸς fit καμπανὸς, inde καμπανία. Erit fortasse, qui à Latinâ *campi* voce malit originem accersere. Sed cogitandum, veteres Pelasgos, insedisse in Italia locisque nomen imposuisse. Ita ijdem *Apuliam* dixere, quasi ἀπηλιώτην, quia *soli* esset *opposita*, ab ἥλιος quomodo vocatur ὁ τῷ ἡλίῳ ἀντίος, vt interpretatur Eustathius. Vocarunt quoque *Hetruriam*, vel (vt vulgo putatur) quasi ἑτερορίαν, ab ἕτερος ὅρος, quod extenderetur ad alteram Tiberis ripam. Vel potius (vt idem Scaliger censet) ab ὄρος, quomodo Cretensibus ὄρος, siue *mons*, appellatur. Vt Λίγυες, *Ligures*, sic Ὄβρυες, *Ebrures*, O in E conuerso, quomodo à γόνυ est *genu*, à ποδὸς *pedis*, *pes pedis*, &c. Ita *Hetruria* nomen erit ex eo, quod *montosa*; vt contra *Campania*, quia *campestris*. *Hernica*, quia *saxosa*. Festus: *Hernici dicti à saxis, quæ Marsi herna vocant.* Similiter in Græcia Phthiotidis circa Heracleam pars, quia saxosa, dicta *Trachinia*, quasi τραχεῖα, hoc est, *aspera*, quod confirmat *montes* dicti *Trachines*, quorum meminit Herodotus lib. VII. Vmbri verò in Hetruria sic vocati quasi *hybrides* siue ὕβριμοι, hoc est *spurij*, *hybrida*. Hoc enim ὕβριμον notare ostendimus in *Musmones*.

ÇAMPIDOCTOR, an *campiductor*, dici debeat ambigi possit. Pro posteriori etymo est, tum quòd per *u* scribi videamus, ac Chrysostomus quoque ad Innocentium Episcopum καμπιδουκτόρα dicat, tum quòd sciamus, Sallustium dixisse *ductare exercitum* imo & præfecti exercitum *duces* dicantur, ac posteriori etiam seculo *ducatores*, & præfecturæ ipsæ *ducatus*; quemadmodum pluribus ostendimus voce *Dux*. Mihi nihilominus prior magis placet sententia, tum quia in veteribus inscriptionibus semel iterúmque CAMPIDOCTOR legere sit (puta collectaneorum Gruter. pag LXXX. inscriptione II. & pag. DLXV. inscript. V. similitérque semper exaratum apud Vegetium:

gerium:tum quòd Glossæ vett. *παιδιδάσκαλος* interpretentur: tum quod *ἀρχαῖοι* in vocibus huiusmodi *υ* pro *ο* poni soleat vt in *armiductor*:quomodo in Glossis Cyrilli scribitur. Exponitur tamen *ὁπλοδιδάσκαλος* ;vt liqueat esset ab *armis docendis*. Itidem igitur à *docendo* sit *campiductor*. Vnde & apud Lampridium in Alexandro legimus:*Campiductores vestri hanc vos docuerunt*. Vsus hac voce & Ammianus Marcellinus,lib. xv.& xix.Vt de Iuuenalis Scholiaste & alijs taceam.

CAMVS, *κημὸς*, quomodo inter alia vocatur *εἶδος χαλινοῦ*, teste Polluce, lib.x. cap.x. item Hesychio. Vsus Xenophon de re equestri. Habes & Psal.xxxi. *Ἐν κημῷ καὶ χαλινῷ τὰς σιαγόνας αὐτῶν ἄγξαι*. Interpretatio Hieronymi est: *In camo & freno maxillas eorum constringe*. Imo & Ambrosius.lib.vi.Hexaemer. cap.iii.*Si inquit,te exacitat equi intemperantiaque delectet:& adhinnire ad feminas voluptati est: delectet in freno maxillas tuas camóque constringi*. Isidorus.lib.vlt.Orig.cap.vlt. *Camus, genus asperi freni est, quo caballi superbi coerceri solent*. Addit ibidem ita dici à *curuitate*,quia *καμὸς* Græcè notat *obliquum*. Sed nihil eo recurrere opus,quando Græci,vt vidimus,eadem ac Latini,notione *κημὸς*,ac Doricè *καμὸς*,dicunt.Quod si *κημὸς* lubet deducere à *χημὸς*,hoc est,*curuus*,non repugnem Magis interim placet,quod Martinius annotauit,venire ab Hebræis. Quippe apud Arabas in vsu remansit כמם,pro *capistrare*.Videtur autem *camus* Latinis latius patuisse,quam Græcis. Nam & accipitur pro fune,quo furciferi alligari solent furcæ.Plautus, Casina Sc. *Tace,Chaline* :

Taceo,Deos quæso, tu vt quidem hodie camum, & furcam feras.

Ita enim est in vett.libb.vbi nunc editum est,*canem & furcam feras*. Nec solus ita loquitur Plautus. Nam apud Nonium in *Collos* citatur ex Næuij Epigonis:

Quid cesso ire ad cam? item præsto est,camo collum grauem.

Vbi malim, *camo en collum grauem*. Doctissimus Mercerus emendat, *quam amo collum grauem*. Malè,meo quidem iudicio.Nam *camo* disertim est in MSS[is], & editt.antiquis.Et sententia, puto, commodior est,*collum cami onere grauari*,quam vt quis dicat,se graue collum amare.Apud Horatium quoque H. Stephanus legendum putabat:

Tune Syri, Damæ,aut Dionysi filius,audes
Deijcere è saxo ciues, aut tradere camo?

Sed de ciuibus hic sermo: *camus* autem ad seruilia supplicia pertinebat.Quare retineo *Cadmo*,qui lictor erat Horatij æuo, vt vetus interpres indicat.

CANALIS,à *χάος*,hoc est,*hiatus,rictus*,ἀπὸ τοῦ *χαίνειν*;vel à *canna*, pro quo etymo est Maronis locus, lib.iv. Georg. *Melláque arundineis inferre canalibus*. Item Isidorus, lib.xv. cap.viii. *Canalis, ab eo quod caua sit, in modum canna*. A *canalis* est *ὑποκοριστικὸν canalicula*, quo Lucillius vsus apud Nonium, & Gellius, lib.xvii. cap.xi. Onomasticon vetus: *Canalicula, σωλήνιον*. At aliud longè *canalicola* per *o* in penult. nempe *homines forenses*,qui Græcis *ἀγοραῖοι*. Festus:*Canalicola forenses, homines pauperes dicti, quod circa canales fori consisterent*. Vbi rectè pro *canales*, *canalem* numero singulo legit Scaliger. Plaut.Curcul.Act.iv.sc.i.

In foro infimo boni homines,atque dites ambulant;
In medio,propter canalem,ibi ostentatores meri.

Vsus Agellius. lib.iv. cap.xx. *Qui iurabat,cauillator quidam, & canalicola,& nimis ridicularius fuit*.In vulgaris est *canicula*:sed *canalicola* rectè legit Lipsius, quem vide, Electorum lib.ii. cap.iii.

CANCELLI, *ὑποκοριστικὸν* à *cancri*, quo eâdem in significatione vtitur Appuleius:*Inter orci cancros iam ipsos adhæsisti*. Festus: *Cancri dicebantur ab antiquis, qui nunc per diminutionem cancelli*. Sunt verò *cancri*, siue *cancelli*, septa ex rectis, obliquis,transuersis lignis contexta compactáque,ac plagulis siue foraminibus, distincta. Cassiodorus, vt mox videbimus.scitè vocat *lucidas fores & fenestratas ianuas*.Becmanus,in Etymologico, putat, id nomen esse à *discretis cancrorum pedibus*.Sed omnino est à *κιγκλὶς*,conuerso *l* in *A*,nam quod Græcis *κιγκλὶς*,id Latinis *cancelli*.Pollux lib.viii. *Αἱ μὲν ἐν τῷ δικαστηρίῳ θύραι, κιγκλίδες ἐκαλοῦντο, ἃς οἱ Ῥωμαῖοι καγκέλλους λέγουσι.* Eandem interpretationem legas apud Hesychium, Etymologum Aristophanis Scholiastem,in Equites, & Vespas. A *cancellis* est *cancellatim*,id est,ad modum cancellorum.*Cancellare*, id est, facere vt aliquid *cancellorum* similitudinem habeat. *Cancellatus*,hoc est,ad formam factus *cancellorum*. Vsi ijs Columella.Plinius,ac veterum alij.At Latinis posteriori æuo dictus *cancellarius*, per quem ad principis aures,supplicum desideria perferebantur,quem ad responsa sua princeps elegerat, ciúsque fidei consistorij secreta commissa erant, *λογοθέτης* Græcis dicebatur,vt scribit Nicetas in Man.Comneno l.xvii. Nomen Latinum ex eo, quod *cancellarius* vndique conspicuus steterit intra cancellos. Cassiodorus,lib.xi.Var.epist.ad Ioannem Cancellarium.*Respice quo nomine nuncuperis. Latere non potest, quod inter cancellos egeris. Tenes quippe lucidas fores, claustra patentia, fenestratas ianuas*. Confirmat eandem *ἐτυμολογίαν*, quod qui *cancellarij* essent, à *cancellis* esse. vel *cancellos* agere, ac *cancellorum* officium sumsisse dicerentur. Loquitur hoc modo Cassiodorus. lib.xi. de prærogat.nario, & lib.xii. epist.i Item Erricus Monachus, lib.vi. de vita Germani. Sunt tamen, qui deducant à *cancellando*, quia eius sit curare ne quod rescriptum, edictum, decretum contra ius aut Remp. impetretur: quod si præsenserit, id debeat *cancellare*, hoc est, transuersâ lineâ circumducere vel conscindere. Sic Vincentius Lupanus. lib.ii de magistratibus Francorum. Et pro eo sunt veteres Glossæ, in quibus legas: *Cancellarius est, qui habet officium, scripta, responsaque imperatoris, atque mandata inspicere, & malè scripta cancellare, & bene scripta signare*. *Cancellandi* autem vox ea notione vsurpatur in Digestis, in quibus est, *cancellare testamentum*, aut *chirographum*,quemadmodum & in ijsdem legas, *cancellatas cautiones,tabulas, chirographa*.item *pro cancellato haberi*.*Cancellarij* nomen inuenias non vno loco Codicis,item apud Cassiodorum.lib.i.epist.xxxv.& inscriptione epist.i.lib xii. Tempore Constantini Magni, nondum erat in vsu. Tunc enim dicebatur *Quæstor Palatij*, quæ appellatio sub ipso Constantino cœpit. Quæstoris verò huiusce munus originem cepit à *Quæstore principis*,siue *Augusti*,qui & *Candidatus principis* dicebatur.Sic nominatur in digestis itémque apud B.Hieronymum de vitâ S.Hilarionis: *Constantij imperatoris candidati rutilans coma*. Quemadmodum igitur *candidatus principis* in *Palatij Quæstorem*, ita hic in *Cancellarium* desijt. Etiam *cancellos*, & *cancellare*, de agris dixere. Vt apud Cassiodorum, *Tuscia cancellos*, hoc est, limitem. Et in agrimensorijs, *cancellatio agri*, pro limitatione; & *agris cancellatis*, pro delimitato.

CANCER varias admodum significationes habet. Olim etiam notabat *κιγκλίδας*,vnde & nomen, *l* in *A* conuerso:non quòd frequentia habeant foramina, qualia gignit *cancer morbus*; quam nominis caussam adferebat Perottus. De hac *cancri* significatione.vide quæ scribimus in *Cancelli*.*Cancer*,pro pisce, vnde nomen habeat, ridiculè Isidorus tradit, lib.xii. cap.vi. Vult enim dici *cancer*,quasi *concharius*, quia sit *concisa habens crura*.Sed est à *καρκῖνος* quod idem signat. Nam ferè in Latinis *R* locum mutat.Sic à *τέρην* est *tener*,à *νεῦρον neruus*,à *μορφὴ forma*,à *κέρας cornu*,à *παῦρος paruus*;pluráque eiusdem generis, quorum aliqua adducimus in *caro*.*Καρκῖνος* autem a *καρχαλέος*, *asper*.Testâ enim,& chelis,asper est. Græcam *carcini* appellationem retinuit Lucanus, lib.ix.

———*Et idem quod carcinus ardens,*
Humidus Ægoceros.———

De *cancro* sidere loqui patet.Cui hoc nomen ex eo,quia cum sol ad eius circulum, peruênit, *cancri* instar retrocedit.Quomodo & *carcini* versus, qui aliter *retrogradi*. Morbo quoque *cancri* nomen impositum,idque Græcorum imitatione,qui similiter vocant *καρκίνον*, ac, quod vsitatius,*καρκίνωμα* quo ipso etiam vtuntur Latini. *Cancer* autem dici putatur, quia cancri instar serpat:vnde Ouidius,ii.Met fab.xii.

Vtque malum latè solet immedicabile cancer
Serpere,& illæsas vitiatis addere partes.

Aëtius ex Archigene & Leonida tradit, *καρκῖνον* dici, quia sicut *cancri* animalia sunt aspera, ac, si quid acetabulis siue brachijs, apprehenderint, haud facilè dimittant; ita hic morbus quoque, vbi semel radices egerit, malignus fit, & proteruus, quémque blanda manuum tractatio efferet magis, quam mitiget. Nonnulli etiam inde nominis caussam arcessunt, quòd *cancri* tumor ipsum, vt aiunt, cancri corpus referat, venæ autem tumidæ eiusdem pedes repræsentent.

CANDELA erat funiculus pice illitus,aut cera vestitus.Posteàque etiam ex papyro fecere. quam cera circumdabant: vt videre est ex Seruio,in i.Æn.vbi de funalibus agit.Idem videre est, ex Donato,in Andriam,cum ait:*Funus à funalibus dictum est, id est, vncis vel cuneis candelabrorum, quibus delibuti funes pice vel cera infiguntur*. Nam si *candela* erat, quod *candelabro* infigebatur, funales illi, *candela* rectè dicuntur. Ex scirpis etiam fiebant.Plinius,lib.xvii.cap.xxxvii *E quibus detracto cortice,candela luminibus & funeribus seruiunt*. *Candela* dicitur à *candeo*, cuius de vocis triplici significatione diximus in *Candidus*. Simile planè est à *suadeo*,*suadela*;à *loquor*, *loquela*; à *queror*,*querela*. Sic enim vnico *L* scribere iubet *ἀναλογία*; quanquam in vett. codd. ac monumentis, non raro *querella* legere sit; vt etiam obseruauit Pierius ad iv. Æn. Quin & à *fugio*, similiter dixere *fugela*, vnde *confugela*, Festo teste, pro *confugio*. Ac putat vir eruditus, eopse modo à *turba* dici *turbela*; cóque apud Plautum, Bacch.iv.9. legit: *Tantas turbelas*

lar facio. Nam [illegible] *turbella* non videtur hîc habere locum. A *candela*, & [illegible], *candelabrum* factum esse putat Fungerus: quod ridiculum planè. Aliam quoque apponit [illegible], vt sit è *candela*, & *labrum*. Sed vetus is error, vt viri haut illiterati, decepti vocis productione, aliquid esse compositum credant, quod deriuatum est, ac simplex. Ita *testamentum* quidam putarunt dici, quasi *testationem mentis*; & *sacellum*, quasi *sacram cellam*: quem errorem meritò refutatum it Agellius. Est verò *candelabrum*, vt rectè scripsit Varro. IV. de L. L. & Festus, lib. III. à *candela*, quæ in eo constituitur. Quod etiam cognoscitur ex Donati verbis superius adlatis. Ac simile derivatum est *delubrum*. Nam vt *candelabrum*, in quo defigitur *candela*: sic *delubrum*, in quo collocatur *deus*. Hanc & *delubri*, & *candelabri*, etymologiam attulit Varro, lib. VIII rerum diuinarum: quemadmodum cognoscimus ex Macrobij lib. III. Saturn. cap. IV. Atque hinc liquet, *candelabrum*, & *lucernam* (quæ Beroaldus confundit, ad II. Met. Appuleij,) meritò distingui a Paullo lib. III. D. de supell. leg.

CANDIDVS. vt ad III. Georg. indicat Seruius, eo differt ab *albo*, quòd splendorem addat; vndè & niuem recentem, argentum politum, aliàque huiuscemodi, propriè *candida* vocamus. Isidorus mirificam adfert etymologiam, lib. X. *Candidus*, inquit, *quasi candor datus. Situato enim accedit candor. Nam album vocari natura est.* Et sanè Fronto quoque scripserat: *Album naturâ, candidum curâ fit.* Atqui nix *candida* est naturâ; non curâ, ac studio. Est verò *candidus*, à *candeo*, vt à *luceo lucidus*, à *caleo calidus*, &c. *Candere*, vt Iulius Scaliger scribit, Exercit. CCCXXV. mem. XI. venit à [illegible], id est, *irare*, idque ob effectum. quia candida visum dissipant ac confundunt. D insertum, quomodo à [illegible], siue Æolico [illegible], est *tondere*, à [illegible], *medulla*, &c. Sed sanè quam longe hoc petitum, vt *candidis iratus* dederit nomen. Verisimilius Petrus Nunnesius in Grammatistice arbitratur, *candeo*, vel *cando*, vel *candidus*, esse à [illegible], quod valet [illegible], teste Hesycho; [illegible] abeat in C, vt à [illegible], *scintilla*, à [illegible], *coquo*. Vel dicamus, *candeo*, esse ab Græco [illegible], siue [illegible], id est, *vro*. Magna enim est affinitas vocum inter [illegible], & *candentia*. Significatio autem eadem. Vel sit *candeo* ab *cando*, hoc ab Hebræo קדח, *cadah*, quod est, *incendere*. N insertum: quomodo ab Hebræo *Sadon*, est *sindon*; à *sepiel simpulum*; à [illegible], *camphora*, &c. Sanè eadem significatio Hebræi *cadah*, & Latini *cando*. Sic enim veteres dixere. Indéque composita *accendo*, & *incendo*. *Cando* igitur actiuum: inde autem *candeo*. quod neutrum, ac vel *igniuum* esse significat, vndè, *ferrum*, aut *carbo*, *candens* dicitur: vel esse *nitenti albore præditum*, vnde Maro, *Vacca candentis*: Tertullianus, de pallio, cap. I. *Si tunica non canduerit*; scilicet ob cretam: aut simpliciter *splendere*; vt, cum Horatius, II. Serm. Sat. VI. ait:

——Rubro vbi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos.

Quo loco *candere* dicit, quod *coccinum* erat, siue, vt idem mox loquitur, *purpureum*: quemadmodum & contrà, *purpureum* nonnunquam appellatur, quod *candidum* est: vt, cum Horatius *olores* vocat *purpureos*, aut Pedo Albinouanus *niuem purpuream* appellat: quo de in Oratoriis Instit. abunde diximus. A *candeo* est *candico*, vt à *fodio fodico*. Appuleius, libro V. Met. *Per humeros volatilis Dei pinnæ roscida micanti flore candicant.* Primo quoque Floridorum rectè legere est in quibusdam codd. *Ebore candicat*: non *candidat*, prout est in Aldina. A *candidus* est *candidatus*; vt à *magister*, *magistratus*. Nihil iis, qui litteraturam gustarunt, notius est, quàm Romanos vulgò togis albis vti solere: sed cùm magistratum peterent, solitos addere cretam, vt splenderet; indéque dictos *candidatos*. Quod si cui nihilo minus hic aqua hæret, adeat I. Lipsium, lib. I. Elect. cap. XIII. Inter *candidatos* hosce interdum erant amici Cæsaris, quos ipse populo commendabat: quod Augustum fecisse narrat Suetonius. Tales fauore principis subnixi non magnopere supplicabant: vnde iocus ille, *Petit, tanquam Cæsaris candidatus*, quo Quinctilianus, lib. VI. de risu agens, Galbam vsum ait; sed ita, vt, ludens ambiguitate vocis *petere*, de eo vsurparit, qui in lusu negligenter petebat pilam. Sed & *candidatus principis*, siue *Augusti*, dicebatur, per quem Cæsaris orationes in Senatu recitabantur qualis tépore Constantini, *Quæstor palatij* vocabatur: ac postremo tempore dictus *Cancellarius*, sed appellatione nimis tenui pro tanti honoris maiestate: quéadmodum patebit ex iis, quæ de hisce appellationibus dicimus voce *Cancelli*.

CANENTAS Festus exponit *capitis ornamenta*. Fortasse à [illegible], quæ in capite portabant *canephoræ*: vt Ouidij loco in *Canephora* adducto liquet. Nisi placet *carentas* legi, à [illegible], *caput*. Sed *canentas* etiam est in MSS[to].

CANEPHORÆ, [illegible], quasi [illegible]. Erant virgines primariæ, quæ in Panathenæis aliisque festis *canistra ferebant* Pallad. vt Harpocration tradit in [illegible]. Festus: *Canephora mulier appellatur, quæ fert canum, id est, quasi lumi, quod est vitis genus.* Quam *mulierem* vocat, virgo erat. Vnde *puella* dicitur Ouidio, lib. II. Met.

Illa forte die casta de more puellæ
Vertice supposito festas in Palladis arces
Pura coronatis portabant sacra canistris.

Plura si volet, adi summi viri, Ioannis Meursij, eruditum, vt omnia eius [illegible], quod Panathenæa inscripsit, ac Clarissimi Iani Gruteri, meóque, qui eius erga nos amor, nomini dicauit.

CANI (quomodo [illegible] dicimus, respiciendo ad capillos) nonnullis primas literas retinuisse videtur ex *candidus*, & *niger*, vnde sit conflatum. Hoc legerat Isidorus, cum lib. XII. cap. I. ait: *Canus dictus, quia ex candido colore & nigro est.* Sed omnino seu singulo *canus*, seu pluratiuo numero *cani* dicas, simplex est, non compositum. Nec *canus* est à *candidus*, sed contra à *canus* est *caneo*, vnde *candeo*, à quo *candidus*. *Canus* autem est à [illegible], *vro*, quia ignis lucem parit, quæ *candida* à poëtis vocatur: vel potiùs [illegible], quod Hesychius exponit, [illegible].

CANICÆ veteribus dictæ furfures, vt Nonius interpretatur, qui & Lucilium eo vsum comprobat. Originem indicat Festus: *Canica*, inquit, *furfures de farre, a cibo canum vocata.* Hinc *canicaceum* pro *furfuraceo*. Paccuuius: *Quis apud te quasi sermo est canicaceum panem.* Citat Festus.

CANIS geminam [illegible] ponit Varro, IV. de L. L. Vult enim esse vel a *catus*, hoc est, *acutus*, *sagax*: vel à *canere*, quòd instar cornu, qui cornus aut tubæ cantu signum dant, *canis* quoque voce velut signo, homines commonefaciat. Locus Varronis est corruptus, de quo hoc minus laboramus, quòd neutrum etymon sit verum. Nam cùm Græcè dicatur [illegible], omnino est à genitiuo [illegible], v in a conuerso, quomodo à [illegible] fit *calix*. [illegible] verò, iuxta Etymologum sic dicitur, [illegible], quia est animal [illegible]. Quanquam & alias originationes adferat; sed duriores: quas idcirco apud ipsum legi malim. Cur *prafectos custodia*, Latini *canes*, Græci [illegible], dixerint, satis ex eo liquet, quod *canum* proprium videatur custodire domi. Diximus de eo Institut Orat. lib. IV. cap. VI. Nec minus aperta est tralatio, cum *canis* pro litigiosa femina, aut parasito, vsurpatur. Neque obscura ratio, cur in aleæ ludo *canem* vocarint iactum infelicissimum: vnde *damnosos canes* Ouidius, *damnosam caniculam* Persius, appellat. Nam inde est, quod instar *canis* morderet eum, qui lusisset. Sed cur & sidus cæleste [illegible] vel *canicula*; ob æstum eius sideris, vt arbitror. Sed plenius hæc exponamus. [illegible] nomen est sideris cælestis, quod alias [illegible] appellatur: Latinis vocatur *Canicula*; quæ triginta fere diebus post solstitium oritur, vt tradit Columella, lib. X. Ab hoc sidere nomen impositum est *diebus canicularibus*: quod vulgo putaretur, caussam intensi caloris esse à *Canicula*: cùm tis reuerâ non sit à *Canicula*, sed à *Leonis signo*, quod Sol tum peragit. Vulgarem opinionem fusè refutatum it Geminus in Isagoge sua [illegible]. A *Canicula* diuersus est [illegible], q. d. *Præcanis*, siue, vt Cicero transfert, *Antecanis*, vel *Anticanis*. Sic enim ille in Arateis:

——Et hic geminis est ille sub ipsis
Antecanis, Graio [illegible] qui nomine fertur.

Minusculum canem vocat Vitruuius, ad discrimen alterius, qui & Arato [illegible], ac Hygino, *maior canis* dicitur. Et sanè *Procyoni* potiùs *Canicula* nomen competebat, quàm *Sirio*, cum *Sirius* sit stellarum omnium fulgentissima, vnde & factum putatur, quod nomen suum Soli ipsi interdum commodet; quemadmodum Suidas testatur & paret illo Maronis, IV. G.

Iam rapidus torrens sitientes Sirius Indos
Ardebat cælo.——

Sed hâc de re iudicium nostrum suó loco adferemus. Sunt autem qui Plinium reprehendant, quòd putarit, Latinos carere vocabulo, quo [illegible] appellent; quia, vt aiunt, *Antecanem* Latinis dici ex Cicerone paret. Verba Plinij sunt lib. XVIII. cap. XXVIII. *Procyon apud Romanos non habet nomen, nisi caniculam hanc velimus intelligi hoc est, minorem canem; sanè vt in astris pingitur.* Sed rectè Plinius, quia loquitur de vocabulo recepto, quale minimè erat *Anticanis*, quod nouè erat à Cicerone confictum. Nec rectè culpant alij, quòd ambigat, num *Procyon* sit *Canicula*. Neque enim ignorare potuit, [illegible] sic vulgò appellari: sed rem ipsam spectauit non dubium autem, quin, cum *Procyon* longè sit minor *Sirio*; illi potiùs, quam huic nomen *Canicula* conueniat.

CANISTRVM, siue, vt Palladius vocat, *canister*, cuiusmodi fuerit vasis genus, satis paret ex illo Maronis, I. Æn.

Dant famuli manibus limfas, Cererémque canistris
Expediunt, tonsísque ferunt mantilia villis.

Et alibi:

Vt cera testa ferunt taurorum, onerántque canistris.

De etymo sic Isidorus, lib. xx. cap. ix. *Canistrum fissis cannis contexitur, vnde & nuncupatur. Alij Græcum asserunt.* Posterius verum est. Vidit hoc Varro, lib. iv. de L.L. *Tryblia & canistra, quæ putant esse Latina, sunt Græca; τρύβλιον, καὶ κάνεον, Græca sunt.* Pluratiuus est κάνεια, & contractè κανᾶ: vnde sic Festus. *Cana dicunt Græci, nos canistra, & per deminutionem canistella.* Sanè κάνεον hâc significatione crebrum apud Homerum: vti κανοῦν apud eos, qui prosâ scripsere: indéque puellæ κανηφόροι, quæ, vt Suidas tradit, Mineruæ *ferrent canistra*, in quibus erant, quæ ad sacra Panathæorum aliásque pompas pertinerent. Vide de iis Pausaniam in Atticis. & quæ diximus in *Canephori*. Sed cum Græci pro κανοῦν etiam dicant, κάναστρον, quemadmodum docent Pollux, & Hesychius: non dubitandum quin *canistrum* potiùs sit à κάναστρον, α in ι mutato, quomodo à ῥυκάνη est *runcina*; à πατάνη, *patina*; à βατίνιον, *batillum*, &c. Recentiores Latini *canistulum* dixere pro atramentario: nempe ex κανοῦν, non quatenus strictè sic dicitur, quod è vimine contexitur, sed generali illa acceptione, quomodo in Glossis κανοῦν exponitur τρύβλιον, μαγίς.

Cannabis, Gr. κάνναβις, vel κάνναβος, vnde & Belgicum *hennep*, quasi *kannab*. Herba est funibus faciendis idonea, à lino & tenuitate & candore distans. Est verò κάνναβις à κάννα, quâ de voce abunde dictum in *canna*. Ac quia, vt ibi dicebamus, κάνα quoque pro κάννα dixit Pollux, nil mirum, quòd apud eundem Pollucem etiam κάναβις legimus simplici *N*.

Cannam cum *arundine & calamo* vulgò confundunt. Atqui *canna*, vt calamo maior, sic arundine minor est: vnde Columella, lib. iv. cap. xxxii. *Ea est arundineti senectus, cùm vel exaruit situ, & inertiâ, plurium annorum, vel ita densatum est, vt gracilis & cannæ similis arundo prodeat.* Vide de hoc plura apud Bernartium, in primum Siluarum Papinij. Est verò à Græco κάννα; quod Hesychius, Eustathius, & Aristophanis interpres, exponunt, ψίαθος. Latinè significat, *tegetem, stoream*, seu *mattam*. Sic enim vocat Ouidius, vi. Fast.

——*Plaustróque morantes*
Sustulit: in plaustro scirpea matta fuit.

Vnde sine dubio Germano-Belgæ dicunt *matte*, vt & Angli: Galli autem *nate*. Non tamen ψίαθος propriè, sed μετωνυμικῶς, *tegetem* seu *mattam* notat. Propriè enim notat plantam, vnde tegetes confici solent: quomodo & vocem ψίαθος accipi ex Hesychio constat. Κάννα verò paret esse à קנה, quod *calamum* seu *cannam* significat. Atque id firmare videtur Pollucis sententiam, qui vno in loco κάνα scribit simplici *N*. Porrò ab eâpse Hebræâ voce (vt suo loco dicemus) fortean est Latinum *canere*, quia cannâ seu calamo canere soleant antiqui, vt ex bucolicis scriptoribus notum. Ab eodem quoque *canon* videtur esse; de quo seorsim.

Cano à *Camena* videtur deducere Varro, lib. v. permutato nempe *M*. Ita apud Varronem scribi debet, vbi vulgò *permutato N*. Sed contrà *Camena* est à *canendo*, vt rectè tradunt Festus in *Camena*, Seruius in Ecl. iii. & Macrobius in lib. ii. Somn. Scip. Iulius Scaliger, libb. de caussis L. L. cap. iii. vti & Petrus Nunnesius in Grammatistice, arbitrantur *cano* esse ἀπὸ τοῦ χαίνειν, id est, *hiare*, nempe ab Æolico aoristo κάνον, pro ἔχανον, quia Æoles, & augmentum omittunt, & aspirationem fugiunt, vt rem barbaram. Sed immane quantum differunt *hiatus*, & *cantus*. Quare potiùs audio Angelum Caninium, qui ab Hebræis ac Pœnis esse censet. Nam linguæ Hebrææ gnari vident id vel κατὰ μετάθεσιν factum ex נגן, quod est, *canere instrumento musico*, vnde Psalm. lxi. על נגינת, *super Neginath*, hoc est, *organum*, vt transfert Hieronymus. Vel, si hæc literarum traiectio displicet, à קנה, quod est, *calamus*, siue *canna*, qua agricolas canere solitos, constat ex scriptoribus Bucolicis. A *canendo*, mimus *cantor*, & *cantator*, in ludis scenicis dicebantur, Horat.

——*Donec cantor, vos plaudite, dicat.*

Hinc *cantica* mimorum, quæ ferè maledicæ erant procacitatis: vnde accipitur pro canticis probrosis. Appuleius in Apolog. *Ianua canticis propulsata, fenestra canticis perstrepita*, &c. Vide quæ diximus in *Dicterium*. A *cano* est frequentatiuum *canto*; quod speciatim de magicis carminibus dicitur: vt apud Maronem. viii. Ecl.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Vnde *incantare*, & *excantare*, pro magicis carminibus obligare. Nempe vti Græcis ἐπᾴδειν, vnde ἐπῳδὴ, *incantatio*. Seruium vide ad locum Maronis adductum. A *canto* quoque est *occento*: in quo verbo est *cantici* significatio, quæ probrosis canticis competere dicebamus; de quo sic Festus: *Occentassint antiqui dicebant, quod nunc conuicium fecerint dicimus, quòd id clarè & cum quodam canore fit, vt procul exaudiri possit; quod turpe habetur, quia non sine caussa fieri putatur.* Hæc Festus. Vsus eius in Leg. xii. Tabb. SIQVIS CARMEN OCCENTASSIT, QVOD ALTERI FLAGITIVM FAXIT, CAPITAL ESTO. Dicitur pro eodem *flagitare*, & *pipulo poscere*: de quibus suo loco. Item hinc *incento*, vnde *incentor*, qui incinit, non ab *incendendo*, quod putabat Isidorus in x. nempe quia *incinendo* incendit animos. Sed ab *incenso* est *incensor*: ab *incento*, *incentor*; vti & *incentio*, ἐπαοιδή; item *incentiuus*, ἐπικελευστικός, vt Onomasticum interpretatur. Ex *incentiuum*, cantus præludium: vett. Gloss. ἐνδόσιμον exponunt. Καταχρηστικῶς *incentiuum lauatis* dixit Arnobius, lib. iv. *incentiuum peccaminis*, Prudentius, in ἁμαρτιγενείᾳ. Hoc est, *incitamentum*. Nam cantu tubarum incitantur ad prælium milites. A *cano* etiam est *liticen*, qui lituo canit, vt ait Cæsellius Vindex, apud Agellium, lib. xx. cap. ii. item Nonius in *siticines*. Súntque similia *lyricen, cornicen, fidicen, tibicen*; quod postremum præter aliorum morem, penultimam producit propter crasin. Nam est contractum ex *tibiicen*. Ab eodem verbo Catoni *siticines* dicuntur τυμβαῦλαι; nempe (vt ex Capitonis Ateij coniectaneis ibidem docent Agellius & Nonius) quòd *canant* apud *sitos*, hoc est, *mortuos*. Eos enim propriè *sitos* dici, præter illos, quos laudauimus, scriptores, auctor locuples est Cicero, cùm lib. ii. de Legg. ait: *Declarat etenim Ennius de Africano: Hic est ille situs. Verè nam siti dicuntur ij, qui conditi sunt.* Hæc Tullius. Tangit autem illud Ennij Epigramma in Scipionem Afric.

Hic est ille situs, cui nemo ciuis, neque hostis
Quibit pro factis reddere opera pretium.

Canon, κανὼν, quod à קנה, *Kaneh*, quod lxx. interpretes fere καλαμος reddunt, interdum πηχυς. A quo Hebræo est Latinum *canna*, vt superius diximus. Nec obscura est ratio, cur *canoni* à *canna* nomen sit. Nam *canna* recta est, eóque antiquitus obtinuit, vt ea esset recti mensura. Scio improbari hanc sententiam doctissimo Arnoldo Pontaco, apparatu in Eusebij Chronicon. Sed iuuat hanc sententiam, quod κανὼν interdum significat κάλαμον μίτου, calamum, circa quem fila inuoluunt textores: prout ad Iliad. ψ, interpretatur auctor breuium scholiorum. Attamen & dicere possis κατὰ μετάθεσιν fieri ab אנך, quod *cathetum*, seu *perpendiculum*, notat. Vel à כן, id est, *rectus*. Nam ad *canona* exigimus ecquid rectum. Κατὰ μεταφορὰν autem vox hæc translata ad leges, quibus aliquid præscribitur. Quomodo sacra Scriptura est *canon* fidei & vitæ. Item ordo quisque habet *canona* suum, secundum quem componere se debeat. Item *canon* est lex de tributo. Vel tributum, quod stata lege penditur, publicóque infertur, vel iis persoluitur, quibus decreto publico cedit. Ludit hoc Ecclesiastici & ciuilis *canonis* ambiguo vocabulo VVolcuinus abbas, homilia de Zizania, cum ait, sanè eleganter iuxta ac seuerè: *Rara nunc in terris hodie canonicus est à canone vita. vnde ergo? audi, vnde. Est námque canon vitæ, & est canon pecuniæ: videlicet alicuius pensionis certæ; vnde solet dici: Solue mihi canonem meum, id est, pensionem meam. Eia ergo, ò canonice, innotuamus canonem tuum, à quo deriuaris. Id est, à canone pecuniæ, non à canone vitæ: id est, à canone regionis, non à canone religionis.* Est & κανονικὴ geometriæ pars. Item pro metrica arte sumitur. De vtroque Gellium vide, lib. xvi. cap. xviii.

Cantabra, quo vsus Minutius & Tertullian. vid. testimon. ab Hebræo חנית, *chanit*, *hasta*, abiecto י, nisi à Chaldæo קנת, *kanat*, malis; quod idem notat.

Cantabrica herba vnde dicatur, Plinius aperit, lib. xxv. cap. viii. *In Hispania inuenta est cantabrica, per diui Augusti tempora à Cantabris reperta.*

Cantharides, κανθαρίδες, à κάνθαρος, *scarabæus*; *cantharides* sunt parui scarabæi frumentum erodentes, vt Plinius ait, lib. xviii. cap. xvii. Vetera scholia in Nicandri Alexipharmaca: Κανθαρίδες εἰσὶ τὰ κανθάροις ὅμοια ζῷα, οἱ λεγόμενοι κάνθαροι. Sic rescribendum, vbi vulgo legitur, τὰ κανθάροις καὶ ὅμοια ζῷα. Sic & vocantur animalcula venenata, è vermibus nascentia, minutorum *scarabæorum* formâ: vnde & nomen. *Cantharidum* potentissimæ, variæ, luteis lineis, quas in pennis transuersas habent, multum pingues; vt idem Plinius auctor est, lib. xxix. cap. iv. vbi & refert, eas Canoni Vticensi obiectas, ceu venenum in auctione regia vendidisset. Cicero, lib. ix. epist. xxi. *Caius, accusante L. Crasso, cantharidas sumpsisse dicitur.* Idem, Tuscul. v. *Theodorus Lysimacho mortem minanti, Magnum verò, inquit, effecisti, si cantharidis vim consecutus es.* Ouid. in Ibin.

Cantharidum succos, dante parente, bibas.

Et

Et *cantharidis venena* dixit Tertullianus, lib. I. aduersus Marcionem. cap. XIV.

CANTHARVS, Gr. κάνθαρος, vas vinarium Baccho sacrum, vt præter Athenæum, & Macrobium, docet Plinius extremis verbis cap. XI. lib. XXXIII. *C. Marius, post victoriam Cimbricam, cantharis potasse Liberi patris exemplo traditur.* Ac pertinet eò quoque illud Arnobij, penè extremo libro sexto: *Quid in Liberi dextrâ pendens potorius cantharus?* Dicitur κάνθαρος, quia figuram habebat *scarabei*, qui Græcè dicitur κάνθαρος, nempe (vt Suidas & Aristophanis Scholiastes docent) quasi κάνθορος, παρὰ τὸ κάνθωνα, qui *asinus* est, & θορεῖν, vel θόρω, quod est σπείρω, vnde θορνύω, quod est, *seminare*, *generare*. Ratio nominis est, quòd animalculum hoc è *stercore asini* nascatur, & viuat, vnde & κοπροφάγον appellat Hippocrates, & Aristophanes, initio εἰρήνης suæ, duos inducit famulos, siue vernas, quorum vnus scarabæos præbeat, alter pro cibo præparet τὰς ὄνίδας, hoc est, ὄνου κόπρον. Alias quoque nominis caussas adfert Suidas. Nec mirandum, à *scarabæo* nomen inditum vasi potorio. Nam & alia poculorum genera à similitudine animalis nomen acceperunt. Istiusmodi est *hirnea*, vel potius *irnea*, quod prius *erneum* ab ἔρνος, hoc est, *anus*. Istiusmodi item est Ausonij *myobarbum*: de quo seorsim dicemus. *Cantharus* quoque dicebatur annulus, aut marculus ferreus, quo fores pulsantur. Sic vsurpat Plautus, Act. I. sc. II. Rationem huiusce appellationis adferre conatus Baptista Pius, cap. V. posteriorum annotationum. Vult enim sic dici, quia marculi isti fierent manus similitudine, quæ ventre capaciore & ansâ *Cantharum* refert. Huic probando adducit, quod *marculus* Lucretio, lib. I. vers. CCCXVII. dicatur *manus dextera*, vel potiùs *manus extera*. De Lucretij loco Pium sequitur quoque Iunius in Nomenclatore, sed meritò dissentiente Giffanio, cuius Indicem vide, voce MANVS. *Canthari* quoque dicebantur effigies quædam, ex quarum rostris aqua saliebat. Vide omnino Brissonium, lib. III. de vocum significationibus. Nodus quoque sub lingua sancti Ægyptiorum bouis, quem Apim dicunt, à nigrore & scarabæi similitudine, *cantharus* vocatur, vt testantur Herodotus lib. III. Plinius, lib. VIII. cap. XLVI. Porphyrius περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων. Est & piscis genus apud Aristotelem, VIII. historiæ animalium. Gaza *scarabæum* vertit. Sed *canthari* nomen retinet Plinius, lib. XXXII. cap. II.

CANTHERIVS seu *canterius* in Glossis Philoxeni, exponitur καβάλλης μηχανικός. Sed plenius, quid sit, docet Festus: *Canterius*, inquit, *hoc distat ab equo, quod maialis à verre, capus à gallo, veruex ab ariete. Est enim canterius equus, cui testiculi amputantur.* Dictus *canterius* quasi *carentarius*, vt his verbis indicat Varro, lib. II. de re rustica, cap. VII. *Propter quod discrimen maximè institutum, vt castrentur equi. Demtis enim testiculis fiunt quietiores: & ideo quòd semine carent, ij canterij appellati, vt in suibus maiales; gallus gallinaceus, capi.* Sed rectiùs Angelus Caninius, qui in Hellenismi alphabeto, monet esse à κανθήλιος, conuerso λ in ρ. Nec obstat quod Suidas velit, κανθήλιοι propriè signare ὄνοι μέγαν. Quippe vt κάνθων, ita & κανθήλιος interdum generatim sumitur pro *quouis iumento*. *Cantherius* quoque dicebatur simplex vineæ iugum, hoc est, arundines binæ viti applicatæ cum pertica transuersa: quæ eo *canterij* nomen obtinent quia vt *canterius* tergo suo onus: ita iugum hoc vineam sustineret. Sic *canterij* voce vsus Columella, lib. IV. cap. XII. Hinc eidem, lib. V. cap. IV. *vites canteriatæ*, quæ pedamentis canteriisque iugantur. Opponitur ei apud Plinium *compluuiata*, quæ tecti in modum fornicata est. Idem Columella, lib. XI. cap. III. *Cùm*, inquit, *cepæ steterint caulem, humilioribus quasi canteriolis interpositis rigorem stylorum conseruato.* Vbi per *canteriolos* intelligit adminicula quibus fulciuntur. In architecturâ quoque *canterij* vocantur tigna tecti oblonga, à culmine ad imum tectum ducta, quæ si longiùs promineant, constituunt suggrundam, hoc est partem tecti prominentem, quæ efficit, ne parietibus damnum inferatur à pluuiis. Sic vsus Vitruuius, lib. IV. cap. II. *Et transtra*, inquit, *& capreoli, columen, & canterij prominentes ad extremam subgrundationem.* Huiusmodi *cantherium* Itali materiarij *caballum* vocant: vt testatur Bernardinus Baldus Italus, lib. de vocibus Vitruuianis. Nec dubito, quin posterioribus Græcis similiter καβάλλης dictus sit. Nam in Glossis Latino-Græcis legas: καβάλλης μηχανικός; vbi μηχανικός additur vt distinguatur à *caballo animali*. Fallitur summus vir, qui, in Glossario Græco-Barbaro, de animali intelligit, quasi μηχανικός sit idem, quod ἵππος ἐργάτης. Atqui μηχανικός nunquam id significat: sed vel de homine dicitur & est idem, quod μηχανοποιός; vel de opere, & est idem, quod ἔργον, vel ἔργασμα μηχανικόν. Præterea *canterios*, præeunte Vitruuio, vocamus ligna lingulata (γλωσσωτά) quæ fabri materiarij pro adminiculis subiiciunt materiæ ferro dissecandæ. Belgis dicuntur *schraegen*. Est hordei genus, quod *cantherinum* dicitur, à *cantherio* animali. Ruellius, lib. II. historiæ stirpium, cap. XVI. sic dici vult quia vt *cantherij* semine carent: sic hordei hoc genus folliculo castratum nascitur. Sed rectiùs Columella, qui sic appellari vult, quia *cantherios*, aliáque iumenta optimè pascat. Sic enim scribit, lib. II. cap. IX. *Proximum est his frumentis genus hordei, quod rustici hexastichum, quidam etiam cantherinum appellant, quoniam & alia animalia, quæ ruri sunt, meliùs quàm triticum, & hominem salubriùs, quàm malum triticum pascit.* Vbi ἑξάστιχον dicitur hordeum, quod habet ἓξ στίχους, seu *versus*, siue *ordines granorum*. Quomodo δίστιχοι κριθαί dicuntur *spicæ hordeaciæ*, quæ *binis granorum versibus* constant.

CANTHVS est circulus ferreus, quo absis siue rotæ curuatura munitur. Persius, Sat. V.

Vertentem sese frustra sectabere canthum.

Quintilianus existimauit esse peregrinum; vt indicant hæc eius verba, lib. I. cap. V. *Barbarismum pluribus modis accipimus: vnum gente: quale si quis Afrum vel Hispanum Latinæ orationi nomen inserat; vt ferrum quo rotæ vinciuntur, dici solet canthus: quanquam eo, tanquam recepto, vtitur Persius.* Videri tamen queat esse origine Græcum, idque non tantùm; quia eodem modo apud eos accipi soleat, quando Etymologici auctor scribit, ἐπίσωτρον τὸ σιδήρεον τοῦ τροχοῦ, ὅ καλεῖται κανθός; sed etiam quia hoc nomine appellantur apud eos oculorum anguli, quod alteri est significationi affine, cùm & ferramenta, quibus rotæ vinciuntur, sint quidam κύκλοι, siue circuli. Hesychius: κανθός, ὁ τοῦ ὀφθαλμοῦ κύκλος. De *canthi* voce quædam legere potes apud Cælium Rhodiginum, lib. XII. cap. III. Sed imprimis adi commentarium Casauboni, ad Persij Sat. V.

CAPER est hircus castratus: vnde Martial.

Dum iugulas hircum, factus es ipse caper.

Quare κατάχρησις est in illo Maronis: *Vir gregis ipse caper.* De etymo sic Varro, lib. IV. de L. L. *Capra, carpa, a quo scriptum, Omnicarpæ capræ.* Idem lib. II. de R. R. cap. III. *Studiosè enim de agrestibus fruticibus pascuntur, atque in locis cultis virgulta carpunt; itaque à carpendo capræ nominatæ.* Festus: *Capræ dictæ, quòd omne virgultum carpant, siue à crepitu crurium. Vnde & crepas eas prisci dixerunt.* Vtrumque etymon adfert & Isidorus, lib. XII. Originum, cap. I. Sed omnino est à Tyrrhenis, quibus *caper* dictus κάπρος. Hesychius: Κάπρα αἴξ Τυρρηνοί. Vnde liquet aliud longè Tyrrhenis *caprum* significâsse quam Græcis transmarinis, quibus κάπρος fuit *aper*. Est verò κάπρος, vel à κάπτω, *edo*, *voro*. Nempe ab Aoristo κάπων. Est enim animal vorax. Vel ab Hebræo צפיר, quod *hircum* notat. Nec repugnem, si hinc ἀμέσως deducas Latinum *caper*. Leue enim discrimen inter *caper* & *tsapir*, seu *tsaper*. A *caper* est *caperare*: vt apud Plautum in Epid. V. I. *caperat frons*, hoc est, *contrahitur, corrugatur*. Itaque *caperata frons*, est quam *tristitiâ striatam* vocat Appuleius. A crispis caprorum frontibus tractum ait Nonius. Festus verò à caprinorum cornuum similitudine. Locutus eo pacto Paccuuius in *Dulorestè*:

Amplus, rubicundo colore & spectu proteruo ferox,

Voce suppressâ, caperatâ fronte, vultu turbido.

Ita hosce versus iungendos censeo, quorum prior apud Nonium legitur in *Spectu*, alter in *Fronte*. Sed apud eum pro *caperata fronte*, in Aldina aliisque editionibus legitur *innata*, quod metrum respuit, & quid quæso, sit *innata frons*? Præterea, quod scrupulum omnem eximere debet, Varro, extremo lib. V. disertim in *Dulorestè* legi ait, *Caperatâ fronte*. Vnde discimus vel Næuium (nam eius nomen proximè antecesserat,) μνημονικῷ errore, à Varrone pro Paccuuio nominari: vel vtrumque in *Dulorestè* suo sic locutum. A *capra* est *caprea*. Varro, lib. IV. de L. L. *Caprea à similitudine quadam capra.* Isidorus, lib. XII. cap. I. *Capreæ, capræ agrestes, quas quidam, eo quòd acutissimè videant, ἀπὸ τοῦ ὀξὺ δέρκεσθαι, dorcadas appellauerunt.* Quibus in verbis cautè accipiendum, quòd *capream* facit genus *capræ* siluestris. Nam id non tam *capreæ* conuenit, quam rupicapræ, ibici, damæ, vtpote non corpore modò, sed etiam cornibus *capræ* similibus; eóque magis *capræ* siluestris nomen merentibus. At *caprea* etsi corporis figurâ *capram* referat, vnde & *caprea* dicta: tamen cum cornibus sit ramosis, & ceruinis similibus, potiùs mediæ videtur naturæ inter *capram* siluestrem, & ceruum. A *caprea* est ὑποκοριστικῶς *capreolus*, vt à δορκάς, δορκαλίς, apud Oppianum. Ac malè quidam δορκαλίδας vertunt *cerui*. Sed de *Capreolo* seorsim. Vti & de *Capricorno*, & *Caprifico*.

CAPILLVS, quasi *capitis pilus*: vt tradit Isidorus, lib. II. cap. I. Liquida geminatur, contra quàm fit in primogenio, quod priorem corripit. Ouid.

Inque cauâ nullus stet tibi nare pilus.

Ponitur καταχρηστικῶς pro quibusuis pilis: quomodo accipi constat in illo Persij:

—Et

——*Et positis bicolor membrana capillis.*

Estque apud Agellium similis locus, lib. XII cap. *Nam, si ouium lacte hædi, aut caprarum agni alantur, constat ferme in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem.* A *capillus*, arbores *capillatæ*. Docet id Festus: *Capillatam, vel capillarem arborem dicebant, in qua capillum tonsum suspendebant.* Plinius lib. XVI. cap. XLIV. *Antiquior illa est lotos, sed incerta eius ætas, quæ capillata dicitur, quoniam Vestalium virginum capillus ad eam defertur.* Iuuenes *capillum*, aut primam barbam, Diis sacrabant: ac virgines quoque Vestales tonderi solent, priusquam in collegium sacrarentur. Vide quæ de hoc more Dalecampius ad dictum Plinij locum annotauit. A *capillus* quoque est *capillitium*, pro quo *capillaginem* Tertullianus dixit, lib. de anima. Atque idem *sutile & textile capillamentum* vocat τὴν πρόσθετον κόμην. *Capillatum* est apud vulgatum interpretem, 1. Petr. III. III.

Capio. Scaliger obseruat esse à Syriaco כף, *cap*, id est, *vola manus*, siue *curuum in manu*, à כף, *curuare*. Propriè igitur signet *manu capere*. Vel sit *capio*, à κάπτω. κάπτω autem, à Syriaco illo כף. Sanè κάπτειν etiam est ἀπὸ δὲ χειρὸς, vt Hesychius exponit; χερσὶν, vt interpretatur Etymologus. Quamquam strictius accipi solet. Nēpe vt, Budæo interprete, signet, *mordicus peto, ore hianti rapio*; item *mordeo*; vnde quod Aristoteles apud Athenæum, lib IX. ait; Πορφυρίων μόνον κάπτων πίνει; id Plinius, lib. X. cap. LXVI. transfert, *Porphyrio solus morsu bibit.* Neque enim Gesnerum sequor, qui δάκνων corrigit. Imò Eustathius, Hesychius, Suidas, Etymologus, κάπτειν ἀθρόως interpretatur ἐσθίειν; eóque, si strictam potius, quàm generaliorem interpretationem spectemus, videri possit *capere* de iis propriè vsurpari, qui *cibum capiunt*. Sed cum idem Eustathius alibi interpretetur χανδὸν ἐσθίειν, quod est *auide comedere*, vt solent, qui ore hianti in cibos inuolant; non minus verisimile foret, primò propriéque competere hominibus voracibus, quando hianti ore cibos rapiunt. Atque hoc etymo quoque confirmabitur, si placet κάπτειν factum esse ex κολαφίζειν, vnde *belluo*, κολαφυζὰς dictus Æschylo & Myrtilo Comico, Polluce teste. Latiùs tamen eiusce verbi extensa est postea significatio: etiam cum de cibis dicitur: quod vel ex deriuatis cognoscimus. Nam à κάπτω est καπάνη, quod Hesychius φάτνη interpretatur: hoc est, *præsepe*. Sic autem vocatur, quòd cibum ex eo capiant iumenta. Eiusdem & originis & significationis est κάπη, vnde apud eundem Hesychium εὔκαπον, *bonum præsepe*. Est ab eodem fonte κάπηλος, *caupo*, quòd hospitibus præbeat cibum: & ἔγκαπτος, *buccella*, ab ἐγκάπτω, *exedo*, quomodo Phormione Comicus dixit: *Tute hoc intristi: tibi omne est exedendum.* Sed hæc quidem à κάπτω; ex quibus vis eius verbi abunde patet. Nunc ea persequamur, quæ à *capio* descendunt. Tale est *capto*, quod non frequentatiuum est, vti quibusdam videtur: sed desideratiuum. Significat enim *capere cupio*, vt patet ex istis loquendi formis, *captare beneuolentiam*, *captare cœnam*. Suntque similia *ostento*, *vendito*, & multa alia. Eiusdem originis est, *captura*, quo significatur, quod meretrici datur pro concubitu: vt in illo Cæstij Pij, apud M. Senecam, lib 1. Controu. *Pretia stupri accepisti, & manus, quæ Diis datura erat sacra, capturas tulit.* Accipitur etiam pro stipe mendicātium, & vili mercenariorum mercede. Idem debilitato mendicante, lib. X. Controu. *Tibi captura quotidiana non respondet: apparet nondum satis hominibus miserum videri.* Vsi etiam Suetonius in Caligul. c. XL. Val. Maximus lib. III. cap. IV. lib. VI. cap X. lib. IX. cap. IV. A *captus* est *captiuus*, vt à *satus*, *satiuus*. A *captiuus* est *captiuare*, quo Appuleius vtitur 1. Met. & SS. Patres sæpe. Glossæ Græco-Lat. ab Henr. Steph. editæ: Αἰχμαλωτίζομαι, *captiuor*. A *capio* est *capesso*, vt à *facio facesso*, à *lacio lacesso*, ab *arcio arcesso*. Ab eodem verbo compositorum est ampla seges. *Accipio* primus gemino *cc* scripsit Lucillius, cum antea vnico scriberetur, vt auctor est Velius Longus, eóque modo in vett. quoque codd. scriptum reperiri, auctor est Pierius. Ab eodem est *incipio*, cuius præteritum per Œ *incæpi*, est è *cœpio*, si Scaligerum audimus, lib. de caussis L. L. cap. XXIV. Sed fallitur, quia cùm *incipis* dicamus penultima correpta, satis liquet, vt à *facio* est *fecit*, sic ab *incipio* esse *incepit*. *Præcipio* propriè est προλαμβάνειν; quomodo & Lucretius, aliíque, vsi. Postea hæc vox restricta ad eos, qui iubent, aut instruunt: vnde *præceptorum* appellatio. A propria notione est *præcipuum*, quia præ aliis capitur. Similitérque ab *excipio* est *excipuum*. Festus: *Excipuum, quod excipitur, vt præcipuum, quod ante capitur.* Ab eodem *excipulis* nomen, quia piscibus excipiendis fabricantur: vt indicat Plinius, lib. IX. cap. XXII. Glossæ Philoxeni: *Excipulum*, ἐνδοχεῖον. Simile est *accipula*, seu *decipulum*, quod sic dictum, quia comparatum est ad decipiendas aues aut feras. Vsus Appul. VIII & X. Met. *Suscipio* vel est à *susum*, siue *sursum*, & *capio* (quod Priscianus scribit, lib. I. vbi & simile esse ait *sustollo*) vel est à *sub* & *capio*: vt dicatur pro *succipio*. Sanè Pierius in 1. Æn. scribit, *succipi* in vett. aliquot libb. inueniri. Sunt & quædam composita à *capio*, quæ in declinando non seruant simplicis naturam. Vt enim à *cubo* venientia non mutata primæ sunt, velut, *incubo*, *recubo*; tertiæ autem inflexionis, quæ *M* adsciscunt, vt, *incumbo*, *recumbo*: sic quæ integrè seruant simplex, eiusdem sunt inflexionis ac simplex, vt, *accipio*, & *occipio*; quæ autem deperdunt vltimæ proximam vocalem, in aliam declinationem migrant, vt *anticipo*, & *occupo*. A *capio* est *discepto*, ad eam formam, qua Græci dicunt διαλαμβάνειν. Nam seorsim pars quæque aliquid capit ad sui defensionem.

Capis, & *capula*, vasorum sunt genera: vt docet Varro, lib. I. de vitâ Pop. Rom. *Etiam nunc pocula, quæ vocant Capulas, ac Capides, item Armillum, quod est vrceoli genus vinarij.* De Origine, ac re ipsa, sic idem Varr. lib. IV. L. L. *A quo illa capis, & minores capula, à capiendo: quòd ansatæ, vt prehendi possint, id est, capi. Harum figuras in vasis sacris ligneas & fictiles antiquas, etiam nunc videmus.* Festus: *Capis poculi genus, dictum à capiendo.* Priscianus, lib. VI. *Inuenitur etiam hæc capis capidis: cuius diminutiuum est capidula.* Aruntius: *Capis vasis, genus est pontificalis, diminutiuum capidula.* Lucillius, in I X. *Hinc ancilia, ab hoc apices capidasque repertas. Et vide, quo magis Græcum esse ostenditur, cum in AS protulit accusatiuum pluralem.* Hæc ille; è quibus patet, Aruntium, à *capis* formare ὑποκοριστικῶς *capidula*, pro quo *capula* est, in vtroque Varronis loco. Quare suspicari aliquis possit, *capidula* pro *capula* scriptum esse librarij culpâ, qui *capula* vocem nesciret, & à *capis* ἀναλογώτερον *capidula* dici cogitaret. Nam, vt à *pyxide* est *pyxidula* (prout in plerisque Celsi libris legitur) sic à *capide* fuit *capidula*. Fortasse autem vtrumque rectè dicitur; integrè quidem *capidula*, at *capula*, κατὰ συγκοπήν. Insuper in superiori Prisciani loco obserua, quod ait de accusatiuo in *AS*. Nam inde patet, falli eos, qui *capides* in Lucillij versu legendum putant. Dubitari etiam possit, cùm *capidas* incusandi casu dicat Lucillius, vocabulumne id Latinam an Græcam, habeat originem. Ego minimè arbitror esse accusatiuum tertiæ declinationis, sed venire è recto *capida*. Nempe, vt *Narbon* dicimus, & *Narbona*; *Ancon*, & *Ancona*; *hebdomas*, & *hebdomada*; *lampas*, & *lampada* (quod apud Manilium) item *cassis*, & *cassida* (de quo paullò antè dixerat Priscianus) similiter censeo, veteres *capis*, & *capida* dixisse. Nec ideircò nego, *capis* venire à Græcis. Nam, vt sic suspicer, facit quod Pollux, lib. IV. c. XXIII. καπίθην reponat inter mensurarum nomina, & Hesychius clarè scribat, esse vasis genus, quod capiat duas cotylas Atticas. Imo apud Xenophontem ipsum legas, lib. I Ἀναβάσεως; Ἡ δὲ καπίθη δύο χοίνικας Ἀττικὰς χωρεῖ. Quod si nihilominus placet Latinam habere originem, non multum repugnabo; modò dicatur, non quidem ob capacitatem sic appellari; quæ quorumdam sententia est; sed ob capiendi facilitatem, quòd ansis præhendi possit; quemadmodum superior Varronis locus indicat. Eadem autem ratio est vocis *capedo* quod itidem vel est à καπίθη, vel à *capiendo*. Nam vt ab *vro vredo*, à *torpeo torpedo*: sic à *capio* fuerit *capedo*, vnde *capedunculа*. Vtrumque vsurpat Tullius. Prius etiam Plinius, lib. XXXII. cap. II. & Tertullianus, in Apolog. cap. XXV. Atque hoc quidem, quod de *capedinis* etymo, qua vasis genus notat, dicebamus, planè arbitrarium est. At certum contrà *capedo* à *capiendo* venire, quà ex se gignit compositum *intercapedo*. Quia sic propriè dicitur quod inter duo temporis spatia intercipitur. Gloss. vett. *Intercapedo*, διάστημα χρόνου. Festus: *Intercapedo, tempus interceptum, cùm scilicet mora est ad capiendum.* Simplicem *capedinis* vocem pro loco accepit, non Perottus modò, qui *spatiosum aliquid, & alicuius rei capax* interpretatur: sed etiam Onomasticon vetus, in quo vertitur εὐρυχωρία, q.d. *latifundium*. Non memini tamen sic vspiam eam vocem accipi. Vtcumque est, fallitur vir eruditus, Ioannes Morisotus, cùm in Græca translatione sua paradoxorum Ciceronis, vbi Cicero *capedines*, ipse vertit εὐρυχωρίας. Nempe eum Onomasticum hoc decepit. Ciceroni sanè *capedo* non locus est *capax*, sed *vas sacrificale*.

Capisterium habes apud Columellam, lib. II. cap. IX. Georgius Merula Alexandrinus, in priscarum vocum enarratione putat, rectius legi *scaphisterium*: quod ait, vas esse rusticum. Sed nihil impedit, quo minus vulgata lectio retineatur. Nam vt à σφάλλω, *fallo*; à στέγω, *tego*; à χαστερία, *casteria*: ita à σκαφιστήριον fit *capisterium*.

Capistrum possit Græcum videri. Nam καπίστριον eâdem notione legas apud Hesychium, Suidam, Etymologum: quod Nunnesium mouit, vt à καπίστριον deduceret *capistrum*. Quod si placet, erit à κάπη, id est, *præsepe*. Sed Græci posteriores καπίστριον à Latinis acceperunt. Veteres autem pro eo dicebant

φορβειὰν

φορβειὰ & κημός. Priori modo *capistrum* Glossæ Philoxeni; posteriori Onomasticon vetus interpretatur. Quare melius, *capistrum*, à *capite* *cummonetorum* dici scribit Isidorus. lib. vlt. Ac similiter Perottus. Sed imprimis placet, vt deducamus à *capiendo*, quia eo iumenta *capiuntur*, tenentúrque. Iuuat ἀναλογία. Nam vt à *moneo* est *monitum*, hinc *monsum*, vnde *monstrum*: sic à *capio* est *capitum* (pro quo per syncopen *captum* dicimus) à *capitum* verò, *capistrum*. Nec abludunt; à *luo*, *lutum*, *lustrum*, à *claudo*, *clausum*, *claustrum*, & similia. *Capistra* etiam rei rusticæ scriptoribus dicuntur vincula, quibus vineæ capiuntur ac ligantur. Columella, lib. IV. cap. XX. *Cum ad summum palum vitis extenta est, capistro constringitur, ne fetu grauata subsidat, curuetúrque.* Sed & Cato, cap. XII. *capistra* dicere videtur retinacula, quibus præla tanquam frenis capiuntur, cum ducenda sunt & torquenda, vel potiùs subducenda: vt monuit Turnebus. lib. VIII. cap. VI.

Capitiorvm meminit Vlpianus, l. XXVII. D. de auro arg. leg. De iis sic Varro, lib. IV. de L.L.: *Capitium, ab eo quòd capit pectus, id est, vt antiqui dicebant, indutu comprehendit.* Non audiendus Nonius Marcellus, qui literarum adfinitate ac sono deceptus, *capitis tegmen* esse tradit. Sanè, quem pro se adducit Varronis locum, is aduersus ipsum testimonium dicit. Sic enim Varro, libb. de vita pop. Rom.: *Nec ad orbitam matronæ fam. instituit, quòd ea pectore ac lacertis erant apertis, nec capitia habebant.* Plura hac de voce diximus, Animaduersionum Grammat. lib. vlt.

Capparis, non à seminum capitibus, quæ in summo habet: sed Græcum est κάππαρις. Mirificè vnam hinc sententiam fabricat Isidorus, lib. XVII. cap. X. *Capparis à Græcis nomen sumpsisse videtur, quod habeat rotunda in summitatibus seminum capitella.*

Capreolvs pro siluestri *capro*, quomodo vsus Maro in Eclogis diminutiuum videtur à *capreus*, cùm tamen non *capreus*, sed *caprea* in fem. dicamus, vt Priscianus ait, lib. II. At magis operæ est dicere, quare *capreoli* in vitibus dicantur cincinni illi, siue claniculæ, vt Plinius vocat, quibus repit vitis. Caussa autem est, quia *capreoli* animalis cornua inflexa referant: vnde & *intortos cincinnos* appellat Varro. Cum autem hoc *capreolum* dixissent, placuit id, vnde *capreolus* oritur, *capream*, velut parentem, appellare. Id Varro nos docet. lib. I. de R.R. cap. XXX. *Ex altera*, inquit, *parte caprea dicta, quod parit capreolum: is est coliculus viteus intortus, vt cincinnus.* Aliud tamen etymon *capreoli* idem ponit. Continuò enim subdit: *Is enim, vites vt teneat, serpit ad locum capiundum, ex quo, à capiendo, capreolus.* Et Festus: *Capreoli vitium cincini intorti, quia ad locum capiendum tendunt, appellati.* Similiter Isidorus, lib. XVII. cap. V. *Capreoli dicti, quod capiant arbores. Sunt enim cincinni, vel vnciculi, quibus se innectere vites, & suspendere solent arboribus: quo adminiculo freti palmites ventos ac turbines sustinere queant, &c. sine lapsu pediculorum, fructus suos sustineant, & se vaga proceritate diffundant.* Sed magis placet, esse metaphoram ab animali. Quemadmodum & ad alia translatum. Nam ab hac similitudine cornuum *capreoli* factum est, vt ferramenti bicornis genus, *capreolus* diceretur. Columella, lib. XI. cap. III. de asparago: *Vere deinde, priusquam cœperit germinare, capreolo, quod genus bicornis ferramenti est, terra commoueatur.* Etiam inde est, quòd in architectura *capreoli* sunt *proclinata hinc atque hinc ligna, quæ canterios sustinent*: vt interpretatur Philander. Similitudinem in eo esse censent Hermolaus Barbarus, eiúsque gentilis Daniel Barbarus, quod, *sicut capreolus vites, ita ligna illa canterios, complectuntur.* Sed magis placet sententia Bernardini Baldi, qui ita dici censet, à *capreolo* animali quia *vt illi incursant aduersis cornibus & reuinuntur; ita capreoli isti assurgentes, capita, seu cornua & frontes, canteriorum ponderibus opponunt.* Nam inde & Græcis dicuntur συγκύπται, ἀπὸ τοῦ συγκύπτειν, quod est, *pariter inclinare, atque incumbere in aliquid.* Et fuisse hanc quoque sententiam magni Turnebi, satis, puto, ostendunt hæc eius verba, lib. II. Aduers. cap. IV. *Capreoli, qui à Græcis συγκύπται appellantur, tigilla sunt fastigiata, & in columellam suis capitibus nitentia, eáque hinc inde firmantia, ne nutet aut vacillet.*

Capricornvs, quasi *caper cornutus*: vt Græcis αἰγόκερως, ab αἰξ, *capra*; κέρας, *cornu*. Sic dicitur, quia superiori corporis parte *caprum* refert, vti inferiori piscem. *Capram* fingitur referre, & quidem scandentem, quia sol, vbi ad *Capricorni* sidus peruenerit, iterum ad nos reuertatur. Sed cur inferior pars piscis? quia primus tunc incipit mensis hibernus, quæ tempestas *pluuia*, vnde & *hiems* dicta. Nam ὕειν *pluere*. Atque idcirco & proximis duobus sideribus, Aquarij, & Piscium, nomé fecere. De *Capricorno* quod dixi, auctorem dabo Isidorum. lib. III. cap. LXX. *Capricorni figuram ideo inter sidera finxerunt, propter capram Iouis nutricem: cuius posteriorem partem in effigiem piscis ideo finxerunt, vt pluuias eiusdem temporis designarent, quas solet idem mensis plerumque in extremis habere.* Vide & quæ de hoc sidere Hyginus.

Caprificvs, ἄγρια συκῆ, *ficus siluestris*, vt Glossæ Philoxeni exponunt. Vulgo Græcis ἐρινεός, & ὄλυνθος. Rem ipsam Plinius describit. lib. XV. cap. XIX. De etymo sic Isidorus. lib. XVII. cap. VII. *Caprificus appellata eò, quòd parietes, quibus innascitur, carpit. Rumpit enim, & prodit è latebris, quibus concepta est.* Nempe ficum hanc, *caprificum* τῷ παλαιῷ dici opinatur à *carpendo*, quomodo & *capros*, quasi *carpos*, dici putabat Varro. Rationem autem adfert, quod parietes atque adeò saxa sibi obstantia, discerpat: vnde Martialis. lib. X.

Marmora Messalæ findit caprificus. ———

eodem respexit Persius cum Sat. I. ait:

Quo didicisse, nisi hoc fermentum, & quæ semel intus
Innata est, rupto iecore exierit caprificus?

Sed, vt de *capra* etymo falsus Varro, ita neque dubium, quin hi in *caprifici* etymo aberrent: neque alio argumento iis refutandis, opus, quam quod arbor hæc Messenijs similiter dicatur τράγος, id est, *hircus*, vt ex Pausania Suidas testatur. Fortasse etiam veteres Latini, Messeniorum imitatione, eam *caprum* dixere, quam aliter vocarunt *caprificum*, quasi *caprum ficum*, ad differentiam capri animalis. In quo si vera ariolamur, videri etiam queat, *Iunoni Caprotinæ*, & *Caprotinis Nonis*, inde nomen impositum, quod Nonis hisce Iunoni sacra fierent sub *capro*, hoc est, *caprifico*. Sanè à *caprifico* nomen impositum esse constat ex antiquis, fuséque eius rei caussam narrat Macrobius, lib. I. Sat. cap. XI. Verùm ἀναλογώτερον, à *capro caprotinus* fit, quam à *caprificus*, vnde potius fit *caprificinus*, vel *caprificalis*. At *caprotinus* à *capro* erit. A *caprificus* est *caprificare*, hoc est, culicibus, è *caprifico* genitis, ficubus alijs maturitatem adferre. Plinius, lib. XVI. cap. XXVII. *Fici caprificantur.* Palladius, lib. VII. cap. V. *Nunc caprificanda sunt arbores fici.* Rem plenius explicat locus Plinij, lib. XV. cap. XIX.

Capronæ, siue *caproneæ*, aliquibus dictæ videntur, quia *caprorum* propriè sint. Merito autem reiicit hanc sententiam Perottus. Placet autem ei sententia Festi scribentis: *Capronæ* (MS[ti], *Caproneæ*) *equorum iubæ in frontem deuexæ, quasi à capite pronæ.* At Nonius non equorum modò, sed & hominum rectè facit. Generatim enim ab eo definiuntur, *comæ, quæ ante frontem sunt.* Deinde idem, quod Festus, etymon subiicit, atque hoc Lucillij adducit è Sat. VII.

Aptari caput, atque comas fluitare capronas
Altas frontibus immissas, vt mos fuit illis.

Fortasse tamen non est vox composita: sed simplex, siue à *capite*, siue à *caperando*, quia frontem caperent, & corrugent. Hadr. Iunius in Nomenclatore & libello de coma idem esse ait *antias*, & *capronas*. Sanè ex iis, quæ de his veteres Grammatici prodidere, difficile est discriminare. Differre tamen vel idem fecerit hic locus Appuleij, lib. I. Florid. *Iam primum*, inquit, *crines eius, præmulsis antiis, & promulsis capronis, anteuentuli & propenduli.*

Capvncvlvm, *vas fictile*, exponit Festus. Nisi legendum *capunculum*, quod erit diminutiuum à *capu*. Festus: *Capu, poculi genus dictum à capiendo.* Sin *capruncculus* rectum (ita est quoque in MS[o]), fortasse ex eo nomen fit, quia *capri* habuit figuram.

Capsa, à *capiendo*. Nempe à *capso*, quomodo veteres dixere pro *prehendere*, teste Festo. Vel *capsa* & *capsula* sunt à κυψέλη, υ in α conuerso, quomodo à κύλιξ est *calix*; à μυδάω, *madeo*, &c. Hesychius: Κυψέλας, τὰ σιτηρὰ ἀγγεῖα. Idem: Κυψέλη, πλινθίον ἀγγεῖον μελισσῶν. Priori modo vsus Aristophanes in εἰρήνῃ, vbi vetus Scholiastes docet, κυψέλην fuisse vasis aut mensuræ genus figlinum siue testaceum, interdum etiam ex vitilibus, idque ἀπὸ τοῦ κρύπτειν ἢ κεύθειν. nomen autem accepisse ab obscuritate, διὰ τὸ κεκρύφθαι τὸ ἔνδον. Addit quoque differre à κυψελὶς, quia eo notentur *aurium sordes*. Vel dicendum, *capsa* esse à κάπτω, κάψω, quod est ἐσθίω, vt nempe propriè notet id, in quo cibi reponuntur. Vel, quod maximè placet, esse à κάμψα. Hesychius: Κάμψα, θήκη, γλωσσοκομεῖον. Item, Καμψία, κιστίς, καψάκης. Imò Festus quoque hanc sententiam secutus videtur. Nempe vt hæc vera sit lectio: *Capsa à Græco appellantur. Has illi κάμψας vocant.* Non autem κάμπτρας, κάμψα autem παρὰ τὸ κάμπτω, κάμψω, ἐπειδὴ ἐκ κεκαμμένων ξύλων αὐτὴν κατασκευάζουσι. Ita Etymologus, atque eius sententiæ auctorem laudat Dionem. Dicat aliquis, nihil opus esse longius ire, cum Græci non κάμψα solùm, sed & κάψα dixerint, quod à κάμπτω venire, idem Dion apud Etymologum tradit. Imò & apud Suidam legas: Κάψα, κίστη, ἢ θήκη. Sed omnino Græci posteriores κάψα à Latinis accepere. Quod si quis per-

tendat: ne κάμψα quidem nunc legi apud veteres Græcos, concessero ei hoc quidem: sed negabo, Verrium vnquam *capsa* à κάμψα deducturum, nisi ipse apud veteres reperisset. Nam καμπτήρ, quod nunc legitur apud Festum, Græcum non est. Et ita prope ad illud accedit κάμψα, vt melius substitui non possit. A *capsa* est *capsarius*, apud Suetonium, in Ner. cap. XXXVI. *Constat quosdam cum pædagogis & capsariis vno prandio pariter necatos.* Sic vocantur, qui pueris in scholam euntibus portant *capsam* librariam. Iuuenal. Sat. X.

Quisquis adhuc vno partam colit asse Mineruam,
Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ.

Similiter *capsarij* dicti, qui mercede seruanda in balneis vestimenta suscipiunt prout definit Paullus, L. III. §. fin. ff. de offic. præfect. vig. Eamque descriptionem comprobant hæc verba Epiphanij, lib. II. ὥσπερ γὰρ φασι τοὺς τηρῶντας τὰ ἐν τοῖς βαλανείοις ... ἐν ... ἀποδυομένων ... ἱματίων ... καμψαρίους ... Quem locum, licet iam ab aliis obseruatum, nobis quoque eo reponere visum fuit, quòd, cùm *capsarios* Epiphanius καμψαρίους vocet, non leuiter ea res confirmet etymon illud, quo à κάμψα *capsa* fieri dicebamus.

CAPVLVS, siue *capulum*, duo notat: nunc enim manubrium gladij significat: nunc arcam funebrem, qua mortui elati. Posteriori significatione per *k* legas *Kapulus*, in Glossis, idque differentiæ caussa. Pro *capulo ensis* omnino nomen à *capiendo*, quia *capitur* ea parte: vt *manubrium*, quia manu prehenditur. Ac similiter Græcis vocatur λαβὴ à λαβεῖν. At pro *arca funebri* potiùs sit à κάπηλος, α in υ verso, vt ab ἰταλὸς, *vitulus*. Nempe a figura *præsepis*, quæ Græcis κάπη, vnde Hesych. καπάνη, φάτνη. Quamquam & hac significatione à *capiendo* esse possit, quia mortuum capit. Et ita veteres. Festus: *Capulum, & manubrium gladij vocatur, & id quo mortui efferuntur. Vtrumque à capiendo dictum. Sane à capulo fit capularis.* Seruius ad VI. Æn.: *Pheretro Græcè dixit. Nam capulus dicitur à capiendo. Vnde ait Plautus, Capularis senex, id est, capulo vicinus.* Nonius Marcellus: *capulum dicitur quicquid aliquam rem intra se capit. nam sarcophagum, id est, sepulcrum, capulum veteres dici volunt, quod corpora capiat.* Sed fallitur, cum id *capulum* putat. Nec enim *capulus* arca est, qua mortuus conditur, sed qua effertur. Sequitur deinde apud Nonium: Plaut. *Asin.* dicens de sene: *Perij misera, vt osculatur carnufex, capuli decus.* Idem *Milite*: *Quid ais tu? Itane tibi ego videor oppido Acheronticus, Tam capularis?* id est: capulo proximus. Nouius Pappo: *Præterito, dum istos inuitaueris suffragatores, pater prius in capulo, quam in curuli sella suspendit nates.* Lucillius *Satyra*, *libro secundo.*

Quem cum vidissent Hortensius, Posthumiúsque,
Cæteri item in capulo hunc non esse, aliúmque cubare.

Varro *Cosmotoryne* περὶ φθορᾶς κόσμου, *propter cunam capulum positum nutrix tradit pollinctori.* Isidorus de *capuli* etymo paullum abit. Sic enim ille, lib. vlt cap II. *Feretrum dicitur, quòd in eo mortui deferantur, & est Græcum nomen. Nam φέρετρον dicitur ἀπὸ τοῦ φέρειν, id est, à ferendo. Nam Latinè capulus dicitur, quod super capita hominum feratur*: sic Plautus, *capularis senex, id est, vicinus capulo.* Sed omnino audiendi potiùs Festus Seruius Noniúsque, quam vnus, isque omnium recentissimus, Isidorus: cui plus debemus, cùm fidi exscriptoris, quàm cùm veri scriptoris munus obit. Vt autem Latini dixere *capularem*, hoc est iam morti contiguum (ita & Fulgentius exponit de prisco sermone;) sic Græci τυμβογέροντα vocant. Similiter etiam σοροπλήκα dixere, quasi qui alterum pedem iam habeat ἐν σορῷ, hoc est, in *sepulchro.* Hesychius: Συρβηλέ, ... ἐπιχωριάζον εἰς τὰς γέροντας.

CAPVT, qui dictum volunt ἀπὸ τῆς κεφαλῆς vti Nunnesius inter alios facit, quique cum Festo deducunt, à κάρα, eiusdem significationis vocabulo; hi, si Fungerum audimus, non adeò rem ipsam assecuti videntur, atque illi, qui, duce Varrone, etymi rationem inde arcessunt, quòd à *capite* initium *capiant* sensus & nerui. Sed Fungeri iudicium in etymologiis sæpe desideramus. Quare, eo licet repugnante, malimus ipsi *caput* deducere à κεφαλή. Nam & φ interdum abit in tenuem *p*, quomodo à σοφὸς, est *sapio*; à κάρφω, *carpo* &c. & E non rarò in *A* abit, quomodo à μένω est *maneo* ab ἔνος, *annus* &c. iuxta quosdam, à σέβομαι, *Sabini*, ab Hebræo & Syro ERER, quo ἱερεὺς significatur, *Arabes*, &c. Quod si hæc minus placent, fuerit à כפ, *curuare*, seu Syro כפא, *inclinare*, quia *caput* forma est globosa, & ad inclinandum se idonea. Sanè à Syro illo est & κύπτειν, *caput inclinare*. A *caput* est *capidulum*, & *capitulum*. Sed *capidulum* est genus vestimenti, quo *caput* tegebatur: teste Festo. Et similiter Glossæ Arabico-Latinæ: *Capedulum*, vestimentum *capitis*. Sed *capitulū* est diminutiuū. Hoc alterum diminutiuum ex se non format. Neque enim à *capitulum* dicimus *capitellum*, quamuis à *cistula* est *cistella*, imo & *cistellula* apud Plautum. Varro, lib. VII. de L. L. *Minima in quibusdam non sunt, vt auis, auicula, auicella: caput, capitulum, capitellum.* *Capitella* tamen legimus apud Plinium, lib. XXI. cap. vlt.; & lib. XXXVI. cap. XXIII. Scio, in quibusda codd. legi *capitula*. Sed *capitella* vtrobiq. scriptum etiam in optima illa Parmensi, anno 1476. A *caput* quoque est *capitarium*. Neque enim *capitarium æs* dicebatur, quod *capi* potest, prout in vulgatis Festi codd. legitur, sed τὸ ἀρχαῖον δάνειον, quod Platoni κεφάλαιον, Ciceroni *caput* dicitur: tanquam *caput* ac principium vsuræ: vel (quod Scaligero verisimilius fit) æs illud quod *capite* penditur. Nam, vt alibi ait Festus, duplex erat tributorum conlatio, vna in *capite*, altera è censu. Vnde *capite censi* quia *capite* potius, quam ære censerentur. Sanè prolea iis ipsis minus honorati erant. Vide Gellium, lib. XVI. cap. X. Eiusdem originis est *capitalis*: vnde *capital* ... ἀποκοπὴ dicitur pro *capitale*; quomodo & *vectigal* dicitur pro *vectigale*; *Mineruale*, pro *Mineruale*; *animal*, pro *animale*; *sal*, pro *sale*, &c. *Capital* vero, Festo teste, *facinus* vocatur, *quod capitis pœnâ luitur.* Eodem auctore *capitalis locus* (ita corrigit Scaliger) dicitur is, vbi, siquid peccatum est, *capite* violatoris expiatur. Sic *capitale* fuit templum capræ Mineruæ, de quo Naso, III. Fast.

An quod habet legem, capitis qua pendere pœnas
Ex illo iubeat furta recepta loco?

A *capite* etiam *capito*: vt à *fronte*, *fronto*; *labeo*, à *labiis*; *naso*, à *naso*. *Capito* autem Ciceroni, qui magno est *capite*: vnde & piscis ita dictus Catoni. Etiam *capito*, qui non decedit de sententia: quomodo *duros capitones* Plautus dixit, Persa. Onomasticon vetus, *Capitones*, ἀτενεῖς. De compositis, *Capillus, Sinciput, Occiput*, seorsim dicemus. Solum hic agemus de iis, quæ in *ceps* desinunt. Vt sunt, *biceps, triceps.* Nec enim audiendus H. Stephanus, qui, libro de suspecta Latinitate, hæc eâ ratione facta censet à δικέφαλος, & τρικέφαλος, quâ à δισάσιος & τρισάσιος, sunt *bifarius* & *trifarius*. Nam quæ cùm integra essent, in *capitis*, vel *capis*, desinebant, siue à *caput*, siue à *capio* descendant, κατὰ συγκοπὴν in *ceps* terminantur. *Biceps* autem, & *triceps*, facta sunt ex *bicapitis* & *tricapitis*. Idem iudicium esto de *præceps*, quod factum ex *præcapitis*; quemadmodum argumento est quod *præcipitem dare*, Græcis sit ῥίπτειν εἰς κεφαλήν. Falluntur enim, qui *præceps* dictum aiunt, quia re necdum consideratâ aliquid præcipit, ac præoccupat. Itidem parùm conuenit, num *anceps* à *caput* sit, an à *capiendo*. Vtramque sententiam ponit, sed posteriorem magis probat Festus Pompeius. Verùm (quemadmodum in *Anceps* diximus) facilè hic nodus soluitur, si verum est, quod statuunt veterum quidam, omnia à *caput* deriuata facere *cipitis* in casu patrio; contrà in *cipis* vel *cupis* terminari, quæ à *capio* descendunt. Sanè *cipitis* faciunt, *biceps, triceps, præceps*, quæ à *capite* esse ostendimus. Contrà in *cipis* vel *cupis* definit genitiuus vocum *particeps*, *municeps*, *auceps*, *manceps*, *forceps*, quæ à *capio* deriuantur, factáque sunt è *particapis, municapis, aucapis, mancapis, formicapis*, vel potius *ferricapis*. Eodem etiam indicio constare possit, *princeps* & *deinceps*, à *capiendo* esse, quod & Festus confirmat: *Deinceps*, inquit, *qui deinde cepit; vt princeps, qui primum cepit.* Item *deincipem antiqui dicebant, proximè quemque captum; vt principem, primum captum.* Par ratio in *inceps*. Nam ab *inde capiendo*, *inceps*; vt à *deinde capiendo*, *deinceps*. Quamquam nec tam ab *inde* & *deinde*, quam ab *in* & *dein*. *Inceps* autem dixisse veteres ex Festo discimus. Sunt qui hæc deducant à *caput*, corrupto Festi codice decepti. Nam in *deincipem* pro *captum* malè legerunt *capitum*. Sed quod ad κριτήριον illud, quo veteres putant, deriuata à *caput* dignosci a prole verbi *capio*: non videtur illud certum satis esse τεκμήριον, quemadmodum alibi ostensum. A *princeps* est *principium*; vt a *coniux*, *coniugium*: ac vt à *coniux*, *coniugalis*; à *coniugium*, *coniugialis* dicimus; sic à *princeps* fit *principalis*; à *principium*, *principialis*, quo Lucretius vtitur, lib. II. & VI. Plura de huiuscemodi in *CEPS* deriuatis in *ANCEPS* diximus.

CARABVS, κάραβος, cancri genus, cauda à cæteris cancris distans: vt ait Plinius, lib. IX. cap. XXXI. Inde Belgis *krabbe*, & Germanis *krebs*, & Gallis *escreuisse*: nisi hoc à Francis in Gallias inuectum. Κάραβος autem, iuxta Etymologum, παρὰ τὸ τῇ κάρᾳ βαίνειν, ἤ κεφαλῇ προέχειν. Possis & à *grauitate capitis* deducere, à κάρα, & βαρύς. Addit Etymologus, & de *nauigij genere* dici. Cuius notionis etiam mentio apud Isidorum, lib. XIX. cap. I. *Carabus, parua scapha ex vimine facta, quæ contexta crudo corio genus nauigij præbet.*

CARACALLA videri possit ita dici, quasi κάρας κάλλος, hoc est, *capitis ornamentum*. Sed obstat quòd sit *vestis talaris*. Hinc Rhodiginus volebat esse vocem hybridam ex Græco κάρα id est,

est, *caput*, & Latino *calx*, quia à capite vsque ad calcem demittatur. Talarem quidem esse vestem indicat Spartianus: *Ipse (Antoninus) Caracallæ nomen accepit à vestimento, quod populo dederat, demisso vsque ad talos, quod antea non fuerat. Vnde hodieque Antoninianæ dicuntur Caracallæ eiusmodi, in vsu maximo Romanæ plebis frequentatæ.* Eadem fere Sext. Aurel. Victor, editus ab Andr. Schotto. Alter vero Aurel. Victor, hac de re sic scribit: *At cum e Gallia vestem plurimam deuexisset, talaresque caracallas fecisset, coegissetque plebem ad se salutandum indutam talibus introire, de nomine huiusce vestis Caracalla cognominatus est.* Vbi cum dicat Victor e Gallia prodiisse, videri possit esse κατασχηματισμὸς à *caraca*, hue *casaca*, quo nomine Galli hodieque chlamydem appellant. Confirmat hanc rem, quod *cucullam* propriæ fuerint Gallorum: at *caracalla*, cucullam habuit, vnde Gloss. vett. Καρακάλλιον, *cuculla*. Hieronymus de veste Sacerdotali: *Et efficitur palliolum mira pulchritudine, præstringens fulgore oculos, in modum caracallarum, sed absque cucullis.* Vbi mirum ab Hieronymo *caracallam* vocari palliolum, cum Spartiano & Victori sit vestis talaris vt vidimus. Dion καράκαλλον similem facit. Vide Scaligerum, ad Eusebij annum MCCXXIX.

CARBAS ventus est circa Solanum spirans, vt ait Vitruuius, lib. I. cap. VI. Estque ea constans veterum codicum lectio. Nec aliter Onomast. vet. *Carbas, ventus*, Λίψ. Sane Atticus Italis dicitur *garbino*. Forte ex eo nomen, quia *carbasos* implet: quomodo *carbaseos ventos* dixit Tibullus. Vel ab aeris flatu. Nam *acer*, vel *acutum*, Hebræis חרף. Similiter Martinius.

CARBASI de voce sic Seruius, ad illud III. Æn.

—— *Et auræ*

Vela vocant, tumidoque inflatur carbasus austro.

Carbasus genus lini est, quod vsusque plerumque pro velo ponitur. Est a Græco κάρπασος, mutata tenui in mediam. At κάρπασος, quemadmodum Angelus Caninius scripsit, est à כרפס, *carpas*, quod Hieronymus *carbasinum* transtulit. Habes Hebræum, Esther. I. 6. Sed quid, si dicamus *carbasum*, seu κάρπασον, esse vocem Hispanicam? Nam cum re voces communicari solent. *Carbasus* autem primum reperta in Hispania citeriore, circa Tarraconem, vt diserte Plinius tradit lib. XIX. cap. I. Καρπάσιον λίνον, sic a *Carpasio*, aut *Carpasia* Cypri vrbe dictum meminit Pausanias, libro primo, vbi id igne confumi negat, τὸ δὲ, inquit, ἐκ λίθου Καρπασίου ... Sed nihil hoc ad *carbasum*, quia loquitur Pausanias de lapide Carystio, ex quo lini genus texebatur, quod ignibus resisteret: imò igni iniectum redderetur splendidius. *Carbasi* succus est inter medicamenta venenata, vt docet Dioscorides, lib. VI cap. XIII. vbi ait: ... *epotum carbasi succum, soporem afferre, citamque strangulationem.* Galenus, lib. I. de antidot. & ... lib. I. cap. III. composita voce ... vocat, quem Dioscoridi καρπάσου ὀπὸς. Ex *carbaso* texebantur vela tenuissima, vnde Maro, VIII. Æn. de Tyberino ait:

—— *eum glauco tenuis velabat amictu*

Carbasus & crines vmbrosa tegebat arundo.

Valerius quoque Maximus id vestimenti genus tribuit Æmiliæ, virgini Vestali lib. I. cap. I. de cultu Deorum. Nouembri quoque *carbasinum* indutum assignat Ausonius, Idyl. de mensibus. Vide & Nonium, cap. de gen. vestimentorum.

CARBO propriè est *pruna* exstincta, vt *pruna carbo* ardens. quod discrimen Seruius ponit, in XI. Æn. & Isidorus lib XIX. cap. VI. Itaque iidem *prunam*, quasi *perurinam* a *perurendo* dictam volunt: ac addit Isidorus, *carbonem* similiter dici, quia caret flamma. Nempe a *careo*, inserto *b* discriminis caussâ fieri *carebo*, inde per syncopen *carbo*. Sed alij malunt deducere à ... hoc est, *arefacio*, *torreo*. Vel a Chaldæo חרבא, id est *siccitas*, *æstus*. Itaque *carbones*, interpretari ligna arida vstulatáque. Vel etiam quæ calorem & æstum præstant. Nec enim discrimen illud, quod veteres ipsi inter *carbonem*, ac *prunam*, ponunt, perpetuum est. Cicero. II. de officiis, de Dionysio Siciliæ tyranno agens: *Cultros metuens tonsorios, candenti carbone sibi adurebat capillum.* Ouid. lib. III. Trist. el. XI.

Protinus inclusum lento carbonibus ære.

A *carbo* est *carbunculus*, vt a *fur*, *furunculus*, ab *auus*, *auunculus*, &c. In propria significatione vsus Plautus, Mostellaria: *Amburetur ingens ei corculum, vt carbunculus.* Hinc transfertur ad varia; vti ad terræ genus: de quo sic Varro, lib. I. de R.R. cap. II. *In terra cum sit dissimilis vi ac potestate, partes permulta: in queis lapis, marmor, rudus, arena, sabulo, argilla, rubrica, puluis, creta, glarea, carbunculus, id est, quæ sole percoctu sit, vt radices satorum comburat.* Vitruuius, lib. II. cap VI. *Itaque vt in Campania exusta terra, puluis, sic in Etruria, excocta materia, efficitur carbunculus.* Quibus subiungit: *Est autem ibi materia potestas mollior, quam tophus, solidior quàm terra, quæ penitus ab imo vehementia vaporis adusta, nonnullis locis procreatur id genus arenæ, quod dicitur carbunculus.* Ex quibus, cur *carbunculus* dicatur, satis liquet. Vsi etiam Columella, Plinius, Palladius, alij. Transfertur præterea ad gemmæ genus ob ignis similitudinem: de quo ita Isidorus, lib. XVI. cap XIII. *Omnium ardentium gemmarum principatum carbunculus habet. Carbunculus autem dictus, quod sit igneus vt carbo, cuius fulgor nec nocte vincitur. Lucet enim in tenebris adeo vt flammas ad oculos vibret. Genera eius duodecim, sed præstant omnes qui videntur fulgere, & velut igneus effundere. Carbunculus autem Græce ἄνθραξ dicitur.* Sed & idem scripserat Plinius cuius hæc verba, lib. XXXVII. cap VII. *Principatum habent carbunculi, à similitudine ignium appellati, cum ipsi non sentiant ignes, ob id a quibusdam apyroti vocati.* Eius species est *Carchedonius*, de quo seorsum agimus. Est & eiusdem species, quæ *carbunculus amethystizon* dicitur: cuius caussam docent hæc Plinij verba: *Optimos verò amethystizontas, hoc est, quorum extremus igniculus in amethysti violam exeat.* De cæteris *carbunculorum* generibus ibidem vide. Est & *carbunculus* vitium atque arborum morbus. Plinius, lib. XVII. cap XXXIV. *Quapropter & grando in his caussis intelligi debet, & carbunculatio, & quod pruinarum iniuria euenit. Hæc enim, verno tepore inuitatis, & erumpere audentibus, satis mollibus insidens, adurit lactescentes germinum oculos: quod in flore carbunculum vocant.* Hæc Plinius. *Carbunculus* vero & *carbunculatio* vocatur, quia carbonis instar adurat, vnde & Græcis ἄνθραξ dicitur. Docet hoc idem Plinius, lib XVIII. cap. XVIII. *In hoc temporis interuallo res summa vitium agitur, decretorio vuis sidere illo, quod Caniculam appellauimus. Vnde carbunculare dicuntur, vt quodam vredinis carbone exustæ.*

CARCERES ἵππων, ac *Tullianum* quoque (quomodo in carcere locum vocari Sallustius in Catilinaria scribit) ponit his verbis Varro, lib IV. de L.L. *Carcer a coercendo, quod exire prohibentur. In hoc pars, quæ sub terra, Tullianum, ideo quod additum à Tullio rege.* Sentit Varro, *carcer* dici, quasi *coarcer*: quam ἐτυμολογίαν Seruius quoque amplectitur, ad I. Æn. & Isidorus, lib. V. Orig. cap. XXVII. & lib. XV. cap. II. quo loco firmandæ huius rei adducit illud Frontonis: *Vt peregrinari potius amœnis locis, quam coerceri carcere videretur.* *Tullianum* verò vult Varro dici, à Seruio *Tullio*, qui primus hanc sub terra partem addiderit carceri. At carcerem ipsum (vt lib. I. tradit Liuius) primus ad terrorem increscentis audaciæ, mediâ vrbe, foro imminentem ædificauit Ancus Martius. De *Tulliano* rectè Varro: de *carceris* vero etymo magis placet sententia Scaligeri, qui in coniectaneis vult dici à κάρκαρον, quod pro δεσμωτήριον vsurpari discimus ex Hesychio. Idem tamen ad Festum tradit, esse à *cancer* mutato *n* in *r*: quâ de re plura dicemus in *Cancellis*. Imò Santra, apud Festum, in *Querquera*, deducit a κάρκαρος significante *tremorem ex frigore*: vel *horribilem*, quando exponitur δεινός. Sed & esse potest à κάρκαρον, qua, eodem Hesychio teste, significat *domus*; vt propriè de *vinculis publicis* dicatur. Sanè magis hæc placent, quàm vt (quæ eruditissimi Friderici Morelli, in notis ad Dionem, suspicio est) *carcer* dicatur, quasi ἕρκος, quomodo Creteusibus seu Cypriis, *carcer* vocabatur: si veteribus scholiis credimus. Μεθ᾽ ... autem *carceres* dicti, quos Græci ἀφέσεις, & ... appellant, vt interpretantur Glossæ B. Benedicti. Nempe quia equi istic, vsque dum dimittantur, tanquam intra *carcerem* conclusi consistant. Varro IV. de L.L. *In circo primo, vnde mittuntur equi, nunc dicuntur carceres. Næuius Oppidum appellat. Carceres dicti, quòd coercentur equi, ne inde exeant, antequam magistratus misit: Oppidum, quod à muri parte pinnis turribusque carceres olim fuerunt. Scripsit Poeta: Dictator vbi currum insidit, peruehitur vsque ad oppidum.* Quo ex loco lucem capit hoc Festi: *Oppidum dicitur & locus in circo, vnde quadrigæ emittuntur.*

CARCHEDONIVS, & *Chalcedonius*, differunt. *Chalcedonius* est species iaspidis: de quo alibi. At *Charchedonius* species est carbunculi. Vnde pro eodem habet Publius Syrus, cum ait:

Quò Carchedonios optas ignes lapideos,

Nisi vt scintillent? probus est carbunculus.

Vbi videmus, *Carchedonium* dici *scintillare*, vocarique *ignem lapideum*, ac mox *carbunculum* nominari. Ideoco & idem censetur ac *pyropus*, cui nomen ex πῦρ, *ignis*, & ὤψ, ὠπὸς, *adspectus*. Vnde Ouidius, Solis domum describens:

Clara micante auro, flammasque imitante pyropo.

Carchedonius autem dictus a *Carthagine*, quæ Græcis Καρχηδών. Non quasi Carthagine nasceretur: sed quia e Garamantibus Carthaginem, inde ad alios aduheretur. Hinc Plinius de carbunculis: *Horum genera Indici & Garamantici, quos &*

Carchedonios vocauere propter opulentiam Carthaginis magnæ. A *Carchedonio* hoc *carbunculo* diuersus est, qui ἄνθραξ vocatus *Carchedonius*: qui, Plinio auctore, non apud Indos, sed apud Nasamones in Africa, inque Ægypto circa Thebas, nascebatur: iisque è locis portabatur Carthaginem: vnde itidem *Carchedonij* nomen accepit.

CARCHESIVM, καρχήσιον, propriè est summa mali nautici pars: vnde Athenæus, lib. XI. interpretatur, τὸ ἄνω τοῦ ἱστοῦ; Pollux, lib. I. cap. IX. τὸ πλάτος, τὸ ἄκρον τῆς κεραίας; Hesychius, τὸ ἄκρον τοῦ ἱστοῦ. Fortassè nomen διὰ τὸ καρχαίνειν, τουτέστι τὸ τραχύ, vt idem Hesychius interpretatur. Ob similitudinem verò sic dicitur *poculi genus*: nempe quòd extendatur, vt malus in naui: quemadmodum ibidem Athenæus ait, & ex eo Eustathius. Sed verba ipsius Athenæi ponam: Καλλίξεινος ὁ Ῥόδιος ἐν τοῖς περὶ Ἀλεξανδρείας φησίν, ὅτι καρχήσιον ποτήριόν ἐστιν ἐπίμηκες συνηγμένον εἰς μέσον ἐπιεικῶς, ὦτα ἔχον μέχρι τοῦ πυθμένος καθηκοντα. ἔστι δὲ ἱκανῶς ἐπίμηκες τὸ ποτήριον τὸ καρχήσιον, καὶ τάχα διὰ τὸ ἀνατετάσθαι οὕτως ὠνόμασται. ἀρχαιότατον δὲ ἐστι ποτήριον τὸ καρχήσιον, εἴγε ὁ Ζεὺς ὁμιλήσας Ἀλκμήνῃ, ἔδωκεν δῶρον αὐτὸ τῆς μίξεως, ὡς Φερεκύδης ἐν τῇ δευτέρᾳ ἱστορεῖ, καὶ Ἡρόδωρος ὁ Ἡρακλεώτης. Ἀσκληπιάδης δὲ ὁ Μυρλεανὸς κεκλῆσθαι φησιν αὐτὸ ἀπὸ ποιοῦ τῶν ἐν τῇ νηὶ πρυμνησίων ... τοῦ γὰρ ἱστοῦ τὸ μὲν κατώτατον πτέρνα καλεῖται, ᾗ ἐμπίπτει εἰς τὴν ληνόν· τὸ δὲ εἰς μέσον τράχηλος· τὸ δὲ πρὸς τῇ τελευτῇ καρχήσιον, ἔχει δὲ τοῦτο κεραίας ἄνω νευούσας ἐφ' ἑκάτερα τὸ μέρος, καὶ ἐπίκειται τὸ λεγόμενον αὐτῷ θωράκιον, &c. Quæ verba Latinè transferre supersedeo, cum quia interpretationem eorum imperitior reperiet pag. 474. edit. Commel. tum quia eadem propè scribit Macrobius, cuius hæc verba, lib. V. Sat. cap. XXI. *Est autem carchesium poculum Græcis tantummodo notum, meminit eius Pherecydes in libris historiarum; aitque, Iouem Alcmenæ pretium concubitus carchesium aureum dono dedisse: sed Plautus insuetum nomen reliquit, atque in fabulâ Amphitryone, pateram datam: cùm longè vtriusque poculi figura diuersa sit; patera enim, vt & ipsum nomen indicio est, planum ac patens est. Carchesium verò proceram & circa mediam partem compressum, ansatum mediocriter, ansis à summo ad infimum pertinentibus. Asclepiades autem vir inter Græcos appriuè doctus ac diligens, carchesia à nauali re existimat dicta; ait enim naualis veli partem inferiorem pternam vocari; at circa mediam fermè partem τράχηλον dici; summam verò partem carchesium nominari, & inde diffundi in vtrumque velilatus ea quæ cornua vocantur.* Porro vtramque *carchesij* significationem exemplis illustrat Nonius Marcellus: *Carchesia*, inquit, *genera poculorum*. Virgil. Æn. lib. I.

Hic duo rite mero libans carchesia Baccho.

Et Georg. lib. IV.

———*Mater, cape Mæonij carchesia Bacchi.*

Aliàs summa pars mali, hoc est, foramina, quæ summo mali funes recipiunt. Lucillius:

Tertius hic mali superat carchesia summa.

Catullus Veronensis:

Lucida quæ splendent summi carchesia mali.

Hæc Nonius. Præterea, vt Hesychius tradit καρχήσιοι dicitur τὸ ἐπικείμενον τοῦ ναοῦ ξύλον, καὶ ἐργαλεῖον πολεμικὸν διὰ δαδίς. Quò pertinere videtur hic Vitruuij locus, lib. X. cap. vlt. *Eo tempore quidam architectus ab Arado, nomine Callias, Rhodum cum venisset, acroasin fecit, exemplúmque protulit muri, & supra id machinam in carchesio versatili constituit, quâ helepolim ad mœnia accedentem corripuit & transtulit intra murum.* Meminit & eius, cap. v. eiusdem libri. Ita autem dicebatur à similitudine naualis *carchesij*. Eam optimè exponit Bernardinus Baldus, his verbis: *Carchesium, inquit, est trabs erecta, robusta quidem, & annulis ferreis reuincta; in cuius suprema parte, ferrea fibula inserta, transuersa alia pars librata continetur, & facile circumuertitur: ab altera extremitate ferrei harpagones dependent, quibus onera annexa sublevantur; & machina vectibus circumuersa curribus facillimè imponuntur. Eius imaginem affabrè expressam habemus in characusculis literis T, ✢.*

CARDAMOMVM, καρδάμωμον, nomen habet à *cardamo* & *amomo*. Est enim *cardamum*, siue *nasturtium*, vulgari *cardamo* magis aromaticum, propéque accedens ad *amomum*. Hinc Plinius, lib. XII. cap. XIII. cum de amomo & amomide locutus esset: *Simile his & nomine, & frutice, cardamomum, semine oblongo.* Quod si *cardamomum* dicitur, quia sit *cardamon* simile *amomo*: etiam *cinnamomum*, κιννάμωμον, ex eo nomen habebit, quia sit κίνναμον, *cinnamon*, simile *amomo*. Itaque probare non possum illud Isidori, lib. XVII. Orig. cap. VIII. *Amomum vocatum quod veluti odorem cinnamomi referat.* Mallem dixisset: *Cinnamomum vocatum, quod veluti odorem amomi referat.* Veteres hac de caussa tam Græci quam Latini, sæpe *cinnamomum* & *amomum* confundunt.

CARDIACI, καρδιακοί, Ciceroni, Iuuenali, aliisque, ita dicuntur, non qui *corde*, sed qui *stomacho* laborant. Nam καρδία veteribus Medicis est superius stomachi osticium; quomodo & Hippocratem vsum esse Galenus docuit. Huius vocis ambiguitas Lucretium ipsum decepit, quo loco pestilentiam Atticæ describit. Victorium vide lib. XXVIII. Var. Lect. cap. XVII.

CARDO vnde sit, docere conatus Seruius ad I. Æn. *Cardo*, inquit, *dictus, quasi cor ianuæ, quo mouetur*, ἀπὸ τῆς καρδίας. Et Isidorus, lib. XV. cap. VII. *Cardo, inquit, est locus in quo ostium vertitur, & semper mouetur, dictus* ἀπὸ τῆς καρδίας, *quod quasi cor hominem totum, ita ille cuneus ianuam regat ac moueat. Vnde & prouerbiale est, In cardine rem esse.* Hæc Isidorus. Prouerbij autem eiusce meminit & Seruius ad illud I. Æn.

———*Haut tanto cessabit cardine rerum.*

De etymo longè veri similiora sunt, quæ Martinius adfert. Nempe vt κατὰ μετάθεσιν sit à κράδη hoc est, *hamus*, vel aliud, ex quo quid suspenditur. Sanè Germanis similiter cardo est *thürangel*, quasi *ianuæ hamum* dicas. Vel à κραδάω, hoc est, *agito*. In cardinibus enim ianua agitatur, vertitúrque. Horum alterum malim, quàm vt sit à κρατέω, *firmiter teneo*: quia ianuam retinet. Vel à κράτος, pro κάρτος, hoc est, *robur, firmitas*: quam ianua in solis cardinibus habet. *Cardo* ad varia transfertur. Ad cælestia, vt cum sic *cardines* dicunt cæli plagas. Vt cum de ventis agens Vegetius, vocat *cardinem meridianum, occidentalem, septentrionalem*. Vnde ventos à quatuor mundi plagis spirantes dicimus *cardinales*. Quomodo Seruius vocat in illud poetæ, *Eurum ad se, Zephyrúmque vocat.* Vegetius eos *principales* nuncupat lib. IV. cap. XXXVIII. Imo similiter quatuor virtutes principes vocarunt *cardinales*. Ac quia ianua vertitur in *cardine*, etiam vsi eo pro illo, in quo negotium vertitur. Vt apud Maronem:

———*Haut tanto cessauit cardine rerum.*

Quem ad locum ita Seruius: *Aut de summis dixit, ne in tantum quidem: hoc est, breui occasione cessabit.* Aut simpliciter intelligendum, Non poterit in tanta rerum opportunitate cessare. Vt sit de prouerbio tractum, quod dicitur, *Res est in cardine*, hoc est, in articulo. *Cardo*, agrimensoribus etiam limitis genus est. Cuiusmodi limes sit, ostendere conatus est Seruius, in I. Georg.

Ne signare quidem aut partiri limite campum

Fas erat.———

Signare, notare, propterea, quòd cùm agri colonis diuiderentur, fossa ducebatur ab Oriente ad Occidentem, quæ Kardo nuncupabatur: & alia de Septentrione, quæ Decimanus limes vocabatur. Sed Seruio imposuit, quod huiusmodi sæpe est limitum ratio in præfecturis, vbi alia erat ratio, quam in coloniis. In his enim decimanus in Orientem, *Kardo* in Septentrionem: vnde & nomen à *Kardine* mundi. Quod ostendunt hæc Hygini verba, initio libri de limitibus constituendis: *Primum duos limites constituerunt: vnum, qui ab Oriente in Occidentem dirigeret hunc appellauerunt duodecimanum. Alterum à Meridiano ad Septentrionem, quem Kardinem nominauerunt à mundi Kardine.* In Italia Duodecimanos vocarunt Gallicos, quia Gallia est ad Occidentem: ac *Kardinem* dixere maritimum, quia ad Septentrionem ei sit mare Adriaticum. Frontinus de Coloniis: *Adrianus ager in limitibus maritimis & Gallicis: quos nos decumanos, & Kardines, appellamus.* Ad *ianuarum cardines* tenendos. His quæ præerat dea *Carna* dicebatur. Ouid. VI. Fast.

Prima dies tibi, Carna, datur, dea cardinis hæc est.

Numine clausa aperit, claudit aperta suo.

Non tamen à *cardine* id nomen, quia (vt poeta ibidem ait:)

———*Granen dixere priores.*

inde *Carna* κατὰ μετάθεσιν. Cæteroquin à *carne* poterat dicta videri. Vitalibus enim præerat, qua de re Macrobius, lib. I. Saturn. cap. XII. Sed à *Cardo Cardea* dicta sit, si id quoque verum *Carna* nomen. Augustinus, lib. IV. de ciuit. D. cap. VIII. *Tres Deos isti posuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini. Ita non poterat Forculus simul fores, & cardinem liménque seruare.* Verum metuo, ne *Carnam* vel scripserit vel scribere debuerit Augustinus. A *cardo* est *cardinatus*: vt, *cardinatum tignum*, apud Vitruuium, lib. XI. cap. XXI. Item, *cardinalis*, pro principali, & in quo quasi *cardo* vertitur Reip. aut Ecclesiæ. Ita in libro Officiorum Theodosij *Cardinales* vocantur Præfecti prætorio Asianæ diœcesios, & Præfectus Africæ, quod cæteris essent maiores. Ciuilium autem magistratuum exemplo, vt Alciatus quoque opinatur, introductum est *Cardinalium* nomen in Ecclesiam. Ac putat Duarenus sic propriè dictos presbyteros, qui in maiore Ecclesia, quam cathedralem appellamus, cum episcopo suo facerent rem diuinam. Quando verò id nomen in Ecclesia cœperit, & quomodo paulatim *Cardinales* ad tantum honoris fastigium peruenerint, alibi commodius edisseritabimus.

CARDUUS sic vocatur à *carere*, quia aptus carendæ lanæ. *Carere* est ξαίνειν, siue [illegible], quomodo vtitur Plautus, Menæchmis, act.v. sc.ii.

———Dare vnâ operâ pensum postules,
Inter ancillas sedere iubeas, lanam carere.

Ita hunc locum legit Varro, lib.vi de L.L. Itemque Nonius. At in Camerariana, ac MSS. quoque codd. malè est *carpere*. Plura vide infra in *caro*. Est verò *carduus* alius quidem agrestis, de quo Maro:

———Segnisque horreret in aruis
Carduus.———

Alius autem satiuus ac hortensis: qui κατ' ἐξοχὴν sic vocari solet: vnde Gloss. *Carduus*, κινάρα. Siculi κάκτον vocant. Vide *Cactus*, & *Cinara*. A *carduus* est *carduetum*, locus *carduis* consitus. Vsus Palladius. Ab eodem *carduelis*, de quo in *Acanthis*.

CARENUM est vini dulcis genus, quando decoctâ musti parte vnâ duæ relinquuntur. Legas non modo apud Græcos, sed etiam Palladium. lib.xi. cap.xviii item Apitium de re coquinaria: & in Glossis Arabico-Latinis. Nomen videtur conflatum ex Κάρ, & οἶνος, quod primi illud *Cares* decoxerint. Id si est, *Caroenum* scribi debet. Vel potius simplex est, quando *Cares* etiam *Careni* vocabantur: vt apud Cassiodorum, in hist. tripart. Est hæc Turnebi sententia. lib.xiii. Aduers. cap. xxiii. Isidorus Latinum putat. Ita enim ille, xx. cap.iii *Carenum eò quod feruendo parte careat. Tertiâ enim parte musti amissâ, quod remanserit, carenum est.* Hinc *carenaria* dicuntur cortinæ & vasa in quibus *carenum* coquitur. Vsus Palladius, lib.viii. cap.vii.

CAREO, vel est à *caro*, quod Iul. Scaliger scripsit, libb. de causs. L.L. cap.xxii. *quoniam* nempe *deficiente annona carebant, atque ibi tum illa cara erat*. Vel potius à χηρόω, quæ Angeli Caninij sententia est. Notat id verbum *careo, egeo*, χρῄζω ἴσχω, vt interpretatur Hesychius. *T* conuersum in *R*, quomodo & à *patricida* fortè est *parricida*, & à [illegible], pro quo alij scribunt [illegible]. Vel quod non minus placet, venit à χηρόω, id est, *destituor, careo*. Aut est ab Hebræo [illegible], hoc est, *nudari, euacuari*. A *careo* est *cassum*, vnde (vt Priscianus docet, lib xi.) *cassum*, quâ ratione à *defetiscor*, pro *defetiscitus* dicimus *defessus*. Propriè enim dicimus *nucem cassam*, quæ *vitiosa* dicitur Plauto, in Milit. act ii. sc.iii. & Pseud. i. iii. siue quæ, vt Petronius loquitur, *inanis, & sine medulla, ventosa est*. At [illegible] dixit Afranius: *Numero pertimuisti cassam terriculam aduersarij*. Et Appuleius: *Quin igitur masculum animum sumis, & cassa specula renuntias fortiter*. Fallitur Seruius, cùm à *quatiendo* dici putat. Sic enim ille ad secundum Æn. *Cassum*, inquit, *priuatum, vacuum. Et cassum est quasi quassum, & nihil continens. Nam & vas quassum, quod humorem in se non continet, & est vacuum: vnde & retia casses, quæ multum in se vacui habent.* Quam Seruij sententiam de voce *cassus* meritò damnat Nonius: at interea haut rectè ipse deducit à *cassibus*: quæ verisimilius deduxeris à *cassus*, vt bene notarat Seruius. Verba Nonij sunt: *Cassum veteres inane posuerunt, & arbitrandum est, eius verbi proprietatem magis ab araneorum cassibus dictam, quòd sint leuis ac nullius ponderis; non vt quibusdam videtur, quasi quassum.* Verum *cassis* etymon suo loco adducimus. A *cassum* est *incassum*, quâ ratione dicimus, *in vanum, in nihilum*. Quare nec audiendus idem Seruius, cum, ad illud iii. G *Nec cassibus vllis*: scribit in hunc modum: *Cassibus, inquit, id est, retibus. Hinc est, quod & incassum dicimus, id est, sine causâ, quasi sine cassibus, sine quibus venatio est inanis.*

CAREX, *herba acuta & durissima, sparto similis*: vt Isidorus ait. lib.xvii. cap.ix. Sed etymologiam non addit. A *careo* esse videtur, non quidem quia *virtute careat*, vt quidam putarent: sed quia ob acumen & duritiem idonea esset ad *carendum*, hoc est, carpendum & abradendum. A quâ *carendi* notione *carduum* dictum ostendimus. A *carex* est *carecetum*, pro quo [illegible] *carectum* dicitur, locus caricibus abundans.

CARICA fici genus. Plinius. lib.xiii. cap.v *Syria præter hanc peculiares habet arbores. In nucum genere pistacia, in ficorum caricas.* Meminit Papinius, lib.iv Silu. carm. vlt. *Charta Thebaicave, caricave*. Vbi *Thebaica* sunt palmæ ex Thebaide, *carica*, ficus siccæ, quæ Græcis ἰσχάδες. Sic autem à *copia* appellatæ: vt apud Isidorum, etiam in MSS[tis], reperio. lib.xvii. cap.vii. Suspicor tamen, Isidorum pro *copia* scripsisse *loco*. Nisi fortè Isidori mens est, sic dici à *loco*, in quo earum *copia*. Sanè nomen iis à *Caria*, vt vel fidem fecerit, quod eædem *Cauneæ* sunt dictæ à *Cauno*, Cariæ oppido: cuius Ptolemæus, Plinius, aliique plurimi meminerunt. Cicero, lib.ii. de Diuinatione: *Cum M. Crassus exercitum Brundusij imponeret, quidam in portu caricas Cauno aduectas vendens, Cauneas clamitabat.* Plinius tamen *cauneas*, & *caricas*, diuersas facit. lib.xv. cap. de ficis: *Ex hoc genere sunt, vt diximus, Cottana, & Caricæ, quæque conscendenti nauim aduersus Parthos omen fecere M. Crasso, venales prædicantis voce Cauneæ.* Sed eo Plinius separat, quoniam *Caricæ* illi non solum, quæ è *Caria* aduectæ, sed vniuersè ἰσχάδες, vnde & *Syriæ*, quemadmodum vidimus, tribuit ac lib. xv. cap.v. etiam tribuit *Ægypto*. Nempe vt *Pergamena* prius, quæ *Pergamo* afferebatur, postea membrana quæuis: sic *caricæ* prius, quæ è *Caria* ferentur, postea quæuis ficus siccatæ. Glossæ: ἰσχάς, *carica*. Item alio cap. de fructibus: *Ficus*, σῦκον. *Carica*, ἰσχάς. Sunt quibus placet etiam [illegible] legi hac significatione. Nam Lucianum aiunt eâ ratione dixisse [illegible], quâ Athenæus, Hesychius, Suidas, [illegible] seu [illegible] interpretantur, [illegible] ἰσχάδων [illegible], hoc est, [illegible]. Verùm, meo iudicio, [illegible] sit [illegible], non [illegible], aut [illegible]. Nec [illegible], seu [illegible], est *carica*; sed, quemadmodum Erotianus auctor est, *intriti genus*, colorem habens sanguineum, quo quidam decepti [illegible] esse crediderunt. Galenus in Lexico Hippocratico ait, esse [illegible]. Sanè & Athenæus, lib. xii. Lydios eius inuentores facit. Verisimile autem est, inter alia admiscuisse genus [illegible], hoc est, *inglandium*: atque inde [illegible] nomen accepisse. Multum igitur distat à *caricis*. Has, vti & dactylos, mittitabant amicis, ac comedebant, boni ominis causâ. Ouid. i. Fast.

Quid vult palma sibi, rugosaque carica, dixi,
Et data sub niueo condita mella cado?
Omen, ait, caussa est: vt res sapor ille sequatur,
Et peragat cœptum dulcis vt annus iter.

CARIES fortasse à *carendo*, quia res præ vetustate aut putredine caret vigore suo. Ita Isidorus. lib.xii. cap.vi. *Caries putredo lignorum, dictum hoc nomine, quòd eueniat lignis virtute carentibus.* Vt à *facie, facies*; à *specio, species*; ab *effingo, effigies*: sic à *careo* erit *caries*. Verum Scaliger in Coniectaneis monet *esse* à [illegible], [illegible] enim à Theophrasto vocari, quæ sunt *vermiculata*. Idem alteram quoque [illegible] ponit. Nempe vt sit ab Osco *casus* pro *vetustus*: vnde *casus* & *casnar*. Prius igitur fuerit *casies*: vnde postea *caries*: vt ex *asa, asena, Lases*, facta *ara, arena, Lares*. Quod si an Osci *casus* pro *vetusto* dixerint, non satis liquet, possis deducere *casies* ab Hebræa [illegible], quod est, *tegere, operire*. Sane *caries* est *vetustas* ac *putrilago*, vt ait Nonius. Vetusta autem sunt vermiculata, ac situ squalloréque obducuntur.

CARINA trifariam sumitur. Propriè in naui notat trabem imam, fundamentum totius fabricæ. Græcis τρόπις vocatur. Hinc ea vox accommodata infimæ nauis aluo, quam pro tugurio habere Afri solent: vt in Iugurthina Sallustius tradit. *Tegmen* Græcis nuncupatur. Denique poëtæ ita totam nauim vocare solent. Mediam notionem respexit Isidorus. lib.xix. cap.i. *Carina à currendo dicta, quasi currina.* Hoc est, vt Perottus exponit, *quòd per eam liceat currere*. Sin primam notionem respexit Isidorus, voluit *carinam* dici, quia eius præcipuè beneficio per aquas curritur. Veteres non geminabant consonas. Ideo *curo* dicebant, vnde *curina*, & post *carina*. Nec *currendi* tralatio locum hic habet vllum. Nam & Cato dixit: *Mare aut amnes, quà naues ambulant*. Et *currum* pro naui vsurpat Catullus:

Diua leui fecit volitante flamine currum.

Quomodo & poëtæ Græci appellant ἅρμα θαλάσσης, vel [illegible]. Mirum autem, & Latinum *carina*, & Græcum τρόπις, propè à leo accedere ad voces eiusdem notionis, *carere* dico, & [illegible]. Sed cur à *carendo* huic nauis parti nomen facerent, difficile est sit caussam adferre qui nugari nolit. Et τρόπις, Eustathio teste, potiùs dicitur quasi [illegible], hoc est, *firma solidáque*; vnde ea & [illegible] dicebatur, auctore Hesychio. Et *carina* potius à [illegible], non quia *tendere* notat, etsi *remos* à *tondendo, tonsas* dici Festus doceat, atque hoc à *tondendis aquis* plerique interpretentur, præter Festi mentem tamen: sed quia significat, *scindere*, vel *secare*: quomodo de *carina* siue nauigio etiam Latini loquuntur. Vt, v. Æn.

———Sic ipsa fugâ secat vltima Pristis
Æquora.———

Et x.

Massicus ærata princeps secat æquora Tigri.

A *carina* forte est *carinari*, de quo deinceps.

CARINARI est illudere: vt Isidorus in Glossis exponit. Originem conatus aperire Festus: *Carinantes*, inquit, *probra obiectantes. à carina dicti, quæ est infima pars nauis. Sic illi fortis infima.* Non tamen potem tam respexisse eos, quòd *carina* sit in una naue, quam quòd qui in *carina* essent, sæpius cont[illegible] melioris verbis alios impeterent. Quomodo & à γέφυρα, id est, *ponte*, Græci γεφυρίζειν fecere, quasi *de ponte conuicia iacere*. De quo vide

Ammonium in Σκῶμμα. Imò ne à *carina*, quidem ea vox est, sed a χαρίεν, id est, *venustum, lepidum*: vt *carinari* propriè sit, facetè & falsè iocari, &, vt Galli dicunt, *plaisanter*. Ad etymon hoc Glossæ Philoxeni præeunt, in quibus est: *Carinare*, χαριεντίζεσθαι. Vel sit a *caro*, hoc est, κνάω, *carpo*, quomodo dicimus *lanam carere*, hoc est *radere, carpere*. A *caro* fit *carino*, vt à *nato, natino*, vnde *natinatio* apud Festum: ab *expleo, expleno* apud Festum, a *pago, pagino*, vnde *pagina*; a *lurcor, lurcinor*, vnde *collurcinatio*, apud Appuleium; a *nego, negino*, in carmine Cn. Marcij apud Festum, & alia alibi. Hanc sententiam iuuat, quod, vt *carere* de veste dicitur, & dictis mordacibus: sic κνάπτειν significet tum *vestes lauare*, vnde γναφεύς, *fullo*: tum λοιδορεῖν, ac *maledictis & conuitijs proscindere*: vt apud Aristophanem, Demosthenem, alios. Vsus *carinandi* verbo semel iterumque Ennius. Cuius illud apud Seruium Danielis:

Sed neque me decet hanc carinantibus edere chartis.

Corripit penultimam, vt non possit esse à *carina* nauis. *Carinantes chartas* dixit *mordaces, alterumque carpentes*. Aliter Ennij versus sic rectè à Salmasio corrigitur:

At contra carinant, verba atque obscœna profatus.

Vbi vulgo, *Contra carinantes*: sed inuito metro.

Carissa vtrùm Lucillio *vafrum*, an *vafram* notet, difficile est è Festo scire, codicibus eius variantibus. Atque hæc in Philoxeni quidem Glossis legas. *Carissa*, πανοῦργος, πορνοβοσκός. Sed in Glossis Isidori est: *Carissa, lena vetus & litigiosa: ancilla dolosa & fallax.* Sed seu *lenonem*, seu *lenam*, signet, videri possit eiusdem esse originis ac affine Gallicum *caresse*, hoc est, blanditiæ, & *caresser*, blandiri. Nempe a Græco χάρις, vel χαρίεν, vel χαριεντίζεσθαι. Sane virgo ἄχαρις,

——*Veneris quæ gaudia nescit*,

vt cum poëta loquar, χαριεντίζεσθαι, *grata, lepida, vrbana proferre*. Sed paullo hæc incertiora, quia pro *carissa* etiam legitur *caprissa*: quasi eam signet, quæ capræ vel meretricis mores imitetur.

Carmen duplicem habet significationem. Pro instrumento, quo lana purgatur, a *carendo* dicitur, quasi *carimen*: qua de re dicimus voce *caro*. At *carmen*, pro vincta oratione aliunde est. Sed vnde veniat, non ita apertum est. Vir summus censet esse ab Chaldæo כרמא, *carma*: hoc est, *vitis*, vel *vinea*, quæ Hebræis כרם, *cerem*. Nempe arbitratur, vocem hanc primo significare *vitem*: inde cœpisse accipi pro *dolio*: item *scena pro austro imposita*, vnde *carmina* fundebantur. Quod probat ex illo Hesychij: Κάρμη, πίθος. Κάρμα ὁ ἐπὶ τῷ ἀγροῦ σκηνή. Ac *scena* quidem, vnde *carmen* dicebatur, sic ei dicta putatur, quia *vite* esset tecta: nam à vinitoribus ac vindemiæ tempore *carmen* est inuentum, saltem comicum & tragicum eóque & *carmini* inde nomen. *Dolio* verò id nomen datum, quia vino impleretur. Indéque & κέραμος & κεραμεύς. Non repugno quo minus hæc aliquis amplectatur. Mihi tamen simplicius veriúsque videtur, *carmen* esse factum a *casmen*, quod à *casno*, vnde & primò *Casmenæ* dictæ, quæ postea vocatæ *Carmenæ*, postremò *Camenæ*, vt rectè monet Varro, lib. VI. de L. L. Siquidem quod nunc *cano*, id olim fuit *casno*, credo ἀπὸ τοῦ χαίνειν, inserta literâ S: quomodo *dusmus*, & *dusmosus* dixere, pro *dumus*, & *dumosus*. A *casno* verò *Casmenæ* primò dictæ, quod veteres vsurpant poëtæ, & fortean Ausonius. Exin, vt dicebamus, vocatæ *Carmenæ*, conuerso S in R; quâ ratione, *ara, lares, feriæ, arena*, facta sunt ex *asa, lasas, fesiæ, asena*: nec non *Papirij, Valerij, Furij, Aurelij*, qui prius *Valesij, Fusij, Papisij, Ausesij*; vt constat è Fabio, lib. I. cap. IV. Festo in Aurelia Macrobio, cap. II. lib. III. Saturnal. Velio Longo de Orthographia aliisque. Et R quidem in *carmen* remansit: at ex *Carmenis* factæ *Camenæ*, eliso R, asperâ & caninâ literâ, vt vocant Naso, Persiúsque. Possis & dicere, vt à *genimen* est *germen*, sic à *canimen* esse *carmen*, N in R conuerso, vt in alijs multis. Item à *cano* dici *canena* & conuerso N, *Camena*, quod Macrobius tradit in lib. II. de Somnio Scip. At audiri non debent, qui *carmen* dici aiunt, quia *carptim* pronuntietur: vel quod vates *carere* mente existimentur. Vtramque originem Isidorus promit, lib. I. cap. XXXVIII. Nec placet eorum sententia, qui *carmen* dici aiunt ab ἁρμὸς, quod est, *aptum, concinnum, harmonicum*: quod ipsum quidam deducunt ab ערך, id est, *callide & concinne aliquid coagmentare*. Quemadmodum & displicet, qui *camenas* conflatum putant ex *casta* & *mens*, quia sint castæ mentis præsides: vel ex *cano* & *anto*, quia canat antiquorum laudes: quæ duo ἔτυμα Festus subiungit, cum à carminibus eas ita vocari dixisset. Item qui *camœnas* dici aiunt, quasi *canentes amœne*. Porrò veteres cum desinentia in MEN, etiam per *mentum* efferrent (vt *momen momentum, documen documentum*,) etiam pro *carmen carmentum* dixisse videntur. Inde *Carmenta*, quia *carmine futura proderent*. Ac festum earum *Carmentalia*. Varro, lib. V. de L. L. *Carmentalia nominantur, quod sacratum, & feriæ Carmentis.*

Caro, *caris* (nisi potius *carro* scribendum gemino RR,) est verbum antiquum pro ξαίνω. De eius vsu ac ἐτυμολογίᾳ sic Varro, lib. VI. de L. L. *In Menæchmis Plauti. Inter ancillas sedere iubeas, lanam carere. Idem est hoc verbum in Cosmetriâ Næuij* (alij Æmæthiâ, aut Cosmeteriâ.) *Carere à carendo, quod eam tum purgant ac deducunt, vt careat spurcitiâ. Ex quo carminari dicitur tum lana, cùm caret eo, quod in eâ est nequam.* Verùm, vt in Coniectaneis suis monet Scaliger, dubium non est, quin *caro* sit à κείρω, ξαίνω. A *carere* huc *carere*, tum *carduus* est, de quo separatim: tum *carmen* pro instrumento, quo lana purgatur. Hac significatione dixit Lucretius, lib. IV.

——*Quasi carmine lana trahatur.*

In vet. codd. est *quasi marcine*, vnde quidam *quasi margine*, alij *quasi imagine*, alij aliud fabricarunt. Sed acutè vidit magnus Scaliger ad Tibullium, solùm literarum traiectione factâ *carmine* legi debere. A *carmen*, quà à *carendo*, quasi *carimen*, dicitur, venit *carminare*, vt superior Varronis locus indicat. Notat ea vox lanam *carmine* purgare. Gloss. vett. *Carminat*, ξαίνει. Glossæ Arabico-Latinæ: *Carmino, canto*. Fortasse legendum *carpo*. Vel verum, quod dixi: vel error est auctoris, ignorantis eam *carminis* notionem, quam adduximus. Plinius, libro IX. capite XXXVIII. *Quinis lanæ potat horis, rursúsque mergitur carminata, donec omnem ebibat saniem.* Putabat & Ianus Gulielmius, lib. III. Verisim. cap. XX. apud Plautum legi debere: *Bene autem ora carminans atque ex mea sententia.* Locus est Menæchmis, act. V. sc. VII. Sed rectum esse *commentans*, quod in MSS[ts] quoque legitur, solidè comprobat Gruterus.

Caro, siue *carnis* (nam sic in recto dixere veteres, teste Prisciano, in VII.) ita à *creando* dici videtur Isidoro, libro XI. cap. I. At à *carendo* deducit Donatus, non quidem in Heautontimorumenon, vt ait Duza, Præcidaneorum in Petronium lib..... cap. ... (nam non Donatus, sed Calphurnius, in Heautontimorumenon scripsit.) Verum ad Hec. act. III. sc. IV. *Caro, inquit, mortua est, eo quod careat anima. Et caro propriè dicitur mortuorum.* Virgil. *Et corpora luce carentum. Vnde carnifices dicti, quòd carnes ex homine faciant. Pulpa verò propriè ea quæ manducatur, eo quòd pulsetur & conscindatur. Potest & R pro D poni: vt caro sit dicta quasi cado; vt Virgilius: Belloque caduci Dardanidæ, quod iam scilicet sine anima sit & cadat.* Similiter Iul. Scaliger, lib. III. R. P. cap. LXXXVI. *Nos in Originibus ita commenti sumus. Carnis vocabulum vix & raro in viuente, nisi apud philosophos, at vulgus cadaueris carnem dicebat, quæ iam careret vita.* Hæc Scaliger. Quod ait, veteres illos non temere *carnis* voce de viua intelligere. Nam Maximiani, qui Cornelij Galli diu nomine latuit, ratio haberi non debet, quando ait:

Carnis ad officium carnea membra placent.

Nec enim *caro* de viua propriè dixeris, careat vitâ: si etymon allatum verum est. Sanè simile quid obseruaui in linguâ Germano-Belgica: Nam *lyck* appellant *cadauer*: at corpus viuum nominant *lichaem*, nempe, vt suspicor, à *lyck*, quod ἄψυχον *corpus* notat; & *aem*, quod contractum ex *adem*, id est, *spiritum, anhelitum, animam*: vt *lichaem* propriè sit *corpus animatum*; *lyck, corpus inanimum*. Quin eodem modo differre aiunt apud Græcos σάρξ, & κρέας. Id autem probant Plutarchi loco in problematis Sympotiacis, quo non obscurè iudicat, Stoicos quosdam ita distinguere inter σάρξ, & κρέας, quòd illud de *mortuâ*, hoc de *viuâ carne*, dicatur. Imò doctissimus H. Iunius notis ad eum Plutarchi locum, censet hanc significationem posse ipsâ ἐτυμολογίᾳ confirmari, quia σάρξ Æolicè sit σύρξ, à σύρω, cuius futurum Æolicum σύρξω, ac rationem nominis esse, quod *artus mortuis detrahatur cutis*. Κρέας verò esse à κέρας, quod *animam* notat, vel ἀπὸ τοῦ κεράσαι, hoc est, *miscere*, quia conflata temperatáque sit è quatuor elementis. Sed corrupta Plutarchi lectio decepit virum doctissimum, longaque illa ad eum annotatio planè est absurda, quemadmodum te docebit Paullus Leopardus, lib. XVIII. cap. III. Quare & inualidâ admodum argumento est subnixa Iulij Scaligeri sententia, cum σαρκασμὸν esse putat, *irrisionem super mortuo*, aut *certò morituro*: veriúsque omnino videtur σαρκάζειν propriè dici de canibus super osse carniue tresto hiscentibus: quemadmodum in Oratoriis diximus, lib. IV. cap. XIII. Nec mouent, quæ de ἐτυμολογίᾳ vocabulo *caro*, & *carnifex*, adducunt. Nam (quemadmodum ibidem docuimus) *carnifex* dicitur, quia *carnem faciat*, hoc est, *conficiat*, siue *interficiat*. Quippe vt Græcis ῥέζειν, ita apud Latinos *facere*, non tantùm ποιεῖν, notat, sed etiam *occidere*, quæ significatio remansit in compositis, *conficere*, & *interficere*.

cere. *Caro* autem non à *carendo* est, sed παρὰ τὸ κείρειν à κείρω, quod idem ac *scisso*. Hesychio teste. Vel est *caro* à κρέας. Nam fere Latini ε traiiciunt, vt cum ab ἅρπαξ dicunt *rapax*; à περσεφόνη, *Proserpina*, à σπορνύω, *sterno*, suntque alia id genus multa, quorum quædam adduximus in voce *cancer*. A *carne* forte dicta Dea *Carna*. Nam vt inter alia scribit Macrobius, lib. I. Sat. cap. XII. *Hanc Deam vitalibus humanis præesse credunt; ab ea petitur, vt iecinora & corda, quæque sunt intrinsecus viscera, salua conseruet*. Aliis verisimilius fit. *Carnea* factum esse ex *Cardea*, hoc ex *Cardinea*. Sane *Cardeam cardini* præesse scribit Augustinus, extremo cap. VIII. lib IV. Diximus hac de re quoque in *Cardo*. Ædiles qui *carni* præessent dicti *carnales*, vt ex Varrone Nonius docet: etsi apud eum corrupte *ædules* pro, *carnales*. Vide Turnebum. lib. XXIX. cap. XXI.

Carpentum constat esse vehiculi genus: sed non æque constat, quale sit. Cæsar Scaliger, Animaduersionum in Historiam Theophrasti lib. V. cap. VIII. esse currum cum sella duos capiente, ac Græcis dici δίφρον, quasi διφόρον, quia duos ferat. Nomen est à *Carmenta*, Euandri matre, quasi *carmentum*, vt coniectat Ouidius, I. Fast.

Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant.
Hæc quoque ab Euandri dicta parente reor.

At Isidorus lib. XX. cap. XI. *Carpentum*, inquit, *pompaticum vehiculi genus est, quasi carrum pompaticum*. Censet igiturconflatum esse ex *carrus*, & *pompa*. Nempe quia vehiculum esset honoratorum. Suspicari etiam liceat esse à Græco καρπάλιμος, id est, *celer*: quia hoc honoratiores veherentur: vel à *carpino* arbore, ex cuius ligno fieret. Sed profecto nihil horum placet. Potius sit à *carpendo*. *carpentum*, siue qua notione dicimus, *carpere iter*: siue potius qua *carpere* est *scindere*: quia ex scissis fieret lignis. A qua significatione Gallis hodie *charpentier* dicitur faber tignarius, quia ligna *carpit*, hoc est, cædit.

Carpo forte à κάρφω. Homerus vers. CCCXCVIII. Odiss. ν.

Κάρψω μὲν χρόα καλὸν ἐνὶ γναμπτοῖσι μέλεσσι.

Vbi vertere possis, *Carpam pulchram cutem in flexilibus, atque*. vt Horatius loquitur, *teretibus membris*. Simili metephorà transferas *deflorescere faciam*. Eustathius interpretatur ξηρὰν ποιήσω, ἢ συστείλω, *arefacere, & contrahere*. Vel *carpo* (quod magis placet) eiusdem, vt significationis, sic originis erit ac Græcum τρύγω, vel τρυγάω nempe à καρπὸς, quod cùm *tunsarum manus*, tum *fructum* significat, qui propriè τρυγᾶται, hoc est, *carpitur*, siue *decerpitur*, καρπὸς verò (vt quidem Scaliger scribit, ad lib. I. Theophrast. de caussis plant. cap. XXVI.) erit à ἁρπάζω, siue ἁρπάγω. Nam ab ἁρπάγω, transpositis litteris καρπὸν putat fieri, nempe non à substantia sed ab euentu. Becmannus monet, non multùm abludere à חרף. id est *carpsi*. A *carpendo carptores* dicuntur, qui in conuiuiis cibos scindentes carpentésque præministrant. Ita Iuuenalis dixit, *carptores*, *archimagiri*. Iidem & vocati *structores*, quia eorum vt Maro loquitur. *cura penum struere*. Vide fis quo de horum scribit Lipsius lib II Saturn. cap. II. & Fulvius Vrsinus, Appendice de Triclinio. Vide & *Struo*.

Carruca vehiculi genus apud Spartianum, Vopiscum, & alios. Onomast vetus: *Carruca*, μυρονταχὸς. Puto esse à *carrus*: vel, vt *currus* à *curro*, ita *carruca*, quasi *curruca*. Honoratorum erat. Leg. vnica. Cod. de honoratis vehiculis: *Omnes honorati, seu ciuilium, seu militarium dignitatum, vehiculis dignitatis suæ, hoc est, carrucis, intra vrbem vtantur*. Alexander Senatoribus permisit, vt *argentatas* haberent *carrucas*: quemadmodum auctor Spartianus in eius vita. Hinc *carrucarius* etiam apud Græcos. Glossæ Cyrilli: Καρουκάριος, *mulocisiarius*, *carrucharius*. Additur. ῥαιδάριος, *rheda*. Imò apud Hesychium etiam καροῦχα legas. Nempe ea à Latinis Græci acceperunt. A καροῦχα autem quod diminutiuam formam habet *carrocium* legas apud Godefridum Monachum in Annalibus & iuniorum alios.

Carrus, καρ᾽ ἀνόμαλον est à *currus*. Id verisimilius, quàm vt sit dicatur à *cardine rotarum*, quòd Isidorus tradit. lib XX. c. XII. *Carrus* se vallare exercitus solet. Sisenna Hist lib. IV. *Impedimenta collocant omnia, construunt carros, & sarraca crebra disponunt*. Carros plaustráque in orbem disposita, vt pro vallo essent, *carraginem* dixere æuo posteriori. Vopiscus in Aureliano: *Quærere præterea vbi carrago sit hostium, & vere scire, quanti quales que sint* & Ammianus lib. XXXI. & Trebellius Pollio loco non vno Græcis iunioribus dicitur καράγος, quod ex *carrago* corruptum. Leo imperator in Tracticis: Καράγος λέγεται ὁ ἀπὸ τῶν ἁμαξῶν, ἢ τῶν ἀλόγων, καὶ τῶν ἄλλων μετὰ τὴν κύκλον ἀσφαλείας ἐν τῷ πεδίῳ τῆς παρεμβολῆς. Obseruauit & Meursius in Lexico & Auctarij Philologici cap. XVI. Item Vvouerius ad Ammiani lib. XXXI.

Cartibulum, quid sit, & vnde dicatur, explicat his verbis Varro in IV. de L.L. *Altera vinaria mensa erat lapidea quadrata oblonga, vna columella: vocabatur cartibulum. Hæc in ædibus ad compluuium apud multos, me puero, ponebatur: & in ea, & cum ea, ænea vasa. à gerendo Gertibulum, vnde Cartibulum post dictum*. In Isidori Glossis corruptè est, *caspipulum mensa quadrata*.

Cartilago à *carnium*, τῆς σαρκὸς. Ita Isidorus lib. XI. *Cartilagines, ossa mollia & sine medulla, quod genus auricula, & narium discrimen & costarum extremitates habent, siue opercula ossium, quæ mouentur. Et dicta cartilagines, quod leui attritu careat dolore, dum flectuntur*. Sed cum *cartilago* media sit naturæ inter carnem & ossa, satius sit deducere à diminutiuis vocis *caro*, vnde *caruncula*, vt ab antiquo nominatiuo *carnis* esset *carnicula*: teste Prisciano in sexto. A *carunculago* vel *carniculago* fit *cartilago*, mutatione literæ, & syncope qualis in *imago*, quod ex *imitago* ab *imitor*. Vel simpliciter à *carne* fit *carnilago*, hinc *cartilago*, vt *lago* sit vocis productio.

Carus & *caritas*, etiam tum sine aspiratione legas in vett. lapp. & libb. cùm significat φιλίαν, seu ἀγάπησιν, quemadmodum & orthographiâ probauit *Aldus*. Vulgò tamen hac significatione *charum* scribunt, idque, vt aiunt, διὰ τὸ χαρίεν. Ego veteres sequi malim. Sed etymon quoque scripturæ vulgari fauere aiunt. Nam esse à χάρις seu χαρά. Sane in centuria epistolarum Philologicarum, a Goldasto edita, exstat epistola Petri Schotti ad Rodolphum Agricolam, qua quærit, *charitas* Latinumne sit, an Græcum; & si Græcum, qua deductione ἀπὸ τοῦ χαρίεντος deducatur. Sunt & alij, quibus hoc etymon inprimis placuerit. Sed nihil eo incertius. Magis verisimile sit *carus* propriè notare *pretiosum*, ac μεταφορικῶς significare *dilectum*. Nam quæ πολύτιμα, eadem ἀγαπητὰ esse solent. Quod si est, omnino *carus* scribi debeat, seu vili opponatur, seu notet amicum dilectumque. Sed vnde *carus* pro pretioso? Num à *carendo*, quod Perottus ait? Sanè deficiente annonâ, *carent* homines, atque ibi tum illa *cara*: vt & Scaliger scribit, cap. XXII. libb. de caussis L.L. Sed longè magis placet, *caro* truncatum esse ab Hebræo יקר, siue potius Chaldæo יקר, vtrumque notat *pretiosum*, siue *carum esse*.

Caryatides erant statuæ muliebres in columnis, quarum Plinius quoque meminit, lib. XXXVI. cap. V. Nominis rationem his verbis aperit Vitruuius lib. I. cap. I. *Cyra, ciuitas Peloponnesi, cum Persis hostibus contra Græciam consensit. Postea Græci per victoriam gloriose bello liberati communi consilio Caryatibus bellum indixerunt. Itaque oppido capto, viris interfectis, ciuitate deletâ, matronas earum in seruitutem abduxerunt. Nec sunt passi stolas, neque ornatus matronales, deponere, vti non vno triumpho ducerentur: sed æterno seruitutis exemplo graui contumelia pressæ pœnas pendere viderentur pro ciuitate. Ideo qui tunc architecti fuerunt ædificiis publicis designauerunt earum imagines oneri ferendo collocatas, vt etiam posteris nota pœna peccati Caryatium memoriæ traderetur*. Hæc Vitruuius; cui adstipulantur Pausanias, Athenæus, alijque. Philander, ad superiorem Vitruuij locum, ait & alteram esse originationem, quam legere sit apud Lactantium. Eadem quoque sententia Baptista Pij, Annot. post. cap. CXX. Respicit autem vtraque, quæ notauit is Scholiastes ad istoc Statij, IV. Thebaidos.

Plaudentique habiles Carya resonare Dianæ.

Vbi sic scribit: *Templum in Laconia Dianæ sacrum, quod etiam Caryatium nominatum est, ex hac caussâ: Quum luderent virgines, minitante ruina, omnis chorus in arborem nucis fugit, & in ramis eius pependit, quam nucem Græci caryan vocant*. Sed (quod Egnatius, ac Philander, non viderunt) loquitur Statius, eiúsque Scholiastes, de *Carya* Laconica, quæ tantum templum erat Dianæ: quemadmodum de hac quoque capiendum, cùm in Messeniacis Pausaniæ legimus, quomodo sub Aristomene, virgines Laconicæ, *Caryatidi* Dianæ choros agitantes captæ sint. Quódque Dalecampius non satis perspexit, ad hanc pertinet illud Plinij, lib. XXXVI cap. V. *Romæ Praxitelis opera sunt quas Thyades vocant, & Caryatidas*. At præterea est & *Carya*, κώμη Tegeæ, in Arcadia, vt Pausanias docet. Atque hanc Vitruuius intelligit, vt argumento est, quod ait, eam tantæ fuisse potentiæ, vt Græcorum in se bellum concitârit. Sed & Phoroneo, finitimo regi, bellum intulisse testatur Eusebius, iuxta certissimam emendationem Ios. Scal. apud quem plura de vtraque *Carya* legere potes in animaduers. Eusebianis.

Caryophyllum, παρὰ τὸ ὅμοιον; à κάρυον, & φύλλον, planum est venire: q. d. *nucis folium*. Si tamen rem spectes, neque eius habet naturam, neque formam. Nam, vt auctor est Paulus, flos est arboris Indicæ festucaceus, in claui modum capitatus:

tatus: vnde & Germani *nägelin*, *clauos*, vocant: & Belgæ similiter *gero flenagel*, q. d. *caryophylleus clauus*. Quamobrem non desunt, qui Græcanicam *caryophylli* vocem corruptam suspicentur. A *caryophyllis* nomen accepit *flos caryophylleus*, quia radix eius *caryophyllorum* odorem verno tempore spirat. Germani vocant *nagelblumen*, Belgæ, *giroffel-bloemen*, & *groffels-bloemen*; Itali, *garofoli*; Galli, *Oeillets*, vnde & hodie quidam, *ocellos*, *ocellos Damascenos*, ac *ocellos Barbaricos* appellant. Quidam veterum *betonicam*, aut *Cantabricam*, esse censent. Sed plurimum ab vtraque discrepat. Quare Ruellio & Donæo subscribo, qui florem, quem *caryophylleum* vocamus, veteribus ignotum fuisse existimat. Nec enim, si scissent, verisimile est, fuisse neglecturos, cùm facile inter flores primas teneat post rosam.

Caryota *palmula* Varroni est, quæ καρυωτὸς φοῖνιξ Aëtio dicitur, lib. xi. cap. xxx. Plinio epist. vii. lib. i. ἁπλῶς dicitur *caryota*: vti & Plinio Veronensi, cum alibi, tum lib. xv. cap. xxviii. cùm ait: *Carne palmæ pascent, crusta Thebaica, succo vua & Caryota*. Vbi communem *palmam*, ἁπλῶς vocat *palmam*: iis addit duo *palmarum* genera, *caryotam*, & *Thebaicam*. Vnde videmus, etsi Plinius alibi dicat, vndequinquaginta fuisse *palmarum* genera, tamen in his *caryotam* & *Thebaicam*, maxime memorari. *Caryota* nomen à κάρα id est, *caput*; vel καρόω, id est, *soporo*, *capiti grauedinem concilio*. Vnde καρωτικὰ Medicis dicuntur, quæ soporem aut capitis grauedinem adferunt: vti mandragora, Dioscoride & Plinio testibus: item nux iuglans, quæ inde κάρυα Græcis appellatur, vt dicemus in *nux*. *Caryotidum*, quod diximus, etymon adfert Plinius lib. xiii. cap. iiii. *Ab his*, inquit, *caryotæ maxime celebrantur, & cibo quidem, sed & succo vberrimæ. Ex quibus præcipua vina Orienti iniqua capiti; vnde pomo nomen*. Alij tamen non à καρόω, vel κάρα, dici putant, sed à καρύων, quasi *nucales*. Quod magis placet. Nec enim *palmulæ* omnes, *caryotæ*, sed maiores quæ formam haberent amplæ nucis, & refertæ essent succo. Isidorus, lib. xvii. cap. vii. *Fructus palmæ dactyli, à digitorum similitudine nominati sunt: quorum etiam nomina variantur. Nam alij appellantur palmulæ, similes myrobalani. Alij Thebaici, qui & Nicolai. Alij nucales, quos Græci caryotas vocant*. Sic locus is legendus. Meminit & *caryotarum* Martialis, lib. viii. ep. xxxiii.

Hoc tenuis sputo Iani caryota Kalendis.

Et in Xeniis.

Aurea porrigitur Iani caryota Kalendis.

Caryotam appellat *auream*, quia quæ Kalendis Ianuariis dono mittebatur, hæc aureis tunicis siue bracteis inuoluebatur, prout & hodie istiusmodi tunicis operiri in nuptiis solent pleraque opera è sacchario confecta. Nisi respexerit *caryotam* Babylonicam: cuius color aureus. Nam electri iis colorem, qui aureus est, tribuit Xenophon. lib. ii. de electione Cyri: ἡ δ' ὄψις ἠλέκτρῳ οὐδὲν διέφερε. *Adspectu nihil ab electro differebant*. Et Diodorus quoque Siculus quasdam *caryotas* vocat ἠλεκτρίνας, siue *luteas*. Ac Galenus meminit χρυσοβαλάνων. Pro *Caryota*, & Καρυῶτις dicitur: apud Dioscoridem, lib. i. extremo, cap. cxlix. μάλιστα δὲ αἱ καρυωτίδες ἰῶνται τὰς ἀρτηριῶν τραχύτητας ἰσθιόμεναι. *Maximè autem caryotides comesæ faucium medentur asperitati*. Similiter apud Papinium legas, lib. i Silu. Carm. vlt.

——— *Et latente palmâ Prægnantes caryotides cadebant.*

Et Martial. lib. xi. ep. xxxii.

Et notas caryotidas theatris.

Quibus locis vterque poëta indicat, *caryotas* inter missilia populo spargi solere.

Casa ab Isidoro in Glossis *tugurium* exponitur. Glossæ Philoxeni similiter interpretantur καλύβη. Quod ad etymon, Festo est à *cauatione*, nempe quod antiquitus, vt Naso ait, *domus antra fuerunt*. Perotto est à *caso*, frequentatiuo verbi *cado*, quod *casæ* facilè cadant. Aliis à καίω, quod erit à καίω, hoc est, *vro*, *cremo*: vt propriè sic dicatur, quòd in ea ignis strui possit. Sed omnino, vt à tegendo, *tugurium*; vt καλύβη παρὰ τὸ καλύπτειν. sic *casa* à כסה, *casa*, quod est *tegere*. A qua origine etiam videtur esse κάνδυς, pro *lacerna*, siue *chlamyde*, *equestri*, quomodo vsus Xenophon, lib. viii. Κύρου παιδ. Nempe qua ratione à *tegendo* dixere *togam*: ea *chlamydi* quoque ab Orientis voce, quæ *tegere* notet, nomen impositum sit. Quod eo verisimilius, quia κάνδυς, pro *lacerna*, nemo veterum dixerit præter Xenophontem in Persicis: vt videri possit vox esse ab Oriente accepta. Græcis verò κασᾶς, vel κασῆς sumebatur, pro *tapetis*, aut *coactilibus*. Hesychius: Κασᾶς, ἀμφιτάπης, ἢ πιλωτός. Arcadius Grammaticus: Κασῆς τὸ πιλωτὸν ἱμάτιον ἀσσυριστί. Fortasse & *lacerna equestris*, de qua Xenophon, fuerit opus πιλωτὸν, siue *coactile*. Vtcunque hoc est, videmus, quomodo vt à *tegendo* Latini, tum ædificij partem, tum vestis genus, *tectum* dicebant qua de re in *Tego* dicimus: ita à *tegendo* & vestem κάνδυν, vel κασᾶν, & domum etiam *casam* esse nuncupatam. Quod eandem esse originem vtriusque vocis ostendit. Isidori etiam ætate ὁμωνύμως *casulam* dixere, non tantum pro *parua casa*, siue *tuguriolo*, sed etiam pro *cucullata vestis genere*. Vnde vetus vocabularium: *Casula etiam dicitur vulgo planeta presbyterorum, quòd instar paruæ casæ totum hominem tegit*. A *casa* pro *tugurio* est *casarius*, καλυβίτης, vt exponitur in Gloss. vett. Sic *casaria* Festo, quæ *casam* custodit.

Cascvm est *antiquum*, vt interpretatur Festus Pompeius. Legas apud Varronem, lib. ix. de L.L. Sed plenius de eodem, lib. vi. his verbis: *In carmine Priami apud Accium, quod est,*

Veteres, ô Camenæ, cascas res volo profarier

Et Priamum. ———

Cascum significat vetus, eius origo Sabina, quæ vsque radices in Oscam linguam egit. Cascum vetus esse significat Ennius, cum ait,

Quam primum casci populi genuere Latini.

Eo Magis Manilius, quod ait:

Cascum cascam dux sse, non mirabile'st,

Quoniam Caron (id est Charon) *ea sanciebat nuptias.*

Item ostendit Pomponij epigrammation.

Ridiculum est, cum te Cascam tua dicit amica,

Filij Petroni, sesquisenex puerum.

Dic tu pusam illam: sic fiet mutuo muli.

Nam vere pusus tu, tua amica senex.

Item ostendit, quod oppidum vocatur Casinum. Hoc enim à Sabinis orti Samnites tenuerunt, & nunc nostri: vnde & Cascinum, forum vetus. Item significant in Atellanis aliquot pappum senem, quod Osci Casnar appellant. Hæc Varro, cuius verba adduxi, prout ea restituit Ios. Scaliger. Quod autem Varro ait, *priscos* illos *Latinos*, qui fuere ante conditam Romam, *cascos* ab Ennio appellari, idem etiam legas apud Cic. i. Tuscul. quæst. & Hieronymum, ad Niceam. *Casnarem* verò Oscorum linguâ *senem* dici, præter Varronem scribit Festus. Eo vsum Labienum, seu is Cornelius Gallus fuit, auctor est Fabius lib. i. cap. v. Eidem quoque Scaligero, & Hadriano Iunio, assentio, cum sic apud Nonium legunt. *Casnares, senes*. Varro Sexagesimo. *Vix effatus erat, cum more maiorum, vltro Casnares arripiunt, de ponte in Tiberim deturbant*. Patet alludi ad senes *depontanos*, qui lx. annos nati deiiciebantur de ponte, vnde & satyræ inscriptio, *Sexagesimus*. Ac putabat Palmerius, similiter apud eundem Nonium restituendum illud Turpilij, Epiclero: *Te quidam omnium iam pater copem casnarem facit*. Vt nempe & hic *casnar* non ad ætatem referatur, sed munerum honorúmque Priuationem. Sed tandem ad etymon vtriusque vocis accedamus. Id docuit nos Scaliger in Coniectaneis. Vult autem & *cascus*, & *casnar*, esse ab Osca voce *casus*, significante παλαιὸς, vnde & *caseum* hinc deducere non dubitat, vt propriè sit lac vetustate coactum ac concretum. Item *caries*, vt prius fuerit *casies*, de quo seorsum dicemus. Oscum *casus* sit à Chaldæo קש. id est *senescere*, vnde קשיש. *senex*. Arabibus קסיס, *senex*. Hæc verisimiliora mihi videntur, quàm quod doctissimus Masius in Ios. cap. xi. annotauit antiquos. à *cadendo* dictos *cascos*, exemplo Hebræorum, quibus *casci* vocabantur נפלים, *nephilim*, quod itidem est à *cadendo*.

Caseus, à *coago*, hoc est *cogo*, *premo*, siue quia coagulo prematur, siue quia prematur manu; quod etiam fit, ne sit nimis laxus ac fistulosus. Suetonius in August. cap. lxxvi. *Et caseum bubulum, manu pressum, maxime appetebat*. Et Columella, lib. vii. cap. viii. *Illa verò nobilissima est ratio faciendi casei, quem dicimus manu pressum*. Itaque Maro *caseum* sic περιφράζει. Eclog. i.

Et pressi copia lactis.

Non ineptè igitur Varro, lib. iv. de L.L. *Caseus à coacto lacte, vt coaxeus dictus*. Et lib. v. *Sic è lacte coacto caseus nominatus: sic ex hominibus contio dicta, &c*. Sed apud Festum, siue Paullum, legas, *caseum* dici à *carendo*. Isidorus. lib. xx. cap. ii. à *carendo*. *Caseus*, inquit, *vocatur, quòd careat sero, quasi carеum. Nam serum ei omne deducitur, vt ponderibus arguatur*. Iulius Scaliger, cap. xxxiv. de causis L.L. à *casâ* dici censet, quia nempe ibi fiat. Ios. Scaliger in Coniect. ait esse ab Oscâ voce *casus*, pro παλαιὸς, vnde *cascus*, & *casnar*. Ita *caseus* propriè erit lac vetustate coactum, concretúmque. Ego quoque ab Oscis esse facile credo. Sed *casus* dixisse pro *antiquo* vt certissimum obseruare minimè ausim. Vtcumque est, habuere, vel vocem *casus*, vel similem, quæ veniret à Chaldæo קש, id est, *senescere*. A *caseus* est *casearium*, τυρωνεῖον, vt exponitur in excerptis ex vett. Gloss. ab H. Steph. editis. item *casearia* taberna, quomodo Aristo apud Vlpianum vocat, non eam vbi *casei* venduntur, vt putauit Accursius; sed, vti Brissonius, lib. iii.

lib. III. Select. Antiquitatum. scripsit, vbi fumo, ex culmis aut malignis ac viridibus lignis facto, casei siccabantur ac colorabantur. Nam hanc in plerisque Italiæ locis consuetudinem obtinuisse, docebant Columella lib. VII. cap. VIII. & Plin. lib. XI. cap. XLII. Ac pertinet eodem illud Martialis, in Xeniis.

Non quemcumque locum, nec fumum caseus omnem,
Sed Velabrensem qui bibit, ille sapit.

Columella. lib. XI. cap. XV. *casale* vocat: vt quidem in vett. libris legitur, approbante etiam Scaligero. Quidam reposuere *casale*, ac tatrinam interpretantur, vt sit ἀπὸ χασμ. Sed errant.

CASIA vocabulum Latinis duplicem habet significationem: quæ caussa est, cur subinde ex confundantur a veteribus ipsis. Interdum est genus herbæ apibus gratissimæ vt Maroni, in Bucolicis & Georg. Eam Seruius ait a Græcis etiam κασίαν vocari. Sed fallitur. Debuisset dicere [illegible], vel [illegible]. Priori modo vocat Theophrastus, altero Dioscorides. Nomen *casia* est, vel quia apum caussa iuxta *casas* seratur: vel potius quia alteram *casiam*, de qua deinceps dicam odore referat. Nam præterea *casia* est frutex aromaticus, in Æthiopia & Arabia crescens; de eo sic Plinius, lib. XII cap. XIX. *Frutex & casia est, iuxtáque cinnami campos nascitur, sed in montibus, crassiore sarmento, tenui cute verius quam cortice; quem, contra atque in cinnamo, leuari, & exinaniri, pretium est* At vbi *cinnamum* crescat, indicant hæc verba Plinij, eodem cap *Cinnamomum, idemque cinnamum, nascitur in Æthiopia Troglodytis connubio permixta.* In Arabia nasci ait Aristotel. lib IX hist animal. cap. XIII. idémque de *casia* præter alios tradit Dioscor. lib. I. cap. XII. Est vero κασία, quod Belgæ Celtæ, Itali, Hispanique *canellam*, vel *canelam*, vocant, nempe [illegible] a vocabulo *canna*, quod casiæ cortex cannam referat. Κασίαν quoque appellat Nicolaus Myrepsus, lib de antidotis, cap. LXXVII. Spissus autem eorum error, qui *cinnamum*, seu *cinnamomum* eundem ac *casiam* fruticem esse putant: cum Plinius loco ante citato aperte distinguat. Atque idem facit Theophrastus, lib. IX, cap. VII & Dioscorides, lib. I. cap. XII. & XIII. Etiam Persius coniungit;

———*Seu spirent cinnama Sardum,*
Seu ceraso peccent casia. ———

Et Martialis:

———*Casiáque cinnamóque.*

Sed seculo nostro id eo minus mirandum, quod Galenus. lib. I. de antidotis. scribat. *cassiæ* genus. *Zigi* vocatum. vsque adeò æmulari *cinnamomum*, vt essent, qui suo æuo *cinnamomi* loco venderent. Et sanè, si optimam *casiam* eligerent, haut multum, vt Matthiolus quoque censet, hac in parte aberrarent. quando Galenus ibidem ait, *casiam* sæpenumero in *cinnamomum* transmutari: seséque conspexisse & *cinnamomi* surculos *cassiæ* persimiles, & *casiæ* ramulos planè *cinnamomum* referentes. Quare arbitratur idem, pro qualibet *cinnamomi* parte in componendis medicamentis duas electæ *cassiæ* adhiberi posse. Nec ignorauit hoc Isidorus, cuius hæc verba. Lib. XVII. cap. VIII. *Casia nascitur in Arabia: virga robusti corticis, & purpureis foliis, vt piperis. Est autem virtutis cinnamomi similis, sed potentiâ inferior, vnde pro cinnamomi vice duplex eius pondus in medicamentis admiscetur.* Frutex hic κασία etiam Græcis vocatur vt dixi, pro quo in multis codd. legas, κασσία. Sed κασία non modo est apud Galenum, vti Hesychium in [illegible] ac Etymologum qui κασίαν dici ait, [illegible], quasi [illegible], hoc est, *ornantem & reficientem sensus odoris bonitate*. Sed, vt rem, ita vocem quoque, barbaris deberi puto Phœnicibus nempe, quorum lingua eadem ac Hebræorum. His autem *casia* vocatur קציעה, quod legas Psalm XL v. IX quamquam aliqui *cassiam* interpretentur. Sed *casiæ* malim, vel ob summam literarum sonique affinitatem. Est vero Hebræum illud à קצע, *abradere, decorticare*: quia frutex is cortice inprimis commendetur. Garzias ait, deteriorem *casiæ* speciem in Malauar dici *cais manis*: id est *dulce lignum*. Atque hoc quoque ostendat, *casiæ* nomen deberi Orienti. *Cinnamomum* vero seu κιννάμωμον non vt aliqui putant productione factum ex κιννάμου, sed ex κιννάμου, & ἀμώμου conflatum est. Scio hodie κιννάμου, non legi apud Græcos. sed vtuntur Statius, & aliquos à Græcis illud accepisse, indicat vox κινναμολόγος auis nomen sic dictæ, quia [illegible]. Plinius, lib. IX. cap. XIII. *In Arabia cinnamologus auis appellatur: cinnami surculis nidificat. Plumbatis eos sagittis decutiunt indigenæ mercis gratia.* Apud Aristotelem tamen, lib. IX. hist. animal cap. XIII. vnde hæc desumsit Plinius, non κινναμολόγος, sed κιννάμωμος, vocatur: ac similiter appellat Philes, in his iambis:

Ὄρνις δ' ὁ κιννάμωμος [illegible]
Τὰ κινναμώμου [illegible].

Sed nihil prohibet quo minus & *cinnamologus* (pro quo *cinnamomus* est in MSS.) & *cinnamomus* etiam dicatur. Hoc vtut est, κιννάμου prius fuit quam κιννάμωμον, quando Hebræis similiter dicitur קנמן vt videre est Prou. VII v. XVII. & Exod. XXX. v. XXIII. Rabbi Dauid sentit vulgo dici [illegible] Sed [illegible].

CASSIS, pro *galea*, est à Tuscis, ac dici videtur quasi *caracsis*, à κάρα id est, *caput*. Isidorus. lib. XVIII. cap. XIV. *Cassidem à Tuscis nominatam dicunt: illi enim galeam cassim nominant, credo a capite.* Pro *cassis* dicitur quoque *cassida*, vt pro *lampas*, *lampada*; pro *hebdomas*, *hebdomada*; pro *Narbon*, *Narbona*, pro *Ancon*, *Ancona*. *Cassida* dici ostendit Propertius.

Aurea cui postquam nudauit cassida frontem.

Et Maro:

——— *Aurea vati*
Cassida. ———

Quibus locis idem comprobat Sosipater, lib. I. Apud Festum, siue Paullum, legas, *Cassidam antiqui pro casside ponebant* Ita & MSS. sed *cassidam* legendum puto. Etsi non ignoro, sæpe D & L commutari. Priscianus lib. VI. ait *cassida* esse accusatiuum Græcum: Maronem vero eo vsum pro recto. Addit &, Probum in Catholicis ostendisse, nomen hoc esse Græcum. Quæ non satis intelligo. *Cassis* pro *reti* Seruio est ab Hebræo קשׁ, hoc est *irretire*, *illaqueare*: vel ab [illegible], à [illegible], *rete tendere*. Verius hoc, quam quod veteres tradunt esse a *cassus* qua de re in *cassus* diximus. A *casse*, pro *reti*, est *cassiculum*. Festus *Cassiculum*, *reticulum*, *à cassibus per diminutionem dictum* Glossæ Isidori *Cassiculum*, *retiaculum*: ab eodem *incassum* deducunt. Sed de eo in *Casso* dictum

CASTANEA, a Græco κάστανον. Sed hoc vnde sit, porrò videndum. Isidorus quidem, lib. XVII. cap VII. sic scribit *Castaneam Latini a Græco appellant vocabulo. Hanc enim Græci κάστανον vocant, propter quod fructus eius gemini in modum testiculorum intra folliculum reconditi sunt, qui dum eijciuntur, quasi castrantur.* Sed Græcum κάστανον a Latino *castro* venire nequit. At est a *Castana*, seu *Castanea* Thessaliæ vrbe, circa Peneum, vbi magnus earum prouentus. Hinc Nicandei in Alexipharmacis:

[illegible] Καστανὶς [illegible].

CASTERIA aliud sunt, quàm *castoria*. *Castoria* sunt castoris testiculi, vel vnguentum ex iis confectum. At *casteria* propriè in naui, vt docet hic locus Nonij Marcelli: *Casteria locus, vbi cum nauigatio conquiescit, remi & gubernacula conquiescunt.* Plautus Asinaria, (Act. III. sc. I.)

Quin pol si reposiui remum, sola ego in casteria,
Vbi quiesco, omnis familiæ caussa consistit tibi.

Turnebus tamen lib IV cap. XIII censet, *casteria* non esse Latinum, eóque legit *chasteria*, quæ nauis pars erat: vt indicant hæc Hesychij verba: [illegible]. Ac verisimile est, sic dici à χάζω, id est, *dimitto*, *intermitto*, quoniam ibi remi inhibentur. Nam [illegible] χάσαι, quomodo locutus Pindarus, est [illegible], remigationem intermittere prout Scholiastes Aristophanis explicat ad illud in Nubibus, [illegible], quod idem Scholiastes interpretatur. [illegible], *equorum studium desinens, siue intermittens.* *Casteria* tamen inuenio in antiquissimis, tum Plauti, tum Nonij, codd. Nec multum abit *costeria*, quod in MSS Bircheim. se reperisse ait Christ. Colerus. Præterea *casteria* legit Statij interpres, quanquam male (vt in *Portisculus* dicemus) *casteria* cum *portisculo* confundat. Sic enim ille ad illud VI. Theb.:

Et signo de puppe dato posuere parumper
Brachia: ———

Pertica inquit quadam est in naui, quam hortator remigum tenet, quam si incusserit, remiges non desinunt; si deposuerit, quiescunt à labore: Hanc casteriam Plautus nomi nauis in Asinaria.

Quin pol si reposui remum sola ego in casteria

Hæc Lactantius siue Lutatius. Imò Turnebus ipse. lib. XXIX. cap. XXI. *casteria* retinet, ac dici censet, quasi *gastera*, a *ventre* nauis Ita & legit Iouianus Pontanus in Actio suo, vbi, vt *castra* & *castrensia*, sic *casteria* quoque à *clamando* dici adnotet. Verba Pontani ponimus in *Castra*. Sed neutrum etymon placet. Non dubium enim quin *casteria* sit ex χαστηρία. Nec propterea *chasteria* scribendum. Nam *h* sæpe initio perit, si altera sequatur consona. Vt. [illegible], pro [illegible]; item, à [illegible], *tego*.

CASTIGO, vt ad primam Persij sat. scribit Casaubonus, propriè est *loris cædo*, ventque à κεστὸς, quomodo Doctores Siculi dicebant pro κεστὸς, quod est *lorum*. Nisi malis dicere, *castigo*,

propriè esse, *facile puto*, quia Hesychius [illegible] interpretatur, *fustu*. Verùm minus posterius etymon placet, quando idem Grammaticus addit, [illegible] hâc notione propriam esse Athamantum vocem. Venit autem à *castos*, *castigo*, vt ab *ensto*, *instigo*; à *fustis*, *fustigo*. Sunt qui *castigo* censeant esse à Latino *castus*, notaréque *castum reddo*: imo Perottus compositum putat, dicique quasi *castum ago*. Sed non ad solam *castimoniam* pertinet *castigo*. Glossæ Philox. *Castigat, obiurgat*, [illegible]. Glossæ Cyrilli, Δέρω, [illegible], *castigo*. Onomasticon vetus, *Castigo*, [illegible].

Castor, [illegible], quo vsus Aristoteles, lib. VIII. Hist. animal. cap. V. vt *castoria*, [illegible], seu [illegible], ὄρχεις τοῦ [illegible], teste Galeno. In singulari vsurpat Lucretius, lib. VI.

Castoreoque grauis mulier sopita recumbit.

Videtur, [illegible] dici, quasi γάστωρ, quia id animal *ventricosum*. Falsò omnino, cùm Græca vox sit, à *castrando* dici censent, non Albertus modò, sed etiam Isidorus, imò & Seruius ipse, ad illud, I. G.:

——— *virosáque Pontus*

Castorea: ———

vbi sic scribit: *Fibri canes sunt Pontici, quorum testes apti sunt medicamentis, propter quos vbi se vrgeri senserint, eos secant. De his Cicero, pro Æmilio Scauro. Redimunt se eâ parte corporis, propter quam maximè expetuntur.* Iuuenalis Sat. XII.

——— *Imitatus castora, qui se*

Eunuchum ipse facit, cupiens euadere damno

Testiculorum. ———

Castores autem à castrando dicti sunt. Hæc Seruius, quæ omnia prope [illegible] λέξιν describit Isidorus, lib. XII. cap. II. Imò idem narrant, cùm Strabo, Solinus, Horapollo, Plinius, non vno loco; tùm Ælianus, lib. VI. Animalium cap. XXXIV. Ammianus, lib. XVII. Appuleius, lib. I. & V. Metamorph. Et è iunioribus, Valesius, de sacra historia, cap. III. Olaus Magnus, lib XVIII. cap. XI. Ac allusit eò Tertullianus, lib. I. aduersus Marcionem, cap. I. *Quis enim tam castrator carnis castor, quàm qui nuptias abstulit?* De eâdem re sic vetus interpres, ad superiorem Iuuenalis locum. *Castorem, bebrum dicit, qui cum viderit se obsideri, & non posse euadere, testiculos suos morsu auulsos proiicit. Intelligit enim ob hanc rem se capi: quia ad medicinam valde sunt necessarij.* Quibus in verbis notandum obiter, quod *castora* vocet *bebrum*, quomodo & Belgis vocatur *beuer*, Gallis *bieure*, Italis & Hispanis *biuaro*: quanquam & aliæ appellationes eius animalis apud has gentes. Sed has solas posuimus, quia clare è *bebri* voce factæ sunt quemadmodum & ipsum *bebri* vocabulum, quod posterioribus demum seculis irrepsit, leuiculâ mutatione ex *fibri* voce, corruptum est. Nisi fortè magis placet (quod aliquando suspicabar) nomen id esse à *Bebrycis*, Ponti in Asia accolis, iuxta Stephanum. Iuuenalis, Sat. II.

Nimirum summi ducis est occidere Galbam,

Et curare cutem summi constantia ciuis,

Bebryaci campo spolium affectare palati.

Quem ad locum ita Scholiastes: *Bebryaci, id est, Pontici, vnde pelles Bebrinæ. Galba enim Ponticus fuit.* Sanè conuenit inter omnes, Pontum fuisse *fibris* nobilem: vnde Maro, I. G.

India mittit ebur, molles sua tura Sabæi,

At Chalybes nudi ferrum, virosáque Pontus

Castorea. ———

Ac *fibri* ipsi inde vocati *canes Pontici*: vt superior Seruij locus indicat. Pro *bebrina* autem *bebricia* apud Scholiastem legendum censeo. Nam *bebrina* non tam esset à *bebrycis*, quam à *bebris*, id est, *fibris*. Vel verum est, quod dicebam: vel fallitur interpres. Nam non dubium, quin *bebrinæ* pelles sic dicantur à *bebro*, id est, *fibro*. Porrò, quod de testiculis *fibri* referunt suprà laudati scriptores, id refellit Albertus M. & ante eum Plinius, lib. XXXII. cap. III. vbi sic scribit: *Spectabilis naturæ potentia, quibus & in terris, & in aqua, victus est, sicut & fibris, quos castores vocant, & castorea testes eorum. Amputari hos ab ipsis, cùm capiuntur, negat Sextius, diligentissimus medicinæ. Quinimò paruos esse substrictósque, & adhærentes spinæ, nec adimi sine vita animalis posse.* Idem quoque censet Dioscorides, cuius hæc verba, lib. II. cap. XXVI. [illegible] *Vanum autem est, quod tradunt, animal hoc, quando venatores vrgent, testes sibi auellere, atque abijcere. Neque enim id fieri potest, cùm substricti sint, vt in sue.* Quibus Plinij & Dioscoridis verbis refellitur sententia Bellonij, lib. I. de Aquatilibus, scribentis, in *fibri* anatome nihil tam esse mirandum, quàm quod tam grandes habeat testiculos, vt ad taurinos accedant, inque iis rotundos calculos oui magnitudine a se conspectos: Nempe pro testiculis (qui gallorum testiculis non sunt maiores) habuit folliculos, iuxta inguen, qui oui gallinacei magnitudinem adæquant. Vide de his Matthiolum in Dioscoridem.

Castra, *casteria*, *castella*, vnde dicantur, docere conatus Iouianus Pontanus; cuius hæc verba, in Actio, fol. 137. edit. Ald. *Castra sunt*, inquit, *qui putant à seruandâ castitate dicta* (eos inter Isidorus lib. IX. Orig. cap. III.) *ambitiosè sunt, quippe quæ sint a claudendo. claudebantur enim vallo & fossis. Sic & casteria locus in triremi: sic etiam vallis illa Caudina, quod sit vndique clausa montibus, hodieque ex eo vocatur Causarum. Sic quoque & Castellum quod fossa claudatur & muris. Erant etiam in aquarum ductibus Castella, quod in iis aqua concluderentur, vnde post largius effluerent.* At Cæsar Scaliger, lib. I. poetices, cap. XXI. *castra* à *casis* dicta putat, quia ab antiquis scenæ, siue vmbracula militaria, *casæ* appellarentur. A *castris* verò [illegible] dixere *castellum*, elisâ liquidâ, pro *castrellum*, quomodo à *monstrum*, non *monstrellum* dixere, sed *mostellum*, vnde nomen Plauti *Mostellaria*. Hinc milites, qui *castellum* incolunt, *castellani* dicuntur, l. 12. de fundis limitrophis, lib. X. C. *Castellum* etiam dixere aquæ publicæ receptaculum, ex quo per omnes viarum anfractus, aqua diuidebatur: vnde & *diuidiculum* vocatum. Festus: *Diuidicula antiqui dicebant, quæ nunc sunt castella, ex quibus à riuo communi aquam quisque in suum fundum ducit.* Apud Hesychium quoque legas: Κάστελλος, [illegible]. Sic *castelli* voce vsus Vitruuius, lib. VIII. cap. VII. Item Plinius, Frontinus, & sæpe apud Iurisconsultos. Ex quibus discas, quemque ex *castello* fistulis solere aquam ducere in fundum suum. Exstant hodieque Romæ *castellorum* eiusmodi semidirutorum vestigia. *Casteria*, non à *claudendo* dicta, quod Pontanus in superiori loco autumat, sed à γάστωρ, quasi *gasteria*. Nisi potius *schasteria* legendum, apud Plautum. Vide quæ hac de re dicimus in *Castor*.

Castrare, [illegible], *castratus*, [illegible], *castrator*, [illegible], vt est in Glossis Cyrilli. Glossæ Philox. *Castratus*, [illegible]. *Castrare* planè dici censeo à *castus*: quia *castrando* vis libidinis extinguitur. Alij tamen dici putant, quasi *castorare*, vt [illegible] sit, *castorem*, siue *fibrum* imitari, qui ipse sibi testiculos creditur amputare, quâ de re in *Castor* satis dictum.

Castvla ex eo nomen accepit, quod eâ consuleretur pudori & castitati. Est enim [illegible] à *casta*. Breue palliolum erat, Nonio teste: qui hunc Varronis locum adducit è libro primo de vita populi Rom.: *Castula est palliolum præcisum, quo nudæ infra papillas præcinguntur, quo mulieres nunc, & eo magis vtuntur, postquam subuculis desierunt.*

Castvs, à Nonio exponitur *sine libidinis & turpitudinis nota*. Glossæ Philoxeni interpretantur ἁγνός, *castitas*: pro quo & dicitur *castimonia*, & *castitudo*, quo vsus Accius, Phœnissis. De etymo sic Isidorus, lib. X. *Castus primùm à castratione nuncupatus. Postea placuit veteribus sic nuncupari, qui perpetuam libidinis abstinentiam pollicebantur.* Similiter Perottus. Sed *castro* potius est à *castus*, vt superius dictum. Itaque alij volunt, esse à *cestus*, siue κεστός. Id Veneris cingulum est, quo in honestis vtitur nuptiis: vnde nuptiæ honestati repugnantes dicuntur *incestæ*. Hanc enim *incesti* [illegible] ponunt Lutatius & alij. Festus Pompeius vult, *incestum*, esse ex Græco [illegible]. Sed profectò simplicius veriúsque est, vt *incestus*, sit à *castus*, vti à *factus infectus*. Docet id clarè [illegible] ista in illis Phædræ verbis apud Senecam, Hippolyto, Act. IV. sc. I.

——— *Morere, si casta es, viro;*

Si incesta, amori. ———

Et mox.

Inuentáque castis crimine incesta iacet.

Vbi *casto* [illegible] opponitur *incestus*. Sanè *incestum* poni pro quouis illicito concubitu, satis arguit, quòd apud eundem Senecam, in Herc. Fur. vers. DCCVII. *incestus* vocatur Iouis cum Alcmena congressus. Itaque *castus* censeo esse à [illegible], quod significat, *orno*, *decoro*: nempe ab Chaldæo קשט, quod idem notat. Itaque dicetur *castus*, quasi [illegible], id est, *ornatus*, *decorus*. Sanè mirè *castimonia* decorat atque exornat, vt generali nomine meruerit nominari. Porrò quia in sacris ritibus nihil magis requirebatur, quàm vt à Venere abstinerent; inde est, quod, quando accipitur substantiuè, idem significat, ac *institutum*, siue ἁγνεία. Sic apud Nonium vsurpat Varro, lib. I. rerum humanarum: *Nostro ritu sunt facienda ceremonias, quàm Græco castu.* Vbi *ritus* & *castus* sunt [illegible]. Idem Varro: *Et religiones, & castus, id possunt, vt ex periculo eripiant nos.* Sic dicebant, *in casto esse*, pro ἁγνεύειν, vt apud Festum: *Minuuntur populo luctus, cùm in casto Cereris consistitur.* Vbi, *in casto*

sto Cereris esse, significat ἀγαθὸν Δήμητρος, *Cereri operari*. Vsus quoque Tertullianus, de ieiun. *Sed bene, quod tu nostras xerophagias blasphemas ingerens, casto Isidis & Cybeles eas adaquas.*

Casvs, est à *cadendi* ea notione, qua *euenire* significat. Sed Grammaticis *casus* sunt formæ vocabuli a recto cadentes. De vtroque Festus: *Casus dicimus non modo ea, quæ fortuitò hominibus accidunt: sed etiam vocabulorum formas, quia in aliam atque aliam cadunt effigiem.* Similiter Græci πτώσεις dicunt. Est vero *casus* vniuersè quiuis euentus; sed speciatim, inopinatus, cui humanâ infirmitate resisti nequit: vt, piratarum incursus, incendium, diluuium, seruorum fuga, & similes, quales, si vere sunt fortuiti, à nemine præstantur, nisi aliter conuenerit.

Catabolicvs, καταβολικός, à καταβολὴ, id est *iactus*, qui ex alto fit deorsum, à καταβάλλω, *deiicio, prosterno*. Tertullianus, lib. de anima cap. XXVIII. *Scimus enim, magos elicere explorandis occultis per catabolicos & paredros & pythonicos spiritus.* Vbi, vt quidem censet Turnebus, lib. XXVI. Adu. cap. XXI. per *catabolicos* intelligit infaustos genios, sæpe eum, in quo sunt, prosternentes ac deiicientes per furorem. Sed placet Sig. Gelenij & soceri Fr. Iunij sententia, qui pro *per catabolicos* legunt *procatabolicos*. Nam καταβάλλω non tantùm notat *deiicio*, sed & *persoluo*: vnde προκαταβάλλω, interdum, *proiicio* est; interdum, *repræsento*, aut *ante diem soluo*. Posteriori significatione spiritus quidam dicti προκαταβολικοί, qui non perpetuò adsunt, sed ex condicto, & quasi deuincti pignore, aut pretio ex parte numerato, repræsentare tenentur sese. Iis addit Tertullianus παρέδρους, qui semper adsunt. Cùmque hæc duo genera priuatim hominibus inseruiant, addit Tertullianus tertio loco *Pythonicos*, qui in commune respondent consultoribus. Ita optimè, meo iudicio, locum hunc enucleauit Iunius in suis ad grauissimum illum scriptorem notis. Sanè ab eadem notione verbi καταβάλλειν, vel καταβάλλειν, qua nempe *persoluere*, vel *præstare* notat, dicti quoque *catabolenses*, quorum mentio est in rubr. C. Theodos. de pisto. & catabol. lib. XIV. Tit. III. & eopse Tit. l. IX. Quibusdam placet, sic vocari, quia panes exercitui præstarent. Mouet eos quod in rubrica dicta pistoribus coniunguntur. Sed legendum videtur *pistorum*: quibus *catabolenses* rectè iungi ostendit hic locus Cassiodori, lib. III. Var. epist. ad Festum: *Atque ideo magnitudini tuæ, præsenti admonitione declaramus, vt marmora, quæ de domo Pinciana constat esse deposita, ad Rauennatem vrbem per catabolenses vestrâ ordinatione dirigantur.* Rectè quoque Brissonius apud eundem legit, lib IV. Var. epist ad Godiscalcum Saionem: *Et ideo quinquaginta solidorum mulctam, iam non veredariis, sed catabolensis incurrat.* Vbi malè vulgò *catabulensis*, vel *catabulnensis*, legitur.

Catabvlvm siue potiùs *catabolum*, locus erat, in quo feræ erudiebantur, siue ad mansuetudinem, siue etiam ad crudelitatem, quam in bestiarios exercerent: Papias: *Catabulum, clausura animalium, vbi desuper aliquid iacitur.* Originem respicit. Nam καταβάλλω, *deiicio, deorsum aliquid iacio*. Græcis tamen κατάβολον aliud est. Nempe *nauale, emporium*: vt Suidas docet. Sed illâ Latinorum notione, quam attulimus, sumitur in Actis Marcelli Papæ & Martyris, per Marcellum Papam conscriptis: *Qui semper contemnens & deridens dicta & præcepta Maxentij, damnatus est in catabolum: Qui dum multis diebus seruiret in catabolo orationibus & ieiuniis, domino deseruire non cessabat. Mense autem nono venerunt clerici eius omnes, & eruerunt eum noctu de catabolo.* Et paullò post: *His auditis à Maxentio, iussit in eâdem ecclesiâ iterum plancas externi, vt ibidem animalia cataboli congregata starent, & ipsis B. Marcellus deseruiret.* Sed hisce locis pro *catabolum* vitiosè *catbabulum* semper editum est.

Catadromvs, κατάδρομος q. d. *decursorium*. De eo non audiendi Accursius, Alexander ab Alexandro, Beroaldus, Alciatus, Brodæus, Hottomannus: verum Turnebus Brissonius, Torrentius, Casaubonus, qui rectè docent, *catadromum* fuisse funem ex summo theatro extentum in inferiorem partem, per quem σχοινοβάται, siue *funambuli*, decurrebant; vnde & nomen quâ ratione Græci quoque δρόμον, & κατάδρομον, pro *fune* dicunt. Fauet huic interpretationi Suetonius in Nerone, cap. XI. *Notissimus eques Romanus elephanto supersedens per catadromum decurrit.* Quod Xiphilinus sic expressit: Καὶ ἐλέφας ἀνέβη εἰς τὴν ἀνωτάτω τοῦ θεάτρου ἁψῖδα, καὶ ἐκεῖθεν ἐπὶ σχοινίων κατέδραμεν ἀναβάτην φέρων. *Demissum funem* vocat Maro. Æn. I. *Rectum funem*, Iuuenalis sat. XIV.

An magis oblectant animum iactata petauro
Corpora, quique solent rectum descendere funem.

Chrysostomus hom. l. XVI. in epist. ad Hebræos vocat id διὰ σχοινίου περιφέρεσθαι. Ac Manuel Palæologus, orat. II. similiter dixit, ὀρχεῖσθαι ἐπὶ σχοίνου περιφερεῖς. Porrò ex his paret, cur decursum per *catadromum* inter res periculosas reponat Labeo, in l. si seruus, LIV. D. de act. emt. *Si periculosam rem ante venditionem facere solitus est, culpa tua id factum esse videbitur. puta eum eum fuisse seruum, qui per catadromum descendere, aut in cloacam demitti solitus esset.*

Catamitvs dicitur *puer meritorius*, vt ait Seruius, ad illud Ecl. VIII. *Sparge marite nuces.* *Puerum vsurarium* appellat Plautus Curcul. act. III sc. I. Cic. Philipp II. generatim *catamitum* dixit pro effem nato aut impudico. *Ergo*, inquit, *vt te catamitum nec opinato cum ostenaisses, præter spem mulier adspiceret, iccirco vrbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu, perturbasti.* Dixere autem veteres *catamitum* pro *Ganymedes*: vt testatur Festus, in *Alcedo*, *Alumento*, & *Catamitum*. Sic vsurpat Plautus, Menechmis, act. I. sc. II.

Dic mihi, nunquid tu vidisti, tabulam pictam in pariete,
Vbi aquila Catamitum raperet, aut vbi Venus Adoneum?

Nam paret hic, *Catamitus* esse proprium. Videntur autem Græci dixisse Γανυμίδης pro Γανυμήδης, à γάνυμαι, quod idem est ac γάννυμαι. Inde fuit prius *Ganamidus*, ac post *Catamitus*, conuerso *n* in *t*, quomodo à *manè* est *matutinus*: nisi malis esse à *Matuta*. Putat Fungerus, *catamitus* esse ex κατὰ & μισθὸς, hoc est, *merces*. Vt quo *puer meritorius* signetur. Videtur idem voluisse Vlysses quoque Aldrouandus, lib I. ornithologias, pag. XVIII vbi *Ganymedem* ab officio quod Ioui præstat, *catamiti* nomine vocari ait. Sanè si est à μισθὸς, melius per *th* scribatur: vt in Onomastico veteri. *catamithus*, πόρνος. Sed vera est origo, quam nos Festus docet; quam etiam amplexus Angelus Caninius, in Hellenismi Alphabeto ac Ios. Scaliger castigat. in elegiam Pedonis de obitu Mæcenatis. Quam variæ autem de raptu Ganymedis sententiæ sint, dicere supersedeo. Neque enim est huius loci. Vide. sis, quæ in Chronico Eusebius scripsit, quem secutus Orosius, lib I. cap. XII. tum quæ pag XCVIII & IXC quæ etiam apud Suidam inuenias. E recentioribus etiam adi Cælium Rhodig., lib XV. cap. IX. Paullum Leopardum, lib. IV. cap. IV. Meursium, cap. VII. libri de funere, qui vult fabulam ex eo ortam, quòd quia olim ante lucem sepelire solent, si adolescens formosus esset mortuus, ἡμέρας ἁρπαγὴ, *diei raptus*, diceretur: vt scribit Heraclides in allegoriis Homericis atque etiam comprobatur inscriptione hac arulæ sepulcralis: Sol me rapvit. Docet Casaubonus ad Fl. Vopiscum, homines etiam reuera ab aquila raptos esse. Sed hæc, vt dixi, alius sunt loci.

Cataphractvs, κατάφρακτος, vndique armis munitus, κατωχυρωμένος ὅπλοις ἅπασι, vt loquitur Plutarchus in Alexandro. A καταφράσσω, *armis munio*. Vnde καταφράκτον, *cataphracta*, id est: *lorica, siue thorax militaris, squamis ferreis consertus*, quomodo aliquoties vsus Vegetius, lib. I. cap. XX. Indéque vox etiam translata ad crocodilorum pellem, quam Ammianus *cataphractam tergoris* appellat. Nempe quia τὸ δέρμα αὐτῶν πᾶν φολιδωτόν ἐστι, vt ait Diodorus Siculus. Equitum *cataphractorum* meminit Liuius, lib. XXXV. non longè à fine: *Equitum innumerabilem vim traiici Hellesponto in Europam: partim loricatos, quos cataphractos vocant: partim sagittis ex equo vtentes.* Et lib. XXXVII. *His tria millia equitum loricatorum (cataphractos ipsi appellant) adiunxit.* Quanquam hic in aliis codd. est *peditum loricatorum*: sed improbante Glareano. Porro non equites solum, sed equi etiam, loricâ induebantur. Maro, vndecimo Æn.

Spumantémque agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam squamis auro conserta tegebat.

Vbi sic Seruius: *Cataphractum eum fuisse significat. Cataphracti autem equites dicuntur, qui & ipsi ferro muniti sunt, & equos similiter munitos habent: de quibus Sallustius: Equis paria operimenta erant, quæ linteo ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant.* Paullò post citat idem hoc Sallustij: *Et sequebantur equites cataphracti.* Armatorum equorum meminit & Iustinus, lib. XLI. *Munimentum ipsis equisque loricæ plumatæ sunt, quæ vtrumque toto corpore tegebant.* Meminere & Curtius, Ammianus, alii. Nondum tamen in eo Seruio adstipulari ausim, quod non alios, quam quorum & equi loricati, *cataphractos* putat appellatos. Neque enim id, puto, reticuisset Liuius. *Cataphractorum* in exercitu munus indicat Nazarius in Panegyr. Iidem Lampridio, aliísque eius æui scriptoribus, dicti *cataphractarij*, eâ nempe ratione, qua *hastati* ab his *hastarij*, *scutati*, *scutarij*, *velites* etiam *velitares*, appellantur. Etiam *clibanarij* vocati, voce, si originem spectes, non Latinâ aut Græcâ sed barbarâ. Lampridius, in Alexandro: *Cataphractarios, quos illi clibanarios vocant, decem millia in bello interemimus.* Ammianus Marcellinus, lib. XVI. *Sparsique cataphracti equites, quos clibanarios dictitant*

Persa, thoracum muniti tegminibus, & limbis ferreis cincti, vt Praxitelis manu polita crederes simulacra, non viros: quos laminarum circuli tenues apti corporis flexibus ambiebant, per omnia membra deducti: vt quocumque artus necessitas commouisset, vestitus congrueret, iuncturâ cohærenter aptatâ. Quem locum integrum adscripsi, quia eleganti ὑποτυπώσει *cataphractorum* armaturam ob oculos ponit. Nec inde tantum discimus, *cataphractos* posteriori seculo dictos *clibanarios*, sed etiam vocem *clibanariorum* esse à Barbaris, vt quam Persicam dicat Ammianus. In Glossario tamen Nomico legas: Κλιβανάριοι, ὁλοσίδηροι. κλίβανα γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τὰ σίδηρα καλύμματα καλοῦσι. αὐτὸ δὲ καλυμμάτια. L. 9. C. de ann. ciuica. Qui plura de *cataphractis*, seu *clibanariis* volet, his alia addat ex B. Brissonij lib III. de regno Persico.

CATAPIRATER, καταπειρατήρ, *plumbum* illud quo altitudo maris exploratur: à καταπειράζω, *tento, exploro*. Lucilius:

An catapiraterem eodem deferet vncum
Plumbi pauxillum rauduscli, nique metaxam.

Censet Salmasius, Statio vocari *molybdum*, quia Græcis μόλιβδος, seu μόλυβδος, *plumbum*. Itaque sic apud Statium Papinium legit.

Sunt quibus exploret rupes grauitate molybdus.

Vbi pro *molybdus* veteres codices habent *molucrus*.

CATAPVLTA, à καταπέλτης, E mutatur in V, quomodo à σκόπελος est *scopulus*. Antiquioribus sic dicebatur machina emittens tela, nempe, si Lipsium, Fungerium & alios audiamus, ἀπὸ τῆς πέλτης, quæ, auctore Hesychio notat δόρυ καὶ ἀκόντιον, *hastam & iaculum*: Mihi magis placet, esse à κατὰ & πάλλω, quia κατὰ τῶν ἐχθρῶν πάλλει τὸ βέλος, *quod in hostem eiaculatur telum*: quam originationem illud quoque comprobat, quod etiam καταπάλτης dicitur, vt Hesychius indicat his verbis: καταπάλτης, εἶδος. πολεμικὸν ὄργανον, καὶ τὸ ἀφιέμενον βέλος. Perotti non est quod ratio habeatur, qui *à depellendo* dici ait. Porrò posterioribus *catapulta* etiam vocatur, quo saxa aliáque iaciebantur. Sanè saxa iis iaci indicat & Cæsar, II. de bello ciuili. Ac firmat Sidonius, cùm ait:

Non quæ stridentes torquet catapulta molares.

Hinc Aristophanis Scholiastes: Καταπέλτης, εἶδος μηχανῆς, ἀφ᾽ ἧς λίθοι καὶ ἄλλα τινὰ πέμπονται. *Catapultæ* inuentio Dionysio tyranno tribuitur ab Æliano, lib. VI. Var. Hist. cap. XII. Ac iuuat Plutarchus, qui ait, Archidamum, cùm è Sicilia allatum esset *telum catapultarium* recens inuentũ, dixisse, ἀπόλωλεν ἀνδρὸς ἀρετή, *periit virtus*. Sed Plinius, lib. VII. cap. LVI. Syris hanc tribuit laudem si vett. sequimur editt. in quibus (etiam antiquâ Parmensi) legas, inuenisse *Pisseum venabula; & in tormentis, scorpionem Cretas; catapultam Syros; Phœnicas ballistam & fundam.* Sed in aliis est: *Pisseum venabula, & in tormentis scorpionem; Cretas catapultam; Syros Phœnicas* (Pintianus legit Syrophœnicas) *ballistam, & fundam.* Multa de *catapulta* I. Lipsius, lib. III. πολιορκ. dial. II. Nonnihil etiam Brodæus, lib. II. Misc. XXX. Turnebus, lib. XV. cap. I. Bernardus Baldus in vocibus Vitruuianis.

CATARACTA seu *catarracta*; καταρράκτης, seu καταρράκτης (vtróque enim modo scribitur.) à καταρράσσω, vel -ρρήσσω, quod est, *cum impetu decido*, vel *defluo*. hoc à ῥάσσω, quorum vtrumque significat *tundere, collidere*: ῥήσσω verò (vnde per aphæresin ῥάσσω factum) venit ab ἄρσω, propriéque notat διὰ σιδήρου τέμνειν, vt scribit Eustathius, cùm alibi, tum Il. ε. pag. 947. edit. Rom. Est autem *cataracta* præruptus ac præceps in flumine locus, vnde aqua καταρρήγνυται, hoc est, *ruit* potius, quàm fluit: vt sunt *cataractæ* Nili, de quibus Strabo, initio lib. XVII. Planè deceptus Ammianus Marcellinus homo licet Græcus, vt ipse de se scribit: qui, lib. 22. de Nilo loquens, ait: *Ad catarractas, id est, præruptos scopulos venit.* Neque enim *catarracta* de scopulis dicitur, sed flumen sic vocatur de scopulis cum fragore ruens. Propriè autem id sibi nomen fluuij diuersi vindicarunt, vti inter alios ille Pamphyliæ, cuius nominis caussam adducit his verbis Strabo, lib. XIV. Μεταξὺ πόλις ὁ Καταρράκτης λεγόμενος, ἀφ᾽ ὑψηλῆς πέτρας καταράττων ποταμὸς πολὺς καὶ χειμαρρώδης, ὥστε πόρρωθεν ἀκούεσθαι τὸν ψόφον. *Inde est fluuius, qui Catarractes dicitur, quia copiosus de excelso saxo ruit, torrentis instar, sic vt procul sonus eius audiatur.* Etiam hoc modo appellantur *portæ* ex funibus aut annulis ferreis pendentes, quales in vrbium portis ponuntur, vt si hostium pars intrârit, eâ demissâ extinguantur inclusi: quemadmodum docet Vegetius, lib. IV. cap. IV. Eúmque vsum malo suo didicere Hannibal ac profugi Romani, cum Salapianos conarentur decipere: vti Liuius narat, lib. XXVII. Vocantur etiam hoc nomine *portæ*, quibus sublatis fluminum aquæ emittuntur, ac demissis retinentur. Præterea & *aues Diomedeas* sic vocabat Iuba, Plinio teste lib. X. cap. XLIV. Nimirum, quia ex more omnium auium prædatricium καταρράσσουσι, hoc est, *cum impetu se super*-*nè in prædam immittunt.* Itaque & *aquilam* sic vocauit Sophocles in Laocoonte: vt Hesychius testatur.

CATASTAM dici *compedem* ligneum, præter Lexicographos tradit Philander, ad Vitruuij lib. VIII. cap. IV & Had. Iunius. lib. V. Aduers. cap. XIV. Sed nunquam id *catasta* significat; verùm interdum quidem notabat *machinam*, in qua serui exponebantur venales: quod indicat his verbis Scholiastes Persij, ad Sat. VI. *Venales gladiatores in catasta ponebantur, vt in eis possent omnia membra inspici.* Quamquam præter *catastam* illam, in qua publicè ad venditionem stabant, erant & aliæ, in quibus collocarent mangones pueros formosos, qui, licet non producti in publicum, domi facilè emptores inuenirent. Ideirco *catastam* huiusmodi Martialis, lib. IX. ep. LX. *arcanam* vocat. Interdum verò *catasta* dicebatur *equuleus*, aliudve *pegma*, in quo reus supplicium pendebat. Ita in martyrologiis sæpe sumitur, item apud Prudentium, cum alibi, tum περὶ στεφ. hymno X.

Emitto vocem de catasta celsior.

Vide, quæ de hisce *castæ* acceptationibus scribit Casaubonus, ad Sat. VI. Persij. Quid quæso, est cur *compedem* potius, quàm *machinam*, de qua serui emebantur, intelligere oporteat in illo Plinij, lib. XXXV. cap. CLXXXV. *Talem in catasta videre Chrysogonum Sylla.* Aut cur non hanc ipsam *machinam* intelligamus in illo Tibulli, lib. II. el. III.

Nota loquor; regnum ipse tenet, quem sæpe coëgit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Vbi poëta signat Pallantem, Claudij libertum, de quo etiam intelligenda querela Plinij, extremo capite istoc, cuius ante facta mentio. Pro hac vocis interpretatione facit quoque etymon, cum sic dicatur à τοῦ καθίστημι, id est, *statuo, colloco*, quia & serui venales & rei in ea exponebantur ac collocabantur. Nec obstat quod ea vox non inueniatur apud scriptores Græcos. Nam accepta à Siculis, qui multa aliter efferebant quàm Græci. Vnde Plautus, Menæchmorum prologo:

Non atticissat, verum siculissitat.

A *catasta* quoque, cùm Philander, & H. Iunius, tum Brodæus, lib. . cap. XVII. seruos *catastos* dici volunt. Mouet eos locus hic Vitruuij, lib. VIII. *Ideóque semper transmarinos catastos emere formosos, & puellas maturas, eósque coniungere, vt, qui nascerentur ex iis, non solum egregia voce, sed etiam formâ essent non inuenustâ.* Item ille Martialis lib. XII. cap. LXXV.

Cum tibi Nilia ut portet crystalla catastus.

Ita vterque locus legitur in postremis editt. Sed aliter quidam & MSS. & olim excusi. Sanè in Vitruuij loco vetus mea Florentina anni 1498. habet *criastros*: quomodo & legit Hermolaus Barbarus, castigat. in Plin. lib. V. cap. IV. & Cælius Rhodiginus, lib. XIX. cap. XVII. quorum hic sensit, sic dici pueros canoræ vocis, nemque quia Vitruuius dicat, ex *calastris* nasci, qui & voce sint egregia, & forma venusta. Quæ sententia si vera, dicentur *calastri*, à τοῦ κελαδεῖν, quod est, *clamo*. Hesychius: Καλιστρεῖν, κράζειν. Sed Turnebus, lib. XXIV. cap. VII. & Yuo Velliomarus, hoc est, Scaliger, animadu. in Titij lib. X. cap. XXIV. pro *calastros*, vnica literulâ insertâ legere iubent *catlastros*: vt intelligantur pueri comati Ægyptiæ vernilitatis & leporis. Et sanè ea vox admodum eo loco accommodata est. *Catlaster*, à τοῦ καταλῶ. sit ex *catulaster* hoc est à *catulire*, quod Græci σκυζᾶν. Vide quæ hac de voce diximus in *Catulus*. Quod verò ad Martialis locum attinet ne illic quidem *catastus* probem, quamquam sic Brodæo placuisse videam: sed *cataplus*, quot in vett. libb. exstat, & agnoscitur à Domitio Calderino, Turnebo, lib X. cap. XXXIII. ac lib. XXX. cap. XXVI. & Yuone Villiomaro, loco antè citato. Κατάπλοος, seu κατάπλους, est *nauigatio*, vel *appulsus*, item *locus, vbi appelli* solet. Glossæ Isidoro adscriptæ: *Cataplus aduentus nauis.* Nec mirandum, Græca appellatione vti Martialem. Nam quemadmodum *acta* pro littore dicunt Tullius, & Maro, quia sermo erat de *littore* Siculo, quod à Siculis ἀκτὴ dicebatur: sic Martialis *nauigationem* in Ægyptum, quod nautæ Ægyptij, aliíque Græco vocabulo, κατάπλουν dixere, ipse etiam *cataplum* appellauit. Eopse vocabulo similiter vsus Marcellus Sidites, de medicina, citante Saumone.

Et quicquid confert medicis Lalagaa cataplus.

Ausonius in Vrbibus, carm XII.

——— *Toto tibi nauigat orbe cataplus.*

Sidonius, epist. VIII. lib. VI. *quoties cum pecuniis quorumpiam catapli recentis nundinas adit.* Et epist. VII. lib. VII. *Si tamen cataplus arriserit.* Vlpianus, l. IV. §. 5. D. de offic. procons. *Ingressum etiam hoc eum obseruare oportet, vt per eam partem prouinciam ingrediatur, per quam ingredi moris est: & quas Græci ἐπιδημίας appellat, siue κατάπλουν, obseruet,*

in quam primum ciuitatem veniat ut applicet: magni enim faciunt prouinciales, seruari sibi consuetudinem istam, & huiusmodi prærogatiuas.

CATAX, *claudus*, vt scribit Festus. Similiter Nonius: *Catax inquit, dicitur, quem nunc coxonem vocant.* Lucil. sat. lib. II.

——— *Hostilibu' contra*
Pestem perniciémque catax, quam & Manliu' nobis.

In quibus Nonij verbis ex seculi sui more *coxonem* dixit pro *claudo*: quod indicat hic locus in Isidori Glossis: *Catax, claudus, coxus.* & ille in excerptis ex antiquis Gloss. col. CCCXLIX. *Coxus*, λωλὸς (leg. χωλὸς) *Coxigat*, χωλαίνει. Sane Hispani hodiéque *claudum* vocant *coxo*. Quod ad etymon, *catax* dicitur a *cadendo*, quasi *cadax*. Gloss. Isidori: *Cadax, claudus, qui sæpe cadit.* Vel potiùs Græcum est, κατάξ, ἀπὸ τοῦ κατάξαι, quasi κατεαγὼς τοὺς πόδας, *fractos habens pedes.* *Coxus* autem, si Nunnesium audimus, fit à χωλὸς, λ in x conuerso.

CATEIA est apud Virgilium, Æn. VII.

Teutonico ritu soliti torquere cateias.

Vbi sic Seruius: *Cateia, Gallica tela sunt: vnde etiam Teutonicum ritum dixit Virgilius.* Vbi videmus, vt Teutonas & Gallos pro iisdem habeat. Nempe Septentrionales hi populi Galli, Celtæ, Teutones, Cimbri, communi nomine appellari solent. Cæterum *cateia* pro telo hodie Gallis aut Germanis in vsu non est: sed Germanis & Belgis *Kaste* est locus, vnde tela tormentáque mittuntur. Verùm credo, olim aliud vox ea notabat. Nam & Auentinus auctor est, genus fuisse tormenti, quo maiores soleant saxa iaculari.

CATENAM Perottus dici censet à *canis*, & *teneo*, vt propriè signet eas, quibus canes tenentur ligantúrque. Nec multum abit Isidorus, lib. v. cap. XXVII. *Catena*, inquit, *quod accipiendo teneant vtraque vestigia, ne progrediantur. Item catena, quòd se capiendo teneant plurimis nodis.* Sed magis verisimile sit, quia varios annulos iungit vtrinque, sic dici eam, quasi κατὰ ἴτυν. Quantitas tamen penultimæ obstare videatur. Quare imprimis placet, esse à κάθεμα, quo *catena* siue *monile* significatur: vt Pollux indicat, lib. v. cap. XVI. Similiter Hesychius nisi quod per E scribit. Κάθεμα, ὁ κατὰ στήθους ὅρμος. Atque hæc fortasse caussa est, quòd in quibusdam codicibus *cathena* cum adspiratione scriptum inuenias. Sed meliores libb. habent *catena*, quos sequor. Nec id etymo obstat. Nam in quibusdam spiritum adiiciebant antiqui, quomodo à *prohibendo* est *probrum*; ab *inhibendo*, *aues inebræ*: quo modo item *Caron* dicebant pro *Charon*: vt in Epigr. L. Manili:

Cascum cascam duxisse non mirabile'st,
Quoniam Caron eas sanciebat nuptias.

Sic enim cum Scaligero legere malim, quam *carceres*, quod est in vulgaris, vel *casnareas*, id est, *antiquas*, à *casnar*, de quo diximus in *Cascus*. A *catena* est *catella*; vt à *catinum*, *catillum*; à *vinum*, *villum*; ab *vnum*, *vllum*. in quibus N mutatur in L, vt scribit Priscianus, lib. I. Nempe prius fuit *catenula*, *vinulum*, *catenulum*: pòst V abiectum & N mutatum in L, ob sequens L, εὐφωνίας caussâ. *Catella* voce vsus Cæcilius, teste Nonio. Vsurpant & Liuius atque Horatius. Nonius etiam *catellum* in neutro gen. dici probat illo Plauti, Curcul. *Delicatum te hodie faciam, cum catello vt accubes, Ferreo; ego dico.* Sed fallitur. Etenim à recto *catellus* Id συγκοπικῶς est à *catulus*, quo pro vinculi genere vsus Lucillius. Qua de re etiam dicemus in *Catulus*. Addo obiter, Veteres solitos pro dignitate personarum iniicere *catenas* ferreas, argenteas, aureasve: *catenas* etiam frangi non solui solere, vt catenarum dedecus extingueretur. Vtrumque veterum scriptorum locis comprobat Durantius Casellius, lib. II. Var. cap. XIII.

CATINVS in virili dixit Mæcenas, apud Sosipatrum, lib. I.

Ingeribus fumant calido cum farre catinus.

At in neutro quoque *catinum* dici indicat Priscianus, lib. I. cap. de numero litterarum; & Isidorus, lib. XX. cap. VI. *Catini* geminam notationem ponit Varro, lib. IV. de L.L. *Vasa in mensa escaria, vbi pultem, aut iurulenti quid ponebant, à capiendo, catinum nominauerunt, nisi quod Siculi dicunt κάτινον (leg. κάτινον) vbi assa ponebant.* Huius diminutiuum est *catinulus* & *catillus*: illo vsus Asinus contra maledicta Antonij:

——— *Vastátaque vrbe totâ catilli.*

At *catinuli* dixit Varro lib. II. ad Ciceron. Vtriusque meminit Sosipater, lib. I. Priscianus, lib. I. à neutro *catinum* format *catillum*. A *catillus* est *catulo*, quod Festus *gulosum* interpretatur. Nec minùs commodè exponas *liguritorem*. Nam vt *liguritor* à λείχειν, quod est *lingere*, ita & *catillo*, dicitur a *catinis lingendis*. Μεταφορικῶς verò *catillo* quoque dictus *lupus piscis*. Macrobius lib. III. Saturn. cap. XVI. *Sed & Lucillius, acer & violentus poeta, ostendit, scire se, hunc piscem [lupum] egregij saporis, qui inter duos pontes captus esset, eúmque quasi liguritorem, catillonem appellat, scilicet qui proximè ripas stercus insectaretur. propriè autem catillones dicebantur, qui ad pollinctum Herculis vltimi cum venirent, catulos ligurribant. Lucilij versus hi sunt:*

Fingere præterea afferri quod quisque volebat,
Illum sumina ducebant atque altilium lanx,
Hunc pontes Tiberinu' duo inter captu' catillo.

Hactenus Macrobius. *Catillare*, pro *ligurrire*, dixit Plautus, Casina, act. III. sc. II. *operam vxoris polliceor foras Quasi catillatum.* Ita hunc locum legit Fulgentius Planciades: sed fere refragantibus, qui nunc sunt, manuscriptis. Idem Fulgentius de etymo eiusce vocis à Macrobio dissensit. *Catillare*, inquit, *est per alienas domos gyrare.* (corrigunt *ligurrire*) *tractum à catulis, quod per omnes domos circumeant.* Fulgentio ex parte subscribit Beroaldus, ad lib. 2. Appul. Nam itidem à *catulis* dici putat. sed caussam nominis adfert aliam; puta quod gulosi carnibus *catulinis* Romæ vesci soleant. Id probare est loco Plinij, lib. XXVIII. cap. IV. *Catulos lactentes adeò puros existimabant ad cibum, vt etiam placandis numinibus hostiarum vice vterentur his.* Item illo Festi Pompeij: *Catulinam carnem esitauisse, hoc est, comedisse, Romanos Plautus in Saturione refert.* Nec est, quod magnopere hæc miremur quando & Hippocrates sæpius de *canina* & *catulina* carnis esu agat: vt qui libro de superfœtatione, item libro de his quæ vterum non ferunt, *cocti catelli* esum præscribat concipere volenti: ac libro de internis actionibus lienosis præscribat: σκυλάκιον δὲ ἑφθὸν ἐσθιέτω κρεῶν μείζονα. Meminit & lib. II. de victus ratione. Oribasius quoque Collect. I. collaudat easdem carnes ex sententia Mnesithei Atheniensis. Interim non est, quod hoc argumento moti *catillare* à *catulis* potius dici putemus quam *catillis*, siue *catinis*, quod Macrobius scripsit, & linguæ Germano-Belgicæ consentaneum est, in qua itidem *catillo* appellatur *een plateellicker*. A *catillando* est *catillatio*. Festus: *Catillatio graue opprobrium hominibus generosis obiiciebatur, si qui prouincias amicas populi Romani expoliassent.*

CATHARTICVM medicamentum est, quod vulgò dicimus *purgationem*. Celsus: *Sed medicamenta stomachum fere lædunt, ideóque omnibus catharticis aloe miscenda est.* Καθαρτικὸν φάρμακον appellat quoque Plutarchus. Est à καθαίρω, hoc est, *purgo*, *mundo*. Item, *expio*, *lustro*. vnde καθάρματα non tantum *purgamentum*, siue *quisquilias* & per μεταφορὰν, *viles contemptósque homines*, significat: sed etiam *piaculum*, siue *lustrationem*: & καθαρμοὶ, *homines piaculares*, próque patriæ lustratione ac expiatione deuotos, quales à Latinis *sacri* appellantur. Vtroque modo accipere possis in illo Paulli, I. ad Corinth. c. IV. ὡσεὶ περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν, πάντων περίψημα ἕως ἄρτι. Siue, vt in aliis, οἱ περικαθάρματα τοῦ κόσμου. Priorem interpretationem sequitur OEcumenius, qui περικαθάρματα interpretatur ἀποσμήγματα, hoc est, *sordes, quæ euerruntur*. Posteriorem adfert Brodæus, vt sententia sit non minùs Gentibus execrabiles facti sumus, quam qui diris obruti pro salute publica succidaneæ fiunt victimæ. A καθαίρω quoque est καθαρὸς *purus*, *mundus*, vnde *Catharu* hæreticis nomen. A *catharus*, seu καθαρὸς, est *Catharinus*; vt à *Iustus*, *Iustinus*; ab *Augustus*, *Augustinus*; à *Maximus*, *Maximinus*; à *Seuerus*, *Seuerinus*; à *Longus*, *Longinus*. A *Catharinus* est muliebre nomen *Catharina*, vt idem sit, quod *munda*, *pura*. Itidem à *puritate* & *pudicitia* est *Agnes*, ἁγνὴ, quod idem ac καθαρά. Nec abludit *Agatha*, quod à *bonitate*. Ἀγαθὴ verò sic dicitur, vel quasi ἀγαστὴ, id est, *admirabilis*, vt propriè notet eum, cuius res gestas admirantur: vel potiùs quasi ἀγαθεατὸς, hoc est, ἄγαν θεατὸς, *valde spectandus*.

CATOMVM leg. s apud Victorem Vticensem, lib. I. Histor. Afr. *Venerabilem senem in publica facie catomis ceciderunt.* Et in vita S. Viti: *Hoc audiens pater eius, iussit infantem catomis cædi.* Et sæpe in vetustis Martyrologiis. Ac Turnebus, lib. I cap. XXVIII. censet *catomum* esse *vinculum* aut *catenam*. Sed longè meliùs veriúsque Ios. Scaliger ad Manilium, vbi factum putat ex Græco κατ' ὤμον, propriéque sic dici *commissuram ceruicum cum humeris*: vnde Glossæ ex Arabico-Latino Glossario collectæ, cúmque Philoxeni, & aliis, à B. Vulcanio editæ: *catomum*, *ceruix*. Itaque *catomis* cædi Scaligero est, in ceruice cædi plumbatis: quod Prudentius fieri solitum, his versibus indicat.

Tundatur, inquit, terga crebris ictibus,
Plumbóque ceruix verberata extuberet.

Quódque ad illud in vetusto Martyrologio, XIV. Kal. Decemb. *Catomo eum suspendi ac verberari*: id explicat. *Ceruice seu capite deorsum suspendi*, κατακέφαλα κρεμασθῆναι. Hactenus rectè: sed minus probo, quod apud Laberium quoque legit,

——— *Bona fide*
Tollet vos Orcus nudas in catomum.

P 3 Hoc

Hoc interpretatur *γυμνὸς κατωνάκῃ ἐγχεῖν* [illegible]: hoc vt Plautus dixisset, *in imo capite sisteret*: quo nihil fœdius mulieri. A *catomum*, vel *catomium*, venit verbum *catomidiari*: hæc vera (vt arbitror) est *ὀρθογραφία*. Sanè eo pacto exaratum in MSS^tis compluribus: etiam ita inueniri in membranis regiis (nisi quòd in iis vitiose additur adspiratio in secunda) locuples testis est Isaacus Casaubonus. *Catomidiari* autem fuerit *κατ' ὤμων τύπτεσθαι*. Verba Spartiani sunt: *Decoctores bonorum suorum, si suæ auctoritatis essent* (id est, *αὐτεξούσιοι*) *catomidiari in amphitheatro & dimitti iussit*. Vir multæ lectionis, Philippus Beroaldus, ad librum Appuleij ante citatum. *Quod*, inquit, *fit catomidiari, quidve significet, ingenuè nescire me fateor, verbum inauditum, illicitum, insitatum*. Addit, opinari se, pro *catomidiari* scribendum esse *catonudari*, quod erit ex *κάτω* & *nudare*, sententiáque fuerit, iussisse Hadrianum, vt decoctores inferiori corporis parte nudatâ, risui & ignominiæ in amphitheatro exponerentur. Alij retinent (vt in vulgatis editum est) *catamidiare*: atque interpretantur publicè irrisui ac ludibrio præbere, à Græco *καταμωκᾶν*, cuius simplex est *μωκᾶν*, hoc est *γελᾶν*, vt *μώκημα*, & *μῶκος*, idem sunt, quod *γέλως*, vnde Veneris epitheton, *φιλομμειδής*, quod Horatius respexit, cùm, lib. od. II. ait:

Siue tu mauis Erycina ridens.

Iuxta hos à Græco *καταμωκᾶν*, terminatione Latinâ, factum sit *catamidiari*: quomodo II. Corinth. IV. cap. VIII. *διατρίβω*, quod est *hasitare*, vetus interpres transfert, *aporiari*: quam vocem etiam legas apud eundem Esa. LIX. XVI. quomodo item à *χρωματίζειν*, id est *colorare*, dixerunt *chromatiare*. vnde *chromatiarii* apud veterem Scholiasten Persij, ad illud Sat. IV. *curata cuticula sole*: suntque id genus alia multa apud posterioris ævi scriptores. Sed apud Spartianum, rectum puto *catomidiari*, quam & fusè defendit vir summus Salmasius, in eruditis ad eum scriptorem notis.

CATONIVM dixit Dec. Laberius in Staminariis:

——— *Bonâ fide*

Tollet vos ortus nudos in catonium.

Citat Gellius, lib. XVI. cap. VII. Beroaldus, in lib. VI. Appuleij, rectè ait, *catonium* notare inferiorum locum, vt *in catonium* sit *εἰς κατώνιον*; ac *κατώνιον* sit à *κάτω*. quomodo *καταχθόνιος*, & *κατώγειος* dicunt Græci pro *subterraneo*. Similiter *catonij* voce vsus Cicero, lib. VII. ad Fam. epist. XV. *Vereor ne in Catonium Cato nos*: quam lectionem amplexus Beroaldus siue, vt P. Victorius, Lambinus, & Salmasius, legunt, *Vereor ne in catonium Catoninos*: vt sententia sit, Metuo, ne Cæsar me téque, qui Catonem extollimus, ad inferos agat præcipites; siue, vt Maro loquitur, *ad Orcum demittat*. Quæ sententia impensè placet. Turnebus tamen, lib. I. cap. XXVIII. vtrobique legit *catomum*, vti & Scaliger facit. Sed non eodem modo eam vocem interpretatur: qua de re in *catomum* diximus. Vir eruditus, Auctarij Philologi cap. XXXIV. apud Laberium legit *Caronium*, id est, *charonium*, *χαρώνιον* Nam *Caron* dixere pro *Charon*; vt apud veterem poetam:

Quantam Caron eas faciebat nuptias.

Vbi *Caron* est *Orcus*. Ita *caronium* locus ille sit, cuius fines *Orci cancros* vocat Appuleius. Sed elegantior fit *παρονομασία*, si *catonium* retinemus. Quod autem doctissimus ille vir ibidem negat, versum id ferre, vt *Catonium*, vel *Caronium*, legamus, in eo perspicuè fallitur. Nam *κατώνιον* est diiambus, qui quin Iambicum optime claudat, quis ambigat?

CATVLI etsi etiam sint leonum, simiarum, murium, auium, colubrorum, aliorúmque animantum propriè tamen sunt, non quidem *felium*, vti Perottus censuit, eo, credo motus, quod Itali, Galli Hispani Angli, ac Germani *aliores*, siue *feles Gattos* vel *Cattos* suâ linguâ appellent: verum *canum*, vt rectè scripserat Isidorus lib. XII. cap. II. Quod nisi esset, non apud Varronem legeremus lib. VIII. de L.L. *Vt est cista: cistula, cistella; catus, catellus*. Neque Priscianus lib. I. *N* in *L* abire comprobaret eo quod à *canis* dicamus *catellus* Neque scripsisset Nonius: *Catuli non solùm canum diminutiue, verum omnium animalium, appellantur*: quod pluribus deinde exemplis confirmat. Estque par ratio Græcanici *σκύλαξ*, quod & ipsum, cùm propriè de canibus dicatur, vt *σκύμνος* de leonibus, *νεβροὶ* de ceruis, *ἄρκτυλος*, siue *ἄρκτιλος*, de vrsis: interdum tamen aliis quoque animantibus tributum inuenitur. Porrò vt *σκύλαξ* apud Græcos non tantum notat *ἰδίως κυνός*, sed & *δεσμοῦ εἶδος*, vt scribit Pollux, lib. X. cap. XXXIX. similiter & Latinis *catulus*, notat vinculi genus, vt Festus testatur ac illo Lucillij probatur:

Cum manicis, catulo, collaríque, vt fugitiuum,

Deportem. ———

Dicitur pro eo & *catellus*. Lusit ambiguitate huius vocabuli Plautus, Curcul. Act. IV. sc. vlt. *Delicatum te hodie faciam, cum catello vt accubes*. Sed, vt explicet se, subiungit: *Ferreo ego dico*. Quod ad originem vocis *catulus*, cùm propriè *canum* sit vt diximus, non abludit à vero immutatione aliquâ factum esse *caniculus*: quod etymon astruere potest Varronis loco ante adducto. Sed apud eundem alterum quoque etymon legimus, lib. IV. de L.L. *Catulus à sagaci sensu & acuto*. Sane nihil cane magis *catum*, hoc est sagacius: vt meritò *ἔγγονα* eius, *catuli* dici meruerint. A *catulus* est *catulire*, quod de *canibus* dicitur, cum libidine lasciuiunt. Malè Theodorus Gaza *canire*, pro eo dixit, transferens Græcum *σκυλακᾶν*, quo vsus Aristot. lib. VI. de histor. animal. cap. XVIII. Verba Gazæ sunt: *Canes eodem illo modo affecta, canire dicuntur*. At *catulire* pro eo dixerat Varro, lib. II. de R R. cap. IX. *Principium admittendi faciunt veris principio. tunc enim dicuntur catulire, id est, ostendere, velle se maritari*. De lupa eo vocabulo vsus Laberius, vt Nonius ostendit. Ad hominem quoque transtulit Plautus, si rectè ex eo citant: *Cum vxorem meam vidi catulientem*. Quem locum, nescio vnde citant, Perottus, vterque Stephanus in suis thesauris, Calepini auctores, pluresque alij. Ad terram quoque transferri docebit locus Plinij, lib XVI cap. XXV. Nam cùm primo dixisset: *Ordo autem naturæ annuus ita se habet. Primus est conceptus, flare incipiente vento Fauonio*: paullo post subiicit hæc verba *Catulitionem rustici vocant, gestiente natura semina accipere, eáque animam inferente omnibus satis*. Ita habet optima illa Parmensis, anni 1476. In quibusdam MSS^tis ac vett. edit. pro *catulitio* legitur *catlitio*, quod per syncopen factum erit ex *catulitio*; quomodo Græci pro *Catulo* *Κάτλος* dicunt; quomodo item ex *tempulum* & *extempulo* (quo vsus Plautus,) sunt *templum*, & *extemplo*; ex *tabulinum*; *tablinum* ex *Lucumone*, *Lucmo*, quod apud Propertium. A *catuliendo* est *catulaster*, quod in Glossis Philoxeni exponitur, *βούπαις*. In aliis quoque Gloss. perscriptum, *Catulaster*, *pupa*, *pupula*, [illegible]. Priscianus, lib. III. cap. de diminutiuis; item lib. IV. vult, *Catulaster* esse diminutiuum à *Catulus*, vt ab *Antonius*, *Antonianister*; à *parasitus*, *parasitaster*; à *surdus*, *surdaster*. Sed hæc significatio, huius loci non est. Pro *catulaster*, apud Charisium, lib. I. est *catlaster*, eâdem nempe ratione, qua *catlitio* dicitur pro *catulitio*. *Catlastri* voce vsus Vitruuius, vt ostendimus voce *Catasta*. *Catillare* quoque à *catulis* deducit Fulgentius: qua de re in *Catinus* diximus. A *Catulus* quoque *catulinus*. Festus: *Catulinam carnem esitauisse, hoc est comedisse, Romanos, Paullus in Saturione refert*. Suspicor & *Catlina*, quod proprium est, factum esse ex *catulina*, vt *catulinam carnem* propriè signet. A *Catulus* quoque *porta Catularia*. Idem Festus: *Catularia porta Romæ dicta est, quia non longè ab ea ad placandum caniculæ sidus, frugibus inimicum, rufæ canes immolabantur, vt fruges flauescentes ad maturitatem perducerentur*.

CATVS *sapientem* notat: vt indicat Plinius, lib. VII. cap. XXXI. vbi ait, à *sapientia* esse imposita *catorum* & *corculorum* cognomina. Idémque de *Catonum* cognomento dici debet. Varro, cuius verba mox ponemus, à Sabinis esse id verbum ait. Sed Seruius, ad illud Æn.: *Instant ardentes Tyrij*: *catus* ait esse origine Græcum à *καίω*, hoc est, *uro*, vt quis *catus* dicatur ob feruorem ingenij. Sequitur hanc *ἐτυμολογίαν* quoque Angelus Decembrius, lib. III. cap. XXVII. Alij agnoscunt, dici quasi *cautus*: sed à *cano*, non à Græco, esse volunt. Sunt & qui à *canibus* deducant. vt alij contra *cani* à *catus* nomen esse putant. Mihi, si origo eius adferri possit, à *caueo* dici maximè probatur. Nonius Marcellus *catus* exponit *sapiens*. Varro aliter, qui sic scribit, lib. VI. de L L. ex Scaligeri restitutione: *Apud Ennium:*

Iam cata signa fere sonitum dare voce parabant.

Cata, acuta. Hoc enim verbo Sabini dicunt. Quare,

——— *Catus Ælius Sextus;*

non, vt aiunt, sapiens, sed acutus. Et quod est:

Tunc cœpit memorare simul cata dicta ———

accipienda acuta dicta. Hactenus Varro. Vsus hoc pacto Arnobius, lib. I. cùm ait: *Et illi cati, sapientes, prudentissimi vobis videntur*. Ausonius pro *perito* vsurpat, in Mosellâ, cum inquit,

——— *Legúmque catos, fandíque potentes.*

Vbi Iurisconsultos & oratores *περιφράζει*. Scripsit Varro librum, cuius *ἐπιγραφή*, *Catus*, siue de liberis educandis. Crebro eius mentio fit apud Nonium atque alios. Apud Agellium, lib. IV cap. XIX. corruptè pro *Catus*, *Capys* editum est. Nam *Catus* legi debere cognoscimus ex illo eiusdem Agellij, lib. XX. cap. X. *In logistorico M. Varronis, qui inscribitur, Catus* Quare fallitur quoque Ausonius Popma, qui, suis in Varronem annotationibus, tradit, non *Catus*, sed *Cato*, huic libro fuisse nomen. Sanè corruptus quoque ille Agellij locus.

cus, pro nobis facit, cùm maior inter *Capys*. & *Catus*, quam *Cato*, sit adfinitas. Est & *Catus* populum. Vnde *Catijons*. Festus: *Catijons, ex quo agna Petronia in Tiberim fluit, dictus, quod in agro cuiusdam fuerit Cati.* Vbi in MS^o^ distinctè est *Cati fons*.

CAVDA, quæ & *coda*, Perotto videtur esse à *cauus*, quia intus *caua* sit. Et pro hac sententia illud afferre possim, quod *caua*, vel *cauiar*, diceretur pars secundum *caudam*: vnde Festo teste, hostiæ *cauiares*, quas ait quinto quoque anno pro collegio pontificum poni solere. Sed quid, si dicamus, potius esse à *cado*, *t* in *u* abeunte? Sane hæc pars minimo damno abscinditur vt in canibus videmus. Imò *amputata lacertis ac serpentibus renascitur*: vt Plinius ait lib. XI. cap. L. Et tamen nec hoc etymon quidem verum ausim spondere. A *cauda* est *caudea*. Plautus, Rud. IV. IV. *Cistellam istic inesse oportet caudeam in vidulo.* Festus: *Caudea cistella ex iunco à similitudine equinæ caudæ facta*. Vbi *caudea* legendum. Quod etiam in quibusdam est MSS^tis^. Vbi alij *Caudea*, vel *Caudera*. Pro *cauda* dixere *coda*, vt pro *caurus*, *corus*, pro *aula*, *olla*. Hinc *codetum*. Festus: *Codeta appellatur ager trans Tiberim, quod in eo virgulta nascerentur ad caudarum equinarum similitudinem.* Vbi in MS^o^ pro *Codeta* est *cocleta*: nempe facile *d* in *cl* mutant librarij. *Caudex*, truncus arboris, ita dictus videtur à *caedo* siue *cado*, quia in plures secaretur tabulas crassas: quarum etiam contextus *caudex* propterea dicebatur. Ac naues, quæ ita fierent, *caudicaria*. Festus: *Caudicaria naues, ex tabulis crassioribus facta.* Sed hanc rem plenius in *Codex* explicabimus.

CAVEA, à *cauitate*, vt ait Varro, lib IV. de L. L. Eâ voce Ciceronis æuo vix aliter vsi, quàm pro *theatro*: sed postquam sub principibus amphitheatrum increbuit, pro *amphitheatro* accipi cœpit. Sic vsus Tertullianus aduersus Marcionem: *Non frequentas sollennes voluptates circi furentis, & caueæ sæuientis, & scenæ lasciuientis.* Vbi tria nominat spectaculorum loca, *circum*, *caueam* siue *amphitheatrum*, & *scenam* siue *theatrum*. In primo furor, ob factiones aurigantium. In altero sæuitia ob cædem gladiatorum ferarúmque. In tertio lascitia, ob impudicos versus & gestus. At cùm *cauea* in plurativo dicitur, *theatrum*, & *amphitheatrum*, comprehenduntur. Saluianus: *Quicquid immoderationis in circo, quidquid furoris in caueis.* Caueæ autem nomine cùm *theatrum*, tum *amphitheatrum*, dictum, quod interior pars concaua esset, capaci quadam profunditate. Diuidebatur *cauea* in imam, mediam, summam. Ima continebat Orchestram & Equestria. Orchestra erat sedes Senatorum, cùmque plurimum fuerit graduum, honoratior erat is locus, qui podio & arenæ propinquus; vtpote ad videndum audiendúmque accommodatior. Equestria Orchestræ proxima: fuere ea graduum quatuordecim: vnde passim legas, *sedere in quatuordecim*. Non dubium autem, quin, equitum numero ab imperatoribus immaniter aucto, plures sint equitibus tributi gradus. Remansit tamen hic loquendi modus. Ausonius, ludis sapientum: *Tu qui orchestra proximus Gradibus propinquus in quatuordecim sedes.* Media & summa cauea assignata populo, hoc est, *plebi*: vnde & locus is *Popularia* dicebatur. Sic vsus Suetonius, Claudio, cap XXV. Sed media cauea honoratior. Nam *pullatis* media cauea sedere interdixit Augustus, teste Tranquillo, in vita eius. Icirco conqueritur Calpurnius, quòd principem videre non potuerit, quia cum pullatus esset in summa cauea sedendum fuerit, longissime à podio, vbi princeps. Versus sunt:

> *O vtinam nobis non rustica vestis adesset!*
> *Vidissem propius mea numina: sed mihi sordes*
> *Pullaque paupertas, & adunco fibula morsu*
> *Obstiterunt.* ———

Ab eadem caussa est quod legimus apud Senecam de Tranquillitate: *Verba ad summum in caueam spectantia*, hoc est, vilia, & ad gustum infimæ plebis. Feminis quoque nonnisi ex capse cauea spectare idem concessit, vt ibidem tradit Tranquillus. Hinc Calpurnius:

> *Venimus ad sedes vbi pulla sordida veste*
> *Inter femineas spectabat turba cathedras.*

Et Propertius inter præcepta æmulantis Cynthiæ ponit, quod in quatuordecim sedens non deberet oculos adducere ad summam caueam, vbi mulieres:

> *Tu neque Pompeia spatiabere cultus in vmbra,*
> *Et, cum lasciuum sternet arena forum,*
> *Colla caue inflectas ad summum obliqua theatrum.*

Fuere & alia in popularibus discrimina: quemadmodum docet hic Suetonij de Augusto locus: *Militem secreuit à populo, maritis è plebe, proprios ordines designauit, prætextatis cuneum suum, & proximum pædagogis.* Subijcit deinde de pullatis & Feminis quod supra dixi. *Sanxit*, inquit, *ne quis pullatorum mediâ caueâ sederet. Feminis ne gladiatores quidem, quos promiscuè spectari solenne erat, nisi ex superiore loco spectare concessit.* Totam hanc rem accuratissimè persecutus ocellus Belgicæ Iustus Lipsius lib. de Amphitheatro.

CAVERE, à *cauo* dici censet Varro, lib. IV. de L. L. Si modò sana est lectio vulgata. Negat id Scaliger. Nam quæ, inquit, ratio est, vt *cauere* à *cauo* deductum sit? Sed rationem non abstrudam affert Iouianus Pontanus. Ita enim in Actio suo scribit. fol. CXXX. edit. Ald. *Prisci illi, qui Latium, à quo Latinam esse linguam sunt qui velint, etiam ante Aborigines tenuere, plerique in cauernis habitabant, quæ à cauando essent dictæ. In iis autem & æstus cauebant & frigora, pleraque etiam alia incommoda; in illisque se & sua cautius tutabantur. Quâ è re verbum cauto ab iisdem esse deductum.* Hactenus Pontanus. Porro *cauere sibi*, nihil aliud est, quam sibi prospicere ac consulere: vnde speciatim in iure ponitur *cauere*, pro securum facere, vt, cum pignora dantur aut fideiussores: sed & speciatim de Iurisconsultis dici solet, cum iis consulunt, à quibus consuluntur. Hinc Plautus Epidico.

> *Hic poterit cauere rectè, iura qui & leges tenet.*

Vbi ad Epidici nomen respicit Comicus. Tullius, lib. I. de legg. *Non enim id quærit, quemadmodum caueamus in iure, aut quid de quacumque consultatione respondeamus.* Ludit huius vocis ambiguitate Ouidius lib. I. ἐρωτικῶν.

> *Illo sæpe loco capitur Consultus amore,*
> *Quique aliis cauit, non cauet ille sibi.*

Et Cicero, Epist. VI. lib. VII ad famil. *Tu qui cæteris cauere didicisti, in Britannia ne ab essedariis decipiaris, caueto.* Idem similiter *cautionis* voce ludit epist. XVIII. eiusdem libri: *Itaque quando vestræ cautiones infirmæ sunt, Græculam tibi misi cautionem chirographi mei.* Est autem *cautio* à supino *cautum*, nisi malis κατ᾽ συγκοπὴν factum è *cauitio*: quo vsus Varro. Et veteres *cautio* pro *cautio* dixisse, auctor est Festus. Similiter *cautor*, vel est à *cautum*, vel integrum erit *cauitor*; quomodo *fautor* pro *fautor* dixere Lucilius & Plautus. *Cautor* est apud Tullium, qui pro Sestio dixit, *cautorem alieni periculi*. Ac apud Plaut. Capt. Act. II sc. II est:

> *Qui cauet, ne decipiatur, vix cauet, cum etiam cauet.*
> *Etiam cum cauisse ratus est, sæpe is cautor captus est.*

A *cautum* quoque est *cautus* quâ voce, si passiuam terminationem specles, propriè signabitur, non qui sibi *cauet*, sed qui sedulò *cauendus*. A *cauendo* quoque est *cautillari*. Sed de hoc, suo loco.

CAVILLOR est à *cauo*; vt à *sorbeo*, *sorbillo*. *Cauere* autem, proprium est iurisconsultorum, vt in *Caueo* ostensum. *Cauillari* autem est leguleiorum ac tabularum forensium. Sed interdum pro primogenio sumitur. Vt apud Tertullianum, lib. de corona militis, cap. XI. *Dum susceptâ fide atque signatâ, aut deserendum statim sit, vt multis actum; aut omnibus modis cauillandum, ne quid aduersus Deum committatur, quæ nec ex militia permittuntur, aut nouissimè perpetiendum, quod æque fides pagana condixit.* Vbi *cauillandum* est *cauendum*, ἀπὸ τοῦ φυλάττεσθαι. Quare falli eos censeo, qui *cauillor* deducunt à *caluor*, hoc est, *frustror*, siue *decipio*. Apud Caium ICtum legas, CCXXXIII. De verb. signif. *Si caluitur, & moretur, & frustratur. Inde & calumniatores appellati sunt, quia per fraudem & frustrationem alios vexarent litibus. Inde & cauillatio dicta est.* Hæc Caius. *Cauillum*, & *cauillatio*, Festo teste, dicitur *irrisio*, *iocosa calumniatio*. In Philoxeni Glossis est: *Cauillatio*, Ἐλέγχ, Ἀστεϊσμός, Παρεξήγησις. Item, *Cauillatio*, Κακόνοια, Σκώμμα. *Cauillari*, pro *refugere ad tergiuersandum*, vsurpat idem Tertullianus, lib. de pudicitia, cap. X. *Non ergo & Ionas idcirco ethnicis Niniuitis non putabat pœnitentiam necessariam, cùm cauillaretur in prædicationis officio, an potius misericordiam DEI prouidens etiam in extraneos profusam, quasi destructuram præconium verebatur?* Quia autem, qui tergiuersantur, ne vera cogantur agnoscere, captiosè quædam vndequaquorsum congerere solent: hinc factum con icio vt *cauillari* ponatur pro *sophisticè agere*, ac *cauillatio* in spec atim id genus sophismatis Ciceroni ac Senecæ notetur quod Stoici σωρίτην vocant. Vlpianus, l. CLXXVI. de verb. significationib. *Natura cauillationis, quam Græci σωρίτην appellauerunt, hæc est, vt ab euidenter veris, per breuissimas mutationes, disputatio ad ea, quæ euidenter falsa sunt, perducatur.* Gloss. vett. col. DCXXIX. Σωρίτης, *cauillatio*.

CAVLA è *cauitate*. Festus: *Caula à cauo dictæ. Antiquitus enim oues stabulis vel claudebantur.* Similiter Varro in IV. de L. L. vt quidem emendat Scaliger. Nam in vulgatis pro *caula* erat *cauila*. Ortus ex eo error videtur, quod, cùm ignorarent librarij, veteres scripsisse *caula*, vt *paulla*, crediderunt prius *L* esse *I*. Hebraicè *caula*, siue *caulla*, dicitur מכלה, à כלא, id est, *prohibere*, *claudere*. Interdum suspica

suspicatus sum, ab hoc verbo, V tantum inserto, factum esse. Sane id quidem non minus mihi verisimile videtur, quam vt sic dicatur ab Hebræo [Hebrew], id est, *caula*: vel quia e *caulibus*, hoc est, *viminibus* fiat: quæ duo etyma ponit vir eruditus. Sed profectò nihil horum omnium verum est. Nam cùm αὐλὴ Græcis & *aulam*, & *caulam*, notet (vnde in Glossis Cyrillo tributis legas: αὐλὴ ἐπαυλις, *aula*, αὐλὴ τῶν προβάτων, *stabulum*) quis ambigat, quin *caula* fiat ab αὐλὴ? Vidit & hoc Seruius, IX. Æn.: *Caula, monimenta & septa ouium. Est enim Græcum nomen, C. detracto. Nam Græci αὐλὰς vocant animalium receptacula.* C. præpositum, quomodo fortasse ab ἀκὶς, *acuo, acumen, cacumen*. *Caula* pro *theatro*, & *amphitheatro* dixit Tertullianus, lib. de Spectaculis. *Credo circo, & vtrique caulla, & omni stadio gratiam.* Nisi (quod Lipsius suspicatus) potius *cauea* legi debet de qua suo loco.

CAVLIS, à Græcis accepimus, vt agnoscit Varro lib. IV. de L.L. Ii dicunt καυλὸς, vt apud Theophrastum de rosis, [Greek] quod Plinius vertit, *Caule concisò inferuntur.* Latius tamen Græcis ea vox patet, quàm Latinis. Nam apud Græcos locum habet in omni genere plantarum, ita vt quoque τὸ στέλεχος, siue *truncum*, tanquam speciem comprehendat. Theophrastus, lib. I. cap. II. hist. plant. Καυλὸν δὲ λέγω τὸ ὑπὲρ γῆς πεφυκὸς ἐφ' ἓν, ὃ ἐπὶ τῶν δένδρων καλεῖται στέλεχος. id est, *Voco* καυλὸν (non habent Latini vocem, quæ Græcum ad amussim exprimat,) *quod supra terram simplex assurgit; quod in arboribus caudex appellatur.* At Latinis *caulis* de herbis solum ac fruticibus dicitur, non item arboribus: Vt bene docet Isidorus, lib. XVII. cap. X. Sed etymon quod ibi videtur innuere, vt nempe *caulis* à *coalescendo* dicatur, id planè ineptum puto. Verba eius ponam: *Caulis est generaliter herbarum & olerum medius frutex, qui vulgo thyrsus dicitur, quod à terrâ sursum conscendat: ex quo deriuatum est, vt specialiter quoddam genus olerum caulis diceretur, quia thyrsus ipsius amplius cæteris oleribus coalescit, hoc est, crescit. Est autem generale nomen. Omnis enim frutex caulis.* A *caulis* Germano Belgæ *brassicam kool* vocant, quasi *caulem*, nempe κατ' ἐξοχὴν, quomodo & vsus Plinius, lib. XVII. extremo cap. XXIV. *Odit vitis & caulem & olus omne.* Nam quod hic *caulem* vocat, id alibi *brassicam* appellat: vt lib. XXIV. cap. I. *Perniciali & brassica cum vite odia; ipsùmque olus, quo vitis fugatur, aduersum cyclamine & origano arescit.* Sed nec Martialis per *caules* aliud quàm *brassicam* vel interiorem *brassicæ* partem intellexit. Locus est lib. XIII. ep. XVII.

> *Ne tibi pallentes moueant fastidia caules,*
> *Nitrata viridis brassica fiat aqua.*

Lemma eius distichi est, *Coliculi*, quod ὑποκοριστικὸν est à *colis*, hoc est, *caulis*. *Colis* legitur in melioribus codd. Horatij, lib. II. Sat. IV.

> *Caule suburbano, qui siccis creuit in hortis*
> *Dulcior.* ———

hoc est, *caulis*, siue *brassica* agrestis hortensem dulcedine exuperat. Vt à *caupa, copa*, ab *aula, olla*; ab *aurata, orata*; ab *Ausculana*, pugna *Osculana*; sic à *caulis, colis*; & à *cauliculus, coliculus*. Inde est, quòd Germano-Belgæ hodiéque *brassicam* vocant *kool*. Sed & alia sunt in eorum lingua, in quibus *AV* in *O* mutetur, in *Mauri*, *Moorenclaustrum, clooster*, hoc est, cœnobium, quod *claustrum*, seu *clostrum*, dixere posterioris æui scriptores, multáque alia id genus. Porrò censet Turnebus, lib. XIX. cap. XXVIII. *caulis*, præter eam quam diximus significationem, etiam notare *minutam caulam*. Ac sic locutum censet Varronem, lib. III. de R.R. cap. V. Quod si verum, vt ab αὐλὴ est *caula*, sic ab αὐλίς erit *caulis*. Verùm *caulis* hac notione Latinum non est. Quódque ad Varronis locum, in eius restitutione Turnebus nihil minus est, quàm Turnebus. Veram & lectionem & sententiam apperit vnicus sospitator Varronis, imò alter Varro, Ios. Scaliger.

CAVLIS, siue *colis*, quod à Græco καυλὸς, propriè *scapum*, siue *thyrsum brassicæ* notat, sed κατ' ἐξοχὴν sumitur pro *brassica*, vnde & Belgicum *kool*.

CAVPO, vnde sit, docere conatus Iouianus Pontanus, in erudito dialogo qui *Actius* inscribitur: vbi (fol. CXXXII. b. edit. Aldinæ) ait, *Ab verbo CAVO factam esse primo caupam, vas vinarium, ab eóque cauponam & cauponem, quod cauis in locis, vel cauis doliis, vinariam exercerent, à quibus posteriores vocalem I detraxissent, indéque esse hodie cupas, aut in u productum esse versum, vt claudo, cludo, & cauponam, cauponámque & cauponari.* Alteram quoque *cauponis*, ac *caupona*, ἐτυμολογίαν habes apud Festum, cùm scribit *Copona taberna à copiis dicta.* Ac probat hanc sententiam Adr. Turnebus, lib. XIV. Aduers. cap. V. vbi & rectè docet, non solùm dici *cauponem*, qui vinum vendit, quomodo vtitur Martialis, lib. I. cùm ait.

> *Non potes, vt cuperes, vendere caupo merum.*

sed nomen esse generale à *copiis*, vt etiam comprehendat mercatores & institores: vnde apud Plautum, Aulul. Act. III. sc. V. *Caupones patagiarij, indusiarij.* Vbi *Caupones patagiarij* sunt, *qui patagia vendunt*, similitérque *caupones indusiarij, indusiorum institores*. Quam interpretationem etiam sequitur Lambinus. I. Meursius pro *caupones* legit *cauponi*, sed contra fidem omnium codicum M S, & eorum etiam, quæ ante Aldinam in lucem prodierunt, tum etiam citra cautlam, cùm *caupo* Latinis non latè minus pateat, quam Græcis κάπηλος, quod idem significat. Atque hæc ratio est cur superioribus duabus tertia adiicienda sit etymologia: vt nempe (qua summorum virorum, Angel. Caninij, in Hellenismi alphabeto; & Iosephi Scaligeri in conjectaneis, sententia fuit) *caupo* dicatur esse à κάπηλος, V inserto, quomodo à γαθέω est *gaudeo*, ab ἀρύω, *haurio*. Hoc vt alia pleraque, fecerunt Latini more Æolum, qui pro ὄρος dicunt ὄυρος pro ὀρθὸς, ὀυρθὸς pro [Greek] multáque id genus alia. Quod verò ad terminationem, vt à [Greek] [illegible], sic à κάπηλος, κάπων, vnde *caupo*, qui & *copo*, conuerso *AV* in *O*, quomodo à *caurus* est *corus*, ab *aula olla*, &c. Glossæ Philoxeni: *Copo, qui & caupo*, κάπηλος. Similiter & *copa* dicitur, quam Græci καπηλίδα nominant vnde illud:

> *Copa Syrisca caput Graia redimita mitella.*

Item *copona* pro *caupona*, vnde Festus exponit *tabernam*. Sed & pro *copa* dixere *cupa*, *AV* in *V* mutato, quomodo à *claudo* est *cludo*, à *defraudo, defrudo*. Cic. in Pisonem: *Panis & vinum de propola & de cupa.* Vbi, vt optimè exponit Scaliger, *propola* τὴν μεταβολίαν, *cupa* τὴν καπηλίδα, notat, vt sententia sit, cum non de *penu* & *promtuario viuere*, sed de *caupona*, quod Horatius vocat *numerato viuere*. Pro *copa*, seu *cupa*, dicitur & *copona*. Priscianus, lib. VI. *Draco dracæna, leno lena, caupo caupona, quod significat tam ipsam tabernam, quàm mulierem.* Lucillius, in III. *Caupona hic tamen vna Syra.* Idem dixerat, lib. V. Etiam in Onomastico veteri legas: *Caupona*, καπηλίς. *Cauponaria*, καπηλικὴ [illegible]. Hinc *cauponari*, καπηλεύειν. Ennius. *Non cauponantes bellum, sed belligerantes.*

CAVRVS, siue *chaurus*, idem est ac λιβόνοτος, si Vegetium audimus: à quo ad sinistrum meridiani cardinis collocatur. Sed aliis est ἀργέστης, ventus ab occasu æstiuo aduersus aquilonem spirans: ita Phauorinus, apud Agellium, lib. II cap. XXII. Similiter Vitruuius lib. . cap. .. *Inter Fauonium & Septentrionem chaurus, quem plures vocant chorum.* Plinius, lib. XVIII. cap. XXXIV. *Ex aduerso Vulturni flabit Corus ab Occasu solstitiali & Occidentali latere Septentrionis.* Seruius, ad III. G.: *Caurum pro corum, sicut saurex pro sorex, caulis pro colis.* Isidorus lib. XIII. cap. XI. *Corus est, qui ab occidente æstiuo flat, & vocatus Corus, quòd ipse ventorum circulum claudat, & quasi chorum faciat. Hic antea Caurus dictus, quem plerique Argesten dicunt, non, vt imperitum vulgus, Agreste.* Fauet Isidoro, quod in Romano Maronis codice cum adspiratione *chaurum*, ac in Longobardico eodem modo *chorum* scribi III Georg. auctor est Pierius, in Castig. Virgilianis. Sed puto, rectum esse *corus*. H verò illud esse à consuetudine vitiosâ tenues adspirandi, quæ iam Ciceronis Catullíque æuo inceperat: vt ex illo, in Oratore ad Brutum; ex hoc, epigr. in Arrium cognoscitur. Neutiquam autem *corus* à *choro* venire, inde cognoscimus, quod, vt ipse Isidorus fatetur, prius fuit *caurus*, vnde *corus* factum; vt, ab *aula, olla*; à *Claudius, Clodius*, à *plaustrum, plostrum*; à *claustrum, clostrum*; vnde est quod Belgæ monachorum claustra *cloosters* vocant. Hac notione venit *caurus*, seu *corus*, à קר, id est, *frigus*. Gratius in Cynegetico.

> *Verum vbi caurino perstrinxit frigore vesper,*
> *Ire placet.* ———

Fortasse igitur *corus* ex χωρὸς. Nempe vt δῆμος, *populus*, δημὸς idem ac δημότης, *popularis*: ita χῶρος, *locus*, χωρὸς, idem ac χωρίτης, hoc est, ἐγχώριος, siue ἐπιχώριος, *naturalis, ac loci alicuius proprius*. A χωρὸς fit *chaurus*; vt ab ὀρείχαλκος, *aurichalcum*. Est & *corus* mensuræ genus apud Hebræos, quibus כר dicitur. Capiebat autem medios triginta, vt cum Epiphanius testatur, lib. de ponderibus & mensuris; tum Isidorus lib. XVI. cap. XXV. Fusè de eo Stanislaus Grsepsius, lib. de mensuris Hebraicis & B. Arias Montanus, Antiquitatum Iudaicarum, lib. VII. qui *Thubal-Cain* inscribitur.

CAVSIA vox est apud Plautum, Mil. 4. 4. Val. Maximum, lib. V. cap. I. & Martial. lib. XIV. Nomen est à καίω, hoc est, *vro*. Erat enim pileus latos margines habens ad prohibendum solis æstum. Suidas: Καυσία εἶδος πίλου [illegible]. Romæ tamen quoque vsurpatum fuisse indicat locus Martialis, lib. XIV. dist. XXIX. cuius lema *Causia*: non *Causapa*, vt in Aldina legas:

In

In Pompeiano tectus spectabo theatro,
Nam ventus populo vela negare solet.

Sententia est: Si ventus impedierit, quò minùs theatrum velis tegi possit ad arcendum solis æstum, caput *causiá* tegam. Alteram quoque significationem habet *causia* vox, si rectè in plerisque Vegetij codd. leg. lib. IV. cap. XV. *Vineas dixerunt veteres, quas nunc, militari barbaricoque vsu, causias vocant.* Sed hoc loco mirificè variant codd. Vide quæ ad eum locum notat Stevvechius. Quemadmodum autem a [illegible] est [illegible], sic a [illegible] est [illegible], *vrendi vim habens.* *Causiaci* vocem crebrò vsurpat Plinius. Legas & apud Martialem, in Apophoretis, epig. XXVI. Ab eodem [illegible], [illegible], [illegible], [illegible], de quibus seorsum.

CAVSSA, a *cavillando* quibusdam dici videtur, vt ex Scauro discimus. Aliis, vt à [illegible] est *pausa*, sic a [illegible] videtur esse *caussa*, nempe à [illegible], hoc est, *accendo*, quia hominem ad rem agendam incitet atque inflammet. Legas illud apud Perottum. Vt & quod à *chao* nonnullis (quos & sequitur Nunnesius in Grammatistice) esse creditur, quia illud omnium rerum *caussa* est. A *casu* esse Isidorus tradit, lib. XVIII. cap. XV. vt *caussa* sit, quicquid *cecidit*, hoc est, *accidit*: inde ad illud transferatur propter quod res fit. vti & in *occasio* factum putant. quod ipsum etiam pro *caussa* rei accipitur. Sed profecto hoc fit vi præpositionis. Est enim *occasio*, id ob quod cecidit siue accidit aliquid. Quod nihil aliud est dicere, quam *caussam* siue *originem rei*. Quare satius sit deducere *caussam*, siue *causam*, à *causo*, seu *quæso*, quomodo veteres scripsere, pro *quæso*. Nam [illegible] nihil est aliud, quam *quæso*, seu *peto*. Qui autem petit aut iubet aliquid fieri, is *caussa* est cur fiat. Vnde Græcis [illegible], *qui in caussa est*. Nempe [illegible], vt nobis quidem videtur. Vt propriè signet eum, cuius postulato, vel iussu, siue voluntate, res facta est. Similitérque, qui Græcis [illegible], Latinis est *auctor*, nempe quia rem fieri voluit, ab *aueo*, id est, *cupere*. Vel hoc verum est, quod diximus, vel erit *caussa* à *cauendo*. Nempe à supino *cautum* (pro quo *cautum* dixere per syncopen) erit *cauissa*, vnde *caussa* vt à *fodio*, *foditum*, vnde supinum *fossum*, & verbale *fossa*. Nec caussa originis obscura sit: cum, vt *cauere* iuris vox est, ita & *caussa* sit, imo *caussidici* vocentur, quia *caussas* rerum plurimùm expediunt. Vt quidem Appuleius scribit in Apolog. *Tertio*, inquit, *quæsiuisti, vt qui scires omnium factorum rationes diligentius examinandas, ac sapius caussas quæri, facta concedi, eòque etiam patronos litigatorum caussidicos nominari, quod, cur quæque facta sint, expediant.* Hæc *caussæ* à *cauendo* [illegible] non leuiter eorum confirmat sententiam, qui, Ciceronis & Maronis exemplo, *caussa* gemino SS scribunt. Eam tamen scribendi rationem improbat Terentius Scaurus: cuius hæc verba sunt, libro de Orthographia: Causam *multos scio per duo SS scribi, vt non attendentibus, hanc literam, vt etiam cognatam illius R, nisi correptâ vocali præcedente, non solere geminari; & præterea quoties productam vocalem V sequatur, in id solere desinere syllaba sonum, vt in* plausu *& lusu. Ita, cùm hac vtique literâ eiusmodi syllabarum finiri sonus debeat, nunquam autem à geminâ vlla syllaba incipiat, apparet,* causam *geminatum SS non recipere, quoniam neque in fine præcedentis syllabæ alterum potest poni; neque à gemino sequens incipere. Sed illud secuti videntur, quod* causa *dicta sit à* cauillationibus, *vel à* cauendo, *deinde per* [illegible] causa, *ita & in id iam* [illegible] *geminandam putauerunt, vt originatio appareret.* Quibus placet, geminato SS scribi, hi se tuentur auctoritate Tullij & Maronis, quos sic scripsisse docet his verbis Fabius Quinct. lib. I. cap. VII. *Quid, quod Ciceronis temporibus, paulùmque infra, fere quoties S litera media vocalium longarum, vel subiecta longis esset, geminabatur? vt,* caussæ, cassus, diuissiones: *quomodo & ipsum, & Virgilium quoque scripsisse, manus eorum docent.* Sed ad hoc argumentum respondent veteres Grammatici, eosdem etiam & *cassus*, & *diuissio*, & similia, ex seculi more scripsisse, in quibus posterius seculum à priori recessit. Audiamus hâc de re Annæum Cornutum, qui sic de eo apud Cassiodorum scribit, in collectaneis de Orthographia: Causa *per vnum S: nec quenquam moueat antiqua scriptura: nam &* accussare *per duo SS scripserunt:* sicut, fuisse, diuisisse, esse, *&* causasse, *per duo SS. In quâ enuntiatione quomodo duarum consonantium sonus exaudiatur, non inuenio.* Eadem sententia Marij Victorini, lib. I. vbi, cum dixisset, ostensurum se quomodo veteres scripserint, & quomodo nunc scribere debeamus, hæc inter alia subdit de veterum scriptura, quam sequi non oporteat: *Veteres voces, quæ pressiore sono eduntur,* ausus, causa, fusus, odiosus, *per duo SS scribebant,* aussus, &c. Beda similiter. Causa *per vnum S scribatur.* Vnum etiam è iunioribus ponamus, Iouianum Pontanum, cuius hæc verba, in Actio, fol. CXXXII. edit. Ald. *Quod in causâ ipsâ cauisse oportuerit, inde ab initio dictam esse* cauissam. *Post verò subtractâ vocali* caussam, *nomine ipso tres adhuc syllabas retinente* cā-uſſa.) *Postremò, primâ & secundâ syllabâ, duabúsque illis vocalibus literis in vnum coactis, vocem ipsam factam esse dissyllabam, ac nihilominus duplex SS mansisse* (Caus-sa,) *quod tandem leniendæ vocis gratiâ simplex extitisset* (cau-sa,) *quando duplex ipsum post au diphthongum sonaret horridius, præsertim C. consonante diphthongum præcedente.* Post tot auctores adsciamus & ipsi iudicium nostrum. Planè probo *caussa* gemino SS. Quippe ea [illegible] imprimis nobis sequenda, quæ obtinuit, cùm maximè floreret imperium ac sermo Romanus. At Augustæo, & proximo æuo, *caussa* scribebant geminato sibilo: quod & veteres Grammatici testantur, & lapides Capitolini docent, quorum auctor Verrius Flaccus. Nec *caussa*, per geminum SS, horridiùs sonat, quam *paullum*, per geminum *LL*; quod sic scribi debere agnoscit Scaurus. At, inquiunt, eo ipse seculo etiam scripsere, *accusso*, *cassus*, *diuissio*. Verùm quid, si dicam, & hæc, sic scribi à nobis posse: sed consuetudini id dari, quod aliter scribamus? At in *caussa* rationem esse disparem, quia is scribendi mos nunquam planè exoleuit; quod vett. lapp. & libri testantur, & seculorum omnium super eâ voce dissertatiunculæ validè confirmant.

CAVTERIVM, [illegible]; vocatur instrumentum, quo notæ & stigmata inuri solent: item, quo medici inurunt partes malè affectas. Nempe à [illegible], siue [illegible], id est, *vro*; vnde & [illegible], à quo [illegible], & [illegible]. Mirificè hanc vocem [illegible] Isidorus, lib. vlt. cap. vlt. Nam ex *caueo*, & *vro*, conflatum ait: *Cauterium, inquit, dictum, quasi cauturum, quod vrat, & prouida sit in eum feneráque cautio: vt, dum videtur, cuius sit, auaritia refrenetur. Quod interdum pro signo, interdum pro curâ, adhibetur; vt vis morbi, ignis ardore siccetur.* Pluscula ad hanc *cauterij* acceptionem pertinentia legere potes apud Cælium. Rhodig. lib. VII. cap. XXXI. Porrò Martiano, lib. XVII. de instr. vel in instrum. legat. *Cauteria* quoque dicuntur ea pictorum instrumenta, quibus in picturâ *encaustica* ad colores ceris inurendos vtebantur.

CAVTES, à *cauus*, si rectè Isidorus, lib. XVI. cap. III. *Cautes asperæ saxa in mari; dicta à cauando, quasi cauata.* At non in solo mari *cautes*, verum etiam in terra. Puto, *cautes* potius esse à *caueo*, vt à quibus cautio esse debeat, ne impingamus.

CAVVS, à *chao* dici vult Varro, lib. IV. de L. L. Similiter Festus: *Cauum à chao dictum, ex eius inanitate.* Quæ vera lectio, etsi in MS° sit, *immanitate*. Nempe vt sit [illegible], à χαίνω, id est, *hio*. Ἀναλογώτερον tamen dicas, *cauum*, & verbum *cauo*, esse ab antiquo [illegible] pro χαίνω, inserto V, quomodo à δῖος, *diuus*; à λεῖος, *leuis*, &c. Vel est *cauus* à κόος, quod Æolice [illegible], id est, *cauitas*. A κόος superest κοῖς, & κοίτη, *fiscella*, siue *aro*, seu *phormio*. Etiam à κοῖς *couum*, quomodo antiqui dixere *cælum*. Vel est *cauus* ab Hebræo קבב, id est, *cauum fecit*. Vel à כף, quod est *curuitas*, *cauitas*, ac propterea pro *vola manus* sumitur, à כפף *curuare*. A *cauus* est *cauaticus*, vt, *balneaticus*, *scenaticus*: Plin. lib. XXX. cap. VI. *Cochleæ Balearicæ, quas cauaticas vocant, quoniam in speluncis nascuntur.*

C E

CEDO, iuxta aliquos, à צעד, quod est, *ire*. Sed nimis hæc notio generalis. Quare vel erit [illegible] ab [illegible], quod Atticum, pro [illegible], *cedo*: vel fuerit à χάζω, id est, *cedo*. Nempe ab aoristo [illegible], *A* in *E* abeunte, quomodo à βραχέα est *breuia*; à πάσσαλος, *pessulus*; à πάσκω, *pasco*, &c. A *cedo*, siue supino *cessum*, est *cessare*, vt à *dico*, *dictum*, *dictare*. Est igitur *cessare*, *cedere à labore*. Ab eadem origine est *cessim*. Nempe vt à *rapio*, *raptim*; & à *saltum* fortasse *saltim*; ita à *cessum* est *cessim*. Vtitur Alfenus I. C. l. LII. D. ad legem Aquiliam: *Superius plostrum cessim ire cœpit.* Et eodem §. *plostrum cessim redisset.* Et Martianus Capella, lib. VIII.

Cessimque formidantes
Abeunt pedes tremore.

Vtitur & Iustinus, lib. II. *Vos commisso prælio ite cessim, inhibete remos, & à bello discedite.* Appuleio quoque, II. Met. restituit hanc vocem P. Coluius. Glossarium vetus explicat, *cessim, gradatim.* Sed notat, *retro*. Hinc *recessim*. Plautus, Casinâ, II. VIII.

Recessim cedam ad parietem, imitabor Nepam.

A *cedo* est quoque *occedo*, quod est, *contra cedo*: vnde *obuiam occedere* dixit Plautus, Asinaria, Sticho, Trinummo: &, si Guilielmium ac Passeratium audimus, Pseud. Act. I. Sc. III. Hinc quoque *abscedo*: vnde *abscessus*, Celso; vti Plinio, *apostemata* Hippocrati,

Hippocrati ἀπόστημα, ἀπὸ τοῦ ἀφίστασθαι. Nam partes antea continuæ per humorem collectum, qui in pus conuertitur, resoluuntur ac separantur. Hæc de *cedo* priori porrecta. Nam cum eam corripit valet *dic*. vnde *cette*, pro *dicite*, apud Næuium Ennium, Accium, Pacuuium. Vide Nonium.

CEDRVS, κέδρος, fortasse à καίω, id est, *vro*. Virgilius lib. VII.

Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Vel à κεάζω. Odoratam enim hîc poëta vocat. At κεᾶδες est ἀῶδες, πεδιωμαλεῖον, ἀπὸ τοῦ κεάζειν; vt ait Hesychius, vel est ab קדר, κατὰ πρόθεσιν καὶ ἐπένθεσιν τοῦ Δ; quod idem notat. Ex κέδρος, & ἐλάτη, hoc est *abies*, est κεδρελάτη, *cedrus magna abietem æquans*. Ab eodem sunt, κεδρία, κέδρινον, κεδρέλαιον. Plinius. lib. XXIV. cap. V. *Cedrus magna, quam cedrelaten vocant, dat picem, quæ cedria vocatur.* Meminit & Vitruuius, lib. II. cap. IX. Videtur autem κεδρία esse adiectiuum substatiuè vsurpatum: subintellecto ῥητίνη, id est, *resina*; aut πίσσα, id est, *pix*. Similiter cum κέδριον legimus, videtur subintelligi ἔλαιον, id est, *oleum*, vt idem sit κέδριον, quod κεδρέλαιον dicitur. *Cedri* voce vsus Vitruuius, lib. II. cap. IX. *Item cedrus & iuniperus easdem habent virtutes & vtilitates; sed quemadmodum ex cupressu & pinu resina, sic ex cedro oleum, quod cedrium dicitur, nascitur, quo reliquæ res cum sunt vnctæ, (vti etiam libri) à tineis & carie non læduntur.* Eandem *cedrio* vim tribuit Plinius, lib. XVI. cap. II. Ac, lib. XIII. c. XIII. scribit ex sententia Cassij Heminæ, libros Numæ tineas non tetigisse, quòd *cedrati* fuissent.

CELEBRIS, à κλέω, id est, *celebro*. Nisi potius à *celer*. Pro quo est Nonij istoc: *Celebri non solum frequens, sed etiam velox.* Accius Ægistho: *Celebri gradu gressum acceleràsse decet.* Vel est *celebre*, à *calando*. Est enim *celebris*, cuius nomen *calatur*; vnde & *clarus*, quasi *calarus*. Vide plura in *Calar*.

CELER, ab Æolico κέλης, pro κέλης, quod à κέλλω, id Græcis signat, ταχέως βαδίζω, vt censet Etymologus qui & inde deducit κέλης. Κέλης verò Græcis eum notat, qui priuo currit equo: vnde equites dicti *celeres*, vti dicemus in *Tribus*. Κέλω autem, à קל, id est, *celer*, quod à קלל, *celerem esse*. A *celer* est *celeritas*. Contrà, scio, Isidorus, lib. X. *Celer*, inquit, *appellatus à celeritate, quia quod vsus exigit, celerius facit.* Sed quamquam verum est, hominem, vt *iustum*, à *iustitia*; *sapientem* à *sapientia*; sic *celerem* dici à *celeritate*; si rem spectes, vti à Logicis fit in paronymorum doctrina: tamen certum est, *celeritas* esse à *celer*, si vocabulum consideres cum Grammaticis; quia concreta, quale est *celer*, priora sunt notioráque nobis; etsi abstracta sint priora notioraque naturâ.

CELEVSMA est *adhortatio portisculi*, qui Græcis κελευστής; Ennio, VII Annal. *hortator* dicitur, vt *celeusmata* Nonio *hortamenta*. Porrò & κελευστής, & κέλευσμα, est à κελεύειν, hoc est *iubere*: vnde κελευστής, ad verbum in Glossis vett. exponitur *iussor*, similitérque Sallustius, in historiis, κελεύσματα vocat *iussa*. Vtitur *celeusmatis* voce Martialis, cùm alibi, tum lib. IV. Epigr. LXIV. Vsus & Rutilius in Itinerario:

His mecum pigri solabar tædia venti,
Dum resonat variis vile celeusma modis.

Quomodo autem *celeusma* fieri soleat, docet hic Asconij locus, in Diuinat. *Cani remigibus celeusma per symphoniacos solebat, & per assam vocem, id est, ore prolatam, & vt in Argo naui, per citharam.* Sunt tamen & alij modi, vt dicimus in *Portisculus*. Quod verò de Argo naui ait, confirmatur ab Hygino, qui fab. XIV. ait: *In Argo naui celeusma dixit Orpheus.* Apud Apollonium tamen Orpheus quidem nauigantibus Argonautis citharam pulsat, sed nullum canit *celeusma*: quod potiùs facit Tiphys vt ostendit Cl. Daniel Heinsius, ad lib. VI. Silij. In arte metrica pes *proceleusmaticus* sic dicitur à *celeusmate* nautico, cui ob celeritatem est aptissimus. Κελεύω, Eustathio teste, eâ ratione venit à κέλω, quâ βουλεύω, à βούλω. Sed horum passiua solum terminatio in vsu est, κέλομαι, βούλομαι. Κέλω est ab Hebræo קול, id est, *vox*, *clamor*: vnde & καλεῖν, id est, *calare*, *vocare*.

CELLA, à *celando*. Festus: *Cella, quod eâ celentur, quæ velimus esse occulta.* Malim *cella*, & *celare*, simplici E. Idem etymon adferunt Seruius, I. Æn. & Isidorus. lib. XX. Orig. cap. III. Sanè antiqui *cela* scripserunt, quia ante Ennium non solent consonæ geminari. Vel est *cella*, à כלא, quod *locum clausum*, item *carcerem*, notat à rad. כלא, hoc est *prohibere*, *claudere*. Vel *cella* est à Chaldæo כלא, quod idem ac Hebræum כלה.

CELO, est *occulto*, à Chald. כלא, quod Hebræis כלה. A כלא est *cameo*, *claudo*. A כלי est vetus *calim*, pro quo postea *clam*. Vide *Clam*.

CELLO, verbum antiquum, quod doctissimus Caninius censet esse ab ὀκέλλω, omisso ο; quomodo ab ὀδόντες, est *dentes*; ab ὄπισθε, *post*; ab ὄρχαμος, *ramus*; & fortasse ab ὄνομα, *nomen*. Sed simplicius veriúsque est venire à κέλλω, quo Homerus, Euripides, Apollonius, aliique vsi, à quo etiam ipsum ὀκέλλω venit, vti & δίκελλα, *bidens*; μονόκελλα, *ligo non bifidus*; παρὰ τὸ κέλλειν γῆν; item κέλης, quo significatur *equus singularis*, quo in certamine quis vtitur; item *eques ipse*, qui hoc pacto, non autem bigis, aut quadrigis, certat. Confundunt vulgo κέλητα cum ἀποβάτης; quo de errore vide sis, quæ notauit Xylander ad Plutarchi Phocionem & Æmilium. Ab hoc κέλης, ait Festus *equitem* dici *celsum*: atque id quidam firmatum eunt istóc Horatij, in Arte,

Celsi prætereunt austera poëmata Rhamnes.

Verisimilius sanè, quam vt à *cælo* dicatur *celsus*, quasi *cælestis*: vt Isidorus tradit, lib. X. Sed omnino, vt *excelsus* ab *excello*, sic *celsus* à simplici *cello*. *Cello* verò, vti dixi, à κέλλω, quod Eustathius interpretatur tum κινῶ, quam significationem esse ait in μονόκελλα, & δίκελλα; tum βαδίζω, seu στείχω, vnde κέλης esse censet. Quâ notione κέλλω est à קל, *velox*; cuius radix קלל, *velocem esse*. A *cello* est, *antecello*, *excello*, *percello*, *procello*, *recello*. Perottus, & quidam alij, censent, hæc esse à *cello*, seu *cello*, significante *cedo*. Sic vt scriberent, impulit eos, quòd viderent, *antecello* esse *antecedo*, *præcello*, *præcedo*, *excello*, *excedo*, &c. Sed nunquam hanc significationem vocis *cello* commenti essent, si cogitassent, κέλλειν esse κινεῖν, & nonnunquam esse κινεῖσθαι, siue κλίνειν. Itaque *recellere* Festus interpretatur, *reclinare*, vt, *excellere*, *in altum extollere*. Priori, præter Appuleium Liuiúmque, vsus Lucretius, lib VI.

———*Inclinatur enim, retróque recellit,*
Et recipit prolapsa suas se in pondere sedes.

Hinc *meretrices* Plautus appellat *recellicluna*s. A *procellendo* dicta *procella*. Seruius Danielis, ad I. Æn. *Procella est vis ventorum cum pluuiâ, dicta procella, quod omnia procellat (malim procellat, vt in aliis,) hoc est, moueat.* Vbi vides, vt Seruius *cellere* interpretetur *mouere*; quemadmodum Eustathius κέλλειν, κινεῖν. Etsi autem *percellere* de animo tantum dici volunt; legimus tamen apud Ouid. V. Metam.

Stipite, qui mediâ positus fumabat in arâ,
Perculit.———

CELOCEM, vt Fulgentius ait: *dicunt genus nauiculæ, quod blannum (al. bamplum) dicimus.* De eodem sic Nonius: *Celox est nauigium breue, sic dictum à celeritudine.* Vsurpat Ennius:

Labitur vncta carina per æquora cana celocis.

Non *celonis*. Quomodo etiam citat Fuluius Vrsinus, in Virgilio cum Græcis collato ad VIII Æn. Præterea Turpilium, Plautum, Varronem & Appuleium, vsos esse docebunt veteres Grammatici, quos antè laudabam. Solum Phaleucium hunc Varronis ponam ex Bimargo:

Nauta remiuagam mouent celocem.

Vnde patet, malè à quibusdam corripi penultimam. De etymo fallitur Nonius. Neque enim dubito, quin, vt à πρόνοος, est *pronus*; ab ῥέω, *reo*; sic à κέλης sit *celox*. Sic enim Græci id nauigij genus nominant, vt clarè docet hic Gellij locus, lib. X. cap. XXIV. *Nauium*, inquit, *quas reminisci tunc potuimus, appellationes hæ sunt: gauli, corbitæ, caudicæ, longæ, hippagines, cercuri, celoces, vel, vt Græci dicunt, celetes, lembi, oriæ*, &c. Κελήτων, καὶ κελητίων mentio apud Thucydidem lib. I. & IV. Polybium, lib. V. & alios. Ac tradit Thucydidis Scholiastes, sic dici ductâ tralatione ab *equo celete*, quia vt hic ab vno regitur sessore, ita nauigium isthoc vnico tantum per transtra remo agatur. *Celocem* esse Rhodiorum inuentum, tradit Plinius, lib. VII. cap. LVI. Turnebus, lib. XXIX. cap. XVIII. ait, eo in loco *celetem* in vetustis exemplaribus reperiri, séque id verius existimare. *Celocem* tamen est in optimâ Parmensi, anni ∞ CCCCLXXVI. Nec vtram lectionem sequaris, multum referre puto, si rectè Gellius pro eodem habet fortasse alterum, ex interpretatione in contextum irrepsit: quod Gellij sententiam firmabit: quam Laurentius Valla interdum sequitur in Thucydidis translatione, ac Lazarus Baifius approbat, lib de re nauali.

CENSEO, cum variè sumatur, & difficile dictu sit, quæ notio sit princeps, difficile est etiam indicare quam originem habeat. Plerisque tamen notare videtur, *opum censionem*. Itaque putat, κατὰ μετάθεσιν esse à סכן, id est *censuit*, *profuit*, vnde *thesauri*, מסכנות. Alij malunt deducere ab Hebræo כסס, *supputare*, *numerare*. Alij aliter. A *censeo*, *censum* dici, planum est. Nec magis dubium, quin posteriores Græci à Romanis vocem κῆνσος acceperint. Quare miror, Græcos eius vocabuli originem quærere in sua lingua. Sic enim scribit Suidas: Κῆνσος, ὄνομα τιμήματος, παρὰ τὸ καίνω, ὃ σημαίνει, ἀνῶ. ἢ ἀπὸ τῆς ἐπιχωρίου γλώττης οἱ Ῥωμαῖοι τὴν ἐξέτασιν τῶν Ῥωμαίων

ἀπογρα-

ἐπιμετρεῖσθαι. Vsus κῆνσ voce Matth. Euangel. cap. XXII. & Marc. cap. XXII. Etiam κῆνσος pro eo dixere, vt ex Hesychio constat, in κῆνσος, & κῆνσον. Similiter posteriores Græci vsurpant vocem κηνσεύειν, *censere*; κήνσωρ, *censor*; κηνσουάλιος, *censualis*; κηνσίτωρ, *censitor*, hoc est, *agrimensor*, vt Isidorus in Glossis interpretatur. Vide Glossarium Græco-barbarum doctissimi Meursii. A *censeo* est *succenseo*, quod ὑποκαθίσταται ponitur pro *irasci*, quia, vbi res male gesta est, ira comitatur censuram. Aut hoc verum est aut fuerit a *succensum*, quomodo aliquem dicimus ira succensum.

CENSOR, a *censendo*. Festus: *Censere nunc significat putare, nunc suadere, nunc decernere.* Sequitur deinde: *Censio, æstimatio: vnde censores.* Et mox: *Censores dicti, quod rem suam quisque tanti æstimare solitus sit, quantum illi censuerint.* In quibus secutus Varronem, cuius hæc verba, lib. IV. de L. L. *Censor ad cuius censionem*, id est, *arbitrium, censeretur populus.* Nonius quoque duos citat Varronis locos huc pertinentes. Vnus est è lib. XX. de Rep. *Quod verbum censeo, & arbitror, idem poterat & valebat.* Alter, è lib. II. de vita pop. Rom. *Itaque quod hos arbitros instituerunt, populi censores appellarunt.* Suidas vertit τιμητήν. Primus *censuram* instituit Seruius Tullius, ipséque eam hoc pacto exercuit. Populum iureiurando adegit, vt fortunarum apud se omnium æstimationem profiteretur. Hinc populum in sex classes distribuit, quarum prima, vt maximo censu erat centum millium æris, hoc est, mille coronatorum; reliquæ suis quasi gradibus per quadrantem decrescebant, vsque ad quinctam. Classes vero singulas in decurias descripsit, vt essent CXCIII. Atque hoc eo fine fecit, vt constaret, tum quot arma ferre possent, tum quanta esset pecuniarum magnitudo ad bellum sustinendum. Regibus exactis, vt alia regum munia, ita *censionem* quoque exercuere consules. Sed crescente imperio, cum consules non essent pares oneribus, proprius huic muneri magistratus creatus est. Factum id anno V. C. CCCI. Ac primo fuit quinquennalis potestas. Anno autem CCCXX. ad Æmilio Mamerco Dictatore lata lex est, vt quidem quincto quoque anno *censores* crearentur: sed tantum in annum & semestre. Præter facultatum æstimationem, morum quoque curam gerebant, quos si improbarent, Senatorem senatu eiiciebant, equitem equo publico priuabant, plebeium tribu mouebant, aut ærarium faciebant. Senatu autem eiectus aliquis cognoscebatur, cum nomen eius præteriretur, dum Senatorum catalogus a Censoribus, censione factâ, legebatur. Equus adimebatur in *publicâ recensione*, quam *transuectionem* & *probationem* dicebant. Diximus de eo, voce *Eques*. Tribu mouere dicebantur, cùm ex tribu honestiori transferrent in minus honestam, vt, ex vrbana in rusticam. Ærarium facere est priuare potestate suffragii, & ad hoc tantùm in numero ciuium relinquere, vt æra tributi nomine pendat. Quàm seuerè autem notare solerent censores, argumento est, quod, si quis ioco apud eos intempestiuo vteretur, vel sonore nimis oscitâsset, iudicaretur dignus, vt in ærarios referretur: vti docet Agellius, lib. IV. lib. IV. cap. XX. Etsi autem censores non facultates tantummodo æstimabant, sed & mores, vnde *magistri morum* dicti sunt, non tamen id nomen tam a moribus, quam facultatibus, obtinent, quia prima potissimáque caussa cur crearentur, fuit, vt & capitum numerus, & facultatum ratio, constaret: paullatim verò huic addita est morum cura. Cætera de *censoribus*, vide, si voles cùm apud Sigonium, lib. I. de antiquo iure ciuium Romanorum, cap. IV. tum eos qui antiquitates Romanas, aut speciatim de magistratibus tractant Romanorum.

CENTAVRI, à quo *Hippocentauri*, quasi compositi ex *equo* & *centauro* fuere quidam Thessaliæ incolæ, qui primitus vectabantur *tauris*: vnde iis nomen, quia soleant κεντεῖν ταύρους, *stimulis pungere tauros*. Postea verò aggressi equos cicurare. Hi equis ad Peneum flumen vecti: vbi ex aduersæ ripæ hominibus è longinquo conspecti, quia equi ad aquandum caput demisissent, visi sunt priori parte homines posteriori equi. Hæc origo fabulæ. Nullos enim *Hippocentauros* esse, rectè tradunt Lucretius, lib. V. Cicero, lib. I. Tuscul. Quæst. & lib. II. de Natura Deorum, & Galenus, lib. III. de Vsu partium. Atque ideo Iurisconsulti §. I. Instit. de inutil. stipul. tradunt, *hippocentauri* inutilem esse stipulationem. Nec obstat, quod Plinius, lib. V. cap. VII. testetur, visum sibi *hippocentaurum*: vel quod Hieronymus, in vita Pauli, tradat, B. Antonio in solitudine eum esse conspectum. Nam monstrorum, omniúmque quæ sunt repugnante natura, ratio non habetur, ob ea quæ est lege L. III. Dig. de Legg.

CENTAVRIVM, κενταύρειον, κενταύρειον, vel κενταυρίη, ita dicitur à *Chirone Centauro*, vnde & Χειρώνιον, *Chironion*, dicitur. Festus: *Centaurium, medicamentum à Chirone Centauro inuentum.* Plinius, lib. XXV. cap. VI. *Centaureâ curatus dicitur Chiron, cùm Herculis excepti hospitio pertractanti arma sagitta excidisset in pedem: quare aliqui Chironion vocant.* Sane eius herbæ, vt ibidem traditur, *vis in vulneribus tanta, vt cohærescere etiam carnes tradant, si coquantur simul.* In pluratiuo hac voce vsus Lucret.— *tristia centaurea.* Vti & Virgil.— *graueolentia centaurea.* Plinio *centaurium*, & *centaureo*, ac *centaurea*, dicitur, quasi κενταύρεια βοτάνη, *centaurea herba*. *Centaurus* verò, κένταυρος, ex κεντεῖν, vel κεντᾶν, id est, *pungere*, & ταῦρος. Hac de appellatione sic Seruius, ad 3. G. *Cum quidam Thessalus rex, bobus æstro exagitatis, satellites suos ad eos reuocandos, ire iussisset, illique cursu non sufficerent, adscenderunt equos, & eorum velocitate boues secuti, eos stimulis ad tecta reuocarunt. Sed hi visi, aut cùm irent velociter, aut cùm eorum equi circa flumen Peneon potarent, capitibus inclinatis, locum fabulæ dederunt: vt Centauri esse crederentur, qui dicti sunt Centauri, ἀπὸ τοῦ κεντεῖν τοὺς ταύρους.* Hæc Seruius: Idem etymon approbat Palæphatus, qui & fusiùs hanc historiam narrat, ac inter alia, regem hunc, Ixionem fuisse refert, ex Palæphato quoque recenset eius metaphrastes Tzetzes, in Histor. var. pag. CLXX. Eadem de re sic Orosius, lib. I. cap. XIII. *Iisdem diebus Lapithæ & Thessali, famosis nimirum certauere conflictibus. Sed Thessalos Palæphatus, in libro primo incredibilium, prodit, ipsos à Lapithis creditos dictósque fuisse Centauros eo, quòd discurrentes in bello equites, veluti vnum corpus equorum, & hominum, viderentur.* Quæ si quis cum Palæphatus contulerit, reperiet Orosium plus quam Palæphatum dicere, & id non dicere, quod dicit Palæphatus, vt omnino Grammaticorum magis mentem expresserit, quam Palæphati.

CENTIPEDA est, quam Græci ἴουλον vocant. Quomodo autem accipi debeat, quòd *centum* ei *pedes* hæc tribuit appellatio, arguit, quod etiam *millepeda* vocatur, ac a Nicandri Scholiasta in Theriacis dicitur μυριόπους. Quare nihil aliud numero hoc, quam multitudo pedum, signatur. Imò, si Plinium audimus, etiam hâc de caussâ *multipeda* dicatur, Sic enim scribit is, lib. XXIX. cap. vlt. *Millepeda, ab aliis centipeda aut multipeda dicta, animal est è vermibus terræ pilosum, multis pedibus arcuatim repens, tactúque contrahens se: oniscon Græci vocant: alij tylon efficaciter sanat aurium dolores, in cortice Punici mali decoctum, & porri succo. Addunt & rosaceum, & in alteram aurem infundunt.* Sed planum est, confundi a Plinio duo diuersissima insecta. Nam vermis ille pilosus, multis pedibus arcuatim repens, est ex *erucarum* genere, ac Græcis ἴουλος dicitur; nec quispiam veterum scripsit, id mederi aurium doloribus. At aliud est animal, tactu se in pilæ rotunditatem contrahens, quod Græcis ὀνίσκος, vel etiam τύλος, vocatur, Latinis *multipeda* dicitur, Marcello Empirico vocatur, *cutio*, idque à *callosâ cute*: atque hoc cum rosaceo tritum coctúmque medetur aurium doloribus. Optimè hæc insecta in Nomenclatore suo distinxit Hadr. Iunius, & Dalecampius ad Plinium.

CENTIPELLIO dicitur in ceruo venter interior qui Græcis κοιλία, κεκρύφαλος, ἐχῖνος, & ἤνυστρον. Plinius, lib. XXVIII. cap. IX. *Testes quoque eius (de ceruo sermo erat) inueterati, vel genitale maris, salutariter dantur in vino: item ventres, qui centipelliones vocantur.* Quemadmodum autem ἐχῖνος Scholiastæ Nicandri dicitur πολύπτυχος, ita Latini nuncupant *centipellionem* à *centenis*, hoc est *multis*, *rugis*: quomodo & *multipeda* vocatur aliter *centipeda*, atque etiam *millepeda*. Numerus certus pro incerto.

CENTO est à κέντρων, abiecto ρ, quomodo à μετρῶ est *metior*, ab ἄρθρον, *artus*, &c. Falluntur Perottus, Becmanus, alij, qui *centonem* dici putant, à *centenis partibus*, vt numerus certus ponatur pro incerto. Græcos κέντρωνα dixisse docet Aristophanis Scholiastes, qui, in Nubib. scribit, κέντρωνα dici τὸ ἐπιπόκαστον τοῖς ὄνοις, ἐκ πολλῶν ἢ διαφόρων ῥακίων συρραπτόμενον, ἢ ἐπιβαλλόμενον τῷ ὄνῳ. Eustathius monet à κέντρον, id est, *stimulus*, *aculeus*, venire κεντρῶν & ἐγκεντρίζειν, hoc est, *inserere*, ἐμφυτεύειν, ἐμβάλλειν, ac quemadmodum ἐγκεντρίζειν de stirpibus dicitur, nec aliud est, quam *plantæ cuiuspiam alius plantæ ramulum inserere*: sic etiam κέντρωνα, cum propriè sumitur, ita vocari, quia συγκεντρίζονται ac *consuuntur diuersicolores panni*: at cum transfertur ad *poëmatis genus*, sic appellari, quia, ad similitudinem *centonis*, ex diuersis versibus, hinc atque inde arcessitis, consuatur. Addit etiam, hinc dici ἐγκεντρίζεσθαι, quod interpretatur συνάπτεσθαι καὶ συρράπτεσθαι. Propriè *centonis* voce vsus Lucillius, cuius illud. *Sarcinatorem esse summum, suere centonem optime.* Plauti quoque est. Epid. act. III. IV.

Præm tu alium quæras, cui centones sarcias.

Sic enim locum hunc legunt Lambinus, Meursius alii quia vt aiunt, *centones sarciuntur*, non *farciuntur*. Ego *farciuntur* retineo, quia *centones* ac *cétunculi* non minus, quàm alia *farciuntur*. *Centones* quoque dicebantur fasciculi ex variis pannis aut

linteis compacti, quibus ædes detergentur: item qui perticæ impositi, aceto immerguntur ad restinguendum incendium: quo modo vsus videtur Vlpianus, l. quæsitum. XII §. si domus, ff. de fund. instr. Vestes etiam rusticorum ac famulares, quia ex diuersis veteribus pannis sarcirentur, vti hodiéque fit, *centones* dicuntur Catoni, cap. II. Columellæ, lib. I. cap. VIII. Iuuenali, Sat. VI. *Centones* etiam dixere stragula ex pannis diuersorum colorum consuta, quibus viliorum hominum lecti sternebantur, aut etiam tabernacula, omnísque castrensis suppellex, pluuio tempore velari solet. Sic vsus Macrobius in amœnissima illa fabella, lib. I. cap. V. *Tremellius Scropha cognominatus est euentu tali; Tremellius cum familia atque liberis in villa erat, serui eius, cum de vicino scropha erraret, surreptam conficiunt. Vicinus aduocatis custodibus omnia circummittit, ne quà efferri possit; isque ad dominum appellat, restitui sibi pecudem. Tremellius, qui ex villico rem comperisset, scrophæ cadauer sub centonibus collocat, super quos vxor cubabat, quæstionem vicino permittit: cùm ventum est ad cubiculum: verba iurationis concepit, nullam esse in villâ suâ scropham, nisi istam, inquit, quæ in centonibus iacet, lectulum monstrat, ea facetissima iuratio Tremellio Scropha cognomentum dedit.* Centonum etiam vsus fuit in restinguendis incendiis: quod indicat hic locus Sisennæ, ex IV. Hist. apud Nonium: *Puppes aceto madefactis centonibus integuntur, quos suprà perpetua classi suspensa cilicia obtendantur.* Cæsar, lib. II. de bello ciuili, in descriptione Musculi: *Coria autem ne rursus igne ac lapidibus corrumpantur, centonibus conteguntur.* Vegetius, lib. IV. cap. XV. de Machina, ex qua vineæ struuntur, agens; *Extrinsecus autem*, ait, *ne immisso concrementur incendio, crudis ac recentibus coriis, vel centonibus operitur.* Quod ad eam *centonis* significationem, quâ poëmatis genus signat, illustris de hac locus est apud Tertullianum, lib. de Præscriptionibus, cap. XXXIX. *Vt hodie ex Virgilio fabulam, in totum aliam, componi, materiâ secundum versus, versibus secundum materias concinnatis?* Denique Ouid. *Geta Medeam tragœdiam ex Virgilio plenissimè expressit. Meus quidem propinquus ex eodem Poeta, inter cætera styli sui otia, Pinacem Cebetis explicauit. Homerocentonas etiam vocare solent, qui de carminibus Homeri propria opera, more centonario, ex multis hinc inde compositas, in vnum sarciunt corpus.* Isidorus, lib. I. Orig. cap. XXXVIII. *Centones apud Grammaticos vocari solent, qui de carminibus Homeri vel Virgilij ad propria opera, more centenario, ex multis hinc inde compositis, in vnum sarciuntur corpus, ad facultatem cuiusque materiæ. Denique Proba, vxor Adelphi, centonem ex Virgilio de fabricâ mundi, & Euangeliis, plenissimè expressit, materiâ compositâ secundum versus, & versibus secundum materiam concinnatis, sic quoque & quidam Pomponius ex eo denique poëmate, inter cætera styli sui otia, Tityrum in Christi honorem composuit: similiter & Æneidos.* In quibus Isidori verbis pro *centenario* per E (quomodo in omnibus editt. ac MSS[is] etiam reperio) omnino legendum censeo *centonario*: hoc est, *centonum instar*, quam correctiunculam valide firmat Tertulliani locus, quem antè adducebamus. A *cento* est ὑποκοριστικὸν *Centunculus*: de quo seorsum.

CENTRVM, κέντρον, punctum in medio circuli aut globi. A κεντέω, seu, κεντῶ, id est, *pungo, stimulo*. Hoc à נקב, id est, *perforare*, simili nempe metathesi ac à נקיבא, est κοιλὸς, quod idem notat.

CENTVM est ab ἑκατόν, extritâ syllabâ secundâ & inserto *N*, quomodo ab Dorico εἴκατι, pro εἴκοσι, fit *viginti*. Mirificum est commentum Isidori, lib. III. Orig. cap. III. vbi ait: *Centum vocari à cantho, quod est, circulus.* Sic enim locus is rectè legitur in MSS[is] meis, pro quo malè editi. quædam *cento*. *Cantum* verò siue *canthum* (vtroque modo scribitur hæc vox) nominat Isidorus, quod Græci appellant ἐπίσσωτρον, hoc est, *ferrum, quo rota vinciuntur*, prout *canthi* vocem interpretatur Quintilianus lib. I. A *centum* est *centuria*, Festus: *Centuria in agris significat ducenta iugera: in re militari, centum homines.* A *centuria* rectè Isidorus, lib. IX. cap. II. deducit *centurio*, id est, ἑκατόνταρχος, qui prius *centurionus*, Festo auctore. Erant autem in legione *centuriones* sexaginta, nempe pro sexaginta centuriis: quot fuisse in legione, tradit Cincius apud Gellium, lib. XVI. cap. IV. Dionysius, lib. IX. Tacitus, lib. I. Annal. Isidorus, lib. IX. cap. III. A *centuria* quoque est verbum *centuriare*, vnde *centuriatus ager*, & *centuriata comitia*. Festus: *Centuriatus ager, in ducena iugera definitus, quia Romanus centenis ciuibus ducena iugera tribuit.* Idem: *Centuriata comitia dicebantur, quia populus Rom. per centurias diuisus erat.* A *centuriare* est *succenturiare*, quod Festus exponit *explendæ centuriæ gratia supplere*. Sed apud eum in plerisque codd. MSS[is] perperam exaratum *suscenturiare*. Hinc *milites succenturiati*: Terent. Phorm. Act. I. sc. IV. *Nunc prior adito tu, ego in insidiis hic ero succenturiatus, si quid deficies.* Vbi sic Donatus: *Tota metaphora de re militari est. Succenturiati dicuntur, qui explendæ centuriæ gratia subiiciunt se ad supplementum ordinum.* Vide & quæ ad eundem locum monet Eugraphius. Præterea à *centum* est *centenus*: vnde, vt Festus ait: *Centenas pondo dicebant antiqui, referentes ad libras.* Quamquam etiam voce *libras* additâ, apud Varronem, Liuium, atque alios, legas *centenas pondo libras*. A *centenus* verò est *centenarius*: vnde *cœna centenaria*. Idem Festus: *Centenaria cœna dicebantur, in quas lege Licinia non plus centussibus, præterterra nata, impendebatur, id est, centum assibus.* A *centum* quoque dicta *centesima*, vbi respicitur ad *vsuram*. Sic enim dicebatur, quòd mense quolibet centesimum mereant nummum, hoc est, duodecim nummos annuos. A *centenario* quoque numero nomen est *centumuiris*. Ouid. lib. III. de Ponto:

Vtque fui solitus, sedissem forsitan vnus
De centum iudex in tua verba viris.

Et auctor ad Pisonem:

Seu trepidos ad iura decem citat hasta virorum,
Et firmare iubet centeno iudice caussam.

Nec tamen putandum, exactè tot numero fuisse. Nam cùm tribus fuerint XXXV. ac è singulis eligi soleant terni, patet, numero fuisse centum & quinque. Sed rotundo numero appellantur *centumuiri*, quomodo & nos *septuaginta* vocamus Bibliorum *interpretes*, qui fuerunt 72.

CENTVNCVLVS est ὑποκοριστικὸν à *cento*. Ac κυρίως sumitur, cum *sutilem centunculum* Appuleius dicit, lib. I. Metamorphosios: atque ita vsi etiam Liuius, Seneca, alij. Sed Plinius, lib. XXIV. cap. XV. auctor est, sic quoque vocari *clematidem*. Nempe, vt censeo, quia sarcirent eius foliis centones. Nam eo vtebantur pro tomento. Sunt autem variæ huius nominis herbæ apud Græcos, quæ omnes κληματίδες vocantur, quia habent κλήματα, hoc est, *flagella, vel tum flagellis similia*, quæque vitigineorum flagellorum instar arbores scandant. Sed Lobelius censet *centunculum* Plinio esse id *clematidis* genus quod δαφνοειδὲς dicitur, quia folia eius sint foliis lauri similia: Latinis *vinca peruinca*, quia vireat semper, aliísque iniurias vincat & peruincat. Alij existimant, *centunculum* non tam *clematidem* esse, quàm γναφάλιον, quod sic vocatum, quoniam, vt Dioscorides scribit, lib. III. cap. XXXII. τούτου τοῖς φύλλοις ἀντὶ γναφάλου χρῶνται λευκοῖς οὖσι καὶ μαλακοῖς; *quidam eius foliis, quæ alba molliáque sunt, pro tomento vtuntur.* Exscripsit Plinius, lib. XXVII. cap. X. *Gnaphalion, alij chamæzelon vocant, cuius foliis albis mollibúsque pro tomento vtuntur: sanè & similia sunt.* Vbi pro *chamæzelon* Dodonæus legendum putat *chamæxylon*, quasi dicas, *humile xylon*: vt nempe sic dicatur à foliis lanuginosis, quibus non minus, quam xylo, *centunculi* farciuntur. Est verò ξύλον (vnde ξυλοβάμβαξ) *gossipij frutex*: de quo fusius agimus voce *Bombyx*.

CERA, à κηρός. Sæpe accipitur pro *ceratis tabellis*, & πυξίοις. Vnde mos ille loquendi, *in cera prima, secunda, extrema*. Nempe quia, vt Priscianus ait, lib. I. *Plerumque in ceratis tabulis antiqui scribere solebant, & postea delere.* Quemadmodum & sumitur pro *capitibus pectore tenus è cera effigiatis*, quibus viri nobiles atria sua insigniebant. Vt apud Iuuenalem, Sat. VIII.

Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria: nobilitas sola est atque vnica virtus.

A *cera* est *cereus*: quod nunc ratione materiæ dicitur, nunc ratione coloris. Priori modo dictus *cereus, lucerna è cera*. Paullus ex Festo: *Cereos Saturnalibus muneri dabant humiliores potentioribus, quia candelis pauperes, locupletes cereis vtebantur.* Vtitur Seneca, fine libri de breuitate vitæ: vbi indicat, puerorum funera, quæ acerba à poëtis vocantur, solere duci, non ad faces modò, sed etiam *cereos* facibus permistos. Ab hac *cerei* notione est Belgicum *keerse*. At ratione coloris sumitur, cum *cereos calceos* dicit Vopiscus: imo Maro ipse, in Copa, *cerea pruna*: quæ *cerina* Plinio, lib. XIX. cap. V. Sic Græci κηρόεν χρῶμα, κηρόχροος. Figurate Horatius: *Cereus in vitium flecti*. A *cera* quoque est *cerinum*, vestis genus, ita dictum à *colore ceræ*. Meminit Plautus, Epid. Act. II. sc. II. Ab eodem *cerarium*, quomodo Verres pecuniam vocabat, quam pro cera exigeret, vt est apud Tullium, Act. II in Verrem. Eiusdem originis est verbum *incerare*, Iuuenal. Sat. X.

Propter quæ fas est genua incerare deorum.

Vbi *genua incerare* quid sit, optimè explicari potest verbis Appuleij, in Apolog. quando ait: *Votum in alicuius statuæ femore adsignasti.* Nam ceratis tabellis sua vota inscribebant, eáque genubus affigebant Deorum: vnde & Prudentius, lib. I. contra Symmachum, dixit:

———Saxa illita ceris.

CERASTES, κεράστης, à κέρας, id est, *cornu*. Caussam indicat hic

hic locus Plinij. lib.VIII. cap.XXIII. *Cerastis corpore eminere corniculo sæpè quadrigemina: quorum motu, reliquo corpore occultato, sollicitant ad se aues.* Plenius de eodem Isidorus, lib. XII. cap. IV. *Cerastes serpens dictus, eo quod in capite cornua habeat similia arietum, κέρατα enim Græci cornua vocant: sunt autem illi quadrigemina cornicula, quorum ostentatione, veluti escâ, illiciens sollicitata animalia perimit. Totum enim corpus arenis tegit, nec vllum indicium sui præbet, nisi ex eâ parte, quâ inuitatas aues vel animalia capit. Est enim flexuosus plus quàm alij serpentes, ita vt spinam non habere videatur.* *Cerastis* meminit Claudianus. l. II. de raptu Proserp.

Extendunt socios ad pocula plena cerastas.

Et Papinianus, lib. I Theb.

Centum illi adstantes vmbrabant ora cerastæ.

Vbi cum Modio (in Nouantiquis, epist. LII.) malim *stantes*, hoc est, irascente furiâ *sese erigentes*. Nam sermo est de Tisiphone. cuius crines esse serpentes tradunt poetæ: vnde idem poeta alibi, de Megæræ crine loquens, vocat eum *crinalem cerasten*:

Crinale attollis magno stridore cerasten.

Vulgò putatur id *viperarum* esse proprium, vt *viua pariant* animal, vnde & *vipera* dictæ, quasi *viuipara*: sed Brodæus. lib. III. Miscell. cap. II. ait, idem vsuuenire *cerastis*: eos enim qui bestiam hanc discendi studio, in Ægypto & Africâ dissecuerunt, sæpius catulis grauidam inuenisse. Brodæo tamen haut facilè se hac in parte fidem habere ait Iac. Dalecampius, ad Plinij lib. X. cap. LXII. Multa etiam de *ceraste* legere potes apud Iacobum Greuinum, lib. I. de venenis. cap. II. Si rectè Theophrasti locum transtulit Plinius, lib. XVI. cap. XLI. *Cerastes* quoque erit vermis in arboribus alios vermes generans. Verum non videtur Theophrasti mentem assecutus. vt ostendit idem Dalecampius.

CERASVS, κέρασος. Seruius, in Georg. II. *Cerasus ciuitas est Ponti: quam cum deleßet Lucullus, genus hoc pomi inde aduexit, & à ciuitate cerasum appellauit. Nam arbor cerasus; pomum cerasum, dicitur. Hoc autem etiam ante Lucullum erat in Italia, sed durum: & cornum appellabatur: quod postea mixto nomine, cornocerasum dictum est.* Eadem Isidorus, lib. XVII. cap. VII. Sed apud eum legas. *Cerasus à Ceraso, vrbe Ponti. Cerasunte* scripserat Isidorus, vel scribere debuerat. Porrò ex eo. quod vterque scribit, ante Lucullum nonnisi *cornocerasa* fuisse in Italia. cognoscimus, quomodo accipi oporteat Plinij illud, lib. XV. cap. XXV. *Cerasi ante victoriam Mithridaticam L. Luculli non fuere in Italia.* Idem Tertullianus refert. Apologetici cap. XI. & Ammianus. lib. XXII. vt alios mittam. Cæterùm quod à *Cesarunte cerasos* accepisse nomen dicunt: id fortasse verum est. Sed quod Lucillij demum temporibus hoc nomen inuenisse arbitrantur. omnino à vero abit. Nam solidè hanc sententiam refellit Athenæus, lib. II. Vbi Laurentius quidem ait, Lucullum post victoriam Mithridaticam primum cerasa in Italiam intulisse, atque ἀπὸ Κερασοῦντος, Ποντικῆς πόλεως, arborem nuncupasse *Cerasum.* Sed refellit hanc sententiam mox Daphnus, eò quod *cerasorum* meminerit quoque Diphilus, qui temporibus vixit Lysimachi, vnius ex Alexandri successoribus. At Lysimachus ante Mithridaticam victoriam annis obijt amplius ducentis. Imò ante Diphilum quoque *cerasi* meminisse alios, docet Casaubonus: qui arbitratur, oppido potius *Cerasuntis* nomen à *cerasis* esse impositum, qua forma & à plantis nomen accepere loca alia: vt Ἀγνοῦς, Ἀναγυροῦς, Ἀχερδοῦς, Ῥαμνοῦς, Μυρρινοῦς, Σελινοῦς, Φηγοῦς, Μαραθοῦς, atque alia. Quare κέρασος potius nomen fit ἀπὸ τοῦ κεράσαι, id est, *temperare*; nempe ob temperamenti bonitatem: vel à κορίαννον, id est, *coriandrum*, ob similitudinem: vnde & Rabbinis *cerasus* similiter à גד. id est, *coriandrum*, vocatur גודגדניות, vt Schindlerus obseruat. Vtrumque etymon etiam apud Martinium legas.

CERATAVLES, κερατραύλης. Gloss. vett. Κερατραύλης, *cornicen.* Flauius Vopiscus in Carino: *Centum salpistas vno crepitu concinentes: & centum ceratraulas, choraulas centum etiam, pithaulas centum.* Assentio enim Salmasio ita emendanti, vbi vulgo pro *ceratraulas, campsaulas*. Quod qui defendunt. καμψαύλας aiunt vocari, *qui tibia cantu flexuosis vtitur.* Nam & Hesychius καμψαύλης exponit τὸ ἐν τῷ ᾠδῇ καμπτόμενον. Vel ita appellari putant, quia *cornu canerent tibia*, de qua Seruius in illud poetæ:

Aut vbi curua choros indixit tibia Bacchi.

Prior est sententia Cælij Rhodigini, altera Marcelli Donati. Sed priorem rectè eo refellit Salmasius, quod omnium hoc tibicinum sit, cantum inflectere: non vnius generis proprium: posteriorem eo impugnat, quod Seruius ibidem addat, *curuam tibiam* πλαγίαυλον vocatam, non καμψαύλην. Adi doctissimum illum Augustæ historiæ interpretem.

CERAVNIA gemma, κεραυνία λίθος. vel virili genere κεραυνίας à κεραυνὸς *fulmen.* Caussam nominis indicat Plinius. l. XXXVII. cap. X. *Ombria, quam alqui notiam vocant sicut cerauniam & brontiam, cadere cum imbribus & fulminibus dicitur.* Nisi potius à *fulgore fulmineo* dicta. Vnde cap. præcedenti: *Est inter candidas & quæ ceraunia appellatur, fulgorem siderum rapiens.* Vbi plura de ea. Est *ceraunia* quoque, siliquæ genus, in Syria Ioniaque nascens: vt idem Plinius ait, lib. XIII. cap. VIII. Quod si planta est Syriaca, satis fit verisimile, nomen accepisse à Syriaco קרנא, id est, *cornu*: vt Martinius obseruat. Ita idem fit ac κεράτιον, quod *siliqua genus* est *corniculatum*, siue *corniculi habens similitudinem*, vnde & nomen nacta κεράτιον, *cornu exiguum*.

CERAVNIVM, κεραύνιον, tuberis genus ita dictum quia ad generationem eius conferat ὁ κεραυνὸς, siue *fulmen*. Plinius. lib. XIX. cap. III. *In Thracia ceraunium. De tuberibus hæc traduntur peculiariter: cùm fuerint imbres autumnales ac tonitrua crebra, tunc nasci, & maximè è tonitrubus: nec vltra annum durare; tenerrima autem verno esse.* Iuuenal. sat. V.

———Post hunc raduntur tubera, si ver
Tunc erit, & facient optata tonitrua cœnas
Maiores.———

CERCOLIPS, κερκόλιψ, vt αἰγίλιψ, nempe à κέρκος. & futuro λείψω, extrito E, non à λίπος hoc est, *pinguedo*, quæ Marulli, & aliorum quorundam, sententia fuit Censet enim, *cercolipa*, dici, quia caudam habeat pinguem ac villosam. Nec primi errorem hunc errant. Quippe & Festus ait: *cecolopis*, (ita est & in MSS°, sed leg. *cercolipis*) *genus simiæ quæ vltimam partem caudæ villosam habet.* Vsus ea voce putatur Catullus, car. XCIX. vbi Muretus hoc nomine intelligit viri caudam salacem bene pinguem, & quam nunquam calamitas attigisset, vt loquitur Comicus, Casinâ, v. II. Verùm quamquam ob superiorem Festi locum non ausim subscribere doctissimo Angelo Caninio, qui in Hellenismi alphabeto *cercolipi* confictum putat à Marullo; tamen non dubito, quin apud Catullum legi debeat, non quidem,

———Et trepidas lingere cercolipas;

Quod Marullo visum: sed,

———Crepidas lingere carbatinas:

Quomodo tum MSS° habent (vt ille Cuiacij, quem ad Festum laudat Scaliger) tum vett. edit. vt Aldina. & hâc antiquior ea, quæ Regij Lepidi excusa anno 1481. Quare fallitur Muretus, cum Politianum (à quo lectio hæc defenditur, cap. II. Miscell.) sic legere ait contra veterum exemplarium fidem: quod magis verum censeo de Marulli lectione, quam defensum it vir disertissimus. Quid *carbatinæ* sint. & vnde dicantur, docet his verbis Pollux, lib. VII. cap. XXII. Καρβάτινα, ἀγροικικὸν ὑπόδημα, ἀλλ᾽ ἀπὸ Καρῶν. *Carbatina, calceamentum rusticum, à Caribus dictum.* Becmano tamen placet, id nomen esse à testâ τῆς καράβου, eliso α, quomodo ab eodem κάραβος est nostrum *crabbe*. *Carbatinarum* meminit quoque Xenophon. lib. IV. Ἀναβάσ. Καὶ γὰρ ὅσοι, ἐπειδὴ ἀπετρίβη τὰ ἀρχαῖα ὑποδήματα, καρβατίνας πεποιημένοι ἐκ τῶν νεοδάρτων βοῶν. *Cùm detriuissent veteres calceos, carbatinas habebant ex recentioribus corijs bubulis confectas.*

CERCOPITHECVS, κερκοπίθηκος. Vsus præter alios Varro, Eudæmonibus:

Quid dubitatis, vtrùm nunc sitis cercopitheci,
An colubræ, an volua, an de alua cibum albus Atheras.

Ita hunc locum, qui apud Nonium in *Colubra*, corruptissimè legitur, emendatum reperi in schedis ineditis Iosephi Scaligeri, quæ apud me. Est verò *cercopithecus, simia cum cauda*, vt ait Isidorus. lib. XII. cap. II. Κέρκος, *cauda*; πίθηκος, *simia*. Hinc Martialis, in apophoretis, epigr. CCII. cuius lemma *simius*:

Callidus emissas eludere simius hastas,
Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.

Quæ verò caudâ caret, *cinna* vel *cercolips*, dicitur.

CERCOPS, vel κέρκωψ. est à κέρδος, *lucrum*, quasi κερδώψ, id est. *lucripeta*, siue κερδῷος, hoc est, *ad lucrum attentior*, vel conflatum ex Græco κέρδος, & Latino *capio*: vt sic dicatur, quasi *cerdocapus*. Vtrumque videtur colligi posse ex his Festi verbis: *Cercopa Græci appellant lucrari* (siue, vt in MS° est, *lucri*) *vndique cupientem, quasi κέρδωπα, quemodo nos quoque lucrionem vocamus.* Sed sunt ista λῆροι. Propriè autem κέρκωψ est *fera, ingentem habens caudam*, teste Hesychio: cui & fauent Glossæ Cyrillo tributæ, vbi disertim ζῷον vocatur. Dubium autem, an *vulpes* designetur, quæ ὑπόκερκος vocatur Theocrito; an *simiæ genus*, quod à *caudâ* κερκοπίθηκος nominatur. Pro priori sententiâ quod in Glossis Cyrilli exponitur *basder*, quod corruptum videtur ex *bassara*, hoc est. *vulpes*: item quod Suidas κέρκωπας exponit, *dolosos, instar vulpis*, quæ caudâ suâ decipit

canes venaticos. Pro posteriori est, quòd idem Suidas interpretatur δόλιος ἄνθρωπος, quódque ait, *Cercopes* fuisse circa Lydiam homines versipelles & fraudulentos, qui in simias sint mutati; vtcumque est, nomen sit a κέρκος *cauda*, & ὤψ, *facies*, quia animal vtrumque caudâ spectabile. Vide, quæ in *Lucrum* de his dicimus.

Cercvrvs est nauis Asiana prægrandis, vt Nonius scribit, qui Plautum gemino loco, (prolog. Mercat. & Sticho, Act. II. sc. III.) gemino item Lucillium, eo vsum docet. Hesychio quoque, & Suidæ, & Etymologo, κερκοῦρος, siue κέρκουρος, siue κέρκυρος (varie enim hæc vox scripta inuenitur) nauigij genus est. Aristophanis Scholiastes, & Suidas, docent, nomen accepisse ab insulâ Κέρκυρα, quæ Latinis *Corcyra*; addúntque; similiter Παρῶνα dici à Paro insula, & à Naxo, Cnidoque, naues esse Ναξιουργεῖς, & Κνιδουργεῖς. Confirmat hanc nominis caussam Thucydidæ Scholiastes, qui *cercurum* Corcyriorum inuentum facit. Sed Plinius, l. VII. c. LVI. Cyprios inuenisse, ait. Nec nomine ipso erroris conuinci possit Plinius. Nam & dici queat κέρκουρος esse à κέρκος, hoc est, *cauda*, quia nempe sit genus nauigij breuioris & caudati, vt constat ex Etymologo, qui expon[...]t, tum εἶδος πλοίου βραχέος, tum τὸ μακρὰν ἔχον κέρκον σκάφος. *Cercuri* vocem retinuit quoque Syria. Nam *carcura* appellat, vt ad Festum monet Scaliger, voce *Myoparo*. Aliud autem *cercurus*, aliud *cercerus*, quod animalis amphibij nomen est, à Græcis acceptum: vt scribit Varro, lib. IV. de L.L.

Cerebrvm, à κάρα, id est, *caput*, quasi *carabrum*: quomodo à *facio* est *feci*; ab *ager*, *peregre*. Vel à κέρας, vt mutatione ea opus non sit. Nam κέρας inter alia κεφαλὴ, teste Hesychio. Ac Suidæ quoque τὸ κέρα, κεφαλή, qui inde *ceruus* κέρας putat vocari.

Cerinthvm, κήρινθον, *flos æstiuus*, quem apum pabulo tribuit Aristoteles, lib. IX. Histor. Animal. cap. XL. Meminit & Theophrastus. Hist. Plant. lib. VI. cap. VII. *Cerinthen*, si recta hæc lectio, appellat Plinius, lib. XI. cap. VII. Nomen est ab eo, quia confert ad conficiendam *ceram*, quæ Græcè κηρός.

Cerno, ab antiquo *cereo*, pro *creo*. Varro, lib. IV. de L.L. *Dictum cerno à cereo, id est, à creando: ab eo quod, cùm quid creatum est, tunc denique videtur.* Ita rectè editum reperi in antiqua Mediolanensi, anni MD. Sed (quemadmodum in *Cancer*, & *Caro*; ostensum) multo verisimilius est, *cerno* κατὰ μετάθεσιν fieri à κρίνω, hoc est, *iudicare*. Quippe κρίνω propriè est, *dirimo*, *scindo*, *separo*: à quâ significatione nomen accepit *crinis*, quæ vox propriè significat *pilos discriminatos*: vt Græcis κόμη, *pilos studio excultos*: quemadmodum Artemidorus indicat. lib. I. cap. XX. Verùm quia, qui iudicat, is litem separat, ac verum falso distinguit, hinc factum est, vt κρίνω secundariò ponatur pro *iudicare*, à qua significatione est Græcorum κρῖμα, pro *iudicio*, & Latinorum *crimen*, pro *delicto*, quia ob crimen aliquis iudicatur ac damnatur. Posteriorem vocis κρίνω significationem habemus in composito *decerno*, hoc est, *iudico*. Ab eadem est illud loquendi genus, *vitam cernere*, de eo qui vitam in dimicationem adducit, siue qui de ea paratus est disceptare & decernere, vt loquitur Varro, lib. VI. de L.L. & Maro, XII. Æneid Ennius apud Ciceronem, I. Offic.

Ferro non auro vitam cernamus vtrique.

Ex eiusdem Medeâ citat Nonius in *Cernere*:

Nam ter sub armis malim vitam cernere,
Quam semel modo parere.

Quod Euripides dixerat in Medeâ: ὡς τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα στῆναι θέλοιμ' ἂν μᾶλλον, ἢ τεκεῖν ἅπαξ. Quin & ἁπλῶς apud antiquos *cerno* ponebatur pro *dimico*, *pugno*. Ita locutus Pacuuius apud Nonium:

De virtute tuâ ego cernundi do potestatem omnibus.

Item auctor prologi præfixi Plautino Amphitryoni (caue enim prologum istum Plauti ipsius esse credas:)

Pro patriâ Amphitryo dum cernit cum hostibus.

Accij quoque similem locum apud Nonium reperies in *Cernere*. Ab hac vocis *cerno* significatione ἀναλόγως *cernito* diceretur: sed pro eo per syncopen dicimus *certo*. Notat *certo* quoque *constituo*. Varro: *Itaque heres cum constituit se heredem esse, dicitur cernere; &, cùm id fecerit, creuisse.* Ita accepit quoque Plautus, Cistell I. I.

Cum ego antehac te amaui & mihi amicam esse creui.

Et Act. II. sc. I.

Satin tibi isthuc in corde cretum est.

Ita leg. non *certum*. Nec abludit illud Sallustij ad Cæsarem: *Equidem mihi decretum est, nihil tam ex alto reperiri posse quod non cogitanti tibi in promptu sit.* Vbi, *decretum est*, notat *persuasum habeo*. Vide Leopardum, lib. II. cap. XV. Ab ea *creti* significatione, quam vidimus, venit *certum*, κατὰ μετάθεσιν, vt propriè idem sit, quod decretum, ac proinde firmum. Vel si placet esse à *cerno* pro *video*, sic dicetur, quia quæ cernimus, clara sunt & indubitata. Hæc magis placent, quàm vt *certus* κατὰ μετάθεσιν, sit ab ἀτρεκὴς, vt voluit Nunnesius. A *cerno* est *cretio*, quæ ab Vlpiano, 22. tit. sic definitur: *Cretio est certorum dierum spatium, quod datur instituto heredi ad deliberandum, vtrum expediat ei adire hereditatem, nec ne: velut, Titius heres esto: cernitóque in diebus centum proximis, quibus sciero poterisque: nisi ita creueris, exheres esto.* Eadem de re sic Isidorus, lib. IV. cap. XXIV. *Cretio est certus dierum numerus, in quo institutus heres aut accipit hereditatem, aut finito tempore cretionis excluditur, nec liberum est illi vltra capiendi hereditatem (ius.) Cretio autem appellata est quasi decretio, id est, decernere vel constituere: vt puta, ille heres esto mihi: additur, cernitoque infra tot dies. Adeundarum autem hereditatum centesimus statutus erat dies, quibus non esset cretio adiecta.* Hæc Isidorus: Vtitur *cretionis* voce etiam Cicero, lib. II. ad Att. & I. de Orat. *Cerno* etiam notat *cribrare*. Tertullianus, lib. de fugâ in persecutione, cap. II. *Siquidem Dominus in Euangelio ad Petrum: Ecce, inquit, postulauit Satanas vt cerneret vos velut frumentum.* B Rhenanus pro *cernere*, legere iubet *discernere*. Sed vulgatam lectionem in notis suis ad eum locum tuetur socer doctissimus Franciscus Iunius: vbi & Catonem, Pliniúmque, sic locutos docet. Illius verba sunt, cap. CVII. *Quàm minutissimè per cribrum cernas.* At Plinij locus est, lib. XVIII. cap. XI. *Posteáque gypsi pars quarta inspargitur, atque, vt cohæsit, farinario cribro succernunt. Quæ in eo remansit, excepticia appellatur, & grandissima est. Rursus, quæ transit, arctiore cernitur, & secundaria vocatur.* Ab hac *cernendi* significatione, *cribrum* Latinis vocatur *incerniculum*: imò & *cribrum* fortasse hinc originem cepit: quâ de re plura dicimus in *Cribrum*. Dixere & *incretum*, pro *non creto*. Festus: *Increta, indiuisa.* Sed hic codex MS[ti] præceptoris mei Nansij habuit *incrcta*. Atque hoc verum putarem, si *ercttum*, (vt plerique putant) notaret *diuisum*. Sed *erctum* est *patrimonium*, *hereditas*. Vide *Ercisci*.

Cernvvs, κυβιστητὴρ, κατωνεφὴς, vt, à *pasco*, *pascuus*; ab *irrigo*, *irriguus*; à *fari*, *fatuus*. Nonius: *Cernuus dicitur propriè inclinatus, quasi quod terram cernat* Maro, X. Æn.

——Eiectoque incumbit cernuus armo.

Vbi sic Seruius: *Cernuus dicitur equus qui cadit in faciem, quasi in eam partem cadens qua cernimus. Vnde & pueri, quos in ludis videmus eâ parte, quâ cernunt, stantes, cernui vocantur: vt etiam Varro in Theatralibus docet.* Porrò Nonius præter superiorem Virgilij locum citat etiam hoc Lucillij:

Modò sursum, modò deorsum, tanquam collus cernui.

Et hoc eiusdem:

Cernuus extemplo plantas conuestit honestas.

Quo versu deceptus Festus, credidit, *cernuos* interdum esse calciamenti genus. A *cernuus* est *cernulus*. Glossæ Isidori: *Cernulus, in capite ruens.* Appuleius, Milesia, IX. *Super mensam cernulus corruens.* Ita in Manil. legit Scal. Vbi vulgo *ceruleus ruens*. Ab eodem *cernuare*. Gloss. Isidori: *Cernuare, præcipitare.* Gloss. Latino-Arabicæ: *Cernuo, humiliter me inflecto.* Nempe *cernuare* est cernuum se inflectere & inclinare: quod quia faciebant in eo ludi genere, quod ἀσκώλια vocant Græci, hinc factum, vt etiam ponatur pro ἀσκωλιάζειν. Docet id locus hic Varronis, è primo de vita pop. Rom. à Nonio adductus: *Etiam pelles bubulas oleo perfusas percurrebant, ibique cernuabant: à quo vetus est ille versus in carminibus.*

Ibi pastores ludos faciunt coriis consualia.

Sic legitur is locus quoque in Mediolanensi anni MD. & Aldinâ anni MDXIII. Scaliger ad Festum corrigit: *Ibi pastores ludos faciunt corijs cernualia.* Sed vtro modo legas, patet sermonem esse de ludi genere, quo super ἀσκοὺς, id est, *vtres*, saltabant: vnde & Græci id ἀσκώλια appellabant. Meminit eius quoque Maro, cum, II. G. ait:

Mollibus in pratis vnctos salière per vtres.

Cernui etiam ludi erant κυβισταί, ac *cernuare* dicebant pro κυβιστᾶν, siue, vt veteres loquebantur, *vrinare*, hoc est, corpus suum reciprocare, siue ita se iactare, vt sursum denuò excitetur. Hinc & *petauristæ*, hoc est, *funambuli*, dicuntur *cernui*, & *cernuli*, & actio ipsa, *cernuare*, ac *cernulare*. Gloss. Philox. *Cernuli*, κυβιστηταί; *cernulus*, κυβιστητής. *Cernuit* (l. *cernuat*, vel *cernuauit*, vel *cernulauit*,) κυβιστᾷ. Itaque vt optimè monet Scaliger, *cernuus* pro *petaurista* accipiendum, in illo Lucillij suprà citato:

Modo sursum, modò deorsum, tanquam collus cernui.

Puto huc quoque pertinere, quod in Isidori Glossis legere est. *Cernuare, præcipitare* Nam *præcipitare* ei est κυβιστᾶν, ac *rotare caput*. Pro *cernuo* etiam *cernuor* dicitur. Solinus de tigribus,

cum

cum videant abaauigare raptores catulorum suorum: *In litore terrica raues cernuantur, velut propriam tarditatem voluntaria castigantes ruina.* Etiam *cernuatus* est apud Solinum, de equo: *Isque adeo ibrenue lupatos, vt de industria cernuatus ruina pariter & se & equitem affligeret.* Voce *cernulo* vsus Seneca epist. VIII. *Qui hoc faciunt, non euertit fortuna, sed cernulat, & alludit.* Sic enim habent vett. libb. Nicolai Fabri, pro quo in vulgatis est, *cernuat*.

Ceroma, κήρωμα, à κηρόω, *cerâ obduco*. Est vnguentum, quod fit subactâ oleo cerâ; quo in palæstris vtebantur athletæ. Item locus palæstræ, aut gymnasij, in quo *ceromate* perungebantur. Ab eo κηρωματικός, *ceromate vnctus*. Iuuenalis, Sat. III.

Et ceromatico fert niceteria collo.

Vide quæ de *ceromatis* voce scribunt Hermolaus Barbarus, in Glossis Plinianis, & P. Faber, lib. I. Agonist. cap. V.

Cerotum, à nonnullis vocatur, seruata vocali Græci κηρωτή, à κηρόω, *cera obduco*. Alioqui sit *ceratum*, vt alij vocant. Medicamentum est, *cera* magna ex parte constans.

Cerritus, quasi *Cereritus*; vt Græcè δημητρόληπτος, à Δημήτηρ. Ita vocantur homines *fanatici*, quasi *mente à Cerere orbati*. Plautus. Amphitruone: *Quæso, quin tu istam iubes pro Cerrita circumferre?* Idem, Rudente act. IV. sc. *Heus mane.* TR. *Elleborosus sum.* GR. *At ego Cerritus.* Nonius: *Cerriti, & laruati, male sani, & aut Cereris ira, aut laruarum incursatione, animo vexati.* Idem etymon adfert Priscianus, lib. VIII. Sed apud eum, vti & alijs plerisque codd. legas *Ceritus*, vnico R; nempe quia *Ceres* dicimus, vnde *Ceritus*. Sed à *Cerere* est *Cereritus*, &, vnâ eiectâ literâ, *Cerritus*. Itaque primam producit Horatius, Sat. III. lib. II.

Cerritus fuit; an commota crimine mentis
Absoluet hominem. &c.

Ceruchus, κεροῦχος, quasi τὰ κέρας, siue τὴν κεραίαν, ἔχων. Ita enim vocatur rudens, quo, vt Maro loquitur,

Cornua velatarum obuertimus antennarum.

Vsus Lucanus, lib. VIII. vers. CLXXVII.

——— *Et instabit summis minor versa ceruchis.*

Siue, vt Scaliger ad Manilium legere iubet, *magna versa ceruchis*: vt simile sit Ouidiano isti:

——— *Magna minorque fera.*

Rationem emendationis apud ipsum vide. Item Valer. Flaccus, lib. I. Argon.

Temperet vt tremulos zethes fratérque ceruchos.

Opifera Latinis dicuntur ab ope, quam ferant in nauigatione. Isidorus, lib. XIX cap. III. *Opifera funes, qua cornibus antenna dextra sinistraque tenduntur retrouerso.*

Ceruisiæ meminit & Vlpianus. Originem adfert Isidorus, lib. XX. cap. III. *Ceruisia*, inquit, *à Cerere, id est, fruge, vocata. Est enim potio ex seminibus frumenti vario modo confecta.* Consentiunt, qui *Ceruisia* κατὰ συγκοπὴν factum aiunt è *Cereuisia*, atque id dici quasi *Cereris vim*, quia nempe frugum vis eo in liquore dominetur. Sed damnare non ausim, qui volunt, vocabulum hoc esse origine Gallicum. Quippe legimus apud Plinium lib. XXII cap. XXV. *Ex ijsdem* (frugibus) *fiunt & potus, zythum in Ægypto, calia & ceria in Hispania, ceruisia & plura genera in Gallia, alijsque prouinciis.* Ac Cambdenus quoque id eo confirmat, quod hodiéque Britannis auena, è qua *ceruisia* locis multis conficitur, dicatur *keirch*. Eandem autem fuisse Gallorum veterum, & qua nunc vtuntur Britanni, linguam, multis comprobat idem Cambdenus. Possis & deducere à Germanico *teheren*, quod Belgis *teeren*, hoc est, *digerere cibum*. Hoc enim *ceruisia* præstat. Pro *ceruisia*, dicitur & *ceruisa*: vt in Pœnitentiali Romano, ab Ant. Augustino edito vbi Tit. de homicidio, cap. II. legitur: *Vinum, & medonem, & mellitam, & ceruisam, nunquam bibas.*

Ceruix, vt Isidorus ait, lib. XI. cap. I. sic *vocata, quòd per eam cerebrum ad medullam spinæ dirigitur, quasi cerebri via*. Sed est ab Hebræo ערף, id est, *ceruix*. C præpositum, vt ab αὐλὴ, *caula*, iuxta Seruium. Nisi malis à *curuo*, quia inflectitur ac incuruatur. *Incuruiceruicum* Paccuuius dixit:

——— *Nerei*
Repandirostrum, incuruiceruicum pecus.

Cerussa, pigmenti genus, quo faciem inficiebant feminæ ad conciliandum candorem. Vnde Martialis, lib. VII. ep. XXIV.

Et cerussata candidiora cute.

Videtur ex eo esse nomen, quod *ceræ* similis foret. Nempe à κηρὸς, κηρόεις, κηρόεσσα vnde *cerussa*.

Ceruus, à *gerendo*, iuxta Varronem, lib. IV. de L. L. *Cerui*, inquit, *quòd magna cornua gerunt, mutato G in C, vt in multis, quasi gerui.* Verùm hæc si res caussam nomini præbuit, magis verisimile sit, quod Festus tradit, ἀπὸ τῶν κεράτων dici *ceruos*, quasi κεραοὺς. Præsertim cùm Homerus eo epitheto vtatur, Iliad. γ.

Ἔβλη ἐξ ἐλάφοιο κεραοῦ, ἢ ἄγριον αἶγα.

Quomodo & ὑψίκερων alibi, & Oppiano κερασφόρος appellatur. A *ceruo ceruaria ouis* dicitur, quæ pro *cerua* immolabatur, vt Festus ait. Pro *cerua* autem immolari dicebatur, quæ sacrificabatur luco *cerua*, quæ haberi non posset. Nam, si haberi posset, omnino *cerua* requirebatur. Ouidius:

Quæ semel est triplici pro virgine cæsa Dianæ:
Nunc quoque pro nulla virgine cerua cadit.

Cerui porrò furcæ, quæ figuntur ad sustentationem casarum, ita dicti à similitudine cornuum ceruinorum: vt scribit Varro lib. IV. de L. L. & Seruius, ad illud Ecl. II.

——— *Et figere ceruos.*

Idem confirmat illud Silij Italici, lib. X.

Ceruorum ambustis imitantes cornua ramis.

Eandem ob caussam semel iterúmque *brachia* appellat Lucanus, vt docuit Scaliger in Coniectaneis.

Cespes est herba cum propria terra euulsa, vt Seruius ait, in Ecl. I. Est à *cædo*, vt indicare videtur Festi istud. *Cespes est terra in modum lateris cæsa cum herba, siue frutex recisus & truncatus.* Hinc iuniorum aliqui malunt per Æ, *cæspes*. Quomodo etiam scribi debeat, si ita dicitur, *quod pedem cadat*, hoc est, *percutiat*: vt ait Perottus, videtur voluisse *caspes* dici, quasi *cadipes*, vt nonnulli putarunt, *lapis* dici, quasi *lædipes*. Isidorus autem, lib. XVII. cap. VI. *Cespites*, inquit, *frutices sunt, quasi cuspides, vel quasi circa pedes.* Sed mutuo, ne omnes In hac origiaatione *cespites* cespitent. Illud verisimilius, à *cespes* esse *cespito*, id est, *offendo*, προσκόπτω, προσκρούω. Belgæ & Germani similiter dicunt *struyckelen*, hoc est, *ad fruticem offendere, ita vt cadas*. Nam *struyck*, *frutex*. Quare ouum ouo similius non est, quam Latinum Belgico. Nam *cespes*, frutex cum terra recisus, vt ex Festo & Isidoro ante vidimus. *Cespitator equus*, apud Seruium legas in illud XI. Æn.

Suffossoque volutus equo. ———

Cesticillus, vt Festus inquit, *appellatur circulus, quem superponit capiti, qui aliquid est laturus in capite.* Si sana hæc lectio, ita dicetur à forma *cesti*, id est, *cinguli*. A *cestus*, *cesticulus*, *cesticillus*. Videtúrque idem esse *cesticillus*, ac *arculus*, de quo sic Festus: *Arculum appellabant circulum, quem capiti imponebant ad sustinenda commodius vasa, qua ad sacra publica capite portabantur.* Sed *cestus* non erat capitis tegumentum. Quare placet emendatio Salmasij, qui *circitellus* legit. Nam veteres *circitem* dixere pro *circo*, hoc est, *magno circulo*. Inde igitur ὑποκεφαλαῖον, *circitellus*, vel *circitillus*. De *circitis* voce vide quæ dicimus in *Circus*.

Cestrum est ferramentum, quo in ebore aut cornu scalpitur. Plinius, lib. XXXV. cap. XI. *Encausto pingendi duo fuisse antiquitus genera constat; cera, & in ebore cestro, id est, viriculo.* Vbi legendum *vericulo*. Vetus codex habet *veruculo*, vt Dalecampius annotauit. Nempe instrumentum illud referebat minimum veru. Existimare aliquis possit *cæstrum* scribi debere, à *cædendo*, quia eo cæditur ebur aut cornu. Nempe vt eiusdem sit originis ac *pugilum cæstus*. Sed in vett. libb. *cestrum* scribitur per simplicem vocalem. Nec dubium quin sit à Græco κέστρος, quod teli genus erat. Glossæ: *tragula*, κέστρος. Ac Hesychio quoque κέστρος, εἶδος βέλους. Vnde & Turnebus, lib. XIX. Aduers. cap. XXXI. κέστρον exponit *verutum* quod *minutum* erat *telum*, Nonio teste, nempe à *veru* ita dictum. Est vero eiusdem κέστρος originis ac κεστὸς, quod Etymologus dicit esse a barytono κέντω, pro κεντέω, id est *pungo*. Nam ab eo est κέντω, κέντσω, κεκεστμαι, unde κεστὸς, & κέστρος; & κέστρα. Nisi hæc, vti ipsum κεντέω, malis esse à κῶ, quod interpretantur ποικίλλω. Ἀπὸ τοῦ κέστρου dicuntur opera κεστρωτά, quæ aliter ἐγκαυστά; nempe opera eburnea vel cornea in quibus pictum erat *ignito cestro*, siue *vericulo*. Plinius, lib. XI. cap. XXXVII. de viorum cornibus: *Multásque aliàs ad delicias conferuntur, nunc tincta, nunc sublita, nunc quæ cestrota picturæ genere dicuntur.* Ita in vett. libris Salmasius inuenit. Qui & sic legendum putat apud Vitruuium lib. IV cap. VI. *Ipsáque foriùm ornamenta non fiunt cestrota neque bifora, sed valuata, & aperturas habent in exteriores partes.* Vulgo apud Plinium est *cerostrota*, vt apud Vitruuium *cerostrata*. Si *cerostrota* placet, sit planè Græcum κεροστρωτὸν, hoc est, *cornu tusis & stratis constans*. Cuiusmodi fuisse ianuarum ornamenta, indicat Ausonij illud epigr. XXV. in diuitem quendam:

Cerus inurens ianuarum limina,
Et atriorum pegmata.

Κηρόγραφα vero dicentur, vt λιθόστρωτα, & ἀργυρόστρωτα dicitur.

Cestus, à Gr. κεστὸς, quo vsus Plutarch. lib. de audiendis poëm. Τὸν δὲ Ἥρας καλλωπισμὸν ἐπὶ τὸν Δία καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ κεστοῦ γοητείαν. Quo loco respicit ad locum Homeri, Iliad. ξ. vbi Venus Iunoni dat κεστὸν ἱμάντα, iubens vt eum in sinu suo deponat, ac spondens fore, vt quidlibet apud Iouem possit; κεστὸν

autem

autem *ἱμάντα* exponit Hesychius διὰ τὸ ποικίλον ἱμάντα seu ζωνην, ac Homeri quoque Scholiastes ait, esse ζώνην, ac sic vocatum, ἀπὸ τοῦ πεποικίλθαι κεντήμασι ῥαφαῖς. Manifestum igitur est, κεστὸν propriè esse *cingulum acu pictum*, atque ita dici a κεντεῖν, quod est *pungere*, quia acus compunctionibus elaboratum. Hæc eo fusius sum prosecutus, quia Fungerus videtur ignorasse, Græcis κεστὸν esse in vsu. Alioqui enim non scripsisset, *cestum* sibi potius dictum videri, quasi κεντρωτὸν, quam a κεντεῖν, quando literarum N & S diuersa sit natura. De *cesto* accuratè scribit Rigaltius ad Onosandrum. De *incestus*, quod veterum complures à *cestu* dictum volunt, egimus voce *castus*, quæ vera origo est.

Cete, κήτη. Maro, Æn.v.

——Immania cete.

Vbi Seruius: *Græca declinatio, τὸ κῆτος κήτη, vt βέλος βέλη. Nam Latine sic declinari non potest. Nullum enim apud nos animal generis neutri est: nisi forte hic cetus, huius ceti, dicamus, quod nusquam lectum est. Nam dicuntur canes marini.* Negat, vspiam lectum *cetus, ceti*: cùm eo vtatur Plautus, Capt. Act. IV. sc. II. Item Vitruuius, Celsus, Plinius & alij. Isidorus, lib. XII. cap. VI. *cete* ait ita dici ob immanitatem: atque subiungit immanitatis eius argumentum, quod *cetus* exceperit Ionam, ventérque *ceti* inferno comparetur in Scriptura. Videtur igitur hoc voluisse, κῆτος dici ἀπὸ τοῦ κύτους, hoc est, *à sinuosam cauitatem, seu cauum ventrem*.

Cetra, *scutum loreum*, quo vtuntur Afri & Hispani, auctore Seruio, in VII. Æn. De eadem sic Iuuenalis interpres, in sat. *Oryx animal minus, quam bubalus, quem Mauri vncen vocant: cuius pellis ad cetras proficit, scuta Maurorum minora.* Nonius interpretatur, *obstaculum, scutum.* Atque adducit ex Varronis Væ victis, seu περὶ φιλανθρωπίας: *Quis rotundam facere cetram nequeat?* Videri possit *cetra* dici, quasi κεκρυμμένη, quia *cetratum* κρύπτει, hoc est, *abscondit, tegit*: vnde Maro, VII. Æn.

Laeuas cetra tegit.——

Sed planè censeo, esse vocem Maurorum qui eam, vt dixi, ex orygis pelle faciebant; non sola tamen quia clypei corium etiam ex elephantino corio teste Strabone.

Ceu, est, *velut, sicut, quasi*. Vt Hebræis כְּ *ke*, vnde venit.

C H

Chalazias, ὁ χαλαζίας λίθος, à χάλαζα, *grando. Grandinum & colorem & figuram habet*, vt de eo Plinius ait, lib. XXXVII. c. XI. Solinus similiter: *Chalazias grandinis & candorem præfert & figuram.* In Eclogis χαλαζοποιὸς vocatur χαλαζίτης, dicitúrque grandinem imminentem auertere.

Chalcantum, Græcè χάλκανθον, vulgò *vitriolum*, à *perspicuitate vitrea*. Idem est, quòd *atramentum sutorium*, vt scribit Celsus, lib. V. cap. I item Plinius cuius hæc verba, lib. XXXIV. cap. XII. *Græci cognationem æris nomine fecerunt & atramento sutorio: Appellant enim chalcanthum. Atramentum sutorium* appellatur, quia olim eo in corijs tingendis vsi. Nunc aliud adhibent. Χαλκάνθου originem ponit his verbis Isidorus, lib. XVI. cap. II. *Chalcanthum dictum, quia χαλκοῦ est ἄνθος, id est, flos æris: vnde & apud Latinos æris flos appellatur.* Sic enim apud eum legi debet. Et in Glossis, χάλκανθον, *æris flos* exponitur. Sed quod putant, idem esse ac χαλκοῦ ἄνθος, siue *æris florem*, planè errant. Nam quod Nicander in Alexipharmacis, nec non Dioscorides distinctis vocibus vocat χαλκοῦ ἄνθος, istud est, quod Belgæ dicunt *copergroen*, aut *Spaensgroen*: q.d. *viride æs*, vel *Hispanicum*. At *chalcanthum* est iis *copervvater*; q.d. *cupri*, siue *æris, aquam*. Suidas: χάλκανθον, ὕδωρ ἐστὶ πηγνύμενον ἐν τοῖς κατὰ κύπρον μετάλλοις. Dictúmque *chalcanthum*, quia nihil aliud est, quam succus concretus, ex *chalcitide* genitus & efflorescens. *Chalcitis* verò (cui itidem nomen à χαλκός) lapis est, ex quo & ipso æs coquitur: vt ibidem scribit Plinius. Galenus, lib. XIII. meth. cap. XX. nominat *chalcanthum* inter ea, quæ habent δύναμιν στυπτικήν. Itaque putat Paullus Manutius, *absolui atramento sutorio* (quomodo de *carbone* locutus Cicero, libro IX. epist. XXI. ad Pætum,) idem esse, quod voluntaria morte à damnationis iudicio liberari. Erasmo id prouerbium visum, ac putabat idem esse, quod iudicium corrumpere, quia vt obscuræ sunt literæ atramento sutorio scriptæ, sic in iudicio *Carboniano* obscuræ de eo fuerint iudicum sententiæ. Turnebus libro VI. capite I. sententiam esse vult, vt sutorium atramentum nigras ducit maculas, sic eum maculoso & infami iudicio à corruptis iudicibus absolutum esse.

Chalcidicum, inquit Festus, *genus ædificij, ab vrbe Chalcidica dictum.* Meminit eius Vitruuius, lib. V. cap. I. *Sin autem locus erit amplior in longitudine, Chalcidica in extrema constituantur, vti sunt in Iulia Aquiliana.* Et Arnobius, lib. IV. contra gentes: *Scribuntur dij vestri in Chalcidicis aureis cœnitare, potare, & ad vltimum fidibus, & vocum modulatione mulceri.* Ausonius quoque, periocha Odyss. XXIII.

Chalcidicum gressu nutrix superabat anili.

Vbi, vt Turnebus obseruat, lib. XVIII. Aduers. cap. XXXIV. Homericum illud conuertit:

Γρηῢς δ' εἰς ὑπερῷ' ἀνεβήσατο καγχαλόωσα.

Legas quoque apud Dionem, & Græcorum alios.

Chalybs, *genus ferri durissimi*, nomen accepit à *Chalybibus*, Ponticâ seu Scythicâ natione, ad fluuium Thermodontem, quam id mittere ait Maro, I. Georg. Atque hinc Æschylus Scythiam vocat μητέρα σιδηρομήτορα, ac populum appellat σιδηροτέκτονας. Lusit ambiguitate vocabuli Callimachus, cùm scripsit; —χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος. *Chalybon omne genus pereat*: quomodo Catullum transtulisse arbitror, cùm non potuerit aliter exprimere Callimachi mentem; vt qui eâdem voce signet *ferrum*, & *populum* ferro præ cæteris nobilitatum. Quare non audiendus vir magnus, cùm *sisilicum* potius, quam *chalybum*, scripsisse putat.

Chamælion. χαμαιλέων, herbæ genus, sic dictum, Plinio teste, quod cum terrâ colores mutat, atque hic niger sit, illic viridis, istic cyaneus, alibi croceus, aliove colore: qua inconstantia imitatur *chamæleontem* animal, quod subinde colorem mutat: vnde prouerbium, *chamæleonte mutabilior*. Chamæleonti verò animali nomen est à χαμαὶ, *humi*; & λέων, *leo*: vt ad verbum sonet, *humilem*, siue *pumilum, leonem*. Nam χαμαὶ in compositione imminuit, contrà quam βοῦ, & ἵππος, quæ intendunt. Ac de his quidem dicimus in *intensiuis*. De χαμαὶ verò multa indicium faciunt, Græcis Latinísque pariter vsurpata. Tale apud Plinium est *chamædaphne*, χαμαιδάφνη, *laureola*, seu *humilis laurus*. Item *chamædrys* apud eundem, Græcum χαμαίδρυς, *humilis quercus*. Idem quoque inter cerasi genera reponit *chamæcerasum*, χαμαικέρασον, hoc est, *pumilam cerasum*. Pertinet huc quoque *chamæmelon*, χαμαίμηλον, floris genus, sic dictum, quod odorem *mali* habeat. Párque ratio in *chamæcissus*, *chamæcuparissus*, *chamæleuce*, *chamæmyrsine*, *chamæpeuce*, *chamælæa*, quæ apud eundem inuenias: significant κατὰ λέξιν, *humilem*, siue *pumilam*, *hederam*, *cyparissum*, *populum albam*, *myrtum*, *oleam*. Sed redeamus ad vocem *chamæleonis*: cuius posteriorem partem qui consideret, nec vnquam *chamæleontem* viderit, id sibi vsuuenire intelliget, quod Tertullianus scribit, cap. III. libri de Pallio: *Chamæleontem*, inquit, *qui audieris, haud ante gnarus, iam timebis aliquid amplius leone: at cum offenderis apud vineam ferme sub pampino totum, videbis illico audaciam Græci nominis.* Sic eum locum in castigationibus ineditis restituit Ios. Scaliger. In vulgatis est, *amplius cum leone*: item *audaciam & Græciam nominis*. Nec improbem tamen, *audaciam egregiam nominis*. Quando verò variè hic locus agitatus à doctis (sanè Turnebus quoque tentabat legere, *audaciam & gratiam nominis*, quod placere non potest;) addam & ipse coniecturam meam. Suspicor Tertullianum scripsisse, *audaciam Græciam*: quod loquendi genus cum imperitum turbaret librarium, medicinam facere studuit copulæ insertione. At nihil mirandum in Afro illo scriptore, si *Græcia* dicat pro *Græca*, quomodo *Romula* legitur pro *Romulea*, *Itala* pro *Italica*, &c. Si tamen hoc persuaderi nequit, proximum sit, vt vel *Græcam* legam, vel *Græcanici*, quorum vtrumque propiùs à vulgata abest, quam aliorum emendationes.

Chaos propriè est *vastus hiatus*, ab antiquo χάω, pro χαίνω. Sed postea ita dici cœpit *rudis indigestaque moles*, qualis initio fuisse non à poëtis modo dicitur, sed è Scripturis etiam cognoscitur. Rittershusio tamen notis in Guntherum, placet esse à חָשַׁךְ, id est, *caligauit*. Alijs à חֹשֶׁךְ, *obscurari*. Stoicis quasi χύσις, à χέω, siue χύω, *fundo*. Auctor Philo, de immortalitate Mundi: Τῶν δὲ Στωϊκῶν ἔνιοι χάος τὸ ὕδωρ εἶναί φασι, παρὰ τὴν χύσιν τοὔνομα πεποιῆσθαι νομίζοντες. *Quidam Stoicorum Chaos existimant aquam esse, à fusione nomen factum putantes.*

Character, χαρακτὴρ, *nota insculpta inscriptáue*, à χαράσσω, id est, *insculpo, inscribo*; χαράσσειν esse ὀνοματοπεποιημένον scribit Eustathius, pag. 633. Sed est ab Hebræo חָרַת, quod est, *incido, insculpo*. A χαράσσω, elisâ primæ syllabæ vocali, fit Germanicum *craissen*, quod alijs *kretsen*, id est, *scabere, scalpere*.

Charistia, χαρίστια. Val. Max. lib. II. cap. I. *Conuiuium etiam solenne maiores instituerunt, idque Charistia appellauerunt, cui præter cognatos, & affines, nemo interponebatur, vt, si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur.* Ouid. lib. II. Fast.

Proxima cognati dixere Charistia cari.
Et venit ad socios turba propinqua Deos.

Est ea vox à χαρίζεσθαι, hoc est, *gratificari*, *obsequi*, *largiri*, *condonare*; χαρίζεσθαι vero est à χάρις, hoc est, *gratia*. Variè autem accipitur tam Latina *gratia*, quam Græca χάρις, appellatio. Deæ *Charites*, seu *Gratiæ*, dictæ ab ea notione, quâ pro venustate ac lepôre accipitur. Χάρις est à χαρά, vt αἴθουσα à αἴθω. Χαρά, quo *gaudium* significatur, venit à χαίρω, id est, *gaudeo*. Porrò, quod Græcis χαρίζεσθαι, id Belgis *gherieven*, cúmque summa sit earum vocum similitudo, *gherievren* videri queat dici, quasi *gharievven*. Sed secus est. Est enim à *ryf*, id est, *largus*.

CHARONIVM, ex multorum sententia idem est quod *Acheron*. Nam, vti Plautus, Mostell. Act. I. sc. II. dixit,

Nam med' Acheruntem recipere orcus noluit:

Et Ennius:

Acherusia templa orci saluete infera:

Ita Laberium, in Scaminarijs, dixisse nonnulli volunt:

Tolles bonâ fide vos orcus nudas in Charonium.

Citat Gellius, lib. XVI. cap. VII. Sed *caroniuo* legit hic Cælius Rhodiginus, lib. X. cap. XVIII. & lib. XII. cap. XVII. Vide & Petrum Victorium, lib. XIV. Var. lect. cap. XVI item quæ supra, in *Caronium*, diximus. *Charonium* verò planè est idem, quod χαρώνειον, seu χαρωνεῖον, quomodo, Galeno teste, vocant *barathra odores exhalantia*: ex quo & Gallicum *charogne*. Nomen ex eo, quod loca eiusmodi *Charonia ostia ac portus* crederentur: quæ & Romani *Deorum manium siue inferorum ostia* nominant. *Charon* vero vnde id nomen acceperit, quæri video. A χαίρειν κατ' ἀντίφρασιν dici scribit Lilius Gyraldus, quem sequitur Fungerus. Sed ἀντίφρασιν in Orationis nostris satis explosimus. Natali Comiti quoque placet à χαίρειν venire sed quia animas transferat ad sedes beatas: quod cum gaudio fit. Verum maior semper malorum numerus fuit, quibus post hanc vitam bene esse, ne gentes quidem putarunt. Franciscus Sanctius Brocensis suspicatur esse ab oculorum splendore, quia χαροπός, quod Maronis, Ouidij, ac Senecæ testimonijs confirmat. Sed oculorum splendor grauis satis caussa non erat nomen hoc ei faciendi, cui à nobili munere iustius nomen imponi posset. Quare Caietano potius subscribo, qui vocem esse Ægyptiam docet, propriéque eâ *portitorem* notari. Quod & Antonio Delrio visum est, annot. in Sen. Herc. OEt.

CHARTA, χάρτης. Eustathius deducit à χαράσσω quod est, *insculpo*, *inscribo*, *imprimo*. Andronicus, siue quisquis Etymologici magni auctor, putat venire vel à χῶ, significante χωρῶ, quia fit χωρητικὸς τῶν ἐγγραφομένων, vel παρὰ τὸ χόρτος, quod notat, *herbam virentem*, credo, quia *charta* fieret è papyro, Ægyptia stirpe, vt mox dicam. Sed maximè placet sententia Ios. Scaligeri, qui, animaduersionibus in commentarium Guilandini, tradit, prius βίβλον dici solere. χάρτην verò nomen demum natum, postquam epistolis solet apponi χαίρειν; hinc enim χάρτην dici cœpisse pro *epistolari biblo*, quam Martialis quoque vocat *chartam salutatricem*. Βίβλος verò nomen antiquius est, vt eo quoque argumento cognoscitur, quod libri inde vocantur βιβλία. At propriè βίβλος, siue βύβλος, est ipsa *papyrus*, vel *liber*, seu *philura papyri*. Est autem *papyrus*, planta nascens in pallustribus Ægypti, aut quiescentibus Nili aquis, vbi euagatæ stagnant. Ex ea fiebant *chartæ*, tunicis *papyri* acu scalpellove diductis separatisque. Vide Theophrast. Hist. plant. lib. IV. cap. IX. & Plin. lib. XIII. cap. XI. Hodie *papyri* nomen retinemus, cum *charta* nostra non fiant è *libro* siue *biblo Nilotica stirpis*, sed è linteis contritis, vt & pueris notum. De *charta* Augusta, Liuia, Hieratica, Claudia, Amphitheatrica, Fannia, bibula, emporetica, alijsque, vide Plinium, cap. XII. eiusdem libri: Guilandini commentarium de *papyro*: Dalecampium, ad Plin. & imprimis Ios. Scaligeri. in Guilandinum animaduersiones.

CHELA, χηλαί *denticulati cancrorum forcipes*. Vsi *chelarum* voce Cicero, Festus, Auienus Hyginus. Alteram quoque vocis *chela* significationem discere est ex Herone, seu Ctesibio, itémque Vitruuio lib. X. cap. XV. & XVII. sed apud hunc vtrobique *chelo* & *chelon*, pro *chele*, corruptè legitur. Vide Turnebum lib. II. Aduers. cap. IV. & V.

CHELIDONIVS lapis, χελιδόνιος λίθος, ὁ χελιδόνιος, à χελιδών, *hirundo*: q. d. *lapis hirundininus*, quomodo *hirundininum nidum* dixit Plautus, *sanguinem* Plinius. Caussam appellationis docet idem Plinius, lib. XI. cap. XXXVII. *In ventre hirundinum pullis lapilli candido aut rubenti colore, qui chelidonij vocantur, magicis narrati artibus, reperiuntur.* Sic *chelidoniam ficum* dixere more Græcorum, quibus χελιδόνια σῦκα. Nomen siue ex eo, quod *hirundines* ijs delectentur: siue, quòd tum primùm maturescunt cùm migrant *hirundines*. Siquidem Plinius li. XV. cap. XVIII. ait, nouissimam sub hieme maturari *chelidoniam ficum*. Est & χελιδονία πόα, seu χελιδόνιον, quam *hirundinariam* Gaza vertit. Sed Græcam appellationem retinet idem Plinius, lib. VIII. cap. XXVII *Chelidoniam*, *visui saluberrimam*, *hirundines monstrauere*. Et lib. XXV. cap. VIII. *Animalia quoque inuenere herbas: in primisque chelidoniam. Has enim hirundines oculis pullorum in nido restituunt visum, vt quidam volunt, etiam erutis oculis. Genera eius duo.* Et paulò pòst: *Florent aduentu hirundinum, discessu marcescunt.* Similiter Theophrastus, Hist. Plant. lib. VII. cap. vlt. τὸ χελιδόνιον ἅμα τῇ χελιδόνι ἀνθεῖ. Est & venti nomen *chelidonias*, χελιδονίας. Plinius, lib. II. cap XLVII. *Fauonium quidam a. d. VII. Kal. Martij chelidoniam vocant, ab hirundinis visu: nonnulli vero ornithian, vno & LXX. die post brumam, ab aduentu auium, flantem per dies nouem.*

CHELONIA & chelonitis. χελωνία, vel χελωνίτης λίθος, à χελώνη, quod idem ac χέλυς, id est, *testudo*. Plinius, lib. XXXVII cap. X. *Chelonia, oculus est Indicæ testudinis, vel portentosissima magorum mendacijs: melle enim colluto ore, impositam lingua, futurorum diuinationem præstare promittunt.* Et paullò post: *Sunt & chelonitides testudinum similes, ex quibus ad tempestates sedandas multa vaticinantur. Ea verò, quæ sit aureis guttis, cum scarabeo deiecta in aquam feruentem, tempestates auerti.* Ab eadem χελώνη voce gens quædam Indiæ vocata *Chelonophagi*, χελωνοφάγοι, quasi *testudinivori*. Plinius, lib. VI. cap. XXIV. *In Carmania angulo sunt Chelonophagi, testudinum superficie casas tegentes, carne vescentes.* Meminit & lib. IX. cap. X. Vti & Pomponius Mela, lib. III. cap. VIII. In architectura quoque *chelonium* triplici notione sumebatur: vt ex Vitruuio & eius interpretibus disces, imprimis è Bernardino Baldo, lib. de vocibus Vitruuianis.

CHELYDRVS, χέλυδρος, si Grammaticis credimus, duplicem habet significationem, próque ea etymon duplex. Interdum fit *testudo marina*, à χέλυς, id est, *testudo*, & ὕδωρ, id est, *aqua*, vt sit idem, quod χέλυς ἔνυδρος, *testudo aquatica* quæ sic vocatur ad discrimen τῆς χερσαίας, id est, *terrestris*. Interdum, ac sæpius, fit *serpens aquaticus*, qui aliter *hydrus*: vnde Nicander in Ther.

Ὕδρον τὸν καλέουσι μεταλλήξαντα δὲ χέλυδρον.

Meminit & eius Maro. III. G.

Disce & odoratam stabulis accendere cedrum,
Galbanéoque agitare graui nidore chelydros.

Vbi sic Seruius: *Chelydri dicti sunt, quasi chersydri, quia in aquis & in terris morantur. Nam χέρσον dicimus terram, ὕδωρ autem aquam.* Hæc Seruius. De etymo non dubito, quin fallatur. Planè enim *chersydri* nomen ex eo, quia sit animal amphibium, ac tam in terra, quam aqua, viuat. At *chelydri* appellatio est à χέλυς, id est, *testudo*, & ὕδωρ, *aqua*: quia similis sit testudini, siue tergi duritie, siue pariter in terris & aquis viuendo, more testudinis. Deinde ne illud quidem verum videtur, *chelydrum*, & *chersydrum*, idem notare; Saltem veteribus differunt. Patet id ex Nicandro, qui in Theriacis prius de *chersydro*, aliquanto post de *chelydro* agit. Distinxit & Lucanus lib. IX.

Natus & ambiguæ coloret qui Syrtidos arua
Chersydros, tractique viâ fumante chelydri.

Confudit tamen etiam Isidorus, idque à Seruio deceptus.

CHERSYDRVS, χέρσυδρος à χέρσος *terra*, & ὕδωρ, *aqua*, vt è Seruio in *Chelydrus* vidimus. Similiter Nicandri Scholiastes: Ὁ χέρσυδρος ἀμφίβιος ἐστιν ὄφις. καλεῖται δὲ χέρσυδρος, διὰ τὸ ἐν ὕδατι καὶ ἐν χέρσῳ διατρίβειν. Posteriores cum *chelydro* confudere: sed priores distinguunt. Vide *chelydrus*.

CHELYS, χέλυς. Ea vox Græcis, vti Latinis *testudo*, tum animal, tum instrumentum musicum significat. Sed primò dicitur de animali, quod & χελώνη, & χελώνα, appellatur. Instrumentum verò *chelys* dictum, quod χελώνην ὁ Ἑρμῆς ἐκδείρας αὐτὴν κατεσκεύασεν; *excoriata testudine eam fabricauit Mercurius*: prout Arati Scholiastes tradit: & Lucianus confirmat in dialogo Apollinis & Vulcani, vbi sic de Mercurio, etiamnum puero, narrat Apollo: χελώνην που νεκρὰν εὑρὼν, ὄργανον ἀπ' αὐτῆς συνεπήξατο· πήχεις γὰρ ἐναρμόσας καὶ ζυγώσας, ἔπειτα κολλάβους ἐμπήξας, καὶ μαγάδιον ὑποθεὶς, καὶ ἐντεινάμενος ἑπτὰ χορδὰς μελῳδεῖ πάνυ γλαφυρόν, id est, *Testudine alicubi inuentâ, instrumentum ex ea compegit; quippe brachijs adaptatis, iugóque inducto, & calamis postea infixis, magadióque subiecto, indéque septem chordis intentis; quiddam admodum iucundum modulatur.* Eandem quoque sententiam secutus Nicander, cum de χελώνῃ sic in Alexipharmacis ait:

———ἦν ποτ' ἄναυδον
Αὐδήεσσαν ἔθηκεν ἀπαιόλιον ἐπ' ἴσωπο
Ἑρμείας, σαρκὸς γὰρ ἀπονοσφίσατο χέλυν
Αἰόλον, ἀγκῶνας δὲ δύω παρετείνατο πήχεις.

Quæ versibus sic aptè satis expressit Greuinus;

———*Et quam*

Reddidit è mutâ modulantis voce canoram

Mercurius, picto insontis qui cortice carnem

Exemit, geminúmque ancona intendit in oris.

Pluribus quoque eandem fabellam persequitur Homerus, hymno in Mercurium. Alij tamen non ex testudine carne egesta, fabricasse eam Mercurium volunt, sed ex Apollinis boum cornibus; eóque sic potius dici à testudinis similitudine, quam etiam agnoscit Plinius. lib IX. cap.X. *Tryglodita*, inquit, *cornigeras (testudines) habent, vt in lyra, annexis cornibus latis, sed mobilibus, quorum in natando remigio se adiuuant.* Nec obstat, quod *lyram*, non *chelyn*, aut *testitudinem*, dicat Plinius. Nam quamquam differunt hæc instrumenta, in eo tamen conueniunt, quod vtraque figuram habent *testudinis.* Sed quia paucis id notum, operæ duxi nonnulla hac de re ex Scaligeri ad Manilium notis adtexere. Lyra Mercurij constabat testudinis munimento, egestâ carne. Huic sectos calamos per oras testæ supinæ traiecit, quibus terginum bubulum, tanquam operculum, adglutinauit, ita vt calami ijs essent fulcrorum vicem. Deinde in summo testæ, vbi erant anteriores bestiæ pedes, panxit duo brachiola, siue manubria, quæ πήχεις vocat Homerus. Ptolomæus κέρατα; quod essent vara, aut camura, instar cornuum. Hinc duo illa brachiola coniunxit transtillo transuerso, quod Latinè *iugum*, Græcis similiter ζύγωμα, aut ζυγὸς, dicitur. Præterea paullò supra fundum, siue imam testæ partem, quæ βάσις dicitur, à parte prona clauum aut epitonium instar vmbilici panxit, è quo vinciebantur omnes chordæ. Inde chordæ, in partem supinam traductæ, in summo iugo desinebant. Insuper supra βατῆρα, in imo partis supinæ erat lignum aut calamus, quo chordæ veherentur. Id μαγάδιον vocatur absque quo lyra esset muta. Ac talis quidem fuit lyra quam Mercurius inuenit quæque inter asterismos relata. Sed quia iam olim testudo non exenterata, sed integra in globis pingi solet, inde est, quod Arabibus dicatur *vultur cadens. Testudo* enim *marina* adeo capite vulturis rostrum, pedibus autem alas pansas refert, vt iccirco à Batauis dicatur *Zee-arent*, quod est, *aquila marina.* Porrò à *lyra cælesti*, quam Mercurij esse diximus, orta est *chelys*, siue *cithara*, quæ testudinem quidem habet, vt illa Mercurij, sed pro cornibus singulare manubrium erectum, in cuius summitate paxilli sunt traiecti ad fides tendendas vel remittendas. Hispani, voce ab Arabibus seu Mauris accepta, vocant instrumentum hoc *laud*, ex quo Italicum *liuto*, & Gallicum *lut*, Germanicum *laute*, Belgicum *luyte.* Hoc cum fugeret doctissimum Alciatum, putauit, Italicum *liuto*, κατ' ἀφαίρεσιν factum esse ex Græco ἁλιάδιον, quod *scapham piscatoriam* ipsi referre videretur. Quemadmodum verò ex integra Mercurij *lyra* nata est *chelys*, ita ex parte eius prodiit *lyra* posterior, cum quâ Arion, Apollo, & Hercules hodie visuntur in veteribus monumentis. Ea nihil alliud est, quam *lyra* Mercurij, demta testudine; & præterea pro modiolo, in quo omnes erant reuinctæ chordæ, in *lyrâ* posteriori eæ singulæ suis cacuminibus seorsim hærent in fundo. Ea non πήχεις propriè, sed κέρατα & ἀγκῶνας habet, manubriorum vicem. Suntque ea litera S; adeò vt dicere liceat, *lyram* hanc constare tribus literis, duabus SS obuersis, quæ faciunt anconas, & vna *I*, quæ transuersa facit iugum. Ex hâc *lyrâ* nata est *harpa*; nam idem vsus, formâ aliquantulum immutatâ, ob quod discrimen, à *lyra* disiunxit Venantius Fortunatus, hoc versu:

Romanúsque lyrâ plaudat tibi, barbarus harpâ.

Plura qui de his omnibus volet, adeat longam & eruditam de ijs dissertationem Iosephi Scaligeri, ad sphæram barbaricam Manilij, ex quo hæc, imò pleraque, αὐτολεξεὶ exscripsimus.

CHILO, χείλων, παρὰ τὸ χεῖλος. Etymon hoc, ac simul vt *chilones*, & *cilones*, differant, docet his verbis Festus: *Chilo dicitur cognomento à magnitudine labrorum. Cilo sine adspiratione, cui frons est eminentior, ac dextra sinistráque velut recisa videtur.* Charisius, lib. I. *Cilones dicuntur, quorum capita oblonga & compressa sunt: chilones autem cum adspiratione ex Græco, à labris impropioribus, quæ illi χείλη, vnde chilones, improbiùs labrati.* Eàdem de re sic Velius Longus: *Item aliud esse Cilonem, aliud, Chilonem: & Cilones homines vocari angusti capitis & oblongi: Chilones verò improbioribus labris homines, à Græco, παρὰ τὰ χείλη.* Gloss. Philox. *Cillo (Lcilo)* κεφαλῶν. Onomasticum vetus: *Cilones*, φάξοι. *Cilones* legas apud scriptorem declamationis in Sallustium, Ciceroni tributæ. Vbi pro *cinaido & turpiter cenenti* accipi, ait Cælius Rhodiginus. lib. XXI. cap. XXII. Scribit autem, *L L* geminato, *cillones*, atque ait, dici à *cillere*, quod est, *motitare.* Sed *cilo*, vt Romæ Flaminiorum & Magiorum cognomentum erat, potiùs à fronte eminenti, vel capite oblongo & compresso, nomen accepisse, dubium non est. *Cilones* vnde dicantur, non admodum liquet. Festi verba, quæ superiùs adduximus, videntur originem petere à *cadendo*, quia frons velut *recisa.* Sed hoc si esset, *cæsones*, vel saltem *cisones*, vocarentur. Propius accedit ad κολοβὸς, id est, *mutilus.* Nec tamen veram esse hanc originationem spondere ausim.

CHIRAGRA, χειράγρα, quasi ἡ ἄγρα τῆς χειρὸς: hoc est, *manus captura ac venatio.* Id enim est ἄγρα. Vnde ἀγρεύειν, *venari, venatu capere.* Similiter dicitur ποδάγρα, quasi ἄγρα τῶν ποδῶν. Vtraque est *arthriticus*, illa manus, hæc pedes, ἀγρεύει, & quasi illaqueans instar tendiculæ. Etymon hoc magis placet, quam vt sic dicantur ἀπὸ τοῦ ἄλγους, hoc est *dolore* quasi χειραλγία, & ποδαλγία; quia nempe λ interdum abeat in ρ: quomodo Aristophanis Scholiastes in Plutum scribit, Atticè ποδαγρία dici, pro ποδαλγία. Sed neque Charisij iudicium placet, qui sensisse videtur, *podagricus*, seu *podager*, dici, quasi *pedibus æger.* Sic enim scribit, lib. I. *Podagrosus à podagra bene dicitur, sed & podagricus à pedum ægritudine: cuius exemplum apud Laberium est in aquis calidis: Podagricus non recessit. Podager* pro eo dixit Ennius, apud Prisc. lib. VIII. *Nunquam poetor, nisi podager.* Videntur Latini poëtæ; quia Græci non χειρὸς tantum dicunt, sed & χερὸς, iccirco in χειράγρα, interdum tollere *I*, vt sit χεράγρα. Quippe Horatius & Martialis corripiunt primam eius vocis, quæ si *chiragra* scribatur, porrecta erit, quia *EI* à Latinis mutari solet in *I* longum.

CHIRIDOTAS, Dalmatarum, in auctione rerum Commodi, iussu Pertinacis instituta, inuentas fuisse scribit in Pertinacis vitâ Capitolinus. Cúmque Lampridius narrat, Commodum Dalmaticum in publico processisse, non aliud vult, quam eum Dalmatarum *chiridotis* fuisse indutum. Est verò χειριδωτὸς χιτὼν ὁ χειρῖδας ἔχων, hoc est, *manicata tunica*, vel, vt Plautus loquitur, *manuleata.* Nam χειρὶς, vnde χειριδωτὸς, notat *manicam*, vt vocat Maro hoc versu:

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Hoc est, tunicæ non desinebant circa humerum, vt illæ, quæ ἐξωμίδες, dicuntur: sed circa primores manus. Agellius, lib. VII. cap. XII. *Tunicis vti virum prolixis vltra brachia, & vsque in primores manus, ac propè in digitos, Romæ, atque omni in Latio, indecorum fuit; eas tunicas Græco vocabulo nostri chiridotas appellauerunt.* Deinde, eopse capite adfert P. Africani locum, quo Sulpicio Gallo inter alia obijcit: *quod in conuiuijs adolescentulus cum amatore cum chiridotâ tunicâ inferior accubuerit*; χειριδωτὸς χιτὼν aliter vocatur καρπωτὸς, ὁ μέχρι καρπῶν χειρῖδας ἔχων; vt ἀφερμηνεύει Athenæus, lib XII. Sanè, Reg. II. cap. XIII. vestem Thamaris, quam οἱ ἑβδομήκοντα, ἀστραγαλωτὸν transtulere, eam Symmachus χειριδωτὸν, Aquila καρπωτὸν, reddidit.

CHIROMANTIA, χειρομαντεία, *diuinatio ex manuum inspectione*, vt χειρόμαντις, qui, inspectis manus lineis, seu incisuris, de hominum vitâ ac moribus quædam se prædicturum promittit: à χεὶρ, id est, *manus*, & μάντις, *diuinus vates*, seu μαντεία, *diuinatio.*

CHIRONOMVS, χειρονόμος; à χεὶρ, *manus*, & νόμος, id est, *lex*; vt propriè sic dicatur, qui certâ lege manus mouet, ac gesticulatur. Hesychius optimè interpretatur, ὀρχηστής. Nec obstat locus Xenophontis, Symp. vbi ait: καὶ αὐτὸς ἰδὼν εἶπεν, ὀρχήσομαι μὲν οὖν. ὁ γὰρ πάππος τοῦ Ἰσχομάχου, ἐχειρονόμει δὲ τοῦτο γὰρ ἠπίστατο. Nam hinc quidem discimus, posse aliquem χειρονομεῖν, etiam non ὀρχούμενον; verum minimè inde consequitur, non solere eosdem vtramque artem & docere & discere: vt omnino diuersæ tantum essent vnius artis partes, quæ ab vno exercerentur. At inquiunt, etiam distinxit Iuuenal. Sat. V.

Structorem interea, nec qua indignatio desit,

Saltantem spectas, & chironomonta volanti

Cultello.———

Sed infirmus hic tibicen, si (quod puto) istiusmodi est mens Iuuenalis: *Structor*, ex pantomimorum arte saltans, cibos mensæ infert (vnde *infertorem* interpretatur vetus Iuuenalis Scholiastes) idémque, in cibis carpendis vel scindendis, certâ lege manibus gesticulatur. Vides, vt hinc minimè consequatur, alium esse saltantem, alium chironomonta: aut quia diuersæ essent artis partes, saltatio & manuum gestus, eo & artificem fuisse alium atque alium. Cur verò eundem fuisse putemus, ὀρχηστὴν, seu *pantomimum*: ac χειρονόμον, siue *chironomonta*, cum superior Hesychij, multáque alia veterum loca, impellunt: tum hic quoque Cassiodori. Var. Lib. IV. 51. *His sunt addita Orchistarum loquacissimæ manus, linguosi digiti, silentium clamosum, expositio tacita, quam Musa Polymnia reperisse narratur, ostendens homines posse, & sine oris affatu, suum velle declarare.*

CHIRVRGVS, χειρουργὸς, à χεὶρ, id est, *manus*; & ἔργον, id est *opus*: vt propriè sonet, *opificem manuarium*: sed κατ' ἐξοχὴν tributa medicis, qui manu curant. Ac præcipuè dicitur χειρουργία de

de *sectione chirurgi* : Ita speciatim Hippocrates vsurpat. *Chirurgicam artem* primus instituit *Chiron* : vt Hyginus tradit, cap CLXXIV. Itaque & nomen ei hoc à Poeta impositum videtur ἀπὸ τῆς χειρός. Ab hoc *Chironium vlcus* dicitur, quod *Chironis* opem exigat. Item *Chironion, herba*, de qua dictum in *Centaurea*.

Chlamys, χλαμύς. Putant esse κατὰ συγκοπὴν factum à χλιαίνω, id est, *calefacio*. Vnde & χλαῖνα, id est *lana*, dici volunt. Sed de χλαίνα non repugnamus. Χλαμὺς verò rectius deduxeris à גלום, id est, *vestimentum*, quo se homo inuoluit, a rad. גלם, id est, *inuoluere, duplicare*. Nam superinducbatur thoraci: non tamen ad corporis tutelam, quod putabat Robertus Titius, sed ornatus caussâ.

Chlorion, χλωρίων, auis à colore sic dicitur. Aristoteles Hist. Anim. lib. IX. cap. XXII. Ὁ δὲ χλωρίων, χλωρὸς ὅλος ἐστί· τὸν χειμῶνα οὐχ ὁρᾶται, περὶ δὲ τὰς τροπὰς τὰς θερινὰς φαίνεται μάλιστα. Quæ sic Plinius vertit, lib. X. cap. XXIX. *Chlorion quoque, qui totus est luteus, hyeme non visus, circa solstitia procedit.* Vbi videmus, quod Aristoteli est χλωρὸς, id Plinio esse *luteum*. Quomodo & *luteum* in ouo a Græcis χλωρὸν vocatur. Et eryngii flos Dioscoridi χλωρὸς, qui Vegetio *aurei coloris* vel *galbinei*. Vt satis liqueat, χλωρὸν, non solum dici de *viridi*, vel *pallenti*, sed *luteo* etiam, vel *galbineo*.

Cholera, χολέρα, est morbi genus celeri vomitu aluique deiectione ventriculum atque intestina conturbans. Nomen habet ἀπὸ τῆς χολῆς, quia in eâ bilis, siue multitudo humorum fluentium felli similium, supernè infernéque ejicitur : quemadmodum tradit Celsus, lib. IV. cap. II. indeque & à Cælio Aureliano, lib. III. cap. XIX *fellifluа passio* appellatur. Quidam, impulsi loco Tralliani, lib. VII. malunt deducere a χολάς, quomodo antiqui vocarunt *intestinum*, παρὰ τὸ δέχεσθαι τὰ χολώδη. ἢ ἀπὸ τοῦ χόλικος. Sed omnino prior sententia potior est, quia *cholera* per se *ventriculi* est: *intestini* autem, per consensum aliarum partium. At omnino falsus is, qui *choleram* dici scripsit, quasi *coeliacam*. Nam χολέρα & κοιλιακὰ, sunt morbi plane diuersi.

Chomatum logographi legitur in l. vlt. C. Theod. de patroci. vicor. Græcum est χώματα, quo significantur *aggeres*, siue *aggesta terræ moles*, quibus aqua coercetur. Dicuntur & compositâ voce παραχώματα, lib. VI. Basilicon, tit. XXII. Vtrumque est à χόω, siue χώννυμι, id est, χῶ, siue *aggerem educo* ; χῶς (vt Eustathius monet) fit ex χόος, vt νοῦς ex νόος. Propriéque notat *terram fusilem*, à χέω, id est *fundo*. Alias χοῦς est genus mensuræ in liquidis, quod Latinis *congius* dicitur ; vt indicant hi versus Rhemnij Palæmonis, in libello de Ponderibus :

> *At cotylas, quas si placeat, dixisse licebit*
> *Heminas, recipit geminas sextarius vnus.*
> *Qui quater assumptus, Graio fit nomine χοῦς.*
> *Adde duos, χοῦς fit : vulgo qui est congius idem.*

Χοῦς nota erat χ cum ο superimposito, vt testatur Paullus Ægineta, lib. VII. cap. vlt. quod περὶ σταθμῶν καὶ μέτρων inscribitur.

Choracus, χοραγὸς, quasi ἡγεμὼν τοῦ χοροῦ ; à χορὸς & ἄγειν, quod est, *ducere*. Eius munus antiquitus erat curare, ne chori imperitia, aut lasciuiâ, vetus musica corrumperetur. Sed postea ita quoque dictus, qui pecuniâ suâ chorum conduceret, & instrueret. Vtriusque significationis meminit ex Demetrio Athenæus, lib. XIV. pag CCCXXXIII. edit Commel. Ἐκαλοῦντο δὲ καὶ χοραγοὶ, ὥς φησιν ὁ Βυζάντιος Δημήτριος, ἐν τετάρτῳ, Περὶ ποιημάτων, οὐχ, ὥσπερ νῦν, τοὺς μισθουμένους τοὺς χορούς, ἀλλὰ τοὺς καθηγουμένους τοῦ χοροῦ, καθάπερ αὐτὸ τοὔνομα σημαίνει. Recentiori istac notione *choragi* voce vtitur quoque Demosthenes, in Midiam. Similitérque accipit Antiphanes, Milite, apud Athenæum, lib. III. pag. CIII.

> Ἢ στρατηγίας ὑπερεῦ πλεῖν, χοραγὸς δ' αἱρεθεὶς
> Ἱμάτια καὶ χρυσοῦ παρασχὼν τῷ χορῷ ῥάκος φορεῖν,
> Ἢ τετραρχῶν ἀπήγξατ', ἢ τοιοῦν ἀλοῦσί τις.

E Latinis quoque sic vsurpat Plautus, Persâ, Act. I. sc. III.

> SA. *Sed vnde ornamenta?* TO. *Abs chorago sumito.*
> *Dare debet, præbenda ædiles locauerunt.*

Vsus & similiter, Trinummo item incertus epigrammatis auctor, apud Tranquillum in Augusto, cap. LXX. Hinc *choragium*, instrumentum scenarum: vt interpretatur Festus. Plautus, prolog. Capt. *Nam hoc penè iniquum est Comico choragio.* Appul. Apolog. *Quid enim, si choragium Thymelicum possiderem? non ex eo argumentarere, etiam vti me consueuisse Tragœdi syrmate, histrionis?* Fulgentius Planciades, de Prisco sermone ad Chalcidium : *Choragium*, inquit, *funus virginale vocatur.* Nempe *coragium* scripsit absque spiritu: & hoc ex κόρη, atque ἄγω, conflatum putauit.

Choraules, dictus à χορὸς, & αὐλέω. Itaque sic dicitur, *qui ad chori cantum inflat tibiam.* Quare *choraules* non potuit esse solus. Nam *qui solus tibia canat*, αὐλωδὸς quidem sit, at non χοραύλης. Hinc lucem capit hoc Martialis :

> *Quod optimum sit, quæritis conuiuium?*
> *In quod choraules non venit.*

Nam *chorus* semper comitabatur *choraulem*: omnis autem turba est turbulenta, præsertim in conuiuio. Est & altera *choraulæ* significatio apud Sidonium. Sed acceptiones omnes commemorare non est huius instituti. Vide, sis, quæ eruditè de vtraque significatione obseruauit Ios. Scaliger animaduersionibus Eusebianis, ad annum MDCCCCXCV. pag. CLVI.

Chordam scribendum, negare videtur Cassiodorus; sed *cordam*. Ita enim ait lib. II. Variarum cap XI. *Hinc etiam appellatam existimamus cordam, quod facile corda moueat.* A *corde* quoque deducit Isidorus, sed paullò aliâ de caussâ. Quippe lib. III. Orig. cap. XXI. ita dici ait, quòd *sicut pulsus est cordis in pectore, ita pulsus corda in cytharâ*. Huiusmodi autem se originationibus oblectent Marrucini. Mihi quidem insulsæ videntur, quales non paucæ apud posterioris æui scriptores imo ipsum quoque togatorum doctissimum Varronem. Est autem omnino à χορδὴ, quod primò notat *intestinum*, secundariò *fides*, quia ex tenuioribus animantium intestinis fissis contortisque fieri soleant. Meminit prioris significationis quoque Cælius Aurelianus, lib. III. acutorum morborum, cap. XVII. *Alij*, inquit, *hanc passionem chordapsum vocauerunt, quod non aliter quam chordæ intestina tendantur. Nam veteres Græci intestina chordas vocauerunt.* De *chordapsi* voce vide in *Ileus*. A χορδὴ est *tetrachordum*, τετράχορδον ; quod, vt Philander ad Vitruuium descripsit, est *quatuor in ordine positorum sonorum congruens fidáque concordia.* Vide Aristoxenum, Boëthium, & alios Musicæ scriptores. A re Musica transfertur ad architecturam. Vt apud Vitruuium, lib. X cap. XIII. *In cuius longitudine canales, si tetrachordos est, fiunt quatuor ; si hexachordos, sex &c.* Item ad alia quæcunque. Vt apud Varronem in Serrano, περὶ ἀρχαιρεσιῶν. Vnde hæc verba citat Nonius in *Auctumnitas* : *Retinet viatorem meridie prætereuntem fontem, quod auctumnitas in anni tetrachorde mensum præterierat.* Vbi pro *mensum*, *mensam* corrigit Turnebus, lib. XXIX. cap. III. *Tetrachordum anni*, pro quatuor anni temporibus, scite dixit Varro.

Choreus, χορεῖος, pedis nomen in arte metrica. Sic autem vocatur, quia ἐν τοῖς χοροῖς, agilius moueantur in morem τῶν τρεχόντων, vnde & τροχαῖος dicitur. Hac de re sic Scholiastes Hephæstionis. Τῶν δὲ τρισυλλάβων ποδῶν, πρῶτός ἐστιν, ὁ χορεῖος, ὁ καὶ τρίβραχυς, ἐκ τριῶν βραχειῶν, εἴρηται δὲ χορεῖος, ὅτι οἱ ὑπὸ τῶν χορευόντων ᾀδόμενοι ἐν τοῖς χορικοῖς ὕμνοι, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἐν τούτῳ συνίσταντο μέτρῳ ; ὁ καὶ τροχαῖος καὶ βραχυσύλλαβος. Quibus ex verbis discimus, *tribrachyn*, etiam *trochæum*, & *choreum*, dici. Ac sanè nomen vtrumque magis etiam meretur, quàm pes iambo contrarius. Nam maior est velocitas pedis è tribus breuibus constantis, quàm eius qui constat longâ & breui: quem tamen & ipsum *chorei* & *trochæi* nomine veteres dignantur. Vnde Quinctilianus, lib. IX. cap IV. *Iambo contrarium è longâ & breui, hunc choreum nos, vt alij trochæum, nominemus.* Et paullò pòst: *Tres breues, trochæum quem trybrachyn dici volunt, qui choreo trochæi nomen imponunt.* Terentianus Maurus :

> *Nec minus currit τροχαῖος lege versâ temporum*
> *Syllaba longus priore, parcior nouissimâ.*
> *Χορεῖος idem nuncupatur à magistris plurimis.*

Idem :

> *Claudunt medias quando breues vtrimque longæ,*
> *Est ante τροχαῖος, sequitur dehinc ἴαμβος.*
> *Iccirco gemellum vocitarunt χορίαμβον.*
> *Nam qui χορεῖος dicitur, & τροχαῖος, idem est.*

Chorobates, χοροβάτης, erat regula longa pedes XX. vt est apud Vitruuium, lib. VIII cap. VI. vbi eam plenius describit. Sic dicitur, à χώρα & βαίνω, quasi *regionis perambulator*. Nam χοροβατεῖν, ἐν τῇ χώρᾳ περιπατεῖν, vt est apud Hesychium. Vsus eius instrumenti erat in exploranda altitudine turrium ac propugnaculorum : imò & aquarum. Vnde idem Vitruuius inibi: *Libratur aqua dioptris, aut libris aquarijs, aut chorobate: sed diligentius id efficitur per chorobatên, quod dioptra libraque fallunt.*

Chorus, χορὸς, vnde χορεία, *chorea*, *tripudium cum cantu* ; vt multitudo, quæ ad hoc conuenit, χορὸς, idque vel ἀπὸ τῆς χαρᾶς, quod Plato scripsit : vel ab מחולה, truncato capite & conuerso ל in ρ. Quomodo à *Pale* Dea, non *Palilia* tantum, sed & *Parilia*, dixerunt cùm Latini, tum Græci : similiáque sunt *Latialis*, & *Latiaris*, *mortualia*, & *mortuaria*, &c.

Chroma vocat Boëthius *flexiones & quasi minuritiones vocis in cantu*, qui inde *chromaticus* dicitur, q.d. *coloratus*. Nam χρόα, *color*, vnde χρόω, & χρώζω, ac per syncopen χρῴζω, *coloro*; hinc χρῶμα, *color*, à quo χρωματικὸς, vti & μονοχρώματος, *monochromatus*, singulis coloribus pictus vti Plinius interpretatur, lib. XXXV.

lib.xxxv. cap.iii. *Græci autem alij Sicyone, alij apud Corinthios, repertam, omnes vmbrâ hominis lineis circumductâ. Itaque talem primam fuisse: secundam singulis coloribus, & monochromaton dictam, postquam operosior erat inuenta: durasque talis etiam nunc.*

CHRONICA, χρονικά, *temporum historia*. A χρόνος, *tempus*. Differunt ab Annalibus, quod hi commemorent, quid anno quoque in gente vna contigerit, illa plurium gentium res exponant.

CHRYSOPRASVS, χρυσόπρασος. beryllorum generi à quibusdam adiudicatur: ab alijs sui putatur generis; vt Plinius ait. Vide eum, lib.xxxvii. cap.v. viii xi. Nomen ipsum indicat, esse partim aurei coloris, partim porracei, hoc est, planè viridis. Nam χρυσὸς, *aurum*, πράσον, *porrum*. Isidorus. *Chrysoprasus Indicus est, colore porri succum referens, aureis interuenientibus guttis, vnde & nomen accepit*. In Plinij codd. plerisque *chrysopasius* dicitur. Vti & Marbodæo de gemmis: sed corruptè. Corruptiúsque Alberto M. *chrysopagius* nominatur.

CHRYSVS Latinum non est, etsi apud Plautum, Bacchidibus, legas. *Opus est chryso Chrysalo*. Vbi χρυσῷ est *auro*. Etiam piscis aurei coloris *chrysos* dictus, vt ait Plinius, lib.xxxii. cap.xi. vbi inter pisces reponit, qui solum in Ouidij Halieuticis leguntur. Ingens verò eorum turba est quæ à χρυσοῦ voce descendant. Horum quædam sunt animata. Vt χρυσόφρυς, ab *aureis supercilijs*: quo de pisce agimus in *Aurata*. Est & in fabulis χρυσόμαλλος, *aureum habens vellus*. Etiam inter hominum nomina est χρύσιππος, ab ἵππος, id est, *equus*; nobilis Stoicus. Χρυσόγονος, à γονή, *fœtus*, Syllæ libertus. Χρυσόστομος, à στόμα, siue *os*, q. d. *aurea verba fundens*. Complura autem ad plantas pertinent. Vt χρυσῖτις, quæ & χρυσοκόμη, à χρυσός, *aurum*, & κόμη, id est, *coma*. Plinius, lib.xxi. cap.viii. *Chrysocome siue chrysitis non habet Latinam appellationem. Palmi altitudine est, comantibus fulgore auri corymbis*. Ex quibus Plinij verbis etiam nominis caussa cognoscitur. Χρυσάνθεμον, ab ἄνθεμον, quod idem ac ἄνθος, id est, *flos*, κατὰ γλῶσσαν, vt scribit Eustathius. Καλὸν ἄνθος Belgis dicitur *gouds-bloem*. Maroni, in Ecl. *caltha*. Male eam cum *buphthalmo* confundit Plinius, quia Dioscorides de *buphthalmo*, & *chrysanthemo*, distinctis agit locis. Χρυσολάχανον, *aureum olus*, nam λάχανον, *olus*. Plinius, lib.xxvii. cap.viii. *Chrysolachanum in pineto, lactucæ simile nascitur*. Et mox: *Et aliud genus chrysolachani traditur, flore aureo, folijs oleris*. Χρυσόμηλον, à μῆλον, *malum*. Plinius, lib.xv. cap.xi. *His proxima amplitudine mala, quæ vocamus cotonea, & Græci Cydonea. Plura eorum genera. Chrysomela incisuris distincta, colore ad aurum inclinato*. Meminit & Columella. lib.v. cap.x. Maro, in Ecl. κατὰ λέξιν vocat *mala aurea*. Quamquam non desunt, qui *Aurantia* potiùs intelligant. Etiam quorundam lapidum nomina ab ea χρυσοῦ voce ortum ducunt. vt χρυσόλιθος, à λίθος, id est, *lapis*. Plinius, lib.xxxvii. cap.ix. *Hyacinthos Æthiopia mittit, & chrysolithos aureo colore translucentes*. Et cap xi. *Colos appellauit chrysolithon aureus, chrysoprasum herbaceus, melleus, melichrota*. Χρυσόπρασος (cuius hic meminit Plinius;) à πράσον, id est, *porrum*. Sed de hoc seorsum. Χρυσήλεκτρος, ab ἤλεκτρον. Plinius. lib.xxxvii. cap.iv. *Tametsi iam expertes gemmarum, vsu appellantur aliqui & chryselectri, in colorem electri declinantes, matutino adspectu iucundiore*. Chrysocolla: χρυσόκολλα, à κόλλα, *glutinum*. Plinius, lib.xxxiii. cap.v. *Chrysocollam & aurifices sibi vindicant, agglutinando auro: & inde omnes appellatam similiter vtentes dicunt*. Colorem habet læte virentis segetis, vt idem auctor est. Vulgo *boracem* vocant. *Chrysolampis*, χρυσόλαμπις, à λάμπω, quod noctu luceat. Plinius, lib.xxxvii. cap.x. *Chrysolampis in Æthiopia nascitur, pallidi coloris die, noctu ignei*. Χρυσόπαστος, à πάσσω, *conspersus*: quia varius, & aurea scobe quasi adspersus. Habes apud Solinum ex Epiphanio: Χρυσῶπις, ab ὤψ, *adspectus*. Plinius, lib.xxxvii. cap.x. *Chrysopis aurum videtur esse*. Χρυσοβήρυλλος, à βήρυλλος. Plinius, lib.xxxvii. cap.v. de beryllis: *Probatissimi sunt ex illis qui viriditatem puri maris imitantur. Proximi, qui vocantur chrysoberylli, & sunt paullo pallidiores, sed in aureum colorem exeunte fulgore*. Solinus pro eo dicit: *Chrysoberylli languidius micantes nube aurea circumfunduntur*. Propius ad Plinij mentem Isidorus: *Chrysoberyllus dictus, eo quod pallida eius viriditas in aureum colorem resplendeat*. Est & inter fluuios Χρυσορρόας, qui idem ac Pactolus. à ῥόος, *fluxus*, quasi *auriftuus*. Plinius, lib.v. cap.xxix. de Tmolo monte: *Vitibus consitus, & ex eo profluente Pactolo, eodémque Chrysorrhoa, ac fonte Tarne*. Pactolum prius *Chrysorrhoam* dictum, tradit & Solinus & auctor libri de fluminibus. Sed & aliorum aliquot fluuiorum idem nomen fuisse ex Ptolomæo, Plinio, Stephano, alijsque, discere est. Bithyniæ quoque emporium prope Chalcedonem dictum Χρυσόπολις; quoniam nempe ὑπὸ Περσῶν ἀρχόντων ἐποιοῦντο τὸν σωρισμὸν ἀπὸ τῶν πόλεων χρυσοῦ τὸν ἀθροισμόν. Quamquam nonnulli sic dici malint, à *Chryse*, filio Chryseidis & Agamemnonis, vt tradit Stephanus. Denique etiam artificialia hinc nomen adepta vt, χρυσογράφα, *aureis literis aut figuris inscripta*. Nempe à γράφω, hoc est, *inscribo*. Eadem aliter χρυσόγραφα. Atque hinc *chrysographata scuta* in epistola Valeriani apud Trebellium Pollionem, in Claudio, legas.

CHYLVS, χυλός, etsi generatim *succum* significat, ac propriè quidem quem res fundunt & exsudant, speciatim tamen sic vocatur succus is, quem ventriculus è cibis concoctione elicit, quique sanguinis materia est. At plurimum ab eo differt χιλὸς, per ι. Sic enim vocatur *cibus, pabulum*: vnde ex quorundam sententiâ Ἀχιλλεὺς dictus, quasi ἀχιλλεὺς, διὰ τὸ μὴ μεταλαβεῖν καὶ τὸ χιλοῦ, εἰ καὶ ἡ ἐκ τῆς ἀποθέσεως τροφῆ; ὁ γὰρ χιλὸς (φασὶν) ἤτοι Δημητριακῇ τροφῇ ἐτράφη ὁ Ἥρως, ἀλλὰ ζώων μυελοῖς, vt scribit Eustathius pag.14. Sanè verisimilius id etymon, quàm vt præsagio quodam sic dictus sit, quasi ἄχος Ἰλιεῦσι. Nec significatione tantum hæc duo differunt, sed etiam etymo. Nam χιλὸς κατ' ἀφαίρεσιν factum ab אכל, quod est, *edere, vesci*. Sed χυλὸς per Υ est à χέω, id est, *fundo*, quia propriè sic vocatur humor, quem res fundunt de se, siue is tundendo aut concidendo, siue torculari aut igne exprimatur. Eiusdem originis est χυμὸς, quod & ipsum generatim notat humorem aut succum: etsi speciatim ita dicatur sapor, qui oritur ex qualitatis siccæ per humorem vi caloris percolatione. A χυμὸς, *cibi boni succi* dicuntur εὔχυμοι; vt *cibi mali succi* κακόχυμοι. cuiusmodi sunt omnia salsa, acria, acida, acerba; vt docet Celsus, lib.ii. cap.xviii. Indéque κακοχυμία vitiosi humoris in corpore redundantia.

C I

CIBORII voce vsus Horatius, lib.ii. Od.vii.

Obliuioso leuia Massico Ciboria exple.

Vbi sic vetus interpres: *Ciboria sunt Alexandrina poma, quæ habent similia colocasijs folia, in quorum similitudinem facta pocula eodem nomine appellantur*. Verùm in huiusmodi audiendus potiùs Dioscorides, qui, lib. ii. cap. cxxviii. auctor est, fabam Ægyptiam, vbi defloruit, ferre folliculos, in quibus faba supra operculum promineat, protuberantis ampullæ instar: eámque madefacto luto conditam demitti, ac seri; atque hinc κιβώρια, vel etiam κιβώτιον vocari: putà à similitudine *scrinij*, siue *arculæ*, quæ Græcè κιβώτιον dicitur; nempe à κιβωτὸς, quod *arcam* signat, vti & Hebræum תבה, vnde κιβωτὸς originem trahit. Porrò Hadrianus Iunius, qui, lib.i. Animadu. cap x. fusè de *ciborij* voce tractat, censet, *ciborij* nomen pro poculo capaciori ab auctoribus accipi, propter insignem foliorum Ægyptiæ fabæ amplitudinem, quæ petaso assimilat Dioscorides, pileo Thessalico Theophrastus. Verùm ego non à folijs, sed folliculo eius, sic appellari puto: nempe quia, eius folliculi instar, imâ parte latior sit; superiori autem in angustam desinat ceruicem. Idémque voluit Athenæus, cum lib. vndecimo, ex Didymo, scribit, κιβώρια videri τὰ Αἰγύπτια ποτήρια, διὰ τὸ κατ' ἀρχὰς ἐκ τῶν Αἰγυπτίων κιβωρίων. Forrasse autem nec auscultandum Dioscoridi, cùm κιβώριον, aut κιβώτιον, à Græcis arcessit. Mihi sanè longè verisimilius sit, cùm *ciborium* Ægypto fuerit peculiare, vnde & κύαμον Αἰγύπτιον dixere, ipsum etiam *ciborij* nomen esse Ægyptium. Ac iuuat Hesychius, cùm scribit: Κιβώριον, Αἰγύπτιον ὄνομα, ἐπὶ ποτηρίου. Sanè vsurpat quoque Synesius in encomio Calnitij: vbi de Ægyptiorum disserit philosophia. Locum eum Synesij enucleat Ioannes Filesacus, Selectorum libro primo, cap.1. Adde quod Strabo, in xvii. meminerit *ciborij* ex faba Ægyptia. Quare ita statuendum: Primò *ciborium* notare *fabam Ægyptiam*. Hinc *poculum ex faba Ægyptia*. Denique *poculum alius materiæ, quod fabam Ægyptiam referat*. *Ciborij* etiam appellatio obtinet in Ecclesiæ vasis. Vnde Græci rituum sacrorum interpretes commenti, id nominis esse conflatum ex κιβ significante κιβωτὸν, & ὥριον notante φωτεινὴν κιβωτὸν, ἢ φῶς Θεοῦ. Sed quantopere fallantur, argumento est, quod Strabo, Horatius, alij, meminere: vt ipso Christiano nomine antiquior ea vox sit: vt ad Athenæi vndecimum notauit Casaubonus.

CIBVS, à κίβος, vel κιβώτιον. Festus: *Cibus appellatur ex Græco, quod illi peram, in qua cibum recondunt, κιβώτιον appellant*. Sic & Aldina & antiqua Mediolanensis. Sed in MS. est *cybon*: vnde colligo, κίβος scripsisse. Sanè κίβος, idem ac κίβησις, & κιβωτός, vnde κιβώτιον ὑποκοριστικῶς factum. Suidas: Κίβησις, ἡ κιβωτός. Κίβος, τὸ κιβώτιον. Κιβωτὸς, λάρναξ, κίστη. Κιβωτὸς καὶ κίστη διαφέρει, ὅτι ἡ μὲν κίστη, ὡς ὑποδοχὴ τῶν ἐδεσμάτων; ἡ δὲ κιβωτὸς ἱματίων καὶ χρημάτων. Quod Suidas ait, κίβος & κιβωτὸς esse *cistam vestiariam*: id confirmatur loco Dioscoridis, l.iii. cap.xxvi. de absinthio: Δοκεῖ δὲ καὶ σητοκοπεῖσθαι εἰς τὰς κιβωτοὺς ἀποτεθὲν τὰ ἱμάτια. Quomodo & Plinius de hoc ipso ait,

ait, lib. XXVII. cap. VII. *Vestibus insertum tineas arcet.* Sed necesse est, vt latius eam vocem extensam dicamus, si recte Festus: pro quo & facit Etymologus. cum κίβισις (idem Suidæ & Etymologo sunt, κίβισις, & κίβωτός.) sic dici ait παρὰ τὸ κεῖσθαι ἐκεῖ τὴν βοσιν, τουτέστι τροφήν. Sed κίβος, κίβισις, κίβωτός, potiùs venerunt ab Hebræo שבע, *satiare, cibare.* Imò nec displicet Martinij sententia, ἀπὸ τοῦ inde *cibus* deducentis. A *cibo* est *cibilla*, vt scribit Varro, lib. IV. de L. L. apud Festum quoque legendum videtur, *Cibilla, mensa escaria.* Non *cillibæ*, vt in vulgatis. Differunt igitur *cibilla*, & *cillibantes*, quòd illis cibi, his pocula imponebantur. Sed de *cillibantes* dicemus sursum.

CICADA Perotto, quasi *citò cadens.* Quod insicetum. Omninò est à Græcis, quibus κίξιος dicitur, Hesychio teste. Item iisdem κίκκος, ὁ τέττιξ, vt idem docet: qui & κικκὸς, dici notauit. Fortasse igitur *cicada*, quasi κίκκος ᾄδων. Vel etiam *cicada*, quasi κικ ᾄδων. Vt κίκ sit eius animalculi sonus. Sanè κίκκος, κίξιος, & κικκὸς, nomina sunt à sono huiusmodi facta. Possis & deducere à κικκὸς, quo membranula notatur: quia κίκκῳ ᾄδει. Nam alis siue membranulis strepere, ex Aristotele, & Plinio, notum est. Sed cum vulgus de eo secus statuat, etymon id omnino subtilius, quam verius puto. Vt de eo nihil dicam: quod prima produceretur.

CICATRIX. Perotto, quod sit *circa cutem.* Sed satius sit deducere à *caco*, id est, *occludo*, quia occludat vulnus, vsque adeò vt meatus ipsi obturentur, vnde pili proueniunt, vt Aristoteles docet, Problematum sect. IX. Fauet ἀναλογία, atque etiam Isidorus, lib. IV. Orig. cap. VIII. *Cicatrix*, inquit, *est obductio vulneris naturalem coloris partem seruans, quod obducat vulnera & obcæcet.* Non parum tamen huic sententiæ repugnat, quod *cæcus* per OE scribitur, ac potius in *V* longum abit, quam *I* & quidem breue. Quare omnino præstat cum Martinio deducere à κικύω, hoc est, ἰσχύω, vt interpretatur Suidas: siue à κικὺς hoc est, δύναμις, vt exponit Hesychius. Quod à κίω venit, hoc est πορεύομαι, quia ὁ κινούμενος δύναται.) Sanè pro hac *cicatricis* origine est, quod ea Græcis similiter οὐλὴ vocatur ab οὖλος, hoc est, ὑγιεινός, vt Hesychius interpretatur, atque vsus hoc pacto Homerus Odyss. Ω. Hinc, *cicatrice.* Festus: *Cicatricare, cicatricem inducere.*

CICER à Græcis esse ait Isidorus, lib. XVII. cap. IV. Sed Græcis est ἐρέβινθος. Fortasse tamen sit à Græco κῖκυς, hoc est, *robur, vires*: ob vim, quam habet. Solum enim ob salsilaginem suam vrit: eóque non nisi pridie madefactum seri debet: vt ait Plinius, lib. XVIII. cap. XII. Vel ob rotunditatem eius deduc à כִּכָּר, quo *orbis fructuum* notetur. Ab eo dicti *Cicerones*, vt à *piso Pisones*, à *faba Fabij*, à *lente Lentuli*: vti testatur Plinius, lib. XVII. cap. III. vbi ait, prima hæc cognomina inde esse vt quisque genus aliquod optime sereret. Quod verum puto. Quamquam Plutarchus à *nasi figura*: Priscianus, lib. II. à *faciei habitu* cognomen *Ciceronis* impositum credat.

CICHORIVM Latinis dici *intubum erraticum*, tradit Plinius, lib. XIX. cap. VIII. & lib. XXI. cap. XV. Græcè κιχόριον, Theophrasto etiam κιχώρη, Nicandro κίχορα, aliis κιχόρεια, vel κιχώρια, quod postremum est apud Pollucem. lib. VI. extremo cap. IX. Atque id secutus Horatius, versu isthoc Alcmanio, lib. I. od. XXXI. *Me cichorea leuesque maluæ.* Et *I* abit in *E* longum, quomodo ab Αἰνείας est *Æneas*; & fortasse à Καῖος, *caius*, quomodo, I. G. in Romano codice legi ait Pierius: vbi in vulgatis, CAIVS; κιχόρεια vero (quomodo Attici dicunt) nomen hoc habere creditur, παρὰ τὸ διὰ τῶν χωρίων ἰέναι, τοῦτ' ἐστι περιέρπειν, *quod per agros prædiaque vadat seu serpat.*

CICINDELA idem quod λαμπυρὶς vt, cum Glossæ Latino-Græcæ Philoxeni docent, tum hic Plinij locus indicat, lib. XVIII. extremo cap. XXVI. *Eiusque signum alius maturitatis, & horum sationis, commune, lucentes vespere per arua cicindelæ; ita appellant rustici stellantes volatus, Græci vero lampyridas incredibili benignitate naturæ.* Meminit earumdem his verbis, lib. XI. cap. XXVIII. *Lucent ignium modo noctu laterum & clunium colore lampyrides, nunc pennarum hiatu refulgentes, nunc verò compressu obumbratæ, non ante matura pabula, aut pòst desecta, conspicuæ.* Ex vtroque Plinij loco satis patet. λαμπυρὶδα quidem dici à λάμπω, id est, *splendeo*, & πῦρ, hoc est, *ignis*: siue, vt alij scribunt, λαμπουρίδα à λάμπω, & οὐρὰ *cauda* (quo pertinet quod de clunium colore dicit Plinius, quódque πυγολαμπίδα eam vocat Aristoteles:) *Cicindelam* verò nuncupari à præuerbio *cis*, & *candeo*; quod tum candidum, tum igniculum esse, significat. Vt à *sequor sequela*, à *candeo candela*: sic à *cis*, & *candeo*, *cicindela*. Festus: *Cicindela*, inquit, *genus muscarum, quod noctu lucet: videlicet à candore. Vnde & candelabra putantur appellata.* In MS. pro *candore* est *candela*. Sed *candela* est à *candeo*; vnde *candor*, & *candela*. Falluntur, cum aiunt, *cis* tantum componi cum propriis nominibus montium aut fluuiorum, vt in *cisalpinus*, *cispadanus*. Quippe etiam verbo præponi, arguit *cispello*, cui contrarium *aspello*. Vtroque vtitur Plautus.

CICONIA, quasi *cicania*, dicto videtur Isidoro, lib. XII. cap. VI. nempe, inquit, *à sono, quem quatiente rostro faciunt.* Aliis videtur esse à *cicur*, puta ob benignam naturam. Fuerit fortasse à *Ciconibus*, Thraciæ populo. Quantitas tamen secundæ vocalis repugnat. Prænestini, eam vocem truncantes, *coniam* dicebant. Plaut. Trinummo. III. II.

> ST. ——— *Tene hoc tibi,*
> *Rabonem habeto, mecum hanc noctem vt sies.*
> AS. *Perij, Rabonem? quam esse dicam hanc beluam?*
> *Quin tu arrhabonem dicis?* ST. *at facio lucri* (ita Lamb.)
> *Vt prænestinis conia est ciconia.*

Μεταφορικῶς *ciconia*, vocatur *tolleno* siue *celonenum*, quia nempe refert auem eam rostro clangentem. Sed & τὸ μυκτηρισμὸς ita dicebatur *sannæ genus* digiti curuati, in quempiam directi, crebra motitatione pinsentis, *ciconiæ rostrum* repræsentans. Pers. sat. I.

> *O Iane, à tergo quem nulla ciconia pinsit.*

Meminit & Hieronymus, epist. ad Rusticum monachum, vbi tamen innuere videtur, *ciconiam* colli motu fieri solere.

CICVM, à κίκκος. Hesychius: Κίκκος, διαχώρισις. Διαχώρισις autem sit hoc loco *excrementum*, vt interpretatur H. Stephanus, in Thesauro. Sed exponendum, *separatio*, *discrimen.* Ac cuiusmodi *discrimen* signetur hoc loco Latinis, indicat Varro, lib. VI. de L. L. *Cicum dicebant membranam tenuem, quæ est in malo Punico discrimen: à quo etiam Plautus dicit, Quod volet, densum cicum non interduo.* Siue, vt in vulgatis codd. est. *Eluas tu, exungare, cicum non interduim.* Festus: *Ciccum, membrana tenuis malorum Punicorum.* Est igitur *cicus*, interior membrana, qua grana discriminantur in malis Punicis. Perperam aliis exponitur *cortex* exterior. Etsi in Glossis quoque Isidori legas: *Ciccum, cortex mali granati.* Meliùs Glossæ Philoxeni, *Cicum* (leg. *ciccum*) ῥόας ὑμήν. In iisdem postea legas: *Ciccum*, γρόμφαινος, pro γρῦ, κόκκος; vt tum κόκκος, hoc est, *granum*, notet: tum γρῦ, siue *rem nihili*: vt in illo Plauti, à Varrone adducto. Imò apud Hesychium quoque est κίκκον, τὸ ἐλάχιστον. Quod si, an κίκκος dixerint Græci, ambiguum est, quia sola nititur Hesychij auctoritate: possis deducere *ciccus* à κόκκος, vt *cinus* à κόνις. At minimè audiendus doctissimus Nunnesius, quùm Grammatisticè sua censet *cicum*, pro re nihili, dici à Græce κίκυς, hoc est, δύναμις, vt Hesychius exponit. Nempe κατ' ἀντίφρασιν, vnde *cicum* exponit *sine viribus.* Sed hæc ἀπροσδιόνυσα.

CICVMA est *noctua*: vt ait Festus. MSS. variant: aliqui, *cicuma*; alij, *cucuma*. Isidori Glossæ: *Cecuma, noctua*, *Cucuma* aliud est. Puto autem, apud Festum, & Isidorum, rescribi debere *ciccaba*, vel *cicuba*. Græcis enim *noctua* dicitur κικκαβαῦ, vt testis est Scholiastes Aristophanis. Vnde κικκαβάζειν, de voce noctuæ: vt alibi quoque dicimus.

CICVR, à *cicum*, quod διαχώρισμα, hoc est, *discrimen*, Hesychius interpretatur. Nempe quia anima *cicur* discriminatur à *fero*. Ita Varro, lib. VI. de L. L. *Quod à fero discretum est, id dicitur cicur, id natum est à cico.* Verisimilius quibus dici placet, à *cis*, & *curro*, quia cis hominum currat: vel à *cieo*, quia citra periculum, contrà quàm in feris fit animalibus, cieatur siue moueatur. Vel à *cis*, & *curo*: quia cis agros & villas nostras eorum sit *cura*. Sanè *curat*, pro *cicurare.* Nigidius dixit in historia animalium: *Omne pecus indomitum habet quiddam in se ferum: sed tamen eâ naturâ est, vt curari & domari possit.* Compositum est *incicur.* De quo sic Festus: *Incicorem, immansuetum, & ferum*: Paccuuius: *Reprime incicorem iracundiam.* Subiungit ibidem, *cicur* interdum pro *sapiente* poni: vt ad apud eundem Paccuuium: *consilium cicur.*

CICVTA est *spatium, quod est inter cannarum nodos*: vt Seruius exponit, in illud Ecl. II.

> *Est mihi disparibus septem compacta cicutis*
> *Fistula.* ———

Sed non internodia, verum fruticem ipsum signare, rectè, contra Seruium, docet Cæsar Scaliger, lib. I. de re poët. cap. IV. Nempe *cicuta* est carina quæuis intus caua & vacua, vnde fistulas faciebant pastores: eóque è poëtis pro *fistula* accipi solet. Id *cicutam* esse, quod dixi, ostendit Isidorus, lib. XVII. Orig. cap. IX. cum ait: *Cicuta, propterea quod in thyrso geniculatos nodos habeat occultos, vt canna. Sic dicitur fossa cæca, quæ occulta est.* Censet, dici à *cæcus*, id est, *occultus*, quasi *cæcuta*, ob internodia occulta. Perotto placet ex *cis*, & *cutis*, quia circum se habeat calamum velut cutem: intus autem aut vacua sit, aut medullam habeat quidem, sed quæ facilè eximatur. *Cicuta* propè abit à *cico*, quo *membrana*

signatur, vt superius ostensum. Fortasse hinc nomen. Cæterum cum significatione hac, qua generat.m *cannam* notat, confundi non debet ea, qua ponitur pro *herba venenata* quæ Græcis κώνειον dicitur: vel herba cathartica, quam Horatius signat versu illo:

Quæ poterunt vnquam satis expurgare cicutæ!

& Persius, cum dicit,

——*Calido sub pectore mascula bilis*
Intumuit, quam non exstinxerit vrna cicutæ.

CIDARIS, seu *citaris*, κίδαρις, à כִּידוּר, vel כתר, à rad. כתר, hoc est, *in coronæ modum cinxit*. Quid fuerit, docet præter alios Curtius, lib. III. *Cidarim*, inquit, *Persæ regium capitis vocabant insigne: hoc cærulea fascia albo distincta circuibat.* Eam multi cum *diademate* confundunt. Atqui differre satis docet, quod *diadema* dicatur *fascia*, non insigne id, quod fascia ambiret. Interea, cum *citarim* fascia ambierit, nil mirum si nunc *citaris*, nunc *diadema*, legamus Persarum capiti impositum, cum ad regium culmen veherentur. Ita narrat Ctesias, in Persicis, Ochi inuiti & reluctantis capiti *citarim* fuisse à proceribus impositam. Καὶ ἐπιθεῖναι αὐτῷ τὴν κίδαριν ἄκοντι. At Plutarchus, in Apophthegmatis, ait: ἀποδεχθέντος δὲ τοῦ Ξέρξου βασιλέως, ὁ μὲν Ἀριαμένης εὐθὺς προσεκύνησε, καὶ τὸ διάδημα περιέθηκε. Nempe *diadema* pro *citari* πολυειδῶς dixit. Quare & excusari potest Fungerus, cum, in Etymologico, voce *Diadema*, ait, Tigranem ante pedes Pompeij abiecisse *diadema*: quanquam Plutarchus in Pompeio *citarim* vocat. Verba eius sunt: Καὶ τέλος, ὡς αὐτὸς αὐτὸν ἔδωκε τῷ Πομπηίῳ, ἀφελόμενος τὴν κίδαριν, ὥρμησεν πρὸ τῶν ποδῶν θεῖναι, &c. *Et ad extremum, vt ad ipsum Pompeium venerat, detractam capiti citarim conatus est ante eius pedes proijcere*, &c. Figuram *citaris* discere est ex veteribus nummis, quos Lambinus, ad Nepotis Eumenem, describit, in prætermissorum appendice: sed fallitur idem, cum in his *diadematis* figuram esse autumat, meritóque eam post op nionem retractat.

CIEO, idem quod *moueo*: interdum etiam quod *voco*. Festus: *Ciere, nominare*. Vbi MS^ti *Ciere, nominare, vocare*. Ita Tacitus III. Hist. ait: *Principes auctorésque belli ciebat*. Nec aliter capiendum illud Plauti, Asin. II. IV. *Ni istum impudicum percies*. Vbi, *impudicum periere*, est talem proclamare, seu, clara voce impudicum nominare. Volunt, *cieo*, & *cio*, esse à κίω, vt sit *citra mouere*. Sed magis placet *cio* esse à κίω, *eo*. vel *cieo* à κινέω omisso N, quomodo ab ἀξίνη est *ascia*, ac forte ab ἰκνέομαι *creo*. Ab eo est *incio*, quo Lucretium, lib. VI. vsum suspicatur Ob. Giffanius:

Et Venus in siluis inciebat corpora amantum.

Hinc *fœmina inciens*, hoc est, partui vicina: de quo seorsum. Ab eodem, *incita*, pro *incitata*, seu *concitata*, teste Festo, vt, *vis incita venti*, apud Lucretium, lib. VI. At aliter, *incitas calces*, hoc est, *calculos* dixere, quæ *cieri*, hoc est, *moueri*, amplius non poterant. Vnde prouerbium, *Ad incitas redigere*. Isidorus, lib. XVIII. cap. LXII. *Calculi partim ordine mouentur, partim vage. Ideo alios ordinarios, alios vagos appellant. At verò, qui moueri omninonon possunt, incitos dicunt. Vnde & egentes homines inciti vocantur, quibus spes vltra procedendi nulla restat*. Firmat Isidori sententiam Plauti illud, in Pœnulo, Act. IV. sc. II.

Profectò ad incitas lenonem rediget, si eas abduxerit.
Quin prius disperibit faxo, quam vnum calcem ciuerit.

Similiter locutus, Trinummo, Act. II. sc. IV. Ac Appuleius item, lib. III. Metam. Lucillium quoque vsum docebit Nonius; quanquam is non *incitas*, sed *incita*, dixit, quod metri ratio dictat. Nam tertio Sat. est:

Illud ad incita cum redit, atque internecionem.

Et lib. XV. siue al. XVI.

Villicum Aristocratem, mediastinum, atque bubulcum,
Commanducatus corrupit, ad incita adegit.

Similiter, *percitus* est à *percieo*, quo vsus Plautus. Asin. Act. II. sc. IV. A *cieo* quoque *concieo*, vnde *concio* appellata, qua nempe ratione à *lego* est *legio*, ab *opto*, *optio*; à *rego*, *regio*, &c. Ita *concio* propriè sit *cœtus conuocatus ad orationem audiendam*; impropriè autem pro *loco orationis* accipitur. Eiusdem ortus est *accire* pro *conuocare*: vnde apud Maronem, I. Æneid. *Accitu genitoris*, hoc est, τῇ προσκλήσει. *Procieo*, *prouoco*. Vnde, Festo teste *procitum testamentum*, veluti *prouocatum*, hoc est, *irritum*. A *cieo* quoque verbum *cito*, quod speciatim notat, voce præconis à magistratu in ius vocari. Vide Duarenum, lib. I. Disp. cap. VII. Eiusdem originis est aduerbium *citò*, quamquam non ὁμοίως. Nam est à *citus*, quod à *cieo*. *Citus* propriè est *vocatus*: at μεταληπτικῶς, *velox*: quia qui ab aliis vocantur, siue periculi, siue ministerij, siue affectus caussâ, hi celeriter soleant accedere. A *citus* autem est *cito* vt à *seruus*, *seruo*. Vel *citum* sit quod in *itione est*, à κίω, *eo*. Hæc magis placent, quam vt ἐκ τοῦ κινεῖσθαι,

citò fieri dicatur à κίω; quæ doctissimi Angel. Caninii & Petri Nunnesij, sententia est. A *citus* Plautus dixit *citorem*, teste Plauto. A *cito* verbo sunt *concito*, *excito*, *incito*, *recito*, *suscito*, quod à *susum*, siue *sursum*. Item *procito*. Festus siue Paullus: *Procitant, prouocant, siue prouocitant. Citare enim, vocitare est.* Ita est in MS^s. Item *oscito*, *ab ore ciendo*. id est, *commouendo*, vt scribit Donatus, in And. Act. I. sc. II. Item *sollicitare*, de quo seorsum. Habet *cio* & aliam significationem: nam & pro *diuidere* accipitur: vnde *erctum citum*, *erctum non citum*, *erctum ciendum*. At venit tum à χίω, pro χίζω; de quo dicimus in *Ercisco*.

CILIBAS, vel *cilibantum*, est quod *poculorum mensam* appellat, ad illud I. Æn. —— *mensaque remota*. Festus: *Cilliba* (ita & MS^ti) *mensa rotunda*. *Abacum* nominat Iuuenal. sat. XI. vbi vetus Scholiastes monet, *abacum* idem esse, quod *Delphicam*. Sanè *Delphicam* vocat Martialis, lib. XII. epigr. LXVII. Figuram eius videre potes apud Marcum Velserum, in monumentis agri Vindelici, pag. CCLIII. Est autem *cilibas*, à κιλλίβας, quod apud Suidam. Pro quo & κιλλιβάντης dicitur. Hesychius: Κιλλίβαντες (seu κιλλιβάντας, quod Hesychianus literarum ordo magis suadet) τρίποδες ἐν βάσει, ἢ τὰ ξύλινα ἐφ' ὧν ἵσταται ὁ κρατήρ, ἢ τὰς σκιλάδας τρίποδας. Sunt qui scribant *cylibantum*, ac deducant à κύλιξ, id est, *calix*, quia calices ei imponantur. Pro hac sententia est Varro, cuius ea de re locum, (qui est IV. de L. L.) sic emendat Scaliger: *Mensa rotunda nominabatur cilibantum*, (illi malunt *cylibantum*) *vt etiamnum in castris. Id videtur declinatum à Græco* ἀπὸ τοῦ κύλικος. Sed omnino verum est prius etymon. Sunt & qui *cylibathum* apud Varronem legant: at vitiosè. Κιλλίβας autem, seu κιλλίβαντας, videri possit ex eo dici, quia sustineret hoc mensæ genus quippiam, quod *asinum* referret. Nempe vt sit conflatum ex κίλλος, quomodo Dores *asinum* vocant; & βάσις, quomodo dicitur id, quod sustinet aliquid. Vnum tamen obstare videtur, quod hoc pacto mensa foret quadrupes: at τρισκελής, hoc est, *tricrurium*, siue *tripedem*, fuisse, Hesychius dicit, vt vidimus.

CILICIA, κιλίκια, nomen habent à *Ciliciis hircis*, quæ Græcis similiter Κιλίκιοι τράγοι, hoc est, *dumosi*, *densi*, & *villosi*. Quia nempe tales sunt *hirci in Cilicia*. Vnde κιλίκια τὰ ἐκ τραχέων συνυφασμένα; vt aiunt Hesychius, & Suidas. Nempe *ex pilis Cilicorum hircorum*, propterea quod producti huiusque essent, velamenta huius generis optimè texebantur. Varro, lib. II. de R. R. cap. XI. *Tondentur*, inquit, *quod magnis villis sunt in magna parte Phrygia: vnde cilicia, & cætera eius generis, ferri solent. Sed quod primùm ea tonsura in Cilicia sit instituta, nomen id Cilicas adiecisse dicunt*. Hinc Alcimus Auitus, de pœnitentia Niniuitarum loquens:

Mollibus abiectis Cilicum dant tegmina setæ.

Falluntur, qui putant dici à *cilus*, id est, *pilus*, quia ex pilis hircorum & caprarum texantur. Quod etymon cur non sequamur dicemus in *Supercilium*. Duplicem *ciliciorum* vsum ostendit Maro, III. G.

Nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphij tondent hirci, setasque comantes,
Vsum in castrorum, & miseris velamina nautis.

Vtrumque vsum coniunxit & Asconius, in Verr. III. *Cilicia*, inquit, *texta de pilis, in castrorum vsum atque nautarum*. Quî in re verò eorum in castris vsus consistat, id docet Vegetius, lib. IV. cap. VI. Vide & quæ de *ciliciis* Pignorius notauit, epist. VII. ad Franciscum Viduam I C.

CILLEO, antiquum verbum, idem ac *moueo*. Est *cilleo* à *cillus*: hoc à *cinnus*, quod significat *motum*, *nutum*. Gloss. Phil. *Cinnus*, νεῦμα. Vbi *cinnus* legendum. Est à *cinnus*, *cillus*; vt à *vinum*, *villum*. *Cinnus*, κίνος, à κινεῖν, *mouere*: vt *mimus*, μῖμος, à μιμεῖσθαι. Atque, vt *mimus*, etiam ipsa μίμησις: sic *cinnus*, ipsa κίνησις. Vel, vt à *sorbeo*, *sorbillo*: sic à *cieo* sit *cillo*, vel *cilleo*. Sanè *cieo* significat *moueo*, quod ipsum à κινῶ, id est, *moueo*. Vel fortasse pro κινῶ, etiam κίλω Græci dixere. Quam suspicionem iniicit Hesychius, cùm κιλλουρος exponit σεισοπυγίς, quasi sit à κίλλειν τὴν οὐράν, hoc est, *caudam motitare*. A *cillere* nomen est *oscillis*, & *furcillis*, vt quidem Seruius tradit, in II. Georg. Plenius de eo diximus alibi. *Cilium* quoque inde nomen impositum videtur. Vide *Furca*, *Oscilla*, & *Supercilium*.

CIMELIARCHIVM, κειμηλιαρχεῖον, à Iustiniano, l. litibus. C. de agricolis & censit. dicitur sanctius conditorium rerum integro orbe eximiarum. Sic *cimeliarchæ*, κειμηλιάρχαι, in l. fin Cod. de bon. aut. iud. pos. qui κειμηλίοις præsunt. Κειμήλια dicuntur supellex cæteris pretiosior, talisque vt reponi mereatur: vnde & nomen, nempe à κεῖμαι, quod notat, *repositum esse*. Similiter *thesaurus*, θησαυρός (quod idem ac κειμήλιον,) nomen habet ἀπὸ τοῦ θεῖναι, siue τίθημι, quod est, *ponere*; adeò vt hoc quoque nihil aliud notet, quàm κεῖμαι αὔριον. Plura hîc de voce seorsum dicemus.

CINARA est *carduus*, non quidem siluestris, sed satiuus, atque edulis.

edulis. Galli *artichaut* appellant. Eius meminit his versibus Columella:

Hispida ponatur cinara, quæ dulci Iaccho
Potanti veniat, nec Phœbo grata canenti.

Item, lib. XI cap. III *Sunt autem semina brassicæ & lactucæ, cinaræ, erucæ*, &c. Et aliquanto post, eodem capite: *Cinaræ sobolem melius per autumni æquinoctium disponemus: semen commodius circa Kalendas Martij seremus: eiusque plantam circa Kalend. Nouemb. deprimemus, & multo cinere stercorabimus. Id enim genus stercoris huic oleri videtur aptissimum.* Hæc Columella; ex quibus verbis eius interpretes colligebat, *cinaram* dici à *cinere*: sed, hoc si esset, *cinera* dicendum esset: vt bene ait Egnatius, in Annot. poster. cap. CLXVIII. Omnino autem *cinara* est à Græcis. Nam Pollux notat lib. VI. cap. IX. poetas Dorienses κινάραν appellare τὴν κυναράν ἄκανθαν. Ac Dioscorides, lib. III. cap. X. scribit de chamæleonte albo, φύλλα ἔχει τραχέα, ἀπ' ἀφίησι ἐν τῷ μέσῳ ἀκανθῶν, ὅμοια ἰχίνῳ θαλασσίῳ, ἢ κινάρᾳ, *caulem non habet, sed promit ex medio spinas, similes echino marino, aut cinaræ.* Athenæus quoque, prope extremo lib II. ait, idem esse Græcorum κινάραν, Siculorum κάκτον & Romanorum *carduum*. Eustathio placet, *cactum* magis esse aculeatam: quod probatum it illis verbis Ptolomæi Euergetæ, ex secundo Commentariorum; quæ paullo post subiicit Athenæus: πολλὴ δ' ἐν τοῖς τόποις κινάρας φύεται, ἐξ ἧς οἱ συναγαγόντες ἡμῖν στρατιῶται πάντες ἐπιτάδειοι συνεχῶς, καὶ ἡμῖν προσέφερον ψιλώσαντες τὰς ἀκάνθας, *Ibi quoque loci multa cinara nascitur, quam milites nos comitantes demessam comederunt, nobisque, vt ederemus, spinis purgatam attulerunt.* Vide Cactus.

CINÆDVS, κίναιδος. Hesych. κίναιδος, ἀσελγής, πόρνος. De origine Etymologus: Κίναιδος, ὁ κινῶν αἰδῶ· ἢ Διόνυσος, ἢ ἀσελγής, παρὰ τὸ κινεῖν. Sunt & qui dici velint, à κινεῖν & αἰδοῖον; cuius quoque originis esse aiunt αἰδοῖον. Eo proprie notatur ζῶον μικρὸν κινοῦν τὴν οὐρὰν, ἰχθύδιον; ac peculiariter sic dicitur Siculis ὁ ἀτταγᾶς, metaphoricè autem πάθικος, quia vnicè animal est παθικὸν. Harpocrationem vide & Suidam, itemque Etymologum. *Cinædum* etiam pro *saltatore*, seu *pantomimo* sumi, auctor est Nonius, atque eo pacto vsurpat Plautus, Aulul. Act. III. sc. II.

Ita fustibus sum mollior miser, magis quàm vllus cinædus.

CINCINNVS, à Græco κίκιννος, inserta liquidâ. Sunt autem κίκιννοι idem quod βόστρυχοι, ac Latinis *spiræ*; nempe suboles calamistro intortæ, vt indicant hi versus Varronis, Πλέγματα πυρὸς, siue περὶ ἐγκωμίων,

Ante aures nodo ex subolibus paruuli
Intorti demittuntur sex cincinnuli.

Fortasse, κίκιννος, est ex צִיצִת, quod idem signat: vt liquet ex Ezech. VIII. III. Ab Hebræo hoc est etiam σισόη, quod est apud LXX. Leuit. XIX. XXVII. οὐ ποιήσετε σισόην ἐκ τῆς κόμης. Cyprianus, lib. III. Testimon. LXXXVIII. vertit *cirrum*. Suidas exponit πλόκαμον, q. d. *capillum implicatum*. Sed Scholiastes Græcus ad LXX. habet: Σισόη ἐστι ὁ σκόλλυς, ὅ τινες ἐπὶ τοῦ, ὅσπερ Βάρβαροι ἐκάλουν, οἱ ἐπιχώριοι ἀνάθημα, ὃ καὶ κικίννους Σικελιῶται τοῦτο καλοῦσι. Vide &, ad eundem Leuitici locum, Theodoretum.

CINGO, vnde sit, non video, nisi forte sic dicatur à *circumago*, vt Perottus voluit: vel ἀπὸ τοῦ ἐκτείνω, à ענק, quod est *circumdo*. Vel quasi *zongo*, à ζώννυμι, quod idem notat, vnde ζώνη, *zona*, vt Latinis à *cingo*, *cinctus*, & *cingulum*. Varro, lib IV. de L.L. *Cinctum, & cingulum, à cingendo: alterum viris, alterum muliebriis attributum.* Sic à *succingo*, *succingulum*, quod Festus, *balteum*, exponit. *Cinculi* voce vsus Plautus, Bacch. III. III. Erat adolescentum, vt, *cinctus*, virorum; à quo & ἡμιζώνιον *cinctiuculus* factum. Græcis *cinctus* est ζῶμα, siue ζώνη. Erat vestis infra pectus corpus comprehendens subligaculo similis. Ab eo Cethegos Horatius vocat *cinctutos*, quasi dixisset, *antiquos*, quia veteres Romani, vt Polybius ait, θώρακας οὐκ εἶχον, ἀλλ' ἐν περιζώμασι ἐπολέμουν, id est, *non habebant pectoris munimenta, sed cincti pugnabant.* Pluribus hanc rem explicat Yuo Villiomarus lib. II. animaduers. cap. XVIII. A *cinctus* est *cinctutus*, vt *actutum*, ab *actum*: de quo suo loco. A *cingendo* quoque est, *discinctus*, ζωσζωνος, vt Glossæ vett. interpretantur. Item *Cinxia*, Iunonis cognomen, ex eo quod sponsus solueret *cingulum* nouæ nuptæ, vt apud Paullum Diaconum legere est. Idem innuit Arnob. lib. IV. *Vnctionibus superest Vnxia, cingulorum Cinxia replicationi.* A *cingo* quoque *cingula*. Festus: *Cingulos appellabant homines, qui in his locis, vbi cingi solet* (MS[tus] *solent*,) *satis sunt tenues.* Ab eodem *cinctorium*. Glossæ Philoxeni: *Cinctorium*, παραζώνιον. Apud Martialem, lib. XIV, epigrammatis XXXII. lemma est, *Parazonium*, de quo ait,

Arma tribunicium cingere digna latus.

Cinctorium, id vocat Pomponius Mela, lib. II. cap. II. Sic enim, vt rectè Salmasio visum, legi apud eum debet vbi vulgo *tentorium*. A *semis*, & *cinctus*, est *semicinctium*, non quia dimidium hominem cingat; sed quia dimidio minus lata sit, quam *zona*, siue *cinctus*. Isidorus, Orig. lib. XIX. cap. XXXIII. *Cinctus est lata zona; & minus lata, semicinctium; & vtrisque minima, cingulum.* Gloss. *Semicinctium*, ἡμιζώνιον. Onomast. *Semicinctium*, σιμίκινθιον. Vtitur Petronius: *Inclusus ego suspendio vitam finire constitui, & iam semicinctio stanti ad parietem spondæ me vinxeram, ceruicemque nodo condebam.* Est & apud Martialem, in Apophoretis, epig CLIII. lemma *Semicinctium*:

Det tunicam diues: ego te præcingere possum.
Essem si locuples, munus vtrumque darem.

Etiam posteriores Græci σιμικίνθια vocant: vti videmus, Act. XIX. XII. Cyrill. Catech. XVIII. item Hesych. & Suid. Hæce *semicinctia* qui facerent, *semizonarij* dicebantur. Vsus eo Plautus, Aulul. Act. III. Sc. V.

CINIS, Isidoro, lib. XVI. cap. I. sic dici videtur à *cando*, quia ex rebus incensis reliquus sit. Verum potius est à Græco κόνις, quod non *puluerem* tantùm, sed & *cinerem*, atque etiam *lixiuium*, non rarò notat. O conuersum in *I*; quomodo ab ὄμβρος est *imber*, ab ὁ, *is*, &c. A *cinis*, dictus *cinerarius*. Vsurpat Catullus. Idem est, qui *cinislo*, quomodo dictus, quia in cineres flaret, ad calefaciendum ferrum, quo capillos crispant. Glossæ vett. *cinislo*, ἱκετεύτης, γυναικῶν κοσμητής. Item: *cinisflones*, *ornatrices*. Vsus Horat. lib. I. sat. II *Custodes, lectica, cinisflones, parasita*: Vbi sic Acron: *Cinisflones & cinerarij eadem significatione apud veteres dicebantur ab officio calamistrorum, qui acus & veruta flando in cinere calefaciebant, quibus matronæ crines crispabant, eius & Virgilius meminit, inquiens, Vibratos calido ferro.* Hæc Acro. Vide & quædam, de *cinerarij* & *cinisflonis* vocibus, apud Radulphum Fornerium, lib. I. rerum quotidianarum, cap XXII. A κόνις, vnde *cinis* deducebamus, est κόνισμα, apud veterem poëtam, Polluce teste: & *conisterium*, apud Vitruuium, lib. V. cap. XI. Vtroque signatur locus vbi adseruabatur puluis, quo post vnctionem adspergebantur luctaturi, vt prehensiones firmiores, non lubricæ, forent. Vide quæ de arena luctatoria, & eius speciebus scribit Hieronymus, lib. de arte Gymnastica, cap. VII.

CINNABARI, κιννάβαρι vox est Indica, vt Plinius ait, lib. XXXIII. cap. VII. Vbi cum dixisset, *minium* vocari vulgo *cinnabari*, Indico nomine: continuo subiungit. *Sic enim appellant illi saniem draconis elisi elephantorum morientium pondere, permisto vtriusque animalis sanguine.* Eadem de *cinnabari* mens Solini, cap. XXVIII. Ac ea res occasionem præbuit, vt dicerent, *cinnabari à dracone & barro, id est, elephanto, cognominatum*, vt Isidorus ait, lib. XIX. cap. XVII. Caussam enim his verbis addit: *Aiunt, draconum esse sanguinem, dum implicant elephantes. Ruunt enim belluæ, & dracones obruuntur, quorum fusus cruor terram inficit, fitque pigmentum, quicquid solo finxerit. Est autem puluis coloris rubri.* Etymon vero illoc etiam eo refellitur, quod κιννάβαρι prius dixerunt Græci: ac *barri* vox Latina est. Et quis credat, draconis sanguinem esse inter medicamenta? Quam rem iccirco etiam Cæsar Scaliger negat. Exercitat CLXXII. Neque inficior, *cinnabari* Indis notare *draconis sanguinem*: sed sic dixere, quia sanguinem eum refert. At reuera est *gummi arboris Indicæ*: vt ait Arianus in Periplo. Sanè & Aloysius Cadamustus, nauigationis suæ cap. IV. testatur, in insula Sancti Portus arbores crescere quæ fructus ferant non absimiles cerasoe: eas, si stato anni tempore ferro incidantur, proximo anno emittere *gummi*, quod alienis decoquatur, ac vocetur *draconis*. Nempe ob colorem, vt dixi. Hæc igitur caussa est nominis Indici: quæ fabellæ isti originem præbuit. Est vero & *cinnabari* factitium, ex sulfure & argento viuo, diu arte quadam torrefactis. De quo Matthiolus ad Dioscoridem, & alij. Eaque caussa est, cur Auerroës, in Colliget, lib. V. cap. XLIII. *sanguinem draconis* reponat in metallis.

CIPPVS, pro ποδοκάκη, siue ποδοστράβη quo fontium pedes distringunt, à *capiendis pedibus* dictus putatur. Sed fortasse est ab Hebræo כבל, quomodo *ramus incuruus*, ac Rabbinis *carcer fornicatus*, dicitur, à כפף, *curuare*, κάμπτειν. Vel sit *cippus*, à כבל, id est, *vincire*, *ligare*, Dan. III. XI. *Cippus*, etiam Horatio, Persio, aliis, *columnam* notat *cum inscriptione*, erectam ad conseruandam rei memoriam: ac possunt ita etiam vocari *lapidea cruces*, ac similia monumenta, quæ in sepulcris aut viis extruuntur. Hac notione *cippus* videtur esse à Syriaco & Chaldaico כיף, & כיפא, *lapis*, vt notum vel eo, quod Apostolorum princeps Syriacè Κηφᾶς, Græcis Πέτρος nuncupatus.

CIRCANEA,

Circanea, *auis* sic dicta à *circando*, siue *circulatu* volatus genere: quemadmodum, in voce *circitor*, ex Festo dicemus. Dubium autem, an generatim ita appellentur aues, quæ *circando*, agros oberrent, an verò sit certum auis genus, quod sic dicatur. Hoc si placet, dicam, eandem videri illi, quæ à Plinio, lib x. cap. VIII. vocatur *circus*. Nam ita quoque editum est, in antiquâ Parmensi anni ∞ CCCLXXVI. In MSS[ti] quibusdam, & vett. etiam edd. pro *circon*, legas *agithum*: quam vocem ab iis *circi* loco repositam arbitror, qui sciuent, Aristotelem scribere *agithum*, esse τὸν πόδα χωλόν, quod hic *circo* tribui videbatur. Verùm *agithus* hic locum habere nequit, cùm loquatur Plinius de generibus accipitrum, quæ sexdecim facit, ac primo quidem loco ponit *circum*. Id *agitho* conuenire nequit, cùm Plinius ipse, cap. LXXIV. eiusce libri, auem hanc minimam nominet. Porro, *circus* est à Græco κίρκος. Nam non Aristoteli tantum, lib. IX. cap. XXXVI. κίρκος, vna est ex accipitrum speciebus, sed & Hesiodo auis hæc dicitur ἴρηξ κίρκος, & Homero ἀπλὸς κίρκος, idque ab eâ, vt censeo, κίρκου significatione, quâ idem notat, ac Latinorum *circus*, vel *circulus*. Nempe quia in volando, ac maximè cùm insidiatur, in gyrum sese vertat, quod & miluum, & cæteras aues rapaces, facere videmus. Sanè Græcos quoque pro *annulo*, aut *circulo*, κίρκον dicere, ex Polluce, & Hesychio, ostendimus in *circus*, pro *gyro*. Quibusdam tamen placet, κίρκος, potiùs esse à κρέζειν, quæ vox à similitudine vocis efficta. Vsus eâ Homerus, Iliad. Ψ. & Aristophanes in *Auibus*. Videtúrque Vlyssi Aldrouando hinc esse Germanicum *schreyen*, & Italicum *gridare*, vel *cridare*, & Gallicum *crier*. Quamquam & huiusmodi factis vocibus, si quis, quia sonus idem apud omnes gentes, iccirco voces quoque similes apud eas effictas putet, haud valde repugnabo.

Circinus, instrumentum notat, quo circuli designantur, atque ita dicitur à *circus*, vel *circando*. Sed & ita vocatur *herpetis genus*, medium *circans* siue ambiens hominem vt ostendimus in *Zona*. A *circinus* est *circinare*. Manilius, lib. I.

——Supra se circinat annum

Verticibus superastantem.——

Sidon. carm. XXIII.

Ianus forte suas bifrons Calendas

Anni tempora circinante Phœbo, &c.

Anonymus, in Epitome Iuris: *Circatores dicuntur, qui circinant patriam.* Hinc *circinatio*, hoc est, γύρωσις, *rotundatio*. Vitruuius, lib. X. cap. II. *In capitibus circino diuiduntur circinationes eorum, tetrantibus in partes quatuor, vel octrantibus in partes octo ductis lineis.* Ab eodem est compositum *decircinare*, quo vsus Manilius, lib. I. At magnas nugas agit Rob. Titius, lib. VII. assertionis suæ, cap. XVI. vbi *circare* ait esse verbum nihili, nec, si *circare* diceretur, ab eo *circitor* dici posse. Quare id potius esse ab *circum*, & *itor*. Atqui, mi Titi, non *circito*, tantùm dicitur sed & *circator*. Imò ipsum *circare* inuenitur. Et quid caussæ, cur non æquè à *circando*, *circitor* dici possit, quàm à *portando*, *portitor*? Nam *portitor* non tantùm vocatur, qui *portorium accipit*, sed & *qui portat*, *aut portatur*, vt scribit Seruius. Ac vsus hoc pacto Statius, lib. I. Theb.

Languet hyperborea glacialis portitor Vrsa.

Nec dubium, quin auis *circanea* ex eo dicatur, quòd *circando* agros oberret. Festus: *Circanea dicitur auis quæ volans circuitum facit.* Imò, vt *circator* est à *circare*, hoc à *circus*: sic à à *circulus* (quod ὑποκοριστικὸν est à *circus*) veniet *circulare*, indéque *circulator*, qua voce vsi, Asinius Pollio, epist. ad Cic lib. X. Famil. Seneca. lib. VI. de Benef. cap. I. Plinius, epist. VII. lib. IV. Sidonius, lib. I. epist. XI. Item Paullus IC. l. vlt. D. de extraordinariis criminibus. In vett. Glossis exponitur, ὀχλαγωγὸς, ἀγύρτης, próque hac interpretatione facit locus veteris Iuuenalis interpretis, in sat. VI. *Quod circulatores*, ait, *hoc consueuerint adhibere, vt delectu sibi locis duobus, eos lustrent, id est, circumeant, deinde per eos sortes, id est, taxillos iactitent, quò exinde, quod suæ geneseos signum se accommodauerit, inspiciatur, numquid viuet, & quando: Et paucis ex verbis idem conscriptis, sortes educant suas.* Satis hic locus ostendit, *circulare*, ei esse, *circumire*. Alias vero *circulare* est *in circulum formare*. Appul. in Florid. *Ipse eius annuli & orbiculum circulauerat, & paleam clauserat.* Et in Apolog. *Si triginta annos pro decem dixisses, posses videri pro computationis gestu errâsse: quos circulare debueras digitos, aperuisse.*

Circitor, Prisciano teste, est à *circum*. Ita enim, quasi *circuitor*, generatim dicitur, qui loca aliqua circumit, & lustrat. Gloss. vett. *circitor*, *lustrator*, περιοδευτής. Priscianus, in XIV. *Circitor*, ὁ περιοδευτής. Hinc *circitores* Vlpiano dicuntur, quibus lintearij aut vestiarij dant vestem circumferendam & distrahendam, l. V. D. de Institoriâ actione. *Custos* quoque *horti* sic vocabatur, quia eum frequenter circumit, ne ingrediantur fures. Sic sumitur in carmine Ithyphallico:

Quid mecum tibi, circitor moleste?

Aliam quoque significationem docebit Vegetius, lib. III. cap. VIII. *Idoneos*, inquit, *tribuni & probatissimos eligunt, qui vigilias circumeant, & renuntient, si qua emerserit culpa, quos circuitores appellabant. Nunc militiæ factus est gradus, & circitores vocantur.* Nisi malis cum Palmerio legere *circatores*: quod & Stevvechius scribit se in vnâ membranarum suarum inuenisse. Et sanè, vt à *circuitum* est *circitor*, ita a *circatum* est *circator*. Hinc apud Anonymum, in Iuris epitome, legas: *Circatores dicuntur, qui circinant patriam. Circare*, quoque probatur Glossis Philoxeni, in quibus legitur: *Circitat*, *circat*, περιοδεύει. Itaque & Ios. Scaliger legit apud Propertium, lib. IV. eleg. X.

Fontis egens erro, circóque sonantia lymphis.

Vel, *circáīsque sonantia limsis*. Pro quo in vulgatis, *circáque*.

Circius ventus, à Catone, in tertio originum, vocatur *Cercius*. Itaque dubium, *Circius*, an *Cercius*, dici debeat. *Cercius* rectius dicatur, si à Siculis ea vox est, quod censet Salmasius. Nam quo loco apud Theophrastum de ventis legitur, vocari Αἰγνίαν τοὺς περὶ Σικελίαν, putat, Κερκίαν, legi oportere. Et satis id verisimile est. Aliter tamen statui oportet, si vox ea est origine vel Latina, vel Gallica: Latina fit, si à *circum* venit, ob turbinem ac vertiginem; vt Gellius indicat, libro II. cap. XXII. item Nonius Marcellus, in *Circium*. Sed Cambdenus, in Britannia, & ex eo Merula in Gallia sua, verisimile putant, quia *Circius* dicatur ventus ex Gallia per Italiam flans, (vt Agellius ibidem docet; item Seneca, lib. V. Nat. Quæst. cap. XVIII.) iccirco eam vocem esse à Celtis: idque confirmari eo, quod Britannis (quorum cum lingua antiqua Celtarum lingua consonabat) hodiéque *cyrch* sit *impetus* ac *violentia*: vnde ventus sæuissimus meritò *circij* nomen acceperit. Memorabilis autem ille Senecæ locus, capite antedicto: *Circio ædificia quassanti tamen incolæ Galli gratias agunt, quam salubritatem cæli sui debeant ei. Diuus certè Augustus templum illi, cùm in Gallia moraretur, & vouit, & fecit.* Hæc verisimile reddant, vocem esse Celticam. Mihi tamen magis placet, Latinum *Circius* esse ex *Cercius*, e in i conuerso. Nam *Cercius* prius dixisse, ex Catone colligimus. Et in Glossis legas, *Circius*, κερκίας.

Circulus, est ὑποκοριστικὸν, à *circus*. Ac præter vulgarem significationem notat & *libi genus*, à figura sic dictum. Varro, IV. de L. L. *Circuli, quod mixta farina, caseo, & aquâ, circuitum æquabiliter fundebant.* Vbi *fundere*, vt annotat Scaliger, est ἐλαύνειν, vnde ἐλατῆρες, *genus libi*.

Circum, *circa*, & *circiter*, præuerbia sunt à nomine *circus*, quod *ambitum* significat: vt mox dicam. Ac similiter Cæsar Scaliger, de caussis L. L. cap. CLV. A *circa* sunt *iccirco* & *quocirca*. *Iccirco* valet *circa id*: *quocirca* est *circa quod*.

Circus, dictus locus, in quo *circenses ludi* fiebant. Glossæ: *Circus*, κύκλος ἐν ᾧ ἱπποδρομίαι γίνονται. Sed quod sic ἱππόδρομον dixere, id factum κατ' ἐξοχήν. Ἁπλῶς enim *circus* est κύκλος; siue, vt Nonij verbis vtar, *omnis ambitus, vel gyrus, cuius diminutiuum est circulus*. Hanc Nonij sententiam firmat, quod pro *circulo* vtatur Cicero, in Arateis:

Vidisti magnum candentem serpere circum.

Lacteus hic nimio serpens candore notatur.

Et Martianus Capella, lib. VIII.

Quin etiam medios quos nectunt culmina circos.

Pro eo etiam *circos* dixere. Festus: *Circites, circuli ex ære facti.* *Circitem* pro *circulo* vsurpat Sidonius. Imò & Varro, lib. V. de L. L. *Vt parui circuli, annuli; sic magni dicebantur circites, anni.* Vbi otiosam esse *circitum* vocem, eóque delendam, censet Scaliger. Sed fallitur. Noluit enim Varro *circuli* vocem ἀπὸ κοινοῦ repeti, quia ἀκύρως *magnum circulum* dixisset. Aliam quoque *circi* significationem innuere videntur verba hæc Varronis, lib. IV. de L. L. *itaque dicunt in cornicularia milites, ad vectim, quē circumeunt ludentes: Quid cessamus ludos facere? circus noster ecce adest.* Ita cum locum restituit Scaliger. Sententia est, à Plauto, in corniculariâ *circum* vocari, palum humi defixum, circa quem milites ludentes circumeunt. Et videtur idem confirmari illo eiusdem Comici, Milite Glorioso, act. IV. sc. II. *Iam est ante ædis circus, vbi sunt ludi faciundi mihi.* Sanè Cæsar Bullingerus, lib. de Circo, cap. II. Lambinum reprehendere non dubitat, quod respici putet ad *ludos circenses*. At nunquam probari potest, *circum* significare, quod Bellingerus vult: nec ex illis Plauti locis id magis consequitur, quam *phialam* signare *clypeum*, aut *clypeum phialam*; quia *clypeus* dici possit *phiala Martis*; ac *phiala*, *clypeus Bacchi*: vt tradit Aristoteles, III. Rhetor. Nec Lambinus solus ad *ludos circenses* allusum putat, sed & Gruterus, & Casaubonus, & ipse Scaliger.

liger, in coniectaneis vbi monet Posidippum simili tralatione dicere apud Athenæum : ... *μηχανῆμα*. Sed tempus est ad *cirri* ... accedamus. Est ea vox non à præuerbio *circa*, quod potius à *circus* : sed, vel à κρίκος, traiecto ρ, quod Angelus Caninius scripsit, in Hellenismi alphabeto : vel potius, à κίρκος, vt traiectione istac opus non sit: vt bene in Grammaticistice sua vidit Petrus Nunnesius. Κίρκον autem intelligo, non quà nomen est loci, in quo ludi fierent (nam non dubium, quin, cum sic vtitur Athenæus, vt in aliis multis, sic in hoc quoque Romanos sit imitatus;) sed quà generatim *orbem* notat, siue *circulum*. Pollux lib. I. ... Hesychius: κίρκος ... Atque hinc κιρκόω, *in orbem duco*. Vsus Æschylus, Prometheo. Κίρκος verò vt monet Becmannus est à כרכ, *orbis* : quà ratione & *sphæra*, σφαῖρα, esse ait à ... *rotundus fuit*. Ex his patet, cur Romani locum, in quo fiebant ludi, *circum* nominarint. Erat enim is *orbicularis*, longior tamen quam latior : vt indicant, quæ de *longitudine & latitudine circi maximi* scribunt, Dionys. Halic. lib. IV. & Plinius, lib. XXXVI. cap. XV Hinc Corippus lib. I.

Ipse ingens circus plenus cum circulus anni,
Clauditur in teretem longis anfractibus orbem,

Isidorus, lib XVIII. Orig. cap. XXVIII. scribit Græcos putare, *Circen*, Solis filiam, primam patri instituisse *ludos circenses* atque à suo nomine locum appellasse *circum*. Sed hoc facilè refellitur iis, quæ ante diximus. Æquè vanum, quod idem, cap. antecedenti, tradidit, & ante eum Varro, in libris de gente populi Romani; Tertullianus, lib. de spectaculis Seruius, ad III. Georg. & VIII. Æn. ac Cassiodorus, lib. III. Var. ep. LI. *Circenses ludos* dici à *circum*, & *ensis*, quia olim *circenses* agitarentur in litore fluminis, ab altero latere positis gladiis, ita vt ab vtraque parte præsens esset ignauiæ periculum. Quippe non ante vocati *circenses*, quam cum iis edendis *circum* exstruxisset Tarquinius Priscus : cuius rei meminit Halicarnassus, lib. IV. Antea vel dicebantur à Deo cui sacra erant : vt *Consualia*, vel à rerum, quibus fierent, ministerio, vt *Equiria*. *Consualia* enim vocata à *Conso*; in cuius honorem fiebant, teste Asconio. Nec inuenta à Romulo, sed ab Arcadibus, Euandri sociis, in Latium inducta: teste Dionysio. Fiebat autem XV. Kal. Septembris, Auctor Plutarchus, in Romulo. At *Equiria* à Romulo in Martis honorem instituta, vt Festus indicat, ac fiebant tertio Kal. Mart., vt discimus ex II. Fast. Ouidi. De *Equiribus* plura dicimus suo loco: de *Consualibus* vero pleniùs in *Consilium* tractamus.

CIRIS, non *alauda* est, vt Antonius Nebrissensis putauit: neque *accipiter*, aut *alcedo*, quod apud Hesychium legitur: sed quam *aggrettam*, siue *egrettam*, Galli vocant; quæ vtriusque Scaligeri sententia est. Sic vero dicta, non à *præconio*, quod Calderinus & Ascensius scribunt (nam aliud, κῆρυξ, aliud, κηρύσσειν.) neque item à *cirru*, siue *crispatis capillis*, quod voluit Fungerus in Etymologico : sed à Græco κείρειν, hoc est, *tondere*; quia in auem hanc conuersa est Scylla, Nisi filia, quæ hostem Minoëm fecit victorem, patri purpureum abscindendo crinem, hoc est, secreta patris consilia hosti, spe coniugij, prodendo. Ouid. VIII Met. fab. I.

——— *Plumis in auem mutata vocatur*
Ciris, & à tonso est hoc nomen adepta capillo.

Nostrum *scheren*, quod *tondere* notat, à κείρειν venire omnino verisimile est. Quod autem nobis *scheren*, & Græcis κείρειν, id Hebræis est קרח, vnde sine dubio Græcum κείρω. Quod magis comprobat aoristus ἔκαρον, vnde antiquum *caro*, & nomen *carunu*, de quibus separatim diximus.

CIRNEA, vasis vinarij genus, ἀπὸ τοῦ κιρνᾶν, quod est, *miscere*: quomodo κρατὴρ quoque à κεράννυμι, id est, *misceo*. Nempe quia vinum veteres aquæ miscere solebant. Vnde *miscere*, pro *infundere*, dicebant. Martialis, lib. VIII. ep. VI.

Hic scyphus est in quo misceri iussit amicis
Largius Æacides, & bibit ipse merum.

CIRRI, *capilli intorti*; vnde in Onomastico veteri exponitur, βόστρυχοι. Hinc pueri, vt *capillati*, & *comati*, quia comam nutrisent, sic & *cirrati* dicuntur. Pers. sat. I.

Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas?

Hieronymus, aduersus Rufinum : *Quasi non cirratorum turba Milesiorum in scholis figmenta decantet*. *Cirros* capillosque primum detonsos Apollini sacrabant. Varro. Cato, siue de liberis educandis : *Itaque Ambraciæ primum capillum puerilem demtum, item cirros ad Apollinem ponere solent*. Citat Nonius. Volunt *cirros* esse à *circum*, quia sit *capillus in circum tortus*. Aliqui deducunt à κέρας, id est, *cornu*, quia *cirri* habeant similitudinem *cornus*. Apud Isidorum, lib XI. Orig. cap. I. legas esse à κείρειν, quod exponit *tondere*. Sed non dubium, quin legi debeat κείρειν, à quo *cirrus* seu *cirrus* erit, vt *ciris*, de quo diximus. Sed qui *cirrus* sit à *tondendo*, cum nutriantur non tondeatur? Quare fortassis sit σκίρρος, quod *humorem durum* notat; at talis durities est crinibus in nodum religatis à σκίρρος autem fit *cirrus*, vt à σφάλλω, *fallo*; à στέγω, *tego*. Vel à κρόσσοις & κιβίσιν sit *corsus*, indeque, O in I abeunte, & S post R mutato in R. *cirrus*, vt à τύρσις, *turris*. Κρόσσοι sunt *fimbriæ*, seu *villi*, qui vestibus prætexuntur. Qui & *cirri* dicuntur Latinis : vnde ad capillos vox translata. Glossæ Cyr. κρόσσοι, *cirra*, *villus*, κρόσσοι ... *cirrus*. At κρόσσοι, idem ac θύσανοι, vt Suidas exponit : indeque κροσσωτὸς, idem ac θυσανωτὸς, id est, *villosus*, *cirratus*. Hinc *cirratæ militares* apud Capitolinum, in Pertinace, à *cirris*, siue *fimbriis*, dependentibus. Talis enim militum lacerna. Vetus Persij interpres, in sat. I. *Lacerna, pallium fimbriatum, quo olim soli milites vtebantur*. *Penula, pallium cum fimbriis longis*. Tales & tunicæ atriensium, cotumque, qui in ministeriis præessent. Vnde Phædrus, Augusti libertus:

Ex alticinctis vnus atriensibus
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta, cirris dependentibus.

Hinc *bicirres vestes*, cum vtrimque dependent *cirri*, seu *villi*. Glossæ Philoxeni : *Bicerres* (l. *bicirres*) δίκροσσοι, ... Quales & ἀμφίμαλλα dicuntur. A *cirris* igitur vestium translata *cirri* vox ad capillos. Vti & ad ostrea, polypos, ac similes : in quibus capillamenta ac barbæ siue cornua exilia, quibus iter prætentant, *cirri* dicuntur Plinio ac Martiali.

CIRRVS, forte à *circum*. Sic enim vocatur capillus in *circum* tortus. Sanè id verisimilius, quàm vt sit à κείρειν, prout in vulgatis Isidori libb. legitur, lib. XI. cap. I. Sed profectò κείρειν apud Isidorum legi debet, cùm ipse a κείρω exponat *tendere*. Vnde *cirri* dicantur, quomodo & *cirris* auis inde nomen accepit. vt mox dictum.

CIS, κίς, *vermiculus erodens frumentum lignumue*; est ab Hebræis. Nam סס *fecit tineas*, vnde סס, *tinea*. Alias *cis* præuerbium est : quod non video vnde sit, nisi fortè à Græco κεῖσε, quod παρ' Ἰάκωσιν ex ἐκεῖσε, *illuc*. A *cis* est *citra*; vt ab *vls*, *vltra*, ab *in*, *intra*. Agellius, lib. XII. cap. XIII. *Nam tres istæ voces intra, citra, vltra, quibus certi locorum fines demonstrantur, singularibus apud veteres syllabis appellabantur, in, cis, vls. Hæ deinde particulæ, quoniam paruo exiguoque sonitu obscurius pronebantur, addita est tribus omnibus eadem syllaba : & quod dicebatur, cis Tyberim, & vls Tyberim, dici captum est citra Tyberim & vltra Tyberim. Item quod erat in, accedente eadem syllaba intra factum est*. A *cis* etiam est *citro*, vt ait Priscianus, in XV. Cic. pro Rosc. *Postea homines cursare vltro citroque non desisterant*. A *citra* verò est *citer citerior*, *citimus* vt ex Capro ait Priscianus in XIV. vbi & citat hoc Catonis de agna pascenda : *Citer agnus alligatus ad sacra erit*.

CISIARIVS vnde dicatur, satis Indicat hic locus Vlpiani, l. XIII. D. locati. *Item quæritur, si cisiarius, dum cæteros transire contendit, cisium euertit, & seruum quassauit vel occidit : puto ex locato esse in eum actionem*. Est verò *cisium*, vehiculi biroti genus : vt scribit Nonius : vnde & δίτροχον exponitur in Onomasticon veteri. Fortasse igitur dicatur à *cædo*, quasi *cæsium*, quia duæ rotæ quasi recisæ. Hoc autem vehiculo, vt ex orat. pro Rosc. Amer., & Philipp. II. cognoscimus, vti solent Romani, cùm celeriter volebant conficere iter. Nos *cisij* loco vtimur *veredis*, siue *equis dispositis*.

CISTA, non à *costa*, quia è costis cannæ ligniue contexatur: cuæ Isidori sententia est, lib. XX. cap. IX. sed à Græco κίστη, quod, Hesychio teste, propriè notat *ἀγγεῖον πλεκτόν*, ἐν ᾧ βρώματα ἐντιθέασιν ἢ ἱμάτια, quomodo & *cistam viminean* apud Plinium aliosque legere est. Sed & apud eundem, ac Ciceronem quoque, tribuitur hæc appellatio iis, quæ è lignis asseribus compinguntur. Propriè tamen *ligneæ arca* ad condendas vestes dictæ κιβωτοί. vt apud Clementem, lib. III. Pædag. ... Vnde ... *Vicus Athenis* apud Plutarchum, libro de genio Socratis. Vsus κίστη voce Homerus, od. ζ. ac agnoscunt eam quoque Glossæ Philoxeni, in quibus est, *Cista*, ... Est verò κίστη, ab Hebræo כיס, quod generatim notat *vas*, quo aliquid reconditur : item *sacculum*, *marsupium*, *crumenam*. A *cista* est *cisterna*, vt nempè à *lucco lucerna*; à *lateo*, *laterna*, à *taba* (vnde *tabula*) *taberna*, &c. Festus tamen dici putat quasi *cis terram*, quia propriè fit aquæ infra terram receptaculum. Sic enim ait : *Cisterna dicta est, quod cis infra terram*. Ac de significatione fauent Gloss. Phi-

lox. *Cisterna*, Λάκκος. Sed prius etymon magis probatur.

Citeria non aliunde quid sit scias, quam his Festi, siue Paulli, verbis: *Citeria appellabatur effigies quædam arguta, & loquax, ridiculi gratia, quæ in pompa vehi solita sit.* Ita & est in MS^s. Addit deinde Catonis hunc locum, in M Cæcilium: *Quid ego cum illo dissertem* (l. *dissertem*) *amplius: quem ego denique credo in pompa vectitatum ire* (l. *iri*) *ludis pro citeria, atque cum spectatoribus sermocinaturum?* In eo veterum silentio difficile est caussam nominis adferre: sed non absurdè tamen Martinius conflatum coniectat ex κίττα, *pica*, & ἐρεῖν, *dicere*: q. d. *pica loquax*.

Cithara, à κίθαρος, pro quo & κίθαρις dicitur. Sed κίθαρις Æolicum est, cóque παρώνυμον, vt ἴορις ab ἴορη, αὖλις ab αὐλή, ἄγυρις ab ἀγορή, &c. Sic sanè Eustathius. At Ammonius vult, κίθαριν esse λύραν, eâque vtentes dici κιθαριστάς, & λυρῳδοὺς, vt, qui κιθάρᾳ vtantur, ait, κιθαρῳδοὺς nominari. Sed verius profecto est, κιθαριστὰς dici *qui cithara sine voce modulantur*, vnde ψιλοκιθαριστὰς vocatis κιθαρῳδοὺς verò esse, qui *vocem* addunt. Quod discrimen I. Scaliger statuit. animaduersionibus Eusebianis, pag CLXXIX. Tradit Eustathius. ex antiquis κίθαρον dici quasi κύτος seu κιβωτὸν ἱερὸν. Sed omnino, vt alia pleraque instrumenta Musica, ita hoc quoque Hebræis, aut Syris nomen suum debet. Hebræum esse censet Becmannus. vt sit à כנור, quomodo *cithara* vocatur Genes. IV XXI. & alibi. Syrum esse tradunt duo doctissimi Angeli, Politianus quidem, cap XIV. Miscell. Caninius autem in Hellenismi alphabeto. Volunt autem esse à Syriaco *catros*, inserto *a*. quomodo & à Syriaco *menica* est μανιάκης, hoc est *bra hialis, torques*. Aliud autem *cithara*; aliud *lyra*; vti argumento esse potest, quod Pausanias, aliíque Græci, Mercurium *lyræ*, Apollinem *citharæ*, faciunt inuentorem. Quomodo autem conueniant, ac differant dicimus in *Chelys*. Poetæ tamen. quia cognata sunt instrumenta, solent hæc vocabula confundere. Ita Statius, lib. X. Thebaid. pro eodem vsurpat *citharam, lyram, testudinem*. Ac Orpheus, lib. I. κιθάρην & φόρμιγγα. & lib. II. λύρην, Orpheo assignat. A κιθάρᾳ nomen accepit *citharus*, seu κίθαρος, piscis, de quo Aristoteles, Plinius. Athenæus *Fidiculam* ὑπὸ τῆς κιθάρας vocat Gaza; sed Græcum nomen retinet Plinius. Etymologus sic dici ait, quòd ossicula eius *citharæ* fidibus sint similia.

Citrus, vox est Latina, quam non à Græcis. sed ab Afris acceperunt Nec enim Græci veteres, κίτρον, vel κιτρέα vocem norunt. Antiquissimus eorum, quem κιτρέα voce vsum constet, apud Athenæum nominatur Iuba. Id satis ostendit, quod dixi. Duplex verò est arbor, quæ Romanis *citrus* diceretur. Vna est infrugifera, à qua *mensis citreis* nomen. De hac Plinius, lib. XIII. cap. XV. *Atlas mons peculiari proditur silua, confines ei Mauri, quibus plurima arbor citri, & mensarum insania, quas feminæ viris contra margaritas regerunt.* Et inferius: *Anchorarius mons vocatur citerioris Mauritaniæ, qui laudatissimam dedit citrum, iam exhaustus. Mensis præcipuè dos in vena crispis*, &c. In plerisque editionibus corruptissimè legitur. Nam pro *citro* reposuere *cedro*: & in argumento capitis posuere, *De Atlantis arboribus, & cedrinis mensis*. Atqui *citri* & *citrinis* constanter hic legitur, non solum in plerisque MSS^is, sed etiam veteri illa editione, quæ Parmæ anno prodiit CIↃCCCCLXXVI. Quid, quod apud Plinium, lib. I. in Indice operis legitur in argumento huius capitis, *De Atlantis arboribus, & citreis*? Quomodo etiam istic editum ab iis, qui, lib. XIII. *cedrinis* reposuerunt. Denique *citreas mensas* vocant alij scriptores. Tertullianus, de Pallio. cap. V. *Adigo cauterem ambitioni quâ Marcus Tullius quingentis millibus nummum orbem citri emit, quâ bis tantum Asinius Gallus pro mensâ eiusdem Mauritaniæ numerat, hem quantis facultatibus æstimauere ligneas maculas!* Martialis, lib. XII ep. LXVII.

Et Maurusiaci pondera rara citri.

Lucanus lib. IX.

——— *Tantum Maurusia genti*
Robora diuitiæ, quarum non nouerat vsum:
Sed citri contenta comis viuebat & vmbrâ.
In nemus ignotum nostræ venere secures,
Extremóque epulas mensásque petiuimus orbe.

Petronius:

——— *Ecce Afris eruta terris*
Citrea mensa. ———

Etiam apud Martialem, lib. XIV. lemma est *Mensa Citrea*. Quam vocat.

——— *Felices Atlantica munera siluæ.*

Ac eidem disticho proximo dicitur

——— *Maura fit ra silua.*

Nec in mensis solum, sed etiam foribus ac lectis, vsus *citri*. erat. Varro.

In quibus Libissa citrus fasciis cingit fores.

Persius.

——— *Non quicquid denique lectis*
Scribitur in citreis.

Venio ad *citrum arborem*, cuius fructus *mala citrea*. Nam Plinius, cum de *mensis citreis* locutus esset, lib. XIII. cap. XV. & XVI. subiungit ista: *Alia est arbor eodem nomine malum ferens execratum aliquibus odore & amaritudine, aliis expetitum, domos etiam decorans, nec dicenda verbosius.* Hæc eadem ac *malus Assyria*, vel *Medica*: Quo nomine comprehendimus tum eam quæ profert poma, quæ *aurantia* dicimus ab recto *aurans*, quomodo posteriori æuo locuti pro *aureo* vel *aurato*: tum illam, quæ profert vulgo dictos *citrones* à veteri *citreo*, cuius species etiam sunt *limones*. Citreà hæc eadem sunt ac *aurea mala*, quæ ἑσπερίδων dixere, ac fabulis celebrantur de hortis Hesperidum. Vnde Martialis, lib. XIII. sub lemmate, *Mala citrea*.

Aut hæc Massyli poma draconis erant.

Veteres Glossæ, cap. altero de arboribus: *Persicum*, Περσικόν. *Citreum*, Κίτριον. *Citoneum*, Κυδώνιον. Vbi satis liquet, *Persicum, Citreum, Catoneum*. Apud Galenum quoque, Aëtium, aliósque, legas μῆλα μηδικὰ, ἢ τὰ κίτρια. Sed imprimis Athenæum vide, lib. III. vbi ex Iubæ Libycis docetur, μῆλον illud ἑσπερικὸν esse, quod χρύσεα μῆλα vocant, & Hercules in Græciam dicitur detulisse. Sed quod ibidem ex Phania Eresio colligitur, *citrus* factum esse ex κέδρος, id verum non puto: cum diuersæ admodum sint arbores. Illud tamen non negaro, κέδρος. & *citrus*, vt arboris nomen est, vnde mensæ fierent, ab eadem origine descendere: sed quæ ex Orientis linguis peti debeat. Κέδρος quidem Hebræis ארז: vt in *Cedrus* diximus. Quod vero eadem voce Romani dixerint arborem, ex qua *mensa citria* fierent, & quæ *poma citrea* ferret: id primum arbitror factum inscitiâ, quia cum & lignum & poma ex Mauritania ferrentur. ab eadem ambo esse arbore vulgo crederetur. Postea aliud cognoscere potuerunt. Sed, nomine semel per errorem recepto, mansit vetus appellatio. Apud Dioscoridem legas, κεδρόμηλα eadem esse, ac Μηδικὰ, καὶ Ῥωμαϊστὶ κίτρια. Sed κιτρόμηλα rescribendum, nam κέδρος, δένδρον ἀρωματικὸν, vt ait Suidas. In Glossis Philox. legas: *Citreum*, θύϊνον. Nempe ab arbore, quæ θύα, & θύον Theophrasto. Histor. lib. V. cap. V. Is eam nosse potuit, quia in Græciam lignum eius ex Cyrenaica apportari solerat, vti Romam postea ex Mauritania. Hinc Athenæo, lib. V. θύϊναι σανίδες, quæ Latinis *tabula citrea*. Θύϊνον autem generali appellatione videntur dixisse, quia vsus eius esset ad θυμίαμα, siue *suffitum*: quomodo & *cedro* eam in rem vsi Θύειν autem propriè, *suffire, suffumigare*: vnde θύος. *suffitus*, vti ab θύον, vel θύος, *thus*. Sed θύον, siue θύϊνον, diuersum est à *malo Assyrio*: neque *citro* conuenit, quæ fert *poma citrea*, sed illi vnde *mensa citrea*. *Poma citrea* veteres non vescebantur: sed vsi ad odorem conciliandum. Plinius de *Assyrio malo*, quod idem ac *citreum*: *Pomum ipsum non manditur, odore præcellit, foliorum quoque, qui transit in vestes vna conditus, arcétque animalium noxia*. Vnde lucem capit Næuij illud.

——— *Pulcram ex auro, vestémque citrosam.*

Nam *vestem citrosam* dixit, quæ citri odorem referret. Aliter Festus: *Citrosa*, inquit, *vestis appellata est à similitudine citri*. Ea se verba intelligere negat Calderinus; ad Martialis Xeniorum epigr. XXXVII. At voluit illud, ni fallor, *citrosas* dici à *crispitudine*, qua referrent *mensas citreas*. In his enim præcipua dos, si vena sint crispæ: vt Plinius ait. Qui addit, alias esse crispas oblongo discursu, & dici tigrinas: alias intorto, & vocari pantherinas; alias etiam esse vndatim crispas. Vide eum lib. XIII, cap. XV. Sed de *citrosa veste* fallitur Festus. Meliúsque Macrobius, lib II. Saturn. cap. XVI. vbi docet, *citrum* Homero esse θύον, Næuiique locum esse expressum ex Homerico isto:

Εἵματά τ' ἀμφιέσασα θυώδεα, σιγαλόεντα.

Ibidem de *citreo* in veste condiri solito hæc verba adfert Oppij, in libro de siluestribus arboribus: *Est autem odoratissimum, ex quo interiectū vestis tineas necat.* Quę ex Theophrasto hausit.

Civis (vnde *ciuitas*) fortè ex *coiuis*, vt eiusdem sit originis ac *cœtus*, quod & ipsum à *coeundo*. Nam primò fuit *coetus*. Hoc *ciuis* etymon secutus quoque Isidorus, lib. IX. cap. IV. *Ciues*, inquit, *vocati, quod in vnum coëuntes viuant, vt vita communis & ornatior fiat, & tutior.* Possis tamen & câpse de caussâ *ciuis* deducere à κίω, quod est, *eo, vado*: quod nempe in vnum veniant cœtum, & sub legibus iisdem viuant. Vel à *cio*, seu *cieo*, quia vocati in vnum corpus. Vt nempe Latinis à *ciendo, concio*. Græcis ἀπὸ τοῦ καλεῖν, κλῆσις, & ἐκκλησία,

C L

Clacendix legas apud Festum: *Clacendix* apud Priscianum. lib. V.

lib. v. etiam in M[ss] nostris. Festus exponit, *genus conchæ*: Priscianus *concham*, qua lignum tegitur. Qui etiam, ad hoc probandum, e Plauti Vidularia adducit hunc locum: *Appositæ est claxendix. At ego signi dicam quid sit*. Est *clacendix* è κόχλος. Hesychius: κόχλινος, τοῦ κόχλου. At κόχλος, idem, quod κόγχος, id est, *concha*. *Clacendix* autem, seu *claxendix*, conchæ genus est, vt antè vidimus. Vel sit *claxendix* ἀπὸ τοῦ κλάξαι, quod Hesychius exponit κλεῖσαι, *claudere*. Nam ex allato Plauti loco colligi posse videtur, *claxendice* tegi solere signum, quo res clauderentur, atque obsignarentur.

Clades quibusdam dici videtur à *clamando*, quasi *clames*. Mouet eos hoc Donati, ad Hecyr. Prolog. *Calamitas κυρίως rusticorum dicitur: clades, quia clamatur, vt aliud sit grandinis culmum frangentis, aliud furti, aut doli mali*. Sic Probus. Sed hæc Probi etymologia planè improbanda. Nec hilo melius, quibus *clades* dici videtur quasi *glades*, à *gladio*: quæ Iouiani Pontani sententia est, in Actio, fol. cxxxix. edit Ald. Nec rectius, qui dici aiunt quasi *cades* à *cadendo*, aut quasi *calamides* à *calamis*: quæ duo etyma refert, non sequitur, Perottus. Nihilo rectius, qui à κλαίω, id est, *ploro*. Verum autem etymon est à κλάδος, id est, *ramus*, siue κλαδεύω, quod est τοὺς κλάδους ἀποτέμνω. Ita propriè fuerit *clades*, cum rami arborum franguntur, siue tempestate siue nimio fructuum pondere, siue etiam cum rami aliqui cæli soliue vitio facti sunt inutiles, eóque amputari debent, ne truncum ipsum totamque arborem corrumpant.

Clam, inquit Festus, *a clauibus dictum, quod his, quæ celare volumus, clauduntur*. Aliis placet, *clam* esse non a *clauis*, sed à *clausum*, extritis tribus literis. Ego *claudo* potius à *clam*, quàm hoc à *claudendo* esse putem. *Clam* verò per syncopen arbitror esse à *calim*. Sic enim veteres dixisse, docet me Festus ipse, in *Calim*. At *Calim* est à Chaldæo כלא, quod Hebræis est קלל, id est, *arceo, concludo*. Nec absurdè dixeris, *clam* dici quasi *celam* à *celo*, vt *palam* fortasse ab antiquo *palo*, quod illi *celo* contrarium est. Id videtur sensisse Plutarchus, cùm in quæstionibus Romanis sic scribit: ὀνομάζουσι δὲ τὴν ἀπόκρυψιν [σκέψιν] καὶ τὴν κρύψιν, Καλάνδας, ὅτι πᾶν τὸ κρυφθὲν καὶ λάθρα κλὰμ, καὶ κελάρε τὸ λανθάνειν. *Occultationem eius vocant Kalendas, quia omne quod occultè fit, Clam appellant, & celare dicunt pro occultare*. Λανθάνειν transtuli *occultare*, partim adsentiente, partim repugnante Cornelio Frontone, cum scribit: *Occultè latent, clam celant: alteri non prodere, alteri celare, naturali habitu inest*. A *clam* est ὑποκοριστικόν, *clanculum*: Prisciano teste lib. xiv. & xv. Ab eodem quoque esse *clandestinus*, monet nos Velius Longus, in Orthographia; & Priscianus, in xiv. *Clamo* videtur esse à κλαίω, pro κλαίω, *ploro, eiulo*, vt inseratur *M*, vel τὸ *μ* mutilum sit à καλῶ, *voco*: vti καλῶ, קרא, *vocauit*. A quo & κράζω, *clamo*. Vel potius erit *clamo* à κλάζω, *clango*. Aut Hebræo קל, *sonus*.

Clangere, à κλάγγειν, quod à sono factum. Ab eodem est Belgicum *klincken*. Non *tubarum* modo *clangor* dicitur, sed & *anserum*, vt apud Columellam, lib. viii. cap. xiii. Liuium, lib. v. Florum, lib. i. cap. xiii. Sidonium, lib. ii. ep. ii. &c. Etiam *aquilæ*, apud auctorem carminis, quod *Philomela* inscribitur. Vsurpatúrque eo modo apud Tull. ii. Tusc. quæst.

Iouis satelles pastu dilaniat fero,
Tum iecore opimo farta & satiata affatim
Clangorem fundit vastum.

Clarigare dicebantur feciales, cùm res repetitum mittebantur: nempe quia *clarâ* hoc facerent *voce*. Plinius, lib. xxii. cap. ii. *Legati cum ad hostes clarigatúmque mitterentur, id est, res raptas clarè repetitum, vnus vtique verbenarius vocabatur*. Pluribus hæc explicat Seruius, ad illud ix. Æn.

—— Iaculum intorquens emittit in auras,
Principium pugnæ.

Seruius in x. Æn. vti allatum etymon promit: ita alterum adiungit: nempe vt sit ἀπὸ τοῦ κλήρου, hoc est, *sorte*, quia per bellum sortem agros hostium inuaderent. Sed omnino verum est quod ante diximus. Vt à *mitis*, *mitigo*; vt à *leuis* *leuigo*, vt à *lite*, *litigo*: sic à *clarus*, *clarigo*. *Clarigationis* formula est apud Liuium, lib. i. Vide curatè de eâ scribentem Brissonium in formulis, lib. iv. Habet & alteram hæc vox significationem. Nam, (vt docet Turnebus, lib. xxi. cap. i.) *clarigatio* etiam dicebantur *hominum prehensio*, & *pigneratio*, quod ἀνδροληψίαν Græci vocant, iúsque hominis prehendendi & abducendi. Sic locutus Liuius, lib. viii. ab V. C. *Vt eius, qui cis Tyberim deprehensus esset, vsque ad mille passuum pondo clarigatio esset*. Idem firmare est Latino-Græcis Philoxeni Glossis, in quibus legitur: *Clarigatio*, Ἀγγαρεία. Ἐνεχυρασμός. Et paullo post, *Clarigatio*, Ἐνεχυρασία, Ὁμηρεία. Quare vbi Imperator Iustinianus Nouell. iii. ἐνεχυρασμοὺς nominant, ac *pignerationem* vertit vetus interpres, *clarigationem* etiam dicere potuit cum Liuio. Bartolus barbarâ voce *repræsaliam* appellat in Tractat.

Clarus, à *calo*, quod splendeat: vt Isidorus ait, lib. x. sed est à *calando*, id est, *vocando*, quasi *calarus*, vt *classis*, quasi *calassis*; & *nomenclator*, quasi *nomencalator*: vnde & in vett. libb. *nomenculator*, legitur, *a* in *u* conuerso. *Clari* autem vox est ab athletis, qui victores à præconibus *calabantur*, atque ita *clarabantur*, vnde Horat. lib. 4. od. 3.

—— Illum non labor Isthmius
Clarabit pugilem. ——

Secutus hoc *clari* etymum Iul. Scaliger, lib. iv rei Poët. cap. i. Possis & simplicius dicere, *clarum* vocari, quia passim *calatur*, quomodo idem κλειτὸς (vnde *inclutus*) dicitur, quia nomen eius passim κλυτόν, hoc est, ἀκουστόν. *Clarissimi* vox in Digestis, ceterísque iuris libb. vel generatim sumitur, quomodo conuenit omnibus Senatoriis ac Senatorio honore donatis: vel speciatim, vt cum tres statuuntur Senatorum ordines, *Spectabiles*, *Illustres*, & *Clarissimi*. Hinc in iisdem libris dignitas *clarissimatus*: quo vocabulo etiam vsus Ammianus Marcellinus, lib. xxi. *Nec sub eo dux quisquam cum clarissimatu profectus est*. A *clarus* est *clarare*: quo Horatium ante vsum vidimus. Vsurpat & Lucretius, lib. iii.

Atque animi claranda meis iam versibus esse.

Et lib. iv.

—— Multáque nobis.
Clarandum est, planè si res exponere auemus.

Inuenias & apud Ciceronem, in versu; itémque Ausonium. A *clarus* etiam venit *claricitare*. Lucretius, lib. v.

Vt nunc montibus è magnis decursus aquai
Claricitat ad se sitientia secla ferarum.

Sed vocem hanc haut alibi reperias: & Lucretij locus aliter atque aliter legitur in vett. & vulgaris codd.

Classis, nonnullis junioribus sic dicta videtur à κάλως, quomodo vocatur *funis nauticus*: vnde prouerbium, πάντα κάλων σείειν, *omnem mouere rudentem*, quod Latini dicunt, *omnem mouere lapidem*. Κάλως verò, iuxta Eustathium, & Etymologum, sic dicitur à χαλᾶν, id est, *laxare*, quia iis χαλᾶται τὰ ἱστία, *laxantur vela*. Veteribus verò *classis* videtur sic dicta à *cala*, id est, *lignum*, vel Græco κᾶλον, quod idem significat. Seruius, in i. Æn. *Classis dicta est ἀπὸ τῶν κάλων, id est, à lignis, vnde & calones dicuntur milites, qui ligna deportant, & ξυλοφόροι*. Idem, ad initium vi. Æn. *Classis dicitur, quòd fiat de fustibus. Calas enim dicebant maiores nostri fustes, quos portabant serui sequentes dominos ad prælium: vnde etiam Calones dicebantur. Nam consuetudo erat militis Romani, vt ipse sibi arma portaret & vallum: vallum autem dicebant calam. Sic Lucillius: Scinde puer* (sic lego) *calam, vt caleas, hoc est, ô puer, frange fustes, & fac focum. Inde ergo classem dictam dicunt*. Idem *classis* etymon ponit vetus Horatij interpres, ad od. ii. lib. Epodon, ac Isidorus, lib. xix. cap. i. Non tamen omnium hæc olim opinio fuit: quemadmodum indicat hic locus Fabij Quinctiliani, lib. i. cap vi. *Iam sit & classis à calando, & lepus leuipes, & vulpes volipes*. &c. Ita dicetur *classis*, quasi *calassis*, vt *clarus*, quasi *calarus*, ab eadem origine; & *nomenclator*, pro *nomencalator*, seu *nomenculator*. Mihi quidem non dubium, quin *classis* aut à *calando* sit, aut à Græco κλῆσις, quod ab eodem καλῶ. Quantò hæc verisimiliora, quam vt sit à *cala*, vel κᾶλον, vel κάλως! Mouet me, quod *classis* olim non sola nauium multitudo, aut naualis exercitus, vocari soleat, sed etiam pedestris exercitus. Festus Pompeius: *Classes clypeatas antiqui dixerunt, quos nunc exercitus vocamus*. Et paullò pòst: *Classis procincta, exercitus instructus*. Sic *classis* procincta accipitur in lege Numæ: QVOIVS. AVSPICIO. CLASSE. PROCINCTA. OPIMA. SPOLIA. CAPIVNTVR. IOVI. FERETRIO. BOVEM. CAEDITO. QVEI. CEPIT. AERIS. DVCENTA. DARIER. OPORTETO. Item, apud Fabium Pictorem, lib. i. è quo hæc citat Agellius, lib x. cap. xv. *Equo Dialem Flaminem vehi religio est: classem procinctam extra pomœrium, id est, exercitum armatum, videre*. Eandem *classis* acceptionem respexit Plautus, Curcul. Act. iii. vbi *Classiam vnimammiam*, Comicâ fictione, dixit, classem exercitum Amazonum innuens. Etiam in in illo, ii. Æn.

Classibus hic locus. ——

Et istoc, lib iii. Æn.

—— Scio me Danaïs è classibus vnum.

Seruius, *classibus* interpretatur, *equitibus*, atque addit simile esse. *Et Ortinæ classes*. Quanquam hoc quidem argumentum non vsque adeo validum est, quando idem Seruius, ad initium Sexti Æn. auctor est, voluisse quosdam, inde hunc eius vocabuli ortum cepisse, quod equites stipendium darent, cum *clas-*

se, hoc est, *naumachiâ*, pugnaretur. Grammatici ipsius verba ponam: *Alij classem hinc magis dictam volunt: apud maiores nostros stipendium prælio terrestri miles pedester dabat: equites vero dabant in nauali certamine, nam adhuc pauper fuerat populus. Exinde iam, quod ab equitibus dabatur stipendium, tractum est, vt diceretur classis. Propriè enim classes equitum dicimus.* Hactenus Seruius. Quam sententiam si sequamur, *classis* primò de *nauibus*, secundariò de *equitibus* dicatur. Quod si est, parum nos iuuent ea loca, in quibus *classis* pro *equitibus* ponitur. Imò erit qui contrarium hinc euincere conetur; nempe, cùm *classis* primariò de *nauibus* dicatur, rectè eam vocem à Seruio, & aliis, à κῶλον deduci. Sed profectò inualido admodum tibicine sententia isthæc eo modo fulcitur. Quippe non minùs *calatur* naualis exercitus, quam equitum turnæ. Quare si vel id demus, primò vocem *classium* de nauibus dici: minimè tamen inde efficitur, *classem* potiùs à κώλοις, quam *calando*, dictam esse. Deinde cogitandum, etsi *classis* strictè interdum ponatur pro equitum turmis: antiquitus tamen fuisse tributum vniuerso exercitui terrestri. Nec caussa adferri potest, cur à nauali exercitu terrestris sic dici meruerit. Quare in sententia nostra persistimus, *classis* vocem primâ suâ notatione signare cœtum conuocatum, seu ad terrestrem, seu ad naualem pugnam. Quam rem etiam validè probat ea *classis* acceptio, quâ sumitur pro partibus ciuium, distributorum ratione census. Nam vnde potius id nomen factum dicamus, quàm quia omnis populus in certam *classem calaretur*, hoc est, *vocaretur*? Nec parùm sententiam nostram iuuat vox *classicum*, si sic dicitur à *calando*, quasi *calassicum*: vt sentit Isidorus, lib. XVIII. cap. IV. *Classica*, inquit, *sunt cornua, quæ conuocandi caussâ erant facta: & à calando classica dicebantur, de quibus Virgilius:*

Classica namque sonant. ———

Sed simplicius sit dicere, *classicum*, quia *classes* eo conuocarentur. Quomodo & *classicum* cùm adiectiuè sumitur à *classe* venit. Itaque pro varia *classis* notione, aliter atque aliter *classicus* accipi solet. Nam interdum est ab eâ *classis* acceptione, quæ nauium notat multitudinem. Hinc Propertius, lib. II. el. I.

Cùm canerem Sicula classica bella fuga.

Id est, *naualia*. Similiter Curtio, lib. IV. *classici* sunt, qui in *classe* remis incumberent. At ab eâ notione, quâ Seruius Tullius Populum Romanum in sex *classes* distinxit, *classici* dicuntur, *cornicines*, qui centurias *classium* inliciebant ad centuriata comitia. Varro, lib. IV. de L. L. *Tubicines à tuba & canendo; similiter liticines, & classicos à classe: qui item cornu canunt, vt tum, cum classes comitiis ad comitatum vocant.* Et, lib. V. *Vti curent eo die, quo die comitia erunt, in arce classicus canat.* Quanquam de vtroque hoc loco aliter senserit Turnebus, lib. XXI. cap. XXVIII. Priori enim *classicines* pro *classicus* malit: altero autem *classicus*, ἀρχαϊκῶς pro *classicum*, poni autumat. Ab eadem notione, *classici* dicti omnes ciues Romani, quia omnes in *classe* aliqua essent: qua ratione *classici* vox opponebatur iis, qui non essent ciues Romani. Secundum hanc acceptionem dixere *testes classicos*. Festus: *Classici testes dicebantur, qui signandis testamentis adhibebantur.* Præterea κατ' ἐξοχὴν *classici* vocabantur, qui *primæ classis* essent: Agellius, lib. VII. cap. XIII. *Classici dicebantur, non omnes, qui in classibus erant, sed primæ tantùm classis homines, qui centum & viginti quinque millia æris, ampliùsue, censi erant.* Indéq; μεταφορικῶς idem lib. XIX. cap. VIII. dixit: *Quærite, an quadrigam, & arenas dixerit è cohorte illa duntaxat antiquiore, vel oratorum aliquis, vel poetarum, id est, classicus, assiduúsque aliquis scriptor non proletarius.* Est & à *classe classiarius*, quomodo dicebatur miles è *classe*, quæ tutelæ siue præsidij caussâ disposita esset in mari, fluuio aut lacu. Mentio eorum fit apud Cæsarem, lib. III. belli ciuilis; Suetonium in Vesp. cap. VIII. Tacitum, lib. XII. Annal. & alibi; Plinium, lib. VI. epist. ad Tacitum de morte auunculi, in vett. inscript. &c. At *classicarius* aliud est: vt qui idem sit *classicus*. Glossæ Philoxeni: *Classicary*, σαλπιγκταί. Nempe à *classicum*. Nam σάλπιγξ πολεμική *classicum*, vt interpretantur Glossæ Græco-Latinæ, in Cyrilli calce inuentæ.

Clathri, non *clathra*, dicendum esse, monet Caper, de verbis dubiis. Sunt autem virgæ ligneæ aut ferreæ, quibus muniuntur fenestræ aut fores. *Oppositiones ostiorum* interpretatur Acro, in artem Poëticam. Græcis κιγκλίδες dicuntur quomodo, vt Budæus obseruauit, vsus eâ voce Chrysostomus, in epist. ad Ephes. p. CLXXIII. Firmo id Glossis Latino-Gr. Philoxeni, in quibus legas: *Clathri* Κάγκελλοι, ἢ ἐν θυρίσιν ὀβελίσκοι. Dicti *clathri* à Græco κλεῖθρον, id est, *claustrum*, quod à κλῄζω, *claudo*. *Clathri* enim claudunt muniuntque fenestras ac ianuas. A *clathris* est *clathrare*, hoc est, *clathris munire ac claudere*. Vsus Columella, lib. IX. cap. I. Glossæ vett. *clathro*, κλειθρόω. A *clathrare* verò *clathratas fenestras* legimus apud Plautum, Milite. A. II. IV.

Clava, iuxta Isidorum, lib. XVIII. cap. VII. *quod sit clauis ferreis inuicem religata.* Malim ab antiquo *cala*, id est, *lignum*, quod à κᾶλον. Interseritur digamma Æolicum, vt à ὠὸν, *ouum*; vel potiùs Dorico κλαΐς, est *clauis*. Vel potius sit *claua* ab Æolico κλάδα, pro κλάδω. Hesychius: κλάδων, κλάδον, κάδον. Κλάδω igitur propriè *ramus ex arbore recisus cum nodis*, qua vti Hercules solet. Vnde *claua Herculis* κλάδος, & ὄζος vocatur. Vtrumque *ramum* signat. Hoc verum etymon, vt puto. Nec absurdè tamen deducas ab Hebræo כילפת, quod notat, *clauam, malleum*, & simile instrumentum ad feriendum, aut aliquid conterendum. Pluratiuum eius כילפות, habes Psalm LXXIV. VI. vbi Hieronymus explicat, *bipenni, & dolatoriis*. R. Abraham dicit, esse *instrumentum ad perdendum*. Est à כלף, quod est, *ferire, percutere, excauare*, vt faber malleo, aut rostro. Inde Græcum κολάπτω, quod idem notat: Et Latinum *clauus*, de quo postea.

Clavdvs, & antiquum *claudo*, pro χωλαίνω, ex eo facta putantur, quod *claudis* pedes sint velut *clausi* ac *uincti*. Sed potiùs censeo, à *fractis pedibus* dici, esséque à κλάω, hoc est, *frango*, vt ex κλάδος fiat inserto υ, quomodo à prisco γάθος est *gaudium*, vel similiter inserto D, & simul facta transpositione, à χωλὸς erit, quod valet, *claudus*. Nec vsque adeo abit Græcum κυλλός. *Claudico* à *claudus* esse volunt: sed est à *claudo*, vel *claudeo*, vt *fodico*, à *fodio*. Veteres enim *claudere* quoque, pro *claudicare*, dixerunt: quamquam id negare videtur H. Stephanus, in palæstra de Lipsij Latinitate, pag. CCCCLXXIX. Sed pro nobis est Priscianus, in IX. vbi & illud Cæcilij adducit, in Epiclero: *An vbi vos sitis, ibi consilium claudeat?* Item Glossæ Isidori, vbi est, *Claudere, claudicare*. Et Onomasticum vetus, *claudeo*, χωλεύω. Ita & dixit Terentius, Act. I. Eunuchi, sc. II.

——— *Nuncubi meam*
Benignitatem sensisti in te claudier.

Quem ad locum Donatus, Sallustium bis eodem modo locutum. Vide eundem, act. II. sc. III. ad illa verba: *Illum liquet mihi deierare.* Nec aliter accipienda hæc Agellij verba, quibus finit cap. VII. lib. *At si EXPLICVIT diceret, imperfecto & debili numero verborum sonus clauderet.* Vel illud Ausonij, prologo in ludum septem sapientum: *Sed si memoria Rerum vetustas cludit.* Nam *cludit*, positum, vt in illo Iuuenalis, sat. III.

Diuitis hic serui cludit latus. ———

Sed hîc valet κλείει. *Claudiras* pro eo, quod Græcis χωλότης, apud Appuleium in Floridis legas.

Clavis, dicta, quod *claudat & aperiat*, vt Isidorus scribit, lib. XX. cap. XIII. At Festus, *Claudere*, inquit, *& clauis, ex Græco descendit.* Sed Fungerus, in Etymologico, negat se videre, quo pacto id Festus sit probaturus. Atqui sine dubio sensit Festus, siue Verrius, *claudo* esse vel à κλειδόω, quod idem significat ac κλείω, id est, *claudo*: vel potius κλᾴζω quod Doricum pro κλείζω, hoc est, *claudo*. *Clauis* autem sensit esse à Dorico κλᾶξ pro κλεὶς, inserto *V* consono quomodo à λεῖος est *leuis*; ab ὠὸν, *ouum*; ab ὄϊς, *ouis*; à σκαιὸς, *scæuus*; ab ἄορνος, *Auernus*: ac (ne id tantum cum vocales duæ concurrunt fieri putes) vt ab ὕλη est *sylua*, à κόραξ, *coruus*, &c. Pro *claudo* etiam dicimus *cludo*, *AV* in *V* conuerso; eâ ratione à *caupa* est *cupa*; à *fraudo*, *defrudo*. Iuuenalis sat. III.

Diuitis hic serui cludit latus. ———

Papinius, lib. V. Sylu. cap. I.

——— *Cæco gemeret mors clusa barathro.*

Iustinus, lib XV. *Hastæ cuspide ita in fronte vulnerauit vt sanguis aliter cludi non posset.* Hinc Ianus dictus *Clusius*, quasi *clausius*, quia pace eius portæ *clauduntur*: quemadmodum, quia eædem bello *patent*, Ianus inde *Patulcius* dictus est. Ouidius, lib. I. Fastor.

Præsidio foribus cæli cum mitibus Horis,
Et redit officio Iupiter, itque meo.
Inde vocor Ianus, cui cum Cereale sacerdos
Imponit libum, farráque mixta sale;
Nomina ridebis: modò namque Patulcius idem
Et modò sacrifico Clusius ore vocor.
Scilicet alterno voluit rudis illa vetustas
Nomine diuersas significare vices.

Laconica clauis dicta, quæ extrinsecus aperiret: quia talibus vterentur Lacones. Aliorū claues vulgo interius dūtaxat aperiebant: vt rectè ad Aratū Theo monet. Quod vero idem ait, Laconicas quoque interius aperuisse, id Scaliger, ad Manilium, censet refelli illo Plauti versu, in Mostellaria, vbi seruus, præ foribus constitutus, optat sibi dari *clauem Laconicam*. Sed de omni *clauium* ratione ac figura, vide quæ accurate scribit Salmasius, in Exercitationibus ad Solinum. A *claue* dictum

conclaue Festus *Conclauia dicuntur loca quæ vna claue clauduntur.* Glossæ veteres ideirco *conclauia* interpretantur κοιτῶνας. D. eodem sic Donatus. in Eun. Act. III. Sc. IV. *Conclaue est scilicet alter locus in interioribus tectis: vel quod intra eum loca multa & cubicula clausa sint, adhærentia triclinio.* Quæ more suo etiam exscripsit Calphurnius in Heautontim. *Conclauium* pro eo dixit Plautus, Aulul. Act. III. Sc. II. *Conclauium mihi peruium facitis.* Et Vitruuius. lib. VI. cap. V. *Altitudines omnium conclauiorum, quæ oblonga fuerint.* Idem tamen. lib. VII. cap. V. *conclauibus* dixit non *conclauiis.* Quid, si igitur dicamus, *conclauiorum* à *conclaue* dixisse, quomodo à *tetrans. tetrantorum* dixit, lib. IX. cap. IV. qui tamen *tetrantibus* dicit lib. eodem, cap. VII. *Conclauata*, quæ sub eadem claue, vt ait Festus.

CLAVOLA, siue *clauula*, diminutiuum à *clauo*. Quid sit, docet hic locus Varronis, lib. I. de R.R. *Demum in oleagineis seminibus arbores* (τὸ *arbores* ex glossemate irrepsisse monuit Scaliger) *videndum, vt sit de tenero ramo ex vtraque parte æqualiter præcisum, quas alij clauolas, alij taleas, appellant, ac faciunt circiter pedales.* Cato etiam *mateolam* vocat. Græcis est σκόταλον. Festum vsum putat Scaliger. Nam in notis ad Cornelij Seueri Ætnam, sic emendat locum eiusce Grammatici: *Ignis Vestæ si quando interstinctus esset, Virgines verberibus afficiebantur à Pontifice. Quibus mos erat clauolam felicis materiæ tamdiu terebrare, quousque conceptum ignem cribro æneo virgo in ædem ferret.* In vulgatis, pro *clauolam*, legitur *tabulam*.

CLAVVS, Isidoro, in primo Originum, sic appellatus videtur, vel à *claudendo* quia figatur, vt *claudat* ac contineat aliquid: vel quasi *chalibus*, quia è *chalybe*, seu ferro, fiat. Sed censeo, esse à כלף, hoc est, *ferire, percutere*: quia feriendo infigitur. *Clauus annalis*, vt Festus ait. *appellabatur qui figebatur in parietibus sacrarum ædium per annos singulos, vt per eos numerus colligeretur annorum.* Κατὰ μεταφορὰν *clauus* ponitur pro *gubernaculo*, quia instar *claui* pangitur in naui. Item de *tuberculo* manibus aut pedibus, *claui* instar, inhærente, eóque pungente. Item de *ornamento vestis Senatoriæ*, aut *equestris*: quorum illud *latus*, hoc *angustus clauus* dicebatur. Quam rem alibi fusius explicabimus.

CLEMENS, à *mente* dicitur, vt, *demens, amens*. Sed quæ prior sit compositi pars, parum liquet. Donatus censet esse *colo*. Perottus autem *clarus*: vt dicatur quasi *colens mentem*; aut, *clarus mente*. Puto potius dici, quasi *clinans mentem*. *Clinare mentem* dixere, vt, *clinare corpora*, Lucretius, & Cicero, de quo plura in *Clino*. Ita *clemens* sit *quietus*. Quomodo Terentius, Adelphis, *clementem vitam* dixit:

Ego hanc clementem vitam vrbanam & otium
Secutus sum. ———

Clemens igitur, *otiosus ac lenis*; cui opponitur *iracundus*, & *præceps*.

CLEPERE, vel quasi *clapere*, à *clam*: vel à Græco κλέπτω. Vtrumque ἔτυμον ponit Varro, VI. de L.L. Posterius etiam apud Nonium legas. Non tamen tam ἀμέσως venit à κλέπτω, quam ab antiquo κλέπω, vnde κλέπτω. Veteres enim Græci κλέπω dixere, sed Cyprij & veteres Attici, T interijciebant nominibus ac verbis huiusmodi: vnde pro τύπω, κρύπω, σκέπω, dixere τύπτω, κρύπτω, σκέπτω. Hinc quoque πτόλις & πτόλεμος pro πόλις & πόλεμος. Ac Latini similiter à πτίσσω dicunt *pecto*, & pro *idemidem, identidem*. *Clepere* non tantum vsurpat Lucretius, quem Varro laudat: aut Accius, Paccuuius, Plautus, Varro, quos citat Nonius: sed Cicero ipse, è cuius lib. IV. de Rep. hæc idem Nonius adducit. *Non modo vt Spartæ rapere, vbi pueri & clepere discunt.* Eiusdem est de Stoicis elegans locus, lib. V. de Fin. vbi inter alia ait *Vt reliqui fures earum rerum, quas clepserunt*, &c. Ita legendum esse, non *ceperunt*, monuit Antonius Muretus, lib. IX. var. Lect. cap. XIX. Idem Cicero lib. II. de Leg. citat è legg. XII. Tab. *Sacrum, sacroue commendatum, qui clepserit, rapsitque, parricida esto.* Ita in veteri libro legi, monet Turnebus: qui & hanc lectionem magis probat, quam *clepsit*, quod est in vulgatis. Potest tamen & *clepsit*, defendi, vt sit futurum pro *clepserit*, quomodo Ennius dixit, *leuasso*, pro *leuauero*. Plautus *occepso*, *liberasso*, *amasso irritasso, demutasso, inuitasso*, &c. pro *occœpero*, *liberauero*, &c. Vide quæ de huiusmodi vocibus scripsimus lib. IV. de Arte. Semel quoque iterúmque *clependi* verbum legas apud Senecam Tragicum. A *clepere* forsan est Belgicum *clippen*, siue, *beclippen*, hoc est, *callide & furtim aliquem deprehendere*.

CLEPSYDRA, κλεψύδρα, à κλέπτω, *furor*, & ὕδωρ, *aqua*, quia sensim, & quasi furtim, aqua destillet. Sunt qui tradant, inuentum esse Scipionis Nasicæ: Mouent eos hæc Plinij verba, lib. VII. Histor. Nat. cap. LX. *Tunc Scipio Nasica, collega Lænatis, primus aqua diuisit horas æquè noctium ac dierum.* Sed loquitur ille de horologio publico, non priuato, Romæ, non in Græcia. Vnde continuo subiungit *Idque horologium sub tecto dicauit, anno vrbis* DXCV. *Tamdiu populo Romano indiscreta lux fuit.* Apud Græcos verò moris fuit antiquissimi, vt quia in ludis multa essent dramata exhibenda, tragœdiæ agerentur πρὸς κλεψύδραν. Quod clare ait Aristoteles, libro de poetica. Ac oratores apud eos *ad clepsydram dixisse*, liquet ex non vno Demosthenis loco, vt, oratione περὶ παραπρεσβείας. Λέγε μοι ἐν τῷ ἐμῷ ὕδατι. A Græcis igitur hunc morem caussas agendi accepere Romani. Nempe eo fine, vt tum actori, tum reo constaret, quamdiu sibi dicere liceret. Nota res è Tullio, Martiale, aliis. Eleganter *clepsydram* περιφράζει Appuleius, pene initio lib. III. Met. *Sic rursum præconis amplo boatu citatus accusator, quidam senior exsurgit, & ad dicendi spatium vasculo quodam in vicem colli graciliter fistulato, ac per hoc guttatim defluo, infusâ aquâ, populum sic adorat.* Quo ex loco cognoscimus, etiam Appuleij tempore durâsse morem *dicendi ad clepsydram*. Quod ipsum etiam patet ex illo eiusdem scriptoris, in Apolog. *Quoniam tamen mihi pro accusationis longitudine largiter aqua superest, cedo, si videtur, singula consideremus.* Consuetudo hæc, quam in Græcia fuisse antiquissimam diximus, Romæ demum instituta est, post tertium Pompeij consulatum, vnde is, libello de caussis corruptæ eloquentiæ primus frena misisse dicitur eloquentiæ, quia antea liberum erat oratoribus dicendi tempus. Damnat eum *ad clepsydram dicendi* morem Plinius epist. ad Arrianum. Quomodo vero huiuscemodi instrumentis *horas* illas *temporarias*, quas Græci καιρικὰς vocant, veteres metirentur & diebus prope singulis variarent, vide apud Vitruuium, lib. IX. cap. IX. De *forma clepsydræ* vide quæ eruditè notauit Petauius ad Dionem Synesij. Videntur autem *clepsydram* quoque dixisse vas illud, quo mos est hortum irrigare: qua de re vide Pet. Victorium, lib. XXXII. var. Lect. cap. II. Κλεψύδριον diminutiuum est κλεψύδρας. Ad cuius vocabuli similitudinem κλεψάμμιδιον dicimus vas illud, quo horas metimur effluxu arenæ, quæ Græcis ἄμμος, &, ὑαλοψάμμιον, ἀμμίδιον dicitur.

CLERICVS, κληρικὸς, cuius vocis originem indicat his verbis Hieronymus, epist. ad Nepot. *Clericus interpretetur primo vocabulum suum, & nominis definitione prolata nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος Græcè, sors Latinè appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars, Clericorum est.* Hæc Hieronymus. Sunt, qui vocem hanc eo argumento oppugnant, quod fideles omnes sunt sors Domini: vt testatur Petrus, I. ep. cap. V. Quamquam Hieronymus & OEcumenius hic quoque *cleri* vocem de *clericis* interpretentur. Verum, etsi nullus ambigam quin genuina sit prior loci Petri interpretatio: non tamen iis assentiri possum qui hinc consequi putant, vocabulum *clerici* esse plane superbum atque arrogans. Nam vt omnes Israëlitæ erant sors Domini, omnibusque communis fuit sortitio in terra Canaan ac nihilominus Deus tribum Leui, Num. XVIII. vers. XX. & Deuter. XVIII. II. peculiariter vocat partem & hæreditatem suam: ita, quod vniuersis fidelibus *clerici* nomen competit, id minime impedit, quo minus præ laicis, siue vt Paullus Apostolus vocat ἰδιώτας, peculiari ratione qui sacris vacant functionibus quásque *personas Ecclesiasticas* vocant, hoc nomine insigniri possint. Si quis nihilominus eam vocem, vt ambiguam, refugiat, per me licet. At iis assentiri non possum qui simpliciter damnant, ac distinctionem hanc Ecclesiæ, in *clericos*, & *laicos*, tantum non nuper inuentam putant. Nam reclamant & Patres & Concilia antiqua. Sanè canones pene singuli Concilij Nicæni primi passim agnoscunt. Imò iam Tertulliani ætate eam obtinuisse, indicat hic locus, lib. de Monogamia: *cum extollimur & inflamur aduersus clerum, tunc vnum omnes sumus, tunc omnes sacerdotes*, &c. Et post: *Laicis vero quia monogamia non conuenit, cætera quoque aliena sunt.* Laici autem appellati à λαὸς, id est *populus*: quasi dicas *populares*, & nullo munere ecclesiastico fungentes. Est & altera nominis ratio. Nam non tantum *clerici* videntur dici potuisse, quia sint quasi *hereditas* (id enim *sors* hic notat) *Domini*: sed & quia primo *sortitione* eligi soleant. Quippe Isidorus, cap. *Cleros*, distinct. XXI. ex verbis Augustini in Psalm. LXVII. ait: *Cleros & clericos hinc appellatos credimus, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum*, &c. Item Hieronymus, ipse cap. Duo. XII. q. I. *Cleros enim Græce, Latine sors: inde huiusmodi homines vocantur clerici, id est, sorte electi: omnes enim Deus in suos elegit*, &c. Prior tamen originatio magis placet. A *clerus* & *peplus*, est *cleropeplum*, quod corrupte nunc *liropipium* effertur.

CLIBANVS, κλίβανος, quod Doricum pro κρίβανος, vt Etymologus ait. Κρίβανος autem, iuxta Eustathium, quasi κριθῆς βαῦνος, id est, *hordei fornax*. Propriè igitur signet, in quo hordeum coquitur: etsi ad alia quoque transferatur. Videtur autem huc etiam pertinere ea *clibani* notio, qua *loricæ genus* notat. Nisi à Persis hæc significatio. Sanè *cataphractos* à Persis vocari *clibanarios*, clarè scribunt Capitolinus, in Alexandro Seuero, & Ammianus Marcellinus, lib XVI. Illius verba sunt ista, ex actis: *Cataphractarios, quos Persæ clibanarios vocant, decem millia interemimus.* Ammianus autem hunc in modum scribit: *Sparsi cataphracti equites, quos clibanarios dictitant Persæ.* Possis tamen vtriusque verba ita capere, vt hoc solum velint, Persas sua lingua vocare *cataphractos* vocabulo quodam, quod Græci *clibanarium* vertunt: ita autem nuncupari à Persis ob similitudinem *clibani*, quam referunt. Ita non origine barbarum sit hoc nomen, verum Græcum. Sanè vel Persicum esse, vel à *clibani* figura formari, cedere malo quam vt κλίβανα, quasi κυλίβανα, dicantur, ἀπὸ τοῦ κυλίνδειν, quod voluisse videtur auctor Glossarum nomicarum. Cæterum ad pleniorem *clibani* descriptionem pertinent, quæ continuò subdit Ammianus, post verba ante allata: *Thoracum muniti tegminibus, & limbis ferreis cincti, vt Praxitelis manu polita crederes simulacra, non viros, quos laminarum circuli tenues, apti corporis flexibus, ambiebant, per omnia membra deducti: vt quocunque artus necessitas commouisset, vestitus congrueret, iunctura cohærenter aptatá.* Et Nazarius in Panegyrico, quem dixit Constantino A. *Operimento ferri equi atque homines pariter obsepti. Clibanariis in exercitu nomen est. Supernè omnibus tectis equorum pectoribus demissa lorica, & crurum tenus pendens, sine impedimento gressus, à noxa vulneris vindicabat.* Nam parum lucis hæc capiunt ex iis, quæ de variis loricarum generibus, & Parthorum cataphractura, Lipsius tradit, lib. III. de Mil Rom. dial. VI.

CLIENS, quasi *cliens*, siue *colens*, vt post Isidorum, cùm alij scripsere, tum Iouianus Pontanus, in Actio, fol. CXXXIX. edit. Ald. Marinus Becichemus, epistolicarum quæstionum cap. XLVI. & Erythræus indice Virgiliano, in *Imago*. Vel potius, *cliens* factum à κλείω, hoc est, *celebro, honoro*. Vnde & musarum vna *Clio* dicebatur. A κλείω, fit κλείων. sed ἀναλογία Latina, quasi à *clio, cliens*, maluere. Sed, seu à *colo*, seu à *clio*, malis, caussa nominis erit, quod *clientes* patronos colerent ac honorarent. Nam Romulus, cùm patres plebeiósque discreuisset, neque inter eos esset dissensio, permisit vnicuique plebeio vt, quemcunque ex patrib. vellet patronum sibi cooptaret: vt docet Dionysius Halicarnass. lib. I. Fallitur Plutarchus in Romulo cum ait patronos creatos. ἐπὶ τῷ πλάτει. Cuiusmodi verò ius inter patronos & clientes fuerit à Romulo statutum (quo inter eos ad multas ætates beneuolentia conseruata est) apud vtrumque horum, Dionysium dico ac Plutarchum, legi potest.

CLINGERE, Festus exponit *cingere*: atque addit, *A Græco κλείειν dici, manifestum est.* Κλείειν est, *claudere*, seu *cludere*. Et in Glossis Isidori est *Clingit, cludit.* Vbi legendum, *cludit*. Fortasse & in Festo, pro *cingere* legendum *cludere*. Nam facilè *l* in *i*, *u* in *n* mutari solet. Hæc probarem, nisi in MS° Festi, pro κλείειν esset κίγκλον, inque aliis κιγκλίζειν. Quare vera fortasse lectio, *Clingere à Græco κιγκλίζειν dici, manifestum est.* Κιγκλίζειν, est *crebro corporis motu imitari motacillam*, quæ κίγκλος dicitur, & σεισοπυγὶς, quia σείει τὴν πυγήν. Vide de *cinclo* aut Hesychium, & Suidam.

CLINICVS, κλινικὸς, à κλίνη, id est, *lectus*. *Clinicus* est medicus visens morbo cubantes in lectulo. Sic vsurpatur cùm in ἀνθολογίᾳ Græca, lib. II. εἰς ἰατρούς. tum in Veteri inscriptione, quæ Romæ exstat: P. DECIMVS L. HEROS MERVLA. MEDICVS CLINICVS, CHIRVRGVS OCVLARIVS &c. Indéque medicina ipsa *clinice*, apud Plinium, lib. XXIX. cap. I. Sed & *clinici* dicti vespillones quia κλίναις efferunt mortuos. Lusit huius vocis ambiguitate Martialis, lib. I. ep. XXXI.

Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus.

Cœpit, quo poterat, clinicus esse modo.

At post Plinij tempora ægri ipsi, quia lecto affixi essent, *clinici* dicebantur. Hieronymus, in epitaphio Paullæ matris: *Quis clinicorum non eius facultatibus sustentatus est?* Vsus & Cyprianus. Sed in vulgatis codd. olim *clunicorum* fuit: quod Beroaldus interpretabatur, *Clunibus morbosi & languidi*. Sed in adducto Hieronymi loco, non habet interpretatio ea locum. Hieronymus Mercurialis lib III. var. lect. monet *clinici* vocem etiam ab Hermolao Barbaro adstructam esse ex Sacris Bibliis. Et sane apud Barbarum, ad Plinij lib. XXV. cap. V. hæc verba inuenio: *Scio, in Literis Sacris, Petronillam ex morbo clinicam fuisse, quasi paralyticam siderationeque prope torpentemque decumbentem grabato, quem Græci clinen vocant.* Vbi nisi per *Literas Sacras* intelligas *scriptorem aliquem Ecclesiasticum*, puerilis fuerit memoriæ lapsus, cùm nusquam in Sacris Petronillæ fiat mentio, nec *clinici* vox vnquam apud vulgatum interpretem reperiatur.

CLINO, à Græco κλίνω, quod idem signat. Vsus Lucretius lib. II.

Quare etiam atque etiam paullum clinare necesse est

Corpora. ———

Sic enim rectè quidam vett. lib. non *inclinare*. Cicero, in Arateis:

Et clina magis pallo est aquilonis ad auras.

Hinc *clinamen*, pro *inclinatione*, seu *declinatione*. Lucretius, lib. II.

Id facit exiguum clinamen principiorum.

Ab eodem non modo verba *acclino, reclino, inclino, declino*, sed etiam nomina *adclinus*, vel *adclinis*, ὁ ἐπὶ τι προσκεκλιμένος. & *reclinus*, vel *reclinis*, ὁ εἰς τὰ ὀπίσω ἀνακεκλιμένος. Sed pro *adclinis*, & *reclinis*, sæpius in vulgatis corruptè editum *acclius*, vel *reclinus*: vt in Vopisci loco, & gemino Marcellini, factum ostendit Casaubonus, ad Historiæ Augustæ scriptores. Decimo quoque Æneidos libro, vbi in vulgatis *acclinis*, in antiquis *adclinis* per N scriptum esse obseruauit Pierius. Sunt vero & quædam in vsu apud Latinos, quæ descendant à Græco κλίνω, vel eius compositis. Frequens sanè Astrologis, & aliis vox *clima*. Id *inclinationem cæli* significat, vt ait Vitruuius, lib I. cap. I. Pontanus lib. I. de cælestibus, nouè appellat *clinium*. A προσκλίνω lecti *cataclita* dicuntur Tertull. lib. de Pall. cap III. *Decubationes* vocat Spartianus, in Heliogabalo.

CLITELLÆ, sunt sellæ dossuariæ, iumentis imponi solitæ, ad onera commodius gestanda. Alias quoque hæc vox significationes habet, vt indicat iste locus Festi: *Clitellæ dicuntur non tantùm ea, quibus sarcina colligata mulis portantur, sed etiam locus Romæ, propter similitudinem: & in via Flaminia loca quædam deuexa subinde & accliua. Est etiam tormenti genus eodem nomine appellatum.* Quod ad etymon, *clitellæ* κατὰ παραγωγήν est à *clita*, quod à Græcis. Nam κλίνω, *clino*, siue *inclino*, vnde κλιτὸς, *decliuis*, à quo κλιτὺς, vel κλιτὺς, *montis deuexitas*, & κλίτος *locus decliuis*. Sanè hoc etymon non tantum conuenit *clitellis*, qua *Romæ locum* notat *decliuem*, sed etiam quà *dossuarias iumentorum sellas* significat: quippe quorum latera item *decliuia* sunt, vti iumentorum dorsa. At neutiquam probare possum, quod Perottus scribit, *clitellas* dici à *colendo*, quia sint *iumentorum cultus atque ornamentum*. Qui verò sic dici aiunt quia *culo* sint *proximæ*, planè indigni sunt quorum ratio habeatur.

CLIVVS, Græce κλιτὺς, quod Æolice fit κλιτῦς, vnde *cliuus*. Ita dicitur ἀποκλίμα τοῦ ὄρους, *deuexitas montis*, siue *latera eius proclinata*. Estque κλιτὺς à κλίνω, *clino proclino*. Etsi autem cliuus dicatur *de adscensu, & descensu*. tamen propriè magis *de ascensu*. Gloss. *Cliuus*, ἀνάβασις. Vt apud Plautum: *Aduorsus cliuum te quadrupedem agitabo*. Itidem Mela lib. I. cap XIII. *Montem decem stadiorum cliuo satis arduum*. Ouid. in epist.

——— *Cliuo sudamus in vno.*

Hinc *cliuius*, id est, *arduus*, Festus: *Cliuia auspicia dicebant, quæ aliquid fieri prohibebant. Omnia difficilia, cliuia vocabant vnde & cliui loca ardua.* Verum, *cliuius* potius à *cliuo*, hoc à κλιτὺς, id à κλίνω, vt diximus. Quod autem *cliuium* pro *arduo* dixere, hoc inde est, quia *difficilis* est *per cliuum adscensus*. At *facilis à vertice descensus*. Vnde vox *procliuis*, pro *facili*. Eiusdem originis sunt, *accliuus, & decliuus*. *Accliue*, τὸ ἄναντες. *decliue*, τὸ κάταντες. Etiam *inclines* erat apud Manilium. Sed *inclines* exposuit Scaliger.

CLOACA geminum etymon legas in Festi epitome. Vnum his verbis: *Cloaca, à conluendo dicta.* Alterum, istis, si vulgaris codd. fides: *Cloacare, inquinare: vnde & cloaca dicta.* Sed vt à βόλβιτον, ipso teste Festo, est *imbulbitare*, hoc est, *stercore inquinare*: sic etiam à *cloaca* fuerit *cloacare*, hoc est *cloacæ sordibus inquinare*: *cloaca* verò est ab antiquo *cluo*. Quare, nisi in vett. lapp. & nummis *cloaca* legeretur per *o*, quemadmodum monuit *Aldus*: videri possit potiùs *cluaca* scribendum per *u*. Id quidem prætulit Marius Victorinus, lib. I. *Non est*, inquit, *cloaca, vt putatis, sed cluaca, quasi conluaca, Cluo* autem dici solere pro *colluo*, inde cognoscitur, quod *cluo* veteribus notarit *purgo*, Plinio teste, qui & Venerem *Cluacinam* hinc dictam monet. Vide quæ hac de re diximus in *Cluo*. *Cloacale* flumen in quod *cloacæ* confluunt. Festus: *Cloacale flumen dixit Cato, pro cloacarum omnium colluuie.*

CLVEO, Nonio interprete, est *nominor*: quomodo accipi ait in illo Lucillij sat. 30.

Cuia opera torgiam calix per castra cluebat.

Sic legit Scaliger, vt sententia sit, frugalem imperatorem, vocatum

tatum à militibus *tergimum calicem*, quia nempe in castris pro *argenteo calice* vteretur *tergine*, hoc est, *scorteo*: qualium hodiéque in Germaniâ *vsus* est. Idem Nonius citat illud Ennij, in Ambracia:

Per gentes esse cluebat omnium miserrimus.

Vbi potius interpreter, *dicor*, quam *nominor*. Neutra tamen significatio propria est. Κλύω enim notat *audio*, vt quod fit à Græco κλύω, id est, *audio*. Verum, quia qualis quis audit, talis dicitur, & qualis verè dicitur, talis est hinc μεταληπτικῶς *cluere* ponitur pro *dici* vel *esse*. Plautus, Capt. sc. *Iniicite huic collum:*

Facito ergo tu, vt Acheruntis clueas gloria.

hoc est, vt apud inferos sis nomine clarus. Et Amph. II. II. *Victor vir belli clueat*, id est, *nominetur, ac celebretur*. Quamquam hoc in loco non consentiunt MSS. cùm in quibusdam *clueat*, in aliis vero *reducat*, legere sit. Quemadmodum igitur apud Græcos κλέος (quod à κλύω, quasi κλύος, dicitur propriè notat *famam*, secundariò *nominis celebritatem*: quemadmodum item κλυτὸς primò notat eum, cuius nomen κλύεται, hoc est, ἀκούεται), ac ex consequenti, *clarum celebrem*: sic quoque *cluere* primario est *audire*; secundario, *dici*, *nominari*, *esse*. Párque ratio est in antiquo *clutus*, & composito eius *inclutus*: vbi *IN* auget, vt *inclutus* sit, *qui valde clutus*: hoc est, *qui celebris est*. Vocis *clutus*, & *inclutus*, meminit Festus: *Clutum*, inquit, *Græci κλυτὸν dicunt. Vnde accepta præpositione fit inclutus. In enim sæpe augendi caussâ adiicimus; vt, inuocauit, inclamauit*. Item: *Inclitus, nobilis, clarus*. In antiquis libris, & *inclytus*, & *inclutus*, & *inclitus*, legas; vti *lacryma*, *lacruma*, & *lacrima*. Non dubito autem, quin omnibus verisimilius videatur, *cluere* à κλύω venire à κλύω, vti diximus: quam vt à κλέω quidem sit κλέος, & κλεινὸς, E pro V subeunte; à κλέω autem veniat *clueo*, V in locum τοῦ E redeunte. Id non monuissem nisi doctissimus Angelus Caninius in Hellenismi Alphabeto, scripsisset, *clueo* venire à κλέομαι, E in V mutato, quomodo à σκόπελος est *scopulus*; à τείνω, *tundo*; à καταπέλτης, *catapulta*. &c. Porrò, præter dictas verbum hoc *cluere* aliam quoque significationem habet. Nam interdum notat, *purgare*: nec displicet sententia Turnebi, qui, lib. XXIII. cap. XXII. *cluo* hac significatione, contractum censet ex *colluo*, quâ ratione & *cloaca* dicimus pro *colluaca*. Ab hac *cluendi* acceptione dicta Venus *Cluacina*: quod clare indicat hic locus Plinij, lib. XV. cap. XXIX. *Quippe ita traditur, myrteâ verbenâ Romanos Sabinósque, cum propter raptas virgines dimicare voluissent, depositis armis purgatos in eo loco, qui nunc signa Veneris Cluacinæ habet. Cluere enim antiqui purgare dicebant.* Hæc ille. Sanè nemo ambigit, quin *luere* sit *purgare*, vnde *Lua mater*, dea quæ *luebat*, hoc est, *purgabat*: vnde & ei ad lustrandum hominum cædem hostium arma spoliáque incendebantur, vt ex Liuio constat. Par ratio compositi *colluo*, vnde *cluo* à quo *Cluacina*. Nam princeps litera ostendit, non esse à simplici *luo*, quasi *Luacina*, sed à composito eius *cluo*, seu *colluo*. In nonnullis Plinij codicibus pro *purgare* legas *pugnare*. Ac *cluere* quoque hanc significationem habuisse, eo euinci videtur, quod à *cluendo clupeos* dictos putarit peruersa Grammaticorum subtilitas: quemadmodum tradit Plinius, lib. XXXV. cap. III. Ideo & iuniorum quidam *Cluacinam* interpretantur *armatam*, cuius templum non procul à foro fuit. Sed locum Plinij perspiculanti parebit, in eo non tam *pugnandi*, quàm *purgandi*, verbum habere locum. Quin etiam, quia *cluere* notat *celebrari*, quibusdam *Cluacinam* hinc dictam placet: atque hanc esse causam aiunt, cur, qui gloriæ studerent, sæpe essent apud Deæ huius sacrum. Plautus, Curcul. IV. I.

Qui per iurium conuenire vult hominem, mitto in comitium. ———

Qui mendacem & gloriosum, apud Cluacinæ sacrum.

Imò & quartum apud Patres leges *Cluacinæ* etymon, sed quod non tam ex antiquis hausisse, quam ipsi commenti videantur. Lactantius, lib. I. cap. XX. *Cloacinæ simulacrum in cloacâ maximâ repertum Tatius consecrauit: & quia, cuius esset effigies, ignorabat, ex loco illi nomen imposuit*. Idem his verbis innuit Cyprianus, lib. de idolorum vanitate: *Deam quoque Cloacinam Tatius & inuenit & coluit*. Quod sit vt putamus, id ioculare Christianorum commentum est; fallantur necesse est Gyraldus, & alij, qui diuersas faciunt Deas, *Cloacinam*, & *Cluacinam*, ac illam à *cloaca*, hanc à *cluendo*, sic dictam putent.

CLVNIS, Isidoro, lib. XI. cap. I. sic dici videtur, quia sit prope intestinum, quod κῶλον dicitur. Perottus tradit, sic vocari, quia sit proxima *colo*. Sic enim in Aldina quoque scriptum, non *cole*. Sed quanto verisimilius, si dicamus esse à κλύζω, hoc est, *abluo*, *purgo*, *expurgo*. vnde κλυσμὸς, hoc est, medicamentum, quod liquidum intestino iniicitur ad abluendam aluum, item instrumentum quo medicamentum hoc iniicitur. Vsi è Latinis, Celsus, Suetonius, Plinius, eiusdémque originis est *cataclysmus*, κατακλυσμὸς, quo *diluuium*, siue *terrarum inundatio*, significatur. Sic vsurpatur apud Matthæum, cap. XXIV. A *clunis* est *cluna*, de quo separatim. Item *clunaculum*, seu *clunaclum*: cuius & Gellius meminit, lib. X. cap. XXV. vbi recenset telorum, iaculorum, gladiorúmque vocabula, à se in historiis veterum reperta. Originem vocis adfert Festus his verbis: *clunaculum cultrum sanguinarium dictum, vel quia clunes hostiarum diuidit, vel quia ad clunes dependet*. Vbi pro *sanguinarium* Scaliger monet legendum *victimarium*; vel, quod magis probat, *saginarium*: quod nempe eo interficerent pecora saginata. Ita *clunaclum* propriè fuerit culter poparum. Cùm autem duplicem etymologiam ponat Festus, posteriorem magis verisimilem puto. Censet Casaubonus, *clunaculi* voce vsum Appuleium in Apologia, quo loco in vulgatis legitur, *sine clunaculo saltare*. Vulgatam tuentur alij; ac *cludem* à *cludendo* dictum fuisse aiunt, cultrum cæcum & manubrio inclusum, ita vt leui motione in longitudinem exiret. Vide, cùm ea quæ ad illum locum notauit Scipio Gentilis, tum etiam Iustum Lipsium, lib. I. Elect. cap. XXVIII. Beroaldus ad VIII. Met. Apuleij deducit à *clunes clunicem*: atque ita dici ait, qui essent *clunibus morbosi*, ac *languidi*. Hieronymum autem eo vsum vult in epitaphio Fabiolæ, item Cyprianum: Addit interim, nisi sic in omnibus codd. inueniret, vtrobique se *clunicem* lecturum, vt ita ægroti dicantur ἀπὸ τῆς κλίνης. Sed *clunicem* vox nihili est. Quare quod timide innuit Beroaldus, id non assis esse mihi certum est, non arbitrarium. Vide quæ hac de re diximus in *Cline*.

CLVRA est πίθηκος, vt exponitur in Glossis Philox. Isidorus, lib. XII. cap. II. ait, *cluram dici simiam, quæ caudam habet*. Sic enim ibi legendum. In MS° meo est *cruram*, vnius litteræ errore. Sed errat quod putat sic vocari *caudatam*. Contra enim sic vocatur, *quæ cauda caret, naséque habet apertas*: vt κερκοπίθηκος, *quæ caudam habet*. Nomen τοῦ πιθήκου factum ex κόλουρος, hoc est: *cauda carens*. Nam οὐρὰ, *cauda*; κόλος, & κολοβὸς, *mutilus*, *truncus*: vnde κόλουρος & κολόβουρος *cauda defectus*. Ex *colura* vero est *clura*; vt à γένος, *genus*; à βάλανος, seu γάλανος, *glans*; & trecentis id genus. Festus tamen, si Paullo credimus, pro *clura* dicendum putauit *cluna*. Sic enim scribit. *Clunas simias à clunibus tritis dictas existimant*. Sed fortasse *cluras* scripserat Festus, vel Verrius. A *clura* est *clurinum*. Plautus, Truculento II. II.

——— *Tu verò clurinum pecus*

Aduenisti huc nos tentatum, cum exornatis ossibus.

Ita in vett. fuisse libris indicant Anselmi epiphyllides: quæ cum Saracem & aliorum notis editæ Venetiis, ante annos C. & amplius. Est & in vett. lib III. *Nam quid in homine pulcrum est, quid, quæso, admirabile, vel decorum, nisi quod & clurino cum pecore nescio quis auctor voluit esse commune?* Erant qui *ailurino* substituunt, quod esset *felino*, ab αἴλουρος. Nam omnino rectum est *clurinum*; vel, si nullâ imitatione opus (quod minimè puto) scribendum *clurinum*: quod placuit Colero, qui & apud Seruium è Fuldanis membranis legit: *Plautus clurinum pecus simias dixit*. Eadémque est sententia Iosephi Scaligeri ad Festum, & Bonauenturæ Vulcanij ad Glossographos, quorum vterque, in Gloss. Philoxeni, pro *cluna* corrupte *clura* legi putant. Sed, vt dixi, nihil mutatione opus. Omnino enim rectum est *clura*. Imò, vt *cluna* primo dixissent à *clunibus tritis*, vt in vulgatis est Festi codd. non tamen hoc impediret, quominus rectum quoque esset *clura*. Nam solet *N* abire in *R*, quomodo dicere *contumio* & *cortumio*, *condolium* & *cordolium*, *gnoma* & *gnora*, *præcidanea* & *præcidarea*, multáque id genus alia.

CLYPEVS, siue *clupeus*, quidam deducunt à *cluendo*, hoc est, *pugnando*. Horum sententiam improbat Plinius, lib. XXXV. cap. III. *Scutis*, inquit, *qualibus apud Troiam pugnatum est, continebantur imagines: vnde & nomen habuere clypeorum, non vt peruersa Grammaticorum subtilitas voluit, à cluendo*. Vult Plinius *clypeos* dici, quasi *glypeos*, ἀπὸ τοῦ γλύφειν, quod est, *scalpere*, quod cæletur insculptis imaginibus. Verum alij, etsi cum Plinio Veronense (hæc enim ei patria, vnde Catullum, conterraneum suum appellat) damnant sententiam eorum, qui à *cluendo* deducunt (quam, mirum, & Plinium Nouocomensem sequi, vti mox videbimus,) tamen, quod cælatura tantum pertineat ad ornatum, censent potiùs quærendum ἔτυμον ab vsu. Itaque cum Seruio, ad VII. Æn. & Isidoro, lib. XVIII. cap. XII. deducere malunt à κλέπτειν, quia *tegeret*, & quasi oculis *furaretur* læuam hominis partem, ea enim *clypeo* inumbrabatur: quod & ratio docet, & Maronis aliorúmque auctoritas. Alij eandem ob caussam *clypeum*, quasi *calypeum*, per syncopen dici aiunt. Nam καλύπτειν, *tegere*. Sed multo simplicius veriúsque

que *clypeum*, cum Salmasio, factum dixeris [illegible] ex [illegible]. Nam [illegible], vt est in Glossis. Et Æoles, eorúmque exemplo Romani, mutant *K* in *P*: vt λύκος, *lupus*; σηκὸς, *sepes*. Ridicule verò Plinius Nepos, qui inter *clypeum*, & *clupeum*, distinguit, ac per *I* vult esse pugnatorium, à *clependo*: per *V* esse imaginem; à *eluendo*. Auctor Charisius, qui hanc sentẽtiam optime refutat communione literarum *I* & *V*, vt *optimus optumus*, *maximus maxumus*: in quibus nulla differentia. Velius quoque Longus rectè monet, quamquam *clipeus* alij per *I*, alij per *V* scribunt; tamen siue hâc, siue illâ literâ, scribatur, enuntiationis sonum temperandum esse, vt neque *I* nimis exile sit, neque *V* nimis plenum. at vanam esse eorum differentiam, qui alterum à *clependo* putant dictum. Quare nec audiendus Cornelius Fronto, qui *clupeum armorum*, *clipeum imaginis* esse ait. At magis verisimilis eorum sententia, qui differentiam quidem agnoscunt; sed generis, non literarum, quomodo Labienus, Charisio teste, *clipeus* voluit esse scutum, *clipeum* verò imaginem. Atque huc respexit Trebellius Pollio, quo loco agit de *clipeum* verò imaginem Atque huc respexit Trebellius Pollio, quo loco agit de *clipeo*, qui Claudio Augusto, Senatus decreto, positus est: *Illi*, inquit, *clipeus aureus, vel, vt Grammatici loquuntur, clipeum aureum, Senatus totius iudicio in Romana curia collocatum est.* Interea ne hanc quidem differentiam obseruant antiqui, quemadmodum idem Sosipater probat, isthoc Asinij, de prouinciæ hæredibus. *Clypeus prætexta imaginis positus.* At neutiquam superiorem Trebellij locum intellexit Paullus Manutius. Nam, notis ad epist. XII. lib. V. ad fam., hoc ex loco colligit, velle Trebellium *clypeus*, ex Grammaticorum sententia, non esse Latinum. Itaque refutarum it hanc sententiam loco Cic. II. de Fin., vbi Epaminodam quæsisse ait, *saluusne esset clypeus*. At non dubitauit Trebellius, quin *clypeus* diceretur; sed respexit ad id quod Grammatici, cùm pro imagine ponitur, in neutro vsurpandum putant. Nihilo verius quod ibidem scribit Manutius, poëtas semper *clypeus* dicere in masculino. Nam dixit Maro, IX. Æn.

Dat tellus gemitum, & clypeum superintonat ingens.

De etymo & ὀρθογραφίᾳ huius vocis satis diximus. Abunde enim hinc liquere arbitror, non differre hæc sex; *Clypeus, clupeus, clipeus, clypeum, clupeum*, aut *clipeum*. Quod si & aliqua desideras de *clypei* forma, materia, vsu, adi Aldum Manutium, lib. III. de quæsitis, epist. VI. De imagine thorace tenus in *clypeo* expressa, vide Ios. Scaligerum, ad annum Eusebij MMCCLXXXVI. pag. CCXVIII.

C N

CNEPHOSVM, vt Festus testatur, veteres dixere pro *tenebricoso*, à Græco κνέφας, quod *obscurum* interpretatur. Arbitror autem, hoc esse à νέφος, id est, *nubes*, vt κνέφος propriè signet *tempus nubilum*. Nisi esse malis à גנב, *furatus est*. Sanè tenebriones, ac fures, coelum amant *cnephosum* ac tenebricosum.

CNISSA, vsurpat Arnobius, lib. VIII. Planè Græcum est κνίσσα, Latini *nidorem* vocitant.

CNODACES, iuxta Philandrum, sunt *ferrea rotunda subscudicula, in extremis scaporum vel axium capitibus implumbata adactaque, per quas in armillis (eo nomine accipe ferreos annulos, & veluti vmbilicos in arrectariis aut transuersariis) scapi, aut axes, etiam torni, versantur.* Est vocabulum planè Græcum: Nam qui Vitruuio *cnodaces*, Heroni item κνώδακες vocantur.

C O

COACTILIVM meminit Vlpianus, l. argumento. XXV. §. Aristo. ff. de auro & argento leg. Rectè autem censet Laz. Baïsius, sic dici, quæ vulgò à Feltro vrbe ab Italis Celtísque *feltra*, à Belgis *vilten*, appellantur. Græci nominant πιλήματα, vel πιλητὰ [illegible], à πιλέω, id est, *stipo, cogo*. Vocantur autem tum *coactilia*, tum [illegible], quia fiunt è *lanâ coactâ*. Itaque *coactilia*, signat Plinius, cùm scribit, lib. VIII. cap. XLVIII. *Lanæ & per se coacta vestem faciunt.* Subiicit deinde: *Si addatur acetum, etiam ferro resistunt.* Ideo *coactilium* istiusmodi vsus in bello maximus fuit: vnde auctor libelli de reb. bellicis, ad Theodosium, vbi de Thoracomacho tractat. *Hoc enim vestimenti genus, quod de coactili, ad mensuram & tutelam pectoris humani conficitur, de mollibus lanis, timoris sollicitudo sollertia magistra composuit.* Iul. Cæsar appellat *subcoacta*. Sic enim scribit lib. III. de bello Ciuili: *Atque omnes ferè milites, aut ex subcoactis, aut ex centonibus, aut ex coriis tunicas ac tegmenta fecerant, quibus tela vitarent.* At caue, cum viro longe doctissimo *coctilia* confundas cum *coactilibus*; *coctiliarium* cum *coactiliario*. Nam quemadmodum & monet Ios. Scaliger not. ad Eusebium, *coctilia* dicuntur ligna cocta aut arida, quæ ἄκαπνα in lemmate Martialis, & [illegible], aut [illegible], Græcis poëtis appellantur. Itaque apud Capitolinum, in principio vitæ Pertinacis, dicitur Successus, Pertinacis pater, exercuisse *negotiationem lignariam*, quam postea *coctiliciam* nominat. Apud Trebellium quoque Pollionem, in Claudio, ex epist. Valeriani Augusti legas: *batilla coctilium*. Nempe quia vt plurimum coctilia in batillis accenderent. Ergo *coctiliarius* est coctorum lignorum negotiator; *Coactiliarius* vero est πιλοποιός. Dicta *coctilia*, quia cocta, vt ἄκαπνα, quia non faciunt fumum. Nam καπνὸς, *fumus*. Hinc Vlpianus, l. CLXVII. de verb. signif. ea appellat, *ligna cocta ne fumum faciant*. Rationem parandi ligna ἄκαπνα cognoscimus ex illo Theophrasti, lib. V. Histor. [illegible]

Aliam quoque rationem indicat Cato, cum sole cocta, & conspersa amurca, fumum facere negat. Vtrumque locum suggessit Casaubonus, notis ad Capitolinum.

COALEO, vnde *coalesco* est à *con* & obsoleto *aleo* pro *alo*. Nam vt *strideo*, & *strido*, *ferueo* & *feruo*, *oleo* & *olo*, ita *aleo* & *alo*, dixisse veteres videntur. Sed Lambinus, in lib. II. Lucretij, ab *oleo* esse dicit, eóque *cooleo* & *coolesco* dicere iubet: Quibuscumque verò locis *coalescere*, vel *coalitum* apud antiquos legimus, loca ea esse corrupta, ac *coolescere*, & *coolitum*, rescribi debere, arbitratur. Ac pro hac sententia adfert, quod Festus, *olescere* interpretetur, *crescere*. Festi verba, iuxta Scaligeri restitutionem, sunt ista: *Adolescit ab olesco, id est, crescere venit. Vnde fiunt adultus, adolescens, altare, eo quod in illo ignis excrescit; & exoletus, qui excessit olescendi, id est, crescendi, modum; & inoleuit, id est, creuit.* Idem Festus: *Suboles ab olescendo, id est, crescendo dicta, vt adolescentes quoque, & adulta, & indoles dicitur.* Et hæc quidem vincunt, *olescere* dici pro *crescere*: sed minimè docent, *coolesco* dici debere. Nam vt ab *olendo olescere*, ita ab *alendo alescere* dicebant. Lucretius, lib. II.

Donec adolescendi summum tetigere cacumen.

Varro, lib. I. de R R. cap. II. *Illic* (sub polo Arctico) *in semestri die aut nocte quemadmodum quicquam seri, aut alescere, aut meti possit?* Vtitur eodem, cap. XLIV. eiusdem libri; & cap. IV. lib. II. Quare, cur *coaleo*, aut *coalesco*, quod in variorum adeo scriptorum tot codd. manuscriptis constanter inuenitur, damnatum eamus cum Lambino, iusta ratio non est.

COCCUS, κόκκος frutex; vti κόκκος, granum eius. Ab eo *cocceus* apud Lampridium, & passim *coccinus*, κόκκινος, ab hoc passiui *coccinatus* apud Martialem, hoc est, *coccinis indutus*. Est vero *coccus* frutex surculosus, paruus, cui grana adhærent lentis faciem referentia, quibus granis sericea laneáque stamina tinctores inficiunt. Auctor Dioscorides, lib. IV. cap. XLIII. siue, iuxta aliorum distinctionem, XLVIII. In Turdetania, Lusitaniæ regione, vbi hodie Algarbiæ regnum, nasci eam scribit Strabo, lib. III. Similiter Plinius laudatissimam nasci tradit, in Galatia, & circa Emeritam, Hispaniæ ciuitatem. Vide eum, lib. IX. cap. XLI. Hinc *Galatiæ rubens granum* vocat *Tertullianus*. Sed & in Africa crescere docet idem, lib. XXII. cap. II. Nunc etiam in Peloponneso, alisque Græciæ locis, nascitur, vt auctor Sipontinus. Ex his satis patet, *coccinas* siue *coccineas* vestes non esse easdem ac *purpureas*: quod Guarinus in Lexico suo tradit, in voce κόκκος. Nam *purpura* est genus conchæ in mediis faucibus liquorem illum habens tingendis vestibus expetitum: vt testatur Plinius, lib. IX. c. XXXVI. At *coccus*, vti vidimus, est genus fruticis. Nec materiæ tantum ratione, sed & colore ipso, differunt; vnde est, quod Vlpianus, l. si cui lana, de legat. III. clarè negat, *coccum* contineri *purpuræ* appellatione. Quare mirari quis possit, quod chlamys, quam Matth. cap. XXVII. XXVIII. vocat *coccinam*; eam Marcus, cap. XV XVII. & Iohannes, cap. XIX. II. *purpuream* appellent. Soluitur hic nodus, si dicamus, latius *purpureæ* voce vsos Marcum & Iohannem, nec deesse eius acceptionis exempla apud classicos scriptores. Nam & Horatius similiter, lib. II. Sat VI.

——— Iámque tenebat
Nox medium cæli spatium, cum ponit vterque
In locuplete domo vestigia, rubro vbi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos

Et mox.

Ergo vbi purpurea porrectum in veste locauit
Agrestem.

Hadr. Iunius, in Nomenclatore, censet, *coccinum* esse, quem vulgo *scharlatum*, ac *charmesinum*, appellant. De *scharlato* non repugnem. At *charmesinus* alius est. Nam etsi non ignoro, Serapioni, alisque Arabibus, *coccum* dici *chermes*, vnde *chermisinus* vox, tamen nihil hoc ad nostrum *chermesinum*, vt quod fiat è granulis, quæ vulgaris pimpinellæ radicibus adhærent. De quo, si voles, apud Matthiolum vide.

COCITVM

Cocetum, *eduli genus ex melle & papauere factum*, vt scribit Festus, siue Paullus. Vbi mallem, *potionis genus*, dixisset. Nec enim tam ad esculenta pertinuit, quam poculenta. In MS° Festi codice est *cocetum*. Sed malo *cocetum*. Vtitur Tertullianus, aduersus Valentinianos, cap. xii. *Ex omnium defloratione constructum, graculum Æsopi, Pandoram Hesiodi, Acci Patinam, Nestoris Cocetum, Miscellaneam Ptolemæi.* Quem ad locum Rhenanus monet, si *cocetum* retineamus, sic dici à *coco*, seu *coquo*: sed & *coccetum* & *cocentum*, legi posse: illud fore à *cocco*; hoc (si mentem Rhenani capio) à *concentu* rerum, è quibus est commixtum. Sed non dubium, quin, cum Nestoris *cocetum* dicat, respiciat κυκεῶνα Nestoris, quam Homerus celebrat Iliad. λ. Aliter dicitur *cinnus*. Arnobius, lib. v. *Sitientis adoris oggerit potionem cinnum, cyceonem quam nuncupat Græcia.* Ita egregie emendat Salmasius: vbi in vulgatis *sitientis ardori*: sed in MS° regio est *adori*, pro quo *adoris*, vt dixi, rescribendum. Nam intelligit potionem coctam *adore*, siue, *polenta*, hoc est farina hordeacia tosta. Κυκεὼν dicitur a κυκάω, *misceo*. Agnoscit eam vocem Hesychius. Sed vsitatius est κυκεῶ. Ab vtroque ἀπαλλάγμα sic κυκεῶν; Atque inde *cocetum*.

Cochlea, κοχλίας, quod nomen Etymologici magni auctor censet esse à κόχλω, hoc est, γυρίζω, *gyro*: quia nempe *cochlea testa est tortilis turbinataque*. Atque hæc res fecit, vt ab huius *cochlearis testa* similitudine *cochlea* quoque in ædificiis dicantur *scala in gyrum adscensiles*, quæ & *cochlides* dicuntur. Ab eiusdem similitudine ita appellatur *tignum* illud *spirulatum striatum* quod in torculari vertigine sua aptum est prelum attollere ac deprimere. Sed & ab eadem caussâ est, quod sic vocatur *instrumentum hortorum*, cuius in medio rota est quæ dum à calcantibus versatur, machina introrsus claviculatim decorata, inter strias & strigles aquas exsorbet ex aquario sepeo, & retrorsus emittit: prout instrumentum id describit Budæus, annot. prior. in Pandectas. Ex antiquis vide sis Vitruuium, lib. x. cap. xi. A *cochlea* est *cochlear*: de quo seorsim. Item *cochleaca*, siue *cochlecæ*. Ita enim puto legendum esse apud Festum, vbi vulgo sic, etiam in MS°: *Cochleaca dicuntur lapides ex flumine rotundi ad coclearum similitudinem.*

Cochlear, κατ' ἀπαλλαγὴν ex *cochleare*. Nam natura sua adiectiuum est *cochlearis*, idque à *cochlea*. Sanè & Domitius Calderinus iam olim monuit, *cochlear* à *cochleis* dici, quas figura refert. Nam ab vsu quidem ita vocari, minus ei verisimile fit, quia non minus *ouis*, quàm *cochleis* inseruierint; vnde Martialis, in Apophoretis, epigr. cxx.

Sum cochleis habilis, sed nec minus vtilis ouis,
Nunquid scis potius, cur cochleare vocer?

Sed nihil prohibet, ab vsu sic dici, quandoquidem nomen ex eo consequi potuerunt, quòd primò ad vsum *cochlearum* fuerint inuenta, etsi post inseruierint ouis ferendis aut etiam frangendis Ad posteriorem hunc vsum pertinet illud Petroni: *Accipimus nos cochlearia non minus sex libras* (*l. selibram*) *pendentia, ouaque ex farina pingui figurata pertundimus.* Solent autem calices ouorum cochlearumque *cochlearibus* pertundere, ad auertendum maleficium eorum, qui perforandis his alios se lædere posse existimabant. Hinc Plinius, lib. 28. cap. 11. *Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit. Huc pertinet, ouorum, vt exsorbuerit quisque, calices, cochlearumque, protinus frangi, aut eosdem cochlearibus perforari.*

Cocles, idem quod *vnoculus*. Originem ponit Varro, lib. 6. *Ab oculo*, inquit, *cocles, quasi ocles dictus, qui vnum haberet oculum.* Verùm omnino corruptum ex Græco κύκλωψ, quod notat *orbiculatum oculum*. Latini Græcum ξ & ψ interdum mutant in S, quomodo ab ἀλώπηξ, quod Æolice ἀλώπηξ, est *valopes*, vnde *volpes*, seu *vulpes*, non autem quasi *volipes*, vt putabat cum Ælio Varro, iv. de L. L. *Cocles* verò *vnoculum* notare, præter Varronem, docet Plautus, Curcul. act 3. sc. 1.

Ly. *Vnocule, salue.* Cu. *Quæso, derides me?*
Ly. *De Coclitum prosapia ted' esse arbitror.*

Vbi per *coclites* non Romanorum familiam intelligit, sed Arimaspos, vt notat Turnebus ad Varronem: & lib. xxiii. Aduers. cap. xxvi. & ex eo Scaliger in coniectaneis. Idem iudicium esto de illo Ennij apud Varronem, lib. vi.

——decem coclites, quos montibu' summis,
Ripeis fodere.

Nam Arimaspos in Ripheis montibus statuunt Herodotus & alij. Addam & Plinij locum, è lib. 11. cap. xxxvii. *Qui altero lumine orbi nascerentur, coclites vocabantur: qui paruis vtrisque, ocella.* Siue, vt alij legunt, *ocelli*. *Cyclops* verò, siue κύκλωψ, vnde *cocles* factum dicebamus, conflatum est è κύκλος, quo *orbicularis figura* significatur; & ὤψ hoc est, *oculus*. Rationem nominis ignorare nequit, qui sciat illud Maronis, de Polyphemo:

——Et telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torua solum sub fronte latebat
Argolici clypei aut Phœbeæ lampadis instar.

Homerus tamen Polyphemo nusquam tribuit *vnum oculum*: verum, vt obseruauit Eustathius, restringit id ad Βρόντην, Στερόπην, & Ἄργην, quos & Ioui ait tonitru dedisse, ac fabricâsse fulmen.

Codex, factum è *caud x*; vt *corus* à *caurus*; *olla* ab *aula*, vnde *Aulularia*. Seruius, in ii. G. *Caudicibus posuit pro codicibus, sicut caulem pro colem, sauricem pro sorice dicimus.* Seneca, de breuitate vitæ, cap. xiii. *Hoc quoque quærentibus remittamus, quis Romanis primus persuasit nauem conscendere. Claudius is fuit: Caudex ob hoc ipsum appellatus, quia plurium tabularum contextus, caudex apud antiquos vocabatur: vnde publicæ tabulæ codices dicuntur: & naues nunc quoque, quæ ex antiqua consuetudine per Tiberim commeatus subvehunt, caudicariæ vocantur.* De Claudio confirmatur, illo Suetonij, in Tiber. cap. ii. *Claudius Caudex primus, freto classe traiecto, Pœnos Sicilia expulit. Caudicariarum* vero nauium meminit & Festus. Nonius vocat *codicarias*, ac præter Sallustij locum, è iv. Hist. adducit hoc Varronis, è iii. de vita pop. Rom. *Quod antiqui pluresi tabulas coniunctas, codices dicebant, à quo in Tiberi naues codicarias appellamus.* Ab eo *caudicarij*, qui *caudicariis* nauibus aduehebant frumentum. *Codex* Theodos. in lege Honorij & Theodosij, sub Tit. de suar. pecuar. &c. *Ad excludendas patronorum caudicariorum fraudes & portuensium furta mensorum*, &c. In veteri Romano monumento legitur *caudicarij* per *A*. in Senecæ quoque loco vett. libri habent *caudicate* per T pro *caudicaria*: quemadmodum apud Sextum Aurelium, vel quisquis auctor libri de viris illustribus. *Claudius Audax*, siue, vt in vtraque Aldina est, *Caudax*, vocatur, pro *caudex*. Quorum locorum restitutionem debemus Pinciano, notis ad Senecam; Gyraldo, dialogismo xxvi. Leopardo, lib. xii. cap. xviii. Radulpho Fornerio, lib. ii. rerum quotidian. cap. xxiii. Quod verò *codicem* dicimus pro *libro*, id est ab antiquorum more, scribentium in tabulis è *caudice* sectis. Ex tabulæ cera inducebantur; vnde in iis scribebant osse. Varro apud Charisium, lib. i. *Osse scribebant.* Et Titinnius, ibidem: *Velim ego osse arare campum cereum.* Postea tamen commodior visus ænei styli vsus. A *codex* ὑποκοριστικῶς dicti *codicilli*. Nam *codices* quidem sunt tabulæ maiores; *codicilli* vero, minores. Porrò, etiam chartâ inuentâ, *codicillis* sæpe vsi, idque commodi caussâ. Nam (vt comment. in epist. Ciceronis monuit P. Manutius,) si charta & atramentum non adessent, vt in itinere, cœna, aut senatu, *codicillos* stylo scriptos mittebant. Hinc apud Cic. lib. vi. ad fam. epist. xviii. *Quæsiui e Balbo per codicillos, quid esset in lege.* Et Sulpicius, lib. iv. epist. xii. *Puer Acidini mihi obuiam venit cum codicillis.* Nonnunquam non mittebant *codicillos*, sed in iis tantummodo scribebant, quod post in charta descriptum mitteretur. Hinc Cic. lib. ix. epist. vlt. *Accubueram horâ nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exaraui.* *Codicilli* quoque erant quasi parua testamenta, in quibus erat supplementum atque additamentum testatoris in testamento deficientis: vnde Moschopulus περὶ σχεδῶν Κωδίκελλος, ὁ ἀναπληρωτὴς τῆς διαθήκης. Qua de re plura Guilielmus Fornerius lib. ii. Select. ix.

COE

Coeliacus, κοιλιακός, à κοιλία, vt *aluinus* ab *aluus*. *Aluini* voce vsus Plinius, lib. xxiii. cap. xxvi. *Vinca peruinca, aluinis imposita, multum prodesse dicitur*, hoc est, iis quibus aluus fluida. Sed Græcam *cœliaci* appellationem retinet Varro, lib. iii. de R. R. cap. xvi. *Cum sunt apes morbidæ, propter primores vernos pastus, qui ex floribus nucis Græcæ & cornus fiunt, cœliacas fieri, atque vrina pota refici.* Κοιλία vero a κοῖλος, *cauus*.

Coelum, nunc dicitur de *aere*, nunc de *æthere*, nunc de *Dei domicilio*. Primo modo *volucres cæli* legimus in Scripturis: altero *stellæ cæli*: tertio Matth. v. dicit Christus non iurandum per *cælum*, quia sit θρόνος τοῦ Θεοῦ. Primum superum, alterum superius, tertium supremum, vocare possumus. Eædem acceptiones inueniuntur apud τοὺς ἔξω. Ex iis verò media videtur maxime propria. Indicant hoc veterum de eius etymo opiniones siue a *cælando* dicatur, quia *sideribus cælatum*: siue a *celando* hoc est, *tegendo occultandoque*, idque vel κατ' ἀντίφρασιν, quia *minime celatum occultumue*: vel quia *reuera celatum*, quandoquidem etsi noctu conspicuum est, diu tamen *celatur*: siue etiam à *cauum*, quod à *chaos*. Triplicem, vel potiùs quadruplicem hanc originationem adfert Varro, lib. iv de L. L. Ac primam illam, quæ profecta ab Ælio Stilone, sequitur & Plinius, lib. ii. cap. iv. & Isidorus, lib. xiii. cap. iv. Sed

omnino puto. *cœlum* esse à κοῖλον, id est, *cauum*. Nempe vt à κόος dixere *cohum*, vel *couum*: sic a κοῖλον dixere *cœlum*. *Couum* autem veteribus idem ac *cœlum*, à κόος, *cauitas*, vnde κοΐαι apud Pherecratem & veteres Comicos pro *fiscella*, siue *vase sparteo*, quod Latini *aronem*, & *phormionem*, vocant. Hanc *cœli*, & *coui*, originem confirmant ea veterum poëtarum loca, quæ Varro adducit, vt comprobet. *cœlum* venire à Latino *cauum*: quæ ἐτυμολογία nimis dura est. Adfert autem Varro inter alia illud ex Ennij Andromacha, vel potius Andromeda:

Quæ caua cæli signitenentibus
Conficit bigis.———

Et illud Agamemnonis, apud eundem:

In altisono cæli clypeo.

Cauum enim clypeum. Quod si est à κοῖλον, patet, rectius *cœlum* scribi, per OE. qua de scriptura etiam in oratoriis diximus. lib. IV. cap. vlt. quod est de antiphrasi. Quod autem de *couo* dixi confirmatur eo, quod (vti Turnebus testatur, lib. XX. cap. XXIX.) in antiquis Varronis libris legatur: *Ego magis puto à chao couum*: non, vt in vulgatis, *cauum*. Solum ambigi possit, an non pro *couum*, legi debeat *cohum*, quomodo *cœlum*, à veteribus vocatum esse auctor est Festus. Sed & *cohum*, & *couum*, fit à κόος. A κόος, fit *cohum*, vt ab *æs*, *ahenum*, & *abenum*, dicimus: ab eodem fit *couum*, vt à δῖος, *diuus*; ab ὄϊς, *ouum*. Apud Varronem tamen esse retinendum *cauum* (quod etiam legas in antiqua Mediolanensi Aldina, aliisque,) plane euincunt Ennij loca, quæ mox subiicit Varro, & nos paullo ante adducebamus. De etymo satis. Quod vero *cœlum* pro *aëre* accipitur, id factum, quia est *cœlo sidereo* vicinus, nec vulgus inter huius & illius discernit naturam. Iunilius Episcopus Africanus, comment. in Genesin: *Post irradiatum sideribus cœlum, post impletum volatilibus aërem, qui ob viciniam cœli nomen meruit.* Sic vsus Maro, I. G.

———*Varium cœli prædicere morem.*

Vbi Seruius:

Cœli, id est: aëris. Lucretius.

———*in hoc cœlo qui dicitur aër.*

Similiter apud Tacitum legimus, lib. V. *Grauitatem cœli*, & apud Tranquillum, in Tiber. *Prouincias grauioris cœli.*

Coemiterium, κοιμητήριον, q. d. *dormitorium*. Ita apud Cretenses dicebatur ea pars ædium, in quam hospites dormitum dimittebantur: vt auctor est Dosiadas apud Athenæum, lib. IV. Sed Christiani vulgò quibus mors ipsa κοίμησις, siue *dormitio*, nuncupatur. hinc *sepulturæ locum* dixere κοιμητήριον; Vnde Gallis est suum *Cemetiere*. seu *cimetiere*.

Coena, planè persuasum habeo, venire à Græco κοίνη, quod *cœnam*, *epulum*, ac ἀκοίτην *cibum*, notat. Vsi Philoxenus, Epicharmus, Hesiodus, alij. Vide quæ de eo Athenæus scribit. Nec absurdè tamen illi, quibus *cœna* dici putatur, quasi κοινὴ, ob κοινωνίαν seu *communionem vescentium* vt putat Lamprias, apud Plutarchum, lib. VIII. Sympos. probl. VI. & Isidorus scribit, lib. XX. cap. II. Quos si sequimur, ipsa vox indicat, veteres Romanos solitos simul cibum capere, contrà quam moris erat veteribus Græcis, quos Athenæus ait consueuisse μονοφαγεῖν. Loquor autem de tempore non vespertino, sed meridiano. Nam (quod contra Isidorum Festus ac Nonius in *prandium*, & *cœna* docent) veteribus *cœna* dicebatur, quod nunc *prandium* vocamus, quódque nobis *cœna*, hoc iis dicebatur *vesperna*. Vsus hoc pacto *cœna* vocabulo Terentius Eunuch. *Rogitare ad cœnam vt venias.* Porro quia *cœna*, vti vox indicat, propriè est *communis conuiuarum victus*, hinc, vt Plutarchus narrat, præfat. in lib. VII. sympos. festiuus quidam homo negabat se cœnâsse, si cœnasset solus. Nam edisse se, non cœnâsse dicebat. De *cœna* apud antiquos horâ, de cœnâ rectâ, cui sportulæ opponebantur, de cœnâ augurali, aduciali, dapali, Saliari, Cereali, & aliis generibus cœnarum, vide Fuluium Vrsinum, appendice de Triclinio. Veteres pro *cœna*, dixere *cæsna*, vt *dusmus* pro *dumus*; *casmo*, pro *camo*. Sed Sabini Festo teste, pro *cœna*, vel *cæsna* dicebant *scensa*. pro quo in quibusdam MSS Paulli codd. est *sensa*: sed perperam. Fortasse autem Sabini dixere *scesna*: quod propius ad *cæsna* accedit: vnde *silicernium* pro *sili-esitum*, hoc est, *silens* vel *in silice cœna*. Nihil tamen mutare ausim, quia & *scensa* est in schedis Festi Farnesianis. A *cœna* est *concœnas*, qui vna cœnat. Gloss. vett. *concœnas*, ὁμόδειπνος. Lucillius: *Tapulam rident leges, concœnas Opimi.* Ita legendum puto apud Festum, in Tapullum, non *congerra* quod Scaligero placuit. Nam puto *concœnas* prætulisse, quia meminit legis *Tapula*, hoc est, *conuiualis*, vt Festus interpretatur; cui nomen planè puto esse à *tafel* vel *tapula*, hoc est, *mensa*, quam Belgæ hodiéque inde *tafel* vocant. Ab *cœna* quoque est *incœnis*, quod antiquum est pro *incœnatus*. Plautus. Casinâ, IV. 2.

———*Illa autem senem*
Incœnem extrudere cupiunt ex ædibus.

Quo loco primus Camerarius ex *incœnem* fecit *incœnatum*, quod hodiéque in vulgatis obtinet, contra antiquorum, & MSS^{torum}, & prælo excusorum, fidem. Sunt eiusdem quoque originis, *cœnatio*, & *cœnaculum*. Vtrumque locus fuit, in quo *cœnabatur*; sed *cœnatio* erat diuitum: vnde Iuuenal.

———*Et algentem rabiat cœnatio solem.*

Dicebatúrque *cœnatio* eâ formâ, quà *ambulatio* vocabatur locus, in quo ambulare solent; & *gestatio* locus, in quo sanitatis caussa gestabantur. *Cœnaculum* vero erat pauperum, vnde idem Iuuenalis,

———*Lateranorum obsidet ædes*
Tota cohors, rarus venit in cœnacula miles.

Nam sententia est, militem rarò accedere ad pauperes, qui in conducto habitant. Nam propriè erant *cœnacula* loca altiora domus: vnde Festus, siue Paullus: *Cœnacula sunt, ad quæ scalis adscenditur.* Nec putandum, *cœnaculum* fuisse vnicum cubiculum: nam & cellulam habebat & alias appendices. Quia verò *cœnacula* hæc conducebantur a pauperioribus, inde est quod, qui formâ dicimus *argentariam facere*, eadem in Digestis *cœnaculariam facere* dicantur, qui integras ædes conducebant, posteàque *cœnacula* singula pauperibus locabant, quo lucrum facerent in summam. Græcis *cœnaculum* dictum ὑπερῷον; quæ res occasionem præbuit fabulæ de Ledæ liberis, ex ouo ortis. Marcus Euangelista. cap. vlt. ἀνώγεον appellat. *Cœnaturio* est à *cœnatum*. Malè id negat Iul. Scaliger. lib. de caussis L. L. cap. CXXIII. Censet autem is, huiusmodi omnino venire non à supino, sed à participio actiuo, quale est, *cœnaturus*. Sed hoc si esset, *cœnaturio*, *cacaturio*, similiáque, dicerentur penultimâ productâ, contra quam scimus a poëtis fieri solere. Tantum ponam Martialis illud:

Cœnaturit Vacerra, non cacaturit.

Quare hîc puerilis lapsus est. Ac mirum, Becmanum hac in re adstipulatum Scaligero. Ponamus & vnum alterúmque compositum. Tale est *domicœnium*. Martial. lib. V. epigr. LXXIX.

Si tristi domicœnio laboras,
Turani, potes esurire mecum.

Item *antecœna*, & *antecœnium*, quo significatur *promulsis*, siue *gustatio*, hoc est, *primus cœnæ missus*. Ita vsus Macrobius, cum ex indice Metelli Pontificis scribit. lib. III. Sat. cap. XIII. *Cœna hæc fuit. Antecœnam, echinos, ostreas crudas, quantum vellent*, &c. *In cœna summa, sinciput, aprugnum*, &c. Isidorus, lib. XX. cap. II. *Merenda est cibus, qui declinante die sumitur, quasi post meridiem edenda & proxima cœnæ. Vnde & antecœnia à quibusdam vocabantur.* Siue, vt in aliis est, *antecœna vocabatur.* Ioannes Saresberiensis, lib. VIII. cap. VII. *Nam & ipse* (Metellus Pontifex) *famosam, imò infamem, fecit cœnam, & antecœnam, vel, vt ait Portunianus, paracœnium, tantâ instruxit luxuriâ, vt non modo splendorem cœnæ ciuium, sed etiam Ægyptium luxum excederet.* Similiter *procœnium* dixere, quod in veteri Glossario exponitur ἄριστον. Vt *pomeridianus*, ita *pocœnium*, dixere; duæ vltimæ consonæ in *Post* pereunt: vti & in *trans* fit, cum dicitur *tradere*, & *tralatio*.

Coenobium, à κοινὸς, id est, *communis*; & βίος, id est, *vita*. Beda de Orthogr. Κοινὸν *Græce commune dicitur, vnde cœnobium communis habitatio appellatur.*

Coenum, à κοινὸν, non quà commune, sed quà μεταληπτικῶς notat *sordidum*, quomodo Marcus Euangelista. cap. VII. ait κοιναῖς χερσὶν, hoc est, *immundis*, *illotis*. Confirmat hanc originem, quod à κοινόω, quà notat *polluere*, seu *contaminare*, venit verbum *cunire*, quod Festus interpretatur, *stercus facere*. Nam prius fuit *cœnire*: sed æ in u conuersum, quomodo à *mœrus* est *murus*, à *pœna impune*, &c. Quod si hæc etymologia displicet, eo quod magis ex Hebrææ linguæ, quàm Græcæ, consuetudine τὸ κοινὸν opponatur τῷ ἡγιασμένῳ, possis vocis *cunio* originem deducere a *cunis*, vt propriè *cunire* dicatur de infantibus cunas stercore fœdantibus. A *cunire* Festus quoque deducit *inquinare*. Sed fortè veteres dixerint *inquere*, vel *inquare*: vnde fit *inquinare*. Vide *Inquino*. At quod apud Perottum legas, *inquinare* fortè dici à *culo*, eâ nempe ratione, quà à *colo* est *inquilinus*: id planè est insulsum. Puto autē, *cunire*, non speciatim notasse *excernere*: sed generatim, *polluere*, *fœdare*. Indéque etiā mulieres dicuntur *ancunulentæ*, ab *am*, & *cunio*, vt finget. *circumquaque inquinatæ*. Festus. *Ancunulentæ feminæ menstruo tempore appellantur: vnde trahitur inquinamentum.* Vbi MS^{tus} vnus *anculumentæ*, per M, & traiectis literis. Sed perperam. Quod si *conquinisco* propriè sit *inclinare se ad exonerandum aluum*, hoc quoque videri possit venire à *cunio*. Multorum sanè opinio, sic vocem hanc accipi à Plauto, Cistell. act. IV. I. *Faciundum est puerile officium, conquiniscam ad cistulam.*

stulam. A *cunio* autem fuerit *cunisco*, hinc *incunisco*, siue *inquinisco*. Nam Q & C eadem sunt litera, & vbi veteres *V*, posteriores *I* maluerunt, vt pro *optumus*, *optimus*; pro *sacrusicare*, *sacrificare*. &c. Vtrumque etiam factum in *inquinare*, si id quidem à *cunire* est, vt censet Festus. Sed obstat huic etymo, quod *conquinisco* generalis vox est: vnde Nonius ἀπλῶς interpretatur, *inclinare se*. Sanè in Plauti quoque loco non *alui exoneratio* per puerile officium intelligi debet, sed scelus id, quod à pueris exigebant pæderastæ, neque alia quam generalis illa interpretatio locum habet in hoc Pomponij Atellana:

——simul introiueni, accessi ad patrem; prendi manum
In terra vt cubabat nuda.
Ad eum vt conquexi, interim mulieres
Conspiciunt.——

Aut illo Plauti, Pseudol. Act. III. sc. II.

Si conquinescet istic, conquiniscito simul.

Quamobrem agnosco quidem, *conquinisco* esse à *cunio*, sed non qua notat *stercus facere*, & fortè à κοινῶ, vel *cunu*, venit: sed qua significat, *cernuare*, siue *inclinare*; ac originem trahit à κύνειν, vnde προσκυνεῖν; dicitúrque de iis, qui coram regibus virísque principibus sese *cernuant*, siue *inclinant*, reuerentiæ caussâ. Propriè tamen κυνεῖν de salutatione, quæ fieret osculo, à κύω, quod est *osculor*. Hoc sane ἔτυμον eius esse, etiam censet Varinus. Ianus Auratus, & Simon Bosius, putabant, *conquinisco* corruptè dici pro *conclinisco*: vt eiusdem originis sit, ac *inclino*. Sed obstat librorum omnium auctoritas. Aliqui volunt esse à *genu*, pro *congenisco*: quasi *cernui* semper *congenuent*: vel id stantes erecti etiam non faciunt.

Coepi, ab antiquo *cœpio*, de quo in libris de Arte diximus. *Cœpio* ex *capio* venire, verisimile facit significationis & literarum similitudo. Sanè *cœpisse* nihil aliud est, quam *incepisse*.

Coeruleus, quasi *cæluleus*. Nam propriè est is color, qui *cælo* inesse videtur. Quod qua ratione fiat, cum *cælum* coloris sit expers, exponit Scaliger, exercit. LXVI. mem. I. Græcè dicitur κυάνεος, à κύανος, quod Hesychius exponit, εἶδος χρώματος ἐοικὸς ... *Cyaneus* pro *cæruleo* legas quoque apud Maronem, in Ciri; Valerium Catonem, in Diris; Plinium lib. X. cap. XXXII. Sed ponitur κυάνεος etiam pro *nigro*: vt Hesychius docebit. Non tamen ἁπλῶς *nigrum* signet, sed colorem *purpura nigra*. Cælius Calcagninus, in epistolicis quæst. lib. I. epist. XXXIII. ait scriptores vocabulo *cærulei* abuti, ac ad propinquam significationem trahere: propriè vero sic vocari colorem, quem virides ac luxuriantes adhuc segetes repræsentant, qui ita viridis est, ab humoris tamen fœcunditate multum nigroris mutuetur. Porrò vt *cæruleus*, ita & *cæsius*, color. de colore *cæli* quasi *cælius* dicitur; vt Nigidius ait apud Agellium, lib. II cap. XXVI.

Cogo, factum ex *coago*. Eadémque ratione ex *coagito* fit *cogito*, vt est apud Varronem, lib. V. de L. L. & Festum, in *Cogitatio*. Quippe *cogitatio* nihil aliud est, quàm curarum congregatio, siue rerum in animo nostro agitatio ac comparatio. O & A concrescunt in O longum, quomodo pro ὁ ἄκρος dicunt Græci ὤκρος pro ὁ ἄριστος, ὤριστος, &c. A *coago* est *coagulum*: quo vsus Varro, eleganti hoc carmine, apud Nonium in *Coagulum*:

Vino nihil iucundius quicquam eluit,
Hoc ægritudinem ad medendum inuenerunt.
Hoc hilaritatis dulce seminarium.
Hoc continet coagulum conuiuia.

A *coago* quoque est *coagmentum*. Nonius: *Coagmenta dicta sunt coniunctiones arctæ & compares, à cogendo, id est, stringendo, vnde & coagulum dicitur.* Vsus Plautus Mostell. act. III. II. Inde *coagmentare*, quo Ciceronem in Catone vsum ostendit Nonius. A supino *coactum*, tum *coactilia* dicuntur; de quibus separatim: tum *coactores*; qui quomodo ab *argentariis* differant, docet hic locus veteris Horatij interpretis ad sat. VI. lib. I. *Coactores mercenarij erant eorum qui habebant argentariam: Argentarij, qui habent summam rerum venalium. Coactores etiam dicuntur argentarij in auctionibus, quia pecunias cogant, qui & collectarij nominantur. Argentarium etiam dicimus, qui summam habet oliuarum, & rerum similium, à quo accipiunt foranei. Coactor qui exigit nummos à circumforaneis.*

Cohivum, an *coniuum*, dicatur *folliculus rosæ clausus*, non satis liquet. Nam in Philoxeni Glossis nunc legas, *Cohiuum*, κάλυξ, ῥόδου μεμυκός; nunc, *Coniuum*, κάλυξ ῥόδου μεμυκός. Si *cohiuum* placet, fit à *cohibeo*, quia *cohibetur*, hoc est, *clauditur*. Sin *coniuum* malis fuerit à *conieo*, seu *conniueo*. Pro quo est, quod, vti vidimus, exponitur ῥόδου μεμυκός. Nam *conniueo* in iisdem Glossis exponitur, μύω, καμμύω. Quemadmodum autem in Philoxeni Glossis, & *cohiuum*, & *coniuum*, legas: ita in Glossis Isidori, & *cohibuli*, & *conniuoli*, legas, exponitúrque vtrumque, *concordes coniuncti*. Sed apud Festum est, *Coniuola*, *occulta*. Id probè conueniat cum eo, quod *clausum rosæ folliculum*, à *conniuendo*, *conniuum* dixere: vnde similiter fit *coniuola*, hoc est, *clausa*, eóque *occulta*. Nec tamen hæc constans MS^torum^ lectio, cùm in iis etiam legatur *conuiola*: duarum traiectione literarum. Quod si rectum, erit à *cum*, & *via*. Num dicemus, occultius patrari aliquid in triuiis & quadriuiis, quia facilior fuga? Sed profecto, hoc est, vt dicunt, ex accidenti. At per se nihil iis vulgatius, quæ in triuiis & quadriuiis fiunt. Apud eundem Festum, etiam in MS^tis^, legas: *Contuoli, oculi sunt in angustum coacti conniuentibus palpebris.* Vbi Scaliger *coniuoli* legit, & satis verisimiliter, cùm sequatur, *conniuentibus oculis*. Fortasse tamen & *contuoli* possit defendi, vt à *contuendo* dicantur *oculi contui*, & ὑποκοριστικῶς *contuoli*: quia *conniuent*.

Cohors militaris, iuxta Isidorum, lib. XV. cap IX. vel à *coarto* dicitur, quod quæ interius sint, *coartet*: vel à *coertio*, quod quæ interius sint, *coerceat*. Aliis *cohors* militaris videtur nomen accepisse à *cohortando*: rustica autem à *coercendo*. Ita Velius Longius: *Et cohortes æque ex coercendo ex eodem loco dictæ sunt. Et eam differentiam quidam esse voluerunt, vt cohortes militum cum aspiratione à mutuâ hortatione dicantur.* Et aliquot pagellis pòst: *Talis quæstio est circa cohortes, & cortes: vbi diuersam esse voluerunt Grammatici, vt cortes villarum, vnde homines coriantur pariter. Oriri enim apud antiquos surgere frequenter significabat, vt apparet in eo quod dicitur:* Oriens consul magistratum populi dicat: *quod est surgens: at cohortes militum à mutua cohortatione. Nam cortes audimus quidem vulgo, sed barbarè, dici. De superiore differentiâ mihi aliud videtur, quod, cum superiùs de aspiratione loquerer, ostendi, id quoque illum sibi locum fecisse, cùm alioquin non desideraretur: vt in vehemente, & in reprehenso, cùm veemens, & reprensus, sine aspiratione emendatiùs dicatur. Nam tam militum, quàm rusticorum, cohortes sunt. Siquidem & milites è rusticis, & ex eiusdem regionis hominibus, conscribebantur, vt & agnoscere & tueri inuicem possint, quod genus etiam vtilitatis apud Homerum est, quia ait:*

Ὡς φρήτρη φρήτρηφιν ἀρήγῃ, φῦλα δὲ φύλοις.

Sanè vanum esse, quod de vario etymo pro significationis diuersitate argutantur, sensit & Varro, lib. IV. de L.L. vbi ait: *Cohor, quod vt in villa, ex pluribus tectis coniungitur, & quiddam fit vnum: sic hæc ex manipulis copulatur cohors. Quæ in villa dicta, quod circa eum locum pecus coërceretur.* Vbi rectè ait Varro, *cohortem* militarem, ob similitudinem, à *cohorte* villica hoc nomen accepisse. Sed in eo tamen lapsus, quod *cohortem* villicam à *coercendo* dici putauit. Minùs dura fuisset originatio, si dixisset *cohortem* à *coertendo* esse, priúsque fuisse *coortem*, posteà insertam adspirationem, vt in *vehemens*, *ahenum*, & & similibus. Sed vera meo iudicio originatio est, quam H. Stephanus, in Thesauro; Ios. Scaliger, in coniectaneis; Iustus Lipsius, lib. II. de militia Romana dialog. IV. & Petrus Nunnesius, in Grammatistice, adferunt: vt *cohors* villica sit à χόρτος, hoc est, περίφραγμα, siue περιχώρημα, seu περίβολος. Sanè Varro quoque (si vera Scaligeri emendatio) hoc etymon agnouit. Nam verbis, quæ ante ex eo apponebamus, continuo hæc subiicit: *Tametsi cohortem in villa Hypsicrates dicit esse Græcè* χόρτον *apud poetas dictam.* In Romana editione est κῶρτον, vox nihili. Pro eo rectè Scaliger χόρτον. Nam Græcis sic dicebatur, quicquid in anteriore domo, vel villa, clausum septúmque esset: vnde Hesychius interpretatur περίφραγμα τῆς αὐλῆς. Possis & dicere, *cohors* non ἀμέσως esse à χόρτος, sed ab *cum*, & *hortus*, quod à χόρτος, vt significet σύγχορτον q. d. *consepta* siue *tecta*, & *hortum*, *eodem septo comprehensa*. Nam, vt ex Varrone vidimus, in villa *cohors* ex pluribus tectis coniungitur. Integra *cohortis* voce vsus Ouid. lib. IV. Fast. de Vulpe:

Abstulerat multas illa cohortis aues.

Sed vsitatius pro eo κατὰ συγκοπὴν legas *chors*: siue *cors*, vel *curs*: vt apud Varronem, cuius tria loca adducit Nonius, in *Cortes*, quod exponit, *villarum intra maceriam spatia*. Nunc vulgo *cors* dicimus. Sed *chors* est in libris vett. vt apud Martialem:

Rauca chortis aues.

Ac similiter de militari legas, in Gruterianis veterum inscriptionum collectaneis, pag. CCCLXXXVII. inscript. VIII. Tralationis caussa est, quod vti *villica*, ita *militaris* etiam, *cohors* rotunda esse soleat, quomodo *globus militum* dicitur: indéque & σπεῖρα appellatio: vt Appiano, σπεῖρα στρατηγίς, *cohors prætoria*. Suidas: Σπεῖραι, πλῆθος στρατιωτῶν, φάλαγγες. Vide *Spira*.

Cohum, nunc *lorum* notat, nunc *cælum*. Festus: *Cohum, lorum, quo temo buris cum iugo colligatur, à cohibendo dictum.*

Cohum poetæ cælum dixerunt à chaos: ex quo putabant cælum esse formatum. Cohum igitur cum *protelum* signat, quasi *cohibum* dicitur per crasin, vt a *dehibeo* & *prahibeo*, *debeo* & *prabeo*, de *protelo* vide suo loco. At *cohum* pro *cælo* vsurpat Ennius, vt quidem in veteri se membrana inuenisse ait Scaliger, ad Festum in *Cohum*:

———Pilam vix
Sol mediam complere coham terroribus cæli.

Vbi alij maluut, *cohum terroribus audet*. Putabat Verrius ea significatione *cohum* esse à *chaos*. Sed magis placet, esse à κόος pro *cauitate*. quod eiusdem originis est ac κοῖλον, vnde *cælum*. Nisi magis placet cum aliis deducere à בהו, *bohu*, quod initio Geneseos habes: nempe mutato ב in כ: quomodo & à ברא *bara*, censent esse *creo*, & *creare*.

Colaphvs, κόλαφος, pro quo Attici malunt κόνδυλος, teste Eustathio. Qui & κόλαφος dici ait à κόλον ἀφάσσ, id est, *mirum*, vt κόλαφος sit, ὁ μεγάλως ἁφὴν ἔχων; Sed simplicior deriuatio est à κολάπτω, quod est, *tundo*, & *tundendo excauo*, vt auis rostro, faber malleo. Κολάπτω, est ab Hebræo כלף, quod idem significat: vnde & *clauum*, ac *clauа*, vt suo loco ostendimus. A κόλαφος exigua immutatione factum *alapa*. Nisi malis esse ab על אף, *al aph*, hoc est, *super faciem*. Vel ab ἀλαπάζω, quod est, *vacuo*, *vasto*. Vsus præter alios Tertullianus, de spectaculis, vbi *alaparum contumelias* dixit, quibus vtebantur in manumissione: vnde Claudianus *iniuria felices* appellat. At non tales, quas gnathones & parasiti perpetiebantur ventris caussa: vnde *alapi* vocabantur: vt est in veteri Glossario. Imo in Glossis quoque Isidori est, *Alopus, qui propter mercedem alapas patitur*. Vbi *alapus* legendum, satis liquet. At ἀλωπὸς aliud est nempe ἀλωπεκώδης, πανοῦργος, vt Hesychius exponit. Pro *alapa* etiam dixere *salapitta*. Vett. Gloss. *Salapitta, ῥάπισμα*. Vsus Arnobius, lib. VII. Vide *Salpinctа*.

Colicvs dolor, à Græco κῶλον, siue κόλον, quo quid significetur, ostendit iste Plinij locus, lib. XI. cap. XXXVII. *Media*, inquit, *hac* (aluus) *vmbilico annexa, in omnibus in homine suilla infima parte similis: à Græcis appellatur κῶλον, vbi dolorum magna caussa est*. Vbi κόλον per O scribere malim. Sanè Obertus Giffanius, Indice Lucretiano, censet, tantum κόλον dici, quomodo, inquit, in Philonis elegia legitur apud Galenum, lib. IX. De composit. medic. per singulas corporis partes:

Εἴτε κόλον πάσχει τι ἀναξ ἔδθιν, εἴτε τι ἧπαρ.

Eodémque modo, in Damocratis versibus (quos apud eundem Gal. eiusce operis extremo lib. VIII. legere est) scribi gemino in loco debere, metrum ostendit: vbi in Aldina priori quidem loco, κῶλον; altero rectè κόλον, scriptum est. Prætetea Hesychius κόλον exponit ἔντερον, & Pollux inde deducit κολάζειν. Denique etiam Serenus Sammonicus, cap. XXXII. ait:

Cum colon inuisum morbi genus intima carpit.

Etiam in veteri suo Lexico κόλον se scriptum inuenisse testatur H. Stephanus. Quare etsi idem Stephanus scribat, sæpius κῶλον per Ω scriptum inueniri, κόλον tamen vbique legendum arbitror. Hac propter nec intestinum hoc ex eo *colon* dici puto, quia Græci κῶλον vocent *membrum*, intérque ea non infimum sit hoc intestinum: sed potius à *cauitate*. Nam κοῖλον, *cauum*, vnde ventrem ipsum τὴν κοιλίαν, vel τὴν κάτω κοιλίαν, appellant. Esséque à κοῖλος puto etiam Belgicum *hol*, quasi *chol*.

Coliphivm, siue, vt nonnulli scribunt, *Colliphium*. alij exponunt panes cum recenti caseo commixtos: alij panes ἄρτους, & carnes assas, quibus Pythagoras athletas vti docuit. cùm antea ficis vterentur. Dictum *coliphium*, vel quia eo vterentur ad vires firmandas, nempe ἀπὸ τοῦ κώλου καὶ ἶφι, hoc est, *membrorum robore*: vel à κόλλιξ, quod erat genus panis subcineracei ac rotundi. vnde Aristophani κολλικοφάγοι. Vsurpat Plautus, Persa. act. I. sc. III.

Collyra facite vt madeant, & colliphia
Ne mi hac incocta detis.

Item Iuuenal. Sat. II.

Luctantur pauca, comedunt coliphia pauca,
Vos lanam trahitis.———

De κόλλικος voce, vide quæ dicimus in *Collabus*.

Collabi, vt ex Suidâ discimus, erant pastilli maiores, figuræ quadrangulæ, eóque modo vsus apud Athenæum Philyllius, in αὐλῷ (ita ad νεφέλας Aristoph. legendum monet Septimius Florens, pro quo in vulgaris codd. est αὐτῇ) his versibus: τρεῖς ὀνήσεις τραγήματα. χαλκοῦ χελώνας κολλάβους θερμούς. Ita autem dicuntur, quia facti instar clauorum citharæ, circa quos tenduntur nerui; qui *claui*, Suidâ teste, propriè κόλλαβοι, & κόλλοπες, dicuntur. quia bouis spinæ pars, dicta κόλλα & κόλλοψ, vnde κολλᾶν, *ita tangere vt ægre diuellas*, indéque exoleti dicti κόλλοπες. quia nempe in ea κόλλα iam induruerint: quemadmodum monuit idem Florens Christianus. Alciatus legit apud Plautum, Trinummo:

Ne bubuli collabi (vulgati *cottabi*) *in te crepent.*

& interpretatur *collabi*, nerui, quibus cæduntur terga seruorum.

Collis, à *colendo*, vt quidem sensit Varro IV. de L.L. *Quod primum ex agro plano fructus capiebant, Campus dictus, postea quam proxima superiora loca colere cœperunt, à colendo Colles appellarunt*. Sed verisimilior est sententia Ios. Scaligeri, & Petri Nunnesij, deducentium à Græco κολώνη; Nam κολωνός, & κολώνη, idem sunt quod *collis*. Homerus, Il. β.

Ἔστι δέ τις προπάροιθε πόλιος αἰπεῖα κολώνη

Vbi Scholiastes interpretatur γεώλοφος, ἐξοχή, τόπος ὡς ὕψος ἀνέχων.

Collvcare, siue *conlucare*, Festo teste, dicebant, *cùm profana sima rami deciderentur officientes lumini*. Vbi iccirco ait *profana silua*, quia Deo sacræ erant iciduæ. Simul ex allatis verbis liquet, *conlucare* esse à *luce*. Nam *collucando* silua fit lucida. Vsus Cato, de R.R. cap. CXXXIX. *Lucum conlucare Romano more sic oportet*. Item Columella, lib. IX. cap. vlt. *Neque terram aperire, neque arborem collucare*.

Collvm, si Perotto credimus, dicitur à *colendo*, quia monilibus *colitur*, hoc est, *ornatur*. Sed potiùs *collum*, siue (vt veteres, qui consonas non geminabant, scripsere) *colum*, est à Græco κῶλον, κατ' ἐξοχὴν, quia nobile sit illud membrum, cui sacrum caput innititur. Contra Græcis κῶλον κατ' ἐπικρατείαν, *extantes corporis rami* dicuntur, & præcipue *pedes*, Eustathio teste: vel τὸ ἐκ μηροῦ καὶ κνήμης, vt interpretatur Iul. Pollux. A *collum* est *collare*, vel *collarium*, vinculi genus, cui *collum* inseritur. Ab eodem est *decollare*, vt Græcis à κεφαλὴ ἀποκεφαλίζειν. Apud Matthæum, cap. XIV. vbi de Iohanne. A *ceruice* similiter *deceruicare* dixit Sidonius, lib. III. epist. III. Sed & *decapitare* dixere posterioris æui scriptores. *Decollandi* verbo vsus Fenestella, lib. II. Epitomarum: *Quemadmodum Cæsar à piratis captus sit, vtque eos ipse postea ceperit & decollauerit*. Citat Diomedes, in primo atque addit, veteres dixisse tales *securi cæsos*. Ibidem, de altera huius vocis notione agit. qua *decipere* significat, quomodo Plautus, & Lucillius, vsi sint. E Plauto citat hæc verba: *Vna est decollauit*. Quomodo est in editione Putschij. Sed legendum, *Vna spes*. Respicit illum locum, Captiuis. Sc. *Miser homo est: Est mihi illic vna spes cœnatica. Si ea decollabit, redibo huc ad senem, ad cœnam asperam*. Idem, sc. *Qui illi dij: Si*, inquit, *fors decollassit, gladium faciam culcitarum*. Sumpta est tralatio ab iis, qui crumenam sibi de collo suspendebant, quæ si *decollaret*, hoc est, in collo esse desineret, emi nihil poterat. Contrarium est *succollare*, id est, *in collum attollere*. Nec desunt tamen, qui *decolare* malint vnico L: ex quorum mente à liquidis ea est tralatio. Nam hæc perfluunt per *colum*, hoc est, ἠθμόν. Sed omnino prius magis placet.

Collybvs, Gr. κόλλυβος, est ἀργυρίου ἀμοιβή, *pecunia permutatio*: vt exponit Pollux. Non tamen hæc propria primáque significatio. Primo enim notat *æreum nummulum*, cui *bos* esset impressus: vnde ab Hesychio exponitur, ὁ ἐν τῷ χαλκῷ κεχαραγμένος βοῦς; Sed quia minutis hisce nummulis permutaretur aurum argentúmque, hinc factum, vt generatim pro *pecunia permutatione* dici cœperit. Cic. Verr. III. *Ex omni pecunia, quam aratoribus soluere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant: primùm pro spectatione, & collybo: deinde pro nescio quo cerario. Hæc omnia, iudices, non rerum certarum, sed furtorum improbissimorum, sunt vocabula; nam collybus esse qui potest, cum vtantur omnes vno genere nummorum?* Quo in loco *spectatio pecuniæ* est eius probatio; *collybus* autem intertrimentum nummorum ex permutatione pecuniæ, quæ fieri solet apud nummularios, quia pecunia, quam quis habet, aut abrogata sit, aut non recepta in ea prouincia, in qua debeat expendi. Apud Suetonium quoque, in Augusto, cap. IV. legas hæc verba ex epistola Cassij Parmensis, Augustum taxantis: *Materna tibi farina: si quidem ex crudissimo Aricia pistrino hanc finxit manibus collybo decoloratis Nerulonensis* (al. *Nemorensis*) *mensarius*. Vbi *mensarius* dicitur κολλυβιστής, hoc est, ὁ τραπεζίτης, siue qui *nummos permutat*. Phrynichus, Menandrum culpans, qui voce κολλυβιστής vtatur, pro eo dicendum monet ἀργυραμοιβός. Sed eo (vt Pollux testatur, lib. VII. cap. XXXIII.) vsus quoque Lysias, orat. de aureo tripode. indéque κολλυβιστικὰ συμβόλαια, quæ vulgò *litera camby* appellantur, à *cambire*, quod Græci dicunt ἀνταμείβειν hoc est, *permutare*.

Collyrivm, oculorum medicamentum: atque ita propriè dicitur σποδιον, siue τεφρόν, hoc est, quod fieret è cinere, ac colorem cinereum haberet. Nempe à κολλύρα. Hesychius: κολλύρα, ψωμὸς ἄρτου ἐπὶ τῆς ἐν τέφρᾳ πεπλασμένου. Vnde & κολλύρα, & κολλυρίς, *panis* genus, quod in *cineribus* coque-

ferunt. Κολλύρα vocat Aristophanes, in εἰρήνῃ, cuius verba etiam Athenæus citat. lib. III. Sed apud Aristophanem κολλύρα scribitur, apud Athenæum κόλλυρα. Monet Aristophanis interpres, κολλύραν esse εἶδος τοῦ ἄρτου. Atque addit, τινὲς δὲ τὴν κολλύραν εἶδος ἄρτου, ὃ τοῖς παιδίοις δίδοασι. Erant autem tria collyriorum genera. Quædam ἁπλῶς dicebantur κολλύρια, quæ ex omni materia indifferenter fiebant. ξηροκολλύρια, cuius materia erant ξηρά, hoc est, arida, vt semina, fructus, aromata, aliáque huiusmodi: ὑγροκολλύρια, quæ componebantur ex ὑγροῖς, hoc est, humidis, vti liquoribus, succis, melle, oleo & similibus. Xerocolyrij vocem legas quoque apud Marcellum Empiricum, vt cum ait, Xerocolyrium ad lippitudinem initia. Vidimus de collyrio. Sed differt ab eo κολλύριον, & significatione, & etymo. Est enim medicamentum teres, sed superiori parte crassius, inferiori tenuius, ad modum caudæ muris truncatæ. Quod ex varijs rebus contusis fiebat, & fistulosis corporis partibus, velut meatui naris affectæ, vel aurium, item ano, vel vtero, immitti solet. Nomen quidem putant παρὰ τὸ κωλύειν, vel κωλύειν τὸ ῥεῦ, quia fluxiones sistat. Sed sæpius multo alios ad vsus adhibetur. Eóque verius est, sic dici a κολοβὸς mutilus, truncus, curtus, & οὐρὰ cauda. Κόλος verò ea significatione, quâ & κολοβὸς dicitur, est à κολούειν, truncare. Caussa nominis erit, quia formam habet caudæ truncatæ. Vide de eo Oribasium, lib. x cap XXIII vbi ex Antyllo colurijs tribuit figuram caudæ murinæ, ac soliditatem aliquam, vt oleo possint inungi. Meminit & Celsus lib v. cap. XXVIII. Satius, inquit est, vel papyrum intortam, vel aliquid ex penicillo, in modum collurij adstrictum, eo illinere. Paullò antè dixerat idem: Exque eo (emplastro) collyrium fieri debet, alterâ parte tenuius, alterâ paullo plenius, idque eâ parte, quâ tenuius est, alteram antecedente, demitti oportet in fistulam, donec sanguis purus se ostendat: quæ in omnibus fistularum collyrijs perpetua sunt. Galenus quoque, lib. v. τῶν κατὰ τόπους, de narium affectibus scribens, docet, ex certis medicamentis contusis læuigatisque coluriorum formas effingi debere, quæ ad nares ægroti proportionem habeant, inque naris affectæ meatum immittantur. Hinc colyrium κατὰ μεταφορὰν pro frustulo panis. Sidonius, lib. II. epist. II. Rotundatis fultæ colurijs. Vbi Sauaro colyrijs edidit. Sed colurijs rectè Salmasius, qui primus, vt puto, obseruauit, collyrij, & colurij, voces in libb. confundi.

Colo nunc primæ est, primámque producit; nunc tertiæ, eámque corripit. Coniungit Appuleius, lib. I. Florid. de Gymnosophistis agens: Non illi norunt aruum colere, vel aurum colare, &c. Vnum pro his omnibus norunt. Sapientiam percolunt; colare est ἠθεῖν, vnde percolare à quo percolatum vinum, οἶνος ἠθητός. Est colare à colum, quomodo vocatur vas, per quod vinum fluens colatur. Græcis ἠθμός. Maro, II. Georg.

——Tu spisso vimine qualos,
Coláque prælorum fumosis deripe tectis.

Colum niuarium celebrat Martialis, in Apophoret. dist. CIII. Erat id vas, cui niues inijciebant, inde vinum infundebant, vt vinum perfluens niuis frigus indueret. Diuersus ab eo saccus niuarius de quo, sequenti disticho, agit Martialis. Hic è corio fiebat: colum autem niuarium, vna cum vrceolis, inter vasa numeratur à Pomponio. L. in argento. D. de auro & argento leg. At colo, cum tertiæ est, qua notione terram, ac parentes, colere dicimus, venit à כלל, id est, absoluere, perficere, complere. Ab hac notione venit colonus, item colonia, de quo separatim. A composito eius incolo, est incola & inquilinus; quomodo dicitur, qui incola quidem est, sed domus alienæ, hoc est qui in ædibus habitat conducticijs: vt Isidorus docet. lib. IX. cap. IV. vbi inter inquilinos, & aduenas, eo distinguit, quod illi non perpetuo inhabitent, sed postea migrent: hi autem stabile habeant domicilium. Marius Victorinus, lib. I. cap. de Orthogr. censet ab inquilinus esse incola, Q in C conuerso, quomodo à quatio est concutio, secutus, à sequor. Sed falli patet ex ijs, quæ diximus. Refellit & Festus: Inquilinus, inquit, qui eundem colit focum, vel eiusdem loci cultor. Quæ lectio si recta sententia erit; Inquilinus conflatum esse vel ex in & culina, vel simpliciter ex in & colo: quod posterius verum est. Dicitur enim inquilinus, quasi incolinus. C in Q abire nil mirum, quando eadem sunt naturâ literæ, tantùm accidente differunt; vnde olim quoque dubitatum, Cum, an Quum scribi deberet: item Cur, an Quur, rectius esset; quemadmodum testatum facit Curtius Valerianus, apud Cassiodorum, lib. de ὀρθογραφίᾳ. Sed & alia multo plurima in vett. libb. ac monumentis occurrunt, in quibus hæ literæ promiscuè vsurpentur, eáque res crebrò Criticis iunioribus ansam præbuit sollicitandæ lectionis antiquæ.

Colobium, vestis genus, quo monachi & eremitæ vtebantur. Ægyptiorum fuisse monachorum habitum indicat Cassianus, lib. I. de habitu monachi, cap. XI. Græc. κολόβιον, à κολοβὸς, hoc est, mutilus, truncus, breuis. Nam, vt Isidorus indicat, lib. XIX. cap. XXII. colobium erat tunica manicis defecta, extantibus extra eam brachijs. Notum conuitium in Troianos, quod apud Maronem legitur, IX. Æn.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Vbi sic Seruius: Tunicæ vestræ habent manicas. Quod etiam Cicero vituperat dicens, manicatis & talaribus tunicis. Nam colobijs vtebantur antiqui. Quia vero colobium carebat manicis, eo nunc ἀπλῶς saccum, nunc lineum saccum, nunc tunicam saccineam, vocari videas, à Rufino, Hieronymo, alijs. Huiusmodi tunicis oppositæ Dalmaticæ: quæ manicas habebant: vt alibi dicimus.

Colocasion, vel colocasia, est faba Ægyptia. Quod Plinius quoque ostendit, lib. XXI. cap. XV. In Ægypto, inquit, nobilissima est colocasia, quam cyamon aliqui vocant. Vides ei esse integram plantam. At in Athenæi excerptis, lib. III. dicit Diphilus Siphnius, esse τοῦ κυάμου τοῦ Αἰγυπτίου ῥίζαν; radicem fabæ Ægyptiæ. Existimet aliquis, ob hosce auctores, vocem Ægyptiam esse. Sed obstat, quod Alexandrinorum ea vox sit, qui Græcè loquebantur. Eóque demum post tempora Alexandri cœperit. Ostendit hoc Athenæus, lib. III. vbi cum Nicandri de faba Ægyptia versus attulisset, subiungit continuo: ῥίζαν λέγει Νίκανδρος τὴν ὑπ' Ἀλεξανδρέων κολοκάσιον καλουμένην; radicem eius vocat Nicander, quam Alexandrini colocasiam nominant. Caussa nominis minus aperta. Nam alijs à κόλον, cibus, & κοσμεῖν, ornare: quia vt radicis vsus erat ad edendum ex insculo; ita ciboriorum ad epulas, & floris, ad coronas. Alij à κολὸν, siue κολοβὸν, mutilum, & κασᾶς, siue κασσᾶς, cuius diminutiuum κασσίον, pileus, aut lacerna ex lana coacta; aut etiam tapes. Hesych. Κασᾶς, ἀμφίταπος ἢ πίλημα. Arcadius: Κασᾶς τὸ πίλωτὸν μακρὸν ἐφέστρωμα. Pro lacerna verò equestri vsus Xenophon, lib VIII. Κύρου Παιδ. Est hæc sententia doctissimi Salmasij. Nempe vt κολοκάσιον sic dicatur ab amplitudine foliorum, quæ referant mutilam lacernam, aut tapetem. Quomodo κολόκυνθος dicetur, quasi κολὸν κύνθος; vt κολόκυμα Aristophani Equit. est μικρὸν κῦμα, quasi κολοβὸν κῦμα, vt Scholiastes indicat; & κολοκύνθη, μεγάλη· σικύα; vnde Hesychius exponit, μεγάλη, ἐχούσης [illegible] τοῦ [illegible].

Coloniæ, quid, & vnde, sint, indicant hæc Seruij verba, ad illud I. Æneid.

——Tyrij tenuere coloni.

Sanè veteres colonias ita definiunt. Colonia est cœtus eorum hominum, qui vniuersi deducti sunt in locum certum ædificijs munitum, quem certo iure obtinerent. Alij: Colonia est, quæ Græcè ἀποικία vocatur: dicta autem est à colendo. Est autem pars ciuium, aut sociorum, missa, vbi Remp. habeant ex consensu suæ ciuitatis, aut publico eius populi, vnde profecta est, consilio. Hæ autem coloniæ sunt; quæ ex consensu publico, non ex secessione, sunt conditæ. Ita legitur is locus in membranis Fuldensibus. Erat autem hæc coloniarum deductio multis nominibus vtilis. Quippe cum multitudine ciuium laboraret ciuitas, creari solent Triumuiri, qui certum ciuium numerum in loca certa deducerent, singulis agros & prædia assignarent: quâ re tum tenuibus atque obæratis ciuibus consulebatur, tum vrbi multitudine ciuium laboranti, tum vniuerso imperio, quia colonos constituebant loco ad hostibus resistendum idoneo. Quomodo colonia à municipio differat, docebit Agellius, lib. sextodecimo, capite XIII. Sed imprimis de colonijs eruditè & accuratè scribit Marcus Velserus, lib. quarto & quincto rerum Augustanarum Vindelicarum.

Colores, dicti iuxta Isidorum, lib. XIX. Orig. cap. XVII. Quod calore ignis vel sole perficiuntur: siue quod initio colebantur, vt summæ subtilitatis existerent. Prius etymon planè reijciendum. At non omnino displicet, vt à colo sit color, quia rei sit cultus, hoc est, ornatus perfectióque. Imprimis autem placet, esse vel à Chaldæo כחל, id est, colorauit: vel à Græco χρῶμα, colore: κατὰ μετάθεσιν, & N in L abeunte; quod crebrum. Duriusculè Becmanus deducebat à καλὸν, vel κάλλος, quia pulcritudo rei partim in partium συμμετρίᾳ, partim in colore, consistat. Priscianus à coloro vult esse color. Sed coloro contra est à color.

Colossus, est statua ingens, vt indicant hæc Plinij verba, lib. XXXIV. cap. VII. Moles excogitatas videmus statuarum, quas colossos vocant, turribus pares. Auctor Etymologici magni: κυρίως κολοσσοὶ λέγονται οἱ ὑπερμεγέθεις ἀνδριάντες. Quidam dictum putant à Caleti, vel Coleti, architecti nomine. Festus: Colossus à Caleto artifice, à quo formatus est, dictus. Sic habent quoque editt. vett. Mediolanensis anni CIↃIↃ. Aldinaque anni CIↃIↃXIII. Sed pro Caleto legunt quidam Coleto. Alij Colossum auctorem faciunt, Lycippi, vt aiunt, discipulum. Sed sunt hæc mera somnia. Auctor enim colossi Rhodij fuit vel Chares, vel Laches. Plinius ibidem: Ante omnes autem in ad-

miratione fuit Solis colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lyndius, Lysippi supradicti discipulus. Simonides in hunc *colossum*, lib.IV. Ἀνθολογ.

Τὸν ἐν Ῥόδῳ κολοσσὸν ὀκτάκις δέκα
Λάχης ἐποίει πηχέων ὁ Λίνδιος.

Nisi & hic pro Λάχης legere malis Χάρης, vt cum Plinio, Eustathióque conueniat. Sed hoc pacto & pro ὀκτάκις substituere possis ἑπτάκις, vt in hoc quoque consentiat cum Plinio Strabonéque, qui septuaginta faciunt cubitorum. Et sanè hoc pacto à quibusdam eos versus citari video. Verum hoc quidem vtut est, de *Colosso*, vel *Coleto*, aut *Caleto*, altum apud veteres silentium est. Quare rectiùs Etymologus, qui *colossum* sic dici scribit, quia ob nimiam altitudinem, oculorum frustraretur aciem. Verba eius apponam: Κολοσσὸς παρὰ τὸ κολούειν (ὅ ἐστιν ἐλαττοῦν) καὶ ὄσσε (τουτέστι τοὺς ὀφθαλμοὺς) διὰ τὸ μέγεθος, ὡς μὴ ἐφικνουμένων τῶν ὀφθαλμῶν ὁρᾶν. Censet igitur, esse ex κολούω, quod est, *imminuo*, *frango*: & ὄσσε duali pro ὄσσοι, quod est, *oculi*; nempe ab ὄσσω, quod est Æolicum pro ὄπτω; vnde Hesychius ὄσσεται exponit βλέπει, ὁρᾷ: item ὄσσει, βλέψει, ἰδεῖν. Ad verbum igitur *colossus* sonat *frangoculum*. Etymologi sententiam confirmat hoc Statij, Sylu. carm.I.

——Vix lumine fesso
Explores, quàm longus in hunc despectus ab illo.

Loquitur de equo Domitiani, qui *colosso* impositus erat; vnde, initio carminis, *molem* vocat *geminatam*:

Quæ superimposito moles geminata colosso
Stat Latium complexa forum, cœlone per auras
Fluxit opus? ——

Ita legi debere hunc locum, ex manuscripto Senensi, dixi alibi. At in vulgatis pro *geminata* est *gemmata*; pro *per auras*, *peractum*. Sunt qui ab *colosso* hoc dictas volunt *Colossas*. Sanè Suidas, in voce Κολοσσαεῖς (qui & alios multos in errorem induxit,) voluit *Colossenses*, ad quos scribit Paullus, eosdem esse ac *Rhodios*, noménque id à *colosso* sortitos. Sed nihil hoc ineptius. Nam *Colossa*, vnde *Colossenses*, oppidum fuit maioris Phrygiæ propè Laodiceam & Hierapolim, vt disertè docet Strabo, lib.XII. & Plin. lib.V. cap.XXXII. A *Colossensibus* quoque est *color colossinus*, κολοσσινός, cuius meminit Strabo propè extremo lib.XII. Vide de eo Cœlium Calcagnium, li.I. ep.XLVIII. Hermannus Lerbeccius, in Chronico Schouenburgico, *Colossum* putat dictum ab eo, quod *colat ossa*; cum, vt dicit, ex more veterum sepulcris impositi magnorum Virorum fuerint. Plura quæ addit ex Vincentio, & quo describat modo, vide apud eundem, pag.XXII.

COLVBER, Gelenio ita dici videtur, quasi κολοβὸς τὴν οὐράν, id est, *caudâ mutilus*. Atqui caudam habet, nisi cum resecta, vt, cum apud Ouidium, VI. Metam. in fabula Terei, & filiarum Pandionis, cum recisa Philomelæ lingua confertur,

——— Mutilatæ cauda colubræ.

Quare vel est à *colo*, quia nemora incolit: vel corruptum ex χέλυδρος. Id serpentis est nomen, aliterque vocatur, δρυΐνος, vel δρυΐνας, quia in cauis *quercubus* latibulum habere solet. Vel est ἀπὸ τοῦ κολυμβᾶν, quia *subeat cauernas*: quod postremum Cæsari Scaligero placuit, Comment. in lib.II. Hist. Anim. cap. XVIII. sect.CXXIII. Sed si placet esse à κολυμβᾶν, potius credam, propriè sic dici *chersydrum*. Nam κολυμβᾶν, *vrinare*. Et in Glossis Græcolatinis, Cyrillo tributis, legas: Ὄφις, *anguis*. Ὄφις χέρσυδρος, *coluber*, *cholierus*. Vbi sine dubio *chelydrus* reponendum. Nam idem *chelydros* ac *chersydros*. Ad verbum notet *testudinem aquaticam*.

COLVMBVS, & *columba*, vnde sint, non perspexit Isidorus, lib.XII. cap.VII. *Columba*, inquit, *dicta, quod earum colla ad singulas conuersationes colores mutent.* Nec meliùs Albertus M. cui sic dici placet, quòd *colat lumbos* multâ generatione. Verisimilius aliquanto Varro, lib.IV. de L.L. qui inter ὀνοματοπεποιημένα reponit. *De his*, inquit, *pleraque à suis vocibus, vt hæ; Vpupa, Cuculus, Coruus, Hirundo, Vlula, Bubo: item hæ, Pauo, Anser, Gallina, Columba.* Quamquam aliter idem, lib.III. de R.R. cap.VII. vbi à *columen*, hoc est, *culmen*, deducit nempe quia *propter timorem summa loca in tectis captet*. Sed examussim optimè Angelus Caninius, in Hellenismi Alphabeto, & Ios. Scaliger, in Coniectaneis, qui deducunt à Græco κολυμβᾶν, id est, *vrinare*: quoniam nempe talis est columbarum gestus. Græcis κόλυμβος aliud est, nempe auis aquatica, sic ab *vrinando* dicta, vt omnino eadem videatur ac mergus; qui, vt Ouidius canit, vers.ext. vnd. Met.

Æquor amat, noménque manet, quia mergitur illo.

Meminit eius Aristophanes Acharn. apud Athenæum, lib.IX. Vocatur & κολυμβὶς ab Aristotele, lib.VIII. Hist. cap.III. quamquam in vulgatis codd. sit κολυμβάς. Etiam *Columbaria* in naui, ab eopse verbo dicta, quòd per ea videntur remi eminentes κολυμβᾶν. Nisi magis placet Isidori sententia, cuius hæc verba, lib.XIX. cap.II. *Columbaria, in summis lateribus nauium loca concaua, per quæ eminent remi: dicta credo, quòd sint similia latibulis columbarum, in quibus nidificant.* Sanè & vinculi genus, quod, quia collum ei inseritur, *collare*, vel *collarium*, dicitur, alio nomine *columbar* appellatur vt Priscianus ait in V. Eius appellationis rationem hanc esse puto: quod foramen id simile esset foraminibus in peristerotrophijs, vbi *columbæ* nidificant. Nisi sit vocatum malis ob similitudinem *columbarium* in naui: atque his nomen fuisse à κολυμβᾶν, vti diximus. Ludit in *columbaris* voce Plautus, Rud. Act.III. sc.III.

Illic in columbum, credo, leno vertitur.
Nam in columbari collum haut multò pòst erit.
In neruum ille hodie nidamenta congerit.

A *columba* quoque est *columbatim*. Cn. Marrius apud Agellium, lib.XX. cap.IX.

Simúque amicam reficere frigidam caldo
Columbatimque labra conserens labris.

Vbi metri caussa pro *reficere* malim *reficit*. Sed fortasse nec *columbatimque*, sed *columbulatim*, legendum, ne secundâ sede sit spondeus. Est vero *columbatim*, seu *columbulatim*, idem quod *more columbarum*, quem & Martialis tangit, lib.XII. epist. LXVI.

Amplexa collum, basióque tam longo
Blandita, quàm sunt nuptiæ columbarum.

COLVMIS, propriè est *sanus*. Onomasticum vetus, *Columis, incolumis*, σῶος. Isidori Glossæ: *Columes, salues*. Vsus Plautus; indéque, addito præuerbio, *incolumis*; vbi *IN* est ἐπιτατικόν, vti in *inuinctus*, *incanus*, & similibus, de quibus alibi non semel dictum. *Columis* est à Chaldæo חלים, hoc est, *fortis*, *sanus*: quod à חלם, id est, *conualescere*, *pinguescere*. Ab homine igitur ad alia transfertur significatio: etsi aliter Isidorus, lib.X. *Columis à columna vocatus, eò quòd erectus & firmissimus sit.* Alijs placet *columis* esse à *columen*, siue *colomen*, vt antiqui scripsere, pro eo quod vsitatius *culmen* effertur. Ita propriè *columis*, siue *incolumis*, dicetur domus integra perfectáque, cui iam *columen*, hoc est, *culmen*, impositum, cuique id integrum ac saluum. Sed omnino est à Chaldæis, vti dicebamus.

COLVMNA, iuxta Nunnesium fuerit à κολώνη, *collis*. Puto potiùs, *columna* dici, quasi *columina*, à *columen*; qua de voce in *culmen* dicimus. Festus: *Columnæ dictæ, quod culmina sustineant.* Vitruuius, lib.IV. cap.II. *Columen in summo fastigio culminis, vnde & columnæ dicuntur.* Vbi sic Philander: *Nam propriè columnæ sunt arrectaria, quæ columen, id est, summum fastigium percurrens tignum, sustinent. Innituntur verò transtris; id est, transuersis trabibus: habent & capreolos, hoc est; proclinata hinc atque hinc ligna, quæ canterios sustinent.* A *columna* est *columnarium*, quo vsus Suetonius, in Augusto, cap.XL. Frustra est Beroaldus, cum contra veterum librorum fidem legere pro eo iubet *colluuiarium*, vt cloacæ designentur, per quæ colluuies & immunditiæ eiectantur. *Columnaria* autem dicuntur æstuaria quædam ac spiramenta: vt Philander, & Barbarus, rectè colligunt ex istis Vitruuij verbis, lib.VIII. cap. vlt. *Etiam in ventre columnaria sunt facienda, per quæ vis spiritus relaxentur.* Vbi nonnulli *colluuinaria* reponunt, à Beroaldo decepti; alij *columbaria*: sed nihilo rectius. *Columnaria* verò dicta, quod ad *columnarum* modum attolluntur: vt Bernardinus Baldus, qui & illud addit, huiusmodi *columnaria* propè Pisaurum ad viam Fanestrem spectari, *in veteri aquæductu nuper instaurato ad nouum & pulcerrimum fontem in medio foro.* A *columna* quoque est diminutiuum *columella*, apud Catonem, Ciceronem, Cæsarem, alios. Μεσοφορεῖς verò *columellæ* dicti Maiores Domus Serui, quos Heri negotijs suis præficiebant. Metaphoræ ratio est, quod his nitatur domus, tanquam *columellis*. Ita de Turno dixit Maro, XII. Æneid.

——— In te omnis domus inclinata recumbit.

Porrò, quæ de *columna*, & *columella*, vocabulo diximus, confirmantur his verbis Donati, Phorm. Act.II. I. *Columen, culmen, an columen, columna? vnde columella apud veteres dicti Serui Maiores Domus.* Lucillius, XXII.

Seruus neque infidus domino, neque inutilis quoiquam
Lucilli columella heic situs Metrophanes.

Et paullò pòst: *Columen verò familiæ sustentatio, vel decus vnde columna dicta. Columella* vero potiùs, quam *columnella*, dici nihil mirandum, quandoquidem veteres etsi *columna* scriberent, *columa* tamen exemto *N* pronuntiarent: vt scribit Quinctilianus, lib.I. cap.VII. Sed & nihil prohibet, à *columna* fieri *columella*, eliso *N*, quando à *monstrum* similiter dicimus *mostellum*, ac à *scamnum*, *scabellum*; vbi & *M* conuersum in *B*. Nam integrum esset *scamnellum*. In dubium tamen vocari possit,

Et, an serui etiam dicti sint *collumella* domus? Sanè Lucillij versum sic legere malebat Salmasius:

Lucilli columella hac situ' Metrophanes.

Vt sententia sit, Metrophanem Lucillij seruum, situm esse sub ista *columella* hoc est, cippo, qui in tumulo erigebatur, & nomen ac elogium defuncti continebat. Græci *columellam* siue *cippum* eiusmodi, στήλην vocant. Gloss. Στήλη, *cippus, tumulus*. Et sane hæc doctissimi viri sententia impensius placet. Satis enim laudarat Lucillius seruum, quod non fuisset domino infidus, neque mutilis cuiquam. At nimia laus fuerit in seruo, si dicatur *domus columna*.

Colvri, κόλουροι, circuli ducti per polos mundi, Æquinoctialem secantes in partes æquales, Zodiacum in inæquales: quorum duo præcipuè sunt illustres, vnus qui Solstitium ac brumam; alter, qui Æquinoctia, designat. Dicti κόλουροι, quasi κόλουροι τὴν οὐρὰν, *cauda mutili*. Nempe quia pars eorum nobis inconspicua est, & qua parte non videntur, *mutili* censentur.

Colvrnvs, literarum traiectione dicimus pro *corulnus*, à *corylus*, siue *corulus* per *V*, prout hanc vocem in antiquis codd. scribi tradit Pierius. Marius Corradus lib. II de L.L. dubitare videtur, sitne à *corylus*, an *cornus*. Sanè posterius probat & Festus. Sed à *corylus* deducit Seruius, in I. Georg. & Priscianus, extremo lib. secundo. *Colurni* voce vsus Maro, lib. II. Georg.

——Et in verubus torrebimus exta colurnis.

Cuius loci hæc sententia est: *Caper*, cùm Baccho immolatur, *colurnis* virgultis assari debet; quia ambo, & *caper*, inquam & *corylus*, vitibus obsunt: ille quia rodit vites, vt vel ex Ouidij Fastis notum; hæc quia obest, si iuxta vites statuatur: vnde Maro Georg. II.

Neue inter vites corylum sere ——

Colvs, ex Perotti sententia, à *colendo*, id est, *ornando*, quia mulierem ornat: vel quia neant hac ea, quæ ad ornatum pertineant.

Colvstra, siue *colustrum*, est lac nouum in mammis, hoc est, spongiosum illud lac, densumque, quod post partum esse solet. Auctores, lib. XXVIII. cap. IX. Palladius, in Nouembri, & è Grammaticis, Seruius, in V. Æn. Nonius, in *Colustra*: Isidorus, lib. XX. Orig. cap. II. & Glossis Latino-Græcis, quæ πυριάθη, siue πυριάτη, interpretantur. Id autem est τὸ πρῶτον γάλα Athenæo teste, lib. XIV. Dictum *colustrum* censeo à *coalescendo*, quasi *coalustrum*. Nam densum est & spongiosum, vt diximus. Vel eapse de causa sit à κολλᾶν, hoc est, *agglutino, adhæresco*, quod à κόλλα, *gluten*. Sanè alterutrum horum malim, quàm vt sit à κόλον, id est, *cibus*, quia primus is sit animantis *cibus*; vel quia *cibum* imitetur. Est *colustrum* planè noxium. In caussa est, quod tempore partus magna sit in corpore humorum perturbatio, quia praui humores bonis miscentur. Fuit tamen *colostrum* in delicijs apud Romanos. Martialis, lib. XIII. dist. XXXVIII.

Subripuit pastor, qua, nondum stantibus hædis,
De primo matrum lacte colustra damus.

Μισοφορεῖν vsus Plautus, Pœn. Act. I. Sc. II. *Meum mel, meum cor, mea colustra, meus molliculus caseus*. A *colostro* infantes *colostrati* dicuntur, qui statim à partu lac illud spongiosum suxerunt. Quamquam Plinius, lib. XXVIII. cap. IX. ita dicat vocari, qui nutrices sugunt, postquam concepere. Sed falli videtur.

Coma, κόμη. Id quibusdam dici videtur à κόπτειν, id est, *secare*: quâ nempe ratione *cæsaries* dicitur à *cædendo*. Id si placet, fuerit à præterito κέκομμαι. Nec ab his multum abeunt, qui deducunt à κείρω, hoc est, *tondeo*. Sic κουρὰ dicetur quasi κοερά. Alij censent, esse à κοσμεῖν, hoc est, *ornare*, quia comæ, animalium arborumque sunt ornamentum. Ita κόμην dicemus quasi κόσμην. Sunt etiam quibus placeat esse à κομέω, *curam gero*, quoniam studio excoli debeat, alioqui ea appellatione indigna. Primum etymon suggerit Isidorus loco citato: tria reliqua lego apud Etymologici magni auctorem. Primum etymon ex ipso Isidoro refellere possumus. Nam si, vt ipse ait, *comæ* propriè sunt *non cæsi capilli*, quomodo à κόπτειν dici possunt? Nisi fortè hic quoque à ἀντιφράσει aliquam somniat. Quod autem de hac vocis proprietate ait, caue id Isidori commentum putes. Nam & Seruius, v. Æn. ait, *comam propriè dici non cæsos capillos*: vt in Danielis Seruio legitur siue vt in Fabricij Seruio est, *non tonsos capillos*; quod secundum imprimis etymon respicit. Tertium etymon, quod & apud Eustathium legas, non displicet: eo quòd similiter à κοσμεῖν Latini dicant *comere*: quod de *comarum ornatu* plurimum vsurpatur. Vnde & multi à *coma* dici opinantur. Festus: *Comtus, id est ornatus, à Græco descendit, apud quos κοσμεῖν dicitur comere; & κόσμιος, quod apud nos comis. Et comæ dicuntur capilli cum aliqua cura compositi.* Quartum etiam improbare nolim: quod & secutus Artemidorus lib. I Oneirocriticôn, capite XX. Αἱ δὲ μεγάλαι μὲν, ... ἀλλὰ τραχεῖαι, ... πᾶσι ἀνθρώποις ... τε καὶ λύπας ἐπάγουσι. Κομᾶν μὲν γὰρ τὸ ... *At verò magni quidem, sed incomti capilli, quia non comæ esse videntur, sed potius pilositas & hispiditas quædam, hominibus omnibus anxietates luctus ac dolores.* Quippe κομᾶν est *curam gerere*. Ea ratio tamen à nullo horum est: sed ab Hebræo כמר, *corona*. A κόμη est κομᾶν, *comatus sum, comam nutrio*. Hinc κομήτης, *comatus, crinitus*, vt ἀστὴρ κομήτης, quam Latini *stellam crinitam* vocant, vt ait Cicero, lib. primo, de Nat. Deorum; & Plinius, libro II. capite XXV. Ouidius *stellam comantem* dixit. Sic enim ille, de Cæsare, in fine lib. XV Met.

Resque domi gestæ properataque gloria rerum
In sidus vertere nouum, stellamque comantem.

Sed sæpius tam Græci, quàm Latini, κομήτης *cometen* vocant.

Comes, à *cum*, & *eo*, qua forma ab eodem *comitia* dicimus. Sed quod posterioribus seculis dignitatis nomen fuit, id ex eo est, quia comitarentur ducem in bellum. Quales in palatio & prouincijs munus habebant. *Grauiones*, vel *Graphiones* vulgo nominant. Quod nomen & legas apud Paullum diaconum, lib. v. histor. Longobard. *Incomes*, quem nemo comitatur. Festus: *Incomitem, sine comite.*

Comis, & *comere* eiusdem originis videntur, nempe à κοσμεῖν, exstitit S. Festus: *Comtus, id est, ornatus, à Græco descendit, apud quos κοσμεῖν dicitur comere; & κόσμιος, quod apud nos comis.* Glossæ Philoxeni: *Comis*, κόσμιος. Vel sit *comis* à κῶμος, quomodo vocatur *compotatio ac luxuries amatoria*. Pro hac sententia faciunt Glossæ aliæ, vbi legas, *comiter*, ἐπικωμαστικῶς.

Comissari, an *commissari*, scribi debeat, non consentiunt. Gemino *mm* scribebat Victorius: vnico scribendum disertim monet Velius Longus, lib. de Orthographia. Sed omnino simplici *m* scribendum, siue, quod Festus putabat, sit à κώμη, hoc est, *vicus*, quæ mihi sententia parùm probatur; siue quod Varro, libro VI. voluit, ac apud Velium quoque legimus, sit à Κῶμος, qui *Deus est præsidens comissationibus ac tripudijs nocturnis*: siue sit à *comitate*, quod apud eundem Velium legere est: siue, quod Leuino Torrentio visum, veniat à *comesum*: quod eo probabat, quia ex Suetonij, Liuij, aliorúmque locis (vt mox dicemus,) pateat, propriè *comissationem* fieri post cœnam. Neque de vocali consentiunt. Nam per *A comissari* scribendum putabat Fuluius Vrsinus, vt sit à Græco κωμάζειν; per *E* malebat Torrentius, quia sit à *comesum*: per *I* Victorinus, quomodo sæpè in vett. scribitur libb. Vera meo iudicio sententia est, scribendum *comissari*: quod vett. libri ac lapides approbant, nec ἀναλογία refellitur. Nam etsi à κωμάζειν (hæc enim vera omnino origo) esset *comassari*, tamen nihil obstat quominus veteres *dictionis* caussa *A* in *I* conuerterint: quomodo & à πατρίζειν dicunt *patrissare*. Licet autem *comissari*, seu κωμάζειν, est à κῶμος, plus tamen est κῶμος, quàm *comissatio*. Quippe κῶμος notat *omnem amatorum lasciuiam ac proteruiam, seu vino saucij sint, seu non sint*. Latinis autem propriè *comissatio* dicebatur *conuiuium, quod post cœnam trahebat in multam noctem*. Ita vsus Liuius, lib. XL. apud quem Demetrius iam *cœnatus* ad comites ait: *Quin comissatum ad fratrem imus?* Vtitur & hoc pacto Suetonius, in Tito, cap. VII. & in Domitiano, cap. XXI. Hermolaus Barbarus scite vocabat *pocœnium*. Id si displicet, deducere licebit à κῶμα, id est, *somnus profundus*, quod à κοιμάω, *dormio*. Vt *compotatio ac amatoria lasciuia*, κῶμος dicatur, quia post ea somnus profundior sequi solet. Magis tamen placet esse à כמוש *Chamos*, qui *Moabitarum deus*, vt est I. Reg. cap. XI. Videtur enim is conuiuij à Moabitis cultus, indéque ortum, quod Κῶμος à Græcis haberetur *temulentiæ Deus*. Nec tamen displicet opinio Casauboni, vt quemadmodum à קום est κῶμος, ita à קום, *com*, sit κῶμος; קום notat *surgere*: vt κῶμος sit, *lasciuia eorum, qui à conuiuio surrexerunt*. Quæ sententia est Is. Casauboni lib. I. de Satyrica poësi, cap. IV. Vt nempe κῶμος propriè sit ἀνάστασις ἀπὸ δείπνου, hoc est, *cum surgitur à mensa*, inque publicum proditur. *Lasciuiarum eruptionem* vocat Tertullianus, aduersus gentes, cum ait: *Æquè oratio conuiuium dimittit: inde disceditur, non in cateruas cæsionum, neque in classes discursationum, neque in eruptiones lasciuiarum.*

Comitia, vt Festus indicat, in *Comitialis*, ita dicuntur ab antiquo *comire* pro *coire*, vnde & *comes* remansit. Erant enim *comitia* nihil aliud, quàm populi vniuersi conuentus, ferendorum suffragiorum caussâ. Erant autem tria propriè *comitiorum* genera, *curiata*, *centuriata*, & *tributa*. In *Curiatis* populus sententiam

tentiam dicebat *curiatim*, hoc est per *curias* rogatus: ita quod plures curiæ statuissent, id iussum populi diceretur. In *Centuriatis* populus per classium *centurias* diuisus ferebat suffragium, ratumque habebatur quod plures centuriæ iussissent. In *tributis* vero per *tribus* suffragia ferebantur. Quod ad *calata comitia*, ea non efficiunt distinctum *comitiorum* genus. Initio enim omnia *comitia calata* dicebantur, à *calando*, id est, *vocando*, quod a Græco καλεῖν. Hanc rem confirmat, quod Agellius lib. xv. cap. xxvii ex Lælio Felice refert, *comitiorum* alia fuisse *curiata*, alia *centuriata*. Sed postea *comitiorum calatorum* vox propè exoleuit. Propè, inquam, retenta enim partim in his, quæ pro collegio Pontificum habebantur, aut Regis sacrorum Flaminúmve inaugurandorum caussa: cuius caussæ ibidem meminit Lælius Felix: partim testamentorum condendorum caussâ, quâ de re sic Theophilus, lib. II. Institut. *Duo erant apud veteres testamentorum genera: vnum quod calatis Comitijs fiebat, & dicebatur: alterum, quod in procinctu. Testamentum Calatis Comitijs tempore pacis fiebat bis in anno, hoc modo: Præco vniuersam circumibat ciuitatem, populum conuocans: ac tum qui testamentum condere volebat, in concione populi, ipso teste populo testamentum scribebat. Ex quo etiam dictum est, Calatis Comitijs; nam calare est vocare: Comitia vero, populi congregatio. Quoniam igitur vocati congregabantur, appellatum est testamentum Calatis Comitijs.* Hactenus ille: De personis, quæ singulis *comitiorum* generibus intereant, déque eorum loco, tempore, modo, vide imprimis Nicolaum Gruchium, & Carolum Sigonium. A *comitijs* est verbum *incomitiare*: quod alij *conuitiari*, alij *accusare*, interpretantur. Priorem sententiam secutus Festus: *Incomitiare significat tale conuitium facere, pro quo necesse sit in comitium, hoc est, in conuentum, venire.* Vtitur Plautus, Curcul. Act. III. sc. I. *Morbo* quoque *comitiali* inde nomen, quod si quis eo correptus repente in *comitijs* concidisset, *comitia* eo dissoluerentur, nec iusta eo haberi possent. Id, præter Plinium, & alios, docuit Serenus Sammonicus, his versibus:

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo est,
Quod fieri nobis suffragia iusta recusat.
Sæpe etenim membris acri languore caducis,
Concilium populi labes horrenda diremit.

Eundem vocari *morbum maiorem* scribit Appuleius, in Apologiâ. Et vocat hoc pacto Cornelius Celsus, eâ nempe ratione qua *vis maior* dicitur à Latinis, quæ Græcis θεοῦ βία, hoc est, cui resisti non potest, Similitérque *Herculeum* dici putat Galenus, VI. Epidem. nempe quia, *Herculis instar*, sit *inuictus*. Sed Aristoteles, in problematis, ita dici ait, quòd *eo laborarit Hercules*: quemadmodum & alij multi viri illustres ei fuere obnoxij, quos inter Cambyses Persarum rex, vt scribit Herodotus, lib. III. Item C. Iulius Cæsar, vt Plutarchus, in Cæsare. Et Plotinus Platonicus, vt testatur Suidas, & Eunapius. Idem quoque morbus dicitur *sonticus*, κατ' ἐξοχὴν, quemadmodum voce *Sonticus* dicemus. Denique idem, vt Græcis ἱερὰ νόσος, ita Latinis *sacer morbus* appellatur. Ac Plato quidem ita dici ait quia sit *sacra partis*, hoc est, *animi languor*. Verba eius in Timæo sunt ista: Νόσημα δ' ἱερᾶς ὂν φύσεως, ἐνδικώτατα ἱερὸν λέγεται. Idem in Platone scribit Appuleius in Apologia: *Enim inquit, nostri non modo Maiorem, Comitialem, verum etiam Diuinum morbum: ita vt Græci ἱερὰν νόσον, verè nuncuparunt. Videlicet quod animi partem rationalem, quæ longè sanctissima est, eam violet.* Aretæus verò, lib. I. diuturnorum affectuum, cap. IV. ait, sic dici, vel ob *magnitudinem*, quia *omne magnum, sacrum* dici consueuit: aut quod *non queat humana ope tolli*; aut quod *homo dæmone correptus esse videatur*; aut *ob hac vniuersa*. Sunt quibus placet, ita vocari, quia *diuini aliquid in se habere creatur*. Sed auctor libri de *morbo sacro*, qui Philotimus magis, quam Hippocrates, esse videtur, ridet hanc nominis caussam, eiúsque auctores non dubitat appellare magos, circulatores, arrogantes. Sanè meritò, si eo respexit, quod fraudes suas hoc morbo velent impostores; quod & a Muhammede factum. At immerito, si morbum hunc à Deo immitti nescivit, quem iccirco *deificam luem* κατ' ἐξοχὴν vocat Cælius Aurelianus. Sanè morbos ob peccata hominibus immitti, nec Maronem fugit, cum ait, in XII.

Si quando letum horrificum, morbosque, Deorum
Rex molitur ———

Scribit Guil. Harnischus, in commentario ad Aretæum, eundem dictum *comessalem*, à *comessando* quod morbus ab inordinato cibo potúque proueniat. Verum *comitialem* quidem dictum legimus, *comessalem* nusquam; etsi non negamus, hoc pacto Germanis dici *den freis*, à verbo *fressen*. Ac de varijs *morbi comitialis* appellationibus hæc dicta sunto.

COMMENTVM, est ἐνθύμημα, διανόημα, τέχνασμα, quibus modis in vett. Glossis exponitur. A *mente* deducit Varro, V. de L.L. *Reminisci, inquit, cum ea quæ tenuit mente, a memoria, cogitantur, & cogitando repetuntur. Hinc etiam comminisci dictum, à con & mente; cum finguntur in mente quæ non sunt: & ab hoc illud, quod dicitur reminiscor, cum commentum pronuntiatur.* Sed non dubito, quin *commentum* sit à supino verbi *comminiscor*, *comminiscor* vero sit ab antiquo *meniscor*, pro quo corruptè vulgo dicunt *minijcor*. Hoc, si Fecmannum audis, est à μιμνήσκω, ἐλλείψει, quomodo a ... est ... Mihi placet vt ab *apere* est *apiscor*, a *pacere*, *paciscor*, a *frui*, *fruiscor*, sic a *menere* esse *meniscor*. *Mene* veteres dixisse cognoscimus partim ex præterito eius quod est *memini*; partim ex supino, quod est *mentum*; vnde *mentio*, & *mentum*, pro *commento*, Festo teste. Nec mirandum, a *comminiscor* esse *commentus*, aut putandum *commentus* κατ' ἀντωνυμίαν dici pro *comminiscitus*. Quippe vt *apiscor* non *apiscitus* facit, sed ab *apio* capit *aptus*; sic *meniscor* non habet *meniscitus*, sed à *meno* accipit *mentus*, vnde *commentus*. A *commentus*, est *commentor*; vnde *commentarij*, quomodo vocantur perpetuæ ac diligentes rerum narrationes, sed nudæ, nullísque luminibus distinctæ: quales scriptoris historicam suggerunt materiam: vnde Cicero, eleganti illa ad Lucceium epistola, ait, se commentarios confecturum rerum suarum, quo ex ijs historiam conficere posset Lucceius. Sed imprimis id indicant verba hæc Ciceronis, in Bruto, de commentarijs Cæsaris. *Nudi sunt, recti & venusti, omni ornatu orationis tanquam veste detracta: sed dum voluit alios habere parata, vnde sumerent, qui vellent scribere historiam; ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamistris inurere; sanos quidem homines à scribendo deterruit.* A *commentario* est *commentariensis*, qui *commentarijs præest*: sed speciatim sic vocatus qui *carceri præest* non quidem à *commentario*, *carceris loco*, prout diuinabat Accursius: sed eo quod *custodias in commentarium referret, earúmque quasi ephemeridem, siue diarium, conficeret.* Fortasse autem vt *comminiscor*, & *commentum*: sic etiam dixere *eminiscor*, & *ementum*. Glossæ Isidori. *Ementum, excogitatio.*

COMMOTACVLVM, à *commotando*, seu *commouendo*; quod eo commouerent turbam: vt Iuuenalis loquitur:

Ergo commota iamdudum mulio verba.

Festus: *Commotacula, virgæ, quas flamines portant pergentes ad sacrificium, vt à se homines amoueant.* Ita libri quidam: pro quo in Mediolanensi, Aldina & recentioribus, est *commentaculum*: sed corruptè, vt ex etymo cognoscimus. Propius abit MS[m]: in quo *commetaculum* est absque *N*.

COMŒDIA, à κωμῳδία, ω conuerso in œ, quomodo *tragœdia* est ex τραγῳδία, & fortasse *Cœus* ex Κῷος, de quo Pierius, ad illud I. Georg.

———*qui pinguia Cœa.*

Est verò κωμῳδία, iuxta Festum à κώμη, hoc est *vicus*: & ᾠδή, hoc est, *cantus*; quia nempe lusus hi in vicis fieri soleant, antequam in vrbes conuenissent. Id magis placet quam vt dicatur παρὰ τὴν ᾠδὴν ἐν κώμῳ, quia nempe κωμάζοντες, hoc est, *comessantes*, amatoriéque lascicientes, carmina solenni die cantare soleant. Alia etiam etyma adfert Tzetzes, prolegomenis in Lycophr. Cassandram. De re ipsa videndus Donatus, in Ter. & imprimis Iul. Scaliger, lib. I. de re Poëtica; & nos, libro de re poëtica. *Comœdicus*, a *comœdia*, Plautus dixit, vt obseruat Festus.

COMOPOLES, sunt vici maiores, quasi oppidorum æmuli, vnde & nomen. Nam κώμη, *vicus*: πόλις, *oppidum*. Marcus Euangelista, cap. I. Εἰς τὰς ἐχομένας κωμοπόλεις. Itidem à κώμη, & ἀρχὸς est *comarchus*, quomodo vocatur *vici magister*. Vtitur *comarchi* voce Plautus, Curcul. II. III. Simile est *demarchus*, quo ibidem vtitur Plautus. Est enim id a δῆμος, *populus*: & ἀρχὸς, *præfectus*. Latinis dicitur *Tribunus plebis*.

COMPITVM, est *viarum concursus*, item *ædis sacra in triuijs aut quadriuijs posita*. Iunius Philargyrius, in Georg. II. *Compitum, vt Relatio (leg. Trebatio) placet, locus ex pluribus partibus in se, vel in easdem partes ex se, via atque itinere dirigens, siue is cum ara, siue sine ara; siue sub tecto, siue sub dino sit, vbi pagani agrestes, buccina conuocati, solent certa inire consilia. Hinc & lares compitalitij & feriæ compitalitiæ.* Vetus interpres Persij, in illud sat. IV. *pertusa ad compita: Compita*, inquit, *sunt loca in quadriuijs quasi turres, vbi sacrificia finita agricultura rustici celebrabant. Meritò pertusa, quia per omnes quatuor partes pateant, vel vetusta. Vel compita non solum in vrbes loca, sed etiam via publica ac diuerticula aliquorum confinium, vbi ædicula consecrantur patentes. In his iuga fracta ab agricolis ponuntur, emeriti & elaborati operis indicium.* Dicuntur *compita*, quasi *compata*, quia via *competunt*, hoc est, *concurrunt*. Id enim est *competere*. Glossæ Philoxeni: *Competit*, συντρέχει. Itaque & in vett. libris quandoque *competa* legas, pro *compita*. Hinc *compitalia*, atque

atque inde *lares compitalitij*, & *feriæ compitalitiæ*, vt ex Philargyrio iam vidimus. Charisius, lib. I. cap. de Obseruationibus nominum quibus genera & numeri discernuntur *Compitalia, id est, vbi eos, qui peregre moriuntur, colunt.* Glossæ Latino-Græcæ Philoxeni: *Compitalia, Θεῶν ἀγυιαίων ἑορτή, οἱ χειρόμενοι ἐν ταῖς ὁδοῖς ...*. Celebrabantur autem IV. Non. Ianuarij. Cic. Epist. VII. lib. VII. ad Att. *Ego, quoniam IV. Nonas Ian. Compitalitius dies est, nolo eo die in Albanum venire, ne molestus sim familiæ.*

Complex, a *plico* ea forma dicitur, qua *simplex, duplex, alterplex*, & alia. Isidorus, in Glossis: *Complex, qui in vno peccato, vel crimine, alteri est applicatus ad malum, ad bonum vero nunquam dicitur.* In bono tamen vsus Ambrosius, lib. III. de Offic. cap. XIV. *Id quod turpe est, non potest esse vtile: neque rursus id, quod honestum est, inutile: quia complex honestatis est semper vtilitas, & vtilitatis honestas.* Sed id rarum. In malo autem passim, interque alios Sidonius, lib. VIII. epist. ad Lupum: *Cæterique complicibus oppressi*, id est, eiusdem facti reis. Sunt qui Ciceronem *complicis* voce vsum putant. Adferunt ex prima in Catilinam oratione: *Sin tu, quod te iamdudum hortor, exieris, exhaurietur ex vrbe tuorum complicium magna & perniciosa sententia reip.* Sed *comitum*, pro *complicium*, legi debere odoratus iam olim Laurentius Valla. Pro *sententia* autem *sentina* legi debere, & sententia clamat, & cum MSS[ti] veteres, tum editiones melioris notæ, faciunt fidem.

Compvtvs veteribus non fuit in vsu. Antiquissimus eorum, qui vsurpet, videtur esse Iul. Firmicus, lib. VI. in epochis geniturarum. Vixit is sub Constantino M. & eius liberis. Est ab ea *putandi* notione, qua dicimus *putare rationes*. Vide *Putus*.

Conceptivæ, *feriæ* quæ vulgo *festa mobilia* appellant, vti nobis *paschatis festum*: opponuntur iis *feriæ statæ* seu *statiuæ*, quales nobis Natalis Christi. Ita dictæ, quia concipere eas liberum esset, quo die vellent. Macrobius, lib. I. Sat. cap. XVI. *Conceptiuæ sunt, quæ quotannis a magistratibus vel à sacerdotibus concipiuntur in dies certos, vel etiam incertos: vt sunt Latinæ, Sementiuæ, Paganalia, Compitalia.* Festus: *Conceptiuæ feriæ festa dicebantur, quæ incertis diebus seruabantur quotannis, vt Sementiuæ, Compitalitia.*

Concha, κόγχη, pro quo & κόγχος dicitur, & κογχύλιον, quod à κόγχη factum. Vsus *conchyliorum* voce etiam Plinius. Differt à *cochlea*, quod hæc vnicâ constet testâ, gyris quibusdam compacta: at *concha* habeat duo æqualia velut scutula: vnde prouerbium est, κόγχην διελεῖν, hoc est, *conchan diuidere*. Nam facile est διελεῖν scutula ista; quod in *cochlea* locum non habet. A *concha* similitudine dicitur *conchis*, faba non fresa, sed integra, cúmque cortice suo. Iuuenalis sat. III.

——— *Cuius aceto,*
Cuius conche tumes? ———

Vbi sic vetus interpres: *Cuius faba inflatus es?* Et sat. XIV.

——— *Conchem æstiuo cum parte lacerti.*

Concinnare, est apte *componere*, vt exponit Festus. Glossæ Philoxeni. *Concinnat, Συῤῥάπτει, ἐπισυμφωνεῖ ..., καὶ ...*. Onomasticon vetus: *Concinno, συναρμόζω*. Est *concinnare*, iuxta Festum, à *concinnendo*. Ita enim est in MS[o]. Vbi tamen quidam libri *conciere*. Mihi placet, *concinnare* esse à *concinnus*. Sed vnde *concinnus* sit non æque patet. Nonnullis fieri placet ex *cinnus*; *cinnus* autem παρὰ τὸ κικίζειν fieri: putant ex *cincinnus* quo signatur *capillorum soboles calamistro intorta*. Itaque *concinnum* propriè dici aiunt de *pilis*: generatim autem *concinnare* (vti & verbum *comere*, quod ipsum quoque a *comis* deducunt) vsurpari dicunt pro *polire, ornare*. Interdum etiam generalissimè, Nonio teste, pro *facere, conficere*: vt, cùm Plautus ait, Amphitryone, Act. I. sc. III.

Lacrymantem ex abitu tuam concinnas vxorem.

Et Act. II. sc. III.

Nulla res tam delirantes homines concinnat cito.

Et Capt. Act. III. IV.

——— *Me insanum verbis concinnas tuis.*

Et Act. IV. II.

——— *Lanij qui concinnant liberis orbas oues.*

Eodémque modo *concinnare crimen*, aut *mendacium*, legas apud Ammianum Marcellinum, lib. XV. & Luciferum Calaritanum, in vita S. Athanasij: & similia apud alios. Aliis placet, *concinnare* esse à *concinere*, quod apud Festum, & Nonium, legas. Quam sententiam plane reijcimus. Nam *concinnus* omnino est a *cinno*: attamen, vti censeo, non ab ea *cinni* significatione, quam volunt illi, de quibus ante dictum, sed qua idem ac κυκεών, quomodo præter Tullium vsus Arnobius, vti in *Cocetum* ostendimus. Estque *cinnus* hac notione, non quidem (quod Scaliger scripsit, ad Lib. VI. Theophrasti, de causis plantarum,) à κυκεών (nimis enim abeunt literæ,) verùm vt κυκεὼν à κυκᾶν, quod est, *miscere*, quia ex variis *miscetur*, sic *cinnus* à *coeundo* quia varia in id *coeunt* miscentúrque. Vt a *coeo, cinnus*, Isidoro; sic à *comminus*, *cinnus*. Vt item à *facio, facinus*; sic à *coeo, coinus*; ex quo *cinus*, siue *cinnus*. *Cinus* scripsere veteres, quibus moris non erat geminare consonantes.

Condalivm, *annulus*; vnde Plautus, Menandri δακτύλιον vertit, *condalium*. Vsus quoque, Trinummo, Act. IV. sc. III.

——— *Satin' in thermopolio*
Condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem.

Festus: *Condalus* (ita est in MS[o],) *annulus. Condalium similiter annuli genus.* Est vero à Græco κόνδυλος, quod *articulum* notat. Y in A abit, vt a κύλιξ, *calix*. Propriè autem esse *annuli genus*, quod serui digitis ferrent, Alciatus scribit, lib. IV. Παρεργ. cap. XVIII. quod & Plauti locus apertè indicat.

Condio, conflatum ex *con*, & antiquo *duo*, pro *do*. Propriè igitur sit, *res plures in vnum dare*, miscereque, vt cibus fiat sapidus. Hinc *conditor, conditio, conditura*, à porrecto, de quibus in *Condo* dicimus.

Condo (vnde *abscondo* & *recondo*,) est à *cum* & *do*, quasi *simul in interiorem locum do*, vt Festus ait: eâque ratione & *do* vsurpatur in *abdo*. Hinc *condus*, ταμίας, qui cibos aliaue condit: vt *promus*, qui condita promit, quomodo Appul. Apol. dixit: *Promus librorum, qui illic erant conditi.* Ab eodem est *conditor*, quomodo vocatus qui factiones ederet, quasi earum auctor & patronus. Vetus inscriptio: C. POMPEIO TVSCENO CONDITORI FACTIONIS RVSSATÆ. Hinc *succonditor*, qui parebat conditori. Inscriptio vetus: M. VIPSANIO QVARTINO SVCCONDITORI. Interdum *conditor* est non à *condere*, sed *condire*, eóque proximam ab vltimâ producit. Gloss. vett. *Conditor*, ἀλείπτης ἔμπορ. Ita *conditor* nihil aliud fit, quam *mulio* vt *subconditor*, *submulio*. Nisi cum Scaligero legere malis, ἀλείπτης, πίττου, vel ἀλείπτης πιττῶν. Quâ ratione fuerit à *condendo*. Significabit enim illum, qui pice illinit vasa, illitáque in terrâ condit ac defodit. Horat.

——— *Græcâ quod ego ipse testâ*
Conditum leui. ———

A *condendo* dicitur *conditio* secundâ correptâ: à *condiendo*, eâdem porrectâ. Posteriori modo sit ἄρτυσις. Onomast. vet.: *Conditura*, ἄρτυμα. Priori notione sit *actus condendi*, & μετωνυμικῶς *res condita*. Quomodò Tertullianus dixit, lib. de Resurrect. carnis: *Ipsam conditionem colere aduersus conditorem.* Fere autem sumitur pro qualitate, qua quid condi, id est, fieri, aptum est vt Alciatus definit.

Confestim, signat παραχρῆμα, παραυτίκα, vt interpretantur Glossæ Philoxeni. Eiusdem originis est ac *festino*: de quo suo loco. Charisius Sosipater, cap. de Aduerbio: *Confestim, vt competenti festinatione.* Sisenna, *Milesiarum* XIII. *Confestim secuta est.* Et ibidem: *Confestim pro continuo & sine internallo, sed iugi festinationis studio pergentis.* Sallust. *Fecit vt nuntiis confestim luguibri... .* Vbi Statilius Maximus: *ordine* inquit *& sine intermissione*.

Congii, & *congiarij*, originem adfert his verbis Isidorus, lib. XVI. cap. XXV. *Congium à congiendo, id est, per augmentum crescendo, vocatur. Vnde postea pecunia, beneficij gratia dari capta, congiarium appellatum est. Vnusquisque enim sui temporis imperator fauorem populi captans, adijciebat, vt videretur largior in donis.* Sed quid est a *congiendo*? quomodo etiam in MSS[tis] meis reperio. Puto scripsisse *congerendo*. Nam vbi plura congeruntur, aliquid augmentum crescit. vt Isidorus ipse interpretatur. Ita *congius* dicatur, quasi *congerus*. Sed fortasse verius est, *congium* dici à *concha*. Est enim *congius* mensura liquidorum. Ac capacioribus *conchis* ad eam rem primitus vsos non abludit à vero. Vel sit *congius* à χοῦν accusatiuo recti χοῦς. Solent enim Latini formare suos rectos ab obliquis Græcis: Vti Græci suos accusatiuos ab externis, quando in N desinunt; vt à *Ionathan*, Ἰωνάθης, Ἰωνάθαν, ab *hin*, χοῦς, χοῦν, vnde *congius* deducebamus: fauente etiam doctissimo Capello, in Chronologia sua, ad an. mundi CIↃIↃCCCXIII. Est verò Hebræis הין, *Hin*, mensuræ genus, cuius octaua pars סלע, *Sela*, quarta autem סאה, siue *satum*, quod modius Romanus & Atheniensis, sesquimodius Romanus. *Congiarium* vero à *congio* nomen accepisse, indicat etiam ille Quinctiliani locus lib. VI. cap. IV. *Fabius Maximus incusans Augusti congiariorum, quæ amicis dabantur, exiguitatem, heminaria esse dixit. Nam congiarium cum sit commune liberalitatis atque mensuræ, à mensura ducta imminutio est rerum.* Glossæ Philox. *Congiarium*, ἐπίδομα, διάδομα. Et paullo post *Congiarium*, ἐπίδοσις ἐκ τοῦ ταμείου, δόσις. A *congio* est *Tricongius*, cognomen Nouellij Torquati Mediolanensis, qui

tres *congios* ebibit vno impetu, spectante miraculi gratia Tiberio principe, vt ait Plinius, lib. XV. cap. XXII. vbi & narrat Ciceronem, Marci filium, binos *congios* simul haurire solitum.

CONGRVS, à γόγγρος, mutato Γ in C: cuius contrarium fit in *gobius*, à κωβιός. Vtrumque piscis genus est.

CONISCO, vel potius *coniſſo*; à κονίζω, vt à πατρίζω, *patriſſo*; à Σικελίζω, *Sicelisso*. Κονίζω, est, *puluerem excito*, *puluere respergo*; vnde κονίστρα, *arena*, siue *puluis*, *in quo athleta versantur*. Κόνις, *puluis*. Est igitur *coniſſare*, puluere aëra replere: quod faciunt pecudes ludentes, ac concertantes: vt cum, vt Maro ait, II G.

——— pingues in gramine læto
Inter se aduersis luctantur cornibus hædi.

Vsurpat eam vocem Lucretius, lib. I.

Et satiati agni ludunt, blandéque coniſſant.

Et Cic. in Pis. apud Fab. lib. VIII. *Caput opponis cum eo coniſſans.* Huiusmodi vocabula, licet Tullio ipsi vsurpata, minus tamen vulgo trita sunt, quia non in ipso leguntur Tullio. Itaque qui talia vsurpet, ab indoctis pædagogis, & horum similibus antiquarius vocatur. Atqui certum est, multa esse, quæ & ipsa semel fortasse à Tullio tantum vsurpantur; quibus tamen nihil nunc vsitatius, nec id aliunde est, quam quod pædagogi norint in scholis, vnde in pueritia accepimus, quod si alia illa, quæ citantur à Grammaticis, aliisque scriptoribus antiquis, quæque hodie in melioris notæ codd. inueniuntur, non minus pædagogis nostris nota fuissent: nec his nunc aliquid vsitatius esset. Ita videmus, vt nunc non veterum Romanorum more, sed pædagogorum indoctorum consuetudine, quid vsitatum obsoletumue sit, metiri oporteat. Sed ad rem. Obertus Giffanius censet, pro *coniſſare* scribendum *coruſſare*, esse enim à κορύσσειν, quod à κόρυς, id est, *galea*. Sed profecto satis paret, vocem κορύσσειν non conuenire tam *hædis*, quam *militibus* qui propriè armantur galea, quod est κορύσσεσθαι. Quare verum est etymon quod supra adduximus.

CONIVX, à *coniugo*, vnde *coniugata*, apud Ciceronem, in Topicis. *Coniugo* à *iugo* similiter est, ac *adiugo*, apud Paccuuium. A *coniugo* quoque est vox *coniugium*; vt à *diuortendo*, *diuortium*. Itaque *coniugij* vox naturâ latius patet, quàm vulgo sumitur. Generali illâ significatione accipit Lucretius, lib. III. cum ait.

Nil tamen hoc ad nos, qui coitu coniugióque
Corporis atque animæ consistimus vniter apta.

Velio Longo, ac Prisciano placebat, *coniunx* scribi cum *N*, vt sit à *coniungendo*. Et sic sanè crebro legas in monumentis antiquis. Sed Velio & Prisciano, opponimus, cum Nisum, & Scaurum tum Charisium, qui *coniux* reponit inter ea, quæ desinunt in *ux*, vt *nux*, *pollux*. Cúmque Isidorus, lib. IX. cap. vltimo, *coniugium* velit inde appellatum, quod dicis causâ *iugum* imponi *coniugibus* soleat, vt & Seruius scripsit: facilè paret, quam ὀρθογραφίαν secutus sit, siue Isidorus, siue is, quem sequitur Isidorus. Quod vero ad monumenta vetera, scimus, in multis quoque legi absque *N*. Præterea illa, in quibus liquida additur, eo minus nos mouere debent, quod in iisdem *N* sæpe adijcitur, vbi id vacare extra controuersiam est. Isthuiusmodi sunt *thensaurus*, *formonsus*, *vicensimus*, aliáque id genus. Quemadmodum & contrà in iisdem sæpe negligitur, vbi planè est necessarium: vt cum in iis legitur *meses* pro *menses*, *vetor* pro *vinctor*, item *coseruus*, *masuota*, & *impesa*, multáque id genus alia, quæ inter & repono *coiux*, pro *coniux*: vt appareat, quam, quod ad hanc vocem nihil certi ex veteribus inscript. colligi possit, in quibus nunc *coiux*, nunc *coniux*, nunc *coniunx* perscribitur. Nos *coniux* probamus. Idque non auctoritate solum antiquorum, sed etiam ratione compulsi. Quippe in obliquis *coniugis*, & *coniugi*, dicimus absque *N*. Sed huic argumento respondet Priscianus, lib. VIII. cap. I. Vbi id factum ait discriminis causâ, vt differat, à verbo *coniungis*, & *coniungi*. Sed profecto, si idcirco ab ἀναλογίᾳ recedendum fuit, cur non litera itidem truncata fuit in nominibus, *amor*, *domitor*, *contemplator*, *indago*, *erro*, *ligo*, *caligo*, & aliis id genus multis? Præterea hoc quoque caussam nostram iuuat, quod pro *coniux* etiam dicitur *coniuga*, vt apud Appuleium, initio fere libri VI. *Magna Iouis germana & coniuga.* Libro quoque nono in MSS[ti] inuenire est: *Deterrimam fortitus coniugam*; pro quo in vulgatis malè substituêre *coniugem*: quasi non *coniugam* æquè dicere liceat, ac *multiiugam*. Fortassè & inde patrocinium huic Orthographiæ haut malè quæramus: quod Iupiter, coniugij præses, Græcis, Hesychio teste, ζύγιος dicitur quod est à ζυγὸς, id est, *iugum*. Idem auctor est, Iunonem quam Latini *pronubam* dicunt, similiter dici ζυγίαν, quod Latinè fuerit *iugum*: quamquam Græcam *zygia* appellationem retinere maluit Appuleius. Sed nimis otio nostro abutimur. Quare desino nugari in re leuicula apertáque.

CONOPEVM, κωνωπεῖον, *velum ad arcendos culices*, quos Græci κώνωπας, vocant. Vsi Horat. lib. Epod. & Propertius lib. III. Cúmque Græce per ει scribatur; tamen corripiunt vterque penultimam: quod in aliis quoque fieri interdum, ostendimus, lib. II. de arte.

CONOR, forte à κονεῖν, quod Hesychius exponit περιδινεῖν, *circumagere*. Vnde κῶνος, βέμβιξ, *turbo*, vt idem docet. Hoc si placet, *conari* propriè sit in omnes partes te vertere, vt quid præstes. Studium igitur similiter signet, omnem mouere lapidem aut rudentem. Nisi potius sit à κονεῖν, vel κονίζειν, quod est, *certo*, vel *ad certamen me paro*. A κόνις, id est, *puluis*, quo athletarum corpora obducebantur. Vnde κονιστήριον, locus vbi id fiebat. Hesychium vide in κονεῖ, κονεῖν, & κονεῖτε, vbi exponit *festinare*, *instare*, *perficere*, *certare*.

CONSENTIA *sacra* dicuntur (Festi verbis vtor) *quæ ex multorum consensu sunt statuta*: ad quæ verba monet Scaliger, *consentia sacra* Gentilium inter se fuisse, vti & *Deos consentes*, e.g. Corneliorum, Valeriorum, &c. Cur verò Diis *consentibus*, à *consentiendo* nomen inditum sit, docet hic locus Martiani Capellæ, lib. I. *Ac mox Iouis scriba præcipitur, pro suo ordine ac*, [illegible] *modis cælicolas aduocare, præcipuéque senatores Deorum, qui penates ferebantur Tonantis ipsius: quorúmque nomina quoniam publicari secretum cæleste non pertulit, ex eo quòd omnia pariter repromittunt, nomen sibi ex consensione perfecit.* Item hic Arnobij, lib. III. *Varro, qui sunt introrsus, atque in intimis penetralibus cæli, Deos esse censet, quos loquimur, nec eorum numerum, nec nomina, sciri. Hos consentes & complices Etrusci aiunt & nominant, quod vna oriantur & occidant vna: sex mares & totidem feminas nominibus ignotis, & miserationis parcissima: sed eos summi Iouis consiliarios ac principes existimari.* Ex his igitur liquet, *consentes* dici, quasi in eo, quod gerendum est, *consentientes*: quam etymologiam quoque probat Cælius Calcagninus, commentatione de concordia. Aliis magis placet sic vocari, quasi *consulentes*, quando eos Capella *Iouis Senatores*. Arnobius vero *consiliarios Iouis*, appellat. Ac facit huc quoque illud Augustini, lib. IV. de Ciuit. Dei, cap. XXIII. *Quis enim ferat, quod neque inter Deos consentes, quos dicunt in consilium Iouis adhiberi, nec inter Deos, quos selectos vocant, Felicitas constituta est?* Inuenio & tertiam ἐτυμολογίαν. Nam doctissimus Iocer, ad Tertullianum, de spectaculis, cap IV. censet, nullâ hic opus esse συγκοπῇ. Quippe obsoletum esse verbum *conso*, *consis*, quod idem est ac συμβουλεύειν. Inde igitur *Consentes*, vti & *Deus Consus*. Hanc vtriusque vocis ἐτυμολογίαν sequuntur quoque Cæsar Bullingerus, lib. de Circo, cap. IX. & Des. Heraldus, ad lib. III. Arnobij.

CONSILIVM, an *concilium*, in arte fullonia dicendum sit, quæri potest: Qui per S scribunt, deducunt à *con*, & *salio*: ac volunt fuisse duas eius artis partes: vnam vestes pedum insultu eluere ac cogere; alteram, cretâ candefacere: illud dici *consiliari*, hoc *expolire*. Voluntque eò allusisse Plautum, cum primore Pœnulo ait:

——— Placet consilium. MI. Imò etiam vbi expolitum,
Magis hoc tum demum dicas, nunc etiam rude est.

Vide quæ hoc de loco Ianus Guilielmius scribit, lib. II. Verisimil. cap. VIII. At Iosepho Scaligero, in Coniect. aneis, placet per *c* scribi *concilium*, & *conciliari*, indéque *conciliata* vocari τὰ ἐκ τριχῶν συμπιληθέντα. Putat autem ita dici à *ciliis*, è quibus fiunt. próque hac sententia adfert, quod Græcè etiam appellantur κιλίκια. Ita *conciliari* nihil aliud sit, quam συμπιλεῖν, siue *cogere*. Sed cur nec de *ciliciis*, nec de *conciliandi* verbo, adsentiamus, videre potes ex iis, quæ dicimus in *Supercilium*. Turnebus ad Varronem ait, *consiliari* per *S* scribi debere, sed vult, *C* in *S* conuersum esse: quod multò minus probare possum. De fullonia *consilij*, seu *concilij*, voce hactenus. Ab eo putabat Varro μεταφορικῶς *consilium* dictum, cum ad animum transfertur. Nam, lib. V. de L L. ait dici *consilium* quod vt vestimentum apud fullonem, cùm cogitur, *consiliari* dicitur: sic reminisci, cùm, ea quæ tenuit mens ac memoria, cogitantur, & cogitando repetuntur. At nec desunt, qui *consilium*, ab *esse consensum* dici putârunt; eóque scripsere *conscilium* per *sc*, quomodo in vett. aliquot exemplaribus scriptum inueniri, auctor est Pierius, ad IX. Æneid. Mihi neutrum placet. Nam dubitandum non est, quin sit à *consulendo*, *V* in *I* conuerso, quomodo ab *exul*, *exilium* dicimus, non *exulium*, quamquam per *i* scribendum putabat Lambinus. *Consulo* verò dicitur à *salio*, *A* in *V* abeunte: quod in compositione subinde fit: vt *quatio*, *percutio*, *calco*, *conculco*. Firmat hanc sententiam, quod vti ab *exilio* est *exilij*, & *exilus*, *exultum*: ita à *consuleo* est *consului*, *consultum*, vnde *senatusconsultum*, *consultus*, vnde *iurisconsultus*,

tus, quia *de iure consulitur*: & *inconsultus*, id est, *sine consilio*: vt Nonius, & Seruius, accipi docent, in isto Maronis, in III. Æn.

Inconsulti abeunt, sedémque odere Sibyllæ.

Itidem *consultor*, quo tum significatur, *qui consilium dat*: vt in illo apud Varronem prouerbio, *Malum consilium consultori pessimum*: tum *qui consilium petit*: vt apud Horatium, sat. 2. lib. I.

Sub galli cantum consultor vbi ostia pulsat.

Consulere igitur propriè dicimur, cum plures consilia sententiasque coniungimus. Quod nisi ea obstarent, quæ dixi, non displiceret, *consilium* dici à *considendo*, quia in *consessu* deliberetur: in qua ratione *consilium* diceretur quasi *considium*, D in L conuerso, quomodo ab Ὀδυσσεὺς est *Vlysses*, à δάκρυον, *lacryma*: à δαὴρ, *leuir*: quomodo item vett. dixere *Nouensides*, *dautia*, *fidius*, pro *Nouensiles*, *lautia*, *filius*. At omnium minimè placent, qui à *silere* deducunt, quia silentio in deliberando sit opus: etsi id maximè probet Festus, siue Paullus his verbis: *Consilium, vel à consulendo dicitur: vel quod in vnam sententiam plurium mentes consiliant, (al. consideant) & conueniant: sed à silentio credibilius dictum putatur, quo maximè incipitur.* Satis de *consilio* per S. At *concilium* per C, sic, Festo teste, dicitur, quasi *concalium*, à *concalando*, hoc est *conuocando*. Nam *calare*, καλεῖν. Ridiculè Gratianus, cùm ab *oculorum ciliis* deducit, quia in concilio omnes vnum id spectent, cuius caussâ deliberent. Locus est primâ parte iuris Canonic. distinct. XV. *Consilium*, inquit, *dictum est, quasi considium, D in L literam transeunte. Vel concilium dictum est à communi intentione, eò quòd in vnum dirigant omnium mentis obtutum. Cilia enim oculorum sunt, vnde qui sibimet dissentiunt, non agunt concilium, quia non consentiunt in vnum.* Hæc Gratianus. Quo pacto *consilium*, & *concilium*, à Grammaticis distingui soleant, nec bullatæ ætati ignotum est. Sed in vett. libb. non obseruatur id discrimen, vt ad I. Georg. & II. Æn. scripsit Pierius. A *concilium* est *conciliare*: quod est amicum reddere, animisque coniungere: nempe, vti arbitror, ab ea *concilii* notione qua pro coagmentatione, seu copulatione, accipitur: quomodo Lucretius, lib. I. dixit:

——— *partim primordia rerum,*

Partim concilio quæ constant principiorum.

Et Arnobius: *Edunt* (animantes) *per vteros fetus, & corporalibus conciliis procreant.* Hinc *reconciliare*. Item *conciliator*, & *conciliatrix*. Festus. *Conciliatrix dicitur, quæ viris conciliat vxores, & vxoribus viros.* Habet autem *conciliandi* vox, præter vulgarem, etiam alteram significationem; qua ponitur pro *emere, acquirere*. Vnde, Epid. III. IV. *conciliauisti probe*, pro, *vili emisti*. Et Pseud. act. I. II. *Male habiti, & male conciliati*, id est, *magno ac damnose emti*. Terent. Eunuch. IV. IV. *Fugitiue, prodi, male conciliate.* Vbi sic Donatus: *Opportunè adolescens hic exprobrabat munus magno emtum. Malè, magno significat: vt Plautus, in Amphitr.*

Hæc nox scita est exercendo scorto conducto male.

Ergo male conciliate, magno empte significat, nam omnis conuentio, conciliatio nominatur. Hæc Donatus. Ac quemadmodum *conciliare*, ita & *inconciliare*, non vno modo accipitur. Imprimis, vt *conciliare* pro *amicare*; ita *inconciliare* ponitur pro *inimicare*. Plautus, Bacch. III. VI.

Ille quod in se fuit, accuratum habuit, quod posset mali
Facere, & in me conciliare copias omnis meas.

Hoc est, *inimicas mihi reddere, in me concitare*. Idem, Mostell. III. I.

Ne inconciliare quid nos porro postules.

Hoc est, cum pater tibi sit pretium soluturus, non est, quod importunè adeo fœnus vrgeas, nósque, non optime erga te animatos, magis etiam maliuolentes reddas. Idem, Trinummo. Act. I. sc. II.

Inconciliasti eum, qui mandatu'st tibi?

Hoc est, an vel minimum eum, qui fidei tuæ erat commissus, obiurgasti ob hanc rem, tibique offensiorem reddidisti? Sidonius, lib. III. epist. IX. *Miscemus cum salutatione querimoniam, non omnino nunc res studentes, vt stylus noster sit officiosus in titulo, asper in paginis, sed quod ea semper eueniunt, de quibus loci mei aut ordinis hominem constat inconciliari, si loquatur; peccare, si non loquatur.* Sententia est. Si ego, aliique episcopi reprehendamus hominum mores, malam inimus gratiam, planéque in odium incurrimus: tacendo autem, ob muneris neglectum, Dei erga nos iram concitamus. Non desunt tamen viri doctissimi, quibus placeat *inconciliare*, Plauto in Trinummo esse *decipere*: Sidonio autem, *accusare*. Atque hi adferunt pro se illud Festi, *Inconciliasti, comparasti, commendasti, vel, vt antiqui, per dolum decepisti*: tum autem sententiam suam eo fulciunt, quod vt *inconciliare*, propriè est, *in concilium vocare*, μεταφορικῶς autem conuitium tale facere, cuius gratia in *concilium*, hoc est, *conuentum*, veniendum sit: quemadmodum tradit Festus: sic etiam *inconciliare* dicatur a *concilium*, propriéque videatur esse, *in concilium vocare*; μεταφορικῶς, ita *decipere*, vt quis fraudis caussâ mercatur in ius vocari. Sed hæc quo minus probem, facit, tum quod interpretatio nostra simplicior sit vtpote magis vocis proprietate suffulta: tum quod locis adductis longe sit accommodatior: quod non diffitebuntur, si qui loca non conturbatis oculis inspexerint. A *conciliatum* est *conciliabulum*, vt à *venatum*, *venabulum*, à *mendicatum*, *mendicabulum*, ab *exoratum*, *exorabulum*; & similia. In quibus omnibus duæ postremæ syllabæ solum sunt vocis productio. Spissus igitur est eorum error, qui *conciliabulum* dici volunt, quasi *concilium diaboli*, eóque semper in malam partem accipi. quos Hieronymi auctoritate, in bonam partem accipientis, rectè refellit Erasmus, annot. in VII. cap. Matthæi. Refellit & Festus, qui *conciliabulum* generatim, definit, *locum vbi in concilium conuenitur*. Quamquam autem *conciliabula* interdum in ius municipij adscenderent, quod ex Frontino discere est, proprie tamen erant inferiora foris, vti fora præfecturis, præfecturæ coloniis, coloniæ municipiis; quemadmodum docet Turnebus, lib. I. cap. II.

CONSOBRINI, quasi *consororini*. Nam vti fratrum duorum liberi, *patrueles*: & fratris sororisque, *amitini*: ita duarum sororum liberi propriè vocantur *consobrini*: vt Nonius docet. cap. vlt. cui & fauent Iurisconsulti, ac Theophilus, cum scribit, ἀνεψιοὶ κυρίως λέγονται, οἱ ἐκ δύο ἀδελφῶν τεχθέντες. Sed proprietas ea vocis non semper obseruatur, quia Trebatius fratrum quoque sororúmque liberos *consobrinos* vocauit: vt scribit Paullus, in L. vlt. D. de gradibus. Sic Cicero ipse consobrinum Ligarij vocat, qui ex matris eius fratre natus esset. Ita enim ait: *Nec cum optimis fratribus, ne cum hoc T. Brocho auunculo suo, ne cum eius filio consobrino suo, ne nobiscum viuat.* Amitinorum quoque liberos ita vocari, argumento est, quod Spartianus Traianum & Hadrianum Cæsares consobrinos facit: cùm auo Hadriani vxor fuerit Vlpia, Traiani amita. Itaque laxe eos describit Glossarium Latinum: in quo legas: *Consobrini sunt, qui ex sorore & fratre, aut duobus fratribus, vel sororibus, sunt nati.* Imò si Donatum audimus, quos propriè *consobrinos* vocari dicebamus, hi propriè sunt *sobrini*, sic enim scribit in Hecyr. Ter. Act. III. Sc. III. *Sobrini sunt ex duabus sororibus, consobrini ex fratre & sorore.* Sed aliter sentire alios idem ostendit in Andr. Act. V. Sc. IV. *Sobrini*, inquit, *sunt consobrinorum filij: verum, vt alij putant, de sororibus nati: vt sint sobrini, quasi sororini.* Et sanè *consobrinorum* liberos *sobrinos* dici, etiam Festus docet his verbis: *Sobrinus est, vt ait Ælius Gallus, patris mei consobrini filius, & matris meæ consobrinæ filius.* Vbi *consobrinos* late capere oportet, vt fratres patrueles & amitinos comprehendat. Nam omnium horum liberi *sobrini* dicuntur: vt docet Caius in L. III. D. de grad. & adfin. *Item*, inquit, *patrui magni, amitæ magnæ, auunculi magni, materteræ magnæ nepos, neptis: qui ex fratribus patruelibus, aut consobrinis, aut amitinis, vndique propagati, propriè Sobrini vocantur.* Prout eum locum legit Hottomannus, obseruationũ lib. I. cap. XII. Estque sobrinorũ gradus, vt Trebatius ait, vltimus inter cognitionum gradus, vnde &, vt idem ait, sobrinorũ liberi se mutuo sobrinos vocant de proximo nomine quia proprium non habent. Vide Paullum, L. X. ad finem. D. de gradibus, cuius verba emendat idem Hottomannus in Commentario verborum Iuris. Hæc pluribus sum prosecutus, quia Tullius quoque hos gradus distinguit, lib. II. Offic. *Sequuntur*, inquit *fratrum coniunctiones post consobrinorum sobrinorúmque.* Vbi *consobrinus*, ἀνεψιός, at *sobrinus*, ἀνεψιαδοῦς, prout ea vox etiam in Philoxeni Glossis exponitur.

CONSVALIA, ludi erant, quos Seruius, ad VIII. Æn. scribit mense Martio fuisse, sed falsò, cum celebrari soleant XVIII. Augusti: vt tradit Plutarchus in Romulo. Dissentiunt tamen & vett. fasti Cæsariani, in quibus decimus quinctus Decembris *Consualibus* assignatur. Nominis originem docet Varro, lib. V. de L. L. *Consualia dicta à Conso, quod tum feriæ publicæ ei Deo, & in circo ad aram eius ab sacerdotibus fiunt ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ.* Liuius, lib. I. *Romulus, ægritudinem animi* (ob denegata connubia à vicinis gentibus) *dissimulans, ludos ex industria parat Neptuno equestri solemnes: Consualia vocat.* Tertullianus, lib. de spectaculis, cap. V. *Exinde ludi Consualia, qui initio Neptunum honorabant. Eundem enim & Consum vocabant. Deinde Equiria Marti Romulus dixit: quamquam & Consualia Romulo defendunt, quod ea Conso dicauerit, Deo, vt volunt, consilij: eius scilicet, quo tunc Sabinarum virginum rapinam militibus suis in matrimonia excogitauit.* Consus est *consiliorum Deus*: vt tradunt Asconius in diu. nat. Festus in *Consualia*, Seruius, in VIII. Æn. Item Tertullianus, loco antè adducto: Arnob. lib. III. Cyprianus, de idolorum

vanitate; Hieronymus, in Serapione; Augustinus, lib. IV. de ciuit. Dei. cap. XI. pluresque alij. Improbat hanc appellationem Cæsar Scaliger. lib. I. de re poet. cap. XXII. *Vetustissimi*, inquit, *ludi apud Romanos Consualia in honorem Neptuni, quem Consum vocabant. Sane minus considerate. Quis enim putet, Neptunum esse numen consiliorum?* Rectè sanè. Nam Consum esse eundem, ac Neptunum equestrem, indicat locus Liuij, & Tertulliani, antecitatus: item Dionysius, lib. I. Plutarchus, in Romulo: & Seruius in VIII. Æn. Hinc Ausonius, epig. LXVIII.

Cœnea vertit proles Saturnia Consus.

Et in Vrbibus ait idem de Athenis:

Palladis & Consi quondam certaminis arcem.

Et Edyll. V.

Tum Iouis & Consi quondam germanus,
Tartareus Dis.

Ex eo autem quod *Consus* idem est, ac Neptunus equestris ratio patet, cur equi ac muli *Consualibus* feriarentur, pérque vrbem redimiti sertis ducerentur: vt tradunt Dionysius, lib. I. & Plutarchus, in Ῥωμαϊκ. cap. LXV. Hinc quoque liquet ratio alterius moris, quem his verbis aperit Festus: *Mulis celebrabantur ludi in circo maximo Consualibus, quia id genus quadrupedum primum putatur cœptum curru vehiculóque adiungi.* Itidem quòd *Consus* consiliis secretis præesset, ratio est, cur ara eius in circo maximo sub terra occultaretur, nec aperiretur, nisi circensibus. Nam eo innuitur, *consilia* debere esse occulta: quam caussam legere est apud Dionysium, lib. II. & Plutarch. in Romulo. Eadem de re sic Seruius, ad VIII. Æn. *Consus est Deus consiliorum: qui ideo templum sub circo habet, vt ostendatur, tectum debere esse consilium. Inde est, quod Fidei panno velata manu sacrificabatur, quia fides tecta esse debet, & velata.* Atque hinc quoque elucet, cur (quod & Cæsar Bullingerus, lib de circo: & ante eum doctissimus socer meus Fr. Iunius, ad Tertull. de spectaculis, obseruauit,) *Consum* crediderint eundem esse ac Harpocratem, siue Sigalionem Ægyptium, Isidis filium, qui fingebatur digito os compescens, vt eâ silentij moneremur. Hinc vett. Glossæ, Κῶνσος, ὁ θεὸς ἱππικός. Quem Glossarij locum, meo iudicio, immeritò improbat vir illustris, ad Festum, in *Consualia*. Mouit virum summum, quod *Consus*, si idem sit ac Neptunus, Saturni filius dici debeat. Verùm quis nescit veterum in Deorum genealogia inconstantiam? Sanè *Consum* à Neptuno distinguit quoque Martianus Capella, lib. I. Nam tractans de diis singularum Cœli regionum (quas sexdecim fecerat,) sic inter alia inquit: *Neptune autem, Lar omnium cunctalis, ac Neuerita, tuque Conse, ex decima conuenistis. Consum* autem ex eo dictum suspicor, quod ara eius sub terra *conderetur*, siue quod *consilia abscondita* esse debeant; vt nempe sit ab antiquo *consum* pro *conditum*, quod supinum remansit in composito *absconsum*. Alias duas huiusce nominis caussas adfert Cæsar Bullingerus, lib. de circo, cap. IX. vbi & de nomine Deorum. *Consentium*, & *Opis Consiuæ*: quæ omnia, nisi valde me ratio fugit, desumpsit ex notis Iunij ad Tertulliani librum de spectaculis, cap. IV. Postremo loco addo (quod idem Bullingerus ibidem optimè monuit; & ante eum socer ad Tertullianum,) etsi *Consus* ex plurimorum opinione idem, fuerit ac Neptunus equestris, aliud tamen fuisse *Consualia* ac *Neptunalia*; *Consualia* enim fieri solere mense Augusto, fuisséque Ποσειδῶνος ἱππίου, id est, *Neptuni equestris*: at *Neptunalia* celebrata fuisse mense Iulio, fuisséque Ποσειδῶνος σεισίχθονος, hoc est, *Neptuni mouentis* seu *quatientis terram*. Atque hoc eo libentius adieci, quia nonnemo huiusce rei ignorantia in spissum incidit errorem.

CONSVESCO, vnde *consuetudo* esse inchoatiuum à *consueo*, scribit Charisius. lib. III. cap. de inchoatiuis. Pro *consuetudo* etiam *consuetio* dixit Plautus, vt monet Festus.

CONSVLIS triplicem inuenio ἐτυμολογίαν. Prima est, vt sic dicatur à fine, quia eius est *consulere & prouidere ciuibus*. Hanc nominis rationem innuit Cassiodorus, lib. V. Variarum in formulâ consulatus: apertè autem ponit Pomponius in Enchiridio: *Consules*, inquit, *dicti sunt ab eo, quod plurimum Reip. consulerent*. Huc pertinet illud C. Carbonis, tuentis L. Optimium, Gracchi interfectorem: *consul est, qui consulit patriæ, quid fecit Opimius?* Refert Tull. lib. de Oratore. Allusit ad hanc quoque nominis rationem Horatius, lib IV. od. IX. vbi Lollium ait non *consulem* esse vnius anni, sed quoties Reip. facto consultóque opus erat. Altera ἐτυμολογία est ab officio, quia *consuleret senatum*. Varro, lib. de vita pop. Rom. apud Nonium, in *consulum*: *Quod idem dicebantur consules & prætores: quod præirent populo, prætores, quod consulerent senatum, consules*. Malè enim in vulgatis *senatus* legi, vel fidem fecerit aliter Varronis locus, lib. IV. de L.L. vbi & hanc & priorem ἐτυμολογίαν coniungit. *Consul*, inquit, *nominatus, quod consulere populum & Senatum debet, nisi illinc potiùs, vnde Accius ait in Bruto: Qui recte consulat, consul fiat*. Tertiam ἐτυμολογίαν legimus apud vnum Quinctilianum lib. I. cap. VI. *Sane*, inquit, *consul à consulendo, an à iudicando: nam & hoc consulere veteres appellauerunt: vnde adhuc remanet illud, Rogat boni consulas: id est, bonum iudices*. Pro hâc tertiâ opinione facere videtur, quod *consules* aliquando dicti *iudices*, vt Ciceronis & Liuij loco ostendimus, voce. *Prætor*. Sic omnino accipitur in hoc loco Varronis, lib. V. de L.L. *In commentariis consularibus scriptum sic inueni: Qui exercitum imperaturus erit, accenso dicit hoc, Calpurni, voca inlicium omnes Quirites huc ad me. Accensus dicit sic, Omnes Quirites, inlicium visite huc ad iudices. C. Calpurnius dicit, Voca ad conuentionem omnes Quirites huc ad me. Accensus dicit sic, Omnes Quirites ite ad conuentionem huc ad iudices. Deinde consul loquitur ad exercitum, Impero quà conuenit ad comitia centuriata*. Hactenus Varro, cuius in verbis idem nunc *consul* dicitur, nunc *iudex* nunc *qui exercitum* imperat, siue *prætor*. Ex tribus hisce nominis caussis prima est popularior, tertia subtilior, media verior; quando *consulis* partes magis exquirendæ, quam dandæ, erant sententiæ: vt scripsit Liuius, lib. II. A *Consul* est *Proconsul*. Cur sic dicatur, ex eo cognoscimus, quod non tantùm diceretur *proconsulem esse*, sed etiam, & quidem vsitatius, *esse pro consule*; tum autem, quod non tantum ita dictus is, qui, postquam consul fuerat in prouinciam à Senatu missus esset, sed & qui è præturâ in eam venisset; nempe quia tam prætorij, quàm consulares, in eam cum consulari imperio mitterentur. Cic. I. de L.L. de L. Gellio: *Cum pro consule ex prætura in Græciam venisset*. Mirificè quoque hanc nominis rationem confirmat hic locus Ciceronis, pro lege Maniliâ: *Quo quidem tempore cùm esset nonnemo in Senatu qui diceret, non oportere mitti hominem priuatum pro Consule, L. Philippus dixisse dicitur, Non se illum suâ sententiâ pro Consule, sed pro Consulibus mittere. Tanta in eo Reip. bene gerendæ spes constituebatur, vt duorum Consulum munus vnius adolescentis virtuti committeretur*. Hæc Tull. Vide & quædam de *Proconsulis* munere in *Prouincia*.

CONTEMPLARI, à *templo*, vti scribit Varro, lib. VI. de L.L. item Festus his verbis: *Contemplari dictum est à templo, id est, loco, qui ab omni parte adspici, vel ex quo omnis pars videri potest, quem antiqui templum nominabant*. Cum autem *templum* trifariam dicatur, ab natura, in cœlo; in terris ab auspicio; ab similitudine, sub terra: quam rem luculentis exemplis ibidem illustrat Varro: imprimis mediâ significatione accipi solet pro regionibus, aut agris, certo carmine ab Augure lituo finitis & notatis consecratísque, vnde in omnes cœli partes liber erat adspectus. Sanè augures interdum ea, quorum altitudo impediret, quo minus liber quoquouersus adspectus foret, demoliri iubebant: ac C. Marius Honoris ædem eo summissiorem fecit, ne, si fortè publicis obesset auspiciis, augures eam demoliri iuberent. Atque hinc lucem capit illud Cic. II de Legg. *Vrbémque, agros, & templa, liberata & effata habento*. Quod ad etymon *templi*, Iosephus Scaliger, vti & Petrus Nunnesius, censent esse à τέμενος, quo significatur τὸ ἀποτετμημένον καὶ ἀφωρισμένον ἰδίᾳ χωρίον. vt Eustathius exponit in Il. M. vers. CCCXIII. Vnde etiam cognoscimus τέμενος dici à τέμνω, id est *seco*. Etsi verò generatim sumitur pro portione agri ab aliis resecti, tamen plurimum dicitur de agro, qui Deo alicui vel heroi est sacratus. Atque ab ea τεμένους notione *templum* vocatur. Saltem etymon hoc verisimilius, quam quod ex superiori Varronis loco cognoscimus. Nam à *tuendo* sic dici ait, quia quà tuimur, *templum* est. Ita *templum* dicetur, quasi *tuemplum*, vel potius *tuempulum*: quomodo veteres dixisse patet ex eo, quod *extempulo* dicat Plautus, Aulul., act. I. II. *Nam si ignis vincet, tu exstinguere extempulo*. Item, Curcul., act. I. I. & Cistell. I. I. *V* postea extritum vti cum in aliis factum, tum in *Alcmene, Tecmessa, Alcmaeon*, pro quibus veteres *Alcumena, Tecumessa, Alcumaeon*. Veteres enim nunquam C & *M* coniungebant. Primus autem tria hæc absque *V* extulit Iulius Cæsar; quemadmodum testatur Victorinus, lib. I. Videtur autem *Extemplo* fuisse vocabulum sacrorum, vt *ilicet* sacrificiorum. Nempe illo vsus præco dimisso senatu, quo *templo* exirent: haud secus atque, Donato teste, idem *dimisso senatu* vsurpabat ILICET, vt indicaret, abire iam posse; vnde & verbum id factum. Nam *ilicet*, quasi *ire licet*. Quia vero, hisce vocibus pronuntiatis, cito discedebatur, inde vtrumque vsurpari cœptum pro *cito*, & *celeriter*. Cæterum aliam quoque à superioribus significationem *templi* docet nos Festus, cum ait: *Templum significat, & ædificium Deo sacratum, & tignum, quod in ædificio transuersum ponitur*. Pro *tigno* hoc vsus Vitruuius, lib. cap. VII. *Superáque id fastigium columen cantherij, templa ita sunt collocanda, vt stillicidium tecti absoluti tertiario respondeat*,

Vsus

Vsus & cap. II. eiusdem libri Vbi Danielem Barbarum vide: vel ad superiorem locum Philandrum.

CONTINVVS, est à *contineo*, vt *contiguus* à *contigo*, seu *contingo*. *Continuum* est, quod communi termino continetur. *contiguum*, quod terminum habet proprium sed inter quem & alienum nihil intermedium sit. Hæc enim vis est verbi *tangere*. A *continuus* est *continuo*, id est, *statim*. Nempe quia tempus, quo quid dicitur, & quo præstatur, vno eodémque momento, velut communi termino, coniungitur.

CONTRA, ab ἄντικρυ venire putat doctissimus Angelus Caninius. Sententiam suam eo fulcit, quod ferè ρ in Latinis locum mutet, vt in *tener* à τέρην, *forma* à μορφή. Itaque nec dubitat idem, *nares* deducere à ῥῖνες, aut *ros* ab ἔρση. de quibus suo loco dicemus. Sed Cæsari Scaligero placet, simpliciter esse à *cum*, seu *con*. *Sunt* enim, inquit, *contraria relatiua. Ergo simul*. Vide eum, de causs. L. L. cap. CLV. Vt ab *in*, *intra*; ab *ex*, *extra*; sic à *con*, *contra*. Possis & deducere à *contueor*, seu *contuor*. Nam, quæ *contuemur*, ea sunt ex aduerso, siue *contra*. Plautus: *Quid agis? Feminam scelestam te, adstans, contrà contuor*. Sed hoc subalbus. Verius autem, quod ex Scaligero dicebamus.

CONTVBERNII, & *contubernalium*, vox, teste Festo, venit à *tabernis*, quæ fiebant è *tabulis*, vnde & *tabernacula* dicuntur. Cicero, pro Cœlio. *Profectus est in Africam, Q. Pompeio contubernalis*. Suetonius, in Iulio: *Stipendia prima in Africâ fecit M. Thermi Prætoris contubernio*. Propriè igitur militiæ vox erat, dicabatúrque de decem militibus sub vno degentibus papilione, quibus præerat *decanus*, & *caput contubernij* dicebatur: vt scribit Vegetius, lib. II. cap. VIII. Etiam seruorum coniugium *contubernium* vocatur, indéque & *contubernalis*, pro ea, quæ *quasi vxor*: vel *seruorum coniuges*. Hodie tamen inter liberorum seruorúmque nuptias nullum est discrimen. Quemadmodum autem a *con*, & *taberna* est *contubernalis*; ita ab *ad*, & *taberna*, est *attubernalis*. Gloss. Isidori, *Attibernalis*, *vicinus*. In Glossis quoque Latino-Græcis Philoxeni est: *Atturnbernalis*, παρόλογος. Lege *attubernalis*. Sed interpretatio Isidori, & Philoxeni, in eo distat, quod ille *taberna* vocem generatim sumit, vnde *attubernalis* ἀπλῶς exponit *vicinum*: ac similiter accipitur in *contubernalis*. sed Philoxenus, vel Critici illi qui Glossarium Latino-Græcum collegerunt, intellexere *tabernam diuersoriam*, siue *cauponam*: vnde eum *attubernalem* esse aiunt, qui *vicinus* est *caupona*.

CONTVMAX, dictum à *contemnere*, quod est super alios aspernari: quomodo vtitur Plautus. Sticho: *Contundam facta Talthybi, contemnámque omnis nuncios*. Vel potiùs est à *tumore*. Vtrumque etymon refert Velius Longus. *Est autem vbi pinguitudo V litera decentius seruatur, vt in eo, quod est volumus, nolumus, possumus. At in contumaci melius puto E seruari: venit enim à contemnendo, tametsi Nisus & contumaci per V putat posse dici à tumore*. Sane Nisus magis ἀναλόγως. Nam, vt ab *audeo*, *audax*; à *teneo*, *tenax*; sic à *contumeo*, *contumax*; qui tumet pertinaciâ. Isidorus tamen alterum præfert. lib. X. *Contumax*, inquit, *ab eo, quod contemnat*. Nempe à *contemno* fit *contemmax*, & eliso *N*, *contemax*, pro quo *contumax* proferimus. Nam *E* facilè abit in *V*: quemadmodum & in *I* fit. Nam dicimus *aucupium* pro *aucipium*, *quadrupes* pro *quadripes*. In Romano tamen Virgilij codice passim *quadripes* per *I* legitur, vt ad Eccl. V. scribit Pierius. Quemadmodum autem *contumax* dici putatur pro *contemnax*, sic & *contumeliam* à *contemnendo*, quasi *contemneliam* appellari censet Vlpianus, l. I. ff. de iniur. & famos. libell. atque ad hoc etymon ei præiuit Seneca, lib. de Tranquilla vita cap. X *Nec prudentia quisquam in se esse, nec fiducia ostendit, qui contumelia afficitur. Non dubiè enim contemtum se indicat. Et hic morsus non sine quadam humilitate animi euenit, supprimentis se ac descendentis. Sapiens autem à nullo contemnitur, magnitudinem suam nouit*, &c. Sed vt *contumax* verius est à *contumeo*, sic & *contumelia*. Est enim iniuria profecta ab animo, qui fastu tumeat ac turgeat, qualis alios præ se contemnit & facili occasione ignominiose tractat

CONTVS, si Isidorum audimus. lib. XVIII. cap. V. dicitur quasi *conitus*, quia in *conum*, siue acutam rotunditatem, desinit. Sed, est Græcum κοντὸς, apud Homerum, Odiss. A. Erat quoque inter ea, quibus in arena pugnabatur. Lampridius, in Commodo *Virium ad conficiendas vires tantarum fuit, vt elephantos conto transfigeret*. Qui pugnaret *conto*, dicebatur *contifex*: vbi *facere* est *occidere*, vt in *Conficere*, & *interficere* Gloss. vett. *Contifices*, κοντοφόνοι. Inde *contificium*. Flauius Vopiscus, in Probo: *Qui omnes contificiis interemti sunt*. Etiam perticæ quibus nautæ explorant loca, *conti* dicuntur: vnde *percontari*, *conto* explorare. A re nautica ad aliam translatum. Alij scribunt *percunctari*, vt sit *per cuncta* curiosè interrogare De vtroque ita Donatus, in Hec Act. I. Sc. II. *Et percunctatum, & percontatum, scribitur. sed percontatum, à conto dicitur, quo nauta vtuntur ad loca nauibus opportuna: si vero percunctatum, ab eo quod à cunctis perquiratur, dicitur*. Festum etiam vide in *Percunctari*: cuius verba adduximus in *Cunctus*.

CONVEXVM, vt ait Festus, *est ex omni parte declinatum, qualis est natura cœli, quod ex omni parte ad terram versus declinatum est*. Isidorus, lib. III. Orig. cap. XXXVIII. *Conuexum curuum est, quasi conuersum seu inclinatum, & ad modum circuli flexum* Vult *conuexum* dici, quasi *conuersum*. Sed est non à *verto*, verum *veho*. Nam *conuexum* est id, quod supra concauum *conuehitur*. Quippe vt interior facies *concaua*, ita exterior *conuexa* appellatur. Ac similiter *deuexum* dixere pro *decliue*, quasi *quod deorsum vehatur*. Gloss. vett. *Conuexum*, ἀψίς. *Deuexum*, κατωφερές.

CONVICII geminum etymon ponit Festus: *Conuicium*, inquit, *a vicis, in quibus prius habitatum est, videtur dictum: vel immutata litera, quasi conuocium*. Prius etymon secutus Nonius, si recte sic correxit Lipsius: *Conuicium dictum est, quasi è vicis loqui, quia secundum ignobilitatem loci maledicta & dicta turpibus cauidentur*. At posterius probauit Iurisconsultus cum ait, l. XV. D. de iniuriis: *Conuicium dicitur vel à concitatione, vel a conuentu, hoc est, à collatione vocum, cum enim in vnum complures voces conferuntur, conuicium appellatur, quasi conuocium*. Laurentius Valla. lib. VI. Eleg. cap. LII. reprehendit hanc Iurisconsulti tum etymologiam, tum definitionem. Ac Vallæ quoque sub scribit Perrotus Censet autem, vterque, potius venire à *vitium*, vel *vito*. Sed si esset à *con*, & *vitium*, corriperet secundam, quam Ouidius, Martialis, & alij producunt. A *conuito* autem esse nequit, quia id Latinum non est. Quid, si igitur dicamus esse ab antiquo *vico* pro *vinco*, quomodo pro *frango* dixere *frago*, vnde *fregi*, & *fragilis*: pro *pango*, *pago*, vnde *pepigi*, & *pagino*, à quo *pagina*: Similiter dixisse *vico* ostendit præteritum *vici*, & *Vicapota*, quomodo vocabatur dea, quæ daret *vincere* & *potiri*. Ita *conuicium* fit ex eo, quia quis alterum redarguat ac *conuincat*. Sed aliud, *conuicium facere*; aliud erroris aut criminis *conuincere*. Deinde prior in *vico* breuis erat, vt in *frago*. De *frago* arguit *fragilis*. hic de *vico* arguit *peruicax*: cuius mediam Horatius & alij corripiunt. Quare omnino à *voce* est, propriéque sic vocatur, quod cum vociferatione dictum est, siue vnus, siue plures dixerint, modo in cœtu dicatur. Nam quod nec in cœtu, nec cum vociferatione dictum est, id propriè non *conuicium* est, sed *infamandi caussa dictum*, l. XV. §. ex his. D de iniuriis. Iurisconsulti sententiam hoc quoque non leuiter confirmat. quod, cum *vito*, & *vitium*, semper dicantur de rebus malis; *conuicium* etiam in bonam partem accipiatur. Seneca, Med.

Festa dicax fundat conuicia Fescenninus.
Soluat turba iocos.

Martial. VII. Epigr. III. de reditu Domitiani:

Festa coronatus ludet conuicia miles.

Quinctilianus, epist. præliminari, ad Tryphonem: *Efflagitasti quotidiano conuicio, vt libros, quos ad Marcellum meum de institutione oratoriâ scripseram, iam emittere inciperem*. Imò apud Ciceronem ipsum quoque pro Archia, Cluentio, Quinctio, & alibi, sæpe sola *vocis contentio* hac voce denotatur. Nec aliter in illo accipiendum videtur: *Septem conuiuium; nouem, conuicium*. Quod apud Iulium Capitolinum legas, in vita L. Veri. At in Glossis vett. *conuicior* non tantum ὑβρίζω, sed & κολάζω, exponitur.

CONVS, vt ait Varro. in IV de L.L. sic dicitur, *quod cogitur in cacumen versus*. Sed est, Græcum κῶνος. Hoc ab Hebræo קין, *lancea*, *hasta*. Nam κῶνος dicitur ἡ ἐπιφάνεια τῆς ὀξύτητος, qualis in metis segetum & summis hastis. Etiam pro galeæ apice crebro sumitur. Gloss. *Conum*, κορυφαῖον, ἡ τῆς περικεφαλαίας ἄκρα. Seruius, in illud,

——— *Apicem tamen incita summum*
Hasta tulit.

Galea id est eminentia, quam Græci conum vocant, in qua eminent cristæ.

COPHINVS, κόφινος, *vas vimineum*, *corbis*. Caue autem putes esse à Syro קופינא. Nam Syri contra, vt alia multa, ita illud quoque a Græcis acceperunt Isidorus, lib. XX. cap. IX. *cophinum* dici ait, quasi *conus*, nempe ob *cauitatem*. Sed eo refellitur, quod Aristophanes, & alij Græcorum veterum vsurpent.

COPIS substantiuum, est *culter*, vel *gladius*. Vsi Curtius, lib. VIII. & Appul lib. XI. Græcum est κοπὶς, ἀπὸ τοῦ κόπτειν. At *copis* adiectiuum est contractum ex *coopis*. Nam dicitur quasi *cum ope*. Præit hac in parte Varro, lib. IV. de L.L. Nam cum dixisset. *ab ope* dici *opulentum* & *inopem*. subiicit: *Ab eodem fonte copis* (male libri quidam *Copias*) *& copiosus*. *Copis* agnoscit

& Nonius. Vsus Plaut. Bacchid. act. II. sc. II. *Vt amantem herilem copem facerem filium.* & sic Pseudolo. act. II. sc. III. *copi pectore.* & alibi. *copes amores.* Sed Priscianus, in VII. rectum facit non *copis*, verùm *cops.* Nam dici ait, *hic & hæc & hoc ops*, & *cops*, pro *opulentus*, & *copiosus*. Ac *Ops* quidem legitur apud Actium. in Hercule de altero nullum laudat auctorem. A *copi*, vel *copis*, dicta *copia*, quasi *coopia*. Hinc *copiosus*.

COPRIÆ, idem qui scurræ; vnde Isidorus in Glossis; *Scurrula, qui incopriat.* Vtitur Sueton. in Claudio: *Interdum ferulâ flagróue, velut per ludum, excitabatur à copreis.* Sic est in Vett. libb. vt agnoscit Turnebus, lib. XXII. cap. XXXII. Sed is, vt vocis originem vidit, ita *scurram* notare non perspexit; quod fuus: vt ad Festum obseruauit Ios. Scaliger. Eum secutus Lippsius lib. II. Elect. cap. XVII. vbi sic corrigit locum eiusdem Suetonij in Tiberio, cap. LXI. *Interrogatum eum subito & clarè à quodam nano adstante inter copreas, cur Paconius Maiestatis reus tamdiu viueret.* Idem libro de vnâ religione, ita legit locum Varronis: *Omne videmur nobis saperdas, festiui, belli, cum simus copreæ.* Est autem *copria* à Græcis, qui itidem dicunt κοπρίαι. Dio, in Pertinace: Κοπρίας τινὰς, καὶ γελωτοποιοὺς, αἰσχίστους τὰ εἴδη, αἰσχίους δὲ τὰ ὀνόματα, καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα ἔχοντας. Κοπρίας est à κόπρος, id est *stercus*, vt τὸ ἀκροατὴς sonet *sterco-reus* quomodo Pyrgopolinicem vocat Plautus. Milite act. II. sc. I. A *copreis* quoque *coprianus* vocem formàrunt olim, qui B. Cyprianum sic appellabant, tanquam *scurram*, non verum doctorem. Lactant. lib. V. cap. I. *Audiui ego quendam hominem, disertum sanè qui eum immutatâ vnâ litterâ Coprianum vocaret, quasi qui elegans ingenium, & melioribus rebus aptum, ad aniles fabulas contulisset.* Ita rectè pleri que libri: non *Copreanum*, quod est in Aldina.

COPTA legimus apud Martialem. in Apophoreti s. epigr. LXVIII. Putat Calderinus, esse *panem durissimum*, ac τὴν κοπτὴν ἀπὸ ita vocari à κόπτω, id est, *incido*, quia difficulter inciditur. Sed omnino *placenta genus* est, cuius meminere Athenæus. lib. XIV. p. DCXLVIII edit. Commel. & Trallianus non vno loco. Nomen autem ex eo est, quod miscerentur ei quædam, quæ κόπτειν, h. e. *tundi*, necesse esset, vt nuclei pinei, amygdalæ, atque alia. Vide Georgium Merulam. in locum Martialis: Corn. Vitellij Annot. in Merulam, cap IV. & Turnebum. lib. X. cap. X. Κόπτω (vnde *copia* deducebamus) est à כפר, h. e. κόπτω, siue *incido*. Habet & affinitatem summam cum קצב, h. e. *excidere*.

COPVLA. συμπλοκή. A πλοκὴ, siue πλοκή, τῷ μεθέξει, *copla*. Nisi, cum doctissimo Becmano, malis esse à כבל, *compes*: *copula ferrea*. Quod non minus probo.

COQVO, à *cogendo* deducit Perrotus, ac rationem hanc adfert, quod *coctum cogendo coërcetur*, vt ad vtilitatem vescendi perducatur. Hausit autem hæc ex istis verbis Festi: *Coctum à cogendo dicitur, quia coquendo coërcetur*, siue, vt in aliis libb. est, *coartetur*. Sed quis non videt, *coctum* simplicius deduci à *coquo*, quàm *cogendo*? *Coquo* vero à *cogo* minimè deduci, dispari cognoscitur quantitate. Quare verisimilius dixisset, *coquo* & *cogo*, eiusdem esse originis: nempe vtrumque dici à *coago*, sed discriminis caussa in illo *A* extritum esse, quomodo in *nego* fit pro *neago*, in altero *O* & *A* in *O* longum conuerti, vt in *cogito*, pro *coagito*: eámque caussam esse, cur prior in illo corripiatur, in hoc producatur. Quod verò illud per *Q*, hoc autem per *G* scribatur, hoc esse, à summa harum affinitate. & illud indicat, quod vbi Latini *quadrans*, Græci dicunt κοδράντης: vt videre est Marci XII. Sed etsi hæc non absurdè dicantur: tamen non eiusmodi sunt, vt hic acquiescere possit animus. Nunnesius igitur putabat *coquo* esse à πέπτω, quod Atticum pro πέσσω, vti Æoles pro eo dicunt πέσσω, quorum & est ὀπτάω, pro ὀπτῶ. Nec mouet Nunnesium, quod litteræ in *coquo* longius recedant, quia sunt litteræ hic, quæ sæpius commutentur: etiam P in C: vt à σπινθήρ, *scintilla*. Mihi tamen longe verisimilius fit, *coquere*, vel esse à Græco κόχος, quomodo vocatur *humor copiosus*, si Scholiastæ Theocriti credimus, qui inde deducit κοχύω. vel *coquo* dici quasi *conquo*, hoc est, cum *aqua coquo*: quomodo & *elixum* dicitur, à *lix*, id est, *aqua*; & contrà *assare* dixere ab *assus*, id est, *siccus*: quod ab ἄζω, id est, *sicco*. De quo plura in *Assum*. A *coquo* est *coquito*. Festo teste: qui interpretatur *frequenter coquo*. Plautum eo vsum ait: Hodie nusquam apud illum hæc vox extat. Suspicari tamen liceat, Festum. Aulul. act. III. sc. I. & Pseud. III. II. legisse, *coquitatum*. vbi in vulgaris *coquinatum*: quod iis locis priori inprimis, meo iudicio, est aptius: estque à *coquina coquinare*, vt à *sarcina sarcinare*. A *coquendo* etiam est *coquus* vel potiùs *cocus* per C, quando Priscianus indicat priorem scribendi rationem exoleuisse. Quippe lib. I. ait. antiquos *arquus, coquus, equulus, quum quas*, scripsisse per *Q*. Quare videtur non magis probasse *coquus*, quàm *equulus*, aut *quur*, quibus nunc nemo vtitur, quemadmodum nec voce *arquus*

nisi fortè differentiæ caussa. Similiter à *coquendo*, *cocula* dicuntur quæ Homero ξύλα κᾶλα. Varro, I. de vita pop. Romani, apud Nonium. in *Fornum*: *Coculà, quæ coquebant; ante primum sub cinere: postea in forno.* In vulgatis est *coquebat*, numero singulo: atque ita in appendice de Triclinio citat Fuluius Vrsinius, quasi *cocula* sit *coqua*: quod satis refellit Festus, cùm ait: *Cocula, vasa ænea, coctionibus apta. Alij cocula dicunt ligna minuta, quibus facile decoquantur obsonia.* Vbi in MS.ª est *coclea*: sed corrupte. Sed analogia requirit *cocula*. In Glossis etiam, quæ sub Isidori nomine circumferuntur, legere est: *Cocula, ligna arida, vel vasa ærea.* Itaque putat Lambinus, apud Plautum, captiuis. act. IV. sc. III. legi debere:

Iubes, an non iubes, astitui aulas, patinas elui
Lardum atque epulas foueri coculis ardentibus?

A *præcoquo* est *præcox*, de quo seorsim. Ab *incoquo*, *incoctus*. Festus: *Incocta dicebantur mulieres plus æquo calamistris vsæ.* *Recoctus* scriba παλιμπράτης vocatur Horatio, lib. II Sat. V. qui ex scriba quinqueuir, ex quinqueuiro iterum scriba factus est. At *senex recoctus*, Catullo. ἀνεψηθεὶς γέρων, vt exponitur in Glossis: q. d. *coquendo renouatus*. Sic Petronius dixit: *Anus recocta vino Trementibus labellis.* *Decocta*, quæ & Martiali simpliciter *cocta* vocatur, aqua erat cocta, postéaque vitro infusa, & niue circumiectâ iterum frigefacta: quâ ratione fiebat, vt niuis frigus, non vitium, reciperet. Vnde Martialis, lib. XIV. dist. CXVI.

Non potare niuem, sed aquam potare rigentem
De niue commenta est ingeniosa sitis.

Neronis inuentum fuit. Vide Plinium, lib. XXXI. cap. III. & lib. XIX cap. IV. Meminere præter Suetonium, Iuuenalem, atque alios, etiam Galenus. lib. VII. Meth. med. cap. IV. & Athenæus lib. III. Ex vtroque Græcos à Latinis δεκόκτα vocem mutuatos discimus.

COR à κῆρ quod contractum ex κέαρ. vnde & καρδία, quasi κεαρδία. Sed hac voce antiquis Medicis *stomachus*, siue *ventriculus*, appellatur. quod factum videtur ex vsu vulgari ob summum consensum inter *stomachum*, & *cor*. quando fieri videmus, vt homines languente stomachi orificio patiantur syncopen, quales hinc καρδιακοὶ nominantur. *Cor* sapientiæ est sedes; vnde Plautus, Mil. act. III. sc. I.

—— *Cuique sapiat pectus:*
Nam cor non potest, quod nulla habet.

Hinc sapientes dixere *cordatos*, quos & *corculos* vocabant, Festo teste; & Plinio, lib. VII. cap. XXXI. Huic contrarium *excors*, & *vecors*. A *cordis* dolore factum videtur *cordolium*, nisi cum Scaligero malis *cordolium* dici pro *condolium*. *N* in *R* conuerso: quomodo & idem *cortumio* non à *corde* venire censet, sed à *contumio*, ἐναποσκοπεῖν, vnde & *contumax*. Similiáque sunt *genimen*, *germen*; *cancer*, *carcer*; κρίζω, *crisso*; μορία, *moras*; φορία, *furia*; aliáque. Sed si hoc *cordolij* etymon verum esset. iam *cordolium* notaret συμπάθειαν, non ἁπλῶς *dolorem*. At secus est, vti ostendit hic locus Plauti, Cistell. I. I. *At mihi cordolium est.* & Pœn. *Ibi tibi erit cordolium.* Ac minimè audiendus, qui vtrobique diuisim legit *cor dolium*. Ac *dolium cor* dici putat, quòd doleret; quâ ratione Festus, *vinum crucium*, Lucillio dici ait, quòd cruciaret. Interim non parum miror, vocis *cordolij* neminem, quantum recordor, meminisse è veteribus Grammaticis. A *cor* sunt *concordis*, & *discordis*, pro quibus posteriores κατὰ συγκοπὴν dixere *concors*, & *discors*; vt *mens*, *fors*, *trabs*, pro *mentis*, *fortis trabes*, & similia. Integris veteres esse vsos, docet Priscianus, extremo lib. VI. Cæcilius, Cratino: *Modò sit obsequens, hilaris comis, communis, concordis, dum id quod petit, potitur.* Pomponius, in Satyra:

Blanda, fallax, impotens, superba discordis.

A *se*, hoc est, *sine*, & *cor*, est *socors*, vt ait Festus, apud quem & *secordia* scriptum inuenitur. Sed vulgò *socors*, & *socordia*, dicimus: quomodo *sobrius* pro *sebrius* diximus, à *se*, & *brius* quod vasis potorij genus, vnde & *ebrius*. Et sanè *socordia*, non *secordia*, exaratum est in plerisque codd. Paulli MSS.[is] *Socordiam* cum segnitie iungit Terentius, Andr.: *Nihil loci segnitiæ, neque socordiæ.* Vbi vetus interpres monet, *Segnitia ad agendum, socordia ad considerandum*, Nempe hoc voluit, cum *socors* à *corde* dicatur, propriè ad animum pertinere. *Recordor* propriè est. *cum affectu cordis reminiscor*: vt plus sit quàm *reminiscor*.

CORALLIVM, κοράλλιον. Geminant *L* quoque Ausonius, in Mosella; & Claudianus, in nuptiis Honorij & Mariæ. Atque etiam Sidonius: sed hic *corallum* vocat in Epithalamio Ruricij.

Lactea puniceo sinuantur colla corallo.

Auieni quoque est:

—— *Fuluo tamen inuenere corallo*
Quærere videndi commercia. ——

Coralium verò vnico *L* extulit Maro, siue alius, in Ciri:

Nam

Non me deliciis commouit regia diues
Coralio fragili, ac electro lacrymoso.

Sive, vt in aliis libris est:

Non me deliciis commouit regia diues,
Diues coralio fragili, ac lacrymoso electro.

Ac similiter Ouidius, xv. Met.:

Sic & coralium, quo primum contigit auras
Tempore durescit: mollis fuit herba sub vndis.

Ait poëta, *coralium*, simulac manu attigeris, lapidescere: vnde & nomen impositum putant à χεὶρ, quasi χειράλιον. Aliis quasi κῆρ ἁλὸς, *cor maris*: aliis quasi κόρη ἁλὸς, *pupilla* aut *virguncula maris*. Alij ὅτι ἐν ἁλὶ κείρεται, *quoniam in mari tonditur ac præciditur*. Quo Plinius respicit, lib. xxxii. cap. ii. *Attactu, tactu protinus lapidescere, si viuat. Itaque occupari euellique retibus, aut acri ferramento præcidi. Hac de caussâ, coralium vocitatum interpretantur.* Ex quadruplici hac sententia primam & alteram probare non possum. At magis placet, vel esse à κόρη, *puella*; vel κουρὰ *tonsura*. Sed si à κόρη deducere visum, nihil opus compositum dicas, cum, vt viris doctissimis ex Hesychio & aliis, obseruatum est, κοράλιον, vel κουράλιον, sit ὑποκοριστικὸν à κόρη, vnde sic *pupas virginum* dixere. A κόρη etiam deduxere, qui fabulantur, enatum esse è sanguine, destillante è capite Γοργόνος οἷα κόρης ὄν, atque à κόρη quidem κοράλλιον dici; ἀπὸ τῆς Γοργόνος verò Γοργόνιον, vti & à contracto Γοργῶς, Γοργώνιον, vel Γοργεῖον. Denique pro hac sententia facit, quod, vt κόρη & κούρη dicitur sic non κοράλλιον modò dicitur, sed & κουράλιον, vt apud Dionysium περιηγητήν.

Παιδὸς γὰρ λίθος ἐστὶν ἐρευθέος κουραλίοιο.

Imò & vett. libris Latinis crebro inuenias *curalium* per *u*: neque dubito, quin ita in allatis Maronis & Ouidij locis scribi debeat ac quotiescumque primam producit. Nam à κουράλιον est *curallium*, prima longa à κοράλλιον est *corallium*, vel *corallum*, prima correpta. Aliud autem à *coralio Coraliticus lapis*: qui est candidi marmoris genus. Nomen ei à flumine Phrygiæ, iuxta quem inuenitur, qui fluuius *Sangarius* & *Coralius* dicitur. Plinium vide, lib. vi. cap. i. lib. xxxvi. cap. viii. Georgium Agricolam, de natura fossilium, lib. vii. cap. ii.

Coram, vel ex *cor*, & *am*: vt propriè sit, *circum cor*: vel, quod longe verisimilius, à κόρη, *oculi pupilla*, vt propriè sit, *in conspectu*, siue *ante oculos*. Quæ sententia est Cæsaris Scaligeri de caussis L. L. cap. clv. Vel sit à κάρα, *caput*, quæ Petri Nunnesij sententia est. Nempe vt *A* in *O* conuertatur, vt à μάρμαρος, *marmor*, δωμῶ, *domo*, &c. Arbitror autem, Nunnesium eo respexisse, quod quæ *ante faciem* fiant, ea *coram* fiunt.

Corbis, quasi *corruus*. Varro, lib. iv. de L. L. *Corbes ab eo quod spicas aliudue quid corruebant. Hinc minores corbulæ dictæ.* Vel sit *corbis*, quasi *coruus*, seu *curuus*. Isidorus, lib. xx. cap. ix. *Corbes dicti, quia curuatis virgis contexuntur.*

Corbita meminit Plaut. Pœn. act. iii. i.

——— *Homines spissigradissimos,*
Tardiores, quam corbitæ sunt in tranquillo mari.

Celoci opponit idem. càpse sc.

Objecto hercle operam celocem hunc mihi, ne corbitam,
date. ———

Vtrumque propriè est nauigij genus: ac *celoci* quidem à *celeritate* nomen inditum putatur: rectène, an secus alibi disquirimus. *Corbita* verò ex eo dicta, quòd in malo eius παράσημον, siue *signum*, esset *corbis*, contrà quàm in aliis nauibus fiebat, quarum παράσημα erant in prorâ: vt in puppi tutela. Festus: *Corbitæ dicuntur naues onerariæ; quod in malo earum summo pro signo corbes solerent suspendi*. Ab hisce *corbibus*, quæ in *corbitarum* malo παράσημα erant, *corbitores* eos vocatos suspicatur Sauaro, qui in *corbitis* ad *corbes* per malos repebant, vt vela legerent vel expanderent: inde autem vocem eam translatam esse ad *funambulos*. Et sane magis id mihi verisimile fit, quam vt apud Festum *corbitores* imperitiâ librariorum irrepserit pro *cernuatores*; atque ita dicantur *saltatores*, siue *cernuatores*, idque quia, *cernuorum* instar nunc sursum spectent, nunc deorsum: quæ Ios. Scaligeri sententia est ad illum in *Simpuuiarea*.

Cordax, pes idem in arte metrica, qui aliter *trochæus*: teste Tullio in Orat. & Fabio, lib. ix cap. iv. *Trochæi* autem nomine intelligo non *choræum*, siue longam cum breui: sed *tribrachum*, siue *tres breues*. Sic enim veteres *trochæi* voce vti amant. *Cordax* verò dictus, quia accommodatus κόρδακι, qui erat *saltatio Comica* eàque lasciuior, teste Hesychio, Scholiaste Aristophanis, Suida & aliis. Ac fortasse sic dicebatur quasi χορδὰξ, quia eius vsus ἐν κωμικῷ χορῷ, vt & Theophrastus ait, in Eth. Charact. cap. περὶ ἀπονοίας. A κόρδαξ est κορδακισμός, vnde *trochæum* κορδακικώτερον, vt Aristoteles, lib. iii. Rhet. cap. viii. Et videntur eum locum respexisse Tullius, & Fabius. Quod si est, apud eos pro *cordax* legendum *cordacicus*, Græce κορδακικός, hoc est *cordaci conueniens*.

Cordvs, siue *chordus*, quid sit, patet ex Columellæ lib. viii. c. ii. *Autumnali fœno, quod cordum vocatur*. Idem docet Plinius, lib. xviii. cap. xxviii. *Vt secetur autumnale fœnum, quod vocant cordum*. Et Festus: *Corda frumenta, quæ serò maturescunt, vt fœnum cordum*. Itaque placet quibusdam *cordum* esse à χόρτος, quod pro *fœno* sæpe accipitur. Sed obstat quod *cordum* non *autumnale fœnum* notat, sed eius appositum est: imò non *fœno* modo, sed aliis etiam plantis conuenit. Itaque doctissimus Martinius, potius *cordum* putabat esse ex κουρίδιος, seu κουρίδιος, hoc est, *iuuenilis*, quia quæ iuuenilia ea nouitia, vel ab ὅρος, id est, *terminus, finis*. *Cordum* autem non de *fœno* solum dici, indicat, quod *olus cordum* dixit Columella, lib. xii. cap. xiii. Imò & de animalibus dicitur, vt indicat hic Varronis locus, lib. ii. de R. R. cap. i. *Dicuntur agni chordi, qui post tempus nascuntur, ac remanserunt in vuluis intimis, vocant χόριον, à quo chordi appellati.* Quibus ex verbis etiam discimus, quæ Varronis de eius vocis etymo fuerit sententia. Quando autem *agni, cordi*, ac *serò nati*, dici debeant, indicat hoc Plinij, lib viii. c. xlvii. *Coitus omnibus ab Arcturi occasu, id est, à tertio Idus Maias, ad Aquilæ occasum, x. Kal. Aug. Gerunt partum diebus CL. postea concepti inualidi. Cordos vocabant antiqui post id tempus natos.* Etiam *hominibus serò natis* id nomen tributum. Ita *Cordi* Cremutij meminit Tranquillus, in Augusto, cap. xxxv. & Iulius Capitolinus, in Gordianis, meminit alterius *Cordi*, qui vitas scripserit Imperatorum. Et apud Nepotem, siue Plinium, lib. de viris illustribus, in vtrâque Aldin. legas, *Mutius Scæuola Cordus*, pro quo in quibusdam *Codrus* editum est. Id vero nomen ex eo esse, quòd *serò & quasi intempestiuè nati sint*, clarè indicant hic locus Quinctiliani, lib. i. cap. iv. *Scrutabitur ille præceptor acer atque subtilis origines nominum: vt quæ ex habitu corporis Cicerones, Rufos, Longosque fecerunt: (nisi erit aliud secretius, Syllæ, Burrhi, Galbæ, Plauti, Pansæ Scauri, taliáque) & ex casu nascentium: hinc Agrippa & Opiter & Cordus & Posthumus erunt, & ex iis quæ post natos euenimus: vnde & Vopiscus.*

Corgo teste Festo, *apud antiquos pro aduerbio, quod est, profectò, ponebatur*. Etiam in Glossis Philoxeni legas: *Gorce*, ἀναμφίβολος. *Gorgi*, ἀναμφιβόλως. Priori loco leg. *Gorgo*, ἀναμφιβόλως. Videtur *gorgo*, seu *corgo*, esse à *cor*; quasi è *corde age*. Quod & Martinius sentit.

Coriandrvm, à κορίαννον. Apud Dioscoridem enim legas: κορίαννον, κορίανον. Aliter dicitur κόριον, κορίαννον, κορίανον. Hesychius: κορίαννον, κορίαννον, ὁ κορίανον τὸ λάχανον. Primigenium verò est κόρη, id est, *pupilla*, quam, vt aiunt, rotunditate refert: vel à κόρις, *cimex*, quia caulis foliaque cimicem olent, vt tradit Goræus. Vocant & κοριάμβλιον, quia τὰς κόρας ἀμβλύνει, hoc est, *pupillam*, seu *visum, hebetat*.

Corivm: quasi *carinum*, *quod caro eo tegatur*, dici videtur Isidoro, lib. xi cap. i. Sed est ab Hebræo עור, id est, *cutis, pellis, corium*, ab rad. ערה *i. dari*. A *corium* est *coriago*; quippe *corij seu cutis morbus*. Columella, lib vi. cap. xiii. *Est & infesta pestis bubulo pecori (coriaginem rustici appellant,) cùm pellis ita tergori adhæret, vt apprehensa manibus deduci à costis non possit.*

Cornicem quidam à *coruo* dici putant, vt apud Perottum legimus. Apud Isidorum, lib. xii. cap vii. scriptum inuenitur, apud Latinos *cornicem* Græco nomine sic appellari. Neutrum verum: nisi id fortè voluit Isidorus, *cornix* dici, quasi *coronix*, à Græco κορώνη, quod verum est. Additum *x*, quomodo à μήτηρ est *matrix*, nisi hoc potiùs ἀνάλογον, venit à *mater*, vt illud à μήτηρ. Κορώνη etiam Græcis dicitur, quod aliter vocant ῥόπτρον, nempe id quo fores ab iis pulsantur, qui foris consistunt. Κορώνη autem dicitur, quia *garrulitate cornici similis est*: vel, vt alij malunt quia *collum cornicis referret*. Id nos Latinè etiam cornicem, Græcorum more, dicere possumus, vt censet Turnebus lib. v. cap. xxvii. Quibusdam placet Plauto *cantharum*, Lucretio *manum exteram*, dici; de quo alibi disquirimus:

Cornv, quia *curuum*. Varro, vi. de L. L. *Cornua à curuore dicta quod pleraque curua*. Sic legendum esse liquidò docet Scaliger. Sed de ἐτυμολογίᾳ rectius quam Varro, sensere Angelus Politianus, cap. xiv. Miscell. Angelus Caninius, in Hellenismi alphabeto: Ios. Scaliger, in Varronem: plurésque alij qui esse docent à Syriaco *Carna*, pro quo & Arabes *Karn*, Hebræis est קרן, à quo κέρας. Vnde *cornua*, quæ inflant, *cornicines*, nomen acceperint, docet Varro, lib. iv. *Cornua inquit, quod ea, quæ nunc sunt ex ære tunc fiebant ex bubulo cornu.* Quid in libris *cornua* vocarint, dicemus voce *Volumen*. A *cornu* est *corneus*. *Cornei* dicebantur illi, quibus ossa

essent concreta, id est, sine medulla. Plin. lib. VII cap. XIX. *Quibus natura concreta sunt ossa, qui sunt rari admodum, cornei sunt.* *Cornea* etiam corpora dixere, quæ essent penè *cornus instar dura*, & τὰ ἰξώδη ἀπαθῆ. Idem, lib. XXXI. cap. IX. *Totis corporibus nihil esse vtilius sale & sole dicunt. Itaque cornea videmus corpora piscatorum.* Hinc *cornea fibra*, hoc est, ἀπαθὴς apud Pers. Diminutiuum est *corniculum*. Vt apud Tranquillum, de Orbilio Grammatico: *Primo apparituram fecit magistratibus, deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit.* Qui *corniculo* merent, *corniculary* dicti. Asconius, in III. Verr. *Accensus nomen est ordinis, & promotionis in militia, vt nunc dicitur, princeps, vel commentariensis, aut cornicularius. hæc enim nomina de legionaria militia sumpta sunt.* Val Max. lib. VI. cap. I. Cui *Cominius Tribunus plebis diem dixit ad populum, quod cornicularium suum stupri caussa appellasset.* Legas & apud Suetonium, in Domit. cap. XVII. item l. vlt. D. de iure immunit lib. & pluribus Codicis locis. Hinc *Cornicularia* Plauti comœdia deperdita: quam de milite fuisse, indicant duo vel tria fragmenta. A *cornu* quoque est *cornescere* pro durescere: & *cornuare* pro flectere & incuruare arcum. Vsus apud Varr. lib. VI. de L. L.

CORNVS, arbor, vel à *cornea duricie*, quod Matthiolus censet, ad Dioscoridis lib. I. cap. CXXXV. vel potius κατὰ μετάθεσιν à κρανία, prout Græcis vocatur, à *crany duricie*, quod Græcis κράνον. Cæterùm, quod dixi de *cornea cornus duricie*, id de *corno mare* capiendum. Nam *femina cornus* corticem habet, non *cornus* instar osseam ac solidam, sed fungosam atque inutilem. Ex *mare corno* hastas ac tela faciebant. Hinc Maro, IX. Æn.

—— Volat Itala cornus
Aëra per tenuem. ——

Idem, G. II.

At myrtus validis hastilibus, & bona bello
Cornus.

Vbi Seruius: *Apta est enim etiam cornus hastilibus.* A *cornus* esset *cornullus*, & κατὰ συγκοπὴν *cornulus*, pro quo κατὰ μετάθεσιν dicimus *colurnus*. Festus: *Colurna hastilia, ex corno arbore facta.*

COROCOTTA, factum ex κροκόττας, vocali insertâ, vt ab Ἀσκλήπιος, *Æsculapius*. *Corocotta*, siue *crocotta*, animal in Æthiopia è leæna & hyæna genitum, vt Plinius, & Solinus aiunt. Sed idem Plinius alibi, ex cane & lupo concipi ait. Cui sententiæ fauent ista Ctesiæ verba: ἔστι δὲ ἐν Αἰθιοπίᾳ ζῶον λεγόμενον κροκόττας, κοινῶς δὲ κυνόλυκος. sane vel κυνόλυκος dicitur, quia ex *cane* & *lupo* genitus: vel quod mistæ esset formæ ac indolis ex cane & lupo. Quod Dioscorides testatur. Diuersitas hæc ex eo est, quia hyæna lupo similis est, ac leo cani. Hinc etiam liquet, cur Porphyrius dicat esse hyænam Indicam. Sic enim scribit, περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων. Ἡ δὲ Ἰνδικὴ ὕαινα, ἣν κροκότταν οἱ ἐπιχώριοι καλοῦσι. *Indica verò hyæna, quam indigenæ corocottam vocant.* Ex eo quoque discimus, esse appellationem Indicam: nec debere originem ex Græcia arcessi. *Porcello* illi, cuius testamentum iam B. Hieronymi temporibus extabat, nomen datum *M. Grunnio Corocottæ*: *Grunnio* quidem à *grunnitu* porci: *Corocotta* autem, quia *corocotta*, vel hyæna est, vel hyænæ proles: ac ὕαινα ad verbum sit *porca*. Nam, vt à λύκος, λύκαινα; sic ab ὗς, ὕαινα. Sorori itidem nomen datum *Quirina*, quasi Χοιρίνη, à χοῖρος, *porcus*: vt Salmasio iam monitum. *Leocrocotta* vox Græcis est ignota: qui potius λεοντοκροκόττην dixissent. Perperam pro eo *Leucrocottam* editum est apud Plinium, & Solinum. *Leocrocottam* dixere, quod partim *leonem*, partim *crocottam*, referret. Pernicissima fera est. Vide quæ de his idem Salmasius annotauit.

CORONA (pro quo nonnullos *chorona* scripsisse auctor est Terentius Scaurus, de Orthographiâ.) geminam etymologiam aperit Festus: *Corona*, inquit, *cùm videatur à choro dici caret tamen adspiratione: siue corona dicuntur, quod cohonorent eos, quibus imponuntur.* Priorem ἐτυμολογίαν approbat quoque Isidorus, lib. XIX. Orig. cap. XXX. *Nomen*, inquit, *coronæ hàc ex caussâ vocatum, quòd initio circum aras curreretur, atque ad imaginem circuitus, vel chori, est formata & nominata corona.* Quæ Isidori verba non tam continent veram originem, quàm ad eam inueniendam monstrant viam. Nam veteres *chorona* dixere à χορωνὸς quod ipsum est à χορὸς, quia in theatris *coronati choreas* agerent χορευταὶ, siue *saltatores scenici*. Atque hoc etymum *coronæ* Athenæus adducit ex septimo Apionis de Lingua Latina. Χορὸν vocem habes in illis Simonidæ versibus:

—— ἀεῖδειν
Φοῖβος ἰοπλόκαμον Τυνδαρίδαισι καλὸν,
Τὸν ἀμφίπολοι τέττιγες ἐπεσπάσαντο χορόν.

Ita hosce versus emendauit Isaac. Casaubonus, lib. XV. Animadu. in Athenæum, cap. VIII. Videntur & Græci pro eo κορώνη dixisse, quando apud Hesychium legas, κορώνας inter alia multa etiam notare εἶδος στεφάνου. Ac ait idem. κορωνίδας etiam dici *violaceas coronas*, τὰς ἐκ τῶν ἴων πεπλεγμένους στεφάνους. Nec nominis ratio obscura erit quando in vett. Lexicis scribitur, κορώνας dici πᾶν τὸ ἐπικαμπές, *omne quod est incuruatum*. Itaque nec iusta ratione destituuntur, qui *corona* à κορώνη potius, quam à χορὸς deducunt. A *corona* est *corolla*, vnde *corollarium*. Varro. lib. IV de L. L. *Corollarium est additum præter quam quod debitum. eius vocabulum fictum à corollis: quòd hæ, cum placuerant actores, in scena dari solita.* Hinc Glossæ Philoxeni: *Corollarium*, ἐπιστέφανωμα. De more veterum, tum crateras tum sese in conuiuio *coronantium*, vide Lipsium, lib. III. Antiq. Lect. Sed & de *coronis* vide Angelum Decembrium, lib. V. de politiâ literariâ, cap. LVI. & Cæsarum Bullingerum. lib. de spoliis bellicis, cap. XIII. Item Antonij Tylesij de *coronis* libellum, atque imprimis, quæ de *coronis* Carolus Paschalius libris decem scripsit.

CORONIS, κορωνίς, quâ voce propriè significatur nota vnici figura, huiusmodi nempe, ⸎. Nam scribit Aristophanis scholiastes, esse lineam breuem, sed ab inferiori parte flexam. Hæcce nota in calce libri apponebatur, vnde & pro ipso libri exodio vsurpatur. Martialis, lib X. epig. I.

Si nimius videar, seráque coronide longus,
Esse liber: legito pauca, libellus ero.

Hinc prouerbium, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς μέχρι τῆς κορωνίδος. quo vsus Plutarchus aduersus Stoicos: item lib. de fortuna Alexandri, vbi Philoxenũ poëtam à Dionysio in latomias coniectũ narrat, quòd tragœdiã, quam illi rex dederat emendandam, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς μέχρι τῆς κορωνίδος περιέγραψεν, *ab initio ad coronidẽ vsque circumscripsisset, h. e. expunxisset, vnáque liturâ deleuisset.*

CORPVS, vt somniabat Isidorus, lib. II. cap. I. sic dicitur *quòd corruptum repetat: solubile enim atque mortale est, & aliquando soluendum.* Nec aliud, quod promat, habet Fungerus. Mallem simpliciter dixissent, vocari ita id, quod est homine *corruptibile*, κατὰ συγκοπὴν ex *corruptus*. Ioachimus Camerarius, in quincto problematum, nomen ex eo esse ait, quia animus corporis ministerio fungatur. Nempe antiquis fuisse *corper*, à *cor*, & *por*, quod antiquis idẽ ac *puer*; vnde *Caipor, Lucipor, Marcipor*, teste Fabio & Prisciano. Becmano placet, *corpus* dici, quasi *carnis opus*; vt prius fuerit *carnopus*, & per syncopen *carpus*: postea autem, siue ob affinitatem literæ O & A, siue vt à *carpus* differret, *corpus* dictum sit. Hæc sententia si placet, *corpus* sic dicetur, quia anima quidem cælitus infundatur, *corpus* autem à parentibus seminetur. Martinio non quasi *caropus*, sed quasi *carapus*, dici placet, ex *caro* & antiquo *apo*, h. e. *ligo, necto*: quia comprehendit *carnem*: Sed cum Latini soleant rectos suos formare ab obliquis Græcorum, quod multis alibi exemplis firmauimus, omnino meo iudicio, rectius *corpus* deducitur à χρωτὸς, qui obliquus est à χρώς. Nempe traiicimus secunda tertiáque literæ ac *t* mutatur in *p*. quomodo à παύω est *pauo*, à στάχυς, *spica*. Contrariũ fit in *studium* à σπουδή. Vide *Pauo*. Græcis *corpus* tum δέμας dicitur, nempe, vt Eustathius censet, à δέω, id est, *vincio*, quia in eo ligatus atque constrictus sit animus: tum σῶμα, idque, vt Plato in Cratylo scripsit, quasi σῆμα quia *corpus sit animi sepulcrum*. Sed profectò nec res, nec etymon verum est. Nam *corpus* non, nisi per accidens, animi ergastulũ, carcer, aut sepulcrũ dici potest, nempe quando intemperantiâ corruptum eius impedit & offuscat actiones: at naturâ suâ præclara subministrat organa ad exercendas actiones præstantissimas. Quare potiùs dixerim σῶμα dici, quia id σώζει, h. e. *seruare*, nos conuenit: nam eo incolumi anima quoque viget vegétque: at hoc morbido, aut manco, virtus ac potentia animæ constringitur atq; impeditur. Sed redeamus ad *corpus*: vnde *corpulentus*, vt à *vino, vinolentus*. Festus: *Corpulentis Ennius pro magnis dixit, nos corpulentum dicimus corporis obesi hominem.* Item hinc *corporalis*, & *incorporalis* apud Iurisconsultos, Tertullianum, lib. aduersus Hermogenem, cap. XXXVI. & Diomedem, lib. I. Inde *corporalitas*, apud Tertullianum, eodem capite Item *concorporales*, quomodo Ammianus, lib. XXI & XXVIII. appellat eos, quos Vegetius sæpe *contubernales*, Spartianus & alij, *commanipulones* vocant: h. e. *qui in contubernio suberant decano.* Atque hinc patet, vnde *corporalium* vox sit in linguâ Celticâ & Belgicâ. A *corpus* quoque est *corporo*: quo, vt Nonius scribit, Ennius Acciúsque vsi pro *interficere*, & quasi corpus solum sine animâ relinquere. Sed hæc significatio obsoleuit. Plinio vero & aliis, *corporare* est *in corpus cogere, & in vnum quasi redigere.* Idem legas in vett. libris Solini cap I. Nam vbi in vulgaris *in glaciem coit*, legas in illis *in glaciem corporatur*. Hinc *corporatio* & *corporatura*, σωμάτωσις, apud Columellam, Tertullianum & alios. Compositum eius *accorporo*, apud Ammianum, lib. XVI. Item *incorporo*, apud Solinum, cap. XXV. *Concorporare*, apud Ammianum, lib. XV & XXII.

Corrigia, à *corio* esse malim, quàm à *colligando*, vt quasi *colligia* dicatur: vel à *corrigendo*, quod eo serui corrigerentur. Eo significatur, ὁ ἱμὰς τοῦ ὑποδήματος, vt vocant Euangelistæ tres: quod Latinus interpres *corrigiam* transtulit. Apud Iuuencum, in primo, ita describuntur.

Cuius vincla pedum non sum contingere dignus.

Apud Aratorem verò ita, historiæ Apost. lib. I.

Quæ ligat ex celsas humilis corrigia plantas.

Vbi secundam in *corrigia* producit. Sed corripit Fortunatus, lib. I. de partu B. Virginis:

Corrigiamque pedum quoniam est non soluere dignus.

Corruda, aliquibus vocatur, quod aliter *syluestris asparagus*, aut *Libycus*, Atticè autem *hormenion*. Auctor Plinius, lib. xx. cap XIII. Ac ὀρμένιον quidem dicitur ab ὁρμῶ, id est, *concito*, quia Venerem excitat. Alij ὄρμενος, vel ὄρμενον, malunt, ab ὄρω, id est, *ruo*. Ac similiter *corruda* deducunt à *corruo*. Nempe quòd vi quâdam è terra ruat, siue erumpat.

Cortex, ex *corium* & *tego*, quia quasi corium tegat. vt Isidorus ἐτυμολογίζει, lib. XVII. c. VI.

Cortina Apollinis à *corde* dicta, prout legitur apud Varronem, VI. de L.L. Perottus emendat *corte*. quid ineptum videtur Ob. Giffanio, indice Lucret. in *Præstringere*. Dubium tamen non est, quin *cortina* nomen verisimilius deducatur a *corte*, quia vt *cortes*, ita hæc rotunda sit. Cato in Origin. *Mapalia vocantur, vbi habitant. Ea, quasi cortes, rotunda sunt.* Sanè *cortina* propriè vas est in quo lanæ tinguntur: μεταφορικῶς verò Ennius ita appellat *cæli hemisphærium*:

Quaque freto cana cæruleo cortina receptat.

Vide Herm. Barbarum, in Plin. lib. XIII. c. IX. Turnebum, lib VI. cap. XX. Scalig. in Coniect. Lipsium, in comm. ad Tacitum. Alia etiam etyma apponit Seruius, in III. Æn. ad illud.

——— *Et mugire adytis cortina reclusis:*

Locus, inquit, *vnde oraculum datur, dicitur cortina; vel quod Apollinis tripos corio Pythonis tectus est: vel quod certa illinc responsa Apollinis fiunt, ad quæ Phœbas rapta vaticinabatur, vt Lucanus ostendit. Alij cortinam, quasi ortinam tradunt, quod inde vox oriatur.* Et in illud VI. Æn.

——— *Neque te Phœbi cortina fefellit:*

Cortina dicta est, aut quod cor teneat: aut quod tripos septus erat corio serpentis, vt supra dicitur: aut certè secundum Græcam ἐτυμολογίαν, ὅτι τὴν κόρην τείνει ἐντὸς ... id est, *quod extendit puellam, vt:*

——— *Maiórque videri.*

Sed vel *cortina* a *corte* est vti dicebamus, siue quia *cortis* instar rotunda: siue quia vasi eius multiplex in *corte* vsus foret: vel venit ab Hebræis, quibus כור, *vas in quo aurum & argentum fundit aurifex*. item כיור, *lebes, olla*, vas quo cibi elixantur.

Corusco, vel propriè dicitur de *splendore galea*, quæ Græcè κόρυς. vel propriè est *splendore suo præstinguere oculos*, a κόρη, id est, *pupilla*, quod Scaliger censet, lib IV. de re poët. cap. XVI. vel potius est ab Hebræo קרן, quod est, *coruscare, radios cornuum instar emittere*: vt Exodi XXXIV. XXIX. Vel est à חרס, quomodo *Sol* vocatur. Vti Ægyptiis ὦρος.

Corvvs, omnino est à Κόραξ, inserto V consono, quomodo ab ὕλη est *sylua*, ab λεῖος, *leuis*, &c. Κόραξ verò est a κορός, id est, *niger*, vt Grammatici censent: vel potiùs ab Hebræo ערב, vt monuit Angelus Caninius, ערב verò est à ערב, *clamare more coruorum*. Id verbum cùm sit à sono factum, liquet non omnino vanum esse quod Isidorus scribit, lib. XII. cap. VII. *coruus*: & κόραξ à sono nomen accepisse Quid in architectonica sit *coruus*, docebit Bernardinus Baldus, lib. de vocibus Vitruuianis. A *coruus* est *cornitare*. Plautus, Cas. IV. I.

Noui ego illas ambas estrices, coruitant, vbi
Comesse possunt. ———

Ita vett. manu exarati, pro quo Lambinus & Turnebus leguat, *coruitant cibi Comesse possunt.*

Corycævs, κωρυκαῖος, qui clanculum sermones aucupatur, vt postea deferat, à *Coryco*, Pamphyliæ monte. Hac de re sic Suidas, ex libro V. Ephori: ὑπὸ ὄρει, φησὶν, ἄκρῳ εἰς πέλαγος ... Κωρύκιοι ... πελαγ@, σύμμαχοί τινες ... μενοι ... Μυοννήσῳ. τοῖς οὖν ὁρμοῦσιν ἐμπόροις ... ἄνθρωποι, ... ὅ τι κομίζοιεν, καὶ ποῖ πλέοιεν, τοῖς Μυοννησίοις ἀπήγγελλον. ... αὐτοῖς, ἐλάμβανον δὲ καὶ αὐτοὶ μέρος τι ... λύτρων. *Sub promontorio, inquit, in pelagus prominente, habitabant illi, qui vocantur Corycæi, commenta quidam, oppidulo condito, vicini. Myonneso. Ad mercatores autem in portu stationes habentes accedebant quasi merces empturi, vel nauigationis comites futuri. Deinde cum cognouissent & quid illi veherent, & quo nauigarent, Myonnesiis renunciabant. Illi verò ipsos inuadebant Accipiebant autem & ipsi Corycæi partem quandam pretij, quo se redimebant capti mercatores.*

Corymbvs, est *hedera racemus in orbem circumactus*: quemadmodum scribit Plinius, lib. XVI. cap. XXXIV. Definit & Isidorus, lib. XVII. cap. V. *Corymbi*, inquit, *sunt anuli, qui proxima quaque ligant, & comprehendunt, ne longius laxati palmites ventorum flatibus dissipentur.* Iosephus Scaliger, in Ætnam, auctor est, *Corymbum* quoque dici, quidquid in panicam aut strobilum assurgit. vt in scolymo, cinara, & carduo, videre est: de quo Columella:

Hac modo purpureo surgit glomerata corymbo:

sed prima notio τοῦ κορύμβου est *in capite Atticorum tutulus*, seu *meta suggestus capillorum*: vnde idem, in Ætna legendum putat:

Vt crebro introrsus, spatióque vacante corymbus
Pendeat in sese.

Quare censeo, κόρυμβος esse à κόρυς, quod est *caput*. à quo & Etymologus deducit κόρυς, quod est *galea*.

Coryphævs, κορυφαῖος, id est, *præcipuus, potissimus, supremus*, quasi *positus in vertice*, qui Græcis κορυφή.

Corytvs, est *theca sagittarum*, vt ostendit illud Statij, V. Theb.

——— *Cælestibus implet*
Coryton telis, ———

Est à Græco γωρυτὸς, quo Homerus vtitur, Odyss. Φ. Id caussæ est, cur *corytus* malim, quam *choricus*, quomodo apud Nonium legitur in antiqua Mediolanensi anni MD. aut *corici*, vel *cortes*, quod in impressis legitur, aut *Corythus*, quod Maroni, IX. Æn *Thuscia oppidum* est Vnde vero fit γωρυτὸς, docebit te Etymologicum magnum.

Cos à κόπτω, id est, *incido*. vt Isidorus velle videtur, lib. XVI. cap III. Sed forte priùs fuit *acos*, ab ἀκόνη, quod idem notat. Nisi potiùs quia è *caute* fiat, dicendum, *cos* factum ex *cotes*, hoc ex *cautes*, quomodo à *caurus* est *corus*, ab *aula*, *olla* &c. Sanè pro *cautes* *cotes* reperias crebrò in MSS[tis], vt apud Cæsarem, III. de bello Gal. & alibi.

Cossi, inquit Festus, *ab antiquis dicebantur naturâ rugosi corporis homines, à similitudine vermium ligno editorum, qui cossi appellantur.* Ea constans est lectio & MSS[torum] & editorum. Etiam in Gloss vett. legas, *Cusus*, ξυλοφάγος. Apud Plinium quoque, lib. XVII. cap. XXIV. legas, eos vermes *cossos* vocari. Quomodo & est in Parmensi antiqua, & MSS[is] quibusdam. Sed in MS[o] Chiffletij Medici est *cosses*. Quomodo idem Plinius, lib. XXX. cap. XIII. ait, *Cosses, qui in ligno nascuntur, sanant vlcera omnia.* Ita quoque est in edit. Parmensi. Sed hic contra in vett. libris etiam *cossi* inuenias. Vt ex Plinio non satis sit aptum, *cossus* an *cossis*, in recto singulari dixerint. Sed *cossis* malim, quia & ea terminatio est in Festo & Glossis Græcis *cossus* est κίς. Nec dubito, quin inde sit *cossi*, vel *cossis*, nomen: nempe ab obliquo κιός. Solent enim Latini ab obliquis Græcorum formare suos rectos: vt à κυνὸς, *canis*.

Costæ geminum etymon ponit Isidorus, lib. XI. cap I. *Costas*, inquit, *appellari quidam putant, quòd ab ipsis interiora custodiantur, vt tota mollities ventris vallata seruetur.* Vult igitur, *costas* dici, quasi *custodias*. At post, eodem capite *costas* dici ait quasi *coxas*. *Costa*, inquit, *quasi continuata axes: in ipsis enim femora mouentur, quorum concaua, vertebra vocantur, quia in eis capita femorum voluuntur.* Sed verisimilius est, *costa* esse ab ὀστέον, quod est *os*. Nempe vt ab αὐλὴ, *caula*; sic ab ὀστέον *costa*; & Bochartus ab *os cossis*, quod idem ac *os ossis*.

Costvs, aromatis genus, Græcis debemus, quibus itidem κόστος, siue, vt Hesychius scribit, κόσις.

Cothones *appellantur portus in mari interiores arte & manu facti.* Ita Festus: nisi quod corruptè apud eum *Catones*, pro *Cothones*, legas Seruius in illud I. Æn.

Hinc portus alij effodiunt. ———

sic scribit, *id est, cothona faciunt: Cothona sunt portus in mari non naturales; sed arte & manu facti. Est autem & masculini & neutri generis. Nam & cothon, huius cothonis facit, & cothonum huius cothoni.* Quæ frustra in Seruio P. Danielis quæras. Onomasticum vetus, *Cothones*, λιμένες. Sed Græcis κώθων aliud est Lacones enim ita *poculum*. Forsitan autem ob similitudinem quandam eius vasis vox *portibus* accommoda. Nisi malis, quod Martinius coniectat, vtrumque esse à קטן, id est *paruum*. Nam *cotona* esse *portum paruum*, & *poculum paruum*.

Cothvrnvs, κόθορνος, calceamenti genus, vtrique aptum pedi. imò & vtrique conueniens sexui: vnde Theramenes dictus κόθορνος, quod in Rep. parti se accommodaret vtrique, vt ipse apud Xenophontem ait in Ἑλλην. β. Ac prouerbium etiam inde, *Cothurno versatilior.* Venatores *cothurnis* vsos monet Seruius, in illud I. Æn.

X Vir

Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram
Purpureóque alte suras vincire cothurno.

Item *calceamentum* erat *tragicum*: cuius vsum primus in scenam intulit Sophocles: vt idem ait in illud Eclog. VIII.

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Sed etsi & *venatici* & *tragici cothurni* vtrique pedi conuenirent: tamen forma differebant. Nam *tragici* fiebant subere altius subleuato: quales *venatici* esse non poterant: quia ea res pernicitatem in venando impediisset.

COTTANUM (pro quo perperam libri quidam *coctanum*,) *fico* minus erat. Vnde cum *fico* iungi solet, & *paruum* appellatur. Iuuenal. sat. III.

Aduectus Romam quo pruna & cottana vento.

Martial. lib. IV. Epig. LXXXIX.

Antipolitani nec quæ de sanguine thymni
Testa rubet, nec quæ cottana parua gerit.

Et lib. VII. Epig. LII.

Paruáque cum canis venerunt Cottana prunis.

Item lib. XIII. dist. XXVIII.

Hæc tibi quæ torta venerunt condita meta,
Si maiora forent cottana, ficus erat.

Cottanum autem, non *Coctanum*, in vett. libris se reperisse ait Turnebus, lib. XXV. cap. XXVIII. Atque ita Hesychius: Κόττανα, εἶδος σύκων. Plinius, lib. XIII. cap. V. *Syria præter hanc peculiares habet arbores. In nucum genere pistacia: in ficorum autem, caricas, & minores eius generis, quæ cottana vocant.* Vnde Syriacam esse appellationem, colligit Casaubonus, Animaduers. ad Athen. lib. III. cap. XXXII. & lib. IX. cap. VIII. Credo censet esse à קטן, id est, *paruus*. Vnde, puto & ἡ παρὰ Σύροις Κοττάνα dicebatur, teste eodem Hesychio.

COTURNIX sono vocis nomen accepit, teste Festo. Vel potius est ab ὄρτυξ, prout Græcis vocatur: Nempe ab obliquo ὄρτυγος erit *coturnix*, κατὰ μετάθεσιν. Nam γ facile abit in C. Hoc etymon etiam Seruius adduxit, in III. Æn. Addit. hanc esse autem eam, in quam conuersa Asterie, Latonæ soror. Fabulam ibi vide.

COVINUS, siue, vt in Philoxeni Glossis est, *couinnus*, vehiculi genus esse scribit Pomponius Mela, quo Britanni & Galli in prælijs vterentur. Sanè *cowain* hodiéque Britannis est, *in vehiculo vehere*. Britannorum autem Celtarúmque antiquorum lingua in plurimis consonabat: vt multis probat in Britanniâ suâ Cambdenus. Vsi *couini* voce Lucanus & Sillius indéque *couinarius eques*, apud Tacitum in vitâ Agricolæ: *Media*, inquit, *campi couinarius, & eques, strepitu ac discursu complebat*. Et aliquanto pòst: *Interim equitum turmæ fugere, couinarij peditum se prælio miscuere.*

COXA, & *coxendix*, vt significatione, sic origine conueniunt. De *coxa* voce ita Iouianus Pontanus in Actio. fol. 138. edit. Ald. *Quid coxa, nisi coissa, à coeundo, vel in ipsâ libidine, vel quod hinc illincque coëant ad obscenas partes, vehendo corpori?* Eandem ἐτυμολογίαν adducit Erythræus in indice Virgiliano, voce *Vinum*. Sed accuratius de hac voce cogitanti, in mentem venit, *coxam* Græcis non ἰσχίον tantùm sed etiam κοχώνην, & χόχωνα, appellari. Hesychius, κοχώνη· ἄρθρον τὸ ἐπὶ τῷ ἰσχίῳ. Idem: κοχώνη, τὸ ἰσχίον ἢ τὰ ὄρχεα. A κοχώνη igitur per syncopen fit *cocha*, & inserto S (quod veteribus frequens) *cossa*, siue *coxa*. Videntur autem & veteres *cossa* vsurpasse pro *coxa*, vti *cossare* dicebant, & *coxare*; quemadmodum suo loco docemus. Sanè, *cossim* pro *coxim* dixisse, probat Nonius, illo Pomponij, Porcariâ:

Hoc sciunt omnes quantum est qui cossim cacant.

In vulgatis est *cacat*. Sed & pueri vident, reponendum pluratiuum, cùm sententia sit, *quantum est hominum, qui coxim cacant*. A *coxa* est *incoxare*. Nonius: *Incoxare, in coxam sedere* (alij *sidere*.) *Pomponius, Pannuceatis:*

Neque interim cacandi causâ vnquam incoxaui nates.

At vterque hic Pomponij locus satis indicat, falli Had. Iunium, cùm in Nomenclatore suo ait, *incoxare esse sarcinatorum in morem, & Turcarum, complicatis pedibus sedere.*

CR

CRABRO, quasi *cabro*, vel *cabo*, à *caballo*, vnde nascitur. Ita Isidorus, lib. XII. Orig. VIII. Sed, cum animal id *corniculæ* in capite gerat, quæ Græcis κέρατα, quid si, quasi *cerabro*, dictum dicamus? præsertim cum in Gloss. vett. legere sit, *Carabro*, σφήξ. Et Germanis *hornusse* similiter nuncupatur ex eo, quòd *cornua* iis *horn* vocantur. Vel quid, si conflatum dicamus ex κρέας, *caro*, & βορά, *esca*; quia caro ei fit esca? Plinius lib. XI. cap. XXI. de *vespis*, & *crabronibus*: *Omnes carne vescuntur, contra quàm apes, quæ nullum corpus attingunt*. Vtrumque hoc etymum legas apud Martinium. Et sanè magis ea placent, quam vt sit à *craceo*, quod signat, *gracilem* esse: vt Scaliger deriuat. Vide quæ de eo dicimus in *Fiber*.

CRANIUM, κρανίον. Sic *Caluariam*, Eustathio dicere à κάρα, id est, *caput*, vnde, ἀμφίκρανος, quomodo hydram tanquam *vndique capitatam*, vocat Eurip. Herc. Fur. Item δίκρανος, *biceps, bifurcus*. Arbitror autem, κρανίον κατὰ συγκοπὴν fieri ex καρανίον, quemadmodum per ἀποκοπὴν pro eodem Ionicè κάρη, & Attice κάρα, dicitur.

CRAPULÆ, tum etymon, tum definitionem, inepte ponit Isidorus, lib. XX. cap. II. *Crapula*, inquit, *est immoderata voracitas, quasi cruda epula: cuius cruditate grauatur cor, & stomachus indigestus efficitur*. Sed cuiuis patet esse à Græco κραιπάλη, A in V conuerso, quomodo à σφαγίλλῳ est *strangulo*. Κραιπάλη verò dicta παρὰ τὸ τὸ κάρα πάλλειν, quasi *dolor capitis vibrans*. Non tamen hoc, quod putarunt, probari potest ex loco Plinij, lib. XXIII. cap. I. Ibi enim minimè propositum est agere de *crapula*, sed de *vini resinati* natura, quod, si nouitium sit, κραιπάλας Græci vocant, quia κραιπάλας gignat. Hoc vt magis pateat, verba Plinij ponam: *In primis igitur vinum marinâ aquâ factum, inutile est stomacho, neruis, vesicæ. Resina condita, frigidis stomachis vtilia existimantur. Non expedire vomitoribus, sicut neque mustum, neque sapa, neque passum. Nouitium resinatum nulli conducit. Capitis dolorem & vertigines facit: ab hoc dicta crapula est*. Hermolaus Barbarus, in Glossis Plinianis, alterum quoque κραιπάλης etymon adducit; sed quod minus probem. Nam, quia immoderatus vini vsus *crapulam* gignit: eò censet etiam deduci posse à πάλη, id est, *vinum*. Quanquam non diffitemur, vocem πάλη id antiquitus notasse; quæ & ratio est, cur hinc quidam ἐπίπαλον, id est, *hospitium*, dici putent, quia vendat πάλη, non, vt alij, quia σῖτον, h. e. *cibum*, præbeat *hospitibus*. Quemadmodum & ab eadem origine arcessunt vocem σταφυλὴ, id est, *vua*, quam ita dici aiunt παρὰ τὸ στάζειν τὴν πάλην, *quia stillet vinum*; non à quodam *Staphylo*, Liberi filio, vti volunt Grammatici: quibus nonnihil fauet Nonnus in Dionysiacis, cum *Staphylum* nominat Assyriorum regem Botryis patrem.

CRAS, Martinio esse videtur vel à κρᾶσις, id est, *mistura*, quia ob confinium crastinus dies cum hodierno misceri videtur: vel à *coram* aut κόρη, id est, *pupilla*, quia quasi ob oculos est. A *cras* est *crastinus*, vnde *crastinare*, & *procrastinare*, h. e. ἀναβάλλειν. Glossæ Philox. *Crastinatio*, ἀναβολὴ, ὑπέρθεσις.

CRASSUS, à *multa carne*, quasi *carassus*, vel *creassus*, à *caro* vel κρέας. Id malo, quam quod apud Isidorum est, lib. X. *Crassus à sagina corporis, à creando carnes.*

CRATER dicimus, vt Græci κρατήρ, ita *cratera* (Nonio teste) ab obliquo κρατῆρος. item *cretera*, seu *creterra* ab Ionico κρητῆρα. Festus: *Creterra* (MS[tus] *cretera*) *vocabulum trahitur à cratere, quod vas est vini*. Onomasticum vetus: *Creterra*, κρατήρ. Κρατήρ plerique deducunt, etiã in nomenclatore Iunius, à κεράω, quod *contineat ac capiat vinum*. Sed veriùs qui à κεράννυμι, *misceo*. Nam vt à κέκραμαι, κρᾶμα, quod *dilutam potionem* vocet Celsus, lib. I. à κέκραται, κρᾶσις, *mixtura*, ac speciatim Grammaticis, *vocalium duarum in syllabam vnam*, tanquam cinnum quendam *commixtio*: sic à κέκραται κρατήρ, quia *vinum in eo miscebatur*: quemadmodum & ab eâdem origine *vinum merum* dixere ἄκρατον, quasi *immixtum*, vnde ἀκρατ[ί]ζεσθαι, *ientare*, quia *ientaculum* vulgò erant *offula aliquot meraco imbutæ*. Κέρατα verò Athenæo & Eustathio testibus, venit à κέρας, id est, *cornu*, quòd antiqui potare soleant è *corneis poculis*, aut ad *cornus similitudinem* factis, aut in his *vino aquam* consueuerint *miscere*. Vide quæ hac de re è iunioribus scribunt Brayerius Campegius, lib III. de re cibariâ, cap. IX. & Hier. Mercurialis, lib. I. de arte Gymnast. cap. II. vbi & picturam ponit antiquissimi lapidis Rhamnusiani, in quo & aulæa, & conuiuarum frontes vittis cinctæ, & *cornu* facta *propinatio* clarè exprimuntur. Κεράννυμι igitur propriè est *in cornibus miscere*; sed, vt in aliis sexcentis, etiam ritu desito, vox remansit, ita vt generatim nunc signet *miscere*, siue *infundere*. Duo enim hæc pro eodem accipiuntur, quia olim & *miscendo infunderent*, & *infundendo miscerent*. Hinc Catull. *Misce calices amariores*. Vbi alij codd. *Inger mi*, &c. Martial. lib. VIII. epig. VI.

Hic scyphus est, in quo misceri pocula iussit
Largius Æacides, vividúsque merum.

Ita optime locum hunc ad oram codicis nunc mei manu suâ emendârat Ios. Scaliger, leuiculâ sanè immutatione, cùm in antiquis sit, *innidúsque merum*. Vulgati habent, *& bibit ipse merum*: quod minus placet. De more *coronandi crateram* déque duabus aliis *crateris* acceptionibus, vide sis Turnebum, lib. XXI. cap. XIII.

CRATES, ἀπὸ τοῦ κρατεῖν, quia lignum vnum alterum tenet. Hinc *craticula*, vel *craticulum*, vt à *rete*, *reticulum*. Festus: *Craticulum* (MS[tus] *craticula*) *à Græco κρατεῖν deducitur*. Rectè, Sed non ἀμέσως.

CREBER à *cresco*; vt *faber*, à *facio*; *suber*, à *suo*. Quod etymon si placet, propriè dicetur de plantulis confertim terrâ erumpentibus

tibus. Sed magis verisimile est venire ab Hebræo, כביר, hoc est, *multus, creber, copiosus*. Eâdem nempe ratione, quâ à כברה fit *cribrum*, vt suo loco dicemus. A *crebrum*, fuit *crebreo* vnde *crebresco*; vt à *nigrum*, *nigreo*, vnde *nigresco*, ac à *putre* etiamnum obtinet *putreo*; vnde *putresco*. Aliis placet, vt à *ruber* est *rubesco*, sic à *creber* esse *crebesco*. Sed à *crebrum* potius venire, indicat simile verbum *increbrare*; quo Plautus vtitur Trinummo Act. 1. 1.

Si raras noctes ducit, ab animo perit:
Sin increbrauit, ipsius gaudet res perit.

Quare nec dubito, quin *increbuit* dicendum sit, etsi vulgo plerique omnes *increbuit* dicant ob fugam caninæ literæ cum consonante durius bis concurrentis.

CREDO, vt Priscianus, lib. x. tradit, ita dicitur, quasi *cretum do*. Vbi *cretum* est *decretum*, *certumque*. Martinius mauult dici, quasi *κεαρ δίω*, *corde do*: vel simpliciter à *καρδία*, id est, *cor*, vt sit, *corde suscipio*. Maxime mihi placet esse à *χρέος*, id est, *mutuo do*. Quod qui facit, etiam Latinis *creditor* vocatur. Z autem crebro adeo in D abit, vt toties exempla addere similia, superuacuum videatur. *Credulus* à *credo*. Vt à *fido fidus*, ita à *credo* videtur fuisse *credus*, inde *credulus*.

CREMASTERES, *κρεμαστῆρες*, à *κρεμάω*, *suspendere*, quia musculi hi testes tenent suspensos. Columella lib. VI. c. XXVI. *Testium neruos, quos Græci κρεμαστῆρας ab eo appellant, quod ex illis genitales partes dependent*. Celsus, lib. VII. cap. XVIII. *Dependent verò ab inguinibus per singulos neruos, quos κρεμαστῆρας Græci nominant, cum quorum vtroque bina descendunt & vena & arteria*.

CREMIVM *lignum*, quod sit, docet hic locus Columellæ, lib. XII cap. XIX. *Lentique primum igne, & tenuibus admodum lignis, quæ cremia rustici appellant, fornacem incendimus*. Ita locus is editus à Rob. Stephano. In antiquioribus editis *gremia* pro *cremia* legitur. Itaque arbitrantur nonnulli, *gremia* dici, quia *gremio gestentur*, eoque adferunt hoc l. VII. fructus. §. si fundum. ff. sol. matr. verbis: *puto autem, si arbores cæduæ fuerunt, vel gremiales*. Sic enim in Pandect. Florent. leg. Aliis placet, scribendum *germinales*. Sed cùm tanta sit literarum C & G. affinitas, inprimis placet, *gremiales* positum pro *cremiales*, arboresque *cremiales*, ac ligna *cremia*, ex eo nomen accepisse, quòd *facile crementur*. Græcis eiusmodi lignum dicitur *φρύγανον*, quod vetus interpretes XXVIII. Actorum vertit *sarmenta*. Politianus, in Herodiani versione, binis locis, transfert *fomites aridos*. Hieronymus, in x. cap. Oseæ, *cremia* vertit, atque addit, *aridas herbas siccaque virgulta, quæ caui o & incendio præparantur*. Dicitur *φρύγανον* similiter à *φρύγειν*, quod est, *torrere*. vnde Latinum *frigo*, & fortasse *fruges*: de quo suo loco.

CREMO, ab *ἐκρέμω*, præsertim si pro eo etiam *κρεμῶ* dixere vt Etymologus censet. Est *ἄκρεμων*, *ramus grandior*, vel *virgultum* quæ materies idonea ad cremandum.

CREMOR, à *cerno*, quia est pingue illud, quod à lacte secernitur.

CRENA, fortassis quasi *κρήνη*, id est, *fons*, quia ex crena, velut fonte, liquida fluunt. Vt atramentum in calamo.

CREO, non putamus esse à *κρέω*, cum id aliud signet Hesychius: *Κρήνω*, *καταινῶ*. A quo est *κραίνω*. Nec, quæ Perotti sententia est, à *κρέας*, vt proprie *creo* sit *carnem facio*. Sed *creo* factum ab antiquo *cereo*, quod *creo* significabat; vt indicat hic Varronis locus, lib. IV. de L.L. *Dictum cerno à cereo, id est, à creando, ab eo quod, cum quid creatum est, tunc denique videtur*. Sic legendum. In vulgatis pro *cereo* ineptè editum *creo*. Nam quid est, *creo, id est creo*? Quare omnino scribendum *cereo*, prout legitur in Mediolanensi anni MD. qui locus in veteri Aldina & recent. editt. corruptè legitur. *Cereo* verò videtur esse à ברא, quod idem notat. Scio videri duriusculam mutationem litteræ B in C. Sed sciendum, non esse hoc insolens. Similiter enim Iones mutant Π in K. vt *κότε*, *κῶς*, *κῆ*, *κοῖος*, *κόσος*, similiaque. Ac Latini quoque *scintilla* dicunt pro *spintella*, à *σπινθὴρ*. item *linquo*, à *λείπω*, pro *λείπω*. Nonnullis tamen magis placet, *cereo* per epinthesin fieri à *creo*; hoc vero esse à *κραίνω*, id est, *perficio*: nempe ab *ἔκρανον*, extrito N, quomodo à *lingula* est *ligula*; à *columna* *columella* pro *columnella*. Sed in his quiuis suo iudicio fruatur. A *cereo* est *cerus*: vnde *cerus manus* in Saliari carmine, quod *creatorem bonum* exponit Festus, in voce *Matrem*. Ab eodem non ineptè deducitur *Ceres*, quasi *frugum creatrix*. Firmare hanc sententiam possumus Honorato tibicine, qui ad primum Georgicon, Cererem à *creando*, sic vocari monet. Equidem potius huic sententiæ subscribam, quàm illis, qui à *gerendo* vocem arcessunt: quia olim C pro G vsurpari soleat, adeò vt nullum discrimen esset inter ablatiuum *Cerere*, & verbum *gerere*. Etymologiam hanc post Varronem, Ciceronem atque alios, secutus Arnobius, cuius hæc verba, lib. III. *Eandem hanc (terram) alij, quòd salutarium seminum fruges gerat, Cererem esse pronunciant*. Sed, vt dixi prior magis sententia placet ipsæ vtroque autem etymo antefert opinio doctissimi soceri mei Fr. Iunij, qui, in elogio Hebrææ linguæ, ad fontes Hebræos recurrit, ac *Ceres* monet esse puram putam vocem Hebraicam, quâ Moses, Leuitici II. XVII. vtatur, *spicam virentem* designans. Sed dispiciendum, num *Ceres* potius fit ab Hebræo גרש, an proximè fit à Γέρος, hoc autem ab Hebræo. Nam *Cereri* apud Græcos nomen fuisse Γῆρος, docemur hoc Hesychij loco: *Ἀχαιά*, *ἡ Δηώ*, *ἡ Ἐλευσ...*, *ἡ Γῆρος*, *ἡ Γῆ*, *ἡ Δημήτηρ*, *ἡ ...*. A *creo* est *recreo*. Propriè enim *creare* est, id, quod deperiit, instaurare, & denuo creare.

CREPARE, verbum est à sono factum, vti & Belgicum *kraken*. Varro, lib. V. de L.L. *Similiter fremere, gemere, clamare, crepare, ab vocis similitudine & sonitus dicta*. Vide similia, cùm apud Varronem ibidem; tum infra, in voce *Frango*. A *crepando* dicuntur *Crepundia*, siue, vt Lucretius appellat, *crepitacula*, suntque ornamenta, quæ pueris in collo appendi solent. Ex iis sæpe agnoscebant parentes liberos amissos, vt vel ex Plauti Cistellaria notum est. Hinc Cicero, in Bruto: *Nunc quoniam totum me non naeuo aliquo, aut crepundiis, sed corpore omni videris velle cognoscere*, &c. Non tamen verisimile est, ex quibusuis *crepundiis* potuisse dignosci: sed potius existimandum, ea, quæ expositis infantibus apponebant, fuisse istiusmodi, indeque & Latinis *monumenta*, Græcis *γνωρίσματα*, appellari. Terent. Eunuch. act. IV. VI. *Cistellam domo effer cum monumentis*. Vbi Donatus: *Monumenta sunt, quæ Græci dicunt γνωρίσματα ἢ σπάργανα*. Eiusdem originis est *crepidulum*, siue *crepitulum*, quo vsus Tertullianus, lib de Pallio, cap. VI. Festus: *Crepitulum, ornamentum capitis. Id enim in capitis motu crepitum facit*. Vbi MSS. *crepiculum*: quod malo. Compositum est, *increpo*, quod metaphoricè ponitur pro *obiurgo*, quasi *crepo* voce aduersus aliquem Festus: *Increpitare, arguere, conuiciari, clamare, maledicere*. Parum apte alibi à *crepero* deducit, cum sit: *Creperum, dubium, vnde increpitare dicimus, quia maledicta fere incerta & dubia sunt*.

CREPIDA, non à *crepitu*, quem edit: sed à Græco *κρηπὶς*, quod idem notat. Hanc etymologiam è recentioribus attulere Angelus Caninius, in Hellenismi Alphabeto: Cæsar Scaliger, cap. XXVI. de caussis L. L. è veteribus autem Agellius, lib. XIII. c. XX. Fit autem ab obliquo *κρηπῖδος*. Sæpe enim Latini rectos suos formant ab obliquis Græcorum, vt à *ποδὸς*, *pes*, à *γάλακτος*, *lacte*, pro quo posteriores *lac* dixere. Quomodo autem *crepida* à calceis differant, parebit ex iis, quæ in *Solea* dicemus. Vtebantur verò *crepidis*, cum otiarentur. Vnde Liuius, lib. XXIX. *Ipsius Imperatoris, non Romanus modo, sed ne militaris quidem cultus incusabatur. cum pallio crepidisque inambulans in gymnasio*. Tamen apud Pollucem legas lib. VII. cap. XXII. *Κρηπῖδες, τὸ μὲν φόρημα στρατιωτικόν*. Sed videtur pro *στρατιωτικὸν* legendum *Ἀττικὸν*, quemadmodum non infeliciter coniectat Petauius, in notis ad epistolam Synesij LII.

CREPIDO à *κρηπὶς*, quod *basin*, siue *fundamentum*, notat. Est enim ora terræ quæ est aquæ basis. Vel ab *aqua crepitu*. Vetus Iuuenalis Scholiastes, à Pithœo editus, in sat. V. *Crepido est ora terræ, quam aqua alluit: ex hoc appellata, quod ibi aqua allidens concrepitet*. Sed prius malim. Quid in architectonica Vitruuio sint *crepidines*, docere conatus Philander: sed optimè id expressit Bernardinus Baldus, in vocibus Vitruuianis.

CREPVSCVLVM, & quid sit, & vnde dicatur, aperit his verbis Seruius ad II. Æn. *De crepusculo verò, quod est dubia lux (nam creperum, dubium est), quæritur. Et licet vtrique tempori possit iungi, vsus tamen, vt matutino iungamus, obtinuit: licet Lucanus dixerit:*

Longa repercusso nitnere crepuscula Phœbo.

Hactenus Seruius. Censet igitur *crepusculum* dici creperam siue dubiam lucem, paullo ante ortum Solis. Sed contra notat lucem dubiam mox post solis occasum: vnde *manè*, & *crepusculo*, opponuntur à Columella, lib. XII. cap. I. & Plinio, lib. XVIII. cap. XXV. Propriè igitur *crepusculi* descriptio est ista Ouidij, IV. Met. fab. XII.

Iámque dies exactus erat, tempúsque subibat,
Quod tu nec tenebras, nec possis dicere lucem,
Sed cum luce tamen dubiæ confinia noctis.

Nonius Marcellus generalius describit. *Crepera*, inquit, *res propriè dicitur dubia, vnde & crepusculum dicitur lux dubia*. Sed veram significationem docet Censorinus, extremo libello de die natali, incertam lucé ante Solis ortum *diluculũ* vocari ait, quia Sole nondũ orto iam lucet: at post ortũ dici *crepusculum: fortasse* (verbis eius vtor) *quod res incertæ creperæ dicuntur, idque tempus noctis sit, an diei, incertum est*. Nempe

quâ ratione *solstitium* naturâ suâ *geminum* est, sed vsus obtinuit vt de solo diceretur *æstiuo*, *hibernum* autem *bruma* vocaretur: sic *crepusculum*, si à *creperus* esse placet, erit tum *matutinum*, tum *vespertinum*; sed consuetudo vicit, vt sic *vespertinum* tantummodo nominaretur. *Creperus* verò esse *dubius*, agnoscit Festus; multisque exemplis probat Nonius. Iulius Cæsar Scaliger: Exercitat. LXXVIII. aduersus Cardanum vult, *crepitus*, esse a κρέκω, h.e. *crepo*. Rationem hanc adicit: *Incitatus enim cursus, & praeceps oratio: ille vesanus hac autem, fallit.* Verum de etymo verisimilius censeo, si *crepusculum* dicamus esse diminutiuum à *crepus*: hoc esse ab קרה, *incidit*. Vt nihil mirandum sit si *crepusculum* solum dicatur à Solis occasu. Iosephus Scaliger notis in carmen Ithyphallicum, vult, *crepusculum* venire a *crepus*, hoc à κνέφας, quod Festus Pompeius, & auctor Etymologici interpretantur σκότος, siue *obscurum*. Hoc etymum, quod falsum censeo, patrocinaretur Seruio, *crepusculum* credenti idem esse ac *diluculum*. Nam κνέφας propriè est ὄρθρος, siue *diluculum*: vnde Aristophanes κνεφαῖος sæpius vsurpat pro ὄρθριος, siue *matutinus*. Latini prisci, teste Festo, ab eodem κνέφας dixere *cnefosus*, siue *gnefosus*, pro *obscuro*. vnde & Scaliger suspicatur apud Maronem, in Culice, legi debere, *Cnefosasque domos*. Nam in veteri membrana est, *Nefosasque*, (non *Defessasque*, vt in vulgatis. Sed in animum inducere non possum, Maronem vocem adeò obsoletam poëmati inserere voluisse. Κνέφας verò, siue νέφος, vtrumque dicitur. vnde sit docere conatus Andromachus, vel quisquis auctor Etymologici Magni. Nempe dici putat, quasi κενὸν φάος, vel à ὁ σκεπῶ, & φῶς. Sed quid, si à νέφος, quod est, *nubes*, deducamus vt propriè sit, *cælum nubilum & obscurum*? Quid si item ab Hebræo כסה, *furatus est*: quia fures ac tenebriones *cælum cnefosum* siue *tenebricosum* amant?

Cresco, si vocem attendas, videtur esse à *creo*. Nempe vt ab *hio*, *hiasco*, vnde *hisco*; sic à *creo*, *creasco*, vnde *cresco*. Sed *creo* actiuum est, *cresco* neutrum. Num igitur dicemus potius esse à κραίνω, quod Festus tradit, in *Creui*; & Nunnesius probat in Grammatistice? An potius sit à κρέας, propriéque signet *carne augeor*: quæ non Perotti modò sententia est, sed etiam Iulij Scaligeri, de caussis L. L. cap. CXXIII item, commentario in Aristot. Histor. Animal. lib. VIII. cap. XXI. A *cresco* est *cretus*, h.e. *procreatus*: & *concretus*, hoc est, *coalitus*. Extra hæc nihil legitur à supino *cretum*. Cæsar Scaliger, in librum primum de Plantis Aristoteli perperam tributum, pag. XIV. edit. Crispini ann. CIƆ IƆ LXVI. censet *crescere* propriè dici de *carne*, quæ Græcis κρέας. Inde enim Æolibus fuisse κρεάσκω. hic Latinis *cresco*.

Creta, ab insula *Creta*, vbi melior est: vt Isidorus, censet, lib. XVI cap. I. vel ab adiectiuo *cretus*; quia, si maceretur, *crescat*: quæ sententia est Perotti. Prius malim. Nam à vicinis *Cretæ* locis aduehi solere, argumento est, quod Græcis dicatur Κιμωλία γῆ. indéque apud Ouidium legas, VII. Met.

——— *retoláque rura Cimoli.*

Cimolus autem quæ & *Cimolis*, *Cretici* maris insula est.

Cribrum (vt quidem Isidorus mirificè tradit, lib. XX Orig. cap. VIII. *quod ibi curat frumentum, quasi curifrum*. Sed dicitur *cribrum*, quia *crebrum*, hoc est, πολύοπον. vnde Plautus, Rudente Act I sc. II.

Villam integundam intellego totam mihi:
Nam nunc perlucet ea quam cribrum crebrius.

Eodémque modo *crebri* vox accipitur, isto Cornelij Seueri, in Ætna:

Nunc spissus crebro prabetur vimine succus.

h. e. lentus succus percolatur per viminerum textum. Vel *cribrum* est à *cerno*, quomodo *fabrum* dixere a *facio*, *Mulcibrum*, à *mulcendo*, *tuber*, à *tumeo*; *suber*, à *suo*, & similia. Ratio nominis erit, quia *cribro* farina ac pollen *excernitur*, h.e. *cribratur*; vnde & *incerniculum*, ab *incernendo*, dixere Lucillius & Plinius. Vide quædam huc pertinentia, in voce *Cerno*. Vel est *cribrum* ab Hebræo כברה, quod idem significat. Vtitur Hamos, cap. IX. x. Erat autem duplex *cribrum*, vnum *farinarium*, quo succreta farina secundarium panem efficit: de quo Pers. sat. III.

Et populi cribro decussa farina:

Alterum *pollinarium*, quo farina decussa panem efficit primarium candidúmque.

Crinis à κρίνω, id est, *discerno*. Nam etsi interdum generatim pro *coma* accipiant auctores, propriè tamen notat διακεκριμένας τρίχας, h.e. *comam in plures, siue sertas, siue ordines, diuisam, discretámque*. Vnde Festus: *Crines à discretione dicti, quam Græci διάκρισιν vocant*. Itaque sæpius dicitur de mulierum πλοκάμοις. Ita *senis crinibus* ornari dicebant, quæ non duos solum, vt vulgo fit, sed senos, haberent capillorum ordines. Festus: *Senis crinibus nubentes ornantur, quod is ornatus* *vetustissimus fuit. quidam quod eo Vestales virgines ornentur, quarum castitatem viris suis sponae .... à cateris.* Vbi testaile scriptum fuit a Festo *spondeant illibatam fore à ceteris*. Quemadmodum verò à κρίνω, *crinis*; ita à διακρίνω, *discrimen*; quod Græcis διάκρισις. Claudianus de nupt. Honor.

——— *Hæc morsu numerosi dentis eburno*
Multifidum discrimen arat.

Hoc est, *capillos*, *pectit*. Imò & in vett. Gloss. *discrimen* exponitur διαχωρισμός. Vt *discriminare* sit διαχωρίζειν. Nec pectine solum discriminabant, sed & vitta, atque etiam acu quæ ideo *discriminalis* vocata; item *discriminale*, quod tamen Isidorus ab acu distinguit. Sed priorem sententiam si mar. quod eandem vocarunt *discerniculum*. Varro, IV. de L.L *Discerniculum, quo discernitur capillus*. Nonius: *Discerniculum, acus, qua capillos mulierum ante frontem diuidit. Dicta a discernendo. Lucilius*, lib. XXX.

Euplocamo digiti, discerniculúmque capillo.

Discrimen vocem à capillis ad agros, qui & ipsi rastris pectuntur, transtulit Columella in Horto:

Verum vbi iam puro discrimine pectita tellus
Deposito squallere nitens sua semina poscit.

Crispus fortasse à κνίπος. Sed significatio abire videtur. Notat enim κνιπολόγος, vt Hesychius exponit, *concisum, abrasum*. Quare est à κρισσός, ita vocantur *varices*, *venæ tumidæ, contortæque*. Scaliger aduersus Ithyphallicos ait, vt à γνῶμα est *groma*; à γνωματικός, *gromaticus*; à κνέφας, *crepus*, vnde *crepusculum*: itidem N in R abeunte, *crispus* esse a κνισπός. cui simile sit κνιπός. Sed κνισπὸς non legisse me recordor.

Crissare dicendum, non (vti in Thesauro Rob. Steph. legas) *crissari*. Actor obscem carminis:

Crissabit tibi fluctuante lumbo.

Omnino est à κνίζω, quod inter alia notat, *libidine prurio*. N in R sæpe abit. Vt φονία, *Furia*, φονᾶν, *furere*; μονὰ, *mora*, & alia. Scaliger, ad superiorem versum, notat venire à κνισσῶ. Sed hoc notat *nidore replere*.

Crista, forte ex κάρα, id est, *caput*, quasi *carista*. Vel à κέρας, id est, *cornu*, quasi *cerista*. *Cornu* enim in capite refert. Saltem nec hilo duriora hæc, quam *crusta*, quasi *cornista* à *cornu*, quod Cæsari Scaligero placuit.

Crocitare, à *crocire*. Festus; *Crocatio, coruorum vocis appellatio*. Ita MSS[t]. Sed puto *crocitio*, vel *crocitatio*, legi debere. *Crocire* est à κρώζειν. Κρώζειν fortè à κράζω, *clamo*. Vel, quod Angelus Caninius monuit, sit à Syriaco *caraq*, eliso priori *a*, quomodo à Syriaco *caraq* est τρέχω, hoc est, *curro*. Sed magis placet, *crocire*, & κρώζειν, esse à sono. Est enim *crocitare*, *coruorum* proprium. vt *fringuliarum*, *friguttire*, *cygnorum*, *drensare*, *anserum gingrire*, *gallinarum*, *pipare* & *glocire*: *palumborum*, *minurrire*; *turturum*, *gemere*; *miluorum*, *lugere*; *gruum*, *gruire*, & *clangere*: & si qua alia aliarum auium propria. quorum maior pars à sono facta sunt. Par ratio in quadrupedibus, de quibus illustrem Spartiani locum adduximus in *Barrire*. Sed imprimis tam de volucrium, quam quadrupedum vocibus, vide auctorem carminis, quod *Philomelæ* inscribitur.

Crocodilus, κροκόδειλος, à *croceo colore*, vt Isidorus ait, lib. XII. cap. VI. Sed vnde illud δειλός? Hoc exposuit Eustathius. Nam, quia est *crocodilus* duplex, amphibius, & terrestris, priorem, qui Nilo familiaris, sic dici censet παρὰ τὸ τὴν κρόκην φοβεῖσθαι, h.e. αἰγιαλούς, siue *littora*. Ita κροκόδειλος constabitur ex κρόκη & δειλός. Alterum, qui est terrestris, quem *Scincum* vocat Dioscorides, lib. II. sic eidem dici videtur quasi κρόκον δειλὸς, quia *crocum metuit*, vnde & apiarij *crocum* apponunt aluearibus, quo conspecto fugit. Sed parum verisimile est pro diuersitate animalis etymon quoque diuersum esse: planéque puto, similitudinem animalis genuisse communionem nominis. Præit hac in re Plinius, lib. XXVIII. cap. VIII. vbi cum de *crocodilo aquatico* egisset, de *terrestri* hæc subiicit: *Alter illis* Similis, *multum infra magnitudinem*. Præterea quæ de etymo *crocodili* Eustathius, eo refelluntur, quod Herodotus lib. II. tradit, quod Græcis aliis est σαῦρος, h.e. *lacerta*, id Ionibus vocari κροκόδειλον. atque Ægypti animal, quod illis *Champsas*, Iones vocasse κροκόδειλον, quia esset κροκοδείλῳ suo, hoc est *lacerta*, simile. Verba Herodoti sunt: Κροκοδείλους δ' Ἴωνες ὠνόμασαν, εἰκάζοντες αὐτῶν τὰ εἴδεα τοῖσι παρὰ σφίσι γινομένοισι κροκοδείλοισι τοῖσι ἐν τῇσι αἱμασιῇσι. Nimirum, vt Romani *elephantum* vocarunt nomine *bouis*, quod animal nouerant: sic Iones *crocodilum* Ægyptium nomine animalis sibi noti donarunt. Ab Ægyptio *crocodilo terrestri*, quem Plinius *aquatico* longe minorem ait, κροκοδείλεια dicebatur *fimus* eius animalis, quo mulieres faciem illinebant. Meminit Horatius, lib. Epod. XII.

——— *Nec illi*
Iam manet humida creta, colórque
Stercore fucatus crocodili.

De

De eodem sic Plinius post verba allata de *terrestri crocodilo*: *In terra tantum odoratissimis floribus viuit: ob id eius intestina diligentissimè exquiruntur, iucundo nidore farcta, crocodileam vocant, oculorum vitiis vtilissimam, cum porri succo inunctis, & contra suffusiones vel caligines. Illita quoque ex oleo cyprino, molestias in facie enascentes tollit: ex aqua verò, morbos omnes, quorum natura serpit in facie, nitorémque reddit. Lentigines tollit ac varos, omnésque maculas*, &c.

CROCOTA, crocei coloris vestis, teste Nonio. Vsus Næuius Pedio: *Molicinam, crocotam, chirodotam, ricam*. Et Virgilius, in Ciri:

Quæ prius in tenui steterat succincta crocota.

Παρέφραζεν id Maro. IX Æneid.

Vobis picta croco, & fulgenti murice vestis.

Eius diminutiuum *crocotula*. Plautus, Epidico:

Intusiatam, patagiatam, caltulam, ac crocotulam.

Qui id vestis genus conficiunt, *crocotarij* dicuntur, Plautus, Aulul.

Cùm incedunt infectores crocotarij.

Venit autem *crocota* à κροκωτὸς, Ita enim vocant Græci, genere virili: ac *crocotula* iisdem κροκωτίδιον appellatur. Et verò κροκωτὸς, à κρόκος, siue κρόκον, ac propriè signat *croco tinctus*, sed sumitur substantiuè, quia subintelligitur χιτὼν vel πέπλος, aut simile. Est & alterum vestis genus, quod similiter *ob colorem* ἐπίκροκον dicitur ab ἐπὶ & κρόκος. Festus: *Epicrocum genus amiculi croco tinctum, tenue, & perlucidum*. Glossæ Latino-Gr. Philoxeni: *Epicrocum*, Εἶδος ἱματίου ὃ Σύροι λέγουσι ... Næuius, vel alius, apud Varronem, lib. VI. de L. L. *Diabathra in pedibus habebat, & erat amictus epicroco.*

CROCVS, siue *crocum*, est à κρόκος, seu κρόκον. Nam vt Latinis, ita & Græcis tum masculinum, tum neutrum, est. Κρόκος verò est ab Hebræo כרכם, quod idem notat. Id verius quam vt sit à κρύος, *frigus*, quia floreat in *frigore*: quam nominis caussam attulere Callimachi Scholiastes, & Etymologici Magni scriptor. Vel à κρόκη, *villum, tomentum*, nempe à flauis flammeisque *croci* staminibus, ac villis. Vel à *Croco* adolescente, quem poëtæ fabulantur, disco à Mercurio interemtum, conuersum esse in hunc florem. Germani ac Galli dicunt *saffran*, vt Itali *zaffarano*, & Hispani *azafran* est que ea vox à Mauris in Europam perlata: Vt monet Gorræus in definitionib. Medicis. A *crocus* est color *croceus*, qui & *crocinus* dicitur penultimâ correptâ. Plaut. Curcul. I. II.

Tu crocinum & casia es.

Ita codd. MSS. *Crocinum* autem est *croci* odor. Propertius quoque dixit lib. III. Eleg. IX.

Et crocino nares murrheus vngat onyx.

A *croco* etiam *crocota* nomen. Sed de hoc seorsim, vti & de voce *crocodili*; quam & ipsam à *croco* factam putant Eustathius, atque Isidorus. Et verisimile est, inde etiam esse *crocotinum*. Festus: *Crocotinum genus operis pistorij.*

CROTALVM, κρόταλον, non à κρύω, vti quosdam velle scribit Cælius Rhodiginus, lib. XIX. cap IV sed à κροτέω, hoc est, *pulso*. De eo vide quæ scripsit Ios. Scaliger, in Copam: & Scipio Gentilis, ad Appuleij Apologiam, lemmate CLXXXII. & seq. *Crotalo* quæ canit, dicta *crotalistria*. Sic P. Syrus de ciconia: *Pietaticultrix, gracilipes, crotalistria*. Quia, vt in *crotalo* duo ossicula, vel æneæ laminæ, colliduntur ad sonum ciendum: sic ciconia colliso rostro crepat. Vnde Satyricus;

——— *Crepitante ciconia rostro.*

CRVMATA, vt ad Copam scribit Scal. sunt testulæ & ossicula vsum *crotali* præstantia. Nomen est à κρούω, id est, *pulso*. Vtitur Martial. lib. VI Epig. LXXI.

Edere lasciuos ad Bætica crumata gestus.

CRVMENA, quid sit, docet Nonius. *Bulga*, inquit, *est folliculus omnis, quam & crumenam veteres appellarunt, & est sacculus ad brachium pendens*. Cæterum non dubium mihi, quin non solum ad brachium, sed & de collo in tergum dependere soleat. Docet hoc illud Plauti Asinar. act. III. sc. III.

Hic pone hic istam colloca cruminam in collo plane.

Nam *pone* aduerbium est. Idem cognoscimus ex isto, in Pseudolo:

I præ puere: ne quis cruminam pertundat, cautio est.

Nam à tergo solum periculum erat. Rectè autem dici *crumina* per *i*, liquet ex antiquis codd. Sane Gruterus quoque auctor est, apud Plautum, Asin act. III. sc. II. *crumina* per *i* legi in MS. Camerarij, & Palatinis plerisque & vett. editt ante Iunii edit. eodémque modo legitur apud Festum. Quod ad etymon, quia dependere soleat, vt diximus, dicta creditur ἀπὸ τοῦ κρεμᾶν, quod est, *pendere*. Perottus tamen malebat à κρύω, id est, *pulso*, quia quæ dependent de corpore, ea inter eundem nunc hanc, nunc illam, corporis partem feriant.

CRVOR, & *sanguis*, differunt, quod *sanguis* etiam sit, cum venis inest; *cruor* dicatur postquam effusus venis, ac iam frigefactus, vnde & nomen. Nam κρύος, *frigus*, vnde κρυερὸς, *frigidus*. Gloss. Philox. *Cruor*, Αἷμα πεπηγός. Ridiculè Grammatici, quibus *cruor* dici videtur, quasi *corde ruens*. A *cruor* deriuatum est *cruentus*, quasi *cruore* tinctus. Ab eodem *crudum*, quod adhuc in *cruore*. Quam originem probat Isidorus, lib. XX. cap. II. A *crudus* autem *crudelis*, vt à *fidus fidelis*. *Crudelis* igitur, qui *crudus* est moribus, hoc est, sæuis *cruoréque* gaudentibus.

CRVPELLARIVS, est apud Tacitum, in Annal. III. vbi de rebellione Gallorum hæc inter alia: *Addunt e seruitiis gladiaturæ destinatos, quibus more gentico continuum ferri tegimen (cruppellarios vocant,) inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles*. Martinius coniectat esse à Chald. כרכל, id est, *opertus*: vnde כרבלתא, *paludamentum*. Forte est à κρύπτω *occulto*, quia inter seruitia latere, gladiaturæ, non militiæ destinati: quod Taciti locus innuat. Vel quid, si nomen ex eo, quod loris cæderentur: quasi *crupæ* serui. Gloss. Philoxeni. *Cruppa*, ... παχὺς, hoc est, *sudans densus*. Et mox: *Crupes*, ...

CRVS, quod eo *currimus*: iuxta Isidorum, lib. XI. cap. I. vel, iuxta alios, à κρούω, *ferio*, *quod huc atque illuc ingrediendo feriant*. Etymon hoc apud Perottum legas. Sed est ab Hebræo כרע, id est, *curuare se, crura inflectere*: à quo ipso verbo *crura* pedésque animantium Hebr. in duali dicuntur כרעים. A *frangere crura*, *crurifragium* dixere vt *lumbifragium*. Plautus Amph. I. I. Appuleius. lib. IX. Met diuisim pro eo dixit *crurum fragium*. Plautus verbo ipso vsus, Asinar. act. II. sc. IV. *Crura hercle diffringentur*. Idem similiter *crurifragum* dixit eum, cui *facta crura*. Sic enim legere iubent, Pœn. act. IV. II.

Continuo is me ex Syncerasto crurifragum fecerit.

Rationem verò ac modum frangendi *crura* vide apud Iustum Lipsium, lib. II. de *Cruce*, cap IV.

CRVSTA, ἀπὸ τοῦ κρύους, hoc est, *frigore*: vel κατ' ἀποκοπὴν ex κρύσταλλος, quod ipsum à κρύος. Nam, vt Hesychius ait, κρύσταλλος, τὸ πεπηγὸς ὕδωρ ὑπὸ κρύους. Hoc *crustam* vocat Maro, III. Georg.

Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ

Non dubito, quin hoc verum sit etymum. At neutiquam placet, quod aiunt, *crustam* κατὰ συγκοπὴν, quasi *corustam*, dici à *corio*: puta qua forma ab *ango* est *angustus*, à *veru*, *verbustus*. Fortasse aliquis deriuet à γρύτη, quia in vett. Glossis sit, *Crusta*, γρύτη. Sed γρύτη valet *scruta*: vnde γρυτοπώλης, *scrutarius*. Estque *crusta* imperitiâ librarij ex *scruta*, literulæ traiectione, corruptum. Ex etymo *crusta* liquet, propriè *crustam* esse à gelu, vt in glacie: sed ad alia transfertur, vt lapidem, ligna, alia. Quod Seruius etiam indicat, in III. Georg. *Crustæ* ex argento cælatæ inserebantur vasculis: atque eadem cum vellent detrahebantur: vti & emblemata. Vnde Cicero, in Verrinis. *Crustæ aut emblemata detrahantur*. Artifices dicti *crustarij*. Teucri *crustarij*, qui ex cælatura *crustarum* famam habuerit meminit Plinius lib. XXXIII. cap. XII Sic *crustaria taberna*, vbi venderent vasa potoria *crustata*: vt est apud Festum: & in Glossis Isidori. Vide *crustum*.

CRVSTVM, à *crusta*. A *crustum* verò *crustulum*, edulij genus. Vt apud Lucillium:

Crustula gustaui: gustaui crustula solus.

Aliud igitur *crusta*; aliud, *crustulum*. Quod & Seruius docet, in illud, III. Georg.

Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ.

Vbi sic scribit: *Cum hæc crusta dicimus feminino genere, lapidis, aut ligni, aut gelu, partem significamus. Cùm verò crustum dicimus, edulium aliquod significamus, partem panis vel placentæ. Ipse in septimo:*

Orbem fatalis crusti.

Horat.

——— *Dant crustula blandi*

Doctores. ———

Iuuenalis:

Nos colaphum incutimus lambenti crustula seruo.

Varro censet, *crustum* dici, quasi *corustum*, à *corio*, vt ab *augurio* est *augustus*. Verba eius sunt, IV. de L. L. *Crustulum à crusta pultis, quæ vt corium exuritur, crusta dicta.* Sed non dubium quin *crustum*, & *crusta*, eiusdem sint originis. *Crusta* vero propriè durum illud, quod in aqua, pulte, & aliis, frigore concrescit. Nempe ἀπὸ τοῦ κρύους, hoc est *frigore*. Vnde & κρύσταλλος, *glacies*; vt diximus. A *crustulum* est *crustularius*: qui vulgo *postmarius* dicitur.

CRVX, sic dicitur, quia in eo homines *crucientur*, vt ait Isidorus. lib. V. cap. XX. Verum non *crux* à *cruciando*, sed *cruciare* est à *cruce*. *Crux* vnde sit, obscurum est: nec puto etymon eius *crucem* Grammaticis figere debere. Videtur proximè accedere ad ἴκριον, quod notat *palum erectum*, vel *tabulam arrectariam*. & Sanè Hesychio esse dicitur σανίδωμα ἢ ξύλον ἐν ᾧ οἱ σταυροὶ ζεῖ. Atque ita apud Suidam legas, Ἰκρία Ἰουδαῖοι τῇ σταυρῷ ἐπεστήλωσαν. Putabat Lipsius, cum *crucem* dicimus

de supplicio, quo Seruator noster affectus, vocem eam accipi impropriè. Cùm enim *crux* constet ligno recto, & transuerso: [illegible] propriè vocari *crucem* transuersum propriè esse *patibulum*. Quam sententiam abunde refellimus voce *Patibulum*: vbi [illegible] nec *crucem*, nec *patibulum*, pro alterutro ligno [illegible] propriè autem *patibulum* esse furcam, quæ similis litteræ Y. *crucem* autem figuram habere litteræ T. Hoc quoque discriminis addimus, quòd qui *furcam* gestarent, interdum quidem post [illegible] gestatam affigerentur *cruci*: interdum verò dum gesta[illegible] virgis cæderentur ad necem. At *cruci* affigebantur clauis: [illegible] ipsa *crucifigendi* vox ostendit. Dixi, quomodo discrepet a *patibulo veteri*. At aliter discrepat a *patibulo recentiore*, quod Constantinus M. in veræ *crucis* locum induxit. Id discrimen ostendit his verbis Isidorus, lib. v. Originum, cap. XXVII. *Mortis verò diuersi casus, ex quibus crux, vel patibulum.* Vbi *vel*, more seculi, pro *&*, posuit. Sequitur: *In quo homines cruciantur, & patiuntur, vnde & nomina habent.* Significat *patibulum* à *patiendo*; *crucem* à *cruciando*; cum *patibulum* sit a *patendo*, vt alibi dicimus: *cruciare* autem sit à *cruce*: hoc fortasse ab [illegible]. Subdit deinde: *Patibulum enim vulgo furca dicitur, quasi ferens caput.* Quod etymon est ridiculum, cum *furca* sit à Græcis, qui *furcam* dicunt φοῦρκαν, vt ex Hesychio alibi ostensum. Addit deinde: *Suspensum enim & strangulatum ex[illegible] Sed patibuli minor pœna: quàm crucis. Nam patibulum appensos statim exanimat: crux autem suffixos diu cruciat.* Vbi rectè assignat discrimen inter *crucem*, cuius vsus iam ab Constantini temporibus desierat, & *patibulum* sui temporis, imò & nostri, de quo homines laqueo suspenduntur. Quod de *patibulo*, siue *furca*, antiquiorum verum non est. Nam vel *furcas* gestantes cædebantur ad necem, vel depositâ *furcâ* adfigebantur *cruci*. A *cruce* est *crucio*, vnde *crucium*. Festus: *Crucium, quod cruciat Vnde Lucilius, vinum insuaue, crucium dixit.*

Crypta (vt Philander scribit, in lib. VI. Vitruuij, cap. VIII. vbi *cryptarum* meminit,) *dicuntur fossæ testudineatæ subterraneæ, aut concaua loca, & scrobes, vbi triticum conditur.* Nam, vt auctor est Varro, lib. I. de R.R. cap LVII. *Quidam granaria habent sub terris, vti speluncas, quas vocant σειρούς, vti in Cappadocia, ac Thracia.* Sed non solum, vbi triticum reponeretur, verum v[illegible]sè *fornices subterraneas* ita dici, ostendit Iuuenalis locus, sat. v.

Et solitus media cryptam penetrare suburra.

Et Tranquillus, in Caligula, cap. LVIII. *Cum in crypta, per quam transeundum erat, pueri nobiles, ex Asia ad edendas in scena operas euocati, præpararentur.* Vsus similiter Petronius, in Satyricis. Nomen est ἀπὸ τοῦ κρύπτειν, quod est *tegere, abscondere*: Κρύπτω autem ab קבר, quod est, *sepelire, occultare*. *Cryptam* Itali *crytam*, voce paullum immutata, *gruptam*, indéque *grottam*, appellant. A *crypta* & *porticu* est *cryptoporticus* apud Plinium, lib. II. epist. ad Gallum: & lib. v. epist. ad Apollinarem: item Sidonium, lib. I[illegible]. epist. ad Domitium. Idem alibi *crypticos arcus* pro eo dixit. In martyrologiis crebro *cryptas* Martyrum legas, pro *sepulcris*: nempe quia hæc essent *specus subterranei*. Habes & in Glossis Philoxeni. Vbi [illegible] exponitur. Pro quo [illegible] est apud Hesychium.

Crystallvs, Gr. κρύσταλλος, quo tum *glacies* significatur, tum *lapis crystallus*, vt cum Dionysio [illegible] loquar, cuius illud, [illegible] λίθον. Ad quem locum ita Eustathius: [illegible] κρύσταλλος, [illegible]. Dicitur verò κρύσταλλος, quasi κρυόσταλλος, à κρύος, hoc est, *frigus* & [illegible], pro [illegible], quia est [illegible] *aqua frigore concreta*. Sed [illegible] durè hac significatione vsurpatur. Rem ipsam dicit & Hesychius: Κρύσταλλος, τὸ [illegible] ὕδωρ ὑπὸ κρύους. Et Statius Papinius:

Raráque longæuis niuibus crystalla gelari.

Qui locus lucem capit ex hoc Plinij, lib. XXXVII. cap. II. *Contraria huic caussa crystallum facit, gelu vehementiore concreto, non alsubi certe reperitur, quam vbi maximè hibernæ niues rigent, glaciémque esse certum est, vnde & nomen Græci dedere.* Idem tradit Isidorus, lib. XVI. cap. XIII. Quod vero vterque existimat, *crystallum* esse *glaciem*, vel *glaciem* mutari in *crystallum*, id verum non est, quia hoc si esset, etiam solis calore liquesceret: adhæc plurima generaretur in regionibus frigidissimis, vbi fluuij maximi ad vada vsque glaciantur. Vera igitur sententia est Georgij Agricolæ, in libris de ortu & caussis subterraneorum; vbi docet, *crystallum* esse lapidescentem perspicuum succum, quem sub terris, aut inter gelidas rupium venas, frigus glaciat & durat. Non igitur *crystallus* dicitur, quia *glacies* est, sed à similitudine *glaciei*. Vide eundem Agricolam de naturâ Fossilium, lib. VI. cap. VII. Adi & Orpheum, ac Theophrastum, περὶ λίθων.

CV

Cvbitvs, dictus plerisque videtur à *cubando*. Est enim propriè flexura brachij in acumen desinens, qua parte *cubare* solemus. Ac probat hoc etymon quoque Isidorus, lib. XI. Originum, cap I. *Cubitus*, inquit, *dictus, quod ad [illegible] sumendos in ipso cubamus.* Sed magis verisimile fit, esse à Græcis, quando Hippocrates similiter est vsus. Galenus in Lexico Hippocratico: Κύβιτον τὸ ὀλέκρανον, ὅπερ καὶ ἀγκών. [illegible] φησί.

Cvbo, an *cumbo*, prius fuerit, quæri potest. Scaliger, libro IV cap. XVI. posterius mauult: *cumbo* autem esse à κύμβαχος, id est, *cernuus*, cóm[illegible] spicere poëtam, cum ait:

——— [illegible]que incumbit cernuus armo.

Sed magis placet Prisciani sententia, in X, qui prius censet *cubo*. C[illegible] autem mihi videtur esse à κύπτω, quod significat, caput at[illegible]ulos declinare, siue demittere, vt solent dormientes. [illegible]nius, de viro bono:

Nec priùs in dulcem declinet lumina somnum.

Sanè ma[illegible] hæc placet sententia, quam illa Nunnesij, vt sit à κοιμῶ, dormio, vt Æolicè M abeat in B. A *cubo* est *cubile*; vt à *sedeo*, [illegible]. Item *cubiculum*, vt à *veho* & *curro*, *vehiculum*, & *curriculum*. Nisi placet, hoc esse à *cuba*, quomodo Sabini lectum [illegible]ant, teste Festo Pompeio. Sed puto Sabinam vocem esse à κύβη. A *cubo* est *incubo*: à quo in vsu fuisse videtur *incubito*, vt inde sit *incubitatus*: quod in MSS^tis & impressis Plaut. [illegible]d. legitur Persa act. II. sc. IV. vt nempe quemadmodum ma[illegible]mo Grutero visum, *puer meritorius* eâdem ratione dica[illegible]*cubitatus*, qua tales dicebantur, *culcita*, & *sponda* [illegible]: vt constat ex Tranquilli Cæsare, cap. XLIX. Duza malebat apud Plautum legere, *intercutitus*, aut *impudicatus*: sed contra MSS^orum & impressorum omnium fidem.

Cvbvs κύβος quod Eustathius deducit à κύπτω id est, *deorsum propendeo*. Itaque ei κύβος est [illegible]. *Cubos* verò Græci vocant, quos Romani *quadrantalia*: vt est apud Gellium, lib. I cap. XX. vbi addit, κύβους, *esse figuram ex omni genere quadratam, quales sunt: inquit M. Varro, tesseræ quibus in aluеolo luditur, ex quo ipsæ quoque appellatæ κύβοι.* Vide & Vitruuium præfat. lib. v.

Cvcvlvs, pro *aue* vnico *L*, pro *veste* geminato, scribendum. Ac quamquam pro aue vulgo semper proximam ab vltima corripiat, tamen apud veteres producit, vt benè è Plauto Horatióque comprobat Erasmus, prouerbio *cuculitus*. In Calepino, toties recocto, legas à Martiale versu isthoc corripi:

Quamuis per plures cuculus cantauerit annos.

Sed nusquam is versus in Martiale extat. Melius citasset id ex auctore Philomelæ:

Et cuculi cuculant: fritinnit rauca cicada.

Quod ad [illegible]. Varro, IV. de L.L. ponitur inter [illegible], sanè nihil refert, hoc dicas an esse à Græco κόκκυξ, cum κόκκυξ à sono factum esse pareat. Quanquam κόκκυξ quoque cum Angelo Caninio deducere possis à Syriaco [illegible], quod & Celtæ retinent. Sed hoc si placet dicendum Syriacum istud esse [illegible]. Ineptè autem Celtæ, eósque imitati Belgæ, *cuculum* vocant illum qui vxorem habens adulteram, alienos liberos enutrit pro suis. Nam tales *currucas* dicere debemus, vt paret ex natura vtriusque auis, & contrario vsu vocis *cuculi* apud Plautum.

Cvcvllvs, est pars vestis à tergo pendentis, quo caput tegitur, pluuiæ vel tempestatis caussa. Vsus Martialis, lib. X. ep. LXXVI.

Pullo Mæuius alget in cucullo.

Sic dici putatur à formâ. Nam propriè *cucullus* inuolucrum chartaceum, quo à pharmacopolis, aliisque institoribus, pulueres, ac similia, clauduntur. Martialis, lib. III. ep. II.

Vel thuris piperísque sis cucullus.

Sanè *cuculli* capitiũ referunt conum inuersum, planéque chartaceis *cucullis* similes sunt, vt ex palliis Hispanicis & *bardocucullis*, apparet. Sed quid, si dicamus, *cuculli* papyracei nomẽ posterius esse, ac hoc à formâ vestis nomen accepisse? Certè parum refert, hoc, an illud, dicamus. Prima verò origo videtur κύκλος, id est, *circulus*. Nam rotunda figura, & in *vestiario*; & in *papyraceo cucullo*: Nec prætereunda interim sententia Cambdeni, existimantis, Romanos, vt *bracca*, *bulga*, multáque alia id genus, sic etiam *culli* vocem accepisse à Gallis. Probat id voce *bardocuculli*, quomodo à Martiale semel iterúmque vocatur *bardorum Gallicorum cucullus*. At, vt *bard* (de quo in *Bardus* diximus) sic etiã altera verbi pars integra

Britan

Britannis manet. quibus pallium *cucul* dicitur. Eandem verò fuisse antiquorum Celtarum Britannorúmque linguam, fuse comprobat idem Cambdenus. Sed *bardocucullus* à Gallis manasse verum est De *cucullo* verò valde ieiuna est probatio, potiúsque credam, Britannicum *cucul* ex *bardocucullus* esse truncatum. A *cucullus* est *cucullio*, vt ab *homo*, *homuncio*. Lampridius in Heliogabalo: *Tectus cucullione mulionico, ne agnosceretur*. Capitolinus, in Vero: *In tantum vitiorum Caianorum & Neronianorum fuisse æmulum, vt vagaretur nocte per tabernas, ac lupanaria, obtecto capite cucullione vulgari viatorio*. Festus: *Tegillum, cucullunculus ex scirpo factus*. In vett. Glossis exponuntur [illegible], corrigo [illegible], vel [illegible]. quorum vtrumque idem ac [illegible], seu [illegible], *operimentum, tegumentum*. Quæ tamen *cucullionis* interpretatio parum apta, cùm nimis late pateat. Formam *cuculliones* discere est ex Ioannis Cassiani lib. I. cap. IV.

CVCVMA est *vasis coquinarij genus*, quod ita à *cucumeris* oblongâ formâ & amplo ventre appellatur. Martial. lib. X. ep. LXXII.

Torquatus nitidas vario de marmore thermas
Extruxit cucumam fecit Otacilius.

Quo loco quidam adducti, vt *tuguriolum* interpretarentur. Martianus, ad l. Corn. de sic. & venef. I. § II. *Si cucuma percusserit aut cucumâ in rixa, quamuis ferro percusserit, tamen non occidendi animo, leniendum pœnam eius*. Qui locus compulit Antonium Nebrissensem, vt putaret, esse *genus* [illegible], Budæum autem, vt *ferreum baculum* exponeret. Sed huiuscemodi interpretationes infirmo nimis tibicine fulciuntur. Illud contra validè probari potest, *cucumam* esse *vasi coquinarij genus* ex ære terráve factum ad calefaciendum aquam. Sanè *vasis genus* esse agnoscit & vetus Horatij interpres, ad ecl. I lib. I sat. Fuisse autem *vas coquinarium*, clare indicat Petronius Arbiter. *Frangitur ergo ceruix cucumæ ignémque valescentem restinguit*. Idem: *Incincta quadrato pallio cucumam ingentem foco apposuit*. Similiter quoque vsurpare videtur Ambrosius. Serm. XC. *Dij tui aut ænei sunt, ex quibus cucumæ melius fiunt ad vsum hominum*. Sæpe etiam sic accipitur apud Marcellum Empiricum, libb. de Medicamentis. Sed & superiorem expositionem valde firmat locus Alpheni, qui *cucumella* (id diminutiuum à *cucuma* est) recenset inter *vasorum genera*. Sic enim ille, l. XVII. D. si seruitus vindic. *Et Sejus in eo siluam fecisset; in qua labra, & tenes* (*lenes*, id est, λανὸς. legit Cuiacius. lib X. obs. cap. XV. alij corrigunt *tinas*,) *& cucumellas positas haberet*. Porrò ex his obiter etiam discimus, non rarum adeò esse *cucuma* vocabulum, ac putauit Politianus cap. XXX. Miscell. Videre etiam hac de voce potes Baptistam Pium, Annotat. post. cap. LXI. Bartholomæum Barrientum, in Annotat. sylua, cap. XIV. Cuiacium, obseruat. lib. X. cap. XV.

CVCVMIS, à *curuatura*: vnde Maro, IV Georg.

——— *tortúsque per herbam*
Cresceret in ventrem cucumis. ———

Varro, IV. de L. L. *Cucumeres dicuntur à curuore, vt curuimeres dicti*. Sed veriùs Scaliger. in Coniectaneis qui deducit à [illegible], quæ vetus Græcorum vox est. [illegible] autem suspicor esse ab Hebræo קשא, id est, *cucumis*.

CVCVRBITVLÆ, medicorum sunt, quæ cuti imponuntur, ignéque in ea stuppâ linove accenso, cuti eidem adhærent, atque ita sanguinem ex concisa cute eliciunt. Nomen hoc accepere à formâ ventricosâ, quâ referunt *cucurbitam*. Cui plantæ Scaliger nomen inditum existimat à *curuitate*, geminatâ primâ, vt in *cacula*, *populus*, & aliis. Mihi non displicet Nunnesij opinio, qui censet corruptum esse ex *colocyntha*, [illegible]. Nam Græcis planta ea κολόκυνθα. At medica *cucurbitula* iis est σικύα, vnde σικυάζειν, quod in veteribus Glossis exponitur, *cucurbitare*, hoc est, *cucurbitulam* concisæ cuti, medicorum more, *imponere*. Huiusmodi *cucurbitulas* insanorum capitibus adhibere iubet Galenus, lib. de methodo medendi: & Celsus, lib. III. cap. XVIII. Vnde Satyricus, cùm phreneticum designare vellet, scitè inquit,

Iam dudum capiti hoc ventosa cucurbita quærit.

Latinis igitur *cucurbita*, & plantæ & medici instrumenti, nomen est: Græcis non item, quibus, vt dixi, aliud est σικύα, quæ & σικυῶν. aliud verò κολόκυνθα: vnde Seneca satyræ suæ in Claudium nomen fecit ἀποκολοκύνθωσις, quasi Claudius, non in Deum, sed ob fatuitatem mutatus sit in κολόκυνθαν, siue *cucurbitam*. Nam falluntur viri eruditi, qui id satyræ nomen esse putarunt, quia Agrippina Claudium boletis medicatis, hoc est, venenatis, sustulisset. Vide omnino, quæ hac de re eruditè fuséque monuit Daniel Heinsius, dissertatione eâ quæ de libelli illius inscriptione inter orationes eius legitur.

CVDO, nunc verbum est, nunc nomen. *Cudo* verbum notat *ferio*. éstque eiusdem originis ac *quatio* & *cado*. Sunt enim tria hæc à כתת quod tum *cudo*, siue *quatio*, tum *cado* significat. Hoc nisi esset poterat videri *cudo* esse à [illegible], quod est efficere, vt quis capite propendeat, vt solent, qui plagas metuunt, aut dolore affliguntur: vel ab Hebræo כיר, quod est *afflictio, contritio*. Saltem hæc verisimiliora, quam (quod Nunnesius putabat) vt *cudo* sit à κυδάζω, *conuicior, maledico*. At *cudo* est *incudo*, & *succudo*, vnde *incus*, & *subscus*. Vide *Incus*. At *cudo* nomen est, [illegible] vt Glossæ vett. exponunt. Puta *galea pellicea*; vnde nomen fortasse à [illegible]. Sanè prout è pelle esset huius vel illius animalis, nomen variabat. Nam si è *canina pelle* foret, propriè dicebatur κυνῆ. si è *lupina*, λυκῆ. si è *mustelina*, ἰκτιδέη. si è *felina*, γαλέη, vnde & *galea* vox in vsu remansit, vt alibi dicemus. Addam & alterum etymon, &, vt puto, verius. Cùm enim *galea*, & capitis figuram referat, & caput muniat, suspicor planè vocem hanc venire à Græco κώδεια, quod cum aliarum rerum *caput* notat, vti papaueris, Etymologo teste: tum etiam de capite humano dicitur: vt, cum Homerus. Il. ξ. sub finem, κώδειαν vocat *caput* Ilionei, quod hastæ infixum tenebatur. Pro eo & κωδία, & κώδις dicitur, quæ Hesychius iccirco interpretatur, [illegible], *caput sine corpore*. *Cudonis* voce vsus Sillius, lib. VIII.

——— *Caput hic cudone ferino*
Stat cautum. ———

At aliud longè est *vdo*: de quo suo loco.

CVLCITA pro quo malè quidam *culcitra*, sic. Varrone ac Festo teste. dicta à *calcando*, quòd in eâ sagum, tomentum, aliúdue quid, *inculcabant*. Græcis similiter dicitur [illegible], à στείβω, siue [illegible], quod itidem significat *calcare*. Quamquam [illegible] non tam *culcita* esse videtur, quàm *segestria*, quæ Græcis [illegible]. Fiebant enim è *stramentis*, culmis aut herbis: vnde & Varro à Latinis dictum putat *torum*, quia fieret ex *herbâ tortâ*.

CVLEVS, est factus de corio saccus, prout exponit Anianus, vetus interpres, ad L. vnicam C. Th. de parricidiis. Est & in Glossis B. Germani: *Culleus*, ἀσκὸς βόειος, θύλαξ. Est & *culeus* maxima liquidorum mensura, iuxta Fannium, sexaginta capiens vrnas: vnde dolium *sesquiculeare*, apud Columellam, lib XII. cap. XVIII. Atque ab hac notione *culearium* dixit Vitruuius lib. VI. cap. IX. *Culei* vocem ineptè ab *occulendo* deducunt, cùm sit à Græco κολεὸς, quomodo *vaginam* vocari ex Polluce, atque aliis, constat. Est autem κουλεὸς, Ionicum pro κολεός. vnde & *coleos* Latini dixere. Etiam ex κολεὸς fecere *collus*, quod idem ac *culeus*. Festus. *Collus quoque masculinè dixerunt, est enim genus tormenti è corio*. Etiam à *culeus* videtur esse *culiolum*. Festus. *Culiola, cortices nucum viridium, dicta a similitudine culeorum, quibus vinum siue oleum, continetur*. Vbi MSS. *culliola*: vt *culleus* sæpe pro *culeus* legas. Porro quæ hic de *culiolis* eadem de *gullioca* legas alibi. Sic enim scribit Festus: *Gullioca, nucum inglandium summa & viridia putamina*. Puto, Paullum, vel alium in codices vitiosos incidisse, vbi *gullioca* scriptum esset pro *culliola*, vel *gulliola*. C enim & G facilè commutantur.

CVLEX vt Isidorus lib. XII. scribit cap. VIII. *ab aculeo dictus, quod sanguinem sugat*. Aliis videtur *culex* conflari ex *cutilex*, quia *cutim lacessat*, hoc est, *morsu lacessat*. Mihi verò dubium non est, quin sit corruptum è Græco κώνωψ, quod idem notat. N abit in L, vt à νύμφα, *lympha*, & id genus alia.

CVLIGNA vox est apud Catonem, cap. CXXXII. *Ioui dapali culignam vini, quantum vis, polluceto*. Idem alibi: *Culignam in fœno Græco ponito, vt bene oleat*. Quem locum adducit & Festus: qui ait, esse *vas potorium*, atque id *vinarium*: & sic dici à Græco κύλιχνα. Vbi fortasse legendum κυλίχνην. Saltem verisimilius ἔτυμον est. Porro & κύλιξ, & κυλίχνη, sunt à κυλίω, vt dicimus in *Culullus*.

CVLINA, iuxta nonnullos, à *colluuie*. Sed prius fuit *colina*, à *colendo*. Varro, lib. I. de vita pop. Rom. apud Nonium, in *Culina*: *In posticâ parte erat culina: dicta ab eo, quod ibi colebant ignem*. Aliis placet dici, quasi *calina*, ob perpetuitatem ignis aut caloris. Porro veteribus *culina* non tantùm *coquinam* significabat, sed etiam sic dicebatur *locus in quo epula in funere comburuntur*, vt scribit Festus Pompeius. Confirmat idem hic locus Aggeni Vrbici lib. de limitibus agrorum: *Sunt in suburbanis loca publica, inopum destinata funeribus, quæ loca culinas appellant*. Plura hac de re Ios. Scaliger, ad illud in Catalectis Virgilij.

Neque in culinam & vncta compitalia
Dapésque ducis sordidas.

Vbi idem etiam veteri inscriptione probat, in Herculis quoque ædiculis fuisse *culinas*, in quibus Herculi sacrificarent peregre profecturi, quod dicebant, *propter viam sacrificare*. Duza in Arbitrum monet, *inquilinum* dici ab hac *culina*

lina notione; sed eum falli, ostendunt, quæ in *Colo* diximus.

CVLMEN generatim de quibusuis dicitur ædibus, atque adeò de aliis quoque rebus, vt, cùm Cæsar, haut longè ab initio libri tertij de bello Gallico, ait, *culmina Alpium*. Propriè tamen, si Grammaticos audimus, est *stramineum tectum*, à *culmis*, hoc est, *frumenti calamis*. Seru. Ecl. I. *Ideo culmina dicta, quia veteres de culmo ædificia contegebant*. Idem scribit Isidorus, lib. XV. cap. VIII. Allusit fortasse eo Sidonius, lib. VII. epist. XVII.

Et casa, cui culmo culmina tecta forent.

Culmus fuit prius *colmus*, quod ex *colomus*, hoc ex *calamus*. Rustici enim hodiéque *A* in *O* solent conuertere. At κάλαμος Græcum: sed potius, pro *calamo* siue *arundine*. *Culmus* vero καλάμη. Gloss. Philox. *Culmus*, καλάμη, στάχυς. Vbi de καλάμη rectè. At propriè non est στάχυς, siue *spica*, quamquam & apud Suidam id legas, sed id quod *spicam* fert ac sustinet. Sed Seruius quoque *culmen* exponit, *iunctionem spicarum*. Debuerat dicere, *culmorum*. A *colomus*, fuit *colomen*: pro quo posteriores *columen* & *culmen* pro *colmen*. *Columen* inter alios vsurpat Seneca, in Hercule Furente, Act. IV. Sc. I.

Huc eat & illuc aula, disiecto obice.
Rumpátque postes, columen impulsum labet.
Procumbat omnis regia.

Vt *pulcer* ex *polcer* factum, sic *culmen* ex *colmen*. *Colmen* verò eâ ratione è *columen* factum, quâ ex *Alcumena*, *Tecumessa* & *Alcumæon*, Iulij Cæsaris æuo fecerunt *Alcmena*, *Tecmessa*, *Alcmæon*.

CVLPA aliquibus à *collabor* esse videtur: alij malunt, transpositis literis esse à κλοπή quo *furtum* signatur. Nempe vt hæc propria sit notio: postea autem latiùs extensum dicatur. Sed placent magis, qui deducunt à חָלַף, *Chalaph*, id est, *transire*, *præterire*, *transgredi*. Nam *culpa* propriè est transgressio legum, aut virtutis limitum, Vnde Horatius:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra citráque nequit consistere rectum.

CVLTELLARE, quid sit, & vnde vox sit, ostendit quod pro eo Vitruuius, lib. X. cap. X. de hydromylis dicit, *ad perpendiculum in cultro collocare*. Ac similiter, lib. V. cap. XIV. ait, *Tympanum in cultro collocatum*. *Cultri* nomine intelligitur *vomer*, qui rectus terram in arando secat ac scindit. Vnde locutio hæc, *in cultro collocare*, vel, *cultellare*, de eo, quod constituitur ad perpendiculum, siue cuius longitudo & rectura ad perpendiculum exigitur. Quo pacto agri inæqualitas ad planitiem redigitur, quia eminentiora *cultellando* resecantur. Sic apud Frontinum legas, lib. de limitibus: *Cultellamus agrum eminentiorem, & ad planitiem redigimus.* Iisdem Hygino, *cultellatus ager* hoc est, *ad perpendiculum constitutus, & ad planitiem redactus*. Vsus *cultellandi* in eo erat agrimensoribus, vt statui posset de spatio agri nunc assurgente nunc depresso. In cuiusmodi controuersia opus erat agrum funiculo ad perpendiculum extento explorari, atque exigi, vt ita de librata eius planitie statui possit.

CVLTER, dici volunt a χαλκός, quasi *chalcer*, vel *calcer*. Sed hæc originatio est durior. Nam opponam, quod *cultri* è ferro potiùs quàm ære fiant: (nam scio qua ratione Homerus χάλκεα appellet arma, quam rem satis explicamus lib. IV. oratoriarum nostrarum, cap. VIII.) sed hoc solum dicam, nimis dissidere elementa vtriusque vocabuli. Quid, si igitur dicamus, *cultros* propriè dici, quibus in *cultum* terræ vterentur. Sanè *culter* erat *vomeris* genus, de quo ita Plinius, lib. XVIII. *Vomerum plura genera: Culter vocatur, prædensam, prius quàm proscindatur, terram secans, futurísque sulcis vestigia præscindens incisuris, quas resupinus in arando mordeat sulcus.* Quod si *cultrum* de *aratri cultro* primarlo dici minùs placet: proximum sit, vt transpositis literis deducam à Syriaco קטל, id est, *occidit*, *mactauit*. Quæ & Casauboni mens, Animaduers. in Athen. lib. IV. cap. XIII. Ac similiter μάχαιρα, aut μαχαίριον, dicitur ἀπὸ τοῦ μάχεσθαι. Nam veteres gladio appensam habebant *macharam*, quâ pro *cultro mensario* vtebantur: vt ostendit Homericum hoc.

Ἀτρείδης δ' ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν,
Ἥ οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κουλεὸν αἰὲν ἄωρτο,
Ἀρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας.

Atrides autem extrahens manibus cultrum,
Qui ei apud ensis magnam vaginam semper pendebat,
Agnorum ex capitibus abscindit pilos.

CVLTICVLA, vt Festus ait, *festiculus quidam ligneus in sacris dicebatur*. Vbi in MSS[ti] aliquibus, etiam Nansiano, *culcitula*. Quasi foret à *culcita*. Sed nihil huic commune cum *fuste*. An ergo à *cultro*, quasi *cultricula*?

CVLTVM agrum à *colendo*, non *coalescendo*, dici quis non videt? Tamen magnus Varro hac in parte ineptit. Nam IV. de L.L. ait: *Ager cultus, ab eo, quod ibi cum terra semina coalescebant*.

CVLVLLVS, ὑποκοριστικὸν fit, à *culeus*: vt Turnebus censet lib. IX. cap. XIII. Nec obstat quantitas dispar. Nam vt prima in *mamilla*, *sigillo*, & similibus diminutiuis corripitur contra primigenij naturam: sic idem in *culullus* fieri potuit. Becmano tamen, quia Horatius *magnos* dicat *culullos*, non videtur id nomen habere diminutiui significationem: eóque potiùs corruptum putat ex κυλίχνη, quasi à κύλιχνος. Est verò κυλίχνη, *vasis potorij genus*, ita dictum à κυλίω, ob *rotunditatem*, à qua & κύλιξ nomen accipit. De re ipsa Becmano non repugno. Argumentum verò, quo pugnat, satis graue non est. Nam vt *culeorum* comparatione *cululli* omnes exigui sunt: ita *culullus* vnus, cum minimis comparatus, rectè magnus vocatur. Quod si non placet esse à κυλίχνη, possis à κυλίω [illegible] deducere: vnde κύλιξ, & κυλίχνη, venire dicebamus.

CVLVS, à [illegible] hoc est, *vagina*, vt scripsit Ios. Scaliger, ad illud, in carmine [illegible]:

Plus [illegible] te vocat, quod nos psoloënta vocamus;
[illegible] quod nos culum, coleon ille vocat,

Ac putat idem, Plautum eo allusisse in Milite: *Conueniunt [illegible] vaginam tuam machæra militis?* Mirum autem hanc vocem negligi non modo à Lexicographis, sed etiam [illegible], in Nomenclatore. Nam probam esse vel fidem [illegible] versus ante adductus. Sæpius quoque vsus Martial[illegible].

CVM, [illegible] Terentius Scaurus, κατ' ἀποκοπὴν factum esse è *cume*, eóque [illegible] Numam in Saliari carmine vsum docet. Ex *cume* autem [illegible] ἀποκοπὴ est *cum*, vt *cur* ex *cure*, quod dicitur pro *cui rei*. Angelus verò Caninius, & Petrus Nunnesius, *cum*, à σὺν deduxerunt, vt σ conuertatur in C; quomodo à πορκία, idem Caninius ait venire *porca*; à βάρις, *barca*, quasi *barsa*; & à Syriaco *siphra* dicimus *cifra*. Habet & magnam affinitatem cum Hebræo עם, & Syro עם, quæ idem signant. Hæc magis placent, quam quod scribit Cæsar Scaliger, cap. CLV. de caussis L.L. conflatum esse ex ξὺν ὁμοῦ. Vbi ὁμοῦ est particula completiua, vt in ἅμα. Sed quod Scaliger ait de præpositione *cum*, id verum puto de coniunctione *cum*: vt, cum iungimus *cum*, *tum*. Cæterùm Gersippus, siue Scoppius, in Institutionibus Grammaticis, putat adverbium *cum*, siue *quum*, vel *quom*, esse à veteri accusatiuo nominis *quis*, vel *qui*. Nempe *quum* pro *quem*, vel *quod*: vt in ablatiuo *quo* & *qui*, in plurali *qui*, & *ques*, *quis* & *quibus*. Itaque, iuxta cum, *cum* integre sit *ad quum diem*, vel, *ad quum tempus*.

CVMERA: & *cumerum*, vt differant indicat hic Festi locus: *Cumerum, vas nuptiale à similitudine cumerarum, quæ fiunt palmea, vel spartea, ad vsum popularem, sic appellatum*. *Cumero* igitur, non *cumera*, conueniunt, quæ idem ante dixerat: *Cumeram vocabant antiqui vas quoddam, quod opertum in nuptiis ferebant: in quo erant nubentis vtensilia: quod & camillum (MS[ti] casmilon, antiquè) dicebant, eo quod sacrorum ministrum, camillum dicebant.* Seu Paulli is, seu librarij lapsus, omnino, vt dixi, *cumerum* describit. Hoc enim *vas nuptiale*. At *cumera* vsus popularis, quia frumenta eà condebant. Horat. lib. I. sat. I.

Cur tria plus laudes cumeris granaria nostris?

Et epist. V. lib. I.

Forte per angustam tenuis vulpecula rimam
Repserat in cumeram frumenti.

A vulgari hac *cumera*, nuptiali *cumero* nomen, vt rectè docet Festus. At *cumera* forte à figura *camera*, qualis in *camera*, seu *fornice*. De quo in *Camera* satis dictum.

CVMINVM, vel *cyminum*, κύμινον, à quo κυμινοπρίστης, *homo auarus, & qui nec minutum cumini granum dare integrum sustineat, & sed in partes illud secet*. Quod autem Græcis κύμινον, idem & Hebræis כמן, quod legere est Ies. XXVIII. XXVII.

CVMVLVS, non video vnde melius deducas, quàm si dicas esse ὑποκοριστικὸν ab obsoleto *cumus*. hoc autem esse à præpositione *cum*, quæ *congeriem* notat.

CVNÆ, & *cunabula*, videntur promiscuè vsurpari pro vasculo siue alueo illo in quo pueri fasciis inuoluti cubant. Habebat is formam *scaphæ*, vnde & Græci σκάφην dixere: vt patet ex Athenæi quartodecimo qui semel iterúmque sic appellat, quo loco de elephanto tractat nutriculæ munia erga infantem obeunte, intérque alia narrat, vt plorante infante etiam *cunas* motitârit, quo is sopiretur. ὅτε, inquit, κλάοι, τῇ προβοσκίδι τὴν σκάφην ἐκίνει, καὶ κατεκοίμιζεν αὐτό. Et hic locus videtur comprobare, non ineptè vocem *cunarum* deduci posse ἀπὸ τοῦ κινεῖν, *I* in *V* conuersio, quomodo ab *insilando* est *insulas*.

la; à προβάλλω, προβάλλω, &c. Sed tamen ... ior fortasse sententia Seruij, cùm scribit ad Ecl. IV. *Cunæ ... la, lectuli, in quibus infantes iacere consueuerunt : vel le... quibus nascuntur, quasi cynabula. Nam κύειν, est Græc... i.* Ex quibus Seruij verbis, quæ & apud Isidorum ha... xx. cap XI discimus, *cunas* dictas videri quasi *cynabula* ... hoc est, *parere*, quia in iis κύημα, siue κύησις, hoc est, *partus*, siue *fœtus*, reponi soleat. Quemadmodum & Belgæ fortean ab eopse κύειν, vel κύημα, *puerum* vocant *kind*, siue *kynd*. Simul etiam ex hisce eius Grammatici verbis cognoscimus, quid veteres *cunabulorum* nomine intellexerint. Idémque etiam discere est ex Glossis Latino-Græcis Philoxeni, & Græco-Latinis in Cyrilli calce inuentis, quarum vtræque *cunabula* (priores etiam *cunas*) interpretantur βαυκαλιστήριον, quo nomine posteriores Græci vocarunt, quod Athenæus σκάφην ap... at, hoc est, alueum illum in quo infantes βαυκαλῶσι, vnde ... καλία, ac βαυκαλιστήριον, nominarunt. At *incunabula* omn... liud sunt: quod satis comprobat locus ille Plauti Truc...

Fasciis opus est, puluinis, cunis, incunabulis ...

Ipsa autem *incunabulorum* vox satis indicat, ... *cunas* signari, sed aliquid quod cunis insit, siue id *lect...* siue potius *fasciæ lineæ, laneæque*, quibus inuoluuntur in... ntes. quæ à Græcis σπάργανα appellantur. Sic clar... vsu Plautus, Amph. V. I.

Sed puer ille, quem ego laui, vt magnus est, ... multum valet!

Neque eum quisquam colligare quiuit incunab...

Puto enim rectius hic vnâ voce scribit *incunabula* ... iam diuisim, *in cunabulis*. Quamquam nec, si sic scribamus, necesse habemus *cunas* intelligere. Nam planè puto *cunabula* etiam pro *incunabulis* accipi consueuisse : quod ... sentiam facit, tum quòd Seruius *lectulum infantium* interp... etur, tum imprimis quod Critici veteres disertim dicant ... σπάργανα, siue *fascias*, designari. Sic enim cum illæ Philoxeni, tum alteræ Cyrillo tributæ, interpretantur. A *cunu* forte est *cunire*: vt propriè dicatur de infantibus fascias in cunis stercore fœdantibus. Ab iisdem nomen *dea Cunina*, quæ *cunis* præerat. Varro, Cato, siue de liberis educ. *Hisce Manibus lacte fit, non vino, Cunina propter cunas, Rumina propter rumam, id est, prisco vocabulo, mammam, à qua subrumi etiam nunc dicuntur agni*. Citat Nonius, in *Ruma*.

CVNCTVM, vt quidem Scaliger ad Festum censet, prius fuit *cuctum*, siue *coctum*, vnde & *mercator* Festo videtur *cocio* dici, quasi *cunctio*, nempe à *cunctatione*, quâ vtitur emturiens. *Cuctum* verò, siue *coctum*, eâ formâ erit ex *coniectum* à *coicio*, quâ *tractum* fit ex *traiectum*, à *traicio*. Post *N* insertum, dictúmque *cunctus*, quomodo posteriores *coniux* dixere pro *cojux*, quod crebrum in vett. inscriptionibus. Sed fortasse simplicior est etymologia veterum Grammaticorum. Asconius, in Diuinat. *Cuncti, simul omnes, quasi coniuncti*. Festus : *Cuncti significat quidem omnes, sed coniunctos & congregatos. At verò omnes ; etiamsi diuersis locis sint*. Distinguit hæc duo quoque Cornelius Fronto, sed minus commodè. Nam omnino verum est, quod ait Asconius, *cunctos* significare *omnes simul*. Itaque Maro, Æn. V. t ostenderet imperium Neptuni, non quidem ait,

Sic omnis pelagi cecidit fragor.

Sed *cunctus*. Est igitur *omnis*, πᾶς, *cunctus*, ἅπας, siue σύμπας. Nam & α in ἅπας est ἀθροιστικὸν, siue *coaceruatiuum*, vt docent Grammatici. A *cunctus* est *cunctari*, quod propriè notat *cuncta aggredi*, siue *per cuncta ire* : sed quia *cuncta* non sine morâ perficere est, inde factum, vt sumatur pro *morari*. A priori significatione est *percunctari*, pro *diligenter inquirere*. Quamquam aliis placet, esse à *contus*, quod instrumentum est nauticum ad naues agendas & profunditatem aquarum cognoscendam. Vtrumque scribendi modum pro diuersâ origine ponit Donatus in Hecyr. Act. I Sc. II. Vti & Festus; cuius hæc verba : *Percunctatio pro interrogatione dicta videtur ex nautico vsu, qui conto pertentant cognoscuntque nauigantes aquæ altitudinem, ob quam caussam ait Verrius etiam secundam syllabam per O solere scribi. Mihi id falsum videtur. Nam est illa percunctatio, quod is, qui curiosè quid interrogat, per cunctas res it, vt rectè per V literam scribatur*. Hæc Festus.

CVNEVS in militia quid sit, docet his verbis Vegetius. lib. III. cap. XIX. *Cuneus dicitur multitudo peditum, quæ iuncta acie, primo angustior, deinde latior procedit, & aduersariorum ordines rumpit : quia à pluribus in vnum locum tela mittuntur, quam rem milites nominant caput porcinum*. De *capite porcino* quod ait, idem scribit Ammianus Marcell. lib. XVII. Caussam, ob quam *cuneus* dicatur, adferre conatus Augustinus. lib. de ordine, cap. XVIII & ex eo his verbis Isidorus, lib. IX cap. III. *Cuneus est collecta in vnum militum multitudo. Vnde propter quod in vnum coit ipsa coitio, cuneus nominatus est, quasi conneus, eo quòd in vnum omnes coguntur*. Ita hunc locum lego ex MS. meo, qui corruptissimè editus in nuperâ illa Parisinâ, à Iacobo du Breul recensitâ. Sed de etymo falsi Augustinus, & Isidorus. Quippe sic μεταφορικῶς vocatur, quia, vt *cuneus* fabrorum inferiori parte acutus est, superiori amplus (nempe quo & facile rimam intret, & postea magis magisque lignum diducat;) sic acies huiusmodi in fronte angusta, post trigoni forma paullatim se pandat. Eapse tralatione in theatris *cunei* dicebantur sedilium ordines scalarúmque directio, quia eo strictior erat, quò propius accedebat ad caueam; in altum verò magis magisque diffundebatur. Ita *cunei* vocem vsurpant Maro, Lucanus, Iuuenalis, Suetonius, pluresque alij. Hinc theatrum dictum *cuneatum*. Ausonius in vrbibus, carmine de Mediolano :

Circus, & inclusi moles cuneata theatri.

Et in Sapientibus :

Cuneata creuit hæc theatri immanitas.

Item, Idyllio IX. Virgilio aliquando tributo :

——.—*Cuneati lata theatri*

Seditio.———

Appuleio quoque *excuneati* sunt, quibus non est locus sedendi in *cuneis theatralibus*, velut *extra cuneum exclusi*. Quales circa *cuneos* in via stabant. Vt Athenis peregrini stabant ἀπὸ ἰκρίων. Alexis comicus, apud Pollucem :

———Ἐνταῦθα ἐν παρ' αἰγείρῳ

Θέαν λαβοῦσαν θηρῶν ὡς ξένην.

Vbi ἰκρίων, quod Latinis *cuneus*. Ita exponunt Glossæ Philoxeni Ergo quod dicunt feminæ apud Alexidem, sic παρ' αἰγείρῳ θέα, id Latinè sit *excuneatas spectare*. Nec dissimilis huic vox est, apud Plinium *discuneat* ; sed aliâ significatione Nam lib. IX. cap. XXX. conchas, quibus polypi insidiantes lapillum iniecere, quo carnes securi extrahant, appellat *discuneatas*, quasi immisso *cuneo* diductas & patefactas.

CVNICVLI etymon tale ponit Isidorus, lib. XII. cap. I. *Cuniculi, genus agrestium animalium, dicti quasi caniculi, eò quod canum indagine capiantur, vel excludantur ab speluncis*. At Varro aliter. lib. III. de R. R. cap. XII. *Cuniculi*, inquit, *dicti ab eo, quod sub terrâ cuniculos ipsi facere soleant, vbi lateant in agris*. Varronem sequitur Plinius. lib. VIII. cap. LV. *Magna propter venatum eum viuerræ gratia est. Iniiciunt eas in specus, qui sunt multifores in terra, vnde & nomen animali, atque ita eiectos superne capiunt*. Sed contra alij subterraneos illos meatus ab animali potiùs nomen accepisse putant. Vegetius, lib. IV. cap. XXIV. *Aliud genus oppugnationis est subterraneum, atque secretum, quod cuniculum vocant : à leporibus, qui cauernas sub terris fodiunt, ibique conduntur*. Festus : *Cuniculum, id est, foramen sub terra occultum, ab animali, quod simile est lepori, appellatur, quod subterfossâ terrâ latere est solitum ; aut à cuneorum similitudine, qui omnem materiam intrant findentes*. Minimè autem mirandum, quod cum Festus *cuniculum* dicat *animal simile lepori*, Vegetius tamen *leporem* appellet. Nam & Varro, lib. III. de R. R. cap. XII. cum tria fecisset *leporum genera*, de tertio sic scribit : *Tertij generis est, quod in Hispania nascitur, simile nostro lepori ex quadam parte, sed humile : quem cuniculum appellant*. Interea rectè Polybius, penè initio lib. XII vbi ait, *cuniculum*, si procul intuearis, videri *leporem* : vbi in manus sumseris, magnam apparere differentiam, καὶ κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν, καὶ κατὰ τὴν βρῶσιν *& quod ad speciem, & quod ad victum*. Cum autem, Varrone teste, *cuniculus* ex Hispaniâ primum sit aduectus, non abludit à vero, ipsum etiam nomen inde reportasse : præsertim cum Plinius, lib. VIII. cap. LV. dicat : *Leporum generis sunt & quos Hispania cuniculos appellat*. Hoc si persuademus, *meatibus subterraneis cuniculorum* ex eo nomen erit, quod miles eos fodiat animalis huius imitatione. Martial. lib. XIII. ep. LX.

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris,
Monstrauit tacitas hostibus ille vias.

CVNILA, triplex est, vt obseruat ad Solinum Salmasius. Interdum herba est *origanum*, quod Græcis κονίλη, vnde *cunile*. Interdum est κνύζα, quæ Dorice κνύνδα, vnde extrito *n conida*, & *d* in *l* mutato *cunila*, quomodo ab Æolic. Ὀδυσσεὺς *Vlysses*, à δάκρυα *lacryma*. Præterea *cunila* est ἡ κιθαλωτὴ θύμβρα. Hæc *cunila*, siue *conila*, vocatur à *conis*, quia capitula eius sint similia *conis*, siue strobilis. Nam turbinata sunt, inque acumen desinunt. *Cunilago* est *cunila* agrestis, & *cunilago* vocatur, quia similis est *cunilæ* : quâ forma & *virrago*, quia *viro* similis : & *plantago* à *planta* dici videtur, quia *plantæ pedum* similis sit: *lappago*, quia *lappa* : etiam *virago*, quæ *virum* robore vel animo refert.

CVNNVS, pro quo veteres *cunus* (nec enim illi consonas geminabant,) est natura muliebris, inde dicta, quia hac egeritur τὸ

 κύημα,

κύος, hoc est, κύημα, siue *fœtus*. Hoc autem à κύειν seu κυεῖν, hoc est, *praegnantem esse, vtero gestare*. ex quo ἄκυος, *femina sterilis*, teste Hesychio. Sanè & Græcis ab eodem κύειν, est κυανὸς, vel κύαθος, quod itidem est αἰδοῖον, γυναικεῖον, vt est apud Aristophanis Scholiastem. Vel *cunnus* est à κοῖτος, aut κοινῶ. Hesychius: Κοινῶν, συνίσιν, ἐπικοινωνεῖν. Κοῖτος, ὁ κοίτων, ἡ εὐνὴ, ὁ χῶρος. Rationem originis eius addere, puto, nihil attinet.

Cvpa, pro diuersâ significatione, diuersæ originis est. Interdum notat *copam*, quæ Græcè καπηλὶς; éstque tunc vel à κάπηλος, vel à *copiis*, siue *copibus* rebus. Vide quæ hac de re fuse diximus in *caupo*. Interdum vero est *vas quo mustum è torculari excipitur*: quomodo accipitur in quatuor locis istis, è Varrone à Nonio adductis. Perottus, quem hac in re sequuntur Lexicographi, vult etiam sic dici *cyathum e quo bibimus*, noménque ait esse à *cauponibus*, qui *cupis* in poculis vtuntur. Sed si rectè hæc ei tribuitur significatio (quod Scaliger in *copam* negat.) non tam à *cauponibus* erit, quam, vt Nunnesio etiam visum, à κυφῶν, quo ποτήριον significari Hesychius docet. Sanè multi, cùm vasis genus est, *cuppa*, gemino *pp* scribere malunt. Media autem conuertetur in tenuem, quomodo a βυθὸς fortasse est *pateo*; à βδέω, *pedo*, & fortasse *puteus* à βυθὸς, &c.

Cvpediarii, qui *cupedias vendunt*, vt phasianos, perdices, lepusculos, cuniculos, & alias id genus delicias, quas Latini *cupediarum* nomine intelligunt. Etymon eius vocis geminum ponit Varro, lib. iv. de L. L. *Ad corneta*, inquit, *forum Cupedinis, à Cupedio: quod multi forum cupidinis, à cupiditate*. Verùm, vt ab equite *Cupedio cupedia* dicantur, minimè fit verisimile. Magis placet sic dici, quasi *caupedias*, quomodo & *cupa* dixere pro *caupa* siue *copa*. Sic autem dictæ sint, quòd *cupedia* in *cauponis* vendi soleant. Interea nec displicet ἔτυμον, quod à quibusdam afferri indicat Varro: vt nempe & *forum cupedinis*, & *cupedia*, dicantur à *cupiendo*. Nam *cupedo* pro *cupiditate* ac gula legimus apud Lucretium. Venítque à *cupere cupedo*, vt à *lubere lubido*.

Cvpillvm pocillum, quo vini gustus capitur. Glossæ Philoxeni: *cupillum*, γευστίδιον. Quod lucem capit ex illo in iisdem: *Gustatorium*, γευστήριον. Et hoc in Cyrilli Glossis, γευστήριον, *gustatorium*. Existimet aliquis esse diminutiuum à *cupa*: sed omnino est à κύπελλον, quod ita dicitur, quia κυφὸν, id est, *incuruum*: hoc ἀπὸ τοῦ κύπτειν, hoc est, *propendere, inclinare*.

Cvpio, à חפץ, *amare, diligere, cupere*. Vnde Arabicum חב, *amor, cupido*. Plus est *cupere*, quàm *velle*: vnde apud Plaut. Curcul. act. v. ii. cum quæreret miles, num soror vellet desponderi Phædromo, illa, vt quæ hunc amaret, maximè etiam *cupere* se respondit. A *cupere* est *cupidus*, quod interdum sumitur παθητικῶς, vt cum apud Plautum, Mercat. act. v. i. *cupida ciuitas* dicitur pro *cupita* & *expetibili*. Nam *cupitá* quominus legamus cum I. Meursio, impedit lex Pedia, vti parebit versum dimetienti. A *cupio* quoque est, *cupido*, & *cupedo*; vt *lubido*; à *lubere*; *rubedo*, à *rubere*. *Cupedo* est apud Lucretium. Quæ vox facit, vt veteres videantur etiam *cupere* dixisse penultimâ porrectâ. Sed *cupido* obtinuit. Estque natura sua substantiuum. Vnde Veneris filij *Cupidines* dicuntur, qui Græcis Ἔρωτες, ἀπὸ τοῦ ἐρᾷν. At pro illusione ingeniosa, non pro seria ἐτυμολογίᾳ, haberi debet, cum *Cupidines* nuncupati dicuntur, quasi *cubitines*, quod *cubitum non excedant*. Nempe quâ ratione Græci *paruulos & exigua statura* πήχεις vocant: quod *cubito* vno altiores non sint.

Cvpressvs, à κυπάρισσος, vnde & *cyparissus* apud Maronem legimus. *A* omissum; quomodo à παλάμη est *palma*; à βαλανεῖον, *balneum*, &c. Præterea Y in V conuersum, quomodo ex κύμινον, & κυβερνήτης, & δύο, & τύρβη, fecere *cuminum, gubernator, duo, turba*. Sunt tamen non pauca, in quibus Y reseruarunt. Nam *hyperbaton*, & *hymnus*, & *hyacinthus*, omnino per Y scribi debent: eodémque modo *Hylas*, & *Berytus*, scribendum; quemadmodum docuere Scaurus, Victorinus, & ante hos Verrius Flaccus, cuius rationem inuenies apud Velium Longum. Dici putatur κυπάρισσος, à κύω, *pario*, & πάρισος, *æqualis*. Caussam notat senarius iste apud Eustathium:

Κύει παρίσους ἡ κυπάρισσος κλάδους,
Ramos parere cupressus æquales solet.

Aliter Isidorus, lib. xvii. cap. vii. *Cupressus Græcè dicitur quod caput eius à rotunditate in acumen erigitur. Vnde & conon vocatur, id est, alta rotunditas. Hinc & fructus eius conus, quia rotunditas eius talis est, vt conum imitetur, vnde & conifera cyparissi dicuntur.* Sed Becmannus ait, *caphuram* Hieronymo dici *cyprum*, atque inde eum κύπρον (quam Plinius quoque *cyperum* vocat, lib. xxi. cap. xviii.) tum κυπάρισσον nomen accepisse. Hæc de voce. De arbore ipsa agit Plinius, lib. xvi. cap. xxxiii. vbi illud inter alia: *Diti*, inquit, *sacra & ideo fu*[illegible]*ao ad domos posita*. Eâpse de re sic Festus: *Cupressi mor*[illegible]*is domibus ponebantur ideo, quia huius generis arbor exci*[illegible]*n renascitur, sicut ex mortuo nihil iam est sperandum*, [illegible] *ob caussam in tutela Ditis patris esse putabatur*. Serui[illegible]llud iv. Æn.

[illegible] *de coronas*

Funbrib[illegible] ——

Romani, [illegible] *moris fuit propter ceremonias sacrorum, quibus populus Roman*[illegible] *obstrictus erat, vt potissimum cupressus, quæ excisa* [illegible] *non solet, in vestibulo mortui poneretur, neques imprudens* [illegible] *domum rem diuinam facturus introeat, & quasi attamin*[illegible]*tus, suscepta peragere non possit, hinc ergo, funerea cupressus*. Idem Seruius, ad illud iii. Æn.

Sylua [illegible] *a Ioui, lucusque Dianæ*:

Iouis, [illegible] *propter quercum; Dianæ, propter cupressum. Ipsa* [illegible] *Proserpina. Ergo cupressi quasi inferna, vel quia* [illegible] *non renascuntur, vel quia apud Atticos funesta domus* [illegible] *fronde velantur*. Porro non omnium, sed nobilium [illegible]que solùm, funeribus eam solitam adhiberi, indic[illegible] Lucani:

E[illegible] *plebeios luctus testata cupressus*.

Lignu[illegible]*num* est ἄσηπτον. vnde eorum, qui bello ceciderant, [illegible] *arcis cupressinis* condi solita ait Thucydides. Et Pl[illegible] lib. xvi. cap. xl. testatur, Vejouis simulacrum, quo[illegible] hoc ligno in arce erat, ab vrbis conditæ anno dli. ad [illegible]que tempora durasse. Atque hinc quoque paret, cur volu[illegible] Plato leges publicas sacrorumque ritus *tabulis* in[illegible] *cupressinis*. A *cyparissus*, quo Maronem vsum diximus, *cypa*[illegible] vel *cyparissea*, Festo teste, dicuntur *ignes prodigiosi, siue acu*[illegible] *ignea, quæ noctu apparere solent ad similitudinem cupr*[illegible]. Quæ in *Cyparissa* refert, ac mox in *Cyparissia* repetit, verb[illegible] esse iisdem.

Cvr, [illegible]rum κατὰ συγκοπὴν, à *quare*, quod conflatum ex *quis* & [illegible] & *quamobrem*. Sed hic præpositio accessit. Velius Longus, de Orthog. *Ex hoc retinuit consuetudo hodierna* [illegible] *diceremus quare: quo vnâ syllabâ castigatum fuit cur, quod nos* [illegible] *summus per C scribere*. Pro *cur*, scribo apud Velium *quur*, vel *quur*, idque adductus illis Velij verbis, quæ paullò post legere est: *Quasdam verò scriptiones antiquas relinquamus, vt in eo quod est cur. Illi enim per quor scribebant, vt suprà dixi*.

Cvra geminam ἐτυμολογίαν adfert Festus: *Cura*, inquit, *dicta est quasi cor edat* (al. *quasi coreda*,) *vel quia cor vrat*. Prior etymologia respicit generalem eiusce vocis significationem: éstque simile, quod Græcis μελεδῶνες (quo propriè *curæ*, & poetis [illegible] siue *dolores*, significantur:) ita, Galeno teste, dictæ videri queant, quasi ἐν μέλη ἔδουσαι, hoc est, *membra edentes*. Posterior ἐτυμολογία (quam & Varro adfert, lib. v. de L. L.) pertinet magis ad eam significationem, quâ pro *amoribus* vsurpatur: vt in illo iv. Æneid.

At regina grauis iamdudum saucia curâ,
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Et illo eodem:

——*Nec placidam membris dat cura quietem.*

Atque isto Ouidij. ii. de remed. Amoris:

Et prior est curâ cura repulsa nouâ.

Et alibi sæpe. Neutra tamen ἐτυμολογία vera est: sed, si est à *cor*, simplex fuerit deriuatum: quomodo φροντὶς, id est, *cura*, à φρονέω, quod à φρὴν. Ios. Scaliger ad Festum scribit, *curam* venire à κόρος, hoc est, *satietas*. Mallem dixisset à κορεῖν, quod notat *mundare*, *verrere*, *curare ea*, *quæ ad nitorem domus pertinent*, & ἁπλῶς ἐπιμελεῖσθαι, *curare*. Nam generalem hanc notionem ei tribuit Suidas, in κορεῖν, atque addit, ex eo iuniores dici κόροι καὶ κόραι. πολλῆς γὰρ ἐπιμελείας δέονται οἱ νεώτεροι. *Magnâ enim curâ indigent*. Sed nec improbatur Becmani sententia, qui vult, à καρδίᾳ esse καρα, inde *curo*. Sanè est à κῆρ, hoc est, *cor*; ac significat *animo voluto*, *anxiè cogito*, *curo*: vt Græcæ Latinæque vocis sit eadem significatio. A *cura* est *curare*, & *curiosus*, qui *curâ præter modum vtitur*: vt scribit Varro, v. de L. L. Pro eo etiam *curionem* dixêre: vnde Plautus, Aulular. Act. iii. Sc. vi. agnum *curionem* vocat,

Qui ossa atque pellis totus est, ita cura macet.

Prout ipse interpretatur, vt Festum, ac Nonium, in partes aduocare opus non sit. Quem verò hîc *curionem* vocat, hunc prius dixerat *curiosum*. Ac Appuleius, in Flor. similiter agnum, *incuriosum* vocat, qui pinguior habitiórque esset: prout eam vocem iam olim interpretatus Beroaldus, ad i. Met. Appuleij. Quare falli puto, qui apud Plautum vtrobique *curionem* legunt, eo offensi, quòd cum Megadorus *curiosum* agnum dixerit, Euclio roget de agno *curione*: quod sane est nodum in scirpo quærere, cum *curiosus*, & *curio*, eiusdem sint significationis. A *curâ*, & præpositione loquelari *se* pro *sine*, est *securus*, ἀμε-

ριμνος

ἐπιμελητὴς, hoc est, *curator palatii*. Verò quia Latini *curam palatij* dicerent, non *curatorem*: inde factum, vt Græci quoque hinc cuderent suum *κουροπαλάτης*, quod apud Constantinopolitani imperij scriptores crebrum est. *Cura palatij* pro *curatore*, cùm in codice & aliis scriptoribus, legis: tum Corippo Grammatico Africano, lib. I. de laudibus Iustini:

Ordine pro rerum vocitatus cura palati.

Et, lib. II.

Successor soceri factus mox cura palati est.

Cvrcvlio, siue *curgulio*, vermis est frumenta exinaniens, qui Græcis *κὶς*. Vsus Maro, I. G.

——*Populátque ingentem farris aceruum*
Curculio.——

Vt sic Seruius: *Varro ait, hoc nomen per antithesin dictum, quasi gurgulio, quoniam pene nihil est nisi guttur.* Idem tradit Isidorus, lib. XII. cap. VIII. Atque hinc puto, quòd Plautus parasito nomen fecerit *Curculionis*, à quo & fabula nomen accepit. Ludit hac voce, eius fab. act. sc. IV. Nam rogaret miles, vbi inuentus esset parasitum, cui nomen *Curculioni*: respondet leno:

——*In tritico facillimè*
Vel quingentos curculiones pro vno faxo reperi.

Huius diminutiuum *curculiunculus*. Plautus, Rudente, act. V. sc. II. *Curculiunculos minutos fabulare.* Sunt qui, tum habita ratione, *gurgulio*, & *gurguliunculus*, scribant per G. Sed cogitare oportebat, G sæpe abire in C. Sanè, vt per G malim, facit periocha Plautinæ *Curculionis*, quæ primis versuum literis nomen *Curculionis* exprimit. Nec tamen per C damnem: cum sciam, veteres in multis C vsurpasse, vbi posteriores G maluere. Sic *acitare* dicebant pro *agitare*, *macistratos*, pro *magistratus*, atque ita in aliis. *Curculio* etiam *gulam* notat: quomodo vsus Varro, lib. II. de R.R. cap. III. Alij *epiglottida*, siue *sublinguium*, interpretantur. A *gutture* nomen trahit, si Isidoro credimus, lib. XI. cap. I. Verisimilius puto dixisset, ita vocari, quasi *gurgitem gulæ*. Sed omnino est à *γαργαρεών*. *A* in *V* abit, vt à *κραιπάλη*, *crapula*. *Γαργαρεὼν* esse à sono factum, scribit Alexander Aphrodisiensis. Idem factum in Belgico *gorgelen*, quod idem ac *curculio*, siue *gurgulio*.

Cvria vox trifariam accipitur. Tritissima significatio est, quâ sumitur pro loco, in quo Senatus considet, consulitque: vnde Græcis dicitur *βουλευτήριον*. Caussam Latini nominis adfert apud Nonium Varro, lib. II. de vitâ pop. Rom. *Itaque propter curam locus quoque, quo suam quisque Senator confert, curiam appellat.* Præterea *curiæ* vocabantur sacræ ædes, in quibus sacra sua peragebant singulæ triginta partium, in quas populus Romanus diuisus erat. Ratio nominis similis est. Nam vt Senatus in *curiâ* sua res humanas, ita in sacris hisce *curiis* sacra *curabantur*. Varro, lib. VI. de L.L. *Curia duorum generum. Nam & vbi curarent sacerdotes res diuinas, vt curiæ, veteres. & vbi senatus humanas, vt curia Hostilia, quod primus ædificauit Hostilius rex.* Festus vtramque complexus significationem, communem quoque adfert nominis caussam. *Curia*, inquit, *locus est, vbi publicas curas gerebant.* Ab secundâ significatione (secundâ quidem nobis loco, sed primâ fortassis tempore,) *curiones* nomen habent. Varro, lib. IV. de L.L. *Curiones dicti à curiis, qui fiunt, vt in his sacra faciunt.* Quot autem numero erant *curiæ*, totidem erant *curiones*: quibus omnibus qui præerat, is, Festo teste, *curio maximus* dicebatur. Crebra eius mentio apud Liuium. Insuper quomodo *domum* pro *familia* dicimus, sic *curia* etiam dicta, *pro decima tribus cuiusque parte*, quia eâdem in æde (quam *curiam* vocari diximus,) sacra peragerct per *curionem*. Nam Romulus, postquam populum Romanum diuiserat in *partes tres*, quas à numero *tribus* dixit, tribus singulas diuisit in partes denas, quibus singulis sacra sua partitus est, assignatis diis & dæmonibus quos colerent, locis vbi colerent, sumptibus vnde colerent: quemadmodum cognoscere est ex secundo Dionysij Halicarnassensis. A tertiâ hac significatione *curiata comitia* dicta sunt, in quibus *curiatim* dicebatur suffragium, vt *quod plures curiæ statuissent, id iussum populi* diceretur. *Curiarum* nomina à nominibus raptarum Sabinarum imposita esse, scripsit Liuius, lib. I. eúmque fortean secutus Festus, voce *Curia*. Sed refutat hanc sententiam, cùm Plutarchus in Romulo, qui multis earum, à locis nomen impositum ait; tum Dionysius Halicarnassensis, qui lib. II. refert, Varronem scripsisse, Romulum eas à ducibus, & veteribus patriis, appellasse. Hoc verum esse, liquet ex nominibus aliquot. *Titiensis* enim tribus, Festo quoque dicta videtur à *Tatij* regis prænomine. *Foriensis*, vel potius *Forensis* (vt emendat Scaliger ad Festum,) dicta est à *Foretiis*, vt Strabo vocat, quos Plinius, libro tertio, capite quinto, nominat *Foretios*. Meminit præter Festum Ouid. III. Fast.

Quintum Laurentes, bis quintum Æquiculus acer.
A tribus hunc primum turba Forensis habet.

Sic apud Festum tribus *Tifata*, à *Tifata* oppido Latij, teste Plinio ibidem. Item *Vellensis*, vel potius *Veliensis*, quod verum nomen esse idem Scaliger docuit à *Velia*, seu *Veliensibus*, quorum ibidem meminit Plinius. *Velitia* à *Velitra*, hoc est, *Veliternis*, qui ibidem nominantur. Porro præter quinque hasce tribus, est & *Rapta*, quam cum *Forensi*, *Veliensi*, & *Velitiâ*, coniungit Festus, voce *Noua curia*. Item *curia Faucia*, siue, vt Sigonius legit, *Saucia*, apud Liuium, lib. IX. Octaua & vltima, cuius quidem nomen reliquum sit, est *Calabra*. Nam quanquam Sigonius, lib. I. de antiquo iure ciuium Romanorum, cap. II. tantum nominet septem, *Calabram* tamen addi debere, indicat hic locus Festi: *Calabra curia dicebatur, vbi tantum ratio sacrorum gerebatur.* Hinc in vett. Glossis exponitur *ἱερατικὴ βουλή*. Ita enim optime eum locum emendat B. Vulcanius, pro quo in vulgatis ineptissimè, *ἱερὰ βουλή*. Est vero *Calabra curia* nomen à *calando*, quod ad eam populus vocaretur à rege sacrificulo, quo ex dierum distinctione iudorum sacrificiorúmque pernosceret tempus. Vide quæ hac de re ex Varrone, & Macrobio, adducimus in verbo *Calare*.

Cvrio, pro triplici notione triplex etymon habet. Cum conuitium est in graciles ac macilentos, venit à *cura*, de qua significatione diximus in *Cura*. At à *curia* nomen habet, quando notat illum, qui pro *curia* sacrum faceret. Qua de significatione in *Curia* dictum. Tertia notio inuenitur apud posteriores æui scriptores, vti Martialem, in præfat. lib. II. *Epigrammata*, inquit, *curione non egent*, hoc est, *præcone*: quomodo & bis vsus Trebellius Pollio, in Gallienis. Hac significatione venire à Græco *κῆρυξ*, facilè assentio Radulpho Fornerio lib. II. Rerum quotidianarum, cap. XIII.

Cvrionivs, à *curia*, vel *curio*. Festus: *Curionia sacra, quæ in curiis fiebant. Curionium æs dicebatur, quod dabatur curioni ob sacerdotium curionatus.*

Cvrro Latinorum, ac Græcum *τρέχω*, sunt ab Hebræis: hoc à דרך, id est, calcare, iter agere: illud à קרא, seu קרה, hoc est, *occurrere*. Nisi potius *curro* sit à *κουρῶ*, quod est *τρέχω*, vt exponit Etymologus in *κοῦρος*; vel *curro* sit nomen à sono factum. Nam eam exprimit R R geminatum. A *curro* est *currus*, vnde *curulis*: quo de separatim. Ab eodem *curru* per diminutionem fieri aiunt *curriculum*, genere mutato. Sed falluntur. Nam patet, à *curro* esse *curriculum*, quâ ratione à *vebo* est *vehiculum*, à *perpendo*, *perpendiculum*; ab *amicio*, *amiculum*; à *redimio*, *rediniculum*; à *poreo periculum*; ab *incerno*, *incerniculum*; ac à simplici *cerno*, *cerniculum*, quod *σῆσαγμα* exponitur in Glossis Philoxeni. *Curriculum* etiam veteres dixere pro *cursu*. Terent. Heaut. IV. IV. *Curriculo percurre.* Est enim id, quod Plautus, Trinummo, IV. IV. ait, *Curre, atque vnum curriculum face.* Belgæ similiter, *Eens, loops loopen*. Minùs rectè, qui apud Terentium *curriculo* interpretantur, tam celeriter, quam curriculum. Nec placet, quod aduerbium esse aiunt, ac poni pro *cursim*: quanquam apud Festum legere sit, *curriculo* accipi pro *cursim*, atque ita dixisse Plautum, *Licet vos abire curriculo*. Nam quid, quæso, caussæ dicant, cur non minus hîc *cursu*, quàm *cursim*, liceat interpretari?

Cvrrvca, est à sono factum, vt Gesnero videtur, in tertio de auibus.

Cvrvlis magistratus, erant consules, censores prætores, & ædiles *curules*: qui & soli ius habebant ponendæ imaginis. Quales, si maiorum quoque imagines haberent, *Nobiles* dicebantur; sin suas tantum, *Noui homines* vocabantur. *Curules* autem apppellari ait Festus, quia *curru* vehebantur. Idem docet his verbis Agellius, lib. III. cap. XVIII. *Senatores dicit* (in commentariis suis Gabius Bassus,) *in veterum ætate, qui curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratiâ in curiam vehi, in quo curru sella esset supra quam considerent, quæ ob eam caussam curulis appellaretur.* Displicet tamen hæc ratio viro docto, quia, vt inquit derivationi scriptura & dimensio repugnat. Quare verius putat à *Curibus* deduci. Sed obstat, quod Florus & alij dicant, Tarquinium Priscum, vt alia imperij decora insigniáque, ita & *sellas curules* ab Hetruscis sumsisse, non a *Curibus*, Sabinorum oppido. Deinde Festus quoque *curules* exponit *quadrigales*: quæ significatio manifestè à *curru*. Præterea quid caussæ est, cur non *curulis* dici possit à *curru*, quomodo *ligula* est à *lingua*; *disertus*, à *dissero*; *mamilla*, à *mamma*, & similia, in quibus ob literæ abiectionem quantitas mutatur? Porro ex Gellij verbis non tantum discere fuit, vnde magistratus diceretur *curulis*, sed etiam cur sic vocaretur *sella*, cui insidebant. Nempe ratio, est quia hæc in *curru*. Erat autem *sella*

hæc *eburnea*, vt vocat Vopiscus, in Aureliano, hoc est, *ebore tecta*. vnde Horat. lib. I. epist.

——— Dacique curule,
Cui volet, importunus ebur.

Et Græci recitco vertunt ἐλεφαντόδετον θρόνον, aut δίφρον. Etiámque *ebur* id *calatum*, vnde Ouid. lib. IV. de Ponto, el. IX.

Signa quoque in sella nossem formata curuli,
Et totum Numidæ sculptile dentis opus.

Erat *pedibus incuruis*, vt eæ quas *Hispanicas* vocamus, quarum in aulis vsus. Hoc verum esse docent vett. nummi, in quibus figura earum expressa est. Atque hinc liquet, cur *sella* à Plutarcho in Mario, vti & vett. Glossis, ἀγκυλόπους dicatur, quasi *incuruipes*.

CVRVVS, quasi *conruus*, à *con*, & *vruus*, siue *vrbus*, à quo & *vruum*, seu *vrbum*, aratri curuatura, item *vruare*, & *amburuare*: qua de re dicimus in *Vrbs*. Vel est *curuus* à γυρός: vel γυρὸς, quod idem; vnde & γῦρος, *gyrus*. Vel *curuus*, est à κυφὸς, *incuruus*, *gibbosus*: vti hoc à κύπτω, *propendeo*. R inseritur, Nisi, vt puto, verius, eiusdem sit originis, ac Latinum *curtus* nempe à κυρτὸς quod Æolice sit κυρπὸς, vnde *curuus*. Æoles enim quandoque T in Π vertunt: κυρτὸς autem *curuus*, *gibbus*: vnde vsitate Lunam, quando dimidia est maior, vocamus ἀμφίκυρτον, hoc est, *vtrinque gibbam*. Auctor autem est Cleomedes, ab recentioribus ἀμφίκυρτον additam, cùm veteres solum nominarent πλησιφαῆ, μηνοειδῆ, διχότομον, καὶ ἀμφίκυρτον.

CVSPIS, acumen, seu mucro gladij aut hastæ, à *cospite*, hoc est, *vngulo*, nomen videtur accepisse Isidoro, lib. XVIII. cap. ... Sed verisimilius paullo, qui à *cudo* deriuant. Nam extima ... gladij vel hastæ cuditur, vt in acutum desinat. Et vt a ... *cuspes*, sic à *cusu*, *cuspes* erit.

CVSSILIREM, pro *ignauo*, veteres dixere: vt ait Festus. ... pe ex *cossim*, & *lirare*: Nam arantes *cossim*, hoc est, *coxim*, siue *varicitus*, incedebant, ac inter pedes habebant porcam, siue terram editorem: pedes autem habebant in liris siue sulcis. Sic *cossigerare* apud Attium, pro *cossim aggerare*. Vide Scaligerum ad Festum, in *Cussilirem*.

CVSTOS, à *curo*, vt vult Perottus: vel potius ex *con.* & *adsto*, quasi *coastes*, vt propriè sit συμπαραστάτης. Hinc *custodia*, & *custodio*, vnde *custoditio*, Festo teste. & *custodela*: nempe vt à *candeo*, *candela*; à *suadeo*, *suadela* & similia.

CVTIS, esse à Græco κύτος, volunt nonnulli eósque inter Adolphus Mekerchus, lib. de pronuntiatione linguæ Græcæ; probat atque sententiam suam his Festi verbis: *Cutis Græcam habet originem, hanc enim illi κύτος dicunt*. Sed cum κύτος notet *cauitatem*, siue *profunditatem*; σκύτος verò *corium*, *pellem* τὸ παχὺ δέρμα, vt Hesychius, & Suidas, interpretantur: quis non videt, pro κύτος apud Festum σκύτος legi debere? A σκύτος est *scutum*, vt falle à φέρω, *tego*, à στέγω. Sed remansit in *scutum*, de quo suo loco. Item in *Scutica*, quod σκύτινον malum deducere a σκύτος quam, vt Nunnesius, a σκυτάλη. A *cutis* est *cutatum*, si credimus Rob. Titio qui lib. X. cont. cap. V. apud Plinium, lib. XVIII. legit *bene cutatam*, pro quo in vulgaribus, *bene curatam* Sed profectò à *cutis* non *cutatus* dicitur, verùm *cutitus*, vnde *recutitus*, atque *intercutitus*, quod ipse etiam Titius ab Yvone monitus, in assertionibus suis diffiteri non potuit. Est autem *recutitus*, cui præputio resecto *cutis* retrocessit. Nam *re* hîc valet *retro*. Itaque Martialis Iudæos vocat *recutitos*: quamquam & latius pateat, vt liquet ex illo eiusdem, lib. IX. epigr. LVIII.

Nec rupta recutita colla mula.

hoc est, ἀποδεδαρμένα, *lacera cute nudata*. *Intercutiti* dicuntur mares stuprum passi, vt scribit Festus. Idem auctor, eosdem dici, *inter cutem flagitatos*. A *cutis* quoque est *intercus*, quo, Prisciano testante in VI. vetustissimi vsi: vt *aqua intercus*, quam Græci ὕδερον vocant. Plautus, Friuolaria:

Istunc in eras bilis, aqua intercus, tussis febris.

Cato vsus est eo adiectiuo pro *intestino*. Nam quos *intercutitos* vocari diximus, vt ibidem Priscianus testatur, Catoni dicuntur *intercutibus stupris flagitati*. Obiter addo, è Scaligeri in Priapeia notis, appellari quoque *internucilas*, quia *cutis medium* veteres dixerint *nucleum*; vnde Vitruuius, lib. VII. cap. I. *nucleum* quoque vocat *crustam*, siue *corium pauimenti*, hoc est, *interius pauimentum*, quod Itali vulgo *animam* appellant.

C Y

CYATHVS, κύαθος, est *vas potorium*: item est inter *liquidorum mensuras*: dictúsque, iuxta Suidam, a χέω, *fundo*, quasi χέαθος, quia inde liquor funditur. Sed verisimilius est ob cauitatem sic dici ab antiquo κύω, pro κοῖλος. Vnde κύτος & κύτταρος, quibus *cauum*, siue *ventricosum*, & *cauum*, significatur. Eiusdem, quæ originis est κύαθος quod Hesychio ποτήριον. Item κύαθος, quod propriè de *folliculo*, siue *siliqua*, dicitur. Imò & inde κύστις, *cista*, & κύστις *vesica*, aliáque.

CYBIVM, κύβιον, salsamenti frustum quadratum, sic dicitur à figura, quia *cubum*, siue *tesseram*, refert. Errasse in eo Plinius putatur, qui *piscem* credidit. Sic enim scribit, lib. XXXII. cap. XI. *Cybium, ita vocatur pelamis, quæ post XL. dies à Ponto in Mæotim reuertitur*. Censet Salmasius, id Plinio imposuisse, quod *pelamis* in *cybia* secaretur; vt apud Athenæum Icesius refert. Plinio tamen fauet & Festus: *Cybium*, inquit, *dictum, quia ... modum æquè patet in omnes partes, quod genus à geometris ... dicitur. Vnde etiam tessella quadrata, cuba. Hinc & ... genus piscis, quia piscantes id genus piscium, velut aleam ludant*. Ita is locus legitur in MSS[*].

CYCLAS, κυκλάς. Togæ femineæ genus fuisse, ait Seruius ad ... Æn.

————gentémque togatam,

An ... ut indicat Ambrosius, in passione Agnetis. Aliquando ... Propertius, lib. IV. El. VII.

... aurata cyclade signat humum.

... erat vnciarum auri numerus, quot cyclas, vti & ... habere deberet. Hinc Ælius Lampridius, in Alexandro: *Matronas autem regias contentas esse debere vno reticulo, atque inauribus, & baccato monili, & corona, cum ... facerent, & vnico pallio auro adsperso, & cyclade ... sex vnciis auri plus non haberet*. Vsi etiam, Iuuenalis, Sat. VI. & Trebellius Pollio, vbi Zenobiæ habitum describit. Cum ... ac muliebris fuerit habitus, meritò Iosephus, lib. XIX. ... reprehendit Caligulam, quod *cycladem*, aliáque ... muliebria, indueret. Et Suetonius, de eodem ..., cap. LII. *Aliquando sericatus & cycladatus in publicum processit*. Legas & de Saturnino, apud Vopiscum: *Cyclade vxoriâ, militibus circumstantibus, amictus & adoratus est*. Quod ad vocis etymon, sic dicebatur, quod *circularis* esset figuræ, nempe à κύκλος, quod Cicero, lib. II. de nat. Deor. *circulum*, & *orbem*, interpretatur. Similitérque *Cyclades* ex eo nomen traxere, quod circa Delum *in orbem sitæ*: quam nominis caussam adfert Plinius, lib. IV. cap. XII. Est verò κύκλος, à κυλίω id est, *voluo*, vnde & κύλιξ, & κύλινδρος, aliáque, de quibus suis locis.

CYDONIA mala, à *Cydone*, Cretæ ciuitate, vnde aduecta. Serenus Sammonicus:

Aut quæ poma Cydon Cretæis misit ab oris.

Plinius *lanata* vocat; Maro, *cana*:

Ipse ego cana legam tenera lanugine mala.

Vbi Seruius, *Mala dicit Cydonia, quæ lanuginis plena sunt*.

CYGNVS, quasi *cignus*, à *canendo*, si credimus Isidoro, lib. XII. cap. VI. Sed plane Græcum est κύκνος, vnde & quidam *cycnus* malunt, vt & *cyracmon*. Sed *cygnus*, & *sy...agmon*, est in vett. libris, vt quoque testatur Carrio, castig. ad lib. I. Val. Flacci. G verò in multis pro C poni auctor quoque Scaurus; éstque G litera noua, à Spurio Carbilio inuenta, vt ex eodem Scauro, ac Victorino, alibi ostendimus. Vnde Græcis κύκνοι dici arbitrentur, ex Etymologo, & Varino petere licet.

CYLINDRI, κύλινδροι, ἀπὸ τοῦ κυλίνδειν, ob *volubilitatem*. Ita enim dixere, quicquid oblongum esset & teres, instar columnæ. Itaque non solùm sic vocarunt lapidem eum, quo huc & illuc sæpius volutato area adæquatur (quomodo vsi Cato, Maro, alíique rei rusticæ scriptores,) sed etiam lapillos pretiosos ad ornatum muliebrem pertinentes: Meminit Plinius, lib. XXXVII. cap. V. Item Iuuenal. Sat. II.

Tu nube atque tace: donant arcana cylindros.

Et Tertull. lib. de habitu muliebri, cap. VII. *Latent in cingulis smaragdi, & cylindros vagina sua solus gladius sub sinu nouit*. Paullus, l. XXXII. §. vlt. ff. de aur. argent. *Cum quædam ornamentum mamillarum ex cylindris triginta quatuor legasset*, &c. Differunt autem *cylindri*, & *gemmæ*, non materiâ, sed solâ formâ: quod hic Plinij locus indicat, lib. XXXVII. cap. V. *Cylindros ex iis facere malunt, quam gemmas, quoniam est summa commendatio in longitudine*.

CYMA, est summus ac tenerior coliculus herbarum; ac imprimis de brassicæ coliculis vsurpatur. Plinium vide, lib. XIX. cap. VIII. Nunc primæ, nunc tertiæ est declinationis: vt est apud Sosipatrum, lib. I. ac Nonium Marcellum. Vtroque modo vsus Columella. Sosipater censet, *cyma* esse nomen Romanum, eóque, eius è Græcia etymon peti neutiquam oportere. Mouet eum, quod Græci pro eo ἴσχαιον dicant. Sed planè fallitur. Nam omnino Græcum est κῦμα. Nec tamen caussam eius appellationis perspexerunt, qui putant esse à κύω, id est, *fluctus*: nempe quia in hortis ac pratis summitatis istæ herbarum cum ventulo commouentur, vndationem fluctuum referunt. Nimis

sanè

sanè hoc longè accersitum. Sed omnino est κῦμα, significante *fœtum*: vti hoc a κύειν, *vtero gestare, prægnantem esse* pro quo & κυεῖν dicitur, vnde κύημα, quod idem ac κῦμα. Rectè κυμάτιον appellatio tributa est *summis coliculis*. Nam sunt brassicæ, vel herbæ, tenerum germen, & ex iis enascuntur, quasi κύημα, seu *fœtura*. Hesychius Ὀξύβαφοι αἱ τῆς κράμβης ἢ αὐτὸ κύημα, οἱ δὲ τὰ ἄκρα τῶν λαχάνων. Græcum κῦμα Becmanus deducit à KOS, quod interpretatur, *fluctuauit, absorpsit*. Sed priori notione vbi accipiatur, nunc non occurrit.

CYMATION, quid in architectura sit, ex Vitruuio, & eius interpretibus, imprimis Bernaldino Baldo, discere est. Ad verbum *vndulam* sonat. Est enim κυμάτιον diminutiuum à κῦμα, id est, *vnda*. Vnde Vitruuius, quod alia *cymatium* vocat, id lib. v. cap. vii. *vndam* appellat. *Pluteum insuper*, inquit, *cum vnda*. Ita autem vocatur, quia eius pars quædam est turgidior, quædam pressior, idque molliter & sine angulo in modum aquæ vndantis. Similiter *vestis cymatilis* dici putatur, in qua *vndæ* exprimuntur. *Camelottam* vulgo nominant. Sed falluntur. Est enim id nomen à colore vnde eum sic περιφράζει Ouidius, lib. iii. de Arte:

Hic vndas imitatur, habet quoque nomen ab vndis.

Vide quæ hoc de colore dicimus in *Venetus*, qui idem est ac *cymatilis*.

CYMBA, quod *aquis incumbat*, dicta videtur Isidoro lib. xix. cap. ii. Sed est Græcum κύμβη, vt Festus rectè docuerat. Hoc autem venit a κύμβος, quo, Hesychio teste, signatur κοῖλον μυχὸν, *cauus recessus*. Estque à κύπτω, vnde & κυφὸς, hoc est, περιφερὴς, *rotundus*. A κύμβη est κυμβίον, ὅ ἐστι ποτήριον παραπλήσιον τῷ σχήματι πλοίῳ, ὃ καλεῖται κύμβη, vt ait Etymologus. Similiter Festus: *Cymbium, poculi genus, à similitudine nauis, quæ dicitur cymba, appellatum*. Virgilius vsurpat:

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte.

CYMBALUM, κύμβαλον, à κύμβος, hoc est, *cauitas*: quia de voce in *Cymba* dictum. Non audiendus Isidorus, lib. iii. cap. xxi. vbi ait, *Dicta cymbala, quia cum ballematica simul percutiuntur, ita enim Græci dicunt cymbala ballematica*. Vbi *ballematica* dixit *saltatoria*, siue *saltationi idonea*. Sanè posteriores Græci βαλλίζειν dixere pro ἅλλεσθαι. Glossæ Græco-Latinæ: βαλλίζω, *salto*. Imò quod imprimis ad Isidori locum illustrandum facit, apud Suidam legas: βαλλίζειν, τὸ κύμβαλα κροτεῖν, καὶ πρὸς τὸ κρότον ἅμα ὀρχεῖσθαι. Gallis hodiéque *bal*, saltatio: *baller*, saltare.

CYNANCHE, κυνάγχη, quasi dicas *canis angina*. Nam propriè κυνάγχη est, cum, laxata ceruicis vertebra, eóque lingua suis sedibus mota, cogitur æger, perpetuo hiare, & canum in modum linguam exerere: vt ex Aetio ait Foesius, in Hippoc: Œcon.

CYNIPHES, (vt Isidorus ait, Orig. lib. xii. cap. vlt.) *muscæ minutissimæ sunt, sed aculeis permolestæ, quibus tertiâ plagâ superbus populus Ægyptiorum cæsus est*. Similiter Augustinus, lib. iii. de Trinit. cap. vii. Orosius quoque, lib. i. cap. x. *tertias cyniphes appellat*. Apud vulgatum interpretem, Exodi viii. xvi. xvii. & Psal. cv. xxxi. legas *sciniphes* per *s.* & melius fortasse; nam Græce est σκνῖπες, σκνῖψ, & σκνίφες, vnde Latini, inserto *i*, *sciniphes* fecere. At Y cur insererent caussa non erat, cum ea Græca sit litera. Videtur autem σκνὶψ dici a σκνιπτεῖν, id est, ξυστικὸν, *radere*.

CYNODONTES, κυνόδοντες, *dentes canini*, qui primores, siue incisores, à molaribus diuidunt, inque maxilla vtraque gemini sunt. Caue imponat Isidorus, lib. xi. Originum, cap. iii. vbi de portentis agens inter ea refert *Cynodontes*, atque ita vocari ait, *quibus gemini procedunt dentes*. Verba ea esse ex Solini cap. iv. rectè in notis suis vidit Iacobus du Breul. Sed Isidorus non intellexit Solinum. Neque enim Solino de hominibus, sed dentibus, sermo est. *Scinodontes*, quod in quibusdam est Isidori libris, & χαζόδοντες, quod aliqui reponunt, planè sunt nihili voces.

CYNOSBATOS, κυνόσβατος, à κυνὸς, hoc est, *canis*; & βάτος, hoc est, *sentis, spina, rubus*. Columella, lib. xi. cap. iii. *sentem canis* à Latinis quoque appellari ait. *Cynosbaton* nominat Plinius, lib. xxiv. cap. xiv. vbi ab aliis *cynospaston*, item *neurospaston* dicit nominari. Belgæ appellant *eglentier*. Magis enim placet sententia Conr. Gesneri, & Hadr. Iunij, quàm R. Dodonæi, qui *eglenterium* putabat esse *rosam Græcam* Plinij. Nam *eglenterium* fragrantem reddit odorem, quem nullum *rosæ Græcæ* tribuit Plinius.

CYPRINUS, κυπρῖνος, ὁ κυπρῖνος, pro quo corruptè apud Athenæum κυπρανός. Nomen habere Gesnerus opinatur à *Cypride*, hoc est, *Venere*, quia piscis sit fœcundus: quippe qui de anno sexies pariat.

CYTHISUS, vel potius *Cytisus*, κύτισος, ita dicitur ab vrbe *Cythiso*: vt quidem censet Seruius, ad i. Ecl. *Cythisus, genus fruticis vel herbæ, quæ nascitur inter campos & syluas, in Cythisa ciuitate*. Iunius Philargyrius idem tradit: sed *Cythisum* insulæ nomen facit. Puto autem vtrumque falli, cum Geographorum nullus *Cythisi*, siue vrbis, siue insulæ, meminerit. Nisi potius librarij error est, ac vtrobique rescribendum *Cythno*: quæ iuxta Atticam & Eubœam insula est, in qua *cythisus* inuentus. Plinius, lib. xiii. cap. xxiv. *Inuentus hic frutex in Cythno insula: inde translatus est in omnes insulas, mox in vrbes Græcas*. A *Cythno* igitur *cythiso* nomen videtur.

DA

DAENADES, δαινάδες, εἶδος ἰχθύος, vt scribit Hesychius; nempe a δάκνω, hoc est *mordeo*. Caussam nominis docet Festus. *Daenades*, inquit, *sunt animum genus, quas Ægyptij inter potandum cum coronis demittere soliti sunt, quæ vellicando morsicandoque & canturiendo assiduè, non patiuntur dormire potantes*. Intelligit Festus coronas quibus potatores caput cingebant, quia existimarentur prohibere ebrietatem, ac iam ebrios factos reddere sobrios: quam moris huiusce caussam adfert auctor Geopon. lib. vii. cap. xxxiii. Ἀμέθυστοι ποιοῦσι τοὺς μεθυσθέντας στέφανοι ἀπὸ κισσοῦ αὐτῶν ἐπιτιθέμενοι τῇ κεφαλῇ. Δάκνω est ab Hebræo דכא, quod est, *conterere, contundere*; vel דקק, quod eiusdem significationis est.

DACTYLUS, pro *fructu palmulæ* legas apud Apicium, & alios. Imò & Plinium, si vulgatis codd. standum, lib. xiii. cap. iv. Sed aliter libri vett. Nec eius ætate vel Latini, vel Græci sic loquebantur. Posteriores verò sic *palmulam* dixere. Suidas: Δάκτυλοι παρὰ πολλοῖς οἱ βάλανοι τοῦ φοίνικος. Sic verò *palmulæ* genus dixere, quia oblonga gracilitate digitum referret. Nam δάκτυλος, *digitus*: vti δακτύλιος, *annulus, digitum ornans*, vnde δακτυλιοθήκη, *dactyliotheca*, apud Plinium & Iurisconsultos, *theca annulorum* caussa parata. Vnde digitus δάκτυλος dicatur, docebit Etymologici magni auctor. Est & pedis nomen anapæsto contrarij. Nam *dactylus* constat primâ longâ ac secundâ tertiâque breui: anapæstus primâ secundâque breui, ac tertiâ longâ. Itaque & ἀνάπαιστος dictus παρὰ τὸ ἀναπαίειν τὸν δάκτυλον, *à repercutiendo dactylum*: vnde idem *antidactylus* nominatur. *Dactylus* autem sic vocatur, quia, vti *digitus*, tribus constat articulis, vno longiori, ac duobus breuioribus. Alij tamen sic dici putant à *Dactylis*, allectoribus Matris Ideæ. Diomedes de hoc pede: *Ab Idæis Dactylis, quos Curetas, siue Corybantes, poëtæ appellant. Hi namque in insula Creta Iouem custodiendo, ne vagitus se paruulus proderet, lusus excogitato genere, clypeolis æreis inter se concurrentes, tinnitu æris illisi, rhythmica etiam pedis dactyli compositione calauere vocem infantis*. Vbi videmus pro iisdem haberi *Dactylos, Curetas*, & *Corybantas*. *Dactylos* ita dictos putant, quia numerum digitorum æquarent, vt quidem Eustathius tradit. Alteram etiam caussam addit Pollux, quod, vti homo per digitos, ita Rhea per illos ministeria sua exsequeretur. *Curetes* dicti ἀπὸ τοῦ κουρᾶς, hoc est, *tonsuras*: vti vicini illis, quòd intonsa seruarent capita, vocati *Acarnanes*, ab α στερητικῷ, & κείρειν, quod est, *tondere*. Verumque ἔτυμον legas apud Strabonem, lib. x. Vbi & alia *Curetum* etyma adducit. Atque ibidem agnoscit ex quorundam mente, non *Curetas* solum, & *Idæos Dactylos*; Sed etiam *Corybantas, Telchinas*, eosdem credi, vel saltem parum differre. Κορύβαντες autem dicuntur ἀπὸ τοῦ κορύπτοντας βαίνειν, quod *inter saltandum capita iacerent*; vnde & *Cybelle* ipsa nomen accepit, ἀπὸ τοῦ κυβιστᾶν, quod est, *in caput rotari*, vti petauristæ solent: nisi malis à *Cybella*, Phrygiæ oppido, vel *Cybelo*, primo suo sacerdote, vel Phrygiæ monte, quem incolebat: vnde quidam apud Maron. iii. Æn. leguut:

Hinc mater cultrix Cybeli, Corybantiáque æra.

Vbi Seruium vide. Vel ita dicti *Corybantes* παρὰ τὴν κόρυθα, quod *capitibus* essent *galeatis*: vel à κρύπτω, quod est, *occulto*, quod Iouem nascentem æris pulsu *occultarunt*: vel à κόρη, hoc est, *oculi pupilla*, quia, cum Iouis essent custodes, *oculis dormirent apertis*: vnde κορυβαντιᾶν dicuntur, qui similiter dormiunt. Plinius, lib. xi. cap. xxxvii. *Patentibus oculis dormiunt lepores, multique hominum, quod corybantiare Græci dicunt*. Postremum etymon amplexus etiam Hermolaus, in Glossis Plinianis. Quidam etiam, sed ineptè, à *chorea* deducunt, propter illos Lucretij versus, lib. ii.

Dictæos referunt Curetas, qui Iouis illum
Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur;
Cum pueri circum puerum pernice chorea
Armati in numerum pulsarent æribus æra.

Porrò quod ab hisce *Idæis Dactylis* pedi *dactylo* nomen esse tradiderunt, id non magis absurdum est, quàm ab iisdem Cre-

tensibus pyrrichium dici, nempe à *Pyrricho Cretensi*, qui *pyrrichen* inuenit. Imò nihil manifestius, quam ab ijs *Creticum* sic dici. Diomedes: *Creticus quoque, quia Cretes saltando rhythmicâ eius compositione vtebantur.*

DÆDALVM, vocatur quicquid est artificiosè varium, & affabre factum. Glos. vett. ποικίλον, *dædalum, varium*. Ita Ennius Mineruam, Lucretius Tellurem, Maro, in septimo, Circen, *dædalam* dixit. Videtur ea vox esse a summo artifice *Dædalo*, Icari parente, ad quem, vt auctorem, referebantur omnia ξόανα, siue *simulacra*, ac imprimis αὐτοκίνητα, siue αὐτόματα, qualis Architæ columba. Sane generatim omnia *simulacra lignea*, δαίδαλα vocabantur, teste Pausania. Propriè autem sic dicebantur, quæ cum naturaliter moueri videantur, tamen non per se, sed arte, hoc faciunt. Fiebat hoc infuso argento viuo, quâ ratione ligneum Veneris simulacrum αὐτόματον à *Dædalo* factum esse tradit Themistius, paraphrasi primâ εἰς τὸ περὶ ψυχῆς, pag. LXVIII. Aliis tamen videtur, non opus à *Dædalo* sic appellatum, sed *Dædalus* ab opere; volunt enim artificem sic dictum esse à δαίω, id est, *scire*, vel δαιδάλλειν quod est, *variare*. Et pro hac sententia est Festus, voce *Dædalum*. Quæ propriè sint *Dædala*, & quo nomine *Dædalus* maxime fuerit in admiratione, pluribus explicatum inuenies apud Ios. Scalig. animaduersionibus Eusebianis ad annum DCCXXXVII. hoc est, pag. XLIIJ. col. vtrâque.

DÆMON, δαίμων, quasi δαήμων, *sciens, gnarus*, à δαίω, *scio*, quod ידע, hoc est, *scio*, à quo & ἴδμεν. Hoc ὁ δαίμονος adducit Plato, in Cratylo: Seruius, in III. Æn. & Macrobius, lib. I. Sat. c. XXIII. Sed hic alia etiam etyma superaddit: *Aut*, inquit, *vt Posidonius scribit in libris, quibus titulus est*, περὶ ἡρώων καὶ δαιμόνων, *quia ex etherea substantia parta atque diuisa qualitas illis est, siue* ἀπὸ τοῦ δαομένου, *id est*, μεριζομένου; *seu* ἀπὸ τοῦ δαιομένου, *hoc est*, μεριζομένου. A δαίμων est δαιμόνιον. Tertullianus, in Apologetico cap. XXXII. *Nescitis, genios dæmones dici, & inde diminutiua voce dæmonia?*

DALIVVS, quid sit, exponit his verbis Festus: *Dalivum* (ita & MSS') *supinum ait esse Aurelius. Ælius, stultum. Oscorum quoque linguâ significat insanum. Santra vero dici putat ipsum, quem Græci δείλαιον, id est, propter cuius fatuitatem quis misereri debeat.* Itaque & in Glossis hanc vocem reponit Scaliger, vbi vulgo: *Damnum*, ἄφρονα. Et *Dauus*, ἄφρων, ἄνους. Fortè τῷ μετάθεσιν ex δείλαιος siue Æolico δείλαιϝος est *Dalivus*. Δείλαιος, μάταιος, vt exponit Hesychius. Affine *dalivo* est Germanicum & Belgicum *dol*, vel *dul*, id est, *insanus*.

DALMATICARVM *chiridotas* legas apud Spartianum in Pertinace. Vestis primo delicatiorum fuit, posteàque vestis facta *sacerdotalis*. Vnde legas in veteribus Glossis: *Dalmatica vestis sacerdotalis candida, cum clauo purpureo.* Eadem & *Dalmatica* vocatur. Vt, in vita Cypriani: *Cum se Dalmatica expoliasset, ad lineam stetit.* Erant tunicæ manicatæ: vnde opponuntur *colobijs*: quæ tunicæ erant sine manicis. Caussam nominis indicat Isidorus, lib. XIX. cap. XXII. *Dalmatica vestis primum in Dalmatia, prouincia Græcia, texta est, tunica sacerdotalis candida, cum clauis ex purpura.* Hinc *Dalmaticatus*. Lampridius, in Commodo: *Dalmaticatus in publicum processit.* Et in Heliogabalo: *Dalmaticatus in publico post cœnam sæpè visus est.* Nempe hoc turpe principi Romano: quia Romani veteres *colobijs* vsi, hoc est, tunicis absque manicis: vt monet Seruius, in illud IX. Æn.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Aiunt, *Dalmaticam* esse sacerdotalem vestem cœpisse, temporibus Syluestri. Sed obstare videtur, quod, in Cypriani vita, earum fiat mentio: vti dictum. Erat verò *Dalmatica*, exterior episcopi & sacerdotis vestis: vti *birrus*, interior. De *birro* diximus in *Burrus*.

DAMA, siue *damma*, timida pauidáque à poëtis iure vocatur: eóque Isidoro, lib. XII. cap. I. dici ita videtur, quia de *manu* fugiat. Sed eapse de caussa, paullo saltem verisimilius, deriues à δεῖμα, hoc est, *metus, terriculamentum*, quod à δείδω, *timeo*. Verius autem est, venire *damma* à κεμμάς. Gloss. *damma*, δορκάδες, κεμμάδες. Nempe pro κεμμάς Siculi dixerint τεμμάς, vnde *dama*. Nam *T* & *K* commutari, ostendit quod dicitur ἔσκεψε, & ἔσκεψας, & similia. Quæ sint veterum *damæ*, & vt diuersæ sunt *platycerotes*, docebit Salmasius, in Solinum.

DAMIVM, sacrificium dicebatur, quod fiebat in honorem *Damiæ* seu *Bonæ Deæ*. Festus sic dici ait per ἀντίφρασιν, quasi minimè δημόσιον; nam in operto fieri solere. Idem etymon secutus Turnebus, notis ad lib. II. Ciceronis, de legg. Sed omnino sic vocatum, quia fieret pro δήμῳ siue *populo*: vnde de hoc ipso sacrificio sic Cicero, lib. I. epist. ad Atticum: *Credo enim te audiuisse, cum apud Cæsarem pro populo fieret: venisse eò muliebri vestitu virum.* Et Iuuenalis, lib. III. Satyrâ III.

Pro populo faciens, quantum Laufella (alij Saufeia) bibebat.

Quem versum non intellexit vetus interpres, cùm interpretatur, virginem Vestæ sacrificantem. Fiebat Romæ id sacrificium à consulis vxore in ædibus consulis, aut interdum etiam (putà consule absente, aut non habente vxorem, aliâve obstante caussâ,) apud Prætorem, vt Dio testatur, lib. XXXVII. atque id quoque factum, cum à Clodio polluta sunt sacra, testatur Cic. lib. I. ad Att. ep. X. De sacrificio hoc illustris est locus apud Arnobium, l. V. *Fœdam igitur Fatuam* (sic vett. lib.) *Bonæ quæ dicitur Deæ, transeamus: quam myrteis cæsam virgis, quod marito nesciente fertam meri ebiberit plenam, Sextus Clodius indicat sexto de Dijs Græco* (sic rectè emendant, quando Græcè scripserat Clodius,) *signúmque monstrari, quod cum ei diuinam rem mulieres faciunt, vini amphora constituatur obtecta: nec myrteas fas sit inferre verbenas, sicut suis scribit in caussalibus Plutarchus.* Vbi *caussalia* Plutarchi vocat eius *Problemata*, in quibus hæc de Bonâ Deâ legitur. Aliter tamen hæc narrat Macrobio I. Saturn.

DAMNVM puto à δαπάνη, quod est, *fœnus*. Vel potius à δαπάνη, hoc est, *sumptus, impendium*; vnde in libris veteribus legitur *dampnum*. Verum vt hic forasse *P* ferri queat, ita nullam video rationem, cur id locum habeat in *hiemps, tempto*, atque aliis id genus, quæ & ipsa per *P* scribuntur in veteribus monumentis. Ridiculè vero Cornelius Fronto, qui *damnum* à *dando* dictum ait, ita enim scribit: *Compendium ad pondus pertinet: dispendium deteritur in ponderibus: damnum dat omnibus: detrimentum vsu tritum: iactura quod iacitur ex onere nauis.* Nisi, quod suspicor pro *dat*, legendum *demit*, vt *damnum* sentiat a *demendo* dictum, quia *damnum* sit rei diminutio, vnde *damno Lunæ* legimus apud Agellium, lib. XX. Noct. Att. cap. VIII. Hanc coniecturam mirificè confirmat, quod idem etymon ante attulerat Romanorum doctissimus Varro, cuius hæc verba, lib. IV. de L. L. *Damnum à demtione, cum minus re factum, quam quanti constat.* Ac similiter Isidorus, lib. V. Originum, cap. XXVII. Ita *damnum* dicetur, quasi *demnum*. Sed verum est etymon, quod ante adferebamus. Nam prius à δαπάνη, mutato genere, vt in alijs multis, *dapanum* dixere: quomodo & è δαπανᾶν fecerunt *dapinare*, non à *dapibus*, vt vulgo putant. Plautus. Capt. Act. IV II. *Æternum tibi dapinabo victum, si vera autumas*; *A* in *I* conuersum, quomodo à πατάνη est *patina*; à βάσκανος, *fascinus*; à ῥυκάνη, *runcina*; ab ἀφάνη, *apina*, &c. Postea è *dapinum* extritum *I*, quo nihil penè vsitatius. Sic *flamen* est è *filamen*, & *cantor*, *fautórque*, prius fuere *canitor*, *fauitórque*; quósque *soldatos* vocant Itali, Celtæ, Belgæ, hi *solidati* dicuntur Vegetio, Frontino, & alijs. Nec exemplo caret, quod *P* abiectum, *M* insertum. Nam similiter ab ὕπνος est *somnus*. Hæc fusius prosecuti sumus, quia vidimus virum eruditum, qui etymon id rideret, vt longè nimis arcessitum. Sed profectò non omnes de hoc studiorum genere indicare possunt. A *damnum* est *indemnis*, vnde *indemnitas*. Vtrumque legas apud vett. Iurisconf. A *damnum* quoque est *damno*. Caussam adfert Quinctilianus, declamat. CCX. vbi cum dixisset, *damnum esse amissionem rerum, quæ habueris*: paullò pòst subijcit, *Mihi ex hoc, quod plerisque criminibus pecuniæ pœna imponebatur, appellatio etiam Damnatio videtur.* A *damno* est *damnas* τῷ συγκοπῇ pro *damnatus*. Nebrissensis putabat, vbique pro *damnas* reponendum *damnatus*. Quidam etiam *damnes* legendum aiunt, quâ ratione *copes* dicitur pro *copiosus*. Sed *damnas* quoque est in Pand. Flor. Imò Charisius clarè, lib. I. *Damnas, vt cuias, nostras, & cuiatis, nostratis, an quid esse dicemus? nam & interpretatio eius damnatum participium facit.* Agroetius item, lib. de Orthographia, ait, *Damnas* esse iuris vocabulum. Ac similiter Seruius, in XII. Æn. *In iure*, inquit, *cum dicitur, damnas esto, hoc est, damnatus es, vt des; hoc est, damno te, vt des, neque alias liberaris.* Legimus quoque apud Fabium, lib. VII. cap. IX. *Heres meus vxori meæ damnas esto argenti, quod elegerit, pondo centum.* Item: *Heres meus dare illi damnas esto omnia sua.* Complura etiam loca ex antiquis legg. ac Senatusconsultis suggeret Brissonius, libb. de verborum significat. Sed sæpè hæc vox in vulgaris codd. corrupta est. Vti apud Agellium, lib. VII. cap. XV. *Brutum solitum dicere: furti damnatum esse, qui iumentum aliorsum duxerit, quàm quo vtendum acceperit.* Vbi vulgo *damnatum*. Sed *damnatem* in suo quondam codice, quem habeo, manu adscripsit Ios. Scaliger. Gloss. vett. *Damnas esto*, ὀφειλέτω. Sed hic quoque *damnatum* editum est. Petrus Coluius, notis in Sidonium, pag. LXII. annotauit, vt *pregnas* pro *pregnans* legitur, sic *damnas* dici pro *damnans*. Sed abunde eum refutant, quæ hactenus diximus.

DAPES, regum esse; *epulas*, priuatorum, scribit Seruius ad I. Æn. Idem tamen ad III. Æneid. scribit, *Dapes*, esse Deorum;

epulas

epulae. hominum. Sed neque regum solum sunt, neque deorum. sed eo nomine intelliguntur omnes magnifici & opipari apparatus. Est ea vox forte à δαὶς, quod idem notat. Itaque Homericum illud Od. α. τίς δαίς, τίς δὲ ὅμιλος, [illegible] id sic expressit Liuius Andronicus, apud Priscianum. lib. VII. *Quæ hæc daps est? quis festus dies?* Probat quoque hanc originem Festus: *Daps apud antiquos dicebatur res diuina, quæ fiebat aut hiberna semente aut verna, quod vocabulum ex Græco deducitur, apud quos id genus epularum δαὶς dicitur. Itaque & dapsilè se acceptos antiqui dicebant, significantes magnificè, & dapticum negotium, amplum ac magnificum.* Sed cùm *daps* prius fuerit *dapis*, vt *trabs, trabis; mens, mentis; plebs, plebis*: fortasse verius erit *dapis*, siue *dapes*, esse à δαπάνη, vt propriè sonet *conuiuium opiparum ac sumtuosum*. Sanè similiter à δαπανᾶν est *dapinare*, de quo diximus in *damnum*. Δαπάνη vero est a δάπτω, hoc est, *voro*; vnde & δαπτικός, a quo *dapticum*, non ex *dapaticum*, vti putant. Eius vocis significationem iam ex Festo attulimus. Ab eodem est [illegible], vnde *dapsilis*. Plautus Mostell. Act. IV. Sc. II. *Dapsiles sumtus facis*. Et Pseud. Act. I Sc. IV. *Dictis dapsilis*, hoc est, *verbis beneficus*. Hinc [illegible], vt [illegible] apud Xenoph. Latinis id est *dapsile*. ab antiquo *dapsilus*, pro *dapsilis*. Pomponius apud Nonium: *Quid nunc quis peris? verrem sume dapsile ac deniciale*. Sed & pro eodem *dapsiliter*, à *dapsilis*, dicebatur. Næuius, in Corollaria apud Charisium: *Vtro merciter, quamobrem ametur, ita dapsiliter suos amicos alit*.

Dardanarivs, in Philoxeni Glossis exponitur [illegible]. Est qui Latinis [illegible] vel *excandefacere annonam* dicitur. Odiosissimo hominum generi odiosissimum nomen fecere a *Dardano* insigni mago, quasi nempe *Dardanis*, hoc est, *magicis artibus*, annonam in horrea sua conuerterent eorum instar qui in legibus XII. Tabb. dicuntur ex alienis agris pellicere fruges. Hanc nominis caussam affert Turnebus. lib. XX. Aduers. cap. XVII. *Dardani magi* meminere Plinius, lib. XXX. c. I. Appuleius, Tertullianus, Eusebius, lib. II. Præparat. Euang. Etiam Columellæ est, lib. X. *Dardaniæ veniant artes*.

Dardanivm siue, vt in alijs Plinij libris, *Dardanum*, est aureum brachiorum ornamentum, ita a *Dardanis* dictum. Plinius lib. XXXIII. cap. III. *Cuius sceleris nos coarguimus illum primum, qui auro digitis decus per annulos fecit: vt habeant in lacertis tamquidem & viri, quod è Dardanis venit: itaque & Dardanium vocatur*.

Daricvs (vt in nomenclatore suo monet Hadr. Iunius.) non à *Dario* Xerxis patre, sed ab antiquiori Persarum percussus est, nomenque accepit. Erat nummus aureus, vt ex Herodoto constat. In pretio eius fallitur Budæus, Glareanus, Agricola, Hadr. Iunius, in Nomenclatore suo, pluresque alij. Valebat enim quadraginta *drachmis* Atticis, quod Belgicæ monetæ fuerit octo Carolinis, siquidem *drachma* idem est quod *denarius*, de quo alibi dictum. Tantum valuisse *Daricum* ostendit Iosephus, qui, lib. III. Antiquitatum, decem auri siclos iuxta siclum Sanctuarij, interpretatur decem *Daricos*. At siclus Sanctuarij valebat quatuor *drachmis* Atticis, quod ex Iosepho & Hieronymo constat. Attica autem auri *drachma* valebat decem *drachmis* argenteis; quod ex Hesychio discimus. Plura argumenta pro hac sententia vide apud Stanislaum Grseplium, in epitome Budæanâ.

Dasypvs. δασύπους, à δασὺς, *hirtus*, [illegible], & πούς, *pes*: q.d. *hirtipes*. Leporem sic vocari Suidas putat. Sed distinguit Aristoteles, lib. I. Hist. Animal. cap. II. vbi inter meticulosa animalia reponuntur [illegible], λαγώς, δασύπους. Et Plinius, lib. VIII. c. LV. *Lepus solus præter dasypodem superfœtat*. Quare apud Aristotelem Gaza, & Cæsar Scaliger, *dasypoda* vertere malunt *cuniculum*.

DE

De prius fuit *di*, vel *dis*, vt *præ* fuit *pri* vel *pris*, vnde *prior*, *primus*, *pridie*, *priuignus*. *Di* vel *dis* διὰ, quod in compositione idem significat: vt διαφέρειν, *differre*; διαφωνεῖν, *dissonare* Vel erit a δὶς, id est *bis*. Nam si quid deducatur, *duo* fiunt, quæ vnum erant Sanè in *deduco*, *detraho*, *demo*, & similibus manifesta diuisio est. Posteriorem sententiam amplexus Cæsar Scaliger, de caussis L. L. cap. CLV.

Decalogvs, οἱ δέκα λόγοι, vt est Exod. XXXIV. XXVIII. quæ & δέκα ῥήματα, Deut. IV. XIII.

Decanvs, & *decurio*, sunt à *decem*. *Decanus* autem in exercitu dicebatur, qui decem præerat militibus, ita vt ipse esset vndecimus ac caput contubernij. Itaque, cùm in centuria decem fuerint *decani*, sub vno vexillo fuere pedites centum & decem Vegetius, lib. II. cap. XIII. *Centuria in contubernia diuisa sunt: vt decem militibus sub vno papilione degentibus, vnus præesset decanus, qui caput contubernij nominatur*. Qui autem in pedite est *decanus*, is in equite primò fuit *decurio*. Cùm quæ turma faceret equitum triginta, terni fuere in eâ *decuriones*, quorum singuli *decuriæ*, hoc est, *decem* equitibus præessent: vnde [illegible] nominat Polybius, quos a Latinis [illegible] vocari ait Idem indicat Varro, lib. IV. de L. L. *Decuriones dicti, qui ab initio in singulis turmis sunt etiam nunc terni*. Postea res mutata, nomen mansit. Nam etiam cum, vt in pedite manipuli, sic in equite *decuriæ*, negligebantur; tamen is, qui turmæ toti præesset, *decurio* vocabatur: vt testatur Vegetius, lib. II. cap. XXIV. Sed de voce *decurionis* plura separatim. A militia vox *decani* translata ad sacram militiam. Imo genethliaci veteres etiam vtebantur pro *præside decem partium signi*. Nam signum continet gradus triginta. Quibus tres præerant *decani*: ita vt *decanus* quisque decem partibus præesset. Sic voce *decani* vtitur Firmicus: imo Δεκανοὺς vocat etiam Hephæstion Thebanus. Nempe à δέκα est δεκανός. Singulis vero *decanis* terna applicabant numina, quæ λειτουργοὺς dixere Græci, quod Glossæ etiam *munifices* exponunt. Vide Firmicum, lib. II.

Decaproti, Vlpiano; qui Ciceroni, pro Rosc. Amer. *decemprimi*: *Itaque decurionum decretum statim fit, vt decemprimi statim proficiscantur ad L. Syllam*. Ac quemadmodum δεκάπρωτοι, ita & dixere πεντάπρωτοι. Ciceroni, in Verrinis, appellantur, *quinqueprimi*. *Magistratus*, inquit, & *quinqueprimi* [illegible] *ipsius conuocantur*. Dixit quoque [illegible], [illegible]. *Decaprotos* autem non fuisse magistratus, ex eo liquet, quòd Vlpianus ait, minores fuisse annis XXV. Nam ante annum quintum & vigesimum nemo capessere poterat Rempublicam. De *decaprotis* nonnulla etiam notat Alciatus ad X. lib. Codicis, sub tit. de verborum significat. & in L. munus tribus modis. Digest. de verborum significatione.

Decem, à δέκα, vt *septem* ab ἑπτά. De denario scitè philosophatur Philo Iudæus, libro περὶ τῶν δέκα λογίων; vbi δεκάδα sic dici ait, quasi [illegible], παρὰ τὸ δέχεσθαι καὶ συγκεχωρηκέναι τὰ γένη πάντα τῶν ἀριθμῶν, καὶ λόγων τῶν κατ' ἀριθμούς, καὶ ἀναλογιῶν, ἁρμονιῶν τε αὖ καὶ συμφωνιῶν; *quasi comprehensorem, quia comprehendat ac capiat omnia numerorum genera, & rationum ac proportionum Arithmeticarum, ac præterea harmoniarum & concentuum*. Quam rem multis deinde declarat. Sed est hæc allusio veriùs, quam originatio. Ad Latinum *decem* redeo. Ab *vnum* & *decem* est *vndecim*, ac par ratio in *duodecim*, *tredecim*, cæterisque. Neque mirandum, *vndecim*, & *tredecim*, dici per *I*, cum olim in multis, ac inprimis in vltimâ syllabâ, vt in *mare* aliisque, adeò exilis fuerit harum vocalium sonus vt vix constare potuerit, vtra proferretur: indéque etiam est, quod & *decim* crebro legitur in antiquis codd. vt docet Pierius ad Eclogam tertiam. A *decem* esset *decenus*, pro quo dicimus *denus* [illegible]. A *denus* est *denarius*. Festus: *Denaria ceremonia dicebatur & tricenaria, quibus sacra adituris decem continuis diebus, vel triginta, certis quibusdam rebus carendum erat*. De nummo *denario* seorsim loquimur. A *decem* quoque est *decimus*, siue, vt veteres dixere, *decumus*. Vnde *edecumatus*, seu *edecimatus*, quod Festus exponit *electus*. Nempe nonnisi præstans esse potest, vbi è bonis *decimum* quodque eligitur. In Glossis vett. *edecimatus* exponitur [illegible], [illegible]. quasi id nomen sit a δέκα, id est, [illegible], ita dicatur, *qui largitione decimum corruptus* [illegible]. Sed falsa hæc interpretatio videtur.

Decempeda, mensuræ genus, nempe pertica, *decem* pedes longa, vnde & nomen. Ac similiter [illegible] vocatur Græcis. Vsus etiam in dimetiendis agris, castris, alijs; Vt porticibus apud Horatium. Vnde *decempedator* apud Ciceronem, Philipp. XIII. de Antonio: *Agri publici priuatique decempedator*. Vide, quæ de *decempeda*, alijsque mensuræ generibus, notat Budæus ad l. vlt. D. *si mensor falsum modum dixerit*. Vetus eius interpres, *decempedam* esse ait *regulam decem pedum, qua ab artificibus mensura fabrica colligitur*. Imò & apud Tullium in Academicis legas, *Magnitudinem solis decempeda metiri*.

Decermina, sunt purgationes, siue februationes, ad placandos Deos. Ita dictæ à *decerpendo*. Festus: *Decermina dicuntur, quæ decerpuntur purgationis caussa* Et Bonauentura Vulcanius, in Gloss. Latino Græcis legendum coniectat: *Decerminationes*, [illegible]. Vbi vulgo, *Determinationes*, [illegible]. Si appellatio *decerminum* à *decerpendo* est, videri queat propriè dici de frondibus ad lustrandum decerptis.

Decet, a δεῖ, vnde contractum δεῖ, hoc est, *oportet*; C inseritur, quomodo à σπέος, *specus*. Quanto id verisimilius, quàm quod Isidorus putauit, lib. X. *decens* dici à *decem*, quia is numerus sit perfectus. Quomodo *decet*, & *oportet*, differant, ostendit Cicero, in oratore, his verbis; *Verum decere an oportere dicas*:

Oportere

Oportere enim perfectionem declarat officij, quo & semper vtendum est & omnibus. Decere, quasi aptum esse consentaneùmque tempori, & personæ, quod tum in factis sæpissimè, tum in dictis valet, in vultu denique & gestu & incessu: contraque item Dedecere. A *decet* est *decus*, & *decor*. Nisi cum Caninio & Nunnesio *decus*, traiectis literis, ex κῦδος esse malis. A *decor* est *decorus*. A quo *indecorus*. Item *decorare*. Vnde *indecorabilis*, ex quo *indecorabiliter*. Accius, in Bacchis: *Indecorabiliter alienis alunt* Refert Sosipater, cap. de Aduerbio.

Decrepitvs (Festi verba sunt,) *est desperatus, crepera iam vita: vt crepusculum, extremum diei tempus. Siue decrepitus dictus, quia propter senectutem nec mouere se, nec vllum facere potest crepitum.* Sed Scaliger ibi, atque item in Coniectaneis, senes ait dicit *decrepitos* tralatione petita a lucernis, siue candelis, quæ *decrepare* dicuntur, cum exspirantes *crepitum* edunt. Nec ineleganter illi, quibus placet metaphoram esse à rebus fragilibus quæ ob vetustatem, si mouetes, *repant*.

Decvmanvs, per *V* scribitur veterum more, qui *decumus* pro *decimus* dicebant. *Decumanum* pro *magno* dixere, siue ab obseruatione, quod *decimum* quodque magnitudine soleat exsuperare siue potius à Pythagoreorum superstitione, qui magnificè admodum hoc de numero sensere. Festus: *Decumana oua dicuntur, & decumani fluctus, quia sunt magna. Nam & ouum decimum maius nascitur. & fluctus decimus fieri maximus dicitur* Ouidius, 11. Metam. fab. x.

Vastior insurgens decimæ ruit impetus vndæ.

Idem, 1. Tristium, el. 11.

Qui venit hinc fluctus, fluctus supereminet omnes:
Posterior nono est, vndecimóque prior.

Lucretius, lib. v.

Hac fatum decimus, dictu mirabile, fluctus
Inualidâ cum puppe leuat.

Silius Italicus, lib. xiv.

Non aliter Rhodopes Boreas à vertice præceps
Cum sese immisit, decimóque volumine pontum
Expulit in terras. ———

Vide Politianum in Miscell. cap. lxxxvi. Similiter *decumanum acipenserem* pro *magno* dixit Lucill. apud Ciceronem, 11. de Finibus. & *decumana scuta*, de quibus Festus, in *Albesia*, hoc est, *Albensia*. Quid sit *decumanus* limes docebit Plinius, lib. xxviii. cap. xxxiii. Festus in *Decumanus*. De nominis caussâ sic Siculus Flaccus, de condit. agror. *Quæstorij dicuntur agri, quos ex hoste captos P.R. per quæstores vendidit. Hi autem limitibus institutis, laterculis quinquagenum iugerum effectis, venierunt. Quem modum decem actus in quadratum per limites demensi efficiunt; vnde etiam limites decumani sunt dicti.* Aliter tamen Hygenus: qui initio, de limitibus constituendis, à *duo* ait dictum *duocimanum*, & τῷ συγκοπῇ *decimanum*. In editis corruptè est *duodecimanum*, pro *decimanum*. Verba Hygeni ponam, prout legi oportet. *Primum*, inquit, *duos limites constituerunt. Vnum, qui ab oriente in occidentem dirigeret: hunc appellauerunt duocimanum, ideo quòd terram in duas diuidat partes, & ab eo omnis ager nominetur. Alterum à meridiano ad Septentrionem, quem kardinem nominauerunt, à mundi kardine. Duocimanum postea decimanum appellauerunt; quare à decem potius quàm à Duobus? sicut duo pondo nunc dicimus dupondium; & quod dicebant antiqui duouiginti, nunc dicimus viginti, similiter duodecumanus, decumanus est factus.* Hactenus Hygenus. Sanè durâ admodum coactâque etymologiâ. Angelus Politianus, in Miscell. putauit, *decumanos* dictos quasi *longissimos*, vt cardo ipse iam dimidiatus, *decumano* videlicet anticipante, consideretur. Mihi maximè placet sententia, quam Siculi Flacci fuisse diximus. Idem Politianus censet *decumanam portam* ab eadem notione sic appellatam, quasi nempe præcipuam, aliisque patentiorem. Godscalcus Steuvechius ad Vegetij lib. 1. cap xxiii. putat sic vocari à limitatione agrorum, in quibus *decumanus* is *limes* dicitur, qui agrum secat ab Ortu ab Occidentem. Sed verum etymon docet nos Aggenus Geomaticus, cùm sic vocari ait *à cohortibus decimis ibi tendentibus*. Sic igitur dicta *à tutela militum decimæ cohortis*: quos *decumanos* vocat Suetonius, in Cæsare cap. lxx. Meminere *decumanæ portæ* Liuius pluribus locis; Tacitus, lib 1. Annal. Vegetius, lib 1. cap. xxiii. vbi ait per eam delinquentes milites educi ad pœnam. *Decumani* quoque dicti *publicani* à *decimis*, seu, vt veteres locuti, à *decumis*, quas redimebant. Sic vtitur Tullius, Verr. v. Quia vero quod *decumando* colligebatur, id cæteris vilius erat, hinc etiam *decumanum frumentum* dixere, pro acerioso, ac *oleum decumanum*, pro minus puro, ac proinde viliori. Ita Lucillius, lib. xxv. apud Nonium, in *Acerosum*:

Quæ gallam bibere, ac rugis conducere ventris
Farre aceroso, oleo decumano penè coegit.

Decvria, & *decurio* (vnde *decurionatus*,) eâ forma dicuntur à *decem*, quâ à *centum* dicimus *centuria*, & *centurio*, vnde *centurionatus*. Aliud autem erat *decurio*, in *legione Romana*, aliud in *municipijs*. In *legione* quid sit docet his verbis Festus. *Decuriones appellantur; qui decem equitibus præsunt.* Nonius, *Decuriones & centuriones, à numero, cui in militiâ præerant, dicebantur.* Hinc δεκαδάρχην vocat Polybius: ac Varro, lib. iv. de L. L. disertim scribit, suo etiam tempore tres fuisse in turmâ *decuriones*. Erat autem turma equitum triginta, siue, cum tribus *decurionibus*, triginta trium. Postea re mutatâ pristinum tamen remansit nomen. Nam quamquam vnus toti præesset turmæ, hoc est, triginta duobus equitibus: nominibus tamen *decurio* dicebatur Clare id ostendit Vegetius, lib. 11. cap. xiv. *Quemadmodum inter pedites centuria, vel manipulus, appellatur, ita inter equites turma dicitur. Et habet vna turma equites xxxii. Huic qui præest, Decurio nominatur. Vt enim centum pedites* (Stevvechius ope libb. vett. legit, *centum & decem pedites*) *ab vno centurione, sub vno vexillo gubernantur, similiter* xxxii. *equites ab vno decurione sub vno vexillo reguntur.* At *municipales decuriones* sic, Pomponio teste, dicti, quòd, cùm initio coloniæ deducerentur, *decimus* quisque legeretur. Etiámque *senatorum*, horúmque *decurionum* dignitas affinis. Nam ij *decuriones* in colonijs ac municipijs erant, qui Romæ *senatores*; ac vt hic ex *senatoribus* ita in illis ex *decurionibus*, eligebantur magistratus. Etiámque id in illis *decurionum decretum* (cuius & meminit Cic. orat. pro Rosc. Amer.) quod Romæ *senatusconsultum*. Hinc liquet cur distinguantur municipia in homines, *plebeios*, & *decuriones*. Paullus. l. vii. D. de decurionib. *Is qui non sit decurio, duumuiratu, vel alijs honoribus*, fungi non potest, quia *decurionum* honoribus *plebeij fungi prohibentur*. Quo loco *duumuiratus* meminit, quia is in summis magistratibus fuit, vt constat ex Cic. Pisonianâ; & lege vnicâ D. si quis ius dicenti non obtemp. Sed locus corruptus videtur. In vulgatis est, *Omnibus magistratibus, non tamen duumuiris, secundum ius potestatis suæ concessum est iurisdictionem suam defendere pœnali iudicio.* Vbi pro *tamen* rectè Hotomannus legit *tantum*. Plura de *decurionibus*. Gul. Fornerius. lib. 1. Select. cap. xii.

Decvlto, à *deculo*: vt *occulto*, ab *occulo*. Festus: *Decultarunt, valde occultarunt*. Ita etiam est in MSS[tis]. Nisi quod in vno, pro *occultarunt*, est *occuparunt*. Sed corruptè. Et *deculo* autem, & *occulo*, sunt à *colo*, quatenus *de terra* dicitur *culturâ*.

Decvssis, vt diximus in *Æs*, valebat *denarium*, siue *decem asses*, quod & compositio indicat. Ita vsus Vitruuius lib. iii. cap. 1. Eius nota X, vnde *decussare*, aliquid ad figuram hanc redigere, quod Græcis dicitur χιάζειν, à figura literæ χῖ. Ita vocibus *decussandi, decussationis decussatim*, vtuntur Cicero, lib. de Vniuersitate; Columella, lib. iii. cap. iii. Vitruuius. lib 1. cap. vi. & lib. x. cap. xi. Pro eodem Plinius, lib. xviii. cap. xxxiv. dixit: *ducere duas obliquas lineas in decusses*. Quod si X seces in partes duas, superior pars erit litera V, quæ *quincuncis*, siue *quinque assium*, nota erat. Ab hac nota arbores *in quincuncem* digeri, vel disponi. dictæ, quæ ita collocarentur, vt figuram eam referrent. Ita locutus Cicero, in Cat. Maj. Et Columella, lib. iii. cap. xiii.

Defrens, est *seges demessa*, ἄρουρα θερισθεῖσα, vt exponitur in veteri Glossario. Liquet esse à *frendere*, hoc est, *rumpere*: vnde *nefrendus*, de quo suo loco, & *infrendere*, quâ voce vtitur Maro, in Culice:

———*Et obuia torue*
Sæpius arrepens infrendere.

Defrvtvm (vt quidem censet Isidorus, lib. xx. cap. iii.) *dictum est, quod defrudetur, & quasi fraudem patiatur.* Perottus autem censet dici, *quod omnis fructus ex eo musto detractus sit.* Nempe triplex verbi *fruor* præteritum facit, *fruitus*, *fretus*, & *frutus sum*: vnde *defrutum*. Sed *fretus*, cum notet *confisum*, aliunde est: & *frutus* non inuenitur. Quare, si à *fruor* esset, dicere mallem, vt *tutus* est ex *tuitus*, quod à *tueor*. sic *frutum* esse à *fruitum*, quod à *fruor*: sed hoc discriminis esse, quod hic penultima correpta permanet. Præterea, si cum Perotto à *fruendo* deduceremus, caussam tamen originis aliam præferremus. Nempe vt *defrutum* dicamus, quia valde eo *fruimur*: siue quia in eo est omnis musti *fructus*. Festus: *Defrui dicebant antiqui, vt deamare, deperire: significantes omnem fructum percipere.* Tertium præterea etymon in mentem venit: &, vt puto, verissimum. Nempe vt contractum sit ex *deferuitum*: hoc est, *decoctum*. Nam *defrutum* est *mustum ex duabus partibus ad tertiam decoctum*: vt docet Columella, libro xii. capite xx. & xxi. *Deferuendi* verbo ità vsus Marius Victorinus, qui de *defrudandi* verbo agens, *deferuere*, & *decoqui*, coniungit: vti Columella, lib. 12. *deferuescere, & concoqui*. Vbi de fœno loquitur.

Degere, quasi *deagere*. Itaque significat *detrahere*, & *diminuere*.

mere, vt Nonius comprobat hoc Plauti, Aulul. Act. II. I.

Nunc ego istum soror laborem degam & diminuam tibi.

vbi vulgati *demam*: item illo eiusdem, Epid. I. I.

Degetur corium de tergo meo.

Vbi vulgo, *detegetur*. Vulgatam defendunt complures: pro Nonio stant Lipsius lib. II. Elect. cap XXI. & H. Steph. de Plauti Latinitate. pag. CCCLXXX. Eandem & ἰσομολογία & significationem confirmat, quod, vt dicimus *agere*, & *agitare vitam*, sic etiam *degere vitam*, quasi *deagere*, quia nempe indies de vita aliquid demitur ac decedit. Vide *Nego*.

Delapido. & *dilapido*, differunt. *Delapido* est *lapide sterno*, vt Festus exponit. *Dilapido*, est *disperdo*, vt Donatus interpretatur, in Phor. Propriè vero *Dilapido* est *lapides dissipo & dispergo*. Hæc enim vis est præuerbij *dis*. Apud Columellam *delapidare* sumitur pro *lapides auferre*, siue *lapidibus purgare*. Sed meliores libri *delapidare*. Vt *delapido* duplicem habeat significationem. Nam & *area delapidatur*, quæ lapidibus sternitur: & *ager delapidatur*, vnde lapides eximuntur.

Delibero, quasi *delibro*, hoc est, rationis libra pondero atque expendo. Festus: *Deliberare, à libella, à qua quid perpenditur, dictum*. Sed hoc si esset *delibro* diceretur. Quare rectius Perottus & alij, qui à *libero* deducunt. Nam *deliberat*, cui libertas est eligendi aliquid è duobus. Vbi vero libertas ea non est, ibi nec *deliberatio* est. *Neque enim quisquam* (vt Cicero in Partitionibus ait) *deliberat, qua ratione perpetuo victurus sit: quoniam intelligit, sibi moriendi necessitatem incumbere; neque quisquam deliberat, quomodo volare possit: scit enim sibi alas non adesse*. Ideo Aristoteles in Rhetoricis materiem generis *deliberatiui* esse ait τὰ φαινόμενα ἀμφοτέρως ἔχειν: *qua videntur in vtramque partem cadere posse*.

Delibrare. est *librum*, hoc est, *corticem*, arbori detrahere. Ita vsus Columella. Sed apud Festum etiam legas: *Delibrare, aquam sulco deriuare*. Vbi in MS° est *delirare*. Quod placet. Nam *sulco deriuatur* aqua. *Lira* vero, seu *porca*, inter duos *sulcos* media est.

Delibutus, Becmano placet ab antiquo *buo*, à quo *imbuo*. Sed ἀναλόγως magis dicamus, veteres dixisse *delibuo* pro *humecto*, *irrigo* quod Græcis λείβειν, à quo *libo*, & *libuo*, quomodo dixere *do* & *duo*, vnde *duint* & *perduint*.

Delicatus, nunc est à *delicijs*, quæ à *laciendo* dictæ: neque ponitur pro *dedicatus* more antiquo, quo *L* ponitur pro *D*. Festus: *Delicata dicebant dijs consecrata, quæ nunc dedicata. Vnde adhuc manet delicatus, quasi lusui dicatus*. Vbi in MS° est *vsui*. Quod placet. A *delicatus* pro *dedicatus* Varro deduxit *delubrum*, quia sic locus dicatur, vbi simulacrum Deo *dedicatum*. Sed potius est à *deluendo*: vt suo loco ostendemus.

Delicia, pro *delicium*, est à χλιδᾶν, hoc est, τρυφᾶν, vti χλιδανός, τρυφερός, *delicatus*. Vel *delicijs* nomen ex eo, quia *delectant* ac delectent de vtroque etymo in *Lacio* dictum. At pro *tigno* dicitur quasi *deliquium*, quia deliquat aquam. Nisi à *delicio* malis, quia inde *deliciatur aqua*. Festus: *Delicia est tignum, quod à culmine ad tegulas angulares infimas versus fastigium* (ita est in MS°) *collocatur, vnde tectum deliciatum, & tegulæ deliciares*.

Delirus, & *delirare*, sunt à *lirare*, hoc à *lira*: illud, ab Hebræo ניר, quod est *lira*, aut *sulcus*: à radice ניר, id est, *arauit*, *lirauit*. *N* in *L* abit; vt & sæpè in *R*, *cluna*, *clura*; *gnoma*, *groma*; *condelium*, *cordelium*. Quamquam & acutè Martinius, vt *lirare* sit ex λεῖον ἱερεῖν, hoc est *scindere terram*: vel λεῖον ἱερεῖν; vt λεῖον hic sit διαιρεῖν, *secare*. Sed *lira* nomine quid signetur, non satis conuenit inter veteres ipsos. Nam Nonius per eam intelligit *sulcum*, Columella *porcam*. *Sulcus* verò & *porca*, quomodo differant, docet Varro, lib. I. de R. R. cap. XXIX. *Qua*, inquit, *aratrum vomere lacunam striam facit, sulcus vocatur. Quod est inter duos sulcos elata terra, dicitur porca, quòd ea seges frumentum porricit*. Nonio vero *liram* dici *sulcum*, hæc eius verba ostendunt: *Lira est fossa recta, quæ contra agros tuendos ducitur, & in quam vligo terræ decurrat*. *Porcam* contrà eâ signari, docet hic locus Columellæ, lib. I. cap. IV. *Liras rustici vocant easdem porcas, cùm sic aratum est, vt inter duos latius distantes sulcos medius cumulus siccam sedem frumentis præbeat*. Sed quis ille Marrucinus, qui non Columellæ potius habeat fidem, quam Nonio, tot errorum manifesto? Quemadmodum verò *liras* & *sulcos* pro eodem habet Nonius, ita etiam *porcas* ipsas Festus. Nam, inquit, *Porcæ appellantur rari sulci, qui ducuntur aquæ deriuandæ gratia, quod porcent, id est, prohibent aquam frumentis nocere. Nam crebriores sulci, limi (vel lirae,) vocantur*. Melius profecto Vett. Gloss. in quibus est. *Porca* (sic leg. non *porta*) ἡ μεταξὺ τῶν αὐλάκων ὑψωμα. Hisce ita expositis, non difficile erit cognoscere, quod de *deliri* etymo ante diximus, secuti in eo Nonium Marcellum, atque item Isidorum, lib. X. Nam his *delirus* est à *lira*, siue à *lirare*: quod est arationis genus, cum agricolæ facta semente dirigunt *sulcos*. Quippe (vt Varro docet. lib. I de R. R. cap. XXIX.) primò cùm aratur tellus, proscindi dicitur; cùm iterum, offringi, quia glebæ offringuntur, quæ primâ aratione grandiores erant; cum tertiò verò aratur, ac tabellis ad vomerem additis simul & satum frumentum operitur in *porcis*, & sulcantur fossæ, quò aqua pluuia delabatur, *liratio* dicta est. Hinc, metaphorâ à bubus ductâ (nam horum *lirare* est,) *delirus* & *delirare* dicitur, qui à recto ordine & quasi *sulco* & *lira* rationis euagatur. Alterum quoque apud Isidorum ibidem etymon legas; vt *delirare* sit à Græco λῆρεῖν. Sanè λῆρος, vel λῆρις, Græcis, quod in veste extrema ornatus caussa ex materia alia assui solet, præcipuè in muliebri schemate. Hesych. Λῆροι, τὰ ἐπὶ τοῖς γυναικείοις χιτῶσι ποικίλματα. Ac quod in veste sic extabat, simile erat *porcæ* extanti inter *sulcos*. Etiam λῆρος, *delirium*. Vnde Plautus. Pœnuli act. I. sc. I.

Nam tuæ blanditiæ mihi sunt, quod dici solet,
Gerræ germanæ, atque edepol liræ, liræ.

Vbi *liræ*, λῆροι, quomodo *Adelphœ* inscribitur Terentij Comœdia, quæ Græcè Ἀδελφοί. Magis interim placet prior ἐτυμολογία, vti & Velio Longo, cùm scribit: *Sic etiam delirus placet Varroni, non delerus: non enim, vt quidam existimant, à Græco tracta vox est, παρὰ τὸ λῆρεῖν, sed est Latinè sulco. Itaque sicuti boues, cùm se à recto actu operis detorserint, delirare dicuntur: sic qui à rectâ viâ vitæ ad prauam declinant, per similitudinem translationis item delirare existimantur*. Imo Plinius ipse pro Velio stat. Eius hæc verba, lib. XVIII. cap. XX. *Aratione per transuersum iterata, occatio sequitur, vbi res poscit, crate vel rastro, & sato semine iteratio. Hæc quoque vbi consuetudo patitur, crate dentatâ, vel tabulâ aratro adnexâ, quod vocant lirare, operientes semina, vnde primum appellata deliratio est*. Gemina etiam ratio pro hac sententia adferri potest. Nam si esset à λῆρεῖν, cum η in e longum mutetur, *delerus* & *delerare*, diceretur: quod falsum esse, vel ex Plinij loco constat: Etsi non ignoro in Glossis vett. legi, *delerus*, λῆρος, παράληρος; item *delerat*, λῆρεῖ. Imò & in Veneta Nonij editione anni MCCCCXCVI semper hæc per E scribuntur: sed inuitis codd antiquissimis. Accedit quod à λῆρεῖν prius esset *lirare*, vnde *delirare*, vt à *Bacchus*, *bacchari*, vnde *debacchari*. At *lirare* pro λῆρεῖν nusquam inuenitur.

Delphica, Ciceroni, Martiali, & Paullo IC. est mensa poculorum, quæ & *abacus*, & *cilibantum*: quemadmodum docet M. Velserus, in monumentis agri Augustani Vindelici, pag. CCLIII. Vetus Horatij interpres in illud, lib. primo, Sat. VI. *Et lapis albus Pocula cum cyatho duo sustinet*: *Lapis*, inquit, *mensa marmorea, quam Delphicam vocant*. Glossæ Philoxeni: *Abaci delfica*, μινιστήριον, ὡς Ἑλληνικόν. Vbi legendum, *Abacus*, *Delphica*, μινιστήριον. Nam *abacum* Latini, & ab eorum exemplo Glossographus hic, *Ministerium* dixere, quia ex ea conuiuis ministrarent. Vide quæ ibi ad Glossas notauit Bon. Vulcanius. Cur mensa hæc triplex *Delphica* dicta sit, ostendit Plinius, libro XXXIV. capite III. *Ex ære factitauere & cortinas tripodum, nomine Delphicas, quoniam donis maximè Apollinis Delphici dicabantur*. Et Etymologus, Δελφικὴ, ἡ τρά πεζα παρὰ Ῥωμαίοις, ἐκ τοῦ πρῶτον ἐν Δελφοῖς γενέσθαι. Ex quibus colligimus, ita dici hoc mensæ genus, quia similis esset mensæ illi, cui *Delphis* insidebat Pythia oracula faciens. Nimirum primo *delphica Delphis* fiebant, posteàque quiuis *abaci* eius formæ id nomen habuere. Vide & quæ eruditè ac fusè de tota hac re scribit Obertus Giffanius, in Coniectaneis Lucretianis, voce *Præstringere*.

Delphin δελφὶν, vel δελφὶς, piscis, de quo Aristoteles Plinius, Ælianus, Oppianus. Si Cæsarem Scaligerum audimus, exercit. CCXXIII. sect. V. venit à δέλφαξ, *porcellus*, quem refert. Addit similiter à Germanis dici *Meer-swyn*: quasi dicas *maris suem*. Sed obstat, quod *meerswinen* sit *porcus marinus*, qui similiter Græcis ὗς & ὕαινα. Sanè veteres omnes distinguunt *hyænam* piscem, & *delphinum*.

Delubrum, quid propriè sit, atque vnde dicatur, veteres ipsi mirè dissentiunt. Seruius ad II. Æn. *Delubrum dicitur, quod vno tecto plura complectitur numina, quia vno tecto diluitur: vt Capitolium in quo est Minerua, Iupiter, Iuno. Alij, vt Cincius, delubrum esse locum ante templum, vbi aqua currit, à diluendo*. Hæc Seruius. Priorem si opinionem sequamur, *delubrum* propriè erit, cum pluribus Dijs vnum est dedicatum templum: quale cum id cuius meminit Seruius, tum istoc, quod commune erat Cereri, Baccho, & Proserpinæ: siue *Cereri, Libero, Liberaque*, vt loquitur Tacitus II. Annal. Δήμητρι, Διονύσῳ, & Κόρῃ, vt est apud Dionysium, sine lib. VI. Verum hoc vno excepto, quòd apud Ciceronem coniunctim legamus *templa atque delubra* (quod tamen imbecille sit probandi

genus:)

genus:) equidem non video, quid adferri poſſit quo veriſimile fiat communia propriè magis *delubra* dici, quam quæ Dijs ſunt ſingulis dicata. Tum autem, cùm non magis prioris, quam alterius generis *delubra*, pluuiæ ſint obnoxia, putidulum videtur illa magis, quàm hæc à *dilutione* tecti nomen accepiſſe: longéque magis veriſimile fuerit, hæc a Deorum vocabulo *delubra* dici, quia pluribus ſint Dijs dedicata: quo de etymo poſtea ex Varrone dicam. Veriſimilis magis ſententia Cincij, quam & Chriſtianorum templis aptari poſſe cenſuit Iſidorus. Sic enim ille, lib XV. cap. IV. *Delubra veteres dicebant templa fontes habentia, quibus ante ingreſſum diluebantur, & appellari delubra à diluendo. Ipſa nunc ſunt ædes cum ſacris fontibus, in quibus fideles regenerati purificantur: & benè quodam præſagio delubra ſunt appellata: ſunt enim in ablutionem peccatorum.* Per ſacrum fontem intelligit Iſidorus *baptiſterium*, quod Gallis hodiéque *fons*, Anglis *fonte*, Germano-Belgis *vonte* vel *vunte*, appellatur. Tertium etymon ponit Feſtus, ſiue potius Paullus: *Delubrum*, inquit, *dicebant fuſtem delibratum, hoc eſt, decorticatum, quem venerabantur pro Deo.* Poſtrema verba non Feſti, ſed Paulli, eſſe patet, qui vbique hoc agit, ne gentium religioni fauere iudicetur. Porro hoc etymon, ſi ſequamur, propriè *delubra* erunt ſimulacra lignea: quæ Græcis ſimiliter ξόανα dicuntur. Latius tamen patet ξόανον. Nam quia eſt a ξέω, quod notat tum *ſcalpere*, tum *radere*, ac *polire*; inde eſt, quod generatim idolum notat, ſiue è ſaxo ſcalptum, ſiue è robore dolatum, quemadmodum loquitur Cicero. Heſychius: ξόανα, ἀγάλματα, εἴδωλα, ζώδια. Κυρίως δὲ, τὰ ἐκ ξύλων ἐξεσμένα ἢ λίθων. Porrò eſt & apud Seruium locus, quo paucis, cum duo ſuperiora *delubri* etyma, tum poſtremum hoc complexus eſt. Sic enim ſcribit ad IV. Æn. *Delubrum dictum propter lacum, in quo manus abluuntur: vel propter tectum coniunctum, quia vnâ operâ abluitur: aut certè ligneum ſimulacrum* (*ligni* vox in Seruio Danielis ex veteri codice inſercienda.) *delubrum dicimus, à libro, hoc eſt, raſo ligno factum, quod Græcè ξόανον dicitur.* Hæc Seruius. Triplicem hanc *delubri* acceptionem adfert quoque Aſconius in Diuinat. ſed tertium etymon omnino damnat. Inſuper, vt pleroſque omnes velle video, in ſecundæ acceptionis etymo diſſentit. Nam, ſi eos audimus, non à *deluendo*, ſed à *labrum* deducit: quod ſi verum, iam quartum hoc fuerit *delubri* etymon. Sed mihi Aſconij mentem haut aſſequi videntur. *Labrorum* enim meminit, non quia inde veniat *delubrum*, ſed quia hæc vbi ſunt, *delubrum* erat: quod in ijs ſe homines *deluere*, ſeu *abluere*, poſſent. Sed quo hæc magis pateant, totum locum adſcribam: *Delubra*, inquit, *templa eſſe hic aliter oſtendit Tullius, aliter cum dicit templis atque delubris: & ſunt, qui* TEMPLA *eſſe dicant ſingulorum Dijs attributorum locorum;* DELVBRA *multarum ædium ſub vno tecto à diluuio pluuiæ munitarum. Alij delubra dicunt ea templa, in quibus ſunt labra corporum abluendorum, mortuorum; vt Dodonæi Iouis, aut Apollinis Delphici, in quorum delubris lebetes tripodéſque viſuntur; ſunt etiam, qui delubra, ligna delibrata, id eſt, decorticata, pro ſimulacris Deorum more veterum poſita, exiſtiment: ſed male.* Hactenus Aſconius. Cum autem mortuorum meminit, tangit veterum conſuetudinem, qui ſolent mortuos lauare, quo, ſi quis vltrà eſſet vitalis ſpiritus, is aquæ calore velut ſopitus, excitaretur. Vide Celſum, præfat. lib. I. de re Medicâ. Quare iuſtius quartum etymon cenſeatur, quod ex Varrone ponit Macrobius, lib. III. cap. IV. vt nempe à *Deus* ſit *delubrum*, ſiue ſic ob aream Dei cauſsâ aſſumtam; ſiue à dedicato Dei ſimulacro, nuncupetur. Hæc enim ſunt verba Varronis, lib. VIII. rerum diuinarum: *Delubrum alij æſtimant, in quo præter ædem ſit area adſumta Deûm cauſsâ, vt eſt in circo Flaminio Iouis Statoris: alij in quo loco ſimulacrum dedicatum eſt.* Ibidem adiecit Varro: *Sicut locum, in quo figerent candelam, candelabrum appellatur, ita in quo Deum ponerent, nominatum delubrum.* Iuxta igitur Varronem *delubrum* propriè ſit, in quo conſtituitur Deus quiſpiam: adeo vt μετωφορικῶς homo *delubrum* dici queat, quia ei ineſt aliquid diuini. Id clarè docet Cicero, I. de Legg. *Nam qui ſe ipſe norit, primum aliquid ſe habere ſentiet diuinum, ingeniúmque in ſe ſuum, ſicut ſimulacrum aliquod, dedicatum putabit.* Cæterum ex quadruplici hac ſententia maximè placet, *delubrum* eſſe fontem aut lacum ante templum, vbi ſe deluerent: quemadmodum antiquiſſimus ſcriptor Cincius docuerat. Ac ſimiliter Cornelius Fronto: *Delubrum, in quo homines pericula ſua deluunt.* Ita ibi legendum, non *diluunt*. Nam, vt Agrætius ait, *Deluit, purgat: diluit, temperat.* Feſtus quoque, *Deluit ſoluit, à Græco* διαλύει. Onomaſticon vetus: *Deluo*, ἀπολούω. Hanc *delubri* ἐτυμολογίαν confirmat ἀναλογία. Nam vt à *prohibeo*, *prohibrum*, vnde *probrum*; vt à *ſtupeo*, *ſtuprum*; &c. vt ab eodem *luo* compoſitum ſumamus, vt à *polluo*, *pollubrum*: ſic à *deluo*, *delubrum*.

DEMO, videri poſſit eſſe à τέμω, ſiue τέμνω, *ſeco*. Nam *demis* aliquid, qui rem ſecat. Et in Gloſſ. vett. eſt. *Dempſit*, ἔτεμε, τέμοι. Sed planè vt ἀφαιρεῖν ab ἀπὸ & αἱρεῖν, id eſt, *tollere*: ita *demo* à *de* & *emo*, id eſt, *tollo*: qua de verbi eius notione plura in *Emo* dicemus. A *demo* videtur *demetrius* dici minutus ſcyphus, quod eo aliquid de cratere *dematur*. In vett. quidem Gloſſis exponitur σκύφιον μικρόν.

DEMVM, à *de*, & ſyllabica adiectione *mum*. Onomaſticon vetus: *Demum*, δή, τὸ τέλος. Vel fuerit *demum* à *demo*, quia ſignificat id quod *demtis* prioribus poſtremo ſupereſt. Feſtus: *Demum poſt ſignificat: apud Liuium* (Andronicum) *demus legitur.* Nempe vt *rurſus*, *rurſum*, ita *demus*, *demum* dixere. A *demum* & *que* eſt *denique*, hoc eſt, *& demum*. Vbi quoque ineſt ſignificatio præpoſitionis. Nam valet *tandem*, *poſtremo*. Nec inepte tamen *denique* κατ' μετάθεσιν ex *dein* & *que* factum dicatur.

DENARIVS, à *dando* dictus videtur Iſidoro. lib. XVI. cap. XXIV. Sed eum falli planiſſimum eſt. Rectè Varro, lib. IV. de L. L. *Denarij, quod denos æris valebant.* Chariſius, lib. I. *Seſtertius vnde appelletur, ſolet quæri; quod manifeſtum erit, ſi ſciamus, apud antiquos denarium decem aſſes habuiſſe. Ideoque in rationibus faciendis denarium decuſſi X inductum notamus, cuius quarta pars, dupondius ſemis, ſeſtertius dicitur, quod de tribus aſſibus ſemis deficiat.* Priſcianus de ponderibus: *Denarius quoque decem librarum nummus per X perſcriptam* ✳ *notatur.* Et Aruntius apud eundem: *Seſtertius olim dupondius & ſemis, quaſi ſemiſtertius, quo tempore denarius decuſſim valebat.* Ex his liquet, quanquam *denarius* eſſet ſexdecim aſſium, vt *ſeſtertius* aſſium quatuor; tamen & *denarium* à *denis* rectè deduci, & *ſeſtertius* à *ſemi*, & *tertius*, quia antiquus *ſeſtertius* fuerit duorum aſſium, & ſemiſſis. ac *denarius* quoque antiquus valuerit duabus libellis & dimidiâ. Tantumdem autem apud Græcos voluit drachma Attica, cuius notitia apprimè vtilis eſt, vt monetam Græcam redigamus ad Romanam. Scio, Georgium Agricolam, quem P. Manutius, Hadr. Iunius, atque adeò propè omnes ſequuntur, tradere, *Drachmam à denario ſuperari proportione, quam Græci* ἐφέβδομον, *Latini ſeſquiſeptimam appellant.* Sed ſi Romæ ſemper ex argenti vnciâ ſeptem *denarios*; Athenis ex eo ſemper octo *drachmas* ſcire ſolent: cur pro *drachma* paſſim Romani *denarium*, ac Græci pro *denario drachmam* dicere ſolent? Sunt qui velint eo id factum, quia Latini non habent nummum, qui exactè Atticæ drachmæ reſpondeat, eóque iſtud loco illius vſurpari, quod exiguo admodum diſcrimine differret. At hoc aliquid eſſet, ſi vnica ſemper *drachma* cum vnico *denario* conferretur, verum non poteſt non in maioribus ſummis maximum adferri diſcrimen. Nam ſi *drachma* ſe habet ad *denarium*, vt ſeptunx ad beſſem, hoc eſt, vt VII. ad VIII. ſanè, vt ſeptem *denarij* valent octo *drachmas*, ſic & LXX. *denarij* ſupra LXX. *drachmas* pendebunt ſeptimam eius partem; DCC. quoque *denarij* C. *drachmas* ſuperabunt, & VII. mille *denarij* fuerint VIII. mille *drachmæ*. Atqui Gellius, lib. I. cap. VIII. μυρίας δραχμὰς interpretatur *denarium decem millia*: & Feſtus Pompeius talentum Atticum fuiſſe ait ſex millium *denarium*, pro quo Fannius, Pollux, Suidas, dicunt ſex mille *drachmarum*. Sanè ſi ea, quam volunt, inter *drachmam* & *denarium* proportio eſt, ſpiſſe admodum hi auctores errarunt in re æuo iſthoc notiſſimâ. Quod verò attinet ad quædam auctorum loca, quæ indicant, libram Romanam valuiſſe Atticis *drachmis* nonaginta ſex, *denariis* vero octoginta; nodum hunc ſolui puto, ſi cum Hottomanno dicamus, fuiſſe apud Romanos duo genera *denariûm*; antiquius, cuius ſeptem complerent vnciam; & recentius, cuiuſmodi octo vnciam facerent. Hæc minimè hoc loco perſecutus eſſem, niſi viderem quamquam Hottomannus curatè de his libro de re nummariâ tractarit, paucos tamen non ſequi priorum ſententiam. Ita difficile eſt opinionem ſemel inueteratam hominum animis euellere. Facilè autem eſt *denarios* ſiue *drachmas* ad monetam Belgicam redigere, cum *denarius* valeat quatuor *ſeſtertijs*, eóque *denarij* quinque valeant Caroleum, qui viginti *ſeſtertiorum* eſt. Ergo cum Plutarchus ſcribit, Lucullum Pompeio & Ciceroni impendiſſe quinquagena millia, ſi quidem *drachmas* ſiue *denarios* intellexerit, ſit nobis decem Caroleorum millia. Verba Plutarchi ſunt: εἰώθει δὲ δειπνεῖν ἐν τῷ Ἀπόλλωνι πέντε μυριάδων; *ſolebat autem cœnare in Apolline quinque myriadibus.* Vbi & *nummi* intelligi poſſunt, vt ſit bis mille & quingenti Carolei. Quarta nempe prioris ſummæ pars, quando nummus eſt *denarij* quadrans.

DENS, dubitatur num origine ſit Latinum, Græcum, an Hebræum. Si Latinum, erit per ἀφαίρεσιν factum ab *edens*. Sanè Græcis quoque ὀδὼν ab ἔδω dici volunt; atque hoc eo confirmant, quod Æoles ἔδοντες dicunt pro ὀδόντες; & Iones pro ὀδὼν dicunt ἐδὼν quaſi ἔδων. Si Hebræum ſit, fiet à שן, præpoſito D. Mihi placet eſſe à Græcis. Nam *dens*, factum è *dentis*, κατὰ ſυγκοπήν

συγκοπῇ, vt *mens* à *mentis*, *plebs* à *plebis*. *Dentis* verò est ab ὀδοὺς ὀδόντος. Sæpe enim Latini rectos suos formant à Græcorum obliquis, vt diximus in *Crepida*. Præterea O in E mutatum, quomodo à γόνυ est *genu*. A *dens* est *dentale*. Gloss. Philox. *Dentale*, γύης, ὅ ἐστι τὸ ἀποτεμνόμενον τοῦ ἀρότρου ξύλον. Sic locum hunc manu sua iam olim socer Fr. Iunius correxit, in codice quem habet filius eius eruditione ornatissimus, I. Casimirus Iunius. Ab eodem est *dentex*, piscis ita dictus à *dentibus*, quos exertos habet. Idem & *dentatus* dicitur: Græcis est φάγρος. Gloss. Philox. *Dentatus*, ὀδοντίας (sic & hunc locum socer iam olim correxit.) ὡς ἄγριος, φάγρος. *Dentex*, φάγρος, συνόδους. Gloss. Græcolat. φάγρος, ἰχθὺς, *Dentatus*. Vide hoc de pisce Oppianum. Ab eodem *denticulum*, quod in Glossis exponitur σμυρομύρου, hoc est, *acarium*. Est & huius originis *dentire*, quod propriè est ὀδοντοφυεῖν, hoc est, *dentes primulum emittere*. Ita Plinius vsurpat, lib. xxx. cap. iii. Sed *dentire* quoque *dentes* dicuntur, cum vel fame vel algu crepitant. Plautus, Milite, 1.1.

> *Venter creat omnes has ærumnas: auribus*
> *Perauscienda sunt, ne dentes dentiant.*

Varro, ἴθι ποτὶ σῶ ἰσῶ.

> *Teges ruinâ, ne iacentem sub Deo*
> *Animisset algus dentientem frigore.*

Et hæc de deriuatis à *dens*: de compositis videamus. Vti sunt *bidens*, & *tridens*, à *binis* & *trinis dentibus*. Vsurpatur *tridens* quoque adiectiue vt in illo Valer. Flacci:

> ——— *Volat immissis cava pinus habenis,*
> *Infinditque salum, & spumas vomit are tridenti.*

Nec desunt, qui apud Maronem emendent v Æn.

> *Conuulsum remis rostrisque tridentibus æquor.*

Nam si legamus *stridentibus*, quod in antiquis quoque codd. Mss. legere est, erit quartâ sede amphimacer. Vide quæ hoc de loco scripsit Pierius.

DENSVM, à δασὺς, interiectâ liquidâ, quomodo à λείχω est *lingo*, à ὄνυχος *unguis*; ab ἔχις, *anguis*, &c. Aliter tamen Varro iv. de L. L. *Densum*, inquit, *à dentibus pectinis, quibus feritur.* Δασύς, fortè à דשן, hoc est, *impinguari*, vt דשן, *pinguedo*. A *densus*, est *densare*, & *densere*. Posterior crebro vsus Lucretius. Imò & alij: sed in vulgatis pro eo *densare* substituerunt. Virgil. 1. Georg.

> ——— *Et Iupiter humidus Austris*
> *Denset erant quæ rara modo, & quæ densa relaxat.*

Item:

> *Semper & obtentâ densentur nocte tenebræ.*

Horat. lib. 1. od. xxviii.

> *Mista senum ac iuuenum densentur funera.*

Ouid. viii. Metam. fab. iii.

> *Atra fauilla volat, glomeratáque corpus in vnum*
> *Densetur.* ———

Et xiv. Met. fab. vii.

> *Tunc quoque cantato densetur carmine cœlum.*

DEORSVM, à *de* & *vorsum*, seu *versum*, eliso *v* consono: vt *retrorsum* quasi *retrouersum*; *antrorsum*, quasi *anteuorsum*; *horsum*, quasi *huc uorsum*. Festus ait veteres dixisse *deuersus*, quod & validè comprobat originem adlatam. Id enim interpretatur *deorsum versus*. Nempe *de* hic opponitur particulæ *su*, id est, *sursum*, quomodo dicimus *susque deque habere*, hoc est, nil morari, ecquid *sursum*, an *deorsum*, feratur. Vide *retro*.

DEPSERE, est *subigendo tenerum reddere*: quomodo Cato vsus, itémque Varro apud Nonium, in *Depsere*. Est à δέψω, quod idem notat: vnde Hesychius exponit μαλάξαι. Suidas ἀπαλύνειν. Indéque coriarius dicitur βυρσοδέψης, & σκυτοδέψης quia τὰς βύρσας καὶ τὰ σκύτη δέψει. Vsurpatur *depso* & in obscœna significatione pro *subigere*, *rem habere*. Cic. erudita illa epistola ad Pætum: *Batuit, inquit, impudenter; depsit, multò impudentius.* Catull.

> ——— *Patris perdepsuit ipsam*
> *Vxorem.* ———

Sic emendat Ios. Scaliger, pro quo ineptè in vulgatis erat *perdespuit*. Nonius quoque *condepsere* interpretatur *commiscere*, adducitque illud Pomponij, in Nuptijs: *Partem insipui conclusi, condepsui.* Vbi aliquis *patrem* fortasse malit, vt simile sit Catulliano illi. Sed malim propriè hic sumere.

DESTINARE & *præstinare* à *de* ac *præ* & *stare*: vt censet Perottus, qui tamen, corruptis codd. deceptus, *perstinare*, pro *præstinare* dicendum falsò putauit. Equidem à *stando* dici haut inficior: at non ἀμέσως; verum ab obsoleto *stano*, vel *stino*, quod à *sto*. Quam rem pluribus in *Obstinatus* exponimus. Sunt autem *destino*, & *præstino*, verba emtionum propria. Plautus, Mostell. act. iii. 1.

> *Bene hercle factum; quid? tum quanti destinat?*

Idem, Epid. ii. ii.

> *Vt enim præstines argento, priusquam venias filius.*

Vsus & alibi aliquoties. Item Appuleius, lib. 1. Met. *Comperto itaque, quod Hypata, vna ciuitas cunctæ Thessaliæ antepollet, asser cascus recens, & satis sapore, admodum commodo pretio distrahi; festinus adcucurri, id omne præstinaturus.* Et Apolog. *Quantulo pretio mulier locuples agellum suum præstinauit.* Festus: *Præstinare apud Plautum emere est, id est, emendo tenere.* Vbi in MSS. pro *emere* est *praemere*. *Destinare* etiam est *aliquid ad finem certum ordinare*: vnde addito altero præuerbio: *prædestinare*. quomodo *prædestinasse* dicitur Deus, *quos ab æterno æternæ gloriæ destinauit*. De minus vulgata *destinandi* notione, & quid *destina*, aut *destinas*, posteriori æuo fuerit, cognosces ex ijs, quæ notauit Sauaro ad Sidonij lib. 1. epist. vii & Michaël Ruizius, ad Consentium Grammaticum.

DEVS & *diuus*, promiscuè dixisse antiquos patet cum ex *Mediusfidius*, tum ex eo quod & *Dij* pro *Dei* dicimus, & *Dijs* pro *Deis*. Sed *Deus* magis ad originem accedit, cum sit à Græco θεὸς, conuerso θ in *d*, quomodo à πέρθω est *perdo*, à Dorico γαθέω, *gaudeo*, &c. Vel est *Deus* ab Æolico δεύς, quod placuit doctissimo socero F. Iunio, notis ad Bellarm. de Christo, capit. xvi. Sanè alterutrum horum verum esse, tam est manifestum, vt mirandum sit, multos adeò in re tam clarâ caligâsse. Nam Varro (quanquam de hoc vix ambigendum, quin, vt alias sæpè, sic quoque hac in re prudens sciens falsam tueatur sententiam) scribere non dubitat iv. de L. L. *Hinc Diouis & Diespiter dictus, hoc est, aër & dies pater, à quo Dei dicti, qui inde, & dies, & diuus, & diuum.* Quorundam etiam opinio est, venire à δέος, id est, *timor*, quod religio omnibus timorem conciliet: quò trahunt illud Petronij Arbitri, ac Statij Papinij:

> *Primus in orbe Deos fecit timor,* ———

Nonnullis etiam placuit esse à *dando*, vel *desum*: quas sententias vna cum superiori etymo adducit, non probat, Festus: Sic enim ille: *Deus dictus est, quod ei nihil desit: vel quia omnia commoda hominibus det; siue à Græco δέος, quod significat metum, eò quòd hominibus metus sit. Sed magis constat, id vocabulum ex Græco θεὸς esse dictum adspiratione demptâ, qui mos antiquis nostris frequens erat.* Hæc Festus. Sed vnde θεὸς; Damascenus; & ex eo Thomas, lib. de Veritate; ac ex vtroque Cælius Rhodiginus, l. xxii. c. iv. censent esse ab αἴθειν, hoc est, *ardere*, nempe ob malorum consumtionem, vnde & in Scripturis dicitur esse *ignis absumens*. ac eò referri possit, quod gentium theologis dicatur esse πῦρ νοερόν, quamuis ad corporis naturam transferat Seruius. Aliis placet esse à θεᾶσθαι quod est, *videre*, quia omnia eius visui subijciuntur: quod etymon etsi verum non putem, magis tamen placet, quam quod proximè dicebamus, vel quod alij deducunt à θεωρεῖν, vt ex Macrobio constat, lib. 1. Sat. cap. xxiii. Nam θεωρεῖν dicitur quasi θεὸν ὁρᾶν, vnde patet, θεωρίαν propriè esse *rerum diuinarum contemplationem*, etsi κατάχρησις partis ad quamlibet transferatur cognitionem, quæ quidem fiat sui ipsius, non πρακτικοῦ aut ποιητικοῦ causâ. Nonnullis etiam placet θεὸς venire παρὰ τὸ θῶ, τὸ κατασκευάζω, καὶ ποιῶ, vt dicatur sic, quasi ποιητὴς πάντων, καὶ ὁ τῶν πάντων κατασκευαστὴς ὤν; quam originationem ponit auctor Etymologici magni. Apud eundem etiam deducitur παρὰ τὸ θέω, τὸ τρέχω; cuius etymi duplex fuerit ratio. Nam vel sic dicetur, quia ἐν θεῷ πάντες τρέχουσι; vel quia οἱ ἀρχαῖοι ἐπὶ ἥλιον καὶ σελήνην καὶ ἀστέρας ἐνθεάζοντο ὁρῶντες, παρὰ τὸ ἀεὶ θεῖν καὶ κινεῖσθαι. Vtramque caussam ponit Etymologus: sed posteriorem magis probo, quam etiam adfert Plato in Cratylo, & ex eo his verbis Eusebius citat, lib. 1. προπαρασκ. Φαίνονταί μοι οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων τῶν περὶ τὴν Ἑλλάδα, τούτους μόνους θεοὺς ἡγεῖσθαι, οὕσπερ νῦν πολλοὶ τῶν βαρβάρων, ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ γῆν, καὶ ἄστρα, καὶ οὐρανόν· ἅτε οὖν αὐτὰ ὁρῶντες πάντα ἀεὶ ἰόντα δρόμῳ καὶ θέοντα, ἀπὸ ταύτης τῆς φύσεως τῆς τοῦ θεῖν, θεοὺς αὐτοὺς ἐπονομάσαι. Pertinet huc quoque illud Macrobij, lib. 1. Sat. cap. xxiii *Omnium physicorum assertione constat, calorem humore nutriri; nam quod ait, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο, sidera intelliguntur, quæ cum eo ad occasus ortúsque quotidiano impetu cœli feruntur, eodémque aluntur humore: θεοὺς enim dicunt sidera & stellas ἀπὸ τοῦ θέειν, hoc est, τρέχειν, quod semper in cursu sint, ἢ ἀπὸ τοῦ θεωρεῖσθαι.* Hæc Macrobius. Sanè & Hebræi de astris exponunt illud Iobi cap. xxxviii. vii *Cum canerent astra matutina, & iubilarent omnes filii Dei.* Volunt enim esse ἐξεργασίαν, siue *Expolitionem*, quâ bis eadem sententia diuersis effertur verbis. Sed mihi magis placet, per *filios Dei*, non *astra* intelligi, sed *angelos*, quomodo in eiusdem Iobi cap. 1. Satanas stetisse dicitur inter *filios Dei*, hoc est, *angelos*. Multi etiam veterum similiter *angelos* intelligunt; cum Genes. vi. dicitur, *filios Dei* iuisse ad filias hominum, indéque natos Nephelim. Sed hic omnino *filios Dei* intelligenda Sethi ac piorum progenies. Et hæc quidem ostendunt, non ineptè sentire, qui θεοὺς ἀπὸ τοῦ θεῖν dictos putant. Sed tamen verius

Z 2 puto,

puto, sic vocari à די, id est, *sufficere*, vnde שדי, quod solus *Deus* sit αὐτάρκης. Vel potius ab Ægyptio nomine Mercurij Alexandrini, quod Ciceroni est *Thoyt*, Arnobio *Thentates*, Lactantio *Teuth*. Eusebio *Thoth*: vnde & *lubens* deduxerim Germanicum *god*: quamquam vulgò *god* dici velint, quasi *goet*, id est, *bonus*. Mihi propria magis coniectura placet, quia sciam *Mercurium*, vt Ægyptijs *Thoth*, ita Teutonibus dictum *woth*, & *guoth*, siue *guod*, vnde κατὰ συγκοπὴν *god*. Paullus Vvarnefridi, lib. I. de gestis Longobardorum, cap. IX. *Vvodam sanè, quem adiectà literà Guodam* (sic scribo) *dixerunt, ipse est, qui apud Romanos Mercurius dicitur, & ab vniuersis Germaniæ gentibus, vt Deus adoratur.* Iustus Lipsius comment. ad Tacitum pro *wodam* legit *wonsdam*, vel *wondam*, vt nomen id sit à *lucro*. Sed pro etymo nostro sunt antiqui omnes codd. in quibus semper est *wodan*, vel *woda*; & *Godan*, vel *Goda*, hoc est, *wod*, & *God*. Nam *A* additum a Latinis, vt in barbaris facere solent. Similis error Petr. Nunnij, cum in Miscellaneis tradit, *diem Mercury* Germanis vocari *woonsdag*, à *lucro*, cui *Mercurius* præsidet apud Romanos. Nam omnino *woonsdag* est à *wodan*, quasi *wodansdag*, quod ad verbum sonabit *Mercury diem*. Quia vero varias attulimus *Dei* appellationes apud gentes diuersas: age addamus quoque aliquid de Hebræis. Apud nos cum aliquot modis (de quibus alibi dicam,) *Deus* appellatur: tum אלוה, *Eloa*: & in pluratiuo אלהים, *Elohim*, quæ vox propriè propria non est, sed vox *thoar*, hoc est appellatiua: propriè autem *iudicem* notat; vt tradit R. Salamo, Exod. XIV. XIX. & XX. I. item R. Dauid, ad Psalm. IV. ac vti *Deo* tribuitur, tanquam *summo rerum humanarum iudici*; ita de *rege* & *hominibus* dicitur quia se occupat in iudicio *Dei*: quemadmodum scribit Abenezra, Gen. I. I. Multi hodie cum Lombardo putant venire à singulari אל: imo in istac quoque sententia fuit Eusebius. cuius hæc verba, lib XI. προσαγορεύουσι. Αὐτὴ δὲ τοῦτο παρ' ὁ θεὸς ὀνομάζεται, ἐλωεὶμ καλοῦσι, παρὰ τὸ ἤλ, ὡς ἔοικε; τοῦτο δὲ ἑρμηνεύεται ἰσχὺς καὶ δύναμις. Sed ab אל est אלים, *elim*, non אלהים, *elohim*, quod ab אלוה *eloa*, vt dicebamus. Fallitur Hieronymus, epist. CXXXVI. vbi decem *Dei* nomina recensens, pro diuersis habet *eloe*, & *elohim*. Æquè falsus Caietanus, cum *Elohim* putauit carere numero singulari. Mouit Caietanum, quod in plurariuo dicatur, Gen. I. & alibi passim. Putat autem Mosem minimè pluratiuo nomine de vnico Deo fuisse vsurum, si singularem haberet: quia alioqui ea res pluralitatem Deorum indicare videretur. Sed condonanda hæc Caietano, Hebraicæ linguæ, vt ipse confitetur, ignaro. Cur verò sic loquatur Moses, ratio est, quod vox *elohim* Hebræis nunc pluratiuo accipiatur sensu, nunc singulo, prout vox *liberi* apud Latinos, de quâ Agellius. Nec displicet, vt id ab Hebræis dicatur factum honoris caussâ, quando compluria in sacris extant exempla, vbi pluratiuus pro singulari adhibetur in personis illustribus. Vel factum mysterij caussâ, quod Abenezra scribit in Psalm. II. VII. nempe ad significandam pluralitatem virtutum seu potentiarum Dei: quemadmodum tradit Paullus Burgensis, qui & de Sancta Maria vulgo vocatur. Petro Lombardo, multisque hodie præstantissimis viris persuasum est, fieri id ad innuendum sacro-sanctæ Trinitatis mysterium. Sed obstat, quod, vt vox *Dei*; sic *Elohim*, nunc essentialiter accipitur pro *tribus personis*, vt I. vers. Genes. vbi dicitur *Elohim* in principio creâsse cœlum ac terram: nunc personaliter, vt cum vers. III. dicitur spiritum *Elohim* incubuisse aquis, vbi Trinitas intelligi nequit, cum spiritus non sit sui ipsius Spiritus. Item Psalm. XLV. VIII. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus.* Vbi itidem *Patris* persona intelligitur. Hos. I. VII. *Saluabo ipsos in Domino Deo ipsorum.* Sunt verba Dei Patris per *Dominum Deum* intelligentis Filium. At in Hebræo est *Elohim*. Præterea etiam pluratiuus hic tribuitur vni angelo, vt, Iud. XIII. XXII. & alibi: vni homini, vt Abrahamo, Genes. XXIV. vni vitulo aureo, Exodi XXXII. XXXI. quæ vel sola res satis clarè ostendit, *elohim* sæpè apud Hebræos habere sensum singularem. Et sanè, si Hebræis *elohim* in pluratiuo dicitur mysterij caussâ, Latinè similiter licebit dicere *Dy* vel *iudices*: quomodo nemo sanctorum vnquam locutus. Quare qui *tres elohim* dicunt, etsi rectè sentiunt, tamen metuo ne loquantur sine veterum exemplo. Plura qui hac de re volet, adeat libellum, quem de voce *Elohim* scripsit I. Drusius.

Dextra, à δεξιτερὸς, ι omisso, quomodo pro *calidus* dixere *caldus*, pro *audaciter*, *audacter*, pro *lamina*, *lamna*, &c. Est verò δεξιτερὸς poëticum pro δεξιός. Propriè autem δεξιὰ dicitur de *manu*, nempe ἀπὸ τοῦ δέχεσθαι; quia sinistrâ agilior & manus est ὀξυτέρα καὶ ἰσχυροτέρα, vt scitè Philosophus ait, lib. IV. de part. animal. cap. X. Ab augurijs est, quod & δεξιὸς apud Græcos, & *dexter* apud Latinos, accipitur pro *propitio*. Ita interpretatus Seruius, in illo VIII. Æn.

Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo.

Similiter vsus Persius, sat. I.

——Et ô si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule.——

Cui simile sat. VI. *Ioue dextro*. Caue credas Lilio Giraldo, qui in suo de Dijs syntagmate, Persij loco adductus, *dextrum* reponit inter Herculis cognomina.

D I

Diaboli ridiculam originationem adfert Glossographus, in lib. I. Decretalium Gregorij, lib. I. *Diabolus*, inquit, *deriuatur à* DIA, *quod est duo, &* BOLVS, *quod est morsellus: quia duos bolos tantum de corpore & anima quæris facere.* Sed tam spissus error seculo isto condonandus, quo vel duo vel nemo Græcè nouerat. Hieronymus, comment. in VI. caput ad Ephesios, duplicem adducit eius vocis etymologiam, vnam secundum Græcos, vt sonet *criminatorem*; alteram secundum Hebræos, vt signet *συρισμόν*. De vtraque plenius dicam. Ac primo quidem Hieronymus deducit à διαβάλλω, quod propriè est *traijcio*; impropriè, *calumnior*, quia hoc qui facit, calumniatum venenatis telis alium traijcit ac transfigit. Deinde vero idem Hieronymus, quia vt pro *diata* dicitur *zata*, sic & pro *diabolus* dicitur *Zabulus* (qua de re aliquid in *Zeta* dicemus) ideo suspicatur *diabolum*, siue *zabulum*, forte appellatum ab Hebræo *zabulon*, quod notat *συρισμόν*. Sed violentum planè est hoc etymon, cum quod *za* pro *dia* dicitur, id omnes sciant fieri vitio & corruptione vulgi. Vera igitur est originatio prior, quam & Iustinus probat, λόγῳ παραινετικῷ πρὸς Ἕλληνας. διάβολον, inquit, αἱ θεῖαι γραφαὶ καλοῦσιν ἀπὸ τοῦ πρῶτον αὐτὸν πρὸς τὸν ἄνθρωπον διαβαλεῖν, ταύτης τῆς προσηγορίας τυχόντα; *diabolum Scriptura vocant, à primâ suâ aduersum hominem calumnia appellatione illi huiusmodi imposita.* Quod ipsum à Theophylacto scribitur, comment. in Matthæum: διάβολος λέγεται ὡς διαβαλὼν τὸν Θεὸν πρὸς τὸν Ἀδάμ. εἶπε γὰρ αὐτῷ, ὅτι ὁ Θεὸς φθονεῖ ὑμῖν, καὶ νῦν δὲ τὴν ἀρετὴν διαβάλλει πρὸς ἡμᾶς. Suidas ait *diabolum* gentibus quoque notum fuisse, sed ab ijs dictum Ἄτην, hoc est *noxam*. Sic enim scribit. Ἄτη, ὁ διάβολος, ὁ ἀντικείμενος. Sanè Bessarion quoque li. III. in calumniatorem Platonis, quæ Homerus, Ili. L. XIX. scribit de maleficâ *Ates* naturâ, & vt cœlo à Ioue sit deturbata, ac nunc hominibus infesta per vniuersum grassetur orbem; ea non aliunde originem cœpisse putat, quàm ab ijs quæ de *diabolo* in populo Dei docebantur. Germanis inferioribus *Diabolus* vocatur *duuyl*, quod corruptum ex *diabel*. Nota affinitas literarum *b* & *v*. Sed & alteram habent appellationem. Sanè Belgæ eum vocant, *de droes*. Verisimile autem est, quia à *Druso*, Tiberij fratre, sæpius cæsi Germani, ac magnam partem domiti, hinc factum esse, vt eius nomen ab ijs, qui *Drusi* fortitudinem laudarent, pro viro forti cœperit vsurpari, quasi alterum *Drusum* dixeris: quomodo hodiéque loquimur: ab illis autem, qui *Drusum* odissent, dirarum loco habitum sit, adeo vt nunc quoque hominibus improbis & impotentis animi perfamiliare sit, *de droes hael u*, quod est, *diabolus te auferat*. Sed vt, coniectura hæc verane sit, an falsa, non magnopere laboro, ita hoc dicere possumus, non Germanos modo, sed etiam Gallos veteres (quorum eadem ac Germanorum veterum lingua fuit, quemadmodum à doctissimo viro Abrahamo van der Myl, clarè nuper ostensum, in commentariis linguæ Belgicæ, & præfatione in Glossarium suum Teutonicum,) voce hac vsos esse: quod euincere possumus loco quodam B. Augustini. Sed apud eum pro *Drusios* corruptè editum *Dusios*. Locus est, lib. XV. de Ciuitat. Dei cap. XXIII. *Celeberrima fama est, multique se expertos, vel ab eis qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audisse confirmant, Siluanos & Faunos, quos vulgo incubos vocant, improbos sæpè extitisse mulieribus, & earum appetisse ac peregisse concubitum; & quosdam Dæmones, quos Dusios Galli nuncupant, hanc assiduè immunditiam & tentare & efficere, plures talesque asseuerant, vt hoc negare impudentia videatur.* Hæc Augustinus. Fieri tamen queat, vt non omnes eodem modo hanc vocem sonuerint, sed alij *Does*, alij *Droes*, dixerint: aut vt veteres dixerunt *droes*, posteriores vero apte *r* inseruerint, ad exprimendum rei horrorem. Confirmat hanc rem, quod in Isidori quoque Glossis legatur: *Dusius, dæmon.*

Diabathra, *genus solearum Græcanicarum*, teste Festo. Dicuntur autem διάβαθρα à διαβάω, seu διαβαίνω, *transeo*. Hinc *diabathrarij*, qui hoc calceamenti genus faciunt. Vtitur Plautus. Aulul. Act. III. Sc. V.

Diaconvs, à Gr. διάκονος, non διάκων; quamquam in Ecclesiasticis scriptoribus à multis retro seculis vsitatum sit *diaconibus*. Sic autem in Ecclesia dicuntur *præfecti ærarij Ecclesiastici*:

generatim alioqui notat *ministrum*, à διάκων, quod est, *ministrare*; idque a כהן, id est, *sacerdos minister*: quod a כהן, quod est *ministrare Deo*, *sacerdotio fungi*. Vel est κόνις à κόνις, id est, *puluis*, vt propriè sit *ministrare in puluere*, item *currere*, quia puluis in cursu excitatur; vnde apud Maronem, IV. Æneid.

—— Agmina cerni
Puluerulenta fugâ glomerant.

Idem, XII. Æneid.

Puluerulenta fugâ Rutuli dant terga per agros.

DIADEMA, διάδημα, candida erat fascia, qua regum frons præcingebatur: indéque & nomen: Nam διαδεῖν, *circumligare*. Pertinet huc illud Luciani, Dialogo Diogenis & Alexandri, διαδήματι ταινίᾳ λευκῇ τὴν κεφαλὴν, vbi manifestè διάδημα describit. Idem confirmat locus Plutarchi, in Coriolano, vbi scribit, vnum ex Metellis *Diadematis* cognomen inuenisse, ὅτι πολὺν χρόνον ἕλκος ἔχων ἐπιδέσμῳ περιιὼν... τὸ μέτωπον. Latinis similiter *vitta*, aut *vinclum*, dicitur à *vinciendo*. Sillius, lib. XVI. de Iuba rege:

—— cinguntur tempora vittâ
Albente. ——

Seneca, Thyeste:

Imposita capiti vincla venerando gere.

Vide fusius de hoc in *Mithra*.

DIÆTA, dicebatur Latinis *cœnaculum*, in quo æstate ad vmbram, hieme ad solem cœnabatur. Vtitur Suetonius in Claudio, cap. X. Papinius, lib. II. Sylu. carmine in Surentinum Pollij: Scæuola, L. LXVII. D. de donat. inter virum & vxorem. Vterque Stephanus in Thesauris suis tradunt. Varronem putasse, *diætam* dici, quod in ea per *diem edatur*: fuitque eiusdem sententiæ Accursius, in l. æquissimum. § si tamen. ff. de vsufru. Sed nusquam, quod sciam, id inuenias apud Varronem. Vtut hoc est, omnino venit à Græco δίαιτα, quòd tum *victum* ac speciatim *certam victus rationem*, qualis ea quæ à medicis præscribitur, significat: tum etiam pro *domicilio* atque *habitatione* ponitur. Deducunt à διαιτᾶσθαι, quod est, *vitam degere*, *habitare*, *commorari*. Sed hoc potius est à δίαιτα, δίαιτα verò ex eo, quod *epulum* Græci δαῖτα appellent. Pro *diæta* dicitur & *Zeta*: quâ de voce seorsim agemus.

DIAPASMA, vsurpat Martial. lib. I. ep. LXXXVIII.

Quid quod olet grauius mistum diapasmate virus!

Ita autem appellat Martialis *siccos odores*, qui in *pastillos* inspergebantur. Iis opponuntur *liquidi odores*; vt apud Horatium, od V. lib. I.

Quis multa gracilis, te puer, in rosa
Perfusus liquidis vrget odoribus.

Dicitur pro *diapasmate* quoque καταπασμα, quod à καταπάσσω, vt illud à διαπάσσω. Vtrumque significat *conspergo*, vt & simplex πάσσω.

DIAPHRAGMA, quod Celso, *septum transuersum*, à διαφράττω, quod est, *intersepio*. Ita dicitur, quia separat & discludit organa spiritus ab iis, quæ inseruiunt alimento. Latini *præcordia* dixere, quia, vt Plinius ait, *cordi prætenditur*. φρένας quoque vocarunt Græci, ob consensum eius cum *mente*. Nam inflammato *diaphragmate* incidit homo in delirium.

DICA, est à Græco δίκη. Significat *caussam* siue *actionem iuris*. In veteri Terentij Glossario exponitur *scheatia*. Plautus, Pœnulo act. III. sc. VI. *Cras subscribam homini dicam*. Terent. Phorm. act. I. II. *Tibi scribam dicam*. Ibidem, act. II. II.

Cedo dum, en vnquam iniuriarum audisti mihi scriptam dicam?

Ibidem, act. IV. III.

Sexcentas proinde potiùs scribito iam mihi dicas.

Cuius loci mentem vide apud Nannium, lib. II. Misc. c. XVIII. Δίκη quoque sumitur pro *more* seu *consuetudine*, vt testatur Eustathius; atque hinc *dicis caussâ*, quasi δίκης ἕνεκα, hoc est, τύπου χάριν. Nam *dicis caussâ* quid fieri dicitur, quod non seriò, sed perfunctoriè fit, nec vt officio fungamur, sed vt functi videamur, hoc est, ad vitandam solum reprehensionem. Varro, lib V. de L.L. *Dicis caussa fiebant quædam, neque item facta neque item dicta semper*. Gloss. vett. interpretantur ἕνεκα τοῦ λόγου χάριν. Item, ὁσίας ἕνεκα. Non desunt autem qui deducant à verbo *dico*: alij, cum primæ est, vt fit *dicationis ergo*: alij, cum tertiæ, vt valeat, προφάσεως ἕνεκα; & conuenit, quod Glossæ exponunt, λόγου χάριν. Esse *monoptoton*, rectè Charisius obseruat, lib. I. Quare nihil opus recurrere ad rectum *Dex*, vel *dix*, vt inde sit *dicis*, vt à *index*, *indicis*; quod Hottomanus censet, comment. De verb. significatio nibus. Vsus Cicero, in Verr. lib. V. item pro Muræna, & Flacco. Et Cornelius Nepos, ex Cujacij emendatione. Nam in vulgatis, *necis caussa*, legitur. Item Arnobius, lib. III. & IV. Ac Iurisconsulti, vt leg. I. parag. Excusantur. XXXIV. ff. ad Senatusconsult. Silonianum & leg. IV. ff. Commodati: Vide Brissonium, Hottomanum; atque alios, qui Iuris Lexica scripsere. Item Antonium Augustinum, commentario singulari ad Modestinum, p. CCLXXXVIII. edit. Seb. Gryph. Petrum Victorium, lib. VIII. Var. Lect. cap. XXIV. Turnebum, lib. XI. Aduers. cap. XX. Petrum Pythœum, lib. II Subsecivorum, cap. VIII Duarenum, lib. I. Disputationum Anniuersar. cap. XLVII. & Couarruuiam, lib. IV. Var. Resolut. cap. VIII.

DICO, *dicas*, idem est ac *attribuo*, ac *præcipuè consecro*. Vndè in Glossis. *Dicat*, ἀφιεροῖ. *Dicati*, ἀφιερωθέντες. *Dicatus*, προσπεφωνημένος. Fortasse est eiusdem originis ac *dicere*. Nam qui *dicat* aliquid, id ei *addicit*. Festus: *Dedicare est dicendo deferre*. Vel sic à δίκη; quia in iis, quæ *dicantur*, iuris ac legum habenda est ratio. Ita *dico* fit quasi δικάζω, vel δικαιῶ. Pro *dedico* veteres *delico*: *d* in *l* abeunte, vt ab Ὀδυσσεὺς, *Vlysses*; Vide *Delicatus*.

DICO, *dicis*, vnde sit, docet Cæsar Scaliger, lib. III. de caussis L. L. cap. I. siue totius operis LXVI. vbi sic Iulius scribit: *Quod Græci δίκην vocant caussam nos appellamus: quare addito iuris vocabulo, etiam Græcum sonum mutuati sumus, & iudicium nominauimus. Qua in caussa siue iudicio, propterea quod orationis vsus maximè viget, Latini postea verbum dicere sumsere ad significandum, quoties loquerentur*. Vult igitur Cæsar Scaliger à δίκη, quod *caussam*, siue *actionem iuris*, notat, venire tum vocem *iudicium*, vt componatur ea ex *ius*, & *dica*; tum etiam, verbum *dico*, quasi δικῶ, quod propriè erit, *in iudicio loquor*; sed generatim, pro *loqui* accipitur. haut aliter ac Græcum ἀγορεύειν, αὐδᾶν pro *dicere* vsurpatur, etsi propriè sit *in foro loqui*, vt origo indicat, cum sit ab ἀγορὰ, hoc est, *forum*. Sed de etymo vocis dissentit Iosephus Scaliger, qui, vti & ante eum Angelus Caninius, in Hellenismi Alphabeto, & post eos Petrus Nunnesius, *dico* ait esse à δείκω, quod est, δεικνύω, siue δείκνυμι. Nempe quia nihil aliud est *dicere*, quàm *sermone ostendere animi sui sententiam*. A *dico* est *dictum*, & *dictio*. Quid generatim hæ voces signent, nemo non videt, & sæpe ea in latâ illâ significatione vsurpatur. Sed interdum *dictio* est ὁ χρησμὸς, vt apud Pacuuium: *Flexa non falsa, autumare dictio Delphis solet*. Et apud Accium: *Aperte fatur dictio*. *Dicta* etiam κατ' ἐξοχὴν notant, *facetè breuiter acuteque dicta*. Plautus, Capt. act. III. sc. I. *Dico vnum ridiculum dictum de dictis melioribus*. Lucanus, in Panegyr.

—— Patiuntur dicta iocorum.

Meminit eiusce significationis Varro, lib. V. de L. L. *Hinc*, inquit, *appellatum dictum in mimo, ac dictiosus*. Vbi obseruandum, cum quod homines δικτοὺς ac dictis dicendis natos, Latinè *dictiosos* vocari indicat: tum quod potissimùm nominat *mimorum dicta*, quoniam nempe illi *dicta* huiusmodi affectabant: vndè *scurra mimicus*, aut *mimarius*, legimus apud Capitolinum & Vopiscum: qua de re Iacobus Schegkius, in præmissis. epist. XIV. Quamquam non *mimorum* tantum, sed & *vernarum dicta* celebrabantur. Martialis, lib. X. *Vernaculorum dicta*, *sordidum dentem*. Tacitus, lib. XIX. *Vernile dictum omnem inuidiam in eum vertit*. Idem Plauti loco comprobat Nonius Marcellus, in *Verna*. Alias quoque *dicta* vocantur, *disputationes* ac *dissertationes*, quæ Græcis itidem ἀπὸ τοῦ λέγειν, quod est, *dicere*, λόγοι appellantur. Ennius, apud Cicer.

Versibu', quos olim Fauni vatesque canebant.
Quum neque Musarum scopulos quisquam superârat,
Nec dicti studiosus erat.

Eóque modo passim loquitur Lucretius. Præterea sumitur pro *maledictis*, vt apud Plautum Pseudolo Act I. sc. III. *Te differam dictis meis*. Eugraphius quoque, ad illud Terentij prologo Eunuchi, *Responsum, non dictum esse*: non *dictum* hic esse *maledictum*: vt apud Cic. de Orat. Eodémque modo altera huiusce compositi pars pro *maledicto* sumitur à Terent. Andr. act. IV. sc. II. *Ingeram mala multa*. *Dicta* quoque pro *iussis* accipi ostendam, cum de voce agam *Dictatoris*. Estque eadem notio in *edicti* voce, quàm *Prætoris* aut *Imperatoris*, esse ait Donatus, Eun. act. IV. sc. VII. Similitérque *edicendi* verbum sumitur: cui contrarium *interdico*. Nam, vt idem ait, Hecyr. act. IV. sc. I. *Edicimus, quod iubemus fieri: interdicimus, quod vetamus fieri, Edicimus etiam vni generi hominum, interdicimus diuersis: Itaque prætoris edicta, & interdicta, dicuntur*. Interdum tamen & *edicendi* verbum ἁπλῶς significat *enuntio*, aut *dico*: quomodo præter Sallustium, & alios, locutus Cicero, in Lælio: *Si prius, quid maximè reprehendere Scipio solitus sit, edixero*. Primæ quoque Philippicâ, eâ significatione legitur in vett. MSS. vt testatur Hier. Ferrarius. Quæritur, an non & *dicterium* fit à *dicendo*. Multi

ita videtur. Sed est hoc verbum scenicum è Græcia profectum. vide *Dicterium*. A *dicendo* quoque est *dictator* : de quo deinceps.

DICTAMVS, siue *dictamnus*, δίκταμνος, ἢ δίκταμνον, ἢ δίκταμνον, ἀπὸ τ͂ τίκτειν, id est, *parere* : quia partum accelerat, teste Dioscoride, lib. III. cap. XXXI. Vel *dictamus*, quia in *Dicta*, Cretæ monte, copiosè nascitur. Quo retulere hoc Maronis, in XII. Æneid.

Dictamnum genetrix Cretæa carpit in Ida.

Sed meliores libri, *Ipsa manus genetrix* legunt. Vide quæ ad eum locum è veteribus Donatus, è iunioribus Pierius, annotauit.

DICTATOR, vnde nomen habeat, docet his verbis Varro, IV. de L. L. *Dictator, quòd à consule dicebatur, cui dicto audientes omnes essent.* Vbi per *dicta* intelligit *iussa*; quomodo & locutus Plautus, Menæchmis, Act. V. sc. II.

Imperium tuum demutat atque dictum Apollinis.

Ita emendat Gaspar Scoppius, lib. V. susp. epist. I. Verùm fortasse vt Prætoris, Ædilis & quædam alia Magistratus nomina, non ex re Romæ sunt imposita, sed è Latio Romam traducta : ita dicendum in *dictatoris* quoque nomine contigisse. Sane Liuius, iam sub rege Tullo Hostilio agnoscit Albanum *dictatorem* Metium Suffetium, siue Fufetium. Spartianus quoque ordinarium Latij Magistratum fuisse indicat, cùm in Hadriano scribit : *In Hetruria præturam imperator egit. Per Latina oppida Dictator, & Ædilis, & Duumvir, fuit.* Sed vt omnino hæc vox ex re potius Romæ imposita sit, quam ab exemplo : docet tamen ἀναλογία, *Dictatorem* nec à *dicendo*, nec à *dictum*, sed à *dictando* nomen accepisse; nempe quia *crebro diceret edicerétque*, quæ vtilia essent Reipublicæ : vnde Suidas vertit ἡγεμόνα τ͂ ... , *auctorem rerum vtilium.* Hanc nominis caussam præter illam Varronianam adducit Dionysius Halic. lib. V. Ibidem addit, tenuius esse *dictatoris* nomen quàm pro tantâ potestate. Nam pacis bellique, vitæ necísque, habebat potestatem : ac ad singulare hoc ius indicandum, viginti quatuor ei secures præferebantur. Nomen verò haut inuidiosum tantæ potestati impositum est, tum ob subditos, ne odiosâ appellatione offenderentur, tum ipsius *dictatoris* causâ, ne se gereret insolentius. Itidem ne imperium hoc in tyrannidem verteretur, semestre tantum esse voluerunt, nisi forte necessitas Reip. exigeret, vt in annum prorogaretur. Nam quod Sylla & Cæsar, diutius tenuere, leges & iustitiam palam contemserunt. Alio nomine dictus *magister populi*, quomodo is quem *dictator* sibi adsciscebat, quique proximam à *dictatore* potestatem obtinebat, *magister equitum* vocabatur. Cætera vide apud eos qui ex professo Romanorum magistratus, aut vniuersè Romanas antiquitates, persequuntur.

DICTERIVM, idem est quod *dictum*, siue *iocus* : quemadmodum Macrobius, lib. II. Saturn. probat hoc loco Ciceronis, è II. libro epist. ad Cornelium Nepotem : *Nostri, cum omnia quæ dixissemus, dicta essent : quæ facetè, & breuiter, & acutè locuti essemus, ea proprio nomine appellari dicteria voluerunt.* Vndè colligi videtur, *dicteria* à *dicendo* vocari. Ita παρεργῶς fuerit in istis verbis Martialis, lib. VI. Epigr. XLIV.

Omnibus arrides, dicteria dicis in omnes.

Sed huic sententiæ obstare illud videtur, quod ... Græca est ... Quare quid, si dicamus esse à Græcis, qui δεικτήρια dicunt? Sed huic aduersari videtur, quod Græci nunquam, quod sciam, δεικτήριον voce pro *breuiter acutéque dicto* vsi sunt in iis scriptoribus quos habemus : sed δεικτήρια iis fuerint, quæ aliquid ostenderent, vel quæ ostenderentur, quomodo locus quidam apud Samum δεικτήριον vocatus, teste Etymologo. Fluctuanti super huius vocabuli origine, commodè se, tanquam Mercurius quidam Enodius, obtulit Iosephus Scaliger, in notis ad Manilium : ex quo sequentia exscripsimus : *Eodia in fabulis eum locum obtinebant, quem in arte fidicina* ... Aliter dicuntur ἀναβολαί, καὶ εἰδόσιμα, καὶ ... *Experimenti enim gratia tantum fiebant.* Propterea δεικτήρια dicebantur, tanquam δείγματα quædam; quòd *specimen* fuerint *futuri cantus*, aut *modorum fidicinorum.* Nam *experimentum in antecessum* dabant mimarij, scurræ, & pantomimi, & citharistæ. Quum autem scurra vrbicarius prodiret in scenam, is citharam, aut psalterium, adferebat, aliquid præludij loco præcenturus ad colligendum studia & fauorem spectatorum. Varro :

Et orthophallica attulit psalteria,
Quibus sonans in Græcia dicteria,
Qui fabularum collocant exordia.

Multa autem ridicularia in eo specimine funditabant, adeo vt *dicteria* in maledicæ procacitatis infamiam abierint. Quin & *psalterij*, de quo iam diximus, nomine, probra intelligebantur. Paulus, sententiarum lib. V. De iniuriis : *Psalterium, quod vulgo dicitur canticum, in alterius infamiam compositum, & publicè cantatum.* Canticum, *dicterium*, *psalterium*, tria hæc idem significant, & ab eâdem historiâ prodierunt. Nam sæpe ab auctoribus *cantica mimorum*, & *dicteria mimorum*, citantur : qua ratione & *mimus* quoque ipse *cantor* dicebatur. Horatius :

———Donec cantor, vos plaudite, dicat,

Quod Turnebus primus indicauit. *Cantator* etiam. Glossæ: *Cantatores*, ... Illa *dicteria*, si ante fabulam erant, dicebantur ... ; si in media fabulâ interponerentur, ἐμβόλια. Vnde *mulier emboliaria* Plinio, ἡ ἐμβολιάρια. Si in fine fabulæ, *exodia*. Vnde apud auctores passim mentio *Atellanarum exodiorum*. Iuuenalis :

Vrbicus exodio risum mouet Atellanæ.

Firmicus, lib. VI. *exitus fabularum* vocat : *Cùm effeminati corporis mollitie cinædos efficient, & qui veterum fabulas exitus in scenis sæpe saltantes imitentur.* In Græco, vnde accepit, sine dubio scriptum fuerat, ... Porrò *dicterium* perperam à *dicendo* Varro. Nam ne Latinum crederet, potuit eum monere character, & flexus, item natio, vnde etiam, teste ipso, in Latium venit. Nam ipsemet in Græcia hoc fieri dicit, quod quidem verum est. Primus enim Augustus *pantomimos* è Græcia in scenam Romanam euocauit. At *dicteria*, ex eâdem Græciâ petita, iamdudum in eâ scenâ produci solebant. Hæc Scaliger.

DIERECTVS, Festo dici videtur κατ' ἀντίφρασιν, quasi *dies minimè rectus*, sed *scænus ac sauus*. Aliis *Dierectus* quasi *die*, vel *in diem, erectus*. Sed magis placet sic dici, quasi *sub dio erectus*, hoc est, in crucem actus. Plautus, Pœnulo, I. I. *Abi dierectus.* Idem, Mercatore, I. I.

I hinc hodie dierectus, nugare in re capitali meâ.

Rudente, Act. IV. Sc. *Sane edepol :*

Quin tu i dierecta cum sucula & cum porculis.

Vide quæ hac de voce scribit Iac. Schegkius in præmessis, epist. XIII.

DIES à Græcis esse ostendit, quod illis ἔνδιος *sit meridianus*, quasi *in die ipso*. Itaque videtur esse ἀπὸ τοῦ Διός. Varro, IV. de L. L. *Hoc idem magis ostendit antiquum Iouis nomen. Nam olim Diouis & Diespiter dictus, hoc est, aër, & dies pater à quo Dei dicti, qui inde, & dies, & diuus, & diuus.* Macrob. lib. I. Sat. cap. XV. *Iouem accipimus lucis auctorem : vnde & Lucetium Salij in carmine canunt, & Cretenses Δία τὴν ἡμέραν vocant : ipsi quoque Romani diespitrem appellant, vt diei patrem.* Validè etiam hanc sententiam firmat locus Xenophontis, libro de Rep. Lacedæmoniorum, vbi dicitur rex sacrificaturus facere id diluculo, προλαμβάνειν βουλόμενος τὴν τ͂ θεοῦ εὔνοιαν, *quasi anteuertere cupiens beneuolentiam Dei.* Angelus tamen Caninius, in alphabeto Hellenismi, ait, *dies* esse à Punico *dia*. Alias quoque duas etymologias adducit Festus, sed paruæ rei. Itaque apud ipsum legere potes. A *dies* est *dius noctúque* apud Sallustium, lib. 3. Histor. & Titinnium, in Barathro : teste Charisio cap. de Aduerbio. Hinc *interdiu*, quod Glossæ Philoxeni μεθ' ἡμέραν exponunt. Sed & *diu* ... notat, vnde *diutinus*, & *diuturnus*, & ... *diurnus*, vnde *diurnare*, quod est, *diu viuere*, vt Gellius, lib. XVII. cap. II. & Non. Marcellus, explicant in istis Quadrigarij verbis : *Nam hac maximè versatur Deorum iniquitas, quod deteriores sunt incolumiores, neque optimum quemquam inter nos sinunt diurnare.* De voce *diurnus* pro *diuturnus*, vide sis Stevvechium, ad II. Arnob. Alias *diurnum* opponitur *nocturno* : vnde *diurna* apud Senecam, epist. LXXXI. pro *demenso*, quod seruis in diem datur. Similitérque *diurna* dicuntur Iuuenali, quæ Sempronio Asellioni ab eadem origine *diaria* appellantur : nempe libri, quibus singulorum dierum acta adnotantur; Græcis *ephemerides*; ab ἐπὶ & ἡμέρα, id est, *dies*. Vide Gellium, lib V. cap. XVIII. *Perdius*, & *pernox*, legimus apud Agellium. Similéque ab *interdiu interdius*; quo vsus Plautus, Asin. III. III. *Æquidialis* à *die* dici, vt à *nocte æquinoctialis*, ostendit ex Festo Paullus. Io. Saresberiensis, in Policrat. *Memini me, &c. interfuisse cœnæ, quæ ab hora diei nona ferè vsque ad duodecimam noctis, & hoc quidem tempore æquediali, protracta est, &c.* Biduum & triduum, dicimus per συγκοπήν, pro *bidium*, & *tridium*: videtúrque id εὐφωνίας causâ fieri. *Hodie* est *hoc die* : vnde patet πλεονάζειν orationem, cum dico, *hodierna dies* : rectiúsque dici, *lux hodierna*. Græcè est σήμερον, & Atticè τήμερον, vel τήμερον, itidem ab ἡμέρα. *Pridie*, à *pra*, vel *pri*, & *die*, quasi *priori die* : *postridie*, ex *posteridie*, quasi *postero die* : *nudius tertius*, & *nudius quartus*. quasi *nunc dies tertius*, *nunc dies quartus* : Charisius testis, lib. II. *perendie*, quasi *perempto* *die*,

die; eodem teste *propediem*, quod *prope accedat diem*: *quotidie* quasi *quot diebus*, hoc est *singulis diebus*. Sed de *perendie*, & *quotidie*, plura dicemus separatim.

DIGITVS, vnde sit, varie certant. Isidorus quidem omnino ineptè. Nam vt is, lib. XI. cap. I. ait: *Digiti nuncupati, vel quod decem sunt, vel quod decenter iuncti existunt.* Aliis (vt apud Perottum legitur) *digitus* à *digerendo* deducitur, quòd natura miro optimóque ordine *digitos* digesserit ac posuerit. Nonnullis *digitus* dici videtur à δείκνυμι, quod est, *monstro*, quia *digitis monstramus*. Sed fortasse vera, licet dura, est originatio ea, quam apud Angelum Caninium, & Petrum Nunnesium reperio. Censent hi *digitus* esse a δάκτυλος, extrito ι & λ in *T* mutato; quemadmodum contra τ abit in λ, vt à *Thetis*, *Thelis*. Ita enim veteres eam appellabant. Varro, de R.R. lib III. cap IX. *Nec continuò his, quas medicas appellant, falso; quod antiqui vt Thetin, Thelin dicebant; sic Medicam, Melicam vocabant.* Itaque Turnebus, lib. XXIII. Adu. cap. XXVI. apud Cic. I. de diuinat. legendum putat: *En Thelis illa mater.* Sed si dura hæc Caninij originatio videtur, sit *digitus* à δείκω, quasi δείκτης, à *monstrando*. Sanè similiter Græcis δάκτυλος dici videtur, quasi δείκτυλος. *Manuum pedúmque digiti* quibus nominibus appellentur, docet Andreas Schottus obseruat. Human. lib. V. cap III. Singuli vero digiti sacrati erant Deo, pollex Veneri sacer, index, siue salutaris, Marti; medius (qui & infamis, verpus ac impudicus, dicebatur) Saturno; minimo proximus (quem iuniores anularem & Medicum nominant) Soli, minimus (quem vulgus auricularem vocat) Mercurio. Vide Melampodis Hierogrammatei περὶ παλμῶν μαντικὴ πρὸς Πτολεμαῖον βασιλέα. A *digitus* quidam deducunt *indigito*, vt propriè sit δακτυλοδεικτεῖν, qua voce Demosthenes, Philo, aliique vsi. Sed quid hac de voce sentiendum sit, dicemus in voce *Indigitamenta*.

DIGMA. Græcis δεῖγμα, à δεικνύω. *Digmatis* voce interdum generaliter significatur rerum venalium specimen, quod Belgæ itidem, à *monstrando*, *een monsterken* appellant. Mos. hopulus: Δεῖγμα, τὸ ἐκ τῶν δεικνυμένων ἀπ' ἀγορᾶς τῶν πωλουμένων. Sic vsurpatur in Cod. Theodos. lege Imperatorum Honorij & Theodosij, sub tit. de suar. pecuar. in qua hæc verba inter alia habes: *clandestinum ad collegas digma mittentes*, &c. Plura hac de voce Radulphus Fornerius, lib. II. rerum quotidian. cap. XXIII.

DIGNVS, vt Sipontinus tradit quibusdam dici videtur à *dignoscendo*, quasi *cognitus*. Sed ipse mauult deducere à δεικνύειν, quod est *ostendo*, *demonstro*; quoniam ex iis, quæ gerimus, quid mereamur, ostendimus. Ita *dignus* dicetur quasi *dicenus*, δεικνός. Alij à δεικνύω quidem esse statuunt, cum Perotto sed rationem hanc adferre malunt, quod qui *digni* re quapiam sunt, hi *digito* ab aliis *demonstrari* soleant: vnde Pers. sat. I.

At pul chrum est digito monstrari, & dicier, Hic est.

Ita *dignus* propriè erit, δακτυλόδεικτος. Nec multum abeunt, qui censent, ex eo esse quia *digito* pretium rei venalis indicetur. Ita *dignum* dicatur, vt Atticis, & imprimis Aristophani, ἄξιος idem est ac ὤνιος. Quod placuit Septimio Florenti, notis in Sophoclis Philoctetem. Sed simplicissimum videtur, *dignus*, siue vt veteres scripsere *dicnus*, venire à *dico*, id est, *ius*, vt *dignus* sit cui tribui aliquid æquum est. Nec multum recedit Nunnesius in Grammatistice, cui *dignus*, ex δίκαιος, credo, quia iustus *dignus* est honore, ac laude.

DIMICO, num à διαμάχομαι? An simplicius diduxeris à *mico*? Sed quæ originis eius caussa? An quia gladij in prœliando *micent*, ac fulgeant? Sed hoc longius petitum. Verisimilius multo, ex eo esse, quia *micando digitis* controuersiæ soleant dirimi. Vnde in Vett. Gloss. *micare*, λαγχάνειν. Nempe *micatio digitorum* est penè sortis genus. Postea autem, quia & ferro certamina exitum sortirentur, etiam *dimicare* acceptum pro diiudicare rem prælio. Vti dicitur *cernere ferro*. Vbi *cernere* est κρίνειν, siue *diiudicare*. Ad veterem illum morem *micando digitis decernendi* litem, illud Varronis pertinet in Parmenone: *Micandum erit cum Græco, vtrum illius numerum, an ille meum sequatur.* Et eodem spectat adagio, *Dignus, qui cum in tenebris mices.* Non verò à lusu puerorum petitum: quòd magnus Desiderius in Adagiis existimabat. Vide Casaubonum, de hoc fusius disserentem, notis in Suet. Aug. cap. XIII.

DIONYSIA. Terentio eadem ac *Bacchanalia*. Nam *Bacchus* Græcis Διόνυσος. Caussam nominis aperit hic locus Pomponij Melæ, lib. III. cap. VII. de India: *Vrbium, quas incolunt (sunt autem plurimæ,) Nysa est clarissima: montium, Meros, Ioui sacer. Famam hinc præcipuam habent, quòd in illa genitum; in huius specu Liberum esse nutritum arbitrantur; vnde Græcis auctoribus, vt femori (μηρὸς, femur) insutum dicerent, aut materia ingessit, aut error.* Vult nomini caussam præbuisse ambiguitatem vocis μηρὸς, quæ & *femur* notat, & *Indiæ montem Ioui sacrum*. Alias aliquot nominis caussas congerit Lilius Gyraldus, in syntagmatis. Iis his duas adde. Nam quibusdam videtur Διόνυσος dici, quasi Διόνυσος, ἐπειδὴ βοστρύχοις ἐφόρει Νύσας, Tzetzes:

Καὶ Ζεὺς δὲ Διόνυσος, Διὸς, καὶ ἄναξ Νύσας.

Sunt & quibus dictus videatur à νῦσος, quod Syracusana lingua significat *claudus*, idque, quia Iupiter, cùm *Bacchum* femori insertum gestaret, claudicarit. Hanc rationem adfert Nonnus, in Dionysiacis:

Ποσσὶ δὲ ἰσάζοντι ἐπισκάζοντι θυέθλων
Κικλήσκων Διόνυσον, ἐπεὶ ποδὶ φόρτον ἀείρων
Ἤϊε χωλαίνων κεραίδος βεβαρημένος μηρῷ,
Νῦσος ἐπεὶ γλώσσῃ Συρακοσσίδι χωλὸν ἀκούει.

DIOPTRA, διόπτρα, à διοπτεύω, peruideo, perspicio. Notat *instrumentum Geometricum, quo propugnaculorum turriumque altitudo e longinquo deprehenditur.* Meminere præter Pollucem Ptolomæus, Proclus, Theon, Plinius, lib. II. cap. LXIX. Est & *instrumentum aquis librandis aptum*: quomodo vtitur Vitruuius, lib. VIII. cap. VI. Vtriusque notionis meminit & Rhodiginus, quem vide lib. XII. cap. IX. & lib. XXVII. cap. V.

DIOTA, διώτη, *genus vasis duas habens aures*, à δὶς & ὦτα, id est, *aures*. Glossæ Philoxeni interpretantur ἀμφορεὺς, ἀμφορεῖον. Sanè & ἀμφορεὺς similiter dicitur, quasi ἀμφιφορεύς, ἀμφίφορος, *quod vtrinque feratur*. Sunt qui *dyota* malint per *y*, quia, vt aiunt ex δύο & ὦτα, constetur. Sed obstant libb. vett. in quibus, per *i* scribitur. Quare à δὶς venire verisimilius est.

DIPLOMATA, διπλώματα. Sic Ciceroni, Plinio, Venuleio IC. aliisque dicuntur, quas vulgò appellant *litteras patentes*. Et à διπλόω, quod est *duplicare*; vti hoc à διπλόος, *duplex*, vnde & διπλοΐς, *vestis duplex*. Est igitur *diploma*, *duplicatò compositum*, aut *complicatum*, cuiusmodi sunt chartulæ complicatæ & lino traiectæ obsignatæque: vti quas *bullas Pontificias* appellant. Ausonio dicitur *bipatens pugillar*. Impp. in Cod. Theodo. *diptyca*, δίπτυχα, a δὶς, & πτυχή, *plica*, siue πτύσσω, *plico*.

DIPSAS, διψὰς, q. d *siticulosa*; *viperæ genus*, à quo morsi nimium quantum *sitiunt*. Nam δίψα, *sitis*; διψάω, *sitire*. Isidorus, lib. XII. cap. IV. *Dipsas genus est aspidis, qua Latinis situla dicitur, quia quem momorderit, siti perit.* Vide Nicandri Theriaca.

DIRECTARIVS, qui furandi caussa in alienas se domos *dirigit*, vnde & nomen. Gloss. vett. *Directarius*, ὁ ἐπὶ τῷ ἀλλοτρίας οἰκίας ἐπὶ κλοπῇ εἰσερχόμενος οἰκίας; item Θυρεπανοίκτης, ἐπεισαγωγὸς κλέπτης. Paullus Recept. Sent. lib. V. tit. IV. *Quoties quis pulsatur, vel cuius domus introitur ab his qui vulgo directarij appellantur; in quos extra ordinem animaduertitur.*

DIRIBEO, forte à διαρρίπτω, *disiicio*, *in diuersas partes iacio*, vti fit in rerum distributione. Nisi potius sit (quod Becmanus scribit) ab antiquo *rabere*, *a* in *i* conuerso. Quod si placet, necesse sit dicas *rabere*, præter *furendi* significationem (à quâ *rabies*, & *rabiosus*) etiam notâsse *vulgare*, seu *multis tribuere*: aut simile quid; quâ ratione videri possit esse ab Hebræo רב, quod est, *multus*, siue רבה, quod est, *multiplicare*. Propriè *diribeo* notat *diuidere*, *distribuere*. Vsus Cicero, in Pis. & Planc. Eidem lib. III. epist. ad Q. Fratrem: & Val. Maximo, lib. 9. cap. XII. hanc vocem restituit Steph. Pighius. Christophorus quoque Colerus; & I. Meursius, volunt, Plautum, Curcul. Act. III. sc. I. dixisse, *diribere elephantum*, pro quo Lambinus *dissicere* maluit. Palmarius item apud eundem, Amphitr. A. I. legere iubet: *Distributi viri, diribiti ordines*: Pro quo Des. Heraldus, MSS^tos^ secutus, mauult, *dispositi ordines*. Arnobio quoque, & Ausonio, eandem vocem restituit Godsc. Stewechius, in notis ad V. Arnobij. A *diribendo* dicti *diribitores*. Sed hoc vocabulum variis rebus accommodatum est. In iudiciis sic dicti, qui ternas iudicibus singulis traderent tabellas, vnam absolutionis, alteram condemnationis, tertiam ampliationis: è quibus vnam iudices singuli in fiscellam coniiciebant: pòst tabellæ omnes *diribebantur*, seu *diuidebantur*, in tres ordines, idque, vt constaret, pluresne absoluerent, condemnarent, an ampliandum putarent. Itidem in comitiis *diribitores* vocati, qui tabellas diuiderent, quo de Nicol. Gruchius. In conuiuiis quoque *diribitores* Appuleio dicti, qui scutellas disponerent, ac cibos carperent; vt scribit Lipsius, lib. II. Saturn. cap. II. Ab eadem origine est *diribitorium*, quomodo pædagogij locus dicebatur, quod in eo à reliqua familiâ secluderentur. E vetustissimo quoque Lexico constat, sic vocatum locum, in quo militibus stipendia persoluta. Sanè fuit Romæ huius nominis locus ab Agrippa conditus, ab Augusto puplicatus:

blicatus : in quo pecunia militibus *diribebatur*. Meminit eius Dio, lib. LV. vbi ait vno tantum tecto fuisse conspicuum, quod cum suo tempore dirutum esset, ob magnitudinem instaurari nequiisse. Plinius quoque, lib. XVI. celebrat trabem pedum centum, sesquipedali crassitudine in porticibus septorum ab Agrippa relictam, quæ *diribitorio* huic superfuerat.

DIRVS, in vett. Glossis exponitur δεινὸς, vt *dira*, δεινὰ; *diritas*, δεινότης. Et sanè à *deinos dirus* deriuatur. Sæpe enim N in R abit, vt à *genimen*, *germen*; è φόνια, *furia*; à *cancer carcer*, & in multis aliis. Itaque *diras imprecari*; sic δεινὰς ἀρὰς ἀρᾶσθαι. *Dira* igitur ex δειναί. Vulgò tamen *diras* dici aiunt, quasi *deorum iras*. Atque ita Festus: *Dirus, dei ira natus*. Vbi MSti *diei*. Sed *Dei* vel *Deorum* scripserat Festus. Ad hanc ἐτυμολογίαν respexit collector veterum Gloss. cum vertit θεοχολωσίαν. Interdum autem *Diræ* dearum nomen est. Nam sic dicuntur *Furiæ* siue *Eumenides*: quanquam, si ἀκριβῶς loqui amamus, aliquod inter ea discrimen est. Id nos docet Seruius, in IV. Æn. his verbis: *Diræ in cælo, vt*,

Dicuntur geminæ pestes cognomine diræ.

Furiæ, in terris. Eumenides apud inferos; vnde & tres esse dicuntur; sed hæc nomina confundunt poetæ. Eumenides dici quia minimè εὐμενεῖς, docent Grammatici. Seruius, in I. Æn. *Vt sæpe dictum est, κατ' ἀντίφρασιν, Eumenides vocantur, quod non habeant bonam voluntatem, id est, mentem: sicut Parcæ, quòd nulli parcant.* Idem dicit, in III. Æn & alibi. Sed vel dicendum, ita eas vocari κατ' ἀντίφρασιν, vel ratio nominis petenda est è fabula Orestis, qui cum ob interemtam matrem Clytemnestram accusaretur, variantibus Areopagitarum sententiis, Palladis sententia fuit liberatus: vt & Cicero in Miloniana scribit: & Pallas ipsa apud Varronem Eumenidibus (vt ex Nonio discimus) dicit: *Dico vicisse Orestem, vos facessite.* Alij dicunt, XII. diis in Areopago sedentibus, à sex Diis absolutum, à sex item condemnatum. Oreste igitur absoluto, desiere eum *diræ* infestare, qui iccirco nigram iis ouem sacrificauit, & quod eas εὐμενεῖς, siue *propitias* sentiret, primus vocauit *Eumenidas*, quæ antea dicebantur θεαὶ σεμναί. Sophoclis Scholiastes in OEdipum, Col. Εὐμενίδας δὲ μεταβαλὼν αὐτῶν φησι τὸ ὄνομα ὑπὸ Ὀρέστου. τότε γὰρ πρῶτον Εὐμενίδας κληθῆναι, εὐμενεῖς αὐτῷ γενομένας, καθ' ἣν νικῆσαι παρ' Ἀθηναίοις, καὶ ὁλοκαυτῶσαι αὐταῖς οἶν μέλαιναν ἐν Καρνείᾳ τῆς Πελοποννήσου. Ab Atheniensibus σεμνὰς θεὰς, à Sicyoniis *Eumenidas* dictas esse scribit Pausanias, in Atticis, & Corinthiacis. Vide sis I. Meursium, lib. IV. Att. Lect. cap. I.

DISCO, à δίσκω, quod à δίω, vt à χάω, χάσκω, vnde *hisco*. Siue à διδάσκομαι fit *disco* abiectâ secundâ & quartâ syllabâ. *Disciplina* à *disco*. Est enim scientia acquisita in *discente*. Vel dicendum κατὰ συγκοπὴν poni pro *discipulina*, quomodo *templum* & *extemplo* dicimus pro *tempulum* & *extempulo*. Nempe vt eâ ratione à *discipulus* factum sit, qua apud Græcos παιδεία à παῖς. Ac debet παιδείας vox parentes commonefacere, ne παῖδας sinant παιδείας expertes, hoc est, ἀπαιδεύτους esse. Iamblichus in vitâ Pythagoræ, ὁ πατὴρ τοὺς παῖδας ἀεὶ τὴν παιδείαν τὴν ἐπιτήδειον τῆς ἑκάστου ἡλικίας παιδεύειν σπουδάζων.

DISCRIMEN, κατὰ συγκοπὴν ex *discernimen* fieri scribit Pontanus in Actio, Fol. CXXXIX. Puto non magis hic syncopæ locum esse, quam in simplici *crimen*. Sed non cogitauit vir elegantissimus, κρίνω, vnde κατὰ μετάθεσιν factum est *cerno*, primo notare *sejungo*, *separo*: secundariò autem *indico*. A posteriori notione est, quod *crimen* ponitur pro eo, de quo iudicatur: à priori vero, quod *discrimen* dicimus, de iis, quæ separamus. Vide quæ de vtraque significatione diximus in *Cerno*. Quid *discrimen* in capillis sit, diximus in *Crinis*.

DISCVS, δίσκος, à δίκω, id est, *iacio*. *Discus* erat moles saxea, ferrea, aut plumbea, cuius iactu athletæ inter se decertabant, eratque victor, qui aut altius in sublime iactasset, aut longiùs in tractu, aut propius metam destinatam. Erat *disci* figura plana ac rotunda. vti ex veteri statuâ apparet. Cúmque talis videatur nobis esse solis facies, patet hinc, cur Græci solem appellent *discum*. A δίσκος & βολὴ, id est, *iactus*, est δισκοβόλος, *discobolus*, quomodo *athletæ* vocantur à Fabio & Plinio. Non tamen putandum, vocem hanc vniuersè *athletis* competere. Nam quod ex Polluce & aliis constare potest, *athletarum* nomine *gymnici* omnes intelliguntur, hoc est, παλαισταὶ, siue *luctatores*; δρομεῖς, seu *cursores*; πύκται, seu *pugiles*; δισκοβόλοι, seu *discum iactantes*; & ἁλτῆρες, seu *saltu certantes*.

DISSIPARE, propriè est *disiicere*, *dispergere*, ab antiquo *sipare*, vnde similiter *insipare*, id est, *iniicere*; & *obsipare*, hoc est, *obiicere*. Festus: *Insipere, farinulam iacere pullis: vnde dissipare, obsipare: vt cum rustici dicunt, obsipa pullis escam.* Plautus, Cistell. Act. II. III *obsipat aquulam*; hoc est, *adspergit*. Pomponius Atellanarum scriptor:

Partem insipui, conclusi, condepsui.

Idem, Fullone:

Facite vt ignis feruat, ligna insipite, far concidite.

Varro, lib. IV. de L. L. vbi de *pultis* etymologiâ tractat: *Quòd ita sonet, cùm aquâ feruenti insipitur.* A *sipare* quoque est *siparium*; vt à *donare*, *donarium*; à *velare*, *velarium*, &c. Erat velamentum, quo in scenis vtebantur mimi: aliter dictum *aulæum*, teste Festo. Sic autem dictum, quia velandi caussa *obsiparetur*, siue obiiceretur. Donatus, vel alius, prolegom. in Ter. *Aulæa in scena in terra sternuntur, quod pictus ornatus erat ex Attalica regia Romam vsque perlatus: pro quibus siparia ætas posterior accepit. Est autem mimicum velum, quod populo obsistit, dum fabularum actus commutantur.* *Sipo* vnde sit, non satis patet. Becmani suspicio est, esse à textoribus sumtum. Nam ὑφῶ, *texo*; vnde ὑφάντης, *textor*; vt in prouerbio, ὑφάντου πταίσαντος ὁ σκυτεὺς ἐπλήγη, *textore lapso*, *sutor*, (vel *sartor*) *vapulauit*. Ab ὑφῶ erit *sipo*, vt à στύπος, *stipes*; à φρύγω, *frigo*, &c. Sed rectius Martinius, cui *sipo* est à *sipho*, quomodo vocatur *fistula*, seu *canalis*, vnde aqua effluit. Sanè *sipho* aquam *sipat*, hoc est, *iacit ac spargit*. Inde igitur tralatio potius erit, quàm à textoribus.

DITHYRAMBI, versus in *Bacchum*, qui dicitur Διθύραμβος, vel à δὶς, *bis*; & θύρα, *fores*, quia *binis foribus* sit *egressus*; quippe bis natus, semel è Semele matre: iterum è femore Iouis: vel quia sit *educatus in antro* διθύρῳ, siue *biualui*, aut *bifori*: vel quia nymphæ Ioui parturienti acclamarint λῦθι ῥάμμα, vt Λ in Δ mutetur, vt à μελετᾶν, *meditari*. Tres hasce nominis caussas adfert apud Photium Proclus in Chrestomathia; vti & Etymologus magnus in διθύραμβος. His quartum adde ex Phurnuto, quia vinum os facit δίθυρον, id est, *bifore*; nam disertos reddit: etiam, vt arcana recludantur, facit. Cur verò *bis natus* dicatur *Bacchus*, semel in Nysa, iterum in Mero, in caussa est, quod natus sit Nyssæ, quæ ciuitatum Indiæ maxima; educatus verò in Mero monte Ioui sacro; μηρὸς autem Græcis *femur* vt ambiguitas nominis fabulæ præbuerit occasionem. Hanc caussam fabulæ adfert Herodotus in Euterpe; & Pomponius Mela, lib. III. cap. VII. de India. Sed iuxta Hebræam loquendi rationem homines omnes, vno excepto Adamo, & sospitatore nostro Christo, Adamo secundo, egressi sunt de patris femore. Singulatim vero hoc tribuêre *Baccho*, quia *Noachus*, vnde *Bacchum* suum fabularunt, semel natus communi nascendi ratione, semel quasi renatus ex aquis, quæ totum orbem obruerant omnéque deleuere humanum genus, præter octo illos, qui in arca fuerunt.

DIVES, quasi *diuus*. Varro, lib. IV. de L. L. *Diues à diuo, qui vt deus, nihil indigere videtur.* Hanc ἐτυμολογίαν videor mihi confirmare posse isthoc Plauti, Trinummo, Act. II. sc. IV.

Dei diuites sunt, deos decet opulentia.

siue, vt quidam emendat, *decent opulentia*. Hæc sanè ἐτυμολογία mágis placet, quàm Cornelij Frontonis, cuius hæc verba: *Locuples à copia locorum: diues, quia diuidendi facultatem habet: opulentus ab opibus*, &c. Nihilo rectius Isidorus, lib X. *Diues ab are, vel quasi diu vescens.* Priorum verborum hæc mens videtur, *diues* dici cui *diu æs*. A *diues* est *diuito*, hoc est, *diuitem reddo*. Accius:

Nil credo auguribus, qui aures verbis diuitant
Alienas, suas vt auro locupletent domos.

Titinnius: *Dî me diuitant*. A *diues* est *dis*. A *dis* est neutrum *dite* pro *diues*, Val. Flaccus. lib. II.

Non populos, non dite solum, non vlla parenti
Regna peto.———

Dis quoque numen inferum, quod Græcis similiter πλούτων, à πλοῦτος, hoc est, *diuitiæ*: cuius appellationis caussam arbitror, quòd *opes è terrâ effodiantur*. A *dite* est *ditio*, quasi *dite solum*, vt Valerium Flaccum loquentem audiimus. Sane Belgæ *regnum*, vel *imperium*, similiter appellant *ryk*. In Glossis Cyrilli legas, Ἐξουσία, *maiestas*, *ditio*, *potestas*. Vbi *dicio* per *c* scribitur, quasi sit à δίκη, ac regionem signet, vbi quis δικάζει, hoc est, *ius* siue *iudicium* exercere potest.

DIVERSORVM, varij variè interpretantur. Sequimur autem Diomeden, cuius hæc, libro I. *Membra comœdiarum tria sunt, diuerbium, canticum, chorus. Diuerbia sunt partes comœdiarum, in quibus diuersorum personæ versantur. Personæ autem diuerbiorum, aut duæ, aut tres; rarò autem quatuor esse debent: vltra augere numerum non licet. In canticis autem vna tantum debet esse persona: aut, si duæ fuerint, &c. Latina verò co-*

mœdia chorum non habent : sed duobus tantum membris constant, diuerbio & cantico. Hinc colligimus *diuerbium* dici à *di* & *verbum*, quia diuersi loquantur. De iisdem sic Donatus, vel alius, prolegom. in Ter. *Diuerbia histriones pronuntiabant: cantica vero temperabantur modis, non à poeta, sed à perito artis musicæ facta.*

Diverticvlvm, à *diuertendo*. Gloss. *Diuerticulum*, ἀποτροπή, παρατροπή. Posterius pertinet ad *viam*: prius ad *fluuios*, quomodo vsus Marcianus IC. Aliter *fluuij brachium*, vel *cornu*, vel *elicem*, dicimus.

Divido, vt quidem Scaliger opinatur, de caussis L. L. capite xxxiv. est à δὶς, id est, *bis*; & ἰδεῖν, *videre*: quia quæ *diuisa* sunt, *bis videntur*. Acutè profectò. Ac possis similiter dicere esse à *di* vel *dis*, & *vido* pro *video*: indéque esse *diuidia*, vt ab *inuideo*, *inuidia*. Attamen potiùs censeo conflari ex præpositione loquelari *di*, vel *dis*, & Hetrusco verbo *iduo*, id est, *partior*: vnde *idus*, quia mensem partiuntur: & *vidua*, quia à marito seiuncta separatáque. Vide quæ diximus in *Idus*. Quia autem ab *iduo* veteres *dididuo* dixere, pro quo nunc *diuido* efferimus (vt à *dou duo* primitus fuit, vnde *duint*, nunc autem pro *duo do* dicimus) inde habemus *diuidua*, seu *diuidia*, vt ex Varronis loco mox parebit. Est autem *diuidia* vox πολύσημος; vnde est, quod eam aliter atque aliter interpretantur vett. Grammatici. Festus exponit *discordiam*, ac Nonius similiter *dissensiones* interpretatur. eademque mente in vett. Glossis legas, *diuidia*, διχόνοια. Exemplum eius acceptionis hoc apud Nonium habes, etsi in plerisque libris *diuida* legatur. Affert autem hoc ex Attij Phœnissis:

Ne horum diuidia discordes dissipent,
Disturbent tantas & tam opimas ciuium
Diuitias. ———

At Fulgentius Planciades exponit *tristitiam*, adducitque illud Propertij:

Diuidias mentis conficit omnis amor.

Quem versum in Propertio frustra quæras: vt vel plura scripserit Propertius, quam habemus: vel memoria lapsus sit Fulgentius, quod in minuto adeò libello crebrò ei vsuuenit. Est verò pro eâ *diuidiæ* interpretatione hic locus Varronis, in vi. de L. L. vbi & caussam nominis exponit: Idem Mercatore: *Non tibi istuc magis diuidiæ est, quàm mihi hodie fuit.* Hæc eadem in Corollariâ Næuij. *Diuidia à diuidendo dicta, quod diuisio & distractio est doloris.* Itaque in Curculione ait: *Sed quid tibi est? lienes necant? renes dolent? pulmones distrahuntur?* Hæc Varro. Sic vsus quoque Plautus, Bacch. Act. iv. vi.

Nimio illæc res est magnæ diuidiæ mihi.

Et alibi: A *diuidendo* quoque *diuidicula* dicuntur. Festus: *Diuidicula antiqui dicebant, quæ nunc sunt castella, ex quibus à riuo communi aquam quisque in suum fundum ducit.* Ab eodem *diuisores* nominati, qui tributim distribuerent pecunias à candidatis donatas ad aucupanda suffragia egentium. Hinc Nummius quidam, qui id ministerij susceperat, cognomen accepit *diuisoris*, quâ in re iocans Cicero dicebat *vt Neoptolemum ad Troiam, sic illum in campo Martio nomen inuenisse.* Vide Cic. ii. de Oratore.

Dius, si Festum audimus, interdum valet *diurnus*, eóque fuerit à *dies*. *Dium fulgur*, inquit, *appellabant diurnum, quod putabant Iouis, vt nocturnum Summani.* Sed *dium* pro *diurno* non magis dicimus, quam *noctum* pro *nocturno*. Quare cum dicat Festus, siue Paulus, *dium fulgur* fuisse Iouis, vti *nocturnum* Summani, siue Plutonis: non obscurè liquet, *dium* vocari quasi *Iouiale*, ἀπὸ τοῦ Διός, vnde δῖος, à quo δῖος, vnde Latinum *dius*. Ioui *diurnum fulmen* esse attributum; Summano *nocturnum*, etiam apud Plinium legere est, lib. ii. cap. lii. Gloss. Cyr. ἀστραπὴ ἡμερινή, *Fulgurium*: ἀστραπὴ νυκτερινή, *fulgur summanum*. Pro *fulgurium fulgur dium* legi debere, ex Festo liquet; & pluribus id iam obseruatum. Putant plerique Latinos etiam *deus* dixisse pro *Deus*, idque ob vicinum literarum *e* & *i* sonum: vnde & *here* & *heri* dicebant, teste Fabio. Sane in plurali dicimus, *dy* & *dis*. Imò in quibusdam Lucretij codd. vt Gifanio obseruatum, legitur:

——— *Proptereáque*
Id laudabile apud dium laudare decere.

Dium nempe pro *deum*. Sed secus est, cùm prior sit porrecta, contra quàm sit in *dy* & *dis*. Itaque rectum est *diuum*, vt legitur vulgo. Afferunt & illud Ennij lib. i.

Constitue inde loci propter sos dia dearum.

Sed *dia Dearum* dicitur, vt Maroni.

——— *Sancte deorum.*

Vide *Diuus*.

Divvs, vel est ab Æolico, δῖϝος pro θεῖος, vel à Cretico δῖος pro θεὸς, vel παρ' ἀπὸ τοῦ sit à δῖος, *Iouialis*, quod contractum ex δῖος, vti hoc ἀπὸ τοῦ Διός. Vel prius *dius* factum ex *dy*: eóque exemplo postea & *diuus* pro *deus* dixere. Vide *Dius*. Nugatur Seruius, cùm ad v. Æneid. *diuos* dici ait, quia *diem suum obierint*. Rectè tamen *deos* esse scribit perpetuos; *diuos* autem in Deorum numerum relatos quales heroës penates, lares, dijque indigetes. Falsi verò Varro, & Ateius Philologus, qui eodem Seruio auctore *diuos* perpetuos faciunt: *deos* verò, qui consecratione facti sunt. Sanè *diuum* dici, qui in *deorum* numerum relatus est, argumento est, quod Iul. Cæsar *Diuus* appellatus, vnde in veteris nummi vno quidem latere capiti Iulij adscriptum, Divos Ivlivs: altero verò capiti Augusti additum, Avgvstvs Divi F. Sed & apud Maronem, vi. Æneid. in antiquis & optimæ notæ codd. (teste Pierio) legitur: *Augustus Cæsar, Diui genus*: non, *diuum*. A *diuus* est *diuinus*, vt à *libertus*, *libertinus*; ab *adulter*, *adulterinus*: vt Priscianus scribit in ii. Sed in Putschij editione legas à *diues diuinus*, quod ab operarum incuria profectum esse dubium non est. Præsertim cum in vett. membranis nostris. & veteri Veneta *diuus*, non *diues* legatur. *Diuinus* interdum substantiuè pro *vate* accipi, argumento est illud Martialis:

Non sum diuinus, sed scio quid facias.

Ratio, cur tales *diuini*, & *diuinare*, dicantur, ista est, vel quod *Diis* proprium videatur futura prædicere, vel quod *Diuûm* voluntatem è signis cognoscant, atque explicent, vel (quod simplicissimum) quia ista non faciant sine *Diuûm* impulsu, atque instinctu, vnde vates ἔνθεοι & *Deo pleni* dicuntur.

Do, à δόω, δῶ, vt à στάω, στῶ, *sto*, ab ἀρόω ἀρῶ, *aro*, &c. *Dor* nonnisi in compositione inuenitur. In vett. tamen Glossis legas: *Dor*, δίδομαι. A *do* est *dato*. Gloss. vett. *dato*, δίδω. Vsus Plautus, Mostell. & Sidonius, libro v. epistola xiii. Ab eo est *datatim* apud Plautum, Curcul. Act. ii. sc. iii. Item Afranium, Pomponium, Nonium. Vide Nonium Marcellum, & Turnebum, lib. vii. Aduers. cap. iv. Vt autem à δῶ est *do*, ita à δόω est *duo*, *o* in *u* conuerso. Hinc *duint*, & *perduint*, apud Comicos. Et *adduas*, *addideris*. Sic MSS. Malim tamen *adduis*, à prima *adduim*. *Duo* verò habes apud Plautum, Aulularia:

Vbi ille abijt, ego me deorsum duo de arbore.

Sic eum locum rectè meo iudicio emendat Gaspar Schoppius, libro iv. suspect. lect. epistola iii. In vulgaris pro *duo* est *duco*, quomodo & Nonius legit, qui id explicat, *demitto*, *descendo*. Inter composita à *do* est *abdo*, & contrarium *indo*. A priori est *abditiuus*. hoc est, *abortiuus*, vt Festus exponit: ἀποπαιδίας, vt vett. Glossæ interpretantur. Ab eodem est *dedere*. De quo vetus Terentij interpres: *Dare est, quod repetas: dedere est, ad perpetuum: damus amicis; dedimus tantùm hostibus.* Festus: *Dedita, valde data.* Quomodo dicimus *dedita opera*. Item hinc est *dido*: nempe à *di*, vel potius *dis*, & *do*, vnde propriè notat *distribuere*. Inde, vt Donatus interpretatur, *diffundere in multos*. Glossæ Latino-Græc. *Dido*, διαδίδωμι. Glossæ Isidori, *Diditum, percrebratum, diuulgatum*. Maro:

——— *Tua terris didita fama.*

Item:

Diditur hic subitò Troiana per agmina rumor.

Ab eodem est *prodo*. Diomedes, cap. de Præpos. *Prodere antè dare significat, vt prodere patriam auctum proditor. Modo porrò dare, & propagare. Vt*

Italiam regeret, genus alto à sanguine Teucri
Proderet. ———

A *do* quoque est *condo*; quod propriè (vt Festus ait) *est in vnum & interiorem locum dare ad custodiam faciliorem.* Inde *abscondo*, pro quo Velius Longus vett. scripsisse ait, *apscondo*: nempe quod putarent durius sonare *B* ante *S*. eâque de caussâ & *apstulit* dicebant pro *abstulit*, vt antiquorum codicum inscriptionúmque auctoritate comprobat Pierius, lib. iv. Æn. Ab *abscondo* est *absconsè*, λάθρα, vt est in Gloss. Philoxeni. A *præ* & *do* est *præditus*. Vt *præditus prudentia*, qui præ alijs prudentia donatus.

Doceo, si Varronem audimus in v. de L. L. vel à *dico* fuerit, quia *dicendo docemus*: vel à *duco*, quia *docens* aliquam alteri opinionem *inducit*. Sed melius multò Scaliger & Nunnesius, qui censent esse à δοκεῖν, quod est *existimare*, *putare*; vnde δόγματα, *decreta ac placita doctorum*.

Dodrans, à *de* & *quadrans*. Deest enim quadrans quo minus sit as. Qua de re plura in *As*. A *dodrans* est *dodra*, quia vt *dodrans* valet nouem vncias: ita hæc potio constet nouem rebus. Ausonius. Epigr. lxxxv.

Dodra ex dodrante est; sic colligo iura, aquam, vinum,
Sal, oleum, panem, mel, piper, herba, nouem.

A a Dolabra;

DOLABRA, à *dolando*; vt à *terendo*, *terebra*. Hinc ὑποκοριστικῶς *dolabella*. quod & nomen familiæ Romanæ. Ab eo *Dolabelliana* dicta *pyra* longissimi pediculi. Plinius, libro XV. cap. XV.

DOLARE, fortè à דלל, id est, *attenuauit*. Nam quæ *dolantur*, attenuantur. Olim & *dolitum* pro *dolatum* dicebatur, vt probat Nonius illo Varronis Agathone: *Nummam celatus in manu dextera scyphus calo dolitus artem ostentat Mentoris.* Compositum *dedolare* est apud Columellam & alios. Κατὰ μεταφορὰν *dedolare aliquem* Plautus dicit, id est, λιθοπελεκᾶν. *Edolare* vsurpat Varro, Bimarco: *Cum Quinctipor Clodianus tot Comœdias sine vlla fecerit Musa, ego vnum libellum non edolem, vt ait Ennius?* Citat Nonius *Edolare*.

DOLIVM, quia *dolando* fabricatur. Hinc Romæ *Doliola*. Festus: *Doliola locus in vrbe sic vocatus, quia inuadentibus Gallis Senonibus vrbem, sacra in eodem loco doliolis (al. dolijs duobus) reposita fuerunt; qua de caussa in eodem loco ne despuere quidem alicui licebat.*

DOLONES, à *dolo*. Esse tela bellica ait Donatus, Eunuch. Act. III. III. De eodem sic Seruius, ad illud Maronis, VIII. Æneidos.

Pila manu, sæuósque gerunt in bella dolones.

Dolo, inquit, est flagellum, intra cuius virgam latet pugio: aut secundum Varronem, ingens contus cum ferro breuissimo; dolones autem à fallendo dicti sunt, quod decipiant ferro, cùm speciem præferant ligni.

DOLOR, non à *dolare*, vti Perottus volebat, sed à חול, id est, *doluit*: vel à דלל, *attenuauit*: nam *dolor* attenuat corpus.

DOLVS, à Græco δόλος, quod idem: non à *dolando*: quanquam ita Donatus, ad Eunuch. Act. III. sc. III. *Dolus, inquit, à ledendo dictus, hoc est, à dolando, id est, minuendo. Nam & δόλος Græcis læsio dicitur, & dolones tela quadam bellica, & dolare fabri lignum est ascia cædere.* Nec meliùs Isidorus, qui libro V. capite XXVI. deducit ab eo quod *deludat*. Neque rectiùs, qui à *dolendo* deducunt: quanquam pro ijs facere videtur hoc Petronij, apud Isidorum, ibidem: *Quid est, iudices, dolus? nimirum vbi aliquid factum est, quod legi dolet. Habetis dolum; accipite nunc malum.* Sed hæc allusio est, non ἐτυμολογία. Sauaroni placet *dolus* hîc poni pro *dolor*, quomodo & *honos* dixere pro *honos*, siue *honor*; *colus* pro *color*; *labos* pro *labor*: quemadmodum is, quem dixi, comprobat, ad Sidonij lib. V. epistola III. Verùm non *dolorem*, sed *dolum* intelligi, ostendunt extrema Petronij verba.

DOMARE, à δαμᾶν: A in O conuerso. A δαμᾶν est ἀδάμας, *adamas*, quasi ἀδάμαστος. de quo seorsim. Item δάμαρ, *vxor*, quasi *domita*, ac maritali iugo subacta. A δάμαρ est Gallicum *dame*, nisi malis ex *Domna*, quomodo posterioris æui scriptores dixere pro *Domina*.

DOMINOR, fortasse est à δυναμαι, literarum traiectione, quomodo à φλέγω est *fulgeo*; à σκέπτω σκοπῶ, *specio*, &c. Vel potiùs dicendum, esse à *dominus*, hoc à Punico *domi*. quod idem notat; vnde *audoni*, id est, *aue domine*, apud Plautum Pœnulo, & libro III. ἀνθολογ. epigr. in Meleagrum iuxta restitutionem Scaligeri, appendice in libros de emendat. Temp. Vel sit *dominus* à *domus*. Propriè enim *dominus* οἰκοδεσπότης, *dominari* οἰκοδεσποτεῖν. Cúmque *dominus* & *seruus* sint τῶν πρός τι, erit *dominium* propriè in *seruos*, vnde & *patremfamilias* dicimus: nam *familia* propriè *famulorum* siue *seruorum*. De *domnus* & *domna* pro *dominus* & *domina*, vide Scalig. ad Euseb. pag. CCXL. vbi de *domna Iulia Seuera*.

DOMVS, Græcè δόμος, quod à δέμω, id est, *exstruo*. *Domicilium* ab *incolenda domo*, quasi *domicolium*. Nisi *cilium* in *domicilium* solùm vocis productio est: quod verius puto. A *domo* & *itio* est *domuitio*. verbum antiquum, quo vsi Paccuuius, Lucillius, Plautus, Appuleius. Apud Ciceronem quoque primo de Diuinat. legere est: *Classi propinquum reditum ac domuitionem dari.*

DONEC, si vocabulum spectes, factum videatur ex *dum*, & *nec*, vt, nempe *dum*, in compositione fiat *do*: vti pro *cum* interdum dicimus *co*, vt in *coire*, & in vett. libb. *coiux* pro *coniux*. Sed obstare videtur significatio. Nec enim, *Donec eris felix*, notat, *dum nec eris felix*, sed, *dum eris*. Quare dicere malo, *donec* esse ex *donicum*, quod crebrum Plauto. Etiam Liuium, & Catonem, vsurpare, ostendit Charisius, cap. de Aduerbio. Giffanius Ciceronem quoque eo vsum pertendit. Meminere & Glossæ vett. vbi legendum, *Donicum*, ὅχρις οὗ. *Donicum* autem fortè ex *dum* & *quidem* conflatum. Nam *donicum eris*, est, *dum quidem eris*, hoc est, *quamdiu*, & *quousque eris*. Q in C & hoc in illud abire, satis notum est. Vel sit *donicum* ex *dum*, & *cum*. Nam *donicum eris*, est, *dum & cum eris*.

DONVM, à *do*, vt *bonum*, siue, vt veteres dixerunt, *benum* à *beo*; vel est *donum* à δῶρον, conuerso ρ in ν, vt Festus & Angelus Caninius putarunt. Vel potiùs, vt à δαμᾶν est *domare*, sic *donum* à δάνος, quod idem notat. A quo δάνειον, *fœnus*, vnde δανείζω, *fœnero*. A quo δανειστὴς, *fœnerator*, qui & Latinis *danista*. Δάνος verò à נתן *dedit*, κατὰ μετάθεσιν. A *donum* est *donare*, vnde *donarium*, vt ab *armare*, *armarium*. Nisi malis a *donum*, vt ab *argento argentarius*. Vt differant *donum*, & *donarium*, ostendit obiter Cornelius Fronto. Nam de *doni* & *muneris* differentia agens: *Donum, inquit, quod Dijs datur. Inde vbi dona ponuntur, donarium appellatum.* De *doni* & *muneris* discrimine, vide Andream Alciatum. lib. III Dispunct. cap. XIII. A *donatum* est *donatiuum*, vt à *genitum*, *genitiuum*; à *statum*, *statiua*, &c. Differt *donatiuum* à *donario*, quòd *donarium* sit ἀνάθημα, cuiusmodi in fanis: *donatiuum*, λαμπρὰ ἐπίδοσις, hoc est, quod Imperator largitur in milites, vt *congiarium*, quod in populum. A *donum* quoque est *donaticus*; vt à *balneum*, *balneaticus*; à *rus*, *rusticus*. Festus: *Donatica corona dicta, quòd his victores in ludis donabantur.* Etiam sic dictæ, quibus milites donati virtutis ergò: vt in verbis Catonis apud Festum in *optionatus*.

DORCAS, δορκάς. Etymologus: Δορκὰς, παρὰ τὸ δέρκω, τὸ βλέπω, δέρκας καὶ δορκὰς; ὀξυδερκὲς γὰρ τὸ ζῶον, καὶ εὐόμματον. Idem etymon adfert Origenes (si is auctor) in Cant. Cantic. homil. III. Item Isidorus, lib. XII. cap. I. *Caprea, inquit, vocitata, quæ sunt capræ syluestres, quas Græci, eò quòd acutissimè videant, ἀπὸ τοῦ ὀξὺ δέρκεσθαι, dorcadas appellauerunt. Morantur enim in excelsis montibus, & quamuis de longinquo, vident tamen omnes qui veniunt.* Ad hanc nominis rationem pertinet etiam hic locus Plinij, lib. XXVIII. cap. II. *Capras negant lippire, quoniam ea quasdam herbas edant; item dorcades.* Notandum autem, quòd Isidorus quoque *capream*, ac *dorcada*, faciat eandem: quæ Plinius distinguit, sed simili, vt Leonicenus censet, errore, atque alibi idem pro diuersis habet *vespertilionem* & *nycteridem*. Sanè & in vett. Glossis legas, Δορκὰς, *capreola*. Sed ibidem & *dama* exponitur.

DORMIO, prius *dermio* fuit, vt *olus*, *elus*; *homo*, *hemo*; *bonus*, *benus*; *Apollo*, *Apello*, &c. *Dermio* verò ἀπὸ τῶν δερμάτων, id est, *pellibus*, quibus dormientes incubabant: qua de re fusius dicemus in *Segestria*. A *dormio* est *dormito*, hoc est, *dormire cupio*, siue *leuiter dormio*, quod Belgæ dicunt *sluymeren*. Plaut. Amphytr. Act. II. II.

Te dormitare aiebas, mensa ablata est, cubitum hinc abimus.

Horat. in Arte:

——*Quandoque bonus dormitat Homerus.*

Qui locus satis indicat, *dormito* non tam frequentatiuum esse, vti plerique aiunt, quàm desideratiuum: cuiusmodi etiam sunt *prenso*, *capto*, *vendito*, *ostento*, *munito*: quemadmodum de singulis horum docet Turnebus, lib. XXV. cap. XV. A *dormio* quoque est *dormitorium*. Glossæ Philoxeni: *Dormitorium*, κοιμητήριον.

DORSVM, à *deorsum*. Festus: *Dorsum dictum, quod pars ea corporis deuexa sit deorsum.* Hinc *dorsuarius*, qui dorso gestat: νωτοφόρος vt Glossæ exponunt. Pro eo & *dossuarius* dixere, vti *dossum* pro *dorsum*. *Exdorsuare*, dorsum confringere, vel adimere: iuxta Festum.

DOS, à Græco δὼς, quod idem ac δόμα, seu δόσις. Hesych. Δὼς, δόσις. Hinc Hesiod. ἔργ. Δὼς ἀγαθή. Ab inusitato eius genitiuo δωτὸς est δωτίνη, quod idem. Vsus Homerus. Ab eo *doti* nomen esse scribit Varro, qui libro IV. de L. L. sic scribit: *Dos erit pecunia, si nuptiarum caussa data: hæc Græcè δωτίνη; ita enim hoc Siculi.* Festus verum à δὼς, an δωτίνη, esse censeat, non ponit. Tantum dicit, dici à διδόναι, quod est, *dare*. Sed prius verum. At ridiculè illi, qui *dotem* aiunt dici quasi *do item*. *Dotem* alij quidem promittunt, vt dicit pater, item mulier aut debitor eius: qui soli dictione obligantur, cum promissione obligentur omnes; vnde liquet, dictionem dotis esse speciem verborum obligationis. L. Promittendo dotem. D. de iure dot. Formula, quâ dotem dicebant, erat istiusmodi: *Tot doti tibi erunt.* L. XXV. L. XLIV. L. XLVI. D. de iur. dot. Græcis *dos* est φερνὴ, vnde ἀντίφερνα appellantur, *quæ sponsæ a sponso donantur*. Hesych. Δωτίνη, δῶρα φερνῆς. Lego, Δὼς, φερνή.

DRACO, iuxta Seruium, in II. Æneidos dicitur in templis, qui alibi in terra *serpens*, in aqua *anguis*. Virgilius tamen dixit:

——*Latet anguis in herba.*

Draco, δράκων, Iul. Scaligero, Exercitat. CLXXXIII. sect. XII. vocari putatur sic, παρὰ τὸ δρᾶν ἄχος, *quia pariat dolorem*: quippe animal venenatum, hominique inimicum. Sed non satis conuenit cum ijs, quæ de *draconibus* tradita sunt antiquis. Nã Solinus ait ora esse ijs adeò exigua, vt mordere non possint,

imo

imò Plinius, lib. XXIX. cap. IV. ait, *draco non habet venena*. Sed postea, *Neque venenatus est, nisi per mensem Lunæ instigatus.* Et postea subdit, *Vulgóque pascitur & in domibus.* Similiter Lucanus, lib. IX.

> *Vos quoque, qui cunctis innoxia numina terris*
> *Serpitis aurato nitidi fulgore dracones,*
> *Pestiferos ardens facit Africa.*

Negat *dracones* esse noxios, præterquam in vna Africa. Vocat *numina*, quia putarentur esse boni genij, eóque honore colerentur diuino. Seruius, in illud III Æneid.

> *Vipera delituit, cœlumque exterrita fugit.*

Tectis gaudet, vt sunt ἀγαθοὶ δαίμονες, quos Latini genios vocant. Plinius, lib. XXIX. cap. IV. *Caput* (draconis) *limini ianuarum subditum, propitiatis adoratione Diis, fortunatam domum facere promittitur.* Sed hæc de veris *draconibus* intelligi debent, vt loquitur Solinus: *Veris*, inquit, *draconibus ora parua, & ad morsus non dehiscentia.* Et sanè Plinius ipse tradit, quæ *draconum* morsibus auxilientur: vt videre est lib. XXIV. cap. vlt. & lib. XXVI. cap. VI. Interim ista ostendunt, caussam non fuisse, cur à veneno *draconi* singulare nomen imponeretur. Itaque Festus, & veterum alij potius deducunt ab ἔδρακον, quod κατὰ μετάθεσιν ponitur pro ἔδαρκον, à δέρκω, id est, βλέπω. Vnde similiter τὸ δράκος, *oculus*, quomodo vsus Nicander. Causa nomini est, quod *dracones acutè videant*, imo & insomnes sint. Huiusmodi sanè a poetis traduntur, qui ideirco eos præfecere hortis Hesperidum, aureóque Æetæ pecori. Nec aliud est in caussâ, cur Phidias Palladis statuæ *draconem* supposuerit. Aut cur Æsculapio sint dicati, vt monet Festus. Probat hanc sententiam quoque Macrobius, lib. I. Saturn cap. XX. *Draco*, inquit, *nuncupatus* ἀπὸ τοῦ δέρκειν, *id est, videre. Nam ferunt hunc serpentem acie acutissima & peruigili naturam sideris huius imitari; atque ideo adium, adytorum, oraculorum, thesaurorum custodiam draconibus assignari.* Quod si δράκων est a δέρκειν, etiam ὄφις videri possit venire ab ὄπτω, siue ὄπτομαι, quod idem ac δέρκειν. Sanè π in φ non rarò mutatur. Ita à σκάπτω, est σκάφη; à κολάπτω, κόλαφος, &c. Potius tamen ὄφις sit ab Hebræo אפע, quod idem. Vide quæ in *Pithia* dicimus. Etiam *palmes vetus* atque inutilis, *draco* Plinio vocatur κατὰ μεταφοράν, quia *tortuosus, instar draconis*. Fuere & *dracones* inter *signa Romanorum militaria*: vt ex XVI. Ammiani videmus. Indéque *draconarius*, signifer, qui *draconis signum ferret*: teste Vegetio, lib. II. cap. VII. A *dracone* est *draconites*, pro quo in vulgatis libris est *draconitis*. Sed Græci δρακοντίας dicunt, vnde ὁ δρακοντίου. Nisi vt pro δράκοντα dixere *draconem*, ita & ab eo *draconitis* formarint, pro δρακοντίας. Aliter *draconitia* vocatur. Exciditur è cerebro *draconis*: sed non alius, quàm cui viuenti caput sit recisum. Auctor Plinius, lib. XXXVII. cap. X. & Solinus, cap. XXXIII. *Dracunculus* Græcis δρακόντειον ἄρον, quasi *arum serpentinum* siue *draconinum* dicas. posterioribus αὐτὸ δρακόντιον, vt κυνόσβατον dixere pro κυνόσβατος. Nomen ex eo, quia, vt Theophrastus Historiæ suæ libro vltimo ait, καυλὸν ἔχει ποικίλον ὀφιώδη; hoc est, *caulem habet varium, ac insignem maculis, quæ serpentinis sint similes.* Plinius de radice eius scribit, *dracunculus subrutilam, & draconis conuolutis modo, vnde & nomen.* Apuleius de eodem: *Ima radix caput draconis habet.* Vbi *caput* dicit *nucleum bulbi*, quomodo & Græci κεφαλὴν appellant.

DRAMA, δρᾶμα, à Dorico δρᾶν, quod est *agere*, quomodo & partes fabulæ *actus* dixere. Vide Aristotelem in arte Poëtica, & quæ nos libello de eodem argumento.

DRAVCI, *qui alios subagitarent*, à Dorico δρᾶν, id est, *agere*; vt contra *pathici*, qui subagitabantur, nempe ἀπὸ τοῦ πάθειν. Domit. Calder. ad Mart. lib. I. epigr. XXIV. At à *draucis* differunt *dauci*. Nam *daucus* corruptum ex δαῦχος. Plautus, Capt. Act. I. sc. I.

> *Tute tibi puerus daucus luces cereum.*

Ita Scaliger legit. vbi vulgo, *puer est lautus*. Vide eum, in Coniectaneis.

DRAPETÆ (δραπέται) dicuntur fugitiui à Græco δράω, hoc est, *fugio*. Vsus Plautus, Curcul. Act. II. sc. III.

DROMO, δρόμων, ὁ μικρὸς καρκίνος, *cancer paruus*, teste Hesychio. Etiam Plinius, lib. XXXII. cap. II. *dromonem* recenset inter CLXXVI. genera animantium, in mari viuentium. Creditur esse, qui Aristoteli δρομίας, lib. I. Hist. Anim. c. I. *Dromon* autem, seu δρόμων, dictus à δρόμος, hoc est, *cursus*, quia celerrimè decurrit per summas aquas. Nam δρέμω, *curro*, δρόμος, *cursus*. Vnde & seruulo Terentiano *Dromonis* nomen inditum. Ab eodem δρέμω cameli genus δρομάς, quod Straboni in XV. iunctim vocatur δρομὰς κάμηλος, vti & Curtio *dromas camelus*. Nempe vt distinguant a *dromade pisce*. Pro *dromas dromeda* etiam legas. Isidor. lib. XII. cap. I.

DROMEDA, *genus est camelorum, minoris quidem staturæ, sed velocioris. Vnde & nomen habet. Nam δρόμος Græcè cursus velocitas appellatur. Centum & amplius milliaria vno die pergere solet. Quod animal, sicut bos, & ouis, & camelus, ruminat.* Puto autem, apud Isidorum *dromada*, per *a* legi debere: quia posteriores solicant rectos suos formare ex accusatiuis Græcis. Vt *hebdomada* pro *hebdomas*; *lampada* pro *lampas*. Similiter igitur *dromada* sit ex *dromas*. Sed dicere licet, vt ex Νομάς fecere *Numida*, sic ex δρομάδα esse *dromida*, vel *dromeda*. Vulgo hoc camelorum genus *dromedarius* appellatur ex vulgari *dromeda*.

DRVIDÆ, siue *Druides* (sic enim vocantur à Cæsare eodémque modo apud Ciceronem, de Diuinat. legit Nizolius.) ij erant apud Gallos, qui Græcis Philosophi, Persis Magi, Indis Gymnosophistæ, Assyriis Chaldæi: vt scribit in proœmio Diogenes Laertiensis. Originem à Græcis petit Plinius, lib. XVI. cap. XLIV. vbi sic scribit: *Nihil habent Druidæ (ita suos appellant magos) visco & arbore in qua gignatur (si modo sit robur,) sacratius. Iam per se roborum eligunt lucos: nec vlla sacra sine eâ fronde conficiunt, vt inde appellati quoque interpretatione Græcâ possint Druidæ videri.* Sensit igitur Plinius, esse à Græco δρῦς, id est, *quercus*; quia, vt inquit, *roborum eligunt lucos*: quod ipsum confirmatur illo Lucani, lib. I.

> ——*Nemora alta remotis*
> *Incolitis lucis.*——

Et hoc Cæsaris, lib. 6 de bello Gallico: *Ij certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, considunt in luco consecrato.* Sic eum locum rectè corrigit Isaacus Casaubonus, in notis ad Laertium: In vulgatis pro *luco* est *loco*. Sed quod ad etymon hoc attinet (quod Becmanus quoque sequitur, ac certissimum putat Fungerius) placet sapiens Strabonis consilium, qui negat in appellationibus gentium barbararum quærendas esse etymologias Græcas. Mirum verò doctissimum Cambdenum in Britanniâ sua subscribere Plinio, cùm idem auctor sit, Alfricum prodere, *Magum* Saxonibus *Dry* vocari. Nam verisimile magis ab hoc esse *Druidæ*, quam hoc à *Druidis*. Sanè Plinius quoque, vt ante vidimus, ait *magos* Gallis *Druidas* vocari. Adde quod *Druidarum* nomen inde est vnde disciplina. At Cæsar, lib. VI. & Tacitus, XIV. Annal. auctores sunt, *Druidarum* disciplinam esse è Britannia, vbi nullam vnquam Græcorum coloniam deductam constat. Non igitur a Græcis ea vox, sed Britannis quibus Germanica lingua in vsu fuit, vt auctores sunt Tacitus, & Cæsar: ille enim habitantibus *Caledoniam*, quæ *Scotia* hodie vocatur, Germanicam originem tribuit: hic in Britanniam colones transiisse ait ex Belgica, in qua eodem auctore, Germani Cis-Rhenani. Quare ingeniosè Goropius Becanus, lib. I. Gallicorum, vbi *Druas* Germanicum esse putat, quasi *trouwis*, & Britannicâ Dialecto *trewis*. Sonet ea vox *veritatis ac fidei doctorem*. Nam posterior vocis pars *wis* seu *wys*, si verbum est, notat *ostendere* (id enim Belgis *wysen*:) sin nomen, significat *sapiens intelligens*: prior *tru* siue *trow* signat fidem, vnde & *Deus* antiquâ Germanorum linguâ, *Druttin*, vel *Truttin*, quasi *fidelis*, vocatur vt discere est ex Otfridi Euangelio ante annos IDCL. scripto, ante quinquaginta typis excuso. Plura de *Druidis* Strabo, lib. IV. Lucanus, lib. I. Plin. lib XVI. cap. XLIV Marcellinus lib. XV. & ante omnes Cæsar, lib VI. è iunioribus fusè de iis Elias Vinetus ad Ausonij Professores. & P. Merula, Cosmographiæ suæ parte II. lib. III. cap. XI.

DRVNGARIVS, erat magistratus in rep. Constantinopolitanâ, ac iuxta nonnullos erat *præfectus cohortis*: à *drungus*, quod, vt è Codino Glossis Basilicis constat, *cuneum*, siue *globum*, *in acie*, significat. E Latinis *drungi* voce vsus Vopiscus, in Aureliano. *Drungarij* functus munere Zonaras, cuius historiam & scholia in canones Apostolicos habemus. Plura vide apud Fr. Iunium notis ad Codinum; Casaubonum, ad Vopiscum, Radulphum Fornerium, lib. II. Selectionum, cap I. & I. Meursium, Glossario Græcobarbaro.

DVBITO, nonnullis placet dici quasi *debito*: vt sit ab antiquo *bito*, vnde *Bitienses*, & composita *rebito* pro *redeo*, *perbito* pro *pereo*; ac similiter *combito*, *inuito*, *prabito*. Alij dicunt conflari ex *duo* & *via*, *V* in *B* consonam abeunte: quæ Isidori mens est in decimo. Alij ex *duo* & *ito*, quia e duobus vtrum eligi debeat, ambiguum est. Sanè a *duo* venire indicat his verbis Cornelius Fronto: *Incertum nec tempus, nec numerum, recipit: dubium à duobus incipit.* Et Græcis similiter à δὶς, & ἄζω, dicuntur διστάζειν quorum animus est incertus. Ita vsurpat Matthæus, cap. XIV. XXXI. Verùm cum Græcum hoc compositum sit, *dubito* potius est simplex deriuatum à *duo*, imò nec *dubius* inde venire puto: sed à *duo* est *dubium* vnde *dubiare*, à quo *dubitare*,

tare. Nam vett. *dubio* pro *dubito* dixisse, auctor est Festus. Perperam enim in MS'. *dubat* pro *dubitat*. Atque vt à *duo* est *duvito*, ita Græci à δύο ἐνδοιάζω, id est, *dubito, auito, ambigo*.

Dvco, pro *puto*, à *duco* venire scribit Festus: at cum notat ἄγειν, non displicet esse à δεῖ ῶ seu δείκνυμι quod est *monstro*; vt proprie *ducere* sit ostendere viam. Nisi magis placet sententia Nunnesij, cui *duco* est ab ἡγεῖσθαι, *dux* à ἡγός. Sæpe enim *T* abit in *D*, vt Βρεντήσιον *Brundisium*. A *duco* est *ductus*, vnde *ductim*, & *ductitius*. Pro substantiuo *ductus* posteriores dixere *ducatus*. Suetonius, Tiberio, cap. xix. *Confidens veniebat, ostento sibi ac matre ribus suis in omni ducatu expertissimo*. Inuenias & apud Iulium Capitolinum, & alios. Interdum & pro ipsa *præfectura* sumitur, vt apud Sueton. Nerone, cap. xxxv. Lampridium item, aliísque. Denique acceptum quoque pro *regione* ipsa: nempe postquam dignitas Ducum aucta & agros, villas, oppidáque sibi ad victum assignata posteris cœperunt transmittere: quod primus permisit Constantinus Augustus. Videri autem possit à *dux* fieri *ducatus*, vt à *senex*, *senatus*. Sed obstat, quod & *ducatores* legimus. Vsus eo Alphenus Iurisc. apud Vlpianum, in l quemadmodum. §. si nauis. ff. ad l. Aquiliam. *Si nauis alteram contra se venientem obruisset, aut in gubernatorem aut in ducatorem, actionem competere damni iniuria Alphenus ait*. In Lexico quoque B. Germani legere est: *Ducatores*, ἀγοί, ἡγεμόνες, προηγηταί. Quare malim has voces esse à *ducare* quomodo posteriori æuo dixere, pro *ducere*. Quemadmodum autem à *duco* est *dux*; à *reduco*, *redux*, sic & à *traduco*, & *produco*, dicitur *tradux*, & *produx*: vt apud Cornelium Seuerum in Ætnâ. *Traduce materia*: & apud Tertullianum, lib. de carne Christi: *Producem mutuo coetu*. A *producendo* est *productale* & *productal*, stylus, quo producerent lineam ad scripturam dirigendam. Græci posteriores παραγραφεῖον vocarunt. Gloss. Tit. de ferreis instrumentis: Παραγραφεῖον, *productile*. Itidem in colloquiis veteribus puerilibus *productale* vertitur παραγραφεῖον.

Dvdvm, ex *diu*, & *dum*. *Diu*, à *dies*. Vide *dies*.

Dvlcis, quia *delicit*, hoc est, *delectat*. Priùs fuit *delicis*, hinc κατὰ συγκοπὴν *dulcis*. Vt autem ab *hemo*, *homo*; à *henus*, *bonus*: sic à *delcis*, *dolcis*, & postea *dulcis*. Vel dicitur à γλυκὺς pro *gulcis*. Facta μετάθεσις, & mutatum γ in δ. quomodo pro γῆ siue γᾶ dicitur δᾶ, vt ὦ δᾶ, hoc est, ὦ μὰ τὴν γῆν. Indéque & Δημήτηρ, quasi δᾶ, hoc est, γῆ μήτηρ. Ab eodem γλυκὺς Latini dixere *glucidatus*, & conuerso *G* in *C* (vt in aliis multis) *clucidatus*. Festus: *Clucidatum, dulce & suaue dicebatur*. Et alibi: *Glucidatum, suaue & iucundum. Græci etenim* γλυκὺ *dulcem dicunt*. Itaque & Varronis locum, qui est vi. de L.L. sic emendat Scaliger: *Clucidatus, suauis: tametsi à magistris accepimus mansuetum*. In vulgatis est *candacus*, seu *caudacus*, vnde & Turnebus in notis postumis putabat esse à *gaudio*, quia suauibus *gaudemus*. Sed *clucidatus* legendum ex Festo: propiúsque paullò ab hac lectione abest vetus editio Mediolanensis anni ClϽIϽ. in quâ est *caudacus*, non *candacus*. A *dulcis* sunt *edulcare*, *obdulcare*, *indulcare*: non tamen *dulcis*, sed primò sunt à *dulcare*: hoc ea ratione venit à *dulceo* (vnde *dulcesco*,) qua *mulcare* est à *mulceo*, vnde *Mulciber*. *Edulcare* est in versibus Cn. Martij, apud Gellium, & Nonium.

Quapropter edulcare conuenit vitam,
Curásque acerbas sensibus gubernare.

Indulcare vsurpat Tertullianus aduersus Iudæos, cap. xiii. *Hoc enim lignum tunc in Sacramento erat, quo Moses aquam amaram indulcauit*. Notæ veterum ex Magnone: i ≈ g v *indulcatio*. *Obdulcare* est apud Cœlium Aurelianum, tardar. passionum lib. iii. cap. i. *Cætera coquentes, atque obdulcantes sale & oleo ægris offerunt comedenda*. Vtitur & Ambrosius, lib. v. Hexam. cap. xxi. de melle: *Nec solum voluptati; sed etiam saluti est: Fauces obdulcat & curat vulnera*. Sunt verò hæc omnia, vti dicebam, à *dulcare*: quo vsus Sidonius, lib. v, epist 4. *Vt contractæ apud nos offensæ amaritudinem politu affatibus dulcare non desinant*: ac, nequis hîc *edulcare* legendum putet, est apud eundem, Carm. ii.

Dulcatis cunctata vadis.

Dvmvs, fortè ex θάμνος, quod vett. Glossæ *dumum* interpretantur. Vel, quod Scaliger censet, de caussis L.L. cap. xxvi. à δύνω, quod à δύω, *subeo*, quia subeant eò animalia, vt lateant: vel δρυμὸς, vnde δρυμῶν, quod à Budæo *dumus* & *dumetum*, vertitur in Basilij epistola de vita in solitudine agenda. Propriè tamen δρυμὸς, *sylua quercna*, *quercetum*. à δρῦς. A δρυμὸς κατὰ μετάθεσιν fit *durmus*, vnde *R* in *S* abeunte *dusmus*, & eliso *S dumus*. Vt à *casnus*, *casmena*, *carmen*, *cano*. *Dusmoso in loco* pro *dumoso* dixit Liuius Andronicus: vt Festus testatur. Sed censet *S* insertum esse: vt in *cæsna* pro *cœna*. A *dumus* est *dumicetum*, *dumectum*, *dumetum*. Festus: *Dumecta antiquis, quasi dumiceta appellabant, quæ nos dumeta*.

Dvntaxat, *ab aduerbio componitur & verbo*: vt est apud Priscianum, in xv. Nempe conflatum vult à *dum* & *taxo*. Vt *duntaxat* valeat, *dum taxetur hoc vnum*, hoc est, æstimando vnum istoc.

Dvo, nomen à δύο. *Duo* verbum vetus à δύω. Vide *Do. Duplex* ex Græco διπλαξ, quod Eustathius agnoscit. Sic *triplex* à τρίπλαξ, quod habet τοῖς ποιηταῖς. Vel *duplex* à *duo* & *plico*: vt *simplex*, *simplica*; *triplex* à *tribus plicis*. A *duplex* est *duplicarius*: quomodo in militia dicebatur, qui *duplicem* acciperet *mercedem*. At *duplus* à διπλόος, διπλοῦς. Atque vt à *ternus ternio*; ita à *duplus*, *duplio*. Festus: *Duplionem antiqui dicebant, quod nos duplum. Venit autem à Græco* διπλοῦ*.* Vide *plico*.

Dvpondivs, quia *duo pondo* continet. Ex *dupondius* verò *dipondius* fecere. Hyginus de metatione agrorum: *Sicut dupondium nunc dicimus dipondium*. Gloss. *Dipondium*, διπόνδιον.

Dvratevs, vel *durius*, Græc. δουράτεος vel δούρειος, significat *ligneus*, ab antiquo δοῦρυ, id est, ξύλον, siue ξύλον. At *duricus* non magis à δοῦρυ esse potest, quàm *ligneus* à *lignum*. Id adieci ne quis auctoritate motus Politiani (quem & Erythræus secutus Ind. Virgil. voce *simulacrum*) apud Valerium Flaccum, lib. ii. legat, *Manes immersis non durica castris*: vbi omnino vel *durica* legi debet, vel, quod visum Gifanio, Indice Lucretian *Durateus*, *Dorica*, vt eodem modo dicatur *dies Dorica*, quo *Alliensis*.

Dvrities vox videtur ab arboribus sumpta: vti & *roboris*. Sanè δοῦρυ olim *lignum*, de quo in *Durateus* dictum, vel est *durus* ab Hebræo דור, id est, *durauit*, *durabilis fuit*. *Durare* est pati: quia homines *duri*, quales agrestes, sunt fortiores. Nec solum *duras*, qui perfert miseriam, quod Græci καρτερεῖν; sed etiam *durat* fullo, cùm vestem cogendo & incretando duram efficit. Ludit huius vocabuli ὁμωνυμίᾳ parasitus Plautinus, Asin. Act v. sc. ii. vbi cùm afflicta dixisset Artemona: *Non queo durare*: subiicit parasitus:

———*Si non didicisti fulloniam,*
Non est mirandum———

A *duritie* quoque vua dicitur *duracina*, docet id Plinius, lib. xv. cap. i. vbi, de Italiâ loquens ait: *Vua non alibi gratior callo: vt inde possit inuenisse nomen duracina. Namque genera magnitudine, colore, saporibus, acinis innumero, etiamnum multiplicantur vino*. Meminit eius vuæ Augustus quoque, ex cuius Epistolâ citat Tranquillus: *Dum lecticâ ex regia domum redeo, panis vnciam cum paucis acinis vuæ duracinæ comedi*. Existimare aliquis possit *duracinus* esse à *duris acinis*. Sed obstat, quod non acinos, verum callum duritiem habere Plinius dicit. Adde quod & *Persica* dicta à duriori carne *duracina*, vt videmus apud eundem Plinium, lib. xv. cap. xii. Quare *duracinus* puto esse simplex deriuatum. *Cinus* fit productio vocis, vt *cinium* in *tyrocinium*, *gineus* in *ferrugineus*, *cilium* in *domicilium*, & alia in aliis. At verè compositum est *duricordium*, quomodo, quam Græci σκληροκαρδίαν vocant, Tertullianus transfert in quinto aduersus Marcionem.

E

E, *Ec*, & *eci*, siue *ex*, veteres dixere, haut aliter ac dixere *à ab*, & *abs*. Quemadmodum autem *A* factum κατ' ἀποκοπὴν ab ἀπὸ, vnde & eadem ratione factum *A B*, ita *E* κατ' ἀποκοπὴν factum ab ἐκ: *ec* vero & *ex* planè sunt Græcorum, qui & ipsi similiter ἐκ & ἐξ dicunt. *Ec* dixisse antiquos patet ex *ecferre*, *ecfatus*, *ecfodere*, & similibus, quæ in vett. monumentis inueniuntur. Posteriores, euphoniæ studentes, ea mutarunt in *effari*, *effatus*, atque ita in aliis. Fortassis & *exsul*, *exsto*, *exsilio*, aliáque eius farinæ, non ab *ex* sunt, sed ab *ec*. Sanè si prius verum, merito in iis *S* additur. Nam quod *S* in *E X* contineri aiunt, id nullius ponderis est, quando nihil prohibet *S S* geminari, vt in *iussus*, *passus*, *caussa*, & similibus. Quare nec caussa fit cur non similiter dicatur *ecs-sul*, *ecs-silium ecs-sto*: siue *X* pro *C S* posito, *exsul*, *exsilium*, *exsto*. Sed si ea sunt ab *E C*, iam *S* alterum redundabit. Nam *ec-sul*, *ec-silio*, *ec-sto*, si *X* pro *C S* ponas, fient *exul*, *exilio*, *exto*. Parque ratio in *exscribo*, *exsculpo*, *exsoluo*, *exsupero*, *exsudo*, *exsauro*, *extruo*, *exsurgo*, & similibus. Vtram sequare sententiam parùm interest: priorem tamen cum Aldo magis probem, ob vett. Grammaticorum auctoritatem, antiquorúmque tum libb. tum lapidum fidem.

Ebenvs. siue *ebenum*, ab ἔβενος, pro quo & ἔβενον, Suida teste, dicitur. Ἔβενος ab הבן. Itaque ἔβενος fauet ei scripturæ, quâ interdum cum spiritu *hebenum* in vett. lib. inuenitur. Proueniebat

nicbat *ebenus* in parte Indiæ, ìisque Meroë Æthiopiæ: vt constat ex Herodoti Musa tertia, Dioscoride, Plinio, Solino. Lucano *Mareoticus* dicitur: si rectè vulgati codices. Sanè sic & Seruius legit. Sed vel Lucanus deceptus, vel scripserat *Mareotica*, quod Salmasius censet. Quem tute de *ebeno* tractantem vide ad Solinum.

Ebrius, quia multas haurit *ebrias*, vel potius *brias*; *sobrius* quasi *s*, id est, *sine bria*. E in O abiit, vt à *pedio Pollio*, aliáque id genus. Charisius, lib. I. *Hebria est vas vinarium, vnde ebrius & bria dicitur, ebriosúsque & ebriosa, sicut à negotio negotiosus, & negotiosa: cui contrarium est sobrius.* Sed placet sententia Paulli Leopardi, qui lib. VI. cap. XVII. apud Charisium pro *hebria* legendum censet *bria*. Glossæ Philoxeni: *Bria* [illegible]. Vbi [illegible] legendum varij monuerunt. Haymo ad cap. v. epist. ad Galat. *ebrietatis* vocem explicans: *Briam*, inquit, *dicimus calicem aptum potioni vini*. Vsus Arnobius, lib. VII. *Date, quæso, immortalibus Dijs bibant, scyphos, brias, pateras, simpuiáque depromite*. Haut absurdè *briam* à βρύειν cum Becmano deduxeris. Βρύειν enim *scatere, abundare*, propréque de *fontes* dicimus, qui Hebræis & Chaldæis *ber*. Quod si & *ebria* pro *bria* dixere, videri possit articulus cum nomine coaluisse, vt *ebria* sit ex ἡ βρία, vt *terniones* ex [illegible]. Ab *ebrius* est diminutiuum *ebriolus*, quo vtitur Plautus, Curcu. act. II. sc. III. Inde verbum *ebriolare*, hoc est, *ebrium* vel potius *ebriolum facere*. Laberius [illegible]. *Ebriolati mentem hilaram accipiunt.* Ita apud Nonium in *Ebriolare*, locum hunc corrigit Carrio, lib. I. Emend. cap. II. In Glossis etiam vett. legas *ebriacus*, μέθυσος.

Ebur, sunt *elephantum dentes*, vt Herodoto placet: siue *cornua*, vt Iuba scripsit. Plinium vide, lib. VIII. cap. III. Iuba autem secutus Varronem, in v. de L. L. vbi, cum *elephantos* vocasset *cornutos*, addit: *Nam quos dentes multi vocant, sunt cornua*. Nomen *eboris*, quia à *barro*, vt è veteribus Seruius in I. Æn. ex iunioribus præter alios Parrhasius tradit in Claudianum. Nam *barrus* est *elephas*. Horatius, lib. Epod.

Quid tibi vis mulier nigris dignissima barris?

Vnde *barrire*, de quo seorsim. Videtur tamen huic etymo obstare, quòd prima in *ebur* corripitur, quæ in præpositione solet produci. Quare *e* potius additum, vt vulgò Iones ἐών pro ὤν dicere tradunt. Nam mihi quidem ὤν potius ex ἐών videtur, quia ab ἔω est ἐών.

Ecclesia, ἐκκλησία ab ἐκκαλεῖν, quod est, *euocare*. Sic dicebatur Athenis cœtus conuocatus ad audiendum de Reip. negotijs. Similia ferè ἀγορά, ab ἀγείρω, *congrego*. Sed hoc significabatur *confusa promiscuáque congregatio*: illud verò notabat *conuentum populi ordinatum, perque suos ordines distinctum*. Quare meritò Apostoli *cœtum præconio Euangelij ad vitam æternam vocatum*, ἐκκλησίαν potiùs, quàm ἀγοράν dixere. Porrò in decretis canonicis sæpe [illegible] vsurpatur *ecclesia* vox pro loco, seu Basilicis siue templis Christianorum.

Ecere legas apud Terent. Phorm. act. II. sc. II. Est iusiurandum per Cererem, vt *epol*, & *ecastor*, per Pollucem & Castorem. Gloss. *Eccere*. νὴ τὴν Δήμητρα. Alij *acere* scribunt, vt sit iuramentum per ædem Cereris. Sic *epol* malunt, quod itidem [illegible] ponatur pro *edepol*; *ecastor* pro *per ædem Castoris*. Mihi prius magis placet. Et sanè in Vaticano Terentij exemplari, alijsque codd. antiquis *edepol*, & *ecastor*, sine diphthongo scribuntur vt Faërnus obseruat, qui & antepenultimam in *perecastor* corripi monet, in isto Terentij:

Perecastor scitus puer est natus Pamphilo.

Aliqui *ecere* seu *eccere* dici aiunt quasi *ecce res*, vel *ecce rem*. Quod Dionysius Lambinus putauit: & apud Nanium quoque in Miscellaneis legere est, lib. II. Misc. cap. XXI. Quin præiuit Charisius, qui *eccere* monstrandi esse aduerbium ait. Et Festus monet sic aliquos sensisse. Sed omnino iurandi aduerbium est. Nam similiter dixere, *ediuo*, *equirine*, *ecastor*. Vide quæ dicimus in *Medius fidius*.

Echeneis, ἐχενηΐς, ab ἔχειν, qua notat κατέχειν seu κωλύειν, & ναῦς, id est, *nauis*: q. d. *remorans nauem*, vnde & *remora* appellatur, vt mox dicam. Caussam nominis ponit Lucanus, lib. VI.

Non puppim retinens, Euro tendente rudentes,
In medijs echeneis aquis. ———

De eâdem sic Plinius, lib. IX. c. XXV. *Est paruus admodum piscis, assuetus petris, echeneis appellatus. hoc carinis adhærente, naues tardius ire creduntur: inde nomine imposito: ob caussam amatorijs quoque veneficijs infamis est, & iudiciorum ac litium mora.* Idem lib. XXXII. cap. I. *Omnia hæc pariterque eodem impellentia, vnus ac paruus admodum pisciculus echeneis appellatus, in se tenet: ruant venti licet, & sæuiant procellæ, imperat furori, viresque tantas compescit, & cogit stare nauigia, quod non vincula vlla, non ancoræ pondere irreuocabili iactæ*, &c. Plura ibidem hac de re, exemplis etiam comprobata. Tandem subijcit: *E nostris quidam Latinè remoram appellauere eum.* Vnde *remora* dicta sit, paret ex ijs quæ de nomine *echeneis* diximus. Μεταφορικῶς vsus Plautus cum *remoram facere* dixit pro *remorari*. Locus est Truculento:

Remoramque faciunt res priuata & publica.

Nisi potiùs dicendum *remora* esse antiquum pro omni eo, quod remoratur, indeque pisci nomen impositum, quod magis placet. Ita nulla in Plauti loco erit metaphora: quemadmodum neque altero Lucilij apud Festum. Pro *remora* etiam *remeligo* dicitur, idque tum pro pisciculo, tum pro mora quæ adfertur. De priori significatione paret ex allusione illa Afranij, in Prodito apud Festum: *Remeligo a laruis missa sum, hanc (f. nunc) quæ cursum conuocem nauis.* At simpliciter pro morâ accepit Plautus, Casinâ, Act. IV. III.

——— *Nam quid illæ*
Tam diu intus remorantur remeligines.

Ita Festus legit, eúmque secutus Lambinus, qui & de *remeliginis* voce ad locum citatum disserit, planéque censet, aut pro *remeligines* dicendum *remoragines*: aut si rectum sit *remeligines*, id non à *remorando* esse, vt putabat Festus, sed potiùs à *remo* & *lego*, vel aliunde alicunde. A Festo quoque abit Scaliger: cui nos subscribimus. Is putat *remeligo*, siue *remeligo*, dici ab antiquo *remellere*: quod à simplici *mello*, vnde & *promello*, hoc est, *procrastino*. Festus: *Promellere Verrius ait significare litem promouere*. Est verò antiquum *melo*, seu *mello*, à Græco μέλλω. Quod verò & *melere* dixerint vnico *L*, id cognoscimus ex *remeligines*. In causâ est veterum mos, qui consonantes non geminabant. Sanè à *remorando* ἀναλόγως *remeligo* esse non potest. Est quidem à *scaturire scaturigo*: sed hoc verbum quartæ est. At à *remorari* ἀναλόγως esse debet non *remorigo*, siue *remerigo*, & conuerso *R* in *L*, *remeligo*: verum *remerago*, siue *remelago*, vt nempe ab *imitari* est *imitago*, & per syncopen *imago*. De vocibus satis: De re ipsâ, cum Aristotelem, Plinium, Ælianum, & Oppianum vide, tum qui omnium hac in re instar erit, Rondeletium, lib. XV. cap. XVIII. vbi inter alia docet, Oppiani & Æliani *echeneida* esse diuersam ab illa Aristotelis & Plinij. Caussam quoque adfert, cur nauem remoretur. Vbi mirum, non etiam addi, quid hac de re senserit Plutarchus, libro II. Symp. prob. VII.

Echidna, ἔχιδνα. Sic dicitur *vipera femina*, vti *mas vipera* ἔχις. Etymologus ἔχιδναν sic dici ait παρὰ τὸ ἔχειν ἐν ἑαυτῇ τὴν γονὴν ἄχρι θανάτου, *quod in se contineat fœtum vsque ad mortem*. Sanè & Latinis idcirco *vipera* dici putatur, quod *vi pariat*; quo de etymo dicemus suo loco. Ab ἔχις est *echites*, ἐχίτης λίθος; *qui vipereas habet maculas*, vt ait Solinus. De eodem sic Plinius, lib. XXXVIII. cap. II. *Ab animalibus cognominantur carcinias, marini cancri colore: echites, viperæ: scorpites, scorpionis aut colore aut effigie, scarites scari piscis*, &c. Etiam *echites* est herbæ genus, cui inde nomen, quod *morsibus viperinis medeatur*: vti docet Plin. lib. XXIV. cap. XV. Idem lib. XXV. cap. IX. *echij* genus dicit semina habere *viperinis* capitibus similia. Nicander in Theriacis, hanc herbam non ἔχιον, sed ἐχιεῖον, vocat:

Ἠὲ σύ γ' αὐτὸς ἐχιεῖον, ἐρευγμένεσσά τε χαίτη.

Echinus Græcis debemus, vt agnoscit Varro, IV. de L. L. Ἐχῖνος alius χερσαῖος, qui Plinio *erinaceus*, Gratio, atque Nemesiano *eres* dicitur; alius θαλάσσιος, qui Plinio & alijs ἁπλῶς *echinus* vocatur. Etsi verò Etymologici Magni scriptor, pro significatione diuersâ, aliam atque aliam originem adferat: tamen nullus dubito, quin animalis vtriusque similitudo fecerit, vt communi nomine appellarentur. Nec tamen sic dici placeat [illegible], *quod haberi siue retineri non possit, propter aculeos*: verùm potiùs [illegible], *quòd ita se cohibeat, vt nullæ carnes appareant.* Terrestrem *echinum* à *marino* nomen sumsisse, sensit Isidorus, lib. XII. cap. VI. *Marini* meminit quoque Martialis, lib. XIII. epigr. LXXXVI.

Iste licet digitos testudine pungat acutâ:
Cortice deposito, mollis echinus erit.

De *terrestri echino* vide præter alios Phile Iambos & Oppianum lib. II. Κυνηγ. vers. DXCVIII. De *marino* adi eundem, lib. II. Ἁλιευτ. vers. CCCLIX. De vtroque tractat Dioscorides initio lib. II. E iunioribus de *terrestri* multa Gesnerus, in quadrupedum historia; de *marino* Rondeletius, lib. XVIII. cap. XXIX. & seqq. Ab asperitate *echinorum* alijs quoque rebus *echini* nomen impositum est. Ita auctor est Aristoteles, lib. III. Histor. Animal. cap. XV. ἐχῖνον vocari *ventrem in animalibus cornutis & ruminantibus*: nempe ob asperitatem *echino* similem. Nam paullo antè dixerat camelis & cornigeris esse *ventrem* [illegible]. De appellatione idem docet Basilius M. Homil. IX. in Hexaem. Eadem de caussâ *echinum* nominarunt

ſpinoſum caſtaneæ operculum. Hinc Plinius, lib. xxvii. cap. ix. *In cacumine capitula ſunt echinata ſpinis.* A *caſtanearum echinis* etiam ornamentis in Ionicis ac Doricis columnarum capitulis nomen impoſitum eſt *echinis* : de quibus Vitruuius, lib. iii. cap. iii. & vii. Daniel Barbarus, in commentarijs ad eum ſcriptorem dubitat nonnihil, vtrum a *folijs caſtanearum* id nomen acceperint : ſed fruſtra eſt, cum *echini* nomine, non folia, ſed cortex ſignificetur. Nempe *echini* in columnis vocantur (quemadmodum rectè notat Bernardinus Baldus,) quia *caſta. cortices ordinatim in patentes echinos ordinatarum imaginem præ ſe ferunt* : quemadmodum Itali eò quòd *caſtaneæ* iſtæ *ouis* ſint ſimiles, *ouolos* vocant. Sed & *ollæ genus echinum* vocatum, teſtantur Pollux, Heſychius, Erotianus, qui ait eſſe χύτρας εἶδος μεγαλόστομον ἢ μεγάλης. Vſus hoc pacto Hippocrates non ſemel : è Latinis autem Horatius, lib. i. ſat. vi.

——— Aſtat echinus

Vilis, cum paterâ guttus, Campana ſupellex.

Quem ad locum ſic Acro : *Echinum dixit vas æreum, in quo calices lauantur, quod modo triſille appellamus. Alij ampullam vitream dicunt.* Siue, vt Cruquiana editio habet: *Echinum dixit vas ſalis, in modum Echini marini; alij ampullam vitream, alij lignum dicunt cum vncinis, in quo ponuntur calices: alii ampullam ſcorteam, iuxta illud Lucilij, Echinus chinabam infectus.* Hactenus Scholiaſtes. In cuius poſtremis verbis ſic Lucillij locum legit Scaliger : *Echinus Cinnabari infectus*, id eſt, *miniatus*. Nam *minium* confundebant cum *cinnabari* : quo de Plinius lib. xxxiii. cap. vii. In prioribus quoque Scholiaſtæ verbis, pro *triſille*, ſeu *triſilla*, (quomodo *Echinum* ſuo ſeculo appellari ait,) *trichila* legendum putat Turnebus, lib. ix. cap. xix. Sed omnino fallitur, cum longè aliud ſignarit *trichila*, quemadmodum patet ex ijs, quæ hac de voce ſeparatim dicimus. Porrò cum (vt ex Scholiaſtæ verbis liquet) in varias adeo opiniones de hac *echini* appellatione Latini abeant interpretes, in Græcanicâ voce ſatius iudico audire Erotianum, & alios Græcos; præſertim, quando cum ijs priora Acronis verba conſentiunt. Satis veriſimilius eſt Turnebi opinio, qui ſic id vaſis genus dici cenſet à rotunditate *echini* ſe in pilam colligentis. Niſi magis placet ſententia Bernardini Baldi, qui ita dici putat, quod *echini* in ijs ſculpi conſueuerint. Alias quoque *echinus* ſignificationes habet; quas è Lexicographis petas licet.

Echo, ἠχώ, ab ἠχεῖν, *ſonare*. Nam, vt Ouidius ait, iii. Metam. fab. v.

——— Sonus eſt qui viuit in illa.

Hinc idem inibi,

——— Reſonabilis Echo.

Et Perſius Sat. i.

——— Reparabilis adſonat Echo.

Iocoſa montis imago ſcitè appellatur ab Horatio; *Aëris & linguæ filia* dicitur Auſonio.

Eclogas, ἐκλογάς, ἀπὸ τοῦ ἐκλέγειν, idyllia ſua inſcripſit Maro; non tam, quia è Theocrito imitanda quædam *elegerit*, quam rationem adfert quoque doctiſſimus Camerarius, prolegom. in Bucol. & diſertiſſimus Paſſeratius, præfat. in Bucolica Virgilij: quàm quia ex multis, quæ ſcripſiſſet, hæc ſola *elegerit*, quæque lucem publicam viderent, digna iudicarit : vt etiam cenſet Cæſar Scaliger, libro i. de R. P. iv. Nec aliter capio, quod *odas* Horatij *eclogas* vocat Sidonius Apollinaris :

Vernans per varij carminis eclogas

Verborum violis multicoloribus.

Superiori æuo multi ſcripſere *æcloga*, ac deduxere ab αἰξ & λόγος, quia de *capris loquantur* paſtores. Fuit hæc inter alios ſententia Angeli Decembrij, lib. vii. de politia literaria, parte lxxvii. Sed eò ſi reſpexiſſet Maro, non ἐκλογαί, ſed αἰγολογίαι diceretur. Nec Satyræ Horatij ſunt de *capris*, vel *caprarijs*, quæ tamen in vett. codd. *ecloga* inſcribuntur. Scio eam appellationem improbari ab Achille Statio Luſitano, eò quod non legatur apud Grammaticos antiquos. Sed cogitare oportuerat, eos eſſe contentos generali appellatione Bucolicorum Maronis, aut Sermonum vel Satyrarum Horatij. Etiam Polybij, Diodori, Strabonis, Cteſiæ hodie ἐκλογάς habemus, quæ ſunt excerpta ex maiori opere. Hinc *eclogarij*, qui excerperent, inque breuiarium conferrent. Vſus quoque Tullius, lib. xvi. epiſt. ii. ad Att. *De gloria miſi tibi : ſed nocentur eclogarij, quos Saluius, bonos auditores nactus, in conuiuio dumtaxat legat.* Fuluius Vrſinus, Nizolium ſecutus, in Virgilio ſuo cum ſcriptoribus Græcis collato, auctor eſt, *eclogarios* à Tullio dici eos, quos in libris de Gloria loquentes induxiſſet. Sed refellitur hæc ſententia ijs, quæ diximus.

Edo priori producta ab *è* & *do* : vt reſpondeat Græco ἐκδιδῶμι. Atque hinc liquet, malè à quibuſdam *ædo* ſcribi per diphthongum. At *edo* priori correptâ, ab ἔδω, quod idem. Hinc *edulium*, quod tamen non ἀμέσως ac primò ab *edo* venit, ſed ab *edulo*, quod vſurpant Agellius, Appuleius, Vlpianus, Solinus, Sidonius, Symmachus. Veteres Gloſſæ βρώσιμον interpretantur. Non audiendus Nunneſius, cui in Grammatiſtice placet, *edulium* eſſe ab ἐδωδή. Ab *edo* quoque eſt *Eduſa*, edendi Dea, vt *Potina* potûs, *Cuba* cubandi. Hiſce tribus pueros initiare ſolent, vbi primum è cunis & a lacte transferant. Itidem *Fabulino* ſacrificabant, cùm primùm *fari* inciperent; & *Statano* ſiue *Statulino*, vbi inciperent *ſtare* atque ire. Scripſit hæc Varro in libro, qui inſcriptus Catus ſiue de liberis educandis. Fragmenta eâ de re tria compoſuit è Nonio I. Guilielmus, lib. ii. veriſimil. cap. xxi. Vt à *πίνω poſca* : ſic ab *eſum* eſt *eſca*, non *quod eam os capit* : quod Iſidorus vult lib. xx. cap. ii. Ab *eſca* eſt *eſcarius*, vnde *eſcaria* vincula apud Plautum : & *eſcariæ*, menſæ quadratæ, in quibus homines epulantur, Feſto teſte. Componitur & *edo* cum præuerbio : vt *comedo*, & *ambedo* vnde *ambeſt* apud Feſtum. Item, *inedia*, & apud Plautum *Peredia*, à *peredendo*. Id. Curcul. act. iii. *Paraſitus* tinquam prouinciæ nomen finxit : quemadmodum & aptè ei *bibeſiam* ſubdit, ficto nomine à *bibendo*. A *comedo comedonem* dixere, qui *comedit* & deuorat patrimonium. Qui Feſto teſte etiam *comedus* vocatus. Ita enim quoque habent MSS'. Feſtus : *Perediam & bibeſiam Plautus finxit ſuâ conſuetudine, cum intelligi voluit cupiditatem edendi & bibendi.* Ab *eſum* quoque eſt *eſuries*, *eſuritio*, & *eſurigo*, quo vſus Varro, ταφῆς μενίππου.

Vbi lubet, ire licet accubitum.

Accedo ſtrennuus : ſuſſilimus, quòd eſurigo findebat coſtas.

Ab eodem volunt eſſe *obeſus*, hoc eſt, *pinguis*, *craſſus* : quaſi *ob eſum* factus. Mihi non diſplicet Guicharti ſententia, vt ſit ab אבס, id eſt, *ſaginare*, *pinguefacere*. Agellius, libro xix. capite vii. item Nonius Marcellus, aiunt, *obeſum* etiam notare *gracile ac macilentum* : atque id probatum eunt iſthoc Læuij, Alceſtide : *Corpore pectoreque vndique obeſo, ac mente exſensâ, tardigenulo ſenio oppreſſum.* Quâ notione *obeſum* dicetur quaſi *ambeſum*. Nam *ob* interdum valet *circum*. Addit Agellius hanc propriam eſſe notionem : alteram eſſe κατ' ἀντίφρασιν. Sed omnino explodenda ἀντίφρασις, vt ſæpè dictum. Quare veriſimilius *obeſum*, quando pro *pingui* accipitur, ſic dici ab Hebræo *abas* : vti dixi. Vel, ſi ab *edendo* eſſe placet, dicatur *obeſus*, quia ſit *ob eſum*, hoc eſt, ad *edendum* aptum, eóque veſcis animantibus propriè conuenire. Imo ne illud quidem ſatis euidens puto, an *obeſus* vnquam pro *gracili* accipiatur. Nam quod ad Læuij locum, nihil prohibet, quo minus accipiatur pro *pingui*. Vt *pectus obeſum* dicatur de *ſtupido*, quomodo & Græcis παχὺς accipitur.

Egens, vt apud Iſidorum eſt, in X. dicitur quaſi *ſine gente*, & *ſine genere*. Imò & Feſtus ait : *Egens velut exgens, cui ne gens quidem ſit reliqua.* Iuxta hos ab *egens* ſit verbum *egeo*. Sed ἀναλογία dictat ab *egeo* eſſe *egens*, vt ab *indigeo indigens*.

Ego, ἐγώ, Caninio teſte eſt à Syriaco *eno* : conuerſo *n* in *g*, quomodo *ignobile* & *ignarus* dicimus, pro *innobilis* & *innarus*: & veteres, vt Priſcianus lib. i. tradit, *Agchiſes*, *agceps*, *aggulus*, *aggens* ſcribebant, pro *Anchiſes*, *anceps*, *angulus*, *angens*: & Græci quoque ἄγγελος, ἄγκυρα, ἔγχος, ἄγγελος ſcribunt pro ἄνγελος, ἄνκυρα, ἔνχος, ἄνγελος. Ab *ego*, & *quidem*, *equidem* eſſe volunt. Seruius ad illud i. Æn.

——— Equidem per littora certos

Dimittam.———

Equidem, inquit, *in Virgilio, ego quidem vbique ſignificat. Sed in alijs & pro quidem tantum ponitur* : vt Tullius; *Ego equidem cæteras tempeſtates.* Item Perſius :

Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo

Conſentire dies.———

Hæc Seruius : Cui & fauent Gloſſ. vett. nam interpretantur *equidem*, ἐγὼ μὲν. Sed vix putem, *equidem* cordati ex ijs vocibus, vnde voluit Seruius potius dici arbitrer quaſi *& quidem*. Vel ſimplex eſſe dici debet. Mouet me, quòd paſſim aliter accipiatur ab ijs, qui proſâ ſcripſere, etiam Cicerone, Salluſtio, alijs. Ita Cato apud Salluſtium (niſi omnes fallunt codd.) ait : *Quare vanum equidem hoc conſilium eſt.* Negat etiam hoc Priſcianus, in fine ſextidecimi : *Sciendum*, inquit, *quod quidam* Equidem *coniunctionem compoſitam eſſe exiſtimant ab ego & quidem : ſed errant. Simplex enim eſt. Et hoc maximè ex ipſa quoque conſtructione orationis poſſumus intelligere. Nam, equidem facio, equidem facis, equidem facit, dicimus.* Et mox : *Hoc vſus etiam auctorum approbat, qui equidem propoſito ego ſubiungunt : vt Salluſtius in Catilinario.*

Equidem

Equidem ego sic existimo, Patres conscripti, omnes cruciatus. Si esset enim composita equidem ex ego & quidem, nimirum ei ego subiungeretur. Pluribus hac de re diximus in libris de Arte Grammat.

Eiulo est à sono factum, qui vt magis exaudiatur, quidam *heiulo* malunt. Sanè plorantium vox, *uoi*, *hei*. Sed *eiulo* rectum. Nam, vt ab *ei* Græci dicunt *οἰμώζω*, ab *αἲ αἰάζω* sic Latini ab *ei*, *eiulo*: vel ab *eheu*, *ehulo*, & post *eiulo*. Sed prius malim. Est *eiulatio* viris indecora. Horat. lib. epod. *Et illa non virilis eiulatio.* Imo & mulieri. Cic. lib. II. Tusc. *Ingemiscere nonnunquam viro concessum est, idque raro: eiulare ne mulieri quidem.* Ac videtur lugubris *eiulatio* esse, quæ *lessi* nomine in legg. XII. Tabb. appellatur.

Elacate, siue *elacatena*, piscis ex thynnorum genere, qui salsus solitus: vnde est quod Festo dicitur *salsamenti genus*. Nomen ex eo quia referat *τὴν ἠλακάτην*, hoc est, *colum muliebrem*. *Elacate* est in codd. Columellæ: sed apud Festum *elacatena* legitur.

Electrum, ἤλεκτρον, quòd referat fulgorem solis, qui Græcè ἠλέκτωρ, nempe, vt Becmanus censet, ab הילל, hoc est, *lucifer*: vnde & ἥλιος deriuat. Alias harum vocum originationes vide apud Etymologici auctorem. Porrò *electrum* non vno apud scriptores modo accipitur. Nam interdum idem est, quod *succinum*, hoc est, succus desudans ex arboribus pineis, eâ ratione, quâ è cerasis gummi fluit, paulatim indurescens. Hinc Ouid. II. Met. fab. III.

> *Inde fluunt lacrymæ, stillatáque sole rigescunt*
> *De ramis electra nouis, quæ lucidus amnis*
> *Excipit, & nuribus mittit gestanda Latinis.*

Alteram significationem indicat hic Plinij locus lib. XXX. c. IV. *Aurum*, inquit, *in quo quincta argenti portio est, electrum vocatur.* Vnde liquet, cur Vlpianus, l. IV De legatis neget *electrum* auri appellatione contineri. Lucem etiam hinc capit Silij hoc, lib. I.

> ———*Hic omne metallum*
> *Electri, & gemino pallent de semine vitæ.*

Et illud, lib. XIV.

> *Iam simul argenti fulgentia pocula, mistis*
> *Queis gemino quæsitus honor.*———

Provt ad Manilium hunc locum legit Scaliger. Satis igitur liquet, *electrum* esse μίγμα χρυσοῦ καὶ ἀργύρου. Quod & Ecclesiastici scriptores docere nos possunt. Tertullianus aduersus Praxeam: *Si enim sermo ex transfiguratione & demutatione substantiæ caro factus est, vna iam erat substantia, Iesus, ex duabus, ex carne & spiritu mixtura quadam, vt electrum ex auro & argento, & incipit nec aurum esse, id est spiritus, neque argentum, id est caro, dum alterum altero mutatur, & tertium quid efficitur.* Et paullo post: *Quod si tertium quid esset ex vtroque confusum vt electrum*, &c. Idem indicat lib. aduersus Hermogenem: *Electrum, licet ex auro & argento fœderatum, nec argentum tamen, nec aurum appellabo, sed electrum.* Et Gregorius Magnus, lib. XXVIII. Moralium, cap II. *Electrum quippe ex auri argentique metallo miscetur; in quâ permixtione argentum quidem clarius redditur, sed tamen fulgor auri temperatur.* Mox Christum *electro* comparat. *Quid*, inquit, *in electro nisi mediator Dei & hominum demonstratur? Qui dum semetipsum nobis ex diuinâ atque humanâ naturâ composuit, & humanam per deitatem clariorem reddidit, & diuinam per humanitatem nostris adspectibus temperauit.*

Eleemosyna, Gr. ἐλεημοσύνη, ab ἐλεήμων, *miser*, quod ab ἐλεεῖν, *misereri*: vnde liquet corruptè dici *elemosyna*, quasi quinque tantùm syllabarum foret. Vulgò ita vocamus *stipem pauperibus datam.* Sed Græci scriptores latiùs vtuntur pro quouis beneficio pauperibus præstito. Ita vsurpat quoque Callimachus, hymno in Delum.

Elegia nonnullis dicta videtur quasi *εὐλογία*, ὅτι τοῦ εὖ λέγειν τοὺς τεθνεῶτας. Quò respexisse videtur Proclus in Chrestomathia, cum apud Photium ait, τὸ γὰρ θρῆνος ἔλεγον ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ καὶ τοὺς τετελευτηκότας δι' αὐτοῦ εὐλόγουν. *Veteres luctum vocarunt* ἔλεγον, *ac vita functos eo celebrarunt.* Sed etymon hoc probare non possum. Aliis παρὰ τὸ ἔλεος, vel τὸ ἐλεεῖν τοὺς τεθνεῶτας· quæ sententia est Diomedis, lib. III. Sed imprimis placeat ita dici ab ἒ ἒ λέγειν, quæ flentum vox apud Aristophanem. Sed quodcumque etymon sequaris, liquet *elegiam* carmen esse flebile. Vnde Horat. lib. I. od. XXXIII.

> *Albi, ne doleas plus nimio, memor*
> *Immitis Glyceræ, neu miserabiles*
> *Decantes elegos.*

Ouid. epist. Sapphus:

> *Flendus amor meus est, elegïa flebile carmen.*

Etymon planè indicat in III. de Arte, Eleg. I.

> *Flebilis indignos Elegeia solue capillos,*
> *Heu nimis ex vero nunc tibi nomen inest.*

Eius diminutiuum *Elegidium*. Persius sat. I.

> ———*Non si qua elegidia crudi*
> *Dictarunt proceres.*———

Quia autem poëtæ rudes solent ab *elegiaco* auspicari, inde est quod *elegia* etiam dicerentur alia parua atque ἄτεχνα carmina: quemadmodum Isaacus Casaubonus, ad Persij sat. I. eo docet argumento, quòd Dion. Chrysostomus in IV. de regno ἐλεγεῖον appellet versus heroicos, qui inscripti erant tumulo Sardanapali. Verba eius sunt: τὸ ἐπὶ Σαρδαναπάλλου ταφῆς ἐλεγεῖον.

> Τοσσ' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτος
> Τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται.

Elementum quibusdam dictum videtur, quasi *alimentum*, quia disciplinarum *elementis*, tanquam lacte, alamur ab incunabulis. Quin etiam in propria notione sic vocari putat Perottus, quia homines aluntur iisdem, ex quibus componuntur, ac in quæ resoluuntur. Hieronymus, in Epist. ad Hebr. dici ait quasi *eleuamentum*, quòd cætera inde oriantur. Sed, vt huiusmodi etyma falsa esse perspicuè patet: ita quæ vera sint eius vocis elementa primordiaque, adhuc in obscuro latet: Conjecto esse ab antiqua voce *eleo*, pro *oleo*, id est, *cresco*; à qua significatione *proles*, *suboles*, *adolescens*. Vt ab *iuratum*, *iuramentum*; ab *adiutum*, *adiumentum*; sic ab *eletum*, *elementum*: quia inde omnia crescunt ac nascuntur.

Elenchus pro *syllogismo cum contradictione conclusionis*, provt ab Aristotele definitur, ab ἐλέγχειν venit, quod est *redarguere*. Itaque τῇ λέξει notat *redargutio*: quomodo transtulit Boëthius: ne Laurentio Humfredo, viro alioquin doctissimo, credas, qui vocem hanc, vt barbaram, respuit lib. I. de rat. interpret. Interdum *elenchi* quoque dicuntur *grandes & oblongi vniones*: Gloss. vett. *Elenchi*, μάργαροι ἐπιμήκεις. Vide vet. Schol. Iuuen. ad illud sat. VI.

> *Auribus extentis magnos commisit elenchos.*

Cochlerius Carmelita, lib. de (Caluini) inferno, cap. VII. hic à poëta de *Elenchis Dialecticis* agi credidit: in quo immane quantum eum ratio fugit. *Vniones* enim *oblongos* sic vocat. Sic eos dixere, non quia nobilitatem arguunt: quæ quorundam sententia est: sed quia referant *pittacia*, siue *indices*, quorum hæc figura. Sanè *pittacia*, amphoris affigi solita ad indicandam vini ætatem, sic vocarunt. Item *librorum indices*. Qua de significatione Henricus Stephanus, libro de abusu linguæ Græcæ.

Elephantus est à genitiuo *elephantis*. Nam sæpe ab obliquis noui veniunt recti. Sic à *Titan* est *Titanus*: ab *hebdomas*, *hebdomada*, &c. *Elephas* vero à Græco ἐλέφας, cuius quinctuplicem ἐτυμολογίαν legere potes in Etymologico magno. Mihi maxime placet, Græcos hanc vocem accepisse à Tyriis, vel Arabibus, qui sic *elephantum* appellant. Sanè Hebræis quoque *bos* dicitur אלף, quod omnino hanc rem confirmat, præsertim quando *elephantus* Latinis quoque dicitur *bos Lucas*, qua de re dicemus in *Luca*. *Elephantini* libri (in quibus senatus consulta scribi solita ex Flauio Vopisco in Tacito discimus,) putantur nomen accepisse ab operis amplitudine, quia *elephantorum* haberent magnitudinem. Sed hoc ridiculum. Paullo verisimilius Hadr. Iunius, in Onomastico, & Melchior Guilandinus, commentario de papiro; qui volunt sic dici *libros ex ebore* magnis factos impensis. Sanè *eboreorum librorum* meminit quoque Vlpianus, lib. XXXII. Pand. Sed vera nominis caussa est, quòd membranæ factæ essent ex *omentis* siue *intestinis elephantinis*. Isidorus, lib. VI. cap. II. *Historia maiore modulo scribebantur, & non solum in charta vel membranis, sed etiam in omentis elephantinis.* Ita enim rectè emendant, pro quo in vulgatis, atque etiam in manuscripto meo leui immutatiuncula, scriptum, *mamentis elephantinis*. Ab *elephanto* quoque *lepra genus* dicitur *elephantiasis*; siue, vt, non Aretæus modò, sed & Lucretius ac Serenus, vocant, *elephas*; vt Etymologicum magnum, ἐλεφαντιασμός; vt Celsus, *elephantia*; si modò locus is caret mendâ. Putabat Laurentius Valla nomen ex eo esse, quod inter morbos tantum præstaret, quantum inter bestias *elephas*. Sed hæc sententia indigna est Valla. Vera autem ratio est, quam & Crinitus, lib. XX. cap. vlt. & Hermolaus Barbarus, in Glossis Plinianis, adferunt, quia morbus is cutem maculis ac tumoribus similem reddat cuti *elephantis*.

Elisus, à *lisis*. Donatus, in VIII. Æn. *Vena maiores gutturis lisæ dicuntur: vnde elisum dicimus, quicquid ipsa ex caussa fuerit mortuum.* Equidem *elisum* potius dici censeo, quia spiritus fuerit *elisus*. Vt nempe sit verbale ab *elido*. *Lisa* autem Latinum esse non puto, etsi id Donatus sit suspicatus ex eo, quòd

elisos dicamus. Sanè Cornelius Celsus, si id foret, Latino vocasset nomine. Nunc ita scribit, lib. IV cap. I. *In dextrâ sinistrâque circa guttur venæ grandes, quæ σφαγίτιδες nominantur.*

Elixum, & *elixare*, à *liquore aquæ* deduci scribit Varro lib. IV. de L. L. Aliis placet venire ab antiquo *lixa* pro *aqua*; indéque & *lixas* dictos, qui officium *aquæ* vehendæ militibus sustinent. Nonius: *Elixum, quicquid ex aqua mollitur, vel decoquitur. Nam lixam aquam esse veteres dixerunt: vnde & lixæ dicti; qui militibus aquam ad castra, vel ad tentoria, solent ferre.* Sed *aqua*, puto, non *lixa*, verum *lix* dicebatur, vnde *lixæ* appellantur calones. Alij voce *lix* significari putant *cinerem*. Plinius, lib. XXXVI. cap. vlt. *Est & ipsis ignibus medica vis. Pestilentiæ, quæ solis obscuratione contrahitur, ignis suffitu multiformiter auxiliari certum est. Empedocles & Hippocrates id monstrauere diuersis locis. Ad conuulsa viscera, aut contusa, vt M. Varro auctor est. Ipsis enim verbis eius vtar: Lix cinis est, inquit, foci. Inde enim cinis lixiuus potus medetur, vt licet videre, gladiatores cum deluserint, hac iuuari potione.* Contra hanc Varronis sententiam illud obiecto, quod, si *lix* esset *cinis*, iam non diceremus *cinerem lixiuum*. Deinde non à *cinere*; sed ab *aqua* appellationem sortitæ *lixula*, & *semilixula*, circuli ex farina, caseo, & aqua, vt ait Varro, lib IV. de L. L. Idcirco statuo, voce *lix*, *aquam* vocari, indéque *cinerem* dici *lixiuum*, qui *aquâ* est *percolatus*, quomodo cibus dicitur *elixus*, qui *in aqua* est *coctus*. Sed de *elixus* dissentit Iouianus Pontanus, in Actio, fol. CXXXVIII. ed. Ald. vbi ait, vt à *leuo*, *leuas*, *leuasso*, ita à *liquo* esse *liquas*, *liquasso*: ac κατὰ συγκοπὴν *lixo*, vnde *elixo*: eodémque modo SS in X mutari, cum pro *Vlysses* dicitur *Vlyxes*, & à *sessum*, *sexus*. Puto ἀναλόγως magis dixisset Pontanus, vt à *facio* est *faxo*, ab *ago*, *axo*; sic à *liquo*, & *eliquo*, esse, *lixo*, & *elixo*. Quod non displicet. Sed sic quoque ascendendum vlteriùs erit, quia *liquo* est à *lix*, vt suo loco dicemus. An tamen *lix* dixerint veteres ambigit Iulius Scaliger, Exercit. CVI. Sect. IV. vbi sic scribit; *Scito*, inquit, *in Originibus nostris hunc ad modum scriptum fuisse. Opicâ voce aquam significari liqueris appellatione. Vnde lixa, lixiuum, elixare. A Græcâ fluxisse aliqua prisca, quæ nunc, sicuti pleraque alia, interciderint, suspicionem facit verbum λείχειν. Linctus enim non nisi tenuioris succi est.* Hæc Scaliger. Nos opicos pro *aquâ*, seu *liquore*, *lix* dixisse Varroni credimus. Censet autem Becmanus, *Lix* esse à λὶς, ob *raritatem & humiditatem*: aut Hebræo עלה, *elixauit*, quod cæteris putat πιθανώτερον. Sanè à λὶς esse quî potest, cùm hoc significet, non *quiduis tenue*, sed *linteum subtile*, quod nihil adfine habet cum *liquore*?

Ellops piscis memoratur Varroni, ἐπὶ τῷ περὶ μίξεως:

> *Nec multinummus piscis ex salo captus,*
> *Ellops, neque ostrea vlla magna captata.*
> *Quiuit palatum suscitare.*

Citat Nonius in *ostrea*. Item *ellopis Rhodij* meminit Gellius, lib. VII. c. XVI. *Acipenser* esse creditur. Plinius, IX. cap. XVII. *Apud antiquos piscium nobilissimus habitus acipenser, vnus omnium squamis ad os versis contra aquam nando meat; nullo in honore est, quod quidem miror, cum sit rarus inuentu. Quidam eum ellopem vocant.* Κατ' ἐξοχὴν autem ita dictus videtur, cùm ἔλλοψ nomen cuiuis pisci conueniat. Siquidem Plutarchus, Sympos. VIII. probl. VIII. auctor est: dici ἔλλοπας quasi ἰλλόπας, διὰ τὸ ἴλλεσθαι τὴν ὄπα quòd *voce sit priuatus*. Sanè ἴλλειν inter alia valet κατέχειν, seu *continere*.

Elogium rectène scribatur, mirus est dissensus. Probat id Ios. Scaliger, ac vult conflatum esse ex præuerbio Latino E, & Græco λόγος. Sed hybrida istiusmodi compositio non temere admittenda: sanè *prologus*, *propola*, aliáque id genus, quibus firmatum it hanc sententiam, planè à Græcis sunt: quemadmodum in *Prologus* & *Propola* dicemus. Quod verò ad *antelogij* vocabulum, id quidem ex Latino præuerbio & Græco λόγος factum esse non inficior: sed hoc iocosè finxit Plautus, vt diximus, cùm hac de voce ageremus: nobis autem sermo de vocabulis in vulgus receptis: cuiusmodi est *elogium*, *antelogium* non est. Itaque iis assentio, qui *elogium* omnino Græcum putant. Nec tamen *eulogium* scribendum puto, quæ sententia fuit Aldi Nepotis in Orthographia, & Henrici Stephani in palæstra de Latinitate Lipsij pag. CCIX. Atque ita iam olim ab Aldo excusum fuit, in Tertull. de Pallio, cap. I. & XIV. Sed hanc sententiam meritò iam olim improbauit Laurentius Valla, in notis ad cap. XV. epist. ad Romanos. Quippe cum εὐλόγιον fit ab εὖ & λέγειν, vox hæc notabit *testificationem honorificam*, siue *quod in alicuius dicitur laudem*. At *elogij* vox latius multò patet, cùm generatim sic dici soleat omnis *breuis scriptio*, siue sit *titulus* rei alicuius, quales in statuis erant: siue quæpiam *simplex sententia expositio*, vt cum Tullius in Catone ait, *Solonis esse elogium, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum lamentisque vacare.* Quare nec iis assentio, qui *eclogium* scribunt, vt sit ab ἐκλογή, vnde ἐκλόγιον hodieque apud Suidam reperitur. Est hæc sententia Turnebi, lib. XVIII. cap. V. & Mureti Var. Lect. lib. XI. cap. XIII. Sed significatio non conuenit, quia sic notaret *excerpta*, ab ἐκλέγω, quod est *eligo*, *excerpo*. Vere igitur illi, qui *ellogium* scribendum arbitrantur: vel, *elogium* quidem scribi posse; sed tamen id ab ἐλλόγιον, exemto altero L, factum videri. Sanè vti à λόγος est λόγιον, quo *breuis scriptio* signatur, ita ab ἔλλογος fuerit ἐλλόγιον, quod notabit quamuis *breuem rei expositionem*, qualis in titulis & similibus esse solet. Vide quædam pro hâc sententiâ apud doctissimum Casaubonum, animaduers. in Sueton. Iul. cap. XLVII. & Calig. cap. XXIV. Vel dicamus cum Salmasio *elogium* esse ab ἐλεγεῖον, vt à γραφεῖον, *graphium*; à ῥαφεῖον, *raphium*; à τοπεῖον *topium*. Ἐλεγεῖον enim est *inscriptio monumenti*, quæ nomen mortui, & *elogium* eius complectebatur. *Titulum sepulcri* nuncupant. Id Latinis quoque *elogium*. Vt apud Maronem in Culice:

> ———*Tum fronte locatur*
> *Elogium.*———

Hinc *elegiacum* carmen. Hesych. Ἐλεγεῖον, ἐπιτάφιον ποίημα.

Elvcvs, siue *helucus*, vnde sit, gemino in loco exponit Festus. Prior est: *Elucus significat languidum ac semisomnem: vel, vt alij volunt, allucinatorem & nugarum amatorem, siue halonem, id est, hesterno vino languentem, quem ἔωλον vocant Græci.* Alter est: *Helucus ab hiatu & oscitatione dictus.* De eadem voce sic Gellius, lib. XVI. cap. XII. *Cloatius Verus hallucinari factum scripsit ex eo, quod dicitur Græcè ἀλύειν, vnde Elucum quoque esse dictum putat: A littera in E conuersa, tarditatem quandam animi ac stuporem, qui hallucinantibus plerumque vsu venit.* Ex variis adeò opinionibus imprimis placet, *elucum* esse, quem Græci ἔωλον appellant, hoc est, *vino hesterno marcidum ac languentem*. Ita quidem vsus Tertullianus, lib. de corona militis: *Liberum, eundem apud Ægyptios Osirin, Harpocration industriâ hederatum argumentatur, quod hederæ natura sit cerebrum ab eluco defensare.* Vbi omnino hoc vult, hederam conducere, ne quis vino hesterno ex capite laboret, quod Græci nuncupant ἑωλοκρασίαν, quia morbi caussa est ὁ ἕωλος κέρας, vbi ἕωλος est χθιζινὸς, *hesternum*, *pridianum*, vt interpretatur Hesychius. Atque inde fortasse *elucus*, traiectis duabus literis & ante O inserto C, vt à σπέος, *specus*. Quamquam autem Tertulliani locus impensè hanc sententiam suadet: tamen nec absurdè credamus, *elucum* dici à *luce*, præsertim cum Cloatius, vt ex eo Gellius refert, *elucum* interpretetur *allucinatorem*. Vnde coniectarem vt *expers*, *exlex*, similiáque dicimus; ita *elucus* tantundem valere ac *sine luce*. Et iuuat hanc sententiam, quod vt à *sanctus* est *sanctifico*, similiaque multa id genus; ita ab *elucus*, *elucifico* esse videtur, quasi *elucum reddo*. Vsurpat Laberius apud Gellium, lib X. cap. XVII. Versus eos adscribam, partim quia elegantissimi sunt, partim vt numeris restituam:

> *Democritus Abderitus, physicus philosophicus,*
> *Clypeum constituit contra exortum Hyperionis,*
> *Oculos effodere vt posset splendore æreo;*
> *Ita radiis solis aciem effodit luminis,*
> *Malis bene esse ne videret ciuibus.*
> *Sic ego splendore fulgentis pecuniæ*
> *Volo elucificare exitum ætatis meæ,*
> *Ne in re bona esse videam nequam filium.*

Versu antepenultimo vulgo legitur,

> *Sic ego fulgentis splendorem pecuniæ.*

Siue, vt apud Nonium est, *fulgentis splendore pecuniæ*. *Elucificare* autem esse à *luce*, etiam Nonius agnoscit. Quare si *elucus luce* veteres non dixere, *elucificare* ἀναλόγως à *luce* erit: vt sit à guet, *facere vt quid sit extra lucem*, siue *expers lucis*.

Elvtriare est idem, quod *diffundere*, hoc est, *de vase in vas fundere*. Onomast. vet. *Elutrio*, διηθῶ. Petrus Mosellanus, notis in Gellium, putabat ita dici à *luto*, quasi sit *luto purgare*. Sed est ab *eluendo*. Vel potius à *lutra*, hoc est, *vtre*. Nam vtribus vinum seruabant. De *lutra* vide in *Lurcare*.

Emancipari, inquit Festus, *duobus modis intelliguntur: aut ij, qui ex patris iure exierunt: aut ij, qui aliorum fiunt dominij: quorum vtrumque fiunt mancipatione.* Priori modo *naturalis pater filium suum fiduciario patri mancipat*, hoc est *manu tradit*: vt ait Caius I C. Nam seruus dicitur non *mancipari*, sed *manumitti*. Posteriori autem modo res mobiles, si præsentes sint, possunt *mancipari*: vt ait Vlpianus. *Mancipatio* autem ea eo dicta, quia vti mancipans *manu tradit*, ita mancipatus *manu capitur*. Gloss. vet. *Emancipatus*, χειρόγραφος.

Glos

Glossarium Nomicum: *Emancipatio*, ἀντιδόσις. *Emancipatus*, ἀντιδόσιμος. Vide *Manceps*.

EMBLEMA, ἔμβλημα, opus erat artis ἐμπαιστικῆς. Atque ita ars ea ἐμπαιστικὴ dicebatur ἀπὸ τοῦ ἐμπαίειν, ita ἔμβλημα παρὰ τὸ ἐμβάλλειν. Est enim ἐμβάλλειν, *sigillum, quod operi alteri inseritur atque illigatur*; ἐμπαίειν, *ars sigilla eiusmodi immittendi atque includendi*. Latini non habent vocem, qua Græcum hoc reddant. Alioqui non laborasset Tiberius de voce in Senatu, qua redderet Latine. Scaliger tamen putabat Latine dici *insertam*: eâque voce μεταφορικῶς vti Publium Syrum apud Gellium hoc versu: *Frugalitas inserta rumoris boni*. Prout est in MSS[ti] Gellij codd. Item Tertullianum lib. de Idololatria, vbi *insignia dignitatum* vocat *insertas*. Item cum philosophiam vocat Christianæ religionis *insertam*. Sed hæc valdè sunt incerta. Nam potuit Tertullianus dicere literas esse prædicationi Euangelicæ *insertas*, hoc est, coniunctas, quia fabulæ poëtarum & similia inserantur. Nec satis venustè dicitur frugalitas boni rumoris *emblema*: argutius sit, *frugalitas incerta rumoris boni*: quia frugales culpantur tanquam auari. Et *incerta* reperit Salmasius in veteribus Macrobij excerptis. *Emblematis* vocem vsurpat Lucilius versibus istis vulgatissimis:

Quam lepide lexeis compostæ, vt tesserulæ omnes
Arte pauimenti (al. *Endo pauimento*) *atque emblemate vermiculato.*

Quo Cicero allusit in Bruto, de M. Callidij oratione agens: *Nullum, inquit, nisi loco positum, & tanquam in vermiculato emblemate, vt ait Lucillius, structum verbum videres*. De iisdem ita Plinius, lib. XXXV. cap. I. *Interrasa marmore, vermiculatis ad effigies rerum & animalium crustis*. Quemadmodum autem *emblemata* vasis inserebantur, ita & iisdem eximi poterant. Vnde Cicero quinctâ Verrina Verrem accusat, quod *emblematis* detractis, pura nudaque reliquisset Siculis vasa, suisque ea scyphis illigasset atque inclusisset. Hac de re alibi quoque diximus.

EMBOLA, ἐμβολὰ, Tullio pro Sextio, & ad Att. sunt ea, quæ in media fabula à mimis interponerentur: vnde & nomen. Nam ἐμβάλλω *intersero*, vnde ἐμβολή à quo *embolaria* mulier Plinio, ἡ ἐμβολιάρια. Quomodo *dicteria, emvola* & *exodia* differant, vide in *Dicterium*. Vide & de ea voce Hermolaum Barbarum in Glossematis Plinianis, voce *Embolaria*.

EMO; τὸ ἀγοράζειν factum putant à πρίαμαι, quod idem notat: vnde & *Priamus* nomen accepit, cum antea Ποδάρκης diceretur. Nempè quia capta ab Hercule Troia eum sorori Hesione ἰκεσίαν πωλήτορα γοναύσιμος, αὐτὰ ἀπελ. Ἀῦσα αἰχμάλωτος ὑπὸ Τελαμῶνι, quemadmodum ex Lycophrone tradit Eustathius in Il. α pag. XXVII. edit. Rom. Isidorus verò, in X. *Emtio*, inquit, *quod à me sit*. Dubium, vtrum voluerit componi ex è, & *meus*: quia qui quid à me emit, è meo facit suum: an potius simplex deriuatum velit esse ab ἐμὸς, vnde ἐμόω, ἐμῶ, quasi ἐμὸν ποιῶ. Quod magis placet, quia non item repugnat quantitas primæ, vti si è præuerbio & constatum dicas. Antiquè *emo* etiam *tollere* signabat, teste Festo, qui inde dici ait *abemo*, hoc est, *aufero*. Similiter Gloss. vett. *abemis*, ἀφαιρεῖ. Ab eodem est *demo*, quasi *deemo*, de quo dictum. Idem *surrempsit*, hoc est, *suscepit*: vt *surrempsit*, id est, *susceperit*. De quo plura in *Sumo*. Item *interimo*, & *perimo*. Cornelius Fronto: *Perimere ab emptione, quasi intre tollere*. Sed *per* hic non ius significat, sed auget: vt sit, *penitus tollere*. Ab eodem est *dirimo* pro *disemo*. S in R abeunte, vt *Valerij, Furij, Aurelij*, qui prius *Valesij, Fusij, Auselij*; *ara*, & *lares* ex *asa*, & *lases*. Etiam hinc est fortasse *præmium*, quod quis *præ* alijs *emit*, hoc est, *capit*, siue *tollit*. De quo plura in *Præmium*.

EMPLASTRUM, ἔμπλαστρον, ab ἐν & πλάττω, *fingo, formo*. Nam formatur, vt illinatur. Transfertur quoque ad plantas: vnde *emplastratio*, cum arbores inoculantur insitionis causa.

EMPORETICA *charta* quæ sit, & vnde dicatur, ostendit hic Plinij locus: lib. XIII. cap. XII. *Nam emporetica inutilis scribendo, inuolucris chartarum segestriumque in mercibus vsum præbet: ideo à mercatoribus cognominata*. Nempè ἐμπορητικὸν dicitur, *quod ad mercaturam pertinet*, ab ἐμπορεύω, id est, *negotior*; quod ab ἔμπορος, id est, *mercator*, *negotiator*, ac inprimis qui διὰ θαλάσσης περᾷ, *qui mare traiicit*. Vnde & ἐμπόριον, quod Plinio *forum nundinarium*. Græcam *emporij* vocem retinent Cicero Pliniúsque. Vel modulo secundæ literæ refelluntur, qui *emporium*, quasi *emtorium*, dici aiunt. Ἔμπορος autem, vt Eustathius scribit, venit à πόρος, id est, *transitus*, vnde & meatus cutis, per quos sudor & pili transeunt, *poros* vocamus. Est id à πείρω, id est, *transeo*. Ab eadem πόρος voce sunt εὔπορος, *portius*; ἄπορος, *transitum non habens*. Sed figuratè illud pro *facili & expedito* accipitur, hoc pro *difficili dubióque*, vnde ἀπορεῖν, *dubitare, hæsitare*: pro quo *aporiari* ex Græco ἀπορεῖν, posterioribus seculis dixerunt. Vide hac de voce in *Catonium*. Est quoq; à πόρος, πορθμὸς, *fretum*, ὁ τινος πόρος τῆς θαλάσσης, vt Eustathius exponit. Ab hoc est πορθμεὺς quomodo eodem teste propriè vocatur ὁ διὰ πορθμοῦ τὰς περαιουμένους ἄγων. eóque ab illo diuersus est qui διὰ πελάγους θαλάσσης ἄγει τινά. Vide Eustathium, in Od. α pag. CI° CCCLXXXVIII. Latinis dicitur *portitor*. Sed Græcam vocem retinet Iuuenalis Sat. III.

Iam sedet in ripa, tetrumque nouitius horret
Porthmea.

EN, à Græco ἦν, quod eiusdem significationis. I finale omissum: vt ab ἐπὶ, *est*; à μέλι, *mel*, &c. aut ab הן, quod idem. Possis & ἄμιτος Latinum *en* ab Hebræo *hen* אן ducere. Etiam *an* est ab הן, vt quod etiam ponatur pro *an*, *num*. Nec fortasse aliundè Græcum ἂν, ἢν vel ἐὰν, cum הן etiam notet *si*. Possis & *an* ducere ab ἢν ducere. Gloss. Philoxeni. *An*, ἆρα, ἦ, πότερον, ἄρα. ...ἰδοὺ. Pro ἰδοὺ Græci *en* παρηγόρμενον etiam dicunt ἠδὲ, quasi ἰδὲ, ἴδε, siue ἰδού. *Ecce* factum ab *en*, & syllabica adiectione *ce*, quæ in *hicce* & *illicce*. *Ecce*, cum variis pronominibus componitur: vt *eccum* quasi *ecce eum*, *eccam*, quasi *ecce eam*; *eccistam*, quasi, *ecce istam*; *eccillum*, quasi *ecce illum*; *eccillam*, quasi, *ecce illam* pro quo & *ellum*. atque *ellam*, dicitur: quæ ex *en illum*, & *en illam*, fieri scribit Marius Victorinus, lib. I. Vide & Donatum, in And. Act. V. scena II. Glossæ Philoxeni, *Ellam*, ἰδοὺ αὐτή. Huiusmodi crebra apud Plautum, qui iis etiam vtitur, cum res in conspectu non sunt. Vt Most. Act. I. Scen. I.

———*Nam eccum herilem filium*,
Video corruptum ex adolescente optimo.

Ita habent optimi quique & vetustissimi codd. Itidem voce *eccillam* de iis, quæ non in conspectu, sed in vicinia sunt, vtitur Aulul. act. IV. Sc. I. & Mil. Act. III. sc. I. & alibi.

ENCÆNIA, ἐγκαίνια, *renouatio*, à καινὸς, hoc est *nouus*, quod à חנך, *initiauit*, *innouauit*. Quippe *encænia* dicuntur *festa anniuersaria vrbium conditarum*: quomodo & Quinctilianus vsurpat, lib. VII. cap. II. Sed ferè accipi solet pro *feriis ob memoriam templi consecrati*. Vnde Belgæ vocant *Kermis*, vti Germani *Kirchmess*, à *Kirch*, hoc est, *templum* (quod à κυριακὸν, hoc est, *dominica*, quasi *Domini domus*,) & *mess*, hoc est, *missa*, quæ in templi consecratione adhiberi solet. Vide de *encæniis* Matthæum Dresserum lib. de diebus festis: & doctum Scholiastem ad X. cap. Iohannis.

ENCAUSTICE, ἐγκαυστικὴ, ab ἐγκαίω, *inuro*. Erat *pictura genus, in quo picturam inurebant*. Hoc in ebore aut cornu faciebant cestro, siue vericulo ignito. Etiam iamiis, ac tabulis, ceras discolores inducebant, quas postea inurebant. Vel in liquefactis igne ceris penicillo pingebant. Vide Salmasij Exercitationes in Solinum. Ex antiquis adi Vitruuium lib. VII. cap. IX. Eadem de arte sic Plinius, lib. XXXV. cap. IX. *Ceris pingere, ac picturam inurere, quis primus excogitauerit, non constat. Quidam Aristidis inuentum putant, postea consummatum à Praxitele. Sed aliquanto vetustiores encaustica pictura exstitere, vt Polygnoti, & Nicanoris, & Arcesilai, Pariorum. Lysippus quoque Æginæ picturæ suæ inscripsit, ἐνέκαυσεν, quod profectò non fecisset, nisi encaustica inuenta. Pamphylus quoque, Apellis præceptor, non pinxisse tantum encaustica, sed etiam docuisse traditur Pausiam Sicyonium, primum in hoc genere nobilem*. Apud Martialem, lib. IV. elegans est epigramma in Phaëthontem *encaustum* quem δὶς ἔμπυρον vocat, quasi *bis vstulatum*; vt qui semel paternos agens currus fulmine incensus, inque Eridanum præceps actus sit: ac nunc à pictore *encausto* inustus sit. Sed epigramma ipsum apponamus:

Encaustus Phaëthon tabulâ depictus in hâc est.
Quid tibi vis, dipyron qui Phaëthonta facis?

ENCHIRIDIUM, ἐγχειρίδιον, ab ἐν & χεὶρ, quia *manu claudi queat*: quomodo Guntherus lib. I. Ligurini ait: *Claudendumque manu formâ breuiore libellum*. Alias notat *pugionem*, quod ob breuitatem aptius manu gesteтur, quam gladius. Et fortasse hæc significatio primaria est. Sanè Simplicius scribit, Epicteti libellum inscribi ἐγχειρίδιον, διὰ τὸ πρόχειρον αὐτὸ δεῖν καὶ ἕτοιμον εἶναι τοῖς βουλομένοις εὖ ζῆν. καὶ γὰρ τὸ στρατιωτικὸν ἐγχειρίδιον ξίφος ἐστὶ πρόχειρον ἀεὶ τοῖς χρωμένοις ὠφέλιμον εἶναι; quod vt pugio militibus, sic libellus is, iis qui rectè student viuere, in promptu paratúsque semper esse debeat. Erasmus quoque libellum inscripsit, *Enchiridium militis Christiani*, sanè appositè, vtramcunque respicias significationem.

ENCOMIUM, ἐγκώμιον. Ita propriè dicebatur, cum ἐν κώμαις (vnde & nomen) in alicuius laudem coram tribulibus longiuscule procederet oratio. Postea latiùs extensa hæc vox ad quauis *laudationem*. Dico *laudationem* non *laudem*; quæ differunt

runt vt Græcis ἔπαινος & ἐγκώμιον, hoc est, vt genus & species. Nam (vt Cornelius Fronto inquit) *laus facti instrumentum est, laudatio vero est rerum gestarum relatio.* Sed fusius curatiúsque de his egimus, lib. I. Oratoriarum institut. capite v.

ENCYCLOPÆDIA, ἐγκυκλοπαιδεία, quasi ἐγκύκλιος παιδεία, significat *orbiculatam disciplinarum seriem* siue *doctrinæ orbem*, prout interpretatur Fabius, lib. I. *Vt efficiatur*, inquit, *orbis ille doctrinæ, quem Græci encyclopædiam vocant.* Hinc quidam Aristotelis libri, quorum meminit Laertius, *encyclij* dicti: vt qui essent περὶ τῆς ἐγκυκλίου παιδείας.

ENDO, antiqua est præpositio pro *in*. Estque vel à Græco ἐν τῷ, vt suspicatur Radulphus Fornerius, lib. II. rerum quotidianarum, cap. XX. vel, quod magis mihi placet, ab ἔνδον, vt nempe *intus* ab ἐντός. Hinc apud Ciceronem II. de Leg. *ollos, quos endo cœlo merita vocauerint*: nam (vt Ianus Douza filius notis ad Catullum legit) *locauerunt*: vt sit geminum huic Iuuenalis:

—— *Sed te*
Nos facimus, Fortuna, Deam, cœloque locamus.

Sunt qui pro *endo* semper *indu* scribendum putent. In Glossis tamen Philox. litera E disertim scriptum, *Endo*, ἐνίς, vbi legendum patet, ἐν, εἰς. Præterea apud Festum quoque litera E scriptum, *Endo procinctu*, pro *in procinctu*. Et in compositione apud eundem legimus *endoitium* pro *initium*, & *endoploranto* pro *imploranto*. Vti in Philoxeni Glossis, *endodecarit*, pro *indicarit*, μηνύση, *endosestabat*, pro *infestabat*, ἔβλαπτε, ἀφρίζει, *endoplorato*, pro *implorato*, ἐπικαλεῖται, *endoirigaum*, pro *irriguum*, ἔνυδρον, κατάρυτον. In aliis quoque libris sunt alia id genus: quæ vniuersa mutare nimiæ mihi audaciæ videtur.

ENDROMIS, ἐνδρομίς, vestis hirsuta longiore villo. Festo & Tertulliano de pallio, cap. IV. *solox* dicitur. Seuero Sulpitio, dialogo I. cap. XIV. vocatur *burrus*, ac Eucheriæ itidem *burra* appellatur. Nomen *endromidi* ex eo est, quod illa ἐν δρόμῳ, hoc est, *cursu*, vterentur. Hinc *endromidatus* dixit Sidonius, lib. II. epist. II. *Tu endromidatus exterius, intrinsecus fasciatus.*

ENGONASI, sideris nomen, quasi ἐν γόνασι, *in genibus*: vnde Iulio Firmico *ingeniculus* dicitur: vti ἐγγόνασις Latinis *ingeniculatio*. Ouidio id sidus *genu nixus*; Ciceroni ἀπλῶς *nixus*. Manilius de eo sic scribit in v.

Nixa genu species, & Graio nomine dicta
Engonasi.

Sequentia, vbi *ingenicla* voce vsus videtur, omnino sunt corrupta.

ENIM, idem ac *nam* valet: vnde & factum videtur, *e* præmisso: vt in *equidem* à *quidem*. Nisi vtrobique *e* ex *ego* esse malim, quasi *egonam*, *egoquidem*. Qua de re superius dictum. Cum copula & conflatum genuit ex se *etenim*, vt Græcis καὶ γάρ. Sic cum *vero* coniunctum fecit *enimuero*.

ENS, antiqui dixere, vt Priscianus ait, lib. XII. Ac remansit in compositis *præsens*, *absens*, *potens*, vbi componitur cum *præ*, *ab*, *potis*. Vide *Præsens*. Est autem *ens* ab ἐὼν ὄντος, quod Æolicum est pro ὢν ὄντος. Hinc παρεὼν παρεόντος.

ENSIS, forte ab ἔντε, siue ἔντεα, quomodo dicuntur *arma*. Sed obstat, quod propriè signat *arma* σκεπαστήρια, hoc est, *corporis contegentia*, vt galeam, clypeum: quemadmodum ex Athenæo & Suida cognoscitur. Quare vix dubito, quin sit ab ἔγχος, quod non *hastam* modo, sed & *ensem* significat. Sed & nonnihil accedit ad ἐνάω, *occido*, *perimo*; vel ἕνω, idem notante: vnde Bellona, iuxta Eustathium dicitur Ἐνυώ, vti & Latinis *Enyo*: item *belli deus*, Ἐνυάλιος, vt Basso, lib. I. Ἀνθολογ. ἐπιγραμ. vbi Spartani trecenti, qui fortiter pugnantes ceciderant, vocantur

———ἀνίκητον δᾶμος Ἐνυαλίου.

Glossæ in Cyrilli calce inuentæ: Ἐνυάλιος, *Quirinus*. Sanè Romanis sit *Quirinus*. At Græcis *Mars* potius erit, vel *alius belli deus*.

ENTHECA, ἐνθήκη, *arma* rustica, ita dicta ab ἐντίθημι, *impono*, quia agri caussa reponantur. Legas lib. II. §. vlt. D. de instr. vel instr. leg. vlt. C. de bon. proscript. item lib. LXVIII. §. vlt. D. de leg. III.

EO, ab ἴω, vnde & εἶμι τὸ πορεύομαι factum, suáque vltra imperfectum tempora trahit, vt ᾖειν, ᾔεσαν. Ab *itum* est *iter*, de quo cum deriuatis suis separatim agemus. Ab eodem est *itus*, quod pro *accessu*, aut *itinere*, accipi docet ex vett. lapp. & libb. Guil. Fornerius, libro I. Select. capite IX. Compositorum verbaliúmque ab *Eo* ingens est sylua. *Abire*, pro *obire* dixerunt: vt *abitionem* pro *morte*, teste Festo. Sed apud eum perperam etiam MSS. *Abisse pro adisse dicebant.* Rectum vero *obisse*. Nota illa, *Abijt iam, & Reuerti debet*: quibus de mortuis vsi, teste Tertulliano, de Testimonio animæ, c. IV. *Inire* interdum erat in obscœnis; vnde *Inuus*, qui idem ac *Pan*. Virgil. in VI. *Pometios Castrumque Inui*. Vbi Seruius sic: *Inuus Latinè appellatur, Græcè Πάν. Item Ἐφιάλτης Græcè, Latinè, Incubo. Idem Faunus, Fatuus, Fatuellus. Dicitur autem Inuus ab ineundo passim cum omnibus animalibus. Vnde & incubo dicitur.* Artemidori quoque est. Ἐφιάλτης, ὁ τῷ Πανὶ αὐτὸς δοκεῖ εἶναι. Ἐφιάλτης vocatus, quia noctu in dormientes creditur insilire coitus caussa. Nam ἐφάλλεσθαι, siue ἐφάλλεσθαι, *insilire*. Sed Latini non tam *insultorem* quam *incubum* vel *incubonem* nominant. Atque hinc liquet, cur *incubum*, siue *impressiones nocturnas*, quas Dioscorides ἐφιαλτῶν πνιγμὸν vocat, Plinius *Faunorum in quiete ludibria* appellet. In antiquis Liuij codd. pro *Inuus* legere est *Inimus*. Forte igitur vt à *vaco* est *vacuus*, & *vacinus*; sic ab *ineo* dixere *Inuus*, & *Inimus*. Ab *ineo* quoque est *initis*, & *initium*. Item ab *exeo*, *exitus*, & *exitium*, à quo *exitiale*. A *subeo* est *subitum*, quod *subit*. Nisi potius à *sub* & *itus*, quod *sub itum* contingat, vt non abludat ab *illico*, quod est *in loco*. A *subitus* est *subitillus*, placentæ genus; à *subeo*, vt videtur, paratura. Casaubonum vide in Athen. lib. XIV. cap. XV. A *transitum* est *transtrum*, de quo separatim. A *per* & *inter* cum *eo* compositis *perire* est, & *interire*: quod Belgis similiter *ondergaen*. Sed *periculum* non est à *pereo*, verum a *perior*, quod à πειρῶ. Eius compositum est *experior*. A *se*, id est, *seorsim*, & *itum*, est *seditio*, interiecto *D*, vt in *Redire*, & *Reditus*. Similiter ab *am* & *ire* fit *ambire*, interiecto *B*, vt in *Ambages*. Vide supra *Ambitus*. A *cum* & *ire* est *cumire*, siue *comire*, pro quo dicimus *coire*, extrito *M*. Vnde *coitio* apud Terentium, & *coetus*, ex quo *coetus*. Sed remansit *M* in aliis deriuatis: vti sunt *comes* (vnde *comitari*,) & *comitia*, quæ sic dicta quasi *populi conuentus*. Sed de *Comitij* voce plura diximus separatim. Vti & de *Ilicet*, quod factum ex *ire licet*. *Obire mortem*, propriè est *adire mortem*. Nam *ob* olim positum pro *ad*: vnde *obstetrix* ab *adstando*, & *adsidendo*. *Obire diem* pro eodem dicitur, quia fatalis dies signatur. Sed & simpliciter pro eo vsitatum est *obire*, vt *mortem* vel *diem* κατ᾽ ἔλλειψιν reticeatur.

EOVS, ἠῷος, ab Ἠώς, ἠοῦς vel ἕως, hoc, vt Etymologus censet, quasi αὔως, παρὰ τὸ αὔω, τὸ λάμπω. Pro *Lucifero* vtitur Maro, II. Georg.

Aut cum sole nouo terras irrorat Eous:

Item Cinna, citante ad adductum Maronis locum Seruio:

Te matutinus flentem conspexit Eous:
Et flentem paulo vidit post Hesperus idem.

Quod autem *Eous* primam nunc corripit, nunc producit, hoc inde est, quod & ἑῷος ab ἕως, & ἠῷος ab ἠώς dicitur.

EPHALMATORES Materno ab *ephalmare*, quod est ἐφάλλεσθαι, siue ἐφάλλεσθαι, vnde ἐφιάλτης, *incubus*; de quo in *eo* dictum. *Ephalmare* autem ab ἐφάλμα, vt à πλάσμα fecerunt *plasmare*, pro πλάσσειν, à χρίσμα *chrismare*, pro χρίειν.

EPHETÆ, ἐφέται, sic, Suida teste, dicti, quod ad eos prouocaretur; ab ijs verò prouocare non liceret. Ἐφίημι, *appello*, *ad iudicem maiorem prouoco*. Hi iudicabant de cædibus non consulto factis. Fora eorum, vt Harpocration monet, erant quatuor, *Prytaneum*, *Palladium*, *Delphinium*, & *Phreattium*, Πρυτανεῖον, παλλάδιον, δελφίνιον, καὶ ἐν Φρεάττοις, siue τὸ ἐν Φρεαττοῖ δικαστήριον. At de cædibus consulto factis iudicabatur in Areopago, quod è foris omnibus nobilissimum. Erant præter hæc, & alia fora, eaque inter præcipua ἡλιαῖον, τρίγωνον, παράβυστον. *Heliæum* ita dictum, διὰ τὸ ὑπαίθριον εἶναι καὶ ἡλίῳ βάλλεσθαι, quia nempè *sub sole*, siue *sub dio*, ibi iudicia exercerentur. Id enim verisimilius, quam vt sic dicatur, *quod maxima hominum multitudo eò conuocaretur*, παρὰ τὸ ἁλίζεσθαι ἐκεῖσε καὶ ἀθροίζεσθαι τὸ πλῆθος τῶν δικαστῶν, vt ad Demosthenem notat Vlpianus. *Trigonum* vocatum à *triangulari* loci *forma*. *Parabystum*, quia esset ἐν ἀφανεῖ πόλεως, *in obscuro vrbis loco*, eóque verè παράβυστον, hoc est, ἀπόκρυφον, λαθραῖον. Auctores Pausanias, Pollux, Harpocratio, Suidas. E Iunioribus adi de his Cælium Rhodiginum, lib. XXVIII. cap. IX. Carolum Sigonium, lib. I. & III. de Republica Atheniensium, & Guilielmum Postellum, de magistratibus Atheniensium, capite XXV.

EPHORI, ἔφοροι, ἀπὸ τοῦ ἐφορᾶν. Cic. III. de Legg. *Quare nec Ephori Lacedæmonij sine caussa à Theopompo sunt oppositi regibus, nec apud nos consulibus tribuni.* Tanta eorum potestas erat, vt nec Regi assurgerent, ac Regem etiam in vincula coniicere possent, vti scribunt Thucydides, lib. I. & Cornelius Nepos, in Pausania. *Ephororum* potestatem pluribus persequitur & exagitat Aristoteles, lib. II. cap. IX. Polit. Plato quoque lib. IV. de Legg. mirificè tyrannicam esse ait. Et quando, &

do & quot, primò sint creati, & quomodo ab vno ex Ephoris, qui ἐπώνυμος dicebatur, fasti soleant signari, vt Athenis ab vno Archontum: legere potes apud Iosephum Scaligerum, animaduers. Eusebianis ad annum MCCCLVII. pag. LXVII. & LXVIII.

Epicedium, Græcè ἐπικήδειον, vnde liquet malè vulgò in *epicedia* vocabulo penè vltimam corripi. Ἐπικήδειος notat *funebris*, vt ἐπικήδειος λόγος vel ᾠδή, éstque à κῆδος, quod etsi generatim significat φροντίς, particulariter tamen pro *cura, quam gerimus funeris causâ*, vel potiùs pro ipsis *exsequiis*, accipi solet. Ἐπικήδειον, & ἐπιτάφιον, ita distinguit Seruius ad Ecl. III. vt *epicedium* dicatur nondum sepulto cadauere: cuiusmodi esse ait,

Exstinctum nymphæ crudeli funere Daphnin
Flebant. ———

Epitaphium autem post completam sepulturam, quale est,
Daphnis ego in syluis hinc vsque ad sidera notus.

Ἐπιτάφιον dictum ab ἐπὶ & τάφος, id est, *sepulchrum*, quod à θάπτω, *sepelio, humo*. Θάπτω placet Becmano esse à תוה, quod est, *signo, assigno, scribo*: vt θάπτω propriè sit, *sepulcro inscribo*, τάφος, *sepulcrum cui quid inscriptum, monumentum*. A τάφος, quoque est κενοτάφιον, quasi κενὸς τάφος, *inanis tumulus*. Florentinus, l. monumentum, ff. de Relig. & sumt. funerum: *Monumentum generaliter res est memoriæ causâ in posterum prodita, in quam si corpus vel reliquiæ inferantur, fiet sepulcrum: si verò nihil eorum inferatur, erit monumentum memoriæ causâ factum, quod Græci κενοτάφιον appellant.* Suidas: κενοτάφιά ἐστιν ὅσα ἐλλείπει ὡς τινὸς νεκροῦ, μὴ ἔχοντα νεκρόν. *Honorarium tumulum* appellat Suetonius, in Claudio, cap. I. vbi ait istiusmodi tumulum Druso exstructum in Germaniâ, cùm corpus eius in Italiam perlatum esset. Hectori quoque istiusmodi *tumulum* erigit Andromache apud Maronem III. Æn.

———*Manésque vocabat*
Hectoreum ad tumulum, viridi quem cespite inanem,
Et geminas, caussam lacrymis, sacrauerat aras.

Lamprid. in Alexandro Seuero: *Cenotaphium in Galliâ, Romæ sepulchrum amplissimum meruit.*

Epilepsia, ἐπιληψία, ἀπὸ τοῦ ἐπιλαμβάνειν, id est, *apprehendendo* quòd (vt scribit Cœlius Aurelianus, lib. I. χρονίων cap. IV.) *sensum atque mentem pariter apprehendat*. Siquidem morbo hoc correpti, soluti paroxysmo non recordantur amplius eorum quæ acciderunt. Vide quæ de voce ea quoque diximus in *Apoplexia*. Cur quoque *passio puerilis* ac *sacra* dicatur, docet ibidem Aurelianus: *Appellatur*, inquit, *puerilis passio, siquidem in ipsis abundat ætatibus: & sacra, siue quod diuinitus putetur immissa, siue quod sacram contaminet animam, siue quod in capite fit, quod multorum philosophorum iudicio sacrum templum est. Est & partis animæ in corpore natæ* (al. rectius *dominantis*) *siue ob magnitudinem passionis. Maiora enim vulgus sacra vocauit. Inde sacrum dictum mare, & sacra domus; velut Tragicus poëta sacram noctem, hoc est, magnam appellauit.* Hæc Cælius.

Epimenia, ἐπιμήνια, dona, quæ Romanis Afri singulis mittebant mensibus: vnde & nomen. Nam ἐπιμήνιος, *menstruus*, à μὴν, *mensis*. Iuuenal. sat. VII.

———*Veteres, Maurorum epimenia, bulbi.*

Vbi vetus Scholiastes: *Epimenia Latinè menstrua dicuntur donatiua.* Gildas, de excidio Britanniæ: *Queruntur, non adfluenter sibi epimenia contribui.*

Epiphania, ἡ ἐπιφάνεια, *apparitio*; ab ἐπιφαίνομαι, *appareo*. *Epiphania* autem primitus dicebatur *dies, quo Christus in carne cœpit apparere*, hoc est, *dies eius natalis*, qui credebatur Græcis esse sextus Ianuarij. Sanè Chrysostomi demum temporibus Græci cœpere natalem Christi celebrare XXV. Decembris, idque exemplum Romanæ sequentes Ecclesiæ. Cæterum VI. Ianuarij non tantum natus credebatur Christus, sed etiam Magis apparuisse: imò & baptizatus in Iordane: annis licet diuersis. Itaque postquam Græci festum natalis Christi XXV. Decembris transtulere: nihilominus VI. Ianuarij vetus *epiphaniæ* nomen retinuit: caussáque appellationis eius dici cœpit, quòd Christus tum apparuisset Magis: item quod audita est vox Dei Patris de Filio, *Hic est Filius meus dilectus*. Isidorus, libro VI. Orig. capite XVIII. *Epiphania Græcè, Latinè apparitio, siue manifestatio, vocatur. Eo enim die Christus apparuit Magis adorandus. Quod fuit figura primitiæ credentium gentium. Quo die & dominici baptismatis sacramentum, & permutatæ in vinum aquæ factorum per Dominum signorum principia exstiterunt. Duæ sunt autem epiphaniæ: prima, in qua natus Christus pastoribus Hebræorum, Angelo nunciante, apparuit: secunda, in qua ex gentium populis, stellâ indice, præsepis cunabula Magos adoraturos exhibuit.* Vide quæ eruditè de his scribit Isaacus Casaubonus, exercit. XVI. cap. XI. in annal. Baron.

Episcopus, ἐπίσκοπος, *inspector*, ab ἐπισκοπεῖν. Quod accipitur, vt ἐπιβλέπειν, pro φυλάττειν. Vt in epigrammate Θεοὺς ἐπιβλέποντας. At ὄπτομαι similiter capitur, cùm dicimus ἐπόπται, *custodes vinearum*, λειοπτηρες vel λειοπτῆρες, *qui retia seruant*, vt loquitur Maro. Latinis quoque *tueri* & *videre* notat & *seruare* ac *defendere*. Beatus Hieronymus, & ex eo Gratianus, part. I. distinct. XCIII. ἐπισκοποῦντες, vertunt *superintendentes*: quomodo & in plerisque Germaniæ locis hodiè appellantur *Ecclesiarum inspectores*. Nec *Episcopi* vox à Christianis inuenta, sed à τοῖς ἔξωθεν accepta. Ita Homerus, Iliad. ω. Hectorem vocat *ciuitatis Episcopum*. Et apud Athenienses *Episcopi* nomen erant *magistratus*, ad quem delectus, prouinciarúmque negotia referebantur. Etiam *adolescentes* ab anno XVIII. vsque ad XX. dicebantur ἐπίσκοποι τῆς χώρας, quia biennio isthoc *lustrarent regionem*, quò, ingruente necessitate, essent regionis ac viarum locorúmque gnari. Nec ante rei hæreditariæ potestas eis concedebatur. Vide Guilielmum Postellum, de magistratibus Atheniensium, cap. XVIII. Ab ἐπίσκοπος & χώρα est χωρεπίσκοπος. Χώρα autem tum *vicum* siue *pagum* notat, tum *locum*, siue *vices alterius*. Itaque Erasmus in Ecclesiaste, lib. I. vult *chorepiscopos* dictos *pagorum*, siue *vicorum*, *Episcopos*, quasi χωρικοὺς, id est, *rusticos Episcopos*. At Franciscus Duarenus, lib. I. de sacr. Eccles. minister. & benefic. cap. IX. censet potius sic nuncupatos, tanquam *vicarios otiosorum Episcoporum*. Vtramque ἐτυμολογίαν ponit, iudicium tamen non interponit, Clarissimus IC. Carolus Molinæus, annot. in Decret. part. I. distinct. LXVIII.

Epistola, ἐπιστολὴ, quasi dicas *missoria*, ab ἐπιστέλλω, *mitto*, vnde apud Thucydidem Atticismus ille, ἐπιστέλλειν ἐπιστολήν. Ex etymo patet, scribendum per *o*, *epistola*; non per *u* *epistula*. Politianus, multique alij, per *u* maluere: quod minùs probo. Nec ignoro, Latinos litteras *o* & *u* sæpè commutare, quomodo ab *adolesco adultum* dicimus, non *adoltum*; ac in vett. libris *adolor* interdum legi pro *adulor*; & contra sæpè *epistula* pro *epistola*. Sed videtur mos hic non nisi inclinante seculo irrepsisse. Aliàs enim *u* pro *o* ponere, non tam Romanorum erat, quàm Vmbrorum. Στέλλω verò à שלח, quod est *misit*.

Epistomium, ἐπιστόμιον, ab ἐπιστομίζειν, *obturare*, ac propriè *os obstruere*; ab ἐπὶ, & στόμα, hoc est, *os*. Itaque Budæus in Pand. Cælius Rhod. libro XXX. Ant. Lect. capite XVIII. Philander ad Vitruu. *epistomia* dici censent ænea, aliúsve materiæ, instrumenta, in quibus est verticulum pertusum, quo, prout hoc aut illo modo versatur, clauduntur aperiuntúrque ora salientium ac fistularum. Ex horum opinione scripsit Varro, libro III. de R. R. cap. V. *Epistomiis ad vnumquemque actum, sic vt influat in communem.* Seneca, ep. LXXXVI. *Nisi aquam argentea epistomia fuderunt. Et adhuc plebeias fistulas loquor.* Vitruuius, lib. X. cap. XIII. *Singulis autem canalibus singula epistomia sunt inclusa manubrijs ferreis collocata, quæ manubria cum torquentur, ex arca patefaciunt nares in canales.* Vlpianus lib. XVII. §. castella. D. de act. emt. vend. *Castella plumbea, putealia epistomia*, &c. Paullus lib. III. Sentent. cap. IX. *Instrumento balneatorio legato, balneator ipse, & scamna, & podia, fistula, miliaria, epistomia; vasa aquaria continentur.* Verùm Cuiacius hoc loco *epitonia* legit: atque ita scriptum fuit in altero Puteani codice. Etiam Brissonius, libb. de verborum significationibus, *epitonia* legendum ait in superiori Senecæ loco: vti & illo Vlpiani: vbi *epitonia* clarè habent Pand. Florent. In Vitruuio quoque *epitonia* habent codd. veteres, vt antiquior Florentina anni M. CCCC. XCVI. Nam illâ recentior, anni M. D. XXII. *epistomium* habet. Denique apud Varronem in omnibus MSS[is] suis *epitonia* fuisse, scribit P. Victorius: eandem lectionem tuetur Ios. Scaliger. Sunt autem *epitonia*, ἐπιτόνια, instrumenta, quibus funes intenduntur, ab ἐπιτείνειν, quod est, *intendere*. Huiusmodi in plerisque Germaniæ Belgicæ locis cernere est: vbi terni sæpè quaternique funibus per rotam puteo applumbatam dimissis aquam eodem puteo hauriunt.

Epithalamium dicitur, quia id ᾄδουσιν αἱ παρθένοι πρὸ τοῦ θαλάμου, vt scribit Theocriti interpres. Rationem cur id concinerent, idem addit, ἵνα τῆς παρθένου βιαζομένης ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς ἡ φωνὴ μὴ ἐξακούηται, λανθάνῃ δὲ κρυπτομένη διὰ τῆς τῶν παρθένων φωνῆς. Itaque Catulli carmen, γαμήλιον quidem, seu *nuptiale*, at non ἐπιθαλάμιον, propriè dici potest, cùm eo puellæ vt canant, moneantur, totáque eo pompa nuptialis describatur. Vide quæ in id carmen notant Robortellius & Muretus.

Epityrum, conflatum ex ἐπὶ & τυρὸς, hoc est, *caseus*. Ita vocatum, non quòd *ex caseo fieret*, sed quòd *caseo accederet*. Erat

 cibi

cibi genus ex oleis concisis, addito oleo, acero, coriandro, cumino, feniculo, ruta, menta. Græcas ciuitates eo plurimum vsas, auctor est Columella. Meminit *epityri* quoque Plautus, Mil. Glor. act. I. sc. I. Fusè de eo Corn. Vitellius, annotationum in Georgium Merulam cap. II.

Epopta, ἐπόπτης, vniuersè *inspectorem* signat: sed speciatim sic dicebatur, qui admissus esset ad Eleusinia maiora. nam admissi ad minora, quæ præcedere solent, dicti μύσται. Meminit Tertullianus aduersus Valentinianos: *Nam in illa Eleusina Hæresis, & ipsa Attica superstitionis, quod tacent, pudor est. Idcirco aditum prius cruciant: diutius consignant, quam instituant: cum epoptas ante quinquennium instituunt, vt opinionem suspendio cognitionis ædificent.* Vide Scaligerum, in Catullum, & imprimis Meursium, in Eleusiniis, cap. VIII.

Epostracismus, ἐποστρακισμὸς, ludus qui fit ὀστράκοις, hoc est, *testulis*: etsi & lapilli, atque alia eorum loco adhibeantur. Ludum eum graphice nobis depinxit Minutius Felix, in Octauio. *Pueros*, inquit, *videmus certatim gestientes, testarum in mare iaculationibus ludere. Is lusus est testam teretem iactatione fluctuum leuigatam legere de litore, eam testam plano situ digitis comprehensam, inclinem ipsum, atque humilem, quantum potest, super vndas irrotare: vt illud iaculum vel dorsum maris raderet, vel enataret, dum leni impetu labitur: vel summis fluctibus tonsis emicaret, emergeret, dum assiduo saltu subleuatur. Is se in pueris victorem ferebat, cuius testa, & procurreret longius, & frequentius exsiliret.*

Epulas ab *edendo*, quasi *edipulas*, dici tradit Perottus. Isidorus lib. XX. cap. II. deducit ab *opulentia*, quia sint *opulentiæ* testimonium. Sed magis placet tum Martinij sententia, deducentis à Chaldæo אפא (Hebræis id אפה,) hoc est, *pinsere, coquere*: tum Angeli Caninij, qui litterarum Λ & Π traiectione ex εἰλαπίνη *epula* dici censet. Sanè & alia sunt trecenta in quibus traiectio isthæc occurrit. Ita a δάμνω est *domnor*; à σκέπτω, *specio*; à νῆσσα, *anas*; à σφάκελος, *fasces*, ab Æolico ἀλίκος, *qualis*, &c. Vide *Calculus*, & *Fulgeo*. Εἰλαπίνη verò vnde sit, docebit Athenæus, in VIII. Ab *epulis* dicti *epulones*, qui prius *epolones*. Festus: *Epolonos dicebant antiqui, quos nunc epulones dicimus. Datum autem est iis nomen, quod epulas indicendi Ioui cæterisque Diis potestatem haberent.* Primùm pontifices ipsi procurare solent *epulare* ludorum sacrificium: post ab iis creati treuiri *epulones*: qui illas publicorum ludorum *epulas* curarent: postea septemuiri facti: tandem à Iulio Cæsare decemuiri *epulones* constituti.

Eques, vel pediti opponitur, vt in acie; vel senatori, vt in ciuitate. Priori acceptione cur ab *equo* dicatur, manifestum est: non item, cur alterâ. Neque enim omnes ij posteriori modo *equites* vocabantur, qui *equo mererent*; sed illi tantummodo, qui *mererent equo militari*, siue *publico*. Docet id apertè Plinius, lib. XXXIII. cap. I. *Sed anuli planè medium ordinem, tertiúmque plebi & patribus inseruere: quod antea militares equi nomen dederant, hoc nunc pecunia indices tribuunt.* Siue, vt Lipsius legit, *pecunia indices*: vt sententia sit; Antea *equites* vocatos, quia *equo publico mererent*: nunc omnes eos equites dici, quibus sint anuli aurei, pecuniæ, siue equestris census, indices, ac testes. Duo igitur erant *equitum* genera, alij equo publico merebant, alij sine eo. Priores illi primò soli vocabantur *equites*: vnde idem Plinius eodem capite: *Equitum nomen subsistebat in turmis equorum publicorum.* Et Festus Pompeius: *Equitare dicebant antiqui, equo publico mereri.* Sed bello Veienti etiam aliis concessum, vt in equis militarent, qui publicum nondum equum accepissent. Liuius, lib. V. *Cum repentè, quibus census equester erat, equi publici nondum erant adsignati, consilio prius inter sese habito, senatum adeunt, factáque dicendi potestate, equis se suis stipendia facturos promittunt.* Quemadmodum autem *equus publicus* dicebatur *militaris*, vt è Plinij loco antè cognouimus; ita qui publico equo mererent, *equites militares* nominabantur. Asconius Diuin. *His decem annis, victore Syllâ, spoliatus est populus Romanus iudicandi iure, quod habuit per equites Romanos militares.* Equus publicus tribuebatur per censores. Liuius, lib. XXXIX. *SC. factum, vt tribuni plebis ferrent, vt P. Aebutio, cuius pater equo publico meruerat, emerita stipendia essent, ne inuitus militaret, neue censor ei equum publicum adsignaret.* Per eosdem censores adimebatur equus publicus. Asconius in Diuinat. *Regentis moribus Ciuitatis censores quinto quoque anno creari solebant. Hi prorsus ciues sic notabant, vt qui senator esset, eijceretur senatu; qui eques Romanus, equum publicum perderet; qui plebeius, in Cæritum tabulas referretur, & ærarius fieret, ac per hoc non esset in albo centuriæ suæ, sed ad hoc esset ciuis tantum, vt pro capite suo tributi nomine æra penderet.* Nec solùm ob flagitia publicus equus adimebatur; sed etiam siquis tantum de patrimonio consumsisset, vt amplius censum equestrem non haberet. Erat is census, vt in Iulio Suetonius tradit, sestertiorum quadringentorum, hoc est, decies centenorum millium coronatorum. Neque tantum ante bella ciuilia eiusmodi erat, sed etiam sub Augusto, vt Horatij illud indicat, libro I. Epist. I.

Si quadringentis sex septem millia desunt,
Plebs eris.———

Adempto equo publico, simul ademptum erat ius vtendi, vel anulo aureo, quo distinguebantur à plebe; vel angusto clauo, quo cum à plebe differebant, tum etiam senatu, qui lato clauo vtebatur. Sed neque amplius iis sedere licebat, in quatuordecim primis theatri gradibus: qui locus equitibus tributus L. Roscij T. Pl. Hinc lucem capit locus Tranquili in Augusto: *Cum plerique equitum, attrito bellis ciuilibus patrimonio, spectare ludos è XIV. non auderent, metu pœnæ theatralis; Augustus pronunciauit, non teneri eos, quibus ipsis parentibúsve equester census vnquam fuisset.* Assignare autem equum publicum est de publico constituere stipendium, tum emendi, tum alendi equi causâ: illud semel, hoc quotannis dabatur. Stipendium pro equo emendo mille assariûm fuisse, colligit Sigonius è Varronis lib. VII. de L. L. vbi mouetur quæstio, num dici debeat, mille denariûm, an denariorum; item equum publicum esse mille assariûm, an assariorum. Sed Iustus Lipsius omissâ notâ apud Varronem, legendum putat, *X mille nummûm*. Et sanè pugnet alioqui cum Liuio, qui libro I. in censu Seruiano scribit: *Ad equos emendos X millia æris ex publico data, & quibus equos alerent, viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos singulos penderent.* Plura de equo publico, tum autem equitum transuectione, eorum insignibus, alijsque ad equites pertinentibus, vide apud Alexandrum ab Alexandro, libro II. Genial. Dierum capite XXIX. Carolum Sigonium, libro II. de antiquo iure populi Romani, capite III. & Iustum Lipsium, lib. I. de militia Romanâ, dialogo V.

Equiria, vnde dicantur, docet Varro, lib. V. de L. L. *Equiria ab equorum cursu. Eo enim die currunt equi in campo Martio.* Ouidius, II. Fastorum:

Iamque duæ restant noctes de mense secundo,
Marsque citos iunctis curribus vrget equos.
Ex vero positum permansit Equiria nomen,
Quæ Deus in campo prospicit ipse suo.

Festus Pompeius: *Equiria, ludi, quos Romulus Marti instituit, qui in campo Martio exercebantur.* Ex his cognoscimus, Equiriûm ἔτυμον, auctorem, Deum cui sacra, locum, diem. Sed de hoc loco plenius dicendum. Nam præter hæc *Equiria*, quæ III. Kal. Mart. celebrabantur, fuerunt & altera, quæ fierent pridie Idus Mart. Et quod ad locum, si campum Martium aquæ occupassent, agebantur in parte montis Cælij, qui & Martialis dictus ab hisce ludis Marti sacris. Ouidius, III. Fastorum:

Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curuis in latus vrget aquis.
Qui tamen eiectâ si forte tenebitur vndâ,
Cælius accipiet puluerulentus equos.

Ex his liquet falsum Simeonem Bosium, qui apud Ciceronem, epist. II. lib. XVI. ad Att. pro *equitibus* legit *Equiribus*, ac de prioribus verba facere ait, cùm Cicero epistolâ hâc loquatur de Idibus Quinctilibus. Eodem enim mense scripta hæc epistola, ac superior, quæ exarata Nonis Quinctilibus. Geminus huic lapsus, epistola XXV. libri antecedentis, vbi putat, à Cicerone signari Idus Nouembres; quibus mundus patebat. At scriptæ Ciceronis literæ circa finem Ianuarij. In mysteriorum verò tempore nihil à Cæsare immutatum. Quomodo *Equiria* differant à *Consualibus*, diximus voce *Circus*.

Equus, quasi *equus*. Ita Isidorus, lib. XII. cap. I. *Equi dicti, quod, quando quadrigis iungebantur, æquabantur, parésque formâ & similes cursu, copulabantur.* Sed Iosephus Scaliger, vti & Nunnesius Valentinus, deducunt ab ἵππος, conuerso π in Q quomodo à πέτορες est *quatuor*; à λείπω, *liquo*, vnde postea *linquo*; à πέντε, *quinque*; à πρῖνος, *quercus*. Martinius verò malebat *equus* esse ab ὄχω, *veho*. Vt ita dicatur, quasi *ochus*, vel *echus*. Huius diminutiuum est *equuleus*, & *equuleus*, siue *eculeus*. Ita Ciceronem Varronémque vsos, Nonius docebit in *eculeus*. Hinc τὸ μηχάνημα *catasta*, in qua homines torquebantur, *eculeus* dictus, quia equo similis foret; vti & Turnebus censet, lib. XV. cap. XVI. Ab *equo eques* & *equiria*: de quibus seorsim. Item *equiso*, quod Varro Marcipore accommodat nautis. Nam *equisones nauticos* vocat, eâdem metaphorâ, qua

———*Volitantem flamine currum*,

Pro *naui* dixit Catullus. Vide Nonium in *equiso*, gemino loco.

Ercisco, siue *hercisco*, valet *bona diuido*. Donatus apud Seruium in VIII. Æn. *Erctum non citum, hoc est, patrimonium non diuisum. Erctum ciendum, hereditas diuidenda.* Isidorus. lib. v. *Familia erciscundæ est diuisio hereditatis inter heredes.* Gloss. Philox. *Erciscundæ*, διαιρέσεως. Vbi διαιρέσεις non diuidendi actum, sed μεταληπτικῶς pro *rebus diuidendis* sumitur. Glossæ Cyr. διαιρέσεις ὑπαρχόντων, *Ercti citus*. Vbi *citus* substantiuè sumitur, pro *diuisione*. Perperam vulgo vna voce *ercticitus* scribitur. *Erciscundæ familiæ* dixit Appuleius IX. Met. Imò ipse Cicero, I. de Orat. Qui & *ercti* vocem vsurpat. Ibi sic legitur. *Iccirco qui, quibus verbis herciscere oporteat, nesciat; idem herciscundæ familiæ caussam agere non possit.* Ita cùm in antiquis legeretur, à Lambino *ercisci cieri* editum est: quod etsi corruptum minùs, nec ipsum tamen integrum est. Vera autem lectio est *erctum cieri*: quomodo corrigit P. Victorius, lib. XXXV. Var. Lect. cap. I. *Erctum* verò, & *ercisci* vnde sint, docet his verbis Festus: *Erctum citum fit inter consortes, vt in libris legum Romanarum legitur. Erctum à coercendo dictum, vnde & erciscundæ, & erciscere; citum autem vocatum est à ciendo.* Sed si *erctum* propriè notat *coërcitum*, quâ de caussâ censet is *Erctum* esse à *coercendo*? eâ melius dixeris esse ab antiquo *erceo*, vel *erco*, vti hoc ab εἵργω siue εἴργω. Nam semper κοινῇ γλώττῃ εἴργω dicitur. Atticis autem, vt Eustathius monet, εἴργω, cum tenui, est κωλύω, *arceo, vetoe*; εἵργω cùm aspero ἐγκλείω, *includo, excludo*; vnde εἱρκτή, *carcer*. Et hæc fortasse caussa, cur & *erctum*, ac *ercisci*, nunc absque spiritu legantur in vett. libris, nunc cum eo *herctum*, & *hercisci*. Fuerit autem ab *erceo*, vel *erco*, *ercisco*, vt ab *apio*, *apiscor*; à *fruor*, *fruiscor*. Quod si id minùs placet, quia *erceo* non legatur; possis cum Martinio *erctum* deducere ab ἕρκος, vel ἑρκίον, id est, *septum*, vt *hercisco* sit quasi ἑρκίζω, propriéque signet *septa diuidere adium*: postea autem translatum fuerit ad *hereditatis diuisionem*. Hæc non improbarem, si *erctum* propriè notaret *coërcitum*, *septum*, *diuisum*. Sed *erctum* idem notat ac *bona*, siue *fortunas*, vnde Donatus exponit *patrimonium*, *hereditatem*. Nempè veteres Romani pro *bono* dixere *horctum*, *herctum*, *forctum*, *ferctum*: Nam *e* & *o* permutabant, vt *benus*, *bonus*, *hemo*, *homo*. Item *h*, & *f*, vt *hœdus fœdus*, *hircus fircus*, *horda forda*. Festus: *Horctum, & forctum pro bono dicebant.* Quare *horctum*, siue *herctum*, *ciere*, idem est, ac *bona*, siue *fortunas*, *diuidere*. Nam *cio*, *diuido*. Gloss. *Cienda*, διαιρούμενα. A *cio* autem fuerit *cisco*, vt ab *scio*, *scisco*; ab *hio*, *hisco*. Ergo *ercisco* fit *erctum cio* siue *cisco*: Nempè vt *erctum ciendum*, ita & dixerint *erctum ciscendum*, & composita voce *erciscendum*. *Cio* autem pro *diuido* sit à veteri χίω pro χίζω, vt πέσω dixere & πεσζω. Σ ablatum, quomodo à χασέρεια, *casteria*; à στέγω, *tego*; à σφάλλω, *fallo*. Putabat Nonius *citus* pro *diuisus* accipi in illo Maronis.

——Cita Metium in diuersa quadrigæ.

Idem Seruius monet idem Donatum sensisse. Sed rectè animaduertit obstare quantitatem cum prior in *citus* pro *diuisus* producatur.

Eremus, ἔρημος, naturâ suâ adiectiuum est: sed substantiuè sumitur, respiciendo γῆ. Etymologo dici videtur, quasi ἔρα μόνη, *terra solitaria*. Bibliandro, indice in Marcum, placet esse à חרם, hoc est, *vastare*, quod a חרם, *vastauit*. Martinius deducere mauult a עירם, *nudus*. Vel conflatum censet ex ערה, *nudare*, & עם, *populus*. Ab *eremus* est *eremita*, ἐρημίτης, qui & *anachoreta*, ἀπὸ τοῦ ἀναχωρεῖν hoc est, *recedere*. Vulgo *heremita* cum spiritu dicunt & *anachorita* per *I*: atque ita etiam apud Isidorum, lib. XVII. cap. XIII. sed corruptè vt Græcæ linguæ ratio docet.

Ergastulum, *locus in quo vincti operantur*. Ab ἐργάζομαι quod est, *operor*. Gloss. Philoxeni. *Ergastulum*, ἐργαστήριον. Item: *Ergastula*, τόποι ἐν οἷς κλεισθέντες ἐργάζονται, δεσμωτήρια. Plenum legitimumque ergastulum quot hominum fuerit, docet Appuleius Apol. *Quindecim*, inquit, *liberi homines, populus est: totidem serui, familia: totidem vincti, ergastulum.* Hinc *ergastularius* apud Columellam, ergastuli præfectus, qui & *ergastulus*, si vel Nonium audimus, qui Lucillio sic vocari ait, pœnalis loci custodem: vel Philoxeni Glossas, in quibus itidem φύλαξ exponitur. Alij tamen seruos ipsos a Lucilio intelligi putant. De *ergastulo* fusè scribit Lipsius, lib. II. Elect. cap. XV.

Ergo pro diuersa quantitate significationem variat. Festus: *Ergo correptum significat idem, quod apud Græcos ἄρα; productè, idem quod χάριν*, hoc est, *gratia*. Prius est ab ἄρα inserto *g*, vt suspicatur Angelus Caninius in Hellenism. alphabeto. Alterum, vt censet Iulius Scaliger, libb. de causs. L. L. cap. CLXXIV. venit ab ἔργον. Nam vult, vt dicimus *quare*, *quamobrem*: sic dici *illius ergo* hoc est, ἔργῳ, vt ἔργον sit nomen & caussam denotet. Fortasse autem & *erga* præpositionem similiter à Græco ἔργα non malè deduxeris. Nam occupatus est animus, vt bene maléve ei faciat, *erga* quem benè aut malè affectus est.

Erica, ἐρείκη, vel ἐρίκη, ab ἐρείκω, siue ἐρίκω, hoc est, *frango, scindo*. Hanc enim habet vim: Itaque ea vtuntur ad vesicæ calculos comminuendos & egerendos. Vide Matthiolum in Dioscoridis lib. I. cap. C. Ab *erica* dictum mel *ericaeum*, ἐρεικαῖον, quia ex *erica* colligitur. Vide Plinium, libro XI. capite XVI.

Erinaceus, vtrum initio cum spiritu, an absque eo, scribi debeat, non conuenit quemadmodum neque, num penultima per *C*, an *T*, per *E*, an *I*, scribatur. Adspiratur in antiquioribus Plinij codd. vti Parmensi anni CIↃCCCCLXXVI. penultima autem scribitur per *C* & *E*. Pontanus, lib. I. de Adspiratione, adspirat & ipse, eos secutus, qui, vt ait, ab horrendo deducunt, & exinde adspirationem trahere putant. Quódque ad penultimam, scribit *herinacius* per *T*, & *I*. Quod ad etymon ab eo adductum, id durjusculum arbitror: Paullo verisimilius deduxeris ab *herendo*, quia fructus, similiáque, spinei eius tergi aculeis infixa *hereant*. Pro hac sententia est locus Plinij, lib. VIII. cap. XXXVII. *Præparant hiemi & herinacei cibos, ac volutati supra iacentia poma affixa spinis, vnum non amplius tenentes ore portant in cauas arbores.* Nec obstat, quod *hærere* scribatur cum diphthongo. Nam nudâ vocali reperias in libb. vett. Scio id negare Carrionem, castigat. ad lib. I. Valerij Flacci. Sed, nisi me decipit memoria, contrarium docet fidus veteris scripturæ scrutator, Th. Pulmannus, castig. ad Bucol. Mar. Sed quod ad etymon attinet, non dubito quin a Græco χὴρ fit *her* vel *heres*. Hesychius: χήρ, ἐχῖνος. *Her*, vel *heres*; vel *er*, aut *eres* dicitur hoc animal, Nemesiano:

Impexitumque sinu spinosi corporis erem.

Ac fortasse etiam apud Plautum. Captiuis A. I. sc. II.

I modo venare leporem, nunc erem tenes.

Vbi in Palatinis MSS[tis] est *irim*; vnde fecere *cirim*. Sed rectius cum Salmasio *erem* rescribas. Ab *eres* autem est *hericeus*, siue *ericeus*, quomodo vocatur Varroni Sexages. Cuius verba adducit Nonius, in *Probosci*s; atque iterum, in *Ericius*. Etiam in Glossis Philoxeni est *Ericeus*, ἰχῖνος, vbi leg. ἐχῖνος. Ab *eres* ἀναλόγως quoque fit *erinus*, vnde *erinaceus*: prout nuncupatur Plinio, quemadmodum antè vidimus. Falluntur igitur & illi, qui *erem* vocari putant ab *ære*, ob *æream* duritiem spinarum: qua ratione & Belgis appellatur *een ysere verken*, hoc est, *ferreus porcus*. Fallitur & Isidorus, qui ab erigendo *ericeum*, quasi *erigeum*, deducit. Sic quippe ille, libro XII. Orig. capite III. *Ericius dicitur, eo quod subrigit se, quando spinis suis clauditur, quibus vndique protectus est contra insidias. Nam statim, vt aliquid senserit, primum se subrigit, & in globum conuersus, in sua se arma recolligit.* Nimis etiam durum illud ἔτυμον, quod apud Nunnesium in Grammatistice reperio, nempè vt *erinaceus* sit ab ἐχῖνος, vbi additione, detractione & mutatione sit opus. Caue autem confundas *eres*, quâ *erinaceum* notat, & *eres*, quâ κληρονόμους significat. Vti apud Plautum, Menæchmis.

Cor ausus facere, quoi ego, quæ tu, eres eram.

Sic corrigit Scaliger ad Festum. Similéque illud Accij, è primo Didascalicon:

——Sapientiaque inuicta gratia.
Atque honoru gratia patera erem mactanis aurea.

Quo loco *erem* antiquè ponitur pro *heredem*. Malim tamen hac notione cum spiritu *heres*, quomodo Eutyches exarare iubet apud Cassiodorum, & in antiquis inscriptionibus ac libb. scripta inuenitur.

Errare, ab ἔρρω, quod est, *ægre eo, vagor*, imprimísque vsurpatur cum quis in malam rem ire iubetur. Vsus Homerus Il. ι. vers. LXXII. eúmque & versum citat Gellius, lib. XVI. cap. XII. vbi sic scribit: *Cloatius Verus in libris, quos inscripsit verborum à Græcis tractorum, non pauca hercle dicit curiose & sagaciter conquisita, neque non tamen quædam futilia & friuola. Errare*, inquit, *dictum est ἀπὸ τοῦ ἔρρειν, versúmque infert Homeri, in quo id verbum est*: ἔρρ' ἐκ νήσου θᾶσσον, ἐλέγχιστε ζωόντων. Hæc Gellius, qui post subiicit, id à Cloatio scriptum commodè ac condecenter.

Eruca, nunc *herbæ*, nunc *vermis* nomen. Herba vim habet excitandi Venerem: vnde ab *vrendo* quasi *vricam* sic dici scribit Isidorus, lib. XVII. c. X. Alij ab *erodendo* deriuant, quia linguam rodat acrimonia sua. *Eruca vermis*, eidem Isidoro, lib. XII. c. V. ab *erodo*, quia erodit olera ac pampinos. Alij quia olera ἐρείκει, hoc est, *scindit, frangit*. Vel ab *rugis*, quia reptans se *corrugat* & *erugat*.

Eruum, ab ὄροβος, conuerso β in *v* consonum, quomodo à βία est *vis*; à βιόω, *viuo*; à βόσκω, *vescor*, &c. Ita Nunnesius, in Grammatistice. Imò ante eum Festus: *Eruum, & eruilia,*

à Græco ſunt dicta; quia illi ervum, ὄροβον; ervilia, ὀρόβινον, appellant. Nec dubium, quin id verum ſit etymon. Eſt autem *ervum* leguminis genus, quo armenta pingueſcere tradunt Columella & Plinius: atque eò reſpexit Maro, Ecl. III.

Eheu quam pingui macer eſt mihi taurus in ervo.

Ita enim libri aliquot antiqui: at ARVO, quod in aliis eſt, neſcio quid otioſum habet: vt iam olim ſenſit & ſcripſit Pierius in caſtig. Virgilianis.

ERYSIPELAS, ἐρυσίπελας, cum ſuper inflammationem rubor vlcus ambit, iſque cum dolore procedit: vt Celſus definit. lib. v. cap. XXVI. Ab ἐρύω, *traho*; & πέλας, *propè*: quia attrahit partes vicinas: vel ab ἐρυθρὸς, *ruber*; & πελὸς, aut πελιὸς, *niger, liuidus*: quia rubedini nonnihil alterius admixtum eſt coloris. Polluci ἐρυθρογύλιας, vocatur: quod manifeſtè eſt à *rubore*.

ESCVLVS, eſt ab *eſca*, quia veteres, nondum inuentis frugibus, glandibus eius veſcebantur. Ita Iſidorus, lib. XVII. cap. VII. & ante eum Seruius, ad II. G. *Aeſculus arbor eſt glandifera, quæ licet ab eſu dicta ſit, tamen per Æ ſcribitur, ſicut cælatum, licet à cœlo celas habeat deriuationem.* Hæc Seruius. Nunc *Eſculus* malunt, etymon ſecuti. Ab eo *eſculeam coronam* Plinius: *eſculinos axes* Vitruuius dixit. Item hinc *Eſculetum*.

ESSEDVM, ſiue *eſſeda* (nam in feminino vtitur Seneca, vti & Iornandes initio hiſtoriæ Gothicæ,) genus erat vehiculi geſtatorii. Nam tria erant vehiculorum genera, vt Budæus in Pand. obſeruat. Alia erant ſacra, vt thenſa: alia geſtatoria, vt carruca, ciſium, *eſſedum*, rheda, petoritum & ſtariculum: alia oneraria; vt carpentum, carrus, plauſtrum & ſarracum. *Eſſedi* ἐτυμολογία è Latio peti non debet: ſed Gallis. Nam eſt vehiculi vel currus genus, quo ſoliti ſunt pugnare Galli: vt ſcribit Iunius Philargyrius, in III. G. *Belgica* ſanè *eſſeda* dixit Maro, in Georgicis. Verùm & Britannorum fuiſſe videntur, cum eodem modo *Britannorum eſſeda* dicat Propertius.

ET, à QVE non aliter differt, quam καὶ à τε. Quamobrem veriſimile eſt QVE venire a τε, ab eâ è diphthongo Æ (in quam *AI* abire ſolet) præpoſitiuâ, quod interdum fieri non ſemel oſtendimus. ET autem κατὰ μετάθεσιν factū videtur ex τε. Sanè in *Fulgeo, Vallis*, & aliis aliquot locis complura ſimili μεταθέσει facta adduximus. Sed nec ineptè dicatur ET κατὰ ἀποκοπὴν factum eſſe ex ἔτι, id eſt, *adhuc*, vt nempè *ab* ſit ex ἀπό. Poſſis ET quoque deducere ab Hebræo את, quod aduerbium eſt congregandi.

ETESIÆ, ἐτησίαι, ab ἐτήσιος, id eſt, *anniuerſarius*. Hoc ab, ἔτος, id eſt, *annus*. Nam ἐτησίαι, οἱ κατ' ἔτος πνέοντες, *quotannis ſpirantes*, vt Suidas ait. Ἔτος ab עת, id eſt, *tempus*. Etheſiarum, quod dixi, etymon, confirmat hic locus Plinij, lib. II. capite XLVII. *Huius* (caniculæ) *exortum diebus octo ferme aquilones antecedunt, quos prodromos appellant, poſt biduum autem exortus ijdem aquilones conſtantius perflant diebus quadraginta, quos eteſias vocant.* Item Hyginus, quo loco de Arctophylace agit: *A Ioue impetrauit* (Ariſtæus) *vt eteſiæ flarent, quos nonnulli eteſias dixerunt, quod quotannis certo tempore exoriuntur. Græcè enim* ἔτος, *Latinè annus eſt.* Alterum quoque etymon ſubdit: *Nonnulli eteſias appellauerunt, quod expoſtulata ſunt à Ioue, & ita conceſſa.* Fabulam totam recenſet Hyginus. Hac ratione autem, quaſi αἰτησίαι dicerentur, ab αἰτεῖν, quod eſt *poſcere*. Sed verum eſt prius etymon: quod & Iſidorus amplectitur. lib. XIII. cap. XI. etſi apud eum corruptè pro ἔτος legatur ἐνιαυτός, vnde ἐνιαύσιοι vocarentur. Scitum eſt, quod Seneca ait, lib. v. nat. quæſt. cap. XI. *Eteſiæ ob hoc ſomniculoſi, à nautis, & delicati, vocantur: quod, vt ait Gallio, manè neſciant ſurgere.* Plura de *Eteſiis* vide apud Aldum Nepotem, lib. de quæſitis per epiſt. Caſaubonum, ad lib. III. Strabonis; Iohannem à Vvouvuer de πολυμαθείᾳ cap. XI. & Salmaſium Exercitat. Plin. in Solinum.

ETIAM, conflatum cenſeo ex *&*, ac *iam*. Nec deeſt exemplum. Nam *quoniam* ſimiliter componitur ex *cum* vel *quom*, & *iam*. Quæ aduerſus etymon τοῦ *etiam* adferuntur a viris doctis, ijs occurrimus in arte Grammatica, cum de Coniunctione ageremus. Ab *etiam*, & *nunc*, eſt *etiamnunc*, vt rectè Pierius ait, in IV. Georg. vbi ait ſimile eſſe illi Græcorum ἔτι καὶ νῦν. Sic *etiamſi* ex *etiam* & *ſi*, cui ſimile *etſi*, & Græcum κἄν, ex καὶ ἄν.

ETYMON, ἔτυμον, *vera nominis, ſiue appellationis, ratio, vel quæ ſaltem pro vera adfertur*, ab ἐτεὸς vel ἔτυμος. hoc eſt, ἀληθὴς, vt Heſychius exponit. Sunt verò ἐτεὸς, & ἔτυμος, ab ἐῶ, ſiue εἰμί, vt propriè ſignent, *quod eſt*: *ens* autem & *verum* ἀντιστρέφουσι. Hinc ἐτυμολογία, *ſermo de etymis* hoc eſt, *oratio qua nominis ratio exponitur*. Nempè ἐτυμολογία dicitur vt ἀστρολογία, θεολογία, & ſimilia, vbi λόγος valet *ſermonem* non *rationem*, ſiue *cauſſam*. Vt omnino fallatur Cæſar Scaliger, cum lib. III. Rei poët. cap. LV. λόγος hic *rationem* interpretatur. Ἔτυμον quidem *nominis rationem* rectè verteris. Sed ἐτυμολογία aliud eſt. Cicero vertebat *verbiloquium*: ſed ea vox non ſatis exprimit vim vocis Græcæ. Nec enim *verbum*, ſed *rationem verbi* ἔτυμον ſignat. Quare ſi vna voce appellari debet, ſanè *originatio* dicatur: vt à nonnullis nuncupari auctor eſt Fabius. Id ſi durius videtur, *notationem* cum ipſo Tullio dicere poſſumus.

EVERRIATOR, ab *exuerrijs*, *exuerriæ* ab *euerrendo*, hoc eſt, *purgando*. Nam, vt in Coniectaneis ſcripſit Ioſ. Scaliger, erant *exuerriæ* februi genus, quo purgabant familiam iuſta facientes ad digitum, quem mortuo abſciderant, antequam reliquum corpus combureretur. De vtroque vocabulo ſic Feſtus: *Euerriator vocatur, qui accepta iure hæreditate iuſta facere defuncto debet, quæ ſi non fecerit, ſeu quid in ea re turbauerit, ſuo capite luat; id nomen ductum à verrendo. Nam exuerræ ſunt purgatio quædam domus, ex qua mortuus ad ſepulturam ferendus eſt, quæ fit per euerriatorem certo genere ſcoparum adhibito.*

EVGE, εὖγε.

EVGIVM, eſt medium τοῦ αἰδοίου γυναικείου, vt Nonius docet Lucilij & Laberij loco: adde & alterum Laberij locum:

Quonam vos dementia ſuppoſitores facit,
Cum cano eugio puellitarier!

Dicitur *eugium* quaſi εὔγεον, hoc eſt, *fertile*: nempè qua ratione partem eam *genitale aruum* poëta appellat in Georg. Vel potius eſt, ab ἐνδίασιν, quod propriè *foramen nauis* notat, per quod effluunt cum pluuiæ aquæ, tum quæ è ſentina exhauriuntur: ſed κατὰ μεταφορὰν notat τὸ γυναικεῖον μόριον, vt diſertum apud Heſychium ſcribitur. Ab ἐνδίασιν etiam *endiaum* dicitur (Feſti verbis vtor) *lineum filum, quod medici e ſtremo in clyſterio relinquunt, per quod κλυσμὸς emittitur.* Eſt autem ἐνδίασιν, ab ἐν & διαίνω, *humecto, irrigo*. Niſi *endiaum* verius eſt, quod ſit ab ἐν & διαίνω. Prius eſt in MSS[is], & editis: poſterius prætuliſſe videtur Turnebus, lib. III. Adu. cap. V.

EVNVCHI, ridiculè à Petro Comeſtore dicti putantur ab εὖ, hoc eſt, *bene*, & νίκη hoc eſt, *victoria*, vt ad verbum ſonet, *beneuincentes*. Idem *phaſue* dictos ait a *pacha*: quod & Hugo Cardinalis ſequitur, apud quem etiam legere eſt, *caſtratos* dici, quaſi *caſtinatos*. Tanta fuit ſuperioribus ſeculis inſcitia ac barbaries. Eſt autem *eunuchus* propriè officij nomen. Venitque ab εὐνή, hoc eſt, *cubile*; & ἔχειν, quod eſt ἐπιμελεῖσθαι, hoc eſt, *curare*; vt κατὰ λέξιν ſonet *lecticuſtodem*: Verùm quia reges ac viri principes vix aliis vxorum filiarúmque curam committebant, quam *caſtratis*, inde eſt quod poſtea *caſtratis* omnibus *Eunuchi* nomen ſit attributum. Officij nomen eſt, cum in Geneſ. lib. Putiphar vocatur εὐνοῦχος; quæ res decepiſſe videtur doctiſſimum Hieronymum Fracaſtorium, quoties Putipharis vxorem appellat *virginem*. Daniel quoque ac ſocij eius eadem ratione videntur appellari *eunuchi*, de quo tamen quidam ambigunt. Verum etymon vidimus. Addam tamen alterum tertiúmque, ſubtilia ſanè. Euſtathio dici εὐνοῦχος videtur ὁ εὖνις τοῦ ἐχεῖν, hoc eſt, ὁ ἐστερημένος τῆς συνουσίας, *concubitus expers*. Quod & apud Varinum Camertem reperias in εὖνις. Apud eundem Camertem, in εὐνοῦχος legas, alios velle nuncupari εὐνοῦχον παρὰ τὸ εὖ τὸν νοῦν ἔχειν. Confirmátque hanc rem eo, quòd veteres res Veneris ἀνοίας appellabant: vnde Ariſtophanes: ... Quo de loquendi genere plura diximus, lib. IV. Orat. Inſtit. cap. VIII. Ita *eunuchus* primo notet eum qui ſit continens: ac quia talibus olim matronæ καὶ τὰ γυναικεῖα committebantur, idémque apud barbaros ab ijs, qui corpore eſſent mutilo, fieri ſolet. hinc factum fuerit, vt poſtea *eunuchi* vox referretur ad τὴν τοῦ σώματος λώβην, nec continentiæ eſſet vox, ſed fœditatis. Hanc ſententiam adfert & Cæſar Scaliger, exercit. CCLXXVII. §. IV. Vide & quæ fusè pro ea diſſerit Dan. Heinſius, introductionis in Heſiodi ἔργα καὶ ἡμέρας cap. VI.

EVOE, ab εὐοῖ, quod βακχικὸν ἐπίφθεγμα vocat Demoſthenes Orat. contra Cteſiphontem. Vtitur Catullus.

Euœ bacchantes, euœ capita inflectentes.

Et apud Horat. lib. II. od. XIX.

Euœ recenti mens trepidat metu.

Et mox:

Euœ parce Liber.

Quidam ſcribunt *euhœ*, alij *euohe*, nonnulli *heuhœ*: quæ omnia ab originis ignoratione profecta mihi videntur. Ab *euœ*, *euax*, exſultantis interiectio apud Plautum. Item *Euan*, εὐὰν Bacchi cognomen, vti & εὔιος *Euius*, pro quo *Euhius* in vett. libb. ſcribi auctor eſt Giffanius, Indice Lucretiano, voce *Euius*. Ab εὐάν quod Baccho acclamabatur, *euantes* ſunt *bacchantes*, Maroni atque aliis.

EVPATORIVM, εὐπατόριον, ab rege *Eupatore*: vnde Plinius lib. XXV

lib. xxv. cap. vi. *Eupatoria regiam authoritatem habet.* Adi Diosco idem, lib. iv. cap. xxxvii. & Matthiolum ad eum locum.

Evphorbivm, εὐφόρβιον, arbor Libyca, eiusque succus, sic dicitur ab *Euphorbo*, Iubæ regis medico. Plinius, lib. xx. cap. vii. *Inuenit & patrum nostrorum ætate rex Iuba, quam appellauit Euphorbiam, medici sui nomine.* Vide de ea Dioscoridem, l. iii. cap. lxxx. & ibi Matthiolum.

Evphrosynvm, *buglossum*, ab εὐφροσύνη, *lætitia*, quod ab εὔφρων, vt σωφροσύνη, à σώφρων. Εὔφρων ab εὖ & φρὴν, *mens.* Dicitur *euphrosynum*, quod in vinum iniectum augeat *lætitiam*. Εὐφροσύνη etiam vna ex Gratiis, ab *hilaritate* hoc nomen sortita.

Evripi, dicebantur aluei magnifico opere, aquas in morem fluuiorum deducentes: vnde Hesychius interpretatur ὀχετοὺς ὑδάτων. Eustathius item τόπους πρὸς ὑποδοχὴν τοῦ ὕδατος. Differunt a *nilis*, quod hi maiusculi essent; *euripi*, exiliores. Sic nili voce vtitur Tull. epist. ad Q. fratrem: *De arcano, Cæsaris opus est: vel mehercule etiam elegantioris alicuius: imagines enim istæ, & palæstra & piscina, & nilus multorum philosophorum est, non dipbilorum.* Nilum autem & euripum, ea, quâ diximus, significatione coniungit idem principio secundi de Legg. *Ductus vero aquarum, quos isti nilos & euripos vocant, quis non, cum hæc videat, irriserit?* Euripos quoque vocabant lacunas aquarum inertium in circo vel arena. De iis sic Plinius, lib. viii. cap. vii. *Vniuersi (elephanti) eruptionem tentauere, non sine vexatione populi, circumdati clathris ferreis. Qua de caussa Cæsar Dictator postea simile spectaculum editurus, euripis arenam circumdedit: quos Nero princeps sustulit, equiti loca addens.* Idem de Cæsare tradit Tranquillus, in vita eius, cap. xxxix. Auctor est Spartianus, Heliogabalum *euripis* vino plenis nauales circenses exhibuisse. Dicti autem *Euripi* à Græco εὔριπος significante *fretum.* Nam Suidas exponit πέλαγος στενὸν, & τὸν τόπον ὑδατώδη μεταξὺ δύο γαιῶν. Pollux similiter, lib. ix. cap. i. ait: ἔστι ἡ θαλάττα ἐμπεριέχουσα ὄνομα (sic pro οὖσα recte emendat H. Steph.) τὸ γὰρ διάμεσον τῶν θαλαττῶν ἀνλῶνα, καὶ εὔριπον, καὶ πορθμὸν ἄν καλοῖς. Ac variis fretis hanc vocem tribuunt Græci Latinique scriptores. Maxime tamen nobilis *euripus* inter *Eubœam* & Bœotiam, qui *Chalcidicus* & *Eubοïcus*, & simpliciter *Euripus* nominatur. Is, vt Pomponius Mela, lib. ii. cap. vii. auctor est, *septies die, ac septies nocte, fluctibus inuicem versis adeo immodice fluit, vt ventos etiam ac plena vela nauigia frustretur.* Sed Strabo, Seneca, Plinius, Etymologus, atque alij, septies tantum viginti quatuor horarum spatio reciprocare volunt. Imo Antiphilus Byzantius, libro i. Epigr. sexies solum cursum mutare ait. Liuius denique, libro xxviii. sic scribit: *Fretum ipsum Euripi, non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocat, sed temere in modum venti nunc huc, nunc illuc verso mari, velut monte præcipiti deuolutus torrens rapitur.* Dici εὔριπον ait Etymologus ab εὖ & ῥιπίζω, quod est, *ventilo*, quasi εὐχερῶς ῥιπιζόμενος. Alteram quoque originationem affert, sed τῆς ἀντιφράσεως, quam Grammaticæ inscitiæ asylum esse putamus. Cur posteriores *spinam circi* dixerint *euripum*, vide in *Intermedium.*

Evrvs, εὖρος, est ventus ab ortu verno, siue æquinoctiali, spirans. Ita dictus putatur ἀπὸ τῆς ἠοῦς ῥέων, vt Phauorinus ait apud Agellium, lib. ii. cap. xxii. Vbi & addit, alio nomine dici Græcis ἀπηλιώτην, Latinis *subsolanum.* Alij dicunt vocari ἀπὸ τοῦ εὖ ῥεῖν, hoc est, *bene fluendo.* Sed prius malo: quod & amplectitur Nonius Marcellus.

Evzomon, herba. Glossæ Cyrilli: Εὔζωμον, λάχανον, *eruca.* Ita dicitur, quia εὔζωμος, hoc est, *idonea ad gratiam conciliandam iuri*, quod Græce ζωμός. Plinius, lib. xx. cap. xiii. *In condiendis obsoniis tanta est (erucæ) suauitas, vt Græci εὔζωμον appellauerint.* Vide de ea Dioscoridem, lib. ii. cap. cxxxiv. & istic Matthiolum.

Exagoge, ἐξαγωγὴ, *mercium exportatio*; ab ἐξάγω, *educo.* Festus *Exagogen, euectionem.* Vtitur Plautus, Rud. iii. ii. Item, Trucul. iv. ii. vbi ait:

——— *Iste dum sic faciat*
Domum ad te exagogam.

hoc est, dum ad te cuncta exportet. Hinc apud Iurisconsultos *exagogica*, vectigalia ex mercibus exportatis: vt *isagogica*, ex importatis. quod & Cælius monet antiq. lect. lib. x. cap. ii.

Exanthemata, ἐξανθήματα, siue ἐξανθίσματα, ad verbum, *efflorescentia*, ἀπὸ τοῦ ἐξανθεῖν, *efflorescere, pullulare*, quod ab ἄνθος, *flos.* Sunt, leues humorum eruptiones, eæque vel in cute subsidentes, vt morbilli puerorum & maculæ pestilentes, item lenticulares, & pulicares, ita dictæ, quod lentes & pulicum morsiunculas referant: vt cutem superantes, vt variolæ puerorum, omniumque ætatum vari.

Exantlare legas apud Ciceronem quoque ipsum, idque non in versu modo, vt lib. ii de Diuinat.

Tot nos ad Troiam belli exantlabimus annos:

(quem se locum ex Homero expressisse ait Cicero.) item lib. ii. Tusc. quæst. *Qua corpore exantlata atque animo pertuli*: verum etiam in prosa, vt lib. iv. Academicarum quæst. *Credoque Clitomacho ita scribenti, Herculis quendam laborem exantlatum à Carneade.* Et extremo libro primo Tuscul. quæst. *Quod cum exantlauisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum.* Vtrumque hunc locum etiam adducit Nonius, sed is, si vulgatis codd. fides, legit *exanclare* per C. de quo mox dicam. Porro ex hisce Ciceronis locis cognoscere est, falsum Fabium, cum *exantlare* reponit inter rancida planéque obsoleta. Sic enim scribit, lib. i. cap. vi. *Sed opus est modo, vt neque crebra sint hæc, neque manifesta quia nihil est odiosius affectatione: nec vtique ab vltimis & oblitteratis repetita temporibus, qualia sunt topper & antegerio, & exanclare, & prosapia, & Saliorum carmina vix sacerdotibus suis satis intellecta.* Porro *exantlare*, propriè est *exhaurire sentinam*, & generatim *exhaurire*: sed μεταφορικῶς accipimus pro *perpeti*, vti & Græcam ἐξαντλεῖν, vnde factum est. Est hoc ab ἄντλος siue ἄντλον, vel ἀντλία, hoc est, *sentina*: Martialis tamen *antlia* vocabulo vtitur pro machinâ siue instrumento, quo hauritur aqua. Locus est lib. ix. epist. xix.

Curua laboratas antlia tollit aquas.

Nec aliter Suetonius, in Tiberio, cap. li. vbi meminit viri equestris ordinis in *antliam* condemnati: quo de supplicij genere adi Lipsium, libro ii. Elect. capite xv. Quidam *exanclare* deducunt ab ἐξαντλεῖν, quod & ipsum explicant *exhaurire.* Sed aliud ἀντλεῖν, quod ab ἀντλία, aliud ἀτλεῖν, quod dicitur quasi ἀνατλεῖν. Sunt qui hâc ipsâ significatione scribant *exanclare* per C. Atque ita apud Nonium quoque legi dicebamus. Contrà alij *exanclare* Latinè dici negant, nec originem vocis eius vllam è Latio, aut Græcia, adduci posse censent, in quo, meo iudicio, grauiter falluntur. Nam cur ab *anculus* vel *ancula*, hoc est, *minister, ministra*, siue ab *anculare*, id est, *ministrare ac perferre*: non æquè *exanculare*, & per syncopen *exanclare* dicere liceat, ac ab *ancilla* (quod ὑποκοριστικὸν est ab *ancula*) siue à verbo *ancillare*, dicitur *exancillare*: vt apud Tertullianum, in Apologetico, cap. xvii. *Falsis dijs exancillata*, hoc est, δεδουλωμένη; Sed vt ab his in eo dissentio, quòd *exanclare labores*, Latinè dici negant: ita vicissim valde quoque metuo, ne ratio alios fugiat, qui *exanclare* non minus, quam *exantlare*, interpretantur *exhaurire.* Nam cùm *anculare* sit *ministrare*, ἀντλεῖν, *haurire*; ab illo quidem erit *anclare* & *exanclare*, ab hoc verò vt Græcè ἐξαντλεῖν, ita Latinè erit *exantlare.* Neque nescio *exanclare* à Festo exponi *exhaurire*, eandemque interpretationem inter alias, ac primo quidem loco, a Nonio collocari: in Glossis quoque Philoxeni lego, *exanclat*, ἀρύτει. Verùm omnibus ijs locis malim scribere *exantlat.* Neque enim persuadere mihi possum, cum *anculare* sit *ministrare*, vnde dij *Anculi*, deæ *Anculæ*, *ancilla* vox, item *anclator*, mensa *anclabris*, & vasa *anclabria*: de quibus omnibus in voce *Ancilla* diximus: ac contra ἀντλεῖν sit *haurire*, indéque sit ἐξαντλεῖν & *exantlare*, pro *exhaurire*: persuadere, inquam, mihi non possum, vocem eam, quæ est ab *anculare*, idem propriè notare ac eam quæ est ab ἀντλεῖν, ac longè mihi verisimilius videtur, cum tanta sit in manuss. similitudo inter *C* & *T*, librarios deceptos pro *exantlat* per *T*, *exanclat* per *C* sæpius scripsisse. Obducet fortasse quispiam illud Liuij Andronici apud Festum: *Florem anculabant Liberi ex carchesiis*: Quomodo eum locum emendat Scaliger. Sed etsi eo cum viro pedem struere non ausim, tamen omnino verius puto, *Antlabant florem*, vel, *Florémque antlabant.* Nam paribus quoque sedibus spondæon locum habere & pueri sciunt, cum ex Comicis quos habemus, tum veterum poëtarum, quæ extant, fragmentis.

Excetra, ab *excresco*, si credimus Seruio, in vi. Æn. *Hydram, inquit, serpentem dicit immanis magnitudinis, quæ fuit in Lerna, Argiuorum palude: sed Latinè excetra dicitur, quod vno cæso tria capita excrescebant.*

Exedra, ἐξέδρα, ab ἐξ & ἕδρα, *sella*, quasi sessio è loco aliquo educta. Legas l. si verò. ff. de his qui deiect. Eo non significatur *fenestra*, quod ineptè scripsit Accursius: sed locus studiis destinatus, aut amicorum contabulationibus nempe à sedium frequentia; in quibus disputantes sedere soleant. Cic. lib. i. de natura Deorum: *Offendi eum sedentem in exedra, & cum C. Velleio senatore disputantem.* Vitruuius, lib. v. cap. xi. quod est de palæstrarum ædificatione: *Constituantur in tribus porticibus*

porticibus exhedra spatiosa, habentes sedes, in quibus philosophi rhetores, reliquique, qui studiis delectantur, sedentes disputare possint. In Gloss. Philoxeni *ala* exponitur ἐξέδρα, σχολή. Vt idem videri queant ἐξέδρα, & σχολή Monet quoque Budæus, in Pand. hoc nomine donari posse, quæ in monachorum aut canonicorum peristyliis siue claustris, *capitula* vulgo appellantur.

EXEMPLVM non tantùm παράδειγμα significare videtur, sed & *coquorum instrumentum, quo carnes elixas ex ollis eximunt.* Sanè in Gloss. Latinogræcis legere est, κρεάγρα, *exemplum*, quæ lectio si recta est (nam Bonauentura Vulcanius *exceptulum* putat legi debere) *exemplum* diceur ab *eximendo*. At *exemplum*, pro *paradigmate*, non tantum ab *eximendo* esse potest, sed etiam ab *ex* & *amplum*. Vtriusque originationis par erit ratio, cùm, contra quàm fit in inductione, vnum aliquod ex *amplâ copiâ* seligat *eximátque*. Ab *exemplum* posterioris æui scriptores formarunt verbum *exemplo*. Gloss. Græcolat. *Exemplo*, ἀντιγράφω. Vsus Gregorius Turonensis. lib. I. de miraculis cap. LXIV. *Ille verò post decursam lectionem valdè gauisus nocturno sub tempore, famulante lumine, velociter exemplauit.* Ac apud Sidonium, lib. IV. epist. XVI. legimus, *exemplati libelli.*

EXINTERARE, ἐξεντερίζειν, ad verbum, *euiscerare*. Nam ἔντερα, *viscera*. Propriè de piscibus dicitur: sed μεταφορικῶς vsurpat Plautus, cùm Epid. act. II. sc. II. dicit *exenterare marsupium.* Quomodo & idem eâdem loquitur comœd. act. III. sc. *præteruitas*, & act. V. sc. II. similiter ait, *exenterare opes argentarias.* Caper, de verbis dubiis: *Exter*, ἀπὸ τῶν ἐντέρων. Lego, *Exentero.* Forrasse tamen nec malè *exintero* scribatur per *I*, vt ab Latinâ *interi* voce dicatur. Nam vt *superum* & *inferum*, sic *interum* quoque dixere, vnde *interior*. Gloss. vett. *Interata*, ἐξεντερισθέντα. Ac in vett. Iustini codd. per *I*, *exinterata* scribi auctor est Bongarsius ad lib. I. Per *E* tamen magis probem, vt sit ab ἔντερα, vnde ἐντερεύω, *exentero.* Ab eodem δυσεντερία, *tormina intestinorum* (nam δυς *difficultatem* notat;) λειεντερία, *intestinorum leuitas*; μεσεντέριον, *membranna diuidens superiorem ventrem ab inferiore.*

EXERCEO, vnde *exercito*, ab *ex* & *arceo*. Ab *exercito* est *exercitatus*, vnde *exercitatio*. Ab *exerceo* est *exercitus*, *exercitior*, *exercitissimus*: quæ Festus agnoscit. Ab *exerceo* etiam est *exercitio*, & *exercitium*. *Exercitionem* dixisse antiquos, Festus ait. Vsus Porcius Cato. Imò & Vegetius, & vett. Iurisconsulti, vt ostendit Steuuechius ad Veget. libro I. capite XVII. Ab *exercendo* seu *exercitando*, etiam *exercitui* est nomen, siue, *quod exercitando fit melior*: quam caussam adfert Varro, lib. IV. de L. L. siue quia hostem *arcet* & expellit: siue quia *arcetur* sub militari disciplinâ. Orthographus Cæsellius, apud Cassiodorum, in conlectaneis de Orth. cap. I. *Exercere non habet s in compositione, quia in simplici quoque s similiter non habet. Etenim exercere est ab ex & arcere; vt exercitus qui sub disciplinâ certâ arcetur; vnde exercitatio.* Interdum ponitur *exercere* pro *angere*, indéque *exercitus* pro *dolore*. Plautus, Cistell. act. I. Sc. I.

Noli, obsecro lacrymis tuis mihi exercitum imperare.

EXIGVVM dicitur à στενίχος, quod idem notat. Hesych. στενίχον, τὸ μικρόν. *T* aufertur: vti contra additur cùm ab ἔρα fit *tera*, vel *terra*. Geminum σσ abit in *X*, vt à πάσσαλος, *paxillus*; à μασσάω, *maxilla*. Vel dicendum, vt ab *ambigo*, est *ambiguus*, ita ab *exigo* esse *exiguus*. Ita propriè *exiguum* sit, quod nullo negotio *exigi* eiicique potest; μεταληπτικῶς verò pro *paruo* vsurpetur, quia hæc facilè expelluntur, siue exteriùs aguntur.

EXILIS, & *exiguus*, idem sunt: eóque videri possit, vt fortasse *exiguus* ab *exigendo* est, ita *exilis* esse ab ἐξελαύνειν, quod & ipsum est ἐκβάλλειν siue *eiicere*. Sed Festo placet, vt *ilia*, sic *exile* dici à *tenuitate inarum*, vt quidem Scaliger legit. Vide quæ hac de sententia dicimus in *Inane*. Est & tertium etymon. Nam fortè κατὰ συγκοπὴν est ab ἐξίτηλος, quod notat *exile*, *euanidum*, *obscurum*. Atque hoc imprimis arridet. Sanè propriè *exilia* dici, quæ minuta adeo ac tenuia, vt vix in sensum incurrant, satis indicat Columellæ locus, præfatione libri X. *Virgilii quasi numine instigante aggressi sumus tenuem admodum & penè viduatam corpore materiam, quæ tam exilis est, vt in consummatione quidem totius corporis annumerari velut particula possit laborum nostri; per se verò & quasi suis finibus terminata nullo modo speciem conspici.* Porro quia iis, quæ tenuitate nimiâ videntur euanida, rectè *exilis* nomen conuenit, inde & *vmbrarum locum* ab Horatio dici *exilem* putant, od. lib. I. *Et domus exilis Plutonia.* Sed non *vmbrarum locus*, intelligendus, verùm *cadaueris*: *sepulcrum* nempè, quod verè est *minuta Plutonis domus.* At minimè audiri meretur Barthius, Aduers. lib. LVIII. cap. XV. vbi, vt & alibi, pro *exilis* putat *exilii* reponi oportere. Quod, pace eruditissimi viri dixerim, non vnius est assis.

EXIMIVS, quasi *exemptus* & extra cæteros positus. vt innuit Cæsellius, apud Cassiodorum, lib. de Orthogr. cap. X. Sacerdotale verbum est, propriéque dicitur de animalibus ad sacrificium electis: vt ex Veramo docet Macrobius, lib. III. cap. V. Assentit & Festus: *Eximium*, inquit, *mas dici exceptum, quod in sacrificiis optimum pecus è grege eximebatur: vel quod primum erat natum.* Item Donatus, ad Hec. A. I. sc. I. *Eximia pecora dicuntur, quæ à grege excepta sunt ad vsus dominorum suorum, vt vberius pascantur. Sed propterè eximii sunt porci maiores, qui ad sacrificandum excepti liberiùs pascuntur. Etenim boues qui ad hoc electi sunt, egregii dicuntur, & oues lectæ, vt* Virgilius:

——Mactant lectas de more bidentes.

Hæc Donatus. Similiter pecudes propriè dicuntur *egregæ*. Nam dicitur *egregius*, quasi *e grege lectus*; vt Festus ait, *in abgregare*.

EXODIVM vniuersè notat *finem*: quomodo Varro sæpè vsus, vt Nonius docebit. Ac similiter loquitur Appuleius. Sed plurimum *exodium* est quod Firmicus lib. VI. *exitum fabularum* vocat. Pollux, lib. IV. cap. XV. Ἐξόδιον, ὁ ἐξιόντες ᾖδον. Vide Liuium, lib. VII. ab V. C. Est ab ἔξοδος, vt à *prologus*, *prologium*; à *methodus*, *methodium*: quo de plura in *Prologus*. Iuuenalis, sat. III. vers. CLXXXIV.

——Tandémque redit ad pulpita notum
Exodium, cùm personæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans.

Vbi sic vetus Scholiastes: *Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret: vt quicquid lacrymarum ac tristitiæ coëgissent ex tragicis affectibus, huius spectaculi risus detergeret.* Huius & Lucillus meminit;

Principio exitus dignus, exodiúmque sequetur.

Vbi ne metrum claudicet rescribe:

Dignus principio exitus, exodiúmque sequetur.

EXOMIS, ἐξωμίς. Gellius, lib. VII. capite XII. *Viri autem Romani primò quidem sine tunicis togâ solâ amicti fuerunt, postea substrictas & breues tunicas citra humerum desinentes habebant; quod genus Græci dicunt exomidas.* Festus: *Exomides sunt comici vestitus, exertis humeris.* Vide & Hesychium, Aristophanis Scholiastem, Suidam. Vsus præter alios Plutarchus, in Catone. Est ab ὦμος, id est, *humerus*, siue *quòd ex humeris penderet*, vt Gellii locus indicat: siue *quòd ex eâ humeri exererentur*, vt scribit Festus. Quidam etiam dictam putant, *quòd expedita esset*, quod Græci dicunt ἔξωμον. Sed prius malim. Nam similiter à præpositione παρὰ & ὦμος, est παρωμίς, Exod. XXIIX. vbi vertitur *superhumerale*. Item ἐπωμίς, quo non tantùm significatur κλειδῶν τὸ πρὸς ὠμοπλάτας, *iugulorum pars, quæ cum scapulis apertis coniungitur*: vt tradit Pollux libro II. capite IV. sed etiam muliebris vestitus genus, vt idem ait, lib. VII. capite XIII. & firmatur illo Chæremonis Comici, apud Athenæum, lib. XIII.

Φαίνουσα μαστὸν λελυμένης ἐπωμίδος.
Ostendens vbera, solutâ epomide.

EXPERS, ab *ex*, & *pars*. Hinc Gloss. Philoxeni. *Expars*, ἄμοιρος. *Ex* autem in hac voce contrarias admittit significationes: vnde Gloss. vett. & ἔμμοιρος, & ἄμοιρος interpretantur. Ac censet Isaacus Casaubonus priori quidem more vsum Horatium, lib. II. sat. VIII. vt ei *maris expers* notet ἐν τεθαλαττωμένοι. posteriori verò modo accepisse Persium sat. VI. vt huic notet θαλάττης πεπηρωμένον. Iisdem ait Persium câpse satyrâ *exossare* contrariâ accepisse notione, ac Plautus, Aul. II. IX. cui est *ossa adimere*. *Exarmare* quoque historicis ac poëtis est *armis instruere*, ne putes semper significare *armis priuare*. Notum *egelidus*, *enodis* & *edurus* contrariis quoque notionibus accipi. In præpositione *in* idem contingit, vt in *impotens*, *infractus*, *insertus*; quemadmodum idem monet Casaubonus ad satyram Persii sextam, ac in *Sero* dicetur à nobis. Itaque non adsentio Scaligero, qui, carmine de comâ Beronices,

——Omnibus expers
Vnguentis,——

Putabat, *expers* esse ab *exspergo*, & facere genitiuum *expersis*. Nam *expers* est participans. At multò minus subscribendum P. Victorio, qui, lib. XXXIII. Var. Lect. cap. VII. *expers* interpretatur *non aspersa vnguentis*. Quemadmodum nec audiendus Obertus Giffanius, qui, Indice Lucretiano, in voce *Expers*, ait *expers omnibus* poni pro *expers omnium*. Nam sententia huic interpretationi planè repugnat. *Experta* pro *expertia* veteres κατὰ μετάθεσιν dixisse, auctor est Festus; Nisi

potius

potiùs legendum, *experta*, pro *expreta*: & *experitia* pro *expertia*. Vt in aliis est libris.

EXSVL vel ab *exsilio*: vt *præsul* à *præsilio*: *consul* à *consulo*: vel potiùs, veteribus fuerit *exsol*, quasi *ex solo*: vt scribunt Annæus Cornutus & Cæsellius apud Cassiodorum, de Orthographia, Nonius in *exul*, ac Priscianus in decimo quarto: indéque *exsilium* pro *exsolium*, vt in voce *consilium* diximus. Iccirco *exsul* per *s* scribendum iuxta Annæum Cornutum, Cæsellium, Scaurum, Caprum, aliósque Grammaticos. Itidem *exsilium* scribendum, non *exilium*. In vtroque tamen fere alter vulgo solent, vt & in cæteris compositis cum Ex ab S incipientibus. Hac de re, si tanti, Pierium adi ad illud V. Æn.

Hunc ego Gætulis agerem si Syrtibus exsul.

Item, I. Georg. quo loco de voce *exsudarem* disputat. Ab *exilium*, est *exilico*. Festus: *Exilica caussa*, *qua aduersus exulem agitur*. Ab eodem est *exsiliatus*, quo vtitur Symmachus. Est & apud auctorem Hermeneumatum: *Exterris*, *exsiliatus*.

EXTA, σπλάγχνα, ab *exsecando* τῷ σφαγιάζειν, quasi *exsecta*. Id enim magis placet, quam, quod Festo visum, ab *exstando*. Interim vtriusque etymi ratio apparet ex Festi verbis, cum ait, illa Diis prosecari, quæ maxime emineant, atque exstent. Ea autem maxime erant cor, pulmo, iecur & fel. Ac imprimis in eis spectanda Græci attendebant ad iecur, vnde apud eos ἡπατοσκοπία. Nec nisi de hepate capere possumus illud Maronis:

Tristibus aut extis fibra apparere minaces.

Nam fibræ sunt hepatis. Ab *extis extar* dicebatur *olla*, *vbi exta coquebantur*, vt e Philoxeni Glossis discimus. *Aulam extarem* vocat Plautus Rudente. act. I. sc. II.

EXTORRIS, ἐξόριστος prout exponitur in vet. Glossis à *terrore* deducit Isidorus, lib. X. *Propriè*, inquit, *extorris*, *cum vi expulsus fit & cum terrore solo patrio eiectus*. Ibidem, vti & apud Nonium, alterum quoque etymon legitur, vt dicatur *extorris* quasi *extra terminos*. Verisimilius, quibus placet *extorres* dici, quibus aquâ & igni interdictum esset, eò quod hi *expertes* essent *terræ* eius ardentis: qui in aquam immergi solet certo febrium genere, quod maxime fiebat, quia constabat rebus maxime necessariis vitæ nostræ. Ita Scaliger Coniectaneis in Varronem. Sed simplicissima verissimaque est sententia Cæsellij, apud Cassiodorum, quam & apud Nonium Isidorúmque legere est, vt nempe *extorris* dicatur quasi *exterris*, hoc est *extra terram*. Nam vt à *solo*, *exsul*, ita à *terra*, *exterris*; vt idem fere sit, quod ἄπολις. E in O crebrò abiit, satis superque sæpius ostensum.

EXTRA, *intra*, *infra*, *supra*, prius fuere *exterà*, *interà*, *inferà*, *superà*, ab *exterus* siue *exter*, *interus* (pro quo nunc *internus*) *superus* & *inferus*, quibus duobus vsus Laeuius (sic legendum apud Priscianum lib. III. non *Liuius*, quem heroicos non scripsisse constat.)

Superas an superus tibi fert Deus funera Vlysses?

Porrò hinc patet delirium Grammaticorum, qui, cùm positiui horum nominum inueniantur, nihilominus eorum comparatiuos ac superlatiuos deducunt ab aduerbiis; quo in errore etiam hæsit Priscianus. Est autem *exter* siue *exterus*, ab ἐξ ἕτερος, vt *inter*, siue *interus*, ab ἐντός. Nisi malis ab *ex* esse *extra*, vt ab *in*, *inter* & *intra*, à *sub subter*, quod Prisciano placet in XV. Ab *extrà* sunt *extrarius*, & *extraneus*. Festus: *Extrarium ab extraneo sic distinguitur. Extrarius est, qui extra focum, sacramentum, iusque sit: extraneus, ex altera terra, quasi exterraneus*. Sed posterius non magis compositum est, quam prius. Dixerúnque *extraninus* & *extrarius*, vt *Palilia* & *Parilia*, *architectones* & *architectores*, *Ianualius* & *Ianuarius*, similiáque. Ab *exterus* est *externus*; vt ab *inferus*, *infernus*: quâ voce vulgò substantiuè vtuntur præter morem veterum, *infernum* pro *inferis* dicentes. Ab *externus* est *externare*. Notat id *exheredare*, & quasi externum ab hæreditate facere. Vtitur Appuleius in Apolog.: *Vt intelligeretur iratus potius externasse eam, quàm oblitus præteriisse*. Aliàs *externare* accipitur pro *affligere*, *mentémque labefactare*: quomodo Catullus semel iterúmque vsurpat. Gloss. vett. *Externatus*, ἐκστατικῶς φρενῶν. Videntur Glossæ tum quoque ab *extra* deriuasse. Fortasse tamen tunc est à *sterno*. Nec mirum, si non sequatur simplicis verbi declinationem, cùm neque id fiat in *consterno*, quod eiusdem originis, ac prope etiam significationis. Nam eo tantùm differunt, quod præuerbium in *externare* vim maiorem verbo addat, quasi dicas, *mente planè exturbo*; quod fit cum nulla spes est reliqua. Imo vt *lauare*, & *lauere*, sic *sternare*, & *sternere*, dixisse videntur. Festus: *Consternatio est concitatio quadam subita ex aliquo metu, à sternutamento deducta est, quod eo toto concutimur corpore*. Vbi pro *sternutamento*, *sternatu mente* legi deberi, jam dudum aliis obseruatum.

EXVO scribendum, non, vt Aldo visum, *exsuo*, quasi sit ab *ex*, & *suo*. Nam est ab ἐκδύω, vt *induo* ab ἐνδύω. Simplex est δύω, siue δύνω, quod idem ac ἐνδύω, vt apud Homerum δῦναι τεύχεα, & δῦναι ἐν τεύχεσι. Hinc & ἀποδύω, idem ac ἐκδύω. Vnde ἀποδυτήριον, *locus in balneis*, *vbi vestes exuuntur*. Vtitur *apodyterij* voce etiam Cicero lib. III. epist. I. ad Qu. Fr. & Plin. lib. V. ep. ad Apollonium. Vide de *apodyterio*, cæterisque balnei partibus, Fuluium Vrsinum appendice de Triclinio Alias δύω, est *subeo*, *ingredior*. Vnde Τρωγλοδύται, Τρωγλοδύτας, quia populus is *subeat cauernas*, quæ Græcè τρῶγλαι. Ab *exuo* dictæ *exuuiæ*. Nam conuenit τρωγλοδύται seu intelliga *vestes exutas*; vt Ecl. VIII.

Has olim exuuias mihi perfidus ille reliquit:

Siue τὸ γῆρας, hoc est, *veterem serpentis pellem*; vt G III:

Cum positis nouus exuuiis

Siue *spolia hosti detracta*, vt XI Æn.

Mezenti ducis exuuias. ———

Gloss. vett. *Exuuia*, λάφυρα, σκῦλον. Eædem ab ἐκδύω siue *exduo*, vel *exduo*, *exduta*. Festus: *Exduta*, *exuuia*. Ita & MSS[ti]. Quemadmodum *vestis pellisue corpori detracta* dicitur *exuuia*, sic eadem *induta* dicitur *induuia*, teste Isidoro lib. XII. cap. IV. Vtitur Plautus Menæch Act. I. Sc. III. vbi cum rogaret Erotium, quid istoc esset, quod meretrici amator ferret (palla erat, quam vxori surripuerat) respondet

Induuia tua, atque vxoris exuuia, rosa.

Pro eo *induuium* quoque dicit Salvianus, lib I. de Prouid. Plinius arbori accommodat. Eiusdem ac *exuo*, & *induo*, originis est & *nudus*, nempe à τὸ γεγυμνῶ, & δύω. Vel si & veteres *duo* dixere, à *ne* & *duo*, quasi *ne dutus*, hoc est, *non indutus*. Id malim, quam quod Nunnesio visum, vt fit à γυμνὸς, γ in D conuerso.

F.

FABA, factum ab antiquo *haba*. H in F transeunte, vt scribunt Velius Longus, & Terentius Scaurus, vterque lib. de Orthographia. Ac contra F sæpe mutatum in H; quomodo ex *fordeum*, *fircus*, *fœdus*, facta, *hordeum*, *hircus*, *hœdus*: vt ex Varrone, & eodem Velio scimus. *Haba* autem fuerit à φαγεῖν, quasi *phaga*. Isidorus lib. XVII. cap. IV: *Faba Græca etymologiâ à vescendo vocabulum sumsit, quasi faga. Φαγεῖν enim Græcè comedere dicitur. Primum enim homines hoc legumine vsi sunt*. Sed si primum id hortinis pabulum fuit, vt hic Isidorus habet: quid prohibet, quo minus eiusdem originis credatur ac vox *pabuli*? Sanè *faba*, siue *haba*, & *pabulum*, vicina admodum sunt. Fuerit igitur vtrumque a πάω, vnde *pasco*. Vide quæ præclare de *faba* Plinius disserit, lib. XVIII. cap. XII. Prouerbiale est Terentij isthuc, Eunuch. Act. II. Scenâ III.

Isthac in me cudetur faba.

Vbi Donatum vide: qui vnde ea locutio coeperit, docebit. Vt in parentalibus *faba* vsus fuerit ad lemures exigendos, ostendit Cat. cap. CXXXIV. apud Nonium in *Lemures*, & Ouidius, IV. Fast. & Festus in *Faba*. Quâ olim ratione soleat Athenis *fabarum* sorte legi magistratus, docebit Carolus Sigonius, lib. I. de Repub. Atheniensium, cap. de Senatu quingentorum virorum. A *faba* *fatione* nomen Romæ inuenit gens *Fabia*, vt à *lente Lentuli*; à *cicere Cicerones*; à *pisis Pisones* (quanquam alij à *pinsendo*,) à *lactucis Lactucini*; ab *hortis Hortensij*. Scio Adamantium Martyrium velle à *fouea*, seu antiquo *fauia*, *Fauium* dici. Sed decepit eum vulgata seculi sui pronunciatio, qua *Fauium* pro *Fabium* dicebant. Pro nobis facit Plinius, lib. XVIII. cap. III: *Cognomina etiam prima inde, Pilumni, qui pilum pistrinis inuenerat, Pisones à pinsendo. Jam Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum, vt quisque aliquod optimè genus sereret*. A *Fabius* est *Fabianus*, vt ab *Octauius*, *Octauianus*; à *Pomponius*, *Pomponianus*; à *Maximus*, *Maximianus*; à *Tertullus*, *Tertullianus*; à *Iustinus*, *Iustinianus*; à *Cyprus*, *Cyprianus*; à *Sebastius*, *Sebastianus*, &c.

FABER rectè deducit Isidorus à *faciendo*. Sic, vt suis locis dicimus, à *suo* est *suber*; à *tumeo*, *tuber*; à *cresco*, *creber*; à *finio*, *fiber*; à *mulceo*, *mulciber*, qui Græcè μειλίχιος. Nam μειλίσσειν dicunt Græci, vt Latini *mulcere ferrum*, & *mite* pro *liquefacto*: quomodo Scaliger interpretatur illud Cornelij Seueri in Ætna:

——— *Siquer ille magis feruere*, *magisque*
Fluminis in morem mitis procedere tandem.

A *faber* est *fabre* quo vsus Plautus in Cæco aut in Prædonibus: *Nihil quicquam factum nisi fabre, nec quicquam positum sine luco, auro, ebore, argento, purpura, picturis, spoliis, tum statuis*. Citat Charisius, cap. de Aduerbio. Ab eadem origine est *affabre*: quod Priscianus, in decimoquinto, factum ait à

 datiuo

datiuo *affabre*; vt à *sano, sanè*; à *claro, clarè*. Cic. in Verr. VI: *Deum nudum, qui et fabre affabre factus*. A *fabro, fabrico*; vnde *fabricensis*, in Cod. Theod. & Iustinianeo. & apud Cassiodorum, lib. VII. cap. XIX. Ita autem dicitur, qui in *fabricis publicis arma cudit*.

FABVLA à verbo *fari*, vt ait Varro, in V. de L.L. Nempe vt ab *exoratum*, *exorabulum*; à *mendicatum*, *mendicabulum*: sic à *fatum fabula* defluxit. Quare & generatim sic vocatur, quod in ore omnium versatur. Vt apud Horatium,

——— Ne vulgi fabula fiam.

Ac similiter Tibullus lib. I. eleg. IV: & lib. II. eleg. III. Imò & Plinius, lib. XIII. Nat. Hist. cap. VI. vbi de vinis pretiosis. Est & Senecæ in Hippolyto;

Omnes per gentes fabula distulit.

Et epist. LXX: *In fabulam excessi non ingratam tibi, &c.* At historiam antè recensuerat. Et lib. III. de benef. *Sit scrupta nouitas fabula, & duarum vrbium exemplum fuit*. Ita enim & in veteribus legitur libris, quam lectionem temere sollicitare aggressus Pincianus. Hieronymus ad Castrutium: *Et, ne, veteres replicando historias, longum faciam, & excedam mensuram epistola, breuem tibi fabulam referam, quæ infantiæ meæ temporibus accidit*. Locutus eodem modo Tertullianus, in Apologetico, Hieronymus in epist. ad Philemonem, item epistola ad Castrutium: etiam Orosius sub finem libri secundi; item Symmachus, Sidonius, alij. Nihil igitur apertius, quam *fabulam* tam de veris, quam fictis, dici: Atque inde *confabuland.* vox. A *fabula* etiam est *fabulo*. Gloss. Isidori: *Fabulo, fabulas componens*. Iterum: *Fabulones, fabularum inuentores*. Etiam apud Macrobium, lib. II. hanc vocem reponit Claudius Salmasius. Sic enim legit: *Hæc nobis sit literata lætitia, & docta cauillatio planipedis & fabulonis impudica & prætexta verba iacientis, ad pudorem ac modestiam versus imitata*. In vulgatis est *sabulonis*, quo cum *arena crassior* signetur, locum hic habere nequit. Ex Scaligeri mente *fidicinis* legendum, id est, tibicinis. vel *sambucinis* retinendum à *sabuca*, instrumento Musico apud Appul. II. Flor. Sed neutrum hîc locum habet: & locus Appuleij omnino est corruptus, vt alibi diximus. Quare perplacet Salmasij correctio.

FACETVS, à *facie*. Donatus in Eun. III. I. *Facetus est, qui facit verbis, quod vult*. Alijs *facetus*, quia imitando se alium facit. A *faciendo* quidem esse, etiam Isidorus consentit, in X. Perottus, quia *facetiæ* verborum sint, non factorum, à *fari* potius esse putabat. Sed aduersatur primæ syllabæ modulus. At inficetum tamen, vt *facetus* dicatur, quasi *faciens cætus*, quod maiorum ætate nugator quispiam annotauit, in notis ad appendicem distichorum Catonis, à *Faceto*, Parisiensi gymnasiarcha, conscriptam. A *facetus inficetus* vt à *facetia, inficetia*.

FACIES, à *facio*, quæ nempe forma à *specio* est *species*, similiàque *effigies, tabes*, & alia. Ita *facies* propriè idem sit, quod *factura*: vt Nonius quoque docet. Sanè non solum de ore, oculis, genis, vicinisque partibus: sed de totius corporis, colorisque habitu vsurpatur. Vide Gellium, lib. XIII. cap. XXVIII. Ego Latino *facies* respondet Belgicum *gedaente*: quod itidem à *doen*, id est, *facere*. At Belgicum *aenschijn*, cùm sit ab *aenschijnen*, hoc est, *affulgere*, magis respondeat Latino *species*. Nam quæ adfulgent nobis, ea *specimus*, hoc est, *conspicimus*. Angelus tamen Caninius deducit *facies* à Punico *Pag*. A *facies* est *superficies*, superior siue exterior cuiusque rei *facies*.

FACIO, forsasse à φάω, hoc est, λάμπω, *luceo*: vel ab aliquo eius deriuato: quale φαίνω, *edere in lucem, luci dare*, vt Tullius locutus: aut φάσις, *apparitio, conspectus*. Sanè qui rem facit, dat eam luci, atque vt conspiciatur facit. A *facio* est *factor*, quæ vox generalis: vnde *factorem testamenti* dicimus. Sed speciatim ita vocamus, *qui vinum vel oleum facit*. Vt apud Catonem, cap. XIII. & LXIV. Item restrictum ad *factiones* in pili ludo. Vt apud Plautum, Curcul. II. III. Indéque *factio*, vt veteres Gloss. interpretantur Festus: *Factio & factiosus initio honesta vocabula erant: vnde adhuc factiones histrionum, & quadrigariorum dicuntur*. Postea *factio* dici cœpit *malorum consensus & conspiratio*: teste Nonio. Qui & pro *opulentia* ac *nobilitate* accipi, exemplis docet. Nempe qui illa habent, facere multa & possunt & solent. A *facio* quoque *facilis*, vt ab *ago, agilis*; & apud Græcos à ῥέζω, *facio*, ῥᾷ, *facile*; vnde ῥάδιος, ac ῥᾴδιος, *facilis*. Veteres pro *facilis* dixere *facul*: Vt Nonius docet auctoritate Lucretij, Pacuuij, Afranij, Accij, & Varronis, cuius illud Bimarco: *Quod vtrum sit magnum, an paruum; facul, an difficul*. Vnde *facultas*, vt à *facilis, facilitas*. Cicero primo de inuentione: *Facultates sunt, aut quibus facilius fit, aut sine quibus aliquid confici non potest*. Etsi autem *facultas*, & *facilitas*, si originem spectes, idem signent; tamen vsus distinxit. Festus: *Facul antiqui dicebant, & faculter pro facile: vnde facultas & difficultas videntur. Sed postea facilitas mansit facta est: facultas rerum*. Cornelius Fronto: *Facultas locupletis, facilitas artificis est. Itaque diues facultatem habet multa vel emendi vel redimendi: artifex opera perficiendi facilitatem*. Quod autem *facultates* etiam pro *opibus* sumantur, clarè iste Frontonis locus docet: atque etiam veteres Glossæ testantur, quæ *facultates* exponunt ὕπαρξιν. hoc ab eadem caussâ est, ob quam *diuites* vocamus *facultatum agentes*. Ita locutus Plautus, Curcul. & Epid.: Terentius, Adelph.: item Portius poeta vetus, apud Donatum, vel potiùs Tranquillum, in Comici eius vita:

Tres per idem tempus, qui agitabant nobiles facillimè.

A *facio* quoque est *facinus*. Plautus, Pœn. I. II:

Eho tu, vin' tu facinus facere lepidum & festiuum?

Sallust. bell. Iugurth. *Multa & præclara rei militaris facinora fecerat*. Ab eodem *facies*, & *facetus*: de quibus seorsim. Et hæc nomina. Venio ad verba. Deriuatum ab eo *facesso*, vt à *capio, capesso*. Vnde *dicta*, vel *iussa, facessere*, id est, *facere*. Vt Nonius exponit. Item, *facessere negotium*. Imò & *facessere*, pro *retrocedere*, huius est loci. Sanè Belgæ similiter, *maeckt u van hier*. Terentius, Phorm. IV. III. *Hæc hinc facessat*: Vbi Donatus: *Pro hinc se faciat, id est, abeat: vt huc se faciat, huc accedat, significat*. Et ibid. *Hæc hinc facessat, pro cedat, aliàs faciat. Et duas res significat hoc vnum verbum. At hinc facessat, prouerbialiter, quasi hinc faciat*. Plautus: *Argentum hinc facite. Huc te fac, pro huc accede*. Sunt & multa à *faciendi* voce composita. Vti *officio*: pro *efficio*: *officium*, de quo in *Officina* dictum. Item *interficio*: vbi *inter* significat *penitus*. Vt in *interimo* & *internecare*: vt *internecatis hostibus*, apud Plautum in Amphitr. ex quo *internecio*, & *internecinum bellum*, vel *odium*, apud Liuium, Gellium, & alios. *Facere* verò in *interficio*, eam habet notionem, quam in *conficere*, & *confectorium*: & forsasse in *carnifex*. Vti in Oratoriis ostendimus. *Sufficio in alterius locum*, eam vim habet, quam *substituo*. Sed *sufficit*, ἀρκεῖ, (vnde apud Arnob. lib. IV. *sufficienter*, ἀρκούντως) idem *valet* ac *facit*, seu *valet sub ea conditione, de qua actum*. A *praficiendo, præfica* dicta. Varro, lib. VI. de L. L. Næuius: *Hæc quidem hercle, opinor, præfica est, nam mortuos conlaudat*. Claudius scribit, *Ea, quæ præficeretur ancillis, quemadmodum lamentarentur, præfica est dicta*. Festus: *Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant cæteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum præfectæ*. Vide & Nonium in *Præfica*. Similiter à *perficiendo* dicta est Dea *Perfica*, quia præstat plenæ perfectæque Veneris gaudia. Arnobius lib. IV: *Etiamne Perfica vna est è populo numinum, quæ obscenas illas & luteas voluptates ad exitum perficit dulcedine inoffensâ procedere?* Est autem *perfica* adiectiuum substantiue vsurpatum, quia respicitur ad vocem *Dea*. Nam *perficus* quoque dictum fuisse, argumento est quod Lucretius, lib. II, *perfice* vsurpat pro *perfectè*; & Plautus, Rudente, *perficissimè*, pro *perfectissimè*. Ita enim vtroque loco legendum monuit Obertus Giffanius, in indice Lucret. in *perfice*. Pro eo in vulgatis Lucretij exemplaribus est *denique*, sed inuitis antiquis codd. qui *perfice* habent. In Plautinis verò codd. vulgo legebatur *præficissimè*, ex quo Camerarius fecerat *præficisse*, quæ proba quidem vox, at istic loci locum habere nequit. *Affectare*, est *habere animum pronum ad faciendum*: vt bene Calpurnius ad Ter. Heaut. notauit. *Affectatus est regnum*, pro *affectauit*, dixit Varro, teste Diomede, lib. I. Festus: *Adfectata femina vel in bonam partem dicitur, velut honorata: vel in malam, quasi in extremum periculum adducta*. Vbi vulgò *adsectata*. Sed plerique MSS. vel *adfecta* habent, vel *adfectata*. Notæ compositionis sunt *calefacio, frigefacio, tepefacio, liquefacio*; nempe à verbis *calere, frigere, tepere, liquere*. Sic *labefacio*, quasi *labare facio*, *patefacio* quasi *patere facio*. Similiáque sunt *expauefacio, excandefacio*. Item, *vacefacio*, & *vacefio*: quo vsus Lucretius, lib. VI.

Hoc vbi inanitur spatium, multúsque vacefit
In medio locus. ———

Item:

Hoc fit item cunctas in partes, vnde vacefit
Cúmque locus.

Ita vtrobique membranæ nostræ habent: placuitque ea lectio etiam Lambino, ac Giffanio. Vbi Carrio maluit *vacuefit*, vt sit κενοῦται. Sed ἀναλογία iubet, vt à *liquere* est *liquefacere*, sic à *vacare*, & *facio*, dicamus *vacefacio*, à *fio* item *vacefio*. Interim nec plane damnamus *vacuefacio*, & *vacuefio* quomodo legitur apud Macrobium, lib. I. Saturn. cap. II. imò Iustinianeo codici, atque etiam Ciceroni in Catilinaria, gemino in loco, eam vocem restituit Carrio ex codd. antiquis. Vide eum, antiquarum lectionum lib. I. cap. XVIII.

FAEDVM

FÆDVM rectius fortasse per Æ scribatur, vt sit à φαιὸν, hoc est, *fuscus*: à quo & Hispanicum *feo*, hoc est, *fuscum*, siue *nigrum*.

FAGVS arbor glandifera: quales præter eam tres sunt aliæ, robur, quercus, æsculus. *Fagus* à Dorico φαγὸς pro φηγὸς, à φάγω, id est, *edo*, siue quia eius fructu homines vescebantur ante fruges inuentas, vt Eustathius ait, in Iliad. E, pag. DLXV. edit. Rom. & Iliad. p. DCXLVI. Et Od. ι. p. clɔ Iɔcc. XIX. Item Seruius, in Eclog. I. siue quod vulgò saltem hoc cibo vescentur, quia exiguo labore paratetur, contra quam fruges, vt is rudioribus seculis ditiorum duntaxat cibus fuisse videatur. Ac sic quoque non minùs *fagus* sit à φαγεῖν. At φαγεῖν non dubito quin sit à אכל, *cibus*. A *fago* est *fagutal*. Varro, lib. IV de L.L. *Fagutal a fago. Vnde etiam, quod ibi sacellum, Iouis Fagutalis*. Idem autem nominarat *lucum fagutalem*. Festus: *Fagutal, sacellum Iouis, in quo fuit fagus arbor, quæ Ioui sacra habebatur. Fagutalis Iouis* etiam meminit Plinius, lib. XVI. cap. X.

FALÆ, pro quo alij scribunt *phalæ*, propriè dicuntur *turres ligneæ*, vt interpretatur Nonius. Festus exponit *loca exstructa*. Est à φαλανδος, vt idem indicat his verbis: *Falæ dictæ ab altitudine à falando, quod apud Hetruscos significat cœlum*. Φάλανδον autem, seu *phalandum*, fortasse est à φαλὸς, quod est, *albus, nitens*: vt docet Etymologus in φαλαρός. Φαλὸς vero à φάω, hoc est, *luceo*. Ex *falis* mittebant milites tela, quæ ex eo dictæ putantur *falaricæ*. Vsi *falaricæ* vocabulo Ennius, Maro, Lucanus, Sillius, Vegetius, alij. In vett. Gloss. exponitur ἀκοντίσματα. Sed quia de hoc mox curatius dicendum, ad *falas* redeo. Vt *machina*, *fabrica*, & similia, sic & *falæ* nomen pro *fala* vt accipitur: quemadmodum Nonius Marcellus probat isthoc Nonij Decumis: *Me non vocauit, ob eam rem hanc feci falam*. Nam omnino hic μεταφορικῶς sumitur: quod moneo, ne imperitior, quia in vulgaris Nonij codd. *falla* scribatur, eiusdem esse originis credat ac *fallacia* nomen. Propriè verò hac voce vsus Plautus, Mostell. act. II. sc. I: *Isti qui hastis* (delendum τὸ *hastis*, vt Lambinus, & Acidalius, rectè monent) *trium nummorum causa subeunt sub falas*. In circo quoque erant *falæ*, vt his verbis indicat Seruius ad IX. Æn. *Hoc telo* (*falaricam* intelligit) *pugnatur de turribus, quas falas dici manifestum est. Vnde & in circo falæ dicuntur diuisiones inter Euripum & metas, quod ibi constructis ad tempus turribus, his telis pugna edi solebat*. Iuuenalis Sat. VI:

Consulit ante falas, delphinorúmque columnas.

Hæc Seruius. Qui Isidorum legit, lib. XVIII. cap. VII. existimet, militares, non Circenses à Iuuenale *falas* intelligi: quod falsum esse indicat id quod addit de delphinis circensibus. Est enim hic locus planè geminus illi Dionis, vbi iunguntur, οἱ δελφῖνες τε καὶ τὰ ᾠοειδῆ δημιουργήματα. Vbi *falas* appellat ᾠοειδῆ δημιουργήματα, quia earum fastigium *ouilem speciem* referret. Turres hæ, quas ad tempus ludorum caussa exstrui solitas indicat Seruius, Græcis φάλαι vocabantur: vt est apud Vitruuium. Plauti locum de *Circensibus falis* non bene meo iudicio accipit Cæsar Bullingerus, lib. de circo cap. XIX. quanquam nec Lipsium ab hac sententia abhorrere indicat notula ad oram capitis II. lib. I. Electorum. Interea & Lipsius potiùs de *militaribus falis* interpretatur: quam expositionem esse veriorem cum alia indicant, tum quod dictum de *tribus nummis*. At malè idem *tres nummos* exponit *ternos asses*, cum *obolos* intelligi oporteat. Nam sub initium belli Punici secundi stipendium militare erat quatuor assium: vt ex Polybio cognoscimus, qui id duorum fuisse *obolorum* docet. *Obolus* autem erat quarta drachmæ siue denarij pars: vt Pollux testatur. Plauti igitur ætate auctum fuit stipendium, próque quaternis senorum assium factum. Sic hunc Plauti locum quoque accipit Fr. Hottomannus, lib. de re nummaria, pag. CLXIV. Nonnulla ad *falas* pertinentia vide voce sequenti.

FALARICA placet Becmanno esse à φαλὸν, id est, *splendidum*, quod à φάω, vt docet Græcus Etymologus. Causa originationis gemina. Vna quod tela, inter quæ *falarica* est, *splendeant* ob ferratam cuspidem. Hinc Lucret.

——— *Lucida tela volarent.*

Et Statius:

——— *ferróque micantia tela.*

Altera ratio ob *flammam*. Nam *falarica* circumligabatur materiâ è pice, sulphure, stupáque composita, vt non tantum transfigere, sed etiam accendere esset idonea. Hinc de ea Tacitus IV. Histor. *Grauis vnicè que parantibus, adacta torquentur ardentes hastæ*. Idem indicat egregia *falaricæ* descriptio, quæ est apud Liuium & Silium, vtrumque in Saguntina historia. Item Seruiana, ad nonum Æn. & Isidori, lib. XVIII. cap. VII. Alijs placet esse à *phalis*, quomodo dicebantur turres, è quibus *falaricæ* mittebantur. Festus: *Falarica genus teli missile, quo vtuntur ex falis, id est, ex locis exstructis dimicantes*. Nonius: *Falarica genus teli à falis*, id est, *turribus ligneis*. Idem ἔτυμον adducit Seruius ad illud IX. Æn:

Sed magnum stridens contorta falarica venit:

& ex eo Isidorus loco ante dicto. Nec ἔτυμον hoc minus quam prius confirmatur istis Silij verbis:

Fulminis hæc ritu summis è mœnibus arcis
Incita, sulcatum tremula secat aëra flamma.

Nam de *flamma* quod ait, ad priorem; de *arce* quod inquit, ad posteriorem originationem referri potest. Vide, si voles, quædam de *falarica* apud Stewechium, ad Vegetium, lib. IV. cap. XVIII. & imprimis Iustum Lipsium, lib. V. Poliorcet. cap. V. Quædam etiam huc pertinentia adducimus in *fala*.

FALCO, à *falce*, quia vngues eius *falcem* imitantur. *Falco* igitur γαμψώνυχος. Quanquam verò omnes accipitres γαμψώνυχες, vnus tamen præter cæteros id nomen meruit, quemadmodum & *capus* κατ' ἐξοχὴν dictus *Gallus exsectus*; quanquam non minus, si originem spectes, competat *Gallo*: Iisdem enim (quemadmodum ad Festum Scaliger docuit) dicitur κάπος ἀπὸ τοῦ κάμπτειν, ὅ ἐστι καμπτούς. *quod incuruos habeat vngues*. Varro enim & Isidorus, quorum ille *capum à castrando*; hic à *capiendo*, dictum putant; planè audiri non debent. *Falconis* auis meminit Firmicus, lib. V. Matheseos, vti & Seruius. Porro id nomen etiam *hominibus* tributum. Festus: *Falcones dicuntur, quorum digiti pollices in pedibus intro sunt curuati, à similitudine falcis*. Glossæ Philoxeni: *Falcones*, ἀγκύλοι πόδας ἔσω ἐπιστρέφοντες. Isidorus in Glossis: *Falcones, qui pollices pedis intra curuos habent*.

FALISCVS *venter*, siue ἀλλᾶς *Faliscus*, farciminis genus. Meminit Statius. Sylv. lib. V. in risu Saturnalitio ad Plotium.

Non lardum graue, debilisve perna:
Non Lucanica, non graues Falisci.

Nomen *Faliscis* ex eo, quia farcimen hoc Romani didicere à *Faleriis*, siue *Faliscis*: vti *Lucanicam* à *Lucanis*. Varro, lib. IV. de L.L.: *Lucanicam dicunt, quod milites à Lucanis didicerunt: vt, quod a Faleriis, Faliscum ventrem*.

FALLO à *fando* deriuat Varro, in V. de L.L. *A fando*, inquit, *falli, falsum & fallacia, quæ, propterea quod fando quem decipit, ac contra quam dixit, facias. Itaque si quis re fallit, in hoc non proprio nomine fallacia, sed translatione, vt à pede nostro, pes lecti ac pes betæ*. Sed fallitur Varro. Potius deduxerim à σφάλλω, quod propriè est *supplanto*, ac metaphoricè, *euerto*, itémque *decipio*, *circumuenio*. Σ abjicitur, quomodo à σφενδόνη est *funda*; à σμύρνα, *myrrha*, &c. Sed maximè placet, *fallo* esse à Dorico φαλῶ. Nam φηλόω, vel φηλέω, notat ἀπατάω, vt exponit Suidas, qui & significationem hanc ex Menandro comprobat, similiterque verbale eius φήλωμα exponit ἐξαπάτη. Item φηλώσαι, ἀπατῆσαι. Et φῆλος, ἀπατηλὸς, & φήληξ, ὁ ἀπατῶν, καὶ ὁ ὠμὸς συκῆ. Apud Hesychium quoque habes φηλωτὰς, ἀπατεῶνας; & φηλοῦντα, ἀπατῶντα, & eidem inter alias significationes vocis φῆλος est ἀπατηλός. Quod verò φήληξ etiam dicatur de *grosso*, siue *immatura ficu*, vt superior Suidæ locus indicat, id inde factum docet Aristophanis Scholiastes in Ὄρνισιν, quod ea *fallat* adspectum; vt quæ maturitatis speciem præ se ferens, immatura tamen comperiatur. Esti verò φήληξ sit *impostor*, indéque Iosephus Scaliger putet esse Latinum *fallax*, malim tamen deducere à Latino *fallo*, tum quia à φήληξ esset *fellex*, vel *fallex*: tum quod analogia doceat, vt ab *audeo* est *audax*; à *teneo*, *tenax*, à *tago*, *tagax*; sic à *fallo* esse *fallax*. Porro φηλῶ, seu φαλῶ, videtur esse ab Hebræo פלא, id est, *occultari*. A φαλῶ autem σφάλλω præposito Σ. vt in aliis multis.

FALX, à *farre*, literâ commutatâ, vt censet Varro, lib IV. de L.L. Sed est contractum ex *falces*, vt *arx*, ex *arces*, quod ab *arceo*, *mers* ex *merces*, quod à *mereo*; *mens* ex *mentis*, quo vsus Ennius. *Falces* fuit ex *falcces* vel *falccus*, à Græco πέλεκυς, ε in α conuerso, quomodo à μένω est *maneo* & fortè ab ἕνος *annus*. Πέλεκυς (vt in Pellecanus quoque dicimus) est ab Hebræo פלח, id est, *scindere*, *findere*. Confirmat hanc sententiam, quod *falces* in Campania *secula* dicuntur à *secando*: vt Varro ait, lib. IV. de L.L. Quod si minùs placet esse à πέλεκυς, possis [illegible] deducere à פלח, nec id minùs placet. Diminutiuum est *falcula*, quo τῷ μεταφορικῶς de *vnguibus leonum* vsi Plinius & Solinus.

FAMA, à Dorico φάμα pro φήμη. Hoc à φημί, quod à φάω, vnde Latinum *fari*. Quare commode intelligendum, quod *famam*, à *fando* dici ait Festus. Est *fama* idem, quod *rumor*,

ac, vt benè ſenſit Valla, ſola origine differunt hæc duo: quod puta *rumor* ſit Latinum, *fama* Græcum. Falſus Mancinellus, qui putat, à Fabio, lib. IV. diſtingui. Neque enim aliud docet, quam quomodo locus communis à *fama* debeat tractari. A *fama* eſt diminutiuum *famelia*, Feſto teſte. Ab eodem eſt *famoſus*, qua voce poſterioris æui ſcriptores etiam in bonam vtuntur partem; vti conſtat è Plinij epiſt. lib. VII. Tacito, lib. XXI. & Papinij I ſiluarum. Onomaſticon vetus: *Famigero*, διαφημίζω. *famiger*, ἀγγελιοφόρος. *famigerabilis*, διαβόητος. *famigerator*, διαφημιστής. Eſt & *famiger* apud Varronem, in V de L. L. Sed Scaliger ibi mauult *famigerabile*.

FAMES, iuxta Perottum, ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, quia qui *fame* laborat, cupit φαγεῖν, hoc eſt, *edere*. Nec longè abit à πάω, vnde *panis* & *paſco*. A *fames* eſt *famelicus*. Gloſſ. *Famelicus*, λιμώδης. *Famelicè*, λιμωδῶς. Ab eo *famelicoſus*. Feſtus: *Famelicoſam, terram paluſtrem vocabant*. Vbi MSS[ti] quidam, *famicoſam*: ſed perperam.

FAMILIA à *femore*, vnde egredimur: iuxta Iſidorum, lib. V. cap. XXV. & lib. IX. cap. IV. Sed eſt *familia* ab ὁμιλία, ſpiritu in *f* abeunte, quomodo ab ἕρμα eſt *firmus*. Vel *familia* dicitur à *famel*, quod Oſcum eſt à *fame*, quaſi *fames miniſter*. Poſteriores pro eo *famulus* dixere. Feſtus: *Famuli origo ab Oſcis dependet, apud quos ſeruus famel nominabatur: vnde & familia vocata*. *Famul* pro *famulus* dixit Ennius, quod Nonius oſtendit. Ennianum locum ſic ſanat & ſupplet ad Catalecta Ioſephus Scaliger:

> —— *multa dies in bello conficit vnus,*
> *Et rurſus multæ fortunæ forte recumbant,*
> *Hauquaquam quemquam ſemper Fortuna ſecuta eſt.*
> *Quæ & mortalem ſummum fortuna repente*
> *Reddidit, è ſummo vt regno famul vltimus eſſet.*

A *famul* eſt *famuletium*, ſeu *famulitium*, quod nunc *ſeruitium*, vt Feſtus ait. Vtitur Macrobius, lib. I. cap. VII. & Sidonius, lib. I. epiſtol. VI. *Famulitas* pro eo dixere Accius & Pacuuius, vt probat Nonius. Sed à *famul* dici patet, quaſi *famuliam*: quod ſuperior Feſti locus indicat. Propriè igitur (vt Vlpianus quoque docet in lib. I. ff. de vi & vi armat.) *familia* eſt *famulorum cœtus*. Gloſſ. *Familia*, οἰκετεία. Ita vſus Phædrus, lib. IV. *Veſte, nummis, familia, Hominem exornauit*. Eopſe modo apud Ciceronem legimus, *gladiatorum familia*. Et apud Hirtium, de bello Hiſpanienſi: *Familiam & libertos conuocauit*. Erátque *familia* minimum quindecim capitum. Appul. Apolog. *Quindecim liberi homines populus eſt: totidem ſerui, familia: totidem vincti ergaſtulum*. A *familia*, οἰκέται, ſiue *ſerui*, dicuntur *familiares*. Seneca, lib. VI. epiſtol. XLVII. *Ne illud quidem videtis, quam omnem inuidiam maiores noſtri dominis, omnem contumeliam ſeruis detraxerint. Dominum patrem familiæ appellarunt, ſeruos (quod etiam in mimis adhuc durat) familiares*. Cui loco ſimilis hic Tertull. in Apolog. cap. XXXIV. *Sed & gratius eſt nomen pietatis, quam poteſtatis: etiam familiæ magis patres, quam domini, vocantur*. Viri eruditi, eóſque inter Cl. Io. Meurſius, Philologici Auctarij cap. II. exiſtimant *ſeruos* quidem *familiam*, ἁπλῶς, *ingenuos* vero *familiam auream* dici ſolere. Mouet eos locus iſte Feſti: *Familia aurea in liberis hominibus dicebatur, quorum dux & princeps generis vocabatur Pater & Mater familiæ. Vnde Familia nobilium Pompiliorum, Valeriorum, Corneliorum: & Familiares ex eadem familia. Poſtea hoc nomine etiam famuli appellari cœperunt*. Ac ita quidem à Scaligero editum video. Sed in antiqua Mediolanenſi, quæ Baptiſtæ Pij cura prodiit, vti & Veneta Antonij Auguſtini, pro *familia aurea* legitur *familia antea*. Quam veram eſſe lectionem colligo ex ἀντιθέτου. Nam primum ait, *Familia* ANTEA *in liberis hominibus dicebatur*. Hinc ſubiungit: POSTEA *hoc nomine etiam famuli appellari cœperunt*. Quid certius? A *familia* eſt *familiaris*, & *familiaricus*, id eſt, ad *familiam* pertinens, vt *ſella familiarica* Varroni, lib. I. de R. R. cap. XIII. Imò & Vitruuio, lib. VI. cap. X. Etſi ibi vulgo *cella* pro *ſella*. Eadem & *ſella Patrocliana*, hoc eſt, quæ inſeruit neceſſitati naturæ.

FANVM, ſi à *fando* eſſe placet, vel ex eo erit, quòd inde *fata* petuntur: vt in tertiam Verrinam notat Aſconius: ſiue quia Pontifex, dum dedicat, certa verba *fatur*, vt eſt apud Feſtum: ſiue, quemadmodum Varro ait, in V. de L. L. Pontifices *in ſacrando finem fantur*, quod vocabant *effari templa*. Quemadmodum & pro eo dicebant *ſiſtere fana*. Feſtus; *Siſtere fana, cum in vrbe condenda dicitur, ſignificat loca in oppido futurorum fanorum conſtituere*. Sed aliis placet, *fana* potius dici à *faunis*, quod idem Feſtus ſcribit. Sed apud eum corruptè legitur à *Fano*, pro *Fauno*. Dicitúrque à *Faunis*, ſiue quia *Faunus* primus *fana* extruxerit, vti voluit Probus: ſiue quia his templa error gentilium conſtruebat: quod Iſidorus putat lib. XV. cap. IV. Iuuat & Cornelius Fronto, quanquam is *Faunos* potius à *fanis* dici cenſet. Quippe de delubri, ſacelli, templi, & bidentalis, diſcrimine tractans, ſic inter alia ſcribit. *Fanum, Fauno conſecratum: vnde Fauni appellabantur prius, & illi, qui vagabantur, fanatici*. Mihi maximè placet *fanum* eſſe ex eo, quòd id Græci ſimiliter ναὸν vocent. Nempè κατὰ μετάθεσιν fuerit ἀνὸν, ſed ſpiritus abit ſæpius in F. Confirmant hanc ſententiam verba ista Feſti: *Fanula, parua delubra, quaſi fannula*. Ergo ex obliquo ἀνὸν *fannum*, vnde *hannulum*, & poſtea *fanulum*, vt dixere *hoſtis, foſtis, holus, folus, habam & fabam, hordeum & fordeum, hordicalia & fordicalia*. Veteres enim in multis *h* pro *f*. & *f* pro *h* vſurpabant. Quod ad *fanaticorum* appellationem, propriè dicitur de ſacerdotibus: vnde in Gloſſis Philoxeni legere eſt: *Fanaticus*, ἱερομανής, ἱερόδουλος. Atque ita accipit vetus lapis extra Romam: Q. CÆLIO APOLLINARI FANATICO DE ÆDE BELLONÆ. Verùm quia hi oraculum editturi, diuino furore corripi putabantur, eámque opinionem crebra capitis quaſſatione ac aliis inſanientium indiciis adiuuabant: inde eſt, quod *fanaticus* etiam ſumitur pro *furioſo* atque *inſano*. A *pro* & *fanum* eſt *profanus*. Varro, in V. de L. L. *Profanum eſt, quod ante fanum, id eſt, coniunctum fano: hinc profanatum, quod in ſacrario pollutum*. Sed Chariſius *pro* in *profanus*, dicit derogationem ſiue στέρησιν ſignare. Atque addit *profanum locum dici non ſacrum, quaſi procul à fano poſitum*. Cæterum non loco ſolùm, ſed & perſonis conuenit. Nam & *profani* dicuntur, qui Græcis βέβηλοι, ſiue ἀμύητοι, hoc eſt, *homines non initiati ſacris*, quia nempè talibus *pro fano* ſolum conſiſtere, non autem *fanum* ingredi, ac intereſſe ſacris, liceret. Hinc Maro, in VI.

> ——— *Procul hinc, procul eſte, profani,*
> *Conclamat vates*.

Vulgo *laicos* vocant, quo & Tertullianus aliique patres antiquiſſimi vtuntur. Sanè mollior ea appellatio, quàm *profani*, quæ vox minimè conuenit iis, qui per baptiſmum ſunt initiati religioni, Eccleſiæque inſerti. *Laicorum* autem vox quo ſenſu admitti poſſit, oſtendimus in *Clericus*.

FAR vnde ſit, non ſatis eſt apertum. Qualemcumque ἐτυμολογίαν ponit Varro, IV. de L. L. *Far*, inquit, *à faciendo, quod in piſtrino fit*. Iſidorus autem, lib. XVII. cap. III. dici *far* ait à *frangendo*, quia ante molarum vſum pilâ *frangi* ſoleat. Perotto placet ita vocari à *ferendo*, quia id fert terra. Sed eſt ab Hebræo בר, hoc eſt, *far*, à radice ברה, hoc eſt, *comedere*. Quod etymon & Cornelius à Lapide probat comment. in Geneſ. cap. XXXV. verſ. XVI. Seruius ad I. Georg. ait eſſe ſpeciem frumenti optimi, quod alio nomine *adoreum* dicitur, ſed pro quouis frumento accipi. Dionyſio Halicarnaſſenſi ζέα eſt. Sic enim ſcribit, lib. II. τοῦ φάρρος, ὃ καλοῦμεν ἡμεῖς ζέαν. A *farre* dicta *farina*: quomodo vocatur *far moliſum*, quod Græcis ἄλευρον. Plinius, lib. XVIII. cap. IX. *Farinam à farre dictam, nomine ipſo apparet*. Ab eodem eſt *Farrago*, vt innuit Feſtus: nempè quia ex *recrementis farris* gignitur in vſum pecorum, admixto hordeo vel vicia, teſte etiam Plinio, lib. XVIII. cap. XVI. A *farre* quoque dictum *farreum*. Feſtus: *Farreum, genus libi ex farre factum*. Ab hoc libo vocatur *farreatio*, vnde *confarreatio*, & *diffarreatio*. Erat enim vtrumque ſacrificium, cui *farreum libum* adhibebatur: ac illo quidem contrahebatur, hoc diſſoluebatur matrimonium. Gloſſ. *confarreatus*, συμβιωτὴς χωρὶς ζευχθείς. Tribus modis contrahebatur coniugium; vſu, *farreatione*, coëmtione, de quibus Cicero, & Boëth. in Top. Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. II. Plinius, lib. XVIII. cap. III. Vlpianus, in fragm. Inſtitut. titul. IX. Appuleius, lib. X. & Feſtus in *Diffarreatio*. Fusè de iiſdem Briſſonius, lib. de ritu nuptiarum.

FARCIO, Perotto, ac Becmanno, à *farre*, vt propriè ſit *farre impleo*. Malim à φαρκτός, quod poëticum ac Bœoticum, pro φρακτός, à φράττω, id eſt, *obſtruo, obturo*. A *farciendo* dicta *farcimina*. Varro, lib. IV. de L. L. *Ab eâdem farturâ farcimina in extis appellata: à quo, quod in eo tenuiſſimum inteſtinum, fartum*. Ab eodem eſt *fartum*. Itaque & in veteribus libris *fartum* ſcribitur. Vſus Plautus, Pyrgopolinice, ſiue milite glorioſo, act. I. ſc. I. vbi metaphorâ à re culinariâ ait de machærâ:

> *Quæ miſera geſtit fartum facere ex hoſtibus*.

Alios tamen aliter legere, non ignoro. Item hinc *fartum* quod in Onomaſtico veteri exponitur συμπεφορημένος. Hinc & *fartores*. Feſtus: *Fartores, nomenclatores; qui clam velut infarcirent nomina ſalutatorum in aurem candidati*. Notat & eos, qui *farcimina farciant*. Onomaſticon vetus: *Fartor*, ἀλλαντοποιός. Item, *qui aues farciunt, ac ſaginant*. Vnde in Gloſſis exponitur,

ponitur, [illegible]. A *farcio* & præuerbio ſunt *infercio, refercio, confercio, refertum, differtum, confertum*, quod eſt *condenſatum*. Salluſt. *Catilina memor generis, atque priſtinæ dignitatis, in conſertiſſimos hoſtes incurrit.* Sic *conſertum agmen*, in quo milites ita conſerciuntur ac condenſantur, vt omnes connexi videantur. Maro quoque ſic locutus, XI Æn. vt ex antiquis & optimæ notæ codd. probat Pierius. Ab eodem eſt *farcinor*, vnde *ſuffarcinatus*: vt ad Terent. ſcribit Eugraphius. Lambinus autem ait, nec *farcinor*, nec *farcina* dici, eóque *ſuffarcinatus* Latinum non eſſe: ſed à *ſarcio* dici *ſarcinam*, vnde eſſe *ſarcinam* & *ſubſarcinatus*: neque aliter in Plauto, & Terentio, legi debere. Sed veteres libb. obſtant: in quibus liquido *ſuffarcinatum* occurrit. Nec repugnat analogia. Nam, vt à *ſarcio* eſt *ſarcina*, & *ſarcino*, ita à *farcio*, *farcina*, & *farcino*, dici potuit. Nec deſunt ſimilia verba, vt *prodino* à *prodo*, *negimo*, vel *negumo*, à *nego*; vnde *negumate* in carmine Cn. Marij, *natino* à *nato*, vnde *natinatio*, apud Feſtum. &c.

Farfarvs, ſiue *farferus*, & *fluuij* nomen eſt, & *herba*: vnde loca, ſæpe confunduntur. Seruius in illud VII Æn.

Qui Tiberim, Fabarimque bibunt.——

Fabarim quem dicit, ipſe per Sabinos tranſit, & Farfarus dicitur. Plautus:

Diſſipabo te tanquam folia farfari.

Ouidius:

—— *Et amœna Farfarus vmbra.*

Vbi pro *vmbra* legendum *vnda*. Imo & pro *amœna* legendum *opaca*. Locus eſt XIV. Met.

Nare ſalis præceps, & opaca Farfarus vmbra.

Sed ſi *vmbram* dicit Ouidius, *fluuius* intelligi nequit. Et ſanè *herba* capi debet. Quemadmodum & à Plauto. In quo verba illa hodie non reperias. Libri quidam addunt eſſe è Pœnulo. Vbi hæc ab Achæmonide dicuntur, act. II.

———*Viſcum legioni dedi,*
———*Fundaſque: eo præſternebant folia farfari.*

At ea verba multum diſſident ab illis, quæ Seruius adducit. Neque de *fluuio* accipienda, ſed *herba*, aut *virgulto*. Vti & Appuleij hoc; *Folia ſunt farfari & nugæ meræ.* Atque ita Feſtus: *Farferum, virgulti genus.* Vbi quidam MSS^ti, *farfenum*, vel *farſenum*; atque aliter, ſed corruptè, vt puto. Arbitror autem, non difficile conciliari Feſtum cum Seruio. Nam & fluuius *Fabaris* ſit *Farfarus*, vel *Farferus*, vocatus, & à fluuio idem nomen acceperit herba vel virgultum iuxta eum ſuccreſcens. Fluuij meminit & Vibius Sequeſter: *Fabaris Sabinorum, is Faber corruptè dicitur.* Vbi forte legendum *Fafar*. Sanè ex *Fabaris*, *Fabar*, inde *Fafar*, hinc *Farfar*, hodie *Farfa*. Nec in Sabinis modo, ſed Syria etiam fluuius eſt Damaſcum alluens, qui *Farfar* ſiue *Pharphar* vocatur IV Reg. cap. V. atque etiam Beato Hieronymo, item Beniamino Tudelenſi memoratur in Itinerario item Anonymo de bello Hieroſolymitano, lib. III. cap. XXXIII. & alibi. Quare, vt ſuſpicor, ab Orientis vocabulo etiam fluuio in Sabinis ſit nomen; inde autem herbæ iuxta eum ſuccreſcenti. Fluuio fortaſſe nomen à *violentia*, qua aggeres perrumpat. Nam Hebræis פר, *frangere*. Inde per reduplicationem *farfar*.

Fari, à φάω, vnde φημὶ vt à στάω, στῶ, vnde *ſto*; à δάω, δῶ vnde *do*, ſic à φάω, φῶ, eſſet *fo*, pro quo *for* dixere: quamquam nunc hoc quoque obſoletum. A *fando* ſunt *infans*, *fatuus*, *fatum*, *facundus*, *vates*, *faſtus*, *effata*: de quibus copioſè ordine ſic ſcribit Varro, lib. V. de L. L. *Fatur is, qui primum homo ſignificabilem ore emittit vocem. Ab eo, antè quàm ita faciant pueri, dicuntur infantes; cùm id faciunt, iam fari: cum hoc vocabulum à ſimilitudine vocis pueri, ac fatuus, fari id dictum. Ab hoc tempore, quod tum pueris conſtituant Parcæ fando, dictum fatum, & res fatales. Ad hanc eandem vocem qui facilè fantur, Facundi dicti: qui futura prædiuinando ſolent fari, Fatidici dicti: iidem vaticinari, quod veſana mente faciunt. Sed de hoc poſtea erit vſurpandum, cum de poetis dicemus. Hinc faſti dies, quibus certa verba legitima ſine piaculo prætoribus licet fari. Ab hoc nefaſti, quibus diebus ea fari ius non eſt: &, ſi fati ſunt, piaculum faciunt. Hinc effata dicuntur, quod augures finem auſpiciorum cæleſtium extra vrbem agris ſunt effati; hinc effari templa dicuntur ab auguribus: adfantur qui in iis fines ſunt. Hinc fana nominata, quod pontifices in ſacrando fati ſunt finem: hinc profanum eſt, quod ante fanum, id eſt, coniunctum fano: hinc profanatum, quod in ſacrario pollutum. Atque inde Herculi decuma data ab eo eſt, quod ſacrificio quodam fanatur, id eſt, vt fani lege ſit, id dicitur.* Hactenus Varro. Nos de tribus iſtis, *fatuus*, *fatum*, *fanum*, eiuſque deriuatis ſeorſim egimus. Superſunt ex commemoratis à Varrone tria, de quibus aliquid dicemus. *Infans* ea ratione factum ab *in* στερητικῷ & *fari*: qua Græci pro eo νήπιος dicunt, à νη, & ἔπω. Hinc *infantare*. Tertullianus, lib. I. aduerſus Marcionem: *Mellis & lactis ſocietatem, qua ſuos infantat.* *Facundus* ſic dictus, quia facilè ornatéque fatur. Vt à [illegible] *iuuans iucundus*, ſic à *fatum facundus*. De *effatis* ſic Seruius, x. Æneidos: *Propriè effata ſunt augurum preces. Vnde ager poſt pomœria, vbi captabantur auguria, dicebatur effatus.* Sunt & alia à *fando* deriuata. Vti frequentatiuum *fator*. Feſtus: *Fatantur, multa fantur.* Sed aliter vſus Salluſtius, in Catil. *Cui fatatum vrbis potiri*, hoc eſt, πεπρωμένον, *fato decretum*. In vulgatis Salluſtij codd. pro *fatatum* eſt *fatum*: ſed *fatatum* in ſuis membranis reperit Antonius Muretus, item in ſuis Andreas Schottus: vt ſcribit obſeruat. human. lib. III. cap. XXVI. & XXXVIII. Ab eodem eſt *famino*, hoc eſt, φημί. Feſtus: *Famino, dicito.* Cato: *Hoc vno præfamino*, id eſt, *præfator, prædicito.*

Fas à *fando*, teſte Feſto. Nempè quaſi *fatum à Dijs, vel ſacerdotibus*: vti *ius* à *iubeo*, quaſi *iuſſum à magiſtratu*. Virgil. I. G.

Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus
Fas, & iura ſinunt.——

Vbi Seruius: *Diuina humanáque iura permittunt: Nam fas ad religionem, iura pertinent ad homines.* Similiter Iſidorus, lib. V. Orig. cap. III. A *fas* eſt *nefas*, ἀθέμιτον, ἀνόσιον, vt Philoxeni Gloſſæ exponunt. Quaſi quod eſt, hoc vel ἁπλῶς, vel ſaltem iuris ratione fieri nequit. Hinc ſumitur pro ἀδυνάτῳ. Vt apud Horatium, *ſcire nefas*. Affine eſt *nefarium*, quod omnino eſt à *fari*, eóque nec dubitare poſſumus, quin à *fando* ſint *fas*, & *nefas*. Vide *Nefarius*.

Fascinvm videri poſſit eſſe à *faſcijs*, quibus ligarent in *faſcinando*. Περιάμματα & περίαπτα vocant Græci: *obligamentum magicum* dicit Eutropius, lib. III. *incantationem & ligaturam* Fabius Victorinus, lib. I. Rhetoricorum. Imprimis autem liciis triſcoloriis vti ſolent, tum ad illigandum, & incantandum: tum ad ſoluendum, & expiandum. Vnde Maro Eccl. VIII.

Terna tibi hæc primùm triplici diuerſa colore,
Licia circumdo.—

Et mox:

Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores.
Necte, Amarylli, modo; & Veneris dic vincula necto.

Petronius Arbiter in Satyrico: *Illa de ſinu licium protulit varij coloris filis intortum, ceruicémque vinxit meam: mox turbatum ſputo puluerem medio ſuſtulit digito, frontemque repugnantis ſignauit: hoc pacto ter me iuſſit exſpuere, térque lapillos conijcere in ſinum, quos ipſa præcantans purpura inuoluerat.* Sed *faſcinum* à *faſciis* propterea veterum deduxit nemo. A *fando* putat eſſe Feſtus. Mouit eum, ſiue quod lingua quoque fieret *faſcinatio*: vnde Catullus,

Quæ nec pernumerare curioſi
Poſſint, nec mala faſcinare lingua:

Siue quòd putarent homines *effaſcinari*, ſi impenſiùs laudarentur; quò pertinet illud Maronis, Eccl. VII.

Aut ſi vltra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Ab hac opinione fuit, quòd laudaturi ſe *præfiſcine*, vel *præfiſcini*, dicerent: vt Leonides apud Plautum, Aſinaria, Act. II. ſc. IV. Eodémque vſus Titinius, Setinâ, apud quem, Paulla laudante immodicè, perſona altera metu *faſcini* interrumpens ait,

Paulla mea, amabo, pol tu ad laudem addito, præfiſcini,
Ne puella faſcinetur.

Citat Chariſius, lib. II. Suſpicor autem tria verba poſtrema, non Titinij, ſed Chariſij eſſe: quamquam aliter Turnebo ac Scaligero viſum. Fit *præfiſcine* ex *præ* & *faſcino*, vt ad verbum ſonet ἀβασκάντως ac *citra inuidiam*: itque idem, quod, *abſit verbo inuidia*. Sanè præpoſitionem *præ* hic accipi pro *ſine*, diſertim legitur apud Chariſium, cap. de præpoſitione. Quamquam verò hæc confirmare videntur Feſti de origine *faſcini* opinionem: tamen longe ſimplicior veriórque eſt ſententia Cloatij Veri, qui *faſcinum* dictum putat à Græco βασκανίῳ, commodè ſanè & conducenter, vt hac ipſa de re ait Agellius, lib. XVI. cap. XII. *B* conuerſum in *F*, quomodo & à βρέμω eſt *fremo*. Βασκαίνω verò (vnde βάσκανος venit) dicitur, quaſi φάεσι καίνω, hoc eſt, *oculis*, ſiue *aſpectu*, *occido*. quam etymologiam legere eſt apud Etymologum, & Theocriti Scholiaſtem. Sanè oculis *faſcinantis* vim ineſſe, ex illo Maronis patet, Eccl. II.

Hîs certe neque amor cauſa eſt, vix oſſibus hærent.
Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Ac cùm vocem, tùm oculos etiam, *faſcinando* interficere oſtendit hic locus Plinij, lib. VII. cap. II. *In eadem Africa familias quaſdam effaſcinantium Iſigonus, & Nymphodorus, tradunt, quarum laudatione intereant probata, areſcant arbores, emoriantur infantes. Eſſe eiuſdem generis in Triballis & Illyrijs adijcit Iſigonus, qui viſu quoque effaſcinent, interi-*

cibi genus ex oleis concisis, addito oleo, aceto, coriandro, cumino, feniculo, ruta, menta. Græcas ciuitates eo plurimum vsas, auctor est Columella. Meminit *epityri* quoque Plautus, Mil.Glor.act.1.sc.1.Fusè de eo Corn.Vitellius, annotationum in Georgium Merulam cap.11.

EPOPTA, ἐπόπτης, vniuersè *inspectorem* signat: sed speciatim sic dicebatur, qui admissus esset ad Eleusinia maiora: nam admissi ad minora, quæ præcedere solent, dicti μύσται. Meminit Tertullianus aduersus Valentinianos: *Nam in illa Eleusina Hæresis, & ipsa Attica superstitionis, quod tacent, pudor est. Idcirco aditum prius cruciant: diutius consignant, quam initiant: cum epoptas ante quinquennium instituunt, vt opinionem suspendio cognitionis ædificent.* Vide Scaligerum, in Catullum; & imprimis Meursium, in Eleusiniis, cap.VIII.

EPOSTRACISMVS, ἐποστρακισμός, ludus qui fit ὀστράκοις, hoc est, *testulis*: etsi & lapilli, atque alia eorum loco adhibeantur. Ludum eum graphicè nobis depinxit Minutius Felix, in Octauio. *Pueros*, inquit, *videmus certatim gestientes, testarum in mare iaculationibus ludere. Is lusus est testam teretem iactatione fluctuum leuigatam legere de litore, eam testam plano situ digitis comprehensam, inclinem ipsum atque humilem, quantum potest, super vndas irrotare; vt illud iaculum vel dorsum maris raderet, vel enataret, dum leni impetu labitur: vel summis fluctibus tonsis emicaret, emergeret, dum assiduo saltu subleuatur. Is se in pueris victorem ferebat, cuius testa, & procurreret longius, & frequentius exiliret.*

EPVLAS ab *edendo*, quasi *edipulas*, dici tradit Perottus. Isidorus lib.XX.cap.II. deducit ab *opulens*, quia sint *opulentiæ* testimonium. Sed magis placet tum Martinij sententia, deducentis à Chaldæo אפא (Hebræis id אפה,) hoc est, *pinsere, coquere* tum Angeli Caninij, qui litterarum Λ & Π traiectione ex εἰλαπίνη *epula* dici censet. Sane & alia sunt trecenta in quibus traiectio isthæc occurrit. Ita à δύναμαι est *dominor*; à σκέπω, *specio*; à νῆσσα, *anas*, à σφάκελος, *fascis*, ab Æolico ἄλικος, *quali*, &c. Vide *Calculus*, & *Fulgeo*. Εἰλαπίνη verò vnde sit, docebit Athenæus, in VIII. Ab *epulis* dicti *epulones*, qui prius *epolones*. Festus: *Epolonos dicebant antiqui, quos nunc epulones dicimus: Datum autem est his nomen, quòd epulas indicendi Ioui cæterisque Dijs potestatem haberent.* Primùm pontifices ipsi procurare solent *epulare* ludorum sacrificium: post ab ijs creati triumuiri *epulones*: qui illas publicorum ludorum *epulas* curarent: postea septemuiri facti: tandem à Iulio Cæsare decemuiri *epulones* constituti.

EQVES, vel pediti opponitur, vt in acie; vel senatori, vt in ciuitate. Priori acceptione cur ab *equo* dicatur, manifestum est: non item, cur alterâ. Neque enim omnes ij posteriori modo *equites* vocabantur, qui *equo mererent*, sed illi tantummodo, qui *mererent equo militari*, siue *publico*. Docet id apertè Plinius, lib.XXXIII. cap.I. *Sed annuli planè medium ordinem, tertiumque plebi & patribus inseruere: quod antea militares equi nomen dederant, hoc nunc pecuniæ indices tribuunt.* Siue, vt Lipsius legit, *pecuniæ indices*: vt sententia sit; Antea *equites* vocatos, quia *equo publico mererent*: nunc omnes eos equites dici, quibus sint annuli aurei, pecuniæ, siue equestris census, indices, ac testes. Duo igitur erant *equitum* genera, alij equo publico merebant, alij sine eo. Priores illi primò soli vocabantur *equites*: vnde idem Plinius eodem capite: *Equitum nomen subsistebat in turmis equorum publicorum.* Et Festus Pompeius: *Equitare dicebant antiqui, equo publico mereri.* Sed bello Veienti etiam aliis concessum, vt in equis militarent, qui publicum nondum equum accepissent. Liuius, lib.V. *Cum repentè, quibus census equester erat, equi publici nondum erant adsignati, consilio prius inter sese habito, senatum adeunt, factaque dicendi potestate, equis se suis stipendia facturos promittunt.* Quemadmodum autem *equus publicus* dicebatur *militaris*, vt è Plinij loco antè cognouimus; ita qui publico equo mererent, *equites militares* nominabantur. Asconius Diuin. *His decem annis, victore Syllâ, spoliatus est populus Romanus iudicandi iure, quod habuit per equites Romanos militares.* Equus publicus tribuebatur per censores. Liuius, lib.XXXIX. SC. *factum, vt tribuni plebis ferrent, vt P. Æbutio, cuius pater equo publico meruerat, emerita stipendia essent, ne inuitus militaret, neue censor ei equum publicum adsignaret.* Per eosdem censores adimebatur equus publicus. Asconius in Diuinat. *Regebant moribus Ciuitatis censores quinto quoque anno creari solebant. Hi prorsus ciues sic notabant, vt qui senator esset, eijceretur senatu; qui eques Romanus, equum publicum perderet; qui plebeius, in Caritum tabulas referretur, & ærarius fieret, ac per hoc non esset in albo centuriæ suæ, sed ad hoc esset ciuis tantum, vt pro capite suo tributi nomine æra penderet.* Nec solùm ob flagitia publicus equus adimebatur; sed etiam siquis tantum de patrimonio consumsisset, vt amplius censum equestrem non haberet. Erat is census, vt in Iulio Suetonius tradit, sestertiorum quadringentorum, hoc est, decies centenorum millium coronatorum. Neque tantum ante bella ciuilia eiusmodi erat, sed etiam sub Augusto, vt Horatij illud indicat, libro I. Epist. I.

Si quadringentis sex septem millia desunt,
Plebs eris.———

Adempto equo publico, simul ademptum erat ius vtendi, vel anulo aureo, quo distinguebantur à plebe; vel angusto clauo, quo cum à plebe differebant, tum etiam senatu, qui lato clauo vtebatur. Sed neque amplius ijs sedere licebat, in quatuordecim primis theatri gradibus: qui locus equitibus tributus L. Roscij T. Pl. Hinc lucem capit locus Tranquili in Augusto: *Cum plerique equitum, attrito bellis ciuilibus patrimonio, spectare ludos è XIV. non auderent, metu pœnæ theatralis; Augustus pronunciauit, non teneri eos, quibus ipsis parentibúsve equester census vnquam fuisset.* Assignare autem equum publicum est de publico constituere stipendium, tum emendi, tum alendi equi caussâ: illud semel, hoc quotannis dabatur. Stipendium pro equo emendo mille assariûm fuisse, colligit Sigonius è Varronis lib.VII. de L.L. vbi mouetur quæstio, num dici debeat, mille denariûm, an denariorum; item equum publicum esse mille assariûm, an assariorum. Sed Iustus Lipsius immissâ notâ apud Varronem, legendum putat, *X mille nummûm*. Et sanè pugnet alioqui cum Liuio, qui libro I. in censu Seruiano scribit: *Ad equos emendos X millia æris ex publico data, & quibus equos alerent, viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos singulos penderent.* Plura de equo publico, tum autem equitum transuectione, eorum insignibus, alijsque ad equites pertinentibus, vide apud Alexandrum ab Alexandro, libro II. Genial. Dierum capite XXIX. Carolum Sigonium, libro II. de antiquo iure populi Romani, capite III. & Iustum Lipsium, lib. I. de militiâ Romanâ, dialogo V.

EQVIRIA, vnde dicantur, docet Varro, lib.V. de L.L. *Equiria ab equorum cursu. Eo enim die currunt equi in campo Martio.* Ouidius, II. Fastorum:

Iamque duæ restant noctes de mense secundo,
Marsque citos iunctis curribus vrget equos.
Ex vero positum permansit Equiria nomen,
Quæ Deus in campo prospicit ipse suo.

Festus Pompeius: *Equiria, ludi, quos Romulus Marti instituit, qui in campo Martio exercebantur.* Ex his cognoscimus, Equiriûm ἱδρυτήν, auctorem, Deum cui sacra, locum, diem. Sed de hoc loco plenius dicendum. Nam præter hæc *Equiria*, quæ III. Kal. Mart. celebrabantur, fuerunt & altera, quæ fierent pridie Idus Mart. Et quod ad locum, si campum Martium aquæ occupassent, agebantur in parte montis Cælij, qui & Martialis dictus ab hisce ludis Marti sacris. Ouidius, III. Fastorum:

Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curuis in latus vrget aquis.
Qui tamen electâ si forte tenebitur vndâ,
Cælius accipiet puluerulentus equos.

Ex his liquet falsum Simeonem Bosium, qui apud Ciceronem, epist.II. lib.XVI. ad Att. pro *equitibus* legit *Equiribus*, ac de prioribus verba facere ait, cùm Cicero epistolâ hâc loquatur de Idibus Quinctilibus. Eodem enim mense scripta hæc epistola, ac superior, quæ exarata Nonis Quinctilibus. Geminus huic lapsus, epistola XXV. libri antecedentis, vbi putat, a Cicerone signari Idus Nouembres; quibus mundus patebat. At scriptæ Ciceronis literæ circa finem Ianuarij. In mysteriorum verò tempore nihil à Cæsare immutatum. Quomodo *Equiria* differant à *Consualibus*, diximus voce *Circus*.

EQVVS, quasi *æquus*. Ita Isidorus, lib.XII. cap.I. *Equi dicti, quod, quando quadrigis iungebantur, æquabantur, paresque formâ, & similes cursu, copulabantur.* Sed Iosephus Scaliger, vti & Nunnesius Valentinus, deducunt ab ἵππος, conuerso π in Q quomodo à πέτορα est *quatuor*; à λείπω, *liquo*, vnde postea *linquo*; à πέντε, *quinque*: à πρῖνος, *quercus*. Martinius verò malebat *equus* esse ab ὀχέω, *veho*. Vt ita dicatur, quasi *ochus*, vel *echus*. Huius diminutiuum est *equulus*, & *equuleus*, siue *eculeus*. Ita Ciceronem Varronémque vsos, Nonius docebit in *eculeus*. Hinc τῷ μεταφορικῷ *catasta*, in qua homines torquebantur, *eculeus* dictus, quia equo similis foret; vti & Turnebus censet, lib.XV. cap.XVI. Ab *equo eques* & *equiria*: de quibus seorsim. Item *equiso*, quod Varro Marcipore accommodat nautis. Nam *equisones nauticos* vocat, eadem metaphorâ, quâ

———*Volitantem flamine currum*,

Pro *naui* dixit Catullus. Vide Nonium in *equiso*, gemino loco.

ERCISCO, siue *hercisco*, valet *bona diuido*. Donatus apud Seruium in VIII. Æn. *Erctum non citum, hoc est, patrimonium non diuisum. Erctum ciendum, hereditas diuidenda.* Isidorus, lib. V. *Familia erciscunda est diuisio hereditatis inter heredes.* Gloss. Philox. *Erciscunda*, διαιρεῖσθαι. Vbi διαιρεῖσθαι non *diuidendi actum*, sed μετωνυμικῶς pro *rebus diuidendis* sumitur. Glossæ Cyr. διαίρεσις ὑπαρχόντων, *Ercti citus*. Vbi *citus* substantiuè sumitur, pro *diuisione*. Perperam vulgo vna voce *ercticitus* scribitur. *Erciscundæ familiæ* dixit Appuleius IX. Met. Imò ipse Cicero, I. de Orat. Qui & *ercti* vocem vsurpat. Ibi sic legitur. *Idcirco qui, quibus verbis hercisceri oporteat, nesciat; idem herciscundæ familiæ caussam agere non possit.* Ita cùm in antiquis legeretur, à Lambino *ercisci citeri* editum est: quod etsi corruptum minus, nec ipsum tamen integrum est. Vera autem lectio est *erctum citeri*: quomodo corrigit P. Victorius, lib. XXXV. Var. Lect. cap. I. *Erctum* verò, & *ercisci* vnde sint, docet his verbis Festus: *Erctum citum fit inter consortes, vt in libris legum Romanarum legitur. Erctum à coercendo dictum, vnde & erciscundæ, & ercisci; citum autem vocatum est à ciendo.* Sed si *erctum* propriè notat *coërcitum*, quâ de caussâ censet is *Erctum* esse a *coercendo*? eâ melius dixeris esse ab antiquo *ereco*, vel *erco*, vti hoc ab ἕρκω siue εἵργω. Nam semper κοινῇ γλώττῃ εἵργω dicitur. Atticis autem, vt Eustathius monet, εἴργω, cum tenui, est κωλύω, *arceo, veto*, εἵργω cùm aspero ἐγκλείω, *includo, excludo*; vnde εἱρκτὴ, *carcer*. Et hæc fortasse caussa, cur & *erctum*, ac *ercisci*, nunc absque spiritu legantur in vett. libris, nunc cum eo *herctum*, & *hercisci*. Fuerit autem ab *ereco*, vel *erco*, *ercisco*, vt ab *apio*, *apiscor*; à *fruor*, *fruiscor*. Quod si id minùs placet, quia *ereco* non legatur; possis cum Martinio *erctum* deducere ab ἕρκιον, vel ἕρκος, id est, *septum*, vt *hercisci* sit quasi ἑρκίζειν, propriéque signet *septa diuidere aedium*: postea autem translatum fuerit ad *hereditatis diuisionem*. Hæc non improbarem, si *erctum* propriè notaret *coërcitum*, *septum*, *diuisum*. Sed *erctum* idem notat ac *bona*, siue *fortunas*, vnde Donatus exponit *patrimonium*, *hereditatem*. Nempè veteres Romani pro *bono* dixere *horctum*, *herctum*, *forctum*, *ferctum*: Nam *e* & *o* permutabant, vt *bemus*, *bonus*, *hemo*, *homo*. Item *h*, & *f*, vt *hædus fædus*, *hircus fircus*, *horda forda*. Festus: *Horctum*, *& forctum pro bono dicebant.* Quare *horctum*, siue *herctum*, *ciere*, idem est, ac *bona*, siue *fortunas*, *diuidere*. Nam *cio*, *diuido*. Gloss. *Cienda*, διαμερίζειν. A *cio* autem fuerit *cisco*, vt ab *scio*, *scisco*; ab *hio*, *hisco*. Ergo *ercisco* fit *erctum cio* siue *cisco*: Nempè vt *erctum ciendum*, ita & dixerint *erctum ciscendum*, & composita voce *erciscendum*. *Cio* autem pro *diuido* sit à veteri χίω pro χίζω, vt κρίω dixere & κρίζω. Σ ablatum, quomodo à χαστηρία, *casteria*; à στέγω, *tego*; à σφάλλω, *fallo*. Putabat Nonius *citus* pro *diuisus* accipi in illo Maronis.

——Citæ Metium in diuersa quadrigæ.

Idem Seruius monet idem Donatum sensisse. Sed rectè animaduertit obstare quantitatem cum prior in *citus* pro *diuisus* producatur.

EREMVS, ἔρημος, naturâ suâ adiectiuum est: sed substantiuè sumitur, respiciendo γῆ. Etymologo dici videtur, quasi ἔρα μόνη, *terra solitaria*. Bibliandro, indice in Marcum, placet esse à חרם, hoc est, *vastauit*, quod a חרם, *vastauit*. Martinius deducere mauult à עירם, *nudus*. Vel conflatum censet ex ערה, *nudare*, & עם, *populus*. Ab *eremus* est *eremita*, ἐρημίτης, qui & *anachoreta*, ἀπὸ τοῦ ἀναχωρεῖν hoc est, *recedere*. Vulgo *heremita* cum spiritu dicunt & *anachorita* per *i*: atque ita etiam apud Isidorum, lib. XVII. cap. XIII. sed corruptè, vt Græcæ linguæ ratio docet.

ERGASTVLVM, *locus in quo vincti operantur*. Ab ἐργάζεσθαι quod est, *operor*. Gloss. Philoxeni. *Ergastulum*, ἐργαστήριον. Item: *Ergastula*, τόποι ἐν οἷς πολλοὶ ἐργάζονται, δεσμωτήρια. Plenum legitimumque ergastulum quot hominum fuerit, docet Appuleius Apol. *Quindecim*, inquit, *liberi homines, populus est: totidem serui, familia. totidem vincti, ergastulum.* Hinc *ergastularius* apud Columellam, ergastuli præfectus, qui & *ergastulus*, si vel Nonium audimus, qui Lucillio sic vocari ait, pœnalis loci custodem: vel Philoxeni Glossas, in quibus itidem δεσμοφύλαξ exponitur. Alij tamen seruos ipsos a Lucilio intelligi putant. De *ergastulo* fusè scribit Lipsius, lib. II. Elect. cap. XV.

ERGO pro diuersa quantitate significationem variat. Festus: *Ergo correptum significat idem, quod apud Græcos οὖν, productum, idem quod χάριν*, hoc est, *gratia*. Prius est ab ἄρα, inserto *g*, vt suspicatur Angelus Caninius in Hellenism. alphabeto. Alterum, vt censet Iulius Scaliger, libb. de caussl. L. L. cap. CLXXIV. venit ab ἔργον Nam vult, vt dicimus *qua-re*, *quamob-rem*: sic dici *illius ergo*, hoc est, ἔργῳ, vt ἔργον sit nomen & caussam denotet. Fortasse autem & *erga* præpositionem similiter à Græco ἔργω non malè deduxeris. Nam occupatus est animus, vt bene maléve ei faciat, *erga* quem bene aut malè affectus est.

ERICA, ἐρείκη, vel ἐρίκη, ab ἐρείκω, siue ἐρίκω, hoc est, *frango*, *scindo*. Hanc enim habet vim: Itaque ea vtuntur ad vesicæ calculos comminuendos & egerendos. Vide Matthiolum in Dioscoridis lib. I. cap. C. Ab *erica* dictum mel *ericæum*, ἐρεικαῖον, quia ex *erica* colligitur. Vide Plinium, libro XI. capite XVI.

ERINACEVS, vtrum initio cum spiritu, an absque eo, scribi debeat, non conuenit: quemadmodum neque, num penultima per *C*, an *T*; per *E*, an *I*, scribatur. Adspiratur in antiquioribus Plinij codd. vti Parmensi ann. CIↃCCCCLXXVI. penultima autem scribitur per *C* & *E*. Pontanus, lib. I. de Adspiratione, adspirat & ipse, eos secutus, qui, vt ait, ab horrendo deducunt, & exinde adspirationem trahere putant. Quódque ad penultimam, scribit *herinatius* per *T*, & *I*. Quod ad etymon ab eo adductum, id duriusculum arbitror: Paullo verisimilius deduxeris ab *hærendo*, quia fructus, similiáque, spinei eius tergi aculeis infixa *hæreant*. Pro hac sententia est locus Plinij, lib. VIII. cap. XXXVII. *Præparant hiemi & herinacei cibos, ac volutati supra iacentia poma affixa spinis, vnum non amplius tenentes ore portant in cauas arbores.* Nec obstat, quod *hærere* scribatur cum diphthongo. Nam nudâ vocali reperias in libb. vett. Scio id negare Carrionem, castigat. ad lib. I. Valerij Flacci. Sed, nisi me decipit memoria, contrarium docet fidus veteris scripturæ scrutator, Ioh. Pulmannus, castig. ad Bucol. Mar. Sed quod ad etymon attinet, non dubito quin à Græco χὴρ sit *her* vel *heres*, Hesychius: χήρ, ἐχῖνος. *Her*, vel *heres*; vel *er*, aut *eres* dicitur hoc animal, Nemesiano:

Implicitúmque sinu spinosi corporis erem.

Ac fortasse etiam apud Plautum, Captiuis A. I. sc. II.

I modo venare leporem, nunc erem tenes.

Vbi in Palatinis MSS[is] est *irim*; vnde fecere *cirim*. Sed rectius cum Salmasio *erem* rescribas. Ab *eres* autem est *hericius*, siue *ericeus*, quomodo vocatur Varroni Sexagesl. Cuius verba adducit Nonius, in *Proboscis*; atque iterum, in *Ericius*. Etiam in Glossis Philoxeni est *Ericeus*, ἐχῖνος, vbi leg. ἐχῖνος. Ab *eres* ἀναλόγως quoque fit *erinus*, vnde *erinaceus*: prout nuncupatur Plinio, quemadmodum antè vidimus. Falluntur igitur & illi, qui *erem* vocari putant ab *ære*, ob *aream* duritiem spinarum: qua ratione & Belgis appellatur *een yseren verken*, hoc est, *ferreus porcus*. Fallitur & Isidorus, qui ab erigendo *ericium*, quasi *erigenum*, deducit. Sic quippe ille, libro XII. Orig. capite III. *Ericius dicitur, eo quod subrigit se, quando spinis suis clauditur, quibus vndique protectus est contra insidias. Nam statim, vt aliquid senserit, primum se subrigit, & in globum conuersus, in sua se arma recolligit.* Nimis etiam durum illud ἔτυμον, quod apud Nunnesium in Grammatice reperio, nempè vt *erinaceus* sit ab ἐχῖνος, vbi additione, detractione & mutatione sit opus. Caue autem confundas *eres*, qua *erinaceum* notat, & *eres*, qua κληρονόμος significat. Vti apud Plautum, Menæchmis.

Cor ausus facere, quoi ego, qua tu, eres eram.

Sic corrigit Scaliger ad Festum. Simileque illud Accij, è primo Didascalicon:

——sapientiaque inuicta gratia.

Atque honoris gratia patera erem mactanis aurea.

Quo loco *erem* antiquè ponitur pro *heredem*. Malim tamen hac notione cum spiritu *heres*, quomodo Eutyches exarare iubet apud Cassiodorum, & in antiquis inscriptionibus ac libb. scripta inuenitur.

ERRARE, ab ἔρρω, quod est, *ægre eo*, *vagor*, imprimísque vsurpatur cum quis in malam rem ire iubetur. Vsus Homerus Il. *ι*. vers. LXXII. eúmque & versum citat Gellius, lib. XVI. cap. XII. vbi sic scribit: *Cloatius Verus in libris, quos inscripsit verborum à Græcis tractorum, non pauca hercle dicit curiose & sagaciter conquisita, neque non tamen quædam futilia & friuola. Errare, inquit, dictum est ἀπὸ τοῦ ἔρρειν, versúmque infert Homeri, in quo id verbum est: Ἔρρ' ἐκ νήσου θᾶσσον, ἐλέγχιστε ζωόντων.* Hæc Gellius, qui post subiicit, id à Cloatio scriptum commodè ac condecenter.

ERVCA, nunc *herba*, nunc *vermis* nomen. Herba vim habet excitandi Venerem; vnde ab *vrendo* quasi *vricam* sic dici scribit Isidorus, lib. XVII. c. X. Alij ab *erodendo* deriuant, quia linguam rodat acrimonia sua. *Eruca vermis*, eidem Isidoro, lib. XII. c. V. ab *erodo*, quia erodit olera ac pampinos. Alij quia olera ἐρέπτει, hoc est, *scindit*, *frangit*. Vel ab *rugis*, quia reptans se *corrugat* & *erugat*.

ERVVM, ab ὄροβος, conuerso β in *v* consonum, quomodo à βία est *vis*; à βιῶ, *viuo*; à βόσκω, *vescor*, &c. Ita Nunnesius, in Grammaticé. Imo ante eum Festus: *Eruum, & eruilia,*

à Græco sunt dicta; quia illi ervum, ἐρέβινθος; ervilia, ἐρεβίνθιον, appellant. Nec dubium, quin id verum sit etymon. Est autem *ervum* leguminis genus, quo armenta pinguescere tradunt Columella & Plinius: atque eò respexit Maro, Ecl. III.

Eheu quam pingui macer est mihi taurus in ervo.

Ita enim libri aliquot antiqui: at ARVO, quod in aliis est, nescio quid otiosum habet: vt iam olim sensit & scripsit Pierius in castig. Virgilianis.

ERYSIPELAS, ἐρυσίπελας, cum super inflammationem rubor vltra ambit, isque cum dolore procedit: vt Celsus definit, lib. V. cap. XXVI. Ab ἐρύω, *traho*; & πέλας, *propè*: quia attrahit partes vicinas: vel ab ἐρυθρὸς, *ruber*; & πελὸς, aut πελιὸς, *niger, liuidus*: quia rubedini nonnihil alterius admixtum est coloris. Polluci ἐρυθρογκίλας, vocatur, quod manifestè est à *rubore*.

ESCVLVS, est ab *esca*, quia veteres, nondum inuentis frugibus, glandibus eius vescebantur. Ita Isidorus, lib. XVII. cap. VII. & ante eum Seruius. ad II. G. *Æsculus arbor est glandifera, quæ licet ab esu dicta sit, tamen per Æ scribitur, sicut cælatum, licet à celo celas habeat deriuationem.* Hæc Seruius. Nunc *Esculus* malunt, etymon secuti. Ab eo *esculeam coronam* Plinius: *esculinos axes* Vitruuius dixit. Item hinc *Esculetum*.

ESSEDVM, siue *esseda* (nam in feminino vtitur Seneca, vti & Iornandes initio historiæ Gothicæ,) genus erat vehiculi gestatorii. Nam tria erant vehiculorum genera, vt Budæus in Pand. obseruat. Alia erant sacra, vt thensa: alia gestatoria, vt carruca, cisium, *essedum*, rheda, petoritum & staticulum: alia oneraria; vt carpentus, carrus, plaustrum & sarracum. *Essedi* ἐτυμολογία è Latio peti non debet: sed Gallis. Nam est vehiculi vel currus genus, quo soliti sunt pugnare Galli: vt scribit Iunius Philargyrius, in III. G. *Belgica* sanè *esseda* dixit Maro, in Georgicis. Verùm & Britannorum fuisse videntur, cum eodem modo *Britannorum esseda* dicat Propertius.

ET, à QVE non aliter differt, quam καὶ à τε. Quamobrem verisimile est QVE venire a καὶ, abiectâ e diphthongo Æ (in quam A I abire solet) præpositiuâ, quod interdum fieri non semel ostendimus. ET autem κατὰ μετάθεσιν factū videtur ex τε. Sanè in *Fulgeo*, *Vallis*, & aliis aliquot locis compluria simili μεταθέσει facta adduximus. Sed nec ineptè dicatur ET κατὰ ἀποκοπὴν factum esse ex ἔτι, id est, *adhuc*, vt nempe *ab* fit ex ἀπό. Possis ET quoque deducere ab Hebræo עוד, quod aduerbium est congregandi.

ETESIÆ, ἐτησίαι, ab ἐτήσιος, id est, *anniuersarius*. Hoc ab, ἔτος, id est, *annus*. Nam ἐτησίαι, οἱ κατ' ἔτος πνέοντες, *quotannis spirantes*, vt Suidas ait. Ἔτος ab עת, id est, *tempus*. Etesiarum, quod dixi, etymon, confirmat hic locus Plinij, lib. II. capite XLVII. *Huius* (caniculæ) *exortum diebus octo ferme aquilones antecedunt, quos prodromos appellant; post biduum autem exortus ijdem aquilones constantius perflant diebus quadraginta, quos etesias vocant.* Item Hyginus, quo loco de Arctophylace agit: *A Ioue impetrauit* (Aristæus) *vt etesiæ flarent, quos nonnulli etesias dixerunt, quod quotannis certo tempore exoriuntur. Græcè enim ἔτος, Latinè annus est.* Alterum quoque etymon subdit: *Nonnulli etesias appellauerunt, quod expostulata sunt à Ioue, & ita concessa.* Fabulam totam recenset Hyginus. Hac ratione autem, quasi αἰτησίαι dicerentur, ab αἰτεῖν, quod est *poscere*. Sed verum est prius etymon: quod & Isidorus amplectitur. lib. XIII. cap. XI. etsi apud eum corruptè pro ἔτος legatur ἐτησίας, vnde ἐτησίαι vocarentur. Scitum est, quod Seneca ait, lib. V. nat. quæst. cap. XI. *Etesiæ ob hoc somniculosi, à nautis, & delicati, vocantur: quod, vt ait Gallio, manè nesciant surgere.* Plura de *Etesiis* vide apud Aldum Nepotem, lib. de quæsitis per epist. Casaubonum, ad lib. III. Strabonis; Iohannem à Vvouvuer de πολυμαθείᾳ cap. XI. & Salmasium Exercitat. Plin. in Solinum.

ETIAM, conflatum censeo ex *&*, ac *iam*. Nec deest exemplum. Nam *quoniam* similiter componitur ex *cum* vel *quom*. & *iam*. Quæ aduersus etymon τοῦ *etiam* adferuntur a viris doctis, ijs occurrimus in arte Grammatica, cum de Coniunctione ageremus. Ab *etiam*, & *nunc*, est *etiamnum*. vt rectè Pierius ait, in IV. Georg. vbi ait simile esse illi Græcorum ἔτι καὶ νῦν. Sic *etiamsi* ex *etiam* & *si*, cui simile *etsi*, & Græcum κἄν, ex καὶ ἄν.

ETYMON, ἔτυμον, *vera nominis, siue appellationis, ratio, vel quæ saltem pro vera adfertur*, ab ἐτεὸς vel ἔτυμος. hoc est, ἀληθὴς, vt Hesychius exponit. Sunt verò ἐτεὸς, & ἐτεὸν, ab ἐὼν, siue εἰμὶ, vt propriè signent, *quod est*: *ens* autem & *verum* ἀντιστρέφουσι. Hinc ἐτυμολογία, *sermo de etymis*. hoc est, *oratio qua nominis ratio exponitur*. Nempè ἐτυμολογία dicitur vt ἀστρολογία θεολογία, & similia, vbi λόγος valet *sermonem* non *rationem*, siue *caussam*. Vt omnino fallatur Cæsar Scaliger, cum lib. III. Rei poët. cap. LV. λόγον hic *rationem* interpretatur. Ἔτυμον quidem *nominis rationem* rectè verteris. Sed ἐτυμολογία aliud est. Cicero vertebat *verbiloquium*: sed ea vox non satis exprimit vim vocis Græcæ. Nec enim *verbum*, sed *rationem verbi* ἔτυμον signat. Quare si vna voce appellari debet, sanè *originatio* dicatur: vt à nonnullis nuncupari auctor est Fabius. Id si durius videtur, *notationem* cum ipso Tullio dicere possumus.

EVERRIATOR, ab *exuerriis*, *exuerria* ab *euerrendo*, hoc est, *purgando*. Nam, vt in Coniectaneis scripsit Ios. Scaliger, erant *exuerria* februi genus, quo purgabant familiam iusta facientes ad digitum, quem mortuo absciderant, antequam reliquum corpus combureretur. De vtroque vocabulo sic Festus: *Euerriator vocatur, qui accepta iure hereditate iusta facere defuncto debet, quæ si non fecerit, seu quid in ea re turbauerit, suo capite luat; id nomen ductum à verrendo. Nam exuerræ sunt purgatio quædam domus, ex qua mortuus ad sepulturam ferendus est, quæ fit per euerriatorem certo genere scoparum adhibito.*

EVGE, εὖγε.

EVGIVM, est medium τῶν αἰδοίων γυναικείων, vt Nonius docet Lucilij & Laberij loco: adde & alterum Laberij locum:

Quanam vos dementia suppositores facit,
Cum cano eugio puellitariter!

Dicitur *eugium* quasi εὔγονον, hoc est, *fertile*: nempè qua ratione partem eam *genitale aruum* poeta appellat in Georg. Vel potius est, ab ἐνδίαιον, quod propriè *foramen nauis* notat, per quod effluunt cum pluuiæ aquæ, tum quæ è sentina exhauriuntur: sed κατὰ μεταφορὰν notat τὸ γυναικεῖον μόριον, vt disertum apud Hesychium scribitur. Ab ἐνδίαιον etiam *endiaum* dicitur (Festi verbis vtor) *lineum filum, quod medici extremo in clysterio relinquunt, per quod clysterge emittitur.* Est autem ἐνδίαιον, ab ἐν & διαίνω, *humecto*, *irrigo*. Nisi *endiaum* verius est. quod sit ab ἐν & διαίνω. Prius est in MSS[tis], & editis: posterius prætulisse videtur Turnebus, lib. III. Adu. cap. V.

EVNVCHI, ridiculè à Petro Comestore dicti putantur ab εὖ, hoc est, *bene*, & νίκη, hoc est, *victoria*; vt ad verbum sonet, *beneuincentes*. Idem *spadones* dictos ait à *spatha*: quod & Hugo Cardinalis sequitur, apud quem etiam legere est, *castratos* dici, quasi *castinatos*. Tanta fuit superioribus seculis inscitia ac barbaries. Est autem *eunuchus* propriè officij nomen. Venitque ab εὐνὴ, hoc est, *cubile*; & ἔχειν, quod est ἐπιμελεῖσθαι, hoc est, *curare*; vt κατὰ λέξιν sonet *lecticustodem*: Verùm quia reges ac viri principes vix aliis vxorum filiarúmque curam committebant, quam *castratis*, inde est quod postea *castratis* omnibus *Eunuchi* nomen sit attributum. Officij nomen est, cum in Genes. lib. Putiphar vocatur εὐνοῦχος; quæ res decepisse videtur doctissimum Hieronymum Fracastorium, quoties Putipharis vxorem appellat *virginem*. Daniel quoque ac socij eius eadem ratione videntur appellari *eunuchi*, de quo tamen quidam ambigunt. Verum etymon vidimus. Addam tamen alterum tertiúmque, subtilia sanè. Eustathio dici εὐνοῦχος videtur ὁ ἔυνις τοῦ ἔχειν, hoc est, ὁ ἐστερημένος τῆς συνουσίας, *concubitus expers*. Quod & apud Varinum Camertem reperias in εὔνις. Apud eundem Camertem, in εὐνοῦχος legas, alios velle nuncupari εὐνοῦχος παρὰ τὸ εὖ νοῦν ἔχειν. Confirmátque hanc rem eo, quòd veteres res Veneris ἀνοίας appellabant: vnde Aristophanes: ὅπου ἀνέχεται καὶ ἀνοίας [illegible]. Quo de loquendi genere plura diximus, lib. IV. Orat. Instit. cap. VIII. Ita *eunuchus* primo notet eum qui sit continens: ac quia talibus olim matronæ καὶ τὰ γυναικεῖα committebantur, idémque apud barbaros ab ijs, qui corpore essent mutilo, fieri solet. hinc factum fuerit, vt postea *eunuchi* vox referretur ad τὴν τοῦ εὐνούχου λώβην, nec continentiæ esset vox, sed fœditatis. Hanc sententiam adfert & Cæsar Scaliger, exercit. CCLXXVII. §. IV. Vide & quæ fuse pro ea disserit Dan. Heinsius, introductionis in Hesiodi ἔργα καὶ ἡμέρας cap. VI.

EVOE, ab εὐοῖ, quod βακχικὸν ἐπίφθεγμα vocat Demosthenes Orat. contra Ctesiphontem. Vtitur Catullus.

Euæ bacchantes, euæ capita inflectentes.

Et apud Horat. lib. II. od. XIX.

Euæ recenti mens trepidat metu.

Et mox:

Euæ parce Liber.

Quidam scribunt *euhæ*, alij *euohe*, nonnulli *heuhæ*: quæ omnia ab originis ignoratione profecta mihi videntur. Ab *euæ*, *euax*, exsultantis interiectio apud Plautum. Item *Euan*. εὐὰν Bacchi cognomen, vti & εὔιος *Euius*, pro quo *Euhius* in vett. libb. scribi auctor est Giffanius. Indice Lucretiano, voce *Euius*. Ab εὐὰν quod Baccho acclamabatur, *euantes* sunt *bacchantes*, Maroni atque aliis.

EVPATORIVM, εὐπατόριον, ab rege *Eupatore*: vnde Plinius lib. XXV

lib. xxv. cap. vi. *Eupatoria regiam auctoritatem habet.* Adi Dioscoridem, lib. iv. cap. xxxvii. & Matthiolum ad eum locum.

Evphorbivm, εὐφόρβιον, arbor Libyca, eiusque succus, sic dicitur ab Euphorbo, Iubæ regis medico. Plinius, lib. xx. cap. vii. *Inuenit & patrum nostrorum ætate rex Iuba, quam appellauit Euphorbiam, medici sui nomine.* Vide de ea Dioscoridem, l. iii. cap. lxxx. & ibi Matthiolum.

Evphrosynvm, *buglossum*, ab εὐφροσύνη, *lætitia*, quod ab εὐφραίνω, vt σωφροσύνη, à σώφρων. Εὔφρων ab εὖ & φρὴν, *mens.* Dicitur *euphrosynum*, quod in vinum iniectum augeat *lætitiam* Εὐφροσύνη etiam vna ex Gratiis, ab *hilaritate* hoc nomen sortita.

Evripi, dicebantur alueí magnifico opere, aquas in morem fluuiorum deducentes: vnde Hesychius interpretatur δοχὰς ὑδάτων. Eustathius item τόπους πρὸς ὑποδοχὴν τοῦ ὕδατος. Differunt a *nilis*, quod hi maiusculi essent; *euripi*, exiliores. Sic nili voce vtitur Tull. epist. ad Q. fratrem: *De arcano. Cæsaris opus est: vel mehercule etiam elegantioris alicuius: imagines enim istæ, & palæstra & piscina, & nilus multorum philosophorum est, non diphilorum. Nilum* autem & *euripum*, eâ, quâ diximus, significatione coniungit idem principio secundi de Legg. *Ductus verò aquarum, quos isti nilos & euripos vocant, quis non, cum hæc videat, irriserit?* Euripos quoque vocabant lacunas aquarum inertium in circo vel arena. De ijs sic Plinius, lib. viii. cap. vii. *Vniuersi (elephanti) eruptionem tentauere, non sine vexatione populi, circumdati clathris ferreis. Qua de caussa Cæsar Dictator postea simile spectaculum editurus, euripis arenam circumdedit: quos Nero princeps sustulit, equiti loca addens.* Idem de Cæsare tradit Tranquillus, in vita eius, cap. xxxix. Auctor est Spartianus, Heliogabalum *euripis* vino plenis nauales circenses exhibuisse. Dicti autem *Euripi* à Græco εὔριπος significante *fretum*. Nam Suidas exponit πέλαγος στενὸν, & τόπος ὑδατώδης μεταξὺ δύο γαιῶν. Pollux similiter, lib. ix. cap. i. ait: ἵνα ἡ θάλαττα ἐμπεριέχεται οὖσα, (sic pro οὔτε recte emendat H. Steph.) τὴν γὰρ διὰ στενῶν τόπων θάλατταν εὔριπον, καὶ πορθμὸν, καὶ ποταμὸν δεῖ καλεῖν. Ac variis fretis hanc vocem tribuunt Græci Latinique scriptores. Maxime tamen nobilis *euripus* inter Eubœam & Bœotiam, qui *Chalcidicus* & *Euboicus*, & simpliciter *Euripus* nominatur. Is, vt Pomponius Mela, lib. ii. cap. vii. auctor est, *septies die, ac septies nocte, fluctibus inuicem versis adeo immodice fluit, vt ventos etiam ac plena velis nauigia frustretur.* Sed Strabo, Seneca, Plinius, Etymologus, atque alij, septies tantum viginti quatuor horarum spatio reciprocare volunt. Imo Antiphilus Byzantius, libro i. Epigr. sexies solùm cursum mutare ait. Liuius denique, libro xxviii. sic scribit: *Fretum ipsum Euripi, non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocat, sed temere in modum venti nunc huc nunc illuc verso mari, velut monte præcipiti deuolutus torrens rapitur.* Dici εὔριπον ait Etymologus ab εὖ & ῥιπίζειν, quod est, *ventilo*, quasi εὐχερῶς ῥιπιζόμενον. Alteram quoque originationem adfert, sed ἀπὸ ἀντιφράσεως, quam Grammaticæ inscitiæ asylum esse putamus. Cur posteriores *spinam circi* dixerint *euripum*, vide in *Intermedium.*

Evrvs, εὖρος, est ventus ab ortu verno, siue æquinoctiali, spirans. Ita dictus putatur ἀπὸ τοῦ ἐω ῥέειν, vt Phauorinus ait apud Agellium, lib. ii. cap. xxii. Vbi & adiicit alio nomine dici Græcis ἀπηλιώτην, Latinis *subsolanum.* Alij dicunt vocari ἀπὸ τοῦ εὖ ῥεῖν, hoc est, *bene fluendo.* Sed prius malo: quod & amplectitur Nonius Marcellus.

Evzomon, herba. Glossæ Cyrilli: Εὔζωμον, λάχανον, *eruca.* Ita dicitur, quia εὔζωμος, hoc est, *idonea ad gratiam conciliandam iuri*, quod Græcè ζωμὸς. Plinius, lib. xx. cap. xiii. *In condiendis obsoniis tanta est (erucæ) suauitas, vt Græci εὔζωμον appellauerint.* Vide de ea Dioscoridem, lib. ii. cap. cxxxiv. & illic Matthiolum.

Exagoge, ἐξαγωγὴ, *mercium exportatio*, ab ἐξάγω, *educo.* Festus *Exagogen, euectionem.* Vtitur Plautus, Rud. iii. ii. Item, Trucul. iv. ii. vbi ait:

——*Iste dum sic faciat*
Domum ad te exagogam.

hoc est, dum ad te cuncta exportet. Hinc apud Iurisconsultos *exagogica*, vectigalia ex mercibus exportatis: vt *isagogica*, ex importatis, quod & Cælius monet antiq. lect. lib. x. cap. ii.

Exanthemata, ἐξανθήματα, siue ἐξανθίσματα, ad verbum, *efflorescentia*, ἀπὸ τοῦ ἐξανθεῖν, *efflorescere*, *pullulare*, quod ab ἄνθος, *flos.* Sunt, leues humorum eruptiones, eæque vel in cute subsidentes, vt morbilli puerorum & maculæ pestilentes, item lenticulares, & pulicares, ita dictæ, quòd lentes & pulicum morsiunculas referant: vt cutem superantes, vt variolæ puerorum, omniúmque ætatum vari.

Exantlare legas apud Ciceronem quoque ipsum, idque non in versu modò, vti lib. ii de Diuinat.

Vos nos ad Troiam belli exantlabimus annos:

(quem se locum ex Homero expressisse ait Cicero.) item lib. ii. Tusc. quæst. *Qua corpore exantlata atque animo pertuli*: verum etiam in prosa, vti lib. iv. Academicarum quæst. *Credoque Clitomacho ita scribenti, Herculis quendam laborem exantlatum à Carneade.* Et extremo libro primo Tuscul. quæst. *Quod cùm exantlauisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum.* Vtrumque hunc locum etiam adducit Nonius, sed is, si vulgatis codd. fides, legit *exanclare* per C. de quo mox dicam. Porro ex hisce Ciceronis locis cognoscere est, falsum Fabium, cum *exantlare* reponit inter rancida planéque obsoleta. Sic enim scribit, lib. i. cap. vi. *Sed opus est modo, vt neque crebra sint hæc, neque manifesta quia nihil est odiosius affectatione: nec vtique ab vltimis & obliteratis repetita temporibus, qualia sunt topper & antigerio, & exantlare, & prosapia, & Saliorum carmina vix sacerdotibus suis satis intellecta.* Porrò *exantlare*, propriè est *exhaurire sentinam*, & generatim *exhaurire*: sed μεταφορικῶς accipitur pro *perpeti*, vti & Græcum ἐξαντλεῖν, vnde factum est. Est hoc ab ἄντλος siue ἄντλον, vel ἀντλία, hoc est, *sentina*: Martialis tamen *antlia* vocabulo vtitur pro machinâ siue instrumento, quo hauritur aqua. Locus est lib. ix. epist. xix.

Curua laboratas antlia tollit aquas.

Nec aliter Suetonius, in Tiberio, cap. li. vbi meminit viri equestris ordinis in *antliam* condemnati: quo de supplicij genere adi Lipsium, libro ii. Elect. capite xv. Quidam *exantlare* deducunt ab ἐξαντλεῖν, quod & ipsum explicant *exhaurire.* Sed aliud ἀντλεῖν, quod ab ἀντλία, aliud ἀντλεῖν, quod dicitur quasi ἀνατλάω. Sunt qui hâc ipsâ significatione scribant *exanclare* per C. Atque ita apud Nonium quoque legi dicebamus. Contra alij *exanclare* Latine dici negant, nec originem vocis eius vllam e Latio, aut Græcia, adduci posse censent. in quo, meo iudicio, grauiter falluntur. Nam cur ab *anculus* vel *ancula*, hoc est, *minister*, *ministráue*, siue ab *anculare*, id est, *ministrare ac perferre*: non æquè *exanculare*, & per syncopen *exanclare* dicere liceat, ac ab *ancilla* (quod ὑποκοριστικὸν est ab *ancula*) siue à verbo *ancillare*, dicitur *exancillare*: vt apud Tertullianum, in Apologetico, cap. xvii. *Falsis dijs exancillata*, hoc est, δεδουλωμένη; Sed vt ab his in eo dissentio, quòd *exanclare labores*, Latinè dici negant: ita vicissim valdè quoque metuo, ne ratio alios fugiat, qui *exanclare* non minùs, quàm *exantlare*, interpretantur *exhaurire.* Nam cùm *anculare* sit *ministrare*, ἀντλεῖν, *haurire*, ab illo quidem erit *anclare* & *exanclare*; ab hoc verò vt Græcè ἐξαντλεῖν, ita Latinè erit *exanclare.* Neque nescio *exanclare* à Festo exponi *exhaurire*, eandémque interpretationem inter alias, ac primo quidem loco, à Nonio collocari: in Glossis quoque Philoxeni lego, *exanclat*, ἀρύσαι. Verùm omnibus ijs locis malim scribere *exantlat.* Neque enim persuadere mihi possum, cum *anculare* sit *ministrare*, vnde dij *Anculi*, deæ *Anculæ*, *ancilla* vox, item *anclator*, mensa *anclabris*, & vasa *anclabria*: de quibus omnibus in voce *Ancilla* diximus: ac contra ἀντλεῖν sit *haurire*, indéque sit ἐξαντλεῖν & *exantlare*, pro *exhaurire*: persuadere, inquam, mihi non possum, vocem eam, quæ est ab *anculare*, idem propriè notare ac eam quæ est ab ἀντλεῖν, ac longè mihi verisimilius videtur, cum tanta sit in manusc. similitudo inter C & T, librarios deceptos pro *exantlat* per T, *exanclat* per C sæpius scripsisse. Obducet fortasse quispiam illud Liuij Andronici apud Festum: *Florem anculabant Liberi ex carchesiis*: Quomodo eum locum emendat Scaliger. Sed etsi eo cum viro pedem struere non ausim, tamen omnino verius puto, *Antlabant florem*, vel, *Florémque antlabant.* Nam paribus quoque sedibus spondæon locum habere & pueri sciunt, cum ex Comicis quos habemus, tum veterum poëtarum, quæ extant, fragmentis.

Excetra, ab *excresco*, si credimus Seruio, in vi. Æn. *Hydram*, inquit, *serpentem dicit immanis magnitudinis, quæ fuit in Lerna, Argiuorum palude: sed Latinè excetra dicitur, quod vno caso tria capita excrescebant.*

Exedra, ἐξέδρα, ab ἐξ & ἕδρα, *sella*, quasi sessio è loco aliquo educta. Legas l. si verò. ff. de his qui deiect. Eo non significatur *fenestra*, quod ineptè scripsit Accursius: sed locus studiis destinatus, aut amicorum confabulationibus: nempe à sedium frequentia; in quibus disputantes sedere solent. Cic. lib. i. de natura Deorum: *Offendi eum sedentem in exhedra, & cum C. Velleio senatore disputantem.* Vitruuius, lib. v. cap. xi. quod est de palæstrarum ædificatione: *Constituuntur in tribus porticibus*

porticibus exhedra spatiosa, habentes sedes, in quibus philosophi rhetores, reliquique, qui studijs delectantur, sedentes disputare possint. In Gloss. Philoxeni *ala* exponitur ἐξέδρα, σχολή. Vt idem videri queant ἐξέδρα, & σχολή. Monet quoque Budæus. in Pand. hoc nomine donari posse, quæ in monachorum aut canonicorum peristylijs siue claustris, *capitula* vulgo appellantur.

Exemplvm non tantùm παράδειγμα significare videtur, sed & *coquorum instrumentum, quo carnes et xus ex ollis eximunt.* Sanè in Gloss. Latinogræcis legere est, κρεάγρα, *exemplum*; quæ lectio si recta est (nam Bonauentura Vulcanius *exceptulum* putat legi debere) *exemplum* dicetur ab *eximendo*. At *exemplum* pro *paradigmate*, non tantum ab *eximendo* esse potest, sed etiam ab *ex* & *amplum*. Vtriusque originationis par erit ratio, cùm, contra quàm fit in inductione, vnum aliquod ex *amplâ copiâ* seligat eximatque. Ab *exemplum* posterioris æui scriptores formarunt verbum *exemplo*. Gloss. Græcolat. *Exemplo*, ἀντιγράφω. Vsus Gregorius Turonensis. lib. I. de miraculis cap. LXIV. *Ille verò post decursam lectionem valdè gauisus nocturno sub tempore, famulâte lumine, velociter exemplauit.* Ac apud Sidonium. lib. IV. epist. XVI. legimus, *exemplaes libelli.*

Exenterare, ἐξεντερίζειν, ad verbum, *euiscerare*. Nam ἔντερα, *viscera*. Propriè de piscibus dicitur: sed μεταφορικῶς vsurpat Plautus, cùm Epid. act. II. sc. II. dicit *exenterare marsupium.* Quomodo & idem eâdem loquitur comœd. act. III. sc. *præterbitas*, & act. V. sc. II. similiter ait, *exenterare opes argentarias.* Caper, de verbis dubijs: *Exter*, ἀπὸ τῶν ἐντέρων. Lego, *Exentero*. Fortasse tamen nec malè *exintero* scribatur per *I*, vt ab Latinâ *interi* voce dicatur. Nam vt *superum* & *inferum*, sic *interum* quoque dixere, vnde *interior*. Gloss. vett. *Interata*, ἐξεντερισμένη. Ac in vett. Iustini codd. per *I*, *exinterata* scribi auctor est Bongarsius ad lib. I. Per E tamen magis probem, vt sit ab ἔντερον, vnde ἐντερεύω, *exentero*. Ab eodem δυσεντερία, *tormina intestinorum* (nam δυς *difficultatem* notat) λειεντερία, *intestinorum leuitas*; μεσεντέριον, *membranna diuidens superiorem ventrem ab inferiore.*

Exerceo, vnde *exercito*, ab *ex* & *arceo*. Ab *exercito* est *exercitatus*, vnde *exercitatio*. Ab *exerceo* est *exercitus*, *exercitior*, *exercitissimus*: quæ Festus agnoscit. Ab *exerceo* etiam est *exercitio*, & *exercitium*. *Exercitionem* dixisse antiquos, Festus ait. Vsus Porcius Cato. Imò & Vegetius, & vett. Iurisconsulti, vt ostendit Steuuechius ad Veget. libro I. capite XVII. Ab *exercendo* seu *exercitando*, etiam *exercitui* est nomen, siue, *quod exercitando fit melior*: quam caussam adfert Varro, lib. IV. de L. L. siue quia hostem *arcet* & expellit: siue quia *arcetur* sub militari disciplinâ. Orthographus Cæsellius, apud Cassiodorum, in conlectaneis de Orth. cap. X. *Exercere non habet s in compositione, quia in simplici quoque s similiter non habet. Etenim exercere est ab ex & arcere; vt exercitus qui sub disciplinâ certâ arcetur; vnde exercitatio.* Interdum ponitur *exercere* pro *angere*, indéque *exercitus* pro *dolore*. Plautus, Cistell. act. I. Sc. I.

Noli, obsecro lacrymis tuis mihi exercitum imperare.

Exigvvm dicitur à τυτθόν, quod idem notat. Hesych. τυτθόν, τὸ μικρόν. *T* aufertur: vti contra additur cùm ab ἔρα fit *terra*, vel *terra*. Geminum σσ abit in *X*, vt à πάσσαλος, *paxillus*; à μασσάω, *maxilla*. Vel dicendum, vt ab *ambigo*, est *ambiguus*, ita ab *exigo* esse *exiguus*. Ita propriè *exiguum* sit, quod nullo negotio *exigi* eiicique potest; μεταληπτικῶς verò pro *paruo* vsurpetur, quia hæc facilè expelluntur, siue exteriùs aguntur.

Exilis, & *exiguus*, idem sunt: eóque videri possit, vt forsasse *exiguus* ab *exigendo* est, ita *exilis* esse ab ἐξελαύνω, quod & ipsum est ἐξελαύνειν siue *eijcere*. Sed Festo placet, vt *ilia*, sic *exile* dici à *tenuitate inarum*, vt quidem Scaliger legit. Vide quæ hac de sententia dicimus in *Inane*. Est & tertium etymon. Nam fortè τὸ συγκοπὴν est ab ἐξίτηλος, quod notat *exile*, *euanidum*, *obscurum*. Atque hoc imprimis arridet. Sanè propriè *exilia* dici, quæ minuta adeo ac tenuia, vt vix in sensum incurrant, satis indicat Columellæ locus, præfatione libri X. *Virgilij quasi numine instigante aggressi sumus tenuem admodum & penè viduatam corpore materiam, quæ tam exilis est, vt in consummatione quidem totius corporis annumerari velut particula possit laboris nostri; per se verò & quasi suis finibus terminata nullo modo speciem conspici.* Porro quia ijs, quæ tenuitate nimiâ videntur euanida, rectè *exilis* nomen conuenit, inde & *vmbrarum locum* ab Horatio dici *exilem* putant, od. lib I. *Et domus exilis Plutonia.* Sed non *vmbrarum locus*, intelligendus, verùm *cadaueris*: *sepulcrum* nempè, quod verè est *minuta Plutonis domus.* At minimè audiri meretur Barthius, Aduers. lib LVIII. cap. XV. vbi, vt & alibi, pro *exilis* putat *exlex* reponi oportere. Quod, pace eruditissimi viri dixerim, non vnius est assis.

Eximivs, quasi *exemptus* & extra cæteros positus, vt innuit Cæsellius, apud Cassiodorum, lib. de Orthogr. cap. X. Sacerdotale verbum est, propriéque dicitur de animalibus ad sacrificium electis: vt ex Veranio docet Macrobius, lib. III. cap. V. Assentit & Festus: *Eximium, inquit, inde dici cœptum, quod in sacrificijs optimum pecus è grege eximebatur: vel quod primum erat natum.* Item Donatus, ad Hec. A. I. sc. I. *Eximia pecora dicuntur, quæ à grege excepta sunt ad vsus dominorum suorum, vt vberius pascantur. Sed propriè eximij sunt porci maiores, qui ad sacrificandum excepti liberius pascuntur. Etenim boues qui ad hoc electi sunt, egregij dicuntur, & oues lectæ, vt* Virgilius:

——Mactant lectas de more bidentes.

Hæc Donatus. Similiter pecudes propriè dicuntur *egregiæ*. Nam dicitur *egregius*, quasi *e grege lectus*; vt Festus ait, ab *abgregare*.

Exodivm vniuersè notat *finem*: quomodo Varro sæpè vsus, vt Nonius docebit. Ac similiter loquitur Appuleius. Sed plurimum *exodium* est quod Firmicus lib. VI. *exitum fabularum* vocat. Pollux, lib. IV. cap. XV. Ἐξόδιον, ὁ ἐξιόντες ᾖδον. Vide Liuium, lib. VII. ab V. C. Est ab ἔξοδος, vt à *prologus*, *prologium*, à *methodus*, *methodium*: quo de plura in *Prologus*. Iuuenalis sat. III. vers. CLXXXIV.

——Tandémque redit ad pulpita notum
Exodium, cùm persona pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans.

Vbi sic vetus Scholiastes: *Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret: vt quicquid lacrymarum ac tristitiæ coëgissent ex tragicis affectibus, huius spectaculi risus detergeret.* Huius & Lucillus meminit;

Principio exitus dignus, exodiúmque sequetur.

Vbi ne metrum claudicet rescribe:

Dignus principio exitus, exodiúmque sequetur.

Exomis, ἐξωμίς. Gellius, lib. VII. capite XII. *Viri autem Romani primò quidem sine tunicis togâ solâ amicti fuerant; postea substrictas & breues tunicas citra humerum desinentes habebant: quod genus Græci dicunt exomidas.* Festus: *Exomides sunt comici vestitus, exertis humeris.* Vide & Hesychium, Aristophanis Scholiastem, Suidam. Vsus præter alios Plutarchus, in Catone. Est ab ὦμος, id est, *humerus*, siue *quòd ex humeris penderet*, vt Gellij locus indicat: siue *quòd ex eâ humeri exerantur*, vt scribit Festus. Quidam etiam dictam putant, *quòd expedita esset*, quod Græci dicunt ἴξωμοι. Sed prius malim. Nam similiter à præpositione παρὰ & ὦμος, est παρωμίς, Exod. XXIIX. vbi vertitur *superhumerale*. Item ἐπωμίς, quo non tantùm significatur κλειδῶν τὸ πρὸς ὠμοπλάτας, *iugulorum pars, quæ cum scapulis apertis coniungitur*: vt tradit Pollux libro II. capite IV. sed etiam muliebris vestitus genus, vt idem ait, lib. VII. capite XIII. & firmatur illo Chæremonis Comici, apud Athenæum, lib. XIII.

Φαίνουσα μαστὸν λελυμένης ἐπωμίδος.
Ostendens vbera, solutâ epomide.

Expers, ab *ex*, & *pars*. Hinc Gloss. Philoxeni. *Expars*, ἄμοιρος. *Ex* autem in hac voce contrarias admittit significationes: vnde Gloss. vett. & ἔμμοιρος, & ἄμοιρος interpretantur. Ac censet Isaacus Casaubonus priori quidem more vsum Horatium, lib. II. sat. VIII. vt ei *maris expers* notet ἐν τεθαλαττωμένον posteriori verò modo accepisse Persium sat. VI. vt huic notet θαλάττης ἀπηλλαγμένον. Itidem ait Persium eâpse satyrâ *exossare* contrariâ accepisse notione, ac Plautus, Aul. II. IX. cui est *ossa adimere*. *Exarmare* quoque historicis ac poëtis est *armis instruere*, ne putes semper significare *armis priuare*. Notum *egelidus*, *enodis* & *edurus* contrarijs quoque notionibus accipi. In præpositione *in* idem contingit, vt in *impotens*, *infractus*, *infertus*; quemadmodum idem monet Casaubonus ad satyram Persij sextam, ac in *Sero* dicetur à nobis. Itaque non adsentio Scaligero, qui, carmine de comâ Beronices,

——Omnibus expers
Vnguentis,——

Putabat, *expers* esse ab *exspergo*, & facere genitiuum *expersis*. Nam *expers* est participans. At multò minùs subscribendum P. Victorio, qui, lib. XXXIII. Var. Lect. cap. VII. *expers* interpretatur *non aspersa vnguentis*. Quemadmodum nec audiendus Obertus Giffanius, qui, Indice Lucretiano, in voce *Expers*, ait *expers omnibus* poni pro *expers omnium*. Nam sententia huic interpretationi planè repugnat. *Experta* pro *expertia* veteres κατὰ μετάθεσιν dixisse, auctor est Festus: Nisi

potius

potiùs legendum, *experta*, pro *expreta*: & *experitia* pro *expertia*. Vt in aliis est libris.

Exsul vel ab *exsilio*: vt *præsul* à *præsilio*: *consul* à *consulo*: vel potius, veteribus fuerit *exsol*, quasi *ex solo*: vt scribunt Annæus Cornutus & Cæsellius apud Cassiodorum, de Orthographia, Nonius in *exul*, ac Priscianus in decimo quarto: indéque *exsilium* pro *exsolium*, vt in voce *consilium* diximus. Idcirco *exsul* per *s* scribendum iuxta Annæum Cornutum, Cæsellium, Scaurum, Caprum, aliósque Grammaticos. Itidem *exsilium* scribendum, non *exilium*. In vtroque tamen ferè aliter vulgo solent, vt & in cæteris compositis cum *Ex* ab *S* incipientibus. Hac de re, si tanti, Pierium adi ad illud V. Æn.

Hunc ego Gætulis agerem si Syrtibus exsul.

Item, I. Georg. quo loco de voce *exsudarem* disputat. Ab *exilium*, est *exilicum*. Festus: *Exilica caussa, qua aduersus exulem agitur*. Ab eodem est *exsiliatus*, quo vtitur Symmachus. Est & apud auctorem Hermeneumatum: *Extorris, exsiliatus*.

Exta, σπλάγχνα, ab *exsecando* τῷ σφαγιάζειν, quasi *exsecta*. Id enim magis placet, quam, quod Festo visum, ab *exstando*. Interim vtriusque etymi ratio apparet ex Festi verbis, cum ait, illa Diis prosecari, quæ maximè emineant, atque exstent. Ea autem maximè erant cor, pulmo, iecur & fel. Ac imprimis in extispicina Græci attendebant ad iecur, vnde apud eos ἡπατοσκοπία. Nec nisi de hepate capere possumus illud Maronis:

Tristibus aut extis fibræ apparere minaces.

Nam fibræ sunt hepatis. Ab *extis extar* dicebatur *olla*, *vbi exta coquebantur*, vt e Philoxeni Glossis discimus. *Aulam extarem* vocat Plautus Rudente. act. I. sc. II.

Extorris, ἔξοικος prout exponitur in vet. Glossis à *terrore* deducit Isidorus, lib. x. *Propriè*, inquit, *extorris*, *cùm vi expulsus sit & cum terrore solo patrio ejectus*. Ibidem, vt & apud Nonium, alterum quoque etymon legitur, vt dicatur *extorris* quasi *extra terminos*. Verùm illis, quibus placet *extorres* dici, quibus aquâ & igni interdictum esset, eò quod hi *expertes* essent *terræ* eius ardentis, quæ in aquam immergi solet certo februi genere, quod maximè fiebat, quia constabat rebus maximè necessariis vitæ nostræ. Ita Scaliger Coniectaneis in Varronem. Sed simplicissima verissimaque est sententia Cæsellij, apud Cassiodorum, quam & apud Nonium Isidorúmque legere est, vt nempe *extorris* dicatur quasi *exterris*, hoc est, *extra terram*. Nam vt à *solo*, *exsul*, ita à *terra*, *extorris*; vt idem ferè sit, quod ἄπολις. E in O crebrò abire, satis superque sæpius ostentum.

Extra, *intra*, *infra*, *supra*, prius fuere *exterà*, *interà*, *inferà*, *superà*, ab *exterus* siue *exter*, *interus* (pro quo nunc *internus*) *superus* & *inferus*; quibus duobus vsus *Laeuius* (sic legendum apud Priscianum lib. III. non *Liuius*, quem heroicos non scripsisse constat.)

Inferus an superus tibi fert Deus funera Vlysses!

Porrò hinc patet delirium Grammaticorum, qui, cùm positiui horum nominum inueniantur, nihilominus eorum comparatiuos ac superlatiuos deducunt ab aduerbiis; quo in errore etiam hæsit Priscianus. Est autem *exter* siue *exterus*, ab ἔξωθεν, vt *inter*, siue *interus*, ab ἐντός. Nisi malis ab *ex* esse *extra*, vt ab *in*, *inter* & *intra*, à *sub subter*, quod Prisciano placet in xv. Ab *extra* sunt *extrarius*, & *extraneus*. Festus: *Extrarium ab extraneo sic distinguitur. Extrarius est, qui extra focum, sacramentum, iusque sit: extraneus, ex altera terra, quasi exterraneus*. Sed posterius non magis compositum est, quam prius. Dixerèque *extraneus* & *extrarius*, vt *Palilia* & *Parilia*, *architectones* & *architectores*, *Ianualius* & *Ianuarius*, similiáque. Ab *exterus* est *externus*; vt ab *inferus*, *infernus*: quâ voce vulgò substantiuè vtuntur præter morem veterum, *infernum* pro *inferni* dicentes. Ab *externus* est *externare*. Notat id *exheredare*, & quasi externum ab hæreditate facere. Vtitur Appuleius in Apolog.: *Vt intelligeretur iratus potius externasse eam, quàm oblitus præteriisse*. Aliàs *externare* accipitur pro *affligere*, *mentémque labefactare*: quomodo Catullus semel iterumque vsurpat. Gloss. vett. *Externatus*, ἐκτὸς φρενῶν. Videntur Glossæ tum quoque ab *extra* deriuasse. Fortasse tamen tunc est à *sterno*. Nec mirum, si non sequatur simplicis verbi declinationem, cùm neque id fiat in *consterno*, quod eiusdem originis, ac propè etiam significationis. Nam eo tantùm differunt, quod præuerbium in *externare* vim maiorem verbo addat, quasi dicas, *mente planè exturbo*; quod fit cum nulla spes est reliqua. Imò vt *lauare*, & *lauere*, sic *sternare*, & *sternere*, dixisse videntur. Festus: *Consternatio est concitatio quadam subita ex aliquo metu, à sternutamento deducta est, quod eo toto concutimur corpore*. Vbi pro *sternutamento*, *sternatâ mente* legi deberi, jam dudum aliis obseruatum.

Exuo scribendum, non, vt Aldo visum, *exsuo*, quasi sit ab *ex*, & *suo*. Nam est ab ἐκδύω, vt *induo* ab ἐνδύω. Simplex est δύω, siue δύνω, quod idem ac ἐνδύω, vt apud Homerum δύσεν χιτῶνα, & δύνε δὲ τεύχεα. Hinc & ἀποδύω, idem ac ἐκδύω. Vnde ἀποδυτήριον, *locus in balneis, vbi vestes exuuntur*. Vtitur *apodyterij* voce etiam Cicero lib. III. epist. I. ad Qu. Fr. & Plin. lib. v. ep. ad Apollinarem. Vide de *apodyterio*, cæterisque balnei partibus, Fuluium Vrsinum appendice de Triclinio. Alias δύω, est *subeo*, *ingredior*. Vnde Τρωγλοδύται, Τρωγλοδύτες, quia populus is *subeat cauernas*, quæ Græcè τρώγλαι. Ab *exuo* dictæ *exuuiæ*. Nam conuenit ὑπαλλαγῇ seu intelliga *vestes exutas*; vt Ecl. VIII.

Has olim exuuias mihi perfidus ille reliquit:

Siue τὸ γῆρας, hoc est, *veterem serpentis pellem*; vt G. III:

Cum positis nouus exuuiis.

Siue *spolia hosti detracta*, vt XI Æn.

Mezenti ducis exuuias. ———

Gloss. vett. *Exuuia*, σκῦλα, ἐκδύματα. Eædem ab ἐκδύω siue *exduo*, vel *educo*, *eduta*. Festus: *Exduta*, *exuuiæ*. Ita & MSS[ti]. Quemadmodum *vestis pellisve corpori detracta* dicitur *exuuia*, sic eadem *induta* dicitur *induuia*, teste Isidoro lib. XII. cap. IV. Vtitur Plautus Menæch. Act. I. Sc. III. ibi cum rogaret Erotium, quid istoc esset, quod meretrici amator ferret (palla erat, quam vxori surripuerat) respondet

Induuiæ tuæ, atque vxoris exuuiæ, rosa.

Pro eo *induuium* quoque dicit Salvianus, lib I. de Prouid. Plinius arbori accommodat. Eiusdem ac *exuo*, & *induo*, originis est & *nudus*, nempe à τῷ στερητικῷ, & δύω. Vel si & veteres *duo* dixere, à *ne* & *duo*, quasi *ne dutus*, hoc est, *non indutus*. Id malim, quam quod Nunnesio visum, vt sit à γυμνός, γ in D conuerso.

F.

Faba, factum ab antiquo *haba*, *H* in *F* transeunte, vt scribunt Velius Longus, & Terentius Scaurus, vterque lib. de Orthographiâ. Ac contra *F* sæpe mutatum in *H*: quomodo ex *fordeum*, *fircus*, *fædus*, *fæla*, *hordeum*, *hircus*, *hædus*: vt ex Varrone, & eodem Velio scimus. *Haba* autem fuerit à φαγεῖν, quasi *phaga*. Isidorus, lib. XVII. cap. IV: *Faba Græcâ etymologiâ à vescendo vocabulum sumsit, quasi faga. Φαγεῖν enim Græcè comedere dicitur. Primum enim homines hoc legumine vsi sunt*. Sed si primum id homini pabulum fuit, vt hîc Isidorus habet: quid prohibet, quo minus eiusdem originis credatur ac vox *pabuli*? Sanè *faba*, siue *haba*, & *pabulum*, vicina admodum sunt. Fuerit igitur vtrumque à πάω, vnde *pasco*. Vide quæ præclarè de *faba* Plinius disserit, lib. XVIII. cap. XII. Prouerbiale est Terentij isthuc, Eunuch. Act. II. Scenâ III.

Isthæc in me cudetur faba.

Vbi Donatum vide: qui vnde ea locutio cœperit, docebit. Vt in parentalibus *faba* vsus fuerit ad lemures abigendos, ostendit Cat. cap. CXXXIV. apud Nonium in *Lemures*, & Ouidius, IV. Fast. & Festus in *Faba*. Quâ olim ratione soleat Athenis *fabarum* sorte legi magistratus, docebit Carolus Sigonius, lib. I. de Repub. Atheniensium, cap. de Senatu quingentûm virûm. A *faba satione* nomen Romæ inuenit gens *Fabia*; vt à *lente Lentuli*; a *cicere Cicerones*; à *pisis Pisones* (quanquam alij à *pinsendo*,) à *lactuca Lactucini*, ab *hortis Hortensij*. Scio Adamantium Martyrium velle à *fouea*, seu antiquo *fauia*, *Fauium* dici. Sed decepit eum vulgata seculi sui pronunciatio, qua *Fauium* pro *Fabium* dicebant. Pro nobis facit Plinius, lib. XVIII. cap. III: *Cognomina etiam prima inde, Pilumni, qui primum pistrinis inuenerat, Pisones a pinsendo. Iam Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum, vt quisque aliquod optimè genus sereret*. A *Fabius* est *Fabianus*, vt ab *Octauius*, *Octauianus*; à *Pomponius*, *Pomponianus*; à *Maximus*, *Maximianus*; à *Tertullus*, *Tertullianus*; à *Iustinus*, *Iustinianus*; à *Cyprius*, *Cyprianus*; a *Sebastus*, *Sebastianus*, &c.

Faber rectè deducit Isidorus à *faciendo*. Sic, vt suis locis dicimus, a *suo* est *suber*; à *tumeo*, *tuber*; à *cresco*, *creber*; à *finio*, *fiber*; à *mulceo*, *mulciber*, qui Græcè μειλίχιος. Nam μαλάσσειν σίδηρον dicunt Græci, vt Latini *mulcere ferrum*, & *mite* pro *liquefacto*: quomodo Scaliger interpretatur illud Cornelij Seueri in Ætna:

——— *liquor ille magis feruere, magisque*
Fluminis in morem mitis procedere tandem.

A *faber* est *fabre*, quo vsus Plautus in Cæco aut in Prædonibus: *Nihil quicquam factum nisi fabre, nec quicquam positum sine luco, auro, ebore, argento, purpura, picturis, spoliis, tum statuis*. Citat Charisius, cap. de Aduerbio. Ab eadem origine est *affabre*: quod Priscianus, in decimoquinto, factum sit à

datiuo *affabre*; vt à *sano*, *sanè*, à *claro*, *clarè*. Cic. in Verr. VI: *Deum nudum, qui et sane affabre factus*. A *fabro*, *fabrico*; vnde *fabricensis*, in Cod. Theod. & Iustinianeo: & apud Cassiodorum, lib. VII. cap. XIX. Ita autem dicitur, qui in *fabricis publicis arma cudit*.

FABVLA à verbo *fari*, vt ait Varro, in V. de L.L. Nempe vt ab *exoratum*, *exorabulum*; à *mendicatum*, *mendicabulum*: sic à *fatum fabula* deduxit. Quare & generatim sic vocatur, quod in ore omnium versatur. Vt apud Horatium,

——— *Ne vulgi fabula fiam.*

Ac similiter Tibullus lib. I. eleg. IV: & lib. II. eleg. III. Imò & Plinius, lib. XIII. Nat. Hist. cap. VI. vbi de vinis pretiosis. Est & Senecæ in Hippolyto;

Omnes per gentes fabula distulit.

Et epist. LXX: *In fabulam excessi non ingratam tibi*, &c. At historiam antè recensuerat. Et lib. III. de benef. *Sic seruata nouitis fabula, & duarum vrbium exemplum fuit*. Ita enim & in veteribus legitur libris, quam lectionem temere sollicitare aggressus Pincianus. Hieronymus ad Castrutium: *Et, ne, veteres replicando historias, longum faciam, & excedam mensuram epistola, breuem tibi fabulam referam, qua infantia mea temporibus accidit*. Locutus eodem modo Tertullianus, in Apologetico, Hieronymus in epist. ad Philemonem, item epistola ad Castrutium: etiam Orosius sub finem libri secundi; item Symmachus, Sidonius, alii. Nihil igitur apertius, quam *fabulam* tam de veris, quam fictis, dici: Atque inde *confabulandi* vox. A *fabula* etiam est *fabulo*. Gloss. Isidori: *Fabulo, fabulas componens*. Iterum: *Fabulones, fabularum inuentores*. Etiam apud Macrobium, lib. II. hanc vocem reponit Claudius Salmasius. Sic enim legit: *Hæc noua sit literata lætitia, & docta conuiuatio plamipedis & fabulonis impudica & prætexta verba iacientis, ad pudorem ac modestiam versus imitata*. In vulgatis est *sabulonis*, quo cum *arena crassior* signetur, locum hic habere nequit. Ex Scaligeri mente *fidicinis* legendum, id est, tibicinis: vel *sabulonis* retinendum à *sabulo*, instrumento Musico apud Appul. II. Flor. Sed neutrum hic locum habet: & locus Appuleij omnino est corruptus, vt alibi diximus. Quare perplacet Salmasij correctio.

FACETVS, à *facio*. Donatus in Eun. III. I. *Facetus est, qui facit verbis, quod vult*. Alius *facetus*, quia imitando se alium facit. A *faciendo* quidem esse, etiam Isidorus consentit, in X. Perottus, quia *facetia* verborum sint, non factorum, à *fari* potius esse putabat. Sed aduersatur primæ syllabæ modulus. At *inficetum* tamen, vt *facetus* dicatur, quasi *fauens cætui*, quod maiorum ætate nugator quispiam annotauit, in notis ad appendicem distichorum Catonis, à *Faceto*, Parisiensi gymnasiarcha, conscriptam. A *facetus inficetus*; vt à *facetia*, *infacetia*.

FACIES, à *facio*, qui nempe forma à *specio* est *species*, similiaque *effigies*, *caries*, & alia. Ita *facies* propriè idem fit, quod *factura*: vt Nonius quoque docet. Sanè non solum de ore, oculis, genis, vicinisque partibus: sed de totius corporis, colorisque habitu vsurpatur. Vide Gellium, lib. XIII. cap. XXVIII. Ego Latino *facies* respondet Belgicum *gedaente*: quod itidem à *doen*, id est, *facere*. At Belgicum *aenschijn*, cùm sit ab *aenschijnen*, hoc est, *affulgere*, magis respondeat Latino *species*. Nam quæ adfulgent nobis, ea *specimus*, hoc est, *conspicimus*. Angelus tamen Caninius deducit *facies* à Punico *Fag*. A *facies* est *superficies*, superior siue exterior cuiusque rei *facies*.

FACIO, fortasse à φάω, hoc est, *lampo*, *luceo*: vel ab aliquo eius deriuato: quale φαίνω, *edere in lucem*, *luci dare*, vt Tullius locutus: aut φάσις, *apparitio*, *conspectus*. Sanè qui rem facit, dat eam luci, atque vt conspiciatur facit. A *facio* est *factor*, quæ vox generalis: vnde *factorem testamenti* dicimus. Sed speciatim ita vocatus, *qui vinum vel oleum facit*. Vt apud Catonem, cap. XIII. & LXIV. Item restrictum ad *facientes* in pili ludo. Vt apud Plautum, Curcul. II. III. Indéque *factio*, πράξις, vt veteres Gloss. interpretantur. Festus: *Factio & factiosus initio honesta vocabula erant: vnde adhuc factiones histrionum, & quadrigariorum dicuntur*. Postea *factio* dici cœpit *malorum consensus & conspiratio*: teste Nonio. Qui & pro *opulentia* ac *nobilitate* accipi, exemplis docet. Nempe qui ista habent, facere multa & possunt & solent. A *facio* quoque *facilis*, vt ab *ago*, *agilis*; & apud Græcos à ῥέζω, *facio*, ῥᾶ, *facile*, vnde ῥάδιος, ac ῥηΐδιος, *facilis*. Veteres pro *facilis* dixere *facul*: Vt Nonius docet auctoritate Lucretij, Pacuuij, Afranij, Accij, & Varronis, cuius illud Bimarco: *Quod vtrum sit magnum, an paruum; facul, an difficul*. Vnde *facultas*, vt à *facilis*, *facilitas*. Cicero primo de inuentione: *Facultates sunt, aut quibus facilius fit, aut sine quibus aliquid confici non potest*. Etsi autem *facultas*, & *facilitas*, si originem spectes, idem signent; tamen vsus distinxit. Festus: *Facul antiqui dicebant, & faculter pro facilè: vnde facultas & difficultas videntur. Sed postea facilitas morum facta est: facultas rerum*. Cornelius Fronto: *Facultas locupletis, facilitas artificis est. Itaque diues facultatem habet multa vel emendi vel redimendi: artifex opera perficiendi facilitatem*. Quòd autem *facultates* etiam pro *opibus* sumantur, clarè iste Frontonis locus docet: atque etiam veteres Glossæ testantur, quæ *facultates* exponunt ὕπαρξιν. hoc ab eâdem caussâ est, ob quam *diuites* vocantur *facillimè agentes*. Ita locutus Plautus, Curcul. & Epid.: Terentius, Adelph.: item Porcius poeta vetus, apud Donatum, vel potiùs Tranquillum, in Comici eius vita:

Tres per idem tempus, qui agitabant nobiles facillimè.

A *facio* quoque est *facinus*. Plautus, Pœn. I. II:

Eho tu, vin' tu facinus facere lepidum & festiuum?

Sallust. bell. Iugurth. *Multa & præclara rei militaris facinora fecerat*. Ab eodem *facies*, & *facetus*: de quibus seorsim. Et hæc nomina. Venio ad verba. Deriuatum ab eo *facesso*, vt à *capio*, *capesso*. Vnde *dicta*, vel *iussa*, *facessere*, id est, *facere*. Vt Nonius exponit. Item, *facessere negotium*. Imò & *facessere*, pro *recedere*, huius est loci. Sanè Belgæ similiter, *macke u van hier*. Terentius, Phorm. IV. III. *Hæc hinc facessat*: Vbi Donatus: *Pro hinc se faciat, id est, abeat: vt huc se faciat, huc accedat, significat*. Et ibid. *Hæc hinc facessat, pro cedat, aliàs faciat. Et duas res significat hoc vnum verbum. An hinc facessat, prouerbialiter, quasi hinc faciat?* Plautus: *Argentum hinc facite. Huc te fac, pro huc accede*. Sunt & multa à *faciendi* voce composita. Vt *officio*: pro *efficio*: *officium*, de quo in *Officina* dictum. Item *interficio*: vbi *inter* significat *penitus*. Vt in *interimo* & *internecare*: vt *internecatis hostibus*, apud Plautum in Amphitr. ex quo *internecio*, & *internecinum bellum*, vel *odium*, apud Liuium, Gellium, & alios. *Facere* verò in *interficio*, eam habet notionem, quam in *conficere*, & *confectorium*: & fortasse in *carnifex*. Vti in Oratoriis ostendimus. *Sufficio in alterius locum*, eam vim habet quam *substituo*. Sed, *sufficit*, ἀρκεῖ, (vnde apud Arnob. lib. IV. *sufficienter*, ἀρκούντως.) idem *valet* ac *facit*, seu *valet*, *sub ea conditione*, *de qua actum*. A *præficiendo*, *præfica* dicta. Varro, lib. VI. de L.L. Nævius: *Hæc quidem hercle, opinor, præfica est, nam mortuos conlaudat*. Claudius scribit, *Ea, quæ præficeretur ancillis, quemadmodum lamentarentur, præfica est dicta*. Festus: *Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant cæteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum præfectæ*. Vide & Nonium in *Præfica*. Similiter à *perficiendo* dicta est Dea *Perfica*, quia præstat plenæ perfectæque Veneris gaudia. Arnobius lib. IV: *Etiamne Perfica vna est e populo numinum, quæ obscœnas illas & luteas voluptates ad exitum perficit dulcedine inoffensa procedere?* Est autem *perfica* adiectiuum substantiuè vsurpatum, quia respicitur ad vocem *Dea*. Nam *perficus* quoque dictum fuisse, argumento est quod Lucretius, lib. II. *perfice* vsurpat pro *perfectè*: & Plautus, Rudente, *perficissimè*, pro *perfectissimè*. Ita enim vtroque loco legendum monuit Obertus Giffanius, in indice Lucret. in *perfice*. Pro eo in vulgatis Lucretij exemplaribus est *denique*, sed inuitis antiquis codd. qui *perfice* habent. In Plautinis verò codd. vulgo legebatur *proficissimè*, ex quo Camerarius fecerat *præficisse*, quæ proba quidem vox, at istic loci locum habere nequit. *Affectare*, est *habere animum pronum ad faciendum*: vt bene Calpurnius ad Ter. Heaut. notauit. *Affectatus est regnum*, pro *affectauit*, dixit Varro, teste Diomede, lib. I. Festus: *Adfectata femina vel in bonam partem dicitur, velut honorata: vel in malam, quasi in extremum periculum adducta*. Vbi vulgò *adsectata*. Sed plerique MSS. vel *adfecta* habent, vel *adfectata*. Notæ compositionis sunt *calefacio*, *frigefacio*, *tepefacio*, *liquefacio*; nempe à verbis *calere*, *frigere*, *tepere*, *liquere*. Sic *labefacio*, quasi *labare facio*, *patefacio* quasi *patere facio*. Similiáque sunt *expauefacio*, *excandefacio*. Item, *vacefacio*, & *vacefio*: quo vsus Lucretius, lib. VI.

Hoc vbi inanitur spatium, multúsque vacefit
In medio locus. ———

Item:

Hoc fit item cunctas in partes, vnde vacefit
Cúmque locus.

Ita vtrobique membranæ nostræ habent: placuítque ea lectio etiam Lambino ac Giffanio. Vbi Carrio maluit *vacuefit*, vt sit ὁμοιότης. Sed ἀναλογία iubet, vt à *liquere* est *liquefacio*, sic à *vacare*, & *facio*, dicamus *vacefacio*, à *fio* item *vacefio*. Interim nec planè damnamus *vacuefacio* & *vacuefio*: quomodo legitur apud Macrobium, lib. I. Saturn. cap. II. imò Iustinianeo codici, atque etiam Ciceroni in Catilinaria, gemino in loco, eam vocem restituit Carrio ex codd. antiquis. Vide eum, antiquarum lectionum lib. I. cap. XVIII.

FADVM

Faeum rectius fortasse per Æ scribatur, vt sit à φαιὸς, hoc est, *fuscus*: à quo & Hispanicum *feo*, hoc est, *fuscum*, siue *nigrum*.

Fagus arbor glandifera: quales præter eam tres sunt aliæ, robur, quercus, æsculus. *Fagus* à Dorico φαγὸς pro φηγὸς, à φαγω, id est, *edo*, siue quia eius fructu homines vescebantur ante fruges inuentas, vt Eustathius ait, in Iliad. Ε, pag. DLXV. edit. Rom. & Iliad. p. DCXLVI. Et Od. ι, p. CIƆ DCCXIX. Item Seruius, in Eclog. I. siue quod vulgo saltem hoc cibo vterentur, quia exiguo labore pararetur, contra quam fruges, vt in rudioribus seculis diuitorum duntaxat cibus fuisse videatur. Ac sic quoque non inuitâ *fagus* sit à φαγεῖν. At φαγεῖν non dubito quin sit à אכל, *cibus*. A *fago* est *fagutal*. Varro, lib. IV. de L.L. *Fagutal à fago. Vnde etiam, quod ibi sacellum, Iouis Fagutalis*. Idem autem nominarat *lucum fagutalem*. Festus: *Fagutal, sacellum Iouis, in quo fuit fagus arbor, quæ Ioui sacra habebatur. Fagutalis Iouis* etiam meminit Plinius, lib. XVI. cap. X.

Falæ, pro quo alij scribunt *phalæ*, propriè dicuntur *turres ligneæ*, vt interpretatur Nonius. Festus exponit *loca exstructa*. Est à φαλανδον, vt idem indicat his verbis: *Fala dicta ab altitudine à falando, quod apud Hetruscos significat cælum*. Φάλανδον autem, seu *phalandum*, fortasse est à φαλὸς, quod est, *albus*, *nitens*: vt docet Etymologus in φαλαγξ. Φαλὸς vero à φάω hoc est, λάμπω. Ex *falis* mittebant milites tela, quæ ex eo dictæ putantur *falaricæ*. Vsi *falaricæ* vocabulo Ennius, Maro, Lucanus, Sillius, Vegetius, alij. In vett. Gloss. exponitur ἀκροβολιστήριον. Sed quia de hoc mox curatius dicendum, ad *falas* redeo. Vt *machina*, *fabrica*, & similia, sic & *fala* nomen pro *fallaciis* accipitur: quemadmodum Nonius Marcellus probat isthoc Nonij Decuminis: *Me non vocauit, ob eam rem hanc feci falam*. Nam omnino hic μεταφορικῶς sumitur; quod moneo, ne imperitior, quia in vulgaris Nonij codd. *falla* scribatur, eiusdem esse originis credat ac *fallacis* nomen. Propriè verò hac voce vsus Plautus, Mostell. act. II. sc. I: *Isti qui hastis* (delendum τὸ *hastis*, vt Lambinus, & Acidalius, rectè monent) *trium nummorum caussa subeunt sub falas*. In circo quoque erant *falæ*, vt his verbis indicat Seruius ad IX. Æn. *Hoc telo* (*falaricam* intelligit) *pugnatur de turribus, quas falas dici manifestum est. Vnde & in circo falæ dicuntur diuisiones inter Euripum & metas, quod ibi constructis ad tempus turribus, his telis pugna edi solebat*. Iuuenalis sat. VI:

Consulit ante falas, delphinorúmque columnas.

Hæc Seruius. Qui Isidorum legit, lib. XVIII. cap. VII. existimet, militares, non Circenses à Iuuenale *falas* intelligi: quod falsum esse indicat id quod addit de delphinis circensibus. Est enim hic locus planè geminus illi Dionis, vbi iunguntur, οἱ δελφῖνες καὶ τὰ ᾠοειδῆ δημιουργήματα. Vbi *falas* appellat ᾠοειδῆ δημιουργήματα, quia earum fastigium *ouilem speciem* referret. Turres hæ, quas ad tempus ludorum caussa extrui solitas indicat Seruius, Græcis πύργοι vocabantur: vt est apud Vitruuium. Plauti locum de *Circensibus falis* non bene meo iudicio accipit Cæsar Bullingerus, lib. de circo cap. XIX. quanquam nec Lipsium ab hac sententia abhorrere indicat notula ad oram capitis II. lib. I. Electorum. Interea & Lipsius potiùs de *militaribus falis* interpretatur: quam expositionem esse veriorem cum alia indicant, tum quod dicitur de *tribus nummis*. At malè idem *tres nummos* exponit *ternos asses*, cum *obolos* intelligi oporteat. Nam sub initium belli Punici secundi stipendium militare erat quatuor assium: vt ex Polybio cognoscimus, qui id duorum fuisse *obolorum* docet. *Obolus* autem erat quarta drachmæ siue denarij pars: vt Pollux testatur. Plauti igitur ætate auctum fuit stipendium, próque quaternis senorum assium factum. Sic hunc Plauti locum quoque accipit Fr. Hottomannus, lib. de re nummaria, pag. CLXIV. Nonnulla ad *falas* pertinentia vide voce sequenti.

Falarica placet Becmanno esse à φαλὸς, id est, *splendidum*, quod à φάω, vt docet Græcus Etymologus. Caussa originationis gemina. Vna quod tela, inter quæ *falarica* est, *splendeant* ob ferratam cuspidem. Hinc Lucret.

——— *Lucida tela volarent.*

Et Statius:

——— *ferróque micantia tela.*

Altera ratio ob *flammam*. Nam *falarica* circumligabatur materiâ è pice, sulphure, stupáque composita, vt non tantum transfigere, sed etiam accendere esset idonea. Hinc de ea Tacitus IV. Histor. *Graues vineæ que parantibus, adacta tormentis ardentes hastæ*. Idem indicat egregia *falaricæ* descriptio, quæ est apud Liuium & Sillium, vtramque in Saguntina historia. Item Seruium, ad nonum Æn. & Isidori, lib. XVIII. cap. VII. Aliis placet esse à *phalis*, quomodo dicebantur turres, è quibus *falaricæ* mittebantur. Festus: *Falarica genus teli missile, quo vtuntur ex falis, id est, ex locis exstructis dimicantes*. Nonius: *Falarica genus teli à falis*, id est, *turribus ligneis*. Idem ἔτυμον adducit Seruius ad illud IX. Æn:

Sed magnum stridens contorta falarica venit:

& ex eo Isidorus loco ante dicto. Nec ἔτυμον hoc minus quam prius confirmatur illis Silij verbis:

Fulmineo hæc ritu summis è mœnibus arcis
Incita, sulcatum tremula secat aëra flamma.

Nam de *flamma* quod ait, ad priorem; de *arce* quod inquit, ad posteriorem originationem referri potest. Vide, si voles, quædam de *falarica* apud Stevvechium, ad Vegetium, lib. IV. cap. XVIII. & imprimis Iustum Lipsium, lib. V. Poliorcet. cap. V. Quædam etiam huc pertinentia adducimus in *fala*.

Falco, à *falce*, quia vngues eius *falcem* imitantur. *Falco* igitur γαμψῶνυξ. Quamquam verò omnes accipitres γαμψώνυχες, vnus tamen præter cæteros id nomen meruit, quemadmodum & *caput* κατ' ἐξοχὴν dictus *Gallus exsectus*; quamquam non minus, si originem spectes, competat *Gallo*: Itidem enim (quemadmodum ad Festum Scaliger docuit) dicitur κύκνος ἀπὸ τοῦ κάμπτεσθαι, ὅτι καμπτοὺς ἔχει. *quod incuruos habeat vngues*. Varro enim & Isidorus, quorum ille *caponem à castrando*; hic à *capiendo*, dictum putant; planè audiri non debent. *Falconis* auis meminit Firmicus, lib. V. Matheseos, vti & Seruius. Porro id nomen etiam *hominibus* tributum. Festus: *Falcones dicuntur, quorum digiti pollices in pedibus intro sunt curuati, à similitudine falcis*. Glossæ Philoxeni: *Falcones*, ὧν οἱ ἀντίχειρες τοῦ ποδὸς ἔσω βλέπουσι. Isidorus in Glossis: *Falcones, qui pollices pedis intra curuos habent*.

Faliscus *venter*, siue ἀπλῶς *Faliscus*, farciminis genus. Meminit Statius. Sylv. lib. V. in risu Saturnalitio ad Plotium.

Non lardum graue, debilisve perna:
Non Lucanica, non graues Falisci.

Nomen *Faliscis* ex eo, quia farcimen hoc Romani didicere à *Faleriis*, siue *Faliscis*: vti *Lucanicam* à *Lucanis*. Varro, lib. IV. de L.L.: *Lucanicam dicunt, quod milites à Lucanis didicerunt: vt, quod à Faleriis, Faliscum ventrem*.

Fallo à *fando* deriuat Varro, in V. de L.L. *A fando*, inquit, *falli, falsum & fallacia, quæ, propterea quod fando quem decipit, ac contra quam dixit, faciat. Itaque si quis re fallit, in hoc non proprio nomine fallacia, sed translatione, vt à pede nostro, pes lecti ac pes betæ*. Sed fallitur Varro. Potius deduxerim à σφάλλω, quod propriè est *supplanto*, ac metaphoricè, *euerto*, itémque *decipio*, *circumuenio*. Σ abjicitur, quomodo à σφενδόνη, est *funda*; à σμύρνη, *myrrha*, &c. Sed maximè placet, *fallo* esse à Dorico φαλῶ. Nam φηλόω, vel φηλέω, notat ἀπατάω, vt exponit Suidas, qui & significationem hanc ex Menandro comprobat, similiterque verbale eius φηλώματα exponit ἐξαπάτας. Item φηλώσεις, ἀπατήσεις. Et φῆλος, ἀπατηλὸς, & φῆλιξ, ὁ ἀπατῶν, καὶ ἡ ἀγρία συκῆ. Apud Hesychium quoque habes φηλωτὴς, ἀπατηλός; & φηλωθέντα, ἀπατηθέντα, & eidem inter alias significationes vocis φῆλος est ἀπατηλός. Quod verò φῆληξ etiam dicatur de *grosso*, siue *immatura ficu*, vt superior Suidæ locus indicat, id inde factum docet Aristophanis Scholiastes in Ὄρνισι, quod ea *fallat* adspectum; vt quæ maturitatis speciem præ se ferens, immatura tamen comperiatur. Etsi vero φῆληξ sit *impostor*, indéque Iosephus Scaliger putet esse Latinum *fallax*, malim tamen deducere à Latino *fallo*, tum quia à φῆληξ esset *fellex*, vel *fallex*: tum quod analogia doceat, vt ab *audeo* est *audax*; à *teneo*, *tenax*; à *sago*, *sagax*, sic à *fallo* esse *fallax*. Porro φαλῶ, seu φηλῶ, videtur esse ab Hebræo פלא, id est, *occultari*. A φαλῶ autem σφάλλω præposito Σ. vt in aliis multis.

Falx, à *farre*, literâ commutatâ, vt censet Varro, lib IV. de L.L. Sed est contractum ex *falces*, vt *arx*, ex *arces*, quod ab *arcere*, *mors* ex *mortis*, quod à μόρος: *mens* ex *mentis*, quo vsus Ennius. *Falces* fuit ex *faleces* vel *falecus*, à Græco πέλεκυς, π in φ conuerso, quomodo à μένω est *maneo*: & forte ab ὄνος *asinus*. Πέλεκυς (vt in Pellecanus quoque dicimus) est ab Hebræo פלח, id est, *scindere*, *findere*. Confirmat hanc sententiam, quod *falces* in Campania *secula* dicuntur à *secando*: vt Varro ait, lib. IV. de L.L. Quod si minùs placet esse à πέλεκυς, possis ἀνάπαλιν deducere à פלח, nec id minùs placet. Diminutiuum est *falcula*, quo κατὰ μεταφορὰν de *vnguibus leonum* vsi Plinius & Solinus.

Fama, à Dorico φάμα pro φήμη. Hoc à φημί, quod à φάω, vnde Latinum *fari*. Quare commodè intelligendum, quod *famam*, à *fando* dici ait Festus. Est *fama* idem, quod *rumor*,

ac, vt benè sensit Valla, sola origine differunt hæc duo: quod puta *rumor* sit Latinum, *fama* Græcum. Fallus Mancinellus, qui putat, à Fabio, lib. IV. distingui. Neque enim aliud docet, quam quomodo locus communis à *fama* debeat tractari. A *fama* est diminutiuum *famella*, Festo teste. Ab eodem est *famosus*, qua voce posterioris æui scriptores etiam in bonam vtuntur partem; vti constat è Plinij epist. lib. XVI. Tacito. lib. XXI. & Papinij I siluarum. Onomasticon vetus: *Famigero*, διαφημίζω. *famiger*, ἀγγελιοφόρος. *famigerabilis*, διαβόητος. *famigerator*, διαφημιστής. Est & *famiger* apud Varronem, in v de L. L. Sed Scaliger ibi mauult *famigerabile*.

FAMES, iuxta Perottum, ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, quia qui *fame* laborat, cupit φαγεῖν, hoc est, *edere*. Nec longè abit à πάω, vnde *panis* & *pasco*. A *fames* est *famelicus*. Gloss. *Famelicus*, λιμώξηρος. *Famelicè*, λιμηξήρως. Ab eo *famelicosus*. Festus: *Famelicosam, terram palustrem vocabant*. Vbi MSS. quidam, *famicosam*: sed perperam.

FAMILIA à *femore*, vnde egredimur: iuxta Isidorum, lib. v. cap. XXV. & lib. IX. cap. IV. Sed est *familia* ab ὁμιλία, spiritu in *f* abeunte, quomodo ab ἵζω est *firmus*. Vel *familia* dicitur à *famel*, quod Oscum est à *fame*, quasi *famis* minister. Posteriores pro eo *famulus* dixere. Festus. *Famul: origo ab Oscis dependet, apud quos seruus famel nominabatur: vnde & familia vocata*. *Famul* pro *famulus* dixit Ennius, quod Nonius ostendit. Ennianum locum sic sanat & supplet ad Catalecta Iosephus Scaliger:

—*multa dies in bello conficit vnus,*
Et rursus multæ fortunæ forte recumbunt,
Hautquaquam quemquam semper Fortuna secuta est.
Quin & mortalem summum fortuna repente
Reddidit, è summo vt regno famul vltimus esset.

A *famul* est *famuletium*, seu *famulitium*, quod nunc *seruitium*, vt Festus ait. Vtitur Macrobius, lib. I. cap. VII. & Sidonius, lib. I. epistol. VI. *Famulitas* pro eo dixere Accius & Pacuuius, vt probat Nonius. Sed à *famul* dici patet, quasi *famuliam*: quod superior Festi locus indicat. Propriè igitur (vt Vlpianus quoque docet in lib. I. ff. de vi & vi armat.) *familia* est *famulorum cœtus*. Gloss. *Familia*, οἰκετία. Ita vsus Phædrus, lib. IV. *Veste, numo, familia, Hominem exornauit*. Eopse modo apud Ciceronem legimus, *gladiatorum familia*. Et apud Hirtium, de bello Hispaniensi: *Familiam & libertos conuocauit*. Eratque *familia* minimum quindecim capitum. Appul. Apolog. *Quindecim liberi homines populus est: totidem serui, familia: totidem vincti ergastulum*. A *familia*, οἰκέτης, siue *serui*, dicuntur *familiares*. Seneca, lib. VI. epistol. XLVII. *Ne illud quidem videtis, quam omnem inuidiam maiores nostri dominis, omnem contumeliam seruis detraxerint. Dominum patrem familiæ appellarunt, seruos (quod etiam in mimis adhuc durat) familiares*. Cui loco similis hic Tertull. in Apolog. cap. XXXIV. *Sed & gratius est nomen pietatis, quam potestatis: etiam familiæ magis patres, quam domini, vocantur.* Viri eruditi, eósque inter Cl. Io. Meursius, Philologici Auctarij cap. II. existimant *seruos* quidem *familiam*, ἀντιθέτως, *ingenuos* vero *familiam auream* dici solere. Mouet eos locus iste Festi: *Familia aurea in liberis hominibus dicebatur, quorum dux & princeps generis vocabatur Pater & Mater familiæ. Vnde Familia nobilium Pompiliorum, Valeriorum, Corneliorum: & Familiares ex eadem familia. Postea hoc nomine etiam famuli appellari cœperunt*. Ac ita quidem à Scaligero editum video. Sed in antiqua Mediolanensi, quæ Baptistæ Pij cura prodiit, vti & Veneta Antonij Augustini, pro *familia aurea* legitur *familia antea*. Quam veram esse lectionem colligo ex ἀντιθέσει. Nam primum ait, *Familia* ANTEA *in liberis hominibus dicebatur*. Hinc subiungit: POSTEA *hoc nomine etiam famuli appellari cœperunt*. Quid certius? A *familia* est *familiaris*, & *familiaricus*, id est, ad *familiam* pertinens, vt *sella familiarica* Varroni, lib. I. de R. R. cap. XIII. Imò & Vitruuio, lib. VI. cap. X. Etsi ibi vulgo *cella* pro *sella*. Eadem & *sella Patrocliana*, hoc est, quæ inseruit necessitati naturæ.

FANVM, si à *fando* esse placet, vel ex eo erit, quòd inde *fata* petuntur: vt in tertiam Verrinam notat Asconius: siue quia Pontifex, dum dedicat, certa verba *fatur*, vt est apud Festum: siue, quemadmodum Varro ait, in v. de L. L. Pontifices *in sacrando finem fantur*, quod vocabant *effari templa*. Quemadmodum & pro eo dicebant *sistere fana*. Festus: *Sistere fana, cum in vrbe condenda dicitur, significat loca in oppido futurorum fanorum constituere*. Sed aliis placet, *fana* potius dici à *faunis*, quod idem Festus scribit. Sed apud eum corruptè legitur à *Fano*, pro *Fauno*. Dicitúrque à *faunis*, siue quia *Fauni* primus *fana* extruxerit, vti voluit Probus: siue quia his templa error gentilium construebat: quod Isidorus putat lib. XV. cap. IV. Iuuat & Cornelius Fronto, quamquam is *Fanos* potius à *fan* dici censet. Quippe de delubri, sacelli, templi, & bidentalis, discrimine tractans, hic inter alia scribit. *Fanum, Fauno consecratum: vnde Fauni appellabantur primi, & illi, qui vagabantur, fanatici*. Mihi maximè placet *fanum* esse ex eo, quòd id Græci similiter ναὸν vocent. Nempe κατὰ μετάθεσιν fuerit ἄνον: sed spiritus abit sæpius in F. Confirmant hanc sententiam verba ista Festi: *Hanula, parua delubra, quasi fanula*. Ergo ex obliquo ἄνον *fanum*, vnde *hanulum*, & postea *fanulum*, vt dixere *ostis, festis, holus, folus, habam & fabam, hordeum & fordeum, hordicalia & fordicalia*. Veteres enim in multis *h* pro *f*, & *f* pro *h* vsurpabant. Quod ad *fanaticorum* appellationem, propriè dicitur de sacerdotibus: vnde in Glossis Philoxeni legere est: *Fanaticus*, ἱερόφαντος, ἱεροδοῦλος. Atque ita accipit vetus lapis extra Romam: Q. CÆLIO APOLLINARI FANATICO DE ÆDE BELLONÆ. Verum quia hi oraculum editturi, diuino furore corripi putabantur, eámque opinionem crebra capitis quassatione ac aliis insanientium indiciis adiuuabant: inde est, quod *fanaticus* etiam sumitur pro *furioso* atque *insano*. A *pro* & *fanum* est *profanus*. Varro, in v. de L. L. *Profanum est, quod ante fanum, id est, coniunctum fano: hinc profanatum, quod in sacraria pollutum*. Sed Charisius *pro* in *profanus*, dicit derogationem siue στέρησιν signare. Atque addit *profanum locum dici non sacrum, quasi procul à fano positum*. Cæterum non loco solùm, sed & personis conuenit. Nam & *profani* dicuntur, qui Græcis βέβηλοι, siue ἀμύητοι, hoc est, *homines non initiati sacris*, quia nempe talibus *pro fano* solum consistere, non autem *fanum* ingredi, ac interesse sacris, licebat. Hinc Maro, in VI.

——*Procul hinc, procul este, profani,*
Conclamat vates.

Vulgo *laicos* vocant, quo & Tertullianus aliique patres antiquissimi vtuntur. Sanè mollior ea appellatio, quam *profani*, quæ vox minimè conuenit iis, qui per baptismum sunt initiati religioni, Ecclesiæque inserti. *Laicorum* autem vox quo sensu admitti possit, ostendimus in *Clericus*.

FAR vnde sit, non satis est apertum. Qualemcumque ἐτυμολογίαν ponit Varro, IV. de L.L. *Far*, inquit, *à faciendo, quòd in pistrino fit*. Isidorus autem, lib. XVII. cap. III. dici *far* ait à *frangendo*, quia ante molarum vsum pila *frangi* soleat. Perotto placet ita vocari à *ferendo*, quia id fert terra. Sed est ab Hebræo בר, hoc est, *far*, à radice ברה, hoc est, *comedere*. Quod etymon & Cornelius à Lapide probat comment. in Genes. cap. XXXV. vers. XVI. Seruius ad I. Georg. ait esse speciem frumenti optimi, quod alio nomine *adoreum* dicitur, sed pro quouis frumento accipi. Dionysio Halicarnassensi ζέα est. Sic enim scribit, lib. II. τοῦ φάῤῥεος, ὃ καλοῦμεν ἡμεῖς ζέαν. A *farre* dicta *farina*: quomodo vocatur *far molitum*, quod Græcis ἄλευρον. Plinius, lib. XVIII. cap. IX. *Farinam a farre dictam, nomine ipso apparet*. Ab eodem est *Farrago*, vt innuit Festus: nempè quia ex *recrementis farris* gignitur in vsum pecorum, admixto hordeo vel vicia, teste etiam Plinio, lib. XVIII. cap. XVI. A *farre* quoque dictum *farreum*. Festus: *Farreum, genus libi ex farre factum*. Ab hoc libo vocatur *farreatio*, vnde *confarreatio*, & *diffarreatio*. Erat enim vtrumque sacrificium, cui *farreum libum* adhibebatur: ac illo quidem contrahebatur, hoc dissoluebatur matrimonium. Gloss. *confarreatus*, συμβιωτὴς χάριν ζευχθείς. Tribus modis contrahebatur coniugium; vsu, *farreatione*, coëmtione, de quibus Cicero, & Boëth. in Top. Dionys. Halicarnass. lib. II. Plinius, lib. XVIII. cap. III. Vlpianus, in fragm. Institut. titul. IX. Appuleius, lib. X. & Festus in *Diffarreatio*. Fusè de iisdem Brissonius, lib. de ritu nuptiarum.

FARCIO, Perotto, ac Becmanno, à *farre*, vt propriè sit *farre implere*. Malim à φάρσσω, quod poeticum ac Bœoticum, pro φράσσω, à φράσσω, id est, *obstruo*, *obturo*. A *farciendo* dicta *farcimina*. Varro, lib. IV. de L. L. *Ab eâdem farturâ farcimina in extis appellata: à quo, quod in eo tenui tenuissimum*... *num, fartum*. Ab eodem est *fartum*. Itaque & in veteribus libris *fartum* scribitur. Vsus Plautus, Pyrgopolinice, siue milite glorioso, act. I. sc. I. vbi metaphorâ à re culinariâ ait de machærâ:

Quæ misera gestit fartum facere ex hostibus.

Alios tamen aliter legere, non ignoro. Item hinc *fartim* quod in Onomastico veteri exponitur πυκνῶς, σεσαγμένως. Hinc & *fartores*. Festus: *Fartores, nomenclatores; qui clam velut infarcirent nomina salutatorum in aurem candidati*. Notat & coquos *farcimina farcientes*. Onomasticon vetus: *Fartor*, ἀλλαντοποιός. Item, *qui aues farciunt, ac saginant*. Vnde in Glossis expo-

ponitur, *ἀσεπτῶς*. A *farcio* & præuerbio sunt *infercio, refercio, differcio, refertum, differtum, confertum*. quod est *condensatum*. Salluft. *Catilina memor generis, atque pristinæ dignitatis, in confertissimos hostes incurrit.* Sic *confertum agmen*, in quo milites ita confereiuntur ac condensantur, vt omnes coniuncti videantur. Maro quoque sic locutus, II Æn. vt ex antiquis & optimæ notæ codd. probat Pierius. Ab eodem est *farcinor*, vnde *suffarcinatus*: vt ad Terent. scribit Eugraphius. Lambinus autem ait, nec *farcinor*, nec *farcina* dici. eóque *suffarcinatus* Latinum non esse: sed a *farcio* dici *sarcinam*, inde esse *sarcinam* & *subsarcinatus*: neque aliter in Plauto, & Terentio, legi debere. Sed veteres libb. obstant: in quibus liquido *suffarcinatum* occurrit. Nec repugnat analogia. Nam, vt à *sarcio* est *sarcina*, & *sarcino*, ita a *farcio*, *farcina*, & *farcino*, dici potuit. Nec desunt similia verba, vt *prodino* à *prodo*, *negino*, vel *neguno*, a *nego*, vnde *negunato* in carmine Cn. Martij, *natino* à *nato*, vnde *natinatio*, apud Festum. &c.

FARFARVS, siue *farferus*, & *fluuij* nomen est, & *herba*: vnde loca, sæpe confundunt. Seruius in illud VII Æn.

Qui Tetricæ horrentes rupes, montemque Seuerum, Casperiámque colunt, Forulósque, & flumen Himellæ: Qui Tyberim, Fabarimque bibunt.—

Fabarim quem dicit, ipse per Sabinos transit, & Farfarus dicitur. Plautus:

Dissipabo te tanquam folia farfari.

Ouidius:

— *Et amœna Farfarus vmbra.*

Vbi pro *vmbra* legendum *vnda*. Imo & pro *amœna* legendum *opaca*. Locus est XIV. Met.

Nare tulit præceps, & opaca Farfarus vmbra.

Sed si *vmbram* dicit Ouidius, *fluuius* intelligi nequit. Et sanè *herba* capi debet. Quemadmodum & a Plauto. In quo verba illa hodie non reperias. Libri quidam addunt esse è Pœnulo. Vbi hæc ab Achamonide dicuntur. act. II.

———*Vi, cum tegoris dedi,*

———*vndáque: eo prasternebant folia farfari.*

At ea verba multum dissident ab illis, quæ Seruius adducit. Neque de *fluuio* accipienda, sed *herba*, aut *virgulto*. Vti & Appuleij hoc; *Folia sunt farfari & nuga mora.* Atque ita Festus: *Farferum, virgulti genus.* Vbi quidam MSS', *farfenum*, vel *farfenum*, atque aliter: sed corrupte, vt puto. Arbitror autem, non difficilè conciliari Festum cum Seruio. Nam & fluuius *Fabaris* sit *Farfarus*, vel *Farferus*, vocatus, & à fluuio idem nomen acceperit herba vel virgultum iuxta eum succrescens. Huius meminit & Vibius sequester: *Fabaris Sabinorum, is Faber corrupte dicitur.* Vbi fortè legendum *Fafar*. Sanè ex *Fabaris*, *Fabar*, inde *Fafar*, hinc *Farfar*, hodie *Farfa*. Nec in Sabinis modo. sed Syria etiam fluuius est Damascum alluens, qui *Farfar* siue *Pharphar* vocatur IV Reg. cap. V. atque etiam Beato Hieronymo, item Beniamino Tudelensi memoratur in Itinerario item Anonymo de bello Hierosolymitano. lib. III. cap. XXXIII. & alibi. Quare, vt suspicor, ab Orientis vocabulo etiam fluuio in Sabinis sit nomen. inde autem herbæ iuxta eum succrescenti. Fluuio fortasse nomen à *violentia*, qua aggeres perrumpat Nam Hebræis פר, *frangere*. Inde per reduplicationem *farfar*.

FARI, a *φάω*, vnde *φημί* vt à *στάω*, *στῶ*, vnde *sto*; à *δάω*, *δῶ* vnde *do*, sic a *φάω*, *φῶ*, esset *fo*. pro quo *for* dixere: quamquam nunc hoc quoque obsoletum. A *fando* sunt *infans*, *fatuus*, *fatum*, *facundus*, *vates*, *fastus*, *effata*: de quibus copiose ordine sic scribit Varro, lib. V. de L. L. *Fatur is, qui primum homo significabilem ore emittit vocem. Ab eo, antè quàm ita faciant pueri, dicuntur infantes: cùm id faciunt, iam fari: cùm hoc vocabulum à similitudine vocis pueri, ac fatuus fari id dictum. Ab hoc tempore, quod tum pueris constituant Parcæ fando, dictum fatum, & res fatales. Ad hanc eandem vocem qui facilè fantur, Facundi dicti: qui futura prædiuinando solent fari, Fatidici dicti: ijdem vaticinari, quod vesana mente faciunt. Sed de hoc postea erit vsurpandum, cum de poetis dicemus. Hinc fasti dies, quibus certa verba legitima sine piaculo prætoribus licet fari. Ab hoc nefasti, quibus diebus ea fari ius non est: &, si fati sunt, piaculum faciunt. Hinc effata dicuntur, quod augures finem auspiciorum cœlestium extra vrbem agris sunt effati, hinc effari templa dicuntur ab auguribus: adfatur qui in his fines sunt. Hinc fana nominata, quod pontifices in sacrando fati sunt finem: hinc profanum est, quod ante fanum, id est, coniunctum fano: hinc profanatum, quod in sacrario pollutum. Atque inde Herculi decuma data ab eo est, quod sacrificio quodam fanatur, id est, vt fani lege sit, id dicitur.* Hactenus Varro. Nos de tribus illis, *fatum*, *fanum*, *fanum*, eiusque deriuatis seorsim egimus. Supersunt ex commemoratis à Varrone tria, de quibus aliquid dicemus. *Infans* ea ratione factum ab *in* negatiuo & *fari*: qua Græci pro eo *νήπιος* dicunt, a *νη*, & *ἔπος*. Hinc *infantare*. Tertullianus, lib. I. aduersus Marcionem: *Mellis & lactis societatem, qua suos infantat. Facundus* sic dictus, quia facilè ornatéque fatur. Vt à *iuuo* *iuuum iucundus*; sic a *fatum facundus*. De *effatis* sic Seruius, X. Æneidos: *Propriè effata sunt augurum preces. Vnde ager post pomœria, vbi captabantur auguria, dicebatur effatus.* Sunt & alia à *fando* deriuata. Vti frequentatiuum *fator*. Festus: *Fatantur, multa fantur.* Sed aliter vsus Sallustius, in Catil. *Cui fatatum vrbis potiri*. hoc est, *πεπρωμένον*. *fato decretum*. In vulgatis Sallust. codd. pro *fatatum* est *fatum*: sed *fatatum* in suis membranis reperit Antonius Muretus, item in suis Andreas Scottus: vt scribit obseruat. human. lib. III. cap. XXVI. & XXXVIII. Ab eodem est *famino*, hoc est, *φημί*. Festus: *Famino, dicito.* Cato: *Hoc vno præfamino*, id est, *præfator*, *prædicito*.

FAS a *fando*, teste Festo. Nempè quasi *fatum à Dijs*, vel *sacerdotibus*. vti *ius* à *iubeo*, quasi *iussum a magistratu*. Virgil. I. G.

Quippe etiam festis quædam exercere diebus
Fas, & iura sinunt.—

Vbi Seruius: *Diuina humanáque iura permittunt: Nam fas ad religionem; iura pertinent ad homines.* Similiter Isidorus, lib. V. Orig. cap. III. A *fas* est *nefas*, *ἀθέμιτον*, *ἀσεβές*, vt Philoxeni Glossæ exponunt. Quale quod est, hoc vel *ἁπλῶς*, vel saltem iuris ratione fieri nequit. Hinc sumitur pro *ἀδύνατῳ*. Vt apud Horatium, *scire nefas*. Astum est *nefarium*, quod omnino est à *fari*, eóque nec dubitare possumus. quin a *fando* sint *fas*, & *nefas*. Vide *Nefarius*.

FASCINVM videri possit esse à *fasciis*, quibus ligarent in *fascinando*. *Περίαμμα*, & *περίαπτα*, vocant Græci: *obligamentum magicum* dicit Eutropius. lib. III. *incantationem & ligaturam* Fabius Victorinus. lib. I. Rhetoricorum. Imprimis autem liciis triscoloriis vti solent, tum ad illigandum, & incantandum: tum ad soluendum, & expiandum. Vnde Maro Eccl. VIII.

Terna tibi hæc primùm triplici diuersa colore,
Licia circumdo.—

Et mox:

Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores.
Necte, Amarylli, modo; & Veneris dic vincula necto.

Petronius Arbiter in Satyrico: *Illa de sinu licium protulit varij coloris filis intortum, ceruicemque vinxit meam: mox turbatum sputo puluerem medio sustulit digito, frontemque repugnantis signauit: hoc pacto ter me iussit exspuere, térque lapillos conijcere in sinum, quos ipsa præcantatos purpura inuoluerat.* Sed *fascinum* à *fasciis* propterea veterum deduxit nemo. A *fando* putat esse Festus. Mouit eum, siue quòd linguâ quoque fieret *fascinatio*: vnde Catullus,

Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

Siue quòd putarent homines *effascinari*, si impensiùs laudarentur, quò pertinet illud Maronis Eccl. VII.

Aut si vltra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Ab hac opinione fuit. quòd laudaturi se *præfiscine*, vel *præfiscini*, dicerent: vt Leonides apud Plautum, Asinaria, Act. II. sc. IV. Eodemque vsus Titinius, Setinâ, apud quem, Paulla laudante immodice, persona altera metu *fascini* interrumpens ait,

Paulla mea, amabo, pol tu ad laudem addito, præfiscini,
Ne puella fascinetur.

Citat Charisius, lib. II. Suspicor autem tria verba postrema, non Titinij, sed Charisij esse: quamquam aliter Turnebo ac Scaligero visum. Fit *præfiscine* ex *præ* & *fascino*, vt ad verbum sonet *ἀβασκάντως* ac *citra inuidiam*: sitque idem, quod, *absit verbo inuidia*. Sanè præpositionem *præ* hic accipi pro *sine*, disertim legitur apud Charisium, cap. de præpositione. Quamquam vero hæc confirmare videntur Festi de origine *fascini* opinionem: tamen longè simplicior veriórque est sententia Cloatij Veri, qui *fascinum* dictum putat à Græco *βάσκανον*, commodè sanè & conducenter, vt hac ipsa de re ait Agellius, lib. XVI. cap. XII. *B* conuersum in *F*, quomodo & à *βρέμω* est *fremo*. *Βασκαίνω* verò (vnde *βάσκανος* venit) dicitur, quasi *φάεσι καίνω*, hoc est, *oculis*, siue *aspectu*, *occido*. quam etymologiam legere est apud Etymologum, & Theocriti Scholiastem. Sanè oculis *fascinandi* vim inesse, ex illo Maronis patet, Eccl. III.

His certè neque amor caussa est, vix ossibus hærent.
Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Ac cùm vocem, tùm oculos etiam, *fascinando* interficere ostendit hic locus Plinij, lib. VII. cap. II. *In eadem Africa familias quasdam effascinantium Isigonus, & Nymphodorus, tradunt, quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes. Esse eiusdem generis in Triballis & Illyrijs adijcit Isigonus, qui visu quoque effascinent, interimántque*

manéque quos diutius intuerentur, iratis præcipuè oculis: quod eorum malum facinus sentire puberes. Vsi & veteres *fascini* voce pro *veretro*, vt aliquoties in carmine Ithyphallico, & apud Horat. VIII. Epod. *Minúsve languet fascinum.* Verùm hæc significatio posterior est eâ, quam antè adduximus. Nam ex eo originem duxit, quòd antiqui *figuram veretri* multum crederent valere ad omne *fascini* genus auerruncandum depellendumque. Ideo *mutinum*, siue *mutonium*, quot haut aliud est, ac *muto*, hoc est, πόσθων, siue *veretrum*, in Glossis Philoxeni exponitur προβασκάνιον. Sanè pueris *turpicula res*, hoc est, figura *fascini*, pro amuleto de collo suspendebatur, ad amoliendas fascinationes. Auctor Varro, extremo lib. VI. de L.L. Nempe vt aues inauspicatæ, foribus affixæ, amoliri infortunium credebantur: sic *veretra*, quorum in *effascinando* vsus erat, *fascinium* etiam depellere existimabant. Atque inde etiam lucem capit, quod Plinius, lib. XIX. cap. IV. scribit, hortos & fores aduersus inuidentium *effascinationes* dicari, & in remedio esse satyrica signa. Vbi per *satyrica signa* intelligo *intenta satyrorum veretra.* Scaliger in quinto Coniectaneorum, hoc Plinij adducto, *Saturnia* habet pro *Satyrica.* Sed in prima duntaxat editione: in posterioribus enim *Satyrica* edidit & ipse. Quod moneo, quia Dalecampius putabat iudicio, non errore sic scripsisse. Sed vtut hoc est, omnino *satyrica* legi debet. Exinde autem quod *veretro* aduersus *fascinationem* vterentur, ipsum etiam *fascinum* dixere. Vt Horatius in Epod. lib. *Minúsve languet fascinum.* Eo autem veretrum, quod *turpicularem rem* Varro appellat, fascinationem depellere putabant, quia omnia turpia malos inuidorum oculos ab instituto auerterent atque auocarent. Quod clarè scribit Plutarchus, Sympoſiacon lib. v. problem. VII. Ideirco & prodesse iudicabant, si quis despueret. Theocritus Idyll. VI:

> *Ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ, τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον.*
> *Ne vero fascino læderer, ter in gremium meum despui.*

Ad quem locum similem Callimachi adfert Scholiastes. Ac ex Petronio Arbitro quoque superiùs vidimus, sputum lustrale infami digito solere illini fronti ad soluendum *fascinum. Fascinum* ab infantium cunis depellere credita est Dea Cunina: vt ait Lactantius, lib. I. cap. XX. At non infantium modò, sed Imperatorum quoque custos erat Deus *Fascinus*, qui inter sacra Romana à Vestalibus colebatur, imò in curru triumphantium appendebatur: eo quòd ingens gloria inuidiæ ac *fascino* obnoxia sit. Auctor Plinius, lib. XXVIII. cap. IV. A *fascino Fescenninos* quidam versus dici existimarunt, quia ad laudes nimias in nuptiis addebantur, ad *fascinum* auertendum. Sed minimè puto veterum fuisse opinionem, verborum lasciuiâ, qualis in *Fescenninis* erat versibus, *fascinum* arceri. Quare magis verisimile sit, sic dici à *Fescenia*, Hethruriæ ciuitate. Vtramque opinionem adducit Festus, siue Paullus, his verbis, *Fescennini versus, qui canebantur in nuptiis, ex vrbe Fescennina dicuntur allati, siue ideo dicti, quia fascinum putabantur arcere.*

Fascis, Angelo Caninio, & Nunnesio in Grammatistice, κατὰ μετάθεσιν fieri placet à σφάκελος, quod in veteribus Lexicis legas idem esse ac φάκελος, hoc est, *fascis.* Becmanus censet, & *fascis* & *fascia*, venire à קשש quod est *congregare.* Sed Hebræum longius abit. Σφάκελος autem legas apud Dionysium Hal. lib. VII. Apud eundem, lib. X. est φάκελος φρυγάνων, *fasciculus virgultorum.* Vnde si deducere iubet, dicendum S inseri, vt in aliis multis. Vel erit à Dorico πάσσω pro πήσσω, hoc est, *compingo, compono, struo.* Quod non displicuit Martinio. At quod Perottus volebat, à *faciendo fascem* dici, quia ligando *fiat*: id, cùm nimis latè *faciendi* vox pateat: nec in *fasce* quicquam sit singulare, cur ei id nomen tribuatur: meritò rejicitur. Etsi autem generalis sit *fascium* vox, tamen speciatim competit magistratuum *fascibus*, vti Dictatorum Romæ, qui XXIV; consulum, qui XII; prætorum prouincialium, qui VI; prætorum vrbanorum, qui bini. Erant autem *fasces* isti fasciculi virgarum, quibus erat obligata securis, ita vt ferrum in summo exstaret; quemadmodum ex picturis vett. videmus. Caussam huiusce rei aperit Plutarchus in Problematis. Hinc *fasces submittere*, hoc est, alicuius reuerentiâ lictores, qui *fasces* gestabant, à se dimittere. Ita, vt Liuius lib. II. testatur. Publicola consul acturus cum populo, *fasces* maiestati populi Romani submisit, quod nihil aliud est, quàm lictores à se, dum concionaretur, abire iussit, dans hoc maiestati pop. Romani. Et Cn. Pompeius, cui se oriens occidénsque submiserat, is (vt Plinius scribit lib. VII. cap. XXX.) submisit laureatos *fasces* ianuæ Posidonij Philosophi, hoc est, ædes Posidonij ingressurus, reuerentia eius iussit à se lictores secedere, insignia que imperij tantisper dum adesset ei, non vsurpauit. Quæritur vnde sit *fasciatim*, à *fascis*, an à *fascia.* Soluit nodum Charisius, cap. de Aduerbio: *Fasciatim non à fascia putant tractum, sed à fasce. Siquidem fasciatim tractum non per fascias sed per fasces, vt centuriatim, non per centuriones, sed per centurias.*

Fastigium à *fastu* eâ ratione factum videtur, quâ à *lite* est *litigium.* Sanè *fastigium* altitudinem notat: at qui *fastu* turgent, alta solum crepant. Hinc *fastigiare* & *fastigiatus*: item *fastigare* & *fastigatus.* Martianus Capella, lib. VII. *Qui vituperatione caruerit, laudibus fastigetur.* Sidonius, lib. III. epist. VI. *Vt hactenus parentum nobilitate decorabat, ita etiam nunc titulorum parilitate fastigat.* Quibus locis *fastigare* est *attollere, eleuare.* Similiter *fastigatum* ponitur pro summo ac supra cætera elato. Ammianus Marcell. initio lib. XXXI: *Nec enim apud eos vel arundine fastigatum reperiri tugurium potest.* Solinus extremo cap. XXXIV. *Pyramides turres sunt in Ægypto fastigatæ, vltra celsitudinem omnem, quæ fieri manu possit.* Et *fastigatissimus.* Sidonius, lib. I. epist. IX: *Duo fastigatissimi Consulares.* & lib. II. epist. VI: *Ad arcem fastigatissimæ felicitatis euectus.*

Fastvs & *nefastus* dies, vnde dicatur, ostendunt hæc Varronis verba, lib. V. de L.L.: *Fasti dies, quibus certa verba legitima sine piaculo prætoribus licet fari. Ab hoc nefasti, quibus diebus ea fari ius non est, &, si fati sunt, piaculum faciunt.* Similiter Festus, voce *Fastis.* Ac cofirmat his verbis Ouidius I. Fast.

> *Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur,*
> *Fastus erit, per quem lege licebit agi.*

Sed Varro etiam explicat, quæ fuerint hæc verba, quæ fasto die fari, nefasto non liceret: nempe *Do, Dico, Addico*: quibus verbis tota continetur iurisdictio, vt monuit Turnebus. Nam *Do* actionem, *Dico* ius, *Addico* aliquid mea sententiâ. Fortasse tamen *fastus* non ἀμέσως est à *fando*, sed à *fas*, quod à *fando*, quia *fari* dignum: cui contrarium *nefas*, & *nefandum*, quasi *non fandum.* De voce *fasti* assentit Beda lib. de Orthogr. *Fas per F indeclinabile: vnde fasti dies, quibus ius fatur.* Vt à *ius iustus*, sic à *fas* erit *fastus.* Verùm si pensiculatè rem examinemus, comperiemus neutrum esse verum; sed poterit *fastus* esse ab antiquo φαστός. Ratio autem etymi fuerit omnino eadem. Nam & φατὸς est *fatus*, à φάσκω, quod à φάω, seu φημί, id est, *dico. Fasti* autem Ovidiani sic dicuntur, non à *festus*, quia in iis dies *festi*, quod mutilator Festi Diaconus scribit: sed quia in iis referantur dies *fasti*, qui longè plures, quàm *nefasti.* A potiori igitur fit denominatio. Gloss. Philox. *Fastus*, ἡμερολόγιον. At in Glossis Cyrillo tributis legas, ἡμερολόγιον, *diurnium.* Nempe in *fastis* dierum omnium ratio exponitur. *Fastus* quoque pro *superbia* dicitur à φαστὸς, siue φάσκω: Nempe quia superbi *grandia fantur.* Inde *fastidium*, & *fastidire*, quod propriè est *cum fastu aspernari.*

Fateor, cum primam corripiat, non tam à *fatus* seu *fari*, esse arbitror, quam à φατὸς id est, *fatus*, quod à φάω, seu φημί. Sanè similiter *patior* est à παθὼς vel παθητὸς, quòd à πάθω, id est, *patior.* A *fateor* est *diffiteor*, & fortasse *infitias*, de quo seorsim.

Fatim vett. dixisse colligitur ex iis, quæ inde componuntur. Ac vel est à *fando*, quasi copiam signet, quam difficile sit *fari*: vel (vt ex iis liquebit, quæ de *affatim* mox dicam) à Græco φατὸς, si ita dixere Græci: sin minùs κατ' ἀφαίρεσιν à Græco ἄφατος. Nam Hesychius ἄφατον exponit ἀμήχανον, πολὺ, ἄρρητον, ἀμύθητον, ἄπειρον. Sanè aphæresis huiusmodi in multis occurrit: vt ἄγρος, *rura*; ἀστὴρ, *stella*; ἀμέλγω, *mulgeo*; ἁλμυρὸς, *muria*, & similia. A *fatim* est *affatim*: vbi *ad* est ἐπιτατικὸν, vt Gellius docet, lib. VII. cap. VII. Itaque in Philoxeni Glossis exponitur, ἄχρι μεστώσεως, ἱκανῶς. Alterum etiam etymon ponit Priscianus, in XV. *Ab affatu, affatim, vel magis à Græco ἀφάτως, id est, abundè, & corripitur fa.* Sanè mediæ syllabæ modulus videtur arguere esse potius à Græco. Nam corripit eam Accius:

> *Tum iecore opimo farta & saturata affatim.*

Ac similiter Plautus, Pœnulo, Act. III. Sc. I. & Milite Actu IV. Sc. I. Vti & Prudentius, hymno post ieiunium:

> ——— *Fruimurque mensis*
> *Affatim plenis, quibus imbuatur*
> *Prona voluptas.*

Aratoris verò habenda ratio non est, cum producit hoc versu:

> *Suppetit affatim exemplorum copia, nósque.*

Sed potest dici, *fatim*, & *affatim*, venire à *fari*, esse vero inter ea, quæ non proximam, verùm remotiorem, originem sequuntur. Nam *fari* est à φάω, vt diximus. Et eò verisimilior est hæc sententia, quia similiter in *facundus*, qui à *fando* dici creditur, corripitur prima. Solùm obstat, quòd nisi esset ab *ad*, non produceret primam. A *fatim*, & *hisco*, est *fatisco.* Itaque Seruius ad illud I Æn.

Laxis

——— *Laxis compagibus omnes*
Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt:

Fatiscunt, interpretatur, *abundanter aperiuntur*. Atque addit: *Fatim enim abundanter dicimus, unde & affatim. Hiscere autem frequentatiuum verbum ab hiare*. Ab eodem, *fatigo*, quasi *fatim ago*, hoc est, *hac agito, atque ita ad lassitudinem perduco*. Cur penultimam producat, contra simplicis naturam, diximus in *Ambages*.

F A T V M à *fando*. Nam ita dicitur *Dei fatum*, hoc est, *dictum, iussum, decretum, voluntas Dei*. Sic Nonius, cap. IV. item Priscianus, in XII: *Gentilium more si loquamur, fatum dictum, quia illud Iupiter sit fatus Parcis, quæ voluntatem eius etiam inscripsere tabulis: siue quia id Parcæ sint fatæ*. Varro, lib. v. de L.L. *Ab tempore quod pueris constituunt Parcæ fando, dictum fatum, & res fatales*. Seruius ad Ecl. 4: *Fata dicta à fando, quia quæ Parcæ dixerunt, hæc credebantur euenire mortalibus*. Quæ hæc de Parcis, ea aspernantur Christiani; non item *fatum* cuiusque ἱμαρ. Minutius Felix in Octauio: *Quid enim aliud est fatum, quam quod de vnoquoque nostrum Deus fatus est?* Impie itaque poeta de Didone, IV. Æneid.

Nam, quia nec fato, merita nec morte peribat

Quem vnum errorem sibi in Marone repertum dicebat Magnus Cæsar Scaliger. Fuisse enim Didoni *fato* mori *præter fatum*. Sed si *fato* mortua, est *præter fatum*, negari non potest eam & *fato* mortuam esse, & non esse, pro diuersa eius vocabuli acceptione. Nam *fati* nomine interdum intelligitur *numinis voluntas*, cui obsecundant omnes: interdum *vis naturæ* indita à Deo, per quam ad nonagesimum, vel centesimum, vel centesimum & vigesimum ætatis annum peruenire homines possunt. *Fato* igitur pereunt, qui pertingunt ad hoc tempus naturæ diuinitus præstitutum. At *præter fatum* discedunt, tum qui ruina, aut naufragio, aut gladio, aut veneno pereunt: tum qui Baccho, aut Venere, aut simili culpa corpus eneruant, mortémque accelerant. Et tamen hi quoque morientes dicuntur *fatis concedere*, respiciendo numinis decretum: non pereunt fato, si respiciamus tempus, quod natura viuere permittit. Sic enim præueniunt *fatum*, ac moriuntur ante diem, non quidem ante diem suum, quia, vt Poeta ait, *Stat sua cuique dies*: Sed diem ἁπλῶς, quomodo idem ait,

——— *Merita nec morte peribat,*
Sed misera ante diem. ——

Et Ouidius:

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Sed de *fato* plura si voles, Philosophos adi, & disertissimum Muretum, ad III. inuectiuam in Catilinam; vbi docet, quid *fatum* sit, & cur pro morte non quauis ab natura prouenieute à veteribus ponatur. A *fato* deriuando est *fatidicus*, hoc est, qui *fatum* cuique fortem, & quid omni vita futurum sit, prædicit. Glossæ: *Fatidicus*, μαντικός, ὁ, μάντις, ὁ τὰ τῶν ἀνθρώπων λέγων καὶ τὴν μοῖραν.

F A T V V S, & *stultus*, differre ostendunt hæc Isidori verba lib. x: *Stultus hebetior corde, sicut quidam ait, Ego me stultum stultum esse existimo, fatuum esse non opinor: id est, obtunsis quidem sensibus, non tamen nullis*. De etymo sic idem eodem libro *Fatuus ideo existimatur dictus, quia neque quod fatur ipse, neque quod alij dicunt, intelligit. Fatuos originem ducere quidam putant à miratoribus Faunæ Fauni vxoris fatuidæ, eósque primum Fatuos appellatos, quod præter modum obstupefacti sunt vaticiniis illius vsque ad amentiam*. *Fatuos* à *fando* deducit & Varro, in vi de L.L. item Donatus, in Eun. v. IX. & Seruius, in VII. Æn. Nempe *quia inepte multa fari solent*. Atque hoc etymon confirmat, quod Belgæ similiter *fatuos narre* vocant *à narrando*. Videtur tamen obstare, quòd *Fatui* vox olim non ponebatur in vitio. Nam vates suos *Fatuos* à *fatu* vocabant: quomodo & ipsum *vates* à φάτις. Quare videtur *fatuus* à *fando*, id est, *vaticinando*, dictus. Sed quia *vates* furore correpti vaticinarentur: inde pro *vesano* sumi cœpit. Seruius in VII. Æn. *Quidam Deus est Fatuellus, huius vxor est Fatua. Idem sunt Faunus & Fauna. Dicti autem sunt à vaticinando, id est, fando*. Sed nec à vero abludit, *fatuum* esse ab Hebræo פתי (*pethi*) id est, *stultus, simplex*: quæ sententia est Angeli Caninij in Hellenismi Alphabeto, & Theodori Bezæ, ad quintum caput Mathæi. Μετωνυμικῶς *fatui* vox translata ad cibos: eâdem nempe ratione quâ *sapere* & de homine & de cibis dicimus. Martialis, lib. XIII.

Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quàm sæpè petet vina piperque coquus.

Omnino falluntur, qui putant, vt à βλίτον, hoc est *beta*, cuius sapor *fatuus* venit *bliteus* pro *stulto*: ita & *fatuus* propriè dici de *cibis insipidis*: μεταφορικῶς ad *homines insipientes* transiisse.

F A V C E S, à *fundendo* vel *fando*. Isidorus, lib. XI: *Fauces à fundendis vocibus nominata: vel quod per eas fauntur voces*. Posterius rectum, nisi quod non tam est à Latino *fari*, quam Græco: nempe Æolico φαύω, pro φάω, à quo & *faustus*, & *Faunum* superius deducebamus.

F A V E R E quasi *fari aueo*, vti aiunt. Sed non compositum est: verùm deriuatum: nempe à βοάω, *iuuo*, quæ Nonnelij est sententia, vt α expellatur, & β in *f*, & ο in *v* commutetur: quod interdum fit. Vel fuerit à *fari*, quia notat *bona fari*, vt inquit Festus: vel potius (quia prima in *fauere* corripitur) cum Iosepho Scaligero deducemus à φάω, quanquam non inde ἀμέσως veniat, sed φαοῦν & φαύειν. Nam à φάω fit φαύω, & ν inserto φαύσκω, vnde poeticum πιφαύσκω seu πιφαύσκω, quæ idem notant, ac simplex φημί. Non tamen *faustum* ἁπλῶς dicitur *omne dictum*, sed *bene ominatum*, similitérque *fauentes*, non quotquot *fantur*, sed beniuoli, qui *bona fantur ac precantur*. Festus: *Fauentia bonam ominationem significat. Nam præcones clamantes, populum sacrificiis fauere iubebant. Fauere enim est bona fari. At veteres Poetæ pro silere vsi sunt fauere*. Nempe eò *fauere* pro *silere* dicebant, quia *fauentes cum silentio attendebant*. Sed *bona fari* notat in hoc Nasonis:

Postera lux oritur, linguis animisque fauete,
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

Hoc Græci dicunt εὐφημεῖν. *Fautor* à *fauendo* esse nemo ambigit. Dubium tamen, an à supino *fautum* sit *fautor*, qua ratione à supino *cautum* est *cautor*: an vero sit κατὰ συγκοπὴν factum ex *fauitor*. Nec eo necesse habeamus à præsenti deducere. Nam vt ab *habeo*, *habitum*, sic à *faueo* ἀναλόγως fit *fauitum*: vnde *fauitor*. Vsus Plautus, prolog. Amphitr.

Sat habet fauitorum semper qui recte facit,
Si illis fides est, quibus est ea res in manu.

Improbat id Charisius, qui *fauitor* nec autoritate nec ratione dici ait. Verum Nonius in Lucilio *fauitor* agnoscit. A *fauendo* dici *Fauonium*, ostendimus suo loco.

F A V I L L A, deserta igne scintilla, vt ait Seruius in illud III. Æn.

——— *candente fauilla.*

Itaque Perotto dici placet quasi *fouilla*, quod abstrusum ignem foueat. Sed omnino est à φάω, siue Æolico φαύω significante *luceo*. Nam quod Latinis *fauilla*, id Græcis similiter αἴθαλη ἀπὸ τοῦ αἴθειν. & fortasse, σπινθὴρ quoque à φάω, quasi φάινθηρ. fortè item μαρμαίρω à μαίρω siue μαρμαίρω, *luceo*: nisi hoc potiùs à μαρμαίρω, vt sit μαρμαρυγὴ αὐγή.

F A V I S S A duplicem habet significationem. Nam sic dicebantur *cisternæ templi*; quarum vsus ad aquam. Nam *cisterna* propriè λάκκος, siue puteus in terra factus muníturque ad aquam continendam. Præterea *fauissæ* erant *cellæ cisternis similes*, non ad aquam, sed ad recipiendas res sacras vetustate collapsas. Vtramque significationem agnouit Festus. De priori ait: *Fauissas locum sic appellabant, in quo erat aqua inclusa circa templa*. De altera subiungit: *Sunt qui putant, fauissas esse in Capitolio cellis cisternisque similes, vbi reponi erant solita ea, quæ in templo vetustate erant facta inutilia*. Ac Varro similiter apud Gellium, lib. II. cap. X. ait, *fauissas esse cellas quasdam & cisternas, quæ in area sub terra essent, vbi reponi solerent signa vetera, quæ ex eo templo collapsa essent, & alia quædam religiosa è donariis consecratis*. Vbi *cisternas* vocat κατὰ μεταφοράν, pro quo Festus dixerat *cisternis similes*. In postremis verbis reposuimus *e donariis*, sententia sic exigente: In vulgatis præpositio desideratur. Ex his verò liquet, cur *fauissa* in veteri Onomastico θησαυρὸς exponatur. De etymo nunc videamus. Valerius Soranus, vt ibidem Gellius docet, sic dici putabat quasi *flauissas*, quod iis *flata* signatáque pecunia conderetur. Quod si est, perperam primam corripit Cæsar Scaliger, cùm à *flatum* si sit, debeat produci. Versus eius est in Apiculis, Titulo de Poëtis ciuibus è Rep.

Quæ possunt de Socraticis exisse fauissis.

Sed iure hoc Valerij etymon sequi noluit vir summus. Est enim *fauissa* ab antiquo *fauio* pro *foueo* vel *fodio*. Nempe qua forma à *vibro*, *vibrissa*; à *caueo*, *cauissa*, vnde *caussa*, ac apud Appuleium in Apolog. à *faueo*, *fauissor*: pro quo Lipsius *fauitor* reponit. Sed alterum illud est in omnibus libris. Atque eorum auctoritatem secutus Philippus Beroaldus, vtitur hac voce in quadam epistola. De antiquo illo *fauio* vel *fouio*, vnde *fouea*, diximus in *Fodio*.

F A V O N I I de etymo sic Isidorus lib. XIII. c. V: *Fauonios appellabant, quia quædam animalia Fauonio spiritu hausto concipere existimantur*. Sunt item quibus placet, *Fauonium* dici quasi *fouonium*, quia *foueat sata*. Sed omnino est à *fauendo*, quia *faueat genituræ*: vnde Lucretius, l. III.

——— *viget genitabilis aura Fauoni.*

Plinius,

Plinius, lib. XVI. cap. XXV: *Hic est genitalis spiritus mundi, à fouendo* (in MSS. rectius est *fauendo*) *dictus, vt quidam existimauere.* Græcis similiter (vt suo loco diximus) Ζέφυρος appellatur, quasi ζωηφόρος, hoc est, *vitam adferens.* Sanè, vt Maro I. Georg. ait:

Vere nouo ——— Zephyro putris se gleba resoluit:

éstque is ventus αἰθριώδης, & tranquillitatem facit; vt de eo ait Plautus, Mercat. act. V. sc. II. *Zephyrum & Fauonium* distinguit Vegetius, lib. IV. cap. XXXVIII. his verbis: *occidentalem verò cardinem tenet* Ζέφυρος, *id est, subuespertinus* (Sic è codd. vett. eum locum supplet Stevvechius;) *huic à dextra iungitur* Λίψ, *siue Africus, à sinistra* Ἰάπυξ, *siue Fauonius.* Sed Vegetio opponimus illud Senecæ, lib. V. natur. quæst. cap. XVI: *Æquinoctialis occidens Fauonium mittit, quem zephyrum esse dicent tibi, etiam qui Græcè nesciunt loqui.* Eadémque sententia Plinij, lib. XVIII. cap. XXXIV: *Tamen est siccior Fauonius, ex aduerso eius ab æquinoctiali occasu, zephyrus Græcis nominatus.* Similiter Agellius, lib. II. cap. XXII: *Fauonius, qui Græcè vocatur* Ζέφυρος. Appuleius, lib. de Mundo: *Zephyrus, quem Romana lingua Fauonium nominat.* Isidorus lib. X. cap. V. auctor est, ab hoc vento *spurios* dici *fauonios*, quia patrem nesciant, eóque matres eorum similes sint animantibus, quæ *fauonij* venti haustu concipere creduntur.

FAVSTVS, à *faueo.* Nonius: *Faustum, quasi à fauendo dictum, ac per hoc prosperum & propitium.* Vel potius est à Græco φαῦσις, quod a φαύω, hoc est, φάω, siue φημί. Sanè *faustum* est, si omnes εὐφημοῦσι, *bonáque verba fantur.* Attius, OEnomao:

Ciues omnibus faustis augustam adhibeant
Fauentiam, ore obscœna dicta segregent.

A *faustus* est *Faustulus*, pastoris nomen. Est & commune à *faustitate fœtura.* Festus: *Faustulus porcellus, fœtura porcorum.* Quemadmodum autem *faustus* non tam à *fauendo* cum Nonio deducimus, quam à φαύω, id est, *dico*: ita *Faunam* quoque, *Fauni* vxorem, non tam nomen puto ex eo habere, quia *omni vsui animantium faueat* (vt Cornelius Labeo auctor est, apud Macrobium, lib. I. Saturn. cap. XII.) quam à φαύω nempe quod *mulieribus fata canere consueuisset*, *vt Faunus viris*: quemadmodum ex C. Basso tradit Lactantius, lib. I. de Fals. Relig. cap. XXII. Sanè eadem est origo *Faunæ*, ac *Fauni*, quem à *fando* dici, Varro tradit, lib. XI. de L. L. Et Isidorus lib. VIII. cap. XI. Tantum in eo lapsi, quod à Latino *fari* deduxere, cum sit à Græco φαύω, quod est *fari.* Interim ratio nominis eadem est. Similis error, cum à Latino *fari* deduxere *Fatuum* ac *Fatuellum*, deum, & deam *Fatuam*, quæ à Græco φάω, siue φάτις, vt quantitas ostendit. Eundem verò esse *Faunum*, *Fatuum*, ac *Fatuellum* ait Servius in VI. Æn. Quod argumento est, ab eadem hæc origine venire. Nempe à φάω, vel φαύω. Vel dicamus, *Faunus* esse à Πᾶν. Ridiculum durúmque etymon videtur. Sed Æoles vt μάρτυρος pro μάρτυς dixere, sic Πᾶνος pro Πᾶν. Prius ex *Panus*, spiritu addito, sic factum *Phanus*, seu *Fanus*: & *a* in *o* vel *au* conuerso, *Fonus* & *Faunus*, vt veteres pro *osculor* dixere *ausculor* teste Festo; item ex ὀρείχαλκος fecere *aurichalcum.* Hanc sententiam firmat illud Dionysii Halicarn. de Fauno: Τούτῳ δὴ οἱ Ῥωμαῖοι τὰ Πανικὰ ἀνατιθέασι, καὶ ὅσα φάσματα. Et sanè vetus scriptor de origine gentis Romanæ eundem ait Deum, *Pana, Faunum, Inuum, & Syluanum.* De *Pane, Fauno, Inuo*, idem apud Seruium inuenio, in illud VI. Æn. *Pometios Castrúmque Inui.* Sed de *Syluano* abeunt alii. Distinguit enim *Faunos & Syluanos* Ouidius, I. Met.

Sunt mihi semidei; sunt rustica numina Fauni,
Et Nymphæ Satyrique, & monticolæ Syluani.

Item Plin. lib. XII. cap. I: *Quin & Syluanos Faunósque, & dearum genera syluis ac sua numina tanquam è cœlo attributa credimus.* Itidem distinxit *Panas & Syluanos* Lucanus, lib. III:

Hanc non ruricolæ Panes, nemorúmque potentes
Syluani, Nymphæque tenent.

Imo Maronis quoque est:

Panáque, Syluanúmque patrem, Nymphásque sorores.

Vbi Servius: *Pan syringa amauit, Syluanus autem cupressum.* Sed conciliare hæc possumus, vt non aliter differant, quàm Πᾶν & Αἰγίπαν. Nam Plutarchus in parallelis testis est, *Syluanum* esse *Ægipana*: Καὶ ὡς τοῦ χρόνου ... Αἰγίπανα, ... Ῥωμαίων φωνῇ ... Σιλουανόν. Αἰγίπαν vnde dictus sit, ostendit hoc Luciani de Pane: Ὁ δὲ ἐξ ... αἰγὶ ἐοικώς. Meminit & *Ægipanum* Plinius, lib. V. cap. I. vbi de Atlante, & lib. VI. cap. XXX. vbi de Æthiopia. Vtrobique *Ægipanas & Satyros* iungit. Posterior locus est Pomponij Melæ lib. III. cap. X. Qui pro eo habet *Panes Satyrósque.* Vnde colligere licet, *Panas & Ægypanas*, interdum pro iisdem sumi.

FAVUS, ἑξάγωνος *apum cellula.* Totidem enim angulos habet, quot habet apis ipsa pedes: vt Varro ait, lib. III. de R. R. cap. XVI. Atque hinc etiam *regula* ἑξάγωνος dicuntur *faui* à Vitruuio, lib. VIII. cap. I. Isidorus, lib. XXII. cap. II. *fauum* apum ita dici putat, ἀπὸ τοῦ φαγεῖν; magis enim *edi*, quam bibi. Perottus *fauos* ait nuncupari, quod apes in iis *foueant* fœtus suos. Martinio non displicet, vt sit ab ὕφος, id est, *textum opus.* Nempe vt spiritus asper abeat in *F*, quomodo dies *festus* dicitur ἀπὸ τοῦ ἑορτῆς, & *Falerij* oppidum quasi *Halerij*, ab ἅλς, iuxta Festum, quod ibi *sal* fieret.

FAX, quia *lumen facit*, vt Perottus voluit. Sed *faciendi* vox nimis sanè generalis. Quare non dubium, quin, vt à λάμπω est λαμπάς, sic à φάω, quod idem ac λάμπω sit *fax*, siue à deriuato eius φάος, *lux.* Diminutiuum est *facula*, vnde Belgicum *fackel.*

F E

FEBRIS quibusdam à *feritate* nomen accepisse videtur, Perotto teste: sed rectè ipse à *feruendo* deducit: & ante eum Servius, in III. G. ac Isidorus, lib. IV. cap. VI. nempe quia calida sit totius corporis intemperies. A *ferueo*, seu *ferbeo*, est *ferbis*, & κατὰ μετάθεσιν *febris.* Sic Græcis πυρετός, à πῦρ, id est, *ignis.* Quin Hippocrates πῦρ vsurpare solet pro *febri vehementissima.*

FEBRVA sunt καθάρσια, hoc est, *sacra expiatoria*, vti *februare* est καθαίρειν, *expiare, expurgare.* Varro, lib. V. de L. L. *Rex cum ferias menstruas Nonis Februariis edicit, hunc diem februatum appellat. Februum Sabini purgamentum, & id in sacris nostris verbum.* Nonius Marcellus: *Februare positum pro purgare, & putrefacere.* Varro de vita populi Rom. lib. I: *In eorum enim sacris liba quum sunt facta, iniicere solent farris semina, ac dicere, se ea februare, id est, pura facere.* Est *februare* à *februis*; *februa* autem dicta à *feruore*, quia lustratio fieret plurimum igni, aut vndis feruentibus. Estque *februarum* vox eâ formâ à *feruendo* facta, quâ *febris* ab eodem verbo dicitur. Nempe à *feruo* seu *ferueo* est *ferbuum*, & traiectis literis *februum.* Vide plura huc pertinentia in *Februarius.*

FEBRVARIVS mensis ita dicitur, quia tum *februaretur* populus, hoc est, *expurgaretur.* Nam duodecim diebus continuis tum pro defunctorum manibus *februa* fiebant, hoc est, *sacrificia* καθάρσια, siue *expiatoria.* Varro, lib. V. de L. L: *Vt idem scriptores, ab diis inferis Februarius appellatus, quod tum his parentetur. Ego magis arbitror, Februarium à die Februato, quod tum februatur populus, id est, Lupercis nudis lustratum antiquum oppidum Palati, nunc gregibus humanis cinctum.* Ita eum locum legit Scaliger. Ovid. lib. II. Fast:

Februa Romani dixere piamina patres,
Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem.
Pontifices à Rege petunt & flamine lanas,
Quis veterum lingua februa nomen erat.
Quæque capit lictor domibus purgamina certis,
Torrida cum mica farra vocantur idem.
Nomen idem ramo, qui cæsus ab arbore pura,
Casta Sacerdotum tempora fronde tegit.
Ipse ego flaminiam poscentem februa vidi;
Februa poscenti pinea virga data est.
Denique quodcunque est, quo corpora nostra piantur,
Hoc apud intonsos nomen habebat auos.
Mensis ab his dictus, secta quia pelle Luperci
Omne solum lustrant, idque piamen habent.

Festus: *Februarius mensis dictus, quod tum (id est, extremo mense anni) populus februaretur, id est, lustraretur, ac purgaretur: vel à Iunone februata, quam alij februalem, Romani februlim vocant: quod ipsi eo mense sacra fiebant; eiúsque feriæ erant lupercalia, quo die mulieres februabantur à lupercis amiculo Iunonis, id est, pelle caprina, quam ob causam is quoque dies februatus appellabatur. Quæcunque denique purgamenti caussa in quibusque sacrificiis adhibentur, februa appellantur: id vero, quod purgatur, dicitur februatum.* Ex his colligimus *Februario* nomen esse à *februis*, siue à *februando.* Est præterea triplex sententia de mensis eius appellatione: referam, sed vt damnem. Vna est eorum, qui putant nomen esse a Deo *Februo*: quem plerique *Plutonem*, vel *Plutonis patrem* arbitrantur. Servius in I. Georg. *Februus ditis pater est, cui eo mense* (Februario) *sacrificatur.* Isidorus, lib. V. cap. XXXIII: *Februarius nuncupatur à Februo, id est, Plutone, cui eo mense sacrificabatur. Nam Ianuarium diis superis, Februarium diis manibus Romani consecrauerunt. Ergo Februarius à februo, id est, à Plutone: non à febre, id est, ægritudine nominatur.* Vbi & alterum adferri etymon videmus, sed rejici. Vtrumque etiam coniungit Ho-

norius

norius Augustodunensis, lib. II. qui est de temporibus, cap. v. *Secundus Februarius, a Februo, id est, ab idolis, a Plutone deo infernali, cui hoc mense sacrificabant, dum ciuitatem in eius honore luminibus lustrabant. Dicitur etiam à Febre, id est, frigoribus, à rebus, quia frigidum est illud tempus.* De *febre* autem videtur consentire scriptor Isagoges, quæ Sorani Ephesij nomen præfert, capite XIV. *Februario venam de pollice incidendam, quia tum feruescat terra, & omnia quæ in ea sunt.* Quæ sane à Græco scriptore scribi non potuere, vt hinc quoque rectè comprobetur, scriptum hoc non esse tralationem libri à nobili illo Sorano Ephesio scripti. Tertium etymon docet Athenæus, libro III. vbi ait Iubam Maurum putasse φρυγύμορον vocari quasi φορίμορον, sic enim dici ἀπὸ τοῦ φρύγειν τὰ ὄρνεα καὶ ἀναφέρειν τῶν ὀρνέων. Quartum etymon Suidæ est sane ridiculum. Nomen is accepisse ait à *Februario* quodam, consule Romano, natione Gallo. Cum enim Camillus de Tyrrhenis triumphasset, inuidia percitum clamasse ait, non Camillo victoriam deberi, sed Fortunæ Romanorum: adhæc falsis testimoniis insontem, velut ad tyrannidem adspiraret, eiecisse: sed Camillum, cum Romam à Gallis recuperasset, caussam in iudicium adduxisse, ostendisseque, *Februarium* omnium esse malorum caput ac fontem: proptereàque hunc à lictoribus veste nudatum, & scirpea storea indutum, adhæc virgis cæsum, vrbe esse eiectum, relicto ab eo nomine mensis, sed cæteris breuioris.

Fel, si Isidorum audimus, lib. XI. cap. I. propriè sit *vesicula bilis*, atque ita dicatur à *folliculus*. *Fel, inquit, appellatum, quod sit folliculus gestans humorem qui vocatur bilis.* Sed si est *vesicula bilis*, cum eius sit attrahere bilem, videri possit nomen accepisse à *fello*, id est, *sugo*. Magis tamen eo inclino, vt *fel* κατ' ἀναλογίαν sit ex χόλος. Nempe vt Χ abeat in F, quemadmodum in B abit cùm ex voce χολῆς fecere *bilis*.

Felis est quæ Græcis αἴλουρος, ac *cattus* dicitur tum Germanis & Anglis, tum Italis, Gallis, Hispanis. *Felis* videri possit esse à φῆλος, *fallax*, *impostor*. Est enim animal callidum & fraudulentum. Quippe, vt Plinius ait, libro X. cap. LXXIII. *Feles quidem quo silentio, quam leuibus vestigijs obrepunt auibus! quam occulto speculatu in musculos insiliunt! Excrementa sua effossa obruunt terra, intelligentes odorem illum indicem sui esse.* Vbi quod de occulta speculatione ait, confirmat eorum sententiam, qui *cattum* deriuant à *cattare*, id est, *speculari, attendere*. Lexicon Arabicolatinum: *Musicum cattum, quod cattat, id est, videt.* Sed de etymo *catti* fallatur. Nam *cattare* est corruptum ex *captare*: dicitúrque de ijs, qui obseruant & captant occasionem. Sed neque accedo ijs, qui *cattus* putant esse ex *catus*, quia sit *animal catum*. Omnino enim vox est, quam Germanis debeant gentes aliæ. Illis enim *animal* hoc dicitur *cat* & *kes*. Posteriori modo hodiéque Brabanti nuncupant. Germani per *C H* protulere: vnde alij *C* alij *H* sustulere. Finale autem *T* & *S* commutantur Germanis: vt *wat*, *was*, *wasser*, *water*. Hæc caussa est, cur ijdem populi Germaniæ dicti sint *Catti* & *Hessi*. Αἴλουρος Varino sic dici videtur παρὰ τὸ αἰόλλειν καὶ κινεῖν τὴν οὐράν. Sed si posterior pars sit οὐρά, prior potiùs sit αἰκάλλειν, quod Hesychius exponit θωπεύειν, *adulari*. Αἴλουρος igitur vocatur, quia αἰκάλλει τῇ οὐρᾷ; *quia cauda blanditur*. Monet Salmasius pro αἴλουρος antiquos dixisse αἴλος, quod Æolico digammate præmisso sit ϝαιλός; vnde est *felis*. In vett. enim codd. *faelis* per diphthongum scribitur. Sanè placet. Αἰλὸς verò, vt puto, ab αἴλλειν; ab eadem caussa vnde αἴλουρος vocatur. Κατὰ μεταφορὰν sumitur *felis* pro *rapaci*, aut *fure*. Vt *feles virginaria*, vel *virginalis*, pro *lenone virginum raptore*, apud Plautum, Persa, IV. IX. & Rudente, III. IV. item *feles pullaria*, pro *pullorum*, seu *puerorum fure*, Ausonio Epigr. LX. X. Alij *felles* scribunt geminatâ liquidâ: sed perperam, vt puto.

Felix in vett. lib. ac lapidibus absque diphthongo scribi consueuit. Ac firmat hanc sententiam, quod nomen proprium *Felix*, Actorum Apostol. cap. XXIV. vers. XXIV. Φῆλιξ scribitur per η. Quare quid, si qua ratione Verrius, Seruius, Isidorus voluere, à *falo* esse *felix*, quia *faliat* atque excrescat cito, eâdem nos ratione dicamus à *feo* esse *felix*, quia *fecunditas* sit *felicitatis* pars? Sanè inter εὐδαιμονίας πολλαπλοῦς partes πολυτεκνίαν καὶ εὐτεκνίαν reponit Aristoteles, primo Nicomachiorum. Atque hinc, credo, in Onomastico legas: *Fecundo*, εὐδαιμονίζω. *Feo* autem, quamquam nunc in vsu non est, tamen eius vestigia habemus, in *fetus*, *fecundus*, *femen*, *femina*, atque aliis, de quibus alibi dictum. An potiùs dicendum, quæ Becmanni opinio est, *felix* esse ab ἧλιξ, seu ἡλικία, quod generatim *ætatem* notat; strictè autem ponitur pro *ætate florente*, belloque apta? qua ratione *felix* propriè sit, qui vegetæ est ætatis, corpore animóque valens. Iuuat opinionem hanc, quod Phrynicho, Polluce teste, *iuuenilis ætatis femina* ἀμφῆλιξ vocetur, quodque ἔφηλιξ dicatur pro ἔφηβος. Erit autem ἧλιξ, *felix*, spiritu in F conuerso, quomodo *festus dies* vocatur ab ἑστιᾶν, quod est *festum diem agitare*, *natalitia*, aut *nuptialia*, *festum*, *celebrare*.

Fellare, seu *felare*, quidam à *fele* animali deduxere vel à φιλεῖν. Quæ inepta. Planè est ab Æolico φηλᾶν, pro θηλᾶν, hoc est, *mammam sugere*. Hoc à θηλὴ, id est, *mamilla*, vel *papilla*. Nam Æoles, & horum imitatione Attici, Θ mutant in Φ, vt φὴρ pro θὴρ, φλᾶν pro θλᾶν. Eos autem Latini solent imitari: vt à θέω, *fio*, vnde *fissio*: à θυμιῶ, *fumo*. Similiter igitur θηλῶ, *fello*, id est, *sugo*; id enim propriè notat. Nonius: *Fellare*, *exugere*. *Varro*, *Marcio*; *Tum eum*, *ad quem venimus in hospitium*, *lac humanum fellasse*. Idem, Sesquiulysse: *Nisi quod lupam alumni fellarunt olim*. Par ratio in *fellito*, seu *fellico*. Arnobius, libro II. *Exsugerent fellicantes mammas*. Et Solinus, cap. XLVII. *Quod* (Hippomanes) *si præreptum fuerit statim, nequaquam mater pullo vbera præbet fellicanda*. Ita rectè legitur: non (vti corrigit Delrio) *vellicanda*: quod verbum non satis huic loco aptum. A *fello* est *fellito*, vt à *cerno*, *cernito*. *Fellico* si rectum, erit vt *fodico* à *fodio*, *vellico* à *vello*. Coruus *fellator*, vt Martialis ait, habitus. Nempe quia, vt est apud Plinium, *ore eos parere aut* (leg. *ac*) *coire vulgus arbitratur*. Dixit hoc Aristoteles γίγνεσθαι κατὰ τὸ στόμα.

Femur Perottus dici putabat, quia *ferat* ac sustineat animal. Sed cùm ea pars generationi inseruiat, placet potiùs esse ab obsoleto *feo*, vnde *fetus*, *femina*, aliáque. Vel κατὰ μετάθεσιν, fuerit ex Græco μηρὸς, quod idem signat. A *femine* dictum *interfeminium*, quia *inter femina*. Vide hac de voce dissertantem Appuleium in Apologia. Isidorus, lib. IX. cap. v. *Familiam* dici putat quasi *femiliam*, à *femina*, qua voce *genus & stirps ostenditur*. Itaque *familia*, ex mente Isidori erit *cœtus eorum, qui ab eodem sint femine*, hoc est, *ijdem parentibus*. Sed hanc sententiam refellimus voce *Familia*, vbi ostendimus, esse ab Osco *famel*, quod *ministrum* cibi notabat, ἀπὸ τοῦ φαγεῖν.

Fenestra, vel à *fenerando*, *quia lucem fenerantur*: vel à φῶς, *quia lucem intus præbent*: vel ex Græco φῶς & Latino *ministro*. Hoc triplex etymon adducit Isidorus, lib. XV. capite VII. *Fenestræ sunt quibus pars exterior angusta & interior diffusa est, quales in horreis videmus, dictæ eo quod lucem fenerentur. Vel quia per eas intus positus homo foras videt. Alij fenestram putant dictam, eo quod domui lucem ministrat, compositum nomen ex Græco Latinóque sermone. Φῶς enim Græcè lux est.* Sic legendus is locus. Rectiùs Nonius, qui deducit ἀπὸ τοῦ φαίνειν, vt quasi dicatur quasi *phanestra*. Nam Æ interdum in E breue conuerti, liquet ex βαίνω, à quo *venio*; ... ex quo *venio*; ἔλαιον, vnde *oleum*; aliaque id genus, de quibus suo loco dicturi sumus. Vel dicendum, *fenestra* esse ab aoristo ἔφηνα, vt *A* in *E* commutetur: quomodo ab *ager* est *peregre*; ab *ars*, *iners*, &c. Vel à φαίνω fuerit φανίζω, vt à πολεμῶ, πολεμίζω, ab αἰτῶ, αἰτίζω. A φανίζω fit φάνιστρα, vt à παλαίω, παλαίστρα. Apud Latinos etiam à *moneo*, *monstrum*. Ex *fenestra* factum *festra* κατὰ συγκοπήν. Festus: *Festram antiqui dicebant*, *quam nos fenestram*. Sed codex MS^tus^ habet *frestra*. Vt fortasse fuerit *fnestra*. Cui simile Belgarum *venster* quasi à *fenestra*. Sed plures libri *festra*. At Festi verba non satis hæc quid *festra* sit, exponunt. Erat enim *festra* non omne id, per quod lux in ædes admitteretur: sed minusculum sacrarij ostium, siue hoc ita dicatur, quia *fenestra* magis quam ostij similitudinem haberet; siue ἁπλῶς ab generali notione τοῦ φαίνεσθαι, quia per eam conspectus pateret. Et fortasse vt à φανίζω, φάνιστρα, sic à φάος vel φάω (vnde φάος & φαίνω) φάστρα: vt nulla syncope sit opus.

Fenum, an *fœnum*, scribi debeat, quæritur. Per OE scribit Isidorus, vt qui à φῶς deducat. Verba eius sunt, libro XVII. capite IX. *Fœnum dictum*, *quod eo flamma nutritur*; *Φῶς enim flamma est*. Idem facit Iouianus Pontanus, in Actio fol. CXXXIX. edit. Ald. vbi prius ait fuisse *fouenum*, atque ita dictum, quod hieme eo foueantur animalia. Sed potior nobis Festi, seu Verrij, auctoritas, quem per E simplex scripsisse, arguit, quod eiusdem esse originis dicit ac *festuca*: & vtrumque venire à *fetu*, vnde & *fenus* deriuat: quam vocem simplici vocali scribendam esse, satis ostendimus in *Fenus*. Festi verba sunt ista: *Fenum appellatur naturalis terræ fetus, ob quam caussam & nummorum fetus fenus est vocatum. Et mox: Apud Græcos eadem res τόκος dicitur. Fenum quoque pratorum ab hac caussa est appellatum. Quando id ipsum manens quotannis nouum parit. Vnde etiam festuca vocata est.* Quod autem ad originem, qua

de caussa à *fetu* deriuat Festus, ob eandem deduco ob antiquo *feo*. vnde *fenus* & *fetus* nascuntur. A *fenum* aliqui *fenículum*, seu *fœniculum*, deducunt, quia vbi exaruit, *feno* similis sit. Isidorus videtur per diphthongum scripsisse. Nam, lib. XVII. cap. XI. *fœniculum* ait vocari, quod thyrsi eius seu radicis succus visum acuat. Nempè quasi sit à φαίνω. Sed prius etymon potius est.

FENVS, an *fænus* per Æ scribi debeat, nec olim conuenit inter antiquos: Sanè vtrumque reperias in monumentis antiquis. Si à φαίνω fit, per Æ scribi debet; sin à *fetu*, rectius E simplici scribatur. De vtroque etymo sic Agellius, libro XVI. capite XII. *Cloatius Verus, in libb. quos inscripsit verborum à Græcis tractorum non pauca hercle dicit curiose & sagaciter conquisita; neque non tamen quædam futilia & inepta.* Et paullò pòst, sed, in libro quarto. *Fenerator*, inquit, *appellatus est, quasi φαινεράτωρ, ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι ἐπὶ τὸ χρηστότερον, quoniam id genus hominum speciem ostentent humanitatis, & commodi esse videantur inopibus nummos desiderantibus: idque dixisse ait Hypsicratem quempiam Grammaticum; cuius libri sanè nobiles sunt super his, quæ à Græcis accepta sunt. Siue hoc autem ipse Cloatius, siue nescio qui alius nebulo effutiuit; nil potest dici insulsius; fenerator enim, vti M. Varro in libro tertio de sermone Latino scripsit, à fenore est nominatus: fenus autem dictum à fetu & quasi fetura quadam pecuniæ parientis atque increscentis: iccirco & M. Catonem, & ceteros ætatis eius, feneratorem sine A littera pronunciasse tradit, sicuti fetus ipse & fecunditas appellata.* Hæc ille. Eadem Nonij sententia: *Fenus*, inquit, *ab eo dictum est, quod pecuniam partus increscenti tempore, quasi fetus aut fetura. Nam & Græcè τόκος dicitur ἀπὸ τοῦ τίκτειν.* Deinde eundem Varronis locum, quem Agellius idémque de Catone subijcit. Quod verò ait de τόκος, id fuse explicatur à B. Basilio περὶ τοκιζόντων. Varroni quoque subscribit Festus: *Fenus*, inquit, *appellatur naturalis terræ fetus, ob quam caussam & nummorum fetus fenus est vocatum, & de ea re leges fenebres. Fenus & feneratores, & lex de credita pecunia, Fenebris, à fetu dicta, quod crediti nummi alios pariant, vt apud Græcos eadem res τόκος dicitur, fenum quoque pratorum ab hac caussa est appellatum; quando id ipsum manens quotannis nouum parit. Vnde etiam festuca vocata est.* Hactenus Festus: Sed quamquam opinio hæc magis verisimilis est, quam illa Cloatij, non tamen in totum adstipulari possum. Nam omnino verius puto *fenus* esse ab obsoleto *feo*: vnde *fetus*, *fecundus*, *femina*, & *femur*, alibi deduximus. Salmasius verò de Vsuris, pag. XXXV. *Fænus à Græco antiquo φόνος venit, quæ est merces, vel pretium, vel etiam pœna, idcirco sic propriè appellarunt pecuniam creditam ea conditione, vt pro eius vsu medij temporis, quamdiu maneret apud accipientem, solueretur aliquid mercedis nomine, quæ est vsura.* A *fenus* est *fenebris*, vt à *funus*, *funebris*. Ita *leges fenebres* legimus in superiori Festi loco. Ab eodem est *fenero*, vt à *funus*, *funero*, à *pignus*, *pignero*. A *fenero* est aduerbium *feneratò*, hoc est, cum *fenore*: vt Asin. Act. V. sc. II. *Ne ille* (*illas*) *ocastor fenerato funditat*, hoc est, malo suo. Et Menæchmis: *Ne illam* (*pallam*) *mecastor fenerato abstulisti.*

FERA; vnde sit, docere conatus Seruius in I. Æn. *Feras dicimus, aut quod omni corpore feruntur, aut quod naturali vtantur libertate, & pro desiderio suo ferantur.* Posteriorem rationem etiam adfert Isidorus, libro XII. capite II. Ac subiungit, *Sunt autem liberæ earum voluptates, & huc, atque illuc, vagantur, & quo animus duxerit, eo feruntur.* Sed rectius Angelus Caninius, qui monet esse ab Æolico accusatiuo φῆρα, pro θῆρα. Æolice enim θ mutatur in φ, vt cùm pro θλίβω dicunt φλίβω, vnde φλιβ... apud Homerum. Atticè similiter φλᾶν dicitur pro θλᾶν. Fortasse tamen Æolicum φὴρ prius est: indéque θὴρ factum. Quod eo verius puto, quia Hebræis פרא, *fera*, quod est apud Iobum XXXIX. v. *Onagrum* reddit vulgatus interpres. Ac suspicatur ad eum locum Mercerus *magro* ... id nomen datum: quia animal sit valde *efferum*, quodque nullo pacto, vel difficulter admodum humana cura mansuefiat; פר, *iuuencus*. Imo & פרך, *sæuitia*, *ferocia*. Quare quin φὴρ, ab Hebræo fonte descendat, vix dubitandum puto. Inde autem *fera*, *ferus*, *ferox*. Nisi & hæc ἀμέσως malis deducere ab Hebræis vocabulis, quæ attulimus. Differunt autem *ferus*, & *ferox*. Nam ferum id animal, quod nullo septo, aut custode, seruatur: *ferox* autem ad mores pertinet. Itaque *Camelopardalis* quidem *ouis fera* dicebatur, non tamen *ferox*, cuiusmodi si sit, *ouis* dici non possit. Nec enim, alio, quàm mansuetis moribus *ouem* refert. Quemadmodum in Oratorijs quoque diximus. Etiam *feri* vocem ad agros transtulere. Festus: *Ferus ager, incultus*. A θὴρ est θηρίον, quod etsi vniuersè notet *feram*, tamen & speciatim accipitur pro *serpente*; vnde Dionysius Halicarnassensis Σ literam vocat θηριώδη, id est, *serpentinam*, *viperinam*, quia sibilum habet serpentis. Estque ab hac notione dicta, *Theriaca*, θηριακὴ, siue *quia è vipera carne fiat*; siue *quod remedium sit aduersus serpentes*, & generatim *aduersus venena*. Hieronymus, libro II. aduersus Iouin. *Carnes viperæ. Vnde theriaca conficitur, quantis rebus aptæ sint, norint medici.* Ex *Theriaca* est nostram *Driakel*, quasi *theriakel*.

FERABITIS, à *feritate*, iuxta Perottum. Prora & puppis ei hoc Nonij: *Ferabites positum pro agresti*. Sisenna, lib. IV. *Et partim ferabite, partim lauro & arbustis, ac multa pinu, ac myrteis abundat.* Sed legendum *fera vitis*, disiunctis vocibus. Nihil vsitatius, quam vt librarij B & V consonum confundant. Reperio & *ferelam vitem*, quam Columella lib. III. cap. II. reponit inter vites fecundas, vt à *ferendo* potius, quam à *feritate*, id nomen accepisse videatur.

FERALIVM duplicem etymologiam ponit Festus: *Feralia*, inquit, *Dis manibus sacrata festa, à ferendis epulis, vel à feriendis pecudibus appellata.* Priorem ἐτυμολογίαν probat Varro, lib. V. de L. L. *Feralia*, inquit, *ab inferis & ferendo, quod ferunt tum epulas ad sepulcrum, quibus ius ibi parentare.* Et Ouid. II. Fast.

Hanc quia iusta ferunt, dixere feralia lucem,
Vltima placandis Manibus illa dies.

Est & tertia ἐτυμολογία. Nam videntur antiqui *mortem* vocasse *feram*, indéque *feralia* dixisse quæcumque ad mortuos pertinent, vt *ferales cyparissos* apud Ouidium; *ferales reliquias*, apud Plinium & Tacitum; *feralem pompam*, VIII. Met. Appuleij; & *ferale epulum*, IV. Florid. Sanè ab accusatiuo Æolico φῆρα erit rectus *fera* priori porrecta; quæ enim *fera* magis effera est *morte*? vt iure ei hoc tributum nomen videatur. Hinc igitur *ferale*, hoc est, νεκρικόν, vt Onomasticum vetus. Quare minimè mirandum, quod & prima in *feralis* producatur: vt apud Maronem, IV. Ænid.

Solaque carminibus ferali culmine bubo.

Et Ouid. II. Fast.

Tum cum ferales præteriere dies.

Imò fortasse & *ferus* olim ancipitis fuit interualli. Saltem in Giffaniana Lucretij editione legitur, lib. III. vers. XLVI.

Aut etiam vetiti, si fert ita fera voluntas,

pro quo in MSS° nostro est, atque etiam ab Aldo editum; *si fert ita forte voluntas*. De voce *feralis* quædam etiam videre potes apud Ræuardum, lib. V. Varr. cap. III. vbi disserit quid Constantinus Imperator in quodam rescripto per *feralem* pestem intellexerit.

FERE, à φέρε, id est, *circiter*, *fere*. Vt φέρε τετράκοσιοι, circiter, aut *fere quinquaginta*. A *fere* autem est *ferme*. M addito, vt à δυνάμει, *damnum*; sed veteres maluere hæc à *fero* deducere. Varro, libro IV. de Ling. Lat. *Ferme dicitur, quod nunc fere. Vtrumque dictum à ferendo, quod id quod fertur, est in motu atque aduenit.* Varroni Romano subijciam locum Galli Varronis, Iulij, inquam, Scaligeri, qui sic de eadem re libb. de caus. L. L. capite CLVIII. *Fere*, inquit, *translatum est à philosophiæ radicibus; quod enim fertur, in motu est; itaque terminum nullum attigit; neque enim à feris ductum fuit, vt aiunt, quoniam feræ sint celeres. Nam & durum est, & nugantur, cum dicunt feras esse celeres, quia sint quadrupedes; nam & aquila sunt feræ & celeres, neque quadrupedes; & multa quadrupedes feræ sunt, neque celeres, vt elephanti: & multæ & quædam celerrima, vt angues; neque canis fera est, & est celer.* Quibus verbis castigat errorem Prisciani. Verba eius sunt in XV. *Sciendum, quod quædam aduerbia non plenè seruant significationem, quæ in nominibus est, quibus deriuantur, vt ferus, fere; sanus, sanè; sensus, sensim. Ideo autem diximus non plenè, quia potest esse aliqua ratio, vt feræ dicantur quæ omni corpore ferantur; quippe cum quatuor pedibus vtantur. Fere ergo pro iuxta, quod celeribus omnia iuxta sunt.*

FERENTARII milites quibusdam (vt Angelus Decembrius scribit lib. IV. de politia literaria parte XXXVII.) dicti videntur à *ferendo*, quòd eorum viribus pugna lacessitur. Verùm omnino vt à *sedendo sedentarius*, ita à *ferendo ferentarius*: siue *quia opem ferrent*, siue *quia ea tantùm arma haberent, quæ ferrentur*. Vsi *ferentarij* voce Plautus, in Trinummo; Cato, de re militari; Sallustius, in Catil. Vide Varronem VI. de L.L. vbi disertim scribit, se in æde vetere Æsculapij vidisse equites pictos iaculum in manu ferentes, cum inscriptione FERENTARII. Non tamen locus is in vulgaris codd. menda vacat. Quippe in his Varro adducens illud è Plauti Trinummo (*Sc. Minus quindecim dies sunt.*)

———*Nam illum tibi*
Ferentarium esse amicum inuentum intelligo.

ferentarium exponit *inanem ac sine fructu*. Quod Plautini loci sententiæ aduersatur. Quare rectè Lambinus legit, *non inanem*, *neque*

neque sine fructu. Est & alter Varronis locus, quo posterior ἐπιφορά confirmatur. Is est III. de vita populi Rom. *Eosdem etiam quidam vocant ferentarios, qui depugnabant pugnis & lapidibus, his armis quæ ferrentur, non quæ tenerentur.* Festum insuper adi, & Nonium.

FERETRVM possis à *ferendo* deducere cum Isidoro, lib. XVIII. cap. IX. Nam, vt ab *aratum*, *aratrum*; à *rutum*, *rutrum*: sic *feretrum* erit à *fertum*, pro quo κατὰ συγκοπὴν dicebant *fertum*, vnde remansit *fertile*. Interim verisimilius est, quod idem Isidorus tradit, libro XX. capite II. vt à φέρω est *fero*, sic *feretrum* factum esse ex φέρετρον, vnde φερετρεύω. Sed pro φέρετρον Græci φέρτρον dicere solent: vt ex Eustathio, Hesychio, & Suida cognoscimus. Quamquam Eustathius φέρτρον ex φερέτρον contractum putat. Quod vix verum puto. Ab eadem origine pro *pheretro* dixere φορεῖον. Gloss. φορεῖον, *lectica*, *feretrum*. Quo Gloss. loco manifestè liquet, *feretrum* non fuisse lectum, cui imponebatur mortuus, sed ipsum illud, cui imponebatur lectus: hoc est, *lecticam*, quæ & *Libitina* dicebatur, vt ostendit ille Ciceronis locus in Miloniana: *Fasces ex lecto Libitina raptos attulit ad domum Scipionis & Hypsæi.* Errat itaque Nonius, qui *feretrum* putat esse *sepulchrum*. *Feretrum* cratis instar fuisse, argumento est, quòd è vimine contexi solere indicent Maro, & Statius; illius est, XI. Æn.

> *Haut segnes alij crates, & molle feretrum,*
> *Arbuteis texunt virgis, & vimine querno.*

Huius est VI. Theb.

> *Tristibus interea ramis, teneráque cupresso,*
> *Damnatus flammis torus, & puerile feretrum*
> *Texitur.*

Vide *Libitina*.

FERIO est *percutio*; quia *feri* esse animi videatur, *ferio* à *feris* deriuant iuniores. Nec multo melius Festus, cui, *Ferio dictum, quod ferientes feruntur.* Censeo *ferio* & *verbero*, vt significatione, ita etiam origine conuenire. *Verber* autem est ab Æolico βέρηνς pro ῥῆγος; vt alibi dictum. *Ferire fœdus* ex eo dixere, quod, fœdus cum iniretur, pecus *ferire* solerent. Quem ritum describit his verbis Liuius, libro I. *Fecialis erat M. Valerius. Is patrem patratum Sp. Fusium fecit, verbenâ caput capillósque tangens, fedus, multísque id verbis, quæ effata carmine non opere est referre, peragit. Legibus inde recitatis, Audi, inquit, Iupiter; audi, pater patrate populi Albani; audi, tu populus Albanus: vt illa palam prima, postrema ex illis tabulis cerâve recitata sunt, sine dolo malo, vtque ea hic hodie rectissimè intellecta sunt: illis legibus Populus Romanus prior non deficiet; si prior defecerit publico consilio, dolo malo, tu ille Diespiter Populum Romanum sic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam. tantóque magis ferito, quantò magis potes pollésque. Id vbi dixit, porcum saxo silice percussit.*

FERO, φέρω. Ab eo *fertile*, nempe vt *altile* ab *altum*, sic *fertile* ab antiquo supino *fertum* pro *latum*. Inde & *fertum*, *fertores*, *confertum*, *infertores*, *infertiita*, aliáque in Glossis vett. Ab eodem *ferculum*, quia mensæ infertur. Vt à *notatum*, *oratum*, *redimitum*, vltimâ mutatâ syllabâ in *culum*, fit *notaculum*, *oraculum*, *redimiculum*: sic à *fertum*, *ferculum*. Nisi malis huiusmodi esse à præsenti: eóque & *ferculum* esse à *fero*, vt per syncopen sit è *fericulum*. Nam & à præsenti sunt *vehiculum*, *curriculum*, *perpendiculum*. A *fero* est *adfero*, pro quo veteres *arfero*, vnde *arferia aqua* & *arferiai*: de quibus seorsim. Ei contrarium *aufero* pro *abfero*, B in V conuerso, vt in *aufugio*. Eiusdem originis est *offero*, vnde donaria, quæ dijs offeruntur, dicuntur *offeramenta*. Festo teste. Sed μεταφορικῶς vsus eo Plautus, Rudente, Act. III. sc. IV. vbi *offerumentas* vocat plagas & vibices oblatas impressásque tergo, vt in templorum parietibus solent donaria. Turnebum vide, lib. XVI. cap. XXII. Ab eodem est *confero*, quod propriè notat *in vnum fero*: vnde *conlatiuum sacrificium*, quod ex *conlatione* conficitur, teste Festo. Item venter *collatiuus*, seu *conlatiuus*. Idem Festus: *Conlatiuum ventrem magnum, turgidum. dixit Plautus, quia in eum omnia edulia congeruntur.* Locus Plauti est, Curcul. Act. II. sc. I.

> *Qui hic est homo cum collatiuo ventre, atque oculis herbeis.*

Quem ad locum Lambinus aliam nominis caussam adfert; vult enim à Plauto *leonis ventrem* ita appellari, quod humores, qui in corpus reliquum distribui debeant, in eum conferrentur: atque ita is visceribus vitiatis intumesceret. Μεταληπτικῶς verò accipitur *confero* pro *inuicem comparo*, συγκρίνω. Sic *differo* propriè est *dispergo*, *diuido*: vnde Maro ait *aquilonem differre nubes*; Horatius *eurum differre fractos remos*; *lupos membra insepulta*. Sed κατὰ μεταφορὰν res dissimiles, vt *distare*; sic & *differre* dicuntur. A *differo* non tantùm *differentia*, sed & pro eo *differitas* dixere. Nempe vt à *potestis* est *potestas*, sic à *differitis* (pro quo κατὰ συγκοπὴν *differtis* dicitur) factum est *differitas*. Vsus eo Lucretius, lib. IV. vers. DCXXXVII.

> *Tantáque in his rebus distantia differitásque est.*

Item Arnobius, lib. I. aduersus gentes: *Vobis fatere dispositis cogitationibus tacitis peruidere, animantia nos esse, aut consimilia cæteris, aut non multa differitate distantia.* Et libro VII. *Quid igitur cessatis cuiuslibet arboris viscum sine vlla passim differitate comburere?* Non mirandus vero nobis hac parte Arnobius. Fortasse enim extra metrum hexametrum *differitas* nemo dixit. Sic idem Arnobius, lib. II. *repetentiam* semel iterumque dixit, idque fateor imitatione Lucretij, cuius est, lib. II.

> *Interrupta semel cùm sit repetentia nostra.*

Sed hic eo vsus, quia *reminiscentia* non conueniret versui: Eadémque de caussâ, lib. I. *variantia* pro *varietas* dixit; & *retinentia*, pro *memoria*: quæ à Lucretio nouè ficta putamus. Sed porrò composita à *fero* persequamur. Vt *conferre* dicimus qui colloquuntur: sic & *referre* aliquid dicuntur sermocinantes. Propriéque ea vox est respondentis; ac speciatim eius, qui ad obiectum respondet. Quomodo Cicero non vno loco vsurpat. Sed generatim sumitur pro *dicere*, *narrare*, *indicare*. Verùm *refert* pro *vtile est*, non venit à præuerbio loquelari, sed à nomine *res*, eóque & priorem habet porrectam. Augustinus Saturnius, lib. III cap. XVI. nihil audet asserere de veritate alterius etymologiæ. Nonnullis videtur *refert* dici pro *reifert* per syncopen Festus: *Refert cùm dicimus, errare nos ait Verrius, esse enim rectum rei fert, datiuo scilicet, non ablatiuo casu. Sed esse iam vsu possessum.* Sed magis fit verisimile, dici quasi *res fert*. Nam *refert Ciceronis* quid aliud est, quàm, *ita fert res Ciceronis*?

FERRVM, vt quidem Isidorus ait, lib. XVI. cap. XX. *ita dictum, quòd farra, id est, semina frugum, terra condat.* Alij, vt ait Perottus, sic censent vocari, *quòd in agros colendi gratiâ feratur.* At ipse à *feriendo* potiùs appellatum arbitratur, *quòd cætera eo feriantur. hoc est, domentur.* Sed verisimilius deducas à *feritate*. Lucret. lib. II.

> *Hæc validas saxi radices, & fera ferri*
> *Corpora constituunt.*

Eodémque modo locutus Ennius. A *ferro* est *ferratile*, vt à Græco κῦμα, *cumatile*. Vtroque vsus Plautus, Most. I. I. vbi, *ferratile genus*, appellat seruos ferreis compedibus vinctos, vnde & alibi vocem *ferriterium*, & *ferriteribacem* finxit, quia *ferrum* terunt, ἢ τρίβουσι. A *ferrum* quoque est *ferrugo*, hoc est, *ferri rubigo*; vnde *ferrugineus color* dictus, quem Maro, I. G. solari tribuit Eclipsi, quæ mortem Cæsaris antecessit. Seruius, ad IV. G. & VI. Æn. *ferrugineum* interpretatur *nigrum*. Sed non ἁπλῶς est *color niger*, verùm ex *nigri & rubri mistura* constat. Vnde ad IX. Æn. ait *ferrugineum* esse *colorem vicinum purpuræ subnigræ.* A *ferrum* quoque dictum *ferrumen*, quo *ferrum ferro iungitur.* *Ferrum* enim quia interius est viscidum, eo fit vt partes diuulsæ, & igni iniectæ, & in incude percussæ, exiguo negotio coalescant. Hanc *ferruminationem* Græci σιδήρου κόλλησιν, & σιδηροκολλεῖν appellant. De ratione eius vide Cæsarem Bullingerum, lib. II. de Pictura & Statuaria, cap. XII. Inde *ferrumino*, quod generatim in Onomastico veteri exponitur σιάτω. Propriè autem, vt etymon indicat, de *metallis* dicitur, ac imprimis de *ære* & *ferramentis*. Hinc Glossæ, *Ferruminatus*, χαλκοκόλλητος. Vt *ferruminare* idem sit, ac *maltare* siue *solidare*, siue *partes glutinare*. Etiam *ferrumen* ponitur pro *chalybe*, siue *acie ferri indurata*. Vnde *ferruminare*, pro *stringere ac indurare*. Gloss. Phil. *Ferrumen*, στόμωμα. *Ferruminat*, στομοῖ. Derisum est olim *ferruminandi* verbum in Hermolao & Politiano, sed ab indoctis. Legere id est, cùm apud alios, tum in Plinio libro XVI. capite XXXVI. & plusculis aliis locis eiusdem scriptoris. Restituit id locis aliquot Politianus.

FERTVM seu *ferctum* dixere in sacris *libi optimi genus*. Nempe ex eo quia veteribus *fertum* & *ferctum* idem ac *bonum*. Quemadmodum & pro eo dixere *forctum* ac *horctum*: vt diximus in *Erctum* & *Fortis*. Vel dicendum *fertum* dici, quia antiqui *fertum* pro *latum* dicerent à *fero*. Et hoc verius. Festus: *Ferctum genus libi dictum, quòd crebriùs ad sacra ferebatur, nec sine strue, altero genere libi; quæ qui adferebant, struferctarij appellabantur.* Persius, sat. II. *Opimo vincere ferto.* Vbi *fertum* est *res Dijs oblata.* Simile ab *infero* est *infertum*. Isidorus, libro XX capite III. *Infertum vinum dicitur, quod altario libatur atque offertur.* Dixere & *fertor*, & *infertor*. Gloss. vett. *Fertores, ferto libantes.* Glossæ Philoxeni. *Infertor*, παραθέτης. *Infertores*, παραθέται. Gloss. Cyrill. Παραθέτης, *structor*, *infertor*.

FERVEO Perotto placet esse à *fero*. Aliquanto verisimilius deduxeris à πῦρ, *ignis*: vel θέρω, *calefacio*. Nam Θ & Æoles in Φ, & Latini in F sæpius conuertunt, vt sæpius dictum. Imprimis

autem placet, venire à βερίζω, quod idem notat. Nam βερίζω, ζέω, vt ait Hesychius. A feruendo sunt fretum, febris, februa, & alia, de quibus suo loco.

FERVLÆ duplex etymon ponit Isidorus, lib. XVII. cap. IX. *Ferula vocata à medulla. Nam illum Varro tradit esse ferulæ medullam, quam ἀσφόδελον Græci vocant. Nonnulli à feriendo ferulam dicunt. Hac enim pueri & puellæ vapulare solent.* Vbi duplicem *ferulæ* notionem respicit: qua *planta* est à Græcis dicta νάρθηξ, qua item est *sceptrum pædagogorum*, vt Martialis appellat. Priorem notionem respexit Isidorus, cùm ait sic dici quia *ferat illum*, siue *bilum*, hoc est, medullam fungosam eius nominis: sed posteriorem spectarunt significationem, qui à *feriendo* deriuabant. Columella:

Capparis, & tristes inula, ferulæque minaces
Plantantur.

FESSVS, & *defessus*, nomina, non participia, sunt, si Diomedem audimus. Nos Priscianum sequimur, qui in VIII. ait, *Vetustissimi fatiscor & fessus dicebant: ex quo defetiscor, & defessus; quod quidam à fateor esse deriuatum volunt. Fatiscor* autem veteres dixisse, arguit illud Accij ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ.

Tamen haut fatiscar, quin tuam implorem fidem.

Et Pacuuius, Duloreste:

Vereor si vnquam fatiscar facere quidquam, quod quibo boni.

Citat vtrumque Nonius. Vtrobique *fatiscar* nihil aliud est quam *defetiscar*, vel *lassabor*. Quare nec dubium, quin à *fatiscor* sit *fatiscitus*, inde contractum *fessus*: vt à *defetiscor*, *defetiscitus*, indeque *defessus*. Errant igitur, qui, vt refert Priscianus, *fessus* à *fateor* deduxere, vnde est *fassus*. Inter eos autem, quos signat Priscianus, video etiam esse Gellium, libro XVII. capite II. vbi ait, vt à *fruor* est *fruiscor*: sic à *fateor esse defetiscor*. Errabat item Isidorus libro X. vbi *fessus* dici voluit, quasi *fissus*, nec iam integer. Errabat item Perottus, cum deriuaret à *ferendo*, quoniam ferendo homines fatigantur. Errabat denique antiquior & probatior omnibus istis Valerius Probus, qui *fessus ex fetigatus* contractum putabat. Sic enim scribit: *Fetigatum, an fatigatum? melius fetigati, quod fetigo dicatur, & fessi. Nam à fassi præterito, confessos, non fatigatos dicimus.*

FESTINO & *confestim* eiusdem sunt originis. Ac nonnullis quidem placet esse vtrumque à *festo* die, quia in diuinis accelerentur omnia. Sed quid, si dicamus, vt veteres dixere *fesia* & *feria*, ita dixisse *festim* & *fertim*, *confestim* & *confertim*: sed cum primùm idem signarent, vsum discreuisse. Sanè *ferendi* vox etiam ad *gressum* pertinet: vt illo Catulli,

Illuc vnde malum pedem attulisti.

Et apud Maronem:

Ferte simul Faunique pedem, Dryadésque puellæ.

Ergo *festim* dicetur quasi *fertim*, hoc est, *fertus* siue *densis gressibus*: *confertim*, quasi *condensatus gressibus*: *festino* autem sit *festim siue fertim progredior.*

FESTIVVS, vnde *festiuitas*, à *festus*, vt rectè Isidorus, l. VI. c. XVIII. *Festis* enim diebus cuncta solent esse læta hilariáque, quæ & caussa est cur *festiuum* dixerint ἑορτάσιμον, *festiuitatem* ἑορτασιμότητα, vt Onomasticon vetus vertit.

FESTVCA Perotto ita dici videtur à *ferum*: & fauere videtur illud Varronis in IV. de L. L. *Homo in pratis per fenisecia eo festucas abradit, quo ab rasu rastelli dicti.* Sed rectiùs Festus, qui, & *fenum*, & *festuca*, à *fetu* esse arbitratur. Nam de *fenore* locutus, quod à *fetu* deduxerat, hæc subdit: *Fenum quoque pratorum ab hac caussa est appellatum, quando id ipsum manens, quotannis nouum parit. Vnde etiam festuca vocata est.* Solùm in eo à Festo recedo, quod ille à *fetu* deducit: ego ab eo malim, vnde & [illegible] & *fenum*, & *femen*, & alia id genus deriuantur nempe ab antiquo *feo* idque eamse ob caussam, ob quam deduxerat Festus à *fetu*. Vide quæ de hoc in *Fenus* diximus. Est & altera *festucæ* notio. Nam interdum accipitur pro *virga prætoris*, quæ manumittendis à lictore imponebatur: alióque nomine dicebatur *vindicta*, ac à Græcis similiter κάρφος nuncupatur. Ita *festucæ* voce vsi Plautus, Milite, IV. I. & Pers. sat. V.

FESTVM, seu *dies festus*, dicitur à Græco ἑστιᾶν, quod est, *festum diem agere*, vti cum natalitia aut nuptiales epulas celebramus. Ἑστιᾶν vero est ab ἑστία, quod tum *larem* siue *focum*, tum *Vestam*, *foci* siue *ignis præsidem*, significat. Itaque ἑστιᾶν propriè est *conuiuio aliquem apud larem suum*, hoc est, *domi suæ*, *excipere*. Ἑστία verò vnde sit, diximus in *Vestales*. Ab ἑστιᾶν quoque dictæ *feriæ*. Nam prius fuit *fesiæ*. Velius Longus: *Ferias quoque non ferens, quoniam apud antiquos fesiæ, non fesea dicta sunt.* S in R conuersum, quomodo ex *asa*, & *lases* facta *ara*, & *lares*, vt testatur Scaurus de Orthographia. Pluráque id genus alibi attulimus. Festus: *Ferias antiqui festas vocabant: & aliæ erant sine festo, vt nundinæ, aliæ cum festo, vt Saturnalia, quibus adiungebantur epulationes ex prouentu fetus pecorum frugumque.* Vbi pro *festas* legere malim *fesias*, ijs impulsus, quæ iam diximus. Paulló ante apud Festum siue Paulum, legas, *Feriæ à feriendis victimis appellatæ.* Sed fallitur. Vti & qui *ferias* dici putant quasi ἱερὰς ἡμέρας. A *ferijs* est *feriari*, quo vsi pro *otiari*, quia *ferijs* ab opere cessarent; vnde in Glossis vett. *feriæ* exponuntur ἀργίαι, ἀπράκτοι ἡμέραι, & *ferior*, σχολάζω. Multa de Romanorum *ferijs* legere est apud Macrobium, lib. I. Saturn. capite XVI.

FETIALES, εἰρηνοποιοί, siue εἰρηνοδίκαι. Festus: *Fetiales à feriendo dicti. Apud hos enim belli pacisque faciendæ ius est.* Ex his videtur colligi posse, vel ita dici quasi *feriales*, à fœdere *feriendo*: vel quasi *feciales*, quod pacem *facerent*. Imò plerique *feciales* per C scribunt, vt in *facio*. *A* autem in E abire aiunt: vt in præterito *Feci*. Sed obstat quod Græci per T efferunt. Nam Dionysio sunt φετιάλεις. Plutarcho φητιάλεις, vel φητιάλιοι. Adhæc Varro vel à *fide*, vel antiquo *fidus* pro *fœdus* originem vocis arcessit. At *D* & *T* facile commutantur. Ita enim ille in IV. de L. L. *Fetiales, quod fidei publicæ inter populos præerant: nam per hos fiebat vt iustum conciperetur bellum, & inde desitum; & vt fœdere fides pacis constitueretur. Ex his mittebant, antequam conciperetur, qui res repeterent: & per hos etiam nunc fit fœdus, quod* FIDVS *scribit Ennius dictum.* Hæc Varro. Sed planè censeo, *fetiales* vocari à *fatu*, hoc est, *fando*, *a* in *e* conuerso. Quippe erant oratores, qui Græcis similiter ῥήτορες, ἀπὸ τοῦ ῥέω, hoc est, ἐρῶ, siue εἴρω. Mire hanc sententiam firmat illud Varronis libro II. de vita pop. Rom. *Itaque bella & tardè & nullâ licentiâ suscipiebant, quòd bellum nullum, nisi pium, putabant geri oportere, & priùs quàm indicerent bellum ijs, à quibus iniurias factas sciebant, fetiales legatos res repetitum mittebant quatuor, quos oratores vocabant.* Citat hunc locum Nonius Marcellus: Qui & alterum de *Fetialibus* locum apponit ex eiusdem Varronis libro III. de vita populi Romani: *Si cuius legati violati essent, qui id fecissent, quamuis nobiles essent; vt dederentur ciuitati, statuerunt, fetialésque viginti, qui de his rebus cognoscerent, iudicarent & statuerent & constituerent.* Plura de *fetialibus*, si voles, adi Dionysium Halicarn. libro II.

FETVS (vt Pierius, ad Ecl. I. & Aldus, in Orthographiâ monuere) tum per OE, tum nudâ vocali scriptum inuenitur in antiq. lapp. & libris. Ijs, qui per OE scribunt, fauit Iouianus Pontanus, in Actio fol. CXXXIX. b. edit. Ald. vbi à *fouendo* sic dici ait quasi *fouetus*, quòd à matre foueatur. Eosdem secutus Iul. Scaliger. qui, libb. de caussis L. L. cap. LXXIX. putat esse à φυτεύω, quod est, ζωννύειν. Mihi placet per nudam scribi vocalem: vt nempe verbale sit. ab antiquo *feo*. Nam vt à *mitto* est *missus*, quod tum substantiuè tum adiectiuè capitur; ita à supino *fetum* tum substantiuè dicetur *fetus*, tum adiectiuè; à quo remansit *effetus*. Hinc *effeta parentum* est apud Sallustium: & *effetam terram* dicunt Lucretius, Columella, alij. Quidam, vt Ouid. tradit, à *ferendo* dici putant. Ita enim scribit, Fallorum lib. IV.

Forda ferens bos est fecundáque, dicta ferendo:
Hinc etiam fetus nomen habere putant.

Qui locus iuuat simplici E scribentes *fetus*, & *fecundus*. Vtrumque tamen non à *ferendo* esse puto, sed à *feo*. Nam, vt à *fleo* est *fletum*, vnde *fletus*; sic à *feo*, *fetum*, vnde *fetus*. Vt item à *iuuo*, *iucundus*; sic à *feo*, *fecundus*. Nec obstat, quod in antiquis numismatibus FOECVNDVS, & FOECVNDITAS, per OE inueniatur: vt ad Ecl. I. tradit Pierius. Nam in aliis nummis nudâ vocali reperiri docebit in Orthographia Aldus. Atque ita ab antiquissimis scribi solere, argumento est, quòd Catonis seculo per E exarasse auctor est Gellius, lib. XVI. cap. XII. Nec Agelliano seculo disputabatur, num per *OE*, verum an per *AE* scribi deberet: vt idem locus indicat. Nec est, quod obducat quis Nonium, apud quem in editione ab Hadriano Iunio recensita legitur, Catonem, & cæteros antiquiores, *Fætus* scripsisse, sine O litera. Nam *A* reponendum, provt rectè exaratum in antiqua Veneta Philippi de Pinzis. *Femori* quoque, ac *feminis*, nomen esse censeo, non à *ferendo*, quòd eâ præcipuè parte sustineatur animal, sed ab eo, quod diximus verbo, quia istæ partes sint generationi necessariæ. *Femina* quoque (quod & ipsum per E simplex in vett. libb. ac lapp. inuenitur) non à *feminum* mollitie dici puto, siue *feminum* partibus, quibus à viro distinguitur: quod apud Isidorum legas, lib. II. cap. II. neque à φυτεύω, hoc est, *certe* quæ Iulij Scaligeri, loco supra citato opinio est: verum à *feo*, vt ab eadem re origo arcessatur, vnde & *parens*, & *genitor*, ac *genetrix*, & γονεύς, & τοκεύς, sumta sunt. *Fenus* quoque, & *fenum* hinc descendere diximus suo loco: vbi & quædam adferimus apta firmanda ijs, quæ diximus. Imò fortasse nec *fel x* ineptè hinc arcessamus, quemadmodum patet ex ijs, quæ seorsim de hac voce dicuntur.

FEX siue *fæx* (quomodo aliqui scribere iubent, vt differat in datiuo à præterito *fæci*) est cuiusque rei *excrementum*, à *faciendo* ita dictum, iuxta Perottum. Apud Isidorum autem legas libro xx. capite III. *Fex dicta, quod sese vasis emergendo afficiat.* Vbi cum Martinio malim *affigat*. Nempe vt *fex* dicatur quasi *fixa*, siue *affixa* vasi; siue à Græco πήγω seu πήγνυμι, id est, *figo*, item *coagulo*, *spisso*. Vt ita *fex* dicatur quasi πῆξις, id est, *coagulum*, *concretum*, *spissamen*. A *fece* est *defecare*. Glossæ vett. Διυλίζω, *defeco*, *feco*, *facco percolo*. Appul. IX. Met. *Vina pretiosa defecat.* Symmachus, libro III. Epist. *Plerique condita musta defecant.* Hinc *defecatus* pro liquido. Ad animum tranquillum transtulit Plautus, Aul. Act. I. Sc. II. *Nunc defecato demum animo egredior domo.*

FIBER animal est quadrupes, amphibium, quod & *castor* vocatur, ac, vt Seruius monet, *canis Ponticus*: imò ex quorumdam sententia etiam *canis fluuiatilis*: sed confunduntur ab ijs κύων ποτάμιος, & κύων ποταμός, κύων ποτάμιος est *lutra*, quæ differt à *fibro*. Nam *cauda piscium fibro, cætera species lutræ: vtrumque aquaticum, vtrique mollior pluma pilus*: vt Plinius ait, libro VIII. capite XXX. Viuit in riparum cauernis, in quibus gradus binos aut ternos facit, vt crescente aqua adscendat, decrescente descendat. Noctu imprimis cauernis exit, ac tum fructibus ac corticibus arborum vescitur, tum flumine etiam se mergit, ac pisces captat. Ita veteres ei nomen ex eo impositum tradunt, quia colat *amnium oras*, quas veteres *fibras* dixere. Ita Varro, in IV. de L. L. & Festus, in *Fiber*. Verba vtriusque adduco in *Fibra*. Nempe à *finio* fit *fiber, a, um*, hoc est, *extremus*; inde *fiber animal*, *fibra iecoris*, & *fimbria* in veste. Sed rectius de horum singulis Salmasius, qui singula horum à Græcis arcessit. Æoles enim θ mutant in φ; vt φλᾶν dicunt pro θλᾶν, φὴρ pro θὴρ, vnde *fera*: sic φιβρὸς pro θιβρὸς, quod inter alia notat *molle*. Hesychius enim θιβρὸν interpretatur ἁπαλὸν, τρυφερὸν, καλὸν, ζηλωτόν; vti θιβρὸν, φιλόκοσμον, ἁβροδίαιτον, ὑπερήφανον. A *mollitie* igitur *crinium* nomen acceperit. Nam, vt paullo ante è Plinio dicebamus, & *fibro* & *lutra* est *mollior pluma pilus*. A *fiber* est *fibrinus*, vt, *pelles fibrinæ*; item *fibrinum* pro *lana fibri*, quæ ob molliciem commendabatur. Glossæ Arabicolatinæ: *Fibrinum, lana animalium*. Isidorus, libro XIX. capite XXII. *Fibrina tramam de fibri lana habens.* Ita rectè est in MS° meo, vbi perperam vulgò legitur, *tramam de fibri lana habens caprina*.

FIBRÆ sunt *iecoris extremitates*, vt in VI. & X. Æn. interpretatur Seruius. Sed vtrum propriè id, an ζυνεκδοχικῶς notet, nec inter veteres conuenit. De *herbis* vsurpat Maro I. Georg.

———Et amaris intyba fibris.

Vbi sic Seruius: *Fibris abusiue ait, quod radices intyborum hac atque illac decurrant, vt fibræ per iecur, id est, venæ quædam ac nerui. Alij fibras propriè dicunt rei cuiusque extremitates. Sicut Cicero in Gabinium: Fibræ cincinnorum madentes. Et in Tusculanis: Non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras euellere. Vnde & iecinoris extremæ partes fibræ à nonnullis appellantur. Bene ergo Virgilius intiborum, vel radicum, vel foliorum extremitates fibras dixit. Alij herbas adserunt: vt Nigidius commentario grammaticali: Φορβὴ, sed ante fibra dicta est, vt nunc etiam rustici dicunt. Potest ergo hic fibris pro herbis accipi, quando ipsa intibus herbæ species est.* His verbis Seruius triplicem sententiam adfert. Vna est vt propriè dicatur de *iecoris fibris* inde ad alia transferatur. Altera vt propriè de *quauis* dicatur *extremitate*. Tertia, vt propriè sit *herba*: quod Nigidio placuit, vt idem sit ac φορβὴ. Sanè φορβὴ generatim *pabulum*, ac speciatim interdum, Eustathio teste, ἡ τῶν ἀλόγων τροφὴ, vt equi & asini apud Homerum. Sic *terra* passim vocatur πολύφορβος, quia *herbas* ac *pabulum* suppeditat animantibus. Si hæc Nigidij sententia placet, videri possit fibra κατὰ μετάθεσιν pro *fobra* vel *fubra* dici à φορβὴ. Nam *o* & *u* sæpe conuertuntur in *i*. vt κύκνος, *cinis*, κόκκος, *ciccus*; *optumus*, *maxumus*: *optimus*, *maximus*. Sed longè, vt puto, verius est, *fibras* primò notasse *rei cuiusque extremitatem*, speciatim autem de *iecore* & *herbis* vsurpari. Nimirum veteres *fiber*, *fibra*, *fibrum* dixere pro *extremo*: indéque *fibra*, & *fimbria*, *extremitates rei*, non cuiusuis, sed *incisæ*; sic vt nunc accedat, nunc recedat. Vnde Isidorus, libro XI. capite I. *Fibræ iecoris sunt extremitates, sicut extremæ partes foliorum in vitibus, siue quasi linguæ eminentes.* Par ratio in *folijs platani*. Vnde Mela: *Peloponnesus ob sinus & promontoria, queis, vt fibris, litora eius incisa sunt, platani folio simillima.* Item in *folijs vrticæ*. Cui iccirco *folia fimbriata* tribuit Plinius. Nam *par figura fibrarum*, & *fimbriarum*, etiam in veste. Gloss. κράσπεδον, *lacinia*, *fimbria*. Quod plenius intelligitur ex ijs, quæ in *Lacinia* diximus; ὅπου quoque *fimbria* idem. Nempe & *fibra*, & *fimbria*, imò & *fiber* animal, si veteres audimus, sunt eiusdem originis, vt ostendit Festus his verbis: *Fiber genus bestiæ quadrupes.* Plautus.

Sic me subes quotidie, quasi fiber salicem.

Quo nomine extrema fluminis ora appellantur. Vnde & fibras iecinorum, & fimbrias vestimentorum, dicimus. Præiuit autem Varro lib. IV. de L. L. *Fiber ab extrema ora fluminis dextra & sinistra maximè quòd solet videri: & antiqui fibri dicebant extremum, vnde in sagis extrema fimbria, & in iecore extremum fibra; hinc fiber dictus.* Quem egregiè illustrat illustris Scaliger. Meruere eius verba à nobis hoc loco repeti. *Vt à cerno, cribrum: à facio, faber: à tumeo, tuber: à luo, liber: à cresco, creber: à glubo glaber (deglubitur enim:) à scarreo (vnde scarrosus Lucilio, λιπρὸς) scaber: à suo suber (insuitur enim solo calciamenti: vnde ea dicuntur φελλόπαστα Græcis:) à cracco, craber, qui postea crabro, σφὴξ (Craccere significat gracilem esse Ennio, & ζφηκώδεις graciles dicuntur apud veteres Comicos.) Sic à finio fiber, extremus.* De *fibris iecinoris*, non audiendus Isidorus: qui illas à *ferendo* deriuat, libro XI. capite I. *Dictæ fibræ, quòd apud gentiles in sacris ad Phœbi aras ferebantur ab ariolis, quibus oblatis atque succensis responsa acciperent.* De *fimbrijs* sic idem, lib. XIX. cap. XXIV. *Fimbriæ vocatæ oræ vestimentorum, hoc est, fines, ex Græco vocabulum trahentes. Græci enim terminum ὄρον vocant.* Vbi eadem exponere conatus, vnde & *fimbriæ* & *oræ* appellentur: *fimbrias* dici à *finis*; *oras* ab ὄρος. Nunnesius ait *fimbria* κατὰ μετάθεσιν esse à φορβὴ, hoc est, *alimentum*. Puto pro *fimbria* voluisse dicere *fibra*: quæ φορβὴν notat, vt ex Nigidio superius diximus. *Fimbria* verò, seu *fibria*, vel est à *finio*, pro qua sententia est Isidorus, vt vidimus: vel eiusdem originis sit ac *fiber* pro *castore*: nempe, vt Salmasio visum, ab Æolico φιβρὸς, pro θιβρὸς, quod teste Hesychio notat *pulchrum*, & *ornatum amans*: sanè *fimbriæ* vestibus adduntur ad ornatum. Vel potius quatenus θιβρὸς notat *molle* & *tenue*, vt idem Hesychius monet. Nam solent vestibus assui villi: vnde Suidæ κροσσοὶ, quod *fimbriam* notat, exponitur μαλλοὶ, id est, *villus*. Indéque *cirratæ vestes* κροσσωταὶ apud Pollucem: Et in Glossis Philoxeni: *bicirres*, δίκροσσοι, δίκροσσος. Vbi *bicirres* malim à *cirris*, vt *bisetæ* apud Festum, à *setis*.

FIBVLA est, qua longiora vestimenta solent subnecti: vnde Maro, IV. Æn.

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Et Ouid. VIII. Metam.

Rasilis hanc summam mordebat fibula vestem.

Isidorus libro XIX. cap. XXXV. *fibulam* ex eo ait nuncupatam, quòd Græci appellent φίβλαν. Sed est ea vox à Romanis accepta, vt clarè ait Suidas, Πόρπη, ἡ παρὰ Ῥωμαίοις φίβλα. Nempe quia Romani κατὰ συγκοπὴν pro *fibula* dicerent *fiblam*, vt ex veteri etiam inscriptione constat. Dicta autem *fibula*, quia nectit vestium *fibras*, hoc est, *extremitates*. Vel quia vesti *infigatur*, seu quòd ora vestis ei *affigatur*. Vt à *tero tribulum*, & per syncopen *tribulum*: sic à *figo figibula*, & per syncopen *fibula*. Græcis similiter πόρπη & περόνη dicitur à πείρω, id est, *transadigo*, *transfigo*. A *fibula* est *fibulatorium*; vt à *fibla*, *fiblatorium*, quo vsus Trebellius in XXX. tyrannis, & Anastasius in Leone quarto. Ita dicebatur vestis, quæ fibula stringeretur. A *fibula* quoque *confibula*. Vsus Cato de R. R. capite XII. vbi refertur inter instrumenta torcularis. Verba eius sunt: *Fibulas XL. confibulas ligneas qui arbores comprimat, si dishiascent, & cuneos VI.* Eiusdem originis est *Suffibulum*. Festus: *Suffibulum est vestimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite virgines Vestales, cum sacrificant, semper habere solent, idque fibula comprehenditur.* Nec aliunde est *infibula*. Tertullianus, capite I. lib. de Pallio: *In viris autem pallij extrinsecus habitus & ipse quadrangulus, ab vtroque laterum regestus, & ceruicibus circumstructus infibulæ morsu humeris acquiescebat.* In vulgatis est *in fibula*: sed *infibula* probabat Scaliger. Etiam in Onomastico legas, *Infibulo*, ἐμπερονῶ. Apud Celsum quoque legas, libro VII. *Infibulare quoque adolescentulos interdum valetudinis caussa quidam consuerunt.* Rationem deinde *infibulandi* docet. Nec solum valetudinis caussa, sed etiam ne vox coitu multo raucescat, *infibulatio* in vsu erat. Vnde Iuuenalis, Sat. VI.

Si gaudet cantu, nullius fibula durat
Vocem vendentis prætoribus.

Vbi veterem interpretem vide.

FICEDVLÆ nomen inditum à *fico*, cuius fructu gaudet. Varro, lib. IV. de L. L. *Ficedula & Miliaria à cibo: quod altera fico, altera milio fiant pingues.* Similiter Isidorus, libro XII. capite VII. Hinc Martialis in Xeniis, epigr. XLIX. cuius lemma *Ficedula*.

Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus vuis,
Cur potiùs nomen non dedit vua mihi?

Græcis similiter συκαλὶς appellatur. Nam σῦκον *ficus*. Sed nomen hoc auctumno solùm habent. Post enim vocantur μελαγκόρυφοι, quòd μέλαιναν κορυφὴν, hoc est, *nigrum verticem*, habeant: vnde quidam *atricapillam* vertunt. Alexander Myndius, apud Athenæum, facit aues diuersas. Sed Aristoteles eandem ait esse auem, verùm post auctumnum, vt vocem colorémque, ita nomen mutare atque id cognosci inde, quod etiam conspecta sit nondum planè mutata, eóque neutrum habens nomen.

FICVS arbor non ineptè deducitur à συκῆ, id est, *ficus nouella*. Sed malim ab Hebræo *fag.* פג, quomodo dicitur *ficus, quæ nondum satis maturuit*. At minimè audiendus Isidorus, qui lib. XVI. cap. VI. *Ficus Latinè à fœcunditate vocatur. Feracior enim est cæteris arboribus. Nam ter quaterque per singulos annos generat fructus, atque, altero maturescente, alter oboritur.* Hinc *ficitor*, & *ficitas*: *ficitor*, qua forma dicimus *olitor* ab *olere*: *ficitas*, quo pacto *olitas* dicitur ab *oliua*. Nouius apud Nonium:

Ficitores
Omnes capiunt ficitatem, merx est sine molestia.

A *ficu* quoque est *ficulnus*, & *ficulneus*. Vnde *arbor ficulnea* apud Columellam. Sed sæpius arboris eius trunco, ramis, aut frondibus tribuitur. At *Ficus* pro vlceris genere nomen ex eo habet, *quòd desuper fundat sese ad fici fructus similitudinem*, vt testatur Celsus, lib. VI. cap. III. Sanè Græcis similiter σῦκον, & σύκωσις, vocatur. Hinc *ficosus* in carmine obsceno,

Ficosissima me puella ludit.

Item

———*Inter eruditos*
Ficosissimus ambulat poëtas.

Huius morbi species est *marisca*, quomodo vocatur, cùm in ano gignitur. Iuuenal.

Caduntur tumidæ, medico ridente, mariscæ.

Nec ratio nominis obscura est, cum itidem dicatur à *similitudine ficus marisca*. Varro, lib. I. de R. R. *Vt nuces Græcæ, ac mariscæ fici*. Citat Nonius, cap. de genere ciborum & potuum. Hadr. Iunius in Nomencl. *ficum*, & *mariscam*, eundem facit morbum. Alij quos sequimur, differre volunt vt genus & species. Postremo loco illud addamus Lexicographis omissum, *ficum* etiam dici *fruticem marinum*, sine foliis, rubro cortice. Plinius. lib. XIII. cap. XXV. Nomen vnde sit, non video, cum foliis carere dicatur, nisi fortasse sit à *similitudine fructus*, quod Dalecampio videbatur.

FIDELIA, iuxta nonnullos, quia id genus vasis *fideliter* seruet recondita.

FIDO à πείθω, siue πέπιθα. A *fido* autem, mutata quantitate, fit *fides*. Vel ab Æolico πίστις, pro πίστις. Non à *fio*, *quia fiat, quod dictum est*, vti Cicero putabat, libro I. Off. & libro XVI. epistola X. quique eum secutus Augustinus, epistola XIX. A *fide*, *fidelis*: sed à *fido*, *fidus*: vt quantitas dispar ostendit. Donatus: *Fidus in maximis: fidelis in minoribus*. Caper: *Fidus amicus erit: famulum fidelem dicito*. Fronto: *Fidelis fit, fidus nascitur*. Sed non hæc obseruantur. A *fide*, *fidustus*; vt, à *Venus*, *venustus*; à *vetus*, *vetustus*. Festus: *Fidusta à fide denominata, ea quæ maxima fidei erant*. At *fides genus citharæ sic*, Festo teste, *dicta, quod tantum inter se chordæ eius, quantum inter homines fides, concordent*. Sed omnino vt à σφάλλω, *fallo*; ita à σφίδες, *fides*. Hesych. σφίδες, χορδαὶ μαγειρικαί. Σφίδη, χορδή. Arguté igitur magis quàm verè Beatus Ambrosius, orat. de obitu Theodosij Imp. *Bona itaque fides, quæ frequenter operatur in mortuis. Vnde arbitror, quod fila chordarum citharæ ideo fides dicuntur, quoniam & mortua sonum reddunt*. A *fides* & *cano* est *fidicen*, vt à *cornu*, *cornicen*; à *tibia tibicen*. Etiam *fidis* est sideris nomen: vt apud Columell. libro XI. capite II. Vnde diminutiuum *fidicula*, quæ Hygino *Lyra*. Onomasticon vetus: *Fidicula*, λύρα. At *fidicula* pro genere tormenti, à priori est significatione. Nempe quia *ijs rei in eculeo torquentur, vt fides inueniatur*: vt Isidorus ait, libro V. capite XXVII. Verisimilius hoc quàm si inde nomen arcessas, *quòd sontes funibus velut fidibus distendantur*.

FIGO, à πήγω, vndo & *pago*, seu *pango*. Compositum eius *defigo*: quomodo admiratione vel stupore aliquis dicitur *defixus*. Etiam dicitur de *magicis vinculis*, quibus functio naturalis impeditur. Sic vsus Paullus, sententiarum lib. V. cap. XXIII. *Qui sacra impiáve nocturnáve, vt quem obcantarent, defigerent, obligarent, fecerint*. Item Appuleius in Herbario, vbi de leontopodio: *Siquis deuotatus ac defixus in nuptiis suis fuerit, quomodo resoluatur*. Vbi videmus, *defixus*, & *resolutus*, opponi.

Rectè igitur Glossæ Philox. *Defixiones*, κατάδεσμοι, κατάδεσμοι.

FIGVRA, à *fingo*, vt tradit Varro, lib. V. de L. L. & Agellius, lib. XII. cap. XXVIII. Similitérque à *fingo* est *figulus*: item ab *effingo*, *effigies*. *Fingo* eiusdem originis videtur, ac *pango*. Quod si est, fuerit à πήγω, seu πηγνύω. Vel sit ab eodem ac *pingo*. Nempe à φέγγω, id est, *luceo*, *illumino*. De vtroque sic Iul. Scaliger, libb. de causs. L. L. cap. LXXXVII. Γράφειν *dixere*, *lineas ducere. Pictura primum ab sole & vmbra orta est; vnde περιγεγραμμένα; postea addidere lucem & vmbram. A potiori Latinis visum est denominare, vt à φέγγος dicerent fingere, &, detracta adspiratione, Pingere. Est igitur Fingere, exprimere imitatione veram rem: icirco dicta figura in signis & tabulis, atque hinc porrò in Grammaticis*. *Defingere* idem ac *fingere*. Horatius, in Arte:

Defingis Rheni luteum caput.

FILICONES, item *filicata vasa*, à *filice*, seu *felice*, herba dicuntur, vnde & *filicta*, vt à *salice salicta*. Festus: *Filicones* (al. *Felicones*) *mali & nullius vsus, à filice* (al. *felice*) *dicti*. Idem: *Filicata patera dicta, quod ad filicis herbæ speciem sit cælata*. Vtitur Cicero in Paradoxis: *Quid à Numa Pompilio? minusne gratas Dijs immortalibus capedines ac fictiles vrnulas, quàm filicatas aliorum pateras arbitramur?* Corrupta hæc vox apud Cic. epistola I. libro VI. ad Att. Nam vulgo legitur: *Sed heus tu, quid cogitas infelicitatis? I ancibus & splendidissimus canistris, olusculis nos soles pascere; quid te vasis fictilibus appositurum putem?* Vbi legendum: *Sed heus tu, quid cogitas? in filicatis lancibus, & canistris*, &c. Ita is locus legi debet. Etiam *filicatorum operum* meminit Caper Grammaticus, atque insimul *filicis* etymon assignat: *Filicem, non felicem dicendum: vnde & filicata opera priores dixerunt cælata, à filice: quam ita credo dictam, quòd sit minus felix armis*. Vult *filix* dici quasi *minimè felix*, vt sit ἀντίφρασις, quam sæpius explosimus. Isidorus a *folium* deriuat: quantum perspicere est è corruptissimis istis verbis, libro XVII. capite IX. *Felix à singularitate folij dicta. Denique ex vna virgula altitudine cubitali vna scissa folia gignit resimplicata, velut pinna*. Sed non dubito quin *filix*, siue, vt in aliis libris vocatur, *felix*, sit ex πτερὶς, quomodo Græcis vocatur: nempe à πτέρυξ, *ala*: vt auctor nobis est Dioscorides: libro IV. capite CLXXXVI. (aliis CLXXVI.) vbi folia πτερίδος esse ait ἐσχισμένα & ἀνεπτερωμένα, ὡς πτέρυξ, hoc est, *incisa, siue multifida, & expansa, velut ala*. Similiter Plinius, libro XXVI. cap. IX. *Folia* (filicis) *vtrinque lateribus pinnata, vnde nomen* (πτερίδος) *Græci imposuere*. A πτερὶς igitur sit *felix*, seu *filix*, eliso T quod post Π interdum faciunt Romani, mollioris soni caussa: vt cùm pro πτίσσω dixere *piso*, & postea *pinso*.

FILIVS ab Æolico φιὸς, pro υἱὸς, insertâ liquidâ cum vocali. Vel à φῦλον, id est, *genus*, υ in ι abeunte, vt *fio* à φύω; *ligo* à λύγος, id est, *vitex*; vel ἀπὸ τοῦ φιλεῖν, ob περισσὴν φιλοστοργίαν τοῦ τέκνα. Quod non displicet: vti nec vt sit à φίλος; quia quantitas primæ hic eadem; quæ in φίλιος dispar est. Sed maximè omnium placet, vt sit ab ἶνις, quod Hesychio exponitur παῖς, βρέφος, υἱὸς, ἀπόγονος, νέπος. N abit in L, vt Νύμφη, *limfa*; τρίχινον, *trichila*, &c. Non item probare possum, quod Isidorus tradit, libro III. capite V. sic dici à *familia*, *quia filij & filiæ primi in ordine nascentium existunt*: aut, quod alij volunt, esse à *filum*, quia liberi filo ac lineamentis corporis parentes referre soleant: vel quia sint filum generationis.

FILVM ab *hilum*. Varro, lib. IV. de L. L. *filum quod minimum est hilum. Id enim minimum est in vestimento*. Vel à *pilus*. Isidorus, lib. XIX. cap. XXIX. *Fila dicta, vel quia ex pilis animalium sunt; vel quia lanificium filis tenuibus constat in modum pilorum, id est, quasi filorum*. Vel fuerit à πιλεῖν, quod est, *cogere*, *stipare*. Nam dum trahitur, ducitúrque, eâdem operâ torquetur & *condensatur*. A *filo filatim* dixit Lucretius. lib. II. Ab eodem videtur dictum *adfilare*, siue *affilare*, & cum altera præpositione *exaffilare*, siue *effaffilare*. Festus: *Exaffilatum, exertum, quod scilicet omnes exerto brachio sint exfilati, id est, extra vestimentum filo contextum*. Vbi MSS[i] & vulgati omnes: *Effafilatus*. Turnebus. lib. III. Ad. cap. V. *effilatus* legit. Ac similiter Scaliger: sed addit & posse legi *exaffilatum*. Quod propius à libris abit. Mihi placet *effaffilatus*, pro *exaffilatus*, vt *effari* dicimus pro *exfari*, vel *ecfari*. *Effaffilati* voce (quam nihili putabat Scaliger) vsus Plautus, Epidico. Sed iam olim Grammatici quidam *expapillatum* ibi legerunt. Vide quæ de eo diximus in *Papilla*.

FIMVS, quia cùm per agros iacitur, *fiat imus*: Vt ait Isidorus, libro XVII. capite II. Mihi videtur esse à φορυτὸς, quod ab Hesychio exponitur μολυσμὸς, ῥύπος, μίασμα; estque à φύρω, *fœdo*, *inquino*. R abiectum vt à πέρδω, *pedo*: Y autem in I

in *I* abit, quomodo à φύω, *fio*. Vt ab *are*, & *ferro*, est *armamentum*, & *ferramentum*: ita à *fimo* dixisse videntur *fimentum*: vnde *offimentum*. Glossæ Philoxeni: *offimentum*, πηλός.

Findo sunt qui arbitrantur *bindo* prius fuisse, hoc autem venire ab *bio*. Sanè spiritus asper interdum abit in *F*, vt dies *festus* ἀπὸ τοῦ ἑστιᾶν. Malum tamen à φένω, non qua *occido*, notat, sed ἁπλῶς *cado*. Sed & Martinio placet esse ab antiquo *fendo*, quia quod *funditur*, *fenditur* seu *offenditur*, quia *læditur*; vel potius à Chaldæo פצד, *feda*, quod est, *scindere*, *vulnerare*. Sane non displicet. Prius enim fuit *fido*. vndè præteritum *fidi*, & composita *bifidus* & *trifidus*. Onomasticon vetus: *Bifidus*, δίχηλος.

Finis, si Iosephum Scaligerum audimus, prius fuit *sfinis*, hinc *sfinis*, tum *finis*: nempe à σχοῖνος, id est *funis*; vt *fungus* prius *sfungus*. à σφόγγος. Eò autem respexit, quod agros olim *fune* circumscriberent, ac *finirent*. Atque ea ipse de causa & *finem* quasi *funem* dici, aliqui crediderunt. Vnde in veteri fragmento Agrimensoris legas: *Finis dicta eò, quòd agri funiculis sint diuisi*. Sed Iulius Scaliger in Theophrast. deducit à *fio*. Sanè *finis* est, *cuius gratiâ aliquid fit*. Et in naturalibus *forma*, & *finis*, solùm eo differunt, quòd cùm res est, quà est, *forma* dicitur: cùm fit, quà intenditur, *finis* vocatur. Ideo Græcis, quod perfectum est, dicitur ἐντελὲς, à τέλος, id est, *finis*; ac *forma* dicitur ἐντελέχεια, quia τὸ ἐντελὲς ἔχει, vt ad verbum sonet *perfectihabiam*. A *finis* est *finitor*, apud Plaut. Pœn. Nonio exponitur *agrimensor*: in Gloss. vett. γεωμέτρης. Ab eodem *finitimus*, vt à *lege legitimus*. Ab eodem *confinia*. Item *adfines*, *viri & vxoris cognati*, *dicti eò, quòd duæ cognationes, quæ diuersæ inter se sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit*. L. IV. §. sed quoniam. D. de gradib. & adfin. Gloss. vett: *Adfinis*, ἀγχιστεύων ὁ κατ' ἐπιγαμίαν συγγενής. Similiter Donatus Adelph. V. VIII. *Vxoris cognati marito adfines sunt*. Nomina autem *adfinium* sunt ista, *Socer*, *socrus*, *prosocer*, *gener*, *progener*, *nurus*, *pronurus*, *vitricus*, *priuignus*, *priuigna*, *leuir*, *glos*, *fratria*, *nouerca*, *consocer*, *consocrus*, *magnus socer*, *magna socrus*, *maior socer*, *maior socrus*, ac gradus vlteriores, quibus præuerbium *pro* præmitti solet.

Fio etiam actionem notare, ostendit eius compositum *suffio*, quod *adolere*, & *suffumigare*, significat: vt docent Seruius in IV. Georg. & Glossæ vett. tum Cyrilli, vbi θυμιάω exponitur *suffio*: tum Philoxeni, in quibus est, *Suffitio*, ὑποθυμίασις. Nempè *suffio*, valet *subtus fio*, hoc est, ex inferiori loco in superiorem emitto fumum atque odorem. Ita vsus Serenus, vbi agit de morbo regio:

Vellera cum vino suffiri sulphure prodest.

Ab eo est *suffitus*, & *suffimentum*: quod Festus dicit esse ex *faba*, *miliòque mollito*, *mulso sparso*: vt quidem in prima Antonij Augustini editione editum. Sed in schedis Festi Farnesianis est *molito*. Atque ita & Paulli codd. MSS. veráque ea lectio. Priscianus in VIII. & X. censet, *suffio* venire à *fio*, significante γίνομαι. Sed fallitur. Est enim, vel à θύω, id est, *sacrifico*; vel à θεῶ, id est, *velut deum colo*. Conuersum θ in *f*, vt in *foris* à θύρα, *fumo* (vnde *fumus*) à θυμιῶ. Vt *suffio*, ita & *exfio*, dixere: Vnde *exfir*. Festus: *Exfir*, *purgamentum*. *Vnde adhuc manet suffitio*. Nempè ab *exfio* pro *expurgo*. At *fio*, cùm verbum substantiuum est, venit à φύω, vnde & antiquum *fuo*, quo Comici crebrò vsi, ac Maro alicubi.

Tros Rutulusve fuat. ——

A *fio* substantiuo est *confit*; apud Terentium, Maronem, alios, etiam Cæsarem, lib. VII. de bello Gallico: *Postquam id difficilius confieri animaduertit*. Item *infit*, quod est *incipit*, teste Festo. Similiter Glossæ Philoxeni: *Infit*, ἄρχεται. Apud Liuium, & alios, ponitur etiam κατ' ἔλλειψιν, pro *fari infit*; vnde in iisdem Glossis exponitur ἄρχεται λέγειν. Diximus hac de re in Exercitationibus Grammaticis. Ab eodem est *defit*, vnde *defioculus*, cui oculus *defit*, seu deest. Martialis lib. XII. epig. LIX.

Hinc defioculus, & inde lippus.

Aliter Latini *vnoculum*, vel *coclitem*, appellant. Sed de Martialis loco non satis certum. Nam in veteri codice est. *Hinc cæsis oculus*. Vnde Salmasius in Tertull. de Pallio corrigit, *Hinc cæcis oculus*. Vt simile fit huic Senecæ:

Cæci sunt oculi, cum animus alias res agit.

Et sanè magis hoc placet.

Firmum Perotto placet esse à *ferendo*, quia omnia ferat. Meliùs ἀπὸ τοῦ ἕρματος dictum videtur Festo: vti & Nunnesio, in Grammatistice. Ἕρμα, *fulcrum*, vnde ἑρμάζω, *fulcio*, *firmo*. Vel fuerit *firmus* ab εἱρμὸς, id est, *nexus*; quia quæ connexa, ea firma stabiliáque. A *firmus* est *firmo*, hinc *affirmo*, *confirmo*, *infirmo*. A *firmatum* est *firmamentum*, vt à *iuratum*, *iuramentum*.

Fiscellus (Festi verbis vtor) *est casei mollis appetitor, vt catillones, catillorum liguritores*. Non dubium, quin *fiscellus* sit ab ea *fiscella* significatione, quà notat *vas vimineum, per quod defluit serum*: vt apud Tibullum libro vndecimo eleg. III.

Tunc fiscella leui detexta est vimine iunci,
Raráque per nexus est via facta sero.

Alias *fiscella* notat *sportam vimineam, quâ pisces asseruantur*. Item *quod è viminibus aut funiculis contexitur ad capistranda boum ora, ne tenera gramina decerpant*: quomodo vsus Cato de R. R. cap. LIV. Est autem *fiscella* ὑποκοριστικὸν à *fiscina*, quod ipsum est à *fiscus*: vt de his scribit Isidorus, lib. XX. Orig cap. IX. Quamquam dubitare de his videatur Priscianus, lib. II. *Fiscina, inquit, à fisco sit, an fiscus à fiscina, an neutrum à neutro, dubium est*. Imo *fiscina*, vel suæ, vel incertæ esse originis scribit quoque Camerarius ad illud Eclogæ X.

——*Et gracili fiscellam texit hibisco.*

Varro tamen vult *fiscinam* dici quasi *ferisciam*, quod si est, *fiscus* quoque dicetur quasi *feriscus*. Verba Varronis sunt, lib. IV. de L. L. *Quibus comportantur fructus ac necessaria res, de ijs Fiscina à ferendo dicta*. Alij malunt ab *bisco* priùs fuisse *biscus*, & *biscina*; post *fiscus*, & *fiscina*, dictum esse, ac similiter ab *biatu* dici *findo*. Sunt etiam quibus placet, *fiscus* propriè esse *spartum*, aut *iuncum*, ac poni pro ijs, quæ ex eo fiunt, quomodo Græcis σχοῖνος & *iuncus* est, & *funis è iunco plexus*; & σπάρτος, *funis è sparto*. Próque hac sententia facit illud Asconij in Diuinat. *Fisci, fiscinæ, fiscellæ, spartea sunt vtensilia ad maioris summæ pecunias capiendas. Vnde quia maior summa est pecuniæ publicæ, quàm priuatæ, vt pro censu priuato loculos, & arcam, & sacellos dicimus, sic pro publico thesauro ærarij dicitur fiscus*. Denique Scaliger in Coniectaneis vult, quemadmodum à χάσκω est *bisco*; à δάσκω, *disco*; sic à φάσκος esse *fiscus*: φάσκος autem notâsse *alutam*, indéque esse φάσκωλος siue φάσκωλον, quod notat *saccum ex aluta confectum*, *marsupium*, *peram*: sed & Latinos à φάσκωλος dixisse *pasceolum*, quod *saccum ex alutâ* Nonius exponit. Vsi Plautus, Lucilius, Cato, eodem Nonio teste. Pro vtraque hac *fisci* ἐτυμολογίᾳ facit, quod Augustinus in Psalm. CXLVI. & ex eo Isidorus, lib. XX. Orig. cap. IX. *fiscum* interpretentur *saccum publicum*. Atque hinc *suffiscus*. Festus: *Suffiscus dicebatur folliculus testium arietinorum, qui celebris vsus erat pro marsupio: forsitan dictus suffiscus à fisci similitudine*. A *fisco* res *fiscales*. Glossæ vett. *Fiscalia*, δημόσια. Ab eodem est *confiscare*. De *fisci* & *ærarij* discrimine diximus in *Ærarium*.

Fissiculare est à *fissum*, ac, si vocem spectes, generatim notat *findere*, quomodo *missiculare*, quod à *missum*, idem est quod *mittere*, & *pensiculo*, quod est à *pensum*, idem significat quod *perpendere*. Sed *fissiculare* pressè sumitur pro *exta rimari*. Hinc apud Appuleium lib. de Deo Socratis: *Vel extis fissiculandis*; & Marcianum Capellam, libro primo. *Fissiculatis extorum prosicijs*. Et libro II. *Hæc aruspicio exta fissiculant*. Sic & *iecoris fissi*, vnde & *fissiculatio* dicta, non vno loco mentio fit. Cic. lib. I. de Diuinat. *Quid fissum in extis, quid fibra valeat, accipio: quæ caussa sit, nescio*. Et III. de Nat. Deor. *Vnde porrò ista diuinatio? quis inuenit fissum iecoris?* Græcis *fissiculare* est σπλαγχνεύειν, vt *fissiculatio*, σπλαγχνεία. Vide *Missiculare*.

Fistuca Cæsari, Vitruuio, atque aliis, interprete Philandro, est *ansatum, & capitibus ferratum instrumentum, quo pali sublicæque in terram panguntur*. Sed sunt *fistucæ* non vnius generis. Quædam minores, quædam maiores. De vtrisque sic Budæus annotat. prioribus in Pandect. *Fistuca, inquit, machina vulgo nota, quâ etiam pauitores vtuntur, vtrinque ansata. Hac pali magna vi in terram adiguntur. Est & alia fistuca magna molis, quæ trabalis materies in terram pangitur, aut in alueum fluminis, quæ funibus tollitur, & pondere suo remissa alliditur*. Et mox, *Leo Albertus non fistucam, sed figisticam legit apud Cæsarem*. Nempe eò respexit, quod *infigat* terræ. Vnde ἀναλόγως magis *figistica* dixeris, quàm *fistuca*. Sed *figistica* vox est ignota veteribus libb. *Fistuca* autem est ab ἱστῶ, *statuo*: Vt à *cado* res dicitur *caduca*, ita ab ἱστῶ, erit *fistuca*.

Fistula, vt Isidorus ait, lib. III. cap. XX. *ita dicta, quòd vocem emittat*. Vbi respicit Græcum φωνὴ, *vox*, & στέλλω, *mitto*. Nisi ἁπλῶς στέλλω putes respicere. Sanè libro XIV. cap. VIII. ait: *Fistulæ aquarum sunt dictæ, quòd aquas fundant & mittant: nam Græcè στέλλειν mittere est*. Perottus malebat ita dici à *ferenda aqua*. Voluit autem, hanc esse priorem notionem: inde ad *musicas* esse *fistulas* translatum ob similitudinem. Sed non dubium, quin antiquissimis agricolis σῦριγξ fuerit nobilissima: ac serius inuentæ sint *aquariæ fistulæ*. Quare potius *fistula*, quasi φύστυλα, à φυσάω, *flatu distendo*. Y in *I* mutatur, quomodo à φύω est *fio*; à γηρύω, *garrio*, &c. Cæsar

Scaliger,

Scaliger. lib. I. de re poëtica, cap. IV. ait *Graecis à sibilo σύριγγα, Latinos ab hiatu fistulam nominari*. Ita ab *hisco* erit *hiscula*, inde *fistula*. Mihi prius magis probatur. Verisimilius enim est, *fistulae* ab *insflando*, quàm ab *hiatu oris nostri* nomen datum esse. Aliud autem *fistula*, aliud *calamus*. Nam *fistula* veterum è *pluribus calamis* compingebatur. Vnde Maro in Eclogis:

———Septem compacta cicutis
Fistula.

FLACCEO est *langueo*, vt apud Afranium, Nonio teste, *Iam flaccet fortitudo*. Origo est à *βλακεία*, hoc est, *mollities*. Sanè *βλάξ*, *μαλακὸς*, *ἀργός*. *Βλακεύειν*, *μαλακίζεσθαι*. Hesychium, & alios, vide. A *flacceo* est *inflacceo*: apud Ennium, *Inflaccebunt conditiones*. Item *flaccesco*, id est, *languesco*. Item *flaccidus*, quomodo vocatur, quod ob debilitatem *pendulum* est. Itaque tum de *auribus* dicitur, vt notet *ὠτώεντας*, vnde *flacci canes* apud Varronem: tum de *foliis*, quae marcida fiunt. Vtroque modo vsus Plinius. A *flaccus*, hoc est, *mobilibus auribus*, fuit Romae *Flaccorum* cognomen. Plin. lib. XI. cap. XXXVII. *Aures homini tantùm immobiles. Ab iis Flaccorum cognomina.*

FLAGITIVM etsi generatim accipiatur pro quouis *dedecore* ac *probro* (vt cùm Cicero in Miloniana ait: *Diuisa est sententia postulante nescio quo; nihil enim necesse est omnium flagitia proferre*,) propriè tamen *in libidine* est: vnde Nonius: *Flagitium veteres vitium, quod virgini infertur, dici voluerunt.* Indéque *flagitare* pro *stuprare*: éstque haec caussa, cur Valla *flagitium* dici putaret, quasi *flagris dignum*. Sed falsus est. Nam omnino est verbale a *flagito*, quod plus est quàm *postulo*, quemadmodum indicat hoc Ciceronis pro Quinctio: *Tametsi causa postulat, tamen quia postulat, non flagitat, praeteribo.* Imò ferè *flagitare* sumitur pro *acriter postulare, idque cum clamore, aut conuitiis*. Hinc Glossae vett. *ἀπαιτῶ βιαίως, flagito, efflagito, prosligo*. Item *flagitauerit, μετὰ βίας ἀπαιτήσει*. Hinc foeneratores dicti *flagitatores*, quod foenus cum conuitiis, aut tumultu, poscerent. Plautus, prologo Casinae:

Eiicite ex animo curam atque aes alienum,
Nequis formidet flagitatorem suum.

Idem, Mostellariâ, Sc. *Melius anno*:

Sol semper hic est vsque à mane ad vesperum:
Quasi flagitator astans vsque ad ostium.

Item *flagitium*, quod propriè est *efflagitatio*, hoc est, *acris postulatio cum clamore aut conuiciis*. Ita non semel accipit Plautus, vt Mercatore, act. II. sc. *Homo me miserior*, vbi senex ait, nolle se formosam adeò famulam in aedes ducere, ne videatur lenocinium facere, ac aliqui sint, qui

Vellicent, vocent, molesti sint, occentent ostium.

Quin potiùs se empturum virginem formâ malâ:

Ea, inquit, molet, conficiet pensum, pinsetur flagro, neque
Propter eam quicquam eueniet nostris aedibus flagitii.

Vbi manifestè opponit haec duo, *occentari ostium*, & *nullum foribus flagitium fieri*. Loquitur eodem modo, Epidico, act. III. sc. IV. vbi fidicinam inducit seni minantem, qui fides reddere nolebat:

——— abiero:
Flagitio cum maiore post reddes tamen.

Scio, Lambinum, ad locum adductum; Malaspinum, notis ad lib. VII. ad Att. epist. XV. Scaligerum, ad Festum in *occentare*; pluréisque alios *flagitium* hoc loco interpretari *dedecus*: quomodo & nos aliquando accepimus in Oratoriis nostris, l. IV. cap. VIII. verùm impensius nunc placet altera sententia, praesertim cùm & eo videam modo exponi posse, Casinâ act. V. sc. II. & III. Haec igitur prima eiusce vocis significatio. Quia verò ante amicarum ostia maximè haec *flagitia*, siue *pipuli*, fiebant, vt vel indicium facit vterque Plauti locus ante adductus: hinc factum puto, vt *flagitii* & *flagitandi* voces priùs quidem *ardentem amatoriam sollicitationem ad stuprum*: postea autem *stuprum ipsum* significarint, omniáque ea quae mollitie ac libidine committerentur. Isidorus, lib. V. cap. XXVI. *Flagitium, à flagitando, corruptelam libidinis significat, qua noceat sibi.* Cato: *Stupris intercutibus flagitatus.* Appul. lib. VIII. *Nudatum supinatumque iuuenem execrandis oredinibus flagitabant.* Plura loca suggeret Gulielmus Fornerius, lib. II. Selectionum cap. II. Sed per *ἐπεκδοχὴν* speciei, generatim quoque pro quauis ignominia accipiebatur, vnde inde legg. XII. Tabb. SIQVIS CARMEN OCCENTASSIT, QVOD ALTERI FLAGITIVM FAXIT, CAPITAL ESTO. Quomodo & locutus Papinianus.

FLAGRO, ac *fragro*, quomodo differant, ac vnde sint, docet Seruius ad I. Aeneid. *Quotiens, inquit, incendium significatur, quod flatu alitur, per L dicimus: quotiens odor, qui fractu spectie maior est, per R dicimus.* Quibus ex verbis liquet, sensisse Seruium *flagrare* esse à *flando*, *fragrare* à *frangendo*. Ac similiter de *flagro* Isidorus, lib. V. Orig. cap. XXVII. Sed *flagro* est à *φλέγω*, inserto *r*; quomodo à *πύθω* est *putreo*, ab *ἔξωθεν*, *extra*; à *πρόσω*, *prorsum*, &c. A *flagro* est *flagrum*. Quare aptè Catullus carm. XXV. *Insusta turpiter tibi flagella conscribillent.* Item, Horat. lib. epod. od. IV.

Ibericis perusse funibus latus.

Et *vrere loris*, libro I. epistola XVI. A *flagris* dicta *flagratores*. Festus: *Flagratores dicebantur genus hominum, quòd mercede flagris caedebantur.* Ab eodem dicti *flagriones*. Nonius: *Flagriones dicti sunt serui, quod flagris subiecti sunt: vt verberones à verberibus. Vsus Afranius.* A *flagrum* quoque *flagellum*, summa palmitis pars, quam à *ventis flatu* ita dictam, falsò putauit Varro, lib. I. de R.R. cap. XXXI. Omnino enim inde est, quòd vsus *flagelli* in caedendo esset: vnde *flagellare*. Quae vox ad alia quoque translata. Vt cum Plinius *flagellare annonam*, Martialis *flagellare opes* dixit. Nempe quia fruges horreis continent, & inuitas quasi *flagellis coercent*. Opes item arcis ingentibus claudunt, & quasi duro imperio premunt, quod minus foras se efferant. At eapse de caussa *strangulari ab arca diuitias* dixit Papinius, quia confertim adeò in arcis stipantur, vt spiritum ducendi iis potestas non sit.

FLAMEN, à *filo* quasi *filamen* dici, ait Festus in *Flamen*; & Priscianus, lib. IV. Integrum *filamen* in antiquâ legitur inscriptione, pag. CCXXXVII, num. VI. DIVAE AVGVSTAE ALBINVS ALB. F. FILAMEN DIVAE AVG. PROVINCIAE LVSITA. Ratio nominis est, siue quòd *filum* esset *annexum pileo* sacerdotali, siue quòd *solo filo*, vrgente aestu, *caput cingerent*. Hinc Varro, lib. IV. de L. L. *Flamines, quòd in Latio capite velato erant semper, ac caput velatum habebant filo.* Quem locum ita emendat Scaliger: *Flamines, quòd licio in apice velati erant semper, &c.* Licium isthoc fuisse *filum lanae* indicat cùm Festus, tum imprimis hic Liuii locus, libro primo. *Legatus, vbi ad fines eorum venit, vnde res repetuntur, capite velato (filum lanae velamen erat) Audite Iupiter, inquit, audite fines, &c.* Memorabilis etiam est iste Seruii locus, in libro VIII. Aen. *Flamines in capite pileum habebant, in quo erat breuis virga desuper habens lanae aliquid. Quod cùm per aestus portare non possent, filo tantum capita religare coeperunt. Nam nudis penitus eos capitibus incedere nefas fuerat. Vnde à filo quo vtebantur, flamines sunt dicti, quasi filamines. Verùm festis diebus filo deposito, pileum necesse erat accipere, qua secundum alios ad ostendendam sacerdotii eminentiam sunt reperta: sicut columnae mortuis nobilibus superponuntur, ad ostendendum eorum cacumen. Alii dicunt, non propter eminentiam dignitatis hoc factum: sed quia cùm sacrificarent apud Lauroláuinium, & eis exta frequenter aues de vicinis venientes locis (al. lucis) abriperent, eminentiâ virgarum eas terrere voluerunt. Exinde etiam consuetudo permansit, vt apud Laurolauinium ingentes haberent virgas, non breues, vt in vrbe.* Haec Seruius. Caeterùm Plutarchus à *pileo*, quasi *pileamines*, dictos arbitratur. Mihi, nec à *filo*, nec à *pileo*, id nomen accepisse videntur. Longius enim vocabula haec abeunt. Sed est *flamen* à *flammeo*, hoc est, *albogalero*, seu *velamento capitis*, quo vtebantur. Id autem *flammeum* vocatum à *flammeo* colore. Huius verò coloris erat, quia erant sacerdotes Iouis Tonantis, cui is color conuenit. Festus: *Flammeo vestimento Flaminica vtebatur, id est, Dialis vxor: & Iouis sacerdos, cui telum fulminis eodem erat colore.* Haec de *flaminis* appellatione. A *flamen* est *flaminius*: vnde *flaminius Camillus*, & *flaminius lictor*, & *flaminia aedes*, de quibus Festus. At vxor non *flaminia*, sed *flaminica*, dicebatur. Vsus eo Trogus, lib. XXII. Histor. vt testatur Priscianus, in quincto. Itaque Scaligero assentio, qui sic legit illud Ouidii, lib. vndecimo Fastor.

Ipse ego Flaminicâ poscentem februa vidi,
Februa poscenti pinea virga data est,

Ita *Flaminicâ* est *ex domo Flaminis*. In vulgatis minùs rectè *Flaminiam* editum est. Dicebatur & *Flaminium* pro sacerdotio *Flaminis*, quod & *Flamonium* per O. Vide quae de vtrâque voce notat Sauaro ad Sidonii lib. V. epist. VII. Videtur & Trogus vsus, in loco, cuius ante meminimus. Is sic legitur apud Priscianum, in editione Heliae Putschii: *Papicio, propter mortem Flaminica, flaminio obiit.* Vbi lego, *flaminium obiit*. Sed verba illa *propter mortem*, cùm in Veneta anni CIↃCCCCLXXVI. tum in vett. membranis nostris absunt. Etiam membranae eaedem pro *Papicio* scriptum habent, *Pro Apicio*. Quare sic corrigo, *Pro Apicio flaminica flaminium obiit*: Vt sententia sit, *flaminis vxorem* munia *flaminis* mortui obisse. Censeo enim, illa verba, *propter mortem*, ex glossemate, siue apud Priscianum, siue Trogum ipsum, irrepsisse. De habitu *Flaminicae* sic Seruius in illud IV. Aen.

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Veteri ceremoniarum iure praeceptum est, vt Flamen (leg. *flaminica*)

rica) venenato operta sit. Operta autem cùm dicitur, pallium significatur. Venenatum autem infectum, quod ipse ait in Bucolicis.

Alba nec Assyrio fucatur lana veneno.

Et mox: *Flaminicam habere praecipitur arculum, rigam* (leg. *ricam,*) *venenatum, fibulam. De venenato dictum est. Arculum vero est virga ex malo Punico incuruata, quae fit quasi corona, & ima summáque inter se alligatur vinculo laneo albo, quam in sacrificijs certis regina in capite habebat. Flaminica autem Dialis omni sacrificatione vti debebat. Virgilius ergo propter nominum & intellectus difficultatem aliter omnia comprehendit; nam pro pallio chlamydem, pro venenato, id est, infecto, Sidoniam. Arculum vero & fibulam ex auro factam commemorat, dicendo,*

Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum.

quod in arculum potest referri. Nam de fibula manifestum est, cum ait,

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Subnectit autem quid aliud est, quam sursum nectit? ac per hoc succinctum facit. Rice tem vero possumus ricam accipere, quia rica genus est vestis. Rica rescripsi vtrobique pro *riga.*

FLAMMA, seu *flama*, Isidoro, lib. XIX. cap. VI. sic dicta videtur, quod *follium flatu* excitetur. Sed vel est id nomen a sono factum, vel [illegible] venit ab Hebraeo להב, quod est, *flamma*: vel venit à φλέω, siue φλάζειν, ob strepitum, quem ignis aestuans edit, vel, quod solum probo, est ab Aeolico φλάγμα pro φλέγμα, id est, *inflammatio*. Nam mos Aeolibus priorem consonam commutare in eam quae sequitur. Φλέγμα verò, vt notum, à φλέγω, quod tum *ardeo*, tum *vro* significat. Pro eo poëticè φλεγέθω dicitur; vnde fluuius infernalis igneis fluens vndis Φλεγέθων, atque etiam πυριφλεγέθων appellatur.

FLAMMEVM, siue *flammeum*, dicebatur, quia *flammae* colorem referret. Itaque & sponsae eo vtebantur, ne proderetur virginis pudor, aut si quis rubor animaduerteretur, is è velo, non è genis esse putaretur. Nonnullis placet *flammeum* dici à *flamine*, seu *flaminica*, *flaminis* vxore, quae, vt Festus ait, *flammeo* semper vtebatur. Sed prius magis placet. Nam & *flammarij*, Festo teste, *dicuntur infectores flammei coloris, vt violarij, violacei coloris.* Imo *flaminis* potius à *flammeo* nomen esse videtur: qua de re in *flamen* diximus.

FLAVVS color est, qui est in spicis maturis. Hinc apud poëtas *Flaua Ceres.* Indeque est, quod *Flauescit* in vett. Glossis exponitur [illegible], quod est *maturescit*. Sed quia ingens est colorum affinitas, Agraetius *flauum* exponit *rubeum*, atque ita dici ait *flauam Cererem*: Virgilius in v. Aen. *flauam* ait *oliuam*: nempe vt [illegible] dixerat Aeschylus in Pers. Donatus apud Maronem interpretatur *viridem*: sed, vt puto, minus rectè. *Flauum* colorem a *flama*, quam imitatur, dici, censet Scaliger exercit. CCCXXV. sect. xij. Alij deducunt à *flando*, quòd is sit color *flati metalli*. *Flauia* genti nomen Romae à *flauo capillo*.

FLECTO, à φλέγω, vel φλεκτὸν; vt *plico*, à πλέκω, vel πλεκτόν; φλέγω est *vro*, vnde *flecto*, quia quae *vstulantur*, propiúsve igni admouentur, praua ac *incurua fiunt*. Ita Scaliger in Coniectaneis. Sed verisimile parum est, ad insolentem *flectendi* rationem respexisse, qualis illa ab *vstulatione*. Potiùs arbitror spectasse eò, quod vicina sunt *plicare* & *flectere*. Fuerit igitur à πλέκω vel πλεκτός. A *flecto* in Circo ad metam dicebatur *flexus*, vti Graecè καμπτὴρ, ἀπὸ τοῦ κάμπτειν, id est, *flectere*. Ouidius quoque in VIII. Met. eleganter hederas dixit *flexipedas*, vt quidem in veteri codice reperit Turnebus, vbi in vulgatis *flexibiles*. *Flexipedes* autem quia *flexuosis* errent *flagellis*, vnde & in Epigrammatis [illegible] dicitur [illegible].

FLEMINA quid sint, docet sic Festus: *Flemina dicuntur, cum ex labore viae sanguis defluit circa talos.* Et Caper: *Flemina est, vbi abundant crura sanguine.* Absyrtus quoque & Hierocles in Hippiatricis aiunt, *fluxus in pedes* Romanis sic dici. Vsus Plaut. Epid. v. II.

Lassitudine mi innascerunt miserum in genua flemina.

Nec dubium, quin vera sit eorum emendatio, qui apud eundem legunt, Poenul. Act. III. I.

——Pessimè itis, optimè hercle dicitis.

Quin etiam deciderint vobis flemina in pedes velim.

Quidam censuere *flemina* idem esse ac *varices*: eóque credidere, vt *varices*, ex mente Nonij dicuntur, quia *vari* sint, hoc est, *inflexi, atque obtorti*: ita & *flemina* a *flectendo* vocari quasi *flegmina*, vt quae *flexuosa* sint *obtortáque*. Perottus credebat *flemina* dici a *fluendo*, quasi *fluomina*. Puto potius esse à φλεγμονή, id est, *tumor*, quod à φλεγμαίνω, *inflor*. Sanè *fleminibus* conueniunt ista. Hesychius. φλεγμονὴ ὄγκος πυρώδης, συμβαίνων ἐπὶ τὸ ἀσθενοῦν μέρος τοῦ σώματος, ἢ τῆς παρὰ φύσιν διαφορᾶς φλεγμαίνοντος. [illegible]

FLEO, quasi *lacrymis fluo*, vt Isidorus scribit, lib. X. A κλαίω deriuari, licet non scribatur per diphthongum, censet Th. Beza, annotat. ad secundum caput Matthaei, vers. XVIII. Martinio placet esse a φλέω, id est, *scaturio*. A quo & *fluo*. Quid, si deducamus à φλεῖν, quod inter alia notat [illegible], teste Hesychio? In mentem etiam venit, fortasse esse nomen a sono factum. Nam *ei* est *flentium* vox: vnde *elegia* nomen, vt suo loco diximus. Ita *fletus* dicatur quia *flentes* quasi *fle* sonent.

FLICTVS est apud Maronem, Silium, Ausonium, aliosque: est ab antiquo *fligo*, quo vsus Lucretius, lib. II.

——Nam cita superne

Obuia cum flixere, fit vt diuersa repente

Dissiliant.

Liuium quoque Andronicum, Acciúmque vsos, docebit Nonius. *Fligo* vel à πλήγω, id est, *plaga*: vel à φλίβω, quà metaphoricè notat [illegible], prout exponit Hesychius: vel, quod multo verius, à θλίβω, quod saepè pro *affligo* sumitur in N. T. Aeoles (quos Romani imitantur) mutant θ in φ, vt γλέφαρα apud Hesychium pro βλέφαρα. Sic [illegible], γάλακτος, *glans*; item θλίβω, φλίβω, *fligo*. A *fligo* est *affligo*, *effligo*, *infligo*, *confligo*, & mutata coniugatione *profligo*. *Effligo* est apud Plautum, Asinariâ, Act. IV. sc. II. *Te effligis, scio.* Quod malè quidam mutatum eunt. Ab eo *efflictim*. Cic. ad Terentium: *O me perditum, ô me afflictum.* Item *efflictim*, apud Naeuium, ex cuius Corollaria citat Charisius, libro II. *Nolo ego hanc adeò efflictim amare: diu viuat volo, vt mihi prodesse possit.* Quod Probus (vt ibidem indicat Charisius) sic explicabat: *Vsque adnecem exfligatur.* Vsus & Plautus Amphitr. I. sc. iij.

Numquam edepol, quemquam mortalem credo ego vxorem suam

Sic efflictim amare, proinde vt hic te efflictim deperit.

Et Casinae prologo:

Amare puellam eam hic senex

Efflictim occepit.

Effligere verò pro *adfligere* dicitur, vt, pro *adscendere*, *escendere*; de quo suo loco. Alij tamen *affligere*, & *effligere*, differre aiunt, vt *afficere*, & *efficere*. Illud *imminens*, hoc *praesens* volunt *exitium* significare.

FLO Perottus deducit à φλὸξ, id est, *flama*. Ac caussam addit istam, quia *spiritus omnes, calore intimorum diffundente, procedunt*. Alijs est *flare* à φλέω, id est, *ferueo*, *strepo*. Ita Caesar Scalig. libro I. de caussis L. L. capite XXij. & libro IV. rei poet. capite XLVij. & exercit. CCCXXV. sect. xij. Sed mihi non dubium est, quin & φλέω, & *flare*, sit à sono factum: vt & Belgicum *blaen*. Nam & hic *L* & *B* aptè coniunguntur. *B* vero affinis est literae *F* & Φ. Aut si *flo* veniat a Graecis, non tam sit à φλέω (significatio enim abit,) quam à πνέω; quod idem notat. Sanè *N* crebro abit in *L*: vt alias saepe. Sed imprimis hanc rem firmat quod Attici, si Thomae Magistro credimus, vt pro πνεύμων πλεύμων, ita & pro [illegible] dixere. A *flatum* est *flabrum*, vnde *flabellum*. Item à *flatu flator*. Festus: *flator*, *tibicen*. Gloss. Philox. *Flator*, [illegible]. Gloss. Cyrilli. Αὐλητὴς, *flator*, *tibicina*, *or*, *tibicen*. Ab eodem *flatularius*, qui *flando* aliquid facit, χωνευτής. Legas in cod. Theodo. L. vj. de fals. mon. Siue *flaturarius*, vt pro eo legitur in vett. inscript. quemadmodum ad Manilium Scaliger obseruauit. Promiscue in talibus *L* & *R* vsurparunt: vnde *Latialis*, *Latiaris*, *Ianualius* & *Ianuarius*, &c.

FLOCCVS pro *re nihili* sumitur, vt cùm dicimus *flocci facere*. Sed propriè, iuxta Perottum, ita dicuntur *lanarum particula diuisa à velleribus inutiliter euolantes*. Vnde colligo, censuisse, *floccos* dici, *quod de lana per aëra volitent*. Sane id malim, quàm quod alij scripsere, ita dici à *filis*, vel *pilis*, vel *flo*, quia huc illuc *flatu* impellantur: vel Hebraeo חל; quod valde placeret, si notaret *defloccauit*, vti aiunt: atqui significat *nudare*, *vastare*: nec cum *floccis* quicquam habet commune si literas exceperis. Nec tamen ita solùm dicuntur, quae de *pecudum vellere* prouolant, sed etiam *vestium villi*: vnde vestes, quae perdidere *floccos*, *defloccatae* dicuntur: & [illegible] autem Plautus, Epid. Act. v. Sc. I. senes caluos scitè *defloccatos* vocat, tanquam qui *amiserint floccos*, hoc est, *capillos suos*. Simili metaphora dixit Persius:

——Mihi trama figura

Sit vel qua: ast illi tremat omento popa venter.

Videntur autem *vestes defloccatae* aliter dictae *decotes*, quasi *sine cute*, hoc est, *flocco*. Festus: *Decotes, toga detrita.*

FLOCES antiqui dixere *fecem*: quomodo Caecilium ἐν πλοκίῳ locutum obseruat Gellius, lib. xj. cap. vij. Vbi explicat

dictum illud hominis ἀλαζόνος. *Hic eques Romanus apludam edit, & floces bibit.* Turnebus, lib. xxix. Aduerſ. cap. xxiii. ait, *floces* vocari *fecem*, quia ei inſint *flocci* quidam, & *panni*. Vnde Perſius ſat. v.

Pannoſam fecem morientis ſorbet aceti.

Flos Sipontino videtur eſſe à φλὸξ, id eſt, *flamma*, quia emicat, ſcintillátque, vt *flamma*. Itaque & *ſtellæ*, quæ *flammantia ſidera* vocantur a poëtis, ab iiſdem *flores* nominantur: vt ex Manilio & Columella probauimus, lib. iv. Orator. Inſtit. capite vi. Etiam φλὸξ οἴνου, vt Euripides vocat, *flos vini* vel *Liberi* dicitur Liuio Andronico, Paccuuio, Ennio, Plauto, Lucretióque. Et ſanè diuturſcula quidem hæc etymologia: ſed melior tamen illa Iſidori, libro xvii. capite vi. *Flores*, inquit, *nominati, quòd citò defluant de arboribus, quaſi fluores, quod citò ſoluantur.* Omnino autem contractum, *flos* ex χλόος, denſa litera in digamma mutata. Eſt vero χλόος propriè *viror herbarum*; tum earum, quæ plane virent, tum quæ in pallorem vergunt: qualis eſt, cùm areſcere incipiunt: vnde ab Heſychio exponitur ὤχρωμα, id eſt, *pallor*. Ab eo χλοερὸς, & per craſin χλωρὸς, id eſt, *viridis, herbaceus*. Atque inde Χλῶρις, ex quo *Flora*, vt quidem cenſet Ouidius quinto Faſtorum:

Chloris eram, quæ Flora vocor: corrupta Latino
Nominis eſt noſtri littera Græca ſono.

Sed vt à χλόος eſt *flos*, ita à χλῶρις in recto eſſet *Floris*. Quare verius puto, vt à *melle Mellona*, à *pomo*, *Pomona*; à *cunis*, *Cunina*, à *colle*, *Collina*; ſic à *flore* eſſe *Flora*. Interim hic quoque Ouidij locus confirmat ſententiam ſuperiorem, quæ è χλόος *flos* factum eſſe dicebamus. A *flos*, & *fero* eſt *florifer*, & *floriſertum*, quod Cereri offerebant. Feſtus: *Floriſertum dictum, quòd eo die ſpicæ feruntur ad ſacrarium.*

Fluo eiuſdem eſt originis ac *pluo*; nempe à βλύω, id eſt, *mano, ſcaturio*. Cui & vicinum φλύω, *abundo, diffluo*. Addit Nunneſius fortè eſſe *fluo* à πλέω, *nauigo*. Quod non probo. A præſenti hoc *fluo* eſt *fluor* pro *fluxu*. Item *Fluonia*. Feſtus: *Fluoniam Iunonem mulieres colebant, quod eam ſanguinis fluorem in conceptu retinere putabant.* Ab antiquo eius præterito *flui* eſt *fluuius*: vt à *plui* pro *plus*, *pluuia*. Ab eodem & *fluuidus* dixere pro *fluidus*. Lucretius:

Sed quod amara vides eadem quæ fluuida conſtant.

In ſupino nunc *fluxum* dicitur, vnde res *fluxæ*, quæ perpetuò *fluunt*. Sed olim etiam dixere *fluctum*: vnde *fluctuo*, a quo *fluctuatiom* apud Afranium, teſte Nonio. Valde nugatur Iſidorus, lib. xiii. cap. xx. cum *fluctus* dici arbitratur, quia *flatibus* fiant. Meliùs, qui *fluctus* deducunt à φλύζω, *bullio*; vnde φλυκτὶς, *ebullitio*; ſed cùm aliud ſit *fluctus*, quàm *ebullitio*; & à præterito *fluxi* ἀναλόγως veniat ſupinum *fluctum*, vtcumque id in vſu non ſit, examuſſim optimè Priſcianus, lib. ix. *Vetuſtiſſimi & fluctus pro fluxus & flucturus pro fluxurus ſoliti ſunt dicere. Vnde & fluctus, ipſe motus aquarum.* Imò non *fluctum* modo, ſed & *fluitum*, videtur olim fuiſſe in vſu. Ab eo erit vt à *notum*, *nomen*; à *motum*, *momen*. Item *fluta*, de quo ſeparatum. Item *confluuium*, *Cuppoia*. Cornelius Seuerus in Ætna.

Donec confluuio reſolutis æſtibus amnis
Exilit.

Ab eodem *confluges*: vt à *ſtratum*, *ſtrages*; à *fruor*, *fruges*. Nonius: *Confluges, loca, in quæ riui diuerſi confluunt. Liuius, Andromeda. Confluges, vbi conuentu campum totum inhumigant.* Simile eſſe aiunt à *conflando*, *conflages*: idque ob hæc verba Feſti: *Conflages loca dicuntur, in quæ vndique confluunt venti.* Sed ex verbo *confluunt* liquet *confluges* ſcribi debere. Quàm vetuſtus autem hic error ſit, argumento eſt, quòd Iſidorus *confrages* legit, & à *frangendo* putat dici. Sic enim ſcribit, lib. xiv. cap. viii. *Confrages, loca, in quæ vndique venti currunt, ac ſeſe frangunt: vt Næuius ait. In montes vbi venti frangebant locum.* Sed fallitur Iſidorus. Imò ne quidem ſi *confrages* diceretur, à *frangendo* eſſet, ſed à *flando*. Nam vt *Latialis*, & *Latiaris*; *Ianualius*, & *Ianuarius*; ſic *conflages*, & *confrages*, dicere potuerint.

Flustrum, à *fluo*; vt *luſtrum*, à *luo*; *fruſtrum*, à *fruor*, vel *frio*. *Fluſtra dicuntur, cùm in mari fluctus non mouentur, quam Græci γαλήνην vocant.* Vtitur Tertullianus, in Scholaſtico ſcripto de Pallio, cap. ii. *Sic & mari fides infamis, dum & flabris æquè mutantibus de tranquillo probum, de fluſtris temperatum, & ex templo de decumanis inquietat.* Pro eo *pluſtra* legas apud Aldelinum, de laudibus Virginis.

Fluta, vel eſt à πλωτὴ, vt dicatur quaſi *pluta*; vel à *fluo*, vt antiquum eius ſupinum fuerit *flutum* pro *fluxum*: qua de re in *fluo* dicimus; vel à *fluto* pro *fluito*, quomodo Lucretius, ſi nonnullis libris fides, dixit lib. ii.

Namque mouetur aqua, & tantillo momine flutat.

Macrobius, lib. iii. Saturnal. cap. xv. *Arceſſebantur autem murænæ ad piſcinas noſtr[...]que freto Siculo, quod Rhegium à Meſſana reſp[...] (l. deſpeſcit;) illic enim optimæ à prodigis (l. prodigis) eſſe [...] Herculè, quàm anguillæ. & vtraque ex illo loco Græci πλωτὰς (malim πλωτάς) vocantur, Latinè flutas; quòd in ſummo ſupernantes ſole torrefactæ curuare ſe poſſe & in aquam mergere deſinunt, atque ita faciles captu fiunt.* Mox idem adducit locum hunc ex Varronis libro, qui *Galius de admirandis* inſcribitur: *in Sicilia quoque Papirius manu capi murænas flutas, quod hæ in ſumma aqua præ pinguedine flutentur.* Vbi pro *flutentur* legendum *flutent*, quomodo manu ſuâ hunc locum in codice nunc meo emendauit Scaliger. Cui codici & ex parte priorem debeo emendationem in ipſius Macrobij verbis. De *fluta* intelligendum hoc Martialis in Xenijs, epiſt. lxxx.

Quæ natat in Siculo grandis muræna profundo,
Non valet exuſtam mergere ſole cutem.

Focus, quod *foueat ignem*, vt Varronem prodidiſſe auctor eſt Iſidorus, lib. xx. cap. x. At Feſtus. *Focus, fomenta, focillationes, foculi, à fouendo, id eſt, calefaciendo, dicta ſunt.* Ouidius vi. Faſt.

At focus à flammis, & quod fouet omnia, dictus.

Conueniunt in eo, *focum* à *fouendo* dici. Diſcrepant paullum, ſitne ex eo, *quod ignem foueat*, an *quod igni alia foueat*. Poſterius malim. Neutrum tamen ſatisfacit: ſed cenſeo, *fouere* potiùs a *foco* dici. Nam non is ſolum *foci* vſus, *vt cibos coquamus*; ſeu *vt corpora foueamus*, hoc eſt, colorem eorum natiuum conſeruemus ac tueamur. Hoc quia *focus* præſtat, ab eo *fouendi* verbum fecere. *Focus* autem fuerit à φώγω, ſeu φωγνύω, vel φρύγω, hoc eſt, *vro*. A *foco focarius* dicitur ſeruus *mediaſtinus*, *cui foci cura incumbit*, lib. i. §. caupones. nau. caup. ſtab. *Focariæ* itidem à *foco* appellatæ *mulieres addicta miniſterio culinæ*; vnde B. Hieronymus μαγειρίσσας interpretatur *focarias*. Ita quoque in Iure aliquoties appellatur *concubina*, quia *eodem cum patrefamilias foco ac lare viuit*: vt lib. xii. §. Trebatius. D. de inſtruct. vel inſtrum. leg. atque alibi. Vide Radulphum Fornerium, lib. i. rer. quotidianarum c. xxii. A *focus* eſt ὑποκοριστικὸν *foculus*, vnde *foculare* apud Nonium in *focula*. Videtur id ſignificare calorem *foculo* reſtituere. Ab eo *focillo*, vt a *ſcribo*, *ſcribillo*, a *ſorbeo*, *ſorbillo*. Sed & *focillor* pro *fouere* dixit Varro, Nonio teſte. A *focillo* eſt *refocillo*, quod notat *languentem recreare vireſque inſtaurare*, quia nempe id *foculo* externóque calore fieri conſueuit. Pro *focillo* etiam *focilo* legitur porrectâ primâ, & mediâ correptâ. Lucanus, panegyrico ad Piſones:

Sed miſerum parua ſtipe focilat, vt pudibundos
Exercere ſales inter conuiuia poſſit.

Ita locus is adducitur etiam in Calepino toties recocto, Smetio in proſodia, & aliis. Sed ex vett. libb. pro *focilat* legendum *munerat*: quomodo in Catalectis edidit Ioſ. Scaliger.

Fodio, à *fouea* ſit iuxta Iſidorum, libro xxvii. capite v. At *fouea*, iuxta nonnullos, quia illic *fouentur animalia*. Quaſi *fouea* ſolùm ſit animalium. Adde quod contra *fouea* eſt à priſco *foueo* pro *fodio*: vt mox dicam: Perotto dicitur quaſi *foras do*. Sed durius hoc. Vti & quod vir doctiſſimus deducit à פתח, *patah*, id eſt, *perio*. Nempe quia *fodiens* terram aperit. Et veteres *faueo* pro *fodio* dixere. Sed etymo huic obſtat, quod *aperire* nunquam ἁπλῶς ſumitur pro *fodere*. Vera origo eſt à Græcis: à quibus bifariam ea arceſſitur. Nam quid, ſi deducas à φωλεὸς & φωλιὰ: Eſt id *ſpecus*, *antrum*, *latibulum*. Vti φωλέω, & φωλεύω, *in antro lateo*. *L* in *D* abit, vt à μελετᾶν, *meditari*. Sed ſimpliciſſimum & veriſſimum eſt, ſi dicas, veteres vt *cito*, & *cio*; *ſorbeo*, & *ſorbo*; ſic *fouea*, & *fouo*, dixiſſe. *Fouo* autem ſit ex Æolico χόϝω, ſiue χώϝω, pro χόω, vel χώω, vnde χώννυμι, *terram egero*, à quo χῶμα, *terra foſſilis*, *agger*, *tumulus*; χ mutatum in *F*, quomodo *fel* à χολὴ; κατ' ἀποκοπήν. *Foueo* vel *fouo* veteres dixiſſe oſtendit deriuatum inde *fouea*. Etiam O in *A* verſo *faueo* pro *foueo*, & *fauea* pro *fouea*, dixere. Vnde quidam credidere, *Fabiam* gentem ſic vocari à *fauea*, ſeu *fouea*, quod Hercules matrem eius, vnde genus hoc cœpit, ad *foueam* compreſſerit. Et Adamantius Martyr hoc argumento vſus *Fauium*, non *Fabium*, dicendum putabat. Sed quicquid eſt de *Fabiorum* nomine: ſaltem à *faueo* pro *fodio* dictæ ſunt *Fauiſſæ*: de quibus antea vidimus. Quemadmodum verò è χόω inſerto digamma eſt *fouere*, vnde *fouea*: ſic ab eodem inſerto *d* eſt *fodere*. Nempe vt à τείνω, *tendere*; à χύνω, *fundere*. *Foſſa* vel eſt à *foſſum*: vel ex *fouiſſa*, vt *cauſſa* è *cauiſſa*. A *foſſa*, *foſſatum*, locus *foſſa munitus*. Vt apud Capitolinum in Gordianis: *Caſtra omnia & foſſata eorum circumibat.*

Fœdus adiectiuum nonnullis placet eſſe ab *odio*, quia *fœda odimus*. Angelus Decembrius, libro vii. de politia literaria,

parte

parte XXXVIII. dici existimat à *fæce* quasi *fæculentus*. Isidorus deducit ab *hœdus*. Ita enim ille lib.X. *Fœdus nomen habet ab hirco & hœdo, f literâ additâ. Hunc veteres in graui significatione ponebant*. Vt,

Sanguine fœdantem, quos ipse sacrauerat ignes.

Fortasse igitur sit a *fœtore hirci, grauecolentis mariti*, vt poëta appellat. Sed quid, si cum Perotto dicamus, quia infantili ætate nihil soleat esse inquinatius, ac imprimis *fœtu* recenti vel tenello, eò à *fœtu* esse *fœteo*, inde *fœtidus*, hinc *fœdus*: sed vsum ita discreuisse, vt integrum ad odorem referatur: alterum ad omne, a quo, vt turpi, animus abhorret. Hæc si sententia placet, vel *fœdus* etiam per OE exarari debuit: vel & *fedus*, ac *fete*, simplici E scribi oportebit.

FOEDVS substantiuum quamquam per OE in vett. scribatur monumentis, a *feriendo* tamen quibusdam sic dici videtur, idque quia in *fœderibus* hostia à sacerdote saxo feriri soleat: vnde dicimus *icere, percutere, ferire fœdus*: A quo etiam more ortum prouerbium: *Stans quidem inter sacrum & saxum*. Aliis placet, vel a *fide* nominari, vel ab *hœdus*, vel à *fecialibus*, vel à *fœditate*. Festus: *Fœdus appellatum ab eo, quod in paciscendo fœdere hostia necaretur*. Virgilius:

———*Et casâ iungebant fœdera porcâ.*

Vel quia in fœdere interponatur fides. Isidorus, lib. XVIII. cap. I. *Fœdus est pax, quæ fit inter dimicantes, vel à fide, vel à fecialibus, id est, sacerdotibus dictum. Per ipsos enim fiebant fœdera, sicut per seculares bella. Alij fœdera dicta putant à porcâ fœdè & crudeliter occisâ, cuius mors optabatur ei, qui à pace resilisset*. Virgilius (lib. VIII.)

———*Et casâ iungebant fœdera porcâ.*

Ex tot etymis maximè verisimile est, quod à *fide* arcessitur: præsertim cùm *fidus* pro *fœdus* dixerit Ennius. A *fœdus* est *confœdustus*. Festus: *Confœdusti, fœdere coniuncti*. Ita est in MSS[ti], & editis. Nec video, cur mutet Scaliger. Nam vt ab *onus, onustus*; sic a *con* & *fœdus, confœdustus*.

FOLIVM, à φύλλον, vt Festus ait, & res clamat. Nam, duobus λλ concurrentibus, posterius mutant Latini in *I*. Sic ab ἄλλος dicunt *alius*, ab ἅλλομαι *salio*. Quæritur, cur *librorum* dicantur *folia*, quæ propriè *arborum*. Isidori hæc de verba ponam, è lib. VI. cap. XIII. *Folia autem librorum appellata, siue ex similitudine foliorum arborum, seu quia ex follibus fiunt, id est, ex pellibus, quæ ex occisis pecudibus detrahi solent*. Sed sunt hæc λῆροι λῆροι. Vera causa est, quòd antiquitus in *stirpium folijs* scribi soleat. Noti versus Maronis, III. & VI. Æn. de *Sibylla foliis oracula inscribente*: quemadmodum & Iuuenalis illud sat. VIII.

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

In *palmarum folijs* primò scriptitatum esse, auctor est Plinius, lib. XIII. cap. XI. *Maluæ* quoque *folijs* interdum vsos, cognoscitur ex his Cinnæ versibus apud Isidorum, libro VI. orig. capite XI.

Hæc tibi Arateis multum inuigilata lucernis
Carmina, queis ignes nouimus aerios,
Leuis in aridulo maluæ descripta libello
Prusiacâ vexi munera nauiculâ.

Melchior Guilandinus, commentario de papiro, his versibus inductus, autumat apud Plinium, loco ante citato, pro *palmarum* legi debere *maluarum*. Sed Isidorus clarè docet, tum *palmarum*, tum *maluarum folijs* inscribi solitum. Quin *palmæ* longè maior vsus, quàm *maluæ*. Itaque Cinna mittit Aratea carmina, non propter raritatem poëtæ, sed libri, qui ex *maluis* factus erat. A *folium* est *foliatum*, quod & *nardinum*, à *nardi folio*. Vide de eo Plinium, lib. XIII. cap. I. Iuuenalis, sat. VI.

———*Mœchis foliata parantur.*

FOLLIS videri possit à *sono* factum, *quem sufflando edit*. Sanè Græcis ab eodem *flatu* φῦσα, seu φύσκα, vocatur: nempe à φυσᾶν, id est, *sufflare*. Quin autem F & Φ commodè *flatum* exprimant, nemo ambigit. Sed potiùs sit ab Æolico φόλλις, pro θύλλις; quod diminutiuum à θύλακος, vt ἄρκλα ab ἀρκυλάκος, φίλνη à φίλακος. Gloss. vett. Θύλακος, *follis*. Eiusdémque originis fortasse fuerit *pellis*, seu *pollis*. Nam veteres, vt *hemo* & *homo*, *olus* & *olus*, sic *pellis* & *pollis* dixere. Quod *Pollionis* quoque nomine confirmatur. Siquidem id à *pellibus* est: vnde prius *Pellio* fuit. Legas id apud Plautum: qua de re pluribus in *Pellis* dicemus. Quod Glossæ θύλακον, quo significatur *saccus*, exponunt *follem*, id etiam confirmatur his verbis Vegetij, libro II. capite XX. *Denique decem folles, hoc est, decem sacci, per cohortes singulas ponebantur, in quibus hæc ratio condebatur. Addebatur etiam saccus vndecimus, in quem tota legio particulam aliquam conferebat, vt si quis ex contubernalibus defecisset, de illo vndecimo sacco ad sepulturam ipsius promeretur expensa*. Etiam *follis* pro *pera* seu *mantica*, sumebatur; quia & ista θύλακος foret. Iuuenalis, sat. XIV.

———*Et tenso folle reuerti*
Inde domum possis.———

Hoc est, *vt pleno sacculo reuertaris*: vt ait vetus interpres. Videtúrque similiter accipi in istoc sat. XIII.

Nunc si depositum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota ærugine follem,
Prodigiosa fides.———

Et Appuleij istoc Met. *Nummularius, pannosus alioquin & sordidus, aureos folles incubabat*. Gloss. Cyrilli: Πήρα, *mantica, follis*. Cùm autem & *pila* è corio fiat, quid, si & ei hinc *follis* nomen impositum dicamus? Sanè si plumâ fercie batur, quin verum id fuerit etymon, nullus dubito. Legas autem apud Martialem, lib. IV. epist. XIX.

Plumea seu laxi partiris pondera follis.

Verùm fortasse *plumeum pondus* pro *leuissimo* dixit. Nam *paganica* quidem fercie batur plumâ, at *follis* videtur spiritu fuisse turgidus. Martialis, lib. XIV.

Hæc, quæ difficilis turget paganica plumâ,
Folle minus laxa est, & minus arcta pilâ.

Vbi ἀμφοῖν *pilam* vocat, quæ proprio nomine *trigonalis*. Quod si *follis* vento erat plenus: verisimile sit ex eo nomen habere, quod *instar fabrilis vel coquinarij follis vento turgeat*. A *follis* est *folliculus*, pro *sacculo*; imo interdum & pro *sacco coriaceo*. Liuius, libro IX. *Eques folliculis in castra frumentum veheret*. Sed transfertur sæpe ad *thecas frumenti*, Isidoro teste, libro XVII. capite III. quomodo Seneca vtitur, libro V. Nat. Quæst. quæst. XVIII. Item *tritici folliculum* veteres dixere, quòd *fœtum* contineret. Auctor Seruius in III. G. Denique à *follis* posteriori ætate *folleo*, & *follico*, dixere. Notat hoc, *instar follis tumeo*. Hieronymus ad Eustochium: *Omnis his cura de vestibus, si bene oleant: si pes laxâ pelle non folleat*. Quo de loco etiam dicimus in *Tentipellium*. Idem ibidem: *Apud hos affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes*. Tertullianus de pallio, capite III. *Oscitans vescitur, follicans ruminat*. Vsus & Ambrosius.

FOMES à *foueo*, vt *tramens* à *trameo*. *Fomentum* autem à *foueo*, vt *momentum* à *moueo*. Vetus Horatij interpres ad sat. I. lib. I. *Fomenta à fouendo dicta sunt: inde & fomites, quibus ignem fouemus & alimus*. Festus: *Fomites sunt assulæ ex arboribus, dum caeduntur, excussæ; dictæ, quòd in eo opere occupati, cibis potúque confouentur. At Opilius adustas iam vites vocari existimat fomites; alij vocari putant scintillas, quæ ex ferro candenti malleis excutiuntur; dictæ autem ita, quia igni sunt confota*. Sed quid *fomes* sit, optimè expressit Maro, I. Æn.

Ac primùm silicis scintillam excudit Achates,
Suscepitque ignem folijs, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.

Est igitur *fomes*, materies arida, idonea vt facile ignescat.

FONS à *fundo*, quia aquam viuam fundat, iuxta Varronem, l. IV. de L.L. Festum in *fons* & Isidorum, lib. III. cap. XI. Hinc *Fontinalia*. Varro, lib. V. de L.L. *Fontinalia à fonte, quòd is dies feriæ eius; ab eo autem tum & in fontes coronas iaciunt, & puteos coronant*. Festus: *Fontinalia, fontium sacra; vnde & Romæ Fontinalis porta*. Ea erat porta *Capena*, quæ *Fontinalis* dicta à delubro *Fontis* proximo.

FORAGO, *filum, quo textrices diurnum opus distinguunt, à forando dictum*. Ita vulgo apud Festum legitur. Sed puto, scripsit à *forando*. Nam *forabant* eo filo telam, vt signo isthoc distinguerent pensa. Vel hoc verum est, quod dixi: vel postrema de etymo verba alius adiecit. Sanè in MS[o] Paulli codice absunt.

FORBEA, à φορβαία, quod Suidas interpretatur τροφή. Vsitatius est φορβή. Vtrumque à φέρβω, id est, *pasco*; hoc, vt aiunt, quasi φέρω βίον, id est, *victum fero*, seu *affero*. Festus: *Forbeam antiqui omne genus cibi appellabant, quam Græci φορβήν vocabant*.

FORCEPS, *forfex*, & *forpex*, & significatione & origine differre, docet his verbis Beda, lib. de Orthogr. *Forcipes secundùm ἐτυμολογίαν, si à filo dicuntur, f ponitur, vt forfices, quæ sunt sartorum; si à pilo per p, vt forpices, quæ sunt tonsorum: si ab accipiendo, per c, eo quòd formum capiunt, quæ sunt fabrorum. Formum enim dixerunt antiqui calidum, vnde & formosus*. Hæc Beda. De posteriori vocabulorum parte nolim Grammaticis mouere litem: de priori in *forceps* assentiri non possum. Nam si in *forceps* prior compositi pars est *formus*, (quod Festus & Marius Victorinus quoque scribunt;) erit etiam in *forfex*, & *forpex*: quod nunquam dicent. Quare rectiùs docuissent, primam compositionis partem esse *ferrum*, mutatúmque esse E in O, quomodo ab *hemo* est *homo*; ab *Apello*, *Apollo*; ab *elus*, *olus*. Ita *forceps* dicetur quasi *ferricapis*, hoc est, ferrum, quo

quid capimus siue prehendimus: *forfex* diceretur quasi *ferrifacis*, ferrum, quo quid facimus. Vel quasi *ferrifilex*, hoc est, ferrum fila secans *forfex* (si id quoque Latinum est de quo mox dicam) quasi *ferripilex*, hoc est, ferrum pilos secans. Iosepho tamen Scaligero quoque placuit illa vulgaris *forcipis* ἐτυμολογία; vt patebit, ex ijs, quæ dicemus in *Formosus*. Sed secutus is veteres, qui sic vno ore. Hos inter Velius Longus ac Papinianus, in Orthographia Cassiodori; ac Marius Victorinus, lib. I. de Orthogr. cuius verba adducimus in *Fornax*: ac Seruius ad illud IIX. Æn.

——*Versantque tenaci forcipe massam.*

Seruij verba hæc sunt: *Forfices, quibus incidimus: forcipes, quibus aliquid forbum tenemus, quasi forbicapes* (al. *formum*, & *fornicapes.*) *Nam forbum est calidum, vnde & formosos dicimus, quibus color sanguinis ex robore* (*rubore* legendum ex vet. cod.) *pulchritudinem creat. Has tamen forcipes in Medicinalibus Græci* ὀδοντάγρας *appellant, quibus solent in bello vulneratis spicula extrahi.* Seruij potissimùm verba adduxi, quia præter id, quod dixi, duo insuper ex ijs discere est. Vnum est, *forcipes* non tantùm esse fabrorum; sed etiam medicorum, siue chirurgorum, qui sic vocant instrumenta, quibus αἱ ἀκίδες, τὰ ἐν χειρουργίᾳ ἰαμα, vt Hesychius exponit, è vulneratorum corporibus educuntur. Alterum est, cùm Seruius dicat, generatim *forfices* esse, quibus incidimus, complexum quoque videri hac significatione, quas vulgo *forpices* vocant, per P. Sanè si *forpices* vox nota fuisset antiquis, meminisset quoque eius, cùm Seruius, tum Charisius; quorum vterque agit de discrimine, quo *forceps* & *forfex* differunt. De *forpex* nec hilum apud eos inuenire, nec, quod sciam, apud antiquorum quemquam. Sanè Hadr. Iunius quidem in Nomenclatore suo, & *forpex*, & *forpicula*, agnoscit: sed vellem auctorem laudasset, quod facit in vocibus magis vulgatis. Fecisset, puto, si quiuisset. Vult idem Iunius, *forfices* per F appellari quoque, quibus dentes euelluntur. Et profectò in Græcis Glossis exponitur ὀδοντάγρα. Sed legendum *forceps*. R. Stephanus, H. Iunius, aliique tuentur se auctoritate Cornelij Celsi, qui lib. VII. cap. XII. aliquoties *forfices* vocat, quibus dentes euelli solent. Sed oppono, quod in veteribus libris, omnibus ijs locis *forcipes* per C legatur. Deinde si similitudinem vsúmque huius instrumenti spectemus, quis non videt ὀδοντάγρας magis conuenire cum *forcipe*, quo prunas capimus, quam cum *forfice*, quâ pannos incidimus? Denique omnem dubitationem tollit Charisius, qui lib. I. vt doceat *forcipes* quoque medicorum, hoc est, chirurgorum esse, adfert Lucilij lib. XIX. fine, vt in alijs libris est, XI.

——*Scalprorum forcipiúmque*
Millia viginti.——

(Sic enim rectè emendarunt, pro *forcipum*) tum illud, quod mox subsequi apud Lucillium ait, magisque sententiam nostram confirmat:

——*Et vncis*
Forcipibus dentes euelleret.——

Sed & similiter Sidonius dixit: *Barba concauis hirta temporibus, quam in subditâ vultus parte surgentem stirpitus tonsor assiduus genas adusque forcipibus euellit.*

FORDICIDIVM, à *forda*, id est, grauida, & *cædo*. Festus: *Fordicidijs boues fordæ, id est, grauidæ, immolabantur.* Gloss. Philoxeni: *Forda*, θυσία ἐγκύμονος βοός. Vbi *forda* scripsit: sed scribere debuit *fordicidia*. Nam *forda* non sacrificium est, sed βοῦς ἐγκύμων; vt Onomasticum vetus exponit. Nunnesio rectè visum esse à φορὰς. Nam vt ab accusatiuis κρηπῖδα, σπυρίδα, ἶνα, veniunt Latino in recti *crepida*, *sporta*, *vena*: ita & à φορὰδα est *forda*. Hesychio φορὰδες αἱ θήλειαι ἵπποι. Sed, puto φορὰδες non *sola equa*, verùm & *boues feminæ*. Nempe sic generatim dixere *iumenta grauida*, ἀπὸ τῆ φορᾶς, *quia vtero gestant*. Quod si est, cùm φορὰ sit à φέρω, non multum aberrant, quibus placet, *forda* esse à ferendo, E in O abeunte, vt in *forum*. Ouid. lib. IV. Fast.

Forda ferens bos est.——

Varro, libro IV. de L. L. *Bos forda, quæ fert in ventre. A fordis cædendis fordicidia dicta.* Columella, libro VI. capite XXIV. *Post vnum coitum forda non admittit taurum.* Pro *forda* etiam dicebatur *horda*. Nam antiqui & F pro H, & H pro F collocabant, vt auctor est Festus in *Fedum*, & *Fostia*. Ab *horda* dicta *hordicalia*. Varro, lib. II. de R. R. cap. V. *Quæ sterilis est vacca, taura appellata: quæ prægnans, horda. Ab eo in Fastis dies Hordicalia nominantur, quod tunc hordæ boues immolantur.*

FORES, *valuæ, ianua, ostium*, quomodo differant, tum item tria priora vnde dicantur, explicat his verbis Seruius ad I. Æn. *Fores propriè dicuntur, quæ foras aperiuntur: sicut apud veteres fuit. Valuæ autem sunt (vt dicit Varro,) quæ reuoluuntur & se velant. Ianua autem est primus domus ingressus, dicta quia Iano consecratum est omne principium; cætera intra ianuam, ostia vocantur generaliter, siue valuæ sint, siue fores, quamuis vsus ista corruperit.* Hæc Seruius: à quo merito dissentiunt duo summi viri, Angelus Caninius, in Hellenismi Alphabeto; & Ios. Scaliger, in Coniectaneis; vti & Petrus Nunnesius in Grammatistice: qui admonent *foris* esse à θύρα. vt à θύραζε, *foras*, vnde *forum*. Y in O abit, quomodo à μύλη est *mola*; à νὺξ, *nox*, &c. Insuper θ mutatur in F, quomodo à θυμιῶ est *fumo*; à θῶ, vnde θῆσαι, *fio*, ex quo *feffe*. Latini, vt in aliis, ita hac quoque in re imitantur Æoles, qui pro θλίβω dicunt φλίβω, pro θῆρες, φῆρες, vnde Latinorum *fera*: non, (vti Isidorus scribit lib. XII. cap. II.) *quòd naturali vtantur libertate, & desiderio suo ferantur.* Tertium etiam etymon vocis *fores* reperio apud Stephanum Guichartum, qui deducit à פרש, *pandit*: ac pro eo facit, quod Chaldæis *ostium* ab hac radice dicatur פרושח, *peraschut*. A *foris* est *Forculus*, quasi *foriculus*, Deus qui *foribus præsidet*, apud Augustinum, lib. IV. de Ciuitate Dei, cap. VIII. Item aduerbium *foras*, vt Græcis à θύρα θύραζε; non autem quasi *ad forum*, & *in forum*, vt Perottus putabat. Ab eodem aduerbium *foris*, θύρηθι; vt ab hoc *forinsecus*: quemadmodum ab *intra*, *intrinsecus*; ab *extra*, *extrinsecus*. A *foris* est *forare*, vnde *foramen*, quia qui forat, facit vt *forinsecus* via sit ac inspectio. A *forare* sunt *perforare* & *inforare*, quod etiam à *forum*. Lusit eius vocis ambiguitate Plautus: vt diximus in *Forum*. A *foramen* est *foraminare*; quo semel iterúmque vsus Sidonius Apollinaris. Sunt & à *fores* composita *bifores*, *quadrifores*: vt apud Ouidium III. de Ponto. *bifores fenestræ*: ac *ianua quadrifores* apud Vitruuium lib IV. cap. VI.

FORI, iuxta Nonium, *spatia in nauibus apertiora, vel in gladiatorijs ludis*. Similiter Festus: *Fori, locus in naui, & Circensia spectacula.* Ita dicuntur à *ferendo*. Seruius in IV. Æn. *Fores tabulata nauium, ab eo, quòd incessus ferant.* Isidorus, lib. XIX. cap. II. *Fori nauium latera concaua, à ferendo onere dicta; siue tabulata nauium, quæ sternuntur, dicta ab eo, quòd incessus ferant, vel foris emineant.* Mihi tamen verisimilius fit, *fores* in naui dictos, quòd foris essent: hoc est, non in carinâ, siue aluo nauis, vbi, velut domi, immunes essent à pluuijs, & ventis: sed sub Ioue frigido. A *fori* est *foruli*. Festus: *Fori, Circensia spectacula, ex quibus etiam minores forulos dicimus.* *Forulos* pro librorum conditorio legas apud Tranquillum in Augusto; & Iuuenalem sat. III.

FORICÆ sunt *latrinæ*, ac volunt has esse priuatas (vnde & Belgis *priuaten* appellantur,) dicique *latrinas* à *latendo*, quia semotæ abstrusæque sint; at *foricas* aiunt esse publicas, eóque à *foro* nomen accepisse. Sed *latrina*, vt Nonius probat, prius notabat *balneum*. factúmque ex *lauatrina*, vt è *lauabrum*, *labrum*. Præterea nec locus, in quo vrina redditur, *lauatrinæ* minùs nomen meretur, quàm *vrina* ipsa meruit nomen *lotij*, quod & ipsum à *lauando*. At *foricarum* appellatio est à *foriis*. Veteres enim liquidiora stercora *forias* dixere. Ab eâdem origine est *foriolus*, pro quo Galli *foireux*. Sed & veteres *forire* dixerunt, vnde *conforire* aliquem, quod eodem modo à *forire* esse videtur, quo à *cacare*, *concacare*. Horum prora ac puppis nobis Nonius Marcellus, cùm scribit: *Foria, stercora liquidiora. Pomponius, Macco: Conforisti me Diomedes. Laberius in Panilicis: Foriolus esse videris, in coleos cacas. Foriolus, qui foria facile emittat, solui scilicet ventris.* Item vetus interpres Iuuenalis in illud sat. III.

Conducunt foricas, & cur non omnia.——

Foricas, inquit, *stercora, hoc est, vectigal. Forire est pro deonerare ventrem. Forire est non* (pro *non* leg. *onus*) *foras eijcere.* Vnde colligo, *forire* & *foricas* deduxisse à *foras*, quia stercus *foras eijciatur*. Sed Græcum est φορύω; vti à φόρυς, *anus, podex*: φορύω, φορύσσω, vel φορύνω, *polluo, inquino*. Hesychius: Φόρυς, δακτύλιος, ὁ κατὰ τὴν ἕδραν. Idem: Φορύνει, φυρᾷ, μολύνει, συγχεῖ.

FORMA ab antiquo *formus*, id est, *calidus*, quia ex calore natiuo prouenit. Ita Donatus, Phorm. I. II. *Veteres ignem & calorem quendam, quasi feruorem, dixerunt formam: & ideo fornaces, forcipes, formam, & formosos, ex quibus ignis amoris exoritur. Laudandus est ergo Terentius, proprietate seruatâ: qui cum formam prætulisset, subiecit, exstinguerent.* De ista *formi* significatione pro *calido*, plura in *formosus* dicemus. Nonnullis placet, vt καλὸν iuxta Platonem venit ἀπὸ τοῦ καλεῖν, id est, *vocare*; quia pulcra hominem ad se adliciunt: ita *formam* esse ab ὁρμὴ, quia impetu quodam homines ad *formæ* amorem impellantur. Sanè spiritus asper crebro abit in F. Vt *Formiæ* oppidum ab ὅρμος, *statio*: & *Falerij* oppidum ab ἅλς, *sal*: vt de vtroque ex Festo cognoscimus. Item *festus* dies ab ἑστία. Atque idem locum habeat, si *forma* deducatur ab ὅραμα, quod ab ὁράω, *video*. Et sanè hoc prioribus impensiùs placuit. Nam &

Græcis εἶδος ab εἴδω, *video*, & ἰδέα item ab ἰδεῖν dicitur: & Latinis *species* à *specio*, *video*. Quare vel istud verum erit: vel κατὰ μετάθεσιν fuerit *forma* ex Dorico μορφά pro μορφή, quod idem ac *forma*. Indéque Ouidio *Morpheus* dictus somni vel filius, vel minister, quod varias *formas* in dormientium φαντασία gignat. A *forma* est *informis*: vt apud Maronem, *Monstrum informe*. Item *deformis*. Ac putabat Meursius etiam simplex *formus* fuisse in vsu. Vnde apud Plautum legit, Bacch. Act.II. sc.II. *Etiam formus tibi visa est*? vti & Mil. Act.IV. sc.II. *Ecquid formus visa est*? Sed nihil mutandum censeo, quando Seruius & Nonius vtrobique legerunt *fortis*, atque id *formosa* interpretati sunt. Nec quicquam prohibet, quominus & *informis*, & *deformis*, ἀμέσως veniant à *Forma*. Ita & *deformare*, quod est ὑποτυποῦν, seu *delineare*, non venit à *deformis*, sed ἀμέσως est à *forma*. Plautus, Pseud. Act.II. sc.III.

> *Iam instituta, ornata, cuncta in animo ordine, vt volueram*
> *Certa deformata habebam.*

Atque eopse modo vsi Cicero & Seneca. Vide H. Steph.II. Προόδων. cap.I. & Muretum in illud Senecæ, lib.VII. de Benef. *Virum, quem deformamus*, &c. *Deformis* opponitur *formosus*, de quo seorsim.

FORMICA (vt Isidorus lib.XII. cap.III. scribit) ita dicta, quòd *ferat micas farris*. Virgil.IV.Æn.

> *Ac veluti ingentem formicæ farris aceruum*
> *Cùm populant.*

Vbi sic Seruius Fabricij: *Formica dicta est ab eo, quòd ferat micas farris: vel aliquo modo à Græco derivatum, quam vocant μύρμηκα*. Modum istum, quo à μύρμηξ veniat, non explicat. Sed facit id Angelus Caninius qui docet, Æoles, quos Romani imprimis imitantur, pro μύρμηξ dicere βόρμαξ; atque ab obliquo βόρμακα esse *formica*. Hesychius: Βύρμακας, μύρμηκας. Probatur mihi id etymon imprimis: vti & Nunnesio in Grammaticæ. Süntque id genus alia, vbi itidem μ in β commutetur. Velut à Τμώλος πόλιος, teste Polluce, atque Artemidoro lib.II. cap.III. Sic βύρμαξ pro μύρμαξ vnde Hesychius βύρμακας exponit πλάνητα. A μύρμηξ Catullus epig.XXXIX. dixisse videtur *myrmicè incedere*. Vt sit idem, quod Plautus, Menæchmis, Act.V. sc.XI. dicit, *incuere formicinum gradum*. Ab eodem est μυρμηκίων, *phalangy* genus; de quo sic Plinius, lib. XXIX. cap.IV. *Myrmecion formicæ similis capite, aluo nigrâ, guttis albis distinguentibus; vesparum dolore torquet*. Nicandro in Theriacis, v.DCCXLVII. μυρμήκειον dicitur; Sostratus, vt Scholiastes Nicandri monet, tum μυρμηκίαν nominat, tum μύρμηκα Ἡρακλεωτικήν. Ab eodem dicitur μυρμηκίτης λίθος. Plinius, lib.XXXVII. cap.II. *Myrmecites innatam repentis formicæ effigiem habet, scarabæorum cantharias*. Græci quoque verrucas vocant μυρμηκία & μυρμήκια; vnde nomen accepit μυρμηκίας λίθος. Idem Plin. cap. anteced. *Myrmecias, nigras habet eminentias similes verrucis*.

FORMIDO, iuxta Frontonem & Perottum, à *fero*: siue quia eam ferat caussa iusta, siue quia metu animantia foras vehementiùs ferantur. Frontonis verba adduximus in *Metus*. Cæsari Scaligero, Exercitat.CCCXII. aduersus Cardanum, ita dici videtur à *formis*, id est, *spectris*. Iosephus Scaliger in Coniectaneis arbitratur venire ab antiquo *formus*, id est, *calidus*. Nempe vt eo respexerint, quòd metu nonnulli sudant. At *formido* pro reti ita dicta, quia feris, ac imprimis ceruis, inter venandum *formidinem* incutit, adeò vt vel in retia vel in sagittas incidant: atque hinc est, quòd eam ab effectu nomen sortitam scribit Seneca lib.II. de irâ, cap.XII. (vide Cælium lib.XVI. Ant.Lect. cap.II & Turneb.l.v. Aduers. cap.v.) Vsus hoc pacto Lucanus, lib.IV.

> ——*Dum pauidos formidine ceruos*
> *Claudat odoratæ metuentes aëra pennæ.*

Erat enim *formido* linea varijs plumis, pennísque conserta. Vsus quoque Apuleius, Apolog. *Non quod pinnarum formidines & fuliginis maculam ne præsertim indice timerem*.

FORMOSVS, cùm *deformi* opponatur, quin à *forma* dicatur, non ambigo. Quod & sentit Cornelius Fronto: *Figura*, inquit, *artis est opus*: *forma naturæ bonum, vnde formosus dicitur*. Aliter tamen plerique veterum. Nam Seruius ad illud VIII. Æn.

> ——*Versántque tenaci forcipe massam*:

Scribit *formum* (al. *forum*) esse *calidum*, indéque *formosos* dici, *quibus color sanguinis ex rubore* (sic apud eum legendum esse, diximus in *Forceps*) *pulchritudinem creat*. Eadem sententia Papiriani, & Bedæ, in Orthogr. Sanè *formum*, siue, vt in alijs libris est, *forum*, aut etiam *forbum* (notum quàm crebro *b* & *V* commutentur in codd. antiquis,) *calidum* significare eidem comprobant vocabulo *forceps*, quod dici aiunt quasi *formucapus*, πυράγρα, quia capiat *forma*, hoc est, *calida*. Eámque ἐτυμολογίαν probat quoque Scaliger in Priapeia, vbi & Arnobij locum adfert è libro secundo, quo voce *formi* sic vsum suspicatur. Nam quo loco in vulgatis est: *Nec in formas erubescerent masculorum calamistris vibrare cæsariem*: legendum is censet: *Nec ij formis erubescerent calamistris masculorum vibrare cæsariem*. *Formis calamistris*, hoc est, *calidis*. Sanè non multùm à Scaligero abit Steuvechius; qui emendat: *Nec informis erubescerent calamistris*, &c. Vt *informum* hoc loco sit *valde formum*, siue *calidum*. De *forcipis* tamen ἐτυμολογίᾳ à Scaligero dissentimus. Sed de ea suo loco. Ad *formosus* redeamus. Pro eo in veteribus monumentis crebro per *N* scribitur *formonsus*: quomodo & in codice Romano, vt Pierius ait, legitur. *Formonsum pastor Corydon*. Et, *O formonse puer*. Et, *Nunc formonsissimus annus*. Sed errore hoc factum sequioris seculi, quo cùm ignorarent cur maiores lineolam (quæ longæ syllabæ index erat) vocali superaddidissent, pro litera *N* poni existimauerunt. Idem factum in *vicensimus*, *tricensimus*, *Atlans*, *Gigans*, *Cherronensus*, alijsque plurimis. Contra quoque *N* sæpe omissum: vt in *Clemes* pro *Clemens*, *coiux* pro *coniux*; item *infas*, *meses*, multísque huiusmodi, quæ Grammaticus Inscriptionum Gruterianarum Index in littera *N* suppeditabit.

FORMVS antiquis significabat *calidus*. Omnino est à θερμός, *calidus*, quod à θέρω, *calefacio*. Æoles pro θ vsurpant φ. Quos Latini imitantur. Vt θυμῶ, φυμῶ, *fumo*; θὴρ, φὴρ, *fera*; sic θερμός, φερμός, *formus*. Pro *formus* in aliquibus libris legitur *forum*. Quod erit à *fero*. Sed malim *formus*: à quo *deformum*, & *formidum*. Festus: *Forma significat modò faciem cuiusque rei, modò calidum. vt cùm exta, quæ dantur, deforma appellantur. Et Cato ait de quodam ædificio, Æstate frigido, hieme formido. Item forma appellatur puls miliaria*. Sic *informum* pro *valdè calido*. Nam *in* hîc est ἐπιτατικόν. Vide Steuvechium ad lib.II. Arnobij. Plura de *formo* vide in *Forceps*, *Formosus* & *Fornax*.

FORNAX, à φῶς, *id est, ignis, siue potiùs lux*. Ita Isidorus, libro XIX. capite VI. Meliùs Nonius: *Fornum, & fornaces à formo, id est, calido: inde forcipes, quod candens teneant ferrum*. Sed pro *forno* ibi legendum *formo*. Marius Victorinus. lib.I. A *fornace*, *fornacarius* in Digestis dicitur seruus pistrinarius. Ita emendauit Budæus, cùm vulgo legeretur *fornicarius*. Nomen est à *fornace*, qui in pistrino erat ad torrendas fruges. Nam antiquitus, Seruio teste, prius fruges torrebant, deinde in pila conterebant; quod pinsere vocabant. Hinc Maro, I. Æn.

> *Et torrere parant flammis & frangere saxo.*

Postea inuentæ *molæ trusatiles*, hoc est, *hominum opera versatiles*. Ad eas circumagendas operam suam pistori quoque locauit Plautus, vt Gellius testatur. A *fornace* pistrina dicta quoque *Dea Fornax*, & sacra eius *Fornicalia*, quia ad *fornaculum*, in quo fruges torrebant, sacrificium facerent, quemadmodum scribit Festus, in *Fornacalia*. De ijsdem sic Ouidius, lib.II. Fast.

> *Facta Dea est Fornax, læti Fornace coloni*
> *Orant, vt fruges temperet illa suas.*
> *Curio legitimis nunc Fornacalia verbis*
> *Maximus indicit, nec sacra stata facit.*

Meminit & *fornacalium* Lactantius, lib.I. cap.XX.

FORNIX idem quod *cauerna*. Sic dicitur à *forando*, quia essent saxa terræve perforatæ. Nam idem primo fuere *fornices* ac *cauernæ*. Ita Iouianus Pontanus, in Actio, folio CXXXIII.b. editionis Aldinæ. Sed Perottus arbitratur quodcunque opus concameratum *fornicem* dici à *furuo*, hoc est, *nigro*, siue *obscuro*, quod eiusmodi opera *obscura* sint. Alijs *fornix*, quia *ferendo nitatur*. Sed obstat, quod prior in *niti* est correpta. Martinio est à *fornus*, seu *furnus*, quod instar eius sit arcuatus curuatúsque. Aliud autem *fornix* ac *testudo*, & *concha*: quæ tria sunt diuersa cameræ genera. Nam si tectum esset simile hemicylindro, hoc est, rotundum & oblongum, ad modum nauis vocabatur *fornix*: ac testudo habuit *formam* hemisphærij: concha referebat quartam partem sphæræ. A *fornice* est *fornicare*, quod est parietem vel aliud arcus instar suspendere. Sunt qui & *fornicari* vsurpent pro *mœchari*: sed id loquendi genus ignotum antiquis. Iisdem tamen *fornicaria* dicta meretrix, quæ sub *fornice* prostrare solet. vt auctor est Isidorus, lib.X. Gloss. vett. *Fornicaria*, πόρνη, χαμαιτύπη, ἡ ἑταίρα.

FORO, à *forum*, vt est apud Festum in *Forum*. Sed est *forare* à πόρος, *meatus*, qui *forando* fit. Hoc à πείρω, *traycio*, *perforo*.

FORS à *ferendo*. Est enim fors, provt res fert. Maro, II. Æn.

> ——*Fors signa tulisset.*

A *fortè* est *fortuitus*; vt à *gratis gratuitus*. *Fortuito* non tam aduerbium est, quàm quasi aduerbium. Nam intelligitur *casu*. Interdum tamen iunctim legas: *Casu & fortuito*. Sed tum potius *fortuitu* scribendum: vt est in melioribus libris. Ponitur & *fors* aduerbialiter apud Ausonium, Sidonium, & alios: Etiam Maronem, vt Priscianus in XV. probat isto versu.

Fors & vota facit, cumulátque altaria donis.

Sed multo vsitatius pro eo *forte*; quod ipsum non aduerbium est (vt Grammaticorum stupor arbitratur,) sed ablatiuus à recto *fors*, aduerbialiter positus. A *fors* & verbo *sit* est *forsit*: quod agnoscit Porphyrius, lib. I. sat. VI. Dicitúrque *fors sit*, quomodo apud Terentium est *Fors pol fuat*. Et Ausonium, epist. ad Probum: *Fors fuat, vt si mihi vita suppetet, aliquid rerum mearum expoliam*. Diciturque *forsit* & *fors fuat*: quasi *ferat hoc fors*. Vtitur priori Lucret. lib. VI.

Forsit & Æthiopum penitus de montibus vllis
Crescat.

Imò fortasse & Maro scripsit penè initio XI.

Forsit vota facit.

Sanè hoc modo in aliquot codd. legi ait Pierius, ac agnouit lectionem eam iam olim Seruius. Horatius quoque vsus, vt probat Priscianus è I. Sermonum:

Difficile hoc illi est, quia non vt forsit honorem
Iure mihi inuideat quiuis.

Propertius, vt vidit quoque Iouianus Pontanus, in Actio. Locus poëtæ est:

iste quod est, ego sæpe fui: sed forsit in hora
Hoc ipso eiecto carior alter erit.

Vide & hac de voce G. Canterum, lib. IV. Var. Lect. cap. VIII. Ex *forsit* & *an* factum *forsitan*: quasi dicas, *an fors sit*, siue, *an ferat hoc fors*. Similiter à *forte*, addito *an*, *fortean*; & à *fortasse* (quod à *forte*) *fortassean*, quod apud Agellium. Distinguit ea Priscianus hoc pacto, in XV. *Fors quidem, forsan, & forsitan, dubitandi sunt: Fors vero euentus; fortasse autem, & fortassis, pro temere.* Sed promiscuè ea à poëta vsurpari ait Seruius.

FORTIS, iuxta Isidorum, lib. X. dicitur à *ferro*, cuius instar durus sit, nec mitigari possit. Malim à *fero*. Nam vt *fors* inde, quia significat conditionem prout res se fert: ita & *fortis* inde, quia *fortitudo* est virtus perferendarum rerum. E in O abit, vt in alijs multis. Hæc sententia impensè placeret, nisi antiquissimi pro *fortis* extulissent *forctis*. Vt in legibus XII. Tabb. FORCTI SANATIQVE IDEM IVS ESTO. Festus: *Forctis, frugi, bonus siue validus*. Nec tantùm *forctis*, sed & *forctus*, imò & *horctus*, dixere. Idem Festus: *Horctum & forctum pro bono dicebant*. Iccirco censebat Marsilius *fortis* esse à *frugo*, vt dicatur quasi *fructus*, vnde *forctus*, & postea *horctus*. At potiùs censeam esse *horctus* à Græco ἑρκτὸς, id est, *septus*, *munitus*, quod ab ἕρκω, *sepio*. Nam qui bene munitus, is validè resistit. Hinc & ἑρυμὸ, ῥῦμα, ῥῶμα, id est, *tutamen*, *robur*: vt exponit Hesychius. Quin hoc verum sit *forctus* seu *fortis* etymon, vix dubitandum. Nempe vt spiritus asper abeat in F, vt ab ἑστία *festus*, *Formia* ab ὅρμος, teste Festo, &c.

FORTVNA, τὸ εὐτύχημα, vt exponunt Glossæ vett. Quod sic vtimur, ex eo creditur esse, quia gentes putarint *Fortunam* largiri bona. Sed *Fortuna* αὐτόθεν *bona* notat. Nam veteres vt *hilaris* & *hilarus*, ita *fortis* & *fortus*, siue *forctus* & *forctus*, dixere. Vtrumque notat *bonum*, vt è Festo diximus in *Erctum*, & *Fortis*. Vt autem à *portus* est *Portunus*, sic à *fortus Fortuna* siue (vt veteres scripsere) *Forctuna*. Itaque priùs dicebant *Fors Forctuna*, id est, *Fors bona*. Postea ἁπλῶς dixere *Fortuna*: sed καταχρηστικῶς tum extensa significatio, vt & de *aduerso euentu* vsurparetur. Sanè *Fortuna* tum idem ac *Fors* dici cœpit. At *fors fortuna* non dicitur, nisi de *euentu bono*: vt testatur Donatus, Hecyrâ III. III. & Phorm. V. VI. Vbi & alterum addit discrimen. Nam *Fortis Fortunæ* templum erat trans Tiberim, festúmque eius ab ijs colebatur, qui arte aliqua viuerent. Sunt qui *Fortunam* dici sic putant, quasi *Vortunam*, quia *res magnas vertat*. Verisimilius illi, quibus sic placet vocari, quia *ferat res secundas & aduersas*. Vnde quasi *Ferentinam* sic dici ait Iouianus Pontanus, in Actio, & ex eo, vt pleraque alia, Erythræus in Indice. Sed magis placet, quod dixi, *fortem fortunam* dici, vt dicimus *fortem bonam*: & καταχρηστικῶς esse, quod postea *aduersam* etiam *fortunam* dixerint pro *forte aduersa*.

FORVM, siue *forus* (quo & veteres vsi) putabat Isidorus, lib. XV. cap. II. vel à *fando* dici, vel à *Phoroneo*, Achiuorum rege, quia is primus Græcis leges dederit. Sed meritò vtramque ἐτυμολογίαν improbat Andr. Alciatus, lib. II. dispunctionum cap. XXIV. & Franciscus Pollerus, lib. I. de histor. fori Romani, cap. I. Nam à *fando* qui sit, cum non modo quantitas sit diuersa, sed vix appareat literarum affinitas? A *Phoroneo* autem si esset, saltem rex is apud Græcos Argiuos id obtinuisset, vt suo de nomine *forum* diceretur. Quare nimirum Franciscum Philelphum oratione quadam maluisse sequi Isidorum, quàm eos qui originem eius à *foras* arcessunt, quia in *forum* abituri *foras* se abire dicerent: vel doctissimum Varronem, qui libro IV. de L.L. à *ferendo* deducit, quia tum res venales in *forum negotiantium*; tum *controuersiæ* in *forum iudiciariumque* deferantur. Interea non omnino probare possum sententiam Alciati (quem & secutus Pollerus,) cùm reprehendit Isidorum, quod, cum loco ante dicto, tum capite VI. eiusdem libri, *forus* dicat in genere virili. Nam sic loquebantur Isidori æuo, idque non sine veterum exemplo. Nam Nonius docet, sic locutos esse Pomponium, Lucillium, Sallustium. Quin & Græci posterioris æui scriptores *fori* vocem à Romanis acceptam vsurpantes, non φόρον, sed φόρος dixerunt. Suidas: Φόρος, τὸ πωλητήριον· ὁ τόπος ἐν ᾧ πωλεῖται τὰ ὤνια. Oppiani Scholiast lib. II. ἀλ. ἀγορὴ· τὸ πλῆθος, ὁ τόπος ἐν ᾧ ἀγείρονται, ὁ φόρος. Glossæ Philoxeni: *Forum*, ἀγορὰ, φόρος. Vbi φόρος rectè restituit Vulcanius. Sic hac voce vsus aliquoties Codinus. At Thucydidi, Demostheni, aliisque antiquioribus Græcis φόρος notat *tributum*: vnde Hesychius, φόροι, δασμοὶ ἐνιαύσιοι. Malè hasce duas notiones confudit vir doctus in notis ad Glossas. A *forum* finxit Plautus *inforare* pro *in forum siue in ius vocare*. Curcul. act. III.

LY. *Licetne inforare, si incomitiare non licet?*
CV. *Non inforabis me quidem, non mihi placet*
Tuum profectò neque forum, nec comitium.

Vbi simul alluditur ad flagitiosam *inforandi* ac *perforandi* notionem. A *forum* quoque est *circumforaneus*, vnde *circumforaneum æs* pro *feneratitio*. Cic. ad Att. libro II. epistola I. *Tusculanum & Pompeianum valdè me delectant, nisi quod me illum ipsum vindicem æris alieni ære non Corinthio, sed hoc circumforaneo obruerunt.* Nomen ex eo est, quòd *circum forum essent mensæ argentariorum*; vt indicat hic Vitruuij locus, libro V. capite I. *Italiæ verò vrbibus non eâdem est ratione faciendum, ideo quòd à maioribus consuetudo tradita est, gladiatoria munera in foro dari. Igitur circum spectacula spatiosiora intercolumnia distribuantur, circáque in porticibus argentariæ tabernæ, mænianáque superioribus coaxationibus collocentur. quæ & ad vsum & ad vectigalia publica rectè erunt disposita.* Hinc *cedere foro* dicti argentarij, cum relictis mensis, quæ in *foro* Romano erant, aliò commigrabant.

FOVEO videri possit esse ex *faueo*. Nam quibus *fauemus*, eos *fouemus*. Sed est sanè hæc *fouendi* notio impropria. Ac *originæ fouere* est calorem vigorémque natiuum procurare ac tueri. Id cum cœlitus præstent Sol cælestísque ignis: in terris autem *focus* siue ignis noster: sanè à *foco* iure *fouendi* verbum fecerunt. *Focus* autem fuerit à φώγω, seu φωγνύω; hoc est, *vro*, *torreo*, vt superiùs dictum.

FRAGRO, ab antiquo *frago*, pro *frango*, à quo *fragile*, & alia. Seruius, in I. Æn. *Quoties incendium significatur, quod flatu alitur, per L flagrat dicimus: quoties odor, qui fractæ speciei maior est, per R dicimus fragrat.*

FRAGVM, vel quia *fragranti* sit odore: vel potiùs, quia *fragile*; vnde *mollia fraga* dixit Ouidius, xiij. Met. Græcè est χαμαίκουμον. Gloss. *Fraga*, χαμαίκουμα. Sed χαμαίκουμα vox latiùs patet: quia hæc à similitudine *fragorum* etiam communicata fructui arboris, quæ κόμαρος vocatur. Vide *Vnedo*.

FRAMEA Germanicum esse vocabulum ait Tacitus, lib. de Moribus Germanorum. Hodiéque pro eo dicunt *fraim*, vel *friem*, aut *pfriem*, vti Belgæ *priem*. Vsus *framea* vocabulo Iuuenalis, sat. XIII. Ex posteriorum temporum scriptoribus vsurpat Gregorius Turonensis, libro III. de Gestis Francorum, capite XV. & libro VII. capite XLVI. item de martyrio Iuliani, capite I. adhæc Aimoinus, libro II. capite XI. *A capite domini sui scutum simul cum framea aufert.* Vt recentiores mittam, in his Thurocium Histor. Hungar. libro 2. capite VIII. Diximus de hoc vocabulo etiam, libro I. de Vitijs Sermonis, capite III.

FRANGO priùs fuit *frago*. Post insertum *N*, quomodo à *pago* est *pango*; à *tago*, *tango*. Est autem *frago* ab Hebræo פרק, *fraq*, id est, *rumpere*, *frangere*. Vel à Græco ῥήγω seu Dorico ῥάγω, præmisso *f* fit *frago*, vnde *frango*. Etiam ab Hebræo פרק, vel Græco ῥήγω, vel Latino *frago*, est Belgicum *breken*, id est, *frangere*. Nisi malis, singula hæc à sono esse facta, quem aptè exprimit *R* antecedente consonâ: vti & fit in Græco κρέκω, & Latino *crepare*, & Belgico *Kraken*, quæ idem signant. Aliam quoque verbi *frago* etymologiam ex Scaligero adducemus in *Fraxatores*. Sed vt ea sit vera, quà *circuire* notat, sanè quà ῥηγνύω, seu *rumpere*, significat, omnino verius sit, quod diximus

mus. Postremum illud vt sit à *sono rerum fractarum*, optimè explicat Seruius, in illud I. Georg

——— Et aridus altis
Montibus audiri fragor.———

Aridus, inquit, fragor, sonitus, qualis solet fieri ex aridis cum franguntur arboribus. Ergo, ARIDVS, *nimius; omne enim quod aridum est, cùm frangi cœperit, nimium efficit sonum. Fragor etiam à fractarum rerum nominatus est sonitu.* extrema verba habet & Isidorus, libro XIII. capite XI. Minus rectè idem Seruius, in VIII. Æn. *Fragor propriè armorum est sonus.* Vti autem à *frago*, pro *frango*, est *fragor*: ita & ab eodem est *fragilis*: nempe vt ab *ago*, *agilis*. Item *fragosus*, quod idem. Vtitur Lucretius, libro II. & Maro, in septimo. Inde *confragosus* pro *aspero*. A *frago* quoque est *fragesco* pro *frangor*. Paccuuius: *Fragescit animus in ferro*. Item *fœdifragus*, *fluctifragus*, similiáque composita. De voce *infractus*, dicimus in *Pono*. Ab *am*, & *frango*, dicitur *amfractum*, siue *anfractum*. Attius:

———Terrarum amfracta reuisam.

Citat Varro. lib. VI. de L. L. atque addit: *Amfractum est ab origine flexum duplici, dictum ab ambitu & frangendo. Ab eo leges iubent in directo pedum octo esse, in amfracto sexdecim: id est, in flexu.* Vide & Nonium.

FRATER Nigidio Figulo. Romanorum post Varronem doctissimo, sic appellatus videtur, quasi *fere alter*: quemadmodum tradunt Agellius, libro XIII. capite X. & Nonius Marcellus. Eaque res occasionem ioci tribuit Ciceroni, epistola XV. libro II. Famil. cùm ait, se abeuntem è prouinciâ alium potiùs quàm Q. Fratrem in successoris aduentum reliquisse, ne, si fratrem reliquisset, fraudem Senatusconsulto, quo intra certos dies decedere iussus erat, fecisse videretur, quasi non in totum, sed altero se relicto, discessisset. Aliud etymon adfert Isidorus, libro IX. Orig. capite VI. *Fratres, inquit, dicti, eò quòd sint ex eodem fructu, id est, ex eodem semine, nati.* Neutrum autem etymon verum est. Est enim *frater* ab Æolico φράτηρ pro φρήτηρ; quod etymon, vna cum illo Nigidij, apud Festum legas: ac sequitur id etiam Iulius Scaliger de caussis L. L. cap. XXVI. Sane significatio non est aliena. Nam propriè *sodales* eiusdem tribus φράτερες sunt dicti, vti *societas* ipsa φρατρία; nempe ἀπὸ τοῦ φρέατος, id est, à *puteo*, quia *communi puteo* vterentur. Vel potius prima origo est πατὴρ, vnde πάτρα, quo significatur *patria*, item πόλις, φυλή, ἢ ἐκ τῶν αὐτῶν πατέρων γένος. Inde & πατριὰ, *familia*. Pro πατριὰ dixere φρατρία inserto ρ. Vnde φράτηρ & φράτωρ, qui eiusdem est πατριᾶς seu φυλῆς, seu *familiæ & cognationis*. Etymon hoc *fratris* confirmat, cùm consuetudo hodiéque obtinens, quâ *collegas* appellare solent *confratres*: tum quòd olim similiter dixere *fratres Aruales*. Sanè cùm Varro, libro IV. de L. L. eos *fratres* appellatos ait a *ferendo*, quia *sacra faciunt, vt arua ferant fruges*: vt alias sæpe, ita hac quoque in re prudens sciens fallit. Id ita esse, satis arguunt hæc, quæ subijcit: *Fratres dicti sunt, quia fratria dixerunt. Fratria est Græcum vocabulum, partis hominum, vt Apollini etiam nunc.* Vbi pro *Apollini*, *Neapoli* legi debere, Strabonis loco ostendit Ios. Scaliger, quo is clarè idem de *Neapoli* testatur. *Fratres* olim etiam *amicos* vocabant. Quinctilianus, declamat. CCCXXI. *Certe quoties blandiri volumus his, qui esse amici videntur, nulla adulatio procedere vltra hoc nomen potest, quàm vt fratres vocemus.* Sed & puellæ eos, quibuscum solebant, *Fratres* vocabant: & hi vicissim eas dicebant *Sorores*: quam rem plusculis exemplis comprobat I. Lipsius, lib. III. Antiq. Lect. *Fratrum*, quando ea vox propriè sumitur, tria sunt genera. Alij enim *germani* dicuntur, alij *consanguinei*, alij *vterini*. *Fratris* vocem generatim accipi, ostendit hic locus lib. X. §. secundo gradu. D. de gradib. & affin. *Frater quoque per vtrumque parentem accipitur, id est, aut per matrem tantum, aut per patrem, aut per vtrumque, hoc est, ex vtroque parente eodem.* *Germanos* dici, quos Græci vocant ὁμοπατρίους, καὶ ὁμομητρίους, docet Cornelius Fronto: *Frater, inquit, aut ex alia matre, aut ex alio patre potest esse. Germanos ex ijsdem parentibus sit necesse est.* Sed de *germani* voce ac[illegible]atius dicemus separatim. Qui vero Græcis ὁμοπάτριοι, hi Latinis a *sanguinis vnitate*, dicuntur *consanguinei*: vt auctor est Caius, libro II. Instit. Tit. VIII. Ex eodem Caio, libro III. Instit. in Lege Dei, Tit. XVI. citantur hæc: *Qui eodem patre nati sunt fratres, agnati sibi sunt, qui etiam consanguinei vocantur, nec requiritur an matrem eandem habuerint.* Ibidem ex Paullo libro VII. Sent. hæc referuntur: *Consanguinei sunt eodem patre nati, licet diuersis matribus, qui in potestate fuerunt mortis tempore.* Sed ἀκύρως *consanguinei* vocabulum pro *fratre* vsurpat Maro, VI. Æn.

Tum consanguineus lethi sopor.

Nam Homerus κασίγνητον. Seneca & Valerius Flaccus *fratrem* leti vocant. Generatim quoque vsus Claudianus, cum de Ioue & Iunone ait:

Te consanguineo recipit post fulmina fessum
Iuno sinu.

Vterini fratres sunt, qui *eâdem nati matre*. Iustin. Institut. de bon. poss. *Frater, sororue, consanguinei vel vterini.* A *frater* est *fratria*. Festus: *Fratria, vxor fratris.* Nonius: *Fratriæ appellantur fratrum inter se vxores.* Onomasticum vetus: *Fratria, ἐνατήρ.* Isidorus, libro IX. capite VIII. *fratris* vxorem *fratrissam* vocari ait. Sed vocabulum hoc barbarum puto. Scripsit Afranius togatam titulo *Fratriarum*, ex quibus hi versus laudantur:

Formosa virgo est, dotis dimidium vocant
Isti qui dotes neglegunt vxorias.

A *frater* quoque est *fratrare*, vt à *fraterculus*, *fraterculare*: vtrumque de *puerorum mammis* dicitur; vt *sororiare* de *puellarum*: quia *illæ fratrum, hæ sororum instar pariter crescunt.* Festus: *Fratrare puerorum mammæ dicuntur, cùm primùm tumescunt, quòd velut fratres pares oriuntur, quod etiam in frumento spica facere dicitur.* Plaut. Tribularia, ex correct. Ios. Scaliger.

———Tunc papillæ primulum
Fraterculabant, illud volui dicere
Sororiabant, quid opus est verbis.

FRATILLI sunt *villi dependentes de tapetibus, vel pannis alijs.* Festus: *Fratilli, villi sordidi in tapetis.* Nomen est, vel à *frago*, pro *frango*, quia villi isti dependentes speciem eam præbent, quasi extimæ tapetis partes sint attritæ fractæque: vel à φράττω, hoc est, *munio*, quia non tantum ornatus caussa villi illi sunt, sed etiam, ne extimæ partes facile atterantur.

FRAVS, iuxta aliquos, à φράζω, *dico*, quasi propriè signet *dictum dolosum*. Ab eo videntur veteres *frauded* dixisse, pro *fraudulente facere*. Vnde *fraudem frausus* apud Plautum & alios. Vide Festum & Nonium in *Frausus*. A *fraus* quoque est *fraudo*, vnde *defraudo*, quod Nonius exponit per *fraudem aliquid eximere*. Vnde in mentem venit forsasse *fraus* esse à *frando*: hoc ex ἀπατῶ, quod idem notat. Dixere autem & *defrando*, & *defrudo*, quomodo *claudere* dicimus & *cludere*. Sed *defrudo* magis probat Marius Victorinus, lib. I. *in defrudo*, inquit, *apicem secundæ syllabæ imponere debetis. Nam à defruendo & decoquendo fit tale, quod defrudetur, id est, fraudetur coctura & imminuatur.*

FRAX singulo numero legas in Glossis, tum Latino-Græcis, vbi generatim τρὺξ exponitur: tum Græco-Latinis, vbi est τρὺξ ἐλαίας, *frax*. Sed apud Columellam, Vitruuium, Pliniúmque *fraces* potiùs legas: siue, vt in quibusdam codd. ea vox exaratur, *frages*. Vnde Turnebus Aduers. lib. XXVIII. cap. VII. colligit, *frages* vocari ab antiquo *frago* pro *frango*, vnde *fregi*, *fragilis*, & alia: *frages* autem iccirco dici, quia sint olearum trapeto *fractarum* contusarúmque *fragmenta* ac reliquiæ quædam. Gellius, lib. XI. cap. VII. *Item floces audierat prisca voce significare vini fæcem è vinaceis expressam, sicuti fraces ex oleo.* Hinc *fraceo*, à quo *fracidus*, & *fracesco*. Vsuijs rei rusticæ scriptores de *olea*, *cùm vetustate mollescit*, vel etiam *putrescit*. Nonius: *Fracescere tanquam friari, & putrescere vetustate.* Onomasticon vetus: *Fracescere, ἐξίσταται.* Quòd verbum notat, *de statu priori exire, degenerare, corrumpi*. Idem Onomast. *Fracidus, ἔωλος.* Quo significatur quod maturitatis tempus excessit, *exoletum*. Videtur & *fraceo* vsurpatum pro *displicere*, quia *fracida* minùs grata. Festus: *Fracebunt, displicebunt.*

FRAXATORES dicuntur, qui *vigilias obeunt*. Festus: *Fraxare est vigiliam circumire.* Græcis *fraxatores* sunt περιπολούμενοι. Videntur & *circitores* dici posse, quomodo in obsceno carmine vocantur, qui hortos frequenter obeunt, ne fures intrent: vt ibidem monet Scaliger. Sed pleniùs hâc de re idem in Coniectaneis, vbi in hunc modum scribit: *Frago antiquum, vt pago, tago. Est lentare, flectere: παρὰ τὸ φράγνυμι, vnde φραγμός. Quod significaret Lentare, vt lentare remum, Virgilio: & lentare arcum, Statio. Ab eo φράσσειν & φράττειν dici cœptum, pro ambire. Et Latinum priscum fraxare, obire, circuire vigilias, à frago, vt à veho vexo: tago, taxo. Fraxatores, ergo custodes circumeuntes vigilias. Ab eadem origine frequens qui sæpius fraxaret vigilias: non a ferendo, vt Varro.* Hæc Scaliger. Varronis locus, quem vltimis verbis signat, est lib. VI. de L. L. *Apud Plautum, inquit, quod est, Mihi frequentem operam dedistis; valet adsiduam. Itaque qui adest, adsiduus: ferre quem quæ oportet, is frequens. Opponi solet itaque.* Censet igitur Scaliger & *fraxator*, & *frequens*, esse à *frago*. De *fraxatore* non repugno. Etsi non video, cur non simpliciùs deduxerit à φράττω, hoc est, *munio*, cùm qui vigilias obeunt sint munimentum ac velut septum eorum, pro quibus excubias agunt. At de *frequens* longè animus abit. Nec tamen à *ferendo*,

cum Varrone deduxerim. Vnde ergo? Hæreo. Sed; ne nihil dicam, cùm veteres scripserint *frecuens*, quid, si dicamus id conflatum esse ex *fere*, *cum*, & *ens*? *Ens* in compositione dici liquet ex *absens*, *præsens*, *potens*. Simile fortasse olim fuit *coens* à *coesse*, pro *vnà esse*, si ita dixere. Ex *fere* autem, & *coens*, sit *frecoens*, seu *frecuens*. Vbi *fere* valet, *plurimum*. vt in illo Terentij: *Fere ruri se continebat*.

FRAXINVS, vt Isidorus, lib. XVII. cap. VII. inquit, *quòd magis in asperis locis, montanisque fragis nascatur*. Perottus ait, *quod in fragosis locis libenter nascatur*. Fortasse fuit à φράξις, hoc est, *septum*, *munimentum* quod eius arboris vsus esset in *sepiendo*. Quidam censent venire a ברוש, quod Forsterus *abietem* interpretatur. Sed cum in Paralipomenis dicatur Salomo eo ligno vsus in templo exstruendo: ex Vitruuio autem constet *fraxinum* minus conuenire ædificijs magis eorum placet sententia, qui ברושים dici putant genus *cedri* minoris Theophrasto etiam memorati.

FREMO, est à βρέμω, β in F mutato, quomodo pro βασκαίνω & βάσκανος Latini dicunt *fascino* & *fascinator*. Hinc ὑψιβρεμέτης Iouis epithetum, quasi dicas *altifremus*, hoc est, *altitonans*. Ab eodem est βροντή, hoc est, *tonitru*. Item βρόμος, quomodo Bacchus vocatur, ὁ τῆς βρομῆς ἔχων, vt scribit Etymologus, qui & inde *Bacchum* ait Βρόμιον appellatum, quia, Semele fulmine conflagrante, eum Mercurius Iouis iussu ex medijs rapuit ignibus. Vti autem βρέμω est à sono: ita & βριμάω, & Belgicum *vriesschen*. Est verò βριμᾶν *præ ira dentibus infrendere*: vnde & *Hecate*, siue *Proserpina*, à *fremitu* atque *indignatione* eius temporis, cùm à Mercurio comprimeretur, Βριμὼ dicta est: vt testantur Clemens Alexandrinus, Arnobius, Lycophronis Scholiastes, & Varinus: & ex ijs iuniores Paullus Leopardus, lib. XVI. Emendat. cap. XI & Canterus, lib. I. Var. Lect. cap. I. Ac tangit eam fabulam quoque Propertius:

Mercurio & sanctis fertur Bobœidos vndis
Virgineum Brimo composuisse latus.

Prout eum locum rectè emendat Turnebus: pro quo in nonnullis codd. erat, *Virgineum primo*, facili sane errore. In alijs est, *Virgineum Sais*: quod vt à recta lectione longiùs abit: ita moribus Mineruæ aduersatur. quæ semper-virgo. Verisimile autem est, illud *Sais* irrepsisse, ex versu præcedenti, vbi *sanctis* itidem loco, & fortasse non integra, sed literarum compendio scripta fuit.

FRENDEO est fictum à sono. Errat enim Isidorus, libro X. cùm putat, *frendens* dici, quasi *frangens dentes*. Sanè *frendere* est ὀνοματοπεποιημένον, propriéque notat *sonum edere dentibus collisis*. Vnde Maro, libro III. de Polyphemo, *Dentibus infrendens*. Nonius exprimit, *cum gemitu, vel iracundiâ, miserum aut minax sonare*. Sed καταχρηστικῶς ponitur pro *frangere dentibus*: vnde in veteri Onomastico exponitur θλᾶν. Atque ab hac notione, Festo teste, est *fressum*: vnde faba *fressa*, pro *frensa*. Vtitur *fressi* voce Columella, libro II. prope extremo capite XI. Ab eadem notione *nefrendi* vel *nefrendes*; de quibus sic Festus: *Nefrendes dictos asserit Q. Mucius Scæuola* (sic emendo) *arietes, quòd dentibus frendere non possint. Ateius Capito infantes esse nondum frendentes, id est, frangentes*. Liuius in Odysseâ veteri: *quem ego nefrendem alui lacteam immulgens opem*. *** *pro nefrendibus autem, vt antiqui dicebant, nunc dicit vsus recens: sunt qui nefrendes dici putant testiculos, quos Lanuuini appellant nebrundines. Græci νεφροὺς, Prænestini nefrones*. Hæc Festus. Posteriorem sententiam sequuntur Glossæ vett. in quibus legitur, *nefrendes*, νεφροί; vbi νεφροί legendum esse liquet. Sed magis arridet prior sententia, quam & sequitur Varro, lib. II. de R.R. cap. IV. *Amisso, inquit, nomine lactentis dicuntur nefrendes, ab eo quòd nondum fabam frendere possunt, id est, frangere*.

FRETVM, Varrone, Seruio & Isidoro testibus, à *feruore* marini æstus nomen accepit. Respexit eo Maro, I. Georg. cùm ait:

———*Feruêtque fretis spirantibus æquor*.

Dubium autem an κατὰ μετάθεσιν dicatur ab inusitato supino *fertum*, an potius κατὰ συγκοπὴν dicatur quasi *feruetum*. Belgæ similiter *mare* vocant *Zee* à ζέειν, hoc est, *feruere*, siue, vt Belgæ dicunt, *sien*, quæ ipsa vox quoque est à ζέειν. Eleganti metaphorâ *fretum ætatis* dixit Lucretius pro *iuuenili ætate*, quæ *feruida* dicitur Horatio.

FRETVS, Perottus esse putabat à *fruor*: cui triplex præteritum tribuebat, *fruitus*, *fructus*, & *fretus*. Sed de tertio hoc errabat. *Fretus* autem vnde sit, satis est obscurum. Si literas spectes, accedit proximè ad *fretum*, quod à *feruore* ita dici constat. Fortasse igitur & *fretus* inde erit, quòd qui aliqua re *fretus* agat, *feruidius* ea in re esse soleat.

FRICO (vnde Belg. *vrynen*) Nunnesio placet esse à ψώχω, *frico*. Vt ψ abeat in F. Malim ego deriuare à Chaldæo & Syriaco פרך, quod & ipsum est *fricare*. A *fricando*, *fricatrices* dicuntur Tertulliano, lib. de Pallio cap. IV. & libro de Resurrectione Carnis, cap. XVI. Græcis similiter dicuntur τριβάδες, quia sese ἀλλήλαις τρίβουσι. Plautus a *subagitando* vocat *subagitatrices*. Meminit nefariarum istiusmodi feminarum quoque Cælius Aurelianus, lib. IV. χρονίων, cap. VII. quod inscribitur de mollibus, siue subactis. A *dentibus fricandis* Plinio, & alijs, *dentifricium* dicitur medicamentum, quòd Græcis σμῆγμα ὀδόντων, seu ὀδοντοσμῆγμα. A *frico* est *defrico*. Horat. I. Ser. Sat. X. de Lucillio:

———*At idem, quòd sale multo*
Vrbem defricuit, chartâ laudatur eâdem.

Hinc *defricate*. Næuius in Tarentilla: *Facetè & defricatè*. Citat Charis. cap. de Aduerb.

FRIGEO est à ῥιγῶ, quod est, *rigeo*, *frigeo*: vt ῥῖγος, *rigor*, *frigus*. Appositum F, quomodo ab ἑσπέρα dictus dies *festus*. Vel est *frigus* a φρίκη id est, *horror*, qui *frigoris* comes. Huius diminutiuum est *frigusculum*, quomodo scitè vocat Vlpianus, quando coniugalis amor ex dissidio aliquo nonnihil de vehementi *feruore* remisit. Verba eius, l. quum hic. de donat. inter virum & vxorem. §. XII. *Quòd si diuortium non intercesserit, sed frigusculum: profecto valebit donatio, si frigusculum quieuit* Sic ibi rectè Haloander, non *frimiculum*. Sanè *frigoris* voce sic vtuntur Cicero, Fabius, alij, ac ψυχρότης similiter apud Græcos vsurpatur. A *frigidus* est *frigidarium*, vas, in quo aqua *frigida*. Glossæ interpretantur ψυχροδοχεῖον.

FRIGO, (vnde *carnes frixæ*) à sono dici putat Isidorus, lib. XX. cap. II. Sed est à Græco φρύγω, quod ipsum à sono factum esse agnoscimus. Apud Festum legitur esse à φρύγειν. Sed legendum φρύγω. Gloss. Philoxeni. *frigit*, φρύγει, τηγανίζει. Solent torreri nuces, vt Plinius ait, seu *frigi*, vt Plautus, qui *frictas nuces* reponit inter edulia delicata. Eo *amygdala* significari. quæ hodieque in Galliâ *frictæ* eduntur, scribit Yuo, hoc est, Iosephus Scaliger, aduersus Tirium lib. IX. contr. cap. XIV. Locus Plauti est in Pœnulo, act. I. Sc. II.

AO. *Obsecro hercle vt mulsa loquitur*.
MI. *Nihil nisi laterculos*,
Sesamum, papauerémque, triticum & frictas nuces.

Vbi Yuo legendum putat, *papauerémque tritam*. Dixit quoque Horat. epist. ad Pis.

Nec si quid fricti ciceris probat & nucis emtor.

FRINGILLA, ac interdum & *fringillus* dicitur. Gloss. Cyrilli: Σπίνος ὁ ὄρνις, *fringillus*. *Fringilla*, & *friguttire*, vnde sint, docet Festus, his verbis: *Fringilla auis dicta, quòd frigore cantet; vnde & friguttire*. Nonius alterum etiam ἔτυμον addit: *Friguttire & frigultire, subsilire cum sono, vel erigi, & excitari, quòd quæcunque friguntur, vel frigent, nimio calore, vel frigore, cum sono sursum subsiliunt*. Sed *friguttire* omnino est à sono factum, vti & *fritinnire*, quod hirundinum proprium, vt *fringuttire*, *fringillarum*. Varro, lib. VI. de L. L. *Eiusdem* (Ennij) *ab hirundine, Nefrendo fritinnit suauiter*. M. Actius in Casinâ, *à fringuilla*. *Quid fringutis? quid isthuc tam cupidè cupis?* Quo ex loco discimus, & *fritinnire*, & *friguttire*, κατὰ μεταφορὰν hominibus tribui. Hinc Fulgentius, de sermone prisco: *Friguttire, dicitur subtiliter adgarrire*. Plautus, Casinâ: [act. II. sc. III.] *nam quid friguttis?* Ennius, Alcestide: *Hæc auus admodum friguttit, nimium se sauciauit flore Liberi*. Videtur & *fringultire* per L pro eo dici. Appuleius, in Apolog. *Fringultiat vel omnino obmutescat*. Item: *Vix syllabas singulas fringultientem*. Ac putabat P. Colnius apud Sidonium quoque Apollinarem. libro VII. epist. X. *fringultientibus* legi debere, quo loco in vulgaris est *singultientibus*. Est tamen & *singultire* vox proba, & loco isti accommodata.

FRIO, à פרר, *separauit*, *disiunxit*: vel à πρίω, *serra seco*, quia, quod *friatum*, simile est scobi. hoc est, minutissimo isti. quòd decidit cùm serra quid secatur. A *frio* fortasse est *frit*, quia facile friatur. *Frit* quid sit, docet Varro, lib. I. de R.R. cap. XLVIIJ. *Illud autem in summa spica iam matura, quod est minus, quam granum, vocatur frit*. A *frit* erit *puls fritilla* apud Plinium, lib. XVIIJ. cap. VIIJ. Item *olla fritilis* apud Nonium ex Fabio Pictore. Fortasse tamen vterque locus est mendosus, legendúmque *puls frictilla*, & *olla frictilis*, vt vtrumque sit à *frigo*, quo de verbo superiùs dictum.

FRITINNIRE est hirundinum aliarúmque minutarum auicularum. Vsus Varro virgula diuina: *Et pullos peperit fritinnientes*. A sono factum est, vt ait idem Varro, lib. VI. de L. L. Verba eius in *Fringilla* adduximus.

FRIVOLA, vt Budæus censet, annotationibus in Pandect. sic dicta à *frio*, id est, *contero*, *imminuo*, vt idem sit *friuolum*, quod *friabile*. hoc est, θρυπτόν, ψαθυρόν, χαῦνον, ἀσθενές, εὔθρυπτον. Confirmat hanc etymologiam propria vocis significatio,

catio. Quippe, vt ait Festus: *Friuola sunt propriè vasa fictilia quassa. Vnde dicta verba friuola, quæ minus sunt fide subnixa.* Eadem mens Isidori. lib. IX. Orig. cap. vlt. Itaque pro *tenuis vtique supellectile* vsurpat Iuuenalis, Satyra V.

Et, ne te teneam, Romanorum omnia regum
Friuola.

Quibus verbis tangit paupertatem veterum Romanorum, vt qui etiam *Sanni vasis* vti consueuerunt. Idem in tertio:

Viuendum esse illic, vbi nulla incendia, nulli
Nocte metus. iam poscit aquam, iam friuola transfert
Vcalegon, tabulata tibi iam tertia fumant.

Eodemque modo sumitur ab Vlpiano, l. solutum. §. solutam. Tit. de pignor. act. *Non enim credibile est hoc conuenisse, vt ad tenuem, an pensionem insulæ friuola mea tenerentur.* Hinc *Friuolaria* Plautinæ comœdiæ nomen quæ amissa. *Friuolarii*, qui supellectilem istiusmodi vendunt. *Friuolarium forum*, vbi *friuola* venduntur.

FRONS, *μέτωπον*, ex *frontis* factum, κατὰ συγκοπὴν, vt *mens* ex *mentis*. *Frontis* fortasse à φροντὶς, quia *frons* cogitationum curarúmque index: vnde *hominem serena aut nubila aut caperata fronte* dicimus. Plinius, lib. XI. cap. XXXVII. *Frons & aliis, sed homini tantum tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, seueritatis index.* Eapse de caussâ *frons* aliis videtur dicta quasi *ferens*, quia præ se ferat quid animo insit. At Varro, & eum secutus Isidorus, lib. XI. cap. I. ab oculorum *foraminibus* nominatam ait. A *fronte* est *frontale*, quo equis, & elephantis, caput religabatur. Vnde & in Gloss. Cyrilli & Onomastico veteri προμετωπίδιον vertitur. Ab eodem *Frontones*, vt à *capite*, *Capitones*; à *labiis*, *Labeones*; à *naso*, *Nasones*; quæ cognomina fuere apud Romanos. Onomasticon vetus: *Fronto*, μετωπίας. *Frontosus* δίφρων τις. Vt autem *frons*, μέτωπον, ex *frontis*, ita *frons*, φύλλον, ex *frondis*. In MSS codd. prius per *o frons*; posterius per *v fruns*, scribi consueuit. Et videtur ea scribendi ratio origine comprobari. Nec enim *frondi* nomen à *ferendo*, quòd *ferat virgulta*, vel *vmbras*: vt Isidorus ait, lib. XVII. cap. VI. neque quòd *frondes huc & illuc vento ferantur*: quam rationem Perottus adfert: sed à βρύω, *pullulo*. Nec enim solum *fontes* sed & *plantæ* βρύειν dicuntur. A *frons*, siue *fruns*, est *frondator*, φυλλοτόμος, vt in veteri Onomastico exponitur: hoc est qui *frondes* arboribus stringit ad pabulum animantium: hæc enim rusticis *frondatio* dicitur. Triplicem *frondatorem* commemorat Seruius ad Ecl. I. Eum vide.

FRVCTVS putat Varro, libro IV. de L. L. esse à *ferendo*. Sic enim scribit: *Fructus à ferendo res: & eæ quas fundus, & hæ quæ in fundo feruntur, vt fruamur.* Sed vel ex hoc ipso loco euincitur, sic potiùs dici à *fruendo*. Sanè *fruor* non tantum *fruitus* facit, sed & *fructus*, κατὰ συγκοπὴν; vnde Lucret. lib. III.

Sin ea quæ fructus cumque es, periere profusa.

Hoc est, quæcumque *fructus* siue *fruitus* es. Et lib. eodem:

Omnia per fructus vitai præmia marces.

Plura id genus loca adducimus in animaduersionibus Grammaticis. Isidorus, libro XVII. Orig. capite V. putat *fructus* dici à *frumine*, id est, *eminente gutturis parte*; vnde & *fruges* deducit cum Seruio. Vtrumque profectò durum coactúmque. Vir doctissimus Angelus Caninius, in Hellenismi alphabeto, vult *fructus* esse à Syriaco *firot*: Iulius Scaliger notis in Theophrasti hist. plant. l. I. cap. I. deducit à βρύειν, quod est *pullulare*. Sed simplicius veriúsque est, quod ante diximus.

FRVGES latiùs patent, quàm *frumentum*. Nam & *legumina* comprehendunt. Plinius lib. XVIII. cap. VII. *Natura nunc indicabitur frugum. Sunt autem duo prima earum genera: frumenta, vt triticum, hordeum: & legumina, vt faba, cicer.* Seruij quoque est, in I. Æn. *Generaliter omnes fruges dicuntur: & errant, qui discernunt frumenta à frugibus. Nam Cicero ait, olei & frugum minutarum: cùm de leguminibus diceret, vt ostenderet etiam frumenta fruges vocari.* Mirum autem, *legumina* dici *minores fruges*, cùm fabæ, lupini, & quædam alia legumina frumento sint maiora. Nisi fortè *minora* dixit ratione pretij ac dignitatis. Vel hoc verum, vel errat Seruius: nec *legumina* sola, sed & *frumentum* intellexit: quæ *minores* sunt *fruges*, si conferantur cum arborum fructibus. Sanè interdum & illæ *frugum* nomine censentur. Vnde *arboreas fruges* dixit Cornificius, quas Maro *arboreos fœtus*. Et sanè Ammianus quoque Marcellinus, lib. XXIII. *frumenta* comprehendit, cum ait: *Litoribus proxima Persis habebatur, minutis frugibus dotata & palmite.* *Fruges* rectum singuli numeri facit *frux*, quo Ennius vsus, XVI. Annal. Varro, IV. de L. L. dici putat à *fruendo*, vnde & *frumentum*, quasi *fruimentum*. Est enim *fructus* terræ, quo alimur *fruimúrque*. Seruius, ad I. Æn. & ex eo Isidorus, lib. XVII. Originum, cap. IV. & lib. differentiarum, aiunt *frugum* nomen tractum à *frumine*, id est, *eminente gutturis parte*.

Priscianus, libro VI. eo à recto *frux*, esse obliquum *frugis*, quia fit à φρύγω. Similiter Iosephus Scaliger, & Septimius Florens Christianus; ille in Coniectaneis, hic suis in Aristophanem notis. Est autem φρύγειν, *torrere*, *frigere*, vnde φρύγετρον Polluci, vas, in quo hordea tosta *frigebant*. Cur autem *fruges* hinc deduxerint, ostendit illud Accij Troadibus:

Nocturna saxo fruges frendes torridas.

Et illud Maronis, I. Æneidos.

———*Frugesque receptas*
Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Quem ad locum sic, inter alia, Seruius: *Quia apud maiores nostros molarum vsus non erat, frumenta torrebant, & ea in pilas missa pinsebant.* Etsi autem erudita hæc sit sententia: tamen cùm veteres pro *fruges* dixerint *bruges*, teste Fabio, lib. I. cap. VI. malim deducere à βρύω, *pullulo*: vel potiùs à βρύκω, quod est *mordeo, mando, edo*. *Fruges* enim dixere, quòd in alimoniam cederent. Sed omnium simplicissimum sit, si *fructus*, *fruges*, *frumentúmque* cum Varrone à *fruendo* deducas. A *frugibus* dicitur aliquis esse *frugi*, hoc est, vtilis & necessarius, vt Donatus ait, in Eunucho, IV. VII. Nempe *frugi* is propriè, vnde *frugem* possis habere, siue quo *frui* queas. Sed cùm frustra sapiat, qui sibi non sapit, etiam *parcum* postea *frugi* nuncuparunt. A *frugi* est *frugalis*, vt est apud Augustinum, de vita beata, & Isidorum in I. Gloss. vett. *frugalis*, χρήσιμος. A quo *frugalitas*, σωφροσύνη. A *frugibus* quoque est verbum *defrugare*, quod est *agros exinanire* præpropera vel serotina semente: vt scribit Hermolaus Barbarus in Plinianis Glossis. Idem tamen in appendicula ambigit, an non potiùs legi apud Plinium debeat *defrudare*: quomodo Cato dixit, *segetem ne defrudet villicus*.

FRVOR à *frumen*. Ita Donatus, Eun. IV. VII. *Frui est vesci, à frumine, quæ est summa pars gulæ, à qua re etiam his quæ nec cibo, nec poculo sunt, frui dicimur καταχρηστικῶς, vtpote rebus Venereis, & delectatione odoris, visus, auditus, & cæteris.* Similia habet, in Adelph. V. VIII. Sed omnino *frui*, etiam principis notionis ratione, latiùs patet, quàm vt *ali* tantummodo significet: quippe quod pertineat ad omnia, vnde vtilitatem capere est: vt *fructus* nomen ostendit, quod ex eo deriuatur. Quare potiùs fuerit à φρὺξ, *vtilis*, *commodus*, quod à φέρω, quia ad finem destinatum *confert* vel *perfert*. Consuetudo tamen *fructum* ab *vsu* distinxit: ita vt *vti* sit, ad commoditatem & vtilitatem: *frui*, non ad vsum modò, sed etiam ad quæstum, vel delectationem: vt Iurisconsulti docent. Vnde Calpurnius (non Donatus) in Heaut. I. I. *Frui propriè est delectationem capere ex vsu.* A *fruor* est *fruiscor*, & *fruniscor*. Nempe vt *iecur*, & *iecinor*, *iter*, & *itiner* dixere: sic *fruor*, & *fruinor*: ac vt à *fruor* esset *fruisci*, sic à *fruinor*, *fruiniscor*, & κατὰ συγκοπὴν *fruniscor*. Itaque in melioribus libris sic legas, libro XVII. capite II. *Frunisci rarius quidem fuit in ætate M. Tullij, ac deinceps; infra rarissimum: dubitatúmque est ab imperitis antiquitatis an Latinum foret: sed iucundius amœniúsque etiam verbum est fruniscor, quàm fruor: & vt fatiscor à fateor, ita fruniscor factum est à fruor.* Deinde ostendit eo vsum esse Metellum Numidicum in epistola ad Domitios, & Nouium in Atellana. Illius est. *Ego neque aqua neque igni careo, & summa gloria fruniscor.* Huius est:

Quæ magnopere quæsiuerunt, id frunisci non queunt.
Qui non parsit apud se, frunitus est.

Addere potuit illud Plauti, Rudente, Act. IV. Sc. *Heus mane*:

Hinc tu, nisi malum, frunisci nil potes.

Ita enim in antiquis libris scriptum inuenere, & Camerarius & Lambinus: pro quo malè in vulgatis *fruisci*. Superior autem Nouij locus clarè indicat, à *fruniscor* esse *frunitus*, vnde *infrunitus*. Similiter Festus: *Fruniscor, & frunitum, dixit Cato, nosque cùm adhuc dicimus infrunitum, certum est antiquos dixisse frunitum.* *Infrunitus* autem dicitur homo insulsus & agrestis. Ita præter Gellium, Macrobium, veterem bibliorum, siue Siracidæ, interpretem, vsus hac voce etiam Seneca, libro iij. de Beneficiis, capite xvj. & lib. de vita beata, capite xxiij. Sed notio ista obstare videtur etymo, quod ex veteribus antea adferebamus. Nam si *frunisci* est idem ac *frui*, quid hoc ad *infrunitum*, hoc est, ἄγροικον & ἀπειρόκαλον? An dicemus, vt à *fruendo* hominem *frugi* dixere, qui sibi & alteri vtilis est: ita à *fruniscendo*, *infrunitum* vocasse, hominem inutilem, ac nullius *frugis*, quales fere sunt homines insulsi? An statuendum, *fruniscor* habuisse olim geminam notionem: vnam *fruendi*, vnde tum deriuetur; alteram *sapiendi*, quod Græcis φρονεῖν, vnde *infrunitus*? An nec ab hac, nec ab ista *fruniscendi* notione est: sed à *Frutis*, quod est *Veneris* cognomen: vt eodem modo à *Frutis* sit *infrunitus*, quo à *Venere* est *inuenustus*? Media sententia

maximè placet. Nam & ἀναλογία & significatio suadet. *infrunitus* esse a *fruniscor*, *frunitus* à *fruniscor*, *fruniscor* a *frunio*, vt ab *apio*, *apiscor frunio* autem quid aliud ac φρονέω; vt *infrunitus* sit idem ac ἄφρων.

Frvstra nonnullis, Perotto teste, à *frustum*, quia qui imperfectè quid facit, alium *frustratur*. Sed melius, quod me legere memini apud Rodolphum Agricolam annotationibus in Senecæ controuersias, pag. xxx. vbi ait, venire a *fraudo*, quia quod *frustra* fit, fraudat desiderium eius, qui id facit. Vt pro *caupa*, *cupa*, pro *claudo*, *cludo*; & à *causa*, *excuso*, dixere: sic pro *fraudo*, *frudo*, vnde *frustra*. A *frustra* esse verbum *frustrari*, satis est euidens.

Frvstrvm Isidoro à *frumine*, quo capitur. Sed non ad esculenta solùm pertinet. Perottus à *ferendo*, quòd facilè feratur. Sed *frusto*, vt feratur, planè aduentitium est, nec ad rei pertinet naturam. Alibi à *frango* deriuat: commode si notionem spectes: sed longiùs abeunt literæ. Scaliger à *frio*. Sed *frustum* etiam maiorem partem signat: at quæ friantur, in minutas particulas diuiduntur. Quare vt *frustra* à *fraudo* cum Agricola deducebamus, ita & *frustum* ab eodem venire opinor. Nam qui *frustum* aufert, parte aliquâ *fraudat* eum, cuius erat integrum. *AV* in *V* abit, vt ab eodem *fraudo* est *defrudo*. Imo & *frudo*, forsan dixere, vt *claudo*, & *cludo*. Ἀναλόγως autem *frustrum* foret. Nam, vt à *moneo*, *monstrum*: à *luo*, *lustrum*: sic à *frudo*, *frustrum*. Sanè *R* in *frustra* remansit. Verùm sequitur *frustum* nominum naturam, quasi non à *fraudo*, sed à *fraus* foret. Vt enim ab *onus*, *onustum*; à *venus*, *venustum*; à *ius*, *iustum*; sic à *fraus*, siue *frus* *frustum*.

Frvtex à *frons*, quia fronde terram tegat, iuxta Isidorum, libro xvii. capite vi. Perottus à *ferendo*. Alij à *fruor*, vel *fructus*, quia est *fructus arboris vnde erumpit*. Optimè Iulius Scaliger Exercitat. cxxxix. cui dici videtur à βρύω, hoc est, *pullulo*, quia nempe è *stolonum pullulatione* fit *frutex*. Idem secutus hac in re Eustathium, putat θάμνος similiter dici, quasi θαμνὸς, à θαμὰ, hoc est, συνεχῶς, quia *stolones* arbori densè adnascuntur siue adfruticent, τῷ μεταφορικῶς autem, quemadmodum *caudex*, *stipes*, *truncus*, sic & *frutex* ponitur pro *stupido*. Ita vsi Plautus, Mostel. i. 2. & Appul. in Apolog. Græco illo θάμνος nomine vsi & Latini, sed speciatim ijs sic dicebatur *herba genus*: vnde in Glossis veteribus *Thamnus* exponitur tum ἅλιξ, tum βοτάνης εἶδος. Fortasse igitur apud Columellam, ac Plinium, vbi vulgo *thamnus*, aut *tamnus*, aut *thanus*, vel *tanus*, legitur, *thamnus* debet reponi. Ita censet Salmasius. Ita *thamnus* sit herbæ vel oleris genus, quod sale conspergebatur, & ad cibos seruabatur: vt liquet ex Columella, libro xii. capite vii. A *frutex* esse *fruticetum*, pro quo per syncopen *frutectum* est apud Solinum, cap. xxxiii. quamquam vulgo scribatur *frutetum*. Vti & Seruium in Ecl. i. & Festum, siue Paullum, in *Vespices*. Sed ibi *frutectum* est in MSS[is] Nansij. Sed ἀναλογία alterum exigit, vt à *salice*, *salicetum*, *salictum*, à *carice*, *caricetum*, *carectum*. Sed Solino valdè impropriè *frutectum*, ponitur pro *frutice*.

Frvtilla dicitur ἡ ἴυγξ, vt discimus ex Glossis, in Cyrilli calce inuentis. Nempe quia sacra esset Veneri *Fruti*: cuius Solinus meminit cap. viii. & Augustinus, de Ciu. Dei lib. iv. cap. xxi. Sed in vulgatis locus est corruptus. Scaliger censet *Fruti* esse ex Ἀφροδίτη κατ' ἀφαίρεσιν, vt *rura* ab ἄρουρα, *muria* ab ἁλμυρίς. Sed obstat, quod si idem esset *Venus* & *Fruti*, iam vnum non esset alterius cognomentum. Atqui Solinus ait, *Veneri matri, quæ Frutis dicitur*. Est igitur *Frutis* à *fruendo*. Nempe à *fruitus*, pro quo vsitatiùs dicitur *fructus*. A *Fruti* est *frutinal*, templum Veneris *Fruti*: vt disertim legitur apud Festum. Viri tamen eruditi censent, Festum incidisse in codices vitiosos, vbi *Frutinal* esset exaratum pro *Erucinal*. Id esse ab *Erycina* Venere. Imò nullam esse Venerem *Fruti*, sed scriptum fuisse *Eryc*, vnde fecerint *Fruti*. Apud Solinum pro *Frutis* debere *Erycis* reponi. Atque à *Fruti* *Frutal* non *Frutinal* fore. Denique nec auem ἴυγγα dictam *frutillam*, sed (vt in veteri codice est) *fritillam*, siue ob vocem à *fritinniendo*, siue ob caudæ motum à *fritillando*, quomodo & *fritillo* nomen à con utiendis tesseris. Vide pro hac sententia Salmasium in Solim cap. viii.

Fvcvs generatim à Latinis pro *quauis* capitur *tinctura*: Sed propriè dicitur de *fuco marino*. Quem & Seruius signat, cùm ait *fucus*, *herba genus*, *qua vestes tinguntur*. Herba hæc Græcis φῦκος. Est inter maris eiectamenta: vti & βρύον θαλάσσιον: *muscus marinus*, quod & *muscum*. At φῦκος, *alga*. Glossæ Cyrilli: φῦκος, *alga*, *fucus*. Negat quidem Plinius, lib. xiii. c. xxxv. linguam Latinam habere nomen, quo Græcum φῦκος exprimat. Itaque etsi & ipse *algam maris* vocet, tamen existimauit, non satis esse id nomen accommodatum. Verùm nihil caussæ est, cur putemus, non posse transferri *fucum*. Nam ipse Plinius, lib. xxv. cap. x. ait, *Phycos thalassium*, *id est fucus marinus*. Inque indice lib. i. ait, *Phycos tria genera*, *quod fucus marinus*. Et ratio fauet: φῦκος enim vsæ mulieres ad conciliandum ori ruborem, vt Lucianus in Amoribus, aliique plurimi auctores tradunt. At Latinorum *fucus* ad eundem vsum adhibebatur, vt ostendit illud Ciceronis, lib. iii. de orat. *His tribus figuris insidere quidam venustatis non fuco illitus, sed sanguine diffusus debet color*. Acro quoque, in ii. sat. lib. ii. scribit, *fucum* esse genus herbæ marinæ, vnde lana inficitur. & affert illud Horatij ex od. v. lib. iii.

———*Neque amissos colores*
Lana refert medicata fuco.

Et hoc Maronis, ii. Georg.

Alba nec Assyrio fucatur lana veneno.

Nempe, vt Plinius capite ante citato scribit, *Phycos circa Cretam nato in petris purpuras quoque inficiunt*. Vnde & cognoscitur quis color fuerit fuci: nempe rutilans & quodammodo puniceus. Vnde Nicandro φῦκος φοινίεις dicitur.

Ἠὲ σὺ καὶ φοινικόεν ἀμφιβάλοιο φῦκος.

Quare fortassis laxè nimis in Glossis: *Fucus*, χρῶμα. Nec enim propriè quiuis color *fucus*, sed rubei est coloris genus. Verùm respexit Glossographus laxiorem illam significationem, qua *fucus* pro qualibet ponitur tinctura. Vnde *fucare* pro *tingere*. Glossæ Cyrilli: *Fucatur*, βάπτεται. Ab eodem, & præuerbio *ob*, dictæ *offuciæ*, vnde paret secundam producere. Festus: *Offudas*, *fallacias*. Puto legi debere, *Offucias*. Nam facile *ci* & *d* commutantur. Tamen & sic MSS[i]. At *fucus* imperfecta apis, ex eo nomen habet, quod *fucum faciat* homini, vt qui mentiatur apem, cùm non mellificet, sed mel aliarum absumat. Plinium, & alios, vide.

Fvgio, à φεύγω, φύγω, quod idem. Ab eo φυγὴ, ab hoc *fuga*, ab eo *fugo*. *Fugax* à *fugio* est, non à *fugo*, quod scripsit Erasmus. *Fugax* enim *qui facile fugit*. At *fugitare* nunc à *fugere* est, cuius passiua sunt exempla: nunc à *fugare*, vnde in Plautinæ Pseudoli prologo, incerti, sed antiqui tamen auctoris, legimus:

Semper odistis malos, & lege & legionibus
Hos fugitastis, Quirites, successis bonis.

A *fugiendo* L. Viui dicta videtur *dea Fugia*, quòd fugaret hostes: cuiusque sacrum *Fugalia*, quorum meminit Augustinus, lib. ii. de Ciuitat. cap. vi. At in Onomastico veteri legas, *Fugalia*, φύξια. Quasi sint sacra, quæ exules faciebant Ioui. Quippe Ζεὺς φύξιος *præses exulum*, qui φυγάδες dicuntur: vnde Maro:

Nos patriam fugimus.

Confugelam pro *confugium* veteres dixere, vt Festus ait.

Fvlcio ab Hebræo בּוּל, hoc est, *lignum*: vt propriè *fulcire* sit *lignis siue palis firmare ac sustentare*: vel à פּלך, *scipio*, baculus, quo quis nititur, séque *fulcit*. A *fultum* est *fulcrum*; vt à *lutum*, *lucrum*; ab *inuolutum*, *inuolucrum*, à *sepultum*, *sepulcrum*, &c. Onomasticon vetus: *Fulcra*, ἐνήλατα. Pro quo corruptè in Glossis Philoxeni, *Fulctrum*. A *fultum* quoque *fulmentum*; vt à *motum*, *momentum*; à *iuratum*, *iuramentum*; ab *intritum*, *intrimentum*, &c. Vetus prouerbium est, Varroni sæpius vsurpatum, & à Nonio allatum, *fulmenta*, siue vt antiqui locuti, *fulmenta lectum scandunt*. Eius vsus, cum præesse vult, in quem imperium habemus. *Lectuli* enim altiores *fulmentis* erant: quippe quæ *lecti* essent *fulcra*: quemadmodum nomen *fulmenti* arguit. Vt errent, qui per *fulmenta* intelligunt *gradus quibus in lectum scanditur*.

Fvlgeo ex Perotti mente venit à φλὸξ, *flamma*. Sed potiùs est à φλέγω, *ardeo*, vnde φλογερὸς, *splendidus*, *fulgidus*. Nempe vt τῷ μεταθέσει ab τι est *&*, à τεύχω, *opto*, à μορφὴ *forma*, ab Æolico τέρτος pro τρίτος, *tertius*: sic à φλέγω est *fulgo*: quomodo veteres dixere: vt ex poëtis constat, qui *fulgere* dicunt penultima correpta.

Fvlgvr, & *fulmen*, à fulgore dicuntur, vt rectè ait Varro, in iv. de L.L. Nempe vt ab *amo*, *amor*, sic à *fulgo*, *fulgor* & *fulgur*. A supino autem *fultum* est *fulmen*; vt à *motum*, *momen*; à *notum*, *nomen*; à *flatum*, *flamen*; imò ab altero etiam *fultum*, quod à *fulcio*, *fulmen* dixere, indéque *fulmenta* & *fulmentum* pro *fulcro*. Differre *fulmen*, & *fulgur*, ostendit, quod Plinius lib. xxxv. cap. xv. dicat: *Fulmina & fulgura quoque sulphuris odorem habent*. Vbi *fulmen* vocat, quod in terras decidit, *fulgur*, quod cæli plagam petit: quod ipsum sulphuris odorem habere statuit, quia cùm obliquè nec longè à terris, fertur, odor is percipiatur. Sed discrimen hoc earum vocum non obseruatur, cum sæpè & *fulmen* pro *fulgure*, & *fulgur* pro *fulmine* sumitur. Vt cùm Plinius & alij dicunt, *sacra fulgura terris condi*. Vbi *fulmina* intelligi liquet. Hinc *fulgurales libri*, apud Cic. i. de Diuin. qui tractant de *fulmine* condendo, & aliis ritibus.

ritibus. *Fulgur condere* dicebatur pontifex, cùm ea quæ fulmine icta essent, sub terra defoderet: quod certa precum formula fiebat. Iuuenalis, Sat. vi.

Atque aliquis senior, qui publica fulgura condit.

Plenıúsque Lucanus in primo:

——— Arruns dispersos fulminis ignes
Colligit, & terra mæstos cum murmure condit,
Datque locis nomen. Sacris tunc admouet aris
Electa ceruice marem, iam fundere Bacchum
Cœperat, obliquóque molas inducere cultro, &c.

Fulgetrum est à *fulgo*; vt *tonitrus*, à *tono*; *aratrum* ab *aro*. Pro eo & *fulgetram* dixit Plinius libro xxviii. capite ii. *Fulgetras poppysmis adorare consensus gentium est.* Quomodo à *fulmine* differat, indicat idem Plinius libro ii. capite xliii. *Et si in nube luctetur flatus aut vapor, tonitrua edi: si erumpat ardens, fulmina: si longiori tractu nitatur, fulgetra.* Fulmen igitur fit cum tonitru, Græcis κεραυνὸς; *fulgetrum* coruscatio est absque tonitru, Græcis ἀστραπή. A *fulgur* est *fulguro*, vt à *fulmen fulmino*. At *fulgero* est à *fulgo*; vt *tolero* à *tolo*, vnde *tetuli* & *tuli*. Dixere autem *fulgurare* & *fulgurire*: sed significatio differt, quia *fulgurire* dixerunt pro *fulmine ferire*. Existimare tamen aliquis possit *fulguritas* arbores dici pro *fulguratas*, vt *dolitum*, *artitum*, pro *dolatum* & *artatum*, aliàque id genus. Sed verisimilius id esset, si *fulgurare* diceretur pro *fulmine ferire*. Quare potiùs à *fulgurire* fit quod dixi: indéque *fulguritum*, hoc est, *fulgure seu fulmine ictum*: vt exponunt Varro, in iv. de L. L. & Festus, siue Paullus. Sic *fulguritum*, τὸ κεραυνόβλητον, qui aliter *bidental*, quia bidente expiari & consecrari solet.

FVLICA. vt Seruius, in ii. Georg. ait, sunt *aues aquaticæ, anatibus paullo minores, sed corporibus formâ consimiles*. Perottus ita dictas putat à *furuo*, id est, *nigro colore*. Sed si à *nigro colore* nomen habent, fortasse non tam erit à *furuus*, quàm *pullus*, qui terræ color, vel πελλὸς, aut potiùs πελιὸς, id est, *niger, fuscus*. At omnino vox est à φώξ. Nam φώξ, *fulica* quæ aliter αἴθυια. Vide Hesychium, & Suidam. A φώξ est *fulix*, inserta liquida, ad vitandum hiatum, vt à νοῦς, *mens*. A *fulix* verò *fulica*. *Fulix* dicitur Ciceroni in conuersione carminum Arati:

Cana fulix itidem fugiens è gurgite Ponti
Nunciat horribiles clamans instare procellas.

Falsus interim Cicero, cùm, ἐρωδιὸν & αἴθυιαν confundens, ἐρωδιὸς transtulit *fulica*. Nam ἐρωδιὸς Maroni *mergus*, Plinio & Avieno *ardea* est: αἴθυια autem Maroni *ardea* est. Avieno *fluenas*, alijs autem *fulica* est. Vide cùm Turnebum, tum Yuonem aduersus Titium, libro ix. Controu. capite xvi. & Salmasium ad Solini cap. viii. Vbi & allatum *fulicæ* etymon offendes.

FVLIGO est *nigrum* illud, quod ex pingui vstorum fumo condensatur, & camino vel parietibus adhæret. Græcè dicitur λιγνὺς, quod Nicandri Scholiastes interpretatur τὸ παχυμερὲς τοῦ πυρός. Et à λιγνὺς, Υ ex posteriori syllabâ traiecto ante *L*, *uligo* esse possit, & Æolicè Φ præposito *fuligo*. Fortasse tamen simplicius sit dicere, esse à *pullus*: vel à πελὸς, id est, *niger, fuscus*. Vel à *fumus*, vnde *fumiligo*, & κατὰ συγκοπὴν *fuligo*. vt fortasse ab *udus*, *udiligo* & hinc *uligo*. Hæc magis placent, quam Festi sententia, qui ait *fumus, fuligo*, & *fumus*, venire à *Furuus*, id est, *niger*. Vide eum in *Furuus*.

FVLLO, vnde dicatur, meliùs parebit, si constiterit, duplex eius fuisse officium. Prius erat vestem pedum insultu cogere & densare: quod Latini à *consistendo* dicunt *consilium*: alterum fuit creta vestem candefacere, quod vocant *polire*. Ad vtrumque allusit Plautus Aulularia.

Placet consilium. MI. *Imò etiam vbi expoliuero,*
Magis hoc tum demum dices, nunc etiam rude est.

Perottus igitur putabat *fullonem* dici, quia vestem calida *foueant* aqua: Hugutio, quia *fulgidam* reddat vestem. Alij à πιλεῖν, hoc est, *densare*, vel *polire*: quorum illud prius esse *fullonis* munus; hoc posterius, dicebamus. De πιλεῖν non displiceret, nisi propius ad *fullonis* vocem accederet βυλλῶν, quod idem significat. Vnde Hesychius, βεβυλλωμένον exponit βεβυσμένον. Vti βυστὰ eidem βεβυσμένα, hoc est, *conferta, densa*. Estque βυλλῶ à δύω, quod est *denso, oppleo*. A βυλλῶ fit βυλλῶν, vnde *fullo*. Vel sit *fullo* à πλύνω, κατὰ μετάθεσιν, & υ post λ conuerso in λ. Πλυνῆς *fullones*, quia eorum est πλύνειν siue *lauare* vestes, lauandóque vestes eluere: quod fiat nitro, creta, cimolia, & alijs. Petronius in Satyr. *Vestimenta accubitoria perdidit: quæ mihi natali meo donauerat cliens quidam, Tyria sine dubio, sed iam semel lota.* *Semel*, inquit, quia sæpius lauabantur. Martialis:

Et lotam vt minimum térque quatérque togam.

Erat & *Fullo* cognomentum Apustiorum, vt ex Liuio, & lapide Capitolino constat. Vnde iocus Fausti Syllæ filij apud Macrobium libro ii. capite xi. *Miror sororem meam habere Maculam, cum Fullonem habeat.* Quamquam de *fullonis* filio & Pompeio *Macula*, ceperit Macrobius. Satis interim liquet, eò spectasse, quòd *fullonum* esset maculas è veste eluere. *Ars fullonum* dicta *Fullonica*, Plauto Asin. Act. v. Sc. ii. Nisi potiùs, quod viris doctis, & mihi quoque magis placet, *fullonia* legi debet, vt à *fullo* sit *fullonia*; quomodo ab *histrio* est *histrionia*, in Amphitr. prologo: *Iouem facere histrioniam*.

FVLVVS color, quòd esset *furuo* propior, vnde *fulmen*, & *fuligo*. Ita Scaliger Exercit. cccxxv. xii. Atqui *fulmen* & *fuligo*, vt colore, ita & origine distant. *Fuligo* fortasse à *furuus*. Sed *fulmen* planè à *fulgeo*. At aurum *fuluum* dicitur, non *furuum*. Quare à *fulgendo* potiùs *furuum* dicetur.

FVMVS fortasse sit à הפיח, id est, *adflare, adspirare*: qua ratione πνοὴ ab inusitato πνέω, id est, *spiro*, & Germanicum *rauch* à רוח, *spiritus, flatus*. Vel potius, quod Scaligero placuit, *fumus* sit à θυμιᾶν, id est, *fumigare*, Θ in Φ abeunte, vt ex eiusdem sententia à θύρα est *foris*. Non tamen *fumus* ἀμέσως est à θυμιῶ, sed à θυμὸς, vnde θυμιῶ. Hesychius: θυμὸς, πνοὴ, ἀήρ. Nempe θύειν est *suffire*, vnde θύος & θυμὸς, *suffitus*. A θύος est *thus*, vt rectè censuit Iulius Modestus apud Sosipatrum. A θυμὸς verò est θυμιᾶν. Sed Æoles, quos Latini solent imitari, mutabant Θ in Φ. Quomodo pro θηρσὶ dixere φηρσὶ, pro θῆρες, φῆρες, vnde *fera*. Similiter pro θύω dixere φύω, vnde *fio*, à quo *suffio*: item pro θυμὸς φυμὸς vnde *fumus*. Vt à θυμὸς θυμιῶ, ita à *fumus fumigo*: eadem ratione, qua à *clarus, clarigo*; à *lite, litigo*. *Fumaria* herba, quæ *fumi* instar lacrymas prolicit. Vnde de ea Plinius, libro xxv. capite xiii. *Claritatem facit inunctis oculis delacrymationémque: vnde nomen.*

FVNDA, qua lapis iacitur, nomen habet à σφενδόνη abiecto Σ, quomodo à σφάλλω est *fallo*; à σμύρνα, *myrrha*. Hæc magis placet sententia, quam illa Isidori, libro xviii. cap. x. vt sit à *fundendo*, quamquam eam firmare videatur Plaut. Pœnulo act. ii. vbi ait:

In fundas infundebam grandiculos globos,

Est & *funda* retis genus, ita dictum, siue quòd in *fundum* mittatur: vt ait Isidorus, libro xviii. capite x. siue quòd in amnem *fundatur*. Nam & similiter Plauto à *iaciendo*, *retiaculum* nuncupatur. Ita *funda* voce vsus Maro. i. Georg.

Atque alius latum funda iam verberat amnem.

Ἀμφίβληστρον dici Græcis, contra Vallæ sententiam docet doctus interpres ad xiii. cap. Matth. Est & tertia significatio. Nam & *loculis* id nomen tributum, fortasse quia *nummos ijs infunderent effunderéntque*. Vel potiùs à similitudine *fundæ*, qua lapides iaciuntur. Porro, vt *zona* diuitum, ita *funda* siue *loculi* pauperum fuisse videntur. Qua de re vide Scipionem Gentilem, lib. i. παρέργ. cap. xxii. Denique & quarta significatio est. Nam *funda* etiam accipitur pro *annuli pala*: idque Græcorum exemplo, quibus similiter dicitur σφενδόνη. Plinius, lib. xxxvii. cap. ii. de chrysolithis: *Funda includuntur perspicua.* A prima *fundæ* significatione est *funditor*, σφενδονιστής; vt Gloss. vett. exponunt. Nonius: *Funditores, qui magnas fundis dimicant.* Ab eodem est verbum *funditare*: vt quidem Turnebus scribit, lib. xv. capite vii. Itaque illud Plauti, Pœnulo, i. ii.

Tantula tanta verba funditat.

Interpretatur, *iactat velut funda*. Sed vt à *dicto* est *dictito*; à *lego, lectito*; ita à *fundo* est *fundito*. Quare nec me mouet illud eiusdem, quod ante etiam ex parte adducebamus:

In fundas infundebam grandiculos globos,
Eo illos volantis iussi funditarier.

Nam ἀπηχήματι syllabæ affectauit, non ἐτυμολογίαν respexit Comicus.

FVNDO, seu primæ seu tertiæ sit, venit à *fundus*. Quippe *fundare* est *fundum ponere*, *fundere* est *in fundum iacere*. Nisi magis placet posterius *fundo* esse à χέω, quod idem notat. *D* sæpè inseritur, vt à τομεῖν *tondeo*: ab Æolico τένω, *tendo*.

FVNDVS, quà *possessionem rusticam* notat, semper virile esse constat: at pro *imo* dolij, fluminis, maris, alij *fundus*, alij *fundum* hodie malunt. Equidem *fundum* in neutro dicere non ausim. *Fundi* quà de *agro* dicitur, huiusmodi etymon adfert Seruius, in ii. Georg. *Fundus dicitur ab eo quod sit rerum omnium fundamentum.* Et Isidorus, lib. xiv. cap. xiii. *Fundus dictus, quod eo fundetur vel stabiliatur patrimonium.* Idem etymon ponit Varro, iv. de L. L. sed secundum addit: *Ager*, inquit, *quod videbatur pecudum ac pecuniæ esse fundamentum, fundus dictus: aut quod fundat quotquot annis multa.* Tertium adduxit idem Varro alibi, quemadmodum cognoscere est ex hoc M. T. Ciceronis, vel potius Laureæ Tullij.

Fundum Varro vocat, quem possim mittere fundâ,
Ni tamen exciderit, quà caua funda patet.

Quartum adfert Festus Pompeius, qui ita dici ait, quòd *planus* sit ad similitudinem *fundi* vasorum. Quinta est sententia Iulij Scaligeri, in lib I. Theophrasti de caussis Plantarum cap. II. & de caussis L.L. cap. XXVIII. vbi ait, *fundum* dici ἀπὸ τοῦ φύειν, quia, id est, vnde plantæ nascuntur, atque exeunt. Mihi maximè placet Festi sententia: vt prior sit *fundi* notio ea, qua notat *imum* eius, quod liquida continet. Estque vel à βυθὸς inserto N, quomodo à *runco* est *runcina*; à μέγας, *magnus*, à *rego*, *regnum* &c. Vel, quod Nunnesio visum, & mihi magis placet, à βυθός, quod Hesychius interpretatur βάθος, πυθμὴν, *profunditas*, *fundus*. Postea verò, ac secundariò, *fundum* quoque dixere de agro cum ædificijs, atque adeo de ædibus vrbanis, quia nempe in *fundo* propriè sic dicto extructæ sunt. Ac simili ratione Belgæ vocant *grond* vel *gront*, primariò quidem *fundum* dolij, putei, fluuij, maris, similiúmque: secundariò autem agrorum, vt cùm dicunt, *op een anders grond timmeren*, *in alieno solo ædificare*: *myn gront*, *meus ager*. A priori notione est *funditus*. Item *profundus*, de quo ita Diomedes, cap. de præpos. *Pro præpositio significat porrò, vt cum profundum dicimus pelagus, vt cui porrò fundus sit.*

FVNGOR, in Glossis vett. nunc λειτουργῶ, nunc τελῶ, διατελῶ, vel ἀνύω exponitur. Itaque inest in hac voce notio *perficiendi*, *ac perducendi ad finem*. Quocirca nihil hactenus melius ea in voce occurrit, quàm Martinij opinio, coniectantis, vt τελεῖν est à τέλος, ita *fungor* esse a *finis*: vnde *fingor* foret: sed discriminis caussa *V* hic maluere. Nonnulli Perotto teste à *funere* deduxere. Atque hi eò respiciebant, quòd qui mortem obiere, *vitâ functi* dicantur. Sed hoc quoque loquendi genus *finem* signat. Nam (vt bene Valla interpretatur, lib. V. Eleg. cap. V.) *Fungor vita, quod fungor officio vitæ & munere administrandi gubernandique corpus, munere inquam, adsignato nobis ab imperatore Deo. Inde defunctus est vita, id est, finiuit officium vitæ.* Ac similiter Isidorus, lib. IX. cap. IV. *Defunctos dicimus qui compleuerunt vitæ officia; nihil enim iam faciunt.* Glossæ: *Perfunctorius*, ἀφοσιωμένος. *Perfunctoriè*, & *defunctoriè* significant *languidè & remissè*: quia quid non seriò adcuratur, sed vt officio perfuncti videamur, & quantum satis sit ad aut reprehensionem vitandam, aut veniam emerendam.

FVNGVS, à σφόγγος, pro quo Atticè σπογγιὰ, vnde Latinum *spongia*. A *spongia* dictus *fungus*, ob *spongiosam* naturam. S abiectum, quomodo à σφάλλω est *fallo*. At durè, qui *fungum* à *funere* deducunt: durè & illi, qui vel à φῶς esse putant, vel à *fungendo*. Sic enim Isidorus, lib. XVII. cap. X. *Fungi, quod aridi ignem acceptum concipiant. Φῶς enim ignis est, vnde & esca vulgo dicitur, quod sit fomes ignis & nutrimentum. Alij dicunt, fungos vocatos, quod sint ex eorum genere quædam interemptorij, vnde & defuncti.*

FVNIS Perotto à *fundo*, *quod dum trahitur, atque attenuatur, lineam fundi videtur.* Scaligero, in Coniectaneis, à σχοῖνος, id est, *iuncus*, vt propriè sit *funis è iunco plexus*. Nunnesius in Grammatistice, deducit à φοῖνιξ, *palma*. Sed dicuntur *funes* ab ἶνες, præposito *F*, haut secus ac ab eodem fit *vena* præposito *V*. Item *vis* à singulari eius ἶς; quemadmodum in *Vena*, & *Vis*, dictum; à *funis* est *funalis*; vt à *grex*, *gregalis*; à *maius*, *maialis*, &c. Vt autem *maialis* substantiuè pro *porco maiali* dixere, ita & cùm poëtæ tum prosæ scriptores *funalia* dixere pro *luminibus funalibus*, hoc est, *ardentibus funibus*. Virgil. I. Æneïd.

——*Noctem flammis funalia vincunt.*

Auctor lib. de illust. viris: *Duillio concessum est, vt prælucente funali, & præcinente tibicine à cœna publicè rediret.* Glossæ vett. *Funale*, λαμπάδιον. Onomasticon vetus: *Funalia*, δαλοί. Seruius, in I. Æn. & ex eo αὐτολεξεὶ Isidorus, lib. XX. capite X. *Funalia, sunt quæ intra ceram sunt; dicta à funibus, quos ante vsum papyri cera circumdatos habuere maiores, vnde & funera dicuntur.* Mox addit Isidorus: *Funalia, candelabra apud veteres exstantes stimulos habuerunt aduncos, quibus funiculi cera vel huiusmodi alimento luminis obliti figebantur. Idem itaque & stimuli præacuti funalia dicebantur.* Donatus quoque ad Andr. I. I. de *funeris* voce agens, addit, *funalia* dici *cuneos candelabrorum*, *quibus delibuti funes, & cerei fomites, infiguntur.* *Funales*, siue *funarij* equi, quos Græci dixere σειραίους, & σειραφόρους, & παρασείρους, & παρηόρους. Hi erant, qui in quadrigis, vbi fronte æquata equi quatuor irent, latus clauderent duobus iugalibus, qui in medio irent. Ergo hoc ordine ibant, dexter *funalis*, dexter *iugalis*, sinister *iugalis*, sinister *funalis*. Ac quemadmodum *iugales* vocabantur, quia interiecto temone iungerentur, ita *funales* vocabantur, quia à dextrâ sinistráque *iugalium* loro seu *fune* adnecterentur. Antiquis verò temporibus in quadrigis non duo *iugales* erant, sed quatuor. Neque enim tum vnus erat *temo*, sed geminus, dexter & sinister: ac dextro duo, totidem sinistro temoni equi nectebantur. Isidorus: *Quadrigarum verò currus duplici temone olim erant, perpetuóque, & quod omnibus equis inijceretur iugo. Primus Clisthenes Sicyonius tantum medios iugauit, eosque singulos ex vtraque parte simplici vinculo adplicuit, quos Græci σειραφόρους, Latinè funarios vocant.* Sic processisse equos, vti dixi, ex vett. lapidibus & nummis cognoscere est. Atque ita & Solis equos euntes poëtæ inducunt: quod ex Hygino etiam liquet. Hodie autem in quadrigis duo *funales* præire, sequi duo *iugales* solent.

FVNVS, auctore Festo, venit à *furuus*, quia habitus vespillonum, cæteráque omnia in *funere*, *furua* siue nigra erant. Donatus, in Andr. I. I. Seruius, in I. Æn. item, in VI. (vbi & Varronem idem sensisse docet;) ad hæc Isidorus, lib. XX. cap. X. ita dici aiunt à *funalibus*, siue *funibus accensis*: nam, vt idem Seruius scribit, ad XI. Æn. per noctem cadauera *funerabantur* cum *facibus*. Cur id fieri soleat, docet Donatus, Andria: *Mortui, inquit, noctu efferebantur, propter sacrorum celebrationem diurnam.* Sed imprimis verisimile est, vocem eam à militiâ manasse, nempe à φόνος, id est, *cædes*, vt propriè sit hominis interemti. A *funus* est *funebris*: vt *funebres tibiæ*; quibus, (vt Festus ait,) *in funere canitur: quas flamines audire putabant illicitum.* Item hinc *funestus*: vt à *modus*, *modestus*; ab *honus*, seu *honos*, *honestus*. Ab eodem est *funero*, κηδεύω. Item *funera* quasi *funerea*, ad quas *funus* pertinet. Tales erant matres, vxores, filiæ, sorores, aliæve sanguine proximè iunctæ. Vtitur Ennius:

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletum
Faxit.

Nam *funere fletum facere* (prout in vulgatis legitur,) Latinum non est. Maro, IX. Æn.

——*Nec te tua funera mater*
Produxi, pressique oculos.——

Ad quem locum ita Seruius: *Apud maiores funeras dicebant eas, ad quas funus pertinet, vt sororem, matrem. Nam præficæ sunt planctus principes, non doloris.* Meritò autem *produxi* ait poëta, quia tales in exequiis reliquum ducebant agmen.

FVO antiquum, est à φύω, id est, *nascor*, *fio*, *sum*. *Fuo* dixit etiam Maro, sed in sermone antiquissimi regis, quod Maronis prudentiam decebat. Hinc præteritum *fui*, siue, vt veteres dixere, *fuui*. Plautus, Pœnulo:

Quo genere gnata, qui parentes fuuerint.

Futurus, vel à *fuo*, vel à *fio*, esse ait Priscianus, in XI. cap. de temporibus participiorum. Sed ἀναλογία iubet, vt à *fuo* potiùs quàm *fio* deducamus. Quin ex Diomedis sententia à *fuo* quoque est *forem*, & *fore*. Plura de his in libris de Arte diximus.

FVR vnde sit, mirificè dissentiunt. Quadruplicem Etymologiam ponit Paullus, l. I. D. de furt. *Furtum à furuo, id est, nigro, dictum Labeo ait, quòd clam & obscurò fiat, & plerumque nocte: vel à fraude, vt Sabinus ait: vel à ferendo & auferendo: vel à Græco sermone, qui φῶρας appellant fures. Imo & Græci ἀπὸ τοῦ φέρειν, hoc est, ferendo, φῶρας dixerunt.* Hactenus Iurisconsultus. A *furuo* esse, non solùm Labeo putauit, sed eadem quoque Varronis opinio fuit, vt Gellius testatur, lib. I. cap. XVIII. & Nonius Marcellus, qui eumpse sequitur: atque hæc Varronis verba adducit è XIV. rerum diuinarum libro: *Furem ex eo dictum, quòd furuum atrum appellauerint: & fures per obscuras noctes atque atras facilius furentur.* Sanè hoc hominum genus (vt cum Plauto loquar,) *vesperi suo viuit.* Itaque & Græci *furem* vocant ἡμερόκοιτον, ac in antiqua, ψευδεπιγράφῳ tamen, Hadriani Augusti & Epicteti altercatione, legere est:

Quid est nox? laboranti requies, grassanti lucrum.

Verùm meritò improbatur hæc ἐτυμολογία Agellio, libro I. capite XVIII. vbi rectè *furem* dici ait à Græco φώρ. Eo enim, tum λῃστὴν, tum κλέπτην, significari, docent Etymologus, Hesychius, & Suidas. Estque à φὼρ quoque φωρῶ, *deprehendo*, vnde κλέπτης ἐπαυτόφωρος, *fur manifestus*, siue, vt Plautus loquitur, *manifestarius*, ἐαλωμένος ἐπαυτοφώρῳ, *in furto ipso deprehensus*. Quod & transfertur ad alia, vt ad *adulterium*. Adductam ab Agellio etymologiam approbat quoque Vlpianus, vti & Priscianus, lib. I. cap. de literarum numero & commutatione. Seruius quoque in I. Georg. cum Varronis etymon adduxisset, addit, *aut certe à Græco, nam fur φὼρ vocatur.* A *fur* est diminutiuum *furunculus*. Tertull. lib II. aduersus Marcionem: *Speculatorem vineæ vel horti tui lupus, aut furunculus, non latet.* Translata hinc vox ad *vites*, quòd *furunculus* is pabulum vicinis partibus suffuretur. Item ad corporis humani vitium,

nium, quòd corpus conficiat: vt de eo testatur Plinius, libro xxvi. capite xii. At malè Isidorus, libro iv. capite viii. *Furunculus, tumor in acumen surgens, quod formeat, quasi formunculus, vnde & ἄνθραξ, dicitur, quod sit igneus.*

FVRCA, nunc est rusticum instrumentum: nunc supplicij genus. Prior, iuxta Perottum, dicta à *ferendo*; quia hac feruntur stramenta, & quisquiliæ. Altera, iuxta Isidorum, libro v. cap. vltimo, ita vocata, quasi *ferens caput*. Sed *furca* pro supplicij genere appellata, quia similis esset *furcæ rusticæ*. *Rustica* autem nomen fortasse habet ab ὀρχῶ, id est, ... vt ait Hesychius. Vel ab Hebræo פרק, id est, *diuidere*: quia *furca* esset *bifida*: vnde Græcis δίκρανον appellatur. Ita rectè Martinius. A *furca* diminutiue est *furcella*, seu *furcilla*. Itaque vt Horatius ait, *Naturam expellas furca*: sic Catullus: *furcillas præcipitem eijciunt*. Errat igitur Isidorus, libro xx. capite xxv. cùm dici ait *furcillas, quod ijs frumenta cilleantur, id est, moueantur*. Similiter tamen Seruius, in ii. Georg. Ab eodem *furciferi* dicebantur serui, quod ob facinus aliquod commissum *furcam* collo *gestarent*. Donatus, in Andr. iii. v. Plutarchus in Coriolano, & Problematis. Hinc Glossæ vett. *Furcifer*, ..., ..., οἱ ... δίκρανον ἐν τοῖς τραχήλοις ἔχοντες ..., ... Vide Fornerium, lib. i. rerum quotidianarum, cap. xiv. & Lipsium, de Cruce, lib. iii. capite iii.

FVRFVR, farinæ purgamentum, secundum Perottum, & Iosephum Scaligerum, à *far*, reduplicata voce. Becmannus maluit à ... id est, *sordes*. Martinius coniectabat esse à *foris*, & *far*, quia sit *extra verum far, quod in alimoniam vertimus*: vel à Chaldæo פרפר, *frangere, comminuere*, quia *furfures* sint ex frumento comminuto. Sanè de Chaldæo non displicet: sed imprimis se probat Becmanni opinio, quam & Martinius percommodam censet.

FVRNVS, ἰπνός, vt explicant Gloss. vett. *Furnus* dicitur à *colore furuo*, siue ob *fuliginem*, siue propter obscuritatem. Festus: *Furuum*, inquit, *nigrum, vel atrum. Hinc dicta, furnus, furia, fumus, fuligo*, &c. Possit & sic vocatus videri à φορβὴ, id est, *esca, pabulum*: quia in eo panis coquitur. Addam & tertium etymon ex Isidoro, lib. xv. capite vi. *Furnus*, inquit, *per derivationem à farre dictus, quoniam panis ex eo factus ibi coquitur*. Ab eo sunt *præfurnium*, & *infurnibulum*: illo vtitur Cato, capite xxxviii. hoc Plinius, libro xxiv. capite xv. Item *furnarius*. Gloss. vett. *Furnarius*, ἰπνοφόρος, ... Item *ars furnaria*. Suetonius, Vitellio: *Antiochi cuiusdam furnariam exercentis.*

FVRO, à φύρω, *misceo, confundo*; quia *furentes* omnia turbant. Vel à φέρεσθαι, quod est, *impetu quodam ferri & abripi*, vnde θεόφοροι, *qui numine afflantur*, quales dicuntur *furere*. Vnde Maro, in vi.

Tantum effata furens.———

Vbi Seruius exprimit: *Deo plena, aut certè similis furenti*. Vel à *ferus*, vt sit efferum in modum irasci. Sic Græcis ab ἄγριος ἀγριαίνειν, quod Hesychius exponit ὀργίζεσθαι. Sanè, vt poëta Venusinus ait, *Ira furor breuis est*. Vel est *furo* à φονῶ, conuerso N in R, quomodo à *calo* est *cæruleus* pro *cæluleus*, ac à μορὸ est *mora*; à ... *crissare*, &c. Φονᾶν est *furere*, siue furioso impetu ruere in cædem, vnde & nomen. Nam φόνος *cædes*, vnde φονεύειν *occidere*. A *furo* est *furia*, nisi malis ... esse a φορία. At Festus non audiendus, qui à *furuus* deduxit, fortasse quia mentes repleat nigra caligine. A *furia* est *furiare*, hoc est, in *furorem* agere. Horatius, libro i. carmin. xxv.

Amor & libido;
Quæ solet matres furiare equorum.

Ad quem locum sic vetus interpres: *Nouo verbo vsus est, quasi in libidinis furore vrgere, concitare*. Ab eo est *furiatus*. Maro, ii. Æneidos:

Non tulit hanc speciem furiatâ mente Chorœbus.

Vbi sic Seruius: *Furiatus, qui furit ex causa: furiosus est, à quo furor nunquam recedit*. Quomodo verò differant *furiosus* & *insanus*, discere est ex Ciceronis tertio Tusc. Quæst. & Budæo in Pandectas. A *furo* quoque *Furina*, quæ eadem ac *furia*. Varro, lib. iv. de L.L. *Furinalis à Furina, cuius etiam in sacris Furinales feriæ sunt*. Festus, siue Paulus: *Furnalia* (leg. *Furinalia*) *sacra Furinæ, quam deam dicebant*. Sed de *Furiis*, si voles, adi Lilij Giraldi syntagma.

FVRVVS Scaligero, Exercit. cccxxv. sect. xii. à φορβὴ, *pabulum*. Sed quid hoc ad *colorem furuum*? Martinio à *feruore*, quasi *feruuus*, quia *feruore* siue ardore solis, aut ignis, aliquid *furuum* sit. Sed quid, si originem arcessamus à φώζω *torreo*, vnde dixere πεφωσμένας ἰχθῦς; *Furuus* enim color ab adustione. Confirmat & hanc sententiam, quòd olim dicebant *fusuus*. Terent. Scaurus: *Furios dicimus, quos antiqui fusios, & aras, quas ... & Lares, quos Lases.*

FVSCINA est bidens, vel tridens, qua à piscatoribus anguillæ figuntur in fundo. Item, quo armabatur retiarius aduersus mirmillonem. Videri possit nomen accepisse à *fusco*. Sed negat id Priscianus lib. ii. *Nec fuscina*, inquit, *à fusco, nec pagina à pago, nec Mutina à muto, nec Ariminum ab Arimo deriuata, cùm sint primitiua*. Sanè si primitiuum est, frustra de etymo laboramus. Sed Perotto dici placet à *fundo*, quia, quæ in fundo natent, captat. Alijs à *fusis*, quia quasi funditur in aquam. Mihi, vtcumque id neget Priscianus, non displicet, ita dici à *fusco colore*. Sanè vt à *piscis*, *piscina*; ita à *fuscus*, *fuscina*.

FVSCVS, vt Scaliger censet cccxxv. Exercitationis, sect. xvii. quia in eo colore φαῖος σκιὰ ..., vel simpliciter ... quod Hippocrati est *vstulare*. Posterius probo. Nam quæ vstulantur, ex albis *fusca* redduntur. A *fuscus* sunt *infusco*, & *offusco*.

FVSTIS, quasi *fixus stans*: si credimus Isidoro. Verba eius sunt lib. v. cap. xxvii. *Fustes sunt, quibus pro criminibus iuuenes feriuntur: appellati, quòd præfixi in fossis stent: quos palos rusticè appellant*. Eadem repetit lib. xx. cap. xiii. Sed paullo saltem probabilius, venire à *fusum*, quòd eo fundantur homines. Nempe qua notione Liuius ait non semel, *Fusi fugatique inimici*. Et Virgilius, in i.

Nec prius absistit, quàm septem ingentia victor
Corpora fundat humi.

A *fuste* est *fustigo*, vt *castigo* à ..., quod *lorum* signat: vt in *castigo* diximus. Discrimen inter hæc supplicij genera docemur D. xlviii. Tit. xix. L. x. *Ex quibus caussis liber fustibus cæditur, ex his seruus flagellis cædi, & domino reddi iubetur*. Quamquam autem *lora* nudis, *fustes* vestitis inferebantur: interdum tamen *fustigatio* flagellatione grauior erat. Nempe cùm ad mortem vsque *fustibus* cæderentur. Quomodo intelligi debet, quod scriptor belli Hispaniensis *fuste* ait percussum, qui fratrem suum in castris iugulasset. Dicitur & *fustuarium*, Græcis ξυλοκοπία.

FVSVS à *fundendo*, *quia per ipsum fundatur quod netum est*, vt ait Isidorus, libro xix. Alij, quòd lanificium in tela attenuatur, eóque in voluendo quasi liquefieri ac *fundi* videatur. Quomodo & Belgis dicuntur *spillen* à veteri *spilden*, hoc est, *attenuare*. Alij tamen *spillen* à *spinnen*, hoc est, *nere*, deriuant.

FVTILIS ... dicitur, qui *plenus rimarum est, hac atque illac perfluit*: vt loquitur Terentius Eunucho, act. i. sc. ii. Isidorus, lib. x. *Futilis, vanus, superfluus, loquax*. Originem indicat Festus: *Futiles, inquit, dicuntur, qui silere tacenda nequeunt sic & vasa futilia à fundendo vocata*. Et apertius Placidus Lactantius in viii. Theb. *Futile vas est quoddam lato ore, fundo angusto, quo vtebantur in sacris Deæ Vestæ, quia aqua ad sacra Vestæ in terra non ponitur, quod si fiat piaculum est. Ideo excogitatum est vas, quod stare non posset: sed si positum, statim funderetur: vnde & homo commissa non retinens, futilis dicitur*. Item Donatus, in Andr. Act. iii. Sc. v. *Futili est leuiâ vase, quod futile dicitur, quod non deponunt ministri sacrorum, quod est acuto fundo, & paruulo ore, eoque instabile est*. Et in Phorm. Act. v. Sc. i. *Effutiretis est eloqueremini, euacuaretis, exinaniretis. Ab eo quod est effundere. Translatio est à vase futili nomine; quod paruulo ore, fundo acuto, instabile, nihil prorsus continet: vnde futilis dicitur eiusmodi, vt nihil intra se contineat, & semper inanis sit*. Ex veterum igitur sententia à *fundendo* dicatur vas *futile*. Magis tamen placet esse à Græcis. Nempe vt à χέω, & χεύω, *fudo*, & *fundo*: ita à χεῦς, *futis*, & *futio*, quod vetus Onomasticum exponit ἐκχέω, indéque *futilis*. A *futilis* est *futiliter*, pro quo *futilè* dixit Ennius, vt Pomponius *memorè* pro *memoriter*, Accius *dapsile* pro *dapsiliter*. A *futio*, *effutio*, atque vt ab illo *futilis*, ita ab hoc *effutilia verba*, hoc est, *inania*.

FVTVO, etsi affine sit verbis βινεῖν, & φυτεύειν, tamen dubitandum non est, quin sit à φυτεύω, *planto*. Extritum E, vt à θύω, *tuo*; à πείθω, *puto*.

G

GABALVS *crucem* notat. Ita Varronem vsum esse, Nonius docebit. Et proximè accedit Belgicum *galge*, quomodo *patibulum* vocatur. Non dubium quin exoticum sit vocabulum: siue sit ab Hebræo גבל, *excelsum*, pro quo & Persæ *gali* dicunt: siue à גבל, *terminauit*, vt propriè *terminum* notet siue *limitem agri*, vbi *gabali* statuebantur.

GABATA est id vasis genus, quod Galli extritâ mediâ syllabâ

gatas vocant: vt Turnebus ait, lib.xxv. cap.xxiv. Est genus vasis escarij concaui: vnde & *gabatas* quasi *cauatas* dici scripsit Calderinus ad illud Martial.lib.vii.Epigr.xlvij.

Transcurrunt gabata volántque lances.

Sed quantitas repugnat, quemadmodum cùm hic versus indicat: tum iste lib.ii.Epigr.xxxii.

Sic implet gabatas parapsidásque.

Nec est quod simile quis dicat illi *amita* quasi *amata*. Nam de *amita* falsi Grammatici, vt suo loco ostendimus. Quare meliùs dixissent *gabata* esse à *cauus*, vt fortasse *amita* ab *amo*. Dixerit aliquis Græcis hanc vocem acceptam referri oportere: quia apud Hesychium γαβαθὸν, vel γαβαθα, item in Glossis iuris γάβαθα eâ notione legatur. Sed ista posteriores Græci à Romanis acceperunt.

Gæsum, graue iaculum, teste Festo. Pleniùs de eo Hesychius. Est id nomen, non à Græcis, quamquam hi γαισὸν ac γαισὸν dicunt, sed vel ab Hispanis, quando Athenæus, lib.vi. scribit, Romanos à Samnitibus quidem accepisse *scutum*, ab Hispanis autem *gæsa*: vel potiùs à Gallis, iuxta Seruium in v. & viii. Æn. Item Nonius, qui *Galliarum tela* vocat. Imo Maro de Gallis ait vii. Æneid.

——Duo quisque Alpina coruscat.
Gæsa manu.——

Et Claudianus, lib.ii. de laudibus Stiliconis:

Gallia crine ferox, euinctáque torque decoro,
Bináque gæsa tenens.

Eodémque pertinet illud Propertij de Virdumaro, Gallorum rege:

Nobilis è rectis fundere gæsa rotis.

Siue *tectis rotis*. vt intelligat essedum. Ita corrigit Lipsius libro iv. poliorc. capite iv. vbi & *gæsum* grandius longè feriens fuisse telum comprobat è Festo, Diodoro, & Suidâ. Vsi & Varro apud Nonium, Cæsar, Liuius, libro viii. Sillius, libro ii. Statius ii. Achilleidos, &c. In vulgatis haut raro inuenias *gesa*: sed in antiquis ferè est *gæsa*, & confirmat Pollux, cui γαισος est δόρυ πολυσίδηρον. A *gæsis* viros fortes à Gallis dictos *gæsos*, monet Seruius, ad viii. Æneidos. Ab eâdem origine esse puto, quòd Galli milites conductitios, vt Polybius libro ii. testatur, *gæsatas* appellarunt. Cambdenus, in suâ Britanniâ, vt aliis multis antiquorum Celtarum vocibus, ita hâc quoque probat, horum linguam eandem fuisse ac Britannicam, aut admodum affinem. Sanè hodiéque Britanni seruos conductitios vocant *gwessin*. Quod verò vir quidam doctus scribat, his Belgicis tumultibus, renatam esse vocem *Gæsorum*, id quidem verum est: sed ab longè aliâ origine. Neque enim à *fortitudine*, sed aliunde *geusiorum* nomen à parte vnâ alteri impositum est, quod nemo hodiéque nescit. Sed visum viro optimo melius eam vocem interpretari.

Gagates, γαγάτης gemma: cui nomen dedere Γάγαι, Lyciæ ciuitas, & fluuius, vbi inuenitur, vt Dioscorides auctor est. Ac similiter Plinius lib.xxxvi.cap.xix. *Gagates, inquit, lapis nomen habet loci, & amnis Gagis Lyciæ.* Nicander penè initio Theriacorum vocat ἐγγαγγίδα πέτρην, vbi τὴν γαγγίτην λίθον intelligi monet Scholiastes, atque addit: ἐν Γάγγαις γὰρ τῆς Λυκίας εὑρίσκεται· τινὲς δὲ Γάγγας πόλιν εἶναι τῆς Λυκίας ἢ Γαγγίδα φασὶν, ὅθεν ὁ λίθος αὕτη εὑρίσκεται πρὸς τοῖς αἰγιαλοῖς μεγάλη τε καὶ χλωρά. Sed hoc pacto confunduntur γαγάτης & γαγγίτης; illi nomen à *Gagis* Lyciæ: huic à *Gange* Indiæ. Plinius, lib.x.cap.iii. ait, alio nomine appellari *aetitem*, ἀετίτην, nempe ab ἀετὸς, id est, *aquila*. Verba eius ponam: *Tribus primis & quinto aquilarum generi inædificatur nido lapis aetites, quem aliqui dixere gagatem, ad multa remedia vtilis, nihil igne deperdens.* Sed omnino *aetites* ab *gagate* diuersus est: quod ex Dioscoride & Galeno satis constat.

Galaxias *circulus lacteus*, à *gala esse*, id est, *lac*, & *xios*, id est, *circulus*, ait Guilielmus Hirsaugiensis Astronomicarum Institutionum libro i. Sed de *xios* ineptit: nec compositum est, sed deriuatum. Dicitur γαλαξίας à *lacteo candore*, quo notabilis. Poëtæ ex appellatione hac occasionem arripuere fabulæ de lacte Iunonis. Nam γάλα *lac*; vnde & Galli γαλάται ob *lacteum candorem*: vt à nigrore *Mauri*. Ab eodem nympha Γαλάτεια. Imò & *galaxias* lapis Ægyptius lactei coloris, vnde & λευκόγαια & λευκογραφὶς vocabatur. Vsus eius erat in vestibus dealbandis. Atque aliter dictus μόροχθος. Vide Dioscoridem. Eiusdem originis est *galactites* lapis. De quo Dioscorides, lib.v.cap.cl. Ὁ δὲ γαλακτίτης ὠνόμασται διὰ τὸ γαλακτῶδες ἀνιέναι· ἔστι μέντοι ἄλλως τεφρίζων τὴν χρόαν. *Galactites vocatus est, quia succum emittit lacteum: est alioqui cinericei coloris.* Vide de eodem Plinium, libro xxxvii. capite x. Sed discrimen hoc inter *galaxiam* & *galactitem* ne à veteribus quidem semper obseruatur. Γάλα (vnde superiora deduximus) quidam deducunt à גל. vnde pluratiuum גלים. *fluctus, vnda*: nempe ob *circumuolutionem*, à גלל, hoc est *volue*, κυλίω, quod & inde venit. Sed omnino γάλα est à עול, *lactans*: vnde Genes.xxxiii.xiii. עלות, de *vaccis lactantibus*. Sic עויל *lactens*, Esa.xlix. xv. & lxv.xx. vbi Thargum יניק *sugens*

Galba aliud Latinis, aliud Gallis. vt indicat locus Suetonij in Galba cap.iii. vbi varias adducens caussas. vnde Galba dictus sit, qui primus Sulpitiorum id nomen tulit, inter alia ait: *nonnulli, quod praepinguis fuerit visus, quem galbam Galli vocent: vel contrà, quod tam exilis, quàm sunt animalia, quæ in esculis nascuntur, appellanturque galbæ.* Galba pro animalculo autumo esse à colore *galbo*: quo de dicemus in *galbus*. At Gallicum *galba* suspicor esse Belgicum *kalf*, quomodo propriè *vitulum*, μεταφορικῶς vero *hominem praepinguem* vocant: eâdem nempe ratione, quâ Græci pro eo ὗς, Latini *porcum* dicunt: vt in Oratorijs monuimus.

Galbanum, succus est è ferula: vt indicat Plin.lib.xii.cap.xxv. Vtitur Suetonius, in Galba, cap.iii. Est à Græco χαλβάνη. Gloss.vett. Γαλβάνη, ἡ χαλβάνη, galba; vbi *galbanum* legi debet. Fungerus χαλβάνη interpretatur *togam Phrygiam*, quod non video vnde, præterquam vulgaribus Lexicis nulla auctoritate suffultis, comprobare possit. Sanè χαλβάνη idem est, quod *galbanum*, vt ex Dioscoride constat, qui & μετώπιον vocari ait. Scrupulum autem inijcere possit locus iste Iuuenalis Sat.ii.

Cærulea indutus scutulata, aut galbana rasa.

Sed, si locus is sanus, respexerit poëta alteram *galbani* notionem, indicatam ab Isidoro, lib.xvii.cap.ix. *Galbanum est genus pigmenti albi crescens in Amomo* (l. *Amano*) *Syriæ: aliàs succus est ferulæ.* Verùm potiùs legendum apud Iuuenalem videtur *galbina*: quâ de re in *galbus* dicemus.

Galbus est χλωρὸς, vt exponunt Gloss.vett. Sed in iis corruptè *galuus* legitur, ex more seculi *V* pro *B* reposito. A *galbus* fit ὑποκοριστικῶς *galbinus*, à quo *galbula* auis, quia *galbi*, hoc est, *viridis* coloris erat. Est de ea distichon Martialis. lib. xiii. lxviij. Plinius, libro xxx. capite xj. *galgulum* videtur appellare, quem eundem facit ac ἴκτερον. Nisi Plinij locus corruptus, ac *galbulus* reponi debet. Quod planè verum puto. Etiam à *galbus* fuerit *galbeus*. Itaque in Gloss. vett. legit Salmasius, *Galbeus*, χλωροειδὴς. Significat autem *galbulum*, quæ & Græco nomine *chlorus*. Gloss. Græcolatino χλωρὸς ὄρνις, *chlorus*. Imò & dixere *galbinus*, vt à *coccus*, *coccinus*. Hinc *tunica galbina* apud Vopiscum. Imò eruditissimus Salmasius pro *galbana*, *galbina* legit, versu istoc Iuuenal. sat.ij.

Cærulea indutus scutulata, aut galbana rasa.

Assentio autem Lipsio, qui lib.i.Elect.cap.xiij. eundem colorem signare censet, quem Martialis, cùm ait, lib.v.ep.xxiv.

Herbarum fueras indutus Basse colores.

Cui simile illud Statij, lib.ij.silu.i.in Glauciam.

Nunc herbas imitate sinus.——

Ab eodem *galbineus*, pro *galbus*. Vtitur Vegetius de re Veterinaria, libro iij. capite ij. vbi eryngium herbam in litore nascentem ait florem habere coloris *galbinei*, quem coloris esse *cærulei* dilutioris, ac pallescentis, ab eruditissimo herbario se accepisse scribit Turnebus, libro xvij. capite viij. Sed Salmasius obseruat ex Dioscoride colorem eius fuisse χλωρὸν, ἢ λευκὸν, ἢ κυανοῦν; atque hic χλωρὸν capit. Quia verò molles & effeminati *galbanis* vestibus vtebantur, inde *galbanos mores* pro effeminatis dixit Martialis, lib.i. epigr.xcvij.

Fuscos colores, galbanos habet mores.

Item *galbinatus* eidem, qui fert *galbina*, lib.iij. epigr.viij.

Galea videri possit ob similitudinem sic dici à γαλέα, quomodo Nicander, in Theriacis, vers.cxxv. appellat *lustra*, siue *speluncas*, τὰς κρυπτὰς τὰς ἐν τοῖς κοίλοις τόποις γενομένας, vt interpretatur eius Scholiastes. Ω abibit in Α, quomodo à πρῶτος est Doricum πρᾶτος, à γελῶ Æolicum γελᾶ, à Ποσειδῶν Bœoticum Ποτιδᾶν, ab ἰωλὸς Creticum ἄωλος, ab ὤπα Tarentinum ἄπα à γνώριμος Latinum *gnarurus*, à βρώσκω Belgicum *brassen*. Quod & in Ο pariter locum habet, vt à βόσκειν, *pascere*. Vel dicendum, sic similitudinis caussâ vocari à γαλέος, quod erat *vasculum militare*, in quo itineri necessaria reponebantur: ἀγγεῖον ἐδωδιμαῖον εἰς ἀπόθεσιν τῶν ἀναγκαίων, ᾧ ἐχρῶντο οἱ στρατιῶται; vt apud Etymologum inuenire est. Υ mutabitur in Α, quomodo à κυλὶξ est *calix*, à κύλιξ, *calix*. Ac similiter à Latino *glubo* est *glaber*. Sed maximè placet eorum sententia, qui id nomen putant esse à γαλῆ. Nam Isidorus, lib.xviij. cap.xiv. ait propriè *galeam* dici, quæ è corio facta: ac certum est olim solere *galeas* fieri è corio, quod eius appellationes apud poëtas satis euincunt: vt κυνέη, quæ fieret è *pelle caninâ*: λυκέη, quæ è *lupinâ*; & Homerus, cum Iliad. κ ait, κρατὶ δ' ἐπὶ κτιδέην κυνέην, non aliud intelligit quam *ga-*

leam

leam ex *mustelina* pelle. Nam ἰκτὶς *mustela* sylvestris & domestica maior: quemadmodum Plinius indicat, lib. XXIX. cap. IV. Similiter igitur γαλέην, quæ fierent è pelle *felina* vel *mustelina*. Nam vtroque modo interpretantur vocem γαλῆ. Sed posterius malim, vt idem, vel simile animal sit ac ἰκτίς. Firmat hanc sententiam origo Hebræa. Est enim γαλῆ à חלד, id est, *mustela*, Leuit. XI. XXIX. Ex his satis liquet, falli Varronem, cum IV. de L. L. ait: *Galea ab galero, quo multi vsi antiqui*. Nam contra potiùs *galerus* inde dictus, quòd instar sit *galeæ*, teste Festo. Hinc *albogalerus*, de quo sic in Festi Epitomâ scribit Paullus: *Albogalerus à galea nominatus. Est enim pileum capitis, quo Diales flamines vtebantur. Fiebat enim ex hostia alba Iovis cæsa, cui adiungebatur virgula oleagina.* Idem de sacerdotum *galero* Seruius Danielis: *Suetonius*, inquit, *tria genera pileorum dixit, quibus sacerdotes vtuntur, apicem, tutulum, galerum. Sed apicem pileum sutile, circa medium virga eminente: tutulum pileum lanatum metæ figurâ: galerum pileum ex pelle hostiæ cæsæ.* Nec sacerdotum solùm *galerus* erat, sed & aliorum, etiam feminarum. Nam *galerum* ὁ νεώτεροι *galericulum* vocarunt, pellem habentem appositos crines humanos, tanto artificio, vt cùm eam capiti applicuissent, pellis hæc vera hominis cutis, crinésque eius veri hominis crines, non adscititij viderentur. Itaque eo vtebantur calui, cani, ac feminæ nigris capillis. Iuuenalis Satyra VI. de Messalina:

> *Et nigrum flauo crinem abscondente galero,*
> *Intrauit calidum veteri centone lupanar.*

Suetonius, in Othone, cap. XII. *Munditiarum fuisse traditur penè muliebrium: vulso corpore: galericulo capiti, propter raritatem capillorum, adaptato & annexo, vt nemo dignosceret.* Auienus:

> *Nam mox detecto nituit frons nuda galero,*
> *Discolor appositâ quæ fuit ante comâ.*

Itidem sic ἀστείως Tertullianus, de cultu feminarum: *Affigitis præterea nescio quas enormitates sutilium & textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quasi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in ceruice retrò suggestum.* Ac quemadmodum Tertullianus pellem hanc vocat *capitis vaginam*, ita Martialis eandem forte nominat *capitis calceum*, & ipsum caput *calceatum*. Sic enim ille, lib. XII. epist. XLV. ad Phœbum:

> *Hædinâ tibi pelle contegenti*
> *Nudæ tempora verticemque caluæ,*
> *Festiuè tibi, Phœbe, dixit ille*
> *Qui dixit caput esse calceatum.*

Alius quoque *galeri* vsus erat palæstritis: nempe ne veri capilli inquinarentur ceromate, quod è luto, cera, oleóque fiebat. Hinc idem Martialis, lib. XIV. dist. L. cuius lemma *Galericulum*:

> *Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos,*
> *Hac poteris madidas condere pelle comas.*

A *galero* quoque est *galeritus*: vnde *galeritum Lycmonem* Propertius dixit: item *galerita* auis, de qua seorsim.

GALENA plumbi & argenti vena communis, vt Plinius ait, lib. XXXIV. cap. XVI. forte à γελᾶν, *splendere*.

GALERITA auis, quæ etiam *galeritus*, sic dicitur, quia apicem habet cristatum in *galeri* modum. Varro, lib. IV. de L. L. *Sic galeritus & motacilla: alter, quòd in capite habet plumam elatam: altera, quod semper mouet caudam.* *Cassita* quoque eapse de causa vocatur, nempe ab apice isto *cassidem*, siue *galeam*, referente. A Græcis similiter a κόρυς, id est *galea*, siue *cassis*, κορυδὸς, κορυδαλὸς, & κορυδαλλὶς dicitur. Glossæ Philoxeni: *Galerita*, κορυδός. Etiam Theocrito dicitur ἐπιτυμβὶς, quòd velut *tumulum* in capite gerat. Quo loco non dubium, quin respexerit Theocritus fabulam, quam Aristophanes in auibus narrat. Æsopum enim ait scripsisse istiusmodi fabulam, *Alaudam* esse non cæteris modò auibus, sed terrâ ipsâ antiquiorem: vnde mortuo patre iam quintum iacente diem, quòd terra nondum esset, in quâ sepeliretur, cæteris consiliis destitutam, patri in capite suo tumulum fecisse. Quanquam autem in vocabulis hisce tanta sit originationis conuenientia, non dubitarem tamen *cassitam* potius ab חסידה, quàm à *casside* deducere, ob summam vocum harumce similitudinem: nisi vnum hoc obstaret, quòd & veteres, & nuperi interpretes, aliter semper vocem Hebræam exponant: vt qui *ciconiam* quidem, aut *miluum* aut *struthionem* aut *herodionem* vertant; *cassitam* nunquam. Cæterùm Latini, præter dictas, alias quoque appellationes habent. Nam in Glossis Græco-latin. legas κορυδαλὸς, *sculpicia*, *bardala*. Nec *alauda* (quod vocabulum à veteribus Gallis acceperunt Romani) aliud est quàm *cassita*, siue *galerita*: quemadmodum indicat hic locus Plinij, lib. XI. cap. XXXVII. *In capite paucis animalium, nec nisi volucribus, apices.* Et paullò pòst: *Præterea parco,* *atque ab illo galerita appellata quondam, postea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat alaudæ.* Sic locus is legitur in antiquâ Parmensi: sed pro *parco atque* scribo *paruo, & quæ*. Sanè *paruo* etiam in quibusdam vett. codd. inuenias. Quod autem *Alauda* nomen Gallicum esse ait Plinius, id quoque testatur Suetonius, in Cæsare, cap. XXIV. Meritò autem doctissimus Casaubonus, notis ad Tranquillum, improbat sententiam Goropii Becani, qui lib. I. Gallicarum, pag. XIII. legioni à Cæsare Gallicâ appellatione *Alauda* impositum putat, quasi *al-oude*, id est, *omnes veterani*: quod è Cicerone quoque probatum it, quia is Philipp. XIII. ait: *Huc accedunt alaudæ, cæterique veterani*, &c. Obstat enim Becano, quòd auis ipsa Gallicè *alauda* dicta, vt indicat Marcellus Empiricus, vir veteris linguæ Gallicæ peritus. Sic enim is initio cap. XXIX. *Auis galerita, quæ Gallicè alauda dicitur.* Sanè hodiéque Gallis dicitur *alouëtte*. Legioni igitur ex dicterio nomen, quod *alauda* auis instar insignis esset galearum cristis, atque, vt Polybius appellat, τριχίνους φάλους; eâdem nempe ratione, quâ *Cares* sunt appellati *Galli*, propter cristatæ huius auis similitudinem. Plutarchus in Artaxerxe: Τοὺς Κᾶρας ἀλεκτρυόνας οἱ Πέρσαι διὰ τοὺς λόφους, οἷς κοσμοῦσι τὰ κράνη, προσαγορεύειν. Quod nisi ex ijs, quæ dixi, certissimum foret, *alaudam* Gallis deberi, coniectarem *alaudam* dici quasi *aligaudam*, quia auis ea gaudeat alas agitare. Nunc nihil certius, quàm originem petendam è Gallis. Sanè Belgis hodiéque est *leeuwrik*, vel *lauwrik*, & præposito articulo *a*, *a lauwrik*, quod est *een lauwrik*, vt Angli hodiéque *a man* pro *een man*. Ex *a lauwrick* igitur *alauda* fecere Romani: quod & Pontanus censet in Glossario Priscogallico. At quod quidam scripsere *alaudam* dici à *laudando creatore*, putidius videtur, quàm vt refelli mereatur.

GALLA. *vini genus* est Lucillio, cum ait.

> ———*Gallam bibere & rugas conducere ventri.*

Eo, vt Festus ait, *præmonet parsimoniæ esse studendum, neque gulæ indulgendum, ventrémque coartandum.* *Galla* verò hoc vinum dicebatur, quia atrum asperúmque esset instar *gallæ*, quæ est fructus quercus, & Græcis κηκὶς vocatur, Belgis *galnoot* quasi *galla nux*. Eius ὑποκοριστικὸν *gallula*, in Glossis. *Galla* verò κατ' ἀφαίρεσιν fit ex βάλανος. Insuper *B* in *G* abit, quod & fit in *glans*. Nam id contractum est ex βάλανος. *Galla* quoque tum feminam Gallam, tum instrumentum sutorium, quod aliter *subula* à suendo vocatur, significat. Vnde in hâc voce apud Macrobium, lib. II. Saturnalium, cap. II. sutor quidam luserit qui *gallam* se subigere dicebat Planco. At Plancus male audiebat, quòd Meuiam *Gallam*, alij nuptam, subagitaret.

GALLVS pro notione diuersâ aliud atque aliud etymon habet. *Gallus gallinaceus* (pro quo & *gallinaceus*, sine adiectione *galli*, dicunt Columella & Plinius) à Græcis venire non negarit, qui sciat, ijs κάλλαια dici rubens illud, quod de mento gallorum barbæ instar propendet. *Paleam* vocant Columella & Varro. Ammonius: κάλλαια & κάλλη διαφέρει. Κάλλαια μὲν γὰρ, οἱ τῶν ἀλεκτρυόνων πώγωνες· κάλλη δὲ, τὰ εἴδη τῶν σωμάτων. Hinc *gallulo* & *gallulasco*, quod dicitur de voce pubescentium, eò quòd grandior fiat, similísque voci *galli gallinacei*. Nouius Exodio apud Nonium. *Puerum mulieri præstare nemo scit, quanto melior sit, cuius vox gallulascit, cuius iam ramus roborascit.* At *Gallus* pro Cybeles sacerdote sic dicitur à *Gallo* Phrygiæ fluuio, cuius aquam qui gustassent, insani reddebantur. Ouid. IV. Fast.

> *Cur igitur gallos, qui se excidere, vocamus:*
> *Cùm tantum à Phrygia Gallica distet humus?*
> *Inter, ait, viridem Cybelen, altásque Celænas*
> *Amnis it insanâ nomine Gallus aquâ.*
> *Qui bibit inde, furit: procul hinc discedite, queis est*
> *Cura bonæ mentis: qui bibit inde, furit.*

Festus: *Galli, qui vocantur Matris magnæ comites, dicti sunt à flumine, cui nomen est Gallo, quia, qui ex eo biberint, in hoc furere incipiant, vt se priuent virilitatis parte.* Sed Græcos etiam audiamus. Stephanus: Καὶ τὸ μὲν Γάλλον ἐλθὸν ἐπὶ τὸν Τερίαν ποταμὸν, ἐξ οὗ ὠνόμασται, καὶ τὸν ποταμὸν Γάλλον καλέσαι· ἀπὸ ἐκείνου γὰρ τοὺς τεμνομένους τὰ αἰδοῖα Γάλλους καλεῖν. Mirum autem Beato Hieronymo excidisse illud, vt diceret gentis *Gallicæ* homines effeminari, quia *Galli* ceperint Romam. Sic enim scribit in Oseæ capite IV. *Hi sunt, quos hodie Roma, matri non Deorum, sed dæmoniorum, seruientes, Gallos vocant: eò quòd de hac gente Romani truncatos libidine in honorem Atys, quem eunuchum Dea meretrix fecerat, sacerdotes illius manciparint. Propterea autem Gallorum gentis homines effeminantur, vt, qui vrbem Romam ceperint, hac feriantur ignominia.* Quod profectò poterat vtrumque verisimile videri, nisi Romani hoc ipsum, quòd sacerdotes Cybeles vocant *Gallos*, à Græcis accepissent,

cepissent. Nunc cùm Græci sic appellent, dubium non est, quin hoc nomen non à Romanis contumeliæ caussa, sed à Græcis à flumine Phrygiæ sint adepti. Habitum horum indicat vetus interpres Iuuenalis, in sat. viij. vbi scribit eos in sacris vti tunica *in modum organi vtrimque decrescentibus virgulis purpureis.* Principem sacerdotum Cybeles *archigallum* vocat Tertullianus, lib. de Resurrect. vti & Firmicus Maternus. A *Gallis* hisce dicitur *gallari*, vt à *Bacchis*, *bacchari*, Nonio teste. Qui eo Varronem vsum docet Eumenidibus: *Deam gallantes vario retinebant studio.* Item. *Nam quæ venustas his adest gallantibus.* Ab Gallis his & *iambo* dicitur metrum *Galliambicum*: quo sacerdotes sacra Cybeles celebrabant. Eo & scripsit Catullus de Berecynthia & Atti. Vide de hoc Terentianum Maurum.

Ganevm, quamquam generatim *tabernam* notet, quomodo Fulgentius Planciades interpretatur: propriè tamen, vt Donatus scribit, in Adelph. III. III. veteres sic *tabernam meritoriam* dixerunt ἀπὸ τῆ γᾶς, τουτ' ἐστι γῆς, quod ea sint in *terra*, non vt *cœnacula* supra. Itaque iuxta eum dicatur quasi γάϊνον, hoc est, γήϊνον, *terrestre.* Imò γάια pro γαῖα dixerint veteres, si Hesychio standum. Idem, ac Donatus, videtur sensisse Festus cum ait. *Ganeum antiqui locum abditum ac velut sub terra dixerunt.* Item Isidorus, lib. x. *Ganeo, luxuriosus, & tanquam in occultis locis & subterraneis, quæ ganea Græci vocant.* Sequitur idem etymon Turnebus, lib. xx. cap. XXXIII. atque addit *ganeum* fieri ex γάϊνον, quod est *fornix*. Ac *α* abire in *E* breue: quomodo & *gynaceum* penultima breui dixit Terentius, etsi Græcè sit γυναικεῖον; & apud Maronem, I. Æn. est:

———Vos & Cyclopea saxa
Experti.———

Et apud Horat. lib. Epod. Od. IX. est:

Sol adspicit conopeum.

Quamquam Græcè sit κυκλώπειος, & κωνωπεῖον. Aliter tamen Cæsar Scaliger, Exercit. CCCXVII. sect. II. vbi ait, *ganeum* dici à γάνος, hoc est, *gaudium*, siue γάνυμαι, hoc est, *gaudere*, nempe eò quòd homines lætam voluptuariámque vitam ibi agitarent. Quomodo & apud Dordrechtanos locus *ganeis* malè audiens vocatur *den lyden beeck*. Nec sanè hæc Scaligeri sententia minus placet illa veterum. A *ganeo ganeones* dicti Ciceroni, Varroni, aliis. Iidem & *ganeary* dicuntur, quam vocem aliquoties legere est in Gloss. vett. Græco-Latinis.

Gangræna, γάγγραινα, quod, iuxta Etymologum, à γράω significante ἐσθίω. Nonnulli malunt esse ab antiquo γάγγρος, hoc est, *cancer*, quod & ipsum à *cancer* venire arbitrantur. Sanè non diffitear id, si veteres eo vsos probari possit. Nunc magis placet *cancer* esse à καρκίνος ἐξ μεταθέσεως, éstque hoc eo verisimilius, quòd, vt καρκίνος ζῶον: *animal*, & καρκίνωμα *morbum* significat: ita *cancer* apud Latinos vtramque obtinet notionem. Sed de *cancri* voce plura diximus separatim.

Gannio propriè dicitur de *ploratu vapulantium*: Vt Donatus ait, Adelphis, IV. II. Sed meliùs Varro, libro VI. de L. L. Vbi ait, ab animantibus translatum esse ad homines. Quod ad originem, Angelo Caninio & Petro Nunnesio placet esse *gannio*, à κνύζω, è quo κνυζᾶσθαι, quod idem notat. Onomasticon vetus: *Gannio*, κνυζῶμαι. Videtur autem κνύζω esse à κνάω. *Y* in *A* mutabitur, quomodo vice versa à ταράσσω est *turbo*; à *calco*, *conculco*; à *labor*, *lubricus*, &c. Sed mollior etymologia eorum (quam & alibi Nunnesius ponit) vt sit *gannire*, à γάνυμαι hoc est, *gaudere*: vt propriè dicatur de canibus, cùm læti ob herorum aduentum gestiunt. Vnde Lucretius de ijs ait:

———Gannitu vocis adulant.

Sanè *gannire* proprium esse canum, etiam Festus & Nonius scribunt. Alij *vulpium* esse malunt, quæ Græcis ἀλώπεκες. Hinc in carmine quodam apud Leonem Ostiensem, lib. I. Chronici Ostiensis. cap. XII.

Atque simul cum olida dudum gannire solebant.

At γάνυμαι fortè à גנן, id est, *oblectari, deliciari.*

Gargarizo, γαργαρίζω, à γαργαρεών, *gurgulio*. Est id nomen à sono factum, vt Alexander Aphrodisiensis monet, item Etymologus, & Eustathius; qui & Γάργαρον Idæ promontorium à sono ait nomen accepisse. Affine admodum Hebræum גרגרת, *guttur*. A quo גרה, *ruminauit*, vnde γέρω, id est, ἐσθίω. A γαργαρεών etiam vel γαργαρίζω, deduxerim *gargaridio*, atque id interpretor, *gutture eliquo*, vel *profero sono, qualis solet esse faucer colluentium.* Varro epistola ad Fusium: *Quintipora Clodiani forias ac poëmata eius gargaridians dicens, O fortuna, ô fors fortuna.*

Garrio quibusdam dici placet quasi *gerrio*, vt propriè sit de *gerris*, hoc est, *nugis* & *affanijs* colloqui. Sed omnino est à γηρύω, conuerso *Y* in *I*, quomodo à φύω est *fio* à λύκος, quod *vulpem* notat, *ligo*, &c. Est autem γαρύω Doricum pro γηρύω, quo vsus Hesiodus in ἔργ. Hesychius exponit φωνεῖ, λέγει, φθέγγεται. Est à γῆρυς, quod φωνὴν notat apud Homerum Iliad. δ. Illud autem a גרון, *guttur*. A γῆρυς quoque nomen accepisse existimatur fabulosus iste Γηρυὼν, qui & Γηρυόνης, & Γηρυονεύς dicitur.

Garvm, γάρον, vel γάρος. Vnde sic dicatur, docet Isidorus, lib. xx. cap. III. *Garum est liquor piscium salsus, qui olim conficiebatur ex pisce, quem Græci γάρον vocabant. Et quamuis nunc ex infinito genere piscium fiat, nomen tamen pristinum retinet, à quo initium sumpsit.* Idem tradiderat Plinius, lib. XXXI. cap. VII. & VIII. *Aliud etiamnum liquoris exquisiti genus, quod garon vocauere, intestinis piscium, cæterisque, quæ abijcienda essent, sale maceratis, vt sit illa putrescentium sanies. Hoc olim conficiebatur ex pisce, quem Græci garon vocabant. Nunc è scombro pisce laudatissimum in Carthaginis Spartariæ cetarijs: sociorum id appellatur, singulis millibus nummos permutantibus congios penè binos.* Est & apud Martialem in xenijs lemma, *Garum scombrorum*, de quo epigramma:

Expirantis adhuc scombri de sanguine primo
Accipe fastosum, munera cara garum.

Differt à *muria*: quod id è thunnis fieret ac pauperum esset, vti *garon* diuitum. Est apud eundem Martialem de *muria* hoc distichon:

Antipolitani, fateor, sum filia thunni;
Essem si scombri, non tibi missa forem.

Hoc est, si *garum* forem, quod è liquore scombri solere fieri, præter eos, quos dixi, testes sunt Aëtius, libro II. capite CLI. & Paullus Ægineta, libro VII. *Gari sociorum* meminere, præter Ausonium, Seneca epistola XCVI. & Plinius, libro IX. capite XVII. & libro XXXI. initio capit. VIII. & libro XXXII. cap. VII. At cur *Sociorum* dicebatur? Num quia in sodalitatibus ac conuiuijs eo vterentur? an quia *socijs* populi Romani initio mitti soleat? Vide quæ de eo Cornelius Vitellius in Merulam scripsit, ad Hermolaum Barbarum, cap. x. item Andream Scottum, lib. III. Obseruationum Humanarum, cap. VII. vbi alia etiam de *garo* eruditè tractat.

Gavdeo, à Dorico γαθέω, pro γηθέω. *Y* insertum, Æolum more, quomodo & ab ἀρύω est *haurio*, à Syriaco חמר, χαμαρίζω. Insuper adspirata conuertitur in mediam, vt in *perdo* à πέρθω, *inde* ab ἔνθεν, &c. Γηθέω verò ex barytono γήθω, seu γαθέω, quod idem notat. Hesychius: Γαθῶ, χαίρω. Γάθος, ἡδονή. Γαδεῖ, ἥδει. Γάθος, εὐφραίνει. Hoc autem à חדה *gaudere*. A quo & ἥδω, *oblecto*, ἥδομαι, *oblector*, *gaudeo*. At minimè eorum etymologia arridet, qui *gaudeo* deducunt à γαυριᾶν, hoc est, *exultare*, quod placuit Festo: aut quibus placet esse à γαίω; vel γαυρόω. Nam significatio parum respondet, cùm ea notent *gloriari*, *superbire*, *efferri*: nempe à גאה, quod idem.

Gavia auis, à Græco κήϋξ, quæ & κήϋκα dicitur Hipponacti vt ad Lycophronis Cassandram Tzetzes annotauit. A κήϋκα est in accusandi casu κήϋκα, à quo *gauia*. Nam formant sæpè Latini suos rectos ab obliquis Græcorum. At κήϋξ vel κῆυξ est vel ἀπὸ τῆ καίειν, hoc est, γοργὰς, vnde κεπφὸς, quia sit auis *vorax*: vel à sono, ἀπὸ τῆ λέγειν κῆ κῆ. Vtrumque etymon ponit Etymologus, nisi quòd apud eum vitiosè pro κήϋξ scriptum κῆυξ.

Gavlvs, *poculi* genus, apud Plautum, Rudente, Act. V. Sc. II. Erat ei forma *cymbij*, vnde & nomen. Nam propriè Festo teste, *nauigij* genus erat, cui vasculum hoc simile. Glossæ vett. *Gauli*, εἶδος πλοίου. Apud Hesychium legas, γαῦλος nunc *mulctram* notare, siue, vt ipse ait, ἀμολγεύς & γαῦλον ἀγγεῖον: nunc *nauem Phœniciam*, vnde pecuniæ prouenientes dicantur γαυλικὰ χρήματα. Imò à nonnullis *ollas* etiam γαυλοὺς vocari. Pro *mulctra* fortasse à γάλα nomen erit, inserto *Y*. Nisi, quia & sumebatur pro *nauigio Phœnicio*, Phœnicium placeat esse vocabulum: Hebræis sanè גלת, *lecythus*. Item גל, *fluctus*, *aquarum conuolutio*. Vtrumque à גלל, *voluit*.

Gavnace, γαυνάκη. Ita dicitur *stragulum* aut *operimentum altera parte villosum*: vt clarè ait Hesychius: atque ex eo Turnebus docet, lib. XXII. cap. XXI. Idem apud Varronem, in IV. de L. L. vbi vulgo *gaunacumma eius sagum, & amphimallon, Græca*, legit, *gaunace*, *amphimallum*. Ac *ma eius sagum*, censet esse à Glossatore, qui scripserit *maius sagum*. Scaliger ea retinet, ac legit, *Gaunacum*, *maius sagum*, *& amphimallon*, *Græca*. Quod si placet, dicendum Latinos Græcæ vocis terminationem mutasse. Nam καυνάκης etiam est apud Aristophanem in Vespis.

Gavsape, *peristroma*, *quo mensa tegebatur*: à Græco γαυσάπης, vt Varro docet, in IV. de L. L. Genus mutauit: vt

Priscianus

Priscianus lib. VII. ex Varrone docet: vbi similia esse ait, ὁ χάρτης, *charta*; ὁ κοχλίας, *cochlea*. Multáque alia eius generis adduximus in libris de Arte.

GAZA, pecunia regia est linguâ Persarum, vt Curtius ait, lib. III. item Seruius, I. Æn. & Isidorus. lib. XX. cap. IX. Nempe גנז Persis *thesaurus*, vti Syris גנזא. Indéque Palestinæ vrbi *Gaza* nomen, quod (vt Mela refert) *cum Cambyses armis Ægyptum peteret, huc belli opes & pecuniam intulerat*. Apud Euangelistam legas γαζοφυλάκιον, quod erat *conclaue in atrio, vbi sacra pecunia*.

GELASINI, γελασῖνοι, ἀπὸ τοῦ γελᾶν, *ridere*. Ita dicuntur *dentes anteriores, οἱ γυμνοῦνται γελώντων, quia ridentibus nudantur*, vt ait Pollux. Item *rugæ, quæ ridentibus in ore fiunt*, vt Cælius Rhodiginus exponit in istoc Martialis, lib. VII. epigr. XXIV.

Nec grata est facies, cui gelasinus abest.

GELV vulgo dictum creditur ἀπὸ τοῦ λύειν τὴν γῆν, *quod terram soluat*. Sed hoc ineptum, cùm *gelu* terræ poros claudat, quos calor vernus soluit: vnde illud vatis Venusini, lib. I. Od. II.

Soluitur acris hyems gratâ vice veris &
Fauoni. ———

Rectiùs igitur deducas à γέλα, id est, *splendor*. Sed Angelus Caninius, in Hellenismi Alphabeto, censet esse a Syriaco *gelida*. A *gelu* est *gelidus*: vt ab *algu*, *algidus*. Inde *egelidus*, apud Catonem, Columellam, etiam Ouidium, lib. II. Amor. el. II. Ab hoc *egelidare*, apud Sidonium, lib. IV. epist. I. Similitérque à *gelu* dicitur *egelare*, apud Cœlium Aurelianum, lib. III. acut. morb. cap. V. *Cùm ex aliquâ parte corporis frigidus torpor visus fuerit egelari.* Ac nequis *relegari* legendum pertendat, sciat apud eundem similiter *egelatus* legi lib. IV. c. III. *non frigidum, sed leuiter egelatum, quod galactodes appellant*. Et aliquammultò pòst. *Nam primo gelatum bibi debet, quod Græci galactodes appellant*. A *gelando* quoque est *glacies* quasi *gelacies*. Vt à *gelatum* Belgicum *glad*, hoc est, *lubricum*, vti *glacies* esse solet. Imò & Belgicum *glas*, hoc est, *vitrum*, è *glacies* est contractum, nempe eam ob caussam à *glacie* id nomen, ob quam *crystallus* de *vitro* dicitur, cùm κρύσταλλος sit *glacies*.

GEMINVS (vnde *geminare* & *tergeminus*) Becmanus deducit à תאם, quod est *geminare*. Simpliciùs fortasse ab antiquo *geno*, pro *gigno*, vt dicatur *geminus* quasi *genimus*, vt græcis γόνιμος à γένω. *Gemini enim dicuntur ex vno vtero vno die editi*, vt ait Marcellus. Sed quia fratrum geminorum fere summa est similitudo, inde est, quod Latini, quæ similia sunt *gemina* aut *gemella* appellent. Paccuuius: *Par fortitudo, gemina confidentia*. Horat. lib. I. epist. ad Aristium.

——— *Hac in re scilicet vnâ*
Multum dissimiles, ad cætera pene gemelli.

A *gemellus* creditur esse *gemellar*, quia vas hoc *geminam* contineat mensuram. Vtitur Columella, lib. II. cap. XX. Apud Augustinum, in Psal. CXXXVI. prò eo *gemellarium* legas. Nisi pro illis *in gemellario*, legi debeat *in gemellari*.

GEMMA propriè de *lapidibus pretiosis*, ac propriè magis de *pellucidis* dicitur: inde transfertur ad *vitium gemmas*, à quibus ex *gemmare* dicuntur. Hæc communior quidem sententia est. Sed contrà erit, si *gemma* erit ab antiquo *geno* pro *gigno*, propriéque dicatur, quia *genatur* in vite, cùm ea parere incipit. Vel si *gemma* sit à γέμω, *plenum esse*, quia *gemma* turgent. Posterior sententia est Iulij Scaligeri, in Theophr. lib. V. de caussis Plant. cap. XXIII. Verùm Salmasij mens alia. Putat enim *gemmam* ex eo dictam, quia collo, auribus, digitis induceretur ad ornatum: nempe ab εἷμα, *indumentum*: pro quo Æoles ἔμμα, ex quo Latinum *gemma*, mutato genere, vt à σχῆμα dixere *schemam*. Differunt *lapilli* ac *gemmæ* à *lapide* non solùm læuore, nitore, duritie, sed etiam raritate & paruitate. Sanè τὸ σπάνιον καὶ σμικρὸν requirit etiam Theophrastus de lapidibus. Huiusmodi sunt lapilli, qui scalpebantur, vt inderentur annulis obsignatoriis. Vnde & Græci *gemmam* σφραγῖδα interpretantur. *Gemmas* autem ac *lapillos* eo distinguunt Iurisconsulti, quòd *gemmæ* pelluceant, vnde Græci λίθους διαφανεῖς; *lapilli* verò translucidi non sint.

GEMO à soni similitudine factum, vt ait Varro in V. de L. L. Vel, vt Scaliger in Coniectaneis opinatur, à γέμω, quod est *plenum onustúmque esse*. Propriè enim *gemitus* dicitur de sono quem edunt siue inanima, cùm nimis onerantur, siue animalia sub pondere prope oppressa, ac homines etiam cum cor mœrore repletum grauatumque est. De inanimis satis luculentè probat Maronis illud, VI Æn.

——— *Gemit sub pondere cymba.*

A *gemo* est *gemursa*. Festus: *Gemursa* (ita & MSS.) *sub minimo digito pedis tuberculum, quod gemere faciat eum, qui id gerat*. Plinius, lib. XXVI. cap. I. *Et hinc quidem morbus celeriter in Italiâ restinctus est: sicut & ille, quem gemursam appellauere prisci, inter digitos pedum nascentem, etiam nomine obliterato*. Romæ etiam *Gemoniæ scalæ*, non tam à *Gemonio* quodam, quam à *gemitu*, nomen accepisse Beroaldo & Rhodigino videntur. Sic autem dixere *puteum*, in quem gradibus descenderetur: ac in quem facinorosi vnco pertracti præcipites dari soleant. Græci ἀναβαθμοὺς & ἀναβασμοὺς appellant.

GENA non vno modo à veteribus ipsis sumebatur, quod indicant hæc verba Festi: *Genas Ennius palpebras putat, cum dicit hoc versu.*

Pandite sulti genas, & corde relinquite somnum.

Alij eas partes putant genas dici, quæ sunt sub oculis. Paccuuius genas putat esse, quà barba primum oritur, hoc versu:

Nunc primum opacat flore lanugo genas.

Hæc Festus. Illustris quoque est Plinij locus, lib. XI. c. XXXVII. quo clarè patet, tum pro *operimento oculorum*, tum pro *malis*, olim accepisse. Verba eius pono: *Palpebræ in genis homini vtrimque*. Et mox: *Pili quadrupedibus in superiore tantum genâ, volucribus in inferiore*. Et paulò pòst: *Nec genæ quidem omnibus: ideo neque nictationes iis quæ animal generant. Grauiores alitum inferiore genâ conniuent. Eadem nictantur ab angulis membranâ obeunte. Columbæ & similia vtrâque conniuent. At quadrupedes, quæ oua pariunt, vt testudines, crocodili, inferiore tantùm sine vllâ nictatione, propter prædurós oculos. Extremum ambitum genæ superioris, antiqui cilium vocauere, vnde & supercilia. Hoc vulnere aliquo diductum non coalescit, vt in paucis humani corporis membris*. Et hæc priorem significationem clarè satis testantur. Altera indicant quæ continuo subijcit: *Infra oculos malæ homini tantum, quas prisci genas vocabant*. XII. *Tabularum interdicto radi feminis eas vetantes. Pudoris hæc sedes. Ibi maximè ostenditur rubor. Infra eas hilaritatem risúmque indicantes buccæ*, &c. Hæc Plinius. Quibus placet posteriorem hanc notionem esse propriam, hi aiunt *genas* dici quia *genant*, hoc est, *gignant lanuginem*: vnde Maro, VIII. Æn.

Tum mihi prima genas vestibat flore iuuentas.

Verùm omnino hac notione fit à γένυς, quod idem notat interdum etiam Aristoteli & Æginetæ. Si tamen magis placet Becmanni iudicium, qui priorem propriam putat, possis cum eo deducere vel ab עין, id est, *oculus*: vel à גנן, id est, *operuit, contexit*.

GENER à γαμβρὸς, eliso B. Vel potiùs à *genus*. Seruius, in XI. Æn. *Gener dicitur, quod ad augendum genus adhibetur*. Vel potiùs ab antiquo *geno*, id est, *gigno*, quia socer cum filiæ dat maritum, vt liberos ex ea *genat*.

GENISTA, frutex, memoratur Catullo, in Peruigilio Veneris: Ambigit Plinius, an differat ab eo, quod Græci σπάρτιον vocant. Sanè vt à σπείρω σπάρτιον, quia sponte seminatur: sic *genista*, quia sponte *genatur*, hoc est, *gignatur*.

GENIVS ab antiquo *geno*, hoc est, *gigno*. Nam siue per eum *deus* intelligitur, is vim habet rerum gignendarum: siue *animus humanus*, quamquam ipse sit immortalis, tamen quodammodo cum homine *genitur*. Sic Varrò, lib. VI. rerum diuin. Appuleius, de Deo Socratis, Festus & Isidorus, lib. VIII. Hinc *genio indulgere*, hoc est, *animo*, & eius desideriis. Contrarium *defrudare genium*. *Lectus genialis* Catullo pro *nuptiali*, qui *Genio*, & Iunoni, sacer. *Geniales* dij, quatuor elementorum præsides, ex quibus omnia *genuntur*: vt docet Festus. Græcis θεοὶ γενέθλιοι.

GENS fortasse per syncopen fit ex *genens*. Itaque vt *genens* in patrio casu faceret *genentis*, sic à *gens* est *gentis*. Vel *gens nomini synonymum* ex *genus*, seu γένος, quomodo & à μένος videtur esse *mens*. Nisi & hoc, quia olim rectus fuit *mentis*, potiùs à supino *mentum* (vnde *commentum*) venire malis. A *gens* est *gentilis*, quomodo dicuntur, qui eodem inter se nomine sunt, vt ex Cincio ait Festus. Sed adde, *& qui ab ingenuis oriundi sunt, & quorum maiorum nemo seruitutem seruiuit, & qui capite minuti non sunt*: prout eos definit Q. Mutius apud Ciceronem in Top. Sane hodiéque Galli *gentiles* vocant eos, qui ab ortu nobiles sunt. Olim autem *gentilitas* nobilium consistebat in *imaginibus*, hodie verò in *gentilitiis insignibus*, quæ *arma* vocant, partim quia *armis parta* partim quia *armis*, clypeo nempe, cui galea super imposita, *inscribantur*.

GENV iuxta Isidorum, lib. II. Orig., cap. I. dicuntur, eò quòd in vtero sint *genis opposita*. Sed [illegible] Soranus contra, non *genua* à *genis*, verùm *genas* à *genu* dici ait. Ita enim scribit in Isagoge sua cap. XVII. *Genua autem oculis sunt opposita, vnde & concaui exeunt, vnde & genæ dicuntur*. Quo loco inter alios rectè probant viri eruditi scriptum illihoc (quod sapè haut magnæ rei) non esse nobilis illius medici Sorani Ephesij, atque adeò ne Græci quidem scriptoris, quando *gena* Græcè est βλέφαρον, *genu*, γόνυ. Non dubitandum autem,

quin *genu* sit à γόνυ, O in E conuerso. quomodo ab ὀδόντες dicimus *dentes*, & Dotes pro Ἀπόλλων dicunt Ἀπέλλων, vnde & veteres Latini *Apello* dixere, non *Apollo*. A *genu* siue γόνυ, est Belgicum *knie*, extritâ secundâ literâ. A *genu* est *geniculum*. Vnde illud loquendi *genus* apud Tertullianum & Hieronymum, *de geniculis adorare*. Quod minimè in veteri Ecclesia licebat die Dominico, vel in Quinquagesima. Nam quia Christus die Dominica resurrexit idque feriis paschalibus: eo & die Dominico, & à paschate vsque ad pentecosten, ad celebrandam resurrectionem, stantes, non in *genua* prouoluti, vota Deo faciebant: quod præter Tertullianum, & Hieronymum, Ambrosius etiam testatur: ac concilio Aurelianensi disertim præcipitur. Porrò & à *genu*, & à *geniculum*, non pauca descendunt. A *genu* est *congenuo*, *genua coniungo*. Vox obscœna. Nonius *ex* γάστρων: *Mammas teneas, pedes extollas, congenues, suaues*. A *geniculum* est *geniculo*, id est, *in genua procumbo*: vnde *geniculatio* apud Tertull. lib. ad Scapulum, cap. IV. *Quando non geniculationibus & ieiunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsa*. Ab eo *congeniculo*, & κατὰ συγκοπὴν *congenicle*. Quo Cœlium in Annalibus vsum Nonius docet. Verba Cœlij sunt: *Ipse regis eminus equo ferit pectus aduorsum, congeniclat percussus, deiecit dominum*. Hoc est, *genibus replicatis cadit*. Quâ notione & *congenulo* dicitur: vt Nonius probat istoc Sisennæ: *Multi plagis aduersis & congenulati, Romanis præcipitatis ipsi supra voluti in campum*. Dixere & *ingeniculo*, hoc est, γονατίζω. Hyginus in ENGONASIN: *Sed postquam Herculem tela defecerunt, multitudine barbarorum, & inopia armorum defessum se ingeniculâsse multis iam vulneribus acceptis*. Vnde *ingeniculus*, de quo in *Engonasi*.

GENVINI sunt intimi dentes, quos Græci σωφρονιστῆρας vocant, eò quod in iam prudente perfectóque gignantur homine. Perotto ita dici videntur ab antiquo *geno* pro *gigno*: quia (vt Plinius ait, lib. XI. cap. XXXVII.) *homini nouissimi, qui genuini vocantur, circiter vigesimum annum gignuntur, multis & octogesimo*. Sed veteres à *genis* originem petunt. Festus Pompeius: *Genuinos dentes, quod à genis dependent*. Cornutus, siue quisquis ille vetus interpres Persij, ab Elia Vineto editus, in sat. I. *Genuinus propriè dens qui sub genis est*. Additur ibidem, *qui simul cum homine nascitur, & vna cum eo interit*. Quæ adducto Plinij loco refelluntur. Hinc adiungit idem interpres: *Vel dentes vehementer mordentes genuini dicuntur, quos Græci κυνόδοντας appellant*. Sed Plinius loco citato *genuinos* à *caninis* apertè distinguit. Erasmum si audimus, *genuinum frangere* dicitur qui clanculum arrodit ac lacerat mordacibus dictis. Sed omnino ἀνέδην dicitur de iis tam qui palam, quàm qui occultè agant. Nam apertè vitia etiam virorum principum taxabat Lucillius, quam eius libertatem Horatius prædicat lib I. Sat X. & Iuuenalis, sat. I. atque adeò Persius etiam, sat. I. vbi ait:

——— *Secuit Lucillius Vrbem,*
Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis.

GENVS, iuxta Ræuardum, lib. V. Variarum, cap. I. est ab antiquo *geno*, vnde *gens*. Sed malim *geno* deducere à γένω, & γενεά *gens* verò à γένος, vt φῦλον à φυλή. A *genus* est *genero*, quasi *genus propago*: à quo *degenero*, à *genere recedo*. *Degeneri* opponitur *generosus*, γενναῖος, qui vt à *nobili* εὐγενεῖ differat, docet hic locus Aristotelis lib de hist. animal. cap. I. τὰ δὲ ἐλευθέρια καὶ ἀνδρεῖα καὶ εὐγενῆ, οἷον λέων· τὰ δὲ γενναῖα, καὶ ἄγρια, καὶ ἐπίβουλα, οἷον λύκος. εὐγενὲς μὲν γάρ ἐστι τὸ ἐξ ἀγαθοῦ γένους, γενναῖον δὲ, τὸ μὴ ἐξιστάμενον ἐκ τῆς αὐτοῦ φύσεως. [*Animantium*] *alia liberales, fortes, nobiles, vt leo: alia generosa, feroces, insidiosa, vt lupus: nobile enim est, quod ex bono prodiit genere: generosum autem, quod à sua natura non degenerauit*. A *genere* quædam animalia dicuntur *bigenera*, vt Græcis διγενῆ. Varro, lib. II. de RR. cap. VIII. *Muli & hinni bigeneri atque insititij, non suopte genere ab radicibus*. Festus Pompeius: *Bigenera dicuntur animalia ex diuerso genere nata: vt leopardus ex leone & panthera: hybrida ex apro & scrofa domestica: mulus ex equa & asino*. Similiter Isidorus, lib. XII. cap. I. Quemadmodum autem à *genere*, *genero*, & *degenero* dicitur: similiter videntur & veteres dixisse *pragenero*. & κατὰ συγκοπὴν *pragno*, vnde *pragnans*: Ita præuerbio *præ* & *generationis* voce significabitur naturæ in generando fouendóque fœtu industria, partus præcedanea. E *generatus* simili syncope fit *gnatus*: vnde per ἀφαίρεσιν *natus*. Vulgò aiunt à *nascor* esse *natus*, & per πρόσθεσιν *gnatus*. Sed caussam huius προσθέσεως adferre debuerant. Quod aiunt, similiter pro *nosco* dici *gnosco*, id verò similis error est. Nam è γνώσκω est *gnosco*, vnde per aphæresin *nosco*. Nec verius est, quod aiunt *gnarus* dici pro *narus*, aut *gnauus* esse à *nauo*. Nam à γνώριμος est antiquum *gnarurus*, vnde *gnarus*; ac à γνάφω est *gnauus*: vnde *nauus*. Vide seorsim *nosco*, *gnarus*, *gnauus*. Scribit Cornelius Fronto *gnatus* semper nomen esse, ac *filium* significare, at *natus* esse participium, eóque de pullis ac vniuersè de omnibus dici animalibus. Sed profectò hoc discrimen minimè obseruatur in antiquis Plauti aliorúmque codd. in quibus & *gnatus* legas cùm participium est. Sed Theodosij ætate vtrumque sine *g* scribebant: vt indicant hæc verba Marij Victorini: *Nos paucioribus literis scribimus quàm antiqui scribebant, vt narus, nauus, natus, nosco: & illi has voces, & similes illis, G antepositâ scribebant, cuius consuetudinis nos vestigia retinemus, cùm scribimus ignarus, cognatus, ignauus, cognosco*.

GEOMETRIA ob arctam nimis significationem, meritò à Platone in Epinomide vocatur γελοῖον ὄνομα; Quippe vox hæc *terra mensurationem* significat, cùm fit à γέα, pro quo contractè γῆ dici solet, & μετρεῖν hoc est, *metiri*: vnde γεωμέτρης in Glossis Græco-latinis exponitur *Agrimensor*. Atqui scientia hæc non tantùm in terra dimetienda vsum habet, sed & in æquis, in supramoranis distantiis atque interuallis, ipsisque corporibus cælestibus. Interim est & quod pro hâc appellatione dici possit; Nempe caussam nomini præbuisse, quod à *terra mensuratione* ars hæc cœperit. Seruius ad Ecl. III. RADIO, *id est, virga philosophorum, quâ Geometra lineas indicant. Inuenta autem hac est ars tempore, quo Nilus plus æquo crescens confudit terminos possessionum, ad quos innouandos adhibiti sunt philosophi, qui lineis diuiserunt agros: vnde geometria dicitur: cùm non tantùm terra, sed & maris & cœli & aeris spatia metiri consueuerit*. Hæc Seruius. Franciscus Iunctinus, Florentinus, commentario in Sphæram Ioannis de Sacro-Busco, ait, *Geometria* componi ex γῆ, & μετρία, quod insignem arguit sermonis Græci inscitiam μέτρον vel μετρεῖν debuerat dicere.

GERMANI vnde dicantur, optimè perspexit Festus: *Germen* inquit, *est, quod ex arborum surculis nascitur, vnde & Germani, quasi eadem stirpe geniti*. Aliter tamen Varro, vt discimus ex Seruio ad illud V. Æneid. *Hac germanus Eryx*: *Germanus*, inquit, *est secundum Varronem in libb. de gradibus, de eadem genetrice manans, non, vt multi dicunt, de eodem germine, quos ille tantum fratres vocat. Secundum quem bene nunc Erycen, Buta & Veneris filium, Æneæ dicit fuisse germanum*. Similiter Isidorus, lib. IX. cap. VI. *Germani verò de eadem genitrice manantes: non, vt multi dicunt, de eodem germine, qui tantùm fratres vocantur. Ergo fratres ex eodem fructu; germani ex eadem genetrice manantes*. Varronianæ autem & Isidori sententiæ obstare videtur, quòd, quos hi dicunt *germanos*, illi sunt *vterini*. Quare verisimile videtur *germanos* eundem habere patrem, siue vtrumque habeant communem parentem, quomodo Terentius, Cicero, & alij, *germanorum* voce vti solent: siue solùm pater communis sit, mater verò diuersa: quales *consanguinei* dicuntur Iurisconsultis. Ita sanè *germanorum* nomen accipit Cornelius Nepos in præfatione, vbi dicit Atheniensibus fuisse concessum ducere sororem *germanam*: vbi *germanam* nihil aliud est, quam ὁμοπατρίαν. Patet id ex Cimone eiusdem, vbi cùm priùs dixisset, Cimonem duxisse sororem *germanam*, mox subdit *Nam Atheniensibus licet eodem patre natas vxores ducere*. Idem eo confirmatur, quòd Solon inter ὁμοπατρίους; Lycurgus inter ὁμομητρίους concedebat coniugium. Muretus lib. XV. cap. V mirificè se torquet in voce *germanus*; sed quæ hactenus diximus, clarè ostendunt, *germanos* esse ὁμοπατρίους, *vterinos* ὁμομητρίους. Interdum autem *germanus* quoque accipitur pro proprio, mero, aut vero: quomodo Plaut. legimus *germano* nomine, *germanas* nugas, *germanam* gerras, *germanam* Græciam. Eodémque modo non semel locutus Cicero, vt cùm ait magistros artis *germanos*, *germanissimus* Stoicus & similia. Vnde verò ortum sit hoc loquendi genus, nemini obscurum esse potest, qui cogitârit, quanto sinceriùs inter fratres, quàm cæteros homines, viuatur. Teutones quoque dicti *Germani*, idque quia ipsi se mutuo *fratres* vocarent, vti & hodie mos obtinet. Sunt qui *Germanum* dici velint quasi *gar man*, hoc est, *planè virum*. Sed non est verisimile *Germanos* sibi tam arrogans nomen imposuisse. Adde quod, si id esset, remansisset hæc appellatio in vllâ Germaniæ parte. Quare verisimile est, *Germanus* esse vocem Latinam, vt & sensit Strabo, cui magis credendum quàm Tacito, cùm hic multò posterior sit. Vide epistolam Ægidij Tschudi ad Beatum Rhenanum: quæ recusa nuper à Goldasto in centuriâ epistolarum philolog.

GERMEN est *quod è semine genitur*, hoc est *pullulat atque assurgit*. Item *illud in semine, cui vis inest genitalis*: *vnde quid pullulare incipit*. Vnde Gloss. *Germen*, [illegible]. Quare non tam à *gerendo*, *germen*, quasi *gerimen*, dici puto quàm à *genendo*, quasi *genimen*. Antique enim *N* & *R* sæpe commutantur: à *gnoma*, *groma*; à κνέφας, *crepus*, vnde *crepusculum*; à

νίκος, *tertus*; ἄωρος, *dirus*, & similia. A *germen* est *germanus*: de quo seorsim: item *germinare*, βλαστάνειν. Item *congermani*, οἱ συμφυεῖς. Vnde *congerminare*. Item vt a *labo*, *labasco*, sic à *germino* & *congermino*, *germinasco* & *congerminasco*. *Congerminare* dixit apud Nonium Varro, lib. III. Rerum humanarum. *Postea cum iis vna Remp. coniuncti & congerminati tenuere*. Vbi *congermani* edidere viri eruditi. Quod Latinum non est. Eóque vel *congermini* legendum vel *congerminati*: vt est in Mediolanensi anni ClↃIↃX. secutáque cum Aldina, & aliis. *Congerminascere* apud eundem vsus Claudius Quadrigarius, in Annalibus: *Facite exempla eorum, vt vos cum illis congerminascere sciatur*. Sed hic etiam *congermanascere* editum in optima editione Iosiæ Merceri: quod nihilo rectius, quam *congermanus*.

Gero olim non tantùm significabat βαστάζειν, sed etiam πράττειν, quomodo *geri res* pro *effici* dicit Lucretius: indéque *gerulus* in vett. Glossis exponitur ὁ πράκτωρ, ὁ πραγματικός. Significationem quoque hanc confirmat Caius, Tit. de verb. signif. *Licet*, inquit, *inter gesta & facta videatur esse quædam subtilis differentia, attamen καταχρηστικῶς, id est, impropriè nihil interest inter factum & gestum*. Hodie *gerere* quidem non semper pro βαστάζειν, sed etiam pro πράττειν, vsurpamus: verùm vix aliter quam in functionibus honorariis, vti cum dicimus, *gerere Remp.* aut *bellum*. At olim latiùs patuit ea vox, vti diximus: ac à generali illâ notione Grammatici *gerundia* dixerunt, quod rei gestæ gerendæve habeant significationem: qua de re fusè a nobis actum in Grammaticis Animaduersionibus. Laxam hanc notionem respexere Glossæ & Latino-græcæ & Græco-latinæ, in quibus legis: *Gerere*, πράττειν, χειρίζειν. Item. χειρίζω, *gero*, *tracto*. Atque hinc etiam originem vocis cognoscimus. Nempe vt χειρίζω dixere a χείρ, ita ab obliquo eius χειρὸς factum *gero*: vt propriè sit *manibus administrare*. Sanè Belgæ similiter pro eo *handelen* dicunt ab *hand*, & Galli *manier* a *main*. Ab *ad* & *gero* est *aggero*, vnde *agger*: Seruius, ad v. Æn. *Agger est media via eminentia, coaggeratis lapidibus strata, vnde via aggere dicit*. Quia vero antiqui pro *AD* etiam *AR* dixere (vnde *arcesso* in vsu remansit) hinc factum, vt etiam *arger*, dixerint pro *agger*; vt docet Priscianus, lib. I. cap. de literarum numero & permutatione. Ab antiquo *ec* & *gero* fuit *eggero*, pro *egero*, vt ab *ec* & *fatus*, *effatus* pro *ecfatus*, quo ipso tamen veteres vtebantur, vt in præuerbio *E* diximus. *Eggero*, in veteribus codd. pro *egero* scriptum inueniri, monuit Manutius. Nec caussa est, cur id minùs recipiamus, quàm *aggero oggero*, *suggero*, *affero*, *effero* & similia. A supino *gestum* est *gestus*. Festus: *Gestus quo indicatur quod geratur*. Sic à *suggero*, *suggestus*: quo signatur quiduis quod in altum est *aggestum*: vnde apud Papinium *Suggestúmque comæ*, quo significatur πλέγμα τῶν τριχῶν. Sed sæpius eo notatur, quod Græcis ἀνάβαθρον, *locus editior, vnde ad populum verba fiunt*. Próque eo & *suggestum* dicitur. Quod in Glossis Philox. βῆμα exponitur. Ab eodem supino est *gesto*, ex quo *gestatio*. Ita non *gestandi* modò *actus* dicebatur: sed etiam *locus* arboribus densis opacus, *per quem* à succollantibus seruis sanitatis aut voluptatis caussâ *gestabantur*. haud aliter ac *cœnatio* quoque dicta *locus*, *vbi cœna capiebatur*. Vtroque sic vsus Plinius, lib. II. epist. ad Gallum, & alibi. *Gestire* quoque dictum à *gestu*, quo quis studium suum præ se fert. Festus: *Gestit, qui subitâ felicitate exhilaratus nimio corporis motu præter consuetudinem exultat*. Similiter Priscianus, in x. A *regerendo* dicta *regesta*, vti *regesta scribarum*, apud Vopiscum, in Probo. Vulgò *registra* corruptè appellant.

Gerræ, à Græco γέῤῥα, qua voce varia significantur: vt Hesychius docebit. Vnde pro *nugis* accipiatur, indicat Festus: *Gerræ crates vimineæ. Athenienses cum Syracusas obsiderent & crebrò gerras poscerent, irridentes Siculi gerras clamitabant. Vnde factum est, vt gerræ pro nugis & contemptu dicantur*. Sed aliquantò aliter idem hâc de re alibi: *Gerrones*, inquit, *leues & inepti, à cratibus dicti, quod Siculi aduersus Athenienses cratibus pro scutis sunt vsi. quas Græci γέῤῥας appellant*. Sanè quod ait de *cratibus vimineis*, quibus pro *clypeis* vsi sint, id minùs mirabitur qui sciat, in Glossis Græco-lat. legi: Γέῤῥον, ὅπλον ἀσπὶς Περσική, *crates*: item Dionysium quoque apud Eustathium γέῤῥα exponere ἀσπίδας Περσικὰς ἐκ λύγου ἢ οἰσύας. Ac huiusmodi *scutorum* meminere Herodotus, Plutarchus, Arrianus. *Gerras* pro *cratibus* vsurpat Tibullus, si recta est viri docti emendatio, sic legentis lib. IV. el. I.

Lata Molorchæis posuit vestigia gerris.

In vulgaris est *tectis*. Sed propiùs abit vetus editio, quæ anno M. CCCC. LXXXI. excusa Regij Lepidi, in qua *terris* legitur. A *gerris*, hoc est, *nugis*, quas inter se tractant, dicuntur *gerrones*. Onomasticon vetus: *Gerrones*, φλύαροι. Item *congerrones* seu *congerræ*, qui & *concerræ*, quia olim *G* in vsu non erat, vt patet ex rostrata columna Duillij. Lucillius,

Tappulam rident legem concerræ Opimi.

Versus est hexameter, quia diphthongus sede quinctâ non absorbetur. Non audiendus Fulgentius, qui *congerrones* dici ait a *congregando*. Ita enim scribit. *Congerrones, qui aliena ad se congregant. Vnde apud Romanos Gerrones Brutiani dicti sunt*. Æquè nugatur Angelus Decembrius, qui lib. v. de polit. liter. part. CXXXVIII. *gerrones* dici ait, quasi *garriones* ac *nugatores*. Sed neque iis assentio, qui *garrio* à *gerris* arcessunt, cùm sit à Dorico γαρύω, vt suo loco diximus. Pro *congerrones* seu *congerræ* etiam ἁπλῶς *gerra* inuenitur. Ita vsurpat Plautus, Asin. III. III.

——Gerræ,
Qui sese parère apparent huius legibus, profectò
Nunquam bonæ frugi fient, dies noctéque potent.

Græcis γέῤῥα quoque significat *pudendum virile aut muliebre*, vt te docebit Hesychius.

Gibbus est ab ὑβὸς, quod est *incuruus*, *gibbosus*. ὑβὸς vero à κυφὸς abiecto κ, & mutato φ in β: vt scribit Scholiastes Theocriti, in Ὀδοιπόρους. Vel est *gibbus* ἀπὸ τοῦ κυφὸς, hoc est, *gibbus*, *gibber*. Hoc à κύπτω, quod notat *pronum esse*, *propendere*. Vel est *gibbus* a גבן, quod est *gibbosus*. A *gibber* est *gibberus* pro *extanti & eminenti*. Vt Varro, apud Nonium: *Tragici prodeunt cum capite gibbero*.

Gigas, γίγας, παρὰ τὸ ἐκ γῆς εἶναι: vel à γείνω & Dorico γᾶ pro γῆ quasi γηγενεῖς quomodo Græci vocant. Ad verbum igitur sonet *terrigenam*, quomodo *gigantes* vocat L. Florus.

Gigno, à *geno*, vt γίγνομαι à γένομαι, & in Latinis à μέγας *magnus*; à *tego*, *tignum*; à *rego* *regnum*, &c. Verbo *geno* vsus Varro, lib. I. de R. R. cap. XL. & lib. II. cap. II. Item Lucretius, Censorinus, Appuleius, Iurisconsulti vett. &c. Est à γείνω, vel γένω, seu γίνομαι. Ac in vsu ab eo remansit præteritum *genui*, & supinum *genitum*. A *geno* est *genimen*, quod vsurpat Tertullianus aduersus Hermogenem: *Ergo de lapidibus filij Abrahæ non suscitabuntur, & genimina viperarum non facient pœnitentiæ fructum*. Eiusdem originis *genius*, de quo seorsim. A *genitor* est *genitrix*, seu potiùs *genetrix*. Nam per *E* scribitur hæc vox in antiquis marmoribus ac libb. item ab antiquis Grammaticis. Multa autem ex præpositione & verbo *geno* componuntur. Tale *antigena*, qui *antegenitus*. Gloss. Latinogr. *Antigena*, ὁ προγενόμενος. Item *ingenuus*, quomodo propriè vocatur, quod *ingenitum*, hoc est *naturâ insitum* est. Ita apud Lucretium, lib. I. legimus *ingenui fontes*, hoc est, *natiui*, non manu facti: & apud Plautum, Mil. III. I.

Inest in hoc amussitata sua sibi ingenua indoles.

Vbi *ingenua* est *propria* & *innata*. At *homo ingenuus* est is, qui statim vt natus est, liber est. Græci vocant εὐγενῆ. Glossæ Græco-lat. Εὐγενὴς, *generosus*, *ingenuus*. Nempe non semper Græca vox *nobilem* significat. In quo falsum Galeni interpretem, monuit Brissonius. Eiusdem originis est *ingenium*, quod idcirco sæpe vsurpatur pro naturâ cuiusque rei. Ita Nonius docet Maronem dixisse *aruorum ingenium*: Sallustium, *ingenium loci*: apud Agellium quoque lib. III. c. VI. similiter de palmâ legas *ingenium ligni*: item apud Appuleium, lib. IX. *ingenium vinacei metalli*: apud Tertull. lib. de habitu muliebri, cap. II. *herbarum ingenia*; & eodem cap. *ingenia decoris*. hinc Gloss. Philox. *ingenium*, δύναμις, φύσις, ἦθος. Ab *ingenium* est *ingeniatus*: quasi ab *ingenior*, quod ab *ingenio* erit, vt ab *auxilium*, *auxilior*. Vsus Agellius, lib. XII. cap. I. *Corpúsque & animum bene ingeniatum primordiis inchoatum, insitiuo degenerique alimento lactis alieni corrumperet*. Et ante eum Plaut. Mil. III. I.

Itidem diuos dispertisse vitam humanam æquum fuit.
Qui lepide ingeniatus esset, vitam longinquam darent:
Qui improbi essent & scelesti, iis adimerent animam cito.

Vbi malè Lambinus, *ingenuatus* retinet & explicat *ingenuis moribus præditus*. Item Appuleius, lib. IV. Florid. *versutus & ingeniatus ad astutiam*.

Gilvus est *color melinus subalbidus*: vt ait Isidorus Originum lib. XII. cap. I. Atque idem, sed omissa *subalbidi* voce, scripserat Seruius in illud III. Georg. de quorum colore:

——Honesti
Spadices glaucíque: color deterrimus albis,
Et giluo.

Sed fallitur Seruius. Nam *melinus* color nunc *albus* est, nunc *luteus*, siue *croceus*: qua de re suo loco diximus. At *giluus* color est *cinericeus*, qui Græcis similiter σποδιὸς, σποδοειδὴς, & σποδώδης. Nempe a σποδὸς, quomodo *cinis* vocatur. vnde ab Hesychio exponitur γλαυκὸς, τεφρός. Glossæ Philox. *Giuus* γλαῦκος, σποδιαῖος. vbi leg. *Giluus*, γλαυκὸς, σποδιαῖος. Est is asinis color. Vnde, σποδιὸν ὄνον Simonidi, quod Latinis sit *gilua asina*. In equis deterrimis esse ait Maro. Non dubito, quin

idem

idem sit ac ille, qui Hesychio γαλοιὸς, vel γαλοιὶς Isidoro *dasinus*. Hesychij verba sunt: Γαλοιὸς, χρῶμα ἵππου ὀνῶδες. Isidorus vero, lib. XII. cap. I. de equi coloribus tractans ait: *Dosinus dictus, quod sit color eius de asino: idem & cinereus. Sunt autem hi de agresti genere orti, quos equiferos dicimus, & proinde ad vrbanam dignitatem transire non possunt.* Facilè autem assentio viris doctis, qui etiamdi occasionem præbuisse Seruio putant simile vocabulum *helui*: qui color est *melinus*, non quatenus *melinus* sumitur pro *albo*, sed quatenus significat *cinericeum*. Græcis *giluus* color dicitur κιῤῥός, vnde *giluus*. Nam Æolice fit κιῤῥὸς, vt ὕλϝα pro ὕλη, ex quo *sylua*. Sed in illo præterea ρ in λ conuersum, & κ in cognatum γ.

G I N G I V A à *gigno*, si audimus Lactantium, lib. de opificio Dei, cap. X. *Dentes*, inquit, *gingiuis mollibus, quæ a gignendis dentibus nominantur, ac deinde labiorum tegminibus Deus honestauit.* Similiter Isidorus, lib. XI. cap. I. & ex iunioribus Georgius Valla in Iuuenal. sat. X.

G I N G R I R E, γιγγρίζειν, ἢ γιγγραίζειν, vox est anserum propria, Festo teste. Similiter Glossæ vett. *Gingriunt*, χῆνες κράζουσιν. Vnde *anserum gingritus* apud Arnobium legas, lib. VI. Item in Glossis, *Gingrum*, φωνὴ χηνός. Hinc apud Solinum, tibiæ genus *gingrina*. Festus quoque: *Gingrire anserum vocis proprium est: vnde genus quoddam tibiarum exiguarum gingrina.* Vbi in MS. *gingririna*. Nempe *n* facile mutatur in *ri* à librariis. Sanè & in Glossis legas: *Gingrina*, εἶδος αὐλοῦ μικροῦ. Esse à Græcis, docent hæc Hesychij. Γίγγρας, αὐλοὶ μικροὶ, ἐν οἷς πρῶτον μανθάνουσιν, ὅθεν ἵπποι γιγγρίζουσι. Ac apud Eustathium in Il. Z. ex Athenæo legas γιγγραίνουσι αὐλοῖς. Quod autem Festus à *gingritu anserum* tibias ait *gingrina* accepisse nomen: id haut mirum est quando & Græci de *tibiarum cantu* βομβίζειν vsurpant. Quamquam nec displicet, quod à Casaubono scriptum, *gingrire* dici tibicinem, quòd in *Adonia* tibiæ inflarentur: Nam Phœnicibus *Adonis* dicitur Γίγγρας, vt Pollux testatur: vbi addit & *tibiam* similiter Γίγγραν nuncupari. Etiam apud Festum legas: *Gingeriator, tibicen.* Vbi quidam MSS. *Girenator*, & *Gizeriator*. Sed ἀναλογία iubet, vt vel *gingritor* scribamus, vel *gingrinator*. Illud fit à *gingrire*, hoc à *gingrina*.

G L A B E R fortè à *glubo*; vt *faber*, à facio; *scaber*, à *scabo*; *Mulciber*, à *mulco*, vel *mulceo*; *fuber*, à *fuo*, &c. Sanè *glabrum* est, cui exemptus cortex. At *glubere* propriè est *pinsere* seu *decorticare*, vt infra dicemus. Nec displicet, vt *glabrum* κατὰ συγκοπὴν factum dicatur à γλαφυρὸν, quod est *leue asciáque politum*, *eleganter sculptum*, à γλάφω, quod est *scalpo*. Nisi potius *glabrum* ab Hebr. גלב, *gallab*, quod est *tonsor*, qui radit, *glabrúmque* reddit.

G L A C I E S, quasi *gelata quies*, vt ridiculè ait Vocabularium, quod *Gemma* inscribitur.

G L A D I O L V S in re herbaria Plinio memoratur, lib. XXI. cap. XI. Sed vox ea non vno modo sumitur. Interdum sic vocatur, quod Græcis ξίφιον, atque aliter φασγάνιον & μαχαιρώνιον. interdum verò, quod Græcis ξυρὶς, vel etiam ἶρις ἀγρία. Ξίφιον ad verbum *gladiolum* sonat. Nam ξίφος, *gladius*. De *xiphio* sic Dioscorides. Ξίφιον, οἱ δὲ φασγάνιον, οἱ δὲ μαχαιρώνιον καλοῦσι, διὰ τὸ τῶν φύλλων σχῆμα. Vnde cognoscimus, ab *acumine foliorum* nomen ξιφίῳ esse: eadémque de caussa etiam μαχαιρώνιον vocari. Nam μάχαιρα idem ac ξίφος. Ξυρίδα verò *gladiolum* esse docet Dioscorides his verbis: Ξυρὶς, οἱ δὲ ξυρίδα, οἱ δὲ ἶριν ἀγρίαν, Ῥωμαῖοι δὲ γλαδίολον. Vbi cùm ξυρίδα dicat Romanis esse *gladiolum*: satis indicat non solere vulgo ξίφιον iis dici *gladiolum*. Et hæc, credo, caussa est, cur Plinius *xiphij* appellationem retineat, lib. XXV. cap. XI. Est tamen & Romanis alter *gladiolus*: qui Græcis κύπειρος, vel κύπερος: De quo sic ex Magone Plinius, lib. XXI. cap. XVII. *Idem Mago & gladiolum alterum, quem Cyperon vocant, & ipsum palustrem, Iulio mense toto secari iubet vsque ad radicem.* Vbi per *cyperon* Plinius videtur intellexisse, quod Dioscoridi est ξίφιον.

G L A D I V S quasi *cladius*. Varro, IV. de L.L. *Gladius*, *C in G commutato, a clade; quod fit ad hostium cladem gladius.* Vel à κλάδος, id est, *ramus*. Nam his primum pro *gladiis* vsi agricolæ. Vtrobique κ, siue C, in G mutatur: vt in aliis multis.

G L Æ S V M vox est Germanica, vnde nomen insulæ *Glæsaria*. *Glæsum* notat *succinum*. Fortasse à *perspicuitate vitrea*. Nam Germanis *glas*, *vitrum*. Plinius, lib. XXXVII. cap. III. *Certum est gigni in insulis Septentrionalis Oceani, & à Germanis appellari glæsum: itaque & à nostris vnam insularum ob id appellatam Glæsariam, Germanico Cæsare ibi res gerente, Austraniam à barbaris dictam.* In Taciti codd. *glesum* legere est merâ vocali.

G L A N S nonnullis κατὰ μετάθεσιν, ab ἄκυλος factum videtur, vnde & Belgicum *akel*, siue *eckel*. Ἄκυλος est *glans ilegna*, vt indicat Theophrastus, lib. III. Histor. plantarum, cap. VI. Sed potiùs Doricum est γάλανος pro βάλανος, vt γλέφαρον pro βλέφαρον. A γάλανος autem *glans* fuerit κατὰ συγκοπήν. A *glandium duritie ac figura* nomen accepere *glandia*, & *glandula*, quomodo dicuntur partes in sue callosæ, quæ in homine sunt *tonsillæ*, vt auctor Plinius, lib. XI. cap. XXXVII. Vtitur Plautus, Capt. act. IV. sc. vlt.

Arripuit glandium, prætruncat tribus tergoribus glandia.

Idem, Carbonariâ:

Esto pernam, sumen sueris, spetile, callum, glandia.

A *glandia* est *glandionica*, si sana est lectio apud Plaut. Menæch. I. III. Significat *carnem suillam ex glandiis*.

G L A R E A, minutissimi lapilli in ripis, vel litore, à Græco χλαρὸν, quo calculus eiusmodi denotatur. Hesychius: χλαρὸν, κόχλαξ. Apud eundem legas, χλαρὸν, ψαμμὸν ἐν ἰλύϊ. χλαρὸν, ψωμαρὸν, λεπτὸν, σμικρόν. Quæ ostendunt χλαρὸν vocem minutis particulis competere.

G L A S T V M, Plinio teste, lib. XX. cap. VII. est tertium *lactucæ* sponte nascentis genus, *quo infectores lanarum vtuntur*. Tertium genus esse dixerat, quam *isatim* vocant. Nempe *isatim* solùm vocat agrestem. Alij *glastum* dicunt esse *isatim*: quia *isatim* satiuam intelligunt. Vnde Dioscorides: Ἰσάτις ἥμερος, ᾗ οἱ βαφεῖς χρῶνται. Latini, vt est apud Oribasium, libro de virtute simpl. *vitrum* nuncupant: nempe quia infectores ea vtantur, vt vestes tingant colore vitreo siue hyalino. Atque ab eadem caussa *glasium* dixere Galli & Germani. Sanè Germanis *glas* hodie *vitrum*. Alij tamen apud Plinium *gastum* vel *guastum* reponunt. *Glastum* legere Turnebus & alij: nec aliter edidit Dalecampius. Sed quomodocumque vox hæc scribenda, sine dubio Gallica est. Plinius, lib. XXII. cap. I. *Simile plantagini glastum in Gallia vocatur, quo Britannorum coniuges nurúsque toto corpore oblitæ quibusdam in sacris & nudæ incedunt, Æthiopum colorem imitantes.* Idem voluit Cæsar, cùm ait, *Omnes verò se Britanni vltro inficiunt, quod cæruleum inficit colorem.* Vbi, vt diu monitum Turnebo, pro *vltro* scribendum *vitro*. Vt est apud Melam, qui idem narrat. Atque ita apud Cæsarem in codice quodam reperit Fuluius Vrsinus. Primúsque pro *vltro*, *luteo* reposuit Victorius: sed perperam. Nec est, qui hanc sententiam hodie sequatur. *Cæruleus* iste *color*, de quo Cæsar loquitur, nonnihil ad nigrorem accessit: quod colligitur ex Plinij verbis, cùm ait Æthiopum colorem imitari. Nec Britannæ illæ simpliciter corpus inficiebant *glasto* sed animalium figuras ei inscribebant. Vnde Herodianus, lib. III. Τὰ σώματα στίζονται γραφαῖς, ποικίλων ζώων εἰκόσι, *corpora inscribunt variorum animalium figuris*. Quam rem pleniùs descripsit Solinus cap. XXV. *Regionem partim tenent barbari, quibus per artifices plagarum figuras iam inde à pueris variæ animalium effigies incorporantur, inscriptisque visceribus, hominis incremento pigmenti notæ crescunt: nec quicquam magis patientiæ loco nationes feræ ducunt, quàm vt per memores cicatrices plurimum fuci artus bibant.*

G L A V C V S, vt Iunius Philargyrius in III. Georg. scribit, *cæruleus color est, id est, subuiridis, albo mixtus & quasi clarus*. Seruius ibidem: *Glauci sunt felineis oculis, id est, quodam splendore perfusi.* Græci similiter dicunt γλαυκὸς ac venit à γλαύσσω. qua de re Eustathius, in Iliad. α, pag. LXXXVI. & LXXXVII. Locum integrum apponam, quia ex eodem discere est: vnde *Minerua* dicatur Ἀθηνᾶ, & cur fingatur γλαυκῶπις, siue *cæsia*, & cur *vlulam* ei sacrarit antiquitas. Ἀθηνᾶ, inquit, ἀπηχεσμένως ἀπὸ τοῦ ἀθρεῖν πάντα λέγεται, ὡς ἀθρητικὴ οὖσα καὶ οἷον ἐν σκότει, καὶ μᾶλλον. καὶ τὸ γλαυκὸν δὲ ἀπὸ τοῦ γλαύσσω παράγεται τὸ θεωρῶ, καὶ δηλοῖ τὸ ὑπόλαμπρον καὶ διορατικόν. ὁ τοίνυν ποιητὴς τὸ γλαύσσειν καὶ τὸ ἀθρεῖν, ἔχει πῶς συγγενῶς κατ' αὐτὸ καὶ τὰ ἐξ αὐτοῦ παρεγγράφει. διὸ τὸ γλαυκῶπις ἐπίθετον τῇ Ἀθηνᾷ ὡς ἀθρητικῇ, βλεπτικόν. διὰ τοῦτο δὲ καὶ ἡ γλαῦξ οἰκεία τῇ Ἀθηνᾷ. ὃ μόνον ὡς νυκτὶ ὁρῶσα, ὥσπερ καὶ ἡ σύνεσις, κατὰ τὸ ἔπος, ὀξὺ κέκληται ἐν τοῖς βουλαῖς· καὶ ἐν σκότει πραγματεύεται, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν ἀπὸ τοῦ γλαύσσω παραγωγὴν, ὅπερ ἐστὶ ταυτὸ τῷ ἀθρεῖν. Verùm Hesychius γλαύσσω, non θεωρῶ, siue ἀθρῶ, idest, *video*, sed λάμπω, id est, *splendeo*, exponit. At nec is, nec Eustathius, auctorem laudant, qui vtatur voce γλαύσσω. Quemadmodum neque Etymologus, qui & ipse in Γλαυκὸς, similiter λάμπω interpretatur, ac *noctuam* hinc γλαῦκα dici putat. Est eiusdem originis γλαύκωμα, *glaucoma*, qua voce Plinius vtitur. *Suffusionem* vocat Celsus, lib. VI.

G L E B A, βῶλος γῆς, vt Glossæ interpretantur. Isidorus, lib. XXVI. cap. I. *Gleba, quòd globus sit. Pulueris enim collectione compingitur, & in vno glomere adunatur. Terra autem ligata gleba est, soluta puluis.* Vel, iuxta Martinium, *gleba* à κόλαβος, quo *offula*, seu *buccea*, Suida teste, signatur. Nempe à κολοβὸν, id est, *mutilum*, *truncum*. Quod est μικρὸς, κολοβὸς, vt exponit Hesychius. Hoc à קל, *paruus*. G additum

tum initio, vt à φίφ@ γνιώ@, à *natus gnatus*. Vel potiùs κατ' ὑπάλλαξιν erit à βῶλ@ *gleba* inserto, vt à τεῖνω, *vulgus*, à γάω, *gigno*; à σπείρω, *spargo*, &c. A *glebis* facilè proscindendis boues valentes dicebantur *glebarij*: vt Varro ait, in vi. de L.L. *Glebulentum* pro *glebis referto*, apud Appuleium legas de Deo Socratis.

G L I S, à *glisco*, hoc est, *cresco*, iuxta Cæsarem Scaligerum, in viii. Aristot. de animal. Ac similiter Isidorus, lib. xii. cap. iii. *Glires dicti sunt, quia pingues eos efficit somnus. Nam glisere dicimus crescere, hieme enim tota dormiunt, & immobiles quasi mortui iacent, tempore æstiuo reuiuiscunt.* Martialis, lib. xiii. epigr. lix.

Tota mihi dormitur hiems, & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Ausonius, in monosyllabis:

Dic cessante cibo, somno quis opimior est? glis.

Vide de eo Iul. Scaliger. in exercitat. ccx. sect. iv. Sed de etymo assentire malo doctissimo Salmasio: cui *glis* videtur esse ex Æolico γλεῖρ@ pro ἐλειός, hoc ἔλει@, κατ' συγκοπήν, vt ex γλάναρ@, pro βάλανος, *glans*. *Glis* est ἐλει@ μῦς, quasi dicas *arboreus vel silvestris mus*. Nam ἐλεά, Hesychio teste, τὰ ἐνδέτα τόποι. Gloss. vett. μῦς ὁ ἐπὶ τοῖς δένδρεσι, *glis*. Varro apud Charisium: *in mea villa mus est nullus*. Ab ἐλειός vel ἔλει@, est γλεῖρ@ quomodo iidem Æoles pro ἴλη dixere γίλα, quod Hesychius exponit ἀγέλη. Meminit ἐλειοῦ Aristoteles, in historia animal. lib. viii. cap. xvii. siue aliis xxii. Φωλεῖ δὲ καὶ ὁ ἐλειὸς ἐν αὐτοῖς τοῖς δένδρεσι, καὶ γίνεται τότε παχύτατ@. Vbi interpretes vertunt: *Latet etiam glis in ipsis arboribus; atque per id temporis euadit pinguissimus.* Quibusdam tamen μῦς ἐλειός potius est *sciurus*: vt ex Hesychio constat. Imò & in Glossis Philoxeni *glis* exponitur σκίουρ@. At σκίουρ@ nonnullis idem ac μύοξ@, vt testis est idem Hesychius in μύοξ@. Neque hoc etymo allato multùm aduersatur, quia Latini in vicinis animantibus interdum nomina Græcorum confundere solent. Aliud est autem *glis gliris*, si standum Glossis Isidori, in quibus legas: *Glis gliris, humus tenax*. Fuerit à γλίσχρον, *lentus*, *viscosus*. Vt Belgis *klei*, à *kleuen*, id est, *hærere*. Tertiam addit Alexander, qui maiorum æuo regnum in scholis obtinebat:

Glis animal, glis terra tenax: glis lappa vocatur.

Atque addit, vt *glis* animal facit *gliris*, *glis* terra *glitis*; sic *glis* lappa facere *glissis*. Sed *glissem* pro *lappa* nullus veterum dixit: éstque factum id ex *klisse*, quomodo Belgæ *lappam* vocant.

G L I S C O, à γλίχομαι, quod est, ἐπιθυμῶ, non à γλισχρὸς, hoc est, κολλώδης, *viscosus*. Hæc de re sic Iul. Scaliger. ad lib. i. Theophr. de plantis, cap. xix. γλιχόμενα μὲν ἰσχύειν, *gliscentes*. *Quamquam verba similia sunt, tamen significatus est diuersissimus. Sed* γλίχομαι *est origo nostri verbi, quod significat appetere. Signantissime apud doctissimum poetam, Turni violentia gliscit: quia crescebat & præceps mittebatur.* Pro *gliscere* etiam *glisci* dicitur, vt illo Sempronii Asellionis apud Nonium: *Vt maior inuidia Lepido gliscerettur*. A *glisco* dictæ *gliscera*. Festus: *Gliscere crescere est, vt gliscera, mensa crescentes per instructionem epularum, dicitur.* Videmur autem & *glesco* dixisse pro *glisco*. Vnde *reglesco*, quòd Festus exponit *cresco*, qui & Plautum eo docet vsum. In Paullo editum est *requiescit*. Perperam sanè, cùm Festus subiiciat & *glires* inde nomen accepisse. Ac à *glisco*, *glis* deduci possit, à *redigiescere* non possit. Quare omnino *reglescit*, vel *reglisco*, legi apud eum debet.

G L O C I R E, & *glocitare*, gallinarum proprium est, cùm ouis incubituræ sunt. Ita Festus. Vbi perperam *glocidare*, pro *glocitare*. Perperam MSS[t] quidam *glutire* pro *glocire*: quæ multùm differunt. *Glocire* est à κλώζειν. Nam κλωσμὸν gallis clare tribuit Plutarchus, lib. de præcept. sanit. Est autem omnino id verbum à sono factum. *Glocire* est apud Columellam, lib. viii. cap. v. *Vt oua quam recentissima supponantur glocientibus.* *Gracillare* pro eodem dici ait auctor Philomelæ:

Cucurrire solet gallus, gallina gracillat.

Vtrumque autem, & *cucurrire*, & *gracillare*, à sono facta esse, manifestum puto.

G L O M V S (vnde *glomero*, à quo *glomeramen* Lucretio,) à *globus* fieri placet Cæsari Scaligero lib. de caussis L.L. cap. xxxi. atque iterum Prisciano, lib. i qui eo probat *b* interdum in *M* abire: vt & in *summitto* pro *submitto*. Sed contrà *globus* est à *glomus*, hoc autem, גלם id est, *inuoluere*, *glomerare*: vnde גלמים, *inuolucrum*, *massa recondita*. Videsisque id & Petauio placitum, notis in Epiphanium, hæresi xxx. quæ de Ebionitis. A *globus* ὁμοιογενῶς dicti *globuli*, quos Belgæ *oliebollen* vocant. Varro. lib. iv. de L.L. *Item in oleo cocti, dicti à globo globuli.*

G L O R I A à Græco κλέ@, si Festum audimus, quem Nunnesius sequitur. Vel iuxta Scaligerum, factum è *glosia*, quomodo *ara*, *lares*, *arena*, sunt ex *asa*, *lases*, *asena*. *Glosia* à γλῶσσα id est, *lingua*. Nam *gloria* est fama ingens de alicuius virtute ac meritis. Hinc de se Ennius:

———*Volito viuus per ora virum.*

Vel, quod Martinio imprimis probatur, est *gloria* à κλέω, id est, βοῶ, vt exponit Hesychius, qui inde deducit κελαρύζειν, pro στεναγμὸν ἀφιέναι, *vociferari*, *clamare*.

G L O S, quo Plautus Ausoniúsque vsi, à γάλως, eliso α, vt à παλάμη, *palma*; à συμπιεσμέν@, *compressus*, &c. Hesych. Γάλως, ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἀδελφή. Gloss. Philoxeni: *Glos*, ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἀδελφή. Γάλως παρὰ Πλαύτῳ. Eadem interpretatio est apud Festum, Nonium, Isidorum, etiam Modestinum. Vide, si's, Scipionem Gentilem. lib. ii. παρέργ. cap. xi.

G L O S S E M A, γλώσσημα, quod licet apud neminem Græcorum reperiri putem, à Græcis tamen profectum eo cognoscimus argumento, quòd apud hos γλωσσηματικὸς & γλωσσηματογράφος legatur. *Glossemata* autem à Varrone & Quinctiliano appellantur, quæ aliis dicuntur *glossæ* seu γλῶσσαι. *Glossas* autem voco, non qua ratione *Accursij Glossas* dicimus, sed (prout vtuntur hac voce Græci) *vocabula minus vsitata*: cuiusmodi sunt ea quæ certæ sunt dialecti propria, eóque aliena à lingua communi, vnde & ξενικὰ dicuntur, quasi *peregrina*. Hanc eius vocis significationem esse, docet nos Aristoteles, lib. de arte Poetica: vbi exempli loco adfert σίγυνον, quod Cypriorum quidem proprium est, at nobis sit γλῶττα. Galenus & *peregrina* eo significari ait, & *obsoleta*. Pollux, libro secundo, capite quarto, *poetica* eo significari vult. Sed haud verisimile est tam latè vocem γλωσσῶν accipi solere, vt poëticis omnibus conueniret. Dicitur autem Græcorum γλῶσσα quasi λῶσσα, ab Hebræo, לשון *laschon*, pro quo Arabes *lesan*: Syri *lischana*. Æthiopes *lschann*; vt scribit Bibliander, Indice in Marcum.

G L O S S O P E T R A, γλωσσόπετρα, *lapis* à similitudine sic dictus, ex γλῶσσα, *lingua*, & πέτρα, *lapis*. Plinius, lib. xxxvii. cap. x. *Glossopetra, linguæ similis humanæ, in terra non nascitur, sed deficiente Luna cælo decidere, & lenocinanti necessaria creditur.* Ita etiam editum in antiqua Parmensi anni cIↃcccclxxvi. Sed in MS° longè alio sensu legitur: *cælo decidere solo, memoriaque necessaria creditur.* Vbi *solo* sit in *solum*. Vt apud Maronem, *It clamor cælo*. Nisi *cælo solo* dixit ἐπεξηγητικῶς, aut *solo* ex varianti lectione irrepsit. Subiicit postea Plinius: *Ventos ea comprimi narrant.* De eadem sic Isidorus, lib. xvi. cap. xiv. *Glossopetra similis est linguæ humanæ; vnde & nomen sumpsit. Fertur autem deficiente Luna cælo cadere. Cui non modicam magi tribuunt potestatem. Nam ex eo Lunares motus excitari putant.* De potestate ea excitandi motus Lunares, hausit ex Solini cap. xxxix.

G L V B O censeo esse à γλύφω, quod est *scalpo*, *sculpo*. Quod si plusculum abludit significatio, vide an corruptum potius videatur à λέπω. Nam vtrumque notat *corticem detrahere*. Sic Latino vsus Cato de R. R. cap. xxxi. *Salictum suo tempore caedito, glubito, arctéque alligato: librum conseruato.* Μεταφορικῶς verò ad animantia transfertur, vt illo Tiberij. *Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere.* Quod dictum sic expressit Dion: Κείρεσθαί μου τὰ πρόβατα, ἀλλ' οὐκ ἀποξύρεσθαι βούλομαι. *Tonderi oues meas, non ad viuum vsque radi volo.* Imò quemadmodum λέπειν, Athenæo teste, dicitur de iis qui ore patiuntur ἀσέλγειαν, ita *glubere* pro eodem vsurpat Catullus, in illo de Lesbia:

Glubit magnanimos Remi nepotes.

Vbi *glubit* omnino ad *oris spurcitiem* pertinet: ne Budæo credas, qui posterioribus annotationibus in Pandectas interpretatur, *denudat, & ad singula redigit vestimenta.* A *glubo* est *gluma*. De notione ac etymo eius sic Varro, lib. i. de R.R. cap. xlviii. *Spica ea quæ mutilata non est, in ordeo & tritico tria habet continentia, granum, glumam, aristam, & etiam, primitus spica cùm oritur, vaginam. Granum dictum, quod est intimum solidum. Gluma, qui est folliculus eius. Arista, quæ vt acus tenuis longa eminet e gluma, proinde vt grani theca sit gluma, & apex arista. Aristam & granum omnibus ferè notum: glumam paucis. Itaque id apud Ennium solum scriptum scio esse in Euhemeri libris versis. Videtur vocabulum etymon habere à glubendo, quòd eo folliculo deglubitur granum. Itaque eodem vocabulo appellant scitè eius, quam edimus, folliculum.* Similiter Festus: *Gluma, hordei tunicula, dictum, quòd glubatur id granum.* In vett. Glossis *gluma* exponitur λέπυρον σίτου. Quod etymon allatum firmat. Nam vt *gluma* à *glubo*, ita λέπυρον à λέπω, id est, *glubo*.

G L V T E N, aliter *glus*, vel *glux*, dicitur. Charisius, lib. i. *Hac glus glutis; alij gluten dixerunt.* Vtitur Ausonius.

Terga dic clypeis accommoda quid faciat? glux.

Est *glus* à γλία. Sic enim Græcis vocatur. A *glus* autem est *gluten*, vnde *glutino*, κολλάω. Ab eodem *glus* est *glutus*, hoc est, *cohærens*, *instar eorum*, *quæ glutino coniuncta*. Cato cap. XLV. *Locus bipalio subactus*, *beniqne glutus siet*. Festus: *Glutus*, *subactis*, *leuibus*, *teneris*. Vbi vulgo *glitis*. Sed MSS^ti^ *gluttis*. Quamquam vtrumque rectum esse potest, cum facile *u* abeat in *i*: vt *optumus*, *optimus*. Huius quoque loci est.

GLVTTO, siue *gluto*. Id in vett. Glossis exponitur λαίμαργος, id est, *gulosus*. Non à *gula* est, quod Isidorus scripsit, lib. x. Orig. sed à *gluttus*. Nempe vt à *gula* est *gulo*, ita à *gluttus*, *glutto*. Meminit vtriusque vocabuli Festus, cuius verba apponam. *Ingluuies à gula dicta, hinc & ingluuiosus, & glutto, & gulo, gumia, guttur, gluttus, gutturiosus, & gurgulio*. Est autem *gluttus* pars colli quà cibus transmittitur. Glossæ vett. *Gluttus*, ἔγχος. Vtitur Persius, sat. v.

Nec glutto sorbere salivam Mercurialem,

Id est, nec auidè vorare lucrum. Est autem *gluttus* ὀνοματοποιημένον. Nam sonus, quem edit liquor angusto means tramite, est *glut glut*: vnde vetus poëta de rustico ebrio:

Percutit & frangit vas: vinum defluit: ansa
Stricta fuit: glut glut murmurat vnda sonans.

A *gluttus* seu *glutus*, deducunt *gluttire* seu *glutire*, vnde *degluttire*. Gloss. vett. *Gluttit*, ἐγχάπτει. Caper tamen de verbis dubiis contra *gluttus* deducit à *gluttire*. Quod magis placet. *Gluttire* verò est à γλάζειν, quod idem notat.

GNARI ἰσσαμένοι, *gnaritur* γνωρίζεται, *ignarus* ἄγνωστος. Ita has voces interpretantur Glossæ Philoxeni. Est verò *gnarus* qui rem odoratus est, vt Terentius loquitur: vnde à *nare* fortè est *narus*, & κατὰ πρόθεσιν *gnarus*. Sane id verisimilius, quàm vt *gnarus* sit à *naribus*: quod Isidorus scripsit in xi. Verùm alterum etymon magis placet, vt *gnarus*, κατὰ συγκοπὴν, sit ab antiquo *gnaruris*, quod à γνώριμος, *a* in *u* conuerso, vti interdum fieri ostendimus in *galea*. Nec *gnaruris* tantùm pro *gnarus* dixere: sed & *gnaruro* pro *gnarum reddo*: vnde *gnaro* κατὰ συγκοπὴν, & κατ' ἀφαίρεσιν *naro*, siue, vt nunc scribimus, *narro*: sed vnico R scribi debere ait Velius Longus, propterea quòd sit à *gnarus*. Hæc quæ dixi, firmat Fronto, cum ait: *Dicimus*, *quod volumus*: *loquimur inuicem*: *narramus*, *quod ignoratur*. Item vett. Glossæ, in quibus est, *Gnarurem*, γνώριμον, *Gnaruras*, γνωρίζεις; *Gnarrat*, *narrat*, διηγεῖται; *ignarures*, ἀγνοοῦντες. Festus: *Gnarruisse*, *narrasse*. Ita & MSS^ti^. Idem: *Gnaritauit*, *significat apud Lucillium narrauit*. Sic MSS^ti^. Vbi lubens reponam *gnaruraui*t, quod in Glossis quoque est, ac cum *gnaruris* conuenit. Plautus, Mostell. Act. I. II.

Simul gnarures vos volo esse hanc rem mecum.

Et prolog. Pœn.

——*Vt æquè mecum sitis ignarures.*

Ita enim libb. vett. vt sit quod Rhetores vocant παρὰ προσδοκίαν, siue ἀπροσδόκητον, quod cùm vir doctus dicere vellet, seu mentis errore, seu (quod credere malo) calami lapsu, ridiculè scripsit pro eo vocem ἀπροσδιόνυσον. Ausonius, in epistola de Philone Epitropo:

Non cultor instar, non arator gnaruris.

Arnobius, lib. II. *Cur esse dicatis in aliis præceptionibus gnarures?* Vt autem *gnarus* ex *gnaruris*, ita *ignarus* est ex *ignaruris*. Sumitur autem vox *ignarus* interdum passiue pro *ignorato*: vt docet Agellius isthoc Maronis, x. Æn.

——*Ignarum Laurens habet ora Mimanta.*

Nec vni huic loco insistimus; quem Pierius docuit aliter legi posse. Agellius enim idem Plauti ac Sallustij auctoritate confirmauit. Addo quod & aliis hoc pacto vsurpatur locis: vt, Eccl. II. si Romani quidem sequamur codicis fidem, in quo Pierius legi ait:

Rara per ignaros errent animalia montes.

Nam in vulgatis est *ignotos*. Et apud Ouidium VII. Met.

Iamque aderat Theseus proles ignara parenti.

Vbi itidem interpretes quidam, huiusce vocis ignoratione, *ignota* legendum putaueriunt. Dixit & eopse Tacitus modo, lib. II. *Per occulta & vigilibus ignara*. Imò plurimùm à Tacito, *gnarus*, *ignarus*, *incautus*, παθητικῶς accipi solere, docet Muretus, lib. II. Var. Lect. cap. II. Appuleium quoque ita locutum censet Schoppius, in susp. lect. lib. IV. epist. XII. Ab *ignarus* est *ignoro*, cui simile *dignoro* Nam vt *ignorat*, qui non noscit, sic *dignorat*, qui vt noscamus facit. Festus: *Dignorant*, *signa imponunt*, *vt fieri solet in pecoribus*. *Dignorare* igitur est *signare*: quod Maro ita ἐκφράζει III. Georg.

Continuòque notas & nomina gentis inurunt.

Eodem pertinet hoc Anacreonticum:

Ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι.

Et Appuleij illud, lib. XI. Metam. *Cognatus meus equum reducentibus*, *quem diuersè distractum nota dorsualis agnitione recuperauerant.*

GNAVVS, siue *nauus*, valet *industrius*, vt interpretatur Seruius, ad I. Æn. Glossæ Philoxeni exponunt ἐνδελεχής. item ἐπιμελής, διεγερτικός, ἀοκνηρός. Dubitatur autem, priusne fuerit *gnauus*, an *nauus*. Plerisque sanè placet *nauus* κατ' ἀφαίρεσιν fieri è *gnauus*: hoc esse à γνωστὸς seu γνωτὸς, hoc est, *fullo*: vnde & Germanicum ac Belgicum *knape* pro *seruo*: vt à *gnauus* est eorum *knap*, id est, *agilis*. Sed magis placet *nauus* esse prius. Vsus eo Ennius in v. Annali.

Neruorum imperium seruare est inauperantum.

Citat Festus, qui & alterum Ennij locum adfert. Inde κατὰ πρόσθεσιν *gnauus*. *Nauus* autem à *naue*. Festus: *Nauus*, *celer ac strenuus*, *à nauium velocitate dictus*. Item Cornelius Fronto: *Nauus à præcipuo nauis cursu dicitur*: *vel alterius caussa natus*. Prius longè verius puto. Quod & confirmat locus Plauti, in Friuolaria, quem ibidem adducit Festus:

Naue agere oportet quod agas, non ductariè.

Vbi, vt Ios. Scaliger monet, *naue agi* est, cùm nauis remigio aut ventis agitur: *ductariè*, cùm funibus aduerso amne, quod vocant ῥυμουλκεῖν. Vtrumque expressit Ausonius, panegyrico Mosellæ:

Tu duplices sortite vias, & cùm amne secundo
Defluis, vt celeres feriant vada concita remi:
Et cùm per ripas, nusquam cessante remulco,
Intendunt collo malorum vincula nautæ.

Item Valgius, in elegiis:

Hinc mea me longo succedens prora remulco
Lætantem gratis sistit in hospitiis.
Et, placidam fossa qua iungunt ora Padusam,
Nauigat Alpini flumina magna Padi.

A *nauus* est *nauities*, hoc est, *industria*. Glossæ Cyrilli ἀρετὴν interpretantur. Item compositum *ignauus*. Et verbum *nauare*. Gloss. Phil. *Nauat*, διαπραγματεύεται. Proprie *nauare* est, vel, quod quidam censent, nauem è naualibus in mare deducere; ad quod magno labore opus est: vel potiùs nauem gubernare, aut gubernantibus esse auxilio.

GNOMON, γνώμων, quod *indicem*, siue *cognitorem*, notat γνῶν seu γνώσκω, hoc est, *nosco*. Generatim igitur γνώμων, cuiuscumque indicio aliquid cognoscitur. Sed speciatim *Gnomon* dicebatur horologij sciotherici stilus, per quem cognoscuntur vmbræ & ex vmbris horæ. Vitruuius, lib. I. cap. VI. *Collocetur æneus gnomon*, *indagator vmbræ*, *qui Græcè σκιαθήρας dicitur*. Vnde scientia *gnomice*, γνωμονική: vt apud Hyginum de Limitibus: *Adnectendum est nobis gnomonices summa ac diuina artis fulmentum*. Et Plin. lib. II. cap. LXXVI. *Vmbrarum rationem & quam vocant Gnomonicen, inuenit Anaximenes Milesius*. Vitruuius Architecturam in tres diuidit partes, *Ædificationem*, *Gnomonicen*, & *Machinationem*. Hinc *gnomonici*, γνωμονικοί, apud Solinum: *Quod Gnomonici similibus parallelis accidere contendunt.*

GONORRHOEA, γονόῤῥοια, ἀπὸ τῆς γονῆς, hoc est, *genitura*, & ῥέω, id est, *fluo*. Aliud autem γονὴ aliud, σπέρμα. Nam illud ens est imperfectum; hoc, ens perfectum: vt discere est ex primo Aristotelis libro de generatione animalium.

GOSSIPIVM est, quod Italis *Bambagia*, & *Cotone*, vocatur. Belgis *boomwol*, quasi dicas *arborum lana*. Officinis *bombax* voce corrupta ex *bombyx*. Græcis tum ξύλον, tum γοσσύπιον. ξύλον vox omnino Græca: Sed *gossypij* exotica: atque vt puto, Ægyptia. Quod, vt suspicer, facit locus iste Plinij. lib. XIX. cap. I. *Superior pars Ægypti in Africam vergens gignit fruticem*, *quem aliqui gossipion vocant, plures xylon, & ideo lina inde facta xylina. Paruus est, similémque barbatæ nucis defert fructum cuius ex interiore bombyce lanugo netur.* Vide plura in *Bombyx*.

GRABATVS à κράββατος, quod idem. Dici hoc aiunt παρὰ τὸ ἀναβαίνειν τῷ βάσει, hoc est *suspendendo gradu*. Quod, qui eo sederent, pedibus terram contingere non possent.

GRACILIS est λεπτός, ἰσχνός, vt Glossæ exponunt. Venit ab antiquo *graceo*; vt à *fleo*, *flebilis*; à *labo*, *labilis*, &c. *Graceo* à χραίνω. id est, *absumo*, vnde & γραῖος Etymologus deducit. Vel גרע, *seco*, *concido*. Vel רזה, *maciare*, *attenuare*. Pro eo & *craceo* dixere, quia antiqui non habuere *g*. vt alibi dictum. Festus: *Cracentes*, *graciles*, *Ennius*:

Succincto gladiis medio regione cracentes.

A *craceo*, iuxta Scaligerum est *crabro*: de quo in *fiber*. A *gracilis* est *gracilens* apud Næuium, pro quo Ennius *gracilentus*. Ab eodem *gracilitas* apud Næuium, pro quo Accius *gracilitudo*. Vide Nonium.

GRACVLI, quod *gregatim volent*, si Varroni credimus, lib. IV. de L. L. Melius Festus: *Graculi à sono oris vocati: siue à gerendo dicti, quod iacta segetum semina plurimum gerant. Vel quòd ex oliuetis*

clinatis cubitum se recipientes, duas pedibus baccas, tertiam ore ferunt. Isidorus, lib. XII. cap. VII. *Graculus*, inquit, *à garrulitate nuncupatus, non vt quidam volunt, pro eo, quod gregatim volent: cùm sit manifestum ex voce eum nuncupari. Est autem loquacissimum genus, & vocibus importunum.* Cæsar Scaliger, Comment. in Arist. Hist. animal. lib. IX. cap. XXIV. siue dist. Scalig. cap. XXXI. sect. CXCIX *graculum* dici ait quasi *geraculum*, a *gerendis glandibus*. Iudicio meo *graculus* est contractum è κορακῖνος, quod Gaza eo quo diximus Aristotelis loco *graculum* vertit: imo & in Onomastico veteri est: *Graculus*, ὁ κορακῖνος. Vtrum vero *monedula* sit *graculi* genus quod Gaza voluit, an *graculus monedula*, quod Cæs. Scaligero placuit, non multum ad rem facit. Nam seu hunc, seu illum sequamur, κορακῖνος *graculus* fuerit. Hoc licet impensius placet, addam tamen & alteram coniecturam. Quid si *graculus* statuatur diminutiuum a *graccus*: *graccus* autem deducatur ab antiquo *graxo*, aut *graco*, quod à Græco κρώζω; Pro hac sententia facit, quòd Isidorus *auem* vocat *loquacissimam*. Vide quæ in *Ala* diximus.

GRADIOR, & *gradus*, à *gero*, iuxta Varronem, quia *gradus* superiorem in inferiora gerant, vel inferiorem in superiora. Meliùs Angelus Caninius, in Hellenismi Alphabeto, vbi *gradior* literarum traiectione factum esse ait ab דרג quod est *gressus est, incessit per gradus*. A *gradus* est *equus gradarius*, quomodo Lucilio vocatur, qui sine succussatione alterno gressu molliter explicet pedes. A *gradior* est *grassor*, inde *grassatores*. Festus: *Grassari antiqui ponebant pro adulari. Grassari autem dicuntur latrones vias obsidentes. Gradi siquidem ambulare est, vnde tractum grassari, videlicet ab impetu gradiendi.* Glossæ Philoxeni: *Grassari*, ἐπιφοιτᾶν, βαδίζειν, ὀξυποδεῖν. *Grassatur*, λωποδυτεῖ. *Grassator*, λωποδύτης. Plautus, Rudente Act I. sc. *Quid mihi?*

Siccine hic cum vuidâ veste grassabimur?

Sallustius initio belli Iugurthini: *Qui (animus) vbi ad gloriam virtutis grassatur viâ*, hoc est, ὀξυποδῶν, cum impetu & pleno quasi gradu contendit. Titinnium quoque, Nonium, & Afranium, *grassari* pro ὀξυποδεῖν, vel βαδίζειν, vsurpasse, docet Nonius Marcellus in *Grassari*. Solum Titinnij locum ponam è Veliternâ: *Vnde thensam atque mulas: sine eam pedibus grassari: confringe eius superbiam.* Quo ex loco lucem capit illud Plauti, Amphitr. quo Mercurius comminatur Sosiæ.

Faciam ego hodie te superbum, ni hinc abis.

Neque enim per *superbum* intelligit *mortuum*, quod Nonius putauit, sed eum, qui non ambulet pedibus suis, prout diuites delicatuli solent. Sed diuites præ superbia pedibus suis vti nolunt: vt Sosia si pedibus non isset, eò id futurum erat, quia male mulcatus ingredi pedibus non posset. Ludit igitur in *superbi* voce more suo facetissimus Comicus. Sed ad *grassandi* vocem redeamus. Scribit Verrius siue Festus, *grassari* antiquè accipi pro *adulari*. Id inde originem traxisse puto, quòd parasiti atque adulatores per plateas otiosi *grassentur* alienum sectantes cibum. *Poetæ* quoque, quia otiosè tantùm versibus operam darent, ferè hac in re peccabant, eóque & ipsi *grassatorum* notati nomine; vt Cato in carmine de moribus scripsit, teste Agellio, lib. XI. cap. II. *Poeticæ artis*, inquit, *honos non erat. Si quis in eâ re studebat: aut sese ad conuiuia applicabat, grassator vocabatur.* A *gradiendo* quoque Mars dictus putatur *Gradiuus*, siue *quod gradum inferat, qui pugnant: siue quòd impigrè gradiantur.* Ita Seruius, in III. Æn. Sed addit & alterum etymon à Græco κραδαίνειν. Eius verba: *Gradiuus Mars appellatus est à gradiendo in bella vltro citróque: siue à vibratione hastæ, quod Græci dicunt κραδαίνειν: vel, vt alij dicunt, quia gramine sit ortus, quod interpretatur, quia corona graminea in re militari maxima est honorationis.* Inter composita è *gradior* sunt *degredior*, & *digredior*, quæ ita distinguit Marius Victorianus: *Degredi ex superiore loco descendere: Digredi ex aliquo loco discedere.* Item hinc *aggredior* & *egredior*. Vnde *aggressus* & *egressus*: pro quibus dixere veteres *aggretus*, vel potiùs *aggrettus*, & *egretus*, vel *egrettus*. Festus: *Adgrettus* (MS *Adgretus*) *apud Ennium, Adgrettus fari: pro eo quod est adgressus ponitur. Quod verbum venit à Græco ἄγειν.* Idem: *Egretus & adgretus, ex Græco sunt ducta à surgendo & proficiscendo. Vnde & Nyctegresia, quasi Noctisurgium.* Græcum quod dicit, est ἔγρομαι siue ἐγείρομαι, quod est *surgo*: vnde ἐγερθεὶς, *suscitatus*. Sed de etymo egrediendi Græco fallitur. At rectè ide Νυκτεγρεσία, quæ & νυκτεγερσία, hoc est, *excitatione nocturna.* Est enim à νὺξ & ἐγείρομαι.

GRALLÆ sunt ligneæ perticæ furculas habentes, quibus innituntur qui iis incedunt. Qui iis vtuntur *grallatores* dicuntur. Vox est à *gradiendo*. Vt à *radendo rada, radula, ralla*: sic à *gradiendo, grada, gradula, gralla*. Caussam ponit Varro, lib. VI. de L. L. *Grallator à gradu magno dictus.* Facit huc illud Plauti, Pœn. act. III. sc. I.

At si ad prandium me in ædem vos dixissem ducere,
Vinceretis ceruum cursu, vel grallatorem gradu.

Indéque apud eundem *grallatorius gradus* pro magno, in iis, quæ iam olim Plautinæ Amphitruoni sunt assuta. Aliter dicti *calobatarij*: si vulgatis Nonij codd. credimus. Sed fortasse legendum, *collobatarij*, à Græco κωλοβάτης quod à κῶλον, *legumen*, & βάω seu βαίνω, *incedo*. Minus rectè in Glossis vett. καλοβάτης, *funambulus*. Vel potiùs apud Nonium legi debet *colobathrarij*. Nam Artemidoro *grallæ* dicuntur κωλόβαθρα quod nomen ex κῶλον, *membrum*, & βάθρον, *gradus*. καλόβαθρα *illa*, siue *grallæ* aliter dictæ Πανικά. Vnde in Glossis, *Grallatores*, Πανικὰ φοροῦντες. Caussa appellationis est quod *grallis* vterentur pantomimi, cùm repræsentarent Panas, siue Ægipanas quorum e succi pedes ac crura non aliter meliùs repræsentari poterant, quam ligneis illis pedibus ac cruribus *grallatorum*. Festus: *Grallatores appellantur Pantomimi qui, vt in saltatione imitarentur Ægipanas, adiectis perticis furculas habentibus, atque in his superstantes ob similationem crurum eius generis gradiebantur, vtique propter difficultatem consistendi.* Vide & Nonium in *Grallatores*, & Scaligerum in sextum Coniectan. & ad Festum in *Grallatores*.

GRAMEN, quasi *germen*, si Isidoro credimus, lib. XVII. cap. IX. Vel à *grediendo*, vt censet Perottus. Sed ἀναλογία docet esse à γράω. Vnde & γράστις, siue, vt alij scribunt, κράστις quod itidem *gramen*, omnéque iumentorum pabulum, ac inprimis *farraginem* significat. Etsi nec ineptè hoc aliqui a Syra voce. Nam גרם, siue גרש, *contundere*, גרש *triticum contusum*. A γράστις quoque est Belgicum *gras*, id est, *gramen*.

GRAMIA, à γλάμα, seu γλήμη quod Hesychio teste, idem ac λῆμα, vnde & factum γράμια ἀπὸ τοῦ γ. Vtroque notatur *oculorum pituita, quæ palpebras velut conglutinat.* De Græco sic Hesychius: Λῆμαι, αἱ ἀκρὶ τοὺς κανθοὺς τῶν ὀφθαλμῶν συνιστάμεναι ἀκαθαρσίαι τῶν ὀφθαλμῶν. De Latino ita Festus: *Gramia oculorum sunt vitia, quas alij glamas vocant.* Nonius: *Gramia, pituita oculorum.* Cæcil. *Gramiosis oculis ipsa, atratis dentibus.* Plinius, lib. XXV. XIII. *Crethmos agrios gramias tollit oculorum impositus.*

GRANDIS nonnulli dici putant, quasi *gerandis*, quia multi aggeruntur. Mihi placet esse à *granum*. Nam *grandia* primâ suâ significatione dicuntur ea, quæ habent *grana*. Hinc est, quod *fruges* propriè dicantur *grandes*: vt in antiquo carmine rustico quod à Macrobio refertur. lib. V. cap. XX.

Hiberno puluere, verno luto, grandia farra Camille metes.

Ac Plautus similiter. Casina, act. V. sc. II.

— profecto hercle non fuit
Quicquam olerum: nisi quicquid erat, calamitas
Profectò attigerat nunquam: ita quicquid erat, grande erat.

Nam non dubium, quin postrema verba male in vulgatis loco suo mota sint. Virgilius quoque VIII. Æneidos dixit *grandia frumenta*: & Ouidius, *vegrandes messes*. *Grandescere* quoque, & *grandire*, seu *grandiri*, similiter vsurpantur. Accius Meleagro apud Nonium in *Grandire*.

Fruges prohibet pergrandescere.

Et Paccuuius Duloreste apud eundem:

Nec grandiri frugum fœtum posse, nec mitescere.

Similitérque in solemnibus illis sacrorum rusticorum verbis apud Catonem: *Mars pater te precor quæsoque, vti tu fruges, vineta, virgulta grandire* (Duza *grandiri* mauult, vt apud Paccuuium) *beneque euenire sinas.*

GRANDO à *granorum* similitudine: teste Isidoro, lib. XIII. cap. X. D. interiectum, vt in *grandis*, quod eiusdem, vt diximus, originis est. Imò fortasse *grando* non ἀμέσως est à *granum*, sed a *grandis*. Festus: *Grando gutta aqua concreta solito grandiores.* Sed prius malim. Nunnesio verò placuit *grando* esse à χάλαζα, quod idem notat. Nempe vt Z in D abeat, quod admodum frequens.

GRANEA, quæ Græcis χίδρον, ita dicta, quia fieret è *granis* tostis. Hieronymus, libro quæstionum Hebraicarum, in paralipom. *Primitia spicarum quando deferebantur, torrebantur, & grana comedebantur, quod genus cibi vulgo graneam vocant.* Sanè & Romanis Græcisque mos tritici recentis *grana* frigere: vti & cicer, ac nuces: vnde *frictum triticum*, *frictas nuces*, *frictum cicer* apud veteres legas. Quæ in deliciis apud eos habebantur.

GRANUM quasi *geranum* dicitur, à גרש, quod notat *triticum fractum ac contusum*, nempe à גרש, quod est *frangere*: à quo & γράστις, seu κράστις, *farrago*. *Granum* quasi *geranum* dici, agnoscit & Varro, sed censet id esse à *gerendo*. Sic enim scribit, lib. I. de R. R cap. XLVIII. *Granum à gerendo: id enim seritur.*

ritur, vti spica gerat frumentum, non vt glumam aut aristam gerat: vt vitis seritur non vt pampinum ferat, sed vuam.

Graphicvs significat *scitum & elegantem*, quia *picta* sunt *elegantiora natiuis*, vnde Plautus. Sticho, act. II. Sc. I.

Satin vt facetè atque ex pictura astitit.

Hinc Persa *graphicè facetus*, de egregiè faceto. Apud eundem Epidico legimus *graphicus seruus*. Bacchid. *graphicus fur*. & Trinummo, *graphicus nugator*. & Pseudolo, *graphicus mortalis*. Quibus locis *graphicus* notat id, quod Horatius dicit *ad vnguem factus*: atque (vt ad ἐτυμολογίαν propiùs accedamus) quo nec pictor rectiùs aliquis exprimat penicillo. Locutus similiter Plutarchus, vt cùm ait γραφικῶς πάνυ περὶ τοῦ ποιητοῦ ἀκούσαντας. Vbi Budæus *graphicè* transtulit. Venit autem γραφικὸς, seu *graphicus*, ab eâ notione τοῦ γράφειν, quâ *pingere* notat: Vt, cùm dicimus, εἰκόνα γράφειν. Vnde & γραφὶς, cùm *penicillum pictorum* notat. Vnde apud Vitruuium, lib. I. cap. I. *Architectum oportet graphidos scientiam habere, quo facilius exemplaribus pictis, quam velit, operis speciem deformare valeat.* Sed longè plura ab eodem verbo veniunt, quâ *scribere* significat. Referemus solùm, quæ & Latini vsurpant. Quale est, *graphium*, γραφεῖον, id est, *stilus*. Vsus Suetonius, in Claudio. Inde *graphiarium*, apud Martialem, in Apophoretis, Epigr. XXI. est idem, quod γραφιοθήκη. Ἀπὸ τῶν γραμμάτων, hoc est, *à litteris* dicta ars *grammatice*, quia veteribus eo nomine censebatur γραμματικὴ, hoc est, *ars legendi scribendique*. Serò enim præcepta rectè loquendi obseruata, inque artem congesta: qua de re plura Exerc. Gramm. lib. I. cap. I. Ac quemadmodum ars γραμματικὴ vocatur, quia de *litteris* agit: ita γραμματικὰ ποτήρια, *grammatica pocula*, dixere, quibus insculptæ essent literæ: E. G. Διὸς Σωτῆρος, *Iouis Seruatoris*, aut similes vti auctor est Athenæus, lib. XI. & Cælius Rhodiginus Antiquarum Lect. lib. VII. cap. vlt. Etiam Γραμματικὴ nomen fuit nobilis tragœdiæ: quam argumento ex *literis* ducto scripserat Callias Atheniensis: de quo multa Athenæus in decimo, ac quædam etiam Cæsar Scaliger, lib. I. de re poët. cap. VIII. Sed γράμμα quoque significat *scriptum*: vnde *grammatophylacium*, γραμματοφυλάκιον, quod Latinè *tabularium*: à γράμματα & φυλάσσω, id est, *custodio, seruo*, quia in eo asseruantur tabulæ & instrumenta publica. Vlpianus in l. moris. De pœnis: *Archio fortè vel grammatophylacio.* Sunt & à γράφω, *apographum*, ἀπόγραφον, *exscriptum, exemplum* seu *exemplar*, quod barbari *Copiam* dicunt. Item, *chirographum*, χειρόγραφον, priuata cautio manu alicuius scripta vel subscripta. Pollux, lib. II. cap. IV. videtur id vocabulum habuisse pro non antiquo, cùm dicat Hyperidem χεῖρα dixisse, pro quo vulgo diceretur χειρόγραφον. Item συγγραφὴ, *syngrapha*, quod ab vtroque subscriberetur, ac ab vtraque parte seruaretur. Eóque differebat à *chirographo*, vt ostendunt hæc Asconij verba in III. Verr. *Inter syngraphas & cætera chirographa hoc interest, quod in cæteris tantum, quæ gesta sunt, scribi solent, in syngraphis etiam contra fidem veritatis pactio venit, &, non numerata quoque pecunia, aut non integre numerata, pro temporaria voluntate hominum scribi solent more institutóque Græcorum: & cætera tabulæ ab vna parte seruari solent, syngraphæ signatæ vtriusque manu, vtrique parti seruandæ traduntur.* Etiam annuli dicuntur *chirographi*, id est, *manu sculpti*. Quomodo *chirographos Thyrios* dixit Catullus, de annulis Thyriis manu elaboratis. Nec aliter *chrysographata scuta* dixere. Id in Trebellio Pollione legas de scutis aurea scalptura insignibus. A γράφω etiam est ἐπίγραμμα, *inscriptio*: quo propriè notatur *elogium* quod statuis, imaginibus trophæis, monumentisque *inscribi* solet. Id etiam prosâ fiebat, cuius rei multa sunt exempla in ant. inscripp. Etiam vno verbo poterat constare, vt Σωτὴρ in statua Verrina, teste Tullio. Postea *versus quos poëta huic epigrammati subijciebat* & ipsi *epigrammates* nomine appellari. Tandem extensa significatio ad alia quoque *poëmatia*, modò aliquid simpliciter indicarent, aut ex propositis deducerent: in cuiusmodi poëmatis commendatur breuitas, argutia, & venustas. Ab eodem est ἀνάγραμμα siue ἀναγραμματισμὸς, *cùm ex concinna literarum traiectione alia sententia generatur.* Cuius artificij meminit Artemidorus Daldianus, qui ad somniorum interpretationem conducere ea somniat: & Eustathius in Iliad. A. vers. LV. item Isaacius Tzetzes in prolog. ad Lycophronem: vbi eius exemplum ponit ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ, ΑΠΟ ΜΕΛΙΤΟΣ; & ΑΡΣΙΝΟΗ, ΙΟΝ ΗΡΑΣ. Multum in hoc genere sudauit ante alios Ioannes Avratvs, cuius nominis hoc anagramma, Ars En Nova Vatis. Inter alia Aurati anagrammata est illud in Petrum Ronsardum. *PIERRE DE RONSARD. ROSE DE PINDARE.* Elegans quoque illud cuiusdam de Mureto: *MARC-ANTOINE DE MVRET. NATVRE M'A MENE' DROICT.* Nec omitti debet illud quod in Dominicum Baudium, Iambico imprimis pollentem, fecit vir eruditissimus Samuel Nætanus: ΔΟΜΙΝΙΚΟΣ ΒΑΥΔΙΟΣ. ΙΔΙΟΝ ΚΥΔΟΣ ΙΑΜΒΟΣ. Γράφω Becmanno esse placet à גרף, quod est, *pugno comprehendo*.

Gratia, à *gratus*; vt *iustitia* à *iustus*; *amicitia* ab *amicus*; *lætitia* à *lætus*. *Gratia* enim est, quæ *gratos* & amabiles *facit*. *Grates* à χάριτες. Sanè Gloss. vett: & Onomasticon antiquum *Grates* interpretantur χάριτες, *Grates* igitur κατὰ μετάθεσιν pro *gartes*, quod ex *garites* eliso *I*, quomodo à κυπάρισσος est *cypressus*: à φοίνικα, *palma*, &c. At χάρις, apposito X, fit à רצה, quod est, *gratum habuit*. Quod autem *gratia* dicimus pro *caussa*, id quoque à Græcis qui similiter dicunt χάριν. Nempe vt Galli *pour l'amour*. *Gratia* igitur pro *fauore*, vel *amore*, sumitur. Atque hinc ablatiuus *gratiis*. Vt non modò apud Plautum, sed Terentium etiam: cuius illud, in Phorm. act. III. Sc. II.

Vt phaleratis dictis ducas me & meam ductes gratiis.

Hinc *ingratiis* apud eundem hoc est, *inuitus*, *velim nolim*. Ex *gratiis* autem factum *gratis* κατὰ συγκοπήν. A quo *gratuitus*, vt à *forte*, *fortuitus*. A *gratus* est *grator*, quod Onomasticon vetus exponit χάριν ἔχω. Item *gratulor*. Nam, qui *gratulatur*, alienam felicitatem sibi *gratam* & iucundam esse verbis ostendit. A *gratus* quoque ignota antiquis *gratitudinis*, & *ingratitudinis*, vocabula: de quibus in Animaduersionibus Grammaticis dictum. Eiusdem ortus est nomen proprium *Gratius*; vnde *Gratianus*; vt à *Martius*, *Martianus*. *Gratius*, ac *Gratianus*, idem quod Græcum *Charisius*, à χάρις; ac Hæbreum *Ioannes*, *seu* יוחנן, à חנן, *gratia affecit*. A quo & *Anna*, seu *Hannah*: item *Hannibal*, de quo in *Balsamum* dictum.

Gravastellvs legimus apud Plautum. Epid. act. V. Sc. I. De eo sic Festus: *Grauastellus, senior, à grauitate sic dictus.* Ita etiam est in MSS[ti]. Camerarius in Plauti loco legit *grauistellus*: & putat nomen id Comica licentia factum esse ex *grauis & tellus*, ac Plautum in obeso danista allusisse ad ἄχθος ἀρούρης. Sed doctissimus Meursius legit *rauastellus*, idque præeunte Festo, cùm scribit: *Raui coloris, rauistelli appellantur à Plauto; qui sunt inter flauos & cæsios.* Nempe *rauastellus* fuerit ὑποκορισμὸς, à *rauaster*. Hoc verò à *rauus* fit, quomodo à *caluus* est *caluaster*. *Rauus* autem est *canus*: vnde Varro *rauos oculos* dixit, pro *glaucis*, siue *cæsiis*: & *rauam lupam* legimus apud Horatium. Plura de *raui* voce diximus in *Raucus*.

Gravis, fortè quasi *geranis*, à *gerendo*. Nam *grauia* tolli ferrique necesse est, vnde & tolerari ea dicuntur. A *grauis* est *grauidus*; vt ab *herba*, *herbidus*. Vel à *grano*; vt à *palleo*, *pallidus*. Festus. *Grauida est, quæ iam grauatur conceptu: prægnans velut occupata in generando quod conceperit: inciens propinqua partui, quod incitatus sit fetus eius.* Vt à *dulcis*, *dulcedo*; sic à *grauis*, *grauedo*, quia *pectori grauis*. Vsus Plautus, Asin. act. IV. Sc. I. & Catullus.

Hic me grauedo frigida & frequens tussis
Quassauit vsque. ———

Hinc *grauedinosus* apud Cic. A *grauis* quoque *prægrauo*, hoc est, *grauior sum*, *præpondero*. Κατὰ μεταφορὰν vtitur Horatius:

——— *Qui prægrauat artes*
Intra se positas. ———

Gremivm ab *ingredior* κατ' ἀντίφρασιν dictum volunt. Visum hac de re adferre verba Agrætij: *Sinum, inquit, dicimus exterius expansum receptaculum: gremium vestis receptaculum, interius iacens secretum. Virgil.*

Pandentémque sinus, & tota veste vocantem
Cæruleum in gremium.

Gremium autem dicitur à contrario, ab ingressu difficili. Verùm nos potiùs ab *ingressu*, sic dici putamus, non quidem διὰ τὴν ἀντίφρασιν, verùm simpliciter, quod in eo pleraque femineus recondat sexus: vnde illud Catulli ad Ortalum.

Vt missum sponsi furtiuo munere malum
Procurrit casto virginis è gremio,
Quod miseræ oblitæ molli sub veste locatum,
Dum aduentu matris prosilit, excutitur.

Grex, ex ἀγέλη. Festus: *Greges ex Græco dici, quos illi ἀγέλας solent appellare.* Ac probat hoc etymon Bibliander. Indice in B. Marcum. Sed in editione Antonij Augustini, atque inde in aliis, ad oram adscriptum γάργαρα. Atque idem in plerisque est MSS[tis]. Ex γάργαρα autem corruptum videtur Græci enim γάργαρα pro *quauis multitudine* vsurpant: vt etiam Macrobius obseruat, lib. V. Sat. cap. XX. Eóque & Scaliger apud Varronem, in IV. de L.L. legit: *Graculi, quod gregatim vt quidam*

Grati

Græci γαρεῖ τὸ γάργαρα. Vbi vulgò, *vt quidam Græci τὸ γέργερα.* *Grex* igitur fuerit detruncatum ex γέργερα, vel γάργαρα. Γάργαρα autem a γαργαίρω, quod est, *abundo, affluo.* Vel fuerit *grex* ab ἀγείρω ex ἀγερσις, id est, *congregatio*, præcisa principe litera, vt ab ἀμέλγω, *mulgeo*; ab ἀστήρ, *stella*, ab ἄγρος, *rura*, &c. Vt autem ab ἀγέλη est ἀγελάζω, ita a *grege* est *grego*: quo vsus Statius in primo Achilleidos:

Qualiter idalia volucres vbi mollia frangunt
Nubila, iam longum cæloque domoque gregata.

Citat etiam Priscianus, in VI. Ab eo sunt *Abgrego*, *adgrego*, *congrego*, *egregius*, & alia. Festus: *Abgregare, est ab grege ducere; adgregare ad gregem ducere, segregare, ex pluribus gregibus partes seducere, vnde & egregius dicitur è grege lectus, quorum verborum frequens vsus non mirum si ex pecoribus pendet, cùm apud antiquos opes & patrimonia ex his præcipuè constiterint, vt adhuc etiam pecunias & peculia dicimus.* Vt verò *congrex* legimus apud Horatium & Ausonium, ita *egrex* apud Prudentium. Imò & Plauto. Mostell. Act. II. Sc. II è MSS^tis Camerarij eam vocem restituere Gruterus, ac Colerus.

GRILLVS à sono nomen accepit: teste Isidoro, lib. XII. cap. III. Vide de eo Plinium, lib. XII. cap. III.

GRIPHVS Latinis, quod Græcis αἴνιγμα; quemadmodum scribit Agellius, lib. XII. cap. VI. Et sic sanè vtitur idem scriptor, lib. I. cap. II. & Appuleius; II. Florid. Poëmati quoque Ausoniano nomen *griphus*. Ac in veteri lapide inuenias: *Viatores optimi hic nugis, griphis, ambagibúsque meis condonate poscimus.* Sic autem *ænigma* dixere κατὰ μεταφοράν. Nam propriè γρῖφος est *rete piscatorium*. Suidas vtramque significationem complexus: Γρῖφος τὸ δίκτυον, λέγεται δὲ καὶ ὁ σκόπελος, καὶ ὁ συμποτικὸς γρῖφος λόγος, ὃ ἔχων τινὰ ἐν ἑαυτῷ μὴ σαφῆ. A propria τοῦ γρίφου significatione *piscatores* dicuntur γριπεῖς. Atque inde est, quod Plautus, Rudente, *piscatori* illi, qui vidulum inuenerat, *Gripo* nomen fecerit. Quemadmodum autem à *reti piscatorio*, quod propriè *griphus*, *ænigma* dixere *griphum*, ita itidem *sirpum* dixere à *nassa*, hoc est, *vimineo piscatorum vase*, quod propriè *sirpus* dicitur. *Ænigmata* verò *sirpos* dici, auctor est Agellius, lib. XII. cap. VI. Crinitus, qui Alciatum & Rhodiginum in suam sententiam pertraxit, putat pro *sirpos* vel *scirpos* legendum *scrupos*. Mouet eum prouerbium, *nodum in scirpo quærere*: quo post Ennium, Lucillium, aliósque vsus quoque Ennodius, pro quarta synodo Romana: *Nunquam bene nodus in scirpo quæritur.* Respondet ad hoc argumentum P. Mosellanus, sic κατ᾽ ἀντίφρασιν dici. Verùm minimè a *scirpo*, vel *sirpo*, qua iunceus est *enodis*, sic *ænigma* appellatur. Sed qua inter vitilia est, éxque eo fiunt *nassæ*: hoc est, *vasa viminea*, quibus postquam se pisces insinuarint, egredi non possint. Vel dicendum *sirpum* generatim esse omne πλέγμα, siue ex *iunco* aut viminibus contextum: cuiusmodi omnia nodis multis vinciuntur & implicantur; vnde *sirpus*, pro *nodosa quæstione*. Vide *Griphus* & *Sirpare*. *Scrupus* verò apud Gellium legi nullo modo potest. Quippe cùm *scrupus*, siue *scrupulus*, Donato teste, propriè sit *lapillus, qui in calceos incidens male habet pedem*: μεταφορικῶς verò sic dicatur, *quicquid animo molestiam gignit*: liquet non potuisse id nomen *ænigmatis* imponi, cùm omnia quæ legentem difficultate remorantur, *scrupum* siue *scrupulum* animo iniiciant, nec tamen omnibus istis *ænigmatis* vox possit conuenire. Latiùs igitur multò *scrupi*, quam *ænigmatis* nomen patere, manifestum est.

GROSSVS. ὄλυνθος, *ficus immatura*: fortasse à κρύος, id est, *frigus*, quo fit, vt non excoquatur: vel potius à גרש, hoc est, *expulsum*, *eiectum*, quod de *fructibus à Luna protrusis* vsurpatur, Deuteron. XXXIII. XIV.

GRVMA, in Glossis Philoxeni exponitur γνώμων, & διοπτικὸς γνώμων. Vnde etymon vocis obscurum non est. Nempe est *gruma* ex *groma*, *groma* à γνώμη, seu γνώμων, quæ & γνώμονες. N in R abit, quomodo à μονὴ, *mora*; à θύειν, *furere*; è *cluna*, *clura*, &c. Iuuat & Festus: *Groma appellatur genus machinulæ cuiusdam, quo regiones agri cuiusque cognosci possunt, quod genus Græci vocant γνώμονα.* Nonius: *Gruma, mensura quædam. qua flexa via ad lineam diriguntur: vt est agrimensorum, & talium.* Sequentia sunt corrupta. Vulgò legitur: *Ennius lib. XVIII. grumam dirigere dixit, degrumari ferrum.* Vbi Merula pro *grumam* legit *grumari*: & pro *dirigere* suspicatur legendum *dirruere*. Sanè Glossæ Philox. *Grumari* γεωμετρεῖν. Sed rectum est *grumā dirigere*: quomodo & Nonius interpretatur, *ad lineam dirigere*. Id autem fiebat dioptrico organo, quod γνώμονα, siue *grumam*, dixere. Quare *degrumare ferro* (sic apud Nonium legendum) ferramento capere mensuram castrorum vel agrorum. In iisdem Glossis est, *Grumat*, μετρεῖ, ἰσοῖ. Hinc *degrumare*. Lucillius apud Nonium:

———*Viámque*
Vis degrumari, vt castris mensor facit olim.

Vbi veteres libri, *Degrumari vis, vti castr. m. f. o.* Nempe *degrumari vis* corruptum est, *degrumabis*, *b* in *v* abeunte. Vera igitur lectio,

———*Viámque*
Degrumabis, vti castris mensor facit olim.

Est & alia *grumæ* significatio. Nam in castris quoque *grumæ* erant locus medius, vbi *groma* organum à metatore ponebatur, vt quatuor faceret angulos normales & ita diuideret castra in quatuor partes, quarum viæ in *grumæ* loco conueniebant. Hoc Nonius voluit his verbis: *Grumæ sunt loca media, in qua directa quatuor congregantur & conueniunt viæ.* Idem voluit Hyginus in *Gromatico*, siue de castrorum metatione, cùm ait *grumam* poni in tetrantem. Idem ait *gromam* fuisse prope prætorium, & *gromam appellari, quod turba ibi congruat.* Hoc ostendit, *gruma*, non *groma*, scripsisse. Ac velle in castris sic locum vocatum, qui quasi forum castrense esset, vbi congruerent milites. Sed de etymo errat. Quod non à congruendo, sed quia, ibi cùm castra metari vellent, *grumam* siue γνώμονα, collocarent ad vias castrorum dirigendas. Vt autem à γνώμων est *groma*, & *gruma*: ita à γνωμονικὸς est *gromaticus*: vt *disciplina gromatica*, quæ agrorum mensuram docet. Cassiodorus, lib. III. Var. epist. LII. de eligendo agrimensore: *Hoc enim, per geometricas figuras & gromaticam disciplinam, ita diligenter agnoscitur. Gromatici* igitur γεωδαῖται, vt *gromatice*, γεωδαισία. Sed pro *gromatice* apud Cassiodorum *grammatice* legi solet, sanè ineptè. Quemadmodum verò *gromæ* vsus duplex; in agris, & in castris: ita & *gromatice* duplex. Vnde Hyginus tum *gromaticum* scripsit *de limitibus constituendis*: tum *gromaticum de castrorum metatione.*

GRVMVS, vt Festus describit, *est terra collectio minor tumulo.* Vnde in Glossis Philox. exponitur, σωρός. Ita vsi Cæsar, Vitruuius, scriptorésque rei rusticæ. Ex antiquissimis sic vsurpare Accium, Nonius docet. Qui & à *congerie* dici ait. Nempe quasi *gerumus*. Quod & Perottus probat. Sed is *grummus* scribit: vett. quosdam libros secutus, in quibus similiter *grumma* pro *gruma*. Aliam etiam *grumi* notionem indicat Sosipater, lib. I. cui *grumus* οἱ τῶν ὅρων λίθοι. Similiter Gloss. Græcol. ὅρων λίθοι, *grumi*. Et Gloss. Philox. *Grumuli* (leg. *grumi*, vel *grumuli*, aut *grumili*) Οἱ ὁρίζοντες τοὺς ὅρους λίθοι. Quibus in locis per λίθους intelligo σωροὺς λίθων, *aceruum lapidum*. Nam in *grumo* necessaria est plurium collectio. Itaque & *grumus* dicitur de iis, quæ ex pluribus concrescunt & quasi coalescunt. Vt apud Plinium *grumus salis*, quod Græcis similiter θρόμβος ἁλός. Quæ si princeps esset significatio, deducerem à κρυμὸς, quod est ψῦχος, *frigus*, vt interpretatur Hesychius. *Frigore* enim *res concrescunt*. Becmano placet *grumus* esse à גרם, quod est *pars lapidis, ossis, aut alterius rei diuisa*, à גרם, quod est *confringere*, *comminuere*. Sed hoc non conuenit cum significatione *grumi*, quæ collectionem aut concretionem partium, non diuisionem in partes requirit. Conuenit tamen & rebus minutis; sed quæ ex minutis coaluerint: vt de *grumo salis* diximus. Atque hinc Belgis *mica panis* dicitur *Krumel*, quod sine dubio est ex *grumus*.

GRVNNIO, à γρυλλίζω, mutato λ in ν, quomodo à Syriaco *lux* est *nux*. γρυλλίζω factum à sono *grundilis* istius animalis, qui est γρῦ. Nam propriè *porcum grunnire* docet hic locus Varronis, in Aboriginibus, apud Nonium: *Grunnit tepido lacte satur mola mactatus porcus.* Sosipater: *Mu canum est, vnde dicuntur mutire; sicut gru porcorum, vnde dicuntur grunnire.* Pro *grunnire* vett. dicebant *grundire*: quod Diomedes lib. I. probat ex Cælio Quadrigario, & Cæcilio comico. Item Nonius, partim ex iisdem, partim ex Laberio. Hinc *lares grundiles*: quos Nonius Romæ constitutos fuisse ait in honorem *porcæ*, quæ XXX. pepererat. Idem apud Diomedem legas. Sed hic subiungit auctoritatem Cassij Heminæ, cuius hæc verba, lib. II. historiar. *Pastorum vulgus sine contentione consentiendo, præfecerunt æqualiter imperio Remum & Romulum, ita vt de regno pares inter se essent. Monstrum fit, sus parit porcos triginta, cuius rei fanum fecerunt Laribus Grundulibus.* Hactenus ille. Confirmat hanc sententiam, quod *Laribus grundile* illud *pecus* soleat sacrificari. Horat. lib. II. sat. III.

———*Immolet æquis*
Hic porcum Laribus.

Propertius. lib. IV. el. I.

Parua saginati lustrabant compita porci.

Vel dicendum *Lares* dictos *grundules* à *grunda*: qua de re videque in *Suggrunda* dicemus.

GRVS contractum ex γέρανος, quod idem. Hoc quidam deducunt ab עגור, quod tamen alij non *gruem*, sed *hirundinem* aut

picam, interpretantur. A γέρανος, est *geranium* herba inter cuius folia in cacuminibus capitula sunt *gruum*, vt tradit Plinius, lib. XXVI. cap. XI. ἐπ' ἄκρων τῶν μισχαλῶν ἔχει ἐξοχάς τινας ἀνατετάμενας, ὡς γεράνων κεφαλάς, σὺν τοῖς ῥάμφεσι, hoc est, *in summis alis habet sursum spectantia quasi gruum capita cum suis rostris*: vt tradit Dioscorides. lib III. cap. CXXXI. Ab eadem voce dictus γερανίτης λίθος. Plinius, lib XXXVII. cap. XI. *Ab animalibus cognominantur carcinias, marini cancri colore; echites, vipera; & a grus collo, geranites; hieracites, accipitris.* Item *Gerania*, Thraciæ vrbs. Solinus, cap. XXXV. *Quondam vrbem Geraniam, Catizam barbari vocant; vnde à gruibus Pygmæos feros pulsos.* A *grus* ex veterum mente est *gruere*; indéque *congruere*. Glossæ Phil. *Gruunt*, γεράνιζουσι. Onomasticon vetus, *Gruunt*, Κλαγγάζουσι. Festus: *Gruere dicuntur grues, vt sues grunnire: vnde tractum est congruere, hoc est, conuenire, quia id genus volucrum minimè solinagum est* Idem: *Congruere dictum est a gruibus, quæ se non segregant, siue cùm volant, siue cùm pascuntur.* Ab eodem *ingruere*, simul ac confertim *gruum* more inuadere. Ioh. Saresberiensis, Policratici, lib. I. cap. vlt. *Ciconia, quoniam auis concordia est, aut concordiam inuenit, aut concordiam facit. Grus semper adfert, quod expedit, vnde & gruere verbum antiquum, à quo congruere, quod proficit, & ingruere contra, quod officit: vnde illud.*

——*Bis vitibus ingruit vmbra.*

Hæc ille. Maroniano verò isti à Saresberiense adducto simile est Plauti illud. Amph. Act. I. Sc. I.

Hostes crebri cadunt, nostri contra ingruunt
Vicinius, vi feroces.

Prout optimè restituit Gruterus. Sed ad etymon quod attinet, metuo ne veteres ipsi decipiantur. Nemo enim, quod constet, verbo *gruendi* vtitur. Quid. si igitur dicamus, vt in *redamo*, *prodeo*, *prodigo*, & aliis, *d* assumitur: sic adsciscì *g* in *congruo*, & *ingruo*, veniréque à *ruo*, vt *congruo* sit pro *conruo*; *ingruo* pro *inruo*?

G**RYPS**, γρύψ. Glossæ Philox. *Grupes*, γρύπες. Dicitur & *gryphus*, vnde *gryphas* & *gryphos* apud Plinium legimus. Auis est fabulosa, cui nomen id ab *adunco rostro*. Nam γρυπός, qui *adunco naso*, aut *rostro*. De bello eorum cum Arimaspis ob auri custodiam, vide Herodotum; lib. III. & IV. Ctesiam in Indicis, Pausan. in Atticis, & Plinium. lib. VII. cap. II.

G**VBERNO**, à κυβερνῶ, *K* in *G* mutato: quæ cognatæ sunt litteræ: vt ait Terent. Scaurus. A κυβερνῶ Æoles dicunt κυβερνήτης & κυβερνητήρ, quorum imitatione Latini itidem à *gubernando* dicunt *gubernator*. Κυβερνῶ fortè à גבר, quod est, *superare*, *præualere*, *gubernare*. At illepidum illud Isidori lib. XIX. cap. I. *Gubernio*, *qui & gubernator*, *quasi cobibernator*, *quod cohibeat prudentia sua hiberna*, *id est*, *tempestates maris*. Pro *gubernator* etiam *guber* legas in Glossis Philoxeni: *Guber*, κυβερνήτης. Quæ lectio si integra est, veterum aliquis parte vocis abscissa *guber* dixerit pro *gubernator*, quomodo Ennius, Oscos imitatus, *cæl* pro *cœlum gau* pro *gaudium*. Vide Lipsium, lib. I. Epist. Quæst. XIX. & quæ nos de Titinij loco in Oratoriis Institut. lib. III. cap. V. Etiam *guberna* pro *gubernacula* vsurpat Lucillius.

Proras despoliate & detondete guberna.

G**VLA** fortasse κατὰ μετάθεσιν à לוע, id est, *gula*. Prouerb. XXIII. Vel potius à γύαλον, quod est, κοίλωμα, *cauitas*, teste Eustathio. Alterum sanè horum malim, quàm vt sit à κοίλα, *caua*, Vel ἀπὸ τὸ γυλιὸν; quam vocem alij per duplex λ scribunt. Est autem γυλιός, siue γύλιον, (vtroque modo scribi, ex Hesychio constat) *cophinus*, siue *fiscina militaris*, in qua reponebant cibos, siue alimenta, vt caseum, oliuas, cepe. Pro hac tamen sententia est, quod ait Hesychius Herculem γυλιὸν dici: fortè quia *gulosus*, & βορὸς. A *gula* est *gulo*, idem quod *gulosus*. Ab eodem fortè *guttur*, quasi *gulatur*. Nisi potiùs *guttur* à sono, quem cibus in animantibus plerisque edit: cùm per *gulam* traiicitur. Nam similiter ea pars dicitur *glutus*, vnde *glutto*, & *glutire*: de quibus suo loco. A *gula* quoque *ingluuies*, teste Festo, vt nempe dicatur quasi *ingulauies*. Id magis placet, quàm vt sit ab *inglubo*: quod scribit Iouianus Pontanus, in Actio, vbi addit, *in* augere in hoc vocabulo: vti in aliis multis, quæ apud eum legere potes pag. CXXXVIII. B. edit. Ald. Pontano tamen fauere videntur Glossæ Philoxeni, in quibus legas, *Inglubies*, ἀποδερματισμός. Nam ἀποδέρω, *excorio*, *deglubo*. Sed proprietas vocis eum refellit. Siquidem *ingluuies* dicitur sinus interior circa *guttur*, in quem aues demittunt cibos, priusquam in ventrem recondant. Ita in pullis Columella appellat. Præterea *voracitatem* signat: siue vt Philoxeni Glossæ exponunt, λαιμαργίαν, hoc est, *luxuriam*: seu, vt Onomasticon interpretatur, λιχνείαν, hoc est, *liguritionem*. Ita vsus Terentius. Seu hæc, seu altera prior est significatio, prius etymon placet. Nam & sinus ille cibos præcipiens, (vnde Græcis πρόλοβος vocatur) in *gula* est: & *liguritores*, ac *voraces*, *gulæ* sunt addicti; vnde & *gulosi* dicuntur.

G**VMIÆ** sunt *gulosi*, vnde & nomen si Festum audimus. Sic enim ille: *Ingluuies à gula dicta, hinc & ingluuiosus, & gluto, gulo, gumia, guttur, guttus* (Scal. *glutus*,) *gutturiosus & curculio*. Sed de origine fallitur. Nam vt a *saburra* mulieres *saturas saburratas* dixit, ita, vt Scaliger in Coniectaneis monet, ac Nunnesius, in Grammatistice, *gulosi* dicti à γόμος, quod propriè *saburra*, ἡ εἰς τὸ ἕρμα τοῖς ναυσί, vt scribit Pollux. Nempe à γέμειν, quod est, *plenum onustúmque esse*. Sunt qui pro *gumia* legant *gemia*, quod ad γέμειν propius accesserit. Sanè in MSS[is] Nonij exemplaribus legas, *gemia*, *gulosi*. Lucill. lib. XXX.

Illo quid fiat Lamiâ & Pitho oxyodonte
Quod veniunt gemia, illa (*illepida* legit H. Iunius) *improba, inepta.*

Paullus Merula pro *gemia*, siue vt in vulgatis est, *gemiæ*, legit *gluuia*, vt eiusdem sit originis ac *ingluuies*. Sed Scaliger ex Festo corrigit; *gumia*, Lucilliíque posteriorem versum sic emendat:

Quo veniunt illæ gumiæ, vetulæ, improbæ, ineptæ.

Vsus eodem Lucillius, apud Ciceronem. II. de Fin.

——*Compellans gumias ex ordine nostros.*

Vsurpat & Appuleius, Apol. I. *Gumia cuiusdam & desperati lurconis*. Estque à *gumia*, *degumare*, siue *degumiare*, si vera eiusdem Scaligeri correctio apud Festum. Nam in vulgatis est: *Degunere*, *degustare*. Imò in Glossis quoque Philoxeni legas, *Degunere*, ἀπογεύσασθαι, ἢ σίγασαι. Sed hic quoque *degumiare* vel *degumare* legendum. Pro σιγάσαι verò σιγάσαι scribendum, vt monuit Bon. Vulcanius.

G**VMMI**, vt Isidorus ait, lib. XVII. cap. VII. est à Græcis, quibus dicitur κόμμι. Conuersa tenuis in mediam.

G**VRDVS** Hispanicum est, quibus hodiéque *gordo* significat *pinguem*, sed pro *stolido* vsurpatum more Græcorum, quibus παχὺς propriè *pinguem*, & per translationem notat *stupidum*. Quinctilianus, lib. I. cap. IX. *Gurdos, quos pro stolidis accipit vulgus, ex Hispania duxisse originem audiui.* Legas & *gurdi* vocem in vett. Glossis.

G**VRGES** non à *gula*, vt Perottus voluit: sed à *sono* factum. Apte eum sonum expressit Maro, II. Æn.

——*Clauso fit gurgite murmur.*

Eundem sonum habes in verbo *gargarizare*, & Belgico *gorgelen*.

G**VSTO** non à *gutture*, vt voluit Perottus; sed à γευστὸς, quod verbale à γεύομαι, *gusto*. Hinc *gustum*, γεῦμα, vt exponunt Glossæ. Legas apud Apitium, de re culin. lib. IV, cap. V. A quo diminutiuum *gustulum*, apud Appuleium II. & IX. Met. Ab *gusto* erit *gustatorium*, γευστήριον, vt Glossæ vett. exponunt. Id erat, ex quo in caupona gustarent merum. Vnde & *meraria* vocabatur. Eædem Glossæ: *Meraria*, γευστρίς.

G**VTTA**, & *stilla*, vt veterum quidam distinguant, ostendimus in *Stilla*. Petro Nunnesio, in Grammatistice sua placet *gutta* esse à σταγὼν, quod idem notat. Sed nimis abeunt literæ. Quare potiùs dicitur *gutta* quasi *chuta*; χυτὴ à χέω, hoc est, *fundo*. Funditur enim. Itaque idem sunt ἐπίχυσις, & *guttus*. Dicebatur ita, quòd vinum eo funderent *guttatim*, quod Græci dicunt ἐπιψεκάζειν, Latini *irrorare*, vt Persius. sat. VI.

Ipse sacrum irrorans patinis piper.——

Fuisse autem ἐπίχυσιν æneam docet Athenæus, qui & Menandrum vsurpare probat. E Latinis Græca *epichysis* voce vsus Plautus, Rudente, Act. V. Sc. II. Aliàs *epichysis* est genus vasis coquinarij, vt ex Aristophane ostendit Pollux, lib. X. cap. XXIV. *Guttum* Samium legas apud Gellium, lib XVII. cap. VIII. De ea voce sic Varro, lib. IV. de L.L. *Quo vinum dabant, vt minutatim funderent, à guttis guttum appellarunt: & quo sumebant minutatim, à sumendo simpulum nominauere.* Quo ex loco discimus, eo modo *guttum* & *simpulum* differre, quo *epichysin* & *cyathum*. Nam ex *epichysi*, seu *gutto*, fundebant *guttatim* in *cyathum*, seu *simpulum*. Tantùm hoc discriminis est, quod ἐπίχυσις, & κύαθος, Græca sunt, *guttus*, & *simpulum*, Latina. A *gutta* quoque est *gutturnium*, quod idem videtur *gutto*. Glossæ Philoxeni: *Gutturnium*, Εἶδος καδίου ἱερατικοῦ. Ex *gutturnium* factum *coturnium*. Festus: *Coturnium*, *vas*, *quo in sacrificiis vinum fundebatur.* Græcis *gutta* dicitur σταγὼν à στάζω, pro quo & σταλάω, & σταλάζω dixere, vnde σταλαγμὸς, hoc est, *destillatio*. Item σταλαγμίας *chalcanthi purissimi genus*, quia sit *stiria*, seu *gutta*, simile. Docet id Plinius, lib. XXXIV. cap. XII. Vbi inter alia de *chalcantho* sic ait: *Fit & pluribus modis, genere eo in scrobes cauato: quarum*

à *late*

à lateribus distillantes hyberno gelu stirias, stalagmiam vocant: neque est purius aliud. Est & inaurium genus dictum *stalagmia*, quia σταλαγμῷ, seu *guttæ* sit simile: Nisi cum Hermolao Barbaro sic a *stalagmia* chalcanthi genere dici malis. Festus: *Stalagmium genus inaurium videtur significare.* Cæcilius in Karine: *Ex aure eius stalagmium Domi habeo.* Inauris & *stalagmij* vocem per appositionem iunxit Plautus, Menæchmis, III. III.

Amabo, mi Menæchme, inaures da mihi
Faciundas pondo duûm nummum stalagmia,
Vt te libenter videam, cùm ad nos veneris.

GVTTATVS est color equi; de quo sic Isidorus, lib. XI. cap. I. *Guttatus, albus nigris intervenientibus punctis.* Nempe nomen ex eo, quia puncta illa *guttarum* instar adspersa. Sic equum *guttatum* dixit Palladius. Gallinas quoque Numidicas similiter *guttatas* dixit Martialis, lib. V.

GYMNASIVM, Græcis, γυμνάσιον, à γυμνάζω, hoc est *exerceo*, ac propriè *nudum me exerceo.* Est enim à γυμνὸς, hoc est, *nudus*, vnde est, quod appellationem hanc ludis literariis conuenire negat Iul. Scaliger, lib. I. de re poët. cap. XXII. *A nudis*, inquit, *dicta gymnasia, quod nomen haudquaquam conuenit literariis ludis; nusquam enim minus quàm in tam sanctis sodalitatibus nudos agere conuenit.* Cicero tamen in Orat. & Plinius in epist. vtitur pro *philosophorum scholis*. Nec mirû, quando γυμνάσιον non est αὐτόθεν à γυμνὸς, sed à γυμνάζω, quod ἁπλῶς significat *exercere*. Videntur autem *scholæ* hoc nomine non tam μεταφορικῶς dictæ, quam quod philosophi olim ea ad philosophandum loca elegissent, in quibus in palæstra iuuentus exerceri solita erat. Nam multò antè fuisse *gymnasia*, quam in iis philosophi docere, aut disputare, cœpissent, auctor est Cicero, lib. I. de Orat. Quæritur autem, an athletæ omnino nudi essent. Sanè certasse omnino nudos, solum oleo inunctos, & puluere arenâque conspersos, satis argumento est quod & Augustus Cæsar vetuit ne feminæ istiusmodi spectaculis interessent. Auctor quoque est Thucydides, lib. I. olim quidem athletas fibulatis campestribus certasse, sed suo æuo nudos: in Asiâ tamen seruari veterem modestiam. Fusè hâc de re Petrus Faber, lib. II. ἀγωνιστ. cap. II. & IV. Porro aliud longè *gymnastica* ac *gymnica*: illius finis est sanitas quæ exercendo corpus comparatur aut conseruatur: huius vero finis victoria est. De ludis *gymnicis* videre potes Onuphrium Panuinum, lib. II. de ludis Circensibus, cap. I. ac imprimis Hieron. Mercurialem, libris de arte *gymnastica*.

GYMNOSOPHISTÆ Ægyptiorum & Æthiopum sunt sacerdotes, vt Indorum *Brachmana*, siue *Brachmanes*. Hieronymus in Ezechielis, cap. XIII. *Indorum Brachmanes, & Æthiopum Gymnosophistæ.* Idem ad Lætam de institutione filiæ: *Quod & Indorum Brachmanes, & Ægyptiorum Gymnosophistæ, in polentæ & orizæ, & pomorum solo obseruant cibo.* Sidonius, lib. VIII. epist. III. *Ad Æthiopum Gymnosophistas, Indorúmque Brachmanas peregrinere.* Confudit tamen hæc nomina Tertullianus, in Apolog. *Neque enim Brachmanæ, aut Indorum Gymnosophistæ sumus, syluicolæ & exules vitæ.* *Gymnosophistæ* autem dicti; quasi γυμνοὶ σοφισταὶ, quia *nudi* incederent per opacas solitudines, summámque ad tolerantiam se exercerent. Vide quæ de sapientibus Indiæ ex Onesicrito scribit Strabo in quindecimo.

GYPSVM, γύψος, quod idem. Hinc apud Petronium *amphoræ gypsatæ*, quæ *occlusæ* erant *gypso*. Item *manus gypsatissimas* de Medea ait Tullius, quia barbaræ *gypso* vterentur, vt conciliarent manibus candorem. Vel quia histrionibus is mos esset, eóque & hoc fecisset, qui Medeam in scenâ repræsentasset.

GYRVS, à Græco γῦρος. Cyrillus, siue Iohannes Philoponus: Γῦρος, γύρου, ὁ, *ambitus, gyrus, penultima circumflectitur*: Γυρός, γυροῦ, ὁ, *rotundus, acuitur.* Verùm Eustathius in Odyss. T. γυρὸς pro *scrobe* ἐξάπασιν facit: ac similiter apud Hesychium legimus, γυροί. βόθροι. Est γῦρος à γυρὸς vel γυρὸς, hoc est, *curuus*. Estque *curuus* vel a γυρὸς, vel à κυρτός. Vtrumque *curuum* notat. De quo seorsum. A γυρὸς fortasse γυρῖνοι, quomodo μικροὶ βάτραχοι dicebantur teste Suida. Nempe ob *rotunditatem*. Plinius, lib. VIII. cap. LI. *Ranæ pariunt minimas carnes nigras, quas gyrinos vocant, oculis tantum & caudâ insignes, caudâ findente se in posteriora.*

H

HABEO ab ἄβω, id est, *habeo*. Hesychius. ἄβεις, ἔχεις. Idem habet Phauorinus; atque addit, ita loqui Pamphylios. In quo si fallit, proximum fuerit deducere à Græco ἁφὴ, hoc est, *tactus*, seu ἅπτω, *tango*, *tracto*. Vel ab Hebræo יהב, hoc est, *dedit*. Quia *habet* quisque id quo *donatus*. Vnde *praditus* pro *habente*. Interdum *habeo* notat *habito*: quomodo Nonius docet locutos Accium, Plautum, Sallustium, Maronem. Nec mirum, cùm ex eo *habito* dicatur. Seruius ad illud Ecl. II. *Atque humiles habitare casas.* Sanè inquit, *melius; habeo illam rem, quàm habito in illâ re. Nam etiam principalitas huius verbi frequentatiui accusatiuum regit: vt habeo illam rem.* Ab *habeo* est *habitus*, quod interdum adiectiuum; indéque *habitior*, hoc est, *pinguior*, vt exponit Verrius Flaccus. Item *habitissimus*, quo vsus Agellius lib. IV. Eiusdem originis est *habitudo*. Græci eodem modo dicunt εὐεκτεῖν, quo Latini *habitiorem esse*. Ab *habendo* quoque dictæ *habenæ*, teste Agrætio, & Isidoro. Nempe quia iis *inhibentur* equi. A *de* & *habeo* est *debeo*, quasi *de alio habeo*. Quomodo Terentius in Phorm. ait II. II.

Agrum de nostro patre colendum habebat:

Nunnesio in Grammatistice placet *debeo* esse ab ὀφείλω. Mihi alterum illud magis arridet. Similiter sanè à *præ* & *habeo* est *præhibeo*, vnde per συγκοπὴν *præbeo*. H perit, vt in *nemo*, ex *ne* & *homo*. Integro *præhibeo* vsus Plautus, Pseud. I. II. atque alibi. Hinc *prabenda* pro *prabitione*. Gloss. *Prabenda*, παροχή. Similia, *inhibere, perhibere*, &c. De voce *inhibendi* elegans est locus Ciceronis lib. XIII. epist XXI. ad Att. vbi docet aliud esse *inhibere*, aliud *retinere*. *Retinere* propriè aurigam, cùm equorum cursum adductis habenis sistit: *inhiberi* autem nauem, non cùm remiges nauem sistunt, sed cùm alio modo nauigantes eam conuertunt ad puppim. Ibidem Tullius ait *inhibendi* verbum totum esse nauticum, non quia nesciret seu etymon, seu vsum spectes, latiùs patere, sed quia apud Tullium est ἀντίθεσις inter *aurigam*, & *remigem*, ac ille propriè *currum retinere*, aut *sustinere*: hic *remos* propriè *inhibere* dicatur. Quam eius loci sententiam non satis perspexit vir eruditus in Etymologico suo. Ab *habeo* quoque est *cohibeo*: vnde *cohibile*, quod facile *cohibetur*, geritúrque. Gloss. vett. *Cohibilis, facilis*, εὐχερής. Nempe *cohibile* vocatur, quod optimè manu teneri & circumferri potest: vt sunt, quæ ἐγχειρίδια vocamus, quia manu queant claudi. Hinc *cohibiliter*. Vsus Appuleius in Apolog. *Ordinatius & cohibiliùs eadem Græcè & Latinè adnitar describere.* Sententia est: quæ ab alijs fusè & confusè scripta sunt; ea & ordine & breuiter perstringam. Contrarium est *incohibile*; vt *ardor incohibilis*, apud Ammianum, lib. XIV. hoc est, qui difficulter *cohibetur* ac *reprimitur*. Imò apud Gellium quoque lib. V. cap. III. vbi de Protagora & Democrito, *onus impeditum atque incohibile.* Nempè quia difficile foret ita caudices componere, vt expeditè geri possent. Ita plerisque libris perperam est *incohibile*. Ab *habendo* quoque est *debilis* quasi *dehabilis*. Pro eo *debil* dixit Ennius, qui detruncatis vocibus gaudet: vnde apud eum *cal*, *gau*, alia. Item *prohibeo*, quasi *porro habere*; vt *prodigere* quasi *porro agere*. Differunt *prohibere*, & *vetare*, quod illud fit factis, hoc dictis. *Probus* quoque quasi *prohibus* dici ostendimus seorsum. A *re* & *habeo* est *redhibeo*, D inserto ob sequentem vocalem, vt in *redire*. *Redhibitum*, Festo teste, *id propriè dicitur, quod redditum est, cùm qui dedit, idem rursum coactus est habere id, quod ante habuit.* Itaque apud Plautum, Mostell. Act. III. Sc. II. ait senex de ædibus, quas vili emptas putabat, ac eopse precio reddi venditori nolebat:

———Si malè empta
Forent, nobis hanc has redhibere liceret.

Hinc *redhibitio* Fabio & Iurisconsultis: quæ Græcè ἀναγωγή, vt ex Hesychio cognoscere est.

HÆDVS, in antiquis non raro per Æ scribi agnoscit Pierius, ad Ecl. I. In vulgatis per OE exaratur. Quasi *fœdum* dici aiunt. Esse enim *hircum* animalium omnium *fœdissimum*. Sanè Sabini pro *hædus* dixere *fædus*. Varro, IV. de L. L. *Hircus, quod Sabini fircus, & quod illic fedus, in Latio rure hedus, quod in vrbe, vt in multis, a addito hædus.* Idem scribit Velius Longus, lib. de Orthograph. Sunt, quibus placet *hædus* esse αἰδὼς, id est, *pudor*, quia sit animal *lasciuum*, vnde Ouid. XII. Met.

———Tenero lascinior hædo.

Sed non dubium quin *hædus* dicatur quasi *hedus*, à גדי, quod idem. Diminutiuum eius est *hædillus*. Plautus, Asin. II. III.

Agnellum, hædillum me tuum dic esse, vel vitellum.

HÆMATITES, αἱματίτης, lapis *sanguinei coloris & sanguinem sistens*. Hesychius in Leuit. lib. XVI. cap. VIII. *Hæmatites rubore sanguineus est, ac propterea hæmatites vocatur.* Αἷμα, *sanguis*. A quo & ὁ αἱμοῤῥοῦς Dioscoridi, aliis *hæmorrhois*, aspidis genus, vel aspidi similis, sic dictus, quia efficit αἱμοῤῥοΐαν, *sanguinis profluuium*; vt Solinus ait. Similiter Isidorus: *Hæmorrhois aspis nuncupatur, eò quòd sanguinem sudet, qui ab eo morsus fuerit.*

HÆREO ab αἱρέω, quod est *capio, prehendo, corripio*. Habet igitur Latinum *hæreo* notionem μεταληπτικήν. Nam priùs *prehendi* quid debet, quàm ei *adhærere* possit. Αἱρέω quoque notat *eligo*, imò primaria hæc sit notio, si quidem fuerit à ברר,

id

id est, *eligere*. Ab hac eius verbi notione est αἵρεσις, *electio*, & speciatim *electio dogmatis*, atque *ipsum dogma*. Ita quatuor dicimus esse principis philosophorum αἱρέσεις; *Academicam*, *Peripateticam*, *Stoicam*, & *Epicuream*: quas signat Maro in Ciri:

Si me iam summâ sapientia pangeret arce,
Quatuor antiquis quæ hæredibus est data consors.

Cicero, de Catone Stoico: *Est in ea hæresi, quæ nullum sequitur florem orationis.* Christianis αἵρεσις est *dogma aduersans principiis religionis Christianæ*. Nam horum tantummodo habitus efficit Christianum. At *conclusionum habitus*, non ἁπλῶς *Christianum*, sed *Theologum*, efficit. Quare laxe nimis Hesychius; Αἱρετικός, ὁ αἱρῶν τι παρὰ τὴν ἀλήθειαν αἱρούμενος λέγων.

HALEC non est, qui *harengus* vulgo barbaro, sed necessario vocabulo dicitur, (nec enim, qui *harengum* dixerint antiqui, satis constat.) neque item est *mæna* seu μαινίς, quamquam Gaza id *halecula* vertat: ac in Onomastico quoque sit: *Halec*, μαινίς; sed *halec* generatim dicitur partim omnis pisciculus minutus, ac vilis muriâ conditus: partim liquamen ex tabefactis piscium intestinis, seu fex piscium; vnde Plinius, lib. XXXI. cap. VIII. vbi cùm dixisset ciuitates quasdam *garo*, alias *muria* laudari: subiicit hæc verba: *Vitium huius alex, imperfecta, nec colata fex*. Meminit Horatius, sat. IV. lib. II.

———Ego fæcem primus & alec
Primus & inueni piper album.

Vbi *fecem* & *alec*, cur dicat, ex superiori Plinij loco patet. Est enim ἓν διὰ δυοῖν. *Halecem* vero piscis quoque nomen esse, non ex Sosipatro solùm & Prisciano patet: sed etiam Columella, cum de cibis piscium, qui in vinariis seruantur, sic inter alia scribit, lib. VIII. cap. XVII. *Hinc esca recentium mollior esse debet, quam saxatilium: nam quia dentibus carent, aut lambunt cibos, aut integros hauriunt, mandere quidem non possunt. Itaque præberi conuenit tabentes haleculas, & salibus exesam chalcidem, putrémque sardinam, nec minus scombrorum branchias, vel quicquid intestini pelamis aut lacertus gerit: tum scombri, carcharique & elacatæ ventriculos: & ne per singula enumerem salsamentorum omnium purgamenta, quæ cetariorum officinis euerruntur.* Hactenus Columella. Sed & Isidorus, lib. XII. cap VI. *Halec pisciculus ad liquorem salsamentorum idoneus vnde & nuncupatus.* Fortasse tamen non *piscis* à *liquore* nomen accepit, quod sentit Isidorus: sed *liquor* à *pisce*, quod meo iudicio, omnino verius est. Nam cùm *halex*, & *halecula*, piscem ipsum notet, vti Isidorus agnoscit, & ex Columellà, aliisque, diximus: planè verisimile est, eâ ratione *liquaminis* nomen esse à *pisce* impositum, quâ *garo* nomen impositum, quia fieret è *pisce garo*: vt liquidò scribit Plinius, lib. XXXI. cap. VII. ac Isidorus ipse docet, lib. XX. cap. III. Piscis verò *halex* dicitur ab [illegible] id est, ἁλμυρός, *salsus*. Sin magis placet, prius dici de *muriâ*, sicut ab ἅλμη seu [illegible], hoc est, [illegible], *salsugo*. Sunt verò hæc ab ἅλς, *mare*. De *halece* nonnulla etiam vide, lib. II. Exercitat. Gramm. quo loco agimus de genere nominum in C exeuntium.

HALIÆTUS, siue *haliaetus*; ἁλιαετός, seu ἁλιαιετός, quasi diceres, *aquila marina*, ab ἅλς, id est, *mare*, & ἀετός, seu αἰετός, id est, *aquila*. Plin. lib. X. cap III. vbi de aquilarum variis generibus tractat. *Superest*, inquit, *haliaetos, clarissimâ oculorum acie, librans ex alto sese, visóque in mari pisce, præceps in eum ruens, &, discussis pectore aquis, rapiens.* Quadrisyllabon est Ouidio, VIII. Met.

Et modo factus erat fuluis haliætus in alis.

At pentesyllabon est Maroni, in Ciri.

Fecit & in terris haliaetus ales vt esset.

Nempe quia & Græcè dicitur ἁλιαιετός, ab αἰετός. Quomodo & vox vtraque perscripta apud Aristotelem lib. IX. de Hist. anim. cap. XXXII. Quare minùs rectè Vlysses Aldrouandus, lib. II. ὀρνιθολογ. cap. III. damnat Varinum, quòd scripserit ἁλιαίετος, quinque syllabis. Poetis dicitur hæc auis *Nisus*, quia, vt aiunt, Nisus, Megarensium Rex, in eam sit conuersus. Sed doctissimus Gesnerus scitè ab Hebræis vocis originem arcessit, quibus *aquila* dicitur נשר, *nescher*. Alberto Magno, quem vulgus hac in parte sequitur, *nisus* est *accipiter fringillarius*. Quod si placet, erit *nisus* ab Hebræo נץ, *nez*: quod *accipitrem* notat. At Albertus Magnus ei voci Latinum etymon quærit. Sic enim scribit: *Accipiter minor Latinè nisus vocatur, à conatu ad prædam, quia nititur capere aues se fortiores, vt columbam, anatem, corniculam.* Sed & in etymo fallsus & in eo quòd *nisum* facit *accipitrem*, quem *haliaetum* esse clare cum alij antiqui testantur, tum Maro in Ciri; & Ouid. fab. I. lib. VIII. Met. At quia de *haliaeto* diximus, addamus item de *chrysaeto*, *melanaeto*, & *gypaeto*, quæ aues sunt diuersæ, sed affines & eiusdem, si vocem spectes, originis. *Chrysaetus*, χρυσαετός sonat *auream* seu *fuluam aquilam*. Nam χρυσός *aurum*. Albertus Magnus non suo, sed barbari seculi vitio, *herodium* vocat, quasi *auium heroem*: quo sensu *auem regalem*, dixit Appuleius. *Melanaetos*, μελανάετος, signat *aquilam nigram*: Quippe μέλας, *niger*. Quare rectè Gaza *pullam* verterat male idem *fuluam* vocat. Nam id est *chrysaetus*. Vocatur & *valeria*, idque, vt videtur, quia robore valeat. Plin. lib. X. cap. III. *Melanaetos, à Græcis dicta, eademque Valeria, minima magnitudine, viribus præcipua.* Gypaetos, γυπαετός est *aquila vulturina*, à γύψ, *vultur*. Sed Gaza apud Aristotelem pro eo legit ὑπαετός, vnde vertit *subaquilam*, vt sic dicatur, quia *spurium* sit *aquilæ genus*. Aristoteles, lib. IX. de hist. anim. cap. XXXII. aliter ait vocari, tum *oripelargum*, ὀρειπέλαργον, quasi diceret, *montanam ciconiam* (nam ὄρος, *mons*, πελαργός, *ciconia*,) tum *percnopterum*, περκνόπτερον; nempe quòd *alas habeat punctis ac maculis nigricantibus interstinctas*. Nam περκνόν, *nigrum*, *nigro colore distinctum*, *varium*: πτερόν verò *ala*. Cælius Rhodiginus, lib. XXVI. Antiq. cap. XXIX. censet *percnopterum* esse id aquilæ genus, quod Homerus Il. ω. μόρφνον appellat, atque aliis περκνόν vocari addit. Verba Homeri sunt.

Αὐτίκα δ' αἰετὸν ἧκε τελειότατον πετεηνῶν
Μόρφνον θηρητῆρ', ὃν καὶ περκνὸν καλέουσι.

Verùm fallitur Cælius. Nam, quod & res & appellationes indicant, περκνόν est is color toto corpore, qui *percnoptero* est in alis. Porrò Græcas hasce appellationes retinet Plinius, lib. X. cap. III. *Quarti generis est percnopterus, eadem oripelargus, vulturinâ specie, alis minimis, reliqua magnitudine antecellens, sed imbellis, & degener, vt quam verberet coruus.*

HALIMUS, ἅλιμος, herba, ex eo sic dicta, quia *salsa*, ac *iuxta mare crescit*. Nam ἅλιμος, *salsus*, & *iuxta mare proueniens*. Hesych. Ἅλιμος, θαλάσσιος. Item: Ἅλιμοι παραθαλάσσιοι θάλασσης γειτόνοι. Idem: Ἁλιμοῦς καὶ ἀλίμους, βοτάνας διαφόρους ἐπὶ θαλάσσῃ ὅμοιαι φυτοῖς τίνας. At diuersa herba est *alimus*, ἄλιμος, cui nomen ab α στερ. & λιμός, *fames*. Solinus, cap XVII. de Creta: *Herba ibi est, quæ alimos dicitur: ea admorsa diurnam famem prohibet.*

HALO verbum proximè literis accedit ad χαλῶ, *laxo*, *remitto* Qui respirat, spiritum laxat, & remittit. Vel, id si longius petitum videtur, ab ἄω, *spiro*, inserto *L*. Sed *halo* nomen est Græcum, ἅλως, hoc est, *area*. Ita *circulum siderum* dixere, *quia fere ferendis frugibus loca destinata sunt rotunda*: vt Seneca ait, lib. I Quæst Nat. cap. II.

HALOPHANTA, vox à Plauto ficta ad exemplum vocis *sycophanta*. Nam vt hoc à σῦκον, & φαίνειν; ita illud ab ἅλς, hoc est, *mare*, ob *vestitum nauticum*. Locus est, Curculione, IV I.

Halophantam, an sycophantam hunc magis esse dicam nescio.

Aliter tamen Festus, qui *halapantam* legit, hoc est, *omnia mentientem*, ab ἅλη, hoc est, πλάνη, & πᾶσαν. Aliter quoque Nonius, qui ab ἅλη & φαίνω deducere videtur, vt cum notet, qui *confinxit mendacia*. Aliter quoque Turnebus, qui lib. II. cap. V. *holophantam* legit, hoc est, ὁλοφάντην, quasi *qui sit totus in ostentatione*. Aliter denique Alciatus παρεργ. & Palmerius, in spicileg. quorum opiniones adtexere mera sit mora. Ipsos sis vide, ac imprimis Iosephum Scaligerum ad Festum, in *halapanta*; & Guilielmum Canterum, lib. IV. Var. Lect. cap. X. quorum vterque eius est sententiæ, quâ primò adducebamus.

HALTER ἁλτήρ, *massa plumbea*, quam saltantes tenerent tum ad se librandum, tum ad meliùs exercendum, sudorémque euocandum. Nomen igitur ἀπὸ τοῦ ἅλλεσθαι, id est, *saltare*. *Halteras* signat Iuuenalis sat. VI.

———Magno gaudet sudare tumultu
Cùm lassata graui ceciderunt brachia massâ.

Vbi vetus interpres: *Alteras dicit, quibus vtuntur athletæ, cum exercent, quasi plumbeis ponderibus exercentur.*

HAMA apud Iuuenalem inuenitur, sat. XIV.

Dispositis prædiues hamis vigilare cohortem
Seruorum noctu Licinus iubet.

Vbi vetus interpres: *Per translationem disciplinæ militaris sparteolorum Romæ, quorum cohortes in tutelam vrbis cum hamis, & cum aqua vigilias curare consueuerunt vicinis.* Mentio etiam *hamarum* fit l. III. sciendum. D. de offic. præfect. vig. l. XII. §. si domus. D. de instru. vel instru. item Plin. lib. X. epist. XLII. *Nullus vnquam in publico sipo, nulla hama, nullum denique instrumentum ad incendia compescenda.* Satis ex hisce liquet *hamarum* fuisse vsum in restinguendis incendiis. Sed quale fuerit instrumentum, disconuenit. Volunt aliqui fuisse instrumentum *hamatum* siue *falcatum*, atque ita dici vel ab *hamus*, vel potiùs, cum dispar sit in istis quantitas, ab ἄμη, id est, *falx*, quod ab ἀμάω, *metere*, vti hoc ab ἅμα, *simul*, quia qui metit, colligit. Sed planè censeo, *hamas* fuisse vasa quibus aquam haurirent ad incendia restinguenda. Atque ita etiam Turnebus, lib. XIX. cap. XXIII. Sanè pro *vase* clare capit Cato de R.R.

cap.

cap.CXXXV. *Hama, vrna olearia, vrcei aquarij, vrna vinaria, alia vasa ahenea. Capua emenda.* Etiam Plutarchus libro de solert. animal. Ὧν ἄμαις καὶ σκάφαις ὑμῖν ἐκ τῶν βασιλικῶν ἀφθονίαν ἠρύεσθαι ἡ καλὴ Ῥώμη παρέχει. *Quorum ex imperatorum spectaculis amâ & scaphâ hauriendi copiam inclyta nobis Roma suppeditat*; etiam Belgica *ame*, & *emmer*, quæ vasa sunt hinc profecta videntur. Ab *hama* est *hamula*. Columella, lib.x.

Aut habilem limphis hamulam, Bacchoue lagenam.

Vsus & vulgatus interpres, 1.Reg.VII. XL. & XLV. vbi LXX. φιάλας, soret Iunius *crateres*.

HAMVS, primò fuit *amus*, ab *am*, id est, *circum*, quemadmodum ait Iouianus Pontanus, in Actio, fol.CXXXII. edit. Ald. Melius Perottus deducit ab ἅμμα, id est, *vinculum*, quod ab ἅπτω, *necto*. Nam *hamo* velut ferreo vinculo aliquid adnectitur. Ab *hamus* est *hamatilis*; vt a *saxum*, *saxatilis*. *Hamatilem piscatum* dixit Plautus, Rud.II.1. hoc est, *qui hamo fit*. In Onomastico exponitur ἀγκιστρευτόν. Ab eodem est *hamare*, id est, *hamo capere*. Onomasticon: *Hamo*, ἀγκιστρεύω. Petronius: *Artis senera si quis hamas affectus*. Claudianus, lib.II. in Ruf.

Flexilis inductis hamatur lamina membris.

Hinc Vitruuio, lib.VII. cap.IV. *hamata tegula* dicuntur, quæ margines habent vtrinque extantes: vnde *vncinatas* interpretatur Daniel Barbarus. Item *adhamare*, vt ab *vncus* *aduncare*. *Adhamo* in veteri Glossario exponitur ἀγκιστρεύω; vt *adunco*, ἐπικάμπτω. Priori illo vsus Cicero apud Nonium: *Qui honores adhamauerunt*. Falluntur, qui hic, Nonio oscitantiæ crimen impingentes, *adamauerunt* a Cicerone scriptum fuisse aiunt.

HAPSVS, legas apud Corn.Celsum, lib.VII.cap.XXVI. *Tum multo is oleo perungendus, inducendus, que hapsus lana mollis tepido oleo repletus, qui pubem, & coxas, & inguina, & plagam ipsam contectam eodem ante se linteolo protegat; isque subinde oleo tepido madefaciendus est, vt neque frigus ad vesicam admittat, & neruos leniter molliat.* Quantum videre possum, *hapsus* est vinculum, aut cingulum, quo pars affecta velatur cingiturque: atque eiusdem originis est ac ἅμμα, quod *nexum* & *vinculum* notat. Nempe ab ἅπτω, *necto*, *alligo*. Alias ἡ ἁφὴ est *nexus* & *iunctura membrorum*, sed per catachresin ipsa signat *membra*, iuxta Etymologum.

HARA fortasse à χοῖρος, *porcus*. Vel est ab Hebræo חור, siue Arabico חרא, at potiùs Chaldæo חריא. Significant hæc *excrementum*, *stercus*. A חרא, ex Becmanni sententia, etiam est χρῶ. hoc est, μολύνω, *inquino* prout interpretatur Hesychius. Sed hoc potiùs factum ex χρώζω, à χρῶς, id est, *color*. Nam primò notat *coloro*, μεταφορικῶς verò *inquino*, *polluo*; quomodo & χρώζω (quod ipsum quoque à χρῶς fit, quasi χρόζω) primò notat *colore tingo*, *fuco*; secundariò *decoloro*, *fœdo*, *polluo*.

HARIOLARI, *diuinare*, *vaticinari*: ab *hariolus*, vnde & *hariola* apud Plautum. Gloss. vett. χρησμῳδὸς, *hariola*, *sortilegus*. Tales *farmodaces* quoque vocari notat ad Eusebium Scaliger. *Hariolus* prius fuit *fariolus*, vt *hædus*, *fœdus*; *hordeum*, *fordeum*: & dictus *fariolus* a *fari*, siue *fando*. Vel nomen accepit ab *ara*, spiritu adiecto. Sanè in vett. Glossis vertitur βωμονίκης. Vel ab *halando*, quia *halitu* soleat mortalem animam quasi excludere, vt recipiat diuinam. Sed primum malim. Vide Donatum ad Terent. Phorm. act.IV. IV. *interdixit hariolus*; & Terentium Scaurum, initio libri de Orthographiâ.

HARMONIA, ἁρμονία. Musicis ita dicitur *concentus*: at propriè ita vocatur *apta omnis commissura ac compages*, ab ἁρμόζω, quod ab ἁρμὸς, vti hoc ab ἄρω, *apto*. Ab *harmonia*, Musicæ pars *Harmonica*, vti duæ aliæ *Rhytmica*, & *Metrica*, vt Isidorus docet, lib.III cap.XVII.& XVIII.

HARPAGO, nunc nomen est, nunc verbum. Posterius inuenitur apud Plautum, Aul.II.II. *Aurum mihi intus harpagatum est*, id est, ἥρπασται, siue ἀρπαγμένον ἐστί. Est igitur *harpagare* ab ἁρπάγη, *rapere*, quod ab ἁρπάζω, *rapio*. At *harpago* nomen, quod & ipsum penultimam corripit, legitur apud Cæsarem, lib.I. de bello ciuili, vbi *manus ferreas atque harpagonas* coniunxit. Ac Stewechius ad Vegetium docet ex Dione, vt duo hæc differant: nempè quòd *harpago* celeritèr emitteretur ac retineretur: *manus ferrea* cum pondere decideret, ac retineret, quicquid amplexa foret. Curtius tamen pro iisdem habet, lib.IV. *Ferreas manus (harpagonas vocant) quas operibus hostium inijcerent.* Anacharsidem *harpagonas* inuenisse, scribit Plinius, lib.VII. cap.LVI. Est autem *harpago* ex ἁρπάγων, quod tamen apud Græcos non reperias: sed Græcam terminationem retinet Curtius vt verisimile sit Græcorum vulgus sic loqui solere. Satis autem liquet nomen esse ἀπὸ τοῦ ἁρπάζειν, quia quicquid prehenderet, *raperet*. Vnde & ἁρπάγη. Quod & ipsum Latini vsurpant. Erat inter ea, quibus muros oppugnarent Sisenna apud Nonium: *Falces iniectas communiunt, in eos propius collocatis harpagis deijciunt.*

HASTAM, quamquam in vett. & lapidibus & libris (quemadmodum Aldus in Orthographia testatur) scribatur cum spiritu aspero: ab *astu* tamen deducit Isidorus, lib. XVIII. cap.VII. ab *astando*, hoc est, *adstando*. Varro, lib.IV.de L.L. *Hasta*, inquit, *quòd astans solet ferri*. Ac ridiculè quidem Isidorus, vt & cùm lib. XVII cap. VI. *hastulam ab auferendo* dici ait, quasi *abstulam*. Nam quis non videt, *hastula* esse diminutiuum ab *hasta*? Varro autem satis aptè. Nam antiqui *asta* dicebant absque spiritu: *astare* item dicebant pro *adstare*, vt *assum* pro *adsum* apud Plautum Pœn.act.I.sc.II. & Trucul. act. IV. sc. IV. Ponebatur & *hasta* pro *auctione*: quia ea cùm esset, *hasta* erigebatur. Festus: *Hasta subijciebantur ea, quæ publicè venundabant, quia signum præcipuum est hasta*. Hinc in Onomastico veteri *hastarium*, λαφυροπωλεῖον. Quæ vox à λάφυρον, *spolium*, *præda*. Cùm nempe venderentur bona prædâ capta. Sed & ita dicebatur, cùm proscriptorum bona publicè diuenderentur. Ab *hasta* est *hastile*, scapus seu lignum lanceæ: vt apud Maronem *Præfixa hastilia ferro*. Item *hastatus*, αἰχμητὴς, vt exponitur in Onomast. Peditum apud Romanos quatuor erant genera, velites, hastati, principes, triarij. *Hastati dicti, qui primi hastis pugnarent*: vt Varro ait lib.IV.de L.L. *Hastæ* ex non iaculatoriæ erant, sed stabiles, siue conti: vnde Glossæ vett. *hastatum* explicant κοντοφόρον. Olim tamen etiam illæ *hastatorum* iaculatoriæ erant, quod Varro indicat, ac Enniano illo comprobatur:

Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber.

Nam *spargendi* vox ad *iaculationem* pertinet.

HAVE, siue *aue*, quo salutantes vtimur, arbitror propriè notare *viue*: vt nempe sit ab Hebræo חיה, quod est *viuere*: vnde & Adam vxorem suam *Euam*, siue, *Chauam*, vocauit, quia *mater* esset *viuentium*. Phœnicibus quoque *aue* fuisse salutantium formam, indicat Plautina Pœnulus, Act.V. sc.II. Itaque hinc Latinum *aue* deducit Iulius Scaliger, libb. de caussis Ling.Lat.cap.XVII. Sed nihil, puto, hoc derogat superiori sententiæ, quando Hebræa & Phœnicum lingua dialecto solum differebant: quâ de re vide quæ scribit Iosephus Scaliger. in appendice operis de emendatione temporis. Propriam fuisse *salutationis matutina*, non vno loco Martialis ostendit. Vt lib I. epig.LVI.

Et matutinum portat ineptus aue.

Et lib.IV.epig.XXIX.

Cui non mane feras irrequietus aue.

Et lib.VII. epig.XXXVIII.

Discursus varios, vagúmque mane,
Et fastus, & aue potentiorum,
Cúmque perferre patique idem negaret.

Monuit hoc etiam amicissimus & doctissimus Gruterus ad Senecam.

HAVRIO, ab ἀρύω, id est, *haurio*. Hoc ab ἐρύω, *traho*, vt ἀρύειν propriè sit *ex profundo trahere*. Fit ab ἀρύω, *haurio*, inserto *u*, more Æolum, quomodo & *gaudeo* est à γαθέω, id est, *gaudeo*; *campo* à καμπύλος, id est, *campo*; θαῦμα & θαυμάζω à חמה, *mirari*, *admirari*. Vt ab *aratum*, *aratrum*; à *rutum*, *rutrum*; sic ab *haustum*, *haustrum*. Quod Nonius *cados* & ἄντλια exponit: sed parum commodè. *Haustra* enim vocarunt, quæ Vitruuio sunt *modioli* rotæ additi ad aquam *hauriendam*. Sic enim ea describit, lib. X. cap.X. *Fiunt etiam in fluminibus rotæ eisdem rationibus, quibus supra scriptum est. Circa earum frontes affiguntur pinnæ, quæ cum percutiuntur ab impetu fluminis, cogunt progredientes versari rotam, & ita modiolis aquam haurientes, & in summum referentes, sine operarum calcatura, ipsius fluminis impulsu versata, præstant quod opus est ad vsum.* Vnde lucem capit illud Lucretij in V.

Vt fluuios versare rotas atque haustra videmus.

HEBDOMAS, ἑβδομὰς, ab ἕβδομος *septimus*. Ab accusatiuo *hebdomada* Latini etiam dicunt *hebdomada* in recto; vt à *Narbon*, *Narbona*; vt à *Thebais*, *Thebaida*. Ammianus: *Ægyptum ipsam, & Thebaidam & Libyam*. Sic *Persida* pro *Persis*, & alia. Ἑβδόμη est *dies septima*, siue *sabbatum*: vt τετράς, *quarta dies* mensis; τριακάς, *vigesima*. Sic ἑβδομάδος voce vsus Iosephus. Vt cum dicit ταῖς ἑβδομάσιν ἔργων ἀπέχεσθαι. Sed iuniores sic dixere *spatium septem dierum*.

HEBES, ab ab ἥβη, id est, *pubertas*: quia illa puberum ætas propè omnium ignara, eóque stupida, & tarda. Ita Scaliger, Exercit. CXLIV.§.III. Sed non dubito, quin *hebes* κατὰ μεταφορὰν de *hominibus* dicatur: propriè autem competat *corporibus minimè acutis sed obtusis*, vel etiam *crassis*. Eóque malim cum Martinio

deducere ab עבה, hoc est, *densus, crassus, obesus*. Quod igitur pro *stupido* ponitur, id simile est, ac cum παχὺς pro eodem accipitur.

Hecatombe, à βοῦς, & ἑκατὸν, id est, *centum*. Quippe est *sacrificium centum boum*, & generatim *quarumuis victimarum centuria*. Nam καταχρηστικῶς de alijs quoque, quàm *bubus*, dici, docet Eustathius. Eius sententiam confirmat hic locus Capitolini in Maximo & Balbino: *Hecatombe*, inquit, *tale sacrificium est: centum aræ vno in loco cespititiæ extruuntur, & ad eas centum sues, centum oues mactantur. Nam, si imperatorium sacrificium sit, centum leones, centum aquilæ, & cætera huiusmodi animalia centena feriuntur. Quod quidem etiam Græci quondam fecisse dicuntur, cùm pestilentia laborarent: & à multis imperatoribus id celebratum constat. Hecatomben* circumloquitur Statius, lib. II. Sylu. in genethliaco Lucani:

Centum Thespiacis odora lucis
Stent altaria, victimæque centum.

Haut audiendi, qui volunt, *hecatomben* esse θυσίαν ἐξ ἑκατὸν ποδῶν, id est, *πεδῶν*, in qua immolarentur *quadrupeda quinque & viginti*, quibus iccirco *pedes* sunt *centeni*. Neque eorum magis sententia placet, qui ἑκατὸν ἀορίστως ἀντὶ πολλῶν poni censent, quomodo nempe ἑκατόζυγος ναῦς dicitur pro πολύζυγος, & similia. Vtramque fuisse quorundam opinionem docet Eustathius ad primum Iliad. vbi plura hac de re legere potes.

Hecta quid, & vnde sit, docet Festus: *Hetta*, inquit, *res minimi pretij, quasi hieta, id est, hiatus hominis atque oscitatio. Alij pusulam dixerunt esse, quæ in coquendo pane solet adsurgere; à qua accipimus rem nullius pretij, cùm dicimus, non hetta te facio.* Pro posteriori sententia sunt Glossæ vet. in quibus est, *Etta*, φλυκτὶς ἄρτου. Cùm autem in coquendo, vt Festus ait, fiat, videatur *hecta* dici quasi *hepta* ab ἕψω, *coquo*, vnde ἑφθὸς, *coctus*. Sed malim ab *hio*, non quòd propriè sit *hiatus* vel *oscitatio hominis*: sed quia etiam in pusula est continui solutio, ac exiguus *hiatus*. At *hitta*, vel *hicta*, aliud est: nempe ὑμὴν, vt Philoxeni Glossæ exponunt. Intellige autem ὑμένα ῥοιᾶς, quod Plautus *cicum* vocat. Aliud quoque *hittus*, quod in ijs Glossis exponitur Φωνὴ κυνός. Nempe *vox ea, quam canes edunt vestigia indagantes*, vt Scaliger interpretatur. Idque in Glossarum veterum exceptis, *Hittio* ἰχνεύω.

Hectica febris, ἑκτικὸς πυρετὸς, quia sit ἐν τῇ ἕξει, non ἐν τῇ χύσει, vti aliæ *febres*. Nam ἕξις non animi solùm est, sed etiam corporis, quod quando est ἐν δυσλύτῳ διαθέσει, *constitutione solutu curatuque difficili*, κατ' ἕξιν διακεῖσθαι dicitur: vt docet Galenus, lib. II. Meth. Med. Mirum autem, Hieronymum Mercurialem, quique eum secutus, Georgium Henischum, in notis ad Aretæum, scribere, nullum Græcorum medicorum meminisse *febris hecticæ*. Quippe Galenus non semel meminit ac definit.

Hedera, cùm antepenultimam corripiat, malè in antiquis ac melioris notæ codd. per Æ scribi, nemo non videt. Nec obstat, quod quidam Appuleium Grammaticum secuti, ab *hærendo* deducunt. Nam *hærendi* vox priorem quidem producit, contra quàm in *hedera* fit, attamen in veteribus quoque libris citra diphthongum inuenitur: vt etiam ad Virgilium notauit Pulmannus. Adde quod alij *edera* scribunt, & ab *edendo* dictum volunt, quod *exedat ea quibus adhæret*. Et mihi sanè hæc posterior placet ἐτυμολογία. Neque obstat, quòd in antiquis codd. per *H* scribatur. Nam additur ea, quemadmodum Pontanus quoque sensit, vt in accusatiuo vtroque & datiuo, atque ablatiuo plurali à verbo *ederam, ederas*. & *ederis* distinguatur. Vtrumque etymon, imò & tertium, sed quod minus probem, adfert Festus. *Hedera*, inquit, *dicta quod hæreat, siue quòd edita petat, vel quia id, cui adhæserit, edat; quæ in tutela Liberi putabatur esse, quia vt ille iuuenis semper, ita hæc viret: vel quia ita omnia, sicut ille mentes hominum, illigat.*

Helcium, Appul. IX. Met. vocatur *funis*, quo equi currus oneráque trahunt. ab ἕλκω, hoc est, *traho*. Hinc Martiali, lib. IV. epigr. LXIV. & Sidonio, lib. II. epist. X. *helciarij* dicuntur, *qui aduerso amne funibus nauigia cernui trahunt.*

Helepolis, *machina bellica, vtilis ad vrbium expugnationem*: vnde & nomen, nempe ἀπὸ τοῦ ἑλεῖν τὰς πόλεις. Quomodo & *Iphigenia, quæ diruendis Ilij mœnibus destinata erat victima*, Euripidi ἑλέπτολις Ἰλίου dicitur, ab ἑλεῖν & πτόλις, quod idem ac πόλις, quomodo dixere πόλεμος & πτόλεμος, vnde Πτολεμαῖος, *Ptolemæus*, hoc est, *bellicosus*. *Helepolis* operâ diuturnâ cùm Demetrius Antigoni filius, Rhodum, aliásque vrbes oppugnasset, nomen *Poliorcetes* accepit. Describit eam Vitruuius, lib. X. cap. vlt. Plutarchus in Demetrio, Diodorus Siculus, lib. XX. Ammianus, lib. XXIII. Vide & Iustum Lips. lib. III. Poliorcet. Dial. I.

Heliotropium, ἡλιοτρόπιον, *herba solaria*, vt Celsus vocat, sic dicitur ἀπὸ τοῦ συμπεριστρέφεσθαι τὰ φύλλα τῇ τοῦ ἡλίου κλίσει, vt ait Dioscorides, libro IV. cap. penult. hoc est, quia *abeuntem solem intuetur semper, cùmque eo vertitur, etiam nubilo die*: vt ait Plinius, libro II. capite XLI. & libro XXII. capite XXI. Est & *gemmæ* nomen Plinio, lib. XXXVII. cap. X. cui ex eo nomen esse ait, quòd *solis naturam vertere & immutare videtur*, quia aliter cum exhibet vasi aquæ iniectum, aliter extra aquam: nam aquæ immissum augere solis fulgorem sanguineo repercussu extra aquam radios siue fulgorem quasi auertere, solémque velut in speculo exhibere. Athenæo etiam, lib. V. ἡλιοτρόπιον vocatur *solarium*, quia vmbra circumuertitur cum sole, horæque indicium facit.

Helluo siue *heluo*, non natura adspirationem habet, sed vsu. Siquidem ea vox est ab *eluendo*; vnde eâ formâ *eluones*, & postea *helluones* dicti, quia à *comedendo* dicimus *comedones*; à *bibendo*, *bibones*. Festus: *Heluo dictus est immoderatè bona sua consumens, ab eluendo. Qui adspiratur, vt auiditas magis exprobretur; fit enim vox incitatior.* Ego Festi sententiam sequor. Nec ineptè tamen deducatur ab *helus*, quomodo, Festo teste, veteres dixere pro *holus*, vnde eodem auctore *heluela*, *olera* minuta: Titinnius: *Leuei caldo eluela, rapula, rumices.* Sic *Apello* dixere pro *Apollo*; *hemo* pro *homo*. Ennius:

Vulturis in siluis miserum mandebat hemonem.

Sed videndum cur ab *olere helluonibus* sit inditum nomen. Putat doctissimus Meursius *heluonum* vocabulum propriè conuenire ægrotis *helere* siue *olere* victitantibus, μεταφορικῶς autem eo signari non tam *voraces*, vt vulgò persuasum, quàm eos *qui in dapes magnos profundant sumtus*; ac metaphoræ rationem esse, quod tales sint egregij ciborum arbitri ac valdè fastidiosi, instar ægrotorum. Ægrotos autem, quod dicebam, *olere* vesci solitos, docet nos Plautus, Captiuis, I. II. vbi cùm Hegio dixisset se parasito pro cibo appositurum multa *olera*: respondet ille,

——*Curato ægrotos domi.*

Sed parùm verisimile sit, eam esse huius vocabuli proprietatem, vt primò notet *nauseabundum* instar ægri *olere* victitantis; nam omnino ad *auiditatem* magis, quàm *lautitias* pertinere, indicat cùm Festi locus, tum vsus veterum; vt præter alios cùm *gurgitem*, & *helluonem*, iungit Tullius in Pison. cùmque M. Catonem. lib. III. de Fin. *librorum* vocat *helluonem*, quod legendo satiari non posset. Quare si *helluo* ab *helus* esse placet, dixerim potius nomen id esse à consuetudine veterum, qui, cùm frugales essent, *olere* multum victitabant, quod qui præ cæteris vorarent, *helluonum* ex re nomen reportâsse; quæ vox postea mutatis moribus ad quosuis cibos sit extensa.

Heluus posteriori æuo *h* pro *u* sonabant; erat *eluus*, vnde ab *albus* deriuabat Isidorus, libro XIX. capite XXVIII. *Eluum est medius color inter album & nigrum: & eluum ab albo deriuatum.* Sed hoc ineptum: Malim igitur deducere à πελλὸς, siue Æolico πέλλος. Nec enim ita duntaxat vocatur *color niger* aut *fuscus*, sed etiam *pallidus*, ὠχρὸς, χλωρὸς, vt Hesychius ait: Propriè autem *heluus* color, qui Belgis *bleekroot*, hoc est, *pallens rubedo*. Nempe *medius inter album & rubrum*. Quod clarè indicat Varro, lib. II. de R. R. capite V. *Corium attactu non asperum, ac durum, colore potissimum nigro, deinde rubeo, tertio heluo, quarto albo.* Ab *heluus* est *heluolus*, color neque purpureus, neque niger, iuxta Columellam, vt videatur paullum abire à Varrone. Columellæ verba sunt, libro III. capite II. *Sunt & vna heluola, quas nonnulli varias appellant, neque purpurea, neque nigra, ab heluo, ni fallor, colore vocitata.* Etiam ab *heluus heluaceus* dixere: nempe vt ab *hedera hederacius*, ab *herba herbacius*, vt item à *pullo* colore *pullacium* formabat Cæsar Augustus. Hinc *heluacenm*. Festus: *Heluacea, genus ornamenti Lydij, dictum à colore boum, qui est inter rufum & album, appellatúrque heluus.* Vbi videmus Varroni Festum consentire.

Helxine, ἑλξίνη ab ἕλκω, *traho*: quia vestes *attrahat* prætereuntium, vt de ea testatur Dioscorides. lib. IV. cap. XXXIX. Ac Plinij verba sunt, libro XXII. capite XVII. *Semina habet in capitibus lappaceis, adhærentia vestibus; vnde & helxinem dictam volunt.* Hesychio teste, aliter vocatur περδίκιον. Caussam ibidem Plinius exposuit: *Helxinen*, inquit, *aliqui perdicium vocant, quoniam perdices ea præcipuè vescantur.*

Hem, ab הן, *ecce*.

Heminam à *medietate*, quæ Græcè ἥμισυ, deducit Festus Pompeius,

Pompeius, nempe quia dimidia est pars sextarij, vnde Fannius:

Heminas recipit geminas sextarius vnus.

Sed ea ipse de caussa rectiùs deduxeris ab ἡμι, *semi*: vt *na* sit vocis productio. A חמת, quod *vtrem* notat, minùs dici placet, quia significatio non satis respondet.

HEPAR, ἧπαρ, fortè ab ἕπω, *operor, elaboro*, & ἔαρ, quod *sanguinem* notat. Ab *hepate* morbus *hepatarius* Plauto, qui Celso *hepaticus*. Item *hepatici* Celso, qui *iecinorosi* Scribonio, *iecoritici* Marcello. Hinc & *Hepatites*, ἡπατίτης, *gemma* apud Plinium, lib. XXXVII. cap. XI.

HERBA vnde sit, docere conatus Isidorus, libro XVII. capite VI. *Arborum*, inquit, *nomen*, *siue* (malim *sicut*) *herbarum ab aruis inflexum creditur, eo quòd terris, fixis radicibus adhærent.* Nempe quia posterioribus seculis inter *B* & *V* consonum non distinguerent, ac quidam *herba*, alij *herua*, nonnulli *aruum* alij *arbum* pronunciarent, hinc factum, vt & *arbor*, & *herba*, ab *arbum*, siue *aruum*, venire crederentur. At hæc inepta, cùm omnino illa per *B*, hoc per *V* scribi debeat. Paullo verisimilius (quod Perottus facit) *herba* deduxisset ab *harendo*, quæ vox absque diphthongo scribitur in vett. libb. Sed *herba* etymon vel à Græcis, vel ab Hebræis peti debet. A Græcis commodè possis. Nam vt *herba* ijs dicitur βοτὰ & βοτάνη, à βόω & βόσκω, hoc est, *pasco*: sic *herba* sit à φέρβω, quod communi lingua φορβὴ fit à φέρβω, hoc est, *pasco*. Hesychius, φορβὴ, βοτάνη. Et ita vsi veteres. Vt prius dixere *fircus* & *fedus*, postéaque *hircus*, & *hedus*, sic priùs fuerit *ferba*, quàm *herba*. Sin ab Hebræis ἀρχὴν petere malis, vide an non sit verisimilius quod Guicharto placebat, vt sit ab אבב, quod *fructum recentem*, seu *primum germen* notat, interposito *R*, vel potius (quod etymon docuit nos Angelus Caninius) à Syriaco eiusdem notionis עסבא, *hesba*, quod Chaldæis similiter עסבא, hoc est, *herba*, *gramen*, *fœnum*: Conuersum *S* in *R*, quomodo à τέρσω est *terra*, ab ἔω, *ero*, &c. Ab *herba* est *herbere* apud Appul. hoc est, *viridem* esse: *herbescere* apud Ciceronem & *herbascere* apud Plinium, hoc est, *herba vestiri*. Ab eodem *herbeus*, vt Plautus Curcul.

Cum collatiuo ventre, atque oculis herbeis.

id est, *herbei coloris*, viridibus. Vt χλοερὸς, *viridis*, *herbeus*, à χλόη, *herba*. Glossæ: χλοερὸς, *viride, glaucum, virens*; χλόη, *viriditas, gramen, muscus, herba*. Nec tantum *herbeus*, *herbidus*, *herbosus* & *herbaceus*, sed etiam *herbilis* dicimus. Festus: *Herbilis anser, herba pastus, qui gracilior est, quam frumento altus.* Lucillius apud Seruium Danielis: *Anseris herbilis virus.* Quid sit *herbam dare*, docet idem Festus, his verbis: *Herbam do, cùm ait Plautus, victum me fateor, quod est antiqua & pastoralis vita indicium. Nam qui in prato cursu, aut viribus contendebant, cùm superati erant; ex eo solo, in quo certamen erat, decerptam herbam aduersario tradebant.* Plinius, lib. XXII. extremo cap. IV. *Namque summum apud antiquos signum victoriæ erat, herbam porrigere victos, hoc est, terra & altrice ipsa humo & humatione etiam cedere: quem morem etiam nunc durare apud Germanos scio.* Sed aliquanto aliter hac de re Seruius ad illud VIII. Æn.

Et vitta comptos voluit prætendere ramos.

Cum, inquit, *de nomine Athenarum Neptunus & Minerua contenderent: & iussisset Iupiter, vt illius nomine diceretur ciuitas, qui munus melius obtulisset hominibus: equum Neptunus, Minerua oliuam protulit, & statim vicit; Vnde cùm eius ramus alicui offertur, indicat eum esse meliorem. Hinc est illud prouerbium, Herbam do, id est, cedo victoriam. Quod Varro in antiquitatis libris ponit. Cùm in agonibus herbam in modum palmæ dat aliquis ei, cum quo contendere non cupit, & fatetur esse meliorem.* Pro *antiquitatis libb.* legendum apud Seruium *in Aetijs*: quod est in vett. libb. Apud Nonium legere est *herbam* pro *palma*, aut *victoria*, accipi. Adducit autem inter alia hoc Accij è Meleagro:

Gaudent, currunt, celebrant, herbam conferunt, donant, tenent.

Pro se quisque cum corona clarum conlustrat caput.

Sed locus is nihil Nonium iuuat, quando (vt ad Festum Scaliger obseruauit) Meleager victor hic quidem agnoscitur, sed non à victis, verùm socijs & æqualibus, qui victori Meleagro de sue interfecto gratulantur.

HERCLE aduerbium est *iurantis per Herculem*. Cùm autem *per Herculem iurare* hominibus minimè esset consuetum, primus id instituit Nestor, iísque, qui ad Troiam erant, tradidit: vt Vinitor apud Philostratum in Heroïcis ait: *Hercules* Græcè Ἡρακλῆς, quod ab ἥρως & κλέος, id est, *gloria*, quibusdam conflatum putatur: quasi sit *gloria splendórque heroum*. Alij, quia, vt diximus ἥρα, siue Iuno, *aërem* notat (vnde & ἥρα ex ἀὴρ κατὰ μετάθεσιν factum putatur) Ἡρακλῆ dici volunt; quasi *virum aëreum cælestémque*. Vulgatissima opinio eorum, quibus placet id nomen adeptum *Herculem*, cùm geminos in cunis serpentes ab Iunone immissos occidisset. Antea enim *Alcaum* dictum aiunt. Ita nomen inde sit, quòd Iunonis odio & persecutione sibi gloriam pararit. Ab *Hercule* sunt nomina hæc, *Heraclitus*, *Heraclides*, *Heracleon*, *Heraclius*, *Herculeius*. *Herculanea* pars pro *decima* est apud Plautum, Trin. III. VII. quia nempe ea *Herculis* esse solet.

HERES, pro *herinaceo*, ab *harendo* dicitur: cuius caussa patet ex ijs, quæ in *Herinaceus* dicemus. Eiusdem originis videri queat, cùm pro eo accipitur, *qui hæreditatem adit*. Veteres enim absque diphthongo voces has scribebant, vt patet ex antiquis inscriptionibus ac libris. Et sanè verisimilius id, quàm vt sit à *censu aris*: quod Isidorus ait, libro IX. capite V. Sed imprimis placet, venire ab *herus*, quod is sit bonorum *dominus*. Vide §. vlt. Institut. de hered. qualit. L. I. D. de success. ed. Etiam Festus: *Heres, apud antiquos pro domino ponebatur.* Glossæ Philoxeni: *Heres*, κύριος, κληρονόμος. Firmat hanc sententiam, quòd Germanis & Belgis hodiéque *heer dominum* notat. Sed vnde *herus*? Num ab ἥρως? Ita Scaligero visum, capite XXVI. de caussis L. L. & Petro Nunnesio in Grammatistice. Nempe vt *e* longum fiat breue, vt à θὴρ, *fera*; à κρηπὶς, *crepida*. An à Syriaco חירו, quod est *libertas*: quæ *heri* summa, cùm nemini subditus sit. An potiùs, quòd Angelus Caninius voluit, ab Hebræo ירש, quod est, *hæredem esse, possidere*. Sanè ad ירש *Iaresch* valdè accedit *heres*, & imprimis si per diphthongum olim scripsere *haires*. Quare propè in animum induco, non aliunde esse *heres*; ac *herus* potiùs ab *heres* esse, quàm contrà; aut *herus* quidem descendere ab *heru*, id est, *libertas*: *heres* autem ab *iaresch*, hoc est, *hæredem esse*. Porrò veteres pro *heres* quoque sine spiritu scripsere *eres*: & in accusatiuo pro *heredem* dixere *erem*, siue *herem*: qua de re dicemus in *herinaceus*. Ab *heres* est *heredium*. Varro, libro I. de R. R. capite X. *Antiquus noster ante bellum Punicum pendebat bina iugera, quod à Romulo primum diuisa dicebantur viritim: quæ, quod heredem sequerentur, heredium appellarunt.* Festus, si locus integer, *heredium* definit, *prædium paruulum*. Vsus ea voce Cornelius Nepos, in Porcio Catone: *Versatus est in Sabinis, quod ibi heredium à patre relictum habebat.* Eutyches quoque apud Cassiodorum ponit inter ea, quæ rectius adspirantur. Ab *heredium* est *herediolum*, vt à *prædium*, *prædiolum*. Columella præfat. lib. I. de Quinctio Cincinnato: *Imperator ad eosdem iuuencos & quatuor iugerum auitum herediolum redierit.* Optimè autem, quid *heredium* vel *herediolum* sit, & vnde sic dicatur, declarant hæc Ausonij verba, Eidyll. XXXI.

Salue herediolum, maiorum regna meorum,

Quod proauus, quod auus, quod pater excoluit.

Quod mihi iam senior, properata morte, reliquit.

Eheu, nolueram tam cito posse mori.

HERI quidam dici putant ab *hareo*, siue vt in vett. codd. interdum scribitur, *hereo*: nempe quia *dies hesternus haret hodierno*: vnde & Græcis ἐχθὲς ab ἔχομαι, id est, *hereo*. Sed verum etymon facilè erit odorari, si cogitabimus, antiquos pro *heri* dixisse *hesi*, quod indicat vox *hesternus*; postea *S* conuersum in *R*, quomodo *erit* est ab *esit*, quod à Græco ἔσεται. Legg. XII. Tabb. AST EI CVSTOS NEI ESIT. A μυττωτὸς quoque est *moretum*; à *cesna*, *cerna*; vnde *silicernium*. Similitérque postea fuere *Furius Papirius*, *Valerius*, quæ prius *Fusius*, *Papisius*, *Valesius*. *Hesi* verò est à χθεσὶ, siue χθὲς, θ extrito & conuerso χ in *H*, qua ratione à χάσκω est *hisco*, à χαμαὶ, *humi*. Festus scribit *heri* esse ab ἐχθὲς, quod Atticum pro χθές. Vsus Aristophanes in Nubibus. Sed nos, nisi fallor, magis ἀναλόγως. Porrò ob summam cognationem inter *I* & *E* (de qua & Agellius, lib X. cap. XXIV.) inde est, quod quoque dixere *here*, pro *heri*, vt testantur Fabius, lib. I. cap. VII. & Donatus ad Phorm. Act. I. sc. I. Vsi eo non Comici solùm, sed & alij poëtæ: vt Ouid. III. Fast. Iuuenal. sat. VI. Martialis, lib. I. epigr. XLIV. lib. IV. epigr. VII. Auctor est Charisius, lib. II. fuisse qui inter *here*, & *heri*, sic distinguerent, vt *here* pertineret ad *quamdiu*; *heri* ad *quando*. Vanum hoc esse patet ex ijs quæ diximus.

HERNIA ab ἔρνος, quod interdum idem est ac κλάδος, siue *ramus*. Sic autem vocatur, quia cùm intestinum incidere incipit in scrotum, videtur *ramum facere*. Eadémque de caussa alio nomine *ramices* dici existimantur: qua de re plura in *Ramus*. Species *herniæ* vide apud Cornelium Celsum, lib. VII. cap. XVIII. & Hermolaum Barbarum glossematis Plinianis, voce *Enterocele*.

HEROS, ἥρως, vnde ἡρωΐνη, *Heroïna*, apud Propertium; ἡρωΐς, *Herois*, vnde *heroides* apud Papinium, Martialem, alios. Nota

quoque Ouidianarum epistolarum epigraphe. Sed ἥρως vnde sit, non conuenit. *Heroas*, inquit Seruius, ad Ecl. IV. *quidam à terrâ dictos volunt, quòd terra ἔρα dicta sit, vnde initio nati creduntur homines, qui nomen à matre traxerunt.* Vbi pro ἔρα legendum ἥρα. Nam ἥρα est Iuno, hoc est, *aër*. Martianus Capella, lib. II. *A medietate aeris vsque in montium terraque confinia hemithei heroësque versantur, qui ex eo quòd Heram (l. eram) terram veteres dixerunt, heroës nuncupati.* Sed Platoni in Cratylo, placet id nomen esse ἀπὸ τοῦ ἔρωτος, id est, *ab amore*: nempe vel quia veteres finxere *heroes* nasci *ex amore Deorum & hominum*; vnde & *heroës, semideos manes* vocat Lucanus: vel (vti in Pythagoræ carmina scripsit Hierocles) quasi *Dei amatores*, quique homines à vitâ istâ terrenâ ad diuinam tollant atque erigant. Vel iuxta eundem Platonem nomen hoc erit, ἀπὸ τοῦ εἴρειν, id est, *dicere*; nempe quia *heroës* σοφοὶ ἦσαν καὶ ῥήτορες καὶ δεινοὶ, καὶ διαλεκτικοὶ, ἐρωτᾷν ἱκανοὶ ὄντες. Alij denique arbitrantur sic dici ἀπὸ τῆς ἥρας, id est, *Iunone*, vt tradit, Augustinus, lib. X. cap. XXI. & ex eo Isidorus, lib. VIII. cap. XI. nempe quia *aër* dicatus est *Iunoni*, ac *heroës* putantur post obitum in *aëre* cum dæmonibus habitare. Quod & superior Capellæ locus indicat, ac hic Hesiodi versus confirmat:

Ἠέρα ἑσσάμενοι πάντη φοιτῶντες ἐπ' αἶαν.

Atque, hæc ostendunt, vt se torserint Græci in eius vocis etymo. Sed verisimile est id vocabulum originem potiùs Chaldæis debere: Nam his חרין dicuntur *nobiles*, *liberi candidati*, ἥρωες, *heroes*; vt docet Fabricius in Diction. Syro-Chaldaico.

HESPERVS, ἕσπερος, Etymologo & H. Steph. quasi ἐν πέρας, *auroræ terminus*: Nempe vt *Lucifer* Homero ἑωσφόρος, ab ἕως, & φέρω, quia *diem adfert*.

HEV Caninius censet venire à Græco φεῦ. Similiter Scaliger de caussis L. L. cap. XXVII. & Nunnesius, in Grammatistice. Nec repugno. Liceat tamen dicere, tam Latinum. quàm Græcum hoc, à sono esse factum. Vti & *hoi*, & *heus*, & similes interiectiones. De posteriori tamen sic Festus: *Heus aduerbium vocandi à Græco Αἶ venit.* Sed locus absque dubio corruptus. Græcis enim *heu* est αἶ, vel φεῦ, at pro *heus* potiùs ὦ dicunt. Hebræis verò הוי nunc *heu* valet, nunc *heus*.

HIERACITES, ἱερακίτης, ab ἱέραξ, id est, *accipiter*. Germanis similiter dicitur *hawichstein*. Plinius. lib. XXXVII. cap. XI. *Ab animalibus cognominantur, carcinias marini cancri colore; echites, vipera, &c. A gruis collo geranites, hieracites accipitris, aëtites à colore aquilæ candicante caudâ, &c.* De eodem sic scripserat capite, quod proximè antecedit: *Hieracites alternat tota miluinis nigricans veluti plumis.* Sic quoque legitur is locus in veteri Parmensi. Mirum verò hic dici *miluinis*, quasi ἱέραξ *miluum* signet, cùm ipse Plinius pòst *accipitrem* interpreterur, vti vidimus. Georgius Agricola, lib. V. de nat. fossil. tradit, *hieracitem* rectiùs à Paullo Ægineta in *lapidibus* numerari, quàm à Plinio in *gemmis*. Sed de etymo ac colore assentit. Ait enim, colore referre molliores accipitrum plumas, quæ ipsis sunt in pectore. Addit idem, inueniri in tractu Heldeshemio Saxoniæ, quà itur versus occasum in colle, vltra flumina & citra. Contra hæmorrhoidas valere tradit Ægineta, lib. VII. Eiusdem originis est *hieracium*, ἱεράκιον, vnde quidam *accipitrariam* vocant. Ex *lactucis sponte nascentibus* censeri, rotundáque habere folia ac breuia tradit Plinius, lib. XX. cap. VII. Sed Plinium non satis assecutum esse Dioscoridis mentem, ostendit ad hunc locum Dalecampius. Ibidem adducit Plinius hanc nominis caussam, quòd abstergendi vi, quâ præditum est, *accipitrum* oculis affricta, caliginem discutiat, ac deperditam oculorum aciem & claritatem restituat. Atque hinc quoque patet, cur medici quædam collyria oculorum appellent *hieracia*: quorum meminit idem Plinius, lib. XXXIV. cap. XI. Nisi potiùs id *hieracium* dici placet ab auctore *Hierace*, quando & aliæ sunt eius nominis apud veteres compositiones, quæ ad hunc auctorem referantur. Vide Galenum, lib. IV. de compos. med. sec. locos, cap. VII. Herba quoque est *hieracopodion*, quasi diceres, *pes accipitrarius*. Ea est *lychnis syluestris*. Ἱέραξ verò, vt Etymologus censet, sic dicitur à *celeritate*, ἀπὸ τοῦ ἵεσθαι ῥᾷον, hoc est, φέρεσθαι. Sed nec displicet sententia Becmanni, qui esse putat ab Hebræo ראה, quomodo *accipiter* dictus ab *acuto visu*. Nam ראה est *videre, cernere*.

HIEROGLYPHICA, ἱερογλυφικὰ, ab ἱερὸς, id est, *sacer*; & γλύφω, hoc est, *scalpo*, quasi diceres *sacra sculptura*. Erant enim sacra quædam monumenta, volucrum, ferarum, aliarúmque rerum scalptis figuris naturæ mysteria indicantia. Vocantur ἱερογλυφικὰ γράμματα, vbi γράμματα non *literas* notat, sed *notas*, vnde Lucianus, qui in Philopatr. γράμματα, appellat, idem in Hermotimo non γράμματα, sed σημεῖα καὶ χαρακτῆρας esse ait: Plinius quoque, lib. XXXVI. cap. VIII. nominat *scalpturas effigiésque* Soli autem eas nouerant sacerdotes, & qui ab ijs describendis ἱερογραμματεῖς vocabantur. Vulgus autem alijs literis vtebatur. Extant de ijs libri duo Ori Apollinis Niliaci. De ijsdem disserit Diodorus Siculus lib. IV. Bibliothecæ. Aliquid quoque de ijs Ammianus, lib. XVII. & è iunioribus Cæl. Rhodiginus, lib. XXIX. cap. XXVI. Sed imprimis vide Pierij quinquaginta octo *Hieroglyphicorum* libros, opus eruditum, sed in quo illud probare nemo possit, quod tam multa vt *hieroglyphica* referat, quæ talia olim habita esse, nullo adstruere possit auctore.

HILARIS, siue *hilarus*, ἱλαρὸς, vt *hilarare*, ἱλαροῦν; ἱλαρὸς est ab ἱλάω, *propitio, placo*, vnde *sacrificium* ἱλαστήριον, *propitiatorium*. Ab *hilaris*, *Hilaribus* est nomen: de quibus sic Macrobius lib. I. Sat. cap. XXI. *Præcipuam autem Solis in his cerimonijs veri rationem, hinc etiam potest colligi, quod ritu eorum, catabasi finitâ, simulationéque luctus peractâ, celebratur lætitia exordium ad octauum Kalendas Aprilis, quem diem Hilaria appellant, quo primum tempore sol diem longiorem nocte protendit.* Meminit eorumdem Vopiscus, in Aureliano: *Hilaribus, quibus omnia festa & fieri scimus & dici.* Illustris de ijsdem est locus Maximi, B. Dionysij scholiastæ: quem apponit Turnebus. lib. XXIV. cap. XLV.

HILLA de voce sic scribit Acro ad illud Horatij lib. II. sat. IV.

——— *Pernâ magis ac magis hillis:*

Hilla est diminutiuum à positiuo hira, & significat intestinum salsum, vel, vt alij dicunt, fartum salsicium. Alij dicunt hillum in neutro genere ab hilo, id est, paruo seu minimo. Hæc Acro: vnde liquet, cùm Laberius apud Nonium ait, *Adolescenti nostro hillas cadit*: non aliud velle quàm quod Plautus Casina vocat, *vesicam effundere*; auctor Ithyphallicus *ventrem scindere*. Sed αἰσχρὰ hæc missa faciamus. Quod attinet ad ἐτυμολογίας ab Acrone adductas, posterior est à Varrone sic scribente, lib. IV. de L. L. *Hilla ab hilo dicta, id est, minimo, quod ait Ennius. Neque dispendi facit hilum.* Priorem hausit è Verrio. Sic enim mutilator eius Festus, siue Paullus: *Hira quæ diminutiuè dicitur hilla, quam Græci dicunt νῆστιν, intestinum est, quod ieiunum vocant.* Fauet huic interpretationi quoque Macrobius, lib. I. in Somnium Scip. cap. VI. vbi cùm tria fecisset principalia intestina: *Tertium*, inquit, *quod veteres hiram vocarunt, habetúrque præcipuum intestinorum omnium, & cibi retrimenta deducit.* Nonius tamen *hillam* generatim interpretatur *intestinum*, atque addit *Bobillas*, Italiæ oppidum, ex eo nomen accepisse, quòd eò bos intestina vulnere trahens aduenerit. Sed & Charisius lib. I. similiter exponit: *Hic Lucanicus*, inquit, *subauditur botulus, aut apparatus: & hæc Lucanica feminino genere, intelligitur hira, hoc est, intestinum, aut aliud quod vnusquisque intelligere voluerit.* Sed cùm is, qui *intestinum* esse dicit, non inficietur esse *intestinum*, quod *ieiunum* vocatur: nullam hic pugnam video, etsi alijs quibusdam aliter videatur. *Hira* vocem Plauto primi restituere Turnebus & Lucas Fruterius. Locus est Capt. act. II. sc. I.

Radices cordis pereunt, hira omnes dolent.

Apud Arnobium quoque, L. VII. legit Godscalcus Steuvechius. *Quæ & ipsa sunt hira, quas plebis oratio hilas solet nuncupare.* In vulgaris pro *hira* est *dira*, pro *hilas* autem *illa*.

HINNIO, Græcis χρεμετίζω, ab *hio*, inserto *N*, quomodo à χάω, χαίνω. Nisi potiùs *hinnio* est à sono factum, vt alia, quibus animantium voces indicantur. Quod verius censeo: vti & Festus. Eius verba: *Bombitatio est sonus apum, ab ipso sonitu dictum: sicut rugitus boum; hinnitus equorum.* Hinc *hinnibile* de equo apud Appuleium: & *hinnibundus*. Vnde apud Nonium Claudius Quadrigarius in XVI. Annal.

Equi hinnibunde inter se spargentes terram calcibus.

HINNVLEVS, *ceruus anniculus*, cui necdum cornua sunt. Secundo enim erumpere incipiunt, sed recta simpliciáque: tertio iam ramosa fiunt: ac cum ætate augentur rami: sexennes verò & sexdecim habent ramulos: nec deinceps numerus increscit. Existimare aliquis possit, *hinnuleum* esse origine Græcum, quia apud Hesychium legere sit, Ἴνυλος, νεβρὸς ἐννοῦς. Sed *hinnuleus* Latinum est, Græcè verò dicitur νεβρὸς, atque ita etiam exponitur in Onomastico veteri. De origine non audiendus Agrætius, cùm ait, *Hinnulus*, i *acutum fit, quia nomen ex sono vocis accipit.* Neque item Isidorus, lib. XII. cap. I. *Hinnulei*, inquit, *sunt filij ceruorum ab innuere dicti, quia ad nutum matris abscondantur.* Vnde ex Horatianis interpretibus quidam colligebat, & *hinnuleus* & *innuleus* scribi, illud esse ab *hinnitu*: hoc quia *innuat* matri quid velit. Omnino autem est à Græcis, quibus animantium proles dicitur ἶννος. Vnde in Glossis ἴννους, παῖδας, & apud Hesychium, ἴννα, νέον. Nempe ea παῖδες & νέον notione, quâ Isidorus, vt vidimus iam, *hinnuleos* esse ceruorum filios. Nec mouere debet; quod nunc *hinnuleus*,

nulum, nunc *innuleum*, legimus. Nam & Græcis similiter dicitur ἶννος spiritu aspero, & ἴννος cum tenui. Vide *Hinnus*.

HINNVS. & *mulus*, differunt, quòd *mulus* nascitur ex asino & equâ; *hinnus* verò, siue *hinnulus*, ex equo & Asinâ. Auctores Varro, lib. II. de R. R. cap. VIII. Columella, lib. VI. cap. XXXVII. Plinius, lib. VIII. cap. XLIV. Ac Columella quidem deducit ab *hinnio*, non quia *hinniat* ipse, sed quia *hinniente* animali natus sit: *Qui*, inquit, *ex equo, & asina, concepti generantur, quamuis à patre nomen traxerint, quòd hinni vocantur, matri per omnia magis similes sunt*. Sed omnino *hinni* vox à Græco ἶννος. Nec tamen hac de voce consentiunt veteres ipsi: quod hic Hesychij locus indicat: Ἶννος, ὁ πῶλος· ὁ ἐξ ἵππου πατρὸς καὶ μητρὸς ὄνου. ἄλλοι δὲ ὄνον. Ἀριστοτέλης δὲ φησὶν ἴννον, ἡμίονον ἄρρενα, τὸν ἐκ θηλείας ἵππου ἀπογεννώμενον, ἵννον δὲ ἵππου τὸν ἀνάπηρον, ἄλλοι δὲ ἡμίονον ὃ ἐν τῷ ἐμβρύῳ ἀναπηρωθῇ, &c. Dicitur & γίννος, quomodo Aristoteles vocat in fine lib. II. de generat. animal. & lib. VI. Hist. animal. cap. XXIV. quibus ex locis discimus, ἴννους siue γίννους dici fœtus mulinos, equinos asininos, qui in ventre matris corrumpuntur, membrisque nascuntur depravatis atque oblæsis: quod in suillo genere si fiat, μετάχοιρον vocatur, si in humano πυγμαῖον aut νάνον, vti & Latinis *pygmæi* ac *nani*, item *pumili* ac *pumiliones*. Imò Martiali *ginnus* vocatur, lib. VI. Epigr. LXXVII. & vbi vulgo *mulo*, in vett. codd. *gibbo*: vnde *ginno* rectè corrigit Scriuerius, vt alibi etiam dictum nobis. Etiam ὑννος dicitur per Υ. Hesychius: Ὕννος, πῶλος ὁ ἐν τῇ χειρὶ τρεφόμενος, οἱ δὲ κτῆνος. Vtitur Aristophanes, in Εἰρ. ad quem sic Scholiastes: Νάνοι γὰρ λέγονται οἱ κολοβοὶ τῶν ἀνθρώπων. οἱ δὲ κολοβοὶ τῶν ἵππων, ὕννοι λέγονται. Ab *hinnus* est *hinnuleus*. Glossæ: *hinnuli*, οἱ ἐξ ἵππου καὶ ὄνου. Nec de iis modo animantibus dicitur, sed etiam de *ceruorum fœtu*: qua de re in *Hinnuleus* diximus. Etiam ὕννα ab Hesychio exponitur αἶξ, id est, *capra*. & ὕννας, αἶξ ἀγρία, *capra, syluestris*.

HIO, à χάω. vnde & χάος & χάσμα. Ab *hio* est *hisco*. Item *hieto*, quo Plautum, Cæcilium, Laberiúmque vsus docet Diomedes, lib. I.

HIPPACARE ab ἵππος, id est, *equus*. Festus: *Hippacare est celeriter animam ducere, ab equi halitu, qui est supra modum acutus*. Ita quoque est in MS°. Apud Isidorum in Glossis est *hippacare*, exponitúrque *oscitare*, *badare*. Vbi *badare* est *morari*, *tardare*. Vox Italica, affinis Germanico *beiden*.

HIPPAGO, *nauis equis vehendis destinata*, ab ἵππος, id est, *equus*, & ἄγω, *duco*. Festus: *Hippagines*, (ita & est in MSS^ti^) *naues, quibus equi vehuntur quas Græci ἱππαγωγοὺς dicunt*. Ac Liuius lib XXXIV. Græcorum more, *hippagogas naues* dixit. Etiam Isidorus, lib. XIX. cap. I. *Hippagoga, in quâ equos transvehere solitum est*. Plinius, lib. VII. extremo cap. LVI. videtur *hippagum* vocare: *Hippagum Samij, aut Pericles Atheniensis, inuenit*.

HIPPODROMVS, ἱππόδρομος, quasi τῶν ἵππων δρόμος, nempè ab *equorum cursu*: vnde & à B. Basilio vocatur θέατρον ἱππηλασίας, *theatrum, vbi agitantur equi*. Vsi sic *hippodromi* voce Martialis. lib. XII. & Sidonius. lib II. epistolâ ad Domitium. Sed & *hippodromus* dicebatur *iter, quod vno die conficit eques*: siue *via militaris*, vt scribit Hieronymus, in cap. XLVIII. Geneseos.

HIPPOMANES, ab ἵππος, *equus*, & μανία, *furor*. Sic autem dicitur ab effectu, quia *equos ad rabiem coitus agat*. Ea enim eius vis, quacunque hæc vox accipiatur notione: quæ triplex. Duas exponit Seruius, ad illud Maronis III. G.:

Hinc demum Hippomanes, vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum distillat ab inguine virus.

Ad quem locum docet, *Hippomanes* dici, cùm *herbam*, quâ comesâ *equæ* incipiunt *furere*, tum *humorem in inguine equarum ortum ex libidinis ardore*. Ac posteriori quidem significatione à Marone hîc accipi: prioris autem meminisse Hesiodum: Sed Theocritum dicere voluit aut debuit: vt rectè est apud Philargyrum. Quamquam ne id quidem dicit Theocritus, ea herba comesta *insanire equos*, sed eius edendæ *insano* teneri amore. Vide eum in Pharmaceutria. Tertiam notionem indicat locus hic Plinij, lib. VIII. cap. XLII. *Et sanè equis amoris innasci veneficium, Hippomanes appellatum, in fronte carica magnitudine, colore nigro, quod statim edito partu deuorat, aut partum ad vbera non admittit, si quis præreptum habeat*. Idem intelligit Maro, cùm ait:

Quæritur & nascentis equi de fronte reuulsus
Et Matri præreptus amor.

Et Satyricus, cùm ait

Et totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit. ———

Vide & Aristotelem Histor. Animal. lib. VIII. cap. XXIV.

HIPPOSELINON ἱπποσέλινον, ad verbum esset *equapium*. Nam σέλινον, *apium*; ἵππος, *equus*. Sed ἵππος, hic auget, vt in ἱππολάπαθον, (nam *satiuo maius*,) & ἱππομάραθρον, quod *fœniculi* genus est. Similiter & βοῦ, auget, vt in βούπαις, βούλιμος, βουφάγος, quomodo *larus* vocatus ob voracitatem: quam ob causam etiam vocatur κέπφος, nempe à κέπφω, quo significatur τρυφὴ, vt exponit Suidas. Porrò vt vox ἵππος & βοῦς in compositione augent, ita ὑπὸ in eadem minuit, nempè eapse ratione, quâ apud Latinos *sub*, quod ab ὑπὸ factum. Ita Græci dicunt ὑπέρυθρος, ὑπόλευκος, ὑπόδασυς, &c. Latini item, *subrufus*, *subpinguis*, *subrancidus*, &c. At Bellonius, lib. II. de auibus. cap. XIV. Græcæ linguæ ignorantia turpiter se hic decepit. Nam cùm rectè scripsisset doctissimus Gesnerus ὑποτριόρχης, siue *subbuteonem*, ipso vocis argumento minorem comprobari τριόρχου, siue *buteone*: vt hoc argumentum refellat Bellonius, negat ὑπὸ semper minuere, verum contra interdum augere, vt in *hypomarathrum*, *hyposelinum*, & similibus. Atqui non *hypomarathrum*, sed *hippomarathrum*; non *hyposelinum*, sed *hipposelinon* dicitur, parque aliorum ratio, quod sciunt omnes, qui oram solum Græcanici sermonis adbiberunt.

HIR, *vola manus*, teste Charisio, Prisciano, Glossis vett. in quibus exponitur θέναρ, τὸ κοῖλον τῆς χειρός. Vsus Lucillius apud Cic. in secundo de Fin. Videntur autem συνεκδοχικῶς *hir* dixisse ex Græco χείρ.

HIRCIPILVS an *hirtipilus* dicatur, ambigi possit. Nam in MS°. Paulli cod. est *Hirtipilus*, quasi ab *hirtus pilus*. *Hirtus* est *hirsutus*. Sed in pluribus libris est *hircipulus*. Vbi sic dicatur, qui *pilos* habet *similes hircinis*. Sunt autem *hirco* pili, tum *densi*, vnde Theocrito λάσιος, Nonno δασὺς, inque Ἀνθολογίᾳ δασυχαίτης appellatur, tum *duri* atque *asperi*, vnde in Ἀνθολογ. τρηχὺς dicitur. Hoc in caussa est, cur non eodem modo interpretentur. Perotto quidem *hircipilus*, qui *duros* habet *pilos*. Nec displicet. Aliter tamen Festus. *Hircipili, densorum pilorum homines*. Ita enim vetus Mediolanensis, eàque posterior Aldina. Etiam in Onomastico veteri. *Hircipili*: δασύτριχες. Sed quid sibi vult quod in editione Veneta Antonij Augustini & aliis pòst secutis, legitur, *Hircipili, durorum pilorum homines*? Omnino ita vir doctissimus in libris suis repererat, ne nuperorum librariorum errorem putes. Nam & similiter scriptum apud Iulianum Maium, qui Mediolani excusus anno CIↃ CCCCLXXX. Laudat verò auctorem Festum. Quare non dubium, quin in antiquissimis Festi libris fuerit *durorum pilorum homines*: atque ita fortasse repererat Perottus. Vtcumque hoc est, τραχύτριχα, quam δασύτριχα, interpretari malim.

HIRCVS, Perotto teste, dictus putatur vel ab *odore alarum*, qui *hircus* dicitur; vel quasi *hirtus*, id est, *hirsutus*. Est enim δασυχαίτης, vt in *hircipilus* dicebamus. Aliis ab *hirquis*, id est, *oculorum angulis*, quos in libidine transuersos retortósque habet. Ita Isidorus, lib. XII. cap. I. Sed vocabulum Sabinum est Varro, IV. de L.L. *Hircus, quod Sabini fircus: & quod illic fedus, in Latio rure hedus*. Idem de vtroque scribit Velius Longus. Itidem & *horreum* & *hostis* accepere Romani à Sabinis, sed similiter immutarunt, quia illi proferebant per *F*, *forreum*, *fostis*. Porrò pro *hircus* olim quoque *hirquus* dixerunt: vt in *Hirquitallire* dicemus; sed nunc *hircum* per *Q* scribunt, cùm signare volunt *alarum fœtorem*, qui sic dicitur à *fœtore cognominis animalis*, quomodo & Græci τράγον, tum de *animali*, tum de *alarum grauéolentia* vsurpant. A posteriori acceptione *hircosi* vocantur, qui *virus alarum olent*. Pers. sat. III.

Hic aliquis de gente hircosâ centurionum.

Eodémque vsus Agell. lib. XI. *Quidam sunt tam magni sensus Q. Ennij, vt licet sint scripti inter hircosos, possint tamen inter vnguentatos placere*. Apud Vlpianum quoque legas: *Trebatius ait non esse morbosum, os alicui olere, vt hircosum*. Sed hic *hircosum* non *alarum fœtorem signat*: etsi in Onomastico τραγομάσχαλος exponatur: Verùm *oris*, & quidem ortum ex eo, quòd *ore sit passus obscœnum*. Nam tales (vt in Coniectaneis monet Scaliger) Latinis dicebantur, vt illo Catulli:

——— *Et putare cæteros hircos.*

Et illo in Atellanico exodio:

Hircus vetulus naturam capreis ligurit.

Quod hirsuto atque olido seni, Tiberio, *obscœnitatem oris* exprobratam, clarè ait Tranquillus, in vita eius, cap. XLV. Idem tamen Scaliger putabat, in Vlpiani loco meliùs legi *lurcosum*, ac quia proximè sequitur *strabonem*, quod nihil ad graveolentiam oris facit, pro eo itidem iudicabat *raponem* reponi debere. Nam sequitur apud Vlpianum: *Hoc enim ex ingluuie oris accidere*. At *lurcosi*, ac *rapones*, propriè sunt ἀδηφάγοι, qui & *manduci*, & *gumia*, & *comedones*, appel-

lantur. Quid hac de emendatione sentiamus, dicimus voce *Scabo.*

HIRQUITALLIRE est ab *hirquitallus*, hoc ab *hircus*. *Hirquitallire* est quod Græci dicunt τραγίζειν, quæ vox itidem à τράγος, id est, *hircus*. Vtrumque autem notat, *hircum vel odore vel lasciviâ imitor.* Priorem opinionem secutus Censorinus, cùm cap. XIV. ait. *In secunda hebdomade, vel incipiente tertiâ, vocem crassiorem & inæquabilem fieri, quod Aristoteles appellat τραγίζειν, antiqui nostri hirquitallire, & inde ipsos putant hirquitallos appellari, quod tum corpus hircum olere incipiat.* Posterioris sententiæ est Festus, cùm scribit: *Hirquitalli pueri primum ad virilitatem accedentes à libidine scilicet hircorum dicti.* Item, *irquitallus puer, qui primò virilitatem suam experitur.* Nec mirandum, quod *hirquitallus* scribatur per q. Nam non oculorum modò *hirquos*, sed & animal per q scripsere veteres. Ita in illo Maronis, Ecl. III.

——— *Transversa tuentibus hirquis.*

(quo in loco *hirci* vox vtrâque significatione accipi potest) antiquorum codicum quidam *hircu*, alij *hirquis* habent. Vide Velium Longum, lib. de Orthographia; & Pierium, ad Ecl. III.

HIRRIRE quorum proprium sit, docet Festus: *Hirrire*, inquit, *garrire* (al. *ringere*) *quod genus vocis est canis rabiosæ.* Item Nonius: *Irritare tractum à canibus, qui, cum prouocantur, irriunt.* Hinc liquet, *Hirrire* esse ὀνοματοπεποιημένον, propriéque dici de *canibus*, cùm prouocatæ R multa sonant: vnde illud Lucilli apud Charisium & Donatum.

Irritata canes quod R quam plurima dicant.

Siue vt corrigunt alij.

Irritata canis quàm homo, quod planiti' dicat.

Ac Ouidius, Persiúsque, hac de caussa R vocant *literam caninam.* Vsurpat Sidonius, lib. VII ep. III. *Velut est canibus innatum, vt etsi non latrant, tamen hirriant.* Ab eo est *hirritus*, quo vsus idem Sidon. lib. IX. epist. XVI. *Prodat hirritu rabiem canino.* Pro *hirrio* apud Nonium est *irrio* absque spiritu: indéque dictum censet *Irrito*: de quo suo loco.

HIRTUS, & *hirsutus*, idem valet ac *pilis horridus*: vt Isidorus docet lib X. & in Glossis MSS[ti]. Itaque nomen hoc ab *horrore* aliqui deducunt. Mihi verisimilius fit, vtrumque horum, atque item *hispidus*, venire à sono, quem edunt setis *horrentia.* Nimis verò dilutum, quod *hirsutus* conflatum putat Perottus ex *horrens setu.* Ab *hirsutus* est *hirsuta.* Ita Columellæ dicitur insecti genus arborum folia excedens: quod aliter *erucam* vocamus. Græci κάμπην nominant quia *in arcum arrepsendo curuatur. Hirsuta* autem dicitur, quia *villosa.*

HIRUNDO à Varrone, lib. IV. inter aues eas recensetur, quæ à sono nomen acceperunt. Agrætius ait esse auem, quæ *tignis adhæret.* vnde ab *hærendo* videtur deducere. Id quidem etymon placet Gesnero. Sed Scaliger in Coniectaneis censet venire a χελιδὼν, quasi *helundo*, conuerso *L* in *R*, quomodo *cæruleus* pro *cæluleus* dicimus, ac Græci φραγέλλιον, dicunt pro *flagellum*, vnde apud Marcum cap. XIV. φραγελλώσας. Pluráque id genus alibi adduximus.

HISTORIA, ἱστορία ab ἵστωρ, *sciens*, spiritu mutato. Hoc ab ἴσημι, *scio*: quod ab εἴδω, ἴδω, *video.* Ab ἱστορία autem ἱστορεῖν, non contra, quod Seruius putabat, in I. Æn. Sed de hoc plura diximus lib. de arte historica, cap. I.

HISTRIO in vett. Glossis exponitur παντόμιμος. Παντόμιμοι autem iidem qui ὀρχησταὶ, siue *saltatores*: vt Lucianus περὶ ὀρχήσεως tradit. Sed priusquam ὀρχησταὶ se à dramatis separarunt, quod Augusti ætate cœpit à Pylade & Bathyllo, *histriones* non solum saltabant, sed etiam diuerbia pronunciabant. Qua de re plura, libro de Poëtica, diximus. *Histrio* dictus à quodam, cui nomen *Histro*: vt quidem Plutarchus scribit probl. CVI. Festus aliter: *Histriones*, inquit, *dicti, quod primùm ex Histriá venerint.* Idem legas apud Isidorum, lib. XVIII. cap. XLVIII. Sed addit alterum etymon oppidò quàm ineptum. Nam *histriones* dici quasi *histориones*, *quia perplexas historiis fabulas exprimerent.* Non dubium autem quin *histrio* sit à voce *hister*, quæ Thuscis significat ὀρχηστὴν, siue *saltatorem*, qui & *ludio* vocatur. A Thuscis enim & rem & vocem accepere Romani: vti docet Liuius penè initio lib. VII. *Sine carmine vllo, sine imitandorum carminum actu ludiones ex Hethruriâ acciti ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Thusco dabant. Imitari deinde eos iuuentus simul inconditis inter se iocularia fundentes versibus cœpere, nec absoni à voce motus erant: accepta itaque res, sæpiúsque vsurpando excitata, vernaculis artificibus, quia hister Tusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum.* Idem refert Valer. Max. lib. II. cap IV *Et quia ludius apud eos histrio* (Stephanus Pighius rectè emendat *hister*) *appellabatur, scenico nomen histrionis inditum est.* Ab *histrio* est *histricus*; Ita apud auctorem prologi Plautinæ Pseudoli est *imperator histricus* pro *histrione*, siue *histrionum præfecto*; similitérque Appuleius dixit *decorè histricum.*

HODIDOCUS, vel potiùs *hodœdocus*, ab ὁδὸς, *via*, & δοκεῖν, quod Hesychius exponit τηρεῖν, φυλάσσειν, ἐπιτηρεῖν προσδοκᾶν. Idem Hesychius: Ὁδοιδόκος, κλέπτης ἐνεδρευτὴς, κακοῦργος, ὁδοῦ λῃστής. Festus: *Hodidocos latro atque obsessor viarum.* Suidas Ὁδοιδοκεῖν, ὁδοὺς ἐπιτηρεῖν.

HODIE, quasi *hoc die.* Marius Victorinus, lib. I. *Hactenus autem* (scribendum) & *hodie, non vt antiqui hacctenus, hoccedie.* Sic Græcis σήμερον, quasi τῇ ἡμέρᾳ, hoc est, ταύτῃ ἡμέρᾳ. Gallo-Romani dicunt *annuit*, quasi dicas *hac nocte.* Rationem huius locutionis putat Elias Vinetus commentario ad professores Ausonij petendam ex eo, quod Cæsar scribit sexto de bello Gallico, *Galli*, inquit is *se omnes ab Dite patre prognatos prædicant: idque ab Druidibus proditum dicunt. ob eam caussam spatium omnis temporis, non numero dierum, sed noctium finiunt, & dies natales, & mensium & annorum initia sic obseruant, vt noctem dies subsequatur.*

HOLCAS, ὁλκὰς, *nauis oneraria*, ab ὁλκὴ, id est, βάρος, quod ab ἕλκω, *traho*, quia deorsum trahit bilancem, vel aliud simile. Inde & herba *holcus*, ὁλκὸς, quia *circa caput alligata vel circa lacertum educit corpore aristas.* vt Plinius ait. lib. XXVIII. cap. X.

HOLOCAUSTUM, ὁλόκαυστον, ab ὅλος, id est, *totum*, & καίω, *uro.* Erat sacrificij genus, quo tota comburebatur victima: non sola exta. Erat autem *holocaustum* duplex. Nam vel carnes omnes cum extis comburebantur: vel carnes sine extis, De priori notum. De posteriori ita Seruius, in illud IV. Æn.

Et solida imponunt taurorum viscera flammis.

Solida viscera holocaustum significat: quod detractis extis aræ superimponebantur, quæ nonnunquam abluta, elixa etiam ipsa reddebantur. Vbi *viscera* opponit *extis*, vt satis liqueat carnes ossáque signari. Ait Seruius, viscera abluta ac nonnumquam etiam elixa reddi solere. Quo loco *reddi* non homines, sed Deos spectat. Quomodo *exta Marti reddere* dixit Suetonius in Augusto. Nempe, vt idem Seruius ait, *reddi exta dicebantur, cum probata & elixa aræ superimponebantur.* De *holocausti* voce sic breuiter B. Augustinus, in Psalmum LXV. *Holocaustum est totum incensum, sed igne diuino.* Vbi cur *ignem* dicat *diuinum*, indicant hæc verba Philonis, in vita Mosis: *Vulgatus ignis ablegatus fuit ab altari sanctissimo, & pro eo alter demissus cœlesti ex æthere, vt esset discrimen inter Sancta & Profana, Humana & Diuina. Conueniebat enim sacrificiis attribui naturam ignis incorruptiorem, quàm est hæc, quæ seruit quotidianis ignibus. Holocaustis* abstinebant Magi: qui Deum anima contentum esse aiebant: eóque aut nihil, aut duntaxat minutum quid prosecabant, & comburebant. Auctor Strabo, lib. XV.

HOMO, ac Græcum ἄνθρωπος, vnde dicantur, ineptè quæri putat Rodolphus Agricola, epist. ad Alexandrum Hegium. Rationem autem hanc sententiæ suæ adfert, quòd nullius rei nominandæ prior antiquiórque hominibus cura fuerit quàm sui ipsius. Itaque quæ vocabulorum horumce etyma adferuntur, ingenij magis quàm veritatis opus esse autumat. Ego etsi veritatem etymorum eius vocis præstare nolim, sententiā tamen Agricolæ minimè probare possim. Nam ratio hæc solum aliquid coloris habet in eâ linguâ, quæ omnium prima fuit. Quippe initio conditi generis humani necessum fuit primum hominem curā suscipere rebus omnibus apta nomina faciēdi. Et tamen in hac quoq; *homini* à *terra* nomen inditum, vt post parebit. Sed aliarum linguarum longè alia ratio est. Quippe omnes cum lacte parentū linguam imbibimus: sed temporis progressu vocabula multa literis ac syllabis integris immutātur: etiam gentium commigrationibus fit linguarum miscela, veteribus vocabulis deletis, nouis nouæ gentis inductis. Hæc vocum immutatio non communi consilio fit aut paucorum auctoritate, sed quasi sponte, nec id agentibus hominibus ex eorum commerciis prouenit. Quare manifestum est nihil impedire, quo minus & in vocibus vsitatis conuenientiam spectemus, & ab vsitatis vocabulis recurramus ad antiqua; & à gente vnâ ad eam, quæ ciues suos in alteram transfudit. Nec hic ordo aliquis spectandus: quasi homines priùs sibi, hinc proximis, inde aliis atque aliis rebus nomen imposuerint, prout in sensus propinquitatem aut in mentem ob vtilitatem aut dignitatem priùs singulæ incurrebant. Nam hoc tum demum haberet locum, si agens aliqua aut primores velut in consessu deliberassent de vocabulis fabricandis, quod putare puerile est. Hæc si cogitemus, fatebimur caussæ nihil esse, cur non *homo* siue ab alio Latino vocabulo, siue ab alius gentis voce nomen possit accepisse. Ac Varro quidem voluit sic dici ab *humo*: quam sententiam ridet his verbis Quinctilianus lib. I. cap. VI.

Etiamne

Etiamne hominem appellari, quia ſit humo natus? quaſi verò non omnibus animalibus eadem origo, aut illi primi mortales ante nomen impoſuerint, quàm ſibi? Sed poſterior hæc ratio, quam valida prorſus ſit, iam vidimus. Nec maioris momenti eſt, quòd ait hoc pacto animalia omnia, quia & illa ex *humo* ſunt, *homines* dici debuiſſe. Nam etyma non ſunt definitiones, vt ea neceſſe ſit ἀντιστρέφειν. Ita in ſancta lingua videmus *hominem* quoque vocari *Enos*, אנוש, ab *infirmitate*. At non ſolus *homo infirmus*. In eadem *Sol* dicitur *Semes*, שמש, ab *obſeruando*. Quis verò ſolum dicat *obſeruare* Solem? *Angelus* quoque *Malac*, מלאך vocatur à *miniſtrando*. At nonne Deus *hominum* quoque vtitur miniſterio? Nec ratione caret, quòd *homini* imprimis id nomen inditum. Nam continet vtilem monitionem conditionis ac fragilitatis humanæ: quam etiam nobis ob oculos ponit effatum illud Dei apud Moſem, Gen. III. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Ita Græcorum quoque lingua quanquam beſtiæ etiam ſint mortales, *homines* tamen βροτοὶ & θνητοὶ, hoc eſt, *mortales* appellantur. Nempè non *beſtiis*, ſed *homini* opus fuit hoc documento, vt ipsâ appellatione ſui, moneretur fragilitatis. Quare nec ſuperius *hominis* etymon ſequi dubitauit Lactantius, lib. de Ira Dei, cap. x. *Corpus hominis ex humo factum: vnde homo nomen accepit.* Quin etiam Hebræis *homo*, אדם, appellatus ab אדמה, quod eſt *terra*, nempe ab אדם, quod eſt, *rubeſcere*, vt propriè non *terram quamuis*, ſed *rubram* ſignet ex quâ Adam formatus, ac qualis multis in locis Orientalibus terra eſſe ſolet ob ſolis aduſtionem. Nugatur egregiè ſcriptor carminum Sybillis falsò tributorum; in quibus legere eſt dici *Adamum*, quia *complectatur*

Ἀντολίην, δύσιν τε, μεσημβρίην τε, καὶ ἄρκτον.

Sed nec Ioſephus quod mirum ſatis, *Adami* Etymon perſpexit. Nam vult notare *rufum*. At *Edom*, non *Adam*, *rufum* notat. Repugnat quoque Ioſepho Moſes. Verùm de *Adamo* è *terra* à Deo fabricato, dicat aliquis, ſcire non potuit Quinctilianus, vel quiſquam τῶν ἔξωθεν. Scio, verùm neſcire tamen is non potuit Empedoclis ſententiam, qui *homines* è *terrâ* natos adſerebat, quem philoſophi hac in parte ſunt ſecuti. Nec tamen, quæ hactenus de etymo hominis diſcepto, ſic accipi velim quaſi mordicus allatum etymon genuinum eſſe cenſeam: ſed tantùm eò à nobis dicta ſunt, vt oſtenderem fortioribus omnino armis eſſe opus ad illud euertendum. Tum autem vt doceremus, nihilo veriſimiliorem eſſe eorum ſententiam, qui *hominem* ab ὁμοῦ dictum volunt, quia, vt aiunt, *homo* ſit animal politicum ac *ſociale*. Eſt hæc ſententia Iulij Scaligeri, lib. de cauſ. L.L. cap. XXVIII. Sed ὁμοῦ puto dicere voluiſſe. Nam ὁμοῦ, *ſimul*; ὁμῶς, *æquè*, *ſimiliter*, ab ὁμός. Interea ſeu ab ὁμοῦ, ſiue ὁμῶς originem arceſſas, quanto veriſimilius eſt à materiâ, quàm ab accidente nomen accepiſſe? Sed quid, ſi ipſi quoque nouum aliquod etymon comminiſcamur? certè tentabimus. Suſpicor *homo* ex *hoom*, ſiue *oom*, hoc eſt, *odom* factum eſſe eliſo D. & factâ συναιρέσει. Sanè Syris *homo* dicitur *odom*, non *Adam*, אדם, nempè quia ־ ſemper per O enunciant, Neſtorianis, & aliis paucis exceptis. Imò veteres quoque ſimiliter: vnde Ὠδάμ apud Ioſephum, & Ὠβὴλ in Epiphanij ſermone in feſto palmarum. & *atho* pro *atta* apud Hieronymum, & in ſacris *Corbona*, quod in aliis *Corbana*, קרבנא: quo de eius vocalis ſono plura Druſius, lib. de pronunciatione L. Hebr. cap. VI. Græcis *homo* dicitur ἄνθρωπος, quam vocem Etymologici Magni auctor dici putat ab ἄνω θρεῖν, hoc eſt, *ſurſum ſpectare*. Iuxta illud Ouid. I. Met.

Os homini ſublime dedit, cælúmque tueri
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Nec tamen deſunt, qui hanc rideant ἐτυμολογίαν, idque ob figuram piſcis οὐρανοσκόπου, cùm hic & inuitus cœlum ſpectet, homo autem cogatur ceruicem inflectere. Alia quoque aliquot eiuſce vocis etyma apud Etymologum videre potes. Germanicum ac Belgicum *menſch* videri queat factum à Latino *mens*. Quippe *homo mente* eſt id, quod eſt. Sed verius fortaſſe κατ' ἀντιστροφὴν, ac vnius literæ appoſitione fieri ab אנוש, id eſt, *homo*. Gallicum *homme* manifeſte eſt ab *homo*: quòd verò eo vtantur pro *viro*, id fit exemplo Latinorum, Græcorum, Hebræorum: qui interdum ſic loqui amant: quâ de re aliquid quoque Scipio Gentilis, lib. I. παρέργ. cap. III. Sanè & ſic *hominis* voce vſus vetus ſcriptor, qui perperam creditur Auguſtinus, quæſt. CVI. in vetus Teſt. Nempè ex vſu vulgari eorum temporum. Quare facile eluimus & elidimus ludicra eorum argumenta, qui pluſculis locis, in quibus *mulier* & *homo* opponuntur, *mulierem* non eſſe *hominem*, euincere conantur. Nam id & verè adſeueratur & rectè negatur, prout hoc illove modo *hominis* vox accipitur. Ab *homo* eſt *homullus*, quo Varro vtitur apud Nonium: ab *homulus* eſt *homullus*, quod Lucretius vſurpat, lib. III. Ab *homo* quoque eſt *humanus*, ſiue adſumpto *V*, vt priùs fuerit *homanus*: quemodo à *iouo* fuit *ioucundus*, vnde *iucundus*: ſiue quia veteres etiam *homo*, vel *humo*, pro *homo* dicebant: vt Priſcianus cenſet, lib. I. *Multa, inquit, præterea antiquiſſimi in principalibus mutabant ſyllabis, vt cungrum, pro congrum; cunchin, pro conchin; huminem pro hominem; funtes pro fontes; frundes pro frondes*, &c. Cauſſam ibidem addit hanc, quòd aliquot Italiæ ciuitates, Plinio teſte, caruerint litera O, & loco eius poſuerint *V* maximè. Quemadmodum &, vt ibidem dicitur, multi Italiæ populi contra *V* non habebant. Ab *humanus* eſt *humanitas*: quod tamen ex eo *ſtudiis literarum*, quæ *virtutis incunabula* rectè dixeris, impoſitum eſt, quòd ſolius ſint *hominis* propria, iiſque *homo* tantùm antiſtet hominibus, quantùm earum ignarus præſtat beſtiis. Nec tamen diſplicet, vt *ſtudia humanitatis*, vel *humaniores literæ* dicantur ab effectu: quando, vt Poëta Sulmonenſis cecinit,

——didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

A *ne* & *homo* vel potiùs priſco *hemo*, eſt *nemo*, teſte Feſto. Priſcianus, lib. VI. ambigere videtur. Sed nulla eſt dubitandi cauſſa. Nam veteres *ne* pro *non* dicebant, vt liquet ex *neſas*, *neſaſtus*, *neſarius*; item *neparus* apud Feſtum; & *funera neſunera* apud Catullum, quod obſeruat Scaliger: tum his, quæ in ſpicilegio notauit Palmerius, *ne rectè* apud Plautum Aſinar. II IV. *ne ire* apud Salluſt. *nemunera* apud Ouid. Porrò ex his patet κατ' ἐπιτατικόν à Terentio, Catone, Cicerone ipſa in Milon. & alibi dici *nemo homo*: cùm *homo* in *nemo* includatur. At πλεοναζουσ eſt, cùm diis aptatur. Vt apud Maronem:

Turne quod optanti diuum promittere nemo.

Nempe *nemo* valet *nullus*. Quemadmodum autem à *ne* & *homo* eſt *nemo*, ita quoque ex *ſemi* & *homo* eſt *ſemo*: quâ voce propriè ſignificatur qui inter Deos hominéſque mediam obtinet naturam, quem Ouidij verſum παρῳδίζων dicere poſſis

Semiuiróque Deum, ſemideúmque virum.

Nec obſtat, quòd *ſemonem* dicimus per O longum. Nam & veteres ſimiliter *homonem* dixere, vt patet ex illo Enniano:

Volturus in ſyluis miſerum mandebat homonem.

Nec ineptè tamen deriues à Punico *ſamen*, id eſt, *cœlum*, vt propriè notet *cæliten*. Sanè Pœnis id eſſe *ſamen*, argumento eſt vox BEELSAMEN, quomodo dicebant pro eo, quod Hebræis eſt בעל שמים [*vahal ſchamaim*,] id eſt *princeps aut dominus cæli*. Illuſtrem hâc de re Philonis Biblienſis locum adduximus in *Balſamum*. Si hæc *Semonis* etymologia placet, dicere oportebit *Semonem* dici, non qui iam in cælis degat cum diis genitalibus æuum, ſed cui cœleſte aliquid inſit, quo nomine vt cœlo locatus non ſit, tamen iam pro *minuſculo Deo* habeatur, quales Vertumnus, Pomona, Flora & ſimiles. Fulgentius Planciades: *Semones dici voluerunt deos quos nec cælo dignos adſcriberent ob meriti paupertatem: ſicut ſunt priapus, Hippona, Vertumnus: nec terrenos eos deputare vellent pro gratia venerationis.* Ibidem adducit Fulgentius illud Varronis in Myſtagog. *Semonéque inſertus derelicto, Deum depinnato attollam ſermonis eloquio.* Vſus quoque Liuius, lib. VIII. *Ædes, quæ eſſent in palatio, diruendas, bona Semoni Sanco cenſuerunt conſecranda.* Ouidio VI. Faſt. *Sem pater* dicitur: vbi tamen alij libri *ſemo pater*.

HOMONYMA, ὁμώνυμα, ab ὁμοῦ, id eſt, *ſimul*; & ὄνομα, *nomen*: quia res plures *nomen idem* participant. Latini vocant *æquiuoca*, quia vnum *æquè* ac alterum communicat *nomen*. Res eadem, appellatio nonnihil differt. Nam *æquè* Græcis eſt ἴσως, at ὁμοῦ eſt *ſimul vnà*: vt ab aduerbio hoc, ſi λέξιν ſpectes, rectius *vniuoca* ſint dicenda. Nunc *vniuoca* vocentur, quæ Græcis συνώνυμα, à σὺν, id eſt, *cum*; & ὄνομα, id eſt, *nomen*, vt ad verbum vox ſonet *cognomina*. Quomodo vocantur quia non ſolum nomen, vt in *homonymis*, ſed cum nomine etiam res ſit communis. Similiter *paronyma*, παρώνυμα, à παρὰ, quod hic παραγωγὴν ſiue *deductionem* notat, vt cùm dicimus ἀνδρεῖον dici παρὰ τὸ ἀνδρὸς. Latinis ſunt *denominatiua*, quia ab alio deſcendunt à quo terminatione ſolùm differunt. Porrò in tribus iſtis, vocis ὄνομα prius ο in ω, poſterius in υ mutatur. Vti & fit in aliis eiuſdem originis. Vt ſunt πατρωνυμικὰ, *patronymica*, quæ vox propriè conuenit à *patribus* deriuatis, ſed καταχρηστικῶς etiam dicitur de iis, quæ à *matribus auis*, aut *fratribus* veniunt. Item μετωνυμία, quaſi dicas *tranſnomen*. Item ἀντωνυμία, *pronomen*. Nam μετὰ, *trans*: ἀντὶ, *pro*. Similiter in ἱερώνυμος, *Hieronymus*, quod eſt *ſacrinomius*. Nam ἱερὸν, *ſacrum*. Item καλλιώνυμος, *callionymus* piſcis, q. *pulchri nominis*. De quo ſuo loco vidimus. At vtrumque ο ex ὄνομα remanet immutatum in iis, quæ veniunt ab ὀνομάζω; vt eſt ἀντονομασία, quaſi dicas *pronominatio*, ſiue *tranſnominatio*, quâ nomen pro nomine ponitur. Item παρονομασία, *agnominatio*, quam

& *alliterationem* appellant. Ὄνομα verò non vti putarunt à νέμειν, quia vt *lex*, sic *nomen* cuique suum tribuit: sed quasi ὀνόσημα, cuius vsu res agnoscitur; ab ὀνίω, siue ὄνημι, id est *iuuo*: quod etymon adfert Iul. Scaliger, lib. de causs. L. L. cap. LXVI.

HONOR, seu *honos*, ab *honus*, si Varronem audimus. Sic enim ille, lib. IV. de L. L. *Honos ab honesto honore. Itaque honestus dicitur, quòd honoratus, vt dictum. Honus est honos, qui sustinet Rempublicam.* Sed verisimilius est *honor*, siue, vt scripsere veteres *onor*, vel *onus*, venire ab ὀνῶ seu ὀνίνημι, id est, *iuuo, prosum*: vnde ὄνος, *asinus*, quia egregiè iuuat ac prodest. Ὀνίω autem ab הון, *diuitiæ*. Vel dicendum *onos*, mutatione vocalis longæ in breuem, ab ὦνος venire, id est, *pretium, merx*, quod ab ὠνεῖσθαι, *mercari, emere*. Sanè, vt Græcis τιμὴ, & Latinis *pretium*, primò quidem notat, quo ementes rem mercantur, secundariò autem *honorem*, quomodo qui in *honore* est, is in *pretio* esse dicitur: sic quoque, etsi ὦνος propriè signet τιμὴν ementis, tamen deriuatum eius *onos*, seu *honos*, significat τιμὴν honorantis. Ab *honor* est *honestus*, vt à *modus, modestus*. Ab eodem dicti *tutores honorarij*, de quibus Vlpianus, l. III. §. II. de adminiſtr. tutorum: item *honorarij curatores* apud Vlpianum, titulo XII. in fragmentis. Item *honorarij successores*, de quibus Iustinianus, § de bonor. possess. item *honorarium*, quod *honoris* potiùs, quam necessitatis caussa, datur, eóque non exigi aut peti debet, sed accipitur, si offeratur. Eóque etiam nomine appellatur *merces, quæ datur Iurisconsultis atque aduocatis*, quia inter eiusmodi non videatur contrahi locatio aut conductio. *Honorati* quoque in iure dicuntur, quibus aliquid legat testator: nempe quia summi hoc iis honoris est, eo quod sit signum probitatis, quam amicus moriens vltimo iudicio comprobârit. Pluribus hæc adstruit Gul. Fornerius, lib. I. Selectionum, cap. XIX.

HORA. ὥρα, satis durè quidam ἐτυμολογίζουσι ab οὖρον, hoc est, *vrina*. Aiunt Hermetem Trismegistum, cum animaduertisset animal Serapi dicatum, duodecies de die, æqualibus internallis vrinam reddere, inde cepisse occasionem diuidendi diem in duodecim partes, quæ ab οὖρον ὧραι dicerentur: postea autem duplicatum esse numerum, exque duodenis factas quatuor & viginti. Alij, quibus Plato in Cratylo præit, deducunt ab ὁρίζειν, id est, *definire, terminare, dirimere*; quia *horæ* diem in partes suas disterminent. Sed maximè placet hanc vocem ex eo fluxisse, quòd *Apollo* siue *Sol*, cuius cursu anni tempora distinguuntur, Ægyptiis Ὧρος appelletur: quæ & Macrobij sententia est, libro I. Saturnalium, cap. XXI. *Apud Ægyptios, inquit, Apollo, qui & Sol, Horus vocatur: ex eo quòd horæ viginti quatuor, quibus dies nócque conficitur, & quatuor tempora, quibus annuus orbis impletur, horæ vocantur.* Idem de hâc *Apollinis* appellatione tradit, indéque conflatum ait Ὡραπόλλων; quod nomen apud Suidam quoque reperias. Cùm autem Ægyptiacam linguam multa cum Hebræa communia habuisse vocabula sit verosimile, nec à vero abludat *Apollinem*, siue *Solem*, ὧρος appellatum ab Hebræo אור, quod est *lucere, illuminare*. Item *vro*, quod & ipsum ex Hebræo illo factum. Vel potiùs ὧρος ab Hebræo חרס, id est, *Sol*. Etsi autem ὥρα ab ὧρος; non tamen prima est *horæ* notio, quæ hodie vulgatissima. Nec enim in Platonis, Aristotelis, vel æqualium scriptis, nedum antiquiorum, ὥρα vnquam accipitur pro vicesimâ quartâ diei parte. Sed prior antiquiórque est acceptio ea quâ generatim, tum apud Græcos, tum Latinos, significat *tempestatem*, siue *tempus*: quâ ratione Plinius, lib. IX. cap. XXXV. ait: *Has vbi genitalis anni stimulauerit hora.* Item Horatius epistolâ ad Pisones:

Qui purgor bilem sub verni temporis horam.

Quia autem hac acceptione quatuor sunt anni *horæ*, quod & superior Macrobij locus indicat: inde est, quòd apud poëtas Deæ, quæ quatuor anni *horis* præsunt, Ὧραι & ipsæ, ac Latinis *Horæ* appellentur. Συνεκδοχικῶς verò ὥρα quoque dicitur, tum *tempus vernum*: quomodo Homero ὥρα εἰαρινὴ vocatur, quod alibi dicit ὥρη ἐν εἰαρινῇ; tum *æstas*, de quâ acceptione paullò post dicam. A priori notione est, quod κατὰ μεταφορὰν, sumitur pro *ætate temporis florentis*: simili nempe tralatione, ac Catullus, carm. LXIX. dixit.

Iucundum cum ætas florida ver ageret.

Ex hac significatione fluxit ea, qua, quia maior est in flore ætatis pulchritudo ac venustas, μετωνυμικῶς accipitur ὥρα pro *decore* ac *venustate*. Hæc rursum acceptio occasionem præbuit, vt Ὧραι dicerentur *pulchritudinis Deæ*, Solis famulæ, Hesiodo tres numero: vnde patet non esse easdem, ac eas, quæ τοῖς τέτταρσιν ὥραις præsunt. Apud Romanos quoque Hersilia Romuli vxor, postquam in cœlum recepta est, ἀπὸ τῆς ὥρας, hoc est, *venustate*, nomen accepit *Hora*. Ennius:

Teque, Quirine pater, veneror, Horámque Quirini.

Apud Ouidium tamen, in fine XIV. Met. *Ora* legas absque spirit. & correpta priori:

———*Priscum cum corpore nomen*
Mutat, Orámque vocat, quæ nunc dea iuncta Quirino est.

Præterea ὥρα non rarò sumitur pro *tempore*, ea ratione quâ *tempus esse* dicimus, *vt quid fiat*. Atque hinc ἄωρος, *intempestiuus*: qui contrarium ὡραῖος, *tempestiuus*, vnde virginem ὡραίαν γάμου dicunt, quam *viro maturam* dicunt Maro, Horatius, Gellius. Ab hoc ὡραίου notione, *mel horæum* dicitur. Plinius, lib. XI. cap. XIV. *Alterum genus est mellis æstiui, quod ideo vocatur horæum, à tempestiuitate præcipua, ipso Sirio exsplendescente post solstitium diebus triginta ferè.* Verùm quia *ver* etiam ὥρας nomine censetur, inde & *salsamenta, quæ vere fiunt*, ὡραῖα vocantur. Itaque Hesychius ὡραῖον τάριχος esse tradit τὸ κατὰ τὸ ἔαρ συντιθέμενον. Hinc *salsamenti* genus *horæum* dicitur quoque Plauto, Capt. Act. IV. sc. II.

———*Pernam, atque ophthalmiam,*
Horæum, scombrum, & trigonum, & cetum, & mollem caseum.

Vide Athenæum lib. III. & Turnebum lib. II. cap. XXIII. At aliter *fructus fugaces* dicuntur ὡραῖοι, vel ὡραῖα; vt mora, pepones, persica & alij id genus. Est enim tunc ab ὥρα, quà *æstatem* notat. Quâ de notione operis est adire Galenum de Aliment. facult. lib. II. cap. II. quod περὶ τῶν ὡραίων ὀνομαζομένων καρπῶν inscribitur.

HORDEVM, Velio teste, priùs fuit *fordeum*: vnde per adspirationem scribendum liquet. Idem vett. ostendunt codd. Vide & alia huiusmodi in *Hircus*. Videri possit *hordeum*, seu *fordeum*, dictum ab *horreo*. Est enim *horridum*, hoc est, *pilosum atque hispidum*. Græci similiter οὐλὰς dixisse videntur ab οὖλος, hoc est, *crispus*. Sed malim statuere, *fordeum*, & *forbea*, eiusdem esse originis: nempe à φέρβω, *alo, nutrio*: vnde φορβὴ, *nutrimentum*, à quo *forbea*, vt ex Festo alibi dictum. Sed in *fordeum* *b* in *d* conuertitur. Vel cùm Græcis *hordeum* sit κριθὴ, ab eius diminutiuo κρίθιον sit *hordeum*, κατὰ μετάθεσιν, & ι in ο abeunte. Nisi malis ex κρίθινος, *hordeacium*. Sunt qui deducant ab ἔρδω, *facio*. Quod longiùs petitum. Neutiquam etiam adsentio Isidoro, qui sic de eo scribit lib. XVII. cap. III. *Hordeum dictum, quod præ cæteris generibus frumenti aridum ante fiat, vel quòd spica eius ordines habeat.* Ab hoc cibo *gladiatores* dicebantur *hordearij*, Plinio auctore, lib. XVIII. cap. VII. Festo etiam teste, *Hordearium æs, quod pro hordeo equiti Romano dabatur.* Nam Romani non serebant auenam, sed solum agnoscebant auenæ illud genus, quod agreste est, ac sponte prouenit, ésque sterile. Vnde hi pro auena iumentis *hordeum* dabant. Plautus, Asin. act. III Sc. III.

Demam hercle iam hordeo, tolutim in badizas.

Imò Græci etiam *hordeo* sic vsi: vnde κριθῶντα πῶλον, dicit Æschylus, *qui hordeo pastus lasciuit*. Etiam ignominiæ caussa militi dabatur: quod pœnæ genus κριθοφαγία Polybio dicitur.

HORIZON, ὁρίζων, ab ὁρίζω, *finio, termino*, quod ab ὅρος, *finis, terminus*. Cicero, lib. II. de Diuinat. *Illi orbes, qui cælum, quasi medium diuidunt, & adspectum nostrum definiunt, à Græcis ὁρίζοντες, à nobis finientes rectissimè nominari possunt.* Manilius lib. I.

Quippe aliud cælum ostendens, aliúdque relinquens
Dimidium teget & referet, varióque notabit
Fini cum visu pariter sua fila mouentem.
Hic terrestris erit, quia terram amplectitur, orbis,
Et mundum plano præcingit limite gyrus,
Atque A FINE TRAHENS TITVLVM, *memoratur Orizon.*

HORNVS valet *ipsius anni*, vt Nonius exponit. & Glossæ vett. in quibus est: *Horno*, τῆτες, quod valet. τῷ ἔτει; & *Hornus*, ἐπέτειος. Item Sergius, in Donati edit. II. *Horno nihil aliud est, nisi hoc anno.* Sed non tam videtur factum ex *hoc anno*, quàm deriuatum à Græco ὦρος, siue ὧρος, quod notat *annus* & *annotinus*, Hesychio & aliis testantibus: vel ab ὥρα, quod & ipsum quod ἐνιαυτὸν, hoc est, *annum*, interpretantur Hesychius & Suidas, qui & inde dici volunt ὡρογράφους, vt propriè sic dicantur *annalium scriptores*. Erotianus ὥρα idem esse ait, ac χρόνος, indéque ὡρογράφους nominari τοὺς τοὺς χρόνους γράψαντας; quâ ratione ὡρογράφοι iidem erunt qui χρονογράφοι. Horum originatio magis placet, quàm qui ab ὥρα deducunt, ac sic dici volunt, quia res gestas per quatuor anni horas distinguat. Vsus eâ voce Plutarchus de κακοηθείᾳ Herodoti, οἱ μὲν γὰρ Ναξίων ὡρογράφοι λέγουσι καὶ πρότερον Μεγαβάτην ἀπώσασθαι τοὺς διακοσίαις ναυσὶ ἐπιπλεύσαντας, τῇ νήσῳ. Ab ὧρος fuerit ὡρινὸς, vt ab ἐπέτειος ἐπετήσιος, imò & à *fago*, *faginus*: ab ὡρινὸς autem κατὰ συγκοπὴν *hornus*. Possis & eâdem ratione ab ὥρα deducere, siue quâ *anni quatuor partes* notat: vt signet, quod

quod nondum in *alias anni horas* transierit: quæ sententia est Iulij Scaligeri de caussis L.L. cap. XCVIII. Siue potiùs, quia *annum* signat prorsus inquit Lucianus, in deorum dialogis. Corradus, in lib. de L.L. censet *hornus* eâ formâ dici, quâ *diuturnus*, & *nocturnus*: quod non omnino verum puto. Nam in his RNVS adijcitur: in *hornus* verò solum NVS, quia *R* habes in *horâ*, non in *diu*, vel *noctu*. Ab *hornus* est aduerbium *hornò*, hoc est, *hoc anno*, cui opponitur aduerbium *anno*, hoc est *pridem*, quasi dicas, *iam ante annum*. Ita enim voce *annò* vsus Plautus, Menæchmis, act. I. sc. III.

Quatuor minis ego emi istanc annò vxori meæ.

Nam sententia est; palla, quam tibi dono, ea iam pridem vxori quatuor minis à me empta fuit. *Hornò* vsurpat Varro Eumenidibus, vt docet Nonius, qui & Lucilli illud citat, lib. XXVIII.

Vtrum annò, an hornò te abstulerit à viro.

Ab *horno*, vt Priscianus testatur, lib. II. est *hornotinus*, nempe vt à *diu*, *diutinus*, éstque idem quod *hornus*. Vsi Cato, Cicero, Columella. Sergius, in Donat. *Ab hornò deriuatio duplex inuenitur. Nam Cicero dicit hornatinas fruges. Horatius dicit hornas fruges.* Vbi pro *hornas* corruptè editum *hornatas* in editione Putschij.

HOROLOGIVM, ὡρολόγιον, instrumentum τὸ τὰς ὥρας μετρῶν, vt Suidas ait siue vt etymo insistam, τὸ τὰς ὥρας λέγον, *dicens & indicans horas*. Vt & inde ὡρολόγος, *horarum index*: quamquam is Athenæo potiùs ὡρολογεῖον dicatur. Ὡρολογίῳ voce vsus Bato Comicus in Συνεξαπατῶντι. Sed recentioris in comœdiæ poëta fuit. Antiquiores autem vocem eam ignorabant. Quid mirum! quod necdum Solonis temporibus, nec aliquanto post ratio cognita erat, qua scire possent ad quot horas sol esset progressus. Itaque apud Platonem & Aristotelem, atque æquales non exstat vocabulum ὥρας pro *diei parte*, vt in ὥρα etiam diximus. Vide quæ hac de re Iosephus Scaliger, lib. primo de emend. temp. Primus autem *Anaximenes Milesius horologium, quod appellat sciothericon Lacedæmone ostendit*; vt Plinius ait, lib. II. cap. LXXVI. Qui solarium *horologium* vocat, lib. VII. cap. LX. Fusè de *horologijs* scribit Vitruuius, lib. IX. cap. IX. & Ptolomæus, libro de Analemmate; breuis Albategnius, libro de scientia stellarum, propos. LVI. Ex iunioribus hoc argumentum tractauit Orontius Finæus: sed parùm accuratè: meliùs Maurolycus, Commandinus, Clauius, Voellus, alij.

HOROSCOPVS, ὡροσκόπος, est cœli pars, quæ natiuitatis tempore ab orientali cœli parte emergit, ex cuius obseruatione natalitia prædicta fiunt. Manilius vocat sidus, quo hora cœli nascitur. Hoc indicant verba illa:

———Cœli nascentis ab hora
Sidere, quem memorant horoscopon.

Alibi *nascens astrum* nuncupat. Caussa nominis aperta. Nam, vt est apud Hesychium, ὡροσκόπος ὁ σκοπῶν τὰς ὥρας. Sed hic de *homine* sumitur: non de *cœli parte*, vel *Deo*, siue vt Firmicus vocat, *decano*, qui præesset parti illi. At ὥρας nomine non intelligitur *particula diei*, sed absolutè *tempus*. Nempe *tempus illud, quo quis primùm exit in lucem*. Nam vt χρόνος primo αὐτὸς sumebatur, postea cepere pro *anno*: sic ὥρα primo erat *tempus*, postea accepere pro *vigesimaquarta diei parte*. Sed hic sumitur similiter pro *tempore natiuitatis*. Nam cùm iam *horoscopi* vox significaret illud quod dixi, necdum obtinebat distinctio diei in horas XXIV. *Horoscopa vasa* apud Plinium legas lib. II. cap. LXXII.

HORRERE est verbum à re quam exprimit, desumtum. Vel fuerit ab ὀρρωδῶ, *metuo*. Inde *horripilari*, quia *horrore pili fiunt*. Id expressit Maro, II. Æn.

Obstupui, steterúntque comæ, & vox faucibus hæsit.

Glossæ Philoxeni: *Horripilatur*, ὀρθοτριχεῖ. Id & φρίσσειν dicunt Græci. Eustathius: Δηλοῖ καὶ τὴν τῶν τριχῶν ὄρθωσιν, τὸ φρίττειν. Atque vti *horreo*, ita & φρίττω, vox facta est ad exprimendum fugam spiritus versus cor, & prouenientem indè corporis rigorem atque adsperitatem. Sed φρίττω id solùm præstat duabus primis literis: *Horrere* autem vtrâque syllabâ. Dicerem & tertiâ, nisi ea extrinsecus adsumeretur.

HORREVM est τὸ σιτοφυλακεῖον, siue, vt Glossæ vett. interpretantur, ἡ ἀποθήκη. Vbi & *horrearius*, ἀποθηκάριος. Id satis infeliciter ἐτυμολογοῦσι, qui ab *hornum* dici putant, quia *omnem capiat anni prouentum*. Nec multò, puto, meliùs Scaliger, qui eapse de caussa in Coniectaneis deriuat à Græco ὡραῖα, quo significantur *fructus*, ὥρᾳ siue *æstatis tempore crescentes*, vt pleniùs in *hora* exposuimus. Sed & duriùs à Varrone, lib. IV. de L.L. ab *horrere* deduci arbitror, etsi gemina eiusce rei caussa adferri posset: vna quòd *horreum* aristis farris *horreat*: altera, eâque potior, quòd *horrea* olim fuerint in summa villæ siue ædium parte, eâque septentrioni expositâ, quò loci frigore a frugibus putredo arceretur. Maximè verò placet vel ab ὤρας venire, quod *custodiam* notat: vel ab hordeo per syncopen dici pro *hordearium*, quomodo idem Græcis πυρῶνες vocatur, quasi πυρῶν ταμιεῖον, hoc est, *tritici*, siue *frumenti*, *cella penuaria*. Vel *horreum* esse à *farreum* quod sensit Festus: *Horreum*, inquit, *antiqui dicebant farreum a farre F mutatum in H*, quomodo a Sabino *fædus* est *hædus*; à *frcus*, *hircus* &c.

HORTOR quidam factum aiunt ex *horitor*, quod ab *horior*; *horior* verò cum Perotto putant ab *ore* descendere, ac adspirari vt differant ab *orior*. *Horior* veteres dixisse pro *hortor*, comprobat Diomedes isthoc Enniano, in X Annalium,

Horitur induperator.———

Et hoc eiusdem, in XVI.

———Pandere iubet horitúrque.

Sed verisimiliùs longè, *orior* esse ab ὀρύνω, *incito*, *adhortor*: vel ab ὄρω, hoc est, *excito*, *impello*, vnde ὁρμὴ, *impetus*. Siquidem Donatus in illud Ter. Hec. I. I.

Et moneo, & hortor.

Monemus, inquit, *consilio*, *hortamur impulsu*. Ὄρω verò est ab עור, quod idem notat.

HORTVS veteribus ab *oriendo* dictus videtur. Festus: *Hortus apud antiquos omnis villa dicebatur, quod ibi, qui arma capere possent, orirentur.* Charisius, lib. I. *Gracchus & ortus sine adspiratione dici debere Varro ait, & ortum quidem, quod in eo omnia oriantur; Gracchum autem à gerendo, quòd mater eius duodecim mensibus vtero eum gestauerit, non à gracilitate corporis, vt quidam volunt. Sed consuetudo & Gracchos & hortos cum adspiratione vsurpauit.* Velius Longus, de Orthograph. *Hortus non desiderabat adspirationem, quod ibi herba oriantur, id est, nascantur, sed tamen à consuetudine accepit.* Isidorus, lib. XVII. cap. X. *Hortus nominatur, quod semper ibi aliquid oriatur. Nam cùm alia terra semel in anno aliquid creet, ortus nunquam sine fructu est.* Ex his liquet, veteres putasse *ortum* dici ab *oriendo*, at non conuenisse in eo num sic appellaretur ab eo, quòd *milites* in eo, an quod *herba orirentur*. Sanè Scoppa, lib. I. Collect. cap. XXVII. hac originatione motus, *ortus* scribere iubet. Sed eum refellunt Charisius & Velius, qui veteres adspirasse docent. In vett. quoque libb. ac lapidd. docet Aldus in Orthographia. Quid, quòd argumentum, quo nixus Scoppa, planè incertum est, imò falsum? Neque enim ab *oriendo* est, sed vel est ab ὄρχος, quod Hesychius exponit ὄρχος τῶν φυτῶν στίχος (χ abibit in τ, vt à μόσχος est *mostus*, seu *mustus*) vel est ab ἕρκος, id est, *septus*, quod ab ἔργω, *sepio*, *munio*: vt prius fuerit *hortus*, inde *horctus* (sanè *horctum* pro *septo* Velius dixisse videtur, vt ex ijs liquet, quæ in *Fortis* diximus) vel est à χόρτος, quo non modò *fœnum*: sed & *gramen* ac generatim *herba* significatur. Alijs locis aliter, at postremo hoc modo transtulit vulgatus interpres Matth. XIII. Habet χόρτος alteram significationem, quando Hesychius & Eustathius, sic vocari docent *septum*, quo cingitur ἡ αὐλή. Quippe apud Hesychium habes χόρτος. ὁ περίβολος τῆς αὐλῆς. Eustathius verò in Il. λ & ω, indicat sic vocari τὸ περιέχον, ἢ τὸ περίφραγμα τῆς αὐλῆς. Ac profectò hæc significatio maximè huc facit. Nam *hortis* nihil accommodatius, quàm nomen *septi*, adeò quidem, vt Batauis συνώνυμα sint, *hoff* & *tuyn*; quorum illud propriè *hortum*, hoc *septum* notat. Scio hoc quoque pro etymo istoc facere ab ἑρκίον; vt ab eo sit *horctus*, inde *hortus*. Magis tamen placet esse à χόρτος, quam ἑρκίον, quia minus à priori abit vox *horti*: & veteres pro *villa hortum* dixere: imò in legibus XII. tabularum semper per *hortum* intelligitur teste Plinio lib. XIX. cap. IV. Ac Varro quoque refert ex Iphicrate *cohortem in villa* à poëtis χόρτον vocatum.

HOSPES vnde sit, videor mihi indagasse. Veteres pro *peregrino hostis* dicebant, vt ostendimus suo loco ex Varrone, Tullio, Festo. Inde igitur *hospes*, conuerso T in P, quod in multis factum: Vt à στάδιον Cretenses dixere σπάδιον, vnde *spatium*: à πάω, *pasco*, à στάχυς, *spica*, à χρώς, χρωτὸς, *corpus* &c.

HOSTIÆ cædebantur, cum ab ijs qui in *hostem* pergunt (quomodo Iustinus scribit Alexandrum *hostias* cecidisse antequam pugnaret cum Dario,) tum illis, qui *hostes* vicissent, modo alius quam victoris ipsius manu cæderentur. Nam si *dextra victoris* ferirentur, propriè *victimæ* nominabantur. Atque ex his liquet *hostiam* à Seruio & Isidoro non malè ab *hostibus* deduci: quam & ἐτυμολογίαν probat Ouid. I. Fast.

Hostibus à victis hostia nomen habet.

Festo tamen, siue Verrio, videtur *hostia* dicta ab antiquo *hostire*, siue *ferire*. *Maxima hostia* erat ouilli pecoris, vt scribit Festus in *Maximam*: at *maxima victima* erat taurus. Plura vide in *victima*.

HOSTIO, ab *hostia* est, si Nonio credimus. Sed potiùs est *hostus*,

quod certæ mensuræ genus in re olearia est apud Catonem, cap.vi. & Varronem de R.R. lib.i. cap.xxiv. Forsasse a χοῦς, quod idem ac χῶμα, aceruus, siue quicquid aggeritur. Id verisim lius multò, quam vt hostus sit ab ὅσος, ὅσον, ὁπόσον, vel ὁπόσος, quæ significant quantum; vt τόσον, & τόσος, tantum. Nempe quia qui hostit, tantum rependit quantum accepit. Doctissimus Martinius coniectat, quia hostes veteribus peregrinum signarit, vt ex Varrone Tullióque infra ostendemus: eo hostire propriè dici de iis, qui paria faciunt, ac quantum acceperint, persoluant, more peregrinorum, qui hospitio alicuius accepti fuere. Sed hæc quoque longe nimis petita: Hostire est æquare. Eâ voce vsus apud Festum Pacuuius Teucro: Nisi coercero proteruitatem, atque hostio ferociam. Ennij quoque locum Hectoris lytris, quem idem adducit, sic legi posse censet Scaliger:

Quem mea comminus machæra atque hasta hostiuit è
manu.

Vbi è manu est eminus. Item Plautus. Asin. Act.ii.s.ii.

———Quin promitto, inquam, hostire contrà, vt merueris.

Ab eo sunt hostimentum, & redhostire. Plautus, Asin. Act.i. sc.iii.

Par pari datum hostimentum est, opera pro pecunia.

Festus: Hostimentum, beneficij pensatio: Idem: Redhostire, referre gratiam. Næuius, in ludo.

Vbi Veiens regem salutat: Iubeo Albanum Amulium
Comiter senem sapientem: contra redhostit Menelaus.

Et Attius Amphitruone:

———Cedo ecquid te redhostit, cùm ea sensi
Obiectet facilius.———

Ennius in Cresphonte:

Audi, atque auditis hostimentum adiungito.

Ita hæc loca restituit Scaliger. Propriè hostimentum est ἀντίσωσις. Ab hostire, etiam est hostorium, id quo modij cumulum adæquamus. Græcis ῥύγχος, Belgis stryckhout appellatur.

Hostis olim fostis, vt hedus, fedus; holus, folus: teste Festo in Fedus. Aliud hostis ab inimico, cùm ad hoc requiratur, vt quis oderit; ad illud vt oppugnet. Itaque apud Sallustium dicitur alius amicum, alius inimicum reperisse inter hostium cadauera: & apud Curtium quoque barbari quidam se Alexandri non inimicos, sed hostes, fuisse aiunt. De etymo sic Nonius: Hostimentum est æquamentum, vnde hostes dicti, qui ex æquâ causâ pugnam ineunt. Nonij igitur mens est hostis venire ab hostio, id est, æquo; eò quòd qui alteri se bello opponit, is minimùm vel æqualis sit, vel talis sibi videatur. Vnde Seneca, lib. cuius inscriptio, In sapientem non cadere iniuriam; (qui videtur esse secundus de Tranquillitate ad Serenum,) cap. xiv. Facit se aduersarium qui contendit, & vt vincat, par fit. Hinc dimicaturi dicuntur in æquum descendere. Liuius, lib.vii.ab V.C. Primò credere duces Gallorum, non descensuros in æquum Romanos. Seneca quoque tralatione hinc petitâ ait ii. de benefic. lib. cap.xxiii. Benignissimus fuit, descendítque in æquum, & detraxit muneri suo pompam. Sed vera videri poterat hæc Nonij opinio, si ea princeps, quam is credidit, esset significatio vocabuli hostis. Nunc secus est, vti docent hæc Varronis verba, penè initio lib.iv. de L.L. Multa verba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant: vt hostis: nam tum eo verbo dicebant peregrinum, qui suis legibus vteretur: nunc dicunt eum, quem tum dicebant perduellem. Idem tradit Cic.i. de offic. Equidem illud etiam animaduerto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigante. Hostis enim apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant enim duodec. tabb. Aut status dies cum hoste. Itémque, Aduersus hostem æterna auctoritas. Festus Hostis apud antiquos peregrinus dicebatur, & qui nunc hostis, perduellis. Cùm itaque princeps notio huius vocabuli ea sit, quà peregrinum significat huius non eius, qua notat perduellem, etymon quæri debet. Hoc autem satis est obscurum: nec quicquam meliùs occurrit, quàm vt sit ab ὅστις, quiuis, quicunque vel potiùs, quod etiam Martinio videbatur, ab ostium, vt notet eum qui foris est, hoc est, extra territorium nostrum, vt qui alienis legibus vtatur. Pro hac sententia est, quod peregrinus Græcis similiter θυραῖος dicatur à θύρα, id est, ostium. Hesychius: Θυραίων, ἀλλοτρίων, ἢ μὴ συγγενῶν.

Hvmervs, ab armis, quasi armerus dici, placet Isidoro, lib xi. cap.i. Nempè quia in homine id humeri sunt, quod in bestijs armi. Sed est à Græco ὦμος, more Spartano S in R conuerso, vt sit ὦμορ, vnde vmerus, siue humerus. Sunt qui & ὦμος, & humerus, deducunt ab חמש. Sed hoc cubitum potiùs, quàm humerum, significat.

Hvmi, vnde humus, Caninio & Nunnesio videtur esse à χαμαί, quasi chumi. Sic à χέω, vnde χεῦμα & χύσις, est hio. Iulio Scaligero, lib. de caussis L. L. cap. xxvi. placet humum dici ab ὑγρὸν, quod ab ὕω, id est, pluo. Ita humus propriè sit terra compluta. Sed prius magis placet. At nullo modo est à χυμὸς, id est, liquor, quæ vox magis aquæ, quam terræ elemento, conueniret. Humilis ab humo, quòd in mundo in fima humus, vt ibidem inquit Varro. Transfertur ad animum, vt apud Græcos ταπεινὸς, quod itidem dici aiunt quasi ἐδαφεινὸς, quamquam & aliæ eius vocis origines adferantur: quas apud Etymologum videre potes. Ab eodem est humatus, & inhumatus. Varro ibidem: Quod terra humus, ideo humatus, mortuus, qui terrâ sit obrutus. Non tamen dicebatur quis humatus, simul atque humo erat mandatus. Nam ante nouendiale factum non humatus, sed supra terram esse dicebatur: quemadmodum nec quis ante factam inscriptionem, hoc est, ante ferias denicales, dicebatur situs; vti in Coniectaneis notat Scaliger.

Hvmor ab humo, cui rei confirmandæ adducit Varro, iv. de L. L. illud Lucilij, Terra abit in nimbos imbrésque: & hoc Pacuuij: Exhalat auram terra, atque auroram humidam. Ita eum locum restituit Scaliger. Hoc etymon si placet, humidum propriè erit, quod ab humo imbibit liquorem. Sed magis placet humor dici a χυμὸς, id est, liquor, humor: quod a χέω, siue χύω; vel potiùs erit humor ab ὑγρὸς, id est, pluuia, quod ab ὕω, pluo, vnde & ὑγρὸς, humidus. Sensit Obertus Giffanius, veteres etiam adiectiuè dixisse humus, pro humidus, indéque cùm humidus venire, tum humeo, & humesco: vt nempe ab inusitato arus, areo, aridus, aresco; à madus, mador, madidus, madesco; à torpus, torpeo, torpidus, torpesco; à serus, fereo, feresco; à torus siue torrus, torreo, torridus, torresco. Vide Giffanij Indicem Lucretianum in Serescere. Deriuatis ab humus adiectiuo adde inhumigo, vt à claris, clarigo; à mitis, mitigo. Liuius Andromeda:

Confluges vbi conuenere campum totum inhumigant.

Citat Nonius in Confluges.

Hyacinthvs, ὑάκινθος, nunc pueri nomen est ab Apolline interempti; nunc floris appellatio, nunc gemmæ. A puero Hyacintho dicta Hyacinthia, quorum ex Didymo, & Polycrate, meminit Athenæus, lib.iv. De ijsdem sic Naso, lib. x. Metam. fab.v.

Nec genuisse pudet Sparten Hyacinthon, honórque
Durat in hoc æui: celebrandáque more priorum
Annua prælatâ redeunt Hyacinthia pompâ.

Ab eodem puero flori nomen inditum volunt poëtæ. Fabulantur enim Apollinem, cùm inter ludendum disco imprudens Hyacinthum occidisset, è cruore eius in terram effuso produxisse eiusdem nominis florem, ac ad gemitus suos testandos inscripsisse ei Ai, Ai. Ita enim in eo flore venæ discurrunt, vt duarum Græcarum literarum A, & I, figuram referant. Etiam Aiacem in eundem florem conuersum aiunt, cùm se ipsum interemisset: indéque primam eius nominis syllabam in hoc flore inueniri. Ad fabulam de Hyacintho pertinent hæc Nasonis ibidem:

Ipse suos gemitus folijs inscribit, & A I A I
Flos habet inscriptum, funestáque litera ducta est.

Vbi respicit, quod vt apud Latinos heu, ita Græcis αἶ αἶ sit θρηνητικόν, vnde & formatum verbum αἰάζω, eâ nempe ratione, quâ ab οἴμοι est οἰμώζειν, ab ἀλαί, ἀλαλάζειν. Nam tria hæc nihil aliud notant, quàm clamare, αἶ αἶ, οἴμοι, ἀλαί. Ad alteram fabulam pertinent hi versus:

Tempus & illud erit, quo se fortissimus heros
Addet, & hunc florem, folióque legetur eodem.

Vtramque fabulam idem complexus, cùm xiii. Met. fab.i. ait:

———Rubefactáque sanguine tellus,
Purpureum viridi genuit de cespite florem,
Qui prius OEbalio fuerat de vulnere natus.
Litera communis medijs puerôque viróque
Inscripta est folijs, hæc nominis, illa querelæ.

Columella quoque huc respexit, cùm ait:

Et male damnati mœsto qui sanguine surgunt
Aiacis flores.———

Vtramque etiam tangit Plinius, lib.xxi. cap.x. Hyacinthum comitatur fabula duplex, luctum præferens eius, quem Apollo dilexerat; aut ex Aiacis cruore editi, ita discurrentibus venis, vt Græcarum literarum figura A I legatur inscripta. Itaque Hyacinthus signari putatur ænigmate isthoc apud Maronem, Ecl.iii.

Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores.———

Vbi, vt benè Seruius monet, reges dixit regum filios, quomodo de Ariadne Minoïs filia ait.

Magnum regina sed enim miseratus amorem.

Præterea Regum nomina ait pro regis nomine: quomodo & Terentius

Terentius dicit. *Non perpeti meretricum contumelias*, cùm de vna sit tertio. Sanè, si *nomen* spectes, est id ab vno *Hyacintho*; non *Aiace*: si *inscriptionem*, initiales literæ solùm *Aiacis* nomini, non *Hyacinthi* conueniunt. Doctissimus tamen Nannius censet, in hoc flore, prout ambitum foliorum spectes, vel hoc, vel illud nomen, legi. Si *A* priori legatur loco, *I* posteriori fore *AI*, eóque *Aiacem* significari: ordine hoc inuerso esse *IA*, eóque *Iacinthum* notari. Sic enim is hanc vocem scribendam putat. Ac ab etymo quoque sententiam suam fulcire conatur. Nam *iacinthum* dici vult ab ἴα, id est, *viola* & *Cynthio*, Apollinis cognomento: vel monte *Cyntho*, à quo *Apollo*, cui mons hic sacer, *Cynthij* nomen accepit. Nomen quoque huic fabulæ occasionem præbuisse suspicatur. Sed, quominus huic subscribam sententiæ, vel maximè illud facit, quòd constanter apud Græcos, ὑάκινθος, non ἰάκινθος scribi video. Quis verò flos sit veterum *hyacinthus*, fusè prosequitur Salmasius exercitationibus in Solinum. *Hyacinthus* etiam cùm Græcis, tum Latinis, *gemmæ* nomen est, sic dictæ à colore floris *Hyacinthi*. Quippe scribit Plinius lib. XXXVII. cap. X. huic gemmæ, velut ex carbunculo refulgere quendam in purpura leuiter roseum colorem & fulgorem violaceum dicentem. Etiam Plinio lib. XXXV. cap. V quartum smaragdi genus facit *hyacinthizontes*, ὑακινθίζοντες, hoc est, *hyacinthi colorem imitantes*.

HYADES stellæ sunt in capite Tauri, quarum vna ingens Græcis λαμπαδίας, Latinis *Palilicium* vocatur. Dictum *Palilicium*, quia cùm sidus sit naturâ pluuium, tamen XI. Kal. Maij, quo Romæ *Palilia* celebrantur, serenitatem adducere soleat, vt è Plinij verbis infra patebit. *Hyades* verò dictæ ab ὕειν, quod est *pluere*. Vnde idem, lib. II. cap. IX. *In Suculis, quas Græci pluuio nomine Hyadas appellant*. Atque ad hoc etymon obscuriùs allusit Valerius Flaccus, lib. V.

Pleiades, & madidis rorantes crinibus ignem.

Hoc est, *Pleiades, & Hyades*. Nempe sidus hoc vehemens est, & terra marique turbidum, tàmque in ortu suo, quam occasu, pluuias, tempestates, largósque imbres concitat vt idem Plinius ait, lib. XVIII. cap. XXVI. Hinc Maro *pluuias* vocat. Horatius *tristes*: Statio quoque *Hyas inserena*, Claudiano *nimbosa*. Ouidius lib. V. Fast.

Nauita quas Hyadas Graius ab imbre vocat.

Idem etymon amplexi Tullius, & alij, quorum verba paulo pòst adducam. Quibusdam tamen ex eo nomen adeptæ videntur, quod in modum Y literæ sitæ sint: quam opinionem refert Eustathius, in Iliad. Σ, & Seruius, in I. G. Aliis (quod Plutarchus notat libro de Iside & Osiride) quòd Bacchius dicatur *Hyes*, cuius nutrices in eas sunt conuersæ: quod apud Apollodorum legas, lib. III. Alij denique, quia in eas mutatæ VII. Atlantis filiæ, cùm fratrem vnicum *Hyantem* à leone interemptum lugerent, magnitudine doloris extabescerent. Quam opinionem ibidem refert Eustathius: ac complexus Ouidius lib V. Fast.

Mater Hyan, & Hyan mœsta fleuere sorores,
Ceruiceùmque polo suppositurus Atlas.
Victus vterque parens tamen est pietate suorum.
Illa dedit cœlum, nomina fecit Hyas.

Latinis *suculæ* dicuntur: quod cùm ex superiori Plinij loco cognoscere est, tum ex Seruio ad I. Georg. & Isidoro, lib. III. cap. VII. Nomen id ex veterum imperitia originem cepit. Putarunt enim, quia ὗς Græcè *suculam*, siue *porcellam*, notat, sidus hoc ita appellatum quia *suculæ* similitudinem referat. Sed errorem hunc refellit Tullius lib. III. de Nat. Deorum; *Tauri caput stellis conspersum est frequentibus. Has Græci stellas ὑάδας vocitare suerunt, à pluendo: ὕειν enim est pluere. Nostri imperitè suculas, quasi à suibus essent, non ab imbribus nominatæ.* Assentit Plinius, lib. XVIII. cap XXVI. *Hoc est vulgò appellatum sidus Palilicium, quoniam XI. Cal. Maij vrbis Romæ natalis, quo ferè serenitas redditur, claritatem obseruationi dedit: nimborum argumento ὑάδας appellantibus Græcis has stellas. Quod nostri à similitudine cognominis Græci, propter sues impositum arbitrantes imperitiâ appellauere suculas.* Eandem ignorantiam reprehendit Tullius Tiro, apud Agellium, lib. XIII. c. IX. Agellius tamen veteres conatur excusare. Verba vtriusque ponam: Tironis hæc sunt: *Adeò*, inquit, *veteres Romani literas Græcas nesciuerunt & rudes Græcæ linguæ fuerunt, vt stellas, quæ in capite Tauri sunt, propterea suculas appellârint, quòd eas Græci ὑάδας vocant, tanquam id verbum Latinum Græci verbi interpretamentum sit, quia Græcè ὕες, sues Latinè dicantur, sed ὑάδες*, inquit, *οὐκ ἀπὸ τῶν ὑῶν, ita vt nostri opici putauerunt, sed ab eo, quod est ὕειν, appellantur, nam & cùm oriuntur, & cùm occidunt, tempestates pluuias largosque imbres cient. pluere autem & Græca lingua ὕειν, dicitur.* Hæc quidem Tiro in pandectis. Subiicit deinde Agellius: *Sed enim veteres nostri non vsque eo rupices & agrestes fuerunt, vt stellas hyadas iccirco suculas nominarent, quod ὕες Latinè sues dicantur: sed vt quod Græci ὑπὲρ, nos super dicimus, quod illi ὕπτιος, nos supinus, quod ὑφορβὸς, nos subulcus; quod item illi ὕπνος, nos primò sypnus, deinde per y Græcæ Latinæque o literæ cognationem somnus: sic quod ab illis ὑάδες, à nobis primò syades, deinde suculæ appellatæ.* Hactenus Agellius. Sed nec probari potest, vett. *syades* dixisse, nec à *syades suculas* ἀναλόγως diceretur. Melius igitur ad vett. excusationem dixisset, *suculas* non à *suibus* vocari, sed, vt Nigidius credidit, à *suco*, siue *succo*, quasi *succulentas*; idque ob *pluuiam*: quod etymon & apud Seruium legas in I. Æn. Sed mihi errore id magis factum verisimile fit. Interim Agellij in tuendis antiquis studium, atque vt ita dicam, pietatem, non ausumus improbare. Etiam *suculæ* appellatio translata ad *machinas*: de quâ notione Turnebus, in Aduersariis; & Bernardinus Baldus, in vocibus Vitruuianis.

HYÆNA, ὕαινα, in genere est *luporum*, vt fallatur Bellonius, cùm putat esse *zibettam*, quæ in *murium*, vel *mustelarum*, genere est; vel si malis *felium*: vnde *cattum zibettinum* vulgo nominant. Sanè si *hyæna* esset *cattus zibettinus*, meminissent antiqui *musci odorati* ex pelle illius animalis. Ac de eo silentium apud Aristotelem & alios, qui tamen *hyænæ* meminerunt. Animal hoc, vt Aristoteles ait, lib. VI. Hist. animal. cap. XXXII. τὸ μὲν χρῶμα λυκῶδες ἐστὶ, δασύτερον δὲ, καὶ λοφιὰν ἔχει δι' ὅλης τῆς ῥάχεως. *colore lupi est, sed magis hirtum, iubamque habet toto tergo perpetuam.* Vnde discimus, iubam habere, instar equi: sed duriore seta, qua porcum refert. Et hæc caussa est nominis. Nam ὗς, *sus*, ὕαινα, *porca*: vt à λύκος, λύκαινα, *lupus*, *lupa*; à λέων, λέαινα. Vide eundem, lib. VIII. cap V & Plinium, lib. VIII. cap. XXX. & Oppianum, lib III. κυνηγετ. Hinc lapis *hyænium*, vel *hyænia*: qui in oculis *hyænæ* inueniebatur, teste Plinio, lib. XXXVII. cap. X. atque idem apud Solinum & Marbodæum legas. Est & *hyæna* piscis vastus, de qua Plinius, lib XXXII. cap. XI & Oppianus, lib. I. Ἁλιευτ. vers. CCCLXXII. Nomen ex eo, quia *hyænæ* terrestri similis sit. Sanè similiter λοφιὰν, seu *iubam*, habere constat ex Archestrati de ea versu: [illegible]. Fuerit & altera ratio, si *hyæna* idem est ac *porcus marinus*, qui Belgis est *meer-swijn*: quod idem notat. Caussam eam aperit his verbis Isidorus, lib. XII. Orig. cap. VI. *Porci marini, qui vulgo vocantur suilli, qui dum escam quærunt, more suis, terram sub aquis fodiunt. Circa guttur enim habent oris officium, & nisi rostrum arenis immergant, pastum non colligunt.* *Suillus* hìc vocatur, à *suillo more* in quærendo cibo. Nisi *sullus* scribendum, quod diminutiuum erit à *sus*. Nam vt ab *homo homullus*, à *satur satullus* apud Varronem, sic à *sus sullus*. Vel potiùs sit ab ὕλλος, quod [illegible] ab ὕλλος dicitur Georgio Pisidæ in Ἑξαημέρῳ. Vt ab ὑπὲρ, *super*; ὕω, *sisto*; ἕρπω, *serpo*; ἕρπυλλος, *serpyllum*; ὕπνος, *somnus*: Sic ab ὕλλος, *sullus*. Et sanè *sullus* requirere videtur versus ratio in illo Dracontij, quod hodie quidem in eo scriptore non legas, sed citat Isidorus, lib XII. cap. II. vbi de *enhydro* agit:

Præcidit Sullus vim cuiuscunque veneni.

Quomodo per *Suillus* legit Salmasius: vt nihil opus videatur ad συνίζησιν recurrere, qualis in *pituita*, & similibus. Vnum tamen obstare videtur, quod *hyæna* sit vasto corpore: vnde Oppianus Ἁλιευτ. α vers. CCCLXXII.

——— καὶ ἀπειρέσιον ἄχθος ὑαίνης,
——— *& immane pondus hyænæ.*

Itaque durius ei tribuerint nomen ὑποκοριστικὸν *sulli*, siue *porcelli*. Sed *sulli* nomen simile est nomini *orthagonisci*, quod *porcellum subrumum* notat. Et tamen *orthagoniscus* Plinio nescio quàm rectè, dicitur esse piscium maximus. Vide *Orthagoniscus*.

HYALUS, ὕαλος, *vitrum*. Maro, IV. G.

——— *Milesia vellera nymphæ*
Carpebant, hyali saturo fucata colore.

Vbi Seruius, *hyalo*, hoc est, *vitreo, viridi, nymphis apto*. Sic ὑαλοειδέας πόντους Orpheus vocat, ab *hyalino colore*, id est, *viridi*. Putatur autem ὕαλος dici ab ὕω, *pluo*, quod *vitrum* aquæ *pluuiæ* habeat colorem.

HYBRIDA vulgo scribunt per Y, cum spiritu, ac deducunt ab ὕβρις, quod *iniuriam contumeliosam* notat. alij ab ὗς originem arcessunt, propriéque aiunt *sues* notare *imparibus parentibus prognatas*. Sed omnino scribendum *ibrida*, vt quod sit ab *iber*, pro quo & *imber*, siue *vmber* dicitur. *Iber* verò & *imber* sunt à Græcis. Pluribus hac de re in *Musmones* dicemus.

HYDRA, seu *hydrus* ab ὕδωρ, *aqua*. Est enim anguis genus in *aqua viuens*: teste Plinio, lib XXIX. cap. IV. Gaza apud Aristotelem vertit *natrix*. Sanè *natrix* in *aquis viuit*: vt etymon arguit (à *nando* enim dicitur.) ac Lucani illud.

Et

Et natrix violator aquæ.

De *Lernæa hydra* Isidorum vide, lib. XI. Orig. cap. III. Siue potiùs quem is exscripsit, Seruium, in VI. Æneidos. Ab ὕδρος & χέρσος, id est *terra*, est χερσύδρος. διὰ τὸ ἐν ὕδατι καὶ χέρσῳ διατρίβειν, quemadmodum de eo tradit Nicander in Theriacis. *Hydra* quoque genus videtur *enhydris*, ἔνυδρις, quomodo vocari *colubrum in aquis viuentem* Plinius ait, lib. XXXII. cap. VII. Idem *enhydridis* meminit eodem libro cap. IX. & lib. XXX. cap. III. Hesychio hoc animal ἔνυδρος vocatur. Aliàs *enhydros* vocatur *gemma*, in qua fluctuare videtur *aqueus liquor*. Plinius, lib. vltimo cap. antepen. *Enhydros semper rotunditatis absoluta, in candore est leuis, sed ad motum fluctuat intus in ea, veluti in ouis, liquor.* Ineptit ergo cum Alberto Marbodæus, qui dici putant, quia *aqua ex eo stillet perpetuo.*

HYDRARGYRVM, ὑδράργυρος, q. d. *aqua argentea.* Ita dictum quòd colore quidem sit *argenteo*, nec tamen, vti argentum, vno loco consistat; sed *aquæ* instar diffluat. Atque inde etiam liquet cur Aristoteli dicatur ἄργυρος χυτὸς, hoc est, *argentum fusile* seu *liquidum.* Nec aliam ob caussam, aut Latinis *argentum viuum* dicitur, aut Belgis *quicsilver*; à *silver*, id est, *argentum*, & *quicken* id est, *mouere*; vnde auis quæ Latinis vocatur *motacilla* Belgis vocatur *quicsteert*, q. d. *motrix cauda.* Interdum tamen presliùs paullò sumitur *hydrargyrum* pro factitio, quod ex minio excoquitur: similitérque *argentum viuum* ponitur pro solo natiuo seu fossili. Ita vtrumque vocabulum vsurpat Plinius, cum lib. XXXIII. cap. III. *Æs inaurari argento viuo, aut certè hydrargyro, legitimum erat.* Sed vtrique natura ac facultas eadem: quæ ratio est, cur vtrumque *hydrargyri* nomine Dioscorides complectatur.

HYDRAVLVS, ὑδραυλός, seu ὕδραυλις, ab ὕδωρ & αὐλὸς, *tibia*, instrumentum simile ei, quod nunc κατ' ἐξοχὴν appellatur *organum*: nisi quod huius fistulæ ventis solùm inflentur, in *hydraulicis* aquæ decursu sonus redditur. Plinius, lib. IX. c. VIII. *Delphinus non homini tantum amicum animal, verùm & musica arti. Mulcetur symphoniæ cantu, & præcipuè hydrauli sono.* Idem, lib. VII. cap. XXXVII. *Laudatus Ctesibius pneumatica ratione & hydraulicis organis repertis.* Vide, quæ de *hydraulicis* instrumentis scribit Vitruuius, lib. X. cap. XIII.

HYDREVMA, ὕδρευμα, *aquationum ratione disposita mansio*, ab ὑδρεύειν, *aquari*, Plinius, lib. VI. cap. XXIII. *A Copto camelis itur, aquationum ratione mansionibus dispositis. Prima appellatur hydreuma, XXXII. M. Secunda in monte, diei itinere.*

HYDRIA, ὑδρία, ab ὕδωρ, *aqua*, vt sonet *aqualem.* Vtitur Cicero IV. Verr.

HYDROCELE, ὑδροκήλη, *ramex*; siue *hernia aquosa*, ab ὕδωρ, & κήλη, quod speciatim *scroti tumorem* significat. Vsus è Latinis præter alios Martialis, lib. XII. vbi *tumidas hydrocelas* dicit. Inde ὑδροκηλικὸς, qui *hydrocele laborat.* Plinius, lib. XXX. cap. VIII. *Hydrocelicis stelliones mirè prodesse tradunt.*

HYDROMELI, ὑδρόμελι, ab ὕδωρ, *aqua*, & μέλι, *mel.* Est aquæ mulsæ genus ex *imbre* purissimo, & *melle* temperatum, & iam vetustate vini saporem referens: vt tradit Plinius, lib. XIV. cap. XVII. & lib. XXXI. cap. VI. Nam quod recens est, & ad vsum recentem confectum, id potiùs μελίκρατον dicitur: vt ex Dioscoride constat. Nempe à μέλι, *mel*, & κεράννυμαι, *misceo.* Vt *hydromeli* fiat, vide apud Columellam, lib. XII. cap. XII.

HYDROPHOBI, ὑδροφόβοι παρὰ τὸ φοβεῖσθαι τὸ ὕδωρ, vnde aptè Cælio Aureliano dicuntur *Aquafugæ.* Plinius, lib. XXIX. cap. V. *Est lemnus saliua sub lingua rabiosi canis: qui datus in potu, fieri hydrophobos non patitur.* Celsus, lib. V. cap. XXVII. de morsu canis rabiosi: *Solet autem ex eo vulnere, vbi parum occursum est, aquæ timor nasci. Ὑδροφοβίαν Græci vocant, miserrimum genus morbi, in quo simul æger & siti, & aquæ metu, cruciatur.* Cælius Arelianus, libro III. cap. II. *Deinde hydrophobia, quæ, nomen sumpsit ab accidenti. Est enim vehemens timor aquæ. Nam Græci timorem φόβον vocant, aquam ὕδωρ appellant.* Plura apud eum inibi, cùm de nomine, tum imprimis de re ipsa, vide. Ὑδροφοβίαν signat Ouidius, cum ait:

Soluere nodosam nescit medicina podagram:
Nec formidatis vlla medetur aquis.

HYDROPS, ὕδρωψ, *aqua subter cutem fusa*, vt Plinius vocat. Glossæ: *Aqua sub cute*, ὕδρωψ. Aurelio Victori in Hadriano vocatur *morbus subtercutaneus*, nisi *succutaneus* legendum, vt in vetusto cod. reperit Salmasius. Celso, lib. III. cap. XXI. est *aqua intercus*: item Glossis veter. vbi corruptè *internus aqualis*. exponitur & ibidem *veternus*, vt ὑδρωπικὸς, *veternosus, vvidus.* Nomen est ab *aquoso aspectu*: hoc verò à tumore, cuius intuitu aquam subtus latentem cognoscimus. Nam ὕδωρ, *aqua*, ὤψ, *aspectus*, vel etiam *oculi*: vnde simili compositione μύωψ ab *oculis conniuentibus*; κυνώπης, *lusciosus*; αἱμάλωψ, qui *oculis est sanguineis*, vt in sugillatione, similiáque.

HYEMS, iuxta Varronem quidem ab *imbribus* nomen habet. Vbi per *imbres* intellige non vocem, sed rem. Vt nimirum sit ἀπὸ τοῦ ὕειν, quod est, *pluere*; quia *hieme imbres effundi solent*, adeò vt, quemadmodum est primo Georgicon,

——— *Omnia plenis*
Rura natent fossis. ———

Verisimilem hanc ἐτυμολογίαν reddit, quòd Græcis itidem *hyems*, ἀπὸ τοῦ χέειν, quod nempe *pluuias fundat*, dicatur χειμὼν, vel potiùs χειμών. Nam illud poëticum est, hoc poëtis, & Oratoribus commune. Imo Germanis & Belgis non absimili ratione à *vento*, qui iis *vvint*, *vvinter* appellatur. Sin minùs placet esse ab ὕειν, vide an malis esse à χειμὼν, quod Nunnesio visum χ conuerso in *H*, vt fit non raro. Malim tamen dixisset venire à χειμὰς, quomodo etiam pro χειμῶνι dixere, Hesychio teste. Nempe à χειμὰς fit *hiemas*, metathesi præpositiuæ vocalis & subiunctiuæ; pro quo κατ' ἀναλογίαν dixere *hiems*: quæ vox in vett. libris sæpè scribitur per *ps* *hyemps*, vt Pierius obseruat. Atque is mos iam obtinebat tempore Terentiani Scauri: qui iure eum scribendi morem improbat. Si fit à χειμὰς, vt planè puto, scribi debet per *I*, *hiems*. Imò & si sit ab ὕειν. Nam vox est omnino Latina: in cuiusmodi Y abit in *I* vel *V*. vt à φύω, *fio*, & *fuo*. Sic à φρύγω, *frigo*. Ergo *hiems* scripsere Romani veteres *hyems* est à Grammaticis: qui eam nominis caussam attendebant, quam veram putabant. Ab *hiems* est *hibernus*, nisi malis ex χειμερινὸς; quod idem signat. Seu hanc seu illam sequaris sententiam, *M* in *B* mutabitur: quod interdum fieri vel illud arguit, quod à *Timeno* seu *Timeno* inuentore est τίμενος, seu τίβενος, vt censet Artemidorus, lib. II. cap. III. & ex eo, sed dissimulato nomine, Suidas.

HYMEN, ὑμὴν, vti & *Hymenæus*, ὑμέναιος, Polluce teste, notant τὸ γαμήλιον ᾆσμα, *carmen nuptiale.* Ac Hesychius quoque ὑμέναιος interpretatur, τὸ τοῖς γαμοῦσιν ἐπιφωνούμενον, vt & Suidas γαμικὸς ὕμνος. *Hymenis* voce sic vsus Statius in Epithalamio Stellæ.

Ergo dies aderat Parcarum conditus albo
Vellere, quo Stella Violantillaque professus,
Clamaretur hymen.

Hymenæus similiter vsurpat Maro.

——— *Nata, Turnique canit hymenæos.*

Videtur autem hæc esse prima notio; vt Ὑμέναιος dicatur ab Æolico ὑμμένειν *vnà habitare*, siue ab ὁμονοεῖν, *vnà sentire*: quorum vtrumque in voto est sponso sponsæque, vt ait Proclus in Chrestomathia apud Photium. Vel dicamus ὑμέναιον simpliciter esse ab ὕμνος, præterito verbi ὕδω, quod est, *canere, celebrare*: quâ de significatione dicemus in *Hymnus.* Aliis tamen placet ὑμὴν generatim notare *membranam* (vnde oculi *membranam* ὑμένα, vocat Galenus ad Glaucum: ac alij sic appellant *membranas quibus fœtus inuoluitur*,) sed speciatim sic vocari *membranulam in natura muliebri*, quam primo coitu rumpi tradunt. Complures rei Anatomicæ gnari docent nullam eiusmodi *membranulam* inueniri. Vide Andr. Laurent. extremo lib. VII. Sed cùm aliter veteribus esset persuasum, putantur ab hacce *membranula*, cùm *carmen nuptiale*, tum *Deum nuptiarum præsidem* appellasse. Non tamen de *Deo* hoc veteres conueniunt. Nam placet quibusdam, *Hymenæum* Liberi & Veneris filium, siue, vt Asclepiades maluit, Apollinis & Calliopes filium (Camillus etiam Vraniæ, alij Cliûs filium, dicunt) primum certas instituisse nuptias, eóque hunc ei honorem habitum, vt in virginalibus nuptiis memoria eius celebraretur. Seruius ad illud Ecl. VIII.

——— *Tibi deserit Hesperus OEtam.*

In eodem, inquit, *monte (OEtâ) Hesperus coli dicitur, qui Hymenæum speciosum puerum amasse dicitur, qui Hymenæus fertur in nuptiis Ariadnes & Liberi patris vocem perdidisse cantando, ex cuius nomine nuptiæ dictæ sunt.* At aliter idem, ad illud I. Æn.

——— *Inconcessósque hymenæos.*

Hymenæus, inquit, *vt aliqui dicunt, Deus est nuptiarum. Vt alij, quidam iuuenis fuit, qui die nuptiarum oppressus ruinâ est. Vnde expiationis caussa nominatur in nuptiis, sed falsum est. Nam vitari debuit magis nomen extincti. Sed hoc habet veritas: Hymenæus quidam apud Athenas inter bella sanctissima virgines liberauit: quam ob caussam nubentes eius inuocant numen quasi liberatoris virginitatis.* Eandem rem fusius persequitur, ad illud IV. Æn.

Quin potiùs pacem æternam pactósque Hymenæos
Exercemus. ———

Hymenæus Atheniensis, inquit, *adeò pulcher fuit, vt adolescens*
puella

puella putaretur. Is cùm vnà Virginem nobilem ipse mediocriter ortus adamasset, eiúsque nuptias desperaret, quod vnum poterat, sequendo puellam amori satisfaciebat. Sed cùm Atheniensium nobilissimæ virgines Eleusinæ Cereri sacra facerent, subito aduentu piratarum raptæ sunt, inter quas etiam Hymenæus, qui illò amatam fuerat secutus, tanquam puella raptus est. Sed cùm piratæ prædam per maria longa portassent, in desertam regionem delati ac fatigati somno se dederunt, quos cùm vniuersos occidisset Hymenæus, relictis ibi virginibus Athenas reuersus est, petijtque à ciuibus, vt si virgines, quæ raptæ fuerant, reduxisset, dilectæ nuptias impetraret: quas cùm reduxisset, optatam in matrimonium virginem meruit; quod coniugium, quia felix fuerat, placuit omnibus Atheniensibus, omnibus nuptijs Hymenæi nomen interesse. Sed ab hac historia non parum variat Luctatius, siue Lactantius, quem vide ad illud III. Theb.

——*Infaustíque dabas Hymenæos.*

Vt & Proclum in Chrestomathia: item Tzetzem. Chil XIII. Vniuersas propè opiniones has paucis complexus Donatus ad Adelph. Act. V VII. *Hymenæum*, inquit, *quidam Liberi & Veneris filium dicunt esse, qui primus certas nuptias instituerit: ideo per laudem cantatur virginalibus nuptijs ob huiusmodi meritum. Alij virum fortem Atticum dicunt fuisse, qui raptas prædonibus virgines, oppressis latronibus, intactas patriæ restituerit. Alij, quod ὑμὴν dicatur membrana quædam, quâ est munita virginitas, quæ primo disrumpitur coitu. Alij Hymenæum putant, veluti hymnum vocari virginalium nuptiarum. Ergo sic accipe Hymenæum in nuptijs, quemadmodum θρῆνον in funere, vel in sacris hymnum.* Sic locus is emendandus ex antiquâ Taruisinâ anni CIƆCCCCLXXVII. nempe voculâ *Alij* post τὸ *coitu* insertâ, quæ in Stephanicâ malè abest. Porrò testatur Plutarchus, in Quæstionibus Rom. problem. XXXI. vti Græci, eorúmque imitatione Latini, *Hymenæum* in nuptijs accinere solent, itidem apud Romanos solere cani *Talassum* seu *Talassium* seu *Talassionem*. Idem varijs poëtarum locis comprobatur. Catullus Carm. LXXII.

Lubet iam seruire Talassio.

Martial. lib. XII. epist. XLII.

Nec tua defuerunt verba, Talasse, tibi.

Idem lib. I. epist. XXXVI.

Quid, si me iubeas Talassionem
Verbis dicere non Talassionus?

De nominis caussa sic Liuius, lib. I. quo loco de raptu Sabinarum virginum tractat. *Vnam*, inquit, *longè ante alias specie ac pulchritudine insignem à globo Talassij cuiusdam raptam ferunt: multísque sciscitantibus, cuinam eam ferrent, identidem, ne quis violaret, Talassio ferri clamitatum, inde nuptialem hanc vocem factam.* At Seruius eâ de re sic scribit ad I. Æn. *Hinc etiam apud Romanos Talassio inuocatur. Cum enim in raptu Sabinarũ Plebeius quidam raptam pulcherrimam duceret; ne ei auferretur ab alijs, Talassionis eam duci nobilis esse simulauit: cuius nomine fuit puella tuta virginitas.* Non absimilem historiam narrat Plutarchus, in Romulo & quæst. Rom. Sed in his alteram quoque adducit nominis caussam: vt nempe sit à ταλασία, quia Græci τὰς ταλάρους, hoc est, *calathos*, siue *quasillos*, quibus lana continentur, ταλάσους quoque appellarent. In nuptijs autem ea vox vsurpata, vt nouæ nuptæ ad opera & labores, ac lanificia imprimis excitarentur. Eadem Varronis sententia fuit. Vtramque autem opinionem proponit his verbis Festus: *Talassionem in nuptijs Varro ait signum esse lanificij ταλαρον, hoc est, quasillum, ita enim solitum appellari Talassionem. At quidam historiarum scriptor Talassium ait nomine virum rapta virgine vnica pulchritudinis, quod ei id coniugium fuerit felix, boni ominis gratiâ nunc redintegrari.* Ab antiquis omnibus recedit in Originibus suis Becmanus. Censet enim, quia *salsedo* stimulet Venerem, vnde & Venus è mari orta fingitur: hinc *Talasionem* seu *Talassionem*, vel potius *Thalassionem*, appellatum à θάλασσα, hoc est, *mare*.

HYMNVS ὕμνος quod, vt Sophoclis Scholiastes scribit, propriè notat τὴν εἰς θεοὺς ᾠδήν. Sed & simpliciter accipitur pro ᾠδή, quomodo vsus Hesiodus in Ergis; ac Athenæus, qui lib. IV. γαμήλιον ὕμνον pro *epithalamio* dixit. Apud Proclum in Chrestomathia, siue potiùs in excerptis eius apud Photium legas, dici ὕμνον quia sit ὑπόμνησις, siue *commemoratio rerum, quæ celebrantur.* Sed verius est ὕμνος, quod subiungit sic dici ἀπὸ τοῦ ὑδεῖν, quod Hesychius interpretatur ᾄδειν, λέγειν. Pro eo & ὑδεῖν ac ὑδίειν dicitur: illo Apollonius vsus in secundo Argon. hoc Callimachus hymno in Iouem. Ab ὑδῶ est ὕδης, quod Hesychius exponit ποιητής. Sed & interpretatur συνετός, id est, *prudens*, qua in significatione etiam apud eundem legitur ὕδρις.

HYPALVS, *ventus* sic nauigantibus in mari Indico vocatur: éstque inter fauonios siue zephyros: certóque anni tempore spirat. Nomen Arabicum vel Indicum videtur Plinius, lib. VI. cap. XXIII. *Postea à Syagro, Arabiæ promontorio, Patalen Fauonio, quem Hypalum ibi vocant, peti certissimum videbatur.* Et post pauca: *Inde vento Hypalo nauigant diebus XL. ad primum emporium Indiæ Muzirim.* Alij *Hippalum* scribunt, & nomen censent esse ab eius nominis *gubernatore*.

HYPOCAVSTVM, ὑπόκαυστον, quasi dicas, *subaccensum*, ab ὑπὸ, & καίω siue καύω, *accendo*. Græcam vocem retinet Plinius, lib. II. epist. ad Gallum: & Statius, cuius illud I. Sylu.

——*Tenuem voluunt hypocausta vaporem.*

Item Vitruuius, lib. V. cap. X. vbi & *hypocausin* vocat. Ioanni Mariæ Catanæo, notis ad citatam Plinij epistolam (non Plinio ipsi, quod Bernardus Baldus scribit in vocibus Vitruuianis) describitur in hunc modum; vt sit *locus in thermis concameratus & fornicatus, habens antè præfurnium, quo igne imposito illa calefiunt*. Sanè à loco illo *concamerato*, quæ Græcis σοὰ & Æolicè στῦα vocatur, hodiéque Belgis appellatur *stoue*, Germanis *stube*.

HYPOCRITA, & *hypocrisis*, Gr. ὑποκριτής, & ὑπόκρισις, ab ὑποκρίνεσθαι. Est verò ὑποκριτὴς *histrio*, ὑπόκρισις *actio*. Sed in Sacris literis generaliùs accipitur pro *simulatore*, & *simulatione*: quia qui in scena personam adsumit id se *simulat*, quod non est: vt rectè ait Isidorus, lib. X. Ridicula huius vocabuli etymologia legitur in Lyrani ad Matth. commentarijs. *Hypocrita*, inquit, *ducitur ab hypos, quod est sub, & crisis aurum, quia sub auro, vel sub honestate exterioris conuersationis habet absconditum plumbum falsitatis.*

HYPOGÆVM, vel *hypogeum*, ὑπόγαιον, siue ὑπόγειον, Hesychius, ὑπόγαιον, ὑπόγειον τόπον. Ad verbum sit *subterraneum*, quo vsus Tertullianus, aduersus gentes: *de subterraneo antipodes; sepulcrum verò hypogæum dixere*, quia esset *spelunca subterranea*. Petronius: *In conditorium etiam prosecuta est defunctum, positúmque in hypogæo, Græco more, corpus custodire ac flere totis noctibus diebúsque cœpit.* Vbi, *more Græco*, ait, quia apud Græcos cadauera non comburebantur, sed integra in *hypogæo* condebantur. Inque eodem monumento plura erant cadauera eiusdem familiæ in sua quodque arca. Vnde postea sequitur, vt femina ex arca iusserit tolli corpus mariti, & affigi cruci loco eius quod de cruce erat sublatum.

HYSGINVS color est *purpureus*, siue *hyacinthinus*. Meminit eius Plinius lib. IX. cap. XLII & XXI. cap. XXVI. item Vitruuius, Paullus IC. alij. Nomen à frutice qui à Galatis suâ linguâ ὗς dicebatur: cùm Græcorum alijs κόκκος vocaretur, Testis Pausanias. Sanè *coccum Galaticum* maximè laudabatur. Tertullianus *Galaticum ruborem* appellat. Nempe quia *rubor hysginus* magis laudaretur *cocco alibi nato*.

HYSSOPVS, ὕσσωπος, ab אזוב, quod οἱ ἑβδομήκοντα vertunt ὕσσωπον non vno in loco.

HYSTERICA ὑστερικαὶ γυναῖκες, *feminæ obnoxiæ vteri suffocationi*, quæ ὑστερικὴ πνὶξ appellatur, ab ὑστέρα, quod idem ac μήτρα vel δελφὺς, quibus vocibus τὰ μητρῷα χωρία vocari scribit Pollux, lib. II. cap. IV. Trium autem horum nominum caussam adfert Soranus, in fragmento libri περὶ μήτρας. Ἡ μήτρα, inquit, καὶ ὑστέρα λέγεται καὶ δελφύς· μήτρα μὲν, ὅτι μήτηρ ἐστὶ τῶν ἐξ αὐτῆς γεννωμένων ἐμβρύων, ἢ ὅτι πάσας ἐχούσας αὐτὴν μητέρας ποιεῖ· κατὰ δέ τινας, ὅτι μέτρον ἐν χρόνῳ ... καὶ ἀποτίκτει. Ὑστέρα δὲ, διὰ τὸ ὕστερον κεῖσθαι τῶν σπλάγχνων, ... ἀλλὰ κατὰ ... Δελφὺς δὲ διὰ τὸ ἀδελφῶν αὐτὴν εἶναι γεννητικήν. Sed de δελφὺς, non est id ab ἀδελφός; verùm, vt rectè tradit Aristoteles, lib III. Hist. de animal. cap. III. item Pollux, contrà ἀδελφὸς factum est ex α & δελφὺς, quasi ὁμοδελφος. Eam enim hic α vim habet quam in ἄκοιτος, ἄλοχος & alijs quibusdam. Itaque ἀδελφοὶ ad verbum sonant *vterino*, vt propriè ἀδελφοὶ non sint qui ὁμοπάτριοι sunt, at ὁμομήτριοι. Ex eo verò, quod Soranus περὶ μήτρας ait, liquet Latinos similiter *matricem* dicere, quod *mater sit fœtus*, vel quia *matres facit*. Quod autem quibusdam placere ait, μήτραν dici à μέτρον, id ineptum esse videnr omnes. At eidem planè adsentio, cùm ὑστέραν à situ sic dici ait: nempe ab ὕστερος id est, *vltimus*, vnde ὑστερεῖν, *posteriorem* vel *vltimum esse*. A quo apud B. Paullum, ad Coloss. cap I. versu XXIV. τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ. Eo intellige, non *quæ desunt*, vt vertit vulgatus interpres; sed *quæ sequuntur*, hoc est, τὰ ἐπίλοιπα, vt sunt κακώσεις, aliæque adflictiones. De ὑστέρα, μήτρα, δελφὺς vocibus, eorúmque etymo, agit quoque Moschion, siue Mischion cap II. libri περὶ γυναικείων παθῶν.

HYSTRIX, siue *histrix*, nomen est à sono factum, si audimus Isidorum, qui lib. XII. cap. II. scribit: *Histrix animal in Africa erinacei simile, vocatum à spinarum stridore, quas tergo laxa-*

tas emittit, vt canes insequentes vulneret. Sed omnino est id nomen à Græcis, quibus dicitur ὕστριξ, ὑστρὶξ, ὑστριχὶς, & ὑστριχίς. Estque ὕστριξ ab ὗς, id est, *sus*, & θρίξ, id est, *pilus*: vt ad verbum sonet *sus pilos habens*. Hinc prouerbium θρὶξ ὑστριχός, *hystricis seta*: de quo paræmiographum adi.

I

IACIO, vt scribit Scaliger, lib.I. rei poëticæ, cap.XII. dicitur παρὰ τὸ ἰὸν ἄχος, vnde *iacere maledicta* apud Liuium, *iacere contumeliam*, atque etiam *iniuriam* apud Ciceronem, ex quo ad eandem notionem *obiicio* compositum est. Ἄχος igitur, quod *dolorem* signat, hic sumitur pro rebus *dolorem* adferentibus. Hanc ἐτυμολογίαν probat quoque Andreas Schottus, notis in Procli Chrestomathiam. Sed profectò, cùm dicitur, *iacere maledicta, aut contumeliam*, non propria, sed metaphorica est acceptio. Et aliter ipse Scaliger in Arist. lib.V. Hist. Anim. cap. XXI. siue Cæs. Scal. cap.XIX. sect. CCLXI. vbi ἴαπτει vertit *iaciunt*: atque ait à Græco illo esse Latinum *iacere*. Quare simplicius deduxeris ab *ico*, de quo seorsim: vel ab ἴω, siue ἵημι, quod idem notat, seu à præsenti ἰάπτω, seu aoristo ἴαψα. Inde & *iaceo*. Nempe ab ea *iaciendi* notione, quâ *pono* signat: vt cùm dicimus *iacere fundamenta*. Vide Nonium in *iacit*. A *iacio* est *iacto*, quod primò notat *frequenter iacio*, siue *temere verba iacio*, denique *verbis temere iactatis laudo*: vnde in Glossis προχαλῶ exponitur. Ab eodem est *iactura*, quomodo propriè dicitur, quod *iacitur ex onere nauis*; vt scribit Cornelius Fronto. Itaque in Glossis exponitur ἀποβολή, ἐκβολή. Etiam, vt à veteri βέλω pro βάλλω, est βέλος, sic à *iaciendo*, *iaculum*. Varro lib.IV. de L.L. *Iaculum, quod, vt iaciatur, fit.* Nec militare solum hinc *iaculum*: sed & piscatorium. *Rete iaculum* semel iterúmque dixit Plautus: nempe ad discrimen *verriculi*, quod *verritur*, non *iacitur*. Dicitúrque eo modo, quo *metra verba* dixit Virgilius, *pallium peristroma* Vlpianus, &c. Item *iaculus* serpens, sese *iaculi* instar ex alto vibrans, apud Lucanum, in IX. *Iaculique volucres.* Ita Isidorus, lib. XII. cap. IV. Ab *obiiciendo* est *obex*, quia foribus obiiciatur; non ab ὀχετὸς, *canalis, tubus*, quod Nunnesius in Grammatistice putabat. Prius etymon confirmat, quod poëtæ *obiicibus* dicant. Ita enim, non *obicibus*, apud Maronem scribi debere contendit Gellius, lib.IV. cap. XVII. Sanè alij quoque poëtæ producunt primam Maronis exemplo. Vt Claudianus, lib.I. de raptu Proserpinæ:

Siue quod obiicibus discurrens ventus opertis.

Et lib.II. in Eutropium:

Hinc victo prorupperat obiice Nereus.

Sillius tamen corripit, in IV.

Et fidos certant obices arcessere sylua.

Nempe *obex* priori correptâ fit ab *obices*: sed *obices* ab *obiiciendo*. Similiter *subices* ab *subiiciendo* dicuntur. Eo pro *aëre alto*, qui *cælo subiectus*, vsus est Ennius in Tragœdia, quæ *Achilles* inscribitur: ex quâ hos versus ibidem adducit Gellius:

Per ego deûm sublimes subices, humidus
Vnde oritur imber sonitu sæuo & spiritu.

A *reiiciendo*, *reiculæ oues* Catoni Varronique dicuntur, quas opilio à grege remouebat, vt minùs idoneas, siue quòd ætate, siue quòd morbo graues essent. A *iaciendo* quoque est *porricio*: de quo separatim. *Coniicio* propriè est res plures in vnum *iacere* locum. Hinc ad animum transfertur. Nec tamen tam signat *multa in mente coniungere*, quam, vbi iunxeris, *vnum pluribus consideratis colligere*. Vt non tantum hic metaphora sit, sed etiam metalepsis consequentis. Ab *coniectu* huiusmodi *coniectores* dicti somniorum interpretes. Plautus Curcul. Act.II. sc.I.

Potui coniecturam facere, si narrem tibi
Hac nocte quod ego somniaui dormiens?

Et scenâ proximâ:

Mane sis, dum huius conicio somnium.

Vbi *conicio* valet *interpretor*, quia nempe *coniecturis* in interpretando vtebantur. A *iaciendo* quoque deducunt *amicio*, & *redimio*. Sed quid de his sentiendum sit, seorsim dicemus.

IAM videtur esse ab יוֹם, *dies*, siue הַיּוֹם, *hoc die, hodie*. Nisi cum Martinio malis esse ab *im*, qui vetus accusatiuus ab *is*. Sic sanè ab αὖθι, αὐτόθι, παραυτόθι, αὐτίκα, παραυτίκα, hoc est, *iamiam, continuò*; pro quo & ἐξ αὐτῆς, puta ὥρας, dicitur. Verùm impensè placet sententia Cæsaris Scaligeri, qui in Aristotelis Histor. Animal. lib. III. sect. CCXLVII. putat *iam*, quod veteribus Comicis disyllabon est, esse ab Græco ἴω, *eo*, vt propriè conueniat nolenti differre *itionem*. Sic *ilicet* pro *statim*: propriè autem *ire licet*.

IAMBVM, ἀπὸ τοῦ ἰαμβίζειν, hoc est, *proscindendo*, dictum esse, opinio est Isidori, lib.I. cap.XVI. & è iunioribus, Fungeri, ac Steph. Pighij ad Val.Max. lib.VI. cap.III. Adferunt rationem, quia sit μετὰ λοιδορίας, à quo debacchatus sit Archilochus; vnde Horat. in Arte:

Archilochum proprio rabies armauit iambo.

Verùm docet ἀναλογία ἰαμβίζειν esse ab ἴαμβος, non contrà. Verisimiliùs igitur Hephæstionis scholiastes, qui etsi idem quoque etymon adducat, tamen alterum præmittit, vt nempe sit ab *Iambe* Celei famula, quæ cùm vidisset Cererem ob amissam filiam Proserpinam dolere, saltans & versus *iambico* metro canens, Deam sit consolata: Atque hanc nominis caussam habet & Proclus in Chrestomathia. Sed addit Hephæstionis interpres, fortè esse ab *Iambe* puella quadam, quæ turpiter contumelia affecta suspendio vitam finierit: vel ab *Iambe* anu, quæ cùm Hipponax lauanti sibi molestiam facesserit, versu hoc, quo poëta postea delectatus, eum amolita sit:

Ἄνθρωπ' ἄπελθε, τὴν σκάφην ἀνατρέπεις.

Sed Cæsar Scaliger, cum alibi, tum lib.I, Rei poët. cap.XIV. censet esse ab ἰοῦ καὶ ἀναβαίνειν, quia *sagittarij in mittendis telis insurgunt*. Nam ἰεῖν est *tela mittere*. Arcessit autem vocis originem ab vsque Apollinis cum Pythone pugna; quia Latona, cùm imprudens accessisset ad antrum Pythonis, metuens ne opprimeretur cum Dianâ & Appolline iam sagittis armato, dicitur puello animum his verbis addidisse, ἴε παῖ, ἴε παῖ; vnde & Apollo ipse, nec non hymnus in eius laudem, παιὰν dici existimatur. Quamquam aliter hac de re Festus in *Paan*; & Macrobius, lib. I. Sat. cap. XVII. qui *Apollinem* sic dici aiunt vel ἀπὸ τοῦ παίειν, id est, *feriendo*, vel παρὰ τὸ παύειν τὰς ἀνίας, quam notionem etiam agnoscit Eustathius.

IANITRICES dicuntur mulieres à *ianuis*, vt viri *ianitores*. Plautus, Curcul. I.I.

Anus hic solet cubitare, custos, ianitrix.

Sed & *ianitrices* dicuntur *duorum fratrum vxores*: vt ait Modestinus, lib.IV. §. adfines in fi. de grad. & adfin. In Gloss. quoque Philoxeni legitur: *ianitrices*, Δύο ἀδελφῶν γυναῖκες, Σύννυμφοι. Sic autem dicuntur, non quidem, quòd *eandem ianuam pulsent*: vt boni Decretalium Patres existimarunt; quos hoc nomine meritò ridet Alciatus: verùm potiùs, vt ad Catullum monuit Scaliger, quòd *pariter aduersum lectum ianua sternant, inque eo tanquam custodiæ caussâ cubare soleant*. Quippe apud Romanos ea consuetudo fuit, vt quæ vxor primum in manum viri conuenisset, ea sibi in atrio domus, *ante ipsam ianuam lectum sterneret*, qui iccirco dictus *aduersus*. Propertius.

Si tamen aduersum mutaris ianua lectum,
Sederit aut nostro cauta nouerca toro.

Laberius Compitalibus:

Nunc lentus es, nunc tu súsque déque fers,
Materfamilias tua in lecto aduerso sedet,
Seruus sex tantis, vernulis nefariis.

Asconius in Miloniana: *Deinde omni vi ianuâ expugnatâ, & imagines maiorum deiecerunt, & lectulum aduersum vxoris eius Corneliæ, cuius castitas pro exemplo habita est, fregerunt, itémque telas, quæ ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt.* Etiam quod Catullus *ianuam* vocat *maritam*, id ab hoc more est, quo matronæ aduersum lectum ante *ianuam* sternebant. Vide Scaligerum, cùm ad huius poëtæ carm.LXVIII. tum imprimis ad Festum, post *Pacus*.

IANVA, *Ianis*, & deo *Iano*, vnde nomen impositum sit, ostendit hic Ciceronis locus, lib.II. de nat. Deor. *Cúmque in omnibus rebus vim haberent maximam prima & extrema, principem in sacrificando Ianum esse voluerunt: quod ab eundo nomen est deductum; ex quo transitiones peruiæ, iani: foréisque in liminibus profanarum ædium, ianuæ nominantur.* *Ianuis* sanè præfuit *Ianus*, vnde Glossæ Philoxeni: *Ianus*, Θυραῖος θεός. Itaque *ianos* ac *ianuis* à *Iano* quoque deducit Seruius, cuius verba adducimus in *Fores*; item Isidorus. Sed illustris imprimis hâc de re locus Macrobij, lib.I. Sat. cap.IX. *Etenim, sicut Nigidius quoque refert, apud Græcos Apollo colitur qui Θυραῖος vocatur: eiúsque aras ante fores suas celebrant, ipsum exitus & introitus demonstrantes potentem: Idem Apollo apud illos & Ἀγυιεὺς nuncupatur, quasi viis præpositus vrbanis; illi enim vias, quæ intra pomœria sunt, ἀγυιὰς appellant: Diana verò vt Triuia viarum omnium idem tribuunt potestatem. Sed apud nos Ianum omnibus præesse ianuis nomen ostendit, quod simile Θυραίῳ; nam & cum claui ac virgâ figuratur; quasi omnium & portarum custos & rector viarum.* Et paullò pòst: *Voluerunt Ianum ab eundo dictum, quòd mundus semper eat, dum in orbem voluitur, & ex se initium faciens in se refertur, vnde & Cornificius, Etymorum lib.III. Cicero, inquit, non Ianum sed Eanum nominat ab eundo.* Hæc Macrobius.

Porrò

Porrò etsi Cicero *ianuam* à *Iano*, *Ianum* ab *eundo* dictum censet; alijs tamen magis placet ab *eundo* dici *ianuam*, ab hac verò *Ianum* vocari, quia *ianuis præsit*. Vtramque nominis caussam complexus Ouid. cùm sic *Ianum* inducit loquentem, I. Fast.

Præsideo foribus cœli cum mitibus Horis,
Et redit officio Iupiter, itque meo.
Inde vocor Ianus.———

Verùm aliæ quoque adferuntur nominis caussæ. Argutè sane, quibus placet *Ianus* dici quasi χάος vel χάιος ab aorist. secund. ἔχανον. Festus: *Chaos appellat Hesiodus confusam quandam ab initio vnitatem hiantem, patentémque in profundum, ex eo & χαίνειν Græci, & nos hiare dicimus. Vnde Ianus detracta adspiratione nominatur ideo, quod fuerit omnium primus, cui primo supplicabant velut parenti, & à quo rerum omnium factum putabant initium.* Nec desunt hodie, quibus placet, *Ianum* esse eundem ac *Iaphet*. Sed qui Mosi *Iaphet*, is gentibus *Iaphetus*: quod cùm non cogitaret Eustathius, nunc quidem deducit ab ἰάπτω τὸ βλάπτω, nunc eo ἀλληγορικῶς signari ait *sphæras cælestes*, παρὰ τὸ ἰαχῇ ἐπὶ πετᾶν. Vide eum in Il. α pag. XVII. & LXXXVII. & Il. θ pag. DCCXXIV. Quod si *Iapetus* sit *Iaphet*, Noachi filius, omnino alius ab *Iaphet* fuerit *Ianus*. Quare potiùs dicam, *Ianum* esse eundem ac *Iauan*, *Iaphetis* filium, qui non Europæorum vniuersè, vti *Iaphet*, parens fuit: sed solùm Græcorum & Latinorum: à quo & ipsa *Ionia* nomen accepit. Sanè *Iauan* pro Græcis *Ionibúsque* accipitur, Dan. cap. VIII. vers. XXI. & Ioëlis cap. III. vers. VI. siue secundùm aliorum dist. XI. Interim nec displicet, vt *Ianus* sit ab Hebræo *Iaijn*, יין, id est, *vinum*, quod Græcis οἶνος, ab Hebræo יין. Sic idem sit *Ianus*, qui *Oenotrius*, vnde *Itali* dicti *OEnotrij*. Cúmque *Noacho* debeatur *vini inuentio*, idem *Ianus* fuerit *Noacho*. Et sanè, cùm *Noachus* parens sit omnium qui post diluuium vixere, huic optimè conueniat, quæ de rerum omnium initio Festus, & alij, scribunt. Nec tamen in mortalibus hisce consistendum: verùm ascendendum ad corpora cælestia: in quibus colebantur homines. Sanè *Ianus* est *Sol*, vti ex Macrobio constat. Ac similiter *Luna* dicebatur *Iana*, vnde *Diana*. Fallitur enim doctissimus Varro, cùm lib. IV. de L. L. *Dianam* dici censet, quasi *Diuianam*, quia *diuia* in altitudinem, & latitudinem; item Cicero, lib. II. de Nat. Deorum. & Firmicus contra cap. IX. qui dici volunt, quod per noctem lucens, hominibus penè alterum diem faciat. Omnino enim est *Diana* à *Iana*. *Sol* quippe *Ianus*; *Luna Iana*. Vnde Varro ipse, lib. I. de R. R. cap. XXXVII. *Nunquam rure audisti, octauo lunam Ianam & crescentem & contra senescentem, & quæ crescente luna fieri oporteret, & tamen quædam meliùs fieri post octauo Ianam lunam, quam ante?* Sed quæritur, vnde sit istud *D* initiale? De eo sic Macrobius, lib. I. Saturn. cap. IX. *Pronunciauit Nigidius, Apollinem Ianum esse, Dianámque Ianam: apposita D litera, quæ sæpè I literæ caussa decoris apponitur, reditur, redhibetur, redintegratur, & similia.* De re rectè Nigidius; sed de initiali literâ non item, cùm appositió eius literæ in compositione tantummodo habeat locum, aut cum vox antecedens in vocalem desinit, ac sequens ab ea incipit: qua de re in Grammaticis Animaduers. satis diximus. Quamobrem potiùs statuendum *Diana* priùs fuisse *Diuiana*, quod dicitur quasi *Diua Iana*. Vel *Diana* fieri ex *Dea Iana*: quam etymologiam sequitur Iosephus Scaliger, lib. II. de emendat. Temp. Sanè ex hoc etymo caussam quoque odorari est, cur prima in hoc nomine sit anceps. Nam ex *Dea Iana* fiat *Deiana*, eliso autem *E*, correpta fit prima: eadem producta fit, *I* consono in vocalem abeunte, cúmque *E* concrescente in diphthongum *EI*, pro quo veteres *I* longum scribebant; vt *omneis*, *omnis*; *queis*, *quis*.

IANVAL, à *Iano*. Festus: *Ianual, libi genus, quod Iano tantummodo libatur.*

IANVARIVS, ac *Ianualius*, dixere veteres, vt *præliares*, & *præliales*; *Parilia*, & *Palilia*, *mortualia*, & *mortuaria*, pluráque huiusmodi. *Ianuarius* dixisse docet vel mensis nomen, qui inde sic vocatus, quòd *Iano* esset sacer: vt auctor Varro, lib. V. de L. L. & Isidorus, lib. V. cap. XXXIII. De *Ianualius* verò argumento sunt hymni, qui eò quòd in *Iani* honorem facti essent, *Ianualij* dicebantur, haud secus ac versus, qui in *Iunonem* scripti essent, *Iunonij*; qui in *Mineruam*, *Mineruij* vocabantur.

IAPYX ventus, qui spirat ab Apulia, quæ *Iapygia* prius dicebatur: vt ait Seruius in VIII. & XI. Æneid. Sed meritò ambigas, num idem sit, qui *Caurus*, an qui *Zephyrus*. *Caurum* esse ait Agellius, lib. II. cap. XXII. Sed sibi contradicit, cùm *Iapyga* spirare ait aduersus *Eurum*; *Caurum* verò aduersus *Aquilonem*. Equidem non video vllum huic antilogiæ mantelum. Sed fortasse nodum soluent alij, qui plus aut eruditione aut ingenio valent.

IASPIS, ἴασπις, ab ישפה, quomodo Hebræis vocatur, vt Exod. XXVIII. XIX. Similiter *sapphirus*, σάπφειρος, à ספיר, Exod. XXVIII. XVIII. & XXIV. X.

IBEX, *rupricapræ genus* Isidoro, libro XII. capite I. Sic dici videtur, quasi *auex*, quia *auium instar excelsa petat*: Sed si ab *auibus* petere nomen libuit, meliùs dixisset, esse ab ἶβυξ, quæ auis est clamosa, teste Etymologo. Est autem ἶβυξ, vel αἴξ quod Æolicè sit αἶξ, hoc est, *capra*. Vel ab ἰθύω, quod Hesychius exponit *feror*. Nam non rarò cum magno impetu in venatorem fertur, cúmque præcipitat. Vide de *ibice* Scaligerum ad Cardanum, Exercitat. CCVII. & in Aristotelis Historiam Animalium, libro II. sect. CXXX.

IBI Nunnesio placet esse ab οἷ, *ibi*. Malim ego ab *is*, vt ab αὐτός αὐτόθι, quod idem signat. Ergo *ib* quasi *eo loco*, siue *ibus locis*. Nam ab *is ibus* olim, vt à *qui*, *quibus*.

ICHNEVMON, ἰχνεύμων, qui Herodoto, lib. secundo ac Nicandro quoque dicitur ἰχνεύτης. Hesychius, ἰχνεύμων, οἱ δὲ ἰχνεύμονας λέγουσιν. Nomen vtrumque ab ἰχνεύω, *inuestigo*, siue quod instar canis venatici inuestiget crocodilum, & aspidem, ouáque eorum obseruet: quam rationem adfert Gesnerus siue potiùs quod rostro suo (id simile rostro suillo) cibum ruspetur & *inuestiget*: vnde & ὗνος ab ὗς dicitur Pisidæ in Ἑξαημέρῳ.

ICON, εἰκών, ab εἴκω, *similis sum*. Hinc diminutiuum *iconcula*, apud Tranquillum, hoc est, *imaguncula*. Item *iconicum*, εἰκονικόν, omnibus lineamentis ad exemplar expressum. Plinius, libro XXXIV. capite IV. *Effigies hominum non solebant exprimi, nisi aliqua illustri causa perpetuitatem merentium, primo sacrorum certaminum victoria, maximeque Olympia: vbi omnium qui vicissent, statuas dicari mos erat. Eorum verò, qui ter ibi superauissent, ex membris ipsorum similitudine expressa, quas iconicas vocant.* Hinc *iconicos duces* apud eundem legas, libro XXXV. capite VIII. Similitérque *iconicum simulacrum* apud Tranquillum legas, in Calig. Ab eodem ex εἰκονίζω, vnde εἰκονισμός, *iconismus*, schema Rhetorum, quando ad viuum alicuius rei formam ob oculos ponimus. Seneca. epist. XCV. *Descriptiones has, & (vt publicanorum vtar verbo) iconismos, ex vsu esse confiteor.*

ICTVS, πληγὴ, δῆξις, βολὴ, ῥιπή; vt interpretantur Glossæ Philoxeni: De etymo sic Isidorus, lib. V. cap. XXVII. *Ictus propriè flagellorum sunt, ab agitando vocati.* Sed omnino est *ictus* ab *icere*: Glossæ Philoxeni: *Icit*, βάλλει, πλήττει. Hinc Plautus Mostellaria *colapho icere*: quod malè mutat Lambinus in *ducere*. Etiam Catonem Censorium, Cælium ac Lucretium vsos esse, docet Priscianus in IX. *Icere* autem vel ab ἧκα præterito verbi ἵημι, *mitto*; vnde ἧκος, *missile iaculum*: vel potiùs, vt monet Martinius, ab Hebræo הכה, seu Chaldæo נכא, quorum vtrumque notat *ferire*, *icere*. Ab *am*, & *icere*, est *amicere*: ac vt ab illo *ictus*, ita ab hoc venit *amictus*. Vide *amiculum*.

IDEM, vt Priscianus scribit in XVII. *est compositum ab is, & demum, per apocopen VM, quomodo exin pro exinde, & dein pro deinde.* Sed de apocope fallitur Priscianus. Nam *idem* est ab *is*, vel *id*, & *dem*; vt à *præ*, vel *pris*, & *dem*, *pridem*; à *tantum*, vel *tot*, & *dem*, *tantundem* & *totidem*: ab *ita*, & *dem*, *itidem*, hoc est, *similiter*, vnde κατὰ συγκοπὴν *item*: nisi hoc ab *ita*, vel cum doctissimo Caninio & Petro Nunnesio ab *in* factum malis κατὰ μετάθεσιν, quomodo à τε est *&*; à μῶν, *num*; similiáque, vt diximus in *auas*, *rego*, *fulgeo*, &c. Vel ab *ita* & *em*, quo, Festo teste, vsi veteres pro *eum*. Vt *item* sit *ita eum*. Sed prius malo. Huc quoque pertinet *identidem*, nempe *ab item item*, αὖθις καὶ αὖθις, hoc est, *subinde frequenter*. Interijcitur *t*, quomodo ab ἀνύω est ἀνύτω, à πλέω (quo & Latini vsi) πλέκω, à πέκω, *pecto*, &c. *Indidem* ab *inde* & *item*. Significat enim *eodem ex loco*. Gloss. Onomast. *Indidem*, αὐτόθεν.

IDIOTA in veteri Glossario, quod Barthius apponit Aduersariorum lib. XXVIII. cap. XIX. exponitur *indoctus*, dictúsque esse *ab iota, quæ est minima litera apud Hebræos*. Sed hoc ridiculum. *Idiota* verò, ἰδιώτης, ab ἴδιος, hoc est, *proprius*: hoc ab ἰδέα, quod cum Tullio *speciem* aut *formam* transferre possumus. Ita *idios* propriè sit, cuius *propria* sit, nec cum alijs communis *idea*, siue *forma*. Ἰδέα verò, siue εἰδέα (vtrumque enim reperitur) est ab ἰδεῖν, hoc est, *intueri*: quasi ad quod intueri oporteat, ad dignoscendum, aut imitandum. Redeamus ad *idiotam*. Propriè ea vox notat *hominem priuatum*: vnde ei ὁ πολιτευόμενος opponitur apud Demosthen. Philipp. ὁ ἄρχων, apud Herodianum, lib. III. Sed quia, qui è vulgo sunt, *imperiti indoctíque* esse consueuerunt, hinc fit, vt etiam τοῖς πεπαιδευμένοις opponatur apud Lucianum in Lexiph. Vsus hoc pacto

Lucillius apud Nonium : *Quidni & tu idem illiteratum me atque idiotam diceres* : Sidonius, epist. xi. lib iv. *A cuius disputationis communione ne idiotarum quidem imperitorúmque sciscitatio repudiaretur* Et epist. xiv. li. vii. *Idiotarum est, sicut facile conuinci, ita difficile compesci*. Cœlius Aurelianus. lib. i. acut. morb. cap. xi. *Apud inertes, quos idiotas appellant*. Et cap. xxxv. *Quem plurimi idiotæ cordis dolorem vocauerunt*. Similiter quoque vsurpant Tertullianus, Cyprianus, aliique scriptores Ecclesiastici.

IDOLVM, εἴδωλον, ab εἴδω, *video*, quia in *idolo* quodammodo videmus, cuius est imago. Hinc εἰδωλεῖον, i. Corinth. viii. vers. x. Latinè sit *delubrum*. Nam vt dicitur *delubrum*, *in quo deus statuitur*, iuxta Varronis etymologiam: ita εἰδωλεῖον, *in quo reponitur idolum*. Prudentius :

Et quis in idolio recubans inter sacra missæ.

Vbi poëta secundam in *idolium* corripit. seculi sui consuetudinem secutus, quâ accentus magis ratio habebatur, quàm quantitatis. Fusè hoc de more Ios. Scaliger lib. ii. Auson. Lect. cap. xxi. Ab εἴδωλον & λατρεύω, est εἰδωλολατρεία, *idololatria*, pro quo imperiti *idolatria* dicunt, quasi sit ab εἶδος. *Idololatria* si vocem spectes, est *idoli seruitus* : si rem, ex vsu scripturarum sic generatim vocatur, cùm *cultus diuinus exhibetur alij, quàm deo*, siue id res sit verè existens, siue ab humano conficta intellectu : siue item id fiat mentis errore, aliquid habentis pro Deo, quod Deus non est ; siue solâ eius cultus præstatione, qui vni debetur Deo, quamquam, qui cultum exhibet, neget id se habere pro Deo. Quippe tum protestatio facta est contraria. Ita dicit Apostolus Philipp. iii. xix. quorundam deum esse ventrem, quia etsi sedulò negent se ventrem habere pro deo, tamen omnia illo metiuntur, non Dei honore. Item Coloss. iii. v. & Eph. v. v. *auaritia* quidem *idololatria* ; *auari idololatræ* vocantur, quia etsi opes negent se pro deo colere ; spem tamen ac fiduciam, vni competentem Deo, in opibus collocant. Sed hæc sunt alius fori.

IDONEVM, fortè ab Chaldæo עדן, hoc est, *tempus, opportunitas* : vel ab ἰδεῖν, *videre*, seu ἰδέα, *species*, & ὠνή, *venditio*: vt propria sit vox eorum, quæ eius sunt bonitatis, vt sui conspectu emptorem etiam intelligentem possint nancisci. Vel ab ἰνώδης, *idoneus*, vt ν abeat in *D*, quomodo in *T* mutatur in *blatero*, quod à βλὰξ, βλακός. Vel à δαιὸς, *solers, peritus, ingenio ad aliquid aptus*. Nam quod eiusmodi est, id imprimis ὄνειον est & *ad rem faciendam idoneum aptúmque*. Vel simpliciter sit ab ἴδιος, hoc est, *proprium*, quia quod cuique rei *proprium*, id ei maximè *aptum* & *conueniens*. Præter vulgarem *idonei* notionem, etiam habet duas alteras. Nam & vsurpatur pro *pio* ac *probo* : & pro *diuite* atque *opulento*. Vtraque significatio inuenitur apud Iurisconsultos. Prior quoque illa est apud Varronem, lib. xx. rerum Humanarum, & Ciceronem, ii. de Off. Sed Lactantius, lib. vi. cap. xi. altero accipiens modo, Ciceronem calumniari non dubitauit. Vide Scipionem Gentilem, lib. i. Παρέργ. cap. xxvi.

IDVS vnde dicatur, his verbis docere conatus Plutarchus, ἐν Ῥωμαϊκοῖς, quæst. xxiv. Τὰς δὲ εἰδοὺς (φασὶν) ἢ διὰ τὸ κάλλος καὶ τὸ εἶδος, ὁλόκληρον φαινομένης τῆς σελήνης, ἢ τῷ Διῒ τὴν ἐπωνυμίαν ἀποδιδόντες. *Idus autem dicunt, siue ob pulchritudinem, quòd tum integra luna est lucida, siue Iouis eis cognomen attribuentes.* Quibusdam sic dici placet ab *iduli oue*, ac *idulibus sacris*: quorum meminit Festus, de *Sacra via* tractans. *Quidam*, inquit, *sacram viam appellatam esse existimant, quòd eo itinere vtantur sacerdotes idulium sacrorum conficiendorum caussâ*. Eodem pertinet illud Varronis, lib. v. de L. L. *Quòd hinc oritur caput sacræ viæ ab Streniæ sacello, quæ pertinet in arcem, qua sacra quot mensibus feruntur in arcem. Idulis ouis* meminit hoc versu Ouidius, lib. i. Fast.

Idibus alba Ioui grandior agna cadit.

Et eodem libro :

Idibus in magni castus Iouis æde sacerdos
Semimaris flammis viscera libat ouis.

Et Festus: *Idulis ouis dicebatur, quæ omnibus Idibus Ioui mactabatur*. Ex eius *ouis* lanâ conficiebant Flamines albogaleros suos. At non *idus* ab *iduli oue*, aut *sacris idulibus*, dicuntur: verùm hæc contra ab *idibus* nomen acceperunt. quod ἀναλογία satis indicat. Verum autem *iduum* etymon petendum à Sabinis ac Thuscis. Nam, vt Varro scribit, lib. v. de L. L. *Eidus ab eo, quod Tusci Itus, vel potiùs quod Sabini Eidus dicunt. Itus*, siue *idus*, dixere Thusci, ab *iduare*, quod iisdem est *diuidere*. Sic autem vocarunt, quod in duas velut partes diuidant mensem, vt quæ plurimùm medium mensem attingant : Vnde Horatius, lib. iv. Od. xi.

——*Idus tibi sunt agendæ,*
Qui dies mensem Veneris marinæ
Findit Aprilem.

Imò & in Glossis vett. est, Eidus, μεσομήνιον. Interim fuere & aliæ olim de *Iduum* etymo opiniones, quas Macrobius recenset, lib. i. Sat. cap. xv. Locum, licet prolixiorem, apponemus, eo lubentius, quia solus Macrobius verum nos *Iduum* etymon docuit : *Iduum*, inquit, *nomen à Tuscis, apud quod is dies itis vocatur, sumtum est. Item autem illi interpretabantur Iouis fiduciam : nam cùm Iouem accipiamus lucis auctorem, vnde & Lucetium Salij in carmine canunt, & Cretenses* Δία τὴν ἡμέραν *vocant ; ipsi quoque Romani Diespitrem appellant, vt diei patrem : iure hic dies Iouis fiducia vocatur ; cuius lux non finitur cum solis occasu, sed splendorem diei & noctis continuat illustrante lunâ : quod semper in plenilunio, hoc est, medio mense, fieri solet ; diem igitur, qui vel nocturnis caret tenebris, Iouis fiduciam Tusco nomine vocauerunt : vnde & omnes idus Iouis ferias obseruandas sanxit antiquitas. Alij putant idus, quod ea die plena luna videatur, à videndo vidus appellatas : mox literam V detractam: sicut contrà quod Græci* ἰδεῖν *dicunt, nos, V literâ additâ, videre dicimus; nonnullis placet idus dictas vocabulo Græco* οἷον ἀπὸ τοῦ εἴδους, *quod eo die plenam speciem luna demonstret ; Sunt qui æstiment idus ab oue iduli dictas, quam hoc nomine vocant Tusci ; & omnibus idibus Ioui immolatur à flamine. Nobis illa ratio nominis vero propior æstimatur, vt idus vocemus diem, qui diuidit mensem ; iduare enim Etruscâ linguâ diuidere est ; vnde vidua quasi valde idua, hoc est, valde diuisa : aut vidua, hoc est, à viro diuisa.* Hæc Macrobius. Acutè autem conijciebat Becmanus in originibus suis, Hetruscum *iduo* dici, quasi ἰς δύο, ac quemadmodum à *ve* [illegible] & *iduo*, Macrobius *viduam* dici monet ; ita à *di*, vel *dis* (quod separationem indicat.) ac iisdem vocibus, ex quibus *vidua* conflatum dicebamus, fieri antiquum *diuiduo*, pro quo *diuido* nunc in vsu est. Acutè etiam Martinius, cui placet *iduo*, vnde *vidua*, esse ab ἴδιος, id est, *proprius*, vt propriè *iduare* signet ponere ἰδίᾳ, siue κατ' ἰδίαν, hoc est, *seorsum*. *I* in *V* abit, vt à *dies*, *biduum* & *triduum*. Quia autem Becmanus, de initiali *V* in *vidua* dubitationem inijcit, addo illud, planè me censere, *V* istud non esse à *ve* particula, sed à Latinorum more, qui vocibus à vocali inchoatis præfigere amant *V* consonum, Æoles hac à parte imitantes. Nempe quemadmodum ab ἐμῶ est *vomo*, ab ἴς *vis*, ab ἴον *viola*, sic ab ἰς δύο, vel ab ἰδίᾳ, non *iduo* tantùm, sed & *viduo* (vnde *vidua*) dicitur : à *viduo* autem *diuiduo* fuit, pro quo nunc obtinet *diuido* : eâ nempe ratione, quâ nunc dicimus *do*, non *duo*, vnde *duint* apud Comicos. Vide *Diuido*.

IDYLLIVM, εἰδύλλιον, quod ὑποκοριστικὸν ab εἶδος, vt ab ἔπος ἐπύλλιον. Εἴδη, & εἰδύλλια dicuntur poëmatia, quæ nouum semper argumentum tractant : adeo vt qui opuscula sua hoc pacto inscribit, is nihil dicat de materia totius, sed ad singulas partes remittat. Sic Pindari poëmatia olim εἴδη inscribebantur; sic opuscula sua εἰδύλλια inscribunt Theocritus & Ausonius. Hæc vera huius nominis caussa, quam adfert quoque Clarissimus Dan. Heinsius Theocriticarum lect. cap. i.

IECVR ineptè ex *ibi* & πῦρ, conflatum putat Isidorus, si rectè capio ista verba, lib. xi. cap. i. *Iecur nomen habet, eo quòd ignis ibi habeat sedem, qui in cerebro subuolat*. Alijs, ob soni affinitatem, originem ducere videtur ab Græco ἧπαρ, hoc est, *hepar*, siue *iecur*, item σπλάγχνα, hoc est, *viscera*, siue *iecur*: vel ab Hebræo *peder*, פדר, quo significatur *adeps*, item σπλάγχνα, hoc est, *cor, iecur, pulmo & lien*: vnde פדרין dici volunt omnia quæ *iecori adiacent*. Sed Martinio placet, *iecur* esse ab Chaldæo יקר, id est, *grauis*. Quia viscus sit bene compactum ac ponderosum. Quod etymon eo verisimilius, quia Hebræis similiter *iecur* dicatur כבד, à כבד, hoc est, *grauem* esse ac *ponderosum*. Verùm huic quoque sententiæ aduersari videtur, quòd *iecur* non integrum est, sed contractum ex *iecinus*, vel *iecinor*, vnde obliquus *iecinoris*. Quare ἧπαρ. *Hepar* verò, siue ἧπαρ, dici videtur παρὰ τὸ ἐπαίρειν, quod est, *extuberare*. Est enim *gibberum*. Alias etiam ἐτυμολογίας ponit Etymologus Græcus.

IEIVNVS Martinio ab ἰείω, id est, κενόω, *euacuo*. Nempe, quia *ieiuni vacuo sunt ventre*. Vel quia iis ἶνες siue οἶνες ἶνες, *fila*, siue *vacuæ fibræ*.

IENTACVLVM, & *iantaculum*, videntur dixisse antiqui. Sanè in Glossario Philoxeni legitur, *iantare*, ἀκρατίζομαι ; *iantaculum*, ἀκρατισμός, ἀκράτισμα ; & post *iantaculum*, ἀκρατισμός. Ex origine haut colligi potest, vtra præstet scribendi ratio. Nam Isidorus, lib. xx. dici ait, quia eo *ieiunium soluitur*: quæ origo si vera, *ientare* dicendum per E. Sed Cæsar Scaliger lib. i. de R. P. cap. v. *ientare* dici ait, ὅτι δεῖ ἰέν. Verùm Dores pro ἰὲν dicunt ἰᾶν. Ab ἰὲν esset *ientare* ; ab ἰᾶν, *iantare*. Sed Romani ferè Dores sequuntur. Græcis ἀκρατισμός dicitur, non tam quia eo solùm vterentur homines ἀκρατεῖς, siue *intempe-*

rantes

rantes: quàm quòd soleant ἐσθίειν ἄρτον ἐν ἀκράτῳ, *id est, edere panem meraco tinctum*. Vtramque caussam leges apud Plutarchum in Symposiacis. Latini similiter *ientaculum* vocabant *iētacum*, quod *ieiuni* absorberent *vinum sibi conditum*. Auctor Festus. Non tamen hæc perpetua *ientaculi* ratio fuit: quemadmodum docet illud Appuleij, lib. I. Met. *En, inquam, paratum tibi adest ientaculum: & cum dicto manticam meam humero exuo, caseum cum pane propere ei porrigo.* Et istud Pomponij: *Nihil habens ientaculi præter nauticum panem.* *Prandiculum* quoque pro *ientaculo* dictum esse, docebit Festus.

IGITVR videtur dici quasi *id agitur*, eiecto D, vt *aperio* ex *ad* & *pario*. Veteribus autem, non tantum *ergo* notabat, sed etiam *inde, postea, tum*, vt auctor Festus.

IGNIS, vt Isidorus censet, lib. XIX. cap. VI. quasi *ingenis*; vt *primignus* quasi *prigenus*, vel *primigenius*, *bigna* quasi *bigena*, apud Festum. Caussam nominis hanc adfert, quia *ex eo nihil gnatur*, hoc est, *gignitur*. Sed opponi huic sententiæ potest illud Senecæ, lib. V. Natur. Quæst. cap. VI. *Ignis, qui omnia consumit, quædam etiam creat, & quod videri non potest simile veri, sed tamen verum est, animalia igne generantur.* Idem docuerat Aristoteles, lib. V. de histor. animal. cap. XIX. & ex eo Plinius, lib. XI. cap. XXXVI. vbi sic scribit: *Gignit aliqua & contrarium naturæ elementum (ignis putà.) Siquidem in Cypri ærariis fornacibus ex medio igni, maioris muscæ magnitudinis volat pennatum quadrupes: appellatur pyrallis, à quibusdam pyrausta. Quamdiu est in igne, viuit: cum euasit longiore paullò volatu, emoritur.* Acriter aduersus hanc Aristotelis sententiam aliqui insurgunt: & sane verisimili admodum argumento nituntur. Nec enim in *igne* ea est temperies actiuarum & passiuarum, vti vocant, qualitatum, quæ ad generationem requiritur. Adde quod Galenus istas Cypri fornaces vidisse se testatur: de *pyraustis* verò à se visis nihil addit. Sed vtrique isti argumento occurrit Iulius Scaliger. Exercit. CXCIV sect. IV. Ipsum tu, vide. Ad etymon redeo. Quid si *ignis* quidem quasi *ingenus* dictum credamus, sed non quia inde *nihil nascatur* (quod fortasse de *igni nostro* verum est,) quia *elementalis ignis ingenitus insitúsque sit rebus omnibus*, quando omnia ex elementis quatuor constant. Eò respexit Varro, cùm ita scribit. IV. de L.L. *Ignis à nascendo, quòd hinc nascitur omne, & quod nascitur, ignescit* (ita bene emendant, nisi cum Scaligero malis *ignis indit*: pro quo in vulgatis, *ignis scindit* vel *gignit*. *Ideo calet, vt qui denascitur, ignem amittit ac frigescit*.) In igitur in *ingenus*, siue *ignis*, non στερητικὸν est, sed ἐπιτατικόν. A *se* & *ignis* est *segnis*, de quo separatim. Ab eodem est *ignitabulum*, de quo nunc dicam.

IGNITABVLVM à Festo exponitur *ignis receptabulum*: distinctiùs in veteri Onomastico vertitur πυρεῖον; Atque in eodem *igniarium* quoque πυρεῖον exponitur. Nempe *igniarium*, & *ignitabulum* idem notant. Quid verò πυρεῖον sit, optimè docet vetus Apollonij interpres, in illud Argonaut.

——Τοὶ δ' ἀμφὶ πυρήϊα δινήσαντο.

Vbi ait δινήσαντο, poni ἀντὶ τοῦ ἐτρίψαν, πυρίσαντο. Atque addit lignum altero ligno terebrari tamdiu, donec ignem conciperet: hoc πυρεῖον dici: *lignum, quod subiicitur ac terebratur*, vocatur eidem ἐσχάρα, nempe à *substernendo*: *lignum quo terebratur*, dicitur ei τρύπανον; ἐσχάρα Theophrasto vocatur. Meminit & huius rei Simplicius, in Aristotelis lib. III. de Cælo: Ἀπὸ ξύλων δὲ πῦρ ἐκκάουσι, θάτερον τῶν ξύλων ὡς τρύπανον ἐν θατέρῳ περιστρέφοντες. *E lignis excutiunt ignem, lignorum alterum velut terebram in altero circumagentes.* Illustris etiam ille est locus Plinij, lib. XVI. cap. XL. *Calidæ & morus, laurus, & edera, & omnes è quibus igniaria fiunt. Exploratorum hoc vsus è castris, pastorúmque reperit, quoniam ad excudendum ignem, non semper lapidis occasio est. Teritur ergo lignum ligno, ignémque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, facillimo conceptu. Sed nihil ederâ præstantius qua teratur; lauro, qua terat. Probatur & vitis sylnestris, alia quam labrusca, & ipsa edera modo arborem scandens.* Huc quoque pertinent verba Festi: *Ignis Vestæ siquando interstinctus esset, virgines verberibus afficiebantur à Pontifice; quibus mos erat tabulam felicis materia tamdiu terebrare, quousque exceptum ignem cribro æneo virgo in ædem ferret. Tabula* illa, quam ait *terebrari*, est ἐσχάρα; ac quia ex *tabula* hac terebrando *eiiciebatur ignis*, *ignitabuli* nomen accepit. Ab illa *terebratione* Græci πυρεῖον dixere. Glossæ Philox. *Ignitabulum*, δᾳδοῦχος, ῥᾳβδίον, πυρεῖον. At ὁ δᾳδοῦχος ῥαβδίον exponit quia *ignitabulum* etiam sumitur pro *fomite*, siue *fomite*, hoc est, *arida materia*, quæ ignem terebrando excussum excipit. Quomodo & πυρεῖον quandoque sumitur à Græcis. Solinus cap. XVII. varia recensens *Deli* nomina reponit inter *Pyrpole*: atque ita dici ait, quia ibi *ignitabula* inuenta sint. Vide quæ ibi Salmasius annotauit.

ILEVS Plinio dicitur, quæ vulgo *iliaca passio* vocatur. Est autem à Græcis, quibus εἰλεὸς dicitur. Non vno modo voce hac vsi veteres: quod ostendit hic locus Celsi, lib. IV. cap. XIII. *Diocles Carystius, inquit, tenuioris intestini morbum χορδαψόν, plenioris εἰλεὸν nominauit. A plerisque video nunc illum priorem εἰλεὸν, hunc κωλικὸν nominari.* Quod ad etymon, sic dici putatur à parte affecta, quod *tenue intestinum* εἰλεὸς dictum imprimis inf. stetur. Sed rectiùs qui dici volunt à symptomate, vt sit vel ab εἰλεῖν, hoc est, *coarctare*, quia in hoc morbo αἱ τῶν ἐντέρων ἕλικες εἰλοῦνται, hoc est, *intestinorum inuolucra coarctantur*, vt scribit Actuarius: vel ab εἱλεῖν spiritu aspero, hoc est, *vertere & contorquere*, quia τὸ πνεῦμα ψυχρὸν ἀργὸν ... ἐν ταῖς ἕλιξι τῶν ἄνω ἐντέρων, hoc est, *flatus, frigidus, & lentus remoratur in anfractibus superiorum intestinorum*, quemadmodum ait Aretæus. Affinis huic *chordapsus*, quomodo Celso quoque vocatur, si non sit simplex intestinorum dolor, sed accedat eorum tumor, qui manibus pressus cedat. Vocatur autem hoc pacto, quod, qui manum loco admouet, quasi τῆς χορδῆς ἅπτεσθαι, hoc est, *tensam fidem tangere videtur*, vt scribit Galenus, lib VI. de locis affectis. Omnino nugatur Aretæus, cùm censet χορδαψὸν componi ex χορδὴ, id est, ἔντερον, & ἅψασθαι, quod (credat qui volet) συνδεῖν significare ait. Falsus quoque hac in parte Hennischius in suo ad Aretæum commentario.

ILEX, quod *quercus* genus est, Isidoro visum ab *eliciendo* deducere, quod mortales eam nondum repertis frugibus in victum elegerint. Sed hoc σχεδιασμός. Magis verisimile sit esse ab Hebræo אלה, quod à nonnullis *vlmus*, vel *terebinthus*, vel *castanea*; sed ab aliis, vel generatim *arbor*, vel specialius *quercus*, vel specialissime *ilex* transfertur. Atque à *robore* nomen habet: nempe ab איל, *robustus*. Vide quæ de hac arbore Masius ad vltimum Iosuæ caput annotauit. Nunnesio placuit *ilex* κατ' ἀφαίρεσιν fieri ab ἄκυλος, quomodo *fructus ilicis*, nempe *iligna glans* vocatur. Mihi ab Hebræo esse magis placet.

ILICET (de quo & aliquid diximus in *Video* & *Exemplo*, factum ex *ire licet*: haut aliter ac *scilicet* ex *scire licet*, *videlicet* ex *videre licet*. Donatus in Phorm. act. I. Sc. IV. *Semper* ILICET *finem rei significat, vt* ACTVM EST. *Dictum per* συγκοπήν. *Sic iudices de consilio dimittebantur, suprema dicta cum præco pronunciasset* ILICET. Hæc Donatus: quod ipsum legere est apud Seruium ad illud II. Æn.

Ilicet obruimur numero.

Voce autem hac non tantum præco in iudiciis dimittebat iudices, sed & præfica in funeribus vtebatur eâ, cadauere vstulato cæterísque ritè peractis. Auctor Seruius ad illud VI. Æn.

Lustrauítque viros, dixítque nouissima verba.

Et imprimis ad hunc eiusdem libri locum;

——*Ferales ante cupressos*
Constituunt.——

Malè autem quidam *illicet* scribunt geminato *L*. Nam quod aiunt *E* vocis *ire* extrito relinqui *irlicet*, sed *R* sequente *L* mutari in *L*, vt sit in *pellicio, pellego, intelligo*, atque aliis, id nihil ad rem facit: quia in *ilicet* non est mutatio, sed totius syllabæ συγκοπή, quemadmodum factum videmus in *scilicet*, & *videlicet*, vbi eadem syllaba *RE* eliditur. *Ilicet* interdum esse interiectionem censet Sosipater, cap. de Aduerbio. Atque ita interpretatur illud Maronis:

Ilicet obruimur numero.——

Vbi (Charisij verba sunt) *Martius Salutaris vult interiectionem esse grauiter ingemiscentis. Nam & Terentius in Eunucho, Infectâ pace, inquit, vltro ad eam venies, indicans te eam amare, ferre non posse, actum est, ilicet peristi. Nam & hic* (inquit Charisius) *non est in loco, aut statim, & continuo, sed pro eo quod est hem, vt sit, hem peristi.* Sed hæc quam firma certáque sint, videre nondum possum.

ILLE vel ab Latino *IS* factum puto, vel potiùs ab Hebræo *elle*, אלה, id est, *hic, ille*; vt *E* in *I* conuertatur, quomodo à לבנה est λίβανος, hoc est, *thus*, quomodo item à כתנת est χιτών, hoc est, *tunica*. Ab *ille* est aduerbium *illi*, quod idem ac *illic*. Terent. Hecyr. Act. I. II.

Nam illic haut licebat, nisi præfinitò, loqui.

Vbi sic Donatus: *Legitur & illi, vt sit circumflexus accentus, & sit illic: vt,*

——*Illi mea tristia facta.*

Plenius idem hac de re ad illud Terentij Adelph. Act. I. Sc. II.

——*Siquid peccat, Demea,*
Mihi peccat: ego illi maxumam partem feram.

Errant, inquit, *qui putant illi esse pronomen; cùm sit aduerbium loci, vt.* (II. Æn.)

——*Illi mea tristia facta*
Degenerémque Neoptolemum narrare memento.

Illi ergo, ibi vbi ille peccat. Quare quidam etiam LI *syllabam discretionis caussâ, vt locum significat, corripiunt. Olli pro illi*

dixisse Maronem, notissimum est. Sed antiquiores potius *oli* scripsere, quia non geminant consonas. Ablatiuus est *olu*, & antique *olou* vt λόγου, atque *oi* in *æ* conuerso *olæ*. Festus: *Ab oloes dicebant pro ab illis: antiqui enim literam non geminabant.* Vbi non *oloes* tribus legendum syllabis, sed *olæs* duabus: quia *æ* est ex *oi* Græco: vt *Adelphæ* ex ἀδελφοί, *poplæ* pro *poploi*, siue *popli*.

IMBER Prisciano in quincto videtur venire ab ὄμβρος; mutato nempe *O* in *I*, quomodo ab ἕν est *is*, à πρῶτος, *primus*; à κόνις, *cinis*, &c. Aliis placet esse ab ὕειν, hoc est, *pluere*, & pro his facit, quod in antiquis codd. per *y* scribatur. Meminit & huiusce rei Carrio scholiis ad primum libr. Valerij Flacci. *Admirabilis*, inquit, *est omnium veterum librorum, quos hactenus videre licuit, error, si modò error dicendus, quòd ymber non imber scribant, cogites lector.* Hæc ille. Ego verò, cùm non modò in vett. lib. *imber* per *I* reperiam; sed & Festum aliósque veteres ita scripsisse pateat: planè persuasum habeo, *imber* esse ab ὄμβρος. Quod ipsum παρὰ τὸ ὁμοῦ βρέειν dictum, quasi ὁμοβρος, elisa duobus locis vocali, & inserto *B*, quemadmodum monet Etymologus. qui & alia duo etyma addit: sed duriora. Quod verò in plurimis quoque codd. *Ymber* per *Y* scribatur, id meo iudicio ortum ab eorum Grammaticorum errore, qui ab ὕειν venire existimabant. Per *I* quoque eos scripsisse patet, qui *imber*, quasi *inber* dici putarunt ab *inebriando*. Isidorus, lib XIII. cap. X. *Imbres dicti a Græco vocabulo, vel quod terram inebrient ad germinandum. Ex his enim cuncta creantur*: vnde & Lucretius:

Ex igni terrâ atque animâ nascuntur & imbri.

Sic legendus is locus. In vulgatis omissio disiunctiuæ Vel, ex duabus opinionibus male vnam ferruminauit. Nam Isidori mens est, *imber*, vel ab ὄμβρος venire, vel sic dici quasi *inebrer*, κατὰ συγκοπήν. Imò vix dubium, quin ipsa quoque vox ὄμβρος ab Isidoro addita sit, hoc pacto: *vel a Græco* ὄμβρος, *vel quod terram inebrient.* Inducenda quoque verba illa, quæ continuò apud Isidorum sequuntur: *Est autem nomen Græcum.* Nam irrepsere ex margine, vbi quis non ineptè iudicium suum de vtroque etymo interposuerat. Ab *imber* est *imbricus*. Festus: *Imbricâ tempestate pluuiam videtur significare.* Vtitur Plautus Mercatore, Act. V. Sc. I. Vbi *austrum* nominat *imbricum*. Idem *imbricitor* Ennio his versibus dicitur quasi *imbres ciens*; Græcè ὀμβροφόρος.

Concurrunt veluti venti, cum spiritus Austri
Imbricitor, Aquilóque suo cum flamine contra
Endo mari magno fluctus extollere certant.

Tegulæ quoque cauatæ & semirotundæ ab *imbre* dicuntur *imbrices* quòd *accipiant arceantque imbres*: vt indicat Isidorus, lib. XV. cap. VIII. Ab *imbrex* est *imbrico*. Vitruuius, lib. II. VIII. *Imbricata cæmenta.* Plinius, lib. XI. cap. XLV. *Imbricati vngues simiæ.* Sidonius, lib. II. Epistola II. *Tegulis interiacentibus imbricarentur.* Glossæ vett. καλυπτηρίζω, *imbrico*.

IMBVERE est ab antiquo *buo*. Glossæ Isidori: *Butum, imbutum, imbuendum.* Sed vt *implere*, *explere*, *deplere* in vsu sunt, *plere* autem obsoleuit; ita & *buere* in solis remansit compositis ac deriuatis. *Buere* est à βύω, quod est πληρόω, quomodo vsi Homerus, Aristophanes, alij. Indéque βύζω, teste Etymologo, qui & de ventis dici ait, quando vela *implent* turgido suo flatu. Nec dubium, quin ab eodem βύω sit βύζα, quod Etymologus ex Sophrone adfert, atque explicat, πολλὰ, καὶ πλήρη, καὶ μεγάλα. Quare cùm ἐμβύω sit *infleo*, vt veteres locuti; *imbuo* erit ab ἐμβύω, ac propriè erit *impleo*. Sed Latini strictiùs vsi verbo *imbuo*, & *imbuere* pro *implere liquore*. Inde *bua* potus antiquis: sed nutrices vocis eius primam solùm syllabam efferre solent. Festus: *Imbutum est, quod cuiuspiam rei succum bibit; vnde infantibus, an velint bibere dicentes, bu syllaba contenti sumus.* Integram vocem habes in illo Varronis Cato siue de liberis educandis. *Cùm cibum ac potionem buas ac papas vocent, & matrem mammam, patrem tatam.* Qui locus ostendit minimè (quod vir eruditus scripsit) nugari Nonium quando ait sic vocari *paruulorum potionem*. Nam siquis hic Nonij error, etiam Varronem errâsse dicendum, qui solum *pueriles* recesset *appellatione*. Nec hoc obstat ei, quod antè diximus, naturâ suâ latius *bua* vocem patere. Quippe, vt alia multa, ita hoc quoque vocabulum obsoleuit, solúmque remansit inter nutricum ineptias, sic *puerilem cibum* nuncupantium. At generalis illius notionis multa sunt vestigia, in vocibus ab hoc fonte deriuatis. Tale est *vinibua*, quomodo, Nonio teste, Lucilius dixit sat. VIII. cum *vinulentas* dicere vellet. Inde quoque *ebuiæ*, &, vt auctor Festus, qui interpretatur, *quæ ebiberunt, quasi epotas.* *Exuberes* quoque, siue, vt in MS° est, *exbures* pro eo dixere, vt ex eodem Festo discimus: nisi cum Scaligero legere malis *exuberes*; quod notabit ἀπογεγαλακτισμένους, hoc est, *infantes ablactatos*: quomodo *abuberes* dixere ἀπογαλακτίσαι, vt discere est ex vett. Glossis. A *bua* quoque est *simpuuium*, εἶδος ἐκπώματος ἱερατικοῦ, vt scribit Adamantius Martyrius apud Cassiodorum lib. de Orthographiâ. Plenius de eo vetus Iuuenalis interpres, ad illud sat. VI.

Simpuuium ridere Numæ, nigrúmque catinum.

Simpuuium, inquit, *quia omnes sacerdotes simul libabant. Inde simpuuiatrix illa dicitur, quæ porrigit poculum ipsud.* Dictum igitur *simpuuium*, quasi *simbuuium*. Sabini, à quibus ea vox accepta, *P in B* mutare amabant. Lazarus Baifius, apud Iuuenalem & similibus locis, legit *sympullum*: & quod mirum, hanc vocem scribit per *y*. Sunt & qui *sympinium* scribant. vt sit παρὰ τὸ συμπίνειν. Ita legit Hadrianus Iunius, non apud Iuuenalem modò, sed etiam Ciceronem, lib. VI. de Rep. Arnobium, lib. IV. Varronem, sat. *est modus matula*, siue περὶ μέθης, & lib. I. de vita pop. Rom. item Plinium lib. XXXV. cap. XII. Vide eum, si voles, lib. I. Animaduersorum cap. X. Mirum verò scribere Lazarum Baifium, metuere se, ne qui *sympinium* scribunt, id cuiquam probare possint. Nam etsi & ipse quibus locis *sympinium* Iunius scribit, vel *sambuuium* malim, vel *simpulum* (de quo separatim agemus;) multis tamen partibus *sympinium* præstulerim voci *sympulla*. Nam *sympinium* manifestè Græcam originem præfert: & quamquam apud Græcos scriptores non reperiatur; à Siculis tamen Romani accepisse possint, qui multa aliter efferebant, ac veri Græci. At *sympulla* nomen cùm origine Græcum non sit, Latinum tamen esse nequit quia *Y* in Græcis solùm inuenitur. Adde quod *simpuuium* magis quàm *sympulla*, & vett. MSS^tum^ & antiquitus excusorum, fide sit subnixum.

IMITOR, pro quo veteres etiam *imito* dixere, vt Nonius probat, sic dicitur quasi *mimitor* à μιμέομαι, omissâ initiali literâ. Ab *imitor*, si Festum audimus, est *imago*, quasi *imitago*: quia *imitatur* ac repræsentat suo modo id, quod exprimit. Multa similem passa συγκοπήν; vide in *Vinum*. Vossis & vt syncope opus non sit, deducere ab εἴκω, *imago*. Quod ab εἴκω, *similis sum*. At non seriò loquitur doctissimus Camerarius, cùm & *imitor* & *imago* deducit ab accusatiuo antiquo *IM* pro *eum*: sic enim scribit Commentar. in lib. I. Tuscul. Quæst. p. CXXIII. *Liceat in etymologia quoque nobis huius verbi exquirenda ludere, atque etiam falli. Cui enim hoc non licuit? Est igitur, vt opinor, imitari deductum, non sanè à Græco verbo μιμεῖσθαι, cuius μι syllabam longam accepimus: nec inueniri potest, quæ initialis literæ accessionis conuenientia sit: sed est perantiquum, & Latinæ linguæ proprium, factúmque ab IS: quod veteres declinauerunt vt accusatiuum proferrent IM, & notat eius, quod propositum sit, expressionem, quasique propagationem similitudine quadam atque effictione. Vnde & imago, vt plumbago, quæ eius, secundum quod est facta, similitudinem repræsentet. Sed in his sanè iocari putemur.*

IMMANIS, teste cum Isidoro in X. tum Macrobio, lib. I. Saturnal. cap. III. (eius verba in *Mane* adducimus.) venit ex eo, quòd veteres *manus* vel *manis* pro *bono* dixere. Vnde in Saliari carmine *Cerus manus*, pro *sancto bonoque*, vel *creatore bono*. At frustra est Ramirezius, cùm etiam Martialem casca hac voce vsum putat. Nam lib. II. Epigr. XCI. vbi vulgo legitur

Sospite quo magnos credimus esse deos:

Pro *magnos* is *manos*, id est, *bonos* scribendum arbitratur. Quod refutatione est indignum. Videntur autem prisci & *manus* & *manis* dixisse. A *manis* autem fuerit tum ablatiuus *mane*, qui aduerbialiter ponitur, vt *vespere*: tum *manes*, κατ' ἀντίφρασιν. tum adiectiuum *immanis*: de quo iam dictum. Vide *Mane*, & *Manes*. Fortasse & *manuus* vel *manuis* dixere. Nam apud Festum habes in schedis Farnesianis: *Manuos in carminibus Saliaribus Ælius Stilo significare ait bonos.* Vbi in MS° Paullo *Manues*.

IMMVSSVLVS, *immusculus*, *immustulus*, *immissulus*, *immisculus*, an *immustulus*, scribi oporteat, difficile dictu est, ob veterum librorum inconstantiam. Festus: *Alites volatu auspicia facientes ista putabantur: buteo sanqualis, immusculus, aquila, volturius.* Idem: *Oscines aues Appius Claudius esse ait, quæ ore canentes faciant auspicium, vt coruus, cornix, noctua. Alites, quæ alis ac volatu, vt buteo, sanqualis, aquila, immissulus, vulturius. Picus autem Martius, Feroniúsque, & parra, & in oscinibus & in alitibus habentur.* Idem: *Immusculus auis genus, quam alij regulum, alij ossifragam dicunt.* Et ibidem: *Immustulus ales ex genere aquilarum est sed minorum virium, quàm aquila, quæ volucris rarò, & non ferè præterquam vere apparet: quia æstum algorémque metuit; appellatur autem ita, quod subitò & inexspectata se immittat.* Quæ si vera lectio est, scribi debet *immissulus*: vt quam hic dicat Festus

ab

ab *immissu subito* nomen accepisse. Et sanè *immussulus* est in codice MS° Nansij Sed in Mediolanensi editione anni clↄlↄ. legitur: *Appellatur autem immussulus, quòd subito & inexspectata se immittat.* Malim tamen *immittat*, vt etiam est in Aldina. Nam verbum *inexspectata*, quod antecedit, ac localem motum, non ad qualitatis mutationem pertinet. Tamen in Glossis Philoxeni est *immusulus*, ὀὶ ὄρνεον. Sed inconstanter postea in iis perscriptum: *Inemusulus*, ὄρνεον βασιλικόν. Apud Plinium quoque, lib. x. cap. VII. *Immussulum aliqui vulturis pullum arbitrantur esse. & sangualem ossifraga. Massurius sangualem ossifragam esse dicit, immussulum autem pullum aquilæ, priusquam albicet cauda.* Atque hic locus videtur iis fauere, qui tertiam per *V* scribunt. Nempe vt sit ab *immutatione*. Conuenitque cùm dicitur pullo aquilæ, dum etiamnum immutatur, ac necdum habet caudam albicantem. Ita *immusulus* dicetur, quasi *immutulus*, *T* in *S* conuerso, vt sæpe. *Immusulus* autem simplici *S* scriptum in optima Plinij editione Parmensi anno clↄlↄ.

IMÒ particula ab *imus*, vt *certò* à *certus*. Itaque propriè valet, *imò*, seu *postremo loco*: Hoc est, *postremo illud addo, quod plus est.* Vt apud Ciceronem, Catil. I. *Hic tamen viuit: Viuit? imò verò etiam in senatum venit.* Vel *imo* propriè signat *prorsus*, quia quæ *ima*, etiam *intima* esse solent: vt censet Perottus.

IMPANCRO ex *in* & *pancro*, quod à πᾶν *omne*, & ἀγρεύω *capio*. Nonius: *Impancrare est inuadere, verbum à Græco tractum, quasi πᾶν ἀγρεύειν consumere.* Varro: *Ecclesiam in regiam arcam impancrarunt.*

IMPENSA interdum est ab *in* priuatiuo, & *pendo*: interdum ab *impendo*, id est, *in vsum aliquem pendo*. Priori modo capit Festus: cùm dicit; *Impensam stipem, æs sacrum, quod nondum erat pensum.* Posteriori modo accipitur in Gloss. vett. Vbi vertitur ἀνάλωμα. Sed additur ibidem, ἰδιωτισμός. Nempe signat *impensam olei & gari*. De *culinaria impensa* loquitur & Apicius, cap. IV. *Perunges patinam, in qua oua sex cum œnogaro miscebis cum succo asparagi, impones cineri calido, indes impensam præscriptam, tum ficedulas compones.* Est & *impensa testacea*, quam aliter *tectorium* dicimus. Vide Palladium, lib. I. cap. XL. Sed vsitatissima notio *impensa* est de *pecunia in rem aliquam depensa*. *Impensa* autem, & *expensa*, voces, sunt ortæ à veterum more, quo pecunias non numerabant, sed *pendebant*. Videri possit & hinc dici *impensè* pro *valdè*: quia quod in lance *propendet*, id *impendet*. Vnde Glossæ vett. *impensè*, ἐκτενῶς. Onom. *impensè*, ἄγαν. Ita vsus Plautus, Epid. IV. I. *Impensè improbus.* Terent. Eun. III. I. *impensè inuidere.* Sidonius, lib. II. Ep. VII. *Impensè obsecro.* Sed quod ad significationis caussam, verisimilius est, *impensè* propriè notare *sumptuosè*. Nam *impensius* propriè de iis dicitur, in quibus magni sunt facti *sumptus*. Gloss. *Impensius*, ἀφειδῶς. Item, *Impensè*, ἀφειδῶς. Hinc & *impensius* pro *magno* vsurpatur: vt non apud Plautum modò: sed & Lucretium, lib. v.

Vel violenta viri vis atque impensa libido.

Item Appuleium, in Apolog. *Impensis precibus tracti.* Cæsarem quoque, Prudentiúmque, copiè modo locutos docebit Giffanius in Ind. Lucret. Porro non *impensam* modò sed & *impendium* dixere. Atque hinc aduerbium *Impendio*, id est, *valde*. Afranius in Vopisco: *Quo casu cecidit spes reducendi domum, quam cupio, cuius ego indies impendio ex desiderio magis magisque maceror.* Citat Charisius, cap de Aduerbio.

IMPERO, ab *in* & *paro*, *A* in *E* abit, vt in *vitupero*, & *propero*, quæ & ipsa à *paro*. Variæ autem sunt huius verbi notiones. Interdum videtur præuerbium redundare. Ita Alciatus, lib. VII. Parerg. cap. XIII. *imparare*, pro *parare*, accipi monet in illo Plauti, Capt. I. II.

Nullumne interea nactus, qui posset tibi
Remissum, quem duxti, imperare exercitus.

Aliter tamen hic sumi possit, vt interpretes ad eum locum ostenderunt. At negat *in*, cùm idem Plautus ait,

Ex parata te imperatam omnem facis.

Quamquam hac in notione potius *imparatam* per *A* scribi solet. Sed & alterum vett. libb. auctoritate defenditur. Vulgatissima verò acceptio est, quà *imperare* ponitur pro *iubere*. Nempe vt Græcis à τάττω, id est, *ordino*, est ἐπιτάττω, *ordinem iniungo*, & ἐπιτάττω *præcipio*: ita à *paro* est *impero*, quod propriè sit, *vt alter paret mando*. Ab hac notione *imperium* appellatum. Ea vox quandoque sumitur pro *Republica*: quomodo vsus Sallust. in præfat. belli Iugurthini. Gloss. vett. *Ciuile imperium*, πολιτεία. Ab *imperio* dictus is *imperator*, cui commissa erat belli administratio. Liuius, lib. XXXV. *Ætoli regem Antiochum imperatorem appellarunt.* De etymo sic Varro, lib. IV. de L. L. *Imperator ab imperio populi, qui eos, qui id attentassent, oppressit hostes.* Quod de *hostibus oppressis* ait Varro, respicit antiquorum consuetudinem, quâ propriè *imperator* is dici solet, *qui cum suis auspiciis bellum gereret, aliquot hostium millia in acie cecidisset.* Tum enim & militum acclamatione in castris, & sententia Senatus in vrbe, *Imperator* appellabatur. Atque hæc quidem stantis Reip. consuetudo fuit. Vt autem perpetuum *Imperatoris* nomen alicui assignaretur, id ab Iulio Cæsare originem traxit, quem Suetonius tradit prænomen id perpetuum à Senatu accepisse. In quo immutata fuit veterum consuetudo. Nam cùm apud veteres *imperatoris* nomen sequi soleat, exempli gratia, *M. T. Cicero imperator*: Cæsar id tanquam prænomen vsurpabat, hoc pacto, *Imperator C. Iulius Cæsar.* A Iulio autem *Imperatoris* appellatio ad successores deriuata. Nec tamen in totum sub Cæsaribus sublata fuit vetus consuetudo. Quippe sub his quoque, qui res præclarè gessissent, *imperatores* salutabantur. Sed minor tum, imò & Cæsare necdum rerum potiente, *imperatorij* fuit nominis honos. Quippe Appianus, lib. II. bell. Ciuil. quo loco de Curione agit, qui paruâ Numidarum manu deuictâ, *Imperatorem* se salutari passus erat, ait id antiquitus obseruatum, vt quis non nisi magnis rebus gestis *Imperator* vocaretur: at sua ætate (Hadriani autem æuo vixit) decem millibus occisis acclamatum esse. Scribit & Dio, lib. XXXVII. Antonium, Catilina victo occisóque *Imperatorem* esse dictum, quanquam cæsorum numerus minor esset constituto. Addit idem, lib. LX. antiquitus non nisi semel bello vno *Imperatorem* quempiam appellari potuisse: eóque præter veterum consuetudinem fuisse, vt Claudius vno bello aliquoties *Imperator* diceretur. In eodem autem ab aliis quoque peccatum fuisse antiquorum monumentis comprobaremus, nisi alius hæc propria essent instituti. Ab *impero* item est *imperiabilis*; inde *imperiabiliter*. Cato senex: *Vbi Maximus, nimis imperiabiliter.* Pro *imperiose* & *dure*. Ita eum locum lego apud Charisium, cap. de Aduerbio.

IMPILIA sunt *pedum tegumenta è lana coacta*. Vtitur Vlpianus, L. XXV. §. fasciæ. D. de auro arg. leg. Imò & Plinius, lib. XIX. cap II. vbi ait, *Theophrastus auctor est* (partum) *esse bulbi genus circa ripas amnium nascens, cuius inter summum corticem, eámque partem quâ vescuntur, esse laneam naturam, ex qua impilia, vestésque quædam conficiantur.* Quamquam in vulgatis, etiam antiqua Parmensi, est *mapalia*. Sed *impilia* rectè est in plerisque MSS[is]. Pro eo, in octauo de plantis, apud Theophrastum, quem Plinius exscribit, est πίλοι, vel πιλία; vt vel hinc liquet *impilia* esse *socculos* pedum. *Impilia* autem dicuntur, non quasi *sine pilis*, vt aliqui scripsere, sed à Græco ἐμπίλια. Hesychius: Νέαι, τὰ πίλια, ἢ τὰ ἐμπίλια. Ἐμπίλια autem dicta, quia πιλωτά, hoc est, *coacta*, *stipatáque*, vnde & *coactilia* dicuntur. Vide *Coactilia*, & *Pileus*.

IN ab ἐν, quod Græcis quidem *quietem* indicat: vti εἰς, vel ἐς, *motum*. Sed Latinis *in* vtrique vsui inseruit. Imò & vett. Græcis ἐν ad *motum* pertinuisse videtur. Sane Eustathius ait Dorienses ἐν solere iungere accusatiuo: indéque remansit ἐν τοῦτο pro ἐν τούτῳ. Imo & Græci interdum videntur ἰν pro ἐν, & ἰς, dixisse. Hesychius: Ἰν ὀρέα, ἐν ὄρει. Idem: Ἰσφα..., εἰς τὸ φῶς. Item: Ἰσαγελα, εἰς ἀγέλην; ἰνάρετος, ἐνάρετος, ἰνάφυσος, ἐμφύσητος, ἐμφυσητός, ἰνοῦν, ἐν τούτῳ. Prouerbium hoc in *inuinctus*, *infractus*, *incanus*, & aliis quibusdam, interdum ἀρνητικὸν est, vt significent *non vinctum*, *non fractum*, *non canum*: interdum ἐπιτατικόν, vt notent *valde vinctum*, *valde fractum*, *valde canum*. *Inuicti* voce sic vsus Callistratus in l penult. ff. de lege Fabia. *Incanus* ita vsurpat Catullus, carmine de nuptiis Pelij & Thetidis:

Cum cinere incanos soluent à vertice crines.

Tertio sic vsus Maro. XII. Æn.

Turnus vt infractos aduerso Marte Latinos
Defecisse videt.

Nam sententia eius loci est, defecisse eò Latinos, quia aduerso Marte *planè* essent *fracti* Quare fallitur Seruius, cùm interpretatur *antea semper infractos*. Meliúsque Donatus, *valde fractos*. Quod ostendit vox *defecisse*. Contra quam accipit Curtius in VI. vbi *infractos* & *abiectos* coniungit. Interdum etiam vel *IN* planè redundat. Nam *inauarities* idem est, quod *auarities*; & *inhonores*, quod *honores*. Vt reperies in vett Inscriptionibus, quemadmodum te doctissimus Gruterianorum collectaneorum Index docebit. Quæritur, quâ notione *in* sumatur, cùm Poeta ait, *laborem improbum omnia vincere*. Sunt quibus placet ἐπιτατικόν. Sed planè censeo esse στερητικόν. Est enim translatio ἀπὸ τῶν ἀντιπροσώπων ab hominibus pertinacibus, cedereque nesciis. Vt *improbus* idem sit ac *immoderatus*. Quamquam autem *in* sæpè in compositione mutet *N* in *M*, vt in *immensus*, & similibus: tamen sequente *P* integrum manet: vt in *inpello*, *inpingo*, & similibus: vbi *IN* scribi integrum ex antiquis codd. obseruauit

seruauit Pierius, ad initium VII. Æn. Idem tamen *IM* pronunciari debere arbitratur: quandoquidem & alia sint, in quibus aliter scribamus, aliter pronunciemus, vt agnoscit Velius Longus, antiquissimus Grammaticus, vt cuius etiam meminerit Gellius.

INANE esse à Græcis nemo dubitabit, qui sciuerit quod Latinis est *inanire*, id Græcis esse ἰνᾶν, & ἰνεῖν. Hesychius, ἰνηθμὸς, ἐκκένωσις. Et Galenus in Lexico Hippocr. ἰνεῖν, κενοῦν. Et ἰνῶται, κενοῦται. Falluntur, qui deducunt ab *ina*, quomodo vocatur *tenuis chartæ pars*: vt ex Festo mox ostendam. Potiùs *ina* sit ab ἰνᾶν. Nisi quod veriùs puto, ab ἶνες, id est, *venæ*; quæ & ipsa *venarum* vox ab ἶνες deflexa. Nempe ab accusatiuo ἶνα, *vena*. Præit in *inarum* etymo Festus, qui *inas* Græcis quoque ἶνας dici ait. Itaque *inæ* generatim dicuntur *venæ*; vnde Scaliger apud Varronem optimè legit lib. III. de R. R. cap. IX. *Qui (vt hoc intelligant) concutiunt, errare, quod in eis vitales inas confundunt.* Sermo est de dignoscendis ouis plenis, & vtilibus. Præsè autem *inarum* vox accommodata *venis*, *quæ chartæ veterum intercensebant*, & interdum *nostra*. Hinc idem sic emendat locum Plinij, lib. XIII. cap. XII. *Deprehenditur & lentigo oculis; sed inserta mediis glutinamentis tamiâ. fungo papyri bibula, vix inis literâ fundente se tantum est fraudi.* Vbi Guilandinus legit, *Vix nisi litura fundente se: tantum inest fraudis.* Vsus quoque Marcellus Empiricus, cap. XXXI. *Ad vlcera in ano facta charta combusta, seu enarum eius drachma I.* Vbi *enæ* pro *inis*. Ab *ina* est *inula*, vnde *illa*, vel *ila*, vt à *vinum*, *vinulum*, *villum*. Ab *ila* autem dicta *ilia*. Et fortasse etiam *exilis*. Festus: *Exiles, & ilia, à tenuitate inarum, quas Græci in chartis ἶνας appellant, videntur esse dicta.* Idem: *Ilia dicta ab ina, quæ pars chartæ est tenuissima.* Sic ea Festi loca legi debere monuerunt Ios. Scaliger in Castigat. & Lud. Carrio lib. I. Antiq. Lect. cap. VII. Isidorus tamen, lib. VI. *ilia* dici arbitratur ab εἰλεὸς, quo significatur *intestinum tenue*, vbi quæ inde *iliaca passio* vocatur, locum habet. Minus autem rectè Onomasticon vetus, *ile*, κῶλον. Nam κῶλον est ex *crassis intestinis*.

INCHOARE, an *incohare*, dicendum sit, nec inter veteres ipsos conuenit, aliis hanc, aliis aliam opinionem amplectentibus. *Inchoatus* legas in vet. lapide: eandémque ὀρθογραφίαν probat his verbis Terentius Scaurus: *Scribendi ratio*, inquit, *recorrigitur originatione, vt cum dicimus, Inchoare cum aspiratione scribendum, quoniam à Chao dictum, quod fuerit initium omnium rerum.* Eandem sententiam complexus Festus, cùm ait: *Inchoare videtur ex Græco originem trahere, quod Hesiodus omnium rerum initium esse dixerit chaos.* Similiter scribit Seruius, maiores tamen aliter scripsisse agnoscit, sic enim ille in III. Georg. *Apud Latinos nullum verbum est quod ante O finalem, habeat O: excepto Inchoo: quod tamen maiores aliter scribebant, aspirationem interponentes duabus vocalibus, & dicebant incoho; tria enim habebant nomina in quibus C literam sequeretur aspiratio sepulchrum, orchus, pulcher: è quibus pulcher tantum hodie recipit aspirationem.* Probat & *inchoo* Iulius Modestus, at *incoho* maluere Verrius & Suetonius: vt indicat hic Diomedis locus lib. I. *Inchoo, inchoaui: sic dicendum putat Julius Modestus, quia sit compositum à chao initio rerum. Sed Verrius Flaccus in postremâ syllaba aspirandum probauit. Cohum enim apud veteres mundum significat, vnde substractum incohare. Tranquillus quoque his assentiens libello suo plenissimo adem incohatam ita disseruit.* Verrium ac Tranquillum sequuntur Pontanus, lib. de aspiratione. & Georgius Valla lib. XXVIII. Expetendorum & Fugiendorum. Et sanè ratio pro his facit. Nam cùm antiqui *cohum* pro *chao* aut *mundo* dixerint, vt hic Diomedis locus indicat; hinc omnino *incoho* dicendum erit. Atque vt id non esset, cùm antiquitus dixerint *incoo*; aut nunc quoque *incoo* absque spiritu dicendum erit, aut si spiritu opus sit, faciendum id fuerit veterum more, qui eum inserebant inter vocales ad vitandum hiatum: quomodo dicebant *mihi, vehemens, reprehendo, ahenum, cohors*, & similia.

INCIENS quæ dicatur, indicat Festus: *Grauida est, quæ iam grauatur conceptu: prægnans, velut occupata in generando, quod conceperit: inciens, propinqua partui, quod incitatus sit partus eius.* Vsus Arnobius in septimo, vbi semel iterúmque *incientem scrofam* legas; quam Telluri matri sacrificari ait. Plinio quoque eam vocem restituit Turnebus, lib. XX. cap. XXIII. Sed quod Festus ait *incientem* dici, quia *fœtus* sit *incitatus*, id verisimile non est: sed *inciens* dicitur, quasi sese *ciens* seu *incitans* & mouens ad *fœtum* pariendum; nempe ab *inciere*, quod est *incitare*. Quamquam nec displicet coniectura Martinij, vt sit ab ἐγκύειν quod notat *prægnantem* esse: vnde ἔγκυος, *prægnans*, nempe à κύω, quod notat ἐν γαστρὶ ἔχειν. *Y* in *I* abibit, quomodo à φύω *fio*. à κλυτὸς, *inclitus*.

INCILIUM mentio apud Catonem de R. R. cap. CLV. Columellam, lib. III. cap. IX. Appuleium, lib. IX. Milesiarum, & fortasse Cœlium, si recta est emendatio P. Manutij lib. VIII. Epist. V. ad Ciceronem: *Sanè tanquam in quoniam incili iam omnia adhæserunt.* Vbi vulgati *in quodam in Cilicia* Manutij sententiam amplexus quoque Lambinus. Sed Octauius Pantagathus legit, *Tanquam in quodam vecta lintre omnia adhæserunt.* Andreas Schottus, *Tanquam in quodam vitiligio omnia adhæserunt.* De *incili* ita Festus: *Incilia, fossæ, quæ in viis fiunt ad deducendam aquam, siue deriuationes de riuo communi factæ.* Vlpianus lib. XLIII. Pandect. Tit. de XXI. qui est de Riuis: *Incile est locus depressus ad latus fluminis, ex eo dictum, quod incidatur. Inciditur enim vel lapis, vel terra, vnde primum aqua ex flumine agi possit. Sed & fossæ & putei hoc interdicto continentur.* Censet igitur Vlpianus *incile* esse ab *incido*. Mihi non displicet esse ab *inciendo*. Nam vt à *cubo*, *cubile*; ita ab *incio*, *incile*. Ab *incile* deriuant *incilo*, vt propriè sit *incile facio*. Sed longius abit significatio. Nam notat *increpo*, teste Nonio, qui Accium, Pacuuium, Luciliúmque sic vsos docet. Imò & apud Lucretium, lib. III. legas:

Iure vt opinor agat, iure increpet, incilétque.

Fortasse igitur verius sit *incilo* quoque venire ab *incieo*: vt propriè signet, aliquem dictis asperis *incieo* ac *commoueo*. *L* insertum, vt à *sorbeo*, *sorbillo*; ab ἄω, *halo*, &c.

INCITEGA quid sit, docet Festus his verbis: *Incitega* (ita & MSS.) *machinula, in qua constituebatur in conuiuio amphora, de qua subinde deferrentur vina.* Vsus eius erat, ne amphora fundo suo maculam mensæ imprimeret. Nomen ex eo, quod tegeret mensæ partem. Nempe vt ad Festum Scaliger obseruat, veteres κατ' ἐπένθεσιν inserebant syllabam *CI*. Itaque pro *intego* dicebant *incitego*, vnde *incitega*. Estque simile *concipilo* pro *compilo*. Festus: *Concipilauisti dictum à Nauio, pro corripuisti & inuolasti.* Simile quoque *recipero*, siue vt nunc dicimus *recupero*, pro *repero*, siue *reparo*. Item *reciprocus* pro *reprocus*: de quo infra dicemus.

INCLOCTORES apud Plautum Asinariâ legit Camerarius, vt sit κατ' ὀνοματοποιΐαν factum à verborum strepitu, qui Græcè κλαγγὴ, vt in iocoso oraculo Luciani, μηδὲν ἐπεγκλάζειν κλαγγῇ. Locus est Act. III. Sc. II.

Incloctorésque acerrimos gnarésque nostri tergi.

Pro eo in vulgatis est *indoctorésque*: quod Colerus retinet, qui *indoctores* antiquè poni existimat pro *inductores*: Iuuant & Gloss. vett. in quibus est: *Indoctores*, ἐπακταί. Est autem *inductor* ab *inducendo*, quod verbum est militare, vti *ducere*, *ductare*, & similia. Sallust. bell. Catil. *Petreius cohortem prætoriam in medios hostes inducit.* Sed Palmerius, & Acidalius, legunt apud Plautum *inductores*: atque ita vocari putant, quia *vlmos*, hoc est, *vlmeas virgas*, in *terga*, & *scapulas inducerent*. Turnebus, lib. XXXIV. cap. XXXI. à *docendo* deducit, *indoctorésque* putant dici *loraries* ac *virgatores*, quia *doctores* soleant cædere discipulos, ac imprimis *plagosi Orbilij*.

INCUBUS, siue *incubo*, ab *incubando*, quia eo laborantes (vt Cœlius Aurelianus scribit lib. I. χρονίων, cap. III) *sibi quempiam irruisse existimant, qui sensibus oppressis corpus exanimet, neque clamare permittat.* Gloss. vett. *Incubo*, ἐφιάλτης. Onomast. *Incubones*, ἐπιταυρεῖς. Fuere, qui *Cupidinem*, aut *Semideum* putarent: sed opinionem istam iam olim Soranus in ἀποκρυφῶν libris refutauit; Aureliano eodem teste; apud quem plura de hoc morbo vide.

INCUS, cùm penultimam producat in obliquis, non ab *incutio* erit, vti scribit Becmanus. sed ab *incudo*: quia *super eo fabri cudunt ferrum.* Similitérque à *succudo* fit *subscus*, inserto *S*. non à *succutio*, vt idem putabat; nec à *succido*, quod vult Perottus. Festus, iuxta viri illustris restitutionem: *Subscudes appellantur cuneata taleola, quibus tabulæ inter se configuntur, quia, quo eæ immittuntur, succuditur.* Paccuuius in Niptris: *Nec vlla subscus cohibet compagem alui.* Plautus, in Astraba: *Terebratus multum sit, & subscudes addite.*

INDAGO, non pro *ferarum inquisitione*, quod Seruius putabat, sed pro *plagis* seu *retibus venatorum* accipitur in illo Maronis, lib. IV.

——Saltúsque indagine cingunt.

Indaginis autem nomen ex eo, quia ea *saltus locáve alia cingunt*, non quidem vt *feras indagent*, sed vt *capiant indagatas*. Vnde autem *indagare* dictum sit, exquirimus in *Ambages*.

INDE, ex *in* & *de*, quasi dicas, *de illo loco, in quo quid est*. Vel *de illo tempore, quo quid fieret*. Vel potiùs est *inde* ab ἔνθεν, conuersâ adspiratâ in mediam: quomodo à Θεὸς, *Deus*. Compositâ hinc quinque: quæ Festus recenset. *Deinde*, inquit, *compositum est ex præpositione, & loci significatione: vt exinde perinde, proinde, subinde: quæ item tempus significant.* Pro *postea* vel *deinceps* vsus Terentius:

Factum

Factum esse non negas & deinde factturum autumas.

Subinde similiter vsurpat Horatius.

Si dices recte, primum gaudere: subinde
Præceptum auriculis hoc instillare memento.

Sequenti sęculo, vt ex Petronio & aliis est videre, valet *identidem*, siue *crebro* & *per internalla*. Gloss. *Perinde*, ὡσεί, παραπλησίως, καὶ ὁμοίως. Item ὁμοίως, ἰσότιμον, τοιγαροῦν. Sed omnino composita, quæ dixi, confundunt. Ab *inde* & *item*, *indidem*. Glossæ. *indidem*, ἐντεῦθεν. Vide *Idem*. Pro *deinde* & *exinde* κατ' ἀποκοπὴν dicitur *dein*, & *exin*. Festus: *Exin mutis caussa dicitur pro exinde*.

Indico seu mediam habet correptam, seu productam, eiusdem est originis. Dicitur enim quasi *dicendo significo* vel *denuntio*. Corripit autem mediam, vti in *dedico*. Ab *indicando* est *index*, quâ ratione à *vindico vindex*: à *iudico*, *iudex*. *Index* verò, non solum dicitur ὁ πίναξ, siue *syllabus*, quomodo Seneca dicit *indicem philosophorum*: Sed etiam vsurpatur de *titulo*, siue *simplici inscriptione*, apud Martialem. lib. III. epigr. II.

Et coco rubeat superbus index.

Ac rectè Scaliger ita cepit illud Tibulli. lib. IV. ad Messallam.

Nec quærit, quid quaque index sub imagine dicat.

Vbi *index* est *titulus imagini subiectus*. Ab *indicendo* quoque est *funus indictiuum*, *ad quod per præconem euocabantur*. teste Festo. Formulam. qua vsi, docebit Terentius, in Phormione:

Exequia. Chremeti quibus est commodum ire, iam tempus est.

Indictio. Constantinus Porphyrogennetes, lib. II. de Themat. cap. VIII. ait, Οὕτω γὰρ ἐγένετο Ἡρακλῆς ὁ Ἰταλιώτης, Ἰνδικτίων, τῶν ἐπὶ Ἰταλίας, ὁ ἀπὸ Ἀννησίας. Quo errore quid fœdius?

Indicum, *pigmenti siue coloris genus ex India apportati*, vnde & nomen. Vide Dioscoridem lib. V. cap. XCVII. atque ibi Matthiolum; Plinium lib. XXXV. cap. VI. atque ibi Dalecampium: item Isidorum, lib. XIX. cap. XVII. adhæc socerum meum Iunium in notis ad Ierem. c. XXII. v. XIV.

Indigena ab *indu*, hoc est. *in*, & *geno*, hoc est. *gigno*. De *indu* diximus seorsim: de *geno* item vidimus suo loco. Est igitur *indigena*, *genitus in eo loco*, *vbi degit*. Vel est *indigena* ab *inde* & *geno*: quæ Seruij sententia est, in VIII. Æn. *Omnes*, inquit, *terræ habitatores*, *aut indigenæ sunt*, *aut aduenæ*, *aut conuenæ*. *Indigenæ sunt inde geniti*, *quos vocant Aborigenes Latini*, *Græci* αὐτόχθονας, *vt de Faunis dixit*. *Aduenæ de vno loco venientes*, *vt Saturnus*. *Conuenæ de diuersis*, *vt Ausones & Sicani*. Isidorus lib X. *Indigena vocatus*, *quod inde genitus sit*, *id est*, *in eodem loco natus*. Vt potiùs ab aduerbio *inde*, quàm præpositione *indu*, esse videatur. facit Græcum αὐτόχθων, quod ex αὐτὸς & χθὼν & quod geminum imprimis, αὐθιγενὴς ex αὐτόθι. vnde contractum αὖθι, & γενής. Gloss. vett. αὐθιγενὴς, *indigena*, *terrigena*.

Indigetes vnde dicti, indicat Seruius. ad I. G. & imprimis ad XII. Æn. vbi sic scribit: *Indigetes duplici ratione dicuntur*, *vel secundum Lucretium quod nullius rei egeant*,

Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri.

Vel quod nos eorum indigeamus, vnde quidam omnes Deos indigites appellari volunt. Alij patrios Deos indigetes dici debere tradunt. Alij ab inuocatione indigites dictos volunt, quod indigito est precor & inuoco. Vel certè indigites sunt dij ex hominibus facti: & dij indigetes quasi in dijs agentes. Ex multiplici hac sententia duæ maximè probantur. Primum quod dicitur *Deos indigetes* esse *Deos patrios*, qui Græcis θεοὶ πατρῷοι, καὶ ἐγχώριοι. Quomodo *indiges* erit ab *indu* pro *in*, & *ago*. Atque *indiges* sit, *qui locum aliquem incolit*. Vnde & Græcis ἐπιχώριος vocatur vel ἐντόπιος. De cuiusmodi Dijs sic Seruius: *Dij topici*, *id est*, *locales*, *ad alias regiones nunquam transeunt*. Talis Abydenis Deus *Besa localiter appellatus*: (vt ait Ammianus Marcellinus lib. XIX.) Alterum est, quod ibidem *indigetem* dicitur esse ab *indigito*, hoc est. *inuoco*. Nam id propriè est *indigito*, ex *indu*, id est. *in*, & *cito*. hoc est. *voco*: vti ostensum in *indigitamenta*. Ita *indigetes* dicti sint, quia cum ex hominibus Dij facti sunt vnà cum cæteris Diis *inuocantur* Atque eàdem mente cum doctissimo Salmasio deduxeris ab *in* & *dicare*, hoc est. ἱερῶσαι, à qua significatione est *dedicare*. vt *indico* sit ἐνσημαίνω, *indices*, & c in g conuersio *indiges*. ἐνθεοποιηθείς, *inter deos consecratus*. Quo de etymo quoque dicimus in *Indigitamenta*. Quamquam verò vniuersè dicerentur *indigites*, qui dij ex hominibus facti essent, (qui ἀνθρωποδαίμονες putant vocari ab Euripide in Rheso;) tamen in veteribus Glossis strictè exponitur ἥρωες Κουρῆτες, eámque sententiam firmat Arnobius, lib. III. *Aut si Curetas pro Laribus inuocatis*, *quos indigetes* (MSS *esse digitos*) *Samothraces pars vestrorum adserere et auctorum*.

Indigitamenta, ex sententiâ Paulli Diaconi in epitomâ Festi, sunt *incantamenta* vel *indicia*. Vbi *incantamenta* & *indicia* recto coniungi sensit Germanus Valens quia *incantamenta* res obscuras reuelent & *indicent*. Sed neutiquam hanc interpretationem probare possum. Nam *indigitamenta* sunt ἱεροὶ ποιμένες, vnde in vett. Glossis ea vox exponitur ἱερατικὰ βιβλία. Ac propriè quidem sic dicebantur, in quibus varia essent Deorum cognomina, vt sunt Orphei ad Musæum initia siue hymni. Estque ea vox ab *indigitare*, quod est *inuocare*. Sic enim eâ voce vsus Macrobius. lib. I. Sat. cap. XVII. cùm ait: *Namque virgines Vestales ita indigitant*, Apollo Medice, Apollo Pæan. Falsus igitur Ioannes Auratus. cùm putauit, *indigitare* semper esse ἀποθεοῦν siue *indigetem facere*. Nos potiùs putamus, nunquam sic accipi. Factum autem *indigitare* ab antiquo prouerbio *indu* pro *in* (de quo dicimus in *indu*) & *citare*, quod est *vocare*, quomodo *citatam plebem* dicebant. *Indigitare* igitur dicitur pro *inducitare*, siue *indicitare*. C in G conuertitur, quomodo & *subicitare* pro *subigitare* legitur in Plauti Casinâ & *inicere* pro *inigere* apud Varronem. Similisque ratio est in voce *ingens* pro *incens*, quod tantum est vt centeri non possit. Hanc *indigitamenti* ἐτυμολογίαν docuit me Ios. Scaliger notis in Orpheum, quæ inter postuma eius opuscula habentur. Addamus & aliorum hoc de vocabulo opiniones. Sunt qui *indigitamenta* & *indigitare* velint esse ab *indicando*. Nempe vt à *dico*, quod valet *conjecto*, sit *dicito*, hinc *indicito* & c in g mutato *indigito*, ἐγώ, ἀθροίζω. Hac tamen notione *indigitandi* vocem haut arbitror inueniri. Alij, cósque inter doctissimus Germanus Valens. ad II. Georgic. volunt *indigitamenta* propriè dici quia iis sacrificiorum fastorúmque ritus, ac Deorum nomina velut catalogo comprehendantur & quasi *digito indicentur*. Ita *indigitare* propriè sit δακτυλοδεικτεῖν, indicare, ac vtrumque vocabulum sit a *digiti* nomine. Auratus verò. ac ante eum Petrus Crinitus, lib. I. de Honest. Disc. cap. vlt. putarunt esse ab *indigetum* voce, hoc est, eorum. qui ascire cœlestium numerum, vt sunt Hercules, Romulus, & alij.

Indu antiquum prouerbium est ab Syracusano ἐνδοῖ, siue, ἔνδοι, quod idem ac ἔνδον. Vt ab ἐν, *in*; ab ἐντὸς, *intus*; sic ab ἐνδοῖ *indu*, & conuersio æ in V, *indu*, quomodo à *pœna* est *impune*; à *Pœnus*, *Punicus*. Ennius, Annal. lib. XVII.

Concurrunt veluti venti cum spiritus Austri
Imbricitor, aquiloque suo cum flamine contra,
Indu mari magno fluctus extollere certant.

Indu enim scribendum, non *inde*, etsi eo pacto etiam adductat Fuluius Vrsinus ad I. Æn. pag. CXCIX. Negat Giffanius, in Indice Lucretiano, voce Endo, inuenire se *indu* à veteribus dictum pro *in* sed *endo*; vnde *endoperator*, *endogredi*, aliáque: ac apud Festum, *endoitium*, pro *initium*, *endoplorato*, pro *implorato*. *endo procinctu*, pro, *in procinctu*. Verùm mihi dubium non est quin *indu* quoque dixerint, cùm quia in vett. libb. Lucretij, alijsque non tantum *endo*, sed & *indu*, & corruptè interdum *inde* legitur, quod Giffanius ipse agnoscit: tum quia in compositis *indu* non minùs reperiatur, quam *endo*; quemadmodum indicant *induperator* pro *imperator*, *indigena* pro *ingena*, hoc est, *in solo*, *vbi agit*, *genitus*: *induciæ*, quia homines tum sint *indu otio*, hoc est, *in otio*; *indigeto*, id est *inuoco*, ab *indu* pro *in*, & *cito* pro *voco*. Sed vel sola *industrij* vox omnem scrupulum eximere videtur: quia sic dictus, *quasi qui quicquid ageret intro strueret domi*: vt Festi vtar verbis.

Induciæ vnde dicantur, nec inter veteres conuénit. Quâ de re apponere visum locum Agellij, lib. I. cap. XXV. *Inducias sic dictas arbitramur, quasi tu dicas inde vti iam. pactum induciarum huiusmodi est, vt in diem certum non pugnetur, nihilque incommodi detur, sed ex eo die postea, vti iam omnia belli iure agantur, quod dicitur dies certus præfinitus, pactúmque fit, vt ante eum diem ne pugnetur, atque is dies vbi venit, inde vti iam pugnetur: idcirco ex iis, quibus dixi, vocibus, quasi per quendam coitum & copulam nomen induciarum connexum est. Aurelius autem Opilius in primo librorum, quos Musarum inscripsit, induciæ, inquit dicuntur, cùm hostes inter sese vtrinque vtroque alter ad alterum impune & sine pugnâ ineunt. inde ab eo, inquit, nomen esse factum videtur. quasi initus atque introitus.* Hactenus Agellius. Aldo Manutio in Orthographia sic dici placet *inducias*, quasi *inductas*. Nempe vt à *lego*, *legio*; à *rego*, *regio*; ab *opto*, *optio*, sic ab *induco*, *inducia*. Sed mihi dubium non est: quin sit vel ab *in* & *otium*, vt D interseratur, vti in *indigere*, *indagare*, *redire* & similibus: vel potiùs ab antiquâ præpositione *indu* pro *in*, & *otium*: quemadmodum ab eodem *indu* & *struo* est *industrius*, ac *induperator* quoque dicimus pro *imperator*; & *indigena* fortasse pro *indugena*, ab *indu* & *geno*.

Inebræ aues, ab *inhibendo*, quod *inhibeant*, id est. *vetent*: vt ait Isidorus. lib. XII. cap VII. Sed apud eum corruptè legas *inhibæ*, pro *inebræ*, vel *inebra*. Antiquè etiam *enebra* dicebantur.

tur. Nam vt *Menerua* dicebant pro *Minerua*, ita & *enubro* pro *inhibenti*, Festo teste. Seruius Petri Danielis, in illud III. Æn. *Infelix vates* ; *Cæca genera auium ab auguribus appellantur, quæ pennis vel volatu omnia possunt facere : quæ si fuerint prospera, prapetes : si aduersa, inebræ dicuntur.* Festus: *Inebræ aues, quæ in auguriis aliquid fieri prohibent. Et prorsus omnia inebra appellantur : quæ tardant, vel morantur agentem.* Glossæ vett. ab H. St. editæ ; *Enibrum*, παρόρμησιν ἐπιβολάς. *Enibra*, ἀπαγόρευσις. *Eniber picus*, ὄρνις ἐπίσχων. Ita rectè emendarunt Iosephus Scaliger ad Festum, & Bon. Vulcanius in notis ad Glossas. At *inebra* pro eo in iisdem Glossis legas : vbi exponunt ὄρνεοι κωλυτικοί. Ianus Duza legit apud Plautum, Persa, Act. II. Sc. II.

Commorandum est mihi apud hanc inebram;

Sed rectum est *apud hanc obicem*, quomodo Camerarius restituit ex MSS^tis, in quibus corruptis, sed non multùm abeuntibus vestigiis, *obieci* scriptum erat pro *obicem*.

INFENSVS, iuxta Perottum, ab *malo inferendo*, quomodo & dicimus *inferre iniuriam*, aut *bellum*. Sed *infensus* & *offensus* dicimus, vt *defensus*. Ac *offendo* quidem & *defendo* sunt in vsu, *infendo* non item. Sunt autem ab inusitato *fendo*, teste Prisciano in XI. At *fendo* est *ad iram concito*. Gloss. Isidori: *Fensus, iratus. Fendo* à σφενδονῶ, *funda peto*, abiecto S, quomodo à σφενδόνη est *funda*, à σφάλλω, *fallo*, &c. Vel est *fendo*, à φένω, *occido*, vt signet, animum habere hostilem, & ad occidendum paratum. D. inseritur multis, vt à μυελὸς, *medulla*; κορίαννον, *coriandrum*, ἀΐω, *audio*, &c. *Defendere* propriè *de se, & suis, fendere*, hoc est, *arcere*, ac *depellere*. Maro in Eclogis.

Solstitium pecori defendite. ———

Ennius Achille.

Serua ciues, defende hostes, cùm potes defendere.

At non rectè Nonius hîc *tueri* exponit. Quia verò, qui inimica arcet, is se & suos, tuetur, hinc est, quòd τὸ *propulsare* pro *tueri* accipi solet. Imò & in notione tuendi *infendo* dixisse videntur. Sanè in Gloss. Philoxeni legas : *Infenditor*, σύνδικος. At in Gloss. Cyrilli est, Σύνδικος, *defensor*. Συνδικῶ, *defendo*. Quemadmodum autem veteres pro *fariolus*, quod à *fando*, etiam dixere *hariolus*, vnde *hariolari*: quemadmodum item dixere *forda*, & *horda*; *fœdus*, & *hœdus*; *fircus*, & *hircus*; sic & dixisse videntur *fendo* & *hendo*, vnde addito præuerbio *præ*, *prahendo*, à quo *apprahendo, reprahendo, deprahendo*. Quibusdam tamen placet simplex esse *prendo*; ac quemadmodum pro *mi* dicimus *mihi*, pro *vemens* (quod ex *ve*, & *mens*) *vehemens*; item ab *as* est *ahenum*: sic ex *prendo* factum *prehendo* : quod si est, absque diphthongo vox ea scribi debet. *Aprehendo* est *reprehendo*, vbi *re* valet *retro*, vt in *recutitus*, & aliis.

INFESTVS, à *festino*. Nonius : *Infesti proprietatem hanc esse Nigidius voluit, quasi nimium festinantis ad scelus, vel ad fraudem*. Vel ab *infero*, quia in eo totus sit, vt inferat noxam. Ita Perottus. Vel, quod simplicissimum à *festus*, quasi minimè lætus ac iucundus. Nam *festum*, iuxta Nonium, notat solenniter lætum ac feriatum. Vnde *festiuus*. In Glossis Philox. *infestus* exponitur πολέμιος, ἐχθρὸς, item ἐχθρός, ἀντίπαλος, ἐπιχθής. Item *infestum*, ἀντίπαλον, ἐχθρόν. *Infestantes*, ἐνοχλοῦντες, ὀχλοῦντες.

INFITIAS, an *inficias*, scribi debeat, quæri potest. Si per T, erit ab *in* & *fateor*. Sin per C, fuerit ab *in*, & *facio* : quia quis se fecisse negat. Vide autem num rectiùs à *facio*, an *fateor*, deducatur. Sanè *inficere* pro non *facere*, Varro dixit, lib. III. cap. XVI. vbi de apibus ait: *Neque ipsa sunt inficientes, nec non oderunt inertes*. Quamquam in aliis sit *inficiantes*, vt Coloniensi Gymnici, & Parisinâ Augurelli. Sed *inficientes* iure prætulit P. Victorius, quia *inficiantes* esset *inficias euntes* : quod hîc locum non habet. Et hæc pro vna sententia. At pro *infitias* est, quod etiam *infiteor* dixerint. Festus : *Infiteri, non fateri*. Subdit continuò *infitiari, creditum fraudare*.

INFRA, ex *infera* κατὰ συγκοπὴν factum: vt *supra* ex *supera*, illud ab *infer*, vel *inferus*; hoc à *super*, & *superus*. Vt apud Catonem de R. R. cap. CXLIX. *Vbi super inferque vicinus permittet, tum decedito*, hoc est, vicinus, qui pratum super te, quíque *infra* te habet. Et apud Plautum Mercat.

Limen superum inferumque salue.

Item Varronem Marcipore: *Aquam vomentes inferum mortalibus*. Par ratio in *extra*, pro *extera*, ab *exter*; vt *mundi extera* apud Plinium. Ac *super* quidem vel *superus* est ab ὑπὲρ, vt dicemus seorsim. *Infer* autem : vel *inferus*, ab *inferendo* dici suspicor, vt propriè ea vox significet καταχθόνια, quia *mortui terræ inferuntur*. Vnde titulus in Digestis, De mortuo inferendo, & sepulcro ædificando. Gloss. Philoxeni : *Inferus*, ᾅδης. Festus : *Inferiæ, sacrificia, quæ Dis manibus inferebant*. Vbi vides, ad etymon simul alludi. Ac vulgari sententiæ hanc etiam præfert Erasmus, scholiis in epitaphium, quod Hieronymus Nepotiano scripsit Virgil. VI. Æn.

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte.

Arnobius, lib. VI. *Non denique vinum liquens pateraram effusionibus inferamus*. Sacrificium verò hoc nono post mortem die fiebat : vnde *nouemdiale sacrum* dicebatur: vt scribit Porphyrio, in Horatij lib. epod. Carm. in Canidam. Ab *inferis* est *infernus*, quod naturâ suâ est adiectiuum, etsi vulgò substantiuè dicamus *infernum*. Eædem Glossæ : *Inferna*, καταχθόνια. Similiter ab *inferi*, vel *inferendo*, fit *infertilia*, si rectè in iisdem: *Infertilia*, καταχθόνια, ἐπιφορήματα. Nempe ἀπὸ τοῦ ἐπιφορίζω. Glossæ eædem : *Infer*, ἐπιφόρημα. Item aliæ : ἐπιφορίζω, *infero, importo*. Ab *inferus* esset *inferimus*, siue ab *infer*, *inferrimus*, pro quo dicimus *infimus*, & alterâ συγκοπῇ *imus* : vt à *superus* esset *superimus*, pro quo dicimus *supremus*, & alterâ συγκοπῇ *sumus*, seu *summus*. Quare acutiùs quàm veriùs Cæsar Scaliger originem arcessit ab ἱμῶ, quod Hesychius exponit ἀντλῶ, *haurio* : propriè autem notat *extraho loro*. quod Græcè ἱμὰς, vnde origo est verbo. Mouet summum virum, quòd ex *imo*, hoc est, *fundo*, aliquid *loro* extrahatur. Sed quantò simplicius, quod dicebamus ! Ab *imus* est *imitus*. Agellius, lib. XVII. cap. X. *Atque ille Græcos quidem fontes imitus ignes eructare*, &c. Ita rectè emendat I. Lipsius. Vsus quoque Appuleius IX. Met. *Terrâ dehiscente imitus*. Venit autem ab *imus* eâ ratione, quâ à casu in *I* desinente adiecto *TVS* descendunt *radicitus, cælitus, funditus, largitus, humanitus, diuinitus*, &c.

INFVLÆ, iuxta Festum, *sunt filamenta lanea, quibus sacerdotes, & hostiæ, templáque velabantur*. Propterea Scaliger in Coniectaneis ab *infilando*, hoc est, *amiciendo* ac *velando* dici censet. Alij, vt Perottus ait, ab *inferius*, vel *infra*, dici putarunt *propter vittas, quæ inferiùs ex ea pendent*. De vittis, quæ dependerent, auctor Isidorus, lib. XIX. cap. XXX. *Infula* inquit, *est fasciola sacerdotalis capitis, alba, in modum diadematis, à qua vittæ ab vtraque parte dependent : quæ infulam vinciunt : vnde & vittæ dictæ sunt, quòd vinciant*. Translatum deinde *infulæ* nomen ad *hostiæ filamenta*. Varro, lib. VI. de L. L. *infulas dictas apparet in hostiis, quòd velamenta è lana, quæ adduntur infulæ, intra hostiarum cornua velamenta erant*. Ab *infula* est *exinfulo*. Festus: *Exinfulabat, exerebat. Infulas enim sacerdotum filamenta vocabant*.

INGENS esse putant à *gens*, quasi quod in gentem sufficiat : vel ab antiquo *geno* pro *gigno*, quasi quod magnum sit genitum siue natum, vt *in* hîc augeat, quemadmodum in *incanus*, *inuinctus*, & similibus. Sed cognatio inter C & G, de qua alibi dicimus, facit vt adsentiam Ios. Scaligero, qui notis in Orpheum (ea inter posthuma opuscula extant) scribit, *ingens* prius fuisse *incens*, ac sic dici ab *in* & *censeo*, quod tantum sit, vt *censeri non possit*. Sanè plus esse *ingens*, quàm *magnum*, indicat locus hic Terentij, Eunucho, act. III. I.

T. Magnas verò agere gratias Thais mihi? G. ingentes.

Vbi, vt Donatus quoque obseruat, plus à parasito dicitur, quàm Thaide: quemadmodum & mox illâ inquiente *læta est*, subiicit Gnatho, *triumphat*.

INGVEN quasi *ingen* ab antiquo *ingeno*, quia ibi *partes genitales*. Nisi potiùs à Græco ἐν & γυῖα, vel ἐν & κύστις, quod idem ac ἐπίσιον. vel ab ἴγνυαι, quia in sequiori sexu ibi sit κυοφορία.

INITIATIS ab *initiis* nomen, quomodo *mysteria* dicebantur Varro. lib. IV. de L. L. *Per initiorum dies non initiati templum Cereris imprudentes ingressi*. Ita verò dicta *mysteria*, quod essent *initium melioris vitæ*. Græcis eâdem mente, sed contrario vocabulo τελεταὶ dicebantur. Gloss. Cyr. τελετὴ, *consecratio*. Vsus eo & Appuleius, lib. XI. *Inopinatis & vsquequaque mirificis imperiis Deum rursus interpellor, & cogor tertiam quoque teletam suscitare*. Ratio appellationis est, quia in iis summam beatitatem constituebant : quæ τέλος est vitæ humanæ. Vel statuendum, vt *facere* dicebant pro *sacra facere*, sic *initia* dixisse pro *sacrorum initiis*, & τέλος pro *sacrorum consummatione*. Sanè vt *initiare*: ita & *inchoare*, verbum sacrorum erat. Virgil. VI. Æn.

Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras.

Vbi Seruius : *Inchoat est perficit: & est verbum sacrorum*. Non dubium autem, quin *inchoare* simpliciter dictum sit pro *inchoare sacrum*. Quod autem pro *perficere* accipi aiunt, per ἀντίφρασιν sit.

INOPS, à simplici *ops* : quo, vt Priscianus scribit in VI. veteres vsi sunt nunc pro copia atque auxilio, vt in illo Actij, in Hercule: *Quorum genitor fertur esse ops gentibus*: Nunc pro matre Deûm, vt apud Plautum, Cistellariâ:

Itaque me Saturnus eius patruus, & Castor pater.

Itaque me Ops opulenta illius auia, imò mater quidem.

INQVI

INQVINO & *coinquino*, ἀναλόγως deduxeris ab *inquo*, & *coinquo*. Nam vt à *naco*, *nacino*; à *farcio*, *farcino*, vnde *suffarcinatus*; à *pago*, *pagino*, vnde *pagina*; à *lurcor*, *lurcinor*, vnde *collurcinatio*: ita ab *inquo* fit *inquino*; & à *coinquo*, *coinquino*. Sed obstare videtur contraria significatio. Nam *inquo* est *purgo*, *mundo*; vnde *inquere* arbores, hoc est, *putare*. Festus: *Coinquire*, *deputare*. Et apud Sosipatrum, lib. I. *Quinquatrus*, inquit, *à quinquando*, *id est*, *lustrando*. At *quinquare* videtur contractum ex *coinquare*. Sed fortasse *inquo* etiam notabat *inquino*. Varro, Cato, vel de liberis educandis: *Et vt in grege opilio oues minus idoneas remouere solet, quas reiculas appellat: sæpe enim vnus puer epulans atque impurus inquit gregem puerorum*. Vbi in MS° est *inquid*, pro *inquit*. vnde *inquit* editum à Merceto. In vulgaris est *inquinat*. Ab ea igitur *inquendi* significatione fit *inquino* & *coinquino*. Vel dicendum esse compositum è *cunio*, quod est, *excerno*. Festus: *Cunire est stercus facere*, *vnde & inquinare*. Ac fortasse ex eo *cuniculum*. Eo significatur *foramen sub terra occultum*. Forte in quod stercus descenderet è latrinis. Quod si est, vox à *cunio* erit. Non hoc displiceret, nisi simpliciter dicerent veteres, foramen esse occultum sub terra, & originem arcesserent vel à similitudine *cuneorum*, vel ab animali eius nominis, lepori vicino. Vide *Cuniculus*. De *cuniendi* autem verbo vide in *Cænum*.

INQVIO, nisi suspicio me fallit, factum ex ἐνίσπω, κατὰ μετάθεσιν pro *enquea*. Π abit in Q, vt à λιπεῖν, *linquo*; à ποῖος, *quotus*. Et quid multis opus? ab eodem ἐνίσπω similiter est *insequo*: de quo in *Seco* dicemus. *Inquam* autem, etsi præsentis nunc habeat notionem, primò tamen, ni fallor, imperfectam præteritionem notabat. Suspicor enim κατὰ συγκοπὴν factum esse ex *inquiebam*.

INSECTA dicuntur, & ἔντομα, & ἄναιμα, Festo teste. Cùm autem animalium quædam *insecta* dicuntur, ἔντομα significantur: vt Græci vocant. Ea autem non dici sic, quod *dissecta* nihilominus *viuant*, vel eo argumento cognoscimus, quod id commune iis sit cum sturione, polypo, pulmone marino, pluribúsque aliis animalibus perfectis: qua de re legere potes Iul. Cæs. Scalig. Exercit. CCXXVI. sect. XV. Veram autem nominis rationem non aliunde meliùs quàm ex Aristotele & Plinio discemus. Aristotelis hæc verba, lib. I. histor. animal. c. I. Καλῶ δ' ἔντομα, ὅσα ἔχει κατὰ τὸ σῶμα ἐντομὰς, ἢ ἐν τοῖς ὑπτίοις, ἢ ἐν τούτοις τε καὶ τοῖς πρανέσι, hoc est, *Insecta autem appello, quorum corpus incisuris præcingitur, aut parte tantum supinâ, aut etiam pronâ*. Plinius similiter, lib. XI. cap. I. *Insecta appellata ab incisuris, quæ nunc ceruicum loco, nunc pectorum atque alui præcincta separant membra tenui modo fistula cohærentia*. In antiquis & recentibus prælo excusis pro *præcinctu* est *præcincta*, sed prius illud sententia exigit, séque id in veteri antigrapho reperisse testatur Hadr. Iunius. Et similiter de Cicadis dixit Aristoteles, ὑποζώσματι διῃρῆσθαι; Porrò latiùs patet ἀναίμων siue *exanguium* vox, quàm *insectorum*. Nam istiusmodi quoque sunt inter marina sepia & locusta, denique omnia quæ plusquam quaternis pedibus innituntur. Dicuntur autem, ἄναιμα, quia propriè *sanguinem non habent*, sed mucorem, siue saniem sanguini respondentem: quemadmodum docet Philosophus, lib. I. hist. animal. cap. IV.

INSIDIÆ ab *insidendis viis* ad dolosè aliquem intercipiendum. Maro, XI. Æn.

> *Arripuitque locum, & syluis insedit iniquis.*

Vbi Seruius: *Propriè nam insidere est dolosè aliquem exspectare; vnde & insidiæ nominatæ sunt*. Similiter Græci ἐνέδραν appellant ab ἐν, *in*; & ἕδρα, *sedes*: à quo ἐνεδρεύω, ἐνεδρεύειν, καὶ ἕδρα.

INSTAR *instaris* dici, credidit Probus. Sed esse nomen μονόπτωτον, rectiùs censet Charisius, lib. I. & Seruius, XI. Æn. Eo similitudinem significari, scribit Augustinus, lib. de arte Grammatica. Ac similiter Gloss. vett. in quibus exponitur ἐμφέρεια, ἀπεικασία. Negat Seruius in XI. & VI. Æn. *instar* recipere præpositionem. Interea fatetur Serenum Lyricum dixisse, *ad instar dixere*. Eum nos damnare non ausumus: præsertim cùm & alij sic loquantur, vt Appuleius, lib. IX. *ad instar inclyti montis*: & Solinus: *ad instar amnis Ægyptij*. Quin potiùs, cùm legimus *instar montis*, & similia; vsitata ἔλλειψιν sic locutos veteres putamus. Primum autem dicebatur *instare*, vnde κατ' ἀποκοπὴν *instar* factum, vt *pugillar* ex *pugillare*, *exemplar* ex *exemplare*; *altar* ex *altare*, & similia. *Instare* autem est ab *instando*, quia *instat*, hoc est, *prope fit*: vnde *instaurari* dicitur, quod ita succedit priori, vt vicinum sit ac simile. Iidem (vt Cæsar Scaliger, cap. CXIII. de caussis L.L.) tempus præsens *instans* dixere, non quidem, quia *non staret*, vti somniant; sed quod *instaret cedenti præterito*: quomodo & Græci ἐνεστῶτα appellant.

INSTAVRO, aliis à σταυρὸς, aliis ab *instar* esse placet. Posteriorem sententiam sequitur non Isidorus modò; lib. XIX. cap. X. sed etiam Festus: *Instauro*, inquit is, *ab instar dictum est, cum aliquid ad pristinam similitudinem & comparationem reficitur*. Idémque antè senserat Varro. Et probat quoque Macrobius, lib. I. Saturn. cap. XI. *Dies is, qui instauraticius dictus est, non à patibulo, vt quidam putant, Græco nomine ἀπὸ τοῦ σταυροῦ, sed à redintegratione, vt Varroni placet, qui instaurare ait esse instar nouare*. Et rectè quidem Macrobius negat esse à σταυρὸς, quà *patibulum* notat, sed qui à σταυρὸς deducebant, illi, quod Macrobius non attendit, aliam notionem respexerunt. Nempe primam, qua notat *vallum*, seu *palum ligneum*: vnde σταυρόω, *vallum* seu *palum depango*. Ab hoc verbo σταυρῶ putamus esse antiquum *stauro*, quod est *stipitibus aut palis sartum sepimentum vel rem aliam reparo*. A *staurare* etiam est *restaurare*: vox quidem posterioris æui, sed tamen Tacito, Iustino, & vett. Iurisconsultis vsurpata: vt audiendus non sit vel Cæsar Scaliger, qui Exercit. CXCV. in Cardano eam vt barbaram damnat: vel Claudius Verderius, qui censurâ sua in varios auctores, apud Iustinum quidem in Trogi epitome legi eam putat, sed apud aliorum neminem. Cæterùm apud Diomedem etiam legas *prastauro*, pro *prastruo*.

INSTIGO Iulio Scaligero, libb. de caussis L.L. cap XXXII. conflatum videtur ab *insto*, & *ago*; quâ ratione idem alibi verbum *caligo* factum ait, à *calare*, & *agere*. Sed *caligo* esse simplex deriuatum, ostendimus suo loco. Præterea repugnat vtrobique modulus mediæ syllabæ. Simpliciùs igitur dicas, esse ab *instando*. Nam qui *instat* atque vrget, is propriè *instigat*. Ab *insto* autem erit *instigo*, quâ ratione à κάσις (quod Hesychius *fustem* interpretatur) est *castigo*: quâ item posterioribus seculis à *fustis* formarunt *fustigo*. Est & tertia sententia. Græcum est στίζω, *pungo*, cuius Aoristus ἔστιξα, vnde *stigo*, quod similiter notat *pungo*, *incito*, *stimulo*, vnde *instigo*, quod Onomasticon interpretatur ἐπιστίζω. Confirmant & hanc sententiam Glossæ Cyrilli, in quibus, στίζω, *stingo*, *pungo*. Vti in Onomastico, *stigo*, ἐρεθίζω. Item verbale *instinctus*, quod est *instigatus*, *incitatus*, *stimulatus*: vt apud Liuium, lib. V. *Diuino spiritu instinctus*: siue substantiuè, *incitatio*, *stimulatio*. Est enim *instinctus*, impulsio naturæ, vt θεοπνευστίας est *impulsio* siue *afflatus Dei*. Non dubium igitur, quin *instinctus* sit ab *instinguo*, hoc à *stingo*, illud à *stigo*, quod à στίζω. Est autem *stinguo* à *stigo*, vt à *frago*, *frango*; à *pago*, *pango*, Verbo *stinguo* vsi Lucretius, lib. II. & Tullius in Arateis. Propriè notat *pungo*, & μεταληπτικῶς *pungendo deleo*, & latiùs extensâ significatione *quomodocumque deleo*, vnde ad ignem relatum. Gloss. Cyrilli, σβέννυμι, *stingo*. Onomast. *stinguo*, σβεννύω. A *stinguo* autem est *distinguo*, in quo proprietas vocis aperta est. Nam significat *dispungo*, vt Græcis διαστίζω. Itaque quod Græcis στιγμὴ, hoc Grammaticis optimè *distinctio* appellatur. Nisi *distinguo* malis esse à *tinguo*, vt propriè sit coloribus separare: indéque ad alia trahatur. Par ratio in *Extinguo*. Quod itidem à *Tinguo* deducunt qui S omittunt. Sed à *stinguo* erit, si propriè sit, *pungendo destruere*, vti putamus. At de *interstinguo*, vbi S ab omnibus scribitur, nihil habent quod obtendant. Vsus eo Appuleius IV. Metamorphoseos: *oblisis faucibus interstinguere*. Vbi *inter* vim habet ἐπιτάσεως; vt in *intertrahere*, apud Plautum Amphitr. pro *planè delere*: item in *internecinus*, atque aliis, de quibus dictum in *interficere*.

INSTITA κατὰ συνεκδοχὴν pro *stola* accipitur: sed propriè est *limbus* siue *fascia*, quæ matronarum *stolæ* subsuebatur: vt docet vetus Horatij interpres in illud Horatij, sat. II. lib. I.

> ——*Sunt qui nolint tetigisse, nisi illas,*
> *Quarum subsutâ talos tegit instita veste.*

Hinc Ouid. lib. I. τῶν ἐρωτικῶν:

> *Este procul vittæ tenues, insigne pudoris:*
> *Quæque tegis medios instita longa pedes.*

Instita dicta, vel ab eo quòd *pedibus instet* & immineat: quomodo *instare tempus* dicitur, quod appropinquat: vel potiùs quòd *stola ei insistat*, dum gestatur: aut quòd *stolæ insistat* atque incumbat: quomodo Cæsar, lib. II. de bello Gallico ait, cùm primi militum cecidissent proximos iacentibus insistisse. Sed habet *instita* & extra vestem locum: vt cùm *fasciam* notat, quâ vincirent. Ita Petronius Arbiter: *Duas institas ancilla protulit de sinu, alteráque pedes nostros alligauit, alterâ manus*. Ac similiter ait Scribonius Largus, *ventrem constringendum fascia longa*. Imò & cum Onomasticô legitur *instita* κειρίαι, significantur *fasciæ sepulcrales*, quæ κειρίαι vocantur Euangelistæ Ioanni cap. XI. vbi de Lazaro sermo. Aliter autem κειρίαι dicuntur à κὴρ, id est, *mors*, *fatum*.

INSTITORES dicuntur, qui *tabernæ aut negotiationi præponuntur*: vnde Gloss. vett. *institor*, ὁ ἐπιστάτης ἐργαστηρίου. Di-

cuntur etiam sic *serui pecuniis dandis præpositi* : item *quibus vestiarij, aut lintearij dant vestes linteáque circumferenda ac distrahenda.* Exempla autem harum acceptionum habemus in Digestis. Dictus autem *institor*, Vlpiano teste, quia *instaret*, hoc est, *vrgeret merces ac negotia aliena*, quomodo & Græcis vocatur ἐπιστάτης, ἀπὸ τοῦ ἐφίστασθαι, hoc est, *instando operi, siue vrgendo negotium.* Hoc pacto, vt Scaliger notis in Priapea monuit, *instanti* voce vsus Nonius Atellana :

Instat mercaturam, credo rem faciat, frugi est homo.

Nec longe ab hac mente Virgilius :

Parte alia Marti currúmque rotásque volantes
Instabant.———

Sanè Belgæ similiter vtuntur eadem voce, & cùm de *mercatura*, & de *equis currúque* loquuntur. Dicunt enim *coopmanschap drynen.* Ab *institor* est *institorium*, quod in Onomastico exponitur ἐμπορεία; nempe quâ ratione ibidem *institor* vertitur ἔμπορος.

INSVLA quasi *in salo.* Quæ coniungit Cornelius Nepos in Themistocle : *Diem noctémque procul ab insula in salo nauem tenuit in ancoris.* Etymon hoc etiam adfert Martianus Capella, lib. VI. de nuptiis Philol. *A* in *V* mutatum, quomodo à *salsus* est *insulsus.* Propriè igitur *insulæ* sunt maris: sic tamen quoque dictæ, quæ in flumine. Est alius etiam notionis. Gloss. Philoxeni : *Insula*, νῆσος, συνοικία. Nempe & κατὰ μεταφορὰν ita vocatæ οἰκίαι ἀπεσχισμέναι, *ædes potentiorum, quæ à priuatorum domibus distinctæ erant*, vt ab incendiis essent tutiores. Ita vsus Cicero pro Cælio, Vitruuius, lib. I. cap. VI. Suetonius, in Nerone, &c. De hac notione ita Festus : *Insulæ dictæ propriè* (sic legendum) *quæ non iunguntur communibus parietibus cum vicinis, circuitúque publico aut priuato cinguntur : à similitudine videlicet earum terrarum, quæ fluminibus ac mari eminent, suntque in salo positæ.* Quo in loco merito Festus ait, *propriè insulas dici quæ non iunguntur communibus parietibus cum vicinis*; quia & impropriè ac laxiori significatione quælibet domus sic vocabantur : vt Senecæ, Vlpiani, Martialis, aliísque locis probat Laurentius Ramirez, ad Epig. I. Martial. lib. de Amphith. *Insularius* hinc dictus seruus, qui *insulas*, hoc est, *ædes separatas*, vel alias quascumque custodit. Sic vsus Pomponius, L. XVI. §. I. de vsu & hab. Vlpianus, l. vlt. ff. de off. præf. vigil. ac Petronius Arbiter, cùm ait : *Interim coctores insularij que mulcant exclusum, & alius vero testis stridentibus plenum in oculos eius intentat.*

INTEMPERIES, à *temperies*, quod à *tempero.* Pro *intemperies* etiam *intemperia* dicitur; vt apud Catonem, cap. CXLI. *Mars pater te precor quæsóque vti tu morbos visos inuisósque, viduertatem vastitudinémque, calamitates, intemperiásque prohibessis, defendas, auerruncésque.* Vbi *aëris intemperiem* signat. Quia autem ab *intemperie cerebri calida* prouenit *insania* ac *furor* : *furorem* autem *Furiæ* immittere credebantur, hinc est, quòd pro *insania*, aut *Furiis*, sumitur. Plaut. Aul. Act. I. Sc. I.

Nescio pol quæ illum hominem intemperiæ tenent.

Onomast. *Intemperia*, μανίαι.

INTER ab *in*, vt à *sub*, *subter*; à *pro*, *propter*; à *præ*, *præter* : vt Priscianus scribit in XV. Habet *inter* in compositione sæpe vim αὐξητικὴν, vt in *interturbare* apud Terentium Andr. Act. IV. Sc. I. Vbi Donatus monet, *inter esse adauctiuam particulam, vt infectus, interemtus.* In quibus duobus verbis, non solùm αὐξητικὴν, sed etiam φθαρτικὴν vim habet. Vti & *interstingui*, quod iccirco cum *perire* iunxit Lucretius, lib. V.

Quæ faciunt ignis interstingui atque perire.

Item in *interfieri* : quod est *planè tolli.* Plautus, Trinummo Sc. *Minus quindecim* :

Hem istic oportet obseri mores malos,
Si in obserendo possint interfieri.

Et Lucretius, lib. III.

Post mortem fore, vt aut putrescat corpore posto
Aut flammis interfiat, malisve ferarum.

Auget etiam in *interbibere*, Aulul. Act. III. Sc. vlt. quod significat *planè ebibere.* Et in *intertrahere*, in Amphitr. quod est *plane extrahere.* Sed κατὰ μετάφορον notat *contumeliam intorquere*, vt exponit Festus. Quomodo ab *inter* sine *interim*, *interdum*, *interea*, *interduatim*, *interatim*; vide in *Interdum.* Etiam vt à *post*, *postibi* : sic ab *inter*, *interibi* dixere. Plautus, Rudente :

Iam hæc ero : tu interibi adorna quod opus est.

INTERDVM, & *interim*, κατὰ συγκοπὴν dici, indicat Festus : *Interduatim & interatim dicebant antiqui, quod nunc interdum, & interim.* Hoc nisi esset, videretur *interdum* esse ex *inter* & particula *dum*, quæ & est in *nedum*, *adedum*, & aliis. *Interim* autem videretur conflatum ex *inter*, & obsoleto *im*, pro *eum*, vel *eam*. Nam vt *quis*, ita credo *is* olim commune. *Inter im* siue *eam*, puta *rem*. Vt *inter ea*, puta *negotia*. Integrè Plautus, Cistellaria :

Inter rem istam agendam hæc huic respondi, quod rogabat.

Et Sticho :

Inter illud negotium meis amicis curaui, vt cœna esset cocta.

Sed quicquid est de posteriori parte vocis, *interduatim* & *interdum*, *interatim* & *interim* ab *inter* venire, satis est euidens. Nam quod *interdum* fit, hoc subinde se intergerit inter prius & posterius tempus, quo quid non fit. Quódque *interim* factum dicitur, hoc factum inter prius & posterius momentum, quo alius vel aliud agit, vel quiescit. Obsoletum *interduatim* Plauto restituit in Grammaticis Institut. Grosippus, siue Scoppius, Trucul. Act. IV. Sc. IV.

Id quoque interduatim nomen commemorabitur.

Vbi editum, *interim futatim.* Posterioris æui scriptores, vti Senecam tragicum, & alios, *interim* pro *interdum* scripsisse, notum arbitror.

INTERGERIVVS, ab *intergero*; vt à *cado*, *caduus*; à *recido*, *reciduus*; ab *interneco*, *internecinus.* Itaque *intergerinus* malim, quàm, vt in aliis libris legitur, *intergerinus.* Vsus Plinius, lib. XXXV. cap. XIV. *Sesquipedalis paries non plus quàm vnam contignationem tolerat : cautúmque est, ne communis crassior fiat, nec intergeriuorum ratio patitur.* Quis autem *intergeriuus* dicatur, indicat Festus : *Intergeriui parietes dicuntur, qui inter confines struuntur, & quasi intergeruntur.* Vocatur & *intergeries*, quâ ratione à *congero* est *congeries.* Glossæ vett. *Intergeries, paries*, τοῖχος ὁ δύο οἴκους διορίζων. Hermolaus Barbarus, in Gloss. Plinianis, hanc caussam nominis adfert, quia non in lateribus, vt parietes alij : sed *in medio gerat*, hoc est, *ferat*, & *sustineat*; sed simpliciùs deducitur ab *intergero*, quia *intergeritur*, hoc est, *interponitur inter duas habitationes*, vt eas separet : quemadmodum Festi & Glossographi loca indicant. Scaligerum non audio, qui castigat. in Festum, & animaduersionibus in Guilandinum, mauult *intergerriuus* gemino *rr*, vt sit à *gerris*, hoc est, *cratibus*, vnde & aliquando *concratitij parietes* dicuntur. Vide *gerræ.* Idem Scaliger censet Plinium scitâ metaphorâ ab *intergerriuo pariete intergerriuum* quoque siue *intergerriuum*, vocare *interiectum gluten inter duas inas inter se iunctas.* Plinij verba sunt, lib. XIII. cap. XII. *Minimum hoc modo intergerrij, atque etiam lini lenitas superatur.* Sic enim legit Scaliger. In vulgatis est, *Minimum hoc modo intergerij, atque etiam Nili lenitas superatur.* Vnde Guilandinus cudebat hanc lectionem : *Minimum hoc modo intergeritur, atque etiam Nili lenitas superatur.* Sanè ex *lini* rectè facit *Nili*. Sed *intergerij* vox retinenda, quæ tamen non est à *gerris*, verùm ex eo, quòd *intergeratur*, seu *interponatur.*

INTERLVNIVM est, cùm *Luna* est *in coitu Solis* : vt loquitur Plinius, lib. II. cap. XCVII. Vnde dicatur, indicat Isidorus, lib. III. cap. LIV. *Interlunium lunæ est illud tempus, quod inter deficientem & nascentem lunam. Est autem trigesimus dies, quo luna non lucet, quæ ideo videri non potest, quia Soli coniuncta obscuratur, sed eodem momento renascens, paullatim ab eo recedendo videtur.* *Interlunium* ergo dicitur, quasi aliquod tempus sit inter veterem nouámque *lunam.* Verùm tempus ciuile, quod neque triginta neque vnitas est, non potuit aliter designari : vt optimè ait Scaliger, lib. III. Isagog. Canonum, quos Eusebianis Animaduers. adiecit. Græcis est συνμηνία; quasi *collunium* dicas. Quia nempe *Sol* est cum *Luna.* Iidem hanc *Lunam* appellant ἕνη καὶ νέα, quam malè cum νεομηνίᾳ confundit Suidas. Nam νεομηνία est, cùm *Luna* primò apparet. Sed ἕνη καὶ νέα est, cùm *luna* in eadem longitudine ac latitudine est ac *Sol*, adeo vt dubium sit, num *luna* vetus an noua dici debeat, quia in vtriusque dici collimitio posita videtur. Dicitur *interlunium* alio nomine *lunæ silentium*, siue *luna silens.* Virgilius. Plinius, alij. Et opponitur *plenilunium.* At *luna*, quæ necdum ad *plenilunium* aut *interlunium*, peruenit, dicitur *luna caua*, eadem nempe ratione, quâ Græcis κυρτὸς vel ἀμφίκυρτος nominatur. *Lunæ cauæ* meminit Plinius, lib. VIII. Quod de Suidæ lapsu, ac *luna caua* dixi, id quoque monuit Cælius Calcagninus, dialogo de mensibus, ac epist. XXVI. lib. I. epistolicarum quæstionum.

INTERMETIVM vocatur *spatium inter circi metas interiectum*, τὸ μεταξὺ τῶν καμπτήρων, vt exponitur in veteribus Glossis. Vti *meta* in iisdem καμπτήρ. Aliter dicitur *spina*, vt apud Cassiodorum : item Iuuenalis interpretem in illud :

Plebeium in circo positum est, & in aggere fatum.

Etiam posterioribus temporibus vocarunt *Euripum*; cùm antiquiores

quiores *Euripos* dixerint fossas circo circundatas. Qua de re diximus in *Euripus*. At quod postea *Euripum* vocarunt, aquæ erat expers. Fortasse nomen ex eo, quia vt *Euboicum* illum *Euripum* septies de die fluere ac refluere vulgò creditum fuit: ita circa *intermetium* septem spatijs currebatur. Vnde in veteri epigrammate.

Septem etiam gyris claudunt certamina palmas;
Quòd cœlum stringunt cingula sorte pari.

Vide & Isidorum, lib. XVIII. cap. XXXVIII.

Interpretor fortasse ex *inter* & inusitato *prator*. Nam Hebræis פתר notat *interpretor*, *expono*. Habes Gen. XL. XXI. pro *exponere somnia*. Priscianus, in XIV. *Interpres, cuius simplex, id est pres, in vsu non inuenitur.* Sed puto prius fuisse *interpretis*, & τῷ συγκοπῇ *interpres*. Isidorus, libro X. ait *interpres* dici, quia *inter partes* medius sit duarum linguarum, dum transfert. Perotto placet esse ex *inter* & *pras*, hoc est, *fideiussor*. Martinius ex *inter* & *paro*, quod *inter partes parat aliquid* Salmasio ex *inter* & *pretium*; quia propriè sic dicatur, qui pararius & proxeneta sit inter venditorem & emtorem. Sic habet de Vsuris pag. CCCCLXXVI. *Per quos pacto inter duos contrahentes inducebatur, μέσοι appellant, Latinè interpretes Hi propriè Græcis μεσοπράται, id est, μέσοι τῆς πράσεως, conciliatores & mediatores venditionis. Nam & pretium ex Græco πράσις. & interpretes.*

Intertrigo, & *intertrimentum*, etsi significatione plurimùm differant, origine tamen conueniunt. Vtrumque enim rectè ab *interterendo* deducit Varro, IV. de L. L. Est autem *intertrigo* non tantùm cùm femina siue equitando siue aliâ de caussâ attrita sunt adustáque: sed etiam cùm in genere veterinario pes pedem aut vngula vngulam terit. Vsus sic Columella lib. VII. cap. V. *Claui quoque dupliciter infestant ouem, siue cum subluuies atque intertrigo in ipso discrimine vngulæ nascitur: seu cum idem locus tuberculum habet*, &c. Et mox: *Subluuies & intertrigo pice per se liquidâ, vel alumine & sulphure, atque aceto mixtis ritè eruuntur.* Græci παράτριμμα appellant. *Intertrimentum* verò est damnum rei detritæ: vt ex Varrone & Asconio diximus in voce *Tero*. Glossæ Philoxeni: *Intertrimenta*, ἀπουσίαι. Sed & clarissimè quid sit *intertrimentum* docet hic locus Liuij, lib. II. de bell. Mac. *Carthaginenses eo anno argentum in stipendium impositum primùm Romam aduexerunt: id quia probum non esse Quæstores renunciauerant, experientibúsque pars quarta decocta erat, pecuniâ Romæ mutuâ sumtâ, intertrimentum argenti suppleuerunt.* Ciceronem quoque vsum Verrinâ tertiâ, ex Asconio discimus Nam in vulgaris pro *intertrimento* irrepserat *nutrimento*. *Intertritura* quoque pro eo dicitur, l. vlt. D. de pignoratitiâ act. *Quæro, intertrituram, quæ ex operis facta est, vtrùm Titius debitor, an Seius creditor adgnoscere debeat; respondit secundùm ea quæ proponerentur, ob id, quod eo nomine intertrimenti accidisset, non teneri.*

Intestinvs, si Petrum Nunnesium in Grammatistice audimus, sic dicitur ab ἔντερον. Censeo potiùs esse ab *intus*: vel, si compositum fuerit, sit ab *intus*, & *sto*: quomodo à *medius* & *sto*, est *mediastinus*. Idem est *intestinus*, quod *internus*, vnde in animali *intestina*, quæ Græcis ἔντερα, & in architectonica *opus intestinum*, quod ex ligno in ipsâ domo & sub tecto ad ornatum fit. Quomodo vsi Varro, lib III. de R. R. cap. I. & Vitruuius non vno loco. Huiusmodi opera qui faciunt Græcis λεπτουργοὶ τέχνῃ dicuntur: Item hinc *bellum intestinum*, ἐμφύλιος πόλεμος. Glossæ: Ἐμφύλιος, *intestinus, internus*.

Intra Priscianus in XV. censet esse ab *in*. Puto potiùs esse ab *interus* vnde *intera*, *intra*, vt ab *exterus, extera, extra*. *Interus* ab ἔσω: vnde & *intus*, & *intrò*, *intro*. A quo verbum *intro*. Ab obsoleto positiuo *Interus* remansit *interior* & *intimus*. Ab *intimus* est *intimare* apud Plinium & alios. Glossæ vett. *Intimare*, γνωρίζω, ἐμφανίζω, φανερόω.

Intvbvs, seu *intubum*, quæ aliter *cichorea*, vt ait Seruius in illud I. G.

———Et amaris intuba fibris.

Intubus, quod intus sit cauus, dici nugatur Isidorus, lib. XVII. c. X. Saltem cogitare debuit, quod ibidem ait, esse Græcum nomen. Gloss. ἐντύβιον *intiba* Onomast. *Intubus*, σέρις.

Intvs ab *in* deducit Priscianus in XV. Sic sanè à *sub, subtus*; sed *intus* potiùs est ab ἐντὸς. Hinc *indusium*, *t* enim in D abit. Nisi ab *induendo indusium* dictum malis. Sed non minùs induitur vestis exterior. At hoc *indusio* proprium, vt *interior* sit. Varro: lib. IV. de L. L. *Alterius generis item duo: vnum quod foris ac palam, Palla: alterum, quod intus, à quo intusium, id quod Plautus dicit Intusiatum.* Locus Plauti, quem signat, est Epid. Act. II. Sc. II.

Io, *Iô*.

Ipsvllices, iuxta Festum, *brattea in virilem muliebrémque speciem expressa*. Videntur signare imagunculas, quibus magi vtebantur, vt eum, cuius imago esset, pellicerent in amorem. Quod si est, *ipsullices* vel *ipsillices* dicebantur ab *ipse* & *illix*, quia ipsum, cuius species expressa foret, carminibus & vinculis in amorem pellicerent. At aliud *ipsiplices*. Glossa: *Ipsiplices*, αὐτόπτυχα φύλλα, hoc est, *folia per se plicata*. Vt omnino sit ab *ipse*, & *plico*. Pro *ipsiplices* etiam *subsilles* dixere. Festus: *Subsilles sunt, quas aliter ipsilles* (leg. *ipsulices*) *vocant: lamellæ necessariæ sacris, quæ ad rem diuinam conferre dicuntur maximè, specie virorum & mulierum.* Sed in quibusdam MSS. pro *subsilles* legas *subcilles* per C.

Ira ab *ἔρις*. Donatus in illud Adelph. Act. V. Sc. III.

Tandem reprimo iracundiam, atque ad te redi.

Ira ab eo quod est dicitur, quod à se eat qui irascitur, & furit. Nempe censet, eò dici *iratos* ad se *redire*, quia *irascentes* à se *eant*: indéque *iram* nuncupatam. Fortasse tamen verius, *ira* esse ab *uro*, vt Hebræis *ira*, חמה, ab חמם, *calescere*. Vel cum ἄρα, Eustathio teste, etiam notet τὴν μάχην καὶ τὴν βλάβην, quid, si cum Martinio ab ἄρα *ira* deriuemus? Siquidem *ira belli mater* est. Nunnesius in Grammatistice censet, *irascor* ab eiusdem notionis voce, quæ est ὀργίζομαι; nempe vt O in A mutetur, quomodo à λόγχη etiam deducit *lancea*. Sed in priori & μεταθέσεως sit opus.

Iracvndvs ab *iratum*; vt à *fatum*, *facundus*; à *veritum*, *verecundus*. Eóque non audiendus Verrius, siue Festus, aut Paullus, cùm ait: *Iracundia dicta, quod iram accendat.* Quasi nempe vox ea conflata sit ex *ira* & veteri *cando*, vnde *accendo* & *incendo*.

Ircvs, siue *ircea*, quid sit, docet Festus: *Ircei farciminis genus in sacrificijs.* Sequitur deinde: *Irceus genus farciminis.* Vnde priori loco *irceus*, non *ircei*, legendum putat Scaliger. Sed fallitur. Nam non *irceus*, sed *irceus* vel *ircea* exigit ἀναλογία. Est enim ab *ircus*, *irceus*; siue cum spiritu ab *hircus*, *hirceus* vel *hircea*, vt à *taurus*, *taurea*. Caussam nominis ostendit illud Arnobij, lib. VII. *Quid, inquam, sibi hæc volunt, apexabones, hircea, silicernia, longaus, quæ sunt nomina & farciminum genera: hircino alia sanguine, commixtis alia inculcata pulmonibus?* Ita locus is exaratus in MS. regio, cuius variantes lectiones ad oram codicis, qui apud me, Scaliger annotauit.

Iris, ἶρις. Aratus:

Ἠ διδύμη ἴζουσα διὰ μέγαν οὐρανὸν ἶρις.

Plato in Cratylo & Theæteto, ita dici ait παρὰ τὸ εἴρειν, quod est, *dicere, denunciare* quia nempe *nunc pluuiam, nunc serenitatem portendat*: vnde Plautus, Curcul.

Ecce autem bibit arcus pluet credo hercle hodie.

Belgis propterea vocatur *regen-boge*: hoc est, *arcus pluuiæ*. *Arcus* autem nominatur quia *arcus similitudinem* habet. Quomodo generetur, Aristoteles docet, lib. III. Meteor. cap. IV. *Iris* Thaumantis filia dicta est, propter admirationem, quam in animis hominum parit: quam rationem Plato adducit in Theæteto.

Irnea, pro quo vulgo *hirnea*, est *vinarij vasis genus*: cuius diminutiuum *irnella*, quod Festus *genus vasis in sacris* esse dicit. Non audiendus Gothofredus, cùm pro *irnella*, *vrnula* mauult. *Irnea* voce vtitur Cato, de R. R. cap. LXXXI. *Indito in irneam fictilem* Et Plautus, Amphitr. Act. I. sc. I.

Cadus erat vini inde impleui irneam.

Sic enim habent codd. MSS & vett. editt. pro quo in libb. quibusdam *hirneam* inuenias. Monet Scaliger ad Catalecta Virgilij, antiquos pro *irnea* dixisse *erneam*, atque id esse ab ἔρνος, quia *vasis figuram* habeat: *Erneum* autem per E pronunciasse, quomodo iidem pro *Apollo, homo, olus*, dixere *Apello, hemo, elus* Vide *Cantharus*.

Irpices (vt Festus ait) *genus rastrorum ferreorum, quod plures habent dentes ad extirpandas herbas in agris.* Seruius Danielis in illud,

Vimineásque trahit crates.

Ad agrorum, inquit, *scilicet exæquationem, quam irpicem rusticè vocant. Vrpicem*, seu *hurpicem* appellat Cato, cap. X. Vocabulum id vel à *serpo*, vt prius fuerit *sirpices*, noménque ex eo sit quod eruat inutilia illa quæ per terram *serpunt*: quæ Varronis mens videtur, lib. IV. de L. L. Vel potiùs est *irpex*, seu *vrpex*, seu *hurpex*, ab ἁρπάζω vel ἁρπάγη, quod *crates*, vel *rastrum*, significat. Eurip. Phœnissis:

Σκάψει πόλιν τήνδ' ἁρπάγῃ δίκης.

Nomen verò τῷ ἁρπάγῃ inde vnde & ἁρπαγή. Nempe quia ἁρπάζει, hoc est, *rapit* & *verrit* quidquid inutile excreuit, atque ita agrum purgat. Eiusdem, ac *irpices*, originis est *irpus*; siue *hirpus* quod, vt Strabo lib. VI ait, Sabinis *lupum* notabat: vnde idem Strabo dictos ait *Irpinos*, seu *Hirpinos*, Samnitium gentem. Similiter Festus: *Irpini appellati nomine lupi, quem irpum dicunt Samnites; eum enim ducem secuti, agros occu-*

 pauere.

pauere. Montem quoque in Sabinis *Irpinum* vocatum ait vetus Scholiastes Iuuenalis. Nempe ita vocatus sit ab *Hirpis*, qui in agro Falisco ad montem Soractem habitabant. Seruius in illud Maronis XI. Æn.

——Sancti custos Soractis Apollo,

Scribit quædam quæ & ipsa etymon *Hirpinorum* confirment. *Soracte* inquit, *mons est Hirpinorum in Flaminia collocatus. In hoc autem monte cum aliquando Dis patri sacrum persolueretur (nam Dis manibus consecratus est;) subitò venientes lupi exta de igni rapuerunt; quos cum diu pastores sequerentur, delati sunt ad quandam speluncam, halitum ex se pestiferum emittentem, adeò vt iuxta stantes necaret, & exinde est orta pestilentia, quia fuerant lupos secuti: de qua responsum est, posse eam sedari, si lupos imitarentur, id est, rapto viuerent. Quod postquam factum est, dicti sunt ipsi populi Hirpini Sorani. Nam lupi Sabinorum lingua hirpi vocantur.* Planè videtur *Hirpos* in agro Falisco cum *Hirpinis* Samnitium confundere. Sed illud mitto. Tantùm de etymo dicam. Cùm *Hirporum* & *Hirpinorum* vicinum sit nomen, verum videtur, quod ait Seruius, Sabinorum etiam lingua *lupum* dici *hirpum*. De Samnitum quidem lingua certum est. Nempe ab ἅρπω, hoc est, *rapio*, est ἅρπος, vnde *hirpus*. Sic igitur *lupus* sit dictus ob *rapacitatem*. Quam ipsam ob causam & auis quædam vocabatur ἅρπη; eam ἰκτῖνον siue *miluum* esse ex Eustathio, Tzetze, alijs constat. Quod verò ad *Hirpinos*, id nomen ijs puto esse, quia *luporum* instar ex *rapto* viuerent. Fauent Seruij verba. Nempe primum id nomen acceperint ab ijs quorum agros prædabantur. *Hirpos* etiam ab eadem caussa sic dictos esse credibile est. Putà *Hirpi*, quasi dicas *lupi*: *Hirpini* autem, quasi *lupini* dixeris.

IRRITO nonnulli ab *ira* deducunt, vnde & *irascor*. Nempe vt propriè sit *ad iram stimulo*; vnde & vnico *R* scribunt *irito*. Quos inter Pierius, in illud IV. Æn.

——Ira iritata Deorum.

Sed si simplici *r* scribendum, potiùs sit ab ἐρίζω, quod idem notat. Vnum aduersatur, quòd penultima tum corriperetur. Fortasse igitur verisimilius Nonius Marcellus: *Irritare dictum est propriè prouocare. Tractum à canibus, qui, cùm prouocantur, irriunt.* Lucillius, sat. I.

Irritata canes, quàm homo, quod plenius dicit.

De *R* litera loquitur Lucillius, quam *caninam* literam Persius appellat. Hanc canis lacessita cùm ingeminat, *irrire* dicitur, siue spiritu adiecto *hirrire*: quomodo scribit Festus: *Hirrire*, inquit, *garrire* (lego *gannire*,) *quod genus vocis est canis rabiosa.* Est igitur *irrire*, siue *hirrire*, verbum à sono factum. Ab *irrire* verò fuerit *irrito*, vt propriè sit *canem lacesso, atque vt irriat facio*. Vnde Cassiodorus, in illud Psal. LXXV. *irritat aduersarius nomen tuum*: *Irritat*, inquit, *à canibus tractum est, quorum latratibus R litera plurimum sonat.* Idémque etymon probat Turnebus, lib. XXIX. Aduers. cap. XVII. Propriè igitur Lucillius dixit, *Irritata canes*. Vti & Plautus, Capt. Sc. *Miser homo est*:

Nec canem quidem irritatam volet quispiam imitarier.

Hæc sententia valde est probabilis: sed tamen vnum hoc ei opponi potest, quod non tantùm *irrito* dicimus, verùm & *prorito*, quo non semel in eadem notione vsus Columella: item Fabius, atque alij. Quare non minùs in tertiam sententiam propendeo, vt antiquum verbum fuerit *rito*, vnde & *irrito*, & *prorito*, dicatur. Pro hoc est, quod in nonnullis codd. antiquis INRITATA legitur, vt Pierius agnoscit, in IV. Æn. Et in Glossis vett. legas: *Inritat*, ἐρεθίζει. Tuetur quoque hanc sententiam auctoritas Prisciani, in XV. his verbis: *Aduerbia deriuatiua sunt, vt peragro peregrè, punio impune, abundo abundè, rito. vnde irrito, ritè.* De *ritè* tamen aduerbio, timidè Prisciano subscribo. Nam cur non potiùs deducamus à nomine *ritus*, vnde & verbum *rito*? Hoc nomine, vt Priscianus in decimoquarto sui operis vsurpat, Statius quoque vsus in vndecimo:

Hei mihi primitijs ararum & rite nefasto
Libatus.——

Vbi *rite* pro *ritu* poni indicat: nempe vt pro *impetu* etiam *impete* legimus. Sed de *rite* quidem subscribo: at de *irito*, ne in hac tertia quidem sententia acquiescit animus, cùm cogito, quod Latinis est *irrito*, siue *irito*, id Græcis esse ἐρίζω, vnde absque dubio *irito*. *Prorito* verò ex *prorito* factum mihi videtur. Ἐρίζω autem ab ἔρις, *lis*, *contentio*. Vt propriè sit *concitare & commouere aliquem ad litem seu contentionem*.

IS Iulio Scaligero, libb. de caussis L.L. cap. CXXVIII. placet esse ab ὅσοι, κατ' ἀποκοπήν; quomodo & ab ὧδε vult esse *hic*. Nam Iones ὁ pro ὅς dixere. *Hic* igitur ea ratione factum erit ex ὧδε, qua *fac*, *fer*, *dic*, *duc*, sunt à *face*, *fere*, *dice*, *duce*. Sed verisimilius est, *hic* esse ex Chaldæo הָךְ, quod significet *hic*, *hæc*. Nec in *is* vlla opus est apocope. Nam αὐτὸς fit ab ὅς, conuerso O in *I*, quomodo à κόνις est *cinis*; ab ὄμβρος, *imber*, &c. ὅς verò est ab Hebræo הוּא, hoc est, *is*, *hic*. Ab *is* est *idem*: de quo separatim. Volunt & *ille*, *iste* & *ipse* eiusdem esse originis, quos falli puto. Nam *ille* ab Hebræo אֵלֶּה, id est, *hic*, *hæc*; qua de re separatim quoque dictum. *Iste* verò potiùs fit ab *is*. & *te*. Id malo, quàm vt sit ab *is*, & syllabicâ adiectione *te*, quæ in *tute*. Est hæc Cæsaris Scaligeri mens, de causs. L.L. cap. CLV. Sed hoc si est, cur *iste* posteriori parte inflectitur: *ille* autem priori? *Ipse* autem Doricum est à Dorico ψὲ pro σφὲ, vt hoc per μετάθεσιν pro σφι.

ISELASTICI, εἰσελαστικοί, quasi dicas, *initorij*, ab εἰσελαύνω, *ineo*. Propriè autem εἰσελαστικοί dicebantur athletæ, cùm post victoriam cum pompa in patriam veherentur. *Iselasticorum agonum* mentio est apud Plinium Nepotem, libro X. epistola CXIX. & CXX. Ac in veteri quoque inscriptione *Iselastici* pro *Selastici* legi debere existimat P. Faber, quem vide libro II. ἀγωνιστικῶν, cap. X. Sed versus Sibyllini, quos idem adducit, ac emendare conatur, potiùs legendi prout conijcit Turnebus, lib. I. Aduersar. cap. XIX. Vide & eundem Turnebum, lib. XXVII. capite V.

ISICIVM scribendum, non *insitium*. Neque enim quod putarunt, sic dicitur quasi *insititium*, eò quòd fiat *insitus* in intestinum minutis carnis suillæ frustulis: sed est ab *insicando*, hoc est, *insecando*. Veteres enim dicebant *insicare*, *prosicare*, *dissicare*, atque ita in alijs, quâ de re abunde dictum in *Prosecta*. Etymum hoc *insicij* affert Varro, lib. IV. de L. L. *Insicia ab eo quòd insecta caro, vt in carmine Saliorum est, quod in extis dicitur nunc prosectum.* Pro eo & *isicia* dixere: sed ab eadem origine. Macrobius lib. VII. cap. VIII. *Dicas quæso, quæ caussa difficile digestu facit insicium: quod ab insectione insicium dictum (amissione enim literæ postea, quod nunc habet nomen, obtinuit) cùm multum in eo,* &c. Quid sit, docet quoque ex parte Arnobius, lib. VII. *Quid, inquam, sibi hæc volunt, apexabo, isicia, silicernia, longano? quæ sunt nomina & farciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus.* Extat & vox ea apud Apicium. Alexander Aphrodisiensis, probl. XXII. lib. I. nominat ἰσίκιον. Sed ἰσίκιον quoque est apud Athenæum l. IX. At falsi qui hinc collegere esse vocem origine Græcam, cùm eam acceperint posteriores Græci à Romanis rerum dominis. Falsa quoque suspicio Cæsaris Scaligeri, qui comment. in Hippocratem de insomnijs fieri posse censet, vt ab ὗς dixerint *hysicium*. Ab *insicium*, vel *isicium*, est *insiciarius*, siue *isiciarius*: apud Hieronymum in epistola ad Eustochium, vbi ex testamento ridiculo Grunnij Corocottæ Porcelli hæc subdit legata: *Verbosis linguam, bubularijs intestina, isiciarijs (ita scribe, non insiciarijs) femora, mulieribus lumbos,* &c. Huc quoque pertinet *salcisium*, pro eo, quod Celtæ *saulcisses* & Belgæ *saucissen* vocant. Barbarum id quibusdam planè videtur, ac ex Gallicâ voce factum. At secus se res habet. Nam Acro, ad illud Ecl IV. lib. II. Sat.

——Perna magis ac magis hillis;

Scribit hunc in modum: *Hilla est diminutiuum à positiuo hira, & significat intestinum salsum, vel (vt alij dicunt) fartum salsicium.* Origo quoque non Gallicum (quod Canterus suspicatur lib. II Nouarum Lect. cap. XVI.) sed Latinum esse planum facit. Dicitur enim ὡς ἐν *salsicium* pro *salsum isicium*.

ISTHMVS dicitur *angustia terræ inter duo maria*, tralatione petitâ ab animalibus. Nam propriè, ἰσθμός est τὸ μεταξὺ τῆς φάρυγγος τε καὶ τοῦ στομάχου χωρίον, vt Galenus interpretatur, comm. III. in Aphor. Hippocrat. Qui & ibidem addit, ab hac notione κατὰ μεταφορὰν isthmum dici στενὰς γῆς διεξόδους μεταξὺ δυοῖν θαλασσῶν. Quod addo, quia multi, eósque inter H. Stephanus in Thes. L. Gr. tradunt propriè dici de *terra isthmo*: quasi non priùs in animanti hæc pars fuerit nota. Sanè vt propriè de terra dicatur, non magis fit verisimile, quàm vt Plinius lib. IV. cap. X. propriè dixerit *fauces Isthmi*; aut cap. IV. eiusdem libri, *Angusta ceruice Peloponnesum contingit Hellas*. Vbi omnino Græcam ἰσθμοῦ notionem respexit. Dicitur ἰσθμὸς iuxta Eustathium, quasi ἰθμὸς, παρὰ τὸ ἰέναι, quippe δι' οὗ ἴεται τὰ σιτία. Vnde *tonsilla*, παρίσθμια. *Isthmo* opponitur *fretum*, Græcè πορθμὸς, *maris inter duas continentes angustia*.

ITA ab *is*, vt οὕτως ab οὗτος, & Belgicum *soo* à *sy*, id est, *ea*. Onomasticon vetus: *Is*, οὗτος; *ita*, οὕτως. Hoc malim, quàm, quod H. Stephano, & P. Nunnesio visum, vt sit ab εἶτα, quod exponitur *itaque*, *nunc*, *itáne verò*. Ferè autem sumitur pro *deinde*, aut *postea*: quomodo & Latinum *ita* nonnumquam accipitur. Vide de hoc Radulphum Fornerium, lib. II. rerum quotidianarum, cap. XX. & Hameuueltonem Goldastum, ad B. Valerianum, de bono disciplinæ, pag XCIX.

ITER, *actus*, *via*, quomodo differant, dicimus in *Via*. Nunc etymon solùm persequemur. Est id ab *itu*. Varro, in IV. de L.L.

Qua

Quaibant, ab itu iter appellarunt. Huius genitiuus fuit *iteris*: quo vsi Pacuuius, Næuius, Accius: imò & Hyginus, cuius est: *iteris minuendi caussa.* Vide Sosipatrum. Ab *iter* est *itiner*, vt à *iecur*, *iecinor*; à *fruor*, siue *fruiscor*, *fruniscor*, & *runiscor*. Vsurpant non modò Accius, Turpilius, Ennius, Pacuuius, sed & Plautus. Mercat. act. v. Sc. II.

Inceptum hoc itiner perficere exsequar.

Et paullò pòst.

Quin tu ergo itiner exsequi meum me sinis?

Etiam Lucretius. in VI. & Varro, ac Hyginus, teste Sosipatro. Manilius quoque lib. I.

Fecit & ignotis itiner commercia terris.

Quamquam aliter edit. Rom. Ab *itiner*, *itineris*, est *itinerarium*. At ab *iter*, *iteris*, est *iterum*, vt à *multi*, *multum*. Hoc malim, quàm vt *iterum* sit à ἑδοιπόρος, vti Nunnesio visum. Ab *iterum* quoque est *iterare*, quod propriè notat *iter repetere*. Critici tamen veteres αὐτὸς interpretantur *iter facere*. Nam in Philoxeni Glossis est, *Iterat*, ὁδοιπορεῖ, *iter facit*, ὁδοιπορεῖ. Ex *ob* & *iter* fit *obiter*, ἐν παρόδῳ, quasi *ob viam*.

ITHYPHALLICVM carmen vocamus *Priapeium*: quod constabat iambico senario, & trochaico dimetro brachycatalecto. Ἰθύφαλλος, propriè est *penis erectus*; ab ἰθὺς, quod valet εὐθὺς, & φαλλὸς, *penis*, siue τὸ ξύλινον αἰδοῖον ἀνδρεῖον, vt Hesychius exponit. Inde carmen, quod in *erectum penem* canebatur, *Ithyphallicum* dictum, Hesychio teste; ac homines item, qui *erectum penem* gestarent. Hoc de more ita Augustinus, lib. VII. de Ciu. Dei cap. XXI. *Hoc turpe membrum per Liberi dies festos cum honore magno plostellis impositum, priùs per rura in compitis, & vsque in vrbem postea vectabatur. Id ideo faciebant, quia Liberum liquidis seminibus, ac per hoc non solum liquoribus fructuum, quorum quodammodo primatum vinum tenet: verum etiam seminibus animalium præfecerunt.* Vide & quæ de φαλλοφόροις scribit Athenæus. Suâ etiam ætate in plerisque vrbibus *phallica* obtinuisse, ait Aristoteles in poëtica. Ibidem monet, cùm in sacris Bacchi obtinerent *dithyrambica* & *phallica*: ex illa quidam tragœdiam ex his comœdiam cepisse incrementum.

IVBA aliis à *iuuando*, aliis *iubendo*, quia *iuba prehensa iubetur animal ire, quo visum homini.* Propriè enim *iuba* dicitur de *crinibus à collo animantium*, vti leonum vel equorum, *dependentibus*. Sed de etymo falluntur. Plane enim est à φόβη, quod, vt ex Etymologo constat, in φολλίζω, *crinem* notat, & speciatim *iubam*. Propriam *iuba* notionem vidimus. Sed & μεταφορικῶς dicitur de serpentum cristis. Ita Valerius Flaccus de dracone vellus aureum custodiente ait.

Iámque alta cecidere iuba. ———

At cristas idem appellat, cùm inquit:

——— *Ille suas has vibrat vulnera cristis.*

Hinc *angues iubati* apud Plautum, Amph. Act. v. I. & *dracones iubati* apud actorem Herennianum, lib. IV.

IVBAR quid & vnde dicatur, docet Varro, lib. v. de L.L. *Exorta stella tempus dictum à Græcis ἑωσφόρος, Latinè Vesper: vt ante solem ortum: quòd eadem stella vocabatur Iubar, quòd iubata.* Pacuuius dicit. *Pastor exorto iubare, noctis decurso itinere.* Ennius: *Aiax lumen iubarne in cælo cerno?* Idem, lib. VI. de L.L. *Iubar dicitur stella Lucifer, quæ in summo habet diffusum lumen, vt leo in capite iubam. Huius ortus significat circiter esse extremam noctem.* Itaque ait Pacuuius *Pastor exorto iubare*, &c. Festus: *Iubar stella, quam Græci appellant φωσφόρον, vel ἑωσφόρον, hoc est, lucifer, quòd splendor eius diffunditur in modum stellæ leonis.* Seruius ad illud IV. Æn.

It portis iubare exorto Troiana iuuentus:

Propriè, inquit, *iubar Lucifer dicitur, quòd iubas lucis effundit. Vnde etiam quicquid splendet, iubar dicitur: vt argenti, gemmarum. Est autem Lucifer interdum Iouis. Nam & antiqui iubar quasi iuuar dicebant. Plerumque Veneris stella. Alij iubar Solem, alij splendorem siderum dicunt.* Quæ Seruij verba docent, *iubar* quidem plerumque poni pro Lucifero, seu Hespero (quomodo Caluus in epithalamio, Prisciano teste, dixit.

Hesperium ante iubar quatiens.)

sed tamen & de aliis sideribus dici, vti de *Ioue*. Clarè etiam testatur veteres ipsos hoc nomine *Solem* intellexisse, imò omnium siderum splendorẽ: quod planè verum puto ipso etiã vocis etymo adductus. Nam non *Luciferi* modò, sed & *Solis*, *Iouis*, aliorúmque siderum splendor *iubarum* refert *similitudinem*. Quare, cùm pro *Ioue* ponitur, communi id notione fit, vt nil opus sit nouam comminisci etymon, quemadmodum fecere qui, vt *Iouem* à *iuuando*, sic eius *iubar* quasi *iuuar*, dici tradiderunt. Quòd si, quoties pro distincto sidere accipitur, nouo etymo opus esse autumant, vnde, quæso, *iubar* appellari dicent, cùm de cometis vsurpat Plinius, lib. II. cap. XXV. *Fiunt & bibernis mensibus & in Austrino polo: sed ibi citra vllum iubar.* Vnde item cùm pro *Luna* sumitur? vti fit in illo Ennij à Prisciano adducto, lib. v.

Interea fugit albu' iubar Hyperioni' cursum.

Quamquam enim verum est, Luciferum quoque, sole aduemente occuli & abscondi: tamen cùm ex dictis pateat *iubar* generatim dici de siderum omnium splendore, magis profectò veri simile est, *Lunam* intelligi: simileque esse isti Nasonis II. Metam. fab. IX.

——— *Fugit aurea cælo*

Luna, tegunt nigra latitantia sidera nubes.

IVBEO quasi *ius habeo*, vt censet Scaliger de caussis L. L. cap. XXXII. Vel ab ἰέω, *ἵημι*, *vt mitto*, aut potiùs ex ἰῶ, *βιάω*, *voce vrgeo atque impello* quæ Martinij sententia est.

IVBILARE, & *quiritare*, dicebantur, qui inclamabant aliorum operam, siqua sibi vis fieret: differunt autem, quod illud ruri, hoc in ciuitate fieret. Vide Donatum ad illud Terentij, Adelph.

Obsecro, populares, ferte misero atque innocenti auxilium. ———

Quiritare dictum ex eo, quòd *Quiritum opem* implorarent. *Iubilare* autem ex eo dici Iosephus Scaliger putabat, quia rustici inclamarent *iò*, *iò*, quemadmodum Tertulliani loco probamus, voce *Quiritare*. Et adde Festi verba in *iubilo*, & quæ huic rei firmandæ adducit ad eum locum Ios. Scaliger. Iulius Scaliger tamen, lib. de causs. L. L. cap. XXXII. dici suspicatur ab ἰὼ ἰὼ, triumphatorum voce, & verbo βιῶ, hoc est, *viuo*, quia superstites Apollini vitam ferentes acceptam pæanáque ei accinentes, dicerent ἰὼ, βιῶ παιάν. Quæ sanè originatio satis acuta, vt omnia illius viri: metuo tamen, vt vera sit. Interea verisimilior, quam qui dici aiunt quasi ἰὼ βοᾶν. Quærat aliquis, quam ergo alteram compositionis partem putemus, cùm verisimile non sit, sic esse ab ἰὼ, vt posteriores duæ syllabæ sint παρέλκον. Equidem, *iubilum* non tam ab ἰὼ deducerem, quàm ab Hæbræo יבל, quod est *iubilare*, *clamare*. Iudicum v. vers. XXVII. Aut à יובל, hoc est, *buccina*, cuius indicio seruis restituebatur libertas, & iis, qui agros vendidissent, iidem reddebantur. Sanè ad lætissimum illum clangorem acclamabatur ab iis, qui libertatem aut bona recipiebant. Atque is clamor est *iubilatio*. Propterea Gregorius Magnus ait, lib. XXVIII. Moral. cap. XIV. *Iubilatio*, inquit, *dicitur, cùm cordis lætitia oris efficacia non expletur: sed quibusdam modis gaudium prodit, quod ipse, qui gaudet, nec tegere præualet & explere.* Hæc Gregorius. Vide & quæ pro hac sententia adfert Fullerus, Miscell. sac. lib. IV. cap. VIII. Vel dicamus *buccinam* dici *iobel*, à primo repertore musicorum organorum, qui dictus *Iubal*, vt est Genes. IV. XXI. Atque hæc est Masij sententia in Ios. cap. VI.

IVBILÆVS annus est ab Hebræo יובל, vnde & rectiùs *iobilæus* dicitur per O, quam *iubilæus*. Propriè *iobel* est *buccina*, vt Iosuæ cap. VI. v. Sed quia anno quinquagesimo clangerent eâ, hinc & annus iste *iobel* vocatus: vt Leuit. XXV. aliquoties. Vel dicendum *iobel* propriè esse ἄφεσιν, seu *remissionem*, vel ἀφέσεως σημασίαν, *remissionis significationem*: quomodo LXX. verterunt, Leuitici XXV. X. XI. XII. Iosephus ἰωβηλαῖον exponit ἐλευθερίαν. & Isidoro, lib. v. Orig. cap. XXXVII. *iubilæus*, *annus remissionis* exponitur. Prior verò sententia eo refelli videtur, quòd cornu arietis solidum est, non cauum, vt inflari possit. Vide Masium, in cap. VI. Ios. & Nic. Fullerum, Miscell. sac. lib. IV. cap. VIII. Sanè *anno iubilæo* remissio fiebat à seruitute, hoc est, fundi redibant ad veteres dominos & serui sui fiebant iuris. Quod verò dicebam, sic vocari annum quinquagesimum, id cautè accipi velim. Nam propriè erat annus quadragesimus nonus. Quippe vt feria septima sabbatum fuit ac annus septimus sabbaticus dicebatur, sic septimus annus sabbaticus erat *iubilæus*: vnde liquet eum continere *hebdomadam hebdomadum*, vt Scriptura loquitur, hoc est, XLIX. solidos annos. Hoc nisi dicamus, consequetur aliquando continuos fuisse *duos annos sabbaticos*, nempe *quadragesimum nonum*, & *quinquagesimum*, cuius rei nullum in sacris literis exstat exemplum. Quare cùm vulgo quinquagesimus annus dicitur, annus is intelligendus exclusiuè, quomodo ferè in omnibus linguis vterque terminus annumerari solet, etsi alter intelligatur exclusiuè, vt cùm *hebdomadem* vocamus octiduum, aut cùm veteribus Olympias dicitur quinquennis, vt apud Ouid.

——— *Quinquennis Olympias acta est:*

& Ausonium.

Hæc quoque temporibus quinquennia sacra notandis,
Isthmia Neptuno data sunt, & Pythia Phœbo.

Caue autẽ decipiat, quod Pontificij quinquagesimo anno priùs soliti fuerint *iubilæum* celebrare. Nam in eo non Iudæos imitati sũt, sed Romanos. Quippe primus Bonifacius Octauus instituit,

stituit, vt centesimo anno celebraretur *iubilaus*, in quo reuocare voluit morem Romanorum, qui *centesimo quoque anno*, quos ab vrbe condita numerabant, celebrabant *ludos seculares*. Postea Clemens sextus anno Christi CIↃCCCL. quinquagesimo post Bonifacium anno, reduxit *iubilaeum* ad annum quinquagesimum, quemadmodum & posteriores pontifices angustiores eius terminos fecerunt. Liquet itaque si nomen spectemus *iubilai*, id esse à Iudæis; si rem, Pontifices potiùs sibi Romanos proposuisse quàm Iudæos, eóque neutiquam ex eo consequi Iudæis *iubilaeum* fuisse annum quinquagesimum, quod is ex Clementis Papæ instituto annus sit quinquagesimus.

IVCVNDVS & *iocundus* in vett lapidibus legere est, vt ostendit Aldus in Orthographia. Iuxta Nunnesium κατ' μετάθεσιν fiat ab ἰόμιος, *speciosus*, ἰωμένι, vt Hesychius exponit. Sed durè omnino. Malim à *ioco* deducere cum Isidoro in x. *Iucundus*, inquit, *eo quod semper sit iocis aptus*. Propterea *iocundus* per O malebat Bembus. Sed caussa hæc satis grauis non est. Nam fortasse assumpsit *V*, vt olim fuerit *iouccundus*: quomodo scribebant *ioure, iousticia, oufens, oufentina* tribus, & alia Idémque factum in *humanus* ab homo, nam olim fuit *houmanus*. Hæc caussa est, cur *iucundus* & *humanus* producant primam, contra quam fit in *iocus*, & *homo*. *Iocus* verò est non, vti aiunt ab ἰαχὴ, quod *clamorem* significat; sed neque à *iocundus*. quod Chaborius censet, ad Horatij sat.1.lib.1. verùm à *iuuo*, hoc est, *oblecto*: quomodo Satyricus dixit,

——— *Magis illa iuuant, quæ pluris emuntur.*

Imò quid si ἀρχαίως à *iuuo iucundus* factum dicamus? Fauet enim *analogia*. Vt à *ferum fecundus*, à *facum facundus*; ita à *iutum iucundus*. Fauet quoque Tullius, in secundo de Finibus: *Hanc iucunditatem transfer in animum. Iuuare enim in vtroque dicitur, ex eóque iucundum.* Mihi quidem hæc imprimis sententia placet.

IVDICIVM esse à *ius*, & δίκη, seu *dica*, censet Iulius Scaliger, lib. III. de caussis linguæ Lat. cap. I. Sed simplicius dixeris vt à *litigo* est *litigium*, sic à *iudico* esse *iudicium*. *Iudico* verò, & *index*, sunt à *iure dicendo*; vt rectè Varro docet, lib. v. de L.L. & Isidorus, lib. XVIII. Orig. cap. XV. Tamen, *rigidè* loquendo, aliud est *iudicare* vel *iudicem esse*, aliud *ius dicere*: vt optimè ostendit Franciscus Duarenus Disp. lib. I. cap. II. Nam *iudex* pedaneus propriè *ius* non *dicit*; quamquam cognoscendi habet *iudicandique* facultatem. At prætor, aliusve magistratus, *ius dicere*, non *iudicare* dicendus, quando *iudici* à se dato *ius* quasi constituit, & formulam *iuris* atque æquitatis præscribit, à qua in cognoscendo iudicandóque recedere non possit. Hoc discrimen validè firmat, quod interdum vt diuersa coniunguntur: quomodo titulus est, Ne quis in suâ caussâ *iudicet*, vel *ius* sibi *dicat*, lib. Codicis Iustin. III. tit. v. Argumento quoque est, quod cùm possit quis in suâ caussâ *iudicare*, *ius* tamen *dicere* non possit: l. LXX. D. de iudiciis: *In priuatis negotiis pater filium, vel filius patrem iudicem habere potest.* Et l. x. D. de iurisdict. *Qui iurisdictioni præest, neque sibi ius dicere debet, neque vxori vel liberis suis, neque libertis, vel cæteris quos secum habet.* Porrò cum *Iudex* à *iure dicendo*, hoc est, *iudicando* (latè enim hic voces eæ sumuntur) dictus sit, patet cum etymo ac proprietate vocis muneris sui commoneri: quòd nempè sententiam dicere debeat *iuri*, hoc est, *legibus* consentaneam. Itaque, iusiurandum præstat, *se cum obseruatione legum iudicia dispositurum*. Hinc Lactantius, lib. de irâ Dei cap. XVIII. *Cùm detectum facinus in lucem venerit, iam non suâ, sed legum sententiâ vtitur.* Et cap XIX. *Iudex peccatis veniam dare non potest, quia voluntati seruit alienæ.* Et Symmachus, in epist. *Corrupta videntur esse sententia, si sint legibus mitiores.* Aliquam multa huiuscemodi collegit Hamenvelto Goldastus in notis ad S Valerianum de bono disciplinæ.

IVGERVM vnde dicatur, & quomodo ab *actu* differat, ostendit hic locus Plinij. XVIII. cap. III. *Iugerum vocabatur, quod vno iugo boum in die exarari posset: Actus, in quo boues agerentur, cùm aratur vno impetu iusto. Hic erat* CXX. *pedum: duplicatusque in longitudinem iugerum faciebat.* Quamquam hoc in loco pro *iugerum* fortè vel *iugus* legendum, vnde ablatiuus *iugere* apud Tibullum: vel *iugum*; quod placuit Fuluio Vrsino: Sanè *iugerum* à *iungendo* potiùs deducere solent. Varro, lib. IV. de L.L. *Iugerum dictum iunctis duobus actibus quadratis.* Similiter Columella, lib. v. cap. I. *Clima quoquouersus pedum est* LX. *actus quadratus vndique finitur pedibus* CXX *hoc duplicatum facit iugerum, & ab eo quod erat iunctum, nomen iugeri vsurpauit.* Similitérque Isidorus, lib. XV. cap. XV. *... duplicatus iugerum facit, & ab eo quod c... ... nomen accepit. Iugerum autem constat longitudine ...* CCXL. *latitudine* CXX. Nunnesio tamen placuit *iugus* & *iugerum* esse à γύα, quod idem notat Sanè. Hesychius & Eustathius exponunt πλέθρον, ἄρουραν. *Iugeri* mensura ducentos & quadraginta pedes habet in longitudine; dimidium in latitudine ex dimensione Quintiliani. Hinc æstimare licet magnitudinem Tityi, de quo ita Tibullus;

Porrectúsque nouem Tityus per iugera terræ.

Parrhasius in Claud. pag. CXI.

IVGLANS est quæ aliter vocatur *nux basilica*, vel *Persica*. Hæc etsi quibusdam sic dici videtur à *iuuando* & *glande*: vt Macrobius refert: tamen non dubitandum, quin sic vocetur quasi *Iouis glans*; in quo etymo consentiunt Varro, lib. IV. de L.L. Caius IC. Seruius ad Ecl. VIII. Isidorus, lib XVII. c. VII. Idémque etymon amplexus Gabius Bassus, eius verba vide apud Macrobium, lib. III. Sat. cap. XVIII. Nempe eâ ratione à *Iouiglans* est *iuglans*, quâ à *Iouipater* est *Iupiter*. Nam vt dicitur *Marspiter*, & *Diespiter*, sic & *Iouipater* seu *Iouispater*, vbi *Iouis* est antiquus nominatiuus. Est & tertium *iuglandis* etymon. Nam Cloatius Verrius libro à Græcis tractorum, *iuglans* dici ait quasi *diuglans*, id est, Διὸς βάλανος. Auctor Macrobius. Sed quis non videt *iuglans* potiùs esse à Latino *Iouis*, quam Græco Διός; Præsertim cùm posterior vocis pars Latina sit non Græca. Imò aliud *nucis* genus sit Græcis Διὸς βάλανος, quàm Latinis *iuglans*: vt mox dicam. Addo quartum etymon. Camerarius enim in problematis sic dici coniectat quasi *iusta glans*. Eum illud mouet, quod *castanea* potiùs *Iouis glans* esse videatur, quod colligit ex Theophrasto, vbi Διὸς βάλανον describit. Sed Dioscoridi paret Διὸς βάλανον esse *castaneam*. Nisi cum aliis *Ponticam* malis, siue *auellanam*. Non tamen hæc mouere me possunt, vt à superiori etymo recedatur. Quippe nihil obstat, quo minùs Latini non semper Græcorum vestigiis in rerum appellationibus insistant. Quare satis est, quod *nuces* hæ apud Romanos *Ioui* essent dicatæ: quod nisi esset, non etymon istiusmodi adduxisset diuinarum humanarúmque rerum scientissimus Varro, nec vel Caium, vel Seruium, in eâ re habuisset sententiæ suæ assertores.

IVGO nunc primæ est, vnde *adiugare, coniugare*, aliáque: nunc tertiæ, dicitúrque de *miluorum voce*. Festus: *Iugere milui dicuntur, cùm vocem emittunt.* Glossæ Philoxeni: *Iugit*, ἰκτῖν βοᾷ. Vocem *iugere* Varroni & Appuleio restituit Ios. Scaliger. Apud Varronem Sesquiulysse legit: *Iugere volitans miluus visus; aquam è nubibus tortam indicat fore, vt tegillum sibi sumat pastor.* Vbi vulgo pro *iugere* legitur *vigere* apud Nonium in *Tegillum*. Appuleio autem locum in v. Asini aurei, sic corrigit: *Iubet citharam loqui, psallitur: tibias iugere, sonatur: choreas canere, cantatur.* In vulgatis pro *iugere* est *agere*. Tibiæ quæ *iugerent*, à *miluo* dictæ *miluinæ*: *quæ in accentus exeunt acutissimos*, vt ait Solinus cap. XI. Arbitror autem *iugere* esse à sono effictum, vt pleræque omnes animantium voces.

IVGVLA, teste Festo, idem quod *Orion*. Plautus Amphit. I. I. *Nec Iugula, neque Vesperugo, neque Vergiliæ occidunt.* Fortasse autem sideris nomen non *Iugula* est, sed *Iugulæ* in pluratiuo. Ita sanè apud Plautum legit I. Gruterus, qui id in optimis & antiquissimis inuenit codd. quemadmodum monuit Taubmannus. Adde quod similiter Manilius dixit lib v.

Nunc Cancro vicina canam, cui parte sinistrâ
Consurgunt Iugulæ. ———

Tamen & *Iugula* rectum est. Nominis rationem hanc adfert Festus, *quod amplior sit cæteris, quasi nux iuglandis.* Sed hoc nugari est. Rectius Cæsius Bassus, Cæsaris Germanici interpres: qui de *Orione* agens, *Hunc*, inquit, *Romani Iugulam vocant, eò quòd sit armatus, vt gladius stellarum luce terribilis.* Nempè vult *Orioni* hoc nomen esse à *gladio*, quo sidus hoc illustre est: puta quia *glandiis iugulum petit*. Sed Varro non à *gladio*, verùm à *spatio*, *quod est inter iugulum, & collum*, dici arbitratur. Sic enim scribit lib. VII. de LL. *Iugula signum est, quod Attius appellat Oriona, cùm ait, Citius Orion patefit. Huius signi caput dicitur à stellis quatuor, quas infra duæ claræ, quas appellant humeros: inter quas quod videtur, iugulum: vnde Iugula dicta.* Corruptum veteris Glossarij de *Iugula* locum emendant Scaliger in Festum, & Andreas Schottus Nod. Cic. lib. IV. cap. v. Obseruat autem Scaliger ad lib v. Manilij poëtæ, huic *Iugulas* dici, quos alij ὄνους siue *Asellos* in φάτναις Cancri interpretantur. Nam & ita accepit interpres Manilij Iulius Firmicus. Sed hanc appellationem negat se alibi vsquam legisse.

IVGVLARE est *iugulum præcidere*. Videntur autem veteres non distinxisse inter *gulam*, & *guttur*; sed quasi duæ essent *gulæ*, grandiorem ad alterius discrimen *iugulam* quasi *maiorem gulam* vocasse: quomodo & *Iugulam* sidus, & *nucem iuglandem* à magnitudine dixere; si audimus Festum, cùm ait: *Iugula, stella Orion, quod amplior sit cæteris, quasi nux iuglandis*. Nempe

per hoc vult, à prima syllaba in *Ioue*. & *Iugula* & *iuglandi* in syllabam præmitti, quomodo à *boue* ad magnitudinem notandam *bu* præponitur, in *βούπαις*, & aliis.

IVGVM à *iungendo* dici, ait Perottus: *iungo* autem, quasi *in unum ago*. Verùm contrà à *iugum* venit *iugare*. A *iugare* verò est *iungere*; vt à *cubare*, *cumbere*; à *pagare*, *pangere*, & ita in aliis multis. *Iugum* verò à Græco ζυγός. Nam Latini, quia literam Z non haberent, coacti id mutare, quomodo & à μείζων est *maior*. Ζυγὸς censet Etymologus factum ex δυαγὸς, παρὰ τὸ δύο ἄγειν, καὶ συγκοπῇ δυγὸς, καὶ μεταβολῇ ζυγός. Sed Angelus Caninius arbitratur, ζυγὸς siue ζυγὸν esse à Punico *zaug*, vt ζεῦγος à *zaug*. Porrò ζυγὸς quoque, seu *iugum*, dicitur *cornix citharæ*, in quam verticilla immittuntur. Item *scapus trutinæ*, de quo lances vtrimque pendent. In militia, vt præter Festum, & alios, Liuius docet lib. III. fiebat *iugum* hastis duabus humi fixis, vnàque transuersâ super eas deligatâ: *sub* cuiusmodi *iugo* milites inermes *mittebantur*: atque id propriè est *subiugare*: sed μεταφορικῶς ea vox accipitur pro *debellare* ac *deuincere*. Porrò ex *iugo* hoc *militari* patet quoque, quid *iuga* sint in *vitibus*. Nempe cùm *pedamentis*, quibus stat vinea, *transuersa iugatur*: vnde *vites* istiusmodi *iugata* dicuntur. A *iugum* est *iugis*. Gloss. Philoxeni: *Iugis*, διηνεκής. Eædem, *Iugis aqua*, ἀέναον ὕδωρ. Item: *Iugem*, ἀδιάζευκτον. Festus: *Iuge auspicium est*, *cùm iunctum iumentum stercus facit*. Eius auspicij Tullius meminit, lib. II. de Diuinat. *Huic simile est*, *quòd nos augures præcipimus*, *ne iuge auspicium obueniat*, *vt iumenta iubeant disiungere*. Etiam *iuges*, teste Festo, *eiusdem iugi pares*: *vnde coniuges & seiuges*. Indéque & *iniuges*. Gloss. Isidori: *Iniux bos*, *nondum iugo iunctus*. A *iugum* item est *iugalis*. Vt *equi iugales*, qui Græcis ζύγιοι ἵπποι. Nempe qui in quadrigis, vbi equi quatuor fronte æquata procederent, intra *iugum* essent iuncti, ac vtrimque haberent funalem, vnum dextrum, alterum sinistrum, quemadmodum & *iugalium* dexter vnus, alter sinister. Aristophanis Scholiastes in Nubes: ζύγιοι ἵπποι καλοῦνται οἱ ὑποζυγίως τοῦ ἅρματος ζυγοῦ, τούτων ὁ μὲν δεξιὸς, καὶ ὁ μὲν ἀριστερός. Vide *Funalis*. A *iugum* quoque est *iugare*. Vnde Catoni *iugumentum*, quasi *iugamentum*. *Iugumentum*, inquit, *& antepagmenta*, *quæ opus erunt ex lapide indito*. Loquitur Cato de *iugumentis* ex lapide referentibus *iugum militare*, quale est, cùm duabus hastis fixis, super eas ligaretur tertia, vt per eam hostes transirent. A *iugumentum* est *iugumentare*, apud Vitruuium, lib. II cap. I. Composita à *iugo* persequamur. Tale est *abiugus* & *abiugare* in Glossis Philoxeni. Est autem *abiugus*, ἄζυγος, ἀποζευγνύμενος. Sane in iisdem *abiugascere* exponitur ἀποζεῦξαι. Item *adiugo*. Pacuuius Chryse:

Mater est terra, ea parit corpus, animam æther adiugat.

Ab eodem est *coniugare*, vnde *coniugata* apud Ciceronem in Topicis. A *coniugando* quoque dicti *coniuges*: de quo seorsim.

IVLVS planè Græcum. Nam ἴουλος Homero est *lanugo efflorescens è genis puberum*. Hinc *vili auellanæ* καὶ μελοφόροι *iuli* dicuntur. Plinius, lib. XVI. cap. XXXIX. *Ferunt & auellanæ iulos compactili callo ad nihil vtiles*. Credo inde *gens Iulia*, quæ ad commendationem sui postea videri voluit id nomen accepisse ab *Iulo* Æneæ, vel, iuxta alios, Ascanij filio. Quod autem mensi, qui antea *Quintilis* dicebatur, nomen datum *Iulio*, id factum in honorem *Iulij Cæsaris*, legem ferente M. Antonio. Nempe quia hoc mense *natus* esset Iulius Cæsar.

IVMENTVM à *iuuando* dictum ob societatem operis rustici, quæ nulla à minore pecore. Columella, præfat. lib. VI. *Nec tamen vlla regio est*, *in quâ modo frumenta gignantur*, *quæ non*, *vt hominum*, *ita armentorum adiumento iuuetur*, *vnde etiam iumenta nomen à re traxere*, *quòd nostrum laborem*, *vel onera subuectando*, *vel arando iuuarent*. Idem etymon adfert Augustinus, quæst. in Deuteronomium. lib. V. cap. XXXVIII. & Isidorus, lib. XII. cap. I. Aliis placet esse à *iungendo*. Gellius, lib. XX cap. I. *Iumentum non id solum significat*, *quod nunc dicitur*, *sed vectabulum etiam quod adiunctis pecoribus trahebatur*, *veteres nostri iumentum à iungendo dixerunt*. Nonius: *Iumentum à iungendo veteres dictum putant*, *G litera in eo nomine attrita*. *Nam & vectabulum dicunt*, *quod nunc vehiculum dicitur*. Verùm ἀναλογία facile euincit, non posse esse à *iungo*. Nam inde esset *iungimentum*, vel potiùs à *iunctum*, *iunctimentum*. Sed ἀναλογικώτερον (vt Camerarius in problematis facit) à simili vocabulo deduxeris; nempe à *iugando*. Nam à *iugatum* erit *iugamen*, vnde *iugamentum*, & per syncopen *iumentum*. Eritque *iumentum* à *iugo* quomodo Græcis ὑποζύγιον dicitur ab ὑπὸ & ζυγὸς, id est, *iugum*. Firmant & Gloss. vett. vbi *Iumenta*, ζεύγματα. At nihil syncope fuerit opus, si à *iuuando* deriues. Nam, vt à *sacratum* est *sacramen*, & addito *TVM*, *sacramentum*; à *motum*, *momen*, & eâdem additâ syllabâ, *momentum*: sic à *iutum iumen*; & *TVM* adiecto, *iumentum*, quod etymon omnium simplicissimum, & eo confirmatur; quod *iuuencum* quoque dixere, quia *iam iuuare ad agrum colendum posset*, vt scribit Varro, lib. IV. de L.L.

IVNCVS ὁ μελάγκρανις, iuxta Nunnesium, fit à σχοῖνος, vt Græcis vocatur. Malim deducere à *iungo*. G enim & C facilè commutantur. Imò antiqui pro G semper C scribebant, vt alibi ostendimus. Nec tamen propterea hoc nomen accepit *quòd iunctus radicibus hæreat*, vt tradit Isidorus, lib. XVII. cap. IX. verùm quia *iunceis* aliquid *iungi*, hoc est, *vinciri ligarique* soleat: vnde & Germanis vocatur *bintz* à *binden*, hoc est, *vincire*, *ligare*.

IVNGO à *iugo*, *N* inserto: *iugo* à ζυγῶ, de quo in *iugum* diximus. A *iungo*, est *iunga*, & ὑποκοριστικῶς *iungula*, & *iungla*. Gloss. Phil. *Iungla*, ἱμὰς ζευκτικός. Nempe quâ ratione à *cingo* est *cinga*, vnde *cingula*. Gloss. *Cingula*, ὑποζώνη. Similéque à *strigo striga*, à *fallo falla* apud Nonium.

IVNIPERVS à *iunior*, & *pario*, *quòd iuniores & nouellos fructus pariat antiquis maturescentibus*: *vt qui pariat vsque ad tertium annum*, *arbori sua inhærente fructu*. Ita Casparus Bauhinus ad Dioscorid. lib. I. cap. LXXXVII. Quod si vt ex *iuuenior iunior* factum, ita & ex *iuuenis iunis* dixeres, non dubium, quin hæc prior sit compositi pars. Sane in Onomastico est *Iunis*, νέος. At non audiendus Isidorus, qui conflatum putat ex *finio* & πῦρ, vel ex *annus* & πῦρ; vt dicatur quasi *finipyrus*, vel *annipyrus*. Ita enim scribit lib. XVII. cap. VIII. *Iuniperus Græcè dicta*, *siue quod ab amplo in angustum finiat*, *vt ignis*: *siue quòd conceptum diu teneat ignem*, *adeò vt*, *si prunæ eius cinere fuerint opertæ*, *vsque ad annum perueniant*. Græcis ἄρκευθος appellatur.

IVNIVS mensis à *iunioribus*, vt à *maioribus Maius*. Ouid. VI. Fastorum.

Iunius est iuuenum, *qui fuit antè senum*.

Aliis placet simili συγκοπῇ fieri *Iunius* è *Iunonius*. Itaque apud eundem Nasonem ait ibidem *Iuno*:

Ne tamen ignores, vulgique errore traharis,
Iunius à nostro nomine nomen habet.

Festus: *Iunium mensem dictum putant à Iunone*, *iidem ipsum dicebant Iunonium*, *& Iunonialem*. Tertium quoque etymon adfertur, vt à *iungendo* sit, extrito G: vnde de Concordia sic idem Naso:

Hæc vbi narrauit, Tatium, fortémque Quirinum,
Binaque cum populis regna coisse suis;
Et lare communi soceros generósque receptos:
His nomen iunctis Iunius, inquit, habet,

IVRGIVM, & *lis*, vt differant, docet his verbis Nonius Marcellus: *Iurgium leuior res est*, *siquidem inter beneuolos aut propinquos dissensio vel concertatio iurgium dicitur*. *Inter inimicos dissensio Lis appellatur*. M. Tul. de Rep. lib. IV. *Admiror nec rerum solùm*, *sed verborum etiam elegantiam*: *Si iurgant*, inquit, *beneuolorum concertatio*, *non lis*, *inimicorum iurgium*, *dicitur*. Et in sequenti: *Iurgare igitur lex putat inter se vicinos*, *non litigare*. Hæc Marcellus. De etymo sic Varro, lib. VI. de L.L. *Quibus res erat in controuersiâ*, *ea vocabatur Lis*; *ideo in actionibus videmus dici*, *Quam rem siue litem dicere oportet*. *Ex quo licet videre*, *Iurgare ab iure dictum*: *cùm quis iure litigaret*; *à quo Obiurgat is qui id facit iniustè*. Item Festus: *Iurgatio*, *iuris actio*. Ex Festi igitur sententiâ, *iurgium* dicitur, quasi *iuragium*; & *iurgare* quasi *iure* vel *de iure agere*. Sed potiùs *iurgo* simplex est deriuatum, vt à *iure* sit *iurego* & per syncopen *iurgo*, vt à *mare marigo* & per syncopen, literæque immutationem, *mergo*, hoc est, ὑποβρυχίζω; à *per* & *rego*, *perrego*, vnde *pergo*; à *susum*, siue *sursum*, & *rego*, *surrego*, vnde *surgo*. Possis & vocis originem arcessere à Græcis, vt nempe ab ὀργίζομαι sit *iurgor* præposito *I* consona.

IVRO, à *iure* dicitur, cum qui *iurat*, religiose spondeat, se aliquid, ceu *ius* esset, seruaturum. Itaque pro *iurando*, siue *iuramento*, etiam dicimus *iusiurandum*, quod à *iure* dici indicant obliqui *iurisiurandi* & *iureiurando*. Subtilius ergo quàm verius Appuleius, qui in libro de Deo Socratis *iusiurandum* dici ait quasi *Iouis iurandum*. Adduxit eum in hanc sententiam illud Ennij apud Ciceronem III. Offic.

Fides alma, apta pennis, iurandum Iouis.

Cui geminum hoc Næuij: *ius sacratum*, *Iouis iurandum sagmine*. A *iuro*, vt Priscianus, lib. I. (vbi de literarum affinitate agit) rectè ait sunt *deiero* & *peiero* correptâ penultimâ contra primigenij naturam. At *peiero*, R quoque amittit cùm sit à *per* & *iuro*. Hoc minimè perspexit Beda, qui lib. de Orthographiâ ait: *Peiero verò verbum R non debet habere*. *Est enim quasi peius iuro*. At remansit R in *periurium*.

IVS forense à *iuuando*, aut *iubendo*, dici putant. Alij *ius* quidem *culinarium* à *iuuando* deducunt, *forense* autem à *iubendo*.

Recentiores quidam mirificas originationes commenti sunt. Sane Franciscus Conanus, lib. I. Commentar. iuris cap. II. *ius* ciuile dici ait à *iuxta*, quia *iuxta* legem fit, & ei adæquetur & accommodetur, veluti suæ regulæ: quod etiam etymon adfert Ioan. de Salas. tract. de Leg. I. disput. I. sect. II. At Galeotus Martius de doctrina promiscua, lib. VII. & Franciscus Sonctius in paradoxis, tradunt, *ius* primâ suâ significatione signare *offa*, aut *pultem*: sed quia in conuiuiis pares vnicuique partes dabantur, ideo metaphoricè *ius* vocatum, *quod suum cuicunque tribuit*. Scipio Gentilis libro Originum scribit, cùm prisci in agris viuerent, sæpèque infirmiores opprimerentur à potentioribus, eos qui afficerentur, ad misericordiam excitandam, *iô iô*, solitos exclamare: vnde Tertullianus in Valentinianum: *Ut etiam inclamauerit in eam, iô iô, quasi, Porro Quirites, & Fidem Cæsaris*. Vult igitur ab *iô*, IOVS (vt veteres loquebantur) dictum esse, quia infirmiores nil nisi *ius* cupiant, atque expostulent. Alteram quoque ἐτυμολογίαν idem adfert, vt à *Ioue* sit *ius*, quemadmodum Græcis δίκη (vt aiunt) quasi Διὸς κούρη, *Iouis filia*. Probat autem hanc originationem ex Lactantio, qui ait Ennium, Euhemeri interpretem, scribere, Iouem in monte Olympo maximam vitæ partem coluisse, eóque ad illum, siqua incidisset controuersia, veniri solere. Sanè verisimilior hæc etymologia, quam prior, quam & ij sequuntur, qui *ius* dici volunt, quasi *Iouis os*, quia nempe id demum iustum sit, quod Deus sit profatus. A *ius* est *iustus*: vt à *Venus*, *venustus*. A *iustus* verò est *iustitia*. Sic à δίκη est δίκαιος, vnde δικαιοσύνη; non contra. Malè igitur Vlpianus, qui *ius* vult dici à *iustitia*. Nam *iusti* quidem à *iustitia* dicimur, vt in paronymorum doctrinâ Logici tradunt: sed vox nihilominus *iustitia*, posterior est, quam *iustus*, quia concreta, vt iidem docent, notiora sunt abstractis. Ac longè etiam ineptiùs, cum *iustitia* dici volunt, quia *ius* sistat, idque vt aiunt, quia *ius* pro loco ac tempore mutetur; *iustitia* verò sit æterna, vt omninò *ius* à *iustitia* sistatur. Ineptissimè verò omnium Alciatus, cùm I. Paradox. *iustitia* κατὰ μετάθεσιν dici ait, quasi *vistitia*, quòd *vim sistat*. *Iusta* pro *parentalibus*, siue *exequiis*, sic appellantur, quia sint officia sancta *iureque* debita. Græci similiter καθήκοντα, hoc est *funerationem*, seu *parentationem*, vocant ὅσια, quasi *iustum sanctúmque officium*: ac *parentare* similiter dicunt τὰ νομιζόμενα ποιεῖν, vel τὰ ὅσια ποιεῖν. *Iuridicina*, locus, vbi *ius* dicitur. Vtitur Tertullianus, lib. de Pallio, extremo capite tertio. *Iniurus* pro *iniustus*, dixit Plautus, Persar. Act. III. Sc. III.

——Impure, inhoneste, iniure.

Vbi tamen Nonius legit *iniurie*. Ab *iniurus* est *iniuria*, vt ab *impurus*, *impuritia*, quo eâpse scenâ vtitur Plautus.

IVSTITIVM, quasi *iuris statio*. Nam vt Gellius ait lib. XX. cap. I. *est iuris quasi interstitio quadam & cessatio, quibus diebus nihil cum confessis æris ac debiti iudicatis agi iure possit*. Simile igitur est *iustitium*, ac *solstitium*, quod itidem dicitur, quasi *solis statio*, hoc est, *silentium*. *Iustitio* opponitur *iuridicium*, hoc est, *dies iuris*, siue *quibus ius dicitur*. Itaque, vt in veteribus Glossis *iustitium* vertitur ἀπραξία, ita in Glossis aliis *iuridicium* vertitur, δικαστικὴ ἡμέρα.

IVVENCVS, & *iunix*, ætate conueniunt, sexu differunt; quemadmodum Cornutus testatur ad illud Persij, sat. II.

Tot tibi cum in flammis iunicum omenta liquescant:

Junices, inquit, *dicuntur ætate viridiores vaccæ, inter vitulas & vaccas. Iunices fœminæ, iuuenci masculi dicuntur*. Gloss. Philoxeni: *Iunix*, δάμαλις. *Iuuencus* vnde sit docet Varro, IV. de L. L. *Iuuencus, iuuare qui iam ad agrum colendum posset*. Similiter Isidorus, lib. XII. cap. I. Sed is alterum quoque etymon addit, vt sit à *Ioue*, quia *Ioui mactaretur*. At longè verisimilius est, ita dici à *iuuando*. Eadem origo *iunicis*. Nam itidem à *iuuando iunix*, quasi *iuuenix*. Pro vtroque etymo est, quòd & à *iuuando iumentum* nomen accepit: vt ostensum suo loco. Quibusdam placet, *iunix* dici à *iugo*, quasi *iugenix*. Ita simile erit Græco ὑποζύγιον, quomodo *iumentum* vocatur, à ζυγὸς, id est, *iugum*. Sed etymon hoc minus placet, quia συγγενῆ hæc, quantum recordor, in derivatis à *iugum* minime inuenitur. Quare si à superiori etymo discedere lubeat, verisimiliùs dicatur, & *iuuencum*, & *iunicem*, sic dici ab *ætate iuuenili*. Ita ex *iuuenix* erit *iunix*, vt à *iuuenior*, *iunior*. Quod etymon paulò post adfert Cornutus. Nec displicet.

IVVENIS Stephano Guicharto dici videtur vel quasi *iubenis* à *iuba*, quia comatus; vel quasi *iupenis*, ab ὑπήνη, *barba*; vnde ὑπηνήτης Luciano *iuuenis*, quasi *barbatulum* dicas. Sed simpliciùs, puto, deduxeris à *iuuo*: vt *iuuenis* propriè significet *vegetum firmúmque, & ætatis beneficio ad iuuandum aptum*. Cum ad homines restringitur, *iuuenes* dicuntur *eò quòd Rempublicam in re militari possint iuuare*: vt ex Varrone tradit Censorinus. A *iuuenis* autem veniunt *iuuentus*, *iuuentas* & *iuuenta*: quæ ita differunt, quòd *iuuentus* sit multitudo *iuuenum*, *iuuentas* sit Dea, *iuuenta* ætas. Postrema hæc eo pacto distinguit quoque Nonius: ac in nummo Aurelij & quorundam aliorum *Dea* liquido vocatur *Iuuentas*. Μετωνυμικῶς tamen interdum ponitur pro *ætate*. Ita, Pierio teste, V. Æn. legitur in codice Romano antiquissimo.

——Si nunc foret illa iuuentas.

Et lib. VIII. codices multi habent:

Tum mihi prima genas vestibat flore iuuentas:

Vtramque notionem complexum Glossarium Philoxeni, in quo est *iuuentas*, ἥβη. A *iuuenis* est tum *iuuenalis*, tum *iuuenilis*, vt à *vernus*, *vernalis*, & *vernilis*, quemadmodum dicemus in *vernus*. Prius illud crebrò in libb. vett. legas, vbi in vulgatis *iuuenis*: Vt apud Martialem in apophoretis de *monobiblo* Propertianâ (ita enim lemma id concipitur in libb. vett.)

Accipe facundi carmen iuuenale Properti:
Accepit famam, nec minus ipsa dedit.

Confirmat hanc rem quoque, quod C. Iulius Romanus lib. de analogiâ scribat, *Iuuenalis* cùm proprium est, ablatiuum facere per *E*: (vnde Martialis. *Cum Iuuenale meo*:) cùm verò adiectiuum, per *I*. Vnde Maro, V. Æn.

——Iuuenali in corpore vires.

Vulgati Maronis codd. habent *iuuenili*. Sed in Romano ac antiquis plerisque omnibus *iuuenali* legi testatur Pierius: qui & in antiquissimo Ouidij codice se reperisse ait epist. ad Maximium:

Tu mihi dictasti iuuenalia carmina primus.

Súntque loca id genus innumera in codd. vetustis. A *iuuenis* est comparatiuus *iuuenior*, & κατὰ συγκοπὴν *iunior*. In vett. autem libris interdum reperire est integrum *iuuenior*, vbi *vulgo iunior*. Vt apud Senecam, epist. XXVI. *Iuuenior es: quid refert? non dinumerantur anni*. Ita Opsopœus inuenit in tribus MSS^tis, item Modius in suis. Legas & apud Ambrosium, in Psal. CXIX.

IVVO malim deducere ab antiquo nominatiuo *Iouis*, quando homo homini deus: vt prouerbio docemur: quàm *Iouis* à *iuuando*; vt veteres voluere: eósque inter Agellius, lib. V. cap. XII. At idem rectè *Iupiter* dici monet, quasi *Iouis pater*, non quasi *iuuans pater*; quod Cicero scripsit, lib. II. de nat. Deor. nec quasi *iuuans patrem* κατ' ἀντίφρασιν, cùm regno expulerit *patrem* Saturnum: prout ἀλληγορίζει interpres Alberti M. Sed audiamus ipsum potiùs Agellium: *Iouem*, inquit, *Latini veteres à iuuando appellauere, eundémque alio vocabulo iuncto patrem dixerunt. Nam quod est in elisis aut immutatis quibusdam literis Iupiter, id plenum atque integrum est Iouis pater. Sic & Neptunus pater coniunctè dictus est, & Saturnus pater, & Ianus pater, & Mars pater: hoc enim est Marspiter. Item Iouis Diespiter appellatus, id est, diei & lucis pater: idcircóque simili nomine Diiouis dictus est, & Lucetius, quòd nos die & luce quasi vitâ ipsâ afficeret & iuuaret*. Hactenus Agellius. A *Diiouis*, *Dialis* flamen dictus videtur Varroni, lib. IV. de L. L. Sed puto esse ex eo, quod Græci *Iouem* Δία vocant. *Diiouis* autem ex *Deus Iouis*, vti *Diana*, quasi *Dea Iana*. Erit autem *Iouis* à *Ioua*, hoc à *Iehoua*, si recta est hæc *Dei* appellatio. Nec enim pauci de hoc ambigunt; quia, vt aiunt, puncta vocalia, quibus ea vox apud Hebræos notatur, non propria sint, sed (nisi quà regulæ Grammaticæ immutationem exigunt) alieni nominis, puta *Adonai*, vel *Elohim*. Quæ autem vera propria eius puncta sint, incertum est: vt hoc sanè respectu non malè id nomen dici possit ἀνεκφώνητον, seu *ineffabile*; non autem quasi aut in se id pronunciari non possit, aut magis religio sit in nomen *Dei* efferre, quàm alius, quæ Iudæorum superstitio est. Sanè ab antiquitate hic parum auxilij, cùm nec apud Græcos, nec Latinos patres vel *Iehoua* legere sit, vel vocem aliam literis יהוה signatam. Quod autem nec LXX. id nomen expressere, factum ex eo videtur, quòd Græcus sermo id nomen seruare non possit: vt qui careat litera *iod*, & *vau*; neque in fine adspiret. Atque hoc etiam sensu olim ἀνεκφώνητον dici potuit. Interim non dubium sit, quin nomen id ab ipsa *Dei essentia* sumatur: vt quod sit à radice Chaldaica הוה, quod significat *esse*: vnde illud *Dei* nomen sic ἑρμηνεύει Ioannes, Apocal. I. ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Sed de recta eius nominis pronunciatione fortasse alibi se commodior offeret fusius dissertandi locus. Si receptæ insistendum opinioni, quam doctissimus Fullerus in Miscellaneis tuetur: non dubium, quin *Iouis* ex *Ioua*, hoc ex *Iehoua*, factum sit. Sed sanè an *Iehoua* dixerint, valdè est incertum, cùm puncta sint alterius nominis. Quare verior fortasse aliorum opinio, qui censent ex Ζεὺς esse *Iouis*. Nam Æoles diuidebant diphthongos.

ρός. Itaque pro ναῦς dixere νηῦς, pro Ζεὺς, Ζεῦς. Hinc Æolicè ι inserto Ζιεύς. Et Ζ in I conuerso, vt à ζυγὸν *iugum*, sic à Ζιεὺς *Iouis*. Non dubium verò, quin cùm & Hebræi יה contractè dicant pro יהוה, ab illo יה, sit Ἴακχος seu *Iacchus*. Nempe *Dei* veri nomen idolo suo dederunt. Becmanus iudicat etiam à יה esse Germanicum *ja*, vt propriè aduerbium id sit sanctè & quasi cum nominis diuini testatione aliquid affirmantis. Est & apud Osiandrum cap. VI. annotat. in harmoniam Euangelicam longa disputatio, qua comprobare conatur, nomen *Iesu* esse à יהוה. Nam nomen id inserto ש ex ineffabili factum esse effabile, quemadmodum absconditus & incomprehensibilis Deus assumpto homine cœpit nobis esse cognoscibilis. Sed argumenta eius parum valida sunt. quod sigillatim ostenderemus, nisi prolixitatis metus impediret. Nunc illud tantum dicam, proprium Saluatoris nomen fuisse ישוע. Græci spiritum solent omittere: vt sit ישו. Præterea in fine adscribunt ς. Vt pro *Iudah*, Ἰούδας dicunt; pro *Thomah*, Θωμᾶς. Vt facilè concidant, quæ de summa nominis immutatione argutatur Osiander. ישוע verò est à ישע, quod est *saluo*. Hæc mens verborum angeli cùm ad Mariam ait: *Et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis ipsorum*. Videri itaque queat voci *Iesu* respondere Græcum Σωσίας *Sosia*. Sed secus est. Nam id *seruile nomen* est ex eo impositum *non quod alios seruasset*, sed *quod ipse seruatus esset*, *in bello*, vnde & *serui* appellationem deducunt Iurisconsulti. *Iesus* verò dictus, *quod alios interitu liberasset*: vt Latinè melius reddere non possis, quam *sospitatorem*. At Hebrææ linguæ ignorantiâ falluntur, qui Ἰησοῦς deducunt à futuro ἰάσω, ab ἰάομαι, id est, *medeor*, vnde Argonautæ nomen, Ἰάσων, & commune vocabulum ἰατρὸς, *medicus*, vt Ἰησοῦς dicatur, quia sit *spiritualis medicus*, *sanans suos à peccatis*. Atque in eo, vti dixi, linguæ inscitia eos fefellit. At non linguæ, sed rei ipsius ignorantia decepit olim gentiles, cùm eidem à *bonitate* nomen impositum putarent. Quippe cum scirent χρηστὸς significare *optimus*, nempe à χρήσιμος, quasi *maxime vtilis*: *saluatorem* nostrum *Chrestum*, nósque *Chrestianos* appellarunt. Atqui, quod neque *Christianorum pueri* nesciunt, vera appellatio est Χριστὸς ac Χριστιανοί, à χρίω, id est, *vngo*: vt idem sit Χριστὸς, quod *Messias*, hoc est, *Maschiah*, משיח, à משח, hoc est, *vngere*. Iudæi quoties in prophetis aut Psalmis occurrit משיח, malunt id ἠλειμμένος vertere, quod ab ἀλείφω, id est, *vngo*, quàm Χριστὸς, quod idem notat. Eius autem consilij ratio est, quod hoc pacto magis occultatur prophetæ consilium agentis de *Seruatore* nostro, cuius nomen *Christus* Iudæis nimis oculos præstringat, si iisdem literis apud prophetam legatur. *Christus* autem *Saluator* noster dicitur, non quia *oleo externo vnctus* (quanquam sic quoque inunctus, sed ad sepulturam,) verùm partim donorum ratione quæ à Spiritu S. accepit sine mensurâ, partim ratione vocationis, quia à Patre suo ordinatus summus noster Propheta, Sacerdos, & Rex. Atque hoc παρέργως.

IVXTA, & *iuxtim*, à *iugo*, pro *iungo*. Nam quod alteri *iugatur*, siue *iungitur*, id *iuxta* illud esse dicitur; *iuxtim* est apud Lucretium. in IV.

Esse videt iuxtim miscentes vulta parentum.

Nempe vt à *iunctum*, *iunctim*. Itaque *iuxta*, & *iuxtim*, valent *prope*, ἐγγὺς, πλησίον, vt in vett. Gloss. exponuntur. Itaque Virgilio, *iuxta æquora* valet *prope æquora*. Plautoq; *iuxta mecum*, *vna mecum*, *iunctim*. Iuniores pro *secundum* vsi: vt cùm dixere, *iuxta Aristotelem*. Sed non arbitror Augusti æuo quemquam sic locutum. Imo nec multum eos iuuat hoc Gellij, lib. IV. cap. IX. *Nigidius Figulus*, *homo*, *vt ego arbitror*, *iuxta M. Varronem doctissimus*. Nec enim valet *secundum Varronem*, sed *vnà cum Varrone*, siue *coniunctim cum eo*. Nam Varro & Nigidius, Romani generis doctissimi & culmina fuere humanitatis: vt idem ait, lib. IV. cap. XVI. & lib. XIX. cap. XIV. In MSS. pro *iuxta* legas non rarò *iusta* credo vt *mista* dixere pro *mixta*. Nam *mixtum* prius, quia ex *misceum* s deleto enim solo *u* est *miscitum*, & per transpositionem, *micstum*, siue *mixtum*: quia *x* est compendium duarum literarum *cs*. Alij tamen malunt *iuxta* esse è *iugis*, vt *Vlyxes* ex *Vlysses*.

L

LABARVM, *vexillum* erat *ingens*, quod imperatori præferri ac a militibus adorari solet, circiterque Adriani tempora vsurpari cœptum. Id in crucem commutauit Constantinus, cum ei per somnium apparuisset, hisce verbis inscriptis, ἐν τούτῳ νίκα, *in hoc vince*. Putarunt quidam, olim sic vocatum ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, hoc est, *à pietate*, cuius erat signum. Verùm obstat, quòd Constantini demum ætate id acceperit: Sanè meminit quoque eius Tertullianus in Apologetico. Quare verisimilius sic dici à λάβω, hoc est, *capio*. Quamquam & esse video ex antiquis, quibus visum fuerit vocabulum origine Latinum à *labore*, quia (vt apud Nazianzenum στηλιτ. α legere est,) ἡ τῶν καμόντων λύσις, *laborum solutio*, vulgo diceretur. Sanè λάβωρον per ω à Romanis vocari scribit Hermias Sozomenus lib. I. cap. IV. Sed obstat huic etymo mediæ syllabæ quantitas, quam non Rabanus Maurus solùm, sed & Prudentius corripit, cum de Constantino ait:

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum.——

Verisimilius igitur Fullerus, lib. IV. Misc. cap. XII. censet *labarum* esse à λάφυρον, υ in α abeunte, vt à κύλιξ, *calix*. Nempe quia primitus *labarum* fuerit λάφυρον hoc est *exuuiæ seu spolia hosti vivo detracta*. Puta paludamentum imperatorium, quod vexilli loco gestabatur. Vide plura de *labaro*, dicto Sozomeni loco, ac imprimis Eusebium, libb. de vita Constantini, lib. I. qui de forma eius: at lib. II. de eius vi. Ex iunioribus quædam de *labaro* Gyraldus, dialogismo XXV. Alciatus, in XII. lib. Cod. tit. de Præpositis *laborum*, Mekerchus de pronunciat. Ling. Gr. cap. XXXIV. Cujacius l. XII. Tit. XVIII. Lipsius, ad lib. III. de cruce, cap. XV. & Obseruat. lib. XI. cap. XX. Meursius, in Glossario, voce λάβαρον.

LABDÆ dicti flagitiosi homines, qui id agunt quod Varro, Marcipore, dixit *vmicam ———are*; Suetonius *ore muliebria pati*, item *capiti illudere*; Martialis *fellare* & *irrumare*. Iuuenalis:

Inguinis & capitis quæ sint discrimina, nescit.

aliique aliter. Vsus sic *labda* voce Varro, Margopoli, περὶ ἀρχῶν;

——*Depsistis, dicite labdæ?*

Allusit & Ausonius: *Cui ipse linguam cum dedit suam, labda est*. Nominis ratio est, quod *lavda* sit prima litera in λαικάζειν, vel λεσβιάζειν, quod idem est ac *irrumare*, à *Lesbiorum moribus*, qui morbo hoc infames; vt & Phœnices, vnde Lucianus id vocat φοινικίζειν, & Campani, vnde *Campanum morbum* nominat Horatius. Quod verò *labdas* potius quam *lambdas* dixere, id est ex eo, quòd Græci εὐφωνίας caussa λάβδα dicerent pro λάμβδα, omisso μ, quomodo Syri *lamda* dicunt omisso *b*.

LABES, à *labor*; vt à *cado*, *cades*; à *nubo*, *nubes*. Itaque propriè pro *ruina* aut *lapsu* ponitur; quam notionem tribuit Seruius in I. Æn. Quia autem deformia sunt quæ *labe* concidérunt: hinc per translationem sumitur pro *macula*. Nonnulli tamen ita malunt vocari, quia *illauitur* vesti vel alteri rei. Nunnesio placet esse à λύμη, quod significat *sordes*, *illuuiem*. Aliquibus etiam visum, esse à λώβη, quod notat *iniuriam*, *contumeliam*, *dedecus*. nempe à לעב, quod est, *irrisit*, *contumelia affecit*.

LABOR aliquibus videtur esse à λύπη, *dolor*. Sanè *labor* non rarò sumitur pro *miseria*. Sed πιθανολογῶ. Quare censeo esse ab ἄπος, *l*. præmisso. Nam ἄπος. Euripidi idem ac κάματος, teste Eustathio. Vel *labori* nomen impositum ἀπὸ τοῦ λαβεῖν, nempe eâ verbi notione, quâ Xenophon, & alij, dicunt, λαμβάνειν ἔργον, *opus suscipere*. A *labore* est verbum *laborare*. Nam qui *labat*, idem *laborat*, vt vitet *lapsum*. A *labo* autem est *labor* verbum. Vel & *labare* & *labi* erit ab intensiuo λα, & βῶ, hoc est *βαίνω*. Ita propriè signent *celeriter descendere*. Vt, *Labere, Musa, polo*. Iuxta aliquos *labori* fuerit nomen ex eo quia facit, vt *labent* ac deficiant vires. Sed magis placet *labo* κατὰ συγκοπὴν factum esse ex *labero*: quia *laborare* dicuntur, quæ premuntur, & male habent. Quomodo homo *femore laborat*, aut *cornu laborat*, in acie. Quod si est, non à *laborando labor*, sed à *labore labare* aliquid dicetur. A verbo *labor* est *lubricus*. A in *V* abeunte quomodo à *salto* est *exulto*: à *calco*, *conculco*. Nunnesio tamen in Grammatistice placet *lubricus* esse à ὀλισθηρός, quod exponit *humanus*, *lubricus*.

LABRVM nunc notat *vasis genus*, *in quo lauabant*, nunc *rei alicuius*, ac imprimis *oris extremitatem*. Vtramque notionem complexæ Glossæ Philoxeni, in quibus legas *labrum*, χεῖλος, λουτήρ. Pro vase vsus Maro XII Æn.

——*Hoc fuscum labris splendentibus amnem*
Infecit.——

Dicitúrque hac notione quasi *lauabrum*, vt testatur Marius Victorinus. Itáque similiter Græcum λουτὴρ à λούω. At altera significatione *labrum*, vti & *labium*, venit, non quidem à *lambendo*, vt Isidorus putabat lib. XI. Orig. cap. I. sed ἀπὸ τοῦ λαβεῖν. *Labris* enim siue *ore*, cibum apprehendimus: res quoque aliæ si ansas non habeant, *labris* suis eum apprehenduntur. Donat. ad Eunuch. Act. IV. sc. III. ait: *Labra sunt superiora*, *labia inferiora*. At contrà apud Agrætium legas: *Labium supe-*

rius dicitur, labrum inferius. Verrius Flaccus quemadmodum Charisius tradit. lib. I. *sic dixit, modica esse labra, labia autem immodica: & inde labeones dici.* Sed rectè monet Charisius, *labra*, & *labia*, distinctè dici *Labia* Græcis χείλη, vnde quibus ea immodica, *chilones* vocantur, teste Festo, Charisio & Velio Longo. vt in *chilo* dicimus. Iidem Latinis à *labiis labeones*, vt ex Verrio Charisius docuit. Apud Priscianum, lib. IV. legas, à *labo* esse *labeo*. Ita & veteres habent membranæ nostræ, & antiqua editio Veneta anni CIↃ CCCCLXXVI. & postrema Heliæ Putschij. Sed a *labiis*, vel scripsit, vel scribere debuit Priscianus. Iidem à *labris* videntur *labrosi* nuncupati. Glossæ Græcol. Πρόχειλος, *labrosus*.

LABRVSCA est, quæ Græcis ἄμπελος ἀγρία. Geminum eius etymon adducit Seruius, ad Ecl. V. *Labrusca, vitis agrestis, quæ quia in terræ marginibus nascitur, labrusca dicitur, à labris & extremitatibus agrorum; vel quòd sapore acerbo labra lædat.* Priorem sententiam apud Nonium quoque legas: *Labra*, inquit, *non hominum solùm, sed & margines vel fines dici posse auctoritas persuadet. Nam & labruscam genus erraticæ vitis esse volunt, quæ & in sepibus & in labris agrorum & terminis nascitur.* Similiter Isidorus, lib. XVII. cap. V.

LAC κατ' ἀποκοπὴν nunc dicimus, quod veteribus *lacte*. Isidorus, lib. XI. cap. I. deducit à λευκὸν, id est, *album*. Sed præter principem litteram nulla conuenientia inter λευκὸν & *lacte*. Quare iis potiùs subscribam, qui à *laciendo* deriuant, quia *elicitur*: vel potiùs ἀπὸ τοῦ γάλακτος, truncatâ primâ syllabâ. Idem factum in *nosco*, quod à γνώσκω. Γάλα vnde sit, dicimus in *Galaxias*. Dictæ *lactes*, per quas in homine & oue cibus labitur, vt idem Plinius, lib. XI. cap. XXXVII. de etymo ita eâdem origine Priscianus, lib. VI. *Lactes partes sunt intestinorum à Græco γαλακτίδες dictæ, & seruauerunt apud nos quoque idem genus, cuius singulare hæc lactis est.* Perottus vult *lactes* à *laciendo* dici, quia *alliciant cibum*: sed verisimilius est, sic vocari à *mollitie lacteóque candore*: propriéque *lactes* videntur *non intestinum*, etsi id Nonius quoque sensit; sed *pingue* illud intestinum ambiens. Singulari, Prisciano teste, vsus Titinnius: *Craticula, cerebellum, lactis agnina.* Plurali, eodem auctore, Pomponius: *Oro te, Basse, per lactes tuas.* Vsurpat & Plautus, Curcul. act. II. sc. III.

Ita cibi vacuitate venio laxis lactibus.

Ita Nonius legit, non *lassis*, cùm inedia cibique vacuitas mesenterium ac intestina non *lasset*, sed *laxet*: nisi dicas cum aliquibus, *lassis* (quod quoque in MSS. inuenimus) pro *laxis* dici, quomodo promiscuè scribebant *adassint* & *adaxint*. A *lacte* quoque dicta *lactuca*, nempe *lactuca* vnum duntaxat genus olim cognitum erat: *meconium* nempe. Id quia *lacte* abundat, *lactuca* nomen vniuerso generi inditum est. Varro, IV. de L. L. *Lactuca à lacte, quod olus id habet lac.* Similiter Isidorus, lib. XVII. cap. X. Sed alterum quoque, quia *lacte* feminas nutrientes *implet*. Sed prius istud præstat. A *lactuca* Romæ *Lactucini*, de quo alibi. A *lacte* etiam *lactare*, id est, *lac præbere*, vnde Varroni in libris rerum diuinarum, *Lactans Deus*, qui *segetes facit lactescere*. Ab eodem *lactere*, *lac sugere*, vnde *lactentia frumenta*, apud Maronem, I. G. vbi Seruium vide.

LACERE, cùm alibi vsurpat Lucretius, tum lib. V.

Quæ lacere in fraudem possent, vinctósque tenerent.

Venit à *lax*. Festus: *Lacit, decipiendo inducit; inde est allicere, & lacessere. Inde lactat, illectat, delectat, oblectat.* Hæc Festus. Vel erit *lacio* ab ἰλλέω, ἰλλίω seu ἴλλω, κατὰ μετάθεσιν principum literarum. Vel potiùs à λακίζειν, quod Hesychius non solum exponit ῥηγνύειν, *rumpere*: sed etiam θωπεύειν, hoc est, *adulari*, *blanditiis illicere*. Vel (quod Martinio visum) ab Hebræo לקח, *capere blanditiis*, *allicere*. A *lacere* est *lactare*, non quidem cùm notat *lac præbere* (tunc enim est à *lacte*) sed cùm significat *blanditiis trahere*: quâ notione est à *lacere*, vt à *ducere ductare*. Interdum ἁπλῶς notat *trahere*, vt cùm Lucretius ait, *catellos à canibus pedibus lactari*. Sic enim eopse libro canit:

At catulos blandè cùm linguâ lambere tentant,
Aut vbi eos lactant, pedibus, morsúque petentes,
Suspensis teneros imitantur dentibus haustus, &c.

Ab hac eius vocis notione est *delectare*; vnde hoc *allicere & attrahere* interpretatur Nonius. Párque ratio est in *oblecto*, item *prolecto*, quod est, *prolicio*, siue *elicio*. Vtitur non vno loco Apuleius. Item in *electo*, quod Festus agnoscit, ac Plautus vsurpat, Mercat. act. I. sc. II.

———Eâ ego huc procucurri gratiâ,
Ne te opprimeret imprudentem, atque electaret.

Hoc est, ne rem totam interrogando, abblandiendóque, ex te resciscerет. Vtitur idem, Asin. II. II. *Delicio* vsurpat Titinnius apud Nonium:

Quod ea parasitus habeat, quibus illum scias
Delicere, & noctem facere possit de die.

Hinc dictæ *deliciæ*, quia *deliciant*, ac *trahant ad se*. Rectiùs autem *delicia* per C scribitur in vett. libb. quàm, vt vulgo, per T. Quippe non tantùm *lacio* per C scribitur, vnde *delicias* deducebamus; sed & *delecatus*, quod à *deliciis* factum est. Possis tamen & *delicias* deducere a χλιδῶν, *in deliciis viuo*: nempe κατὰ μετάθεσιν. Sed prius simplicius est. Ab *eliciendo*, *Iupiter* dictus *Elicius*.

Eliciunt cœlo te, Iupiter: vnde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciúmque vocant.

Ab eopse verbo *meretrices*, Festo teste, dicuntur *elecebræ argentariæ*: puta ab *eliciendo argento*. Plautus, Menæchmis, Act. II. III.

Nam ita hic sunt meretrices omnes elecebræ argentariæ.

Atque vt ab *eliciendo elecebra*; sic ab *illiciendo illecebra*. Eiusdem originis sunt *elices*, hoc est, *sulci aquarij* tertiâ aratione facti ad aquam deducendam. Idem Festus: *Elices, sulci aquarij, per quos aqua collecta educitur è liris.* Vbi *liras* dixit pro *sulcis minoribus*, vnde aqua deducitur in sulcos maiores. Columella, lib. II. cap. VIII. *Sed quamuis tempestiuè sementis confecta erit, cauebitur tamen, vt patentes liras, crebrósque sulcos aquarios, quos nonnulli elices vocant, faciamus, & omnem humorem in colliquias, atque inde extra segetes deriuemus.* Vbi *Elices* hasce Martianus I C. à *diuertendo* vocat *diuerticula*. Ab *aquis eliciendis* dicti quoque *elicatores*. Gloss. Philox. *Elicatores*, ὑδροσκόποι. Eiusdem originis est *illex*, seu *illix*. Festus: *Inlices, canales, in quos aqua confluit in viis lapide stratis, ab illiciendo dicti.* Vbi malim *ab inliciendo dicti*. Etiam ab *illiciendo illex* dicebatur auis in aucupiis. Quo respicit Plautus, Asin. act. I. sc. III.

Itidem hic apud nos: ædis nobis area est, auceps sum ego,
Esca est meretrix, lectus illex est, amatores aues.

Vbi *illex* est *auis cæteras illiciens*, Gr. παλεύτρια. Ea solet esse *accipiter*. At aliud est *illex* porrectâ secundâ in obliquis. Est enim, *qui legi non paret*, teste Festo: dicitúrque vt *exlex*. *Inlicium* quoque, & *collicia*, huius sunt loci. Festus: *Inlicium dicitur, cùm populus ad concionem illicitur, id est, vocatur. Vnde colliciæ tegulæ, per quas aqua in vas defluere potest.* Censet *collicias* dici à *colliciendo aqua*, vt *inlices*, quia *inliciant aquam*. Plinius autem, lib. XVIII. cap. XIX. *collicias* vocat, quas *elices* dicebamus. Nempe *sulcos agri aquarios*. Fortasse autem verius est *collicias* dici à *con* & *elicio*: quasi dicas *coelicias*. Aliqui etiam putant quasi *colliquias* vocari à *colliquando*. A *pelliciendo* est *pellax*, vt II. Æneid.

———Inuidiâ postquam pellacis Vlyssei.

Inde *pellacia*: vt apud Lucretium.

Subdola cùm ridet placidi pellacia Ponti.

Gloss. Græcol. Δόλιος, *dolosus*, *astutus*, *tergiuersator*, *pellax*. A *pelliciendo* quoque dicitur *pellicator*, teste Festo, *qui in fraudem pellicit*: ac, eodem auctore, *pellicuolatio* dixit Cato, pro *inductione in fraudem*: *Pellicio* autem dicimus pro *perlicio*, quia, teste Velio Longo, ex præpositione *per*, R abit in L, sequente L, ideóque semper *pellicio* legitur apud Lucilium, eodem teste: similéque est *pellabor*, pro *perlabor*. *Pellego* quoque maluere, quam *perlego*: vt docet Terentius Scaurus. *Perlego* autem scribo per R, vt & *intellego*; quomodo vtrumque scribitur in vett. libb. Vide Ang. Polit. lib. V. epist. III.

LACERNA, *vestis* pallio, aut penulæ similis, ita dicta putatur quasi *lacera*, quod capitio minor esset: vt Festus ait, siue potius Paullus Diaconus. Sed cum vestis fuerit domestica, vel quæ foris quidem, sed ad imbres arcendos, vteremur: fortasse verius Martinus deducit à λακερὸν, hoc est, *vulgare*. Hesychius: Λακερόν, ἐμφανές.

LACERO mirificè ἐτυμολογίζει Perottus. Nam censet esse à *laruis*, quæ descendentes, vti ait, *lacerant cadauer*. Melius Nunnesius à ῥήγω, quod idem notat. Nam ρ sæpe abit in L, vt παῦρον, *paullum*; λείριον, *lilium*; ἴσας, *lis*, &c. At vera sententia est, à λακῶ esse *lacero*. Λακεῖν quippe non tantùm notat *sonare*, *crepare*: sed etiam *cum crepitu rumpi*, vti fit in iis, quæ *lacerantur*. Itaque Hesychius λακεῖ non solùm exponit ἤχησεν, ἐψόφησεν, verùm quoque ἐθλάσθη, συνετρίβη, puta per μετάληψιν, quâ antecedens colligitur ex consequente. Idem Hesychius: Λακίζει, ῥηγνύει, ῥήσσει. Λακὶς quoque est σχίσμα, ῥωγὰς, *scissura* seu *fissura*, iuxta eundem: sed speciatim pro *parte panni auulsâ* accipitur. Nec ab ea significatione verbi λακῶ tantùm *lacero* dixere, sed & *lacino*, quod in vett. codd. legas: sed vsitatius *lancino*, N inserto, vt à λείχω, *lingo*; à ὑρῶ, *mingo*; à πτίσσω, *pinso*. Vide plura de hoc verbo in *Lancea*.

LACERTVS propriè est os inter acutam gibbamque brachij partem, & manus vertebram. Contra *brachium* propriè est

os inter humerum & lacertum. Sic ea distinguit Ouidius, I. Met.lib.IX.

——laudat digitóśque manúśque

Brachiáque & nudos media plus parte lacertos.

Nec aliter accipiendum in illo apud Tullium, II. Tusc. quæst.

O pectora, ô terga, ô lacertorum tori.

Et hoc de Senect. *Aspexisse lacertos suos dicitur, illachrymansque dixisse. At hi quidem iam mortui sunt.* Lacertum autem quidam dici volunt à *lacerto serpente*, qui & *lacerta* dicitur, eadem nempe ratione, quâ Græci pro eo vtráque terminatione μῦς, & μύων, dicunt. Aliis contra placet, *lacertum serpentem* dictum, quòd *pedes habeat ad similitudinem lacertorum in homine*. Isidorus, lib.XII. cap.IV. *Lacertus reptilis genus est, vocatus ita, quòd brachia habeat.* Vbi Isidorus pedes lacertorum brachiis comparat, partim quia pedes eorum tanquam è palmis siue volis in digitos finduntur: partim quia pedes in obliquum flectant, vti homo manus, cùm quadrupes ingreditur. Est & *lacertus piscis* genus, cui inde nomen, quod *lineis, quibus pictus, referat lacertum terrestrem*. Meminere Plinius, Iuuenalis, Martialis, &c. Vide Hier. Magium, lib.II. Miscell.cap.IX. Adde & quæ de *lacerto peregrino* tradit Rondeletius, lib.XV. de piscibus cap.IX. A *lacertus* apud Cic. Colum. Ouidium, alios *lacertosus* legas pro *toroso, valido*que, quia nempe hominis robur in *torosis lacertis* maximè est conspicuum.

LACESSO esse frequentatiuum à *lacero* scribit Charisius, lib.III. cap. de paragogis; & Phocas, in Arte, cap. de verbo, imo & Scaliger, lib. de caussis L. L. cap.CXXIII. *Et qui lacessit*, inquit, *plus quam lacerat, & qui vexat, plus quam vehit.* Sed rectiùs à *lacio* deducit Festus in *Lacit*. Nempe vt *capesso* a *capio*, *facesso* à *facio*, *arcesso* ab *arcio*, hoc est, *adcieo*. Nec mouere debet, quod *lacessere* dicatur, qui *odiose prouocat*: *lacere* verò propriè sit eius, *qui amicè id facit*: vnde *delecto*, *oblecto*, & alia. Nam naturâ suâ *lacio* vox est media: vnde tam mala, quam bona, *elicere* dicimus. Imò primâ suâ notione in malam partem capitur: si Festo credimus, qui *lacere* exponit *in fraudem inducere*: ac deducit à *lax*, id est, *fraus*. Absque hoc esset, videretur *lacesso* esse à λάσκω, quod significat λοιδορῶ, κακηγορῶ, *conuitior, maledictis lacesso*: nempe à לשון, hoc est, *lingua*, quâ maledicta vibrantur.

LACINIA est *extima pars vestis nunc protuberans, nunc recedens*, vt idem sit ac *fimbria*. Gloss. κράσπεδον, *lacinia, fimbria*. Id malim, quam vt sic dicantur *flexus & quasi conualles inter editiores corrugatarum vestium partes*. Nec enim, puto, sic ipsæ conualles: sed infima pars vestis incisæ, ac nunc prominentis, nunc recedentis. A *lacerando* dici, legitur apud Festum in *delacerare*: sed pro *lacinia* apud eum *lacerna* legendum, iam alij monuere. Veram originem indicauit Angelus Caninius, qui ait esse à λακίδες. Nam Græcis sic dici partem vestimenti & imprimis eam quæ *lacerando* auulsa, cognoscimus ex Aristophanis Acarnan. & doctissimo Grammatico Hesychio in λακίδες. Nec tamen ἔτυμον est à λακίς, sed à verbo λακῶ est *lacino*, quod idem ac *lancino* & *lacero*. A *lacino* autem est *lacinia*, vt ab *adtego*, seu *attego*, *attegia*, hoc est, καλύβη, seu σκηνοποιΐα, vt vett. Gloss. exponunt. *Laciniam* verò esse partem vestimenti disertum scribit Festus in *Lacerare*. Ac sic vsus Plautus, Asin. act.III. sc.II.

Laciniantem lacinia tenet lacrimans.

Et Cicero Fil. lib.XVI. ep.XXI. *In lacinia seruantem ex mensâ secundâ semina.* Quem locum P. Minutius satis inconstanter enarrat. Nam cùm priùs dixisset, *laciniam* hic non *pro vestis parte*, sed *linteolo* accipi, eodémque modo dixisse Plautum, Mercatore, Act.I. sc.II.

Sume laciniam, atque absterge sudorem:

paullò post, quasi pœnitudine ductus, ipse *laciniam* hic *vestimenti partem* interpretatur. Ego sanè alteram illam significationem planè ignoro: nec ea Plauti loco adstrui potest. At illud verum, quia vestis flexuosa sinuosáque multas habet *lacinias*, siue partes: μεταφορικῶς *lacinias* quoque dici partes in quas vel greges, vel ciuitates, vel alia huiusmodi, diuiduntur. Ita Columella de grege malè affecto locutus, lib.VII. cap.V. *Cum deinde grex ad locum fuerit perductus, in lacinias colonis distribuatur. Nam particulatim faciliùs, quàm vniuersus conualescit.* Plinius quoque, lib.VIII. cap.L. de capris ait: *Fœminarum generositati insignes, laciniæ corporibus à ceruice binæ dependentes.* Vbi *lacinias* vocat, quæ Varroni, lib.II. cap.III. *mamilla pensiles*: Festo *nauolæ*, siue, vt in aliis libris est, *noncolæ*, vel, vt Iosephus Scaliger, notis ad Varronem legendum putat *naeuolæ*, vt nempe sic dicantur, quòd sint velut *naeui*, quomodo & de *mammillis* agens loquitur Gellius. A *lacinia* est *laciniosus*, quod propriè conuenit *vestibus sinuosis*: sed μεταφορικῶς ad alia deducitur. Sic Plinius, lib.V. cap.X. *Alexandriam*, ait, *ad effigiem Macedonicæ chlamydis orbe gyrato laciniosam*, hoc est, haut aliter in vrbanas insulas distinctam, ac chlamys in *lacinias* diuiditur. Idem, lib.XXV. cap.X. *Folia*, inquit, *erant plantaginis, nisi angustiora essent ac magis laciniosa*, hoc est, *magis concisa*. Quia verò *laciniarum* copia in vestibus gressum impedit, hinc *laciniosum* ponitur pro *impedito*. Itáque Appuleio opponuntur, *expeditum*, & *laciniosum*. Sic enim scribit Apol.I. *Namque ita vt corporis sanitas expedita est imum laciniosa.* Similiter vsus Tertullianus, aduersus Marcionem, cap.XXIX. *Laciniosa*, inquit, *vita, & impedita*: vbi posterius esse prioris ἐξήγησιν monet Rhenanus. Item cap.I eiusdem libri: *A legis laciniosis oneribus expeditum.* Vbi, vt idem ait, *laciniosa* est multiplicia, quæque hominem occupationibus distineant, sicut *laciniosa vestis* ingressum moratur. Libro quoque de cultu fœminarum, cap.IX. inquit, *laciniosis pomparum & delitiarum ineptiis*, hoc est, variis & multiplicibus. Idem sciteè, libro de velandis virginibus, ait: *Naturaliter compendiarium sermonis & gratum & necessarium est: quoniam sermo laciniosus & onerosus & vanus est.* Vbi intelligitur *sermo ambitiosius atque amplius, longiusque*, vt à Rhenano ostenditur. Dicitur & *laciniatim* pro *particulatim*. Appuleius, lib.VIII. *Non laciniatim disperso, sed cuneatim stipato commeatu, difficultates illas transabiremus.* Sententia est, periculum posse euitari, si non commearent dispersi per *lacinias*, & particulas, sed stipati instar cunei. Verum simplicius eodem modo Frontinus, libro de coloniis. Hæc fusius sum prosecutus, quia proprietatem harum vocum non sunt assecuti viri aliqui doctissimi, quos inter repono Hadrianum Iunium in Nomenclatore: vbi *laciniam* vult esse *fasciam*, *qua proxime oram assuitur*. Quam sententiam abunde refutarint, cùm locus Ciceronis filij, quem supra adduximus, tum vel hæc solius Seruij verba. *Cinctus Gabinus est toga, sic in tergum reiecta, vt vna eius lacinia à tergo reuocata hominem cingat.*

LACONICVM erat prima balneorum cella, in qua sicco calore sudorem prouocabant: quam *sudationem assam* vocat Cornelius Celsus, lib.III. cap.XXVII. ad discrimen eius, quæ calida aqua fieret in altera balneorum cella, in qua calidâ siue tepidâ aquâ lauabantur. Caussam, cur *Laconicum* dicatur, reddit Dio, lib.LIII. vbi ait sic vocari, quòd *Lacones* imprimis sudatoriis huiusmodi cruditatem coquebant. Vtitur Columella, in proœmio, lib.I. *Quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus, & exucto sudore sitim quærimus.* Inuenias & apud Celsum, lib.II. cap.XVII. Vitruuium, lib.V. cap.X. & lib.VII. cap.X. Idem etiam *caldarium*, *vaporarium*, & *sudatorium* appellabatur: quarum appellationum caussam adtulimus in *Caleo*. De hac, cæterísque balneorum partibus, vide sis Fuluium Vrsinum, in appendice de triclinio.

LACRIMA per *I* in vett. codd scribitur: pro quo in vett. inscriptionibus pag.DCCCCXLII. num.II. Collectan. Grut. & alibi aliquoties *lacruma* per *V* inuenitur. Atque id magis accedit ad Græcum δάκρυμα, vnde *lacryma* factum. Δάκρυμα est verbale à δακρύω. Hoc est à δάκρυ, vel δάκρυον, quod idem notat. Δάκρυον verò dictum putatur, quia δάκνει, hoc est, *mordeat*, vtpote acre & salsum. Sunt quibus ἐτυμολογία *lacrimæ* adducta a nobis displiceat eò quòd vox hæc, vti diximus, in antiquis codd. scribatur per *I* non per *V*, vti fit in δάκρυον. Itaque hi à *lacerando*, *lacrimas* dici aiunt. Verùm dubitari non debet, quin sit à δάκρυμα, *d* in *l* conuerso, quemadmodum & ab ἀδακρυς est *alacris*, & *olere* ab ὄζειν. Quin vett. *dacrimas* pro *lacrimas* dixisse, Liuij Andronici auctoritate docuit Festus. Sed & *dautia* eos pro *lautia* similiter extulisse, ibidem legere est. *Y* verò in *V* mutari, tam manifestum est, vt exemplis supersedendum putem. *V* autem in *I* conuerti, ostendunt *optumus*, *maxumus*, *inclutus*, *decumus* similiáque sexcenta, quæ nunc per *I* efferuntur. Vide, si lubet, Pierium, ad primum vers. VI. Æneidos. Mirandum autem (vt obiter hoc addamus.) Homerum Iliad. ρ, equum Achillis *lacrymantem* inducere, cúmque hac in re secutum Maronem in *equo Pallantis*. Negant enim Philosophi vllum animal *lacrymas* emittere præter hominem. Eiusque rei caussam cùm Philosophi assignant, tum etiam Antonius Maioragius, in Epistolicis suis, Quæstione XVIII. Sanè nec Homerum hoc nomine reprehendere dubitat Claudius Verderius, in suâ in varios auctores censurâ.

LACVS quando significat *vas amplum*, in quo mustum prælo expressum recipitur, videri possit vnius literæ immutatione factum esse à λάκος, quod Doricum est pro λάκκος, id est *lacus torcularij prali*, vnde *Bacchus* ληναῖος, & *Bacchæ* ληναί, & λαινίδες, dicuntur. Sed meo iudicio verius est, ita dici κατὰ μεταφοράν. Nam propriè *lacus* dici videtur de *locis pro undis*, in quibus sunt aquæ resides, sed perpetuæ tamen, vndéque sibi oriantur

oriantur, & flumina. Græci λίμνην appellant. Hæc si prima significatio est, ita dicetur, non quidem quasi *aqua locus*, quod putabat Isidorus, lib. XIII. cap. XIX. ac apud Boccacium quoque libro de *lacubus* legitur; sed potiùs à Græco λάκκος, quomodo vocatur *fossa*: vel à λακίς, quod inter alia, Hesychio teste, notat σχίσμα. hoc est, *scissuram*, seu *fissuram*. Ac speciatim, vt idem Hesychius ait, signat χάσμα γῆς, *hiatum terræ*. Quomodo propriè *lacus* videatur esse *terra fissa recipiens aquam*. Hinc autem ob similitudinem transfertur ad *cætera rerum liquidarum receptacula*: vt cùm Maroni sic dicitur *vas, quo mustum excipitur*; qua de significatione mox plura dicemus: aut cùm eidem sic vocatur *conceptaculum aquæ fabrorum*, in quam metallum candens demergunt: aut cùm Frontinus sic appellat *publicam lauatrinam*, vbi lintea abluebantur: aut cùm Seruius sic nominat *perpetuæ aquæ receptaculum*, vnde erumpens aqua fontem facit, qui prorumpens alueum efficit. Imò par quoque ratio fuerit, cùm Vitruuio sic vocatur *locus vbi calx rutro subigitur, maceraturque*: aut cùm Columella sic nominat, *quo distinguitur granarium ad leguminα separanda*. A *lacus* est *lacuna*, Festo teste: idémque confirmat hic locus Varronis, lib. IV. de L. L. *Lacus, lacuna magna, vbi aqua contineri potest*. Ac qua forma à *lacus* est *lacuna*, eadem a *lacus* fit *lacunar*. Fit autem ab ea *lacus* notione, quâ notat *tignorum*, siue *trabium interstitium*, quod κατὰ μεταφορὰν *lacum* vocari paullo antè dicebamus, quia *lacuum quandam refert similitudinem*. Eiusdem, & originis, & notionis, sunt *laquear*, & *laquearia*, quod nihil mirum, quando C, & Q, ἴσα non videntur differre. *Laquear* igitur pro *lacunar*, *laquearia* pro *lacunaria* dixere. Quæ verò de prima *lacus* notione, necnon *laquearis*, *lacunaris*, *lacunarij*, seu *laquearij*, etymo dicimus: ea complexus Seruius ad illud I. Æn.

——*Dependent lychni laquearibus aureis*.

Principaliter, inquit, *lacus dicitur*: vt Lucillius: *Resultat ædesque, lacúsque. Diminutiuo lacunar facit*. Horatius:

——*Nec mea renidet in domo lacunar*.

Inde fit alia diminutio lacunarium, & per ἀντίθεσιν laqueariorum facit. Hæc Seruius, quæ ijsdem ex eo verbis, more suo, descripsit Isidorus, lib. XV. Originum cap. VIII. Quod ad Lucillij locum, Scaliger ex vett. codd. optimè legit: *Resultant ædesque lacusque*; vt nempe sit ἓν διὰ δυοῖν, pro *ædium lacus*. Idem suspicatur in elegia Pedonis Albinouani legi debere:

——*Scopulis se condit hirundo,*
Verberat egelido garrula vere lacus:

Lacúsque hic quoque poni pro *ædium lacunaribus*. In vulgatis est *egelidos*. quæ lectio si vera, simile erit illi Maronis, I. Georgicon:

Aut arguta lacus circumuolitauit hirundo.

A *lacunar* est verbum *lacunare*, quod notat *in lacunaria distingere*. Ouid. VIII Met. fab. V.

Summa lacunabant alterno murice conchas.

A *lacus* quoque est *lacular*. vnde *laculatur* apud Appuleium, II. Florid. Item, *vestis laculata*, de qua sic Isidorus, lib. XIX. cap. XXII. *Laculata est, quæ lacus quadratos quosdam cum pictura habet intextos, aut additos acu*. Etiam in arboribus hinc dicta *ablaqueatio*. In ea minusculos *lacus* fodiebant circa radices: vt ex Columella & Plinio videre est. Hoc dicebant *ablacuare*, vnde postea *ablaqueare*, c in q abeunte, vt *laquear* pro *lacunar*. Glossæ: *Ablaqueata, διεσχισμένα*.

LADANVM, λάδανον, *pingue* illud *roscidum*, quod colligebatur ex herba, cui nomen *lada*, vel *ladon*, vel *ledon*, λῆδον; vnde & *ladano* nomen. Herodotus, lib. III. Τὸ δὲ λήδανον, τὸ Ἀράβιοι καλέουσι λάδανον. Aetius: λῆδος ὁ λάδον, ἐξ οὗ τὸ λάδανον. Plinius, lib. XIII. cap. XXVI. *Lada* (in MSS[tis] *Ledon*) *appellatur herba, ex qua fit ladanum, in Cypro barbis caprarum inhærescens*. Hesychius: Λάδανον τὸ μὲν ἀπὸ τῶν πωγώνων τῶν αἰγῶν, καὶ τράγων· τὸ δὲ ἀπὸ τῆς βοτάνης λήδου. *Lada* igitur herba: *ladanum*, pingue roscidum herbæ insidens. Plinius, lib. XII. cap. XVII. ait colligi ex *hedera*, quæ Græcè κισσός. Sed *lada* non est κισσοῦ genus, verum κίστου. Nempe vel vitioso codice vsus Plinius, vel duo tam vicina nomina confudit.

LÆDO Perotto placet esse ex λοιδορῶ, hoc est, *conuicior*. Sed si hæc propria *lædendi* significatio, possis etiam deducere à λάζω, quod non solum notat λαμβάνω, *prehendo*, sed etiam ὑβρίζω, *contumeliâ afficio*: teste Hesychio. Z crebro abit in D: vt à βάζω *vado*, ab ὄζω *odor*. Verùm non dubito, quin *lædere* de *corporibus* propriè magis, quàm *verborum iniuria* dicatur. Quid si igitur dicamus, *lædo* esse a λαῖς, uel ληΐς, *præda*, vnde ληιστός, *captiuus*; ληΐζω, *deprædor*, *prædando infesto*. Vel à λαιὸς, *læuum*, *noxium*, vt *læ* sit vocis productio? Sed nihil horum placet præ illo, quod & Caninio & Nunnesio placuit. Vt nempe κατὰ μετάθεσιν sit à δηλέω δηλῶ, quod *lædo* notat. Cuius im-

mutationis similia multa adduximus in *Fulgeo*.

LÆNA, Nonio teste, *vestimentum militare, quod supra omnia vestimenta sumitur*. Seruius, in quarto Æneid. propriè esse ait, *togam duplicem, vestem auguralem*. Sanè *sacerdotalem* fuisse vestem indicat, quod Popilius *Lænas* accepit cognomen ex eo, quia cum *læna* in publicum prodisset, vt seditionem sedaret, quam, dum sacrificium facit, obortam intelligebat. Vocem *læna* origine Latinam putat Varro. Sic enim ille, lib. IV. de L. L. *Læna, quod de lana multa; duarum enim togarum instar, vt antiquissimum mulierum ricinium, sic hoc duplex virorum*. Alij Hethruscum esse volunt. Plures Græcum. Festus: *Læna vestimenti genus habitu duplici; quidam appellatam existimant Tuscè, quidam Græcè, quam χλαῖναν dicunt*. Nec desunt, quibus Gallicum videatur. Sic enim de Gallis Strabo, lib. IV. ἀφ' ἧς τοὺς δασεῖς σάγους ἐξυφαίνουσιν, οὓς λαίνας καλοῦσιν; *ex ea densa saga texunt, quæ lænas vocant*. P. Merula in Cosmogr. part. II. lib. III. cap. XV. legit χλαίνας, ac respicere Strabonem putat, vocem *kleen*, quomodo Galli Belgæ siue Germani inferiores *vestem* appellant. Si hoc placet, dicendum aliud Græcis, aliud Gallis fuisse χλαῖναν. Latinorum *læna* à Græco illo, non Gallico, venit. Dicitúrque χλαῖνα, quasi χλιαίνα, à χλιαίνω, id est, *calefacio*: quam etymologiam legere est apud Eustathium ad Iliad. π, pag. CIↃLVI. edit. Rom. Latini χ abiecere, quomodo pro χλιαρὸς dicitur λιαρὸς, pro χλιαίνομαι λιαίνομαι. Vide *Humi*.

LÆTVS non à *letho* κατ' ἀντίφρασιν; non à *latus*; quia *in lætitia cor dilatatur*: quæ Grammaticorum commenta sunt: sed neque ab ἀτιτάλλω, *delicatè nutrio*: vnde κατὰ μετάθεσιν venire Nunnesius putabat: sed vel à λῶ, *volo*; vnde λῷον, *fruor*: vel à λαῖτος, quod *incolumem* notat, ac μεταληπτικῶς *hilarem*. Hesychius: Λαῖτος, ἀκέραιος. Λαῖτος fortè ab עלז, *lætari, exultare*. A *lætatum* est *lætamen*; vt à *granatum*, *granamen*. *Lætamen* enim (quemadmodum & Isidorus tradit, lib. XVII. cap. II.) dicitur *fimus*, quòd *faciat lætas segetes*, vt loquitur Maro, hoc est, *pingues ac fertiles*, votisque agricolæ respondentes, vnde in agricolâ *lætitia* oritur.

LÆVIR, vel potius *leuir*, ἀνδράδελφος, vt *glos*, ἀνδρὸς ἀδελφή. Nonius: *Leuir dicitur frater mariti, quasi læuus vir*. Sed aliter Festus, cui *leuir* est *vxoris meæ frater*: Nec dicitur quasi *læuus vir*: sed ita dicimus pro *læuer*. Nam est a δαήρ; sed δ in L mutatur, vt factum in *Vlysses* ab Ὀδυσσεὺς, *meditari* à μελετᾶν, *Pollux*, à Πολυδεύκης quasi *Poldux*. V autem more Æolum interiectum, quomodo ab ὄϊς est *ouis*; ab ᾠὸν, *ouum*, &c.

LÆVVS, *sinister*, à λαιὸς, quod idem signat. V insertum vt à σκαιὸς *scæuus*. A *læuus* est nomen proprium *Læuinus*: vt a *scæuus*, *Scæuola*, qui *læuâ* siue *scæuâ* vtitur manu.

LAGANVM, λάγανον, à λαγαρὸς deducit Suidas: quod valet *laxus*: vnde Grammaticis *lagari versus*, quibus aliquid in medio deest: vt ἀκέφαλοι, quibus in principio, μείουροι, quibus in fine. Quid λάγανον sit optimè docet Hesychius, qui scribit, fuisse genus placentæ ex simila & oleo. Sed loco olei nos butyro vtimur. De eodem sic Isidorus, lib. XX. cap. II. *Laganum est latus & tenuis panis, qui primum in aqua, postea in oleo frigitur*. Quamquam verba hæc à MSS[tis] meis absunt: ac in aliorum quoque MSS[tis] deesse intelligo. Vsus eâ voce creditur Horatius, lib. I. sat. VI.

Ad porri & ciceris refero laganique catinum.

Ita legit Acron; sed meliores codd. habent *lachani*. quod rectum esse liquet, tum quod *lagana* non sint cibus facilis & ineptus, de cuiusmodi agit Horatius: tum quòd non *laganum*, sed *lachanon*, hoc est, *olus*, optimè coniungatur cum cicere & porro, quæ itidem terrestris sunt cibus. A λάγανον & ἄρτος quod *panem* notat, est ἀρτολάγανον. Athenæus, lib. III. Εἰς δὲ τὸ καλούμενον ἀρτολάγανον ἐμβάλλεται οἰνάριον ὀλίγον καὶ πέπερι, γάλα τε καὶ ἔλαιον ὀλίγον ἢ στέαρ. In masculino vtitur Plinius, lib. XVIII. cap. II. *Panis ipsius varia genera persequi superuacuum videtur: alias ab obsoniis appellari, vt ostrearij; alias à delitijs, vt artolagani*. &c. Cicero libro IX. epistola XX. *Dediscenda tibi sunt sportella, & artolagani tui*.

LAGENA quamquam vsitatè dicatur, in veteri tamen inscriptione *laguna* legas: in Glossis etiam Cyrilli est: λάγυνος, *lacuna*, vbi *laguna* legendum. Factum hoc Græcorum more, qui λάγυνος dicunt: vt cùm ex allato Glossarij loco, tum ex Suida, constat. Indéque λαγυνοφορία, de qua Athenæus, initio lib. VII. Etsi autem plurimum per Y in vett. libris scribatur, interdum tamen & per η legas λάγηνος, vt in Latinis *lagena*. Quamquam verò λάγυνος, seu λάγηνος, & *lagena*, pro *poculi genere* accipi soleant, tamen cùm hæc posterior significatio esse possit, & Athenæus lib. XI. disertim scribat, quos-

dam

dam velle λάγυνον Græcis esse *mensura genus*, veluti χοῦς, & κοτύλην, planè verisimile est, λάγυνον venire à לג, quod & ipsum est *mensura genus*. *Sextarium* transfert Hieronymus, Leuit.XIV.vers.XII.

Lageos, *vua species*, memorata Maroni, & ex eo Plinio. lib.XIV. cap.III. Est autem plane Græcum λάγειος, *leporinus*, vt *vua lageos* Latine sit *leporaria*, teste Seruio. Venit ab Ionico λαγὸς, quod Atticè λαγὼς, *lepus*. A quo & λαγωὸς, qui aliter λαγὼς ὁ θαλάσσιος, *lepus marinus*. Græcum retinet Horatius, lib.II. Serm.sat.II.

Nec scarus aut poterit peregrina iuuare lagoïs.

Hinc quoque *lagopus*. λαγώπους, auis in Alpibus notior, habens pedes villo *leporino*, teste Plinio, lib.X. cap.XLVIII. Indéque nomen, quasi dicas, *leporipes*.

Lalisio est *onager lactens*. Plinius, lib.VIII. cap.XL. *Onagri in Phrygia & Lycaonia præcipui. Pullis eorum, ceu præstantibus sapore, Africa gloriatur, quos Lalisiones appellant*. Etiam apud Martialem, lib.XIII. lemma est *Lalisio*. Distichon verò tale:

Dum tener est onager, soláque lalisio matre

Pascitur, hoc infans, sed breue tempus habet.

Vbi cum *lalisionem*, hoc est, *onagrum lactentem*, vocat *infantem*, videri possit etymon respexisse. Nam *infans* ad verbum Græcè sonat ἄλαλος. Vnde ἀλαλάζω, *infans sum*. Ab ἀλαλάζων autem *lalisio*, truncatâ voce, vt ab ἄρουρα, *rura*; ab ἀμέλγω, *mulgeo*, ab ἀστὴρ, *stella*. Ait Martialis, *onagri pullum*, vel vt ipse loquitur, *infantem*, breue *lalisionis* nomen habere. Vbi *breue* vocat, *quod non diu durat*. Nam solùm sic vocatur, dum sola matre pascitur, hoc est, lacte viuit materno. Primus *lalisionum* esum Mæcenas instituit, vt auctor est Plinius.

Lallare est à sono factum. Dicitur de ea quæ *cantillando puerum demulcet, eique somnum conciliat* Legas cùm apud B. Hieronymum, tum Persium, sat. III.

———*Et iratus mammæ lallare recusas*.

Similiter *lallum* dixere ipsam nutricum vocem infantes ad lac sugendum prolectantium. Ausonius, epist. III.

Nutricis inter lemmata,

Lallique somniferos modos.

Itidem à sono factum videtur Græcum λαλῶ, *dico*, & Hebræum עלג, *balbutire*.

Lamæ. πηλώδεις τόποι, vt interpretantur Glossæ Philoxeni. Similitérque Festus: *Lacuna*, inquit, *aquæ collectio, quam alij lamam, alij lustrum dicunt*. De eadem voce sic vetus interpres, ad illud Horat. Epist. XIII. lib. I.

Viribus vteris per cliuos, flumina, lamas:

Lamas inquit, *lacunas maiores continentes aquam, pluuiam, seu cælestem*, ἀπὸ τοῦ λαιμοῦ, *quæ ingluuies est, & vorago viarum, seu fossa fluuiorum. Hinc quoque dictæ sunt lamiæ, puerorum voratrices*. Ennius: *Siluarum saltus, latebras, lamasque lutosas*. Sed de etymo dissentiunt alij. Nam quia Græcis λάμη est *oculorum pituita*, immundúsque humor palpebras velut glutinans, (qua de re in in *Gramia* dictum,) planè ijs verisimile fit, apud Tarentinos aut Siculos vocem eam latiùs patuisse, déque immundis ac lutosis aquæ collectionibus fuisse vsurpatum. Nec repugno. In vett. Glossis lego, *lamas* à *lamijs* dici, contra quam scripserat vetus Horatij interpres. Neutrum placet. De *Lamijs* postea dicemus.

Lambo à λάπτω, quod est *lambo*, seu *lambendo bibo*. Hesychius: Λάπτοντες, πίνοντες τῇ γλώσσῃ. Λάπτω autem à *sono lambentium* factum videtur.

Lamentum, & *lamentari*, Perotto videntur esse à *lameo*, hoc est, *fiendo*, *lamio* Sed *lameo* est vox nihili, Latióque ignota. Quare rectiùs alij à Dorico λαμᾶν, pro λημᾶν, quod est *lippire*. Sanè *lamenta lippitudinem* pariunt. Vel ab ἰαλεμίζω, quod est *lamentor*, θρηνῶ, vt ex Hesychio & Suida constat. Prima litera aufertur, quod insolens non est.

Lamiæ, vt Isidorus ait, lib.VIII. cap. vlt. ita dicuntur à *laniando* quia *infantes corripere* ac *laniare* soleant. Sed Græcis similiter λάμιαι dicuntur, vt è Latio vocis origo arcessi non possit. Λάμιαι autem vocatæ à *Lamia Libyssa*, regina, forma præstabili, sed moribus efferis, quæ demortuis liberis suis mœrore inuidiâque aliarum liberos capi atque interimi iussit. Vt est apud Diodorum Sic. lib.XX. Aliter aliquanto Apollonius. Duris Samius, alij, quæ commemorare omnia longum foret Sunt quibus placeat nomen id esse à pisce, qui Nicandro λάμνα, Oppiano λάμνα, alijs λαμία vel καρχαρίας diceretur. Nempe propter oris rictum, quo piscem hunc, dum liberos alienos deuorant, referrent. Vetus Horatij interpres, ad epist. XIII. lib. I. deducit ἀπὸ τοῦ λαιμοῦ, hoc est, *ingluuie*, vt quæ infantes vorarent. Alij à λάμη, quæ est *oculorum pituita*; Potiùs accedo Horatij interpreti. Nam erant *Lamiæ* spectra in formosarum mulierum figuram conformata, quæ adolescentes formosos voluptatibus deliniebant, dum eos deuorarent. Quare ab *ingluuie* illis nomen impositum est: haud adeò ab vero abludit. Non item ab λάμη, quia, quæ formosæ mulieris imaginem haberent, *lippientibus & gramosis oculis* nequaquam fuerunt. Quod autem *sagæ* quoque nomine *Lamiarum* cœperint vocari, id inde factum suspicor; quod *sagæ* in aliena specie apparere, imaginarijs ædificijs, supellectile, cibis, miserè fucum alijs facere, sæpè eosdem maximo mactare damno, veterum *Lamiarum* instar, crederentur. Erastus, libro de *Lamijs*, censet, sic vocatas, quia *cum spectris, qualia Lamiæ veterum erant, conuersentur*. Becmanno visum inde originem deducere, quòd *oculi sagarum lamis infestentur*. Nos coniecturæ nostræ nondum pœnitet. Occurrit *lamia* vox etiam apud veterem interpretem Esai. XXXIV.XV. *Ibi cubauit lamia*. Hic in Hebræo לילית *lilith*. Ac censent Iudæi intelligi *dæmonem feminei sexus, infantes occidentem*. Ac propterea in puerperæ cubili ad quatuor eius latera adscribere solent אדם חוה חוץ לילית, *Adam Eua, foras Lilith*.

Lamina in Gloss. λεπὶς, in Onomastico ἔλασμα exponitur. Estque non quidem à *lamis*, hoc est, *ruptum fracturis*: vt nugatur Perottus; sed à *latus*, quasi *latamina*: vel à לחם, *ictibus percussit, in laminam contudit*: vel potiùs ab ἐλαμένη, seu ἐλαμένη, quod ab ἐλαύνω, siue ἐλάω, *ductile opus facio*; quomodo vsus Homerus. Ac apud Plutarchum quoque in Camillo legas, λεπτοῖς ἐληλαμένοις σιδήροις, hoc est, *ferrum in laminas deductum*. Indéque χρυσήλατος, *ex auro ductus*; & σφυρήλατος, *ductus ex lamina*. Κατὰ συγκοπὴν factum *lamna*. *Lamna* autem, non *lamina* in vett. libb. semper scribi, auctor est Lud. Carrio, Castigat. ad lib. I. Valerij Flacci. Quare non audiendus Giffanius, qui *lamina* & *lammina* probat, atque id se in Horatij & Prudentij codd. MSS. constanter inuenisse scribit, indice Lucretiano in Vimens. Sanè scripturæ huic etymon quoque repugnat, vti vidimus. Vt verò *lamina* etiam pro *ima auricula* ponatur, dicimus in *Ligula*.

Lampas, λαμπὰς, à λάμπω *luceo*. Λάμπω à לפד. hoc est. *lampas, fax*, inserto *M*, vt à חבים, τύμπανον. Pro *lampas*, & *lampada* legas apud Plautum. Similiaque *hebdomas hebdomada*; *Narbon, Narbona*, & alia.

Lanam à *laniando* deducit Isidorus. lib.XIX. cap.XXVII. quia, vt ait, *ante inuentam tonsuram lana soleat velli*; vnde & *vellus* dicta. Sed immane quantum interest inter *laniare*, & *vellere*. Quare mirifica est Fungeri incuria, qui adducta hac ἐτυμολογίᾳ, quasi iam munia expleuerit, vltra quod ad rem faciat, adijcit nihil. At vel Varronis vel veritatis causâ addidisset ἐτυμολογίαν, quæ est quarto Varronis lib. de L. L. *Lana*; inquit, *Græcum, vt Polybius & Callimachus scribunt*. Optimè enim Varro. quia est à λῆνος, quod Doricum pro λᾶνος. Id ab Hesychio quoque & Scholiaste Apollonij exponitur ἔρια. A λῆνος Græcis λανισταὶ dicti, qui *lanam carminant*; de quo in *Lanista*. Λῆνος vocem vsurpant Æschylus Eumenidibus, & ἐστεμμένον λήνει; & Apollonius IV. Argonaut. Nisi autem hoc etymo nihil esset manifestius, poterat quoque videri *lana* esse à λάχνη, extrito *χ*. Nam λάχνη, *lana*, *lanugo*, ἁπαλοὶ τρίχωμα, vt interpretatur Hesychius. A *lana*, *lanerum*; vt à *quercus*, *quercerum*. Festus: *Lanerum vestimenti genus ex lana succida confectum*. Siue, vt in MS° est, *contextum*. In quo & pro *lanerum* est *lauerum*, sed corrupte. Etiam à *lana similitudine lanugo* dicta in auibus, adolescentum malis; item in fructibus & herbæ.

Lancea Festus origine Græcum esse putabat. Nam deducit à λόγχῃ Sanè *lancea* Græcis λόγχη, vt explicant Glossæ Philoxeni. Isidorus lib.XVIII. cap.VII. arcessit à Latinis. *Lancea*, inquit, *est hasta habens in medio amentum. Dicta autem lancea, quod æquâ lance, id est æquali amento libretur*. Sed omnino est ab Hispanis, aut Gallis. Vtrique enim vsi videntur, quando Hispanicum vult Varro apud Agellium: Gallicum autem Diodorus Siculus. Hispani hodiéque dicunt *lança*, Celtæ siue Franci *lance*, Belgæ seu Germani inferiores *lancie* Sed & Britannis, quorum sermo idem olim ac Celtarum, *launce* nominatur. Ab his igitur habent Romani, vt à Romanis Itali, qui hodiéque *lancia* appellant. A *lancea* est *lanceare*. Vtitur Tertullianus, libro aduersus Iudæos, cap. IX. *Infantes in prælium erumpunt, credo ad solem vncti prius; dehinc pannis armati, & butyro stipendiati, qui antè norint lanceare, quam lancinare*. Quæ totidem verbis reperias lib. III. aduersus Marcionem, cap XIII. Est verò elegans παρονομασία in *lanceare*, & *lancinare*. *Lanceare* est *lanceam mittere*. *Lancinare* verò Pamelius interpretatur *manum lancibus admouere*; idque tum propter illud *butyro stipendiati*: tum verò quod sequitur, *ante militare, quam viuere*. Alijs *lancinare* est, *distribuere*, *diuidere*. Idque à

lance

lance non *escaria*, sed *ea, qua distributio fit*. Sed *lancino* censeo esse à λακίζω, quod est *lacero, scindo*. Vt eiusdem originis sint *lacero* & *lancino*: quemadmodum in *lacero* diximus. Sanè & *lancinare* Latinis *lacerare, dissipare*. vnde in Philox. Gloss. *Lancinat*, κατακόπτει. Catullus epigram. XXX.

Paterna prima lancinata sunt bona.

Quod Plauto est *lacerare bona*. Sic enim ille, Mercat. act. I. sc. I.

Lacerari validè suam rem, illius augerier.

Apud Salustium quoque in Catilinaria, vbi in vulgatis, *bona patria laceraverat* (quod & MSS¹ mei approbant) in alijs MSS¹¹ est *lancinaverat*. Seneca, epist. XXXII. *Diducimus vitam in particulas ac particulas, ac lancinamus*. Apud Arnobium quoque, lib. I. habes: *membratim coniugem lancinatum*: pro quo ipse eodem libro ait, *membratim dissipatum*; & lib. V. *membratim sectum*. Vtitur & semel iterúmque lib. II. Confirmat quoque hanc sententiam, quòd in vett. libris crebrò pro *lancinare* legas *lacinare*. Nempe quia à λακὶς est & *lacero*, & *lacino*. N alij adiecere, vt pro *pago*, quod à πάγω, *pango*; pro *frago, frango*, & multis alijs.

Langveo, iuxta Nunnesium in Grammatistice est à χαλάω, *laxo, remitto*. Malim à λαγγάω, quod est *pigrari, otiari, tricari*, vt *languentes* solent. Hesychius: Λαγγάζει, ὀκνεῖ, οἱ δὲ λαγγᾶν.

Lanista in Isidori Glossis exponitur *lanarius*. Nisi quod ibi pro *lanista* corruptè est *lanistra*. Hæc si vera notio, à Dorico λανὸς pro ληνὸς, fit λανίζω, vnde verbale λανιστὴς, à quo *lanista*. hoc est, *lanæ carminator*, ξαντής. Sed Latinis *lanistas* aliud erat. Nempe *qui ludo præerat gladiatorio*: vnde in Glossis Philoxeni lega: *Lanista*, λυδοτρόφος, μονομαχοτρόφος, ἐπιστάτης μονομάχων. A *laniandis corporibus* deducit Donatus, Eunuch. II. II. Sed malo credere Isidoro lib. X. vbi Thuscam esse vocem dicit. Atque eò lubentiùs ei credo, quòd *gladiatores* ab Etruscis, vt etiam auctor Nicolaus Damascenus. Eius hæc de re verba. Οἱ Ῥωμαῖοι παρὰ Θυῤῥηνῶν παρέλαβον τὸ ἔθος. *Romani à Tyrrhenis accepere hunc morem.*

Lanivs, seu *lanio*, in vett. Gloss. exponitur κρεοπώλης; in Onomastico κρεουργός. Vti *lanionius*, κρεουργικός. A *laniandis pecudibus* nomen impositum.

Lanx, *patina* est ita à *latitudine* dicta. Etsi propriè sit *vas escarium*: postea tamen ob similitudinem translatum ad ea, quibus res ponderantur. Atque inde *bilancis* appellatio, quæ Gallis & Belgis ex eo *balance*. *Langula* ὑποκοριστικῶς quasi *lancula*. Varro, lib. IV. de L. L. *Magidem aut langulam, alteram ab magnitudine, alteram ab latitudine finxerunt*. Glossæ: *Lancla*, λεκάνη. Huius quoque originis *lancino*, de quo in *lancea* dictum.

Lapathvm, λάπαθος, seu λάπαθον, παρὰ τὸ λαπάττειν, ὅ ἐστι κενοῦν, ὃ δηλοῖ αὐτοῦ; teste Eustathio. Quippe μαλάσσει τὴν κοιλίαν ἑψηθὲν, *coctum emollit alvum*: vt ait Dioscorides, lib. I cap. VIII.

Lapis quasi *lædipes* dici putarunt superioris seculi Grammatici. Ridet eos in dialogis Pontanus, sed nec ipse tamen veram nominis rationem perspexit. Verba eius sunt: TH. *Quamobrem, qui tibi tantum tribuas, Manicelle, dicas velim, cur lapidem hunc, petram verò hanc dicimus?* MEN. *Videlicet, quòd lapis agendi habeat, lædit enim pedem. At petra, quòd pede teratur, ad patiendi genus transit.* MERCVRIVS. *Nihil est Grammatico insulsius. Vide quàm te decipiant. Cùm petra Græca sit dictio, lapis verò fuerit à labando dictus, tertiâ immutatâ literâ, cùm labent ex eo ambulantium vestigia.* Sed profectò vtrumque Græcum est, venitque *lapis* à λᾶας, vnde λατομία, pro quo Latini dicunt *lautumia*, vt à *Laomedon, Laumedon*. Vide de ea voce Asconium in Verr. III. Cuiacium, lib VI. cap. VII. obseru. Scaligerum ad Festum, Gruterum ad Senecæ lib. IX. controuers. Goldastum ad Isidorum de Prælatis. Dicitur pro eo & *lapicidina*, à *lapis* & *cædo*. Corruptè pro hoc dicunt multi *lapidicina*. Nam vt à *fodio* est *fodina*, ita à *lapis*, & *cædo*, est *lapicædina* &, *æ* in *i* conuerso, *lapicidina* Festus: *Lapicidinæ, vbi exciduntur lapides*. *Exciduntur* est in MS°, non *exscinduntur*. Similiter Auctor Hermeneumatum: *Latomus lapidicæsor: lapicidina, locus vbi caduntur lapides*. Quare fallitur Heraldus, cùm *lapidicina* dicendum pertendit, quanquam non modò in MSS. compluribus ita scribatur, sed etiam in veteri Glossario legatur, *lapidicina*, λατομία. Sanè errorem eum satis refellit ipsa *lapicæda* vox, cui similes *paricida, homicida*. A *lapis* est *lapio*, quasi dicas *lapidesco*, hoc est, *lapidis instar durum fio*. Itaque cor hominis propriè *lapit* mœrore: vnde Festus: *Lapit, dolore afficit*. Pacuuius. *Lapit cor curâ, ærumna corpus conficit*. Nonius: *Lapit significat obdurefacit, & lapidem facit*. Sunt qui malint *lipis*, quasi λίπος, vel λυπεῖ. Sed vera origo est, quam attulimus. Sanè Græci similiter πωροῦν vocant, *quando cor mœrore quasi occalescit*, & *lapidem quasi duritiem accipit*: à verbo πωρόω, *tophi seu lapidis instar durum reddo*. Quod à πῶρος, *callus, tophus*; prout & Gaza interpretatur in Hist. animalium. *Lapides pretiosi* speciatim vocantur *lapilli*: qui parui & rari: his enim duobus à *lapidibus* alijs separantur. Seruius Iurisconsultus *lapidem* & *gemmam* eo distinguebat, quod *gemma* sit pellucida, vt amethystus, smaragdus, *lapis* non item, vt Opsidianus & Veientanus. Quod non obseruatur.

Lappa, *triboli genus*, de quo sic Isidorus, lib. XVII. cap. IX. *Lappa dicta, quòd habeat caulem ingentem per terram dispersum. Hæc herba à Græcis φιλάνθρωπος vocatur, quòd vestibus hominum inhæreat ob asperitatem sui. Nascitur iuxta muros*. Ex quibus difficile est videre, quod etymon respiciat Isidorus. Possis autem deducere à λαβεῖν, hoc est, *prehendere*, quòd vestes *prehendat*. A *lappa* est *lappago*, quia herba hæc *lappæ similis*: vt alia herba *cunilago*, quia *similis cunila*.

Lapsana, *syluestris brassicæ genus*, de quo Plinius, lib. XIX. c. VIII. item lib. XX. cap. VIII. vbi ait aluum leniter mollire. Vt videatur esse à λάπτω, quod Eustathius exponit κενῶ, vnde & λάπαθος eidem dici videtur.

Laqvear, siue *laquearium*, eiusdem vt significationis, sic etiam originis est ac *lacunar*. Quare vide quæ de eo in *lacunar* diximus.

Laqvevs Nunnesio placet esse à λύγος, id est, *vitex, salix*. Vt mutetur υ in α, quomodo à μυδάω est *madeo*; κύων κυνὸς, *canis*, &c. Malim à *lax*, quod *fraudem* notat, Festo teste; vnde & *lacio*, id est, *in fraudem induco*, vt idem exponit. Vel ab Hebræo לקח, hoc est, *capere*.

Lar quidem pro *ædibus* ponitur: sed κατὰ μετωνυμίαν. Nam propriè *Lar*, κατοικίδιος θεὸς, vt Priscianus ait, lib. V. Plauto est *Lar familiaris*. Nomen *Laris* quidam deduxere à λαῦρα, id est, *vicus*. Arnobius, lib. III. *Lares arbitratur vulgus vicorum atque itinerum Deos esse, ex eo quod Græci vicos cognominant lauras*. Qui locus confirmat ea, quæ de λαύρα & λάβρα disputat Casaubonus, lib. XII. Animaduers. in Athen. cap. X. Interim falsa originatio, quam ex Arnobio attulimus. Nam *lar* Hetrusca vox est, & *principem* ac ἡγεμόνα significat, vt docuit Scaliger ad Propertium. Forte à שור, quod notat *principem esse*. A *lare* vel *laribus* est *lararium*. Onomasticon interpretatur ἱερεῖον, hoc est, *locus, vbi dij tutelares domus reponerentur*. Ab eadem origine *Lara*, seu *Larunda*, nomen habet. Erat ea *mater Larium*: vnde idem Onomasticon, *Larunda*, μήτηρ δαιμόνων. Vide omnino Lactantium, lib. I. de fals. relig. cap. XX. A *lara* etiam *larua*, quomodo dicebantur *defunctorum genij mali ac noxij*: qui eo à *laribus familiaribus* differebant, quòd hi certis ædibus curam gererent posterorum: *laruæ* autem vagarentur sedibus incertis, cumque eiusmodi exsortes forent. Quæ pœna eos mansit, ob vitam malè transactam. In Glossis vett. *larua* latè nimis transfertur δαιμόνιον, εἴδωλον. In Onomastico exponitur μορμώ. Hinc *laruale simulacrum*, apud Ammianum, lib. XXXI. item *laruatus*. Nonius: *Romani*, inquit, *ceritos, vel laruatos vocârunt, quòd Cereris, aut laruarum, incursione animo vexarentur*. Ad originem allusit Appuleius, in Apolog. *Hunc denique* (Mercuriolum, siue Mercurioli simulacrum affabre factum) *qui laruam putas, ipse est laruatus*. Vbi *laruam* vocat non *Lemurem*, terriculamentum nocturnum, prout paullò antè vsus Nonius: sed σκελετὸν, quomodo & alibi *formam laruarem* dixit, & Petronius *laruam argenteam*. Confirmant id vett. Glossæ, in quibus legitur: Σκελετὸς, *larua, sceletus*. Si plenius lubet intelligere varias vocis *larua* significationes; videre potes quæ de πολυσήμῳ hac voce scripsit Turnebus, in præfat. Plinij.

Lardvm contractum ex *laridum*, hoc quasi *largè aridum* dici censet Macrobius: lib. VII. cap. XII. Hinc Glossæ Philoxeni: *Laridus*, ξηρός. Et Iuuenalis illud: *Sicci terga suis*, vetus interpres *laridum* interpretatur. Sed dissentit Isidorus, lib. XX. cap. II. *Lardum*, inquit, *dicitur, eo quòd in domo repositum conseruatur; nam antiqui domos Lares dicebant*. Neutrum placet. Nam planè est à λαρὸν quod Hesychius exponit, ἡδὺ, προσηνὲς, γλυκὺ, ἀπολαυστικὸν, καλόν; indéque fortasse λαρινός, quod idem interpretatur εὐτραφὴς, *pingue*: de quo in *Larini* dicemus.

Largvs, ἀφειδής; *largè* ἀφειδῶς, vt Gloss. vett. exponunt. Scaligero placet, esse à λάβρος, hoc est, *copiosus, abundans*: vt apud Homerum, Iliad. Π, λαβρότατον ὕδωρ, *abundans aqua*. Ac, vt ab *vnda* dicitur *abundans* pro copioso: ita Eustathius censet λάβρον esse ex λα ἐπιτατικῷ, & ῥέω, *fluo*. Martinius λάβρος manult esse à λαρὸς, quod, Hesychio teste, inter alia notat προσηνὲς, *benignus, lenis*. A *largus* est *largio*, & *largior*. Antiquo *largio* vsi Lucillius, & Accius: vti *illargio* Cato, vide Nonium.

LARINI *boues*, vel *sues*, λαρινοὶ βόες ἢ ὕες, ita dicti à *Larino*, oppido Appuliæ, apud Melam, Plinium Ptolomæum, Liuium lib. XXII. & XXVII. & alios; vnde *Larinates* Ciceroni in Cluentiana. Vel λαρινοὶ ex eo, quòd λαρινὸς est *σιτευτός*, vt Hesychius exponit hoc est, *bene curatum, pingue*. Vnde λαρινεύειν, quod est, *bene curare, pinguefacere*. Vt illo Sophronis apud Athenæum, Βόες δ' ἐλαρινεύοντο. Λαρινὸς fortasse à λαρὸς, quod Hesychius exponit *dulce, suaue*. Sunt quibus videatur λαρινὸν dici à λα particulâ ἐπιτατικῇ. Sed magis placet, quod dicebamus.

LARIX Græcis quoque λάριξ, si credimus H. Iunio. In Onomastico exponitur ἄκανθα. Sed nec hoc, nec illud Græcum est. Imò videntur Græci arborem ignorare: vt quæ frigido cœlo gaudeat. Resinam fundit: & vere flores gignit odoratos. Quid, si igitur à *coloris suauitate* deducamus cum Martinio? Sanè λαρὸς est *suauis*.

LARVS, λάρος, *auis*, vel à *garrulitate*, quia λάλος, est enim *clamosa*. vel quasi λαβρὸς, à *vorandi impetu*. Est quippe πολυφάγος. Vnde & κέπφος vocatur à κέπφος, *cibus*.

LASANVM Horatio *vas quo retrimenta cibi excipiuntur*. Græcum est λάσανον, quod *familiaricam sellam* interpretatur Hesychius. Indeque λασανοφόρος, qui *sordidum vasis aut sellæ eiusmodi gestandæ ministerium obit*. Vide Turnebum lib XIII cap. III.

LASCIVVS, à λάζω, hoc est, ὑβρίζω; vel à λάω hoc est, παίζω; vel à λάσκω, hoc est, παίζειν, vel à λαικάζειν, hoc est, μιχεύειν, vnde λάσθη, μιχευομένη. Vide Hesychium. Vel à שגל, quod significat *rem habere cum muliere*, verbum obscœnum: sed vnde sit castum vocabulum שגל, *vxor*.

LASTAVRVM Lenæus Pompeij libertus appellabat *Salustium* Historicum, quemadmodum in Lenæo tradit auctor libri de Illustribus Grammaticis. Est verò à Græcis, quibus λάσταυρος notat τὸν πόρνον, vt Eustathius ait: sed & ἀντὶ τοῦ πόρνου sic accipi, auctores sunt Hesychius & Suidas. Est verò λάσταυρος deriuatum à ταῦρος, significante vel ὄρρον, id est, *partem illam, quæ inter podicem & scrotum*, quomodo exponit Eustathius: vel τὸ αἰδοῖον τῆς ἀρρενος: prout interpretatur Suidas. vnde apud Aristophanem ἀταύρωτη dicitur *virgo intacta*. Porò Latinos quoque sic *tauri* vocem vsurpare indicat Diomedes lib. II. cap. de amphibologia: vbi huiusmodi ἀμφιβολίας exemplum ponit. *Cum*, inquit, *taurum, nec scias vtrum de armento, an obscœnam corporis partem, an montem qui est in Cilicia, an, qui est in syderibus, taurum dicamus*. Mirum verò hanc à Fabio significationem negligi. Sic enim ille, lib VIII. cap. II. quod de Perspicuitate inscribitur: *Taurus*, inquit, *animal sit, an mons, an signum in cælo, an nomen hominis, an radix arboris, nisi distinctum, non intelligitur*. Sed facilis responsio. Nam minimè propositum, vel Diomedi, vel Fabio, omnes significationes coaceruare: inde cognoscimus, quod, vt Festus ait, *Tauri verbenæque in commentario sacrorum significant ficta farinacea*. Imò & Plinius, lib. XXX. cap. V. aliam nos significationem ac causam eius docet his verbis: *Tauri vocantur scarabæi terrestres ricino similes: nomen corniculà dedere*. Quod siquis nihilominus putet, à Diomede Græcæ magis, quàm Latinæ linguæ, habitam rationem, ei scrupulum omnem eximet locus Festi, qui *tauri* voce pro *parte obscœna* vtitur, cum in *Solitaurilibus* sic scribit: *Atque harum hostiarum omnium* (putà tauri, arietis, verris) *immolati sunt tauri, quæ pars scilicet caditur in castratione*. Vbi Festus morem tangit antiquorum, qui hostias hasce, aræ admotas, castrabant, priusquam sacrificarent: quem morem in hirco clarè indicat Martialis, lib. III. disticho III. epigrammatis XXIV. quod de *Tusco haruspice* inscribitur. Sed satis de voce *tauri*: quæ ex receptiori sententia, posterior est pars vocis *lastaurus*: quæ verò prior eius compositi pars dici possit, non satis patet. Quibusdam placet esse à λα ἐπιτατικῷ, vt propriè notet *benè mentulatum*, & μεταφορικῶς accipiatur pro *homine salaci*. Alij, quia non λάσταυρος, sed λάσαυρος dicimus, malunt sic vocari, quasi λασιόπρωκτος, vt propriè sic appelletur, cui πρωκτὸς λάσιος, hoc est, *hirsutus*, seu *hispidus*; quod etymon præter alios ponit Suidas. Alij priorem partem putant λᾶς, quod est πέτρα teste Hesychio. Porrò Plutarchus auctor est, veteribus quidem λάσταυρον dictum *catamitum*, seu *puerum vsurarium*: sed suo sæculo sic vocari *hominem prauum ac cruce dignum*, nempe quasi esset à σταυρὸς, quod *crucem* notat. Λάσταυρος μὲν, inquit, οἱ παλαιοὶ ἐπὶ τῶν πόρνων ἔλεγον, οἱ δὲ ἀρχαῖοι ἐπὶ τῶν σταυρωσίμων.

LASSVS origine est Hebræum à חלש vel חלשׁ, quod est, *lassus fuit*, aut *lassum reddidit*. Sin è Latio origo peti deberet, non quidem deduxerim à *labore*, nec à *lapsu*, sed à *lacio*, vnde *lacti* nomen, quia *lacitur* siue *elicitur*. Itaque vaccæ *lassæ* dicantur, *cum diu nimis lacitantur*. Nempe à *lacio* fuit *lacitus*, vnde *lassus* vt à *fatiscor* & *defetiscor*, *fatiscitus*, & *defetiscitus*, pro quo dicimus *fessus* & *defessus*. Vide *Fessus*.

LATEO à Dorico λάθω, pro λήθω; θ in τ conuersum, vt ab ἴθω, vnde μαθῶ, *mutus*. At λήθω omnino est à לוט; quod idem. Eius compositum *delitesco*, vnde *delitesco*. Ab eodem est *latebra*, vt à *volo, volebra*: item *latibulum*, vt à *pasco, pascibulum*, ab *infundendo, infundibulum*. Item *latus*, quia *latet* sub axillis. Item *laterna* quia in ea *latet* ignis. Item *latex*, *latrina*, & *latro*; de quibus separatim. Item *Latium*, vt vel ex Virgilio & Ouidio notum. Idémque indicat hic Arnobij locus, lib. IV. *Pulsum a Ioue* (sic rectè emendant, pro quo vulgati *à nobis*) *Italorum delituisse in finibus, & quod tutus fuisset à filio, nomen Latio imposuisse pro munere*. A *Latium* est *Latinus*. Item *Latialis*, & *Latiaris*.

LATER à *lata forma*, vt Isidorus censet, lib. XIX. cap. X. Vel potiùs ab eadem origine est, vnde *lapis*. Nempe à λᾶς. Ingeniosè etiam Martinius, cui dici *later* videtur quasi λᾶς τερσόμενος, *lapis siccatus*. A *later* est *laterculus*, πλινθίον. Item *panisficium quadratum* operis dulciarij à *laterum forma*, πλακουντάριον dictum Plautus, Pœn act. I. sc. II.

———*Nil nisi laterculos,*
Sesamum, papaueremque, triticum, & frictas nuces;

Et Appuleius, lib. X. *Hic panes, crustula, lucunculos, hamos, laterculos, plura scitamenta mellita*. Idem nomen ob *lateris figuram* indutum *instrumento Mathematico*, quo de Turnebus ad Plutarchum, de oraculorum defectu. A *latere* quoque est Deus *Lateranus*; vt indicat hic locus Arnobij, lib. IV. *Lateranus, vt dicitis, Deus est focorum & genius: adauctusque hoc nomine, quòd ex laterculis crudis ab hominibus caminorum istud exædificetur genus*.

LATEX à *lapsu*, quia *profluens aqua sit* dici Festo videtur. Sed est à *lateo*, quia *in eo latet humor*, vt benè Seruius perspexit in I. Æn. Itaque & *vinum* Lucretius appellat *liquoris vitigeni laticem*. Nam *latet liquor in vua*.

LATICLAVIA *dignitas* est *senatoria*, ita dicta à *lato clauo*. Erat *clauus, plagula* quæ togis senatorum insuebatur ac ab humeris in pectus dimittebatur, vt Græcorum σημεῖον. Nomen ex eo habet quod *clauis* quibusdam consuta erat. *Latioribus* quidem in *senatore*, ac horum *liberis senatorio honori destinatis*; in *Equite* autem *angustioribus*. Vnde lucem accipit illud Ouidij l. IV. Tristium Eleg. extremâ:

Curia restabat, claui mensura coacta est.
Maius erat nostris viribus illud onus.

Quódque in *viris* erat *clauus*, id in *sequiori sexu* erat *patagium*, vnde vestes *patagiatæ*. Plaut. Epid. II. II. Vide Budæum, in Pandect. l. vlt. De senatoribus; Scaligerum, in Appendice Conject. ad l. VIII. Varr. ac Lipsium ad XIII. Annal. Taciti.

LATRARE à sono ob liquidam, quæ & in ὑλακτεῖν. vnde *Hylax*, canis nomen: vti & *Hylaus*, & *hylactor*, apud Nasonem, in fabula Actæonis. Quare non audio Varronem, in VI. de L. L. vbi *latratum* dici ait, quia *canes eâ voce indicant, quæ noctu latent*.

LATRINA verbale est, simile illis, *tonstrina*, *moletrina*, *furatrina*. Non vno modo sumitur. Nobis quidem *locum* notat, *in quem satura eunt*, vt Plautus loquitur: quâ significatione fortassis à *latendo* dicitur, quòd in eam sese homines abdant, ne conspiciantur: vnde & Græcis dicitur ἀφεδρὼν à *seorsim sedendo*. At olim notabat *balneum priuatum*, idque à *lauando*, quasi *lauatrina*, vt Nonius scribit: & ante eum prodidit Varro, lib. II. de Anal. *Deinde, cùm breuitatis causâ nomina contraherent, quo essent aptiora, pro lauatrina latrinam nominauerant: sicut ex maxillis, axillis, & vexillis, mala, ala, & vela diminuta sunt*. Plautus, Curcul. (act. I. sc. IV.)

Non pluris facio, quàm ancillam meam, quæ latrinam lauat.

Vbi Lambinus quidem *locum excrementorum*: sed Turnebus, libro XXI. capite XX. *priuatum* intelligit *balneum*. Glossæ Philoxeni: *Latrina*, λουτρόν. Onomasticon: *Lauatrina*, λουτρὸν ἀγρ.

LATRO olim notabat *militem conductum*: item *satellitem* quæ Græci σωματοφύλακα nominant. Ita dictus non quidem quia *ad latus ferrum haberet*; sed quasi *latero*, quia *stiparet regis sui latus*: vel ἀπὸ τοῦ λάτρου, id est, *stipe* quam mercedis nomine accipiebat. vnde & *stipator* appellatus. Varro lib. VI. de L. L. Festus in *Latro*, & *stipatores*; Seruius, in XII. Æn. versu VII. Vsus ita hoc vocabulo Plautus Milite, vt ibidem monet Seruius. Itidem & *latrocinari* pro *militare* dixit captic. comœd. act. II. sc. vlt.

An quia latrocinamini, arbitramini
Quiduis licere facere vobis, verbero?

Trinummo, sc. *Minus quindecim*, vers. antep.

Ibis latrocinatum aut in Asiam, aut in Ciliciam;
Id est, *militatum*. Gracchus in Nonium. *Qui apud reges in latrocinio fuisse*. Postea ita generatim vocati *grassatorum obsessores*, Idque quia *milites conducticios* primo *latrones* vocatos diximus, id facere solerent. Hoc qui non attendunt, *latrones* ita dici putarunt, siue quia *a latere adoriuntur homines*, siue quia *latenter insidiantur*, teste Festo, & Prisciano, in IV. item Isidoro. in X.

Latum, supinum à *fero* (vnde *allatum*, & alia,) dicitur quasi *tolatum*, a *tolo*, vnde & *tollo*, & *tuli*. Vel a τλάω, siue, τλῶ, præciso τ. Sed de isto in Grammaticis Exercitationibus satis diximus. A *latum* est *latito*, vt a *dictum*, *dictito*. Festus: *Latitauerunt Cato posuit pro sæpe tulerunt*. *Collatiuus venter* vnde sit, dictum in *Fero*.

Latus adiectiuum à πλατὺς, abiecto initiali π, quomodo pro πλαγγών dicitur λαγών, pro πλάμος λάμος, quod apud Æschylum est. At *latus* substantiuum est a *latendo*, quia *lateas condunturque sub axillis*, vt bene Isidorus, lib. XI. cap. I.

Laverniones dicti *fures* à *Dea Lauerna*, in cuius erant tutela, vt omnibus notum est. Ea Græcè Περξίδας vocatur, vt è vett. Gloss. discimus. At obscurum planè, vnde *Lauerna* nomen acceperit. Non displicet, vt sit a λαβεῖν, quasi *laberna*, β conuerso in υ; quomodo à βόλομαι est *volo*; ab Æolico βραῦον, *vepres*; a Dorico βάδω, *vado*, eliso ε. Vel à λάφυρα, id est, *præda*: vt dicatur quasi *Laphurna*. Interim veriùs, meo iudicio, sic vocatum quasi *Leuarnam* à *leuare*, id est *furari*: vel à *lauando* dici *Lauernam*, si *lauare* pro *furari* dictum olim. Acro, in Horat. lib. I. epist. XVI. *Lauerna dicta à lauando: Nam fures lauatores dicuntur*. Qui locus si sanus sit, dubium non est, quin vera sit posterior ἐτυμολογία. Sanè apud Plautum, Asin. I. II. legas *claui bonus*. Hoc est, *bonus sum priuatus*. Verùm suspicor apud Acronem *leuando*, & *leuatores*, scribendum esse. Sanè apud Petronium legimus. *Vnde plani autem, vnde leuatores viuerent, nisi aut locellos, aut sonantes ære sacellos pro hamis in turbam mitterent?* Sed inualidum fortasse hoc telum, quia nihil caussæ est, cur minùs hic Petronij locus sit corruptus, quàm ille Acronis. Adde quòd & doctissimus Sauaro, ad Sidon. lib. VII. epist. II. *lauatores* apud Petronium legendum putat. Illud autem validius, quòd *leuare* aliqui dixere pro *furari*, quomodo Sidonium, & Gregorium Turonensem, & auctorem historiæ Gothicæ locutos, ipse Sauaro comprobat. Et sanè, quid mirum, si *leuare* pro *furari* dixerint, qui pro eo, duriori quoque μεταφορᾷ, dixere *tagere*, id est, *tangere*, vnde *tagax*? Ab *Lauerna* dicta *porta Lauernalis*, quòd ibi ara eius deæ; vt scribit Varro, lib. IV. de L. L.

Lavo, à λόω, seu λούω, ex quo λῶ contractum. O abit in *A*, quomodo à βόσκειν est *pascere*. Præterea insertum *V* consonum quomodo à σκαιὸς est *scæuus*, ab Ἄορνος, *Auernus*; ab ἐλαία vel ἐλάα, *olea*, à κῆτος, *cetus*, &c. A *lauatum* est *lauacrum*, vt ab *inuolutum*, *inuolucrum*; à *sepultum*, *sepulcrum*, &c. Olim autem *lauo* tertiæ fuit, quomodo præter Plautum & alios vsus Maro, X. Æn. & Horatius, lib. III. od. IV. A *lauere* est præteritum *laui*. Ab eodem in supino ἀναλόγως esset *lauitum*: sed κατὰ συγκοπὴν dicimus *lautum*: vnde *lautus*, ὁ λελουμένος, vt Onomast. interpretatur. Sed κατὰ μεταφορὰν homines elegantes dicebantur *lauti*. Gloss. *Lautus*, λαμπρόβιος, *lautus*, πολυτελής. Caussa translationis, quòd *homines magnifici, & splendidi, crebrò admodum sese in balneis lauarent*. Plautus Curcul. I. I.

Tute tibi puere lautus luces cereum.

Siue vt optimè distinguit Acidalius,

Tute tibi puer es? lautus luces cereum?

Sententia est, Tu pueri seu seruuli fungeris munere, & adolescens te adeò lautâ, φιλόλαμπος es, vt Græci loquuntur, hoc est, *tibi ipsi lucernam præfers*? A *lautum* dictæ quoque *lautitia*: quod indicat hic Festi locus. *Lautitia* (sic libb. vett. non *lautia*, quod aliud est) *epularum magnificentia; alij à lauatione dicta putant, quia apud antiquos hæ elegantiæ, quæ nunc sunt, non erant, & rarò aliquis lauabat*. *Lautitiam* quoque pro *amylo* dixere: vnde idem Festus: *Lautitia farina appellabatur ex tritico aquâ conspersa*. Eiusdem originis sunt *Lautola*, seu *Lautula*, cùm quæ intra, tum quæ extra vrbem. De illis sic Varro, lib. IV. de L. L. *Lautola à lauando, quòd ibi ad Ianum Geminum aquæ caldæ fuerunt*. De his ita Festus: *Lautula locus extra vrbem, quo loco, quia aqua fluebant, lauandi vsum exercebant*. Pro *lautum* dicitur & *lotum*, *AV* in *O* conuerso quomodo ab *aula* est *olla*; à *caupa*, *copa*, &c. A *lotum* partem dici & *lotium*, de quibus separatim.

Lavrices Balearibus dicuntur *cuniculi*: teste Plinio, lib. VIII. cap. LV. Hispanica igitur vox, etsi fortasse à Græcis profecta.

Lavrvs, vnde *laurea*, Græcum videri possit. Nam apud Hesychium legas, Λαῦρον, τὴν δάφνην. Sed si à Græcis est, potius putem esse à Pergæa voce λαύρα, quæ idem signabat. Hesych. Λαύρα, δάφνη. Περγαῖοι. Si in Latinis originem debet, fortasse erat à *lauo*, id est, *purgo*. Nam *laurus purgandi habet potestatem*. Vel, si veteres potius audiendi, prius fuit *laudus*, estque id à *laude*. Seruius, ad Ecl. VIII. *Cur tamen triumphantes lauro coronentur, hæc ratio est, quoniam apud veteres à laude habuit nomen. Nam laudum dicebant*. Idem scribit Isidorus, lib. XVII. cap. VII. Nec tantum *laudum* pro *lauro*, sed & pro *laurea* olim *laudeam* vel *ludeam* dixerunt. Plaut. Cistellaria, I. II. *Partite laudem & lauream*. vbi in MSS[ti] est *ludeam*, quod Meursius rectum putat. Lilius Gyraldus suspicatur, vt δάφνη, quæ *laurus* est, Græcis dicitur à δα particula intensiuà, & φωνῶ, hoc est, *voco*: quia *igni iniecta crepet, & quasi vocem edat*, ita & Latinum *laurus* componi ex λα ἐπιτατικῷ (quale esse volunt *lactaurus* & *laruas*) ac verbo *uro*, quia *facile accenditur*, *& in igne crepet*. Sed egregiè nugatur vir doctissimus. Nam quod ait de notione particulæ δα, id quamquam etiam à veteribus quibusdam traditur, nullo tamen fundamento subnixum est: quod non negabit, quisquis pensiculatius considerarit vocabula ea quæ inde originem ducere existimantur. Quare verisimilius Etymologus: cùm ait δάφνη dici quasi δαφώνη, hoc est, ἐν τῷ δαιόμενοι φωνεῖν, quia nempe ἠχεῖ ἐν τῷ πυρί. De λα quod ait, id in Latinis locum non habet, cuiusmodi est *taurus*. Ac fortasse nec *lactaurus* inde est, nec *Laruæ*, de quibus seorsim. Rectè verò idem Gyraldus inibi docet, *crepantem in igne laurum bonum fuisse omen, tacitam autem infelix*. tum item *vates lauro vesci solitos*, quòd valere crederent ad diuinationem: quibus confirmandis supersedeo, quia huius loci non sunt. Ipsum, si vis, Gyraldum adi dialogismo sextodecimo, & Dialogo secundo historiæ poëtarum.

Lavs, vel est à λαός, id est, *populus*, vt *laus* propriè sit *sermo populi de virtute alicuius testantis*; vel à λάω, id est, *eloquor*, quâ ratione à φάω, seu φημὶ, est φήμη. Hesychius: Λῶ, ἰδὲ, θέλω, οἱ δὲ, ἀπολαύω, φθέγγομαι. Vel ab antiquo λάω, id est, *fruor*, vnde in vsu remansit ἀπολαύω, vt sic dicatur, quia *nullus virtutis maior est fructus, quàm laus*. Posteriorem hanc originationem sequitus Iulius Scaliger, lib. III. de R.P. cap. CX. A *laude* est *laudare*; quamquam non semper primogenij retinet significationem; sed etiam ἁπλῶς vsurpetur pro *nominare*, aut *citare*: vt monet Gellius, lib. II. cap. VI. Macrobius, lib. VI. cap. VII. & Nonius in *Laudare*. Pluribúsque idem testimoniis comprobat Budæus, annot. prior. in Pand. Caussam autem eius rei, quòd antiqui non sine *laude* aliquem nominare soleant: præsertim cuius testimonio vti vellent, vnde genus illud loquendi, *laudare aliquem testem*, pro *nominare*.

Lavtia sunt *xenia* siue *munuscula*, *quæ legatis exterarum gentium dono mittuntur*: vt est apud Festum in voce Dacryma. Idémque scribit Plutarchus, in Problematis Rom. ἐπεὶ δ' οἱ λαυτία τὰ πεμπόμενα τοῖς πρέσβεσι ξένια. Varios, qui eâ voce vtantur, suggeret Brissonius, in formulis. Eadem intelligit Cato, cùm scripsit, lib. de innoc. sua: *Cùm essem in prouincia legatus, quamplures ad prætores & consules vinum honorarium dabant; nunquam accepi, ne priuatus quidem*. Aiunt hoc nomine solùm intelligi quæ ad victum pertinerent: siue ad *lautitias epulas*, indéque esse nomen. Eóque apud Liuium legi, præter *lautia* legatis fuisse datas pecunias, vasáque aurea & argentea. Vide Liuium, lib XXXVIII. XLII. XLV. Fauet huic sententiæ quodammodo Festus in *Lautia*: *Lautia, inquit, epularum magnificentia. Alij à lauatione dicta putant, quia apud antiquos hæ elegantiæ, quæ nunc sunt, non erant, & rarò aliquis lauabat*. Ita editum quoque in antiqua Mediolanensi Ioannis Angeli. Vbi pro *lauatione* in veteribus aliquot editt. legitur *lautitia*. Quæ à *lauando* dicta esse, cuiuis manifestum est. Sed omnino *lautia* dixere à Græco δῶρα. Nam veteres *dautia* dixere, vnde *lautia*, *D* in *L* conuerso, vt ex δάκρυμα, *dacryma*, inde *lacryma*. Festus: *Dacrymas pro lacrymas Liuius sæpe posuit, nimirum quod Græci appellant δάκρυμα. Item dautia, quæ lautia dicimus, & dantur legatis hospitij gratia*.

Lavtvmiæ voce vsus Plautus, Pœnulo, Act. IV. Sc. II. Vnde *Lautumarius* Cicero in Pisoniana iuxta codd. antiquos; vt Turnebus monet, lib. XXI. Aduers. cap. XV. In vulgatis est *laternarius*. Ita vocat sodalem Catilinæ, quasi qui aliquando *lautumiis* siue *carceris colonus* fuisset. *Lautumia* carcer erat Syracusis, vt ait Asconius in III. Verr. vbi addit, sic lingua Siculorum dici *lapicidinas*, id est, *loca lapidibus excisa*. Dicitur autem *lautumia* pro *laotomia*, λαοτομίαι, quomodo Petronius dixit *Lauconte nati* pro *Laocoonte*. Et apud Plinium, epist. XIV. lib. II. *Laudiceni* pro *Laodiceni*, vt alludatur ad *laudem*, *Inde iam, inquit, non inurbane σοφοκλεῖς vocantur: isdem Latinum*

nomen

nomen impositum est Laudiceni. Scaliger quoque censet veteres similiter *Laumedon* dixisse pro *Laomedon*: sed Festum, cùm pro eo *Alumento* scribit, deceptum esse vitiosis Liuij Andronici exemplaribus. Vide plura apud Cuiacium, lib. VI. Obseru. cap. VII. Lambinum ad Plaut. Pœn. sc. *Satis spectatum*; Scaligerum ad Festum in *Alumento*, & castigat in elegiam Pedonis Albinouani de obitu Mæcenatis; ac lanum Gruterum ad Senecæ lib. IX. controu. IV.

LAXVS à *laxus*, si Perotto credimus. Sed potiùs est à χαλῶ, quod est *laxo*. Vel à λαγαρὸς, quomodo vocatur, *quod non est distentum aut plenum, sed quodammodo cauum ac vacuum.* Gloss. Cyrilli: Λαγαρὸς, *laxus*. Affinéque est λαπαρὸς, hoc est, *mollis tenuisque*; item *inanis ac vacuus*. Itaque & à λαγαρὸς, λαγών, & à λαπαρὸς λαπάρα dicitur *cauitas*. Nempe locus is verè λαγαρὸς seu λαπαρὸς siue κενὸς ἐστι.

LEBES, *olla area*, vt monet Seruius, ad illud III. Æn.

———*Dodonæósque lebetas.*

Est à Græco λέβης, hoc ἀπὸ τοῦ λείβειν, quoniam in eum τὸ ὕδωρ λείβεται, *aqua funditur*, vt ex Athenæo tradit Eustathius.

LECTISTERNIVM non priuatorum cubiculorum fuit, sed erat *sacrificij genus*, in quo dijs in templis *puluinaria* siue *lecti sternebantur*, conuiuiúmque ijs apponebatur. Quia *lecti sternerentur*, dictum *lectisternium*: quia autem *cibi apponerentur*, iccirco *dapem* vocarunt, aut *epulum*, vnde *epulones*. Appuleius, de mundo: *Sunt & publicarum epularum apparatus, & lecti sternia Deorum, & dies festi, ludi scenici, ludique Circenses.* Val. Maximus, lib. II. cap. I. *Iouis epulo ipse in lectulum, Iuno & Minerua in sellas ad cœnam inuitabantur.* Horatius:

———*Nunc Saliaribus*
Ornare puluinar Deorum,
Tempus erat dapibus sodales.

A *lectisternium* est *lectisternator*; quomodo vocatur is, qui mensam ac *lectulos* discubitorios sternit. Vtitur Plautus, Pseudolo Act. I. Sc. II.

LECTVS, vt Festus scribit, *dictus, vel à collectis folijs ad cubitandum, vel quod fatigatos ad se alliciat: vel à Græco* λέκτρον. Postremum placet. Omissum *R*, quomodo ab ἄκρον est *acus*. Prima autem opinio erat Varronis, cui *lectus* dici videtur à *legendo*, hoc est, *colligendis stramentis*. Est verò λέκτρον à λέγω, non quà significat *dico*, aut *lego*, siue *colligo*; sed quà notat *cubo*, aut *dormio*: teste Eustathio. Similitérque Hesychius: Λέξασθαι, ἐπιλέξασθαι, κοιμηθῆναι ἡ λέξις, κατάκλισις. Κατέλεκτο, ἐκοιμήθη. Mirum autem, Latinos quidem retinuisse λέκτρον, quod est à λέγω, hoc est, *cubo*: at λέγω hac significatione non retinuisse; sed tantùm, quà *lego*, siue *colligo* significat. A *lectus* est *lectica*, Glossæ vett. *Lectica*, φορεῖον, κλίνη. Φορεῖον autem vocatum, ἀπὸ τοῦ φέρεσθαι. Nam *gestabatur*, nunc à *sex seruis*, & *hexaphorum* dicebatur: nunc ab *octo* & vocabatur *octaphorum*. Tenuiores autem vel duobus contenti erant. Dicti item *lecticarij* à Latinis, à Græcis φορειοφόροι; vt ex Glossis constat. *Lecticam* diuitis describit Iuuenalis, sat. IV.

———*Amica,*
Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.

Vbi *fenestras lectica amplissima* signat. Vide & sat. V.

LEGARE, vel à לאך, quod est *legauit, misit*, vnde מלאך, *legatus, nuncius, angelus*; vel ἀπὸ τοῦ λέγειν, hoc est, *dicendo*, vt propriè signet *ad dicendum mitto*: vel potiùs à *lege*, cùm notet *lege certa aliquem mittere*, aut *legis modo statuere*. Atque hæc clariora fiunt ex deriuatis. Nam dicuntur *Legati*, quia *à Senatu legentur*, hoc est, *mittantur*. Cic. in Vatinium: *Ne hoc quidem Senatui relinquebas, quod nemo vnquam ademit, vt legati ex eius ordinis auctoritate legarentur.* Non igitur ita dicti à *legendo*, quamquam Varro IV. de L. L. scribat. *Legati, qui lecti publicè, quorum opera consilióque vteretur peregre magistratus, quíve nuntij senatus aut populi essent.* *Legatum* quoque eiusdem originis est. A *lege* id dici censuit Vlpianus, in cuius fragmentis scriptum: *Legatum est, quod legis modo hoc est imperatiuè, testamento relinquitur.* Vbi *verba legati*, vt *legum, imperatiua* dicuntur ob formalem, *hæres dato, capito*, aut similem. Quidam dici putant, à *legando*, quia l. CXVI. de leg. I. *legatum* dicatur esse *delibatio hæreditatis, quâ testator ex eo, quod vniuersum hæredis foret, alicui quid collatum velit.* Nam, inquiunt, quæ *delibantur* & *decerpuntur*, ea *leguntur*. Sed omnino est à *legando*, hoc est, *quasi lege quadam in testamento statuendo ac decernendo*, quomodo in legg. XII. tabb legitur: *Paterfamilias vti legassit super pecunia tutelâve suæ rei, ita ius esto.* Cùm autem ipsa *legandi* vox sit à *lege*, liquet Vlpianum non falsam quidem at non proximam tamen adduxisse nominis caussam. *Collega* quoque non à *legendo* sic dicti quia *vna lecti*, vti Varro censet, lib. V. de L. L. (nam huic etymo modulus primæ syllabæ repugnat) sed à *legando*, quasi *vna legati*. Itaque vox ea primo competit *vnius legationis socijs*; *collegium* autem postea extensa ad *magistratus qui sunt eiusdem potestatis*, nec non societatem omnium quibus coëundi ius permissum sen lege, seu senatusconsulto, seu principali aliqua constitutione. Vel dicendum appellationem hanc esse à *legando*, qua id verbum *committere* notat *committere*, *assignare*: quomodo vtus Plautus Casina. A *legando* quoque dicta *relegatio*, vbi *re* valet *retro*. Erat *vnum ex tribus exsilij generibus*. De ea sic Festus: *Relegati dicuntur propriè, quibus ignominiæ aut pœnæ caussa necesse est ab vrbe Roma, alióve quo loco abesse lege senatúsve consulto, aut edicto magistratus; vt etiam Ælius Gallus indicat.* Duo autem, Vlpiano teste, erant *relegatorum* genera. Nam alij in *insulam relegabantur*: alij *prouinciâ* quidem *excedere* iubebantur, non tamen ijs insula certa assignabatur. Differebant ab his *deportati* multifariam. Nam *deportatio in perpetuum* fiebat: *relegatio* sæpè *ad tempus*: *deportatio* adimebat omnino ciuitatem Romanam; *relegatio* non æquè; *deportatus* amittebat bona, *relegatus*, sæpè vel nulla vel partem tantùm amittebat; *deportatis* circumscribebatur exilij locus: *relegatus* sæpè patriâ solùm excedere iubebatur.

LEGIO dicta, *quòd leguntur milites in delectu*: vt ait Varro, lib. IV. de L. L. & lib. III. de vita pop Rom. Similiter Plutarchus in Romulo, Vegetius, lib. II. cap. I. Isidorus lib. IX cap III. Ante C. Marium *legio* quatuor millium fuit: vnde *Quadrata* dicebatur. Is autem primus *legionem* conscripsit *sex millium & ducentorum*. Auctor Festus. Fusius de his, qui scripsere de militia Romana

LEGO, cùm tertiæ est, venit à λέγω. Gloss. Philox. *Legit*, ἀναγινώσκει, λέγει. Propriè λέγω est συνάγω, *colligo*, vel ἐκλέγω, *eligo*. Pro ἀναγινώσκειν accipi solet, quia *qui id facit, literas voces que colligit, vt oratio fiat*. Sic *legere mala* in Eclogis, hoc est *colligere*. A *lego*, quà ἐκλέγει signat, sunt *deligo* vel *diligo*, & *neglige*. Cornelius Fronto: *Diligentia a diligendo singula: huic negligentia opponitur.* Varro, lib. V. de L. L. *Sed quod his magis promiscuè quàm diligenter consuetudo est vsa, tralatitijs vtimur verbis.* *Negligentia* igitur ex eo, *quòd quis non vtatur delectu: diligentia* contra, *quia diligat*, hoc est, *deligat*. Nam veteres hæc duo non distinguebant: vt constat ex codd. antiquis. Vnum è multis locum ponam. Versus Ennij sunt in Medea, apud Cic. I. Tusc. Quæst & Cornificium, lib. II. ad Herennium, & Priscianum lib. de metris Comicis:

Argo qua vecti Argiui delecti viri,
Petebant illam pellem inauratam arietis.

Euripidi dicuntur χεῖρες ἀνδρῶν ἀρίστων, οἳ τὸ πάγχρυσον δέρος Πελίᾳ μετῆλθον. Quamquam verò ex istis pateat, *negligere* esse ab ea notione *legendi*, quâ signat ἐκλέγει, tamen nec inepte ab altera deduxeris, quà significat συνάγει. Nempe vt *Negligere* propriè sit vox rustica, quando *ne legere quidem legumina aut fructus dignarentur*: inde ad alia sit translatum. Festus: *Neglegens, non legens, neque electum habens, quid debeat facere.* Beda de Orthogr. *Neglegens per G scribendum, quasi nec legens C in G conuerso.* Videntur autem veteres & *lego*, eâ notione, quâ nunc tertiæ est, in prima extulisse. Nam vnde alioqui sit *elegans*; quod idem notat ac *electum*. Cicero tamen in secundo de Nat. Deor. *Religiosi ex relegendo, vt elegantes ex eligendo, tanquam à diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes.* Ab *inter* & *lego* est *intellige*, *R* in *L* abeunte, vt è Velio Longo dicemus in *Pellacia*. Nonnulli potiùs deducunt ab *intus*, vt *V* abeat in *E*. Ità *intelligere* sit *intus legere*. Sed mihi prior magis sententia placet. Nam cùm duo sunt, vbi vtra sententia præstet, dubitari potest intérque ea illum *legimus*, siue *eligimus*, quæ verior est; tum rem *interlegere*, siue *intelligere*, dicimus. Quamquam autem *intelligere* per *I* vulgo efferatur, tamen per *E* scribitur à Prisciano, eodémque modo in antiquis codd exaratum inuenitur, vt etiam Politianus obseruat, epist. ad Bartholomæum Scalam.

LEGVMEN, vt ad I. G. scribit Seruius, *dicitur quòd manu legatur, nec sectionem requirat.* Idem indicat Varro, l. I. de R. R. c XXIII. *Hoc enim quoque legumen, vt cætera, quæ velluntur è terra, non sub secantur: quæ, quòd ita leguntur, legumina dicta.* Et cap. XXXII. eiusdem libri: *Serendum viciam, lentem, cicerculam, eruiliam, cæteraque quæ alij legumina, alij (vt Gallicani quidam) leguria appellant: vtraque dicta à legendo, quòd ea non secantur, sed secanda velluntur.* Videri queat ἐτυμολογίαν respexisse Maro, I. Georg. cùm ait:

———*Ni vis humana quotannis*
Maxima quæque manu legeret,

Quamquam non de solis *leguminibus*, sed *seminibus* in vniuersum agat Poëta, vt autumat Columella. Confirmant eandem ἐτυμολογίαν, quod Græcis similiter χέδροψ dicitur, &

 χέδροπες,

χέδροπα, quia *manu legitur*. Quamuis alij deducant ἀπὸ τοῦ χεῖσθαι, quod terra id facilè fundat. Onomasticon, *Legumen*, ὄσπρεον. *Legumentum*, χέδροψ.

Lema, λῆμα, vnde & *glama*. Hesychius: Λῆμαι αἱ περὶ τοὺς κανθοὺς τῶν ὀφθαλμῶν πεπηγυῖαι συστάσεις ἀκαθάρτου τῶν ὀφθαλμῶν ἀποκρίσεως.

Lembus à Græco λέμβος, quod *exiguum nauigij genus* esse docent Hesychius & Suidas. Cæterum pro *lembus* reperias *limbus* perscriptum apud Isidorum, lib. ix. cap. i. item in Glossis Isidori, inque Glossis Arabicolatinis.

Lemma, λῆμμα, quod aliud à λέμμα. Hoc notat *librum* siue *corticem*, éstque à λέπω, *decortico*, *delibro*. At λῆμμα dicitur quasi τὸ ληφθὲν, éstque ἀπὸ τοῦ λαμβάνειν, ac tum *sumtionem* notat *in syllogismo*, quomodo Dialectici vsurpant: tum *materiam Epigrammatis alijúsve scripti*, vt cùm Auson. ait præfat. Parent. *Sed quosdam solet commendare materia, & aliquotiens fortasse lectorem solum lemma sollicitat titulo, vt festinitate persuasus, & ineptiam ferre contentus sit.* Vide hac de notione Heraldi animaduers. in Martial. lib. x. Epigr. lix

Lemniscus quidam à *lamna*, hoc est, *lamina*, dici arbitrantur, vt priùs fuerit *lamniscus*, & vnius literæ mutatione *lemniscus*. Fundus autem huius sententiæ, quod *lemnisci* sæpè fuerunt siue ex *auro*, siue ex *alio metallo*. Sed antiquitus fuisse *laneos* docet Festus. *Lemnisci*, inquit, *sunt fasciæ coloriæ dependentes ex coronis, quod antiquissimum fuit genus coronarum lanearum.* Quo ex loco colligunt alij dici *lemniscum* à λῆνος, id est, *lana*. Sanè cùm Virgilius ait:

Puniceis ibant euincti tempora vittis.

Coronas *lemniscatas* signat, vt ait Seruius. Sed maximè placet Hesychij sententia, qui docet esse verbum Syracusanum, ac notare *tæniam angustam*. Λημνίσκος, inquit, τὴν στενὴν Συρακούσιοι ταινίαν. Vide Turnebum, libro xviii. cap. iii. & Cæsarem Bullingerum, lib. de spolijs bellicis, cap. xvii.

Lemuria, *feriæ Lemurum*. Quæ *Lemuralia* à Festo appellantur in *Faba*: item in Glossis. Sic dicta à *lemuribus*, quibus sacra hæc fiebant Idibus Maij, vt scribit Ouid. v. Fast. *Lemures* verò idem (quem & Porphyrio & alij sequuntur) sic dictos vult, quasi *Remures*, à *Remo*, cuius occisi anima Romulus exagitabatur. Difficilis nempe pronunciatio literæ *R*. Lucillius de hac:

Irritata canes, quàm homo, quod planius dicat.

Atque id imprimis norunt τραυλοί. Hinc Fabius, libro i. cap. xix. *Quippe ę litera, qua Demosthenes quoque laborauit, λ succedit.* Quare nil mirandum, si mutatio harum literarum in alijs quoque linguis habeat locum. Ita nos pro *turtur* dicimus *tortel-duyf*: & pro *luscinia* Celtæ dicunt *rossignol*, quasi *ruscinia*. Quomodo & Itali ex *lusciniola* tum *rusignuolo*, tum *lusignuolo* fecerunt. Sed ad *Lemures* redeamus. Differunt *Lemures* & *Lares*, quod illud nomen naturâ sit commune; singulariter autem de *noxijs* dicatur, contra quàm in *Laribus* fit, qui *propitij*. Indicat hoc Appuleius, lib. de Deo Socratis. *Lar dicitur familiaris, qui ex Lemuribus posterorum suorum curam sortitus, pacato & quieto numine domum possidet.* Glossæ Philoxeni simpliciter *Lemures* interpretatur, νυκτερινοὶ δαίμονες.

Lenis substantiuum, *genus* est *vasis*, quomodo Afranium, & Laberium, vsos esse, Nonius docebit. Imò & Alfenus in Digestis vsurpat: quo de Cuiacius, Obseruat. lib. vi. cap. vii. & lib. x. cap. xv. Eâque notione est à Græco ληνὸς, quomodo dicitur *lacus torcularis*. vnde *Bacchus* dictus *Lenæus*, Ληναῖος, non à *leniendo*, vt aiunt. Ab similitudine ληνοῦ videtur & *nauigij genus* ita dici, in illo Martialis, lib. i. epigr. l. ad Licianum:

Tepidi natabis lene Congedi vadum.

Et inde *lenunculus*, πλοιάριον, σκαφίδιον, vt Glossæ Philoxeni exponunt. Sanè *lenunculum* esse *nauigij genus*, ostendit Gellius, lib. x. cap. xxv. Atque ita, præter Sallustium, Cæsarem, ac Paullum Iurisconsultum, vsus Marcellinus, lib. xiv. & xvi. Indéque *lenuncularij*, vt à *naue*, *nauicularij*. Legas istud in veteri inscriptione, & tabula marmorea. Hæc de voce *lenis* vt est substantiuum. At *lenis* adiectiuum à *mollitie lanæ*, quæ Græcè λῆνος, vt pluribus diximus in *Lana*. Vel est *lenis* à λεῖος, quod est *leuis*, priori porrectâ & quandoque etiam *lenis*. Insertum *N*, vt à σῶος, *sanus*; à πλέος, *plenus*. A *lenis* est *lenire*, & *delenire*, θέλγειν. Vsus sæpius Plautus, item Horatius, od. i. lib. iii.

Nec purpurarum sidere clarior

Delinit vsus. ———

Atque hinc *delenitus*, & *delenimentum*, & *delenificus*; sic enim in codicibus antiquis non rarò inuenias. Vulgò per *I* malunt, *delinitus*, *delinimentum*. Est verò *delenimentum*, φίλτρον, siue *venenum conciliando amori datum*; sed *sæpius insaniam conciliant*. Plautus, Amph.

Delenitus sum profectò: ita qui sim nescio.

Afranius:

Si possent homines deliniimentis capi,
Omnes haberent nunc amatores anus.
Ætas, & corpus tenerum, & morigeratio,
Hæc sunt venena formosarum mulierum.
Mala ætas nulla delinimenta inuenit.

Caius, l. iv. de inoff. Test. *Nouercalibus delenimentis instigationibúsque corrupti.*

Leno ab *alliciendo* dictus videtur Festo: sic sanè etiam est in MS°: at à *leniendo*, Prisciano, in iv. & Isidoro, lib. x. nempe quòd *mentes deliniendo seducat*. Interdum notat *mediatorem*. Isidorus in Glossis: *Leno, lecator, mediator.* Ita vsus hac voce Trogus Pompeius: *Præmissis lenonibus, qui hostibus parendi legem indicerent.* *Lecator*, quod in Isidori loco habes; idem est, quod Germanis ac Belgis *lecker*: vnde in ijsdem Glossis: *Lecator, gulosus.* Nec dubium, quin à Germanico illo *lecator* originem ceperit, infimi sæculi vox. A *leno* est diminutiuum *lenullus* apud Plaut. Pœn. act. ii. Etiam *lenunculus* pro eo dici scribit Priscianus, lib. iii. *Lenunculus* quoque vocatur *nauigij genus*. Estque ὑποκοριστικὸν à *lenis*, quod nomen *paruula nauis*. Ea de notione vide quæ dicimus in *Lenis*.

Lens, pro *pediculi fœtu*, Perotto videtur esse à *lædo*: fortè veriùs à λεῖος, hoc est, *leuis*: quia *lens* id animalculum sit natura. *Lens*, pro *legumine*, vel ex *lenis* factum est, vel ex *lentis*, quomodo vett. dixisse in recto, ait Priscianus in vii. Ratio nominis esse creditur, quia comesa *lenes* & *lentos facit*; vnde Plinius, lib. xviii. cap. xii. *Inuenio apud auctores æquanimitatem fieri vescentibus lente.* Paullus Ægineta tamen lib. i scribit φακῆν εἶναι κακόχυμον ἢ μελαγχολικόν. Cui fauent hac parte Galenus, Dioscorides, & Rhasis ad Almansorem. Vide quæ de eo notauit Cælius Rhodiginus lib. xxiii cap. xxii. Fortasse igitur rectiùs Isidorus, lib. xvii Originum, cap. iv. *Lens*, inquit, *vocata, quòd humida & lenta est, vel quòd adhæreat humi. A lente dicta lenticula, & lentigo, quia ad lentis similitudinem maculis subrufis ac nigris faciem fœdat.* Eas maculas *lenticulam* vocat Celsus, lib. vi. cap. v. *lentiginem* Plinius, lib. xx. cap. xv. Isidorus, lib. iv. cap. vii. *Lentigo est vestigia macularum paruula in rotunditatem formata, à specie lenticula dicta.* *Lenticula* etiam *vasis vnguentarij genus* est: quâ notione à *linere* Isidorus deducit lib. xx. cap. vii Sed esse à *lens*, quadruplici argumento colligo. Primum, quia id non obscurè dicit Plinius, lib. xviii. cap. xii. vbi locutus de *Ægyptia lentis* figura, subijcit: *vnde vario vsu translatum in lenticulas nomen.* Deinde quia Græcis similiter φακὸς, tum *lentem*, quâ legumen est; tum *id vasis genus* notat, quod *lenticula* vocatur. Tertium argumentum, quia vas hoc *formam* habuit *lenticularem*. Appuleius, lib. ii. Florid. *Ampullam olearium, quam gestabat lenticulari forma, tereti ambitu, pressula rotunditate.* Denique quia etiam *lens* appellatur. Nam Lucifer Calaritanus, lib. i. ad Constantium Imperat. pro S. Athanasio locum i. Sam. xxvi. xi. & xvi. vbi apud lxx. est φακὸς ὕδατος, ipse habet *lentem aquæ*. Apud vulgatum interpretem, item Pagninum & Vatablum pro eo *scyphum aquæ* translatum est. Socer noster Iunius, in ea interpretatione, quam cum Tremellio procurauit, *ampullam aquæ* vertit.

Lentiscus, arbor, cuius resina mastiche. Glossæ Philoxeni. *Lentiscus*, σχῖνος. Ita vocatur, quòd *folia eius lentescant*: Vel quod potiùs *ipsa lentescat arbor, dum resinam fundit.* Σχῖνος à ἀπὸ τοῦ σχίζειν, hoc est, *scindo*, *findo*. Facile enim lignum eius finditur. Ad etymon allusum in Susannæ historia Daniel cap. xiii. vbi cùm alter mendacium testium dixisset, visam à se Susanam ὑπὸ σχῖνον, *sub schino*, vt transtulit vetus interpres: dixit ei Daniel, ἄγγελος τοῦ Θεοῦ λαβὼν φάσιν παρὰ τοῦ Θεοῦ σχίσει σε μέσον. *Angelus Dei, accepta ab Deo sententia, scindet te medium.*

Lentus, fortè à λεπτὸς, *tenuis*, quia quod tale, hoc *lentum*, id est, εὐκαμπές. Glossæ Philoxeni: *Lentus*, βραδύς, λεπτὸς, ἀργός. Vel *lentum* κατὰ συγκοπὴν, est ex *lenitum* Sanè quæ *lenia* mollíaque, eadem & *lenta* ac flexibilia. A *lentus* ὑποκοριστικὸν *Lentulus* est apud Tullium, ad Att. lib. x. epist. xiii. Sed pro *familia Romana nomine* à *lente* venit, teste Plinio. lib. xviii. cap. xiii. vbi ait à *lentibus*, *fabis*, *pisis*, *ciceribus*, vt quisque aliquod optimè sereret, reperta nomina *Lentuli*, *Fabij*, *Pisonis*, *Ciceronis*.

Leo verbum videtur esse ex Græco λεῶ, quod est, *lene ac glabrum reddo*. Pro λεαίνω autem & λειαίνω dicitur. Vtrumque à λεῖος, *lenis*, *glaber*. Hesychius: Λεαίνεται, λειοῦται, ἐξαλείφεται. Glossæ: Λεαίνω, *deleo*. Quia autem *vnguento* aliquid *leuigatur*, inde factum, vt *leo* παράγωγον significarit *lino*, *vngo*.

vago. Quamuis autem hac notione *leo* in præsenti amplius in vsu non sit: remansit tamen præteritum *leui*, quod *lino* ab obsoleto *leo* mutuatur. A *leo* est *eleo*, quod a Nonio exponitur *maculo*, in illo Lucillij: *Si hic vestimenta eleuit luto, ab eo risum magnum ac cachinnum imprudens subiecit*. Verùm sententia requirit, vt *eleuit* exponamus, non *maculauit*, sed *mundauit*. Nam pro ridiculo habet si luto vestes mundemus, quod immundiores eas facit. *Eleo* igitur est ἐξαλείφω, vt *leo*, ἀλείφω. Idemque ac *eleo* valet alterum compositum *deleo*. Sanè id ab antiquo *leo* venire, agnoscit & Priscianus. Nec tamen hæc tam valida arbitror, vt nihil contra dici possit. Nam primum illud in mentem venit, Lucillium fortassis scripsisse non *eleuit*, sed *elauit*, vel *eluit*. Nec enim rarò Nonium corrupti codices decepere. Quodque ad *deleo* attinet, id videri queat ab *oleo* factum. Certe significatio conuenit, quia *deoleo* erit vt *aboleo*. In *deleo* extrita vocalis quomodo à *de*, & *emo*, est *demo*. Nec obstat, quòd hîc eadem sit vocalis; nam veteres fortasse *eleo* pro *oleo* dicebant, quomodo *hemo*, *benus*, *elus*, *Apello* aliàque per E extulerunt. Estque hoc eo verisimilius, quod *oleo* fortè sit ab ἔλαιον, hoc est, *oleum*.

LEO nomen à λέω, venire à Græco nomine, significante regem, falsò censet Isidorus, lib. XII. cap. II. Λέων Porphyrius esse putabat a λάω, *video*: nempe quod *leo visu* sit *acerrimo*. Alij malunt esse ab Hebræo לביא, quod idem: vel לַיִשׁ, hoc est, *fortis*, quia robore valet. Quod non displicet. Aliter λέων vocatur λῖς, quod ab eodem לַיִשׁ venire puto. Et fortasse λέων non ἀμέσως ab Hebræo est; sed eò quòd Græci *leonem* λῖν appellant. *Leana*, Græcè λέαινα. Hac propter *leana* veteres Latinum esse negarunt, vt scribit Iunius Philargyrius, ad illud Maronis, Ecl. II.

Torua leana lupum sequitur.

Sanè à *leo* esset *lea*. Lucretius, lib. V.

Irritata lea iaciebant corpora saltu.

Quem locum & Nonius citat. Varro ad Ciceronem, lib. III. *Sicut nocet panthera, & lea*. Ouidius, IX. Metam. fab. XI. de Chimæra:

———*Mediis in partibus ignem*
Pectus & ora lea, caudam serpentis habebat.

Et Tristium lib IV. El. VII.

———*Esse Chimæram,*
A truce quæ flammis separet angue leam.

Exstat ea vox quoque in Gloss. Græco-latinis. Antiquissimi verò nec *leana*, nec *lea*, dixisse videntur, sed *leo femina*. Monuit in Philargyrius, ac sententia eius confirmatur illo Plauti, Vidulariâ:

Nam audiui feminam ego leonem semel parire.

At immeritò Charisius, lib I. *lea* Latinum negat, quo non Ouidium modò, quod Charisius agnoscit, sed Lucretium quoque ac Varronem vsos vidimus. Rectiùs igitur Isidorus, lib. XII. cap. II. vbi vtrumque agnoscit, verùm *leana* totum esse Græcum; *lea* Latinum, sed poëticum esse ait.

LEPAS, siue, vt apud Nonium est, *lopas*, conchæ genus est, petris ita arctè adhærens, vt vix auelli queat. Galenus, in lexico Hippocr. Λεπάδες, αἱ ταῖς πέτραις προσεχόμεναι κόγχαι. Hesychius: Λεπάδες εἶδος ὀστρέων ταῖς πέτραις προσεχόμενα κογχύλια ὅμοια ἐλαίῳ. Synesius in epist. ἡ δὲ λεπὰς, ὅμοιον ἐστὶ κοῖλον, ἀφ᾽ ἧς ἐκτομὴν λαβεῖν τῆς πέτρας, ἀμηχανεῖ. Meminit λεπάδων Aristophanes Pluto, Oppianus, alij. E Latinis vtitur Plautus, Casinâ, act. II. VIII. Eustathius in Iliad. Θ. pag. CIↃCCXLVI. deriuat à λέπω, quod est *delibro*, *decortico*. Fortè ob *tenue putamen*, vel quòd petris *corticis* instar adhæreat.

LEPIDVS creditur esse à *lepore*; *lepor* autem à *lepus* erit, si Prisciano credimus, lib. IV. Argutè autem Martinius, cui *lepos* quasi λεῖον ἔπος, *dictum pulchrum, ac suaue*. Nam λεῖος, *lenis*, *leuis*, *politus*, & interdum idem quod ὁμαλός, καλός. Sanè in Onomastico *lepor* exponitur χάρισμα. Apud veteres autem non aliud inuenio, quàm hoc Donati ad Eun. act. II. sc. I. *Lepidus, qui politus est, vt* λεπὶς, *id est, lamina*. Quo Donati loco nituntur, qui λεπὶς, etiam *laminam* notare aiunt. Sed nihil prohibet *lepidum* deducere à λεπὶς, quâ *squamam* notat: vnde λεπίζω, *desquamo*. Glossæ Græco-lat. Λεπίζω, *squameo*. Vbi viri eruditi corrigunt *desquamo*. Nec mirum, si à *squamis lepidi* vocem arcessamus, cum *desquamari* κατὰ μεταφορὰν de hominibus dicatur, quando ornantur. Lucillius lib. VII.

Scabor, subuellor, desquamor, pumicor, ornor.

Ab eâdem λεπίδος, quam dixi, notione est quoque λεπίδιον, *lepidion* herba, de qua fusè Plinius. lib. XX. cap. XVI. vbi inter alia docet eam *abstergere squamas ac lentigines faciei*: indéque nomen. Eiusdem originis *lepidotes* gemma, quæ *squamas piscium variis coloribus imitatur*. vt ait idem Plinius, lib. XXVII. cap. X.

LEPISTÆ de voce Festus: *Lepista genus vasis aquarij*. Glossæ Philox. *Lepista* εἶδος χύτρας. Meminit & Nonius apud quem legas illud Varronis è primo de vitâ pop. Rom. *Lepista etiam nunc Sabinorum fanis pauperioribus plerisque, aut fictiles sunt, aut aeneæ*. Est à Græcis, quibus λεπαστὴ, vel λεπαστὶς, dicitur. Meminit Athenæus, lib. IV. & XI. Pollux, lib. VI. cap. II & XVI. item lib. X. cap. XX. Pluribúsque de hac voce Eustathius in Iliad. Θ. vbi & de eius vocabuli origine disserit. Intérque alia Dolopum esse vocem ait, ac dici λεπαστὴν, διὰ τὸ λεπτὸν καὶ εὐμέγεθες εἶναι, κατὰ λεπάδας; *quod tenue ac patulum foret, ad modum conchæ*. Aliud autem φιάλη λεπαστὴ, aliud φιάλη λεπαστή. Quod illa Pollucis verba indicant, lib. VI. cap. XVI. Τὰ δὲ ποτήρια εἴδη, κύλικες, καρχήσιον, φιάλη, ἀγκύλη, φιάλη λεπαστή, κυμβίον, &c. Quare non assentio maximo Casaubono, qui apud Athenæum lib. IV. legit, φιάλην τε καὶ λεπαστὴν, vbi in vulgatis φιάλην τε λεπαστήν. Vide eum Animadu. lib. IV. cap. III. Scaliger quoque *lepasta* legendum censet apud Varronem, lib. IV. de L. L. vbi vulgò legitur *depesta*. *Dicta*, inquit, *depesta etiam nunc in diebus sacris, Sabinis vasa vinaria in mensa Deorum sunt posita*. Qui locus idem penè dicit, ac is eiusdem Varronis de *lepasta*, quem è Nonio antè adduximus: quod Scaligeri emendationem non mediocriter fulcit. Interim *depasta* vel *depesta* defendi potest, cùm Græcè etiam dicatur δέπας & δέπαστρον, è quo Latinos *depestrum*, & quo mollius foret, *depestum* dixisse coniicit Becmanus. Vnde δέπας sit, docet Hesychius: Δέπας, ποτήριον, παρὰ τὸ δέχεσθαι τὸ πῶμα. Alia duo etyma adfert Eustathius in Odyss. I. p. MDCXXIV. A δέπας verò fuit δεπάζω quod Etymologus in δειπνοπάτερα interpretatur πίνω, qui & δέπαστρον indè factum ait. De δέπαστρον voce plura vide apud Athenæum lib XI.

LEPRA, λέπρα, eadem ac *impetigo*, vel species sanè eius. Gloss. Philox. *Impetigo*, λειχὴν, λέπρα. Item *depetigo*. Gloss. Cyrilli: Λέπρα, *lepra*, *depetigo*. *Depetiginus* voce vsus Lucillius, sed quia *dêque petigo* versus gratia κατὰ τμῆσιν dixerat, Nonius etiam *petigo* dici putauit. In quo deceptus est. Λέπρα à λέπος, vel λεπὶς, *squama*. Siue à λέπω, *desquamo*, *decortico*. *Lepra* enim cutim scabram & asperam reddit, *atque squamas resoluit*.

LEPVS, quasi *leuipes*, vt voluit Ælius; quam ἐτυμολογίαν meritò reprehendit Varro, lib. XIV. rerum humanarum, apud Agellium. lib. I. cap. XVIII. & Quinctilianus, lib. I. cap. VI. Ælio tamen subscribit Fungerus nec alius ἐτυμολογίας meminit vir bonus, quod mihi manifestum indicium videtur, hominem eum, qui se de re etymologicâ operosè adeò scripturum receperat, ne quidem vel legisse vel consuluisse Etymologicum Romanorum omnium doctissimi Varronis. Neque enim id si esset, præteriisset ἐτυμολογίαν hanc, quam adsignat IV. de L. L. *lepus*, inquit, *quod è Siculis quidam Græci dicunt* λέποριν. Et lib. III. de R R cap. XII. *L. Ælius putabat dictum leporem à celeritudine, quòd leuipes esset. Ego arbitror a Græco vocabulo antiquo, quod eum Æoles Bœotij* λέποριν *appellabant*. Quam originationem isti Ælianæ quoque præfert Cæsar Scaliger, in suis de caussis L. L. libris, cap. CLXXXIX. Et sanè ita manifesta est, vt in controuersiam vocari non possit, nisi ab eo, qui cum Anaxagorâ ambigat, an nix sit alba. Quin, vt nesciremus Siculos λέποριν dixisse, non tamen *lepus* à *leuipes* deduci deberet: sed à λαγὼς, quam & ipsam ἐτυμολογίαν Varro adducit apud Agellium, lib. I. cap. XVIII. & Nunnesius sequitur in Grammaristice. Sanè & γ in p conuerti indicat, quod à ῥὼξ ῥωγὸς est *rupes*, quódque eadem mutatio locum habet in κ, quæ τῷ γ affinis. Sic sanè à λύκος est *lupus*, à σκῦλον, *spolium*, &c. Affinitas vocis *lepos* & *lepus* originem præbuit opinioni, vt *lepidi* ac *formosi* fore crederentur, *qui carnibus vescerentur leporinis*. Vide hâc de re Cœlium Calcagninum, in epistolicis quæst. lib. I. ep. XXXII. Belgicum verò *haese* venit ab *haest*. id est, *celeriter*: siue vtrumque ab Hebræo חוש, *festinare*.

LERIA, λῆρος. Festus: *Leria, ornamenta tunicarum aurea*. Hesychius: Λῆροι, οἱ περὶ τοῖς γυναικείοις χιτῶσι κεχρυσωμένοι. Inter ornamenta muliebria λήρους reponit & Pollux. Nominis caussam optimè in Coniectaneis perspexit Scaliger. Λῆρος enim vniuersè quidem *nugas* notat. Sed strictè iis accommodatum, quæ à Latinis quoque vocantur *nugæ muliebres*. Vndè *sebaceum nugiuium*, vel. iuxta codd. alios, *nugatorium vnguentum* vocat Varro. Item *nugiuendi* apud Plautum, Aulularia, *qui muliebres nugas venderent*.

LESSVS est *eiulatio funebris*. Onomasticon interpretatur θρῆνος. Eum XII. Tabulæ in funeribus adhiberi vetuerunt: vt auctor est Cicero in Tuscul. Verba legis adfert idem in II de Legibus: *Mulieres genas ne radunto, neue lessum funeris ergo habento*. *Hoc verbum* (vt ibidem Cicero adiungit) *veteres interpretes Sex. Ælius, & L. Acilius (al. Attilius) non satis intelligere se dixerunt: sed suspicari, vestimenti aliquod genus funebris. L. Ælius*

(cognomento *Stolo*, vel *Praconinus*) *quasi lugubrem eiulationem, vt lex ipsa significat : quod eo magis* (inquit Tullius) *iudico verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat.* Ex mente igitur Stolonis ac Tullij *lessus* κατ' ὀνοματοποιΐαν factum est è *sono eiulantium*: qui est *le le*, vel, vti apud Aristophanem, ἐ, ἐ, vnde & *elegia* dicta creditur. ἀπὸ τοῦ ἐ ἐ λέγειν; vel *ei*, vnde *eiulo*. Vt *lessus* nihil sit aliud, quam, vt Horatius loquitur, *illa non virilis eiulatio*. Quam Cicero, lib. II. Tusc. Quæst. ait ne mulieri quidem conuenire. Hanc veram *lessi* originem puto. Aliqui tamen deducunt, vel a λέσχη, quo *confabulatio* denotatur; vel a λεῖος, quod Hesychius ait iterdum signare ἄθλιος, hoc est, *miserum, ærumnabile*; vel (quæ Meursij opinio est) à λῖνος, conuerso nempe N in S, quomodo à γέργυρα est *gurges*, ab ἀρχιτέκτων, *architectus*. Λῖνος verò erat *canticum* θρηνητικὸν vt ex Athenæo constat, & Eustathio. Quod etiam αἴλινος dicebatur, ex αἴ Λῖνος quia propriè fuerit *deploratio Lini*, herois eius, qui Vraniæ filius fuit.

LETHARGVS. λήθαργος, à λήθη, hoc est, *oblinio*; & ἀργὸς, hoc est, *iners*, siue ἀργία, *torpor*: quia *obliuionem inertiamque homini inducit*. Cælius Aurelianus, lib. II. ὀξέων cap. II. *Vocatur lethargus à consequentis passionis obliuione. Graci enim lethen obliuionem vocauerunt, argian vacationem, quam corpori atque animæ ingerit vis supradictæ passionis*. Verùm quid, si potiùs factum dicamus ab *obliuiscendi celeritate*, quando ἀργὸς non tantùm *iners*, sed vel *album*, vel *velox*, significat, quâ ratione poetis ἀργοὶ κύνες vel *albi*, vel potiùs *veloces*, appellantur. Quin si Gu. Canterum, lib. I. Nou. Lect. cap. XV. audimus, in versu isthoc Epimenidis Cretensis ab Apostolo quoque adducto,

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί;

non tam *otiosi*, quàm *albi* & *edaces*, intelliguntur. Verùm caussæ nihil video, cur hic ἀργὸς non obtineat *albi* significationem. cùm & Latini ita vtantur *albi* vocabulo. Horatius, sat. II. lib. II.

———*Pinguem vitiis, albúmque*.———

Persius, sat. III.

Turgidus hic epulis atque albo ventre lauatur.

Et Sulpitia, in Satira:

Non trabe, sed tergo prolapsus, & ingluuie albus.

Itaque Epimenidis versiculum transferre possis.

Cres semper mendax, mala bestia, venter iners est.

Vel hoc pacto:

Cres semper mendax, mala bestia, venter & albus.

LETVM quidam dictum esse putant quasi *minimè lætum*: ineptè sanè, etsi & apud Prisci anum legatur in quinctô. Appuleio Grammatico dici placuit à *leo*, ideóque per *æ* scribebat *lætum*. Verisimiliùs idem Priscianus, cùm ibidem ait esse ab antiquo *leo*, quia *let*, hoc est, *delet*, *omnia*. Sed vnum huic etymo obstat, quod probari satis solidè nequit, veteres *leo* dixisse. Atque, vt *leo* dixerint, significauerit hoc, non idem quod compositum *deleo*; sed quod *lino*, siue *vngo*, qua de re in *Leo* satis diximus. Hæc faciunt, vt improbare non possim sententiam Varrij, siue Festi, qui *lethum* deducit à λήθη, hoc est, *obliuio*. Et firmat hoc Varronis, lib. IV. de L. L. *Ollus leto datus est: quod Graecus dicit λήθῃ, id est, obliuioni*. Nec mouet, quod in antiquis lapp. & libb. est *letum* sine adspiratione. Nam Latini sæpe spiritum tollebant, quod in *tus* quoque factum; vt suo loco dicemus. A *letum* est *letare*, *interimere*. Sanè Scaliger apud Maronem in Culice legit ex veteri Codice:

Rursus acerba fremit Paris hunc quod letat.

In vulgatis est *ladat*. Mihi ob vocis insolentiam vox ea hoc loco suspecta est.

LVCANICÆ voce vsi Cicero, lib. XVI. epist. IX. Statius Papinius, lib. IV. Siluarum, risu Saturnalitio ad Plotium: Apicius de re coquin. lib IV. cap. II. &c. Erat *genus farciminis ex porcina carne*: vnde *porca filiam* appellat Martialis, lib. XIII.

Filia Picena venio Lucanica porca,

Gloss. vett. *Lucanica*, ἀλλᾶς. Carnes vero istæ minutim cædebantur, & cum pipere subigebantur: vt ex IX. Athenæi constat. Nominis caussam aperit Varro, lib. IV. de L. L. *Lucanica*, inquit, *quod milites à Lucanis didicerunt*. Quod etiam scribit Isidorus, lib. XX. Orig. cap. II. de Escis.

LEVIS pro *glabro politóque* (vnde *leuigo*) est à λεῖος, vt à λαιὸς, *læuus*; ab ᾠὸν, *ouum*; ab ὄϊς, *ouis*. Itaque, quia Græcè est *ei*, prior longa est: quæ res nonnullos in eum errorem impulit, vt per diphthongum scriberent. Nec enim *ei* in Æ; sed in *E* vel *I* mutant Romani. De modulo verò primæ syllabæ vel fidem fecerit vnus Horatius, lib II Sat. VII.

Fortis, & in se ipso totus teres, atque rotundus,
Externi ne quid valeat per leue morari.

Quos versus hoc pacto imitatus Ausonius, in viro bono:

Securus, mundi instar habens, teres atque rotundus,
Externæ nequid labis per leuia sidat.

Pueriliter hac in re lapsus Nicolaus Erythræus, Indice Virgil. in voce *Vnguem*. Nam quia carmen de viro bono à Marone in iuuentute factum putaret, eo adstruere conatus est Virgilium maximi ab Horatio fieri solere, vt cuius adhuc iuuenis sententias, sententiarúmque ordinem, & phrasin ipsam vsurpare maluerit quàm suam. A *leuis* est *leuitas*, λειότης, quomodo Seneca vsus, & Appuleius. Alias *leuitas* est κουφότης. Sed priorem tum corripit. *Leuigo* quoque hinc, cum significat λειαίνω, hoc est, *glabrum reddo, polio*.

LEVIS, priori correptâ, quomodo opponitur graui ac ponderoso, videtur esse à λεπτὸς, hoc est, *cortex*, qui *leuissimus*. Eóque Horatius fortasse respexit lib. III. od. IX.

Quamquam sidere pulchrior
Ille est: tu leuior cortice; & improbo
Iracundior Hadria.

A *leuis* est verbum *leuare*. Gloss. *Leuat*, ἀνάγει, ἐπικουφίζει. Ab eo *leuamen*. Gloss. Cyrilli: κούφισμα, *leuamen*. Item dea *Leuana*: quæ recens natos de terra *leuat*, vt est apud Augustinum, lib. IV. de Ciu. Dei. cap. XI. *Leuigo* quoque hinc venire putandum, cùm Appuleius, lib. IV. Met. ait *Sarcinâ leuigatos*, pro *leuatos*, & *exoneratos*. A *leui* item & *denso* est *leuidense*, λεπτόν, quando *tela leuiter densata* est: cui opponitur παχὺ, quando *tela* τῷ σπάθῃ *vehementius* est *densata* & *artata*: παχὺ Latinis est *pauitense*, quia *pauiendo densata* vt in *Pauimentum* dicemus. Nunc suffecerit locum adferre Isidori lib. XIX. cap. XXIII. *Leuidensis vestis dicta*, inquit, *quòd raro filo sit, leuitérque densata. Pauitensis contraria leuidensi, quod grauiter pressa atque calcata sit*. *Leuidensis* vocabulum legimus apud Ciceronem, lib. IX. epist. XIII. *Sed ego hospiti veteri, & amico munusculum mittere volui leuidense, crasso filo, cuiusmodi ipsius solent esse munera*. Hanc sanam esse lectionem, cum sententia indicat, tum locus Isidori antè adductus. Quare non audio, qui *leuidense* scribant. Sed nec ἀναλογίᾳ se tueri possunt, qui *leuidensa* malunt per diphthongum. At acutè, quamquam haud verè Octauius Pantagathus, qui *leui dente* corrigit, hoc est, *leui pectine*, quomodo apud Iuuenalem, sat. IX. queritur quidam donari vestes villo crasso, colorêque malo.

Et malè percussas textoris pectine Galli.

LEX, vt Cic. I. de Leg. & Varro V. de L. L. testantur, ita dicta, quia *legi* soleat, quo omnibus innotescat. Quare vt à *ducendo dux*; à *regendo*, *rex*; ita à *legendo*, *lex*. Sunt quibus à *legendo* quidem dici placeat, sed quatenus *legere* est *eligere*. Augustinus, siue alius, in quæst. Noui Testam. *Lex ab electione dicta est, vt è multis quod eligas sumas*. Aliqui etiam sic dici volunt, non quia populo *legeretur*, cum ferretur: quod verum etymon putamus: sed quia scriberetur, *legendaque* proponeretur. Quam caussam adfert Isidorus, lib. II. cap. X & lib. V. cap. III. Ac Salmeron, lib. I. prolog. XXV. Eo trahit illud Ouidij primo Metamorphoseos:

———*Nec verba minacia fixo*
Ære legebantur.———

Et sanè Micyllus quoque probat *legebantur*. Sed legendum:

———*Nec verba minantia caso*
Ære ligabantur.———

Vt est in vet. Ms. meo: vel, quod magis placet, quódque item in MS. inueni, vti & Veneta Bernardini anni MCCCCLXXXVI. & Aldina anni MDXVI.

———*Nec verba minantia fixo*
Ære ligabantur.———

vt quoque est in Plantiniana anni MDLXVI. nisi quod ea pro *verba* habet *vincla*. At minimè audiendus Thomas, quæst. XC art. I. vbi *legem* dici ait à *ligando*: nempe ὡς ἡμᾶς δεσμεύοντος, quomodo lex & iugum appellatur Act. XV. Quod etymon plerique etiam Scholiasticorum adferunt. Vide sis Io. de Salas, tractatu de Legg. in secunda secundæ Thomæ, disp. I. sect. & in fine sect. IX. Quibus locis fuse de etymo *legis* tractat. A *lege* est *legitimus*; vt à *fine finitimus*; à *mari maritimus*.

LIARE est λειαίνειν, *polire*, *leuigare*. Nempe ex λειῶ, *lio*. Ita Tertullianus dixit *liare cisternam*, hoc est, *tectorio polire*. Glossæ: Λεῖος, *leuis*. Λειότης, *leuitas*; λειαίνω, *polio*. A λεῖος vel λεῖον est *linum* pro *tectorio*, apud Iurisconsultum. A *liare* est *liaculum*; vt à *signare*, *signaculum*; à *crepitare*, *crepitaculum*. Gloss. *Liaculum*, λειωτής, q. d. *leuigator*. Hanc *liaculi* vocem pluribus locis corruptam restituit Salmasius, Exerc. in Sol.

LIBANOTIS, λιβανωτὶς, de qua ita Dioscorides, lib. III. cap. LXXXVII.

cap. LXXXVII. ῥίζα δὲ λευκὴ, ἁδρομεγέθης, ὄζουσα λιβάνου; *radix autem alba, pragrandis, & thus redolens.* Itaque conflatum putatur ex λίβανος, *thus*; & ὄζω, *oleo*. Sed simpliciùs dixeris, esse deriuatum à λιβανωτὸς, quomodo vocatur *thus*, seu *concretus thurifera arboris liquor*. Λίβανος autem nunc *montis nomen*, nunc *thus* signat. *Mons* dicitur לבנון, à לבן, *albus*: nempe quia altissima eius iuga propter niues longissimè conspicua sunt. Quomodo & *Alpes* in Italia ab eadem caussa nomen habent. At λίβανος pro *thure* ab *eo monte*, vbi *thura crescunt*, nomen accepit si Isidoro credimus. lib. XVII cap. VIII. Alij a λείβω, *stillo*, quia *thurifera* arbore, cortice inciso, *stillat* guttas illas roris, quæ λιβάδες vocantur. Sed omnino est ab Hebræo לבונה, quomodo & *arbor thurifera*, & *eius resina* dicitur: idque ab *albore* itidem.

LIBARE, iuxta Isidorum, lib. VI. cap. XIX à *Libero patre*, cui vinum in sacris *libabant*, quia vitem reperisset. Perottus dici ait quasi *lauare*, hoc est, *primis labris attingere*. Sed est à λείβω, *stillo*, *in sacrificiis fundo*. E I in *I* longum conuersum, vt Δαρεῖος, *Darius*, &c. Quamquam & λίβω dixere. Hesychius: Λίβει, σπένδει, Λίβειν, σπένδειν. Sed Latini verbi latiùs extensa significatio.

LIBER, priore producta, vnde sit, non æquè patet. Aliqui deducunt, vel à *licet*, quia possunt *liberi*, quod *licet*: vel à *licet*, vt contractum sit ex *liciber*. Sunt & quibus placet esse à *libando*, quia *libere* atque vltro *libare* debemus: quam ob rationem & *sponte* à σπένδω dictum videtur. Sed nec minus acute Isaacus Casaubonus, cap. I. *libri* de *libertate* Ecclesiastica, vbi monet *liber* priori correpta propriè esse *corticem ab arbore resolutum*: inde *liberare*, *corticem detrahere*: postea cùm in bellis captus aliquis captorem suum eluserat, militari elegantia an lasciuia *liberari* dici cepisse, vt contra qui semel captus victori adhæreret, neque poterat se expedire, *seruus* & *mancipium*. Paullò nempe aliter ac Græcis ἐλεύθερος, ob facultatem *eundi* quo vellet, non vt Etymologici Magni auctor censet, ὁ ἐλεύθων ὅπου ἐρᾷ, sed eadem analogia ac a πενθῶ est πενθερός, à γοῶ γοερός, atque ita in aliis in quibus duæ postremæ syllabæ non compositi pars sunt, sed vocis productio. Antiqui *liberum loebesum*, *libertatem loebertatem*, vt Græci λοιβὴ, & λοιβᾶν, dixere, teste Festo. Similitérque *olli* pro *illi*. Tum παῖδας *liberos* dixere, non δούλους, sed *ad discrimen seruorum vernarúmque*. Verùm quid, si omnibus Latinæ vocis superioribus etymis reiectis, deducamus *liber* ab ἐλεύθερος? Facit hoc Nunnesius in Grammatistice. Nempe Θ in B conuerso, vt ab ἐρυθρὸς, *ruber*; ab οὖθαρ, *vber*; à πλῆθος, *plebes*, &c. A *liber* quoque est *libertas*, vti & *libertas*. Nam vt à *castis* est *castitas*, à *boni*, *bonitas*; ita a *liberi* esset *liberitas*, pro quo κατὰ συγκοπὴν dicitur *libertas*. Parum Grammaticè Ludouicus Molina, lib. de concordia *liberi* arbitrij & gratiæ, disp. II. vbi de nomine *liberi* arbitrij disceptans, ait *libertatem* sumi bifariam; vno vt est à verbo *libero*, qua ratione opponitur *seruituti*, altero vt est à verbo *libet*, quà ratione cùm *coactioni*, tum *necessitati*, opponitur. Nam a *libet libido*, non *libertas*, venit; quod & syllabæ quantitas ostendit. A *libertus* est *libertinus*. Duo autem hæc priscis temporibus, hoc est, tempore Appij Cæci & paullò post ita distinguebantur, vt *libertus* diceretur, qui aliquando seruiisset & manumissione factus esset liber; *libertinus* autem, qui è *liberto natus* esset: eóque melior erat *libertinorum*, quàm *libertorum* conditio. At posterioribus temporibus, hoc est tempore Ciceronis, & antè aliquantò, & pòst, iidem fuere *liberti* & *libertini*. Cic. Epist. I. lib. II ad Att. *An libertinus, atque etiam seruus seruiamus?* Nam *serui* proximè sunt *liberti*. Martial. lib. III. ep. XXXIII.

Ingenuam malo: sed si tamen illa negetur.
Libertina mihi proxima conditio est.
Extremo est ancilla loco: sed vincet vtramque,
Si facie nobis hac erit ingenua.

Quinctilianus, lib. V. cap. X. *Qui seruus est, si manumittatur, fit libertinus, non idem addictus.* Et lib. VII. cap. III. *Seruus cum manumittitur, fit libertinus: addictus receptâ libertate est ingenuus.* Tantum id discrimen inter *libertum*, & *libertinum*, obseruabatur, quod *libertus* dicebatur respectu priuato, hoc est, ratione patroni: *libertinus* respectu publico, hoc est, ratione ingenuorum. At longè aliter priùs accipi solere has voces, satis docet locus hic Tranquilli de Claudio, cap. XXIV. *Latum clauum, quamuis initio affirmasset, non lecturum senatorem, nisi ciuis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit, sed sub conditione, si prius ab equite Romano adoptatus esset. Ac sic quoque reprehensionem verens, et iam Appium Cæcum generis sui proauctorem, consorem, libertinorum filios in senatum adlegisse docuit: ignarus temporibus Appij & deinceps aliquandiu, libertinos dictos non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos.* Hactenus Suetonius, qui potiùs audiendus nobis quàm Carolus Sigonius; à quo Suetonius ob hæc verba reprehenditur, lib. I. de antiquo iure ciuium Romanorum, cap. VI. Vide Vasium lib. IV. Hisp. c. I. Et inprimis Ald. Manut. Nepotem, lib. I. de quæsit. Epist. III. A *liber* quoque est *liberalis*, vnde *liberalitas*. Quod autem virtutem in rectè dando consistentem *liberalitatem* vocant, *liberalem* sicut qui eâ præditus esset, id factum exemplo Græcorum, qui itidem hominem ἐλευθέριον dicunt, & virtutem ἐλευθεριότητα. Nempe vtrumque ab ἐλεύθερος, quod est *liber*. Ratio vero est, quòd virtus hæc sit hominis non seruili vel conditione vel animo, sed verè *liberi*. Confirmat hanc rem, quòd *liberalis* non semper virtutis nomen est. Nam *liberali causâ manu asserere*, nihil aliud est, quam *adserere in libertatem iudicio seu causâ seu actione de libertate*. Est hoc loquendi genus in legibus XII. Tabb. Item apud Plaut. Pœnulo, IV. II & Terentium, Adelphis, act. II. sc. I vbi Donatum vide.

LIBER priori correptâ, est *interior arboris cortex*, vt scribit Seruius ad Ecl. X. De eâdem voce sic Isidorus, lib. VI. cap. XIII. *Liber est interior tunica corticis, quæ ligno cohæret: in quâ antiqui scribebant.* Idem lib. XVII. cap. VI. *Liber est corticis pars interior, dictus à liberato cortice. Est autem medium quoddam inter lignum & corticem.* Sic *libri* voce vtitur Maro Ecl. X. & II. G. item Ouid. IX. Met. fab. VIII. de Dryope in arborem conuersa. Columella item lib. V cap. X. & Cato de R. R. *Salicem*, inquit hic, *suo tempore cædito, gluuito, arcteque alligato: librum conseruato.* Vbi *glubere arborem* est *rescindere*, quod & *luere* dicitur, vnde Scaligero in Coniectaneis dictus videtur *liber* quasi *luber*, quia de arbore *soluatur*, siue *repurgatur*, & vt Cato loquitur, *gluuatur*. Vt a *cresco* est *creber*; à *facio*, *faber*; a *suo*, *suber*; sic à *luo* fuerit *luber*, & postea *liber*. Sed cùm veteres, vt *magister* & *minister*, sic & *leber* dixerint pro *liber*, non dubitandum quin *liber*, siue *leber*, dicatur quasi *leper* ab Æolio λέπος pro λέπος, quod *corticem* siue *librum*, notat, Hesych. φλοιὸς, λέπος τοῦ δένδρου. Idem: Φλοῦς, φλοιὸς, λεπυχανον, λέπυρον. Π conuersum in B, vti in λέβηρις factum. Nam hoc quoque est a λέπω, cùm propriè notet λέπος τῶν κυάμων, *corticem fabæ*: teste Hesychio. Est vero λέπος à λέπω, quod idem est ac λεπίζω, siue ἀπολεπίζω, hoc est, *decortico*, *delibro*. At Isidorianum *liber* *liberatus*, quod antè adduximus, planè ineptum est. Nec pro veris etymis, sed potiùs pro allusionibus haberi debent duo illa, quæ Cœlius Calcagninus in apologis adducit: *Liber*, inquit, *quidam è meis operam prodire in publicum & claustra refringere, hoc in me argumento vtebatur, quod liber esset & contra leges in ergastulo teneretur. Tum ego, Non est tibi à libertate nomen, ineptissime, sed à libratione, quòd te librari, atque in Critolai trutinâ suspendi oporteat.* Quod autem *liber* ponatur pro *codice scripto*: id factum per μετωνυμίαν materiæ. Nam, vt Plinius ait lib. XIII. cap. XI. *in palmarum foliis primò scriptitatum; deinde quarundam arborum libris.* Quod & Cassiodorus indicat lib. XI. Var. epist. XXXVIII. vbi de charta agit. A *liber* est *libellus*. Vnde *libellio* quod in vett. Glossis exponitur *librarius*, βιβλιοπώλης, βιβλιογράφος. Nonius ait *libellio* dici vt *tabellio*: atque vsum eo esse Varronem Manio: Hinc quoque *libellatici* in veteri Ecclesia, qui per *libellos* nomina dederant, ne sacrificare idolis cogerentur: vt *sacrificati* vel *thurificati*, qui metu supplicij *thure* sacrificassent Diis. Vide Cyprianum, lib. IV. epist. II.

LIBIDO & *Libentina*, à *libet* Varro, lib. V. de L. L. *A libendo, libido, libidinosus; sic alia vt Libentina.* De eapse voce sic Augustinus, lib. IV. Hypogn. *Quærendum est igitur, cur hoc malum, de quo agitur, libido vocatur. Sine dubio à libendo, id est, à libitu, per deriuationem, libido est nuncupata. Ergo omne, quod libet, libido est? Respondeo, non omne, quod libet; sed omne, quod malè libet, libido est. In bono enim libitu libido dici non potest, sed voluntas, de ratione scilicet mentis naturalis exoriens.* Libet vero a *labendo* est, si audimus Varronem, qui ante verba allata scribit: *Libere à labendo dictum, quod lubrica mens prolabitur, vt dicebant olim.* Quod si est, proprio verbo vsus est Cicero in Paradoxis cùm dicit: *Lapsa est libido in muliere ignotâ: dolor ad pauciores pertinet, quàm si petulans fuisset in aliquâ generosa ac nobili virgine.* Sed est *libet* a לב, id est, *cor*. Nam *libere* dicitur, quod cordi gratum est. Nunnesius tamen deducebat ex λίπτω, κατὰ μετάθεσιν. Verùm prius malim.

LIBITINA erat *lectulus, in quo mortui efferebantur*: vt Acro scribit ad odam vlt. lib. III. & Satyra VI. lib. II. Sed placet eorum iudicium qui non tam *lectulum* fuisse censent, quam *id, cui lectulus imponebatur*. Indicat id locus Asconij in Ciceronis Milonianam: *Fratres ex lecto Libitina raptos attulit ad domum Scipionis, & Hypsæi*. Vsus & Martialis, lib. VIII. epist. XLIII.

Victores committe, Venus, quos iste manebit
Exitus, una duos ut libitina ferat.

Vbi meritò ait *ferat*, si *libitina* (vt dicebamus) est *feretrum*, cui a *ferendo* nomen. Neutra tamen propria eius vocis notio est, sed metonymica. Propriè autem *Libitina* dicebatur Dea, in cuius fano instrumenta funebria venibant: siue ea *Proserpina* sit, siue *Venus*; vt arbitrati Romanorum eruditissimi: quemadmodum tradit Plutarchus, in Numâ. Apud eundem, in Quæstionibus Romanis problema est, cur in templo *Libitinæ*, quæ eadem ac *Venus* putaretur, funebria venderentur. Ac respondetur, id fortè factum, vt indicaretur, eandem Deam, & ortui, & interitui præsidere. Atque id eo firmari, quòd Delphis sit imaguncula Veneris ἐπιτυμβίας, siue *sepulcralis*, ad quam manes eorum euocant, quibus libant. Etiam Dionysius Halicarnassensis scribit lib. IV. Seruium Tullium, quò numerum nosset quotannis aborientium, iussisse, vt nummus in templum Veneris, cognomento *Libitinæ*, ferretur, quoties quis naturæ concederet. Planéque est verisimile, hinc factum esse, vt in *Libitinæ* templo vendita sint funeri necessaria, ipsáque *Venus Libitina* præesse funeribus, ac eadem esse, ac *Proserpina*, crederetur. Quare sic statuimus, *Libitinam* eandem esse ac *Venerem*, ac *Libitinam* dici a *libitu*, siue, quod eodem recidit, à *libendo*, quasi *Libentinam*: quæ appellatio est apud Varronem lib. V. de L. L. *A libendo*, inquit, *lubendo, libidinosus, sic dicta, vt Libentina.* Neutiquam verò iis accedimus, qui, quasi *Libitinæ* nomen primò conueniret *Proserpinæ*, censent *Libitinam* κατ' ἀντίφρασιν dici, quasi *Labitinam*, nempe ἀπὸ τοῦ λαβεῖν, hoc est, *capiendo*. Quod etymon spectauit Iulius Scaliger, cùm lib. III. de re poëticâ cap. XC. ait, non *Libitinam* dictam primò, sed *Labitinam*, quæ *omnes mortales caperet* tandem. Sed siue hæc, siue prior sententia placet, patet ridiculos esse Grammaticos, cùm ad ἀντίφρασιν refugientes, *Libitinam* somniant dictam, quia *nemini libeat*. A *Libitina* est *libitinarius*: vsus Seneca, lib. VI. de beneficiis, cap. XXXVIII. & Vlpianus l. V. §. VIII. D. de institoria actione. Glossæ vett. Ἐνταφιαστής, *pollinctor, libitinarius*. Ἐνταφιάζω, *funero*. Onomasticon: *Libitinarius*, ταφεύς. Honestior eorum conditio, quàm *pollinctorum*. Quippe *pollinctor*, seruus erat *libitinarij*: hic autem iis præerat: vt ex citato Digestorum loco videre est. Nempe cum *libitinario* transigi solet de sumptibus, quos funeri impendi oporteret. Hi deinde pollinctorum, præficarum, vespillonum operâ administrabant quæcumque ad iusta ac parentationem pertinerent.

L I B O N O T V S memoratur Plinio, lib. II. cap. XLVII. Etiam Senecæ, lib. V. Nat. Quæst. cap. XVI. *A meridiano axe euronotus est: deinde notus, Latinè auster: deinde libonotus, qui apud nos sine nomine est.* Ita nunc in optimis editt. editum. In vett. multis est *leuconotus*: quod sonat λευκόνοτος. Horat.

Albus vt obscuro deterget nubila cœlo
Sæpe notus: neque parturit imbres
Perpetuos. ———

Nempe ab eâdem caussâ, quâ dictus *argestes*, ἀργέστης, quod ab ἀργὸς, *albus*. Sanè eundem esse Λευκόνοτον & Λιβόνοτον, etiam Strabo docet. *Libonotus* autem ex eo nomen habet, *quod sit ei libs hinc, & inde notus*: Vt rectè ait Isidorus, lib. XIII. cap. XI. Sed corruptè apud eum editum est *libanotus*: cum λιβανωτὸς sit *liquor libanus*, seu *thurifera arboris*: de quo in *Libanotis* dictum. *Libs*, λὶψ est, quasi λίβος à λείβω, siue *Libya*. Etsi nec desint, quibus placeat esse à λείβω, *stillo*, quia *ventus* est *pluuius*. Sed prius malim, cùm similiter Latinis *Africus* dicatur quia ab *Africa* spirat. Sunt etiam qui non *ventum* à *Libya*, sed *Libyam* à *vento*, dici putent. Seruius, in I Æneid. *Dicta Libya, quod inde Libs flat, hoc est, Africus: vel, vt Varro, quasi λείπουσα τῷ ὕειν, id est, egens pluuiæ.* Isidorus, lib XIV. cap. V. *Libya dicta quia inde libs flat, hoc est, Africus. Alij aiunt, Epaphum Iouis Filium, qui Memphim in Ægypto condidit, ex Cassiopa vxore procreasse filiam Libyam, quæ postea in Africa regnum possedit. Cuius ex nomine terra Libya est appellata.* Vera nominis caussa petenda ex Scripturis. Ita *Afri* dicuntur לובים, *lybim*, vt II. Chron. XII. XIII. vbi LXX. vertêre Λίβυες. Item Danielis XI. XLIII. Vbi, qui in Hebræo לבים, ibidem Græcè Λίβυες. Dicendum fuerat Λύβιες. Sed Græci vocalem traiecere, vt in aliis multis. Suntque iidem qui להבים, *Lehabim*, Λαβιείμ, Chami ex Misraim progenies, vt est Genes. X. XIII. Ibi Iunium vide, & ad II. Chron. XVI. VIII.

LIBRA, quòd sit *libera*, vt ait Isidorus, lib. XIV. cap. XXIV. Sed est ea vox à Siculis, qui *obolum* dixere λίτραν. Hinc Romanis *libra*, quia *obolis* siue *assibus libretur*. Conuertitur *T* in *B*, quomodo à τερέτρον est *terebra*. A *libra* est *librile* apud Gellium, lib. XX. cap. I. Idem est ac *libra*, vel *libræ scapus*, vt Festus exponit. Legas & in Gloss. Philox. & Onomastico. Ab eadem est *librare*. Nam propriè signat *librâ ponderare*, atque *expendere*. Gloss. vett: *Libratio*, στάθμισις. Aliæ *Libro*, σταθμίζω. Hinc *librilla*, vel potiùs *librilia*, quo saxa *librantur* in hostem. Festus: *Librilla appellantur instrumenta bellica, saxa scilicet ad brachij crassitudinem in modum flagellorum loris reuincta.* Ab eodem, & *pendo*, est *libripens*, qui similiter Græcis ζυγοστάτης, vt in Glossis exponitur, quia nempe ζυγῷ ἵστησι, hoc est, *librâ pendit*. Plinius, lib. XXXIII. cap. III. *Quin & militum stipendiorum, hoc est, stipis ponderandæ pensatores, libripendes dicuntur: quâ consuetudine in his emtionibus, quæ mancipij sunt, etiam nunc libra interponitur.* Priscianus extremo libro sexto citat ex Caij primo institutorum: *Qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens.* Originem habet ea vox a more antiquo, quo *pecuniam pendebant, non numerabant*. Sed quia populus Romanus consuetudinis & formularum fuit retinentissimus, hinc factum, vt etiam postquam mos *pendendæ pecuniæ* sublatus erat, in mancipatione tamen *libripendis* operâ vterentur: quemadmodum superior Plinij locus indicat. Eandem consuetudinem commen. in Topica his verbis exponit Boëthius ex Caij institut. *Is, qui mancipio accipiebat, æs tenens ita dicebat: Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio: isque mihi emtus est hoc ære æneáque librâ.* Hinc Horat.

Si proprium est, quod quis librâ mercatur & ære.

Vide Ræuardum, cap. XVI in leg. XII. Tabb. Brissonium, c. VII. lib. I. Hottomannum, de re nummaria, cap. VII.

LIBVM, quòd *libeat*, hoc est, *placeat*: si credimus Isidoro, lib. XX. cap. II. Sed potiùs ita vocatum, quòd *libandi* caussâ fieret: vt ait Varro, in VI. de L. L. Siue, vt idem dixerat, lib. IV. *quòd liberetur, priusquam esset coctum*; siue vt Scaliger corrigit, *quòd libaretur, priusquam essent, coctum.* Vt sententia sit, *libari* solitum iam coctum, priusquam essent, hoc est, comederent. Ouidius à *Libero* patre deducit, quia ei offerunt. Sic enim in V. Fastorum ait:

Nomine ab auctoris ducunt libamina nomen,
Libáque, quod sacris pars datur inde focis.

Sed omnino meliùs Varro.

LIBVRNA, vel *Liburna*, nauigii genus, cuius descriptionem pete ex Vegetio, lib. V. cap. IV. VII. & XIII. A *Libyis* ita dici, Isidorus ait, lib. XIX. cap. I. Sed nihil apertius quàm nomen esse à *Liburnis*, Illyridis populo, inter Istriam & Dalmatiam. Hodie ea Croatia nuncupatur.

L I C E N T, quæ *fas & iura sinunt*: vt Maro loquitur, I. G. Itaque à *dice*, id est, *ius*. D. in L abiit, vt à δάκρυμα, *lacryma*, Ὀδυσσεὺς, *Vlysses*. Vel est à λίζω, id est, ἐάω, *permitto*. Pro quo non aliud adferre possumus quam hoc Hesychij: Λίζεσθαι, ἐᾶσθαι. Vel est *licet* à *liquo* pro *linquo*. Nam id *licitum*, quod ius diuinum humanúmque potestati nostræ reliquit: vnde Belgis *laeten*, tum *linquere* significat, tum *permittere*, *sinere*, vnde *toe-gelaeten*, & *vry-gelaten*, hoc est, *licitum*. Interdum autem *licet* coniunctionis vim obtinet: vti & futurum *licebit*: idémque valent, quod *etsi*, *quanquam*. Est & *licet* verbum auctionis, vbi res venalis dicitur *licere*: quia ius est emendi vendendíque eam. Vt apud Plautum Menæchmis, *Licebunt præsenti pecunia.* Hoc est, *venales erunt*, sed pecunia præsens offerenda erit. At *liceri*, vel *licitari*, est eius qui emere vult, ac pecuniam pro re offert. Vt apud eundem, Sticho:

Logos ridiculos vendo: agite, licemini.

A *liceor* est compositum *polliceor*: vt *pollucere*, pro *porlucere*, seu *perlucere*. Propriè igitur *pollicetur*, qui pro merce pretium offert ac promittit. Sed generatim posteà accipi cœpit pro *promitto*. Hoc solum discrimine, quòd, vt Seruius distinguit, *pollicemur sponte, promittimus rogati*: siuè quod, vt Donatus censet, *pollicitatio maioris est asseuerationis.*

L I C I N V M est, quod *sursum versus reflectitur*: vt *licini boues*, quibus cornua sursum versus reflexa: teste Seruio: item *licini capilli*, qui sursum versi. Gloss. Phil. *Licinus*, ἀνάσιμος. Martinio placet esse à *licium*, ac *licinum* dici, quia instar *licij* reflectatur. Quid, si deducamus à λιξ, id est, πλάγιος, *obliquus*, teste Hesychio? A quo ipso *licium* dictum videtur.

LICTOR dictus non à *ligandis virgarum fascibus*, quod sensit Festus: sed à *ligandis reis*, vt Nonius comprobat illo Ciceronis pro C. Rabirio: *Lictor, colliga manus.* Eadem sententia, cum Agellij, tum Valgij Rufi, apud Agellium, lib. XII. cap. III. quo cap. de solo huius vocis etymo pertractat: ac duo quoque alia eius vocis etyma proponit ex Tirone Ciceronis liberto, qui *lictorem* vel à *limo*, vel à *licio* dictum scripsit: *licio enim transuerso, quod limum appellatur, qui magistratibus, inquit, praministrabant, cincti erant.* De *limo* quod ait, confirmatur loco Isidori, lib. XV. c. XIV. vbi cum dixisset *transuersa omnia* antiquo verbo appellari *lima*, indéque dictos *limites*, hæc deinde subdit: *Hinc & limus vocabulum accepit, cingulum quo serui publicè

publici cingebantur obliquâ purpurâ. Sed & Plutarchus ἐν Ῥωμαϊκοῖς quintum etymon ponit. Nam præter illud, quod ex Nonio adtulimus, hoc quoque promit, vt *lictores* dicantur quasi *litores*, à Græco λειτουργοὶ. In veteribus Lucani Glossis reperias hæc verba: *Lictor est, qui viam facit magistratibus in populo. dictus à lino, quòd album filum de lino propter insigne circum caput habebant.* Sed profectò simplicissima est originatio si dicamus à *ligo* esse *lictor*, vti à *tego tector*, à *rego rector*, ab *ago actor*.

Licivm. Isidorus lib. xix. cap. xxix. dici censet quasi *ligium*, quia vtrimque iis stamina *ligantur*: ac probat hoc etymon quoque Scaliger de causs. L. L. cap. xi. G in C abire, multis alibi exemplis ostendimus. Aliter tamen veteres codices. Quid, si igitur dicamus, esse à λέξ id est *obliquus*, πλάγιος, vt Hesychius interpretatur. Nempe quia *obliquum* stamini implicatur. Magnus *liciorum* vsus in veneficiis, nempe quia iis putarent mentes implicari, ac conturbari, haut secus ac *liciis* implicatur stamen. Ea autem *licia discolora* erant, vt loquitur Appuleius, siue *varij coloris filis intorta*, vt id extulit Petronius. Maro, in Pharmaceutria:

Terna tibi hæc primum triplici diuersa colore.
Licia circumdo.

Idem in Ciri.

Terque nouem ligat triplici diuersa colore
Licia.

Quo loco ad ἐτυμολογίαν videtur respexisse, siquidem à *ligando* est. Nam socer meus Fr. Iunius ad Tertull. de pallio, cap. iii. putat esse à *lacio*, siue à *lax*, quod propriè *filum* notet. metaphoricè *fraudem*, siue *confusum dolum*. Quod si est, dicetur *licium* quasi *elicium*, quia neudo *elicitur* educitúrque. Sanè & *lacere*, vnde *elicere*, à *lax* venire auctor est Festus. A *licium* est *bilix*, & *trilix*, vt præter Seruium & alios indicat Isidorus, lib. xix. cap. xxii. Virgil. xii. Æn.

——— *Rumpitque infixa bilicem*
Loricam.

Et lib. iii. Æn.

Loricam consertam hamis, auróque trilicem.

Gloss. vett. *Bilix*, δίμιτος. Item: *Trilix*, τρίμιτος. à μίτος, *filum licium*. Nempe sunt hæ voces à numero *liciorum*, hoc est *filorum*. Ita enim vocem *licij* hic accipi non negabit, qui sciat loricam fieri solere ex consertis staminibus, siue *torulis*, hoc est, *funiculis è pluribus filis tortis*. Vide quæ eruditè hac de re notauit Yuo Villiomarus aduersus Titium, lib. 13. Contr. c. xviii. siue animaduers. xxvi.

Lien fortasse à λεῖος, *lenis, mollis*. Sanè Belgis *lien* est *miltz*, à *milt*, id est, *mollis lenis*.

Lienteria, λειεντερία, quia λεῖα ἔντερα, hoc est, *lenia*, ac *lubrica intestina* eam gignere crederentur. Valde errat Isidorus, lib. iv. cap vii. cùm *lienteriam* à *linea* duci putat, quia cibum facit per intestina, quasi per *lineam* prolabi. Simile est *dysenteria*, de quo in *Exenterare*.

Lignvm, si Isidoro credimus, lib. xix cap. xix. venit à λύχνος, quia veteres id incenderent luminis caussa ante candelas inuentas. Virgil.

Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Sed vt à *tego, tignum*; ita à *lego, lignum*: quia in agro caduca legerentur *ligna*, vt in foco vrerentur: quemadmodum Varro docet, lib. v. de L.L. Quare non placet opinio Nunnesij *lignum* deducentis à λιγνὺς, quo notatur *fumus* aut *fuligo*. Vt à *tignum, tigillum*, sic à *lignum, ligillum*, ξυλάριον.

Ligo nunc nomen est, nunc verbum. De nomine priùs agam. Id à *deligendis* sub terra radicibus sic dici, censet Varro, in iv. de L.L. *Ligo*, inquit. *quod eo, propter latitudinem, quod sub terra facilius legitur.* Perottus sic mauult vocari à *ligando*, *quod à radicibus, quæ sub terra sunt, ligetur.* Alij, quia *terram liget ac constringat*. At potiùs sit à λίγος, quomodo *ligonem* vocat Artemidorus. Indéque λισγάριον pro *ligone*. Scholiastes Theocriti, Idyll. iv. Σκαπάνας ὄνομα δίκελλαι ἢ λισγάριον, ὃ σκαφίον. Suidas pro eo λιγάριον habet: ὁ σκύφος, inquit, ἢ σκαφίδιον, τὸ λισγάριον. Sed λισγάριον rescribendum. Λίσγος fortè à λίζω, id est, *rado*. Sanè Eustathio λίζειν, σκάπτειν ξύειν. vnde λίγδην, ξυστικῶς, si eidem credimus in Od. x. pag. cIↃIↄccccxxvi. ed. Rom. Λίσγος igitur sic dicetur, quia *terram radit*: vnde Columella.

Tu penitus latis eradere viscera marris.
Ne dubita.

Vbi terram radi iubet *marris* siue *ligonibus* latis & quadratis.

Ligo verbum à *lego* venire censuit Varro, si credimus Iul. Scaligero primum de plantis. Sed metuo ne eum memoria fefellerit. Nam *ligonem*, quia eo sub terram *legitur*, sic vocari scribit in iv. de LL. At verbum *ligo* est à λύγῶ, hoc est, *ligo*, *vincio*. Υ conuersum in I, quomodo à φύω est *fio*; à φρύγω, *frigo*. &c. Λύγος verò est à λύγος, id est, *vitex*, quia hæc apta πρὸς δεσμοὺς καὶ πλέγματα.

Ligvla, & *lingula*, promiscuè reperias in veteribus libb. sed posterius hoc indoctorum Grammaticorum appellationem facit Martialis lib. xiv. Carm. cix. Nempe ad originem vocis respexere, non cogitantes, vti ab *offa* est *ofella*; à *mamma*, *mamilla*, à *curru curulis*, prima correpta: sic à *lingua* dici potuisse *ligula*: prout *equitésque patrésque* locutos esse ait Martialis. Quos sequitur Priscianus penè extremo lib. iii. *Lingua, lingula, & per concisionem ligula.* Variæ autem sunt huius vocabuli notiones. Nam ita dicebatur in calceis *lingua* instar fastigiatum. Martialis, lib. ii epigr. xxix.

Non extrema sedet lunata lingula planta.

Vbi mirum *lingula* scribere, qui in Grammaticis damnet alibi. Præterea ita in *tibiis* vocabant, quod γλωττίδας Græci, simili metaphorâ, dicunt. Philox. in Gloss. Latino-Græc. *Lingula*, γλωττίς. Græco hoc ita vsus Lucianus in Armonide. Etiam γλῶτταν dixere: vt Æschines, qui in Demosthenem falsè scripsit: Οὐ τὴν γλῶτταν, ὥσπερ τῶν αὐλῶν, ἐάν τις ἀφέλῃ, λοιπὸν οὐδὲν ἐστι. *Cui siquis lingulam, velut tibiis, eximat, nihil fuerit reliqui.* Geminam hanc *lingula* notionem à *lingua* similitudine fluxisse, docet nos Festus, his verbis: *Lingula per diminutionem linguæ dicta, alias à similitudine linguæ exerta: vt in calceis: alias inserta, id est, infra dentes* (malim legere *intra dentes*) *coërcita, vt in tibiis.* Sed quod calceorum *ligulas* à *lingua* deducit, habet dissentientem veterem Iuuenalis interpretem, in sat. v. vbi *ligulas* absque N scribit & à *ligando* deducit. *Calcearij*, inquit, *cum festinant, ansas caligarum prætereunt nonnullas. Dicta autem ligula à ligando.* Quibus docet Scholiastes ille, *ligulas* dici à *ligando*, atque esse *ansas calceorum*; eas *ansas* interdum omitti à festinanti *calceario*: quo simul indicat *caligas* fuisse *calcearij* opus; quid mirum, cùm sit *calciamentum militare*, ὑπόδημα στρατιωτικὸν, vt Dio interpretatur? Charisius quoque duplicem *lingula* notionem ponit, lib. 1. *Lingula*, inquit, *cùm non à linguendo dicta est, in argento; in calceis vero lingula à ligando. Sed vsus lingulam sine N frequentat.* De *calceorum ligulis* idem dicit ac Scholiastes Iuuenalis. De *argenteis* verò *lingulis* illud addit, eas non dici à *lingendo*. Vnde ergo dictas censet? Coniicio Charisium sic scripsisse: *cùm à linguendo dicta est*; vel potiùs, *cùm à lingua; non à linguendo dicta est*. Quid Charisius vocet argenteas *ligulas*, non ita est apertum, ob varias adeò eius vocis notiones. Præter enim *calceamentorum ac tibiarum ligulas* ita vocabatur *instrumentum cauũ & oblongũ*: quale est quo aromatarij educunt vnguenta è vasis. Ita accipit Plinius, lib. xxi. cap. xiv. Nomen ex eo est, quia haberet *figuram linguæ ad palatum retractæ, atque ita caua*. A qua similitudine etiam *ligula* vel *lingula* dicebatur *mensuræ genus*, puta *quarta cyathi pars*: de quo Georgius Agricola, lib. 1. de mensuris; & Lucas Pætus, lib. iii. de antiquorum liquidis aridísque mensuris. Gloss. Philox. *Lingula*, μύστρον, γλωσσίς. Fannius quoque μύστρον exponit. Etsi vero idem credatur ac *cochleare*, tamen est cùm ab eo distinguatur. Vt apud Martialem, lib. viii. cap. xxxiii.

Quid tibi cum phiala, ligulam cùm mittere possis,
Mittere cùm possis vel cochleare mihi?

Adhæc *ligula* est *gladiolus oblongus in speciem linguæ factus*: vt Gellius exponit, lib. x. cap. xxv. vbi & Næuium ita accipere docet in Hesiona: *Sine mihi morem gerere videar, haut lingua, verùm lingula.* Gellióque ea in re præiuit Varro extremo pene lib. vi. de L.L. Similitudo quoque *linguæ* nomen in architectura dedit *lingulis vectium*, quæ & *linguæ* dicuntur. Vtroque modo loquitur Vitruuius, lib. x cap. viii. item *lingulis tubulorum*, quos *lingulatos* iccirco idem Vitruuius dicit, lib. viii. cap. vii. Imo & *gutturis operculum* διὰ τὸ γλωσσοειδὲς sic vocatum videtur. Onomasticon: *Ligula*, ἐπιγλωττίς. à *lingula* siue *ligula* fortè est *legula* apud Sidonium, epist. ii. lib. i. siue ita vocat *concauum aurium*. à similitudine *ligulæ*, id est, *concha*: siue potiùs *imam auriculam*, quæ *ligulam*, id est, *laminam*, refert: atque inde & *lamna*, siue *lamina*, vocatur Arnobio, lib ii. & Cælio Aureliano. lib. ii. Tard. Pass. cap. ii. & xiv. Vide Sauaronem ad dictum Sidonij locum.

Ligvrire etsi vnico R scribatur vulgo, tamen *ligurrire*, R geminato præfert Manutius: quomodo & in vett. libris se inuenisse testatur P. Victorius in Varronis illud lib. iii. de R.R cap. xv. *Non vt musca ligurrient apes, quod nemo has videt, (vt illas) in carne, aut adipe, aut sanguine.* Charisius. lib. iii. *ligurio* interpretatur. Sed ampliùs notat. Nempe *delicatissima vndique carpere ac degustare.* Hinc Terentius Eunuch. Act. v. Sc. v. sub persona Parmenonis ita meretrices describit, sanè scitissimè:

Id verò est, quod ego mihi puto palmarium
Me reperisse, quomodo adolescentulus
Meretricum ingenia & mores posset noscere,
Maturè vt cùm cognorit, perpetuò oderit.
Quæ, dum foris sunt, nihil videtur mundius,
Nec magis compositum quicquam, neque magis elegans;
Quæ, cum amatore suo cum cœnant, liguriunt,
Harum videre ingluuiem, sordes, inopiam,
Quàm inhonestæ solæ sint domi, atque auidæ cibi;
Quo pacto ex iure hesterno atrum panem vorent.

Vbi *ligurire* est, quod in Adelphis dixit, *Atque vnum quod erit bellissimum, carpam.* Quam interpretationem etiam Donatus confirmat. Ex eodem etiam gemino in loco ἔτυμον vocis discere est. Prior est in illud Enuchi, Act. II. Sc. II. *Patria qui abligurierat bona.* Vbi, inquit, *Abligurierat, suauibus escis consumserat. Nam ἀπὸ τοῦ λιγυροῦ est ligurire, & λιγυρὸν Græci suaue appellant.* Idem in eiusdem comœdiæ Act. V. Sc. IV. *Quæ cum amatore suo, cum cœnant, liguriunt, Ligurire ἀπὸ τοῦ λιγυροῦ, quod secundum Græcos suaue intelligitur. Ligurire dicitur, qui eleganter, & more scitum multo fastidio suauiora quæque degustat.* Tamen λιγυρὸν alij de *arguta, canora,* ac *stridula voce* dici malunt. Fortasse igitur *ligurio* potiùs est à *lingo.* Vett. sanè pro *lingo, ligo* dixere, à λείχω. Ita *liguritor* sit, qui cupediis sic deditus est, vt digitos quoque *lingat.* Siue qui *lingendo* catinis sua absumit. Vt à *scateo, scaturio*; sic à *ligo* hoc est, λείχω, sit *ligurio.* Et hoc imprimis placet. Nec ineptè tamen deducas *ligurio* à λιχνεύω, id est, *ligurio*: vti λιχνεύω, à λίχνος, quomodo Græcè dicitur, qui Latinis *liguritor*: Nempe ἀπὸ τοῦ λείχειν. Similiter *catillo,* à *lingendo catinos*: vti Belgis *een platteleker.* At à *Liguribus, ligurire* esse esse non potest: qui planè erant agrestes, eóque nomine malè audiêre. Tullius in Rull. II. ad pop. *Ligures montani, duri, atque agrestes: docuit ager ipse, nihil ferendo, nisi multâ culturâ & magno labore quæsitum.*

Ligvstra à *legendo* ita dici, Perottus putabat. cùm Maro tamen dicat, *cadere ligustra,* sed *legi vaccinia.* Sed eò respexit, quod *ligustra* etiam de *vacciniis* dicatur. Atque hoc in caussa est, cur *ligustra* Maro quidem *alba, niuea* item Ouidius: at Columella *nigra* apellet. Sic enim ille in X.

Fer calathis violam, & nigro permista ligustro
Balsama cum casia nectens.

Nimirum *flos ligustri albus, bacca* autem *nigra.* Aliis placet *ligustrum* esse *smilacem*, atque ita à *ligando* dici, quia vicinis implicetur ac circumuoluatur. Ita *smilax maior, album* erit *ligustrum*: *campana* verò *cæruleo purpurea, nigrum ligustrum* vocabatur. E Plinio quidem constat arborem eam quæ in Oriente *Cypros* vocabatur, in Italia *Cypron* nominatam. Vide eum lib. XII. cap. XXIV. & lib. XXIV. cap. X. Vt omnino non à *legendo* nomen acceperit, sed potiùs à *ligando*, quia lignum eius facile flectatur.

Lilivm à Græco λείριον rectè deducit Varro, IV. de L.L. & è recentioribus Cœlius Calcagninus lib. II. epist. VII. Angelus Caninius, in Hellenismi Alphabeto; Adolphus Mekerchus; atque alij, quos nominare tædet in re per se clara. *R* mutatum in *L*, quomodo ab ἄρω est *area*: cuius contrarium in *Sirpe*, quod à σίλφι. Hispani hac in voce Græcos sequuntur, Itali Latinos. Hi enim *lilio* illi *lirio* dicunt.

Lima plerisque ita dici videtur à sono, vti & Græcum λίγξειν. Sed est à Græco ῥίνη. Gloss. Ῥίνη, *lima*; ῥίνιον, *lima*, ῥινητήριον, *lima.* Sæpe ρ in *L*, ac ν abit in *M.* Si tamen id durius videtur, possis deducere à λίζω, quod est *vitro aut ferro rado*: vt Eustathius interpretatur. Vel contractum sit ex *leima*, hoc est, λείωμα, quod à λειόω, vti hoc à λεῖος, *leuis.* Sanè *lima* est *leuigare & asperitatem tollere.* Et fauet Isidorus, lib. XIX. cap. VII. vbi eius verba, quæ corruptissima sunt sic doctissimus Martinius restituit: *Lima dicta, quod leue faciat. Nam lion* (λεῖον) *leue est.* Intellige autem *leue* priori porrectâ, prout aspero opponitur. A *lima* est *limo.* Onomast. *Limo*, ῥινῶ. Hinc *limare cum aliqua caput* apud Plautum: de quo Turnebus, lib. XV. cap. VI. *Limatius*, vnde apud Tullium, lib. VII. epist. *Opus est huc limatulo & polito tuo iudicio. Oblimare* etiam pro *deterere* ab hoc fabrili est instrumento: vt notauit vetus Horatij interpres, in illud Sat II. lib. I.

Rem patris oblimare, malum est vbicumque.

Alias *oblimare* non à *lima*, sed à *limus* venit: vt in illo Maronis. II. G.

Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior vsus
Sit genitali aruo, & sulcos oblimet inertes.

Vbi *oblimare* est *quasi limo obducere.* Quomodo Maro idem dixit,

——— *Obducto latè tenet omnia limo.*

Et sanè nihil prohibet, quo minus in Horatij loco similiter accipiatur. Vt *oblimare patris bona* sit *quasi limo obducto corrumpere.*

Limaces, *cochleæ à limo appellatæ*, vt scribit Festus; item Isidorus, libro XII., cap. V. Et ante vtrumque Varro, in VI. de L.L. qui & docet, inde sic *meretrices* dici. Nam cùm citasset illud è Plauti Clitellaria:

Non quasi vt hæ sunt sumptus limaces liuidæ:

(sic locum hunc emendat Scaliger) mox subiicit: *Limax à limo, quod ibi viuit.* Magis tamen placet, *meretrices* sic τῷ μεταφορικῶς dici, quia vt *limaces* olerum arrodunt folia, sic hæ amantium bona deuorant. Suspicatur Scaliger, posse & nomen impositum videri; quia *caput cum amatoribus limet*: idque eò magis, quia Græci quoque ita accipiunt [illegible] ῥινᾶν. Id verò ex Æliano probare conatur. Sed ῥινᾶν Æliano est, non à ῥίνη, quod est *limare*; verum à ῥίς, quod est *suspenso naso circumuenire*, atque, vt Hesychius interpretatur ἐξαπατᾶν, id est, *decipere.* Nempe ab eo quòd ῥῖνες sunt *nares.*

Limbvs. (vt ad IV. Æneid. scribit Seruius) est *fascia quæ ambit extremitatem vestium, secundum antiquum ritum,* vt,

Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura.

Aliter *institam* vocari scribit, in II. Æn. vt apud Horatium:

Quarum subsutâ talos tegit instita veste.

Nonius interpretatur *muliebre vestimentum, quod purpuram in imo habet.* Isidorus. lib. XIX. cap. XXXIII. *Limbus*, inquit, est, *quem nos ornaturam dicimus. Limbus* non occurrit nunc vnde verisimilius deducam, quàm à λῶμα, quo τὰ ἄκρα [illegible] significari Hesychius & Suidas testantur. A *limbo* dicti *limbolarij*; siue, vt ea vox quoque in vett. libris scribitur *limbo-rarij.* Solent enim *L* & *R* confundi: vt *Lanale*, & *Lacuare*, & sexcenta huiusmodi. Quod addo ne credas Guilielmo qui in Plautinis suspicatur *limborarios* ex *limbo* & *ora* conflari.

Limen iuxta Cornelium à Lapide, in Exodi cap. XII. dicitur, *quasi limes*: vt Hebræis ab eadem caussa *limen* est *saph* à סף, id est, *finire*, quia *lumen ibi finitur, & vmbra incipit.* Nonnesius, in Grammatistice, deducit à Græco βηλὸς, quod est, *limen domus*: nempe, vt β in *M* conuertatur. Sed durius vtrumque hoc etymon. Quare meliùs, vt puto, Festus: *Limus, obliquus, id est, transuersus: vnde & limina.* Similiter Aggenus Vrbicus, & Isidorus: quorum verba referimus in *limes.* At Græcè λιμὴν aliud est, nempe *portus*, vnde *Limenarcha*, quod Accursius putabat esse ex *limen* & ἀρχὸς. Sed eum vocat, *qui portibus præest*, à λιμὴν, & ἀρχὴ. Aristoteles, lib. VI. Πολιτ. vocat λιμενοφύλακας. A *limen* est *sublimen*, superius *limen*; quomodo apud Propertium legit Scaliger:

At nullo dominæ teritur sublimine amor qui
Restat.

Et apud Ennium idem legit.

Aspice sublimen candens, quem vocant omnes Iouem.

Sed rectum est *sublime*, vt in Oratoriis ostendimus. Interim verum est *sublime* venire à *sublimen*, quia quod *sublime* est, id *instar subliminis* est *eleuatum.* Quod ἔτυμον Festus probat in *sublime.* Pro *limen* Romani veteres etiam *limentum* dixere, vt *monumen, monumentum*; *documen, documentum*, &c. Inde Deus *Limentinus*, qui *limentis* siue *liminibus præest*; vt docet Tertullianus lib. de Corona militis. Scorpiaco aduersus Gnosticos, & lib. de Idololatria; item Arnobius, lib. IV. &c.

Limes, à *limus*, id est, *obliquus.* Hinc *limitanei* milites, qui in *limitibus* regionum agunt stationes. A *limus* quoque est *limen.* Tam de hoc, quàm isto, auctor nobis Isidorus lib. XV. cap. XIV. *Limites*, inquit, *appellati antiquo verbo transuersi. Nam transuersa omnia antiqui lima dicebant: à quo & limina ostiorum, per quæ foris & intus itur.* Præiuit hac parte ei Festus, verbis: *Limites in agris, nunc termini, nunc viæ transuersæ.* Et ibidem: *Limus, obliquus, id est, transuersus, vnde & limina.* Item Aggenus Vrbicus: *Limites*, inquit, *appellati à limo, id est, antiquo verbo, transuersi. Nam & limum cinctum, ideo quod purpuram transuersam habeat. Item limina ostiorum. Postea & prosos & transuersos limites appellauerunt à limitibus, quod per eos agrorum itinera seruantur.* A *limes* est *collimitari*, & *collimitaneus*, & *collimitium.* Quo vsus Solinus: *Hoc est collimitium, in quo limen Persicus Scythis iungitur.* Vbi vulgo *colliminium*: quasi de *liminum*, non *limitum* coniunctione agatur.

Limvs à *leuis*, vt scribit Isidorus. lib. XVI. cap. I. Intelligit autem *leuis*, priori porrectâ quâ idem valet ac λεῖος. Nempe quia *limus* reddit loca *lubrica.* Sed potiùs est à λειμὼν, quo significatur *locus irriguus*, ὑγρὸς καὶ ποώδης τόπος, ἀπὸ τοῦ λείβω λελειμμένος, ἢ ὑγρὰ γλώσσῃ λειβάδας λέγει, ὡς ἀπὸ τοῦ εἴλιβεν ἐκτείνει ἀναχεῖν, [illegible] vt scribit Eustathius in Il. [illegible] p. CCLV. Vel erit *limus* à λιμνὸς, quo *locus humidus*

nidus ac pinguis notatur, teste Hesychio. Vel à λῦμα, quod notat *sordes qua abluuntur*, à λόω, *purgo*. A *limus* est *illimis*, hoc est, *limpidus*. Ab eodem iuxta aliquos *sublimis*, quasi *supra limum*. Sed magis placet esse à *sublimen*, quo significatur *superum limen*: vt in *Limen* dictum. Saltem magis id placet quam vt κατὰ μετάθεσιν sit ex ὑψηλός, quod Nunnesio visum. Antiquis verò *limus* etiam adiectiuum erat & significabat *obliquus* vel *transuersus*: teste Donato in Eunuch. III. v. ad illa, *Ego limis adspecto*: & ita Cornelium Seuerum in Ætnâ vsum censet Scaliger. Sed cum in vulgatis aliter legatur, non immorabimur incertis: nec enim opus, quandoquidem in vsu remansit *limis in. ueris*, quod Maro dixit.

——— *Transuersa tuentibus hirquis.*

Ab eodem *Limi dei*, *obliquitatum curatores*, vt Arnobius scribit in IV. Imò ab hac *limi* notione dicuntur *limes*, & *limen*, vt scribunt Aggenus Vrbicus, Festus, & Isidorus. Etiam *cingulum* hinc dici *limum* idem Aggenus ait. *Limum*, inquit, *cinctum*, *ideo quod purpuram transuersam haueat*. Item Servius in Virgilii illud.

Velati limo, & verbena tempora vincti.

Vbi ait. *Caper, & Higinus, hoc loco dicunt lectionem esse corruptam. Nam Virgilium ita reliquisse confirmant, Velati limo. Limus autem est vestis, quâ ab vmbilico vsque ad pedes teguntur popae. Hæc autem vestis in extremo sui purpuram limam, id est, flexuosam habet; vnde & nomen accepit: nam limum obliquum dicimus.* Et Isidorus lib. XIX. cap. XXIV. *Hinc, inquit, limus vocabulum accepit, cingulum quo servi publici cingebantur obliquâ purpura.* Verbum quoque *collimo* ex eo est, quod hoc *limis* fiat *oculis*.

LINGO, à λείχω, vt Varro agnoscit extremo lib. V. de L.L. Est verò λείχω eiusdem significationis, vnde digiti λιχανοὶ Græcis vocantur, quia *eam lingunt*, quorum est explorare ciborum saporem. Nec dubium, quin à λείχειν sit Belgicum *lecken*. Latinum verò *lingo* ex eo fit inserto N, quomodo à θίγω est *tango*, ab ἕλκω, *vulnus*, &c. Primigenij naturam retinet *ligurio*, si est à *lingo*, vt à *scateo*, *scaturio*.

LINGVA à *ligando* plerique dici videtur: siue quia *verba liget* per articulatos sonos: vt ait Isidorus lib. XI cap. I. siue quòd *cibum liget*, vt ex Varronis auctoritate Lactantius tradidit de officio Dei. cap. X. hoc est (vt Perottus interpretatur.) quod *cibos vi sua conglobet, & deprimat, inque ventrem transmittat*. Sed magis verisimile est *linguam* à *dicendo* nomen accepisse. Nam veteres, vt lib. I. testatur Marius Victorinus, *dinguam* dixere. D vero in L conuersum. quomodo à δάκρυον est *lacryma*, ab Ὀδυσσεύς, *Vlysses*, &c. Vide *Alacris*, *Olere*, & *Nouensiles*. Sed omnium maxime placet cùm *lingua* vnicum sit *linctus instrumentum*, dici *linguam*, quasi *lingvam* à *lingo*. Atque hanc Varronis fuisse mentem scribit Isidorus, lib. XI cap. I. A *lingua* similitudine piscis *lingulaca* nomen accepit, vt Varro innuit, lib. IV. de L.L. Tribuitur & *mulieri garrula lingua*. Festus: *Lingulaca, genus piscis, vel mulier argutatrix*. Sic enim & Canterus, lib. IV. cap. XXVIII. rectè legit, pro *argutatrix*, vel *garrulatrix*. Nonius: *Lingulaca, loquuleia, à procacitate linguæ*. Fruterius paullò aliter lib. I. Verisim. cap. XI. vbi *piscem* ita dici putat à *lingula*, gladioli genere. Turnebus verò à *lingua* esse agnoscit, ac Græce, quia *bouis linguam* referat, βούγλωσσοι ait vocari: sed de ὀρθογραφίᾳ diuersus abit. Nam lib. XVI. Aduers. cap. III. putat ἀναλογίαν exigere per T; ac similiter *pastinaca per T* scribi debere. Ac penè est, vt ei adsentiant Lambinus, Annot. in Plautum. A *lingua* quoque est *linguarium* apud L. Senecam, lib. IV. de beneficiis, cap. XXXVI. *Quod dicere solemus, linguarium dabo*. Hoc est, pendam aliquid ob *linguam temerè locutam*. Ab eodem *bilinguis*, qui *duas scit linguas*: quomodo *Bruttades bilingues* dixit Ennius, teste Festo, nempe quia Oscè & Græcè scirent. Item *bilingues*, aliter loquentes ore, aliter sentientes corde, quomodo *Tyrios* Maro *bilingues* vocat.

LINO ex *lineo* contractum est, vti *litera* ex *lineatura*: si Cæsari Scaligero credimus, de caussis L.L. cap. IV. Sed longè verisimilius est *lino* venire ex λιπαίνω, quod est, *leue ac lubricum reddo*, vti vnguento fit, quod *illinitur*. Hesychius: Λιπαινῶ, λεῖον ἢ ὑγρὸν ποιῶ. Vnde etiam agnoscimus, λιπαίνω, siue λιαίνω esse à λιπαρός, hoc est, *lenis, mollis, glaber, politus, lubricus*.

LINQVO à λείπω, vnde [illegible]. Λείπω à λίπω, quod à λιπῶ. Vertitur Π in QV, quomodo à πέντε est *quinque*, à πέτρος, *quaternio*, à [illegible], *quaterno*. Quamquam & possis *linquo* deducere ab vsitato λείπω. Nam olim fuit *liquo* vnde præteritum *liqui*, ac deriuata *reliquus*, *deliquus*, de quibus mox dicam. Postea N inserto dixere *linquo*, vti & factum in *frango*, quod à *frago*, vnde *fregi*, & *fragilis*; in *pango*, vnde *pepigi*, & *pagina*; in *tango*, quod à *tago*, vnde *tetigi* & *tagax*; in *tundo*, quod à *tudo* vnde *tutudi*, & *tudites*. *Reliquum* dicitur, quod *restitum residuumque est*. Hinc *reliquari*, quod significat non *peccare* sed *relinquere aliquid insolutum*: quomodo hæc vox vsurpatur à Paullo, l. Tutius, D. de administr. tuto. & Vlpiano l. relici pro. D. de muner. ac honor. Eodemque modo vsurpatur à Scæuola *reliquator*, de eo *qui debitum non soluit*: & à Paullo *reliquatio*, de eo *quod rationibus deductis est reliquum*. Gloss. Phil. *Reliquatio*, ἐλλειμματοφορία. Quando nempe scribitur quod reliquum est. Eandem vocem scite transtulit Tertullianus ad id, *quod in ætate residuum est*. Nam lib. de anima cap. [illegible] ait: *Donec reliquatio temporis expleatur ætatis*. Et mox: *nihil erit reliquum temporum*. *Reliquo* opponitur *deliquum*. Nam quemadmodum, *cui omnia adsunt*, huic nihil est *reliquum*, ita *cui omnia desunt*, ei *nihil* est *deliquum*. Plautus Casina Act. II. Sc. II.

Quando nil tibi domi deliquum est.

Hoc est, *deest*. Similiter vero *deliquandi* verbo, vnde *deliquium* dicitur, vsus est Tubero: *Num delinquit, aut superat aliquid tibi?* Et Cœlius: *Delinquere frumentum, hostes Sardiniam tenere*. Vt autem à *reliquo*, vel *relinquo*, dictæ *reliquiæ*, sic à *deliquo*, vel *delinquo* dictum *deliquium*, hoc est, ἔκλειψις. Nam melius reddere non possumus, cùm *liquo*, vti vidimus, sit à λίπω, hoc est λείπω, vnde ἔκλειψις, vt omnino κατὰ λέξιν *deliquium* sonet. Mire quoque hanc rem confirmat quod Plinius defectum pro *eclipsi deliquium* dicat. Falluntur igitur qui *deliquium* à *liquando* deducunt: quæ sententia magnos olim viros habuit auctores. Varro lib. VI. de L.L. *deliquium dictum ab eo, quòd deliquatur: vt turbida quæ sunt, deliquantur, vt liquida fiant. Aurelius scribit, deliquium esse à liquido. Claudius ab eliquato (alia deliquato.) Si quis alterutrum sequi malit, habebit auctorem Cæcilium, Per lætitiam liquitur animus*. Hæc Varro. Apud Festum quoque Colinus legendum censet: *Deliquium Solis à deliquando dictum, quod deliquet in cursu suo*. Sed siue sic scripsit Festus, seu secus, omnino *deliquium* est à *delinquendo*, quia id olim notabat *deficere*, ἐκλείπειν, quomodo vsi Tubero & Cœlius locis citatis. Estque ab hac notione quod κατὰ μεταφορὰν *delinquere* dicimus pro *peccare*, *delicta* pro *peccatis*. Nam *peccatum* propriè [illegible], vt docent Philosophi: vnde fortè Augustinus dicebat, *mali causam non esse efficientem, sed deficientem* tantùm: quia nempe *malum* propriè *entis* est *absentia* seu *defectus*. Quibus hæc sententia improbatur, eo argumento pugnant, quod si *reliquum*, *delictum*, *deliquium* à *linquendo* essent, secundam producere deberent. Sed non cogitant hi ea non esse à præteritis *reliqui*, & *deliqui*, sed antiquis præsentibus *reliquo* & *deliquo*, de quibus ante dicebamus. Sic sane *fragilis* quoque primam habet correptam, quia à *frago* est, non *frango* vel *fregi*: *tudes* quoque & *tuditare* eandem habent breuem, quia à *tudo* sunt, non à *tundo*: párque in aliis quibusdam ratio est.

LINTER, λυντήρ. Priscianus in V. *Linter quoque, quod apud Græcos masculinum est, ὁ λυντήρ, apud nostros femininum est*. Sed quemquam Græcorum eo vsum, non memini me legere. Itaque alij malunt deducere à *legendo* vel *lingendo littore*. Vel etiam à λινός, quod inter alia signat *alveum*.

LINVM à Græco λίνον, à quo non aliter differt, quàm modulo syllabæ. Nam priorem Græcis corripit, Latinis producit. Sæpe vtuntur Græci pro *rebus è ligno confectis*. Vt pro *linteis ac velis*. Hesychius: λίνα, ἱστία. Latini pro eo dixere, *Linteum*, inserto T. Nam vt à πέκω, *pecto*, vt quoque *identidem* pro *itemitem* dixere, sic à λίνεον, siue *lineum*, *linteum*. Item λίνον vtuntur Græci pro *eo de quo hamus dependet*. Latini similiter quia è *lino* est, *lineam* vocant: vt Isidorus ait. lib. XIX. cap. XVIII. Ita vsus Plautus, Mostell. Act. V. Sc. I. Nec aliter dixit Seneca:

Sentit tremulos linea pisces.

Nec abludit, quod Iurisconsulti dicant *lineam margaritarum*. Quæ si simplex, *monolinon*; si duplex, *dilinon*; si triplex, *trilinon*; si quadruplex *tetralinon* dicebatur. Atque hæc quoque *lineam* à *lino* esse ostendunt. Geminum planè quod *linea* ponitur pro *filo*, *quo fabri vtuntur ad materiam signandam*. Cic. ad Quinct. Fr. *Aliquando perpendiculo & linea discet vti*. Gloss. *Linea*, σπάρτος. Ita Latinis est *alba linea*, quod in Græcorum prouerbio, λευκὴ στάθμη ἐν λευκῷ λίθῳ. Hinc κατὰ μεταφορὰν dicitur de *lineis*, *quas ducunt pictores*. Græci vocant γραμμάς. Vnde *lineare*, *lineam ducere*. Ab eo est *lineatura*: Quod in Glossis exponitur χάραγμα, [illegible] Onomastico. ὑπογραφή.

LIPPVS fortè à λίπος, *pinguedo*, quia *vnguento illinatur*. Horat.

Cum tua peruideas oculis malè lippus inunctis.

Vel potius à λείπειν, ob *defectum oculorum*. Aut, quod Nunnesio visum, sit *lippio* à λημάω, vt μ transeat in p, quomodo à μολύνω est *polluo*. Aut, quod maximè placet, à λείβω, quia *lippientibus oculi stillent lacrimis*.

LIQVO censeo esse à *lix*, quod veteri linguâ significabat *aquam*: vt ostendimus in *Elixum*. Puto autem contractum esse è *liquis*, quomodo *nix* est concisum ex *niuis* vel *ningu*::: quemadmodum suo loco probamus. A *lix* verò, vel *liquis*, est *liquo*, & *liqueo*: ab illo est *liquasco*, vt à *labo, labasco*: ab hoc *liquesco*, vt à *caleo, calesco*. Ab eodem est *liquidus*, vt à *caleo, calidus*; & *liquor*, vt à *caleo*, *calor*, & similia. Differunt autem *liquare* & *liquere*, quod illud actiuum sit, hoc neutrum. Nam, vt *liqueat vinum*, quod ante turbidum est, *liquatur*, hoc est, *defecatur* per saccum. Glossæ; *liquatur*. διυλίζεται. Sic vsus Columella, lib. x. *Sacculi inuersa meta similis, qualis est, quo vinum liquatur*. Itaque *liquens*, quæ sunt iam *defecata*: vnde μεταφορικῶς Plautus Pseudolo: *Quicquid incerti mihi in animo prius, aut ambiguum fuit, nunc liquet, nunc defecatum est*. Súntque contraria *liquare* & *turbare*: quorum vtrumque in *liquore* locum habet. Vnde idem, Mostell. Act. II. Sc. I.

Efficiam, qua factam hic turbauimus
Profecto vt liqueant omnia, & tranquilla sint.

Item *liqui*, hoc est, *liquescere* ac diffluere, Maro I. Georg.

——— *Canis cùm montibus humor.*
Liquitur. ———

Liquidum quoque, ac *turbidum aëra*, opponi, notum est. A *liquare* est *eliquare*, apud Columellam, & Senecam: vnde *eliquia* apud Solinum, quæ Græcis διυλισμοί. ab eodem est *colliquare*: vnde *colliquiæ* vocantur tum *sulci maiores* in agris: tum *tegulæ* in tectis. Priori modo vsurpat Columella, lib. XI. cap. VIII. *Crebros sulcos aquarios, quos nonnulli elices vocant, faciamus, & omnem humorem in colliquias, atque inde extra segetes deriuemus*. Similiter vsus Plinius, lib. XVIII. cap. XIX. & Vitruuius, lib. V. cap. III. Pro *tegulis tecti* accipi, auctor Festus. Pro eo & *collicias* dicimus, ob affinitatem literarum C & G. Ea res imposuit Festo, in voce *Inlicium*: vbi eiusdem hæc duo originis esse censet: *Inlicium*, inquit, *cùm populus ad concionem elicitur, id est, vocatur: vnde colliciæ tegulæ, per quas in vas defluere potest*.

LIS (vt Varro ait, lib. VI. de LL.) *dicitur res, quæ in controuersia est*. A *iurgio* distinguit ita Nonius Marcellus: *Iurgium*, inquit, *lenior res est. Siquidem inter beneuolos aut propinquos dissensio vel concertatio iurgium dicitur. Inter inimicos dissensio lis appellatur*. Quod deinde probat his Ciceronis verbis, è lib. IV. de Rep. *Admiror nec rerum solùm, sed verborum etiam elegantiam. Si iurgant, inquit, beneuolorum concertatio, non lis, inimicorum iurgium dicitur*. Et in sequenti: *Iurgare igitur lex putat inter se, non litigare*. *Lis* dicta creditur à *limes*, quòd *primum* inter homines *lites* fuerint de *limitibus*. Sed puto κατ' ἀφαίρεσιν factum esse ex *elis*: hoc verò esse ex ἔρις. Nam ρ in L abire sæpius solet. Quod nisi simplicissimum ἔτυμον foret, lis accederem qui censent, vel esse κατὰ συγκοπὴν ex λύσις, hoc est, *solutio*, quia *lis dissoluat amorem*: vel sic vocari, quia in iudicio ad prætorem *sisti* soleat. Pro quo etymo est, quod antiquitus *stlites* dicebant: teste Festo, & Glossis vett. in quibus est: *Stlites*. δίκαι. ἀγῶνες. Ita legit Radulphus Fornerius lib. III. rerum quotidianarum cap. III. Sed magis placet emendatio Bonauenturæ Vulcanij, corrigentis. *Stlites* δίκαι, ἀγῶνες. In vulgatis est. *Stlipes*, δικαστήριον. A *sistendo* igitur *stlites* dici putant, quomodo ex *sistlocus* vel *stlocus* factum est *locus* ad fugiendum sonum confragosum. Ita Iouianus Pontanus, in Actio, fol. CXXXVIII. edit. Ald. Nicolaus Erythræus, indice Virgil. voce *Lis*. Radulphus Fornerius. lib. III Rerum quotid. cap I. Quibus prora & puppis est locus Festi: *Stlata genus nauigij latum magis, quàm altum & à latitudine sic appellatum, sed eâ consuetudine, qua stlocum pro locum, & stlitem pro lite dicebant*. A *lite* est *litigo* vt à *purus, purigo*, vnde *purgo*. A *vitio* & *litigo* est *vitilitigo*: quo vsus Plinius in præfat. Historiæ suæ: vnde *vitilitigatores*, *quibus studium est lites è litibus serere*: eóque aliena omnia anxiè obseruant, indéque calumniandi ansam captant. Plinius, ibidem: *Ergo securi etiam contra vitilitigatores, quos Cato eleganter ex vitiis & litigatoribus composuit. Quid enim illi aliud quàm litigant, aut litem quærunt?* *Vitio* autem *litigare* dicitur qui *vitiose litigat*: quomodo, vt ad Varronem de R.R. monet Scaliger, aliquis *pater* vocatur qui *per errorem pater putatur*, vnde & *putatitius* vocatur. Ita Ouidius dixit

Vt vitio factus sit pater ille meo.

Et Martialis,

Huic semper vitio pater fuisti.

LITARE, & *sacrificare*, differunt: hoc generale est: illud locum habet, cùm sacrificium est Diis gratum: vnde Macrobius, lib. III. cap. V. interpretatur, *facto sacrificio numen placare*. Græci id dicunt καλλιερεῖν, quia καλὰ ἱερὰ sunt *læta exta*. Vt *optimus* pro *optumus*, *maximus* pro *maxumus*, dixere posteriores, sic *litare* pro *lutare*; à *luo*, quod est *soluo*: vt *litare sacra*, vt *sacra persoluere*. Ita Varro ἱστοριῶν περὶ θυσιῶν. *Habes qui, & cuius rei caussa fecer in hecatomben, in quo ego, vt puto, quoniam est luere, soluere, lutauit*. Citat Nonius in *Lutauit*. Atque adfert hoc etymon etiam Festus in *Lutare*. Eóque etiam firmatur, quod *luere* etiam dixerint pro *sacrificare*. Vt dicimus in *Lupercalia*. Quare non dubito, quin *lito* sit frequentatiuum à *luo*, & eo sumatur pro *placare*, quia qui soluit, quod debet, is à creditore se molestia liberat. Nec absurde tamen deducas à λιτή, quo notantur *preces supplices*. Vnde est λιτανεύειν, *supplicare*: & λιτανεία, *litania*. Nam Latinis quoque Ecclesiasticis scriptoribus ea vox est vsitata. Vide Isidorum lib. VI. cap. vlt. Gloss. Philox. *Litatio*, λιτανεία. Gloss. Cyrilli: *Λιτανεύω, lito, adprecor*. Λιτὴ, ἡ λιτανεία, *litatio, precatio*. Barbaris seculis *letaniam* scripsere, ac deriuarunt à *letum*, propriéque esse dicebant *precationem pro mortuis*. Sed *supplicationem* notare atque à λιτή venire, liquet ex iis, quæ diximus. At *liturgia* aliunde est. Nam Græce est λειτουργία, quod ex origine sua generatim notat *munus publicum*: vt Suidas docet. Dicitur enim quasi λήϊτον, seu λεῖτον, hoc est, λεῖτον ἔργον, *publicum opus*. Vnde λειτουργεῖν, *publicè suum munus exercere*. Quomodo & Lucas cepit, Act. XIII. vbi vulgatus interpres vertit *Domino ministrare*. Ab eo ἀλειτουργησία, *immunitas à munere publico*, apud Modestinum, ff. de excusationibus tutorum lib. XV.

LITERA ex *lineatura* contractum esse arbitratur Iul. Scaliger. de caussis L.L. IV. Sanè Græcis similiter γράμμα dicitur ἀπὸ τῆς γραμμῆς. Verùm neque displicet, vt *litera* sit à supino *litum*, vnde & *litura* dicitur. Nam qui *literam pingit*, *atramentum charta* inducere atque *illinere* solet. Ac vt à *litum* est *litera*: ita ab *oblitum* est verbum *oblitero*, quod est, *oblinendo deleo*, atque induco. Vel est *litera* à Græco λιτὸς; hoc est ψιλὸς, *tenuis exilis*, vt exponit Hesychius. Vnde & dixere λῖτα λινᾶ, seu λιτὰ ἀποικίλματα, *lineum*, seu *tenue linteum*. Sanè *literæ* quid sunt aliud, quàm *tenues*, & *exiles ductus*? Hæc quidem longè magis placent, quàm vt *litera* dicatur quasi *legitera*, quia *legendo iter præbeant*, vel *legendo iterentur*. Quod apud Diomedem legas, & Priscianum lib. XVII. Vel vt dicatur à *litura*, vt apud eundem Priscianum scriptum inuenitur. Nam prior ἐτυμολογία dura est, postérior etiam inepta: cùm priùs aliquid scribatur, quàm deleatur, absurdúmque sit *literam* ab eo dici, per quod desinit esse *litera*.

LITHARGYRVS, λιθάργυρος, voce ex *lapide* & *argento* conflatâ, quasi sit *arenosum illud ac lapidosum, quod ab argento in secunda eius coctura secernitur*. Latini conuenientius *spumam argenti* dixere. Sic Plinius vocat lib XXXIII. cap. VI. Ac Glossæ similiter: λιθάργυρος, *spuma argenti*. Nempe cùm metalla excoquuntur, sordésque eorum purgantur, *spuma* ebullit quæ & *flos* vocatur, quia floris instar est, quomodo *florem æris* dixere pro *spuma æris*. Ac similiter *nitri florem* Vitruuius, lib. VII. cap. XI. dixit. quod Græcis ἀφρόνιτρον, hoc est, *spuma nitri*. In Glossis etiam λιθάργυρος exponitur σκωρία ἀργύρου. Propriè tamen *scoria* est vitium metalli se in coquendo purgantis: vt *flos* vel *spuma* vitium est iam post cocturam purgatæ, ac natantis in summo.

LITHOSTROTA, λιθόστρωτα, generatim pauimenta notat *lapidibus strata*, à λίθος, & στρώννυμι. Sed speciatim ea significat, quæ (vt Isidorus ait lib. XV. cap. VIII.) *paruulis crustis ac tessellis tincta in varios colores*. Vbi latè ita *lithostrota* capit, vt *tessellatum opus* comprehendat. Sed propriè *lithostrota* erant è paruis crustulis marmoris diuersi coloris: *tessellata*, è paruis *tessellis* siue calculis quadratis in varios tinctis colores. Suetonius, in Iulio, *lithostrata* vocant *sectilia*. Nam ait eum *sectilia ac tessellata pauimenta in expeditionibus circumtulisse*. *Sectilia*, ac *tessellata*, etiam Vitruuius separat lib. VII. cap. I. *Lithostrota* sub Sylla cœpisse, paruulis crustis, auctor est Plinius lib. XXXVI. cap. XXV. Atque addit suo etiam æuo extitisse *lithostroton*, quod Præneste in Fortunæ templo fecerat Sylla.

LITVS, quid, & vnde sit, docere conatus his verbis Isidorus, lib. XIV. cap. VIII. *Litus est terra aquæ & mari vicina. Et dictum litus, quia fluctu eliditur* (al. *clauditur*;) *vel quod aqua alluitur* (al. *adluitur*.) Cic. *in Topicis: Litus est, quod fluctus alludit*: vbi alij libri, *quod fluctus elidit*. Itaque dubitari possit, sitne litus à *lædo* an *ludo*, an *luo*. Quartum etiam ex Pierio addit Aldus in orthographia, cùm *litus* vnico T scribendum docet, cùm ex antiquis libris ac lapp. tum analogiâ quia vel sit à *lido*, siue *lædo*, vel à *luo*. De Isidori loco vide Collerum. παρέργων cap. V. vbi docet Ciceronis verba sic legi debere. *Litus est, qua fluctus alludit*. Sed siue *alludit*, siue *allidit*, à Cicerone scriptum fuit veram ἐτυμολογίαν hinc extricare non est. Aliij inque his Septimius Florens ad Sophoclis Philoctetem notis,

vocis; putant *litus* esse ab antiquo *lido*, quod sit *frango*. Onomast. *Lido*, ἀράω. Nempe vt Græcè est ἀκτὴ ab ἄγνυμαι, id est, *frango*, ita à *lido*, fit *litus*. Sed *lido* an dixerint, non satis liquet. Nam *allido*, *elido*, *collido*, videntur esse à *lædo*. Scio *lido* legi in legibus Boior. Atque inde dici *Lidunam*, maris salaciam. Sed veteres non si. locuti. Potiùs ergo crediderim cùm *litus* vndarum appulsu attenuetur, venire hanc vocem à Græco λιτὸς, hoc est, *tenuis*: quæ sententia est Cæsaris Scaligeri, Iacobi Cuiacij, Nunnesij & Coleri. Vel nomen ex eo esse, quia *tellus in culta*, *inarataque*, Græcis dicatur λιτὴ, vt apud Athenæum lib. VII. δειπνοσ. ex Alexandro:

——— ὅ. μιλὴρ φαίδιμος,

Ἐν μακάρων νήσοισι λιτὴ φύει ἄκρα γαῖα.

Qui locus conuenit cum illo Horatij lib. Epod. od. XVI.

Petamus arua, diuites & insulas,

Reddit vbi Cererem tellus inarata quotannis.

Ita *litus* dicetur, quia sit γαῖα λιτὴ, hoc est, *inarata*, atque adeo aquæ (contra quam in solo fit, de quo Alexander & Horatius loquuntur) *ne arari quidem possit*, vt prouerbio docemus. Nam quod ad Iarbiæ illud, IV. Æn.

——— Cui litus arandum,

Cuique loci leges dedimus: ———

litus hic laxè accipitur pro *terra mari vicina*, quemadmodum Seruius monet.

LITVVS nunc est *genus tubæ minoris*, vt ait Charisius in primo nempe *tuba curua*: nunc est *auguratus insigne*. De quo ita apud Ciceronem legitur, lib. I. de diuinat. *Romuli lituus, id est, incuruum & leuiter à summo inflexum bacillum, quod ab eius litui, quo canitur, similitudine nomen inuenit*. Sed quis credat Ciceronem putasse opus, vt quid *lituus* esset exponeret? Omnino interpretatio illa è Glossemate in textum irrepsit, vt iam alij obseruarunt. Interim verè ille qui Glossam hanc adiecit. Eadémque mens Gellij, lib. V. cap. VIII. *Posse quari animaduertimus, vtrum lituus auguralis à tuba, qua lituus appellatur, an tuba à lituo augurum lituus dicta sit. Vtrumque enim pari forma, & pariter incuruum est. Sed si, vt quidam putant, tuba à sonitu lituus appellata est ex illo Homerico versu λίγξε βιός, necesse est ita accipi, vt tuba auguralis à tuba similitudine lituus vocetur*. Locus Homeri est Il. Δ. Nec repugno de etymo, vt sit à λίζω, *sono*, *strideo*. Sic Hesychius λιγξάσαν interpretatur ἠχήσασαν. Iidem λιγύς, *stridulus*, *sonorus*. Vel est à λιτὸς, *tenuis*, *acutus*, nempe ob sonum. Ennius:

Inde loci lituus sonitus effundit acutos.

Sanè hoc malim, quàm vt iuxta aliquos dicatur à *lite*, quia bellici certaminis sit index.

LIVIDVS color, idem qui *plumbeus*. Græcis vocatur πελιὸς & πελιδνὸς, itaque Nunnesius putabat *liuidus*, κατ' ἀποβολὴν factum ex πελιδνός. Quod magis placet, quàm vt sit à λίβυς, vt censet Scaliger de caussis L. L. cap. XXVI. Nempe dicitur ei *liuidus*, quasi *Libycus*, vt ipse ait Exercit. CCCXXV. sect. XV. Puta quia *Afris color liuidus*, vnde & primæ regionis incolæ Αἰθίοπες dicti. Similiter *Ægyptij* pro *nigris*. Vnde Αἰγυπτιῶσαι, μελάνεσαι, vt ait Hesychius. Gaza *columbam agrestem*, quæ Græcis πελειὰς, à *colore nigro* seu *liuido*, similiter à *liuore*, *Liuiam* nuncupauit.

LIXA, *qui exercitum sequuntur*, *quæstus gratiâ* teste Festo. Vnde dicantur, docere conatus idem Festus his verbis: *Lixa dicti, quòd extra ordinem sint militia, eisque liceat quod libuerit. Alij eos à Licha appellatos dicunt, quòd & ille Herculem sit secutus. Quidam à ligurriendo quæstum.* Sed ex triplici hoc etymo nullum est verum. Tertium tamen proximè ad verum accedit: si sit *lixa* à λίχω, quod est λείχω vel λιχμάω. Id vsitate quidem notat *striduse*, *arguté*: sed ponitur etiam pro *suauiter*, *concinnè*. Quæ caussa est, cur à λίχνος (quod idem ac λιχνὸς,) Donatus non dubitet deducere *liguritores*. At quid aliud *lixa*, quam *liguritores*? Hoc si etymon non placet, possis deducere vel à *lix*, hoc est, *aqua*, quod munus eorum esset *aquam ferre militibus* ex Nonio: Sed quod ait *aquam* olim dictam *lixam*, verum non est. Nec enim *lixa*, sed *lix* vocabatur: vt rectè à Varrone proditum est. Vel à *lixando*, siue *elixando* hoc est, *coquendo cibos militibus*. Vide quæ diximus in *Elixus*, & in *Liquo*. Dixerunt *lixa*, à *calonibus*, quòd (vti vetus Horatij interpres scribit ad Sat. II. lib. I.) *calones* liberi sint homines, *lixa* autem serui. Sæpe autem iunguntur. Vt apud Tacitum, lib. II. Histor. *Calonum numerus amplior, procacissimis etiam inter seruos lixarum ingeniis*. Et lib. seq. *Simul lixas calonesque cum recentissimis equitum. Bedriacum mittit, copias cæteraque vsui allaturos.* Et eodem libro *Calonum lixarúmque amplior numerus, & in libidinem ac sæuitiam corruptior*. Orosius lib. V. cap. X. de exercitu Antiochi Sideræ: *Centum millia armatorum, ducenta millia amplius calonum atque lixarum immixta scortis & histrionibus*, quam ipsam rem narrans Iustinus, lib. XXXVIII. *calones* omittit. *LXX inquit, millia armatorum secuta sunt CCC. millia lixarum: ex quibus coquorum, pistorum, scenicorúmque maior numerus fuit.* Vbi videmus, *coquos* & *pistores* dictos *lixas*: imò & *histriones*, sed vt puto ἀκύρως, accenseri. A *lixa* est *lixabundus*, qui *lixa instar vitam instituit*. Festus: *Lixabundus, iter liberè & prolixè faciens.* Isidorus in Glossis: *Lixabundus ambulas, qui voluptatis caussa ambulat.*

LOCVPLES, à *copia locorum*, vt scribit Cornelius Fronto. Nempe ex *locus*, quomodo *agros* imprimis dixere; & *ples*, quod ab antiquo *pleo*, vnde *impleo*, *repleo*, *depleo*. Itaque & *locuples* esse potest, qui *diues* non sit. Vt siquis sit obæratus, sed tamen plus possideat, quàm debet. Cicero, Catil. II. *Vnum genus est eorum, qui magno in ære alieno maiores etiam possessiones habent: quarum amore adducti dissolui nullo modo possunt. Horum hominum species est honestissima; sunt enim locupletes: voluntas verò & caussa impudentissima: Tu agris, tu ædificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus & copiosus sis, & dubites aliquid de possessione detrahere, ad fidem acquirere?* Nec relatu indigna est coniectura Ioannis Meursij, qui auctario Philologico *locupletes* dici censet à *loculis* pecuniæ receptaculis. Sanè Appuleius, lib. VIII. dixit *pecunia locuples*. Sed omnino ἀπροσδιόνυσον. Nam *locuples* esse à *locus*, siue *agris*, ostendunt allata Ciceronis verba. Plinius item, lib. XVIII. cap. III. *Locupletes dicebant loci, hoc est, agri, plenos*. Similiter Isidorus lib. X. Præterea à *loculo* potiùs esset *loculoples*. Adde quòd antiquorum opes non in *pecunia* loculis sitæ erant: sed *locis*, siue *agris*.

LOCVS, si Nunnesium audimus, fuerit à χῶρος, quod idem notat, idque per μετάθεσιν, & ρ in *L* conuerso: vt à λείριον, *lilium*. *Locus* ex quorundam mente prius fuit *stlocus*, quasi *sistlocus*: de quo abunde in *Lis* diximus. Malim ego à λέχομαι, si id vspiam legitur: vel potiùs à λέγομαι, quod est *cubo*, *iaceo*: vnde λέχος, *lectus*, *locus vbi cubamus*: item λόχος, quod Homero significat *locum insidiis accommodatum*. Itaque & à λόχος *locum* dici putant Iul. Scaliger. lib. III. de repoet. cap. XC. & Angelus Caninius, in Hellenismi Alphabeto. χ mutatum in *c*, quomodo ab ὀρχὶς est *orca*, à σικχὸς, *siccus*, &c. Λόχος putabat Becmanus esse ab Hebræo נכל, quod est *dolosè agere*, *insidiari*. Sed magis placet, λόχος esse à λέχομαι, vt à *sedendo*, *insidiæ*. In femina *loci muliebres*, vbi nascendi initia consistunt vt scribit Varro IV. de L. L. Ita autem dicuntur quod sequior sexus iis à virili discernatur. Nisi malis ex eo esse nomen quia sint λόχος, siue *recessus vteri* quod censet Cæsar Scaliger in III. Arist. Hist. Animal. sect. XXII. A *locus* est diminutiuum *loculus*. Sed κατ' ἐξοχὴν *loculi* dictum de *pecuniarum sacculo*: vnde in Glossis: *Loculi*, γλωσσόκομον. Martialis, lib. XII. epigr. XII.

Hos nisi de iusta loculos implere moneta,

Non decet; argentum vilia ligna ferant.

Eo autem *loculos*, quam *locos*, dicere maluerunt quia ad pecunias recondendas, non amplo *locorum* spatio, sed paulo *loci* ferè opus est. At quare Nunnesium non audio, qui *loculus* κατ' ἀποβολὴν à γλωσσόκομον, credo eâ notione quâ ex se gignit κύλιξ, hoc est, *calix*, *poculum*. Etiam *loculos* dixere pro *capulo* siue *feretro*. Pro quo & *locum* dicebant. Vnde Seruius: *Feretrum, locus vbi mortui feruntur*. Nempe νεκροφόρον signat. A *locus* quoque est verbum *locare*, vnde *collocare*, item *elocare*: vt, cùm *elocare fundum* dicimus: vbi loci vsusfructus conducitur. Item *elocare equum*, vbi de *loco* in *locum* traducendi ius est. A *locando*, *locarium* deducit Varro ibidem: atque addit sic vocari, *quod datur in stabulo, & taberna, vbi consistant*. Similiter *locar*, ac postea mutata vocali *lucar* dixere, τὸ θεωρικὸν, id est, *pecunia quam pro loco soluunt spectatores*. Falluntur veteres qui à *lucis* deducunt vt in *Lucus* dicemus. Vt *locar*, seu *lucar*, quod *pro loco soluitur in spectaculis*: sic *locarij* qui in iis sedes *locabant*. Martialis in laudibus Hermetis gladiatoris:

Hermes suppositicius sibi ipsi:

Hermes diuitiæ locariorum:

Hermes cura labórque ludiorum,

Vbi vt Lipsius de Amphith. cap. XV. monet, *Hermetem locariorum vocat diuitias*, quia, qui loca assignarent in spectaculis, à seruis, & fortasse aliis è plebe, aliquid pretij reciperent. Hinc incertus, sed antiquus auctor in Prologo Plautinæ Pœnuli:

Serui ne obsideant, liberis vt sit locus,

Vel æs pro capite dent, si id facere non queunt,

Domum abeant:

Neque enim mihi placere potest, quod quidam *pretium* pro *libertate* intelligi putant. A *locus* quoque est *illico*. Nam, vt *illicio* dicimus pro *inlacio*, ita *illico* pro *in loco*: vt interpreta-

tur Charisius. cap. de Aduerbio. Lucilius. lib. sat. apud Nonium in Samium.

Te, tam inuisit homo Samiam, sitique illico telo
Praecidit caviem, testesque vna amputat ambo.

Antiqui & *e loco* pro eo dixere. Plautus. Aulul. Sc. *Picos qui.*

Exfodito auiam auri plenam. ex eo, e loco
Video recipere se senem, ille me non videt.

Ita optimè hunc locum emendauit Ianus Guilielmius, lib. II. Verisim. cap. XIII. Idem Plautus, Asin. act. I. sc. II.

——— nunc iam ex hoc loco
Ibo ego ad tresuiros, vestráque ibi nomina
Faxo erunt.

vbi *ex hoc loco* idem est quod *e vestigio.*

Locusta, quasi *longa hasta*, si fides Isidoro, lib. XII. cap. vlt. *Locusta*, inquit, *quòd pedibus sit longis, velut hasta: vnde & eam Graeci tam maritimam, quam terrestrem hastago appellant.* Sed Graecis non *hastago* est: verùm ἀκρίς. Perottus itaque verisimiliùs, cum conflatum putat ex *locus* & *vstus*: quod *tactu multa vrat, morsu vero omnia erodat.*

Lodices à *lotum*, quia subinde eas lauari opus. Isidorus tamen. lib. XIX. cap. XXVI. *ludices* scribit per *V.* atque a *ludus theatricus* nomen habere putat, quod istis iuuenes velarent faciem pudoris caussa, cùm pedem referrent à meretricibus, quae post *ludos* exactos in theatro prostabant vt idem Isidorus refert lib. XVIII. cap. XLII. Etiam Guilielmus Fornerius, lib I. Selectionum. cap. XXI. auctoritate Isidori conatur probare, *ludices* esse inter *vestes scenicas.* Quo & refert illud Iuuenalis:

——— Modo sub lodice relictis
Vteris in turba. ———

Addit eas Graecis τὸ ποικίλον dici à *colorum varietate.* Quae omnia, iudicio meo, ἄῤῥητα ἀμείνω.

Lolium, quasi δόλιον, hoc est, *adulterinum.* Fit enim è corruptis tritici ac hordei seminibus. *D* autem in *L* abit, vt ab Æolico Ὀδυσσεύς, *Vlysses*, à δάκρυμα *lacryma.* Vel dicitur τὸ λήιον ὀλεῖν hoc est, *segetem perdere.* siue quasi λήιον ὀλοὸν, hoc est, *seges noxia.* Ita Martinius.

Lolligo, vel *loligo, piscis* à *volando.* Varro, lib IV. de L. L. *Lolligo, quod subuolat, litera commutata: prius Volligo.* Sanè Plinius, lib. XXXII. scribit ex Trebio Nigro tantâ copiâ interdum extra aquam volitare, vt nauigia demergant. Quod fidem exsuperat, etsi plurimae mutuò se complexae natant: vnde & facilè capiuntur. Habet *atrum succum*, quem icirco, Porphyrio teste, pro *liuore hominis atri* posuit Horatius, lib. I. sat. IV.

——— Hic nigrae succus loliginis, haec est
Ærugo mera. ———

Et fortasse ab hoc *succo* nomen accepit. Sanè *ater iste succus* in sepia vocatur θολὸς Hesych. θολὸς μέλαν τῆς σηπίας. Videtur autem *loliginis succo* etiam conuenisse id nomen. Hoc si est, *loligo* dicetur quasi *oligo* ab θολὸς, praemisso *L.* quomodo, iuxta aliquos, ab *aridus* est *laridus.* Idem piscis *gladiolum* habet, vnde à Gallis corruptè vocatur *glangio.* Themistocles eò alludens de Eretriensibus dicebat, eos *loligini* similes esse, μάχαιραν μὲν ἔχειν, καρδίαν δὲ οὐκ ἔχειν. Est verò alia *loligo* maior, alia minor; illa Aristotelis τευθὶς, haec τευθὶς vocatur. Τευθὶς tam olim vilis erat, vt in prouerbium abierit. Nam apud Aristophanem in Acarnantibus legas, Ὄν γ' ἴδοιμι τευθίδος δεόμενον. Sententia est, *Videam tanta oppressum paupertate, vt vilissima etiam lolligine egeat.* Vide plura apud doctissimum Rondeletium.

Lomentum, *coloris genus*, à *lotum*, vt *fomentum* à *fotum.* Plinius, lib. II. cap. XIII. *Ex caeruleo fit, quod vocatur lomentum; perficitur id lauando terendóque. Et hoc est caeruleo candidius.* Quibus ex verbis caussa originis satis plana est. In Onomastico *lomentum* exponitur ἐρεγμὸς, id est, *farina fricta.* Puto hac quoque notione esse à *lotu.* Nempe quòd *eâ ad lauandum vterentur.* Vnde & in Glossis *lomentum* transfertur σμῆγμα, *lomentarius*, σμηγματοπώλης.

Longvs, à *linea*, quae porrecta est. Ita Isidorus, lib. XIX. Vel potiùs à *longa figurâ venabuli* aut *lancea*, quam Graeci λόγχην vocant. Ita Caesar Scaliger. Exercit. CXII. Sect. IV. item Petrus Nunnesius in Grammatistice. A *longus* est *longitrorsus.* Festus: *Longitrorsus sic dicitur, sicut dextrorsus, sinistrorsus.* Ab eodem *longiscere*, hoc est, *in longum crescere.* Ennius XVII. Annal. apud Nonium:

——— Neque corpora firma
Longiscunt quicquam. ———

Ab eodem *longior pertica* dicitur *longurius.* Caesar. lib. III. de bello Gallico: *Falces praeacuta inserta adfixaque longuriis, non absimili formâ muralium (al. ruralium) falcium.* Sed conuitii loco etiam vsurpatur. haut aliter ac *vacerram* ac *stipitem* pro eodem dicimus. Varro, Triphalo, ἀπὸ ἀρχαίων. *Ante me ne sto qui longurio.* Item *longabo*, farciminis genus: pro quo aliqui *longano* scribunt. Varro, lib. IV. de L. L. *Longabo, quod longius quam duo illa.* Puta *hilum*, & *apexabo.* Nam de his ante egerat Varro. Gloss. vett. *Longano* κωλίεντερον, hoc est, κῶλον ἔντερον, *intestinum*, quod κῶλον vocatur. Arnobius, lib. VII. contra gentes: *Quid sibi haec volunt, apexabo, isicia, silicernia, longano?* Meminere & Caelius Aurelianus: lib. II. tard. pass. Apicius, lib IV. cap. II. Vegetius Mulomed. lib. I.

Lopas, λεπάς. Nonius Marc. *Lopades, genus conchae marinae.* Plautus, Parasito medico:

Addite lopades, echinos, ostreas.

Hesychius: λεπάδες, αἱ πρὸς ταῖς πέτραις προσεχόμεναι κογχύλια, ὀστρέοις ὅμοια. Videtur id nomen esse vel à λέπος, *cortex*: vel à λέπας, *rupes*; quia *rupibus, instar corticis, adhaerent.* Quod & Hesychij verba indicant.

Loqvi vnde sit, Varro conatur docere. lib. V. de L L. *Loqui*, inquit, *ab loco dictum: quod qui primò dicitur fari, & vocabula & reliqua verba dicit, ante quàm suo quodque loco ea dicere potest. hunc Chrysippus negat loqui, sed vt loqui. Quare vt imago hominis non sit homo; sic in coruis, cornicibus, pueris primitus incipientibus fari, verba non esse verba, quod non loquantur. Igitur is loquitur, qui suo loco quodque verbum sciens ponit.* Haec Varro. Nota quoque affinitas inter Q & C vnde & est, quòd *locuntur* pro *loquuntur* scribatur in Longobardico & Romano codice Maronis. inque aliis libris *oblicum* pro *obliquum* legas: vt Pierius tradit ad Ecl. V. & I. Georg. Vbi etiam tradit hodiéque esse Italiae populos, qui Q ignorent. Sed quid clarius est, quam *loqui* esse à λόγος, quod Angelus Caninius, & vterque Scaliger, scripsere? Plurima enim Latini a verbalibus potiùs, quam à verbis deducunt. Sic à γεῦσις dixere *gustus*; à φατὸς *fateor*, &c. A *loquor* est *loculeius* apud Gellium qui Graecis ἀδολέσχης.

Lora quid sit. & vnde dicatur, docet Varro, lib. I de R. R. cap. LIV. *Quae calcata vua erunt, earum scapi cum folliculis subjiciendi sub prelum, vt siquid reliqui habeant musti, exprimatur in eundem lacum. Cum desiit sub prelo fluere, quidam circumcidunt extrema, & rursus premunt, & rursus cum expressum, circumcisitium appellant, ac seorsum, quod expressum est, seruant, quod resipit ferrum. Expressi acinorum folliculi in dolia conjiciuntur, eóque aqua additur. Ea vocatur lora, quod lota acina, ac pro vino operariis datur hieme.* De ea sic idem Varro, lib. de vita populi Rom apud Nonium in *Lora*: *Antiquae mulieres natu bibebant loram.* Vbi legendum. *Antiquitus mulieres bibebant loram*: vt emendat Steuuechius ad IV. Arnobij. Vide & de *lora* Columellam, lib. XII. cap. XL. Plinium. lib. XIV. cap. X. Graeci στεμφύλινον οἶνον, & δευτερίαν, vocant. Vt praeter alios docent Plinius, loco citato; & Pollux. lib. VI. cap. II.

Lorica videtur esse ex Graeco θώρηκα. Saepe enim Latini ex obliquis Graecorum faciunt rectos suos, vt non semel ostensum: atque Θ, T & Δ mutant in *L* vt Θέτις, *Thetis*, teste Varrone. lib. de re Rust. Item ex δαύκος, *dautia*, & *lautia*, ex δάκρυμα *dacryma*, & *lacryma.* Veteres tamen à *loro loricam* dici putarunt. Nempe quia, vt aiunt, *ex loris antiquitus fierent.* Isidorus, cùm haut alias nosset, quàm *ferreas*, putauit sic dici κατ' ἀντίφρασιν. Ita enim ille lib. XVIII. *Lorica vocatur eo, quòd loris careat. Solis enim circulis ferreis contexta est.* Sed verisimiliùs Varro, lib. IV. de L. L. *Lorica à loris, quod de corio crudo pectoralia fiebant.* Item Seruius, in illud XI. Æn.

Cui pellis latos humeros erepta iuuenco
Pugnatori operit.

Id est, lorica. Nam propriè lorica est tegimen de corio, tanquam de loro factum: quo maiores in bello vti consueuerant. Vt ab *egide* differat, diximus in *Ægis.* Fiebant & *loricae lineae*: vt constat ex Suetonio in Galba; Plutarcho in Alexandro; Dione, vbi de Caracalla. Etiam *loricae ex cornibus rasis & leuigatis plumarum in speciem linteis indumentis innexas* meminit Ammianus lib. XVII. Item Pausanias in Atticis. Fiebant quoque ex *consertis toris*, hoc est, *funiculis è plurimis liciis siue filis*: vnde & *bilices*, & *trilices*, dicebantur. Vide *Bilix.* Ἐν μηχανῇ verò *lorica* vocatur *quaeuis rei protectio & munimentum.* Vnde Curtio *lorica est structura fastigiata aquam pluuiam dispellens extra perpendiculum velut suggrundulis prominentibus.* In *pauimentis* quoque *ruderatis* Vitruuio ita vocatur *corium è marmore tuso cum calce & arena.* Hinc *loricare* apud Varronem & *loricatio* apud Paullum I.C. Vide Budaeum Annot. poster. in Pandect. ab eodem *diloricare*, quod propriè est *loricam aperire*, vel *dissoluere.* Sed ad alia quoque refertur. Vt apud Cic. II. de Orat. *diloricare tunicam*: apud Appul. lib. VI. *vestémque* (Phyches) *plurifariam diloricat.*

Lorvm, quasi *laurum*, dicatur, propriéque notet *virgultum è lauro*, si rectè Donatus in Adel. Act. I. Sc. I. in illud Sanniomis, *Loris liber? Lora*, inquit, *apud veteres laura dicebantur. à lauro*

à lauro triumphorum: sub qua mos erat captiuos vinciri, ducique per pompam. Vbi *sub* præpositione deleta, *qua mos erat vinciri*, legi debet: vt bene censet Nannius, lib. II. Miscell. cap. IX. Sed *lorum* à *lauro* esse Donato vix credo. Nam magistratus quidem *virgis* cædebat: sed *domi cædebantur serui loris*, quæ de *corio* fuisse quis dubitat? nam iccirco & *lora* passim pro *habenis* legas, quæ ex *corio* sanè erant. Quare potius censeo *lorum* linguà veteri *corium* notasse, vnde & *lurea* pro *vtre coriaceo*; & *luridus*, qui *corij habet colorem*: quemadmodum suo loco probamus. Fuerit autem *lorum*, vel ἀπὸ τοῦ λούειν, id est, *soluere*: quia *de corpore detrahitur*: vel potius Hebræo עור, *pellis, corium, cutis*. *L* præponitur, vt fortasse ab ἐλ⟨ος⟩, *ulligo*, &, iuxta aliquos, ab *aridus* est *laridus*.

LOTIVM, à *lotu*, etsi quantitas sit dispar: sic autem dicatur, eò quòd intus humore eo corporis partes *abluantur* per quas meat. Nisi fortè magis placet, *lotium* propriè dici *aquam, qua sumitur ad os colluendum*: sed figurate honestatis caussa hac voce appellari *vrinam*, quæ & [illegible] in lingua vernacula *aqua* dicitur; imò & Latina, si Ios. Scaligerum audimus, qui ad lib. IV. Propertij ita accipi monet in illo Petronij: *Nec fefellit hoc Gnithona. Extra cellam processit, tanquam aquam peteret.* Vbi *aquam petere* interpretatur *vrinam exonerare*. Pro eodem Ouidium censet dixisse *sumere aquam*: vt cùm lib. III. Artis ait:

> *Scilicet obstabit custos, ne scribere possis,*
> *Sumenda detur cùm tibi tempus aqua.*

Sed puto hic rectiùs accipi in propria significatione, vt respiciatur ad eum meretricum morem, quo *post Venerem aquâ sese eluebant*. Nec aliud quàm *huiusmodi ablutionem* signat auctor Ityphallicus, cùm Lampsacenum illum Deum inducit his versibus viam ad Fontem viatori monstrantem:

> *Vade per has vites, quarum si carpseris vuas,*
> *Cur aliter sumas, hospes, habebis aquas.*

A *lotium* Nonio teste est *lotulentus*, vt à *lutum*, *lutulentus*. At idem notat, quod *commictilis*. Hinc *lotiolentè* dixit Titinnius, vt idem Nonius docebit.

LOTVS, λωτός, & *herba* est & *non vnius generis arbor*, & *palustris Ægypti frutex*. Vox vel est Ægyptia, vel si Græcis eam debemus, fortasse erit verbale à λῶ, *volo*, vnde λώϊον, *melius*, *optatius*, vt ab *opto*, *optimus*. Nempe vt primo ei sit tributa vox, quæ tantopere expeteretur. Nota res è *Lotophagis* Africæ. Plinius, lib. XIII. cap. XVII. *Præcipua est lotos circa Syrtes atque Nasamonas: tam dulci ibi cibo, vt nomen etiam genti terræque dederit, nimis hospitali aduenarum obliuione patriæ.* Ab hac *loto* nomen datum *loto communi*, in Italia prouenienti, quæ à *figura* aliter dicitur *faba Græca* vel *Syriaca*; *lotos* verò à *fructus suauitate* nominatur. Vide de ea Plinium, lib. XXIV. cap. II. Hanc Maro intellexit, II. Georg.

> *Nec salici, lotóque nec Idææ cyparissi.*

Vbi sic Seruius: *Lotos nympha quædam fuit, quam cùm amatam Priapus persequeretur, illa Deorum miseratione in arborem conuersa est, quæ vulgo faba Syriaca dicitur.* Adi & Isidorum. lib. XVII. cap. VII. vbi de Mella. E *loto* tibias fecere: teste Plinio, loco proximè memorato. Festo in *Lotos*, & Polluce, lib. IV. vnde eidem λώτινος dicitur.

LVCAR, si veteres audimus, dicitur à *lucis*. Festus: *Lucaris quæ in luco erat data.* Idem: *Pecunia quæ erogatur in ludos & spectacula, appellatur lucaris, dicta quod è luco capiatur.* Hinc θεατρικὸν ἀργύριον exponitur à Charisio, & Cyrilli Glossis. Vel dicendum, quod nunc est *lucar*, prius dictum esse *locar*, à *locis*, pro quibus illud *locariis* soluebatur à sedentibus. Quæ clarissimi & amicissimi Petri Scriuerij sententia est. Vel vt *lucrum*, ita & *lucar*, sit à *luo*, hoc est, *soluo*, quia pro *ludorum* spectaculis persolueretur. Meminere præter alios Liu., lib. III. & Tertull. de Præcursore Domini. Vide Paullum Leopardum, lib. VII. cap. XVII. Iustum Lipsium ad lib. Annal. Taciti; Scaligerum ad Festum in *Lucaris*; Inscriptiones Gruterianas. pag. CDXXXVI. Meursij Glossarium in [illegible]. Scriuerium Animaduersionibus in lib. V. Martialis Epigr. XXIV. siue al. XXIII. Ioannem Ludouicum de La-Cerda in Aduersariis Sacris cap. XLVIII. §. VI.

LVCARIA à *luco* dicuntur. Festus: *Lucaria festa in luco colebant Romani, qui permagnus inter Salariam & Tiberim fuit: pro eo quod victi à Gallis fugientes in prælio ibi se occultarunt.* Varro tamen, lib. V. de L. L. si vera Scaligeri emendatio, ita dici putabat à *luce*, hoc est, *vita amissa*. Sed absque dubio veriùs Festus. *Lucarium* meminit Masurius Sabinus apud Macrobium lib. I. Sat. cap. IV.

LVCAS *bos* est est *elephantus*, teste Varrone, lib. VI. de L. L. & Plinio. lib. VIII. cap. VI. Etiam in Glossis veteribus. *Elephantus, vocliuca, barrus.* Vbi rectè Lipsius, *bos Luca, barrus*. Vsus Lecretius lib. V.

> *Inde boues Lucas turrito corpore.* ——

Et Seneca in Hippolyto, Act. I. vers. CCCL.

> *Amat insani bellua ponti*
> *Lucaque boues.*

Sillium quoque, & Ausonium, similiter loqui, ostendimus in Oratoriis, lib. IV. cap. VI. Lactantium quoque, & B. Ambrosium, apud Claudianum Mamertum similiter locutos, ostendit V. Clariss. Andreas Scottus, lib. I. Nodor. Ciceronis cap. XVIII. Atque his adde etiam Marcellinum Comitem. Caussam nominis tripliciem adfert Varro. in IV. de L. L. Vnam suam, vt sic dicantur à *luce*, quod longè *relucerent* propter inauratos clypeos. Alteram C. Ælij, vt à *Lybicis* sit factum *Luca*. Tertiam Verginij, quam solùm probo, quod Romani *elephantos primum conspexerint in Lucania* Pyrrhi bello: *bouem* autem vocasse, quòd *maximum quadrupedum* quam ipsi haberent vocarent *bouem*. *Lucas* igitur dixere pro *Lucans*, vt *prægnas* pro *prægnans*. *Lucans* autem fecere è *Lucanus*, vt *Picens* dixere pro *Picenus*. Interim aliud est *bos Luca*; aliud *bos Lucana*; vti indicat, quod Lucillius *tauros Lucanos* dicit de *veris tauris*:

> *Quem neque Lucanis oriundi montibu' tauri,*
> *Ducere proscelo validis ceruicibu' possent.*

Cùm verò *bos Lucas* sit *elephantus*, vt vidimus, parum scitè Baronius ad an. LVIII. censet mistici aliquid in eo esse, quod Romani sic appellarint *bouem Lucam*: nempe quia *Euangelistæ Lucæ* typice soleat appingi *bos*, vt symbolum sit sacerdotij. Neque enim B. Lucæ *elephantus* appingitur, neque is sacerdotij symbolum. Vt mittam, quod non alia de caussa Romani sic vocarint *elephantum*, quam quia animal id nondum nossent. At vbi notum, *elephantum*, non *bouem*, dixere. Quare B. Lucæ tempore nemo sic vocabat *elephantum* ex vulgo, sed soli poëtæ interdum; ac postea alij quoque, et quasi ad eruditionis ostentationem, hunc loquendi modum reuocabant.

LVCERES vnde dicti non conuenit. Festus: *Lucerenses, & Luceres, quæ pars tertia popul. Romani est, distributa à Tatio & Romulo, appellati sunt à Lucero Ardeæ rege, qui auxilio fuit Romulo aduersus Tatium bellanti.* Sed alij hunc non *Lucerum*, verum *Galeritum Lucumonem* vocant, indéque *Luceres* Iunius deduxit, teste Varrone, lib. IV. de L. L. Sunt & qui à *luco* asyli deriuent. Veterum hæc testimoniis comprobamus in *Tribus*. Vide & quæ fusè de *Luceribus* scribit Scoppa, Collectaneorum cap. XVIII.

LVCRVM, à *luo*, id est, *soluo*, vnde & *lustrum*, quod quinto quoque anno vectigalia ac tributa *soluerentur* per censores: vt scribit Varro. Ac *lustrum* quidem (vt seorsim hac de re diximus) eâ ratione venit, à supino *lutum* quâ *flustrum* est à *flutum*, vnde & *flumen*. *Lucrum* verò eâ formâ à *lutum* fit, quâ à *lauatum* est *lauacrum*; ab *inuolutum*, *inuolucrum*; à *fultum*, *fulcrum*; à *sepultum*, *sepulcrum*. Varro, lib. IV. de L. L. *Lucrum ab luendo, si amplius eo luitur, quàm quanti esset emptum.* Ea, quam dixi, ἀναλογία facit, vt minus putem verisimile, à *lucis* dici lucrum, propriéque eo notari *lucorum prouentum*: vt nempe prima sua acceptione *lucrum* idem fuerit, quod *lucar*: de quo in *Lucus* dicimus. Nec magis placet opinio Nunnesij, qui *lucrum*, ex κέρδος τῶν μισθίων fieri putabat. A *lucro* est *lucrio*, qui aliter *cercops*, si audimus Verrium, siue Festum, cùm scribit: *Cercopa Græci appellant lucrari vndique cupientem: quasi κέρδωνα, quem nos quoque lucrionem vocamus.* Sed *cerdonem* quidem ἀπὸ τοῦ κέρδους, id est, *lucro*, sic dici planè putamus (qui enim *lucello* magis inhiant, quàm hoc hominum genus!) verùm de *cercopis* voce omnino secus est: quippe κέρκωπες dicuntur *homines versuti*, siue à *Cercopibus* fratribus duobus, Achemone, & Passalo, hominibus maleficis, quibus id præcepti mater, nomine Sennonis dederat, vt cauerent, ne in Melampygum inciderent: vti legere est apud Suidam; siue à fallaci *Cercopum* populo, qui ob ψευδόλογον in *simias* à Ioue est conuersus, insulísque Pithecusis nomen dedit: vt Callimachus in insulis scripsit, ac narrat Ouidius, lib. XXIV. Met. A *lucro* quoque dicti *Dij Lucrij*. Arnobius lib. IV. *Qui est enim, qui credat esse deos Lucrios, & lucrorum consecutionibus præsidere, cùm ex turpibus caussis frequentissimè veniant, & aliorum semper ex dispendiis constent.*

LVCTA, vt Isidorus ait lib. XVIII. à *laterum complexu vocatur*. Sed longe recedunt *lucta*, & *latus*. Scaliger. lib. I. de re Poët. cap. XXII. ita comm. in Theophr. de plantis, deducit à λύω, quod malim. Nam animorum λύσις siue *dissolutio caussare solet luctam, & lucta caussa sæpe corporis λύσις*.

LVCVBRO, quasi *lucibro*, vt *luculentus*, quasi *lucilentus* à *luce*, scribit Becmanus in Etymologico; non sequi quantitatem primogenij, vnde ἐπίλυσις venit; sed Græci λύκη, quandoquidem primam corripiant, contrà quàm fiat in *lucis*. Sed fallitur. Producit enim Martialis lib. IV. epigramm. XC.

> *Hæc dat nocturnis nox lucubrata Camenis.*

A *lucubro* est *lucubrum*, vel potiùs, vt à *dolare* est *dolabra*; à *terere*,

terere, terebra; sic à *lucere*, *lucubrum*, quasi *lucebrum*. Est autem *lucubrum*, quemadmodum ad Moretum docet Iosephus Scaliger, *quicquid … arida materia erat ad excipiendum ignem*, vt sunt sulfurata, & arborum fungi putres ad ignem arefacti vel insolati.

LVCVMONES qui sint, ne inter veteres quidem conuenire videtur. Nam Festus siue Paullus potius, sic scribit: *Lucumones, quidam homines ob insaniam dicti, quod loca ad quæ venissent, infesta facerent*. Vnde clarum est, hoc voluisse Festum, *lucumonem* pro *insano* dici: sed obscurum est quid velit, cùm caussam hanc addit, *lucumones* hos vocatos, quòd *loca, ad quæ venissent, facerent infesta*. Scaliger notis in Orphei initia scribit, Festum putare propriè ita vocari *genios qui loca infestant ad quæ veniunt*: quod propriè *Larium* est. Sed nihil apud Festum de *geniis*, sed tantùm de *hominibus* legas. Interea verum est, *lucumonem* dici pro *insano*. Nam Ausonius ad Theonem scribit.

Sanus eris decies si cor purgeris aceto,
Anticyrásque tuum Samij Lucumonis acumen.

Et apud Sidonium est: *Temperat Lucumonem nostrum Tanaquil sua*. Sed Seruius longè aliam significationem adfert. Nam in illud v. Æn. *Tres equitum numero turmæ*: *Lucumones* exponit Thuscos. & in VIII. Æn. ita scribit. *Tuscia duodecim Lucumones habuit, id est, reges, quibus vnus præerat*. Itaque L. Io. Scoppa. Collectaneorum lib. I. cap. XVIII. Seruium erroris accusat, qui *insanum* exponat: etiam caussam appellationis adfert. Nam ait: *lucumonem* dici à Syriaco *luca* significante *senem*, siue *seniorem*, & *moni*, quod iis τὸν λόγον notare, etiam B. Hieronymus auctor epist. ad Paullinum. Ergo verum esse puto, quod Iosephus Scaliger, cùm alibi, tum Notis in Orphei Initia scripsit, *Lucumones* esse eosdem ac Λυκάονας, planéque Latinum siue Thuscum illud ex Græco hoc factum puto. Λυκάων enim Arcadiæ rex fuit, ac *Arcadia* ab eo aliquando *Lycaonia* nomen habuit. Is autem in *lupum* à Ioue commutatus dicitur, vt præter poëtas tradit Pausanias. Constat etiam λυκάονας dici, qui vulgo λυκανθρώπους. Est verò λυκανθρωπία melancholiæ genus, quo qui laborant, noctu *luporum* instar exeunt, & vsque dum lucescat, circa mortuorum corpora versantur: vt ex Ægineta & Aetio constat. Quæ qui considerarit nobiscum, puto non mirabitur, vti Λυκάων apud Græcos, ita *Lucumo* apud Thuscos (qui ex Arcadia in Italiam venere) vtramque habuisse notionem, puta vt tum pro rege aut præfecto, tum pro melancholico vel insano sumeretur.

LVCVNTEM (*edulij* id *genus* erat) ita dixere quasi λευκοῦντα, vel λευκαντῆρα, quia farina, quæ *alba* est, adspergeretur: vt monet Ios. Scaliger. Meminit eius Varro apud Nonium in *Lucuns*.

Ac nulla ambrosia ac nectar, non allia, sarda,
Panis, pemmá, lucuns, cibi qui purissimi multo est.

Item συναγωγῇ, περὶ τύχης apud eundem Nonium.

Vinum, pemma, lucuns, nihil adiuuat, ista ministrat.

Indéque *lucunculus*. Afranius Fratriis, apud eundem.

Pistori non: at cur non scriblitario,
Vt mittat fratris filio lucunculos!

Papinio quoque in I. Silu. & Appuleio in x. Milesiarum, eampse restituit Turnebus lib. XVIII. cap. XIX. Legas & apud Tertullianum de Spectaculis.

LVCVS est *sylua sacra*: Græcè ἄλσος. quomodo, vt ait Homeri interpres, vocatur πᾶς τόπος συνδενδρος ὕδωρ ἔχων, καὶ θεοῖς ἀνειμένος, *id est, omnis locus arboribus consitus aquam habens, diísque sacer*. *Lucum* à contrario dictum scribit Quinctilianus, lib. I. cap. VI. *quia vmbra opacus parùm luceat*. Eodem modo Seruius, ad I. Æneid. *Lucus à non lucendo*, & *bellum à nullâ re bellâ*. & Cassiodorus, Psalm. CXVIII. *Calumnias per antiphrasin, id est, per contrariam locutionem, sicut bellum quod non est bonum, & lucus qui non habet lucem*. Similiter Charisius, lib. IV. & Diomedes lib. II. vterque cap. de Allegoriâ. Sed ἀντίφρασις est inane Grammaticorum commentum, vt quoque censet L. Iohannes Scoppa, lib. I. Collect. cap. XVIII. Quare melius ij, quos damnat Seruius, qui putârunt sic dici, *quòd ibi lumina caussâ religionis*. *Ita dicetur lucus*, non *quia minimè*, sed *quia maximè luceat religionis caussâ*. Isidorus, lib. XV. cap. VIII. vtrumque etymon coniungit. *Lucus*, inquit, *est locus densus arboribus septus, solis lucem obtinens. Potest & à collucendo crebris luminibus dici, quæ ibi propter religionem gentilium cultúmque fiebant*. Vel potiùs *lucus* sit à Græco λόχος, *insidiæ*, aut a λοχᾶν, quomodo Græcis vocatur *sylua*, quia *insidiantibus est apta*. … ἀπὸ … ὕλαι. Verùm Scoppa non Latinum aut Græcum, sed Syriacum putat, a Luca, id est, *senior*. Propriè enim notare *curiam*, siue *senatorum collegium*. Syluis autem consecratis id nomen inditum, quia (vt Seruij verbis vtar) *nonnisi in augurato loco poterat Senatus habere curiam siue concilium*. Plura apud Scoppam hac de re vide. Cui tamen plus hac parte fidei haberem, si de Syra hac voce res extra controuersiam foret. Vtrum *lucar*, & *lucaria*, hinc veniant, diximus suo *loco*.

LVDI vocantur *celebritates publicæ in cauea, aut circo, religionis caussa factæ, & ad populi voluptatem*. Timæus Siculus in commentariis scripsit, nomen id esse à *Lydis*, qui ex Asia Tyrrheno duce in *Hetruriam* concessere, ibíque *ludos* inuexere. Romani enim spectacula edituri, *ludiones & histriones* ab Hetruria vocarunt, *spectaculáque* ab auctoribus, primò *lydos*, post Tin…ore suo conuerso *ludos* dixere. Varro tamen *ludos* simpliciter dictos putat, quòd homines in iis *ludendo* discurrerent. Vtramque nominis caussam adfert Tertullianus, lib. de spectaculis, cap. V. V. de quæ mox dicemus in *Ludij*. *Ludorum* alij *circenses*, ita dicti, quòd in *circo* fierent; alij *scenici*, siue *theatrales*, qui in *scena* siue *theatro* fiebant. *Circenses* erant, *cursus*, *ludi gymnici*, siue *athletici*, *pompa*, *venatio*, *ludus Troiæ*, *pugnæ equestres & pedestres*, ac *naumachia*: de quibus Onuphrius Panuinus, & Cæsar Bullingerus ex professo scripsere. *Scenici* verò *ludi* erant, *satyra*, *comœdia*, *tragœdia*, *mimi*, & quædam antiquiores, vt *Atellana*. De his vide Cæsarem Scaligerum, lib. I. de re poët. Ac vniuersè de *ludis* scribit VVolfgangus Lazius lib. X. de Rep. Rom. Sed & quædam nos de singulis hoc opere suis locis. Vide imprimis *Circenses*.

LVDII, siue *ludiones*, vt è secundo Dionysij Halicarnassensis libro, docet Turnebus, lib. VI. Aduers. cap. XXVI. erant pueri puberes, elegantibus tunicis induti, galeâ insuper, ense, & parmâ armati, qui Circensibus & Theatralibus pompis ordine incedere soliti, veluti pompæ duces, Saliis similes. Ad horum *saltationem* respicit Plautus, Curcul. Act. I. Sc. II. ait.

Pessuli, heus pessuli, vos saluto lubens,
Facite causâ meâ ludij barbari,
Subsilite obsecro.

Meminit & Ouidius lib. I. de Arte.

Dúmque rudem præbente modum tibicine Thusco,
Ludius æquatam ter pede pulsat humum.

Prudentius περὶ στεφάνων, hymno, qui in Romanum:

Cygnus stuprator peccat inter pulpita.
Saltat Tonantem tauricornem ludius.

Græcis dicuntur ὀρχησταί, & χορευταί. Adde quæ de his notauit Scaliger ad illud Catulli, carm. XXVIII.

Vósque Ludiæ lacus vndæ.

Ludij verò sic quibusdam dicti videntur à *lusu*. Tertullianus, de spectaculis, cap. V. *Sicut & Lupercos ludios appellabant, quod ludendo discurrant*. Sic enim legendum, non *ludos*. Sed magis placet sic à *Lydis* dici. Pro qua sententia faciunt, quæ paullo antè dixerat Tertullianus: *Ludorum*, inquit, *origo sic traditur, Lydos ex Asia transuenas in Hetruriâ consedisse, vt Timæus refert duce Tyrrheno, qui fratri suo cesserat regni contentione. Igitur in Hetruria inter cæteros ritus superstitionum suarum, spectacula quoque religionis nomine instituunt. Inde Romani arcessitos artifices mutuantur, tempus, enunciationem, vt ludi à Lydis vocarentur*. Et sanè *Lydis* esse *scenicam* illam *ludionum saltationem*, auctor etiam est Dionysius, lib. II. Ἀρχαιολογίας. Nempe *Lydi* optimi ὀρχησταί. vnde, vt Hesychius ait, Λυδίζειν, χορεύειν, ἀπὸ τῶν Λυδῶν. Quia autem *ludij* hi *scenici* vel *impuberes erant*, vel saltem *videri debebant*, iccirco qui *grandiusculi* & iam *vesticipes* erant, *pilis euulsis lænes ac glabri reddebantur*. Hinc Plautus Aul. Act. II. Sc. IX.

——— *Tu istum gallum, si sapis,*
Glabriorem reddes mihi, quàm volsus ludius est.

Vbi antiquæ, quas vidi, editiones, item MSS. Camerarij, & quinque Palatini, quibus vsus Gruterus, habent *Lydius* per Y. Imò & in allatis Ouidij & Catulli locis sic libri vett. Quod etymon adductum confirmat. Vt *Pyrrhus*, *Purrhus*: *Syrus*, *Surus*; sic *Lydius*, *Ludius*.

LVDO non à *lusu*; sed *lusus* à *ludendo*. *Ludere* verò est à *Lydis*, qui *ludos inuexere in Hetruriam*; vnde eos accepere Romani. Vide quæ diximus in *Ludi* & *Ludij*. Hic tantum ea persequemur, in quibus inest significatio minimè ad *ludos* publicos restricta. A *ludo* est *ludicer*, vnde ablatiuus *ludicri*, teste Prisciano in VII. Est tamen in Onomastico *ludicrus*, vbi exponitur παιγνιώδης. Et probat etiã Perottus. Sed *ludicer* esse dicendũ in Animaduersionibus Grammaticis ostendimus. Ab eodem *lusorium*, locus *lusioni* destinatus. Lamprid. in Heliogab. *Struxit sibi triclinium in summo lusorio*. A *ludus* est *ludorium* vt à *manus manubrium*. *Deludo*, *ludendi finem facio*. Varro, apud Plinium, lib. XXXVI. cap. XXVII. *Lex est focus: inde enim cinis lixiuus potus*

pus medetur. Vt licet videre gladiatores, cùm deluserint, hac iuuari potione. Ac facilè assentio doctissimo Salmasio apud Horatium legenti,

——Clamo & deludia posco.

Vt *deludium* sit *cessatio à ludo*. Ab *ad*, & *ludo*, non solùm venit *alludere*, sed & *adludiare*. De *canibus* propriè dicitur, cùm *adludunt heris*, a quibus demulcentur. Plautus, Pœn. Act. v. sc. iv.

A D. *Etiam mea in me* (ita vett. codd.) *latrans canes*
A G. *At tu hercle adludiato,*

Stich. Act. II. III.

——Adludiabo mulieri.

A *suaui lusu* est *suauiludium* apud Tertullianum, de Corona militis: *Sed & huic materia propter suauiludios nostros Græco quoque stylo satisfecimus.* Item de spectaculis, cap. xx. *Nouam proximè defensionem suauiludij cuiusdam audiui.*

LVCEO videtur esse vel à λυγρὸς, hoc est, *tristis, miserabilis, funestus*: vel à λοιγὸς, quod Hesychio est ὄλεθρος, θάνατος, *exitium, mors*. Vnde apud Lycophronem λοιγαῖα ἱμάτια, *lugubris vestis*. Veterum OI in OE vel V longum abire solet: vt *moerus, mœrus, murus*; *poena, pœna, punio*, *Phoenix, Pœnus, Punicus*. Nec multum abit λοιγαλέος, quod Hesychio, & Eustathio valet ὀλέθριος, *perniciosus*. Apud Festum geminum etymon lego, vnum vt sit à λύζω, *singultio*, quod etymon in Grammatistice sua sequitur Nunnesius: alterum à λυπέω, *doleo*, quod magis mihi placet priori. Perottus, quod probare neutiquam possum, à *luo*, quia *luctus vitam soluat*. Ingeniosiùs etiam, quam veriùs, quibus placet esse à λύγη, id est, *umbra, tenebra*, vt Scholiastæ Homeri ac Suidas interpretantur. Videntur enim *in luctu non accendisse lucernas*. Itaque & *silicernium* (id erat *cœna funebris*) quibusdam dici placuit quasi *selucernium*, hoc est, *sine lucerna*, ἀλυχνία. Gloss. vett. *Silicernium*, περίδειπνον· λύχνους γὰρ ἅπτειν ἐν πένθει οὐ θέμις, hoc est, *lucernas in luctu accendere fas non est*. Caussam eius rei eruit ad Festum Scaliger. Nam factum id putat, διὰ τὸ ἀντίθετον τοῦ γενεθλίου καὶ τῆς τελευτῆς. *Natali* enim *die accendebant lucernas*. Contrarium igitur conueniebat *die mortuali*, vt eum vocant Cato ac Plautus. De *natali die* docet Persius:

——Vnctáque lucernâ
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Tertull. de idololatria: *At nunc lucent tabernæ, & ianuæ nostræ. Plures iam Ethnicorum fores, sine lucernis & laureis quàm Christianorum.*

LVMA in Onomastico exponitur ἄκανθα. Non tamen ἀπλῶς *spina* est, sed *eius genus*. Festus: *Luma, genus herbæ, vel potiùs spinæ genus.* Rectè Festus, cùm geminam posuisset opinionem, mauult posteriorem. Priorem perperam sequuntur Glossæ Philoxeni, vbi legas: *Luma*, βοτάνη ἀγρία ἀκάνθῃ ὁμοία. ... Quæ planè falsa. A *luma* est *lumecium*. Item *lumariæ falces*. Varro, lib. iv. de L. L. *Lumariæ falces, quibus secant lumecta; cum in agris serpunt spinæ, quas quòd à terra agricolæ soluunt, id est, luunt, lumecta.* Putat *lumecta* esse nomen à *luo*, hoc est, *soluo*. Sed est à *luma*, quod à λύμη, hoc est, *noxa*, vel à λῦμα, *sordes, purgamentum*. Siquidem *luma* agris noxia, qui proinde ab ea expurgandi *falcibus lumariis*.

LVMBI à *lubedine*, siue *libidine*, dicti videntur Isidoro, lib. xi. Originum cap. I. Próque eo facit, quòd & Græci ψόας, hoc est, *lumbos* esse dicant, διὰ τὸ αἱ ὀρέξεις αὐτόθι τῶν ἀφροδισίων. Itaque & *lumbi* dicuntur esse *Veneris sedes*. Persius, sat. I.

——Cùm carmina lumbos
Intrant, & tremulo scalpuntur vbi intima versu.

Iuuenalis:

——Cùm tibia lumbos
Excitat.——

Ac quia ab iis est *generandi facultas*, inde est, quòd *elumbis* ponatur pro *parum virili & effeminato*. Nisi potiùs est ab altera *lumborum* significatione. Neque enim solùm accipitur pro *quinque inferioribus spinæ vertebris*, sed & generatim pro *dorso*, quæ pars in oneribus maximè laborat. A *lumbis, lumbago*. Festus: *Lumbago vitium & debilitas lumborum.* In Glossis Philoxeni rectè ita corrigebat Martinius: *Lumbago*, ἰσχίων ἀσθένεια. *Elumbis, euulso lumbo*: vt est apud Festum.

LVMBRICVS, *vermis intestinorum*, *dictus quasi lubricus, quia labitur: vel quòd in lumbis sit*. Ita Isidorus, lib. xii. cap. v. Nisi quòd apud eum corruptè vulgò *lumbicus* legitur pro *lubricus*: Vti est in vno è MSS[is] meis: item in veteri Dictionario, quod Isidorum exscribere solet. Cæterùm Martinius ingeniosè *lumbricus* deducit ex eo, quòd ex λύμης τρέφεται, hoc est *e sordibus nascatur*.

LVNA videri posset κατὰ συγκοπὴν factum ex Hebræo לבנה, quomodo Isaiæ xxiv. xxiii. *Luna vocatur à candore*. Nam לבן, *albus*, vel κατ' ἀφαίρεσιν sit ex σελήνη, *Luna*, quæ Nunnesij sententia est. Nec absurdè deducas à Græco λούειν, *purgare*, quandoquidem humores purgat: atque, vt ait Plinius, lib. II. cap. XLVI. *omnia plenilunio maria purgantur*. Sed simpliciùs, qui Latinam originem dant, vt dicatur *Luna* quasi *Lucina*: vt Varro docet in iv. de L. L. *Luna, quod sola noctu lucet. Itaque ea dicta noctiluca in palatio. Nam ibi noctu lucet templum.* Item Cicero, lib. II. de natura Deorum: *Luna à lucendo nominata. Ea est enim Lucina. Itaque vt apud Græcos Dianam, eámque Luciferam, sic apud nostros Lucinam in pariendo inuocant, quæ eadem Diana.* Atque hinc in nummis Iuliæ Piæ (vt ex Goltzij Antiqu. Thes. discere est) legimus LVNA LVCIFERA: &, TEMPLVM DIANÆ LVCIFERÆ. Similiter Græcis Σελήνη vocatur a σέλας, quo *lumen ac splendor* notatur: vnde *Seleucus* nomen quasi σέλας λευκὸν, *lux candicans*. A *Luna* dicti *Lunatici*, vt à σελήνη Græcis Σεληνιακοί. Nempe quia *melancholia quâ laborant, accrescit, & decrescit pro ratione Lunæ*. Sæpe autem ad naturalem morbi caussam accedit supernaturalis: nempe *diabolicus furor*. Itaque legimus, cap. xvi. Matth. eundem dici *Lunaticum* & *dæmoniacum*: quæ alioqui diuersa esse constat ex cap. iv. eiusdem Euangelistæ.

LVO, a λύω, hoc est, *soluo*, tum venit, cùm dicimus, *luere æs alienum, delicta, aut pœnas*. Item cùm generatim notat *soluere*: vnde *lues* morbus, quia corpora eâ *soluuntur*: quod etymon Priscianus ponit in iv. Similiaque sunt *tabes* à *tabeo*, *labes* à *labor*, & alia, quæ mox ponam. At cùm *luo lauare* significat, est à λούω, quod idem notat. Imò à λόω quoque siue λοέω (vnde λόω contractum est) venit Latinorum *lauo*, vti suo loco ostendimus. Similiter *diluo* pro *refuto* est à διαλύω, quod est, *dissoluo*. A in διὰ omittunt Latini, vt διαφέρω, *differo*; διαγινώσκω, *dignosco*. At *diluo* pro *miscere* ac *lauando abstergere*, est à λούω, siue *luo*, pro *lauo* accepto, vnde Gellio *dilutus color*, qui velut aquâ adhibitâ minùs est intensus. *Diluo* etiam est ἀποπλύνω, vnde ἀποπλυσμὸς, *diluuium*: nisi *deluuium* malis, quod in vett. Glossis legas, vt nempe sit à *deluo*, quod apud Varronem Catonemque legas. Pro eo & *diluuies* legas apud Lucretium Horatiúmque. Atque vt *diluuies* vel *deluuies*, sic & legas, *interluuies* apud Solinum, cap. xxxv. Ita vocat *fretum interluens*, hoc est, *interfluens*, τὸν μεταξὺ πορθμόν. *Circumluuium* locus, quem aqua *circumluit*. Festo *circumluuium eius prædiorum*. Ita & est in MS[o]. Similiter à *colluo* est *colluuies*, *sordes simul ablutæ*. Vnde apud Festum *colluuiaris porcus, cibo mixto ac colluuie nutritus*. Estque geminum *illuuies*, *sordes necdum ablutæ*. Nam, vt Priscianus ait in iv. vt *à sapio, sepes*, *à luo, lues*; *à struo, strues*; *à macero macies*; *à luxurio luxuries*; sic *ab illuo illuuies*. Idem his verbis Agrætius docet: *Ingluuies est ventris ab ingluttiendo: illuuies sordium, a non lauando*. Glossæ vett. *Illuuies*, ἀλουσία. Quare IN hic negat, vt in *illutus*, quod idem ac *lotus*. Plautus, Pœnulo:

——Nam quæ elauta est, nisi
Perculta est, meo quidem animo, quasi illuta est.

Ita vett. libb. pro quo vulgati *illauta*. Ab *illutus* quoque est *illutibilis*. Plautus, Menechmis, Act. I. Sc. II.

Summum me olfactare oportet vestimentum muliebre.
Nam ex istoc loco spurcatur nasum odore illutibili.

Quanquam aliter alij legunt: vt te docebit Taubmannus. Ab *illutus* quoque est *illutibarbus*, quo vsus Appuleius, lib. I. Flor. *Vultu ferino trux, hispidus, illutibarbus, spinis & pilis obsitus.* Hinc quoque *malluuia*, & *pelluuia*, de quibus infrà. Item *elutia*, quia *eluuntur aquâ*. Hac enim immissâ sordes abluuntur metalli & verum metallum comparet. Plinius, libro xxxiv. cap. xvi. *Inuenitur & plumbum in aurariis metallis, quæ elutia vocant, aquâ immissâ eluente calculos nigros paullum candore variatos, quibus eadem grauitas, quæ auro.*

LVPERCI, & *Lupercalia*, vnde sint dicta, ne inter veteres quidem conuenit. Si Ouidio credimus, in II Fastorum, locus sub monte Palatino *Lupercal* dicebatur ab *lupa* illa, quæ Romulum aluit. Sic enim scribit:

Illa loco nomen fecit, locus ille Lupercal:
Magna dati nutrix præmia lactis habet.

Indéque etiam Dea *Luperca*, si rectè Varro, & ex eo Arnobius, lib. iv. *Quod abiectis infantibus pepercit lupa non mitis, Luperca Dea est auctore appellata Varrone.* Item *sacerdotes Luperci*; & sacrum ipsum, quod fiebat xv. Kal. Mart. *Lupercalia*. Varro, lib. iv. de L. L. *Luperci quod Lupercalibus in Lupercali sacra faciunt.* Alij vero *lupercal*, & *lupercos*, literarum traiectione factum putant a *luo* & *caper*, quòd *Lupercalibus capro luant*, hoc est, *purgant*: siue *caprum luant*, hoc est, *sacrificent*. Quod etymon vnà cum superiori commemorat Seruius, in VIII. Æn.

Sed & tertiam ibidem nominis caussam adfert. Audiamus ipsum *Sub monte Palatino est quadam spelunca, in qua de capro luebatur, id est, sacrificabatur: vnde Lupercal dictum nonnulli putant. Alij quod illic lupa Remum & Romulum nutrierit. Alij, quod est verius, locum esse hunc sacratum Pani Deo Arcadia, cui etiam mons Lycaus in Arcadia est consecratus. Et dictus Lycaus, quod lupos non sinat in oues sauire. Ergo ideo & Euander Deo gentis sua sacrauit locum, & nominauit Lupercal, quòd prasidio ipsius numinis lupi à pecudibus arcerentur.* Nos quoque cum Seruio putamus hoc sacrum ab Euandro ex Arcadia in Latium esse aduectum, ac institutum in honorem *Panis Lycai*, & vt Græcis à λύκος, λύκαια, ita Latinis à *lupo Lupercalia* esse nominatum. Pro qua sententia est quòd *Lupercalibus canem immolent*, qui *lupis naturâ aduersatur*. Item quòd *Pan Lyceus* dicatur, quòd *lupos à stabulis arceat*. Item quod *Panis imago coleretur nuda, ac solùm pellis caprina amictu tecta*: quâ ratione & iuuenes Romæ *Lupercalibus* discurrebant: vnde illud VIII. Æn.

———nudósque Lupercos.

Luperci aliter vocabantur *crepi*. Festus: *Crepos Romani Lupercos dicebant à crepitu pellicularum, quem faciunt verberantes. Mos enim erat Romanis in Lupercalibus nudos discurrere & pellibus obuias quasque feminas ferire.* Vbi in MS' est *Creppos.*

LVPINVS adiectiuè à *lupus* dici, satis constat: vt *lupinus adeps* apud Plinium. *galea lupina* apud Propertium. Itáque & cùm substantiuè sumitur pro *leguminis genere*, indè dici putarunt: rationémque hanc nominis adferunt, quòd *lupina* quâdam naturâ *terram voret*. Nam vt Plinius ait: lib. XVIII. cap. XIV. *Tellurem adeò amat, vt quamuis frutetoso solo coniectum inter folia vepresque ad terram tamen radice perueniat.* Sed rectiùs Isidorus lib. XVII. Originum, cap. IV. qui Græcum esse origine docet. Est enim ἀπὸ τῆς λύπης, quò respiciens Maro, I. G. ait:

———Tristisque lupini.

Nempe quia, vt loco dicto Isidorus ait. *Vultum gustantis amaritudine contristat*: Aquâ tamen si macerentur, amarorem exuunt: vnde Zeno Citticus rogatus, vnde fieret quòd cùm naturâ adeò tetricus esset, vinum si biberet, fieret suauior: sibi hoc cum *lupino* commune esse respondit. Meminere Athenæus lib. II. & Laërtius in Zenone. Cæsar Scaliger. Animaduersionibus in Theophrasti Histor. lib. II cap. IV. *lupinum* dici ab ἀλυπίᾳ, quatenus eâ voce significatur *leuitas*, ac *concoquendi facilitas*, quomodo inibi coniunxit εὐπεψίαν καὶ ἀλυπίαν; nempe vt opponantur βαρὺ, *graue stomacho*, & ἄλυπον, *leue*. Sed difficulter persuadet. Potiùs crediderim τὸ λουπίνον, fieri ab Hebræo פול, hoc est, *faba*. Apud Suidam legas λουπινάριοι pro *leguminis genere*. Quare hinc fortasse nomen *lupino*. Sed contrà est. Nam veterum Græcorum nemo eo vocabulo vsus est. Quare Græcos à Latinis potiùs esse mutuatos plus quàm verisimile est. Ex *lupino macerato* fiebant *nummi*, quorum in Comœdiis vsus erat Plautus Pœn. Act. III. Sc. II.

AG. *Hic trecentos numeratos habet.*
AD. *Ergo nos inspicere oportet istuc aurum, Agorastocles,*
Vt sciamus, quid dicamus mox pro testimonio.
AG. *Agite, inspicite, aurum est.* COL. *Profectò spectatores Comicum.*
Macerato hoc pingues fiunt auro in barbaria boues.
Verùm ad hanc rem agendam Philippeum est.

Hinc Horat. lib. I. Epist. VII.

Nec tamen ignorat, quid distent æra lupinis.

Vbi, vt Turnebus à Mureto edoctus, scripsit lib. I. Aduers. cap. XV. per *æra* intelliguntur *nummi ærei*; per *lupinos*, *nummi Comici ex lupinis confecti*. Vt omnino fallantur, qui corrigunt,

———Quid distent erua lupinis.

LVPVS, à λύκος, quod idem. K in P mutatur, quomodo à σκυλάω est *spolio*. Etiam *piscis* est nomen, ita dicti à *voracitate*: vnde & Græcis dicitur λάβραξ, à λάβρος, quod est *vorax*, quasi λίαν βορός. Lato enim est oris rictu, & repentè cum impetu in escam irruit: eóque facilè capitur. Vulgo cum *lucio* confundunt: qua de re doctissimum Rondeletium vide. *Lupus* quoque est *frenum asperrimum*: vt apud Ouidium, Tristium lib. IV. Eleg. V. de equo:

Et placido duros accipit ore lupos.

Græcorum id factum imitatione, quibus itidem dicitur λύκος τὸ ἐν τοῖς χαλινοῖς σιδήριον, teste Hesychio. Sæpius verò *lupatum*, vel vt Solinus loquitur. *lupatus*, dicitur. Maro III. Georg.

———Et duris parere lupatis.

Vbi sic Seruius: *Lupatis frenis asperrimis. Dicta autem lupata à lupinis dentibus, qui inæquales sunt; vnde etiam eorum morsus vehementer obest.* Quæ & Isidorus exscripsit, lib. XX. c. XVI. Etiam meretrices *lupæ* dicuntur, quia *luparum instar* sunt *rapaces*. vt Isidorus ait lib. X. Gloss. Isidor. *Lupa*, ἑταίρα καὶ λύκαινα. Atque inde *lupanar*. Nempe, vt Priscianus ait in IV. vt à *lacus, lacunar*, à *laqueus, laquear*, à *casus* (in quo tamen fallitur) *Casar*. Ea vocis *lupa* ὁμωνυμία, vt Liuius quoque testatur, occasionem præbuit fabulæ de Romulo & Remo, quibus, cùm in litore essent expositi, *lupa* admouisse vbera dicitur. Nam *lupa* ea, non *quadrupes*, sed *meretrix* fuit, quæ infantes expositos sustulit, atque aluit. Quippe olim meretrices prope litus cellas sibi solent collocare: eáque res occasionem & alteri præbuit fabulæ de *Sirenibus*, quæ *in acta Siculi maris merebant*. Ac fortasse *aquarij*, & *aquarioli*, inde etiam dicti, qui ad aquas meretricum gratiâ versarentur: de quo in *Aquarioli* plura diximus. A Græco λύκος, *Lupercal* dicebatur locus sub monte Palatino, si Ouidio credimus II. Fast. Maroni est *Lycisca*, à *canis forma, ac similitudine*: vel quia è *cane lupóque natus*. Nam coit canis cum lupo, vti & cum vulpe atque hyæna. Seruius, ad Ecl. III. *Lycisca sunt, vt etiam Plinius dicit, canes nati ex lupis & canibus, cùm inter se fortè miscentur.*

LVRCARE, vt inquit Nonius, *est cum auiditate cibum sumere*. Itáque puto esse à λαῦρος, quod idem ac λάβρος, hoc est, *auidus, vorax*. Dicitur enim quasi λίαν βορός. Saltem hæc coniectura magis placet, quàm illa Philelphi in epistola ad Perleonem edita à Goldasto in centuria epistolarum Philologicarum: vbi censet esse à ἄρριχος, quod est *cophini genus*, vt ex Hesychio & Suida constat. Quòd si coniectura nostra non placet, proximum est. vt dicamus esse à *lura*, vt *lurco* dicatur quasi *lurico*; *lurcari*, quasi *luricari*: quod visum Iulio Scaligero de caussis L. L. cap. XXII. Idque præeunte Festo, his verbis: *Lura os culei, vel etiam vtris: vnde lurcones, capacis gulæ homines, & bonorum suorum consumtores.* Ita *lurcare sit cibum ἀθρόως ac confertim ingerere in os tanquam in vtrem*, quam *luram*, siue *loram*, etiam Ausonius vocat, vt Iosephus Scaliger obseruat. Ac Lucillium similiter vsum apud Ciceronem in IV. Tuscul. Quæstionum, iamdiu est, quòd Turnebus & Franciscus Fabricius monuerunt. Lucillij versus sunt isti;

Occidam illum equidem, & vincam, si id quæritis, inquit.
Verum illud credo fore. In os prius accipiam ipse,
Quàm gladium in stomacho lurâ ac pulmonibus sisto.

Dicitur *lura* eo, quòd sit ex corio, quod *lorum* vel *lorum* dicitur, vnde & *lorica* nomen accepit, quæ ex *loro*, hoc est. *crudo corio*, fiebant, Varrone teste. A *lura* siue *lori colore*, dictus *luror*, apud Lucretium, in IV. imò & Catullum de nuptiis Thetidis & Pelei,

———Lurore expalluit auri.

Vbi alij *fulgore*. Inde *luridus*, hoc est, *supra modum pallidus*, vt Festus exponit. Quomodo *luridas mappas* dixit Papinius, IV. Sylu. Gloss. Latino Græcæ: *Luridus*, ὠχρὸς, πελιδνὸς, ἰκτερικός. De etymo allato fauet Isidorus, in X. *Luridus, quòd sit pallidus, à loro dictus, quòd huiusmodi habeat cutem.* Vt ab *expleo, expleno*; à *nato, natino*; à *nego, negino*, à *pago, pagino*: sic à *lurcor, lurcinor*: vnde *collurcinatio* apud Appuleium.

LVSCINIA quòd *lugens canit. Luget* autem, *quod in auem sit conuersa*, vt notum ex fabula de Tereo, Progne & Philomela. Martial. in apophoretis, Carm. LXXV.

Flet Philomela nefas incesti Tereos, & qua
Muta puella fuit, garrula fertur auis.

Nam φιλομήλα est *luscinia*, sic dicta quasi φιλοῦσα τὸ μέλος. Eam vero, quem dixi, *lusciniæ* originationem ponit Varro, IV. de L. L. *Luscinia, quòd luctuosè canere existimatur, atque esse ex Attica Progne in luctu facta auis.* Quidam tamen libri pro *luscinia* habent *lusciola*, vnde Erythræus in Indice Virgiliano (in voce *philomela*,) *lusciniola* legendum putat. Altera ἐτυμολογία est Isidori, qui sic scribit, lib. XII. cap. VII. *Luscinia auis inde nomen sumsit, quòd cantu suo significare solet diei surgentis exortum, quasi luscinia.* Confirmat hanc rem ibidem Isidorus illo Ciceronis in Prognosticis:

Et matutinos exercet acredula cantus.

Nam *acredula*, vt ait, eadem quæ *luscinia*. Sed valde fallitur Isidorus. Nam apud Aratum, quem Cicero transtulit, est ὀλολυγὼν, quæ auis dicta ab ὀλολύζω, quod est, *vlulare*: Vnde Festus Auienus pro *acredula vlulam* vertit. Possis & *strigem* transferre, si rectè in Lexico veteri scriptum: *Strix*, ὀλολυγὼν, & τρυγών. Vbi quòd ὀλολυγὼν, & τρυγών, coniunguntur, minus mirandum, quando & Theoni, Arati interpreti, ὀλολυγὼν est auis τρίζουσα τὰ ἀφροδίσια. In originatione verò respexit Isidorus hæc verba Ambrosij. lib. V. Hexaëmeron. cap. XII. *Vtinam saltem luscinia canat, quæ dormientem de somno excitet. Ea enim auis excitare solet diei surgentis exortum, & effusiorem diluculo deferre lætitiam.* Etsi autem hanc ἐτυμολογίαν præferam isti

isti Varronis: tamen magis verisimile sit, sic dici à *lucis*, quod *in iis canat*. Videtur eò respexisse Martialis, lib. I. epig. LIV.

——— Multisidâ feruet sacer Atthide lucus,

Nam per *Atthidem* intelligit *lusciniam*, quæ priùs *puella Attica*, postéaque in auem conuersa fuit: vt ex superiori Varronis loco cognoscimus. Item ex eo, quòd Philocari fabula, quæ de *Philomela* erat, *Atthis* inscribebatur. Idem quoque confirmat, tum vox *multisona*, tum *lucus*: quando *luscinia* in *lucis canit*: vti *hirundo in tectis*. *Puella Atthidis*, de qua dictum, Varro, vt vidimus, ait nomen fuisse *Progne*. Sed receptior sententia est, vt *Progne* quidem in *hirundinem*; *Philomela* autem in *lusciniam* sit versa. Indéque passim poetæ *philomelam* vsurpant pro *luscinia*. Nec desunt, qui credant *philomelam* dici, quia φιλῶ μέλος, hoc est *amat cantum*. Sed obstat, quòd penultima corripiatur. Ergo vt *Progne*, ita & *Philomela*, videtur prius fuisse nomen muliebre. Fortè quia φιλῶ μῆλα, hoc est, *amat oues*, vel *mala*. Dicitur *luscinia* quoque *aëdon*: quomodo Petronio vocatur in Syriaco; & Senecæ, in Octauia, Act. V. Est Græcum ἀηδὼν ab ἀείδω. E I Æolicè conuersum in H. Ad etymologiam hanc respexisse videtur Hesiodus in Ἔργοις, vbi accipiter ad aëdonem ait:

Τῇ δ' εἶς ᾗ σ' ἂν ἐγώ περ ἄγω καὶ ἀοιδὸν ἐοῦσαν.

Hoc est, *vadis quò mihi libeat te ducere, quamuis canoram existentem*. Falluntur, qui sic dici putant ab ἀεὶ & ᾄδω, cui originationi firmandæ adferunt παρέργως illud Plauti initio Bacchidum:

Pol ego quoque metuo, lusciniola ne defuat cantio.

At longè etiam ineptiùs: qui vt *lusciniam* à *luctu* deducebat Varro, sic ἀηδόνα dici putant ab ἀηδία, hoc est, *tædium, fastidium, molestia*, quia nempe molestiam capit ex eo, quòd quæ regis Atheniensium filia fuit, in auem sit conuersa.

LVSCVS non est idem, qui *strabo*, vti vulgus eo vtitur, sed *coclitem*, siue *vnoculum* significat: vt scribit Isidorus, lib. X. Itaque apud Plautum, Curcul. Act. IV. Sc. II. Lyco Curculionem vocat *luscum*, quem idem, Act. III. Sc. I. *vnoculum* appellarat, déque *coclitum* prosapiâ esse dixerat. Iuuenalis item, sat. X. Hannibalem vocat *luscum* ducem, qui alterum oculum perdiderat, vt ex historiis notum, & ibidem monet vetus scholiastes. Dicitur *luscus* à *luce*: teste Isidoro. A *luce* est *lucus*, quomodo ab eo dicimus *Lucius, Lucina, Lucifer*: sed vt veteres pro *dumus* dixere *dusmus*; pro *cœna cesna*; pro *cano casno*: sic etiam pro *lucus* dixere *luscus*: quod in vsu remansit, vt differret ab *luco*, nemore Diis sacrato. Ab eodem est *luscinus*. Vti *Luscus* Anniorum, ita *Luscinus* Fabriciorum fuit quemadmodum ex lapidibus Capitolinis videre est. Hinc Plinius, lib. XI. cap XXXVII. *Qui altero lumine orbi nascerentur, Coclites vocabantur. qui paruis vtrisque Ocella: Luscini, iniuriæ cognomen habuere.* Vbi *luscinos* à *coclitibus* distingui videmus, vt omnino diuersi sint à *luscis*. Nempe iidem qui *lusciosi*, vel *luscitiosi*. Hos παρέργως nobis Plinius, lib. XI. cap XXXVII. *Multorum visus fulgore solis constat, nubilo die non cernentium, nec post occasum. Alij interdiu hebetiores, noctu præter cæteros cernunt.* Sed cùm geminum hic vitium describat, dubitarunt iam olim, vtri sint *lusciosi*. Priores signari putabant Varro, & qui Varronem sequitur, Nonius Marcellus, cuius hæc verba: *Lusciosi, qui ad lucernam non vident, & μύωπες vocantur à Græcis.* Varro disciplinarum lib. VIII. *Vesperi non videre, quos appellant lusciosos.* Idem, Andabatis: *Ædepol idem cæcus, non lusciosus est.* Similiter Vlpianus, L. X §. de myope. D. de ædilitio edicto: *Luscitionem esse eam quidam putant, vbi homo lumine adhibito nihil videt.* Vbi non de nihilo est, quod dicit, quosdam ita putare. Nam alia aliorum sententia est: Nam putant ita vocari quos posterius Plinius describebat. Vti Festus: *Luscitio*, inquit, *vitium oculorum, quòd clarius vesperi quam meridie cernit.* Et Fulgentius Planciades *Luscitiosos dici voluerunt, interdiu parum videntes, quos Græci μύωπας vocant.* Et fauet illis Seneca, penè initio lib. III. de Beneficiis: *Luscitiosi oculi sunt, qui lucem reformidant; cæci, qui non vident.* Vide quæ etiam de hoc in *Myops* dicemus. Cæterùm pro *luscitioso* etiam *nuscitiosus* dixere, *L* in *N* conuerso, quomodo à λύμφη est *Nympha*. Festus: *Nuscitiosum Atteius Philologus ait appellari solitum, qui propter oculorum vitium parum videret: ac P. Opilius Aurelius Nuscitiones esse cæcitudines nocturnas. Ælius Stilo, qui plus videret vesperi quàm meridie, nec cognosceret, nisi quod vsque ad oculos admouisset.* Vnde videmus, vt Varro & Nonius Opilium Aurelium sint secuti: Festus autem Ælium Stilonem. Similiter nec apud Græcos satis constat, vtrùm νυκτάλωπες sint, *qui plus*, an *qui minus aliis, cum tenebrescit, vident*. Vide *Myops*.

LVSTRI de voce sic Festus Pompeius: *Lustra significant lamas lutosas, quæ sunt in syluis aprorum cubilia. à qua similitudine ij, qui in locis abditis & sordidis ventri & desidiæ operam dant, dicuntur in lustris vitam agere. Et cùm eiusdem vocabuli prima syllaba producitur, significat nunc tempus quinquennale, nunc populi lustrationem.* Hæc Festus, quæ deinceps pleniùs exponemus. *Lustrum* olim vel pronunciabatur per *V* tenue, quod sonat vt Græcum Υ, vel per *V* crassum, quasi per diphthongum ΟΥ. de cuius pronunciationis diuersitate videri potest Iustus Lipsius, lib. de pronunciatione L. L. Si per *V* tenue pronunciaretur, vel propriè sumebatur, vel κατὰ μεταφοράν. Propriè signabat *ferarum in syluis cubilia*, idque à *luto*, quia apri & sues in locis ferè lutosis sua habeant spelæa. Κατὰ μεταφορὰν verò dicitur de *popinis*, & *lupanaribus*, cuius ratio manifesta est. Fallitur Seruius, cùm ad illud I. Æn.

——— Dum montibus vmbræ

Lustrabunt conuexa polo: ———

In hunc modum scribit: *Lustrabunt, inumbrabunt; vnde lustra & ferarum cubilia, & lupanaria per contrarium dicimus, quia parum illustrantur.* A posteriori significatione est *lustrari*, quod notat *luxuriosè viuere*, *suáque bona abligurire & decoquere*. Itaque coniungit vtrumque vocabulum Lucillius:

Quem sumtum facis in lustris circa oppida lustrans?

Similitérque vsus Plautus, Pseudolo, Act. IV. Sc. VII.

Luxantur, lustrantur, comedunt, quod

Habent. ———

Et Casinâ, Act. II. Sc. III.

Vbi fuisti? vbi lustratus? vbi bibisti?

Vbi Nonius *lustratus* malè explicat *luxuriosus*. A *lustrare* est *lustro, lustronis*. Catullus,

——— Tamen ipse est maximus lustro.

Item *lustramentum* apud Iurisconsultum, hoc est, ἀπόλυμα, ἀποσμήγματος. Hactenus de *lustri* voce per *V* tenue prolatâ: nunc videamus de eadem, quando sonuit quasi scriberetur *loustrum*. Hoc pacto elata, duplicem quoque significationem habuit. Nam, vt indicat Festus, tum significat, quod Græci vocant *Olympiada*, tùm *populi lustrationem* siue *expiationem*, quæ censu peracto suouetaurilibus fieri solet. De priori significatione sic Varro, lib. V. de L. L. *Lustrum nominatum tempus quinquennale à luendo, hoc est, soluendo, quod quinto quoque anno vectigalia & vltra tributa per censores persoluebantur.* Quo loco, quod *lustrum quinquennale spatium* vocat, viri docti sic capere iubent, vt quadriennio exacto, quinto quoque anno ineunte *lustrum peractum* intelligatur. Atque ita Festi quoque locum accipi volunt, quia *lustrum*, vt aiunt, veteribus tantùm notauit *quadriennij tempus*. Qua de re vide Scaligerum ad Ausonium, lib. II. cap. XXIII. Cuiacium lib. II. Cod. de lustrali auro; Claudium Verderium, initio censionis suæ in omnes auctores. Verùm Sauaro, vt de antiquis assentit, ita negat de posterioribus, quando semper pro *quinquennio* vtitur Sidonius. Vide eum ad librum II. Sidonij epist. XVI. In hac opinionum varietate, placet maximè, quod scribit Iosephus Scaliger, lib. I. & III. canonum Isagogicorum, quos vnà cum Animaduersionibus Eusebianis edidit. Docet is *periodum* omnem à Latinis dici *lustrum*, atque ita *lustrum Romanum* vocari *quinquennium absolutum* (quo de veterum loca aliquot congessit Iosephus Castalio, Variarum lectionum cap. XIX.) *lustrum Iulianum*, *quadriennij tempus*, cuius annus vltimus sit dierum CCCLXVI. sine dierum reliquatione. vnde Ouidius,

——— In lustrum accedere debet,

Quæ consummatur partibus vna dies.

Hoc est, τῇ τετραετηρίδι προστίθεται ἡμέρα ἐκ τῶν μορίων συντελουμένη. Item *lustrum* Solis apud Manilium pro anno solari. Sed propriè *lustrum* esse *quinquennium absolutum*, à *luo*, id est, *soluo*, quia exitu quinquennij, antequam censores abirent magistratu, mancupes & redemptores Pop. Rom. vectigalia censoribus luebant. Atque ea vera Varroniani loci sententia est. Quod ad alteram *lustri* significationem, de ea præter Festum, testis nobis locuples Dionysius Halicarnass. lib. IV. Quippe refert is, Seruium Tullium, peracto censu, omnibúsque, quæ ad eum pertinent, constitutis, iussisse, vt ciues omnes in campo Martio adessent armati, iisque in ordinem digestis, taurum, arietem, & hircum, ter circum exercitum iussisse circumagi; deinde Marti campi præsidi, immolâsse, atque ita populum expiasse. Hinc subiicit: τοῦτον τὸν καθαρμὸν [illegible] Ῥωμαῖοι [illegible], μετὰ τὴν συντέλειαν τῶν τιμήσεων, ὑπὸ τῆς ἱερωτάτης ἀρχῆς λῦστρον ὀνομάζοντες. h. e. Romani autem ad meam vsque ætatem hac lustratione, peracto censu lustrantur à sacratissimo magistratu, eámque LVSTRVM appellant. Quæritur autem, cùm duas faciamus *lustri*, per *V* tenue prolati, significationes, vnam pro *temporis spatio*, alteram pro *expiatione*: vtra ex his propria, vtra impropria sit. Non dubitamus, quin primò notet *expiationem* & quamcumque à malo liberationem: secundariò verò significet περίοδον, vt *lustrare*,

strare, ἀμφιδρομεῖν, atque vt Nonius explicat, *circuire*. Mouet me, quòd *lustrum* sit a λύτρον inserto *s*, quomodo *dusmus*, *casmo*, & similia vett. dixere. Λύτρον verò a λύω pro *expio*: vnde Plato in II. de Republ. λύσεις τε καὶ καθαρμοὶ ἀδικημάτων, *expiationes & purgationes peccatorum*: & ibidem, οἱ λύσιοι θεοί, *Dy, qui expiationibus præsunt*. Cur verò, cùm *lustrare* propriè notet *expiare*, μεταληπτικῶς significet *circuire*: illud in caussa est, quòd ad expiandos homines vrbem ac arua ambire soleant: Quod notant nomina *ambarualis sacrificy*, & *amburby*. De *ambaruatibus* item indicat hoc Maronis, lib. I. G.

Terque nouas circum felix eat hostia fruges,
Omnis quam chorus & socy comitentur ouantes.

Et hoc in Eclogis:

———*& cum lustrabimus agros.*

Amburbium verò cùm *lustratione* coiunxit Vopiscus, in Aureliano: Lucanus quoque, quà poetæ licuit. Vide, quæ de eo diximus in *Amburbium*. Sed hoc si persuaderi nequit, proximum est, vt dicam, *lustrum* primò & propriè dici *solutionem census, quæ quincto quoque anno fiebat*. Nam & Varronis hoc locus indicat, quem antè adduximus: & confirmatur inscriptione Tragœdiæ Ennij, quæ est *Hectoris lustra*: quod Græcè Ἕκτορος λύτρα; Quia autem censu peracto fiebant suouetaurilia ad Vrbem expiandam, quod vocabant *lustrum condere*: dicam hic fieri, vt *lustrum* signet *vrbis expiationem*, & *lustrari* accipiatur pro *expiare*, quomodo Nonius Marcellus accipi docet illo Lucillij libro secundo Satyrarum:

———*lustratu' piatus*:

& hoc Maronis, in Eclog.

———*Et cùm lustrabimus agros.*

Sed de Maronis loco adsentire etiam possis Seruio, qui exponit *circuibimus* quia de *ambaruali sacrificio* sermo est. Accommodatius illud III. Æn.

Lustramúrque Ioui, votísque incendimus vrbem.

At eidem Seruio subscribere non possum, quando ad illud, I. Æn.

———*Veniet lustris labentibus ætas*:

scribit *lustrum dictum, quod post quinquennium vnaquæque ciuitas lustrabatur*. Nam ἀναλογία docet, vt à *rodo* est *rostrum*, à *plodo*, *plostrum*, à *monstro monstrum*; à *transio*, *transtrum*; à *fluo*, *flustrum*; sic à *luo* esse *lustrum*, vnde *lustrare* pro *purgare & expiare*, quemadmodum diximus. Vulgo etiam *lustrum* dici sacrificium, probant loco Liuij, quem è libro II. citant, sed & de libro falluntur, & longè aliter apud Liuium locus is concipitur, quàm vel in Thes. Rob. Steph. vel etiam recocto toties Calepino legitur. Verba enim hæc Liuij sunt è libro primo: *Censu perfecto, quem maturauerat, metu legis de incensis latæ, cum vinculorum minis mortisque edixit, vt omnes ciues Romani, equites, peditésque in suis quisque centuriis in campo Martio primâ luce adessent. Ibi instructum exercitum omnem suouetaurilibus lustrauit, idque conditum lustrum appellatum, quia in censendo finis factus est.* Quem locum eò lubentiùs adduxi, quia ex eo cognoscimus aliud longè esse *censum agere*, aliud, *lustrum condere*. Quippe dicit Liuius censu peracto demum suouetaurilibus populum esse *lustratum*, atque id vocari *lustrum conditum*. Imò non tantum priùs agebatur *census*, quàm *lustrum* conderetur, sed interdum *censu peracto* non *condebatur lustrum*, vt si annus esset funestus. Hinc Liuius, lib. III. *Census actus eo anno: lustrum propter Capitolium captum, consulem occisum, condi religiosum erat.* Adde quòd *census* primùm actus in foro, deinde in villa publica, qui Campi Martij locus erat: at *lustrum* semper in Campo Martio conditum est. Sed hæc mittamus, quando non multùm ad rem etymologicam pertinent. Illud magis huius loci est, quòd diem eum, quo infanti nomen imponebatur (*Nominalia* hinc appellat Suetonius in Nerone cap. VI.) *lustricum* quoque *diem* vocarunt, quia eo, *lustraretur*, hoc est, *religione purificaretur infans*. Erat is dies octauus puellarum, nonus puerorum, vt scribunt Festus, Plutarchus, Macrobius. Vide quæ eruditè hoc de die notant Ios. Scaliger ad Festum. voce *Lustrici*, & Isaacus Casaubonus ad Persij illud sat. II.

Ecce auia & metuens Diuûm matertera, &c.

Illud quoque addamus *lustralis* nunc esse. ab ea *lustri* significatione, quâ *Olympiada* notat: vt cùm Vlpianus, Instit. tit. I. de libert. *censum lustralem* vocat, qui quincto quoque anno fiebat: nunc esse ab ea quâ signat *lustrationem* siue *purgationem*; vt cum Ouid. III. de Ponto, el. II. *aquam lustralem* nominat, quæ à sacerdote purgationis caussâ adspergebatur:

Spargit aquâ captos lustrali Graia sacerdos.

Item cùm Maro, VIII. Æn. *lustralia exta* vocat. Quippe cùm *sacra omnia lustrent purgéntque*, tum imprimis *esus extorum*. Verba Maronis sunt:

Vescitur Æneas simul & Troiana iuuentus
Perpetui tergo bouis, & lustralibus extis.

At quæ Seruius ad hunc locum coniectat, speciosa magis sunt, quàm vera. Miretur fortasse aliquis, quòd taceamus de nomine *illustris*, quod, vt Onomasticum exponit, notat ἐπιφανής; item verbis *illustro*, *collustro*, & similibus, quæ videntur nullam habere affinitatem cum iis *lustri* significationibus, quas hactenus adduximus. Dicam suspicionem meam. Puto *luminis lustrationem* tribui, quia *tenebra polluere mentes credebantur*. Itémque Seruius ad illud IV. Æn.

Postera Phœbeâ lustrabat lampade terras.

inter alias interpretationes hanc quoque ponit: *Ait lustrabat, id est, purgabat. Nam nox quodammodo polluit mundum.*

LVTEVS color est qualis videtur in ouorum vitellis, vel malo Cydonio. Glossæ vett. *Luteum*, μηλινοχρωμο. *Luteus*, μήλινος. Nomen arcessunt à supino *lutum*, quia *rufus* est color; sed *dilutior*. Sanè apud Gellium legit Salmasius: *Luteus color est rufus dilutior; vnde eius quoque nomen factum videtur*. Vulgo pro *dilutior* legitur *dilucidior*. Omnino autem *luteus color* dictus ab *luto herba*. Omninóque idem est ac *color croceus*. Maro, Ecl. IV.

———*Iam croceo mutabit vellera luto.*

Vitruuius, lib. VII. cap. XIV. *Herbâ, quæ lutum appellatur, cæruleum inficiunt*. Vbi tamen *luteum* legas, etiam in vtraque Florentina vetere quarum prior prodiit anno CIↃCCCCXCVI. altera CIↃ IↃ XXVI. Plinius, lib XXXIII. cap. V. *Luteam putant à luto herba dictam, quam ipsam cæruleo subtritam pro chrysocolla inducunt*. Sed hic quoque *lutea herba* legitur vulgo. *Luteum pallorem* consternatis metu tribuit Horatius, lib. Epod. od. X. Vti & iis qui perpetuis voluptatibus pallent, Persius, Sat III.

Heus bone tu palles. Nihil est. Videas tamen istud,
Quicquid id est surgit tacitè tibi lutea pellis.

Nempe eundem signat colorem, ac Catullus hoc versu ad Iuuentium:

Hospes inauratâ pallidior statuâ,

Vbi loqui puto de eo qui *icterico & morbo laboret regio*. *Aurora* etiam poëtis *lutea*, hoc est, κροκόπεπλος. Quæritur autem, quæ sit *lutum herba*. *Lysimachiam* esse putat Leonicenus, in libro quem de Plinij erroribus scripsit. Ac secutus eum quoque Ruellius. Sed Philander censet esse *isatin*, de qua Dioscorides, lib. II. cap. CLXXX. siue, iuxta aliorum distinctionem, CCXVI. Caussas apud ipsum vide ad Vitruuij lib. VII. cap. XIV. Vox *lutum* ex coniectura Salmasij fit λευκός, non quâ *album* signat, sed in natiua significatione, quâ primò significauit *fulgidum*: quomodo & *candidum* vtramque habet significationem. Natiuam autem significationem λευκὸς indicat, quia λευκὸς à λεύσσω, hoc est, *video*. *Lutum* igitur dicatur, quia *luce* suâ longè splendeat, ac videatur. ΕΥ in V abit: vt dicitur Λευκετία & *Lutetia*. Κ in Τ, vt à κάλχη, *caltha*.

LVTRA, vel *lytra*, à λύω, hoc est, *soluo*. Varro, lib. IV. de L.L. *Lytra, quòd succidere dicitur arborum radices in ripa, atque eas dissoluere*. Vel potiùs *lutra* est ab Æolico ἴλυδρις pro ἔνυδρις, siue ἐνυδρίς: quomodo *lutram* Græci vocant: nempe generali nomine cùm propriè omnia *aquatica* sint ἔνυδρα. Æoles eorúmque exemplo Latinos *N* in Λ mutare, satis constat: vnde νύμφη, *lympha*: ex quo νυμφόληπτος, *lymphaticus*. Eâdem mutatione gaudent Attici: teste Phrynicho & Eustathio: vnde λίτρον dicunt pro νίτρον, & pro πνεύμων, πλεύμων. Nam fallitur Thomas magister, cùm sic vnum Aristotelem putat πλεύμων dixisse.

LVTVM pro *herba* priorem producit: indéque dictus *color luteus*, de quo antea vidimus. At pro *cæno* corripit priorem: vti & deriuata eius *luteus*, *lutulentus*, *lutare*, *lutamentum*, *lutescere*, atque alia. Videtur hac notione esse à supino verbi *luo* pro *lauo*, vnde *abluo*, *diluo*. Nempe vt propriè dicatur *de sordibus, quæ abluuntur*. Nisi malis esse à Græco λύτρον, abiectâ liquidâ. Nam λύτρον quoque est ἀπόλυμα, vt Eustathius exponit, hoc est, *sordes abluta* à λύω, hoc est *lauo*. Nunnesius κατὰ μετάθεσιν factum putabat à πηλός, quomodo vocatur *locus cœnosus*.

LVX κατὰ συγκοπὴν ἀπὸ τῆς λύκης dicitur. Nam vt Macrobius scribit, lib. I. Sat. cap. XVII. veteribus Græcis *lux* dicebatur λύκη, indéque *lupus* iis λύκος vocatur, quòd ferè post famem nocturnam obseruet *tempus antelucanum* ad pecora rapienda. Etiam Heraclides Ponticus in Allegoriis Homericis ait Solem vocari λυκηγενέα, quia sit auctor λυκαυγοῦς, id est, *diluculi*. Iul. Scaliger, Exercitat. LXXI. deriuat *lux* à λύξ. Et sanè etiam in veteribus Lexicis legas λύξ, *lux*. Sed, puto, pro *lux*, *lynx* scribendum. Nam & in Cyrilli Glossis reperias, λύγξ, θηρίον,

χνον, lingua. A *luce* est *luceo.* Inde *lucerna.* Etsi quantitas dissipat. Et fortasse ideo Varro alterum etiam ἔτυμον ponit lib. IV. de L.L. *Dicta,* inquit, *lucerna à luce, aut quòd id vocant Græci λύχνον.* Sane Seruius apertè ait, cùm priorem corripiat, non à *luce*, sed a λύχνος, deduci oportere. Atque id magis etiam placuit Nunnesio. A *luce* etiam prænomen est *Lucius*, quomodo quis teste Festo, primùm vocatus, quia *luce oriente nasceretur.* Estque simile *Manius*, quia *manè natus.* Est & *lucius* piscis nomen. Sed ambiguum, vtrùm à λύκος, etsi alius *lupus à lucio*; an a *luce*, hoc est, *oculorum claritate.* Etiam hinc, eodem Festo auctore, Iupiter dictus *Lucetius*, quasi *lucis auctor.* Ab eodem *Lucifer*, vt *Noctifer*, quo vsus Catullus. Vtroque signatur *Hesperus*: sed *vesperi* ἀπὸ τῆς ἑσπέρας, *Hesperus* vocatur. & a *Nocte, noctifer*, vel *Nocturnus*: manè autem *Lucifer*, aut *stella diurna* vt Plaut. Menæch. I. II. Etiam hinc venit *luculentus*, Nonio teste: nempe vt à *luto, lutulentus.* Propriè igitur dicitur *luculentus focus* aut *caminus*, quasi *luce plenus*: sed μεταφορικῶς ad orationem, atque alia transfertur. Hinc *luculentitas* formarunt Cæcilius & Laberius: vt apud Nonium videre est. Satis apertum quoque est, à *luce* venire *luceo, lucidus, lucesco*, siue, vt Georgius Fabricius scribere mauult, *lucisco*. quo de in libris de arte dictum. Nec aliunde est *lumen.* Priscianus tamen aliter in IV. *A luo*, inquit, *lumen, quo omnia abluuntur, id est, purgantur à tenebris.* Argutè: sed falsò. Nam à *luceo* dicitur quasi *lucimen*, vt *fulmen* à *fulgeo*, quasi *fulgimen, momen* item à *moueo. specimen*, a *specio*, &c. Similiter à *luce* vel *luceo* est *Lucina*: indéque contractum *Luna* de qua seorsim. Item *Lucius*, Plinio teste, *qui oculorum vitio laborant.* Nisi verius *Lucinij*, vel iuxta alios *Lucinii* quod à *lupinis* foret. A *diluceo* est *diluculum*, quia *incipit dilucere.* Id autem manè *diluculum*; quod vesperi *crepusculum.* Sunt & à *luce sublucare*, & *conlucare*. De quibus ita Festus: *Sublucare arbores, est ramos earum supputare, & velut subtus lucem mittere: conlucare succisis arboribus locum implere luce.* Idem: *Conlucare dicebant, cùm profana sylua rami deciderentur officientes lumini.* Vbi *profana* meminit *syluæ*, quia in *luco*, hoc est, *sylua sacra*, ne ramos quidem licebat amputare. Vel si id fieri opus esset, sacrificio debuit expiari. Vide Catonem, cap. CXXXIX. cuius initium: *Lucum conlucare more Romano sic oportet.* Eiusdem originis est *interlucare*. quod itidem est *lucus causâ superfluos ramos amputare.* Vsus Plinius, lib. XVII. cap. XXIII. Eiusdem est copse libro cap. XXVII. *Interlucatio arboribus prodest*, hoc est, *ramorum putatio*, διάφαυσις.

L V X V S nunc adiectiuè sumitur, vt cùm dicimus *luxum pedem* pro *luxato*: nunc substantiuè, cùm idem est, quòd *luxuries.* Valerius Probus in Catholicis: *Hic luxus, huius luxus, luxuriam significat.* Terentius:

——— *Adolescens luxu perditus.*

At luxus, id est, vacillans, luxi facit. Sallustius ablatiuo: Luxo pede. Est verò *luxus*, à supino *luxum.* Nam vt à *veho*, tum *vectum* dixere, vnde *vectigal*, tum *vexum*, vnde *conuexus*, & verbum *vexare*. vt item à *fluo*, tum *flutum* fecere, vnde *flumen*, & *fluitatum fluxum*, vnde *res fluxa* sic a *luo lutum* dicebant, vnde *dilutus, ablutus* tum *luxum*, vnde *luxus* id est, *dissolutus*, & verbum *luxare*, apud Plinium, hoc est, *resoluere. Luxus* igitur, vnde *luxuries*, vitium est dissoluti animi. Nempe vt ab *esum*, *esus, esuries*, sic à *luxum*, *luxus, luxuries.* Hinc autem *luxuriosus*, non contrà, vt vult Isidorus, lib. X. *Luxuriosus, solutus in voluptates; vnde & membra loco mota, luxa dicuntur.* Meliùs Festus: *Luxa membra, è suis locis mota & soluta, à quo luxuriosus, in re familiari solutus.* Similiáque Nonius habet. Propriè autem *luxus*, & *luxuries*, significant *profusam sumptuum*, non *crapulam*, & *vinositatem*: quod vulgò putant. Gloss. Philox. *Luxuria*, ἀσωτία. Gloss. Cyrill. ἄσωτος, *ganearius, lasciuus, luxuriosus, prodigus, profusus, sumptuosus, helluo, exoletus, balatro.* Μεταφορικῶς autem dicitur de *summa germinum vbertate ac redundantia.* Cicero de Orat. *In eius oratione, vt in herbis rustici solent dicere, in summa vbertate inest luxuries quædam, quæ stylo depascenda est.* Virg. I. Georg.

Luxuriem segetum tenera depascit in herba.

LYCHNITES, ὁ λυχνίτης, vel ἡ λυχνῖτις, vel etiam λυχνὶς, à λύχνος, *lucerna*, siue quia *similiter luceat ac lucerna ardens*: siue quia *imprimis luceat lucernis accensis.* vide de hoc lapide Plinium, & Solinum.

L Y M P H A *ab aqua lapsu lubrico*, vt ait Varro lib. IV. de L.L. Sed fallitur. Est enim à Græco Νύμφη. N in L conuerso: vt alias sæpe. Imò hic mos in caussa esse putatur, cur cùm Græci N scribant pro *quinquaginta*; Latini pro eo L vsurpent. Sunt verò *Nymphæ, lymphæ*, siue *aquæ* filiæ, iuxta illud Callimachi:

Νύμφαι Θεσσαλίδες ποταμοῦ γένος.———

vel potiùs *lymphæ*, siue *amnes*, sunt filiæ *nympharum*: vnde Maro,

———*Nympha, genus amnibus vnde est.*

Callimachi sententia eò defenditur, quòd *fontes* interdum, quos *Nymphæ* repræsentant, a *fluminibus* sunt. Sed Maro eò respexit, quòd vt plurimum *flumina* contra a *fontibus* sint: vnde Naso quoque,

Flumina collectis multiplicantur aquis.

Pro *lympha* etiam *limpha* scripsere, vel quoque *limfa*, quomodo *famam*, scribimus non *phamam*. Ab eo est *limpidus* ob *lymphæ claritatem.* Quamquam doctissimus Caninius, atque item Nunnesius, putarint esse à λαμπρός, conuerso ρ in δ, vt à τρέμειν fit *tremere* [illegible], quod Dorice [illegible]. Potiùs dixerim a λαμπρὸς elisâ caninâ litera esse *limpus*, inde *limpidus*. Vel vt à *palleo, pallidus*; ab *herba, herbidus*: ita *limpidus* esse a λάμπω, vel λαμπάω, vel antiquo λάμπος, quomodo & *aurora equus* dicitur Homero, quia λάμπει, hoc est, *lucet.* Hæc si placent, *limpidus* propriè sit *clarus lucens.* Dicebant quoque pro *lympha, lymphor.* Vt Lucillius apud Nonium: *Impermistum lymphorem.* A *lympha* etiam est *lymphare*, apud Plinium, lib. XXIV. cap. XVII. & Valerium Flaccum, lib. III. Indéque *lymphati*, & *lymphatici.* Credebant enim *Nymphas* si *conspexerentur furorem immittere*, vnde & qui Latinis *lymphati*, Græcis νυμφόληπτοι dicuntur. Vide Festum in *Lymphati*, & Hesychium in Νυμφόληπτοι. Aliter tamen Isidorus, in X. *Lymphaticus*, inquit, *quòd aquam timeat, quem Græci ὑδροφόβον vocant. Lymphaticus propriè dicitur, qui vitium ex aqua contrahit: cuius vitium est huc atque illuc currere, aut à fluore aquæ sumere vitio. Sed poetæ iam hoc genus nominis pro furioso vsurpant.* Sed Festi sententia magis placet. Quemadmodum verò *Lympha* est à νύμφη *aquam* significante: ita & inde dictæ *Nymphæ.* Sunt enim *aquarum præsides*, vnde Cicero, de Clodio (qui, vt in Miloniana quoque legere est *Nympharum* domum accenderat.) sic scribit orat. de Aruspicum responsis: *Earum templum inflammauit Clodius, quarum ope etiam incendiis subuenitur.* A *nymphis nymphæa* dicebantur loca publica in quæ aqua, non ad vsum, vt in thermis, ac balneis: sed ad amœnitatem, deduceretur: quæ loca *Nympharum statuis* ornabantur. Vide Romam Fabricij. Sed & *Nymphæa*, Zonarâ teste, erant, *palatia publica, in quibus nuptias celebrarent*, qui habitarent angustiùs. Eâ notione est à νύμφη significante *sponsam*, siue *nouam nuptam.* At νύμφη hac significatione vel est à νυὸς; vel dicitur quasi νέοφα, vnde Æolice νύμφα, à νέον & φαίνω, iuxta Eustathium: nempe quia ferè nubere solent, dum nouum ætatis ver agunt. Sed & aquarum, montium siluarúmque Deas *Nymphas* similiter vocari Eustathius putat, διὰ τὸ ἀεὶ νέας φαίνεσθαι. Vide eum in Odyss. α pag. CIↃ CCC LXXXIV. edit. Rom.

LYNCVRIVM, λυγκούριον. Caussam nominis adfert Dioscorides. lib. II. cap. C: Τὸ δὲ τοῦ λυγκὸς οὖρον, ὃ δὴ λυγκούριον καλεῖται, αὐτίκα ἐξουρηθὲν λίθος γίνεται. Idem tradit Plinius, lib. VIII. cap. XXXVIII. *Lyncum humor ita redditus, vbi gignuntur, glaciatur, arescitve in gemmas carbunculis similes, & igneo colore fulgentes, lyncurium vocatas.* Idem tradit lib. XXXVII. cap. II. Solinus, cap. VIII. & Isidorus, lib. XII. cap. II. Ouidius eò respexit, XV. Met.

Et quibus, vt memorant, quicquid vesica remisit,
Vertitur in lapides, & congelat aere tacto.

Imò Theophrastus fragmento, quod superest è libro περὶ τῶν λιθῶν [illegible], sic scribit: καὶ ὁ λυγκὸς [illegible] τὸ οὖρον, ὅτι αὐτοῦ [illegible]. Sed planè id esse fabulosum docuit experientia. Nec enim concrescit vrina *lyncis*, vt patuit ex lyncibus in Gallias adductis. Quare verisimilis magis eorum est sententia qui *lyncurium* à *Liguria* nomen putant accepisse. Nam aliter vocatur λιγγούριον per *l*, vt apud Strabonem in quarto scriptum est: qui & in *Liguria* ait inueniri. Imò & Theophrastus ἐν τῷ περὶ λίθων, idem scribit, atque ex eo Plinius, lib. XXXVII. cap. II.

L Y N X à λύκος id est, *lupus.* Ita Isidorus, lib XII. cap II. *Lynx dictus, quia in luporum genere numeratur: bestia maculis distincta tergo, vt pardus, sed similis lupo. Vnde & ille λύκος, ille lynx.* Sed quod *lyncas* in *luporum genere* esse ait, planè fallitur. Neque similes quidem, nisi quòd & *lupus ceruarius* maculas habet. Nec λύγξ minùs Græcum est, quàm λύκος. λύγξ verò, quia animal est *perspicacissimum*, videtur Gesnero nomen obtinuisse à λύκη, id est, *lux.* Atque idem scripserat Perottus. A *perspicacibus oculis lyncis* nomen factum fabuloso isti *Lynceo*, qui acie oculorum penetrare dictus terram ipsam, vidéréque ea quæ apud inferos fierent. vt Apollonius in Argonauticis ait. Tzetzes comm. in Lycophronem ait, originem inde fabulam cepisse, quòd *primus reperisset æris argenti & auri fodinas.*

LYRA, λύρα. quod Eustathius putabat dici quasi λύτρα, idque

quia Mercurius eam Apollini dederit ἐν λύτρῳ, cùm boues surripuisset. Isidorus lib. II. cap. XXI. nuncupari ita ait, quia *diuersas efficiat voces*. Fortè voluit sic dici a λύω, *soluo, dissoluo*, quia *in multas diuidatur voces*.

Lysimachia herba ita dicta à *Lysimacho* rege Thraciæ, vno ex διαδόχοις Alexandri. Plin. li. XXV. cap. VII. *Inuenit & Lysimachus herbam Lysimachiam, quæ ab eo nomen retinet, celebrata Erasistrato*. Vel sit ἀπὸ τοῦ λύειν τὴν μάχην, quia *pugnam dirimat*. Nam, vt ibidem ait Plinius: *Vis eius tanta est, vt iumentis discordantibus iugo imposita asperitatem cohibeat*. Sed prius malo. Posterius autem occasione vocabuli confictum videtur. Sanè multa sunt, vbi non vera vis herbæ nomen dederit, quum ex nomine virtus aliqua herbæ sit afficta.

Lytæ, qui quartum iam annum operam dabant Iuri Ciuili: *prolytæ*, qui quinctum. Ac *prolytæ* quidem vocati, quia lytis essent doctiores: *lytæ* autem ἀπὸ τοῦ λύειν, siue quia eos fecissent progressus, vt Iuris nodos atque ænigmata soluere inciperent: siue quasi λυτοὶ, hoc est, *solubiles*, quia iam essent soluendi à præfinita studiorum ratione. Quare & Hesychius ἀπολύτους interpretatur παραλελυμένους. Caussa igitur appellationis fuerit, quòd cùm è L. libris Digestorum tantum XXXVI. prælegi soleant, atque postremus istorum, postremus item quarti anni liber esset: postilla absque magistri ope per se reliquos XIV. legerent, quasi missionem iam nacti à magistrorum castris. Vide Iustiniani epistolam ad Antecessores, §. V.

M

Maccus, *fatuus*. Diomedes, lib. III. cap. de poëmatis generibus: *In Atellanâ inducuntur osca persona, vt Maccus*. Μακκοᾶν pro *desipere* dicunt Aristophanes, & Lucianus. Ac Aristophanis Scholiastes geminum etymon adfert: vnum παρὰ τὴν Μακκὼ, vt sit, *Macco more delirare*: alterum παρὰ τὸ μὴ κατὰ νοεῖν, quod est νοεῖν. De eadem voce sic Helladius Besantinous apud Photium in bibliotheca. Τὸ μακκοᾶν, ἀρχαϊκῶς ἐστι τὸ μὴ ἀκούειν· ἢ τὸ μὴ νοεῖν, ὅπερ τὸ νοεῖν ἰδίως. Καλλίμαχος δ' ἐν Ἐκάλῃ, ἀκούει φησὶν, ἀντὶ τοῦ ἐνόησεν.

Macellum vnde dicatur, mirè dissentiunt veteres. Prima est sententia Varronis, lib. IV. de L. L. vbi ait: *Macellum, vbi olerum copia. Ea loca etiam nunc Lacedæmonij vocant μακελλόν; sed Iones ostia hortorum & castelli, μακελλωτάς*. Idem mox: *Hæc omnia* (putà *forum olitorium, piscarium, & cupedinis*) *postquam contracta in vnum locum, quæ ad victum pertinebant, & ædificatus locus, appellatum Macellum, vt quidam scribunt, quòd ibi fuerit hortus*. Alterum ἔτυμον continuò subiungit his verbis: *Alij, quòd ibi domus fuerit, cui cognomen fuit Macellus, quæ ibi publicè diruta: è qua ædificatum hoc, quod vocatur ab eo Macellum*. Ac similiter idem in libris humanarum rerum. *Numerius Equitius Cupes, inquit, & A. Omanius Macellus singulari latrocinio multa loca habuerunt infesta. His in exilium actis, publicata sunt bona, & ædes, vbi habitabant, dirutæ: éque ea pecunia scalæ deûm penatium ædificata sunt, & locus, vbi venirent ea, quæ vescendi caussâ in vrbem erant allata, ædificatus. Itaque ab altero Macellum, ab altero forum Cupedinis appellatum est*. Huic opinioni accedit Festus: *Macellum*, inquit, *dictum à Macello quodam, qui exercebat in vrbe latrocinia; quo damnato censores, Æmilius & Fuluius, statuerunt, vt in domo eius obsonia venderentur*. Tertia est sententia Plutarchi, qui deducit ἀπὸ τοῦ μαγειρεῖον. Sanè literæ C & G mutuas præbent operas: de quo vide Radulphum Fornerium, lib. I. Quotidianarum rerum, cap. XV. Quarta est opinio Donati in Eun. II. II. *Macellum, inquit, à mactandis pecoribus dictum*. Subijcit inde etymon quoque secundo superiùs loco adlatum è Varronis rerum humanarum libris. Donatum sequitur Isidorus, lib. XV. cap. II. *Macellum dictum, quòd ibi mactentur pecora, quæ mercantibus venum dantur*. Similiter Scaliger in Coniect. Quod si placet, à *mactum* erit *mactulum*, inde *mactellum*, à quo *macellum*. Quæ sanè originatio duriuscula. Salmas. de Vsuris, pag. CCCXLVIII. *Macelli vox originis Græca. Et nugatur quidem sciens prudénsque Varro, qui à Macello quodam, cuius ædes in foro fuerint, autumat appellatum, quo condemnato, & in exilium acto, publicatis bonis, ædibus dirutis, locus, vbi erant, τῷ κρεοπωλίῳ destinatus sit. Μάγειρος, & Æolicum, μάγαιρος, inde macellus, & macellum, τὸ κρεοπωλεῖον, τὸ μαγειρεῖον*. Potiùs alterutram Varronis opinionem amplectar: vt nempe vel à μάκελλος sit, vel *Macello* quodam, cuius ibi domus fuerit.

Maceriæ, vt Isidorus censet, lib. XV. cap. IX. ita dicitur à μακρὸς, id est, *longus*, quia propriè sit *paries longus*. Nec multùm abit Nunnesius in Grammatistice, cui placet esse à μῆκος. Perottus deducit a *macer*, quia *minimè sit pinguis*, quippe ita dicitur *paries è lateribus factus sine calce*. Scaliger in Coniectaneis arbitratur esse à μάκελλος, vel μάκελλα, quomodo vel δρύφακτα ἢ φραγμοὶ vocantur, vt Hesychius testatur. Atq; hanc etiã sententiam legas apud Nunnesium, qui tamen ante à μῆκος deriuârat: atque hoc eopse opusculo. Martinius arcessit originem ab Hebræo מקל, id est, *baculus, virga*. Idque quia antiquitus fierent *septa è virgis*.

Macero est, *attenuo, consumo*: vt cùm *cura hominem dicuntur macerare*. Sed quia, quæ aquis imponuntur, vt salsedo aliúsve humor crassus educatur, attenuari solent: indè est, quod eiusmodi quoque *macerari* dicuntur. Quocirca videri possit, *macero* dici quasi *emacio*, à *macer*. Sed videtur obstare quantitas primæ. Quare non minùs verisimile est dici sic quasi μακερῶ à μακερὸς, *liquatus, mollis è liquatione*: quod à τήκω, *consumo, liquefacio, macero*. Gloss. Philox. *maceratum*, τετηγμένον.

Machæra, μάχαιρα, quod vt Eustathius vult, παρὰ τὸ χαίρειν αἵματι, quasi αἱμόχαιρα, quòd *gaudeat sanguine*, vnde de ea ait Plautus, Mil. act. I. sc. I.

Quæ misera gestit fartum facere ex hostibus.

Sed simplicius μάχαιρα deducas à μάχεσθαι, hoc est, *pugnare*. Huius diminutiuum *macharium* à Græco μαχαίριον, quod & ὑποκοριστικῶς μαχαιρίδιον, hoc est, *cultellus*. Vsus pro *sicula*, Plautus, Rudente. Imò & Aulul. act. II. sc. IX. ita vsurpat:

——*Tu machærio*

Congrum murænam exdorsua, quantum potest.

Quamquam vulgus interpretum existimârit *machærio* esse viri nomen; quod meritò displicet Iano Guilielmio.

Machina, μηχανὴ, ex quorundam sententia dicitur propriè de *bellicis instrumentis*; nempe à μάχεσθαι, q. e. *pugnare*. Id quidem magis placet, quàm quod apud Eustathium legitur, esse à μὴ χαίνειν, *non hiscere*, quia nempe ita affabrè facta, vt non patiatur vel *hiscere* quemquam reprehendendi caussâ. Sed verissimum puto, quod est apud Etymologum, venire à μηδομαι, quod est, *meditari, excogitare*; vti hoc a μῆδος, hoc est, *cura consilium, commentum*. Confirmat hoc etymon, quod Comici eo vti solent pro dolis atque insidijs. Item Asconius Pedianus: *Machina*, inquit, *est vbi non tam materia, quàm ratio artis, atque* Ingenii *ducitur*. Quo ex loco simul patet, satis commodè posteriores scriptores *belli machinas* vocare *ingenia* & architectos eorum *ingeniarios*. Græci etiam *maggana* vocarunt. Hesychius: Μάγγανα, μηχανήματα. Etiam vsi hoc posterioris æui scriptores. Vti ἀμφιβολωτάτῳ Hegesippus, lib. IV. cap. XX. de Nerone: *Magganum sibi quoddam de ligno parauit, quo se necaret*. Glycas etiam auctor est Constantinopoli locum *Maggana* dictum, *vbi omnia bellica instrumenta reposita, & libri de Mechanicis*. Lipsius, lib. I. Poliorceticon dial. tertio.

Machlis fera, de qua sic Plinius, lib. VIII. cap. XV. *Item notam in Scandinauia insula, nec vnquam visam in hoc orbe, multis tamen narratam machlin, haud dissimilem alci, sed nullo suffraginum flexu: idcóque non cubantem, sed acclinem arbori in somno, eâque incisâ ad insidias capi, aliàs velocitatis memoratæ. Labrum ei superius prægrande: ob id retrograditur in pascendo, ne in priora tendens inuoluatur*. Pro *machlin* in quibusdam libris est *achlin*: quod Dalecampius probat. Censet enim esse ab α στερητικῷ, & κλίνω, *cubo*: quia Plinius dicit *non cubare*. Sed si, vt idem Plinius ait, est *Scandinauiæ animal*, nec in orbe Romano visum, Græcum ei nomen esse nequit, sed *appellatio* ei data sit à *gente Scandinauia*, vbi nascitur.

Macies, à *maceo*; vt *facies*, à *facio*. Præterea, vt scribit Priscianus in VI. *macor*, dicimus à *maceo*; vt *marcor*, à *marceo*; *mador*, à *madeo*. *Maceo* vsurpat Plautus, Aululariâ:

Mo. *Volo ego ex te scire, qui sit agnus curio.*

Ev. *Qui ossa atque pellis totu'st: ita curâ macet.*

A *maceo* item est *macesco*, vti à *macreo*, *macresco*. A *macesco*, *commacesco*. Varro apud Nonium in *Macescebat*: *Noster auidus quem riualis domo iturus in curiam commacescebat*. Ita eum locum emendat Ianus Guilielmius, lib. III. Verisimil. cap. XVIII. *Maceo*, & *macreo*, sunt à *macer*, quod Perottus & Scaliger putarunt esse à μακρὸς, *longus*. Sed potiùs deriuem ab Hebræo fonte. Nam מק, *macies, tabes*. מקק, *tabuit*. Item מכך *macuit, contabuit*. Atque hinc etiam Græcum μακρὸς, *longus*. Nam *quæ emaciantur, longa fiunt, vel videntur*. A *macer* quoque est *macero*, quod est, *macrum reddo, attenuo*. Quod facere solent, qui se excruciant. Sed extensum etiam ad alia, *quæ aquis mollia teneráque fiunt, vti salsamenta*.

Macrocolum Plinio est, quam Catullus vocat *chartam regiam*. Ea magnitudine *Augustam, Liuianam, Fanniam*, cæteràsque chartæ species exsuperabat. Guilandinus, commentario de papyro, scribit *macrocollum* gemino *LL*, ac deducit à μακρὸς, quod est μεγάλη, & κόλλα, quod esse ait *dorsi bouis corium, vnde glutinum excoquitur*. Sed meritò hunc eius errorem castigat Scaliger. Nam κόλλα non est *tergus bouis*, quod βύρσα dicitur, sed è *tergore*, quod ex ipso Hesychio apparet.

Deinde

Deinde *macrocolum* non est à κῶλα, sed κόλλα, vt benè iam olim scripsit Hermolaus Barbarus. Κόλλα autem vocatur *membrum schedæ*, siue *schedion*. Hinc πρωτόκολλον dicebatur *prima scheda*, in qua character erat chartæ, vt inde nosceretur. Ab eodem *infima scheda* dicebatur ἐσχατοκόλλιον, vt apud Martial. lib.II. epist.IV.

Spectas ἐσχατοκόλλιον, Seuere.

Sic legendum monuit Ios. Scaliger, castigat. in lib. III. Tibulli, & animaduersionibus in Guilandinum. At rectè Perottum castigat Guilandinus, quòd scripserit *macrocolum* idem esse ac *chartam Claudiam*. Nam hæc à *Claudio Cæsare* demum inuenta; vnde & nomen: at *macrocoli* meminit Cicero lib. XIII & XVI. at Att. ac *charta regia*, quæ eadem est, mentio apud Catullum extat. Mirum verò eundem in errorem quoque impingere Hadr. Iunium in doctissimo suo Nomenclatore.

MACTARE est à *mactus*, hoc dicitur quasi *magitus*, hoc est, *magis auctus*: teste Seruio in IV. & IX. Æn. & Prisc. in V. Sic Cato *herbam adultam* vocat *mactam*, nempe ab *augmento*. Similiter *magmentum* est *magis augmentum*. Inuenias apud Varronem, lib. IV. de L.L. & item Arnobium, lib. VII. Et inscriptionibus antiquis. Inde *magmentaria vasa*, quibus *magmenta & exta sacra imposita inferebantur aræ*. Ita interpretantur Gloss. vett. Arnobium hoc quoque vsum putat Turnebus lib. XXII. c. VI. Vide etiam quæ de *magmento* scribit Andreas Schottus, lib. I. Obseruat. Humanarum cap XI. Quod verò *mactare* accipitur pro *cædere*, id fit κατ' ἀντίφρασιν, & per εὐφημισμόν, quod *cædis* voce in sacrificijs, vt mali ominis, abstinerent. At propriè *mactare* dicebantur, cùm ture, vino, aliòve super hostia posito, diceretur, MACTE HOSTIA. In Varro, IV. de L.L. & II. de moribus populi Romani; Seruius in IV. Æn. Porphyrio in Horat. Sat. II. lib. I. Indéque apud Catonem in pollucenda dape legere est: *Macte hocce vino inferio esto: Macte hocce ferto esto: macte hacce dape pollucenda esto.* Vbi Deo, cui sacrificatur, dicitur *Macte esto*, pro *mactus*, hoc est, *cumulatus, auctusque*. Vocandi casus more Attico ponitur pro recto, quomodo apud Tibullum legas: *Huc venias hodierne*, pro *hodiernus*. & apud Persium, sat. III.

Stemmate quòd Thusco ramum millesime ducis,
Censorémve tuum vel quòd trabeate salutas.

Pro *millesimus*, & *trabeatus*. Deum autem *mactum* esse iubebant, quia putarent, sacrificijs augeri deorum felicitatem, vnde legimus, *augere victimis*, & *mactare Deos extis*. Ad alia quoque transfertur hoc verbum: vt cùm Cicero apud Nonium inquit, *mactare honoribus*. Quo de Andream Schottum vide, lib. IV. Nodorum Cicer. cap. IV. Sed duriùs ad res malas transtulit Plautus, apud quem solenne est, *mactare malo*, vel *infortunio*. Quemadmodum & idem vsurpat pro *fatigare* aut *molestiam creare*; vt cùm Rudente, Act. I. Scen. II. ait:

Si sapiam, hoc quod me mactat, concinnem lutum.

MACVLA iuxta Nunnesium κατὰ μετάθεσιν fit à Dorico μάκλα pro κηλίς, quod Hesychio exponitur ῥύπος, εἶδος αἰσχροῦ ἐν ἱματίῳ.

MADERE videri possit esse à μαδᾶν. Nam quamquam ea vox ferè significat *glabrum ac depilem esse*, tamen videtur & poni pro *madere*, vt apud Theophrastum cùm alibi, tum lib. IV. vbi ait: συκῆ δ' ὅταν ἢ ὑπὲρ τὴν ὥραν ὑετία γένηται· τὸ γὰρ περὶ τὰς ῥίζας ὥσπερ μαδᾷ; quem locum sic Plinius extulit. lib. XVII. cap. XXIV. *Si imbres nimii fuere, alio modo ficus laborat, radicibus madidis*. Et sanè pro hac lectione esse, tum quòd Festus *manissa* deducat à Græco μαδᾶν, vt mox dicam; tum quòd μαδᾶν affine sit Hebræo מוט, quod *ruinam* significat. Alij tamen apud Theophrastum pro μαδᾷν semper legunt μυδᾶν, quod passim accipitur pro *nimio humore putrescere*. Et fortasse sic quoque scripsit Festus, cùm & indè *madulsa* non absurdè deducatur. Nam υ non rarò in α mutatur. Sic à κύλιξ est *calix*, à κυὸς, *canis*, &c. Similiter igitur à μυδᾶν fuerit *madere*. Quòd verò ad *madulsa* vocem (ea *ebrium vinóque madentem* significat) magis placet altera illa Festi ἐτυμολογία, vt sit à *madere*. Nam & *madidus* itidem pro *ebrio* accipitur apud Plautum, Mostell. Act. I. IV. Et è contrario *siccum* pro *sobrio* dixit Plautus Asinariâ, & Cic. in Academicis. Idque Græcorum imitatione. Notum Heracliti illud, αὔη ψυχὴ σοφωτάτη, *anima sicca sapientissima*. Minimè verò probo quod doctissimus Angelus Caninius, in Hellenismi Alphabeto, *madidus* à μέθυλλος deducere maluit (vt λ in δ conuertatur, quomodo à μελετᾶν est *meditari*,) quàm à *madeo*, quod ἀναλογία postulat. vt liquet ex *calidus*, *frigidus*, *torridus* & similibus, quæ à verbis veniunt.

MÆNADES, αἱ μαινάδες, αἱ βάκχαι, vt ait Hesychius. Ita dictæ à μαίνεσθαι, hoc est, *furere*. Hoc verò est vel à μάω, quod est *vehementer cupere*, ὅθεν τὸ δῖον ἐπιμαίνομαι, vt vult Eustathius: vel ab Hebræo המה, id est, *tumultuari*, κατὰ μετάθεσιν. Vnde & dictum volunt Græcum ὁρμή, quod est *impetus*. Quæ Hennischi est sententia notis in Aretæum pag. CCCXXVIII. Ἀπὸ δὲ μανίας etiam dicta *Mania*, quam *Larium matrem* scribit Varro, lib. II. de Analogia, & Arnobius lib.... Vnde caussam cognoscimus, cur insani *Laribus* porcum sacrificarint: quippe qui eiusdem, ac mater, potestatis forent. Aliter dicta est *Larunda*. Sed si id nomen est à *Laribus*, quid prohibet, quò minus dicamus, *Maniam* dictam à *Manibus*. Nam *defunctorum animæ* dictæ tum *lares*, tum *manes*. Cur verò Græci furorem μανίαν vocent, varias caussas adferre conatur Cœlius Aurelianus lib. I. χρονίων cap. V.

MÆREO & *mæror* per *æ* scribi oportere, ex antiquis, & libris & lapidibus, colligit Aldus in Orthographia. Proque hac scriptura est Varro, in V. de L.L. qui à *marcendo* deducit. Sed verisimiliùs, qui originem arcessunt ab Hebræo מרר, *amarum esse*. Quâ voce de *tristitia* atque *exacerbatione* non semel vtitur Scriptura. Quare non assentio Cæsari & Iosepho Scaligeris, qui per OE scribunt, ac deducunt à μοῖρα, hoc est, *portio, fatalis portio, fatum*. Nempe vt *mæror* sit propriè *dolor*, qui fatum siue mortem hominum conciliare atque adferre possit.

MAGALIA, & *mapalia*, vt in IV Æn. scribit Seruius, idem significant: sed in *magalia* MA producitur, vt IV. Æn.

Vt primùm alatis tetigit magalia plantis:

In *mapalia* verò corripitur, Vt.

——*Et raris habitata mapalia tectis.*

Idem Seruius in I. Æn scribit: *Magalia antistœchon est. Nam debuit magaria dicere: quia magar, non magal Pœnorum lingua villam significat. Cato Originum primo: Magalia ædificia, quasi cortes rotundas dicunt. Alij Magalia casas Pœnorum pastorales dicunt.* Hæc Seruius. Catonis ab eo locum allatum, sed è quarto Originum, etiam citat Festus in *Mapalia*, vbi itidem *casas Punicas* interpretatur. Similiter Salustius in Iugurth. *agrestium Numidarum ædificia*. Plinius, lib. V. cap. III. *domus quæ Nomades plaustris circumferunt*. De etymo Seruio assentit Isidorus, lib XV. cap. XII. *Magalia*, inquit, *ædificia Numidarum agrestium oblonga, incuruis lateribus tecta, quasi nauium carinæ sint: siue rotunda in modum furnorum. Et magalia dicta, quasi magaria, quia* MAGER *Punici nouam villam dicunt, vnâ literâ commutatâ, L pro R, magaria, magalia.* Sic legendus is locus: non *magaria, tuguria*, vt est in vulgatis. Quòd verò Seruius ait, *Magaria* dici debere, sanè pro eo est quod apud auctorem prologi, quæ Plautinæ Pœnulo præmittitur. in vetustissimis Camerarij codd. fuit, *magaribus*. vnde vett. editt. fecere *megaribus*. Et certum est Hebræos *habitationem* vocare מגור, *magur*: vnde Syri *magar* fecere: quos imitantur Pœni. Nam lingua Punica dialecto tantùm ab ea differebat. Atque, vt censeo, ab illo *magar* (pro quo in Plauti codd. est *megar*,) venit Græcum μέγαρον pro *domo*. Latini non *magar*, sed & *magal* dixere. Quid mirum, cùm tam multa sint, vbi *R* in *L* transeat? Quare *magalia* quoque rectum puto: præsertim cum similiter scribatur apud Charisium: Item in Glossis, vbi est: *Magalia*, Καλύβαι. Item Καλύβια Ἀφρῶν, *Magalia*. Loci Carthagini qui *Magalia*, seu *Magaria*, diceretur, quoque Appianus in Punicis, atque alij meminere. *Mapalia* voce translatè vsus Seneca ἀποκολοκυντώσει. *Vos mera mapalia fuistis.* Hoc est, ad modum barbarorum & agrestium Numidarum vixistis disciplinæ expertes.

MAGISTER (ex quo Germanicum *meister* & *meester*) vel est à *magis*, vt à *minus*, *minister*: vel potiùs à Græco μέγιστος, vnde & *magistratus* Græcis dicuntur *megistanes* Ita *magister* dicetur quasi *megister*. E in A abit, quomodo à μένειν est *manere*. ΟΣ vero in ER vt ab ἀγρός, *ager*. Becmanus censet esse à *magus*, vt propriè signet *magum paruulum*, vel *magorum imitatorem*. Sed duo huic sententiæ puto aduersari. Vnum est ἀναλογία, quia sic dicendum est *magaster*: vt *surdaster*, *parasitaster* *Antoniaster*, & similia. Altera est significatio. *Magister* enim propriè est *potestatis* nomen, non *sapientiæ*. Aliud enim *magister*; aliud *præceptor*. *Præceptor* propriè est *artium doctor*, à *præcipiendo*, hoc est, *docendo*; quomodo dixit Flaccus: *Quicquid præcipies, esto breuis*. *Magister* verò est ἐπιστάτης, siue *præfectus*: vnde *magister curiæ*, apud Plautum, Aulul. *societatum*, apud Ciceronem pro Plancio, II. & III. Verrinâ, atque alibi: *collegiorum*, apud Asconium in Pisonianam: *vicorum*, apud Suetonium, Augusto: inque veteri inscriptione (*vico magistrum* voce compositâ dixit Publius Victor) *pagorum*, in inscript. antiquis, & apud Siculum Flaccum. lib. de conditionibus agrorum; item in fragmento Magonis & Vegoiæ libris quod inter varios auctores de limitibus inuenitur: *aris*, itémque *census*, in Codice; *nauium*, apud Liuium, lib. XXIX. item in Codice Theodosiano & Digestis non vno loco: *pecoris*, apud Varronem, II. de R. R. cap. X. & Cic. VII. Verr. Hinc liquet,

honoris

honoris gratiâ nomen *magistri* tributum esse *artium doctoribus*: at si primam significationem spectemus potiùs signare *ludi* aut *discipulorum præfectum*, quàm *doctorem*. Idem hac de voce sensere veteres omnes. Verba adferam Paulli I.C. Festi, Varronis, idque eò minùs alienum ab instituto nostro erit, quia eadem patebit, quid de *magistri* & *magistratus* originatione & statuerint antiqui. Sic ergo Paullus, L.Cui.LVII. de verb. significat. *Cui præcipua cura rerum incumbit, & qui magis quàm cæteri diligentiam & solicitudinem rebus, quibus præsunt, debent, hi magistri appellantur, quin etiam ipsi magistratus per deriuationem à magistris cognominantur. Vnde etiam cuilibet disciplinæ præceptores, magistros appellari à monendo vel monstrando.* Festus: *Magistrare, moderari, vnde magistri non solùm doctores artium, sed etiam pagorum, societatum, vicorum, collegiorum, equitum dicuntur, quia omnes hi magis cæteris possunt: vnde & magistratus, qui per imperia potentiores sunt quàm priuati. Quæ vox duabus significationibus notatur; nam aut personam ipsam demonstrat, vt cùm dicimus, magistratus iussit; aut honorem, vt cùm dicimus, Titio magistratus datus est.* Varro, IV. de L.L. *Magister equitum, quòd summa potestas huius in equites, & adcensos: vt est summa populi Romani dictator: à quo is quoque magister populi appellatus. Reliqui, quòd minores quàm hi magistri, dicti magistratus, vt ab albo albatus.* Hactenus Varro, à quo in eo recedo, quòd *magistratus* ἀμέσως deducit à *magister*: quemadmodum nec Festo in eo adstipulor, quòd *magister* à *magistrare* deriuat. Nam omnino *magistratus* est à supino verbi *magistrare*, quod Festus interpretatur, *regere, temperare.* Iulius Capitolinus: *Ipse quoque inter manipulares vitam militarem magistrans.* *Magistrare* verò à *magister* factum esse, docet ἀναλογία. Sic publicæ *magistrationes* in Cod. Theodos. hoc est, *schola publica.*

MAGNES, ὁ μαγνήτης λίθος, bifariam accipitur ab antiquis. Interdum sic vocatur *lapis, qui ferrum trahit*: interdum *alius argentei nitoris* Posteriori modo sumit Theophrastus qui ait, *magnetem* nonnullis esse admirationi, quia vsque adeo *similis sit argento*, cùm planè alius generis sit. Quia verò interdum *magnes* est alius ab eo, qui ferrum trahit, inde est, quòd quidam veterum dicant alium esse *magnetem* ab *lapide Heraclio.* Hesychius: μαγνῆτις λίθος, αὕτη ποιεῖ τὴν ὄψιν ἀργυροειδῆ ἐμφερὴς ὤν· ἡ δὲ Ἡρακλεῶτις τὸν σίδηρον ἐπισπᾶται. Ac apud Photium quoque legere est ex Helladio Besantineo: ὅτι ὁ λίθος ὃν φαμεν, οὐχ ἡ μαγνῆτις, ἀλλ' Ἡρακλεία καλεῖται τὴν λίθον, ἥτις ἕλκει τὸν σίδηρον. Sed etsi verum est, *lapidem Heraclium alium esse à magnete*, tamen verum quoque est, rectè *Heraclium* vocari *magnetem*, quia, vt dixi, diuersimodè vox *magnetis* sumitur. Vterque autem dictus *magnes*, quasi *Magneticum* dicas, nempe à *patria*, quia *circa Magnesiam proueniret.* Ac ille *qui ferrum trahit*, etiam *Heraclius*, & *Lydius*, dicebatur. Nam proueniebat circa *Heracleam*, & *Magnesiam*, ciuitates *Lydiæ*. Indè nomen. *Heraclij, Magnesij, Lydij.* Nec solùm nasceretur circa *Heracleam Lydiæ*, sed etiam *Heraclea Macedoniæ* contermina: imò qui hîc nasceretur, meliorem fuisse illo circa *Magnesiam Lydiæ* crescente, auctor est Plinius. Vulgo pro *Heracleo lapide* dicunt *Herculeum*: sed perperam, cùm Ἡρακλεία λίθος dicatur non ab *Hercule*, sed ab *Heraclea*, vnde & Ἡρακλεῶτις λίθος nominatur. Quemadmodum autem *magnetis* vox est πολύσημος; ita & *Lydij* lapidis. Nam interdum sic dicitur *Heraclius lapis, qui ferrum trahit*: interdum *quo aurum probatur.* Priori modo sumitur in hoc trochaico:

Λυδία λίθος σίδηρον πολλάκις ἐπισπάσατο.

De eodem Hesychius, de *Heraclio lapide*, siue *Magnete*: Κέκληται δὲ οὕτως ἀπὸ Ἡρακλείας τῆς ἐν Λυδίᾳ πόλεως· διὸ καὶ Σοφοκλῆς Λυδίαν λίθον αὐτὴν καλεῖ. Ac *eum* quoque, *quo aurum probatur*, sic vocari indicat Plin. L. XXXIII. c. VIII. his verbis: *Auri argentique mentionem comitatur lapis, quem coticulam appellant, quondam non solitus inueniri, nisi in flumine Tmolo, vt auctor est Theophrastus: nunc verò passim, quem alij Heraclium, alij Lydium vocant.* Vnde discimus non tantùm illud, vocari eum *Lydium lapidem*, sed etiam iccirco sic vocari, quia primùm inuentus sit in Tmolo, Lydiæ flumine. Sed quod addit, aliter dici *Heraclium*, id in dubium vocari possit. Nec enim *Heraclius lapis* aliter vnquam accipi videtur, quam pro *eo qui ferrum trahit*, atque ex eo etiam σιδηρίτης nominatur.

MAGNVS, vel à μέγας inserto *N*, quomodo à *rego* est *regnum*; à *tego, tignum*: vel à μέγαλος extrito *ε*, & mutato λ in *N*; quâ ratione à γρυλλίζω fit *grunnio*; & à Syriaco *nux*, *nux*. Comparatiuus *maior* est omnino à μείζων. Nam quia antiqui Romani carebant literâ Z, mutabant eam in *I* consonum, quomodo & à ζυγὸς fecere *iugum*. Nec repugnem tamen, si quis malit, *maior* esse contractum è *magnior*. & eliso *N*, *magior*: tandem *G* quoque extritum, vt esset *maior*. A *magior* videtur remansisse aduerbium *magis*: quod & censet Iul. Scaliger. de causs. L.L. cap. CI. Sanè longius abeunt literæ, à Græco μάλα vel μᾶλλον, vnde vocem eam arcessit Festus, & cum eo Nunnesius. Potiùs, si omnino à Græcis esse placet, deducere possis à μέγιστος, vnde erit *magis* pro *megis*: quomodo & *magister* ab eodem dicitur pro *megister*. Sed vnum huic etymo obstare videtur, quòd Latina vox comparatiui, Græca verò superlatiui sit gradus. Tertium etiam etymon vocis *maior* adducamus. Sanè haut ineptè suspicetur aliquis esse ab antiquo positiuo *maius* pro *magnus*, vnde *Deus Maius*, & *Dea Maia*. Macrobius, lib. I. cap. XII. *Sunt qui hunc mensem ad nostros fastos à Tusculanis transisse commemorent, apud quos nunc quoque vocatur Deus Maius, qui est Iupiter, à magnitudine scilicet ac maiestate dictus.* Et paullò pòst: *Affirmant quidam, quibus Cornelius Labeo consentit, hanc Maiam, cui mense Maio res diuina celebratur, terram esse, hoc adeptam nomen à magnitudine; sicut & mater magna à sacris vocatur.* Ab antiquo *maius* pro *magnus* est & *maiestas* pro *magnitudo*. Ab eopse vocabulo vxorem Vulcani dixere *Maiestam*, vt ex Pisone ibidem tradit Macrobius. Superlatiuus *maximus* ex *magnissimus* est contractus, vt scribit Terentius Scaurus. De Orthographia. A *magis* (cuius originem ante adduximus) est apud Lucillium *demagis*: quod Festus malè exponit *minùs*: nam *De* est ἐπιτατικὸν, vnde Nonius rectè interpretatur *valde magis*, Glossæ Latino-Græcæ ζωρότερον. Similia sunt *deperire* pro *valde perire*; *deparcus* pro *valde parco*, apud Tranquillum; *defœdus* pro *valde fœdo*, apud Cic. ad Att. *dequeri* apud Papinium, &c. Sed fortasse Paullus, vel Festus, saltem *demagis* non exposuerit *minùs*, sed *nimis*. *Minùs* tamen est etiam in MS°.

MAGVDARIS, μαγύδαρις, *semen silphij*, iuxta Galenum, in Lexico Hippocratis; item Pollucem; etsi aliqui *radicem ipsam* sic dixerint, teste Dioscoride: vel *caulem*, vt Plinius accepit, atque etiam Priscianus: vel *succum*, vt Hesychius tradit. Imò sic quoque dicebatur *diuersa à silphio planta*, eáque non in Cyrenaica, sed Syria, proueniens, ac succi expers: vt constat ex Theophrasto. Ac meminit eius rei quoque Hesychius. *Cyrenaicam magudariam* intellexit Plautus, Rudente:

Si tibi confidis fortè multùm magudarim.

Ac *vocem* quoque censeo esse *Cyrenaicam*, a qua regione *succus* ille, non natiuis quidem, qui computruisset, sed iam arte præparatus, in regiones exteras aduehebatur.

MAGVS, μάγος, ab Hebræo מגוגים, quod *meditabundos*, ac *in rerum cognitione occupatos* significat, à Rad. הגה, quod est, *meditari*. Nam *magos* (vt Hieronymus scribit in Danielis cap. II.) *consuetudo & sermo communis pro maleficis accepit, qui aliter habentur apud gentem suam, eò quòd sint philosophi Chaldæorum, & ad artis huius scientiam reges quoque & principes eiusdem gentis omnia faciunt.* Abundè de *magi* voce agit Appuleius in Apologia, quâ se defendit aduersus eos, à quibus *magiæ* accusabatur. Docet autem, quanquam vulgò dicantur *magi*, qui incredibili cantaminum vi pollent: tamen Persarum genti idem esse *magum* ac Latinis est *sacerdos*, ac *veram magiam* à Platone exponi Θεῶν θεραπείαν, eam Zoroastre, & Onomace, auctoribus esse nobilem, Zamolxi quoque cognitam fuisse, aliáque de quibus ipsum adi. Nec tamen putandum solis Persis fuisse *magos*: quando de alijs quoque gentibus idem testatur Lucianus in Longæuis: Οἱ καλούμενοι Μάγοι, γένος τοῦτο μαντικὸν, καὶ θεοῖς ἀνακείμενον παρά τε Πέρσαις, καὶ Πάρθοις, καὶ Βακτρίοις. Porrò Appuleianam illam de *Magis* sententiam refutauit Theodorus homo Christianus, quem Photius in bibliotheca scripsisse ait, βιβλία τρία περὶ τῆς ἐν Περσίδι μαγικῆς, καὶ τίς ἡ τῆς Χριστιανῶν διαφορά, ἐν λόγοις τρισί. Vide de *magis* imprimis Cœlium Calcagninum, dialogo, qui inscribitur, Equitatio. Adi & Cœlium Rhodiginum, lib. IX. cap. XXIII. item doctos interpretes in Matth. cap. II. & Barthium lib. LVIII. Aduersar. capite II.

MAIALIS quid sit, indicat hoc Varronis, lib. II. de R.R. cap. IV. *Castrantur verres commodissimè anniculi: quo facto nomen mutant, atque è verribus dicuntur maiales.* Item cap. VII. *Equi demtis testiculis fiunt quietiores: & ideo, quòd semine carent, ij canterij appellati, vt in suibus maiales: gallus gallinaceus, capi.* Etymon legas in Glossis Isidori: *Maialis, porcus pinguis, quod Deæ Maiæ sacrificatur, matri Mercurij.* Sed alijs placet nomen esse ex eo, quia *maiales* fiant verribus *maiores* ac pinguiores.

MAIVS à *maioribus* dicitur, iuxta Varronem in V de L.L. Similiter Festus: sed alterum quoque etymon addit: *Maius mensis, inquit, in compluribus ciuitatibus Latinis ante vrbem conditam fuisse videtur, qua ex caussa, vtrùm à maioribus, vt Iunius à iunioribus dictus sit: an à Maia, quòd Mercurio filio eius res diuina*

dentina Idibus fiant solennes, &c. Vtrumque etymon etiam affert Macrobius, lib. I. Saturn. cap. XII. Sed vtrum *Maia* hæc Mercurij fuerit mater, an alia eius nominis Dea, valde veteres dissensisse docet: imo aliquos non a *Maia* deriuasse, sed *Deo Maio*, qui sit *Iupiter*. Nam *maius* idem ac *magnus*: vnde *maiestas*: de quo in *Magnus* dictum. A *Magnitudine* dicti videri possint *Maij*: vt auus maternus Virgilij, vnde mater poëtæ *Maia*. Vulgo in vita poëtæ *Magus* legitur pro *Maius*, indéque fabula, auum maternum Maronis *magum* fuisse: ab eo poëtam didicisse artes *magicas*: his miranda illa fecisse Neapoli, quæ leguntur apud Arnoldum Abbatem Lubecensem, in Chronico Slauorum, lib. IV. cap. XIX. Sed auum Maronis non *magum* dictum, verùm *Maium*, argumento est, quòd ab eo mater diceretur *Maia*: quomodo *filia Tullij* dicta *Tullia*, *Cornelij* vocata *Cornelia*, & ita in cæteris.

M a l a à *mando*, vt *pala*, à *pango*, *vela* pro *vehela*, vel *vehiculum*: vnde *velaturam facere*, apud Varronem. Festus: *Vela apud Oscos dicebatur plaustrum: vnde velarij stipites in plaustro, & vectura, velatura*. Sic legit Clarissimus Salmasius Notis in Capitolinum, Maximinis duobus. Cuius scriptoris verba sic idem corrigit, pag. CCLI. ex optimo codice: *Alios sic eis vehiculis exhiberis*. Vbi vulgo *vehiculis*. *Vehela* à *veho*; vt *loquela*, à *loquor*. Similiáque *fugela*, pro *fuga* Varroni apud Nonium; Etiam *suadela*, & *suada* dixere. Similiáque *custodela*, *sequela*.

M a l a est *gena*. Iulius Cæsar Scaliger rectè censet esse contractum ex *maxilla*: nempe eà ratione, qua *ala* ex *axilla* contractum esse docet Cicero Oratore ad Brutum, vt suo diximus loco. *Maxilla* autem vult esse a *maxula*, *maxula* à *maxa*, *maxa* à *maxo*, quo quid signetur, ingenuè me fateor ignorare. Omnino autem de *maxilla* vir summus fallitur. Nam *maxilla* est à μάσσω seu μασάομαι, quod est, *mando*, *manduco*. Geminum σσ abit in X, vt à πάσσαλος, *paxillus*, vnde *palus*. Venit & in mentem posse *maxilla* diminutiuum videri a *mala*: nempe vt *mala* sit à Dorico μᾶλον pro μῆλον, quomodo Græcis *malas* dici, clarè ait Pollux, lib. II. cap. IV. §. XVIII. Vbi & caussam nominis adfert. Ὀνομάζεται δὲ μῆλα παρὰ τὸ ἀνθεῖν ἐν ὥρᾳ. ἰοῦλα ὀνομάζεται καὶ παρειαὶ καὶ γνάθοι. *Mala vero dicta, quòd floreant in vere ætatis. Hæ & genæ, & maxillæ vocantur*. Isidorus, lib. XI. cap. I. paullò aliter: *Vocata*, inquit, *mala*, *quòd infra oculos promineant in rotunditatem, quæ Græci μῆλα appellant*. Censent *malas* dici, quia ob rotunditatem, *mali* speciem referant. Subiungit deinde, *siue quòd sint super maxillas*. Quasi nempe *mala* sit à *maxilla*. Sed hoc pugnat cum eo, quod continuò subiicit: *Maxilla per diminutionem a malis, sicut paxillus a palo, taxillus à talo*. Nimis verò durè Nunnesius in Grammatistice. cui *mala* est à γαμφή, *maxilla* à γαμφηλὴ, quia nempe Hesychio γαμφαί & γαμφηλαί sint αἱ γνάθοι, siue αἱ γένυες; & γ in L commutari non sit omnino insolens.

M a l a x o significat *mollire*, *subigere*, à Græco μαλάσσω, quod eiusdem notionis. vnde μάλαγμα, *malagma*, fomentum quo apostemata molliuntur maturáque fiunt: quomodo vsi Columella, Celsus, alij. *Malaxare malas* Laberius dixit, teste Gellio lib. VII. cap. XVII. Et *philosophia commalaxat hominem*, vt, Nonio teste, loquitur Varro, Flextab. siue περὶ ἀπεργασίας. Ἀπὸ δὲ μαλάσσειν dicta μαλάχη herba Plinius, lib. XX. cap. XXI. *E contrario in magnis laudibus malua est vtraque, & satiua & syluestris: Duo genera earum amplitudine folij discernuntur. Maiorem Græci malopen vocant in satiuis. Alteram ab emolliendo ventrem, dictam putant malachen*. Latinum *malua* ex Græco *malache* factum esse, scribit Varro, lib. IV. de L.L. Quod si placet, dicemus χ mutari in V consonum: quomodo a βραχὺ est *breui*. Sed quid prohibet, quò minus dicamus esse ab Æolico μάλβα pro μαλάχη. Nam μολόχη est μαλάχη, iuxta Hesychium. Vocatur & μολόχη. A in O verso, Athenæo teste lib. II. qui eo Antiphanem, & Epicharmum vsum docet. Ac fortasse Columella quoque vsurpat Carm. de Horto:

Et moloche, prono sequitur quæ vertice solem.

Ita quidem citat in Thesauro suo H. Stephanus. Sed in editt. optimis *malache* inuenimus: etiam eà, quam R. Stephanus edidit. A μαλάσσω quoque est μαλακὸς, *mollis*, vnde *mæchus malacus* apud Plautum, Trucul. Act. II. Sc. VII. & *cinædus malacus*, Mil. Act. III. Sc. I. Ita enim ibi legendum esse constat ex veteribus codd. Idem Bacch. I. I. *malacum pallium* vocat *sinàtropin*, siue *vestem cænatoriam*, quia mollior fuit ac pretiosior, vtpote sæpe purpurea aut coccinea. Duza tamen *malacum* non à *mollitie* dictum putat, sed à *colore malaches* siue *maluæ*. A μαλακὸς est μαλακία, *mollities*. Latini hinc *malaciam* vocant maris tranquillitatem. Cæsar, lib. III de bello Gallico: *Conuersis in eam partem nauibus, quo ventus ferebat, tanta subito malacia ac tranquillitas exstitit, vt se loco mouere non possent*. Vsus quoque hoc pacto Aurelius Victor, cap. XXII. *Antium profecti sunt, vbi per malaciam maris angusti proximè Æsculapij fanum petiit*. Ita optimè in Notis ad eum locum legit Andr. Schottus. Μαλακῶς accipit Seneca, epist. LXVII. Vti & Plautus, Bacch. Act. I. Sc. I.

Quid est quòd metuas, ne tibi lectus malaciam apud me suadeat?

Ita rectè emendauit Lambinus. Sed & *stomachi malaciam*, pro *languore & imbecillitate* dixit Plinius, lib. XXVIII. cap. VII. Atque idem lib. XXIII. cap. VI. *malacias* in prægnantibus vocat *deprauatum appetitum*, quo stomacho ob copiam erodentium humorum malè adfecto, nunc hoc, nunc illud sæpéque absurda, vti carbones atque alia appetunt. Græci κίσσαν siue κίτταν, hoc est, *picam* appellant: nempe a *vario eius auis colore*. Ac verisimile sit Næuium etiam dixisse in Lycurgo: *Pallis, patagiis, crocotis, malacis mortalibus*, vt in antiqua Veneta Pincij excusum video. Vt *prauum & varium affectum* taxet poëta, *quo mortales in vestibus luxuriant*. Aldina male habet *malaciis mortualibus*. A μαλακὸς quoque est μαλακίζω, *mollio*, *malacisso*. Vbi apud Plautum, Bacch. Act. I. Sc. I. Bacchis adolescenti ait, *Malacissandus es*.

Malicorivm, σίδιον, siue *cortex mali Punici*, vt Plinius ait, lib. XXIII. cap. VI. Nominis etiam caussam adfert. *Hic cortex* inquit, *ex acerbis* (malis Punicis) *in magno vsu. Vulgus coria maxime perficere illo nouit: ob id malicorium appellant medici*. Sed simplicius dixeris ita vocari, quia *corio similis* sit ob duritiem & crassitiem.

M a l l e v s, quasi *molleus*, à *molliendo* ferro: iuxta Isidorum, lib. XIX. cap. VI. *Malleus*, inquit, *vocatur, quia dum quid calet & molle est, cudit & producit*. Sed est τῷ μαλλεῖ ab חלם, quod est, *confundere*, vnde Iud. V. XXIV. הלמות, hoc est, *malleus*. Καταπεμπτήριος, *malleus* dicitur de *morbo iumentorum*. Nempe *ipsa appellatione vim cladis periculúmque testante*: vt ait Vegetius, Mulomedicinæ lib. I. cap. II. Nisi à Græcis potiùs. Nam μάλις *iumenti morbus, cùm tussit*: teste Hesychio. Diminutiuum est *malleolus*: quod ob similitudinem aliis accommodatur. Vti *malleolis* in vitibus. Auctor Columella, lib. III. cap. VI. his verbis: *Malleolus nouellus est palmes innatus prioris anni flagello, cognominatúsque à similitudine rei, quòd in ea parte, qua deciditur, ex vetere sarmento prominens vtrimque, malleoli speciem præbet*. Et Plinius, lib. XVII. cap. XXI. *Solebat capitulatus vtrimque è duro surculus seri; eóque argumento malleolus vocatur etiam nunc*. Similiter Isidorus, lib. XVIII. cap. V. qui Columellæ verba exscripsit. Transfertur quoque ad manipulos aut collectiones sparteas, formâ quadam mallei ligatas, & pice aut sulphure illitas, & incensas: quæ in muros aut tecta conijci solent. Festus: *Malleoli vocantur, non solùm parui mallei, sed etiam ij, qui ad incendium faciendum aptantur, videlicet ad similitudinem priorum*. Nonius: *Malleoli sunt manipuli spartei, pice contecti, qui incensi aut in muros, aut in testudines coniiciuntur*. Idem illud Sisennæ adducit è quarto histor. *De quibus partim malleolos, partim faces sarmentorum incensos supra vallum frequentes*. Meminit & Vitruuius, lib. X. cap. vlt. *Sed ibi* (naues cum sambucis) *malleolis confixæ, incensæ sunt conflagratæ*. Item: *Denique totam machinam candentibus malleolis & ballistarum plagis dissipauerunt*. Sed imprimis graphicè eas depingit Ammianus Marcellinus, lib. XXIII. Cuius egregium locum aliorum testimoniis firmat & illustrat Iustus Lipsius, lib. Πολιορκητικῶν, Dialog. V. A *malleus* quoque est *malleator*, quomodo dicebatur, *monetarius*, quia *metallum malleo cuderet ac feriret*. Vnde vetus inscriptio: Signat Svppostores Malliatores Monetæ Cæsaris N. Ac Martialis lib. XII. epigr. LVII.

Illinc balucis malleator Hispanæ
Tritum nitenti fuste verberat saxum.

Vbi quid *balux* sit, alibi diximus.

M a l l v v i æ, vas in *quo manus lauantur*: vt *pelluuia*, in *quo pedes*. Itaque *malluuia* quasi *manuluia*; vt *pelluuia*, quasi *pedeluia*: illud χειρόνιπτρον, hoc ποδόνιπτρον vocant Græci. Quamquam paullò aliter hac de re Festus. *Pelluuium* similiter quasi *pedeluuium* à *pedum lauatione* dici scripsit Varro IV. de L. L. Sed hoc est à πέλλα, quemadmodum suo loco dicemus.

Malobathrvm, μαλόβαθρον vel μαλάβαθρον, è Syria in Græciam atque Italiam portabatur, vnde *Syrium* appellat Horatius, lib. II. Od. VII. Nempe, vt Scaliger ait, exercit. CXLVI. §. II. non à *natalibus*, sed *officinæ loco*. Similiter *calamus aromaticus* a Græcis quidem κάλαμος ἀρωματικός, à Romanis *Alexandrinus* dicebatur, quia ad illos è *Syria* ad hos *Alexandria* apportaretur. Nascebatur *malobathrum* in Indicis paludibus, vt Dioscorides ait lib. I. cap. XI. Itaque *Indicam* esse appellationem arbitror: fortè ex *tamalabatra*, quomodo *fo-*

lium Indicum ab Indis hodie vocatur. Alij aiunt *malobathron*, Indis dici *bathron*, & crescere in loco Indiæ dicto *Malaber*: indéque formari vocem *malobathron*. De re ipsa vide Matthiolum ad Dioscor.

MALTHA fiebat è pice liquida, & vnguine, quod vocamus axungiam, vel seuum, item è calce minutatim superadiecta: vt plenius describit Palladius, lib.I. cap.XVII. Vide & Plinium, lib.XXXVI. cap.XXIV. Festus: *Maltha dicitur à Græcis pix cum cera mista.* Inque Glossis vett. exponitur πισσόκηρος. *Ceræ* non meminit Palladius. Sed Pollux, lib.VIII. cap.IV. clarè ait *maltham* esse *ceram*, *quâ illinerentur iudicum tabellæ*. Et Hesychio μάλθα seu μάλθη esse dicitur κηρὸς μεμαλαγμένος; vnde & etymon cognoscitur. Nam μαλάσσω & μαλθάσσω, *mollio*: vt μαλακὸς, & μαλθακὸς, *mollis*. Cæterùm apud Hesychium μάλθη, non solùm exponitur *cera mollita*; sed etiam μαλακία ἢ τρυφερόν. Ac similiter vsi Latinis. Nonius *Maltas veteres molles appellari voluerunt à Græco, quasi* μαλακούς. Lucillius, lib.XXVII. *Insanum vocant quem maltam & feminam dici videt.* Hinc nomen *Maltini* format Horatius, lib.I. Sat.II.

Maltinus tunicis demissis ambulet.

A *maltha* est *malthare*, hoc est, *maltha solidare*, & *conglutinare*. Vsus Plinius, lib. XXXVI. cap.XXIV. *Quod malthatur, oleo perfricatur ante.* Item vetus Iuuenalis interpres in hoc poëtæ:

Quassatum & rupto poscentem sulphura vitro.

Vbi ait: *quia hoc solent vitrum solidare, id est, malthare.*

MALVM priori porrecta, à Græcis esse, rectè ait Isidorus, lib. XVII. cap. VII. Quippe est à Dorico & Æolico μᾶλον, pro μῆλον; quod non modò *pecus*, & *mamillam*, sed & *pomi genus* significat. Varro, lib.IV. de L.L. *Malum, quod Æoles dicunt* μᾶλον. At arbor ipsa, *malus*, Græcè μηλέα. Hinc *malus* nauis nomen accepit; quòd nempe *ex trunco arborum fieri soleat; quas inter malus frequentissima*. Confirmat hanc rem, quòd & generatim *arborem* pro *malo nauis* dicat Iuuenalis Sat.XII. Quare non audiendus Isidorus, lib.XIX. cap.II. *Malus*, inquit, *dictus, quia habet instar mali in summitate: vel quia quasi quibusdam malleolis ligneis cingitur, quorum volubilitate vela faciliùs eleuantur.* Quod & apud Gyraldum, de Nauig. cap.XII.

MALVS ex μέλας, id est, *niger*, vt ἐτυμολογίζει Isidorus, lib X. Sanè *nigrum* pro *malo* non semel legas apud poëtas. Vel contractum ex μαλακὸς, hoc est, *mollis*: vt censet Iul. Scaliger Exercitat.CCC. sect.III. iuxta quem propriè signet *imbellem*: vt Græcè κακὸς ἀπὸ τοῦ χάζεσθαι. Vide quæ ad hanc sententiam firmandam adducemus in *Virtus*. Sed possis simpliciùs, atque eadem mente deducere à μαλερὸς, cui opponitur ἰσχυρός. Nam Hesychius μαλερῶς φέρει exponit ἀσθενεῖ. Vel etiam à μαλὸς, quod κατ' ἀφαίρεσιν factum ex ἀμαλὸς, quod idem est ac ἁπαλὸς, siue ἀσθενὴς, eodem Hesychio teste. Vnde ἀμαλὰς, vel potius ἀμαλῶς, quod ἀσθενῶς exponitur. Et ἀμαλδύνω, vel ἀμαλάπτω, *corrumpo, destruo*. Vel, quod simplicissimum fuerit, *malum* est ab Hebræo מעל, quod est, *malum, præuaricatio, defectus, mendacium*; à Rad. מעל, *præuaricari, mentiri*. Ἀμαλὸς verò & μαλερὸς, de quibus diximus, sunt ab אמולה, quod notat *infirmum, debilem*.

MAMMA, pro *vbere*, à μάμμη, quod vett. Græcis significabat *matrem*: vt scribit Aristophanes Grammaticus apud Eustathium. Atque ita accipi videtur apud Plautum, Mostellariâ, Act.I. sc.IV. & Persium, Sat.III. Nec mirabitur quisquam, *mamma*, hoc est, *matris* nomen tributum *vberibus*; qui cogitârit ea esse, *fontem sanctissimum corporis, generis humani educatorem* vt scitè appellat Fauorinus apud Agellium, lib. XII.cap.I. Est verò *mamma* ab אם, *mater*, vel ab infantibus *matres* appellantibus *ma*, siue syllabæ ἀναδιπλώσει *mama*, seu *mamma*: quemadmodum & simili ἀναδιπλώσει *pater* ab ijs vocatur *tata*: & *cibus*, *papa*, vel *pappa*: vnde *papare* seu *pappare*, apud Plaut. Epid. Act.V. sc.II. & Pers. Sat.III. Itidem puerilis vox est *bu*, quando *potum flagitant*: inde *bua* pro *potu*. Complexus hæc Varro, Cato, siue de liberis educandis, apud Nonium: *Cùm cibum ac potionem buas ac papas vocent, matrem mammam, patrem tatam.* A *mamma* est ὑποκοριστικῶς *mamilla*; vt à *pupa*, *pupilla*, à *Domitia*, *Domitilla*, &c. Fallitur Isidorus, lib.XI.cap.I. & cum eo Fungerus, cùm *mamillas*, quia rotundæ sunt, à *mala* dici censent, quasi *paruas malas*. A *mamillarum* autem similitudine dicta *ficus mamillana*, Plinio teste, lib.XV. cap.XVIII. Græcâ item appellatione similiter, *mala orthomastica* vocantur; quia referunt ὀρθὸν μαστὸν, *erectam mammam*. Plinius, lib.XV.cap.XIV. *Mammarum effigie orthomastica mala.* A *mamma* quoque est *mammosa*, & *mammeata*: illo vtitur Lucretius, lib.IV. hoc Plautus, Pœn. act.I. sc.II. Apud eundem Plautum Curcul. act. III. parasitus confingit regionis nomen, quam *Vnomammiam* dicit, fortè *Amazonum* signans *regionem*. Nam & Titianus similiter *Amazonas* *vnimammas* vocauit: quemadmodum scribit Seruius ad illud Virgil. II. Æneid.

At medias inter cædes exultat Amazon,
Vnum exerta latus pugnæ.

Secutus autem Titianus eos, qui *Amazones* sic dici putarunt ab α στερ. & μαζὸς, id est, *mamma*, quòd *dextram mammam sibi adurendam curarent*, quò ad pugnam essent expeditiores: quemadmodum scribit Iustinus lib.II. At alias quoque nominis huius caussas apud Etymologum videre potes.

MAMPHVLA aliquibus à בוא, hoc est, *venire placet*. Sed assentio doctissimo socero meo Francisco Iunio, qui in Leuitici VI.14. censet esse ab Hebræo נפל, quod est *cadere*: siue Chaldæo נפל, quod idem notat. Fauent enim huic sententiæ verba Festi, è Verrio scribentis: *Mamphula appellatur panis Syriaci genus, quod, vt ait Verrius, in clibano antè, quàm percoquatur, decidit in carbones cineréque.* Eo, vt ibidem Festus testatur, vsus est Lucillius, versibus illis, prout eos legit Scaliger:

Pistricem validam si nummi suppeditabunt,
Addas ἰπνίτας, mamphulas quæ sciat omnes.

Sed quod ibidem Scaliger censet, *mamphula* in Hebræorum commentarijs esse *mancipem pistrinorum*, ac vt multa alia Syriaca ita hoc à Græco fonte venire; putà à μονοπώλης; id, puto, ab etymo antea allato dimouere non debet, quando satis liquet Lucillio hic non *pistricem*, sed *opus pistorium* significare: nec *pistrinorum* duntaxat, sed etiam *aliorum erant monopolia*. eóque *mancupibus pistrinorum* à *pistorio hoc opere* nomen fuisse magis fit verisimile.

MAMPHVR, vt Festus describit, *appellatur loro circumuolutum mediocris longitudinis lignum rotundum, quod circumagunt fabri in operibus tornandis.* Quem ad locum sic ait Scaliger: *Quod est sucula in machina tractoria, id mamphur in torno. Græcum est* μανόφορον, *quia circumuolutum habeat lorum, vt collum monile, quod* μάννον, *&* μάννιν, *vocant Græci.* Sanè μάννον quoque dici τὸ περιτραχήλιον κόσμον, (*monile* vocant Latini) auctor est Pollux, lib.V. cap.VI. ac Scholiastes Theocriti in Idyll. XI.

MANACVS legere est apud Vitruuium, lib. IX. cap VIII. *Circinatio circuli menstrui agatur, qui manacus dicitur.* In Florentina anni CIↃ CCCC. XCVI. & altera anni CIↃ D. XXII. cum adspiratione *manachus* scribitur: vnde quidam *monachus* cuderunt. Turnebus, lib. XX. cap. XII. nec *manacus*, nec *manachus*, vel *monachus* legendum censet, sed *menaum*, hoc est, μηναῖον, cuius Theo quoque meminit in Ptolemæum. Sed nihil mutandum. Nam Vitruuius, vt vidimus, vocat *menstruum circulum*: à Dorico μὰν pro μὴν, dici μανακὸς, vt à μὴν μηνιαῖος, nihil prohibet. Iosephus Scaliger tamen commentarijs in Ætnam deducere mauult à μάνα pro μήνη, quod *Lunam* notat: ac dicit esse *orbitam Lunæ*, siue *lineam Eclipticam*. Eam Tarentinâ voce à veteribus Latinis dictam *manacum* à μηναῖος; quomodo Illyrienses βαρδαῖοι dicti ab ijsdem *Bardiaci*. Sed quis concedat summo viro, *lineam Eclipticam* esse quam *orbitam Lunæ*, vocat Seuerus, Vitruuius autem *circulum menstruum*? Nec enim Luna per *Eclipticam* incedit. Quare Philandro subscribimus, cum Bernardino Baldo, quibus *manacus* est *circulus*, *quo vmbra præter æquinoctialem æstiuam & hybernam, de quibus tradidit, deprehenduntur, cuius diameter est lacotomus.* Intelligunt hoc, qui Gnomonicen attigerunt. Idem Scaliger ad Ætnam, itémque ad Culicem, scripsit, à *manacus* addito Arabico articulo *AL*, *calendarium* vocari *almanac*, eâdem nempe ratione, quâ liber Ptolemæi, dicitur *Almageste*, ἡ μεγίστη πραγματεία; & *alchymia*, χημεία; & *alchymista*, χημευτής; & *alembic* à Græco ἄμβιξ apud Dioscoridem; atque vt idem Scaliger in notis ad Eusebium ait, Mahumedis lex κοράν, ἀλκοράν. Sed de voce *almanach* non subscribo Scaligero. est enim totum Arabicum ex *al* & *manach*, quod ab Hebræo מנה, id est, *numerare*. Vt *Almanach* sic dicatur, quia *in eo diarum omnium numerus annotatur*: vnde Græcis ἐφημερὶς vocatur. Hæc nisi pro certis haberem, deducerem ab *AL*, & Dorico μάνα. Quamquam & aliæ aliorum sunt super ea voce sententiæ. Sanè H. Stephanus vult esse putum putum Germanicum, ac originem capere ex eo, quòd Germani fastos suos ordiri soleant hoc pacto: *Als man nach der geburte Christi vnsers Seligmachers gezehlt hat*, 1530. aut 1580. &c. Vide eum lib. de suspecta Latinitate, pag.328 & 329. Est & vir eruditus mihique amicissimus, qui existimabat ex eo dici quia doceat *al mane*, hoc est, *omnes Lunas*, siue *quamuis Lunæ faciem*. Sed vt penitus Arabicum censeam, facit, quod Arabas non χθὲς ἢ πρώην, sed multis abhinc seculis voce *almana* vsos esse, cognoscere sit è Porphyrio apud Eusebium. Verba eisunt,

ſane: Τὰς δ' ἐν ἀγκῶσι πηγὰς καὶ τὰς ὑγραινούσας καὶ τὰς λιμνώδεις ἐκμάδας ἐχούσας, ἃς καὶ τὸ ὄνομα ἐν τοῖς λιμνώδεσιν ἀλλαχοῦ φησι.

MANARE, vix dubito, quin & *manare* ſit à Græco νάω, quod Heſychius interpretatur χέω, ῥέω. Vnde Ariſtoteli χωρία ναματώδης, *locus riguus*. Eſt verò νᾶμα à νάω, quod eſt *fluo, ſcaturio*; vti νᾶμα, *fluentum, ſcaturigo*. Feſto tamen placet *manare* eſſe à μανόν, quod eſt, *rarum*. *Manare*, inquit, *dicitur, cùm humor ex integro, ſed non ſolido nimis per minimas ſuas partes erumpit; quod ex Græco trahitur, quia illi non ſatis ſolidum μανόν dicunt*. Etiam *manare ſolem* dicebant. De quo ita ibidem Feſtus: *Manare ſolem, antiquos ſolitos eſſe antiquos dicere, ait Verrius, cùm ſolis orientis radij ſplendorem iacere cœpiſſent: atque ideo primum diei tempus mane dictum*. A *manando*, *aquamanale* dici ſenſit Varro, lib. II. de vita populi Romani: ſed potiùs indè nomen, quòd eo *aqua manibus affundatur*. De quo vide quæ in *Aqua* fusè diximus. At verò à *manando* dictus *fons manalis*: quomodo *vocabatur ab auguribus puteus perennis*, Feſto teſte. ad quem plura de hoc Scaliger. Forte & hinc nomen *manali lapidi*: de quo ita ex Feſto Paullus: *Manalem lapidem, putabant eſſe oſtium orci, per quod animæ inferorum ad ſuperos manarent, qui dicuntur manes*. Sed ſi *manalis lapis* erat *orci oſtium*, vti hîc dicitur, quis dubitet, quin id nomen ſit à *Dis manibus*? Subiungit deinde Feſtus: *Manalem etiam lapidem vocabant petram quandam, quæ erat extra portam Capenam iuxta ædem Martis, quam cùm propter nimiam ſiccitatem in vrbem protraherent, inſequebatur pluuia ſtatim, eumque, quòd aquas manaret, manalem lapidem dixere*. Meminit & *eius lapidis* Varro de vita populi Romani, l. II. *Vrceolum aquæmanale vocamus, quòd eo aqua in trulleum effundatur; vnde Manalis lapis appellatur in pontificalibus ſacris, qui tunc mouetur, cùm pluuiæ exoptantur*. Ita hic locus apud Nonium legendus ex reſtitutione Scaligeri. Meminit & Fulgentius Planciades de priſco ſermone, vbi ex Labeone (quem diſciplinas Hetruſcas Tagetis & Bacidis quindecim voluminibus explicaſſe ſcribit,) hæc verba adducit: *Fibræ iecinoris ſandaracei coloris dum fuerint, manales tunc verrere opus eſt petras*. Quod deinde ita Planciades explicat: *Hoc eſt, quas antiqui ſolebant in modum cylindrorum per milites trahere pro pluuiæ commutanda inopia*. Vbi rectè in poſtrema editione, quam Ioſ. Mercerus dedit, pro *per milites* editum eſt *per limites*.

MANCEPS, quaſi *manuceps* quia *manu capit*. Nam manu ſublatâ ſignificabat ſe pluris eſſe licitatum. Iis quippe publica locabantur, qui in licitatione maiorem pecuniæ ſummam ſublato digito datis prædibus ſpopondiſſent. Quam nominis cauſſam etiam adducit Guilielmus Fornerius, lib. I. Select. cap. XX. Ac præit hac parte Feſtus, his verbis: *Manceps dicitur qui quid à populo emit conducitve, quia manu ſublatâ ſignificat ſe auctorem emtionis eſſe: qui idem præs dicitur, quia tam debet præſtare populo quod promiſit, quàm is, qui pro eo præs factus eſt*. Vide & de iis Aſconium in Verr. I. Quemadmodum verò *manceps* quaſi *manuceps*; ita *mancipium* dici tradunt quaſi *manucapium*. Vnde Feſtus continuò ante verba proximè allata: *Mancipium dicitur, quòd manu capiatur*. Ita enim ibi emendo: vbi vulgo *Manceps*. quod ſi retinere malis, pro *capiatur* lege *capit*, cùm Scaligero. *Mancipium* dici, quòd ab *hoſtibus manu caperetur*, etiam legere eſt l. IV. in fin. ff. de ſta. hom. item Varronem, lib. V. de L. L. & Donatum, in Ter. Adel. Act. II. ſc. I. Hæc & cauſſa fuit, cur cùm liberarentur poteſtate, è *manu* ſolenni ritu *emitterentur* vnde & dicta *manumiſſio*, teſte Feſto in *Manumitti*, & Iſidoro lib. IX. c. IV. Vlpianus tamen à *manu*, id eſt, *poteſtate*, videtur deducere. lib. IV. de Iuſtit. & Iur. Quibus potior videtur ἐτυμολογία prior, hi obiectant ritum ἀντιφάσεως. Nam veteres plurimùm vnumquodque eo, quo actum erat, modo in contrarium acto diſſoluebant, vt pluribus probat Fornerius, lib. I. Rerum Quotidianarum. Sed etſi hoc libens agnoſcam, tamen mihi videtur *mancipium* potiùs eſſe à *mancipis*: vt *dominium* à *dominus*. Sanè non *mancipium* primariò ſumitur pro ſeruo; ſed notione generaliori pro *cuiuſuis rei dominio*, ſeu *iure proprietatis*. Lucretius, libro III.

Vitáque mancipio nulli datur, omnibus vſu.

Seneca, epiſt. LXXIII. *Fortuna nihil dat mancipio*. Hinc res *mancipi*, quæ alium poſſunt acquirere dominium: *res nec mancupi*, quæ abalienari non poſſunt. Eſtque *mancupi* genitiuus ἐν συγκοπῇ, pro *mancupii*; non autem adiectiuum aptoton, vt Grammatici nugantur. *Manceps* ſimiliter qui proprio iure aliquid poſſidet. Tertull. Apol. cap. XI. *Imprimis quidem necesse eſt concedatis, aliquem ſublimiorem Deum, & mancipem quendam diuinitatis qui ex hominibus Deos fecerit*. A *mancipis* quoque eſt *mancipo*, hoc eſt *ſummitto, proprium reddo*. *Mancipatio* ipſe abalienandi actus, & velut ſimulachrum venditionis in rebus, quæ *mancipi* dicebantur. Fiebat ea abalienatio, Tullio teſte, vel per nexu traditionem, hoc eſt, per æs & libram; vel per iure ceſſionem: quam rem plurimis ex primo Inſtitutionum Caij explicat Boethius, in Topica. & ex eo præter alios plurimos, Cælius Calcagninus, ad Tit. de verb. & rerum ſignif. pag. CCCLIV. Vide *Libripens*.

MANCVS à Nonio exponitur *debilis*: & Ciceronis hunc locum è III. de Finibus adfert, vbi ad *res inanimas* transfertur: *Qui mancam fore putauerunt ſine aliqua acceſſione virtutem*. Sed propriè ita dicitur, qui *manu debilis* eſt, vnde & nomen. Vlpianus, l. XII. §. ſi quis. D. de ædilit. edict. *Si imbecillitate dexteræ valentius ſiniſtra vtuntur, non ſcæuos ſed mancos dici*. Ouidius, III. Faſt.

Et lícet antiquo manibus collatus Epeo
Sit prior, iratâ Pallade mancus erit.

Ab hac voce, qui Latinis *ſcæua*, Italis *mancino* vocatur: etſi aliud *ſcæuam* eſſe, aliud *mancum*, ex ſuperioribus Vlpiani verbis liquet. Ab eadem, qui Latinis *claudus*, Belgis *manck* vocatur: etſi aliud longè Latinis *mancus* propriè ſonet: cùm hoc ad *manum*, *claudus* ad *pedem* referatur. Sed Belgæ generalem eius vocis vſum ſecuti: quo *membro aliquo captum* ſignat. Quemadmodum verò Latinis propriè differunt *mancus* & *claudus*: ita Græcis κυλλὸς & χωλός. Coniungit hæc duo Matth. XVIII. 8. Idem Matth. cap. XV. enumerat hæc quatuor hominum genera quæ Chriſtus ſanârit, χωλούς, τυφλούς, κωφούς, κυλλούς, eodem ipſe ordine, vti docti viri obſeruarunt ante nos. coniungit Plautus Mercatore hoc verſu:

Ad mandata, claudus, cæcus, mutus, membris omnibus captus,
ac debilis.

Vbi *membris omnibus captum*, *debilémque eum* vocat, qui Græcis vnâ voce κυλλὸς, Latinis *mancus* dicitur. Sed Iſidorus lib. X. compoſitum eſſe arbitratur: *Mancus*, inquit, *manus ancus, vel manu caſſus*. Etiam Gloſſæ Philoxeni: *Ancus, mancus, κυλλὸς, λοξός*. Hoc ſi placet, propriè *mancus* dicetur à *vitio cubiti*, qui Græcis eſt ἀγκών. Hinc enim *ancus*, de quo alibi.

MANDO, ſiue primæ ſit, ſiue tertiæ, dici putatur quaſi *manudo*. Nam & in dandis accipiendiſque mandatis manum inuicem dare mos erat. qua ratione *mandare* erit ἐγχειρίζειν, & qui comedit prius manudedit, ſiue præbuit ori ſuo cibum aut manu alienâ accepit. Becmanus *mandare* putat eſſe ab ἔδω. Nam hinc eſſe ἔδμω, inde *mandere*. Sed hæc magis probari poſſent, ſi μέδω diceretur. Si Græcum eſt, potiùs ſit à μάσσω, *ſubigo, depſo, penſo*. Gloſſ. *mando*, μασῶμαι. Μασάζειν pro eo & Nicander dixit. A *mandere* eſt *mandibula*, ſeu *manduculum*. quâ ratione, à *vertere* eſt *vertibula*, ac *verticulum*; à *decipio*, *decipula*, ac *decipulum*. Vtroque enim hæc modo efferuntur. Non igitur audiendus Iſidorus, lib. XI. cap. I. vbi *mandibula* ex *maxilla* factum putat. Ab eodem eſt verbum *manducare*: de quo adferam illuſtrem locum Diomedis, lib. I. *Manduco, manducaui, propriè eſt quod Græci dicunt μασῶμαι, hoc eſt, identidem quod mando. Idcòque Probus negat rectè dici piſcem, vel aliud tenerum quid manduco, ſed potiùs edo, quod ſignificat ἐσθίω. Manducatur autem, quod denti reluctatur. Nam cùm dicam edo, quid faciam, oſtendo, ſed & qualiter faciam. Veteres tamen & in edendi ſignificatione manduco dixerunt*. Hæc Diomedes. A *manducando* dicti ſunt *manducones*, & *manduci*, qui aliter *comedones* vocantur. Onomaſticon, *Manduco*, φάγος. *Manducus*, ἀδηφάγος. Μορμολύκειον quoque, quod in ludis ac præſertim Atellanis, circumferebatur, ab eodem fonte *manducus* dicebatur: propterea quòd terriculamentis huiuſmodi magnos dentes ac voracitatem tribuerent: Sic *manduci* voce vſus Plautus, Rudente, Act. II. ſc. VI. Huiuſmodi terriculamenta erant *Pytho*, & *Lamia*; vnde Lucillius, Lib. XXX.

Illo quid fiet Lamiâ, & Pythô, oxyodontes.

Belgæ quoque ſimile terriculamentum vocant *Lijs met de lange tanden*, quod nihil aliud eſt, quàm *Eliſabetham ὀξυόδοντα*. Vide Scaligeri conjectanea.

MANDRA locus in quo porci includuntur: vt interpretatur vetus Iuuenalis Scholiaſtes in illud Sat. III.

——— *Stantis conuicia mandræ*.

Sed non pecorum tantùm eſt, ſed etiam iumentorum: vt indicat hoc Martialis, lib. V. epigr. XXIII.

Vixque datur longas mulorum vincere mandras.

Nimirum vniuerſe *ſtabulum* notat. Atque à Græcis acceptum, non à *manendo* dictum. Heſych. Μάνδρα, σηκὸς, φραγμὸς, αὐλὴ, μάνδρα, βοῶν καὶ ἵππων. Gloſſ. Cyrilli: Μάνδρα βουκολίων, *caula*. Μάνδρα αἰγῶν, *caprile*. B. Baſilius *ſtabulum* id, in quo natus Chriſtus, appellat μάνδραν. Vide & LXX. interpretes, II. Paral. cap. XXXII. & Nicetam Choniatem, lib. II. fol. DCCCX. Καὶ μεταφορᾷ verò ad alia transfertur. Vt ad *calculorum* ſiue *latrunculorum ludum*. Sic Martialis:

Mandris & vitreo latrone clausos.

Et similiter apud Lucanum in Panegyrico:

Vt citus & fracta prorumpat in aequora mandra.

Etiam pro *coenobio* ponitur. Nempe, quod monachi in eremis olim viuerent. Hanc caussam adfert Alciatus, in l. vlt. C. de trin. & fid. cath. Sed rectiùs statuitur, vt *ouile* dicitur pro *Ecclesia Christi*, sic & *mandra* posuisse pro *monasterio*, tanquam *in quo sint oues Christi*. At quia *mandrae monachorum* esse solent *in locis solis & desertis* vel *latebrosis*: inde *mandra* pro *latebris*, ac *dolo*. Gloss. Isidori: *Manua* (leg. *Mandra*) *deceptio, fraus*. Atque indè ibidem: *Mandratur*, *cauillatur*. Nempe quia *cauillantes* ἀγυρτικῶς loquuntur. A *monachorum mandra* est *archimandrita*, ἀρχιμανδρίτης, *mandrae* siue *coenobij praefectus*. Quomodo *archimandrita* vocatur *Villigesius Elector Moguntinus*, in vita S. Adelberti, apud Surium, Tom. II. Vsi & eâ voce Leo Papa, Prosper, Iustinianus, alij. Vulgo *Prior* dicitur, aut *Gardianus*. Femininum est *archimandrissa*. Onomasticum vetus: Ἀρχιμανδρῖτις (leg. ἀρχιμανδρῖτις) *Abbatissa*.

Mandragoras, μανδραγόρας, aliquibus dici sic placet à μάνδρα quia crescat iuxta *mandras*. Sanè παρὰ τὰ ἄντρα prouenire etiam à Dioscoride scriptum. Sed posterior vocis pars quae erit? an ἀγορεύω, vt in Πυθαγόρας; qui sic dictus, quia *non vera minùs, quam Pythius profari crederetur à discipulis*: vnde illud αὐτὸς ἔφα; Si id placet ita *mandragoras* dicetur, quia *indicio sit, in proximo esse mandram, vel speluncam*. At neutiquam audiendi, qui deducunt ex Belg. *man*, id est *vir*; & *dragen*, id est, *ferre*, q. d. *virigerum*. Nempe quia ἀνθρωπόμορφος quodammodo: vnde & impostores, vt meliùs referat hominem, ad vtriusque sexus imaginem figurare magis solent postea arenae calidae imponere, postque dies aliquot educere vt e terra sic nasci videatur. Vide de hac fraude eos qui stirpium historiam tradiderunt.

Mane a *manus*, id est, *bonus*, vel *clarus* seu *lucidus*, rectiùs deducitur, quàm à *manando*, vel *dis manibus*, vel Graeco μανὸς pro *raro*. Varro, lib. v. de L. L. *Mane, quòd tum manat dies ab Oriente. Nisi potius quod bonum antiqui dicebant manum. Ad cuiusmodi religionem Graeci quoque, cum lumen adfertur, solent dicere φῶς ἀγαθόν.* Festus: *Manare solem antiqui dicebant, cum solis orientis radij splendorem iacere coepissent, atque ideo primum diei tempus, mane dictum. Quamuis magis id dicitur, quòd manum, bonum dicebant, à mane, id est, maturè, quod id bonum est, quod maturum est; vnde & Matuta dicta quoque videtur mater.* Macrobius, lib. I Saturn. cap. III. *Indè* (à diluculo) *mane, cùm dies clarus est. Mane autem dictum, aut quòd ab inferis, id est, à manibus exordium lucis emergat, aut, quod verius mihi videtur, ab omine boni nominis. Nam & Lanuuini mane pro bono dicunt, sic vt apud nos quoque contrarium est* immane: *vt immanis bellua, vel immane facinus, & hoc genus cetera, pro non bono* Seruius quoque in I. II & III Æn. deducit similiter à *manus*, id est, *bonus*. Item Nonius, cap. I. Ad haec Isidorus, lib. v. Originum, cap. XXX. Sed addit hic: *Alij mane existimant vocari a manibus, id est, à dijs, quorum conuersatio à luna ad terram est. Alij putant ab aëre, quia μανὸς, id est, rarus est, atque perspicuus.* In hocce veterum dissensu maximè, vt dixi, adlubescit, vt ita dicatur, quia sit *optima diei pars*. Vide Senecam, epist. CIX. & De breuitate vitae. A *mane* est praenomen *Manius*, quòd *mane nasceretur*; vti *Lucius*, *ab exoriente luce*. Ab eodem est *manicare*, posterioris seculi verbum, quod significat ὀρθρίζειν. Sanè Lucae cap. XXI vetus interpres ὤρθριζε transtulit *manicabat*; quod Laurentius Valla in suis ad eum locum notis ait esse verbum sibi inauditum. Sed vtitur eo etiam vetus Iuuenalis Scholiastes in Sat. v. Augustinus item, & Patrum alij.

Manso, à *mano*. A *maneo*, est frequentatiuum *mento* pro *menso*, vt *pulto* pro *pulso*. Vsus Plautus, Mostellariâ, Act. I. sc. II. & Pseud. Act. I. sc. III. & Caecilius apud Festum & Nonium in *manto*. Putat quoque Alciatus autorem Ithyphallici carminis scripsisse.

Mantes hic licet, vt libenter ires.

Sed recta est Scaligeri emendatio:

Mandes hic licet, vt lubenter ires.

Quia verò *manere* dicerent pro *cubare*, inde est quòd *mansiones* dixere loca, vbi iter facientes noctu quiescerent. Vnde videas apud Plinium & alios itinera *mansionibus* distingui. Graeci σταθμοὺς dicunt. Demetiebatur autem *mansio*, vt plurimum, viginti millibus passuum. Tantum enim diurnum viatoris iter conficiebant. Variabat tamen ea res, quia viae aliae alijs commodiores. Apud Plinium etiam memorantur *mansiones cameliorum*: quae distinguebantur τοῖς ὑδρεύμασι, siue *aquationibus*. Nam in aridis atque incultis locis putei erant, ad quos cùm deuentum esset, cameli aquabantur. Atque his aquationibus itinerum interualla in camelis distinguebant. A *maneo* sunt *emineo*, *immineo*, *promineo*. Quae tamen aliqui malunt venire a *minis* siue *altitudine* ... inque quia *maneo* habeat *mansi*, vnde *emansi*, *remansi*; ista faciant *eminui*, *imminui*, *prominui*. Malim dicere composita, quae *a* in *i* mutant, recedere ab ἀναλογίᾳ simplicis.

Manes nunc propriè dicimus, nunc per metonymiam continentis. Propriè sic vocantur *animae mortuorum*. Μετωνυμικῶς autem accipitur pro *inferis*, hoc est, *loco*, *quo animae continentur*. Priori modo ait Maro:

——— Manes que vocabat

Hectoreum ad tumulum. ———

Item: [illegible]

Id cinerem aut manes credis curare sepultos?

Pro loco vero capit cùm dixit:

——— Manesque profundi.

Item:

——— Haec manes veniat mihi fama sub imos.

Sed qui propriè *manes* sint, & vnde sic dicantur ne inter veteres quidem satis conuenit. Festus de eo sic scribit: *Manes Dij ab auguribus inuocantur, quod ij per omnia aetheria terrenàque manare credebantur: item Dij superi atque inferi dicebantur: quos ideo inuocabant augures, quod hi existimabantur fauere vita hominum.* Sed fusiùs veterum de eo dissensum exponit Seruius in III. Æn. *Manes*, inquit, *sunt illo tempore animae, quo de alijs recedentes corporibus, needum in alia transierunt. Sunt autem noxiae, & dicuntur* κατ' ἀντίφρασιν. *Nam manum bonum est. Vnde & mane dictum est. Similiter etiam Eumenidas dicimus, parcas, bellum, lucum. Alij manes à manando dictos intelligunt. Nam manibus* (in veteri libro est *animabus*) *plena sunt omnia inter lunarem & terrenum circulum, vnde & defluunt. Quidam alios manes, alios deos infernos dicunt: plerique deos caelestes vt viuorum, ita manes mortuorum tradiderunt. Alij manes nocturnos esse dicunt spatij, quod inter caelum terràmque est, & ideo humoris, qui noctu cadit, potestatem habere: vnde mane quoque ab ijsdem manibus dictum.* Est de dis Manibus illustris locus Appuleij, lib. de Deo Socratis: quem apponam: *Species daemonum est, animus humanus exutus & liber stipendijs vitae suae corpore abiuratis; hunc vetere Latinâ linguâ reperio Lemurem dictitatum. Ex hisce ergo Lemuribus, qui posteriorum suorum curam sortitus, pacato & quieto numine domum possidet, Lar dicitur familiaris; qui verò propter aduersa vitae merita, nullis bonis sedibus in terra vagatione, seu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, ceterum noxium malis, hunc plerique Larnam perhibent. Cùm verò incertum est, quae cuique eorum sortitio euenerit, vtrum Lar sit, an Larua; nomine Manium Deum nuncupant, & honoris gratia Dei vocabulum additum est.* Vbi pro *Manium Deo*, malim *Manem Deum*, cum I. Lipsio, lib. primo Physologiae Stoicae, dissertatione XVIII. Isidorus, lib. VIII. cap. vlt. *Manes dicunt Deos mortuorum, quorum potestatem inter Lunam & terram asserunt: a quibus & mane dictum existimant, quidam putant ab aëre, qui μανὸς, id est, rarus est, manes dictos, siue quia latè manant per auras, siue quia mites sunt in manibus* (legendum puto, *immites sunt, & immanes*) *contrario nomine nos appellamur. Appuleius autem ait eos* κατ' ἀντίφρασιν, *dici manes, hoc est mites ac modestes, cùm sint terribiles & immanes; vt Parcas, vt Eumenides.* In hoc dissensu maximè placet, eos qui *manes* suppliciter venerabantur, bono illos *manium* quasi *bonorum* nomine ornandos putasse, quâ ratione & Orpheus in hymnis *Deos inferos* vocat μειλιχίους, & Paracelsus ac similes magi *males genios* bono nomine vocant *Lucifera*. Dixere igitur *deos manes*, quasi *bonos genios*. Quam sententiam illud etiam firmat, quod Graeci eos similiter vocarunt χρηστούς; vt cognoscere est ex Plutarchi Quaestionibus Graecanicis item ex Romanis. Vtrobique enim verba illa in foederis columna inter Lacedaemonios & Arcadas, μὴ ἐξεῖναι χρηστοὺς ποιεῖν, interpretatur ex Aristotelis mente non licere quemquam interimere. Nimirum quia qui homines interficit, ex ijs facit χρηστούς, siue *deos manes*. A *manibus* dicta *Mania*, quae & à *Laribus Larunda*. Nempe *defunctorum animae*, siue *genij*, tum *manes*, tum *lares* vocabantur, vnde *manium* siue *larium mater*, *Mania* & *Larunda*. A qua diuersa *Genita Mana*, quae *Genita* vocata, quia *generat*, siue *gignendi Dea*: *Mana* autem non à *manando*, vt Plutarchus credidit in quaestionibus Rom. sed quia *mana*, id est, *bona*, vt simile sit ac in Saliari carmine *Cerus Manus*, id est, *creator bonus*. A *manibus* est Plutonis cognomentum *Summanus*, quasi *summus manium*: vt scribit Capella, lib. II. Vel, vt alij, quemadmodum dicimus *subtristis* à *tristis*; ita *summanus*, seu *summanus*, ab antiquo *manus* id est, *bonus* à quo & *immanis*, ac aduerbium *mane*. Quicquid de etymo est, *Summanus* est Ἅδης, vt etiam in Onomastico veteri exponitur.

Hinc,

Hinc, vt Turnebus putat, *summanare*, quasi *omnia rapere ac demorare. Plutonis siue Orci instar.* Plautus, Curcul. Act. III. sc. I.

———LE. *Quis tu homo es?*
CV. *Libertus illius, quem omnes Summanum vocant.*
LE. *Summane, salue. qui Summanus? fac sciam.*
CV. *Quia vestimenta, vbi obdormiui ebrius,*
Summanò, ob eam rem me omnes Summanum vocant.

Sed amicus noster doctissimus deducebat a *manus*, vt *submanare* sit idem ac *inuolare*, siue *manus vnca arripere*. Verùm obstat, quod secunda sit porrecta, vti versus tertius & quinctus ostendunt. Sunt enim iambici senarij, qui trochæum respuunt. *Summanus* etiam adiectiue sumitur: vnde *fulgur Summanum*: pro *nocturno*; vel, vt in Glossis exponitur, *mane ortu*. Sic enim Glossæ Cyrilli, νυκτερινὸν ἀπὸ πρωΐ, ὑπόγειον *fulgur summanum*. Sane ἀπὸ πρωὶ est *mane*: vt inde auctor videatur originem arcessere. Contrarium, quod ibidem legas ἡμερινὸν, ἀστραπή, hoc est, *diurnum*. Exponitur ibidem *fulgurium*. Delrius, in Hercul. Oet. vers. DCCCXLVI. legit *fulgur, dium*. Non displiceret, *fulgur dium*: vt *dium* sumatur adiectiue pro *iouiale*, ἀπὸ τοῦ Διός. Nam, vt Plinius, lib. II. cap. LII. refert, *fulgur nocturnum Summano; diurnum Ioui* factum erat. Sed non probo, quod *fulgur*, & *dium*, ἀσυνδέτως poni ait. Nam auctor Glossarij opponit *fulgur ἡμερινὸν*, καὶ νυκτερινόν. Hinc autem censeo à *summano* etiam dici *summanalia*, nempe quia eorum in sacris *summani* vsus essent. Erant liba farinacea in modum rotæ efficta, vt ait Festus. Cœlius planè fallitur, cùm à *summo* deducit. Sic enim *summalia* diceretur. At *summanalia* est non modo in schedis Festi Farnesianis; sed constanter sic legitur in MSS. Pauli codd.

MANGO, ἀνδραποδοκάπηλος, qui & *venalitius* a *Seruis venalibus*, quos vendit. Cicero in Corneliana: *Neque diuitiæ me mouent, quibus omnes Africanos & Lælios multi venalitij, mercatorésque superarunt.* Quod ad etymon *mango*, si credimus Fungero, *pro vedanico dictus est, quod manu agat.* Sed procul dubio fallitur Fungerus; etsi & ante eum ita Perottus, & vetus Vocabular. Nam quid, quæso, erit, cuius gratiâ *mango* κατ' ἐξοχὴν *manu agere* dicatur? Henricus verò Stephanus in Thesauro Μαγγανεύτης, inquit, *veneficus, præstigiator: & Latinum mango, procul dubio hinc factum est.* Sanè id etymon iam olim Hermolaus Barbarus in Glossis Plinianis obseruarat. At μαγγανεύω, à μάγγανον, quod φαρμακεία & γοητεία inter alia notat, Hesychio teste. Nec *veneficorum*, aut *præstigiatorum*, propria hæc sunt vocabula, quando apud Nazianzenum legere est μαγείρων τεχνίτας, καὶ τῆς περὶ ὀψοποιΐαν μαγγανείας, καὶ κομμωτικῆς: quod Fabius *artificium coquendi*. Plinius *mangonium* appellat. *Mangoni* igitur nomen ex eo fuerit, quia vel μαγγανείᾳ, siue *fuco*, colorem falsum inducit mancipiis, vt carius vendat. Vnde Fabius, lib. II. cap. XVI. *Mangonum, qui colorem fuco, & verum robur inani sagina mentiuntur.* Tamen nec eo recurrere opus, si Græcum sit μάγγωνες vel μάγγων, quod censet summus vir Salmasius. Qui apud Plutarchum in quæst. Symp. lib. V. cap. VII. legit, οἱ μάγγωνες, ... ἐμπόριον ἄγουσιν. Id interpretatur *mangones, qui seruos inde venales exportant*. Vulgò legitur ibi μιγάδες.

MANIFESTVM, φανερόν, à *manu*, & antique *fendo*, vnde *offendo* pro *incido*: vt apud Terentium, Eun.

Si in platea hac te offendero post vnquam.

Supinum eius est *festum* vnde *festim*, à quo *confestim*, id est *cito*. Propriè igitur *manifestum*, in quod manus *fendunt*, hoc est *incidunt*, siue *quod manibus festum seu cito occurrit*. Hinc pro eo sumitur, *quod ita clarum, vt manibus quasi palpari possit*.

MANIPVLVS in *re militari* dicitur, à *manipulo* fœni: vt docet hic locus in Aurelij Victoris seu alterius Collectaneis de origine Romanâ: *Romulus coacta pastorum manu, eâque in centenos homines distributâ, perticas manipulis fœni variè vinctas dedit. Vnde institutum, vt postea milites, qui eiusdem signi essent, Manipulares appellarentur.* Idem docuerat Ouidius tertio Fast.

Illa quidem fœno; sed erat reuerentia fœno,
Quantam nunc aquilas cernis habere tuas.
Pertica suspensos portabat longa maniplos:
Vnde maniplaris nomina miles habet.

Donati quoque eadem sententia, ad Eunuch. Act. IV. Sc. VII. *Manipulus propriè est militum. Cum Romani & Latini sub vno centurione bellum aggressuri deputabantur, sibi vertum vel coronam ex manipulo fœni vel herbæ fecerunt, quem pro signo sequebantur.* Et Isidorus, lib. XVIII. cap. III. *Sub Romulo fasciculos fœni pro vexillo milites portabant. Hinc & manipuli appellantur. Manipulos enim dicimus fasces fœni, quod manum impleant.* Idem etymon, sed aliis quoque adiectis, ponit idem lib. IX. cap. III. *Manipulus*, inquit, *ducentorum est militum. Manipuli autem dicti sunt milites, siue quia bellum primo manu incipiebant, siue quod antequam signa essent manipulos sibi, id est, fasciculos stipulæ, vel herbæ alicuius, pro signis faciebant, à quo signo manipulares milites cognominati sunt.* De quibus Lucanus.

Conuocat armatos extemplo ad signa maniplos.

Sanè posterior sententia maximè placet, quam & Plutarchus in Romulo confirmat. Aliter tamen Varro, lib. IV. de L. L. *Manipulos*, inquit, *exercitus minimas manus, quæ vnum sequuntur signum.* Vegetius quoque (cuius verba mox ponam) sic dici ait, quòd *coniuncti pariter iunctis manibus*, hoc est, quòd *commissum pugnent, vbi ad manus ventum est*. Quòd verò Isidorus ait *manipulum* fuisse ducentorum hominum, id neutiquam de omni Romanæ Reip. æuo capiendum. Nam antiquissimis temporibus *manipulus* fuit centenum hominum: quod locus ex collectaneis adductus ostenderat. Idem quoque Plutarchus confirmat, qui de eapse re loquens, totam illam Romuli manum ait fuisse συλλοχισθεῖσαν εἰς ἑκατοντάδας, *diuisam in centurias*. At postea *manipuli* vox duas complexa centurias, ita vt in legione sexaginta quidem centuriæ, at triginta solum *manipuli* essent. Cincius, lib. VI. de re militari, apud Agellium lib. XVI. cap. IV. *Alæ dictæ exercitus equitum ordines, quòd circum legiones dextrâ sinistrâque tanquam alæ in auium corporibus locabantur. In legione sunt centuriæ sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem.* Seruius, ad illud Virg. XI. Æn.

Tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis.

Maniplis, inquit, hoc est *signiferis, quia secundum antiquum morem in legione erant triginta: legio autem habebat septem cohortes, sexaginta centurias, licèt in his rebus accessu temporum ducum varietas semper mutauerit militiæ disciplinam. Manipuli* igitur Romuli ætate minores: postea maiores: iidem verò labente imperio minores etiam quam Romuli æuo fuerunt. Indicat id locus hic Ammiani lib. XVII. *Conuocatis cohortibus, & centuriis & manipulis omnibus, tribunali insistens.* Nam vt cohortibus centurias, ita centuriis subiicit *manipulos*, vt minores. Idem valide confirmat hic Vegetij locus, lib. II. cap. XIII. *Contubernium autem manipulus vocabatur, ab eo quod coniunctis manibus pariter dimicabant.* Nam *contubernium* non idem hic esse quod Cincio Seruióque, illud satis ostendit quod *manipulus* liberâ Rep. & diu post, seorsim habuerit signum *contuberniorum*, neque tum, neque Vegetij æuo. A *manipulus* est *manipularius* & *manipularis*: quod satis indicant Ouidij & aliorum loca, quæ adduximus. Sic autem dicebatur *miles gregarius*. Quare non audiendus Glossographus, cùm scribit: *Manipularius*, ἀρχηγὸς ἴλης, siue, vt quidam corrigunt, λόχου, quod est *ductor manipuli*. Dicitur & *commanipulus*: quod legere est in antiquâ inscriptione, quæ Romæ est p. XLVI. n. X. edit. Grut. *Quod proficiscentes expeditionibus sacris vouerant, regressi cum commanipulis libentes votum soluerunt.* Hinc *commanipulones* & *commanipulares*.

MANNVS, quod apud Senecam, Plinium, Ausonium, alios, legere est, *equus breuior est, quem vulgo brunitium, vel bruniteum vocant.* Ita legitur apud Isidorum, lib. XII. cap. I. Sed legendum, *quem vulgo burrichum vocant.* Glossæ vett. *Mannus*, βουρίχος. Respexit Glossographus iste hunc locum Horatij. lib. Epod.

———*Aut Appiam mannis terit.*

Vbi Acron iuxta vulgatos codices, *burdos* exponit. Addit verò originem talem: *Manni, inquit, ideo dicti, quod consuetudine mansuetum familiariùs sequantur.* Sed dissentit P. Consentius, Grammaticus Constantinopolitanus, qui origine esse Gallicum ait: *Omne peregrinum, si quidem id iam receptum est, vt Gallorum manni, Medorum acinaces, &c.* Alioqui videri possit venire à νάννος, quod est *exiguus, pumilus*. Hinc νάννιον, *mannulus*. Martialis, lib. XII. epigr. XXIV.

Nusquam est mulio, mannuli tacebunt.

Tutò, inquit nunc quidvis garrire licet, quando mulio abest, & a mutis animantibus nihil periculi est, ne dicta nostra propalent.

MANO à μανὸς, id est, *rarus*. Festus: *Manare dicitur, cùm humor ex integro, sed non solido nimis per minimas suas partes erumpit: quod ex Græco trahitur, quia illi non satis solidum, μανὸν dicunt.* Possis & deducere à Chaldæo מין, *main*, id est, *aqua*.

MANSVETVS, quasi *manu suetus*. Græcè χειροήθης, à χείρ, hoc est, *manus*, & ἦθος hoc est, *mos*: quasi *qui moribus istiusmodi est, vt vel manu tractari se sinat.* Maroni id est *manum patiens*, cuius illud VII. Æneid. de ceruo ciceure:

Ille manum patiens, mensæque assuetus herili,
Errabat syluis, rursúsque ad limina nota
Ipse domum serâ quamuis se nocte ferebat.

Propriè igitur dicitur de *bestiis, quæ adiunctæ ad manum acce-*

duint. Dicitur pro eo quoque *mansues.* Ita legit Nonius quoque apud Plautum, Asin. I. Sc. II.

Reddam ego te ex fera fame mansuetam

Pro quo in vulgatis est *mansuetum*

MANTICA, & *manticula*, duplicem olim notionem habuit. Nam à *manu, mantica*, & ὑποκοριστικῶς *manticula*, dicebantur, quod aliter *mantile* vocamus: si Scaligero credimus ad Festum; qui & *manticularia* inde dici ait, *quæcumque ad manum essent*. τὰ χειρόμακτρα; nempe quia nihil magis esset ad *manum*, quàm *manticula*, siue *mantile*, ad extergendas manus. Festus: *Manticularia dicuntur ea, quæ frequenter in vsu habentur, & quasi manu tractantur. Frequens enim antiquis vsus mantiliorum, vnde hac trahitur similitudo.* Præterea *mantica*, & per diminutionem *manticula*, dicebatur *balteus*, aut *Zona*, quæ veteribus *peræ* instar fuit. Ita *mantica* voce vsi Lucillus atque Horatius. Idem Festus: *Manticularum vsus pauperibus in nummis recondendis etiam nostro seculo fuit.* Quanquam verò, vti *mantile*, ita *manticula*, hac notione quoque à *manibus* dictum videri posset: taman quia longiùs abit significatio, & in Arabum libris etiam ea vox inuenitur, magis placet sententia Casauboni ad Sat. quartam Persij scribentis, esse vocem peregrinam. A *manticula* est *manticulari*, quod Festus exponit, *furandi gratia manticulas attrectare* Sic vsus Plautus. Captiuis: & Appuleius Apolog. I. vt Pacuuium mittam, cuius loca aliquot adducit Festus. Ab eo autem est *manticularius* pro *fure*, apud Tertullianum in Apologetico. Onomast. *Manticularius*, κλέπτης.

MANTILE quanquam vulgo per *I* proferatur, malim tamen *mantele* per E, quomodo hanc vocem in antiquis codd. ferè scribi auctor est Pierius ad illud I Æn.

———*Tonsisque ferunt mantilia villis.*

Pro eodem & *mantelum*, siue *mantellum*, vel *mantelium*, dicitur. Súntque hæc omnia eiusdem originis, nempè à voce *manus*, quia hæ illis absterguntur. Seruius ad eundem Maronis locum: *Mantilia à tergendis manibus dicta, & est nominatiuus mantile, quomodo retiale. Quod autem legimus, Nec turpe toral, ἀρχαϊσμός est.* Idem Seruius ad eapse verba, sed IV. Georg. (bis enim hemistichium hoc vsurpat Maro) *Mantilia*, inquit, *quibus manus terguntur. Varro appellat mantelia, quasi manutenia. Cæterùm Plautus huius singulare mantellum posuit in Captiuis:*

Nec his sycophantiis, nec fucis vllum mantellum inueniam.

Lucillius autem mantella dicit: Mappas, mantella, merúmque, quæ Græci μάνδυα vocant. Hactenus Seruius G. Fabricij. Nam in illo P. Danielis nihil eorum, præter quatuor prima verba reperias. Fortasse autem, quo loco Seruius Varronem ait putasse *mantelia* dici quasi *manutenia*, legendum fuerit *manuteria*, cùm non à *tenendo*, sed *terendo* deduxerit Varro vt hæc eius verba indicant. v. de L. L. *Mantelium quasi manuterium, vbi manus terguntur.* Sic enim Antonius Augustinus edidit. Possis & *manutergium* scribere, prout edidit Vertranius: pro quo est, quod mox Varro addit, *vbi manus terguntur.* Ex his liquet quadruplicem *mantelij* originem esse. Nam & dici potest simpliciter esse à *manibus*, vt *telium* sit vocis productio: vel *telium* illud altera est compositi pars, siue à *tenendo*, siue *terendo*, siue *tergendo*. Addo & quintam formationem è veteri Vocabulario; vbi *mantele*, & *mantelium*, sic vocari dicitur quasi *manus tela*. Sextum fortasse quis addat. Nam cùm Hesychius χειρόμακτρον (sic Græci *mantelium* vocant) exponat μανδήλιον, videri possit *mantelium* esse à μανδήλιον. Ac pro hac sententia illud quoque facit, quòd vt χειρόμακτρα apud Athenæum genus quoque *velamenti* est, sic *mantelum* quoque pro *pallij* aut *velamenti* genere vsurpetur in eo Plauti loco, quem supra adduxit Seruius. Adde quòd ad μανδήλιον vocem valde accedat Belgicum *mandili*, quo tum *militaris tunica* significatur, tum *pallicium, quo femina humeros & pectus tegunt*. Nempe nostrum *mandili*, ac Latinorum *mantelum* sunt à μανδήλιον; hoc autem vnde potiùs deducamus, quàm à μάνδυας, quod Hesychio teste, est *vestimenti militaris genus apud Persas*, vt omnino à Persis videatur ea vox in varias adeò linguas transfusa. Meminit eius vocis & Suidas, itémque Pollux: sed hic in feminino scribit μανδύη, & *pænula* simile esse ait: ille autem in masculino μανδύας, ac *speciem* esse ait *vestimenti*, quod λαγήνιον dicitur. Quamquam autem hæc omnia pro sexta illa originatione satis probabiliter dici videantur: tamen planè est falsa. Quippe μανδήλιον vox est Romana, vt Suidas ait. Atque vt is hoc tacuisset, tamen cùm apud nullum Græcum scriptorem vocem μανδήλιον inuenire sit, haut mihi aliud suspicari liceret, quàm apud Hesychium vocem eam esse vocis χειρόμακτρον interpretationem Latinam: cuiusmodi multas inuenire est in Lexicis Græcis. Redeo ad *mantile* siue *mantele*, quod quomodo à *mappa* differat, operæ pretium puto. Nam non idem esse, indicat illud Lucilij:

———*Mappas, mantela, merúmque.*

Arbitror verò in duobus esse discrimen. Nam *mantile* villosum erat, *mappa* non item. Isidorus in Gloss. MSS[ti]: *Mantelia mappas dicunt villosas* Ouid IV. Fast.

Duxerat ad dextram villis mantile solutis.

Martiali lib. XIV. epigr. CXXXVIII. idem sunt *mantele*, & *villosa lintea*, vt ex lemmate ac disticho mox patebit. Seruius, I. Æn. *Constat maiores, mappas habuisse villosas* Præterea *mantile* etiam tegendæ mensæ seruiebat: vnde in colloquio I. Scholastico exponitur ἐπιτραπέζιον, *mappa* verò solis manibus tergendis parabatur: vnde χειρόμακτρον Gloss. Philox. interpretantur. Itaque conuiuator quidem *mantili* mensam sternebat: at singuli conuiuæ ad conuiuia seu publica, seu priuata, suas *mappas* ferebant. Clarè hoc discrimen docet illud Martialis, lib. XII. ep. XXIX.

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur:
Mantile è mensa surripit Hermogenes.

Idem confirmat ep. CXXXVIII. lib. XIV. Vbi lemma est, *Gausapa villosa, seu mantile*: distichon verò istiusmodi:

Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum:
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Sententia est: *mensis citreis*, & si quæ aliæ grandis sumtus, imponantur *mantilia*, seu *gausapa*; ne notâ aliquâ adspergantur: meæ mensæ nil iis opus est: quia cùm magni pretij non sit, parùm referat, num lagena ei imposita, *circulum*, vt fieri solet, imprimat. Nisi potiùs per *circulum* intelligi debeat *orbis ligneus*, in quo lagena statui solet, prout hodiéque in tabernis diuersoriis, ne maculetur *mantile*, fieri consueuit. His abundè refelli puto sententiam doctissimi Hadriani Iunij, qui in Nomenclatore suo *mantile*, & *mappam*, eò distinguit quòd illo manus abstergentur, hac etiam mensæ insternantur. Contrà enim est, vt patet ex iis quæ diximus. *Mantile* quidem dici fateor, quo extergentur manus, sed ante epulas. In epulis verò id *mappis* fieri solet. Quod verò Fuluius Vrsinus, appendice de Triclinio, *mantile* idem esse ait, quod *mappam*, quia Lucillius dicat *mantela*, *merúmque*, id quoque facillimè à me refutatur, si rectè à Seruio adducitur Lucillij locus, apud quem legas: *mappas, mantela, merúmque*: qui locus potiùs diuersa esse comprobat, vt antea dicebamus.

MANTISA, seu *mantissa*, *additamentum* significat. vnde ἐπίδομα in Onomastico exponitur. Non Thusca vox est, quod sensit Festus, sed (vti ad Festum monet Scaliger) sic dicitur, quasi *manutensa*, eò quòd manu porrigitur, præter id ad quod pondus exigitur. Nec mirum *N* in *mantissa* omitti. cùm veteres *tesum* dixerunt pro *tensum*, vti *pasum*, pro *passum*: nec mirandum magis *mantissa* potiùs dici, quàm *mantesa*, cùm similiter dixerunt, *pertisum*, pro *pertæsum*.

MANVBIÆ, quia *manu capiatur*. Gellius lib. XIII. cap. XXIII. *Manubia, præda quæ manu capta est.* Nonius: *Manubia, manu exuuia.* Isidorus, lib. XVIII cap. II. *Manubia eo quod manibus detrahuntur.* Sed quæ posterior vocis pars? Vtrum sic dicuntur à *manuum vi*? an à Græco βία; Vtrumque ponit Nannius in Miscellaneis lib. III. Misc. cap. III. Quomodo *manubiæ*, & *præda*, differant, paucis Nonius docet. pluribus Gellius loco ante dicto. Ipsum adi. Summa eò redit, cùm Cicero *manubias* ac *prædam* coniungat; omnino hæc differre; propriéque *manubias* esse *pecuniam ex venditione prædæ redactam*. Nec hoc etymo superiori obstat. Sic enim dicentur, quia pecunia ea est ex spoliis, quæ manu sint detracta hosti.

MANVBRIVM, quasi *manubaberium*; vt scribit Eutyches apud Cassiodorum de Orthographia, cap. IX. An ab *habendo* sit, meritò ambigas. Mihi magis sit verisimile, duas postremas syllabas esse vocis adiectionem. Placet tamen esse à *manu*, eóque alludit Plautus. Aul. Act. III. Sc.

Eximi è manu manubrium.

Sic legendum planè, etsi in vett. codd. si modò ij veteres *manubium* egi dicat amicus noster; qui & id præfert, vt dicatur *manubia manubrium*, vt *testa testum*, *menda mendum*. Onomasticon: *Manubrium*, κώπη, λαβή.

MANVLEA idem ac *manica*. Gloss. Cyrilli: χειρὶς, *Manicium*, *manuela*. Vbi *manicium* mutare non ausim. Nam antecessit similiter, χειρίδιον, *manicilium*. Sed pro *manuela* traiectâ literâ leg. *manulea*. Vsus Plautus Clitellariâ apud Fulgentium: *Quid tu tuam amicam times, ne te manulea cædat?* Hinc *manuleatus* apud Senecam epist. XXXIII. & *manuleata tunica*, apud Plautum, Pseud. Item *manuleari* apud eundem in Aulul. qui *manuleas conficiunt*.

MANVPRETIVM, χειρόμισθον, vt interpretantur Glossæ Philoxeni; μισθὸς χειρῶν, vt exponunt Glossæ Cyrilli. Varro, IV. de

de L. L. *Quod*, inquit, *manu factum erat, & datum pro eo, manupretium, à manibus & pretio*. Isidorus, lib. XI. Etymol. cap. I. *Aliquando manus etiam ars, vel artifex; vnde manupretium, dicimus*. Plautus, Menæch. Act. III. sc. III. *Fiat, cedo aurum*, (nempe è quo inaures tibi fiant) *ego manupretium dabo*. Iurisconsulti quoque, ac Cicero ipse, ita vtuntur; vt docet Barnabas Brissonius, lib. IV. Antiq. cap. XXIII.

M A N V S propriè dicitur, cum *passa, deductáque*: *pugnus* autem cum *clausa*. Docet id origo: nam μανὸς, & πυκνὸς, opponuntur: ab illo autem *manum*, ab hoc *pugnum*, dixerunt, vt acutè conijciebat Cæsar Scaliger, lib. I. de re poetica, cap. XXII. Vel est ab Chaldaico מן: id est, *instrumentum*. Nam *manus* est ὄργανον ὀργάνων, vt Aristoteles appellat. Vel est à μάρη, quomodo vocari aiunt τὰς χεῖρας, vnde εὐμαρὴς & δυσμαρὴς, vti εὐχερὴς & δυσχερής. Nam εὔμαρες idem est ac εὐχερὲς, teste Hesychio. Sane horum trium aliquod est verisimilius, quam vt *manus* sit à *munus*, quia omnia penè corporis *munia* exsequitur: vt Isidorus vult, lib. XI. vel vt (quæ Perotti sententia est) sit à *manando*, quia ex ea *manent digiti*. Quanquam etymon hoc Hebræa voce possit firmari: nam illa יָד, *manavit*, vnde יד, *manus*: à quo & literæ nomen est *jod*, à figura. vnde Græcum ἰῶτα. A *manu* est ὑποκοριστικὸν *manicula*; quo vsus Plautus, Pseudol. Act. V. sc. I. Vide Gellium, lib. XII. cap. XXIII. Ab eodem est *manica*, teste Isidoro, quia ait tum *vincula manuum* notare; nunc *vestium partem*. Atque indè est *manicata tunica*, apud Ciceronem, II. Catil. Quæ & *manuleata*, Isidorus, Originum lib. XIX. cap. XXII. *Manuleata* (ita legendum pro *manu leata*) *tunica, id est manicata, eò quod habeat manicas, quam χειριδωτὴν* (l. χειριδωτὸν) *Græci vocant*. *Manuarium* pro *fure* dixit Laberius: *Manuari*, inquit, *pudorem perdidisti*. Sanè itemque *manuatus est* pro *furatus*, vsurpat. Monet Gellius lib. XVI. cap. VII. Huc quoque pertinent *manubrium*, *manipulus*, & *mantica*, de quibus seorsim. Eiusdem originis *manna*, pro *fasciculo manuali*. Glossæ δράγμα, *manna*, *fascis*. Item ὀργύιαι, *manipulus*, *manna*. Quæ vox in scriptoribus sæpe corrupta, vt ad historiæ Augustæ scriptores Salmasius ostendit. Cum variis etiam *manus* componitur. Huc pertinet *manstutor*, qui *manu tuetur*, vt quidem censet Turnebus, lib. XI. cap. XXI. vbi Plautum eo vsum censet, Trucul. Act. IV. sc. IV. Sed placet Acidalij sententia, qui legit:

Sed video eccum, qui suum tutorem me adoptauit bonis.

Vbi vulgari, qui *manstutorem*. A *manu* quoque sunt *comminus*, & *eminus*. Beda de Orthogr. *Comminus, cùm gladiis pugnamus. eminus cum lanceis; quia illud à manu non recedit; hoc è manibus emittitur*. Itaque *è manu* pro *eminus* dixit Ennius, Hectoris lytris:

Quem meo comminus machæra, atque hasta, hostiuit è manu.

Ita eum locum Scaliger ad Festum in *Redhostire*. *Adminiculum* ex *ad*, & *manu*: quasi *auxilium præsens* ἢ πρόχειρον. Vnde *adminiculari*, pro *auxiliari*. Vt *centimanum* Briarea dixit Horatius, sic Thraca Mirmylloni *æquimanum* ait Ausonius in Technopægnio:

Quis Mirmylloni contenditur æquimanus? Thrax.

Quibus verbis indicat, par hoc gladiatorum *æquis ac paribus* pugnare *armis*. Non audiendus Isidorus, qui l. b. X. extremo cap. I. ait, *Æquimanus appellatus, qui vtraque manu gladio incunctanter vtatur*. Confundit *æquimanum* cum *ambimano*. Glossæ Philoxeni: *Ambimanus*, περιδέξιος. Vulgò *ambidextrum* appellant. De *mancipis*, *manucupij*, *mansueti*, & *manifesti* vocibus, diximus separatim.

M A P P A, quasi *manupa*, dici videtur Isidoro, lib. XIX. cap. XXVI. Item quòd *à manibus pendeat*, dicta videtur Perotto: Sed vt dissentiam, facit, quod apud Fabium lego, lib. I. cap. V. *Mappam, vsitatum circo nomen, Pœni sibi vindicant*. Quo loco respicit ad veterum morem, apud quos iam inde à Neronis tempore in Circensibus editor *mappæ* proiectione signum dabat. Quod ad eius consuetudinis originem, Cassiodorus in Variis scribit, cùm aliquando prandens super fornices carcerum, (nam hic, Cedreno teste, magistratus ante missus conuiuium curabat) populo missus flagitante, per fenestram abijci iussisset, mansisse postea consuetudinem, vt *mappa* signum daretur ab editore. Vt *mappa* & *mantile*, differant, diximus supra in *Mantile*.

M A R C V S & *marcidus* & *marceo*, videri possunt à *macie* dici. Est hæc Perotti opinio, vt *marceo* dicatur quasi *macreo*. Sane quæ *marcida* flaccidáque humore exhausto fiunt, eadem macrescunt & extenuantur. Possis & deducere à μαραίνω, quod est, *torpeo*, vel etiam *torpore afficio*. Vel à μαραίνω, quod idem signat. Vel & *marceo*, & μαραίνω, sint à σείριος, quo significatur *Sirius*, seu *canis cœlestis*, qui humorem natiuum educit plantis, atque vt marcescant facit. Hesychius: Μαίρα κύων ὁ ἄστρον, ἢ ἀστρῷος ὁ ἐν πρωΐ. Sed vera sententia est, *marceo*, & *marcidus* esse à *marcus*: pro quo & *murcus* dixere, vnde *murcidus* vt à *marco*, *marcidus*. *Marcus* est ex μαρκὸς, quod Hesychio teste, idem ac μαλακὸς; vt μάλκη Nicandro idem ac μαλακία ac ἀδυναμία, vt eius poetæ Scholiastes exponit. Ac Arati Scholiastes μαλκιόωσιν interpretatur ναρκῶσιν; vt μάλκη idem sit ac νάρκη, id est, *torpor*. Qui quia ex frigore prouenit, inde μαλκίειν, ψύχεσθαι, iuxta Suidam Sane & μάρκη fortasse ex μάλακη, quod ex μαλακία. M in N abit interdum, vt à μὴ, *ne*; ab μύλαξ Dorice, vnde *nux*. L autem & R commutantur quomodo à *Pale*, *Palilia*, & *Parilia*, dicimus; à *Iano* fuit *Ianualius*, quod nunc *Iannarius*. Sic à μαλκὸς, *marcus*, vnde *marcidus*. At *murcidus* à *murcus*, *murcus* vel ab Æolico μορκὸς pro μαλκὸς, vel à Syracusio μύρκος, quod notat *mutum*, & translate *impotem*, *ignauum*. Vide quæ de *Murcia*, & *murcus*, & *murcidus* diximus in *Myrtus*.

M A R E, quòd *amarum* sit, sic dictum esse scribunt Isidorus, lib. XIII. Orig. cap. XIV. & Honorius Augustodunensis, lib. de imagine mundi. cap. XXXII. Sed aliis potius placet *amarum* esse à *mari*. Mihi dubium non est, quin vtrumque sit ab Hebræo מרר. (*marar*) quod est, *amarescere*, *amarum esse*: siue à מרה, hoc est, *amarum*, seu *amaritudo*: à quo etiam fortè est מרים, *Mirjam*, quomodo ante *Domini matrem* dicta fuit *soror Mosis*, putà quia nata fuit, cùm Hebræi premerentur duro Ægyptiorum iugo. Nam quamquam & ante id tempus seruirent Hebræi, nondum tamen tantis opprimebantur malis, vt ex Cabala discimus. Apud B. Hieronymum legimus *Marjam* esse ex מר, hoc est, *gutta*, seu *stilla* & ים, hoc est, *mare*, vt τὸ λέξει sonet *maris stilla*. Sed obstat ὀρθογραφία, quando *Marjam* Syrorum est, Hebræi verò *Mirjam* dicunt. Porrò apud Hieronymum pro *stilla maris* corruptè editum est *stella maris*: quà vitiosà lectione decepti nonnulli *Mariam Domini matrem* sic appellarunt: vt in cantico, *Aue maris stella*. Ibidem apud Hieronymum legas *Mariam* Syriaco sermone notare *Dominam*. Sed fallitur. Nam Syris *merjo* significat *dominus* est vnde femininum *marta* quod τῇ συγγενείᾳ in N. T. libris scribitur Μάρθα. Atqui *Marjam* & *Martha* plurimùm differunt. Ex his simul liquet, quid iudicij ferri debeat de illis verbis Isidori, lib. VII. Orig. cap. X. *Maria illuminatrix, siue stella maris: genuit enim lumen mundi. Sermone autem Syro Maria domina nuncupatur, & pulchrè, quia dominum genuit*. Vide quæ de *Maria* appellatione scribit vir eruditus, mihique amicissimus Abrahamus Costerus, in vindiciis loci Genes. III. 15.

M A R G A R I T A, siue *margaritum* (nam vtroque modo veteres loquebantur) est à Græco μαργαρίτης, vnde liquet eorum error, qui (vt Isidorus refert, lib. XVI. cap. X.) à *mari* deducunt, eò quòd in *marinis conchis* inueniatur, vnde & *maris pomum* à Tertulliano vocatur. Dicitur verò ὁ μαργαρίτης λίθος, & ἡ μαργαρῖτις λίθος, quia Ionibus λίθος generis est muliebris. Vt simile sit ac ὁ λυχνίτης λίθος ac ἡ λυχνῖτις λίθος. Atque vt etiam λυχνὶς dixere; ita & μαργαρὶς, imò & μάργαρος; quod apud Procopium. Cùm verò Græci non dicant μαργαρίτα, liquet Romanos rectiùs dixisse *margarita*, quod à μαργαρίτης, vt à χάρτης *charta*, à καταπέλτης, *catapulta*. Μαργαρίτης vero dicitur, non vti Eustathius scribit à μαίρειν, *splendere*: à quo & μαρμαίρειν, sed à μάργαρον, quomodo à Pausania in Arcad. & in Epigramm. vocatur. Μάργαρον verò est ab Hebræo fonte: nam Ies. XVII. vers. 6. est גרגרים, *gargerim*, quod in tralatione sua socer, & Tremellius vertere *baccas*: Montanus, & alij, *grana*. Alij malunt esse à מרגרגים, hoc est, *amara crusta*, ברגרים, *crusta pura*, siue *bacca*; vnde & *Barbara* nomen, non à *barbarie*. Monuit id quoque doctissimus Beemannus. Differre *margaritas* à *gemmis*, & *lapillis*, indicat hic Vlpiani locus L. XIX. de auro & arg. mund. leg. §. VI. *Gemmæ autem sunt perlucidæ materiæ, quas, vt refert Sabinus libris ad Vitellium, Seruius à lapillis eò distinguebat, quòd gemmæ essent perlucidæ materiæ, velut smaragdi, chrysolithi, amethysti. Lapilli autem contrariâ superioribus natura, vt Obsiani, Veientani. Margaritas autem nec gemmis, nec lapillis, contineri, satis constitisse ibidem Sabinus ait, quia concha apud rubrum mare, & crescit, & coalescit*. Vbi legendum videtur, *in concha*. Græcis tamen μαργαρίτης λίθος dicitur: & poëtæ, *Erythræos lapillos* dicunt de *margaritis*, quia ad *Erythræum mare* crescunt. Etiam Sosipater Charisius *calculum* vocat. *Quare*, inquit, *cùm materia, in qua margaritum nascitur, animalis sit: ipse autem calculus qui nascitur, inanimalis sit*. Plinius tamen, Curtius, & alij, *margaritas gemmásque* tanquam diuersas, coniungunt. Et sanè *margaritæ* aceto liquefiunt, non item *lapilli* ac *gemmæ*. Quare nihil mirum, si scriptores nunc *margaritas* sub *gemmis* comprehendant, nunc non item; prout vel laxiùs; vel pressiùs vtuntur *gemmæ* aut *lapidis* vocabulo.

M A R G O à *mari*, si credimus Isidoro, lib. XIV. cap. VIII. vbi & ait

ait propriè eo notari *marginem maris*, hoc est, *litus*. Et fauent ei Glossæ vett. vbi *ῥηγμὶς* exponitur : quo interdum *aqua alueus* signatur.

MARISCA est *ficus grandior*, sed *insipida*: vnde Martialis, lib. VII. epig. XXIV.

Infanti melimela dato, fatuásque mariscas.

Quia *fatua* vocantur, videri possint dictæ à *μωρός*. Sed *fatuus* hic *insulsum* notat : vt alibi eidem poëtæ *fatua*, *fabrorum prandia*, *beta*. Itaque aliis placet à *mare mariscam* dici quasi *masculam* : idque ob *magnitudinem*. Et sanè id verisimilius. Ob *similitudinem* autem ita dicuntur *tubercula in ano ex nefanda libidine prouenientia*. Vnde apud eundem :

Caeduntur tumidæ, medico ridente, mariscæ.

Est autem à *mare*, *mariscus*, vt à *Syro*, *Syriscus*. Sic *mariscus*, *iuncus marinus*, vnde tegetes texuntur, teste Plinio, lib. XXI. cap. XVIII. Nempe à *magnitudine* ei nomen *Ὁλόσχοινος* esse Gaza putabat : sed Plinius distinguit.

MARITVS, à *mas*. Priscianus, in IV. *Auitus*, *maritus*, *Ceritus*, *ab auo*, *mare*, *Cerere*. Similiter Isidorus, lib. IX. cap. VIII. *A mare maritus, quasi mas*. Hinc *maritare*. Gloss. *Maritat*, *γαμίζει*.

MARMOR à *viriditate* sic, voce Græcanicâ, dici ait Isidorus, lib. XVI. cap. V. Rectiùs Priscianus, lib. I. (quo loco de affinitate & conuenientia literarum agit.) deducit à *μάρμαρος*, quod nunc adiectiuè significat *λαμπρός*, nunc substantiuè *λευκὸς λίθος*; vt de vtroque Hesychius testatur. Venit autem à *μαρμαίρω*, *resplendeo*. Atque hæc caussa est, cur & *mari*, ob nitorem aquæ, *marmoris* nomen tribuunt poëtæ, vt I. Georg.

———*Infidum remis impellere marmor.*

A *marmore* est *marmoratum* ; *tectorium è marmore & calce*. A cuius similitudine *sordes in auribus* à Plinio *aurium marmoratum* appellantur.

MARRA, instrumentum rusticum Columellæ ac Iuuenali, Gr. *μάῤῥον* quod Hesychius esse dicit *ἐργαλεῖον σιδηροῦν*. Camerarius, annot. in Tusc. Qu. ait hinc aliquos deducere prænomen *Marcus*. Sed *marcus* Latinis est *mollis*, vnde *marcidus* ; vt à *flaccus*, *flaccidus*. *Marcus* autem ex *μαλακός*, hoc est, *μαλακός*, vt alibi diximus. Quòd si minùs placet, prænomen à *mollitie* impositum esse, placebit fortè à *fortitudine*, boni ominis caussâ datum esse. Nempe vt à *mas* fit *Mascus*, & S in R conuerso *Marcus* : quomodo ex *Casmen carmen* fecere. A *Marcus* est *ὑποκοριστικῶς Marcellus* : vnd *Marcellinus*.

MARSVPIVM à Græco *μάρσιππος*, seu *μαρσίπιον*, pro quibus & *μάρσυππος* & *μαρσύπιον*, per I, atque adeò & *μάρσιππος* geminato Π legere est. Isidorus, lib. XX. cap. IX. *Marsupium sacculus nummorum, quem Græci μαρσύπιον appellant.*

MARTES, *mustelæ genus*, memoratum & Martiali :

Venator captâ marte superbus adest.

A *Marte* nomen esse videtur : quòd vi *Martiâ* mures, gallinas, aliásque aues necet.

MARTIVS *mensis*, quia *Marti* sacer esset : vt docent Varro, lib. V. de L.L. Plutarchus, in Numa ; Macrobius, lib. I. Saturn. cap. XII. Festus ; Isidorus, lib. V. cap. XXXV. Sed & hic alterum addit etymon, vt sit à *mare*, quia animantes tum coitus amore agantur ad marem. Atque id quoque secutus Honorius Augustodunensis. Sed omnino est à *Marte*. *Mars* verò vel ab *Ἄρης* præmisso *M*. vt Nunnesio visum, vel potiùs contra est, ex *Mamers*, pro quo & dixere *Mauers*, atque *e* in *o* abeunte *Mauors* : non quòd magna vortat, vt crediderunt. *Mamers* à Chaldæo כוסרם in Hiphil. significat autem *contundens*. A *Mamers* fuit proprium *Mamercus*, vel *Mamertus*, atque indè *Mamertinus* : vti à *Marte Martius*. Anci regis cognomen, vnde *Martinus*. Ab eodem est *Martialis*, vt à *iuuene Iuuenalis*. A *Marte* id quod *Martialibus* dabatur *Martiaticum* vocabatur. Priscianus super XII. Æn. versibus principalibus, lib. vlt. *Solemus etiam Martiatibus, Martiatica, Martiaticum dicere, vnde stipendia militum Martiatica dicuntur*. Similia sunt à *cathedra*, *cathedraticum* ; à *balneis balneaticum*.

MARTVLVS, *malleus fabri ærarij*, quem, vti & forcipem, vectem, ac incudem, in insula Cypro inuenit Cinyras, Agriopæ filius: vti testatur Plinius, lib. VII. Nat. Hist. cap. LVI. Quamquam apud eum in libris quibusdam est *marculum*. Sed rectè vetus Mediolanensis *martulum* : nec disconueniunt in quibus est *martellum*. Sanè conuenit lingua Gallica, in qua vocatur *marteau*, & propiùs etiam Hispanica quæ appellat *martillo*, & proximè Italica ac Lusitana, vbi vocatur *martello*. Et verisimile est sic dici ab inuentore. Nam & Caper, extremo lib. I. de Orthogr. *Martulus*, inquit, *à Marte*.

MARTYR, *μάρτυς*. Propriè *testem* notat. Sed Christianis sic peculiariter dicitur, qui non ore tantùm, sed & sanguine veritatem cœlestem testatam facit. Hinc *Martyrium*, *μαρτύριον*, quod propriè est altare impositum cineribus *Martyrum*. Latinè *Confessio* dicitur. Nam prius, qui Græca voce *martyres* dicti, Latinis *Confessores* vocabantur. Postea hæc vocabula distinxerunt. Ex his liquet, cur *Ecclesias*, *in quibus martyrum reliquiæ* essent, *martyria* appellarent. Sed *καταχρηστικῶς* post quælibet *Ecclesia*, *cuicumque sancto* dicata, *Martyrium* vocari cœpit. Ita vsurpat Hieronymus in Hilarione : *Causam occultandi*, *iuxta præceptum Antonij*, *fuisse referentes*, *ne Pergamus*, *qui illis locis*, *sublato ad villam suam Sancti corpore*, *Martyrium fabricaret*. Vide Scaligerum ad annum Eusebij MMCCCLXXXVI

MAS à *fortitudine* sic vocatur. Nam vt Græcis *ἄῤῥην* ab *Ἄρης* duplicatâ caninâ literâ, vox magis redderetur mascula : sic Latini è *Mars* fecere *mas*, eiectâ literâ caninâ, ad morigerandum aurium voluptati. Ea & mens Isidori, lib. XII. cap. I. Vel fuerit è *Mamers*, vt Cæsar Scaliger scribit, cap. LXXIX. libb. de causs. L.L. *Mas*, inquit, *Osca dictio fuit*, *concisa à Mamerte*, *Mamers enim & Mauers*, *& Mars fortem apud illos significarunt : non quod magna vorteret*, *vt aiunt*, *neque enim Latinæ voces fuere*. Vel *mas* potiùs sit è Chaldæo מרא, *mare*, id est, *dominus*, à quo & Arabum מר, hoc est, *vir*, *maritus*. A *mas* est *masculus*, vnde *masculetum* : vbi *mascula vinearum plantæ sunt consita*. Plinius vsus, lib. XVII. cap. XXII.

MASTVRBARI, vulgo dicunt, ac volunt esse à *manu*, & *turbo* : quomodo in Glossis Philoxeni legere est, *Masturbat*, *manuturbat*, *δι' ἑαυτοῦ ἀφροδισιάζει*. Quo significat esse *verbum dictu fœdum*. Sanè *masturbare* Græci dicunt *χειρουργεῖν*, quasi dicas *manibus operari*, quomodo & transtulit Erasmus in Diogenis apophthegmate. Reprehendit Erasmum Robortelius, quòd non verterit, *virilia ad seminis effusionem tractare*. Sed idem quod Robortelius sensit, verùm, Græcorum exemplo, verecundiùs expressit. Videndum autem annon *manistuprare* potiùs dici debeat. Sanè in veteri Onomastico *mastuprari* exponitur *ἀσελγεῖν*, leuiculo errore, solùm enim lineolam, primæ vocali impositam, neglexere. *Manstuprare* autem dicetur, quasi *manu*, vel *manum stuprare*. Hoc nisi verum putarem, dicerem dicendum esse *mastropare*, atque esse à *μαστροπεύω prostituo ad impudicitiam*. Vti hoc est à *μαστρωπὸς*, quo significatur *leno*, vel *lena*. Itaque *mastrupare* propriè esset, *sui ipsius lenonem esse*, *ac secum libidinosè agere*: Sed nimis multa ea de re, quam scelus esse ingens, etiam impurissimus Martialis agnoscit.

MATER, vt ex Verrio scribit Festus, est à *manus*, id est, *bonus*: vnde & *Matuta*, & *mane*, & *manes*, & alia deducit. Vel est nomen ex eo, quia *materiam præbet fœtus*, vt *pater* caussa est *efficiens*. Ita Isidorus, lib. IX. cap. V. Sed est omnino à Græcis dicentibus *μήτηρ*, & Doricè *μάτηρ*, hoc autem à *μάω* id est, *vehementer cupio* : vnde & *μαῖα*, *auia*, itémque *obstetrix*. Nempe quâ ratione Hebræum *ab*, id est, *pater*, venit ab *abbah*, id est, *dilexit*. Vel potiùs est *μήτηρ* ab Hebræo אם, *mater*: vt *μήτηρ*, vt *pater* ab Hebræo אב. *τηρ* vtrobique vocis solùm productio est. A *mater* est *matertera*, non quasi *mater altera*, vt ait Festus : sed hîc quoque *tera* est productio. A *mater* item est *matrix*, vt à *μήτηρ*, *μήτρα*. Caussam appellationis ex Sorano adducimus in Hysterica. Hinc *matricnia*, quòd *ea velut matrice continerentur milites*. Vsus Vegetius, lib. I. cap. XXVI. Posteriores *Album* dixere. A *matre* quoque est *materia*, & *materies* : de quibus seorsim. Ab eadem dicti pueri *matrimi*, de quo in *Pater*. Ab eodem est *matrona*, quomodo *spei atque boni ominis caussâ etiam illa dicebatur*, *cui liberi nedum essent*. Atque hinc liquet, quomodo differant *matrona*, & *materfamilias* : in quo se quidam olim torsere vt ex Nonio discimus. Est & alterum inter hæc discrimen. Nam, *matronæ* solùm dicebantur *feminæ honesto illustríque loco natæ*. Itaque Seruius ad illud IX. Æn.

Quæ te sola, puer, multis è matribus ausa
Persequitur : ———

Ex matribus, inquit, *id est ex nobilibus. Nam matres non nisi nobiles dicimus : vnde & matronæ dictæ sunt*. Georgius Cedrenus, in Annalibus : *Οἱ Ῥωμαῖοι τὰς εὐγενεῖς γυναῖκας ματρώνας ἐκάλουν, αἱ δὲ πολλαὶ ἐπισημότεραι*. Fusiùs hac de re Iac. Durant. Casellius, lib. I. Varr. cap. VII. à *matrona* dicuntur *Matronalia* quod iis (Martiis purâ Calendis, non Aprilis, vt quidam censuerunt) *matronæ Iunoni sacrificarent* : vt sibi annus felix esset in amore coniugali, ac puerperio. Eodem inter se munera missitabant, quem morem præter alios tangunt, Plautus Milite, Act. III. Tibullus lib. III. el. I. & lib. IV. el. II. ac Iuuenalis quoque, cùm ait :

Munera femineis tractat secreta calendis.

Vide & Seruium, VIII. Æn. A *Matrona*, *matrimonium* dictum esse scribit Seruius, in XI. Æn. Fungerus ait esse à *matre*, vel dici quasi *matrem monens*, quia cogitare mulier debet nubere se, vt fiat mater. Sed *monium* vocis est productio. Vtque à *patri*

nis est *patrimonium*, à *sancto*, *sanctimonia*, à *casti*, *castimonia*; sic a *matre*, *matrimonium*: Ac quod de *matrona* dicebamus, id hic etiam locum habet, *matrimonium* quoque esse, vbi liberi sunt nulli: nempe quia ita dictum à *spe*, siue *boni ominis causa*. Sed in eo a *matrona* vox hæc abit, quòd *matrimonium* etiam est inter virum & ancillam seu concubinam, si vxoris loco habeatur. Vnde a Curtio dicitur, Alexandrum magnum sibi *matrimonio* copulasse barbaram quandam virginem, idque Achillis exemplo, cui Briseis *contubernalis* fuit. Vide Scipionem Gentilem, lib. II. Παρέργ. cap. XII. *Matrimonium* etiam pro *coniu maternus* sumi, ex Valerio Max. Seneca Suetonio, tam ab aliis obseruatum.

M A T E R E S sunt *Celticum lanceæ genus*: eóque origo eius in Latio quæri non debet. Sisenna, lib. apud Nonium: *Gallia materibus, Sueui lanceis configunt*. Idem Sisenna cum *lanceis* coniungit apud eundem: *Alij materibus, aut lanceis medium perturbant agmen*. Meminere & Cæsar, lib. I de bellico Gallico, & Liuius, lib. I. Strabo, lib. IV. Καὶ μάταρις πάντι τῷ ὄρ. Hinc *matarary* dicti, quos similiter cum *lancearijs* iungit Ammianus Marcellinus, lib. XXI. Vide quæ de *materibus* scribit Gyraldus, dialogismo XII. & H. Steph. lib. IV. schediasm. III.

M A T E R I A, & *materies*, à *matre* dicuntur, vt à *luxu luxuria*, & *luxuries*. Isidorus quidem, lib. IX. cap. V. existimat *matrem* dici, quia est *quasi materies*: nam ex ea efficitur aliquid. Sed contra putamus à *matre* dici *materiam*, quia *in corporum ratione se matris instar habet*. Cornelius Fronto distinguit ita *materiam*, & *materiem*, quasi illa animi sit: vt corpus naturale sit, quod *materies* est & obiectum scientiæ naturalis; *materia* verò sit fabrorum, vt lignum. Sed valde metuo, ne contra dicere voluerit. Nam veteres, cum de ligno loquuntur, *materiem* dicere solent. Quomodo Plinius ait *materiem terebinthi lentam*: Vitruuius, *materies cædenda à primo autumno*. Sed posteriores confundunt. Vnde Glossæ: *Materia*, ξυλεία. Vide & quæ de *materiei* voce dicimus in *Sylua*.

M A T H E M A T I C I dici volunt *impostores*, qui aliter *Chaldæi* hoc est, qui ex obseruatione horæ natalitiæ fata cuiusque se scire profitentur. Iul. Paullus Recept. lib. V. Tit. XXI. *Qui de salute principis vel summa Reip. Mathematicos, ariolos, aruspices, vaticinatores consulit, cum eo qui responderit, capite punitur*. Sed *mathematici* verè, qui sciunt disciplinas circa abstractam quantitatem versantes: vt Arithmeticem & Geometriam: aut earum principia aliis applicantes: vt faciunt Geographia, Astrologia, Musice, Optice, aliæ. Dicuntur *Mathematica disciplina*, μαθηματικαὶ ἐπιστῆμαι, & αὐτὰ μαθήματα, hoc est, *disciplina*, ἀπὸ τοῦ μαθεῖν, hoc est, *discere*: quia in Græcia, vbi linguâ suâ contenti philosophabantur, vbi legere scriberéque norant, ab Arithmeticis & Geometricis auspicabantur.

M A T T A, est *storea*, *teges*, quæ & Belgis *matte* dicitur. Vsus Ouid. lib. VI. Fast.

———Plaustróque morantes
Sustulit: in plaustro scirpea matta fuit.

Gloss. Phil. *Matta*, ψίαθος. Gloss. Cyrilli: ψίαθος, *teges*, *terratoria*, *matta*. Martinio videtur esse ab Hebraico מטה, *mittah*, id est, κλίνη, *lectus*. Nempe quia in *matta soliti sint cubare*. *Mattarius* pro eo, *qui in matta dormit*, legas apud Augustinum contra Faust. Man. lib. V. cap. V. Vide de *matta* vocabulo Sauaronem ad Sidon. lib. IV. epist. XXXIV.

M A T T Y A vel *mattya* dicenda, quæ corruptè in multis libris *mattea*: vt apud Suetonium in Calig. cap. XXXVIII. Eidem *matteola* non *mattecla* legendum apud Arnobium, lib. VII. *Vsus priori & Seneca, controuers. XXVII. Ego ad Cæsarem non sum iturus cum mattea*. Et Martialis, lib. X.

———Sed te mattya sola iuuat.

Vbi corruptè vulgo *iuuant*. Idem. lib. XIII.

Inter quadrupedes mattya prima lepus.

Græce est ματτύη, quomodo dicitur πᾶν τὸ πολυτελὲς ἔδεσμα, *omnis cibus pretiosus ac delicatus*, vt Athenæus ait in XIV. Sed primò fuit *certum delicati cibi genus*, *quod è farina subacta fieret*: vnde & nomen, nempe à μάσσω, *subigo*, vnde & μᾶζα, *maza*.

M A T T I A C A *pila* meminit Martialis, lib. XIV. epigr. XXVI. Nomen videtur à *Mattiaco*, Germaniæ oppido, vnde melioris notæ adferrentur. Vile *saponis* genus fuisse, tradit Turnebus Aduers. lib. IX. cap. XXIII.

M A T T I C I à Festo esse dicuntur *homines malarum magnarum atque oribus late patentibus*. Vbi alij libri *matrici* vel *martici*. Sed Scaliger in Coniectaneis probat *mattici*, dicique ex eo censet, quòd Græci veteres *maxillas* vocarent γνάθους, vt ex Hesychio discimus, qui γνάθος interpretatur. Itaque *mattici* idem sit, ac γνάθωνες, hoc est, *gulosi*, quales in comœdiis inducebantur.

M A T V L A vnde sit, age videamus, an coniecturâ possimus assequi. Illud constat, Græcis ἀμίδα dici. Hinc puto leuicula mutatione & euphoniæ causa *mada*, vel *mata* dixere, & inde per diminutionem *matula*, & alterâ diminutione tum *matella* Plauto & Varroni apud Nonium: tum *matellio*, quomodo dicebatur, vbi a *matulæ* figura longius recessit, vt Varro scribit lib. IV. de L. L. Meminit & *matellionis* Festus. Hoc si etymon displicet, non video vnde dicatur, nisi forte à *madeo*, quia excipit *saccatum corporis humorem*, vt Lucretius appellat.

M A T V R V S duplicem habet significationem, vnam propriam, alteram ex vsu vulgari. Propriè *maturum* dicitur, *quod nec citius, nec tardius est, quam conuenit*. At ex vsu vulgari etiam *mature* euenit, *quod citius fit, quam par est*. Priori modo *matura mors* est hominis longæui: & *virgo matura*, quæ nubilis: *immatura virgo*, quæ necdum nubilis: *immatura mors*, quæ Græcis ἄωρος. Altero modo dicitur aliquis *maturè venire*, pro cito; *maturiùs discumbere* apud Cic. hoc est, solito celerius cœnare. Ac Tibullus similiter,

Seu matura dies celerem properat mihi mortem,
Longa manet seu vita.———

Vbi *matura* est *cita*, *velox*, *instánsque naturæ tempus prauertens*. Ac posteriori hoc modo *maturare* idem est ac *festinare* & *properare*. priori verò *maturare* est minus. Quomodo dixit Maro, I. Georg.

Multa forent, quæ mox cælo properanda sereno
Maturare datur.———

Vide Gellium lib. X. cap. XI. quod sic incipit: *Maturè nunc significat propere & citò contra ipsius verbi sententiam*. Quod ad etymon; *maturus* Festo dici videtur a *manus*, id est, *bonus*. Isidorus, lib. XVII. cap. VII. à *mando*, vel *manduco*, quasi *manduru*s, quia quæ *matura*, ea sunt *ad mandendum* seu *manducandum apta*. Similitérque Perottus. Cæsar Scaliger, in lib. I. Theophr. de caussis Plant. cap. XIX. censet esse a *mane*, vel à *Matuta*, id est, *aurora*: nempe quia, quæ mane seu matutino tempore fiunt, eadem *maturè* fiunt. Alij malunt deducere à מטר, quod est *pluuia*, quia hæc *maturè prouenientes*, *vt fruges ac fructus maturescant*, *facit*. Sed durior quidem, at vera fortasse est sententia Petri Nunnesij, cui *maturus* est à πέπειρος, significatio conuenit: & π etiam aliàs abit in m: Vt ab ὕπνος, *somnus*.

M A T V T I N V S, non à *mane* sic dicitur, vt Isidorus voluit, lib. V. cap. XXXI. sed a *Matuta*. Vt a *vesper*, *vespertinus*, sic a *Matuta*, *matutinus*. Lucret. lib. V.

Tempore item certo roseam Matuta per oras
Ætheris auroram defert, & lumina pandit.

Cicero, lib. I. Tuscul. Quæstion. *Quid Ino, Cadmi filia? nonne Leucothea nominata à Græcis, Matuta habetur à nostris?* Priscianus, lib. II. *Matutinus à Matuta, quæ significat auroram, vel, vt quidam, Λευκοθέαν*. Onomasticon: *Matuta*, Λευκοθέα. *Matuta* verò, vel à *manus*, id est, *bonus*: vt ex Verrio scribit Festus; vel potiùs à tempore, cui præest, nempe à *mane* dicta est quasi *Manula*, *N* in *T*, abeunte, quomodo à Γανυμήδης est *Catamitus*, ac Atticè Πειραιεὺς dicitur Πειραιεύς. Idem cum Angelus Caninius censet, tum Cæsar Scaliger, in lib. I. Theophrasti, de caus. plantarum, cap. XIX.

M A Z A, μᾶζα, *farina cum aqua & oleo cocta*, quâ pauperiores panis loco vtebantur. eam pani hordeaceo postponit Galenus lib. de alimentis. Pluscula de ea Marsilius Cognatus lib. I. Var. Obseru. cap. XXXIX. & lib. III. cap. XVIII. Quibusdam placet, esse a μάσσω, quod est *mazas pinso* siue *subigo*. Sed μάσσω est à μᾶζα. Quare verisimilius Eustathius, & ante eum Athenæus lib. XIV. (pag. DCLXIII. edit. Commel.) vbi deducit à μάττω, quod est, *pinso*, *subigo*. Vnde & a μάκτρα, quo significatur *vas*, *in quo pinsitur farina*. Item μακτὴρ, quod idem notat teste Polluce. Vsus quoque Marcellus Empiricus: *Rasamen pasta quod in magide adhæret*. Sed imprimis placet μᾶζα esse a מצה, *mas'ah*, quod *placenta* aut *panis* genus significat à radice מצה, quod est *liquorem exprimere*. Vel potiùs sit à מזון, *alimentum*, *esca*: ab radice זון, *pasco*, *alo*. A μᾶζα dicuntur μαζονόμοι. Primò enim sic dicebantur, in quibus μᾶζα apponebatur: postea generatim sic dictæ *lances rotunda ac lignea*. Itaque Hesychij locum sic corrigit ad Athenæum Casaubonus; Μαζονόμοι τὸ κυκλοῦν ἢ τὸ ξύλινον πίνακα. Gloss. *Lances*, μαζονόμοι, nempe quia soleant *mazas* νέμειν, hoc est, *distribuere*. Dicuntur & μαζονόμια. Pollux, lib. XIII. cap. XII. Μαζονόμιον, κυκλοῖ πίνακες, ἐφ' ὧν αἱ μᾶζαι ἀνέκειντο. Vsus quoque Varro, lib. III. de R. R. cap. IV. *Vt in eodem tecto ornithonis inclusum tricliniarum haberet, vbi delicatè cœnitaret, & alios (turdos) videret in mazonomo positos coctos, alios volita-*

re circum fenestras captos. Dicitur & μαζόφορος vel μαζοφόρας. Hesychius: Μαζοφόρος, ὀψιγόνος ἀγρός. A μάζα est etiam Latinum *massa*: quo significatur *farina subacta maceratáque ad panificium.* Adducit hoc etymon quoque Priscian. lib. I. in fine capitis de literarum numero ac permutatione. Ac iuuant Gloss. Vett. *Massa*, μάζα, φύραμα. Z in duplex SS conuertitur: vt πατρίζω, *patrisso*; πιτύζω, *pitisso*; μύζω, *musso*. Nihil etymo hoc certius. Quare non erat, quod Pontanus in Actio, fol. CXXXVIII. edit. Ald. & ex eo Erythræus in Indice Virgilij, vt à *magnus* est *magnissimus*, *inde maximus*; sic forte ab eodem esse *magnissa*, hinc *massa*. Quod ineptum puto. A *massa* est *immassare*. Posterioris æui vox Isidorus, lib. XI. cap. I. *Vltimi sunt molares, qui concisa à prioribus ac confracta subigunt & molant, atque immassant.*

MECHANICAS *artes* Scholastici ita dici nugantur, quia *faciunt mentem mœchari circa res viles.* Est verò μηχανικὴ τέχνη (quæ & ἁπλῶς μηχανικὴ dicitur) *ars machinalis*, à μηχανή, quod *fabricam* notat: vnde & Latinum *machina*, vt à μηχανάω, *machinor*. In quibus verò hæc ars μηχανικὴ occupetur, vide sis apud Politianum in Panepistemone, vbi ex Herone & Pappo eam egregiè describit. Græcum μηχανή vnde sit, vide voce *Machina*.

MEDERI, à μήδεσθαι, conuerso H in E breue, quomodo à κρηπὶς, ἴδος est *crepida*. Μήδεσθαι est, *curare, consulere*, à μῆδος, *cura, consilium*. vnde facta Ἐπιμηθεὺς & Προμηθεὺς, δ in θ conuerso, vt in ὄρνιθος, & aliis. Ἐπιμηθεὺς, qui post factum consulit: Προμηθεὺς, qui ante factum, quid ex re sit, cognoscit. A *medeor* est *medicus*, vnde *medicinus* vt *libri medicini*. Varro, lib. IV. de L. L. Ab *arte medica*, hoc est, *medicina*. Sed vt *Grammatica* & similia, ita & hoc sumitur substantiuè. Nec eo *ars* modo significatur, sed etiam *medicorum* siue *chirurgorum* (olim enim iidem *medici* ac *chirurgi*) *pergula* seu *officina*: Plautus, Epid. II. II.

Per medicinas, per tonstrinas, in gymnasio atque in foro.

Ludere, non seriò mihi loqui videntur qui *medentes* dici aiunt quasi μεσεύοντας, hoc est, ἰσοῦντας, iuxta illud Homericum,

Ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Quod etymon adfert Federicus Morellus scholiis in Dionis orationem περὶ ἀπιστίας. Acutiùs etiam quam veriùs Iulius Scaliger, qui commentario in Theophrastum, & in Hippocratem de insomniis, à *medio medicum* & *medicinam* dici putat. Nempe quia, vt virtus, ita sanitas quoque in mediocritate consistat: morbus verò, vti vitia, excedat τὸ μέσον, ad quod corpora per artem medicam reducuntur. A *medeor*, Festo teste, est *medibile*, vt a *medicor medicabile*. A *medendo* quoque dicta *Dea Meditrina*: cuius sacra *Meditrinalia*. Iis priùs vetus mox nouum bibebant vinum, ac vti *Martinalibus* nunc cantio obtinet apud Belgas de vetere nouóque vino, ita olim alia illi non multùm absimilis in vsu erat. Festus: *Meditrinalia dicta hac de caussa. Mos erat Latinis populis, quo die quis primum gustaret mustum, diceret ominis gratiâ: Vetus nouum vinum bibo, veteri nouo morbo medeor. A quibus verbis, etiam Meditrina Dea nomen captum, eiusque sacra Meditrinalia dicta sunt.* A *medeor*, vel potiùs *medicus*, quoque est *medicor*, vnde *medicabulum*, quâ formâ à *mendicus*, *mendicabulum*. Sed *mendicabulum* non pro *medico*, verùm *loco medicandi* sumitur. Vsus ita Appuleius in IX. A *re*, significante *contra*; & *mederi*, venit *remedium*. Itaque Gloss. Philox. & Onomasticon ἀλεξιφάρμακον exponunt. Hinc *remediari*, apud Tertull. Hieron. alios posterioris æui.

MEDIASTINI *balneariorum* dicti οἱ ὑπουργοί, hoc est, οἱ ὑπηρετοῦντες. Glossæ ab H. Stephano editæ. *Mediestrinus*, ὑπουργός. Lege *Mediastinus*. Ita dictus plerisque putatur à *medio astu*, hoc est, *media vrbe*: in qua baiuli ferè versantur: vt aiunt. Alii à *medius*, & *sto*, vel *teneo*. Priscianus extremo lib. II. *Mediastinus à medio stando vel tenendo componi videtur.* Idem super XII. lib. Æn. *Mediastinus inde videtur componi, quia medias partes balnei tenet, hoc est, in medio lauantium stat.* Ac à *medius* esse *mediastinus*, facilè credo Prisciano: siue ita dicatur, quia *medius*, vel *ædibus*, vel *balneis*, *esset*, *ad omnium vilissima quæque seruitia paratus*: vt plerique arbitrantur: siue quòd *medius esset inter seruos summos, & imos: summos, vt atrienses, & dispensatores. imos, vt compeditos, & quales quales.* Quæ sententia est Turnebi, lib. XXVIII. cap. XXXI. Verùm illud STINVS à *stando* esse non puto. Magis fit verisimile, esse vocis productionem, vt in *Clandestinus*. Quæ & eiusdem Turnebi mens. Hac de voce plura si voles, adi Beroaldum, Indice in Columellam; Hermolaum Barbarum, glossematis Plinianis, voce *Iatralipta*, & Ræualdum, lib. V. Variorum, cap. vlt. Quod verò in domo sunt *mediastini*, id in naui sunt *mesonautæ*, similiter vilissima quæque ministeria obeuntes: vt censent Hermolaus Barbarus, in glossematis Plinianis, in voce *Iatralipta*; & Gul. Budæus in Tit. Quod nautæ, caupones, stabularij, § Qui sunt igitur, vbi. Vlpianus vtitur hac voce. Sed Hottomanno placet, ita dici, *qui, medium inter nautas, siue remiges, locum obtinens, nauigandi signum det aliis.* Aliis, *qui partim nautæ ministerio fungens partim vectoris vicem obtinens, aliquid pro vectura soluit.* Mihi quoque placet Turnebi mens, vt sic dicantur, quia *medio loco sint inter nautas summos, & imos:* summos, vt gubernatores, & proretas; imos, vt remiges. Vide eum, & lib. XXVIII. cap. XXXI. Ex μέσος & ναύτης conflari, satis est apertum.

MEDICA *arbor*, quæ alio nomine *citrus* vocatur, à *Medis* dicta est, vt scribit Isidorus, lib. XVII. cap. VII. Ex iunioribus Pontanus in libb. de hortis Hesperidum. Vide & de iis Ruellium: qui docet, *mala Medica, limones & mala Aransionensia* contineri. Ab iisdem *Medis*, *Medica* herba nomen accepit. Virgil. I. G.

——Tunc te quoque Medica putres
Accipiunt sulci.——

Vbi sic Seruius: *Ad ipsam herbam apostrophen facit. Hæc autem translata est in Græciam, quo tempore cum Xerxes innativerat.* Ita editum est in Seruio P. Danielis. Sed pro *medica* scribendum *Medis*, vti indicat hic locus Plinij, lib. XVIII. cap. XVI. *Medica externa etiam Græciæ, vt a Medis aduecta per bella Persarum, quæ Darius intulit.* Plura de hac herba Plinius ibidem. Vide & Theophrastum, lib. VIII. Hist. cap. VIII. & Columellam, lib. II. cap. XI. ac Palladium, lib. V. cap. I. Meminere & Varro, de R. R. lib. I. cap. 12. Strabo, lib. XI. Plutarch. in comment ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν. Dioscorides, lib. II. cap. CLXXVII. Etiam à *Media* dictæ gallinæ *Melicæ*. Festus: *Melicæ gallinæ, quod in Media id genus auium corporis amplissimi fiat: L litera pro D substituta.*

MEDIMNVS, vel *medimnum*, μέδιμνος, à μεδίμνω, mensura aridorum capax sex modiorum, sextarij vnius & vnciarum quatuor: vt docet Georgius Agricola, lib. II. de mensuris Græcor. Est ab Hebræis appellatio: quibus מד, *mad*, *metiri*: מדה, *middah*, *modus*: cuius plurale מדים, *middim*, *modi*, *mensura*. Vel compositum ex מדה, *middah*, *modus*: & מנה, *manah numerus*: vt ad verbum sonet *numerosa mensura*.

MEDITARI vult Iouianus Pontanus in Actio, esse à *medium* & *iter*. Ita enim scribit fol. CXXXIX. edit. Ald. *An quæso, meditari est aliud, quàm in medio itinere aliquid itando, aut agere, aut cogitare: quod est occupati animi, aliudque quàm iter agitantis.* Sed hæc sententia indigna est Pontano. Nam nimis aptum est, venire à Græco μελετᾶν, Λ in D abeunte. quomodo ab Ὀδυσσεὺς est *Vlysses*: quomodo item pro *casmenas cadamitas* scripsere Næuius & Liuius Andronicus, vt scribit Marius Victorinus, lib. I. Hanc eius verbi originem etiam docuit Seruius, in cuius veteri codice (in illo Petri Danielis frustra quæras) ita scriptum inuenimus: *Meditaris, cantas, quasi melitaris, D pro L posita. Quod Græci μελετᾶν dicunt, per antistrophen dixerunt Latini. Etenim L & D interdum sibi inuicem cedunt. Sic solium vel sella quasi sedda dicitur a sedendo.* Μελετᾶν verò, quia μέλει, hoc est, *curæ est*. Μελετᾶν etiam *tibicinum* est: vnde eos *meletare* Fulgentius dixit: ac similiter *commeletare* eos ait Hyginus: *Quo etiam Marsyas, Eagri filius, pastor, vnus ex Satyris inuenit, quibus assidue commeletando sonum suauiorem in dies faciebat, adeo vt Apollinem ad citharæ cantum prouocaret.*

MEDIVS, à μέσος, vt Cæsar Scaliger ait de caussis L. L. cap. XXVIII. & ante eum Priscianus, super XII. vers. Æneid. Sed hic alterum etiam etymon addit, vt fit à *modo*, hoc est, mensura. vnde & *modius*: Mihi magis placet esse κατὰ συγκοπὴν factum ex μεσσίδιος, seu μεσσήδιος, aut μεσσήδιος, quod Hesychius exponit μέσος; Nec absurdè etiam esse ab Hebraïco מד, id est, *metiri*: quia metiendo medium cognoscitur. A *medium* est *dimidium*, non à *dimensione*, quod Donatus scribit in Adel. Act. II. Sc. II. Quomodo differant *dimidium*, & *dimidiatum*; docebit Gellius, lib. III. cap. XIV. A *medius* quoque est *medioxumus*, quod Festus, siue Paullus, interpretatur *mediocris*. Parùm aptè, vt puto cum planè idem sit, quod *medius*. Scaliger ad Festum monet, id corruptum esse ex *meditumus*, quomodo Plautus & veteres dixerint: vt nempe à *medio* fit *meditumus*, quomodo à *lego* est *legitimus*, siue *legitimus*: à *quotus*, *quotumus*, *vetus*. Imò Meursius arbitratur apud Plautum pro *medioxumus* legi debere *mediogrumus*, à *medius*, & *grumus*; quomodo, inquit, *mediocris* est à *medius* & ὄκρις, quod *locum* significat. Locus Plauti, quem dico, est iste, in Cistellaria. Act. II. Sc. I.

At ita me Di Deæque, superi atque inferi & medioxumi.

Ego nihil mutandū censeo quia si *mediogrumus* dixisset Plautus, veterum aliquis tam insolentis vocis meminisset vti *medioxumi* meminere Festus, Nonius, ac Seruius quoque, cuius hæc verba in VIII. Æn. *Nam cum numina aliqua tantum cœlestia, aliqua tantùm terrestria, aliqua media, quos Appuleius medios*

medioxumos vocat, hoc est, qui ex hominibus Dii fiunt. Quis dubitet, quin Appuleius more suo Plautum sit imitatus? Nec semel ea voce vsus Comicus: sed eiusdem actus sc. III. *vxorem* vocat *medioxumam*, quam Demipho, quasi secundo duxisset loco. Varro quoque Modio dixit, *ad mortalem modum medioxumè*, id est, *mediocriter*, vt Nonius interpretatur. Imò ne illud quidem verum est, quod putat, *mediocris* componi ex *medius*, & *ocris*. Nam *cris* hic se habet, vt *tumus*, vel *xumus* in *meditumus*, siue *medioxumus*. Imò & *tullium* in *meditullium* nihil significat, vt Cicero in Topicis testatur. vbi clarè ait, non plus esse *tullium* in *meditullium*, quam *timus* in *finitimus*, *legitimus*, & similibus. Aliqui tamen veterum putarunt *meditullium*, dici quasi *media tellus*. Festus: *Meditullium dicitur, non medium terræ, sed procul à mari, quasi meditellium, ab eo, quod est tellus.* Atque ab eadem mente est, quod in vett. Gloss. legas, μεσόγειος, *meditellius*, *mediterraneus*. μεσόγειον, *meditullium*, *mediterraneum*. Sed melius Tullius, vt *tullium* sit vocis productio. Similiter nempe ac *tolium*, in *Capitolium*. Nempe fabulosum est, quod de *capite Toli* apud Arnobium legere est.

ME-DIVS-FIDIVS, vel tres sunt voces, vel vnica, non duæ, vt putarunt. Nam vt dicimus *me-Hercule*, ita & *me-Dius-Fidius*: ac vtroque per Herculem iuratur: vt indicat Tertullianus, lib. de idolol. cap. XXII. vbi de posteriori hoc iurandi genere ita scribit: *Accedente quorundam ignorantia, qui ignorant esse iusiurandum per Herculem.* Idem indicat ἐτυμολογία. Nam etsi non ignorem, Dionysium, *Fidium* transferre πίστιον, ac apud Charisium, & Festum quoque, legatur, velle aliquos *Medius-fidius* esse iuramentum *per diui fidem*: vel *per Dei fidem*: tamen longè verisimilius sit, quod apud eundem Festum legitur, voce eâ significari *Iouis filium*, id est, *Herculem*, quod *Iouem* Græci Δία appellent; *Fidium* autem poni pro *filio*, quod sæpe antiqui pro *L* litera *D* vtebantur. Confirmat hanc sententiam Varro, IV. de L. L. *Ælius Gallus Deus fidius dicebat Diouis filius, vt Græci Διόσκορον, Castorem: & putabant, hunc esse Sancum ab Sabinâ lingua & Herculem ab Græca.* Porrò illud *me*, quod in *me Deus Fidius*, primum locum obtinet, nonnullis placet esse pronomen, vt ἐλλειπτικὴ sit oratio, pro, *Ita me Deus Fidius iuuet.* Ac fuit hæc quoque sententia Festi, siue Pauli, vt qui scribat: *Mecastor & mehercules iusiurandum erat quasi diceretur, Ita me Castor, ita me Hercules, vt subaudiatur iuuet.* Mihi magis verisimile fit, *me* hic aduerbium esse, atque idem significans quod *per*. Nam quod Græcis μὰ, & ναὶ, id Latinis *me*, & *ne*: vnde *me Hercule*, per Herculem; *me Castor*, per Castorem, *epol*, per Pollucem; *edepol*, per Deum Pollucem (non per ædem Pollucis,) *ecere*, per Cererem; *eiuno*, per Iunonem, *equirine*, per Quirinum, &c. In quibus *Me* quidem est ex Græco μὰ; *E* verò ex νὴ abiecta *N*; nisi malis ex *Me* factum per ἀφαίρεσιν, de quo non pugno. At cur ad ἐλλειπτικὴν orationem confugiendum sit, caussæ nihil hactenus video. Scribit Agellius, lib. XI. cap. VI. viros *per Herculem*, mulieres *per castorem*, vtrosque *per Pollucem* solitos iurare. Addit ibi: *Nusquam scriptum inuenire est apud idoneos quidem scriptores, aut* MEHERCVLE *feminam dicere, aut* MECASTOR *virum.* Sed de *Mecastor* est, quod obduci possit. Quid enim? Plautus idoneus scriptor non est? quem Latinæ linguæ principem alibi ipse facit Agellius. At is (nisi valde me ratio fugit) locutus hoc pacto. Nihil de eo loco dicam, qui est, Casinâ Act. II. sc. VI. neque enim diffiteri possum, malè in vulgatis distingui personas, quod optimè obseruauit Acidalius. Nec pro me proferre ausim, quod ita locutus parasitus, Asin. V. 1. Nam hic quoque in personis esse aberratum, rectè demonstrat idem. Verùm quid dicemus de eo, quod eâpse scenâ Argyrippus dicat:

Ecastor quin surripuerunt pallam promisi tibi?

Nec enim probandam arbitror audaciam Acidalij, cùm inuitis omnibus libris *edepol* substituit. Gellio tamen fauet etiam Charisius, cap. de Aduerbio: *Medius fidius*, inquit, *iuratio propria virorum est, vt feminarum edepol, ecastor, eiuno.* Vbi & de *pol* & *edepol*, Titinnium laudat in Setina, qui molliculum adolescentem effeminatè loquentem, cum reprehendere magis vellet. *An*, inquit, *quia pol, edepol fabulare?* Cæterùm Plauti locus antè adductus facit, vt non vsqueadeo reprehendere cum nominibus ausim non ineruditum hominem Nicodemum Frischlinum, cùm in Rebecca sua Act. IV. sc. III. Ismaëlem inducit ita iurantem:

Bene mecastor processit hæc venatio.

Cúmque apud eum Act. IV. sc. V. venator Ismaëlis Chamus ita loquitur:

Mi tuo ecastor, vt tua cella nostra sufficiat gula.

Illud tamen culpandum, quòd temporum non habita ab eo sit ratio. Nam *Castor* paullo solùm ante bellum Troianum fuit: eóque Ismaelis temporibus per eum non potuit iurari. Nec Ismaël iurâsset per gentium Deos. Quanquam id faciunt hodie Christiani poëtæ. Sed placet sententia Hieronymi ad Damasum scribentis. *Absit*, inquit, *vt de ore Christiano sonet, Iupiter omnipotens, & mehercule, mecastor, & cætera magis portenta, quam verba.*

MEDVLLA, Isidorus, lib. XI. cap. I. ita dici censet quasi *madullam*, eò quod *madefaciat ossa*. Sed vel est à *medio*, interto *D*, vt Caninius putabat, quomodo à *reo* est *reddo*: vel potiùs ita dicitur, quia *sit in medio ossis*. A *media* fit ὑποκοριστικῶς *mediola*, vnde *medolla*, seu *medulla*. Propriè dicitur de animalibus, τὸ μήτρα verò de plantis, in quibus significat partem internam fungosam, qualem cernere est in sambuco. Solinus in iis ab eadem origine appellat *mediale*. Quod tamen latiùs patet, quia eo generatim significatur, quod in *medio* est, vtut planta non habeat *medullam*. Vt quod Græci appellant καρδίαν, quæ & durissima, vt in robore.

MEGALESIA, qui & ludi Megalenses, ita dicti à μεγαλησίοις, quomodo vocabatur ὁ ναὸς τῆς μεγάλης θεᾶς, vt Μητρῷον. Sic Τυχαῖον τύχης, Ἀνακεῖον ἀνάκων. Itaque locum Varronis, qui est v. de L. L. sic in Coniectaneis emendat Ios. Scalig. *Megalesia dicta à Græcis, quod ex libris Sibyllinis arcessita ab Attalo, rege Pergami: Pesinunte, vbi Megalesion, templum eius Deæ, vnde aduecta Romam.* Is qui Terentij vitam conscripsit, putat *Megalenses* ludos dici, quòd essent *sacri Diis magnis*. Ac Antonius Goueanus, quò id tueatur, vult aliud fuisse *Megalenses ludos* ac *Megalesia*, siue *ludos Megaliacos*, vt vocat Iuuenalis. Nam *megalenses* eosdem esse ac *ludos magnos*, qui κατ᾽ ἐξοχὴν *Circenses* vocantur: ac hos fuisse *sacros diis magnis*, hoc est, *diis maiorum gentium*: ac *Megalesia*, siue *megaliacos* fuisse *sacros magnæ Deûm matri*. Sed in his spissè à Goueano errari, optimè monent Muretus in annotat. ad Terent. & Cæsar Bullingerus, lib. de Circo. Nam primò *Dij magni* non sunt iidem ac *Dij maiorum gentium*, sed soli *Iupiter*, *Iuno* & *Mineruа*, vel cum his *Dij penates*, siue *Lares*: quemadmodum ex eo colligimus, quòd Festus quidem dicat *ludos magos fieri Ioui*; ac Cicero Verrinâ quinctâ scribat, *ludos Romanos* (qui iidem ac magni) faciendos esse *Ioui*, *Iunoni* ac *Mineruæ*: Asconius autem in Diuinat. *Deos magnos* interpretetur *Lares vrbis Romæ*: ac Cassius quoque Hemina tradiderit eosdem esse Deos *Samothracas*, *Romanorum Penates*, ac θεοὺς μεγάλους; qua de re plura Macrobius, lib. III. Sat. cap. IV. At *Dij maiorum gentium* sunt.

Iuno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius; Ioui', Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Quos Ennij versus adducunt Appuleius de Deo Socratis; & Mart. Capella, lib. I. Præterea *Megalenses ludos*, & *Megalesia*, diuersos esse nunquam probauerit Goueanus, contrarium sæpe euincit loco Ciceronis quem mox adducam. Nec originatio eum iuuat. Nam vt τυχαῖον est à τύχη, sic μεγαλήσιον est à μεγαλησία, hoc est, *magna Dea*. Quippe Æoles, vel vt alij malunt, Dores, θεὸς vocant σιὸς, vnde *Sibyllam* quasi σιὸ βουλὴν dici volunt præter Varronem, Seruiúmque Lactantius lib. I. cap. VI. Hieronymus aduersus Iouinianum, Isidorus, lib. VIII. Orig. cap. VIII. At *Megalensis* Latinâ terminatione factum à μεγάλη, quâ ratione à *Virgo* est *Virginensis*, à *circo circensis*; ab *horto*, *hortensis*. Denique falsò putat *ludos Romanos*, siue *magnos* (qui & κατ᾽ ἐξοχὴν vocantur *Circenses*, & à Marone coniunctim *magni circenses*) eosdem esse ac *Megalenses*. Nam *ludi Romani* fiunt *Ioui*, *Iunoni*, & *Mineruæ*: vt è Cicerone ostendimus: at *Megalenses* fiebant *Deûm matri*, vt disertim scribit Festus voce *Romani*: idémque confirmant hæc verba. Locus hic. Cic. de Arusp. resp. *Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri maiores ante templum in ipso matris conspectu Megalensibus fieri celebrarique voluerunt?* Et paullo post: *Qui ludi ne verbo quidem appellantur Latine, vt vocabulo ipso & appetita religio externa, & matris magnæ nomine suscepta declaretur. Hos ludos serui fecerunt. Ita denique hoc ædile Megalesia seruorum fuerunt.* Qui locus quantopere torserit Goueanum, argumento est, quod non aliud habet quod dicat, quàm *Megalesia* esse *Megalensibus* facta: quod ineptius puto, quàm, vt necesse habeam aduocare alios auctores, qui *Megalenses* pro *Megalesiis* clarè vsurpant. Præterea *ludi magni* seu *Romani* instituti sunt à Tarquinio Prisco, cuius opus esse circum maximum (is vt nobilissimus, ita antiquissimus inter circos fuit) scribit Dionysius, lib. IV. At *Megalesia* instituti à M. Iunio Bruto, quemadmodum ex Valerio Antiate tradit Liuius, lib. XXXVI. quo loco tractat de ædis matris Ideæ dedicatione. Insuper *ludi magni* fiebant pridie Non. Sept. vt colligimus ex primâ in Verrem; *Megalesia* verò celebrabantur pridie Non. Aprilis, vt testatur Ouid. IV. Fast. Denique *ludi magni*, quanquam & scenici fuerint, quod ex Liuij, lib. XXXI. patet, propriè tamen Circenses erant: at *Megalenses*

proprie erant ſcenici, vt indicat ibidem Ouidius. Sed de hoc ſatis.

Megallivm, *μεγάλλιον*, quaſi *μεγαλεῖον*, à *magnis viribus* nomen accepit, ſi Plinium audimus ita ſcribentem lib. XIII. cap. I. *Telinum vnguentum erat celeberrimum Menandri Poëtæ Comici ætate. Poſtea multo ſucceſſit propter gloriam appellatum megalium.* Sed à *Megallo*, homine Siculo, ita dictum eſſe, ſcribit Athenæus in quinctidecimi eo fragmento, quod primus edidit in Variis ſuis Canterius, lib. III. cap. XXXI. Vide & hoc de vnguento Dioſcoridem, lib. I. cap. VI. ſiue al. LIX. vbi *γεγάλειον* vocatur ſed corruptè pro *μεγάλειον*.

Meio, à מים, contractè מי, *aqua*. Notum & Latinis *aquam* honeſtè interdum capi pro *vrina*. Qua de re Ioſ. Scaligerum vide. Similitérque loquuntur Germani. Belgæ, & aliæ gentes.

Mel, à *μέλι*, omiſſo ι, vt à *πέπερι*, *piper*, ab *in*, *eſt* Ex roſcido aëris humore conficitur ab apibus. Vnde *aerij mellis* dixit Maro, initio IV. Georg. Ariſtoteles Hiſt. Animal. lib. V. cap. XXIX. *Μέλι τὸ πίπτον ἐκ τοῦ ἀέρος καὶ μάλιστα τῶν ἄστρων ἐπιτολαῖς, καὶ ὅταν ἐπικατασκήψῃ ἡ ἶρις.* *Mel ex aere cadit, præſertim ſiderum* (Vergiliarum nempe) *ortu, & cum incubuerit arcus cæleſtis.* Cornelius Celſus apud Philargyrum: *Apes ex floribus ceras faciunt, ex rore matutino mel* Seneca, epiſt. LXXXV. *Quibuſdam placet non faciendi mellis ſcientiam apibus eſſe, ſed colligendi.* A *melle* eſt *melligo*, quod nondum *mel* eſt, ſed *ad mellis naturam accedit.* Sic Plinius tranſtulit, quod Ariſtoteles *κήρωσιν* dixit: vt cùm loco ante dicto ait: *γίνεσθαι κηρίον μὲν ἐξ ἀνθῶν· κήρωσιν δὲ ἀπὸ τῶν δακρύων τῶν δένδρων*; *fauos quidem confici ex floribus: melliginem autem ex arborum lacryma.* Ab eodem eſt *Mellonia*. Arnobius, lib. IV. *Mellonia dea eſt pollens potenſque in apibus, mellis curans cuſtodienſque dulcedinem.*

Melampodivm, *μελαμπόδιον* *veratrum* dictum eſt à *Melampo*, Amythanis nato, vt eum Ouidius vocat, qui eo melancholicum humorem purgabat. Prætique, Argiuorum regis filias furore liberauit. Vel dicitur ita à *nigra radice*, à qua & *veratrum nigrum* vocatur. Nempe vt *pes* pro *radice* ſumatur. *Μελάμπους* enim *nigripedem* ſonat: vnde & *canis* nomen eſt apud Naſonem.

Melancholia, *μελαγχολία*. Nomen eſſe ex *μέλαινα χολὴ* ſatis eſt apertum. Sed de eo diſſenſus eſt, num eo ſignificetur *efferata bilis*, quomodo Aretæus accipit, qui & Homerum ſic voce hac *μέλαινα* vſum docet. An potiùs ita dicatur, quia *atra bilis* hunc affectum parit: quo Galenus reſpexiſſe dicit huius vocis auctores. An denique, quia *in eo vomatur bilis atra*: quæ nominis cauſſa placuit Cælio Aureliano.

Melandrya *piſcis*, à Græcis acceptum eſſe agnoſcit Varro, lib. IV. de L. L. Propriè *μελάνδρυον* fit *μέλαν δρυὸς*, *interior quercus pars, ſiue medulla nigricans.* Sed ob ſimilitudinem ea vox tranſlata ad *maximum thymi genus*: ac *ſalſamenti genus*, quo partes thynni (ceruice ventréque exceptis) ſale condiuntur.

Melanvrvs *piſcis*, ſic dictus à *μέλαινα*, id eſt, *nigra*; & *οὐρὰ*, id eſt, *cauda*, quòd cauda, priuſquam in rubeſcentes pinnas deſinat, nigrâ notetur maculâ. Idem ex Gazæ ſententia Latinis ab *oculorum magnitudine* vocatur *oculata*. Plinius tamen, lib. XXXII. cap. XI. piſcium catalogum texens, *melanurum*, & *oculatam*; tanquam diuerſos coniungit. Sed in huiuſmodi labi Plinium, inſolens non eſt. Nec *oculata* tantùm dicitur, ſed *ophthalmia*, idque eadem de cauſſa. Nam *ὀφθαλμὸς*, *oculus*. *Ophthalmiam* appellat Plautus, Capt. act. IV. ſc. II. niſi fortè quemadmodum *caro capitis* Lucilio apud Gellium. lib. X. cap. XX. *cephalaa* dicitur à *κεφαλὴ*, id eſt, *caput*: ſic Plauto quoque *ophthalmia* notat *oculos*, *carnémque oculis vicinam*: quæ Turnebi opinio eſt, lib. XIV. cap. XIX. ſiue *ſincipur integrum*, vt alij interpretantur. De *melanuro*, ſi voles, vide Ælianum, lib. I. cap. XLI. & Oppianum, lib. III. *ἁλιευτ.* verſ. CCCCXLIII. Item Rondeletium, lib. V. de piſcibus, cap. VII.

Meleagrides, *μελεαγρίδες*, aues, qui Athenis in arce enutriebat, vt ait Heſychius Meminit earum & Ariſtoteles. lib. VI. Hiſtor. Animal. cap. I. Africæ adiudicat Scylax Caryandæus. Vti & Mnaſeas apud Plinium, lib. XXXVII cap. II. Videlicet ſunt eædem ac *gallina Numidica*, ſiue *Africana*, vt ait Varro, lib. III. de R. R. cap. IX. Columella. lib VIII. cap. II. & Plinius, lib. X. cap XXVI. qui addit *Meleagri* tumulo nobiles factas. Nempe quia *Meleagri ſorores*, cùm fratrem deflerent, in aues eas conuerſæ dicuntur. Meminit Apollodorus, lib. I. vbi refert, vt Althæa & Cleopatra ſe ſuſpenderint. At, inquit, *αἱ θρηνοῦσαι τὸν νεκρὸν γυναῖκες ἀπεπτερώθησαν*, *quæ mortuum mulieres lugebant, in aues ſunt conuerſæ.* Atque inde à *Meleagro* dictæ *Meleagrides*. Deſcriptionem earum ex Clyto, Ariſtotelis diſcipulo, adfert Athenæus lib. XIV.

Melimelvm, *μελίμηλον*, à *μέλι*, *mel*; & *μῆλον*, quod eſt *malum*. *Pomi* eſt genus, quod dicimus, *malum muſteum*. Sed ſi originationem ſpectes, ita quoque vocari poſſint *mala Cydonia melle condita*: vnde Martialis. in Xeniis Carm. XXIV.

> *Si tibi Cecropio ſaturata Cydonia melle*
> *Ponentur, dicas hæc melimela licet.*

Melinvs color, Plauto Epid. act. II. ſc. II. dicitur, qui Græcè *μηλινος*, *μηλίζων*, *μηλοειδὴς*, & *μηλωψ*. Non igitur ſic vocatur à *μέλι*, *mel*; ſed *μῆλον*. id eſt, *malum*. Eſtque color is, qui eſt in malis maturis; nempe *flauus*, hoc eſt, *rutilus*, cùm *pallorem* accipit. Hunc *melinum colorem* aliter *giluum* dici, Seruius dicunt & Iſidorus. Sed *heluum* debuere dicere pro *giluo*. Eſt & altera *melini* ſignificatio. Sic enim dicitur *color natiuus, albus*. Plinius; lib. XXXV. cap VI. *Sunt colores auſteri aut floridi. Vtrumque natura aut miſtura euenit. Floridi ſunt, quos dominus pingenti præſtat, minium, Armenium, cinnabaris, chryſocolla, Indicum purpuriſſum. Cætera auſteri. Ex omnibus alij naſcuntur, alij fiunt. Naſcuntur ſinopis, rubrica, parætonium, melinum, Eretria, auripigmentum. Cæteri finguntur.* Poſt aliqua ſubiungit: *Melinum, candidum & ipſum, eſt optimum in Melo inſula.* Vnde cognoſcimus, hoc *Melinum* dici à terra *Melia*, ſiue *pigmento Melino*, hoc eſt, quod effoderetur in *Melo*, maris Cretici inſula, quam omnium inſularum rotundiſſimam Plinius alibi dicit. Meminit & *melini* eius cap. ſeq. Vbi de Apelle & aliis antiquis pictoribus ait: *Quatuor coloribus ſolis immortalia illa opera fecere, ex albis melino, ex ſilaceis Attico, ex rubris ſinopide Pontica, ex nigris atramento.* Hic quoque clarè ait, *Melinum* terram fuiſſe albam. Dioſcorides tamen dicit fuiſſe *σποδοειδῆ*, ſiue *cinericiam*. Vnde colligere eſt, in *Melo* fuiſſe *duo genera terræ*: vnum *candidum*, quo veteres vſi pictores, alterum *cinericium*.

Melior, quaſi *mollior*, iuxta Iſidorum, lib. X. Nempe quia is *melior*, qui *mollis durus ac ferreus*. Vel à *mel*, vt ſignet *mellitior* ſeu *dulcior*: quod Perotto placet. Vel, quæ Ioſephi Scaligeri & Nunneſij, ſententia eſt, ab *ἀμείνων*, ſiue Tarentino *ἀμείνων κατ᾽ ἀφαίρεσιν*, & *N* in *L* conuerſo. Vel à *μέλω*, quia *id melius, quod magis curæ eſt.* Præter quæ & aliud in mentem venit, de quo eruditorum iudicium eſto. *Bonum*, vt initio Nichomachiorum Philoſophus ait, pulcrè à veteribus definitum eſt, *οὗ πάντ᾽ ἐφίεται*, *quod omnia appetunt.* Quod igitur appetimus ac volumus, id bonum eſt. Sed ſi *duo* ſint *bona*, iam comparatio inſtituitur, quæ fit per particulam *magis*, & gradu comparatiuo continetur. Fit hoc in verbo *malo*, quod omnes dici fatentur quaſi *mauolo*, vt *malim* pro *mauelim*. Hinc, meo iudicio, *melius* dixere, quod *malis*. Nam ſi eligendi alteri faciam poteſtatem, idem eſt, *Quid mauelis?* ac *Quid melius?* Vt igitur è *mauolo* contractum *malo*, ita è *mauelim*, κατὰ συγκοπὴν eſt *melius*. Quamquam nec repugnem, ſi *ἀμείνων*, à *malo* deducas *melius*. Nam *A* longum interdum in *E* breue abire, alibi oſtendimus. Superlatiuus verò aliud ſpectare debuit: nempe quid præ omnibus maximè vellemus. Hoc igitur *optimum* dixere, ab *opto*. quod κατὰ μετάθεσιν eſt ex Græco *ποθῶ*, *deſidero*. Vt inferiùs dicetur.

Melis, ſeu *meles*, ſiue vt in vett. codd. legitur, *males*, aut *malis*, eſt ex *agreſtium felium* genere: forraſſe quam *taxum* vel *taxonem* ſiue *daſſum* appellant: ita cenſent plerique eruditi, quibus præit Perottus. De etymo conatur aliquid Iſidorus. lib. XII. cap. II. *Melo, quòd ſit rotundiſſimo membro, vel quòd fauos petat, & aſſiduè mella captet.* Sententia eſt, vel ſic dici à Græco *μῆλον*, id eſt, *malum*, quia *mali inſtar corpus habeat rotundum*: vel ſic vocari à Græco *μέλι*, quia *animal ſit auidum mellis.* Videmus autem *melonem* hîc dici Iſidoro, qui aliis *melis*, ſeu *males*. Vt Gratio in Cynegetico, cuius eſt: *Lucifuga melis.* Hinc Caper. de verbis dubiis: *Males beſtia quædam. non melones.* Vbi *melonis* nomen, vt ſequioris æui, reiici videmus. A *mele* dicetur *pellis melina*; quam quidam intelligi putant Plauto Epid. Act I. Sc. I:

> *Niſi ſi in vidulo, aut in melina attuliſti.*

Turnebus, lib. XX. cap. I. *mellinam* ſcribit, ac *potionem intelligit cui mel admiſceretur.* Sed Scaliger, in Coniectaneis *melina* retinet: non tamen *pellem* intelligit *melis*. ſed *manticam ſcorteam*, quæ Græcè *μηλωτὴ* à *μῆλον*, hoc eſt, *ouis*, ex cuius pelle præcipuè fiebat. Atque hanc ſententiam maximè probo.

Melis, vel *melia* potiùs eſt, quæ Ouidio *Pelias haſta* dicitur: atque ita dicta, quòd eſſet *fraxinea*: nam *μελία*, *fraxinus*: quam Homeri præconio & Achillis haſtâ multùm eſſe nobilitatem, ſcribit Plinius, lib. XVI. cap. XIII. Homerus Il. X.

> *Σεῖε Πηλιάδα μελίην κατὰ δεξιὸν ὦμον.*

At è *malo* arbore haſta fieri nequit, vt omnino audiendus non ſit Feſtus, vel Paullus potiùs, cùm ſcribit: *Melia* (ita pro *melis* rectè emendat Scaliger) *haſta à ligno mali dicta.*

Melota, *μηλωτὴ*, eſt ad Hebr. XI. XXXVII. Eo ſignatur *ouilla pellis*, à *μῆλον*, *ouis*. Iſidorus non audiendus, qui lib. XIX. cap.

cap.XXIV. interpretatur *pellem caprinam*, propriéque ait esse *pellem melonum*, hoc est, *animalis eius*, quod Varro, *melem* iuniores *melonem* hodie autem *taxum*, vocant.

MEMBRANA à *membrum* venit, quia *membra tegat*, etiam Priscianus auctor est, lib.II. & Isidorus, lib.VI. cap.XI. Membrum vero, vnde sit, non ita perspicuum est. Nisi fortè vt pro μέλομαι dixere poetæ μέμβλεται, ita & *membrum* Latini fecere à Græco μέλος, quod idem significat. Ita à *melos* sit, *melibrum*, inde *membrum*, postreàque *memibrum*. A in N abire solet vt in Ἀμφα, *nympha*, atque alijs. Propriè ea vox animatis conuenit sed inanimis etiam, vti ædificijs, tribuitur, non à poëtis modò, sed quoque Plinio, Vlpiano, Appuleio, Sidonio: de quo Fornerium vide lib.I. Selectionum, cap.XXIII.

MEMNONIÆ *aues*, vt eas Solinus vocat, vel potiùs *Memnonides*, vt appellat Ouidius, XIII. Met. & Plinius, lib.X. cap.XXVI. nomen nactæ à *Memnone*, Æthiopum rege cuius circa tumulum, qui apud Ilium, quotannis confligunt, atque, vt Ouidij verbis dicam.

———Parentali moriuntur morte rebellant.

Plinius de ijsdem sic scribit: *Auctores sunt omnibus annis aduolare Ilium ex Æthiopia aues, & confligere ad Memnonis tumulum, quas ob id Memnonidas appellant. Hoc idem quincto quoque anno facere eas in Æthiopia circa regiam Memnonis, exploratum, sibi Cremutius tradit.* Ac eadem Solinus, cap. XLIII. Nimirum creditum vulgo, aues eas primùm visas, postquam *Memnon* ab Achille fuit *occisus*: quemadmodum & fingunt, *Diomedis aues* demum conspectas post eius mortem, quia tum *socij Diomedis* in eas sint conuersi: item *Meleagrides* volunt originem habuisse post *Meleagri* excessum, mulieribus in has aues conuersis, quæ *Meleagrum* lugerent. Vide *Meleagrides*.

MENDA vel *mendum*, à μεῖον, vel Latino *minus*. Nam propriè *menda*, cùm deest aliquid. *D* insertum, vt à τείνω, *tendo*. A *menda* est *emendare*, item *mendicus*. Isidorus, lib.X. *Mendicus*, inquit, *quia minus habet, vnde vitam degat*. Rectè attamen non ἀμέσως à *minus* venit, sed à *menda*, quod à *minus*: vt etiam Scaliger censet in Coniectaneis. Alteram quoque *mendici* originationem addit Isidorus, lib.X. vt dicatur *mendicus* quasi *manudicus*, *quia mos erat apud antiquos os claudere egenum, & manum extendere, & quasi manu dicere.* Tertiam etiam quartámque docet Festus: *Mendicum*, inquit, *dici Verrius putat à mente eius, quam fefellit fortuna: vel quòd precetur quemque vt vita sua medeatur cibo.* Denique reperio apud Nunnesium, vt sit à μάντις, *vates*, quod probare non possum. Nobis, vt dixi, verisimilius videtur, *mendicus* eiusdem esse originis ac *mendosus*. An verò à *mendicus* ὑποκοριστικῶς dicta sit vestis *mendicula*, cui opponitur *regilla*, quod itidem ὑποκοριστικὸν sit à *regia*: hoc verò commodiùs in *Regilla* exponemus. *Mendicum* etiam, vel, vt alij legunt apud Festum, *mendicium, dici putant velum, quod in prora ponitur*. Puto, quia id *minus velum* esset. Vt eiusdem ac superiora origini sit. Meminit & Isidorus, lib.XIX. cap.III. A *mendum* quoque est *mentiri* ac *mendax*, vnde *mendacium*. Iuuat Charisius, lib.I. *Mendum*, inquit, *in mendacij significatione dicitur: menda in culpa operis aut corporis* Quamquam id discrimen non obseruatur. At fallitur Isidorus in X. *Mendax*, inquit, *quod mentem alterius fallat. Mentiri, & mendacium dicere*, vt distinxerit Nigidius Figulus, satis notum est ex Gellij lib.XI. cap.XI.

MENIANA, siue vt alij scribunt, *Meniana*, erant pergulæ proiectæ, ita dictæ à *Menio*: à quo & *columna Menia* nomen accepit, Cicero lib.IV. Academ. quæst. *Interim ille cùm æstuaret, veterum vt Menianorum, sic Academicorum viam secutus est.* Item Vitruuius, lib.II. cap.VIII. *Ergo Menianis & contignationibus varijs.* Item, lib.V. cap.I. *Menianáque superioribus coaxationibus collocentur.* Nominis caussam docet Asconius, in Diuinat. *Menius, cùm domum suam venderet Catoni & Flacco Censoribus, vt ibi basilica ædificaretur, exceperat ius sibi vnius columnæ, super quam tectum proijceret ex promolantibus tabulatis, vnde ipse, & posteri eius spectare munus gladiatorum possent, quod etiam tum in foro dabatur. Ex illo igitur columna Menia vocitata est.* Festus: *Meniana ædificia à Menio sunt appellata. Is enim primus vltra columnas extendit tigna, quo ampliarentur superiora.* Idem docent Nonius in *Meniana*; & Porphyrius, ad sat.III. lib.I. At Isidorus, lib.XV. c.III. dicit à *Meniano*, quod falsum. Longéque ineptius, quod ibidem legimus. *Meniana* esse *dicta quod maneamus*.

MENIS, *lunula*, ὑποκοριστικὸν à μήνη, *Luna*. Videntur antiqui initio operis *lunulam* apposuisse, vt *coronam* fini, vnde *coronis* pro fine. Ausonius in commemoratione professorum Burdigalensium.

Quos legis à prima deductos menide libri,
Doctores patria scito fuisse mea.

Vide Turnebum lib.XXII. Aduers. cap.X. Mirum hanc sententiam damnari ab Elia Vineto. Censet ille *menis* eo pro *initio* accipi, quia *initium* sit Iliados Homericæ, μῆνιν ἄειδε θεά. Nec interim bonus vir cogitat, μῆνιν facere μῆνις. At Ausonius non *mene*, sed *menidæ* dixit: vt omnino puerilis sit error iste.

MENS (vt Isidorus, lib.XI. cap.I. ait) ita dicta, vel quia *meminit*, vel quasi *eminens*. Quam etymologiam Perottus magis sibi probari ait, quam eorum, qui deducunt à μιμνήσκω. Esse enim *mentem* altiorem animi partem, vnde Ouidius XV. Met. de Pythagora dixit:

Mente Deos adijt, & quæ natura negabat
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

Nicolaus Cusanus cùm alibi, tum lib. VII. Exercitationum coniectat *mentem* à *metiendo* dici. Alijs placet *mens* dici quasi *meminens*: atque hi, vti & illi, qui à Græco μένος deducunt, tuentur se eo, quòd interdum, pro *memoria* ponatur, vt apud Maronem, I. Æn.

———Manet altâ mente repostum
Iudicium Paridis.———

Huius etymi meminit & Corradus, ad I. Æn. Fungerus in Etymologico testatur, quibusdam dictam videri à Græco μήνη, id est, *Luna*; quia, vt *Luna* crescit atque decrescit, sic hominum mentes varijs modis hebescant atque augeantur. Iul. Cæsar Scaliger, Exercit.CCCVII. mem.II. scribit, *mens* duci non à *moueo*, vt sic dicatur quasi *mouens*: neque *mentum*, vti putarunt, ab eo verbo esse, vt nempe dicatur quasi *mouimentum*: sed vtrumque esse à Græco μηνύω, id est, *indico*: ac *mentem* quidem sic dici, quia est indicatrix rationum, *mentum* autem, quia eo pueri demonstrant, vti & muti, & qui alij rebus intenti sunt, neque libenter edunt vocem. Ex hisce omnibus etymis nullum verum puto: quin pleraque omnia inepta & stulta. Nunnesius in Grammatistice censet *mens* esse à μάντις, *vates* Sed dicta *mens* à Græco μένος, o extrito vt à γένος, *gens*, à νόος, *nus* &c. Nam μένος etsi propriè *animi impetum* notet tamen etiam *animum* simpliciter notasse videtur, vnde εὐμενής, & δυσμενής, *qui bene maléue erga aliquem animatus affectúsque est.* Vel dixerim *mens* quidem esse ab antiquo nominatiuo *mentis*, vt à *plebes plebs*, à *trabes*, *trabs*, &c. *Mentis* verò esse conijcio à *mentum*, quod antiquum supinum est verbi *meno*, cuius præteritum *memini* in vsu remansit. Nam vt à *fallo fefelli*, à *pago pepigi*, sic à *meno memini*. Porrò antiquos in recto dixisse *mentis*, indicat Euphormus Ennij, in quo, vt Varro testatur, lib.IV. de L.L. de *mente humana* ait: *Istic est de sole sumtus ignis*, ac deinde subijcit, *isque totus mentis est*. Integer versus ex Scaligeri sententia istiusmodi fuit:

Istic est de sole sumtus ignis, isque mentis est.

Similitérque idem Ennius eopse opere vsus apud Priscianum in VII.

Terra corpus est; at mentis, ignis est.———

Vbi *mentis* pro *mens* poni res docet & Priscianus disertim ait. Composita à *mens* sunt, *amens*, *demens*, à quo *dementare*, dementem facere; & *dementire*, dementem esse. Onomasticon vetus, *Demens*, ἔξεστιν. Gloss. vett. *Dementio*, παραφρονῶ.

MENSA, vt ex primo Charisij discimus, cum *N* proferre solet Virgilius: at Varro ei *N* demebat, quia ita dictam putabat, quòd *in medio poneretur*. Nam μέσος *medius*. Scribit idem Charisius, sua ætate in sermone vernaculo Varronis exemplo, *mesa* dici solere: eos tamen, qui Latinè scriberent Virgilium sequi maluisse. Varronis verba, lib.IV. de L. L. hæc sunt, *Postea rotunda facta, & quòd à nobis media, à Græcis μέσα, mensa dici potest; nisi etiam quòd ponebant pleraque in cibo mensa.* Vbi alterum etiam etymon videmus, à *cibis dimensis*. Tertium ponit Isidorus, lib.XX. cap.I. vt sit ab *esu*. Vbi etiam refert, primum fuisse *Dædalum*, qui *mensam* & *sellam* faceret. Perottus similiter à *mando* deducit, quia ex ea mandimus cibos. Alij à מזונא quod pro *esca*, seu *cibo*, sumitur in Targo. Nec longè abit Hebr. משנה, quod est, *portio, epulum*. Varronis illud etymon à μέσον Plutarchus etiam probat, lib.VIII. Sympos. his verbis: Μέσαν μὲν γὰρ τὴν τράπεζαν ἐν μέσῳ θέντες. Et ad consuetudinem hanc alludit Maro, cùm ait,

———Medijsque parant conuiuia tectis:

Et III. Æn.

Aulai in medio libabant pocula Bacchi.

Mensa quoque dictæ *abaci trapezitarum*, qui idcirco *mensarij* vocati. Festus. *Mensarius, nummularius.*

MENSIS, vnde *menstruus* pro *mensurnus*, parum ἀναλόγως diceres à *metior* venit: vti docet Cicero, lib.II. de Nat. Deorum, vbi de Diana hoc pacto scribit: *Adhibetur autem ad partus, quòd hi maturescunt, aut septem nonnumquam aut plerumque nouem Lunæ cursibus, qui quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur.* Hinc Catullus:

——*Tu cursu Dea menstruo*
Metiens iter annuum.——

Vel est à Græco *μήνη*, aut *μὴν μηνὸς*: quod Varroni placuit, lib. v. de L.L. *Mensis*, inquit, *à Lunæ motu dictus, dum ab Sole profecta, rursus redit ad eum Luna quod Græcè olim dicta μήνη, vnde illorum μῆνες, ab eo nostri.* Similiter Isidorus, lib. v. cap. XXXIII. Quos & sequitur Nunnesius. Pro *μήνη* Dores dicebant *μάνα*, vnde Belgicum *maane*, hoc est *Luna*. Iidem pro *μῆνες* dicebant *μᾶνες*, vnde Belg. *maand*, hoc est, *mensis*. Est vero *μήνη*, à מנה, hoc est, *numerare*, quod ex eius cursu tempora numerentur. A *mensis* est *menstruum*, & *intermenstruum*. Varro, lib. I. de R.R. cap. XXXVII. *Quod à noua luna crescit ad plenam, & inde rursus ad nouam lunam decrescit, quoniam veniat ad intermenstruum, à quo die dicitur Luna esse extrema & prima. Athenis appellant ἕνην καὶ νέαν; τριακάδα alii.* Sic *mulierum menstrua*, *καταμήνια*; quæ Plinio aptè *profluuium genitale*, quia menstruis cessantibus conquiescit mulierum fecunditas.

Mentha herba, Græcis *μίνθα*, vnde Latinos nomen deriuâsse & Plinius agnoscit, lib. XIX. cap. VIII. *Minthen* vocatam fabulantur poëtæ à *Minthe*, Auernali nympha, Cocyti filia, quæ cum Platone congressa in eam herbam sit conuersa.

Mentior Nunnesio placet esse à *μεταψεύδομαι*; quod probare non possum, cùm non omnes vates sint ψευδόμαντες. Sed est *mentior* ab eadem origine ac verbale *mentio*: nempe à *meniscor*, vnde *comminiscor*. Nam qui vera dicere non vult, *mente* aliquid fingit ac comminiscitur, quod simile vero videatur.

Mentula diminutiuum à *menta*, quasi *mennta*, hoc est, *μηνυτὴς*, à *μηνύω*, *indico*, quia eius indicio sexus cognoscitur virilis. Sanè similiter *mentum* à *μηνύω* Scaliger deriuabat, quia eius motu aliquid indicatur. Perottus tamen *mentula* putat esse *ὑποκοριστικὸν* à *mens*. Maualle enim à blandientibus nutriculis, quæ vt puerum corculum vel animulam suam vocant: ita & partem eam tractantes, quâ masculi sunt, *mentulam*, hoc est, *mentem suam* nominare eos soleant. Mihi prius magis placet.

Mentum, vt Isidorus, lib. XI. cap I ait, *dicitur, quòd ibi mandibula oriantur, vel quod ibi iungantur.* Sanè mistica hæc etymologia, *mentum* à *mandibula*. Paullò verisimiliùs Iouianus Pontanus in Actio suo, fol. CXXXVIII edit. Ald. vbi dictum ita ait, quia *hiantibus nobis moueatur*: nempe vt ex *monimentum* fit *momentum*, inde *mentum*. Quòd si Germanica lubet arcessere è Græcorum fonte, dicere possis similiter ijs *mentum* dici *Kin* ἀπὸ τοῦ κινεῖν, quod est *mouere*. Sed magis probabilis est sententia Iulij Scaligeri, Exercit. CCCVII. vbi *mentum* dici putat quasi *μηνυτὴν* à *μηνύω*, quod est, *indico*, *significo*: vnde *μηνυτὴς*, *index*, *μήνυτρον*, *indicij præmium* aliáque. Rationem eá adfert quòd *mento demonstrant pueri, & muti*, atque *alij*, etiam intenti: vbi loqui nolunt. Vel sit *mentum* à *meno*, vnde & *mentio* & *commentum*. Nempe quia mentem nostram motu menti indicamus. Quæ Perotti sententia est, nihilominus verisimilis, magis etiam *ἀναλογίᾳ* subnixa, quàm illa Scaligeri. A *mento* morbus eius *mentigo* dicitur, *λειχὴν*, item *mentagra*, *ἄγρα* & *λειχῆνες*, quasi *menti ἄγρα* seu *captura*.

Meo, vnde *meatus*, & *meaculum*. Becmano placet esse à *μάω* vel *μῶ* quod est *ζητῶ*, vt propriè sit *ire quærendi studio*. Malim vel à *νέω*, quod idem ac *meo*. Suidas: *Νέω τὸ κολυμβῶ, καὶ πορεύομαι*. Vnde vel ab *ἀμείβω*, quod & ipsum notat *meo*, *vado*, *transeo*: vnde ab Etymologici Magni auctore exponitur *πορεύεσθαι*, ab Hesychio *διελθεῖν*, *περαιοῦσθαι*. Compositum hinc *remeo* apud Maronem; *commeo*, quod *ad cibaria præcipuè exercituum postea translatum*; *demeo*, deorsum *meo*. Vnde *demeaculum*, descensus in loca subterranea. Onomasticon vetus: *Demeaculum, κατάβασις*.

Mephitis (vt Seruius scribit, in VII. Æn.) *propriè est terræ putor, qui de aquis nascitur sulphuratis: & est in nemoribus grauior ex densitate siluarum.* Pluráque inibi de hoc vocabulo. Priscianus, in VII. auctor est, nonnullis *mephitis* dictum videri quasi *μεσῖτις*, σ in φ conuerso. Sed hoc nullâ ratione est subnixum. Verisimile autem, cùm *mephitis* sit grauis terræ exhalatio Hetruscos eam vocem accepisse à Syris, quibus מפוחיתא, hoc est *afflatus*, à נפח, *flo*, *spiro*. Quod Scaliger monuit in coniectaneis ad Varronem.

Mercor à Pœnis Hebræísque rectè arcessit Angelus Caninius, in Hellenismi Alphabeto. Ijs enim מכר, hoc est, *vendidit*, מכר, *venditio*, *venale*. Nihil hoc etymo manifestius puto. *R* insertum, quomodo Tartari nobis corruptè, qui propriè *Tatari*, à *Tatar*, quod Hebraicè *residuum*. Caussam nominis apud Postellum vide cap XVIII. lib. de Originibus. Sanè *Tartari* hodiéque Germ. *tatar*, & Vngaris *tatar*. Súntque similia *flagro* à *φλέγω*; *putreo* à *πύθω*; *pirum* ab *ἄπιος*; *coriandrum* à *κορίαννον*, &c. A *mercor* est antiquus nominatiuus *mercis*, vnde & *ἀκατάληκτον* *mercis*, siue *merx*. Alijs placet esse *merx* à *μέρος*, id est, *pars*, quia res per partes venditur: vnde Iurisconsultis *distrahere* pro *diuendere*. A *merce* vero est *mercimonium*, vt à *patre*, *matre*, *teste*, *patrimonium*, *matrimonium*, *testimonium*. Ab hac quoque voce *Mercurij* potiùs nomen cum Festo arcessam, quàm à *medio currendoque*, quod *Στωικῶς* Arnobius voluit, cuius hæc verba, lib. III. *Mercurius etiam quasi quidam medicurrius dictus est: & quod inter loquentes duo media currat & reciprocetur oratio, nominis huius concinnata est qualitas. Ergo si hæc ita sunt, non est Dei Mercurius nomen, sed sermonis reciprocantis & vocis.* Et illud Festi, & hoc Arnobij ἔτυμον legas apud Isidorum, lib. VIII. cap. XI. Fulgentius *Mercurium* dici scribit, quasi *mercium curam*. Alberti M. interpres ridiculè, quasi *mercatorum κύριον*, id est *dominum*. Nempe non vident, postremas syllabas esse vocis productionem. Adde si à *cura* esset, antepenultima esset porrecta. At rectè Festus, qui non compositum, sed deriuatum facit à *mercibus*, quia nempe præsit lucro, rebúsque emendis ac vendendis, vt cognoscere est ex prologo Amphitruonis Plautinæ: Hinc pingi interdum solet sinistrâ virgulam, dextrâ sacculum nummarium tenens. Vide imaginem eius in Marci Velseri commentarijs rerum August. Vindel. & in Gruterianis inscript. pag. LI. Præest idem eloquentiæ, vnde & linguam ei sacrauit antiquitas, teste Athenæo, lib. I. *Δειπνοσοφ.* Eapse de caussa, Græcis *Ἑρμῆς* dictus putatur ab *εἴρω*, id est, *dico*: nempe vt ex *ἑρμῆς* M. inserto fiat *Ἑρμῆς*, quo de etymo plura Phauorinus. Sed cùm pleraque gentilium Deorum nomina sint à Phœnicibus siue Hebræis (cuius ratio magnâ ex parte tribuenda Cadmi Phœnicis in Græciam appulsui) facilè mihi persuadeo, *ἑρμῆς* quoque esse ab אמר, id est, *sermo*, *eloquium*, ab אמר, id est, *dixit*. Imò nec repugnem, siquis *Mercurij* appellationem non tam à *mercibus* esse existimet, vti ante diximus, quàm ab *ἑρμῆς*, κατὰ μετάθεσιν.

Merda generale est nomen. Vsus Horatius. Specialia sunt *muscerda*, quo *murum stercus* significari ait Festus: *sucerda*, quomodo Titinnius vocat *stercus suillum*, vt idem auctor est. Glossæ Philoxeni, *Sucerda, χοιρεία κόπρος*. In iisdem *socordia*, quoque exponitur *ἀφροσύνη κόπρος*. Sed ea manifesta compilatoris culpa. Nam omnino *sucerda* legendum vti vidit B. Vulcanius. Dixere & *opicerda*, quod idem ac *sucerdam* esse legimus in reliquijs Festi. Sed fallitur. Nam ouium stercus, sic dixere: vt *opicerda* dicatur, quasi *ouicerda*. Similiáque sunt *bucerda*, *capricerda*, atque adeò *homerda*, bouis, capri, hominis stercus. Volunt hæc omnia esse ἀπὸ τοῦ ἀμέργειν τὰ ἐπὶ τὸ ἀφανίζειν, quia stercus ob fœditatem *amouetur* à conspectu. Sanè minùs hi ineptè, quàm qui *merda* factum putant ex Græco *μέρος*, id est, *pars*, & Latino *edo*, quia sit *portio cibi*: quam originationem Perottus adducit. Sanè si compositum esse placet, malim ijs assentire, qui dici volunt, quasi *μέρος ἐδωδῆς*, hoc est, *pars cibi*. Nam *ἐδωδή*, seu *ἔδαρ*, *cibus*, ab *ἔδω*. Sed omnium maximè placet, quod Martinio visum, venire à *μίνθος*; quod idem ac *homerda*. Hesychius enim interpretatur *ἀνθρωπεία κόπρος*. Indéque *μινθόω*, *stercore fœdare*. A *μίνθη* est *merda*, vt à *γνώμα*, *groma*; à *φωρᾶν*, *furere*; à *μωρά*, *mora*; à *cluina*, *clura* &c. In vett. Gloss. legitur: *Strundius, siue struntus, ἀπόπατος*. Sanè hodiéque Belgæ *stercora* vocant *strunt*; quod videri possit esse origine Latinum, si vera est Glossarij vulgaris lectio: quod censuere Scaliger notis in Priapeia; & H. Stephanus libro de suspecta Latinitate, cap. IIX. Mihi placet emendatio Bon. Vulcanij legentis, *truncus*, *τρύχος*. Imò nè illud quidem liquidum satis, an, vti *homerda*, ita & *sucerda* & similia, sint à *merda*. Nam quid, si sint à *cernendo*, hoc est, *excernendo*, vnde *excrementum*?

Merces à *merendo*, vt ait Varro, in IV & v. de L.L. Non tamen ex *merendo* & *ære* conflatum: quod Varro priori loco scribit: sed *es* in eo solùm vocis productio est. Porro ex hoc etymo cognoscimus, omnino, quod operanti, citra meritum operis rependitur, id non nisi *καταχρηστικῶς* *mercedem* appellari. A *mercede* est *mercenarius*, qui & *mercedinus* teste Festo. Vbi tamen quidam libri *mercedicius*. Imo & in MS° est, *Merceditauus*, *quod mercede se tueatur*. Ab eodem *Mercedonius*: nempe, vt ait Festus, à *mercede* soluenda. Ita *mensis* ac *dies mercedonius* vel *mercedinus*, quo *merces* soluebatur. Qui dies in veteri Kalendario Rom. sic notantur. MERK. vt pr. id. Iul. & seq. item pr. id. Iul. & seq. & XIV. Kal. Decemb. & seq. *Dea* quoque *Mercedonia*, quæ præerat *mercedibus soluendis*. Vide quæ de *Mercedonio mense*, totáque hac re, Scaliger notauit in primo & quincto de Emendat. Temp.

Mereo placet Scaligero ad Varronem esse à *μείρω*, id est, *diuido*, vnde *μέρος*, *pars*; à quo *mereo* erit, quia *meritum* ferè partium est, siue labor, siue pretium spectetur. Vel potiùs est à *μείρω*, significante *λαμβάνω*, *λαγχάνω*, vt Hesychius interpretatur, hoc est, *consequor*, *sortior*. Etsi *mereor* angustius Græco illo

sit: nam propriè est *consequor dignè*. A *merendo* est *merces*, de quo suo loco. A *merendo* quoque (vt in coniectaneis monuit Scaliger) *merenda* nomen accepit quomodo vocatur *cibus, qui post meridiem datur*: vt Gloss. vett. *Merenda, ἄριστον δειλινόν*. Onomast. *Merenda, τὸ μετ' ἄριστον βρῶμα*. Vtrobique significatur, *merendam* esse cibum, qui prandio quidem posterior, cœnâ autem prior. Vt à *prehendo prændo*; à *terendo, turendo* pro *terenda*, vtrobique E in V conuersio, de quo suo loco. Ita *merenda* propriè sit quod *mercenarijs à domino vel conductore dabatur, antequam labore mitterentur*; vnde Calphurnius:

———Sera cùm veneris hora merendæ.

Festus tamen censet à *meridie* dici. Veteres enim pro *prandio* dixisse *merendam*: quod verum non puto: cum idem alibi dicat, antiquo pro *prandio cœnam*, pro *cœna* dixisse *vesperanam*. Eiusdem originis est *meretrix*, nempe à supino *meritum*, vt à *genitum, genetrix*. Ratio nominis obscura non est, cùm *prostituendo se capturas merebantur*: vnde *mulier quæstuaria* nominatur. Græcis similiter πόρνος & πόρνη, sunt à πέρνάω, idest, *vendo*. Xenophon, lib. 1. Apomnem. Τήν τε γὰρ ὥραν ἐάν μέν τις ἀργυρίου πωλῇ τῷ βουλομένῳ, πόρνον αὐτὸν ἀποκαλοῦσι. Et mox, & τὴν σοφίαν ὡσαύτως, τοὺς μὲν ἀργυρίου τῷ βουλομένῳ πωλοῦντας, σοφιστάς, ὥσπερ πόρνους ἀποκαλοῦσι.

MERGO, Iosepho Scaligero assentio esse à *mari*, vt à *iure, iurgo*. A *mergo* est *mergus*: *quod mergendo in aquam captet escam*, vt ait Varro, lib. IV. de L.L. Et respexit eo Ouidius XI. Met. versu postremo:

Æquor amat, nomenque manet, quia mergitur illo.

In vite similiter *mergus*, quia *terra immergitur*. Ea de notione Palladium adi, lib. III. cap. XVI. item Columellam non vno loco. A *mergus mergæ* dicuntur. Festus: *Mergæ furculæ, quibus aceruos frugum faciunt, dictæ à volucribus mergis: quia vt illi se in aquam mergunt dum pisces persequuntur, sic messores eas in fruges demergunt, vt eleuare possint manipulos*. Vtitur Plautus Pœn. Act. V. Sc. II. & Rudente, Act. III. Sc. IV. Item Columella, lib. 1. cap. XXI. Sed videntur ei potiùs sic dici *ferramenta, quibus vtebantur in frugibus demetiendis*. Sic enim scribit: *Sunt autem metendi genera complura: multi falcibus veruculatis; atque ijs vel rostratis vel denticulatis medium culmum secant: multi mergis, alij pectinibus spicam ipsam legunt; idque in rara segete facillimum, in densa difficillimum est*. Plinius *mergites* vocat, lib. XVIII. cap. XXX. Sed Maroni *merges* est *manipulus spicarum*: vt Seruius scribit ad illud II. Georg.

Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi.

At hæc quoque à *mergendo* deducere velle, id mihi prope ineptum videtur. Potiùs assentio doctissimo Becmanno, qui nomen his esse putat ab Hebræo עמר, vel עמיר, quo significatur *manipulus aristarum* aut *culmorum*: vt liquet ex Deut. XXIV. XIX. Ruth. II. XV. & Harm. II. XIII. Atque ab eodem quoque *ferramenta, quibus in metendo vterentur, mergæ* vel *mergites* dicebantur: non à *mergis* volucribus, nec à *mergendo*, vt putarunt.

MERIDIES duplex ἐτυμολογίαν ponit Isidorus, lib. III. cap. XLI. *Meridies*, inquit, *vocatur, vel quod ibi sol facit medium diem, quasi medidies: vel quia tum purius micat æther. Merum enim purum dicitur*. Idem scribit lib. V. cap. XXX. Sed lib. XX. cap. II. posterius solùm adfert & probat. Mihi prius magis probatur. Vti & Varroni, lib. V. de L.L. *Meridies*, inquit, *ab eo quod est medius dies*. Et Ciceroni in Oratore, cùm ait: *Ipsum meridiem cur non medidiem? credo quod erat insuauius*. Ac similiter Priscianus in IV. Itaque & κατὰ τρόπον Lucretius, lib. VI. vbi de Nilo tractat, ait.

Exoriens penitus medi ab regione diei.

Si recta est emendatio Iani Guilielmij in Plautinæ Cas. cap. V. vbi in vulgatis *media ab regione diei*. Confirmat hanc ἐτυμολογίαν, quod Græcis similiter μεσημβρία dicitur quasi μεσημερία ex μέσον & ἡμέρα. Mira autem κατάχρησει *meridiem noctis* dixit Varro Marcipore versibus istis:

Repente noctis circiter meridiem,
Cum pictus aer feruidis latè ignibus
Cæli choreas astricas ostenderet.

A *meridies* est *meridialis*: vt à *dius*, siue ἀπὸ τοῦ Διός, *dialis*. Vsus Gellius, lib. II. cap. XXII. Vbi vulgo *meridionalis*, perperam sanè. nec aliunde hic error quam à praua consuetudine: quâ *meridionale* dicitur, vt *septentrionale*, cùm *septentrio*, non *meridio* extet. Sed consuetudini cedendum: quæ fortasse & Romanorum tempore peruicit.

MERVLA propriè *auis genus* est, quæ Græcè κόσσυφος. Sed & *piscis*, & *hydrauli genus*, ita vocantur. *Merulam*, & *graculum*, à diuerso volandi more nomen accepisse, scribit Varro, lib. IV. de L.L. *Merula*, inquit, *quòd mera, id est, sola volitat: contrà ab eo graculi, quòd gregatim*. Vbi si *merulam* dici vult, quasi *merimola*, iure hoc ἔτυμον culpat Fabius, lib. 1. cap. X. At planè Varroni assentio si deriuatum putat à *merus*. Quod & etymon adfert Festus: *Merum antiqui dicebant solum: vnde & auis merula nomen accepit, quod solinaga est, & solitaria pascitur*. Idem adducit Isidorus, lib. XII. cap. VII. Sed alterum præfert: *antiquitus enim medulam aut dictam, quòd moduletur*. Cui rei vellem laudasset auctorem. Porrò ex trium horum Grammaticorum verbis videre simul est, vt *merus* significet *solus*. Quomodo & Appuleius vtitur in Apolog. *Nullis*, inquit, *tabulis, sed, vt aequum erat, mera fide acceptam filijs debebat*. Vbi *mera fide* est *absque chirographo, aut cautione vllâ*. Et possunt sexcenta eiusmodi loca adduci. Quare frustra est Obertus Giffanius, cùm eam notionem impugnat: *Et quid, quæso, est merum vinum, quàm solum*, quod Græcis ἄκρατος, vbi aqua est nulla: vbi contrà *aqua mera* sit, cui aliud nihil admixtum? Fauet etiam origo. Nam *merus* est à μόνος, id est, *solus*. O abit in E, vt à γόνυ, *genu*, πόδες, *pedes*. N mutatur in R, vt à φυρᾶν, *furere*; à γνώμα, *groma*, à κνέφας, *crepus*, vnde *crepusculum*. Eadem fuerit vocis proprietas, si placet *merus* esse à μείρομαι, hoc est, *diuido*, vnde μέρος, *pars*, siue quod diuisione facta obtingit. Nam *merum* est, quod ab alijs diuisum ac separatum, eóque solum. Sanè alterutrum etymon magis placet, quàm quod doctissimus Caninius, Hellenismi Alphabeto, Syram ei originem tribuit ab *hamar*, omissâ literâ primâ quomodo ab Syro *anu* est *nu*, vnde *nos*. A *merus* est *meracus*, ζωρός, vnde *meraculum*, vt *vinum meraculum* apud Plinium, lib. XX. cap. XIX. Ex hoc est *meraclum*. Plautus Cas. Act. II Sc. V.

Nisi hac meraclo se vspiam percussit flore Libyco.

In quibusdam est *meraco*: sed alterum illud in melioribus inuenitur, & à Camerario, Turnebo, Lambino, atque alijs probatur. Gloss. vett. *Meraculum*, ἀκρατέστερον. Vbi ἀκρατέστερον legendum.

MESANCYLVM, μεσάγκυλον, *teli genus*, sic dictum à μέση ἀγκύλη, id est, *medio amento*. In *medio* enim *amentum* habuit. Festus: *Mesancilum, teli missilis genus*. Vbi Turnebus, Adu. lib. XIX. cap. XXXI. rectè reponit *Mesancylum*. Eadémque voce vsum censet Gellium, lib. X cap. XXV.

META est, *terminus, extremitas*. Vt 1. Æneid. de Romanis ait Iupiter.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono.

A *metiendo* esse censet Perottus. A *metando* ait Fungerus. Puto id voluisse, etsi vulgo editum sit à *metendo*, quod ineptum foret. *Metari* quoque à *meta*: vt mox dicam. Rectiùs ergo Salmasio *meta* à Siculo μύτος, vnde μύτιλος, quod Hesychius exponit ἔσχατον. Quam sententiam confirmat, quod in veteribus libris *mæta* per æ scribatur. *Metarum* crebra mentio apud agrimensores. Vt apud Frontinum: *Conspectum Metarum sæpè excedimus, & ex eo loco iterum rigorem conspicimus*. Et Hyginum: *Conspiciamus signum, quod est inter B & A prolatum, exigemus per rigores ferramento, normaliter paucas dictabimus metas*. Heroni *meta* hæc dicitur καύσωνος. Nempe quia plurimùm *lapis* esset *in acumen erectus*. Quâ formâ & *meta* in circo. Vbi *meta* dicebatur *terminus circi*, propè quem quadrigæ flectebant. Notum illud Horatij, od. 1.

Metaque feruidis
Euitata rotis.

Gloss. καμπτήρ, *meta*. Hæc quia esset κωνοειδής, etiam *pyramis*, & *obelus*, à Cedreno dicitur. Figuram respexit Ouidius X. Met.

———Metásque imitata cupressus.

Sed & *qualibet congeries fastigiata* sic dicebatur. Vnde *metas fœni*, aut *lignorum*, legas apud Columellam, Plinium, apud alios. A *meta* est *metari*: Cuius duæ sunt potissimæ significationes. Propriè magis *metari* est *metas in agro ponere*. Hinc accipi cœpit pro *eligere*, quia in agris assignandis non alium metarentur, quàm electilem ac pinguem. Virgil.

———Seu pinguis agros metabere campi.

Vbi Seruius, *metaberis* exponit *eliges*. Atque addit: *Et longè alia significatio Metor, metaris, & Metior metiris*. Caper de verbis dubijs: *Metor, metaris, eligo. Metior, metiris, mensuro*. Sic *metatum agrum* pro assignato & opimo dixit Horatius:

———Videas metato in agello
Cum pecore & gnatis fortem mercede colonum.

Hinc translata vox ad castra, quia & *in castris locum priùs eligerent, quàm metas ponerent ad gromam, viásque dirigerent*. Festus: *Metari castra dicuntur, quòd metis dirigantur*. Porrò quia præmitti solent ante venturos milites, qui castris locum metentur, & suum singulis locum adsignent: hinc factum, vt *metari* quoque dicerentur, qui in vrbibus, nota postibus adscriptâ, hospitium futurum singulis adsignarent: *metatores* item, qui præcurrerent, & de diuersionum loco alijs despicerent. Onomasticum vetustum Petri Danielis: *Metatores, mansionum præparatores*.

præparatores. Latinus Paccatus, in Panegyrico: *Diuinus ille animus venturus in corpus, dignum prius metatur hospitium.* Cyprianus, lib. IV. epist. I. *Primum hospitium vobis in carcere præparauit, & metator quodammodo vester, nunc quoque vos antecedit.* Hinc Chrysologus, serm. CXXV. Ioannem Baptistam Christi vocat *præcursorem, & metatorem:* & Freculphus *Iulium Cæsarem* imperij, quod Augusto reliquit, *metatorem: Augustum* verò *imperatorem* vere fuisse scribit. Hinc Græcum μιτάτωρ pro μητάτωρ. Suidas: Μιτάτωρ, ὁ προαποστελλόμενος ἄγγελος πρὸς τὸν ἄρχοντα. A *metatore* dicebatur *metatorium*, domicilium in quo aduenæ reciperentur hoc Græcis similiter μιτάτωρεῖον vocabatur: quomodo iccirco domus Sarracenorum dicta, teste Niceta, in Isaacio Angelo. Eapte de causa dixere *metatoriam epistolam* qua locum hospiti aduenienti parabant. Sidonius Apoll. lib. VIII. epist. XI. *Hinc quodam tempore Burdegalam inuisens, metatoriam paginam, quasi cum musa præuia, misi* Vide Brissonium, de verb. signific Ios. Scaligerum, in Ausonianis Lect. lib. II. cap. XXIV. Meursij Lexicon Mixobarbarum.

METALLVM, μέταλλον, quasi μετὰ τὰ ἄλλα, vt Plinius quoque indicat, lib. XXXIII. cap. VI. *Vbicumque vna (argenti) inuenta vena est, non procul inuenitur alia. Hoc quidem & in omni ferè materia: vnde metalla Græci videntur dixisse.* Eustathius quoque quasi μετὰ τὰ ἄλλα dici fatetur: sed caussam adfert istam, quia *inuenta sint post alia ad vitam vtilia.* Sunt quibus placet esse ab Hebræis. Nam Iobi XL. 13. legas כמטיל quod B. Hieronymus vertit *lamina ferrea.* Sed placet tralatio soceri mei Fr. Iunij, qui vertit *vectis ferreus.* Concinnior sanè similitudo, vt cum eo ossa elephanti comparentur. A μέταλλον μεταλλᾶν pro *inquirere, perscrutari.* Etsi plerique contra putent, hinc *metallum* esse nomen. Primus autem argentum cæteraque *metalla* rimatus est *Lynceus*, vt scripsit Palæphatus, sed dissentiente Plinio. Ea res occasionem præbuit fabulæ, quâ perspicere illa etiam dictus est, quæ sub terris occultarentur

METAXA pro quo in libris alijs *mataxa*, est *funiculus*: vnde σχοινίον in Gloss. Philox exponitur. Ac placet quoque id Philandro, & Turnebo. Vsus Lucilius:

——*Rudis linique mataxam.*

Hoc est, *funiculum lineum.* Legas & apud Vitruuium, lib. VII. cap. III. Sed ei videtur esse filum agglomeratum conuolutúmque, quâ de re vide Bernardinum Baldum ad Vitruuium. Hesychius autem, & Moschopulus, auctores sunt, ita *sericum* nominari. Sanè in Cod. Iustiniani, lib X. Tit. VIII. X. legas: *Sericoblatta & metaxa species.* Vbi Cuiacius monet, *metaxam* esse *sericum rude ac nondum tinctum, neque in fila diductum.* Has sententias adeò variantes difficile est conciliare, nisi cum Martinio dicamus, propriè esse *rude sericum*; hinc vsurpari pro *lino*, quod simile sit *serico*, postremò pro *funiculo ex serico vel lino.* Originem adfert Isidorus, lib. XIX. cap. XXIX. vt ita dicatur à μετὰ, nempe *ob circuitum filorum.* vel à μετάγω, *eò quòd transferatur.* Sed cùm *metaxa* ex Syria soleat in Europam deferri, magis placet Martinij opinio, deducentis à Syro מטכס, *metaccas*, id est, *ordinatus, ornatus*, à טכס, *ordinare.* Hinc *metaxarius*, μεταξάριος, Basil. Ecl. XXV.

METEORA non solùm sunt corpora *imperfectè mixta*: sed etiam *stellæ*: vnde & Proclo, in Euclidem, *Astrologia pars* μετεωρολογικὴ vocatur, non illa *Physica* solùm, quam Aristoteles pertractat. Vide Achillem Statium, interpretem Græcum Arateorum: iuxta quem quæ Aristoteli sunt μετέωρα, propriè sunt μετάρσια: item quæ de hoc notata Scaligero in ingressu notarum ad Manilium, & Casaubono in primum Strabonis. Dicuntur autem μετέωρα non à θεωρεῖν, quod Albertus credidit: sed à μετὰ & ἐώρα, quod Græci Scholiastæ dicunt poni pro αἰώρα, hoc vero inter alia ὕψωσιν, siue *exaltationem*, significat; ab ἀείρω, hoc est, *tollo*: vt μετέωρα propriè sint, *quæ in altum sunt sublata, sublimia.*

METIRI dicitur, qui explorat, quæ alicuius rei sit magnitudo. Vt quot pedum, passuum, vel vlnarum aliquid sit. Vicina sunt Belgicum, *meten*, Latinum *metiri*, Græcum μετρεῖν, Hebræum מדד, quod *metiri* notat. Quare censeo primigenium esse מדד, indè μετρεῖν, ab hoc *metiri*, ab illo Belg. *meten*. A *mentiri*, n assumpto, dicitur *mensus*, & *dimensus*. Hinc *mensura*; non à משורה, *mensura*, etsi voces sint affines.

META ex sententia Angeli Caninij venit ab ἄμητος, quod verbale est ab ἀμάω, *meto*. Abiecta prima litera, quomodo ab ἀμέλγω est *mulgeo*, ab ἄγρος, *rura*, siue *rus*. Neque nouum est *meto* verbum à verbali potiùs deduci, quàm verbo. Nam similiter *fateor* est à φατὸς, *statuo* à στατὸς, &c. A *meto* est *prameto*: vnde *prametia* primitiæ frugum. Festus. *Prametium, quod prælibationis caussâ ante præmetitur.* dicitur & *præmessum.* Idem: *Sacrima appellabant mustum, quod Libero sacrificabant pro vineis, & vasis & ipso vino conseruandis; sicut præmessum de spicis, quas primùm messuissent, sacrificabant Cereri.* Item *præmetium.* Glossæ: *Præmetium*: ἀπαρχὴ σπόρου Δημητρὸς θυσία. Nisi *præmetium* hîc rescribendum.

METROPOLITANVM à *mensura ciuitatum* vocari scribit Isidorus, lib. VII. cap. XII. eámque sententiam sequuntur Gratianus, Dist. XXI. itémque Petrus Lombardus. Nempe *metropolin* à μέτρον & πόλις, dici putarunt. Sed prior compositi pars est μήτηρ, vnde *matrix ciuitas* dici potest. Nempe eâ ratione, quâ Suetonius in Augusto *matricem* appellat arborem, ex qua succrescunt stolones. *Ex ea*, inquit, *arbore continuò nata soboles, adeo paucis mensibus adoleuit, vt non æquipararet modo matricem, verum etiam obtegeret.* Ac in Iure quoque Canonico, Dist. LXIII. scribitur, ad episcopi electionem sufficere Ecclesiæ *matricis* arbitrium. Vocatur autem μητρόπολις *ea ciuitas, ex qua deducta est colonia*, quia sic se habet *metropolis* ad *coloniam* vt *mater* ad *filiam.* Hinc Thucydides: Ἀποικία δὲ εὖ μὲν πάσχουσα τιμᾷ τὴν μητρόπολιν, ἀδικουμένη δὲ ἀλλοτριοῦται. *Colonia beneficio quidem affecta honore prosequitur matrem: sed iniuriâ affecta ab ea abalienatur.*

METRVM, μέτρον, vnde *dimetiens linea diameter* vulgo, Græcis διάμετρος, subaudiendo γραμμὴ, dicitur. Ab eodem μετρητὴς, *amphora Attica*, quæ & *metreta* Catoni cap. C. Item γεωμέτρης, *agr. mensor*, vt Gloss. vett. interpretantur. Vide *Geometria.* Μέτρον a Punico *mertha* venire, scribit in Hellenismi Alphabeto Angelus Caninius. Sed vide quæ diximus in *Metari.*

METVS, a μόθος. Nam μόθος inter alia etiam φόβον, siue *metum*, signat, vt Hesychius testatur. Absque hoc esset, non incommodè deduxeris ab Ionico μετίεμαι pro μεθίεμαι, siue à μετίω, hoc est, *remitto.* Ac non audiendus Nunnesius, qui *metus*, κατὰ μετάθεσιν putat fieri à δεῖμος, *domo.* Nec placet Varro, cùm in V. de L. L. *metus* dici putat quasi *motus*, quia *metus* sit à *motu animi*, quando malum, quod imminere putamus, auersamur. Atque idem quod Varro, voluit etiam Fronto, cùm ab origine sic *metum, timorem, formidinem, pauorem* distinguere conatur: *Metus motus est animi, timor quasi tumor, formido fert interdum rationem, pauor puerilis est.* A *metuo* supinum olim *metutum* fuit, τὸ φοβηθῆν. Lucretius in V.

Nam cupidè conculcatur nimis ante metutum.

MEVS à genitiuo *mei*: *mei* à Græco Genitiuo ἐμέο, pro quo communis lingua ἐμοῦ. E abiectum, vt & Græci ἐμοῦ dicunt μοῦ, & Doricè μοῦ.

MICA à Dorico μίκκος, pro μικρὸς, venire, obseruat Iustus Lipsius, in Senec. epist. LI. quo loco agit de *mica aurea*, quæ, teste Publ. Victore, in Cælimontio exstructa fuit: nempe exemplo illius *micæ*, quæ in Baiis erat. A Dorico hoc μίκκος apud Plautum, Sticho, est parasiti cognomen *Miccotrogus*, ὁ μικκὸς τρώγων, *qui pauxillum edit.* A *mica*, quæ dicitur de *arenulis fulgentibus*, Perottus deducit verbum *mico* pro *fulgeo.* Sic Becmanus κατὰ μετάθεσιν censet esse à כתם, *splenduit, fulsit.*

MIGRO, vt Auenarius, ac Becmanus censent, à מגר, *magar*, quod notat *detrusit.* Sed hoc longius abit. Meliùs qui à *magar*, hoc est, *vagum domicilium*, vnde *magalia* dicta; vel à מגור, id est, *peregrinatio.* Nec absurdè, qui ex verbo *meare*, & *ager* compositum putant, vt *migro* sit *meo agro.* Priora tamen malim.

MIHI ab antiquo genitiuo *mis* pro *mei*, vt *tibi* à *tis.* A *mis* olim *mius* pro *meus* dixere. Sed de his pleniùs in libris de arte.

MILES Ælio Stiloni (Festo teste) κατ' ἀντίφρασιν sic dictus videtur à *mollitie*, quia *minimè mollis.* Sed est *miles* à *meles*, vt *amicus* ab *amecus.* At *meles* à μελία, id est, *hasta*: vt *militer* propriè sint δορυφόροι. Vel *meles* dixere pro *meres*, à *merendo.* Sanè *merere* pro *militare* legere est in inscriptione veteri, quæ est Tiferni, ac è Smetio adducitur à Grutero, pag. DXX. num. III. Alijs tamen *miles* dictus à *mille*, quasi *millesimus.* Varro, IV. de L. L. *Milites, quòd trium millium primò legio fiebat, ac singulæ tribus, Tatiensium, Ramnium, Lucerum, millia singula militum mittebant.* Eutropius, lib. I. Hist. Rom. *Mille pugnatores delegit* (Romulus) *quos à numero milites appellauit.* Similiter Isidorus, lib. IX. cap. III. *Miles dictus, quia mille erant antè è numero vno, vel quia vnus est ex mille electus. Romulus autem primus ex populo milites sumsit, & appellauit.* Nec obstat, quòd vulgo *miles* vnico *L*, at *mille* geminato scribatur. Nam in vett. codd. ac monumentis frequens occurrit *mile* vnico *L.* Neque desunt, qui *mile* & *mille* distinguant, vt vnum sit substantiuum, alterum adiectiuum. Quanta verò fuerit superiorum sæculorum imperitia, ostendit, quod in Nomenclatore quodam scriptum legatur, *miles dici quasi mira res*, quia *miles* sit *mira res in mundo*: vel, vt ibidem additur, à *milio*, quia nempe *milites in Franconia libenter edunt milium.* Hæc adeò

inepta,

inepta, vt ne quidem risum mereantur. A *militibus* dici *militia*, satis est manifestum. Ac monet id quoque Isidorus, loco ante dicto. At ridiculum, quod addit: *Vel militia, quasi mulitia, quasi negotium multorum: aut à mole rerum, quasi molestia.* Sane si O in *l* abit, non tam erit à *mole rerum*, quàm à μῶλος, id est, *bellum*, siue μανία, quod est πόλεμος, vt ex Hesychio scimus.

MILIVM est, quod Græcis κέγχρος, Gallis *millet*, Belgis *geers* appellatur. De etymo sic Varro lib. IV. de L.L. *Milium a Græcis; nam id prius μελίνη, post μελίνη.* Cœlius Rhodiginus lib. XVIII. cap. XXXI. pro μελίνη legit μελίνη. Inde enim *milium* à Varrone deduci ait. Sed hoc de etymo audiamus Festum: *Milium quidam putant cepisse nomen à maximo numerorum summâ, quæ est mille, quod alij Græca stirpis indicant esse, cum id illi κέγχρον vocent, tam Hercules, quàm panicum μελίνην.* Festi sententiam firmat, quod Hesychius μελίνη ὅμοιον κέγχρῳ, *simile milio* esse ait. Quod & hoc Dioscoridis loco patet. lib. II. cap. CXX. ἔλυμος, οἱ δὲ μελίνην τὸν στρογγύλον, κέγχρῳ ὅμοιον. Item ex Galeno, qui caput XV. lib. I. de alimentis sic inscribit, περὶ κέγχρου καὶ ἐλύμου, ὃν καὶ μελίνην ὀνομάζουσι. Ex Dioscoridis & Galeni locis etiam discimus, μελίνην aliter ἔλυμον vocari. Quod ipsum docent Glossæ Latino græcæ Philoxeni, in quibus est *Milium* κέγχρος, ἔλυμος. Sed, vt ad prius illud redeamus, μελίνην non *milium* esse, sed *panicum*, odorari etiam licet ex hoc Plinij, lib. XXII. cap. vlt. *Panicum Diocles medicus mel frugum appellauit. Effectus habet quos milium.* Nam respexisse arbitror Dioclem ad id, quod μελίνη nomen habet à μέλι, ob [illegible] *gustum.* Non tamen argumentum hoc vsque adeo firmum est. Nam μελίνη potiùs hic dicta videtur a μέλας, ob *nigrum colorem*. Quodque ad Plinij locum, non displicet eorum opinio qui pro *mel frugum* legunt *melinam frugem*: vt sententia sit, *panicum* a Diocle vocari μελίνην κάρπον, quod è Theophrasto confirmari potest. Is enim, l. VIII. histor. plant. cap. XIV. auctor est, appellationem hanc conuenire rebus, quæ tum viribus in vsu cibario differant, tum etiam loca diuersa desiderent. Ex his abunde patet, differre *milium* a μελίνη, eóque ab eo neutiquam originem capere. Sed neque a *millenario* numero (etsi id Isidorus putarit lib. XVII. cap. III.) dictum verisimile est, præsertim cùm modulus principis syllabæ repugnet. A *milio* dicta *auis miliaria*, quæ *pinguescit milio*. Meminit Varro, lib. III. de R.R. cap. V. Existimet aliquis eandem esse auem, quæ dicitur *enchrus* à κέγχρος, id est, *milium*. Sed ea sic dicta, quia *in tergo habeat puncta coloris cineræi, instar grani milij*, quod Græcis vocatur κέγχρος; item *herba miliaria*, quia *milium necat*; teste Plinio lib. XXII. cap. XXV. Fortasse & ab eo dictum *miliarium*, quod est *vasis genus, altum & angustum*, vt indicant hæc Palladij verba lib. V. Tit. VIII. *Vas æneum miliario simile, id est, altum & angustum, vespere inter aluearia collocemus, & in fundo eius ponamus lumen accensum. Illuc papiliones conuenient, & circa lumen volitabunt, & angustia vasculi ab igne proximo interire cogentur.* Meminit & *miliarij* Columella, lib. IX. cap. XIV. vbi rem eandem his verbis narrat: *Quo tempore malua florent, cùm etiam eadem maxima multitudo, si vas æneum simile miliario vespere ponatur inter aluos, & in fundum eius lumen aliquod demittatur, vndique papiliones concurrent: dumque circa flammulam volitant, aduruntur, quod nec facilè ex angusto sursum euolare, nec rursus longiùs ab igne possunt recedere, cùm lateribus æneis circumueniantur: ideoque propinquo ardore, consumuntur.* Locum integrum adscripsi, quia ex eo cuiusmodi id vas fuerit, pleniùs cognoscitur. In Glossis Latino-Græcis Philoxeni *miliarium* exponitur θερμαντήρ; vbi rectè corrigunt θερμαντῆρ. Nam vasis eius vsus est ad calefaciendum aquam, aut aliquid macerandum. Quamquam autem & Turnebus lib. V. Aduers. cap. I. *milliarium* dici putet, quia *longum angustúmque sit ad similitudinem milij*: Hadriano tamen Iunio in Nomenclatore improbatur id etymon, ac quia procerum sit, potiùs censet ponderis caussâ à *millenario numero* id nomen accepisse. Alteram quoque *miliarij* vox significationem habet. Nam quemadmodum ibidem docet Turnebus, etiam *miliarium aureum* Romæ in foro *columna* erat, in quam omnes viæ Italiæ competebant & desinebant: quod ita vocabatur, quòd ab eo *miliariorum numerus*, quibus itinera metiebantur, incipiebat. Nam *lapides in viis quibus miliaria notabantur*, miliaria etiam vocabantur: Plutarchus in Galba: ὁ χρυσοῦς ἑστήκει κίων, εἰς ὃν αἱ τετμημέναι τῆς Ἰταλίας ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσι. De eâdem re Suetonius, in Othone, cap. VI. *Præmonitis consciis, vt se in foro, sub æde Saturni, ad miliarium aureum opperirentur.*

MILLE, siue *mile*, (de cuius ὀρθογραφίᾳ diximus in *miles*) videtur Angelo Caninio esse à μύριοι, vt ρ conuertatur in λ, quomodo a λείριον est *lilium*; & *vermis* ab Æolico ϝέρμις pro ἕρμις. Alij quia μύρια notat *decem milia*, censent potiùs esse à χίλιοι, quod idem notat, vnde χιλιάς, *chilias*: ex quo dicti sunt χιλιασταί, *chiliastæ*, quasi dicas, *millenarij*, de quorum errore vide Hieronymum, Esaiæ cap. LV. & proœmio in lib. XVIII. comment. in eundem Prophetam; & Augustinum, lib. XX. de Ciuit. Dei, cap. VII. Item Epiphanium & Philastrium. Tertium ἔτυμον est, vt *mille* sit ab Hebræo מלא, hoc est, *plenitudo*. Est enim *millenarius numerus quædam plenitudo*. A *mille* est *milliare* ac *milliarium*, *mille* passuum spatium. Pro quo & Græci posteriores μίλιον ab eadem origine dicunt. Suidas: μίλιον, μέτρον γῆς. Gloss. Latinogr. *Decimus lapis*, δέκατον μίλιον. Vtitur Simeon Sethus, de placitis philosophorum: ἀπέχειν δὲ αὐτὴν χιλίων μιλίων διάστημα ἀπὸ τῆς γῆς οἱ λεγόμενοι τῶν ἀστρονόμων νῦν.

MILLVS, an *melium* dici debeat, dubitari potest. Apud Varronem quidem legas lib. II. de R.R. cap. IX. *Collaria, quæ vocantur melium id est, cingulum ex corio firmo cum clauis capitatis.* At apud Festum est: *Millus, collare canum venaticorum, factum ex corio, fixúmque clauis ferreis eminentibus, aduersus impetum luporum. Scipio Æmilianus ad populum: Vobis, inquit, reique publicæ præsidio erit is, quasi millus cani.* Si *melium* dicendum, videatur esse à *meles*, quia ex animalis eius corio fieri soleat. Sin *millus* magis placet, erit forte à *millenis*, hoc est, *plurimis* clauis, collari eo infixis. Vtrumque ἔτυμον legas apud Perottum. Sed puto rectius esse *millus*: præsertim quando & apud Isidorum in Glossis legas, *Millum, collare canis*. Nec tamen necesse habemus deducere à *mille*: cùm possit esse à μύνω, hoc est, *tueor*. Multa enim sunt in quibus ν abit in *l*. Et sanè hoc magis placet.

MILVVS (quæ vox trisyllabos est) nec quasi *mollis auis* dicitur, quod Isidorus scribit lib. XII. cap. VII. nec quòd *milio vescatur*, vt alijs placet: sed à sono nomen accepit: vnde dicta *miluina*, genus tibiæ acutissimi soni, vt Festus scribit. Ita *miluina* voce vsus Solinus, cap. XI. Vide quæ diximus in *Ingo*. Plautus, Menæch. Act. I Sc. III. ab auis huius rapacitate *miluinam* dixit pro *famem appetentia fine dignâ, qualis miluorum*. Et Cicero quoque ad Quinctum Fratrem eò allusit, *Licinium plagiarium cum suo pullo miluino tributa exigere.*

MIMVS, μῖμος, teste Donato, ac Diomede, dicitur ἀπὸ τοῦ μιμεῖσθαι, quod *sermones ac facta cuiusque imitetur cum lasciuia*. Tam *poëmatis*, quàm *actoris*, nomen est. Nam & *mimus* vocatur *poema* ita actionem imitans sine reuerentia, sed cum lasciuia; vnde & ridiculum erat. Ita Ouid. II. Tristium vsurpat,

Scribere si fas est imitantes turpia mimos.

Vbi ad ἔτυμον alludit. Ab hac *mimi* notione dicti *mimiambi*: quales Cn. Mattium scripsisse auctor est Macrob. lib. I. Sat. cap. IV. & Terentianus Maurus. Præterea verò *mimi* dicebantur *actores fabularum talium*; qui Græcis βιολόγοι. *Scurras mimarios* Volcatius in Vero appellat. Hinc *pantomimus*, παντόμιμος, quomodo οἱ Ἰταλιῶται τὸν ὀρχηστὴν καλοῦσιν, vt scribit Lucianus, lib. de saltatione. Nempe quia saltatores illi gestu pro voce vtentes omnia imitarentur, atque effingerent. Vnde de ijs Manilius:

Omnis fortuna vultum per membra reducit.

Et *mimos* & *pantomimos*, ἀφοριστικῶς Claudianus istis versibus:

Nec molles egeant nostrâ dulcedine ludi,
Qui lætis risum salibus mouisse facetus,
Qui nutu manibúsque loquax.

Nam prior est descriptio *mimarij scurræ*, siue *actoris vrbici*; altera autem *pantomimi*.

MINERVAL, siue *Mineruale*, in Onomastico exponitur διδάκτρον, quasi sit *mercedula*, quâ scholastici persoluebant magistro: sed non est tam salarium ipsum, quod mensis cuiusque idibus persoluebant, vt ex Horatio etiam, lib. I. satyrâ VI. constat, quàm *gratuitum munusculum* quo aliquis se in disciplinam tradens, nouo commendabat magistro: vnde in Glossis Philox. legas: *Mineruale munus*, συστατικόν, quasi dicas, *commendatitium*. Vtitur Varro, lib. III. rei Rust. cap. II. & B. Hieronymus in epistolâ Pauli ad Ephesios. Nomen à *Mineruâ* ingeniorum præside, cuius imago in scholis poni solet. Namque *Mineruai* designat Iuuenalis illo sat. X.

Quisquis adhuc vno partam colit asse Mineruam.

Quo de versu vide plura apud Politianum, cap. XXI. Miscell. Adi & de Mineruali Nicol. Loensem Epiphyll. lib. II. cap. XIII. Quod ad nomen *Mineruæ*, Arnobius quasi *Meminéruam* dictam vult, eandémque *Memoriam* esse putat. Sic enim scribit lib. III. *Eandem hanc* (Mineruam) *alium ætherium verticem, & summitatis ipsius esse summam dixerunt: memoriam nonnulli: vnde ipsum nomen Mineruæ, quasi quædam Meminerua formatum est.* Etymon hoc firmat, quod alij *matrem* eius *Memoriam* faciunt. Afranius apud Agellium:

Vsus me genuit, mater peperit Memoria.
Sophiam vocant me Graij, vos Sapientiam.

Sed duo alia etyma adducit è Festo Paulus his verbis: *Minerua dicta,*

dicta, quòd benè moneat. *Hanc enim pagani pro sententiâ ponebant.* *Cornificius verò, quòd fingatur pingaturque minitans armis, eandem dictam putat.* At apud Ciceronem aliud quoque etymon legas. Sic enim ille lib. II de nat. deor. *Minerva*, inquit, *quæ vel minueret, vel minaretur.* Vbi cùm *minuere* ait respicere eò videtur, quòd bello exhauriatur genus humanum. Apud Isidorum quoque legas lib. VIII cap. II. *Minervam vocatam, quasi deam & munus artium variarum.* Videtur ex *munus*, & *ars*, & *varia*, deducere. Ego puto, *Minerva* esse ab antiquo *menerva* pro *moneo*: vnde *promenervat*, eapse notione in Saliari carmine, teste Festo. Veteres enim pro *Minerva* dixere *Menerva*, vti pro *liber*, *leber*, pro *pignoris*, *pigneris*, pro *homo hemo*, &c. *Menerva* autem est ab antiquo *meneo* pro *moneo*. *Meneo* à μένος, *mens*, vnde *reminiscor*, & *comminiscor*. A *monendo* autem cur *Minerva* dicatur, ostendunt Festi verba ante adducta. Eadem dicitur Παλλὰς, quæ vox vel communis siue appellatiua est, vt cùm dicitur Παλλὰς Ἀθήνη, vel propria, vt cùm ἀπλῶς dicitur Παλλὰς, quâ ratione vtuntur Latini. Varia autem adferuntur *Palladis* etyma, quemadmodum docent cùm Eustathius, aliique Scholiastæ, tum Festus in *Pallas*; & Isidorus, lib. VIII. cap. II. Si à Græcis originem arcessere placet, maximè arridet, quod Plato in Cratylo scripsit, Παλλὰς esse à πάλλειν, quasi *dea hastæ vibratrix*. Hastata enim ab Homero describitur, talémque pingi solere auctor est Pausanias in Atticis; ac Claudianus quoque hastam ei tribuit tantæ longitudinis, vt superet nubes. Sed cùm deorum nomina ferè sint a Syrijs ac Phœnicibus: quid, si *Pallas*, quæ abstrusæ & admirandæ scientiæ est præses, nomen habere credamus à פלא, quod est *occultum esse*, item *in admiratione esse*. Vnde & Φωλεὸς, *locus occultus, latibulum, specus*. A Παλλὰς est diminutiuum Παλλάδιον, quo generatim significatur, *quoduis Palladis simulachrum*, sed κατ' ἐξοχὴν sic vocatum, id quod regnante Ilo, Priami auo, in Ilium cælitus cecidit, ac, quo accepto, Apollo consultus respondit:

Æthéream seruate deam, seruabitis vrbem.

Id Vlyssem ac Diomedem nocturnis insidijs ex Ilio ad Græcos detulisse aiunt. Tandem & Romam peruenit, vbi collocatum in *Palladis* sacello, quo flagrante à Metello ex incendio est ereptum.

MINGO obsoletum est, pro quo nunc dicimus *meio*: sed à *mingo* remansit præteritum *minxi*, & supinum *mictum*, vnde *mictilis*, vt *merx mictilis* apud poetam: item *commictilis*, vt, *seruus comicus commictilis*, apud Pomponium, teste Nonio. Est *mingo* ab ὀμιχέω, quod eadem notione vsurpat Hesiodus in Ἔργ. atque indè ὀμίχματα, quod Hesychius οὐρήματα exponit.

MINISTER, ὑπηρέτης, διάκονος, λειτουργός; vt vett. Gloss. exponunt. Geminum eius etymon ponit Isidorus. lib. X. *Minister minor in statione, siue quia officium debitum manibus exsequitur.* Posterius etymon sequitur Perottus, vti & Becmanus, imò & Cæsar Scaliger lib. I. in Histor. Plant. cap. XXI. Nempe vt *minister* dicatur quasi *manister*, quia *ministerium fit manuum instrumento*: quomodo à *pedibus pedisequus*: & fortasse ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος, *anclare*, & *exanclare*, & *ancilla*: vt etiam visum Hermolao. At à *minus*, vel *minor* fit *minister*, vt à *magis*, vel μείζων, est *magister*. Sanè vt maiores sunt, quibus seruitur: ita ij qui famulantur minoris sunt conditionis. *Magister* autem non *sapientiæ*, sed *potestatis* nomen esse, ostendimus suo loco. A *minister* est *ministro*: vnde *ministratrix* apud Cic. lib. II. de Orat. In Gloss. legas, *ministrix*, ὑπηρέτις. Sed legendum *ministratrix* quod & apud Non.

MINIVM vnde dicatur, non adeò apertum est. A Græcis acceptum esse dixerit aliquis, quia apud Hesychium legere sit, Μίνιον τὸ λάπον, ἄχρωμον, ὃ κιννάβαρις. Item: Μίνιον χρωματικόν. Sed solùm posteriores Græci sic vocarunt, nempe postquam innotuit *minium* ex Hispania. Priores autem κιννάβαρι vocarunt: non quasi foret κιννάβαρι, sed quia simile ei foret. Quare crediderit aliquis esse ex Græco μίλτος, idque quia sic Græcis vocari Plinius dicat, lib. XXXIII. cap. VII. *Auctoritatem colori fuisse non miror; iam enim Troianis temporibus rubrica in honore erat, qui naues eas commendat, aliàs circa picturas pigmentáque varius, milton vocant Græci, minium quidam cinnabari.* Respicit autem locum Iliad. β. vbi Homerus vocat, νῆας μιλτοπαρῄους. Sed *minium* Troianis temporibus erat ignotum: nam tantùm XC. circiter annis ante Theophrastum a Calia Atheniensi fuit inuentum. Neque hoc dicit Plinius, *minium* Troianis temporibus fuisse cognitum, verum de *rubrica* loquitur, quæ Græcè μίλτος, vt *minium* ijs κιννάβαρι. Quare non possum Salmasio assentire, qui apud Plinium sic legit: *milton vocant Græci, minium que cinnabar*. Quare fallatur, qui putet ex μίλτος esse *minium*, propter cognationem literarum Λ & N; vnde dicimus φίλτατος & φίντατος, ἦλθον, ἦνθον, λίτρον, νίτρον, πλεύμων πνεύμων. Alij dicunt, ab ἀμέλιον venire, truncatâ voce, vt ab ἀμέλγω, *mulgeo*, ab Tarentino ἀμέλιον pro ἄμεινον, *melior*. Prora & puppis eius opinionis est illud Dioscoridis, lib. V. cap. CX. Ὑδράργυρος δὲ σκευάζεται ἀπὸ τοῦ ἀμμίου λεγομένου, καταχρηστικῶς δὲ καὶ τοῦτο κινναβάρεως λεγομένου. *Argentum viuum fit ex minio, quod abusiuè cinnabaris dicitur.* Sed obstare videtur, quod Græcorum nemo sic vocet: eóque videndum an non pro ἀμμίου scribi debeat μινίου. Præsertim cùm varient codices. Nam ἀμμίου legere est in Parisiensi editione Barmanni. Quemadmodum & apud eum legitur: Κιννάβαρι ἀνόμασται ὑπό τινων ὑπάρχειν τὸ καλούμενον ἄμμιον, πλανώμενοι; τὸ γὰρ ἄμμιον ἐν Ἰβηρίᾳ σκευάζεται, ἐκ λίθου τινὸς μεμιγμένου τῇ ἀργυρίτιδι ψάμμῳ. Ἄλλως δὲ οὐ γίνεται. *Putant cinnabari esse idem ac quod minium vocatur: sed errant. Nam minium in Hispania fit ex lapide quodam argenteæ arenæ permixto. Alioqui non dignoscitur.* Sed & hic in cod. quodam pro ἄμμιον vtrobique legitur μίνιον, vt monitum ijs, qui variantes lectiones annotarunt. Atque ea scriptura placuit Hermolao Barbaro. Quare non dubitandum, quin, cùm Dioscorides dicat *minium* ex Hispania apportari, vnà cum re inde vox sit accepta. Tantum in dubio relinquitur, vtrum *Minius* Hispaniæ fluuius colori *minij* nomen dederit, an contrà, color hic nomen dederit fluuio. Prius censet Vitruuius, lib. .... cap. .... *Minium*, inquit, *& Indicum nominibus, ipsis indicant, quibus in locis procreentur.* Alterum placuit Trogo siue Iustino, qui libro XLIV. sic scribit: *Gallecia portio Amphilochi dicuntur; regio cùm æris ac plumbi vberrima, tum & minio: quod etiam vicino flumini nomen dedit.* A *minio* Plauto, Epid. Act. II. Sc. II. dicitur *tunica subminia*, non quasi *subminuta*. A *minio* est *cera miniata*, siue *miniatula*. Hac notabant, quæ minùs probarent. Cicero, lib. XV. ad Att. epist. XIV. seu XV. *His literis scriptis me ad συντάξεις dedi: quæ quidem vereor ne miniata cerula tua pluribus locis notandæ sint.* Et lib. XVI. Epist. XI. *Nostrum opus tibi probari lætor: ex quo ante ipse posuisti, quæ mihi florentiora sunt visa tuo iudicio. Cerulas enim illas miniatulas tuas pertimescebam.* Vitruuius appellat *ceram ex minio*: Achilles Statius in Aratum παρεσημειωμένοι. Ac meminit huius consuetudinis etiam Hesychius in παραγεγραμμένα & παρεσημειωμένα βιβλία. Quibus locis docet παρεγγράμματα dici *ceras quas critici appingunt libris à se recensitis*: at παρεσημειωμένα βιβλία vocari ea, *quæ critici ceris notarunt.* A *minio* quoque Plauto, Epid. Act. II. Sc. II. dicitur *tunica subminia*. Imo ab eodem fueris *Amineum*: si verè Seruius ad illud II.G.

Sunt & Amineæ vites, firmissima vina,

Vbi scribit hunc in modum: *Amineum vinum dictum est, quasi sine minio, id est, rubore, nam album est.* Quæ sententia Seruio indigna. Veriora discere est ex his verbis Iunij Philargyrij: *Amineos, Aristoteles in Politicis hoc scribit: Thessalos fuisse, qui sua regionis vites in Italiam transtulerunt, atque illis inde nomen impositum.* De eodem sic Macrobius, Saturn. lib. III. *Aminea scilicet à regione. Nam Amines fuerunt, vbi nunc Falernum est.* Verum quod *Amineum vinum* idem ac *Falernum* esse vult, id verum non videtur, quando Maro ipse distinguit. Nam proximè antecesserat.

———*Nec cellis ideo contende Falernis.*

Vide quæ fusè ac eruditè ad hunc versum disputat Pierius, in Castigat. Virgil.

MINOR verbum est ab Hebræo מנע, id est, *prohibeo, auerto*: quod *minis* sæpè fit. Alijs tamen *minari* à *mina*, *mina* à *mino*, hoc est, *pello*, vt cùm *minare pecus* dicimus. Nunnesius in Grammatistice censet, *minas* vocari ab Græco ἀπειλή, quod eiusdem est notionis. Nempe vt non modo λ abeat in N, quod crebrum, sed etiam π in M, quomodo à πατέρ fieri *maturus*, idem arbitratur. Alijs *minari* à *manendo*, hoc est, *eminendo* dictum placet: alijs contrà *eminere* potiùs à *minis* dici fit verisimile. Maro, I. Æn.

———*Geminique minantur*

In cælum scopuli.———

Vbi Seruius, *Minantur est eminent: vt, Minæque murorum ingentes.* Item, *Illa vsque minatur.* Item ad illud II. Æneid. de quercu ruinam minante: *Illa vsque minatur. Minantur*, inquit, *aut eminent, vt, Minæque murorum: aut monentur.* Idem Seruius ad hoc IV. Æneid. *Minæque murorum ingentes. Minæ*, inquit, *eminentia murorum, quas pinnas dicunt; hinc & eminere dicimus*, vt in primo Æneidos. *Geminique minantur. Quidam Minæque ad interrupta opera referunt, vt sic videantur ruinam minari.* Sed mihi neque *eminere* a *minis* dici placet: quod Seruius velle videmus: (nam planum est *eminere* esse à *manere*, hoc à μένω) neque item *minari* à *manendo*, seu *eminendo*, deducere visum, quod nonnullos velle indicat Perottus. Sed si ab Hebræa origine, quam adduximus, abire velim, *minor* deducam a *minis* vel

Græco μίνυ⊕, hoc est, *paruus*, seu *minutus*: idque quia vt ea *promittimus*, quibus aliquis augeatur, sic ea *minamur*, quibus alicuius sors ac conditio minuatur. Quòd verò ad Maronis loca, *minari* & *minæ* κῳ μεταφορὰν, tribuuntur inanimis, quæ exstant & eminent. Nec tantum *mina* eâ, quâ dixi, notione a *minus* venit, sed etiam, cùm *minam mammam*. dicimus Festus: *Minam Ælius vocitatam ait mammam alteram lacte deficientem quasi minorem factam.* Nec ambigo quin similiter *mina ouis* dicatur, quia *minus habet lanæ*. Quippe Varro, lib. II. de R.R. *Minam ouem*, interpretatur *qua ventre glabro*. Ita Plautus Truculento dixit *perperas minas oues*. Porrò quia de *minor*, tam nomine quam verbo, supra diximus: illud obiter addamus, vett. pro *minari* dixisse *minare*, próque *minitari*, *minitare*. Priscianus libro octauo: *Multa similiter ancipiti terminatione in vnâ eademque significatione protulerunt antiqui, vt partio & partior, munero & muneror, mino & minor, & minito & minitor, meridio & meridior*, &c. Sed posterioribus seculis *mino* & *minito* longè aliud fuit. Quippe eo Ecclesiastici scriptores vsi pro *pecus agere*. Imò alij quoque vsurpant: vt Ausonius de Myronis buculâ,

Necdum caduco Sole iam sub vespere
Ageret iuuencas cùm domum pastor suas,
Suam vel inquens me minabat vt suam.

Vbi malè editiones multæ *monebat*: quod ab imperito παραδιορθωτῇ. Vsus quoque Festus siue Paullus: *Agasones*, inquit, *equos agentes, id est, minantes*. Item: *Agere modo significat ante se pellere, id est, minare*. Appuleius lib. III. Met. *Nos duos asinos minantes, baculis exigunt*. Anian. ad Paull. libb. Sentent. *Actus quo pecora minare consueuimus*. Hinc *comminare*, Appul. lib. VII. *Gregatim pecua comminantes*. Similitérque *prominare* legas apud eundem, lib. IX. Item hodiéque retinent *minandi* vocem, Itali, Galli, Hispani. Indéque Belgicum *mennen*. Quòd verò *minare* in hac notione vsi sint, id inde est, quia veteres quoque *minari boues* dixere, quod Græci ὀμοκλᾶν, & ὀμοκλὰς illas *bubulcorum minas*: vt ad Manilium Scaliger obseruauit. Hinc Cæsar Germanicus in Arateis:

Inde Helicem sequitur senior, baculóque minatur,
Siue ille Arctophylax Bacchio munere casus, &c.

Ouidius, primo de Ponto:

Adasisam Geticis qua norunt verba iuuenci,
Assuetas illis adijciámque minas.

Cui simile illud Tibulli.

Aut stimulo tardos increpuisse boues.

Et Manilij hoc:

Quod stimulo iunctis instat de more iuuencis.

Nam *minari* idem est quod *increpare stimulo*, eóque *bubus instare*.

MINOR, cùm nomen est comparatiui gradus, si Nunnesium audiuus, venit à μείων, *minor*, inserto N; vt à δασὺς, *densus*: Sed non dubito, quin & *minor*, & *minimus*, sint à μινὸς, quod Atticum est pro μικρὸς vt scribit Eustathius. Vnde μινύθω, *minuo*, quod à Græco μινύθω venit. Nisi & μινύω Græci dixerint, vt arbitror. Pro *minuere* Tertullianus sæpius *minorare* dixit, à comparatiuo *minor*. Vt cùm lib. aduersus Praxeam, Christus dicitur *minoratus à Patre modicum infra angelos*. A *minuo* est *minutus*, item *minutim* apud Lucillium, & *minutatim* apud Varronem, lib. IV. de L.L. item *minutia* & *minuties*, quod apud Appuleium in IX. & XI. & *minutale*, vnde *minutalia regna* dixit Tertullianus, lib. I. aduersus Marcionem. A *dis*, & *minuo*, est *diminuo*, S in M abeunte: vt apud Lucretium lib. V.

Partim quod validi verrentes æquora venti
Diminuunt. ———

Ita ex veteri cod. restituit Giffanius. Et fauet Orthographiæ isti Priscianus, lib. I. *Transit*, inquit, *hæc eadem* (littera S) *in M, vt rursum, rursus, diminuo pro disminuo*. Terent. in *Adel. Diminuetur tibi cerebrum*. Pro μινὸς, vnde ea fluunt quæ hactenus attulimus, etiam μινυρὸς dicitur, quod ab Hesychio exponitur μικρὸς, ὀλίγος. Sed præcipuè ita vocatur, quod *querulum* est ac *lachrymabile*; τῇ φωνῇ μινυρίζον, vt idem interpretatur. Atque hinc verbum μινυρίζω, *querulâ ac proinde gracili voce cantillo*. A μινυρίζειν verò est Latinum *minurire*. Gloss. Philox. *Minurit*, μινυρίζει. Palumbes proprium esse, scribit Spartianus in Antonino Geta. Sed originem si spectes, latius patet: vnde de hirundine vsurpat Sidonius Apollinaris, lib. II. epist. II. Et fauet quoque Festus, siue Verrius, cùm scribit: *Minuritiones appellantur auium minorum cantus*.

MYRMILLONES seu *mirmillones*, (pro quo & *murmuliones* & *mirmiliones* legere est in MSS[ti] Festi codd.) erat *gladiatorum genus*, de quo accuratè Lipsius, lib. II. Saturn. cap. IX. Ita dici quasi *Myrmidones*, D in L conuerso, Turnebus putabat. Verùm origo *Mirmillonum* non est à Græcis, sed Gallis. Quod docet hic Festi locus: *Retiario pugnanti aduersus mirmillonem cantatur, Non te peto, piscem peto, quid me fugis Galle? Quia mirmillonicum genus armaturæ Gallicum est, ipsíque mirmillones ante Galli appellabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat.* Similiter Scholiastes Iuuenalis in Sat. VIII. *Mirmillonicum armaturæ genus Gallicum est, ipsíque mirmillones ante Galli appellabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat.* Vir summus putat piscem eum fuisse μορμύρον, indeque esse μορμυρίων, ex quo *mirmillo*, ρ in L conuerso, vt à λείριον, *lilium*. Μορμύρους Ouidius in Halieuticis vocat *mormyras*:

———*Et picta Mormyres, & auri*
Chrysophrys imitata decus.———

Quem locum Plinius signat, lib. XXXII. cap. XI. Sed de illo *Mirmillonis* etymo nihil æquè assensum sufflaminat, quàm quod *mormyras* Plinius claré reponit inter piscium *nomina*, *quæ apud neminem alium*, quàm Ouidium, *reperiuntur: sed fortassis in Ponto nascuntur, vbi id volumen supremis suis temporibus inchoauit*. Romani igitur aut Græci non potuere *Mirmillonis* nomen ab eo pisce, qui illis temporibus adhuc esset ignotus.

MIROR Martinio est ab Hebræo מראה, hoc est, *visus*. Nempe quia, qui mirantur, rem intentè adspiciunt, feréque non sine voluptate, ac stupore. Hinc *miraculum*. Olim autem, vt scribit Festus: *Miracula, quæ nunc digna admiratione dicimus, antiqui in rebus turpibus vtebantur*. Atque hinc *miracula* conuicium in *meretrices*. Vsus Plautus, è cuius Clitellaria versum hunc citat Varro, VI. de L.L. & Festus in *schœnicolæ*:

Diobolares, schœnicola, miracula.

Vide plura in coniectaneis Scaligeri.

MISCEO à μίσγω, G in C abeunte; vt *corytus* à γώρυτος, *Caius* à γάϊος. Μίσγω autem à מזג, id est, *misceo*, Z mutato in S: quomodo à זרה est *sero*. A *misceo* fuit *miscus* & *miscuus*: vnde *promiscus* & *promiscuus*. Vnde antiqui non tantum *promiscuè*, sed & *promiscàm* dicebant; teste Festo. Plautus, Pseud. Act. IV. Sc. V.

Vt mea lætitia lætus promiscam siet.

Varro:

Vnam virtutem propriam mortalibu' fecit:
Cætera promiscam voluit communia haberi.

Promisce quoque dixere. Plautus, Persâ, Act. V. Sc. vlt.

Promisce hunc volo ludificari.

Ita quidem emendat Acidalius. In vulgatis est *pro hisce*, vt sententia sit, *pro hisce benefactis meis* prout explicat Camerarius. A *miscus* est diminutiuum *misculus*, vnde *commisculus*. Glossæ Phil. *Commisculus*, κοινός. A *misculus* est alterâ diminutione *miscellus*. Vnde *miscelli ludi* apud Tranquillum, *miscella doctrina* apud Gellium: & Varro lib. III. de R.R. cap. VII. *miscellum* vocat *genus columbarum ex agrestibus & domesticis natum*. A *miscellus* est *miscellaneus*: vt *turba miscellanea* apud Appul. III. Met. Iuuenal. sat. XI.

———*Sic veniunt ad miscellanea ludi.*

Vbi vetus interpres: *Id est, vltima cœna. Ideo miscellanea, quia omnia, quæ apponuntur eis, miscent, & sic manducant.* Quæ profectò non sunt assis. Nam non *cibi*, sed *ludi miscelli* intelliguntur. Etsi interpretem eum hac parte etiam sequatur Passeratius.

MISER à *minus*. Varro, lib. IV. de L.L. *Miser à minus, cui, cùm opus est, minus nullo est.* Sed Cuiacio, & alijs, placet esse à μῦσος, hoc est, *scelus*, vnde μυσαρὸς, hoc est, μιαρὸς, *detestandus*. Potiùs censeo esse à μίλιος, quod idem notat. Nam ἀτυχῆ exponit Hesychius. Ita λ abibit in S. Vel a μισῶ, *odi*. Nam *misera conditio exosa est omnibus*. Vel ab Æolico μυχηρὸς pro μοχθηρὸς, quia Latini χ in S mutant. A *miser* fuit *misero* & *misereo*. *Misero* vsurpauit Accius Athamante:

Atque ita de illis meruit, vt iure hæc nunquam miserarent mala

Misereo vsus Ennius Hecubâ:

Miserete manus, date ferrum, qui me animâ priuem.

A *misereo* remansit impersonale *miseret*. Item deponens *misereor*. A *misero* autem *miseror* remansit. Differunt *miserari* & *misereri*, non structurâ solum, sed & notione. Nam tantùm alterius *miseremur*. At *miseramur* quoque proprium aut communem casum. *Misericors* est *cuius cor miseret*, vt locuti veteres, hoc est, *miseretur*, non vt Isidorus in X ait, *cuius cor miserum est*. *Miserans* vel *miserens* dicere debuit.

MISSA vocabulum ab Hebræo *missah*, quo *oblatio* significatur, deducit Claudius Sainctes præfat. in Liturgias Patrum ac sententiam suam stabilire conatur loco Deuter. XVI. vbi est, *Celebrabis festum dierum hebdomadarum Domino Deo tuo missah hoc est, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui*: quomodo & Chaldæus paraphrastes exponit. Censet igitur Theologus ille Parisiensis, Reuchlinum hâc in parte secutus, Latinos *missæ* vocem accepisse à Iudæis Christianis. Sed duo obstant huic sententiæ. Vnum est, quod

 antiquissimis

antiquissimis Patribus Latinis, qui à Iudæis accepisse debebant, hæc vox plane sit ignota. Videre id est ex Tertulliano atque alijs. Primus sane, apud quem vocem eam inuenimus, est Ambrosius. epist. XXIII. Deinde nulla est vox Hebræa Latinis vsitata, quin eadem sit in vsu apud Græcos, à quibus ea ad Latinos peruenire solet. Liquet id ex *Messias*, *amen*, & similibus. At *missa* vox omnino ignota est Græcis. Quare dubitandum non est, quin origine sit Latinum, & quidem à *mittendo* dicatur *missa* pro *missio*, quomodo *remissa peccatorum* pro *remissione* legitur apud Cyprianum, epist. LXXIII. Eodémque modo *defensa* pro *defensio* dicit Tertull. lib. II. aduersus Marcionem, cap. XVIII. *Mihi defensam & ego defendam, dicit Dominus*. Et eodem libro, cap XXIV *læsura* ait pro *læsio*. *Nam*, inquit, *& apud Græcos interdum malitia pro vexationibus & læsuris, non pro malignitatibus ponuntur*. Superest, vt caussam appellationis exponamus. Ea verò occurrit duplex. Vna est, vt *missa* dicatur, quia vti apud gentes concione finitâ dici solet, λαοῖς ἄφεσις, ita in Ecclesiâ Romanâ, re diuinâ peractâ, dici soleat. *Ite, missa est*. hoc est, *fidelium missio*, siue *dimissio*. Vel, vt ita dicatur, quia interijciebatur inter duas *missas*, siue *missiones*. Nam erat vna *missa* catechumenorum altera initiatorum. Catechumeni ante inchoatam rem diuinam per diaconum emittebantur hâc voce, *Siquis non communicat, det locum*: sicut apud Gregorium est, vel vt apud alios est, *Siquis est catechumenus, exeat foras*. Initiati autem, peractâ plane re diuinâ, dimittebantur hâc voce, *Ite missa est*. Hactenus de priori nominis causa. Altera verò est vt cœnæ Dominicæ ex eo *missa* nomen inditum sit, quòd olim celebrari soleat *ex donis à populo missis*, pane nempe ac vino, è quibus tantum sumi solet, quantum ad Eucharistiæ administrationem sufficeret. Dona hæc Constantinopoli mitti solent in vas ingens, quod erat ex ostij templi regione: vbi quæ ad sacramentum essent accommoda, eligi solent; quemadmodum testatur Euagrius. Alias quoque alij adferunt rationes, cur à *mittendo* nomen accepisse possit: sed minùs verisimiles ijs quas commemorauimus. Quare illas mitto, ac eo lubentiùs, quòd apud varios legi possint. Nonnulla & alia de *Missa* vocabulo exposuimus in Quæsitis per epistolam: quæ minimè huc inserere visum.

Mithridax gemma dicitur Solino, quæ in MSS[is] Plinij codd. *mitrax* siue *mithrax*. Ea, vt Solini vtar verbis, *sole percussa coloribus micat varijs*. Vt videatur nomen à μίθρης, quomodo Persæ *Solem* vocant. Ita *mithrax* significat *gemmam solarem*. Et fortasse est, quæ alibi *Solis gemma* Plinio vocatur. Distinxit ipse, sed hoc tanti non est; quia in more habet, dum varios sequitur auctores, qui variè rem appellant, diuersis etiam locis de re eadem sub diuersis nominibus tractare.

Mitis placet Isidoro in X. ita dici quasi *mutus*, quia illatâ sibi iniuriâ tacet, ac ne verbis quidem se vlciscitur. Becmanus dici ait, quasi *mittis*, quia *mittit facilè*: vt opponatur *tenaci*. Sed existimo *mitis* non primò de personis, sed de rebus dici, ac potissimùm ijs quibus vescimur: vt apud Maronem, Ecl. I.

——Sunt nobis mitia poma.

Nempe à μινύω, *minuere*, quia *mitia facilè dentibus conteruntur*. Hesychius μίτυ, ἰσχύν, interpretatur: vnde deducere possemus, nisi corruptus is locus videretur. Saltem alibi eam vocem legere me haud memini. Nec negare tamen ausim, veteribus in vsu fuisse.

Mitra Romanis *muliebre* erat *capitis tegumentum*: sed in Lydia, Phrygiáque etiam viri eo vtebantur: quod Romanis parum viriile visum, præcipuè si & redimicula haberent. Seruius, in IV. Æn. *Mitrâ, hoc est, inaureo pileo: de quo pendebat etiam baccarum tegmen. Sane quibus effœminatio crimini dabatur, etiam mitra eis adscribebatur: multa enim lectio mitras propriè meretricum esse docet.* Et idem in IX. *Pilea virorum sunt; mitra fœminarum, quas calanticas dicunt. Mitra autem propriè Lydorum fuit, vt, Mæonia mentum mitra; quem habitum imitati sunt Troiani. Alij mitras meretricum esse voluerunt quod his est tanquam effœminatis obiectum.* Μίτρα Eustathius putat esse à μίτος, id est, *filum*, vnde fiebat. Sed rectiùs dixeris, & μίτος & μίτρα venire ab antiquo μίω, quod idem ac μιτόω, id est, *ligo*. Vnde Hesychius μιτῶσαι exponit [illegible]. Hoc verum etymum. Scaliger tamen arcessit à Syris, quibus ait *vinculum* signare: ac similiter Latinos à vinciendo *vittam*, Græcos à διαδεῖν, hoc est, *vincio*, διάδημα appellare. Sanè & Hebræis מזח, *fimus*, quo quid vincitur. Alijs placet quidem esse à Syris, sed à *mithri*, quod *dominum* interpretantur. Negat Antonius Delrio, in commentario ad Senecam, facere hoc ad significationem vocis *mithra*. Sed qui hanc sententiam sequuntur, dicerent *mithram*, siue *diadema*, insigne esse dominij ac maiestatis regalis. Indicat id hic Iustini locus, lib. XV. *Sed Lysimachum desiliens equo Alexander hastæ cuspide ita in fronte vulnerauit, vt sanguis aliter claudi non posset, quàm diadema sibi demtum Rex alligandi vulneris causâ capiti eius imponeret, quod auspicium regalis maiestatis Lysimacho fuit.* Idem confirmat, quod Valerius Max. scribit, lib. VI. cap. II. Fauonium Pompeio candidâ fasciâ crus alliganti, dixisse ait: Non referre, qua in parte haberet diadema. Eundem Pompeium notat Cicero, cùm ait epist. III. lib. II. ad Att. *Et Epicratem suspicor, vt scribis, lasciuum fuisse: etenim mihi caliga eius, & fascia cretata non placebant.* Et Suetonius in Iulio, cap LXXIX. inter alia regij nominis à Cæsare affectati indicia ponit, *coronam lauream candidâ fasciâ præligatam*, quam è plebe quidam eius non inuiti statuæ imposuerat. At *Persarum diadema*, quod *tiaram*, siue *cidarin*, ambibat, differebat ab *aliorum regum diadematis*. Docet id hic locus Curtij, lib. III. *Cidarin Persæ regium capitis vocabant insigne. Hoc cærulea fascia albo distincta circuibat.* Et lib. VI. de Alexandro: *Itaque purpureum diadema, distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit. Mitra* etiam *anadema* dicebatur, ἀπὸ τοῦ ἀναδεῖν, quod est, *redimire*. Hesychius: Ἀνάδημα, μίτρα, ἀνάδεσμος; οἱ δὲ, [illegible] ἐπὶ κεφαλῆς. Itaque in recto casu *mitra* possis accipere in illo Lucretij, lib. IV.

Et bene parta patrum fiunt anademata mitræ.

Maro pro Græco ἀνάδεσμοι dixit *redimicula*. Sed signat non ipsam *mitram* sed eius *vincula*. Locus est IX. Æn.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

A *mitra* est *mitella*, vt à *terebra terebella*, à *flagrum flagellum*. Auctor carminis de Copa:

——Graiâ redimita mitellâ.

Mitto, vt quidem Iul. Scaliger scribit. cap. XXVI. de L. L. à μίτος, id est, *filum*. Quia nempe *qui mittit, elongat*. Vnde *promissus capillus* est *longus*. Sed hæc longè petita. Itaque alij, (vt à πόρος, hoc est, *meatus*, venit πορεύω, hoc est, *mitto*) ita à *meo* deducunt *mitto*, vt propriè sit, *meare facio*. Mihi simplicissimum & verissimum videtur, vt sit à μεθῶ, seu μεθίημι, quod est *mitto*, *missum facio*, *dimitto*. A *mitto* in Circensibus aut conuiuijs *missus* dicti: *missilia* item dona à principe in populum sparsa: ab eodem est *missiculo*, vt à *fissum fissiculo*; à *pensum pensiculo*. Plautus, Epid. Act. I. Sc. II.

——Quod tute ad me literas

Missiculabas.——

Videtur autem in *missiculo* & similibus esse quiddam ὑποκοριστικόν. Quare non malè fortassis *missiculo* interpreteris *minutum quid mitto*: *pensiculo* item, & *fissiculo*, minutatim perpendo ac findo. Nisi malis frequentatiui his significationem dare, vt *missiculare*, *pensiculare*, *fissiculare*, sit *crebrò mittere*, *perpendere*, *findere*. A *mitto* est *omitto*, extrito B, prô *obmitto*, vnde & prima est correpta. Ab eodem *promitto*, quod propriè est *ante mitto*. Gloss. Προβάλλω, *promitto*. Vel *porrò* siue *in longum mitto*, vnde *capillum promissum*, *barbam promissam* dicimus. Quod autem *promittere* accipitur pro *polliceri*, hoc inde est, quia *qui pollicentur, verbis aliquem in longum mittant*, vt qui non tam faciant, quàm aliquando se facturos recipiant. A *mitto* quoque est *amitto*, quod est, *dimitto*, *abire sino*, & τῷ μεθίεσθαι, *perdo*. Item *admitto*, pro quo in vett. libb. *ammitto* sæpè inuenitur. Vox ea præter vulgarem notionem signat *femina marem*, *aut mari fœminam adiungo, coitus caussa*; ipsáque hæc actio *admissura* dicitur; & *equus* inde *admissarius*, qui *ad ineundum eligitur*. Ita vocibus istis vtuntur Columella, Plinius, alij. Sed ad homines transtulit Iuuenalis sat. VI.

Iam fas est, admitte viros.——

Et Cicero in Pisonem: *Itaque admissarius iste, simulátque audiuit voluptatem à philosopho tantopere laudari, nihil expiscatus sic sensus suos omnes voluptarios incitauit, vt non magistrum virtutis, sed auctorem libidinis à se illum inuentum arbitraretur.* *Admittere* quoque est augurale verbum, idem signans quod *addicere* apud Liuium, cùm ait, *Aues semel atque iterum non addixerunt*. Et Tacitus, *Auctus omine, addicentibus auspicijs vocat concionem*. Sic verò *admittendi* verbo vsus Plautus, Asinaria, Act. II. Sc. I.

Impetritum, inauguratum 'st, quouis admittunt aues.

Hoc est, aues in quamuis partem ratum faciunt propositum meum. Indéque *aues admissiuæ*. Festus: *Admissiuæ aues dicebantur ab auguribus, quæ consulentem iuuarent*: siue, vt alij legunt, *iuberent*.

Miuri versus. Gr. μείουροι παρὰ τὸ μειοῦν τὴν οὐράν, quia eius *cauda* hoc est *extremitas*, sit *imminuta*. Quippe ita appellantur heroici illi, in quibus extremâ sede pro spondeo est iambus, vnde & *Teliambi* dicuntur, teste Victorino, à τέλος & ἴαμβος. Talis est versus hic Læuij:

Dirige odorisequos ad cæca cubilia canes.

Vide

Vide de hoc versuum genere Athenæum, lib. XIV. Terentianum Maurum, & Marium Victorinum.

Modimperator Varroni apud Nonium est *magister conuiuij*, ita dictus, quòd *modum imperaret*, *qui biberent*. Ita Nonius. Alij *modiperator* scribunt, vt dicatur, quasi *modi parator*. Plauto in Persa *dictator*: Horat. lib. II. od. VII. *arbiter*. Quem *Venus arbitrum Dicet bibendi*. Hoc est, quis tali iactu *modimperator* fiet. Græcis συμποσίαρχος, βασιλεύς, [illegible], quo postremo Plautus quoque vsus Sticho, Act. V. Sc. IV. *Strategum*, inquit, *te facio huic conuiuio*. Quin, vt quem Latini vocant *magistrum*, cum Græci dicunt βασιλέα, ita quæ Cicero in Catone appellat *magisteria*, hæc Horatius lib. I. od. IV. *regna* appellat:

Nec regna vini sortiere talis.

Imò ab hac consuetudine est, quòd parasiti eos, à quibus ad conuiuium vocarentur, *reges* nominabant: vt in Captiuis,

Postquam meus rex est potitus hostium.

Et alibi, cùm apud hunc Comicum, tum Martialem, atque alios.

Modius non est à *modus*, sed planè Græcum est. Nam μόδιος pro *mensuræ genere* Dinarchus orator in Demosthenem vsurpat. Græcos verò a Latinis accepisse, iam tum eâ ætate, quis credat? omnino hac parte eruditissimo Becmano adsentire non possum. Est verò μόδιος à מדד, q. e. *mensurare*: vnde & Latinum *modus*, vt inferiùs dicemus. A *modio calices modiales* dixit Plautus. Ab eodem *semodius*, quasi *semimodius*, vt *semissis*, quasi *semiassis*, *selibra*, quasi *semilibra*. Ab eodem *modiolus*, quod quam varia notet, docebunt Lexicographi.

Modus, à μέδομαι, quod est *curare*, *prospicere*. Vnde Hesychius μεδόμενος exponit φροντίζοντες, ἐπιμελούμενοι, σκοποῦντες. Nempe à μέδω, μέδος, *modus*. Ita Scaliger. Alij censent esse à μέσος, quia *modus* in *medio* est inter excessum & defectum. Magis placet esse ab Hebræo מדד siue מדוד, quod est, *metiri*, *mensurare*, à quo & Græcum μέτρον, & μέτρον & μετρεῖν, & Latinum *metiri*, & Belgicum *meten*. *Modius* igitur μέτριος: vnde *modicus*, μέτριος, non *exiguus* vt barbari putant. Hinc & *commodus*, σύμμετρος. Vnde aduerbium *commodum*, quasi *cum modo*, Quale quod est, *commodum* atque vale est. A *modus* etiam est *modulus*: vnde *modulari*, non [illegible], à μελετᾶν, quod Nunnesius censet. A *modus* quoque est *modestus*, vt ab *honos honestus*. Nam *modestus* propriè notat *modum seruans*: vnde *immodestum* hoc est *supra modum*. Plautus, Pœn. I. I. *Amo immodestè*. Inde & *modicus*, vt à *cælum*, *cælicus*; à *ciuis*, *ciuicus*. Item *modeor*, vt à *fænus*, *fæneror*; à *pignus*, *pignero*. Ab eodem est *modò* aduerbium, siue temporis sit, vt cùm dico *modò venit*, hoc est, intra breuiculum durationis modum; siue accipiatur pro *tantummodo*, vt *modo rex iusserit*, *faciam*, quod est promittentis aliquid intra certum modum. Ab eodem, *admodum*, hoc est, *valde*. Vbi *ad* significat *intensè*, Gellio teste, lib. VII. cap. VII. vbi similia esse dicit *adauctum*, *adprobus*, *adprimus*. Non semper tamen *ad* in hoc aduerbio auget, sed est, cùm significat *circiter*, ac tum *admodum* notat *fere*: quomodo Liuius dixit. *Sex millia hostium cæsa, quinque admodum Romanorum*. Item: *Exactio admodum mense Februario*, ac alibi sæpe ita vsurpat.

Moechus, μοιχός, à מחה, *delere*, *corrumpere*. *Alienum enim torum corrumpit*. A *mœchus* est *mœchari*, μοιχᾶσθαι, pro quo *mœchisso* dixit Plautus, Casinâ, V. IV. μοιχίζω tamen non videtur Græcum etsi μοιχίζειν legas apud Suidam.

Moenia à *muniendo* dicuntur, quia *iis munimur aduersus hostes*. Seruius in XI. Æn. & firmat Varro in IV. de L.L. *Opere*, inquit, *muniebant mœnia, quo munitius esset oppidum*. *Munio* autem ab ἀμύνω, hoc est, *tueor*, *defendo*; A abiectum, vt ἀμέργω, *merga*, ἀμέλγω, *mulgeo*. *Mœnium* quod dixi [illegible], adducit Seruius. Iungit quoque hæc duo Plautus, Menæchmis, Act. II. Sc. II.

Magnum illic honorem incipissit, magna munis mœnia.

Veteres *mœnire* dixere pro *munire*. Plautus, Captiuis, Act. II. Sc. II.

Ita vinclis custodiisque circummœniti sumus.

Ita & pro *munis*, & *munia*, dixere *mœnus*, *mœnia*, vnde *amœnus*, item pro *murus mœrus*: quo vsus quoque Maro, VIII. Æneid.

——— *Aggeribus mœrorum.*

Vbi Seruium vide. Cùm verò idem notent *mœrus*, & *mœnus*, vel *mœne*, siue pluratiuum eius *mœnia* (qui nunc solùm obtinet,) colligimus, *mœrus* a *mœnus* factum esse, conuerso R in N, quomodo à δῶρον est *donum*. *Mœrus* verò à μοῖρα, id est, *pars*, quia *qui quæ pro suâ parte muros extruebat*, *reficiebat*, *ac tutabatur*. In hoc *muri* etymo præit nobis Cæsar Scaliger. lib. de causs. L.L. cap. XXI. A *mœrus* remansit *pomœrium*, quòd *post mœros*; quomodo à *post* & *meridie* est *pomeridianus*. Itaque, si etymon spectes, omnino *pomœrium* scribendum per Œ. Sanè & Varro lib. IV. de L.L. dici vult, quia sit *post muros*. Rectius tamen *pomerium*, quando veteres libri & lapides simplici E scribunt, non *pomœrium*: vnde liquet in quorundam ὀρθογραφίᾳ, non tam ἀναλογίαν aut ἐτυμολογίαν, quam veterum consuetudinem spectari debere. Apud Festum, etiam in schedis Farnasianis legas, etiam *prosimurium* dici pro *pomœrium*. Sed in plerisque Pauli MSS. est *posimurium* vel *posimœrium*: quod malo. *Summœnium* dictum, quod *sub mœnibus* esset. Martialis, lib. I. Epigr. XXXV.

At meretrix abigit testem veloque seráque,

Raráque Summœni fornice rima patet.

Ita rectè legit Domitius Calderinus pro quo libri quidam *Raraque si memini, in summœnio* prostabant *meretrices*: quæ idcirco *summœnianæ* dicuntur eidem Martiali, lib. III. Epigr. LXXXII. Si Georgio Merulæ Alexandrino credimus, putabat Domitius *summœnianas* dici à *Mœnio*, qui patrimonio absumto columnam sibi reseruauit, vnde ludos spectaret. Quod si est, iure à Merula reprehenditur. Sed puto, Domitium voluisse discrimen inter *summœnianus* & *mœnianus* adferre, non illud ab hoc deriuare.

Moera, μοῖρα, quod à μείρω, *diuido*. Μοῖρα vero *pars*, *fatalis portio*, *fatum*. Sed & Mathematici *gradus signorum* μοίρας nominant. Censorinus, de die Natali, cap. VIII. *Sunt autem hæ particulæ in vnoquoque signo tricenæ, totius vero Zodiaci numero CCCLX. Has Græci mœras cognominarunt, eo videlicet, quòd deas fatales nuncupant mœras, & eæ particulæ nobis veluti fata sunt.* Vsurpat & Sidonius epist. ad Polemium, quæ præmittitur Carmini XIV. *Climacum* inquit, *vel mœrarum*. Et Carm. XV. vers. LXVI.

Terdenas tropico prope currere climate mœras.

Dicuntur & μοιρίδες. D. Ambrosius, Hexam. lib. IV. cap. IV. *In triginta portiunculas, quas μοιρίδας Græci vocant, vnamquamque duodecim illarum distribuunt portionem.*

Mola primâ suâ significatione notat *molam asinariam*, *trusatilem*, aut similem. Estque à Græco μύλη, quod idem significat etsi & particulariter sic dicatur *inferior molæ lapis*, vt *superior*, ὄνος, teste Hesychio. Fallitur igitur Varro, cùm IV. de L.L. scribit: *Mola a mollendo* (sic legendum patet ex sequentibus:) *harum enim motu eo coniecta moliuntur*. Nec rectiùs alij, qui *molam* dici putant, quòd veluti *mole* quadam frumentum, legumina, aliásque res terat. Porrò & μύλη Græcis & *mola* Latinis quoque vocatur *informis in vtero caro*, siue *tumor vteri induratus grauiditatis opinionem adferens*. Nomen id accepit ex *grauitate ac motus difficultate*, *quasi lapis gestaretur molaris*, vt Aëtius obseruauit. Insuper Latinis *mola* quoque dicuntur οὐλοχύται siue οὐλαί, hoc est (vt Hesychius interpretatur,) κριθαὶ πεφρυγμέναι, *hordeum tostum*. Sic vsus Varro: *Grunnit tepido lacte satur, molâ mactatus porcus*. Nam *molá mactatus*, est auctus hordeo, eiúsque nimio pastu lasciuiens, quòd Græcè est κριθᾶν. Dicitur verò *mola* hac notatione quasi *molatura*. Festus: *Mola etiam vocatur far tostum, & sale sparsum, quòd eo molito hostiæ adsperguntur.* Vide Seruium Danielis in Eclogam VIII. A *mola* est *molo*. Vnde *molitrina*, quâ formâ à *suo*, siue *sutum*, est *sutrina*; à *furatu furatrina*. Catonem *moletrina* voce vsum, Nonius docebit. Qui & a *molendo*, *molile*, vt à *cubando*, *cubile* dixit. Vide eum de R.R. cap. XI. & XII. Compositum eius *immolare*. Nam, vt idem Festus scribit, *Immolare est à mola, id est, farre molito, & sale hostiam perspersam sacrare*; Latinorum Græcorúmque sacrificium, quod illi far *molitum* ac salsum, (adde & tostum,) hostiæ imponerent; Græci verò hordeum, & fruges, non tritas molitásque, sed integras sali admixtas, hostiæ inspergerent, vnde Pythagoras Samius apud Ouid XV. Met.

Imponique suæ videt inter cornua fronti,

Quas coluit fruges. ———

Vide Suidam in οὐλοχύται. Turnebum, lib. VII. aduers. cap. XIII. & Desiderium Heraldum, in lib. VII. Martialis Epigr. LIII. A *mola* quoque est *emolumentum*. Propriè enim sic dicuntur, quæ *emoluntur*, vt fruges. Persius, sat. VI.

——— *Et granaria, fas est,*

Emole quid metuis? occa & seges altera in herba est.

Ita Turnebus, in I. Cic. de Legg. Vulgò putant *emolumentum* dici, quòd *cum molimine id consequamur*. Sed obstat, quòd secunda a poëtis corripiatur. Nisi fortè dicendum, *emolumentum* cum pro *quæstu* sumitur, à *molendo* dici, at à *mole* descendere, quando accipitur pro *operoso magnoque studio*, quam lectionem veterum testimoniis adstruere conatur P. Victorius, lib. XXII. cap. X.

Molere, vnde *molire*. Iulio Scaligero in Theophr. de plantis

videtur esse à *mola fariaria*, hoc est, lapide molari, qui nunquam pusillus est. Verùm quantitas repugnat. Quare meliùs fortasse à μῶλος, quod πόνον, siue μόχθον, notat. Ita propriè erit vox militaris. Confirmat Maro, I. Æn.

Tanta molis erat Romanam condere gentem.

Gloss. vett. μῶλος, *moles*. Nec tamen prius ἔτυμον damnem. Nam quid mirum, si à primigenio *mola* quantitate *moles* recedat cùm à quantitate vocis *moles* recedat *molestus*, quod non aliunde quam à *moles* esse videtur? En & tertium etymon. Quid, si cum Nunnesio deriuemus, μοχλεύω, id est, *vectibus submoueo*; vt ἀπομοχλεύω, *vectibus amolior*?

Mollis Perotto à *mouendo* dici videtur, quasi *mobilis*, quòd *mollia* facilè trahantur ac moueantur in quamcumque partem. Sed hæc inepta. Vera origo à μαλακός, quod idem significat: vel à μυελός, hoc est, θρεπτός, χαῦνος, *tadus* vel *hebes*, *lenis*: De quo in *Malacus* plura diximus. Vel μαλάχη, quod idem ac μολόχη, id est, *malua* vt ex Antiphane & Epicharmo probat Athenæus, lib. II. Est & tertia originatio. Nam quia *mollities* est ab *humore*; at contra *durities* a *frigore*, ideo censent esse ab Hebræo מים, id est, *aqua*. Sed sententia hæc acutior, quàm verior; quod & auctor eius Iul. Scaliger agnouisse videtur. Sic enim ille, Exercit. CCCXXV. *Si nolim deducere molle παρὰ τὴν μαλάχην & placeat argutari: dederim ei vocabulo principia sumta ex Aramæis. Illi enim liquida Moim vocant. Vnde & Venetia regionis angulus, cùm lintea aut lina lauant, in Smoia esse dicunt.* Pro *mollis* videntur veteres dixisse *mollus*: vt *hilarus* dicimus & *hilaris*. Hinc *molluscus*. Vnde Persicum *mollusca nux* dicitur Plauto in deperdita Calceoli comœdia. Et de eadem sic Sueuius, poëta vetus, idyllio, quod Moretum inscripsit:

Mollusca hæc nux est, ne quis forte inscius erret.

Citat Macrobius Sat. lib. II. cap. XIV. atque addit: *Persicum, mollusca nux dicitur, quòd ceteris omnibus nucibus mollior sit.*

Molossus, Μολοσσός, ἢ Μολοττός, ὁ Μολοττικὸς κύων, à *Molossis*, Epiri gente, quæ canes habebat generosos: vnde Maro, in III. Georg.

Veloces Spartæ catulos, acrémque Molossum,
Pasce sero pingui.———

Vbi Seruius: *In illis velocitas; in his autem fortitudo laudatur. Sparta autem Laconiæ est ciuitas, Molossia pars Epiri.* Est & *Molossus* pes tribus constans longis: vnde *carmen Molossicum*, quod quatuor constat *Molossis*. Tale est illud Cœlij Bassi apud Diomedem, in IV.

Romani Gallis deuictis sunt victores.

Huiusmodi carmine pyrricham saltabant *Molossi*: vnde nomen Isidorus, lib. I. Orig. cap. XVI. *Molossus dictus à saltatione Molossorum, quam exercuerunt armati.*

Molucrum, duo minimùm significat, primum *scopam molariam*: deinde *carnem informem & inanimam in vtero conceptam*. Vtramque significationem agnoscit Festus: Sed verba eius (vt bene Salmasius vidit) sic legi debent: *Molucrum dicitur, & quo mola verruntur, quod Græci μυλήκορον vocant; sed etiam tumor ventris.* Priori notione est à μυλήκορος, quod apud Pollucem est ex Μύλη, *mola*, & κορεῖν, *verrere*. Posteriori significatione Græcis vocatur μύλη, & μυλάκριτον, quod apud Hesychium, ac simili vt puto, compositione μυλοκορίας vel μυλήκορος, vnde Latinorum *molucrum*. Vsus hoc pacto Afranius his versibus:

———Fermè virgini
Excrescit vterus, tanquam grauidæ mulieri.
Molucrum vocatur, transit sine doloribus.

Sed quod ait & virgini *molucrum* obuenire, falli puto Afranium. Est enim ex semine virili; sed impotentiore, quàm vt conciliet formam humanam. Qua de re Physici ac Medici. Plura de voce vide apud Festum.

Moly, herbam interpretes Homerici dictam volunt ἀπὸ τοῦ μωλύειν, ὅ ἐστιν ἀφανίζειν τὰ φάρμακα, nempe quia Vlysses eâ à Mercurio radice acceptâ tutus fuit à præstigiis Circes. Alias etiam nominis caussas adfert Eustathius in Odyss. K. De *moly*, si lubet, adi tum ea, quæ ad Dioscoridem scripsere Hermolaus, Ruellius, Marcellus: tum quæ dialogismo quartodecimo Gyraldus annotauit.

Momar, item Siculus, pro *stulto*, Plautus dixit. Eius est,

Quid tu, ô Momar, Sicula homo prasumis,

Esse vocem Siculam Festus ait. Hesychius μῶμαρ exponit μωρόν, ἀνόητον, ἄσοφον. Videtur esse à מום, id est, *macula*. Vnde & μῶμος *reprehensio*, item *Deus alios reprehendens Deos*.

Monachus, μοναχὸς, à μόνος, id est, *solus*. Quia *soli viuunt*. Rutilius, in Itinerario, lib. I.

Processu pelagi iam se Capraria tollit;
Squallet lucifugis insula plena viris.
Ipsi se monachos Graio cognomine dicunt,
Quòd soli nullo viuere teste volunt.

Soli verò viuebant non soli: soli, quia separati ab aliorum, qui monachi non essent, consortio: non soli, quia multi in eadem μονῇ siue monasterio monachi agerent. Lusit ea in re Palladas Antholog. lib. II.

Εἰ μοναχοί, τί τοσοίδε; τόσοι δὲ πῶς πάλιν εἰσί μόνοι;
Ὦ πληθὺς μοναχῶν ψευσαμένη μονάδα.

Si monachi, cur tot estis; si tot rursum, quomodo μόνοι, hoc est, soli?

O multitudo monachorum ementiens monada.

Hoc est, vt Isidorus vertit, *singularitatem*. Μονὰς verò siue μόνος fortasse à מנה, id est, *numerare*. Est enim vnitas initium numeri.

Monedula est auis ea, quæ *graculus* vocatur, vel saltem alterum alterius genus: vt diximus in *Graculus*. Cum σπερμολόγῳ malè confundit Bellonius: vti & in Nomenclatore suo Had. Iunius. Est auis furax, præsertim auri argentique: vt Plinius ait, lib. X. cap. XXIX. Atque idem de ea testantur Cicero pro Val. Flacco; & Ouid. Met. Quorum verba alibi adduximus. Itaque Isidorus, lib. XII. Orig. cap. VII. *Monedulam* quasi *monetulam*, dici arbitratur, quia *monetam auream auferat, & occultet*. Placuit quoque hoc *monedulæ* etymon Bruyerio Campegio, lib. XV. de re cibaria, cap. LXXVIII. Et firmat ἔτυμον, quòd in vett. Plauti codd. pro *monetula* legas *monerula*, non quidem, vt Lipsius censet lib. V. Antiqu. Lect. cap. XIII. mutatione literæ *D* in *R*, quomodo, Prisciano teste, pro *adfari* dixere *arfari*, pro *adfcesso*, *arcesso*: Sed potiùs librarij errore; quia *t*. & *r*. in libb. vett. sæpius confunduntur. Iosephus tamen Scaliger ad Tibulli lib. II. eleg. II. annotauit *monetulam* sic vocari à *Iunone Moneta*, quæ tum nuptiis præest, tum diei natali: vnde & γαμήλιος, & γενέθλιος vocetur: eo autem sacratum Iunoni, quia auis congenera sit cornici, quæ in nuptiis velut concordiæ symbolum inuocari solet: vt testis est Ælianus lib. III. de Animal. cap. IX. Sed longiùs hæc petita mihi videntur. Nam *cornix*, & *monedula*, siue *graculus*, sunt aues diuersæ: quippe voce distinguuntur: præterea *graculus* gregatim conuolat: cornix sæpe sola conspicitur: *graculus* rarò ad ripas se recipit, sæpius cornix; *graculus* cadaueribus abstinet, cornix iis gaudet. Ne id quidem verum puto, *monedulæ* à *moneta furto tollenda* nomen datum. Potiùs id nomen sit ab *auguribus*, *quos moneret* in *captandis auguriis*.

Moneo, priùs *meneo*, aut *meno*, vnde *memini*, *reminiscor*, aliáque, quemadmodum in *mentio* diximus. *Meneo* verò seu *meno*, est à μνάω, à quo μιμνήσκω. *Mano* aut *maneo*, πρὸ μιμνήσκειν dicendum erat, sed differentiæ caussâ *moneo* prætulerunt. Quamquam fortasse nec metathesi opus. Nam dici potest, *E* in primâ insertum, quomodo *V* intulicitur in *Æsculapius*, & *Hercules*, & *Alcumena*, apud Plautum: nam veniunt ab Ἀσκληπιὸς, Ἡρακλῆς, Ἀλκμήνη. A *meno* est præteritum *memini*, vnde *memor*, à quo *memoria*, & *memorare*. Eiusdem supinum est *mentum*, vnde *mentio*, *commentum*, &c. Posteriores pro *meneo* dixere *moneo*, vt *bonus* pro *benus*, vnde *benè*; *forceps* pro *ferceps*, quod è *ferricepsi*; *pignoris* pro *pigneris*, vnde, *pignero*, &c. A *moneo* est *monimen*, & antiquè *monumen*, vnde *monumentum*, de quo plura seorsim. Ab eodem est *moneta*, siue commune sit, siue proprium. Cùm commune est, νόμισμα notat, quod ideo *moneta* vocatur, quia *nota inscripta monet nos autoris & valoris*. Ita Isidorus, lib. XV. cap. XV. Indéque & *moneta* locus vbi cuditur moneta. Ita vsi codex Theodos. Ammianus, Sidonius, &c. Par ratio si sit proprium, quòd bifariam sit. Nam & *mater Musarum*, vt Græcis dicta Μνημοσύνη, à μνήμη, id est, *memoria*, ita Latinis dicta *Moneta* ab *admonendo*. Glossæ Philoxeni, *Moneta*, Μνημοσύνη. Sic Liuius in Odyssea: *Nam Diua Monetas filium docuit.* Vbi *Monetas* est antiquis genitiuus: vt dicimus *pater-familias*: Præterea *Iunonis* id cognomen fuit, vt ex Cicerone, Valerio, & Plutarcho constat. Sic autem dicta est, quia Romanos ex arce commonuerat, vt propter terræmotum, qui acciderat, sue rem facerent diuinam. Ab *Iunone Monetâ*, *graculus* accepit nomen *Monedula*, de quo in *Monedula* satis dictum.

Monile in Glossis Philoxeni, ac Cyrilli, exponitur ὅρμος. Eo autem signatur ὁ χρυσοῦς ἢ ἀργυροῦς ὁ περιτραχήλιος κόσμος, vt Eustathius interpretatur. Isidorus, lib. XIX. cap. XXXI. *Monile ornamentum ex gemmis est, quod solet ex feminarum pendere collo: dictum à munere.* Nempe quia illis muneri datur. Sed rectiùs alij à *monendo*, quia *virtutis ac dignitatis monumentum & signum foret*.

Monocoli, qui sint, docet Agellius, lib. IX. cap. IV. *Homines qui monocoli appellantur, singulis cruribus saltuatim currentes.* Ita rectè habent veteres schidæ. Nam Græcè est μονόκωλοι, à κῶλον, quod *pedem* notat, vt exponit Eustathius: siue τὸ ἐκ μηροῦ καὶ κνήμης, *quod femore tibiáque constat*: vt interpretatur Pollux. Frustra itaque est vir doctissimus, qui *monoscelì* legendum putat.

Mons,

Mons, vt Isidoro placet, lib. xiv. cap viii. quasi *eminens* dicitur. Aliis quasi *minans*, quomodo Maro dixit.

———geminique minantur
In cælum scopuli.

Scaliger, lib. iii. de R.P. cap xc. arbitratur esse ἀπὸ τοῦ μένειν, hoc est *manendo*, cuius præteritum, μέμονα, vnde μόνος *qui remansit solus*: Vt a θνητὸς, *thnetos*, *gens*; μόνος, *mens*: sic à μόνος, *mons*, quia *permanet, nec loco mouetur*. Verisimilius sanè hic, quàm qui dici volunt à *monendo*, quia *minime mouetur* aut à *monendo*, cùm *nubibus nos moneat imbris*. A *monti* est *Montinus*, Deus, *qui montibus præest*: vt scribit Arnobius, lib. iv. Ab eodem *septimontium*, quomodo vocabatur *Agonalium Festum*, quod erat propridie Id. Decembr. Nomen ex eo, quod *sacrum fieret in septem montibus Romanis*: à quibus Vrbs *septicollis* dicta: Notum illud poetæ:

Septemque vna sibi muro circumdedit arces.

Et Propertij hoc:

Septem vrbs alta iugis, toti quæ præsidet orbi.

Hinc *septemoniale sacrum*, apud Suetonium in Domitiano.

Monstrvm, *ostentum*, *portentum* & *prodigium*, quomodo differant, docet Cornelius Fronto libello de differentiis vocabulorum. Sed discrimen id passim negligitur ab ipsis classicis scriptoribus. Vnde verò ea originem capiant, indicat hic locus M. Ciceronis, lib. ii. de Naturâ Deorum, *Prædictiones vero & præsensiones rerum futurarum, quid aliud declarant, nisi hominibus ea quæ sint, ostendi, monstrari, portendi, prædici? ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur.* Idem de iisdem scribit, lib ii. de Diuinat. *Quorum*, inquit, *cum verba ista prudenter a maioribus posita videantur. Quia enim ostendunt, portendunt, monstrant, prædicunt, ostenta, portenta, monstra, prodigia dicuntur.* De iisdem vocibus sic scribit Nonius Marcellus: *Monstra & ostenta intelliguntur, quod imminentia monstrent & ostendant. Portentum non solum quod portendat, sed etiam quod iam appareat, & faciat ex his significationibus, quæ in auspiciis & auguriis, & extispiciis ostenduntur. Prodigium autem semper pessimum est, dictum quasi porrò adigendum.* Itaque de *monstri* & *ostenti* voce Tullio assentit Nonius: at dissentit cum de vocabulo *portenti*, tum imprimis *prodigij*, iure ne, an iniuriâ, deinceps expendemus. Ac primo de *monstri* voce neutri assentio, sed Ælio Striloni, iuxta quem, vt Festus scribit, *à monendo dictum est, velut monestrum.* Sinnius Capito vtramque complexus est originationem. Nam apud eundem Grammaticum sic dici ait, *quod monstret futurum, & moneat voluntatem Deorum.* Sed ἀναλογία est pro posteriori ἐτυμολογία. Nam, vt à *luo*, *lustrum*; à *fluo*, *flustrum*; à *plaudo*, *plaustrum*; à *claudo*, *claustrum*; à *rado*, *rastrum*; à *rodo*, *rostrum*; à *transio*, *transistrum*, ac per syllabæ συγκοπὴν *transtrum*: sic à *moneo monestrum*, ac literæ vnius συγκοπῇ *monstrum*, vnde *monstro*, non contrà, vt Seruius, in ii. Æn. & Nonius putant, cùm Ciceronis auctoritate decepti, tum eo, quod non cogitarint *monstri* vocem naturâ suâ tam late patere, quàm verbum *monstro*, etsi consuetudo *monstri* nomen iis quasi proprium fecerit, in quibus non seruatur naturæ ordo, vt *Minotaurus* vel huiusmodi quid nascatur, quemadmodum scribit Cornelius Fronto. A *monstro* est *diminutiuum mostellum, omisso N*, quomodo *semestre* dicimus pro *semenstre*. Nisi malis, (quod Ianus Guilielmius initio quæstionum in Mostell scripsit) veteres *mostrum* dixisse sine N. A *mostellum* Romæ dictus *vicus Mostellarius*: quem in vrbis locis collocat Varro, lib. iv. de L.L. Ab eodem nomen accepit Plauti *Mostellaria*, quæ alio nomine dicitur *Phasma*; quomodo duobus locis appellatur à Festo. Gloss. vett. Φάσμα, *mostellum*. Nomen Comœdiæ cùm Latinum, tum Græcum, ex eo est, quod in hacce, (vt ipse Plautus ait, vel quisquis is qui argumentum scripsit)

Senem vt reuenit ludificatur Tranio.
Terrifica monstra ait videri in ædibus.

Vide scenam, cuius initium *Habeo Neptune*. Dixere & *promonstra*. Festus: *Promonstra, prodigia*. Ita & est in MS^{s}. Sed de *monstri* voce satis: nunc quia de *ostenti*, *portenti*, & *prodigij* originatione Nonij vnum, ac geminum Tullij locum antea adduximus, visum de his eâdem hîc adtexere sententiam nostram. De origine *ostenti*, rectè vterque. De voce ipsa, quæ nunc prætermittimus, dicemus suo loco. De *portento* malè Nonius, rectè Tullius, cui & Festus subscribit. *Portenta*, inquit, *quæ quid porro tendatur, indicent.* *Portentum* igitur *à portendo*, hoc quasi *porro tendo*. At de *prodigij* vocabulo rectius Nonius quàm Tullius, quamquam & Tullio subscribat Festus his verbis: *Prodigia quod prædicunt futura, permutatione G litteræ: nam quæ nunc G appellatur (sic legendum) ab antiquis C vocabatur.* Verùm si *prodigium* quasi *prodicium* diceretur, secunda produci deberet, quod quia non fit, magis placet, vt ab *aqua* & *ago* est *aquagium* (ita Pomponius I.C. vocat ὑδραγώγιον siue *aquæ ductum*;) quemadmodum item a præuerbio *ad* & *ago*, est *adagium*: sic a *pro* vel *porro* & *ago* esse *prodagium*, quia *porro agatur*, hoc est, *annunciatur*. Interiicitur D ad vitandum hiatum, vt in *prodigus*, *prodire*, *redire*, & similibus.

Monvmentvm dicitur, *quicquid est scriptum, aut factum memoriæ causâ*, vt ait Varro, lib. iii. de L.L. Itaque vt à *doceo* est *documen*, vnde *documentum*: ita a *moneo*, *monumen*, inde *monumentum*. Pro *monumentum* verò posteriores dixere *monimentum*, *u* in *i* conuerso, quomodo ex *optumus*, & *maxumus* facta *optimus* & *maximus*. Fallitur igitur Seruius, cùm scribit, in xii. Æneid. *Monumenta sunt memoriæ: monimenta vero à mentis admonitione sunt dicta.* Quem errorem quoque secutus Angelus Decembrius, lib. iv. de politia literaria, parte xlii. Similis error eorum, qui *testamentum* dici voluere quasi *testatio mentis*, quo de Agellius. Quique *sacramentum* dici aiunt quasi *sacrum iuramentum*. Nam *mentum* in huiusmodi, tantùm vocis productio est.

Mora pro ἀναβολῇ siue *dilatione* ac *cunctatione*, venit à μείρω *diuido*: quia morantes tempus interuallis trahunt ac diuidunt. Vel à Græco μονὴ, quo *mansio*, *moráque* in loco aliquo significatur. *N* mutatum in *R*, vt in aliis multis quemadmodum ostensum in *cunctari*. Hinc *morari*, vt à *remora*, de quo scorsim, *remorari*, hoc est, *in mora esse*, *moram inicere*. *Mora* etiam dicebatur à Lacedæmoniis *pars exercitus*, *quingentis*, vel vt alij, *septingentis*, vt nonnulli *trecentis militibus constans*. Vtitur Cornelius Nepos in Iphicrate: *Hoc exercitu moram Lacedæmoniorum interemit.* E Græcis sic μόραν voce vsi Xenophon, Diodorus Siculus, pluresque alij. Pausanias vocat μοῖραν, sed origo eadem, nempe a μείρω, hoc est *partior*, *diuido*: quia in eas diuiderentur Lacedæmonij. Auctor Etymologici Magni: Μόρα, ὡς μὲν ἐν φαινομένοις παρὰ Λακεδαιμονίοις ... ἐπὶ μέρους ὄχλου, ... ἐκ ... ἀνδρῶν πεντακοσίων, ἢ ἑπτακοσίων, ἢ τριακοσίων. Sic enim is locus legi debet, non τετρακοσίων, vt habet lectio vulgata quæ merito Sylburgio suspecta est, etsi eam in Thesauro suo quoque sequatur H. Stephanus.

Morbvs Perotto dici videtur quia *ad mortem ducat*. Meliùs Cæsar Scaliger, in lib. ii. Theophrasti de caussis plant. & exercitat. cccvii ad Card. sect. xxxii. Quibus locis sic dici ait quasi μοῖρα βίου; *fatum vitæ*: vel μόρος βίου quod idem signat. Vtrumque firmari videtur verbis istis Hesychij: Μόρος, θάνατος, θανατος, φθόρος, κακόν, νόσος, μοῖρα τοῦ βίου. Sed si idem est μόρος ac νόσος, quid prohibet *morbus* deducere à μόρος inserto *B*, vt à πίω est *bibo*? Sin compositum esse placet, possit *morbus* non tam videri dictus quasi μόρος βίου, hoc est, *vitæ læsio*, quam μόρος βίας, hoc est, *virium corruptio*. Nec minùs tamen placet sententia Angeli Caninij, in Hellenismi Alphabeto, qui factum putat à Syriaco *mard*, conuerso *D* in *B*, quomodo à *dis* est *vis*, à *duellum*, *bellum*, &c.

Mordeo vnde sit, acutè docet Cæsar Scaliger in Theophrastum de plantis. Nam quia *mordere* dicimus, cùm dente aliquid separamus hinc *mordeo* dictum putat, quasi μέρος ἔδω, hoc est, *partem edo*. Nec minùs ingeniosè Martinius, quasi μείρω ἔδων, *diuido edens*. Nam *dentibus cibus conteritur & comminuitur*. A *mordendo*, *dentes*, hoc est, *dentata conuicia mordices* vocantur à Plauto Aulul. ii. ii. Belgæ similiter *dentes* in infantibus vocant *de bijtekens*. Nec dissimile quod Catullus *vbera*, siue *papillas*, appellat *nutrices*. A *mordice* quoque est aduerbium *mordicus*: quasi dicas *mordicibus ipsis*.

Moretvm, ex his octo conficiebatur, *allio*, *apio*, *ruta*, *coriandro*, *bulbo*, *caseo*, *oleo*, & *aceto*, quæ hoc ipso ordine commemorat auctor poëmatis, quod *moretum* inscribitur. Quia autem è variis adeo partibus miscetur, inde est, quòd nonnulli putent esse à Græco μορίῳ, hoc verò dici παρὰ τὸ μορίζειν, quod Hesychius exponit μερίζειν, διελεῖν, hoc est, *partiri*, *diuidere*. Est enim à μόρος quod est idem ac μέρος. Verùm, cùm quod *moretum* vocant Latini, id Græcis nunquam μορίον vocetur, sed μυττωτὸν, & Atticè μυττωτόν; magis placet quod Iosephus Scaliger monuit comm. in append. Virgil & ante eum Angelus Caninius, in Hellenismi alphabeto, post vtrumque verò Nunnesius, in Grammatistice annotarit. dici *moretum* à μυττωτὸν, quo, vt Aristophanis Scholiastes monet, vsus est Callimachus:

———ἀνιηρὸν μυττωτόν.

Υ inuersum in *o*, quomodo à θύννος est *thunnus*; à μύλη, *mola*: insuper Σ mutatum in *R*, quomodo *ero* est ab ἔσω, vnde ἔσομαι, à ὠκύς, *celer*, quo de mutatione diximus quoque in *Turris* & *Portum*. Est autem *moretum* dicta quod *tritum*. Glossæ Philoxeni: *Moretum*, τρίμμα. Vide infra *mortarium*.

Idem

Idem *allatum* dicitur. Plauto, Mostell. I. I. quia nempe *alium* quoque est inter octo illa, e quibus id confici antè diximus.

MORTARIVM quidam dici putant ab antiquo verbo *mortare*, hoc est *conterere*, quia huic rei vas id destinatum sit. *Mortare* autem sit, vel à *morte*, quia *rebus, dum conteruntur, quasi mors asseratur*. vel quasi *mordare*, à *mordeo*, vt à *pulsu pulsare*, & *pultare*. Ita *mortare* sit *in minutiæ morsiunculis huc dentibus*. Addunt pro eo etiam dici *mortificare*, vnde Festus: *Munitio, mortificatio ciborum*. Nam *munire* est *cibum mandere, mortare*, ac *conterere*. Hæc illi. Sed in Festi loco Scaliger legit *morsificatio*, Duranius in Variis *morsicatio*. quod placet. At *mortare* Latinum non est. Quare verius Turnebus, & Ios. Scaliger, quibus *mortarium* κατὰ συγκοπὴν vnius literæ dictum videtur, quasi *moretarium*; quomodo & in veteribus aliquot codd. scribitur: hoc autem esse a *moretum*, quia ea, e quibus fiebat *moretum*, priùs *tunderentur, ac tererentur in pila*; vnde & *moretum* ipsum Græcis τρίμμα dicitur, vt suprà è Philoxeni Glossis ostendimus. Quin Donatus Latinis quoque *intritam* dici; déque *moreto* intelligendum ait illud Terentij Phorm. Act. II. Sc. II.

Tute hoc intristi, tibi omne exedendum est.

Verba eiusce Grammatici sunt: Παροιμία *apta parasiti: quæ de cibo est. Hoc autem inter rusticos de allato moretario dici solet. Et bene intristi, propriè enim intrita dicitur huiusmodi cibus.* Habet *mortarium* & alteram significationem. Nam ab architectis ita vocatur *arenatum*, aut *locus, in quo arena, calx*, similiáque pinsuntur. Vtitur Vitruuius, lib. V. cap. XII. & lib. VII. cap. I. item Plinius, lib. XXXVI. cap. XXIII.

MORTIS de etymo mirificè philosophatur B. Augustinus. Nam. lib. I. Hypognost. ita scribit: *Opinor námque, quòd ideo mors hoc vocabulum accepit; eò quòd morsu quodammodo venenosi serpentis, id est, diaboli, in paradiso Adam fuerit interemptus. Tunc enim serpens morsu decepit Adam, quando, per concupiscentiam mordere, hoc est, edere, suasit illicita. Et, vt dixi, propterea mors quasi à morsu nomen accepit.* Idem etymon. lib. I. prognosticon, adducit Iulianus Toletanus, qui Augustini æuo vixit. Item Arator, lib. II. histor. Apostolicæ:

Anguis origo necis (nam mors hinc edita nomen
De morsu peccantis habet) contraria iussu
Vult retinere manum, &c.

Sed apud Iulianum Toletanum alterum quoque etymon habes, vt *mors* dicatur, quia *amara*. Vtrumque hoc, ac tertium item ponit Isidorus, lib XI. Orig. cap II. vt *mors* sit à *Marte*, qui est *effector mortium*. Omnino autem *mors* est, vel ab Hebræo מות, id est, *mori*, siue מות, *mors*: vel potiùs à Græco μόρος, quo *sors fatalis* significatur. Extritum posterius ο μόρος, quomodo à φρὸς est *mens*, à μόρος fortasse *mors*. Nam μένω, sine *permanet*. Vel vetus nominatiuus fuerit *mortis*, vnde *mors*, vt ex *plebes plebs*, ex *sepes seps*. *Mortis* autem sit à præterito passiuo μέμορται. Nam vt à μέμορται est μορτὸς, *mortalis*: ita a μέμορται est μορτὸς, quod Hesychius exponit θνητὸς. Aliud etiam in mentem venit, sed ingeniosiùs, quàm veriùs. Quid, si enim non *morior* sit à *mors*, sed *mors* à *morior*: hoc autem ab *orior*, illud ab ὄρω. *Morior* verò eo pacto sit ab *orior*, vt *aborior*, vnde *abortus*, vt idem à *nascor* est *denascor*. *Mortuus* κατὰ συγκοπὴν sit ex *moritus*; geminato *u*: vt a *fatus fatuus*. In Paulli epitome legas: *Mortuus ab emerita* [illegible] *dictum*. Sed sunt hæc λῆρος. Ac in plurimis MSS[is] hæc verba absunt. A *mors* vulgo putatur esse nomen *Morta*, quo vsus Liuius in Odyssea:

Quando dies adueniet, quæ profata Morta est?

Gellium vide, lib. III cap. XVI. Sed cum *Morta* sit μοῖρα, siue *Fatum*, planè censeo *Morta* esse à Græco μόρτη, quod idem ac μοῖρα, quatenus *partem* notat: vnde μόρτη, Eustathio teste. ἡ ἕκτη μοῖρα τῶν καρπῶν; ac agnoscit eam quoque vocem Hesychius. Indéque μορτίτης, *partiarius*, qui pro parte fructuum colit agrum. Est verò & μοῖρα, & μόρτη, à μείρομαι; *partior*. At à *morte* est *morticinus*. Ita vocatur, quod non mactatum, sed per se mortuum est. Interdum, & generatim ponitur pro mortuo, vnde in vett. Glossis legas: θνησιμαῖον, *morticina*. Ita Appuleium locutum suspicatur G. Schoppius, lib III. suspect. lect. epist. XX. Erat & *conuicium in homines facie exsangui ac tetra*, & vt Terentius loquitur, *cadauerosâ*. Vtitur hoc pacto Plautus, Persâ, Act. II. Sc. II. Ab eadem origine sunt *mortualia*, quomodo omnia ea dicuntur *quæ ad mortuos pertinent*. Itaque sic vocari videas *vestimenta quæ in luctu sumuntur*: vt illo Næuij.

Pallis patagiis, crocotis, malacis, mortualibus.

Item *Neniæ* seu *carmina præficarum*, quomodo accipit Plautus, Asin. Act IV Sc. I.

Hæc sunt non nugæ, non enim mortualia.

In quibusdam libb. vett. legas *mortuaria*, quia *R* & *L* facilè commutantur, vnde *præliaris* & *prælialis*, *Latiaris* & *Latialis*, &c. Est & in quibusdam *mortalia*, quod à *morte* erit, vt alterum illud à *mortuus*. Similis formæ sunt *pulcralia* & *magnalia*: illo vsus Cato, hoc Cyprianus.

MORVS nunc *arbor* est, nunc *stultum* significat, nunc *nigrum*. De *arbore* sic Plinius, lib. XVI. cap. XXV. *Nouissima vrbanarum (arborum) germinat, nec nisi exacto frigore, ob id dicta sapientissima arborum.* Quæ sanè appellatio nomini repugnat. Nam μωρὸς, *stultus*. Quo allusit Alciatus:

Serior at morus nunquam nisi frigore lapso
Germinat, & sapiens nomina falsa gerit.

An ad ἀντίφρασιν recurrendum? At eam in Oratoriis explosimus, tanquam inscitiæ asylum. An dicemus sic dici à *mora*, ob tarditatem? Dispar scio est quantitas, sed & alia sunt plurima, quæ non retineant modulum primogenij. An potiùs μόρα dicuntur quasi αἱμόῤῥοα, ab αἷμα, *sanguis*, ῥέω, *fluo*. Nempe *ob succi colorem*. Quod putabat Demetrius Ixion: vt Athenæus docuit, lib II. Sed hoc longe petitum. Potiùs, si à *colore* nomen sit, origo fuerit à μαυρὸς, quod est *niger*. Ouidius lib. IV. Met. vers. CLXV.

Nam color in pomo est, vbi permaturuit, ater.

Horat. lib. II. sat. IV.

——*Ille salubres*
Æstates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet.——

Quod Horatij præceptum falsissimum est. Nam cùm *mora* facile putrescant, primâ potius mensâ sumi debent. Verùm nec hoc etymon verum est, de quo nemo ambiget, qui sciat *morum arborem* Græcis non tantum συκάμινον dici, sed & μορέαν, quomodo Nicander appellat. *Fructum* verò μόρον dici Æschyli, Sophoclis, aliorúmque auctoritate, comprobat Athenæus, lib. II. Hinc igitur Latinorum *morus*. Dicitur pro *arbore* quoque συκαμινέα & pro *fructu* συκάμινον. Erat & *mora* ex *rubis*. Vnde Ouidius:

Cornaque & in duris hærentia mora rubetis.

Item Hieronymus Paullino: *Amos pastor, & rusticus, & ruborum mora destringens.* Phanias Eresius, Theophrasti discipulus, apud Athenæum, lib. II. appellat μόρα βατώδη. Galenus, lib. VI. Medicamentorum τῶν κατὰ τόπους, vocat τὸ ἀπὸ τῆς βάτου μόρον; atque ait nonnullis αὐτὸ ἀπὸ τοῦ φυτοῦ vocari βάτινον. Meminit & Eustathius. Sunt hæc *rubetorum mora*, Nam βάτος, *rubus*. Vt mirum sit, hic summo viro aquam hæsisse animaduersionibus in Athenæum. Nam cùm Galenus ait, vocari βάτινον ἀπὸ τοῦ φυτοῦ, satis indicat a *frutice rubo* sic dici, aliáque esse à *moris*, quæ fert arbor *sycaminus*. Nec Phanias, cùm ait, μόρα esse *fructum* ἀγρίας συκαμίνου, aliud quàm βάτον intellexit. Obiter addo, vt *morus arbor* dicta *sapiens*; sic *terebinthum* vocatum esse *stultam*: cuius caussam adducit Cælius Calcagninus in epistolicis quæst. lib I. epist. V. Sunt qui ad *sapientiam mori* etiam referant illud Plinij, lib. VII. cap. L. *Atque morbus est aliquis per sapientiam mori.* Nec potest dici, quàm variè super hoc serram ducant viri docti. De quo Schottum vide, lib. V. obseruation. Humanarum, cap X. Mihi in mentem venit, legi posse pro *mori*, *morbi*. Vt *sapientiam morbi* vocet, quòd *instar sapientum stata tempora obseruet, quibus quemque inuadat, vel etiam recurrat*. Nam quæ proximè antecedunt, ac continuò sequuntur, eò spectant omnia. Quod vt pateat, pluscula adscribam: *Per singulas membrorum partes, qualiter nullis aliis animalibus certis pestifer calor remeat horis, aut rigor, neque horis modò, sed & diebus noctibúsque ternis, quadrinisúe, etiam anno toto. Atque etiam morbus est aliquis per sapientiam mori. Morbis enim quoque quasdam leges natura posuit. Quadrini circuitus febrem, nunquam bruma, nunquam hibernis mensibus incipere: quosdam post sexagesimum vitæ spatium non accidere: alios pubertate deponi, à feminis præcipuè senes minimè sentire pestilentiam.* Nempe, vt suspicor, cuncta hæc κατὰ προσωποποιίαν à *morbo* quasi certo consilio fieri fingit. Eóque ei *sapientiam* tribuit: sed ita vt mox se interpretetur, nec aliud per eam intelligere ostendat, quàm quòd *lege naturæ stata*, vt dixi, *tempora obseruat*. Hæc suspicio nostra: quàm recta, doctiorum esto arbitratus.

MORVS, cùm adiectiuum est, bifariam sumitur. Plauto *morus* est *stultus*, vt Græcis μωρός. Hinc Menæc. act. IV. Sc. II. *More moro molestóque.* Sic *morè*, pro *stultè* μωρῶς. Item Sticho, Act. IV.

Morè hoc fit, atque stultè, meâ sententiâ.

Quomodo nec idem *protyme* à πρόθυμος refugit Pseudolo. Sc. *Quid hoc.* Imò vt Plautus, *morus*, & *morè*, ita Nero dicebat Claudium desiisse inter homines *morari*, hoc est, μωραίνειν. Præterea verò *morus* est *niger*: vt Græcè μαυρὸς, *obscurus* ac *niger*;

niger: vnde nomen *Maurorum* genti. Eò respiciens Manilius, lib. IV. de *Mauritania* ait:

——— *Nomen*
Oris habet, titulúmque suo fert ipsa colore.

Vt *cauda* dixere & *coda*, *caurus* & *corus aulla* & *olla*: sic è *Maurus* & *Maura* fecere *morus*, & *mora*. Vnde *morula*. Plaut. Pœn. Act. v. Sc. v.

——— *Ego illam pugnis totam faciam vt sit morula,*

hoc est, *Maura instar nigra*: quomodo & altera conferens nationi addit,

Itaque replebo atritate, atrior multo vt siet,
Quam Ægyptij.

Nam *Ægyptij* quoque *nigri*: vnde de Ægyptio Petronius:

Tinctus colore noctis
Maurus puer loquari.

Apud Plautum tamen codices plerique habent *merulea* ab *aue merulea*: sed secuti sumus fidem codicum Palatinorum, in quibus ita expressum, & veriùs, vt arbitror. Alciatus *morula* retinet, sed explicat *nigram instar mori maturi*. quod probè conuenit cum iis, quæ de *moru* ante dicebamus: sed tamen verius putamus respici *Maurorum gentem*: quia mox *Ægyptiorum* fiat mentio. A *Mauris* hisce *Mauricatim* dixit Laberius, quod Græce esset Μαυρικῶς.

Mos quo Latini, tum ἦθος, tum ἔθος denotant, extritis mediis elementis fieri ex *modus*, quod *rationem* signat non Perotti modò iudicium est, sed etiam Cæsaris Scaligeri, in I. de Plantis. Nec inelegante Martinius existimat vt ab εω, id est, eo, est ἔθω, vnde ἦθος, sic *mos* esse à *meo*. Ita *mos* propriè sit *via*. Sanè & Belgæ pro eo similiter dicunt *de gemeene ganck*, quasi dicas, *communis itio*. Possit etiam κατ' ἀφαίρεσιν factum videri à νόμος, quia *consuetudo* est quasi *lex quadam*. A *mos* est ὑποκοριστικῶς *mosculus*, hoc est, *paruus mos*. Catonem eo vsum Festus docet. In Glossis Isidori corruptè pro eo *mosilim* legitur. Nisi eo seculo sic dixere. Sane ἀναλογία non aduersatur. Nam vt à *pusus*, *pusillus*: sic à *mos*, *mosillus*. Ab eodem dicitur *morosus*. Donatus in Hecyr. IV. II. *Morosi homines, qui sui cuiusdam moris sunt*. Vbi *sui moris* vocatur, qui Græcis ἰδιότροπος. Vetus Horatij interpres in artem Poet. *Aliud est morosum, aliud moratum. Morosus est, qui difficilibus & malis moribus est præditus: moratus est modestus & bonis moribus ornatus.* Similiter Nonius: *Morata, morigera & morosa hanc habent distantiam, quòd morosa est contrariis peruersisque moribus.* Afranius Vopisco:

Dum morigeram me, dum morosam præbeo,
Deinde aliquid dedit opera controuersia
Concinno læso interdum contumeliis.

Sic versus eos legendos puto apud Nonium.

Motacilla sic dicitur, *quod semper caudam mouet*: vt ait Varro. lib. IV. de L. L. Videtur igitur sensisse venire à *motu*. Sed à *motu* potiùs esset *motilla*. Quare videndum, an non rectiùs statuatur compositum. Sane in Glossis Philox. dicitur σεισοπυγὶς, quia *mouet caudam*: & Italis *cauditremola*, hoc est, *cauda tremula*: & Belgis *quic steert*, hoc est, *mouens caudam*. Inest autem isti motui libidinis significatio: vnde σεισοπυγίδα eapropter vocat Galenus. Quid si igitur similiter *motacilla* nomen ex eo sit, quia *mutonem cillet*? *Muto*, idem ac *mutunnum*, siue *mutinum*, vel *mutonium*: nempe τὸ πέος. *Cillere* autem est *mouere*.

Moveo. vt Cæsar Scaliger obseruat in Theophrastum de plantis, venit à Græco μῶ, quod ex μάω. Notat id verbum non tantùm *cupere*, aut *quærere*, sed etiam *incitato impetu in aliquid ferri*. Estque ab Hebræo מוט, hoc est, *motus*. A quo & μόθος, *labor*, item *pugna*. Bassus lib. I. Α'νθολογ. ἐν ἀνεμώλιον, Νῦν γὰρ μόθον ... Vel dicamus, *moueo*, ἀμέσως venire à מוט. quæ Angeli Canin. sententia est, in Hellenismi alphabeto. Interim & ingeniosè Martinius: vt Eustathio κινῶ est à κίω, id est, *eo*; vt Belgis *bewegen* à *weg*, id est, *via*, *qua itur*; ita *moueo*, à *meo*, quasi dicas, *facio vt quis meet*. Συνεκδοχικῶς generis accipitur *moueri* pro *saltare*. Vt apud Horatium.

Vt festis matrona moueri iussa diebus.

Ac similiter Persius.

Tres tantum ad numeros satyri mouere Bathylli.

Ac similiter I. Georg.

Dant motus incompositos.

Vbi *motus* est *saltatio*. A supino *motum* est *momen* vt à *notum nomen*. A *momen* verò est *momentum*. Huius quoque originis est *mox*, quasi dicas: *celeri facto motu*: siue *tam celeriter, ac mouere te possis*: vt *cito*, tam *celeriter ac ciere te*, hoc est, *mouere*, valeas: item *actutum*, tam citò, ac possis agere. Cæteroquin habet *mox* & affinitatem cum *modo*, & Chaldæo מחיו, id est, *festinans*.

Muccus, siue *mucus*, à *mugo*, quomodo veteres dixere pro *mungo*, vt *frago* pro *frango* vnde *fragilis*. *Mugo* verò à Græcis. Nam μύσσω, *mungo*: μύξα, *mucus*; μυκτὴρ, *nasus*. A *muccus* est *muccinium*, id quo *muccum* detergemus. Est apud Arnobium in secundo aduersus Gentes. Ab eodem *muger*. Festus: *Muger dici solet à castrensibus hominibus, quasi muccosus, is qui talis male ludit*.

Mvcro, est ab Hebræo מק, *tabescere, corrumpi*. A *mucro* verò est *mucidus*. Item *mucor*, & *mucedo*, quod apud Appul. in Apolog. At Gaza non rectè, qui in VIII. de Animal. vbi de *mugile* sermo, μύξαν interpretatur *mucorem*: nam *mucum* significat. quæ multùm differunt.

Mvcro a μακρὸς, id est, *longus*: vt putabat Isidorus lib. XVIII. cap. VI. Sed cur non potiùs à μικρὸς, id est *paruus*: cùm minutum sit atque exile quod acumine suo penetrat.

Mvgil piscis grandi capite. Nomen ex *multum* & *agilis* conflari putat Isidorus lib. XII. cap. VI. Sed nomen est à *mucus*. Nempe qua ratione à Græcis idem vocatur μύξων, teste Aristotele, in VIII. histor. animal. cap. II. At *mucosus* propriè μυξώδης, vt Glossæ Philox. exponunt. Ergo μύξωνα dixere quasi *muconem*, seu *mucosum*. Caussam ibidem Aristoteles docet. Siquidem βόσκεται τὴν μύξαν ἀπὸ αὐτοῦ *muco suo vescitur*. Satis hinc liquet, esse piscem μυξώδη seu *mucosum*: atque vt Græci μύξωνα dixere à μύξα, id est, *mucus*: ita Latinis ab Latino *mucus mugilem* nuncupari.

Mvgio est à μυκάομαι, conuersio tenui κ in mediam, quomodo à κράββατος est *grabbatus*, à κωβιὸς *gobius*, &c. Μυκᾶσθαι est à *sono boum* factum, qui est μῦ. Sic μηκάζω quod *caprarum* proprium, vel μηκᾶσθαι, ἀλλάζω, quod *ouium* est. μηκᾶσθαι vel βληχᾶσθαι, vnde & Belgicum *bleecken*. A *mugire* est *demugitus*: Ouid. lib. I. Met. fab. IX.

Vndáque prima rubet, demugitaque paludes,

hoc est, *perpetuò resonantes boum mugitu*. A *mugire* Perotto est *muginari*, vt propriè sit *boum mugitum imitari*. Sed Festus exponit *nugari & quasi tarde conari*: Nonius *murmurare*: qui & Lucilium atque Attam eo vsos docet. Addere potuit Ciceronem ipsum, qui epist. XII. lib. XVI ad Attic. ait: *De Ocella, dum tu muginaris, nec mihi rescribis, cepi consilium domesticum.* In Glossis Isidori legas, *Muginatur, caussatur*. Vbi *caussari* est *tergiuersari*, causásque inanes nectere, cur obsequi non possis. Quod qui facit obmurmurare nugásque agere videtur: vt à Nonio Festóque exponi vidimus. Forasse autem *muginor* factum ex *mugmor*. Nam *M* quandoque in *N* abit: vt à μίμνω, *maneo*; ab ... à ..., *video*, vnde *renidere* Horatio. A *mugor* sit *muginor*: vt à *redeo*, *redmino*, *nego*, *negino*, à *sto*, *stano* vnde *præstino*: & similia.

Mvlceo esse à *mollis* ac dici quasi *molliceo*, tradit Perottus. Sed omnino vel est ab ἀμέλγω, vt sit eiusdem originis ac *mulgeo*: vel est à μαλάσσω, quod a μαλακὸς. hoc est, κατὰ συγκοπὴν ἐκ μαλακός. Hesychius: Μαλάξαι, μαλακῦναι. Μαλαχθέντες, μαλακισθέντες. Alioqui videri poterat, vt à μέλι Græce est μελίσσω, hoc est, *mulceo*: ita Latinum *mulceo* dici quasi *meleceo* à *melle*. A *mulcendo* dictum *mulsum*, potio ex vino & melle concinnata vnde Græcis οἰνόμελι & μελίκρατον appellatur: vt testatur Pollux lib. VI. Sic autem vocatum, quia *venas lenitate sua mulceat*: vt Horatii locus indicat quem mox adferam. Notum quoque illud Asinii Pollionis, qui centesimum excedens ætatis annum, cùm ab Augusto hospite rogaretur, quanam maxime ratione vigorem illum corporis animíque custodiisset, respondit: *intus mulso, foris oleo*. Est verò *mulsum* naturâ suâ adiectiuum, vnde etiam legimus *acetum mulsum*, *lac mulsum*, *aqua mulsa*, aliáque id genus. Sed ἀπολύτως positum ponitur pro *vino mulso*. Quod *mulsum* maxime soleat prædicari, docet gulonum adagio, apud Macrobium, lib. VII. cap. XII. *Mulsum quod probè tempores, miscendum esse nouo Hymettio & vetulo Falerno.* Hinc Martialis, lib. XIII. epig. CVIII.

Attica nectareum turbatis mella Falernum.
Misceri decet hoc à Ganymede merum.

A *mulsum* est *promulsis*, quomodo appellatur *caput* siue *initium cœnæ*, non tam vti volunt quòd *vice mulsi* apponebatur conuiuis ad prouocandum appetitum: quàm quòd *daretur ante mulsum*. Nam, vti scribit Turneb. Aduers. lib. I. cap. XXIV & Lipsius. lib. III Antiq. Lect. veteres primam sitim non temerè aliter, quam *mulso* sedabant, ique quòd putarent vacuis venis dulcem conducere potionem. Atque inde est, quòd Catius apud Horatium, Aufidium reprehendat, non quidem quòd Falerno misceret mulsum; nam vetulum ac lene Falernum in mulso conficiendo commendabatur, vti vidimus:) sed quod Falerno austero, atque, vt Persius vocat indomito, *mulsum* conditet:

Aufidius forti miscebat mella Falerno.
Mendosè, quoniam vacuis committere venis,

Nil nisi leue decet. Leni præcordia mulso
Prolueris melius. ———

Nec semper *mulsum* id confectum apponebatur conuiuiis, sed interdum separatim *mel* & *vinum* ponebant, vt quisque pro arbitrio suo sibi temperaret. Hinc Varro, lib. III. de R. R. *Faunus venit in altaria, & mel ad principia conuiuij, & in secundam mensam administratur.* Egregiè autem *promulsidis* voce lusit Petronius, apud quem scortillum cùm dicere vellet, pueri Gytonis peculium tantùm sibi fore ad Venerem irritandam, non explendam: *Hoc* inquit: *tam rude bellè cras in promulside libidinis nostræ militabit. Nam hodie post asellum diaria non sumo.* Lances, in quibus promulsis esset, *promulsidaria* dicuntur Vlpiano l. XIX. §. *sed cui vasa.* x. ff. *de aur. arg. Et ideo*, inquit, *scutellas, & promulsidaria contineri.*

Mvlciberum alij à *mulcando*, alij à *mulcendo*, deriuant. Prius placet Donato, in illud Adelph. I. II. *Omnem familiam mulcauit vsque ad mortem. Mulcauit* (l. *Mulcauit*,) inquit, *mutilauit, lacerauit, molliuit, atque dissoluit. vnde Mulciber* Additur, *à multando, quasi multiber.* Sed puto hoc ab aliena esse manu. *Mulcauit* enim non *multauit*, scripsit Terentius. Nisi fortè iam Donati æuo *multare* & *mulcare* confundebant. Posteriorem verò opinionem sequitur Festus: *Mulciber Vulcanus à mulcendo scilicet ferro dictus est: mulcere enim mollire siue lenire est.* Paccuuius.

Quid me obtutu terres? mulces laudibus?

Plerisque placet à *mulcendo* & *imbri* esse compositum, vt refert Priscianus, lib. VI. Sed hoc æquè ineptum ac cum *Septembrem* vel *Octobrem*, quasi *septimum* aut *octauum imbrem* dici volunt. Nam τὸ *ber* in huiusmodi, solùm vocis productio est. Quare optimè Iosephus Scaliger, qui in Coniectaneis monet, vt à *cerno* est *cribrum* à *facio*, *faber*, à *tumeo*, *tuber*; à *luo*, *liber* (deglubitur enim;) à *cresco*, *creber*, à *glubo*, *glaber*, à *scarreo* (vnde *scarrosus* Lucillio, λεπρὸς) *scaber*; à *suo*, *suber* (*insuitur* enim soleæ calciamenti; vnde ea dicuntur καττύματα Græcis) à *craceo*, *craber*, qui postea *crabro*, τρὶξ (*cracere* enim significat *gracilem* esse Ennio, & *cracentes gracilis* dicuntur apud veteres Comicos;) à *finio fiber* (antiqui enim *fibrum* dicebant *extremum*, vt Varro ait IV. de L.L.) sic à *mulcendo* esse *Mulciber*: siue sic dicitur à *mulcendo* ferro, quod Festus sensit, imò Scaliger quoque tradit notis ad Ætnam; siue (quod superiori sententiâ reiectâ, in Coniectaneis idem Scaliger voluit, eâ mente à *mulcendo* dicatur *Mulciber*, quâ Græcis Iupiter dictus Μειλίχιος καὶ μειλίχιος, vt Plutarchus refert, l.b. περὶ ἀοργησίας. *Mons Ætna* hodie vocatur *Mongibello*, quam vocem è *Mulcibero* corruptam esse, Scaligeri opinio est notis in Ætnam. Sed falli puto. Nam propriè nomen est *Gibello*, & *montis* voce additâ *Monte Gibello*, quomodo & vulgò appellatur. Inde igitur altera illa appellatio *Mongibello*, κατὰ συγκοπὴν facta est.

Mvlcor. & *multor*, plurimùm differunt. Nam *multare* est *multam irrogare*, ζημιοῦν, vt interpretantur Glossæ Philoxeni, in quibus & καταδικάζειν exponitur, vt à Nonio *condemnare*. At *mulcare* per C, de *verberibus*, non *pœnâ pecuniariâ* dicitur. Hinc Glossæ vett. *Mulcat, verberat, cruciat.* Item, *Commulcat, collidit, conculcat.* Ac Seruius ad II. Æneidos. *Propriè*, inquit, *verberibus mulcari dicimur.* Origo quoque diuersa. Nam *multa*, & *multare*, sunt à Sabinis, vel Oscis, quemadmodum ostendimus in voce *multare*. *Mulcare* autem originem habet Latinam. Nam quia *verberando aliquid mollitur* (vnde Terentius *sandalio commitigare caput*,) eò à *mulcendo*, hoc est, *mitigando mulcare* pro *verberare* dixere. Estque à *mulceo*, *mulco*, eâ ratione, quâ à *dulcem* (vnde *dulcesco*) est *dulcare*, & *edulcare*. Et *dulcandi* voce semel iterúmque vsus Sidonius: alterum vsurpat Cn. Mattius apud Agellium, lib. XV. cap. XXV. & Nonium Marcellum, in *Edulcare*.

Mvlgeo ab ἀμέλγω per ἀφαίρεσιν, vt ab ἄστρον, *rura*, ab ἀστήρ, *stella* &c. A *mulgendo* sunt *mulctra*, seu *mulctrum*, & *mulctrale*. Quæ nonnulli, vt Seruius, in Ecl. III. scribit, ita distinguunt, vt hoc sit *vas, in quod mulgetur*: illis *tempus* notetur, *quo mulgentur animalia*. Sed *mulctrum* quoque *vas* ipsum dici, rectè Isidorus tradit, lib. XX, cap. VI.

Mvlier vulgò putatur dicta à *mollitie*, quasi *mollier*. Petrus Blesensis, serm. . in Aduentum Domini: *Aue benedicta inter mulieres: id est, sola robusta inter molles. Mulier enim à mollitie sumitur, quasi mollier.* Quod Isidorus quoque scripsit, lib. II. cap. II. Veteres sanè non solent geminare consonantes, eóque dixerunt *molis*, vt *ola*, siue *aula*, ab αὐλή. A *molis* igitur sola mutata quantitate fuerit *molier*. Posteriores verò pro O maluere *V*, vt pro *sermos*, *sermus*, atque ita in aliis. Ita origine sit Latinum. Alij à Græcis arcessunt, idque vel à μίλαξ, hoc est, ... vt Hesychius interpretatur, ... quæ propè viro vel à μόλος, hoc est, *labor*, quia laboribus & doloribus onusta sit: vel à μύλλειν, hoc est, πλησιάζειν, quod fortasse olim honestum vocabulum fuit, vt alia multa, quæ postea turpia facta sunt. Alij denique arcessunt ab Oriente: idque vel ab Hebræo מלא, id est, *implere*, quod apud Martinium legas; nempe quia *concipiens impletur*, vel potius quia *implet mundum*, vnde & *prima mulier* dicta *Eua*, quasi *mater viuentium*, vel à Punico *elmara*; quam ἐτυμολογίαν inuenio apud Angelum Caninium, in Hellenismi alphabeto. Etsi verò *mulieris* vox naturâ suâ comprehendat *virginem*, *nuptam*, & *viduam*, vt scribit Tertullianus, lib. de virginibus velandis; interdum tamen *virgini* opponitur, vnde Cicero reprehensus quòd senex duxisset *virginem Publiliam*, *Cras*, inquit, *mulier erit*. Et Vlpiani quoque est l. 14. D. de ædil. edict. *Mulierem ita artam, vt mulier fieri non possit, sanam non videri constat.* Eodémque modo Græci vtuntur vocabulo γυνή. A *muliercula* est *mulierculariüs*, quomodo à Constantino Imperatore dicitur, qui *vxores alienas, ac mulieres impudicas amat*: vt *vxorius*, qui *propria vxori addictior, quàm virum decet*. Similéque *ancillarius*, & ἐπιθεραπαινῖτις *ancillariolus* qui *ancillarum insanit amore* &; *lecticariola*, quæ *lecticariorum* (vile id erat seruorum genus) *amores sectatur*. Mart. lib. XII. epigr. LVIII.

Ancillariolum tua te vocat vxor, & ipsa
Lecticariola est. Estis, Alauda pares.

Mvlleus, ἀπὸ τοῦ dicitur, vel *mulleus calceus*. Priori modo locutus Titinnius, cuius locum apud Festum ita sanauit Scaliger: *Iam cum mulleis te ostenuisti, quos tibiatim calceas.* Vbi *tibiatim* est *ad mediam vsque tibiam*, quomodo *suratim*, pro *ad suram vsque* dixit Aldhelmus, lib. de laudibus virginitatis, cap. XIX. Verba eius adduxit & Sauaro ad Sidonium. Posteriori modo locutus Cato, VII. Originum. Verba eius adfert Festus in *Mulleus*, item Plinius, cuius locum adfero in *Mullus*. Adde & Tertullianum de Pallio: *Impuro*, inquit, *cruri purum aut mulleolum inducit calceum* Item hoc Fl. Vopisci, in Aureliano, sub finem: *Calceos & mulleos & cereos, & albos, & hederacios viris omnibus tulit* (al. *abstulit*: vel *sustulit*,) *mulieribus reliquit.* Adrianus Turnebus, aduersariorum lib. XIX. cap. XXIV. putat *mulleos*, quia *purpurei* essent, nomen accepisse a *rubro colore mulli piscis*. Sed contrà *mullum* à *mulleis* dictum, docet ex Fenestellâ Plinius, libro IX. cap XVII. Hedrianus Iunius in Nomenclatore ait, incertum sibi esse num *mulli piscis color*, an *pretium* immane, *mulleis* nomen dederit. Sed profectò neutrum: verùm vt rectè monet Festus, est ab antiquo *mullare*, hoc est, *suere*. *Mullare* verò, vt in Coniectaneis & ad Priapeia scripsit Ios. Scaliger est à Tarentinorũ & Syracusanorũ verbo μύλλειν, quod est, πρίειν, καὶ τέμνειν. Vtitur Theocritus idyll. IV. Sed metaphoricè pro *subigere*:

Εἰπ' ἄγε μοι Κορύδων, τὸ γερόντιον ἦ ῥ' ἔτι μύλλει
Τήναν τὰν κυάνοφρυν ἐρωτίδα, τᾶς ποκ' ἐκνίσθη;
Dic age mihi Corydon, senecio ille num adhuc subigit
Illud nigro supercilio scortillum, quod olim depereibat?

Nam μύλλειν hîc esse πλησιάζειν docet Eustathius, ac Scholiastes in hunc locum. At malè credidit idem scholiastes esse à μύλη, quod & H. Stephanus censuit, qui simile esse ait isti Horatiano,

——— *Alienas*
Permolere vxores ———

Nam hoc si esset, non geminaretur liquida. Deinde vnde nisi à μύλλειν, sit *mullare*, quod *suere* a Festo exponi diximus. Quid, quod, vt Theocrito μύλλειν, ita Latinis *suere* notat πλησιάζειν. vnde Lucillius *pædicones* vocat *subulones*, vt ostendit illud Ausonij, epigr. LXXIX.

Lucilii vatis subulo pullipremo.

Vide *Subulo*.

Mvllvs piscis, qui Græcè τρίγλη. Angelus Caninius, in Hellenismi alphabeto vti & Becmanus in Originibus, ait esse à Græco μύλλος. Scio μύλλου piscis meminisse Galenum, lib. II. de alimentis; & Athenæum lib. III. Sed is diuersus à *mullo*, qui Græcè τρίγλη, & ... Isidorus, lib. XII cap VI. *mullum* dici ait, quasi *mollem*: esse enim carnis teneræ. Sed duræ carnis esse, constat ex Galeni lib. III. de alimentorum facultat. Veram originem non Calderinus modò ad Xeniorum Martialis epigr. LXXIX. attulit, sed & Fenestella, siue Plinius, cuius hæc verba lib IX. cap. XVII. *Nomen his Fenestella à colore mulleorum calciamentorum datum putat. Mullus*, Athenæo teste, Hecatæ sacer fuit. Mouit antiquos, quòd dicatur τρίγλη, & Hecate sit τριγλήνος, hoc est, τριπρόσωπος, siue τριόμματος. Nam γλῆναι hic non *oculos*, sed συνεκδοχικῶς *faciem totam* notat. Aliter scio Athenæi verba accepit Brodæus, in Miscellanis cap. XXIV. lib. I. Sed sequor certissimam sententiam Isaaci Casauboni, quem vide Animaduersionibus in Athenæum, lib. VII. cap XXI.

Mvlta, *multare*, *multaititius*; & *mulcta*, *mulctare*, *mulctatitius*,

in

in vett. codd. repetias: sed in pluribus tamen absque C inuenias, Pierio teste. *Multa* quid, & vnde sit, docere conatus Varro. lib. IV. de L.L. *Multa*, inquit, *à pecunia, quæ a magistratu dicta, vt exigi possit ob peccatum, quòd singula dicuntur appellata esse multa, quod olim vnum dicebant multa. Itaque cùm in dolium aut culeum vinum addunt rustici, prima vrna addita, dicunt etiam nunc multa.* Quem locum optimè interpretatur magnus interpres. Nam quæstio est, cur *singula multa* id nomen obtineant, cùm tamen *singula* sint, non *multa*. Respondet Varro, veteres etiam, quod *singulum* esset, dixisse *multum*. Et vt hoc πιθανόλογον quidem, non tamen ἄλογον esse ostendat, it probatum istiusmodi argumento. Cùm, inquit, veteres plures culeos in vnum infunderent dolium, primo addito dicebant *multa*, quo intelligitur *multa* de *vno* dici. Sed spissus est hic error Varronis. Nam, vt optimè idem Scaliger monet, *multa* hîc non nomen est, sed verbum, ac idem significat, quod *numera*. Id enim antiquis notat *multare*: vt indicat hic locus Plauti Sticho. Act. III I.

—— *Scio scire te*

Quàm multas tecum miserias multauerim,

hoc est, ἐξηρίθμησα. Quanquam propriè *multare* sit *pluris in auctionibus liceri quàm cæteri* quod Græci similiter à πλήθει dicunt πλειστηριάζειν. Quare si *multa*, & *multare*, quà de *pœnâ pecuniariâ* dicuntur, à *multitudine* ortum trahunt non quidem inde originem arcessam, quòd veteres *singulum* dixerint *multum*, sed quòd magistratus ob peccatum non *pusillum* exigeret, sed *multum*. Fortasse tamen neque hæc ἐτυμολογία vera est: quando vox *multa*, à Sabinis & Oscis ad Latinos peruenit. Docet enim ipse id Varro. lib. XIX rerum humanarum, *Multa vocabulum non Latinum, sed Sabinum esse, idque ad suam memoriam mansisse in ligua Samnitium, qui sunt à Sabinis orti.* Ac apud Festum legimus: *Multam Osci dici putant pœnam quandam.* Quomodo *multare* & *mulctare* differant, dicimus in *Mulcor*. Quamquam verò *multa* propriè *pecuniaria* est, vt indicat locus è Varrone suprà allatus: tamen ad alia quoque transfertur. Plautus. Asin. Act IV. Sc. I.

Hæc multa ei esto, vino viginti dies vt careat.

Ac similiter in testamento ludicro, quod Sergio Polensi adscribitur: *Qui non curauerit, hac mulcta ei esto, sese altero vt careat.*

MVLTICIA vestis molli intexta substamine, qua vti solent puellæ, vt exponit Scholiastes Iuuenalis, sat. II.

Quæro an deceant multicia testem.

Vsurpat & Tertullianus, de Pallio, cap. IV. *Endromidis solocem, aliqua multicia synthesi extruxit.* Virorum esse etiam, docet Vopiscus, in Aureliano, vbi nominat *multicias viriles*. Socer meus Franciscus Iunius monet ad Tertullianum, *multiciam* esse vestem ἀραιῶς ὑφασμένην, *lemidensi* oppositam, ac ita dici, quòd eam pecten soleat *multum icere*: vt *lemidensis* contrà, *quæ raro densè leuitérque icitur.* Ac sequitur hoc etymon etiam Salmasius, in Vopiscum qui iccirco *multicia* interpretatur πολύκροτα. De prioris huius compositi parte assentiunt, qui *multicia* dici aiunt quasi *multilicia*, a *multis liciis*: quod Salmasius refellit. De eâdem voce sic Iuuenalis Scholiastes ineditus, quem habeo, *Multicia genus est vestis lanea subtili arte contexta. Dicta multicia, quòd sit multa & inenarrabili arte expressa, quâ solummodo vti licitum erat innuptis puellis, & viduis matronis.* Perottus quoque à *multis filis* dici ait, vt sonet ad verbum πολύμιτα. Britannicus à *mollicie* arcessit; vel à *mulcendo*. Sed quin à *multus* sit, non dubito, & quidem à *multum icere*, vt diximus.

MVLTVS, olim *moltus*, à *mole*: vel potiùs à מלא, quod etiam LXX exponunt πλῆθος, hoc est, *plenitudo*, *multitudo*. Hinc *multifariam*, πολυτρόπως, à *multus* & *fari*. Vt *multifarius* idem sit ac πολύφατος. Similia *bifariam*, *trifariam*, &c. *Multifacere*, vt *magnifacere*, & *paruifacere*. Cato apud Festum: *Neque fidem, neque iusiurandum, neque pudicitiam multifacit.* Ait Paullus, id meritò ab vsu recessisse, quia quantitas non æstimatur numero. Quasi non quantitas alia sit continua, ab discreta. Et sanè Belgæ similiter vtrumque dicunt *groot-achten*, & *veel van houden*, illud est *magnifacere*, hoc *multifacere*.

MVLVS, si Isidoro credimus, lib. XII. cap. I. ita dicitur à μύλη, id est, *mola*, quia *iugo pistorum subactus tardas molendo ducat in gyrum molas.* Sed potiùs fit à μόχθος, hoc est, *labor*; quandoquidem est *animal viribus in labore eximium*: vt vtar Plinij verbis. lib. VIII. cap. XLIV. Vel à μοιχεύειν, quod dicitur de commixtione turpi. Vel à מעל, *præuaricatio*. Nascitur enim ex commixtione naturæ aduersanti. De *mulis Marianis*, Festum vide.

MVNDVS, quasi *mouendus*, quia *in perpetuo motu* sit dictus videtur Honorio Augustodunensi lib. de imagine mundi cap. I. Idémque ante Honorium scripserat Isidorus, lib. III. Orig. cap. XXVIII. & lib. XIII. cap. I. Imò videri possit & Festo hoc verisimile visum, quia postquam dixerat *mundum* tum pro *rerum vniuersitate*, tum pro *ornatu muliebri* accipi, subdit hæc verba: *quia non alius est, quàm quod moueri potest.* Sed melius Varro, Cicero, Plinius Paullus I.C. qui sic dici volunt à *munditia*, quomodo & Græcis (siue Hesiodus, quod Zeno voluit, siue Parmenides, vt nonnulli, siue Pythagoras, quod apud Plutarchum, Galenum & Laërtium legitur, eius appellationis auctor est) κόσμος vocatur ἀπὸ τοῦ κοσμῆσθαι. Placuit idem Tertull. cuius verba aduersus Marcionem, lib. I. *Vt ergo aliquid de isto huius mundi indigne loquar, cui & apud Græcos ornamenti & cultus: non sordium nomen est.* Porrò cùm Festus dicit, *mundum* quoque esse *ornatum muliebrem*, latiùs omnino *ornatus* vocem accipit. Nam propriè *mundus muliebris* sunt, speculum vnguenta, & similia pertinentia ad curam capillorum, cutis. &c. *Ornatus* verò sunt catenæ, annuli, atque huiusmodi. Vide Tertullianum, libro de habitu muliebri; Vlpianum, leg. XXV de auro, arg. mundo leg. & Iul. Paull. receptarum Sentent. lib. III. Nec tantùm *muliebrem*, sed & *rusticum mundum* dicimus, quomodo loquitur Plautus Mercatore. Vnde liquet *mundum* poni pro *cuiusuis rei prompta parataque copia*. Hinc loquendi genus, *in mundo* pro *palam* & *in expedito*, *ac cito*, vt interpretatur Charisius cap. de Aduerbio. Vbi hoc Plauti citat,

Quia sciebam pistrinum in mundo fore.

Et illud Cæcilij, Annæo Cornuto etiam obseruatum, lib. Tub. *Castarum patrui sui profecto, qui nobis in mundo futurum lectum.* Item, *Idem namque malum in mundo is ire.* Et Ennij, hoc:

Seu ibi vita, seu mors in mundo est.

Placet viris doctis, esse à *mundo muliebri* tractum hoc loquendi genus, quia mulieres, quæ ad corporis ornatum faciunt, diligenter arculis custodiunt, quo si vti subitò necesse habeant, quæsito opus non sit. Et sanè verisimilior hæc sententia quam illa, quam adiungit Petrus Victorius lib. VIII. Var. Lect. cap. XX. Mihi verò vt dixi, placet non minùs à *mundo rustico*, quàm à *muliebri* peti, cùm latè patuerit ea *mundi* notio. A *mundo* quoque dicitur *mundialis*, pro *mundanus*. Ita apud Tertull lib. de coronâ mil. *mundialis lux*, legere est. Vsi quoque Hieronymus, Sulpitius Seuerus & alij. Gloss. Isid. *Mundialis*, *homo mundi statu*, hoc est, *mundani status*.

MVNVS interdum ponitur pro *dono*, à quo non aliter differt, quàm quòd *donum* latiùs pateat: *munus* enim dicitur *donum cum caussâ*, vt *natalitium* aut *nuptiale*. Hæc sententia magis placet, quàm illa Agrætij. *Donum*, inquit, *dantis, est; munus accipientis, illud, à dando, hoc, à muniendo vel mouendo dicimus.* Quæ sunt λῆροι. Interdum verò *munus* est *onus*, quod cùm remittitur, vacationem præstat: vt pendere vectigal, præstare custodiam, aliáque huiusmodi. Interdum & pro *officio* capitur quomodo magistratum gerere, iudicem esse, *munera* sunt *publica*, hoc est, *officia publica*, *ac ciuilia*. De etymo sic Varro. lib. IV. de L.L. *Munus, quod mutuo animo qui sunt, dant officij caussâ. Alterum munus, quod muniendi caussâ imperatum.* &c. Scaliger, libb. de causs. L.L. cap. XXXI. R *in* N, *Murus, munus, fuit enim munus onus muris reficiendis, vbi primùm vnum in locum è vicis conuenissent ad condendum oppidum: inde Munimenta. Id onus cùm remittebatur virtutis ergo, Donum dicebatur.* Nunnesius à μοῖρα, *pars*, quia est *portio, quæ sortito cuique obtingit.* Maximè mihi placet opinio Christiani Becmanni, qui deducit ab Hebræo מנחה, *munus; oblatio* Ita *munus* propriè sit, quod offertur, siue officium, siue donum. *Munus* quoque accipitur pro *ludis*, vnde *munerarius* dictus, qui *munus*, hoc est *spectaculum populo exhiberet*. Caussa eius notionis est quod ludis populum remunerarentur, à quo *munus* publicum acceperant, ac nouum sæpe *munus* exspectabant. Indicat id quoque hic Ciceronis locus, libro secundo de Officiis. *Et Publius Crassus, cùm cognomine diues, tum copiis functus est ædilitio maximo munere.* Et paullo post: *L. Crassus cum omnium hominum moderatissimo Q. Mucio, magnificentissima ædilitate functus est. Magnificentissima verò nostri Pompeij munera secundo consulatu. Vitanda tamen est suspicio auaritiæ. Nam Mamerco, homini ditissimo, prætermissio ædilitatis, consulatus repulsam attulit.* Scribit Lactantius, lib. VI. cap. XX. per *munus* propriè intelligi *Venationes*. Sed id verum non est, cùm de *gladiatoribus*, non minùs quàm de *venatione* vsurpetur à Tullio. Seneca, ac passim à Tranquillo. A *munus* est *munis*. Nonius: *Munes apud veteres dicebantur, non à largitione, quæ ignota erat, sed consentientes ad ea, quæ amici velint.* Lucillius sat. XXVI.

Munifici, munésque viri videamur amicis.

Ita nullo negotio restituitur is locus. Festus: *Munem significare certum est officiosum; vnde de contrario immunes dicimus,*

qui nullo fungitur officio. Idem alibi. *Immunis, vacans munere.* Hinc in Glossis vet. exponitur, ἀλειτούργητος. In iisdem vertitur ἀτελὴς, quod est, *immunis à vectigalibus.* item ἀνύποχος, quod est, *nulli obnoxius, aut devinctus.* Festus addit etiam *improbum* signare: atque ita accipere Plautum Trinummo, cùm ait:

Amicum castigare ob meritam noxiam,
Immune est facinus: verùm in ætate utile
Et conducibile.

Sed arbitror hìc *immune* valere, quòd videtur esse *extra munera amici*, eóque neutiquam consequitur gratiam aut mercedem, contra quàm illi, qui in publico munere sunt, qui referre solent præmium operæ. Sanè contra *munis* sumitur pro eo, *qui munus* sine *officium facit*, vt qui pro beneficio accepto gratiam, cùm potest refert. Plautus, Mercator I. I.

Dico eius pro meritis gratum me & munem fore.

Vbi tamen Lambinus malit *memorem.* A *munis* est plurariuus *munia*, quod substantiuè sumitur pro *officio*: vnde *munia obire, exequi, capessere.* & similia. A *munus* est *immunis*, id est, *non faciens munus.* Maro lib. IV.

Immunisque, sedens aliena ad pabula fucus.

Item *communis*, quod nomen propriè iis conuenit, quæ priuata non sunt, sed *ad multorum munia seu munus pertinent.* Etiam à *munus* vel *munia* (vt è Verrio scribit Festus) *munico* dixerunt pro *communico.* Est & a *munus, munifex*, λειτουργός. Festus: *Beneficiarij dicebantur milites, qui vacabant muneris beneficio; è contrario munifices vocabantur, qui non vacabant, sed munus Reip. faciebant.* Μαζοφορατικὸς *munifi*- *cem mammam*, pro *lactanti* dixit Plinius. lib. XI. cap. XL. Ab eodem est *munificus* pro *liberali*, vnde *munificior* identidem dixit Cato teste eodem Festo. Posteriores pro eo *munificentior* dixerunt. *Municipes* (vnde *municipia*) a *munere capiendo* sic appellantur. Ita T. Coruncanius & M. Cato Censorius Tusculo profecti Romæ etiam maiores adepti sunt magistratus. Rectè igitur Agellius, lib. XVI. cap. XIII. *Municipes sunt ciues Romani ex municipiis, legibus suis & suo iure vtentes, muneris tantùm cum populo Romano honorarij participes, à quo munere capessendo appellati videntur.* Et hæc quidem extra controuersiam sunt: non item quod continuò subjicit Agellius: *nullis aliis necessitatibus, neque vllâ populi Romani lege adstricti.* Quippe solidis argumentis vinci potest, *municipes* Romanis vixisse legibus. Sed rationem habuit Agellius sui æui. At primò alia fuit *municipum* ratio. Siquidem in principio ciuitas aliis cum suffragio, aliis absque eo data fuit: ac quibus cum suffragio data erat, ij Romanis vitebant legibus, ac habebant ius Romæ petendi magistratus, cæteri non item. Postea exæquatum est municipiorum ius, nullo ferendi suffragij potestate excluso. Tandem hæc quoque mutata condicio, quòd municipes suæ amantes libertatis, viuere mallent, Romanis soluti legibus. Hinc *municipales lex*, quæ propria cuiusque municipij: quamque habuit ante adeptam ciuitatem. Qua de agit Guil. Fornerius lib. I. Select. cap XIII. *Municipalis eques* de Cicerone legas apud Iuuenalem, tanquam qui non verus esset ciuis Romanus, sed è municipio ortus, quorum non tantus erat splendor aut diuitiæ, quàm vrbanorum. Tacitus quoque, lib. IV. similiter dixit: *Seque ac maiores municipali adultero fœdabat.*

MVRÆNA piscis de quo scitè Massarius ad IX Plin. Est à Græco μύραινα, vt scribit Varro, lib. IV de Lat. Hesychius: Μύραινα, ἡ μύραινα ὀρνιθικόν. ἄλλοι ἡ μύραινα ἀνθρ ... Nomen μύρα vel μύραινα à μύρω, *fluo*, quia *fluitat in summa aqua.* Translata *murana* vox quoque ad *ornamenta colli*: vt hic locus Hieronymi indicat ad Marcellam, de laudibus Asellæ: *Cum primum hoc propositum arripuit, aurum colli sui (quod quidem muranulam vulgus vocat, quòd scilicet metallo in virgulas lentescente, quadam ordinis flexuosi catena contexitur) absque parentibus vendidit.* Isidorus, lib. XIX. cap XXXI. *Murana vulgo vocatur, quòd auri metallo in virgulas lentescente quadam ordinis flexuosi catena contexitur, in similitudinem murenæ, quæ ad collum ornandum aptatur. Hæc interdum auri atque argenti texitur virgulis. Vnde & dicitur in Canticis Canticorum: Muranulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.*

MVRCVM *appellatum volunt alij, quòd fanum Veneris Verticordiæ ibi fuerit, circa quod nemus Myrteum fuisset. Inde mutata littera Murciam appellatam* &c. Ex hisce liquet veteribus eandem esse visam *Deam Myrteam*, & *Murcam*, sed prius vocatam *Myrteam*, à *Myrto*, pòst mutatâ literâ T in C *Murciam* dictam esse. *Metarum Murciarum* meminit & Appuleius, lib. VI. Metam. *Si quis à fuga retrahere, vel occultam demonstrare poterit regis filiam, nomine Psychen, conueniat retro metas Murtias, Mercurium prædicatorem.* Vbi *Mercurium prædicatorem* statuit post *metas Murcias*, quia istic præco victores pronunciaret. Ita locum hunc capit Franc. Iunius ad Tertullianum, eúmque secutus Cæsar Bulengerus. Porrò ex superiori Seruij loco simul cognoscimus, cur in Circo *calces* vocarent *metas Murcias*, nempe, vel à monte *Auentino*, qui prius *Murcus* dictus, est, quod Festus quoque scribit in *Murcia* vel potiùs quia iuxta eas esset fanum *Murcia*: vnde Tertullianus. lib. de Spectaculis. cap. VIII. *Consus, vt diximus, apud metas sub terra delitescit Murcias. Has quoque Idolum fecit. Murciam enim Deam Marcoris volunt, cui in illa parte ædem vouere.* Pro *Marcoris* in MSS^tis & prima edit est *marmoris*, vnde fecerunt *amoris*. Sed *marcoris* legendum esse rectè suspicabatur Turnebus. lib. XXII. cap. XVII. Nempè vt idem ait. lib. XXIII. cap. XXII. *Murcia est marcidorum, & ignauorum Dea.* Quod Arnobius firmat in IV. vbi ait, *segnium Deam Murciam.* Atque hinc sanè eruere est veram nominis caussam. Nam *mollis* & *ignauus* Græcis μαλακὸς, & μαλκὸς, ac Æolicè μολκὸς, vt γλάφω, & γλύφω dixere; Latini item *scalpo* & *sculpo*, vnde *scalprum*, & *sculptile.* Iisdem à μαλκὸς, & μολκὸς, Latini dixere *Marcus* & *murcus*, indéque *marcidus*, & *murcidus*, Festus: *Murcidum, ignauum, stultum.* Vbi perperam scriptum *murricide.* Vnde Scaliger legebat, *murricide*, quasi *muricide*, hoc est, μυοκτόνε, quasi esset à *muribus cædendis.* Sed hoc si esset *murricida* ἀπὸ ἔργου diceretur, vt dicimus *parricida.* *Murcidi* voce vsus Plautus, Epid. act III. I.

——— *Vt tibi murcide homo.*

Murcidis, vt ex Tertulliano, & Arnobio diximus, præerat *Murcia.* Similiter Augustinus, lib. IV de Ciuit. Dei cap. XVI. *Vocauerunt Deam Agenoriam, quæ ad agendum excitaret: Deam Stimulam, quæ ad agendum vltra modum stimularet: Deam Murciam, quæ præter modum non moueret, ac faceret hominem, vt ait Pomponius, murcidum, id est, nimis desidiosum, & inactuosum: Deam Strenuam, quæ faceret strenuum.* Videmus hìc opponi Deam *Murciam*, & *strenuam*; *Murciamque* præesse iis, (vt ait Augustinus) *qui præter modum non mouerent.* Id exprimit vocem ἀκινησίας. Ac μαλακὸν ab Nicandri Scholiaste exponitur ἀκίνητον, éstque μαλακὸς à μαλακία, quomodo à μαλακὸς, μαλκὸς, vnde *Marcus*, vt ab Æolico μυρκὸς, *murcus*. Nisi hoc ab Syracusio μύρκος, quod propriè *mutum* notat. Hesychius. Μύρκος ὁ ... Σιρακουσίοις, ... Nempe vt propriè μύρκος sit *mutus*, translatè *impotens*, *ignauus.* Quomodo ἀνὸς, vtrumque notabat. Hesychius ... Sed siue à μολκὸς, siue à μύρκος, sit *murcus*, à *murcus* est *murcidus*. Indéque posteriores Latini *murcos* & *murcidos*, dixere eos, *qui pollicem sibi præcidissent, ne militarent*: cuiusmodi hominum meminere Tranquillus in Augusto, Chirius Fortunatius, Iurisconsulti, atque alij. Hinc Ammianus Marcellinus, lib. XV. pene extremo: *Nec eorum (Gallorum) aliquando quisquam, vt in Italia, munus martium pertimescens, pollicem sibi præcidit, quos localiter murcos appellant.* Videntur & dicti *murcinarij* Gloss. vett *Murcinarius*, *mutilus*. Ac satis verisimile est, quos Itali ac Galli *Poltrons* vocant, ab hac *pollicum truncatione* nomen accepisse. At non probo, quod summus vir putabat, eos *qui pollicem præcidissent*, dictos *murcidos*, quia *præcidissent murcum*, hoc est, *pollicem*, eóque in superiori cùm Augustini, tum Plauti loco pro *murcidus* legendum esse *murcicidus*. Nec enim Plauti, vel Arnobij, sed Ammiani temporibus obtinuit appellatio à *pollicibus præcisis*: nec Ammianus ait *pollices* vocatos esse *murcos*, sed ipsos *milites*: atque id quoque cognoscimus hoc Luitprandi loco in histor. P.P. in Innocent. *De indulgentia clericorum querimoniam facientes, cùm aliquos murcos, aliquos digamos habere diceret, respondit, illum, qui volens partem digiti sui absciderit, iuxta canones non posse admitti ad clerum.* Nihilo veriùs puto quòd coniectat, *murcidus* esse diminutiuum à *murcus*, dicique pro *murcilus* D in L conuerso. Nam nusquam alibi in diminutiuis occurrit huiusmodi immutatio. Deinde quemquam pollices sibi præcidere, vt fit à militia excusabilior, id verò non minutæ, sed propè extremæ socordiæ est argumentum, vt omnino *murcidus* diminutiuum esse nullo modo possit.

MVREX ab *asperitate* & *scabritie*, quâ *muros refert*: vt in μυάζ... Perottus Rectius à *mure* Martinius, quem referre sanè & capse de caussa in piscibus dictus ... Nec ineruditè P. Bellonius lib II Aquatiliũ. vbi leui immutatione ait factum è Græco ..., quomodo ab Aristotele vocatur. Etiam in Gloss. vett est *Murices*, ..., item ..., *murex*, *bucinus*, Vbi malim *bucinum* Sanè quĩ Aristoteli ..., is Plinio nunc *murex*, nunc etiam *buccinum*. Huius appellationis caussam aperit hic locus eius, quem dixi scriptoris Hist Nat. lib IX cap. XXXVI. *Concharũ ad purpuras & conchylia eadem quidem est materia sed distat temperamento. Duo sunt genera: Buccinum minor concha, ad similitudinem eius buccini,*

quo

quo sonus editur: vnde & caussa nomini, rotunditate oris in margine incisâ, Alterum purpura vocatur, &c. Atque hinc quoque paret, cur κῆρυξ dicatur, quâ voce propriè notatur *præco, qui buccino aliterue populum conuocat*. Porrò *murex* præter superiorem notionem etiam notat *machinulas ferreas*, quæ in quamcunque inciderint partem, aliquos aculeos protendunt: vnde & dolosè in terram aduersus hostes conijci solent. A Græcis τρίβολοι dicuntur. Nomen autem è *murice* pisce, cuius aculei sunt plures habentes cuspides: Indicat id hic Plinij locus, lib. IX. cap. XXXIII. *Firmiorem iam testa murices & concharum genera: in quibus magna ludentis naturæ varietas, tot colorum differentia, tot figura, planis, concauis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæsis, in dorsum elatis, leuibus, rugatis, denticulatis, striatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso*, &c. Sanè quin *machinula* hæ à *pisce*, aut *pisces* à *machinulis* nomen traxerit, nemo puto ambiget: sed potiùs *machinula* dicentur à *pisce*, si verum est *muricis* vocem esse corruptam à Græco κῆρυξ, quod Bellonium sensisse dicebamus. A *machinulis* *pisce*, *muricata carduorum cacumina* vocat Plinius lib. XX. cap. XXIII. Ac μυριοβρεχῶ: *muricatos gressus* dixit Fulgentius, hoc est, *formidolosos*, quique quasi per *murices ferreos* fiant. Ab iisdem est *muricatim*, hoc est, *muricum instar*, quomodo Plinium locutum iam vidimus.

MVRGISO, quasi *moricifo*. Festus: *Murgisonem dixerunt à mora & decisione*. Ita & MSS. Isidorus, in Glossis: *Murgiso, callidus morator*. Sic lego cum Ios. Scal. vbi vulgo *murmurator*, pro *morator*.

MVRIATICA. Plauto dicuntur, quæ aliis *salsamenta*. Illustrem de iis Plauti locum vide Pœn. Act. I I I. quem ipsum illustrat Isaacus Casaubonus, lib. VIII. Animaduers. in Athen. cap. V. Et *muria* παρ' ἁλμυροῦ factum ab ἁλμυρὰς, quod idem: cuiusmodi ἀφαίρεσις in multis locum habet. Ita ab ἄμυρος dicta *rutai* a *Tubalcain*, *Vulcanus*; ab Ἀφροδίτη, *Frutis*, vnde *Frutinal*, templum *Veneris Frutis*, teste Festo. Ab ἀλμυρὸς videtur factum Gallicum *Almiraltus* pro *thalassiarcho*. Habet autem *muria* duplicem significationem. Nam interdum ita vocatur *aqua salsa*, quâ aliquid maceratur aut seruatur, vt *muria capperi* apud Celsum, lib. IV. cap. IX. vbi eam lienis morbo ait conducere. Alias *muria* est *liquamen thynnorum*, vt *garum scombrorum*: illud pauperum erat, hoc diuitum, vnde de eo sic Manilius lib. V.

> *Hinc sanies pretiosa fluit, florémque cruoris*
> *Euomit, & misto gustum sale temperat oris.*

Vide Scalig. lib. II. Auson. Lect. cap. XXVII. Quamquam quod ibi ait Scaliger *muriatica* esse quæ Septentrionalibus nationibus dicuntur *stockvisch*, id minime verisimile puto. Nam hæc *vento arescunt*, illa *muria coduntur*, vnde & nomen. Illud quoque addamus, quod neglectum interpretibus Plauti, Comico hunc Capt. I. II. *victum scruposum asperúmque* dici *olera* quæ è *dura asperáque muria* comeduntur. Ac *olera* quidem intelligi nemo dubitat cùm Hegio ibidem non tantum vocet *carnem terrestrem*, sed & *olera* à se intelligi disertim dicat. At non quæuis *olera* intelligi debere, sed ea quæ, vt dicebamus, è *durâ asperáque muriâ comeduntur*, id verò ex eo colligo, quòd is cibus non pauperum tantùm fuerit, sed ægrotis interdum soleat præscribi. Itaque Celsus, lib. IV. c. XV. imperat *portulacam ex durâ muriâ* & paullo post subdit: *Themison, muriâ durâ quàm asperrimè sic alendum, memoria prodidit*. Mirificè autem hanc rem firmat, quod cùm Hegio dixisset, se per *terrestrem carnem* (quam *durum asperúmque victum* antè vocârat) intelligere *olera* subiiciat parasitus; *Curato ægrotos domi*. Nempe quia, vt diximus, olera istiusmodi non pauperum modò cibus erat (vnde & parasitis, qui vnctas sectabantur, exosus fuit) sed etiam ægrotorum. Dispiciant eruditi num mentem Plautinam simus assecuti. De *muria*, vide sis quædam apud Hieronymum Mercurialem, lib. II. Var. Lect. cap. XXVI. & Andream Schottum obseruationum Humanarum, lib. III. cap. V.

MVRMVR à Græco μορμύρειν, vel μυρμύρειν, hoc est, *murmurare*: quod propriè dicitur de aquis fluentibus, cùm paullùm exasperantur ita vt nonnihil spument: teste Eustathio. Μορμύρω autem, non à μύρω, id est, *fluo*, sed, vt puto à sono factum est. Quam sententiam firmat & Varro lib. V de L. L. *Murmuratur dictum à similitudine sonitus*. Et mox: *Hinc etiam poëta murmurantia litora*. A *murmur* est diminutiuum *murmurillum*: Atque vt à *murmur* est *murmurare*: ita à *murmurillum* est *murmurillare*. Plautus Rudente:

> *Palam age, nolo murmurillum, neque susurrum fieri mihi.*

Et ibidem:

> *Quid murmurillas tecum ac te discrucias?*

Vtque à *ludo*, *ludibundus*; ita à *murmuro*, *murmurabundus*: quod Appul. lib. II. Met.

MVRRA, Græcis itidem μύῤῥα *lapidis genus*, vnde *pocula murrina* Græcis μύῤῥινα, quæ perperam cum *myrrhinis* confundunt. Nam sic à *lapide*, vnde fiunt, non ab *aromatis* genere dicuntur. Est apud Martialem lemma, *Murrina*. Sub quo distichon illud:

> *Si calidum potas, ardenti murra Falerno*
> *Conuenit, & melior fit sapor inde mero.*

Eiusdem est.

> ——— *Maculosa pocula murra.*

Et Papinij, in Coma Earini.

> ——— *Hic pocula magno*
> *Prima duci, murrásque graues, crystalláque portat*
> *Candidiore manu.* ———

Sic vbique scribendum esse, iam alij monuere.

MVRRINIS de poculis multa habet Plinius, lib XXXVII. cap. II. Inter alia dicit: *Oriens murrhina mittit. Inueniuntur enim ibi in pluribus locis, nec insignibus, maximè Parthici regni: præcipuè tamen in Carmania. Humorem putant sub terra calore densari*. Sed aliter de his Propertius lib. IV.

> *Murreaque in Parthis pocula cocta focis.*

Nempe nesciuit Plinius, *murrina* esse pocula similia illis, quæ ex Signino cocto apud Sinas fiunt: quæ vulgo *porcellana* dicimus. Eodem in errore hæsere veterum illi, qui *gemmæ* nomine signant Maro:

> *Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.*

Seneca de Benef. lib. VII. cap. IX. *Video murrina pocula. Parum scilicet luxuria magno fuerat nisi quod vomant capacibus gemmis inter se propinarent*. Planè etiam fallitur Agricola, cùm censet, *murrina* pocula esse eadem ac illa, quæ ex *onycho* fiunt: quem errorem satis refellunt, quæ de his scribit Plinius, lib. XXXVI. cap. VII. Et apertè distinguunt Lampridius in Heliogabalo. *In murrinis & onychinis minxit*. Vide & de *myrrhinis* Cæs. Scaligerum, Exercit. XCII. Iosephum Scaligerum, ad Propertium, lib. IV. & Salmasium in Exercitationibus Plinianis.

MVRRINA, vel *murrhina*, Plauto est potionis genus, teste Nonio: eiúsque dulcis, nec inebriantis, ac propterea mulieribus concessæ: teste Varrone, lib. de vita pop. Rom. & Gellio. lib. X cap. XXIII. Arbitror autem idem esse ac *murratam* potionem, de qua Festus in *murrata*. Festus cùm dixisset *murrinam* a Græcis *nectar*, à mulieribus Romanis *murrinam* vocari: addit, *Quidam id dicit putant ex genere vitis, murrinæ nomine*. Sanè ne veteribus quidem de caussa eius appellationis constitisse videtur. Sed non dubium, quin sit a Græco μυῤῥίνης. Nam vt ὁ μαργαρίτης, *margarita*; ὁ καταπέλτης, *catapulta*; ὁ χάρτης *charta*, sic ὁ μυῤῥίνης, *myrrhina*. Ὁ μυῤῥίνης οἶνος idem ac μυρίνης, quomodo Polluci vocatur. At μυῤῥίνης dicitur Posidippo apud Athenæum. Hesychius Μυῤῥίνης οἶνος μύρῳ ἐσκευασμένος. Sic legendum. Addit deinde aliquibus dici νέκταρ ἢ ἐσχάτη μύρου. Ab *vnguento* igitur, quod Græcè μύρον dicitur, est μυρίνης. Vnde & Polluci μυρίνης exponitur οἶνος μύρῳ κεκερασμένος. Eadem de caussa dicebatur μυῤῥίνης, quia Æoles pro μύρον dixere μύῤῥα, vt ex Athenæi. lib. XV. discere est, vbi ait, Æoles ideo pro σμύρναν, quæ *myrrha* est, dixisse μύῤῥα, quia *ex ea fieret vnguentum*, *ac stacte* per se etiam *vnguentum esset*. Ab hac significatione vocis μύῤῥα pro *vnguento*, etiam dicta herba μυῤῥίς, & fortassis λίθος μυῤῥίτης. Omnino autem errant quibus placet οἶνον μυῤῥίνην ac Latinis *murrinam* dici à μυῤῥίνη, *myrtus*, quia ex eius baccis fieret. Nam ἀναλογία tum requireret μυῤῥίνινος, Latinè item *murrinica*. Etiam errant qui, Festo teste, putarunt *murrinam* esse *vinum murratum*. Scio & Plinium *murrinum* interpretari *murrâ conditum*. Sed sic *vinum* esset *amarum*. Nam *myrrha amara*; atque indè etiam apud Hebræos nomen accepit, vt alibi dictum. At *murrina* inter *dulces potus* clarè reponitur à Plauto in Pseudolo. Quare id extra controuersiam est, ab *vnguento* nomen accepisse, quod Græcis μύρον & Æolibus etiam μύῤῥα dicitur.

MVS, à μῦς, hoc à μύειν, quod est *abdere se in latibula*, siue *in latebrare*. Vel est μῦς à Persico موش *mus*, quod idem significat éstque ab Hebræo מוש quod est, *recedere*, quia animalculum hoc viso homine confestim fugiat, ac recedat. Ac posterius hoc etymō acceptū fero præstantissimo & amicissimo Abrahamo Coltero. Diminutiuum est *musculus*, vt apud Cicer. II. de Diuinat. *Nam & musculorum iecuscula bruma dicuntur augeri*. Est & nomē *pisciculi*, qui balænæ fungitur oculorū vice, quia caudâ cursum eius moderatur, ne in vada impingat, vt scribunt Plinius, lib. IX. cap. LXII. & Claudianus, lib. II. in Eutropium. Etiam *concharum* generi conuenit ea appellatio: de quo in *mitulus piscis*. Præterea vt Græcis μῦς ita Latinis *musculus* vocatur in animali motus voluntarij instrumentum,

mentum, carne fibrisque constans: quod & Belgæ similiter ambiguo vocabulo *de muis* vocant. Creditur autem sic dici, vel quòd *musculum excoriatum referat*; vel, (quod Gorræus sibi magis verisimile videri scribit) quia *similis sit musculo pisci*. Denique *musculus* quoque dicitur *machina bellica*. Cuius nominis de caussâ sic Isidorus, lib. XVIII. cap. de ariete. *Musculus cuniculo similis fit, quo murus perfoditur, ex quo & appellatur, quasi murusculus*: Sed aliter Vegetius, lib. IV. cap. XV. *Vocantur autem à marinis belluis musculi. Nam quemadmodum illi, cùm minores sint, tamen balænis auxilium adminiculúmque iugiter exhibent: ita istæ machinæ breviores, deputatæ turribus magnis, aduentui illarum parant viam, itineráque præmuniunt.* Et rectiùs sanè Vegetius, quam Isidorus. Solent enim machinis bellicis nomina indi ab animantibus: vt indicant aries, scorpio, ericius, cuniculus, testudo, aliáque. Vide hâc de re Seruium, in 11. Æn. & Isidorum eodem libro cap. de clypeis. Fortasse tamen appellatio est non à *musculo pisce*, sed *domestico*, quia *instar eius animalculi foderent sub eo terram*, aut quia *milites, vt mures, cauum id subirent*. Quam nominis rationem adfert Iustus Lipsius, lib. I. poliorceticon, cap. IX. *Murinum fimum* Varroni *muscerda* dicitur, vt scribit Plinius, lib. XIX. cap. VI. Cuius de vocis origine dicimus in *Merda*. Cætera à *mure* deriuata, vt *mustricula*, & *muscipula*, adferimus suo loco.

MVSCA omnino est à Græco μυῖα, quod idem significat. S insertum more antiquo: de quo sæpe dictum.

MVSCIPVLA Lucilio ac Varroni dicitur, *quâ mures capiuntur*, à *mus*, & *capio*. Μυάγρα exponunt Glossæ. Etiam μύσπαλα vocatur, Hesychio teste, cui μύσπαλα exponitur μυάγρα, παγίς. Ea lectio si sana, possit & *muscipula* à μύσπαλα factum videri. Sanè id Nunnesius censuit in Grammatistice.

MVSCVS dicitur *villosa illa lanugo in arboribus ac saxis proueniens*: siue, vt Sosipatro ac Diomedi, vtrique libro primo definitur, est *herba, quæ in parietibus vel corticibus arborum nascitur, vel hæret*. Possis & ex Plinij lib. XII. cap. XXIII. vocare *canos arborum villos, quales in quercu maximè videmus*. Etiam sic vocatur *lanugo illa villosa in mari petris innascens, ac mari innatans*, vnde & in litus euoluitur ac proijcitur: quæ aliter βρύον θαλάσσιον, & φῦκος. Latinis *alga*. Gloss. Phil. *Muscus*, βρύον, φῦκος. Ita Maro III. Georg. iubet armenta pasci.

——— *Plena secundum*

Flumina. ———

Atque addit,

——— *Muscus ubi, & viridissima gramine ripa.*

Hinc *muscari* apud Columellam pro *musco contegi*. Est *muscus* à Græco μόσχος, quo notantur *tenera ac nouella*: vti *tenera boum soboles*, & *tenelli arborum rami*. In Glossis Philox. *muscus* etiam exponitur μόσχος, quo significatur *pretiosi odoris genus erumpens ex animalis Indici vomica, vel è pelle eius animalis plagis ad sudorem adacti*. Vide Aëtium lib. περὶ τῶν ἁπλῶν φαρμάκων. Sic Gloss. Cyr. μόσχος, *muschus*. Sæpius autem μόσχος vocatur à Græcis: vt apud Achmetem in Oneirocritico. Vide & μόσχατα apud Aëtium, *quibus muscus additur*. Meminit *musci* fragrantis Hieronymus, lib. II. aduersus Iouinianum, & epist. ad Principiam virginem. Hoc esse *Indi animalis muscum*, omnino putamus. Negat tamen id Hermolaus Barbarus, in Plinij lib. XII. cap. XXIV. vbi βρύον siue *arborum muscum* intelligit. Distinguit & Alciatus, in poster. Annot. Cod. p. IↃLXXII. Nempe arbitrantur, non tam antiquam esse notitiam *musci odorati*. Sed contrarium docuit Salmasius: qui obseruat meminisse etiam Arnobium, lib. VII. atque adeo Appuleium, lib. VII. Met. Apud illum in Reg. cod. *venerabile miscum*: apud hunc *misci flagrantis*, scriptum est. Sed literæ *i, u, y*, solent à librariis confundi, vt omnes norunt.

MVSICA. Μουσικὴ, antiquis signabat vniuersè *humanitatis studia*: sed posteriore *modulationi numerorum* speciatim id nomen tribuerunt: qua de re vide quæ ex Platone & Aristotele scribit Budæus, in Comm. Lin. Gr. Nomen id esse à *Musis*, satis liquet. Vnde & μουσεῖον, *musæum*: vel vt Philostratus scribit in vita Apollonij, *locus vbi Musæ colebantur*. *Musæ* verò Eusebio ita dictæ videntur à μυεῖν significante διδάσκειν, vel μυσταγωγεῖν. Sed Plato in Cratylo deducit à μῶσθαι, quod est ζητεῖν. pro quo est, quòd Doricè μῶσαι dicerentur. Vide Græcos interpretes Hesiodi ad primum versum ἔργων, ac imprimis, Tzetzem. Sed de etymo subscribere malo Iul. Scaligero, qui commentario in Theophrasti historiam plantarum dici censet μοῦσαι ab ea notione verbi μάω, siue μῶ, quâ significat *cupidè ac cum impetu in aliquid ferri*. Vt nempe nomen sit ab *incitatione, à qua furor prouenit*. Nec displicet, quòd alij ab Hebræo fonte arcessunt. Nempe vel à מסו, *masa*, quod est *instruere, adijcere*. Vel à מוסר, *musar*, quo eru-

ditio significatur à Rad. יסר, *erudire*. De *Musaico opere*, & *Musinarius*, vide in *Musiuum*.

MVSIVVM opus idem est, quod *tessellatum*. Græcis ψηφοθετικόν, & ψηφοβόλον. Pro eodem & *musaicum* dicunt. Vtrumque est à Μουσεῖος, à Μουσικός: sic à Ἀχαῖος, Ἀχαϊκός, & vt Ἀχαϊκός, Latinis *Achaicus*, ita Μουσικός, *Musiuus*, quemadmodum Scaliger ad Manilium notauit; & ex eo Nicolaus Serrarius ad farraginem epistolarum Bonifacij, & aliorum. Hinc *Musinarij*, *tessellatores*, ψηφοθέται, ψηφοβόλοι, hoc est, *qui pauimenta scutulis siue tessellis struerent, aptéque ad regulam perfricarent*, quemadmodum idem docuit Scaliger. *Musiui operis* meminit Spartianus: *Picturam de musiuo, inter Commodi amicissimos videmus, sacra Isidis ferentem*. Item Aimoinus, lib. III. de gestis Francorum: ex quo similiter corrigendum esse apparet, apud Gregorium Turonensem, lib. V. cap. XLV. In Christianis quoque inscriptionibus legas pag. CIↃLXIV. *Domino iuuante, Felix Episcopus Dei, sorum Basilica B. Martyris Stephani, Musiuo & marmoribus decorauit.* *Musinariorum* mentio est l. I. C. de excusationibus artif. prout ibi legendum esse liquet ex lib. II. eodem Tit. Cod. Theodos. Gemino quoque in loco hanc vocem Iulio Firmico restituit Scaliger loco antedicto. Item vide sis Casaubonum ad Suetonium, itémque ad Spartianum.

MVSMONVM appellatio est à Græcis, qui similiter appellant. De his ita Strabo, lib. V. Γίνονται δ' ἐνταῦθα οἱ τρίχα φύοντες αἰγείαν ἀντ' ἐρίων κριοὶ, καλούμενοι δὲ Μούσμωνες, ὧν ταῖς δοραῖς θωρακίζονται, hoc est, *Nascuntur hic arietes, qui velleris loco villum caprinum gignunt, & vocantur musmones: quorum pellibus sese loricant.* Plinius, lib. VIII. cap. XLIX. *Est & in Hispania, sed maximè Corsica, non maximè absimile pecori, genus musmonum caprino villo, quàm pecoris velleri, propius. Quorum è genere & ouibus natos prisci Vmbros vocarunt.* Isidorus, lib. XII. cap. I. *In animantibus bigenera dicuntur, quæ ex diuersis nascuntur, vt mulus ex equâ & asino; burdo ex equo & asinâ; hibrida ex apris & porcis; tityrus ex oue & hirco; musimo ex caprâ & ariete.* Sed & latiùs patet *musmonum*, seu *musimonum* vox, quàm ex hisce scriptoribus intelligas: vt quæ etiam ad asinos, mulos equósque extendatur: Nonius Marc. *Musimones, asini, muli, aut equi breues*. *Lucilius*, lib. VI. *Pretium emit*, (Dousa pater rectè legit *predium*, ac *emit* ἀρχαϊκῶς positum putat pro *emat*) *qui vendit equum musimonem*. *Cato Delectorio*: *Asinum, aut musimonem, aut arietem*. Nonij sententiam confirmant Philox. Glossæ, in quibus legas, *Iber*, ἡμίονος *Imbrium*, Ἡμίονοι, Πρόβατα. Nam *iber* siue *imber*, idem quod *vmber*, quomodo *musmonem* vocari ex Plinio supra diximus. Ab *iber* est *ibrida* pro *spurio*, non παρὰ τὴν ὕβριν. *Iber* verò ex *imber* siue *vmber*, quod à Græco ὄμβρις. Pollux, lib. V. cap. II. τὰ δὲ παίδια τῶν ἀγρίων τέκνα, ὀμβρίκια οἱ ποιηταὶ καλοῦσι, καὶ ὀμβρίας. Quòd verò Latini pro *vmbro* siue *imbro*, *iber* & *ibrida* dicant absque *M*, id ipsum Græcorum fit exemplo, qui similiter ὄβρια ὀβρίκαλα appellant, vt ex Eustathio discimus, qui in Odyss. α pag. CIↃCCCXCV scribit à βρῶ ἐκτεταμένου esse ὄβριμος, id est, *valentes firmus*, indéque vocari ὀβρίκαλα παρὰ Αἰσχύλῳ λέοντος, σκύμνια, quasi ὄβριμα καὶ μικρά. Idémque in Odyss. ι. pag. CIↃIↃCXXV. ait, *erinaceorum similiúmque catulos* ὄβρια καὶ ὀβρίκαλα appellari.

MVSTACEI meminere Iuuenal. sat. VI. Statius, lib. I. Silu. Plinius, lib. XV. cap. XXI. è Grammaticis Caper, & Velius Longus. Erat *libi genus*, à *musto* dictum. Nam, vt ex Catone constat, fiebat è *farina siliginea musto vino, musto conspersa*. Hinc illud apud Tullium, lib. V. ad Att. Epist. XX. *Laureolam in mustaceo quærere*. quo de vide Calcagninum, in epistolicis quæstion. lib. I. epist. XVIII.

MVSTELA, à *mus*, *tela* vocis productio est. Id malim, quàm vt sit ex μῦς, *mus*, & τῆλε, *longè*, quod Scaligero placet, Exercit. CCCXXV. Longéque minùs placet, vt sit à *mus* & τίλλω, quod exponunt *furari*: vt ita dicatur, quia *furetur mures*. Nec enim τίλλω id notat Græcis. A *mustela* dicitur *mustelinus color*. Terent. in Eunucho. Apud Menandrum erat, ὥσπερ δὲ γαλεώτης χρόα. Nempe confudit Terentius, γαλῆ & γαλεώτης. Illud *mustelam* notat, hoc *stellionem*. Hoc nomine iam olim Terentium fuisse reprehensum, cognoscimus ex Donato. Excusat ipse eo; quòd *mustelinum colorem* dixerit velut *sublividum à pelle mustelæ*. Sed parum verisimile est, *pilis colorem* tribuisse *faciei*. Turnebus aliter excusat. Ait γαλεώτην, non *stellionem* tantùm esse, sed etiam *mustelam*. Sed non euincit hoc Hesychij locus, quem adducit. Et vt vtrumque significaret, non tamen apud Menandrum *mustela*, sed *stellio*, intelligeretur. Nam *lentiginosa facies*, vt Donatus agnoscit, indicatur. At *eiusmodi facies* optimè refert non *mustelæ pellem*, sed *tergum stellionis*, cui nomen à *maculis*, *quibus corium distinguitur, quasi stellis*.

MVSTRICVLA, vt scribit Festus, appellatur ab Afranio *medu-*

lam

lus siue *lignea forma*, cui inducto corio nouus fit calceus. Sed in Glossis Isidori legere est: *Mustricula, machina ad stringendos mures.* Quare suspicatur Ios. Scaliger hanc propriam esse significationem: sed à *similitudine illius machinæ* tribui *modulis* siue *formis sutorum.* Quod placet, vt sit à *mus* & *stringo*, N omissum, vt in *strigil.*

MVSTVM, à *mus*, id est, *terra*, quia *mustum habet multum terræ* siue *limi.* Ita Isidorus, lib. xx. cap. iii. Sed ineptum hoc. Est autem *mustum*, siue *mostum*, à μόσχος, id est, *tener*, *nouellus*, vt apud Homerum μόσχοισι λύγοισι. *Vinum* igitur *mustum*, quomodo Cato loquitur, idem est, quod *nouum*, siue οἶνος μοσχίδιος. Nonius: *Mustum non solum vinum, verum nouellum quicquid est, rectè dicitur.* Næuius, Gymnastico: *Utrum est melius, virginemne, an viduam vxorem ducere? virginem, si musta est.* Et Priscianus, in sexto, citat Catonem Censorium, *de agna musta pascenda.* Posteriores verò pro eo *musteus* maluerunt: quomodo apud Plinium Veronensem *mustea pira* legimus. lib. xv. cap. xv. & *musteum succinum*. lib. xxxvii. cap. iii. & apud Plinium Nouocomensem *musteum librum*, lib. viii. ep. xxi. quod ipsum etiam Sidonius vsurpat, viii ep. iii.

MVTILVS *piscis è concharum genere*, memoratus Catoni de R. R. cap. clviii. Horatio item, lib. ii. satyrâ iv. Martiali, lib. iii. epig. lx. Plinio, lib. viii. cap. li. & lib. xxxii. cap. ix. Alij scribunt *mytilus*. Sed malim per V. Est enim nomen Romanum: vt cognoscimus ex Athenæi lib. viii. vbi ait, quam Græci μύαν appellant, eam Romanis vocari μύτλον. Differre à *mye*, & *mysco*, indicat Plinius, lib. xxxii. cap. xi. vbi iunguntur, *mys mutilus*, *myscus*. Origo tribus istis eadem, nempe ab *similitudine aliqua muris*: vnde & *conchæ genus*, quod Belgis *mosselen*, *musculorum* nomine vocantur à Plauto, Rudente, & Corn. Celso, lib. ii. *Mutilus*, si audimus Cæsarem Scaligerum, Exercitat. cxl. venit à *mutus*: *Mutilum*, inquit, *dixere veteres, quod esset defraudatum naturâ suâ, deductâ voce ab hominibus mutis. Quippe homini sermo nobilissima res, & maximè necessaria.*

MVTILVS adiectiuum quibusdam, Perotto teste, dici placet, quasi *minutus*. Sed est a Græco μιτύλος, quod idem notat. Vnde Theocr. Scholl. Idyll. viii. μιτύλαν αἶγα vocat *mutilam*, hoc est, *cornibus destitutam.* Vnde & Scholiastes ἄκερων exponit. Et sanè vt μιτύλος est ἄκερως, ita & *muticus*, quod eiusdem originis ac *mutilus*. De significatione id quod dixi, comprobatur hoc Varronis, lib. i. de R. R. c. xlviii. *Spica mutica dicitur, quæ non habet aristam: ea enim quasi cornua sunt spicarum.* A *mutilus* Varroni, Columellæ, Vitruuio *mutuli*, siue, vt in quibusdam libris ea vox scribitur, *mutili* dicuntur ligneæ illæ vel lapideæ partes prominentes, quibus capita trabium imponuntur. Sunt enim quasi *mutilæ trabes*. Eustathius in Aristotelis lib. x. vocat μοῦτλα ex vsu vulgari. Sed malum se architectum ostendit cùm *triglyphos* interpretatur.

MVTO verbum à *motu* quasi *motare*: vel ab ἀμείβω, quod idem notat. Nempe vt *b* in *t* mutetur: quod Nunnesius voluit. Vel ab Siculo μοῖτον, id est, *mutuum*: de quo in *Mutuum* dicemus. Vel ab Hebræo מוט, quod est *inclinare*, *nutare*, *labi*. Quod etymon Angelus Caninus sequitur. Duóque posteriora mihi imprimis placent. Etiam *muto* nomen est, ac *penem* notat: vnde Onomasticon: *Muto*, πέος. Nec longè abit Græcum μυττός, quomodo Hesychio teste vocatur τὸ γυναικεῖον, indéque apud eundem μυττός, ὁ περὶ τὰ ἀφροδίσια ἐπιτήδειος. A μυττὸς fit rectus μυττών, vnde *muto*. Sed μυττὸς videtur factum è μύρτος. Nam & hoc pacto appellatur *pars ea quâ feminæ sunt*. Vide si voles, Rufum Ephesium. A *mutuo* est *mutonium*, vel *mutunum*, pro quo & *mutinum* dixere vt, *optimus*, *optumus*. Sed in *mutunum* ac *mutinum* penultima est porrecta: vt apud poëtam Ithyphallicum, in illo Senario:

Priape, furibus minare mutino.

Mutonium esse id quod dixi ex vett. Gloss. cognoscimus. Vt in quibus αἰδοῖον ἀνδρεῖον exponatur. Id nempe *quo fascinum arcebant*. Atque additur, sic à *Lucio* vocari. Sed pro Λουκίος, scribendum Λουκίλιος, qui vsus lib. ii. Sat. *Nam quid mutuno, subrectóque huic opus signo.* Citat. Nonius in *Lurcatur*. Turnebus, lib. xvii. cap. xxiii. colligit ex Lucillio *Mutinum* etiam fuisse *silentij deum*, ac sic dictum, quia *præstet*, *vt mutus homo, ac aliquid clam habeat.* Sed omnino rectiùs Glossæ *fascinum* intellexere. Pro *subiecto* autem fortasse *surrecto* rescribendum. Nam *mutunus*, siue, vti in quibusdam libris scribitur *mutinus* nihil aliud erat quam *surrectus penis*, signum viri: vt in illo Lucillij versu posterius sit ἐξήγησις prioris. Indéque *mutoniatus*, ἰσχυρός, vt exponit Onomasticon. A *mutone* etiam est *Mutunus*, etsi quidam *Mutunum* dici alii velint, quia *vim semouendi marito vxorique addat*. Festus in Schedis Farnesiani exemplaris: *Mutini Titini sacellum fuit in Veliis aduersum murum Mustellinum in angiportu: de quo aris sublatis balnearia sunt facta domus Cn. Domitij Caluini, cùm mansisset ab vrbe condita ad Principatum Augusti Cæsaris inuiolatum, religiosèque & sanctè cultum fuisset, vt ex Pontificum libris manifestum est. Nunc habet ædiculam ad milliarium ab vrbe sextum & vicesimum dextrâ viâ iuxta diuerticulum viæ: & mulieres sacrificant in eo togis prætextis velatæ.* Arnobius, lib. iv. *Etiamne Mutunus, cuius immanibus pudendis, horrentique fascino vestras inequitare matronas, & auspicabile ducitis: & optatis?* Lactantius, lib. i. *Et Mutunus, in cuius sinu pudendo nubentes præsident, vt illarum pudicitiam priùs Deus delibasse videatur.* *Mutinum* hunc *Priapum* vocat Augustinus, lib. vi. de ciuit. Dei, cap. xxiv. *Et quod in celebratione nuptiarum super Priapi scapum noua nupta sedere iubebatur.* Et, lib. iv. cap. xi. *Ipse sit Mutunus Tutunus, qui est apud Græcos Priapus.* Ita est in MSS[is] codd. Et vidimus vt Festus similiter dixerit *Mutini Titini sacellum*. Nimirum nunc ἁπλῶς dicebant vel *Mutunum*, vel *Tutunum*, nunc iunctim *Mutunum Tutunum*. *Tutunus* autem fortasse ex *tuta* pro *puta*, hoc est, membro virili: vnde *præputium*, *pusillus*, aliáque. Vti *puta* à πόσθη. Vide *putus*.

MVTVS à μύδος vel μυττὸς, vel μύτης, hoc est, ἄφωνος, ὁ μὴ λαλῶν. Vide Hesychium in vocibus dictis. Vel *mutus*, à *sono quem muti edunt*, factum est: vt scribunt Varro, lib. vi de L. L. Nonius in *Mutus*, & Isidorus, lib. x. Ab eodem sono est *muttire*, quod *proprium est canum, cùm incipiunt irritari.* Sumitur pro *hiscere*, ac *minimum loqui*; vt apud Plautum Amphit. Act. i. Sc. iii. & Milit. Act. ii. Sc. vi. Ianus Gulielmus *mutire* magis probat, lib. i. Plaut. Quæst. cap. ii. Ita in Gloss. vett. legas *Muttum*, γρῦ, *muttire*, γρύζειν. Nempe vt à γρῦ γρύζειν, ita *mutire*, vel *muttire*, à *mu* vel *mut*. Charisius, lib. ii. cap. de Interiect. *Mu facere* pro *mutire*; Lucill. Satirarum lib.

Non laudare hominem quenquam, neque mu facere vnquam.

Ibidem citat hoc e Plauti Cræco, siue Prædonibus:

Quis tu es, qui ducis mu mu, perij hercle, Afer est.

Vbi *mu* est particula terrorem notans. Similiter hinc *mussare* quod vocem murmurantem exprimit. Vel vt à *quatio quasso*, ita à *mutio musso*. Vel à Græco μύζω est *musso*, vt à πατρίζω *patrisso*. Varo lib. vi. de L. L. *Mussare dictum, quòd muti non amplius quàm μῦ, dicunt, à quo idem dicit, quod minimum est, neque, vt aiunt, mu facere audet.* Festus; *Mussare, murmurare. Ennius: In occulto mussabant, murmurabant. Vulgo verò pro tacere dicitur, vt idem Ennius: Non decet mussare bonos.* Sed *mussare* hic non tam est *tacere*, quam *summissâ voce loqui ne exaudiant alij*. Nam sententia est: Iniquum est, vt bonis non liceat clarè dicere quod velint. Vide & hac de voce Nonium, ac Seruium in ii. Æn. A *mussare* dicti *summussi*, non à *voce submissa*. Idem Festus: *Summussi dicebantur murmuratores.* Næuius, *Odi*, inquit, *summussos, proinde apertè dico, quid sit, quod timet.* A *mussito* verò est *mussitabundus*. Onomasticon: *Mussitabundus* μύζων, *mussito*, *musso*, μύζω. Quibus & ὁμοίως Græcum firmatur.

MVTVVM iuxta Iurisconsultos ex *me* & *tuum*: quia ibi *mutuum damus*, cùm *quid de meo fit tuum*, aut *de tuo meum*: *commodatio* verò locum habet, cùm *idem reddimus corpus*. Vnde Boëtius, in Top. Cic. *Quod mutuum datur, de meo fit accipientis: atque ideo non cogitur eandem ipsam pecuniam debitor restituere creditori, sed aliam tantùm.* Sed Varro Siculam esse vocem censet, lib. iv. de L. L. *Si*, inquit, *datur, quod reddatur, Mutuum, quod Siculi μοῖτον.* Addit ita μοῖτον voce vsum Sophronem. Sed vti *mutuum* dici volunt ex *me* & *tuum*: ita μοῖτον fortasse quasi μοὶ τεόν, vel μοὶ τόν, *mihi tuum*. Nam τὶν est Doricum pro σοί. Varronis sententiam firmat Hesychius in μοῖτος, vbi μοῖτος exponitur χάρις, quia *gratia est animi mutuò benefacere*. Salmas. De Vsuris, pag. xxxv. *Mutuum à Siculo μοῖτον, quod est χάρις & gratia, inde mutuum pecunia vsus gratuito commodatus, in quo reddendo nihil vltra accepti summam debetur, quàm grati animi testatio, hoc est, χάρις.* Tertia est Turnebi sententia, lib. x. Aduers. cap. xxv. vbi à *mutatione rerum*, *mutuum* dici opinatur. Atque addit illud Iurisconsulti etymon scitè magis quam verè dici. Imò eadem mens Cuiacij obseruat. lib. xi. cap. xxxvii. Mihi quoque horum sententia simplicior videtur. Sanè similiter Græci ἀμοιβὴν dicunt ab ἀμείβω, *muto*, *alterno*. Et fauet analogia, nam à *muto mutuum*, vt à *pasco pascuus*, à *fari fatuus*, ab *irrigo irriguus*, à *noceo innocuus*. Sed Varronis tamen sen-

tentiam

tentiam maximè probo, quòd Romani pleraque omnia habeant à Siculis & Pelasgis, de quo alibi satis diximus. A *mutuus, mutuitare* dici, scribit Turnebus, atque ita apud Gellium legere iubet, lib. II. cap. XXIV. *Qui ludis Megalensibus mutuitarent, id est, mutua inter sese conuiuia agitarent.* Vt nempe sit, quod Maro dicit, I. Georg.

Mutuaque inter se læti conuiuia curant.

Vide eum, lib. XIV. cap. XVIII. Sed lib. XVII. cap. I. retinet *mutitare*, quod est in vulgatis: sed κατὰ συγκοπὴν ex *mutuitare* factum opinatur. Retinet quoque hanc scripturam Lipsius in Saturnalibus. Sed Durantius Casellius putat Gellium scripsisse *munitare*, atque esse id verbi factum à *munere*, quod inde coniectat, quia non de quibusuis conuiuiis hoc verbo vtebantur, sed illis quæ *Megalensibus & Cerealibus* agitarent: vt indicat Agellius cùm lib. II. cap. XXIV. tum lib. XVIII. cap. II. vide Casellium, lib. II. Var. cap. XII.

MYCTERISMVS, μυκτηρισμὸς, cùm *quis naso suspenso deridetur.* Est à μυκτὴρ, quo vsi pro *irrisione*, vti & *nasum* Latini vsurpant. Eunapius Sardianus in Libanii vita: Καὶ οἱ πάντες οἱ Συροφοίνικες ἔχουσι κατὰ τὴν κοινὴν ὁμιλίαν ἡδὺ καὶ κεχαρισμένον, τοῦτο παρ' ἐκείνου λαβεῖν μετὰ παιδείας ἐξῆν, οἱ μὲν οὖν Ἀττικοὶ μυκτῆρα καὶ ἅλας αὐτὸ καλοῦσι. *Syrophœnicibus omnibus in vulgari colloquio est peculiaris lepor & grata iucunditas: quæ præter eruditionem ab eo petere licebat. Attici nasum & sales vocant.* Plura hac de re diximus in institutionibus Oratoriis.

MYOBARBVM, à μῦς & βάρβιτος, quod *vasis genus*: vt significet *muris cyathum*: quemadmodum Turnebus scripsit, lib. III. cap. XIX. eúmque secutus Ios. Scaliger, notis in Catalecta. vel potiùs, vt idem Scaliger, priorem sententiam retractans, scripsit, lib. II. Auson. Lect. cap. XXVII. à Græco μῦς & Latino *barba*. Nam vt ex veteribus marmoribus ac monumentis discere est *poculum*, qui cum Bacchus fingebatur erat oblongum augustúmque & in turbinem desinens, vt hac ratione liqueat retulisse murem, *r*, cuius corpus oblongum & barbam quam exprimebat cono suo Qu re similis fuerit appellatio ac *nanus barbatus*, quod itidem *poculi genus* est, & constans nomine Græco νάννος, sed Latinorum more prolato per *VS*. & Latino *barbatus*, sed Græco more enunciatum per OS. Varro lib. IV. de L.L. *Postea accessit Nanus cum Græco nomine, & cum Latino nomine Græca figura barbatos.* Sic legit Scaliger in Ausonianis lectionibus. Sed de *barbatos* per O falli puto. Neque enim aliud voluit Varro, quàm Latinos accepisse à Græcis vocem *nanus*, verùm quia figura vasis Latini nonnihil à Græcorum vase differebat, non simpliciter *nanum* vocasse, sed diuersitatem hanc eo indicasse, quod adiicerent *barbatus*. Confirmat hanc sententiam locus Festi: *Nanum Græci vas aquarium humile & concauum, quod vulgo vocant situlum barbatum.* Et illud in veteribus Glossis, *bardadatus* νάννος, τὸ σκεῦος. Nam *barbatus* legendum esse ex Festo liquet: ac sic quoque emendauit Turnebus, lib. XXII. cap. IX. ac post eum Scaliger ipse ad Festum

MYOPARO est *nauicula piratarum*, vt inquit Nonius, qui Ciceronem, Sallustium, & Sisennam eo vsum docet. Aliorum quoque, qui vsurpent, loca adfert Sauaro ad Sidonij lib. VIII. epist. VI. Turnebus, lib. II. cap. I. sic dici ait ab vrbe *Myunte* & *paron*, quod *nauigij genus* est ab insula *Paro* dictum. Sed de priori vocis parte dissentit Io. Scaliger, qui vult μυῶνας dici, quia murium oblonga corpora referret, quomodo & Ausonio (vt ostendimus in *Cantharus*,) *myobarbum* dicitur *Liberi patris anguste oblongúsque cantharus potorius*. Seu Turnebum, seu Scaligerum sequi lubet, vera lectio erit apud Festum: *Myoparo genus nauigij ex duobus dissimilibus formatum. Nam & myon & paron per se sunt.* In vulgatis pro *myon* corruptè legitur *midion*.

MYOPS, μύωψ, pro quo apud Nonium, in *Lusciosus*, μύωψ legas quod esset *minus videns*, à μεῖον quod est ἧττον, & ὤψ hoc est, ὀφθαλμός. Sed non puto alibi eam vocem inueniri. At μύωψ est ἀπὸ τοῦ μύειν τοὺς ὦπας, quòd *oculos pene claudat, & conniueat, vt meliùs res videat.* Latini *lusciosum* vocant, si credimus Gellio, lib. IV. cap. II. Quæ & aliorum quorundam sententia fuit: vt vidimus in voce *Luscus*. Sed falluntur. Nam *myopes* ob purum quidem sed paucum humorem crystallinum, acutè vident, sed tantùm propinqua, ac vesperi ferè acutiùs iis vident, qui *myopes* non sunt. Auctor Isagoges: Μύωπας δὲ λέγουσι τοὺς τὰ μὲν σύνεγγυς βλέποντας, τὰ δὲ πόρρωθεν μὴ ὁρῶντας. *Luscitiosi* verò siue *lusciosi* (vtrumque enim dicitur) interdiu quidem vident, at non item vesperi aut noctu quod & Nonius è Varrone probat, & Plinius scripsit, lib. VIII. cap. L. & imprimis lib. XXVIII. cap. XI. vbi diserrim scribit *luscitiosos* Græcis dici νυκτάλωπας, hi autem, Galeno teste, ita vocantur, quasi οἱ τῆς νυκτὸς ἀλαοί, id est, *de nocte cæci*: vel, vt aliis placet, à νὺξ id est, *nox*, & obsoleto ἄλωψ, quod conflatur ex α στερητικοῦ, & ὤψ, significante *visum*. Λ interseritur, vti etiam fit in αἰγίλωψ, quod propriè signat αἶγος ὦπα, etsi generatim sic appellentur rubentes in cute circuli, qui aliter vocantur ἀγκύλωπες, vt scripsit Galenus ἐν ταῖς γλώσσαις. Aliter tamen de voce νυκτάλωψ vsus Hippocrates, lib. II. Prædict. & auctor Isagoges, quibus ita vocantur, qui vesperi acutiùs cernunt. Nos Galenum sequimur & alios quos diximus. Mirari autem aliquis possit, quòd cùm μύωψ, & per Ω scribamus (vti & νυκτάλωψ, aliáque ab ὤψ venientia) non tamen Αἰθίωψ, sed Αἰθίοψ dicamus, quasi esset ab ὄψ, hoc est, φωνή, vnde μέροψ epitheton hominum, quia habeant μεμερισμένην ὄπα, *vocem diuisam ac articulatam*: à quo etiam Καλλιόπη, vna Musarum, à *vocis pulchritudine* ita dicta. Sed nodus hic soluitur, si dicamus, Αἰθίοψ non ab ὤψ vel ὄψ venire sed ab ὄψις. Nam ita dicitur quasi αἰθομένην ἔχων τὴν πρόσοψιν, ab αἴθομαι, hoc est, καίομαι, & ὄπτω, ὄψω, quod est, *video*. Vel dicendum, ὄψ interdum idem esse quod ὤψ, indéque Αἰθίοπας dici, & αἴθοπα οἶνον apud Homerum *Æthiopidis* herba ex eo dicta, quia licèt alibi quoque, vt in Ida Troadis monte, & in Messenia, crescat, quæ tamen ex *Æthiopia* venit, optima sit: vt ait Plinius, lib. XXVII. cap. IV. vbi & legas, de figura eius, & quàm variis morbis prosit. Sensit hoc Pierius, qui & putabat Maronem idcirco etiam secundam in *Cyclopeia* corripere, cùm ait, *Vos & Cyclopeia saxa*: prout in plerisque codd. antiquis scriptum inuenitur, vbi in vulgatis est *Cyclopea*.

MYRICA, humile virgultum, quod aliter *tamarix*. Vocatur & Græcis μυρίκη, etiam Nicandro, sed is corripit penultimam. Μυρίκη autem Isidorus, lib. XVII. cap. VII. ait sic dici ab *amaritie*, quia gustu sit amara. Puto hoc velle μυρίκην dici à מר, id est, *amarus*, vel *amaritudo*. Sed cùm vim habet abstergendi atque exsiccandi, aliis placet esse à מרק, *tergere*. Similitérque *tamarix* vocabitur è תמרוק, hoc est, *abstersio*.

MYROPOLION, à μύρον, *vnguentum*; & πωλεῖν, *vendere*. Vtitur Plautus Epid. Act. III. Sc. II. Tranquillus vocat *tabernam vnguentariam*. Ab eadem μύρον voce est *myrobalanus*, de quo in *Balanus*. Sed & *nux*, quæ vulgo *moschata*, ab *odore moschi* vocatur, eadem Latinis *myristica* dicitur à μυρίζω, *vnguentis, vel odoramentis imbuo*.

MYRRHA, ab Æolico μύρρα, pro σμύρνα. Μύρραν cur dixerint docere conatus Athenæus, lib. XV. Μύρρα γὰρ ἡ σμύρνα παρ' Αἰολεῦσι, ἐπειδὴ τὰ πολλὰ τῶν μύρων διὰ σμύρνης ἐσκευάζετο, καὶ ἥ γε στακτὴ καλουμένη διὰ μόνης ταύτης. *Pro smyrna Æoles dixere myrrha, quia multa vnguenta conficerent ex myrrha, & quæ stacte vocatur, per se vnguentum esset.* Censet Æoles, qui ρ geminare gaudent, pro μύρον dixisse μύρρα, atque indè pro σμύρνα quoque dixisse μύρρα, quia *multa vnguenta fierent è myrrha*: ac per se vnguentum esset liquor ille *myrrha* stillaritius, qui stacte vocatur. Mihi tamen verisimilius fit μύρρα esse à מור, quod idem. Estque à מר, *amarus*. Nam is sapor eius. Vel venit μύρρα à מר, id est, *stilla*. Vt propriè sic dicatur quæ Græcis στακτὴ, hoc est, *myrrha stillatitia, siue expressione eliquata*. Qua de re vide in *Stacte*. Sed prius *myrrha* etymon verius est. Nam מור, pro *myrrha* legas Cant. III. 7. & alibi. Dicunt Latini quoque *Smyrna*, vt Græci σμύρνα. Vnde Cinna poëmation de incestis *Myrrhæ* amoribus *Smyrnam* inscripsit. Sic Lucretius

Et contemptus odor smyrnæ, mellisque sapores. &c.

Apud Plautum quoque Asin. Act. V. Sc. II. pro *Murrham olet*, in vett. libb. legitur *smyrnam*. A σμύρνα est σμύρνιον, *smyrnium*, plantæ nomen ab odore factum A *myrrha* quoque est *myrrhytes*, nempe à *colore myrrhæ*: vt ait Plinius. Quem Solinus & Isidorus sequuntur. Sed si à *myrrha* est, quæ Græcè σμύρνα, potiùs diceretur σμυρνίτης. Quare potiùs nomen fuerit ab *vnguento*, quod Græcis μύρον & Æolibus μύρρα. Vt idem sit λίθος μυρίτης & μυρρίτης, quomodo idem οἶνος, μυρίνης & μυρρίνης.

MYRTVS ait Caninius venire à μυρσίνη, Σ in T conuerso; quomodo à σοὶ est *tot*; & fortasse ab ὅς *vt*. Sed nihil mutatione opus, quando & μύρτος pro eo legas Alcæum, Platonem, Dioscoridem. Plinius, lib. XV. cap. XXIX. *Arbor ipsa in Europa citeriore cælo* (al. *scio*) *quod à Cerauniis montibus incipit, primùm Circeis in Elpenoris tumulo visa traditur: Græcúmque ei nomen remanet, quo peregrinam esse apparet.* Hinc *myrtetum*, pro quo & *myrteta* in muliebri dici probatum it Priscianus, lib. IV. hoc Plauti Vidularia:

Nescio qui seruus è myrteta prosiluit.

Ab eodem est *myrtites*, μυρτίτης οἶνος, *vinum conditum contusis mori nigris baccis*, vt docet Dioscorid. lib. V. cap. XXXVI.

Et

Et *μυρτίδανον*, *adnatum myrto tuber*, inæquale, verrucosum, concolor, quod manus instar amplectitur myrti cauliculum: idem docet, lib. I. cap. CLVII. Sed Plinio *myrtidanum* est *vinum ex syluestris myrti baccis & musto albo*. Sic enim scribit, lib. XIV. cap. XVI. de vinis factitiis: *Myrtiten Cato, quemadmodum fieri docuerit, mox paullò indicabimus. Græci verò & alio modo. Ramis teneris cum suis foliis in albo musto decoctis, tusis, libram in tribus musti congiis deferuere faciunt, donec duo supersint. Quod ita syluestris myrti baccis factum est, myrtidanum vocant.* A *myrto* quoque, siue, (vt antiquè Cato & & Varro dixere) *myrta*, venit *murtatum*. Varro. IV. de L.L. *Murtatum, à myrta, quòd ea largè fartum intestinum crassum.* Plinius, lib. XV. cap. XXIX. *Et alius ejus bacca fuit apud antiquos, antequam piper reperiretur, illius obtinens vicem, quodam etiam generosi obsonij nomine inde tracto, quod etiam nunc myrtatum vocatur.* A *myrto* item dicta *Venus Myrtea*, quia *templo seu sacello eius myrtetum proximum esset*: Sed postea pro *Myrtea* dictum *Murcia*, T in C converso. Varro. lib. IV. de L.L. *Intimus circus ad Murciam vocatur, vt Procilius aiebat, ab vrceis, quòd is locus esset inter figulos, alij esse dicunt à murteto declinatum, quòd ibi id fuerit, cuius vestigium manet, quòd ibi sacellum etiam Murciæ Veneris.* Plinius lib. XV. cap. XXIX. *Quin & ara vetus fuit Veneri Myrteæ, quam nunc Murciam vocant.* Plutarchus, quæst. Roman XX. Καὶ γὰρ ἐν τῷ Μυρτίᾳ Ἀφροδίτης ἱερῷ, μυρτίαν πάλαι καλουμένης (ὡς ἔοικεν) ἱδρυμένης. Seruius ad VIII. Æn. *Vallis ipsa, vbi Circenses editi sunt, ideo Murcia dicta est, quia quidam vicinum montem Murcum appellatum volunt.*

Mysta, *μύστης*, à *μύω*, *claudo*, quia *μύει τὸ στόμα*, *os claudit*. Siquidem *initiati*, qui Græcis *μύσται*, *quadriennium silebant*: vnde & *Pythagorici* hausere, vt *discipuli* sui *quinquennium tacerent*: quo tempore dicti *ἀκουσταί*, vti *silentium*, *ἐχεμυθία*. Quadriennio exacto *mystæ* admissi ad maiora sacra, ac tum dicti *ἐπόπται*, vti *Pythagorici* exacto quinquennio *ἐσωτερικοί*. Vide Scaligerum, in Tibulli lib. III. A *μύστης* verò est *μυστήριον*, nisi *ἀρχαιότερον* à *μύω* malis: vel ab Hebræo מסתרים, id est, *latibula*, *absconsiones*: quod à סתר, *abscondere*, *occultare*.

Mysterium, *μυστήριον*, cuius de etymo sic Clemens Alexandr. *Προτρεπτ.* p. pag. v ed. Florent. & Euseb lib. II. Euangel Præpar. pag. XL. edit. Rob. Steph. Καί μοι δοκεῖ τὰ Ὄργια, καὶ τὰ μυστήρια δεῖν ἐτυμολογεῖν, τὰ μὲν ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς Δηοῦς, τῆς πρὸς Δία γεγενημένης, τὰ δὲ ἀπὸ τοῦ μύσους τοῦ συμβεβηκότος περὶ τὸν Διόνυσον. Εἰ δὲ καὶ ἀπὸ Μυοῦντός τινος Ἀττικοῦ, ὃν ἐν κυνηγίᾳ διαφθαρῆναι Ἀπολλόδωρος λέγει, οὐ φθόνος· ὑμῶν δεδόξασται τὰ μυστήρια ἐπιτυμβίῳ τιμῇ. πάρεστι δὲ καὶ ἄλλως μυθήριά σοι νοεῖν, ἀντιστοιχούντων τῶν γραμμάτων, τὰ μυστήρια. θηρεύουσι γὰρ καὶ εἰ καὶ ἄλλοι τινές, ἀτὰρ δὴ καὶ οἱ μῦθοι οἱ τοιοίδε Θρᾳκῶν τοὺς βαρβαρικωτάτους, Φρυγῶν τοὺς ἀνοητοτάτους, Ἑλλήνων τοὺς δεισιδαίμονας. Quibus verbis triplex *Mysterij* etymon adfert Clemens, & ex eo Eusebius. Vnum est à *μύσος*, quod est *μίασμα*, *scelus*, vnde *μυσαρός*, & *μυσαρός*, hoc est *μιαρός*, *μεμιασμένος*, vt exponit Hesychius. Caussam etymi innuit esse, quod in generatione ac nece Dionysij siue Bacchi (cuius sacra *mysteria* dicebantur) multum fuerit abominationis & execrationis. Trapezuntius in tralatione Eusebij malè pro *μύσος* habet *μῖσος*, id est *odium*. Sed & Dominicus à Soto, in IV. distinct. I. q. I. artic. I. Clementem eo refellere conatur quod Græcè *μῖσος* dicatur per I. *μυστήριον* autem per Y scribatur. Sed aliud *μῖσος* quod *odium* notat, aliud *μύσος*, id est *scelus*, vnde & Theodoretus, lib. III. Histor. Eccl. sæpe *μύσους* voce vtitur pro *sacrificiis dæmoniacis*, quia nihil iis sceleratius & detestabilius. Nec à *μύσος* tantùm sunt *μυσαρός* & *μυσαρός*, sed & *μυσαχθής*, & *μυσαχθὴς μυσάττω*. Agnoscit quoque, *μύσους* vocem Eustathius, qui eam deducit à *μύω*, id est, *claudo*, quasi *πρᾶγμα ὃ μύομεν*, *ad quod oculos claudimus*, quia videre illud non sustineamus. Alterum *mysterij* etymon apud Clementem & Eusebium adfertur ex Apollodoro, qui *mysteria* dicta voluit à *Myonte* quodam Attico, qui interierit in venatione. Tertium iis est à *μῦθος*, id est, *fabula*, & *θηρᾶν*, quod est *venari*: à venatu nempè fabularum, quibus plena gentilium *mysteria*. Sed vt secundum etymon vanum ita primum secundúmque nihil aliud est quam allusio. Nempe non ea mens Clementi aut Eusebio fuit, vt verum etymon adducerent, sed vt allusiones quasdam afferrent maximè aptas ad irridenda gentilium sacra. Ac audacius etiam Dionysio tyranno ludere in *μυστηρίῳ* voce visum, cùm ea (vt Athenæus lib. III. scribit) pro *murium latibulo* siue *cubili* ridiculè vtebatur, quasi nempe esset à *μῦς*, id est, *mus*, & *τηρεῖν* quod est *seruare*. Vt verò ad verum tandem etymon accedamus, mirè probatur sententia doctissimi Casauboni, lib. I. de Satyra, cap II qui eò quòd antiquissima quæque Græcorum vocabula veniant ab Hebræis *μυστήριον* factum censet à מסתור, *mistor*, seu *mistur*, quod *rem* aut *locum absconditum* significat. Sed si Græcam originem malis, erit à *μύω*, id est, *claudo*, quia, vt ait Eustathius, oportebat *τὸν μύστην μύειν τὸ στόμα, καὶ μὴ ἐκφαίνειν ἃ μεμύηται*. Sanè à vero non abludit, *μυστήριον* eiusdem esse originis ac *μύστης*, quomodo, Hesychio teste, vocatur *ὁ τῶν μυστηρίων μετειληφώς*, vnde *συμμύστης*, *consacraneus*, vt eleganter vertit Græco-Lexicon vetus Cyrillo tributum. *Μύστης* autem (quo & Ausonius, alijque vsi) quin à *μύω* sit, vix dubium est. Sed nec ineptè deducas *μυστήριον* à *μύζω*, id est, *musso*, putà quòd *mussarentur* siue *occultarentur mysteria*, vnde est illud Valerij Flacci lib. II.

——— *Sacrisque metum seruemus opertis.*

Certè capital olim erat *Mysteria diuulgare*. Quare *Orgia* quoque (quæ ἀπὸ τῆς ὀργῆς, à *Cereris* nempè *ira* in Iouem dicta, ait Clemens, vt paullò antè vidimus) ea Appollinij interpres ita dici ait, *παρὰ τὸ εἴργειν τοὺς ἀμυήτους*, *quòd arcebant haud initiatos*. Porrò quanquam seu Hebræum seu Græcum etymon sequamur, *mysterium* generatim sonet *rem arcanam*, vsus tamen obtinuit, vt notet *rem arcanam*, non quamuis, sed *sacram*: eo quippe nomine appellarunt nationes orgia Samothracia, ac Cabirorum (de quibus Pausanias in Bœoticis & Appollonij interpres) aut Liberi patris: & inprimis *τελετὰς* siue *initia Eleusinia*, de cuiusmodi sacris opertis vide Clementem Alexandr. & Eusebium de præpar. Euangel. At in Ecclesia non generatim tantùm ea vox accipitur pro *re sacra natura lumine incomprehensibili* (quomodo Matthæi XIII. XI scriptum, *vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum*:) sed & speciatim pro *re arcana symbolica*, vt sunt baptismus & Eucharistia, quæ Latini similiter *sacramenta* dixerunt, strictiùs, nempe hac voce vtentes cùm vt apud Græcos *μυστήριον*, ita apud Latinos naturâ suâ latiùs pateat vox *Sacramenti*: vt in sacris nostris dissertationibus ostendimus.

N

NABLIA, instrumentum musicum est Ouidio, in III. de Arte:

Disce autem duplici genialia nablia palma
Vertere: conueniunt dulcibus illa modis.

Est diminutiuum à *νάβλα* siue *νάβλας*, quod esse *εἶδος ὀργάνου μουσικοῦ*, auctores sunt Hesychius & Suidas. Meminit & Athenæus in IV. vbi Sopatrum vsum docet. Scribit autem per B, quod conuenit cum origine Hebræa. Nam נבל, *nebel* est *νάβλας* siue *νάβλιον*. Pleraque organa Musica Græci accepere ab Orientalibus: quod & Politianus pluribus probat cap. XIV. Miscell. Cæterùm propter affinitatem literæ B & V pro *νάβλας* & *νάβλα* etiam dixere *ναῦλον* & *ναύλα*, quæ apud Sophoclem, Iosephum, Plutarchum, Pollucem, atque etiam Hesychium inuenias.

Næ ex Græco *ναί*. Hac de particula epistolium exstat Philelphi ad Michaëlem Rocham Grammaticum qui, quid Terentio in prologo Andriæ ea notaretur, inquisierat. Nunc res notior, quam vt in ea sit tempus insumendum.

Nævvs, *lens faciei*: si rectè in Glossis Philoxeni exponitur *φακός. σημεῖον*. Onomasticon rectiùs interpretatur *ἐπισαρκίδιον*, hoc est, *aliquid semper carnem excrescens*. Quomodo vsus Gellius. lib. XII. cap. I. *An tu quoque putas naturam feminis mammarum vbera, quasi quosdam næuulos venustiores, non liberûm alendorum, sed ornandi pectoris caussâ dedisse?* Næuus igitur sit, *ἔκφυσις*, hoc est, quando aliquid in cute excrescit, & propriè quidem ab ortu ipso inest: sic dicitur *næuus* quasi *natiuus*, T eiecto: vel quasi *γναῖος* vel *γνάιος* à *γίνω*. quod censet Festus his verbis: *Gnæus corporis insigne, & prænomen à generando dicta esse, & ea ipsa ex Græco γίγνεσθαι*, apparet. Quid si *κναῖος* sit à *κναίω*, hoc est, *κνήθω*, quia resecari soleat?

Nanciscor est ab antiquo *nancior*: vt à *pergo* pro *excito* est *pergiscor* vnde *expergiscor*. Festus *Nancitor in XII. nactus erit, prædatus erit. Item in fœdere Latino.* PECVNIAM QVIS NANCITOR HABETO, ET SI QVID PIGNERIS NANCITOR SIBI HABETO. Vbi *nancitor ἀρχαϊκῶς* positum pro *nancitur*, hoc est, *nanciscitur*. Sed veteribus *nancio* in vsu fuit: vt Priscianus probat illo Gracchi pro se: *Si nanciam populi desiderium, comprobabo Reip. commoda.* Fortasse autem vt *frango* est à *frago*. vnde, *fregi*: *pango* à *pago*. vnde *pepigi*: sic *nancio* & *nancior* priùs fuit *nacio*, & *nacior*, vnde *nactus sum*. Nam absque N scribi, Probo Capro, Pollioni & Plinio placet, vt ibidem auctor est Priscianus. *Nacio* autem vel *nacor*, forte à *λαγχάνω* seu *λάχω*, vnde *λαγχάνω*, *sortior*, *sortito consequor*: A *nancior* est *renancior*. Sanè in MSS. Paulli codicibus legas: *Renancitur significat reprehendit. Vnde adhuc nos dicimus nanciscitur & nactus id est, adeptus*, Vulgo legitur *renanciscitur*. Imò & sic est in schedis Festi Farnesianis. Sed pla-

nè censeo *renancitur* legendum, vti in calamo exaratis legi aiebam.

NANVS pro *pumulo* vsurpat Laberius apud Agellium. lib. XVI. cap. VII. Apud eundem. lib. XIX. cap. XIII. docemur pro *mulis*, aut *equuleis humilioribus* vsurpari ab Heluio Cinna, in hoc versu:

Bigis rheda rapit citata nanis.

Vbi qui *mannis* corrigunt, ad Gellij mentem non attendunt. Versus autem proximè antecedens, vt ego quidem coniecto, sic legi debet:

At nunc me Genusini per salicta.

Vel, *Bebiana per salicta. Genusini*, ac *Bebiani* (qui in quibusdam Frontini codd. *Veusani* vocantur) Apuliæ populi sunt Plinio lib. III. cap. XI. In vulgatis est,

At nunc me genij nasia per salicta.

Verùm repugnat metrum, cùm sit phaleucium. Nec ostendendum erat, *sic dici esse nana*; verùm *equos pumilos vocari nanos*. Vnde *nani* nomen sit, docere conatus Festus his verbis: *Nanum, inquit, Græci vas aquarium dicunt humile, & concauũ, quod vulgo vocant situlum barbatum*, (f. *situlam barbatam*) *vnde nani pumiliones appellantur. Nani vasis* meminit & Varro lib. IV. de L. L. sed locus est corruptus, quem ita restituit Scaliger: *Postea accessit nanus cum Græco nomine, & cum Latino nomine Græca figura barbatus.* Verumenimvero, quòd *nanos* ita à *vase nano* dici putauit: id verum non est: sed omnino est *nanus* à Græco νάνος, quod idem notat. Aristoteles. lib. VI. histor. animal. cap. XXIV. οἱ δὲ καλούμενοι γίννοι γίνονται ἐξ ἵππου, ὅταν νοσήσῃ ἐν τῇ κυήσει, ὥσπερ ἐν τοῖς ἀνθρώποις οἱ νάνοι, ἐν δὲ τοῖς ὑσὶ τὰ μετάχοιρα, καὶ ἴσχει δέ, ὥσπερ οἱ νάνοι, ὀχεῖον τὸ αἰδοῖον μέγα. Aristoph. Scholiastes εἰς ὄρνιθας: Νάνοι γὰρ λέγονται οἱ κολοβοὶ τῶν ἀνθρώπων. οἱ δὲ κολοβοὶ τῶν ἵππων, ὖννοι λέγονται. Agellius, lib. XIX. cap. XIII. *Tum Fronto Apollinari, Fac me, inquit, oro magister, vt sim certus, an rectè supersederim nanos dicere paruâ nimis staturâ homines, maluerimque eos pumiliones appellare: quoniam hoc scriptum esse in libris veterum memineram; nanos autem sordidum esse verbum & barbarum credebam. Est quidem hoc, inquit Apollinaris, in consuetudine imperiti vulgi frequens, sed barbarum non est, censeturque lingua Græca origine. νάνους enim Græci vocauerunt breui atque humili corpore homines paullùm supra terram exstantes.* Νάνος vt Becmanus obseruat, est à נין, *subolescat, ætate innouatus est*: quod propriè dicitur de prole recens editâ. A quâ ipsâ voce accessit Græcum νέος, vnde Latinum *nouus*, vt suo loco dicimus. *Pumilio* vnde sit, dicemus in *Pumilus*.

NAPHTHA, νάφθα, Chald. נפט ac נפטא, à נף, *stillare*. Nam (vt Plinius ait. lib. II. cap. CV) *profluit liquidi bituminis modo.* Hæc vera origo: non illa adducta ab Ambrosio, libro de Noë & arca, cap. VI. vbi ait: *Græcè dicitur νάφθα παρὰ τὸ συνάπτειν, quod disiuncta connectat, nexúque constringat indissolubili, vt naturali vnitate sibi credas conuenire.*

NAPVS à *rapum*, cui simile est. Ita Isidorus, lib. VII. cap. X. Alij à ναπυ, quod Atticum pro σίναπι. Sanè foliis semineque nonnihil etiam radice similis est. Aliquibus item à νάπος, quod est *saltus seu vallis nemorosa*. Vnde & *Napeæ*, vallium deæ, vt syluarum *Dryades*, *Oreades* montium, *Naiades* fontium; *Nereides* maris: quemadmodum Seruius docet in illud IV. Georg.

——— *faciles venerare Napeas.*

NARCISSVS, νάρκισσος. ἀπὸ τῆς νάρκης. hoc est, *torpore*, quem graui suo odore adfert. Plutarchus, Sympos. lib. III. Probl. I. Καὶ τὸν νάρκισσον [ὠνόμασαν οἱ παλαιοὶ] ὡς ἀμβλύνοντα τὰ νεῦρα καὶ βαρύτητας ἐμποιοῦντα ναρκώδεις. Eandem appellationis rationem adfert tum Plinius. lib. XXI. cap. XIX. tum Clemens Alex. lib. II. Pædag.

NARDVS, νάρδος, à נרד, quod eiusdem notionis.

NARES, vt Festus in *Nares* & Donatus. in Adel. III. III. tradunt, ita dictæ à *narus* siue *gnarus*, hoc est, *scius* siue *sciens*, quia per *eas odorum gnari reddimur*: Similiter Isidorus. lib. XI. cap. I. qui huic etymo firmando adfert, quod veteres *olfacere* dixere pro *cognoscere*. Vt Terentius, *Ac non totis sex mensibus prius olfecissem, quàm ille quicquam cœperit.* Perotto & aliis placet *nares* esse à *nare* pro *natare*, ob *innatantem humorem*. vnde & Græcis ῥῖνας dici censeat ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, quod est, *fluere*. Sed cùm inter Græcum ῥῖνας ac Latinum *nares* tanta sit affinitas, dicere malim, κατὰ μετάθεσιν, Latinum illud à Græco fluxisse, quod placuit Angelo Caninio, & Nunnesio in Grammatistice, vel potiùs vtrumque esse ab Hebræo נחיר, id est, *naris* quod ab נהר, *fluere*. A *nare*, *nasus*, de quo suo sim

NARITA, *ostrei genus*. Aristoteli νηρίτης quasi νηρὸς, quod à νάω, hoc est, *no*, seu *nato*. Vsus Plautus: cuius verba Scaliger emendas. Vide eum ad Festum in *Narita*.

NARTHECIVM, ναρθήκιον, *vasculum in quo reponebant medicamenta*. Nam narthecis medullâ exemptâ caulis erat cauus, vnde Hesiodus, ἐν κοίλῳ νάρθηκι. Νάρθηκα autem Latini *ferulam* appellant. Vide de ea Theophrastum, lib. VI. Histor. cap. II.

NASCOR, ex *gnascor*, à γεννάω, vnde γεννάσκω. At γεννάω à γείνω. Id verius censeo, quam vt *nascor* contractum sit ex *naturascor*, vt hoc sit *naturam adipiscor*. Id tamen placuit Cæsari Scaligero, commentario in Aristotelis lib. V. cap. XIV. sect. CXI. A *nascor*, est *natura*, vt φύσις à φύω. Item *natus*, vt à φύω φῦλον. Eiusdem originis *natus* pro filio, *nata* pro filia.

NASSA, *piscatorij vasis genus ex viminibus contextis*, quasi νᾶσσα, à νάω, *fluo*: vel Hebræo נשא, *seduxit*, quia eo *decipiuntur pisces*.

NASTVRTIVM quasi *Nasitortium*, O in V abit, vt sæpe Varro Pappo, aut indigitamentis, apud Nonium: *Nasturtium nonne vides ab eo dici, quòd nasum torqueat: vestispicam, quòd vestem spiciat?* Plinius, lib. XIX. cap. VIII. *Nasturtium nomen accepit à narium tormento.* Idem scribit Isidorus, lib. XVII. cap. X. Græcis κάρδαμον vocari ex Cicerone cognoscimus, qui cùm Xenophon lib. I. Κύρου παιδείας, scripsisse Persis κάρδαμον ὄψον fuisse, ipse vertit *nasturtium*. Nam lib. V. Tuscul. Quæst. ait: *Persarum à Xenophonte habitus exponitur, quos negat ad panem adhibere quicquam præter nasturtium.* Dicitur autem κάρδαμον, vel quasi καραδάμον, quia κάρα δαμᾷ, *caput domat*, hoc est, *purgat*. Nam id quod nigrius est, capitis vitia purgare, ait Plinius, lib. XX. cap. XIII. Vel est id nomen à καρδία, quia *cordatos facit*. Nam dicunt τὰς ἐσθίοντας κάρδαμον, ὀξυτέρους τὴν διάνοιαν γίνεσθαι. Hinc prouerbium in pigros & desides. κάρδαμον ἔσθιε, *nasturtium comede*. Quo Plinius respexit, cùm verbis ante allatis subiungit: *Et inde vigoris significatio prouerbio id vocabulum vsurpauit, veluti torporem excitantis.*

NASVS, pro quo & *nasum* dixit Lucillius, dicitur à verbo *nare*, quia per eum natat ac fluit humor, quo cerebrũ purgatur. Siuè à Græco νάω, *fluo*, vt dicatur quasi νάσος, hoc est *fluxus*: Vel à nomine *naris*, R in S abeunte, vt sæpe aliàs; quod & discriminis causâ hîc factum videtur, vt differat à *narus*, pro *gnarus*. A *naso* est cognomentum *Nasonum*, item *Nasica*: quod indicat ille Arnobij locus in VI. *Potest enim fieri, displosas vt gestiret nares, quem esse vos facitis figuratisque nasicam.* De diis, eorúmque simulacris agit Arnobius. Etiam *nasos* vasis tribuere: vti Martialis in Apophoretis, dist. XCVI.

Vilia sutoris calicem monumenta Vatini,
Accipe: sed nasus longior ille fuit.

Et Iuuenalis sat. V.

Siccabis calicem nasorum quatuor.

Certo generi calicis tribuit *nasos quatuor*. At *ternos* habuit *nasiterna*, vnde & nomen accepit. Ea, interprete Onomastico, erat ὑδρία, siue vt exprimit Nonius, *vas aquatile*, siue, vt est apud Festum, *genus vasis aquarij ansati & patentis*. Vbi *ansatum* vocat ab *ansis*, quas & *nasos* vocari diximus Plautus, Sticho, Act. II. Sc. III.

Ecquis huc effert nasiternam cum aqua?

Vsus & alibi. Indéque *nasiternatus*, qui *nasiternam gestat*. Calphurnius, Phronesi fabulâ: *Vbi tu nasiternatus aquam petas.* Citat Nonius.

NATES. quasi *nites*, quia illis innitimur: vt censet Isidorus lib. XI. cap. I. Sed modulus prioris syllabæ refragatur. Quare meliùs à *nato*, vel νάω, *fluo*, quia per eas diffluit humor: siue à νοτὶς, *humor*.

NATTA, an *nacta*, an *nacca*, scribi debeat, non conuenit. Satis tamen constat, sic dici, *qui sordidas artes exercent*, vti *fullones* & βυρσοδέψαι. *Natta* scribitur in membranis & Pinariorum nummis, quibus id cognomen fuit: vti obseruat Casaubonus in sat. III. Persij. *Nacca* constanter est in MSS[tis] Paulli codd. Ac similiter schedæ Festi Farnesianæ. Et fauent hæc quæ de etymo addit: *Nacca appellantur vulgo fullones, vt ait Curiatius, quod nauci non est, quod est nullius pretij. Idem sentit & Cincius Quidam aiunt, quòd omnia ferè opera ex lana νάκη dicantur à Græcis.* Non dubito tamen, quin aut *nacta* dixerint aut ex eo *natta* sit corruptum. Nam Græci νακτὰ vocent *coactilia*: vnde Hesychius exponit τὰ πίλους καὶ τὰ ἐρεώδη. Est id à νάσσω, quod est *premo, denso, farcio*: vnde idem interpretatur ὀμαλίζει, θλίβει. vti νάξαι, σάξαι, θλῖψαι. Indè igitur ἀπὸ τοῦ νάσσειν sit νακτής, à quo *nacta*, quomodo in veteri Veneta editum apud Appuleium IX. Metam. Fortassè tamen etiam dixere *natta* ob faciliorem pronunciationem. Nec enim facilè fides deroganda vett. nummis & membranis.

NAVCI ex quorumdam sententia conflatum ex ναὶ καὶ οὐχί. teste Festo, vt propriè hominem leuem signet. Alij aliud significare volunt, vt ibidem docet his verbis Festus. *Naucum ait Ateius, Philologus poni pro nugis: Cincius, quod in oleæ nucei, quod intus sit: Ælius Stilo, omnium rerum putamen: Glossematorum autem scriptores, fabæ grani, quod hæreat in fabulo: Quidam, nuci iuglandis,*

glandis, quam Verrius iuglandam vocat, medium velut dissepimentum Charisius Sosip.lib.I.cap.de Aduerbio. *Nauci, pro nihili te duco. Est autem, aut granum, aut nuce aperta.* Priscianus, lib.VI. *Nauci, putamen nucis significat, & pro nihilo accipitur.*

NAVCLERVS legas apud Plautum. Est Cæcilij comœdia apud Nonium in *suppilare*, & alibi. Isidorus, lib. XIX. Originum cap.I. *Nauclerus dominus nauis est appellatus, eo quod nauis in sorte eius sit; κλῆρος enim Græcè sors dicitur.* Alius enim nauclerus à gubernatore. *Gubernator* enim est, *qui ad clauum sedet*: at *nauclerus* est *nauis dominus*. Plutarchus in Pol præcept. ναύτας μὲν ἐκλέγεται κυβερνήτης, καὶ κυβερνήτην ναύκληρος. Athenæus, libro V. Τῶν δὲ περὶ ναῦν ἀδικημάτων δικασταὶ καθίσταντο, ναύκληρος, κυβερνήτης, καὶ πρῳρεύς. At aliud *nauarchus*, quomodo vocatur *nauium seu classis præfectus*. Hesychius: Ναύαρχος, ὁ τῶν νεῶν ἄρχων. Vsus & *nauarchi* voce Cicero. Pleraque enim à ναῦς venientia etiam Latini vsurpant. Quale est *naumachia*, ναυμαχία, à ναῦς & μάχομαι, *pugno*. *Naupegus*, ναυπηγός, à ναῦς, & πήγνυμι, *compingo*. *Naumachia* vocabulo vsi Velleius, Plinius, Suetonius, &c. *Naupegi* autem Chalcidius & Firmicus.

NAVIA, à *nauis*, vel Græco νάιος. Festus: *Nauia* (ita & MSS^ti^) *est uno ligno exsculpta: vt nauis, quo vtuntur alueo in vindemia.* Græcis dicitur σκάφη, ἀπὸ τοῦ σκάπτειν. Nam initio fuit μονόξυλος, vtpote facta ex arbore excauata. Tangit hanc rem Maro, I.Georg.

Tunc alnos primùm fluuij sensere cauatas.

Quid *nauia* sit non satis percepisse videtur Rob.Titius lib. X Locor.contr.cap.XV. At *Nauia ficus* in comitio vocata ab *Attio Nauio* augure, vt docet Festus.

NAVIS ab obliquo ναός, inserto digammâ more Æolum. Ναὸς verò priùs fuit νηός, quo semper vtitur Homerus: nam alterum illud non inuenies apud eum, præterquam in compositione. Est verò νηῦς, Eustathio teste, à νέω, nato, quod notat, κολυμβῶ. Alterum quoque idem etymon ponit, vt sit a νέω, significante σωρεύω, quia eam φορτίων ἐγκαταλέγουσι φόρτον. Sed verius est prius etymon. A ναῦς est ναύτης, pro quo poëtæ tragici imprimis etiam ναυβάτης dicunt. Latinè quoque pro *nauta* per similem epenthesin dicitur *nauita*. Putare aliquis possit à *naue* esse *nauita*, proque eo per syncopen esse *nauta*: præsertim quando apud Festum hæc legere est: *Nauitas secundum incorruptam consuetudinem dictos, quos nunc nos nautas dicimus, testis est Cato in ea quã scripsit cùm in Hispaniam proficisceretur, cùm ait: Nauita, quod secum portauerant vinum atque oleum, vsus tàtum eo sum.* Sed terminatio satis indicat, simile esse vocibus, *propheta, planeta, Scriba, geometra, bibliopola* & similibus quæ apud Græcos in recto communiter in ης, poëticè autem in A desinunt. Apud poëtas enim (quos Latini hac in parte sequuntur) nomina huiusmodi in α exeunt, tam in recto, quàm in vocatiuo. A *nauis* est *nauus*, vt ex Festo & Cornelio Frontone diximus in *Gnauus*. Sunt quibus *nauis* contra videtur esse à *nauus*. Isidorus, lib. XIX. cap. I. *Nauim quidam perhibent dictam, eo quod gnauum rectorem quærat, id est, peritum, sapientem, strenuum, qui continere & gubernare nouit propter maritima pericula & casus.* Sed *nauis* esse à Græco ναῦς, manifestum est, eóque à *naue* potiùs erit *nauus* & *nauare*. A *naue* est *nauigo*, quod priùs notabat *nauem ago*: vnde & conflatum. Sed accipitur generatim pro *naue iter facere*.

NAVLVM, ναῦλον, *pretium quod vectori pro nauigatione soluitur.* Iuuen.sat.VIII.

——— *Furor est post omnia perdere naulum.*

Ναῦλον verò à ναῦς, nauis: vel potiùs à ναίω, nauigo.

NAVSEA ab Ionico ναυσίη, pro ναυτία. Sic ναυτιᾶν, *nauseare*. Propriè igitur *nauseare* dicitur, cuius stomachus ex sentinâ, grauecolentiâ, & crebrâ corporis agitatione, studet sibi molesta per os excernere. Quare condecenter admodum dixit Horatius lib.I.sat.

——— *conducto nauigio æquè*

Nauseat vt locuples, quem ducit priua triremis.

Nam etsi *nauseandi* voce non vtatur propriè, sed metaphoricè, de peruerso nempe obuiarum commoditatum fastidio ac contemtu: tamen aptè admodum, & penè propriè vsurpat, quia de nauigatione sermo est. Hinc *nauseola*, apud Ciceronem & *nausiosus*, apud Plinium.

NAVSTIBVLVM reperias apud Festum: atque ita constanter MSS^ti^. Sic, vt ait, *vocabant antiqui vas alueo simile, vnde dicitur à nauis similitudine.* Vbi pro *nauis* legere malim *naue*. Fortasse tamen nec notatio, nec etymologia vera est. Nam vocis formam consideranti, videtur potius significari *portum*, siue *nauium stationem*. quod si est, *naustibulum* dicetur, quasi *nauium stabulum*, vt Græcè ναύσταθμος, quasi ναῶν σταθμός. Similiter syncope à *nauis* & *ago* est *nauigo*; à *nauifragus naufragus*. Maro, III.Æn.

——— *Et nauifragum Scylaceum.*

Par quoque ratio in *nauscit*, quod sic dicitur quasi *nauiscit*, vel *nauiscit*. Festus: *Nauscit* (sic MSS^ti^.) *cum granum fabæ se nascendi gratiâ aperit, quod sit non dissimile nauis formæ.*

NAVTEA, quæ Græcis ναυτία. Plautus, Curcul.I.II.

Nam omnium vnguentum odor præ tuo nautea est.

Vsurpat & Asinariâ, ac Casinâ. Imò Artemone etiam vsum, docebit Festus. Sed apud eum vulgo malè legitur *Paulus* pro *Plautus*. quod & Ant.Augustinus vidit. Artemonem scripsisse Plautum, docebit præter Helenium Acronem, Festus in *Superstites*. Quid *nautea* sit, non conuenit inter antiquos Grammaticos. Festus: *Nauteam, ait Opilius Aurelius, herba genus esse granis nigris, quâ coriarij vtuntur, cuius videri nausea dictum nomen, quia nauseam facit, permutatione T & S. litterarum.* Herbam hanc esse *bryoniam nigram*, seu *vitem nigram*, censet in Nomenclatore suo Hadrianus Iunius. Paullò post addit Festus: *Labeo in commentario iuris Pontificij, ait, nauteam rubidum quiddam esse, quo pontificum vestimenta quædam colorant.* Nonius verò sic scribit: *Nautea est aqua de coriis, vel, quod est verius, aqua de sentina, dicta à nautis.* Mihi simplicissimè videtur *nautea* deduci à ναυτία, seu Opilij, seu Nonij interpretationem sequi libet.

NE interrogatiuum vt in *tune* pro *an tu*, est ab ἦ, vel ἄν hoc est, *si*. Sanè & Græcis tum *si* notat, tum *an*. Estque ἦν à Syriaco הן, id est *si*. Sed *ne* pro *non* est à νὴ vel νή. Itaque interdum corripitur: vt in *nefarius, nefastus*, interdum producitur, vt illo Catulli.

Funera Cecropiæ ne funera portarentur.

Sic Græcis νη in νήπους, *pedibus carens*: νὴ verò in νήριθμος, hoc est, ἀνάριθμος, *innumerus*, νηλιτής, *peccati expers*, à νὴ & ἀλιταίνω, *pecco*, atque ita in aliis. Νὴ verò & νὶ, Kanini placito ab Hebræo אין, hoc est, *non*. A *ne* & *que* est *neque*, vt a *ne* & *ve neue*. Sed κατ' ἀποκοπὴν pro illo *nec*, pro hoc etiam *neu* dicitur. Pro *ne* verò & *ni* dixere: vt docet Donatus, Eun. Act. III. Sc. III. Remansit in compositis *nimirum*, & *nisi*, quæ valent *ne mirum*, & *si non*. Priscianus, initio lib. XV. *Ni quoque pro ne accipitur, vt Virgilij versus ostendit: Ni teneant cursus. Quod etiam Donatus in commentario Æneidos affirmat, dicens, Ni pro ne: sic veteres.*

NEBRIS, νεβρίς, *pellis hinnuli*. Hesych. Νεβρίς, ἐλάφου δορά. Est à νεβρός, *hinnulus*. Idem Hesych. Νεβροί, οἱ ἄρτι γεννώμενοι. Imò idem Hesych. ἐνάλιοι, νεβροὶ ἐλαφοί. In Onomastico legas, *Nefrendes*, νεβροί. Sed *nefrendes* sunt *porcelli*, vt alibi dicimus. At νεβροί, *cerui*. Glossæ Isidori: *Nebris Dianæ, corium Dianæ, quæ cum ceruo pingitur*. Vsus ea voce Statius Papinius in primo & secundo Achilleidos: Item in secundo Thebaidos, cùm ait:

——— *Non orgia Cadmi*

Cernitis, aut auidas Bacchum scelerare parentes

Nebridas. ———

Vbi sic Placidus Luctatius: *Nebridas, pelles damarum, quas Græce νεβρίδας appellantur, ac per hoc Baccharum indumenta significat, quibus sacrificiorum tempore vti consueuerunt.* Vt Virgilius:

Pellibus in morem cincti.

His verbis duo indicat, eos, *qui Orgia celebrarent, fuisse cinctos nebride & nebrida* fuisse *pellem damæ*. Prius illud verissimum est. Vnde Auienus in Orbis descriptione:

Orgia ludentes & nebride pectora cincti

Deduxere choros.

Cùmque *nebride* in Orgiis induerentur dicti νεβρίζειν, & res ipsa νεβρισμός. Quod & initiis Cereris fiebat, quia Athenis communia erant initia Cereris & Bacchi. Vide Harpocrationem in Νεβρίζων, & Plutarchum de fluminibus, vbi de Hebro agit. Quod verò Luctatius *nebridas* exponit *pelles damarum*, id minùs mirandum: quia & Glossis legas, Νεβρός, *dama, hinnuleus*. Sed similes quidem *damæ* & *hinnulei* at differunt tamen, quia *damis* seu *dorcas* cornua in aduersum: qua de re Plinium vide. *Dama* Græcis δορκάς. putat Arnobius, lib.V & Arnenus fuisse *Nebridarum familiam*, cui ex eo nomen esset, quia νεβρίδα siue *hinnulei pellem induerit*. Sic enim scribit: *O ut venit ad Atticam, triticeas attulit fruges! Nebridarum familiam pelliculæ cohonestauit hinnulæ!* Sed in Coo insula fuit *familia Nebridarum*, ex qua natus Hippocrates. Ei nomen à *Nebro*, conditore familiæ. In Attica vero eius nominis familia non fuit. Imposuit Arnobio, vel scriptori, quem secutus, quod Athenis simul colerentur Ceres & Bacchus ac in initiis Cereris, vt paullo ante diximus. Quorundam etiam opinio est Bæticæ ciuitatem esse dictam *Nebrissam*, quia ibi, vt è Sillio constat, bacchæ Orgia sua celebrarent *nebride* indutæ.

Vv 2 NEBV

Nil nisi lene decet. Leni præcordia mulso
Proluerus melius. ———

Nec semper *mulsum* id confectum apponebatur conuiuiis, sed interdum separatim *mel* & *vinum* ponebant, vt quisque pro arbitrio suo sibi temperaret. Hinc Varro, lib. III. de R. R. *Faunus venit in altaria, & mel ad principia conuiuij, & in secundam mensam administratur.* Egregiè autem *promulsidis* voce lusit Petronius. apud quem scortillum cùm dicere vellet, pueri Gytonis peculium tantùm sibi fore ad Venerem irritandam, non explendam: *Hoc* inquit: *tam rude bellè cras in promulside libidinis nostræ militabit. Nam hodie post asellum diaria non sumo.* Lances, in quibus promulsis esset, *promulsidaria* dicuntur Vlpiano l. XIX. §. *sed cui vasa.* x. ff. *de aur. arg. Et ideo,* inquit, *scutellas, & promulsidaria contineri.*

MVLCIBERVM alij à *mulcando*, alij à *mulcendo*, deriuant. Prius placet Donato, in illud Adelph. I. II. *Omnem familiam mulcauit vsque ad mortem. Mulcauit* (l. *Mulcauit,*) inquit, *mutilauit, lacerauit, molliuit, atque dissoluit, vnde Mulciber* Additur, *à mulcando, quasi mulciber.* Sed puto hoc ab aliena esse manu. *Mulcauit* enim non *mulcauit*, scripsit Terentius. Nisi fortè iam Donati æuo *multare* & *mulcare* confundebant. Posteriorem verò opinionem sequitur Festus: *Mulciber Vulcanus à mulcendo scilicet ferro dictus est: mulcere enim mollire siue lenire est.* Paccuuius.

Quid me obtutu terres? mulces laudibus?

Plerisque placet à *mulcendo* & *imbri* esse compositum, vt refert Priscianus, lib. VI. Sed hoc æquè ineptum ac cum *Septembrem* vel *Octobrem*, quasi *septimum* aut *octauum imbrem* dici volunt. Nam τὸ *ber* in huiusmodi, solùm vocis productio est. Quare optimè Iosephus Scaliger, qui in Coniectaneis monet, vt à *cerno* est *cribrum*, à *facio*, *faber*, à *tumeo*, *tuber*; à *luo*, *liber* (deglubitur enim I) à *cresco*, *creber*; à *glubo*, *glaber*; à *scarreo* (vnde *scarrosus* Lucillio, λεπρὸς) *scaber*; à *suo*, *suber* (*insuitur* enim soleæ calciamenti; vnde ea dicuntur καττύματα Græcis) à *craceo*, *craber*, qui postea *crabro*, σφὴξ (*cracere* enim significat *gracilem* esse Ennio, & σφηκώδεις *graciles* dicuntur apud veteres Comicos;) à *finio fiber* (antiqui enim *fibrum* dicebant *extremum*, vt Varro ait IV. de L. L.) sic à *mulcendo* esse *Mulciber*: siue sic dicitur à *mulcendo* ferro, quod Festus sensit, imò Scaliger quoque tradit notis ad Ætnam; siue (quod superiori sententiâ reiectâ, in Coniectaneis idem Scaliger voluit, eâ mente à *mulcendo* dicatur *Mulciber*, quâ Græcis Iupiter dictus Μειλίχιος καὶ μειλιχιώτατος, vt Plutarchus refert, lib. περὶ ἀοργησίας. *Mons Ætna* hodie vocatur *Mongibello*, quam vocem è *Mulcibero* corruptam esse, Scaligeri opinio est notis in Ætnam. Sed falli puto. Nam propriè nomen est *Gibello*, & *montis* voce additâ *Monte Gibello*; quomodo & vulgò appellatur. Inde igitur altera illa appellatio *Mongibello*, κατὰ συγκοπὴν facta est.

MVLCOR. & *multor*, plurimùm differunt. Nam *multare* est *multam irrogare*, ζημιοῦν, vt interpretantur Glossæ Philoxeni, in quibus & κατακρίζειν exponitur, vt à Nonio *condemnare*. At *mulcare* per C, de *verberibus*, non *pœnâ pecuniariâ* dicitur. Hinc Glossæ vett. *Mulcat, verberat, cruciat*. Item, *Commulcat, collidit, conculcat.* Ac Seruius ad II. Æneidos. *Propriè*, inquit, *verberibus mulcari dicimur.* Origo quoque diuersa. Nam *multa*, & *multare*, sunt à Sabinis, vel Oscis, quemadmodum ostendimus in voce *multare*. *Mulcare* autem originem habet Latinam. Nam quia *verberando aliquid mollitur* (vnde Terentius *sandalio commitigare caput*,) eò à *mulcendo*, hoc est, *mitigando mulcare* pro *verberare* dixere. Estque à *mulceo*, *mulco*, eâ ratione, quâ à *dulceo* (vnde *dulcesco*) est *dulcare*, & *edulcare*. Et *dulcandi* voce semel iterúmque vsus Sidonius: alterum vsurpat Cn. Matrius apud Agellium, lib. XV. cap. XXV. & Nonium Marcellum, in *Edulcare*.

MVLGEO ab ἀμέλγω per ἀφαίρεσιν, vt ab ἄρυγος, *ruta*, ab ἀστὴρ, *stella* &c. A *mulgendo* sunt *mulctra*, seu *mulctrum*, & *mulctrale*. Quæ nonnulli, vt Seruius, in Ecl. III. scribit, ita distinguunt, vt hoc sit *vas, in quod mulgetur*: illis *tempus* notetur; *quo mulgentur animalia*. Sed *mulctrum* quoque *vas* ipsum dici, rectè Isidorus tradit, lib. XX, cap. VI.

MVLIER vulgò putatur dicta à *mollitie*, quasi *mollier*. Petrus Blesensis, serm. 1. in Aduentum Domini: *Aue benedicta inter mulieres: id est, sola robusta inter molles. Mulier enim à mollitie sumitur, quasi mollier.* Quod Isidorus quoque scripsit, lib. II. cap. II. Veteres sanè non solent geminare consonantes, eóque dixerunt *moles*, vt *ola*, siue *aula*, ab αὐλή. A *moles* igitur sola mutata quantitate fuerit *molier*. Posteriores verò pro O maluere *V*, vt pro *sermo*, *sermus*, atque ita in aliis. Ita origine fit Latinum. Alij à Græcis arcessunt, idque vel à μύλλειν, hoc est, ὀχεύειν, vt Hesychius interpretatur; quippe viro vel à μόλος, hoc est, *labor*, quia laboribus & doloribus onusta sit: vel à μύλλειν, hoc est, πλησιάζειν, quod fortasse olim honestum vocabulum fuit vt alia multa, quæ postea turpia facta sunt. Alij denique arcessunt ab Oriente idque vel ab Hebræo מלא, id est, *implere*, quod apud Martinium legas; nempe quia *concipiens impletur*, vel potius quia *implet mundum*, vnde & *prima mulier* dicta *Eua*, quasi *mater viuentium*, vel à Punico *elmara*; quam interpretationem inuenio apud Angelum Caninium, in Hellenismi alphabeto Etsi verò *mulieris* vox naturâ suâ comprehendat *virginem*, *nuptam*, & *viduam*, vt scribit Tertullianus, lib de virginibus velandis, interdum tamen *virgini* opponitur, vnde Cicero reprehensus quòd senex duxisset *virginem Publiliam*, *Cras*, inquit, *mulier erit* Et Vlpiani quoque est l. 14. D. de ædil. edict. *Mulierem ita artam, vt mulier fieri non possit, sanam non videri constat.* Eodémque modo Græci vtuntur vocabulo γυνή. A *muliercula* est *mulierecularius*, quomodo à Constantino Imperatore dicitur, qui *vxores alienas, ac mulieres impudicas amat*; vt *vxorius*, qui *propria vxori addictior, quàm virum decet*. Siniléque *ancillarius*, & ὑπο τῶν γραμματικῶν *ancillariolus* qui *ancillarum insanit amore* &; *lecticariola*, quæ *lecticariorum* (vile id erat seruorum genus) *amores sectatur*. Mart. lib. XII. epigr. LVIII.

Ancillariolum tua te vocat vxor, & ipsa
Lecticariola est. Estis, Alauda pares.

MVLLEVS, ἀπὸ τοῦ dicitur, vel *mulleus calceus*. Priori modo locutus Titinnius, cuius locum apud Festum ita sanauit Scaliger: *Iam cum mulleis te ostendisti, quos tibiatim calceas.* Vbi *tibiatim* est *ad mediam vsque tibiam*, quomodo *suratim*, pro *ad suram vsque* dixit Aldhelmus, lib. de laudibus virginitatis, cap. XIX. Verba eius adduxit & Sauaro ad Sidonium. Posteriori modo locutus Cato, VII. Originum Verba eius adfert Festus in *Mulleos*, item Plinius cuius locum adfero in *Mullus*. Adde & Tertullianum de Pallio: *Impuro*, inquit, *crure purum aut mulleolum inducit calceum* Item hoc Fl. Vopisci, in Aureliano, sub finem: *Calceos & mulleos & cereos, & albos, & hederacios viris omnibus tulit* (al. *abstulit*: vel *sustulit*,) *mulieribus reliquit*. Adrianus Turnebus, aduersariorum lib. XIX. cap. XXIV. putat *mulleos*, quia *purpurei* essent, nomen accepisse a *rubro colore mulli piscis*. Sed contrà *mullum* a *mulleis* dictum, docet ex Fenestullâ Plinius, libro IX. cap XVII. Hedrianus Iunius in Nomenclatore ait, incertum sibi esse num *mulli piscis color*, an *pretium* immane, *mulleis* nomen dederit. Sed profectò neutrum: verùm vt rectè monet Festus, est ab antiquo *mullare*, hoc est, *suere*. *Mullare* verò, vt in Conlectaneis & ad Priapeia scripsit Ios. Scaliger est à Tarentinorū & Syracusanorū verbo μύλλειν, quod est περιτέμνειν, καὶ τιλᾶν. Vtitur Theocritus idyll. IV. Sed metaphoricè pro *subigere*:

Εἰπ' ἄγε μοι Κορύδων, τὸ γερόντιον ἦ ῥ' ἔτι μύλλει
Τήναν τὰν κυανόφρυν ἐρωτίδα, τᾶς ποκ' ἐκνίσθη;
Dic age mihi Corydon, senecio ille num adhuc subigit
Illud nigro supercilio scortillum, quod olim depereibat?

Nam μύλλειν hîc esse πλησιάζειν docet Eustathius, ac Scholiastes in hunc locum. At malè credidit idem scholiastes esse à μύλη, quod & H. Stephanus censuit, qui simile esse ait isti Horatiano,

——— *Alienas*
Permolere vxores ———

Nam hoc si esset, non geminaretur liquida. Deinde vnde nisi à μύλλειν, fit *mullare*, quod *suere* a Festo exponi diximus Quid, quod, vt Theocrito μύλλειν, ita Latinis *suere* notat πλησιάζειν. vnde Lucillius *pædicones* vocat *subulones*, vt ostendit illud Ausonij, epigr. LXXIX.

Lucilij vatis subulo pullipremo.

Vide *Subulo*.

MVLLVS piscis, qui Græcè τρίγλη. Angelus Caninius, in Hellenismi alphabeto vti & Becmanus in Originibus. ait esse à Græco μύλλος. Scio μύλλου piscis meminisse Galenum, lib. II. de alimentis; & Athenæum lib. III. Sed is diuersus à *mullo*, qui Græcè τρίγλη, & γλαυκίσκος Isidorus, lib. XII cap VI. *mullum* dici ait, quasi *mollem*: esse enim carnis teneræ. Sed duræ carnis esse, constat ex Galeni lib. III. de alimentorum facultat. Veram originem non Calderinus modò ad Xeniorum Martialis epigr. LXXIX. attulit, sed & Fenestella, siue Plinius, cuius hæc verba lib IX. cap. XVII. *Nomen his Fenestella à colore mulleorum calciamentorum datum putat. Mullus*, Athenæo teste, Hecatæ sacer fuit. Mouit antiquos, quòd dicatur τρίγλη, & Hecate sit τρίγληνος, hoc est, τριπρόσωπος, siue τριμορφος. Nam γλῆναι hic non *oculos*, sed συνεκδοχικῶς *faciem totam* notat. Aliter scio Athenæi verba accepit Brodæus, in Miscellanis cap. XXIV. lib. I. Sed sequor certissimam sententiam Isaaci Casauboni, quem vide Animaduersionibus in Athenæum. lib. VII. cap XXI.

MVLTA, *multare*, *multatitius*; & *mulcta*, *mulctare*, *mulctatitius*,

in

in vett. codd. reperias: sed in pluribus tamen absque C inuenias, Pierio teste. *Multa* quid, & vnde sit, docere conatus Varro, lib. IV. de L.L. *Multa*, inquit, *a pecunia, quæ a magistratu dicta, vt exigi possit ob peccatum, quòd singula dicuntur appellata esse multa, quod olim vnum dicebant multa. Itaque cum in dolium aut culleum vinum addunt rustici, prima vrna addita, dicunt etiam nunc multa.* Quem locum optimè interpretatur magnus interpres. Nam quæstio est, cur *singula multa* id nomen obtineant, cùm tamen *singula* sint, non *multa*. Respondet Varro, veteres etiam, quod *singulum* esset, dixisse *multum*. Et vt hoc παράδοξον quidem, non tamen ἄδοξον esse ostendat, it probatum istiusmodi argumento. Cùm, inquit, veteres plures culleos in vnum infunderent dolium, primo addito dicebant *multa*, quo intelligitur *multa* de *vno* dici. Sed spissus est hic error Varronis. Nam, vt optimè idem Scaliger monet, *multa* hîc non nomen est, sed verbum, ac idem significat, quod *numera*. Id enim antiquis notat *multare*; vt indicat hic locus Plauti Sticho. Act. IIII.

———Scio scire te

Quàm multas tecum miserias multauerim,

hoc est, *quàm innumeras*. Quamquam propriè *multare* sit *pluris in auctionibus liceri, quàm cæteri* quod Græci similiter a πλεῖον dicunt πλειονεκτεῖν. Quare si *multa*, & *multare*, quà de *pœnâ pecuniariâ* dicuntur, à *multitudine* ortum trahunt non quidem inde originem arcessam, quòd veteres *singulum* dixerint *multum*, sed quòd magistratus ob peccatum non *pusillum* exigeret, sed *multum*. Fortasse tamen neque hæc ἐτυμολογία vera est: quando vox *multa*, à Sabinis & Oscis ad Latinos peruenit. Docet enim ipse id Varro, lib. XIX rerum humanarum, *Multa vocabulum non Latinum, sed Sabinum esse, idque ad suam memoriam mansisse in lingua Samnitium, qui sunt à Sabinis orti.* Ac apud Festum legimus: *Multam Osci dici putant pœnam quandam.* Quomodo *multare* & *mulctare* differant, dicimus in *Mulcer.* Quamquam verò *multa* propriè *pecuniaria* est, vt indicat locus è Varrone suprà allatus: tamen ad alia quoque transfertur. Plautus. Asin. Act IV. Sc. I.

Hæc multa ei esto, vino viginti dies vt careat.

Ac similiter in testamento ludicro, quod Sergio Polensi adscribitur: *Qui non caruerit, hæc multa ei esto, sextè altero vt careat.*

MVLTICIA vestis molli intexta substamine, qua vti solent puellæ, vt exponit Scholiastes Iuuenalis, sat. II.

Quæro an deceant multicia testem,

Vsurpat & Tertullianus, de Pallio, cap. IV. *Endromidis solocem, aliqua multicia synthesi extruxit.* Virorum esse etiam, docet Vopiscus, in Aureliano, vbi nominat *multicias viriles*. Socer meus, Franciscus Iunius monet ad Tertullianum, *multiciam* esse vestem ἀραιοῦς ὑφάσματος, *lexidensi* oppositam, ac ita dici, quòd eam pecten soleat *multum icere*: vt *lexidensis* contrà, *quæ raro dente leuitérque icitur.* Ac sequitur hoc etymon etiam Salmasius, in Vopiscum, qui iccirco *multicia* interpretatur πολύκρουστα. De prioris huius compositi parte assentiunt, qui *multicia* dici aiunt quasi *multilicia*, à *multis liciis*: quod Salmasius refellit. De eâdem voce sic Iuuenalis Scholiastes ineditus, quem habeo. *Multicia genus est vestis lanea subtili arte contexta. Dicta multicia, quòd sit multa & inenarrabili arte expressa, quâ solummodo vti licitum erat innuptis puellis, & viduis matronis.* Perottus quoque à *multis filis* dici ait, vt sonet ad verbum πολύμιτον. Britannicus à *mollicie* arcessit; vel à *mulcendo*. Sed quin à *multum* sit, non dubito, & quidem à *multum icere*, vt diximus.

MVLTVS, olim *moltus*, à *mole*: vel potiùs à מלא, quod etiam LXX. exponunt πλῆθος, hoc est, *plenitudo*, *multitudo*. Hinc *multifariam*, πολυτρόπως, à *multus* & *fari*. Vt *multifarius* idem sit ac πολύφατος. Similia *bifariam*, *trifariam*. &c. *Multifacere*, vt *magnifacere*, & *paruifacere*. Cato apud Festum; *Neque fidem, neque iusiurandum, neque pudicitiam multifacit.* Ait Paullus, id meritò ab vsu recessisse, quia quantitas non æstimatur numero. Quasi non quantitas alia sit continua, ab discreta. Et sanè Belgæ similiter vtrumque dicunt *groot-achten*, & *veel van houden*, illud est *magnifacere*, hoc *multifacere*.

MVLVS, si Isidoro credimus, lib. XII. cap. I. ita dicitur à μύλῳ, id est, *mola*, quia *iugo pistorum subactus tardas molendo ducat in gyrum molas*. Sed potiùs sit à μόχθος, hoc est, *labor*; quandoquidem est *animal viribus in labore eximium*: vt vtar Plinij verbis, lib. VIII. cap. XLIV. Vel à μῶμος, quod dicitur de commixtione turpi. Vel à מעל, *præuaricatio*. Nascitur enim ex commixtione naturæ aduersanti. De *mulis Marianis*, Festum vide.

MVNDVS, quasi *mouendus*, quia *in perpetuo motu* sit dictus videtur Honorio Augustodunensi lib. de imagine mundi cap. I. Idémque ante Honorium scripserat Isidorus, lib. III. Orig cap. XXVIII. & lib. XIII. cap. I. Imò videri possit & Festo hoc verisimile visum, quia postquam dixerat *mundum* tum pro *rerum vniuersitate*, tum pro *ornatu muliebri* accipi, subdit hæc verba: *quia non alius est, quàm quod moueri potest.* Sed melius Varro, Cicero, Plinius Paullus I.C. qui sic dici volunt à *munditia*, quomodo & Græcis (siue Hesiodus, quod Zeno voluit, siue Parmenides, vt nonnulli, siue Pythagoras, quod apud Plutarchum, Galenum & Laërtium legitur, eius appellationis auctor est) κόσμος vocatur ἀπὸ τοῦ κοσμεῖν. Placuit idem Tertull. cuius verba aduersus Marcionem, lib. I. *Vt ergo aliquid de isto huius mundi indigno loquar, cui & apud Græcos ornamenti & cultus: non sordium nomen est.* Porrò cùm Festus dicit, *mundum* quoque esse *ornatum muliebrem*, latiùs omnino *ornatus* vocem accipit. Nam propriè *mundus muliebris* sunt, speculum, vnguenta, & similia pertinentia ad curam capillorum, cutis. &c. *Ornatus* verò sunt catenæ, annuli, atque huiusmodi. Vide Tertullianum, libro de habitu muliebri; Vlpianum, leg. XXV de auro, arg. mundo leg. & Iul. Paull. receptarum Sentent. lib III. Nec tantùm *muliebrem*, sed & *rusticum mundum* dicimus, quomodo loquitur Plautus Mercatore. Vnde liquet *mundum* poni pro *cuiuslibet rei prompta paratáque copia*. Hinc loquendi genus, *in mundo* pro *palam & in expedito, ac cito*, vt interpretatur Charisius cap. de Aduerbio. Vbi hoc Plauti citat,

Quia sciebam: dictum in mundo fore.

Et illud Cæcilij. Annæo Cornuto etiam obseruatum, lib. Tub. *Castarum patrue ius profectò, qui nobis in mundo futurum lectum.* Item, *Idem námque malum in mundo is ire.* Et Ennij, hoc:

Seu ibi vita, seu mors in mundo est.

Placet viris doctis, esse à *mundo muliebri* tractum hoc loquendi genus, quia mulieres, quæ ad corporis ornatum faciunt, diligenter arculis custodiunt, quo si vti subitò necesse habeant quæsito opus non sit Et sanè verisimilior hæc sententia quam illa, quam adiungit Petrus Victorius, lib. VIII. Var. Lect. cap. XX. Mihi verò vt dixi, placet non minùs a *mundo rustico*, quàm à *muliebri* peti, cùm latè patuerit ea *mundi* notio. A *mundo* quoque dicitur *mundialis*, pro *mundanus*. Ita apud Tertull. lib. de coronâ mil. *mundialis lux*, legere est. Vsi quoque Hieronymus, Sulpitius Seuerus & alij. Gloss. Isid. *Mundialis, homo mundi status*, hoc est, *mundani status*.

MVNVS interdum ponitur pro *dono*, à quo non aliter differt, quam quòd *donum* latiùs pateat: *munus* enim dicitur *donum cum caussâ*, vt *natalitium* aut *nuptiale*. Hæc sententia magis placet, quàm illa Agrætij: *Donum, inquit, dantis, est; munus accipientis; illud, à dando, hoc, à mouendo vel mouendo dicimus.* Quæ sunt λῆροι. Interdum verò *munus* est *onus*, quod cùm remittitur, vacationem præstat: vt pendere vectigal, præstare custodiam, aliáque huiusmodi. Interdum & pro *officio* capitur quomodo magistratum gerere, iudicem esse, *munera* sunt *publica*, hoc est, *officia publica, ac ciuilia*. De etymo sic Varro. lib. IV. de L.L. *Munus, quod mutuo animo qui sunt, dant officij caussâ. Alterum munus, quod muniendi caussâ imperatum.* &c Scaliger, libb. de causs. L.L cap. XXXI. R in N, *Murus, munus, fuit enim munus onus muri reficiendi, vbi primùm vnum in locum è vicis conuenissent ad condendum oppidum: inde Munimenta. Id onus cùm remittebatur virtutis ergo, Donum dicebatur.* Nunnesius à μοῖρα, *pars*, quia est *portio, quæ sortito cuique obtingit*. Maximè mihi placet opinio Christiani Becmanni, qui deducit ab Hebræo מנחה, *munus*, *oblatio* Ita *munus* propriè sit, quod offertur, siue officium, siue donum, *Munus* quoque accipitur pro *ludis*, vnde *munerarius* dictus qui *munus*, hoc est *spectaculum populo exhiberet*. Caussa eius notionis est quod ludis populum remunerarentur, à quo *munus* publicum acceperant, ac nouum sæpe *munus* exspectabant. Indicat id quoque hic Ciceronis locus, libro secundo de Officiis. *Et Publius Crassus, cùm cognomine diues, tum copiis functus est ædilitio maximo munere.* Et paullo post: *L. Crassus cum omnium hominum moderatissimo Q. Mucio, magnificentissima ædilitate functus est. Magnificentissima verò nostri Pompeij munera secundo consulatu. Vitandæ tamen est suspicio auaritiæ. Nam Mamerco, homini ditissimo, prætermissio ædilitatis, consulatus repulsam attulit.* Scribit Lactantius, lib. VI. cap. XX. per *munus* propriè intelligi *Venationes*. Sed id verum non est, cùm de *gladiatoribus*, non minùs quàm de *venatione* vsurpetur à Tullio, Seneca, ac passim à Tranquillo. A *munus* est *munis*. Nonius: *Munes apud veteres dicebantur, non à largitione, quæ ignota erat, sed consentientes ad ea, quæ amici vellent.* Lucillius sat. XXVI.

Munifici, munésque viri vtitamur amicis.

Ita nullo negotio restituitur is locus. Festus: *Munem significare certum est officiosum; vnde de contrario immunis dicitur,*

qui nullo fungitur officio. Idem alibi. *Immunis, vacans munere.* Hinc in Glossis vet. exponitur, ἀλειτούργητος. In iisdem vertitur ἀτελής, quod est, *immunis à vectigalibus.* item ἀνεύθυνος. quod est, *nulli obnoxius, aut devinctus.* Festus addit etiam *improbum* signare: atque ita accipere Plautum Trinummo, cùm ait:

Amicum castigare ob meritam noxiam,
Immune est facinus: verum in ætate vtile
Et conducibile.

Sed arbitror hic *immune* valere. quòd videtur esse *extra munia amici*, eóque neutiquam consequitur gratiam aut mercedem, contrà quàm illi, qui in publico munere sunt, qui referre solent præmium operæ. Sanè contra *munis* sumitur pro eo, *qui munus siue officium facit*, vt qui pro beneficio accepto gratiam, cùm potest, refert. Plautus, Mercator I. I.

Dico eius pro meritis gratum me & munem fore.

Vbi tamen Lambinus malit *memorem.* A *munis* est pluratiuus *munia*, quod substantiuè sumitur pro *officio*: vnde *munia obire, exequi, capessere.* & similia. A *munus* est *immunis*, id est, *non faciens munus.* Maro lib. IV.

Immunisque sedens aliena ad pabula fucus.

Item *communis*, quod nomen propriè iis conuenit, quæ priuata non sunt, sed *ad multorum munia seu munus pertinent.* Etiam à *munis* vel *munia* (vt è Verrio scribit Festus) *munico* dixerunt pro *communico.* Est & à *munus*, *munifex*, λειτουργός. Festus: *Beneficiarij dicebantur milites, qui vacabant muneris beneficio; è contrario munifices vocabantur, qui non vacabant, sed munus Reip. faciebant.* Μιζοφορμῶν *munificem mammam*, pro *lactanti* dixit Plinius. lib. XI. cap. XL. Ab eodem est *munificus* pro *liberali*, vnde *munificior* identidem dixit Cato teste eodem Festo. Posteriores pro eo *munificentior* dixerunt. *Municipes* (vnde *municipia*) *a munere capiendo* sic appellantur. Ita T. Coruncanius & M. Cato Censorius Tusculo profecti Romæ etiam maiores adepti sunt magistratus. Rectè igitur Agellius, lib. XVI. cap. XIII. *Municipes sunt ciues Romani ex municipiis, legibus suis & suo iure vtentes, muneris tantùm cum populo Romano honorarij participes, à quo munere capescendo appellati videntur.* Et hæc quidem extra controuersiam sunt, non item quod continuò subijcit Agellius: *nullis aliis necessitatibus, neque vllà populi Romani lege adstricti.* Quippe solidis argumentis vinci potest, *municipes* Romanis vixisse legibus. Sed rationem habuit Agellius sui æui. At primò alia fuit *municipum* ratio. Siquidem in principio ciuitas aliis cum suffragio, aliis absque eo data fuit: ac quibus cum suffragio data erat, ij Romanis viuebant legibus, ac habebant ius Romæ petendi magistratus, cæteri non item. Postea exæquatum est municipiorum ius, nullo ferendi suffragij potestate excluso. Tandem hæc quoque mutata conditio, quòd municipes suæ amantes libertatis, viuere mallent, Romanis soluti legibus. Hinc *municipales lex*, quæ propria cuiusque municipij: quamque habuit ante adeptam ciuitatem. Qua de agit Guil. Fornerius lib. I. Select. cap XIII. *Municipalis eques* de Cicerone legas apud Iuuenalem, tanquam qui non vetus esset ciuis Romanus, sed è municipio ortus, quorum non tantus erat splendor aut diuitiæ, quàm vrbanorum. Tacitus quoque, lib. IV. similiter dixit: *Seque ac maiores municipali adultero fœdabat.*

MVRÆNA piscis de quo scitè Massarius ad IX Plin. Est à Græco μύραινα, vt scribit Varro, lib. IV de Lat. Hesychius: Μύραινος, ἡ μύραινα ἀρσενικῶς. ἄλλοι δὲ μύρον αὐτὸν καλοῦσι. Nomen μύρος vel μύραινα à μύρω, *fluo*, quia *fluitat in summa aqua.* Translata *muræna* vox quoque ad *ornamenta colli*: vt hic locus Hieronymi indicat ad Marcellam, de laudibus Asellæ: *Cum primùm hoc propositum arripuit, aurum colli sui (quod quidem murænulam vulgus vocat, quòd scilicet metallo in virgulas lentescente, quadam ordinis flexuosi catena contexitur) absque parentibus vendidit.* Isidorus. lib. XIX. cap XXXI. *Muræna vulgo vocatur, quòd auri metallo in virgulas lentescente quadam ordinis flexuosi catena contexitur, in similitudinem murænæ, quæ ad collum ornandum aptatur. Hæc interdum auri atque argenti texitur virgulis. Vnde & dicitur in Canticis Canticorum: Murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.*

MVRCVM *appellatum volunt alij, quòd fanum Veneris Verticordiæ ibi fuerit, circa quod nemus Myrteti fuisset. Inde mutata litera Murciam appellatam &c.* Ex hisce liquet veteribus eandem esse visam *Deam Myrteam*, & *Murceam*, sed priùs vocatam *Myrteam*, à *Myrto*, pòst mutatâ literâ T in C *Murciam* dictam esse. *Metarum Murciarum* meminit & Appuleius, lib. VI. Metam. *Si quis à fuga retrahere, vel occultam demonstrare poterit regis filiam, nomine Psychen, conueniat retro metas Murcias, Mercurium prædicatorem.* Vbi *Mercurium prædicatorem* statuit post *metas Murcias*, quia istic præco victores pronunciaret. Ita locum hunc capit Franc. Iunius ad Tertullianum, eúmque secutus Cæsar Bulengerus. Porro ex superiori Seruij loco simul cognoscimus, cur in Circo *calces* vocarent *metas Murcias*, nempe, vel à monte *Auentino*, qui prius *Murcus* dictus, est. quod Festus quoque scribit in *Murcia* vel potiùs quia iuxta eas esset fanum *Murciæ*: vnde Tertullianus. lib. de Spectaculis. cap. VIII. *Consus, vt diximus, apud metas sub terra delitescit Murcias. Has quoque Idolum fecit: Murciam enim Deam Marcoris volunt, cui in illa parte ædem vouere.* Pro *Marcoris* in MSS[1] & prima edit. est *marmoris*, vnde fecerunt *amoris.* Sed *marcoris* legendum esse, rectè suspicabatur Turnebus. lib. XXII. cap. XVII. Nempè vt idem ait. lib. XXIII. cap. XXII. *Murcia est marcidorum, & ignauorum Dea.* Quod Arnobius firmat in IV. vbi ait, *segnitem Deam Murciam.* Atque hinc sanè eruere est veram nominis caussam. Nam *mollis* & *ignauus* Græcis μαλακός, & μαλκός. ac Æolicè μολκός, vt γλάφω, & γλύφω dixere; Latini item *scalpo* & *sculpo*, vnde *scalprum*, & *sculptile* Itidem à μαλακός, & μολκός, Latini dixere *Marcus* & *murcus*, indéque *marcidus*, & *murcidus*, Festus: *Murcidum, ignauum, stultum.* Vbi perperam scriptum *murricide.* Vnde Scaliger legebat, *murricide*, quasi *muricide*, hoc est, μυοκτόνε, quasi esset à *muribus cadendis.* Sed hoc si esset *muricida* ἀναλόγως diceretur, vt dicimus *parricida.* *Murcidi* voce vsus Plautus, Epid. act III. I.

——— *Væ tibi murcide homo.*

Murcidus, vt ex Tertulliano, & Arnobio diximus, præerat *Murcia.* Similiter Augustinus, lib. IV. de Ciuit. Dei cap. XVI. *Vocauerunt Deam Agenoriam, quæ ad agendum excitaret: Deam Stimulam, quæ ad agendum vltra modum stimularet: Deam Murciam, quæ præter modum non moueret, ac faceret hominem, vt ait Pomponius, murcidum, id est, nimis desidiosum, & inactuosum: Deam Strenuam, quæ faceret strenuum.* Videmus hic opponi Deam *Murciam*, & *strenuam*; *Murciámque* præesse iis, (vt ait Augustinus) *qui præter modum non mouerent.* Id exprimit vocem ἀκινησίας. Ac μαλκὰ ab Nicandri Scholiaste exponitur ἀκινησία, éstque μαλκὴ à μαλακία, quomodo à μαλακός, μαλκός, vnde *Marcus*, vt ab Æolico μυρκός, *murcus.* Nisi hoc ab Syracusio μύρκος, quod propriè *mutum* notat. Hesychius. Μύρκος ὁ πρὸς λαλιὰν μὴ δυνάμενος λαλεῖν. Συρακούσιοι, ἰσχός, ἄφωνος. Nempe vt propriè μύρκος sit *mutus*, translatè *impotens, ignauus.* Quomodo ἐνεός; vtrumque notabat. Hesychius ἐνεός, μωρὸς, κωφὸς, μογγός, οἱ μὴ ἀκούοντες, μὴ λαλοῦντες. Sed siue à μολκός, siue à μύρκος, fit *murcus*, à *murcus* est *murcidus.* Indéque posteriores Latini *murcos*, & *murcidos*, dixere eos, *qui pollicem sibi præcidissent, ne militarent*: cuiusmodi hominum meminere Tranquillus in Augusto, Chirius Fortunatius, Iurisconsulti, atque alij. Hinc Ammianus Marcellinus, lib. XV. pene extremo: *Nec eorum* (Gallorum) *aliquando quisquam, vt in Italia, munus martium pertimescens, pollicem sibi præcidit, quos localiter murcos appellant.* Videntur & dicti *murcinarij* Gloss. vett. *Murcinarius, mutilus.* Ac satis verisimile est, quos Itali ac Galli *Poltrons* vocant, ab hac *pollicum truncatione* nomen accepisse. At non probo, quod summus vir putabat, eos *qui pollicem præcidissent*, dictos *murcidos*, quia *præcidissent murcum* hoc est, *pollicem*, eóque in superiori cùm Augustini, tum Plauti loco pro *murcidus* legendum esse *murcicidas.* Nec enim Plauti, vel Arnobij, sed Ammiani temporibus obtinuit appellatio à *pollicibus præcisis*: nec Ammianus ait *pollices* vocatos esse *murcos*, sed ipsos *milites*: atque id quoque cognoscimus hoc Luitprandi loco in histor. P.P. in Innocent. *De indulgentia clericorum querimoniam facienti, cùm aliquos murcos, aliquos digamos habere diceret, respondit, illum, qui volens partem digiti sui absciderit, iuxta canones non posse admitti ad clerum.* Nihilo verius puto quòd coniectat, *murcidus* esse diminutiuum à *murcus*, dicíque pro *murcilus* D in L conuerso. Nam nusquam alibi in diminutiuis occurrit huiusmodi immutatio. Deinde quemquam pollices sibi præcidere, vt sit à militia excusabilior, id verò non minutæ, sed propè extremæ socordiæ est argumentum: vt omnino *murcidus* diminutiuum esse nullo modo possit.

MVREX ab *asperitate & scabritie, quâ muros refert*: vt ἀπὸ τοῦ μυρμηκίζειν Perottus. Rectius à *mure* Martinius, quem acumine relectsanè & capse de caussa in piscibus dictus *musculus.* Nec ineruditè P. Bellonius lib II Aquatiliũ. vbi leui immutatione ait factum è Græco κήρυξ, quomodo ab Aristotele vocatur. Etiam in Gloss. vett. est *Murices*, τρίβολοι. Item κῆρυξ θαλάσσιος, *murex, bucinus.* Vbi malim *bucinum* Sanè qui Aristoteli κήρυξ, is Plinio nunc *murex*: nunc etiam *bucinum.* Huius appellationis caussam aperit hic locus eius, quem dixi scriptoris Hist. Nat. lib IX cap. XXXVI. *Concharũ ad purpuras & conchylia eadem quidem est materia sed distat temperamento. Duo sunt genera: Buccinum minor concha, ad similitudinem eius buccini,*

quo sonus editur: vnde & caussa nomini, rotunditate oris in margine incisâ, Alterum purpura vocatur, &c. Atque hinc quoque patet, cur κῆρυξ dicatur, quâ voce propriè notatur *præco, qui buccino alitèrue populum conuocat*. Porrò *murex* præter superiorem notionem etiam notat *machinulas ferreas*, quæ in quamcunque inciderint partem, aliquos aculeos protendunt: vnde & dolosè in terram aduersus hostes conijci solent. A Græcis τρίβολοι dicuntur. Nomen autem è *murice* pisce, cuij aculei sunt plures habentes cuspides: Indicat id hic Plinij locus, lib. IX. cap. XXXIII. *Firmioris iam testæ murices & concharum genera: in quibus magna ludentis naturæ varietas, tot colorum differentia, tot figura, planis, concauis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæsis, in dorsum elatis, leuibus, rugatis, denticulatis, striatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso*, &c. Sanè quin *machinulæ* hæ à *pisce*, aut *piscis* à *machinulis* nomen traxerit, nemo puto ambiget: sed potiùs *machinulæ* dicentur à *pisce*, si verum est *muricis* vocem esse corruptam a Græco κῆρυξ, quod Bellonium sensisse dicebamus. A *machinulis* vel *pisce*, *muricata carduorum cacumina* vocat Plinius lib. XX. cap. XXIII. Ac [illegible]: *muricatos gressus* dixit Fulgentius, hoc est, *formidolosos*, quique quasi per *murices ferreos* fiant. Ab iisdem est *muricatim*, hoc est, *muricum instar*, quomodo Plinium locutum iam vidimus.

MVRGISO, quasi *moricido*. Festus: *Murgisonem dixerunt à mora & decisione*. Ita & MSS. Isidorus in Glossis: *Murgiso, callidus morator*. Sic lego cum Ios. Scal. vbi vulgo *murmurator*, pro *morator*.

MVRIATICA, Plauto dicuntur, quæ aliis *salsamenta*. Illustrem de iis Plauti locum vide Pœn. Act. I II. quem ipsum illustrat Isaacus Casaubonus, lib. VIII. Animaduers. in Athen. cap. V. Et *muria* κατ' ἀφαίρεσιν factum ab ἁλμυρίς, quod idem: cuiusmodi ἀφαίρεσις in multis locum habet. Ita ab ἄρουρα dicta *rura*: a *Tubalcain*, *Vulcanus*; ab Ἀφροδίτη, *Frutis*, vnde *Frutinal*, templum *Veneris Frutis*, teste Festo. Ab ἁλμυρὸς videtur factum Gallicum *Almiraillus* pro *thalassiarcho*. Habet autem *muria* duplicem significationem. Nam interdum ita vocatur *aqua salsa*, quâ aliquid maceratur aut seruatur, vt *muria cappari* apud Celsum, lib. IV. cap. IX. vbi eam lienis morbo ait conducere. Aliàs *muria* est *liquamen thynnorum*, vt *garum scombrorum*: illud pauperum erat, hoc diuitum, vnde de eo sic Manilius lib. V.

Hinc sanies pretiosa fluit, florémque cruoris
Euomit, & mistò gustum sale temperat oris.

Vide Scalig. lib. II. Auson. Lect. cap. XXVII. Quamquam quod ibi ait Scaliger *muriatica* esse quæ Septentrionalibus nationibus dicuntur *stockvisch*, id minimè verisimile puto. Nam hæc *vento arescunt*, illa *muria coduntur*: vnde & nomen. Illud quoque addamus, quod neglectum interpretibus Plauti, Comico huic Capt. I. II. *victum scruposum asperumque* dici *olera*, quæ è *dura asperáque muria* comeduntur. Ac *olera* quidem intelligi nemo dubitat, cùm Hegio ibidem non tantum vocet *cœnam terrestrem*, sed & *olera* à se intelligi disertim dicat. At non quæuis *olera* intelligi debere, sed ea quæ, vt dicebamus, è *durâ asperáque muriâ comeduntur*; id verò ex eo colligo, quòd is cibus non pauperum tantùm fuerit, sed ægrotis interdum soleat præscribi. Itaque Celsus, lib. IV. c. XV. imperat *portulacam ex dura muriâ*. & paullo post subdit: *Themison, muriâ durâ quàm asperrimè sic alendum, memoriæ prodidit*. Mirificè autem hanc rem firmat, quod cùm Hegio dixisset, se per *terrestrem cœnam* (quam *durum asperumque victum* antè vocârat) intelligere *olera* subiiciat parasitus; *Curato ægrotos domi*. Nempe quia, vt diximus, olera istiusmodi non pauperum modò cibus erat (vnde & parasitis, qui vnctas sectabantur, exosus fuit) sed etiam ægrotorum. Dispiciant eruditi num mentem Plautinam simus assecuti. De *muria*, vide sis quædam apud Hieronymum Mercurialem, lib. II. Var Lect. cap. XXVI. & Andream Schottum obseruationum Humanarum, lib. III. cap. V.

MVRMVR à Græco μορμύρειν, vel μυρμύρειν, hoc est, *murmurare*: quod propriè dicitur de aquis fluentibus, cùm paullùm exasperantur ita vt nonnihil spument: teste Eustathio. Μορμύρω autem, non à μύρω, id est, *fluo*, sed, vt puto à sono factum est. Quam sententiam firmat & Varro lib. V de L.L. *Murmurator dictum à similitudine sonitus*. Et mox: *Hinc etiam poetæ murmurantia litora*. A *murmur* est diminutiuum *murmurillum*: Atque vt à *murmur* est *murmurare*: ita à *murmurillum* est *murmurillare*. Plautus Rudente:

Palam age, nolo in murmurillum, neque susurrum fieri mihi.

Et ibidem:

Quid murmurillas tecum ac te discrucias?

Vtque à *ludo*, *ludibundus*; ita à *murmuro*, *murmurabundus*: quod Appul. lib. II. Met.

MVRRA, Græcis itidem μύῤῥα, *lapidis genus*, vnde *pocula murrina* Græcis μύῤῥινα, quæ perperam cum *myrrhinis* confundunt. Nam sic à *lapide*, vnde fiunt, non ab *aromatis* genere dicantur. Est apud Martialem lemma, *Murrina*. Sub quo distichon illud:

Si calidum potas, ardenti murra Falerno
Conuenit, & melior fit sapor inde mero.

Eiusdem est,

——— *Maculosa pocula murræ.*

Et Papinij in Coma Earini.

——— *Hic pocula magno*
Prima duci, murrásque graues, crystalláque portat
Candidiore manu. ———

Sic vbique scribendum esse, iam alij monuere.

MVRRINIS de poculis multa habet Plinius, lib XXXVII. cap. II. Inter alia dicit: *Oriens murrhina mittit. Inueniuntur enim ibi in pluribus locis, nec insignibus, maximè Parthici regni: præcipuè tamen in Carmania. Humorem putant sub terra calore densari*. Sed aliter de his Propertius lib. IV.

Murreáque in Parthis pocula cocta focis.

Nempe nesciuit Plinius, *murrina* esse pocula similia illis, quæ ex Sigillino cocto apud Sinas fiunt: quæ vulgo *porcellana* dicimus. Eodem in errore hæsere veterum illi, qui *gemmæ* nomine signant Maro:

Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.

Seneca de Benef. lib. VII. cap. IX. *Video murrina pocula. Parum scilicet luxuria magno fuerat nisi quod vomant capacibus gemmis inter se propinarent*. Planè etiam fallitur Agricola, cùm censet, *murrina* pocula esse eadem ac illa, quæ ex *onycho* fiunt: quem errorem satis refellunt, quæ de his scribit Plinius, lib. XXXVI. cap. VII. Et apertè distinguunt Lampridius in Heliogabalo: *In murrinis & onychinis minxit*. Vide & de *myrrhinis* Cæs. Scaligerum, Exercit. XCII. Iosephum Scaligerum, ad Propertium, lib. IV. & Salmasium in Exercitationibus Plinianis.

MVRRINA, vel *murrhina*, Plauto est potionis genus, teste Nonio: eiúsque dulcis, nec inebriantis, ac propterea mulieribus concessæ: teste Varrone, lib. de vita pop. Rom & Gellio, lib. X cap. XXIII. Arbitror autem idem esse ac *murratam* potionem, de qua Festus in *murrata*. Festus cùm dixisset *murrinam* a Græcis *nectar*, à mulieribus Romanis *murrinam* vocari: addit, *Quidam id dici putant ex genere vitis, murrinæ nomine*. Sanè ne veteribus quidem de caussa eius appellationis constitisse videtur. Sed non dubium, quin sit a Græco μυῤῥίνης. Nam vt ὁ μαργαρίτης, *margarita*; ὁ [illegible], *catapulta*; ὁ χάρτης *charta*; sic ὁ μυῤῥίνης, *myrrhina*. Ὁ μυῤῥίνης οἶνος idem ac μυρίνης, quomodo Polluci vocatur. At μυῤῥίνης dicitur Posidippo apud Athenæum. Hesychius Μυῤῥίνης οἶνος [illegible]. Sic legendum. Addit deinde aliquibus dici [illegible]. Ab *vnguento* igitur, quod Græcè μύρον dicitur, est μυρίνης. Vnde & Polluci μυρίνης exponitur [illegible]. Eadem de caussa dicebatur [illegible], quia Æoles pro μύρον dixere μύῤῥα, vt ex Athenæi. lib. XV. discere est, vbi ait, Æoles ideo pro σμύρναν, quæ *myrrha* est, dixisse μύῤῥα, quia *ex ea fieret vnguentum*, ac *stacte* per se etiam *vnguentum esset*. Ab hac significatione vocis μύῤῥα pro *vnguento*, etiam dicta herba μυῤῥίς, & fortassis λίθος μυῤῥίνης. Omnino autem errant quibus placet οἶνον μυῤῥίνην ac Latinis *murrinam* dici à μυῤῥίνη, *myrtus*, quia ex eius baccis fieret. Nam ἀναλογία tum requireret μυῤῥινίτης, Latinè item *murrinita*. Etiam errant qui, Festo teste, putarunt *murrinam* esse *vinum murratum*. Scio & Plinium *murrinum* interpretari *murrâ conditum*. Sed sic *vinum* esset *amarum*. Nam *myrrha amara*: atque indè etiam apud Hebræos nomen accepit, vt alibi dictum. At *murrina* inter *dulces potus* clarè reponitur à Plauto in Pseudolo. Quare id extra controuersiam est, ab *vnguento* nomen accepisse, quod Græcis μύρον & Æolibus etiam μύῤῥα dicitur.

MVS, à μῦς, hoc à μύειν, quod est *abdere se in latibula*, siue *inlatebrare*. Vel est μῦς à Persico موش *mus*, quod idem significat éstque ab Hebræo מוש quod est, *recedere*, quia animalculum hoc viso homine confestim fugiat, ac recedat. Ac posterius hoc etymō acceptū fero præstantissimo & amicissimo Abrahamo Costero. Diminutiuum est *musculus*, vt apud Cicer. II. de Diuinat. *Nam & musculorum iecuscula bruma dicuntur augeri*. Est & nomē *pisciculi*, qui balænæ fungitur oculorū vice, quia caudâ cursum eius moderatur, ne in vada impingat; vt scribunt Plinius, lib. IX. cap. LXII. & Claudianus, lib. II. in Eutropium. Etiam *concharum* generi conuenit ea appellatio: de quo in *mitulus piscis*. Præterea vt Græcis μῦς ita Latinis *musculus* vocatur in animali motus voluntarij instru-

mentum, carne fibrísque constans: quod & Belgæ similiter ambiguo vocabulo *de muis* vocant. Creditur autem sic dici, vel quòd *musculum excoriatum referat*; vel, (quod Gortæus sibi magis verisimile videri scribit) quia *similis sit musculo pisci*. Denique *musculus* quoque dicitur *machina bellica*. Cuius nominis de caussâ sic Isidorus, lib. XVIII. cap. de ariete. *Musculus cuniculo similis sit, quo murus perfoditur, ex quo & appellatur, quasi murusculus*: Sed aliter Vegetius, lib. IV. cap. XV. *Vocantur autem à marinis belluis musculi. Nam quemadmodum illi, cùm minores sint, tamen balænis auxilium adminiculúmque iugiter exhibent: ita istæ machinæ breuiores, deputatæ turribus magnis, aduentui illarum parant viam, itineráque præmuniunt*. Et rectiùs sanè Vegetius, quàm Isidorus. Solent enim machinis bellicis nomina indi ab animantibus: vt indicant aries, scorpio, ericius, cuniculus, testudo, aliáque Vide hâc de re Seruium, in 11. Æn. & Isidorum eodem libro cap. de clypeis. Fortasse tamen appellatio est non à *musculo pisce*, sed *domestico*, quia *instar eius animalculi foderent sub eo terram*, aut quia *milites, vt mures, cauum id subirent*. Quam nominis rationem adfert Iustus Lipsius, lib. I. poliorceticon, cap. IX. *Murinus fimus* Varroni *muscerda* dicitur, vt scribit Plinius, lib. XIX. cap. VI. Cuius de vocis origine dicimus in *Merda*. Cætera à *mure* deriuata, vt *mustricula*, & *muscipula*, adferimus suo loco.

MVSCA omnino est à Græco μυῖα, quod idem significat. S insertum more antiquo: de quo sæpe dictum.

MVSCIPVLA Lucillio ac Varroni dicitur, *quâ mures capiuntur*, à *mus*, & *capio*. Μυάγρα exponunt Glossæ. Etiam μύσπαλα vocatur, Hesychio teste, cui μύσπαλα exponitur μυάγρα, παγίς. Ea lectio si sana, possit & *muscipula* à μύσπαλα factum videri Sanè id Nunnesius censuit in Grammatistice.

MVSCVS dicitur *villosa illa lanugo in arboribus ac saxis proueniens*: siue, vt Sosipatro ac Diomedi, vtrique libro primo definitur, est *herba, quæ in parietibus vel corticibus arborum nascitur, vel hæret*. Possis & ex Plinij lib. XII. cap. XXIII. vocare *canos arborum villos, quales in quercu maximè videmus*. Etiam sic vocatur *lanugo illa villosa in mari petris innascens, ac mari innatans*, vnde & in litus euoluitur ac proijcitur: quæ aliter βρύον θαλάσσιον, & φῦκος Latinis *alga*. Gloss. Phil. *Muscus*, βρύον, φῦκος. Ita Maro III. Georg. iubet armenta pasci.

——— *Plena secundum*
Flumina. ———

Atque addit,

——— *Muscus ibi, & viridissima gramine ripa,*

Hinc *muscari* apud Columellam pro *musco contegi*. Est *muscus* à Græco μόσχος, quo notantur *tenera ac nouella*: vti *tenera boum soboles*, & *tenelli arborum rami*. In Glossis Philox. *muscus* etiam exponitur μόσχος, quo significatur *pretiosi odoris genus erumpens ex animalis Indici vomica*, vel *è pelle eius animalis plagis ad sudorem adacti*. Vide Aëtium lib. περὶ μυρεψικῶν δυνάμεων. Sic Gloss. Cyr. μόσχος, *muschus*. Sæpius autem μόσχος vocatur à Græcis: vt apud Achmetem in Oneirocritico Vide & μοσχᾶτα apud Aëtium, *quibus muscus additur*. Meminit *musci* fragrantis Hieronymus, lib. II. aduersus Iouinianum, & epist. ad Principiam virginem. Hoc esse διὰ ἀιδοίων animalis *muscum*, omnino putamus. Negat tamen id Hermolaus Barbarus, in Plinij lib. XII. cap. XXIV. vbi βρύον siue *arborum muscum* intelligit. Distinguit & Alciatus, in poster. Annot. Cod. p. IↃLXXII. Nempe arbitrantur, non tam antiquam esse notitiam *musci odorati*. Sed contrarium docuit Salmasius: qui obseruat meminisse etiam Arnobium, lib. VII. atque adeo Appuleium lib. VIII. Met. Apud illum in Reg. cod. *venerabile miscus*: apud hunc *misci fragrantis*, scriptum est. Sed literæ *i*, *u*, *y*, solent à librariis confundi, vt omnes norunt.

MVSICA. Μουσικὴ, antiquis signabat vniuersè *humanitatis studia*: sed posteriore *modulationi numerorum* speciatim id nomen tribuerunt: qua de re vide quæ ex Platone & Aristotele scribit Budæus, in Comm. Lin. Gr. Nomen id esse à *Musis*, satis liquet. Vnde & μουσεῖον, *museum*: vel vt Philostratus scribit in vita Appollonij, *locus vbi Musæ colebantur*. *Musæ* verò Eusebio ita dictæ videntur à μυεῖν significante διδάσκειν, vel παιδεύειν. Sed Plato in Cratylo deducit à μῶσθαι, quod est ζητεῖν, pro quo est, quòd Doricè μῶσαι dicerentur. Vide Græcos interpretes Hesiodi ad primum versum ἔργων, ac imprimis, Tzetzem. Sed de etymo subscribere malo Iul. Scaligero, qui commentario in Theophrasti historiam plantarum dici censet μοῦσαι ab ea notione verbi μάω, siue μῶ, quâ significat *cupidè ac cum impetu in aliquid ferri*. Vt nempe nomen sit ab *incitatione, à qua furor prouenit*. Nec displicet, quòd alij ab Hebræo fonte arcessunt Nempe vel à משא, *massa*, quod est *enunciare, assequi*. Vel a מוסר, *musar*, quo *eruditio* significatur à Rad. יסר, *erudire*. De *Musaico opere*, & *Musinarius*, vide in *Musiuum*.

MVSIVVM opus idem est, quod *tessellatum*. Græcis ψηφοθετημένον, & ψηφοβόλια. Pro eodem & *musaicum* dicunt. Vtrumque est Α᾽χαϊκὸς, Α᾽χαϊκὸς, sic à Μουσεῖον, Μουσεῖος, & vt Α᾽χαιοὶ, Latinis *Achiuus*, ita Μουσεῖος, *Musiuus*, quemadmodum Scaliger ad Manilium notauit; & ex eo Nicolaus Serrarius ad farraginem epistolarum Bonifacij, & aliorum. Hine *Musinarij*, *tessellatores*, ψηφοθέται, ψηφοθέται, hoc est, *qui pauimenta scutulis siue tessellis struerent, aptéque ad regulam perfricarent*, quemadmodum idem docuit Scaliger. *Musiui operis* meminit Spartianus: *Pictum de musiuo, inter Commodi amicissimos videmus, sacra Isidis ferentem*. Item Aimoinus, lib. III. de gestis Francorum: ex quo similiter corrigendum esse apparet apud Gregorium Turonensem, lib. V. cap. XLV. In Christianis quoque inscriptionibus legas pag. CIↃLXIV. *Domino iuuante, Felix Episcopus Dei famul. Basilica B. Martyris Stephani, Musiuo & marmoribus decorauit*. *Musinariorum* mentio est L. I. C. de excusationibus artif. prout ibi legendum esse liquet ex lib. II. eodem Tit. Cod. Theodos. Gemino quoque in loco hanc vocem Iulio Firmico restituit Scaliger loco antedicto. Item vide sis Casaubonum ad Suetonium, itémque ad Spartianum.

MVSMONVM appellatio est à Græcis, qui similiter appellant. De his ita Strabo, lib. V. Φύονται δ᾽ ἐνταῦθα οἱ κριοὶ φύοντες αἴγειον ἀντ᾽ ἐρίου τρίχα, καλούμενοι δὲ μούσμωνες, ὧν ταῖς δοραῖς θωρακίζονται, hoc est, *Nascuntur hic arietes, qui velleris loco villum caprinum gignunt, & vocantur musmones: quorum pellibus sese loricant*. Plinius, lib. VIII. cap. XLIX. *Est & in Hispania, sed maximè Corsica, non maximè absimile pecori, genus musmonum caprino villo, quàm pecoris velleri, propius. Quorum è genere & ouibus natos prisci Vmbros vocarunt.* Isidorus, lib. XII. cap. I. *In animantibus bigenera dicuntur, quæ ex diuersis nascuntur, vt mulus ex equâ & asino; burdo ex equo & asinâ; hibrida ex apris & porcis; titirus ex oue & hirco; musimo ex caprâ & ariete*. Sed & latiùs patet *musmonum*, seu *musimonum* vox, quàm ex hisce scriptoribus intelligas: vt quæ etiam ad asinos, mulos equósque extendatur: Nonius Marc. *Musimones, asini, muli, aut equi vrtici*. *Lucillius*, lib. VI. *Præ-tium emit*, (Dousa pater rectè legit *radium*, ac *emit* ἀρχαϊκῶς positum putat pro *emat*) *qui vendit equum musimonem*. *Cato Delatorio*: *Asinum, aut musimonem, aut arietem*. Nonij sententiam confirmant Philox. Glossæ, in quibus legas, *Iber*, ἡμίονος. *Imbrum*, Ἡμίονον, Πρόβατον. Nam *iber* siue *imber*, idem quod *vmber*, quomodo *musmonem* vocari ex Plinio supra didicimus. Ab *iber* est *ibrida* pro *spurio*, non παρὰ τὴν ὕβριν. *Iber* verò ex *imber* siue *vmber*, quod à Græco ὄμβριος. Pollux, lib. V. cap. II. τὰ δὲ πάντων τῶν ἀγρίων τέκνα, ὄμβρια οἱ ποιηταὶ καλοῦσι, καὶ ὀμβρίκαλα. Quòd verò Latini pro *vmbro* siue *imbro*, *iber* & *ibrida* dicant absque *M*, id ipsum Græcorum sit exemplo, qui similiter ὄβρια ὀβρίκαλα appellant, vt ex Eustathio discimus, qui in Odyss. α pag. CIↃCCCXCV scribit à βρῶ ἐπιτατικοῦ esse ὄβριμος, id est, *valians firmus*, indéque vocari ὀβρίκαλα παρὰ Α᾽ισχύλῳ λεόντων, σκύμνια, quasi ὄβριμα καὶ ἄγρια. Idémque in Odyss. I. pag. CIↃIↃCXXV. ait, *erinaceorum similiúmque catulos* ὄβρια καὶ ὀβρίκαλα appellari.

MVSTACEI meminere Iuuenal. sat. VI. Statius, lib. I. Silu. Plinius, lib. XV. cap. XXI. è Grammaticis Caper, & Velius Longus. Erat *libi genus*, à *musto* dictum. Nam, vt ex Catone constat, fiebat è *farina siliginea modio vno, musto conspersa*. Hinc illud apud Tullium, lib. V. ad Att. Epist. XX. *Laureolam in mustaceo quærere*. quo de vide Calcaginnum, in epistolicis quæstion. lib. I. epist. XVIII.

MVSTELA, à *mus*, *tela* vocis productio est. Id malim, quàm vt sit ex μῦς, *mus*, & τῆλε, *longè*, quod Scaligero placet, Exercit. CCCXXV. Longéque minùs placet, vt sit à *mus* & τίλλω, quod exponunt *furari*; vt ita dicatur, quia *furetur mures*. Nec enim τίλλω id notat Græcis. A *mustela* dicitur *mustelinus color*. Terent. in Eunucho. Apud Menandrum erat, ἀσκὸς δὲ γαλεώτης γέρων. Nempe confudit Terentius, γαλῆ & γαλεώτης. Illud *mustelam* notat, hoc *stellionem*. Hoc nomine iam olim Terentium fuisse reprehensum, cognoscimus ex Donato. Excusat ipse eo, quòd *mustelinum colorem* dixerit velut *sublimidum à pelle mustelæ*. Sed parum verisimile est, *pilis colorem* tribuisse *faciei*. Turnebus aliter excusat. Ait γαλεώτην, non *stellionem* tantùm esse, sed etiam *mustelam*. Sed non euincit hoc Hesychij locus, quem adducit. Et vt vtrumque significaret, non tamen apud Menandrum *mustela*, sed *stellio*, intelligeretur. Nam *lentiginosa facies*, vt Donatus agnoscit, indicatur. At *eiusmodi facies* optimè refert non *mustelæ pellem*, sed *tergum stellionis*, cui nomen à *maculis*, *quibus corium distinguitur*, *quasi stellis*.

MVSTRICVLA, vt scribit Festus, appellatur ab Afranio *modulus*

lus siue lignea forma, cui inducto corio nouus fit calceus. Sed in Glossis Isidori legere est: Mustricula, machina ad stringendos mures. Quare suspicatur Ios. Scaliger hanc propriam esse significationem: sed a similitudine illius machinæ tribui modulis siue formis sutorum. Quod placet, vt sit à mus & stringo, N omissum, vt in strigil.

Mvstvm, à mus, id est, terra, quia mustum habet multum terræ siue limi. Ita Isidorus, lib. xx. cap. iii. Sed ineptum hoc. Est autem mustum, siue mostum, à μόσχος, id est, tener, nouellus, vt apud Homerum μόσχοισι λύγοισι. Vinum igitur mustum, quomodo Cato loquitur, idem est, quod nouum, siue οἶνος μοσχίδιος. Nonius: Mustum non solum vinum, verum nouellum quicquid est, rectè dicitur. Næuius, Gymnastico: Vtrum est melius, virginemne, an viduam vxorem ducere? virginem, si musta est. Et Priscianus, in sexto, citat Catonem Censorium, de agna musta pascenda. Posteriores verò pro eo musteus maluerunt: quomodo apud Plinium Veronensem mustea pira legimus, lib. xv. cap. xv. & musteum succinum, lib. xxxvii. cap. iii. & apud Plinium Nouocomensem musteum librum, lib. viii. ep. xxi. quod ipsum etiam Sidonius vsurpat, viii. ep. iii.

Mvtilvs piscis è concharum genere, memoratus Catoni de R.R. cap. clviii. Horatio item, lib. ii. satyrâ iv. Martiali, lib. iii. epig. lx. Plinio, lib. viii. cap. li. & lib. xxxii. cap. ix. Alij scribunt mytilus. Sed malim per V. Est enim nomen Romanum: vt cognoscimus ex Athenæi lib. viii. vbi ait, quam Græci μύακα appellant, eam Romanis vocari μούτλον. Differre à mye, & mysco, indicat Plinius, lib. xxxii. cap. xi. vbi iunguntur, mys mutilus, myscus. Origo tribus istis eadem, nempe ab similitudine aliqua muris: vnde & concha genus, quod Belgis mosselen, musculorum nomine vocantur à Plauto, Rudente: & Corn. Celso, lib. ii. Mutilus, si audimus Cæsarem Scaligerum, Exercitat. cxl. venit à mutus: Mutilum, inquit, dixere veteres, quod esset defraudatum naturâ suâ, deductâ voce ab hominibus mutis. Quippe homini sermo nobilissima res, & maximè necessaria.

Mvtilvs adiectiuum quibusdam, Perotto teste, dici placet, quasi minutus. Sed est à Græco μιτύλος, quod idem notat. Vnde Theocr. Scholl. Idyll. viii. μιτύλαν αἶγα vocat mutilam, hoc est, cornibus destitutam. Vnde & Scholiastes ἀκέρων exponit. Et sanè vt μιτύλος est ἀκέρως, ita & mutilus, quod eiusdem originis ac mutilus. De significatione id quod dixi, comprobatur hoc Varronis, lib. i. de R.R. c. xlviii. Spica mutica dicitur, quæ non habet aristam: ea enim quasi cornua sunt spicarum. A mutilus Varroni, Columellæ, Vitruuio mutuli, siue, vt in quibusdam libris ea vox scribitur, mutili: dicuntur ligneæ illæ vel lapideæ partes prominentes, quibus capita trabium imponuntur. Sunt enim quasi mutila trabes. Eustathius in Aristotelis lib. x. vocat μοῦτλα ex vsu vulgari. Sed malum se architectum ostendit cùm triglyphos interpretatur.

Mvto verbum à motu quasi motare: vel ab ἀμείβω, quod idem notat. Nempe vt b in t mutetur: quod Nunnesius voluit. Vel ab Siculo μοῖτος, id est, mutuum: de quo in Mutuum dicemus. Vel ab Hebræo מוט, quod est inclinare, mutare, labi. Quod etymon Angelus Caninus sequitur. Dróque posteriora mihi imprimis placent. Etiam muto nomen est, ac penem notat: vnde Onomasticon: Muto, πέος. Nec longè abit Græcum μυττὸς, quomodo Hesychio teste vocatur τὸ γυναικεῖον, indéque apud eundem μύτης, ὁ ἔχων τὰ ἀρρενικὰ ἐκλελυμένος. A μυττὸς fit rectus μυττών, vnde muto. Sed μυττὸς videtur factum è μόρτος. Nam & hoc pacto appellatur pars ea qua feminæ sunt. Vide si voles, Rufum Ephesium. A mutuo est mutonium, vel mutunum, pro quo & mutinum dixere vt, optimus, optumus. Sed in mutunum ac mutinum penultima est porrecta: vt apud poëtam Ithyphallicum, in illo Satone:

Priape, furibus minare mutino.

Mutonium esse id quod dixi ex vett. Gloss. cognoscimus. Vt in quibus αἰδοῖον ἀνδρεῖον exponatur. Id nempe quo fascinum arrecuans. Atque additur, sic à Lucio vocari. Sed pro Λούκιος, scribendum Λουκίλιος, qui vsus lib. ii. Sat. Nam quid muttuno, subiectóque huic opus signo. Citat. Nonius in Lurcatur. Turnebus, lib. xvii. cap. xxiii. colligit ex Lucillio Mutinum etiam fuisse silentij deum, ac sic dictum, quia præstet, vt mutus homo, ac aliquid clam habeat. Sed omnino rectiùs Glossæ fascinum intellexere. Pro subiecto autem fortasse surrecto rescribendum. Nam mutunus, siue vti in quibusdam libris scribitur, muttinus nihil aliud erat quàm surrectus penis, signum viri: vt in illo Lucillij versu posterius sit ἐξήγησις prioris. Indéque mutoniatus, ἰσχυρὸς, vt exponit Onomasticon. A mutone etiam est Mutunus, etsi quasi Motunum dici alij velint, quia vim se mouendi marito vxorique addat. Festus in Schedis Farnesiani exemplaris: Mutini Titini sacellum fuit in Velijs aduersum murum Mustellinum in angiportu: de quo aræ sublatis balnearia sunt facta domus Cn. Domitij Calvini, cùm mansisset ab vrbe condita ad Principatum Augusti Cæsaris inuiolatum, religiosèque & sanctè cultum fuisset, vt ex Pontificum libris manifestum est. Nunc habet ædiculam ad milliarium ab vrbe sextum & vicesimum dextrâ viâ iuxta diuerticulum viæ. & mulieres sacrificant in eo togis prætextis velatæ. Arnobius, lib. iv. Etiamne Mutunus, cuius immanibus pudendis, horrentique fascino vestras inequitare matronas, & auspicabile ducitis: & optatis? Lactantius, lib. i. Et Mutunus, in cuius sinu pudendo nubentes præsident, vt illarum pudicitiam prius Deus delibasse videatur. Mutinum hunc Priapum vocat Augustinus, lib. vi. de ciuit. Dei, cap. xxiv. Et quod in celebratione nuptiarum super Priapi scapum noua nupta sedere iubebatur. Et, lib. iv. cap. xi. Ipse sit Mutunus Tutunus, qui est apud Græcos Priapus. Ita est in MSS[tis] codd. Et vidimus vt Festus similiter dixerit Mutini Titini sacellum. Nimirum nunc ἁπλῶς dicebant vel Mutunum, vel Tutunum, nunc iunctim Mutunum Tutunum. Tutunus autem fortasse ex tuta pro puta. hoc est, membro virili: vnde præputium, putillus, aliaque. Vti puta à πόσθη. Vide putus.

Mvtvs, à μύδος vel μυττὸς, vel μίτυς, hoc est, ἄφωνος, ὁ μὴ λαλῶν. Vide Hesychium in vocibus dictis. Vel mutus, à sono quem muti edunt, factum est: vt scribunt Varro, lib. vi de L.L. Nonius in Mutus, & Isidorus, lib. x. Ab eodem sono est muttire, quod proprium est canum, cùm incipiunt irritari. Sumitur pro hiscere, ac minimum loqui, vt apud Plautum Amphit. Act. i. Sc. iii. & Milit. Act. ii. Sc. vi. Ianus Guilielmus muttire magis probat, lib. i. Plaut. Quæst. cap. ii. Ita in Gloss. vett. legas Muttum, γρῦ, muttire, γρύζειν. Nempe vt à γρῦ γρύζειν, ita mutire, vel muttire, à mu vel mut. Charisius, lib. ii. cap. de Interiect. Mu facere pro mutire, Lucil. Satirarum lib.

Non laudare hominem quenquam, neque mu facere vnquam.

Ibidem citat hoc, è Plauti Cræco, siue Prædonibus:

Quis tu es, qui ducis me? mu, perij hercle, Afer est.

Vbi mu est particula terrorem notans. Similiter hinc mussare, quod vocem murmurantem exprimit. Vel vt à quatio quasso, ita à mutio musso. Vel à Græco μύζω est musso, vt à πατρίζω patrisso. Varo lib. vi. de L.L. Mussare dictum, quod muti non amplius quàm μῦ, dicunt, à quo idem dicit, quod minimum est, neque, vt aiunt, mu facere audet. Festus: Mussare, murmurare. Ennius: In occulto mussabant, murmurabant. Vulgo verò pro tacere dicitur, vt idem Ennius: Non decet mussare bonos. Sed mussare hîc non tam est tacere, quam summissâ voce loqui ne exaudiant alij. Nam sententia est: Iniquum est, vt bonis non liceat clarè dicere quod velint. Vide & hac de voce Nonium, ac Seruium in ii. Æn. A mussare dicti summussi, non à voce submissa. Idem Festus: Summussi dicebantur murmuratores. Næuius, Odi, inquit, summussos, proinde apertè dico, quid sit, quod timet. A mussito verò est mussitabundus. Onomasticon: Mussitabundus μύζων, mugire, musso, μύζω. Quibus & μυγμὸς Græcum firmatur.

Mvtvvm iuxta Iurisconsultos ex me & tuum: quia ibi mutuum damus, cùm quid de meo fit tuum, aut de tuo meum: commodatio verò locum habet, cùm idem redit mus corpus. Vnde Boëtius, in Top. Cic. Quod mutuum datur, de meo fit accipientis: atque ideo non cogitur eandem ipsam pecuniam debitor restituere creditori, sed aliam tantùm. Sed Varro Siculam esse vocem censet, lib. iv. de L.L. Si, inquit, datur, quod reddatur, Mutuum, quod Siculi μοῖτον. Addit ita μοῖτον voce vsum Sophronem. Sed vti mutuum dici volunt ex me & tuum ita μοῖτον fortasse quasi μοι τὸν, vel μοι τεὸν, mihi tuum. Nam τὸν est Doricum pro σὸν. Varronis sententiam firmat Hesychius in μοῖτος, vbi μοῖτος exponitur χάρις, quia gratia est amicis mutuò benefacere. Salmas. De Vsuris, pag. xxxv. Mutuum à Siculo μοῖτον, quod est χάρις & gratia. Inde mutuum pecuniæ vsus gratuito commodatus, in quo reddendo nihil vltra accepti summam debetur, quàm grati animi testatio, hoc est, χάρις. Tertia est Turnebi sententia, lib. x. Aduers. cap. xxv. vbi à mutatione rerum, mutuum dici opinatur. Atque addit illud Iurisconsulti etymon scitè magis quam verè dici. Imò eadem mens Cuiacij, obseruat. lib. xi. cap. xxxvii. Mihi quoque horum sententia simplicior videtur. Sanè similiter Græci ἀμοιβαῖον dicunt ab ἀμείβω, muto, alterno. Et fauet analogia, nam à muto mutuum, vt à pasco pascuus, à fari fatuus, ab irrigo irriguus, à noceo innocuus. Sed Varronis tamen sen-

tentiam

tentiam maximè probo, quòd Romani pleraque omnia habeant à Siculis & Pelasgis, de quo alibi satis diximus. A *mutuus*, *mutuitare* dici, scribit Turnebus, atque ita apud Gellium legere iubet, lib. II. cap. XXIV. *Qui laudis Megalensibus mutuitarent, id est, mutua inter sese conuiuia agitarent*. Vt nempe sit, quod Maro dicit, I. Georg.

Mutuaque inter se læti conuiuia curant.

Vide eum, lib. XIV. cap. XVIII. Sed lib. XVII. cap. I. retinet *mutitare*, quod est in vulgatis: sed κατὰ συγκοπὴν ex *mutuitare* factum opinatur. Retinet quoque hanc scripturam Lipsius in Saturnalibus. Sed Durantius Casellius putat Gellium scripsisse *munitare*, atque esse id verbi factum a *munere*, quod inde coniectat, quia non de quibusuis conuiuiis hoc verbo vtebantur, sed illis quæ *Megalensibus* & *Cerealibus* agitarent: vt indicat Agellius cùm lib. II. cap. XXIV. tum lib. XVIII. cap. II. vide Casellium, lib. II. Var. cap XII.

MYCTERISMVS, μυκτηρισμὸς, cùm *quis naso suspenso deridetur*. Est à μυκτὴρ, quo vsi pro *irrisione*, vti & *nasum* Latini vsurpant. Eunapius Sardianus in Libanij vita: Καὶ οἱ πάντες οἱ Συροφοίνικες ἔχουσι κατὰ τὴν κοινὴν ὁμιλίαν ἡδὺ καὶ κεχαρισμένον, τοῦτο παρ' ἐκείνου λαβεῖν μετὰ παιδείας ἐξῆν, οἱ μὲν οὖν Ἀττικοὶ μυκτῆρα καὶ ἅλας αὐτὸ καλοῦσι. *Syrophœnicibus omnibus in vulgari colloquio est peculiaris lepor & grata iucunditas: quam præter eruditionem ab eo petere licebat. Attici nasum & sales vocant*. Plura hac de re diximus in institutionibus Oratoriis.

MYOBARBVM, à μῦς & βάρβιτος, quod *vasis genus*: vt significet *muris cyathum*: quemadmodum Turnebus scripsit. lib. III. cap. XIX. eúmque secutus Ios. Scaliger, notis in Catalecta. vel potiùs, vt idem Scaliger, priorem sententiam retractans, scripsit. lib. II. Auson. Lect. cap. XXVII. à Græco μῦς & Latino *barba*. Nam vt ex veteribus marmoribus ac monumentis discere est *poculum*, qui cum Bacchus fingebatur erat oblongum augustúmque & in turbinem desinens, vt hac ratione liqueat retulisse murem, &, cuius corpus oblongum & barbam quam exprime at cono suo Qu re similis fuerit appellatio ac *nanus barbatos*, quod itidem *poculi genus* est. & constans nomine Græco νᾶνος, sed Latinorum more prolato per *VS*. & Latino *barbatus*, sed Græco more enunciatum per OS. Varro lib. IV. de L.L. *Postea arcessit Nanus cum Græco nomine, & cum Latino nomine Græca figura barbatos*. Sic legit Scaliger in Ausonianis lectionibus. Sed de *barbatos* per O falli puto. Neque enim aliud voluit Varro, quàm Latinos accepisse à Græcis vocem *nanus*, verùm quia figura vasis Latini nonnihil a Græcorum vase differebat, non simpliciter *nanum* vocasse, sed diuersitatem hanc eo indicasse, quod adijcerent *barbatus*. Confirmat hanc sententiam locus Festi: *Nanum Græci vas aquarium humile & concauum, quod vulgo vocant situlum barbatum*. Et illud in veteribus Glossis, *bardadatus* νᾶνος, τὸ σκεῦος. Nam *barbatus* legendum esse ex Festo liquet. ac sic quoque emendauit Turnebus, lib. XXII. cap. IX. ac post eum Scaliger ipse ad Festum

MYOPARO est *nauicula piratarum*, vt inquit Nonius, qui Ciceronem, Sallustium, & Sisennam eo vsum docet. Aliorum quoque, qui vsurpent loca adfert Sauaro ad Sidonij lib. VIII. epist. VI. Turnebus, lib II. cap. I. sic dici ait ab vrbe *Myunte* & *paron*, quod *nauigij genus* est ab insula *Paro* dictum. Sed de priori vocis parte dissentit Io. Scaliger, qui vult μυῶνος dici, quia murium oblonga corpora referret. quomodo & Ausonio (vt ostendimus in *Cantharus*.) *myobarbum* dicitur *Liberi patris angustum oblongúsque cantharus potorius*. Seu Turnebum, seu Scaligerum sequi lubet, vera lectio erit apud Festum: *Myoparo genus nauigij ex duobus dissimilibus formatum. Nam & myon & paron per se sunt*. In vulgatis pro *myon* corruptè legitur *midion*.

MYOPS, μύωψ, pro quo apud Nonium, in *Lusciosus*, μύωψ legas quod esset *minus videns*, à μύειν quod est ἐλαττοῦν, & ὢψ hoc est, ὀφθαλμός. Sed non puto alibi eam vocem inueniri. At μύωψ est ἀπὸ τοῦ μύειν τοὺς ὦπας, quòd *oculos* pene *claudat*, & *conniueat*, *vt meliùs res videat*. Latini *lusciosum* vocant, si credimus Gellio, lib. IV. cap. II. Quæ & aliorum quorundam sententia fuit: vt vidimus in voce *Luscus*. Sed falluntur. Nam *myopes* ob purum quidem sed paucum humorem crystallinum, acutè vident, sed tantùm propinqua, ac vesperi ferè acutiùs iis vident, qui *myopes* non sunt. Auctor Isagoges: Μύωπες δὲ λέγονται τοὺς τὰ μὲν σύνεγγυς βλέποντας, τὰ δὲ πόρρωθεν μὴ ὁρῶντας. *Luscitiosi* verò siue *lusciosi* (vtrumque enim dicitur) interdiu quidem vident, at non item vesperi aut noctu quod & Nonius è Varrone probat, & Plinius scripsit. lib. VIII. cap L. & imprimis lib. XXVIII. cap XI. vbi disertim scribit *luscitiosos* Græcis dici νυκτάλωπας, hi autem, Galeno teste, ita vocantur, quasi οἱ τῆς νυκτὸς ἀλαοὶ, id est, *de nocte cæci*: vel vt aliis placet à νὺξ, id est, *nox*, & obsoleto ἄλωψ, quod conflatur ex α στερητικοῦ, & ὢψ, significante *visum*. Λ interseritur, vti etiam fit in αἰγίλωψ, quod propriè signat ἕλκος ἐν ὠπί, etsi generatim sic appellentur rubentes in cute circuli, qui aliter vocantur αἰγίλωπες, vt scripsit Galenus ἐν ταῖς γλώσσαις. Aliter tamen de voce νυκτάλωψ vsus Hippocrates, lib. II. Prædict. & auctor Isagoges, quibus ita vocantur, qui vesperi acutiùs cernunt. Nos Galenum sequimur & alios quos diximus. Mirari autem aliquis possit, quòd cùm μύωψ, & per Ω scribamus (vti & νυκτάλωψ, aliáque ab ὢψ venientia) non tamen Αἰθίωψ, sed Αἰθίοψ dicamus, quasi esset ab ὂψ, hoc est, φωνὴ, vnde μέροψ epitheton hominum, quia habeant μεμερισμένην ὄπα, *vocem diuisam ac articulatam*: à quo etiam Καλλιόπη, vna Musarum, à *vocis pulchritudine* ita dicta. Sed nodus hic soluitur, si dicamus, Αἰθίοψ non ab ὢψ vel ὂψ venire sed ab ὄψις. Nam ita dicitur quasi ἐσκοτισμένος τὴν ὄψιν, ab αἴθομαι, hoc est, καίομαι, & ὄπτω, ὄψω, quod est, *video* Vel dicendum, ὂψ interdum idem esse quod ὢψ, indéque Αἰθίοπας dici, & αἴθοπα οἶνον apud Homerum *Æthiopidis* herba ex eo dicta, quia licèt alibi quoque, vt in Ida Troadis monte, & in Messenia, crescat, quæ tamen ex *Æthiopia* venit, optima sit: vt ait Plinius, lib. XXVII. cap. IV. vbi & legas, de figura eius, & quàm variis morbis prosit. Sensit hoc Pierius, qui & putabat Maronem iccirco etiam secundam in *Cyclopea* corripere, cùm ait, *Vos ô Cyclopeia saxa*: prout in plerisque codd. antiquis scriptum inuenitur, vbi in vulgatis est *Cyclopea*.

MYRICA, humile virgultum, quod aliter *tamarix*. Vocatur & Græcis μυρίκη; etiam Nicandro, sed is corripit penultimam. Μυρίκην autem Isidorus, lib. XVII. cap. VII. ait sic dici ab *amaritie*, quia gustu sit amara. Puto hoc velle μυρίκην dici à מר, id est, *amarus*, vel *amaritudo*. Sed cùm vim habet abstergendi atque exsiccandi, aliis placet esse à מרק, *tergere*. Similitérque *tamarix* vocabitur è תמרוק, hoc est, *abstersio*.

MYROPOLION, à μύρον, *vnguentum*; & πωλεῖν, *vendere*. Vtitur Plautus Epid. Act. III. Sc. II. Tranquillus vocat *tabernam vnguentariam*. Ab eadem μύρον voce est *myrobalanus*, de quo in *Balanus*. Sed & *nux*, quæ vulgo *moschata*, ab *odore moschi* vocatur. eadem Latinis *myristica* dicitur à μυρίζω, *vnguentis*, *vel odoramentis imbuo*.

MYRRHA, ab Æolico μύῤῥα, pro σμύρνα. Μύῤῥαν cur dixerint, docere conatus Athenæus, lib. XV. Μύῤῥα γὰρ ἡ σμύρνα παρ' Αἰολεῦσι, ἐπειδὴ τὰ πολλὰ τῶν μύρων διὰ σμύρνης ἐσκευάζετο, καὶ ἥ γε στακτὴ καλουμένη διὰ μόνης ταύτης. Pro σμύρνα *Æoles dixere* μύῤῥα, *quia multa vnguenta conficerent ex myrrha*, & *quæ stacte vocatur*, *per se vnguentum esset*. Censet Æoles, qui ρ geminare gaudent, pro μύρον dixisse μύῤῥα, atque indè pro σμύρνα quoque dixisse μύῤῥα, quia *multa vnguenta fierent è myrrha*: ac per se vnguentum esset liquor ille *myrrha* stillatitius, qui stacte vocatur. Mihi tamen verisimilius fit μύῤῥα esse à מור, quod idem. Estque à מר, *amarus*. Nam is sapor eius. Vel venit μύῤῥα à מר, id est, *stilla*. Vt propriè sic dicatur quæ Græcis στακτὴ, hoc est, *myrrha stillatitia*, siue *expressione eliquata*. Qua de re vide in *Stacte*. Sed prius *myrrha* etymon verius est. Nam מור, pro *myrrha* legas Cant. III. 7. & alibi. Dicunt Latini quoque *Smyrna*, vt Græci σμύρνα. Vnde Cinna poëmation de incestis *Myrrha* amoribus *Smyrnam* inscripsit. Sic Lucretius.

Et contemptus odor smyrnæ, mellisque sapores. &c.

Apud Plautum quoque Asin. Act. V. Sc. II. pro *Murrham olet*, in vett. libb. legitur *smyrnam*. A σμύρνα est σμυρνεῖον, *smyrnium*, plantæ nomen ab odore factum A *myrrha* quoque est *myrrhytes*, nempe à *colore myrrha*: vt ait Plinius. Quem Solinus & Isidorus sequuntur. Sed si à *myrrha* est, quæ Græcè σμύρνα, potiùs diceretur σμυρνίτης. Quare potiùs nomen fuerit ab *vnguento*, quod Græcis μύρον, & Æolibus μύῤῥα. Vt idem sit λίθος μυρίτης & μυῤῥίτης, quomodo idem οἶνος, μυρίνης & μυῤῥίνης.

MYRTVS ait Caninius venire à μυρσίνη, Σ in T conuerso; quomodo à νῦν est *nunc*; & fortasse ab ὡς *vt*. Sed nihil mutatione opus, quando & μύρτος pro eo legas Alcæum, Platonem, Dioscoridem. Plinius, lib XV. cap XXIX. *Arbor ipsa in Europa citeriore cælo* (al. *solo*) *quod à Ceraunis montibus incipit*, *primùm Circeis in Elpenoris tumulo visa traditur*: *Græcumque ei nomen remanet*, *quo peregrinam esse apparet*. Hinc *myrtetum*, pro quo & *myrteta* in muliebri dici probatum it Priscianus, lib. IV. hoc Plauti Vidularia:

Nescio quis seruus è myrteta prosiluit.

Ab eodem est *myrtites*, μυρτίτης οἶνος, *vinum conditum contusis mori nigris baccis*, vt docet Dioscorid. lib. V. cap. XXXVI.

Et

Et μυρτίδανον, *adnatum myrto tuber*, inæquale, verrucosum, concolor, quod manus instar amplectitur myrti caudicem: idem docet. lib. I. cap. CLVII. Sed Plinio *myrtidanum* est *vinum ex sylvestris myrti baccis & musto albo*. Sic enim scribit, lib. XIV. cap. XVI. de vinis factitiis: *Myrtiten Cato, quemadmodum fieri docuerit, mox paullò indicabimus. Græci verò & alio modo. Ramis teneris cum suis foliis in albo musto decoctis, tusis, libram in tribus musti congiis defervere faciunt, donec duo supersint. Quod ita sylvestris myrti baccis factum est, myrtidanum vocant.* A *myrto* quoque, sive, (vt antiquè Cato & & Varro dixere) *myrta*, venit *murtatum*. Varro. IV. de L.L. *Murtatum, à myrta, quòd ea large fartum intestinum crassum* Plinius, lib. XV. cap. XXIX. *Et alius ejus bacca fuit apud antiquos, antequam piper reperiretur, illius obtinens vicem, quodam etiam generosi obsonij nomine inde tracto, quod etiam nunc myrtatum vocatur.* A *myrto* item dicta *Venus Myrtea*, quia *templo seu sacello eius myrtetum proximum esset*: Sed postea pro *Myrtea* dictum *Murcia*. T in C converso. Varro. lib. IV. de L.L. *Intimus circus ad Murciam vocatus, vt Procilius aiebat, ab vrceis, quòd is locus esset inter figulos. Alij esse dicunt à murteto declinatum, quòd ibi id fuerit, cuius vestigium manet, quod ibi sacellum etiam Murciæ Veneris.* Plinius lib. XV. cap. XXIX. *Quin & ara vetus fuit Veneri Myrteæ, quam nunc Murciam vocant.* Plutarchus, quæst. Roman XX. Καὶ γὰρ ἐπὶ τῆς Μυρκίας Ἀφροδίτης ἱερὸν, μυρσίνας πολλὰς (ὡς ἔοικεν) ἐστεφάνωσαν. Seruius ad VIII. Æn. *Vallis ipsa, vbi Circenses editi sunt, ideo Murcia dicta est, quia quidam vicinum montem Murtum appellatum volunt.*

Mysta. μύστης, à μύω, *claudo*, quia μύειν τὸ στόμα, os *claudit*. Siqui quidem *initiati*, qui Græcis μύσται, *quadriennium silebant* vnde & *Pythagorici* hausere, vt *discipuli* sui *quinquennium tacerent*: quo tempore dicti ἀκουστικοὶ, vti *silentium*, ἐχεμυθία. Quadriennio exacto *mystæ* admissi ad maiora sacra, ac tum dicti ἐπόπται, vti *Pythagorici* exacto quinquennio ἐσωτερικοί. Vide Scaligerum, in Tibulli lib. III. A μύστης verò est μυστήριον. nisi ἀπὸ τοῦ à μύω malis: vel ab Hebræo מסתרים, id est, *latibula absconsiones*: quod à סתר, *abscondere, occultare*.

Mysterium, μυστήριον, cuius de etymo sic Clemens Alexandr. Προτρεπτ. p. pag. V ed. Florent. & Euseb lib. II. Euangel. Præpar. pag. XL. edit. Rob. Steph. [illegible] Quibus verbis triplex *Mysterij* etymon adfert Clemens, & ex eo Eusebius. Vnum est à μύσος, quod est μίασμα, *scelus*. vnde μυσαρὸς, & μυσαρὸς, hoc est μιαρὸς, μιαρώτατος, vt exponit Hesychius. Caussam etymi innuit esse, quod in generatione ac nece Dionysij siue Bacchi (cuius sacra *mysteria* dicebantur) multum fuerit abominationis & execrationis. Trapezuntius in tralatione Eusebij malè pro μύσος habet μῖσος, id est *odium*. Sed & Dominicus à Soto, in IV. distinct. I. q. I. artic. I. Clementem eo refellere conatur quod Græcè μῖσος dicatur per I. μυστήριον autem per Υ scribatur. Sed aliud μῖσος quod *odium* notat. aliud μύσος, id est *scelus*, vnde & Theodoretus, lib. III. Histor. Eccl. sæpe μύσους voce vtitur pro *sacrificiis dæmoniacis*, quia nihil iis sceleratius & detestabilius. Nec à μύσος tantùm sunt μυσοὶ & μυσαρὸς, sed & μυσαχθὴς, & μυσαχθὲς μυσάττω. Agnoscit quoque, μύσους vocem Eustathius, qui eam deducit à μύω, id est, *claudo*, quasi πρὸς ὃ μύομεν, *ad quod oculos claudimus*, quia videre illud non sustineamus. Alterum *mysterij* etymon apud Clementem & Eusebium adfertur ex Apollodoro, qui *mysteria* dicta voluit à *Myunte* quodam Attico, qui interierit in venatione. Tertium iis est à μῦθος, id est, *fabula*, & θηρεύειν, quod est *venari*: à venatu nempè fabularum, quibus plena gentilium *mysteria*. Sed vt secundum etymon vanum ita primum secundùmque nihil aliud est quam allusio. Nempe non ea mens Clementi aut Eusebio fuit, vt verum etymon adducerent, sed vt allusiones quasdam afferrent maximè aptas ad irridenda gentilium sacra. Ac audacius etiam Dionysio tyranno ludere in μυστήριον voce visum, cùm ea (vt Athenæus lib. III. scribit) pro *murium latibulo* siue *cubili* ridicule vtebatur, quasi nempe esset à μῦς, id est, *mus*, & τηρεῖν quod est *servare*. Vt verò ad verum tandem etymon accedamus; mirè probatur sententia doctissimi Casauboni, lib. I. de Satyra, cap II. qui eò quod antiquissima quæque Græcorum vocabula veniant ab Hebræis, μυστήριον factum censet à מסתר, *mistor*, seu *mistur*, quod *rem* aut *locum absconditum* significat. Sed si Græcam originem malis, erit à μύω, id est, *claudo*, quia, vt ait Eustathius, oportebat τοὺς μύστας μύειν τὸ στόμα, καὶ μὴ ἐκφαίνειν ἃ μεμύηνται. Sane à vero non abludit μυστήριον eiusdem esse originis ac μύστης, quomodo, Hesychio teste, vocatur ὁ τῶν μυστηρίων μετειληφώς. vnde συμμύστης, *consacraneus*, vt eleganter vertit Græco-Lexicon vetus Cyrillo tributum. Μύστης autem (quo & Ausonius, aliique vsi) quin à μύω sit, vix dubium est. Sed nec ineptè deducas μυστήριον à μύζω, id est, *musso*. puta quòd *mussarentur* siue *occultarentur mysteria*, vnde est illud Valerij Flacci lib II.

——— *Sacrisque metum servemus opertis.*

Certè capital olim erat *Mysteria diuulgare*. Quare *Orgia* quoque (quæ ἀπὸ τῆς ὀργῆς, à *Cereris* nempè *ira* in Iouem dicta, ait Clemens, vt paullò antè vidimus) ea Appollinij interpres ita dici ait, παρὰ τὸ εἴργειν τοὺς ἀμυήτους, *quòd arcebant haud initiatos*. Porrò quanquam seu Hebræum seu Græcum etymon sequamur, *mysterium* generatim sonet *rem arcanam*, vsus tamen obtinuit, vt notet *rem arcanam*, non quamis, sed *sacram*: eo quippe nomine appellarunt nationes orgia Samothracia, ac Cabirorum (de quibus Pausanias in Bœoticis & Appollonij interpres) aut Liberi patris: & imprimis τελετὰς siue *initia Eleusinia*; de cuiusmodi sacris opertis vide Clementem Alexandr & Eusebium de præpar. Euangel. At in Ecclesia non generatim tantùm ea vox accipitur pro *re sacra naturæ lumine incomprehensibili* (quomodo Matthæi XIII. XI scriptum, *vobis datum est nosse mysteria regni cælorum*:) sed & speciatim pro *re arcana symbolica*, vt sunt Baptismus & Eucharistia. quæ Latini similiter *sacramenta* dixerunt. strictius, nempe hac voce vtentes cùm vt apud Græcos μυστήριον, ita apud Latinos natura suâ latius pateat vox *Sacramenti*: vt in sacris nostris dissertationibus ostendimus.

N

Nablia, instrumentum musicum est Ouidio, in III. de Arte:

Disce autem duplici genialia nablia palma
Vertere: conveniunt dulcibus illa modis.

Est diminutiuum à νάβλα siue νάβλα, quod esse εἶδος ὀργάνου μουσικοῦ, auctores sunt Hesychius & Suidas. Meminit & Athenæus in IV. vbi Sopatrum vsum docet. Scribit autem per B, quod conuenit cum origine Hebræa. Nam נבל *nebel* est νάβλας siue ναβλιον. Pleraque organa Musica Græci accepere ab Orientalibus: quod & Politianus pluribus probat cap. XIV. Miscell. Cæterùm propter affinitatem literæ B & V pro νάβλας & νάβλα etiam dixere ναῦλον & ναῦλα. quæ apud Sophoclem, Iosephum, Plutarchum, Pollucem; atque etiam Hesychium inuenias.

Næ ex Græco ναί. Hac de particula epistolium exstat Philelphi ad Michaelem Rocham Grammat. cum quisquid Terentio in prologo Andriæ ea notaretur, inquisierat. Nunc res notior, quàm vt in ea sit tempus insumendum

Nævvs. *Ita, factet*: si rectè in Glossis Philoxeni exponitur φακὸς, σπῖλος. Onomasticon rectius interpretatur ὑπεράρξανσις, hoc est, *aliquid semper carnem excrescens*. Quomodo vsus Gellius, lib. XII. cap. I. *An tu quoque putas naturam feminis mammarum vbera, quasi quosdam næuulos venustiores, non liberûm alendorum, sed ornandi pectoris caussâ dedisse?* *Næuus* igitur sit, ἐκφυσις, hoc est, quando aliquid in cute excrescit, & propriè quidem ab ortu ipso inest: sic dicitur *næuus* quasi *natiuus*, T eiecto: vel quasi γεννητὸς vel γενναῖος à γίνομαι. quod censet Festus his verbis: *Gnæus corporis insigne, & prænomen à generando dicta esse, & ea ipsa ex Græco γεγονέναι apparet.* Quid si ναῦος sit à ναίω, hoc est, χέω, quia resecari soleat?

Nanciscor est ab antiquo *nancior*: vt à *pergo* pro *excito* est *pergiscor* vnde *expergiscor*. Festus. *Nancitor in XII. nactus erit, prædatus erit. Item in fœdere Latino.* Pecvniam qvis nancitor habeto. Et si qvid pigneris nancitor, sibi habeto. Vbi *nancitor* ἀρχαϊκῶς positum pro *nanciscitur*, hoc est, *nanciscitur*. Sed veteribus *nancio* in vsu fuit; vt Priscianus probat illo Gracchi pro se: *Si nanciam populi desiderium, comprobabo Reip. commoda.* Fortasse autem vt *frango* est à *frago*, vnde, *fregi*; *pango* à *pago*. vnde *pepigi*: sic *nancio* & *nancior* priùs fuit *nacio*, & *nacior*, vnde *nactus sum* Nam absque N scribi, Probro Capro, Pollioni & Plinio placet, vt ibidem auctor est Priscianus. *Nacio* autem vel *naco*, forte à λαγχάνω seu λάχω, vnde λαγχάνω, *sortior, sortitò consequor*: A *nancior* est *renancior*. Sanè in MSS. Paulli codicibus legas: *Renancitur significat reprehendit. Vnde adhuc nos dicimus nanciscitur & nactus id est, adeptus.* Vulgo legitur *renanciscitur*. Imò & sic est in schedis Festi Farnesianis. Sed pla-

nè censeo *renuncitur* legendum, vti in calamo exaratis legi aiebam.

NANVS pro *pumilo* vsurpat Laberius apud Agellium. lib. XVI. cap. VII. Apud eundem. lib. XIX. cap. XIII. docemur pro *mulis* aut *equuleis humilioribus* vsurpari ab Heluio Cinna, in hoc versu:

Bigis rheda rapit citata nanis.

Vbi qui *mannis* corrigunt, ad Gellij mentem non attendunt. Versus autem proxime antecedens, vt ego quidem coniecto, sic legi debet:

At nunc me Genusinus per salicta.

Vel, *Bebiana per salicta. Genusinus*, ac *Bebiani* (qui in quibusdam Frontini codd. *Vensani* vocantur) Apuliæ populi sunt Plinio lib. III. cap. XI. In vulgatis est,

At nunc me gemj nana per salicta.

Verùm repugnat metrum, cùm sit phaleucium. Nec ostendendum erat, *[illegible] esse nana*; verùm *equos pumilos vocari nanos*. Vnde *nani* nomen sit, docere conatus Festus his verbis: *Nanum*, inquit *Græci vas aquarium dicunt humile, & concauũ, quod vulgo vocant situlum barbatum*, (f. *situlam barbatam*) *vnde nani pumiliones appellantur. Nani vasis* meminit & Varro lib. IV. de L. L. sed locus est corruptus, quem ita restituit Scaliger: *Postea accessit nanus cum Græco nomine, & cum Latino nomine Græca figura barbatus*. Verumenimvero, quod *nanos* ita à *vase nano* dici putauit: id verum non est: sed omnino est *nanus* à Græco νάνος, quod idem notat. Aristoteles. lib. VI. histor. animal. cap. XXIV. οἱ δὲ [illegible] γίνονται ἐξ ἵππου, ὅταν νοσήσῃ ἐν τῇ κυήσει, ὥσπερ ἐν τοῖς ἀνθρώποις οἱ νάνοι, ἐν δὲ τοῖς ὑσὶ τὰ μετάχοιρα, καὶ ἔχει δέ, ὥσπερ οἱ νάνοι, ὀχεῖον τὸ αἰδοῖον μέγα. Aristoph. Scholiastes εἰς ὄρνιθας: Νάνοι γὰρ λέγονται οἱ κολοβοὶ τῶν ἀνθρώπων. οἱ δὲ κολοβοὶ τῶν ἵππων, ὗννοι λέγονται. Agellius, lib. XIX. cap. XIII. *Tum Fronto Apollinari, Fac me, inquit: oro magister, vt sim certus, an rectè supersederim nanos dicere paruâ nimis staturâ homines, maluerimque eos pumiliones appellare: quoniam hoc scriptum esse in libris veterum memineram; nanos autem sordidum esse verbum & barbarum credebam. Est quidem hoc, inquit Apollinaris, in consuetudine imperiti vulgi frequens, sed barbarum non est, censetúrque linguæ Græcæ origine. νάννους enim Græci vocauerunt breui atque humili corpore homines paullùm supra terram exstantes.* Νάνος vt Becmanus obseruat, est à נין, *subolescat, ætate inuenatus est*: quod propriè dicitur de prole recens editâ. A quâ ipsâ voce accessit Græcum νίος, vnde Latinum *nepus*, vt suo loco dicimus. *Pumilio* vnde sit, dicemus in *Pumilus*.

NAPHTHA, νάφθα. Chald. נפט ac נפטא, à נף, *stillare*. Nam (vt Plinius ait. lib. II. cap. CV) *profluit liquidi bituminis modo.* Hæc vera origo: non illa adducta ab Ambrosio, libro de Noë & arca, cap. VI. vbi ait: *Græcè dicitur νάφθα παρὰ τὸ συνάπτειν, quod disiuncta connectat, nexúque constringat indissolubili, vt naturali vnitate sibi credas conuenire.*

NAPVS à *rapum*, cui simile est. Ita Isidorus. lib. VII. cap. X. Alij à νᾶπυ, quod Atticum pro σίναπι. Sanè foliis semineque nonnihil etiam radice similis est. Aliquibus item à νάπος, quod est *saltus* seu *vallis nemorosa*. Vnde & *Napeæ*, vallium deæ, vt syluarum *Dryades*, *Oreades* montium, *Naiades* fontium; *Nereides* maris: quemadmodum Seruius docet in illud IV. Georg.

——— *faciles venerare Napeas.*

NARCISSVS, νάρκισσος. ἀπὸ τῆς νάρκης. hoc est, *torpore*, quem graui suo odore adfert. Plutarchus, Sympos. lib. III. Probl. I. Καὶ τὸν νάρκισσον [ὠνόμασαν οἱ παλαιοὶ] ὡς ἀμβλύνοντα τὰ νεῦρα καὶ βαρύτητας ἐμποιοῦντα ναρκώδεις. Eandem appellationis rationem adfert tum Plinius. lib. XXI. cap. XIX. tum Clemens Alex. lib. II Pædag.

NARDVS, νάρδος, à נרד, quod eiusdem notionis.

NARES, vt Festus in *Nares* & Donatus, in Adel. III III. tradunt, ita dictæ à *narus* siue *gnarus*, hoc est, *scius* siue *sciens*, quia per *eas odorum gnari reddimur*: Similiter Isidorus, lib. XI. cap. I. qui huic etymo firmando adfert, quod veteres *olfacere* dixere pro *cognoscere*. Vt Terentius, *Ac non totis sex mensibus prius olfecissem, quàm ille quicquam coeperit*. Perotto & aliis placet *nares* esse à *nare* pro *natare*, ob *innatantem humorem*. vnde & Græcis ῥῖνας dici censeat ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, quod est, *fluere*. Sed cùm inter Græcum ῥῖνας ac Latinum *nares* tanta sit affinitas, dicere malum, [illegible], Latinum illud à Græco fluxisse, quod placuit Angelo Caninio, & Nunnesio in Grammatistice, vel potiùs vtrumque esse ab Hebræo נחירי. id est, *naris*, quod ab נהר. *fluere*. A *nare*, *nasus*, de quo seorsim

NARITA, *ostrei genus*. Aristoteli [illegible] quasi [illegible], quod à νάω, hoc est *no*, seu *nato* Vtus Plautus: cuius verba Scaliger emendas. Vide eum ad Festum in *Narita*

NARTHECIVM, ναρθήκιον, *vasculum in quo reponebant medicamenta*. Nam narthecis medullâ exemptâ caulis erat cauus, vnde Hesiodus, ἐν κοίλῳ νάρθηκι. Νάρθηκα autem Latini *ferulam* appellant. Vide de ea Theophrastum, lib. VI. Histor. cap. II.

NASCOR, ex *gnascor*, à γεννάω, vnde γεννάομαι. At γεννάω à γένω. Id veriùs censeo, quàm vt *nascor* contractum sit ex *nanciscor*, vt hoc sit *naturam adipiscor*. Id tamen placuit Cæsari Scaligero. commentario in Aristotelis lib. V. cap. XIV. sect. CLI. A *nascor*, est *natura*, vt φύσις à φύω. Item *natio*, vt à φύω φῦλον. Eiusdem originis *natus* pro filio: *nata* pro filia.

NASSA, *piscatorij vasis genus ex viminibus contextum*, quasi νάσσα, à νάω. *fluo*: vel Hebræo נשא, *seduxit*, quia eo *decipiuntur pisces*.

NASTVRTIVM quasi *Nasitortium*, O in V abit, vt sæpe. Varro Pappo, aut indigitamentis, apud Nonium: *Nasturtium nonne vides ab eo dici, quòd nasum torqueat: vestispicam, quòd vestem spectat?* Plinius, lib. XIX. cap. VIII. *Nasturtium nomen accepit à narium tormento.* Idem scribit Isidorus, lib. XVII. cap. X. Græcis κάρδαμον vocari ex Cicerone cognoscimus, qui cùm Xenophon lib. I. Κύρου παιδείας, scripsisse Persis κάρδαμον ὄψον fuisse, ipse vertit *nasturtium*. Nam lib. V. Tuscul. Quæst. ait: *Persarum à Xenophonte habitus exponitur, quos negat ad panem adhibere quicquam præter nasturtium.* Dicitur autem κάρδαμον, vel quasi κάραδαμον, quia κάρα δαμᾷ, *caput domat*, hoc est, *purgat*. Nam id quod nigrius est, capitis vitia purgare, ait Plinius, lib. XX. cap. XIII. Vel est id nomen à καρδία, quia *cordatos facit*. Nam dicunt τοὺς ἐσθίοντας κάρδαμον, ὀξυτέρους τὴν διάνοιαν γίνεσθαι. Hinc prouerbium in pigros & desides. κάρδαμον ἔσθι, *nasturtium comede*. Quo Plinius respexit, cùm verbis ante allatis subiungit: *Et inde vigoris significatio prouerbio id vocabulum vsurpauit, veluti torporem excitantis.*

NASVS, pro quo & *nasum* dixit Lucillius, dicitur à verbo *nare*, quia per eum natat ac fluit humor, quo cerebrũ purgatur. Siuè à Græco νάω, *fluo*, vt dicatur quasi νάσος, hoc est *fluxus*: Vel à nomine *naris*, R in S abeunte, vt sæpe aliàs, quod & discriminis caussâ hic factum videtur, vt differat à *narus*, pro *gnarus*. A *naso* est cognomentum *Nasonum*, item *Nasica*: quod indicat ille Arnobij locus in VI. *Potest enim fieri, dissolosas vt gestites nares, quem esse vos facitis figuratisque nasicam.* De diis, eorúmque simulacris agit Arnobius. Etiam *nasos* vasis tribuere: vti Martialis in Apophoretis, dist. XCVI.

Vilia sutoris calicem monumenta Vatini,
Accipe: sed nasus longior ille fuit.

Et Iuuenalis sat. V.

Siccabis calicem nasorum quatuor.

Certo generi calicis tribuit *nasos quatuor*. At *ternos* habuit *nasiterna*, vnde & nomen accepit. Ea, interprete Onomastico, erat ὑδρία, siue vt exprimit Nonius, *vas aquatile*, siue, vt est apud Festum, *genus vasis aquarij ansati & patentis*. Vbi *ansatum* vocat ab *ansis*, quas & *nasos* vocari diximus Plautus, Sticho, Act. II. Sc. III.

Ecquis huc effert nasiternam cum aqua?

Vsus & alibi. Indéque *nasiternatus*, qui *nasiternam gestat*. Calphurnius, Phronesi fabulâ: *Vbi tu nasiternatus aquam petas.* Citat Nonius.

NATES, quasi *nites*, quia illis innitimur: vt censet Isidorus lib. XI. cap. I. Sed modulus prioris syllabæ refragatur. Quare meliùs à *nato*, vel νάω, *fluo*, quia per eas diffluit humor: siue à νοτίς, *humor*.

NATTA, an *nacta*, an *nacca*, scribi debeat, non conuenit. Satis tamen constat, sic dici, *qui sordidas artes exercent*, vti *fullones* & βυρσοδέψας. *Natta* scribitur in membranis & Pinariorum nummis, quibus id cognomen fuit: vti obseruat Casaubonus in sat. III. Persij. *Nacca* constanter est in MSS[is] Paulli codd. Ac similiter schedæ Festi Farnesianæ. Et fauent hæc quæ de etymo addit: *Nacca appellantur vulgo fullones, vt ait Curiatius, quod nauci non est, quod est nullius pretij. Idem sentit & Cincius Quidam aiunt, quòd omnia ferè opera ex lana νάκη dicantur à Græcis.* Non dubito tamen, quin aut *nacta* dixerint aut ex eo *natta* sit corruptum. Nam Græci νακτά vocent [illegible]; vnde Hesychius exponit τὰ πιλητὰ καὶ τὰ [illegible]. Est id à νάσσω, quod est *premo*, *denso*, *farcio*: vnde idem interpretatur ἐμβλίζω, θλῖψαι. vti νάξαι, σάξαι, θλῖψαι. Indè igitur [illegible] fit νακτής, à quo *nacta*, quomodo in veteri Veneta editum apud Appuleium IX. Metam. Fortasse tamen etiam dixere *natta*, ob faciliorem pronunciationem. Nec enim facilè fides deroganda vett. nummis & membranis.

NAVCI ex quorumdam sententia conflatum ex ναῦ καὶ ἄγω. teste Festo. vt propriè hominem leuem signet. Alij aliud significare volunt, vt ibidem docet his verbis Festus. *Naucum ait Atteius, Philologus poni pro nugis: Cincius, quod in oliua nucis, quod intus sit: Ælius Stilo, omnium rerum putamen: Glossematorum autem scriptores, fabæ grani, quod hæreat in fabulo: Quidam, nucis iuglandis,*

glandis, quam Verrius iuglandam vocat, medium velut disseptimentum Charisius Sosip. lib. II. cap. de Aduerbio, *Nauci, pro nihilo se duco. Est autem fabæ granum cum se aperit.* Priscianus, lib. VI. *Nauci, putamen nucis significat, & pro nihilo accipitur.*

NAVCLERVS legas apud Plautum. Est Cæcilij comœdia apud Nonium in *suppilare*, & alibi. Isidorus, lib. XIX. Originum cap. I. *Nauclerus dominus nauis est appellatus, ita quod nauis in sorte eius sit; κλῆρος enim Græcè sors dicitur.* Alius enim *nauclerus* à *gubernatore*. *Gubernator* enim est, *qui ad clauum sedet*: at *nauclerus* est *nauis dominus*. Plutarchus in Pol. præcept. ταύτης μὲν ἐκλέγεται κυβερνήτας, καὶ κυβερνήτης ναύκληρος. Athenæus, libro V. Τὴν δὲ τῶν νεῶν ἀδιαχώρητον ... ναύκληρος, κυβερνήτης, καὶ πρωρεύς. At aliud *nauarchus*, quomodo vocatur *nauium seu classis præfectus*. Hesychius: Ναύαρχος, ὁ τῶν νεῶν ἄρχων. Vsus & *nauarchi* voce Cicero. Pleraque enim à ναῦς venientia etiam Latini vsurpant. Quale est *naumachia*, ναυμαχία, à ναῦς & μάχομαι, *pugno*. *Naupegus*, ναυπηγός, à ναῦς, & πήγνυμι, *compingo*. *Naumachia* vocabulo vsi Velleius, Plinius, Suetonius, &c. *Naupegi* autem Chalcidius & Firmicus.

NAVIA, à *nauis*, vel Græco νάϊον. Festus: *Nauia* (ita & MSS.) *est vno ligno exsculpta vt nauis, quo vtuntur aluco in vindemia.* Græcis dicitur σκάφη, ἀπὸ τοῦ σκάπτειν. Nam initio fuit μονόξυλος, vtpote facta ex arbore excauata. Tangit hanc rem Maro, I. Georg.

Tunc alnos primùm fluuij sensere cauatas.

Quid *nauia* sit, non satis percepisse videtur Rob. Titius lib. X Locor. contr. cap. XV. At *Nauia ficus* in comitio vocata ab *Attio Nauio* augure, vt docet Festus.

NAVIS ab obliquo νηός, inserto digammâ more Æolum. Ναὸς verò prius fuit νηός, quo semper vtitur Homerus: nam alterum illud non inuenies apud eum, præterquam in compositione. Est verò νηός, Eustathio teste, à νέω, νήχω, quod notat κολυμβῶ. Alterum quoque idem etymon ponit, vt sit à ναίω, significante οἰκῶ, quia eam πρὸς ἐγκατοικεῖν ... Sed verius est prius etymon. A ναῦς est ναύτης, pro quo poëtæ tragici imprimis etiam ναυβάτης dicunt. Latinè quoque pro *nauta* per similem epenthesin dicitur *nauita*. Putare aliquis possit à *naue* esse *nauita*, proque eo per syncopen esse *nauta*: præsertim quando apud Festum hæc legere est: *Nauitas secundum incorruptam consuetudinem dictos, quos nunc nos nautas dicimus, testis est Cato in ea quâ scripsit, cùm in Hispaniam proficisceretur, cùm ait: Nauita, quod secum portauerant vinum atque oleum. Visus totum eo suum.* Sed terminatio satis indicat, simile esse vocibus *propheta*, *planeta*, *Scriba*, *geometra*, *bibliopola* & similibus quæ apud Græcos in recto communiter in ης, poëticè autem in A desinunt. Apud poëtas enim (quos Latini hac in parte sequuntur) nomina huiusmodi in Α exeunt, tam in recto, quam in vocatiuo. A *nauis* est *nauus*, vt ex Festo & Cornelio Frontone diximus in *Gnauus*. Sunt quibus *nauis* contrà videtur esse à *nauus*. Isidorus, lib. XIX. cap. I. *Nauim quidam perhibent dictam, eo quod gnauum rectorem quærat, id est, peritum, sapientem, strenuum, qui continere & gubernare nouit propter maritima pericula & casus.* Sed *nauis* esse à Græco ναῦς, manifestum est, eóque à *naue* potiùs erit *nauus* & *nauare*. A *naue* est *nauigo*, quod priùs notabat *nauem agere*: vnde & conflatum. Sed accipitur generatim pro *naue iter facere*.

NAVLVM, ναῦλον, *pretium quod vectori pro nauigatione soluitur*. Iuuen. sat. VIII.

——— *Furor est post omnia perdere naulum.*

Ναῦλον verò à ναῦς, *nauis*: vel potiùs à ναίω, *nauigo*.

NAVSEA ab Ionico ναυσίη, pro ναυτία. Sic ναυτιᾶν, *nauseare*. Propriè igitur *nauseare* dicitur, cuius stomachus ex sentinâ, graueolentiâ, & crebrâ corporis agitatione, studet sibi molesta per os excernere. Quare condecenter admodum dixit Horatius lib. I. sat.

——— *conducto nauigio æquè,*

Nauseat vt locuples, quem ducit priua triremis.

Nam etsi *nauseandi* voce non vtatur propriè, sed metaphoricè, de peruerso nempe obuiarum commoditatum fastidio ac contemtu: tamen aptè admodum, & penè propriè vsurpat, quia de nauigatione sermo est. Hinc *nauseola*, apud Ciceronem & *nausiosus*, apud Plinium.

NAVSTIBVLVM reperias apud Festum: atque ita constanter MSS. Sic, vt ait, *vocabant antiqui vas aluei simile, videlicet à nauus similitudine.* Vbi pro *nauus* legere malim *nauis*. Forte tamen nec notatio, nec etymologia vera est. Nam vocis formam consideranti, videtur potius significari *portum* siue *nauium stationem*, quod si est, *naustibulum* dicetur, quasi *nauistabulum*, vt Græcè ναύσταθμος, quasi ναῶν σταθμός. Similiter syncope à *nauis* & *ago* est *nauigo*; à *nauifragus* *naufragus*. Maro, III. Æn.

——— *Et naufragum Scylaceum.*

Par quoque ratio in *nauscit*, quod sic dicitur quasi *nanascit*, vel *nauiscit*. Festus: *Nauscit* (sic MSS.) *cum granum fabæ se nascendi gratia aperit, quod sit non absimile nauis formæ.*

NAVTEA, quæ Græcis ναυτία. Plautus, Curcul. I. II.

Nam omnium vnguentûm odor præ tuo nautea est.

Vsurpat & Asinariâ, ac Casinâ. Imò Artemone etiam vsum, docebit Festus. Sed apud eum vulgo malè legitur *Paulus* pro *Plautus*, quod & Ant. Augustinus vidit. Artemonem scripsisse Plautum, docebit præter Helenium Acronem, Festus in *Superstites*. Quid *nautea* sit, non conuenit inter antiquos Grammaticos. Festus: *Nauteam, ait Opilius Aurelius, herba genus esse granis nigris, quâ coriarij vtuntur, cuius videri nausea dictum nomen, quia nauseam facit, permutatione T & S literarum.* Herbam hanc esse *bryoniam nigram*, seu *vitem nigram*, censet in Nomenclatore suo Hadrianus Iunius. Paullò post addit Festus: *Labeo in commentario iuris Pontificij, ait, nauteam rubidum quiddam esse, quo pontificum vestimenta quædam colerant.* Nonius verò sic scribit: *Nautea est aqua de coriis, vel, quod est verius, aqua de sentina, dicta à nausea.* Mihi simplicissimè videtur *nautea* deduci à ναυτία, seu Opilij, seu Nonij interpretationem sequi lubet.

NE interrogatiuum vt in *tune* pro *an tu*, est ab ἦ, vel ἄν, hoc est, *si*. Sanè & Græcis tum *si* notat, tum *an*. Estque ἦν à Syriaco אן, id est *si*. Sed *ne* pro *non* est à νὴ vel νέ. Itaque interdum corripitur: vt in *nefarius*, *nefastus*, interdum producitur, vt illo Catulli.

Funera Cecropiæ nefunera portarentur.

Sic Græcis νη in νήπους, *pedibus carens*: νη verò in νήριθμος, hoc est, ἀνάριθμος, *innumerus*, νηλιτής, *peccati expers*; à νη & ἀλιταίνω, *pecco*, atque ita in aliis. Νὴ verò & νὲ, Καninius putat esse ab Hebræo אין, hoc est, *non*. A *ne* & *que* est *neque*, vt à *ne* & *ve neue*. Sed κατ' ἀποκοπὴν pro illo *nec*, pro hoc etiam *neu* dicitur. Pro *ne* verò & *ni* dixere: vt docet Donatus, Eun. Act. III. Sc. III. Remansit in compositis *nimirum*, & *nisi*, quæ valent *ne mirum*, & *si non*. Priscianus, initio lib. XV. *Ni quoque pro ne accipitur, vt Virgilij versus ostendit: Ni teneant cursus. Quod etiam Donatus in commentario Æneidos affirmat, dicens, Ni pro ne: sic veteres.*

NEBRIS, νεβρίς, *pellis hinnuli*. Hesych. Νεβρίς, ἐλάφου δορά. Est à νεβρός, *hinnulus*. Idem Hesych. Νεβροί, ἐλάφων γεννήματα. Imò idem Hesych. ... νεβροὶ ... In Onomastico legas, *Nefrendes*, νεβροί. Sed *nefrendes* sunt *porcelli*, vt alibi dicimus. At νεβροί, *cerui*. Glossæ Isidori: *Nebris Dianæ, corium Dianæ, quæ cum ceruo pingitur.* Vsus ea voce Statius Papinius in primo & secundo Achilleidos: Item in secundo Thebaidos, cùm ait.

——— *Non orgia Cadmi*

Cernitis, aut auidas Bacchum scelerare parentes

Nebridas. ———

Vbi sic Placidus Luctatius: *Nebridas, pelles damarum quæ Græcè νεβρίδες appellantur: ac per hoc Baccharum indumenta significat, quibus sacrificiorum tempore vti consueuerunt.* Vt Virgilius:

Pellibus in morem cincti.

His verbis duo indicat, eos, *qui Orgia celebrarent, fuisse cinctos nebride & nebrida fuisse pellem damæ.* Prius illud verissimum est. Vnde Auienus in Orbis descriptione:

Orgia ludentes & nebride pectora cincti

Deduxere choros.

Cúmque *nebride* in Orgiis induerentur dicti νεβρίζειν, & res ipsa νεβρισμός. Quod & initiis Cereris fiebat, quia Athenis communia erant initia Cereris & Bacchi. Vide Harpocrationem in Νεβρίζων, & Plutarchum de fluminibus, vbi de Hebro agit. Quod verò Luctatius *nebridas* exponit *pelles damarum*, id minùs mirandum: quia & Glossis legas, Νεβροί, *dama*, *hinnuleus*. Sed similes quidem *damæ* & *hinnuli*, at differunt tamen, quia *damus* seu *dammæ* cornua in aduersum: qua de re Plinium vide. *Dama* Græcis δορκάς. Putat Arnobius, lib. V & *Athenis* fuisse *Nebridarum familiam*, cui ex eo nomen esset, quia νεβρίδα siue *hinnuleæ pellem induerit.* Sic enim scribit: *O ars vt venit ad Atticas, triticeas attulit fruges! Nebridarum familiam pellicula cohonestauit hinnula!* Sed in *Coa insula* fuit *familia Nebridarum*, ex qua natus Hippocrates. Ei nomen à *Nebro*, conditore familiæ. In Attica verò eius nominis familia non fuit. Imposuit Arnobio, vel scriptori, quem secutus, quod Athenis simul colerentur Ceres & Bacchus ac in initiis Cereris, vt paullo ante diximus. Quorundam etiam opinio est Bæticæ ciuitatem esse dictam *Nebrissam*, quia ibi, vt è Sillio constat, bacchæ Orgia sua celebrarent *nebride* indutæ.

NEBVLA, quasi *nubula*, si credimus Isidoro, cuius hæc verba. lib. XIII cap. X. *Nebula inde dicta, unde & nubila, ab obnubendo, hoc est, operiendo terram, siue quod nubes volans faciat. Exhalant enim valles humida nebulas, & fiunt nubes.* Hæc ille. Sed clarum est *nebula* venire à νεφέλη. Nec obstat, quod νεφέλη propriè *nubes*. Nam interdum etiam pro *nebula* sumitur. Sanè quemadmodum Maro promiscuè dicit *nube* vel *nebula opertis*, (vt

——— *Nube cava spectantur amicti*:

Item:

——— *Obscuro gradientes aëre sepsit,*
Et multum nebulæ circum dea fudit amictu;)

similiter Homerus Odyss. θ ait:

Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι.

Pro quo paullò antè dixerat, νέφος καλύψατο. Est verò νεφέλη ab Hebræo אפל, *nebula caligo*: non autem à ν στερητικοῦ & φάος, id est, *lumen*, quia sit φωτὸς στέρησις, *lucis priuatio*. A *nebula*, dictum *nebularium*, quomodo Scaliger in Copam Columellæ vocari ait locum, in quo vina instituebantur ebibere fumum, vt vitium exuerent; indéque Martialem pessima Massiliæ vina fortassis dixisse *fumos Massilitanos*: nisi ad id respexisse malis, quod & Græcis *improbum vinum* καπνίας οἶνος appellatur.

NEBVLO à *ne* & *obulo*, quasi *nec obulo dignus*: vel potiùs à *nebula* est *nebulo*, vt à *tenebris*, *tenebrio*. Nonius: *Nebulones & tenebriones dicti sunt, qui mendaciis & astutiis suis nebulam quandam & tenebras obiiciunt: aut quibus ad fugam fugitiuis & furta hæc erant accommodata, & vtilia.* Ita quoque est in Aldina: nec aliter legit Iunianus Maius, nisi quod pro *fugitiuis* perperam habet *furtiuis*. Ego locum sic emendo: *aut quia furibus ac fugitiuis ad fugam & furta hæc* (nebula putà & tenebræ) *erant accommodata & vtilia.* Donatus, Eun. IV. VII. *Nebulo vel inanis, vel vanus, aut mollis, vt est nebula, dicitur.* Vetus Horatij interpres ad sat. I. lib. I. *Nebulones, vani & leues, vt nebula.* Festus: *Nebulo dictus est, vt ait Ælius Stilo, qui non pluris est, quàm nebula: aut qui non facilè perspici possit, qualis sit, nequam, nugator.* Vbi notandum, quod *nebulones* dici ait qui, quales sint, difficulter perspicere est: vti quos, si videas quantiuis pretij putes, cùm longè ab iis absint qui videntur: haut secus nempe ac *nebula* aliquid videtur, sed apprehendere volentem frustratur. Itaque *nebulo* qui ante prælium magnifica iacit verba, sed in prælio est lepus galeatus: siue Atticus miles, de cuiusmodi militibus notum illud vetus, [illegible]. *Nebulo* quoque qui viripotenti & virosæ feminæ vir videtur, cùm in Venerio concilio penè sit minùs quàm puer, aut spado. Hinc meretrix acutè apud Comicum Eunucho IV. VII.

Sanè quod tibi nunc VIR videatur esse, hic NEBVLO magnus est. ———

Scio de Martia magis, quàm Veneria palæstra apud Comicum agi: sed par vtriusque pugnæ ratio est: nec dubium quin hoc dictum à Veneriis nepotulis primò fuerit profectum, id verò aliouersùm transtulerit faceta meretrix. Velle enim *nebulonem* hîc interpretari *hominem improbum*, id planè sit insubidum & inficetum. Quippe studet Thais metum eximere formidoloso seni, vnde continuò subiicit, *Ne metuas*. Ad hoc nihil faciebat, si Thrasonem diceret improbum, cùm ab improbis nobis maximè metuamus, imprimis qui robore videntur pollere atque audaciâ. Porrò tot caussis, cur à *nebula nebulo* esse possit, istam etiam addas licet, quòd *nebulones loquantur ac agant nebulas*, hoc est, *nugas*, *res nebulâ nihilo digniores*: quomodo loquitur Persius,

Grande locuturi nebulas Helicone legunto.

Et pro *vilissima re* eodem vsus Plautus. Pœn. Act. I. Sc. II.

Cuius ego vel nebula cyatho septem noctes non emam.

Prout ibi legit Turnebus.

NECESSE, per ἀφαίρεσιν τοῦ α venit ab ἀνάγκη. Ita Nunnesius. Sin Latinam originem dare lubet, fuerit sanè à *ne* & *cesso*: vt propriè *necesse* sit, *quod differri non potest*: vel à *nec* & *esse*; vt propriè *necesse* sit, sine quo *nec esse*, vel saltem *bene esse* non possumus: quamquam & ita dicatur, *quod euitari non potest*, vti quæ fatalia. Præiuit ad posteriora isthæc Festus his verbis: *Necessarium ait esse Opilius Aurelius, in quo non sit cessandum: aut sine quo viui non possit, aut sine quo non bene viuatur, aut quod non possit prohiberi, quin fiat.* Secundam sententiam, vt sit à *nec* & *esse*, probat Scaliger de caussis L. L. cap CLXVI. Sed pugnant illa, *nec esse* & *necessarium esse*. Quare malim dicere esse à Græcis. Vel sequar sententiam Opilij, vt à *ne* & *cesso*, sit *necesse*, quomodo à *ne* & *fari nefarius*. Hinc *necessarij*, de quo idem Festus: *Necessarij sunt, vt Gallus Ælius ait, qui aut cognati, aut adfines sunt, in quos necessaria officia conferuntur præter cæteros.* Nonius *adfines* interpretatur, sed non *solos adfines*, verùm etiam *cognatos* signari, ostendit hic locus Valerij Maximi. lib. II. cap. *Conuiuium sollemne maiores instituerunt, idque charistia appellauerunt, cui præter cognatos & adfines nemo interponebatur, vt siqua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur.* Hinc *necessitudo*, vinculum illud inter cognatos & affines.

NECTO, à νέω, vt *plecto*, à πλέκω. Νέω quippe tum νήθειν siue *nere* notat, tum etiam σωρεύειν siue *congerere*: vt Hesychius docet. Nempè quia nentes tum fila ducunt, tum ducta in fuso coniungunt. Quare *nectere* propriè sit *nendo coniungere*: sed generatim sumitur pro *vinculo aliquo iungere, ac colligare*.

NEFARIVS, à *ne* & *fari*: vti *nefandus* ex *ne* & *fandus*. De posteriori assentit Asconius Pedianus: de priori non item: Verba eius sunt in III. contra Verrem: *Nefandum, est non fandum. nefarium, quod sacra polluit farre pro solita celebrari, ergo nefarij, sacrilegi.* Possis & deducere à *nefas*, vnde *nefasius*, & S in R abeunte *nefarius*, quomodo *ara*, *arena*, *Valerij*, *Papirij* dicimus quæ priùs *asa*, *asena*, *Valesij*, *Papisij*. Cæterùm pro *nefarius*, vel *nefandus*, etiam *nefans* dixere. Ita Lucillium, Varronémque locutos esse, docebit Nonius in *Nefantia*. Similéque est apud Accium *infans facinus* pro *infandum*. Citat Nonius in *Infans*.

NEFRVNDINES tum *renes*, tum *testiculi* dicuntur. Festus: *Pro nefrendibus, vt antiqui dicebant, renes nunc dici vsus recens. Sunt qui nefrendes dici putant testiculos, quos Lanuuini appellant nebrundines, Græci νεφροὺς, Prænestini nefrones.* Sed propriè *nefrundo* renem notat, éstque à Græco νεφροί, quod idem notat. Quia autem & *testiculi* rotundi, atque vt in renes vrina, ita in testiculos defluit τὸ σπέρμα, quæ & ipsa dicitur *genitalis vrina*, *nefrundinis* vox translata est ad *testiculos*.

NEGO quasi *neago*. Nec obstat, quòd in *dego*, quod quasi *deago* dicitur, prior producatur. Nam in *dego* E & A commutantur in E longum quomodo Iones pro ἔαρ dicunt ἦρ & Dores pro κλέαρ κλῆρ. at in *nego* non contractio est, sed syncope literæ A, quâ fortassis ratione & *vagor* priorem corripit extrito E. Nam priùs fuit *veagor*, hoc est, *valde ager*, siue *valde ferox*. *Ve* in compositione interdum augere, docebit Agellius lib. V. c. XII. Nec magis etymo allato obstat, quòd verbo *nego* non tam *agere*, quàm *dicere*, vel *facere*, opponatur. Nam & *dicere* est *agere*. Vt apud Terent. Adel. I. 2.

Sed estne ipsus, de quo agebam? ———

Atque ita dicimus quoque *gratias agere*.

NEMPE, à *nam* & *pe*, vt *quippe* ex *qui* & *pe*. *Pe* autem à Græco πε, vel πη.

NEMVS à Græco νέμος, quod Hesychius interpretatur σύνδενδρος τόπος καὶ νομὴν ἔχων, *locum arboribus densum & pascuum*. Homerus Il. λ. ἐν νέμεϊ σκιερῷ, *in nemore vmbroso*. A *nemore* est *nemorensis*. Vt *nemorense mel* apud Columellam, *nemorensis rex* apud Tranquillum, hoc est, rex sacrorum in nemore Dianæ, quod erat in sinistra via, qua Ariciam itur. Ab eodem *Nemestrinus deus*. Arnobius. lib IV. *Deus nemorum Nemestrinus est.* Νέμος verò est à νέμω, *pasco*: vnde & Νομάδες, qui Latinis *Numidæ*, O in V mutato. Festus *Numidas dicimus, quos Græci Νομάδας, siue quòd id genus hominum pecoribus negotiatur: siue quòd herbis, vt pecora, aluntur.* Sed potiùs sic dicti, quia *sæpe loca alia atque alia petentes permutant pabulum*, quod Græcè νομή. Eam causam adfert Sallustius in Iugurth. & Plinius, lib. V. cap. III. Ab eodem *Apollo* dictus Νόμιος, iuxta Physicos quidem, *quia sol, quæcumque terris nascuntur, pascit*. Sed, iuxta poëtas, *quia pauit pecus regis Admeti ad Amphrysum amnem*, vnde Maroni *pastor ab Amphryso* dicitur. Aliàs νέμω est *distribuo*: vnde νόμος, *lex*, quia *suum cuique tribuit*. Item νέμεσις *distributio*, à quo Dea Νέμεσις, Iustitiæ, vt quidam volunt, filia, quæ præmiis bonos ornat & iniquis pœnas rependit. Adfert hanc nominis causam auctor libelli de mundo, Aristoteli tributi. Vbi & ait aliter dici Ἀδράστειαν, quia eam nemo ἀποδιδράσκειν, hoc est, *effugere*. Sed Strabo inde caussam arcessit, quòd *Adrastus rex ei primus fanum statuerit*. Quod Antimachi versibus probat. De eâ vide Gyraldum, dialogismo XIX.

NENIA propriè notare *carmen funebre* significat Quintilianus, lib. VIII. cap. III. quod est de perspicuitate. Sed pleniùs Festus: *Nenia est carmen, quod in funere, laudandi gratiâ cantatur ad tibiam.* Et Nonius: *Nenia ineptum & inconditum carmen, quod adducta pretio mulier quæ præfica diceretur, iis, quibus propinqui non essent, mortuis exhiberet.* Varro de vita pop. Rom. lib. IV. *Ibi à muliere, quæ optimâ voce esset, Pergama laudari, deinde neniam cantari solitam ad tibiam & fides.* Idem Varro vsus ἐν τῷ λόγῳ apud Nonium in præsepia sed in vulgatis codd. legitur corruptissimè. Torsit se in eo Hadr. Iunius: torsit & se Guilielmus Canterus in Variis suis. lib. V. cap. XXII. Sed felicissimè ad oram huiusce libri, qui nunc

penes

penes me. locum eum manu suâ restituit Scaliger. Emendatio eius istiusmodi est:

Si quis melodus nenis ὁ θ λόγον
Præcipibus se retineas forensibus.

In vulgatis pro priori versu legas. *Signis melodinis tonos lyras*. Quod ad vocabuli originem, varias admodum de ea sententias congessit Verrius siue Festus, quas apud eum legere potes. Veram non expressit. Est enim à Græco νηνίατος, quod idem significat, vnde νηνιάζειν, quod Hesychius exponit θρηνεῖν. Imò vt *Nenia* Latinis quoque genus legis puerilis, vt apud Horatium:

Roscia dic sodes melior lex an puerorum
Nenia, quæ regnum rectè facientibus offert.

Itidem & Νηνίατος à Græcis accipitur, quandoquidem apud Hesychium exponitur παιδαγωγικὸς νόμος. Νηνίατος verò hausere Græci à Phrygibus. Pollux: τὸ δὲ νηνίατον ἐν μὲν Φρύγιον, ἐπισκοπεῖ δὲ αὐτὸ μὲν ἀποφοιτᾷν. *Præficas* sane, quæ *nenia* canebant ad tibias, ex Phrygia in Italiam manasse ex Papinio docet Scaliger in Coniectaneis. Nec tamen *nenia* sit Phrygum inuentum seu vocem seu rem spectes, vt non aliunde hauserint. Nam Hebræi ac Syri mirè fuere θρηνῳδοί, quod vel ex Prophetis liquet. Ab illis igitur & *nenia* & *præfica*. Præsertim quando & vox ipsa respondet. Nam quis dubitet, quin *nenia* sit ab Hebræo נהי, quod est *querimonia lamentum*? Plura hac de voce Scaliger. sexto Coniectaneorum. item ad Festum, in *Nenia*. Est & *Nenia* Deæ nomen. Festus: *Neniæ deæ sacellum extra portam Viminalem fuerat dedicatum*. Caussam nominis cognoscimus ex istis Augustini verbis. lib. VI. de Ciu Dei, cap. IX. *Ipse Varro commemorare & enumerare Deos cœpit à conceptione hominis, quorum numeros exorsus est à Iano: eamque seriem perduxit vsque ad decrepiti hominis mortem. & deos ad ipsum hominem pertinentes, clausit ad Neniam deam, quæ in funeribus senum cantatur.*

Neo, à νέω. Nam νέω, νήθω, & κλώθω, idem significat. Estque νήθω, à νέω. id est, *neo*, vt νῆμα pro *nato* à νέω, h. e. κολυμβῶ. A νέω est νῆμα, *filum*. Gloss. νῆμα *netum*. Hinc *nema Sericum* legas Dig. XXXIX. IV. XVI. VII. Alias νῆμα est ὕδωρ, vt exponit Hesychius. Sed tum est à νέω, vel νάω, *fluo*. Vnde Νηρεύς, *Nereus*, quasi à νηρός, *humidus*. Eiusdem originis Ναϊάδες, *Naiades*. Nempe quia Deæ sunt ναμάτων, vt Porphyrius quoque ὑπομνηματίζων comment. de antro Nympharum.

Nepa est qui dici putet à ne & pes, quia, vt ait, *pedibus minimè valet*. Quod refutatione est indignum. Sed *nepa* ab Afris accepimus. Festus: *Nepa Afrorum linguâ sidus, quod dicitur nostris cancer: vel, vt quidam volunt, scorpius*. Plautus in Casina:

Recessim dabo me ad parietem; imitabo nepam.

Dubitat Festus, *nepa* num *cancer* sit, an *scorpius*. Nempe quia vtroque modo veteres vsi: pro *cancro* Plautus, pro *scorpio* Tullius in Arateis: & similiter interpretantur Glossæ. *Nepa*, σκορπίος. Et Gloss. Cyrilli: Σκορπίος, *scorpius nepa*.

Nepenthes, νηπενθής, à νὴ, & πένθος, vt idem sit quod ἄλυπον, hoc est, *tristitiam animo eximens*. Homerus Od. δ inducit Helenam, cùm maritum suum, & Telemachum hospitem, exhilarare vellet, *pharmacum* vino miscentem, *quod vim haberet omnem detergendi luctum*, vnde νηπενθὲς vocat. Versus Homeri inter alios sunt hi:

Αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον,
Νηπενθές τ', ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.
Mox in vinum iniecit pharmacum, vnde bibebant,
Dolorem & iram detergens, malorúmque omnium inducens
obliuionem.———

Ioannes Fungerus, in Etymologico suo, posteriorem versum sic transfert.

Expers nepenthes luctus, mala cuncta refrenans,
Vsque adeò vt possit superesse memoria nulla.

Verùm præterquam, quòd posterior versus in metrum pueriliter peccat, nec probare satis possum, quod νηπενθὲς putat ab Homero substantiuè accipi, cùm id τοῦ φαρμάκου ἐπίθετον non minùs sit, quàm ἄχολον, & ἐπίληθον. Sed culpam hanc ex parte deterit, quod Galenus, Plinius, Macrobrius, pluresque alij existimarint, siue *helenium* aut *buglossum*, siue *iucundam narrationem*, aliudue priuo ac proprio nomine *Nepenthes* Homero appellari: à quorum opinione meritò recedit Cælius Calcagninus lib. II. epist. vlt.

Nepos, vt ait Festus, quasi *natus post*, hoc est, *patri natus post filium*. Sed est à νέπους, hoc est, ἀπόγονος. Ita eodem Festo teste. vsi eâ voce sunt Theocritus, & Appollonius. Dicitur autem νέπους, quia non sit πούς, hoc est, *fundamentum generis*. Nam *pedem* veteres vocarunt *quoduis fundamentum*, vt quoque discimus è IV. Varronis de L.L. Hanc nepotis ἐτυμολογίαν Gualtero Chabotio acceptam refert Fungerus. Nos eam Scaligero debemus, ex cuius Coniectaneis illam excripserat Chabotius. Cur autem *prodigis nepotum* nomen impositum sit, & *nepotatum* pro *luxuriâ* dicamus: geminam inuenio caussam. Vna est, quòd pueri parentibus orbati, si in auorum sint potestate, fere nequam euadant & dissoluti: quia faciliores parentibus esse aui solent. & si seueriores esse velint, à pueris, patris metu solutis, contemni solent. Altera ratio est ista: Qui parentum suorum sudorem in congerendis opibus viderunt isti, quia sciunt, quam difficulter opes parentur, frugi esse solent: contrà autem nepotes, quia nec ipsi sudarunt in parandis diuitiis, nec sciunt quanto labore eas auus acquisierit, *prodigi* esse consueuerunt.

Neqvam propriè *homo inutilis*. Quod origo ostendit. Varro, lib. IX de L.L. *Vt ex non, & volo, Nolo; sic ex ne, & quicquam, item mediâ extritâ syllabâ, coactum est Nequam. Itaque vt eum, quem putamus esse non hili, dicimus Nihili; sic in quo putamus esse nequicquam, dicimus Nequam.* Alij deducunt non ex *ne*, & *quicquam*, sed ex *ne*, & *quam*. Festus: *Nequam, qui ne tanti quidem est, quam quod habetur minimum.* Charisius non *nequam*, sed *nequa*, dicendum putabat, vt *nequa lana*. Ita *nequa* sit, vt *nequis*, ἄνις, vbi *ne* sumetur, vt in illo. *Et nos ait: quod nonéque decúsque Gessimus.* Quomodo & Belgæ dicunt, *hy is me vnat*. Iuxta hos igitur *nequa* seu *nequam*, sit ἰδιωτικός. Priscianus, lib. IV. à *nequeo* deducit. Ita propriè impotentem significabit: vt Belgis *deugniet*, qui nihil valet. Becmanus à *ne* & *æquus*. Ita propriè *iniquum* signet ac *iniustum*. Quod verum non puto. Nam vt Flauius Caper ait extremo libro de Orthographia: *Nequam non malum significat, sed inutilem.* Et in Gloss. Philox. legas, *Nequam*, ἀχρεῖος. *Nequitia*, ἀχρειότητες, πονηρία. Itaque *nequam* ferè dicitur, qui est ἄσωτος, vti *nequitia*, ἀσωτία, quam Agellius *luxum* & *popinationem* interpretatur. Indéque est quod *nequitia* & *luxuria* sæpe coniunguntur, vt affinia: ac contra opponantur *nequam*, & *homo frugi*. Vide Agellium lib. VI. cap. XI. & Guilielmum Fornerium lib. II. Selectiorum. cap. V.

Neronianvs lapis ὁ Νερωνιανὸς λίθος smaragdi præstantissimæ genus, cui nomen dedisse putandum, non *Neronem* imperatorem, vel etiam *Domitianum*,

———*Quem dixit caluum sua Roma Neronem:*

sed, vt est apud Epiphanium, Νέρωνά τινα τεχνίτην, hoc est, *quendam gemmarum lapidúmque politorem, cui Neronis nomen esset.* Ad huius gemmæ nomen allusit poëta, qui Constantini M. temporibus lusit hoc disticho in Imperatorem, postquam vxorem & filium sustulisset:

Saturni aurea secla quis requirat?
Sunt hæc gemmea: sed Neroniana.

Nimirum lusit ambiguitate vocabuli, quia & *Neroniana* erat *gemma*, & *Neroniana* erant *secla*.

Nervvs, à νεῦρον, traiectis literis, quod sæpe fieri, in *Cancer* & *Tener* diximus. *Neruus* etiam dicitur quod Græcis ξυλοπέδη, prout in vett. Gloss. explicatur. Ita Terentius dixit: *In neruum potius res ibit.* Atticis veteribus ξύλον (quod alioqui generatim *lignum* notat) dicebatur: vnde in legibus Atheniensium ἐγκλειόμενοι, qui ex lege nexi erant. A *neruus* est *eneruare*, ἐκνευρίζειν. Vtitur Appuleius, VIII. Met. Item *subneruare*. Gloss. vett. νευροκοπῶ, *subneruo*. Appuleio in Apologia restituit hanc vocem Casaubonus. Cæterùm eiusdem ac *neruus* originis est *Nero*, quod in vett. Glossis ἀνδρεῖος explicatur. Dicitur enim quasi νεῦρον, hoc est *neruosus ac compactis viribus*. Atque ab eadem origine coniux Martis *Nerio*, *Nerienes*, vel *Neria*, dicebatur. Qua de re multa Gellius, lib. XIII. cap. XXI. Inter alia hæc scribit: *Nerio siue Nerienes Sabinum verbum est, eóque significatur virtus & fortitudo: Itaque ex Claudiis, quos à Sabinis oriundos accepimus, qui erat egregia atque præstanti fortitudine, Nero appellatus est. Sed id Sabini accepisse à Græcis videntur, qui vincula & firmamenta membrorum νεῦρα dicunt: vnde nos quoque Latinè neruos appellamus.* Quamquam & alterum *Nerienes* ἔτυμον est, quod ibidem his verbis assignat Gellius: *Ne id quidem prætermittendum puto, cuiuscuimodi est, quod in commentario quodam Seruij Claudij scriptum inuenimus, Nerio dictum, quasi Neirio, hoc est, sine ira, & cum placiditate, vt eo nomine mitem tranquillúmque fieri Martem precemur. Ne enim particula, vt apud Græcos, ita plerumque in Latinâ quoque linguâ priuatiua est.*

Nex contractum ex *necis*, hoc, vti & *neco*, est à νέκυς, quod idem ac νεκρός, id est, *mortuus*: vnde & νεκρομαντεία, & νεκυομαντεία, dicimus. Ex posteriori ortum *nigromantia* pro *necromantia*: Germani & Belgæ, barbaro *nigromantia* vocabulo decepti, itidem vocant *swarte consten*, quasi dicas, *nigras artes*. Νέκυς verò, & νεκρός, à Chaldæis veniunt. quibus נכס, *mactare*, *iugulare*, item, נכא, *cadere*, *occidere*. Ab *neco* & fuit *deneco*, vnde *denicales feriæ*. Festus: *Denicales feriæ colebantur, cùm hominis mortui caussa familia purgabatur, Græci*

enim viuos mortuum dicunt. Est harum mentio apud Columellam, lib. II. cap. XXII. Illustrem quoque de iis Ciceronis locum corrigit Meursius, lib. de funere. cap. XXXVII. Non esse a *denis*, argumento est, quòd *triduana* erant. Ab eodem *perneco*, vnde *pernicies*. Cornelius Fronto: *Periculum contra quamuis rem timetur; pernicies contra necem.* Quia autem *denicales*, & *pernicies* per *I* dicimus, ideo & quidam *enico* per *I* malunt. Sed debili argumento nixi, cum non omnium par sit ratio. Nam à *neco* quoque est *internecinum bellum*: vbi *inter* vim eam habet quam in *interficere*, & *interimere*, ac similibus, de quibus alibi dictum. Est enim *internecinum bellum pestiferum, capitale, exitiosum* cùm nempe non de imperio ac dignitate dimicatur, sed de fortunis & capite; neque vter imperet, sed vter sit, decernitur. Vsi Liuius, Plinius, alij. Festus: *Internecinum testamentum est, propter quod dominus eius necatus est.* Ab eodem *internecio*. Gloss. vett. *Internecio, ἀναίρεσις φονή.* Priscianus, lib. IV. ait, *internecio* pro *internectio* eliso *T* dici *εὐφωνίας* caussà. *Interneciea* quoque dixisse, cognoscimus ex Isidori Glossis, vbi exponitur *mors, iactura.* Item, lib. V. cap. XXVI. vbi *internecies* iudicium esse dicit in eum *qui falsum testamentum fecerat, & ob id hominem occiderat.* Sic lib. X. *Internecida est, qui falsum testamentum facit, & ob id hominem occidit.*

NICOLAI sunt *dactyli*: vt est in Glossis Isidori. Idem, lib. XVII. Orig cap VII. *dactylos* facit genus, eósque diuidit in *palmulas* myrobalanis similes, *Thebaicos*, qui aliter dicantur *Nicolai*, & *nicales*, siue *caryotas*. Ac similiter Plinius, lib. XV. cap. XXVIII. *Carne palmæ placent crusta Thebaica, succo vina & caryota.* Primus verò *dactylos* sic vocauit Cæsar, idque honori dedit *Nicolai Damasceni*, à quo crebro sibi è Syria mitterentur. Itaque impropriè Isidorus ait *Nicolaos* esse eosdem *dactylos*, ac *Thebaicos*. Nam *Thebais* in Ægypto: *Nicolai* è Iudæa mittebantur. Propriè igitur *Nicolai* caryotæ Iudaicæ. Vetus Geographus, qui Constantij Imp. temporibus vixit, de Iudæa & Syria sic scribit: *Hi & omnibus bonis abundant. Nicolaum itaque palmulam in Palæstines regione, loco, qui sic vocatur, Ierichio, similiter & Damascena, & alteram palmulam minorem & pistacium, & omne genus pomorum habent.* Quidam *Nicolaos* non *dactylos* fuisse putant sed *placentas*: qua in sententia est Suidas in *Nicolao Damasceno*: & ante eum Hesychius Illustris, ac Photius, emmate CLXXXIX Ac fauet huic sententiæ illud Sereni Sammonici:

Grana peregrini piperis diffundito quinque
Nicolao molli, quæ mane inserta capesses.

Sed vt non negamus, sic & *placentam* dixisse: ita certissimum est *dactylos* sic ab Augusto vocatos: quod & Athenæus tradit. lib. XIV. & Plutarchus, conuiualium quæst. lib. VIII. cap IV.

NICTARE non est ἀπὸ τοῦ νεύειν, quod in Glossis quibusdam inuenias: neque à *nuo*, quæ Perotti opinio erat neque à *nocere*, quod Turnebus, corrupto Plauti loco deceptus, credidit, lib. XXIV. & cap. XXVII. sed est vel ab antiquo *nineo*, vel à *nitor*. Verumque [illegible] satis verisimile est: etsi prius malim. Ab *nineo*, *nictare* fiet, coniugatione mutatâ, quomodo à *dicere* est *dictare*. Sanè à *nineo* in vsu remansit *conniueo*: quo quid [illegible] significetur, satis notum est. Propriè autem *conniuere* dicuntur qui dormitant: vnde Cinna:

Iam gravis ingenti conniuere pupula somno.

Ac respicit eo Plautus Mostel. Act III. Sc. II. vbi seruus ait, *coagmenta arctè dormire*, & sene admirante nouum loquendi genus, ait,

Illud quidem vt conniuent volui dicere.

Hinc Appuleius *inconniuos oculos*, & *inconniuas vigilias* dixit. Cùm autem *conniuere* propriè oculorum sit, *nictare* quoque oculorum erit. Nonius: *Inter Nutare, & Annuere, & Nictare, veteres hoc interesse voluerunt, quòd Nutare capitis, Annuere vel Innuere narium vel labiorum, Nictare oculorum significantiam esse decreuerunt.* Plautus:

Nec illa vlli homini nutet, nictet annuat.

Hæc Nonius. Ad alterum verò ἔτυμον præit Festus his verbis: *Nictare, & oculorum & aliorum membrorum nisu sæpe aliquid conari.* Quo ex loco colligi posse videtur, veteres quoque à *nitor* dixisse *nixum* & *nictum*, indéque formâsse *nictor*. Id clarius patebit ex loco, quem ex sexto Lucretij ibidem adducit Festus.

Cuius vbi è regione loci venere volantes,
Claudicat extemplo pinnarum nisus inanis:
Et conamen vtrimque alarum proditur omne.
[illegible] nequeunt, insistereque alis,
[illegible] deiab. ponuere cogit
Natura. ———

Vides, vt Lucretius, si rectè legit Festus, quemadmodum auibus prius nisum tribuit, sic mox eas dicat alis suis *nictare* quod nihil aliud est quàm [illegible]. Plura cùm apud Festum vide, tum Scaligerum ad Festum, & Gifanium in indice Lucretiano, vtrumque voce *Nictari*. *Abnictat*, vt Festus exponit, *sæpe & leniter oculo annuit.* Næuius in Tarentilla: *Alij adnutat, alij adnictat, alium amat, alium tenet.*

NIDOR propriè est *odor esculentorum*, interdum & *aliorum*, vt in illo Maronis XII. Æn.

Occupat os flammis, illi ingens barba reluxit
Nidoremque ambusta dedit.

Ἀναλόγως videtur esse à *nidere*, vt à *calere*, *calor*. Quod si est, fatendum abire ab origine sua, hoc est, ab oculorum sensu ad narium transferri. Nam *renidere* est *resplendere*: quomodo etiam sumitur in illo Horatij, lib II. od. XVIII.

Non ebur neque aureum
Meâ renidet in domo lacunar.

Nam errant qui hic *redolere* interpretantur: quos inter Calepinus fuit Cui sententia hæc non placet, videat an magis arrideat opinio Acronis, qui & *nidor*, & *nidere* deducit à *nimio*. Sic enim scribit in sat. VII. lib. II. *Nidor à nimio odore tractum, seu visu, vnde & renidet.* Sed hoc longiùs arcessitum. Quare cui primum non placet, videat an non sit à κνίζω, quod idem ac *nidor*. *Z* in *D* conuerti solet, vnde pro *Mezentius* veteres *Medentius* dicebant teste Prisciano.

NIDUS à *nidore*, si Perottum audimus, quòd fœdi odoris sint auium domicilia. Sed vt à [illegible], *siccus*: ita à [illegible], *nidus*. Nidus verò dixere pro [illegible], quod Atticum pro [illegible], hoc est, *pullus*, siue *auicula recens edita*. Vnde [illegible] pro [illegible] siue *neossia*, *nidus*. Nec obstat, quod [illegible] *pullum* potiùs quàm *nidum* notat. Nam μετωνυμικῶς ponitur pro *nido*: vt contra *nidum* pro *pullo* dixit Maro:

——— *dulcem nidis immitibus escam.*

NIGER *quasi nubiger, quia non serenus, sed fusco coopertus est: vnde & nubilum diem tetrum dicimus.* Ita Isidorus in X. Sed longè rectiùs Iul. Scaliger Exerc. CCCXXV. sect. X. & Nunnesius in Grammatistice qui deducunt à [illegible], id est, *mortuus*. Nam mortui atri. Vnde Lucretius.

Omnia suffundens mortis nigrore.

NIHIL *per apocopen extremæ syllabæ factum est ab eo, quod est nihilum*, vt Priscianus ait in V. *Nihilum* verò, iuxta eundem Priscianum imò & Varronem VIII. de L.L. & Isidorum, lib. X. conflatum est è *ne*, & *hilum*. Vnde Ennius apud Varronem de terra, in quam corpora resoluuntur ait.

Quæ dedit, ipsa capit, neque dispendi facit hilum.

Et Lucillius in XIV. apud Priscianum.

——— *Hilo non rectiùs viuas.*

Item Lucretius. lib. III.

Nec prorsus vitam ducendo demimus hilum.

Quid *hilum* sit, docet Festus: *Hilum, inquit, putant esse quod grano fabæ adhæret, ex quo nihil, & nihilum.* Sed iuxta Isidorum, lib X. *Hilum Varro ait significare, medullam eius ferulæ, quam Græci asphodelon vocant.* At aliter ex Varrone Charisius. lib. vbi ait: *Hilum Varro, libris rerum Humanarum, i. festinum dicit tenuissimum, quod alij hillum appellauerimus: vnde intelligimus, nihil sine aspiratione vitiosè dici.* Imò Priscianum si audimus in VI. *hilum* idem veteribus significabat, quod *vllum* Et fortasse quidem propterea *nil* absque spiritu, scribebant illi, quos Charisius reprehendit.

NIMBI sunt repentinæ & præcipites pluuiæ, vt testatur Appuleius de mundo; Item Seruius in I. Æn. & Isidorus lib. XIII. cap. I. A *nube* deducit Isidorus. Sanè sit è *nube resoluta*. Sed si hæc ratio satis est, potiùs sit è Græco νέφος, quàm Latino *nubes*. Aliis placet esse à νίμμα, quod à νίπτω, *lauo*. Nam *terras lauat*. Sed hoc quoque longè petitum: Planè autem censeo esse à *lumpha*, hoc est: *lympha*, siue *aqua*, vnde *limpidus*. Vel hoc verum est quod dixi, vel *nimbus*, & *nimpha*, seu νύμφη communem saltem ortum habet. Aliam etiam minùs vulgarem eius vocis notionem docet nos Isidorus lib. XIX. cap. XXXI. *Nimbus, inquit, est fasciola transuersa ex auro assuta in linteo, quod est in fronte feminarum* Vsus Arnobius. lib. II. *Laminas pertunderent aurium, imminuerent frontes nimbis, fuligine oculos inumbrarent.* Atque inde *nimbatam* meretricem dixit Plautus, Pœn. Act. I. Sc. II.

NIMIUM Nunnesio placet esse à λίαν, λ in N abeunte. Malim ex τὸ μεῖον, quasi dicas *non minus*. Ni enim priuandi vim habet, vt in [illegible], atque aliis. Interdum *nimis* ponitur pro *valde*. Vt apud Plautum Amphitr.

Legiones educunt suas nimis pulcris armis præditas.

Et Milite.

Nimia est miseria pulcrum esse hominem nimis.

Martialis quoque sic locutus, lib. V. Epigr. LXVI. vt obseruat Heraldus.

Ac Belgæ itidem dicunt, *al te ſchoon, al te hoogh*, & ſimilia, vt liquet ex libris eâ linguâ ante centum, & vltra, annos conſcriptis.

NISVS, quo accipiter notatur, eſt Hebræo נץ. Vſus Iobus cap. XXXIX. XXVI. Quem ad locum etiam Mercerius hoc ἔτυμον annotauit.

NITELAS & *nitedulas* appellari putant inſecta, quæ Plinius, lib. XI. cap. XXVIII. *lampuridas* nominat a λάμπω, *ſplendeo*, & οὐρὰ, *cauda*, nempe *ob laterum & clunium colorem, quo ignium modo lucent*: vt ibidem dicitur. Ita *nitela* à *niteo* fit, vt à *ſuadeo, ſuadela*: à *candeo, candela*. Nempe ob *nitelam*, hoc eſt, *nitorem ſuum*: quomodo *nitela* voce vſus Solinus. Sed *nitela* & *nitedula*, nunquam pro *lampuride* inuenias. Eſt verò *nitela, ſciurus*, vt exponunt Gloſſæ veteres: vel potiùs eſt *murium genus*. Meminit eius Cicero in Sextiana: *Id factum ciuitatis fuit, vt illa ex vepreculis extracta nitedula rempub. conaretur arrodere.* Et Seruius in illud I. Georg. *Sæpe exiguus mus*, *nitedula*, inquit, *cuius Cicero meminit in Sextiana*. Sanè ex Ciceronis verbis ſatis liquet, *nitedulam* eſſe *murem agreſtem in vepribus agentem*. Et confirmat Plinius, cùm lib. VIII. cap LVII. quod de muribus, his verbis claudit: *Conditi & hi cubant: rurſus æſtate iuueneſcunt, ſimili & nitedulæ quiete.* Ita editum in veteri Parmenſi. Monet ibidem Dalecampius, *nitedulas* ſic dici à *nitore pilorum & cutis*. Sed obſtat, quòd prima in *nitela* ſit porrecta. Martialis, lib. V. epigr. XXXIX.

Quæ crine vincit Bætici gregis vellus,
Rhenique nodos, aureámque nitelam.

Vbi *rutilos puellæ crines* comparat *cum lana Bætica, capillis Germanorum, & pilis nitelæ*. A quibus color *niteiinus* pro ruſo & rutilo: indéque *nitelina ſalix* apud Plinium, lib. XVI. cap. XXXVIII. vbi de ſalicum generibus ſic ſcribit: *Apud nos multi totidemq; generibus nomina imponunt: viminalem vocant, eandémque perpetuam: alteram nitelinam à colore, quæ ſit tenuior: tertiam Gallicam, quæ tenuiſſima.* Nitela igitur non erit à *niteo*, ſed à *nitor*, quia nitatur ſcandendo arbores. Vt à *medeor, medela*: ſic à *nitor, nitela*. vnde *nitedula*.

NITEO à νίπτω vel νίζω, id eſt, *lauo*. Nam *nitent loca*, vnde & *lautum* pro *nitido* atque *eleganti* accipitur. Et fortaſſe indè etiam *mideo*, vnde *renideo*. Vt apud Horatium,

——— *Nec aureum*
Mea renidet in domo lacunar.

Gloſſ. Phil. *Renidet*, μειδιᾷ, ἀναλάμπει. Vbi Gloſſographus planè Horatij locum reſpexit: eóque in tertia potius *renideo* quam *renideo* interpretatur. Nec repugnem tamen quò minùs à μειδιῶ deducas, prout Gloſſographus hîc exponit: rarò enim *M* abit in *N*.

NITOR verbum Franciſco de S. Quercu placet eſſe à νίσσομαι vel νίσσομαι, quod idem ac νίομαι, hoc eſt, πορεύομαι. Itaque propriè *niti* ſit *cum niſu procedere*. Sanè & Nonius docet *niti* etiam accipi pro *ambulare*. Vt in illo Varronis, Peribœa: *Ardua per loca agreſtia ac trepidante gradu nititur.* Quomodo & Varronem Maronémque locutos oſtendit. Becmanus deducit κατὰ μετάθεσιν à נשע, *niſus eſt, incubuit*. S abit in T. vt ſæpe. Martinio placet eſſe ab Hebræo נטה, *reclinare, incumbere*: vnde מטה, *baculus, ſcipio*, nempe quia eo quis innititur, vti & Græcis dicitur σκίπων à σκήπτω, *nitor*. Ita *niti* propriè fuerit *incumbere*. Quomodo Maro vſurpat lib VI.

Ille vides purâ iuuenis qui nititur haſtâ.

Poſtea generatim accipi cœperit, pro *incumbere alicui operi*, ſiue *conari aliquid cum labore*. Sed ſimpliciſſimum ſit, ſi *nitor* κατὰ μετάθεσιν factum dicamus à τείνομαι, quod valet *omnes neruos intendo, conor, nitor*. Et video id etiam Nunneſio placuiſſe. A *nitendo* dicuntur *Dij Nixi*, quia *genibus nitantur*. Feſtus: *Nixi dij appellantur tria ſigna in Capitolio, ante cellam Mineruæ genibus nixa, velut præſidentes parientium nixibus. Quæ ſigna ſunt qui memoriæ prodiderint, Antiocho rege Syriæ ſuperato, M. Acilium ſubtracta à populo Romano adportâſſe, atque vbi ſunt, poſuiſſe. Etiam qui captâ Corintho, aduecta huc, quæ ibi ſubiecta fuerint menſæ.* Ab eodem *Nixurio*, quod eſt, *niti volo*: Ita Nigidium vſum docebit Nonius. Item *nixor*, vt apud Lucretium lib. IV.

——— *conuellere tota*
Fundamenta, quibus nixatur vita ſalúſque.

NITRVM, νίτρον, à *Nitrio* prouincia, vbi maximè naſci ſolet: vt ſcribit Hieronymus in illud Proueb. XXV. XX. *Acetum in nitro*, qui cantat carmina cordi peſſimo. Similiter Iſidorus, lib. XVI cap. II. Eſt vero *Nitria* in Ægypto. Sed non tam *nitro* nomen dedit, quàm ipſa inde nomen accepit. Eſt autē *nitri* vox à Græcis, quibus itidē dicitur νίτρον. & Atticè λίτρον. Νίτρον autem eſt à Chaldæis. Nam *nitrū* Chald. נתרא, vt Hebr. נתר, *nether*.

NIX, iuxta Priſcianum in decimo eſt à *ningo, ninxi*; vt à *duco, duxi, dux*, a *rego, rexi, rex*. Angelus Caninius eſſe à νιφὰς, quaſi *nifis*, vt à φῶς, *vos*, quaſi *fos*, & à Syriaco *eſ, ans*, a Syro *bau*, ὄψ, à *vag*, facies; quemadmodum ab eodem Caninio ſcriptum eſt. Puto eſſe ab abſoleto νὶψ, νιφὸς, vnde νιφόεις, *niuoſus*, & νιφοβλῆτες Α᾿λπεις, *niue percuſſæ Alpes*, apud Philippum lib. I. Α᾿νθολ. epigr. εἰς ἀμπελον. Vel quod Iul. Scaliger de cauſſ. L.L. cap. XXV. ait, eſt *nix* κατὰ συγκοπὴν ex *ninix*. hoc verò ex *ninguis*; quo vtitur Lucretius, lib. VI. verſ. DCCXXXVI.

Vbi in campos albas decedere ningues.

Et verſ. DCCCCLXIV.

Ex ſtructas ningues radiis tabeſcere cogit.

Etiam Lucillium eſſe vſum, docet Chariſius in primo. Appuleium quoque primo Hermagoræ vſurpaſſe, teſtis eſt Priſcianus, in VI. Eſt verò *ninguis* à *ningo*, ſiue *ninguo* Nam cum V *ninguo* in omnibus ſe codd. ſcriptum inueniſſe teſtatur Pierius, in III. Georg. Vt à *luco, lux*; ita à *ninguo, ninguo*: vt item ab illo *lucidus*, ita ab hoc *ninguidus*. Quemadmodum verò *ninguis* & *nix*, ita *ninguo* & *nineo* dixerunt. Pacuuius Paullo apud Nonium: *Sagittis, plumbo, & ſaxis grandinat, niuit.* *Ningo* eſt a νίφω quod idem notat. Gloſſ. Νίφει, *ningit*. Vnde νιφόεις, *niuoſus, ninguidus*. N. inſertum, vt in *frango, pango*, & aliis. Etiam *ninguor* Latinum eſt Nam vbi Ariſtoteles νιφετὸς ὀνομάζεται, ibi Appuleius de Mundo: *Ninguorem vocamus* In vulgatis eſt *nigrorem* corruptè, vt liquet, pro quo rectè MSS' *ninguorem*.

NO ſiue *nare*, ex νέω, νῶ vt *flo*, à φλέω, φλῶ, *do* à δίδω, δῶ. Aut aliter Feſtus: *Nare, inquit, a naue ductum Cornificius ait, quod aqua feratur nauis vt nauis.* Sed omnino eſt a νέω, hoc eſt, κολυμβῶ. Mutat Latinam coniugationem. Græci enim νέω, Latini dicunt *nare*. Sic illi χαλάω, Latini *calare*. Niſi *nare* malis à νάω, *fluo*. A νέω vel νάω eſt nomen *Nereo* & *Naiadibus*: vt dictum in *Neo*. Ab eodem eſt νῆσος *inſula*; νῆττα, *anas*, vt Latinis *anas* à *nando*, iuxta Varronem. *No* ſupinum habet *natum*, vnde *nato*, vt à *dictum dicto*. Hoc malim, quàm vt *nato* ſit à νήχω, X in T abeunte, vt à μόχθος, *moſtur*. A *nato* eſt *natino*: vt à *nego, negino*; à *tricor, tricinor*; à *lurcor, lurcinor*, à *pago, pagina*. *Natinare*, Iſidorus in Gloſſis interpretatur *negotiari*. Proprietatem verbi *natino* optimè capieſſit Ioſ. Scaliger ad Feſtum, cùm exponit, *more natantium ſemper in negotiis fluctuare*. A *natum* quoque eſt *natrix*, quia *id ſerpentis genus in aquis natat*; vnde Lucanus: *Et natrix violator aquæ*. Græci eapſe de cauſſa *hydrum*, ὕδρον, vocant ab ὕδωρ, *aqua*.

NOBILIS à *notum*: vt à *motum, mobilis*; à *fictum, fictilis*; à *coctum, coctilis*. *Nobilis* igitur *à nominis claritate dictus*. Vide quæ de his diximus Orat. Inſt. lib. II. cap. XIV.

NOCEO, à *nece*, vt propriè ſit *necare* vel *quaſi necare*. Vel iuxta Nunneſium à κακόω, id eſt, *noceo*, κατὰ μετάθεσιν, & Κ. in *N* abeunte: vt ſæpe ſit: vel potiùs ab Syriaco נכא, *nocuit, damno affecit*. A *nocendo* ſunt *noxa* & *noxia*, de quibus inferiùs Item *innocuus*, vt ab *irrigo, irriguus*: à *fatu, fatuus*. Pro *innocuus* videntur & *innox* dixiſſe Gloſſ. *Innox*, ἀβλαβὴς.

NOCTVA iuxta Nunneſium eſt ex Græco νυκτιμόνη. Meliùs Varro, in IV. de L.L. *quod noctu canit ac vigilat*. Similitérque *veſpertilio* à *veſpere* dicitur. Hoc *noctuæ* & *veſpertilionis* etymon reſpicit Ouid. cùm IV. Met fab. XII. ait:

——— *Lucémque peroſæ*
Nocte volant, ſeróque tenent à veſpere nomen.

Eodem modo Græcè à νὺξ dicitur νυκτερὶς. Gloſſæ Philoxeni: *Noctua*, γλαὺξ, ὀρνίθιον, νυκτερίς. *Puella* etiam in *noctuam conuerſa*, apud Ouid. II. Met. ab hâc cauſſâ nomen impoſitum *Nyctimene*, Νυκτιμένη, quaſi *noctem manens*. Nam νὺξ, *nox*, μένω, *manere*. Vnde verò *noctua* γλαὺξ appelletur, diximus in *Glaucus*. Ariſtophanis Scholiaſtes ait, *noctuas* quoque dici κικκάβας idque quia vocis eius ſonus ſit κικκαβάυ, κικκαβαῦ. Ac coniecturæ ſi noſtræ fides apud Feſtum legendum: *Ciccaba, noctua*. Vbi vulgo *Cicuba auis noctua*. A *noctua* dicti *noctuini oculi*, vt Græcis à γλαὺξ γλαυκῶπις. Vſurpat Plautus. Curcul. I. III. ſi Duziacæ edit. atque aliis aliquot fides. Nam in aliis leg. *nocturnu*. Vide de *oculis nocturnis* Turneb. lib. XXVII. cap. XXVII.

NODVS, à ענד, *alligauit, nodo annexuit*. Ab eo eſt *enodis, ſine nodo*. Item *Nodutus Deus* & *Noduterenſis Dea*. Arnobius lib. IV. *Nodutus dicitur Deus, quia ad nodos perducit res ſatas: & quæ præeſt frugibus terendis, Noduterenſis*. In vulgatis eſt *Nodutis*, quæ terminatio magis Deæ conueniat. Sed *Nodotus*, ſiue *Nodutus*, eſt apud Auguſtinum lib. V. de Ciuit. Dei cap. VIII. vbi ait: *Præfecerant Proſerpinam frumentis germinantibus: geniculis nodiſque culmorum Deum Nodotum*, &c.

NVGGIVM

Nosgeum iuxta veterum aliquos idem est *candidum*, quod si placet, erit ab Hebræo נגה. *nogah*. hoc est, *splendor*. Festi hac de voce verba sunt ista: *Nægeum quidam amiculi genus prætextum purpura, quidam candidum ac perlucidum, quasi à nauco: quod putamen quorundam pomorum est tenuissimum, non sine candore, vt Liuius ait in Odyssea: Simul ac lacrymas de ore nægeo detersit, id est, candido.*

Nomen vel quasi *notamen*, siue potiùs *nouimen*, vel à Græco ὄνομα dici, scribunt Festus, Diomedes, & Priscianus. Et sane quod à Græco illo deducunt, non absurdè sentiunt. Nam *o* interdum præcidi, docet, quòd dicimus *dentes* ab ὀδόντες, *ramus*, ab ὄρμενος, aliáque id genus. Interea verius est à *noscendo* dici, quod & Isidoro placuit, lib. I. cap. VI. Nam vt à *moneo*, vel *moni*, est *monimen*, à quo *monimentum*, ita à *nosco*, vel *noui*, est *noscimen*, vel *nouimen*, vnde κατὰ συγκοπὴν *nomen*. Siue potiùs vt à supino *leuatum* est *leuamen*, à *lenitum*, *lenimen*: sic à *motum*, *momen*; à *notum*, *nomen*. Rationem adfert Scaliger, cap. CX. lib. de caussis L.L. *De nomine, inquit, vt visus ita sentiret, suasit ratio: à notione enim dictum est, quæ est cognitio, vt etiam interpretatur Vlpianus in Tit. de re iudicata. Itaque vox nominis à forma ducta est. Est enim forma dictionis significatio: signum autem & nota idem.* Et mox de nomine verbóque ita scribit: *Igitur cùm, vti diximus, res duplices sint: alia quæ consisterent, alia quæ fierent: illas meritò per excellentiam, Signi Notæque vocabulo indicarunt: has autem fluentes ipso aëris fluxu, putà verberato aëre.* Ab eádem mente est, quod quidam *nomen* dici aiunt quasi *notamen* vti de Diomede vidimus, ac Prisciano; haut malè, si rem spectes, sed ἀναλόγως, quod diximus. Ex *in* negatiuo & *nomen*, est *ignominia*. quia *hac nomen amittitur*. Est enim *nominis nota*, vt probat Nonius illo Ciceronis, lib. IV. de Rep. *Censoris iudicium nihil ferre damnato, nisi ruborem. Itaque vt omnis ea iudicatio versatur tantummodo in nomine, animaduersio illa ignominia dicta est.*

Nomenclatoris vocem legas apud Varronem in IV. de L.L. Cicero quoque vsus pro Muræna. Sueton. in Augusto cap. XIX. & in Caligula cap. XLI. Quinctilianus, lib. VI. cap. de risu. Seneca Epist. XXVII. & lib. VI. de Beneficiis cap. XXXIII. Appuleius in Apologia, pluresque alij. Crebrò autem in vett. libris legas *nomenculator* per *u*, etiam in Pandectis Flor. Martialis quoque sic extulit, lib. X. Epigram. XXX.

Nomenculator mugilem citat notum.

Olim tamen id damnabat Verrius Flaccus quemadmodum indicat his verbis Charisius, lib. I. *Nomenclator sine u dicitur, vt Verrius ait, velut nominis calator.* Vellem sententiæ suæ rationem idoneam adiecisset, siue Verrius, siue è Verrio Festus, aut è Festo Paullus. Nunc enim caussam iustam non video. Nam *A* in *V* posse mutari, docet, quod à κατάπελτης est *catapulta*, à θρίαμβος, *triumphus*, à στραγγαλῶ, *strangulo*, ab ἰταλός, *vitulus*, & in Latinis à *calco*, *conculco*, *inculco*, *proculco*, &c. E *nomenculator* autem ea ratione fiet *nomenclator*, quâ *templum* dicimus pro *tempulum*, à quo *extempulò* pro *extemplo* legimus apud Plautum. Porrò pro *nomenclator*, etiam in antiquâ inscript. p. DCXXX. n. V. *nomenclator*, per *a* in primâ, legere est. Græci *nomenclatorem* vocant ὀνομακλήτορα. vt patet ex Plutarchi Catone. Imprimis autem *nomenclatoribus seruis* vtebantur candidati, quo iis suggerentibus nomina ciuium scirent, quos nominatim in prensando compellare vellent. Itaque *nomenculator* intelligendus in versu Horatij ad Numicium de petitione magistratus ita scribentis:

Si fortunatum species & gratia præstant,
Mercemur seruum, qui dictet nomina.

Idem & *fartor* dicebatur, quod solius Festi fiduciâ dicimus. Nominis caussam idem adfert: *Fartores, inquit nomenclatores, qui clam velut infarcirent salutatorum nomina in aurem candidati.* Vbi Festus, siue potiùs Paullus, duo mihi videtur *nomenclatorum* munera confundere. Nam vt foris eorum vsus erat in prensando; sic domi in compellandis nominatim iis, qui manè salutatum aduenirent. Estque hæc caussa, cur eum coniungat Seneca cum *ostiario*, in libello *In sapientem non cadere iniuriam*: *Quidam inquit, si à cinerario impulsos, molestè ferunt, & contumeliam vocant ostiarij difficultatem, nomenclatoris superbiam, cubicularij supercilium.* Iisdem in dispositione conuiuarum, & similibus ministeriis vsi videntur. Hinc Seneca Epist. XIX. *Aliquem habebis conuiuas, quos ex turba salutantium nomenclator digesserit.* Etiam quibusdam seruorum caussâ *nomenclatore* opus erat. Plinius, lib. XXXIV. cap. I. *Hoc perfecere mancipiorum legiones & in domo turba externa, ac seruorum quoque caussa nomenclator adhibendus.*

Varia adeò *nomenclatorum* fuisse ministeria, ante nos Casaubonus obseruauit: quæ, qui considerarit, mirari cum Torrentio desinet, quod etiam *mulieri nomenclatorem* suum tribuerit Suetonius in Augusto: cap. XIX.

Nominalia, *dies quo puero nomen imponebatur*. Ita vocat Tertullianus, lib. de idololatr. Gloss. Phil. *Nominalia*, ὀνομαστήρια. Imponi autem nomen apud Græcos solet ferè die septimo, vt Aristoteles ait in VIII. Hist. Animal. Apud Athenienses die decimo, vt ex Isæo & Demosthene colligit P. Faber, lib. I. Sem. cap. VI. Apud Romanos maribus nono, feminis octauo die nomen dabatur: cuius caussas adferre conatur Plutarchus. vide Fabrum quo dixi, loco.

Non ab Hebræo לא. *lo*, *L* in *N* abeunte, vt *nympha*, à λύμφα. Vel potiùs est ab antiquo *nenum*, *nenu* vel *neno*, κατὰ ἀποκοπὴν, mutatóque *E* in *O*, vt à *benus*, *bonus*, *Apello*, *Apollo*, *hemo*, *homo*. Citat Nonius ex Lucilij sat. XXX. *Sed tamen hoc dicas, quidnam est, si nenu molestum est.* Citat & Varronis illud epist. ad Fusium: *Si hodie nenus venis, cras quidem si veneris, meridiem die natalis fortuna.* Ac videtur ab eo deflexum Gallicum *nenni*, quo Parisienses vtuntur & Belgicum *neen*. *Nenum* vel *neno* fortè à *ne* priuandi particula & *n*.

Norma est instrumentum illud, quo cognoscitur vtrum anguli sint recti. In Philoxeni Glossis vett. exponitur [illegible], [illegible], γνώμων. Et à γνώμων venire κατὰ [illegible], censet Nunnesius in Grammaristice. Qui tamen alibi eopse libello esse arbitratur à γνώριμα, vel γνώρισμα. Vt & ante eum Cæsar Scaliger de caussis L.L. cap. XXVI. Possis & deducere à *noro*, vnde *ignoro*. A *norma* est *normalis linea* apud Aggenum, & alios agrimensores. Sic vocant eam, quæ latus quadrati claudit ad angulos rectos. At Solino quæuis [illegible] sic nominatur. Eiusdem originis est *enormis*, ἄγνωμον, & translatè, ἀλόγιστος, *vastus*. *Enormitas* τὸ μέγεθος. Vt *enormitas stipendij* apud Spartianum.

Nos, à *νὼ* adiectione τοῦ Σ, vt à σφῶ *vos*, literarum traiectione. Simili adiectione à *Nos* est Belgicum *Ons*. At *Nos* est ab *ame*, vt censet Caninius. Non tamen *amicus* ab *amo* venit, sed affixo *ia*, quod ab *amo*. A *nos* est *noster* & *nostras*, à *vos*, *voster*, siue *vester*, & *vostras*, siue *vestras*. Sed prius fuerit *nostratis*, *vestratis*, vnde *nostras*, *vestras*, vt *cuias*, *Arpinas*, *Sarsinas*, ex *cuiatis*, *Arpinatis*, *Sarsinatis*, vti aliis ostensum. Angelus Caninius autumat, *vester* κατὰ μετάθεσιν esse à σφέτερος, vt inquit ab ἡμέτερος, *meus*. Sed ἀναλογία obstat. Nam a *me* est *meus*, siue *mius*, vt veteres dixere, vt à *tu*, *tuus*, à *su*, *suus*. *Voster* verò est a *vos*, vt *noster* a *nos*.

Nosco dubitatur an sit à Græco νόω, an γνώσκω. Si prius placet, vt à βόω est βόσκω, vnde *pasco*; à διδώ, διδάσκω, vnde *disco*: sic è νοῶ fuerit νοίσκω, vnde syncopen *nosco*; pro quo per prosthesin dicatur *gnosco*; vt pro *natus*, *gnatus*. Sin malis esse à γνώσκω, integrum erit *gnosco*, pro quo per aphæresin dicatur *nosco*: quæ sententia magis placet. Nam cùm *G* illud in vocis initio sonum reddat duriorem molestiorémque, cur omitteretur quidem, caussa fuit, cur adderetur non fuit. Quod aiunt similiter *G* apponi in *gnatus*, & *gnarus*, falluntur, vt suis locis docemus. Itidem quæritur, composita *agnosco*, *ignosco*, *cognosco*, sintne à *nosco*, an *gnosco*. Si à *nosco*, dicendum vltimam præpositionis literam mutari in G. Sin *gnosco*, dicendum consonantem eam perire. Prius placet Prisciano, cuius hæc verba lib. II. cap. de syllaba: *Est quando N principalis syllabæ ante se assumit G. vt natus, gnatus; notus, gnotus antiquè, vnde ignotus; nosco, gnosco; naui, gnaui.* Diomedes, quem sequor, posterius probat. Sic enim ille, lib. I. cap. de dubia verborum positione: *Ignoscit, ait Castlius, quoniam & propositione addita, adgnosco, & cognosco dicimus.* Sanè si integrum est *adgnosco*, fatendum venire à *gnosco*. Nam vt ab *ad* & *nuo* est *annuo*, sic ab *ad* & *nosco* esse *annosco*. Atqui *agnosco* dicimus. Integrum igitur *adgnosco*. *Adgnosco* autem in vett. optimæque notæ codd. non semel legi, auctor est Pierius ad illud III. Æn.

——— *Veterem Anchisen adgnouit amicum.*

Gnosco verò dixisse veteres, præter antiquorum multorum auctoritatem fidem fecerit hic Varronis versus:

Adeste, adeste, quæ soramque gnoscite,
Domum vt feratis è theatro literas.

Non, vt est in vulgaris, *ignoscite*, nec prout iuuenis eruditus ad Appuleij, lib. I. Met. emendabat, *agnoscite*. Est & in Glossario Græco Lat. [illegible] confer pro, *Gnouit*, [illegible], vbi *gnoscit* vel *gnouit* legi debere, quiuis videt. Hinc *gnotu*. Festus: *Gnotu, cognitu*. Verùm contra hæc, quæ diximus, obiici posset auctoritas Ciceronis, qui in Oratore ita scribit: *Noti erant, & naui, & nari; quibus cum IN præponi oporteret, dul-*

ciùs

eius visum est, ignoti, ignari, ignari dicere. quam vt veri a postulabat. Verùm haut aliud Ciceronem voluisse arbitror, quam etsi *nauus, narus, nosco*, sæpiùs absque G dicantur, in compositis tamen nunquam G omitti, potiúsque in his secutos esse voces *gnarus, gnotus, gnosco*, quàm illa absque G. Neque enim persuadere mihi possum, Ciceronem velle hæc absque G in simplici efferri, cùm contrarium manifestum sit. Sanè apud Ciceronem quoque, I. de Oratore, legitur in MSS. codd. *Operam gnauasse*. Et facit pro hac Scriptura Marius Victorinus, cuius hæc verba, lib. I. cap. de Orthograph. *Nos paucioribus literis scribimus quàm antiqui scribebant, vt natus, nauus, narus, nosco: & illi has voces, & similes istis G antepositâ scribebant, cuius consuetudinis nos vestigia retinemus, cùm scribimus ignarus, cognatus, ignauus, cognosco.* *Ignosco* videtur longiùs abire à significatione simplicis *nosco*. Sed propriè *ignoscit*, qui delictum quasi ignorat, eóque de pœna non cogitat. Cornelius Fronto: *Ignoscit, qui dissimulat se nosse quod competit, & ita silentio peccata impunita dimittit.* *Cognoscenter* pro eo, quod Græcè γνωστῶς legimus apud Tertullianum, lib. de corona militis. Fit autem à *cognoscens*, quâ ratione ab *elegans*, est *eleganter*; à *diligens*, *diligenter*, &c.

NOTA, & *notare*, à supino *notum*. Nam eo rem notamus, vt è nota sua cognoscamus. Non sequitur quantitatem eius, à quo proximè venit: sed à quo remotiùs descendit. Est illud νόω, νοῶ, vnde Græcum γινώσκω, & Latinum *nosco*: vt suprà diximus. Et fortasse olim supinum id priorem habuit ancipitis interualli. Nam & *ignotum* ab eo dicimus penultimâ longâ, & *agnitum*, *cognitum*, eâdem correptâ. *Notæ* speciatim dicta compendia τῶν ταχυγράφων, qui & inde *notarij* dicebantur. Gloss. vett. *Notarius*, ταχυγράφος. Item, *Notarius*, σημειογράφος. Suidas: *Νοτάριος*, ὑπογραφεύς. Erant autem *duo genera notarum*: vel enim litera vna vocem totam signabat: vel erat nota conficta quæ litera non esset. Prioris generis est, cùm vulgo *D.* pro *Digestis* scribimus: posterioris generis, cum §. scribimus pro *paragrapho*. Hinc Manilius, lib. IV.

Hic & scriptor erit velox, cui litera verbum est.
Quique notis linguam superet, cursúmque loquentis
Excipiat longas noua per compendia voces.

Vbi videmus, cùm priùs meminisset literarum, quæ etsi singulares forent tamen vocem totam signarent, mox tamen vniuersè meminisse *notarum*: quod maximus esset earum numerus, quæ literæ non essent. Doctissimus Cuiacius lib. XII. Obseruationum cap. XL. censet posteriores solum dictas esse *notas*, priores verò appellatas esse *sigla*, quasi *singla* siue *singula*, quòd *singularia* sint literæ. *Siglorum* voce vsus Iustinianus in epist. de Digestorum Confirmatione: *Eandem pœnam falsitatis constituimus & aduersus eos qui in posterum leges nostras per siglorum obscuritates ausi fuerint conscribere. Omnia enim, id est, & nomina prudentium, & titulos, & librorum numeros per consequentiam literarum volumus, non per sigla manifestari, ita vt qui talem librum sibi parauerit, in quo sigla posita sunt, sciat inutilis se esse codicis dominum*, &c. Sed puto *siglorum* voce complexum Iustinianum *quæcumque scribendi compendia*: siue literis singularibus, siue aliis figuris exprimerentur. Nec *sigla* dici censeo quasi *singula*, sed quasi *sigilla*, hoc est, *parua signa*. Nam & Græcè vocantur σημεῖα, vnde σημειογράφοι. Σημεῖα autem quid aliud sunt, quam siue *signa* siue *notæ*? Quare idem erunt *notæ* ac *sigla*, *siglarij* & *notarij*. De *notariis* plura si voles adeas Isidorum, lib. I. Origin. cap. XXI. Ioannem Tritthemium in Polygraphia; Petrum Bembum, lib V. epist. VIII. quæ ad Iulium II. Pont. Max. & imprimis Iustum Lipsium, Centur. I. ad Belgas, epist. XXVII. & Ioannem Bernartium, Notis in primum Syluarum. De *literis vocem integram signantibus* exstant libelli Valerij Probi, Magnonis, Petri Diaconi, item quædam ex Glossario Papiæ, & ex veteribus membranis. De *figuris cæteris* vide Tullium Tyronem & Marcum Senecam, quorum *notas* è βιβλιοθήκαις primus eruit, lucémque videre iussit vir is, quo nemo de Romanis literis meliùs meretur, Ianus Gruterus.

NOTESCERE non est à *notare* (nam primæ modulus hîc corripitur, illic producitur) sed ab inusitato *noteo*: quod est à supino *notum*: vnde & *notifico*, quasi *notum facio* apud Ouidium, lib. I. de Pont. El. II. Item *notio*, pro *cognitione*, quomodo dicimus à Cicerone *habere Dei notionem*: vel etiam pro *caussæ cognitione*, quomodo in iure legas *notionem esse prætoris, præsidis, præfecti vrbi*, hoc est, eorum esse de re iurisdictionem: vt loquitur Vlpianus. Ab *notum* quoque *notoria* dicitur *indicium* siue *delationis caussa*, quâ in iudicio examinatâ absoluitur quis aut damnatur. Gloss. vett. Μήνυσις, *indicatio*, *notoria*, *indicium*. Appuleius, lib. VIII. Met. *Sed ille qui commodum falsam de me notoriam pertulerat.* Locuti eopse modo Paullus L. V. D. ad SC. Turpil. Gordianus Imp. L. VII. de Accusat. Trebellius Pollio in Claudio, B. Augustinus epist. CLX.

NOTHI, & *Spurij*, eò differunt, quòd illi certum patrem nominare possunt, vt qui è concubina nascuntur; hi non possunt, eò quòd è muliere se pluribus prostituente, siue, vt Lucretius loquitur, *volgiuaga Venere*, sint concepti. *Nothi* vocem à Græcis accepimus: de quo ita Fabius, lib. III. cap. VI. *Νόθον, qui non sit legitimus, Græci vocant: Latinum rei nomen, vt Cato quoque in oratione quadam testatus est, non habemus, ideòque vtimur peregrino.* Item *Spurij* appellatio est à Græcis de quo suo loco.

NOVALIS ager, qui & *nouale* dicitur. Græcè similiter νίασμα, νίατος, νέος, νεῶς, νία & νεαπὶ appellatur. Glossæ, Νίατος, *nouale*. Νεόσπορος, *nouralis terra*. Nempe Græcis ἀπὸ τοῦ νέου, siue νεάζειν, vt Latinis à *nouando*; quæ idem significant. Nempe *agrum primâ aratione proscindere*. Sæpius enim arabatur. Primâ aratione dicebatur terra proscindi: alterâ redarari, vel iterari: tertiâ tertiari, vel lirari. Primâ aratione grandes glebæ excitantur: secundâ franguntur: tertia aut quarta aratio fiebat cum seminis iactione. *Nouales* ergo ager primam solùm arationem expertus fuit, pérque annum cessauit. Plinius, lib XVIII. cap. XIX. *Quod verò semel aratum est, à temporis argumento veruactum vocatur. Hoc in nouali atque requieto necessarium est. Nouale est, quod alternis annis seritur.* Festus: *Noualem agrum Ælius Gallus, & Opilius item Aurelius, eum aiunt esse, quem Græci νεὸν dicunt; ad quod Homero quoque teste vtuntur, qui dixit*, (Il. VI.) νειοῖο βαθείης τέλσον ἱκέσθαι. (ad *nouralis* profundi terminum peruenire.) *Sed Cincius eum esse, vbi gleba proscissa ad nouam sementem sit relicta.* Paullus, L. XXX. §. *Noualis*. D. De verbor. significat. *Noualis est terra proscissa, quæ anno cessauit, quam Græci NEACIN vocant.* Vbi librarij cùm nescirent C esse Σ, K reposuere, scribentes νέακιν. Habet *nouale* & alteram significationem, quâ accipitur pro *aruo nouo*, ac non antea, sed tunc primùm ad sementem proscisso. Sic vsus Plinius, lib. XVII. vbi de terræ odoribus agens, *Talis*, inquit, *ferè est in noualibus, cæsa vetere sylua.* Eandem significationem monstrat Seruius ad illud Eclog. I.

Impius hæc tam culta noualia miles habebit.

Noualia, inquit, *etiam dicuntur, vnde sylua tollitur.* At malè in eo Seruius, quod antè dixerat: *Noualia sunt noua rura, quæ per singulos annos nouantur per semina.* Nam ager quidem *restibilis* rectè *noualis* dici potest; sed duntaxat, cùm primùm coli incipit, at nomen hoc amittit si quotannis colatur. Quod verò ad priorem *noualis* significationem, in ea denominatio fit non à temporis initio, sed ab intentione; quia eo animo ager paratus, vt alternis annis renouetur, contra quàm in *restibili* fit, qui *nouali* quiescente semper restat. Vide *Restibilis*, & *Veruactum*.

NOVEM vult Becmanus esse à *nouus*, quia *nouus* siue nouissimus, hoc est, vltimus sit numerus ab vnitate in denarium: nam nouum in denario initium capitur. Equidem timidè dissentio. Nam si cum Angelo Caninio dicam, *nouem* esse ab ἐννέα metuo, ne sententia hæc statim explodatur, cùm primo nulla videatur harum vocum affinitas. Nempe id facit, quòd Latini caput Græcanicæ vocis, vt in aliis multis, præciderint. Verùm, si νέα tantùm spectes, vel potiùs νέϝα (ἔννεϝα enim dixere Æoles) nihil fuerit manifestius. Nam quod ad priorem syllabam, vt à νέος, vel potiùs νέϝος, est *nouus*, sic à νέα siue νέϝα, non aliud esse debuit, quàm *noua*. Nec est, quòd offendat terminationis diuersitas. Nam cùm apud Græcos numerus desinit in A, tum apud Latinos desinit in EM, vt ἑπτά, *septem*; δέκα, *decem*. Similiter igitur *nouem* erit à νέα, quod κατ' ἀποκοπὴν ab ἐννέα, nisi magis verisimile fiat vetere Latino *ennouem* dixisse, indè autem *nouem* factum esse. A *nouem* est *nouenus*. Vt apud Maronem in Ciri:

Terque nouena ligat duplici diuersa colore
Fila.——

Hinc κατὰ συγκοπὴν *nonus*, vt à *decem*, *decenus*, vnde *denus*. A *nonus* dictæ *Nonæ*: non verò à *nouus*, vt quidam putarunt. Vtrumque etymon adducit Varro, lib. V. de L.L. Festus in *Nonæ*; & Macrobius, lib. I. Saturn. cap. XV. vbi cùm dixisset, *calendas ex eo vocatas, quòd essent primus dierum istis, qui calarentur*: mox ista subiungit: *Ideo autem minor pontifex numerum dierum, qui nonas superessent, calando prodebat: quòd post nouam lunam oportebat nonarum die populares, qui in agris essent, confluere in vrbem accepturos caussas feriarum à rege sacrorum, sciturósque, quid esset eo mense faciendum; vnde quidam hinc nonas æstimant dictas, quasi nouæ initium obseruationis: vel quod ab eo semper ad idus nouem dies putentur: sicut apud Tuscos nonæ*

plures habebantur; quòd hi nono quoque die regem suum salutabant, & de propriis negotiis consulebant. Adi & Scaligerum in secundo de Emendatione temporum. A *nonis* quoque est *nonarius*: vnde Persio *meretrix* vocatur *nonaria*, non quidem à *nonis*, die infausto: quod Fungerus quoque putauit: qui idcirco *nonaria* interpretatur *infaux*: sed verò quia, vti ad primam Persij sat. monuit vetus interpres, *apud veteres à nona hora prostabant, ne mane omissa exercitatione illo irent adolescentes*. Cui gemina legas apud interpretem veterem Iuuenalis in sat. VI. *Meretrices*, inquit, *propter sacrorum celebrationem ab hora nona totam noctem prostabant: vnde etiam nonaria dictæ*. Sane *hora nonâ* tributa corpori procurando: adeò vt viri etiam sobrij eâ se compararent ad cœnam: vt de M. Antonino Galenus testatur, de monachis Palladius, Augustinus de se, Aristeas de LXX. interpretibus. Ac pertinet quoque huc calcatum illud Bilbilici vatis:

Imperat exstructos frangere nona thoros.

Nec dubium est, quin ab istoc more Belgæ retinuerint *noene* & *noenmael*, quibus tamen non *cœna*, sed *prandium* ac tempus eius denotatur. A *nouem* à *nouendiala*, ἡ ἐπὶ ἐννέα ἡμέραις ἄγρυπνος, vt explicant veteres Glossæ. Porphyrio in Epod. XV. *Nouendiale dicitur sacrificium, quod mortuo fit nonâ die, qua sepultus est. Nono die solet parentari*, intérque ea, quibus parentaretur, erat *cœna funeris*, quam *feralem* Appuleius vocat: quam *silicernium* fuisse dictam, alibi ex Festo Nonio, ac Tertulliano ostendimus. Hæc non ante nonam diem fieri solere, etiam Iustinianus in Nouella quadam docet cùm ait: *In nonum diem fieri minimas defunctorum*. Estque illustris locus Appuleij IX. Met. *Iamque nono die, rite completis apud tumulum solemnibus, familiam, supellectilémque ad hereditariam deducit auctionem*. Idem veteres Grammatici ostendunt. Vt Seruius, in V. Æn. *Apud maiores vbicumque quis fuisset exstinctus, ad domum suam referebatur, & illic septem reseruabatur diebus, octauo die incendebatur, nono sepeliebatur*. Et Donatus in Phorm. *In nuptiis septimus dies instaurationem voti habet, vt in funere nonus, quo parentalia concluduntur*. A *nouem* quoque *Nouensiles* dici plerorúmque sententia est. Cælius Calcagninus, in epist. quæst. lib. I. epist. XXIX. ait *Nouensiles* dici à *nouem* & *salio*, quasi *nouem salientes*, *A* in *I* conuerso, vt in *afficio*, & similibus. Aliis placet dici quasi *nouem sedentes*, D in *L* mutato, quomodo ab Ὀδυσσεὺς est *Vlysses*. Ponam hac de re locum è libro Marij Victorini: *Nouensiles siue per L siue per D scribendum: communionem enim habuerunt literæ hæ apud antiquos, vt dinguam & linguam, & dacrimus & lacrimus & Capitodium & Capitolium, & sella à sede, olere ab odore. Est & communio cum Græcis: nos lacrima illi δάκρυα, olere ὄζειν, meditari μελετᾶν. Nouensiles autem quos Græci ἐννεάδα, post Nouensidij à considendo, id est, eâdem sede prædit.* Quod de *nouenario* ait Victorinus, id confirmant quoque verba isthæc Arnobij lib. III. *Nouensiles Piso Deos esse credit nouem in Sabinis apud Trebiam constitutos: hos Granius Musas putat, consensum accommodans Ælio*. Verùm alij non à *nouenario*, sed à *nouando* vel *nouitate* dictas censet. Nam vt ibidem legitur, *Nouitatum Cornificius præsides (putat,) quod curantibus his, omnia nouitate integrentur & constent*. Et mox: *Cincius numina peregrina nouitate ex ipsa appellata pronunciat, nam solere Romanos deos omnium vrbium superatarum partim priuatim per familias spargere, partim publicè consecrare: ac ne aliquid Deorum multitudine aut ignorantiâ præteriretur, breuitatis & compendij caussâ vno pariter nomine cunctos Nouensiles appellari*. Sed profectò, quàm incertæ sint hæ coniecturæ, comprobant quæ ibidem apud Arnobium legere est. Equidem metuo ne frustra eius etymon è Latio petatur: præsertim cùm Varro, satis alioquin in etymis audax, nullum eius etymon adducat, sed lib. IV. de L. L. contentus sit dicere, vocabulum esse à Sabinis; quod ex Arnobio etiam confirmari potest.

NOVERCA quia sit *noua vxor*, quam maritus ducit ad familiam *arcendam*, hoc est, *coërcendam*, vt putabat Festus: vel, iuxta alios, ad familiam *arciendam*, id est, *arcessendam*. Nam *arcio* est *arcesso*, vt *capio capesso*. Vel dicitur *nouerca*, quia vxor noua *arcitur*, hoc est, *accitur*. Vel quasi νέα ἀρχή, hoc est, *nouum initium*: quia noua tunc œconomiæ ratio incipit. Vel, quod acutè commentus Iul. Scaliger in libris de caussis L. L. cap. XXXII. conflatum est è *nouum* & *ercium*: quia *noua accedat hæreditas*. Nam *erctum*, hæreditas; *erciscere*, hæreditatem adire. Vide *Erciscere* Porrò quemadmodum Latini à *noua hæreditate*, *nouercæ* indiderunt nomen: ita eadem Belgis vocatur *stief-moeder*, hoc est, *fulciens mater*, quia fulcit domum cum nouâ hæreditate, tum re familiari curandâ, & priuignis, si fortè, educandis. Qui à *stijf*, hoc est *durus*, deducunt, ij licet insipientiæ maiores incutiant, qui non melius nomen imposuerint.

NOVVS, à νέος, vt ab ipsô, *vomo*, aliaque, vt in *Vinco* dicemus. Νέος, vt obseruat Becmanus est à נין, *subolescebat*, *immaturus est ætate*: vti νεαρὸς à נער, *puerulus*, *infans*. Vel sit νέος, a נוה, *nunc*. A *nouus* est *nouulus*, vnde *nouellus*, à quo *nouellitas* Tertulliano, lib. III. aduersus Praxeam, cap. II. *Probabit tam ipsa posteritas omnium hæreticorum, quàm ipsa nouellitas Praxeæ hesterni*. A *nouus* est *nouare*, *nouissimus* pro *vltimo*: quomodo (quod malè negabat Gellius. lib. X. cap. XXI.) etiam Cicero loquitur orat. pro Roscio Comœdo. Nec reformidat Cæsar in libb. de bello Gallico: sed sæpius vtus. A *nouo* est *nouare*: vnde culter tonsorum *nouacula* dicebatur: Isidorus, lib XX cap. XIIII. *Dicta nouacula eo, quòd innouat faciem*. Rectè sanè Nam, vt in Ætnam etiam Scaliger notat, *nouare membra* dicebant, cùm raderent. vnde & verbum iuris *nouatio*. Arnobius: *Quid nouatio & reuelatio pudendorum*. Ab eodem dicitur *ager Nouale*, de quo seorsim. Pro *nouare* videntur & *nouire* extulisse, vt *artare* & *artire*, *impetrare* & *impetrire*, vnde *impetritus*. A *nouire* erit *nouitius*; vt apud Iuuenalem:

———*Tetrúmque nouitius horret*

Porthmea. ———

Denuo dicitur quasi *de nouo*.

NOX à *nocendo*, quia *oculis noceat*, dicta videtur Seruio in I Æn. & Isidoro lib V. cap. XXXI. atque idem tradit Papias, & ex eo Bocacius de genealogia Deorum lib. I. cap. IX. item Angelus Decembrius. lib. IV. de politia literaria parte XLIIII. Etiam a *nocendo* Catullus dici putabat, sed alia de caussa: vt discimus ex istis verbis Varronis, lib. V. de L. L. *Nox, vt Catullus ait, quòd omnia, nisi interueniat Sol, pruina obriguerint, quod noceat nox*. Sed verum est ἔτυμον, quod continuò addit: *Nisi*, inquit, *quod Græcè* νύξ, *nox*. A *noctu* est *nocturnus*, vt a *diu*, pro *die*, *diurnus*. Ponitur & pro *Deo noctis*, aut *Hespero*. Vt apud Plautum, Amphitruone, B. Hieronymum, aduersus Vigilantium, item Martianum Capellam. Durantius Casellius *Nocturnuum* putat appellari, atque ita legit apud hos scriptores lib. II. Var. cap. XIV. Sed nihil mutandum: vti docemur illo Statij lib. VI. Silv.

Roscida iam nouies cœlo dimiserat astra

Lucifer, & totidem Luna prætenerat ignes,

Mutato Nocturnus equo.

A *nocte* & *fero* Catullus *Hesperum* vocat *noctiferum*, eâ formâ quâ *mane Lucifer* vocatur. Locus est in Carm. Nupt.

Iamdudum Oëtæos ostendit Noctifer ignes.

Horatius *Lunam* vocat *noctilucam*, quod *noctu luceat*. Et Varro, in IV. de L. L. *Lunam* in Palatio ita vocari ait, quòd *ibi noctu eius luceat templum*. Etiam Varroni ita dicitur *lucerna*, eâpse de caussa. Ita enim ait Bimarco: *Noctilucam tollo, ad focum fero, inflo, anima reuiuiscit*. Apud Festum legas: *Noctilucam Lucillius cùm dixit, obscœnum significat*. Vbi præceptoris mei Nansij MSS. habent *Noctiugam*, & *Noctiganam*. Vnde legendum coniectabat, *Nocti vagam*. *Noctiluca* voci similis est *noctiiugus* apud Lucilium, à *noctu iugendo*, quod facit bubo, vt & cæteræ aues obscœnæ, siue mali ominis. *Venus* quoque *noctiuigila*, ob crebra amantium peruigilia, appellatur Plauto, Curcul. I. III.

NOXIA est natura sua adiectiuum, quia intelligitur *culpa*. Ac ἀπλῶς, sumitur pro *culpa*, vt è Plauto, Terentio, Ciceronéque liquet Gloss. *Noxia*, ἁμάρτημα. Est verò *noxia* à substantiuo *noxa*, vti hoc à *nocendo*. Vt *noxa* propriè sit *nocumentum*, siue *damnum*. Strictè scio sæpius sumi pro *culpâ qua quis alteri contra leges nocet*. Sed naturâ latiùs patet. Vt cùm dicimus aliquid *noxæ esse*. Atque ita Ouidius:

Nocte nocent pota, sine noxa luce bibuntur.

Qui locus etymon allatum confirmat. Estque hæc prima *noxa* significatio. Συνεκδοχῇ autem ponitur pro *delicto*, *quo nocemus*: & generatim pro *quouis delicto*. Μετωνυμικῶς autem accipitur pro *obligatione ad pœnam*: vel pro *pœna ipsa*. Ita dicimus, *noxa caput sequitur*, & *noxæ dedere*. Videtur & *noxa* poni pro *homine, qui nocuit*: nempe quâ ratione *opera* dicuntur *homines operantes*. Vett. Gloss. *Noxa*, σῶμα τὸ βλάψαν. *Noxia*, αὐτὸ τὸ πλημμέλημα οἷον κλοπή, ζημία, ἁρπαγή, ὕβρις. Quæ verba desumta à Theophilo, interpretante verba illa Iustiniani: *Noxa est corpus quod nocuit, id est, seruus. Noxia ipsum maleficium: veluti furtum, damnum, rapina, iniuria*. Sed ea *noxa* notio non videtur esse in vsu. Nec *noxia* semper sumitur pro *culpa*: sed est cùm ponitur pro *iurgio aut dissidio*. Petronius: *In mediam noxam perfertur*. Ausonius: *Sæpe in coniugiis fit noxia, si nimia est dos*. Sic vtrumque locum interpretatus Ios. Scaliger. Sanè hodiéque Galli *iurgium* vocant *noise*: quod manifestè factum è *noxia*. A *noxia* est *innoxius* & *obnoxius*. Nam *innoxius* est, *qui nulla in re nocuit*: Plaut. Aulul. Act. II. sc. II.

Vt inopem atque innoxium abs te atque abs tuis me irrideas.

Ab eodem est *noxietas*, quo vsus Tertullianus in Apologetico, initio capitis secundi. In vulgatis est, *cum etiam dein nox* . . . S. I

pro *vexa* in vett. libb. rectè legitur *noxletate*. Similis vox est *nouellitas*, quà idem vtitur lib. III. aduersus Praxeam. cap. II. circa medium. Vide *nouus*. Apud eundem in fine cap. quarti lib. de Pallio habes *Romanitas*, siue, prout Scaliger legendum suspicatur, *seruitas*, vel etiam *nimietas*: quemadmodum & idem mox eopse versu *Graecitatis* vocem a Tertulliano vsurpatam putat. Sic enim legit: *Nec vestra tamen admodum Graecitatis annitas est*, &c. Hoc obiter abieci, quia vtramque emendationem frustra quaeras in scriptis Scaligeri, quae lucem adspexere.

NVBES à νεφέλη, vt quidem Nunnesius tradit. At veteres, quia *caelum nubit*, id est, *operit*. Ita Varro, lib. IV. de L.L. Donatus, in Hec. IV. IV. & Isidorus, lib. XIII. cap. VII. Nec repugnat analogia. Nam vt a *facio*, *facies*; à *specio*, *species*; à *scabo*, *scabies*; sic à *nubo* erit *nubes*. Magis interim placet esse à נטף, *stillare*. Vel quae sententia est Angeli Caninij, in Hellenismi Alphabeto, à Punico *non* sit [illegible], ab hoc *nubes* fiet, conuersâ adspiratâ in medium: quomodo & à νεφέλη fit *nebula*; ab ὀμφαλὸς, *vmbilicus*; à κυφὸς, *gibbus*; à φάλαινα, *balaena*; à δνόφερος, *tenebra*, quasi *denefra*. Ita non à *nubendo* erit *nubes*, sed à *nube* fit *nubere*, propriéque signabit, *nubis instar velare ac tegere*. Nisi potius, quod Becmanus sentit, ab Hebraeo חפה, id est, *nuptus aut velatus fuit*. A *nube* dicitur caelum *nubilum*, hoc est, *nubibus obductum*. Indéque Varroni & Columellae *nubilarium*, aedificium rusticum in quo *nubilo* caelo messis reponitur. In Onomastico exponitur [illegible].

NVCLEVS à *nuce*, quasi *nuculeus*. Sic enim vocatur, *quod intus est in nuce*. Plautus:

Qui è nuce nucleum esse vult, frangit nucem.

Propriè igitur *nuces*, quae *nucleum habent*: vt quatuor illa genera, quae Apicius complexus his verbis: *De nucleis hoc: nuces maiores, nucleos pineos, amygdala, auellanas*. Vbi *nuces maiores* vocat *iuglandes*. Alij *pineas nuces* omittunt, & pro iis *castaneas* substituunt. Alij vtrasque comprehendunt. Vt Ausonius, cùm ait:

Et duplici defensa putamine quinque genus nux.

NVGAE propriè sunt *naeniae*, siue *carmina à praeficis tam solita in laudem mortuorum*: vnde Plautus, Asinar. Act. IV. Sc. I.

Haec sunt non nugae: non enim mortualia.

Existimare aliquis possit ita dici quasi *neugas* à *non agendo*, quia in carminibus istis falsae congeri laudes solent: sed omnino origine est Hebraeum ac Syrum, quibus *nuga*, moerorem; vt *naenia* planctum significant. Ita Sophon. III. XVIII. legas נוגי ממועד, *moesti propter sollemnes conuentus*, vt Aben-Esrae, & Thalmudicis exponitur in Lib. Berachot, cap. IV. fol. XXVIII. Vetus translatio habet, Sophon. III. XVIII. *Nugas, qui à lege recesserant*: ad quem locum sic B. Hieronymus commentatur: *Id quod diximus nugas, sciamus in Hebraeo ipsum Latinum esse sermonem* נוגי, *& propterea à nobis ita, vt in Hebraeo erat, positum: vt nosse possimus linguam Hebraicam omnium linguarum esse matricem*. In eo tamen decipitur, quod נוגי vertit *nugas*. Propriè enim נוגי, *moesti*, cuius femininum Plur. נוגות, *nugoth*, moestae, Thren. I. IV. A radice יגה, *moestus fuit*. Vide sis de hoc *nugarum* vocabulo Scaligerum in Coniectaneis; Turnebum lib. XXIII. cap. VIII. & Kirchmannum de funeribus Rom. lib. II. cap. VI. A *nugis* est *nugax*, pro quo & *nugas* dixere, vt Charisius & Priscianus docent. Est & in Gloss. vett. *Nugas*, [illegible], ἀπόληρος; Varronem eo vsum putant, cuius locum ita emendant Carrio & Palmerius: *Credo mihi, plures dominos ceruus* (hoc est, *seruus nequam*) *comedere, quàm canes* (hoc est, *parasiti*.) *Quod si Actaeon occupasset, & ipse prius suos canes comedisset, non nugas saltatoribus in theatro fieret*. Plautum quoque vti censet Schoppius, lib. II. Susp. epist. I. *Nugigerulus* & *nugiuendus*, manifestae sunt compositionis.

NVM Graecè est μῶν, vnde & [illegible] fluxit. A *num* & *vbi* est *numcubi*, inserto C; vt in *sicubi* pro *siubi*, *alicubi* pro *aliubi*.

NVMELLA, vt Festus inquit, *genus vinculi, quo quadrupedes alligantur. Solent autem ea fieri neruo, aut corio crudo bouis, vt plurimum*. Turnebus, lib. XXVI. cap. II. censet esse à *nuo*, quod videtur antiquis notasse etiam *vergo*, *propendeo*, *inclino*. Nam & Graecum νεύειν, vnde venit, eam quoque notionem habet: & frequentatiuum *nuto* similiter vsurpatur de iis, quae propendent, vt quae ruinam minantur. *Numella* igitur erit à *nuo*, quâ ratione eadem Graecis dicitur [illegible] à νεύειν hoc est, *propendere, capite esse obstipo*: vti solent qui *numellâ*, *vel collari sunt obstricti*. A *nuo* esset *nuela*; vt a *suadeo*, *suadela*; à *candeo*, *candela*. Sed M insertum, vt a *domino*, *dampnum*, seu *damnum*, à *lubrumne*, *lumbi*. Interim nec displicet, quod scribit Becmanus, nominari à *forma numerorum, quos articulis siue ligamenta mutuò iuncta repraesentarent: sicut hoc tempore idem quoque interdum conspicamur*.

NVMERI geminam inuenio originem. Prior est Isidori, lib. III. cap. III. vbi censet *numerum* propriè dici de *nummis*, indéque & *nomen* factum esse. Sequitúrque & eam sententiam Franciscus Hotomannus, libro de re nummaria, cap. VI. vbi scribit, cum numeratam pecuniam dictam constet, antequam numerari coepta esset, sed appendi tantùm solebat: consentaneum esse, eam non à *numerando* denominari potuisse, sed potiùs à *nummo*, vnico M scripto. Nec putat quemquam offendi debere dispari quantitate, tum quia & alia sint longè plurima, in quibus deriuata à primogeniorum quantitate recedant: tum quod vt in *littera*, *quattuor*, *relligio* & similibus, ita hic quoque consonans geminari debeat, quoties producitur. Sed cùm alia multa ante numos inuentos (quo tempore commercia rerum commutatione fiebant) numerari consueuerint, quid manifestius est, quàm vt rem ipsam, ita vocem quoque *numeri* antiquiorem esse, quam *nummi*? Quare magis probatur sententia Caesaris Scaligeri, qui lib. IV. de re poëtica, cap. XLIV. vult *numerum* dici à νέμειν, hoc est, *distribuere*: vnde & νόμος, quia *vnicuique tribuit, quod est suum*. Itaque *nummus* sit à νομῇ, *diuisio*. A *numerus* est *numerò* siue *numero*, hoc est, *mature* vel *cito*. Illo Festus vti iubet de praeterito, hoc de praesenti ac futuro; quomodo & differunt *die quarto*, & *die quarti*, vel *die quarte*; *die nono*, & *die noni*, vel *die none*, quemadmodum docet Agellius, lib. X. cap. XXIV. De voce *numerò* fusè agit Festus. Caussam tamen, cur sic locuti sint veteres, non adfert. Ianus Duza in Centurionatu, lib. IV. cap. VI. vult veteres, vt *puncto* aliquid, sic & *numero* fieri dixisse, quia vt punctum se habet ratione magnitudinis siue quantitatis continuae, sic se habeat μονὰς ad numerum, siue quantitatem discretam. Sententiam suam confirmare nititur loco hoc Macrobij, lib. II. in Somnium Scipionis, cap. II. *His geometricis rationibus applicatur natura numerorum, & μονὰς punctum putatur, quia sicut punctum corpus non est, sed ex se facit corpora, ita monas numerus esse non dicitur, sed origo numerorum*. Sed locus hic, meo iudicio, Duzae opinionem non tam stabilit, quàm euertit. Siquidem si punctum est non magnitudo, sed initium magnitudinis; monas item non numerus, sed initium numeri: punctum quidem monadi, non numero: numerus item magnitudini, non puncto respondebit: eóque neutiquam ex Macrobij loco exterebrari potest, cur *puncto*, & *numero facere*, idem sint; sed potiùs quaestionis augetur difficultas quomodo haec idem esse possint, cùm numerus aliquid notet diuiduum, atque adeò quod augeri possit in infinitum: punctum signet aliquid indiuiduum quod aptum est ad exiguum tempus ὑπερβολικῶς indicandum. Quare magis placet, quia celerrimè res numerantur, ideo *numerò* dici pro *celeriter*; quasi dicas, *tam cito, quam res numerari possit*. Atque haec quoque Becmani sententia est. A *numero* dictus *partus numerius*, & *dea Numeria* [illegible] Varro, Cato, siue de liberis educandis: *Vt qui contra celeriter erant nati, fere Numerios praenominabant, quod qui citò facturum quid se ostendere volebat, dicebat numerò id fore quod etiam in partu precabantur Numeriam; quam Deam solent indigitare etiam Pontifices*.

NVMMVS, siue *numus* (vtroque enim modo ea vox scribitur in vett. libris) quibusdam à *Numa* rege dictus videtur, quia is, vt aiunt, primus ex aere ferróque monetam Romanis dedit, cùm antea corio, vel testulis eam ad rem vterentur. Sic sanè Suidas qui & auctorem laudat Suetonium Tranquillum. Alij à *Numa* quoque originem petunt, sed hanc caussam adferunt, quòd is primus pecuniam imagine notarit, suúmque nomen praescripserit. Ita Isidorus, lib. XVI. cap. XVII. item Cedrenus. Nec aliud sensit Epiphanius, cùm extremo libello περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν scribit: ὁ δὲ νούμμιος ὠνόμασται ἀπὸ τοῦ Νουμᾶ τινὸς βασιλέως τῶν Ῥωμαίων. *At nummus excusus est à Numa, quodam rege Romanorum*. Verùm sunt haec genere germanae. Alij volunt *nummus* esse à Graeco νόμισμα. Quod Festus scripsit: vel (quod alij dicere malunt) vt à νόμος Graeci dicunt νόμισμα, ita & Latini ab eodem dixere *nummus*, O in V conuerso, quomodo à φὼρ est *fur*: ac caussam nominis esse quòd valeat, οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ, *non naturâ, sed lege*. Confirmant sententiam hanc auctoritate Aristotelis, qui lib. V. Eth. cap. VIII. disertim scribit, νόμισμα ex eo dici, quia valeat ἐξ ὑποθέσεως, *ex hominum instituto ac conditione quadam*. Salmasius, lib. de Vsuris, *nummum* putat dici ἀπὸ τοῦ νόμου, à consuetudine: *Vt ad Aristotelem redeamus, quem meliorem porrò eius interpretem inuenire possemus quàm ipsum? Atqui is in Nicomachiis apertè docet, non ab vlla lege originem habere nummum, sed à consensu, & compacto eorum qui illo vtuntur. Eóque ἀπὸ τοῦ νόμου nomen habere, id est, à consuetudine, & more*; Οἷον δ᾽ ὑπάλλαγμα τῆς χρείας τὸ νόμισμα γέγονε κατὰ συνθήκην, καὶ διὰ τοῦτο τοὔνομα ἔχει νόμισμα, ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστί. Verùm non de Graeca nobis voce contentio est (quanquam nec illa quidem fit à νόμος, verùm à νομίζω,) sed de Latino

nummus, quam dicimus esse puram putam Græcorum. Nam, vt Iulius Pollux scribit lib. IX. Romani hanc vocem habent à Doriensibus Siciliæ & Magnæ Græciæ incolis, quos Aristoteles in libro de Tarentinorum rep. auctor est habuisse νόμμον in quo Tarantis Neptuni filij imago impressa erat, equo insidentis. Ibidem adducit Pollux illud Epicharmi, poëtæ Siculi: *Εὑρήσεις δέ μοι καὶ νόμμους, Inuenias mihi nummos.* Et hoc eiusdem: *Καρυξ ἰὼν δίφθις, ἀγόρα μοι δέκα νόμμων μόσχον καλόν. Præco abi cito, ac mihi decem nummis eme pulchrum vitulum.* Eadem fuit sententia Varronis. lib. IV. de L.L. *In argento*, inquit, *nummi: id à Siculis.* Qui locus, vt & alius Volusij Meciani, indicare videtur *nummum* propriè dici qui *argenteus*. Certum tamen est, discrimen id omnino negligi, cùm & *sestertius*, qui *æreus* est passim *nummus* dicatur: & in Digestis legamus, *nummos plumbeos, stanneos, aureos*. Porrò ex etymologia quam attulimus, patet rectiùs *nummus* gemino *mm*: quod præter lapides aliquot, probatur etiam acrostichide incerti sed veteris tamen scriptoris, quæ Plautinæ Trinummi argumentum continet.

NVNC à νῦνγε. Νῦν à [illegible], quod idem.

NVNCIVS à νέος, vt ait Varro in V. Nempe quia *aliquid noui appertat.* Alij sic dici aiunt quasi *nouiscius*, quia *per eos noua sciantur.* Sed placet sententia Iosephi Scaligeri, qui in Coniectaneis scribit νούγκιος esse vocem Syracusanam: ac vt ab ἑνὸς est οὐγκία, *vncia*: ita à νέος, νούγκιος fieri. Sanè *nuncius* per C est in lapidibus antiquis: vt Aldus in Orthographia monet. Qui tamen agnoscit per *T* legi in Regionum fragmento, sub porticu Capitolina. Ac similiter in Virgilio Carpensi.

NVNDINÆ à *nono die* dicebantur. quemadmodum indicant hæc verba Macrobij, lib. I. Saturnal. cap. XVI. *Rutilius scribit Romanos instituisse nundinas; vt octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die intermisso rure, ad mercatum legésque accipiendas Romam venirent, & vt scita atque consulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die proposita à singulis atque vniuersis facilè noscebantur.* Hactenus Macrobius. Hinc auctor poëmatis quod Moretum inscribitur:

——nonísque diebus,
Venales onerum fasces portabat in vrbem.

Ita enim plerisque veteribus membranis hic locus concipitur, pro quo vulgati codd.

——certísque diebus.

Sed legendum *nonísque*: vt ad Vopiscum Aurelianum obseruat Salmasius. Translata deinde vox ad *celebres mercatorum conuentus immunes liberósque*, vnde in veteri Glossario exponitur ἀγοραὶ ἀτελεῖς πανηγυρικαί. Vide Radulphum Fornerium. lib I. rerum quotidianarum cap. V. Quemadmodum autem *nundinæ* dictæ quasi *nouendinæ*, quia *nono quoque die fierent*; ita *nundinalis* dixere pro *nouendialis*: vt apud Plaut. Act. II. Sc. IV.

Coquus ille nundinalis est, in nonum diem
Solet ire coctum.——

Vbi significatur coquus bustuarij ordinis quique magis nosset coquere cœnam feralem (quæ nono die fiebat,) quàm iis quorum ingeniosa esset gula. Simile est *internundinium*: de quo ita Marius Victorinus penè extremo capitis de Orthogr. *Internundinium, quòd nonem dies inter se continuos habeat, non quòd nono die sit.*

NVO est à νεύω, vt *fuo* à φυτεύω, *puto* à πεύθω, &c. Νεύω à [illegible], hoc est, *moueri*. A *nuo* sunt verbalia *nutus*, & *renutus*, quib. vtitur Plinius, lib. I. epist. VII. item frequentatiuum *nuto*. Nam fallitur Nunnesius, qui *nuto* contractum putat ex νυστάζω, *capite nutans dormito.* Ab eodem sunt composita *annuo*, *renuo*; quæ propriè motum corporis notant. Agellius, lib. X. cap. IV. *Nam sicuti cùm annuimus & abnuimus, motus quidam ille vel capitis vel oculorum, à natura rei, quam significat, non abhorret*, &c. A *nuo* quoque est *numen*, quasi *nutus Dei*, ac *potestas* vt ait Festus, item Priscianus in IV. Estque eâ formâ à *nutum*, *numen*, quâ à *motum* & *monitum* sunt *momen* & *monimen*, quæ posteriores per *mentum* extulere. Quia verò *nutus* est *voluntatis index*, ac ad nutum Diuinum (θεοπρεπῶς hoc capiendum) statim consequitur euentus: indè est, quòd *numen* μετωνυμικῶς accipiatur pro *voluntate, imperio ac prouidentiâ Diuinâ.* Maro II. Æneid.

——Non hæc sine numine Diuûm
Eueniunt.——

Cicero pro domo suâ: *Diuino numine redditus sum Reipublicæ.* Eodem etiam tropo pro ipso *Deo* sæpe accipitur.

NVPER quasi *nouper*, tanquam dicamus *nouissimè*: vt auctor est Festus, idémque in Actio suo scribit Iouianus Pontanus. In plerisque Paulli codd. pro *nouper* est *nouiter*. Sed in aliis MSSis est *nouper*. Vti & in schedis Farnesianis. De eodem, vti & de *semper* & *toper*, ita Cæsar Scaliger, lib. VII. de R. Poët. cap. I. part. II. *Semper primam producit naturâ. Fuit enim semnopere, sicut Toper toto opere. Nuper, nouo opere. Significat enim Toper, citò & expeditè, ita vt opera absoluta sit. Itaque semper ei contrarium est, propterea quod siquid dimidio tantùm opere fit, id non absoluitur, sed continuatur.* Quemadmodum Græcis τάχα, ita & *topper* Latinis & *citò* notat & *fortasse*: vt ex Actorio Festus refert. & comprobat veterum testimoniis. A *nuper* est *pronuper*; hoc est, *nuper admodum*. Nam *pro* valet *porrò*, siue *longè*, vt Græcis πόρρω. Plautus Trin.

Quam sponsionem pronuper tu exactus es,

NVPTÆ & *nuptiis* à *nubendo* est nomen. Caussa appellationis ex eo, quòd sponsa, cùm ad maritum deduceretur, *faciem flammeo nuberet*, hoc est, *velaret*: quemadmodum Ælium & Cincium scripsisse, auctor est Festus. Alia idem etyma adducit, sed quæ minùs, vt censeo, placitura sint, vt quod Curiatium sensisse ait, *nuptias* dici à *nouum*, & *pactum*, quia *noua pactio fiat*: siue, quæ Cornificij opinio fuit, à *nouus* & *peto*, quia *noua petantur coniugia*; siue, quod Santra existimauit, à νυμφεῦσαι, quomodo vetustiores Græci γαμεῖν vocabant. quæ originatio vtcumque ferri potest, si dicamus à νέα νύμφη fieri, *noua nupta*, ac quemadmodum à νύμφη est νυμφεύειν, sic à *nupta nuptias* dici. Sed quod à νυμφεύειν esse νύμφη Santra opinatur, id analogia vocum aliarum facilè refellitur. Malim dixisset *nubo*, vnde *nupta* nomen, factum esse à νύμφη. Alij, Festo teste *nuptam* dici putant à νυὸς, quomodo Homerus *vxorem*, vel potiùs *sponsam*, aut *nurum*, vocat Iliad. γ, cùm ait:

Ἐξ ἀπίης γαίης νυὸν ἀνδρῶν αἰχμητάων.

Mihi simplicissimum videtur, si à *nubo* deducamus: idque, vti dixi, cum Ælio & Cincio, tum etiam Varrone, cuius hæc verba, lib. IV. de L. L. *Neptunus, quòd mare terras obnubit, vt nubes cælum: à nuptum, id est, opertione, vt antiqui; à quo nuptia nuptúsque dictus.* Quibus ex verbis *Neptuni* etymon discimus. Nam vult Varro, vt à *portu* est *Portunus*; sic à *nuptu* esse *Nuptunus*, & mutatione literæ vnius, *Neptunus*. Idem sensit Cicero, si sequamur certissimam, meo iudicio, emendationem I. Lipsij, qui lib. I. Saturnal. cap. II. sic legit apud Cic. II. de naturâ Deorum: *Vt Portunus à portu, sic Neptunus à nubendo, paullum primis literis immutatis.* In vulgatis pro *nubendo* est *nando*, quæ immutatio videtur originem cepisse ab imperito librario, qui ignorabat *nubendi* vocem extra rem coniugij. Arnobius idem etymon confirmat, cùm lib III. ait: *Quòd aqua nubat terram, appellatus est cognominatúsque Neptunus.* Interea nec displicet etymon Iul. Scaligeri, qui lib. I. de causs. L.L. cap. XXV. vti & Nunnesius in Grammatistice *Neptunum* dici putat, quasi *Nipthunum* à νίπτω, quod est *lauo*, vnde Hesychio, *aqua* sunt νίμματα, hoc est, λουτρά, νίπτρα. Nisi veriùs Guilhelmus. lib. de originibus, cap. XX. vbi censet ab Hebræo *Naphtuhim*, à quo etiam dici ait *Naphtucas*, populum in occidua Numidiæ parte. Porrò *nubere* μεταληπτικῶς etiam ponitur pro συνουσιάζειν. Vtitur hoc pacto Plautus cùm alibi tum Pseud. act. sc. III. Ac Petronius similiter dixit *Nuptias facere*. Hinc apud declamatores legitur crimen incestus intentatum virgini Vestali, quod versum hunc scripsisset.

Felices nuptæ: moriar nisi nubere dulce est.

Ab hac significatione *nupta verba* dixerunt pro *obscænis*, teste Festo. Monuit & Lips. lib. II. Antiq. Lect. cap. IX. Fallitur igitur Becmanus, in Etymologico, cùm à propria significatione sic dici putat, eóque *nupta verba* exponit *tecta*.

NVRVS, à νυὸς, *R* inserto, quomodo à πτύω, *puteo*; à κορίαννον, *coriandrum*. Homerus Iliad. Γ.

Ἐξ ἀπίης γαίης νυὸν ἀνδρῶν αἰχμητάων.

Quem versum etiam citat Festus Pompeius in *Nupta*, sed νυὸν exponit *vxorem*. Sed rectiùs Eustathius ad eum locum νύμφην interpretatur: quo tum *sponsa*, ac *noua nupta*, tum etiam *nurus* significatur. Firmatur hoc eo quod idem Eustathius in Il. Z. pag. DCXLVIII ed. Rom. scribit ex Aristophane Grammatico, ὅτι νυὸς ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἡ γυνὴ τοῦ παιδὸς τῷ πατρί. ὡς ὁ Βάλιος Φησὶ τοῦ Πριάμου ἡ τοῦ Ἕκτορος. Eadem & ἐννυὸς vocatur, teste Polluce, lib. III. cap X.

NVTRIO forte ex νεοτροφέω; vel contractum ex *neotrio*, quasi Græcè esset νεοτρέω. Id fuerit à νέος, vel νεοτρός, vt propriè sit τὰς νέας vel νεοτρέφειν *alo*, & *educo*: quod & tradidit Becmanus. Hoc etymon si placet aperta sit caussa cur primam semper producat. Nempe ob crasin. Vel est à Chaldæo [illegible] quod est *seruare*. Vel à νοτερὸς, *humidus*. Nam *humore nutriuntur animata omnia*. Ita Martinius.

NVX propriè quid sit, docebit Macrobius Saturnal. lib. II. cap. XIV. A *nocte* ita vocatur ex sententia Varronis. lib. IV. de L. L. *Nux*, inquit, *quòd vt nox aërem, ita huius succus facit*

facit corpus atrum. Aliis placet esse à νύξαι quod est, *percutere, frangere.* Hesych. Νύξαι, πλῆξαι, ῥῆξαι. Caussa satis aperta fit ex illo Plauti:

Qui è nuce nucleum esse vult, frangit nucem.

Ac similiter κάρυον suspicatur esse à καρῶ siue κείρω, hoc est *scindere, putare, purgare*: vnde & *carduus* nomen. Alij *nucem* quidem à *nocendo* dictam volunt: κάρυον autem παρὰ τὸ καροῦν, quia *grauedinem afferat.* Ac de Græco etymo præit Plinius, lib. XXIII. cap. VIII. *Nuces iuglandes Græci à capitis grauedine appellauere. Etenim arborum ipsarum foliorúmque vires in cerebrum penetrant: hóсque minimo momento, sed in cibis nuclei faciunt.* Et lib. XV. cap. XXII. *Caryon à capitis grauedine propter odoris grauitatem cognomine dictum.* Plutarchus Sympos. lib. III. probl. I. Τὸ γὰρ κάρυον ὥσπερ ὠνόμασται, ὅτι πνεῦμα βαρὺ καὶ καρωτικὸν ἀφιέναι, λυπεῖ τοὺς ὑπ' αὐτῆς σκιαζομένους. Confirmat hæc quoque, cùm Ouidij illud eleg. de Nuce:

Me, sata ne lædam, quoniam sata lædere dicor,
Imus in extremo margine fundus habet:

nam Galenus comment. in I. Epidem. vbi tradit buxi, nucis, & brassicæ viciniam, propter δυσωδίαν suam circumfusum aërem reddere μοχθηρὸν ac vitiosum. Sed scrupulum inijcit, quod κάρυον fortasse κατ' ἐξοχὴν solùm pro *iuglande* ponatur. Sanè, quod ex Athenæi constat epitome, Attici sic πάντα dixere ἀκρόδρυα, hoc est, quibus extra esset τὸ ξυλῶδες siue *lignum*, interiùs quo vescimur. *Nux* verò potiùs ex voce vel Græca, vel Hebræa, quæ idem significat. Græcis *nux* μύκηρος & μόκηρος. Lacones enim κάρυα ac speciatim τὰ ἀμύγδαλα dixere μυκηρούς, vt ex Pamphili Glossis docet Athenæus, lib. II. Μύκηρος est apud Hesychium: cui tum exponitur ἀμύγδαλον, *amygdala*, tum κάρυον, *nux.* A μύκηρος sit *nucerus.* *M* enim sæpicule in *N* abit: Vt μὴ, *ne*; μειδῶ, *nideo*, vnde *renidere.* A *nuceris* videtur nomen accepisse *Nuceria* & *Nucerinus ager.* De quo Plinius, lib. III. cap. V. A *nuceris* verò *nux.* Vel sit ab Hebræo & Syro לוז, *luz*, quod Caninio iamdiu visum in Alphabeto, & Scaligero in Coniectaneis. *L* in *N* abit, vt à *lympha nympha*, & aliis multis. A *nuce* est *nucinus.* Vt *nucina mensa*, quæ in pretio, priusquam *citreæ* essent cognitæ. Meminit earum vetus interpres in illud Satyrici:

——— *Si fortè nucem deiecerit eurus.*

A *nuce* etiam est *nucleus* quasi *nuculeus*. De hoc seorsim. Item *nucetum* Statio I. Silv. & Tertulliano aduers. Valent. Nempe qua ratione *oliuetum*, & *lauretum*, dicimus. Planéque censeo hinc & *nucamentum* venire: vt propriè signet paniculas squamatim depactas, quæ de *nuce* dependent. Vide Plinium, lib. XVI. cap. X. Græcis κύτταροι dicuntur.

O

OB, ab ὄπι, siue eius composito ὄπιθε, quod interdum valet ἕνεκα vel ὅτι. Vel ab ὑπὲρ, κατ' ἀποκοπὴν, quod interdum idem notat. Onomast. *Ob*, ὑπὲρ, διά. Vel ab ἐπὶ, simili apocope: nam interdum valet *ob* siue *propter.* Vt ἐπὶ μεγάλαις αἰτίαις valet *magnas ob caussas.* Atque ita Stoicorum illud φθόνος. λύπη ἐπ' ἀλλοτρίοις ἀγαθοῖς transtulit, *inuidentia est ægritudo suscepta propter alterius res secundas.* Vt ex *ab* adiecto S factum *abs*: ita ex *ob* factum *obs.* Vt in *obstrudo*, pro *obtrudo*: item *obstendo*, pro quo postea *ostendo* dixere. Nisi magis placet S in talibus inseri, more antiquo. Nec enim *obs* extra compositionem inuenitur.

OBBA pro *obbibo*, ab *obbibendo* dici, censet Cæsar Scaliger, cap. XXXIII. de caussis L. L. Mouit eum, quòd dicat Nonius esse *poculi genus ex ligno, vel sparto.* In Philoxeni quoque Glossis legitur: *Obua* (l. *obba*) ἄμβιξ, ἐν ᾧ ὕδωρ τίθεται ἐπὶ δεῖπνον. Præter Varronem (cuius geminum locum adducit Nonius) vsus quoque Persius satyra V.

——— *tibi tortâ cannabe fulto*
Cœna sit in transtro, Veientanúmque rubellum
Exhalet vapidâ læsum pice sessilis obbâ.

Quo loco *obba* est, non quod Nonius & Philoxenus voluere; sed *vas vinarium*, idque amplum, & ventriosum: quod & etymologia confirmat. Neque enim ab *obbibendo* est, sed ab Hebræo אוב, quod ἀσκὸν, *vtrem*, aut *dolium*, significat. Hanc ἐτυμολογίαν adferunt Franciscus Iunius in not. ad Tertulliani Apol. cap. XIII. & Is. Casaubonus ad sat. V. Persij.

OBEDIO ex *ob* & *audio*, teste Festo. Ac similiter Græci dicunt ὑπακούω. Glossæ Cyrilli: Ἐπακούω, *abaudio*, *exaudio.* Vbi planè *obaudio* legendum. Nam & in iisdem postea: Ὑπακοή, *obauditio*, *obtemperantia*, *obsequium.* Item: Πείθομαι, *pareo*, *obaudio.* Quare *obaudio* scribendum videtur. Vel dicendum *au* in *o* abiisse, vt à *plaudo explodo*: *o* verò abiisse in *e*. Vtcumque est, secunda fuerit porrecta. Corripit tamen Victorinus:

Iussis adesse Deum, propriòque obedire tyranno.

Imò etiam in iambico hoc trimetro breue videtur Afranio maritis apud Nonium: nisi placet quarta sede esse creticum:

Meo vt obsequar amori obedibo tibi.

Mallem qualecumque hoc pro se attulisset Tilemannus Mylius, qui carmine epico reliquit annalium Hebraicorum libros XXV. In eorum XIV. ait:

Quamquam etenim prudens obedit, tamen haud laceratur.

Nunc id à se factum scribit, tum poëtica systole, tum certâ ratione, quia sermo illic sit de Ieroboamo, qui Deo paruit, sed inconstanter: vt inconstantia syllabæ inconstantia regis denotaretur:

En cor Zenodoti! en iecur Cratetis!

OBITER valet παρόδως. In Glossis Philoxeni exponitur ἐφεξῆς, ἐν τῷ αὐτῷ. Etiam Glossæ Cyrilli, ἐν τῷ αὐτῷ. *eadem*, *simul*, *obiter.* Sed hæc particulæ vim non satis exprimunt. Significat enim ὁδῷ παρέργως. Quippe est ex *ob*, & *iter*, vt inquit Priscianus in XV. Vide *Iter.*

OBLIQVVS à λίξ, quod idem notat. Hesychius, λίξ, πλάγιος. Putat Angelus Caninius & Pet. Nunnesius, factum esse à πλάγιος, præmisso *o*: contra quam fit in *Post*, quod ab ὄπισθεν. Sed magis placet sententia Iosephi Scaligeri ad Festum in *Sublica*: vbi docet, *sublicus* siue *subliquus*, & *oblicus* siue *obliquus*, esse composita ab antiquo *liquus* siue *liquis*: quam vocem agnoscit inter agrimensores vetus scriptor de figuris & lineamentis agens: *Omnium, inquit, summitatum metiundi obseruationes sunt duæ, enormis, & liquis. Enormis, quæ in omnem actum rectis angulis continetur. Liquis, quæ minuendi laboris caussâ, & saluâ rectorum angulorum ratione secundum ipsam extremitatem subtenditur.* Vbi pro *enormis* videtur *normalis* dicere debuisse. Sic enim vocatur linea, quæ περιφέρειαν claudit ad angulos rectos. At *enormis* sit, quæ à norma recedat, nec angulis rectis contineatur. Norma enim probantur anguli, vtrùm sint recti.

OBLITERO alij ab *obliuiscor* venire putant, quia quæ *obliuisci* volumus, ea *obliteramus*: alij à *litore*, quòd, quæ ibi notantur, fluctibus mox deleantur: vtrumque hoc ἔτυμον apud Festum inuenitur: alij à *lituris*, vt Cæsar Scaliger, lib. de caussis L. L. cap. IV. Mihi non dubium, quin sit à *literare*, vnde *literatura*. Vt *obliterare* sit literis aliquid superducere, vt priores deleantur. *Ob* significat *contra*, vt in *obiicio*, *oppono*, *obduco*, atque aliis. A *litura* verò eò minùs factum puto, quia modulus penultimæ est dispar.

OBLIVISCOR, ab antiquo *liuiscor*, quo vsi pro *obliuiscor*. Atque hoc ex Cæsellio quoque monuit Cassiodorus. Quare crassè impingit Ambrosius Calepinus, cuius verba: *Obliuiscor compositum videtur ab obliuio. Quia verò accentu differunt, potest esse simplex dictio.* Ab eo est *obliuio*, pro quo & *obliuium* legas, non modò apud Maronem, Horatiúmque, sed etiam historicos: vti Tacitum, lib. IV. Histor. *Eam sententiam modestissimus quisque silentio, deinde obliuio transmisit.*

OBOLVS, ὀβολὸς, sexta pars drachmæ: vt scribit Plinius, lib. XXI. cap. vlt. Eustathio quoque *drachma* vocatur ἓξ ὀβολῶν ἴση. Compositum ab *obolus* est διώβολον, *diobolum*, vel quia duobus valeat *obolis*, vt sit à δύο, vel quasi *Iouis obolus*, vt sit à Διὸς, quia ab vna parte insculptam haberet Iouis speciem, vt ab alterâ γλαῦκα siue *noctuam*. A *diobolum* est *diobolare*, vt *diobolares meretrices*, διώβολοι, quæ duobus *obolis* dicuntur: vt interpretatur Festus: Vsus Plautus, Cistellaria, è qua Varro, VII. de L. L. citat: *Diobolares, schœnicolæ, miraculæ.* Item Pseudol. Act. II. Sc. II. nisi istic cum Turnebo malis *doliarem*, quod ex Donato exponit *suffarcinatum*, *propinquum*, & *tumore ventris dolio similem.* Vide eum, Aduers. lib. III. cap. XII. Est verò ὀβολὸς, ab ὀβελὸς, hoc est, *veru*: vt ὀβελὸς, à βέλος, id est, *sagitta*, cui veru simile. *Obolus* verò cur à *veru* nomen acceperit, Plutarchi loco ostendimus, voce *Talentum*. Ab ὀβελὸς ὑποκοριστικῶς dictum ὀβελίσκος; *veruculum* dixeris cum Plinio. Sed Græcis, ac imprimis Latinis, vt ex Ammiani XVII. constat, *obeliscus* vocatur lapis vnicus quadratus ingens pyramide tamen minor, paullatim gracilescens, vsque dum in cuspidem desinat, veruculo similem, vnde & nomen. Multa de *obeliscis* Plinius, lib. XXXVI. Complures hodiéque Romæ visuntur *obelisci*. Nobilis imprimis inter alios *obeliscus* Augusto & Tiberio Cæsaribus olim sacer, quem Xystus Pontifex è priori loco in mediam Vaticani aream transtulit. Est è lapide vnico, eóque durissimo, qui fortasse Plinio, lib. XXXVI. cap. VIII. *pyropœcilos*, πυροποίκιλος vocatur: nempe si vera hæc lectio (nam in aliis est *pyrrhopœcilos*, geminatâ liquidâ) quia *punctis quibusdam igneis coloris distinguatur,*

variéque interlucea. Eius obelisci figuram præter alios ære expressam ponit Henricus Monantholius, comment. in Mechanica Aristotelis. Nonnulla etiam de obeliscis collegit Onuphrius Panuinius, lib. I. de ludis Circensibus, cap. XVII & Cæsar Bullingerus, libro de Circo, cap. XX. Sed imprimis vide commentarium, quem de obelisco scripsit, & Xysto V dicauit, Petrus Angelius Bargæus. Vbi inter alia hanc quæstionem mouet, cur grandem adeò molem, quam *obelum* vocat Herodotus, *diminutiue obeliscum* nuncuparint. Rectéque id meo iudicio factum esse coniectat à *multitudine minorum obelorum*, quæ in Ægypto erant & Romam ex Ægypto aduectæ tantâ copiâ, vt nomen *obelorum*, per appellationem *obeliscorum* fuerit obscuratum.

OBRISVM, an *obrussum*, an *obrizum*, an *obryzum*, scribi debeat, dubitant non pauci, eo quòd varient veteres codices Plinij & alij. Sed iis subscribo, qui *obrussum* scribunt. Nam ὄβρυζον quoque vocat Etymologici auctor, & Thucydidæ Scholiastes in lib. 2. Eámque vocem etiam Constantino Manassi restituit in Glossario suo Meursius. Vt Ἀτηνικον, *Auricium*, τὸ πορφυρίζον, *purpurissum*; sic ὄβρυζον, *obrussum*. Vt audiri non mereatur Isidorus lib. XVI. cap. XVII. vbi *aurum obryzum* dictum ait, *quod obradiet splendore; est enim coloris optimi*. Aliquibus ὄβρυζον sic dici placet quasi ὀφρυζον. Nam ἀβρύνεσθαι est *nitescere, splendere*. Sed magis placet sententia B. Hieronymi, qui ita dici putat quasi *ophirizum* ab *Ophir*. Sic enim scribit in Iesaiæ cap. XIII. *Tunc pretiosior erit vir auro, quod Hebraicè dicitur* פז, *&* *Aquila interpretatus est* τόπαζον, *quod coloris optimi atque sanguinei est, & homo mundissimo obrizo, quod Hebraicè dicitur* אופיר, *&* *Aquila transtulit* ἀπὸ χρυσίου ὠφίρ; *est autem Indiæ locus, in quo aurum optimum nascitur*. Idem explanat Psal. XLIV. ad Principiam virginem: *Symmachus transtulit in auro primo, Aquila, quinta & sexta editio, in tinctura, vel in auro Ophir. Ophir genus auri est, vel à loco Indiæ, vel à colore nomine indito*. Ophir regionem esse *auriferam*, vnde Salomoni, aliísque regibus Hebræis *aurum* soleat aduehi, satis constat ex III. Reg. c. IX. & lib. II. Paralipom. cap. IX. Eam in India quoque ponit Iosephus. Eupolemus apud Eusebium. lib. IX. præparat. Euangel. cap. IV. dicit Οὔφρη appellari, atque esse insulam maris rubri: quæ sententia cum priori non pugnat, quia *maris* appellatio etiam illi tribuitur ab antiquis, quod Indias alluit. Quare videntur veteres *Ophir* vocasse siue *auream Chersonesum*, siue omnem illam oram, quæ Pegusijs, Malaca & Samatra seu Taprobane comprehenditur. Ac è iunioribus hanc sententiam quoque amplexus Marius Niger, eandémque opusculo à se edito defendit Gaspar Varrerius.

OBRVSSA, vox vsurpata Tullio, Senecæ, Tranquillo: sed sæpius à librarijs deprauata: significat normam ad quam exigitur aurum. In vett. libb. sæpius scribitur *obryza*. Nempe est à Græco ὄβρυζα: vnde *obrussa*, vt à μάζα, *massa*. Nomen *obrussa*, siue ὄβρυζα, ex eo, quia foret regula, verùm aurum esset *obryzum*, seu *obrussum* hoc est, coctione crebra satis purgatum, ita vt nihil alterius metalli habeat admixtum. Sic Scholiastes Thucyd. χρυσίου ἀπέφθου interpretatur καθαροῦ ἑψηθέντος, ὅπερ λέγεται ὄβρυζον. Vide *Obrisum*.

OBSCÆNI duplicem etymologiam ponit Varro lib. VI. de L. L. Prior est, vt *obscenum* dicatur à *scena* quòd *nisi in scena palàm dici non debet*. Hinc Sophocles Aiace: Μηδ' ἐπὶ σκηνῆς βοῶν θάνατον, quod quidam exponunt ἀπρεπῶς οἷα ἐπὶ σκηνῇ. Sanè nihil inuerecundum in Scena non habebat locum: quam impudicitiam lasciuiámque theatri perstringunt acriter Tertullianus, Clemens & penè tota antiquorum Patrum cohors. Alterum Varronis etymon est, vt dicatur *obscænum* quasi *obscæninum*, quia bonæ scæuæ obstat. Verba Varronis ponam, quibus vtrumque hoc etymon proponit: *Apud Matium, obscæni interpres funestique ominis auctor. Obscenum dictum ab scena*. Et mox: *Quare turpe, id obscenum; quòd nisi in scena palàm dici non debet. Potest vel ab eo, quòd pueris turpicula res in collo quædam suspenditur, ne quid obsit bonæ scæuæ caussâ; vnde Scæuola appellata. Ea dicta ab scæua, id est, sinistra: quòd quæ sinistra sunt, bona auspicia existimabantur. A quo dicuntur comitia, aliud ve quid sit, dici aue sinistra, quæ nunc est; id à Græco est, quòd hi sinistram vocant σκαιάν, quare quod dixi scæuum, bonum omen est: obscænum verò, turpe*. Tertium etymon est Verrij, de quo sic Festus: *Oscos, quos dicimus, ait Verrius, Opscos antea dictos, teste Ennio, cùm dicat: De muris rem gerit Opscus. Adducit etiam, quòd stupra inconcessa libidinis obscena dicantur ab eius gentis consuetudine inducta*. Vnde colligo, putare eum *obscænus* dici pro *opscenus* ab *Opscus*, hoc est, *Oscis*, quorum *mores obsceni*. Quartum etymon est eorum, qui sic dici volunt ab *obs* & *cano*, propriéque sic dici, quod est *abominatum in augurijs*. Quintum etymon est illorum, qui conflatum putant ex *ob* & *cæno*, propriéque notare id quod est *immundum*. Sextum non multum ab hoc abit, éstque eorum qui volunt esse ab *ob* & κοινὸν, quod interdum notat *immundum*, qui quæ communia sunt, inquinatiora esse solent. Ita κοινὰ χερσί legimus apud Euangelistam pro ἀνίπτοις. Tria hæc posteriora etyma complexus Priscianus lib. IX. *obsoleo*, inquit, *ab obs & soleo, sicut obscænus ab obs & canendo, vel cæno, vel* ἀπὸ τοῦ κοινοῦ *vnde & inquino*. Vt sit ab *obs* & κοινὸς siue κοινοῦ, etiam Scaligero placet, de caussis L. L. cap. XXXIV. Septimum est eorum, qui fieri volunt ex *ob* & *scenum*. Estque hoc etymon prope idem ac illud quod secundo loco Priscianus. Tantùm in eo dissentiunt, quòd illud *i* in *obscænus* velint & non à præuerbio *obs* (neque enim ea vel in compositione vel extra eam vnquam vtuntur Latini; quódque ad *obsoleo* attinet, est illud non ab *obs* & *oleo*, sed *ob* & *soleo*, vt suo loco ostendimus.) verùm à Sabinorum *scænum* pro *cænum*, quomodo & ijdem *scæuum* dixere pro *cænum* & *scæna* pro *cœna*. Ac placuit hoc Ioan. Meursio. In hac iudiciorum varietate dicam quod sentio. Ex propria vocis significatione videndum quod verum sit etymon: sed *obscænum* propriè est Augurale verbum. Docet id clarè Festus, qui cùm attulisset sententiam Verrij deducentis ab *Oscis*, & existimantis propriè de *libidine* dici: mox subijcit hæc: *Quod verum esse non satis adducor, cum apud antiquos omnes ferè obscena dicta sint, quæ mali ominis habebantur, vt illa Virgilij testimonio sint, vt superiorum auctorum exempla referre non sit necesse, cùm ait Harpyias obscenas volucres, & obscenámque famem*. Hactenus Festus. Quæ etiam confirmantur Marij loco, qui *obscena omina* vocat, vt in Varronis loco antè vidimus. Et Tertullianus, lib. de Pallio, cap. I. similiter dixit: *Post Græcia obscena omina*. Quare *obscenus* videtur esse vel ab *ob* & *cano*: vel *ob* & *scæua*. Sed à *cano* si esset, corriperetur prior. Erit igitur à *scæua*, propriéque *obscænum* erit, quod mali auspicij est, bonæque *scæuæ* aduersans. Quod verò ad alia etyma, vnum in ijs est, quod reijcere non ausim. Id est eorum, qui deducunt à Sabino *scænum*: quâ ratione Virgil. III. Æneid. *obscænæ volucres* propriè erit *immundæ*: & iuuat hanc interpretationem, quod poëta mox subijcit:

———*Contactúque omnia fœdant*

Immundo.———

Et sanè vir eruditus Ioannes Meursius, non *obscænus* tantùm à Sabino *scænum* deducit, sed & *scæniculus*, vt à *scæno* sit *scæniculus*, quomodo ab *anno* est *anniculus*. Censet autem, Plautum Pœnulo, I. II. *meretrices* eâ ratione *scæniculas* vocare, quâ alibi appellat *lutulentas*. Aliter tamen hoc de loco senserunt Turnebus, & Scaliger. Vterque enim legit *schœniculas* ac putauit *meretrices* ita dici *ab vnguento iunceo*. Nam *iunceus* Græcè est χοῖνος. Vide hac de re sententiam nostram voce *Schœnus*.

OBSCVRVM vnde dicitur, satis est obscurum. Ex *ob*, & *cura*, conflari, placuit Perotto: vti & Cæsari Scaligero cap XXXIV. de caussis L. L. Sic *res* propriè dicentur *obscura*, ob quas opus multâ curâ. S verò interseretur, vt in *obstrusus*, ab *ob* & *trudo*. Sanè *obstrudo* dixit Titinnius, teste Festo: & vsus quoque Plautus. Imò & *obstrusum* inuenit Victor Giselinus in Prudentij, & Delrius in Senecæ, ac Claudiani MSS. exemplaribus. Sed scrupulum inijcit quòd, cùm *obscurum* pro difficili & curæ indigo ponitur, locutio sit impropria. Quare mihi, vti & Becmano, non minùs fit verisimile venire ab obsoleto *scurus*, *scurus*, vel *scaurus*: hæc verò esse ab Hebræo שחור, *niger*, ab radice שחר *nigrescere, nigrum esse*.

OBSONIVM, ὀψώνιον, ψ in B mutato, vt ἀψίνθιον, *absinthium*. Est autem ὀψώνιον ab ὄψον. Itaque licèt generatim ponatur pro *eo omni, quod cum pane comeditur*: tamen Terentio, Cornelio Nepoti, atque alijs κατ' ἐξοχὴν, imò, vt plerique arbitrantur, κυρίως signat *pisces*. Nam ὄψον & ὀψάριον, non temerè aliter vsurpata inuenias quàm de piscibus. Et semper ὀψοφάγοι sunt φιλιχθύες. Hodiéque in Græcis *pisces* dicuntur ψάρια, quod truncatum est ex ὀψάριον. Sanè Euangelista quoque ὀψαρίων voce vtitur, vbi agit de *pisciculis*, quibus Dominus pauerat aliquot hominum millia. Et propriè quidem notare aiunt *piscem assatum*, παρὰ τὸ ὀπτᾶν, quod est *assare*. Vide Septimium Florentem, ad νεφέλας Aristophanis, pag. XI. in vocem ὀψωνεῖν; tum duos in Græcis præceptores meos Franciscum Nansium, in Nonni cap. XXI. & Bonauenturam Vulcanium, ad Gloss. vett pag. DXCVI. Vnum tamen huic sententiæ obstare videtur quod ὄψον ab antiquissimis, non pro *pisce*, sed semper sumatur pro *eo quod ad panem adsumitur*. Græci προσφάγιον vocant. Itaque *pisces* Hippocrati non ἁπλῶς ὄψα vocatur, sed ὄψα θαλάσσια, quomodo & Polybius locutus. Neque enim *marini* tantùm *pisces* intelligendi, sed quiuis per synecdochen generis: vnde & apud eundem, ἔγχελυς, siue *anguilla*, inter θαλάσσια commemoratur, & simpliciter θαλάσσια & κρέα opponuntur, vt docuit nos Casaubonus, Animaduers. in Athen. libro VI. capite II.

Quare

Quare ὄψον non potest esse ab ὀπτᾶν, sed potiùs ab ἕψω, *coquo*, vt generatim primo notârit προσφάγιον, hinc κατ᾽ ἐξοχὴν (vt clarè Myrtilus apud Athenæum ait. lib. VI. & Plutarchus in Sympoliacis, lib. IV. problem. IV.) vsurpari cœperit de *piscibus*, quia hi præcipuè in delicijs forent. Dubium autem, num ὤνιον in ὀψώνιον sit vocis productio, vt ἀγορὰ in ἀγοράζω an potiùs sit ab ὠνῶ, *emere*: vt ὀψώνιον sit *cibus coctus pretio comparatus*, qualis qui è popinis comparatur. Ab *obsonio* est *obsonari*, & *obsonitare*, quo Cato vtitur apud Festum.

Obstetrix, ab *obsidendo*. Quæritur autem, quæ vis sit præpositionis in hoc nomine. Triplicem enim eius notionem ponit Festus, his verbis: *Ob, præpositio, aliàs ponitur pro circum, vt cum dicimus vrbem obsideri, obsignari, obuallari; aliàs ponitur in vicem præpositionis, quæ est propter: vt ob merita, ob superatos hostes, vnde obsides, pro obsides, qui ob fidem patriæ præstandam dantur; aliàs pro ad ponitur, vt Ennius: Ob Romam noctu legiones ducere cœpit.* Hæc Festus: Florens Christianus notis ad ἀμφὶ. Aristoph. censet *ob* in *obstetrix* & *obsidere* significare *circum*: atque hoc pacto legi in Nouantiqua Queruli Comœdia:

Recta vosmet obsidete, dum percurro cubilia.

Horatiúmque similiter *post* pro *circum* vsurpasse, cùm ait.

Post Equitem sedet atra cura.———

Mihi magis placet *ob* significare *ad*: vt *obstetrix* dicatur quasi *adstetrix*, quia assideat parturienti: quomodo & Festus accipi monet in illo Enniano:

Omnes occisi occensique in morte serenâ:

Id est, *accensi*. Et illo in Iphigeniâ:

Acherontem obibo, vbi mortis thesauri obiacent.

Similiáque sunt *offerre* pro *afferre*, *obligare* pro *alligare*, aliáque. Terent. Hecyr.

Quoniam osculo aduentu meo lætitiam Pamphilo hodie.

Et Catull.

———*Qualem Minoidi luctum*

Obtulerat.———

Horat. Epod.

Optat Prometheus obligatus aliti.

Idem locis Senecæ, Petronij, Valerij, atque aliorum demonstrat Valens Acidalius. Párque ratio in voce *obstites*, iuxta ἑρμηνείαν Cincij, de qua mox dicam.

Obstinatus, in Glossis exponitur ἀπεγνωσμένος, ἀπηγριωμένος, ἐγκρατής. Vti *obstinatio*, ἐπιμονή. Apud Festum legas, *Obstinato, obfirmato, perseueranti, vt teneri possit.* Itaque videtur deducere ab *obi* & *teneo*. Perottus maluit ab *obstando*. Nam qui *obstinato* est animo, ita eum firmat, vt obstet. Sed omnino est ab *obstino*, vnde & *obstinatio*. Festus: *Obstinat, obfirmat.* Onomast. *Obstino*, διαβεβαιοῦμαι. *Obstino* verò à *stano*, vel *stino*; quomodo veteres dixisse colligo ex *destino*, & *præstino*. *Stano* autem ex *sto*, vt à *runco*, *runcino*, à *nato*, *natino*, vnde *natinatio* apud Festum a *nego*, *negino*, vnde *neginare*, in carm. Cn. Marij apud eundem.

Obstipo *capite* esse dicuntur, quibus ceruix est immota, rigidáque. Persius sat. III.

Esse quod Arcesilas, ærumnosique Solones,

Obstipo capite, & figentes lumine terram.

Vbi vetus interpres sub Cornuti nomine à Vineto editus: *Obstipo*, inquit, id est, *inclinato & cum obliquitate fixo*; *& grauitate fixo*. Quæ minùs probo, quia *obstipus* quoque est, qui erecto capite est, sed immoto. Ac similiter *obstipâ ceruice* est apud Tranquillum. Qui Græcis est σκληροτράχηλος. Est ea vox non à *stipare*, sed a *stipes*: quæ origine differunt, cùm hoc sit à στύπος illud à στείβειν. *Obstipus* igitur signat, stipitis instar immotum rigidúmque. Vel potius *obstipus* sit ab inusitato *stipus*: hoc a στύφω, quo propriè significatur vim habens adstringendi, sed καταχρηστικῶς ponitur pro *duro*. Nempe idem sunt στυφελὸς, στυφλὸς, στύφεις, στυφὸς. Quæ omnia à στύφω, *adstringo*.

Obstita dicuntur ab *obsistendo*, siue pro *oblique* ponatur, quomodo vsurpat Lucretius:

Omnia mendose fieri, atque obstita necesse est.

(ita enim, non *obstipa*, legit Festus) quomodo item Appuleius, lib. de Deo Socratis, semel iterúmque loquitur: siue eo intelligatur, quod *violatum ictúmque est de cælo*; quomodo Cloatius & Ælius Stilo, Festo teste, interpretabantur; ac in lege antiqua accipitur apud Cic. lib. II. de Legg. *Quibus diuis creuerint, procuranto: quem iue fulgura atque obstita pianto.* Notum sanè loca eiusmodi bidente expiari solere: vnde & nomen *bidental*. Etiam Cincius apud Festum auctor est, *obstitos* ab eadem origine esse vocatos, *qui Deo Deaue obstitissent*, hoc est, qui vidissent, quod videri nefas est. Quales in furorem agi credebant: vnde & νυμφόληπτοι & *Cerriti* dicebantur: vt suo loco ostendimus.

Obstrigillo a Nonio exponitur *obsto*: qui eo Ennium, & sæpius Varronem vsum docet. Contentus ero istoc Varronis: *Lex neque ignoscens propter simultatem obstrigillat, neque nocenti propter amicitiam ignoscit.* Hoc est, non aduersatur innocenti, siue non afficit. Etiam Obertus Giffanius legit apud Catullum Carm. ad Thallum:

———*Manúsque mollicellas*

Inusta turpiter tibi flagella constrigillent.

Sed verius est hoc loco *conscribillent*: de quo Scaligerum vide in Notis ad Veronensem hunc poëtam. Ab *obstrigillando obstrigillator* dicitur. Vt apud Varronem: *Æmulum eleganteis atque obstrigillatorem.* Ita appellat eum, qui inuidiâ moratur atque impedit artis profectum. Perperam vulgo scribitur *obstrigillatorem*. Nempe putant esse à *strigile*: quâ lædimus, cùm vehementiùs *stringimus*. Putauit ad Turnebus. Ita propriè sit, quod Belgæ eâdem metaphorâ dicunt, *Ymanden wat roskammen.* Nec absimili metaphorâ dixit Terentius: *Depexum te dabo.* Nam & *pectere* eodem modo dixere pro *mulcare*, vnde Plautus, *Os pugnis pectito.* Sed potiùs *obstrigillo* est à *strigilo*, quod in Onomastico veteri exponitur ξύω. Estque a *strigo* seu *stringo*, *strigillo*, vt à *signo*, *sigillo*; à *sorbeo*, *sorbillo*; a *conscribo*, *conscribillo*. Hanc sententiam confirmat, quòd antiqui *obstrigillas*, vel *obstrigilla*, dixere *vincula soccularum*, vel *calceos ammentatos*. Isidorus, lib. XIX. cap. vlt. *Obstrigilli sunt, qui per plantas consuti sunt & ex superiore parte corrigia trahitur, vt constringantur: vnde & nominantur.* Etiam hoc etymon firmat, quod in *annulo cauitas*: quæ Græcis σφενδόνη, aliter dicitur *obstrigillum*, quia constringat & cohibeat gemmam. Glossæ: *Obstrigillum*, σφενδονοφύλαξ. At Hesychio σφενδονοφύλαξ, πίλος, siue *pala*.

Obturare est *claudere*; *reserare*, contra, est *aperire*. Posteriori hoc vtus Varro Agathone: *Pueri obscenis verbis noua nuptæ aures returant.* Quo loco ad veterum respexit consuetudinem, qui simulac virgo nupta detulisset prætextam ad Fortunam Virginalem, pueris permittebant, vt coram eâ obscena verba proferrent: antè verò Veneris vocabulis acerbæ virginis aures imbuere non licebat. De etymo sic Festus: *Obturare ex Græco trahitur, ab eo, quod illi ostia dicunt θύρας.* Et sanè *obturare*, & *returare*, esse a θύρα, quo *ostium* significatur, communior sententia est. Vnde & *obthurare* scribere iubent. Sed in codd. antiquis absque spiritu passim legas. Præterea haut facilè recurrendum ad illud compositionis genus, quod est ex Latina & Græca voce. Denique in θύρα corripitur prior, cùm secunda in *obturo* sit porrecta. Propterea non minùs placet, vt quemadmodum à *cera* vel *sera* est *obcerare* & *obserare*: ita ab *ob* & *tura* dici *obturare*: vt item à *re* & *sera* est *reserare*, ita à *re* & *tura* esse *returare*. Ita *obturare* erit vox profecta à more sacerdotum, qui aures ture opplebant, ne audientes alia turbarentur: ac rursum perfecto sacro negotio tus eximebant, vt aures paterent illis quæ dicerentur. Hanc consuetudinem discere possumus ex istis Varronis verbis apud Nonium: *Atque etiam sacerdotes aures suas ture replebant, ne peregrinis verbis interuenientibus confusâ carminum memoriâ turbarentur.*

Occasio ab *occido*, quod ex *ob* & *cado*, vbi *ob* capitur vt in *offero*. Dicitur enim *occasio*, quia casus est se offerens: estque interdum vera caussa, interdum πρόφασις ac *prætextus*. Festus: *Occasio, opportunitas temporis casu quodam prouenientis est.* Cæsar Scaliger, in Theophrasti de causs. plant. lib. II. cap. VI. *Occasionis vox satis indicat rem ipsam. Est enim quasi ob causam, vel ob casum.* Pro *occasio* etiam *occasus* vett. dixere, teste Festo, qui illud Ennij laudat:

Hic occasu' datu' st, at Horatius inclutu' saltu.

Alia quoque eiusdem loca similia ibi vide.

Occillare dixit Plautus, Amphitr. Act. I Sc. I.

Aliquem hominem allegent, qui mihi aduenienti os occillet probè.

Hanc enim rectam esse lectionem planè puto. Nempe vt (quemadmodum acute coniectat Christophorus Colerus) veniat *occillo* ab *occare*, quod est βωλοκοπεῖν, βωλοκοπεῖν. Gloss. vett. Βωλοκοπῶ, *occo*, *occillo*, *pastino*. Hinc, *Occillator*, βωλοκόπος. Nec mirum in hac re ab *occatione* arcessi tralationem, cùm à *liratione* in eadem re petat Pomponius, cùm ait. *Numquid hic restat, qui nondum labeas liraris mihi?* Duza tamen suspicatur Plautum scripsisse *ossillet*, ab *osse*, vt sit *ossatim* siue frustulatim totum caput comminuere siue concipillare.

Occo est idem quod *crate, vel rastro, glebas comminuo*. Quod in aratione fiebat, vt istâ concussione semina puluere operirentur. Iteratione confringebantur glebæ proscindendo excitatæ. Sed si ea non satis glebas imminuisset, occatio accessit, quæ eas penitus frangeret, puluerêque semina conderet & operiret. Virg. I. Georg.

Multùm

Multùm adeò rastris glebas, qui frangit inertes,
Vimineásque trahit crates, iuuat arua.

Vbi duo instrumenta refert. quibus occarent *crates*, & *rastra* quæ iccirco & *occas* dixere. Sic vocat Columella. Et est in Glossis Isidori: *Occa, rastrum.* Cùm Maro ait, *glebas qui frangit inertes*: exprimit Græcum βωλοκοπεῖν, quod est *occare*. Vsi etiam eâ voce, vbi nulla operirentur semina. Vt de vineis, Varro, lib 1. de R.R. cap. xxxi. *Vineas nouellas fodere, aut arare & postea occare, id est, comminuere, ne sit gleba. Occare* igitur generatim notat *comminuere glebas*. Quare planè censeo, *occare* dici ab Hebræo דָּקַק, *dakak*, abiecto D. Notat id verbum *comminuo*: vt דַּק לְעָפָר, *comminutus est in puluerem*, Deut. ix. 21. Exod. xxxii. 20 Hæc vera origo: etsi *occo* ab *occado*, quia *occatione* cædantur glebæ, dici putarit ibidem Varro. Sequitur enim: *Quod ita occidant, occare dicunt.* Similiter Verrius, teste Festo. Nec rectiùs Cicero in Cat Maj. vbi dici putat ab *occaco*, quia glebæ eâ *occæcantur*, hoc est sub terra operiantur & occultentur. Cuius etymi etiam meminit Festus. Ac probat idem tum Isidorus, lib. xvii. cap. ii. tum Cæsar Scaliger in Theoph. de caussis plant. lib. iii. cap. xxix. Vide & quæ de huius vocis notatione scribit Petrus Victorius, lib. xii. Var. Lect. cap. xii. Occationi Deus qui præerat, *Occator* dictus. Vt in Indigitamentis Flaminis Cerealis: *Veruactor, Redarator, Imporcitor, Insitor, Obarator, Occator, Sarritor, Subruncinator*, &c.

Occvlo, Perottus putabat esse ex *ob* & *celo*, vt *o* mutet quantitatem: quemadmodum *V* in *deiero* à *iuro*. Sed magis placet *occulo* esse ab *ob* & *colo*, propriéque dici de superficie agri, cùm quod sensui prius patebat arando subuertitur, alióque solo obtegitur.

Occvpo ex *ob* & *capio*. Vt composita à *cubo* vel primæ sunt, vel tertiæ: sed in tertia *M* adsciscunt, quo in prima carent: ita composita à *capio*, si primæ sint, deperdunt *i*, quod in tertia retinent. Itaque in tertia dicimus *occipio, incipio, suscipio* in prima *anticipo, occupo, nuncupo. Anticipo* esse ex *ante* & *capio*, satis liquet. *Nuncupo* existimo factum esse ex *nomen* & *capio*. Est enim *nuncupare* nomine suo vocare, siue nominare. Varro in Medo, *Quis tu es mulier, quæ me insueto nuncupasti nomine.* Liuius, lib. i. *Iulium Iulia gens auctorem sui nominis nuncupat.* Hinc *nuncupatim* pro nominatim, apud Sidonium & Claudianum Mamertum. Quæ sit *pecunia nuncupata*, vel quid *vota nuncupata*, vide apud Festum in *Nuncupata*.

Oceanvs, ὠκεανὸς, *mare externum*, ἄλλο γὰρ τὸ ἔξω τῆς οἰκουμένης, vt scribit auctor libri de Mundo, sic dicitur à *celeritate*, vt Solinus ait cap. xxvi. nempe ab ὠκὺς, id est, *celer*, & νάειν, quod est *fluitare*. Ad quod etymon allusit fortasse Homerus Il. φ. vers. cxcvii.

Ἐξ οὗ περ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα
Καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείατα μακρὰ νάουσιν.

Apud Papiam & alterum ὤκεος legas. *Oceanum*, inquit *Græci & Latini ideo nominant quod in circuli modo ambiat orbem: siue à celeritate, quòd ocius currat.* Videtur eò respicere, quòd Hebræis חוּג, sit *circulus, gyrus*. Sed de istoc plura diximus in secundo de Diis gentium.

Ocimvm, ὤκιμον, quidam dici putant ab *odoris acrimonia*. Nempe ἀπὸ τοῦ ὄζειν, quod est, *olere*. Quæ ἐτυμολογία fauet illis, qui *ozima* scribunt per Z: quomodo scribi solet in medicorum libris. qui Arabas medicos ante renatas literas verterunt. eodémque modo se scriptum inuenisse in manuscriptis Persij codd. ait Casaubonus. Sed veram esse scripturam *ocima*, agnoscere cogimur, nisi conuellere velimus Græcorum Latinorúmque omnium auctoritatem, qui de *ocimo* scripserunt. Nec repugnat ἐτυμολογία, quandoquidem est ab ὠκὺς, id est, *celer*: siue quia *celeriter nascitur*, vt putauit Festus: siue quòd *aluum celeriter ciet*, vt tradunt Varro, lib. i. de R.R. cap. xxxi. & Plinius, lib. xviii. cap. xvi. *Ocima*, si cum probris ac maledictis ferantur, faciliùs crescere stulta credidit antiquitas: vt cognoscimus ex Theophrasti Hist. Plant. lib. vii. cap. iii. & Plinio lib. xix. cap. vii. Hinc Persius, sat. iv.

Cum bene discincto cantauerit ocima vernæ.

Hoc est, cùm ingesserit seruulo maledicta. qualia cantari solent cùm *ocimum* seritur.

Ocrea, ex *ob* & *crura*. Varro lib. iv. de L.L. *Ocrea quod opponebatur ad crus. B* extritum. vt in *omitto*, Græca vox huic origini respondet. Gloss. Philox. *Ocrea*, περικνημίδες. Sed rectiùs Festus, cùm *ocreas* ob inæqualitatem sic dici coniectat, ab antiquo *ocri*, quo signabatur *mons asper & confragosus*; vt Ateius Philologus, in libro glossematorum retulit. Ita dixit Liuius Andronicus, (vt ex eodem Festo discimus.)

Sed qui sunt hi, qui ascendunt altum ocrim?

Et,

Celsósque ocris, aruáque petrina, & mare magnum.

Item, *Namque Tanari celsos ocris*. Et, *Vt quem Chiro in Pelio docuit ocri.* Estque acceptum à Græcis, quibus *montis cacumen* ὄκρις vel potiùs ὀκρὶς dicitur: nempe quasi ἄκρις, quod idem signat. Suntque ab ea *ocrium* notione dictæ, *Ocriculum*, & *Interocrea*, Italiæ ciuitates. Non tamen *ocreas* dictas puto, quia montem confragosum *ocrim* dixere: sed quia & quæuis eminentia siue prominentia oblongior, *ocris* diceretur. vnde ὀκρίεσσα in Galeni Lexico Hippocratico exponitur ἐξοχὰς ἔχουσα. Indéque ὀκριόεις, *in longum protuberans, atque eminens*. Quamquam alij *asperum* potiùs interpretentur, qui & ὀκρίας exponunt τραχὺς λίθος, indéque ὀκριόωντο ab Homero accipi aiunt pro τραχύνοντο. quod etiam Hesychius probat. Vtraque autem interpretatio conuenit Festi verbis, cùm *ocreas* esse ait *inæqualiter tuberatas*.

Ocvlvs, ab ὀπτίλος, τοὺς γὰρ ὀφθαλμοὺς, ὀπτίλους οἱ Λακεδαιμόνιοι καλοῦσιν, vt ait Plutarchus in Lycurgo, & in Apophthegm. Laconicis. Vel *oculus* sit diminutiuum ab ὄκκος. Hesychius: Ὄκκος, ὀφθαλμός. Et præstat hoc etymon priori, si locus Hesychij sanus est. At non audiendi, qui ab *occulendo* deducunt. Vti Varro, itémque Lactantius, de opificio Dei, cap. x. *Vt igitur oculi munitiores essent ab iniuria, ciliorum tegminibus occuluit Deus, vnde oculos dictos esse Varroni placet.* Item Isidorus, lib. xi cap. i. *Oculi vocati, siue quia eos ciliorum tegmina occultant, ne qua incidentis iniuria offensione lædantur: siue quia lumen occultum habent, id est, secretum, vel intus positum.* Ad hoc etymon censent nonnulli respexisse Maronem, cùm de Polyphemi oculo, inquit,

——*Sub fronte latebat.*

Nam quomodo, aiunt, latere alioqui potuit, quod erat Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis instar. Verùm possumus cum Donato respondere, referri hoc debere ad deformitatem Polyphemi, cuius toruæ rugæ, & intonsæ comæ oculum contegebant. Est oculorum sensus acerrimus, de quo egregiè disserat Aristoteles primo Metaphys. Hinc *oculitus amare* dicimus, hoc est tanquam oculum. Ab eodem *oculissimus* dicitur pro oculi instar caro. Vtroque modo loquitur Plautus. Festum & vide. Etiam *oculi* in arbore, vnde *inoculatio* dicta: de qua Columella, lib. v. cap. x. & Plinius lib. xvii. cap. xvi. Etiam lapillos in litore *oculi* instar nitentes dixere *oculos*, & *ocellatos*, quasi *lapillos ocellatos* diceres. Varro Marcipore: *Altera exorat patrem ocellatorum, altera virum semodium margaritorum.* Sic Suetonius ait Augustum solitum *ludere ocellatis nucibúsque*. Græci similiter vocant *Nympharum oculos*. Apud Plinium quoque gemmæ nomen est *Beli oculus*. Metaphora simili, vt alibi dictum, calculos litorales vocarunt *vmbilicos*: nec enim figura valde dissimilis oculi, & vmbilici.

Ocior ab ὠκὺς, teste Seruio in iv. Æn. & Prisciano lib xi. & xv. Nempè à comparatiuo ὠκίων, vnde & *ocior* per *i* malim quam *ocyor* per *y*. Præsertim cùm per *i* scribatur in vett. libb. Ὠκὺς, verò à חוּשׁ vel חוּשׁ, id est, *festinauit, properauit*.

Odevm, ᾠδεῖον. Eius præter Græcos meminere Cicero ad Att. lib. iv. Suetonius, in Nerone; Vitruuius, lib v. cap. ix. Erat autem locus minuti theatri speciem habens, in quo certamina musica spectabantur: quale Athenis à Pericle extructum fuit: Romæ quatuor erant. Nomen ἀπὸ τῆς ᾠδῆς, hoc est, *cantu*: Suidas: Ὠδεῖον Ἀθήνησι θέατρον, ὃ ἐποίησεν, ὥς φασι, Περικλῆς, εἰς τὸ ἐπιδείκνυσθαι τοὺς μουσικούς. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ᾠδεῖον ἐκλήθη ἀπὸ τῆς ᾠδῆς. Aristophanis Scholiastes in Vesp. de *odeo* sic scribit: Τόπος ἐστὶ θεατροειδής, ἐν ᾧ εἰώθασι τὰ ποιήματα ἀπαγγέλλειν, πρὶν ἢ εἰς τὸ θέατρον ἀπαγγέλλειν. Vide & Hesychium, & imprimis Bernardinum Baldum in vocibus Vitruuianis.

Odi, quod defectiuum nunc ab *odio* inusitato, originem debet Græco ὀδύω. Hoc quoque in vsu esse desiit. Sed remansit ab eo in vsu ὀδύσσω vel ὀδύσσομαι quo Homerus vsus pro *irasci, succensere*.

Oesypvm quid sit, Ouidij hoc docet in tertio de Arte:

OEsypa quid redolent, quamuis mittantur Athenis,
Demtus ab immundo vellere succus ouis?

Item Plinius, lib. xxix. cap. ii. *Quin ipsæ sordes pecudum, sudórque feminum & alarum adhærentes lanis (œsypum vocant) innumeros propè vsus habent.* Est planè Græcum τὸ οἴσυπον; pro quo & οἴσυπος & οἰσύπη dicitur. Esse ab οἶς, hoc est, *ouis*, satis liquet. Posterior pars videtur esse σήπω, hoc est, *putrescere*. Est enim succus lanæ sordidæ, immundæque, qualis vel putrida est, vel odorem saltem putrescentium habet.

Offa ex Æolico ὄπφα pro ὄψα. Hesychius: ὄψα, ψωμοὶ μέλιτι δεδευμένοι. Indéque ὄψωνα eidem [illegible]. Cum illa ὄψεως descriptione, quam Hesychius adfert, probè conuenit illud Maronis in vi.

Melle soporatam & medicatis frugibus offam
Obycit——

Vt non dubium sit, quin poëta ὄψαρον signet. Planè igitur falluntur, qui *offam* dici putant ab *offerendo*: quia canibus, auibus, vt & alijs obiicitur animanti: vel ab ὀπός, id est, *succus*, siue *liquor*, quia melle, vel alio succo humectatur. Diminutiuum est *offula*, quod apud Varronem. Indéque *ofella*: quod *F non geminat*, vt Seruius monet in VI. Æn. Atque addit: *In diminutione enim plerumque multa mutantur.* Cuius generis est à *mamma*, *mammula*, *mamilla*. Eliso *M*. Simile igitur *offa*, *offula*, *ofella*, eliso *F*. Iuuenal. sat. XI.

——— *Exigua frustis imbutus ofella.*

OFFENDIX, vel quia *offenderet mentum*, infra quod erat, ad pileũ retinendum: vel quia cùm ab vtroque pilei latere amentum dimitteretur, vtroque concurrente infra mentum, se mutuò ibi offenderent. Festus: *Offendices ait esse Titius nodos, quibus apex retineatur, & remittatur. At Veranius cariola existimat, quibus apex retineatur & remittatur: quæ ab offendendo dicuntur, nam cùm ad mentum peruentum est, offendit mentum.* Vide Scaligerum Coniect. in Varr.

OFFICINAM, & *officium*, ridiculè quidam dici volunt, quod prosit multis, officiat nemini. Nos ἀντίφρασιν in Oratoriis nostris abundè explosimus. Meliùs illi, qui ab *efficiendo* dici volunt, *e* conuerso in *o*, quomodo ex *hemo*, *elus*, *Apello*, facta *homo*, *olus*, *Apollo*. Interea ne hæc quidem vera est sententia. Nam vtrumque planè est ab *officio*, quod ex *ob* & *facio*. Verùm olim *officere* idem fuit quod *efficere*, nunc tantùm sumitur pro *obesse*. Est & quarta ἐτυμολογία, vt *officium* κατὰ συγκοπὴν dicatur pro *opificium*, *officina* pro *opificina*. Sanè *officina* propriè est, in qua exercetur *opificium*. Itaque eo differt ab *apotheca* & *taberna*, quòd vtràque sit prior. Nam in *officinis* ea fiunt, quæ post vel in apothecam deferuntur, vt ibi custodiantur, vel in tabernam vt istic vendantur. Ea non distinguunt Gloss. Cyr. vbi est ἐργαστήριον, *taberna officina*. Vide *Apotheca*.

OLEA, *oliua*, *oleum*, ab *olendo* aliquis deduxerit, sed omnino secus est. Sanè *olea* quasi *elea* dici, agnoscit Varro lib. IV. de L. L. Est nempe ab ἐλαία, vt *oleum* ab ἔλαιον, *Al* in *E* abeunte, quomodo à φαινόλης est *fenestra*. *Oliua* verò ab ἐλαΐα siue ἐλάα fit inserto digamma Æolico, vt ab αἰὼν *æuum*, à λαιὸς *leuis*, &c. Flauius Caper lib. de Orthogr. *Olea arbor est, oliua fœtus, oleum liquor.* Non tamen hoc discrimen perpetuum est, vt docet illud Maronis Ecl. VIII.

Incumbens tereti Damon sic cœpit oliuæ.

Sed vbi contrà *olea* pro *oliua* ponatur, locus non occurrit. Scio *oleam conditaneam* legi apud Varronem, lib. I. de R. R. cap. XXIV. Vbi *oleam* pro fructu poni, dicunt Rob. Stephanus & alij. Sed arborem intelligere hic possumus, cuius fructus solet condi. Nam agit de serenda olea in agro crasso & calido. Nec validiùs probant id alia quæ adducunt vulgo. Ab *olea* est *oleitas*, *oleaginus*, *oleaster*. Gloss. Phil. *Oleaster*, ἀγριέλαιος. Gloss. Cyr. Ἀγριέλαιος, *oleaster*. Ab *oliua* sunt *oliuetum* & *oliuitas*.

OLEO triplicem habuit notionem. Nam & notabat *odorem spirare*, & *crescere*, & *perdere*. Primâ notione videtur esse ab אלח, quod est *fœteo*. Vel ὀλεφεῖς, quâ notat ὀσφραίνεσθαι, vti apud Hippocratem exponit Galenus. Vel ab ὄδωδα, præterito Attico verbi ὄζω, id est, *oleo*, quam etymologiam probat Marius Victorinus, libro I. artis Gramm. atque ait similiter *D* in *L* abire, in μελετᾶν *meditari*, δάκρυα *lacryma*, & aliis. Sanè hodiéque *odor* dicitur per *d*. & veteres *odefacit* pro *olefacit*, dixisse, auctor est Festus. Quare omnino & *oleo* videtur prius fuisse *odeo*, vnde *odor*, & *odefacio*, ex quo *olfacio*. Ab hac *olendi* acceptione dictum *oletum*, vnde *oletare*, de quibus separatim. Item hinc *olentica*, *mali odoris loca*: vt est apud Festum. Sic sanè MSS^ti^: nisi quod in aliquibus est *oblonsica*. Fortasse *olentica* scriptum fuit. Altera *olendi* notione, quâ valet *cresco*, videtur esse ab *alo*: nam & veteres in tertiâ *olo* dixere pro *oleo*. Ab hac significatione sunt *suboles*, & *proles*, de quibus seorsim: item *abolescere*, quod in Glossis Philoxeni exponitur ἀπακμάζειν, id est, *desinere vigere*. Item *exoletus*, scortum masculum iam adultum Festus. *Exoletus, qui olescere, id est, crescere desiit.* Glossæ Philoxeni. *Exoletus* Υπερακμος, ἐξώλης, vbi leg. ἔξωρος. At *exoletus*, adiectiuum idem notat, quod extinctum sopitúmque vnde apud Liuium *exoleto odio*. Atque hæc posterior acceptio satis ostendit, non aliunde hanc vocem esse quàm ab *oleo*. Non item id paret ex priori. Quippe secundùm eam videri queat *exoletus* dici à *soleo*, quasi quem amplius nemo solet, scilicet consuescere, quomodo illæ apud Plautum Cistel. aiunt:

Viris cum suis prædicant nos solere.

Itidem nec satis paret, *obsoletus* sitne à *soleo*, an *oleo*. Posteriorem opinionem amplectitur Cæsellius apud Cassiodorum, lib. de Orthographiâ, cap. X. *Obsoleuit S quidem habet, sed non ipsius verbi, verum præpositionis, quæ est obs, sicut à, ab, abs, quasi aboleuit, id est, inueterauit, & absorbuit diuturnitate.* Hæc ille. Idem scribit Priscianus lib. IX. Sed nec ineptè dixeris esse à *soleo*, quando *obsoleta* vocantur, quibus vti solemus, nec vtimur ampliùs. Imò fortasse neutrum verum est, sed est ab tertia significatione verbi *oleo* quâ notat *perdo*, nempe ab ὀλέω, siue ὄλλυμι. Sanè vnde *aboleo*, nisi ab ea notione, quâ & Græci dicunt ἀπολλύω siue ἀπόλλυμι; Longe id quidem verisimilius, quàm id sit à significatione ea quâ signat *odorem spirare*: Nempe vt *aboleo* sit, *odorem peraccrem eo*. Sin duas solùm significationes ponere visum, potiùs erit ab *oleo*, id est, *cresco*. Nempe vt *orior* & *aborior*, ita *adoleo*, vel *adolesco*, ita *aboleo* & *abolesco*, opposita sint. Et sanè vt illud *adoleui adultum* (quod ex *adolitum*) ita hoc *aboleui abolitum* facit.

OLETVM pro *loco*, *in quo olea consita* (quomodo Cato aliique Rei R. scriptores vsurpant) ab *olea* eo modo dicitur, quo ab *oliua* est *oliuetum*; à *dumus*, *dumetum*, à *rosa*, *rosetum*, à *pomus*, *pometum*, à *salix*, *salicetum*, & κατὰ συγκοπὴν *salctum*, &c. At interdum *oletum* est ab *olendo*, ponitúrque tum pro *loco olente*; cuiusmodi est, in quo vel aluus exonerari solet, vel crebrò meitur. Hoc pacto vsurpat Persius sat. I. Nam cùm dixisset:

——— *Hic, inquis, veto quisquam faxit oletum;*

Subdit pòst;

——— *pueri sacer est locus: extrà*
Meite. ———

Vnde liquet falli eos qui *oletum* interpretantur *stercus*. Porrò ab hac posteriori *oleti* significatione venit verbum *oletare*; pro *fœtidum ac sordidum reddere*. Bis inuenitur id verbum in lege apud Frontinum lib. II. de aquæductibus: NE QVIS AQVAM OLETATO DOLO MALO, VBI PVBLICE SALIT: SIQVIS OLETARIT, SESTERTIORVM X MILLIVM MVLTA ESTO. Vbi *oletare*, vt Frontino ipsi videtur, est *olidam facere*. Itaque legis huius sententia eadem est ac constitutionis istius, quâ cauetur ne fluuij qui sunt commune poculum polluantur, aut sordibus aut sudoribus equorum.

OLIM esse ab Hebræo עולם: quod idem significat Ios. cap. vlt. vers. II. iam diu obseruatum a doctissimo Masio comment. in Iosuam. Nec tamen displicet Martinij sententia, qui vt *quondam* dicitur, quasi *quodam tempore*, hoc est, *in tempore aliquo longiùs remoto*; ita vt *olim* dici arbitratur quasi *in illo tempore*, ab antiquo *olle* vel potiùs *ole*. Nec enim veteres geminabant. *Oli* pro *illi* nec Maro refugit. Aduerbio *olim* tria tempora notari, notat Seruius in I. Æn. Præteritum, vt *olim arbos*. Præsens, vt

———*Tumidis quod fluctibus olim*
Tunditur. ———

Futurum, vt.

Nunc olim quocunque dabunt se tempore vires.

OLLA quasi *bulla*, quia in ea ebulliat aqua, igni subiecto. Ita quidem Isidorus lib. XX. cap. VIII. Verisimilius, qui ab *olera* deducunt, quod in eo coquitur. Notum illud Catulli:

Hoc est quod dicunt, ipsa olera olla legit.

Cogitandum interim veteres dixisse *aula* quòd si Becmanum audimus, fuerit ab עוליל, quod in coniugat. secunda עלל, id est *corrupit*, *destruxit*. Nam *olla* cùm ex argilla sit, facilè confringitur. Quicquid de hoc etymo est, veteres dixere *aula*, non *olla*. Festus: *Aulas antiqui dicebant, quas nos dicimus ollas; quia nullam literam geminabant. Itaque aulicoqua exta, quæ in aulis coquebantur, dicebant: id est, elixa.* *Au* mutatum in *O*; quomodo dixere *caudex*, *codex*; *auriga*, *origa*; *cauda*, *coda*. Gloss. vett. *Coda*, οὐρά. *Aula* voce vsus Plautus, cùm alibi sæpe, tum in Captiuis: *frangere aulas in caput*. Idem in veteri legitur Inscriptione, pag. LXVII. v. Indéque *Aulularia* Plauti dicta, ab *aula* Euclionis auri plena. Quòd si Iosephum Scaligerum audimus, ab *aula* etiam *aular* dixere pro *olla operculo*, eâ ratione, quâ dicimus *puteal* pro *operculo putei*. Itaque apud Varronem legit. lib. III. de R. R. cap. XV. *In tenebris cùm aular impositum est, fiunt pingues glires.* Ab *aula* etiam fit *auxilla*, si rectè in MSS^tis^ Festi legitur: *Auxilla, olla paruula.* Vt à *palus*, deducunt paxillus, à *mala*, *maxilla*, sic ab *aula* esset *auxilla*. Sed de eiusmodi vocibus vide quæ diximus in *Alea*, & alibi.

OLOR, nunc pro *odore* sumitur, nunc pro *cygno*. Philox. Gloss. *Olor*, κύκνος, ὀσμή, ὀσμὴ. Pro ὀσμῇ ab *oleo* venire, satis est euidens ex iis, quæ in *oleo* diximus. Differt autem ab *odore*, quòd hic bonus sit, ille malus. Vnde Arnobius lib. II. aduersus nationes: *Amara sunt enim elementa, vel dulcia; odoris sunt alicuius, vel oloris: vt ex eorum concretione credatis esse partitas in nascentibus qualitates, quibus aut suauitas nascitur, aut sensibus offensio comparatur.* At vnde veniat, cùm idem notat ac *cygnus*, satis est obscurum. Isidorus quidem sic de eo scribit, lib. XII. cap. VII. *Olor auis est, quam Græci κύκνον appellant. Olor autem, quòd sit totus plumis albus. Nullus enim meminit cygnum nigrum. Ὅλος enim Græcè totus dicitur. Cygnus autem à canendo appellatus, eò quòd carminis dulcedinē modulatis vo-*

cibus fundit. Sed si *olor* est Latinum, *cygnus* Græcum, quomodo illud à Græco ὄλ☉, hoc à Latino *cano?* Nihilo verisimilius Fulgentius Planciades, lib. II μυθολογιῶν. Fab. de Cygno & Leda. *Ideo*, inquit, *Iupiter in cygnum conuersus dicitur, quod ferant physiologi, maximè Melissus Euboicus, qui omnium physiologorum sententias disputauit, huius generis auem, ita cantu cius esse plenam, vt ipsâ aue clamante reliquæ aues taceant, quæ præsto fuerint, vnde & olor dictus est, quasi ab λιγυρῶ, tractum, quod nos Latinè iniuriam dicimus.* Atque hoc ex Fulgentio ἔτυμον legas quoque apud Io. Baptistam Pium. Annotat. Poster. cap. CXXVIII. Magis autem verisimilia dicunt, qui deducunt à Græco ᾠδὸς, vt δ in *L* abeat, quomodo ab Ὀδυσσεὺς est *Vlysses*, ac Σ in *R*, quomodo è *silicesinium*, *casmen*, *esit*, facta sunt *silicernium*, *carmen*, *erit*. Vel potiùs ab Hebræo הלל, quod est, *cecinit laudauit*. Pro hac sententia facit passiua veterum opinio de *cygnorum cantu*: quam sequuntur (vt poëtas mittam.) Plato in Phædone, ac Aristoteles lib. IX. histor. animal. cap XIV. Sed canere negant Plinius, lib. X. cap XXIII. Ælianus. lib. I. var hist. Athenæus lib. IX. & è iunioribus Cæsar Scaliger, Exercitat. CCXXXII & Bodinus in Methodo histor.

Olvs, siue *holus*, antiquis etiam *folus*: vt *hedus fedus*, *hostis fostis*, teste Festo in *Fedus*. Próque *holus* etiam *helus*. dixere: vt *helusa olera*: teste eodem Festo in *Helus*. *Olus* ab *olla* dici, ait Varro, lib. IV. de L.L. Nempe veteres dixere *ola*. Ad hanc *oleris* ἐτυμολογίαν respexisse putant Catullum, cùm ait.

Hoc est, quod dicunt, ipsa olera olla legit.

Vbi *ollam* viri esse nomen, malè censet Bruyerius Campegius, lib. VIII. de re Cibaria cap. II. Sed superiori etymo nonnihil demit auctoritatis, quod in *olus* corripitur prior, contra quàm fit in *ola* siue *olla*: Quare veriùs fortasse Cæsar Scaliger ab ὄλ☉ deducit, vt *panis* à πᾶν. Nam in vett. libb. *volus* scribitur. Verba Scaligeri sunt ista, in primum de Plantis: *Holus dicit quamcunque herbam esculentam claro indicio priscæ frugalitatis, quæ ad victum sibi nihil obsonij deesse existimaret, modo ne deesset holus.* Sed hoc quoque longiùs esse quæsitum quis non videt? Simplicissimè & verissimè Iosephus Scaliger deducit ab *oleo*, id est, *cresco*. Quasi Belgicè dicas *'egewas*. Nam generatim eo nomine appellabant, quicquid satiuæ herbæ cresceret, cuius foliis & caule in cibum vtimur: teste etiam Valla, lib. III cap. IX.

Olympias spatium annorum quatuor ex eo dicitur, quòd iuxta Olympiam, Elidis ciuitatem, quæ & Pisa dicta, teste Stephano, quincto quoque anno fierent certamina gymnica in honorem Iouis *Olympij*. Nec obstat, quòd Ouidius *Olympiada* appellet *quinquennem*,

In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est:
Iam tempus lustri vertit in alterius.

Nam decipit eum vox Græca πεντετηρὶς, quomodo *Olympias* vocatur non quia constet tot annis absolutis, sed quia quincto quoque anno redeat in orbem. Eadem in re falsus, scribit alibi

Postque meos ortus Pisæa vinctus oliua
Abstulerat decies præmia victor equus,
Quum maris Euxini positos ad læua Tomitas,
Quærere me læsi principis ira iubet.

Nam sententia Ouidij est, fuisse se annorum quinquaginta, cùm excessit ex Italia. Hunc Ouidij lapsum obseruauit Scaliger animaduers. Euseb ad annum MMXXXIII. pag. CLXVIII. Neutiquam verò ignorandum *Olympiada* primam ex Scaligeri Computo incidere in annum mundi ter CIↃCCLXXIV. qui est ante Romam conditam XXII. Nam vt antiquus idémque optimus scriptor, Africanus tertio annalium, Eusebio teste, scripsit: *Vsque ad Olympiades nihil exploratum in historia Græcorum inuenitur: sed omnia confusis conscripta sunt temporibus.* Ratio, cur postquam Olympiadibus numeratum est, gesta ignorari nequiuerint, non alia est, quàm victores stadio scribi ἐν ἀναγραφαῖς coeperint Putant autem Græci sua tempora ab ea, quam Iphitus instaurauit, in qua Coræbus vicit. Qui scribunt, Iphitum instituisse *Olympia*, falluntur. Nam instituit, Pelops: verùm ab Atreo & Hercule sunt instaurata. *Olympias* ea, quam Iphitus instaurauit, secundùm Aristodemum, & Polybium, fuit vigesima octaua: secundùm Callimachum, decima quarta Vide quæ de vetustate *Olympiadum* vni notata Scaligero animaduersionibus Eusebianis ad annum MCC XLI. p. LXV.

Olympvs pro *cœlo* accipitur à poëtis: Ac licèt cùm promontorium, tum montes XII. *Olympi* nomine vocentur: tamen videtur propriè *cœlo* conuenire, vt dicatur quasi ὁλολαμπὴς siue ὅλ☉ λαμπρὸς, *totus lucidus*: vt ait Aristoteles, siue alius, libello de Mundo, Diodorus Siculus, lib. V. Iulio tamen Scaligero de caus. L.L. cap. XXVI. ita creditur propriè, non *cœlum*, sed *mons*, quia ὁ λίαν τὰς ποιεῖ, credo quia *Olympi* tanta esset altitudo, vt tandem pedes adscendentium non possent conspici. Itáque non adsentio Chabotio qui commentario in primam Horatij oden apud Scaligerum putat legi debere, ὁλυμπὸν τὰς ὄμμα, quòd *frigore eius montis oculi velantur.*

Omasvm, crassior pinguiórque ventriculi pars, fortasse ab עמס, quod est *onerare*. Caue autem *omasum* confundas cum *omento*: de quo infra.

Omen, vt Varro scribit, lib. V. de L.L. *quod ex ore primùm elatum est.* Sed priùs *osmen* fuit, vt ibidem dicitur, quomodo *oscines* dicimus, *quòd ore faciunt auspicium.* Festus: *Omen velut oremen, quod fit ore: augurium, quod auibus, aibus modo fit.* Nonius. *Omen votum est mentis & vocis: vnde sacrificantibus dicitur bona omina habere: id est, vt circumstantes & mente recta velint, & bona oribus proferant.* Similiter Donatus in Andr. II. Becmanus verò mauult esse ab נחש, *b nen*, הנחש *benacho*, quod inter alia notat *omen*, κληδονισμὸς, *augurium*. Ab *omen* est *ominosus*, mali ominis, ἀπαίσι☉. Item hinc *ominor*, & *abominor*. *Abominosus* pro *ominosus* edidit in Solino suo Vinetus. Sed Latium eam vocem nescit.

Omentvm in Philoxeni Glossis ἐπίπλοος explicatur: vti & ab Isidoro, lib. XI. cap. I. *Omentum* inquit, *membrana est, quod continet intestinorum maiorem partem, quod ἐπίπλουν Græci vocant.* Ac ἐπίπλο☉ siue ἐπίπλοον dicitur quia (vt ait Gorræus) *iecinoris quidem cauo, & ventriculi fundo, & duodeno intestino, & lieni, & colo ligamentis adhæret, reliquis autem intestinis prætenditur, & quodammodo ἐπιπλεῖ, hoc est, innatat. Omentum* verò vnde sit, coniectandum nobis. An quia *manet*, & *moratur circa intestina*, eò dicemus esse ab *omentare*, siue, vt veteres scribebant *ommentare*, quod est *vltra ac circum aliquid mantare*, siue manere: teste Festo, qui eo vsum docet Liuium Andronicum in Odyssæa, cum ait:

In Pylon aduenens atque ibi ommentans!

An potiùs vt à *momen* est *momentum*; à *fulmen*, *fulmentum*, ita ab *omen*, *omentum*: vt nomen indè sit impositum, quòd aruspices *omina* ex eo captarent An denique, quia Latini interdum vocalem Græcis præmittunt, vt alibi ostensum, eò fieri dicemus à μῆνιγξ, quod imprimis quidem *cerebri membranæ* notare solet, sed tamen *omento* quoque conuenit, vnde ab Hesychio ἐπίπλους exponitur: quemadmodum contrà *omentum* etsi de *membrana*, *quâ intestina inuoluuntur*, ferè dicitur, tamen & *cerebri membranæ* competit, quomodo vsurpat Macrobius lib. VII. Sat. cap. IX. *Cerebrum*, inquit, *quod tactu suo hominem vel torquet, vel frequenter interimit, non suo sensu, sed vestitus sui, id est omenti, hunc importat dolorem.* Hæc si sententia placet, à μῆνιγξ, præmisso O erit *omen*, vnde *omentum*, ea formâ, quâ *momentum* à *momen* esse diximus. Ab *omento*, *omentata isicia* dixit Apicius, hoc est, *omento farta*.

Omnis vel est à μόν☉ καὶ μετάθεσιν (nam & significatio sæpe conuenit, & traiectio eiusmodi in multis inuenitur) vel ab ὁμοῦ, aut potiùs ὁμοῦ quod est, *vna*, *simul*. Prius etymon apud Angelum Caninium inuenimus in Hellenismi Alphabeto: posterius apud Cæsarem Scaligerum, lib. IV. de Re Poët. cap. XVI. Ab *omnis* Latini dicunt *omnino*, vt Græci πάνυ à πᾶς quæ idem significant.

Omphacivm legimus apud Plinium lib XII cap. XXVII. Græc. ὀμφάκιον. Est *succus vuæ immaturæ atque acerbæ*, quæ Græcis ὄμφαξ dicitur, vnde ὀμφάκιον. Ὄμφαξ autem, quasi ὠμὴ εἰς τὸ φαγεῖν, *cruda ad edendum*.

Onager, ὄναγρ☉, quasi ὄν☉ ἄγρι☉, *asinus siluestris*. Vide de eo è iunioribus Bruyerium Campegium, lib. XIII. cap. XXII. Est & *onager* machina bellica, de qua Ammianus, lib. XXIII. Sed tum venit ab ὄν☉, id est *vectis*, & ἀγρεῖν, *comprehendere*. Vt simile sit illis, πυράγρα, ποδάγρα, & similibus.

Onocrotalvs, ὀνοκρόταλ☉, ab ὄν☉, *asinus*, & κρόταλον, *crepitaculum*. Nempe quod collum aquâ mergens, & spirans rostri crepitu asini ruditum imitetur. Nam κροτεῖν, *crepitare rostro*; κρότ☉, *crepitus rostri*: quomodo vtroque Philostratus vtitur Epist. IV. Vbi de ciconia loquitur, de qua similiter Ouidius:

Ipsa sibi plaudat crepitante ciconia rostro.

Onvs Scaligero, de caussis L.L. cap. XXVI. ac Nunesio in Grammatistice, placet esse ab ὄν☉, cuius est onera gestare. Puto esse potiùs, à Chaldæo אונס, *ones*, quod est *premens*, *cogens*. Esth. I. VIII. à Radice אנס, *cogere*, *premere*, *onerare*. Vel ab Hebræo עמס, aut עמש, *onerare*, *baiulare*. Quod & placet Becmano. Ac censeo Græcum ὄν☉, ab hac quoque origine fluxisse. Est enim asini baiulare onera. Ab ὄν☉ est ὄναγρ☉, *onager*. Item ὀνοκρόταλ☉, *onocrotalus*. De quibus seorsim. Ab ὄν☉ & ἄγω est ὀνηγὸς, vel ὀνηλάτης, *agaso*, *asinarius*. Plautus Prolog. Asinar.

——— *Huic nomen Græcè est onagos fabulæ.*

De

Demophilus scripsit. Marcus vertit barbarè,
Asinariam vult esse, si per vos licet.

Ab ὄνος & χηλὴ, hoc est, *vngula*, est ὀνοχήλιτης: vti ab ὄνος & ὄνυξ ὄνυχος quod itidem est *vngula*, est *ononychitis*: quomodo in vulgatis codd. (nam MSS^ti^ mirè variant) apud Tertullianum legitur in Apologetico, cap. XVI. *Sed noua iam Dei nostri in ista ciuitate proxime editio publicata est, cum eiusmodi inscriptione, Deus Christianorum ononychitis. Is erat auribus asininis, altero pede vngulatus, librum gestans, & togatus. Risimus & nomen & formam.* Vbi cùm non tantùm *vngulam asini*, sed & *aures* nominet, fortasse non tantùm conflatur ex ὄνος & ὄνυξ, sed etiam ex οὖς ὠτὸς, quod *aurem* notat. Quod si est, *onotychotis*, pro *ononychitis* legi debet. Mihi quidem id magis probatur.

ONYX Latinis nunc *gemmæ* nomen est, nunc *marmoris* genus. Ac si Plinium audimus primò de *marmore* dicebatur, inde *gemmæ* id nomen tributū. Sic enim scribit, lib. XXXVII cap. VI. quo de varijs gemmis tractat: *Exponenda est & onychis ipsius natura, propter nominis societatem: hoc in gemmam transilit ex lapide Carmania.* Sed potiùs censeo, lapidi Carmaniæ à gemma nomen datum esse. Vel vtrumque sic dicebatur à *corneo vnguis candore*. Nam ὄνυξ, *vnguis*. Plinius, ibidem: *Sudines dicit in gemma esse candorem vnguis humani similitudine.* Plura ibidem de *onyche gemma* legere potes. At de *onyche lapide* tractat lib. XXXVI. cap. VII. *Onychem*, inquit, *etiamnum in Arabiæ montibus, nec vsquam alibi nasci putauere nostri veteres. Sudines in Germania, potorijs primum vasis inde factis, dein pedibus lectorum sellisque.* Vbi pro *Germania*, *Carmania* rescribendum, quomodo alibi vt vidimus, ait *nomen in gemmam transire* ex lapide Carmaniæ. Subiungit deinde: *Cornelius Nepos tradit, fuisse magno miraculo cùm P. Lentulus Spinther ex eo Chiorum magnitudine cadorum ostendisset: post quinquennium deinde XXXII. pedum latitudine columnas vidisse se.* Pauimenta etiam hinc fieri solere, indicat hoc Martialis, lib. XII. epig. L.

Calcatusque tuo sub pede lucet onyx.

Hæc & alia, satis ostendunt, aliud esse *onychem gemmam*, qui lapillus est. aliud *onychem lapidem*, ex quo columnæ, & ingentia fierent pocula, totáque pauimenta. *Onyx gemma* dicitur ὑπὸ Ἑλλήνων ὄνυχιον. At lapis vocatur ὀνυχίτης λίθος. Atque idem est qui *alabastrites*. De posteriori hac *onychis* significatione plura vide in *Alabastrites*.

OPACVS opponitur *aprico*: vnde Festus exponit *vmbrosum*. Scaliger, Exercit. LXXX. sect. I. ait esse ab *ope*, hoc est, *terra*. Quod placet. Nam vmbræ & frigoris captandi caussâ in subterraneos se specus abdebant. *Opem* verò esse *terram*, ea ostendunt, quæ in *Opes* adducimus.

OPALVS, ὀπάλλιος, vnde ὀπάλλιον siue ὀπάλιον, quomodo hæc gemma Orpheo dicitur libro περὶ λίθων. India sola *opali* mater est. vt ait Plinius. lib. VII. cap. VI. Similiter de eo Isidorus: *Nomen habet ex patria, sola enim eum parturit India.* Sed de caussa nominis quod ait, verisimilius esset, si locus eius nominis esset in India.

OPES dixere pro *diuitijs*, quâ ratione eas vocamus, *facultates*. Nam ab *ope*. Sanè in illo Maronis, I. Æn. *Non opis est nostræ.* Seruius *opis* exponit *possibilitatis*. Vel dictæ *opes* ab *Ope*, quæ est *terra*, ac à poëtis *Mater Deûm* dicitur, quia, qui pro dijs habentur, in terra omnes nati sint, sed ob merita cœlo sint locati. Terra verò *Ops* vocata, *quia hic omne opus & hac opus ad viuendum*, vt Varro ait. IV. de L.L. Macrob. lib. I. cap. XX. ait *terram dici opem, cuius ope vitæ humanæ alimenta quæruntur: vel ab opere per quod fructus frugésque nascuntur.* Vel Dea hæc *Ops* dicatur, quasi *opulenta*, ac *diues*. Quomodo *Summanus* Græcis πλούτων. Latinis *Dis* vocatur. Ab ea verò *opes* appellatæ fuerint, quia in agris consistunt: ac terræ prouentibus, ipsæque pecuniæ illi debentur, iuxta illud poëtæ Sulmonensis: *Effodiuntur opes.* *Opes* quoque dicebatur *locus in foro Romano*, de quo ita vetus Iuuenalis interpres in sat. X. *Vsque ad Cerealem præfectum in foro Traiani arcas habuerunt Senatores, in quibus argentum aut pecunias tutiùs deponebant. Propterea & locus ipse, in quo erant arcæ posita, Opes dicta sunt:* Idem de arcis hisce ita scribit in sat. XIV. *Antea solebant arcas æratas facere, & ibi mittere pecuniam suam Senatores, & sic in foro (l. templo) Martis ponere. Verùm per noctem à furibus expilatæ sunt arcæ, & cœperunt ex eo ad templum Castoris ponere.* Ab *opibus* (non ab *ouibus*, etsi vir eruditus Ioan. Meursius in Auctario Philologico censeat *oues*, priùs dictas *opes*) dicuntur *diuites opulenti*. Varro, lib. IV. de L.L. *opulentus ab ope, cui ea opima.* Festus: *Opis dicta est coniux Saturni, per quam voluerunt terram significare: quia omnes opes humano generi terra tribuit. Vnde & opulenti, terrestribus rebus copiosi.* Ea autem forma ab *ope opulens* & *opulentus* dicitur, quâ à *vi* dicitur *violens* & *violentus*. *Violens* apud Horatium legas, lib. III. od. XXX & lib. I. epist. X. *opulens* verò est apud Cornelium Nepotem in Chabria: *Neque animo æquo pauperes alienam opulentium intuentur fortunam.* Ita se in omnibus MSS^tis^ reperisse scribit ad eum locum Lambinus. Ausonij quoque est in Vrbium catalogo de Mediolano:

Templa, Palatinæque arces, opulénsque moneta.

Opulento contrarium est *inops*, ab eadem origine. Varro, IV. de L. L. *Ab eadem ope inops qui eius indiget.* Nec tantùm *opibus*, sed etiam *ope*, siue *auxilio* destitutum signat: vt apud Plaut. Capt Act. III. Sc. I.

Ita iuuentus iam ridiculos inopésque ab se segregat.

Opiparum quoque dici ab *opis* seu *opum apparatu*, auctor est Festus. Glossæ exponunt πολυτελής. Ab *ope*, hoc est, *auxilio*, est *opitulari*. Donatus, in Andr. Act. I. Sc. III. *Opitulari & opitulatio dicta ab opem tollendo, id est, ferendo.* *Opitulari* igitur idem est, quod *opem ferre*, quia veteres pro *fero* dicebant *tolo* vel *tulo*, vnde verbum *tolero*, & præteritum *tetuli* ac *tuli*.

OPHITES, ὁ ὀφίτης λίθος, ab ὄφις, *serpens*, cuius habet maculas, vt *ecbites*, *viperæ*. Ὄφις ab Hebræo *ob*, de quo alibi.

OPICVS dicitur, *rudis*, *impolitus*, *agrestis*. Marcus Cato apud Plinium, lib. XXIX. cap. I. *Nos (Græci) dictitant barbaros, & spurcius nos, quam alios opicos, appellatione fœdant.* Similiter loquitur Gellius, lib. II. cap. XXI. lib. XI. cap. XVI. & lib. XIII. cap. IX. Item Ausonius, Symmachus, Terentius Scaurus, atque alij. Caussa locutionis est, quòd tales fuerint antiquissimi Italiæ populi, qui ad Tyrrhenum mare habitabant: vt constat ex Aristotelis lib. VII. Polit. cap. X. & Dionysio Halicarnass. Meminit & Thucydides, & Pausanias. & Stephanus de vrbibus. Sed hic planè errat, cùm à *serpentibus*, quos Græci ὄφεις appellant, *Opicos*, quasi *Ophicos* dictos tradit. Quod *Psyllis* magis conueniret. Nec tamen eius vnius hic error. Nam & apud Seruium legas in VII. *Campenses antea Opici appellati sunt, quòd illic plurimi abundauere serpentes.* Nihilò meliùs Scholiastes Iuuenalis, cùm ait, sic vocari à *fœdâ voce*. Nempe quia Græci ὄπα dicant *vocem* seu *linguam*: vnde homines dicti μέροπες, quasi μεμερισμένην ὄπα ἔχοντες, *vocem habentes diuisam*. Omnino autem magis verisimilis est sententia Cæsaris Scaligeri, qui lib. de caussis L. L. cap. XXXVIII. ita eos Italiæ populos dictos ait ab *ope*, id est, *terra*: quomodo, inquit, *Gaij* seu *Gay* dicti quasi γῆιοι siue γαῖοι. Sanè *opem* esse *terram*, satis ostendimus in voce *Opes*. Rationem autem cur ab ea *Opiscos* appellarint, hanc arbitror esse, quòd ob antiquitatem, *indigenæ* esse; non aliunde in Italiam aduenisse crederentur. Quæ & res *Aborigenibus* nomen dedit. Nam ita dicti quòd ab *origine* in Italia fuerint. Sanè non tantùm ante Herculis vel Æneæ in Italiam aduentum, sed etiam ante Pelasgos, Tyrrhenos, & Arcadas, Italiæ loca tenuerunt: quod satis constat ex primo Dionysij Halicarnass. Qua de re plura hîc non addam, quia in verbo *Orior* de eo iterum dicemus.

OPILIO quasi *ouipilio*, à *pellendis*, hoc est, *agendis ouibus*, vt ad Ecl. X. scripsit Camerarius. Alijs *opilio* quasi *ouilio*. Scaligero, cui subscribo, placet esse vocem magnæ Græciæ οἰπόλος, ὀϊπόλιον, sicut αἰπόλος, *caprarius*. Pro *opilio* Maro dixit *vpilio*, quod Caper damnat, de verbis dubijs. Vsus poëta vt prima produceretur, idque Græcorum imitatione, qui pro ὄνομα dicunt οὔνομα, pro ὄρεα οὔρεα, &c. Sunt qui censeant eâpse ratione *polypus* producere primam apud Horatium. Sed id si esset, *pulypus* dixisset. Quare vera longæ syllabæ ratio est, quòd Græci quoque πωλυψ πώλυπος dicant, vt ex octauo Athenæi cognoscimus. Idem docet Eustathius in Odyss. E. pag. CIƆDXLI. Τὸν δὲ πολύποδα πώλυπον οἱ Ἀττικοί φασιν, ὡς ἐν ῥητορικῷ δείκνυται λεξικῷ, καὶ πολύπουν. ἴσως δὲ καὶ Δωριεῖς καὶ Αἰολεῖς, πώλυπον; & paullò pòst: καὶ τὸ αἰολικὸν καὶ δωρικὸν δὲ ὃ ἡ μεγάλη πώλυπον παρὰ Ἐπιχάρμῳ ἰδεῖν δίκαιον; ὅτι γὰρ φασι τινὲς οὐκ ὀρθῶς ποιητικὸν πώλυπον; παρὰ δὲ Σιμωνίδῃ τὸ πώλυπον δεξάμενος. Ab *opilio* est *opimeculo*. Festus: *Opimeculo, quod opilionis genus cantus imitatur.* Sed MSS^ti^ quidam habent *Opimeulo*: quidam & *Opimiculo*.

OPIMVS idem quod πιμελὴς; & puto indè factum *o* præmisso, quomodo à πίνω est *opinor*. Nec absurdè tamen *opimus* ab *ope*, hoc est, *terra*, dici, scribit Festus. Sic propriè dicetur de solo non arenoso, sed *vbere glebæ*, vt Maro loquitur I. Æn. cuiusmodi imprimis *terra* nomine censetur ab agricolis. Ac à *pinguibus aruis* translatum sit ad alia; quomodo *bestiæ pingues* dicuntur *opimæ*, teste eodem Festo, & apud Ciceronem de claris Oratoribus opponuntur *habitus corporis opimus* & *gracilitas*. Ac similiter fortasse *opima spolia* tanquam *magnifica & ampla* dixere: nisi potiùs cum Festo malis ita dicta ab *Ope Consiua*, *quæ in Regia colebatur à populo Romano*,

quia omnes opes humano generi terra tribuit. Plutarchus in Romulo tradit ex Varrone, vel ita dici ab *opibus* ob ἀξίωσιν, vel ab *opus*, quòd generosi facinoris sint indicium. Sed posterius ἔτυμον nec assis est. *Opima* autem *spolia* dicebantur, quæ dux duci hostium detraxerit. *Ducem appello, qui suis auspiciis bellum gerit.* Tria istiusmodi spolia erant. Romuli, Cossi, & Marcelli: quæ Propertius enumerat. lib.IV. El. X. Val. Max. lib.III. cap.II. Plutarchus in Marcello. Festus in *Opima*, atque alij. Multa etiam de *spolijs opimis* legere potes apud Cæsarem Bullingerum lib. de spoliis hostium. cap.XXXVI.

Opinor, ab *opus*; vt *reor* à *re*; *cogito* ab *ago* siue *coagito*. Sanè hæc omnia, mentis *opus* significant. Vel *opinor* fit à πινύω, hoc est, φρονῶ, *sapio*. Vnde πινυτὴ, *sapientia, intelligentia*. Præmissum O, vt in *opimus* à πιμελὴς. Πινύω à בין, siue בון, vnde בינה, *intelligentia*. Vnde & φρὴν, & φρονέω. *Opinatissimi* dicuntur, de quibus maxima opinamur: vt *opinatissimi scriptores*. Et apud Florum, libro II. capite VII. *opinatissima Rhodus*, hoc est, *admodum celebris ac famigerata*. Hoc adieci, quia Stephanus Pighius, in lib.IX. Val. Maxim. cap.VIII. Rhodon ab eo *opinatissimam* ait vocari, quia Romanorum victorias opinari & præuidere potuerit, vtpote Soli sacra. Quæ quidem interpretatio plane nec assis est. Vide & de *opinatorum* vocabulo quædam apud Alciatum. lib.VIII. Παρέργ. Iuris cap.XII.

Opisthographum, ὀπισθόγραφον, ab ὄπισθεν, *retro*, & γραφὴ, *scriptura*. Nimirum sic charta dicebatur, quæ non solùm in parte aduersa, sed etiam in tergo esset scripta. Sæpius enim in aduersâ solùm paginâ scribebant. Sin etiam in auersâ scriberetur, *opisthographa* dicebantur. Cuiusmodi erant codices accepti & expensi. Nam aduersâ scribebant expensum: auersâ acceptum. Si summa conueniret, dicebant *paria*ri, sin minùs, *reliquari*. *Aduersaria* etsi essent *opisthographa*, ab *aduersa* tamen pagina, vt vsitatiori, nomen hoc acceperunt. Ac in rationibus quidem id necesse erat vt vtrâque paginâ scriberetur. Aliàs id fieri non solet. Vnde Martialis, lib.... epigr.

Scribit in auersâ Picens epigrammata chartâ,
Et dolet auerso quòd facit illa deo.

Siquis tamen longus nimium fores, necesse erat & auersam impleri. Vnde Iuuenalis Sat.I.

——Impune diem consumserit ingens
Telephus: aut summi plenâ iam margine libri
Scriptus, & in tergo necdum finitus Orestes.

Opiter ex *ob* & *pater*, vel *obito* & *pater*. Festus: *Opiter est, cuius pater auo viuo mortuus est: ducto vocabulo, aut quod obito patre genitus sit; aut quod auum patrem habeat, id est, pro patre.*

Opium, ὄπιον, *succus siue lac ex inciso papaueris scapo profluens.* Ab ὀπὸς: quo significatur *succus siue humor ex re incisa, vel etiam sponte dimanans.* Vnde *opobalsamum*, ὀποβάλσαμον, *succus è balsamo manans.* Sed Iustinus etiam pro ipsa arbore posuit. Impropriè sanè. Nam vox ipsa indicio est ὀποβάλσαμον esse ὀπὸν τοῦ βαλσάμου.

Oppidum, siue *opidum*, (vtrumque in vett. inscriptionibus legas) vnde sit, indicat Varro, IV. de L.L. *Oppidum*, inquit, *ab ope dictum, quòd munitur opis causâ, vbi sint; & quod opus est ad vitam gerendam, vbi habitent tuto; vel oppida, quòd opere muniebant mœnia, quò munitius essent.* Festus: *Oppidorum originem optimè refert Cicero*, lib. primo de Gloria, *eámque appellationem vsurpatione appellatam esse existimat, quòd opem darent: adijciens, vt imitetur ineptias Stoicorum.* Vbi fortè legendum, *Vt imiter ineptias Stoicorum.* Ciceronis enim verba adducit. Idem Festus: *Oppidum dictum est, quòd opem præbet.* *Oppidum dictum, quod ibi homines opes suas conferunt.* Seruius, in IX. Æn. *Oppidum quidam à vico castellóque magnitudine secernunt. Alij locum muro fossâve aliâve quâ munitione conclusum. Alij locum ædificijs constitutum, vbi fanum, comitium, forum & murus sit. Alij oppidum dici ab oppositione murorum, vel quod hominibus locus esset oppletus, vel quòd opes illo muniтionis gratiâ congesta sunt.* Isidorus, lib.XV. Orig. cap.II. ab *ope mutua aduersus hostem* deriuat, sed addit: *quidam ab oppositione murorum dixerunt; alij ab opibus recondendis.* Vide & si voles quæ de *oppidi* etymo scribit Scoppa. lib.I. Collectaneorum, cap.XXVIII. Imprimis autem sic dici placet, quia, *qui rure agerent, propter pericula opes eò conferrent suas*, vel quia *opem inde expectarent.* Ab *oppidum* est *oppido* pro *valde*. In quo lusit Appuleius in Apolog. *Lignum à me toto oppido, & ... oppido quæsitum.* Alteram notionem suggerit Charisius lib.II. *Oppidò*, inquit, *pro verò aut statim.* Plautus Bacch. *Redde ... omne oppidò.* Sed altera notio crebra magis. Ea vnde fluxerit, Alciatus docet in Tit. de verb. signif. Vnde eam ... didicisse profitetur Scipio Gentilis, notis in Apolog. App. Nempe non occurrebat doctissimo viro locus Festi. Ex quo id hausit Alciatus. Verba eius sunt: *Oppido, valde multùm. Ortum est & hoc verbum ex sermone inter se fabulantium, quantum quisque frugum faceret, vtque multitudo significaretur, sæpè respondebatur, Quantum vel oppido satis esset. Hinc in consuetudinem venit, vt diceretur oppido, id est, valde, multùm.* Postea verò ista subiungit: *Itaque si in alijs rebus eo vtuntur, vtputà, si qui dicant, Oppidò didici, spectaui, ambulaui: ERRANT: quia nulli eorum subijci potest, quod vel oppido satis est.* Sed si, qui ita loquuntur, errant, errant quoque Plautus, Terentius, Cicero, Catullus, Oppius, Gellius, vt de Appuleio, Macrobio, atque alijs nihil dicam, quos omnes ita locutos constat. Nizolium, & Lexicographos adi, & quæ diximus, cum de falso suspectis ageremus in libris de arte. Aliam etiam *oppidi* notionem docet nos Festus. *Oppidum*, inquit, *dicitur & locus in Circo, vnde quadrigæ emittuntur.* Quod planiùs exponit Varro, lib.IV. de L.L. vbi & nominis caussam adfert. Verba eius adduximus in *Carceres*. Vti & locum ex Glossis Benedicti. Vt *sanequam*, ita & *oppidoquam* dici indicat hoc Vitruuij, lib.VIII. cap.III. *Fonticulus oppidoquam paruulus.*

Ops, quasi *auxiliatrix*: quia, vt Seruius ait in I. Æn. *secundùm Atteium Philologum, opes, numero tantùm plurali, diuitias significant: vt, Troianas vt opes. Numero vero tantùm singulari, auxilium.* Terentius: *Iuno Lucina fer opem, serua me obsecro.*

Opsidianus *lapis*, quem (vt Plinij verbis vtar) *in Æthiopia inuenit Opsidius, nigerrimi coloris, aliquando & translucidi crassiore visu.* Sed cum Plinius ipse dicat, *crassiore visu esse*, sic vt in speculis parietum pro imagine vmbras reddat, placet Salmasio potiùs ἀπὸ τῆς ὄψεως dici: præsertim cùm Arriano in periplo de insulis Æthiopiæ, & Græcorum alijs ὀψιανὸς dicatur, non ὀψιδιανὸς, quomodo ab *opsidio* diceretur. Imò Latinorum *obsidianus* quoque ἀνάλογος fit ab ὀψίδιον, quod ὑποκοριστικὸν ab ὄψις, ὄψεως verò nomine hîc *pupula* signatur. Hesychius: Κόρη, ὄψις. Nam *pupula* instar nigerrimi est coloris, & instar *pupillæ* reddit imagines: vt ex Plinio diximus.

Opto ab *ope* est, vt cum Perotto censet Cæsar Scaliger, Exercitat. CCCX. sect. I. Ita *optare* propriè fit *opem à Deo poscere*, siue *orare animo, vt succurrat inopiæ nostræ.* Vel potiùs *optare* est à ποθῶ κατὰ μετάθεσιν, & conuersio Θ in T, quomodo ab ἰθὺ est *vtorsâ* ῥοθῶ, *voto*. Ac placuit hoc quoque Angelo Caninio, & Nunnesio. Vel denique est ab ὄπτω siue ὀπτάζω, quod est *video, considero.* Est hæc sententia Bibliandri, Indice verborum in Marcum; & Iosephi Scaligeri, in Coniectaneis. Ita *opto* propriè fit *considerare, eligere*: quomodo Maro, III. Æn. ait:

Optauítque locum Teucro.——

Vbi Seruius. *Optauit*, inquit *id est, elegit*, vt,

Pars optare locum tecto.——

Idémque scribit in I. Æneidos. Est hæc notio in compositis *adopto*, & *coopto*. Nam qui *adoptat*, deligit quem in familiam suam adsciscit: & qui in senatum cooptabatur, is à Censoribus delectus inter senatores referebatur. Est quoque hinc *optio*; quo primò notatur *eligendi facultas*; hinc *qui eligitur*; denique κατὰ μετωνυμίαν, *quiuis perficiendæ rei adiutor*, quomodo vtitur Plautus Asin. Act.I. Sc.I. At Plutarchus non audiendus, qui ab ὀπτάνεσθαι deducere videtur. Nam ὀπτίων ei exponitur, ὁ δι' ὀπτῆρος ὑπηρετικὸς τινός; *qui ministeria obit per visores.* Rectiùs Varro, in IV. de L.L. ac Festus, Noniúsque, vterque in *Optio*, iuxta quos in militia propriè ita dicebantur, quos centuriones sibi adiutores optabant seu adoptabant. Similiter Vegetius, lib. II. cap.VII. *Optiones ab optando appellati, quòd antecedentibus ægritudine impeditis, hi tanquam adoptati eorum atque vicarij solent vniuersa curare.* Vide quæ ad locum hunc notauit Stevvechius. Accursius quid *optio* sit, non intellexit vt docet Alciatus annot. in III. post. libb. cod. Adi & Langium Octo Semestr. libro VII. capite IV. Ab *opto* quoque *optimus* dicitur, quod electissimum. Ab *optimus* est *optimas*, vt à *primus primas*; à *magnus magnas*. Súntque ea contracta ex *optimatis, primatis, magnatis*. Dicti *optimates*, quòd *optimis* suam caussam probatam vellent. Duo enim fuere in Rep. hominum genera, qui excellere cuperent: alij ea, quæ agebant ac dicebant, populo iucunda esse volebant, eóque dicti *populares*; alij ita sua instituebant, vt optimo cuique suam caussam probarent; atque inde appellati *optimates*. Hanc vtriusque nominis caussam adfert Tullius ipse Orat. pro Sextio.

Opus primò notat ἔργον. Estque ab ὄπω, quod duplicem habet notionem. Nam & *operor* notat, & *sequor* Hesychius: ἔπω, ἐργάζομαι, ἀγαθοῦμαι. Similiter Eustathius in Iliad. O.

pag.

pag. cIↄxxxi. edit. Rom. nisi quod ἵπω dicat ἐνέργειαν notare: ἐνεργῶ, ἀνύω, ἀνύτω. A priori notione τοῦ ἕπω vel ἕπομαι venit *sequor*, spiritu aspero abeunte in *s*, vt sæpe. At ab ἕπω qua notat *operor*, venit Latinum *opus*. Nec id Græcis notasse ἕπω, negare possumus; cùm & Homerus ita vsurpet si rectè Eustathius. Il. Z, ἕπουσι exponit πράττουσι, ac similiter Il. Ο. ἕπειν interpretatur. Sed vtcumque est de simplici ἕπω, in compositis eius notionis habemus indicia. Nam ἀμφιέπω, notat *circa aliquid occupari*; διέπω, *rego, administro*, vnde διέπων, *præfectus, rector*. Vt ergo à διέπω διέπων, ita à simplici ἕπω, *opus*, hoc est, ἔργον, siue *quod faciendo fit*. Postea & alteram accepit notionem, pro *necesse*. Nempe quia quod necesse agere, hoc fit ἔργον. Qua de re vide, quæ annotauit Franciscus Sanctius in paradoxis Grammaticis. Ab *opus*, quà ἔργον notat, venit *opera*, quia est *actio*, *quâ fit opus*. Vnde *opera pretium*, q. d. *dignum cui opera impendatur*. Vnde Onomasticon ἀξιόλογον interpretatur ἄξιον. Etiam ab *opus* est *opera*, & *operor*. Nisi malis *operor* ἀμέσως esse ab ἕπω, id est *operor*: quod Nunnesio visum. Etiam ab *opus* est *oportet*, quod *opus* est facere.

ORA Nunnesio est ab ὅρος, quod interdum accipitur pro ὅριον, hoc est, *vicus, pagus*. At Becmano placet esse à χώρα, hoc autem venire putat ab אורחה, id est, *via semita*, ab Rad. ארח: vel, inquit, χώρα & χωρέω (quod est *proficiscor, recedo*) erunt a גור, id est, *peregrinari, vagari*. Ita *Ora* propriè sit idem quod *regio*: quomodo Tullius accipit II. de nat. Deor. *Omnibus*, inquit, *hominibus, qui vbique sunt, quacunque in orâ ac parte terrarum*. Sed communis opinio est esse hanc συνεκδοχὴν partis: propriè autem *oram* dici *regionem litoralem*, vt Festus, & Isidorus, docent. Atque ita crebrò apud Plinium legimus, *ciuitates, in ora*, & *oppida ora proxima*. Sanè generatim ea vox, Nonio teste, *cuiusuis rei extremitatem* significat: vnde Maro, IX Æneidos ait,

Et mecum ingentis oras euoluite belli.

Vbi sic Seruius: *Ingentis belli narrate, non tantùm initia, sed etiam extrema bellorum. Nam ora sunt extremitates.* Itaque censeo *ora* esse ex ὅρος, id est, *extremitas, terminus*. Ab *orâ* scaphæ aliæque minores naues vocantur *oraria*, idque quòd iis secundùm *oram* nauigetur, non, vt maioribus, pelagus tentetur. Plinio. lib. x. epist ad Troianum. *Nunc destino, partim nauibus orariis, partim vehiculis prouinciam petere*. Ab eadem caussa videri possit nomen esse *oria*, siue *horia*, siue *horia* nauiculæ piscatoriæ, vt Nonius & Fulgentius interpretantur Vsus Plaut. Rud. Act. IV. Sc. II. & alibi eadem comœdia, vti *horiola* in Trinummo, IV. II. Sed ab *ora* potiùs esset *oraria*, vt Plinius vocat. Quare *horia* potiùs sit à Græcis, nempe vt sit ὁρία ναῦς, quod ab ὅρος, id est, *ora*, siue *terminus*, quia eâ litus legimus.

ORATA factum ex *aurata*, vt *codex* à *caudex*; *plostrum* è *plaustrum*; *olla* ex *aula*, &c. *Aurata* verò, (quomodo ea vox scribitur in Glossis vett.) appellatur *auri colore*. Festus: *Orata piscis appellatur à colore auri, quod rustici orum dicebant, vt auriculas oriculas. Itaque Sergium quoque quendam prædiuitem, quòd & duobus anulis aureis & grandibus vteretur, Oratam dicunt esse appellatum.* Isidorus, lib. XII. cap. VI. *A colore, vt vmbri, quia colore vmbra sunt, & aurata, quia in capite auri colorem habent: & varij, & varietate, quos vulgo tructas vocant.* Superciliis ac palpebris caret. quare mirari quis possit, quod Græcis, vti apud Oppianum. I. Halieut. dicatur χρύσοφρυς à χρυσός, id est, *aurum*; & ὀφρύς, id est *supercilium*. Sed quia locis illis, quibus cætera animalia supercilia habere solent, *aureo colore* fulget, imprimis cùm satis accreuerit; indè est, quòd per κατάχρησιν *aurea* ei *supercilia* tribuuntur. Græcam appellationem retinet & Ouid. in Halieuticis:

——— *Et auri Chrysophrys imitata decus.*

Ἰωνίσκοι ab Ephesiis vocari testatur Archestratus apud Athenæum, lib VII. vbi plura hoc de pisce. Sed imprimis adi Rondeletium. lib. V. cap II.

ORBARE propriè quid sit, ex origine cognoscitur. Est enim ab *orbus*: quod est, *parentibus, vel liberis orbatus*. Glossarium Philoxeni: *orbus*, χῆρος, ὀρφανὸς, τυφλός. Hinc quoque Dea *Orbona*. Arnobius lib. IV. *In tutelâ sunt Orbonæ, orbati liberis parentes*. Nempè eâ ratione ab *orbando* vocauere *Orbonam*, quâ *Pertunda, Perfica, Panda, Præstana* dictæ à *pertundendo, perficiendo, pandendo, præstando*. *Orbus* verò dicitur ab ὀρφὸς, quod idem ac ὀρφανός. Sanè apud Hesychium est, Ὀρφοβόται, ἐπίτροποι ὀρφανῶν, hoc est, *curatores orphanorum*. Quod si cui vox ὀρφὸς suspecta est: per me licebit, vt *orbus* dici putet, quasi *orphanus*, ab ὀρφανός. hoc (vt Etymologici Magni auctor ait) venit ab ὀρφνὴ, hoc est, *nocte*, vt ὀρφανὸς sic dicatur quasi ὀρφνὸς, hoc est, *tenebrosus*, quia nempe *in tenebris ac squallore versatur*. Ὀρφνὴ verò ab ערף, *tenebrescere, vesperascere*. Vnde & Ἔρεβος vocatur, vt alibi dictum. Aliquibus *orbus* dici videtur ab *orbis*, idque propterea, quia *cæci* etiam dicantur *luminis orbi*: imò & Græcis ὀρφανὸς sit τυφλὸς, teste Hesychio. Hoc si placet, vel *orbi* dicentur, quia *lumine orbati*, vel potiùs quia *orbes* habent *sine lumine*, quomodo Seneca *effossos orbes*, Prudentius *cauatos orbes* dixit. Atque hoc etymon conueniet cum eo, quòd ὀρφανὸς sit τυφλός. Sed non dubitandum, quin κατὰ μεταφορὰν fiat, quod *orbos* de *cæcis* dicimus. Quare omnino est a Græco ὀρφανὸς, vel ὀρφὸς, vel ὀρφνός.

ORBIS, vt in Coniectaneis censet Scaliger, idem est etymon ac *vrbs*: nempe ab antiquo *vrbum*, siue *vruum*, quo significatur, *quod redit sursum versum*: vnde & *aratri curuaturam vruum* dixere. Vide quæ de hoc dicimus in *Vrbs*. Ab *orbis* est *orbile*. Vsus Varro de R.R. lib. III. cap. V. Eo quid signetur, Scaliger ibi docet. Ab eodem *orbita* dicitur sulcus is, quem currus rotis efficit: vnde in Glossario Philoxeni transfertur ἁρματοτροχιά. Atque hinc verbum *exorbito*, quo vsus Tertullianus in Exhortatione ad Castitatem: *Qui de monogamia exorbitat*. Et Firmicus de errore profanarum religionum: *Nec à salutaribus tuis legibus exorbitat etiam consul noster Posthumius*.

ORCA, *bellua marina genus*, quod Græcis ὄρυξ. Estque *orca* ex ὄρυγα. Solent enim Latini ex obliquis Græcorum formare rectos suos: vt ab ἶς, ἶνα, *vena*; à κρηπῖς, κρηπῖδα, *crepida*; à σπέος, σπεῖα σπήλυγξ, σπήλυγγα, *spelunca*. & similiter in aliis Ὄρυγα esse in belluis marinis, indicat Strabo libro III. his verbis: Ὡς δ' αὕτως ἰχθῦς καὶ αἱ τῶν κητῶν ἀπάντων ὄρυγές τε καὶ φάλαιναι, καὶ φυσητῆρες. *Idem indicandum de cetorum omnibus generibus, orcis, balænis, & physeteribus.* Vide de *orca* Plinium lib. IX. cap. VI. & Rondeletium. lib. XVI. cap. XIII. Fallitur autem Rondeletius, cùm putat, belluam hanc marinam sic vocari ab *genere vasis olearij aut vinarij*, quod teres est & vniformi specie, atque *orca* appellatur. Interim hoc verisimilius, quàm vt vasis, hoc genus à pisce diceretur, quod censuit Festus: *Orca*, inquit *genus marinæ belluæ maximum, ad cuius similitudinem vasa quoque ficaria orcæ dicuntur.* Sanè vasis forma vulgo notissima erat; bellua illa marina paucis visa: vt potiùs dici debeat, *belluam à vase*, quam *vas à bellua* sic vocari. Nec Festo magis audiri debent, qui ab *Orco* deducunt. Vt Isidorus, lib. VIII. cap. XI. *Pluton*, inquit, *Græcè, Latinè Diespiter, vel Ditis pater, quem alij Orcum vocant, quasi receptorem mortium. Vnde & orca nuncupatur vas quod recipit aquas.* Omnino autem vas *orca*, vti & *vrceus* est ab ὕρχη, quod Æolicum est ac *vasis fictilis genus* notat simile ei, quod Græci κέραμον vocant. Pollux. lib VI. cap. II. εἰ δὲ καὶ Ἀριστοφάνης φησὶν ὕρχας ταριχηρὰς εἶναι, δηλοῖ μὲν καὶ ἄλλως τὸ ἀγγεῖον ἐπιτήδειον ταριχοτροφεῖν, τὸ δ' Αἰολικὸν ὕρχη. Vbi Pollux respicit illud Aristophanis in Vespis:

——— τῶν μὲν δ' ἀφεύξεσθαι,

Ὕρχας, σῖτον, ἀκάτους. ———

Sed Pollux legit ὕρχας οἴνου. Monet autem ad hunc locum Scholiastes ὕρχας esse *vasis fictilis genus, duas habens ansas, in quo salsamenta reponerentur*. Quod ipsum iisdem verbis tradit Suidas Ὕρχαι, inquit, κεράμια ἀγγεῖα ὑποδεχόμενα ταρίχη, δύο ὦτα ἔχοντα. Atque ita *orca* vocabulo vtitur Persius, sat. IIII.

Mæraque quòd primâ nondum defecerit orcâ.

Ab huius vasis similitudine ad alia quoque id nomen translatum. Ita vinarium vas *orcam* dixere, vt docemur illo Varronis, lib. I. de R.R. cap. XIII. *Quòd sæpe, vbi conditum nouum vinum, orcæ in Hispaniâ feruore musti ruptæ, neque non & dolia in Italiâ.* Quem locum & Nonius adducit. Etiam *orcas* dixere *vasa ficaria*, quemadmodum è Festo ante vidimus, ac locus hic indicat Columellæ, lib. XII. cap. XV. *Has cum bene pro... alcauerint, & totam massam comminuta ficis permiscuerint, modicas offas foliis ficulneis inuoluunt, ac religatas iunco, vel qualibet herbâ offas reponunt in crates & patiuntur siccari: deinde cùm peraruerint, picatis vasis eas contendunt; Nonnulli hanc ipsam formam fici orcis sine pice includunt, & oblita vasa clibano vel furno torrefaciunt.* Plinius, lib. XV. cap. XIX. *At vbi* (ficorum) *copia abundat, implentur orcæ in Asiâ, cadi autem in Ruspinâ Africæ vrbe.* Quare (quod pace virorum summorum dictum esto) non audiendus vel Ant. Augustinus. qui quo loco Festus ait *orcas* esse *vasa ficaria*, legendum putat *vinaria* vel *fictilia*: vel Ios. Scaliger, qui *fæcaria* legit, vt intelligantur *vasa, in quibus mustum defæcatur*. Denique *thimus* quoque, siue *pyrgus orca* diceatur Pomponius apud Priscianum, lib. III. cap. IX. de diminutiuo: *Incertus dum contempler orcam, taxillos perdidi.* Et Persius. sat. III.

——— *Angusta collo non fallier orca.*

De talari ludo agit Satyricus. Vide de eo in *Pyrgus*.

ORCHITIS, inquit Varro. lib IV. de LL. est *olea grandis*. Meminit eius Cato, cap. VI. Columella, lib. V. cap. LXXXII. &

Maro, Georg. II. Vbi sic Seruius: *Orchitis à Græca etymologia, sed obscœna, id est, à testiculis qui ὄρχεις dicuntur.* Similiter Festus. *Orchitem Atteius Philologus* (sic lego pro *Actio*) *in Collectaneis ait esse genus oleæ. ductum ex Græco ὄρχεις, quod testiculorum magnitudinem.*

ORCINVS libertus est, qui testamēto manumittitur. Ita vocatur quia est libertus eius, qui vt Appuleius loquitur, *iam in peculio Proserpinæ & in Orci familia numeratur.* Alciatus tamen *orthinus* legit ab ὀρθός, vt ita dicatur quia *rectitam acceperit libertatem.* Sed errore is committitur, vel scholiis Græcis, in quibus ὀρκινος legi agnoscit. Præterea qui *orcini*, siue *orcinæ* dicuntur Vlpiano, & aliis: hi Theophilo sunt χαρωνῖται, quod nomen à *Charonte* est, vt *Orcinus*, ab *orco*: vnde & in Næuij epigrammate apud Gellium *orcinum thesaurum* pro *Acheronte* poni videmus, quia *Orcus* Acheronti præest: si is quidem est *Pluto.* Nam in Gloss. Philoxeni *Orcus* transfertur χάρων. Sed potiùs ita vocari *Plutonem*, quam *Charontem*, è Cicerone & Marone probat Seruius, in VI. Æn Sed siue is *Pluto* est, seu *Charon*: *persona* est nomen, vti *Acheron, loci*, hoc est, *fluuij infernalis*, ab α στερ. & χαίρειν, quod est, *lætari*, quia, vt loquitur Maro, est *illætabilis vnda.* Vel potiùs ab ἄχος, *luctus*, & ῥέω, *fluo*, quia *luctuosis fluit vndis.* Acheronta verò & *Orcum* ita vti dixi, distinxit quoque Ennius: *Acherusia templa Orci salueto infera.* Et Plautus Mostell. Act. II. Sc. II.

Nam med' Acheronteum recipere Orcus noluit.

Idem Pœn. Act. I Sc II.

Quo die Orcus ab Acherunte mortuos amiserit.

Vbi *amiserit* est *dimiserit* quomodo passim loquitur Plautus: imo etiam Maro, cuius est.

Quisquis es amissos hinc iam obliuiscere Graios.

Orcum plerique dictum aiunt eo, quòd *per Stygiam paludem iurent Dij.* Nam ὅρκος, *iuramentum.* Sed ita *orcus* propriè loci sit nomen: contra quam diximus. Quare verisimilius Verrius, qui Festo, teste, Deum istum antiquis *Vragum* ait vocatum, vnde *Orcus* κατ' συγκοπήν. Veteres enim O pro V, & C pro G, ponebant. *Vragum* verò appellatum censet, quòd Deus is maximè *vrget ad mortem.* Vellem tamen appellationis istius aliquem Verrius laudasset auctorem, quod merito in eo desiderat quoque Festus. Quare nec repugno quominus *Orcus* sic dicatur, quia est *iuramenti Deus*, vel potius ab ארקא, quomodo Hebræis dicitur *terra*: vt videmus Ier. cap. X. vers XI. Sanè Ἀΐδης similiter *terra*, sed pro *inferis* sumitur, qua de re aliàs dictum.

ORDIOR, ab *orior*, inserto D, vt ab *aueo, audeo*, à *caneo candeo.* Vel ab *orior* & *do*, quia propriè notat *originem dare*, siue *facere, vt quid oriatur.* Vel ab inusitato ὀρδέω, vnde ὄρδημα ab Hesychio exponitur *lana carpta atque operi parata.* Sanè *ordiri* propriè vox est *textorum*, *cum texere incipiunt*: vnde *ordiri*, siue *exordiri*, & *detexere*, siue *pertexere* opponuntur: vt ex Plauto Tullióque ostendimus Oratoriarum Inst. lib. III. cap. II.

ORDO, quasi ὅρον δῶ, vt coniicit Cæsar Scaliger, cap. XXXV. de caussis L. L. Nempe, quia militibus tribuni dicerent *hic consiste, hinc progredere.* ὅρον δῶ, hoc est, *terminum hunc tibi do.* Nunnesius in Grammatistice notauit *hortus* & *ordo* eiusdem esse originis: vtrumque enim venire ab ὄρχος, quo notatur φυτῶν ὄρχος *plantarum ordo, ac series.* Ita vox fuerit ab agricultura ad res alias translata. Possis & deducere à Græco ὀρθός, hoc est, *rectus.* Vel potiùs Hebræo טור, hoc est, *ordo*: vnde & ὄρθος descendit. Ab *ordine*, Columellæ *interordinium* dicitur, spatium quod est inter *ordinarias* vites. Græci μετόρχιον appellant, à μετὰ & ὄρχος, quod *ordines* significat *in quincuncem digestos.* Simili compositione Vitruuius, lib. III. cap. I. spatium inter columnas *intercolumnium* vocat: & lib. IV. cap. II. *intertignium*, spatium quod in Dorico opere est inter tigna.

OREA est *frenum* ita dictum, quòd *ori inseratur.* Vt ab *armo armea*, vnde *armilla*: vt ab *auris aurea*, vnde *auriga*: ita ab *ore* est *orea.* Nisi potiùs *orea* est ex *aurea*, vt *corus* à *caurus*; *codex* à *caudex*; *ola* ab *aula.* Vsus Næuius: *Deprandi leonis obdas oreas.* Citat Festus, qui & Titinnium, Catonem, & Cœlium vsos docet. Ac Lucillio quoque eandem vocem restituit Ianus Guilielmius lib. II. Verisimil. cap. II. *Oria* quoque, vel, vt alij scribunt, *oria*, est genus naniculæ, cui indè nomen, quod eà fere *oram legerent*, nec, ob paruitatem, alto se committere auderent. Plautus, Calisto apud Fulgentium: *Malo hunc alligari ad oram, vt semper piscetur, etsi sit tempestas maxima.* Vide quæ diximus in *Ora.*

ORGANVM, ὄργανον, à ῥέζω, cuius præteritum ἔοργα: vnde & fortasse ὀργὴ, quasi *diuina* ἔργα. Sanè & ἔργα indè dicta. Ab *organo* est *organarius*, ὀργανοποιός. Gloss. Ὑδραύλης, *organarius.*

OROIA, Liberi patris sacra. Seruio in IV. Æn ita dici videntur: vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id est, à *furore bacchantium*: vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν hoc est, *montibus*, in quibus celebrabantur. Aliis placet esse ab εἴργω, *arceo*, quia non initiati ab iis arcerentur: vel à ῥέζω, cuius præteritum ἔοργα, vt ita dicantur quasi ἱερὰ ἔργα.

ORIOR, Angelo Caninio, H. Stephano, & aliis quibusdam rectè deducitur ab ὄρω, vel ὄρνυμι, id est, *excitor*, inserto *I*, quomodo ab ἀκὴ est *acies*: à μνᾶ *mina*, &c. Ab *orior* est *origo*: vt à *verto, vertigo*, à *rubeo, rubigo*, &c. Inde *Aborigines*, qua de voce sic vetus, sed incertus auctor, qui de origine gentis Romanæ scripsit: *Quidam tradunt terris diluuio coopertis, passim multos diuersarum regionum in montibus, ad quos confugerant, constitisse: ex quibus quosdam sedem quærentes, peruectos in Italiam, Aborigines appellatos, Græca scilicet appellatione a cacuminibus montium, quæ illi ὄρη vocant. Alij volunt eos, quòd errantes illò venerint, primò Aberrigenes, post mutatâ primâ literâ, alterâ ademptâ, Aborigines cognominatos.* Hæc ille. Posteriorem originationem legas quoque cùm apud Festum, tum Dionysium Halicarnassensem, lib. I. qui idcirco Aborigines interpretatur πλανήτας. Nec est quòd opponas, si ab *errando* esset *aberrigines* dictum iri geminato *R.* Nam veteres non geminabant literam, vt scribit Festus in *ab oloes.* Interea non minùs falsum *aborigines* ab *errando* dici, quam ab ὄρος. Vera igitur sententia est, quam ibidem ponit Dionysius, vt sic dicti sint prisci illi Itali, quòd essent αὐτόχθονες siue *indigenæ.* Hoc enim vult Dionysius, cum ait, γένος αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ γενόμενον, quod rectè Portus transfert: *gens ipsa ex se oriunda*; nam Gelenius non satis loci sententiam perspexit. Confirmant hanc sententiam vett. Glossæ, in quibus est: *Aborigines*, αὐτόχθονες Item: Αὐτόχθων, *Aborigo, indigena, patricius.* Item: *Ab origine*, ἀπ' ἀρχῆς γένους. *Aborigines* igitur, quòd *ab origine* in Italia fuerint, & ab his aliorum sit *origo.* Scripsit Varro Satiram, nomine *Aborigines*, siue περὶ ἀνθρώπων φύσεως, quam citat Nonius in *pupa, grunnire, speram*, & alibi. *Abortus* est ab *aborior.* Festus *Abortus grauidæ mulieris dicitur, quòd non sit tempestiuè ortum.* Varro apud Nonium: *Vinum, quod ibi natum sit, si pregnans biberit, pars, vt aborietur.*

ORNITHIÆ, ὀρνιθίαι, de quibus Columella, lib. XI. cap. II. *Decimo calendas Martij, cum Leo desinit occidere, venti septentrionales, qui vocantur ornithiæ, per dies triginta esse solent.* Est id nomen ἀπὸ τῶν ὀρνίθων, hoc est, *auibus*; idque vel quia *apti sunt ad auium prolem*, vt Olympiodorus scribit in lib. II. μετεωρολ. Aristot. siue, quod Budæus maluit, quia iis *spirantibus aduenant aues*, vnde & *Chelidonia* dicuntur, teste Plinio. lib. II. cap. XLVII. Vide de *ornithiis* Hermolai Barbari Glossas Plinianas: & Ioh Vvouvverij de Πολυμαθείᾳ, librum cap. XI. *Ignes.* Becmano placet κατὰ μετάθεσιν fieri à רנן, id est, *cantio, laus*, à Rad. רנן, *cecinit, iubilauit.*

ORNO quasi *orino* seu *horino*, ab ὥρα, hoc est, *venustas.* Ab eo *ornatrix*, quæ Græcis κομμώτρια.

ORNVS, quasi ὀρεινός, id est, *montanus.* Est enim *fraxinus siluestris*, montibus propria.

ORO, ab *ore*, quasi *ore profero*; vel vt & Nunnesius vidit, ab ἀρῶ, siue ἀρῶμαι, *precor*, *oro*, quod ab ἀρὴ, *preces.* A in O longum mutatur, more Bœotico. Ab eo est *oratio*, non ab ἀρρῶ, vel ὀαρίζειν, quod est, *sermocinari*, neque item quasi *oris ratio*: quorum vtrumque legere est apud Diomedem in primo. *Oratori* quoque nomen est, non ab *oro*, quà notat *supplex peto*, sed ab antiqua eius verbi notione pro *dico*, quia *bene dicit*: quomodo & Græcis vocantur ῥήτορες à ῥέω, hoc est, εἴρω, siue *dico*, non à ῥέω significante *fluo*, quia hoc tempora capit ab Æolico ῥέω. Ab eadem *orandi* notione *Deorum responsa* dicuntur *oracula.* Nam, vt Cicero in Topicis ait, *oracula ex eo appellata sunt, quòd inest in his Deorum oratio.* Ac Græcis similiter λόγια, dicta ἀπὸ τοῦ λέγειν. Vt à *gubernatum gubernaculum*, sic ab *oratum oraculum.*

ORTHAGONISCVS, ὀρθαγορίσκος, est *porcus marinus*, de quo sic Plin. l. XXXII. c. III. *Appion maximum piscium esse tradit porcum, quem Lacedæmonij orthagoriscum vocant: grunnire eum, cum capiatur.* Vbi quod de *grunnitu* dicit, caussam ostendit, cur vocetur *porcus marinus.* Simul etiam indicat, cur dicatur ὀρθαγορίσκος. Nam ea vox Laconibus significat χοῖρον γαλαθηνόν, *porcum subrumum siue lactentem*: vt auctor est Athenæus, lib IV. vbi etiam caussam nominis exponit. Vult enim sic dici, ab ὄρθρος, id est, *matutinum tempus*, & ἀγοράζειν, *mercari*: nempe quia soleat matutinis horis esse venalis apud Lacedæmonios. Vnde & colligit, etsi vulgo ὀρθαγορίσκος dicatur, rectiùs tamen ὀρθραγορίσκος vocari. Sic enim inter alia scribit: Οὐδ' ὀρθαγορίσκοι λέγονται οἱ γαλαθηνοὶ χοῖροι; ἀλλ' ὀρθραγορίσκοι, ἐπεὶ πρὸς τὸν ὄρθρον πιπράσκονται. Tamen ὀρθαγορίσκος vulgo obtinuit. Hesychius, Ὀρθαγορίσκος (leg. ὀρθραγορίσκος) χοιρίδιον μικρόν. Lacones digamma præponebant: Vnde idem alibi. Βορθαγορίσκοι, χοῖροι ἁπαλοί, οἱ μικροὶ χοῖροι βορθαγορίσκοι,

ρίνος, λάκαινα. Mirum autem, quem piscium maximum esse dixit Appio, si stare Plinio licet, huic nomen datum esse *porcelli subrumi.* Saltem *porci* potiùs, quàm *porcelli* nomen conueniebat. Quomodo dicta ὕαινα, id est, *porca.* Nam est illud ab ὗς vt à λύκος λύκαινα, *lupus lupa.* Vide Hyæna.

ORYX, ὄρυξ, *animal vnicorne,* quod commune habet cum asino Indico. Aristot. lib. II. Histor. Animal. Μονοκέρωτα δὲ καὶ μώνυχα ὀλίγα, οἷον ὁ Ἰνδικὸς ὄνος μονόκερως. μονόκερως δὲ καὶ δίχηλον ὄρυξ. Plinius, lib. XI. cap. XLVI. *Solida vngula, & bicorne nullum. Vnicorne asinus tantùm Indicus: vnicorne & bisulcum oryx.* Nomen ex eo, quia vnicum illud cornu, quod gestant referat instrumentum illud fossorium, quod Græcis ὄρυξ, ἀπὸ τοῦ ὀρύσσειν, quod est *fodere.* Gloss. Cyr. Ὄρυξ, *sarculum, ligo, dolabra.* Et Hesychio ὄρυξ, dicitur esse λαξευτικὸν σκεῦος, hoc est, *instrumentum, quo lapides excauantur, & poliuntur.* Describit *Orygem* animal Oppianus Κυνηγετ. lib. II. vers. CCCCLV & seq. Sed de vno cornu *orygis,* quod mirum, tacet. Ibidem ei tribuit animum adeò ferocem & immanem, vt apris, vrsis, aliisque efferis se animalibus opponat. Plinius ob figuræ similitudinem, nunc *ceruis,* nunc *capris,* accenset: vti & Columella facit, lib. IX. cap. I. *Fera,* inquit, *pecudes, vt capreoli, damæque, nec minùs orygum ceruorumque genera, & aprorum, modò lautitiis & voluptatibus dominorum seruiunt, modò quæstui ac reditibus.* De lautitiis quod dicit, etiam videre est ex Iuuenalis sat. XI.

Sed nec structor erit, cui, credere debeat omnis
Pergula discipulus Trypheri doctoris, apud quem
Sumine cum magno lepus, atque aper, & pygargus,
Et Scythicæ volucres, & phœnicopterus ingens,
Et Gætulus oryx hebeti lautissima ferro
Cæditur.

Vbi vetus interpres: *Oryx animal minus quàm bubalus, quem Mauri Vacem vocant.* Iure Africanum nomen apponit, quia ex Africa apportabatur, vnde Iuuenali *Gætulus* dicitur, vt vidimus. Oryx sternuendo Ægyptiis indicat exortum Caniculæ, vt Plinius indicat, lib. II. cap. XL. apertiùsque id in excerptis è vita Isidori legere est apud Photium.

Os, *oris,* est ab ὄσσα, *vox.* Quomodo vsurpatur initio Theogonias: vbi de Musis ait poeta:

Ἐννύχιαι στεῖχον, περικαλλέα ὄσσαν ἱεῖσαι,
Nocturnæ incedebant, perpulcram vocem emittentes.

Antiquis tamen ὄσσα non tam ἀνθρώπου φωνὴ, quam θεία φωνὴ, vt ibidem monet Scholiastes. Quare, quid, si potiùs dicamus esse ab ἐρῶ, *dico.* Veteres enim in recto *oris* dixere, vnde *os* contractum. Saltem hæc magis placet, quàm vt *os* sic dicatur, quia *habeat figuram literæ O*: quod proditum Cæsari Scaligero aduersus Cardanum, Exercitat. CCXVIII. sect. III. Sanè paucis animantium est *os rotundum,* vt Istrioni: propè omnibus oblongum. Ab *os* est *osculum,* vt Nonius scribit & apud eundem Varro de vita pop. Rom. Itaque propriè *exiguum os* notat. Petronius. *Oculi clariores stellis extra Lunam fulgentibus, nares paululum inflexæ, & osculum, quale Praxiteles habere Dianam credidit.* Hinc μεταφορικῶς pro *suauio,* siue *basio,* accipitur. Nugantur Grammatici, qui ita dici censent, quòd *ob os* petatur: ideóque integrum esse *obsculum*: quomodo apud Maronem quoque, II. Georg. in antiquis aliquot codd. scriptum inuenit Pierius. *Osculum, basium, & suauium,* ita distinguit Donatus, *oscula,* inquit, *officiosorum sunt, basia pudicorum affectuum, suauia libidinum vel amorum.* Sed discrimen id non semper obseruatur. Ab *osculum* est *osculor,* pro quo & *osculo* dixit Titinnius, Nonio teste. *Orarium* dictum, quòd *eo os obtegeretur*: vt docent Glossæ quotidianæ. Vtitur Lucillius apud eundem Nonium in *Ricinum*: *Ricini aurati, rica, oraria, mitra.* Ita legit Carrio, lib. I. Emendat. cap. II. *Inorum* dicitur, *quod ore caret.* Vt apud Gellium, lib. VII. cap. VI. *Animalium inora, inaurita.* Onomasticon: *Inora, ἄστομα.* Natura esse adiectiuum indicat, quod Turpilius Demetrio *inorans ostreas* dixit. Quódque apud Festum est *inori, minores,* vbi pro *minores* placet *sine ore,* vt est in editione Veneta & cæteris ad latus emendatum. Propiùs quidem *inores* accedit: quomodo Scaliger legit. Sed *inori* etiam est in antiquo codice MSS° præceptoris mei Nansij: & verisimile non est, obscurum explicari per æquè obscurum: imò minùs vsitatum, & fortasse nulli vsurpatum.

Os, *ossis,* siue, vt veteres dixere, *ossum, ossi,* ab ὀστοῦ. Priscianus, lib. I. *T transit in S. Vt verto, versus, concutio, concussus, ὀστᾶ Græcum pro ossa.* Et lib. VII. *In os correptam vnum Latinum neutrum hoc os, huius ossis, quod & hoc ossum antiqui protulerunt.* Cæsar Scaliger, c. XXVIII. de caussis L.L. *T in S* ὀστοῦ, *ossis sed commodius sit dicere subductum fuisse. Aliòqui tralatitia sunt inter se, Θετταλός, Thessalus,* *Ossuarium,* cella erat in qua reponebantur *ossa* eius, in cuius locum alied cadauer reponebatur. Mentio eius in lapidibus antiquis: vti & Vlpiano, L. Si sepulcra. Dig. sep. viol. Sed & *ossuaria* ollæ in antiquis inscriptis leguntur. Dicitur autē *ossuarius,* & *ossuarium,* ab eo veterum more, quo *ossua* dicebant pro *ossa*: vt ex Terentio, Gellio, Sosipatro, & antiquis inscriptionibus ostendimus in libb. de Arte. *Ossilago* Dea *ossium* solidatrix. Arnobius, lib. IV. *Nam quæ duras & solidas infantibus paruis ossa, ossilago ipsa nominatur.* Libro tertio dici videtur *ossipagina,* vel potius (prout Stevvechius emendat) *ossipaga,* aut *ossipanga,* quia *pangat,* siue, vt antiqui loquebantur, *pages, puerorum ossa. Exos,* ἄνοστος, vt apud Lucretium, in III. *Exos & exsanguis.* Apud Appuleium, lib. 2. Met. *Inque flexibus tortuosis eneruam & exossem saltationem explicat, cum omnium, qui aderant, admiratione.* Ab eodem est *exossare* apud Plautum, Terentium, Columellam. Ab hoc *exossatim*: si recta est lectio quorundam codicum, Lucretij lib. IV.

Atque exossatim ciet omni pectore fluctus.

Vbi in aliis est *exossato. Ossilegium* ab *ossibus legendis,* quod fiebat post bustum. Maro:

Ossaque lecta cado texit Corinæus aeno.

Gloss. vett. *Ossilegium,* ὀστολόγιον. Diodorus Siculus ὀστολογίαν appellat.

OSCILLVM interdum ὑποκοριστικῶς est ab *os.* Nam vt à *sanctum* est *sanctulum,* hinc *sanctillum,* sic ab *os* est *osculum,* inde *oscillum.* Gloss. *Oscillum,* στομίον. Sic vsus Columella lib. II. cap. X. *Si humor insedit, vermes gignit, qui, simulatque oscilla lupinorum ederunt, reliqua pars enasci non potest.* Quod Columella *os* vocat *lupinorum,* id Plinius simili tralatione vocat *vmbilicum.* Sic enim scribit. lib. XVIII. cap. XIV. *Conas in fimo maximè commemorat, quoniam in limo do vermiculi vmbilicum eius in sterilitatem castrant.* Quare non assentio iis, qui *ossilum* apud Columellam legunt, vt sit ab *os, ossis.* Sanè ab *os* *ossiculum* potiùs dicunt Plinius, & Gellius, indéque *ossiculatim. & per singula ossicula.* Vsus Cæcilius, teste Nonio. Est præterea *oscillum* ludi genus, in quo fune altrinsecus de tigno arboréue religato, in aëre quis libratus subuectatur. Meminit præter Terentianum Maurum, & alios, vetus Germanici interpres: sed locus eius corruptus, quem emendant Paullus Leopardus, lib. VI. cap. XIV. & H. Iunius in Nomencl. voce *oscillum.* Quod ad vocis etymon mirifica de eo veterum ac iuniorum dissensio est. Socer Franciscus Iunius, notis in Tertull. de Pallio deducebat ab *os* vel *obs* & *cillo,* vel *cilleo,* quod est *moueo.* Nam per aëra librati mouebantur. Ita *oscilico* fit pro *obscillico,* vt *ostendo* dicimus pro *obs tendo.* Mihi quidem hæc sententia imprimis probatur. Iunij sententiam sequitur quoque Salmasius qui pluribus id exemplis demonstrat. Vide eum in Tertullianum de pallio, pag. LXXVIII. Nec multùm abit Santra, vt qui, Festo attestante, dici putarit ab eo, quòd *os cillent,* nempe inclinantes in præceps caput. Eandem etymologiam habet Seruius in II. Georg. item Isidorus, lib. vlt. Orig. cap. XIV. Quidam etiam ab *Oscis* deducunt. Cornificius verò, eodem Festo teste, dici voluit, ab eo, *quòd os celare sint soliti personis propter verecundiam, qui eo genere lusus vtebantur.* Huic etymologiæ fauet, cùm Glossarium vetus, in quo legitur, *oscillum* πρόσωπον, tum imprimis hic Maronis, in Georgicis:

Oscilla ex alta suspendunt mollia quercu.
Oráque corticibus sumunt horrenda cauatis.

Sed is locus eorum quoque opinionem iuuat, qui volunt *oscillum* esse ab *os,* quia *larua ori opponeretur*: próque ea sententia est quòd Græcè similiter προσωπεῖον dicitur: prout legitur in vett. Glossis: ac Ausonius quoque scripsit, iuxta restitutionem Scaligeri, quem fusè de *oscillis* disserentem vide lib. secundo Auson. Lect. cap. XXV. Possis & cum Turnebo per *oscilla* intelligere *veretra de arboribus suspensa ad auertendam fascinationem.* Quæ etiam veterum quorundam sententia fuit: vt hæc Seruij verba docent in II. Georg. *Alij dicunt oscilla membra esse virilia de floribus facta, quæ suspendebantur per intercolumnia: ita vt in ea homines acceptis clausis personis impingerent, & ea ore cillerent, id est, mouerent ad risum populo commouendum, & hoc in Orpheo lectum est.* At minimè placet sententia M. Antonij Delrij, qui in Hyppolytum Senecæ ad versum DCCXIV. scribit, *oscilla* quoque dici *mortuorum simulacra,* atque id cùm Glossarij loco probari, quem ante adduximus: tum illo Varronis apud Seruium in XII. Æn. *Suspendiosis, quibus iusta fieri ius non sit, oscillis, veluti per imitationem mortis, parentari.* Nam vt in Glossarij loco falsus, quemadmodum vidimus, ita nec Varronis mentem intellexit. Vult is *oscillatione* siue *iactatione per funem* optimè exprimi mortem suspendiosorum; quod per se liquet: eáque caussa est cur Athenienses *oscillationem* instituerint in Erigones gratiam, quæ se suspenderat. Omnino Hyginum adi in Arctophilace, vbi perspicuè rem narrat: item Seruium, in secundum Georg. Aliquid quoque de eo inuenias apud Festum.

OSCINES,

OSCINES, & *alites*, opponuntur: quemadmodum diximus voce *Ales*. Dictæ *oscines* ab *o.* & *cano*, quia *ore canentes faciunt auspicium*, vt è Cicerone, Plinio & Festo ibidem ostensum. Non desunt tamen, qui *occines*, non *oscines*, dicendum putent vt sit ab *occinendo*: quam opinionem Guilielmo Cantero tribuit Dalecampius ad Plinij lib. x. cap. xix.

OSCITO, ab *ore ciendo*, hoc est, *commouendo*: vt scribit Donatus in Andr. Act. I. Sc. II. De iis qui tædio aut somno marcent, ferè dicitur. Sed & de *capite reciso* vsus Varro Atacinus:

Oscitat in campis caput à ceruice reuulsum
Semianiméisque micant oculi, lucémque requirunt.

Fuluius Vrsinus citat eos versus gemino loco Virgilij sui cum Græci collati: sed diuersimodè. Nam in IV. Georg. habet *lucémque requirunt*: at in X. Æn. *ferrúmque requirunt*.

OSTENDO, etsi vulgo ab *ore* factum putetur, vt *oscito*, & *oscillo*: tamen verius puto esse ex *ob* & *tendo*. Nam veteres dixere *obstendo*. Vbi *ob* notat *ad*: vt in *obsideo*, vnde *obstetrix*. B interlisum in *ostendo*, vt in *omitto* pro *obmitto*, & *oscita* pro *obscita*, hoc est, *adscita*: vt Scaliger interpretatur ad Festum in *Oscum*. Ab *ostendo* est *ostento*, quod non tam significat *sæpius ostendo*, quàm *ostendere cupio*. Vide similia in *Vendo*. Festus tamen: *Ostentas, sæpe ostendis gloriandi caussâ*.

OSTENTVM, ab *ostendo* quod in supino olim non tantùm *ostensum*, sed etiam *ostentum* fecit, vt Priscianus probat ex illo Varronis, lib. III. Rerum Diuinarum: *Saluti ostenta*. Et hoc Catonis, pro L. Cæsare ad populum: *Quod ego me spero ostenturum*. Ibidem addit: *Ostentum quoque, quando monstrum significat, nomen est participale, quomodo factum, & dictum, & visum, ab ostendendo futura dictum*. Eandem nominis caussam adferunt Cicero & Nonius, quorum verba adduxi in *Monstrum*. Hîc ea tantùm persequar, quæ tum præterii quamquam ad vocis magis significationem atque adeo rem ipsam, quàm etymon pertineant. De *ostento* igitur sic Vlpianus, Tit. de Verb. signif. *Ostentum Labeo definit esse contra naturam cuiusque rei genitũ factúmque. Duo genera sunt ostentorum. Vnum quoties quid contra naturam nascitur, tribus manibus fortè, aut pedibus, aut quâ aliâ parte corporis, quæ naturæ contraria est. Alterum, cùm quid prodigiosum videtur, quod Græci φάσματα vocant.* Ex his Vlpiani verbis discimus, *Ostenti* & *prodigij* voces, quas Grammatici distinguunt, promiscuè vsurpari: quod ipsum etiam liquet ex toto capite Plinij XXV. lib. VII. Iisdem docemur Vlpiano duplicia esse *ostenta*. Prius genus facit, siquid genitum contra naturæ institutum: vt homo biceps, aut quadrimanus: cuiusmodi expiationis caussâ vel in mare adiiciebatur, vel in solitudinem deportabatur. Sic legimus ad Iulium Obsequentem puerum ex ancilla, quadrimanum, quadrupedem, duplicique pudendo natum, aruspicum iussu crematum esse, cinerémque eius in mare proiectum. Alterum genus eidem est, cùm aliquid contra naturæ institutum fit, vt cùm pluit lapidibus, ad quod *ostentum* expiandum nouendiale sacrum fiebat, aut si terræ labes facta, quod *ostentum* sue fœtâ procurabatur. Huiusmodi *ostenta* etiam in arboribus fiunt, qualia complura apud Plinium lib. XVII. cap. XXV. Vnum omnium maximum ponam, idque Plinij ipsius verbis: *Super omnia*, inquit, *quæ vnquam audita sunt, erit prodigium in nostro æuo Neronis principis ruina factum in agro Marrucino Vectij Marcelli è primis equestris ordinis oliueto vniuerso viam publicam transgresso, aruisque indè è contrario in locum olineti profectis.* Interdum autem fit, vt quæ vno loco *prodigia* sint, altero non sint, quomodo mulæ partus apud nos prodigiosus est, in Cappadocia verò nihil habet prodigij. Illud quoque mirari subit II Reg. XXI. & I Chron XX ad fortitudinem arguendam adferri, quòd quis fuerit sedigitus. Nam membra agnata sunt inutilia, Aristotele & experientia attestantibus. Exempli gratiâ pes tertius in tripode, & digitus sextus in sedigitis. An fortè dicendum ad fortitudinem referri, quòd gigas esset, sed quòd dicatur sex in manibus ac pedibus digitos habuisse, id eò referri vt appareat hominem fuisse monstrosum ac terribilem? Sic sanè arbitror.

OSTIVM sunt qui Græcam habere originem arbitrentur. Nam Angelus Decembrius, lib. IV. de politia literaria, extremâ parte XXIX. putat venire ab ἀπωθεῖν, quod est, *repellere*. Quod meritò repudiamus. Nec placet, quod ab Aristophanis Scholiaste scriptum est in Plutum: *Ῥωμαῖοι ὄστια τὰς θύρας φασὶ παρὰ τὸ ἐξωθεῖν τοὺς ἐπερχομένους. Romani ianuas vocant ostia, propterea quòd extrudant irrumpentes.* Sed omnino Latinum est vocabulum, siue ab *ore* dicatur, quia sit *os* domus, quod etymon à Prisciano affertur super primum secundi Æn. versum: siue quasi *obstium* dicatur, ab *obstando*: quomodo Isidorus scribit, lib. XV. Originum cap. VII. *Ostium est, per quod ab aliquo arcemur ingressu, ab obstando dictum.* Quod si id est *ostium*, propriè dicetur de *foribus clausis*, vti *ianua* de *apertis*: quippe quæ ab *eundo* dicantur quasi *eanua*. Sed discrimen hoc non o seruatur. De etymo verò præiuit Isidoro non Seruius modò, sed Vitruuius quoque. Nam illud Maronis, VI. Æn.

Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum:

Sic Seruius scribit: *Non sine caussa dixit aditus & ostia. Nam Vitruuius, qui de architectonica scripsit, ait, cùm ab aliquo arcemur ingressu, id ostium dici ab obstando: cùm ingredimur, aditum ab adeundo.* Duo etiam alia *ostij* etyma ibidem ab Isidoro adferuntur: nempe vt sic dicatur, quia *hostem moratur*: vel quia *ostendat aliquid intus*. Sed hæc non sunt nauci.

OSTRACISMVS, *exilium erat annorum decem*, ita dictum ἀπὸ τοῦ ὀστράκου, hoc est, *testulâ*, quâ inscriptum ferebant nomen eius, quem exterminare volebant. Differebat plurimùm ab *exilio*. Nam *exilium* fiebat ob flagitia; *ostracismus*, quòd nimia potentia suspecta esset. Quippe *ostracismo* vsi erga eos, qui virtutis opinione, aut populi fauore, aut clientium multitudine, aliâue ciuili facultate cæteris præcellerent. Duobus quoque aliis modis differebant, quos his verbis indicat Suidas, Ὀστρακισμὸς φυγῆς διαφέρει, ὅτι τῶν μὲν φευγόντων αἱ οὐσίαι ἐδημεύοντο. τῶν δὲ ὀστρακιζομένων [illegible] τὰ χρήματα ὁ δῆμος. καὶ τοῖς μὲν χρόνος [illegible] καὶ τόπος, οἱ δὲ φεύγοντες, οὐδὲ περὶ τούτων ἔχουσι. hoc est *Ostracismus ab exilio differt, quòd eorum quidem, qui exilio damnati erant, bona publicabantur; iis verò, qui per testulam è ciuitate erant summoti, pecuniam populus non adimeret: his quidem tempus ac locus præfinita; ij autem qui exulant, neutrum horum habent.* Plura vide apud Plutarchum in Themistocle, Aristide, Alcibiade: Diodorum Siculum, lib. XI. & Aristotelem, lib. III. πολιτ. *Ostracismo* affinis πεταλισμὸς Syracusanorum, sic dictus à voce πέταλον, quia *oleagino folio* inscriberetur eius nomen, cuius potentiam formidarent, foliisque numeratis is *exulare quinquennium* iuberetur, cui folia plurima obtigissent. Auctor Diodorus Siculus, lib. eodem. Vide quæ de *ostracismo*, ac *petalismo*, congessit ex antiquis V. Cl. Ioannes Meursius, lib. V. Atticarum Lectionum cap XVIII.

OSTREVM Græcis debemus, vt scribit Varro, lib. IV. de L.L. Græcum ὄστρεον est ab ὀστέον, id est, *os*: vnde & ὄστρακον, id est, *testa*. Et sanè à multis ὀστρακόδερμα omnia appellantur ὄστρεα. Sed prius illud latiùs omnino patet: vt docet Galenus, lib. XI. Simpl. Quemadmodum verò Græcis ὄστρειον, siue ὄστρεον, non tantùm pro *concha* accipitur, sed etiam pro colore, qui ex earum sanie conficitur, ita & *ostrum* à Marone atque aliis vsurpatur pro *ostrino colore*, vti vocat Propertius. Is color quomodo fiat, Vitruuius docebit, lib. VII. cap. XIII. Nonius: *Ostrina vestis ab ostro colore, qui subrubeus.* Sed non vnum esse *ostrini coloris* genus, ex eodem Vitruuio cognoscitur. Ipsum adi.

OTIVM, eiúsque deriuata *otiosus negotium*, & *negotiator*, in veteribus libris ac monumentis per T ferè, scribi docet Pierius, Virgilianis Castigat. Ecl. I. & IV. Æn. Probat quoque eandem scribendi formam Aldus Manutius Nepos, in Orthographiâ. Quare vel hæc iusta fuerit ratio, cur ab *vtendo* potiùs id nomen factum putem, quàm cum vulgo [illegible] ab *ocyus*, vel, quod Fungerus scripsit, ab ὄκνος, quod *pigrum* notat ac *desidem*. Eandem orthographiam, sed etymon aliud, secutus Iulius Scaliger, qui deducit ab ὠτίον, quod ὑποκοριστικόν est ab οὖς ὠτός, id est, *auris*, vt propriè *otium* ei esse videatur, quando aliis possumus præbere operam aurium. Sic enim ille in Ænigmate de otio:

Quod pauci norunt, Graiâ vt dicatur ab aure,
Déque ideo studiis nomen & acta sua.

Sed si à Græcis est, potius fuerit ab οἰόθι, quod est *solum seorsum*. Ita Apollonius vtitur. Similitérque οἰόθεν vsurpat Homerus, quod Hesychius μονοχωρὶς exponit. Eustathius similiter οἰόθεν οἶος interpretatur μόνος ἐκ μόνου. Nec obscura est ratio, cur *otium* dicatur à particula, quæ signet *seorsum*, vel *solitariè*. Nam tum *otium* nobis suppetit, cùm aliorum alloquiis & interpellationibus non impedimur. Et sane magis hæc ergo placet, quàm vt ab *vtendo* sit. Nec aliter Martinius. A *nec* & *otium*, est *negotium* C in G conuerso: vt in *neglego*, *quadringenti*, aliisque.

OTVS, ὦτος, siue ὦτος (vtroque enim modo scriptum inuenitur) *auis nycticoraci similis*, vel, vt alij volunt, eadem, quæ *nycticorax*. Hesychius: Ὦτος, ὄρνεον ὅμοιον γλαυκί. οἱ δὲ νυκτικόρακα λέγουσι. Nomen ei dedere τὰ ὦτα, hoc est, *aures*: quia nempe (vt in veteri Lexico scribitur) [illegible] ἔχει. De hac ipsa aue Plinius, lib. X. cap. XXIII. *Bubone minor est, noctuis maior, auribus plumeis eminentibus, vnde & nomen illi.* Idem, lib. XXIX. cap. VI. *Noctuarum est id genus*

maxi

maximum, quibus pluma aurium modo micat. Sed apud Plinium *otu* scribitur pro *otus*: vt eadem videantur *otis*, & *otus*. Sanè Athenæus quoque, lib. IX. eandem facit ὠτίδα, & ὦτον. Alij distinguunt, vt quibus ὠτίδες dicantur *aves tardæ*. Plinius, lib. X. cap. XXII. de tetraonibus tractans: *Proxima sunt eis, quas Hispania aves tardas appellat. Græcia otidas, damnatas in cibis.* Quidam pro ὠτίδας, ὀτίδας dicunt. Cæterùm Plinius, lib. X. cap. XXIII. cùm dixisset *oto* nomen esse, quia aures plumâ micant, subiungit: *Quidam Latinè asionem vocant.* Vbi Dalecampius monet, ita videri vocatam à *voce*, quæ *rudentem asinum* æmulatur. Sed eiusdem originis est, ac *otus*. Nam pro οὖς Doricè dicitur ὦς, Creticè αὖς, Latinè *auses*. Hinc *ausio*, ex quo *asio*. Vel si ab *asino* dicitur quasi *asinio*, puto nomen inde esse, quia *asini instar habeat auriculas prominentes*.

OVATIO est θρίαμβος πεζός. Putat Camerarius *ouationem* propriè dici de *coruorum voce*: ac μεταφορικῶς vsurpari de *acclamatione militari in triumpho*. Mouet enim illud Maronis, I. G.

——— Et ouantes guttere corui:

Mihi magis placet, vocem eam à *minori triumpho* ad *coruos* esse translatam. Originem vocis talem adfert Festus: *Ouantes, id est, lætantes, ab eo clamore, quem faciunt redeuntes ex pugna victores milites, geminâ O literâ.* Alij malunt, esse profectum è Græcia, vbi Olympionicis acclamaretur, ὀλυμπιονῖκα, ὦ ὤ, παραδοξονῖκα, vt Xiphilinus ait, pag. CLXXXI. Sed absque dubio vera est sententia Plutarchi, qui ab *oue* dictam ait, eò quòd in minori triumpho *ouis* duntaxat, non taurus, vti in maiori triumpho, sacrificaretur. Eamque ἐτυμολογίαν etiam legere est apud Seruium in illud IV. Æn.

——— Sola fugâ nautas comitabor ouantes.

Quibus de caussis *ouare* soleant, & quomodo *ouatio* differat à *triumpho*, docebit Alexand. ab Alexandro. lib. VI. cap. XVII. Antonius Valtrinus de re militari, Onuphrius Panuinus de triumpho, Cæsar Bullingerus de spoliis bellicis, atque alij. Ab *ouando*, *aurum ouatum* Persio dicitur pecunia manubialis, quam *aurum tropæorum* Ouidius appellat, lib. II. de Ponto ad Germanicum.

OVIS ab οἶς. Varro, IV. de L. L. *Hinc est, quòd Græcis illis ὗς sus,* (ita rectè legit Scaliger pro *vsus*, quæ vox in Romanâ malè abiecta, nec emendata) *Bos βοῦς, & Taurus ταῦρος. item οἶς ouis. ita enim antiqui dicebant, non, vt nunc, πρόβατον.* Interiectum digamma Æolicum, quomodo ab αἰὼν est *æuum*, à βόες *boues*, quæ & caussa est, cur Græci pro *Bouilla* scribant βοΐλλα. Ab *oue* est prænomen *Ouius*, vnde gentilitium *Ouinij* & *Ouidius*. Sanè & veterum *nomina* sæpe à *bestiis* sumebantur. Sic à *porco Porcij*, à *sue*, *Suillij*, ab *asino*, *Asinij*, à *cane*, *Catuli*, & *Catilii*; ab *equo Equitij*. Huc quoque pertinent *Taurus*, *Caper*, *Capella*, *Mus*, &c. Pro *ouilius* videntur & *auillus* dixisse *o* in *a* mutato, vt à βόσκω, *pasco*. Festus: *Auilla, agna recensis partus*, Nisi locus corruptus. Sed *auilla* constanter in MSS.

OVVM ab ὠόν, nam Æoles, quos Latini imitantur digamma interiiciunt. Sic à λεῖος est *leuis*, ab οἶς *ouis*, &c. Vide *Venus*.

OXYPORA, vel *oxyporia*. ὀξύπορα, ἢ ὀξυπορία. *Oxyporium* est apud Marcellum Empiricum. Alterum apud Statium in IV. Sylv. *Non sal, oxyporumve, caseusve.* Gorræus in definitionibus medicis nomen ex eo deducit, quia tenuiorum sint partium, eòque facilè venas permeant. Vt sit ab ὀξὺ, *citum*, & πόρος, *transitus*. Ac verum est ὀξὺ interdum notare *celere*: vnde ὀξυποδεῖν, & alia: sed *oxypora* potius dicitur ab ὄξος, *acetum*; atque ita dicuntur quæ ex pluribus vna tritis mixtisque ex aceto præbentur. Sic *oxyporum moretum* dixit Columella, & ὀξύπορα δι' ὄξους Dioscorides. Quæ erant ex multis seminibus calidis aceto & oleo mistis, ad iuuandum concoctionem. Similiter ὀξύγαρον dixere *garum ex aceto datum*. Vnde Gloss. ὀξύγαρον, *acetarium*.

OXYRYNCHVS. ὀξύρυγχος, piscis cui ὀξὺ ῥύγχος, id est, *acutum rostrum*. Appellatio hæc conuenit omnibus piscibus acuto rostro: sed propriè tribuebatur pisci Nilo peculiari vt ex Strabone, lib. XVII. & Athenæo. lib. VII. constat. Atque eo refellitur sententia Cæsaris Scaligeri, qui Exercit. CCXVIII putabat *nostrum sturionem* esse *veterum oxyrynchum*. Præterea *acipenser* piscis est *innoxius*: at *oxyrynchus* planè *maleficus*: vnde de eo poeta:

——— ἐν ἀδάλις γόνος ὀξυρύγχου.

P

PACTVM Isidoro, lib. I. Orig. quasi *pacis factum*: at à *percussione palmarum*, Gloss. l. II. Dig. de pact. per legem D. de censib. Vtramque coniungi videas in Regiam Maiestatem, siue lib. I. Legg. Scoticarum, cap. XXVIII. §. IV. & V. *Dicitur pactum, à pace & actu, quasi pacis actus. Nam qui paciscuntur, ex diuersis, & contrariis animorum motibus, post multa & varia certamina, in vnam consonantem voluntatem, & sententiam conuenire dicuntur. Vel dicitur pactum à percussione palmarum. Veteres enim, cùm se obligabant, palmas manuum suarum ad inuicem percutiebant in signum non violandæ fidei.* Sed omnino est à *pango*, vt est apud Isidorum. Nam veteres à πήγω, siue Dorico *pago*, dixere in recto *pagis*, vel *pacis*, vnde contractum *pax*. Sanè à *pacere* est *pacisci*. *Pactum* igitur à supino verbi *pacere*, vt ab *ago*, *actum*, à *facio*, *factum*.

PÆDAGOGVS, παιδαγωγός. Nomen verè sanctum, vtut aliter de eo iudicent imperiti. Sed audiamus Ciceronem qui pene initio secundi de Diuinat. ait, *Quod munus Reipub. afferre maius meliusue possumus, quàm si docemus atque erudimus iuuentutem? his præsertim moribus atque temporibus?* Audiamus & Senecam, ep. LXXXIX. *Aristo Chius non tantum supervacuas esse dixit naturalem & rationalem, sed etiam contrarias. Moralem quoque, quam solam reliquerat, circumcidit. Nam eum locum qui monitiones continet, sustulit, & pædagogi esse dixit, non philosophi: tanquam quicquam aliud sit sapiens, quàm humani generis pædagogus.* Hæc Seneca. Caper, libello de verbis dubiis, vocem *pædagogus* interpretatur *nutritor puerorum*. Sed κατὰ λέξιν sonet *puerorum doctorem*. Nam quod aliqui *ductorem puerorum* transferunt, falluntur. Arbitrantur illi, esse à παῖς, *puer*, & ἀγωγὸς, hoc est, *auctor*: quia nempe ἄγειν propriè sit *ducere*. Verùm ἀγωγὸς hic sequitur significationem eam vocabuli ἀγωγὴ, quâ vsurpatur, cùm Plutarchus libellum inscribit περὶ παίδων ἀγωγῆς. Cur vero ἀγωγὴ quoque *institutionem* significet caussa est, quòd iidem qui pueros comitabantur ac ducebant eorundem quoque mores formabant. Vtrumque si complecti voles, *puerilis ductorem doctoremque* dixeris.

PÆDEROS, παιδέρως, à παῖς, *puer*, & ἔρως, *amor*. Propriè igitur sic dicitur παῖς Ἔρως, *puer Amor*, hoc est, *Cupidineum aliquid*. Nihil venustius *imagunculis Amoris* seu *Cupidinis*. Ab earum decore κατὰ μεταφορὰν vox tributa est multis, quæ gratiâ multùm valerent. In plantis sic dicebatur *acanthus*, ob insignem eius gratiam in opere topiario. Plin. lib. XXII. cap. XXII. *Acanthus est topiaria & vrbana herba, elato longóque folio crepidines marginum, adsurgentiúmque puluinorum toros vestiens. Duo genera eius sunt, aculeatum & crispum, quod breuius: alterum lene, quod aliqui pæderota vocant, alij melamphyllum.* Eadem de caussa *chærephyllum* sic vocatur. Idem, lib. XIX. cap. VIII. *Carifolium, quod pæderota Græci vocant.* Item gemma *opalus*: de qua sic Plin. lib. XXXVII. cap. VI. *Hanc gemmam propter eximiam gratiam plerique appellauere pæderota.* Vbi & caussam nominis addi videmus. Orpheus similiter, libro de lapidibus, *opallium* ait colore suo referre venusti pueri cutem. Sic enim scribit:

Φαμὶ δ' ὀπάλλιον καὶ ὀπάλλιον ἱμερόεντα,
Αγλαὸν, ἱμερτοῖο τέρενα χρόα παιδὸς ἔχοντα.

Vbi notandum, quòd Plinius *opalum*, ὀπάλλιον vocat ὀπαλλιαρέρωτα. Quidam *pæderota amethysti* genus faciunt. De quo sic idem Plinius, lib. XXXVII. cap. IX. *Tales aliqui malunt pæderotas vocari, alij anterotas, multi Veneris gemmam, quod maximè videtur decere & specie & colore.* Vbi itidem caussam appellationis petit à *decore* & *gratia*. Nec alia caussa est, cur *Veneris gemmam*, vel etiam ἀντέρωτα vocant. Vbi ἀντὶ eam vim habet, quam in ἀντίθεος, hoc est, ἰσόθεος. Nam gemma hæc dicebatur, ἀντέρως, quia *gratiâ & venustate certare possit cum Amore*. Παιδέρωτα esse σφραγῖδα, hoc est, *gemmam*, etiam Hesychius agnoscit: sed addit, ita quoque dici *vnguenti genus*, sic enim scribit: Παιδέρως, σφραγῖδος εἶδος, οἱ δὲ ἀλόμματος, οἱ δὲ μύρον. Παιδέρωτα fuisse inter *συγκρίματα* muliercularum, quibus formæ conciliarent gratiam, indicat illud Alexidis Comici apud Athenæum, lib. XIII.

Λευκόχρως λίαν τίς ἐστι, παιδέρωτ' ἐντρίβεται.
Equa alba nimis est? pæderote se illinit.

PÆDICARE omnino est à παιδικά. Ita appellabant puerum, quem adamabat is qui παιδεραστὴς dicebatur. Videntur autem & veteres vocem hanc scripsisse absque diphthongo. Quippe in Ithyphallicis legitur:

Penelopes primam Didonis prima sequatur,
Et primam Cani syllaba prima Remi.

Itémque hoc:

Cum loquor vna mihi peccatur litera. Nam T
P dico semper, blæsáque lingua mea est.

Nisi dicamus libello isti, in quo multa Ouidij Tibulli aliorumvè Augustæi æui carmen hoc sequioris seculi esse insertum. Sanè diphthongorum vsus prope interciderat tempore Ausonij ac Prudentij, vt ex iis, atque aliis ostendimus, lib. II. de arte Grammatica cap. IV.

PÆDIDVS, à *pædore*, vt ab *humore*, *humidus*, à *calore*, *calidus*.

Pædor notat *ſordes*, ſiue *illuuiem*. vnde in Gloſſis Philoxeni exponitur ῥύπος. Inque Gloſſis Græcolat. ῥυπαρία, *ſorditia, pedor, ſqualor.* Vſus Tacitus, vi. Annal. *Neque exuerat pædorem, vt vulgum miſeratione aduerteret.* Cùm autem *puerilis ætas*, nec ſibi a ſordibus cauere ſciat, & vbi ſcit, ſordes tamen conſectari ſoleat: indè eſt, quòd *pædorem* ἀπὸ τοῦ παιδὸς eſſe putem, & propriè ſignare *ſordes & illuuiem puerorum*. Nam παῖς, *puer*. Nec abit Feſtus, niſi quòd *antiquis pædibus* à παῖς deducit. In veteribus tamen Gloſſis *pedor* exponitur *pedum putredo*, intérque longa refertur à primitiuis breuibus. Hoc ſi placet, propriè dicatur de *ſordibus & illuuie pedum*.

Pænula, ſiue *penula*, ambigitur num ſit à Græco φαινόλης, an contra Græci hanc vocem a Latinis acceperint. Quibus prior ſententia placet, eo ſe tuentur, quòd apud Athenæum, lib. iii. Cynulcus exprobret Vlpiano eius vocis nouitatem, tum autem quod Pollux, lib. vii. cap. xiii. ſcribat, ἡ δὲ φαινόλης, ὀνομάζεται τῶν χλαμύδων φαινόλη. Addere etiam poterant, quod Dio Caſſius Romanorum *pænulam* non φαινόλην ſed μανδύην ſemper vertat. Sed quod ad Athenæi locum attinet, planè mentem eius non aſſequuntur. Genuinam ſententiam aperit Caſaubonus, lib. iii. Animaduerſ. in eum ſcriptorem cap. xviii. quódque ad Pollucis & Dionis locum, ſic loqui cogebantur, quia, rem ſpectes ſeu vocem, φαινόλης iſtoc æuo minimè in vſu erat, vnde id vocabulum ἄχρηστον vocat Cynulcus apud Athenæum, Imò neque vnquam Græcis omnibus vel res vel vox nota fuit: ſed ſolum Lacedæmoniis, & Doribus; à quibus vocem cum re accepere Tarentini, & magnæ Græciæ incolæ; quemadmodum ab his peruenit ad Romanos. Confirmantur hæc iſthoc Tertulliani, in Apolog. cap. vi. *Nam ne vel hieme voluptas impudica frigeret, primi Lacedæmonij penulam ludis excogitauerunt.* Mirificè etiam hæc fulcit, quòd ſoli Dores ex antiquis φαινόλας meminerint: vt Rintho Tarentinus è quo Iul. Pollux, lib. vii. cap. xiii. citat: Ἔχων φαινόλαν. & Sappho, quæ & ipſa poetria Dorica fuit:

> Ἔνικες τοῖνυν φιλοῦ Θῶν φαινόλις ἐσπίδας αὐτας.

Porrò ex ſuperiori loco Tertulliani patet, *pænulam* fuiſſe veſtem ſpiſſam frigori & imbribus arcendis aptam: idémque diſcere eſt ex illo Horatij, lib. i. epiſt. xi.

> *Incolumi Rhodos & Mitylene pulcra facit, quod*
> *Pænula ſolſtitio, campeſtre niualibus auris,*
> *Per brumam Tiberis, Sextili menſe caminus.*

Vbi ſic vetus interpres. *Pænula groſſa veſtis, in æſtate inutilis propter ſpiſſitudinem.* Hinc iocus Galbæ apud Quinctilianum, lib. vi. cap. iii. *Pænulam roganti, Non poſſum, inquit, commodare; domi maneo: cùm cœnaculum eius perplueret.* Idem (vt paullò pòſt Fabius narrat) *penulam roganti reſpondit, Non pluit? non eſt opus tibi, ſi pluit, ipſe vtar.* Hinc liquet cur *grauiſſimam* vocet *penulam* Tertullianus, lib. de corona militis, cap. i. *Ibidem grauiſſimas pænulas poſuit reuelare auſpicatus.* Siue, vt in aliis codd. eſt, *reuelari auſpicatus*: quod non minùs placet. Arctiùs autem preſſiúſque veſtiebat *pænula*, quàm vt toga aut pallium. Itáque Artemidorus, lib. ii. ὀνειροκρ. cap. iii. vt *chlamydem*, ita φαινόλην quoque ait θλίψιν καὶ στενοχωρίαν καὶ τοῖς δικαζομένοις καταδίκην μαντεύεσθαι, διὰ τὸ περιέχειν τὸ σῶμα: *afflictionem & anguſtiam, ac litigantibus damnationem ſignificare, quia circumquaque corpus contineat.* Qui apud Romanos *pænula* vti ſoleant, docebit Lipſius, Elect. lib. i. cap. xxv & Caſaubonus, notis ad Spartianum, vbi & aliqua de vocabulo ipſo. Notat Marcellus *penula* καταχρηστικῶς, dici de cunctis quæ inſtar *penulæ* tegunt: vt apud Varronem in Manio: *Cùm corrigias diſruptas tenet, penulâ reliquum pedem ſcorteâ pertegere.* Vbi, vt Turnebus in Aduerſariis monet, *penula* vocatur *pars calcei quæ pedem inuolucro ſuo contegit.* Et partem *Cteſibicæ machinæ, penulam* appellat Vitruuius, lib. x. cap. xii. nempe, vt Bernardinus Baldus opinatur, quia & ipſa quoddam eſt operculum.

Pætus, & *ſtrabo*, cognomina ſunt, cùm deprauati ſunt oculi: vt Plinius, lib. xi. cap. xxxvii. Eſtque *pætus* minùs, quàm *ſtrabo*. Porphyrius in Horat. i. ſerm. ſat. iii. *Strabo, qui eſt detortis oculis, dicitur. Pætus, leniter declinatis.* Paullò aliter Acro: *Pæti dicuntur, quorum huc atque illuc oculi velociter vertuntur.* Aliter quoque Philox. Gloſſ. *Pætus*, ῥέμβων τοῖς ὄμμασιν. Sed aliud eſt *pætus* quam *myops*. Si *mobilitatem oculorum* ſignat, videatur eſſe à *peto*: vt eiuſdem originis ſit ac *petulans*. Sanè poetæ *Venerem pætam* appellant. Quantitas tamen in vocibus iſtis diſpar.

Paganalia, *ruſticorum feſtum*, à *pago* ſic dicta. Varro, lib. v. de L. L. *Feria non populi, ſed montanorum modò, vt Paganalibus, qui ſunt alicuius pagi.* Meminit eorundem Dionyſius Halicarn. lib. iv.

Paganica, *pila genus*, ſic dicebatur, quia hac in *pagis* vtebantur. Sed rure in vrbem allata. Nam ea in gymnaſiis vtebantur. Martialis, lib. vii. epigr. xxxi.

> *Non pila, non follis, non te paganica thermis*
> *Præparat, aut nudi ſtipitis ictus hebes.*

Vbi *pilæ* nomine ſpeciatim intelligit *trigonem*: vti & in illo lib. xiv. epigr. xlv.

> *Hæc quæ difficilis turget paganica pluma,*
> *Folle minùs laxa eſt, & minùs arcta pilâ.*

Quo ex loco cognoſcimus, *paganicam* plumâ ſolitam farciri, fuiſſéque *trigone* molliorem, *folle* duriorem. Sed de his *pilæ* generibus alibi commodiùs dicemus.

Pagus à Dorico πάγα pro πηγή, hoc eſt, *fons*. Feſtus: *Pagi dicti à fontibus: quòd eâdem aquâ vterentur: atque enim Doricâ linguâ* πάγαι *appellantur.* Seruius, ad ii. Georg. *Villas, quæ pagi* ἀπὸ τῶν πηγῶν *appellantur, hoc eſt, à fontibus, circa quos villæ conſueuerant condi. Vnde & pagani dicti ſunt, quaſi ex vno fonte potantes.* Dicunt quidem & Græci πάγος, ſed alia ſignificatione. Neque enim iis *vicum* ſignificat, vti putarunt ij, qui Ἄρειος πάγος interpretantur *vicus Martius* (quos inter B. Auguſtinus) ſed vel *collem*, vel πετρώδεις τόπους, vel *gelu*, vel *ſal*. Poſſis tamen à πάγος *pagus* deducere. Nempè quia primitus in *colle*, ſecuritatis causſâ ædificia extruxere: vt auctor eſt Dionyſius Halicarnaſſenſis, lib iv. Quomodo *caſtellum, pagus, vicus, oppidum, vrbs*, & *villa* differant, docet Aldus Man. Nep. lib iii. de quæſit. epiſt. vii. Sed *pagus* præter vulgarem ſignificationem, qua κώμην, ſiue *vicum*, notat: etiam ſumitur de *regione tota*, aut *præfectura*: quomodo Plinius non ſemel accipit pro *magna gente*. Vnde Gloſſ. *Pagus*, τοπαρχία, χώρα, νομός. Vbi νομός eſt *præfectura*: quomodo Ægyptus in *nomos* diſpeſcebatur. A *pagus* eſt *paganus*. Quæ vox variè admodum ſumitur. Primò propriéque ſic dicuntur, *qui in pagis habitant*: cuius acceptionis exempla ſunt obuia. Eadémque ratione dicta *pagana* lex, de qua ſic Plinius, lib. xxviii. cap. ii. *Paganâ lege in plerìſque Italiæ prædijs cauetur, ne mulieres per itinera ambulantes, torqueant fuſos, aut omnino detectos ferant; quoniam aduerſetur id omnium ſpei, præcipuéque frugum.* Altera *pagani* acceptio eſt, quâ ponitur pro iis, qui militiæ adſcribi cupiebant: vel ἀπλῶς pro omnibus, qui milites non eſſent: vnde paſſim apud Iuriſconſultos opponuntur *miles*, & *paganus*. Apud Iuuenalem quoque legas, ſat. xvi.

> *——Citiùs falſum producere teſtem*
> *Contra paganum poſſis, quàm vera loquentem*
> *Contra fortunam armati.*

Et apud Tertullianum de pallio cap. iv. *Enimuero iam dubiam cenſoriæ intentionis epiſcenio diſperſo, quantum denotans paſſiuitas offert, libertinos in equeſtribus, ſuburbuſtos (vernaculos) in liberalibus, dedititios in ingenuis, rupices in vrbanis, ſcurras in forenſibus, paganos in militaribus.* Μεταφορικῶς quoque ea res tranſlata ad *literarum ſtudium*, quæ *quaſi militia* eſt. Ita dixit Plinius, lib. vii. epiſt. ad Rufum: *Sunt enim vt in caſtris, ſic etiam in literis noſtris plures cultu pagano, quos cinctos & armatos, & quidem ardentiſſimo ingenio diligentiùs ſcrutatus inuenies.* Atque hinc Perſius in anteloquio Satyrarum modeſtiæ causſâ ſe *ſemipaganum* vocat, quaſi *ſemipoëtam* dixeris. Deniquè à *Chriſtianis* etiam *pagani* dicti ſunt *gentiles* omnes, hoc eſt, qui eſſent à religione Chriſtianâ alieni. Cur verò ſic dicti ſint docere conatus Iſidor. l. viii cap. x. *Pagani, inquit, ex pagis Athenienſium dicti, vbi exorti ſunt. Ibi enim in locis agreſtibus & pagis gentiles lucos idoláque ſtatuerunt, vt à tali initio vocabulum paganum ſortiti ſunt.* At longè etiam ineptiùs Philaſtrius Brixienſis: *Pagani, inquit, poſt Iudæos, ſiue à pago, hoc eſt, loco, ſiue à prouincia vna dicti ſunt, ſiue à Pagano, rege, quod verum eſſe, vt ait Heſiodus Græcus poeta, manifeſtum eſt. Si ergo à pago, loci eſt indicium, ſicuti & nunc dicitur de pago illo: Si autem de idolis, quòd ea colentes ſculptilia ita nominabantur Pagani, hoc eſt, gentiles: quia non à Deo idola, ſed ab hominum prauiſſima inuenta ſunt voluntate, ſicut & ſcriptura noſtra, & paganorum quoque plurimi hoc nunciarunt, homines hæc inueniſſe ad ſeductionem damnationémque animarum, quòd illa adſpiciens populus delectabatur epulis, in quorum vanitate ſuis animis interitum afferebant. Certa autem eſt probatio & maior, quod ipſi Pagani in ſuis hiſtorijs referunt, quòd à Pagano rege, vt ait Heſiodus Græcus poeta, Pagani ſint appellati, qui poſtea, ex rege Pagano Deucalionis filio & Pyrrha quaſi plauſibile atque amabile nomen eius habentes, imò potius colentes memoriam eius vſque in hodiernum diem, hoc eſt, mendacium nominis vſque nunc detinent percolentes.* Hactenus nugator. At non abſurdè, qui μεταφορικῶς, ſic dici exiſtimarunt, quòd non militarent ſub capite Ieſu Chriſto. Verùm quiſquis cogitarit, tum demum *paganorum* nomen inoleuiſſe, cùm paſſim in vrbibus vigeret Chriſtiana religio, ac illa gentilium in ſolis pagis ſeruaretur (nempe quòd

agreſtes

agrestes imperitíque homines moris sui soleant esse retinentissimi) omnino eorum amplexurus sententiam, qui sic dici aiunt, quòd gentilis religionis homines tantummodo in pagis siue ruri morarentur. Sanè iidem Germanis, Belgisque, similiter appellantur *heydenen* ab *heyden*, quomodo dicuntur *loca agrestia*, imprimis quæ *ericis plena*. Itidem priùs vocati *gentiles*, quod religionem sequerentur, quæ esset inter gentes. *Gentium* autem voce in sacris literis designantur omnes, exceptâ Iudæâ, nationes. Solis enim Iudææ limitibus primò vera religio circumscribebatur, indéque in reliquum orbem manauit, vnde factum, vt etiam cùm religio per omnes orbis plagas esset diffusa, *gentium* tamen nomine intelligerentur omnes non addictæ cultui Christiano. Itaque, vt alios mittam, Arnobius libros suos inscripsit, *aduersus gentes*, siue, vt in aliis codd. est, *aduersus nationes*. Turcæ hodie Christianos vocant *gentiles*. Appellant enim *Chafer*, quod Turcicâ linguâ notat *gentiles* : quemadmodum me docuit Bartholomæus Georgievits, commentario in vaticinium Turcicum.

Pala instrumentum rusticum, ligoni simile, atque itidem latum, quo terra fossa, vel egeritur, vel aggeritur. Ita dicitur, quia *in terra pangitur*. Nempe ab antiquo *pago*, vnde *paga*, & postea *pala*. Varro, lib. IV. de L.L. *Pala à pangendo, G in L mutatum, quod fuit*. Vel est à πάλλω, *vibro moueo*. Græcè similiter dicitur δίκελλα, à κινέω, *moueo*. A *pala* est *bipalium* quasi *bina pala*. Vsi rei rusticæ scriptores, etiam Liuius, Plin. aliique. *Palam* quoque pro *ventilabro* dixere: Gloss. *Pala*, πτύον. A *paleis ventilandis* sic nominari Isidorus putat, lib. XX. cap. XIV. Sed puto sic vocari, quia *referat palam, quâ terra foditur*. *Palla* etiam est *gemma in annulo*, quæ Græcis σφραγίς, quia eâ obsignarent: item σφενδόνη, quo exemplo Plinius quoque *fundam* appellat : item πύελος, vnde πυελίς, quod Suidas exponit, σφραγιδοφυλάκιον. At Hesychius itidem, πυελίς, inquit, σφραγιδοφύλαξ, ἔνθα ὁ ψῆφος ἐνδακτύλιος. Nempe propriè πυελίς *annuli cauitas, in qua est pala: & μετωνυμικῶς pala ipsa*. Ab obliquo πυελίδα est *pala*, mutatione vocalis, & insuper συγκοπῇ. Nempe à πυελίδα *paleda*, indè *pala*.

Palæstra, παλαίστρα, quâ voce tum *luctatorum certamen* significatur, tum *locus luctæ*, tum *status motúsque in lucta habitus*, quem Galli *contenantiam* vocant. Est à παλαίω, id est, *luctor* : hoc à πάλη, id est, *lucta*. Sed πάλη vnde sit, parùm conuenit. Varia etyma adducit in Symposiacis Plutarchus. Mihi maximè placet sic dici à πάλλω, quia corpus in ea πάλλεται, id est, *agitatur vibratúrque*. A παλαίστρα est παλαιστρίτης, *palæstrita*, qui se in *palæstra* exercet. Pers. sat. IV.

Quinque palæstritæ licet hæc plantaria vellant.

Item παλαιστρικός, *palæstræ gnarus*, vt apud Fabium, lib. II. cap. VIII. Patet id ex duorum locorum collatione. Nam priùs sic scribit : *Vt siquis palæstræ peritus, quum in aliquod plenum pueris gymnasium venerit, expertus eorum omni modo corpus animúmque, discernat, cui quisque certamini sit præparandus: ita præceptorem eloquentiæ*, &c. Post verò ait: *Sic discernet hæc dicendi magister, quomodo palæstricus ille cursorem faciet, aut pugilem, aut luctatorem : aliudve quid ex iis : quæ sunt sacrorum certaminum*. Vides vt quem priori loco *palæstræ peritum* dixerat, eum hic *palæstricum* dicat. Quare fallitur Budæus, qui prioribus in Pandect. annotat. *magistros palæstræ* eâ voce signari putat. Hinc παλαιστρικῶς, *palæstricè*, apud Ciceronem de opt. gen. orat. *Sed ita vt palæstricè spatiari in xysto liceat*. *Palæstricus* & *palæstritis* opponuntur ἀπάλαιστροι, *palæstræ imperiti*. Itaque Quinctilianus, lib. IX. cap. IV. (agens de oratione, quam nec planè numerosam esse vult, qualis Isocratea Panegyricus ; nec planè numerorum expertem, vti indoctorum) comparat *numeros* eius *gestibus palæstricis*: *Sicut* inquit, *etiam quos palæstricos esse nolumus, peritos tamen palæstræ esse, volumus, non apalæstros*. Vsus & Cicero in Orat. perf. *Itaque qualis eorum motus, quos apalæstros Græci vocant, talis horum mihi videtur oratio, qui non claudunt numeris sententias*. Quamquam in vulgatis hîc non ἀπαλαίστρους, sed ἀπαλαίστους, legere est.

Palam à *pala*, instrumento rustico, deducit Iouianus Pontanus, in Actio fol. CXXXIX. edit. Ald. *Palam, apertè, quod sit aperta quidem ac protensa pala, nihilque cauum habeat, aut complicatum, in quo latere quid collocatum possit*. Verùm immane quantum huic sententiæ præstat iudicium soceri mei, Francisci Iunij, qui in notis ad Tertullianum de pallio cap. III. censet, vt *clam* ex *celam* κατὰ συγκοπὴν est factum, hoc autem est à *celando* : ita *palàm* à *palo*, cui verbum *celo* contrarium est. Vnum tamen fortasse obiici possit, *palare*, vnde *propalare*, potiùs esse à *palam*. Quare non displicet iudicium Martinij, vt sit à παλάμη, *palma*. Vt *palam* valeat idem ac *coram palma*, vel *manu*. Quod vulgo dicimus *voor de hant*. Confirmat hanc sententiam, quod similiter à *manu* sit *manifestus*. Compositum est *propalam*, Plaut. Mil.

Metuo ne hoc tandem propalam fiat nimis.

Palangæ, quæ Latinis dicantur, Nonius docet : *Palangæ*, inquit, *dicuntur fustes teretes, qui nauibus subiiciuntur, cùm attrahuntur ad pelagus, vel cùm ad littora subducuntur : vnde etiam nunc palangarios dicimus, qui aliquid oneris fustibus transuehunt. Varro, de vitâ pop. Ro.*, lib. IV. *Cùm Pœnus in fretum obuiam venisset nostris, & quosdam cepisset, crudelissimè pro palangis carinis subiecerat, quò metu debilitaret nostros*. Hæc Nonius : *Palangas* igitur signat Horatius, cùm primo odarum ait:

Trahúntque siccas machinæ carinas.

Est *palangarum* vox à Græcis, quibus teretes isti baculi similiter φάλαγγες & φαλάγγια vocantur. Pollux, lib. VII. cap. XXXIII. Τὰ δὲ τῶν νεῶν ξύλα, οἷς ὑποβληθεῖσιν ἐφέλκονται αἱ νῆες, φάλαγγες ἢ φαλάγγια. Hesychius: Φαλάγγια, στρογγύλα ξύλα, καὶ σύμμικτα. Etymologus dicit φάλαγγα vocari παρὰ τὸ σπᾶν εἰς τὴν ἅλα, *quia iis naues trahantur in mare*, Simplicius Scaliger, lib. I. de re poët. cap. X. à φαλὸς, quod *palum* notauit : vnde φαλαγγαρία, aliáque. A *palanga* est *palangarius*, siue *phalangarius*, seu *falangarius*. Variè enim hæc vox scribitur. Glossæ Philoxeni : *Falangarij*, ἀχθοφόροι. Sed latè nimis. Pressiùs alibi : *Phalangarij*, οἱ τοῖς ὤμοις ἀναφέροντες βάρη καὶ πλείονες ἅμα βαστάζοντες. Sic rectè eos locos restituit B. Vulcanius. Nonnihil verò abit Glossographus à Nonio. Huic, vt vidimus, *palangarij* sunt, *qui aliquid oneris fustibus transuehunt*. Quæ singulis hominibus conueniunt. *Palangarius* igitur sic Maschlion ille, de quo sic Martialis:

Quod nutantia fronte perticata
Gestat pondera Maschlion superbus.

At Glossographo *palangarij* sunt plures coniuncti *palangis* onera gestantes. Sed credibile est, vtrosque sic vocatos. Meminit *palangariorum* & Vitruuius, lib. X. cap. VIII. *Onerum verò maxima pondera, cùm feruntur à palangariis*. Vbi rectè Philander. *Phalangarij sunt baiuli, à Phalangis teretibus fustibus, quibus onera ponderáque ferunt transuehúntque, qui sunt seni, hexaphori ; si quaterni, tetraphori appellantur*.

Palari placet quibusdam esse à *palàm*, vt propriè sit *palàm errare* : alij malunt esse à *palis castrorum*, hoc est, *sudibus*, modò huc, modò illuc translatis. Aliis à πάλλειν, *mouere*, vel à πολεῖν, *vertere* : Sed planè puto esse vel à πλάζεσθαι, quod est *vagabundum iactari* ; vel à πλανῶ, quod est *erro*, *vagor*. Vt apud Aristoph. Pace : Πλανώμενοι ἐς Λύκειον, *vagi euntes in Lyceum*. A *palare* est *dispalare*, hoc est, *huc illuc errare*. Nonius : *Dispalare est separare. Sisenna, hist. lib. III. Dispalati ab signis digressi omnes ac dissipati. Idem : Tanto plures passim dispalantur*. Locutus quoque hoc modo Sallustius, de republ. gubernandâ ; Agellius, lib. I. cap. II. Item Corn. Nepos, qui in Lysandro ait : *Dispalati in agris*. Et in Hannibale : *Eiusque generis multitudinem magnam dispalatam immisit*. A *dispalare* est *dispalescere*, hoc est, *errantium instar dispergi*. Plautus Bacch. Act. IV. Sc. IX.

Quam illud flagitium vulgò dispalescere.

hoc est, *dispergi diuulgari*. Interpretarer qoque *palàm fieri*, ni iudicio defectis id ansam errandi præbere posset, quasi esset à *palàm*.

Palatium quòd vocamus Principis cuiusque domum, id factum ex eo, quòd Octauij Augusti temporibus Imperatores omnes habitarint in *palatio*, siue *monte Palatino*. Imò & priscis fuit hæc imperij sedes, quando Euander in eo, ac pòst Romulus, habitauit. Hinc Sillius, lib. XII.

——— Surgit, quà celsus ad auras
(Aspice montis apex, vocitata palatia Regi
Parrhasio. ———

De nominis caussa summa est dissensio. Varro, lib. IV. de L.L. *Quarta regionis palatium quòd palantes (id est, errantes Arcades) cum Euandro venerunt : aut quòd Palatini, qui & Aborigines, ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, ibi consederunt. Sed hoc alij à Palariâ vxore Latini putarunt. Eundem hunc locum à pecore, (id est, balatu pecoris) dictum putant quidam. Itaque Næuius Balantium appellat*. Festus : *Palantium mons Romæ appellatus est, quòd ibi pascens pecus balare consueuerit : vel quòd palare, id est, errare, ibi pecudes solerent* (quam rationem quoque sequuntur Ouidius & Propertius :) *alij quòd ibi Hyperborei filia Palanto habitauerit, quæ ex Hercule Latinum peperit. alij eandem, quòd Pallas* (is quem à Turno occisum canit Virgilius) *ibi sepultus sit, existimant appellari*. Maro, VIII. Æn.

Arcades his oris genus à Pallante profectum,

Qui regem Euandrum comites, qui signa secuti
Delegere locum & posuere in montibus urbem
Pallantis proaui de nomine Pallanteum.

Quem ad locum sic inter alia Seruius: *Euander pulsis Aboriginibus tenuit loca, in quibus nunc Roma est, & modicum oppidum fundauit in monte Palatino, sicut ait Varro: Nonne Arcades exules confugerunt in palatium duce Euandro? Hic autem mons Palatinus secundum Virgilium à Pallante auo Euandri* (proauum cùm vocat Maro, aui & proaui nomina confundere paullò pòst dicet Seruius) *est dictus: secundum Varronem & alios, à filia Euandri Pallantia ab Hercule vitiata, & postea illic sepulta. Alij à Pallante, qui de filia Euandri natus, & ibi sepultus est immatura ætate. Alij à filio Euandri, qui post mortem patris seditione occisus est. Alij à balatu balanteum volunt dictum. Et exinde per ἀντίστοιχον Pallanteum dictum. Sed si à balatu hoc nomen veneris, PA longa est: sicut eam Martialis ponit plerumque. Si autem à Pallante, PA breuis est, vt eam ponit vbique Virgilius secundùm suam opinionem.* Quem locum non facile intelliget, nisi qui sciet in *balare* primam esse naturâ longam, sed in *Pallas* eandem quidem positione esse longam, sed naturâ breuem, atque hanc caussam esse, cur & prima in *palatium* corripi possit. Sic prima in *lustrum*, etsi semper positione sit longa, tamen naturâ interdum breuis est, interdum longa, idque pro diuersa significatione, vt docet Festus. Suntque id genus sexcenta, vt docuimus, lib. Animaduersionum Grammaticarum. Præter hasce tam varias originationes inuenio & indictam apud Solinum, cap. II. qui inter alias ponit hanc, vt sit à Dea *Pale*. Sic enim scribit: *Palatium vero nemo dubitauerit, quin Arcades habeat auctores, à quibus primùm Pallantem oppidum conditum: quod aliquamdiu Aborigines habitarunt, sed propter incommodum vicinæ paludis, quam præterfluens Tyberis fecerat, profecti Reate postmodum reliquerunt. Sunt qui velint à balatibus ouium, mutatâ literâ, vel à Pale pastorali Deâ, aut, (vt Silenus probat,) à Palante Hyperborei filia, quam Hercules ibi compressisse visus est, nomen monti adoptatum.* At nullam harunce omnium sequitur Ios. Scaliger, quippe qui in Coniectaneis scribat, priùs fuisse *palantium*, à φαλάγγων, quomodo Græci vocant *summa montium iuga*, vnde & *fala* dicta *turrita machina*, & *calum* ab Hethruscis *falantum* appellatum. Sic propemodum Festus: *Fala dicta ab altitudine, à falando, quod apud Hethruscos significat cælum.* Vide *falarica*.

PALATVM Perotto dici placet, quia labiis dentibúsque velut *palis* munitum. Isidorus, lib. XI. cap. I. à *polo* dici coniectat: idque quia Græcis quoque ea pars οὐρανὸς dicatur, hoc est, *cælum*. Magis placet Martinij ἔτυμον, vt sit à πάω, *edo*, à quo *pasco*, & *pabulum* & *Pales*, pabuli Dea.

PALEA vt ab *acere* differat, docet hic Plinij locus, lib. XVIII. cap. X. *Acus vocatur, cùm per se pisitur spica, tantùm aurificum ad vsus. Si verò in area teritur cum stipula, palea, vt maiore in terrarum parte ad pabula iumentorum.* De etymo sic Varro, lib. I. de R.R. cap. V. *Contrà, quod cum spica stramentum hæret, cerbibus in aream defertur, vbi discedit in aperto loco palam: à quo potest nominata esse palea.* Tria ab hoc diuersa etyma adducit Isidorus, lib. XVII. cap. III. *Palea à quibusdam vocari dicitur, quod palà ventiletur, vt frumenta purgentur. Gentiles autem paleam à quadam Pale frugum inuentrice vocauerunt: quam Cererem esse volunt. De qua Virgilius,*

Te quoque magna Pales, & te memorande canemus.

Item alij à pabulo nuncupatam dicunt paleam, quòd ea primùm sola in pascendis animalibus pastus præbebatur. Sed præ quadruplici hâc sententiâ placet quod Cæsar Scal. scripsit Exerc. CCCXXV. tmem. XII. *Palea*, inquit, *παρὰ τὸ πάλλειν*. *Quâ ratione etiam vannus ab eadem iactatione βάννος. Idcirco acus à Vasconibus appellatur Balla: quia succutitur ac ventilatur.* *Palea* quoque dicitur cartilago illa, rubens de gallinacei colle dependens. Sic vsi Varro, lib. III. R.R. cap. IX. & Columella lib. VIII. cap. II. Aristoteli κάλλαιον dicitur. At *palear* est pellis è boum gutture pendula. Dici aiunt à *pelle*, quasi *pellear*. Quod si est, etiam *palea* in gallo quasi *pellea* dicetur. Sed non ita est: Verùm *palear* quidem ex eo vocatur, quia simile sit *palea gallinacij*, *palea* verò à πάλλω, *moueo*, *vibro*.

PALIMPSESTVS Ciceroni, Catullo & aliis est charta deletitia, hoc est, cuius prior scriptura delebatur, vt noua posset inarari. Fiebat id spongiâ, vnde Varro:

Si displicebis tam tibi latum mare,
Tantum parato spongiam deletilem.

Allusit Æschylus, cùm ait ὑγρώσσων σπόγγος βολαῖς. & Augustus, cùm diceret Aiacem suum in spongiam incubuisse. Dicitur autem & παλίμψηστος, & absque μ, παλίψηστος, vtrumque à πάλιν, id est, *rursum* & ψάω, quod est, *abstergeo*, *siue detero*. vnde apud Apostolum περίψημα, *sordes*, *quæ detergendo deducuntur*: quam interpretationem confirmat Eustathius, cum ἐπίψημα π esse dicit. Quidam scribunt *palimxestos* & deducunt à πάλιν & ξέω. Res eodem redit, cùm ξέω idem sit ac ψάω. Magis tamen placet mihi prior ἐξήγησις, vti & Leopardo, lib. XIII. cap. XII.

PALIVRVS, παλίουρος, etsi Seruio dicatur herba esse asperrima & spinosa, potiùs tamen inter frutices locum habet. Addit, quorundam iudicio esse *spinam albam*. Sed alij censent, *spinam albam* esse ῥάμνον. Alij verò ἀκάνθιον.

PALLEO, fortasse à πάλλω, *moueo*, *vibro*. Nempe vt *pallere* propriè dicatur, qui metu pallet, quia tali πάλλεται ἡ καρδία, vt Themistius loquitur in III de Anim. Ac similiter Sophocles dixit πάλλομαι φόβῳ. hoc est, πεπαλμένος. Placuit id Martinio: sic tamen, vt si stricta nimis hæc notio videatur, deducere velit à πελιός. Nec enim πελιὸς tantùm notat *nigrum*, *fuscum*, *liuidum*: sed etiam *pallidum*, vt ex Hesychio & Suida discimus, qui & ὠχρὸν καὶ χλωρὸν interpretantur. Nusquam tamen eâ me notione legere memini. Quid si igitur deducamus à παλάσσω, quod nunc *humecto*, nunc *conspergo* nunc etiam λύμαίνω, siue *albefacio* significat? Omnes hæ significationes locum habent in isto Oppiani, χλόη δ' ὣς πάλλεται φύλλα. Vide Eustathium, Hesychium, & Etymologici magni auctorem.

PALLIVM, vestis, quæ supernè iniicitur, vnde Græcis ἐπίβλημα vocatur. Estque & virorum & mulierum: sed muliebre proprio nomine *palla* dicebatur: *Pallium* à *palam* dici putatur, quia *vestis* est *exterior*. nam tunicæ superimponitur. Eadémque creditur origo *palla*. Varro, lib. IV. de L.L. *Alterius generis item duo; vnum, quod foris ac palàm, Palla: alterum, quod intus, à quo Intusium.* Aliis potiùs *pallium* à πάλλεσθαι, hoc est, *vibrari*, *moueri*. Id sanè sensisse videtur Tertullianus, extremo cap. tertio libri de *Pallio*, vbi scribit, cum voce vestem è Græciâ in Latium intrasse. Imò Varro ipse alibi *pallam* ob *nobilitatem* à πάλλω deduxit; teste Seruio, in I. Æn. Sed omnino, & *pallium* & *palla*, sunt, vel à Latino *palàm*, vel Hebræo פלט, quod est *latere*, *absconditum esse*: quòd nempe homines veste hâc velentur, tegantúrque. A *pallium* est *palliolum*; vnde *palliolatus* apud Cic. Suet. alios: & *palliolatim* apud Plautum, Pseud. Act. V. Sc. I. *Sed palliolatim amictus. Sic hæc incessi ludibundus.* Ab eodem *palliastrum*, quod est *pallium breue*: vt indicat illud Appuleij, lib. I. Met. *humi sedebat, scissili palliastro semiamictus.* Id Lucianus dialog. Diog. & Poll. dixit τριβώνιον ἔχων πολύθυρον. Ab eodem est *palliari*: quo μεταφορικῶς vsus Appul. *Nec palliari tam aperta res potest.* Legas & *tunicopallium* apud veterem Horatij Interpretem, ad sat. II. lib. I. *Palla pro peripodio ponitur, quod tunicopallium dici potest.*

PALMA pro *vola manus*, est à παλάμη, quo Græcis cùm *palma*, tum *manus tota* significatur. Elisum A, quomodo à πηλέστεπος est *cupressus*; à γάλακτος *glos*, &c. Ab hac notione dicta *palma arbor*, quòd *expansis est ramis in modum palmæ hominis*; vt scribit Isidorus, lib. XVII. cap. VII. Ibidem, vt ibidem legas, fructus eius à similitudine *digitorum* dicti *dactyli*. Non audiendus Varro, cùm lib. IV. de L.L. scribit: *Palmam dicunt, quòd ex vtraque parte naturâ vincta habeat paria folia.* Idem de foliis tradit Plutarchus, Συμποσ. lib. VIII. probl. IV. Ponitur sæpe *palma* pro *victoria*, etiam apud ipsum Cic. vt pro Roscio Amerino: *Alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur.* Et eadem: *Alius suas palmas cognoscet.* Caussa locutionis est, quod victori certaminis daretur corona ex *palmâ*. Rationem eius moris aperit ex Plutarcho Gellius, lib. III. cap. VI. *Propterea in certaminibus palmam signum esse placuit victoriæ, quoniam ingenium eiusmodi ligni est, vt vrgentibus opprimentibúsque non cedat.* Inde *palmarium*, pro eo, *quod palmâ sit dignum*. Terent. Eun. Act. V. Sc. IV.

——— *Tum hoc alterum,*
Id verò est, quod mihi puto palmarium.

Palmata toga ex eo nomen, *quòd hanc mererentur, qui palmam ab hostibus reportassent.* Ita Seruius, in II. Æn. & ex eo Isidorus, lib. XIX. cap. XXIV. Ad originem allusit Sidonius, Carm. III.

Post palmam palmata venit. ———

Est & altera nominis ratio, quia *victoria cum palmis ei soleant intexi*, vnde & *pictam* dici scribit ibidem Isidorus. Antiquitus tamen aliæ fuere *toga picta* à *palmatis*: vt contra Isidorū voce *Figura* ostendimus. A *palma* quoque est *palmula* quomodo dicitur *extremi remi pars*, à *similitudine palmæ humanæ*, teste Festo. Idem *palmites* dici monet *vitium sarmenta*, quòd in *modum palmarum humanarum virgulas quasi digitos edunt*. Sed hac de voce separatim dicemus. A *palma humana* est *depalmo*, pro *palmâ ferio*, apud Gellium, & Appuleium. At aliud longè

longè est simplex *palmo*, quod est *ligo*. Columell. lib. xi. c. xi. *Cæterum palmare, hoc est, materias alligare, hoc tempore non expedit*. Onomast. *Palmo*, συνδῶ. Fortasse est a *palma*, hoc est, *flagello vitium*. Nisi ab Hebræo malis. Habet enim affinitatem maximam cum בלם, quod & ipsum significat *ligare seu stringere*.

Palmes à *palma* dici liquet: sed quæ propria sit vocis significatio non æque patet. Nam videri possit *palmes* propriè dici de *palmarum virgis*: quæ Græcè σπάθαι. Sic sanè vtitur Plinius, lib. xiii. cap. iv. vbi de *palma* tractans hunc in modum scribit: *Pomum est, non inter folia, vt in cæteris, sed suis inter ramos palmitibus racemosum*. Et mox: *Mas in palmite floret, fœmina citra florem germinat*. Vbi apud Theophrastum: Ὁ μὲν ἄῤῥην πρῶτον ἄνθος φέρει ἐπὶ σπάθης, &c. Sic postea: *Argumentum est, quòd parua sine hoc reperiuntur in eodem palmite*. His ex locis: *palmitem* propriè esse *palmæ arboris*, colligit Iacobus Dalecampius, in notis, quæ non adscripto auctoris nomine adiectæ sunt Scaligerianis in historiam Theophrasti. Sed, si verum est quod Melchior Guilandinus scripsit, commentario de papyro, *palmam* interdum pro *vite* accipi, quis ambigit quin indè potiùs sit *palmes*, cùm & vulgatissimâ significatione notet *prælongam luxuriantis vitis virgam*? At profectò *palma* non *vitis* est, sed *eius pars*, quæ aliter *palmes* dicitur. Liquet id ex Varrone, lib. i. de R.R. cap. xxxi. Verba ipsa Varronis adfero, cùm vt Guilandini error pateat, tum quia Varro originem quoque eiusce vocabuli adferre conatur. *E procedum*, inquit, *sarmentum propter infirmitatem sterilescit, neque ex se potest eiicere vitem: quam vocant minorem, flagellum; maiorem etiam vnde vua nascantur, palmam. Prior, litera vnâ mutatâ, declinata à venti flatu, similiter flabellum ac flagellum. Posterior, quòd ea vitis immittitur ad vuas pariendas, dicta primò videtur à pariendo parilema: exin mutatis literis (vt in multis) dici cœpta palma*. Hæc Varro satis profectò durè, vt in plerisque aliis etymologiis. Omnino autem *palma in vite* ex eo vocatur, quia *ex ea prodeant vuæ, haud aliter ac digiti è palma*. Hoc quodammodo vidit Festus. Sic enim scribit: *Palmites vitium sarmenta appellantur, quòd in modum palmarum humanarum virgultas quasi digitos edunt*. Tantùm in eo distamus quòd *palmes* non ἀμέσως, ita dicatur à *palma humana*: sed à *palma vitis*: hæc autem κατὰ μεταφορὰν à *palma humana* accepisse nomen videatur.

Palmvs aliud Græcis ac Latinis. Græcis παλμὸς est *palpitatio seu diastole partis alicuius in corpore humano*. Estque ἀπὸ τοῦ πάλλειν: hoc est, *vibrare*. At Latinis *palmus* dicitur *mensura genus*: estque vel minor vel maior. Minor est quatuor digitorum: maior, duodenûm qui & Græco vocabulo σπιθαμὴ, Latino *dodrans* appellatur. Ab hàc notione *palmipedale* dicitur, quod palmæ & pedis magnitudinem habet. Ita *malleolum palmipedalem* dixit Columella lib. iii. cap. xix.

Palor, est à Græco πλανῶ, extrito ν, & traiecto λ. Affine & ei παλάζομαι, à quo aliqui deriuant.

Palpebræ videri queant esse à *palpo*; vt à *latendo*, *latebra*; à *terendo*, *terebra*; à *dolando*, *dolabra*. Sed significatio non conuenit, cùm *palpare* sit *leuiter tangere*. Meliùs igitur Isidorus, lib. xi. cap. i. *Palpebra à palpitatione dictæ, quia semper mouentur. Papito* enim est *leuiter ac crebrò moueor*. Angelus tamen Caninius, in Hellenismi Alphabeto, ac Nunnesius in Grammatistice, putant *palpebram* dici quasi *palperam*, à βλέφαρον, inserto B, vt *comburo* dicimus pro *comuro*, & λάμβδα à Syriaco *lamda*. Propriè autem sunt *palpebræ*, pili prodeuntes ex oculorum tunicis, quas *genas* dicimus, vti superioris genæ crepidinem *cilium*. Clarè hanc *palpebrarum*, *genarum*, *ciliorúmque* notionem esse, ostendimus alibi ex Plinij lib. x. cap. xxxvii. Lactantius tamen, lib. de Opificio Dei cap. x. *palpebras* vsurpat pro *genis*: quod hæc eius verba ostendunt: *Nam & ipsa palpebræ, quibus mobilitas inest & palpitatio, vocabulum tribuit, pilis in ordine stantibus vallata, septum oculis decentissimum præbent*. Nec aliter vsus Festus cùm *Genas* Ennio dici ait, quæ vulgo *palpebra*.

Palpito videtur esse à *palpo*. Sed significatio aduersatur. Nam *palpare* est *leuiter contrectare*, vti solent adulantes: vnde & pro *assentari* accipitur. At *palpitare* est *leuiter ac frequenter commoueri*: vnde *cordis palpitationem* dicimus. Quare *palpito* potiùs erit à πάλλειν, *mouere*. Vnde παλμὸς, de quo superiùs. Gloss. Phil. *Palpitat*, σπαίρει, πάλλει. Onomast. *Palpito*, σπαίρω.

Palpo à ψάλλω, id est, *foueo*, quia quos fouemus, molliter contrectamus. Vel quasi ψηλαφῶ, *palmâ tango*. Vel potiùs ab Æolico σπαλάσσω pro ψηλαφῶ, quod est *tango*, *contrecto*, *palpo*. Abiectum initiale s, quomodo à στέγω est *tego*, à σφάλλω est *fallo*. A *palpando* est *palpum* pro *adulatione*, vt apud Plautum *palpum obtrudere*: item *palpo* pro *adulatore*, quomodo vtitur Pers. Sat. v.

Ius habet ille sui palpo, quem ducit hiantem
Cretata ambitio?

Huc facit illud Iohannis Saresberiensis, lib. iii. cap. iv. *Palpo, qui adulatoris vel assentatoris censetur nomine, quoniam eadem res multis vocatur indiciys, hominum mentes explorat*, &c.

Pavdamentvm, *paluda*, *paludatus*, vnde sint docere conatus Varro lib. vi. de L.L. *Paluda*, inquit, *à paludamentis. Sunt hæc insignia & ornamenta militaria. Ideo ad bellum cùm exit imperator, ac lictores mutant vestem, & signa incinuerunt: paludatus dicitur proficisci: quæ propterea quod conspiciuntur qui ea habent, ac fiunt palam, paludamenta dicta*. Hæc Varro, quæ deinde curatiùs fusiúsque expendemus. Ac primò puto *paluda* esse ab Hebræo לוט, quod est *velare*, *operire*: vnde & *pallium* ac *pala*, non à *palam*, vt voluit Varro. Quia verò *paluda* est *vestis militaris*, hinc *paludati* pro *militibus* legas apud varios, eósque inter Sidonium lib. v. epist. vii. Ambigi autem possit an *paludatus* sit ἀμέσως à *paluda*, an verbo *paludare*. Sed prius malim, cùm similiter à nominibus, non verbis, sint *togatus*, *chlamydatus*, aliáque. A *paluda* vel *paludare* est quoque *paludamen*, &, TVM adiecto, *paludamentum*, quo Festus ait significari *omnia militaria ornamenta*: sed pressius accipi solet, vnde χλαμὺς exponitur à Nonio & vett. Glossis. Superimponebatur thoraci, non ad tutelam, sed ornatus caussâ: Galli vocant *cottam armorum*. Propriè autem Imperatorum erat, vt indicat cùm Appuleius in Apologia, tum Isidorus, qui eo de etymo Varroni assentit, etsi aliam adferat originis caussam. Sic enim scribit, lib. xix. cap. xxiv. *Paludamentum erat insigne pallium Imperatorum cocco purpurâque & auro distinctum*. De quo Sallustius, *Togam*, inquit, *paludamento mutauit. Erat enim pallium bellicum, dictum, vt quibusdam videtur, quòd eo indutus palam faceret Imperator bellum futurum*. Sallustij locus, quo *togam pallio* opponit, lucem quoque capit ex illo Cornuti ad Persij Sat. v. *Toga Romani in pace vtebantur, belli autem tempore paludamentis*.

Palvmbes, à πάλλεσθαι, *moueri*, *palpitare*. Nempe quia est animal timidum, vnde *pauidas columbas* dixit Valerius in viii. Argonaut. Longiùs petitum illud Isidori lib. xii. cap. vii. vt *palumbes* dicantur, eò quòd *sint parca pabulo*.

Palvs, *paludis*, à *palàm*, si audimus Varronem, cùm iv. de L.L. scribit: *Palus, paululum aqua in altitudinem, & palam latiùs diffusa*. Aliis placet esse à παλαιὸς, hoc est, *vetus*, vt propriè sit *aqua inueterata*. Παλαιὸς verò est à πάλαι, hoc est, *olim*, *quondam*. Hoc manifestè est ab Hebræo לח, hoc est, *vetus*, siue בלה, hoc est, *inueterascere*. Est & tertium etymon quod Scaligero & Nunnesio placuit, vt sit à Dorico παλὸς pro πηλὸς, hoc est, *lutum*. Nam palus limosa est. Addo & quartum. Nam quid, si dicamus, *palus* esse ab Æolico ἕλος pro ἕλος, quod *paludem* notat? Sanè E in A sæpius abit: vt μένω, *maneo*, λέπω, *lapis*. Quintum etiam adiungo, quod Guicharto videbatur: esse nimirum ab יאור, *riuus*, *fluuius*, & iuxta Hieronymum *palus*, abiectâ principe syllabâ.

Palvs pro *stide*, κατὰ συγκοπὴν factum videtur è *paxillus*: vt vtrique etiam Scaligero placet. Vide quæ hac de sententia diximus in *Ala*, & *Velum*. Vel hoc displicet, à *pago* (quomodo veteres pro *pango* dixere) erit *pagulus*, indè per συγκοπὴν, *palus*. Pro qua sententia est, quod similiter à Græco πήσσω, hoc est, *pango*, *figo*, dicunt πάσσαλος, vel πάτταλος. A *palus* est *palaris*: vt *palaris sylua*, ex qua *pali* sumuntur, l. ix. D. de vsufruct. *Palaria*, locus vbi milites ad palum se exercebant, teste Charisio. Item *depalare* pro palis impactis statuere & circumcludere. Tertull. in Apolog. cap. x. *Ciuitas, quam depalauerat Saturnus, Saturnia vsque nunc est*. Aliàs *depalare* est palos detrahere: vnde *depalatio* apud Vitruuium, lib. ix. cap. viii. *Nobis autem ab his separanda sunt horologiorum rationes, & explicanda menstrua dierum breuitates itemque depalationes*. Quem locum, etsi difficilem intactum reliquere Philander & Daniel Barbarus. Sed Turnebus, lib. vi. Aduers. cap. xii. per *depalationes dierum* intelligit eorum *incrementa*: eò quòd talis apud antiquos horologij forma esset, vt diebus augentibus detrahere, diminuentibus addere cuneos soleant. Vnde Vitruuius ipse, lib. ix. cap. ix. *Quarum (dierum) breuitates aut crescentias cuneorum adiectus, aut exemtus in singulis diebus & mensibus perficere cogit*. Et ibidem: *Sin autem cuneorum adiectionibus & detractionibus correptiones aut crescentia non probabuntur*. Hæc tamen sententia improbatur Bernardo Baldo, viro doctissimo, qui, eâ reiectâ, suspicatur, *depalationes* dici Solis per signiferi partes euagationes: vt nempe sit à *palari*, quod est *vagari*. Ipsum vide in vocibus Vitruuianis.

Pampinvs, vt Isidorus ait, lib. xvii. cap. v. *dictus, quod de palmite pendeat*. Malim deducere ab ἄμπελος, *vitis*: vt dicatur quasi *pampelus*. Sed ingeniosè imprimis Martinius, vt dicatur quasi

πίω ἀμπὶ οἴνῳ, *herba circa vitem*, more Æolico. Hinc *pampino*. Gloss. Βλαστολογῶ, φυλλολογῶ, *pampino*. Onomast. *Pampino*, ἀποφυλλίζω. Vide Varronem, lib. I. de R.R cap. XIII.

PANACEA herba, quæ Græcis πάναξ, πανάκες & πανάκεια. *Panax* est apud Columellam, lib. XI. cap. III. *Panacea* vsurpat Lucanus, lib. IX.

Et Panacea potens & Thessala centaurea.

Panaces est apud Plinium, lib. XXV. cap. IV. vbi & originem aperit: *Panaces*, inquit, *ipso nomine omnium morborum remedia promittit*. Rectè est enim à πᾶν, hoc est, *omne*, & ἄκος, hoc est, *medela, remedium*, seu ἀκέομαι, *medeor, sano*. Hinc *potens* dicitur Lucano, vti vidimus.

PANCRATIVM constabat pugillatu & luctatione: ac ita dicebatur à πᾶν & κράτος quod *omnium neruorum virium que contentione transigeretur*. Nam non pugnis modò sed & calcibus & cubitis vtebantur, vt indicat Fabius, lib. II. cap. VIII. Falsus est Hermolaus Barbarus, cùm putabat ita dici a πάντα & κρατεῖν, *à vincendo omnia* vt *pancratium* sit certamen, quo quis quinque certandi generibus congreditur, hoc est, cursu, pugillatu, luctâ, saltu, & disco. Confudit enim Hermolaus πένταθλον & παγκράτιον. Vide *Quinquertiones*.

PANDECTAS ridiculè scribit Accursius ita dici à *pan*, quod est *totum*, & *dectes*, quod est *doctrina*. Nemo enim hodie nescit, esse à πᾶν, id est, *omne*: & verbali δέκτης, quod à δέχομαι, id est, *complector*. Gellius, lib. XIII. cap. IX. *Tullius Tiro Græco titulo pandectas inscripsit, tanquam omne rerum atque doctrinarum genus continentes*. Meminit & eiusdem appellationis, lib. vlt. cap. vlt. Plinius in præfatione naturalis historiæ, ponit hanc inscriptionem inter illecebrosas & magna promittentes, propter quas, vt ipse inquit, vadimonium deseri possit. Sed & eodem modo inscribuntur libri Digestorum, qui ex XXXVII. Iurisconsultis sunt coagmentati. De horum appellatione sic scribit Iustinianus epistolâ ad senatum & omnes populos, quæ hodie secunda est in tit. de vet. iure enucl. *Nomen*, inquit, *libris imposuimus Digestorum, seu Pandectarum, qui omnes disputationes in se habent legitimas, & quod vndique fuit collectum, hoc in sinus receperunt in centum quinquaginta penè millia versuum, totum opus consumantes*. Pandectarum libri hodie signantur hac nota ff. Id *facta* interpretabatur Aldobrandinus in proœmio Institut. Sed nimis generalis fuerit hæc appellatio, cùm sit omnium librorum communis. Quare verisimiliùs multo, qui volunt eam notandi rationem ex librariorum imperitia originem cepisse. Sed ex qua litera hæc nota originem ducat, id inter hos neutiquam conuenit. Laurentius Vallensis in Raudensem censet ortam ex Græco Δ, quo *Digesta* signi ficentur. Sed obstat, quod Græci habeant proprium vocabulum Πανδέκται. Itaque Alciatus lib. III. Dispunct. cap. XVI. censet potiùs ortum ex eo, quòd *Pandectas* per π̃ cum circumflexo accentu notare soleant. At Haloander malebat factum indè, quòd veteres pro Tit. scriberent ϑ, quod est Θησαυρὸς. In fasciculo temporum, vbi de Iustiniano agit, legas *Digesta* olim per D & G scribi solere, indéque ex similitudine quadam ortum, vt vulgo nunc pro eo ff scribatur. Sed Fernandus Adduensis, lib. I. cap. I. explicationum, censet similitudinem potiùs habere cum L. L. Quare cùm ex Probo constet eo Leges significari, fit ei maximè verisimile hinc notam istam originem traxisse.

PANDO vel est à πετάω, siue πετάζω, quod idem significat: vnde in Onomast. *Pando*, πετάζω; vel à φαίνω *ostendo*, vnde ἀναφαίνω fit *Φανερὸς*, *apertus*. Posterius malo: quod & probat Septimius Florens, in *Έγκώμιο* Aristophanis. At more suo ludit Varro: quando ait *pandere* dici *panem dare*, indéque deam *Pandam*, vocari, quæ eadem ac *Ceres*. Nempe existimabat, etsi *pandendi* verbum ad alia quoque transferatur, propriè tamen conuenire Cereris fano, cùm egentibus ex eo panis daretur. Adscribam hîc de re Nonij locum, prout eum emendauit Carrio lib. I Antiq. Lect. cap. III. *Pandere Varro existimat eâ causâ dici, quod qui ope indigerent, & ad asylum Cereris confugissent, panis daretur. Pandere ergo quasi panem dare, & quod nunquam fanum talibus clauderetur*. Idem de vita pop. Rom. lib. I *hanc Deam meliùs putat esse Cererem, sed quòd in asylum qui confugissent, panis daretur, esse nomen fictum à pane dando pandere, hoc est, aperire*. Alijs tamen *Panda* ita dicta videtur, quòd pacis tempore portæ vrbium panderentur. Horum opinionem confirmat Glossarium vetus Philoxeni in quo legere est, *Panda*, Εἰρήνης Θεός. Est & tertia nominis huius ratio, adducta ab Arnobio, lib. IV. vbi & *Panticam* eandem vocatam docet: *Quod*, inquit, *Tito Tatio Capitolinum vt caperet collem, viam pandere atque aperire permissum est, dea Panda est appellata, vel Pantica*. Et mox: *Nisi Tarpeiam rupem rex Sabinam potuisset accipere, nulla esset Pantica*. Quo id auctore scripserit Arnobius, non constat. Nihil enim huiusmodi apud Halicarnassensem, Liuium, Festum, alios me legere commemini. A *pando* tum *pansum*, tum *passum* veteres dixerunt: contrà quàm putauit Agellius, lib. XV. cap. XV. Diximus hac de re abunde in Grammaticis Exercitat. A *pansum pansa* dicti, qui *pedibus* essent *pansis*; vt *planci*, qui *planis*. A *passum* est *passus*, quod propriè dicitur de *pedibus passis*: quinque pedum esse volunt, hoc est, duorum gressuum, vt *gressus* sit duorum pedum ac semis. Ab eodem est *passim*; pro quo *passiuitus* dixit Tertullianus, lib. de pallio, cap. III. nempe à *passiuus*, hoc est, *promiscuus* & *vulgaris*: qua vox ea non à *patiendo*, prout Grammatici vtuntur, sed à *passim*. Ita idem Tertullianus, lib. I aduersus Marcionem dixit, *passiuum nomen Dei*: nempe quia & hominibus dictum, *Dij estis*; ac ab eodem *passiuitas* dixit pro *frequentiâ promiscuâ*. Sic enim ait cap. IV. eiusdem libri: *Quantum deuotatum passiuitas offert*. Et in Apologetico: *Suppeditante materias passiuitate luxuria*. A *passim* quoque dicuntur *oues passales*: *ὄπια ἐσοβᾶσιν*. Nisi potiùs *pascales* scribendum, de quo in *Pasco* diximus.

PANDVS, quia se *pandit*, hoc est, *extendit*. A *pando*, *pandidus* foret, vt à *floreo*, *floridus*; à *madeo*, *madidus*: sed *dissonantiæ* causâ, ob concursum duorum D, *pandus* maluere vt monet Priscianus, lib. IV. A *pandus* est *pandiculor*. Festus: *Pandiculari dicuntur, qui toto corpore oscitantes extenuuntur, eo quod pandi fiunt*. Quod ἀναλογία firmat. Nam similiter à *missus*, *missiculare*; à *fissus*, *fissiculare*. Alioqui possis & à *pando* deducere. Nam *pandiculantes* se *pandunt*, hoc est *extendunt*. In adductis Festi siue Paulli verbis nonnulli MSS^ti^ habent *oscillantes*: sed rectum est *oscitantes*. Plurimùm enim hæc differunt: vt notum.

PANEGYRICA *oratio*, πανηγυρικὸς λόγος, propriè est non quæcunque est generis ἐπιδεικτικοῦ, sed solùm laudatoria, nec laudatoria quæuis, sed quæ habetur in cœtu populi vniuersi: quem Græci πανήγυριν vocant, à πᾶν & Æolico ἄγυρις pro ἀγορὰ; atque inde *panegyrica* orationi nomen. Quæ aduersus hanc sententiam adferri possunt, discussimus in Oratoriis nostris, lib. I. cap. V.

PANGO prius fuit *pago*, & *paco*. Vtroque enim vsi, sed *paco* antiquius. Antiqui enim C pro G vsurpabant, vt docet Festus in *Orcus*. Non audiendus idem, cùm in voce *Prodigia* ait, antiquitus G vocatum, quæ nunc C appellatur. Contrarium enim patet vel ex columna Duilliana. *Paco* verò, seu *pago*, fuit à Dorico πάγω pro πήγω, vnde πηγνύω, seu πήγνυμι, quod tum *figere* notat, tum *componere*, *coagmentare*, *facere vt concrescat*. Et sanè Latini dicunt *pangere fœdus*, ita est apud Euripidem πηγνὺς ὅρκον, *fœdus iuramento sancitum ac pactum*. Πάγω fortè à פגע, hoc est, *occurrere*, *occursu in quippiam impingere*. A *pago* (quomodo veteres dixisse, testatur Quintilianus, lib. I. cap. VI.) remanet *pactum*: quâ de voce parùm aptè Isidorus, lib. V. cap. XXIV. *Pactum*, inquit, *quasi ex pace factum, ab eo, quod est pango, vnde & pepigit fœdus*. Nam non compositum est; sed deriuatum. Nec à *pango* propriè est, sed vti diximus, *paco*, seu *pago*; vnde *pango*; vt *frango* à *frago*, à quo *fragilis*. A *pago* item *pagina* dicimus. Nomen ei à *pagendo*, hoc est, *pangendo versu*. Nam quia veteres Romani erant rustici, indè est, quòd à rebus rusticis multò plurima desumpserint. Multa sanè eiusmodi in Actio suo congessit Iouianus Pontanus, Fol. CXL. ed. Ald. Adhæc à *pago* est *propago*, verbum; vnde *propago*, nomen, pro quo & *propages* dicitur. Ab eodem *compages*, seu *compago*: a quo *compaginare* dixit Ammianus lib. XVI. Atque vti *compages*, ita & *impages* dixere. Festus: *Impages dicuntur, quæ à fabris in tabulis figuntur, quò firmius cohæreant, à pagendo, id est, figendo*: (ita & MSS^ti^) *vnde & poëta pangere versus dicuntur, & agricola pangere plantas, hoc est, infigere*. Vsus *Impagis* voce Vitruuius, lib. IV. cap. VI. A *pago* autem, inserto N, fuit *pango*: vt à *tago*, vnde *tagax*, *tango*; à *frago*, vnde *fragilis*, *frango*; à *iugo*, *iungo*. At ab antiquo *pacere* est *paciscor*, vt ab *apere*, *apiscor*; vnde *adipiscor*, & *indipiscor*. Eius compositum *compeciscor*, vnde *compectum*, pro quo vulgo scribunt *compactum*. Verùm per *A* quidam rectiùs efferunt, quomodo est à *compingo*. Nam similiter ab eo verbo sunt *compago*, & *compages*. At meliùs scribitur per E, cùm venit à *compeciscor*, quòd eâ ratione per E scribitur quâ *defetiscor* à *fatiscor*. *Compecti* voce præter Afranium vsus Plautus, cùm alibi, tum Capt. Ac. III. Sc. I.

Omnes compecto rem agunt, quasi in velabro olearij.

Vsurpant quoque Suetonius, & alij. *Compecto* per E probat quoque Palmerius. Charisius, cap. de Aduerbio, videtur putasse, non tam à *compacisci* seu *compecisci* venire quod in vsu esse negat, quàm à nomine *pactum*. Simile est *depecisci*, pro *depacisci*. Hinc Terentius:

Vitam pro amico vnâ nolle depecisci.

Et Appuleius similiter lib. X *Granus denique pretio cum altero meo depecta est noctis vnius cubitum*. Vlpianus in L. III. D. de calumnijs:

calumnijs : *Depectus dicitur turpiter pactus*. Sed non de turpi solum, verùm & honesto pacto dici, contra Vlpianum, Valla, Hottomannus, atque alij, comprobant. Ab eodem est *depector*: quomodo *depector litium* pro *redemptore* apud Appuleium, legimus in Apologo.

PANICVLA Plinio est lanugo siue capillamentum siue coma lanosa, in milio, arundine, auellanis, & similibus. θύσανον & ἀνθήλην Græci nuncupant. Nec aliud est, quàm λάχνωμα τριχῶδες. Est diminutiuum à *panica*, quod est à Dorico πανίκα pro πήνικα, quomodo *coma* vocatur, imprimis *addititia*, & *globus crinium implexorum*. Hesych. Πήνικα, θρίξ, ἐμπλόκαμον. Suidas: Πήνικα ἀλλότριον κόμα. Sed Latini *panicam* non dicunt. Itaque alijs *panica* esse placet à πήνιον, *stamen*, *filum*. Nam lanosa illa coma staminis seu filis similis est. Sed malim *panicula* à *panus*, quod notat τολύπην siue *tramæ inuolucrum*. Sunt enim *panicula* τολυπώδη. Festus: *Panus facit diminutiuum panicula*. Vbi *panus* est, vti dixi, id quo trama inuoluitur. At τῶν μεθόδων *panus* & *panicula* vocatur mammosus inguinis, vel alius loci tumor. Vnde & in Glossis legas: Πανουκλα. *panicula*: item πανίουλα, *pestis*, λοιμός. *Paniculam* pro *lanosa coma* vsurpat Plautus, iuxta emendationem Turnebi, Aduersariorum lib. II. cap. XXVIII. Sic enim legendum putat Milite. Act. I. Sc. I.

Cuius tu legiones difflauisti spiritu,
Quasi ventus folia aut paniculam tectoriam.

Quo loco per *paniculam* intelligit lanosam arundinum comam: eámque *tectoriam* vocari putat, quòd arundine ac culmis integerentur casæ, vti & hodie fit. In vulgatis Plauti codd. legitur *peniculum*: sed cùm is è setis fiat pilisue equinis, non tam facilè spiritu difflatur, quàm folia, eóque *paniculæ* potius Plautum meminisse verisimile est.

PANICVM, Græcis ἔλυμος, & μελίνη. Etymon adfert Plinius, lib. XVIII. cap. VII. *Panicum*, inquit, *à paniculis dictum*. Ac paullò pòst ait, quoddam *panici* genus esse *è pano*, *paruis racematum paniculis*. *Paniculas* vocat comam lanosam, quam ἀνθήλην Græci dicunt. *Panicum* est lanugine obsitum: vt iure indè nomen arcessatur. Non quidem ἀμέσως à *panicula*, vt Plinius videtur indicare. Ἀναλογία enim repugnat. Sed à *panus*, cuius diminutiuum *panicula*. Vt *panicum* & *panicula* eiusdem sunt originis. *Panus* verò à πῆνος, pro quo Dores & Æoles πᾶνος. A πῆνος πήνιον, ἡ θρὶξ ἢ κόμη. Vt à πῆνος πήνιον, sic à *panus panicum*. Non audiendus Isidorus, lib. XVII. cap. II. vbi pro *panicum* dicit *panicium*, atque ita vocari ait, quasi *panicium*, quia multis in terris homines *panico* vtantur *panis vice*, hoc est, loco.

PANIS (pro quo in neutro *pane* dixit Plautus Curcul. II. III.) est à *panus*, quomodo vocatur ὁ τολύπη, siue *fili glomus*, ad cuius similitudinem *panes* fingi solent. Varro, lib. IV. de L.L. *Panis*, *quod primò figuras faciebant mulieres in panificio panis: posteaque figuras facere instituerunt alias*. Vel dicitur *panis*, quasi *pascinus*, à *pascendo*. Nonius: *Panis proprietatem à pascendo putant veteres existimandam*. Vel est *panis* à *Deo Pane*. Cassiodorus, lib. VI. Variarum epist. XVIII. *Pan primus conspersas fruges coxisse perhibetur: vnde & nomine eius panis est appellatus*. Vel dicitur *panis* quasi *ponis*, à *pono*; aut ab adiectiuo πᾶν, quasi ἡ ζωὴ πάντων ἐφιεμένη] Isidorus, lib. XX. cap. I. *Panis dictus, quod cum omni cibo apponatur: vel quòd omne animal eum appetat: πᾶν enim Græcè omne dicitur*. Sed omnium horunce sententias diluit Athenæus, ex quo discere est Romanis *panem* vocari ex eo, quòd Dores dicant πανία. Ita enim scribit is l. III. Δωριεῖς. Πανὸς ἄρτος. Μεσσάπιοι ἢ τὴν πανοργίαν πανίαν, ἢ πανία τὰ πλήσματα. Βλαῖσος ἐν Μεσοτριβᾳ, ἢ Ἀρχίλοχος ἐν Τελέφῳ, Ῥίνθων ἐν Ἀμφιτρύωνι, ἢ Ῥωμαῖοι ἢ πάνα, τὸν ἄρτον καλοῦσι. Πανὸς verò fit à πάομαι, edo, vnde & *pabulum*, & dea *Pales*, aliáque. Quod siquis in dubium vocet, an in magna Græcia pro *pane* πανὸς dixerint (sanè MSS[1] ac meliores Athenæi codices πανία non πλήσματα, sed πλήσμια interpretantur: vt Casaubonus testatur) ἀμέσως *panis* à πάομαι deducere licebit. A *pane* est *panarium*. Varro lib. IV. de L.L. *Hinc (à pane) panarium, vbi id seruabant: sicuti granarium, vbi granum frumenti condebant; vnde id dictum*. *Panarium* quoque dicebatur *sportula*, in qua *panes* reponebantur. Plinius, lib. I. Epist. VI. *Proinde cùm venabere, licebit auctore me, vt panarium & lagunculam, sic etiam pugillares feras*. Vsus eodem modo Suetonius Caligul. cap. XVIII. & Domitiano cap. IV. Papinius, I. Siluarum. Martialis *panariolum* nominat ὑποκορισμῶς.

PANNVS plerisque esse placet, à *pano textorio*, hoc est, *inuolucro tramæ*: qua de notione in *Panus* diximus. Sed Varro, in IV. de L.L. *pannum* Græcorum esse scribit. Nempe deducere videtur, à Dorico πᾶνος pro πῆνος, quomodo, Hesychio teste vocatur τὸ ὕφασμα, *textum*, *scutela*. Estque hoc à πένω, hoc est, ἐργάζω. A *pannus* non tantùm *pannosus*, sed & *pannuceus*, dicimus, hoc est, crasso ac vili indutus *panno*, siue diuersis *pannis* obsitus, vt exponit Isidorus, lib. XIX. cap. XXII. Legas apud Persium, sat. IV.

Dum ne deteriùs sapiat pannucea Baucis.

Ac Pomponium in Pannuceatis sæpius citat Nonius. A *panno* quoque est compositum *depannis*, quasi *panno* carens. Vsus poëta vetus apud Nonium. Et similiter *impannis* dixit Plautus Asin. Act. IV. Sc. II. si vera est emendatio Lipsij, libro quincto. Antiqu. Lect. cap. XIII. De qua iure ambigit Valens Acidalius.

PANTHERA à Græcis esse, monet Varro in IV. de L.L. his verbis: *Ferarum vocabula partim peregrina, vt Panthera, Leo: vtraque Græca; à quo etiam & rete quoddam Panther, & Leæna, & muliercula Pantheris*. Priscianus quoque in V. *In multis videmus commutatione terminationis genera quoque esse conuersa: vt ὁ κρατήρ hæc cratera: ὁ ἀμφορεύς, hæc amphora: ὁ πάνθηρ, hæc panthera*. De etymo conuenit, esse ex πᾶν, & θήρ, *fera*: sed de caussa nugatur Isidorus, lib. XII. cap. II. *Panther dictus*, inquit, *siue quod omnium animalium amicus sit excepto dracone: siue quia & sui generis societate gaudet, & ad eandem similitudinem, quicquid accipit, reddit. Πᾶν enim omne dicitur*. Verisimilius, qui putant sic vocari, quia penè omnium in ea ferarum colores cernere est. Nam vt Plinius ait lib. VIII. cap. XVII. *Panthera & tigris macularum varietate propè sola bestiarum spectantur: cæteris vnus, ac suus cuiusque generis color est*. Hinc Eruditissimus Salmasius censet πάνθηρ dici quasi Πανὸς θήρ, *Panos fera*: vt σατυρόθηρ, quasi *Satyri fera*. Arcadius Grammaticus: Καὶ τὸ πάνθηρ, ὁ σατυρόθηρ ἀπὸ μέρους μαθών. Sanè *pantheras* Baccho fuisse dicatas, constat ex Philostrato & alijs. Sed hoc non prohibet, quominus & Pani dicarint. Magis tamen verisimile fit, vocem esse ab Oriente petitam: non propterea quidem, quia in Munsteri Lexico trilingui *panthera*, & *panther*, iisdem planè literis Hebraicè scribatur (nam Hebræis *namer*, Chaldæis *namra* vocatur, vt Esa. XI. Hier. V. Os. XIII.) sed quia Europa non habet *pantheram*, Aristoteles testatur. Quare ex Asia primùm in Græciam delatæ, posteáque etiam ex Attica. Non dubium autem, quin cum re nomen quoque ex Oriente attulerint; vti videmus factum in *tigride*, quæ vt ex Armenia est allata, ita quoque nomen retinuit Armenium. *Pantheris* autem in Asia celebrantur Caria, Lycia, Pamphylia, maximéque Syria, Armenia, Arabia, Hyrcania. Est verò idem genere animal πάνθηρ & πάρδαλις. Nec ignoro, distingui à Xenophonte, in Cynegetico; Polluce, lib. V. cap. XIII. Athenæo etiam, atque alijs, qui πάνθηρας & παρδάλεις coniungunt. Sed hæc facilè conciliantur ex Plinio, qui docet sexu differre, ac fortasse & colore. Videtur tamen & alterum animal nomen πάνθηρος habere. Quippe Oppiano, in II. κυνηγετ. πάνθηρ est bestia parua & imbellis & cum mustelis & gliribus coniungitur. Atque ait poëta de ea nolle se agere: qui tamen de *pardali* tractat, in III. κυνηγετ. Sed Xenophonti, & Athenæo, ac Polluci, πάνθηρ omnino aliud est. Atque ex eo Latinum *panthera*, vti dixi. Quæ verò *panthera* Lucillio, Varroni, alijs, hæ seculo pòst dicebantur pardi quomodo Lucanus, Iuuenalis, Plinius, Martialis, atque alij, appellant: quamquam solos sic mares dixere, quod Plinius indicat lib. VIII. cap XVII. *Nunc Varias, & Pardos, qui mares sunt, appellant*. At Ælius Spartianus, & qui circa ea tempora vixerunt, etiam *Leopardos* vocant, vnde nostrum *Lupaert*. Hinc Glossæ: *Leopardus*, πάρδαλις. Ac circulatores qui nundinarum tempore exotica ostendunt, *leopardum* pro *panthera* aut *pardo* monstrant; & contra. Propriè tamen *leopardus* ex *leæna* & *pardo* natus, vt Isidorus ait, lib. XII. cap II. Nempe conflata vox ex *lea* & *pardus*. Nam *lea* pro *leæna* dixere veteres, vt alibi dictum. Natales *leopardi* signat Claudianus:

——*Cùm forte leæna*
Nobiliorem vterum viridis corrupit adulter.

Vbi per *viridem adulterum* signat *pardum*, cui pellis colore variatur. De iisdem sic loquitur:

Omnia fulmineis properent ad vulnera pardi
Semine permixto geniti.

Ac mox:

Hi maculis patres referunt, & robore matres.

Nam maculas pardi habent, robur leænæ. Quemadmodum verò ex *lea* & *pardo leopardus*: ita ex *camelo* & *pardali camelopardalis*. Horatius:

Diuersum panthera genus confusa camelo.

PANTICES interpretatur Perottus (quem alij Lexicographi secuti) *fluxum ventris*, ac dici ait quia *ventrem pandat*. Nempe cùm apud Festum legeret: *Pantices, frus ventris* (sic ab Aldo quoque editum olim MSS[1] quidam, *Panticeps, frus ventris*) putauit scribendum, *Pantices, fluxus ventris*; quam lectionem etiam secutus Raderus ad Martialem, lib. VI. Epig. LXIV. Sed loca omnia, in quibus ea vox hodie inuenitur, ostendunt,

pantices

pantices eſſe aliud, vt probabile non ſit Feſtum hoc modo ſcripſiſſe. Magis veriſimilis aliorum coniectura, pro *frus* legentium *viſcus*. Siquidem ex ipſis auctorum locis non obſcurè colligi poteſt, *pantices* vocari *inteſtina*, ſiue, ſic dicantur (quod Antonius Nebriſſenſis & Hadr. Iunius putarunt) *inteſtina* illa *pelliculata*, quæ ob multiplicia volumina ceu pagellas à Belgis *'t boek* appellantur: ſiue, quod Iacob. Dalecampius ſcripſit in notis ad Plinij lib. XI. cap. XXXVII. *pantices* ſint *lactes*, hoc eſt, *inteſtinum tenue, ieiunum & duodenum*. Vſus *panticis* voce Plautus, Pſeudolo, act. I. ſc. II.

——Vino modo cupidæ eſtis,
Et vos veſtros panticeſque adeò madefacitis, cùm ego ſim hic ſiccus.

Et Martial. lib. VI. ep. LXIV.

Quod cum panticibus laxis, & cum pede grandi
Et rubro pulmone, &c. lanius per compita portat.

In Catalectis quoque eſt: *Et æſtuantes nocte ſolui pantices obeſam ad vxorem rapis.* Vide quæ ad hunc locum Scaliger notauit, itémque ad illud in Phallicis: *Later iacente pantice abditus ſpecus.* Videtur autem *panticibus* nomen ex eo eſſe, quia *in ventre iaceant expanſa extentaque*. Belgæ omaſum *panſe* ſeu *penſe*, Celtæ quoque *panſe* appellant: quæ vox non minùs ad *panticum* nomen alludit quam Italorum *panſa* qui ſic nominant *ventrem*. Significat quoque *pantex* vulnera vlceráque quæ in collis oriuntur iumentorum. Gloſſæ vett. *Pantex*, ἕλκος ἐπὶ τραχήλου κτηνῶν. *Pantices* igitur intelligendæ verſu iſtoc Maronis, parodiâ in Sabinum, hoc eſt, Ventidium Baſſum:

Bidente dicit, attondiſſe forcipe,
Comata colla, neque ſordidum iugo
Premente dura vulnus ederet iuba.

Hac notione *pantex* dici videtur, vel quia ſe *pandat*: vel à *pano*, quomodo *tumor inguinis* vocatur Nonio teſte.

Panus tuberculi genus in vertice, alis, aut inguine, latius, quàm altius: *mammoſum panum* vocat Plin. De eodem ſic Celſus, lib. V. cap. XVIII. *At aduerſus panum, tum primùm orientem (quod φύγεθλον Græci vocant) & omne tuberculum, quod phyma nominatur, &c.* Ex Hermolai Barbari ſententia ſic dicitur, quia *pani inſtar tumeat*, non altè quidem, at latè. Sed omnino ita vocatur κατὰ μεταφορὰν, quia *ſimile ſit pano textricum*. De vtraque *pani* notione ſic ſcribit Nonius Marcellus: *Panus trama inuolucrum, quem diminutiuè panulam vocamus.* Lucil. l. IX. *Fortis ſubtegminis panus eſt. Tumor quoque inguinum ex formæ ſimilitudine ſic vocatur.* Afran. Materterâ: *In quem plenam papulam, panum tympanum.* Nonius Optione. *Qui me miſerum miſeriorem reddidit, quàm panus puerum, quod pueri ægriùs patiantur hoc genus morbi.* Hæc Nonius. Sed veriſimilius eſt, *panum* primariâ notione eſſe πήνιον, hoc eſt, *fuſum filis inuolutum*, ſeu *glomum lanæ carptæ, & ad nendum paratæ*. Quod etymon quoque confirmat. Nam eſt *panus* à Dorico πᾶνος pro πῆνος, quo ſignificatur ἀγαθίς, ſiue *glomus*. Ac vicina huic vox πῆνος hoc eſt ὕφασμα, *tela*. Doricè eſt πᾶνος, vnde Latinum *pannus*. A *pano*, quâ eſt *trama inuolucrum*, aiunt eſſe *panuelium*, ſiue *pannuelium* appellatum. Volúntque ſic dici radium, quo ſtantes procurrunt telas. Varro, in IV. de L. L. conflatum putat à *panno* & *voluendo*. Scaliger è *pano eluendo* dici arbitratur. Magis veriſimile ſit, ſimplex eſſe, venıréque à *panus*, *panucula*, vnde *panucella*, & mutato genere *panucellium* quaſi à *panum*: Nempe vt idem ſit *panus*, *panucula*, *panucellium*. Sanè Gloſſis Philoxeni legas *panucellium*, vbi exponitur πήνιον, ſeu πηνίον. In Onomaſtico Græco-Latino pro eo eſt, *panuelium*: atque interpretatur ῥάκος.

Papa quidam factum putant ab interiectione *Papæ*, quoniam *Papa* ſit planè *admirandus*: quidam à *corona*, hoc eſt, *tonſura papali*, quæ παπικὴ ξυρὰ vocatur à Conſtantino in epiſtolâ ad Syluestrum; & Balſamone ad Synodum in Trullo can. XXI. quidam etiam conflatum putant, ex notis *P A. P A.* quæ ſignificant *patrem patrum*; quomodo Pontifex Romanus crebrò appellatur in antiquis monumentis. Ex triplici hac ἐτυμολογίᾳ lucem capit locus hic Remigij Antiſſiodorenſis de celebratione Miſſæ: *Papa autem ſecundum quoſdam dicitur admirabilis vel coronatus; ſed quòd melius eſt, pater patrum, id eſt, epiſcoporum.* Sed omnia hæc λῆροι. Nam eſt à Græco πάππας, vel πάππος, quod *auum* ſignificat. *Papas* autem vulgus omnes vocabat *clericos*, vt teſtatur Vvalfridus Strabo, de rebus Eccleſiaſticis cap. VII. Poſtea proprium eſſe cœpit Epiſcoporum, quod ex plurimis locis Cypriani, Hieronymi, Auguſtini, aliorúmque patrum notum eſt. Sed reuerentiæ causâ peculiariter iunior Epiſcopus ſeniorem ſic vocabat: quemadmodum ex canone LIV. Carthagin. Syn. probat Ioſephus Scaliger elencho trihæreſ. Serarij. Poſtea *Patriarchæ Romano* hic honos habitus eſt, vt ſolus κατ' ἐξοχὴν *Papa* vocaretur quod factum ex ſtatuto Gregorij ſeptimo anno CIↃLXXIII. Plura de *Papa* nomine ac Græco πάππας vide apud Cælium Rhodig. lib. XI. cap. XXI. Onuphrium Panuinum, in vocum Eccleſiaſticarum interpretatione; Pamelium ad ep. III Cypr. Baronium in Martyrolog. X. Ian. ſocerum meum Fr. Iun. in notis in Codinum pag. CCLV. Sauaronem in Sidonij epiſt. I lib. VI. Hieronymum Vvolfium, tom. I. Memorab. pag. IↃCCCCXC. & ſeq. Meurſium in Gloſſ. vocibus πάππας, παπᾶς, & πρωτοπαπᾶς. Barthium. Aduerſar. lib. IX. Qui tamen quòd Latinos à Gothis aliíſque barbaris, *papa* vocem putet accepiſſe, audiri minimè debet. Culpat ille doctiſſimum ſocerum meum, Franciſcum Iunium, quòd ſcripſerit, Germanos à Latio *Papa* vocem accepiſſe. Sed quomodo Latini à Gothis eam vocem accepere, ſi Cypriano & aliis eius æui id nomen tributum, tanto ante irruptionem Gothorum & aliorum barbarorum in imperium Romanum?

Papaver dici cenſeo à verbo *papo*, vt *cadauer* à *cado*. Nomen ex eo fuerit, quòd indatur *papæ* ad conciliandum ſomnum *Papa* (pro quo vulgò minùs rectè *pappa* ſcribunt gemino *pp*) puerorum eſt cibus, quem & nos hodie *pap* appellamus. Indicat id hic Varronis apud Nonium locus: *Cum cibum ac potionem buas ac papas vocent, & matrem mammam, patrem tatam.* Sed ſuſpicatur Ioh. Meurſius hanc impropriam ac ſecundariam eſſe ſignificationem, propriè autem notare *caput mamillæ*, indéque (quod eius opinionem non parùm firmat) *papillam* dici ὑποκοριστικῶς. Nec obſcura fuerit ratio huius inuerſionis. Nam pueris *papam*, hoc eſt, *papillam*, ſiue *mammam* poſcentibus, ſæpè, ſiue quòd maternum lac non ſufficiat puero alendo, ſiue quò paullatim ſolidioribus adſueſcat cibis, lac præbetur cruſtulâ infriatum: eáque res cauſſam præbuiſſe videtur huic ſignificationis immutationi. A *papauere* dicitur *veſtis papauerata*. Plinius, lib. VIII. cap. XLVIII. *Crebra papauerata antiquiorem habent originem iam ſub Lucilio poeta in Torquato notata.* Erat *papauerata veſtis* tenuis ac delicata: ac ſic à Lucillio vocatur, Græcorum exemplo quibus μήκων non ſolùm notat *papauer*, ſed etiam *textum byſſinum, ſiue lineum*. Nam Heſychius ὑφασμα βύσσινον exponit. Sed de cauſſa nominis non conſentiunt. Aliquibus videtur appellatio eſſe ex eo, quia quoddam *papaueris genus* eſſet, ex quo (vt Plinius ait) *candorem linteæ præcipuum tradunt*. Alij cenſent ſic dici, quia mollis *papaueris* lanugo neretur, veſtiſque ex ea texeretur. Sanè veriſimiliora hæc ſunt, quàm vt cum erudito viro *panerata* pro *papauerata* reponamus.

Papilio eſt ψυχάριον, vt exponitur in vett. Gloſſ. Ita vſus Vegetius, lib. I. cap. III. De eo ſic Iſidorus lib. XV. cap. X. *Papiliones vocantur à ſimilitudine parui animalis volantis, quod maximè abundat florentibus maluis.* De *animalculo papilione* vide Columellam, lib. IX. cap. XIV. quod eſt de apum cura. Iſidorus ibidem vocat *auiculas*, ſanè ἀκύρως, cùm ſit inſectum. Sed balbutire voluit cum pueris, qui *volantia omnia auiculas* appellant. Videtur dici *papilio*, quia *papet*, hoc eſt, *edat & exſugat olera*; imò & ceras, vt Columella dicto loco auctor eſt. Vel potiùs *papilio* ſit ex Græco ἠπίολος repetendo *P*. Meminit Ariſtoteles, lib. VIII. cap. XXVII. vbi eſt, ἠπίολος περὶ τὸν λύχνον περιπέτομενος. Pro quo Plinius, lib. XI. cap. XIX. *Papilio luminibus accenſis aduolitans.* Sanè ἠπιόλου eſſe *papilionem*, etiam Dalecampij iudicium eſt.

Papilla, & *mamilla*, hoc differunt, quòd *mamilla* eſt omnis eminentia vberis; *papilla* verò breue illud, vnde lac trahitur; quemadmodum iiſdem verbis tradunt Seruius ad XI. Æneid. & Iſidorus, lib. XI. cap. I. *Papilla*, ex Feſti ſententia, ὑποκοριστικῶς factum à *papula*, quomodo veteres vocarunt, quæ tuberculi ſpeciem habent. Argumento eſt, quòd vulgò *papula* dicamus *puſtulas cutis ex prurigine inſurgentes*. Celſum vide lib. V. Vel dicendum, *papillam*, ſeu *papulam*, potiùs eſſe à *papa*, quomodo vocatur puerilis cibus, quia nempe infantes ex mammarum apice papent, hoc eſt, comedant. Nam *papare* de infantuli ætate dixit & Plautus Epid. act. V. ſc. II.

Nouo liberto opus eſt, quod papet.
PE. *Dabitur; præbebo cibum.*

Hanc *papillæ* etymologiam adducit Iſidorus, lib. XI. cap. I. *Papillæ*, inquit, *capita mammarum ſunt, quas infantes ſugentes comprehendunt. Et dictæ quòd eas infantes quaſi papent, dum lac ſugunt.* Vide *papauer*. A *papilla* eſt *expapillare*. Feſtus: *Expapillato, brachio exſerto, quòd cùm ſit, brachium nudatur.* Nonius: *Expapillato brachio, quaſi vſque ad papillam renudato.* Affert deinde locum hunc è Plauti Milite, Act IV. Sc. IV. Sed alij legunt *expaliiato* brachio, vel *effaſilato*, quod & in Feſto inuenitur. Sic enim apud eum legas: *Effafilatum eſt exertum, quòd ſcilicet omnes exerto brachio ſint exfilati, id eſt, extra veſtimentum filo contextum.* Sine dubio cumpſe Plauti

locum

locum respexit. Sed cùm iam olim apud eum nunc *effafilatum*, nunc *expapillatum* legeretur, vtramque vocem sibi grammaticus explicandum putauit. Sine dubio autem rectius est *effafilatum*. Nec enim brachio exerto nudantur *papilla*, nec, si id fiat, propterea brachium rectè *expapillatum* dici possit *Effafilatum* autem dicitur pro *exalafilatum*.

PAPPARE, seu *papare* (diuersimodè enim vox hæc scribi solet,) est *edere*, quomodo vtitur Plautus. Epid. act. v. sc. II. vel *cibum poscere*, prout vsurpat Pers. sat. III. Venit à *pappa* siue *papa*. Eo significatur *puerorum cibus*, vt ostendimus voce *Papauer*, vbi plura hac de voce legere potes. Græcis πάππας non *cibum*, sed *patrem* notat, vt apud Homerum Od. ζ, indéque apud eundem παππάζειν, τὸ βρεφικῶς προσφθέγγεσθαι τὸν πατέρα, vt ait Eustathius. Contra factum in *mamma*. Nam Romani pueri eo matrem appellant, vt eodem libro indicat Varro, cuius verba adducimus in *Papauer*. At pueros Græcorum ita *cibum* appellasse constat ex nubibus Aristophanis. Voce *pappas* vtuntur & Latini, sed aliâ significatione. Quippe ἡ τροφία, πάππαν ὠνόμαζον τὸν παιδαγωγὸν, vt scribit Eustathius ex Lexico Rhetorico. At sic vtuntur Latini. Iuuenal. sat. VI.

Mordeat ante aliquis, quicquid porrexerit illa
Quæ peperit: timidus prægustet pocula pappas.

Vbi *pappas* omnino est *nutricius*. Confirmant idem Glossæ Isidori, in quibus est: *Pappas, pædagogus*. Ad illud quoque Iuuenalis:

Discipuli custos præmordet Acanonetus,

Sic habent Glossæ: *Eunuchus pædagogus; proprium pappatis*. Nec mirum, si vox quæ Græcis *patrem* notet, Latinis notet *nutricium*. Nam is patris quodammodo vicem gerit. Et sanè Latinis vox *mamma* similiter accipitur pro *nutrice*: vt apud Plautum.

PAPPVS antiquâ linguâ idem quod *senex*, vnde *sponsa pappi*, & *Agricola* & *Hermia pappi*, quibus nominibus fabulas scripsit Pomponius. Confirmat eam significationem Varro, VI. de L. L. *Item*, inquit, *significant in Atellanis aliquos pappum* (sic ex vett. libris emendant Turnebus & Scaliger, pro quo vulgo *pappum*) *senem, quod Osci casnar appellant*. Est à Græcorum πάππος, quod ijs *auum* notat. Et similiter vsus Ausonius in Protreptico:

———*Pappos auiásque trementes*
Anteferunt patribus seri, noua cura, nepotes.

Etiam Græcis à senilis caniciei similitudine sic vocatur *lanugo carduorum*, vnde hanc quoque acceptionem habent Latini. Monet Festus, sic vsum Lucretium, cùm scribit.

Vestem, nec plumas auium, pappósque volantes.

Plinius similiter de cacto herba, lib. XXI. cap. XVI. *Semen ei lanuginis, quam pappum vocant*. Idem, lib. XIII. cap. XXII. *Simulis & coggygria folio, magnitudine minor. Proprietatem habet fructum amittendi lanugine (pappum vocant,) quod nulli alij arborum euenit*. Idem, lib. XXIV. cap. XIII. auctor est, herbam eandem esse, *senecionem* ac *pappum*; ac nomen hoc habere, quia verè canescat, numerosâ caput eius lanugine obsidente. Putabat Turnebus (vt ex postumis in Varronem notis liquet) *pappum mesium* similiter antiquitus à rusticis dictum pro lanugine messium, siue segetis. Sanè vt *mensum* pro *mensium* legas apud Censorinum aliquoties, sic *messum* quoque dixere pro *messium*. Pro *messium* autem *masum* dixere rustici, E pro Æ substituto, quâ ratione in vrbe quoque quidam *sceptrum* & *scena* dicebant, quæ alij, Græcos secuti, per monophthongum enunciabant. Quia verò rustici *masum* dicebant, hinc Lucillius.

———*Cæcilius ne rusticus fiat*.

Nempe si *masum* dicat pro *messum* seu *messium*. Sic Varronis locum, qui est VI. de L. L. interpretatur Turnebus. Aliter verò Scaliger, cùm de *pappo*, tum *masij* voce, ac Lucillij quoque loco. Coniectanea eius vide.

PAPYRVS, πάπυρος, quam vocem debemus Ægypto, quippe cuius frutex sit. Vnde Ouid. XV. Met.

Pérque papyriferi septemflua flumina Nili.

Ex eius folijs acu diductis fiebat *charta*: vnde hodiéque *chartam* omnis generis *papyrum* vocamus. At ex *ligno fruticis* faciebant *naues*. Lucan. lib. IV.

———*Cùm tenet omnia Nilus,*
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

Sanè Ægyptios *naues* fecisse etiam ex *iunco*, legas apud Herodotum, lib. II. De *papyro* Guilandinum vide, & quæ aduersus eum Ios. Scaliger: item Salmasium adi Exercitat. in Solinum.

PAR deducit Iul. Scaliger ad Theophrastum de Plantis, à comparationis particula παρὰ, id est, *iuxta, apud, propè*: vnde παραβάλλω. Atque eadem mens Septimij Florentis, notis in Aristophanis Ὄρνιθας. Sed magis placet eorum opinio, qui putant κατ' ἀφαίρεσιν, factum à חבר, id est, *coniungere, sociare*. A *par* est *parilis*, vt à *textus textilis*, ab *altus altilis*, teste Prisciano in IV. Ab eodem est *compar*, quod conuenientiam indicat, vnde fortassis *comparo*. Quanquam nec displicet, vt sit à *paro*; vt à *fero confero*. Sed prius probat Priscianus in IV. *A pare etiam quod à verbo paro nascitur, deriuatum comparo, comparas. Propriè enim pares sunt, qui inter se possunt comparari*. A *par* quoque est *suppar*, quod imminuit; *dispar* quod disiungit. Ab eodem est *pariare*, apud Vlpianum, l. IV. §. V. ff. de manum. vbi malè Haloander emendabat *pareuerit*. Vsus & Arnobius, lib. VI. aduersùs nationes. Indéque *pariatores* & *pariatio* in Iuris libb. Pro *pariare* etiam dicitur *paria facere*. Vtrumque significat, ita rationes reddere, vt expensa *paria* sint acceptis. Vide quæ his de vocibus post Vallam, Budæum, & Alciatum, notauit Anton. Augustinus, lib. IV. Obseruat. cap. XII.

PARABOLA vnde esset, barbaris seculis vsque adeò obscurum erat, vt putarent vel sic dici, quia facilem ori *parat bolum*, quò faciliùs capiatur quod dicitur: vel quasi *parans vela*, quia rem velat ac tegit. Quæ legere est apud Simonem de Cassia, initio libri noni: ac tanti etiam Alphonsus Salmero putauit, vt referret, sed quò refelleret. Non dubium autem, quin παραβολὴ, sit à παραβάλλειν, quod propriè est *obijcere*, aut *appellere*: verùm quia res comparatum alterum alteri admouemus, μεταληπτικῶς sæpè verbum id accipitur pro *conferre*. Hinc παραβολὴ, *collatio, comparatio*; quamquam apud Euangelistas potiùs *similitudinem*, siue *allegoriam*, notet: qua de notione fusè admodum is, quem dixi Salmero, serm. I. in *parabolas* Euangelicas. Quæ omnia præterire mihi visum. Porrò suspicatur Turnebus, lib. XIII. cap. XXIII. quia in *parabola* illa Christi vulneratus à latronibus à Leuitâ neglectus, à Samaritano curatur: indè *parabolanis*, siue, vt Iulius Firmicus vocat, *parabolarijs*, fortè nomen esse impositum, quia hi curandis debilium corporibus deputentur. Sic quippe dicuntur homines paupertinæ sortis, operam suam nosocomijs & xenodochijs accommodantes. Sanè verisimilius id, quàm vt sic vocentur *medici*, quia multas habent *parabolas*, ac quo quisque loquacior, hoc vulgo doctior meliórque medicus habetur; quod Accursius etymon attulit: vel etiam, quàm vt sit à βῶλος, hoc est, *gleba*, ac notat *gleba adscriptitios*, quod Alciatus putauit, lib. IV. Dispunctionum cap. IX. & Cælius Rhodiginus, lib. XXIX. Antiq. Lect. cap. II. Sed quandoquidem *parabolani* cùm aliàs, tum imprimis grassante peste vitam propriam summo exponant periculo maximè verisimile est venire à παράβολος, quod notat *ad audendum proiectum*, vt Cicero loquitur. Nam plus est παράβολος, quàm θρασὺς, hoc est, *audax*; vnde legere est apud Plutarchum in Numa, παράβολος θρασύτης, pro quo Cicero diceret *eminens & proiecta audacia*. Gloss. vett. *periculum facere*, παραβουλεύσασθαι; vbi tamen quidam legunt παραβολεύσασθαι. Hinc Græcis παράβολοι quoque vocari, non quidem ἅπαντες, *quicunque ad bestias damnati* essent, quos Apostolus ἐπιθανατίους appellat: sed *auctorati ad bestias*, hoc est, qui operas suas locabant, vt meridiano spectaculo cum bestijs pugnarent. Socrates, Historiæ Eccles. lib. VII. cap. XXII. Κυνήγια δέ ποτε ἐν τῷ θεάτρῳ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐπιτελοῦντος αὐτοῦ ὁ δῆμος κατεβόα, ἕνα δεινὸν θηρίον τῶν ἀλκιμῶν παραβόλων μάχεσθαι. *Cùm aliquando in amphitheatro Constantinopolitano venationi vacaret, clamabat populus petens, vt audacium quisquam sæuæ alicui bestiæ pugnaturus committeretur*. Vbi rectè παράβολοι vertuntur *viri audaces*: quomodo & Claudianus dixit:

Audaces legat ipsas viros; qui colla ferarum
Arte ligent, certóque premant venabula nisu.

Sed & verti potuit, *parabolani* siue *parabolarij*: quomodo in Nouellis vocantur, item in Actis passionis SS. Martyrum Abdonis & Sennes: *Tunc iussit Valerianus eos introduci in Amphitheatrum vt ferarum morsibus consumerentur. Et cùm vt audacissimi parabolani ingressi fuissent*, &c.

PARADISVS, παράδεισος, quâ voce Græcis dicuntur *ferarum septa* siue *viuaria*. Agellius, lib. II. cap. XX. *Viuaria nunc dicuntur septa quadam loca, in quibus feræ viuæ pascuntur*. Et paullò pòst: *Viuaria quæ nunc vulgus dicit, sunt quos παραδείσους Græci appellant*. Suidas conflatum putat à παρὰ, id est, *iuxta*; & ἄρδω, id est, *irrigo*: vt propriè *hortum irriguum* sonet. Alia quoque etyma adducunt, vt ex Suidas & Etymologo videre est. Sed frustra sunt, cùm à Græcis vocem arcessunt. Meliùs Pollux, qui sic de eo, lib. IX. cap. III. οἱ δὲ παράδεισοι, βαρβαρικὸν εἶναι δοκοῦσι τοὔνομα, καὶ ἐπὶ τῶν συνηθείας εἰς χρῆσιν ἐληλυθέναι, ὥσπερ πολλὰ τῶν Περσικῶν. Sanè à Persis esse, cognoscimus ex libro quincto Memorabilium Xenophontis. Etiam Hebræis *pardes*, פרדס, *pomarium*, notat: quam vocem inuenias Nehem. II. V. Cantic. VIII. XIII. & Eccles. II. V.

Estque à פרה, *fructificare*; & דשא, *herba*.

PARADOXON, παράδοξον, id est, *inopinatum*, à παρὰ, hoc est, *præter*, & δόξα, hoc est, *opinio*. Porrò posteriori æuo mimi quoque ac histriones dicti *paradoxi*. Id manifestè liquet ex veteri Iuuenalis interprete, qui ad illa verba, sat. VIII. *Vocem Damasippe locasti sipario*, scribit in hunc modum: *Id est, præco fuisti in mimo. Siparium velum est, sub quo latent paradoxi, cum in scenam prodeunt, aut hostium mimi, aut quod appellatur comicum.* Quibus verbis occasio quoque data videtur inquirendi quid in scenâ appellarint *comicum*. Verùm mihi dubium non est, quin legi debeat: *Ostium mimi, quod appellatur comicum.*

PARALYSIS, παράλυσις, est *neruorum resolutio*, vt Celsus vocat, lib. II. cap. I. A παραλύειν, quod est *resoluere*. Alio nomine à Græcis dicitur ἡμιαποπληξία, quasi dicas, *dimidia apoplexia*. Est igitur ea *apoplexia* ratio ad *paralyn*, quæ *epilepsia* ad *spasmum*. Nam vt *epilepsia* est vniuersalis; *spasmus*, particularis: ita & *apoplexia* totum afficit corpus, *paralysis*, corporis partem; nunc vtrumque, inquit Celsus, hoc est, ipsam quoque *apoplexiam*, *paralysin* appellari video.

PARANYMPHVS, παράνυμφος, à παρὰ & νύμφη, hoc est, *sponsa*, quia sponsum in ducenda domum sponsa comitatur. Vtitur Augustinus, lib. VI. de Ciuit. Dei, cap. IX. *Quid impletur cubiculum turbâ numinum, quando & paranymphi inde discedunt?* Alij tamen hos rectiùs παρανυμφίους dici arbitrantur: prout appellat Pollux, lib. III. Sanè prius illud Eustathius, in Il. Γ. apertè improbat.

PARAPEGMA, παράπηγμα, à παραπηγνύω, *affigo*. Propriè erat *tabula ænea, quæ columnæ adfigitur.* Cuiusmodi tabulis leges inscribebantur. Vnde I. Met.

———*Nec verba minantia fixo*
Ære ligabantur.———

Vbi *verba minantia* sunt leges. Sic VI. Æn.

———*Leges fixit pretio atque refixit.*

Vbi Seruius: *Fixit autem ideo, quia incisa in æreis tabulis affigebantur.* Astrologi etiam sic dixere *tabulas, quibus describerent canonem astronomicum, siue prædictiones, siderum, eclipsium, aliarúmque rerum cœlestium.* Sic Democritum scripsisse *parapegmata*, auctor est Diogenes Laërtius. Meminit & *parapegmatum* eiusmodi Vitruuius, lib. IX. cap. VII. At errant, qui ea voce *astrolabium*, similéve instrumentum astronomicum intelligunt.

PARAPHERNALIA *bona*, (pro quo malè in libb. quibusdam legitur *paraphrenalia*) dicuntur, res vxoriæ extra dotem: nempe à παράφερνα, quod à παρὰ & φερνὴ, id est, *dos*. Vlpianus l. IX. §. II. D. de iure dotium. *Dotis causâ data accipere debemus ea, quæ in dotem dantur. Cæterùm, si res dentur in ea quæ Græci παράφερνα dicunt, quæque Galli peculium appellant, videamus an statim efficiantur mariti.* Illustre *paraphernorum* exemplum est apud Liuium extremo libro XXVI. vbi narrat, vt Scipio Africanus captâ Carthagine virginem nobilem principi Celtiberorum adolescenti, cui Allucio nomen erat, desponsatam, ita reddiderit, vt pecuniam ad virginem redimendam à parentibus allatam adijceret, his vtens verbis: *Super dotem, quam accepturus à socero es, hæc tibi à me dotalia dona accedent.* *Paapherna* etiam signat Tullius, cùm XII. Philipp. inquit: *His quasi præter dotem, quam in ciuilibus malis acceperant, agrum Campanum est largitus Antonius.* Constantinus Harmenopulus ἐξώπροικα appellat, nempe à προὶξ, quod idem ac φερνὴ. Pollux lib. III. cap. III. Λέγοις δ' ἂν, προῖκα ἢ φερνὴν, τὴν παρὰ τ γαμοῦντος δόσιν.

PARARIVS, vel est à *par*, quia inter duos sit medius: vel à *paro*, quia vtrimque animos præparat ac coniungit. In veteribus Glossis exponitur μεσίτης. Vsus Seneca, de beneficijs, lib. II. cap. XXIII. *Quidam nolunt interponi pararios, nec signatores aduocari, nec chirographum dare: idem faciunt, qui dant operam, vt beneficium in ipsos collatum, quàm ignotissimum sit.* Et lib. III. cap. XV. *Ille per tabulas plurium nomina, interpositis pararijs, facit.* Epist. CXX. eos vocat *intercessores*. *Nolo*, inquit, *per intercessorem mutuari*. Falluntur, qui translationem esse arbitrantur à ludis Circensibus, vbi *singulatores* dicti, qui singulo, hoc est, vnico vtebantur equo: *pararij*, qui geminis. Iuxta hos in beneficijs non *singulatores*, sed *pararij* esse debemus. Sed aliam esse Senecæ mentem, ex ijs liquet, quæ diximus. At à *paribus equis* appellatio est, cùm *æs pararium* dixere. Festus: *Pararium æs appellabatur id, quod equitibus duplex pro binis equis dabatur.*

PARASANGA, παρασάγγας, vt ait R. Salomon, Talmudis nobilis interpres, constabat *quatuor millibus passuum*: quod ex eo etiam annotauit Masius in cap. II. Iosuæ. Similiter Hero in Isagoge sua: Ὁ παρασάγγης ἔχει μίλια τέσσαρα, στάδια ... ; ἐστὶ δὲ τὸ μέτρον Περσικόν. Hesych. Παρασάγγης ... ἔστι τριάκοντα σταδίων ἔχον. At Strabo in XI. ait, *parasangam* non similiter ab omnibus definiri: nam alios ei tribuere XXX. *stadia*, alios XL. alios LX. Sed caussam hanc addit, quia diuersa mensura pro locis diuersis vterentur. Ita vt vno loco maior esset *parasanga*, quàm altero in loco, vti hodiéque alibi longis, alibi breuibus, alibi mediocribus milliaribus vtuntur. Est vox *Parasanga* Persica, ac socero meo Fr. Iunio in ellogio linguæ Hebrææ videbatur corrupta ex *parasch*, hoc est, *eques*; & *aggarus*, hoc est, *tabellio*. Quia nempe sic vocaretur *interuallum inter duo loca, quibus equum mutaret tabellio.* Si audimus Heronem, eiusdem mensuræ fuerit σχοῖνος ac παρασάγγης. Nam, inquit, ὁ σχοῖνος ἔχει μίλια τέσσαρα, σταδίους τριάκοντα. Ac similiter Etymologus: qui & ipse idem putat esse ac *parasanga*. Imò & Plinius, lib. V. cap. X. At lib. XII. cap. XIV. *schœnum* XL. *stadiorum* facit. Quidam & & stadia ei tribuunt XXXII. Sed Herodotus ait lib. II *schœnum* esse *parasangam geminatam*. Sic enim scribit: Δύναται δὲ ὁ μὲν παρασάγγης τριήκοντα στάδια; ὁ δὲ σχοῖνος ἕκαστος, μέτρον ἐὸν Αἰγύπτιον, ἑξήκοντα στάδια. Vnde cognoscimus, variam fuisse *schœni* mensuram. Quod Artemidorus agnoscit apud Strabonem, lib. XVII. Vocem σχοῖνος Hebrææ esse originis, putat Fr. Iunius. Nempe quia SCHENAIM & illis *iter* LX. *stadiorum*. Sed metuo ne posteriores Hebræi vocem hanc acceperint à Græcis. Nempe ex Græco σχοῖνος, quod *funem* notat. Nam *funibus vias metiebantur*. Ita nauigantes in Nilo de vrbe in vrbem *schœnis*, siue *funibus*, interualla solent metiri. Hieronymus, commentario in Prophetam Ioël: *In Nilo flumine, siue in ripis eius, solent naues funibus trahere. Certa habentes spatia, quæ vocant funiculos* (σχοίνους) *vt labori defessorum recentia trahentium colla succedant.*

PARASITVS, vt ex VI. Athenæi & Hesychio cognoscimus, primò dictus fuit, *qui cum sacerdotibus victimæ partem caperet*. Itaque iidem ferè Græcis παράσιτοι, qui Latinis *epulones*. Postea verò in malam partem accipi cœpit, ac de ijs dictum, *qui cibi gratiâ assentarentur*: quos *cœnarum asseclas* ex orat. contra Sallust. possis appellare: nisi nouè *cœnaturienes* malis dicere cum Iulio Scaligero; quem vide lib. I. de R. Poët. cap. XIV. Est à παρὰ & σῖτος, quo κυρίως significatur *frumentum*, & μετωνυμίᾳ siue συνεκδοχῇ materiæ pro materiato notatur *panis*, ac συνεκδοχῇ generis pro specie, *quiuis cibus*. Simile huic κόλαξ, quod itidem est à κόλον, hoc est, τροφή; item γνάθων, quia (vt Antiphanes loquitur apud Athenæum, lib. I.) κάμνει ταῖς γνάθοις quærit. Vnde *Gnatho*, *parasiti* nomen apud Comicum. Vide sis de *parasitis* dissertatiunculam Nicolai Rigaltij, quam appendicem fecit Funeris *parasitici*. Vbi inter alia docet, tres quasi familias *parasitorum* fuisse apud Comicos. Alios cœnas captasse logis ridiculis, quibus iccirco ἀπὸ τ̃ γελᾶν *Gelasinus*, hoc est, *Ridiculus* nomen esset. Alios verbera hilari fronte Spartanorum in morem pertulisse: quales dicantur *flagriones*, à *flagris*; *plagipatidæ* à *plagis patiendis*; *Lacones*, à *Laconica patientia*; *duri Capitones*, à *capitis duritie* in verberibus perferendis, non à *pertinacia comedendi*, vt quidam voluit. Alios denique adulando, ac illud *euge* accinendo, mensas captâsse: quales ex Plinio Σοφοκλεῖς, & *Laudicenos*, dicere possimus. Etiam *Capitones* istos aliter *Coclites* dictos ait, hoc est, *vnoculos*, quasi quibus aula quassa in capite effossus oculorum alter. Quod colligit ex Lyci *paras*[illegible]-bis apud Plautum Curculione. Verùm non *Coclit*[illegible] vocat *parasitum* Plautus, sed quia *Cocles* Horatiæ ge[illegible] cognomentum erat, & *Cocles* est κύκλωψ, siue *vnoculu*[illegible] ambiguo vocabulo more suo ludens, *vnoculum para*[illegible], vel qui talis videbatur, de *Coclitum* sibi *prosapia* videri[illegible] Quod aliud est. Vide *Cocles*.

PARASTATÆ Vitruuio, lib. V. cap. I. *sunt pilæ qu*[illegible]*tæ, aut lapides, pilarum modo ad columnarum latera ap*[illegible], vt interpretatur Philander. Ad verbum sonat *Adstes*. [illegible] Gaza vertit. Est enim παραστάτης à παρίσταμαι, quod [illegible] *stare*. Vnde in militia παραστάται sunt milites, qui *later*[illegible]*tius adstant*: & παραστάται verò ita vocantur *socij*, [illegible] *opem alicui ferunt*. Caue autem nonnullorum exempl[illegible]o, cum his παραστάδας confundas. Nam παραστάδες su[illegible], siue *antæ*: ita dictæ, quia ab vtroque ostij later[illegible]. Vtitur idem Vitruuius lib. III. cap. I.

PARCVS Gabius Bassus [illegible] dici quasi *par arca*, hoc est, *arcæ similis*, quia arcæ i[illegible] omnia seruat ac custodit. Phauorinus conijciebat [illegible] dici quasi *pecuniarium*, quòd pecuniam co[illegible]ceat, ac prohibeat. Sed simplicissimum existimab[illegible] *parcum* nec ab *arca*, nec *arcendo*[illegible], sed à *parur*[illegible]*um*. Triplicem hanc etymologiam adducit Agel[illegible] cap. vlt. lib. III. Ego quoque *parco*, & *parcus*, à *paruum* [illegible]ne arbitror. Quanquam nec nesciam arguté satis Iul. Scaligerum, libb. de caussis L. L. cap. XIX. *parcum* conflatum

putare

putare ex *partem* & *arceo*, hoc est, *continuo, reseruo*. Nec magis conuenit, vnde *dea Parca* dictæ sint. Varro (vt apud Agellium legimus, lib. III cap. XVI.) *Parcas* putabat dictas a *partu*, vnà immutatà literà. Sed duriuscula hæc immutatio. Et, si id esset, vna tantùm foret *Parca*. Nisi fortè dicas, pro triplici *partus* mense tres fuisse *Parcas*, atque hoc *Nona*, & *Decima*, vocibus firmari. Sed hanc qui sententiam sequatur, *tertiæ Parcæ* nomen itidem à numero sumtum ostendat, necesse est. Si tamen *Parcam* quasi *Partam*, dici cum Varrone statuere lubet, quantò melius dixeris, *Parcam* siue *Partam*, dici à *partiendo*, quia vnicuique per eam fatalis suæ vitæ portio obtingat. Sanè & Græci similiter μοῖραν vocant, ἀπὸ τοῦ μείρειν, quod est, *diuidere, partiri*. Alijs & pluribus, placet, *Parcis* inde nomen esse, quòd *minimè parcant*: quod etymon adferunt, Appuleius, Martianus Capella, lib. IV. Donatus de barbarismo, Seruius, ad IV. Ecl. & I. Æn. Diomedes, lib. II. cap. de allegoria. Hieronymus, epist. ad Bonasum, & Fabiolæ, Mans. XXXIII. Sidonius, lib. II. epist. I. Isidorus, lib. VIII. cap. vlt. Eò allusit vetus inscriptio: CRVDELES PARCÆ, QVÆ NEMINI PARCVNT, INVIDERE MIHI. HIC SITVS EST LIBVRNVS PVER, DOLOR PARENTVM. Et Aldhelmus, de laudibus virginitatis cap. XIII. *Et: parcarum grassatrix non vilis parentum atrocitas*. Quæ duo loca suggessit mihi industria doctissimi Sauaronis, ad Sidonij lib. II. epist. I. Sed, vt sæpè diximus, antiphrasis est nugale Grammaticorum commentum, meritumque inscitiæ asylum. Quare audio Iul. Scaligerum, qui lib. III de R. Poët. cap. XC. *Parca*, inquit, *quia parcant; vna enim tantum dicitur filum moderare; duæ verò, altera vitam dare, altera vita tractum continuare. A pluribus igitur fit nominatio; quin illa quoque parcit: sustinet enim aliarum opus, quoad fatorum iussiuus pareat.*

PARDVS iunioribus vocatus, qui priùs πάρδαλις, vt in *Panthera* dicebamus. Estque *pardus* ex πάρδαλις, vel antiquo πάρδος, vnde πάρδαλις. Πάρδος verò, si audimus Aristophanis Scholiastem in Plutum, sic ob *graueolentiam* dicetur à πέρδω, id est, *pedo*. Sed cùm truculentum sit animal, magis credam sic vocari à πέρθω, hoc est, *vasto*. Sed neque id satisfacit. Potiùs ab Oriente cum re nomen acceperint. Quod & Gesnero visum. Censet autem esse ab Hebræo פרדס, *pardes*, id est, *hortus*, *quòd maculiarum oculis, tanquam floribus pellis eius pulcherrimè ornetur*. Sed פרדס, *pardes* potius est *hortus arboribus consitus*, vti pomarium, éstque ex eo Græcum παράδεισος. Quare malim deducere à פרד, *parad* id est, *separare diuidi*. Nempe ob colores diuersos, vnde & *variæ* dicuntur. Porrò non toto genere, sed sexu differt a *panthera*. Nam mares *pardi*, & *variæ*, feminæ *pantheræ*: vt ex Plinio constat. Græcis similiter mas πάρδαλις, femina πάνθηρ. Qua de re in *Panthera* dictum.

PARECTATVS, quasi dicas παρέκτατος, hoc est *extensus*, à παρεκτείνω, *extendo*. Vt à τείνω ἐκτείνω, inde τατός fit ἀνάλογος, ita à παρεκτείνω fit παρέκτατος, etsi id fortasse nusquam inuenitur. Ita igitur dixere, qui iam statura esset virili, vel quæ propè abesset Nonius: *Parectati hi, qui de pueritia veniunt ad pubertatem, a Græco vocabulum sumtum*. Lucillius, lib. VIII.

Inde parectato chlamydes, ac barbula prima.

Alterum etiam Lucilli, vnum item Varronis locum subijcit. Ex eo verò quem vidimus, Lucillij versu cognoscimus penultimam à Latinis produci, quæ Græcis esset breuis.

PARENTES, à *pariendo* dicti more Græco, quibus similiter vocantur τοκεῖς, à τίκτω, *pario*: vnde ὁ τοκεὺς *pater*; ἡ τοκεῦσα *mater*. Nec est, quòd miretur quis, *patri* etiam τοκέως, & *parentis* nomina conuenire, cùm *sola pariant mulieres*. Nam τίκτειν poëtis etiam *genero* significat. Similitérque *pariendi* vox, etsi nunc de *mulieribus* solùm vsurpetur, olim tamen de *viris* quoque dicebatur: quod luculento Cæcilij testimonio probat Nonius. Et certè origo vocis quam in *pario* adducimus, ostendit *pariendi* verbum vtrique conuenire, vt nil mirum sit, si *parens* non solùm dicatur ἡ γεννήσασα, sed etiam ὁ γεννήσας. *Parricida* dicitur quasi *parenticida*: quanquam nonnulli aliter. Vide quæ hac de re diximus in *Cædo*. *Parentare* propriè vt vox indicat, est *parentibus iusta facere*. Sed vt *parricida*, ita *parentandi* vox καταχρηστικῶς alijs quoque tribuitur. Ab eo *parentalia* dicebantur *sacrificium atque epula*, item *funebris laudatio*, & si qua alia quotannis fiebant in defuncti memoriam.

PAREO primò notat *præsto esse, adesse*: nempe à πάρω, hoc est, παρεῖναι vel à παρέω, vnde πάρειμι, hoc est, *adsum*. Hinc *pareo* accipi cœpit pro *videri*, seu reapse seu κατὰ δόκησιν. Sed quia qui alteri seruiunt, præstò esse & mandata exsequi, coguntur: hinc vsurpatur pro *obedire*. Media illa notio remansit in compositis *apparere*, & *comparere*. Imò nec in simplici exoleuit. Gloss. vett. *Paret* φαίνεται. Cic. pro Milone. *Qui porro quærendum est? factumne sit? at constat. A quo? at paret*. Iurisconsulti vett. ita loqui amabant, vt Brissonius atque alij monuerunt. Hinc Petronius: *Iurisconsultus* PARET, NON PARET, *habeto*. Obseruauit & quædam loca Schoppius, lib. II. susp. lect. epist. XX. Veteres in *pareo* etiam liquidam geminabant: quæ & caussa est, cur Cruquius ad Horat. od. XXVII. lib. III. censeat dici *parram* a *parrendo*, hoc est *apparendo*, quia nempe auis ea cantu suo sæpius prætereuntes se cogat adspicere: vnde & sæpius dicitur *apparere*. Ab *apparendo* dicti *apparitores*: quia ab oculis essent magistratibus iisque præirent. Sic dicti quos Græci ὑπηρέτας vocant: item δορυφόρους, & ὑπασπιστάς; quos Plautus imitatus *armigeros* & *scutigerulos* appellat Casinâ Act. II. Sc. IV. Horatius vocat *stipatores*. Gloss. vett. *Stipator, satelles*, σωματοφύλαξ, δορυφόρος, ὑπασπιστής. Munus ipsum *apparitio* dicebatur, quomodo hac voce vsus Cic. epist. XXV. lib. XIII. ad famil. Eo fungebantur scribæ interpretes, accensi, præcones, lictores, viatores, statores, & eius generis alij, quos omnes libertos fuisse multis colligitur exemplis. *Imparens* pro *non parens*, hoc est, *non obediens*, dixere, Festo teste.

PARIES à *paro*; vt *facies* à *facio*; *effigies* ab *effingo*. Confirmat hanc sententiam, quòd Græcis similiter τοῖχος dicitur a τεύχω, hoc est, *struo, paro*. Quare non audio Isidorum, cùm ait, lib. XIV. cap. VIII. *Paries nuncupatur, quia semper duo sunt pares, vel a fronte vel à latere. Siue enim tetragonum, siue hexagonum sit, qui se conspiciunt, ex pari erunt, aliter enim structura facta deformis est.* *Parietaria* herba est, quæ Plinio *muralis*. Nempe quia in parietibus ac muris veteribus nascitur. *Parietina paries* vetus & semidirutus: vnde & Isidorus, lib. XIV. cap. VIII *parietinam* dici putabat, quasi *parietum ruinam*. Sed deriuatum est, non compositum. Nam vt ab *aries arietinus*, vt *arietinum vicer*: sic à *paries parietinus*. Vnde *parietina*, supple *ruina*. *Paries craticius* Vitruuio est qui è craticibus contexitur, vt *latericius* qui è lateribus fit. Eidem *diplinthius* vocatur, qui *duorum* est πλίνθων, hoc est *laterum*, similitérque *triplinthius* dicitur à triplici laterum ordine. *Intergerinus* verò seu *intergeriuus paries*, Festo teste, vocatur, qui inter vicinos struitur & intergeritur, vnde & nomen. Sed hac de voce separatim.

PARIO à ברא, hoc est, *creauit, patrauit*: vel à פרה, *fructum edidit*. A *pario* est *paritudo*, nempe à *paritum*: quomodo ab *habitum* est *habitudo*, à *consuetum consuetudo*. Vsus Plautus Aulul. Act. I. Sc. I.

Neque iam, quo pacto celem herilis filiæ
Probrum, propinqua paritudo cui appetit,
Queo comminisci. ———

Non *partitudo*, vt est in quibusdam libb. Solinus cap. IV. *Si corpusculum in marem figuratur, melior est color grauidis, & promtior paritudo vteri*. A *pariendo* quoque *Parilia* aliqui dicta putarunt. Festus: *Parilia festa obseruanda indicant primatim ipsa quoque puerpera domi in stratis, vti pariendo stabiliantur Parilia festa*. Vt Scaliger corrigit. Sed imprimis apertus est locus Marij Victorini, lib. I. *Parilia dicuntur, non Palilia, nec à Pale Dea, sed quod eo tempore omnia sata arborésque, & herbæ parturiant pariántque*. Et *Palilia* & *Parilia* dicebant, vnde alij à *Pale*, alij à *pariendo* deducebant. Sed *Palilia* & *Parilia* non aliter differunt, quàm *Latialis* & *Latiaris*, *prælialis* & *præliaris*, similiáque.

PARMA, *scutum breue*, vt ait Nonius. De eo Varro, lib. IV. de L. L. *Parma, quòd à medio in omnes partes par*. Isidorus, lib. XVIII. cap. XII. *Parma leuia arma, quasi paruus clipeus*. Sed non videtur origine Latinum. Forte sit ab Afris. Suidas: Πάρμαι, δερμάτινοι θυρεοὶ παρὰ Καρχηδονίοις: *clypei ex pellibus confecti apud Carthaginenses*. Vel potiùs à Thracibus & res & vox defluxit. Glossæ vett. *Parma* Θρᾳκικὸν ὅπλον. Clemens Alex. lib. I. Στρωματ. Θρᾷκες πρῶτοι τὴν καλουμένην πάρμαν εὗρον. *Thraces primi eam, quæ parma vocatur, inuenerunt*. Propterea gladiatoribus ijs, qui Threces dicti, *parma* dabatur. A *Threcum parmulis*, qui eorum fautores essent (notæ illæ factiones arenæ) *parmularij* dicebantur. Eos signat Martialis.

Vincenti parmæ cum sua turba fauet.

Græci pro eo παρμουλάριος scribere solent. Nisi quis παρμουλάριος reponendum arbitretur.

PARO verbum Nunnesius putat esse ex πόρω, hoc est, πορίζω, *præbeo, suppedito*. Perotto placet esse à *pario*, Cæsar Scaliger contrà *pario* deducit a *paro*. Puto & *paro* & *pario*, esse à ברא, id est, *creo, patro magnificum aliquid paro*. Ab eodem est Græcum πορίζω, quasi πορίζω vel βορίζω. A *paro* est *paratura*. Vsus inter alios Pontius in B. Cypriani vita: *Nolo nunc describere loci gratiam, & deliciarum omnium paraturam interim transeo*. Ab eodem dicta *disparata*, quasi ab alijs seiuncta separatáque. Sic enim vocantur, quia pugnant inter se: quæ tamen pugna istiusmodi est, vt cum alio similiter pugnent:

miléque sit Liuiano isti, lib. XXXV. *Equi hominésque paululi & graciles.* *Pauper* quoque *à paululare*: vt scribit Varro, lib. IV. de L.L. Sed Iosepho Scaligero est id à παῦρος. Fortasse & huius originis sit *parum*, de quo nunc dicam.

PARVM est à *paruus*; vt *multum* à *multus*. *Paruus* ab Æolico παῦρος pro παῦρος vel παυρός, id est, *rarus*. Nam *v* sæpe abit in ς: vt à πρίζω, id est, *prurio*, venit *crisso*, à γρῦμα *gruma*, à κρότος *crepus*, vnde *crepusculum*. Vel potiùs à παῦρον sit *parum* extrito Υ: vt à παῦρος *paruus*, inserto digamma. Itidem à παῦρον περ, *parumper*. Neque enim verisimile est, quod Festus, & post eum Beda, libello de Orthographia, scripsit; *parumper* per anastrophen dici pro *perparum*.

PASCEOLVS, Plautus, Rudente, act. V. Sc. II. est *sacculus ex aluta*, vt ait Nonius: qui & Lucillium Catonémque vsos docet. Est diminutiuum à *pasceolus*, quod à Græco φάσκωλος rectè deducit Turnebus, lib. III. cap. XI. Suidas φάσκωλος ἱματιοφόρος. Etiam Pollux, lib. VI. cap. XIX. auctor est dici φασκώλους, ἐν ᾧ ἱμάτιον ἀγγεῖα καὶ θύλακοι. Quò minùs autem Græcos credam eam à Romanis vocem accepisse, facit locus ille Festi: *Phascola appellant Græci, quas vulgus pernas vocat.*

PASCHA putarunt quidam esse à πάσχω, hoc est, *patior*. Fuit ea sententia Tertulliani, lib. contra Iudæos, & Ambrosij de myster. *paschatis* cap. I. item Lactantij, atque aliorum. Sed meritò reprehendit hanc originem Augustinus, epist. CXIX. Omnino enim est origine Hebræum, quibus *pesach*, פסח significat *transitum*, à rad. פסח, hoc est, *transire*, *transilire*. Hierosolymitani autem pro פסח dixere פסחא. Ratio nominis est, quòd angelus domos Israelitarum sanguine illitas in Ægypto transierit, cùm cæderet Ægyptios. Vide Exodi cap. XII.

PASCO est à πάω, *nutrio*; vnde ἄπαστος, *impastus*, *ieiunus*. Vt à *scio*, *scisco*; ab *hio*, *hisco*; sic à πάω, *pasco*. Non audiendus Cæsar Scaliger, lib. I. de caus. L. L. cap. XXV. vbi Æolum more factum censet à πάω, quod *sequi*, & *assequi*, notat. Verisimiliùs, qui deducunt à βόσκω, quod à βόω, vnde βόσις, βοτὸν, μηλοβότηρ, &c. Βόω verò, est ab Hebræo בוס, quod est, *pascendo saginauit*. A βόσκω videtur esse & nostrum *bosch*, hoc est, *sylua*: pro quo Galli *bois*. Nunnesio placet, pastores dici ex βοτῆρες, quòd Hesychius exponit ποιμένας. Sed ἀναλογία docet esse à *pastu*. A *pascendo* etiam est *ager pascuus*: & in neutro *pascua*. Ab eodem putant *pabulum* dictum, quasi *pascibulum*: sed est à πάω, vt à φάω, vnde φῆμι, *fabula*. A *pasco* item *aues & gallinæ pascales*, quasi *pascuales*, Festo teste, qui Catonem *ouium pascalium* meminisse, ait. In epitome eius legas *passales*, additúrque ita dici, quòd *passim pascuntur*. Sanè sic Græci νομαῖα καὶ νομάδας vocant. In MS° Pauli codice *passales* pro *pascales* exaratum: sed perperam. Composita à *pasco* sunt *impesco*, *compesco*, *dispesco*. Festus: *Impescere, in latam segetem pascendi gratiâ immittere.* Idem: *Dispescere est propriè pecus à pastione deducere, vt compescere vna pascere, & in vno loco continere.* Quibus ex verbis discimus esse contraria *compesco* & *dispesco*, ac vtrumque esse à *pasco*. Sed *dispescere* aliud est, quàm putauit: nempe *gregem in diuersa pascua deducere*, siue *gregem pascentem diuidere ac segregare*; ita vt pars seorsim *pascatur*: contrà *compescere* est *iisdem pascuis continere*; siue potiùs, *pecus in vnum cogere*, siue *compellere gregem*, vt loquitur Maro, Ecl. VII. Aliquibus tamen placet, *compesco* idem esse, quod *comperco*, vt apud Plautum Bacch. act. III. sc. III.

Caue malum, & compesce in illum dicere iniustè.

Ita fuerit à *pasco*, siue *parco*. Nam veteres *pasco* & *parco*, promiscuè dicebant. Festus: *Pascito linguam in sacrificiis dicebatur, hoc est, coërcito, contineto, taceto.* Appuleius, lib. IX. Met. *Nec fugientibus saltem compescunt, sed & magis irritatiores sequuntur.* Dubitare autem liceat, vtrùm eâ notione *pasco* sit à *parco*, R in S transeunte: an κατὰ μεταφορὰν *pasco* pro *coërceo* ponatur, quia qui pecudes *pascit*, non, quò lubet, errare patitur, sed certos intra terminos coërcet.

PASSER etymon satis ineptum ponit Isidorus, lib. XII. cap. VII. *Passeres*, inquit, *sunt minuta volatilia à paruitate vocata, vnde & pusilli, & parui.* Idem etymon adduxit Vgutio, qui & alterum adiecit, vt à *pario* dicatur: quia libidinem pariat. Vtrumque se reiicere ait Nestor Nouariensis: omnino enim à *patendo* sic dici putat, idque Perotto quoque subscribente: nempe quòd ob nimiam salacitatem morbum *patiantur* comitialem, vitæque sint breuissimæ. Sanè de salacitate assentit Plinius, lib. X. cap. XXXVI. idémque minimum viuere scribit: mares enim haud anno diutius durare, argumento, quia nulla veris initio appareat nigritudo in rostro, quæ ab æstate incipit: feminis spatium esse longiusculum. Aliquantò verisimilius deducas a *passim*, quia *passim volitent*, vtpote auis vulgaris, & vbiuis penè se oculis ingerens. Vel (quod in Hellenismi Alphabeto censet Angelus Caninius) est à Punico siue Hebræo, צפור, *tsippor*. Sanè ea vox interdum à LXX. vertitur στρουθίον seu *passer*: vt Psal. XI. LXXXIV. CII. CIII. CXXIV. Ecclesi. XII. Thr. III. Aliàs vniuersè transfertur ὄρνεον vel ὀρνίθιον. Vel, quod Salmasio visum, sit *passer* à *passa*. Glossæ: *Passa*, ὄρνιον ἄδηλον. At *passa* à πτίζω, pro quo Æoles dixere πίζα, vt φαῦρος pro τραῦρος. Sanè πτίζειν & πτίζειν, ὄρνεα ἄπτερα, vt ait Hesychius: præcipuè aues exiguas, vt *passeres*. Vel quod tradidit Nunnesius, *passeres* ex Græco ψᾶρες. Nam ψᾶρες, seu ψᾶρες, εἶδος στρουθίου, *genus passeris*, teste Hesychio. At πάσσερ κατὰ μετάθεσιν sit *passer*. Quia verò *passeres* sunt aues salacissimæ, quemadmodum antè dicebamus: ideo Sappho dixit Venerem ἐπ' αὐτῶν ὀχεῖσθαι, vt inquis Athenæus, lib. IX. Verba Saphonis sunt:

——— κατάγον δ' ἄγειρε λιποῖσα
Χρύσιον ἦλθες
Ἅρμ' ὑποζεύξαισα, καλοὶ δέ σ' ἄγον
Ὠκέες στροῦθοι, πτέρυγας μέλαινας
Πυκνὰ δινεῦντες ἀπ' ὠράνω, αἰθέρος
διὰ μέσσω.

Hinc quoque factum, vt Mimi in poëmatis suis (quæ & ipsa mimi dicebantur) *strutheum* ponerent pro *parte virili*. Nam στρουθὸς Græcè *passer*: vnde Hermolaus Barbarus in Glossis Plinianis rectè monet, apud Festum in *Strutheum*, non *anseris*, vt ante legebatur, sed *passeris* esse legendum. Nempe in hunc modum. *Strutheum in mimis præcipue vocant obscœnam partem virilem, à salacitate videlicet passeris, qua Græcè στρουθὸς dicitur.* Ac Politianus in Miscell. cap. VI. eâpse significatione *passerem* à Catullo, epigr. II. accipi putabat, idque motus illo Martialis:

Da mi basia: sed Catulliana.
Quæ si tot fuerint, quot ille dixit,
Donabo tibi passerem Catulli.

Porrò quemadmodum Græcis στρουθὸς non *passerem* tantùm significat, sed etiam στρουθοκάμηλον, vel (vt antiquiores vocabant) στρουθὸν μεγάλην, aut στρουθὸν Λιβυκόν; sic Latinis quoque idem vocatur *passer marinus*, hoc est, trans mare aduectus. Ausonius in Accium Paullum: *Ouum tu quoque passeris marini.* Pluribus de hoc diximus Institutionum Oratoriarum, lib. IV. cap. VI. Idem animal à Capitolino *struthio* vocatur. Etiam στρουθίον legas apud veterem Bibliorum interpretem, Esaiæ cap. XIII. Sed ibi pro *passerculo* sumitur. Mirari autem aliquis possit, cur στρουθοῦ, siue *passeris*, vocem ingenti huic animali donarint. Cardanus, lib. X. id κατ' ἀντίφρασιν factum putat, vti cùm *nanum Atlanta* vocamus. Sed Iulius Scaliger, Exercitationum CCXXXI. censet, στρουθὸν priscis fuisse gallinam; atque ita vsurpasse antiquarium Nicandrum: ac quemadmodum *gallina* generali nomine vocari solet ὄρνις, sic specialem στρουθοῦ vocem olim notasse *aues omnes*, quas βαρείας vocat Aristoteles. Atque hoc in caussa est, cur idem Scalig. στρουθοκάμηλον interpretetur *auicamelum*. Verùm, cur κάμηλος dicatur, etiam disquiramus. Placet plerisque quemadmodum Græci dicunt στρουθὸν μεγάλην, sic eosdem dicere στρουθοκάμηλον, vt κάμηλος ad *magnitudinem* pertineat: quemadmodum in multis solent βοῦς, & ἵππος. Alij autumant κάμηλον dici quasi χαμηλὸν à χαμαί, quia à *terra* non attolluntur, vt Plinius ait, lib. X. cap. I. vbi inter alia quoque scribit *struthocamelum* bestiarum magis, quàm auium sequi naturam, ac pennas ad hoc demum accepisse, vt currentem adiuuarent, cæterò non esse volucrem. Sed meo iudicio, eò posterior pars compositi additur, quòd bestia hæc *colli ac crurum longitudine similis sit camelo*, quod & Gesnerus scriptum reliquit. *Struthiocameli* descriptionem præter Plinium etiam Tertullianus suggeret, lib. de velandis Virginibus, cap. vlt.

PASTILLVS nonnulli à *panis* ὑποκοριστικῶς factum putant. Probis Festus: *Pastillus forma panis parui vtique diminutiuum est à pane.* Nempe vt Græcis est ἀγρίδιος ab ἀγρὸς, ita à *panis* fuerit *paniculus*, hinc *panicillus*, inde *pastillus*. Vel est *pastillus* à πάσσω, *inspersus*, *conspersus*. Nam πάσσειν, est *farinâ, sale, puluere, vel re aliâ conspergere.* Vel est à supino *pastum*, quia *pascit*, vtpote cibus. A *pastilli* huius figura etiam nomen tributum *pilulis vnguentariis*, prout Horatius vsus item *arido eundem medicamento*, apud medicorum filios. Quomodo differant *emplastrum*, *malagma*, & *pastillus*, docebit Celsus, lib. V. cap. XVIII.

PASTINACA herba ita à *pascendo* dicta. Nam radices eius cibus sunt vulgaris. Isidorus, lib. XVII. cap. X. *Pastinaca vocata, quòd radix eius præcipuus sit pastus hominis. Est enim odorata, iucunda, cibo delectabilis.* Turnebus tamen in Aduersariis lib. VIII. cap. XXIII. ex eo dici putat, quòd *referat & quasi habeat pastinum*, quomodo vocatur instrumentum,

quo vineæ foluuntur. Etiam *pastinaca* est *piscis marinus* planus, per radium seu telum virus eiaculans. Græcis τρυγών, quâ voce quia etiam *turtur* signatur, hinc factum vt ἀμφιβολίᾳ deceptus B. Ambrosius in Hexam. cùm Græcam vocem *pastinacam* vertere deberet, male *turturem* transtulerit. *Pastinaca* autem dici putatur à caudæ colore ac rotunditate, quæ *pastinacæ radicem* refert. Sed Turnebus ex eo nomen putat inuenisse, quòd *telum quasi pastinum habeat*. Sane Belgis similiter dicitur *pijlsteert*, q.d. *sagitta cauda*. Item *stekenroche*, q.d. *acu o-ta raia*. Τρυγὼν à Græcis videtur appellari, non à *turturis colore*, quod Bellonius putauit (nam piscis hic flauescit:) sed, vti Rondeletius rectè ait, quia *expansis alis turturi est similis*. Et fortasse eò respexit Ambrosius. Græcorumque more *turturem* dici posse existimauit. Vide quædam huc pertinentia in *Pastinaca*, & *Trygonum*.

PASTINARE, & *repastinare*, à *pastinum*; hoc à *pangendo*: iuxta Perottum. Ac fauet Columella, lib. III. cap. XVIII. *Pastinum vocant agricolæ ferramentum bifurcum, quo semina panguntur; vnde etiam repastinata dicta fuere vinea veteres, quæ refodiebantur. Hæc enim propria appellatio restibilis vineti erat: nunc antiquitatis imprudens consuetudo, quicquid emoti soli vineis præparatur, repastinatum vocat.* Sed ἀναλογία suadet, vt *pastinum* non tam, à Latino *pango* dicamus, quàm Græco πήσσω, quod idem significat. In Glossis Cyrilli δικέλλη, ὀρυγεῖον exponitur *pastinum*, quia *eo gleba vertuntur*. Sic in iisdem. Βωλοστροφῶ, *pastino*; βωλοστροφία, *pastinatio*.

PASTOPHORIVM legas apud interpretem Bibliorum, III. Esdr. VIII. LX & IX. I. Item I. Macch. IV. 38. & 57. Habes & Græcum παστοφόριον I. Paral. IX. & XXIII. & XXVIII. item II Paral. XXXI. & Ier. XXXV. & Ezech. XL & Esa. XXII. XV. Vbi B. Hieronymus annotat, *pastophorion esse thalamum, in quo habitat præpositus templi*. Similiter Glossæ Arabicolat. *Pastophorium, atrium templi, vel sacrarium*. Quæ & legas in Glossis Isidori. Caussam nominis discere est ex Hesychio, cùm ait: Παστοφόριον τὸ τὸν παστὸν φέρον, ἡ οἰκονομία, ἡ οἶκος διάθεσις. Nempe παστὸς propriè *velum variegatum*, ἀπὸ τοῦ πάσσειν, quod est, *variegare*. Hoc παραπέτασμα prætendebatur foribus templi. Vnde locus is dicebatur παστοφόριον. Quæ & caussa est, cur ab Hesychio exponatur οἶκος διάθεσις. Rufinus, Ecclesiast. hist. lib. II. cap XXIII. vbi Serapidis templum describit: *Iam verò in superioribus extrema totius ambitus spatia occupant exhedra & pastophoria, domúsque in excelsum porrectæ: in quibus vel æditui, vel hi, quos appellant ἁγνεύοντας, id est, qui se castificant, commanere soliti erant*. De pastophoris Isidis vide sis Appuleium, lib. X. & XI.

PATAGIATA, vestis meminit Plautus, Epid. II. II. Ita dicta à *patagio*, quòd in *muliebri* veste addebatur, vt *clauus* in *virili*, eâtque simile *Episcoporum speruedibus*, vt scribit Yvo siue Scaliger, aduersus Titium lib. IV. cap. VII. Idem ostendit Festus: *Patagium est, quod ad summam tunicam assui solet, quæ & patagiata dicitur: & patagiarij, qui eiusmodi opera faciunt*. Item Nonius, cùm ait: *Patagium aureus clauus, qui pretiosis vestibus immitti solet*. *Patagium* verò, vt idem Scaliger auctor est in coniectaneis, est à πάταγος. Hoc quid sit, docet Festus: *Patagus genus morbi*. Ac putat Scaliger esse *morbum pestilentem*, qui nullum sui relinquit indicium præter maculas in corporis partibus; ac dici πάταγος à πατάσσω, id est, *pulso, ferio*, quòd eo homines subitò perculsi ac stupefacti moriantur; quâ nempe ratione & Gallis à *tangendo* dicitur *tac*: indè in veste censet *patagium* nominatum, quòd quibusdam maculis ac næuis inspersum sit instar hominum *patago* infectorum. Hâc coniecturâ contenti simus, dum certiora prodeant.

PATEO, à פתח, quod est *aperire, pandere*. Vel à פתא, *amplum, latum esse*. Ab altero horum est Græcum πετάω seu πετάννυμι. Et possis à Græco hoc etiam *pateo* deducere. A *pateo* est *patibulū*, de quo quia pluscula sunt, inferiùs potiùs seorsum dicam. A *patendo* quoque est *patulus* & *patens*; quæ vt differant docet Seruius, ad Ecl. I. *Patulum*, inquit, *dicitur, quod patet naturaliter, vt nares, arbor, crux. Patens verò est, quod clauditur & aperitur, vt ostium & oculi*. *Patuli boues* qui dicti sint, docet hic locus Iunij Philarg. ad III. Georg. *Camuri, boues sunt qui conuersa introrsus cornua habent: quibus contrarij patuli, qui cornua diuersa habent. Lanæ, quorum cornua terram spectant, his contrarij Licini, qui cornua sursum versum reflexa habent*. *Boues patuli* aliter dicuntur *patales*, vt docet Festus in *patalis*, & *proparuium*. Vtitur Plautus, Truculento, II. II.

Ego rure hamatos me mauelim patalem bouem.

Græci eodem modo appellarunt πέταλος, seu πετηλος, à πετάω, hoc est, *pateo*. Tales autem esse debebant qui idonei essent ad sacrificandum; quomodo *ouium conditio* erat, vt haberent *dentes duos cæteris longiores*, vnde *bidentes* dicebantur: non, vt Gellius putabat, quasi *biennes*.

PATER à Græco πατήρ. Mera inuidia fuit, quæ Varronem compulit, vt scriberet IV de L.L. *Pater, quod patefacit semen, & ipsum semen*. Sed nec rectè vetus Persij interpres, ad sat. & Isidorus, lib. IX. cap. V. qui sic dici aiunt, eò quòd *patratione gignat liberos*. Sed *patrare* est à *pater*; non contra. Πατὴρ verò vnde sit, mirificè dissentiunt. Varias etymologias suggerit Etymologicum magnum. Nulla earum magnæ rei. Optima interim illa est, vt πατὴρ dicatur quasi πάντων τηρὸς. Ridiculè autem, quod ibidem, vt & apud Eustathium, legitur, indè quidem esse impositum, cùm de *homine* vsurpatur: de *Deo* verò dici, quasi πάντων τηρός. Non incommode dixeris, πατὴρ esse à πάω, *pasco, alo*, vt idem sit ac τροφεύς. Interim planè statuo, vocem πατὴρ esse ex eo, quòd pueri *patres* vocent *pa*. Hanc sententiam confirmat, tum, quòd Hebræis quoque dicatur אב, quod traiectis literis fuerit *ba*; vnde mutata mediâ in tenuē & adiecto τηρ, quod vocis tantùm productio est, fuerit πατὴρ; tum quòd Chaldæi & Syri Hebræum *ab*, & Græcum πα, siue βα, iungentes, אבא (*abba*) dicant. Cur *Senatores* appellentur *Patres*, hanc caussam attulit Festus: *quòd, quum initio vrbis conditæ Romulus centum delegit, agrorum partes adtribuerent tenuioribus perinde ac liberis, ac pecunias diuiderent*. Ex hoc autem loco insipienter colligit Claudius Verderius in sua Censura censuræ indigentissima, desipere Festum, qui putarit *patres* κατ' ἀντίφρασιν, dici quasi *partes*. Nam cùm disertim scribat Festus, sic dictos, quòd, agrorum partes largirentur perinde ac liberis, liquet, eum non à voce *partes*, sed à *paterno affectu* deduxisse. Aliud qui dicit, aut calumniator, aut cæcus est. A Festo non multùm abit Isidorus, cuius hæc verba, lib. IX. cap. IV. *Patres, vt ait Sallustius, à cura similitudine vocati sunt. Nam sicut patres filios suos; ita illi Remp. alebant*. Equidem ab *affectu paterno* sic vocatos facilè credo: puto tamen ætatis simul in hoc nomine habitam rationem: vt nempe, quemadmodum ab *ætate senili* vocati sunt *Senatores*, ita ab eadem quoque vocati sunt *Patres*, eò quòd *omnes natu grandes* à *minoribus Patres* vulgò soleant appellari. Vtramque nominis caussam complexus Sallustius, cum in Catilinaria ait: *Hi vel ætate, vel curæ similitudine, patres appellabantur*. Tantùm, quæ ille disiunctim, hæc ego coniunctim accipio. Porrò *patrum* alij *maiorum gentium* dicti, alij *minorum*, aut *conscripti*. *Maiorum gentium* vocant *centum illos, quos Romulus primo legit, eorúmque progenies*. *Minorum gentium* primò dicti *centum, quos auctâ ciuitate Romulus cum Tatio adlegit, horumque posteri*. Iidem vocati *conscripti*, quòd *prioribus essent patribus adscripti*. Liuius tamen lib. I. eos censet *minorum* fuisse *gentium*, quos legerat Tarquinius Priscus. Ac initio libri secundi illos *conscriptos* dicit nuncupatos quos legit L. Iunius Brutus consul. Tacitus autem vndecimo annalium hos ipsos *minorum gentium* appellatos docet. Possunt hæ sententiæ conciliari, si dicamus, centum istos quos Romulus primò legerat, primò simpliciter *Patres* & *Senatores* vocatos: sed postquam à Romulo, Tatióque, alij centum adiecti, tum illos *maiorum gentium* dictos, hos *minorum gentium* appellatos. Postquam verò Tarquinius Priscus centum alios adlegit, vt iam trecenti essent, tum illos à Romulo lectos horum ratione etiam *maiorum gentium* vocatos: at illos ad priorum exemplum, *minorum gentium* nominatos. Vbi autem Iunius Brutus aliquos adlegit, vt *Patrum* numerum, cædibus regum imminutum, ad trecentorum summam expleret; tum quos Reges legerant, *maiorum gentium* vocatos, quos Brutus *minorum*, aut etiam *conscriptos*. Hoc pacto centum, quos Romulus priùs legit, semper *maiorum*, nunquam *minorum gentium* dicuntur: quos Brutus legit, ab omnibus *minorum gentium*, aut *conscripti*, appellantur: at qui intermedio tempore lecti, nunc *maiorum*, nunc *minorum gentium* vocantur; *maiorum* quidem, cùm ratio solùm habetur eorum qui posteriùs lecti; at *minorum*, cùm apponuntur iis, quos primò legerat Romulus. Vide Onuphrium Panuinium in I. Fastorum: item in ciuitate Romana pag. XXIX. edit. Parisi. Gillij. Etiam *patris* vocem vsurpant de *Diis*, tum Deorum, tum hominum quoque ratione: vt cùm Iupiter Horatio dicitur:

Gentis humanæ pater atque custos.

Sed & ἁπλῶς *pater* vocatur: vt I. G.

Ipse pater mediâ nimborum in nocte coruscâ
Fulmina molitur dextrâ.

Item:

——Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit.——

Et sæpius eodem libro. Etiam minoribus Diis tribuitur. vnde apud eundem, *Gradiuúmque patrem*. Et, *ipse pater Pluton*. Et, *Pater Neptune*. Aliáque. Sed peculiariter *Baccho* tribuitur, quem *patrem* dici, monet Seruius ad illud II. G.

Huc pater ô Lenæe veni.

Cuius

Cuius caussam ex Augustino cognoscimus, lib. VII. de Ciu. cap. XXI. Verba eius adduximus in *Ithyphallicum*.

PATERA à *patendo*. Varro IV. de L.L. *Praterea in poculis erant patera, eò quòd pateant, Latinè ita dicta. Hisce etiam nunc in publico conuiuio antiquitatis retinenda caussâ, cùm magistri*, (hoc est, *moderatores siue reges conuiuij*) *fiunt, potio circumfertur, & in sacrificando Deis, hoc poculo magistratus dat Deo vinum.* Isidorus, lib. XX. cap. V. *Patera phiala sunt dicta, vel quòd in ipsis potare solemus: vel quòd patentes sunt, dispansisque labris.*

PATIBVLVM quidam à *patiendo* sic dici putarunt. Sed est à *patendo*. Vt à *lateo*, *latibulum*; à *fundo*, *fundibulum*: sic à *pateo*, *patibulum*: nempè à *patentibus ramis*, *siue cornibus*. Propriè enim *patibulum* idem est ac *furca*: quo nomine intelligitur rectus stipes, sed cum duobus cornibus; inter quæ facinorosi ceruices interserebant: exinde manus cornibus siue ramis alligabantur: sic gestantes *furcam*, siue *patibulum*, à ponè sequente carnifice, vel conseruis, cædebantur virgis: sæpe etiam ita cæsi agebantur in crucem. Vnde est, quòd quandoque *patibulum*, idem est ac *furca*: interdum autem differt. Pro *furca* sumitur, cùm Tacitus XIV. Annal. coniungit *patibula, ignes, cruces*. Pro *cruce* accipitur, cùm Sallustius in IV. Histor. ait *patibulo affigi*. Valde errat Iustus Lipsius, cùm, lib. III. de Cruce cap. III. censet in cruce propriè sic vocata κυρίως, *patibulum* dici patens ac transuersum illud lignum, quod ad stipitem arrectarium se habet, vt in naui antemna ad malum. Nemo veterum sic *patibuli* vocem vsurpat. Neque enim, cùm aliquem legimus *patibulatum*, credendum gestasse transuersum crucis lignum; sed *furcam*, hoc est, stipitem rectum, summâ in parte habentem duos ramos, siue cornua. Nec magis verum est, quod idem Lipsius prodit, *crucem* propriè dici rectum stipitem. Verum quidem est, *crucem* propriè nuncupatam, duobus lignis constitisse: recto, & transuerso: sed nunquam vel *crux* pro *solo recto*; vel *patibulum*, pro *solo transuerso*, vsurpatam à veteribus inuenias. Sed semper *patibulum* vel *furcam* notat, quæ bicornis erat, vt litera Y: vel *crucem*, cuius figura litera T. Constantinus Magnus vetuit ne facinorosus affigeretur *cruci*. Quod dedit honori crucifixi Seruatoris nostri. In crucis verò locum induxit nouam *patibuli* formam, hodiéque obtinentem: quæ obtinet figuram Græcanicæ literæ Π. Æquè falsus Lipsius, cùm scribit eopse libro, facinorosos post gestatam furcam ad campse prope crucem affixos. Nec enim furcæ affigebantur, sed cruci. Vnde Plautus, Carbonariâ:

Patibulum ferat per vrbem, deinde affigat cruci.

Nec quisquam dixit *furcifigi*, sed *crucifigi*. Plura de his diximus libris de Passione Dominica. Multa item præclarè Salmasius epistolis de Cruce ad Thomam Bartholinum.

PATINA à *patulo* deducit Varro IV. de L.L. Haud absurdè. Verius tamen, qui à πατάνη esse volunt, quomodo à κάτινον est *catinus*, vt ipse agnoscit Varro. Quid *patina* sit, non omnes sciunt. Vulgo confundunt cum *lance*. Atqui *lanx* (cui à *latitudine* nomen impositum videtur) Græcè est πίναξ, *patina* verò λοπάς; *lancibus* & cibi simplices apponebantur, vt carnes assæ, fructus & similia: *patinis* verò id factum nusquam legas, vt bene aduersus Guilandinum obseruat Scaliger: sed iis vtebantur ad condiendos pisces, tyrotaricha, & similia: vnde Plinius, lib. XXIII. cap. II. de fece sapæ ait: *Decoquitur in patinis cum sale & adipe ad tumorem quoque maxillarum & ceruicum.* Itaque vt λοπάδες, ita *patina* quoque operculum habebant. Id vel docemur prouerbio hoc apud Hieronymum: *Dignum patellâ operculum.* Nam *patella* est ὑποκοριστικὸν, à *patina*. Isidorus, lib. XX. cap. VIII. *patellam* dici ait quasi *patulam*. Sed κυρίως, à *pateo* est *patina*, *patinula*, *patinella*, & per syncopen *patella*. Non audiendus doctissimus Angelus Caninius, qui in Hellenismi Alphabeto scribit, *patella* κατὰ μετάθεσιν factum esse ex λοπὰς λοπάδιον. Cæterùm angustâ etiam notione *patella* dicebantur, teste Festo, *Vasa parua picata sacris faciendis apta, quæ erant forma velut cupitula quadam.* A *patella* lares dicti Dij *patellarij*, vt apud Plautum, Cistellariâ II. I. Sic autem vocati, quia non è pomis modò in focum, qui Larium sedes, aliquid defunderent, sed è cibis quoque in *patella* aliquid in focum deferrent: quemadmodum monet vetus Scholiastes, in illud Persij,

——*Cultrixque foci secura patella.*

Ac tangit eum morem quoque Varro Manio, apud Nonium: *Oportet bonum ciuem legibus parere, & deos colere, in patellam dare* μικρὸν κρέας. Vide Homerum. Iliad. A, in conuiuio Achillis: Liuium, lib. XXXIX. Plutarchum de fortuna populi Rom. Sunt & Dearum nomina, *Patella* ac *Patellana*. Officium earum, ac nominis caussam, docet his verbis Arnobius, lib. IV. *Patellana numen est, & Patella, ex quibus vna est patefactis, patefaciendis rebus altera præstituta.*

PATIOR à παθεῖν, siue verbali eius πάθος; vt nempe à φάτις, *fateor*. Multa sanè Latini formant à Græcorum verbalibus, vt *loquor*, à λόγος, *gusto*, à γεῦσις, &c. Παθεῖν verò à פעה, id est, *turbare*. Sunt enim πάθη *animi perturbationes*. Speciatim autem παθεῖν interdum accipitur in obscena significatione, pro *pati muliebria*, quâ ratione & Latini dicere videntur, *Quidnis facere & pati*, id est, ποιεῖν καὶ πάσχειν. Atque hac notione *Pathici* dicuntur, qui in præpostera libidine morigerantur: vt *drauci* quibus morigerantur, ἀπὸ τοῦ δρᾶν, quod est *facere*. A *patiendo* vuis *passis* nomen inditum. Plaut. Pœn. Act. I. Sc. II.

Siquidem tu es mecum futurus pro vuâ passâ pensilis.

Plinius, lib. XIV. cap. I. *Quin & à patientia nomen acinis datur passis.* Vbi immeritò Dalecampius Plinium reprehendit, quasi à *pandendo* potiùs sint, quia ad solem pandantur. A *patiendo* etiam dicitur *passum*: vt Seruius monet in II. G. Ac præiuit Varro, lib. I. de vitâ pop. Rom. apud Nonium: *Passum nominabant, si in vindemiâ vuam diutiùs coctam legerent, eámque passi essent in sole aduri.* Nonius: *Passum dicitur genus liquoris, quod ex vuâ passâ cogitur*, Virg. G. II.

Et passo psithia vtilior.——

Meminit & Iuuenalis, sat. XIV.

Qui gaudes pingui antiqua de litore Creta
Passum & municipes Iouis aduexisse lagenas.

Quo loco per *lagenas Iouis municipes* intelligit *vinum Creticum*. Nam Iupiter in Cretâ natus. Vetus Scholiastes explicat *lagenas Ceticas*: sed *Creticas* legendum. Vt fiat *passum*, docebit Columella, lib. XII. cap. XXXIX. Vide & quædam huc pertinentia in *Temetum*.

PATRATVS; cùm *patrem patratum* dixere, *fecialem principem*, verùm à *pater*, an à *patrando* sit, non satis constat. Prius placuit Plutarcho, cui *patratus* est, *qui pater est, patrémque ipse superstitem habet*. At iuxta alios quemadmodum *pater* dictus, cùm ætate, tum curâ erga populum Romanum: sic *pater patratus* appellabatur, quòd *patraretur*, hoc est, *crearetur*: idque ad ferienda fœdera & iuramenta patranda. Hæc fœdera, quo ritu ab eo fieri soleant, docebit Liuius, lib. I.

PATRIA cùm dicimus, videtur intelligi, γῆ, vt Belgæ dicunt *vaderlandt*. Græcis πατρίς, καὶ πατρία, similiter à πατήρ. Sed cur potissimum à *patre* dicta, cùm *pariat mater*? an quia *pater dignior*? an quia is *princeps generationis caussa*, vt Physici tradunt: an verò quod quidam existimant, quia *patris loco* est, dum sobolem fouet ac tutatur.

PATRIARCHA, πατριάρχης, *primus pater* alicuius gentis aut familiæ, à πατὴρ & ἀρχὴ, id est, *initium*. Sed initium hoc varium est. Aliter enim Abraham, Isaac, Iacob *patriarcha* dicuntur: aliter Iuda, Simeon, cæterique liberi Israëlis. Nam quisque *patriarcha* est populi, à se genus ducentis. Nec in Iudaica modò Ecclesia, sed etiam quæ post passum Christum fuit, *patriarcha* nomen vsurpatum. Nam in hac quoque tanquam in spirituali familia, primò Episcopi πάπαι, id est, *patres*; Archiepiscopi verò πατριάρχαι, quasi *primi inter patres*, sunt appellati. Postea, crescente ambitione, primæ sedis Episcopi id sibi nomen vindicarunt, quales fuere primum hi quattuor, Romanus, Hierosolymitanus, Antiochenus, Alexandrinus: postea accessit Constantinopolitanus, ex quincto propter Nouæ Romæ dignitatem factus secundus.

PATRICII à *patribus*, hoc est, *senatoribus*, ita dicti, quia *patrum essent progenies*, vt ait Liuius, lib. I. Itaque *patricij* haud secus, ac *patres*, alij *majorum*, alij *minorum* erant *gentium*. Puto autem duas posteriores syllabas in voce *patricius*, tantùm nominis esse productionem. Nam, vt ab *ædili*, *tribuni*, *lateri*, *noui*, est *ædilicius*, *tribunicius*, *latericius*, *nouicius*: sic à *patri* fuerit *patricius*. Quare non placet eorum sententia, qui *patricius* componi censent ex *pater*, & *cieo*: quod multi autumant, compulsi his verbis Liuij, lib. X. *En Roma vnquam fando audistis, patricios primò esse factos, non de cœlo demissos, sed qui patrem ciere possent, id est, nihil vltra quàm ingenuos? consulem iam patrem ciere possum, auúmque iam poterit filius meus.* At longè etiam ineptiùs, qui *patricios* dictos volunt à *patronatu*, quod quosdam velle scribit Plutarchus in Romulo. Nec meliùs, quibus πατρίκιος placet esse vocabulum Græcum, ac dici quasi πατὴρ τοῦ κοινοῦ, id est, *communis Reip. pater*; quomodo exponit Suidas.

PATRIMONIVM est à *pater*; vt à *mater matrimonium*; à *castus castimonia*, à *sanctus*, *sanctimonia*. Sors autem hæreditaria potiùs *patrimonium*, quàm *matrimonium* dicitur, etiamsi non rarò sors materna antistet: cuius caussa est, tum quia dignior est pater, tum quòd patris propriè est acquirere bona, matris verò ea tueri ac conseruare. Interdum tamen & *patrimonium* sumitur pressè, vnde in Glossis: *Patrimonium*, πατρῴα οὐσία. Ac tum ex quorundam sententia, ei opponitur *matrimonium*,

trimonium, quâ voce pro bonis maternis vſi putantur Val. Max. lib. VII. cap. VIII. Suetonius in Auguſto; Auguſtinus ſermone CLXXXV. Sed eos, locis partim corruptis partim malè intellectis, falli exiſtimat Caſaubonus. Ipſum vide ad Suetonij Auguſt. cap. XL. Quemadmodum autem *patrimonium* dicitur vniuersè de *bonis parentum*, quia *patris* in his potiores partes: ita *matrimonium* de coniunctione dictum, a *matre*, quia id fit liberûm quærendûm cauſsâ; in liberis autem præcipuum munus matris, ſeu geſtationem ſpectes, ſeu partum, ſeu educationem.

PATRIMUS à *pater*; vt à *mater*, *matrimus*. *Patrimi* verò dicti, quibus pater ſuperſtes; *matrimi*, quibus mater. Itaque quibus vterque parens in viuis erant, coniunctim *patrimi & matrimi* appellabantur. Liuius, lib. XXXVII. *Patrimi omnes matrimique, ad id ſacrificium adhibiti.* Feſtus: *Patrimi & matrimi pueri prætextati tres nubentem deducunt: vnus, qui facem præfert ex ſpinâ albâ, quia noctu nubebant; duo, qui tenent nubentem.* Dicebantur autem vel *patrimi matrimi*; vel *patrimi & matrimi*: quomodo vocantur in veteri inſcriptione p. CXXI. ed. Gruter. Græcis *patrimi & matrimi* vocantur ἀμφιθαλεῖς ab ἀμφὶ & θάλλω, quaſi *qui vtrimque viuent*. Contrà qui vel *patrimi* ſolùm, vel *matrimi*, appellantur ἑτεροθαλεῖς, quaſi ἑτέρωθεν θάλλοντες, hoc eſt, *ab vna tantùm parte vigentes*. Quanta ſit vtriuſque Latinæ vocis penultima, diximus in Animaduerſionibus Grammaticis.

PATRO eſt a *pater* propriéque notat *rem Veneriam conſummare*: vnde Gloſſæ Philoxeni: *Patrat*, μιγνῦται, κατεργάζεται, ὡς ἐπὶ μοιχῶν. Quamquam non ſimpliciter notat μιγνῦσθαι, ſed *ſcortando* μιγνῦσθαι, vel potiùs ἀφροδισιάζειν. Vſus Perſius ſat. I *Patranti fractus ocello.* Quem ad locum ſic vetus Scholiaſtes, cùm is, qui à Pithœo, tum qui à Veneto editus: *Patratio eſt rei Venereæ conſummatio.* Quod ipſum etiam legas apud Iſidorum, lib. IX. orig. cap. V. & in vett. Gloſſis Latino-Arabicis. Atque ita B. Hieronymus Quæſtionibus in Geneſin dixit *patrans voluptas*, hoc eſt, συντελεσμός. Sunt qui apud Iuuenalem quoque legant:

——*oculóſque in fine patrantes:*

atque hi ſe tuentur auctoritate interpretis Perſiani. Sed falluntur. Nam & ille Veneti, & Pithœanus habent *trementes*, non *patrantes*. Prior tamen videri poſſit *patrantes* lexiſſe, niſi vel cæco pateret traiectionem verborum factam, legendáque ea verba prout in Pithœano rectè ſunt edita. Porrò μεταφορικῶς *patrare* accipitur pro rem quamuis perficere. Quinctilianus, lib. VIII. cap. III. quod de ornatu: *Vel hoc vitium ſit, quod κακέμφατον vocatur, ſiue malâ conſuetudine in obſcœnum intellectum ſermo detortus, vt ductare exercitus & patrare bellum apud Salluſtium dicta ſanctè & antiquè, ridentur à nobis, ſi diis placet, quam culpam non ſcribentium quidem iudico, ſed legentium, tamen vitanda, quatenus verba honeſta moribus perdidimus.* Sic idem Salluſtius in Catil. ait, *patrare incepta*; & in Iugurtha, *patratis conſiliis*: quomodo & olim legit Chryſoſtomus Salluſtij commentator, & in ſuo manuſcripto reperit Riuius, & ego item in MSS^tis meis inuenio. Malè id mutarunt in *peractis*, vel *paratis*. A *patro* eſt *expatro*, Catullus, carm. XXX.

Parùm expatrauit? an parùm helluatus eſt?

Gloſſ. vett. ἐκπορνεύω, ἐπὶ συνουσίας, *expatro*. Ab eodem ſunt, *impetro*, *propetro*, *perpetro*. De iis ſic Feſtus: *Propetrare, mandare, quod perficiatur. Nam impetrare eſt exorare; & perpetrare perficere.* De *impetro* ſic Donatus ad Hec. Act. V. ſc. I. *Impetrem eſt perficiam, dictum à patrando: cuius rei difficultas ob tarditatem complendarum nuptiarum, etiam ad alia negotia, quæ ſunt ardua, verbum hoc commodauit ac dedit.* Pro *impetrare* augures dicebant *impetrire*; item pro *impetratum*, *impetritum*, quod Feſtus exponit *firmum* ac *ſecurum*. Eſtque ſimile *negibundus* pro *negabundus*: quod ex eodem Feſto diſcimus. Eſt verò *impetrire* καλλιερεῖν. Nam, vt ad Feſtum ſcripſit Scaliger, quod in ſacrificiis erat *litare*, id in auſpiciis erat *impetrire*. Quamquam ἐθελοντὴς exponit Gloſſarium vetus, *impetratus*, ἑτοῖμ. Rectiùs dixiſſet καλλιερήσας. Corrupta eſt *impetriti* vox apud Ciceronem, Plinium, Valerium; vti ad huiuſce ſcriptoris lib. I. cap. I. oſtendit Steph. Pighius. Remanſit autem apud vnum Plautum, cuius illud, Aſin. act. II. ſc. I.

Impetritum, inauguratum'ſt, quouis admittunt aues

Vide & hac de voce Turnebum, lib. V. Aduerſ. capite XVIII. & lib. XXIII. cap. XI. & Scaligerum, ad Tibulli lib. IV.

PATRONUS, quia *patris ſit loco*. Feſtus: *Patronus ab antiquis cur dictus ſit, manifeſtum: quia vt patres filiorum, ſic hi numerare inter dominos clientum conſueuerunt.* Non *clientis* tantùm, ſed & *liberti* correlatum eſt: vnde Plautus, Fœneratrice:

Heus tu, in Barbaria quod dixiſſe dicitur
Liberta ſua patrono, id ego dico tibi,
Liberta ſalue, vapula Papiria.

Eodem modo accipiendum liquet, cùm legimus, Pruſiam regem Bithyniæ ſumto pileo, quod manumiſſorum ſchema eſt, populum Romanum *patronum* ſuum profeſſum eſſe. Nec aliter ſumpſit Vlpianus, cùm Tit. de verb. ſignif. inquit, *Patroni appellatione & patrona continetur.* A *patronus* eſſet *patronocinium*; vt à *leno*, *lenocinium*; à *tyro*, *tyrocinium*. Sed κατὰ συγκοπὴν dixere *patrocinium*. Niſi αὐτόθεν malis à *patre* deducere. Feſtus: *Patrocinia appellari cœpta ſunt, cum plebs diſtributa eſt inter patres, vt eorum opibus tuta eſſet.*

PAVIRE eſt *cadere*, ſiue *ferire*: vt à Græco παίω, quod idem notat, vnde ἀναπαίω, *repercutio*, à quo ἀνάπαιστος *pes*, quia ἀναπαίει τὸν δάκτυλον, hoc eſt, *ſonum dactyli contrario inuerſoque ordine reddit*, vnde & ἀντιδάκτυλος vocatur. Eſt verò à παίω, *pauio*, inſerto V conſono, quomodo ab αἰὼν eſt *æuum*. Ab eo, Feſto & Iſidoro teſtibus, eſt *pauimentum*, vt ab *alo alimentum*. Sic autem dicatur, quòd *pedibus ab euntibus pauiatur*, quomodo Græcis ἔδαφος ἀπὸ τοῦ δαπέδου, hoc eſt, πέδον, dicitur, ſi Camerarium audimus. Nam alij conflatum putant ex Dorica ἐπὶ & πέδον, vt dicatur quaſi γῆ ἐπὶ πέδον. Vel potiùs dicetur *pauimentum*, quòd, dum *pauimenta* fiunt, pluribus diebus feriuntur, vt ſolidiora ſint, nec rimas faciant. Cato, cap. XVIII. *Ibi de teſtâ aridâ pauimentum ſtruito: vbi ſtructum erit, pauito, fricatóque, vti pauimentum bonum ſiet.* Columella, lib. I. cap. VI. *Sed vtrumque more piſcinarum deuexum leni cliuo, & exſtructum, pauitúmque ſolum habeat, ne humorem tranſmittat.* Κατ' ἐξοχὴν verò *pauimentum* dixere pro *teſſellato*: vnde Gloſſ. *Pauimentum*, ψηφολογητὸν ἔδαφος. Sic vſus Plinius lib. XXXVI. cap. XXV. Ab eadem origine eſt *pauicula*, inſtrumentum, quo area denſatur, æquatúrque Cato, cap. CXXIX. *Comminuito terram, & cylindro, aut paniculâ coæquato.* Gloſſæ: *Pauicula*, ὀχλοφόρος. Ab eadem origine *pauiclare*, pro *pauiculare*, hoc eſt, ἰσοπεδίζειν. *Pauor* quoque vt hinc deſcendat, ſeparatim dicemus. Inde & *pauera frumenta*, *pauiendo* multùm trita, vt granum deglubaretur. Sunt enim, quæ vix è glumis ſuis euaginari poſſint. Feſtus: *Pauera frumenta dicebant antiqui, quæ de vagina non bene exibant.* Etſi hic alij modo infinito malint *pauere*, quod exponunt *pulſari*. Ab eodem eſt *veſtis pauidenſis*, quaſi *pauita*, hoc eſt, στιβαρά, vnde ea *leuidenſi* opponitur. Iſidorus, lib. XIX. cap. XXII. *Pauidenſis contraria Leuidenſi, dicta quòd granditer preſſa atque calcata ſit.* Vide ſis quæ de *pauitenſi* veſte ſcribit Ioſ. Scaliger, in Cirin ad illud:

Non Libyco molles plauduntur pectine telæ.

Olea quoque genus eſt, quod *pauſia* dicitur, quia nempe (vt Seruius, in II. Georg. & Iſidorus, lib XVII. cap. VII. & ex his Decembrius, lib. IV. de Polit. literar. cap. XLV. tradit) non emittat oleum, niſi, antequam molæ ſubiiciatur, *pauiatur* ac tundatur. Meminit Virgil. II. G.

——*Et amarâ pauſia baccâ.*

Item Columel. lib. XII. cap. XLVIII. A *pauio* quoque ſunt *depuuio*, & *obpuuio*. Feſtus: *Depuuere, cædere*; Lucilius:

——*Palmiſque miſellam*
Depuuit me.——

Id eſt, verberauit; ne quod ipſum eſt ex Græco παίειν. Idem: *obpuuit, verberat, à pauiendo, id eſt, feriendo: vnde pueri, quòd puniendo corrigantur, id eſt, plagis: vnde & pauimenta.* Quemadmodum autem in *depuuere*, ita & in *tripudium*, *a* in *u* mutatum. Nam dicitur quaſi *terripauium*, vt ſuo loco dicemus. Ioannes Fileſacus, lib. I. cap. XIV. apud Feſtum pro *Obpuuit* legere iubet *obpauit*, quia dicatur *pauire* & *pauimentum*. Sed non cogitauit vir doctiſſimus, quod antea dicebam, *a* ſæpe in compoſitione abire in *u*, quomodo à *quatio* eſt *concutio*; à *cauſſa*, *accuſo* & *excuſo*, & id genus alia.

PAVO, ſiue *pauoni*, à ſono nomen eſſe, cùm Iſidorus ſcribit, lib. XII. cap. VII. tum etiam Varro, cuius hæc verba lib. IV. de L. L. *De his* (volucribus) *pleraque à ſuis vocibus, vt hæ: Vpupa, Cuculus, Coruus, Hirundo, Vlula, Bubo; item hæ: Pauo, Anſer, Gallina, Columba.* Non diſplicet tamen ſententia Angeli Caninij, qui *pauo* cenſet eſſe à ταώς. Rident imperiti etyma iſtiuſmodi, tanquam longè nimis arceſſita. Verùm hi ſcire debent, Romanos Dores imprimis imitari & Æoles. At Æoles interſerere ſolent V conſonum, vt ὄϊς, ὄϝις, vnde *ouium*; ἆϊς, ἄϝις, vnde *auis*; & ſic in aliis. Similiter igitur pro ταὼς dixere ταϝὼς, vnde *pauos*, &, vt poſtea dixere, *pauus*. Nec eſt, quòd turbet quemquam litera princeps. Nam ſimiliter à στάχυς eſt *ſpica*; à χεύω, χεῦσις, *cutis*. Atque hoc ipſum quoque Æolum more fit, qui pro πολὺ dicunt σπολὺ, (vnde meo iudicio *ſpolium*, & *ſpoliare*: quod eſt σπολὴ ſeu

amiſſum

auditorem detrahere ;) item pro [illegible], [illegible], pro [illegible] (&c.) Similitérque Cretensis pro [illegible], vnde Latinorum *spatium*.

PAVOR num ab Hebræo פחד, id est *pauor*, ac *pauere*, à פחד, id est, *pauere*, *formidare*. An *pauor* à φόβος, *pauere* à φοβεῖσθαι. Nam sæpe Φ commutatur in B. vt ἄμφω, *ambo*; φέρω, (quod à φορὸς) *porto*, &c. Sæpe item B abit in V consonum. vt *ferueo*, *vepres*, βαδίζω (quod Doricum pro βαδίζω) *vado*, &c. An simpliciùs dixerimus *pauor* esse a *pauire*, quia *pauit*, hoc est, *percutit ac percellit animum*, vnde & affectus is Belgis *verslegentheyt* dicitur, quasi *perculsio*? Hoc omnino verius. *Pauere* autem vnde sit, ac quæ indè descendant, ostendimus separatim.

PAVSA Græcè non dicitur, sed παῦσις, vel παῦλα. Vtrumque, vt Latinis *pausa* (pro quo in veteri inscriptione *paussa* gemino ss legitur. pag. DCXC. n. v.) *cessationem* notat, à παύω, id est, *cesso*. Atque hinc liquet, Latinos voces a Græcis acceptas corrumpere, siue id imperitiâ factum sit, vt Festus suspicatur; siue quæ aliorum opinio est, consilio ita egerint. quò puræ putæ Latinæ viderentur. Vtitur *pausa* voce Ennius apud Varronem, lib. VI. de L. L. *Pausam fecere fremendi.* Item in Scipione:

——Mundus cali vastus constitit silentio
Et Neptunus sauus vndis asperis pausam dedit:
Sol equis iter repressit vngulis volantibus.
Constitere amnes perennes, arbores vento vacant.

Ita versus hi legi debent. Versu tertio legebatur vulgo, *Sol equis ter repressit*. Vnde Octauius Pantagathus, quemadmodum Fuluius notat in Virgilio cum Græcis collato, emendabat, *Sol equos quater repressit.* Sed minùs à vero abludit, vt vnica vocalis exciderit, prima nempe in *iter*. Sed de his versibus etiam diximus, lib. I. de Histor. Latin. cap. II. Vsurpant & *paussa* vocem Lucillius, Accius, Lucretius, &c. è scriptoribus pedestribus, Agellius, atque Arnobius. A *pausa* est *Pausus*, *pausa* seu quietis Deus. Meminit idem Arnobius. Item *pausare*, quod in veteribus Glossis exponitur [illegible]. Vtitur Plautus, Trinummo, act. I. sc. II. Item *pausarius* apud Senecam, epist. LVI. Rectè autem Sauaroni, ad Sidonij lib. II. Epist. 2. *pausarius* à Seneca dici videtur, qui Græcis κελευστής, Latinis *portisculus*, vt nempe sic dicatur, quia pro eius imperio remiges vel remigrare inciperent, vel *pausam* facerent. Indicant hoc ipsius Senecæ verba: *Vt audire vel pausarium possim voce acerbissimâ remigibus modos dantem.* Nam κελευστοῦ fuisse modos dare remigibus, patet ex iis, quæ hac de re diximus in *Portisculus*. Quare fallitur Iacobus Durantius, qui hanc lectionem apud Senecam improbat, lib. II. Var. Lect. cap. XII.

PAX nunc nomen est, nunc aduerbium Comicum, Terentio etiam vsurpatum, vt Priscianus monet in decimoquarto: & ex eo Calpurnius in Heautont. act. IV. sc. IV. Quando nomen est, tum vt Cassiodorus vult Psalm. CXXI. à *parcendo*, vel *poscendo*, nomen habet. Septimius Florens, notis in εἰρήνην Aristophanis, censet *pax* esse a [illegible], quod est *pandere*. Nempe quia *Panda* in veteri Glossario exponatur [illegible]. Sed verisimiliùs ij, quibus *pax*, quia fœderibus pangitur, à *pactione* sic dicta videtur; quod etymon Iurisconsultus ponit, l. I. D. de pactis, in princip. Idem olim sensit Sinnius Capito apud Festum. Adsentit quoque Isidorus, lib. XVIII. cap. I. *Pacis*, inquit, *vocabulum videtur à pacto sumtum*. Idem confirmari eo videtur, quòd *pacis pactio*, *pax depacta*, similiáque apud veteres legere sit. Cic. Philipp XIII. *Sed hoc primum videndum est, P. C. cum omnibúsne pax esse possit, an sit aliquod bellum expiabile* (*leg. inexpiabile,*) *in quo pacto pacis lex sit seruitutis.* Marcell. Comes Indict. II. Iustin. III. Cons. *Pax cum Parthis depacta est.* Quin Sauaro, ad Sidon. lib. IX. epist. VI. apud Cassiodorum quoque legendum putat: *Pax à pacando, siue à paciscendo, dicta est.* Scaliger lib. de causs. L. L. cap. XXV. vult *pax* esse à πάξ. Mihi magis placet prius etymon, vt *pax* sit contractum ex *pacis*, quomodo *vox* est è *vocis*; *rex* è *regis*; *dux* è *ducis*; *lex* è *legis*. &c. *Pacis* autem est à *pacere*, siue *pagere*. Sic enim veteres, Fabio teste, dicebant pro *pangere*. Veteres non habebant G, vt alibi non semel diximus. Itaque nil mirum, si ab eo *pacis* in vsum remansit, pro *pagis*, hoc est, *pax*. Ab eadem caussa est, quod à *pacere* non *pactum* tantùm; sed etiam *pacionem* dixerint, auctore Festo, qui & idem ac *pactum* notare indicant.

PECCO, non quasi *pedem capio*, vt nugantur, sed à *pecus*, geminatione consonæ, vt monet Iul. Scaliger, cap. XXXI. de causs. L. L. Sed pleniùs hac de re facet Fr. Iunius, libro de peccato Adami, cap. II. *Hebræi*, inquit, *actiones malas nomine certo dixerunt, quod aberrationem sonat: quemadmodum Græci suum* ἁμαρτάνειν (*vt placet Grammaticis*) *ex eo dictum voluerunt. Latini pinguiùs peccare dixerunt, quasi pecuare* [illegible] *dixeris, a pecudibus, pro quo est pecudis modo lineas transilire* (vt Tullius in Paradoxis loquitur.) *quas Deus & natura hominum circumposuerunt: ex quo etiam veteres pecudinum & pecudiarium* [illegible], *hominem præcipitem, qui pecudis more extra ordinem lineásque eius sese infert temerè, appellarunt. Rectiùs profectò Hebræi & Græci, qui omnem iusti ordinis omissionem, ac non commissionem solùm, notauerunt. Nam peccatum nullum sine omissione est: sine commissione existunt multa.* Hactenus ille. Aliis placet, *pecco* esse à פשע, quod est, *prævaricari*, *transgredi*: similitérque ἁμαρτάνω seu ἁμαρτεῖν, deducunt à מרד, id est, *deficere*, *rebellare*. Nonnullis etiam *peccare* dici placet quasi *pellicari*: eóque *peccare* propriè esse *scortari*: Balbus Catholico: *Peccare dicitur quasi pellicari; & inde peccator, quod nomen antiquitus tantùm flagitiosos & libidinosos significabat; sed postea transiuit in appellationem omnium iniquorum, & dicitur peccator quasi pellicator.* Genuinam hanc eius vocis notionem esse censet & Georg. Erhardus, symbolis ad Petronium, p. DCXL. Addit, hinc *peccatricem* pro *meretrice* legi apud scriptorem ad Cornelium Papam de Passione Christi: *Filio prodigo reuertenti non improperat luxum: mulieri adulteræ non opponit prostibulum: peccatrici publicæ non recusat seruitium.* In Scripturis quoque *peccatores* idem vocari censet *præuaricatores diuinorum præceptorum*, quo spreto & relicto thoro Christi, cum alienis diis adulterentur, & castitate Ecclesiæ prostitutâ, cum carne, mundo & diabolo liberè voluptentur. Mihi magis placet esse a *pecu*, vt *peccare* propriè sit ἀλόγως agere instar *pecudis*.

PECTO, à πέκω, inserto T, quomodo à κλίνω quo veteres vtuntur Latini, est κλιντήρ, a *lino linteum*. Dicere etiam possis, *pecto* esse à verbali πέκτος id est, *pexus*, vt nulla epenthesi sit opus. A *pecto* est *pecten*, teste Isidoro. Et res aperta: *Pexam vestem* arbitrantur esse, quam Græci dicunt [illegible]; hoc est, *villosam*, quæ ob eminentes *villos* pecti soleat. Sed *villosa* diuersa est a *pexa*, qua breuis conspicitur floccorum lanugo. Cui opponitur *vestis deflocrata*, quam & *decotem* dixere, quasi *sine cute*. Hinc *pexatus*, *pexis* vestibus indutus, hoc est, quarum flocci nondum sunt detriti. Martialis, lib. II. epig. LVIII.

Pexatus pulchrè rides mea, Zoile, trita.

Vndè liquet *pexam* vestem *tritæ* opponi. Hinc lanugo illa, quæ pectebatur, *pexitas telæ* vocatur a Plinio, lib XI. cap. XXIV. vbi aranearum telam comparat cum humana. Ad *pectendum* molliores lanas fullonibus in vsu fuere spinæ erinacei: vnde idem Plinius, lib. VIII. cap. XXVII. refragatur iis, qui erinaceum aiunt esse animal superuacuum. *Nam*, inquit *si non sint illi aculei, frustra tributum mollities in pecore mortalibus data. Hac cute expoliuntur vestes.*

PECTVS, si Isidorum audimus, est à *pecto*. Sic enim ille, lib. XI. cap. I. *Pectus vocatum, quod sit pexum inter eminentes papillarum partes, vnde & pectinem dicimus, quòd pexos capillos faciat.* Verùm à *pecto* esset *pexus*. Quare, potiùs sit à Græco πῆγος, id est *pexus*: vel si à Latino esse malis, non quidem a *pecto*, sed à *pectine*, nomen accepit: puta, quòd id in sceleto *pectinem* referat, cùm costæ vtrimque *dentes pectinis* repræsentent. Quibusdam etiam, Perotto teste, *pectus* à *pango* dici videtur, quasi *pactus*, ob costas compactas. Sed si ratio hæc placet, potiùs sit à πῆκτος, quod à πήγω seu πήγνυμι, id est, *pango*. A *pectus* est *expectoro*, [illegible]. Vsus Accius, Enniúsque: cuius verba perperam Tullio Nonius tribuit. Meminit & Fabius, vt verbi antiqui, lib. X. cap. I. Simile *adpectoro*, [illegible]. Vsus Solinus iuxta vett. codd. Plinius pro eo dixit *pectori admouere*.

PECVLARI, vnde *depeculari*, est à *pecus*. Propriè *peculari* de *furto publico* dicitur, etsi & ipsum latiùs extendatur. Idem dicendum de verbali *peculatus*. Vox autem hæc inde est, quòd multa publica, cuius pecuniam auertit, pecore fieri soleat. Ita Varro, IV. de L. L. cuius hac de re locum Vertranius corrupit.

PECVLIVM à *pecus*. Festus: *Peculium seruorum à pecore item dictum est, vt pecunia patrumfamilia.* Non tamen *peculium* solùm seruorum fuit, sed & ita dictum, quod filiusfamilias sibi parentis permissu seruabat, deducto illo, quòd parenti debebatur. Ita filiis cedebat, si pluris vendidissent merces, quàm quanti eas pater æstimasset. Plautus, Mercatoris prolog.

Lucrum ingens facio. præterquam mihi meus pater
Dedit æstimatas merces: ita peculium
Conficio grande.——

Etiam *peculium* dicebatur, quod à patribusfamilias seponebatur; quomodo Celsus vsurpat, cùm ait, *Pecuniam sine peculio fragilem esse*: cuius dicti mentem pluribus declarat Rauardus,

uardus.lib.v. Var. cap.xvii. De *peculio castrensi*, cæterisque *peculij* generibus adi Iurisconsultorum libb. A *peculium* est *peculiaris*, quomodo propriè dicitur, *quod ex peculio est*. Sic vsus Plaut. Asin. Act.iii. Sc.i.

Etiam opilio, qui pascit, mater, alienas oues
Aliquam habet peculiarem, qui spem soletur suam.

Similiter *seruus* propriè *peculiatus* dicitur, qui peculio instructus, vt l.xxxiii. §.si venditor. ff.de action empt.l.xviii. in fin.de ædil. edict. *Peculiosus* pro eo dicit Plautus, Rudente, Act.i. Sc.ii.

Peculiosum eum esse decet seruum & probum.

Quomodo & Augustinus locutus in Psalm. xxxviii. *Peculiosus seruus, & cuiusuam magni Patrisfamilias.* Et hæc propria acceptio. Sed crebiò latiùs his vocibus vtuntur scriptores.

PECVNIAM à *pecu* dictam esse constat. Sed quæ causa sit originis parum conuenit inter auctores. Prima sententia eorum est, qui sic dici putant, quia *pecudis primum nota signari soleat.* Varro, lib.ii. de R.R. cap.i. *Et quod as antiquissimum, quod est flatum* (al. *conflatum*) *pecore, pecore est notatum.* Plutarchus, in Poplicolâ: Καὶ τῶν νομισμάτων τοῖς παλαιοτάτοις βοῦν ἐνεχάραττον, ἢ πρόβατον, ἢ σῦν. *Vetustissimi nummorum aut boue, aut oue, aut sue fuerunt signati.* Plinius, lib.xxxiii. cap.iii. *Seruius Rex ouium boúmque effigie primus as signauit.* Et lib.xxxiii. cap iii. *Seruius Rex primus signauit as. Antea rudi vsos Romæ Romanus* (al. *Timæus*, quod placet) *tradit. Signatum est notâ pecudum, vnde & pecunia appellatur.* Eutropius tamen, lib.i. & Isidorus, lib.xv. Originum cap.xvii. volunt Saturnum primum signâsse nummos. Athenæus, lib.i. tribuit id Iano, vti & Macrobius, lib.i. Saturnal. cap.vii. Verba eius apponam, vt simul pareat ratio imaginis, quam hodiéque in multis vett.numis videre est, qui ab vno latere Iani, ab altero nauis effigiem habent. Sic igitur scriptor is: *Ianus cùm Saturnum classe peruectum excepisset hospitio, & ab eo edoctus peritiam ruris ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegisset, regni eum societate muneravit. Cùm primus quoque æra signaret, seruauit & in hoc Saturni reuerentiam, vt quoniam ille naui fuerat aduectus, ex vna quidem parte, sui capitis effigies, ex altera verò nauis exprimeretur, quò Saturni memoriam in posteros propagaret. Ita fuisse signatum hodiéque intelligitur in aleæ lusu, cùm pueri denarios in sublime iactantes CAPITA AVT NAVIA, lusu teste vetustatis exclamant.* Pertinet huc illud ipsius Plinij, lib.xxxiii. cap.iii. *Nota æris fuit ex altera parte Ianus geminus, ex altera rostrum nauis.* Apud Lactantium quoque legere est, lib.i. cap.xiii. *Fugit* (Saturnus) *expulsus, & in Italiam nauigio venit, cùm errasset diu*, sicut Ouid. in Fastorum libris (lib.i.) refert:

Caussa ratis superest: Thuscum rate venit ad amnem
Ante pererrato falcifer orbe Deus.

Hunc errantem atque inopem Ianus excepit, cuius rei argumenta sunt numi veteres, in quibus est cum duplici fronte Ianus, & in altera parte nauis, sicut idem poëta subiecit:

At bona posteritas puppim formauit in ære,
Hospitis aduentum testificata Dei.

Hactenus Lactantius. Sed vel hic Ouidij locus fidem fecerit numos, in quorum parte vnâ Ianus geminus, alterâ nauis expressa cernebatur, non à Iano aut Saturno, sed à posteris fuisse signatos. Quare huiuscemodi numi non aduersantur iis, qui primum volunt Seruium numos signauisse, quod & Cassiodorus agnoscit, lib.vii. Variarum epist.xxxii. Nec pugnat sententia ea, quâ primus dicitur Seruius signâsse pecuniam pecudis notâ, cum ea quâ docetur numos antiquos Iani imagine & naue signatos fuisse. Nam fieri potest, vt quæ Hottomanni in libro de re nummariâ opinio est, vt Seruius quidem Romæ pecudis notâ numos insigniuerit, sed in reliquis Italiæ partibus Iani & nauis effigies soleat imprimi. Altera de pecuniæ vocabulo sententia eorum est, qui putant eam sic dictam, quia è pecudum corio primò fieri solebat. Donatus ad illud Maronis, lib.i. Æn.

——*Taurino quantum possent circumdare tergo:*

Dicunt, inquit, *pecuniam tunc ex corio bubulo fuisse, & inde pecuniam dictam, quòd ex pecore originem duceret; tantúmque fuisse in pretio loci, quantum bouis vnius corium conficere potuisset.* Cassiodorus, lib.vii. Variarum epist.xxxii. *Pecunia enim à pecudis tergo nominata, Gallis auctoribus, sine aliquo adhuc signo ad metalla translata est.* Isidorus, lib.xvi. Origin. cap. xvii. *Pecunia priùs de pecudibus & proprietatem habebat & nomen. De corio enim pecudum nummi incidebantur & signabantur.* Suidas in voce ἀσσάρια· Νουμᾶς, ὁ [illegible] βασιλεὺς μετὰ Ῥωμύλον Ῥωμαίων [illegible], ἀπὸ σιδήρου καὶ χαλκοῦ [illegible] (ἀσσάρια) [illegible] Ῥωμαίοις, τῶν πρὸ αὐτοῦ πάντων διὰ σκυτίνων καὶ ὀστρακίνων τὴν χρείαν πληρούντων, ἅπερ ὠνόμασεν ἀπὸ τοῦ ἰδίου ὀνόματος νούμμια, ὥς φησι Τραγκύλλιος. *Numas, alter à Romulo rex Romanorum, primus ex ferro & ære factam monetam Romanis donauit, cùm omnes ante eum coriis & testis ad eam rem vterentur. Eam à suo nomine vocauit NVMOS, quemadmodum ait Tranquillus.* Sanè scorteis nummis etiam ære inuento vsi Lacedæmonij, quemadmodum ex Nicolao περὶ ἐθῶν notat Stobæus collectaneorum cap. xlii. Sed & docet idem Seneca, lib. v. de Benef. cap xiv. *Æs alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium formâ publicâ percussum, quale apud Lacedæmonios fuit, quod vsum numeratæ pecuniæ præstat.* Tertia sententia illorum est, qui volunt à *pecu* esse *pecunius*, &c. ὁ traiecto, *pecunius*, cúmque *pecuniam* dicimus, subintelligi rem, eóque nomine primò vocari solere omnia patrisfamilias bona, quia tota penè in pecudibus consisterent. Hanc quorundam sententiam esse indicat Isidorus. lib.xvi. Orig. cap.xvii. Eandem Scaliger amplectitur ad Festum in *pecunia*, videtúrque & olim fuisse ipsius Varronis, lib.iv. de L. L. cùm scribit. *Pecunia à pecu, à pastoribus enim horum vocabulorum origo.* Et paullò pòst: *Pecus ab eo, quòd perpascat, à quo pecora vniuersa, quòd in pecore pecunia tum consistebat pastoribus.* Sanè *peculium* similiter dictum constat, quòd veterum bona in pecudibus consisterent. Plutarchus in Poplicola: Ἦν δὲ προβάτου τιμὴ δέκα ὀβολοί, βοὸς δὲ ἑκατόν. οὔπω χρωμένων νομίσματι πολλῷ τότε Ῥωμαίων, ἀλλὰ προβατείαις καὶ κτηνοτροφίαις εὐθηνούντων. διὸ καὶ τὰς οὐσίας ἄχρι νῦν ἀπὸ τῶν προβάτων πεκούλια καλοῦσι. *Ouis pretium erant decem oboli, bouis centum, quòd Romani nondum id temporis multum vterentur pecuniâ, sed re pecuariâ censerentur & æstimarentur. Idcirco etiamnum facultates suas à pecudibus peculium nominant.* Quartam quoque addamus nominis caussam. Nam nec à vero abludit, *pecuniam* à pastoribus dictam, quòd eam pro pecudibus reportarent. Gloss. vett. *Pecunia*, χρῆμα, ἀπὸ τῶν κτηνῶν. Ac possis eò referre illud Columellæ, præfat. lib.vi. *In rusticatione vel antiquissima est ratio pascendi, eadémque quæstuosissima: propter quod nomina quoque pecunia & peculij tracta videntur à pecore.*

PECVS putabat Varro dici à *pede*, eò quòd *pes* significet *consistendi fundamentum*, ac *pastorum copia in pecore consistat.* Ita enim scribit, iv. de L.L. *Pecus ab eo, quòd pascebant: à quo pecora vniuersa. Et quòd in pecore pecunia tum consistebat, pastoribus & standi fundamentum pes (à quo in ædificiis dicitur area pes magnus, & qui negotium instituit, pedem posuit) à pede pecudem appellarunt.* Quæ sanè ἐτυμολογία planè λεπτῶν λόγου καὶ Στωικοῦ. Omnino autem *pecus* dicitur, huc à πέκος, quod, Hesychio teste, notat τὸ ἔριον τῶν προβάτων, Latini *vellus* nominant: siue quia soleat πέκεσθαι, hoc est, κείρεσθαι, *tonderi*. Id enim notat πέκειν, cùm de ouibus dicitur, quemadmodum scribit Eustathius. A *pecus* est *pecudiarius*, qui pecudis instar præceps fertur. Gloss. Philox. *Pecudiarius*, προπαλής. Vide *Pecco*. Eiusdem originis *peculium*, & *peculatus*. De quibus seorsim.

PEDARE est à *pes*. Habet autem duplicem significationem, nam interdum notat *suffulcire*, & *quasi pede staminare*. Onomast. vet. *Impedo*, ὑποπόδω. Nempe ab ἔμπεδος, *firmus*. Sic vsus Columella, lib.v. *Cùm mensem xxx. excessit vinea, id est, tertio auctumno, vehementioribus statuminibus, statim impedanda est.* Ita emendat Budæus, annot. in Pand. In vulgatis est *impediendа*. Ab hac significatione est, quòd *pedata vites* opponuntur *subrectis*: quod *statumen*, siue *adminiculum vitium* dicitur *pedamen* seu *pedamentum*. Præterea autem *pedare* notat *ire*, vnde *pedatus* pro *accessu*, vt cùm dicimus *pedato*, vel potiùs *pedatu primo, secundo, tertio.* Gloss. vett. *Tertio pedatu*, τρίτῃ ἐφόδῳ, ἐκ τρίτου. Vide Nonium, Charisium, ac è recentioribus Leopardum, lib.vi. cap.xvi. & Turnebum, lib. xxiv. cap. xxxviii. & lib.xxviii. cap.i. Ab eodem est *pedatum*, spatium vbi consisti, vel aliquid poni possit. Sic legimus *pedatura militum, castrorum, murorum.* Ab eodem est *pedatim*, κατὰ πόδα. Quid sit *pedatim incedere*, clarè docet hic locus Plinij, lib. xi. cap. xliv. *Omnia animalia à dextris partibus incedunt, sinistris incubant. Reliqua, vt libitum est, gradiuntur. Leo tantùm & camelus pedatim, hoc est, vt sinister pes non transeat dextrum, sed subsequatur.* Multa etiam eius verbi composita habemus. Tale est *quadrupedare*: quo vsus Aldhelmus de laudibus virginitatis, cap.x. Et apud Plautum Captiuis legas. Actu iv. Sc.ii.

Quadrupedanti crucianti cantherio.

Et apud Maronem. viii. Æneidos:

Quadrupedante putrem sonitu quatit vngula campum.

Item *repedare*, pro *reuerti*. Nam ridiculè Bartolus interpretatur, *à capite incipere.* Vsurpat Paccuuius apud Festum. Lucilius apud Nonium. Vide vtrúque Grammaticum in *Repedare*. Lucillij

cilij locum emendat Iann. Guilielm. lib. II. Verisf. cap. IX. Inuenies etiam apud Leonem Imp. l. si quis ex grege. C. de cohort. lib. XII. *Aut si* inquit, *ad pristina sacramenta precum insistratione maluerit repedare.* Item apud Veterem interpretem II. Machab. III. *Et Onia gratias agens recepto exercitu repedabat ad regem.* Ab eodem est *talipedare.* Festus: *Talipedare antiqui dicebant pro vacillare pedibus lassitudine, quasi trahat pedes, vt talis videatur insistere, aut identidem tollere pedes.* Vett. Glossæ Calepino in Argentoratensi editione præfixæ, & Lugduni nuper recusæ: *Talipedo*, ... Leg. cum Bon. Vulcanio ... Qui *talipedarent*, attæ dicti, vt indicat Festus in *Atta.* Simile est *interpedare*, apud Iornandem cap. XV. de rebus Geticis: *Tum Imperator equo adacto in cursum calcaribus incitatum, multos orbes huc atque illuc vsque ad suam fatigationem varijs inflexibus interpedauit.*

Pedarii, & *pedanei*, tum senatores, tum iudices, dicebantur. *Pedarij senatores* vnde vocentur, triplex est sententia. Sunt qui ita dictos putant, qui non haberent ius nouæ dicendæ sententiæ, sed pedibus irent in alienam sententiam: atque id quoque sensit Festus. Altera sententia fuit Gabij Bassi, qui, Gellio teste, scriptum reliquit, ita eos vocatos, qui nondum gessissent curulem magistratum, idque quia pedibus irent in curiam, cùm, qui magistratum curulem gesserant, soliti sint curru vehi, super quo sella esset in quo considerent, vnde & *sella curulis* vocabatur. Tertia sententia est ipsius Agellij; qui, superioribus duabus reiectis, putat, equites eos, qui necdum à Censoribus in senatum lecti erant, eòque nec senatores dici poterant, si populi honoribus vsi essent, habuisse ius veniendi in senatum, dicendæque sententiæ; sed quia in postremis scripti erant, non rogatos fuisse sententias, sed qua principes dixerant, in eas discessisse. Vide Gellium, lib. III. cap. XVIII. Pro *pedarius* dixere etiam *pedaneus*: quamquam, vt minùs Latinum, reijcit Gellius. Similiter vocauere quosdam iudices pedaneos. Nempe, *qui ex delegatione caussas audiunt*, vt interpretatur Ammianus ad Paull. lib. V. sentent. tit. XXVIII. Solent autem hi de humilioribus solùm negotijs caussisque leuioribus cognoscere. A Theophilo Instit. de interdict. in princ. *pedaneus iudex* transfertur ...; vnde patet sic dictos, quòd iudicantes in imo loco considerent, vbi magistratus subsellia pedum habebant: vel quia pede plano iudicarent, non pro tribunali; vt censet Cuiacius in Nouell. LXXXII.

Pedetentim esse ex nomine & verbo, ait Diomedes lib. I. Nempe *pedetentim* signat, ita vti pedes tenduntur. Propriè igitur notat lento gradu, vnde Tullius, lib. II. Tuscul. Quæst. *Pedetentim, ac sedato nisu.* At ... accipitur pro *cautè*; prout interpretatur Donatus, in Phormionem Act. III. Sc. III. Sed is à *pede, & tentando*, dici censet: vti & Priscianus, lib. XV. Nec displicet. Ita de ijs propriè dicatur, qui priusquam pedem ponant, solum tentant, vt in tenebris aut meliùs solo, facere solemus. Videtúrque pro hoc etymo facere illud Catonis dictum dictarum de consulatu suo: *Eam ego viam pedetentim tentabam.* Citat Sosipater, lib. II.

Pediculus dicitur id, quod fructus sustinet, nempe quasi *paruus pes.* Sed & vermis genus *pediculus* vocatur. Nempe à *pes*, quod eiusdem notionis. Festus: *Pedibus obsitum, hoc est, pediculis. Titinnius pedicosum appellat hoc modo: Rus detrudetur pedicosus, squalidus. Pedes autem pro pediculis.* Sic Plautus refert in Curcul. (act. IV. II.)

Item genus est Lenonum inter homines meo quidem animo,
Vt muscæ, culices, cimicésque, pedésque pulicésque.

Et Liuius, *in gladiolo: pulicésne, an cimices. An pedes, responde mihi.* Et Lucillius: *vbi me vides, caput scabit, pedes legit.* Hactenus Festus. Sed de voce *pedicosus* planè assentio Scaligero qui Festum putat incidisse in vitiosos Titinnij codices, in quibus *pedicosus* pro *pedidosus* scriptum esset. Sanè Festi sententiæ reclamat metrum, quando, si à *pedibus* esset, prima in *pedicosus* corripi deberet. Fortasse tamen in alijs scriptoribus vox ea Festi tempore extabat: quod si placet, dicemus, *pedicosus* esse à *pede*, vt à *tenebræ tenebricosus*, vt *cosus* vbique sit vocis productio. Sanè cùm *pedicosus* ... à *pes* deduci possit, nil opus procurrere ad ..., quâ quidam ex *pediculosus* factum putant. In Glossis Philoxeni *pedicularius* legas, quod exponitur .... Vt à *pes* fit *pedarius*, ita à diminutiuo eius *pediculus*, *pedicularius*; ... verò sit *qui inter symphoniacos modum dat tono*: vnde & nomen: Fiebat enim hoc pedibus pulsando scabellum: vnde Lutatius in Statij VII. Thebaidos vers. CLXXI. *Bucca* interpretatur *scabellum, quod in sacris tibicines pede sonant* .... Atque hinc *scabellorum crepitus* apud Suetonium in Caligula legas. Ea scabella à *tono syntona* dixere, quia his darent modum voci. Vsus sic Fabius, lib. IX. cap. IV. *syntonorum modum saltitantes.* Indéque *syntonarius.* Qua de re plura Salmasius ad Vopiscum.

Pedo, vel *nomen* est, vel *verbum.* *Nomen* cum notat *cui pedes lati.* Glossæ Philoxeni: *Pedo*, ... Vt idem sic ac *plancus.* Hinc *Pedo* nomen Poëtæ, cuius meminere Martialis, in præfat lib. I. & Sidonius, Carm. IX. vers. CCLVII. *Pedo* verbum, vel primæ est, vel tertiæ. *Pedo* primæ, notat *fulcire*, vel *ire.* Suntque ab eo *pedatus*, *pedatum*, *repedare*, atque alia, de quibus in Pedare diximus. At *pedo* tertiæ, est per ... factum à .... Media conuersa in tenuem, quomodo à ... est *pateo*, à ..., *cuppa*, &c. Vel, quod magis placet, est *pedere* à ..., extritâ literâ caninâ. Quippe *pedere* est ..., ... autem est *visire*, vt ..., *peditus.* ..., *visium.* Est autem *peditus*, quod Petronius vocat *strepitum obscenum*; vt *visium*, cùm sonus non exauditur: quâ de re Scaliger ad illud Catulli:

Subtile ac leue peditum Libonis.

Et nos infra, in *Vesica.* *Crepare* pro ... dixit Martialis, lib. XII. epigr. LXXVIII.

Et pedit deciésque viciésque.
Et quamuis sibi cauerit crepando,
Compressis natibus Iouem salutat.

Et Epigrammate proximo:

Ante Iouis statuam crepuit satur histrio.

Hinc *crepitus ventris* dictus. Est autem tum *crepare*, tum ..., factum à claro soni crepitu, qui meliùs Græco ..., quàm Latino *peditus*, exprimitur. Belgæ Græcorum more interdum, de iumentis imprimis, dicunt *porten* pro .... Similitérque à *visire* dicunt *vysten*, quamquam hoc etiam ad *crepitum* extendant. Puto autem *visire* quoque esse, ..., eòque minutum illum sonum exprimi, qui absque crepitu fit. Vel dicamus, *visium* esse à ... eiecto δ. A *pedo* est *podex*, e in o conuerso, vt à ... Quamquam Petrus Nunnesius, in Grammatistice sua, putarit *podex* esse à Græco ..., quod idem notat: quo pacto & additione & detractione & immutatione sit opus. Quod interdum etsi fiat, tamen etymon præfero vbi minori mutatione opus. Nec tamen alijs præscribo.

Pegma, ..., à ..., id est, *figo, compingo*: vnde Appuleius, lib. IV. Milesf. eruditè reddidit *confixilem machinam*: ac in vett. Glöss. exponitur *confixum*: quo spectare Lipsio videtur iocus ille Lucillij apud Cic. lib. II. de orat. *Quid Decius Nucula? an confixum vis facere, inquit.* Fuere autem varia *pegmatum* genera. Quædam erant priuatarum ædium: vnde l. XII. §. specularia. D. de instr. vel instr. leg. vbi Vlpianus ait *in emptione domus specularia & pegmata, siue in ædificio sint posita, siue ad tempus detracta.* Turnebus, lib. VIII. cap. IX. censet hîc signari *antepagmenta*, quæ sunt valuarum ornamenta affixa antis. Meminit quoque *pegmatum* Cic. lib. IV. ad Att. epist. VIII. *Nihil venustius, quam illa tua pegmata, postquam misisti libros illustrarunt valdè.* Quo loco intelligit Lipsius loculamenta pluteósque librarios. Sed imprimis *pegmatum* vox dici solet de *pegmatis theatricis.* Erant ea grandes & ingeniosæ machinæ è varijs tabulis & sublicis compactæ, per se occultè surgentes, ac rursum subsidentes: de quibus Seneca, epist. LXXXIX. Huiusmodi *pegmatum* vsum ex antiquis scriptoribus eruditè exponit Lipsius, lib. de Amphith. cap. XXII. De *parapegmate* seorsim diximus.

Pelagus, ...; notat propriè *maris profunditatem*; vnde Matth. cap. XVIII. ..., id est, ..., *in profundo*, siue *profunditate maris.* Poëtæ *altum* appellant. Hæc vocis proprietas fecit, vt putarent ... dici quasi ..., id est, *procul à terrâ.* Isidorus, lib. XIII. cap. XVI deducit à ..., id est, *latum.* Alijs placuit ... dici quasi ..., id est, *propè* ..., id est, *terra*: quia circumlabitur orbem: aut quia ..., quo de etymo Cæsar Scaliger lib. IV. de causf. L. L. cap. XCVIII. Sed si ... Græcam habet originem, fuerit à ..., quod est, ..., *accedere, appropinquare.* Ita propriè sit, quod Latinis dicitur *accessio maris*, item à *veniendo, Venilia.* Sed potiùs puto, ortum esse Hebræum, siue sit à פלג, id est, *diuidere*, siue פלגה, id est, *diuisio*, quia *pelago terræ regionésque diuiduntur*: siue à פלגים, id est, *riui*, vt commune primùm fuerit id nomen fluuiorum ac maris. Sanè & Hom. Iliad. T. *Oceanum* ..., vocat, hoc versu:

...

Item Odyss. ...

...
...
...

Et Odyss. λ. sub finem:

...

Et Odyss. μ.

Αὐτὰρ

Αὐτοῖς ἐκεῖ πωμαρίοις λίθοις ἔβη ὠκεανοῦ
Νεύς.——

Pelasgorum idem ac *pelagi* etymon esse volunt. Nam vt πέλαργος, ita πελαργοὺς quoque à πέλας & ἄγειν dictos volunt. Alij vt πέλαγος, sic & πελασγοὺς deducunt ab Hebræo פלג, id est, *diuidere*, quia *Pelasgi* essent *gens dispersa, atque ab alijs auulsa.* Eadémque res compellit alios vt πελαργοὺς dictos velint, quasi πελαργοὺς, quia *ciconiarum more sint vagati.* A πέλαγος est πελάγιος, quomodo vocatur quod in alto est, longéque à litore distat. Vnde *pelagia* genus *purpuræ in alto demersa.* Plinius, lib. IX. cap. XXXVII. laxè nimis ait, *Purpuræ nomine alio pelagiæ vocantur.* Rectiùs cap. XXXV. dixerat, *pelagia altius mersa, quàm vt penetrent radij.* Nempe *purpuræ* aliæ *pelagiæ*, aliæ *litorales.* *Pelagiæ* succus seu medicamentum dicebatur *pelagium.* Id nigricans erat, eóque difficulter eluebatur. Vide de eius natura ac pretio, cap. XXXVIII. & XL. eiusdem libri.

PELAMYS, πηλαμύς. Hesychius: Πηλαμὺς, γένος τι ἰχθύος ἐν πόντῳ. Festus: *Pelamys, genus piscis; dictum, quòd in luto moretur, quod Græcè dicitur πηλός.* Plinius, lib. IX. cap. XV. *Cordula appellatur partus, qui fœtas redeuntes in mare autumno comitatur. Limosæ verò à luto pelamydes incipiunt vocari, &, cùm annuum excessere tempus, thynni.* Meminit non semel Athenæus.

PELLICANVS, vel potiùs *pelecanus*, Græcè πελεκᾶν & πελεκᾶς. Aliter autem hac voce vsus Aristoteles, aliter Aristophanes. Aristotelés enim sic vocat auem quæ Plinio *platea*, Ciceroni lib. II. de nat. Deorum, *platalea* nominatur. Confer ea quæ Aristoteles scribit, lib. VIII. Hist. cap. XII. & lib. IX. cap. X. cum ijs quæ Plinius tradit, lib. X. cap. XL. Belgis vocatur *Lepelaer*, à *rostri figura quæ cochlear refert*, quod Belgis *lepel* dicitur. Estque ab eiusdem *rostri latitudine* nomen *platea* & *platalea*, nempe à Græco πλατύς, id est, *latus.* At Aristophani πελεκᾶν est *picus Martius*, cui id nomen à πελεκάω, hoc est, *seco, dolo*: hoc à πέλεκυς, id est, *securis*; id ab Hebræo פלג, id est, *diuidere, separare.* Sanè πελεκᾶνα dici ἀπὸ τοῦ πελεκᾶν τὰ ξύλα, quòd *instar securis cædat arbores*: id non modò Aristophanis scholiastes tradit, sed & hic poëtæ ipsius locus Auibus confirmat:

> ——ἦς δὲ τέκτονες
> Σοφώτατοι πελεκᾶντες, οἳ τοῖς ῥύγχεσιν
> Ἀπεπελέκησαν τὰς πύλας· ἦν δ' ὁ κτύπος
> Αὐτῶν πελεκώντων (leg. πελεκώντων) ὥσπερ ἐν ναυπηγίῳ.
> ——Aues erant fabri
> *Sapientissimi pici, qui rostris*
> *Dolauerunt portas: erat verò strepitus,*
> *Dolantibus ipsis, velut cùm nauis frangitur.*

Idem etymon probant Hesychij & Suidæ verba. Ille ait, Πελεκᾶν, ὄρνεον τὸ κολάπτον καὶ τετραῖνον τὰ δένδρα; hoc est, *auis excauans & perforans arbores.* hic verò definit εἶδος ὀρνέου τετραίνοντος τὰ δένδρα, ἀφ' οὗ καὶ δενδροκολάπτης καλεῖται; *genus auis perforans arbores, vnde & arboricanus appellatur.* Eâpse de caussâ dicitur & ξυλοκόπος, *lignisecus*, item δρυοκολάπτης, & δρυοκόπος, *roboricauus*, & *roborisecus.* In Carinthia similiter vocatur *Baumbether*, quasi *arborum cæsor.* Vnde verò auis hæc Latinis dicatur *Picus*, discere est ex Festo, qui sic vocari ait, à Pico Aboriginum rege: quicum consentit Isidorus. lib. XII. Orig. cap. VII. *Picus*, inquit, *à Pico Saturni filio nomen sumsit, eò quod eo in auspicijs vtebantur.* Sed si Græcis vocatur δενδροκολάπτης, verisimile quoque sit, *picum* à Latinis dici à πέκω, hoc est, ξαίνω, κολάπτω; nempe quia *arbores tundat atque excauet.* Martij verò cognomentum ex eo accepit, quòd Marti sacer esset. Sunt quibus placet, *picum* dici quasi *beccum*, à nostro *bek* id est, *rostrum.* Sed cur non potiùs à nostro *picken*, quod est, *rostro tundere*? Id enim magis conuenit cum δενδροκολάπτης, & similibus Græcorum appellationibus. Germanis vocatur *Specht*, vt Belgis *Specht*, Anglis *Aispecht.* Ac videtur Germanicum illud esse à Græco σπίλαιτος, quomodo *picum* à Græcis vocari Hesychius indicat, cùm scribit σπίλαιτος, πελεκᾶν.

PELLEX esse à παλλακή, siue παλλακίς, non Agellij modò sententia fuit, lib. IV. cap. III. sed & Caij, tit. de verb. signif. Sed Iano Guilielmio visum id tam manifestò falsum, vt Grammaticos prudentes scientes hac in re falsos scripserit, lib. I. Plautin. Quæst. cap. III. Quid eum mouerit, non video: nisi fortè, quòd *pellex* eius sit qui habeat vxorem; παλλακὴ verò *cælibis.* Sed quis nescit, cùm voces ex vna lingua in aliam transfunduntur, quemadmodum in vinis fit, ita & hæc quoque nonnihil abire à priori naturâ? Quare mihi quidem dubium non sit, quin *pellex* sit à παλλακίς, extrito ι, & conuerso α in E, quomodo à τάλαντον est *talentum*, à καμάρα, *camera*; ab ἄντα, *ante*, &c. παλλακὶς autem est ab Hebræo פילגש, quod idem significat. E in A abit, quomodo & ἀρραβὼν ab ערבון; item *pallakis*[?] à Punico פלס. Et hæc quidem vera opinio. Interim nec absurdè errant, qui *pellicem* à *pellendo* deducunt, quod *iustam vxorem thoro pellat*: vnde Iuno apud Senecam initio Herculis Fur. ait:

> *Locúmque cælo pulsa pellicibus dedi.*

Quemadmodum nec absurdè hallucinantur illi, qui *pellicem* ex eo dictam volunt, quia *alienos ad se pelliciat viros*: vt nempe à *pelliciendo* sit *pellex*, quemadmodum ab *illiciendo, illex*, nisi *illix* potiùs scribendum putes, de quo suo loco diximus. Sed, quæcunque harum originationum adlubescat, cùm & παλλακὶς & *pellere* & *pellicere* L geminent, *pellex* quoque gemino L scribendum paret: quanquam in vett. libris secus legi, scripserit Lud. Carrio castigat. in Valer. Flaccum.

PELLIS à *pellendo* dicitur, si Isidorum, lib. XI. cap. I. atque item Perottum audimus, qui sic vocari censent, *quòd externas iniurias tegendo repellat.* Sed hæc sanè putida. Num ergo dicemus esse à פלא, hoc est *latere, contegi*: vnde etiam *palla* ac *pallij* nomen originem trahit. An potiùs ab Æolico φόλλις pro θύλακος, hoc est, θυλάκιον *folliculus, sacculus.* Æoles enim θ conuertunt in φ, vt θὴρ, φὴρ, vnde *fera*; θωμεῖν, φωμεῖν, *fumus.* An à φολὶς conuersâ adspiratâ in tenuem; quomodo à φέρω siue φορέω est *porto*; à πορφύρα, *purpura*, &c. Quod etymon magis placeret, nisi propriè φολὶς diceretur de *pelle serpentum*, vel potiùs *squamis* eius: vnde φολίδες dictæ *aspritudines cutis, quales scabiosorum*; & φολιδώδεις, *qui istiusmodi aspritudine, laborarent.* Erotianus: Φολιδώδη, τὰ φοξώδη (leg. φολιδώδη) καὶ λεπρώδη; οἱ γὰρ παλαιοὶ φολίδας ἐκάλουν τὰς ψωρώδεις τραχύτητας. Quare non video, vnde potiùs *pellis* deducatur, quàm à φλοιὸς, quomodo vt est apud Hesychium, vocatur φλοιὸς δένδρου, *cortex arboris*; vnde & *inter* arbor φλοιὸς vocatur, quia *tota similis est cortici.* Ita *pellis* dicatur, quia quasi φλοιὸς siue *cortex est hominis.* Nisi φολὶς veteri linguâ *pellem* notarit. Atque indè *arboribus* sit accommodatum. A *pellis* est *pellicula*, vnde verbum *pelliculare*, quod Glossæ Philoxeni exponunt δερματώσαι. Ab eodem quoque est *pellio* vt à *restis*, *restio.* Glossæ Philoxeni: *Pellio*, Δερματουργὸς, δερματοπώλης. In ijsdem legas *pellarius*, πιλορράφος. Vbi πιλορράφος idem quod δερματοῤῥάφος, à πίλος, hoc est, *pellis*, & ῥάπτειν, hoc est, *suere.* Hesychius, ῥεφθαπίλλιον, μύρον, πίλος. Ac imperitus aliquis hoc argumento impulsus putet *pellis* esse à πίλος. Sed est ea vox sequioris seculi Latinissantis. Proinde & πιλορράφος barbarum est. Fuit & *Pellio* familiæ nomen; sed posteriores pro eo *Pollio* dixere: quomodo pro *hemo* dixere *homo*; pro *benus*, *bonus*, &c. *Pellio* autem veteres dixisse pro *Pollio*, docet illud Plauti, Bacch. Act. II. Sc. *Mirum est, me*:

> CHR. *Non herus, sed actor mihi cor odio sauciat.*
> *Etiam Epidicum, quam ego fabulam æquè ac meipsum amo,*
> *Nullam æquè inuitus specto, si eam agit Pellio.*

Nam intelligit P. *Pollionem* comœdum minorum partium: quod hic Symmachi locus indicat, lib. X. Epist. II. *Magnis in negotijs, itidem vt magnis comœdijs, ede. vmaci apponuntur actores. Non idem bono in pronunciandis fabulis P. Pollioni qui Ambiuio fuit: neque par Æsopo & Roscio fama processit.* Plauti & Symmachi locus aliter concipitur in vulgatis: sed secutus sum emendationem eruditissimi Hieronymi Groslotij in epistola nuper edita à Goldasto. Porrò ex ijs, quæ diximus, paret falli doctissimum Ioachimum Camerarium, cùm ad Ecl. IV. scribit opinari se, *Pollio* esse nomen potestatem significans, vt sic à *pollere*, hoc est, *posse.*

PELLO videtur olim pro diuersâ notione fuisse vel primæ, vel tertiæ. Primæ fuit, cùm notaret *loqui*, aut simile quid; vnde *appellare, compellare, interpellare.* Videtúrque Becmano esse ab Hebræo פלל, hoc est, *appellauit, conciliauit.* At à *pello* tertiæ sunt *repello, depello, dispello*, & similia. Estque *pello* hac significatione à πάλλω, *vibro, commoueo quatio*, vel potiùs ab ἀπελλῶ, *arceo, pello*; α initio ablatum vt ab ἀμέλγω, *mulgeo.* Vel sit *pello* à βάλλω, *projicio*: vt media in tenuem mutetur. Etiam A mutatum in E, quomodo à τάλαντον est *talentum*, *camera* à καμάρα, &c. A *pellendo* quoque dicta dea *Pellonia.* Arnobius, lib. IV.

> *Pellendorum hostium Dea potens Pellonia est.*

Idem Augustinus scribit, lib. IV. de Ciuitate Dei, nisi quod is *depellendorum* scribat. At rectiùs Arnobius *pellendorum.* Nam multùm inter hæc interest. A supino *pulsum* est *pulso*, pro quo veteres *pulto*, S in T abeunte; quomodo Ennius dixit, *Adgretus fari.* Onomasticon: *Pulso, pulto*, ὠθῶ, κρούω. A *pulso* est *pulsabulum*, id quo *pulsatur.* Vtitur in Floridis Appuleius.

PELORIS (inter *conchylia* est) à Græcis accepimus, vt & *ostrea* & *echinus*, quemadmodum scribit Varro in IV. de L.L. Nomen autem πελωρὶς, non à πέλωρος, id est, *immanis* siue

vasta magnitudinis; quæ Athenæi sententia est : sed à *promontorio Siciliæ*, quod πέλωρον vocatur.

Pelta, πέλτη; scutum Amazonicum, vt, Nonius ait: ἀσπίδιον τετράγωνον facit Suidas. *Amazonica* tamen *pelta* figura alia. *Hederæ folio* similem fuisse scribit Xenophon. Plinius *folio Indicæ ficus*. Virgilius eam vocat *lunatam*, quo significat, figuram habuisse *lunæ semiplenæ*. Hinc Isidorus, lib. XVIII. cap. XII. *Pelta scutum breuissimum in modum lunæ mediæ*. Quod ad ἔτυμον, Becmanus deducit ab Hebræo פלרות, id interpretatus *scuta breuia in modum Lunæ* : Sed Hebræa vox *tædas* notat. Fortasse igitur rectiùs deriues à פלגא, hoc est, *dimidium*, quia *dimidiam referret lunam*. Nisi malis à פלט, quod est *liberare* : *præstare, vt quis euadat*.

Pelvis, vt Fuluius Vrsinus scripsit, appendice de Triclinio, & Petrus Nunnesius in Grammatistice, ac Septimius Florens in ἀγῶνι Aristophanis, & ante hos Iosephus Scaliger, in Coniectaneis, ac ante hunc Lazarus Baifius, libro de vasculis, venit à πέλος, quomodo, vt Pollux monet, οἱ Tragici vocant τὸν λεκάνην; οἱ δὲ Αἰολεῖς, inquit, πέλυκα μᾶλλον τὴν ξυλίνην λέγουσι. Insertum in Latino *v* consonum, vti ab ὕλη est *sylua*; à λεῖος, *leuis*; à *parum*, *paruus*. Alterum quoque etymon est, satis argutum. Nam cùm *pelluuia* dicamus, quasi *pedeluia*, seu *pedeluuia*; item *malluuia*, quasi *manuluia*, seu *manuluuia* : videtur sanè & *peluis*, quæ Græcis ποδονιπτήρ, à *pedibus lauandis* nomen accepisse. Sensit id Varro, lib. IV. de L.L. *Peluis*, inquit, *à pedum lauatione, vt pedeluis*. Vbi respicit Veterum morem, qui non *manus* solùm, (vnde *malluuiis* nomen) sed & *pedes* ante ac post cœnam lauabant. Itaque Homerus scribit, Vlyssem ab Euryclia agnitum in pedum ante cœnam lotione. Ac Plutarchus in Pompeio refert, Fauonium Pompeio non in cœna tantùm ministrasse, sed etiam lotione : μέχρι ποδῶν, inquit, νίψεως, καὶ δείπνου παρασκευῆς. Tertiam quoque originationem inuenio apud Velium Longum, de Orthographiâ. *A perluendo*, inquit, *perluis*, *& apud antiquos trisyllabum pelluis, quæ nunc in synæresi peluis dicitur*. Nec aliter Nonius, vt hæc eius verba indicant : *Peluis, sinus aquarius, in quo varia perluuntur, vnde ei nomen est*.

Pendeo, propriè est *suspensum esse*; ac iuxta Perottum, tractum est à *pennis auium*. Vt illo :

——Pennis pendere putantes.

Pendebant pennis.——

At Scaliger, lib. VI. de R. P. cap. IV. à *pondere* deducit, quia *pondere* res deorsum vergit. Sanè id magis placet. Nempe vt *pendeo* sit à *pondus*, *pondus* à *pendo*. Nisi magis placet, *pendo* esse à *pendeo* : de quo mox dicam. A *pendeo* est *pendulus*. Gloss. *Pendulus*, μετέωρος. At μετέωρος, ὁ κρεμάμενος, *suspensus*. *Pendigo*, quod dependet. Vsi Arnobius, lib. VI. & Vegetius, lib. II. cap. XLIV. *Appendix*, quia appenditur. Pro quo & *ampedix* dixere, à *pedo* pro *pendo*. Festus : *Ampedices dicebantur ab antiquis, quod circum penderent, quos nunc appendices appellamus*. Nisi & *ampendices* hic legendum. Est enim in compluribus MSS^tis^.

Pendo sit à ἀναρτῶ, iuxta Nunnesium in Grammatistice. Sed *pendere* non est ἀναρτᾶν, siue *insumere*, nisi μεταφορικῶς. At propriè *pendit*, qui facit vt quid pendeat. Atque hanc significationem indicat vox *suspendit*. Nisi magis placet, *suspendo* dici propriè de *libra*, vt *suspendere* sit *in libra* κρεμᾶν. Ita *pendo* propriè sit *pondero*. Nec tamen venit à *pondus*, sed *pondus* à *pendo*, *e* in *o* abeunte : vt pro *benus*, *hemo*, *Apello*, nunc dicimus *bonus*, *homo*, *Apollo*. A *pendo* quoque est *pensus*, quod propriè valet *ponderatus*, vnde *pensum*, de quo seorsum : κατὰ μεταφορὰν autem valet *expensum*, siue *cogitatum* Onomasticon : *Pensus*, ἐξετασθείς. Quia autem quæ magni sunt ponderis, etiam maioris sunt sumptus, hinc *pensus* in Glossis (quamquam corruptè ibi *pensius* legas) exponitur ἀναγκαῖος. Indéque apud Plautum, Sticho. act. I. sc. II.

Vtra sit conditio pensior, virginem, an viduam habere,

hoc est, maioris pretij, melióque Quod maius grauiúsque est, id in lance propendet. Quò respicit Plautus, Bacchid. act. III. sc. IV.

Sed antequam illa vnquam meis opulentiis
Ramenta fiat grauior aut propensior
Mori me malim.——

Item Cicero in Paradoxis : *Caussa igitur hæc non natura distinguit. Quæ quando alteri accessit, id fit propensius : si vtrique adiuncta sit, paria fiant necesse est*. Hinc legas *propensa munera*, *propensior voluntas*, vel *cura*, id est, magna : *propensiùs irrigare*, hoc est, magis irrigare, & similia. Ab eadem origine sunt *compendium*, *dispendium*, *interpendium*. *Compendium* propriè est, cùm addendo aliquid æquales reddamus lances, ne quid nobis discedat. Gloss. Phil. *compendium*, ὄφελος. Actus ipse dicitur *compensatio*. Glossæ : *compensatio*, συμψηφισμὸς ἀντιπαροχῆς. *Dispendium* est, si ponderi aliquid detrahatur cum damno nostro. *Interpendium* est, cùm lanx vna non magis propendet alterâ. Gloss. *Interpendium*, παρέμβολον. Sunt & huius originis *impensa*, *stipendium*, *libripens*, *dispensare*, *expensa*, aliaque. Sed de *impensæ* voce seorsim satis diximus : vti & de *stipendio*. Item de *libripende* in *Libra*. De consuetudine veterum *pendendi*, hoc est, *ponderandi pecunias*, sic scribit Plinius, lib XXX. cap. III. *Populus Romanus ne argento quidem signato ante Pyrrhum regem deuictum vsus est. Libralis, vnde etiam nunc libella dicitur, & dipondius appendebatur assis. Quare æris grauis pœna dicta. Et adhuc expensa in rationibus dicuntur, item impendia, & dependere. Quin & militum stipendiorum, hoc est, stipis ponderanda pensatores, libripendes dicuntur, quâ consuetudine in his emptionibus, quæ mancipij sunt, etiam nunc libra interponitur. Seruius rex primus signauit æs*, &c. Vetus Scholiastes ad illud Persij, sat. II.

——Saturniáque impulit æra.

Fuit, inquit, *assis liberalis, & dipondius, quod hodie in vsu remansit, & solebat pensari potiùs quam numerari : vnde & dispensatores dicti prorogatores*. Pleraque verba à *pendo* etiam ad animum transferuntur, quomodo rem dicimus *expendere*, *perpendere*, *pensiculare* : quod postremum eâ ratione venit à supino *pensum*, quâ à *missum* est *missiculare*, à *fissum* *fissiculare*.

Pene à πέλας, *prope*, λ in *N* transeunte, vel à פני, *facies*, quòd quæ ante oculos sint, propinqua sint, ac *penè* tangantur.

Penes & *apud* quomodo differant, ostendit Festus in *Apud*. Vbi & legas, *penes* à *penitus* trahi. At mihi verisimilius sit, *penitus* contra esse à *penes*. Nec magis placet, quod vult Iouianus Pontanus, *penes* venire à *penis*, hoc est, *cauda*. Sic enim scribit in Actio, fol. CXL. edit. Ald. *Nam penes, id est, in manu, atque in potestate fuis olim, quod quidem ipse inuenerim, penest, accommodatum rudibus ab hominibus ex asinorum & iumentorum caudis, aut manu prehensis, vnde fuit manucapio, aut capistro colligatis inuicem. Mos est enim alterum iumentum alterius caudæ illigare, ne digrediendi illis sit potestas : post verò detracta litera* T, *mansit penes*. Hæc Pontanus. Sed placet Becmani sententia, qui deducit ab Hebræo פנים, id est, *penes*, ἔσω, siue *interiori loco*. Nam quod *penes* te siue in potestate tua est, id externum dici nequit, sed quasi intus est firmitérque tenetur : vnde & Vlpianus in L. *Penes*, ff. de Verborum & rerum signif. *Penes te*, inquit, amplius est, quàm *apud te*; nam *apud te* est quod qualiter qualiter à te tenetur : *Penes te* est, quod quodammodo à te possidetur.

Penis, si propriè τὸ αἰδοῖον notaret, videri possit esse à πέος, inserto *N*, vt à σπέος, *specus*. Sed non ita est. Propriè enim est *cauda*, vnde *penis bubulus* apud Næuium, & *offa penita* apud eundem, & Plautum, Mil. Gl. Act III. sc. I. itémque Arnobium, lib. VII. Dicitur autem *penis* à *pendendo*, vt scribit Festus. Nempe, quia de animali dependet, ac velut appendix quædam est. Ὑποκοριστικῶς, ab eo dicitur *peniculus*, & alterâ diminutione *penicillus*. Μεταφορικῶς autem tum *penis*, tum *peniculus*, notat *caudam salacem*. Itaque apud Plautum ambiguitate vocabuli ludit nequam seruus. Rogante enim coquo, vbi parasitus foret nomine *Peniculus* (id homini inditum nomen erat, quòd caudæ instar detergeret mensas) respondet scurriliter, *eccum hunc in vidulo salunum gero*. Nam *vidulum* vocat *subligar scorteum*, *in quo ea corporis pars contecta erat*. Cicero, lib. IX. epist. XXII. ad Papirium Pætum : *Caudam antiqui penem vocabant. Ex quo est propter similitudinem peniculus. At hodie est in obscenis. Hodie*, inquit, quia antiquitùs in obscenis non erat. Vnde Calphurnius Piso, cognomento Frugi, in Annalibus suis conqueritur, adolescentes *peni deditos* esse. Nec refugit antiquitatis sectator Sallustius. Vnde Augustinus, in Dialecticorum principijs, cap. VII : *Non offenditur aurium castitas, cum* (apud Sallustium) *audit*; Manu, ventre, pene, bona patria lacerauerat. *Offenderetur autem, si obscena pars corporis sordido ac vulgari nomine appellaretur*. Etiam Cæsar Augustus Horatium inter alios iocos *purissimum penem & lepidissimum homuncionem* appellabat : vt in vita eius poëtæ scribit siue Tranquillus, siue alius. A *peniculus* est verbum *peniculare*; quo, si sana est lectio vulgata, vtitur Arnobius, lib. V. Verùm Scaliger pro *peniculantem decurtamenta* legit *penecula decurtantem*. *Peniculamentum* notat lacinias vestium fractas. Vsi Ennius, Lucillius, Cæcilius. Vide de his Nonium in *Peniculamentum*, Festum in *Penem* & *Penitam*, Scaligerum ad Festum, itémque comment. in Moretum.

Penna priùs fuit *pesna*; vt *cæna*, *cæsna* quemadmodum tradit Festus. Idem ait *penna* factum ex Græco πτηνὰ; quod verum est. Nam è πετεινὸς κατὰ συγκοπὴν fit πτηνὸς, vnde Æolicum

πλῦνε, & eliso τ, πίνος; vnde *penna* τῶν πτερῶν propria Nunnesius existimat *penna* esse ex πτερόν; mihi prius magis placet. quod & Nunnesius ipse alibi sequitur. At fallitur Isidorus, qui à *pendendo* deducit, cùm lib. VI. cap. XII. tum lib. XII. cap. VII vbi sic scribit: *Penna à pendendo, id est, a volando dicta, vnde & pendere: volucres enim pennarum auxilio mouentur, quando se aeri mandant.* Nec verius, quod idem vult, lib. XIX. cap. XIX. *pennas auium* dici quasi *acutas* ab antiquo *pennum*, id est, *acutum*: vnde & *bipennis*, esse ait quia *vtrimque habeat aciem acutam.* Μεταφορικῶς *pennæ* etiam tribuuntur *plantis*: vt *arbori* apud Plinium, lib. XVI. cap XIII. de *fraxino*: *Procera hæc*, inquit, *ac teres, pennata & ipsa folio.* Vbi *fraxini folium pennatum* esse ait, quemodo Theophrastus, lib. III. hist. cap. X. scripserat, *abietis folium πτερυγῶδες ἔχειν.* Etiam *spicis* antiqui assignarunt. Festus: *Pennatas impennatas, que agnas, in Saliari carmine spicas significat cum aristis; & alias sine aristis agnas nouas volunt intelligi.* Vbi quod *spicæ* genus *agnas* ait vocatas, id Græcorum factum imitatione, qui similiter ἄρνας dixere *minores spicas*: quemadmodum dicit Theophrastus, lib. VIII. hist. cap. VII. vbi & Th. Gaza similiter *agnas* vertit.

PENSVM μεταφορικῶς quidem notat *officij cuiusque perfunctionem*: at propriè in *lanificio mulierum* locum habet. Isidorus, lib. XIX. cap. XXIX. *Pensum mulierum à pendendo dictum, vnde pensum & in censa netum.* Multi præeunte Budæo, arbitrantur propriè signare *manipulum lanæ vel lini aut cannabis è colo pendentem*, indéque nomen esse. Verùm non est ex eo nomen quia *de colo*, verum quia *appenditur mulieri, vt neat.* Atque hoc indicant etiam Glossa Cyrilli in quibus, Σταθμὸς τὸ διδόμενον ταῖς γυναιξὶ, *pensum, pensa*, Σταθμίζω, *ponderatura, ponuw, pensatio, pensum.* Ergo *pensum* valet *appensum, pondeратum.* Hinc *pensa trahere* hoc est, *nere.*

PENVRIA a *pene*, iuxta Festum: *Penuria*, inquit, *est id, quod penè minus est, quam necesse est.* Nisi pro *pene* legendum *penu*, vel *penis*. Sanè non longè abeunt quibus *penuria* dici videatur, quasi *penus inopia*. Quod apud Perottum legas Malim ego deducere à πένης, *pauper*; siue à πενία, hoc est, *paupertas*. Quod & facit Angelus Decembrius, lib. III de Politia literaria, parte XXVII. Nisi, quia prior syllaba est longa, malis deriuare à πεῖνα, hoc est *fames*; siue πεινάω, hoc est *esurio*. Quodcumque ex istis etymis sequaris, *penuria* nudâ vocali, non diphthongo scribi debet. Aldus tamen Manutius testatur per Æ scribi in vett. libb. Addit, analogiâ hanc scripturam confirmari, quia dicatur quod *penè vrat*. Sed hoc etymon penè ineptum. Si per diphthongum scribi debet, non aliunde meliùs deduxeris, quàm à παῦρος hoc est, *raritas, inopia, pænuria.* Quæ sententia Nunnesio placuit.

PENVS, Festo teste, *dicuntur res necessaria, ad victum cottidianum.* In Glossis vett. itidem exponitur τὰ πρὸς τὸν βίον ἐπιτήδεια. Alteram quoque significationem docet Festus: *Penus*, inquit, *vocatur, locus intimus in æde Vestæ, tegetibus septus.* Atque hinc colligimus, nec propriam esse, sed primò signare, id quod *penaria* nominat Festus in *penora*. hoc est, locum domus interiorem, in quem reconduntur. quæ ad victum pertinent. Etymon quoque id confirmat. Est enim eiusdem originis ac *penes*, nempe ab Hebræo פנים, seu לפנים, quod est *intus, intimum, in introitu*. Nonius aliter: *Penum* inquit, *penus, vel penora* (*sic enim à plur bus declinatum est*) *proprietatem dotis veteres nancisse voluerunt, quòd, quæ in ea sunt, quasi penitus & in penetralibus recondantur. Hoc in philosophorum libris & tractatibus inuenitur.* Sed falsi isti, ad quos prouocat Nonius. Nam à *penu* contrà est *penitus* & *penetral*. Si quidem a *penus* est *penitus*, vt à *cælum, cælitus*; à *radice, radicitus*, &c. Est & nomen ac *intimum* significat, vt apud Plautum, Asinar. *penitis faucibus*; & Pera. *Auita penitissima*, & Cistellaria, *pectore penitissimo*. Ac apud Catullum, Epithalamio Iuliæ:

Flammà sed penitâ magis.

Quamquam Robortellius, annotationibus in eum locum, hic *penitè* legendum putet more antiquo: Caue autem confundas *penitus* prioribus conceptis de quo nunc sermo, cum *penitus* prioribus porrectis. quòd a *penis*, hoc est, *coda*: vnde *offa penita* quomodo *offam porcinam cum coda* vocari, auctor est Festus. Meminit Plautus, Milite; item Arnobius, lib. VII. *Quid offa, penita, vt, non vulgi: sed quid sit est nomen appellatioque penita?* Aliud egit Godscalcus Steevvechius, cùm ad Arnobium, pag CCCI scribit, *penitè, penitus penitissimè*, quibus vsus Arnobius, venire à *penitus*, penultimâ *productâ* Nam *correptâ* voluit dicere. vt sexcenta euincunt poëtarum loca. A *penitus* penultima correpta est *penetro*: vnde *penetrabilis* & *penetrare*, vt quod fit in *penitis ædibus*, adeò vt opus sit *penetrare*, hoc est vt Festus interpretatur, *penitus intrare*. Fallitur Agrætius, cum ἀρχαϊσμός, hic somniat. Sic enim scribit: *Dicimus adytum, & penitum, & penetrale, eò quòd adiri, & penetrari rarò solent.* Sanè *adytum* potiùs sit *impenetrale* quia non penetretur. Festus: *Impenetrale, cuius vltimum penetrale intrare non licet.* A *penus* quoque dicti dij *Penates*, vt testatur Cicero. II. de naturâ Deorum. Nempe quia coluntur in *penetralibus*, hoc est, *penitis ædibus*: vt Isidorus ait extremo lib. VIII. Atque idcirco Festus *penetralia* dicit esse *Deorum penatium sacraria*. Qui *penates* dici putant. quasi *penes nos natos*, aut *quorum beneficio penitus viuamus & alamus*; vt ἐτυμολογεῖ Macrobius, lib. III. cap. IV. analogiâ ipsâ refelluntur. Nam vt a *magnus* est *magnas*, vnde *magnates*; à *summus*, *summas*, vnde *summates*; ab *optimus*, *optimas*, à quo *optimates*: sic à *penus* est *penas*, vnde *Penates*. *Penas* olim fuisse in vsu cognoscimus ex eo, quòd Dionysius Halicarnassæus, lib. I. scribat se in peruetusta æde sub Velia conspexisse Deorum *Penatium* signa, cum inscriptione ΔΕΝΑΣ; quod ipse fatetur esse *PENAS*: vnde Iosephus Scaliger in digressione de literis Ionicis ad ad Eusebij annum: ∞ DC XVII. colligitur Π quondam habuisse figuram, quæ proximè ad *Delta* accederet. Porrò qui sint dij *penates*, non satis conuenit, cùm alij putent esse *Neptunum*, & *Apollinem*; alij *Iouem, Iunonem* & *Mineruam*; alij *Cælum*, & *Terram*: Hetrusci verò, quemadmodum tradit Arnobius, lib. III. Deos *Consentes*, siue *complices*, quorum & numerum, & nomina, ignota esse docent. Et hæc ratio videri possit, cur Romanorum *penates* (quos eosdem esse, ac *Samothracas*, Cassius Hemina scripsit teste Macrobio. lib. III. cap. IV.) dicantur *Samothraces*. Nam (quod obiter in elogio Hebrææ linguæ, fusiùsque ad Tertullianum de spectaculis. cap. VIII. scripsit socer meus, Fr. Iunius) dicuntur *Samothraces* pro *Samthraces*, ab Hebræo סתר, id est, *occultare*, vnde & *Saturnus* nomen accepit, vt ostendimus in *Saturnalia*. M insertum, vt in *simpuuium, sindon, ambubaia*, & aliis; de quibus suo loco. Similitudo vocis *Samthraces*, & *Samothraces*, errori præbuit ansam, vt putaretur Dardanum deos hosce ex Samothracia in Phrygiam, Æneam verò ex Phrygiâ in Italiam detulisse; quemadmodum scribit Varro, lib. II. rerum humanarum. Quare inualido admodùm argumento nititur Cæsar Belligerus, cum, libro de Circo cap. XIX. eò negat *Samothraces*, ab Hebræo *Sathar* deduci posse, quia veteres eas in *Samothracia* ponant. Fortasse tamen in *Samothracum* appellatione non tantùm respexisse ad nomina aut numerum, quòd hæc ignorarentur, sed etiam sacra ipsa quæ fuere occulta, atque ἀπόρρητα, vti & mysteria Cereris.

PEPLVS, & *peplum*, à Græcis accepimus. Hesychius: πέπλον, ὁ πέπλος, ἱμάτιον, ἢ ἔνδυμα γυναικεῖον. Sed antiquiores πέπλον dicunt, vt Homerus; iuniores πέπλον, vt Nonnus. Masculino è Latinis vtitur Claudianus, in epithalamio Honorij:

Et crines festina ligat, peplúmque fluentem
Alleuat. ———

Neutro Plautus:

Nunquam in vrbem venio, nisi cùm infertur peplum.

Quem locum frustra in superstitibus comœdiis quæras: sed citat Seruius ad illud Maronis. I. Æn.

Crinibus Iliades passis, peplúmque ferebant.

Addit ibidem, *Peplum propriè est palla feminea picta, Mineruæ consecrata. Hodie multi abutuntur hoc nomine.* Extremis verbis illud Seruium velle arbitror, eos hac voce abuti, qui *peplum* vocarent quamuis vestem muliebrem è stamine subtili, quæ cæteris vestibus superiniiceretur. Sed ita hac voce Græci ipsi vsi fuerunt, vt multis Homeri locis constat. De muliebri *peplo* ita Isidorus, lib. XIX. cap. XXV. *Peplum matronale pallium, & purpurâ signatum, cuius fimbria aurei staminis summitate relucent.* Vide de hoc Eustathium non vno loco. Qui & dici ait πέπλον quasi περίπλον, à περί, quia *vestis sit decora*. Vel à πεπλάζω, *expandi, explicari.* Athenis verò κατ' ἐξοχὴν hoc nomine, teste Suida, vocabatur, *velum Panathenaica nauis*, quam Athenienses Mineruæ apparabant festo Quinquatrium, siue Panathæorum maiorum Lutatius Placidus, in lib. X. Theb. *Peplum est vestis candida, aureis clauis picta sine manicis, quod simulachris fiebat. Sed hoc peplum primum est ab Atheniensibus institutum, quod matronæ suis manibus faciebant, & inter triennium* (leg. *quadriennium*) *numinibus offerebant.* Satis liquet sermonem esse de *peplo Mineruæ*: intextum erat, vt Pallas Enceladum, aliósque gigantes, interemerit. Hinc Maro. in Ciri:

Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo,
Qualis Erichthæis olim portatur Athenis,
Debita cùm castè soluuntur vota Mineruæ,
Tardave confecto redeunt quinquennia lustro.

Et mox:

Ergo Palladia texuntur in ordine pugnæ
Magna Giganteis ornantur pepla tropæis,

Horrida

Horridá sanguineo pinguntur prælia cocco;
Additur auratá deiectus cuspide Typho:

Et quæ deinceps sequuntur. Nec sola tamen gigantomachia ei intexta erat, sed etiam gesta ducum Atheniensium, qui strenuè rem gessissent. Hoc vult Suidas, cùm de *peplo* agens extremo addit. Καὶ ἀνεγράφοντο οἱ ἄξιοι ἐν αὐτῷ. Estque hæc ratio, cur Aristoteles quoque *Peplum* vocarit poëma, quo Heroum tumulos celebrauit. Eius poëmatis & Eustathius meminit; non tamen Stagiritæ fuit, sed alterius Aristotelis: vt indicat Tzetzes in Hesiodi ἔργα. Vide plura de Mineruæ peplo, in scholiis in Euripidæ Hecubam, p.xxxix. editione Basiliensi. Et imprimis amicissimum virum, & Græcarum antiquitatum supra omnes mortales intelligentissimum, Ioannem Meursium, lib. ii. Atticarum Lectionum, cap.xxi. vbi & de *peplo Iunonis* apud Eleos ex Pausania quædam adfert. Item eundem vide, in Panathenaicis, cap. xvIII. & xvIII.

Pepo, πέπων. Plinius, lib xix. cap.v. *Cucumeres, cùm magnitudine excessere, pepones vocantur.* Est verò πέπων, naturâ suâ adiectiuum, ac significat *maturum & solibus percoctum*, à πέπτω, *coquo*. Ita legimus μῆλα πέπονα, μήλοις βότρυς, σίκυος πέπονος, &c. Postremum illud legas apud Aristot. Probl. xxxii. lib.xx. Eodémque modo loquitur Anaxilas apud Athenæum, lib. ii. Significat autem *cucumeris genus mollius dulciúsque*. Sed sæpius αὐτὸν pro eo inuenitur πέπων, omisso σίκυος, ac Latini similiter loquuntur. Est & *peponum* genus simile *malo*, quod Græcè μῆλον, vnde Palladius *melones* vocat Martij, Tit. ix. Aliis compositâ voce *melopepones* seu μηλοπέπονες appellantur. Docet id Plinius, cùm eopse capite ait, *Iidem in fistulâ, flore demisso, mirâ longitudine crescunt. Ecce cum maximè nouâ formâ eorum in Campaniâ prouenit, mali cotonei effigie. Fortè primò natum ita audio vnum: mox semine ex illo genus factum: melopepones vocant.*

Per à περὶ, vt vult Scaliger, libb. de caussis L. L. cap.clvII. *Ratio*, inquit, *huius postremi* (de voce *perbonus* ante dixerat.) *à Græco fluxit: nam περὶ significat circum, quod autem continet, id maius est, quàm contentum. Ab eo nostrum Per ductum est; itaque Perbonus est ὁ περιέχων τοῦ ἀγαθοῦ.* Hæc ille. Mea tamen sententia est, potiùs venire à παρὰ, pro quo poëticâ apocope πὰρ dicitur, vt πὰρ Διός, πὰρ ποταμοῖς. Atque vt hoc non esset, dici posset vltimam literam abscindi, vt in *ab* & *sub*, quæ ab ἀπὸ & ὑπὸ; item ἐν, quod ab ἔνι, & similibus. Esse verò *per* à παρὰ, vel fidem fecerint composita, vt παραμένω, *permaneo*; παραμίσγω, *permisceo*, similiáque. Eandémque significationem sæpe extra compositionem obtinet. Vt apud Demosth. παρὰ πάντα τὸν χρόνον, *per id omne tempus*.

Pera, πήρα, vnde πηρίδιον, *perula*. Πήρα verò à πάσασθαι, *edo, pascor*. Nempe quia cibos in peram reconderent: vnde & Belgis dicitur *ast-sack*, *esca saccus*. Hoc malim, quàm πήρα sit à τηρεῖν, quia *seruet ac custodiat cibum*. Vel à *pelle*, quod Papias credidit. A pera *pericida* eâ formâ legas apud Plautum, quâ dicimus *parricida*. Ex *sacco* & *pera* conflatum est *sacciperium*: quo vsus Plaut. Rud.

Perdo, si vocem spectes, videatur esse à *do*. Sin notionem quæ multùm à dandi natura abit, non obscurum fuerit, planè venire à πέρθω, quod est, *vasto*. Quamquam nec multùm abeat Æolicum φθέρρω pro φθείρω, *perdo*. Item Æolicum ἔρρω pro ἔρδω, vel potiùs ἔρω, quod idem quandoque. Vt apud Platonem in epistol. Πόλεις Ἑλληνίδας ἐρρούσας ὑπὸ βαρβάρων οἰκίζειν; *inhabitare vrbes Græcorum à Barbaris deletas*.

Peregrini mirificam ἐτυμολογίαν adfert Varro, iv. de L.L. Nam cùm fecisset quinque agrorum genera, Romanum, Gabinum, Peregrinum, Hosticum, & Incertum; de *Peregrino* ita scribit: *Dictus peregrinus à pergendo, hoc est, progrediendo. Eo enim ex agro Romano* (leg. cum Scal. *Romani*) *primum progrediebantur.* Reuera autem venit *peregrinus* à *peregrè* seu antiquo *peregris* aut *pereger*: quod dicitur quasi *per agrum*, vnde & *peragrare*, quasi *multos agros pererrare*. Differunt *peregri* & *peregrè*, vt Charisius. lib.ii. docet, qui vult *peregri in loco*, *peregrè ad locum significare*. Obseruauit hoc discrimen Plautus, prologo Amphitr. vers.v.

———*Peregrique, & domi.*

Ita legitur in vett. manuscriptis Gruteri, itémque in editt. antiquis. Eâdem Comœd. Sc.i. legere est:

Quia nos eramus peregri, tutatu' si domi.

Vbi *peregri* & *domi*, opponuntur: ac *tutari domi* dixit, quomodo apud Terent. legitur, Eunuch. Act. iv. Sc.vII.

Solus Sannio seruat domi.

Recto *pereger* vsus Vlpianus, Titulo de caducis, *Pereger*, inquit, *factus sit*. Incusatiuo casu vsurpat Ausonius, epist. ad Symmachum, *Nedum me peregrem existimes composita fabulari*. Ita ex veteri libro restituit Ios. Scal. lib. ii. Auson. Lect. cap.xiv.

Perendie, iuxta Isidorum, conflatum ex *per*, *ante* & *dies*: quasi dicas *per diem ante quàm alia dies elabetur*. Malim cum Charisio statuere dici *perendie*, quasi *peremta die*. Græcè μεταύριον, à μετὰ & αὔριον, quasi *post crastinum*. Hinc apud Cic. pro Muræna, dies *perendinus*; vt à *cras*, *crastinus*. A *perendinus* est *perendinare*, à quo lis *comperendinata*, & *comperendinatio*. Est autem *comperendinatio*, mutua in *perendinum* diem denunciatio, prout à nonnullis explicari scribit Asconius in III. Verr. *Comperendinare* itidem est in *perendinum* siue *tertium diem differre*: cui affine apud Agellium *diffundere diem*, quod significat, *in posterum diem reiicere*. Sequor autem Budæum. Nam Politianus, cap.xli. Misc. pro *diffundere* legit *diffindere*; quod meritò improbat Budæus annot. in Pandect. Ipsum adi.

Pergamena ita dicta à *Pergamo*, vbi inuenta ab Eumene rege, cùm Ptolomæus, ortâ circa bibliothecas æmulatione chartas supprimeret: vt ex Varrone tradit Plinius, lib. xIII. cap.ii. Eodem pertinet hic locus B. Hieronymi epistolâ ad Chromatium: *De quibus hoc primum queror, cur tot interiacentibus spatiis maris, atque terrarum, tam paruam epistolam miseritis, nisi quòd ita merui, qui vobis, vt scribitis, ante non scripsi. Chartam defuisse non puto, Ægypto ministrante commercia. Et, si alicubi Ptolemæus maria clausisset, tamen rex Attalus membranas à Pergamo miserat, vt penuria chartæ pellibus pensaretur. Vnde & Pergamenarum nomen ad hunc vsque diem, tradente sibi inuicem posteritate, seruatum est.* Hæc Hieronymus. Vbi neutiquam mirandum, quòd *Attalum* vocat, qui Plinio *Eumenes*. Nam similiter appellat Ælianus: nempe, quia, vt reges Parthorum vocari Arsacidæ, Philistæorum Abimelech, Syriæ ac Damasci Benhadad, Arabum Abbari, vel potius Arbari, Latinorum Murran, Ægyptij Ptolomæi, Hunnorum Gagani, sic *Pergameni* reges vocati Attali: quæ omnia alibi luculentiùs auctoribus comprobamus.

Pergo, aliis quidem simplex, aliis compositum videtur. Qui simplex putant, alij deriuant à περῶ, hoc est, *transeo*. Alij à *per* præpositione. Alij verisimiliùs à *porrigo*: hoc autem ab ὀρέγω, quod idem notat. Nempe vt *per* præfigatur, quod interdum fit. Quibus compositum esse placet, conflatum arbitrantur à *per* & *ago*, vt Perottus credidit. Vel esse aiunt à *porgo*: hoc autem ex *porro* & *ago*. Sanè significatio omnino quadrat. Sed præteritum *perrexi* satis indicat esse à *per* & *rego*. Ipsúmque *porgo*, (vnde *exporge frontem* apud Terentium Adelph. v. III.) factum à *porrigo*, quo vsus Cicero Arato; & Maro, vi. Æn. *Porrigo* verò est ex *per* & *rego*, *e* in *o* conuerso. Nec mouet illud Festi, siue Paulli: *Exporgere, porrò agere, exporrigere*. Nam si *exporrigo*, (vnde *expergo* κατὰ συγκοπὴν factum) ab *ago* veniret, in præterito haberet *exporegi*, non *exporrexi*: quod à *rego* venire luculento argumento est. A *pergo* est *pergula*; vt à *rego regula*; à *tego tegula*. Sic autem dicta, quia *extra murum porrigatur*. Est enim *pergula* pars domus exporrecta & propendens. Vnde in Onomastico exponitur προβολή, hoc est, *proiectio*, siue *pars domus proiecta*. Nostri artifices (inquit Budæus) appellant *saltentes*. In his res proponebant venales, eóque pictores quoque in iis suas picturas collocabant: vnde Lucill.

Pergula pictorum, veri nihil, omnia falsa.

Pertinet huc locus Plin. lib. xxxv. cap.x. de Apelle; *Perfecta opera proponebat in pergulâ transeuntibus, atque post ipsam tabulam latens, vitia, quæ notarentur, auscultabat, vulgum diligentiorem iudicem, quàm se præferens.*

Pergræcari in Onomastico exponitur ἑλληνίζειν. Latinum illud notat *Græcorum more intemperantiùs bibere*. Vsus Plautus, Mostell. act.i. sc.i. Aliàs *Græcari* est *Græcorum more exerceri ludo pilæ, disci*, &c. Ita vsus Horat. lib.ii. sat.ii. Vide Turnebum, lib.vii. cap.ix. Græcorum appellatio non à Latinis est, sed Græcis, quamquam vsitatius se vocent Ἕλληνας. Callimachus Epigr. vii.

———τὸ μὲν Φωκαΐδος τις ἐκείνου
Γραικός.———

Citat ex eodem Etymologus in Γραικός.

Γραικοὶ καὶ γαίης ἀμύντορες αὐλῶν.

Sic legendum docet metri ratio, non γῆς, vt vulgò editum.

Peripatetici, περιπατητικοὶ, à περιπατεῖν, quod est, *ambulare*, hoc à πάτος, id est, *via trita*; id à πατέω, hoc est, *calco*. πατεῖν verò à πούς, quod est, *calcitrare*, *calcibus premere*, *calcare*. Cur sectatores Aristotelis appellentur *Peripatetici*, non satis conuenit. Plerique omnes sic dictos aiunt, ab Aristotele, quod is *deambulans* in Lyceo doceret: quod inter alia apud Cic. legas, lib.i. Acad. Quæst; idémque tradidisse Hermippum in vitis testatur Diogenes Laërtiensis. Alij ab Aristotele sic dictos contendunt (vt idem Diogenes scribit;) & caussam adferunt aliam: nempe quòd is apud Alexandrum iam conualescentem, ac valetudinis caussâ *deambulantem*, disserere consueuit:

consuerit : atque hi eundem in Lyceo, vbi discipulorum numerus accreuerat, sedentem disseruisse tradunt. Ab vtrisque verò abit Ammonius, qui comment. in primum Porphyrij caput, ait Platonem primùm *ambulantem* docuisse, indéque primùm discipulos eos vniuersè *Peripateticos* appellatos : sed cùm à morte Platonis duæ essent scholæ, vna Xenocratis, altera Aristotelis, huius sectatores fuisse appellatos τοὺς ἐκ Λυκείου περιπατητικοὺς, illius autem τοὺς ἐξ Ἀκαδημίας περιπατητικούς. Paullò pòst Aristoteleos loci nomen abiecisse, actionis retinuisse : Xenocrateos contra loci nomen retinuisse, actionis exuisse, atque ita illos *Peripateticos*, hos verò *Academicos* appellatos.

PERISCELIDES, περισκελίδες, bifariam dicuntur, κυρίως, καὶ ἀκύρως. Propriè sunt *vincula crurum* : vt Porphyrio docet in Horatij lib. I. epist. XVIII. atque etymon indicat. Nam est à περὶ *circum*, & σκέλος, *crura*. Isidorus, lib. XIX. cap. XXXI. *Periscelides sunt ornamenta crurum mulierum, siue armilla pedum, à quibus gressus earum ornentur.* Ea signat Manilius :

Et pedibus niueis fulserunt aurea vincla.

Nec non Seneca :

Crura distincta religauit auro,
Luteo plantas cohibente socco.

Reprehendit Tertullianus, lib. de cultu femin. *Nescio an crus de periscelio in neruum se patiatur artari.* Et Ambrosius, lib. I. de virginib. *Hinc collum catena constringit, inde pedem compes includit. Nihil refert auro corpus oneretur an ferro. Si ceruix premitur, si grauatur incessus, nil pretium iuuat*, &c. Impropriè verò *periscelides* sunt *femoralia* siue *braccæ*. Sic exponit B. Hieronymus, epistola ad Fabiolam. Ac Suidæ est, περισκελῆ, βρακία, ϕεμινάλια. At sic LXX. interpretes. Sed impropriè, vt dixi. Nam *periscelides crura* vinciunt : at *feminalia feminum* sunt tegumentum, nec vltra genua ac poplites descendunt.

PERNA vocabulo vsus Plautus, Carbonariâ apud Festum, in Specile,

Ego pernam, sumen, sueris, spetile, callum, glandia.

Vsurpat & Papinius, lib. IV. Silu. risu Saturnalitio, ad Plotium. Varro lib. IV. de L. L. ait, *pernam* dici à *pede suis*. Sed omnino *perna* & *petaso* sunt à Græco πέρνα, & πετασών, quæ differunt, vt totum, & pars. Nam πετασὼν est *coxa porcina salita, etiam costas comprehendens.* Ita autem vocatur, quòd latitudine referat *pileum Thessalicum*, quem πέτασον vocant. At πέρνα est *pars petasonis carnosior, pedique proximior, vnà cum ipso pede.* Hoc discrimen seruauit Athenæus, lib. XIV. Πετασὼν δὲ μέρος ἐστί ... ἡ πέρνα ... Ac Plinius quoque, cùm lib. VIII. cap. LI. suem iubet suspendi *pernis prioribus* ; satis indicat, quod de *pernis* dicebamus. Porrò veteribus *perna* etiam significabat *calcaneum* ; nempe eliso τ, è Græco πτέρνα, quod idem notat, vt docet Pollux, lib. II. cap. IV. Contrarium fit in πτόλις, & πτόλεμος, pro πόλις & πόλεμος. Ab hac *perna* significatione, Plinio *perniones*, & ὑποκοριστικῶς *perniunculus*, vocatur morbus pedis ex nimio ortus frigore *calcaneum* imprimis infestans. Ab eadem notatione *compernes* vocantur, quibus *pernæ* iusto sunt coniunctiores. Quamquam non *pernæ* modò, sed & *genua* : quando Festo sic *nominantur homines genibus plus iusto coniunctis.* Nempe *compernes*, meo iudicio, iidem qui *valgi*. hoc est, quibus *crura* extrorsum incuruantur. Itaque *compernem*, siue *valgum*, signat Martialis, lib. II. ep. XXXV.

Cùm sint crura tibi, similent quæ cornua Lunæ,
In rhytio poteras, Phœbe, lauare pedem.

Sententia est, cùm crura tibi in orbem pandantur (quomodo de *valgis* loquitur Petronius) lauari poteras in poculi genere, quod *rhytium* vocant. Nam crura media ventrem *rhytij* imitantur ; inque *rhytij* modum infrà coëunt. Minimè verò audiendus Nonius, qui *compernes* dici ait, homines longis pedibus. Nam vox ipsa satis indicat, *pernarum coniunctionem* eâ denotari. At fit hoc in *valgis*, hoc est, iis, *qui cruribus sunt introrsum tortis* : quibus *vari* opponuntur, vt *quibus crura sunt extrorsum incuruata*. Hanc opinionem quoque iuuat, quòd *compernes*, & *varos* opponat Lucillius apud Nonium :

Compernem aut varam fuisse Amphitruonis ἄκοιτιν.

Vbi *fuisse* κατὰ συνίζησιν dixit : vel legendum *fuisse*. Porrò qui *valgi* ac *compernes*, iidem & *vatia* vel *vatij* dicuntur. Vide *Vatius*.

PERNIX in Glossis exponitur ὀξύπους, ἀγχίστροφος. Dicitur à *pernitor*. Seruius, ad illud III. Georg.

——*Et inter*
Dura iacet pernix in strato saxa cubili.

Pernix, inquit, *modo perseuerans*. Horat.

——*Pernicis vxor Apuli.*

Pernix autem perseuerans à pernitendo tractum est.

PERONES, calceamenti genus, quod in Onomastico exponitur ἐμβάς ; nempe ab ἐμβαίνω, *ingredior*. *Peronem* à *pera* dici censet socer Fr. Iunius ad Tertull. de pallio, cap. V. Sequitúrque idem etymon Becmanus. Ratio nominis fuerit, quod *peræ* instar informes sint aptati pedibus. Nam, si Seruium audimus, est calceus præaltus aduersus niues frigoráque commodius. Græcis dicuntur ἀρβύλαι, siue περιβαρίδες, item καλόποδες siue καλοβατίδες. Vtitur *perones* voce Maro VII. Æn. & Iuuenal. sat. II. Tertull. loco citato. Sidonius carm. VII. v. CCCCLIII. & Hieronymus in Genes. cap. XLIV. Hinc *peronatus arator* apud Persium. Sunt qui *perones* esse velint *calceum Senatorium*. Sanè *perones effeminatos* vocat Tertullianus : sed forsitan quia & mollities hoc calceamenti genus effeminauerat : quod socer putabat. *Perones* quoque pro *soccis* legi putant, eísque id nomen à *pera* : atque vti *peronum* vocabulo hoc pacto Vitruuium, libri quincti cap. XII. & Plinium quoque, lib. XXXVI. cap. XIV. Sed in antiquis codd. est *heronibus*, vnde quidam *feronibus* legendum suspicantur, vt à *pera* quidem fiat, sed *p* mutetur in *b*. Mihi Cujacij & Turnebi sententia placet, qui *heronibus*, siue *eronibus*, vtrobique legunt. Vti & leg. in nauc. ff. locati. En vasis genus designatur : vnde Græci Iurisconsulti vertunt *cophinos*. Idem in Gloss. vett. inuenitur, vbi *pero* κόφ explicatur. Id Antiphani est *vas farinaceum*, vt scribit Pollux. lib. X. cap. XLVI. vbi περὶ τῶν ἐν πανδοχείῳ σκευῶν agit. Vocatur & φορμίον, vnde Terentiano parasito nomen impositum est *Phormionis*. Donat. in Phorm. act. I. sc. II. *Phormio non à formula, sed phormio dicitur sparteo, quem nos cronem dicimus translatiter, & pro consuetudine.* Nempe quia parasiti solent cibos domum ferre *phormio*, siue *fiscellâ*. Nam olim eorum erat cibos emere : vnde Gnatho ait, se cupediarius esse carum : & Ergasilus conqueritur in Captiuis, quia adolescentes ipsi obsonarent, nec parasitorum in hac re operâ vterentur. Φορμίον autem diminutiuum est à φορμὸς ; quod esse ἀγγεῖον τι πλεκτόν, clarè docent Hesychius, Eustathius & Suidas. Quod eò addo, nequis moueatur isto, quod idem Donatus in Prologum Phormionis scribit, *phormium* esse *tegeticulum, quo insternitur pauimentum*. Nam id quidem verum est, sed vniuersè notat, quod ex *vitilibus* nectitur : vti *tegetem, stoream, sportam*. Et sanè etymon maximè *sportæ* siue *corbi* conuenit, si φορμὸς est ἀπὸ τοῦ φέρειν, quod Eustathius & Etymologus scribunt.

PERPERAM à *perperus*, quod Nonius interpretatur *indoctum, stultum, rudem, insulsum, mendacem.* Idem adducit illud Accij :

Describere in theatro perperos populares.

Sed Noniana interpretatio non satis proprietatem vocis exprimit. Primò enim notat *leuem ac temerarium* : vt quod sit idem ac πέρπερος, quod ipsum dici videtur quasi περιφερὴς ἀπὸ τοῦ περιφέρεσθαι, quasi *qui huc illuc volitet ac vento quolibet circumagatur*. Confirmantur hæc Glossis Philoxeni, in quibus legitur : *Perperus*, πέρπερος, προπετής. *Perperum* (ita rectè emendat Vulcanius,) ἐσφαλμένον. *Perperam ago* ἐξαμαρτάνω, προπετεύομαι. *Perperam*, ἐσφαλμένως, προπετῶς. A *perperus* quoque dicitur *perperitudo*. Vsus apud Nonium Accius :

Et eo plectuntur poetæ, quàm suo vitio sæpius,
Ductabilitate nimiâ vestrâ aut perperitudine.

PERSEA, arbor Ægyptia, quæ Græcis Περσέα, vel Περσεία, vel Πέρσειον. Ea, vt ait Theophrastus, lib. III. Histor. cap. V. in Ægypto, ac locis vicinis, fructum producit : sed in Rhodo duntaxat ad florum vsque peruenit. Meminit & lib. II. cap. III. Pluribus eam describit, lib. IV. cap. II. De eadem sic Plinius, lib. XIII. cap. IX. *Ægyptus & Persicam arborem habet similem pyro*, &c. Vbi vel *Perseam* scripsit, vel scribere debuit. Nam *Persea* à *Persica* est diuersa : quod ipse Plinius agnoscit, lib. XV. cap. XIII. vbi de *Persicis* sic scribit : *Falsum est venenatam cum cruciatu in Persis gigni & pœnarum caussa à regibus translata in Ægyptum, terra mitigata. Id enim de Persea diligentiores tradunt, quæ in totum alia est.* Sanè de *Persea* Ægyptia id Galenus refert lib. II. περὶ τροφῶν. Vbi eam à se apud Alexandrinos ait visam, arborem proceram, fructu pyri aut mali magnitudine, noxio in *Perside*, vesco in Ægypto. Quòd si *Persea* in Ægyptum translata à Persarum regibus, vt quosdam dicere Plinius ait, sanè id nomen acceperit à *Perside*. Quamquam & vt hoc non esset, potuit *Persea* vocari, quia quodammodo similis esset *Persicæ arbori*, quæ è *Perside* in Græciam aducta. Sed Plinij opinio est, potiùs sic vocatam à *Perseo*, qui eò hanc arborem transtulit. Sic enim subiungit : *Eam quoque eruditiores negauerunt ex Perside propter supplicia translatam, sed à Perseo Memphi satam. Et ob id Alexandrum, illâ coronari victores ibi instituisse in honorem ataui sui.* Errat Nicander in Alexipharmacis, cùm ait, *Perseam* Myceni satam, quam à socero suo Cepheo, Cephedos rege dono acceperat.

Nam,

Nam, vt Strabo auctor est, lib. XVII. *Persea* solùm in Ægypto & Æthiopia crescit. Quæ igitur Mycenis & reliqua Græcia crescebat, *Persica* erat, non *Persea*. Et huic nomen, quia a *Perside* eò translata. At *Persea* sic dicta, vel quia sim lis vulgari illi *Persica*: vel quia *Perseus* eam transtulit in Ægyptum è Cephenide, quæ aliquibus Æthiopia est, aliis verò regio Chaldææ. Nam *Chaldæi* priùs [illegible] dicebantur à *Cepheo*, Andromadæ patre: vt ait Stephanus, voce *χαλδαῖοι*.

PERSICA *malus*, quia è *Perside* in Græciam translata. Itaque Columella in Horto, cùm dixisset de *Persea* pomis, quæ, vt ait,

——barbara Persis
Miserat, ——

hæc de *Persicis* subjungit:

Quin etiam eius iam generis de nomine dicta
Exiguo properant mitescere Persica malo.

Similiter Sueuius in idyllio, quod Moretum inscribitur:

——Persica, quod nomen sic denique fertur
Propterea quod qui quondam cum rege potenti
Nomine Alexandro Magno fera prælia bello
In Persas tetulere, suo post inde reuentu
Hoc genus arboris in prælatis finibus Graiis
Disseruere, nouos fructus mortalibus dantes.

Citat Macrob. lib. II. Sat. cap. XIV. Similiter Plinius, lib. XV. cap. XIII. *Persica peregrina etiam Asiæ Græciæque esse, ex nomine ipso apparet, atque ex Perside aduecta.* Macrobius, lib. II. Sat. cap. XV. *Persicum, nomen originis suæ tenuit, licet iamdudum nostri soli germen sit.* Huius arboris folium linguæ simile est, fructus cordi: eàque ratio est cur sacra fuerit Harpocrati, silentij Deo: vt auctor est Plutarchus, lib. de Iside & Osiride. At diuersa est ab ea *Persea*, vel si *Persica* etiam illa [illegible] dicebatur, saltem alia est, quam ἡ περσικὴ ἡ ἐξ Αἰγύπτου discriminis causâ appellat Theophrastus, lib. II. Histor. Plant. cap. III. Vide *Persea*.

PERSOLATA, herba, de qua Plinius, lib. XXV. cap. IX. *Persolata* scribitur in MSS., & similiter vetus editio Parmensis. Quibusdam tamen dicitur *personata*, vel *personaca*. Græcis vocatur, non ἄρκειον tantùm, sed etiam [illegible] & [illegible]. Vt dubium non sit, quin vti [illegible] & [illegible] vocatur à [illegible], id est, *persona*: sic & *personata* aut *personaca*, siue *persolata*, aut *persolaca*, sit à *persona*, siue *persola*, quod idem ac [illegible]. Nam vt ab *vnus*, *vnulus*, *vllus*; à *vinum*, *vinnulum*, *villum*: sic a *persona*, *personula*, *persolla*, vnde fit *persollaca* vel *personata*. Caussa appellationis est ex eo, quòd ob foliorum latitudinem soleat loco *personæ* siue *laruæ* obtendi faciei, ad æstum solis arcendum. Videtur autem potiùs *personaca*, vel *persolaca*, per C scribendum, quam per T, *personata*, & *persolata*. Nam *personata* sit quæ *habet personam*. At herbæ huic nomen, quia *similis sit personæ*. Vt igitur à *lingua* est *lingulaca*, quia *similis lingulæ* siue *linguæ*: sic à *persona*, *personaca*; à *persolla*, *persollaca*, quia *similis personæ*, siue *persollæ*. Ac censet Salmasius, similiter *portulacam* à *portula* dicendum, non *portulacam*: item *papaueracam* vestem à *papauere*, non *papaueratam*, vt vulgo apud Plinium legitur. Vnde *portulaca* & *papauer*.

PERSONA propriè *histrionum larua*. A *personando* dici, ex Gabio Bassio scribit Gellius, lib. V. cap. VII. nempe quia, vt ait, *caput & os cooperimento personæ tectum vndique, vnáque tantùm vocis emittendæ viá peruium est.* Sed quia repugnat quantitas: vel dicendum *personam* vocari, quòd sit [illegible]; quod Scaliger scripsit, lib. I. de R. P. cap. XIII. Vel potiùs, *persona* fuit [illegible], [illegible], vt idem ait oratione de voce Inepti. *Oscilla enim* (vt ibidem legere est,) *per quorum foramen euaderet vox, nouum sanè inuentum fuere. Sed ante vncti fæcibus ora, vt ait poeta, capellarúmque tecti pellibus, aliísue præcincti rebus & obiectu frondium mutati lupercalia fecere primum. Mox sub Andronici disciplinâ etiam personati pronunciarunt. Veteres enim Græci, vt ait in Bœoticis Pausanias, vsi sunt verbo ζῶσαι, pro eo quod erat induere: præsertim arma, quoniam ζώνη imprimis militi deberetur; sicut de balteo dicere videretur Iustinianus.* Hæc Scalig. De tralatitia *personæ* significatione, vide eundem cap. LXXIII. libb. de caussis L. L. Sed quid, si dicamus *personam* esse à [illegible]; Duriusculum id videtur. Sed cogitandum similiter [illegible] in *Pro* mutari in [illegible], a quo *Proserpina*. At quod Latinis *persona*, id Græcis [illegible], [illegible], [illegible], [illegible]. Hesychius [illegible], [illegible]. Sic Latini & *personam* dixere, quod est [illegible]; & *adspectum*, quod est [illegible]. Publius Syrus:

Heredis fletus sub persona risus est.

Idem:

Graue est malum omne, quod sub aspectu latet.

PERTICA, *baculus oblongus* vt quo fructus decutiunt: quomodo vtitur Ouidius in Nuce. Item *regula*, *quâ agri metiuntur*: vnde in veteribus Glossis non solùm [illegible], sed et [illegible] exponitur. Poëta in Diris:

Pertica quæ nostros metata est impia agellos.

Propertius:

Abstulerat nostras pertica tristis opes.

Seruius, ad Ecl. IX. *Vsque ad eum autem locum perticam militarem Octauius Musa porrexerat, limitator ab Augusto datus: id est, per quindecim millia passuum agri Mantuani, cùm Cremonensis non sufficeret.* Vbi *perticam militarem* vocat, quâ in litibus agri diuidebantur. Crebra *perticæ* mentio apud Aggenum, Sæculum Flaccum, & alios agrimensores. *Eadem pertica* pro *eadem opera* [illegible] dixit Plinius lib. VIII. epist. II. In Glossis etiam exponitur *μοχλὸς* [illegible]. Nomen est ab antiquo *pertigo* pro *pertingo*. Nam veteres C pro G vsurpabant. Item pro *tango* dixere *tago*: vnde præteritum *tetigi*, *tagax*, *tetegen*: de quibus suo loco.

PERTINAX non est à *pertineo*. Neque enim conuenit significatio. Sed neque esse potest à *pertendo*, quod Varro voluit initio quarti de L. L. Nam vt à *minor* est *minax*, ab *audeo*, *audax*, ab *edo*, *edax*; à *voro*, *vorax*; à *bibo*, *bibax*; à *teneo*, *tenax*; ita à *pertendo* esset *pertendax*. Quare dubitandum non est, quin sit à *per* & *tenax*, quemadmodum Iosephus Scaliger initio Coniectaneorum, & multò ante eum Rodolphus Agricola, notis ad Senecæ libellum, probauit isthoc Plauti loco Captiuis. Act. II. Sc. II.

HEG. *Quid tu? an tenaxne pater eius est?*
PHI. *Imo edepol pertinax.*

Dicitur igitur *pertinax*, quod *valde teneat*. Estque idem quod *propositi tenax*, quomodo locutus Horatius versu isthoc:

Iustum & tenacem propositi virum.

Est & illustris apud Quinctilianum locus quod hæc [illegible] comprobetur: *Vitiorum*, inquit, *moderatione detrahi solet, si qua est rei inuidia, si asperum dicas nimium seuerum; si iniustum, persuasione iam; pertinacem, vltrà modum tenacem esse propositi.* Nec perpetuum est discrimen *pertinaciæ*, & *perseuerantiæ* quod ibidem addit Varro: *Cùm*, inquit, *demonstratur in quo non debet pertendi, & pertendit, Pertinaciam esse: quod in quo oporteat manere, si in eo perstet, perseuerantia sit.* Nam vt *tenax propositi* in bonam partem ab Horatio dicitur; ita apud Liuium, lib. I. belli Punici legitur: *Vincit omnia pertinax virtus.* Eodémque modo vsus hac voce Valerius Maximus, lib. I. cum *pertinacem Deorum indulgentiam* dicit. Et Seneca, lib. VII. de Beneficiis, *Vincit*, inquit, *malos pertinax bonitas*. Ac Appuleius quoque in Apolog. Claudium Maximum vocat *virum austerum & iustitia pertinacem*.

PERVICAX quasi *peruincax*, quod non cesset vsquedum peruicerit. Horatius Carm. in Canidiam:

Heu peruicacis ad pedes Achillei:

Vbi sic vetus interpres *Peruicaces dicuntur qui in aliquo certamine ad vincendum perseuerant: sicut peruices à peruincendo.* Idem etymon adfert Isidorus lib. X. Quare sit ab antiquo *vico* pro *vinco*. Vnde dea *Vica Pota*: quæ dat *vincere* & *potiri*. Sumitur vox *pertinaciæ* etiam in bonam partem vnde Attius, in Myrmidonibus apud Nonium:

Tu pertinaciam esse, Antiloche, hanc prædicas;
Ego peruicaciam aio, & hac me vti volo:
Nam peruicacem dici me esse & vincere
Perfacile patiar: pertinacem nil moror.
Hæc fortes sequitur: illam indocti possident.
Tu addis quod vitio est, demis quod probro haud datur.

Sic ferè hos versus emendant Ios. Scaliger initio Coniect. in Varronem: Lambinus, notis ad Cornelij Nepotis Hamilcarem: Henr. Stephanus, palæstrâ aduersus Lipsium, pag. DXIX. Versus autem tertius si is quidem sanus (de quo ambigit Henr. Stephanus) etymologiam superiorem liquidò confirmat. Sed & Cicero videri queat ad eam allusisse, cùm extremo libro primo Academicarum quæst. *pertinaciæ* coniungit studium vincendi: *Cum Zenone*, inquit, *vt accepimus, Arcesilas sibi omne certamen instituit, non pertinaciâ, aut studio vincendi*, &c.

PES a πέζα, vel a πούς quod Æolice πός, vnde *pes*, *o* in *e* converso: quomodo & à πέδις μέδιμνον, hoc est, [illegible]. Πούς à [illegible], quia *terminat animal*; vel potiùs ab Hebræo בוס, quod est, *calcare*, *conculcare*; vel a פשע, quod est, *incedere*, *gradi*, a quo פשע, *passus*, *gressus*. Varia autem *pes* significat. Senec. lib. II. de benef. c. XXXIV. *Pedem & nostrum, & lecti, & veli, & carminis dicimus.* Secundo modo dixit Catullus, Carm. in nuptias Iuliæ & Manlij: *Candido pede lecti*. Tertiam significationem indicat quoque Seruius, ad V. Æn. vbi *pedem* interpretatur *funem*, *quo tenditur velum*: nec multùm abit Isidorus,

lib. xix. cap. iii. Vbi *pedem* dici ait, *extremum angulum veli*. Propriè autem loquendo, est *funiculus ille, quo angulus veli religatur*. Quomodo Græci dicunt in prouerbio, ἀφεὶς τὸν ὑπέρα, τὸν πόδα διώκεις, *omissa vpera, persequeris pedem*. Vbi, ex Harpocratione & Suida constat, ὑπέρα est *funis, quo cornua antennarum vel tenduntur vel laxantur*: pes verò est id quod dixi. At similiter vsurpat Catullus Epigrammate iv.

——— Læua siue dextera
Vocaret aura, siue vtrumque Iupiter
Simul secundus incidisset in pedem.

Nam, vt optimè ad eum locum monuit Scaliger, *Iupiter*, hoc est, ventus, *in vtrumque pedem incidere* dicitur, cùm medios implet sinus: contrà *pedem facere* dicitur, cùm vel læua, vel dextera vocat aura, vt hic loquitur Catullus, hoc est, cùm dimidio vento nauigatur, vulgò loquimur. Id claré docet Virgilius, v. Æn.

Vna omnes fecere pedem; paritérque sinistros
Nunc dextros soluêre sinus.

Similiter *pedis* vocem accipit Cæcilius apud Isidorum, lib. xix. cap. iv. *Venerio cursu veni prolato pede vsque ad saphonem*. *Pedem tenere* dicitur, qui præest velo tendendo vertendóque. Seruius: *Per sortem deinde ad officia remigandi, quis proreta esset, quis pedem teneret*. *Propedem* pro eo dixit Turpilius ibidem:

——Quasi quum ventus fert nauim in mare
Secundus, siquis propedem misit veli sinistrum.

Sic eum locum corrigit Scaliger. Cur verò & in carmine *pes* dicatur, docet hic locus Acronis, ad illud Horat. epist. ad Pisones:

Legitimúmque sonum digitis callemus & aure:

Digitis, inquit, *& aure, quia sonus metri pollicis strepitu, & auris perceptione probari solet: vnde & dactyli pedes quidam dicti sunt, & ipsi pedes appellati sunt, quoniam sonum metrorum pulsu pedis nostri adiuuamus*. Porrò quatuor illis acceptionibus à Seneca commemoratis adiicere possis & quinctam. Nam & *sepedum* animalium populus à *pedum* multitudine *pedes* vocantur, & ὑπερόχως *pediculi*. De quo in *Pediculus* diximus plenius. Et hæc de variis vocabuli *pes* significationibus, ac deriuatis iis, quæ à secundariis significationibus descendant: accedamus nunc ad ea, quæ à *pes*, quà principem retinet significationem, originem trahunt. Istiusmodi sunt *pedarius*, & *pedaneus*, de quibus seorsim. Item *pedale*, & *pedule*; quæ vt differant, docet Cornelius Fronto: *Pedale*, inquit, *mensura est pedis; pedule verò sub pedibus præstat vtilitatem*. In veteribus tamen Gloss. legas: *Pedale*, πέδιον, hoc est *socculus pedum*. Nisi *pedule* legendum: quod verum puto. Imò apud Festum quoque pro *pedulia* lego *pedulia*. Facilè enim *i* & *l* confunduntur. *Pedulia* verò sunt, quæ Græcè πέδιλα; quæ vox excidit in Festo, etiam in schedis Farnesianis. In Paullo autem tres principes literæ remanserunt. Ab eodem, non à πέδη, quod alius est, venit Latinum *peda*, vestigium, ac præcipuè pedis humani: teste Festo Pompeio. *Pedum* quoque, non à πέδον, hoc est, *solum*: sed à *pedibus* dictum: quod etiam indicat Seruius ad Ecl. v. *Pedum*, inquit, *virga incurua, vnde retinentur pecudum pedes*. Ac Festus similiter: *Pedum est baculum incuruum, quo pastores vtuntur, ad comprehendendas oues, aut capras à pedibus*. Non tamen ab hoc *pedi* vsu nomen impositum censeo, sed quia pastorum *pedes* fulcit. Nec *pedica* est à πέδη, quanquam idem signet; sed à Latino *pes*, vt rectè Varro, iv. de L. L. eàdem nempe formâ, quà à *manus* dictæ *manicæ*, quæ manuum sunt vincula, vt pedum *pedica*. A *pedibus* quoque est *pedes*, vt ab *equo* eques: atque vt ab hoc *equito*, sic ab illo est *pedito*: hoc est, πεζεύω, vti vett. Gloss. interpretantur in notis quoque, que apud Cl. Puteanum inueniri monuit Sauaro. *Pedestris* sermo Horatio atque aliis vocatur, quem alij vocant *orationem prosam* siue *prorsam*. Nomen ex eo est, non quòd in eo *pedes* quoque spectentur, qui ῥυθμὸν gignant, vt poëtica *pedum* obseruatio metrum effigit: verùm potiùs, quia quasi *pedes* est, hoc est, quia humi graditur, neque habet carminum sublimitatem. Fusè hàc de re Guil. Budæus epist. ad Salmonium Macrinum, quæ in libro primo Latinarum eius epistolarum exstat. *Pedestria* auspicia, Festo teste, *nominabantur, quæ dabantur à vulpe, lupo, serpente, equo, cæterísque animalibus quadrupedibus*. A *pes* quoque sunt *bipes*, *tripes*, *quadrupes*, pro quo in vett. codicibus legitur, *quadripes* per *i*. siue eà formâ, quà *bipes* & *tripes* dicimus: siue ex vulgari more, quo *i* pro *u* ponebant: quomodo & scribebant *periclum*, pro *periculū*, teste Velio Longo. Est à *pede*, & *sequor*, *pedisequus* & *pedisequa*. in quibus contra vett. codd. fidem S vulgo geminare solent. A *pede* quoque est *impedire*, vt Græcis ἐμποδίζειν. Quanquam nec absurdè deducas à πεδάω, id est, *pedicis vincio*. Sæpe enim Δ abit in L. vt δίσκω, *disco*, κάναστρον, *canistrum*, &c. Malim tamen à *pedibus* deducere. Hinc *impedimenta*: quæ antiquè *impelimenta*, teste Festo. D sæpe abit in L: vt ab Ὀδυσσεὺς, *Vlysses*, à δάκρυμα, *lacryma*. Iisdem à *pedibus* *Præpedire*: quo vsus Plautus, Casina, iii. v. item Terent. Heautont. Lucret. lib. iii. Cicero, in Rabiriana, cuius est *morbo præpeditus*. Contrarium istis est *expedire*. Donatus, ad Hecyram, v. i. *Expedire* dicitur, qui pedem retentum liberat. Dicitur & *compedire* pro pedes ligare. Varro Flextab. περὶ ἀναγωγῆς, apud Nonium: *Domo exeo, intro, & pedes corrigiis compedio*. *Compeditus* legas apud Plautum, Menæch. i. i. Catonem, cap. lvi. l. vii. §. Idem Labeo, ff. de dolo malo. In Glossis quoque est, *compeditus*, διόπεδος. A *compediendo* potius *compedes* dictas, Nonio placet, quàm (quæ Isidori sententia est, lib. v. cap. xxvii.) à *continendis pedibus*: ac mouet Nonium, quòd *compedes* etiam pro *manicis* ponantur; vt illo Varronis in Promethei lib. i. *Ego infelix non queam vim propulsare, atque inimicum Orco immittere? nequicquam sæpe aratas manu compedes conor reuellere*. Ita eum locum emendo. In vulgatis est *manus* pro *manu*. Falli autem puto, qui *impedio*, *expedio*, *compedio*, *præpedio*, venire velint ab antiquo *pedio*, quod à *pes*. Neque enim constat, quemquam *pedio* dixisse. Eóque potiùs dicendum, *compedio* esse à *compes*: *præpedio* à *præpes*: ac similiter ab inusitatis *impes* & *expes* venire *impedio*, & *expedio*. A *statione pedum* est *stapes*. Pro quo & *stapia* est in vett. inscript. & fortasse Hieronymum, in epist. Veteres eâ caruisse, patet ex statuis equestribus. Qua de re plura Torrent. in Sueton. Cal. & Marcellus Donat. in eundem. Franciscus Marius Grapaldus, lib. de partibus ædium *stapedes* maluit, quàm *stapes*. Sed *stapedes* nihilo magis analogiæ repugnat, quàm *stapes*.

PESCIA, à πέσκος, vel πέσκεα quæ vt ex Hesychio & Suida constat, idem sunt ac πόκος, hoc est, *vellus*, *pellis tondenda*. Imò & πέσκος sit à πόκος, inserto Σ. πόκος autem à πέκω, *tondeo*. Festus: *Pescia in Saliari carmine Ælius Stilo dici ait, capitia ex pellibus agninis facta, quod Græci vocant pelles πέσκεα neutro genere pluraliter*.

PESSVLVS est *obex*, siue id, quo obducto fores clauduntur. Vt ex Terentiana constat Eunucho. Duos ferè obdebant, qui securiores esse vellent: vnus superior, alter inferior. Plaut. Aulul.

Ostium intus ambobus occlude pessulis.

Appuleius, lib. iii. *Et cum dicto pessulum iniectis, & vncino firmiter immisso sit ad me reuersa*. Glossæ: *Pessulus*, μοχλίσκος, κλεῖθρον. At aliæ: *Mandalus*, μοχλός. Nomen *pessuli* non à *pede* quasi *paruus pes*: vt cum Papia Perottus putauit. Sed neque diminutiuum est à πεσσὸς; quæ aliorum opinio est. Verùm est à Dorico πάσσαλος, *paxillus*, *clauus ligneus*: vt bene vidit Muretus, lib. xii. Var. Lect. cap. ix. Vt ab ἰταλὸς, *vitulus*, sic à πάσσαλος, *pessulus*. Πάσσαλος est à Dorico πάσσω, siue πάττω, pro πήσσω, siue πήγνυμι, quod idem ac πήγνυμι, *compingo*, *pango*, *figo*. Hoc autem à ΠΗΓΩ, *impegit*, siue *incidit in aliquem*.

PESSVM *premere*, & *pessum dare*, siue vnicâ voce *pessumdare* (nam nunc coniunctim, nunc diuisim legitur hæc vox in vett. libris) idem sunt quod *perdere*. At *pessum ire* vel *pessum abire*, significant *perire*. Non tamen hæc propria significatio est; sed sumta tralatio à re maritimâ: quod origo indicat. Est enim *pessum* à βυσσὸς, quod Ionicum pro βυθὸς, Suida teste. Υ abit in E, quomodo à ῥυμὸς est *remus*, à ῥυμουλκῶ, *remulco*. Π verò in Β mutatur, quâ ratione à πύξος est *buxus*; à πυῤῥὸς, *burrus*; ab ὑπὸ, *ab vno*, *sub*, &c. Idem comprobatur loco Plauti, Cistell. Act. ii. Sc. i.

Maritimis moribus mecum experitur: ita meum frangit amantem
Animum: neque, nisi quia miser non eo pessum, mihi vlla abest.
Perdito pernicies.———

Ac similiter vsurpatur. Rudente, Act ii. iii.

Nunc eam cum naui scilicet abiisse pessum in altum.

De piscina similiter vsus Trucul. Act. i. i.

Quasi in piscinam rete qui iaculum parat;
Quando abiit rete pessum, tum adducit funem.

Hæc satis ostendunt, quæ propria ac natiua sit eius vocis significatio. Quare non assentio Mureto, qui *pessum*, ac *pestis*, ab eodem verbo πέζειν deducit. Nec magis placet, quod Pontanus in Actio scribit, *pessum* à *pes* dici, quasi *sub pedibus*. Sanè hoc si esset, *pessundare* propriè esset *calcare*. Quare si *pessum* à *pes* placeat deducere, non tam *sub pedibus* signabit, quàm *versus pedes*. Nempe vt *horsum* valet hoc versum; *aliorsum*, alio versum; *prorsum*, prouersum: sic *pessum* sit pedes versum: eóque *pessum* pro *persum* dicetur. Quæ aliter se habere, pluribus monstrare nihil attinet. Tantùm nunc sententiam hanc refellam auctoritate veterum Criticorum, qui in pereruditis illis Gloss. Philoxeno

tributis. *pessum* exponunt βυθὸς καὶ βύθιος. *pessumdo* autem βυθίζω, καταποντίζω, quod est, *demergo, perundo*: vnde & *pessum mergere* dixit Prudentius contra Symmachum. Vnde vocis proprietatem non difficilè cognoscimus. Sed si non placeat a Græco βυθὸς deducere: potiùs erit eiusdem originis ac *pondus* quod dicitur quasi *pendus* à *pendo*. Nam pessum it, quod ob pondus fundum petit. Iuxta hanc sententiam quam in Grammaticis Institutionibus Grosippus, siue Scoppius, amplectitur, *pessum*, literæ mutatione dicetur à supino *pensum*, proptereque sit *grauis*, *ponderosus*. Vt apud Plautum Sticho:

Vtra conditio est pensior, virginem an viduam habere.

Cuius sententia erit, *Vtra plus pendet, vtra pregrauat, præponderat*. Vnde *pensum* siue *pessum ire* ei propriè est *pondere suo deorsum ferri*. Qui volet, amplectatur: mihi magis placet, vt *ire exequias* dicimus pro *ad exequias*; *ire Romam*, pro *ad Romam*; sic *ire pessum*, dici pro *ad pessum*, id est, *fundum*; quem Græci βυθὸν dicunt, vnde *pessum*. Porrò à *pessum* fortasse haut malè deducamus *pessimus*, quasi quod *pessum dari*, siue vt Plautus loquitur, *pessum premi* dignum. Ab eodem fuerit *peior*, κατὰ συγκοπὴν ex *pessior*, qui nempe ratione à *magnus* factum videtur *maior* pro *magior*. Nunnesius tamen putabat, pejor esse ex χείρων, nempe vt χ abeat in *p*: quomodo fortè a χηλὴ, *pila*, cum dicitur de saxis litoreo muro præstructis.

PESTIS quibusdam placet esse à *pessum*, quia funditus tollat. At Muretus ad Catullum ita dici putat παρὰ τὸ πίπτειν, eodémque à fonte censet esse ipsum *pessum*, vnde *pessumdare*. Sed *pessum* aliunde originem ducere, ostendimus, suo loco. *Pestis* verò meliùs fortasse deducas ab Hebræo סף, *consumsit*: vel, quæ soceri mei Francisci Iunii sententia erat, à *perdendo*, vt κατὰ συγκοπὴν factum dicatur è *perestis*. Sanè antiqui, Festo teste, pro *pestilentia* dixere *pesestas*. Quod videri possit dici pro *perestas*. Nam R & S commutari solent. A *pestis* est *pestilens*, vnde *pestilentia*, quæ vox, quia repugnat metro hexametro, pro eo Lucretius lib. VI. sæpius *pestilitas* dixit, quasi a *pestilis*, quomodo à *docilis* est *docilitas*; à *nobilis*, *nobilitas*. L. pen. Cod. ædil. act. restit. *Pestilus fundus, id est, pestibulas, vel herbam letiferam habens*. Ita legendum, ex vett. libris docuit Cujacius, Obseru. lib. XVI. cap. XXIV. Vulgo legitur, *Pestilens fundus, id est, pestibiles herbas vel letiferas habens*. *Pestibulas* appellat natricum serpentúmque *pestes*, vt loquitur Columella. Nempe à *peste* fit *pestibula*; vt à *naue*, *naustibulum*, teste Festo.

PETAMINARIVS, vel potiùs *petaminarius*, factum ex Græco πετάμενος, hoc est, *volans*: ac à Claudiano designatur hoc versu:

Et qui more auium sese ejaculantur in auras.

A Manilio item cùm lib. V. ait:

Et vibrata volant pennis, & in aëre ludunt.

Quem ad versum pleniùs eos ex Claudiano Scaliger descripsit. Vsi *petaminarij* voce Firmicus & Saluianus. Hic lib. VI. de vero iudicio & prouidentia Dei: vbi iungit cum *athletis*, *pantomimis cæterisque*, vt cum eo loquar, *portentis*. Firmicus verò vsurpat, lib. VIII. cap. XV. quod est de delphino oriente in octaua parte Capricorni: vbi itidem iungit cum petauristariis & similibus θαυματοποιοῖς. Vt hic *petauristarius* pro *petaurista*, sic *petaminarius* pro *petameno*.

PETASVS, πέτασος, à πετάννυμι, id est, *extendo, dilato*. Caussa nominis est, quòd *latos haberet margines*, quemadmodum videre est in imaginibus Mercurij, qui *petasatus*: vnde sic de eo Athenæus, lib. XII. Καὶ τὸν πέτασον ἐπὶ τῇ κεφαλῇ, καὶ τὸ κηρύκειον ἐν τῇ χειρί. *& petasum in capite, & caduceum in manu*. Aliud est à *pileo*, cùm hic non habuerit latos margines, sed similis fuerit pileolis nostris dormitoriis aut nauticis. Intelligo autem vulgarem *pilei Romani* formam. Nam *pilei Thessalici* iidem erant qui *petasi*: qua de re eruditè H. Iunius lib. II. Animaduers. cap. VI. Quædam etiam de *petaso* legere est apud Pierium, lib. III. ἀμφιλόγων, cap. XXVIII. sed ea nec terunci sunt: nec maioris multo, quæ inibi de *ephebia* dicit, quod mira inconstantia, nunc *lupanar* fuisse vult, nunc negat. Vtebantur *petasis* longum iter facientes: vnde Plautus Pseudolo, Act. II. Sc. IV.

Etiam opus est chlamyde, & machæra, & petaso.

Sermo est impostoris, ea poscentis, vt peregrè aduenisse Athenas videretur. Quam rem pluribus illustrat Petrus Victorius, Var. Lect. lib. I. cap. vlt. A *petaso* dicta herba *petasites* ob foliorum latitudinem. Vide Dioscoridem, lib. IV. cap. CVIII. Πετάννυμι verò, seu πετάω, est à פתח, quod est *aperire, soluere*. Nam quæ expanduntur & explicantur, ea aperiri ac solui opus est.

PETAVRISTA, πεταυριστής, vnde dicatur, Festus docet his verbis: *Petauristas Lucilius a petauro appellatos existimare videtur, cum ait*:

Sicuti mechanici, cùm alto exiluere petauro.

At Ælius Stilo, quod in aere volent, cum ait: Petauristæ proprie Græci, quod πρὸ τὰς αὔρας (ἢ ποτὶ αὔρας) πέτονται. Puto autem & Lucillium, & Ælium rectè sensisse. Nam *petauristæ* quidem a *petauro* dicuntur; *petauro* autem nomen παρὰ τὸ ἐν ταῖς αὔραις πέτασθαι. Erat enim *petaurum* machina in sublimi suspensa, ex qua se in aëra siue auras excuterent, atque in terram deuolarent. Quod indicat Iuuenalis, sat. XIV.

An magis oblectant animum iactata petauro
Corpora, quique solet rectum descendere funem.

Item Manilius, lib. V.

Corpora quæ valido saliunt excussa petauro.

Plura de *petauristis* Scaliger ad Festum. Habet & alteram πέταυρον significationem, quia & ita dicitur *pertica*, vel *asser super quem de terra volitans gallina*, vt *illic dormiant*, ἢ τὰς ἀσσαμίδας ἐφ' ὧν ἐγκαθεύδουσιν αἱ ὄρνιθες, vt ait Pollux. Quod & πέτευρον dicitur, vt ex Hesychio discimus.

PETILVS quid sit, nec inter veteres satis conuenit. Festus: *petilam suram* exponit *siccam & substrictam*. Sed addit, Scæuolam putasse, *petilam* dici *vngulam equi albam*. Nonius cum Festo conuenire videtur. Nam *petilum* exponit *tenue & exile*. Qua notione & Galli dicunt *petit*, quod absque dubio ex *petilus*. *Petili* voce sic vsus Lucilius:

Insignis varis & cruribus atque petilis.

Volunt esse ab Hebræo פתה, quod exponunt, *paruulus*. Sed potius significat *simplex*, *imperitus*, *fatuus*. Quare potiùs sit à πιτάκιον, *folium*. Hoc enim *exile*. *A* in *i* abit, vt κάναστρον *canistrum*.

PETO ab αἰτῶ, præmisso P, vel potiùs à ποθῶ, id est, *desidero*, vel, quod Scaligero visum, ab obsoleto verbo πόθω, vnde fit πόθος, *desiderium*. A *peto* est *petulcus*, & *petulans*; de quibus seorsim. Et *petisso*, vel *petesso*; vt à *lacio*, *lacesso*. Item *Peta Dea*. Arnobius, lib. IV. *Putationibus arborum Puta præsto est: rebus petendis, Peta*. A *peto* sunt *agripeta*, *lucripeta*, *cœnipeta*, & quod in Glossis Isidori legas, *Veneripeta*. Ab eodem est *appeto*, vnde *appetitus*, & *appetones*; quomodo *appetitores* Laberius appellat, teste Nonio. Item *oppeto*, quasi *contrà peto*; vnde est, quòd in rebus aduersis locum habet, vt *oppetere mortem*. Omnino fallatur, qui compulsus loco Seruij ad I. Æneid. ab *ore* dictum censeat, quasi *oppetere* sit *ore terram petere*. Nec enim id omnes faciunt, qui *mortem oppetunt*. Et Seruius apertè addit, non esse compositionem, sed etymologiam, hoc est, allusionem etymologiæ aliquid simile habentem. Aliter si etymologiæ voce vsus Seruius, falsus & ipse. Eiusdem originis est, *suppeto*, hoc est, *leniter peto*: *appeto*, hoc est, *desidero*; *competo*, hoc est, *vnà peto*. Sed quia quod quis *appetit*, circa id versatur, eique imminet, indè accipitur *appetit* etiam pro *appropinquat*, *instat*. Et quia cum altero petit, moribus quodammodo conuenit, hinc *competit* vsurpatur pro *congruit*. Et quia quod petitur, sæpius impetratur: indè *suppetit* pro adest quasi quod petendo sit impetratum. Vnde *suppetiæ*, quas sibi *suppetere* rebus aduersis periclitantes expetunt. Item *impeto*, vnde *impetus*, quia violentè quis alium petit, & inuadit. Scaliger aduers. Card. Exercit. CCCVII. III. *Est propius ad nanciscendum verbum PETO quàm verbum VOLO. Itaque IMPETVM quoque appellatum inuenimus, & apud Græcos ὁρμήν*. Pro eodem & *impes* dixere antiqui, vnde *impete* apud poëtas, pro *impetu*. Glossæ: *Impete*, ὁρμῇ; Ab eo est *impeteius*, vt à *lege leguleius*: Glossæ exponunt βίαιος; nisi à verbo *impeto*, quia *impetit*: vt *satureia* herba, quia *saturat*. Item ab eo est *impetibile*, quod impetitur, vt cùm Solinus de Chamæleonte ait, *Impetibilis est coruaci*. Præterea *impetibile* dicitur, quod est turpe, quia id petitioni ac reprehensioni obnoxium est. Vsus hoc pacto Apuleius, in Apol. *Sceleri*, inquit, *nefando, immani, impetibili*. Eodémque modo locutum Symmachum, obseruat ad hunc locum Scipio Gentilis. Sed & *impetibile* accipitur pro eo, quod frustra quis impetat. Glossæ, *Impetibile*, ἀνεπιχείρητον, ἀνεπιτήδειον. Vsus Solinus, cap. XLIII. Ab *impeto* quoque est *impetigo*, quod corpus impetat, & infestet, scabiei instar. Serenus Sammon.

Si verò vitium est, quod ducit ab impete nomen,
Hâc matutinâ poteris cohibere saliuâ.

Glossæ vett. *Impetigo*, λειχὴν, λέπρα. Onomast. *Impetigo*, ἀλφὸς, λειχήν. Pro eo & *depetigo* dixere, teste Festo. Lucilius apud Nonium:

Ilnuntes, scabies, oculos huic dêque petigo
Conscendere.———

Nam *dêque petigo* per tmesin dixit, pro *& depetigo*. Falsus Nonius, cùm hinc *petigo* dici colligeret. Vt autem à *petendo*, *de-*

petigo, ita ab eodem, *petimen* pro vlcere iumenti: si recta est interpretatio Festi, quem vide.

PETORITI vox à Græcisne sit, an Gallis dubium. Si à Græcis fuerit ab Æolico πίσυρες pro τέσσαρες, non autem à πέτομαι id est, *volo*: vel πέτευμαι & Latino *rota*, ob *volucres rotas* quod quendam censuisse scribit Agellius, lib. XV. cap. XXX. Sin sit à Gallis, quod Varronem XIV. rerum diuinarum censuisse, ibidem ait Agellius, videri possit esse à *pedar*, quod Britannis *quatuor*. Nam olim eadem Celtarum & Britannorum lingua, vt sylua quadam vocabulorum in Britannia sua comprobat Cambdenus, & ex eo in Cosmographicis P. Merula. Ratio nominis vtrobique eadem. Est enim genus *carri quadrirotis*. Capiunt ex his lucem verba Festi: *Petoritum, inquit, & Gallicum vehiculum esse, & nomen eius dictum existimant à numero quatuor rotarum. Alij Oscè, quòd ij quoque petora quatuor vocent. Alij Græcè, sed Αἰολικῶς dictum.* Puto has sententias non difficulter conciliari, si dicamus, origine esse Græcum, Gallos verò accepisse à Massiliensibus, qui Græcè loquebantur. Quod si est, respondendum quod à *pedar* deriuant planéque ab Æolio πίσυρες fuerit. Sic *sagum bulga*, & alia tribuunt Gallis, quæ tamen illi acceperant à Græcis.

PETRA, πέτρα, pro quo & Atticè πέτρος dicitur: vt Moschopulus tradit. Sed πέτρα est *saxum vastæ magnitudinis*: at πέτρος, *lapis est exiguus*: & sæpius *pars grandioris saxi aut rupis*: quemadmodum docet Eustathius quoque in Iliad. N. A *petrâ* arietes vocantur *petrones* à Plauto, Captiuis, act. IV. sc. II.

Qui petroni nomen indunt verueci sectario.

Sententia est, qui *petronum* sine *arietum carnem* vendunt pro *veruecinâ*, quæ sapore magis commendatur. Sic autem *arietes* vocat à *duritie & asperitate, quâ referunt petram*. Nam Festus *rusticos* ait *petrones* dici, à *petrarum asperitate, duritiaque*. Estque à *petris*, *petro*; vt à *verris*, hoc est, *stipitibus*, *varro*, nec abludit multùm *rupex*, à *rupe*. A *petrâ* quoque dictæ *lampetræ*: nempe à *lambendis petris*. Eadem & *murena* dicitur à Græco μύραινα, vt monet Varro, lib. IV. de L. L. Vide hoc de pisce quædam non vulgaria apud Iosephum Scaligerum, lib. I. Auson. Lect. cap. XXVI.

PETVLANS, à *petendo*, teste Festo & Isidoro, in X. Caussa ex eo, quòd alios contumeliis atque iniuriis impudenter petat. Similitérque *procax* dicitur à *procando*, id est, *petendo*.

PETVLCVS, qui petit, vt *hiulcus*, qui hiat; Charisio teste lib. I. Sic Festus: *Petulantes & petulci etiam appellantur, qui proteruo impetu & crebro petunt lædendi alterius gratiâ.* Seruius, in IV. G. *Hædique petulci: id est, lasciui & exultantes; & petulci dicti ab appetendo: vnde & meretrices petulcas vocamus.* Onomast. *Petulcus*, ἀσελγής.

PHÆCASIVM, φαικάσιον, *calciamenti genus*, vt discimus ex Polluce, lib. VII. cap. XXII. & illo Senecæ, lib. VII. de benef. *Pythagoricus quidam emerat à sutore phæcasia.* Pollux ostendit eo vsum esse Eratosthenem in Mercurio:

Πίλημα ποδὶ ῥάψαντες ἐλαφρὸν φαικάσιον,

Soleam olim suebat leuis phæcasij.

Vbi cum φαικάσιον dicatur ἐλαφρὸν, facilè iis subscribo, qui arbitrantur φαικάσιον venire à φαικὸς, quod est, ἐλαφρός; ita enim exponit Hesychius. Idem tamen docet φαικὸν etiam esse λευκὸν; eóque & ab hac notione videri possit nomen accepisse à φαικὸς, quâ notat *album*, vel *candidum*. Nam *phæcasia* alba erant, saltem illa, quibus sacerdotes vtebantur, vt ex Appiano & Herodiano cognoscimus. Philosophorum enim *phæcasia* (vt Pythagorici illius Senecæ memorati) colorem fuisse nigrum, non inficior. Sacerdotes Alexandrinos, atque etiam Atheniensium candidis vsos esse, scimus ex lib. V. Appiani de bello ciuili. *Phæcasiis* induti *phæcasiati* dicuntur Hieronymo contra Iouinianum. Item *Phæcasianos* Deos dixit Iuuenalis sat. III. quod simulacra deorum in Græcia cum *phæcasiis* fingerentur.

PHALANX, φάλαγξ, Macedonibus (vt Curtius inquit) vocatur *peditum stabile agmen, quando vir viro, arma armis conserta sunt.* Amplior tamen militum numerus in *phalange*. Nam vt Vegetius, lib. II. de re militari cap. II. continebat *phalanx* VIII. hominum millia, cùm legio tantum VI. millibus constaret. Accuratè verò imprimis *phalangem* Polybius descripsit. Sic dici φάλαγξ ex Suidæ sententia videtur, ἀπὸ τοῦ πελάσαι ἄγχι, *quod propius accedat*. Est enim agmen confertum, ac perpetuo velut textu vmbonum iunctum consertúmque; quod Græci dicunt συνασπισμός. Cæterùm habet & *phalanx* aliquot alias notiones. Ac pro diuersa significatione aliam aliámque originem adfert Etymologus. Vide eum in φάλαγξ.

PHALERÆ, à Græco φάλαρα, conuerso *a* in *e*; quomodo à ταλαντον, est *talentum*; à καμάρα, *camera*, &c. φάλαρα quid & vnde sit, docet Etymologus: φάλαρα, inquit, τὰς περικεφαλαίας, ἀπὸ τοῦ φάους ... ἢ τὰ φάλαρα, ἀπὸ τοῦ φάος, φαλὸς, καὶ φάλαρον. Et paullò pòst: φαλὸς, ἀντίδοσις ... φάος, ... φάλαρα, ... τὴν λαμπρότητα, ... φαλαρὰ ... Μεταφορικῶς hæc vox vsurpatur pro *rebus externis*, quæ animi bonis opponuntur. Pers. sat. III.

Ad populum phaleras: ego te intus & in cute noui.

Ac obseruauit Casaubonus, eopse modo locutum Plutarchum, lib. de amore diuitiarum: ... τὰ φάλαρα ταῦτα, ... Hinc *phaleratus*, *phaleris* insignis, & πεφαλαρωμένος, *dicta phalerata*, apud Terent. Phorm. act. III. sc. II. Donatus interpretatur *honesta atque ornata*.

PHANTASIA, φαντασία, ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι, quia species rerum quas sentimus, vel etiam sentire nos putamus, intus apparent. Φαίνω quasi φαένω à φάος, à quo & φάνος. *Phaethon*, φαέθων, quasi φάος ἔχων. Contractè φάος φῶς dicitur, vnde Lucifer φωσφόρος, *Phosphorus*. At φάος omnino est à φάω, *splenduit*, *illuxit*. Vnde & φέγγος, *splendor*; φέγγω, *splendeo*.

PHARETRA, φαρέτρα, quæ dicta ἀπὸ τοῦ φέρειν, iuxta Suidam siue ex φέρω, *fero*; & τράω, *vulnero*, secundùm Eustathium; quia *ferat tela vulnerantia*.

PHARMACVM, vox media est, quales multas recenset Gell. lib. XII. cap. IX. Notum nomen illud: φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά. Pro significatione diuersa, si Grammaticos audimus, diuersam habet originem. Eustathius in Iliad. I. pag. DCCLXIV. ... : *pharmacum media dictio, in malam partem accepta dicitur ab afferendo dolorem: in bonam ab afferendo remedium.* Similiter Nonius auctor est, *medicamentum* vocem esse mediam: ac eiusdem ac *medicinam* originis esse non diffitetur. Sed quando pro *veneno* accipitur, putat esse a *Medis*, apud quos plurima sint *venena*. Vnde Maro:

Media fert succos tristes, tardumque saporem

Felicis mali. ———

Sed omnino, & Latinæ, & Græcæ vocis origo est eadem, sea in bonam, seu in malam accipiatur partem. *Medicamentum* enim est à *medicando*. *Medicor* à *medicus*. *Medicus* à *medeor*. Hoc satis ex ἀναλογίᾳ vocum cognoscitur. Φάρμακον autem à præterito πεφάρμαχα elisio ε φαρμάσσειν prima sua notione signasse videtur *medicari*, hoc est, *mederi*, vel *veneno nocere*. Postea autem pro *fucare*, vel etiam *assentari* accipi cœpit. *Pharmaca qui vendit*, φαρμακοπώλης Aristophanis Scholiastes in Nub. φαρμακοπώλας ... τοὺς γοητευτὰς, καὶ τοὺς θαυματοποιούς. Sed olim aliud *pharmacopoles*, quàm hodie. Nunc etiam simplicia diuendunt atque ex medicorum præscripto *pharmaca* concinnant. Olim simplicia diuendebant *seplasiarij*, qui Græcis ῥιζοτόμοι. *Pharmacopolæ* autem non ex alieno agebant præscripto, sed ipsimet remedia concinnabant, venaliáque habebant: quales nunc *medici circumforanei*, qui per fora atque vrbes cursitant, & peritiam suam ac remedia iactando simplici popello sublinere os solent. Itaque sic se habet *pharmacopola* ad *medicum*, quasi eius quædam simia foret. Vnde Maximus Tyrius orat. I. Μιμεῖται ... καὶ φαρμακοπώλης ἰατρὸν ... καὶ συκοφάντης ῥήτορα, καὶ σοφιστὴς φιλόσοφον. Sic vsum liquet Catonem apud Gellium, lib. I. cap. XV. *Itaque auditis, non auscultatis, tanquam pharmacopolam, nam eius verba audiuntur: verùm ei se nemo committit, si æger est.*

PHASELVS, siue *faselus* (vtroque enim modo scribitur.) Straboni φάσηλος. Vsi, præter Sallustium, Maro & Horatius. Ad illum Seruius monet, esse *breuem nauiculam*. Ad hunc scribit Acro, esse *nauem velocem & oblongam*. Nonius Marcellus dicit esse *nauigium Campanum*. Quod ad etymon, apud Isidorum legimus, lib. XVII. cap. X. *Faselos vocari aiunt à Phaselo insula Græciæ, vbi non procul mons Olympus est.* Sed loquitur Isidorus eo capite de oleribus: eóque *phaseolos*, quod legumen est, scripsit. Sed si eiusmodi insula est, ab ea quoque *nauigium* hoc nomen accepisse, à vero non abludit. Sin eiusmodi insula non est (quod verius puto,) dicere licebit *phaselo* nomen esse à פסל, *dolauit*, *sculpsit*: nempe quâ ratione à σκάπτω, hoc est, *fodio*, *cauo*, venit σκάφη, *scapha*. Etiam existimare aliquis possit, *phaselo* nomen esse à figura leguminis, quod Græcis φάσηλος, Latinis diminutiuâ formâ *faseolus* nominatur. Φάσηλον hoc *vasis* genus vocant Polemo, Epicharmus, Demetrius: vt Athenæus ostendit, libro II. Dioscorides Romano more φασίολον vocat. Aliqui generali nomine dixere λοβὸν, quod propriè *siliquam* signat. Gloss. *Faseli*, λοβοί. *Passilos* pro eo legas in antiquis Plinij codd. Et videtur ita scripsisse Glossarum auctor: vt è vett. membranis Salmasius obseruauit, & or-

dine

dine ipso literarum liquet. Sic enim scriptum fuit: *Passiolus* λοβός. *Passim*, πανταχοῦ. *Passio*, πάθος.

Phasianis nomen dedit *Phasis* Colchidis amnis, ad cuius ostia frequentes conueniunt, à Græcis proditum est. Martialis in Xenijs, lemmate *Phasiani*,

Argiuâ primum sum transportata carinâ,
Ante mihi notum nil nisi Phasis erat.

Phiala, φιάλη. Eustathio in Il. ψ. dicta videtur quasi πιάλη, quia indè liceat πιεῖν ἅλις. Alijs placet per ἀφαίρεσιν factum ex Hebræo סף, vnde & σκύφος, ac *simpulum*, de quibus suo loco. A φιάλη est φιαλῶ, quod inter alia notat ἐπιβαλεῖν τῷ ἔργῳ, *accingere se ad opus*. Ita vsus Aristophanes εἰρήνῃ. Assentio autem ijs, qui volunt, priùs dictum de *libatione phiala*, postéaque vsurpari cœpisse de *quolibet opere*, quod qui incipit, id quasi *delibare* videtur.

Philtrum, Gr. φίλτρον à φιλῶ, id est, *amare*; vnde Martiano ad verbum dicitur, *amatorium*. Ac similiter Glossæ veteres exponunt. Horat. *desiderij poculum* appellat, libro Epod. oda XVII. *Desiderique temperare poculum*. Quod verò ad vim, quam *philtris* tribuunt vulgò, id planè esse anile commentum putant viri quidam eruditi. Apponam solius Andr. Dudithij verba ex epistolâ eius ad Nicol. Taurellum. *Φίλτρα vt amorem cuiquam ingenerent, non fit mihi verisimile. Affectus enim hic ab intellectu ac voluntate in nobis, in cæteris animantibus à natura instinctu, atque intelligentiá illá non errante (quamuis etiam in nobis omnia illinc) proficiscitur. Nulla me cogat herba, nulla φαρμακεία, vt vel amare vel odisse quemquam velim.* Hæc ille. Sed si dæmonibus vis in *phantasiam*, quid si dicamus nihil quidem præstare *philtrum*, attamen eo ebibito diabolum in *phantasiam* amorem odiumve ingenerare? Notum quam multa à magis fiant, quibus vim adscribant, cum tamen ea non fiant vi rerum, sed ob pactum, diabolo clam callidéque agente, quod rebus adscribitur.

Philyra pro *membrana* vel *papyro* vtimur, Plinij exemplo, cuius hæc verba, lib XIII. cap. XI. *Præparantur ex eo* (de *papyro* Babylonio sermo est) *charta diuisa acu in prætenues, sed quam latissimas philyras*. Quod verò sic accipitur, hoc indè est, quòd antiquitus ex arboribus, ac imprimis è *tilia* arbore, quæ Græcis φίλυρα dicitur, *tabellas* soleant conficere, quibus rasis ceram infundebant, vt in his acutâ styli parte (æneum id instrumentum erat) exararent: & inuersâ, quæ latior erat, inducerent. A qua consuetudine etiam est appellatio *codicis*, *codicillorum*, *tabellarum*, & *tabellariorum*. Suidas: Φιλύρα εἶδος δένδρου ἔχον φλοιὸν βύβλῳ παπύρῳ ὅμοιον. Vetus Horatij interpres in od. vlt. lib. I. *Philyra est cortex tiliæ arboris*. Ὑποβολιμαῖος Septimius Romanus, qui Dictym Cretensem interpretatus dicitur, in vita eius scriptoris: *Sex volumina in tilias digessit, phœniceis literis*. Et epistola ad Arcadium: *Libros ex philyra in lucem producturi*.

Phœniceus, siue *pœniceus*, aut *puniceus*, aut, vt Appuleius loquitur, *puniceus*, color est qui Græcis φοινικοῦν χρῶμα. Ea appellatio est à nomine φοῖνιξ, quo & *palma arbor*, & *ramus* eius, & *fructus*, & Hesychio teste, etiam *color fructus* denotatur: quomodo *equus* Homero dicitur φοῖνιξ, id est, *Phœnicei coloris*: ac similiter eam vocem vsurpat Apicius, capite περὶ ἀμύλου, & μελανουρίδι. Valde hæc confirmat Agellius, lib. II. cap. XXVI. *Nam Phœniceus, quem tu Græcè φοινικοῦν dixisti, noster est & rutilus & spadix phœnicei συνώνυμος, qui factus Græcè noster est, exuberantiam splendorémque significat ruboris, quales sunt fructus palmæ arboris non admodum sole incocti, vnde spadicis & phœnicei nomen est. Spadica enim Dorici vocant auulsum è palma terminem cum fructu.* Malunt aliqui hic scribere absque spiritu *puniceus*. Nam, inquiunt Latini eum omittunt, quomodo *Pœnus* dicunt, & *Puniceus*, à φοῖνιξ. *Pœni* enim à Phœnicia erant, quæ Græcè Φοινίκη. Sed cogitare debuerunt, vt Græcis, sic & Latinis, & *Phœnicopterus* dici & alia id genus. Quamquam autem & *phœniceus* & *puniceus* sint à φοῖνιξ, tamen Latini videntur diuersimode vsi. Nempe vt *phœniceus* dilutior aliquanto sit, quam *puniceus*: eóque *phœniceum* equum dixerint vt Gellius *equum*; Seianum ait fuisse *phœnicei coloris*, lib. III. cap. IX. at eum *puniceum* (etsi interdum ita legere sit) non dicam; non magis sanè quam *coccineum*. *Phœniceus* hic color vulgo à *castaneæ colore* vocatur *castaneus*. Veteribus aliter, non solùm *spadix*, sed & *badius* vocatur. Qua de re suo loco. Ab eodem colore putant aliqui nomen esse *Phœnicis*, aui fabulosæ, quæ sexcentos sexaginta annos viuere creditur. Sed alijs placet, sic vocari à φόνος, *cædes*, quia *purpurei* sit *coloris*, qui & *sanguinis*: vnde Poeta,

Purpuream vomit ille animam. ———

Alij malunt sic dici, quia vti *palma arbor*, ita & *auis* ista emoriatur, ac renascatur ex se ipsa. Quam nominis caussam etiam adfert Plinius, lib. XIII. cap. IV. Ex φοῖνιξ qua *colorem* notat *puniceum*, & πτερὸν, quod est *penna*, conflatur φοινικόπτερος, *pennas habens punicei coloris*. Huic nomen datum aui cerui vicinius linguam præcipui esse saporis indicat Apicius, Plinio teste. De ea ita Martialis:

Dat mihi penna rubens nomen: sed nostra gulosis
Lingua sapit, quid, si garrula lingua foret?

Idem Martialis, lib. III. epig. LVIII.

Argutus anser, gemmeique pauones,
Nomenque debet quæ rubentibus pennis.

Phonascus, φωνασκὸς, quasi *vocis exercitator*, à φωνὴ, & ἀσκέω. Ita vsus Suetonius, cùm Neronem ait, nihil seriò iocóve egisse, nisi adstante *phonasco*, qui moneret parceret arterijs. Interdum hoc quoque nomine vocatur is, quem Plato, lib. VI. de legg. χορῶν ἄρχοντα & διδάσκαλον. Aristoteles, vel quisquis auctor libelli de mundo, κορυφαῖον, hoc est, *præcentorem in choris*, prout interpretatur Appuleius, qui & *ducem carminis* nominat, eodem libro. Ita vsurpat *Phonasci* vocabulum Varro ὄνῳ λύρας:

Phonascus adsum, vocis suscitabulum,
Cantantiumque gallus gallinaceum.

Phrasis, Gr. φράσις, quod Latinis *dictio*, siue *stylus*: à φράζω, hoc est, *edissero*. Aliud enim est, quam λέξις, etsi discrimen non obseruetur. Vnde & Cicero *Periphrasis* nomen interpretans in Oratore, cum id ait à *loquendi diuersitate* accepisse. Φράζω à פרש, id est, *exponere, declarare*. A qua voce etiam nonnulli Φαρισαίους dictos existimarunt, quod essent *diuinæ legis interpretes*. Sed Φαρισαῖος, pro quo & Φαρισέος, sed rariùs, inuenias, venit à Syriaco פרישׁ, conuerso Scheua in *A*, quemadmodum in plurimis alijs. Hebraice pro eo dicitur פרושׁ, & in pluratiuo פרושים, vnde esset *Pharuseus* per *V*. Apud Iustinum Martyrem & quosdam alios repertas Φαρισσαῖος gemino SS, sed refragante Hebræâ Syráque voce. Est autem פרושׁ siue *Pharisæus*, à פרשׁ, non quà *explanare* siue *declarare* significat, vt quidam putarunt; qui sic dictos tradunt, quia penitiùs alijs legem exponant: sed quà notat *diuidere* siue *separare*. Non tamen *pharus* tantum *separatum* signat, sed & *sanctum* ac *purum*. Quare bene Hesychius. Φαρισαῖος, ἀφωρισμένος, μεμερισμένος, καθαρός. Sed prior significatio est primaria, altera μεταφορική. *Pharisæis* nomen est à priori, hoc est à *separatione*: nempe quia à populo separat: sunt tum sanctimoniâ ac munditie, tum dignitate tum peculiari habitu ac vestitu. Hæc vera nominis ratio est. Epiphanius, Ambrosius, & plerique alij veterum, volunt *pharisæi* nomen esse ab Hebræo פרץ, quod rectè interpretantur ἀφορισμὸν, siue *diuisionem*: sed פרושׁ indè esse nequit, cùm illud scribatur per *Sade*, hoc per *Sin*. Plura de nominis etymo Drusius, lib. II. de tribus Iudæorum sectis, cap. II & III. Quando primo cœperint *pharisæi*, & cuiusmodi eorum dogmata fuerint, aliáque huc pertinentia copiose libro apud eundem legere potes, imprimis cap VII. & XIV

Phrenitis, φρενῖτις, dicitur vel ἀπὸ τῶν φρενῶν, id est *diaphragmate*, siue *septo transuerso*, quia ab eius vitio affectus hic interdum existit: vel potiùs ἀπὸ τῆς φρενὸς, hoc est, *mente*, quia in ea mens semper læditur. Hinc φρενῖτις Plinio, lib. VII. cap. I. dicitur *sapientia morbus*: vt *mania* eidem est *furoris morbus*. Iuuenalis pro *phrenitin* dicit *phrenesin*, Sat. XIV.

Cum furor haut dubius, cum sit manifesta phrenesis.

Et ante eum Seneca, lib. I. de Ira cap. XIII. *Dic & phrenesin & insaniam viribus necessariam, quia sæpe validiores reddit.* Etiam Varronis versiculus est:

Phrenetici septem triones filij.

Vbi Græci maluissent per *I*. Quamquam in Glossis quoque Cyrilli sit φρενητικὸς, *phreneticus*. Vtrumque autem & *phrenesin*, & *phreneticus* Latini formarunt tanquam à φρενέειν, quod valeat *mentis impotem esse*. Nempe à φρὴν, *mens*. Verùm Græci verbum illud φρενεῖν ignorant. Sed à φρὴν fecere φρονεῖν, quod contrarium signat: putà *sapere*. Estque φρὴν ab Hebræo פנים, vnde & πινυτὸς, non à πνέω, vt volunt, nam omnino πινυτὸς à πινύσσω factum κατὰ συγκοπήν. Hesychius: πινυτὸν, εὐσύνετον. πινυτὸς, ἔμφρων, συνετός. Idem antè πινυτὸς exposuerat, σώφρων, συνετός, vt & πινυτὸς, σύνεσις, ac πινύσσω, συνετίζω.

Phrygiones dicti à *Phrygibus*, qui artificio vestes acu pingendi nobiles erant, atque adeò artem hanc inuenisse existimantur: vt auctor est Seruius, ad III. & IX. Æneid. & Isidorus, lib. XIX. cap. XXII. Imò idem Plinius tradit, lib. VIII. cap XLVIII *Acu facere Idæi Phryges inuenerunt: idéoque Phrygiones appellati sunt.* Sic enim locum corrigo ex veteri mea Parmensi anni CIↃCCCCLXXVI. In Dalecampiana pro *Idæi* malè editum, *id*. Vsus præter alios Titinnius Barbaro apud Nonium:

Phrygio fui primò, benéque id opus sciui.
Reliqui acus aciasque hero atque heræ nostra.

Item Varro Κοσμοτορύνη. *Phrygio qui puluinar poterat pingere, soltar lautabat.* Ita apud Nonium legi debere monet Scaliger in Coniect. Eadem de causâ dicti *barbaricarij*, vt Donatus scribit ad illud II. Æn.

Pictus acu tunicas & barbara tegmina crurum.

Nam *Phryges* κατ' ἐξοχὴν dicti *Barbari*, quâ de re pluribus egimus in Oratorijs, lib. IV. cap. X. Etiam vide quæ de *barbaricarijs* diximus voce *Barbarus*.

PHTISIS, φθίσις, ἀπὸ τοῦ φθίειν, siue φθίνειν, quod est, φθινύθειν, hoc est, *consumere*, siue *extenuare*. Dicitur & φθόη à φθίω, hoc est, φθίνω. Vtrumque nomen est ab effectu. A caussâ verò coniunctâ nominatur πύα, nempe à πύος siue πύον, hoc est, *sanguis purulentus*; vnde πύωσις, *suppuratio*; ἄπυος, *purè carens*.

PHYSETER, φυσητὴρ, ex balænarum genere est, inque mari Gallico & Indico inuenitur, &, vt testatur Strabo lib. III. à φυσᾶν, quod est *flare*, nomen habet, eò quòd non ore, sed *fistulis* quibusdam in vertice prope oculos positis ingentem aquarum vim eructet. Meminit eius Seneca, in Hippolyto vers. CIↃXXV. Vide è iunioribus, Rondeletium, lib. XVI. cap. XIV. ex antiquis, Strabonem dicto libro, & XV. Ælianum, lib. III. de hist. animal. cap. XVIII. Arrianum, in Indicis, Plinium, lib. IX. cap. XV. Solinum, in Polyhist. cap. LV. Oppianum, lib. I. Halieut. qui eum φυσαλον vocat; vti φυσαλος Ælianus, nempe ab eodem φυσᾶν. In quibusdam Solini MSS^ti^ pro *physeteras* legas *physetas*, quod sit à recto *physetes*, Græc. φυσητής.

PICA, à *colorum varietate* quibusdam dicta videtur, nempe ex Græco ποικίλα, id est, *varia*. Vel è Latino *picta*, eliso *T*. At Isidorus mirificè, lib. XII. cap. VII. *Pica*, inquit, *quasi poetica, quòd verba exprimant*. Persius:

Quòd si dolosi spes refulserit nummi,
Coruos poetas & poetrias picas
Cantare credas Pegaseium melos.

Sed *pica* est à κίττα, quod idem notat; T abit in P, more Tarentino, vt à πᾶς *pano*, à τέτταρες πίσυρες, vnde *petoritum*. Vel si ob μετάθεσιν, quâ præterea opus, id durius videtur, dic, *picam* venire à *picus*, quòd similitudine aliqua *picum* referat. *Picus* autem vnde nomen habeat, in *Pellecanus* diximus. Iuniores *picam* etiam vocant, quam Plinius *grauidarum malaciam* appellat. Faciunt autem imitatione Græcorum, qui κίτταν itidem appellant. Caussa tralationis est, vel ex eo, quòd vt *pica* varij est coloris, ita prægnantes, quæ morbo hoc laborant, varia appetant: vel ex eo quòd & *pica* terram mandat. Quam caussam & Galenus adfert. Vide quæ de hac voce scribit Marsilius Cagnatus, lib. III. Var. Lect. cap. XV. & Vlysses Aldrouandus, lib. XII. Ornithologiæ, capite XI. Vbi & alias nominis caussas ex vett. adducit.

PICEA vel est à πεύκη, mutato ευ in ι breue: vel à *pice*, quam fundit: vti & *pinus*, quæ itidem Græcis videri possit πίτυς appellata, à πίττα, id est, *pix*. Plura vide in *Pinus*.

PIGER quibusdam placet esse à *piget*, quia ob *pigri* segnitiem dolemus. Nam differunt *pudet*, & *piget*, quòd illud *rei turpitudinem*, hoc *animi dolorem* respiciat: vt scribit vetus Terentij interpres. Sed magis placet, *piget* esse à *piger*, quia *piget laboris, quando ad eum pigrior segniórque fio*. At *piger* planè est à פגר, vel פגר, hoc est, *debilitari, tardari, pigrescere*. Vnde & פגר, *corpus viribus defectum, cadauer*. Et sanè *pigrum* non iniuriâ habere liceat pro *cadauere* animato, *ac inutili terræ pondere*. A *piger* est *pigreo*, vnde *pigresco*. Dixere & *pigrare* pro *pigrum esse*. Attius Erigonis apud Nonium:

——*Fateor: sed cur propter te pigrem*
Hac, aut huiusce dubitem parcere capiti?

Idem Chrysippo ibidem:

Melius pigrasse, quam, properâsse est nefas.

Lucretius, lib. I.

Quo nisi pigraris, paullúmve recesseris ab re.

Repigrare vsurpat Appuleius, cùm alibi (vti I. Met.) tum VIII. Met. *Cum & ipso lumine dirarum bestiarum repigratur impetus.*

PIGNVS videtur esse à *pago*, seu *pango*, quia pactionis lege datur. At putabat Pomponius Iurisconsultus dici à *pugno*, quia quæ pignori dantur, manu soleant tradi. Ac videtur hoc confirmare discrimen, quod nonnulli (quos & secutus Fungerus) statuunt inter *pignus*, & *hypothecam*; vt nempe *pignus* sit rei mobilis; *hypotheca*, immobilis. Latinis tamen *pignus* tam rei immobilis est, quam mobilis: vti & Græcis ὑποθήκη. Dicitur autem *hypotheca* siue ὑποθήκη, ab ὑποτιθέναι, hoc est, *supponere*, vnde titulus ille, *De rebus eorum qui sub tutelâ sunt, non alienandis vel supponendis*. Ac *creditor* quidem ὑποθέμενος, *debitor* ὑποτιθεὶς dicitur, vt ex Æschine & Demosthene probat Budæus annot. prioribus in Pandectas, vbi pluribus de *pignoris, pigneranaí* & *pigneratoris* vocibus tractat. Obliquus rectis *pignus* apud priscos erat *pignesis*. Nam, vt Festus ait, *pignesa* veteres dixere pro *pignora*, vti *Ausesis*, *Valesis*, *Fusis*, *Papisis*, quæ posteriores per R extulere. Apud Festum vulgo legitur *pignosa* per O, sed puto *pignesa* dixisse, quia & *pignera* dixere pro *pignora*, vnde *pignero*, & *oppignero*. Fallitur Agrætius, cum scribit, *pignera* esse rerum, *pignora* filiorum & affectuum. Nam, vti ex ijs constat quæ diximus, non magis hæc distant, quàm *benus* & *bonus*, *hemo* & *homo*, *Apello* & *Apollo*, similiaque sexcenta.

PILA priori porrectâ, nunc *mortarium* notat, seu vasis genus, in quo aliquid tunditur: nunc pro *structurâ* erectâ ad aliquid sustinendum. Priori notione aliqui arbitrantur, contractum esse ex *pisula*, quod à *piso*, hoc est, *pinso*: quia *pistillo in ea pinsitur*, hoc est, *tunditur*. Aliqui verò deriuant à πιλεῖν, id est, *densare*: quia quæ tunduntur, condensantur. Posteriori verò acceptione ab *opponendo* dici, ait Festus, eò quòd parietem sustentet. Sed quæ similitudo inter hasce voces, *pila*, & *oppono*? Omnino igitur verisimilius Festus scripsisset, ab *oppilando*. Nempe vt sit à *pilare*, siue πιλεῖν, quod est *stipare, densare, firmare*. Becmano tamen placet, esse ab פלך, id est, *pila*: quod ab פלך, hoc est, *exstruxit*. Mihi neutrum placet; sed cogitanti, Græcis ὅλμος dici, tum de *mortario*, tum *ligno lapideve terete, & oblongo, cylindri formâ*, item de *ipso cylindro*, planè fit verisimile, *pilam* quoque primò dici de *mortario*, aut *cylindro*. Indè autem de *structurâ* illa erectâ ad aliquid sustinendum confirmandúmque, nempe quia ligni aut lapidis teretis & oblongi, quo in mortario tunditur, vel cylindri habeat figuram. Differunt *pila*, & *columna*, quòd columnæ vno constent scapo, hoc est, lapide oblongo perpetuo: pilà verò extruantur ex lapidibus, cæmentis, aut lateribus; vnde & *columna structilis* vocatur ab Vlpiano. A *pila* est, quod Belgæ *pilaer*, seu *pylaer* dicunt. Nisi fortè fiebant ex *pilate*, lapide, de quo Festus: *Pilates genus lapidis*, cuius meminit Cato lib. Originum V. *Lapis candidior, quàm pilates*. Sed obstat huic sententiæ, quòd nihil tale Vitruuius, & alij. Porrò reperio & tertiam huius vocis notionem. Nam *pila* etiam dicuntur saxa illa, quæ præstruuntur muro littorali ad frangendam vndarum vim, murúmque ab ijs defendendum. Ita vsus Maro in IX.

Qualis in Euboïco Baiarum litore quondam
Saxea pila cadit, magnis quam molibus ante
Constructam iaciunt ponto.

Describit *pilas* Columella, lib. IX. *Praiaciuntur in gyrum moles. Sic enim maris atrocitas obiectu crepidinis frangitur.* Græci *pilam* vocant non tantùm προβόλημα, sed etiam χηλήν, vnde Suidas exponit πὸς τῶν λιμένων ἐξοχάς. Sed accuratiùs Scholiastes Thucydidis in lib. I. vbi definiuntur χηλαὶ οἱ ἔμπροσθεν τοῦ πρὸς θάλασσαν τείχους προβεβλημένοι λίθοι διὰ τὴν τῶν κυμάτων βίαν, μὴ τὸ τεῖχος βλάπτοιτο. Nempe vti *pilam* antea descripsimus. Itaque doctissimo viro Petro Nunnesio Valentino videtur, *pila* hac notione esse à χηλὴ, χ in *p* conuerso: nempe vti χ in *b* abit, cum à χολὴ fecere *bilis*. Hactenus de voce *pila* priori longâ. At *pila* priori correptâ si Isidorum audimus, lib. XVIII. cap. LXIX sic dicatur, quia sit *pilis plena*. Ita propriè sit τριχίνη σφαῖρα. Vel nomen sit ex eo, quia fiat è πίλῳ, hoc est, *lana coacta*: quod à πιλεῖν, id est, *condensare*. Vel à πίλος sit, significante *pilam*, quam significationem Eustathius in Od. II. pag. CIↃDLIV. agnoscit. Vbi vt sic veteres dixisse ostendat, adfert è Suida: Ἡ Λάγαινα σφαιρίζουσα, ὄλισθεν εἰς τὸ πλῆμ. Sed ibidem legas, σφαῖραν Græcis quidem aliter dici πίλον ἀπὸ τοῦ πιλεῖν. Romanis verò dici πίλαν, ὥσπερ τινὰ συγχεόμενον τοῦ ι πρὸς τὸ α. Hesychio quoque est, Πάλλα, σφαῖρα ἐκ ποικίλων νημάτων πεποιημένη. Propterea censeo, *pila* esse à πάλλα, pro quo Æoles πόλλα vnde sit *pola*. Veteres enim non geminabant consonantem. A *pola* autem sit *pila*, vt à κόνις, *cinis*. Veteres *pola* dixisse, arguunt hæc Festi verba: *Polit, pila ludit*. Vbi vulgo *pollit*. Sed *polit* est in schedis Farnesianis. Hæc imprimis sententia placet, etsi nec longè abeat πόλος, vnde sit *pila*, vt *lana* à λῆνος. Πόλος ἀπὸ τοῦ πολεῖν dixere de rebus *rotundis*: vt de *cœlo*. Item de *capite humano*, vt ex Hesychio in *Polus* ostendimus. Imò vt Græci πόλον, ita Latini etiam *pilam* de *capite* dixere. *Pila* enim à rotunditate dicta simulacra capitum humanorum, quæ Laribus Compitalibus soleant suspendi: vt docet his verbis Festus: *Pila, & viriles & muliebres effigies, in Compitis suspendebantur, Compitalibus ex lana, quòd esse Deorum inferorum hunc diem festum, quos vocant Lares, putarent: quibus eo die tot pila, quot capita seruorum; tot effigies quot essent liberi, ponebantur: vt viuis (sic enim inuocantur) parcerent, & essent his pilis, & simulacris*

mulacris contenti A pila, & *crepando*, est *pilicrepus*; quod legere est apud Senecam, epistola LVI. & in vet. inscriptione pag. DCXXXVII. ed. Grut. num. 1. Idem est qui *pilarius*, vt exponitur in Glossis Isidori. Ita autem, vt censet Turnebus, lib. VII. cap. IV. vocantur, qui datatim *pilâ* ludunt: idque vel quòd *pilas crepent*, vel quòd, *crepante pilâ*, ludant quod paullo ante balnea facere solent, vel dum hypocausta & sudationes calescunt. *Piludios* vocat Firmicus. Aliter tamen Cœlius Rhodiginus, lib. XXX. cap. XIX. Hieronymus Mercurialis, lib. I. artis gymnasticæ; & Ioannes Sauaro, ad ep. II. lib. II. Sidonij, qui *pilicrepos* dictos putant, qui in balneis *pilas* pice illitas in vaporarium coniicerent, vt incalescerent.

PILENTUM vehiculi genus, fortè quasi *bene pilatum* ac compactum. De eo sic Festus: *Pilento & carpento per vrbem vehi matronis concessum est, quod, cùm aurum non reperiretur, ex voto, quod Camillus voverat Apollini Delphico, contulerant.* Onomast. *Pilentum*, ματρωνικὸν ὄχημα. Vsi Maro, Liuius, alij.

PILEUS, nec quia *pilos tegat*, nec quòd ex *pilis fiat*: sed à Græco πῖλος, quo propriè signantur *coactilia*, vulgo *feltra* appellant. Sed μετωνυμικῶς eo pro *capitis integumento* vsus Hesiodus, ἐν ἔργοις.

> ——— κεφαλῆφι δ' ὕπερθεν
> Πῖλον ἔχειν ἀσκητόν. ———

Et Aristot. lib. V. de generat. animal. cap. V. διὸ συμβαίνει τὰς τρίχας πίλοις ἢ καλύμμασι πολιοῦσθαι θᾶττον; *citius canescere pilos, pileo vel integumento alio tectos.* Hinc ὑποκοριστικῶς πιλίον, & πιλίδιον, quo vsus Plato, III. de Rep. *Pileum* est à Græco πιλίον, quod propriè *pileolum* notat, sæpe tamen vsurpatur pro primigenio πῖλος, hoc est, *pileus*. Sic scribit Plutarchus in T. Q. Flaminio, de ciuibus Romanis seruitute exemtis: ὥσπερ ἔθος ἐστὶ τοῖς ἐλευθερουμένοις, ξυράμενοι τὰς κεφαλὰς, καὶ πιλία φορεῖν. Vbi πιλία simpliciter est *pilea*. Duplicem autem morem tangit Plutarchus. Vnus est, quòd *impositione pilei* seruis conferebatur libertas: vnde Liuius & alij μετωνυμικῶς dicunt *vocare ad pileum seruos*. Alter est, quòd hanc *pilei* impositionem antecedat rasura, quæ fiebat in templo Deæ Feroniæ; vt scribit Seruius in VIII. Æn. Caussam adfert Nonius voce *liberi*: *Qui*, inquit, *liberi fiebant, ea caussâ, calui erant, quòd tempestatem seruitutis videbantur effugere, vt naufragio liberati solent.* Subiicit deinde locum hunc Plauti ex Amphitr. I. I.

> *Vt ego hic hodie raso capite caluus capiam pileum.*

Quod verò de naufragis ait Nonius, id disertim testatur Lucianus in fine Hermotimi, & Artemidorus, lib. I. cap. XXIII. Sed redeamus ad *pilei* vocem, vt *pileus* a πιλίον, illud a πῖλος; sic hoc à πιλῶ, quod est πυκνῶ, *condensare*: vnde dicta ἐμπίλια, *impilia*, de quibus seorsim. Item Latinum *pilare*: vnde *oppilare*, *pilata agmina*, aliaque. Erat autem vulgaris *pilei Romani* forma non absimilis *pileolis* nostris *dormitoriis* aut *nauticis*. Diuersi ab iis erant *pilei Thessalici*, qui latos habebant margines ad faciendam vmbram. Videntur autem iidem esse ac *petasi*; qua de re eruditè H. Iunius, lib. II. Animaduers. cap. VI. Quando verò Romani, qui nudo alioqui capite prodibant, *pileis* vti soleant, egregie docet I. Lips. lib. de amphith. cap. XIX. & XX.

PILO nunc corripit primam nunc producit. Cùm corripit, est à *pilus*, ac tum notat *pilos accipere* tum *pilos euellere*. Festus: *Pilat, pilos habere incipit: aliàs pro detrahit pilos, à quo depilati.* Nonius: *Pilare dictum est, vt plumare, plumis vestiri.* Afranius *Compitalibus*: *Præterea corpus meum nunc pilare primum cœpit.* Similitérque Accius dixit: *Tunc primùm pilabant genæ.* Et Martialis, lib. XII. Ep. XXXII.

> *Summœniana, quæ pilantur vxores.*

At *pilare* primâ porrectâ, vel *densare* notat vel *furari*. Hinc *compilare* dicuntur fures: Gloss. Philox. *Compilat*, συλᾷ, ψιλίζει. Quæ interpretatio non est eiusdem verbi. Nam *compilo* mediâ longâ est συλᾷν; breui autem, ψιλίζειν, hoc est, τὰς τρίχας ἀποτίλλειν. Priori modo vsus Horat. lib. I. sat. I.

> *Formidare malos fures, incendia, seruos*
> *Ne te compilent, fugientes.*

Eadémque notione dicitur *suppilare*. Plautus, Asin. *Ille crastor suppilabat me.* Cæcilium quoque ac Pomponium similiter locutos, docebit Nonius. Imò & simplex sic vsurpat Ammianus, lib. XXXIII. *Castra inimica pilantes.* Vnde hâc notione descendat, non constabat inter veteres. Eiusdem esse originis, seu corripiatur, seu producatur, censebat Asconius in III. Verr. *Compilaris*, inquit, *est pilos peruelleris; sic fraudauerit furto, vt ne pilos quidem in corpore spoliatis reliquerit.* Item Nonius, cùm ait: *Suppilare est inuolare, vel rapere, à pilorum rapiu, vnde & furtum passi compilati dicuntur.* Quod etymon satis aptum: nec video, quid præter modulum syllabæ obduci queat. Interea modulus is apud me tanti est, vt Asconio, Nonióque, subscribere minimè ausim. Censeo igitur hâc notione esse à πιλῶ vel πιλέω, quod est *densare constipare*. Nempe à more furum, cùm occultare furta student. Vel hac significatione fuerit à Græco φιλήτης, quod κλέπτην, siue *furem*, interpretatur Hesychius. Fauet huic sententiæ Festus, qui ait: *Pilare & compilare à Græco trahitur. Græci enim fures φιλήτας dicunt.* Vsus φιλήτου voce Hesiodus, & quanquam velint id vocabulum dici παρὰ τὸ φιλεῖν; tamen ἀναλογία facit, vt verisimiliùs putem, quemadmodum à φιλέω est φιλήτης, sic φιλήτης, esse ab obsoleto φιλάω, φιλῶ, vnde remanserit *pilo*, *compilo*, *suppilo*, pro *furari*. Nam Φ in P mutare solent cùm Æoles, tum eorum imitatione Romani, vt φοῖνιξ, *Pœnus*; ἀφύη, *apua*; φαινόλης, *pænula*, &c. At cùm *pilare* aut eius deriuata compositáque *densandi* significationem habent, tum quidem à πιλῶ venire dubium non est. Inest ea notio *oppilandi* verbo, quo Lucretius vsus, lib. VI.

> *Fluctibus aduersis oppilare ostia contra.*

Et Tullius, in Ant. II. *Nisi ille se sub scalas tabernæ coniecisset, hisque oppilatis, impetum tuum compressisset.* Ac clariùs quoque ea significatio paret, cùm *pilata agmina* dicuntur pro *pressis densisque*, item *compilatim* pro *densè*. Illustrem hîc de notione adferam locum Seruij è quo simul perspicere erit quantoperè super eius verbi proprietate trepidarint antiqui. Sanè ad illud XII. Æn.

> ——— *Pilatáque plenis*
> *Agmina se fundunt portis*: ———

Sic scribit Seruius Danielis: *Pilata, hoc est, pilis armata, quidam hoc loco pilata agmina non à genere hastarum positum adserunt, nam paullò pòst dictum inferunt, defigunt tellure hastas: sed pilata densa, spissa, vt implere portas potuerint, & postea se in loca apertiora diffundere. Alij pilatum agmen dicunt, quod in longitudine directum est, quale solet esse, cùm portis procedit, vel certe pilata fixa & stabilia, vel à pilo quod figit, vel à pila structili, quæ fixa est & manet, nam & Græci res densas & artas πιλητὰ dicunt.* Ennius *Saturarum* II.

> *Contemplor inde loci liquidas pilatásque ætheris oras,*

Cùm firmas & stabiles significaret, & quasi pilis fultas. Hostius *belli Histrici primo*:

> *Percutit atque hastam pilans præpondere frangit.*

Pilans, hoc est, figens. Idem: *Sententia præsto pectore pilata, hoc est, fixabilis.* Asellio *historiarum tertiarum*: *Quartum signum accedebat siue pilatim, siue passim iter facere volebat.* Scaurus *de vitâ suâ*: *In agrum hostium, veni, pilatim exercitum duxi, hoc est, strictim & densè, nam vbi propriè de genere hastâ loquitur, ait*:

> *Pila manu, sæuósque gerunt in bella dolones.*

Varro *rerum humanarum duo genera agminum dicit, Quadratum, quod immixtis etiam iumentis incedit, vt vbiuis possit considere. Pilatum alterum, quod sine iumentis incedit, sed inter se densum est, quo faciliùs per iniquiora loca tramittatur.* Hactenus Seruius.

PILUM pro *telo Romano à feriundo* dictum, ait Varro, IV. L. L. *Similiter*, inquit, *ab omine pilum, quod hostes periret* (al. *feriret*) *vt perilum.* Isidorus, lib. XI. cap. I. ita censet vocari, quòd formam haberet *pila*, in qua pigmentum seu medicamentum contunditur. Mallem dixisset a similitudine *pili*, quo in mortario tunditur. Hac notione *pilum* (pro quo vsitatum est *pestillum*) κατὰ συγκοπὴν fieri arbitror è *pisillum*, nempe à *piso*, pro *pinso*, vnde *pisum*, *pisillum*, *pilum*, eâ ratione, qua ab *axilla* est *ala*. Nam *axilla* nomen esse diminutiuum, certissimum est, ex iis quæ suo loco hac de voce diximus. *Pisillum* verò à *piso*, vt *pistillum*, à supino *pistum*, quia eo *pisetur* siue *pinsatur*. Plinius, lib. XVIII. *Pisente pilo præferrato.* A *pilo* pro *telo* dicti *pilani*. Festus: *Pilani, pilis pugnantes.* Vtitur Ouidius, lib. III. Fastorum. Ab eodem dicti *Pilumni*, vel à *pellendo*. Idem Festus: *Pilumnœ poplœ in carmine Saliari, Romani, velut pilis vti adsueti: vel quia præcipuè pellant hostes.* At *Pilumnus*, pistorum Deus, ita dictus, à *pilo pistorio*: nisi (quia idem erat infantium Deus, quorum mala pelleret) à *pellendo* ita vocatum malis. Vtrique sententiæ fauent verba Seruij, in X. Æn. *Varro*, inquit, *Pilumnum & Picumnum infantium Deos esse ait, eisque pro puerpera lectum in atrio sterni, dum exploretur, num vitalis sit, qui natus est. Piso Pilumnum dictum, quia pellat mala infantia. Sed Pilumnus idem Sterculus, vt quidem dicunt, qui propter pilum inuentum, quo fruges confici solent, ita appellatus est.*

PILUS à *pelle*, vnde prodit. Ita Isidorus, lib. XI. cap. I. item Perottus. Sed fortasse à πτίλον, *pluma*. Nam quod in piscibus *squamæ*, in auibus *plumæ*, hoc ferè in pedestribus *pili*. Quare aut verum est, quod dixi; aut saltem, & *pilus*, & πτίλον, à communi origine descendunt. A *pilus* est *capillus*, de quo superius.

PINCERNA, Budæo lib. de asse dictum videtur à πίνειν & κερῶ siue κεράω, quia *miscet vinum vt bibatur*. A κερῶ siue κεραννύω

οἰνοχόος malim, quia in secunda E effertur. Neglexit hanc vocem in Thesauro suo Robertus Stephanus, credo quia Budæo suspecta est. Sed non est, quod de Latinitate eius ambigamus, si eâ vsus Asconius in præturâ vrbanâ. Interea non desunt complures alij modi, quibus id munus exprimatur. Horat.

Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur vnctis?

Suet. in Cæs. *Sed C. Memmius etiam ad cyathum & vinum Nicomedi stetisse obiecit.* Catull.

Minister vetuli puer Falerni.

Vti Paulino siue alij in vita Ambrosij, *vini minister*. Simpliciùs quoque Plinio, Appuleio, alijs dicitur *potionator*; & in vett. inscript non semel SERVVS À POTIONE. In ijsdem est: SERVVS À LAGENA, siue vt in ipsa inscriptione est, LAGVNA. Sic enim habet. M. VLPIO AVG. LIB. PRADIMO DIVI TRAIANI AVG. À LAGVNA. Quod factum exemplo Græcorum. Illi enim λάγυνος dicunt. Itaque & doctissimus Angelus Caninius non à λάγυνος, vti alij, sed à ἄγγος deducit *lagenam*, credo quia alterum illud ei esset suspectum.

PINGO à φίγγω, quod à σφίγγω, *stringo*. Ita de vtroque Scaliger, cuius verba in *Fingo* adduximus. Vel potiùs est à πίναξ, quod *tabulam* signat, *in qua pingitur*: vnde pro *pictura* etiam sumitur. Hesych. πίναξ, ζωγραφία. A *pingendo* est toga *picta*, quæ & *palmata*. Vtriusque nominis caussa est, *quod victorias cum palmis intextas haberet*, vt scribit Isidorus lib. XIX. cap. XXIV. Antiquis tamen aliud fuisse *togam pictam* à *palmata*, indicant hæc verba Festi: *Picta quæ nunc toga dicitur, purpurea ante vocitata est, eáque erat sine pictura. Eius rei argumentum est pictura in æde Vertumni & Consi, quarum in altera M. Fuluius Flaccus, in altera L. Papirius Cursus triumphantes ita picti sunt. Tunica autem palmata à latitudine clauorum dicebatur, quæ nunc à genere picturæ appellatur.* A *pictum* est *pigmentum*, C in G conuerso. *Pigmenta* sunt χρώματα. Hinc *pigmentarij*, qui diuendunt pictoribus, vnde colores conficiunt. Sed hoc qui facerent, etiam thus, aliáque aromata, ac vnguenta diuendebant. Vnde *pigmenta herbarum*, pro herbarum speciebus, dixit Maternus Firmicus. lib. VIII. cap. XVII. *Marsi erunt, vel qui venenis ex herbarum pigmentis confectis salutaria soleant hominibus remedia comparare.* Atque indè & *pigmentarius* pro *aromatario* ac *pharmacopœo* accipitur. Glossæ Persij. *Per scombros significat salsamentarios; per tus, pigmentarios.* Firmicus: *Turarios faciet, vel pigmentarios, seu pharmacopolas.* Gloss. *Pigmentarius*, μυρεψός, φαρμακοπώλης, μυρεψός. Ex *pigmentarius* corrupta est vox recentioris Græciæ πιγμεντάριος & πιμεντάριος, quæ idem significat. Vsus Olympiodorus in Gorgiam Platonis, cùm alibi, tum cap. I. Ὁ μὲν ἰατρὸς ἐπιτάττει, ὁ δὲ πιγμεντάριος διακονεῖ τὰ πρὸς τὴν χρείαν ἐπιτηδεύων. *Medicus quidem præscribit; pigmentarius verò ministrat, ea quæ vsui sunt, apparans.* Sic in Lexico Stephani, μυρεψὸς, πιμεντάριος.

PINGVIS iuxta Scaligerum in Coniectaneis, à παχὺς, inserto N. quâ ratione & à δασὺς est *densus*, à σχίζω, *scindo*; à τότε, *tunc*, &c. Vel potiùs est à Græco πιμελής, quod idem significat. Et verisimile fit, ab eodem esse *opimus* præmisso O; vt in opinor à πίω. Πιμελὴ verò à פימה, quod notat *pinguedinem* [illegible].

PINNA nunc *conchæ* genus, quod & Græcis πίννα, nunc de *auium aut piscium pinnis* dicitur, éstque tum ab antiquo *pinnum* pro *acuto*: quod ipsum ab Hebræo פנה, hoc est, *angulus*, nempe ob *acumen* eius. Sunt & *turrium pinnæ*, quæ *pinnacula* vocat vetus interpres, eúmque secutus Erasmus. Sed meritò, an *pinnacula* Latinum sit, ambigas, quando veteres pro eo semper dicunt *pinnas*. Non abludit autem a vero, sic summas templorum turriúmque partes dici, quia sunt *acutæ & fastigiatæ*. Interim nec minùs verisimile videtur, cùm vt Latini *pinnas*, sic Græci dicant πτερὰ, & πτερύγια; communem hanc esse nominis vtriusque caussam; quòd *fastigium illud in suggrundijs repræsentabat formam aquilæ volantis*, vnde & ἀέτωμα dictum, & ἀετός. Sic enim Eustathius in Iliad. ω. pag. cIↄcccLII. vocari ait, μέρος τι τοῦ ναοῦ διὰ τὸ ἐοικέναι πτέρυξιν αὐτό. Atque hinc liquet, impropriè *pinnas* templorum dici pro *perismo circum pinnas, in quo poterat ambulari*. *Pinnæ* quoque dictæ *summitates, quæ fuere in galeis militum*: item *gladiatorum eorum, qui Samnites vocabantur*. Hinc, qui cum Samnitibus depugnarent, *pinniraphi* vocati, quòd *pinnam* appeterent raperéntque. Iuuenalis:

Pinniraphi cultos iuuenes, iuuenésque lanistæ.

PINSO, à Græco πτίσσω. Nam veteres *piso* dixerunt absque N, vt testatur Diomedes, cuius corruptum hac de re locum emendant Gaspar Schoppius, lib. I. Suspect. Lect. epist. XVI. & Isaacus Casaubonus, ad Persij illud, sat. I.

O Iane, à tergo quem nulla ciconia pinsit.

Gloss. vett. *Pisat*, πτίσσει. *Pisare* pro *calcare* dixisse antiquos, indéque *pisationis* apud Senecam legi, docuit ad Festum Scaliger. Adi & Turnebum, lib. Aduers. XX. cap. XXIX. & lib. XXVIII. cap. XI. Apud Plinium quoque, lib. XVIII. in melioribus codd. legitur *pisente ferro præferrato*. A *pinsendo*, *pistillum* dicitur, quo in mortario *pinsitur*, hoc est, *tunditur*. Ab eodem *pistori*, & *pistrino*, nomen. *Pistor* autem antiquitus idem, qui *coquus*, teste Festo. Varro περὶ Μισθοῦ. *Nec pistorem vllum nossent, nisi eum, qui in pistrino pinseret farinam.* Idem, lib. I. de vitâ pop. Rom. *Nec pistoris nomen erat, nisi eius qui far pinsebat.* Ante molas inuentas, Seruio teste, in pilâ conterebant grana, atque id *pisare*, vel *pinsere*, vocabant, post inuentæ molæ trusatiles quas & Plautus versauit, vnde *pistor* vocatur. Vterque labor operosus, vnde & *pistrinum*, συνεκδοχικῶς speciei, pro *quouis operoso labore* accipitur; vt apud Ciceronem de Oratore, *Tibi mecum erit, Crasse, in eodem pistrino viuendum.*

PINVS, à πίτυς. Glossæ Philoxeni: *Pinus*, πίτυς, πεύκη. De πεύκη rectè. Nam & Plinius, lib. XXIII. cap. II. ait; *Pinorum erucas, quas πιτυοκάμπας vocant.* At πεύκη est *picea*, siue, vt Plinius interpretari solet, *larix*: quæ etsi *piceæ* affinis, tamen & ipsa ab ea differt, quemadmodum idem Plinius docet. lib. XVI. cap. X. At longè etiam maius discrimen esse inter *laricem* & *pinum*, neminem puto ignorare. Hadrianus Iunius in Nomenclatore suo *Picea* interpretatur πίτυς, *pinus*, πεύκη, *larix*, λάριξ. At contrà *pinus* est πίτυς, *picea* est πεύκη, λάριξ autem Græcum non est. *Pityocampa*, cuius superiùs meminit Plinius, *eruca* est è pino nascens, à πίτυς, id est, *pinus*; & κάμπη, *eruca*. Venenatum est animal, & legibus prohibitum.

PIO venit à θύω, vt *fio* à φύω. Hoc discriminis est, quòd in *pio* præterea θ abit in *p*: Latini enim sæpè imitantur Æoles, qui pro θὴρ dicunt φὴρ, pro θλᾶν φλᾶν. Vel est *pio* à Cretico πῖος pro θεῖος. Vel est *pio* à *pius*; *pius* autem à θεῖος. Nisi *pius* potiùs à *pio*, hoc a θύω. *Piare* in Glossis exponitur ἁγνίζειν, καθαίρειν, ἐξιλάσκεσθαι. Indè *piatrix*, sacerdos, quæ expiare solet: vt ait Festus. Similiter in Onomastico legas: *Piatrix*, ἡ ἁγνίστρια. Ab eodem *piabile*, quod ibidem transfertur καθαρτέον. Item *piaculum*, quod Græcis ἄγος. Seruius, in VI. Æneid. *Piacula, commissa, propter quæ expiatio debetur.* Est hæc propria notio. Sed μετωνυμικῶς præterea sumitur pro *sacrificio*, *quo commissa expiantur*. Hinc *piaculare*, quod in Onomastico exponitur ἁγνιστικόν. De *piaculari auspicio*, & *porta piaculari* Festum vide.

PIPER κατ' ἀποκοπὴν à πέπερι, vt *mel* à μέλι. Hinc πεπερίζειν, *piper imitari*, quomodo *zingiber* πεπερίζον τῇ γεύσει dicit Dioscorides, lib. II. cap. CXC. Volunt esse à πέπτω, *coquo*, quia iuuat concoctionem. Sed est ab Indis, vnde appellatio ad Persas; hinc ad Græcos. Galenus ad illa Hippocratis στρογγύλον δ' μυρτίδιον annotat, ἔστι δὲ ἰνδικὸν, ὃ καλοῦσι Πέρσαι πέπερι. Nempe Persæ sic vocarunt, sed voce, quam acceperant ab Indis. Ac hodiéque, vt aiunt, barbari in Bengala longum piper *pimpilim* vocant. Alij aiunt, barbaris dici *pepili*.

PIPVLVS, teste Nonio, & Isidoro, in Glossis pro *conuicio* ponitur, vt cùm Plautus dixit Aul. act. III. sc. II.

——— Nisi reddi
Mihi vasa iubes pipulo hîc differam te ante ædes.

Est autem à *pipare*, vel *pipire*, quod a Græcis acceptum. Hesychius: Πιπίζειν τῶν νεοττῶν ἡ λέξις κατὰ μίμησιν τῆς φωνῆς. Vnde liquet esse verbum ὀνοματοποιηθέν. Propriè autem *pipare*, Nonio teste, dicitur de *voce pullorum gallinaceorum*. Varro Aboriginibus: *Mugit bos, balat ouis, equi hinniunt, Gallina pipat.* Ita eum locum distinguo, vt sit ex senarijs. Columella *pipio* pro eo dixit, lib. VIII. cap. V. *Die vndecesimo animaduertat, an pulli rostellis non percuderint, & auscultetur si pipiant.* Non tamen solùm gallinarum ea vox, sed & aliarum auium minutarum, vnde *columbarum* pullos *pipiones* vocat Lampridius in Alexandro. Similiter *pipiare*, seu *pipitare*, de *passere* dixit Catullus Epigr. III. qua de re & in *Bombus* dictum. Atque hæc de propriâ earum vocum notione: Κατὰ μεταφορὰν autem *pipis*, & *pipare*, Oscis notabat *cum eiulatu conqueri*, Festo teste, pro quo & veteres dicebant *obuagulare*. Aristophanes pro eo dixit [illegible], quod itidem est à *cantu gallorum*. Vide Scaligerum ad VI. Varronis, de L. L.

PIRATA scribitur, non *pyrata*. Est enim ex πειρατής, quod Hesychius exponit ὁ κατὰ θάλασσαν λῃστής, Suidas ὁ τῶν ἐπὶ θαλάσσῃ λῃστής. Qui & πειρατὴς deriuat à πεῖρα significante idem ac δόλος, ἐνέδρα, πεῖρα, vt πειραταὶ sint οἱ τῶν ἐπὶ θαλάσσῃ ἐργαζόμενοι. Alij malunt esse à περάω, id est, *transeo*, quòd nempe mare peragerent,

rent vnde &, Hesychio teste, σφενδάμνοι dicuntur, siue σφένδονοι, nempe à δίνη, id est, *gurges, vortex*. Alij ἀπὸ πετρῶν ... quia *eius ea expertur pericula*: quod postremum apud Rodolphum Agricolam legas, in notis ad Senecam, pag. LXXIV. Atque hoc præcipuè amplectimur. A πεζὸν verò πεζυγα, potius diceretur.

Pirvs, à πῦρ, id est, *ignis*, quod fructus eius flammæ instar è lato in oblongum fastigietur, ac protendat. Y in I transit, vt à φύω est *fio*. Isidorus, lib. XVII. cap. VII. *Pirus vocata videtur, quod in ignis speciem formata est; nam hoc genus pomi ab amplo incipit, & in angustum desinit, sicut ignis.* Nempe ab eâdem caussa *piro* nomen, & *pyramidi*. Sed in *pyramide* Y remansit, quia & Græci πυραμίδα vocant: in *pirus* non remansit, quia planè est Latinum. Nam Græcis *pirus* ἄπιος, vt *pirum* ἄπιον. Vel potiùs cùm *pirum* Græcis sit ἄπιον, fiet ab eo *pirum* truncato capite, vt in multis alijs: insupérque inserto R, quomodo à φάω, ac φάζω est φράζω; à κορίαννον, *coriandrum*; à φλίγω, *flagro*; à πύθω, *putreo*; à *tego*, *tergo*, iuxta Varronem, &c. Hæc si vera etymologia, rectiùs *pirum*, & *pirus*, scribatur per I. Sed vnde ἄπιος, id est, *pirus*? An ab *Apia* regione? an hæc ab ἄπιος? Sanè ab ἄπιος *Peloponensium* primò dictam *Apiam*, scribit Athenæus, lib. XIV. διὰ τὸ ἐπιδαψιλεύειν ἐν αὐτῇ τὸ φυτὸν, *quod planta hæc in eâ copiosè crescat*. Sed contrà apud Plutarchum, in Hellenicis legas, ἀπίους ab Ἀπίᾳ nomen esse impositum, cùm priùs ἀχράδες dicerentur. Ἀχράδες, inquit, ... ἐν Πελοποννήσῳ φανείσας τοῖς Ἕλλησιν, ἔτι τῆς χώρας καλουμένης Ἀπίας ... ὅθεν ἄπιοι ἀχράδες μετωνομάσθησαν. Quæ sententia verisimilior est. Nunc ἀχράς si...ur pro *pyro sylvestri*, quomodo etiam vtuntur Latini. Columellæ, libro X.

Palmitibúsque feris lætatur & aspera silvis
Achradas, aut pruna lapidosis obruta pomis
Gaudet.———

A *pirum* est *pirastrum*, hoc est, *pirum silvestre*. Gloss. *Pirastrum*, ἀχράς.

Piscis, quasi *pascis*, quia pascit hominem: vti & *pecus*, quod & ipsum propterea à *pascendo* quasi *pascus* dicitur. Ita de vtroque Isidorus, lib. XII. cap. VI. Sed vti ista nec assis sunt, ita vera nominis ratio satis est obscura. Interim verisimilius saltem deriues à πίω, vnde πίνω, & κατ' ἀναδιπλασιασμὸν πιπίσκω. Πίειν est *bibere*, πιπίσκειν autem διδόναι πιεῖν. Ratio fit, quia *pisces* in humido semper elemento agunt, ita vt *perpetuò bibant*. At acutè etiam Martinius deducit à Chaldæo פסס, *defecit*, *imminutum seu mutilatum fuit*. Nempe quia *pisces* quodammodo *mutili* videntur: quippe ἄποδες.

Pisinnvs factum videtur ex *pusillus*, L in N conuerso quarum literarum facilè vnam in alteram abire diximus in *Nympha*. Approbat hanc ἐτυμολογίαν Isidorus, lib. X. *Pisinnus à pusione dictus*. Vsus Labeo, Homeri interpres:

Crudum manduces Priamum Priamíque pisinnos.

Est & *pisinni papa* legere in Nouella Alexij Comneni, & in Photij Nomocanone, tit. I. cap. XXXIV. referente Balsamone. Cuiacius interpretabatur *minimissimus papa*, siue *clericus minoris ordinis*. Nam *clerici* omnes dicti *papa*, vt diximus in voce *Papa*.

Pisvm, πίσον, quod Eustathio dici videtur à πτίσσω. Eliditur T, quomodo & *piso*, & *pinso*, sunt à πτίσσω, quod idem notat. At planè fallitur Isidorus, lib. XVII. cap. IV. cùm legumini huic nomen datum putat à *Pisa* ciuitate.

Pitissare, siue, vt alij scribunt, *pityssare*, est *rorantibus*, vt loquitur Tullius, *& minutis poculis pergræcari*. Vsus est eo Terentius, Heaut. Act. III. 1I.

———*Pitissando modò mihi,*
Quid vini absumsit.———

Vbi sic Donatus: *Pitissare est parcè vinum gustare, quasi tentandi gratiâ*. Et mox: *Pitissando, id est, expressis labris expuendo, dum saporem vini probat*. Est *pitisso* non à πιπίζω, nec à πιπίσκω, id est, *potum præbeo* (quæ Becmani opinio est:) sed à πυτίζω, vnde ἐκπυτίζω, quod est, *pitissando exhaurio*. Sic vsus Alexis apud Athenæum, lib. III. Καὶ τὸν μὲν ἔξω οἶνον ἐκπυτίζομεν. Perperam verò confundunt πιπίζειν, & πυτίζειν, quorum illud notat *degustando bibere*, ac venit à πίω, *bibo*: hoc autem signat *sputo*, à πτύω, *spuo*. Illud verbale facit πίπισμα, quo signatur *leuis ac crebra bibitio degustantium vinum*. At ab hoc est verbale πύτισμα, hoc est, *expuitio*. Vsus eo Iuuenalis, sat. XI.

Qui Lacedæmonium pytismate lubricat orbem.

Vbi sic vetus Scholiastes: *Qui expuit supra marmor Lacedæmonium, quo stratum est pauimentum. Lubricare* igitur *pytismate pauimentum* dicit, qui exspuendo illud lubricum reddit. Ac vocat *pauimentum*, *orbem Lacedæmonium* vt & Seneca κυκλὸν appellat *orbem*: nempe ob *ouatas* (vt Plinius appellat) *figuras* quæ marmori inserebantur. Est igitur diuitis periphrasis quia omnes quidem *pauimentum lubricum reddebant pytismate*, sed soli diuites, *Lacedæmonium*: vt rectè obseruat Scaliger in notis ad Manilium Quia verò *pytismate pauimentum lubricum petat*, hinc postea excogitata pauimenta, quæ humorem statim imbiberent, ne madescerent. Vitruuius, lib. VI. *Ita conuiuijs eorum, & quod poculis, & pytismatis effunditur, simul atque cadit siccescit.*

Pitvita si coaceruatur, aut corrumpatur, multos morbos, sæpéque mortem adferre solet: eóque Ælio Stoloni videbatur sic dicta quia *petat vitam*. Quam etymologiam meritò improbat Fabius, lib. I. cap. VI. Græcis vocatur φλέγμα; quod (vt est in Etymologico magno) παρὰ τὸ φλέγω, κατ' ἀντίφρασιν. ψυχρὸν γάρ ἐστι. Verùm antiphrasis nihil est nisi inscitiæ asylum. Quare videndum, an non *pituita* potiùs dicatur à πίτυς, id est *pix*. Nempe quia *glutinoso lentore pici similis sit*. Atque hoc etymon firmat, quod eâpse de caussâ etiam *herba* genus dictum sit πίτυς, cuius tactu, si cum melle teratur, digiti cohæreat, Plinio auctore. Φλέγμα autem, vt ego quidem suspicor, non ita quidem dicitur, quia *sit per se igneum*: sed quia *per accidens causset febres*. Quippe φλέγμα ὀξὺ καὶ ἁλμυρὸν πηγὴ πάντων νοσημάτων, ὅσα γίγνεται καταρροϊκά: *pituita acida & salsa fons est morborum, quicumque è destillatione fiunt*: vt ait Plato in Timæo.

Pivs vnde sit, nondum reperi. Inde *Pietas*. Et *piare*. Plautus, Asin Act. III. Sc. I. *Vbi piem pietatem*, id est, *propitiam reddam*, siue, vt Nonius explicat, *colam*. Ab eo est *piaculum*. Item *impiare*, & *expiare*: quæ contraria sunt. Nam *impiare* primò signat *impiè agere*: quomodo vsus Plautus. Hinc Festus, *impiatus*, *sceleratus*: & Gloss. vett. ἀσεβῶ, *impior*, *impie facio*. Ac quia scelera polluunt; hinc *μιαίνω* signat *contaminare*. Appuleius, lib. I. *Vt me adhuc credam cruore esse humano adspersum & impiatum*. Sidonius, lib. III. epist. XII. *Quæ fuit caussa, vt locum auderent vacantem corporum bainuli rastris funeribus impiare*. A *pio* est *piaculum*, vt à *sustento*, *sustentaculum*; à *specto*, *spectaculum*. Eóque minùs placet sententia Nunnesij. *piaculum* deducentis à μίασμα, quod idem notat: nempe vt μ abeat in p, quomodo & à λήμων putat esse *lippio*.

Pix, à πίσσα, σ in x mutato quod non rarò fit. Priscianus lib. I. cap. de literarum numero & permutatione: *S transit in X, Aiax pro Aias, & pistrix pro πρίστις, in quo sequimur Dores illi enim ὄρνιξ pro ὄρνις*. Πίσσα verò, quæ aliter πίττα, à πίτυς, *pinus*. A *pix* est *piceus*, & *piceatus*, vt apud Martialem, lib. VIII. Epist. LXIX.

———*Nihil est furacius illo.*
Non fuit Autolyci tam piceata manus.

Vbi *piceatam* manum dicit pro *furaci*, quasi qui picis instar quod tangit, auferat: cuiusmodi tralatione & *glutinosa* vox accipitur, vt illo Catulli ep. XXII. *Quæ nunc tuis ab vnguibus reglutina & remitte*. A *pice* quoque est *pico*, πιττόω. Vsus Plinius, lib. XI. cap. VII.

Placenta, non quia *placeat homini*, vel quia *placet deos*, sed ex Græco πλακοῦντα. Nam ferè Latini suos rectos formant ex Græcorum obliquis. Gloss. Philox. *Placenta*, πλακοῦς. Πλακοῦς contractum ex πλακόεις, quod propriè notat *latus instar tabulæ*: Hinc quæ Latinis *placenta*, Græcis est, πλακόεις ἄρτος, sed Atticè pro eo dicitur πλακοῦς. idque contractè. & subintellecto ἄρτος, vt docet Athenæus lib. XIV. Est verò πλακόεις à πλάξ, quod est *tabula*, vnde in Scripturis πλάκες ferè dicuntur *tabulæ*, *quibus Deus inscripserat legem*. Becmanus deducit *quoque placentam* à πλάξ, in quo falli patet ex ijs, quæ diximus.

Placere, fortasse per syncopen factum ex *per* & *lacio*, quia quæ pellicere idonea sunt, ea placent. Nisi malis verbum esse legale, quo vti soleant in publicis edictis. Nempe ex eo quod hæc ἐν πλακί, hoc est, *in tabula* proponerentur omnibus legenda. Sanè quæ Latinis *placita*, ea Græcis ἀρεστά, vnde est, quod *placita* siue *sententiæ curiæ*, *arresta* vulgò dicuntur quasi ἀρεστά. A *placeo* est *placidum*, quia quod huiusmodi est, placet omnibus. *Placidum cœlum* dixit Silius in xij. *Placidum mare*, Tibullus lib IV. Hinc, vti aiunt, *Mareplacida*, nauigij genus, cuius vsus esset mari placido. Prora & puppis huius sententiæ est Agellius, lib. X. cap. XXV. vbi inter nauigia reponit *mareplacidas*, si prioribus codd. stare licet, vbi in illa H. Stephani editum est, *camara*, *placida*. Yuo Villiomarus, qui est Iosephus Scaliger, lib. I. aduersum Titium cap. XX. retinet *mareplacida*, sed Agellium Sallustij loco deceptum arbitratur, in quo *mari placido* coniunctim legerat cum voces ex scribi debeant diuisim. A *placendo* quoque est *placare*, quod Græcis similiter ἀρέσκω, vel ἀρέσκομαι.

Plaga, pro *spatio*, seu *tractu*, quomodo corripit priorem, à

πλὰξ venire, non negabit, qui ſciat Euſtathium ſcribere, πλάκας dici πάντα τὰ πλατέα, ac ſpeciatim ſic vocari τὰ ἐπίπεδα χωρία, ſeu τὰ πλατέα χωρία. Vide eum de generali notione ad Il. ζ. p. DCXLIX. de altera Il. θ. pag. CCCXXII. Fortaſſe autem hæc prima πλακὸς notio eſt: vt ſit ab Hebræo פלך, quod eſt *prouincia regio*. At præterea alia notat multa: etiam cùm ſimiliter corripit priorem. Interdum enim ſignificat *retis* genus, vel *funem, quo retia tenduntur*: vt Æn. IV.

Retia rara, plagæ.

Vbi Seruium vide. Hac etiam notione à πλὰξ venire cenſet Nunneſius in Grammatiſtice. Fortaſſe eo reſpexit, quia antiquitus πλάκας, hoc eſt, *tabulas*, retium loco adhibuere. Præterea *plaga*, Nonio teſte, accipitur pro *torali*, ſeu *lectuariâ ſindone*: vt apud Varronem in III. de vita pop. Rom. *Chlamydes, plagæ, vela aurea.* Et Tranquillum in Tito, *Lectica dimotis plagulis*: nunc pro parte amictus ſiue veſtis, quæ aliter *clauus* vocatur: quomodo Pacuuius Atalana ait, *Et ſimitu picta plaga pallam.* Ita enim legendum apud Nonium, vt in notis ad fragmenta veterum obſeruauimus. Nunc dicitur de *biblis* ſeu *papyri philuris*: quomodo vtitur Plinius, lib. XIII. cap. XII. Vbi docet, *plagulas* prælo ſubijci, indéque exemtas ſiccari, *ſiccatas plagulas* ſiue *philyras* orarum marginibus, inter ſe glutinari. Hæc enim, vt quoque monuit Ioſ. Scaliger, Pliniani loci ſententia eſt, quam non aſſecutus Guilandinus commentario de papyro. At *plaga*, priori porrectâ, eſt à Dorico πλαγά, pro πληγή, quod à πλήττω, hoc eſt, *percutio*. A plagis patiendis *plagipatidas* finxit Plautus, Capt. III. I.

Plagivm à *plagis* dici legas apud Perottum, itémque in Calepino toties recocto: nempe, vt ait, eò quòd *plagij* conuictus *plagis* damnaretur lege Fabiâ: quæ corrupte *Fauia*, vel *Flauia*, vocatur. Lego quidem apud Vlpianum, capitale fuiſſe crimen aduerſas eum, qui liberum hominem ſciens emiſſet. Scio & *plagij* pœnam nunc grauiorem fuiſſe, nunc leniorem, pro ratione rerum & perſonarum. Sed quod ſtrictè Perottus & Calepinus de *plagis* aiunt, id vnde hauſerint neſcio. Sanè modulus ſyllabæ huic etymo refragatur. Quare rectiùs Iſidorus, lib. X. *plagium* dici ait à πλάγιον, quod propriè notat *obliquum*, ac opponitur ὀρθῷ; metaphoricè autem pro *doloſo* ſumitur, vnde Heſychius, πλάγιοι, δόλιοι. Suidas, πλαγίως, δολίως. Propriè autem *plagij* crimen ab eo committitur, qui ſciens liberum hominem, aut alienum mancipium dolo malo vendit, emit, donat, celat. Vnde *plagiarius*, qui huiuſmodi crimine tenetur. Sed συνεκδοχικῶς etiam ad *librorum fures* ea vox à Martiale extenſa eſt.

Plancæ (Feſti verba pono) *dicebantur tabulæ planæ, ob quam cauſſam & Planci appellantur, qui ſupra modum pedibus plani ſunt.* Cùm autem Græci *tabulas* vocent πλάκας, quid, ſi hinc dici ſtatuamus *plancas*, inſerta liquida? Mihi quidem id ſimplicius veriúſque videtur, quàm quod vulgo tradunt, ſic dici à planitie, vel quod magnus Scaliger in Coniectaneis ſcribit, *plancas* dici quaſi *palancas* vel *phalancas*, à Græco φάλαγγας. Quod verò ad *Planci* etymon, fortaſſe non tam eſt à *plancis*, quod Feſtus ſcripſit, quàm Græco πλατύπους. Gloſſæ Philoxeni: *Pedo, plancus*, πλατύπους.

Planetæ, πλανῆται, à πλανᾶσθαι, quod eſt *errare, vagari*; vnde & Nigidius appellat *errones*. Ad originem hanc reſpexit Maro, cùm I Georgic. de Mercurio inquit,

Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes.

Non tamen exiſtimandum, eos vago incertóque ferri motu. Nam rectè Cicero lib. II. de ſuo conſul.

Quæ verbo & falſis Græcorum vocibus errant,
Re vera certo lapſu ſpatióque feruntur.

Nempe ita ab errando dicti, non quia errent reuera, ſed quia errare videantur. Idque icciroo, quia nunc alio atque alio ab octaui cœli ſtellis diſtent interuallo, cùm idem ſemper ſpatium ſeruent ſidera firmamenti, vtpote orbis eiuſdem ſtellæ atque partes. Erronum nomina à veteri poëta hoc verſu comprehenduntur:

Μήνη, Ζεὺς, Ἄρης, Παφίη, Κρόνος, Ἥλιος, Ἑρμῆς.

Plango propriè eſt *verbero*; quomodo Lucretius dixit, lib. II.

Nec mare, nec fluctus plangentes ſaxa crearunt.

Factum *plango* è *plago*, vt *tango* à *tago*, vnde *tagax*; *pango* à *pago*, vnde *pagina*; *frango* à *frago*, vnde *fragilis*: *Plago* fuit à *plaga*, quod Doricum pro πληγή. Speciatim verò *plango* ſignificare cœpit *præ dolore pectus aut caput percutio*. Quomodo Ouid. II Met. dixit,

Plangere nuda meis conabar pectora palmis.

Vocis proprietatem non ſatis intellexit Laurentius Valla, lib. V. Eleg. cap. LII. cùm ait in ſuperiori Lucretij verſu *per tranſlationem dici fluctus plangere littora, quaſi ad declarandum dolorem in modum lamentationis.*

Plangvncvla (quomodo Boſius & Lambinus legunt apud Ciceronem, Epiſt. I. lib. VI. ad Att.) notat *puſillam pupam*. Quippe *pupa* Græcis πλαγγὼν, vnde Scholiaſtes Callimachi exponit κηρίνην νύμφην; ἐξωτικὸν autem ea vox non βάρβαρον eſt, vt putaſſe videtur Boſius. Eſtque πλαγγὼν à πλάσσω ſeu πλάττω, *formo, fingo, facio*; à quo & *ars figlina* Plinio dicitur *plaſtice*, πλαστική. Ab eodem πλάσμα, id eſt *figmentum*, quomodo Adam πρῶτον πλάσμα, & πρωτόπλαστος, *protoplaſtus* dicitur. Sed & *plaſma* vocatum *remedium, quo phonaſcus* (qui propriè πλάττειν φωνὴν dicebatur) *vocem corrigebat*. Hinc Perſius, Sat. I.

——*Liquido cum plaſmate guttur*
Mobile colluerit.——

Eiuſdem quoque originis eſt *emplaſtrum*, ἔμπλαστρον, quia illinitur. Nam ἐμπλάσσω, *illino*.

Planta à *planus*. Feſtus: *Planta, ſemina olerum* (al. *olearum*) *quòd plana ſunt, & appellantur etiam ex ſimili planta noſtrorum pedum.* Vel *planta*, quà ſolum pedis notat, venit à πέλμα, quod idem notat. Gloſſ. Philox. *Planta*, πέλμα. Gloſſ. Cyril. πέλμα, *calcaneus, ſolum*. Onomaſt. *Planta*, πέλμα, ταρσός. Eſtque πέλμα à πελὸς, *niger*, quia ea pars calcando ſolum ſordeſcit. Sed eandem ob cauſſam, ob quam, *plancam* Feſtus deducit à *planus*, puto eam venire à Dorico πλάτα pro πλάτη, quo ſignificatur τὸ πλατύ. Latini inſerere *N* ſolent; vt ſæpè dictum. At *planta*, pro eo quod Græcis φυτὸν, fortaſſe factum è *palanta*, hoc à *palus*: vt olim *planta* fuerit non quæuis ſtirps, ſed ea, quæ pangerentur. Eſt hæc ſententia Iulij Scaligeri in lib. I. Theophraſti de Plant. Vel potiùs *planta* ſit ab Æolico βλάστα pro βλάστη. Heſych. βλάστα, βλαστήματα, πλατυφύλλα. Σικελοί. Et hoc verius. Nimirum *N* itidem inſerto. Saltem minus à verò abludit, quam quod Petrus Nunneſius tradidit, *planta* venire à φύτλη, quod idem quidem notat, ſed vox ipſa abit longiuſculè.

Planvs nunc id notat, *in quo nihil eminet*, nunc *impoſtorem*. Priori notione eſt à πλὰξ, quod ſignificat *tabulam planam*, item *quamuis planitiem*, vnde πλὰξ πελαγία pro *æquore*. Atque hinc quoque πλακοῦς, πλακώδης & πλακόεις, *latus in modum* πλακός. A *planus* eſt aduerbium *planitus*, apud Tertull. lib. de Pallio, cap. IV. Nam nihil mutandum. Ab eodem eſt *planipes*, quod idem eſt ac *mimus*: ac ita dictus à *plano*, hoc eſt, *nudo pede*, ſi Feſtum audimus, cui Diomedes hiſce verbis aſſentit: *Quarta eſt ſpecies planipedis, qui Græcè dicitur μῖμος. Ideo autem Latinè planipes dictus, quòd actores planis pedibus, id eſt, nudis in proſcenium introirent*: Nempe iuxta eos ſint ita vocati ad diſcrimen *Comœdorum* & *Tragœdorum*, quorum illi *ſoccis*, hi *cothurnis* vſi. Altera quoque à Diomede ratio adfertur, quod olim *non in ſuggeſtu ſcenæ, ſed in plano orcheſtræ poſitis inſtrumentis mimicis actitabant.* Ita *planipedes* propriè ſint χαμαίποδες. Et hæc, iudicio noſtro, vera nominis ratio eſt. Nam *planum* idem eſt, quod Græcis χθαμαλὸν, hoc eſt, *terræ æquale*, vel *non multum à terra aſſurgens*: vnde dicitur, *De plano legere*. *Planipedis* voce vſus C. Quinctius Atta: *Daturin' eſtis aurum? exultat planipes.* Vide Carrionem, lib. I. Emend. cap. XIV. & Gaſparum Schoppium lib. V. Suſpect. Lect. epiſt. XIV. At *planus* pro *impoſtore* eſt à Græco πλάνος. Vſus eo Matthæus, cap. XXVII. vbi Chriſtum à Iudæis πλάνον appellatum ait. Etiam Cephiſidorum *Plani* cognomentum habuiſſe apud Athenæum docet Dionyſius Synopæus. Eſt verò πλάνος à πλανάω, vnde & πλανῆται; ideóque vetus Gloſſ. *planos* interpretatur *erraticos, errones, ſeductores*. Eſt & in Gloſſario Philoxeni legere: *Planum, fallacem*, ἀπὸ τοῦ πλανᾶν. Quibuſdam tamen non tam *Cephiſidorus* à moribus *planus* dictus videtur, quàm alios à *Cephiſidoro Plani* nomen accepiſſe, ob ſimilitudinem, quomodo *Catonem* dicimus pro *ſapiente*: *Sardanapalum* pro *molli*; *Herculem* pro *forti*, &c. Errare autem videtur Gellius, cùm lib. XVI. cap. VII. ſcribit Laberium in Mimis licenter vſum voce *plani* pro *ſycophanta*: cùm eodem & vſum agnoſcat Ciceronem in Cluentianâ. Sed & Horatius vſurpat, lib. I. Epiſt. XVII.

——*Fracto crure planum.*

Itémque Petronius: *Notauit me miles, ſiue ille planus fuit, ſiue nocturnus graſſator.* Et Arnobius lib. II. *Aliiſque inſtitoribus atque planis.* Ab hàc *plani* ſignificatione, *implanare* pro *ſeducere* Cyprianus vſurpauit locum transferens Apoſtoli ad Gal. VI. vbi in Græco eſt ἐπλάνησεν. Gloſſ. MSS^æ: *Implanauit, ſeduxit: implanat, ſeducit.*

Platanvs, πλάτανος, à πλατὺς, *latus*. Eſt enim πλατύφυλλος, *ramis foliiſque latè diffuſis.*

Platea, πλατεῖα, ſupple ὁδός. Nam tria erant viarum genera: *latiores*, quæ Græcis icciroo dictæ *plateæ* à πλατὺς, id eſt, *latus*: *angiporta*, ſiue *angiportus*, quæ *anguſta*, adeò vt ijs nihil agi aut vehi poſſit: ac *fundula*, quæ ingreſſum ſolùm, non item exitum haberent.

Plavdo

PLAVDO Scaligero in Coniectaneis placet esse à πλάδος, inserto *V*, quomodo ab antiquo γάδος est *gaudium*. Est verò πλάδος *humor superfluus*, vnde πλαδαρὸς, *fluidus, mollis, flaccidus*. Mihi *plaudere* potius videtur ὀνοματοπεποιῆσθαι. De *manuum plausu* dici satis notum. Sed prætereà *plaudere* dicuntur textores cùm instrumento ad eam rem facto licium densiùs inculcant, & eum sonitu collidunt. Maro in Ciri:

Non Libyco molles plauduntur pectine telæ.

Græci id dicunt σπαθᾷν, vel κερκίζειν.

PLAVSTRVM, currus quo fimus conuehitur, quóque moles & onera feruntur. Geminam eius ἐτυμολογίαν inuenio apud veteres. Prior est Varronis, lib. IV. de L.L. *Plaustrum*, inquit, *ab eo, quod non, vt in his quæ supra dixi* (putà *arceris*,) *sed ex omni parte palam est, quæ in eo vehuntur*, quod perlucent lapides, asseres, tignum. Altera est Isidori, lib. XX. cap. XII. vbi *plaustrum* ait dici quasi *pilaustrum* nempe à *pila*, hoc est, *sphæra*. Inuenio & duplex ἔτυμον apud Ios. Scaligerum, prius est in Coniectaneis, vbi docet *plaustrum* à *palando*, hoc est, *extendendo*, quasi *palaustrum* dici, quomodo fortassis *planca* factum ex *palanca* siue *palanga*, quod à Græco φάλαγγας. Alterum apud eundem est, notis in Priapeia, vbi ait, *plaustrum* dici à *plaudenda terra*; quomodo à *rodo* est *rostrum*; à *luo*, *lustrum*; à *fluo*, *flustrum*; à *frio*, *frustrum*; à *transeo*, *transtrum*; à *moneo*, *monstrum*, &c. Ac puto hanc ἐτυμολογίαν esse simplicissimam. Pro *plaustrum* etiam dicitur *plostrum*, teste Prisciano, ac vett. Gloss. in quibus exponitur ἅμαξα. *AV* in *O* abit, quomodo à *claustrum* (quod itidem à *claudo*) est *clostrum*, vnde Belgicis *cœnobium* dicitur *een clooster*. Sed & *claustri* voce similiter vsus Gregorius Turonensis.

PLAVTVS ex πλατύωτος contractum, *cui aures latæ ac flaccidæ*. Πλατὺς, *latus*; οὖς, ὠτὸς, *auris*. Festus: *Plauti appellantur canes, quorum aures languidæ sunt ac flaccidæ, vt latius videantur patere.* Sed alteram quoque ea vox significationem habet, quam eiusdem Festi verbis apponam: *Ploti appellati sunt Vmbri, pedibus planis quòd essent. Vnde soleas dimidiatas, quibus vtuntur in venando, quo planiùs pedes ponerent, vocant semiplotia. Et ab eâdem causâ M. Accius poeta, quia Vmber Sarsinas erat, à pedum planitie, initio Plotus, postea Plautus cœptus est dici.* Hac significatione *plautus* est à πλατὺς, inserto *V*. Nisi de etymo tum *plautorum*, tum *semiplotiorum* assentiri malimus Turnebo: qui aduersariorum lib. XIX. cap. XIX. docet, *plautos* dici à *calcei genere*, quod Græcis βλαύτη & βλαύτιον dicitur: ac similiter soleas dimidiatas *semiplotia* dici ex Græco ἡμιβλαύτια. Mihi magis placet, *plautus* quidem esse ex πλατὺς, *plotia* verò ex βλαύτια, vt *semiplotia* ex ἡμιβλαύτια. Dubitari tamen possit, vtrùm *plautus* sit ex *plotus*, quomodo *aurichalcum* fecere ex ὀρείχαλκος; an *plotus* ex *plautus*, quomodo à *plaudo* est *explodo*; è *plaustrum*, *plostrum*. Sed prius malim, quia Græci πλατὺς dicunt. Nisi placet, *plotus* esse ex Æolico, πλοτὺς.

PLEBS à *pluralitate* dicitur, teste Isidoro, lib. IX. cap. IV. Vtrùm igitur à *plus*, an à πλῆθος, hoc est, *multitudo*? Omnino *plebs*, factum è *plebes*, quod apud Sallustium, Tacitum & alios. *Plebes* verò à πλῆθος, mutato *θ* in *b*, quomodo ab ἐρυθρὸς est *ruber*, ab οὖθαρ, *vber*, &c. Hinc *plebiscitum*, quia *plebs sciscat*: Senatus enim *censere* & *auctor esse*, populus *sciscere* & *iubere* solet.

PLECTO, quando significat *ferio*, venit à πλήκτης, *percussor*, quod verbale à πλήσσω, *ferio*, vnde & πληγὴ, Doricè πλαγὰ, à quo Latinum *plaga* & πλῆκτρον, vnde Latinorum *plectrum*, quia eo fides siue chordæ feriuntur. At *plecto*, pro *necto*, est à πλέκω, significante *necto*, *connecto*. Vt Festus quoque in *Antermini* docet, eius est compositum *amplector*, quod propriè est ἀμφιπλέκω, id est, *circum necto*. Similéque *complector*, quod est *simul & totum necto*. Ab eodem *plexus*, id est, *nexus*, πλεκτὸς; vnde *perplexus*, quod Glossæ MSS. Cl. Puteani itidem interpretantur περιπλοκώδης. Significat autem *intricatum*, *obscurum*. *Perplexabile* pro eo dixit Plautus Asin. II. Act. IV. Sc. I. Nisi malis *perplexibile* per *I*, quomodo in MSS[ti] suis legi auctor est Gruterus. A *perplexus* dicitur *perplexè* & *perplexim*: vt *perplexè loqui*, apud Terent. *perplexim lacessam oratione*, apud Plautum Sticho.

PLENVS, à verbo *pleo* esse, vt à *leo*, *letum*, scribit Priscianus in quincto. Sed vel est à πλέος, *plenus*, vel à πλήρης, quod idem notat. Sanè veteres dixere *plerus*. Cato, I. Orig. apud Priscianum eopse libro: *Agrum, quem Volsci habuerunt, campestris plerus Aboriginum fuit.* Obertus quoque Giffanius suspicatur Lucretium, lib. VI. scripsisse:

Corruptus sanguis pleris ex naribus ibat.

In vett. libb. est *pletis*, quod si rectum, ponetur *pletis* pro *expletis*, à *pleo*, vnde *impleo*, *expleo*, *compleo*, *repleo*, *depleo*. Interdum *plerus* est *aliquis* siue *aliquotus*, vt in illo Pacuuij apud Festum: *Plera pars pessundatur.* Atque ab hâc notione est *plerique*, non ab eâ, quâ *plenum* notat: quod existimasse videtur Giffanius. Obscuriùs autem, quià tac[illegible] Comicus dicat, *plerique omnes*, cum, si *plerique* tantummodo sint *omnes* esse non possint. Nam *plerique* semper de *nonnullis*, vel *maiore parte*, dicitur, de *omnibus* nunquam. Soluit hunc modum Cæsar Scaliger lib. VII. de re poet. cap. vlt. vbi ait, quomodo dicimus *sex septem*, subintellectâ disiunctiuâ *VEL*, item *plus minus*, pro *plus vel minus*: sic & dici *plerique omnes*, pro *vel plerique*, *vel forta[illegible]*, *omnes*.

PLEO verbum est obsoletum à πλέω, quod idem notabat, vnde [illegible] & πίμπλημι. Siue, si malis fuerit à Græco πλέος, *plenus*: vnde διπλόος, ἁπλόος, ἐμπλεος, ἀνάπλεος, aliaque composita eiusdem significationis. A *pleo* sunt *impleo*, *compleo*, *expleo*, *repleo*; vnde *replum* apud Vitruuium, lib. IV. cap. VI. *item re*[illegible] *de impage dimidia & sexta parte.* Turnebus, lib. XI. cap. IV. cùm lectionem hanc haberet suspectam, *peplum* vel aliud substituendum putauit. At nihil mutant eius interpretes Philander, Daniel Barbarus, vel Bernardinus Baldus: qui *replum* à *replendo* dici coniectat, atque ita dici *totam illam valuarum partem quæ inter impages tabulam totam interiorem replet.* Est & compositum *depleo*, quod superioribus contrarium est. Statius, I. Achill.

——*Fontes deplemmus haustu.*

Eiusdem est:

Plenos latices digno deplemmus haustu.

Manilium quoque, lib. IV. dixisse censet Ios. Scaliger:

Totque [illegible] [illegible] deplere querelis.

Vbi vulgati codd. *deflere*. Pro *expleo* etiam *expleno* dictum. Festus: *Explenunt, explent.* Neque id puto à *plenus*, sed *pleo*: vt à *nato*, *natino*, à *redeo*, *redino*, à *nequeo*, *nequino*.

PLEVRITIS, πλευρῖτις, à πλευρὸν, *latus*. Cœlius Aurelianus lib. II. cap. XIII. *Pleuritis à parte corporis, quæ magis patitur, nomen sumsit. Latus enim ipsâ passione vexatur, quod Græci pleuron vocauerunt.* Est sanè *pleuritis* laterum dolor acutus, ac pungens, cum febre assiduâ spirandique difficultate. Itaque Horatio *lateris dolor*, ac Plinio similiter *lateralis dolor* nominatur. Serenus Sammonicus auctor est, vulgo quoque *telum* appellari, quia teli instar membranam pungat.

PLICO, à πλέκω, *E* mutato in *i*, quomodo à Σικελία est *Sicilia*, ab ἄνεμος, *animus*, &c. Πλέκω verò Becmano est à פלך, *pelech*, id est, *res plicatilis*. A *plico* est *simplex*, quasi *sine plica*, eâ formâ dicitur quasi *duplex*, *triplex*, *septemplex*, *multiplex*, atque alia. *Complex* quoque apud posterioris æui scriptores legas, de quo seorsim. *Applex* quoque ab *ad* & *plico* dixisse veteres videntur. Sanè P. Coluius retinet, quod in vulgato scriptóque codice Appuleij inuenit X. Metam. *applicitore nexu*: pro quo Beroaldus legendum putabat *applicatore*. Sed & *alterplex* dixisse, ex Festo & Isidori Glossis scimus, in quibus *alterplicem* exponitur *[illegible]*. Est & in eodem Isidoro, *biplicitas*, *alterplicitas*. *Simplum* non videtur eiusdem originis ac simplex. Nam cùm *duplus* & *triplus*, sint à διπλοῦς & τριπλοῦς, verisimile fit, similiter *simplus* factum esse ab ἁπλοῦς, conuerso spiritu in *S*, & *A* in *I* abeunte. Vtriusque rei exempla alibi non semel adduximus. Ex *simplex* & *ludi* conflata vox *simpludearia*; quæ appellatio opponitur *ludis indictiuis*. Nam in his & ludij & desultores adhibebantur. Sic autem dicti, quòd per præconem indicerentur. In illis autem adhiberi simplices ludij, hoc est, vel saltatores vel cernuatores. Festus: *Simpludearia funera sunt, quibus adhibentur D.T.* (id est, *duntaxat*) *ludi corbitoresque, quidam ea dixerunt esse, quibus neutrum genus interesset ludorum. Nam indictiua sunt, quibus adhibentur non ludi modò, sed etiam desultores, quæ sunt amplissima. De corbitoribus* seu *cornitoribus*, quorum hîc meminit Festus, diximus in *Corbita*. Ab *implico* est *implicisco*, vt ab *apio*, *apiscor* & *indipiscor*. Notat idem quod *implicari* & *inuolui*, siue vt Glossæ vett. interpretantur, ἐμπεριπλέκεσθαι. Itaque propriè dicitur, cùm febris hominem inuadit. Id confirmat hic Plauti locus, Amphitryone, Act. II. Sc. II.

AMP. *Vbi primùm tibi mulier sensisti implicisci?*
ALC. *Equidem ecastor salua & sana sum.*

A *plico* quoque est *supplicare*, quod faciunt qui manibus pedibúsque complicatis orant. Quia verò qui peccârunt, supplicare solent, & si delicti veniam non impetrent, puniuntur, hinc fit, vt *supplicium* nunc *precationem* notet, nunc *pœnam*. Sallustius, in Catilin. *Non votis, neque supplicijs muliebribus auxilia Deorum parantur.* Ac similiter Afranius locutus, & Plautus. Quare perpetuum non est, quod Agrætius scripsit: *supplicia de tormentis dicimus: supplicationes de precibus diuinis.* *Explicit* pro *desinit*, quia plicis euolutis tota vestis ob oculos est, nec quod conspiciatur vltra superius est.

PLORO, dubium, vtrùm priùs dicatur de *clamore*, an *fletu*. Si de *clamore* deducunt à *plango*. Festus: *Plorare apud antiquos est planè inclamare.* Sin de *fletu*, aiunt esse à πλέρω, quod signi-

ficat *plenum esse*. Vt propriè significet, *oculos guttis habere ita plenos, vt diffluant*: vnde & plus est quam *lacrymari*. Ostendit Seneca ep. LXIII. *Nec sicci sint oculi amisso amico, nec fluant. Lacrimandum est, non plorandum.* Mihi magis fit verisimile quod Nunnesius putabat, esse τῷ μεταθέσει ex ὀλοφύρομαι, *ploro*. A *ploro* est *imploro*, quod est, *plorans opem posco*. Festus: *Implorare, inclamare, ad auxilium inuocare*. Gloss. *Imploras*, ἱκετεύω. In Onomastico transfertur, θεοκλυτέω, quod est *Deum imploro*. Sanè nimis angustè. Item *exploro*, quod est *ploratu certo animum*: vti facere solent, qui veniam facti vel aliud obnixè student impetrare. Hinc generatim sumitur pro *inquirere*, *vt cognoscas*. Vnde *exploratum* pro *cognito ac perspecto*. Vt *explorata salus*, cui opponitur *deplorata*, Nisi magis Festi placet sententia cùm scribit: *Explorare antiquos pro exclamare vsos, sed postea prospicere & certum cognoscere cœpit significare. Itaque speculator ab exploratore hoc distat, quod speculator hostilia silentio prospicit, explorator pacata clamore cognoscit.*

Ploximvm, capsa in cisio. Vsus Catullus, teste Festo & Fabio lib. I. cap. X. Puto vocem esse Gallicam, cùm Fabius dicat, à Catullo circa Padum inuentam. Id si non est, erit à Græcis. Dicetúrque *ploxemum* quasi πλέξιμον, hoc est, πλόκιμον, à πλέκω, hoc est *plecto*. Nempe quia è *vimine plecti soleret*.

Plvmæ etymon diminuticulum adfert Isidorus. lib. XII. cap. VII. *Pluma*, inquit, *quasi pilumma. Nam sicut pili in quadrupedum corpore, ita pluma in auibus.* A *pluma*, vestimentum dicitur *plumatile*, vt *cumatile* à κῦμα, quo *fluctus* significatur, Plautus, Epid. Act. II. Sc. II.

Cumatile, aut plumatile, cerinum aut melinum.

Vbi Nonius *plumatile* exponit, *clauatum, aut ex plumis factum*. Ab eodem dicti *plumarij*, quorum meminit Varro Cato, siue de liberis educandis: *Etenim nulla, quæ non didicit pingere, potest benè iudicare, quid sit benè pictum à plumario, aut textore in puluinaribus plagis.* Citat Nonius. Vbi cùm Varro *plumarium*, & *textorem*, vt diuersos iungat, videtur *plumare* interdum non esse *textorum*, sed *acu pingentium*. Et probat hanc sententiam Turnebus, lib. XI. cap. XXV. vbi interpretatur verba illa Flauij Vopisci: *Laneas tunicas purpurâ micantes, & plumandi difficultate pernobiles. Plumandi*, inquit, *exponitur texendi à quibusdam: ab alijs acu pingendi exponitur: & sanè videri potest, pro acu pingere interdum accipi, vt à D. Hieronymo: species tamen quædam propriè est acu pingendi, cùm claui, aut patagia, aut segmenta, aut scutula, aut tessella, sic alia alijs superassuuntur, vt plumam auium referant: vnde & plumariorum & plumandi nomen ortum est per similitudinem traductum: aut cùm, sine assumento, acupingendo pluma auium referuntur.* Hæc Turnebus. Sed meritò ait, interdum sic *plumandi* vocem accipi. Nam aliàs *textorum* quoque opus esse *plumationem*, indicat hic Prudentij locus in Hamartigenia:

——— *Hunc videas lasciuas præpete cursu*
Venantem tunicas, auium quoque versicolorum
Indumenta nouis texentem plumea telis.

Cui similis locus apud Lucanum, in X. vers. CXXV.

Fulget gemma toris, & iaspide fulua supellex
Strata micant: Tyrio quorum pars maxima succo
Cocta diu, virus non vno duxit aheno,
Pars auro plumata nitet, pars ignea cocco,
Vt mos est Pharijs miscendi licia telis.

Vbi *vestis auro plumata* dicitur, quæ auro esset intertexta. Imò & Vitruuius, lib. VI. cap. VII. disertim nominat *plumariorum textrinas*. Ac propter ista assentire non possum Nicolao Fullero, qui in Miscellaneis sacris *plumarios* dictos arbitratur eos, qui ex plumis auium versicoloribus opera mira elaborant. Vide & quæ de *plumarijs* Scaliger in Eusebianis Animaduersionibus annotauit.

Plvmbvm à *pila*, quasi *pilumbus*. Isidorus, lib. XVI. cap. XXI. *Plumbum dicimus, quòd ex eo primum pilis factis maris altitudo tentata est.* Melius quibus dici placet à πελὸς, *niger*, vt *nigri* appellatio conueniat *plumbo nigro*: vel à πηλὸς, *lutum*, quia multum habet *terrestre*, vnde & Belgis *loot*, à *lutum*. Sed imprimis placet venire ex μόλιβδος, quomodo Græcis *plumbum* vocatur. Certè τῷ μεταθέσει & eiecto ex μόλιβδος fuerit λόμβος & præfixo π πλόμβος, more Æolum, qui pro ῥάκος dicunt βράκος, pro ῥῆγμα βρῆγμα, vnde *vepres*. Sanè Latini Æoles imitari amant, rectósque suos sæpius formant ab obliquis Græcorum.

Plvo, à πλύω, vnde Eustathius πλύνω factum ait Dorico pleonasmo τοῦ ν. Πλύνω est *lauare*, propriéque de *vestibus* dicitur, vt λούω de *corpore*, νίπτω de *manibus ac pedibus*. Vel potiùs est *pluo* à βλύω, seu βλύζω, quod est *scaturio, mano, profundo*. Nam & neutraliter ea vox & actiuè sumatur, vt *manare* apud Latinos. A *pluo* est *pluuia*, nempe ab antiquo præterito *pluui*, quo Plautus vtitur pro *plui*, quomodo & Ennius dixit *annuas* pro *annui*, Lucillius *lauit* pro *luit*. A *pluuia* est *impluuium*, quo vsi Plautus, Terentius, Gellius. Item *compluuium*, quod Varro vsurpat, lib. VI. cap. III. Gloss. Philox. *Compluuium*, ὑπαίθριον, εἰσπλούσιον. Vt *compluuium*, & *impluuium*, differant, docet his verbis Varro, lib. IV. de L. L. *Cauum ædium dicitur, qui locus tectus intra parietes relinquebatur patulus, qui esset ad communem omnium vsum; in hoc locus si nullus relictus erat, sub diuo qui esset, dicebatur Testudo à testudinis similitudine, vt est in Prætorio in castris; si relictum erat in medio, vt lucem caperet, deorsum, quo impluebat, Impluuium dictum, & sursum, quà compluebat, Compluuium: vtrumque à pluuia.* Asconius Pedianus, in III. contra Verrem: *Impluuium locus sine tecto in ædibus, quo impluere imber in domum possit.* Festus: *Impluuium, quo aqua impluit collecta de tecto. Compluuium, quo de diuersis tectis aqua pluuialis confluit in eundem locum.* A *compluuijs* dictæ *vineæ compluuiatæ*. Plinius, lib. XVIII. cap. XXI. *Compluuiata copiosior vino est, dicta à cauis ædium compluuijs.* Meminere eius Varro, Columella, aliique rei R. scriptores. Ab *impluuio* similiter est *impluuiatus*. Plautus, Epid. Act. II. Sc. II.

Pe. *Quid erat induta, an regillam induculam, an mendiculam?*
Ep. *Impluuiatam, vt ista faciunt vestimentis nomina.*
Vt in impluuium induta erat.

Nonius: *Impluuiatus color, quasi fumato stillicidio impletus, qui est Mutinensis, quem nunc dicimus.* Sed à Nonio dissentit Turnebus, lib. XIV. cap. XIX. Nam quia Plautus, cùm dixisset *impluuiatam*, mox subijcit: *Vt impluuium induta erat*: ideo suspicatur, potiùs à similitudine *impluuij* id nomen esse factum, quâ ratione *vites impluuiatæ* dicuntur. Ita *vestis impluuiata* sit, quæ *quaternata*, id est, *quatuor quadrata lateribus vndique corpus ambiat*: quæ forma est *impluuiorum in cauædijs*. Apud Vitruuium, lib. VI. cap. III. mentio est *cauædij displuuiati*. Vbi Philander: *Displuuiata tecta fiunt trabium inuicem capitibus mutuò innixa, partibúsque contra se ponderibus pedibus imis diuaricatis, quæ, nisi fallor, Sextus Pompeius pectinata appellat, siue testudinata, in quatuor partes deuexa.* De eodem sic Turnebus, lib. X. cap XVII. *Displuuiatum cauum ædium, tectum habet vtramque in partem deuexum: vnde & nomen est adeptum, quod tanquam diuortio quodam diuersè pluuiam huc & illuc diuidat.* Et similiter Daniel Barbarus in notis ad Vitruuium.

Plvs ex *pleis* contractum, hoc à πλεῖον conuerso Ν in S, quomodo & à πρὶν factum putatur *prius*. Magis placet hoc etymon, quàm vt *plus* sit à πολὺς per contractionem. Minùs enim significatio respondet. A *plus* veteres dixere *plusimus*. Festus: *Plusima, plurima*. At à *pluri* est *plurimus*. Item *plurifariam*, vt à *multi multifariam* A *complures* est *compluries*: quo Cato vsus teste Festo.

Plvtevs, vt suspicor, à Dorico πλατίον, pro πλησίον, id est, *prope*. Nam militi apponebatur. Festus: *Plutei crates corio crudo intexta, quæ solebant apponi militibus opus facientibus, & appellabantur militares.* Addit deinde, *Nunc etiam tabulæ, quibus quid præsepitur, eodem nomine dicuntur.* Quæ significatio si primaria foret, videri posset venire à πλάξ, vnde *tabula gypso illita*, quæ & ipsa *plutei* loco, γυψοπλακία dicta, quæ Doricè esset γυψοπλατία. Glossæ Cyrilli: *Pluteum*, γυψοπλακία.

Podismvs est agrimensoribus, quod aliter *pedaturam* vocant. Mensura nempe iugeri areæ, aut alterius, pedibus definita. Pedibus enim vel passibus, vel fune aut perticâ certam pedum mensuram habente colligebatur magnitudo loci. At ποδίζειν propriè *pedibus dimetiri*. Vnde ποδισμὸς, *podismus*: quo vsus Frontinus in fragmento. Ab eo *podismare* est *podismum areæ colligere*, siue *pedibus mensurare*: vt βηματίζειν, *passibus mensurare*. Iunius Nipsum: *Omnem trigonum vnâ ratione podismare, orthogonium vt putà, oxygonium, & amblygonium.* Sic in Laterculo veteri, *ager podismatus*.

Podivm est proiectura in summo muro arenam circi vel amphitheatri proximè cingente. Πόδιον verò dicebatur ὑποκοριστικῶς à Græco ποὺς, id est, *pes*, siue quia illi insistitur, vti pedi; siue quoniam paullum procedat, ac propendeat, instar pedis. Fallitur doctissimus Hermolaüs Barbarus, dùm in Glossis Plinianis, sic dici addit, quia *ad ædificiorum pedes strui consueuerit.* Quia verò *podium* arenæ proximum, ideò dignissimus is orchestræ gradus (nam plurium orchestra graduum erat) qui proximus podio: fuítque is latior cùm in eo suggestus fuerit imperatoris, ac consules, prætores, aliique, quibus id ius, sederint in eo sellis curulibus, cum lictoribus, apparitoribus, & magistratus sui pompâ. Hinc lucem accipit illud Iuuenal.

——— *Generosior & Marcellis,*
Et Catulis, Paulique minoribus & Fabijs, &
Omnibus ad Podium spectantibus.

Sed

Sed & in eodem fuit tribunal editoris & virginum Vestalium sedes. Plura de *podio* Lipf. lib. de amphitheatro. cap. xi.

POENA, ποινὴ, tam Latinis, quam Græcis, nunc commune est, nunc proprium pro Furiis. Sic vsurpatur in illo Biantis dilemmate de vxore, ἢ γὰρ καλὴν, ἢ αἰσχρὰν ... ποινή. E Latinis sic locutus Varro Eumenidibus:

Tertia Pœnarum infamia
Stans nexa in volgi pectore.

Et Maro, in Culice:

Et flammas & sæua quatit mihi verbera pœna.

Quem ad locum plura hâc de re Scaliger. A *pœna* est *pœnitet*, hoc est, *tædet*, vel *piget*. Quamquam id etymon quibusdam non de quauis significatione verum videtur; sed tantùm, cùm eo vtimur verbo, postquam, quæ nostro consilio & voluntate facta sunt, incipiunt displicere. At antiquis etiam significabat *parum videri*, quomodo Donatus interpretatur illud Terentii Eunuch. Act. v. Sc. vii.

An pœnitebat flagitij te auctore, quod fecisset
Adolescens, ni miserum insuper etiam patri indicares?

Quem ad locum monet idem sic accipiendum isthoc Heautont. act. i. sc. i.

———*Me quantum hic operis fiat, pœnitet.*

Adducit & Plauti locum, qui passim sic loquitur. Sæpe etiam similiter vsus Tullius: vt initio lib. i. Off. *Quamquam te ... debebit, quoad te, quantum proficias, non pœnitebit.* Item in Somnio Scip. Orat. ad Brutum, lib. xii. ad Att. ep. xxvii. &c. Item Liuius non vno loco atque alij. Non dubito autem, quin hanc significationem respexerit Agellius cum, lib. xvii. cap. i. scribit, aliter hac voce, quam vulgo fiat vsos antiquos, nempe ab eo, quod est *pœne* vel *pœnuria*. De etymo tamen non possum subscribere. Plane enim censeo significationem hanc ex eo originem capere, quod cùm quid parum præstitisse videmur, facti atque operis nostri nos tædet pigetque. Semper igitur à *pœna* fuerit *pœnitet*, non à *pæne* vel *pœnuria*. A *pœnitet* verò est *pœnitentia*, quod iccirco malè per Æ scribitur in aliquot antiquis bonæ notæ codd. vt recte ad Ecl. ii. monuit Pierius. At ratio quam adjecit friuola est. Vult enim (& quod mirum, adstipulatur Erasmo annot. in cap. iii. Matth.) *pœnitentiam* dici, quia *pene teneat*. Nam quis non videt *pœnitentiam* dici à *pœnitendo*, quâ formâ ab *obediendo* est *obedientia*; à *fauendo*, *fauentia*? *pœnitet* verò per OE scribi debere, liquet ex eo, quòd (vt antè diximus) veniat à *pœna* quod à ποινή. Porrò ex iis quæ de vocis origine attulimus, planum fit, id, quod & Lactantius scripsit, elegantiorem esse Græcum μετάνοια, quàm Latinum *pœnitentia*; cùm in hoc solùm sit dolor ob rem commissam, in illo etiam mentis emendatio. A *pœna* olim dixere *pœnio*: vnde *pœnibitur* in antiquis inscript. legere est. Sed posteriores pro eo *punio*, dixerunt. Itidem dicimus *impune* pro *impœne* vel *impoine*. Vt OI in OE, ita OE in V conuertitur. Ita in iisdem inscript. legitur *coerare* pro *curare*, & hoc pro *curare*: *loidos* pro *loedos*, vti hoc pro *ludos*: *oitile* pro *œtile*, vti hoc pro *vtile*, &c. Quod nunc quoque *murus*, id olim *moerus* & *moirus*. Ennius:

Hectoris gnatum de mœro iactarier.

Ab *impune* fortè est *impuno*, hoc est, *impunitatis spe, quæ magna est peccandi illecebra, impudenter quidlibet patrans*. Nonius: *Impuno, quod est impudens*. Lucillius: *Homo impuratus & impuno, & rapinator*. Sed non possum dissimulare, me pro *impuno* apud Iunianum Maium inuenire *imundo*, quod damnare non ausim, cùm *impudentem* exponat. Vt à *comedendo*, *comedones*: ita ab *non pudendo*, *impudones* dixerunt.

POETA, *poësis*, *poëma*, Gr. ποιητὴς, ποίησις, ποίημα, à ποιεῖν, *facere*. Quod Latini I omittunt, id fit Atticorum more, qui dicunt ποῶ pro ποιῶ, ποῶ pro ποιῶ. Similiaque sunt ... pro ... Propriè *poeta* dicitur ποιεῖν, vnde Aristoteles, lib. v. de Animal. ἐν τοῖς Σιμωνίδης ἐποίησεν. Et Maro, Ecl. iii.

Pollio & ipse facit noua carmina.

Et Ecl. vii.

———*Proxima Phœbi*
Versibus ille facit.

Vtrùm autem à *versibus*, an *fabulis faciendis* id nomen sit indeptus, disputamus in commentatione nostrâ de arte Poëticâ. A *poëta* est *poëtor*. Vsus Ennius, cuius illud apud Priscianum, lib. viii.

Nunquam poëtor, nisi podager:

Vnde (vt quidem Scipio Gentilis censet, lib. i. ..., cap. iv.) Horatij illud expressum est. lib. i. epist. xix.

Ennius ipse pater nunquam, nisi potus, ad arma
Prosiluit dicenda.———

ποιὸν verò est à ποιεῖν, hoc est, *quale*. Nam natura ποιεῖ siue *substantiam* præstat: ars, quæ imitatrix est naturæ, formam ... siue *qualitates*, atque accidentia in materiam inducit.

POLENTA fiebat ex farina hordeacia tosta: eratque tenuiter viuentibus cibus: vnde Iuuenalis de Stoica iuuentute,

———*Siliquas & grandes pasta polentâ.*

Huiusmodi farinâ solent Macedones vrbes delineare, quas conderent: vt auctor est Curtius, lib. iv. vbi itidem *polentam* vocat. Græci appellant ἄλφιτα; vt ἄλευρα dicunt *farinam frumenti*. Hesychius: ἄλευρα κυρίως τοῦ σίτου, ἄλφιτα δὲ τῆς κριθῆς. Vide de *polenta* Plinium, lib. xviii. cap. vii. & lib. xxii. cap. xxv. Est *polenta* a παλύνειν, quod Hesychius exponit πάσσειν, *adspergere*: Atque addit, sic poëtam dixisse παλύνων ἄλφιτα, id est, *polentam conspergere*. Ergo a παλύνειν παλυντὴ, & a in o more Æolum mutato, *polenta*. Vt ad verbum notet *farinam conspersam*. Quæ conspersio aquâ fiebat. Id Græci dicunt ἄλφιτα φυρᾶσαι. Nam φυρᾶν idem ac παλύνειν. Vt quod Catoni est *farinam conspergere* & *subigere*. Græcè sit φυρᾶν & μάττειν. Glossæ, *Conspersio*, φύραμα. In Cyrilli Glossis φύραμα, exponitur *massa*. Vb: malim *maza*. Quomodo & Hesychius μάζαν explicat ἄλφιτα πεφυραμένα ὕδατι καὶ ἐλαίῳ, *farinam aqua & oleo conspersam*.

POLIMENTA, quæ, & vnde, dicatur, conatur docere Festus his verbis: *Polimenta, ait Verrius, antiqui dicebant testiculos porcorum, cùm eos castrabant, à politione segetum, aut vestimentorum, quod similiter atque illa curentur.* Sed longè aliter de hoc magnus Scaliger, ad verba illa lib. iv. Varronis: *Polentar, à Pollulis*. *Scribendum*, inquit, *puto, A polulis. Polula, seu pola, erant pilæ ex aluta, modi tomento farctæ, quibus datatim ludebant in foro. Vide polire, pilâ ludere dicebant veteres. Auctor Festus. Id tractum à Græco. Nam φαλλὸς Græcè significat veretrum, quod gestabatur in pompa Liberi. Primùm ita vocabatur, quamdiu fieret ex ficu, postquam ex aluta rubra fieri cœptus, dictus σκύτινον. Ab eo Pola Latina, quæ ex aluta fiebant. Et polimenta, testiculi porcorum dicti, postquam ex illo folliculo exagitati erant in castratione. Verrius ineptit, à politione. Sic à φαλλὸς fodis, qui & insipiens ... testiculi. Ergo polimar à polo: quod ex alutaceo scorto. Vnde ... Pollux. Inde cognomenta Romana, Pollones & Polæ.* Hæc Scal. *Polimentorum* vocabulo vsus Plautus, Menæchmis. act. i. sc. iii. *Polimina* quoque pro eo dicit ostendit hic locus Arnobij lib. vii. *Polimina porro sunt ea, quæ nos proles verecundius dicimus, à vulgaribus autem assolent cognomine testium nuncupari.* Cæterùm, quod ad originem harum vocum attinet, mihi simplicissimum videtur, dicere, ex eo quòd veteres pro *pollis*, *pollis* vel *polis* dixere (quam rem satis firmauimus in *Pollus*) nomen aliquot rebus esse impositum, quæ pelle constarent. Ea inter esse *polimenta*, siue, vt veteres, qui consonas non geminabant, scripsere, *polimenta*. Imò & *pilam* ex eo dictam *polam*: vnde *pollio*. Festus: *Polit, pilâ ludit.*

POLIRE, & *politus*, putant esse à πόλις, id est *ciuitas* quia πολῖται, hoc est, *qui in vrbibus degunt*, politiores sunt iis, qui semper ruri versantur. Similiter & *vrbanum* dicimus pro faceto, quia in vrbe agentes cæteros ἀστειότητι vincere solent. *Astutum* quoque itidem ab ἄστυ dictum volunt, quòd callidi magis sint qui in ἄστει, hoc est, *ciuitate*, viuunt. Sed *polire* de moribus vrbanis non dicitur, nisi translatè. Nec tamen puto esse ab arte fabrili, vbi *poliri* dicuntur parietes, cùm tectorium inducitur. Gloss. Λειαίνω, *polio*, vnde existimet aliquis *polio* esse conflatum ex πολὺ λεῖον, *reddo aliquid leue*, & *politum*. Sed hoc acutius, quam verius. Verius Cæsar Scaliger, comment. in Aristotelis lib. v. Hist. Animal. c. xiv. sect. cxlii. vbi *polire* ait esse ἀπὸ τοῦ πολεῖν, nempe quia *rota figuli redduntur res elegantes*: quomodo & à γλύφω γλαφυρός. Vel dicendum esse à φαλὸς, *splendidus*, vnde φαλύνω, *splendidum reddo*. Propriè enim dicebatur de iis, quibus nitor aliquis conciliabatur. Ac speciatim eo vsi de *fullonibus*, cùm *lanam pecterent*. Quod Græcis γνάφειν, vt *politura*, ἡ γνάφις; à quo γναφεύς, *fullo*; & γνάφος, *instrumentum quo lanam pecterent ac polirent*. Gloss. *Polit*, γνάπτει. Pectebant autem *spinis*, vt ait Pollux. Similiter Hesych. Κνάφος, ἄκανθα, ... ἐξ ... ἱμάτια. Et paullò pòst κνάφον exponit φυτὸν ἀκανθῶδες. Ab hac *poliendi* significatione fuit *interpolire*, de vestibus veteribus, vt *polire* de nouis. Quæ cùm *polita* essent, vocabantur *pexa*. At veteres, cùm *polirentur*, dicebantur *interpoliti*: vnde vestis *interpolis*, quæ iterum polita. Gloss. *Interpola*, ἐπίγναφος. Et mox, *Interpolum*, ἐπίγναφον. Isidorus, in Glossis: *Interpolis vestis, quæ ex vetusta fit quasi noua*. Translatè vsus Plautus, Mostell. Act i. sc. iii. vbi *interpolis mulier*, quæ figmentis nouam sibi faciem parat. A *veste interpole* est *interpolare*, quod Græcè sit ἐπιγναπτεῖν. Vnde Nonius: *Interpolare est immittere & intercenere, & nouam formam è vetere fingere.* Marcus Tull. Cic.

Verr. Act. II. *Aliquid demendo, mutando, interpolando. Et est tractum ab arte fullonia, quæ poliendo diligenter vetera quæque, quasi in nouam speciem mutat.* Figuratè vsus Plautus Amphitr. Act. I. Sc. I. vbi Sosia Mercurij pugnos metuens ait:

Illic homo me interpolabit, meúmque os finget denuo.

A *politura vestium* vox hæc *poliendi* etiam translata ad agros. Ennius,

Rastros dentifabres capsit agri poliendi.

Vnde l. LII. §. venit. D. pro socio: *Cum agrum politori damnum in commune quærendis fructibus.* Festus Pompeius: *Polimenta dicebant testiculos porcorum, cùm eos castrabant, à politione segetum aut vestimentorum, quòd similiter atque illa curentur.* Similitudo in eo est, quòd vt vestis pectine vel spinâ fulloniâ poliretur: ita occâ vel rastro pecteretur tellus, vltimámque culturam acciperet. Quam rem sic Columella exprimit:

Verùm vbi iam puro discrimine pectica tellus,
Deposito squallore nitens sua semina poscit.

A *poliendo* etiam *poliones* dicti, qui arma poliunt. l. vlt. ff. de iur. immunit. Nisi hîc *pelliones* legendum, quod Haloandro placet; aut *politores*, quod Turnebo visum, lib. IX. cap. XVI. A *polire* dicta quoque *impolitia*: quod in veterum grammaticorum Glossis exponitur ἀκαλλωπισία. Hinc *impolitiæ rei*, qui à censoribus notabantur, quia paterentur equum sibi gracilem. Gellium vide lib. IV. cap. XII. At Festi mutilator id non satis intellexit. Dictum & *depolire*. Festus: *Depolitum, perfectum: quia omnes perfectiones antiqui politiones appellabant.*

Polleo, à πολὺς, id est, *multus*. Nam *pollere* dicitur, qui multùm valet. Veteres autem *poleo* dixere. Festus: *Polet, pollet, quia nondum geminabant antiqui consonantes.* Vel si placet respicere geminam consonam, deducere licebit a πολλος pro πολὺς, quod πολλοὶς obliquos capit.

Pollex ἀντίχειρ dicimus, vel cum adiectione *digitus pollex*: quomodo Cæsar de bello Gallico ait, *Digiti pollicis crassitudine.* Dicitur *pollex* à *pollendo*: eò quòd inter cæteros polleat potestate. Ita Isidorus, lib. XI. cap. I. Ac præiuit Ateius Capito apud Macrobium, lib. VII. Sat. cap. XIII. *Pollex nomen ab eo, quòd pollet, accepit, nec in sinistrâ cessat, nec minùs quàm tota manus semper in officio est, vnde apud Græcos ἀντίχειρ vocatur, quasi manus altera.* A χεὶρ ἀντίχειρ venire monet & Pollux, lib. II. cap. IV. Sed dubitari possit, num ex eo dicatur, quòd quasi *pro manus* sit, & instar reliquorum digitorum: an verò quòd sit *digitis oppositus, & ex aduerso situs.*

Pollinctoris, siue, vt alij scribunt, *pollictoris*, voce vsus Plautus, Asinariâ, & Varro, *Mutuum muli*; & Appuleius, IV. Florid. item in Hermagora, vbi ait: *Pollinctor siue funeris dum vnctionem parat.* Valerio quoque Maximo, lib. VIII. cap. VIII. vocem hanc restituit Stephanus Pighius. *Pollinctor* autem vocatur, qui funera procurat, vt scribunt Nonius Marcellus, & Fulgentius Planciades de prisco sermone. Est & in vett. Gloss. *Pollictor*, ἐνταφιαστής. Non dubium; quin sit à *polligere*, vnde Plautus, vel quisquis auctor Prologi eius, qui Pœnulum antecedit:

Nam mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.

Pollingere in vett. Gloss. exponitur [illegible], [illegible], ἐνταφιάζειν. Vbi lego [illegible]. Apud Charisium quoque, lib. III. quo loco quid sit *pollingo*, interpretatur, pro [illegible] scribendum [illegible]. Nam aliud [illegible], quàm [illegible], illo *loculus*, siue *conditorium mortuorum*, significatur, hoc *aceruus*, siue *cumulus*. In iisdem Gloss. exponitur [illegible], quod propriè est *sale condire*. Sed & dicitur de aliis modis, quibus putredo arcetur. Cùm autem *pollingo* exponatur [illegible], vel [illegible]: videri possit esse *perligo*, vt propriè dicatur de eo, *qui alienem ligat & inuoluit fasciis sepulcralibus.* Sanè *n* crebro addi solet. Ita pro, *frago, frango*; pro *tudo, tundo*; pro *pago, pango* dicitur. Simile igitur sit pro *ligo, lingo*; & pro *lictor, linctor* ac cum præpositiu. *per*, *perlinctor, pollinctor, pollinctor.* Sæpe enim *e* abit in *o*: quandóque etiam in hac præpositione: quomodo à *perliceor* est *polliceor*, hinc *polliceor*. Ita *pollinctores* sint *perlinctores*, hoc est, *perligatores*. Sin propriè dici hoc verbum placet, non de *ligatione, atque inuolutione*: sed de *vnctione*: non aliunde meo iudicio rectiùs deduxeris, quàm à *perlino*: Nam vt à *vello vellico*; à *fodio, fodico*; ita à *lino* fit *linico*, & κατὰ συγκοπὴν *linco* vel *lingo*: vnde *perlinco*, ex eo, *pollincere* vel *pollingere*: vt in *Polliceri*. Sanè alterutrum ex his magis placet, quàm quæ varij variè de hac re scripserunt. Nec dubitabo tamen eorum etiam sententias apponere, quia nemini præscribimus. Sunt quibus placet, *pollingere* dici, quasi *pollutos vngere*. Sanè apud Fulgentium legere est, *pollinctores quasi pollutorum vnctores.* Vbi *pollutos* appellat *mortuos*, quâ ratione & *domus polluta* dicebatur, *in qua esset cadauer*, eáque de caussa expiatione indigebat. Sanè nec Flamini Diali licebat mortuum tangere, ne se mor-ticinorum contactu attaminaret. Docet id his verbis Massurius Sabinus apud Agellium, lib. X. cap. XV. *Locum, in quo bustum est, nunquam ingreditur; mortuum nunquam attingit; funus tamen exequi non est religio.* Hæc pro opinione Fulgentij, quæ & Hadr. Iunio placuit, notis ad Martialis lib. II. epigr. XCVII. Et magis profectò verisimilis est, quàm illa viri eruditi, suspicantis esse à πολὺς & *vngo*, quia nempe πολλοὶ, ac πλείονες Græci dicant pro *mortuis*; quos Plautus imitatus, dixit Trinummo, II. II. *quin priùs me ad plures penetraui*, hoc est, quare non priùs mortem oppetij. Quibusdam ex eo *pollinctoris* nomen factum videtur, quòd cadauera lauarent, priusquam vngerentur; vnde Ennius:

Tarquinij corpus bona femina lauit & vnxit.

Et Maro, VI. Æn. de funere Miseni:

——*Corpúsque lauant frigentis & vngunt.*

Volunt igitur hi *pollingere* esse à *polluo* & *lauo*; sed *polluo* interpretantur *lauo*, quia propriè signet *porrò lauo*, quòd verò pro *inquino* accipitur, id fiat κατὰ μετάληψιν antecedentis. Hanc vocis *pollingere* ἐτυμολογίαν adducit Pius Antonius Brancolinus, cap. V. auctarij. Alteram quoque addit ibidem, vt sic dicatur à *polline*, id est, *flore farinæ*, quia in funebri epulo panes adhiberent ex polline factos. Sed hoc ineptum. Quamquam nec scribere hoc dubitârit Andr. Alciatus poster. annot. in tres poster. cod. libros. Melius Turnebus, lib. XXVIII. cap. XXXI. *pollingere* dici ait, quasi *pollens vngere*: vel potiùs tanquam *perungere*, pro qua sententia adducit, cùm quod in libb. manuscriptis *pollinctor* pro *pollinctor* inuenire sit, tum quod *E*, in O in aliis quoque commutetur, vt in *polluceo* pro *pelluceo*, & *polliceor* quasi *perliceor*. Denique v. cl. Franciscus Iunius notis ad cap. XIII. Apologetici Tertulliani, suspicatur esse à *polio* & *vngo*, vt *polio* hîc sit *curare & colere*, quomodo *polire agros* pro *colere* Ennius dicit apud Nonium. In tanta opinionum diuersitate, quæ nostra sit sententia initio diximus. Malè à quibusdam confundi *pollucere*, & *pollingere*, *polluctum*, & *pollinctum*, docemus voce *Pollucere*.

Pollis dicitur à *pollen*. Prius probat Charisius: alterum Cæsar in analogia, & Probus in Catholicis. Vtrumque legas apud Priscianum, lib. VI. Est autem *pollis* farina à furfuribus expurgata, paullo tamen minus, quam flos. Græcè χνοῦς à χνόω, *granum*. Gloss. Phil. *Pollen*, χνοῦς. Gloss. Cyr. Χνοῦς, *pollis*. χνοΐτης ἄρτος, *pollinaceus*. [illegible], *pollinare cribrum*. Perotto placet *pollis* esse à *pollo*. Sed potiùs sit à *polleo*, quia *pollens est*, hoc est, *præstans*. Vel à *puluis*, quia pulueris instar prouolet. Verum autem ἔτυμον est à Græco πάλη, quod idem notat. Helychius: Πάλη τὸ ἄλευρον καὶ παιπάλη τὸ λεπτότερον τοῦ ἀλεύρου. Estque hoc à πάλλω, *concutio, commoueo*, quia facile excutitur. Sic à πάλυνω, *polenta*. De quo suo loco.

Pollvcere, sacrorum vox est, de illis, qui diis libamenta offerunt: dicitúrque vel à *porricere*, quia diis libamenta porriciantur, vt sensit Varro, cuius verba è quincto de L. L. infra adducam: vel à *pellucere*, quia in eo sacrificij genere, quod à *pollucendo*, *polluctum* dicebatur, seu *sacrificij lumina admodum lucerent*, vt ait Perottus; siue quia *splendor epuli pelluceret*, quæ Turnebi sententia est, lib. XXVIII. cap. XXXI. E in O conuersum, vt in *polliceor* pro *pelliceor*. Nam licitantium vox ea propria est. Item in *homo, olus, Apollo* & similibus, pro quibus antiqui dixere *hemo, elus, Apello*, &c. Vsus *pollucendi* voce Cato: *Ioui*, inquit, *dapali culignam vini quantumuis polluceto.* Item: *Cùm pollucere oportebit, sic facito.* Et Cassius Hemina, cuius hæc verba citat Plinius lib. XXXII. cap. II. *Numa constituit, vt pisces qui squamosi non essent, ni pollucerent, parsimonia commentus, vt conuiuia publica & priuata, cœnæque ad puluinaria faciliùs compararentur: ni qui ad polluctum emerent, pretio minus parcerent, eáque præmercarentur.* In vulgatis etiam antiquâ Parmensi anni CIↃCCCCLXXVI. *patrimonia* pro *parsimonia* excusum est. Sed *parsimonia* rectè emendat Scaliger ad Festum, voce *polluctum*, vbi & loci mentem clarè aperit. Apud Plautum quoque legas, Sticho, Act. II. Sc. I. *Vt decumam partem Herculi polluceam*, hoc est, τὴν δεκάτην ἀποθύσω τῷ Ἡρακλεῖ, quod Syllam & Crassum olim fecisse scribit Plutarchus, qui id vocat δεκατεύειν τὰς οὐσίας. Herculi autem decimas offerebant, quia is putabatur gaudere bonorum exuberantium imminutione, vt qui victu nec lauto, nec immodico, vsus esset. Meminit & huiusce moris Varro lib. V. de L. L. *Hinc profanum est, quod ante fanum est, id est, coniunctum fano. Hinc profanatum, quod in sacrario polluctum. Atque inde Herculi decuma data ab eo est, quod sacrificio quodam fanatur, id est, vt fani lege fit, id dicitur Polluctum, quod à porriciendo est fictum. Cùm enim ex mercibus libamenta porrecta sunt Herculi in arâ, tum polluctum est: vt cùm profanum dicitur, id est, proinde vt sit fani factum.* Quo in loco Scaligerana quidem editione *pollinctum* quoque inuenias;

nias: sed Scaligero *pollucum* placuisse, docebimus quæ scribit ad Festum, in *Pollucum*. Propriè autem *polluctum* dicitur sacrificium siue conuiuium, quod Ioui Dapali, Herculi, aliive fieret. Sic Cassium suprà vidimus. Eodémque modo dixit Macrobius, lib. III. Saturnal. cap. XVI. *Propriè autem CATIL-LONES dicebantur, qui ad pollucum Herculis vltimi cùm venirent, catillos ligurribant.* Porrò quia *polluctum* hoc planè opiparum ac sumtuosum erat, hinc est quod vocabulo generatim vterentur, pro *cœna lauta ac sumtuosa*. Plaut. Rudente, Act. V. Sc. VII.

———Spectatores vos quoque ad cœnam vocem,
Ni daturus nihil sim, neque sit quicquam pollucti domi.

Idem *polluctura* pro eo dixit. Sticho. Act. V Sc. IV.

Quisquis præterit, comessatum volo vocari. ST. Conuenis,
Duco quidem hercle quisque veniat cum vino suo; nam hinc quidem
Hodie polluctura, præter nos, iam dabitur nemini.

A *polluctum* est *polluctè* pro *opiparè*. Plautus. Neruolaria:

Polluctè prodigum esse amatorem addecet.

Id sine dubio verius est quàm quod in vulgatis legitur, *productè*. Pro *polluctè* Macrobius ab eâdem origine *pollucibilem* cœnam dixit, lib. III. Sat. cap. XVII. *Altera, inquit, die Cleopatra, pertentans Antonium, pollucibilem sanè cœnam parauit, sed quam non miraretur Antonius.* Hinc *pollucibiliter obsonare* pro *opiparè*. Plaut. Most. Ac. I. I.

Dies, noctesque bibite, pergræcamini,
Amicas emite, liberate, pascite
Parasitos, obsonate pollucibiliter.

Hæc fusiùs sum prosecutus, quia, præter alios, Hermolaus Barbarus confundit *polluctum* & *pollinctum*, *pollucere* & *pollingere*. Ita enim scribit in Gloss. Plinianis: *Pollinctores* Plinio, lib. XXXII. cap. II. *vnde polluctura Plauto. Catoni tamen pollinctores sunt qui faciunt pollinem*, &c. Atqui *pollucere* est diis offerre, vnde Ioui Dapali, aut Herculi, pollucere dicebant; indéque *polluctum*, & *polluctura*, pro *lautis conuiuiis*, quia quæ *Herculi pollucerent* (ea esculenta ac poculenta fuisse scribit Festus) *lauta opiparáque* erant. A *pollingere* est *mortuum lauare, exungere*; vnde *pollinctor*, νεκροδέκτης, quamquam & de *vespillonibus* dicitur, vt indicant vett. Glossæ, in quibus exponitur νεκροθάπτης. & hic Sidonij locus, lib. III. ep. XIII. *Moxque sidente strue torrem deuolutum reddere pyræ fastidiosus pollinctor exhorret.* Nam propriè *vespillonum* munus erat, cùm rogi accensio, tum sepultura. Cætera, quæ ad *pollinctores* pertinent, diximus in *Pollinctor*.

POLLVO videri possit factum ex *perluo*, vt *polliceor* ex *perliceor*. Ita *polluo* sit *planè lauo*. Verum qui *polluit* non sordida abluit, sed munda inquinat. Quare rectiùs fortasse Nunnesius, cui *polluo*, à μολύνω, vt μ abeat in p. Sed potiùs sit à φολύνω, *polluo*, *inquino*. Hesychius sanè φολύνει interpretatur μολύνει. A *polluo* quod Græci χέρνιβα Latini vocant *pollubrum*, quia eo excipitur aqua abluendis manibus polluta. Vide Festum Noniúmque: qui illud Fabij Pictoris citat ex lib. XVI. *Aquam manibus pedibusque dato, pollubrum sinistrâ manu teneto, dextra vasum cum aqua.*

POLVS, πόλος, ἀπὸ τοῦ πολεῖν, quod est *vertere*. Vnde πολεῖται, ἀντὶ τοῦ ἀναστρέφεται, vt exponit Hesychius. A quo ἀμφίπολοι, *circitores*. Πόλος igitur *circuitus cœli*. *Totum* enim *cœlum* dixere veteres *polum*, quia πολεῖται. Hesychius: Πόλος, κόσμος, οὐρανὸς, κύκλος. Ideo & *cranium* sic dixere, quia *hemisphærium* est. Pollux: Καλεῖται δὲ τὸ κύκλωμα πόλος, κρανίον, ἢ τεῖχος περὶ λαμβανόμενον. Hesych. Πόλος, κύκλος, ἢ τεῖχος περιφερὲς κυκλοειδές. Nempè vt Galli *testam* vocant à *testa* siue *hemisphærij* figura. Sed posteriores πόλοι dixere ἄξονος τὰ ἄκρα, *extrema axis*, circa quæ cœlum vertitur. Latinis similiter à *vertendo vertices* vocantur. Vide *Vertex*.

POLYMYXOS *lucerna* est lemma in Apophoretis Martialis, quo notatur lucerna spargens lumen in diuersa multis ellychnijs. Μύξα enim inter alia etiam de *lucernæ ellychnio* dicitur, vnde δίμυξος, & πολύμυξος. Vide Calderinum in epigr. XIII. lib. XIV. & Turnebum, lib IX. cap. XXIII.

POLYPVS, πολύπους, narium morbus: cuius elegantem descriptionem vide apud Celsum lib. VI. cap. VIII. Nomen ei à *polypo pisce*. Nam & carne eum refert, & *multas* habet *radices* vti *piscis* ille *pedes*, & nares obstruit, anhelitúmque impedit, vti piscis acetabulis suis, quod adprehendit, stringit. *Pisci* nomen à *multis*, hoc est, *octonis pedibus*, vnde & πουλύπους vsitatiùs dicitur. Nec mirandum, quod Horatius lib. epodon & alibi de *morbo* agens, primam in *polypus* producat. Nam pro πολύπους Atticè πουλύπους, Ionicè autem & Doricè πώλυπος dicitur. Vel dicendum venire ab obliquo nominis πώλυψ, quomodo *polypum piscem* aliter vocati, ex Athenæo & Polluce constat. *Polypum* pro *rapaci* dixit Plautus:

Ego istos noui polypos, qui, vbi quid attigerint, tenent.

Nempe ita locutus, quia *polypus* magna cum sollertia acetabulis suis conchas ac pisciculos attrahat, constrictósque teneat, vt nequeant auelli.

POMPA, πομπὴ, à πομπεύειν, hoc est, *publicè ostentare*. Ita Isidorus, lib. XVIII. cap. II. Verùm πομπεύειν à πομπὴ, non contra. Πομπὴ verò à πέμπω, quod non tantum *mitto*; sed & *deduco*, *transueho*, significat: vnde & πομπὴ quoque non solùm *missionem*, seu *missum* notat; sed & *deductionem* seu *transuectionem*, *quæ per publicas vrbis vias honoris caussa fit* vti in triumphis, supplicationibus, funeribus, nuptiis. Ita Plato I. de Rep. dixit πομπὴν πέμπειν. Demosthenes contra Midiam πομπῆς ἀγῶνας. Plautus & Ouidius *pompas ducere*, Terentius *pompam traducere*. Speciatim autem dici solet de Circensi *pompa*; vnde Tertullianus libro de Spectaculis, cap. VII. *Sed Circensium paullò pompatior suggestus, quibus propriè hoc nomen pompa, præcedit.* Eius *pompa* ordinem pete ex Halicarnassæi lib. VII. & Tertulliano de Spectaculis. Sed & Bullingerum, sis, vide lib. de circo, cap XXXVIII. Transfertur autem ad orationem quoque atque alia, vt cùm Cicero ait: *Adhibere quandam in dicendo speciem atque pompam.* Seneca: *Detrahere pompam muneri suo.* A *pompa* apud Tertullianum non *pompatus* modò, siue *pompatior*; sed & *pompalis* legas, quo ipso in Gordiano vsus Capitolinus: ac Trebellius in Gallieno hinc format vocem *pompaliter*. Apud eundem legas: *Nihil pompabilius Zenobia per triumphum ductâ.* *Pompaticus* quoque apud eundem Tertullianum inuenias, vt cùm aduentum *pompaticum* dicit lib. aduersus Valentinianos, cap. XVI. aut cùm feminas ait *pompaticas progredi*, lib. de cultu feminarum, cap IX.

POMPILVS, πομπίλος, *piscis thynno similis*, quâ similitudine quidam decepti eum in *thunnos* retulerunt, vt ex Plinio discimus. Meminit eius quoque Ouidius in Halieut.

Tuque comes ratium, tractique per æquora sulci,
Qui semper spumas sequeris, pompile, nitentes.

Quo loco penultimam eius vocis producit Naso, contra quam factum à Nicandro, Alexandro Ætolo, Pancrate Arcade, Timachida Rhodio, Corinna, siue quisquis auctor carminis Corinnæ tributi, & Apollonio Rhodio siue Naucratita: quorum omnium versus adducit Athenæus lib VII. Iis verò adde locum Oppiani lib. I. ἁλιευτ. vers. CLXXXV. Quod ad nominis etymon, id clarè indicat hic locus Clitarchi lib. sept. Glossarum apud Athenæum ibidem: οἱ ναῦται πομπίλον ἱερὸν ἰχθὺν ἀποκαλοῦσι, διὰ τὸ ἐκ πελάγους προπέμπειν τὰς ναῦς, ἕως εἰς λιμένα· διὸ καὶ πομπίλον καλεῖσθαι χρυσόφρυν ὄντα, *pompilum sacrum piscem nautæ vocant, quòd per mare vsque ad littus deducat naues, atque ob id quoque pompilum appellari piscem hunc, cui aurea supercilia.* Quibus ex verbis superior Ouidij locus lucem capit. Plinius similiter, qui lib. XXXII. cap. II. pisces enumerans Ouidio memoratos, inter alios ponit *pompilum*, *qui semper comitetur nauigiorum cursus.* His enim vtitur verbis. Idem tradit Ælianus lib. II. cap. XV. Verum *pompili* etymon vidimus. Sed aliter de hoc poëtæ. Aiunt enim *Pompilum* portitorem ab Apolline Ocyrrhoën adamante in piscem eius nominis esse conuersum. Fabulum ex Apollonio prosequitur Athenæus, librò eodem, eandémque tangit Ælianus lib. XV. cap. XXIII.

POMVM latiùs patet, quàm *malum*, quod *pomi species* est. Sed vulgo genus pro specie sumitur. Gloss. *Pomum* ὀπώρα. Itaque *nucem* etiam quidam hoc nomine complexi. Ea Græcis ἀκρόδρυα. Vide Macrobium, lib. II. Sat. cap. XV. *Poma* ab *opimo*, hoc est à *copia vbertateque* dicta scribit Isidorus, lib. XVII. cap. VI. At Varro, in IV. de L. L. *Pocula*, inquit, *à potione; vnde potatio & etiam poma, quod hæc poscunt potum* Sed meliùs Cæsar Scaliger in Theophrastum de plantis, qui *pomum* à πῶμα, siue potiùs πῶμα, (nam & posterius hoc inuenitur,) dictum arbitratur, quia *etiam sitim tollerent eorum plurima, simulque essent cibo & potui.* Fuit & *pomi* vox inter obscœna. Nam sic *coleos* vocabant: vt Iustus Lipsius probat, lib. III. Antiqq. lectionum. A *pomis* dicta *Pomona* Dea, quæ *pomis* præerat. Meminit Arnobius, lib. III. Hinc *Vicus Pomonæ*, apud Sextum Rufum. *Pomonam* signat Ouidius. XIV. Met. fab. XVI.

Nec fuit arborei studiosior altera fetus,
Vnde tenet nomen.———

A *pomo* quoque dictum *pomarium* & *pometum*, quia illa in *pometo* nascuntur, in *pomario* seruantur. Ita distinguit hæc vocabula Charisius, lib. I. & ex eo Beda de Orthogr. Sed *pomaria pometis* manifestè vtitur Horat. od. VII. lib. I.

———Et vdam,
Mobilibus pomaria riuis.

Ouid. IV. Met. fab. XVII.

Id metuens solidis pomaria clauserat Atlas
Montibus.———

PONDVS, & *pondo*, à *pendo*, vt Belgis *gewicht* à *wegen*, id est, *pendere*. Isidorus minùs rectè, qui deriuat à *pendeo*. Sic enim inquit, lib. XVI. cap. XXIV. *Pondus dictum, eò quòd in statera libratum pendeat*. De notis ponderum vide Isidorum, lib. XVI. cap. XXVI. & Georgium Agricolam in fine, lib. IV. de Ponderibus.

PONO videtur esse à πονῶ, cùm Latini verba sua formare soleant à circumflexis, vt in *Tero* & alibi ostendimus. Quod si obstare putes, quòd πονῶ generatim notet *laborare*; Latinum verò illud tantùm de labore eo dicatur, qui insumitur in rebus loco suo statuendis, qualis in extruendis ædibus spectatur: possis deducere ab Hebræo בנה, id est, *ædificare*; vnde & fortasse Græcum πόνος, vt propriè notet *laborem fabrilem*. Sed huiusmodi, vt incerta admodum, in medio relinquo. A *pono* est *ponè*. hoc est, *retrò, in loco postico*. Nempe quia qui *ponit*, locum assignat. Caper: *Ponè loci aduerbium est, post temporis*. Ab eodem est *impono*, vnde *imponenta*. Festus: *Imponenta quasi imponimenta, quæ post cœnam mensis imponebant*. Interdum *impono* est *decipio*: vnde *impostor*, qui decipit. Ita à gentilibus audiebant *Christiani*. Ac B. Rhenanus, initio notarum ad librum de Pallio, scribit *Christianos* vocatos ἐπιθέτας, & Latinè *impostores*, quòd *pallium tunicæ superimponerent*. Sed vir doctissimus imponi ipse lectori, quia ita vocati, tanquam *qui falsâ religione ac prædicatione simplicibus imponerent*. Vnde non minùs, cùm *togati* essent, *impostores*, ac vanos, dixere. Neque aliud ostendit locus Hieronymi ad Furiam, vel alter ille ad Marcellam, quorum vtrumque adducit Rhenanus. De ratione, ob quam Latini *imponere* pro *decipere* dixerunt, ita censeo. Quemadmodum *decipere* ex eo dictum, quòd interdum soleant homines fraudulenti callidè aliquid de summâ aut aceruo capere, quod propriè *decipere* est: ita *imponere* propriè de iis dicitur, qui simulantes se aliquid ponere, iuxta officium, aut pactum: tamen id reuera non agunt. Itaque in hac notione τὸ *in* est priuatiua particula; vt vocat Boëtius in Topicis. Nec mirandum in eodem verbo præuerbium hoc duplicem vim habere, cùm idem in *inuinctus*, *incanus*, & aliis multis contingat: vt agentes de particula *IN* ostendimus. Hoc si non placet, sanè dicere licebit, petitum esse hoc loquendi genus ab arte κομμωτικῇ, vbi *capilli adscititij*, & *fucus illitus*, ἐπίθετοι κόσμοι appellantur. Sanè ab eâdem arte *fucum facere* dicuntur, qui *decipiunt*.

PONS contractum è *pontis*; vt *mens* ex *mentis*, quo in recto vsus Ennius. Est *pontis* non quidem à *ponto*, neque à πόντος, neque a πονῶ, quia *venti eum perflant*: sed à *pendeo*, quia vt super aquas transitus fiat, in aëre quasi suspendatur. Hinc *pontones*, nauigij genus, quo in traiiciendis aquis *pontis* loco vtimur.

PONTIFEX dici aiunt vel à *posse & facere*, hoc est, *sacrificare*, quia ius illi sit sacrificandi: vel à *pontem & facio*, quia pontem faciat ad cœleste regnum. Sed cùm vocem eam Ecclesia à gentibus acceperit, verum nominis etymon petendum è IV. Varronis de L. L. vbi sic scribit: *Pontifex, (vt Q. Scæuola Pontifex Maximus dicebat) à posse & facere. Pontifices ego*, inquit Varro, *à ponte arbitror; nam ab iis sublicius est factus primùm, & restitutus sæpe, cùm ideo sacra & vls & cis Tiberim non mediocri ritu fiant*. Posterius etymon secutus quoque Dionysius Halicarnass. qui lib. II. ait: οὗτοι κατὰ μὲν τὴν αὐτῶν διάλεκτον, ἐφ' ἑνὸς τῶν ἔργων ὧν πράττουσιν, ἐπισκευάζοντες τὴν ξυλίνην γέφυραν, Ποντίφικες προσαγορεύονται. *Hi, ipsorum linguâ, ab vno suorum operum, reficiendo scilicet ponte sublicio, Pontifices appellantur*. Nec dubium quin hoc verum sit etymon. Nam, vt sanè demus, facere absque casu, ac in compositione etiam accipi pro *facere rem diuinam*, siue *sacrificare*: at vnde illud *N* in *pontifex*, quod in *potis* nullum est. A *ponte* autem planè fit ἀνάλογως; nempe quâ formâ *ædifex* legimus apud Tertullianum de idololatriâ, *signifex* apud Arnobium, lib. VII. Sidonium, lib. VI. epist. XII. Martianum Capellam, lib. I. & fortasse Appuleium, Met. lib. II. (Nam quidam codices apud eum *signifer* habent) quâ item *retifex* est apud Gregorium Turonensem in vitâ S. Nicerij: & *missifex* apud veterem scriptorem de Missa,

Angelicum post hæc sacrifex pater incipit hymnum:

quâ denique vsitatè & *aurifex* & *carnifex* dicitur, de quo suo loco egimus. Porrò *pons* hic, à quo *pontifici* nomen esse dicebamus, planè ligneus erat, nullo ære aut ferro compactus, quem Romani adeò sacrum existimârunt, vt si collaberetur, non nisi cæsâ victimâ & perfecto sacrificio eum reficere *pontifex* posset. A *pontifice* dicitur *pontificium*, quod licentiam siue potestatem significat. Gellius, lib. I. cap. XIII. *Ab eo cuius id negotium pontificiumque esse*. Symmachus, lib. III. epist. XVII. *Pontificio iterati honoris auctus, nullum mihi indicium communis gaudij dedisti*. Carrio quoque, lib. I. Emend. cap. 12. Sic è membranis Parisiensibus corrigit locum Arnobij, lib. II. *Ita vnius Pontificium Christi est, dare animis salutem*. Eandem vocem sic in Codice Theodosiano vsurpari obseruauit Alciatus: ac legitur quoque apud Petrum Chrysologum, homil. V. inque leg. Burgund. cap. XI.

PONTVS, πόντος, generatim notat *mare*: sed pro *Euxino* capitur κατ' ἐξοχὴν, teste Strabone, lib. I. & Eustathio. Suidas contra putat, propriè dici de *Euxino*, καταχρηστικῶς de quouis *mari*: sed fallitur. Non de *solo Euxino* dici, vel ex Arriano constat; vt cùm ait Indum fluuium εἰς πόντον ἐμβάλλειν, vbi *mare Indicum* sic vocat. Ac crebro sic loquitur. Nomen *ponto* esse aiunt à ποντίζω, *mergo*. Sed hoc à πόντος. Alij à *Ponto* Nerei filio. Sed hoc à fabula est, quæ ex elementis & naturæ partibus Deos finxere. Alij à πόνος, quia *plenus laboris*: vel quia πνεύμασι perflatur. Alias etiam caussas adfert Etymologici magni auctor. Puto vocem eam ab Oriente petitam.

POPINA, πολυτελὲς μαγειρεῖον, vt interpretantur Gloss. Philoxeni. Est verò *popina* à Græco πόπανον, quod ἀπὸ τοῦ πέπτειν, vtpote πεπεμμένον εἶδος. Quippe πόπανα, Suidâ teste, dicuntur πλακούντια πλατέα καὶ λεπτὰ καὶ περιφερῆ, *placentæ latæ, tenues & orbiculares*. Harum vsus in sacrificiis fuit, quemadmodum indicat Aristoph. in Pluto, his verbis, Ἐπεὶ δὲ βωμῷ πόπανα καὶ προθύματα καθωσιώθη. Et Lucianus de sacrificiis, ὁ δέ τις λιβανωτὸν ἢ πόπανον ἐπιθύσας. *Popa* interdum pro eo dici legas in Glossis Philoxeni, vbi est: *Popa*, πλακοῦς, ἢ πόπανον. Sed hîc *popanum* puto rescribendum. At *popa* significationem longè aliam habet. Nam *victimarium* notat, vnde eædem Glossæ subiiciunt *popa*, θύτης. Atque, vt Salmasio obseruatum, non aliunde est *popa*, quàm ab Æolico φύτης pro θύτης. Nam Æoles mutant & θ in φ, vt θῆρες, φῆρες, *feræ*; θηλὼ, *papilla*, φηλὼ, vnde *felo* seu *fello*. Vsus *popa* voce hoc pacto Propertius, lib. IV. eleg. III.

Succinctique calent ad noua lucra popæ.

Tullius quoque in Miloniana nominat *popam* Licinium, vbi nonnulli *Popa* proprium esse credunt. Sed cùm Asconius dicat, Licinium sacrificum fuisse, magis verisimile est, appellatiuè, vt loquuntur, siue communiter, hîc sumi. Persius neutro modo vsurpare videtur, cùm sat. VI. ait:

———*Ast illi tremat omento popa venter:*

vbi signat, non quidem *pinguedinem* siue *hominem pinguem*, vti Fungerus scribit; sed *popinonem* seu *helluonem* se *popæ* instar delicatissimis sacerdotum cibis explentem.

POPLES, pars ea, quæ genui opposita est ex *post*, & *plico*, quia post genu plicetur ac curuetur. *Po* pro *post*, vt in *pomœrium*, & *pomeridianus*. A *plico* esset *poplices*, inde *poplees* siue *poplex*, pro quo dicimus *poples*, vt à κύκλωψ, *cocles*.

POPPYSMA, πόππυσμα, est *palpus*, *siue sonus linguâ, manibus ac similibus modis excitatus ad fauorem ostendendum*. Est à ποππύζειν, quod in Glossis Græco-Lat. legitur. Eustathius quoque in Il. ι, pag. DLXV. scribit differre ποππύζειν & κοππύζειν, quòd illud hominibus tantùm, hoc etiam bestiis, vti equis ac bubus, tribuitur. Theocritus pro ποππύζειν dixit ποππυλιάζειν. Iuuenal. sat. VI.

Præbebit vati crebrum poppysma roganti.

Quem in locum ita Scholiastes: *Poppysma est oris pressi sonus, & labiorum in se collisorum strepitus*. Itaque sit ὀνοματοπεποιημένον. Iuuenalis locum explicat, & Turnebus, lib. IV. cap. XV.

POPVLVS, priori porrectâ, à πολὺς venit, si Isidorum audimus, lib. XVII. cap. VII. nempe, vt ait, *quòd ex eius caice multitudo nascatur*. Perottus quoque à frondium multitudine nomen arcessit. Sed vtcunque hoc est, saltem *populus* priori correptâ à πολὺς factum, geminatione primæ syllabæ, *polus*, *popolus*. Nam per *o* scribitur hæc vox in Legg. XII. Tabularum. Vel dicendum à πολὺς factum esse interiiciendo *p*: πολὺς, *popolus* siue *poplos*. Nam & hoc pacto vocem eam protulere veteres, vnde in basi columnæ rostratæ, à C. Duillio positæ, disertim *POPLO* pro *populo* scriptum inuenitur. Sumitur interdum hæc vox pro *hominibus vnius vici siue pagi*, quos (vt Aristoteles lib. de poëtica ait) Attici δήμους, Græcorum alij κώμας appellant. Ita *populi* voce vsum liquet Appuleium in Apologiâ: *Quindecim*, inquit, *liberi homines populus est, totidem serui familia, totidem vincti ergastulum*. Mirum autem loquendi genus, cùm Iustinus, lib. X. de quinquaginta filiis loquens ait: *In tanto populo*. A *populus* est *populares*; quâ voce nunc δημόται significantur, atque hac notione à *populus* venire dubium non est: nunc verò ita dicuntur φωνῆται, cuius significationis meminit Glossarium: sed nomen tunc à *populando*, hoc est, *prædando*. Ipsum quoque *populare*, seu *popu*-

pulari. à populo factum, vt propriè sit in populo prædas agere. Aliam quoque ac priori planè contrariam eius verbi notionem docet nos Nonius Marcellus, cui populare interdum est populis amorem conciliare. Sic vsum ait Pacuuium in Chryse:

Aut vt promeruit pater, mihi patriam populauit meam.

Sed puto Nonium valde falli. Nam cùm locus sit ex Chryse, Chryseidis verba esse arbitror de Agamemnone, qui Chryseidis patriam, Thebas Cilicias, vastârat, indéque Astynomen siue Chryseida abduxerat. Eóque cum Grotio ita lego:

Atque vt promeruit, pater, qui patriam populauit meam.

A populo in Theatris dicta popularia; de quibus actum in Cauea.

Porca est, quod in arando extat, vt ait Isidorus, lib. xv. cap. xv. τὸ μεταξὺ τῶν αὐλάκων ὑψ⟨ος⟩, vt exponitur in Glossis Philoxeni: in quibus tamen malè, pro porca legitur porta. Etymon huius vocis quadruplex inuenio. Primum, vt porca dicatur quasi porrecta. Varro, lib. iv. de L. L. Ab eo quod aratri vomer sustulerit, sulcus: quod ea terra iacta, id est, proiecta, porca. Sic præter nuperas editiones habent quoque MSS, & vetus editio Mediolanensis anni clɔ ɔ ac vetus Aldina. In vno tamen MS^to porrecta pro proiecta legisse se scribit Vertranius. Et pro etymo hoc est locus Varronis, lib. i. de R.R. cap. xxix. Qua aratrum vomere lacunam fecit, sulcus vocatur. Quod est inter duos sulcos elata terra, dicitur porca, quòd ea seges frumentum porricit. Sic quoque exta Deis cum dabant, porricere dicebant. Hæc Varro. Tertium etymon est, vt porca dicatur a porceo, quod ipsum dicitur quasi porrò arceo. Festus: Porcæ appellantur rari sulci, qui ducuntur aquæ deriuandæ gratiâ; dicti quòd porcent, id est, prohibent aquam frumentis nocere. Nonius: Porcæ sunt signa sulcorum quæ vltra se iaci semina prohibeant. Porcere enim prohibere sæpius legimus. Charisius, lib. iii. cap. de secundo ordine: Porceo, es, xi, βοηθ⟨ῶ⟩. Similiter Gloss. vett. Etiam in Onomastico, quod Calepino subnexum fuit in Argentoratensi editione, ac Lugduni Batauorum recusum: Porceo, ἀπείργω, vbi vir doctus ἀπείργω, vel potiùs ἀπείργω legendum putat. Quartum etymon suggerit Angelus Caninius, vt sit a Græco πορεία, conuersio ε in ο, quomodo, vt idem vult a συν venit cum & a βάρις, barca, quasi barsa. De discrimine porcæ & sulci, ac porcam, non sulcum, alio nomine liram vocari, ostendimus in Deliras. A porca est imporco, hoc est, porcam facio. Onomast. Imporco ἀναλακίζω. At αὖλαξ, sulcus. Porcas faciebant tertiâ aratione, eàque semen in porcas redigebant. Itaque & imporco est semen in porcas redigo. Sic de fabis vsus Columella, cùm ait: Et similiter, cùm semen crudo solo ingesserimus, inarabimus, inaratumque occabimus. Hinc imporcitor: Festus: Imporcitor, qui porcas facit in agro arando. Sic quoque dicebatur Deus, qui præerat lirationi, qua frumentum in porcis operiebant. Indigitamenta flaminis Cerealis: Vervactor, Redarator, Imporcitor, Insitor, Obarator, &c.

Porci geminam etymologiam ponit Varro, iv. de L. L. Porcus, inquit, quod Sabini dicunt de aprino porco poridus, inde porcus; nisi à Græcis, quod Athenis in libris sacrorum scriptum est πόρκῳ καὶ πόρκα. Ita hunc locum interpolarunt quidam. At lege Scaliger: Porcus quod Sabini dicunt aprum porcum: proinde porcus, &c. Posteriorem quoque etymologiam adducit ii. de re Rust. cap. iv. Porcus Græcum est nomen antiquum, sed obscuratum, quod nunc eum vocant χοῖρον. Et ita sane est. Nam is qui postea χοῖρος, antiquis fuit appellatus πόρκος; vt ex Alexandra Lycophronis contra Tzetzis somnium probat Scaliger in Coniectaneis. Mirari verò satis nequeo, neutram etymologiam adferri a Fungero, qui vnum hoc duntaxat dicit, Isidorum (locus est lib. xii. cap. i.) putare porcum dici quasi spurcum: atque inde more suo aliud agit. Equidem quid ab iis, qui adeò perfunctoriè rem etymologicam tractant, boni exspectari debeat, videre non possum. Sane si tantum Latinum etymon placuit, nihilo deterius fuit dicere porcum vocari, quia dum cibum rimatur id ore faciat porrecto. vel sic dici, quia terram porriciat, hoc est, porrò iaciat: vel quòd terram porceat, hoc est, porrò arceat ac prohibeat. Sed omnino à Græco πόρκος est, quemadmodum diximus. Quod nisi foret, videri posset esse ex Græco χοῖρος μετάθεσις, & p præfixo, vt ab ἀπαλὸς est papilio, à μόλυβδος, plumbum. Vnde verò fit, quòd porcus quoque dicatur pars ea in puellis, quâ feminæ sunt, docet Varro, lib. ii. de R.R. cap. iv. Verba eius in voce SVS adducemus.

Porricere, est verbum solenne sacrificantibus ex disciplina haruspicum & præcepto pontificum, quemadmodum Macrobius ait, lib. iii. cap. i. vbi & Maronem eo vsum docet, sed imperitia Grammaticorum, ac librariorum, pro voce porriciam scribi in quibusdam libris proiciam. Locus est lib. v. Æneid.

————Extaque salsos
Porriciam in fluctus.

Sed si rectè vidit Macrobius, mirum in nullo codice germanam hodie lectionem inueniri. Sanè Pierius in antiquis omnibus exemplaribus, quæ quidem habere potuit, proiciam, idque vnico, ex seculi consuetudine, a se inuentum prodit. Interim pro Macrobio est, quod Seruius quoque (si Fabricianam editionem sequimur) porriciam legit, etsi & alterius meminit lectionis. Sic enim scribit: Exta porriciuntur: hoc est porriguntur: nisi forte dicamus etiam fluctibus maris offerri. Quod si ita est, proiciam, id est porrò iaciam legendum est. Sed aliter hæc in Seruio Danielis. Vsus quoque porriciendi verbo Nonius: Simul atrocia porricerent extamensi fratores. Plautus, Pseudolo. Act. i. Sc. ii.

Si sacrificem summo Ioui,
Atque in manibus exta teneam, vt porriciam.

Liuius lib. xxix. Secundum eas preces cruda exta cæsâ victimâ (vti mos est) in mare porricit, tubâque signum dedit proficiscendi. Fenestellæ quoque locum apud Nonium in Præsente sic legit Palmerius: Et quædam exta præsente fuis, quædam absente porrexissem. Dicitur porricere vel quasi porro iecere seu iacere, quod præter Seruium scribit Festus: vel antiquum est pro porrigere. Nam Seruius, Exta, inquit, proiciuntur in fluctus: aris porriciuntur, id est, porriguntur. Priores C vsurpabant pro G, quomodo in columna erecta C. Duillio legitur Exfociont pro effugiunt, Ceset pro gesit; similitérque Lecionis, Macistratus, Cartaciniensis. Similiter Festus auctor veteres pro agitare dixisse acetare. Primus hunc morem correxit Spurius Carbilius, Grammaticus aut quillimus. A porricere dicta exta porrecta, quorum meminit Varro lib. v. de L. L. cùm ait: Inter cuius exta cæsa & porrecta flamen prorsus vinum legit. Ab eodem exta dicta porriciæ, si recta lectio vulgata apud Solinum, cap xi. Nec longè inde collis Vulcanius; in quo qui diuinæ rei operantur, ligna vitea super aras struunt, nec ignis apponitur in hanc congeriem: cùm porricias intulerint, si adest Deus, sacrorum probator, sarmenta, licet viridia, ignem sponte concipiunt; &, nullo inflagrante halitu, à Numine fit incendium. Sed magis placet veterum codicum lectio, in quibus est proficias; quo Arnobius quoque vsus. Nomen id a proficando, hoc est proiecando, vide Festus, Proficium, quod proiecatum porricitur. Differunt proficere & porricere; quia pars extorum prius proficitur, hoc est, præsecatur: deinde porricitur, hoc est, aris imponitur, vel comburatur.

Porro a Græco πόῤῥω. Gloss. Porrò, ἰδοὺ, λοιπὸν, πόῤῥω, καὶ ἴσως καὶ μακράν. Gloss. Cyr. Πόῤῥω procul, πόῤῥωθεν, longinque, eminus, procul. Πορρωτέρω, vlterior Virgil. vi.

————Quæ sint ea flumina porrò.

Vbi Seruius: longe remota. Et est Græcum aduerbium. Compositum eius proporro. Lucretius:

Et sibi proporro quæ sint primordia quæque.

Idem ac simplex valet.

Porrvm, Papiæ dici placet, quòd porrigat se, longéque extendat. Sed est à πράσον, facta secundæ tertiæque literæ traiectione, & quartæ mutatione in R quomodo à τύρσις est turris, à κέλης, celes, à μυττωτὸν, moretum, &c. Porrum est duplex. Vnde Martialis, lib. iii ep. xlvii.

Et vtrumque porrum, sessiléque lactucas.

Vtrumque nominat Isidorus, lib. xvii. cap. x. Porrum, enim duo genera sunt, capitatum, & sectile. Capitatum melius, sectile paruulum. Athenæo similiter lib. ix. opponuntur πράσα κεφαλωτὰ, & κουρτὰ. De vtroque agit Plinius lib. xx. cap. vi. Capitatum designat illud auctor Moreti:

Hic sitor, & nomen capiti debentia porra.

Sectile dicitur quasi sectiuum. Sectum vocat Columella in Horto. Vti & Moreti scriptor:

————Sectique famem domat area porri.

Sectile Iuuenalis appellat.

————Quis sectile porrum,
Quis tecum elixi vervecis labra comedit?

Vulgo etiam legitur apud Martialem, lib. x. epigr. xlviii.

In quibus est lactuca sedens, & sectile porrum.

Sed in melioribus MS^tis est tonsile. Atque ita edidit Ianus Gruterus. Ac probat etiam Cl. Salmasius. Tonsile idem ac sectile. Nempe quod Græcis πράσον ἀπὸ τοῦ κείρεσθαι, hoc est, secari, tonderi. Quomodo Ciris dicta à resecto & detonso capillo parentis sui Nisi. Sic tonsilis corona eadem ac tonsa: vt alibi dictum. A porrum est porrina, genus oleris porracei, siue locus vbi porrus crescit. Legas id in Digestis. Ab eodem porrigo, capitis vitium furfuribus velut farina obsiti. Serenus Sammonicus:

Cum caput immensâ pexum porrigine ninget.

Nempe vt porrum in tunicæ inuolucra, ita cutis velut in squamas

mas resoluitur. Qui à *porrigendo* deriuant, modulo secundæ syllabæ refelluntur.

PORTA iuxta Isidorum, lib. xv. cap. I. quia potest vel *importari* vel *exportari* aliquid. Quamquam altera quoque nominis ratio adfertur. Nam olim cùm vrbem nouam conderent, aratro vrbis futuræ spatium designabant: vbi vero introitus & exitus futurus erat aratrum à designatore *portabatur*: vnde *portas* nominatas volunt. Cato: *Qui vrbem nouam condit, tauro & vacca aret: vbi arauerit, murum faciat: vbi portam vult esse, aratrum sustollat & portam vocet.* Quæ eius verba ibidem Isidorus adducit.

PORTICVS, *vá.* Isidorus, lib. xv. cap. III. *Porticus, quod transitus sit magis, quàm ad standum sita sit, quasi porta & porticus, eò quòd sit aperta.*

PORTISCVLVS vsurpat Ennius, Octauo Annalium:

Parerent, expectarent, portisculus signum
Cùm dare cœpisset.

Et Laberius: *Nec palmularum pulsus, nec portisculi.* Ita hæc loca restituit Carrio, lib. I. Emend. cap. 10. Dictus autem *portisculus*, quòd in *portu* modos daret remigibus: vt ex Ælio Stilone tradit Festus. Græcis à *iubendo* κελευστὴς dicitur. Polybius, lib. I. ἀρχιδεῖν τι, καὶ λέγειν τὸ εἰρεσίας πρὸς τὸ τοῦ κελευστοῦ παρασύνθημα. Idem docent Glossæ; in quibus & *iussor* vocatur. Senecæ appellatus *pausarius*, vt suo loco dictum. Ouidio *hortator animorum* nominatur, III. Metamorph. fab. VIII.

——*Et qui requiémque modúmque*
Voce dabat remis animorum hortator Epopeus.

Quo ex loco simul cognoscimus, assà voce modum dari solere. Non tamen id perpetuum, quia & in Argo naui per citharam factum, & alias per symphoniam fiebat, vt scribit Asconius in Diuinat. itémque malleo aut perticâ, vt Festus & Nonius tradunt in voce *portisculus*. Disputant autem eruditi, num *portisculus* ipsum sonet hominem, qui remigibus dabat signum, an verò signum, quo dabat requiem ac modum, an vtrumque. Ianus Duza in quæstionibus Plautinis lib. I. cap VI. velle videtur *perticam*, non *perticæ gestorem*, significasse. Scaliger tamen ad Festum, putat, eum, qui *præco* esset aliàs, hunc in naui dictum *portisculum*. Et sanè vtrumque notare, clarè satis scribit Nonius his verbis: *Portisculus propriè est hortator remigum, hoc est, qui eandem (al. quandam) perticam tenet, quæ portisculus dicitur, quâ excursum, & exhortamenta moderatur.* Daniel Heinsius putat apud Nonium pro *pertica* legendum *pergula*, ac *portisculi* voce tum *locum* siue *pergulam* vocari: tum qui in eâ. Vide quæ is notauit ad illud Silij, lib. VI.

——*Media stat margine puppis,*
Qui voce alternos nautarum temperet ictus,
Et remis dictet sonitum, pariterque relatu
Ad numerum plaudat resonantia cærula tonsis.

Ego *perticam* rectum puto: nam Festus clarè: *Portisculus est qui in portu modum dat classi; id autem est malleus.* Vides vt instrumentum id, quo modus remigibus dabatur, dici velit *portisculum*. At hoc ipsum *perticam* vocat Statij interpres ad illud VI. Theb.

Et signo de puppe dato:

Vbi scribit in hunc modum: *Pertica est quædam in naui, quam hortator remigum tenet, quam si incusserit, remiges non desinunt; si deposuerit, planè quiescunt à labore.* Patet igitur *portisculum* fuisse *perticam*, non locum, in quo sederet hortator. At non item audiendus idem ille Statianus interpres, cùm *pergulam* hanc ait à Plauto vocari *casteria*. Nam aliud & Nonius docet, & ipse Plauti locus, quo vtitur, euincit. Planè autem verisimile puto, Statianum interpretem, cùm meminisset istic loci *perticam hortatoris* à Plauto nominari, memoriæ lapsu versum hunc adduxisse pro præcedenti, ac *casteria* non *portisculum* perticæ nomen existimasse. Sic enim Plautus, Asinariâ, Act. III. I.

Et meam partem loquendi, & tuam trado tibi.
Ad loquendum atque ad tacendum, tute habes portisculum,
Quin pol si reposiui remum, sola ego in casteria
Vbi quiesco, omnis familia caussa consistit tibi.

Vbi *portisculus* est *pertica* quâ signum dabatur *remigibus*: at *casteria* (vt bene Nonius interpretatur) *est locus, vbi cum nauigatio conquieuit, remi & gubernacula conquiescunt.* Vide quæ de *casteria* voce diximus voce *Castor*. Quædam etiam ad *portisculum* pertinentia, diximus voce *Celeusma*: quæ non repeto.

PORTO Alciato placet esse à πορθμεύειν quod si est, πορθμεῖον dixerit Liuius *exercitum nauibus deportari*. Sed Caius IC. ait, *portari* ea, quæ quis iumento secum ducit. Valla autem, lib. VI. Eleg. cap. 21 docet *portari*, quæ quis suo corpore baiulat. Atque idem confirmat multis Floridus Sabinus. Vt hanc πορθμεύειν notionem esse, verisimile non sit. Magis itaque placet *porto* esse à φορῶ seu φορτίζω, quod a φόρτος, id est *onus*, vnde φόρταξ, *baiulus*. A *porto* est *portitor* pro eo, qui portat: quomodo apud Ouidium est,

——*Portitor Helles;*

Apud Statium,

——*Glacialis portitor vrsæ.*

Aliàs est à *portu*, ac tum πορθμεὺς sic dicitur, qui Græcis ac Iuuenali quoque vocatur *porthmeus*, hoc est, qui homines in vlteriorem fluuij ripam traijcit. Ita Charon

——*Portitor orci*

dicitur Virgilio, Æn. VI. & Propert. lib. IV. eleg. vlt. Gloss. Cyrilli: Πορθμεὺς, *portitor*. Sed & *portitor* dictus *publicanus*, quia in *portu* exigit vectigal: vt docet Donat. in illud Terent. Phor. I. II. *Et ad portitores esse delatam.* Gloss. Cyrill. *Portitor*, τελώνης.

PORTORIVM similiter *quod portitori soluitur*. Plautus, Asinaria, Act. I. Sc. III.

Ego pol istum portitorem priuabo portorio.

Idem, Trinummo:

Solutum est portitor iam portorium.

Itaque Appuleius nunc *portorium*, nunc *naulum*, dicit lib. VI. Miles. *Nec mora, cum ad flumen mortuum venies, cui præfectus Charon, protinus expetens portorium, sic ad ripam vlteriorem sutili cymbâ deducit commeantes. Huic squallido seni dabis nauli nomine de stipibus, quas feres.* Dicere tamen etiam liceat, *portorium*, & *portitor* pro *publicano*, à *portando* ita vocari: quia pro mercibus exportandis, non in *portu* solùm, sed etiam in *pontis* transitu soluatur. Plura hac de voce diximus in *Publicanus*, vbi de tribus vectigalis generibus loquimur.

PORTVLACA, herba, quæ Græcis ἀνδράχνη, Turnebo, lib. VIII. cap. XXIII. rectiùs dici videtur *portulata*: nempe quia *folijs portulas imitatur*, & *portulas habere videatur*. Sed nihil prohibet, quo minus à *portula* sit *portulaca*, vt à *lingula lingulaca*, à *pastinum pastinaca*, à *mero meracus*, similiáque. Vel cum Salmasio potiùs scribendum *porcilaca*, vt à *porcula* sit nomen. Vnde & *porcellia* & *porcacia* dicebatur: & Græcis χοιροβοτάνιον. Nicomedes Iatrosophista: χοιροβοτάνιον, ἀνδράχνη.

PORTVS, à *portando*, quia res per eum importantur & exportantur. Vel potiùs à πόρος aut πορεύεσθαι, elito Σ. Aut à φέρειν, quomodo, vt est apud Etymologici magni auctorem, tum *portus* dicitur, tum *Deus marinus*. A portus est *importunus*, quomodo propriè dicitur *locus portu carens*, eóque nauibus infestus. Contrà *opportunus* est locus, in quo nauigantes portum in propinquo habent, quasi *ob portum*. De priori sic Isidorus: *Importunus, inquietus, quia non habet portum, hoc est, quietem.* Sanè *importunus* est, qui alios quiescere non sinit. Idem scripserat Seruius in XI. Æn. item Verrius seu Festus. A *portu* quoque *Portunus* seu *Portumnus* dictus, vt testatur Tullius, libb. de Nat. Deorum. Eo nomine nunc *Palæmonem* nunc *Neptunum*, signari, ad primum Cappellæ librum docuit, tum puer etiamnum ætate, nunc singulare seculi nostri ornamentum, Hugeianus Grotius. Hinc *Portunalia* sacra apud Varronem, lib. v. de L. L.

POSCAM, alij *vinum secundarium*, siue *loram*: alij rectiùs *exycratum*, interpretantur: vt Onomasticon facit. Est à πίω, *posca*, vt ab ἐδῶ, *esca*. In eodem Onomastico legas: *Posculum*, πόνημα. Nisi scribendum *posulentum*, quod a *potus*, vt ab *esca*, *esculentus*.

POSCO, à בקש, quod idem notat. Vel à φάσκω, *dico*. Nam qui poscit, quid fieri velit dicit. Vel à *pos* pro *potis*, quod in compos, impos. Vt *poscere* propriè sit pro potestate ac iure aliquid petere. A *posco* vt veniat *postulo*, seorsim dicimus.

POSSIDERE Isidorus, lib. XV. cap. XIII. deducit à *possum*. Sic enim scribit: *Possessiones sunt agri latè patentes publici priuatique: quos initio non mancipatione, sed quisque, vt potuit, occupauit atque possedit, vnde & nuncupati.* Quæ ferè desumta ex Festo. Sic enim ille: *Possessiones appellantur agri latè patentes publici priuatique, quia non mancipatione, sed vsu, tenebantur, & vt quisque occupauerat, possidebat.* Sed quod ad etymon ab Isidoro adductum, aliter de eo Iurisconsulti. Quippe Paullus, L. I. D. de acquir. vel amittend. possessione. ait, Labeonem velle *possessionem* dici quasi *pedum positionem*. Sic enim veteres loquebantur. Lucretius, lib. III.

——*Nec prima pedum vestigia quaque*
Corpore quæ in nostro calices & cætera ponunt.

Idem, lib IV.

Exaogredi porrò pariter simulacra, pedémque
Ponere nobiscum credas.

Et lib. V.

Trans maria alta pedum nisus vt ponere possit.

Ratio verè appellationis eiusmodi est. Cum rerum aliæ sint

mobiles, aliæ *immobiles*: illæ quidem manu capiuntur: vnde *res mancipi* dictæ quasi *mancipi*; in his verò *pedem ponimus*, eóque *possessionis* nomine appellantur. Et hæc pro vulgatâ Digestorum lectione. Sed verius tamen rectiúsque in Florentinâ editione pro *pedibus* excusum *sedibus*, vt possidere sit contractum ex *potis sedere*, quemadmodum *possum* factum ex *potis sum*: Similitérque *pos* pro *potis* habes in *compos* & *impos*. Vel dicendum, *possidere* dici quasi *porro sedere*, vt ea vox perpetuitatem notet. Quam autem appositum sit hoc à *sedendo* etymon, eo quoque argumento cognoscimus quod Belgis, seu Germanis inferioribus *possidere* similiter dicatur *Besitten*, quod nihil aliud est, quam *in re quapiam sedem habere*. Nec etymon hoc minùs late patet, quam illud eorum, qui à *pedum positione* deducunt. Nam in ijsdem & pedem ponere & sedem figere potes sumus.

Possvm κατὰ συγκοπὴν dicitur *potis sum*: vnde *potis est* crebro legere est pro *potest*, etiam cùm respicitur nomen neutrum, vt apud Lucret. lib. v.

Nec potis est cerni, quod cassum lumine fertur.

Etsi autem *potissum* dicatur in singulari, non tamen *potissumus* in plurali rectè dicitur, sed *possumus*. Itaque rectè emendant apud Plautum, Pœnul. act. I. sc. II.

——— *Pius satis dare potessunt*,

nisi diuisim malis, *potes sunt*. At *potis sunt*, quod in vulgatis legitur, ferri nequit. Multa huiuscemodi exempla congessit Paulus Merula ad Ennium pag. DCLXXV. Ea lege, si operæ pretium. A *possum* est *possibile*, δυνατόν; & *impossibile*, ἀδύνατον. Vox vtraque durior eóque aut Græcis, aut periphrasi cum Tullio, & aliis in populari oratione vti malim. In artium tamen præceptis nihil curiosâ istâc curâ opus, in quâ voces eæ propè necessariæ: quod & Fabij iudicium est lib. III. cap. VIII. *Melius*, inquit, *qui tertiam partem dixerunt* δυνατόν, *quod nostri possibile nominant: quæ, vt dura videatur appellatio, tamen sola est*.

Post priùs fortasse fuit *poste*, sicut dicitur *ante*. *Poste* autem fuerit ex ὄπισθε, traiectis literis, & T inserto. Vel ex ὄψὲ fit *pos*, ac *post* abiecta vocali per ἀποκοπήν, vt ab ἀπό, *ab*: ab ὑπό, *sub*, à πέρ, *per*. Sanè ὀψὲ propriè *serò*: sed quia quæ *serò* fiunt, ea *post* tempus contingunt, hinc ὀψὲ sumitur etiam pro *post*: vt apud Philostratum ὀψὲ τῶν Τρωικῶν, *post Troica*. *Post* quidam, sed doctius, deducunt ab ὕστερον, quomodo veteres dixisse coniiciunt, quòd dicatur ὕστερος. vnde & *posterus* factum censent. Sed de ὕστερος non displicet sententia Etymologi, qui vt a πρὸ est πρότερος, sic ab ὑπὸ ὑπότερος, indéque ὕστερος factum censet. *Posterus* verò est à *post*, vt à *supra*, *infra*, *extra*, *superus*, *inferus*, *exterus*. *Post* autem dicitur vel quasi *pone est*: quod Cæsar Scaliger scribit cap. CLVII. de causs. L. L. vel, quod Angelus Caninius & Petr. Nunnesius, ab ὄπισθε, omisso ο quomodo ab ὀδόντες dicimus *dentes*, ab ὄρπηκος, *ramus*. &c. A *post* est *posthac* pro quo & *postibus* dixere. Habes in lege Papiriæ apud Festum in *Sacramentum*.

Posthac dixere, vt *antehac*. Item vt *postea*, sic *postilla*. Catullus:

Nec sibi postilla metuebant talia verba.

Etiam pro *postea*, *postidea*. Plautus, Cistell. *Vbi id erit factum, ornamenta ponunt: postidea loci, qui deliquit, vapulabit*. Et iam cum aduerbio, *posthinc*, *postibi postinde*, & *postmodo*. Virgil.

Posthinc ad naues graditur, sociósque reuisit.

Lucretius:

In pedibus primùm digitos liuescere & vngues;
Inde pedes, & crura potis: postinde per artus
Ire alios tractim gelidi vestigia leti.

Plaut. Aulul. act. I. sc. II.

Nunc quo profectus sum ibo, postidem domum.

Ita in MSS[is] optimis, & vett. edit. legi obseruatum Gruteró, & alijs. At censet Scoppius similiter Varronem dicere, lib VIII. de L. L. *Verbis quæ non ad rationem sunt, oportet non vti. Sic enim obsoleuerunt, ac postidem facilius corrigi poterunt*. Vbi vulgo *postea idem*. *Postidem*, vt *indidem*, & *identidem*.

Posthvmvs, quasi *post humatum patrem natus*: vt scribit Eutyches in Coniectaneis Cassiodori de Orthogr. cap. IX & Beda de Orthogr. Confirmant hanc ἐτυμολογίαν Varro, Festus, Vlpianus, Caius, ac Glossæ Philoxeni in quibus legere est *Posthumus*, ὀψίγονος, μετὰ θάνατον πατρὸς γεννηθείς. Verùm obstat, tum quod & hic, & in libris antiquissimis non *posthumus*, sed *postumus* legere est, tum quod eâ quoque voce vtantur antiqui *de liberis ante patris obitum natis*, ac generatim de eo omni *quod postremum est*, vt omnino, quemadmodum à *citer*, quo Cato vtitur est *citimus* pro *citerrimus*; & ab *inferus*, quod Liuius Andronicus vsurpat, est *infimus*: sic à *posterus* fit *postimus*, siue, vt antiqui loqui amabant, *postumus*. Sanè aut hoc dicendum, aut statuendum *posthumus* quidem cum *H* scribendum, cùm de eo dicitur *qui natus patre mortuo*, noménque id tum ab *humo* deriuari: at *postumum* absque spiritu scribendum, cùm adiectiuè ponitur pro *extremo*: quomodo *postumam spem* dixit Appuleius. Vide & quædam hâc de voce apud Guil. Canterum, libro II. Var. lect. capite X. &, si tanti, Grammaticas nostras animaduersiones, libro II.

Posticvs est à *post*, vt ab *ante*, *anticus*. Falluntur qui *posticum* dici aiunt a *post* & *stando*: vt apud Fungerum legas. Nec melius, qui ab *antè* vel *post* & οἶκος, *anticus*, & *posticus*, deduci putant. Quippe hæ voces naturâ suâ tam late patent, quam præuerbia *ante* & *post*. Nam simpliciter, quæ ante nos sunt, *antica*, quæ post nos, *postica* dicimus, teste Festo in *Posticum*. Hinc *antica linea*, διάμεσος, vt est in Glossis Philoxeni. Item *postica linea*, quomodo Seruio Sulpicio in agris diuidendis dicebatur quæ ab oriente ad occidentem spectat: vt scribit Festus. *Anticum* veteres pro *ianua* posuisse ait idem. Sed non ἀπλῶς sic *ianuam* dixere, verùm *eam quæ est ab anteriori adium parte*. Vnde & nomen: non, vt puto, ab *antis*, id est, *lateribus ostiorum*. Sic *posticum*, quæ *in postica adium parte*. Horat. lib. I epist. V.

Atria seruantem postico falle clientem.

In vtroque respicitur ad vocem *ostium*, quomodo & *postica* dicitur, respiciendo vocem *ianua*. Glossæ Philoxeni. *postica*, παραθύριον ὀπίσω τοῦ οἴκου. In quibus & legas: *Posticum*, παράθυρον, παραθύριον. Nempe *posticum* est ὀπισθόδομος. Vsus Vitruuius. Scribit Seruius ad II. Æneid. semper in neutro *anticum*, & *posticum*, dici: nisi cùm sunt voces Augurum, qui *posticam* vocant *septentrionalem cœli partem*, *anticam* verò *meridianam*. Vnde vett. Glossæ *Antica*, μεσημβρία. Sed aliter Ammianus, cùm alibi, tum lib. XXX. vbi nominat murorum *posticas*, è quibus in hostem erumpere soleant. Verba eius sunt: *Quidam fossas fidentius transire conati, repentinis eorum adsultibus, qui erumpebant clancula per posticas, recentes incautè fauces discedebant*. Sed & falluntur, qui *posticum*, eiúsque diminutiuum *posticulum*, solùm putant dici de *ianua postica*. Nam aliud euincit hic locus Plauti, Trinummo, Act. I. Sc. II.

Posticulum hoc recepit, cùm ædis vendidit.

Quem locum & Agellius, lib. XVII cap. VI. adducit, vt probet *recipere* in venditionibus poni pro *excipere*, siue *retinere*. Verba autem Plauti hoc pacto interpretatur: *Cùm ædis vendidit, particulam quandam, quæ post eas ædis erat, non vendidit, sed retinuit*. Nec aliter vsus Titinnius in Veliternâ apud Nonium: *Atque duo postica quæ loco mercede*. Apud Appuleium quoque, lib. II. Met. similiter vocem *posticula* in genere muliebri accipi puto. *Illico* inquit, *me producit ad domum quampiam, cuius ipsis foribus obseptis, per quandam breuem posticulam intromittit me*.

Postilena deriuatum est à *post*, vt *antilena* ab *ante*. Quod nisi *antilena* vox obstaret, videri posset *postilena* dicta ab antiquo *postire*, pro *postare*, hoc est, *post stare*; quomodo & *obstire* dicebant pro *obstare* vnde *obstitus*, item *prostire* pro *prostare*, vnde *prostibulum*. Similiáque *artire* pro *artare*, vnde *artitus*, *negibundus* pro *negabundus*, *impetritum* pro *impetratum*. *Postilena* voce vsus Plautus Casina, act. I. Sc. I.

Ita te aggerundâ curuum aquâ faciam probè,
Vt postilena possit ex te fieri.

Erat autem *postilena*, vt Perottus ait, lignum incuruum sub iumentorum cauda ad sustinendum σάγμα, cui onus imponitur. Sanè quia ad iumenti caudam fuerit, eò in Onomastico veteri, quod Argentorati primùm excusum, ac Lugduni postea recusum fuit, ὑπουραῖον exponitur, quasi dicas *subcaudale*. Sed quod lignum fuisse dicit Perottus, id refellitur Glossis Philoxeni, vbi legas: *Postilena*, ἱμὰς ὁ ἐκ τοῦ ἐφιππίου ὁ περικείμενος ὑπὸ τὴν οὐρὰν ἱππείου. Vbi pro ἱππείου sententia & structura ἵππου requirit. Et sanè vestem fuisse *de cauda dependentem*, arguit, quod *antilena* item *vestis* erat *qua pectus equi tegebatur*. Glossæ Philoxeni *Antilena*, ἱμὰς ἱππικός. Et vigesimâ nonâ voce post, *Antilena*, ἀρτηρία ἡ ἐπὶ ἱππικῆς ἵππου ἐπὶ τὸ στῆθος. Vbi pro ἀρτηρία bene Martinius reponit ἀρτήρ à ἀρτάω, *fulcio*. In Onomastico antè memorato quoque legas, *Antilena*, προστηθίδιον, q. d. *antepectorale*. Atque ex his, quæ hactenus diximus, liquet, quid iudicandum sit, de Isidori verbis istis, lib. XX. Orig. capite XVI. *Antella, quasi ante sella, quemadmodum postella quasi post sella*. Nam agit eo capite de equestribus instrumentis, vt liqueat, vel *antilena*, & *postilena* scribi debere, vel potiùs Isidori seculo κατὰ συγκοπὴν *antella* & *postella* dictum esse: quæ corrupta pronunciandi ratio fecit, vt à *sella* crederet deriuari, cùm, non *sella*, sed *vestimenti* fuerit genus.

Postliminio *receptum*, vt apud Festum Pompeium legere est,

Gallus Ælius in libro primo significationum, quæ ad ius pertinent, ait esse eum, qui liber, ex qua ciuitate in aliam ciuitatem abierat, in eandem ciuitatem redit eo iure, quod constitutum est de postliminijs. Itémque qui seruus à nobis in hostium potestatem peruenit, postea ad nos redit in eius potestatem, cuius antea fuit, iure postliminij ; equi, & muli & naues eadem ratio est. Vide & L. XIX. D. de captiu. & postlim. reuers. Index Βασιλικῶν, Postliminium, ὑποστροφὴ τῶν αἰχμαλώτων. Glossæ vett. Postliminium, τὸ ἐξ ὑποστροφῆς δίκαιον. De etymo vocis duplex est sententia : dum alij censent liminium esse productionem vocis : alij putant limen significare finem: quomodo Manilius, lib. I. dixit :

——Quo limine Phœbus
Componit paribus numeris noctémque diémque.

Hoc est, quâ fine. Et postea apud eundem legit Scaliger :

Vltima designat fugientis limina solis.

Vbi vulgo lumina. Vtrumque hoc etymon adducit Cicero in Topicis, & ex eo Gellius lib. VII. cap. XVIII. In hoc verbo, inquit, Seruius Sulpitius, quemadmodum Cicero Topicis scribit, nihil notandum putabat esse, nisi post, & liminium; illud productionem esse volebat, vt in finitimo, legitimo, æditimo, timum. Scæuola autem, Publij filius, iunctum putauit esse verbum, vt esset in eo post, & limen, vt quæ à nobis alienata sunt, cùm ad hostem peruenerint, & ex suo tanquam limine exierint, hinc cum redierint, post ad idem limen Postliminio videantur reduisse. Hanc Scæuolæ sententiam sequitur Iustinianus. § si ab hostibus. Institut. quibus mod. ius patr. potest. Dictum, inquit, est postliminium à limine & post. Vnde eum, qui ab hostibus captus in fines nostros postea peruenit, postliminio reuersum rectè dicimus. Nam limina sicut in domibus finem quendam faciunt : sic & imperij finem limen esse veteres voluerunt. Hinc & limes dictus est, quasi finis quidam & terminus, ab eo Postliminium dictum, quia eodem limine reuertebatur, quo amissus fuerat. Estque hæc, sine dubio, verior sententia, quando simile exemplum adferri non potest, vbi liminium tantum vocis sit productio, contra quàm fit in timus, & similibus. Imò contra exemplum est, vbi à limen fit liminium : putà eliminium, ὁ ἔξοδος. Vt postliminium, ἡ ἐπάνοδος. Quod & Scaliger probat ad Festum.

POSTVLIO pro postulatio, à postulando, quâ de re dixi, lib. II. Animad. Grammat. Sed postulare vnde sit, minus patet. Scio verbum hoc eleganter interdum poni pro ἀξιοῦν siue æquum censere, vt cùm Plautus ait, Asinaria act. III. sc. I.

Vbi piem pietatem, si isto more moratam tibi,
Postulem placere, mater, mihi quo pacto præcipis?

Verùm non video, quæ hinc ἐτυμολογία educi queat. Nam vt à pote sit, quod vir magnus scripsit, non placet, quanquam is eo sententiam suam confirmatum ibat, quòd Plautus primam corripiat, Casina. act. I. sc. I. Potiùs crediderim esse ab obsoleto supino verbi posco, quod est poscitum, pro quo κατὰ συγκοπὴν non minùs dici potuit postum : quam à repositum dicitur repostum. Hæc mihi coniectura, super ea voce cum Clarissimo & amicissimo Thysio dissertanti in mentem venit. A postum est postulo ; vt à supino vstum, vstulo. Hoc nisi certissimum putarem, dicerem à pono siue supino eius positum venire, vt postulare propriè sit depositum petere. Sanè nec hoc ineptum. Sed apertior significationis conuenientia inter posco, & postulo, quàm pono, & postulo. At eos planè non audio, qui postulo dici aiunt quasi porro sto, vel quasi post volo. Quorum vtrumque aliquos sensisse, auctor est Perottus.

POTENS quasi potis ens ; vt possum quasi potis sum. Ita & Iulius Cæsar censuit in libb. de Analogia. Est verò ens ab antiquo esum, de quo in Sum dicemus. Remansit id participium in compositis absens, præsens, potens. A potens est potentia, & potestas. Item potentatus pro potentia ac principatu, apud Cæsarem, Liuiúmque. Item impotens, non potens, vel valde potens, vt incanus, valde canus. Charisius: Eadem præpositio est derogatiua, & στερητική, vel ἀρνητική; vt probus, improbus, doctus, indoctus: nonnunquam etiam adiectiua, αὐξητική, vel ἐπιτατική, vt potens impotens, id est, valde potens. Quamquam in hac appellatione etiam derogatiua intelligatur. Etiam Diomedes, cap. de præpositione, In ait significationem augere in impotens. Ab eodem est omnipotens, qui omnia potest ; præpotens, valde potens, vt cùm Ciceroni pro Cornelio Balbo Carthago dicitur terrâ marique præpotens. Eadémque voce de Deo vtitur, lib. II. de natura Deor. Sed rectiùs hic omnipotens dicitur, cùm omnia possit, præterquam quæ infirmitatis sunt, quæ potenter non potest, vt loquitur B. Augustinus. Gentiles nil miramur, quibus is vocatur præpotens, quasi vel naturæ legibus obnoxius, vt Peripatetici sciscunt, vel fatorum tabulis subiectus, vt Stoici putarunt.

POTIOR nomen à potis, vt diximus in Potis; indéque & verbum potiri, vt propriè notet potem seu compotem alicuius rei fieri. Sumitur ea vox interdum passiuè, pro venire in alienam potestatem. Ita dixit Plautus Capt. act. I. sc. I.

Nam postquam meus rex est potitus hostium.

A potiendo dicti Potitij, Herculis sacerdotes : qui soli extis solennibus vescebantur : vti Pinarij, qui non ederent, sed ministrarent. Dicti Pinarij à πεινᾶν, quod est, esurire Liuius, lib. I. Forte ita euenit, vt Potitij ad tempus præsto essent, üsque exta potirentur, Pinarij ad cæteram dapem venirent. Ita hunc locum è Buslidiano & Atrebatensi codice restituit Petrus Nannius, lib. V. Miscell. cap. IV. vbi & ad etymon allusisse putat. In vulgatis pro potirentur est apponerentur. Multa de his Seruius, ad VIII. Æn. vbi inter alia ista, Fortius Potitius dicti, quod eorum auctor epulis sacris potitus sit : Pinarius quod eis fames epularum sacrarum indicta sit. Hoc enim eis Hercules dixisse dicitur, ὑμεῖς δὲ πεινάσετε. Vide & Festum in Potitius.

POTIS Papiæ placet esse à pateo, quòd pateat illi quicquid velit. Malim à Doricâ præpositione ποτὶ pro πρὸς, id est, iuxta, propè, quia, siquid propè nos, ad id labore consequendum opus non est, sed plurimùm iam in nostrâ est potestate. A potis sunt compos, & impos. A compos est compotire pro compotem facere. Vsus Plautus, Rudente, & Appuleius in Floridis atque alibi. Vtrumque autem & compos, & impos, esse à potis, indicio erunt accusatiui, compotem & impotem. Priscianus tamen in IV. ait, vt à do est dos, à custodio, custos ; sic à compoto esse compes, & mutato E in O compos. Sed fallitur. Melius Varro, libro quarto de L. L. Recto casu cum dicimus impos, obscurius est esse à potentia, quàm cùm dicimus impotem : & eo obscurius fit, si dicas pos, quàm impos. Videtur enim pos significare potiùs pontem, quàm potentem. Item Seruius, ad illud Ecl. IX. Nunc victi tristes : Victi, inquit, id est, impotes. Nam quomodo victores dicimus voti compotes, qui quod volunt faciunt : sic victos è contrario vocamus impotes, qui non possunt facere quod volunt. Idem eo comprobatur, quòd & comparatiuus eius potior pro potis liquidò vsurpatur ; vt in illo Plauti, in Casin. Act. I. Sc. I.

——Hercle me suspendio
Quàm tu eius potior fias, satius est mortuum.

Ita vett. MSS. non pottior quod in Aldina est, ac in melioribus libris se inuenisse scribit Baptista Pius. Potis esse à potis, sicut hic & Beda de Orthographia. Et ante eum Priscianus lib. XV. his verbis. Potis ab eo quod est potis nascitur, hic & hæc potis, & hoc pote : vnde Persius :

Qui pote? vis dicam? nugaris cùm tibi, Calue.

id est, quomodo possibile est. Ab eo autem, quod est hic, & hæc potis, & hoc pote, fit comparatiuum hic & hæc potior & hoc potius: & superlatiuum, potissimum. Ac ratio confirmat, quandò id potius facimus, quod magis facere potis sumus.

POTVS, pro pudendo, vnde sit, diximus in Præputium. At potus priori porrectâ, est à πόω, quod antiquum pro πίνω. Varro, IV. de L. L. διὰ τὸ πόνω deducit. Sed cùm priorem producat, magis Grammaticè dixeris venire à πῶμα, quanquam vsitatius πόμα, vti & πόσις quam πῶσις. Indémque per o paruum dicimus πότος, potorium, συμπόσιον, symposium, ad verbum compotatio Latinè conuiuium; καταπότιον, catapotium, quod vulgo à figurâ pilulas vocant. Scribonius Largus cap. LXXXVII. Catapotium, id est, medicamentum, quod non diluitur: sed ita, vt est, deuoratur. Ac similiter Marcellus Empiricus, cap. XVI. Nam καταπίνειν etsi de potu propriè dicatur : tamen vsitata καταπίνειν potiùs deglutire est, quàm ebibere : vnde de carabis vsurpat Lucianus. A potu dictum poculum, quasi potaculum; vt pabulum quasi pascibulum. Varro IV. de L. L. Pocula à potione, vnde potatio. & etiam poma, &c. Hoc malim, quam vt poculum sit à κύπελλον, aut πόθιλον, quæ Nunnesij est sententia. A poculum est pocillum, vnde pocillator, qui alias pincerna. Ab eodem repotia, à nouis iteratisque poculis.

PRÆ priùs fuit pri, si Iul. Scaligerum audimus, qui sic de eo lib. IV. de causs. L. L. cap. LXXXVI. Pri vetus vox fuit, sicut NI, postea latiore vocali fusa sunt, Ne, præ: vnde aduerbium iterum, comparatiuum prius, superlatiuum primum. Mihi verisimile fit, vt Græcis diuersa sunt πρὶν & πρὸ, sic Latinis aliud esse pri siue pris, aliud præ. Pris quidem est à πρὶν conuerso N in S, quomodo à πεύκη est picus & contractè pinus. At præ est à πρὸ, O in Æ mutato, quomodo & Græci pro διὸ dicunt διαί, pro ὑπὸ ὑπαί ; illo Homerus & Hesiodus, hoc Homerus, Aristophanes, & Nicander vtuntur. A præ est præter, de quo seorsim. Ab eodem sunt prævt, & præquam : quæ idem signant. Nempe præ, siue magis, aut plus illo quicum fit comparatio. Plautus Mil. Glor.

Nihil hoc quidem est, prævt alia dicam, quæ tu nunquam feceris.

Idem

Idem Amphitruo.

Parua res voluptatum est in vita praquam quod molestum est.

PRÆBIA, Festo teste, *curandi mali remedia: videlicet qua curationis causa prabeantur.* Idem tamen Festus postea ait: *Prabia Verrius vocari ait remedia, qua docta Cacilia, vxor Tarquinij Prisci inuenisse existimatur, & immiscuisse zona sua, qua pracincta statua eius est in ade Sancus* (lege Sancti vel Sanci) *qui Deus Fidius vocatur: ex qua zona periclitantes ramenta sumunt. ea vocari ait prabia, quod mala prohibeant.* Posterius etymon malim. Vt aues *inebra* ab *inhibendo*, sic *prabia* a *prohibendo*. Sunt enim *prabia* idem quod ἀλεξιφάρμακα, siue *amuleta*, quibus similiter ab *amoliendo* nomen. Quare rectiùs *prabia* per *æ* quam *prabia* per *a* scribatur.

PRÆCIDANEAM, & *succidaneam* hostiam, à *cadendo*: illam à *pracidendo*; hanc à *succidendo* dici, docet Agellius, lib. IV. cap. VI. Idem tradit Festus Pompeius. *Porca*, inquit, *pracidanea dicitur, qua ante immolari solet: quod genus hostia, propterea quòd ante nouam frugem pracideretur, pracidaneam appellabant.* Idem: *Succidanea hostia* (MSS al. *succidania*) *appellatur, qua secundo loco cadebatur, quòd quasi succideretur, dicta. quidam à succedendo, non à succidendo dictam putant.* Similiter Marius Victorinus, lib. I. Artis Gramm. cap. de Orthographia. *Non est, vt emendastis, porca pracidanea, sed pracidaria, qua frugum causa immolatur. qui iusta defuncto non fecerunt, aut in faciendo peccarunt, his porca contrahitur, quam omnibus annis immolari oportet, antequam nouam quasi dapem moreat de se capere. pracidaria dicta, quòd ante cadatur, quàm frugem capias.* Sed quod Victorinus negat rectè dici *pracidanea*, æquè peccat ac illi, quos *pracidaria* damnasse ait. Nam vtrumque rectum, *pracidanea*, & *pracidaria*; *succidanea*, & *succidaria*, quomodo & dixere *extraria*, & *extranea*; *pedaria* & *pedanea*. Præterea meritò in controuersiam vocare liceat, num *pracidanea*, & *succidanea*, à *cadendo* sic dicantur, quæ horum Grammaticorum opinio est, an potiùs a *cedendo*, quia *pracedat* aut *succedat*. Posteriorem sententiam veterum quosdam secutos ex verbis Festi ante allatis cognoscimus. Estque pro hoc etymo, quod voces ea non de *victimis* tantùm, sed *aliis* quoque *rebus* dicantur. Itaque contra Agellium afferri potest, quod apud eum legimus, *ferias* quoque *pracidaneas* dici, atque ita locutum Ateium Capitonem. Ex Græcis dicuntur [illegible]. Sane aut dicendum *pracidaneum* & *succidaneum* semper a *cedendo* dici: aut statuendum, nunc a *cado* esse, nunc a *cedo*. A *cado* quidem *hostias* dici *pracidaneas*: vt & cùm Plautus, Epidico, Act. I. IV. *tergum succidaneum* vocat, quod pro aliis [illegible]. At à *cedendo* dici *ferias pracidaneas*, item *succedaneus* siue *succidaneus alieni periculi* apud Vlpianum, L. III. in fine. ff. de administratione tut. & *proximi culpa succedaneus* apud eundem, l. IV. ff. de magistr. conuen. Quibus locis *succedaneum alieni periculi* vocant, in quem alieni periculi incommodum redundat; & *succedaneus culpa*, qui in culpam succedit. At eodem modo in Cod. legas *succedaneum damni, solutionis, functionis.* Nec aliter Appul. lib. VIII. Met. *Sed postquam non ceruam pro virgine, sed asinum pro homine succedaneum videre.* Et Cyprianus: *Non potest videri cessasse, qui vicarios substituit, & qui pro se vno plures succedaneos ingerit.* Equidem cùm sapientis non sit multiplicare etyma frustra, nec dicere liceat a *cado* quidem *succidaneas* dici: a *cedo* autem, vnde *succedo*, *succedaneus* fieri, (nam tam *ferias* quam *hostias pracidaneas* per literam *I* scribit Gellius;) dicere malim, semper has voces esse à *cedendo*, ac *hostias* quoque *pracidaneas* & *succidaneas* dici, quia *pracedant* aut *succedant*, hoc est, *antecedant* & *subsequantur*. De huiusmodi hostiis notandus locus Seruij ad VIII. Æn. vbi cum dixisset, *in omnibus sacris feminini generis plus valere victimas,* statim subiicit, *Si per marem litare non possent, succidanea dabatur femina: si autem per feminam non litassent, succidanea adhiberi non poterat.*

PRÆCO, vnde *praconium*. Τῷ ἐτυμολογίᾳ quasi *pradico* dici videtur. Fauet etymo illud Plauti Bacchidibus:

Stulte nolius nunc vendite, atque in eo ipso
Astas lapide, vbi praco pradicat.

Vel est a *praeo*. Nam vt *concio* est *populus qui per praconem conciètur*, hoc est, *conuocatur*: ita *praco* est, qui *praciet*, hoc est, *qui ante conuentum, ciet siue excitat populum, vt conueniat.* Tertium ἔτυμον inuenio apud Priscianum, in XIV. vbi sic non solùm in editis, sed etiam in membranis nostris legitur: *Praco a voce canendo est dictus.* Verùm in mentem venit, Priscianum fortasse non *canendo* scripsisse, sed *ciendo* saltem scribere debuit. Confirmat me, quòd *pracones* alio nomine etiam *pracia* dicti. Festus: *Pracias dicebant, qui a Flaminibus pramittebantur, vt denunciarent opificibus, manus abstinerent ab opere: ne si vidisset sacerdos facientem opus, sacra polluerentur.* Nempe & *pracia* & *praco*, qui quasi *praciens* dicitur, eiusdem est & originis & significationis. Hæc de etymo tertio. Quartum affert Nunnesius in Grammatistice, vt *praco* sit a [illegible]. Nec omnino reiicio. Nam [illegible], vt Hesychius testatur.

PRÆCORDIA propriè sunt *membrana cordi pratensa*, vnde & nomen. Græci *diaphragma* dixere. Ergò supra *pracordia* sunt cor & pulmones: subter *pracordia* iecur, & lien: illud in dextro, hoc in sinistro hypochondrio. Plinius lib. XI. cap. XXXVII. *Exta homini ab inferiore parte separantur membrana, qua pracordia appellantur, quia cordi pratendantur, quod Graci appellauerunt φρένας.* Sed [illegible] *pracordia* dicta sunt *cor* & *pulmo*. Plinius, lib. XXX. cap. V. *Pracordia vocamus vno nomine exta in homine.* Imò & ita appellantur partes laterales præcordiis subiectæ, quæ Græcis dicuntur ὑποχόνδρια, quia ad accent χονδροις siue *cartilaginibus nostharum costarum.* Glossæ Philox. *Pracordia*, ὑποχόνδρια. Quia verò cor præcipua animæ sedes existimatur, hinc etiam *pracordia* sumuntur pro *animo*, & *animi affectibus*.

PRÆCOX à *pracoquo*, quod an[illegible] coctum maturùmque est: vnde in Glossis Philoxeni, exponitur [illegible], quod est *cito maturescens*, vel *maturans*. Similiterque Glossæ Cyrilli Πρόωρος, *pracox*, quasi πρὸ ὥρας. Nonius interpretatur *immaturum*. Sed apud eundem pro *pracoqua* legendum ex vet. lib. *pracoqua*, vt indicat is locus, quem adducit è Nouio, siue Næuio (nam & hic variant libri) [illegible] *inest.* *Pracoquus* præter Columellam, Martialem alios, dicit Tertullianus, priore de pallio libro. vbi Vticam vocat *Romanam pracoquam*, quam *ex pracoci* & præpropero consilio Romana facta esset.

PRÆDIVM à *prastando* deducit Varro, qui ita scribit IV. de L.L. *Pradia dicta, item vt [illegible] a prastando: [illegible] to publice mancupes fidem prastent.* Ita libri quidem, quos secutus Fungerus. At alij legunt: *Pradia [illegible] quod ea pignori data, &c.* Quæ lectio & Scaligero placet, eò quòd *pradam* quoque vocarint id, quo in locationibus, & rebus mancupi & aliis eiusmodi publice cauebatur. Isidorus lib. XIV. cap. XIII. geminam nominis rationem affert: vult enim ita dici vel quasi *pradiuum*, quod ex omnibus maximè patrisfamilias *praudeatur*, hoc est, appareat: vel à *prada*, quod antiqui agros, quos bello ceperant, *prada* nomine habebant. Mihi neutrum placet. verùm censeo *pradia* à *pradibus* nomen accepisse. Vt propriè sint *bona*, *quibus quis, veluti pradibus, possit se obligare.* Interim aliud *pradia*, aliud *bona pradia*. Nam, vt in III. Verr. Asconius scribit: *Bona pradia dicuntur bona satisdationibus obnoxia, siue sint in mancipiis, siue in pecunia numerata: pradia verò domus, Agri.* Sed hæc res nihilo impedit, quo minus origo eadem sit. Sanè *pradia* quoque, qua vox ea signat *domos* atque *agros* siue [illegible], vt interpretantur Philoxenus in Glossis, non aliunde quam à *pradibus* dicta esse, abunde fidem facit: tum quòd apud Cic. lib. II. Philipp. & Liu. lib. V. ab V.C. legere est, *prades vendere*, hoc est, *bona pradia addicere* [illegible]: quomodo interpretatur Budæus: tum quod à quibus *prades* non exigerentur, *pradio* se tanquam *pradibus* obstringerent, contrà [illegible] alij solent, qui creditoribus malè credulis & *pradio* & *pradibus* cauebant. Hinc sanè vetus formula originem habet, *pradiis pradibúsque cauere.* Cic. III. Verr. *In bonis pradibus pradiisque vendendis.* Liu. lib. II. belli Punici, quo loco de Cannensibus captiuis sermo est, *Alij dandam ex ærario mutuam pecuniam, pradibúsque pradiisque cauendum populo censerent.* Idem confirmat inscriptio vetus: LEX PARIETI FACIENDO, IN AREA QVÆ EST ANTE ÆDEM SERAPI TRANS VIAM QVI REDEMERIT PRÆDES DATO, PRÆDIAQVE SVBSIGNATO DVVMVIRVM ARBITRATV.

PRÆGNANS, ἔγκυος, ἐγκυμονοῦσα, vt veteres Glossæ interpretantur. [illegible] vsurpat Plautus, Asin. II. II. cum ait [illegible] *plagas*, hoc est, eminentes ac protuberantes prout venter solent prægnantium. Varro appellat *excitatam ventrem* [illegible]. Pro eo in antiquis codd. legitur *pragnans* absque N: atque id, quantum ex Charisio colligere licet, Plinio quoque agnitum videtur. Vide Pietium ad VIII Æneid. Quod ad etymon vocis, si *pragnas* veteres dixere, contractum videtur ex *pragenas*, quod ex *pra* & *geno*, hoc est, *gigno*. Vel est *pragnans* ex *pragenerans*, vt *gnatus* ex *generatus*. Vide quæ de vtraque hac voce in *Genus* diximus. Sed maximè placet veteres dixisse & *genero* & *genare*, [illegible]. Hinc [illegible] à quo *pragnans*: inde *pragnas*: quod & apud P. Consentium in arte. Simile *Campans*, & *Campas*, pro *Campanus*, Plauto, Trinummo, Act. II. Sc. IV.

PRÆMIVM Varroni, extremo lib. IV. de L.L. dictum videtur à *præda*: *prædam* autem lib seq. dictam ait quasi *paritdam*, quòd manu parta. Itaque *præmium* propriè erit castrense vocabulum. quod & Donatus confirmat ad Eun Act. V. Sc. VIII. vbi ait *præmium* esse *virorum fortium*, daríque post factum. Eo quoque stabiliri videtur Varronis sententia, quòd *præmium* cum *præda* coniungat Plautus Menæchmis Act. I. Sc. II. atque alibi. item Maro in vndecimo. Imò clare pro *præda* vsurpat Tibullus, lib. I. el. II.

Nec sinit occurrit quisquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta præmia veste petat.

Ab hac quoque significatione est, quòd *præmiatores* dicerent pro *nocturnos prædatores*, quomodo Nævium locutum docet Nonius in hac ipsa voce. Verum *præmium* haud minus quàm *prædam*, castrensem esse vocem, facile credam: non tamen vt *præmium* à *præda*, *prædam* à *parto* esse puto. Sed *præda* & *præmii* vocabulum deduxerim à *præ* vel *primus*, quod ipsum à *præ*, vel *pri* originem trahit. Ita *præda* nomen erit ex eo, quòd primi hanc aliis præripiant: ac propter *præmium* dicetur, id honorarium, quo afficiebantur ii, qui primi ac principes præclari aliquid gesserant. Sanè magis hæc arridet sententia, quam, vt vel à *præda* sit, vt Varro voluit, vel, quod Sipontinus putabat, *præmium* dicatur quasi *præitum*, quia primò proponitur quod dandum est victori, deinde certatur. Sed præter superiorem etymologiam altera quoque est, quam nostræ minimè posthabeam. Nam & *præmium* dictum videri possit quasi *præemium*, à *præ* & *emo*, quam sententiam Scaliger sequitur in Coniectaneis. Fuerit autem ab ea *emendi* significatione, quâ antiquè signabat *capio*, siue *tollo*: vnde *demo* quasi *deemo*, hoc est, *eximo*. Nec mirum variare in *demo* quantitatem, cùm in eo prior non possit non esse longa ob crasin. Pro posteriori hoc *præmii* etymo est, quod antiqui commodum vtilitatemque omnem *præmium* vocabant: quomodo, vt Giffanius obseruauit, Lucretius lib. III. ait:

Omnia perfunctus vitæ præmia, marces.

Et initio lib. quincti, de Epicuro:

——— *Qui talia nobis*
Pectore parta suo, quæsitáque præmia liquit.

Itémque alibi. Hinc *præmiosus* pro *pecunioso*, apud Festum, & *præmiari* pro *lucrari*, apud Tranquillum, & fortasse *præmiator* pro *prædone*, de quo ante dicebamus.

PRÆPETES propriè dicuntur *aues opportunè prouolantes*: vt rectè censuit Iulius Hyginus. Meritò autem addit *opportunè*, hoc est, *prosperius prauolantes*. Nam si *aduersa* fuerint, *inhibræ* vocantur vt testatur Seruius ad illud III. Æn. *Infelix vates*, &c. Quod plenius in *Inebra* explicuimus. Sed vt propriam *præpetis* notionem vidit Hyginus, ita non vidit rectè quoque hanc vocem ad alia extendi à poëtis, vt cùm Maro Dædali pennas *præpetes* dicit: cúmque Cn. Martius septimo Iliadis victoriam alatam vocat *præpetem*, hoc versu:

Dum det vincenti præpes victoria palmam.

Vide Agell. lib. VI. cap. VI. Quod ad *præpetis* etymon, Festus scribit antiquos *præpetere* dixisse pro *anteire*, indéque aues dici *præpetes*, quæ se ante auspicantem ferant. At *præpetere* vnde sit non constat. Num à *pennis*? quando Festus exponit *antetire* An potiùs à *præ* & *petere*? quia *anteriora petant*. Sanè posterius malim. ac confirmatur id etymon illustri hoc loco e Seruio Danielis, ad illud III. Æn.

——— *& præpetis omina pennæ.*

Præpetes, inquit, *sunt quæ secundo auspicio ante eum volant qui auspicatur: aues autem aut oscines sunt, aut præpetes, oscines, quæ ore futura prædicunt: præpetes, quæ volatu augurium significant, cùm sunt prospera. sed præpetes aut superiora tenent, & præpetes vocantur: aut inferiora, & dicuntur infera. præpetes autem ideò, quia omnes aues priora petunt volantes.* Hæc Seruius. Vel dicendum cum Turnebo, *præpes* esse à Græco προπετής, id est, *facile ac pronum ad labendum*: sic esse *præpetere* à προπίπτω. Idem Iosephus Scal. censet in Ætnam. Hoc confirmatur quod *præpes de locis dicitur, vnde vel ad quæ facilis lapsus*. Vt apud Ennium:

——— *Præpete portu.*

Item:

Præpetibus hilares sese, pulcrísque locis dant.

Ac veterem poëtam ἀνώνυμον.

——— *Magnus cui præpete mento*
Perfluit Oceanus.

At putabat Paullus Merula Q. Ciceronem ad hanc Etymologiam respexisse, cùm *præpetem autem* vocat *lapsu volantem*. Est & in Glossis Benedicti ὑψιπέτης, *præpes*. Quemadmodum autem de *præpes*, ita & de *perpes* (vnde *perpetuus*) dubitari potest, sitne à *pes*, an *petere*, vel πίπτω. Si primum placet, propriè *perpes*, & *perpetuus*, dicentur de *iis, qui non interquiescunt in viâ*. Quod etymon minimè displicet: imò, vt *præpes* quoque à *pes* sit, non minùs probem: eò quòd vox isthæc de auium volatu imprimis dici consueuerit. Sin *perpes* & *perpetuus* magis à *petere*, vel πίπτω, esse placet, hæc quoque vox auguralis fuerit, propriéque de *auibus* dicetur, *cum volatum non intermittunt*; καταχρηστικῶς autem ad alia extendetur, vt cùm apud Plautum, Amphitr. Act. I. Sc. I. Sosia se ait noctem pependisse *perpetem*, hoc est, *perpetuam* siue *ingentem*, vt interpretatur Festus. Ex hoc autem vocis etymo, cognoscere est discrimen inter *æternum*, & *perpetuum*: *æternum* dici, quod non habet finem, *perpes* seu *perpetuum*, quod est sine intermissione. *Perpetim*, quod aduerbium putatur, pa-tura est accusatiuus pro *perpetem*: quasi dicas *perpetem diem noctémque*. Vt *amussim* vnde *examussim*, pro *amussem*, hoc est, *ad amussem*: sic *perpetim* pro *perpetem* dixere. Vide Festum in *Perpetem*.

PRÆPVTIVM sunt, qui dictum velint, quia *pudendo præmineat*; sunt & quibus dici videatur, quia *sit ante putidum*, hoc est, *id quod putet*: quam sententiam ex Peroto Fungerus ponit, vel solam saltem proponit, cùm nihil sit ineptius. Verisimilius, quia *præputiando*, quia *id Iudæi præputiant*. Sed ne hæc quidem originatio vera. Obstat enim modulus syllabæ. Iuuenal. sat. VI.

Impatiénsque moræ pauet & præputia ducit.

Et sat. XIV.

——— *Mox & præputia ponunt.*

Alterum quoque contra hanc originationem argumentum est, & priori validius. Nam *præputium* vocarunt Romani, antequam de Iudaicâ circumcisione scirent. Verè igitur Scaliger, qui deducit à ποσθίον eliso σ, quomodo & pro πόσθη dixere *potus* priore productâ. Hinc illud in Catalectis:

Scilicet hoc sine fraude, Vate dulcissime, dicam:
Dispeream nisi me perdidit iste potus.
Sin autem præcepta vetant me dicere: sane
Non dicam, sed me perdidit iste puer.

Nequiusculo, inquit, vocabulo *puerum*, quem amo, *potum* siue *putum*, hoc est, πόσθωνα appellarem: verum quia metri ratio impedit, quo minus id in pentametri hoc vsurpem, sanè præ eo vtar *pueri* vocabulo, si non rei, at metro tamen magis apto. Aliud verò *præputium*, aliud ἀκροποσθίον siue ἀκροποσθία. nam *præputium*, solùm est *cuticula contegens glandem*: at ἀκροποσθίον est τὸ τῆς πόσθης ἄκρον, totum id *quod in pene eminet*, vt exponit Pollux, lib. II. cap. IV. nempe *cuticula cum glande subiecta*, ὁ βάλανος & τὸ περὶ αὐτὴν δέρμα, vt ex Aristotele constat. Quare pro *præputio* non sumitur nisi συνεκδοχικῶς.

PRÆS quis sit, docet Festus: *Præs*, inquit, *est is, qui populo se obligat, interrogatúsque à magistratu, si præs sit, ille respondet Præs.* *Prædis vadísque* differentiam ostendunt hi versus Ausonij in Technopægnio:

Quis subit in pœnam capitali iudicio? vas.
Quid si lis fuerit nummaria, quis dabitur? præs.

Coniungit idem in ludo Sapientum, dicto hoc Thaletis:

Prædes vadésque pœnitudinis reos.

Præs fortè dictus à *præstando*, quasi *præstes*, vt ab *antestando antistes*. Sic autem dicetur, quia altero non stante pacto, alienam cogatur *præstare* culpam. Fortasse autem *præs* quàm *præstes* maluere discriminis caussâ. Nam aliàs, Festo teste, *Præstitem in eâdem significatione dicebant antiqui, quâ nunc dicimus antistitem.* Hoc *prædis* etymon confirmat locus Varronis, lib. V. de L.L. *Præs, qui à magistratu interrogatus in publicum vt præstet, à quo, & cùm respondet, dicitur præs.* Verùm, Ios. Scaliger ad Festum, legendum monet: *Præs, qui à magistratu interrogatus in publicum, an præsit, à quo & cùm respondet, dicit præs.* Itaque & censet *præs* ortum ab hac consuetudine, quâ an *præsesset*, rogatus dicebat *præs*, supple *sum*. Sanè *præsse* dicebant veteres pro *præsentem esse*, teste Ausonius dictis sapientum,

Spondere qui nos, noxa quia præsest, vetat.

Ac remansit ab notione participium *præsens*: quo de separatim. Interim omnium simplicissimum videtur, vt *præs* sit à *præ*, vt primò ita dicatur, qui *præsto est*: hinc qui *præsto est*, vt *fideiussor*. Confirmat hanc sententiam, quòd qui Latinis *præs*, is Græcis similiter sit ἔγγυος ab ἐγγύς, *prope iuxta*. Gloss. *Præs*, ἔγγυος, ἀνάδοχος. Gloss. Cyr. ἐγγυητὴς, *fideiussor*. Onomasticon. *Præs*, ἐγγυητής. Hinc *compræs*. Festus: *Comprædes, eiusdem rei populo sponsores.*

PRÆSENS B. Augustino. lib. XI. de ciuit Dei cap. IV. in psal. XCIX. atque epist. CIX. ita dici videtur quasi *præ sensibus*. item *absens*, quasi *ab sensibus*. Vtraque allusio verius est, quàm etymologia. Nam patet *præsens* dici à præpositione *præ* & *ens*, interiectâ litera S: quomodo *præsse* dicebant pro *præesse*. vt in *Præs* diximus Idem sibilus est in *absens*; at hic insititius non est verùm à præpositione *abs*, quam interdum compositionem ingredi docent

docent *abscondo*, atque alia. Negat Iul. Scaliger, cap. CXIII. libb. de caussis L. L. satis apposite *tempus praesens* ita vocatum. Ita enim scribit: *Tertium quod has interiacere partes, partem nequeas dicere, individuum est. Praesens est dictum: non sane commode. Nam si est Prae, relationem notat. Ergo cùm utrumque coniungat, & praeteritum & futurum; non potius debuit accipere appellationem ex eo, quòd futuro praeesset, quam quòd praeteritum sequeretur.* Et aliquantò pòst: *Verum ita intellexere, praesens esse prae, hoc est, ante oculos: non autem ante futurum.* A *praesens* est *praesentare*, quam vocem usurpant Plinius, atque alii. Ab *absens* itidem est *absentare*, quo utitur Claudianus, lib. III de raptu Proserpinae. Apud alios non temerè invenias. Excipio tamen Cyprianum, Faustum Regiensem, caeterósque scriptores Ecclesiasticos. *Impraesentiarum* ait Grolippus, sive Scoppius, vocem esse à posterioribus male fictam sciolorúmque audacia in veterum libros irrepsisse. Legitur apud Cornelium Nepotem, & alios. Vellem Grolippus addidisset, unde eam vocem corruptam existimet. Mihi videtur esse ex eo, quòd vulgo compendio studentes *rum* pro *rerum* scriberent. Rescribendum igitur, *in praesentia rerum*.

PRAESEPE, vel *praesepis*, à *prae* & *sepis*, vel *sepio*. Est enim *locus praeseptus, ubi pecudes stabulantur*: ac συνεκδοχικῶς etiam, *in quo pabulum iumentis ponitur*. Graecis is dicitur φάτνη ἀπὸ τοῦ φαγεῖν.

PRAESTIGIAE, unde *praestigiatores*, quibusdam dici videntur à *prae*, & *Stygius*: aliis à *prae*, & στέγω, hoc est *tego*, quasi *praestegia*, sive *praetergia*, quia *tegant oculos*. Sed potius meo iudicio *praestigiae* ex eo dictae, quòd *celeritate manuum praestringantur oculi, ita ut miracula videantur fieri*: quae etiam Isidori sententia est, lib. VIII. cap. 12. Lambinus comment. in Lucretium, & Horat. *praestigias* dictas ait, quia *praestinguant aciem oculorum*, eóque argumento probat Latinè dici *praestinguere oculorum aciem*: *praestringere* autem Latinum non esse. Verùm invalidum id argumentum. Nam quid, si utrumque dici dicamus, & à *prastingo* quidem esse *praestigias*, at à *stringo*, unde *praestringo*, *stricturas* dici, non *stincturas*? Verùm alius quoque aries intorquendus. Negamus igitur Latinè dici *praestinguit oculos*: cum *praestringere* per *R* scribatur, in manuscriptis ac vett. codd. Nec iuvat Lambinum, quod *praestigias* dicimus. Nam hoc quoque à *praestringendo* est: sed εὐφωνότερον est *praestigiae*: eóque omissum alterum *R*, ob sonum suaviorem. Uti etiam factum in *peiero* pro *periuro*, *prosa* ex *prorsa*, atque aliis. Nec est quod urgeat saltem *praestingias* à *praestringo* dici debuisse. Nam liquida *N* non minus est in *praestingo*. Praeterea suspicamur veteres dixisse *strigo* & *stringo*, ut *tago*, unde *tagax*, & *tango*, *pago* & *pango*, & fortasse *frago*, unde *fragilis*, & *frango*. Quod autem *stricturas* à *stringendo* dici dicebamus, id etiam Nonius docet gemino in loco: *Strictura*, inquit, *propriè dicta scintilla, quae de ferro fervente micant, cùm massa malleo cuditur: unde & ictus est appellata. Dicta autem quòd strictius emittantur, aut quòd oculos fulgore praestringant.* Etiam apud alios veterum posterius hoc etymon legas. Puto tamen, non tam inde nomen esse, quòd *oculorum aciem stringant*, sive *praestringant*: quàm quia *stringere* etiam significat *malleo tundere, ita ut stricturae exeant*: quomodo usus Persius sat. II.

> ——— *Et stringere venas*
> *Ferventis massae crudo de pulvere iussit.*

PRAESTOLARI quid sit, docet Festus: *Praestolari*, inquit, *dicitur is, qui ante stando ibi, quo venturum excipere vult, moratur.* Et Donatus Eun. Act. V. Sc. VI. *Praestolari est praesto esse & apparere.* Unde eadem liquet, utrumque deduxisse à *praesto*, sive verbo, sive adverbio. Eadem sententia Curtii Valeriani apud Cassiodorum de Orthographiâ: *Praesto, inquit, nos per O scribimus: antiqui per V scripserunt. Sed praesto dicendum est, ut sedulo, & optato, & fortuito: unde & praestolari, non praestulari.* Et Beda de Orthogr. *Praesto per O scribendum, non per V. unde praestolari, non praestulari.* Verùm Ios. Scaliger ad Festum docet non ἀμέσως esse à *praesto*, verùm à *praesto* esse *praestulus*, & antiquè *praestolus*, indè *praestolari*. *Praestulus* interpretatur ἐπίμονος, id est, *permanens*, *perseverans*, ut idem sit, quod nobis *praesens*, ut *praesens animus*.

PRAESUL, non quia *praesit*, ut Papias scripsit: nec, ut alii, à *prae* & *solum*: sed à *praesiliendo*. Nam propriè *praesul* erat *princeps Saliorum*, quibus indè nomen quia ancilia per urbem gestantes *salire* solerent: ut ex Varrone alibi diximus. Atque hoc etiam Valla observat lib. V. Elegant. cap. LXV.

PRAETER, à *prae*. Priscianus, in XIV. *A sub, subter, ab in inter, à prae praeter.* Ergo *praeter* aliud est, quod ita *prae* alio, ut illud, à quo dividitur, excludat. A *praeter* est *praeterea*, quasi dicas *praeter haec*. Pro quo & dicitur *praeterhac*, ut *antehac*, pro *antehaec*. Plautus Rudente:

> *Si praeterhac unum verbum faxis, ego tibi comminuam caput.*

PRAETEXTA, quam *praetextam togam* vocat Varro, lib. V. de L. L. sic dicta à *praetexendo*, quia nihil aliud erat, quam *toga alba purpureo praetexta limbo*: unde & Plutarch. περιπόρφυρον vocat. Eam qui gestarent, dicebantur *praetextati*. Deponebant autem unà cum bullâ anno aetatis XVII. quo tempore à cognatis amicisque deducebantur in forum, virilémque togam sumebant, ut constat ex Suetonii Augusto. Vide quae de *praetexta* Aldus congessit in Quaesitis per Epistolam. Hinc *anni praetextati* pro *pueritiâ* apud Plin. lib. XXIII. & *anni praetextati* Gellio, lib. I Ab eodem *mores praetextati* apud Iuvenalem Sat. secundae vers. ult. Item *sermo praetextatus*, quo quid significetur, non satis discas e Festo. Ita enim scribit: *Praetextatum sermonem quidam putant dici, quòd praetextatis nefas sit obscœno verbo uti: alii, quòd nubentibus, depositis praetextis, à multitudine puerorum obscœna clamentur.* Priorem solùm sententiam ponit Paullus Diaconus, ac eandem quoque amplexus in Etymologico Fungerus. Sed posteriorem ut probem, compellor auctoritate Suetonii, Agellii, Macrobii: qui *sermonem* apertè *obscœnum* eo intelligunt. Non tamen *puerorum* solùm *praetexta vestis* fuit, sed & *magistratuum*, quos *praetextam super tunicam* assumsisse auctor est Nonius in *Praetexta*. Itaque *praetextatus* à *togato* non tantùm differt ut *puer* à *viro*, sed etiam ut *privatus* à *magistratu*. Hinc est, quòd *turba togata* pro *plebe* saepe usurpatur. Iuvenal. sat. VIII.

> ——— *Veniet de plebe togatâ*
> *Qui iuris nodos & legum aenigmata solvat.*

Fuit & *praetexta* fabulae genus, ut indicat hic locus Donati, ad Adelph. prolog. *Sicut apud Graecos δρᾶμα, sic apud Latinos generaliter fabula dicitur: cuius species sunt Tragœdia, Comœdia, Togata, Tabernaria, Praetexta, Crepidata, Attellana, mimus, Rinthonica.* In *fabulis praetextis*, uti illis Afranii, obscœna erant multa, indéque *verba nupta*, ut Festus vocat, sive *Venerea vocabula*, ut appellat Varro, aliter dici *verba praetextata*, Turnebus putabat, lib. XXIV. cap. XXXVI. Sed verior est ratio, quam antea è Festo adduximus.

PRAETORIS appellatio longè aliter accepta post annum V. C. CCCLXXXVIII. aliter ante. Quippe regibus exactis iidem erant *consules* qui *praetores*. Varro, II. de vita pop. Rom. apud Nonium voce *consulum*: *Quod iidem dicebantur consules & praetores: quòd praeirent populo, praetores; quod consulerent senatum, consules.* Iidem quoque à *iudicando* dicti *iudices*. Sed hoc quoque nomen desiit tandem, ac tantummodo *consules* dicti. Itaque hoc ordine ea ponit Tullius, III. de Legg. *Regio*, inquit, *imperio duo sunto, iique praeeundo, iudicando, consulendo, praetores, iudices, consules appellantor.* Idem validè firmat Livius lib. III. Nam postquam narrasset, quomodo decem-viratu sublato tribuni plebis consulésque essent creati, léxque lata esset, ut qui Tribunis Pl. Aedilibus, Iudicibus, Decemviris, nocuisset, eius caput Iovi sacrum esset, familia ad aedem Cereris, Liberi Liberaeque, venum iret: scribit in hunc modum: *Fuere, qui interpretarentur eâdem hâc Horatiâ lege, consulibus quoque & praetoribus, quia eisdem auspiciis quibus consules crearentur, cautum esse: iudicem enim consulem appellari: quae refellitur interpretatio, quod his temporibus nondum consulem iudicem, sed praetorem appellari mos fuerit.* Zonaras quoque hoc liquidò docet Tom. II. pag. XXVIII. vbi cum & ipse narrasset, quomodo abrogatus esset decemviratus, sic scribit: οἱ δ' ὕπατοι (τότε γὰρ λέγεται πρῶτον ὑπάτους αὐτοὺς ὀνομασθῆναι, στρατηγοὺς καλουμένους τὸ πρότερον) ἦσαν δὲ Οὐαλέριος καὶ Ὁράτιος. &c. *hoc est, Consules verò (nam tum primum nomen consulum attributum fertur, cùm ante praetores vocarentur) erant Valerius & Horatius*, &c. Hinc Asconius in tertiam Verrinam: *Cohortis praetoriae*, interpretatur, *comitibus consularibus*. Atque addit: *Veteres enim omnem magistratum, cui pareret exercitus, Praetorem appellaverunt, unde & praetorium tabernaculum eius dicitur, & in castris porta praetoria, & hodie quoque praefectus praetorio.* Festum quoque ad partes advocemus, cuius haec verba: *Praetoria porta in castris appellatur, quâ exercitus in praelium educitur, quia initio praetores erant, qui nunc consules, & ii bella administrabant, quorum tabernaculum quoque dicebatur praetorium.* Sed & Iustinianus Imp. Novellâ XXIV. & XXV. De Lycaoniae praetore sic inquit. *Et praetoris appellatione decorare, est enim hoc nomen Romani imperii proprium, & ante ipsos etiam consules in vetere atque praeclarâ constitutione Reip. usurpatum.* Confirmantur haec illustri loco Plinii, è quo cognoscimus in legg. XII. Tabb. *praetorem* accipi pro *consule*. Verba Plinii sunt, lib. XVIII. cap. III. *Frugem quidem aratro quaesitam furtim noctu pavisse ac secuisse, puberi XII. Tabb. capitale erat: suspensúmque Cereri necari iubebant, gravius quàm in homicidio convictum: impuberem Praetoris arbitratu verberari, noxamve duplione decerni.* At *Iudicis* vocem pro *consule* accipi ex quinto

cto Varronis de L.L. probauimus voce *consul*. Atque ex his abunde arbitror liquere, eos qui in regum locum cum regia potestate creati sunt, *pretores* fuisse nuncupatos: durauitque hæc appellatio, vsque dum crescente populi Romani imperio bellis pluribus implicarentur, eóque cum plurimum vrbe abessent, ius populo reddere nequirent. Tum enim patricij pro communicato plebi altero consulatu quæsiere sibi hunc honorem, & impetrarunt. Postquam igitur *pretorium* nomen peculiarem habuit magistratum *consules* nomen *pretorum* amisere, quod proprium iis factum est qui ius populo dicerent. Ex his patet, cur scribat Iustinianus Imp. Nouell. XXIV. *pretorum* appellationem inde initio fluxisse, quod *ceteris preirent omnibus*, concessa eis tam belli administratione, quam iuris legúmque condendarum potestate. Nam loquitur imperator de *pretoribus*, quales fuere statim post exactos reges, non de iis, qui creari cœpti post abrogatum decemuiratum. Idem quod *Imperator*, sed breuius, docet his verbis Varro, lib. IV. de L.L. *Pretor dictus, qui praeiret iure, & exercitu* (τὸ *exercitu* dandi casus est,) *a quo Lucillius, Ergo pretorum est ante praire*. Sic quoque hic locus legitur in veteri Mediolanensi anni cIɔ Iɔ. Quam lectionem frustra sollicitat Theodorus Marsilius in legum XII. Tabb. interpretatione, vbi legit, *Ergo pretorum est endo praire*, atque in voce *endo* subintelligi vult *iure* & *exercitu*. quæ sané mirifica ἰδέα est. Ex his planum fit, *pretores*, ex sententia Varronis ac Ciceronis, dici quasi *praitores*, idque quia primis temporibus & iure & exercitui *prefuerint*. Nonnulli tamen à *praesse* dictos putant, quam sententiam inter alios secutus cùm Pomponius Lætus: tum ψευδεπίγραφος Fenestella, hoc est Dominicus Floccus. Pro hac opinione est quod *prætor* non eum propriè significat, qui præit iure vel exercitui, sed generatim qui *præest*: vnde in veteribus monumentis legimus *prætor sacris Volcani*, p. CCCXVIII. VII. edit. Grut. *prætor Tiburtium*, p. CCCLXXXV. I. & quædam alia huiusmodi. Ac dubitari possit an Tranquillus, cùm librum suum de *Prætoribus* inscripsit, non latâ hac acceperit significatione. Eandem sententiam firmat, quòd Romani non videntur vocem hanc primi ex muneris ratione fabricati, sed vt pleraque alia, ita hoc quoque nomen exemplo Latij populorum numeri indidisse. Nam plerosque horum hoc nomine suos vocasse *imperatores* è multis Liuij locis cognoscimus. Imò Etruriæ quoque populos sic eos appellâsse, docebit Spartianus in Hadriano, cùm ait: *In Hetruria præturam imperator egit. Per Latina oppida dictator, & ædilis & duumvir fuit.* Et Hactenus de voce *prætoris*. A *prætor* est *prætorium*, vt à *quæstor quæstorium*. Hoc *quæstoris tabernaculum* notat Ciceroni & Liuio: illud signat *tabernaculum prætoris*, hoc est, eius qui *præest exercitui*, quemadmodum ex Asconio suprà ostendimus. *Prætorium* quoque dicebatur in prouinciâ locus, in quo *prætor*, hoc est, *proconsul* (ita *prætoris* voce vsus quoque Tacitus primo Annalium, vbi Granium Marcellum Bithyniæ vocat *prætorem*) ius dicebat: indéque *prætorium dimittere* apud Liuium, lib. XXX. & XXXVI. hoc est, *eos qui in prætorio conuenerant*. Sed & posteriori æuo *prætoria* dixere villas omnes elegantiores & non rustici vsus. Tertullianus, de Idololatriâ: *Cœptat sententia prætoria*. Eodémque modo vsus Suetonius in Octauio & Caligula Papinius lib. I. Silu. Carm. in Tiburtinum Manlij. item Vlpianus, Palladius, alij. *Prætoriani milites* dicuntur à *cohorte prætoriâ*, de quâ itidem ex Asconio suprà dictum.

PRAGMATICVS. Gr. πραγματικὸς, à πρᾶγμα. hoc est *negotium* vnde *negotialis status* Ciceroni de Inuent. dicitur, qui Græcè πραγματικός. *Pragmatici* vocantur Iurisperiti, qui, mercedulâ adducti, causarum actores, iuris ignoros, monebant, dicendáque suggerebant; vt scribit Cicero, I. de Orat. & Fabius, lib. XII. cap. III. Ille negat istiusmodi homines Romæ esse, hic fatetur: nempe quia olim quidem iis non vtebatur forum Romanum, postea autem vti cœpit. Meminit Iuuenalis, Sat. VII.

> —— *Si contigit aureus vnus,*
> *Inde cadunt partes in fœdera pragmaticorum.*

In iure quoque hoc vocabulum inuenias, vti & *pragmaticam*, quæ vox est posterioris seculi, à *pragmaticis sanctionibus* facta. Legitur in lege Zenonis, De diuersis rescriptis.

PRANDIVM vnde sit, variè disputatur. Apud Festum legas, *Prandium ex Græco, .. est dictum. nam meridianum cibum cœnam vocabant.* Hiatum hunc variè explent. G. Canterus, lib. IV. Var. Lect. cap. XXVIII. supplet, insertâ voce ἔδεσμα, vt sic dicatur, quia sumi soleat πρὸ ἐνδίας, *ante meridiem*. Mouet eum locus Plutarchi, lib. VIII. Sympos. probl. VI. vbi de Græcis aliquot Latinorum vocabulorum etymis tractans ait: Τὸ δὲ ἄριστον ἐκλήθη ἀπὸ τῆς ὥρας, ἔνδιον γὰρ τὸ ἐνδιάζον. ἢ τὴν μετ' ἄριστον ἀνάπαυσιν ἐνδιάζειν, ἢ πρωϊνόν τινα ἐμφαίνοντες ἐδωδὴν, ἢ τροφὴν ἧ χρῶνται, πρὶν ἐνδείας γενέσθαι. Quibus verbis duplicem adferri originationem Canterus putauit: & cum eo Hadrianus Iunius, quemadmodum liquet ex tralatione Symposiacon. Nos triplicem eam poni contendimus. Prima est, vt dicatur *prandium*, quod sit πρὸ τῆς ἐνδίας. Altera, vt sit πρώϊνον, quod est, *matutinum*. Tertia quòd sit πρὸ τῆς ἐνδείας, *pro indigentia*. Tertiam non potuit respexisse Festus, cum id minimè pertineat ad id, quod Festus innuit, *prandium* olim fuisse *tentaculum meridianum* verò *cibum* cœnam appellatum. Nec accommodatior multò est prima, quam Festum in animo habuisse credidit, præter Canterum, Fuluius Vrsinus in Appendice de Triclinio. Quippe ἔνδιον à Plutarcho exponitur ἐνδιάζον, quod minimè est *matutinum*, vt interpretatur Hadrianus Iunius: sed vel *meridianum*, vel *pomeridianum*. Siquidem δείλη, vnde δειλινὸς, notat *tempus quo sol ad occasum vergit*, quia πλεῖ τῷ ἡλίῳ ἐνδιάζει, quemadmodum Eustathius & Etymologus tradunt. Superest tertia mediáque opinio, vt sit à πρωί, id est, *mane*, quam Plutarchus indicat, cum ait *prandium* sic fortasse dici, quia sit πρωϊνή τις ἐδωδή, *matutina quapiam esitatio*. Et hæc sanè originatio sola apud Festum habet locum: nec aliter locum explet Ios. Scaliger. At enim dixerit aliquis, πρώϊον, & *prandium*, parum si vocem spectemus conuenire. Ita est. Sed Dores pro πρωί, id est, *mane*, dixere πρᾶν, quomodo loquitur Teocritus. Quid, si autem altera vocabuli pars sit ἐδω; Ita *prandium* erit, *quod manè editur*. Iosephus Scaliger ad Festum notauit venire à πρᾶν. Sed calami is lapsus, cùm dicere voluerit πρωί, quod est *mane*: cùm alterum notet *nuper*. Prius autem voluisse, liquet ex eo, quòd auctoritate Plutarchi se tuetur: cuius verba superius adduximus. Sunt & aliæ de vocis origine opiniones. Cæsar Scaliger, lib. I. R. P. cap. V. *prandium* dici ait à *paratum*, quia iterum ad opus parati essent illico, qua ratione à Græcis δεῖπνον dictum est, ἐπὶ δεῖ πονεῖν. Bartholomæus Keckermannus, lib. 2. systematis Logici sect. II. cap. I. duo facit Etymologiarum genera. verum & falsum planéque veræ originationis exemplum esse ait, quod *prandium* dicitur à *perendinis reliquiis*, quas pace veteres *manè* comederint, lautius vesperi atque vinò cum aliis cœnaturi. Sed hoc etymon, quod certissimum putat Keckermannus, magis incertum est, quàm vnum & alterum eorum quæ ante adducebamus. A *prandium* est *prandiculum*, vnde dies, qui post ieiunia erant, dicebantur *prandiculares*, quod *prandij* hilaritate & vocationibus gauderent. Glossæ vett. *Prandicularius*, ἡ μετὰ νηστείας ἡμέρα. Ioannes Meursius Auctarij Philologici cap. XXXII. legit, ἡ μετὰ νηστείαν ἡμέρα. Quæ certissima est emendatio.

PRASINVS, πράσινος, q.d. *porraceus*. Est *color viridis ad similitudinem porri*, quod Græcè πράσον vocatur. Qui & *color ingenti latè virentis* vt de chrysocolla Plinius loquitur. Vbi Dioscorides habet πρασίζουσαν. Hinc *vestes prasinæ*, quæ huius coloris. Martialis lib. X ad Sextilianum.

> *Et quam donabas dictis à Marte Kalendis,*
> *De nostra prasina est synthesis empta togâ.*

In ludis Circensibus sæpe fit mentio *prasinæ factionis*, *prasini ornatus*, *prasini agitatoris*, &c. quibus quid significetur, indicat hic locus Iuuenalis, Sat. XI.

> *Totam hodie Romam circus capit: & fragor aurem*
> *Percutit, euentum viridis quo colligo panni.*

Est & *lapidis* genus qui à *prasino* siue *porraceo colore* Theophrasto lib. I. περὶ λίθων, dicitur πρασῖτις, aliis πράσιος λίθος. Quomodo & Plinius vocat, lib. XXXVII. cap. VIII. *Viridantium*, inquit, *& alia plura sunt genera. Vilioris turbæ est prasius, cuius alterum genus sanguineis punctis abhorret.* Smaragdum hinc dici *prasinum*, auctor Epiphanius: Δίδυμος σμάραγδος, ὅς ἐστι καὶ πράσινος. Nummum sic κατ' ἐξοχὴν vocatus.

PRATA) Varronis verbis vtor, cap. IV. de L.L.) dicta ab eo *quod sine opere parata*. Idem apud Varronem legas, lib. I. de R.R. cap. VII. imò & Columellam, lib. 2. cap. XVII. His subscribit, tum Plinius, qui & ipse, lib. XVIII. cap. V. auctor est, veteres dixisse *parata*: tum Vlpianus, cuius hæc verba Tit. de verborum significatione: *Pratum est, in quo ad fructum percipiendum falce dumtaxat opus est, ex eo dictum, quòd paratum sit ad fructum capiendum.* Sanè quod Vlpianus *prata* ait leuissimum laborem desiderare, id verissimum est: sed caue putes, qui dicat tantum modo falce opus esse, idcirco omnem *prati* commoditatem in fœno consistere. Nam, vt Cato ait, in pabulo non minus, quam in fœno requirit. Hinc nec etymo satisfacit. Magis autem placet, vt sit à פרת, quod est, *fructum protulit*. Hoc nisi certum putarem, cum Iosepho Scaligero deducerem à Dorico πρᾶν, pro πρωί. Intelligit autem hoc vocabulo non *horti aream*, sed τὰ ἐν τοῖς ἀγροῖς πρασιαί. Propriè tamen videtur significare *areolas hortenses*, in quibus

quibus *porrum* & alia olera feruntur. Nam πράσον, *porrum*, vnde πρασιά. Atque hoc isti sententiæ non mediocriter obstat.

PRAVVS, si παραβαίνω, seu παραβαίνειν, hoc est, *transgredior, pecco*. Vel à πρᾶος, *lenis, mitis, mansuetus*. Insertum digamma Æolicum, vt in aliis sexcentis. At enim dicat aliquis, mites ac mansuetos potiùs *bonos* fuisse vocandos, quam *prauos*. Fateor. Sed cogitare illud seculum debemus, quo omnis virtus in *fortitudine* poneretur. Est verò *ira cos infortitudinis*, vt ait Philosophus. Quare *lenes ac mansuetos*, tanquam imbelles, nullo loco ducebant.

PRECARI ab Hebræo ברך, quod est, *bene dicere, geniculando precari*: vnde ברכה, quasi dicas *preca*, hoc est, *precatio, benedictio*. Vel dicendum *precari*, & *procare* vel *procari*, antiquis idem fuisse vt *benus*, & *bonus*; *bemo*, & *homo*; & similia: originem vero esse à προίξ, προῖκα, hoc vniuersè *donum* significat, speciatim autem accipitur, tum pro *stipe, quam damus mendicanti*: nempe à προΐσσω, quod est *manum extendo*. tum etiam pro eo, *quod pater dat filiæ, cùm eam elocat*. Latini *dotem* appellant. Quare & mendici, & quotquot auxilium poscunt, *procari* dicuntur: & *procari* eos dicimus, qui virginis aut viduæ nuptias petunt. Festus: *Procari, poscere, vnde procaces meretrices ab assidue poscendo: & proci vxorem poscentes in matrimonium*. Nonius: *Procacitas à procando, id est, poscendo, dicitur: vnde & proci dicti sunt matrimoniorum petitores*. Ibidem citat hoc M. Tullij de Rep. lib. IV. *A procando, id est, poscendo, procacitas nominata est*. Idem de *procu* scribit Isidorus, lib. IX. cap. II. Sed quod de *procacis* etymo ex Tullio obseruat Nonius: id satis certum non est. Nam fortasse *procax* dictus à *prociendo*, hoc est prouocando & lacessendo, vnde *procitare, prouocitare*, teste Festo, qui addit, *Citare enim vocitare est, vnde procet & prociet*. Vbi legendum puto, *prociet & procitet*. Ac & *procare* est *reciprocare*, inserto CI, quo de seorsim dicemus.

PRECIVM, à *peritus*, si audimus Varronem, lib. IV. de L.L. *Precium*, inquit, *quod æstimationis emtioni quæ caussa constituitur: dictum à peritis, quòd hi solùm possunt facere rectè id*. Salm. de Vsuris: *Nugatur more suo doctissimus Romanorum Varro, cum à peritis pretium deducit. Nec veriùs Isidorus, vel auctor vnde habet: pretium dictum eò, quòd prius illud damus, vt rem, quam appetimus, possidere valeamus. Id Græcè πράτιον, quasi merces, quæ vendenti daretur, id est, τῷ πωλητῇ*. Sed est ab Aramæo פרס. *æstimauit, pretium statuit*. Sunt & duo alia ἔτυμα. Nam quia *precium* est, *quod pro re venali poscitur*: eò deducere possis, vel à πράω, *vendo*: vel à *procari*, quod est, *poscere*. Posterius placuit Scaligero in Coniectaneis. De *procandi* verbo vide, quæ diximus in *Precari*. Compositum est *interpretium*, quod in Gloss. veteribus μεσιτικὸς exponitur. Vt videri possit idem & *interpendium* dici. Nam Glossæ itidem: *Interpendium*, μεσιτεία. Ammianus, lib. XXVIII. *Verum quoniam denis modiis singulis indigentibus venundatis, emerat ipse tricenos, interpretij compendium ad principis ærarium misit*. Vsus & Cassiodorus lib. II. Var. epist. XXVI. Vide Cuiacium Obseruat. lib. XVI. Aliis videtur *interpretium* dici debere: vt sit ab *interpres*: *interpretem* enim dici qui de pretio inter venditorem & emtorem se medium interponit. Ac *interpretium* dici, quod propter hanc operam accipit.

PRELVM, an *prælum*, scribi debeat, non conuenit. Qui *prælum* malunt, dici ita putant à *præluo*. Atque hoc & Micyllus putauit. Sed meliores libri habent *prelum*. Nempe est à *premo*. Est enim *prelum* trabs, qua vua, oliua, aliudve premitur. Vitruuius, lib. VI. cap. IX. *Ipsum autem torcular, si non cochleis torquetur, sed vectibus & prelo premitur, ne minùs longum pedes XL. constituatur*. Plinius, lib XIII. cap. XII. *Premuntur deinde prelis, & siccantur sole plagulæ atque inter se iunguntur*. Adhæc Seruius, in II. Georg. *Prela trabes sunt quibus vua iam calcata premitur*. Ex his colligimus, *prelum* esse contractum ex *premulum*. Eáque contractio fuerit in caussa, cur prior sit correpta contra naturam primogenij. Simile sit à *calo, calulum, calum*: à *tego, tegulum, telum*. In quo itidem receditur à primogenij quantitate. Fortasse autem & *premum* dixere, vnde *premulum* fuerit. Sanè in Glossis vett. legitur. *Premum* ὑποπιεστήριον λινοῦ. Vbi legendum videtur, *Premum*, ὑποπιεστήριον ἐλαιῶν. Πιέζω & ἰπόω idem sunt quod *premo*. Ληνὸς valet *torcular*. Ergo ὑποπιεστήριον ληνοῦ planè fuerit *prelum*. Quod si *premum* siue *prenum* retinendum, dicere possimus, veteres etiam *prenum* dixisse pro *prelo*, vt dixere *ningua* pro *lingua*. Similiáque *limfa*, & *nympha*, *nuscitiosus* & *luscitiosus*. Nec coniectura hæc displicet.

PREMO fortasse a βάρημα *pondus*: quia *premere*, vt ait Perottus, *propriè est inniti alicui rei cum pondere*.

PRESTER, πρηστὴρ, *ventus contacta protinus comburens & proterens*. Meminere Lucretius, Seneca, Plinius, alij. Præterea ita dicitur *serpentis genus*, qui morsu suo inexstinguibilis iræ ardorem gignit. Describit eum Lucanus, lib IX.

Nasidium Marsi cultorem torridus agri
Percussit prester: illi rubor igneus ora
Succendit, tenditque cutem.

Vide ibidem, quæ sequuntur, & Solinum cap. XL. Vtraque notione venit πρηστὴρ, a πρήθω, *inflammo*. Hocque est à שרף, *vssit, incendit*. Vnde שרף, *serpens igneus*. Sed & angeli *Seraphim* inde dicti, quasi *lucidi* aut *flammantes*. Planéque videtur indè etiam nomen accepisse *Serápis*. Nam, vt ex Appione Plistonice scriptum reliquit Plinius, lib. XXXVII. cap. V. in labyrintho Ægypti Serapis erat colossus è smaragdo nouem cubitorum.

PRIAPISMVS à *Priapo*, vt *Satyriasis*, & *Satyriasmus*, à *Satyris*. Malè vulgò hæc tria confunduntur, vt è peritioribus medicis discere potes. *Priapus* quidam origine Hebræum esse volunt, dicique quasi *feracem patrem*, a פרה, *para*, id est, *multiplicauit, fructus protulit*, & אב, *ab*, id est *pater*. Quæ etymologia nihilo deterior, sed neque melior illa apud Theocriti Scholiastem, aliisve aliorum: quas non ponimus, quia propria nobis non proponimus.

PRIMICERIVS, vti in veteri vocabulario legimus, dictus, *qui primum cereum portabat ante ipsum ad regem*. Et sanè multorum ea sententia est, *primicerium* dictum à *cereo*. Sed hi aliquid dicere viderentur, si vox solum aut primo competeret *primiceriis religiosis*. Atqui certum est multò latiùs patere, & quidem a ciuili magistratu ad Ecclesiasticos esse translatum. Nam posterioribus seculis omnes eos generatim *primicerios* vocabant, quos aliter dixere *magistros* vel *principes officiorum*, siue *principales*, hoc est, qui primum obtinerent locum inter aliquos munere publico fungentes: adeo quidem, vt & scholæ collegiáque suum habuerint *primicerium*. Hinc Augustinus, sermone XX. B. Stephanum eleganter nominat *primicerium* martyrum, quem alij *protomartyrem* vocant. & Baldricus, Dobensium Archiep. in Hist. Hierosolymitana B. Petrum appellat *primicerium Apostolorum*. Itaque multi, eósque inter Barnabas Brissonius in Iuris Lexico, censent *primicerius* idem esse quod *primus*, ac *cerius* solum esse vocis productionem. Sed sententiam hanc probare non possum. Quippe cùm veteres in *cera* scribere soleant, ac scribi aliquem dixerint in *primâ, secundâ, tertiâ, imâ cerâ*, quod ex Suetonij Cæsare, & Asconio in Verrem planum fit: nullus ambigo, quin *primicerius* ex eo dictus sit, quod *primus notaretur in tabula ceratâ*, hoc est, *albo siue catalogo munere aliquo fungentium*. Similitérque *secundicerium* dixisse puto & *tertiocerium*, vt lib. XII. C. & in l. VII. de præposit. agent. in rebus; item apud Luidprandum lib VI. de rebus per Europam gestis, & aliquoties apud auctorem notitiæ vtriusque imperij. Sané etymon hoc longe prætulerim illi, quod adfert Marcellus Donatus, dilucidat. in Ammiani Marcell. lib. XVIII. vbi conflatum putat ex *primus* & χεὶρ, quam vocem hic pro *potestate* accipi censet, vt *primicerius*, siue, vt is scribere mauult, *primichirius*, propriè is sit, cuius in manu ac potestate res potissimum est. Quibus sententia nostra displicet, eo ferè argumento pugnant, quòd sic solum *notariorum* essent *primicerij*, vt qui propriè *in ceris scribant*, at nunc etiam esse aliorum munerum: vnde Suidas generatim interpretatur πρῶτος ἐν τάξει, id est, *qui in quocumque ordine primum locum obtinet*. Itaque *primicerius in officio præfectorum prætorio*, legimus apud Vegetium lib. II. cap. XXI. Et *primicerius protectorum* apud Ammianum Marcellinum, lib XVIII. *primicerius legionum* apud Guil. Tyrensem, Pontif. libro II. de bello sacro, cap. IX. & alibi crebrò. Item *primicerius defensorum*, *primicerius scholæ cantorum*, & *cardinalis primicerius*, apud Luitprandum, lib. VI. de rebus per Europam gestis. Ac in Codice Iustinianeo & Theodosiano similiter legas, *primicerius fabricæ, equitum, singularium, deputatorum, sacri cubiculi, scriniorum*, multáque alia, vt docebant Brissonius, & Donatus, locis ante dictis. Sed argumentum hoc planè est ficulnum. Neque enim sic *primicerios* dici putamus, quia *in cera scribant*: sed quia *eorum nomen primo ponatur loco in cerâ*, hoc est, *catalogo siue albo*: quod munerum omnium commune est. Tandem autem etiam exoleuit *primicerij* vox, pléque ea *Dominum magnum* potiùs dixere, vt indicat hic locus Nicephori Gregoræ, lib. VII. Τῆς βασιλίας τε τῶν Θεβῶν ἀρχηγὸς, [illegible] *Primiceriu* voce similis est *primiscrinius*, l. vlt. C. de numer. lib. XII. leg. vlt. C. de diuers. offic. lib. XII. & sæpe apud Scotum, vel quisquis auctor notitiæ vtriusque imperij. Turnebus quoque, lib. XXIV. Aduersar. cap. XII. & Godescalcus Stevvechius, testantur, se *primiscrinius* pro *primicerio* inuenisse apud Vegetium, lib. II. cap. XXI. Dicitur verò *primiscrinius*,

mufcrinius, quaſi *primus*, hoc eſt *magiſter ſcriniorum*, qui & *primicerius ſcriniorum* dicitur. Vide Cujacium ad l. III. de apparitoribus præfect. prætor.

PRIMIPVS, & *primus pilus*, plurimum differunt. Nam *primus pilus* erat centurionatus nomen: at centurio ipſe appellatus *primipilus*, ſiue *primopilus*. Vtroque enim vti veteres. Sic autem dictus, quod *primum pilum*, hoc eſt, *ordinem duceret*, vnde Gloſſæ vett. [illegible] interpretantur. Dionyſ. Halicarn. lib. IX. de M. Flauoleio: [Greek illegible]. hoc eſt, *vnius legionis ſplendidiſſimâ præfecturâ ornatus, in quâ ſunt ſexaginta centuriones, qui ductum eius ſequuntur, eiúſque iuſſa facere lex iubet. Hos duces, Romani patriâ linguâ, primipilos vocant.* Liuius, lib. VII. *Id propter P. Solonium poſtulatum eſt ab coniuratis: qui alternis propè annis & tribunus militum, & primus centurio erat, quem nunc primipili appellant.* Vegetius, lib. II. cap. VIII. *Vetus conſuetudo tenuit, vt ex primo principe legionis, promoueretur Centurio primipili: qui non ſolum aquilæ præerat, verum etiam quatuor centurias, hoc eſt, quadringentos milites, in prima acie gubernabat. Huic tanquam capiti totius legionis merita conſequebantur & commoda.* Hæc Veget. A *primipilus* eſt *primipilaris*; vt a *conſul*, *conſularis*. Sic enim appellatus, *qui fuerat primipilus*. Idem & *primipilarius* dictus poſteriori ſeculo, quo nomina in *aris* deſinentia plurimum per *arius* efferebant: quem morem qui ignorabant *primipilari* eius in locum nonnunquam ſubſtituerunt. Id factum apud Spartianum. Nam in Didio Iuliano & Peſcennino *primipilarius* eſt in vett. membranis. Plura de *primipilis* & *primipilaribus*, vide apud Alciatum, Cujacium, alióſque interpretes C. de primipilo, lib. XII. Anton. Auguſtinum libro ſingulari ad Modeſtinum. Aldum Manutium lib. II. de Quæſitis epiſt. III. & God. Stevvechium ad Veget. lib. II. cap. VIII.

PRIOR, & *primus*, ſunt ab antiquo *pri*, *pris*, quod à Græco πρὶν. Niſi malis *pris* quidem eſſe à πρὶν conuerſo *N* in *S*, quomodo à πλεῖν, eſt *plus*: ſed *primus*, vti Angelus Caninius putabat, eſſe à πρόμος, quod *antesignanum* notat, ac è προμαχος κατ᾽ συγκοπὴν factum putatur. A πρόμος erit *primus*, vt à κόκκος, *coccus*, ab ὄμβρος, *imber*, &c. Sed cùm *prior* in *primus* producatur; nec opus ſit recurrere ad figurata, cùm propria ſeſe ſponte offerunt: nec veriſimile ſit aliunde eſſe ſuperlatiuum *primus*, quàm comparatiuum *prior*, cùm primis literis conueniunt: planè perſuaſum habeo *primus* non minùs, quàm *prior*, eſſe à *pris*. Ab eodem *pris* eſt *pridem*, vt ab *is*, *idem*. A *pris* quoque eſt *priſtinus*, vt à *cras*, *craſtinus*. Priſcianus lib. II. A *prior*, inquit, *vel priſcus priſtinus, vt ab hornus hornotinus*. Verùm & *priſtinus* & *priſcus* eſt à *pris*, vt diximus. Quod & de *priſcus* ſtatuit Sanctius in Paradoxis. Nempe *priſci* propriè *qui priùs fuere*, vt *priſci Latini*, qui ante Romam conditam. Vel hoc verum eſt, vel *priſcus* ſit à πρέσβυς, pro quo Æoles dicunt πρέσγυς. Commutant enim *β* in *γ*, vt pro βλέφαρα dicunt γλέφαρα. Heſych. γλέφαρα, βλέφαρα. [illegible]. Sic βάλανος Æolicè γάλανος, vnde *glans*. At non audiendus Rodolphus Agricola, qui, in notis ad Senecæ declamationem, *priſcum* dici vult quaſi *peri cum*, à *pere*. Nempe *priſcum* ab antiquo & veteri diſtinguit, vt *priſcum* ſit, *quod iam periit*: vnde Horat. od. IX. III. *Quid? ſi priſca redit Venus?* id eſt, quæ ante fuit. Et od. II. lib. IV.

——*Quamuis redeant in aurum*
Tempora priſcum.

Antiquum verò & *vetus* de eo dicantur quod etiamnum durat. Iuuenalis ſat. VI.

Antiquum & vetus eſt alienum, Poſthume, lectum
Concutere, atque ſacri genium contemnere fulcri.

A *primus* eſt *apprimus*, vnde *apprimè* apud Terent. Andr. Agellius, lib. VII. cap. VII. interpretatur *apprimus*, longè *primus*: eóque vſum docet Liuium Andronicum in Odyſſea hoc verſu: *Ibi denique vir ſummus adprimus Patroclus*. Apud Maronem quoque II. G. legimus *Flos apprima tenax*. Vbi Seruius. *Apprima, id eſt, maximè. Et eſt nomen pro aduerbio, ſicut,*

——*Et pede terram*
Crebra ferit.

Pro crebro. A *primus* eſt *primitus*, quod olim, vti *penitus*, tam nomen, quàm aduerbium fuit. Inuenias id in vett. Plauti codd. Act. III. I.

Sed e. qua ancilla eſt illi? PE. eſt primitia.

Pro quo Petrus Valla olim legit *primitia*, quod *tenera* interpretatur. In MSS. Camerarij eſt *primicata*, in vulgatis *primaria*. A *primitus* eſt *primitiuus*, vt à *ſatus*, *ſatiuus*; à *natus*, *natiuus*. A *primus* dictæ *primitiæ*, vt a *iniuſtus*, *iniuſtitia*. Ab eodem *primas*, vt à *magnus*, *magnas*, ab *optimus*, *optimas*; à *cuius*, *cuias*. Ab eodem eſt *primores*. Valla Placentinus cenſet naturâ eſſe comparatiuum, vt *primores* dicatur quaſi *primiores*, vt *proximiores* à *proximus*. Malè negant inueniri in ſingulari. Nam *primorem* partem cùm Cato dixit, tum Agellius, lib. XVI. cap. V. Lucretius quoque libro VI. dixit *naſi primoris*, & Tacitus alicubi *primori acie*.

PRISTES ſunt belluæ marinæ, pilis veſtitæ, tantâ magnitudine, vt in mari Indico ducenûm cubitorum inueniantur: quemadmodum ſcribit Plinius lib. IX. cap. III. & XIII. Eſt à Græco πρίστις, quod Suidas eſſe ait εἶδος κήτους θαλασσίου. Pro eo interdum dicunt Latini *priſtris*, ſiue *piſtrix*, nempe [Greek illegible], quomodo à μορφὴ dicitur *forma*. In Arateâ quidem Ciceronis verſione ſunt ſex ſeptem loca, quibus vtatur voce *piſtrix*. Nec *piſtrix* tantùm, ſed & *piſtris* dici, euincit hoc Sidonij de Tritone, Carm. II. verſ. 41.

——*Limique ſuam parcenti piſtre flagellat.*

Nam à *piſtrix* eſſet *piſtrice*. Dicitur verò πρίστις, (teſte Seruio, ad v. Æn.) à *ſecandis fluctibus*. Sanè à πρίζω eſt πρίω, *ſeco*; & πριστὴς, *ſector*. *Piſtrix* quoque, iuxta Nonium Marcellum, eſt nauigij genus, ita dictum, à *formâ priſtium marinarum, quæ longi corporis ſunt, ſed anguſti*. Vtitur Maro v. & x. Æn. Malim tamen dicere nauim dici *piſtricem* à [illegible], quomodo aliis nomen *Centauro*, *Apollinis*, *Dioſcuris*. Apud Seruium in III. Æn. legas: *Si nauim intelligas, hæc priſtis, huius priſtis: ſi de bellua, dicas, hæc piſtrix huius piſtricis facit.* Sed falli, ex iis liquet, quæ diximus. Pro *priſtis* etiam legas apud Suidam *preſtis*, πρῆστις, quod erit à πρήθω, hoc eſt, φυσᾶν. Quomodo idem fuerint πρῆστις & φυσητήρ. Sanè πρηστὴρ quandoque idem eſſe ac φυσητὴρ, etiam Galenus indicat in Hippocratem cum [illegible] exponit [illegible].

PRIVIGNVS, iuxta Feſtum dicitur ab antiquo *pri* pro *præ*: & antiquo *geno*, hoc eſt, *gigno*. Ita *priuignus* dicetur quaſi *prægenitus* ſiue *priuigenitus*. Græcis ſimiliter πρόγονος vocatur: prout Gloſſæ Philoxeni explicant. Imò & eruditiſſimo Caninio *priuignus* ex πρόγονος factum videtur inſerto *V*, quomodo à κέρας eſt *ceruus*; à νέμος, *nemus*; ab ὕλη, *ſylua*, &c. Tertia etiam ſententia eſt. Nam Beda de Orthographia putat eſſe à *priuus*: vt ſit *priuè genitus* hoc eſt *ſingulariter*, *ſeorſim ex alio vel aliâ coniuge genitus*. Nec diſplicet: quando ſimiliter, Heſychio teſte, Græcis vocatur ἄμφος. Vbi ἀμφὶς ſignificat *ſeorſim*. Nam ita interdum accipitur, vnde ab Heſychio χωρὶς, ab Euſtathio χωρὶς exponitur. Quemadmodum autem *priuignus* quaſi *prigenitus* dixere: ita & *benignus* dixere pro *bigenus*, hoc eſt, *bigenitus*. Feſtus: *Bigna gemina dicuntur quia bis vna die nata ſunt*.

PRIVILEGIVM, non *priuilegium*, dici debere, ſuo ſeculo monere operæ duxit Caper de verbis dubiis. Etymon indicant hæc Marij Victorini lib. I. *Credo quod ignoretis nomen priuilegium vnde dicitur, lex enim priuilegium, in vnum hominem eſt data.* Rectè Victorinus. Nec enim aliud eſt *priuilegium*, quam *priua lex*; vt docet Cicero III. de legibus. *Priuus* eſt *ſingulus*, ſiue *ſingularis*; quomodo in Pompeianâ epitome exponit Paullus & Agellius lib. X. cap. XX. Lucili.

Culcitula accedunt prima centonibus binis.

id eſt, *ſingula*. Eſtque ab hac notione *priuatus*. Sanè & interdum *priuus*, pro *primato*, ſiue *proprio*, accipitur: vt cum Horat. lib. I. epiſt. I.

Nauſeat & locuples, quem ducit priua triremis.

Vnde quæ de *priuilegij* voce ſcribit Budæus, annot. in Pand. & Obertus Giffanius Ind. Lucret.

PRIVVS, vt Cæſar Scaliger in Hippocratem de inſomniis ſcribit, eſt à πρίω, *ſecare*: quia in familia herciſcunda, quæ ante communia erant hæredum, hæc *ſecantur* in portiones, vt quæque *priua* ac propria fiat. Becmanno fit veriſimile eſſe à פרע, quod Auenarius exponit *priuauit*, *liberum reddidit*. Idémque Auenarius indè deducit Germanicum *frei*, vnde Belgicum *vrij*, hoc eſt, *liber*. Sed Hebræa vox, vti cenſeo, potiùs notat *nudare*, *deſerere*. Dicam quid de *priuus* voce cenſeam. Πρίω & πρίαμαι, vti & ὠνέομαι ſignificant *emo*. A πρίω igitur cenſeo dici *priuum*, quod quis ſibi emit, atque ita *priuum* & proprium fecit: vnde & pro *ſingulo* accipi cœpit. Digamma hic Æolicum inſertum, vt in ſexcentis. A *priuus* eſt *priuatus*, vt ab ἴδιος, *idiota*. Item a *priuus* eſt *priuare*, vnde participium *priuatus*, ὁ στερηθείς.

PRO, *prope*, *propter*, vnde ſint & quæ varia ſit eorum vis, optimè explicat Iulius Scaliger libb. de cauſis L. L. partim cap. CXXVII. partim CLVII. quibus locis hunc in modum ſcribit: *Pro præpoſitio, vt in libris Originum plenius narratum eſt, cùm multa ſignificet, id habuit commune, vt vices indicaret. Pro Milone dixit M. Tullius, hoc eſt, pro eius munus, quod tu illo debueras exſequi.*

qui. Fuit vis & origo & vsus à Græcis. Nam tametsi frequentiùs significat ante τὸ πρὸ, tamen apud Herodotum in Polymnia legas etiam πρὸ Σπάρτης. sicut nos pro castris, & pro patriâ pugnare. Prope, fuit pro pedibus. Ita Græci loquuntur πρὸ ποδῶν. at à prope factum est propter: sicut ab in inter, à sub subter. Quare Virgilius, cùm dixit

——— Athesim propter amœnum.

Sincero rectóque significatu vsus est. Cùm autem nos referimus ad vsum caussæ finalis, translato vtimur significato. quoniam finis cohæret actioni, mouet enim nos. Hæc Scaliger. *Propter* pro *prope* Græcè est ἐγγὺς, forte ab נגש, quod est, *appropinquauit*. A *pro* etiam *prout*, & *proquam*, quod idem signat. Lucretius:

———Igitur paruissima corpora proquam
Et læuissima sunt, ita mobilitate feruntur.

Symmachus: *Non satis mihi viderer, proquam res postulat, fungi debitum meum.*

PROBOSCIS, προβοσκὶς, quæ Plinio quoque *promuscis*, & *elephanti manus*, à πρὸ & βόσκω, *pasco*, teste Eustathio: qui & addit, aliter dici προνομαίαν, nempè à προνέμειν, hoc est, *ante depasco*. Nonius: *Proboscis Græcum nomen est dictum, quod ante depascat. & est porrecta corporis pars inhærens naribus, quæ, excepto homine: in aliis animalibus inuenitur. Promuscis* verò factum ex *proboscis*. B transit in M contrà quam in μύρμηκος factum censet Artemidorus, qui deducit à πύρμηκ@ vel τόμηκ@. Vel est *promuscis* à προμύσσω, quod est *promungo, produco*, vt cùm *ellychnium producitur*. Hoc enim vocant προμυσκίδα. Papias censet esse à *promouendo*, quòd *elephantus promuscide pabulum promoueat*. Sanè haut ineptè: sed verisimilia magis quæ priùs dixi. Ac imprimis, vt fit ex προβοσκίς.

PROBRUM quasi *prohibrum*. Sanè si Festus *probum* dici putauit, à *prohibendo*, quia *prohibet se à delinquendo*: quanto iustius *probrum* dici videatur, *quod prohibere à nobis debemus*? Magis tamen placet *probrum* fieri ex προφερόμενον. nempe quâ ratione Homerus dicit ὀνείδεα προφέρειν, *conuicia proferre atque obijcere*. Vel erit *probrum* ex *propertum* à *properando*. Videlicet quâ ratione Latini dicunt *improperare vitium*, pro *obijcere*, *impingere*. Generatim significat quicquid non consentaneum virtuti. Attius apud Festum: *Qui, nisi probrum, omnia alia indelicta existimant.* Nam liquidò transtulit Stoicum isthoc, οὐδὲν κακὸν, εἰ μὴ αἰσχρόν. Ferè autem vsurpatur pro *stupro* aut *flagitio*, vt Festus scribit, ac confirmat tum Cæcilij illud in Dato:

Ea tum compressa parit huic puerum, sibi probrum:

Tum hoc Plauti Amphitry. Act. 1. Sc. II.

Nam Amphitryo actutum vxori turbas conciet.
Atque insimulabit eam probri.

Ab *ob*, & *probrum*, est *opprobrium*, quasi *obiectum probrum*. Sed & *opprobrare* dixere, vt *exprobrare*. Festus: *Obprobrare* (ita & MSS^ti) *probrum obijcere*.

PROBUM quidam translatum censent à re metallicâ, propriéque dici de *metallo bene excocto*. Nec magnopere impugnem. Verùm, quòd aiunt *probum* dici quasi *probatum*, hoc planè ferri nequit; cùm *probare* sit à *probus*, non contra. Quare magis placet *probus* eâdem formâ dictum quasi *prohibus*, quâ ex *prohibeo* fit *prabeo*. Festus: *probi velut prohibi, qui se à delinquendo prohibent.* Confirmat hoc etymon, quod Lucretius κατ' συναίρεσιν *probeat* dixit pro *prohibeat*. Locus est lib. 1.

Nam sive est aliquid quod probeat officiátque.

Vel est *probum* ex πρέπον, hoc est, *decorum*. Atque hoc simplicissimum, E enim in O, Π. in B abire solet. vt sæpe dictum. A *probus* est *approbus*, hoc est, *valde probus*. Nam *ad* auget in compositione, vt in *appotus*. Plautus Amph. Act. 1 Sc. 1.

Credo, edepol, equidem dormire solem, atque appotum probe.

Item in *apprimus*, quod est *longè primus*, vt interpretatur Gellius lib. VII. cap. VII. vbi & præuerbium *AD* similiter in *adfabre* & *admodum*, ἐπίτασιν significare ait: ac Cæcilium in Comœdia, quæ Triumphus, *adprobi* nomine sic vsum ait, hoc versu.

Hierocles hospes est mihi adolescens adprobus.

PROCAPIS *sanguine proximus capiti familiæ*, vnde & nomen. Festus: *Procapis, progenies, quæ ab vno capite procedit.* Gloss. Isid. *Procapibus, proximus.*

PROCERES, ἔξαρχοι, προέχοντες, vt Charisius interpretatur lib. 1. Singulari *procerem* vsus Iuuenalis sat. VIII. Rectus esset *procer*, fortasse ex πρόηγρ@, nempe vt ab ἀγρὸς, *ager*. T abit in C. quale etiam esse putant *exanclare* ab ἐξαντλεῖν, de quo alibi sententiam nostram dicimus. Vel rectus sit *procus* vnde obliquus *proceris*, vt à *viscus visceris*. Pro hac sententia facit, quod apud Festum legam, Seruium Tullium in classium descriptione dixisse *procum patricium*, pro *procerum*, hoc est, *principem*. Vbi ex adiecta interpretatione pro *procerum*, *procerem*, legendum esse liquet. *Procus* autem pro *procere* seu *principe*, est à πρὸ, *CUS* adiectio est, vt in *modicus* *ciuicus*. At κατ' μεταφορὰν *proceres* dicantur *capita trabium*, *siue mutuli in trabibus exstantes*: Etsi vulgò contrà *principes ciuitatis* ab his *mutulis* putent nomen inuenisse quia in Rep. emineant, vti *proceres* in ædificio. Quod si magis placet, erunt fortasse *proceres* à προχέω, vt ita dicantur quasi προχεόμενοι. Vel à *procero*, quomodo veteres scripsere pro *progero*. Vt ex eo fit nomen, quia *progeruntur*, hoc est, προβάλλονται. Aliud etiam etymon apud Angelum Decembrium inuenio, vt dicantur *proceres*, quia *arborum instar procerarum in Rep. emineant*. Sed modulus mediæ syllabæ refragatur. Ex tot nominum caussis nulla satis probatur: sed ad Æoles recurrendum, quos Latini solent imitari. Προέχειν est *eminere prominere*: & κατ' μεταφορὰν *primas in re aliqua tenere*. Hinc προέχων, *eminens, prominens*, & metaphoricè, *qui primas tenet*. Hesychius: Προύχοντες, ἀριστεῖς, προεστῶτες. Notum verò Æoles mutare σ in ρ: vt & Lacones, quemadmodum in illo Ephororum decreto: τιμόθεορ, ὁ μιλήσιορ παραγενόμενορ, pro τιμόθεος ὁ μιλήσιος παραγενόμενος, atque ita in aliis. Sic pro προέχες dixere προέχερ; vnde *procer*, à quo *proceres*, οἱ προέχοντες siue in Rep. siue in ædificiis. & similiter à προέχερ est *procerus*, hoc est, ἐξοχὸς, siue *eminens*. Cur verò prima in *proceres* & *procerus* differat modulo, mox in *Procerus* exponam.

PROCERUS, à *pro* & *cera*. Festus: *Procera, prolixa, & in longum producta, quasi ex cera, ob eius facilitatem.* Vel à *pro* & antiquo *cerus* pro *sanctus*. Vel quasi *procelus* a *procelo*, seu *procello*. Vel quasi *procelus* à *procelo*, seu *procello*, vnde & *procella* nomen. *Procera* enim apta sunt alia *procellere*. Vel à *pro* & *cerno*, vt κατ' μετάθεσιν & συγκοπὴν fiat ex *procretus*. Nam *procera longè cernuntur*. Vel à *procus*, quando antiquâ linguâ idem erat ac *procerus*. Festus: *Procum patricium in descriptione classium, quam fecit Seruius Tullius, significat procerum, ij enim sunt principes.* Sed quod subijcitur *procum* principem notare, satis indicat pro *procerum*, *procerem* legi oportere. Vel est *procerus* à προέχης, quod est *eminens*. Nam Æoles, quos Latini sequuntur, pro προέχες dicunt προέχερ, vnde per crasin πρῆχερ, & Dorice πρᾶχερ ex quo *procerus*. Ex quo & caussam videmus, cur primam producat. Vt apud Horat.

——— Quo pertinet ergo
Proceros odisse lupos? ———

At *proceres* primam corripit: etsi ab eadem origine sit. Nempe quia à προέχερ siue προέχερ fit κατ' συγκοπὴν, extrito E.

PROCESTRIA, vel ita dicuntur à *procedendo*, quia ex vrbe ad ea proceditur: vt quæ sint ædificia extra portam, vt Ælius dicebat: vel nomen id conflatum ex *pro* & *castra*: vt quæ, iuxta Artorium, sint *propugnacula*, quibus ij, qui castra non habent, *pro castris* vtuntur. Vtrúmque ἐτυμον apud Festum legas. Apud quem & in MS^to est *procastria*. Gloss. quoque *Procastria*, οἰκήματα πρὸ τῆς παρεμβολῆς. Item οἴκοι τῆς παρεμβολῆς τόποι.

PROCUL quasi *porrò ab oculis*, vt apud Seruium legere est in III. & VI. Æn. vel quod nõ minùs placet, à *procilis*, siue *proculis*; vt *facul* à *facilis*: *simul* a *similis* seu *simulis*: de quibus in *similis* dictum. *Procilis* verò erit à *procello*, siue, vt antiqui scribebant, *procelo*: nempe vt *facilis* à *facio*. *Procellere*, est *porrò siue longè cellere*, hoc est, *mouere aut currere*. Vtrumque enim Græcis significat κέλλειν, vnde Latinum *cello*: vt suo loco vidimus. *Procul* igitur est, *quod longè est à nobis dimotum*. Quomodo *procella* (quod eiusdem est originis) dicta est, quia *procellit*, hoc est, *longè dimouet*. Eodem, si id fortè malis, res redibit, si dicas *procul* κατ' ἀποκοπὴν esse à *proculsum*, quod est inusitatum supinum à *procello*, vt *perculsum* à *percello*. Sed prius illud magis placet, propter ἀναλογίαν, quæ in talibus imprimis spectanda est. A *procul* est *proculus*. Isidorus in Glossis: *Proculus, qui nascitur cùm pater peregrinatur.* Quamquam aliis placet sic dici *qui nascitur patre iam grandæuo*. Rationem vtriusque notionis aperit Festus, his verbis: *Proculum inter cognomina eum dicunt, qui natus est patre peregrinante à patria procul. Proculos sunt qui credant ideo dictos, quia patribus senibus, quasi procul progressis ætate, nati sint.* Τηλύγετ@ dicitur Homero, vt quâ voce ibidem, Eustathio teste, significetur παῖς ὁ ὕστερ@ καὶ πόῤῥω τῆς ἡλικίας γεννηθεὶς τοῖς τοκεῦσιν, ἢ ᾧ πάλαι ὄντι οἱ πατέρες γεννηθέντες.

PROCULIO, antiquum pro *promitto*. Festus: *Proculinant, promittunt, ait significare Antistius de iure Pontificali libro nono.* Vbi in MS^to etiam est *proculinant*. Suspicor, vt *promittere*, quod est προτείνειν, sumitur pro *polliceri*, quia qui spondet, verbis aliquid in longum mouet ac mittit: ita *proculio* dici, quia quis *procelit* siue *procellit*, hoc est, *verbis longè dimouet*. E in V abit, vt in *Procul*; quod ab eadem origine. Vide *Procul*.

PRODIGUS, & *prodigere*, à *pro* siue *porrò*, & *ago*. Est enim *prodigere*, præter modum erogare. Sic Belgæ dicunt *verdoen*. Gloss. *Prodigus*, ἄσωτ@ ἀναλωτ@, χρημάτων@. Vt ab *irri-*

go irriguus; à *muto mutuus*; à *noceo innocuus*; sic à *prodigo prodigus*. Festus: *Prodigua hostia vocantur, vt ait Festus, qua consumuntur: vnde homines quoque luxuriosi prodigi*.

PROELIVM per OE scribitur in marmoribus antiquis: eodémque modo in Romano Maronis codice scribi testatur Pierius ad Ecl. VI. Ac similiter in aliis plerisque MSS", vt Festi siue Paulli codd. in voce *sub vitem*. Firmat hanc scripturam, quod apud Plautum, Menæchmis, Act. I. III. est *proelium*: vnde pro *llio* cuderunt: vt in Variis suis monet Muretus, lib. VI. cap. IV. Nestor tamen Nouariensis in Lexico ait, vt *prælum*, ita *prælium* per Æ scribi debere: atque id etymo comprobari. Vtrumque enim, Appuleio auctore, à *præluendo* nomen accepisse. Differunt *prælium* & *bellum*, vt pars & totum: nam illo solum *pugna*, hoc est, *conflictus* seu *congressio* significatur: hoc verò notat *totum illud tempus, quo in militiâ sumus*, quod & sine prælio esse potest. Sic distinguit Seruius ad VIII. Æn. item Fronto ac Nonius idem comprobat illo Lucillij (f. Liuij) lib. XXVII. *Vt populus Romanus victus vi, & superatus præliis sæpe est multis; bello verò nunquam, in quo sunt omnia*. Ex hoc Virg. lib. XI.

Infantem fugiens media inter prælia belli.

A *prælium* est *præliaris*. Festus: *Præliares dies appellantur, quibus fas est bello hostem lacessere, erant enim quædam feriæ publicæ, quibus nefas fuit id facere.*

PROFICISCOR, vnde sit, non video, nisi, quod aliquando in mentem venit, vt ab *hio* est *hisco*, sic à *profecto* sit *proficisco* seu *proficiscor*, quia nempe qui *proficiscitur* non quiescit, sed iter promouet. Melius inueniat ἴτυμον, qui potent.

PROLES, tum de *liberis*, tum de *testiculis* dicitur. Sed propriè *progeniem* notat. Gloss. Phil. *Proles*, γονή, γονά. Dicitur quasi *prooles*, à *pro* & *oleo*, id est, *cresco*, vt à *sub* & *oleo*, *suboles*, quod eiusdem notæ, item ab *in* & *oleo*, *indoles*; quod propriè *incrementum* notare sentit Iosephus Scaliger, indéque apud Agellium legi, *mendi indoles*. A *prole* est *improlus* seu *improlis*. Gloss. Philox. *Improles*, ἄγονος, ἄπαις, ἄτεκνος. In iisdem paullò antè exponebatur ἀφῆλιξ, μήπω πολιτευόμενος: Festo similiter, *improlus vel improlis, qui nondum est adscriptus in ciuitate*. Opponitur ei *duicensus*, qui cum prole in ciuitatem adscribebatur. A *prole* quoque est *proletarius*, quomodo, Nonio teste, dicebantur Romæ homines viles ac plebeij, quique vix alio Remp. iuuarent, quàm prole. Affines his *capite censi*, quorum & paullò deterior condicio. Nam *proletarij* mille & quingenta æris in censum deferebant: at *capite censi* aut nullo, aut minori saltem quàm proletarij ære censebantur. Vtrisque opponebatur *assidui*, id est, *locupletes*, qui *assidui* vocari ab *assibus dandis*. Vide Agellium lib. XVI. x. Μιαροῤῥημονεῖν *proletarium sermonem* pro vili ac plebeio dixit Plautus, Mil. Glor. Act. III. Sc. I.

PROLOGVS num sit à Græco πρόλογος, dubitatur. Nam cum prima interdum producatur, videri queat esse à Latinâ præpositione, & nomine Græco, cuiusmodi quoque à plerisque creduntur *elogium*, & *antelogium*. Atque hac de sententia fusè diximus in Oratoriis nostris, lib. II. cap. II. Nunc verius existimo, esse vocem puram putam Græcam: Latinos autem Latinam interdum sequi quantitatem, quò vox ea faciem emeniretur planè Romanam. Ita nec priorem in *schema* corripere dubitat Plautus. Similitérque in multis Latini ὀρθογραφίαν suam potiùs quàm Græcam sequi solent, vt in *TVS* dicemus. A *prologus* Paccuuius apud Festum dixit *prologium*, quâ formâ ab ἔξοδος *exodium* dicit Varro, quâ item a μέθοδος *methodium* legimus apud Petronium. Quare falluntur, qui *Prologum* quasi *proloquium* dici existimant.

PROLVBIVM, & *proluuium*, si audimus Obertum Giffanium (Indice Lucret. in *Prolubium*) vt significatione, ita ἐτυμολογίᾳ differunt. *Prolubium* enim sit à *lubet*: ac notet *lubidinem ad donandum*: *Proluuium*, siue *proluuies* (vtroque enim modo dicitur.) sit à *proluendo*, ac *sordes* significet. *Prolubij* voce vtitur Terent. Adelph. Act. V. Sc. vlt.

Quod prolubium? quæ isthæc subita est largitas?

Proluuies vsurpat Maro. III. Æn.

——*fœdissima ventris*

Proluuies ——

Est & apud Lucret. lib. V. & VI. itémque Arnobium. Verùm cùm apud Plautum Asinariâ legere sit, *Eluas siue eluis bonis*; (quo tamen loco Scaliger mauult, *enaui bonis*) Sticho quoque sit,

Eluamus hodie peregrina omnia,

Hoc est, *absumamus*, provt interpretatur Lambinus: immò etiam Tacitus dixerit, *proluere opes*: non video, cur Palmerio assentire non liceat, qui *prolubium* quoque dici putat pro *immoderata largitione*, ac esse à *proluendo*. Sanè pro Palmerio facit & Nonius Marcellus, qui *proluuium* legit in in superiùs adducto Terentij loco, ac *profusionem* interpretatur.

PROMELLERE est *procrastinare*; & speciatim, *litem differre*, à μέλλειν, quod est *morari*, *cunctari*, *differre*. Festus: *Promellere* (ita quoque est in MS°) *Verrius ait significare litem promouere*. Vbi *promouere* est, quod Seneca dicit *prolongare*, alij *producere*. Quemadmodum autem *promellere*, ita & *remellere* dixisse videntur, siue potiùs *remelere*, quando veteres non geminabant consonas. Nempe vt à *morari* fuit *remorari*, ita a *melere*, quod idem est ac *morari*, *remelere* factum. Ac vt à *remorando*, *remora*; ita a *remelendo*, *remeligines* dictæ sunt. Vide quæ fusè de vtroque dicimus in *Echeneis*. Alias μέλλων, significat *futurus*: vnde μελλέφηβος, qui *proximus* est *adolescentiæ*, ὁ δὲ εἰς ἐφήβους, προάγων ταῖς τῇ ἡλικίᾳ, vt ait Hesychius. Μελλόνυμφος, *futurus maritus*, ὁ μέλλων ἀνὴρ γίνεσθαι, vt Pollux & Hesychius docent. Similiáque sunt μελλοθάνατος, qui *morti propinquus*, (*capularem* appellant Latini;) μελλόγαμος qui *sponsus* est *designatus*, & alia. Etiam ex Græco Latinóque *melloproximus* legas Leg. Peculiari, De proximis sacrorum scriniorum. Ita autem vocantur, qui nondum *proximatus* honorem sunt adepti, sed *proximi* sunt *designati*.

PROMO, Perotto teste, aliqui deriuant à *premo*. Nempe quia *promens aliquid profert è penu, vbi premebatur ac condebatur*. Aliis est à פרם, *promenarium*, ἑρμεῖον, *cista*, vt Auenarius censet. Sed omnino est à *pro* & *emo*, quà antiquis notabat *sumo*, *capio*. Quâ de significatione dictum nobis in *Promam* & *Demo*. A *promo* est *promus*, qui promit: vnde *promus condus* apud Plautum. Ab eo *suppromus* apud eundem, Mil. Act. IV. Sc. I. Ita dicitur quasi *sub promo*. Est enim *secundus promus*, siue qui *promo substituitur*.

PROMONTORIVM, *rupes in mare prominens siue prominentia mari incumbens*: quasi dicas *prominitorium*, ab inusitato supino. Isidorus. lib. XIV. cap. VII. *Commune est insulis, vt promineant, inde & loca earum promontoria dicuntur*. Idem etymon secutus Turnebus. lib XIII. cap. XVIII. itémque præceptor meus Franciscus Nansius, qui propterea & *promunturium* per *V* maluere, idque præeuntibus vett. libb. Et valde hanc sententiam firmat, quod pro *promuntorio* etiam *promunentiam* dixere: quomodo loquitur Solinus. Vulgatior tamen sententia est *promontorium* dici, quasi *prominens mons*. Sed durius dicitur *pro* poni loco vocis *prominens*. Quare si à *monte* omnino sit, componetur ex *pro* & *mons*; atque ita dicetur, quod est *pro monte*, hoc est, *loco montis*. Nempe primò sic dixere *rupem*, vel *aliud in mare prominens, quod mons quidem non esset, sed montis vicem præstaret aduersus insanos fluctus*. Postea etiam *montes* ipsi maris fluctibus oppositi hac appellatione comprehendi cœperunt.

PROMVLGARE placet Festo dici à *vulgo*, quasi *prouulgare*. Becmano autem fit προμολογεῖν, quod à πρό, ὁμοῦ & λόγος erit. Alij à μήνυειν, quod Eustathio teste, notat *ore indicare*. Alij ab Hebræo מלה, id est, *dictio*. Denique nonnullis placet *promulgare* κατὰ συγκοπὴν factum ex *promulticare*, hoc est, *in vulgus edere, & communicare cum multis*. Ex *promulticare* esset *promulcare*. Sed G pro C substitutum ob affinitatem, fortè etiam differentiæ caussâ. Nam, si Festum audimus, *Promulco agi dicitur nauis, cum scapha agitur fune*. Ita est in MS°. Sed timidè in hoc Festo subscribo. Neque enim *promulco*, sed *remulco* pro eo dicimus: nempe à Græco ῥυμουλκεῖν quâ de re seorsim dicemus.

PRONVS, planè puto venire à πρηνὴς, quod idem significat. η abit in *o*, quomodo ab ἰῶ est *io*. Interim acute Ios. Scaliger, qui notis in Culicem censet venire a πρανὴς, hoc autem esse à προνεύω, quod est, *propendeo*, vnde προνενευκὼς exponitur προπετὴς & προσκεκλιμένος. Nec obstat, quòd prior in *pronus* sit porrecta quando & in *propola*, & *prologus*, atque aliis quæ à Græcis accepimus, præuerbium Latinorum more producitur. Vide *prologus* & *propola*. Quod si illud de quantitate nihilominus turbat: possis *pronus* eâ ratione à *pro* & *nuo* deducere, quâ Scaliger a πρό & νεύω. Ita *pronus* dicetur quasi *pronuus*, hoc est, *in anteriorem partem nuens siue nutans*. Et sanè hoc simplicius, quàm vt sit à προνεύω.

PROOEMII duplex etymon ponit Quinctilianus, lib. IV. c. I. *Nam*, inquit, *siue propterea quòd* οἴμη *cantus est, & cytharœdi pauca illa, quæ antequam legitimum certamen* (P. Faber. lib. II. Ἀγωνιστ., cap. XXXII. legere mauult *carmen*, quod & in codd. quibusdam inuenitur) *inchoent, merendi fauoris gratiâ canunt, procemium cognominauerunt: oratores quoque ea quæ priùs quam caussam exordiantur, ad conciliandos sibi iudicum animos prœloquuntur, eâdem appellatione signarunt: siue quod* οἴμον *iidem Græci viam appellant, id quod ante ingressum rei ponitur, sic*

vocare

vocare est institutum: certè prooemium est, quòd apud iudicem prius quàm caussam cognouerit, prosit. Hæc Fabius. Posteriorem etymologiam præfert Fungerus. Sed id omnino repudiandum. Nam vt acutè ait Iul. Scaliger, lib. III. rei poet. cap. LXXXIV. *quemadmodum prooemium, quod est oratio, erit ante orationem, si oratio via est, erit ante viam via: quo nihil ineptius excogitari potest. Quis enim ambulat ante, quàm ambulet?* Quare magis verisimile est, προοίμια propriè dici principia τῶν ᾀσμάτων, vt προαύλια τῶν αὐλῶν. Ita προοίμιον sit ab οἴμη, id est, ᾠδὴ siue *cantus*, prout cùm Fabius & Hesychius interpretantur, tum Ammonius quoque, siue Herennius Philo, quando scribit: οἶμος οἴμης διαφέρει. οἶμος μὲν γάρ ἐστιν ἡ ὁδός, οἴμη δὲ ἡ ᾠδή. Pertinet huc locus Fortunatiani, lib. III. Rhetor. *Denique*, inquit, *auloedos & cytharoedos & cæteros huiusmodi artifices, quamquam non polliceantur orationem, videmus tamen proloqui ante actionem, & omnino curta & sine capite oratio est, qua sine principio ab ipsis rebus orditur.*

PROPE, quasi πρὸ ποδῶν, vel, si malis, ex *pro* & *pes*, quia *prope* verè, *quod est ante pedes*. Sic ἐγγὺς ab ἐν & γυῖον, quo etsi generatim vtatur Homerus de membris, propriè tamen signat πόδας καὶ χεῖρας. A *prope* est *propior*. Superlatiuus ἀναλόγως esset *propissimus*, & κατὰ συγκοπὴν *prossimus*. Sed maluere *proximus*. A *prope* etiam *propinquus*, vt à *longè*, *longinquus*. Fortasse & ab hoc fonte est *properus*, indéque *propero*, quia qui properat, hoc agit vt magis & magis appropinquet. Sed alia duo ἔτυμα huius vocis in *Paro* adducimus.

PROPHETA, vt scribit Lyranus in cap. XXII. Num. sic dicitur quasi *procul fans*. Tanta fuit seculi, quo vixit, imperitia. Est autem Græcè προφήτης, quod a πρόφημι, hoc est, *profari*, cum Vlpiano loquor, cui *profari* est *prædicere*. *Prophetarum* autem nomine vocarunt gentiles, *antistites fanorum oraculorúmque*, vt ait Festus, qui & hos C. Iulij Cæsaris, veteris oratoris & poëtæ Tragici versus citat ex eius Adrasto,

Cum capita viridi lauro velare imperant.

Propheta, sancta caste qui purant loca.

Ita eos versus restituit Ios. Scaliger ad Festum. Speciatim videntur ita dixisse *sacerdotes Ægyptios*. Macrobius, lib. VII. Saturn. cap. XIII. *Adeò verum ita, vt dicis Ægyptios opinari, vt ego sacerdotes eorum, quos prophetas vocant, cum in templo vidissem*, &c. Similiter [illegible] Clemens, de vita Petri. Εἰ Αἰγυπτίων προφήταις, καὶ τοῖς τῶν ἀδύτων ἱεροφάνταις καὶ προφήταις ὡμιλήσαμεν. Imò auctor commentarij de herbis, qui Appuleio inscriptus, sic *propheta* voce cap. II. vsus, & alibi sæpius: vt Barthio obseruatum, aduers. lib. XXXVII. cap. XXIII.

PROPITIVS iuxta Nonium Marcellum, dicitur *prorsus pius*, *aut propriè pius*, *aut certè porrò pius, quod est vehementer & valde*. Sed hæc duriora. Verisimilius magis est sententia Gellij lib. VI. cap. V. ita scribentis: *Nouum nouicium dicimus, & proprium propitium, intendere volentes noui & proprij significationem.* Maximè interim placet, vt à *fictum* est *fictitius*; à *commendatum*, *commendatitius*; ab *insitum*, *insititius*; à *crate*, *cratitius*; sic à *prope* esse *propitius*, quia, qui propinqui sunt, auxilium ferre possunt & *præsentes* pro *propitiis* dicimus. Vt initio primi Georgicon:

Et vos agrestum præsentia numina Fauni.

Vbi sic Seruius: *Præsentia, id est, propria, vt* (Ecl. I.)

Nec tam præsentes alibi cognoscere Diuos.

Quorum præsentia fauor est. Et fauet etymo modulus primæ syllabæ, quam Seneca corripit:

Etsi propitios, attamen lentos deos.

PROPOLA est ex Græco προπώλης. Sed Latini significationem immutarunt, vt in aliis quibusdam. Latinis *propola* est, qui res minori pretio emtas maiori postea diuendit. At Græcis sic vocatur, qui aliter dicitur προξενητὴς, hoc est, *pararius*, siue *proxeneta emtoris*: nempe qui emtori conciliat venditorem. Etiam dispar quantitas primæ syllabæ apud Latinos ac Græcos. Nam prima in *propola* producitur a Lucillio, cùm apud Nonium ait,

Sicuti cùm primos ficos propola recentis

Protulit, & pretio ingenti dat primitu' paucos.

Nempe Romani, quo videretur vox planè Latina, suam, quam Græcorum, quantitatem sequi maluerunt. Sunt quibus placet esse à Latinâ præpositione & Græco verbo πωλεῖν. Sed nihil opus recurramus ad hybridam istiusmodi compositionem. Quippe cùm Latini *pro* extra compositionem semper producant, quamquam acceperint a Græcis, quibus πρὸ breue est: quid mirum est, si iidem in compositione sæpe etiam producant, vtut vox tota sit à Græcis? Eadem enim ratio totius, & partium. Ita *prologus* quoque, quamquam planè Græcum sit, interdum tamen primam corripit, Græcorum more; interdum producit, more Latinorum. Vtriusque exempla apud Martialem habes. Item in *prologus* factum: in quo nunc corripitur prima, more Græco; vt in Hecyræ prologo,

Nullum inuenire prologum potuisset nouus.

nunc verò, Latinorum more, producitur: vt illo eiusdem Comici.

Orator ad vos venio ornatu prologi.

Quid igitur mirum, si in *propola* primam producat Lucillius? Malè verò Turnebus, Lambinus & Hadrianus Iunius, legebant *propala*, vt intelligatur, *qui res palam & palo adfixas vendit*. Neque tamen in eo vertuntur opes & vectigalia populi, vt qui sic emendet, *sit palo dignus & verâ cruce*, vt professor quidam *regius*, vel si mauis, *regineus*, in sua ad Lysiæ orationem pro cæde Eratosthenis commentatione inuenustè atque inhumaniter iudicabat.

PROPRIVM non tam compositum esse censeo ex *prope*, & *vnum*, quod vir eruditus scribit: quam simplex deriuatum à *prope*, quia operam hanc dare omnes solent vt proximè ac quasi in conspectu ipso iis adsint, quæ possident. *Prope*, *propius*, inde *proprius*: *R* inserto, vt à μῦς, *murus*; à πύθω, *putreo*; à *tego*, *tergus*, iuxta Varronem. *Propriassit*, proprium fecerit, teste Festo, à verbo *propriare*. *Propritim* pro *propriè*, dixit Lucretius, vt Nonius obseruat.

PRORA, a Gr. πρῷρα, quod à πρὸ venire manifestum est, at à quo verbo descendat, num à προορᾶν, an πρὸ ὁρᾶν, an aliud, dissentiunt Grammatici. Mihi ex προώρα contractum esse minimè dubium est, eóque planè à προορᾶν esse arbitror. Vide Etymologum. A πρῷρα est πρωράτης qui vsitatius πρωρεύς. A πρωράτης est Latinum *proreta*. Plautus, Rudente, act. IV. sc. *Heus mane*:

Si tu proreta isti naui es, ego gubernator ero.

Qui in prorâ nauem regit, *proreta* dicitur; vt *gubernator*, ac Græcè πρυμνήτης, & κυβερνήτης, *qui in puppi sedet*.

PRORIGA Plinio, lib. VIII. cap. XLII. qui *peroriga* Varroni, lib. II. de R.R. cap. VII. & VIII. Nisi apud eum legendum *praoriga*. Præest enim iumentis prurientibus. Atque vt *prurio* dicitur quasi *peruro*, hoc est, *peruror*; sic *proriga*, quasi *peroriga*, vel potiùs *praoriga*, seu *prauriga*, quia *præest vrigini*, hoc est, τῷ ὀχείᾳ. Vt ab *vro*, *vrica*, sic a *prauro prаurica* vel *prauriga*. & *v* in *o* obeunte κατὰ συγκοπὴν *proriga*. *Vrica* etiam apud Iuuenalem legas, sat. VI.

——— *Tu credis amorem,*

Tu tibi nunc vrica places.

Vsus & Plinius, sed aliter.

PROSA Latinè dici negant Cælius Calcagninus, in epistolicis quæst. lib. I. epist. XXIV. & Ant. Muretus, prioribus annot. in Terent. Iubent autem dicere *prorsa*, quia in antiquis codd. sic legatur, atque id quoque comprobet ἐτυμολογία, cùm sit à *versus*. Sed vtrumque rectum est. *Prosa* enim factum è *prorsa*, quia veteres & in huiusmodi omittere gaudent, vnde & *rusus* dixere pro *rursus*. Vtroque vsus Ennius:

Prorsus rusus reciprocat fluctus feram.

Apud Plautum quoque legas Milite:

Ille iubebat me ire cum illa ad partem: ego adeo, vt tu sitas

Prosus Athenas protinus abibo tecum.

Et Persa, act. IV. sc. V.

Simulato quasi eas prosum in nauem.

Sic enim libb. vett. vsurpat quoque Varro. Sed & in MSS[is] Plauti codd (vt illis quibus Camerarius vsus) *susum* similiter legas pro *sursum*. Dicitur autem *prosa* siue *prorsa* oratio quasi *recta*, cui opponitur *carmen*, quod *rectum* non est, quia *cantu inflectitur*. Sic *prorsi limites* apud Festum, & *prorsa tunica* in Glossis, cui opponitur *inuersa*. Plauto quoque similiter opposita sunt *prorsus*, & *transuersus*. Sic enim inquit Pseudolo, act. III.

Non prorsus verum ex transuerso cedit, quasi cancer solet.

Prosus, *rusus*, eidem Plauto opponi, suprà vidimus. Ac dixit similiter Terentius. Hecyr.

Trepidari sentio, cursari rursum prorsum.

Quod ad vocis etymon attinet, Angelo Caninio in Hellenismi Alphabeto, & Petro Nunnesio, in erudito Grammatistices libello, videtur *prorsum* esse à πρόσω, inserto *R*, quomodo à φλέγω est *flagro*; à πύθω, *putreo*, &c. Sanè placeret hæc etymologia maximè, nisi caussæ nihil putarem, cur non eâ ratione *prorsum* dicatur, quasi *proversum*, hoc est, *anteversum*, quà *rursum* est à *reuersum*; *sursum* à *supraversum*, vel *superversum*, vel potiùs *susversum* (de quo seorsim dicemus;) *deorsum* à *deversum*; *dextrorsum* à *dextroversum*; *sinistrorsum* à *sinistroversum*; eadémque ratio in aliis multis à *versus* deductis. A *prosus* pro *prorsus* est Dea *Prosa*, quæ *recto partui præsidet*; sicut *Postverta* peruerso,

vt cùm non caput, sed pedes primi in nascendo existunt. Nempe *postverta* pro *postversa*, vt *pulto* pro *pulso*, *mertus* pro *mersus*. Atque hoc quoque *Postverta* nomen ostendit *prosa* esse à *pro* & *versa*. Alioqui enim ei non opponeretur *Postverta*, seu *Postversa*. Vide de iis Varronis locum apud Agellium, lib. XVI. cap. XVI. Etiam hoc Deæ nomen rectè *orationem prosam* absque R. dici, comprobat, aduersus Calcagninum, & Muretum.

PROSAPIA siue *prosapies* Nonio est *generis longitudo*. In vett. Glossis exponitur γένος πολύχρονον. item ἡ πρόγονοι διαδοχή, καὶ συγγένεια. Vsus & Tullius in Timæo. *Prosapiam* quasi προπαππίαν, à πρόπαππος dici suspicatur H. Steph. palæstr. de Latinitate Lipsij, p. CCXXXVIII. Sanè etsi vnius literæ mutatio duriusculum id etymon facit, non minùs tamen placet, quàm illud Festi, cui *prosapia* videtur dicta quasi *prosipia*, à *sipare*, id est, *iacere*, vnde *insipare*, *obsipare*, *dissipare*. *Prosapia* inquit, *progenies*, *id est*, *porrò sparsis & quasi iactis liberis: quia sipare* (perperam MSS^ti *sucare*) *significat iacere, & dissicere*. In compositione, vt notum, non *I* in *A* mutari solet, sed *A* in *I*; vt *facio*, *afficio*. Apud Nonium legas, *prosapiem* dici à *prosupando* aut *proserendo*. Ita *prosapia* dicatur quasi *proserta*. Quod non placet.

PROSECTA, à *prosecando*. Nonius: *Prosecta, exta, quæ aris dantur ex fibris pecudum dissecta*. Vsus præter alios Ouid. XII. Met. fab. IV.

Festa dies aderat, qua Cygni victor Achilles
Pallada mactatæ placabat sanguine vaccæ.
Cuius vt imposuit prosecta calentibus aris,
Et Dîs acceptus penetrauit ad æthera nidor,
Sacra tulere suam, pars est data cetera mensis.

Quo ex loco, vti & aliis quibusdam, cognoscimus, eos qui sacrificarent, extis coctis sectisque, partem solitos adolere, partem sacerdotibus dare, partem mensis suis reseruare. Itaque *lustralibus extis* vescuntur apud Maronem VIII. Æn. Coqui verò exta solita priusquam prosecaremur, indicat hic locus Tranquilli in Augusto, cap. I. *Cùm fortè Marti rem diuinam faceret, nunciata repentè hostis incursione, semicruda exta rapta foco prosecuit, atque ita prælium ingressus, victor rediit.* *Prosectam* quoque in feminino dici, indicare videtur locus hic à Nonio citatus ex Lucilij sat. XIV.

Cenam, inquit, nullam, neque Diuo prosectam vllam.

Sed rectè corrigit Ios. Scaliger, *prosiciem vllam*, quod & metrum requirit. & locus hic Varronis confirmat, quem ex vndecimo rerum Diuinarum subiicit Nonius: *Prosiciem extorum vel in mensam porricere*: siue, vt in aliis codd. est, *porrigere*, quod simile erit isti veteris poëtæ:

———*fumantia porrigit exsta.*

nisi hîc quoque *porricit* legendum, quod verum puto. Dicitur & *prosicia*. Solinus, cap. XI. *Nec longè inde collis Vulcanius; in quo qui diuina rei operantur, ligna vitea super aras struunt, nec ignis apponitur in hanc congeriem, cùm prosicias intulerint. si adest Deus sacrorum probator, sarmenta, licet viridia, ignem sponte concipiunt, & nullo inflagrante halitu, à numine fit incendium.* Ita legitur is locus in vett. libb. pro quo in vulgatis *porricias*; quod si non displicet, dicendum, vt à *prosicere*, *prosicia*, sic à *porricere* dici *porricia*. *Prosicias* nominat quoque Arnobius, lib. VII. *Quòd si omnes has partes, quas prosicias dicitis, accipere Dij amant*, &c. In Glossis quoque Philoxeni legas: *Prosicia*, αἱ τῶν θυμάτων ἀπαρχαί. Paullò antè in iisdem scriptum, *Prosicie*, ἀκροθίνια. Vbi Scaligero emendante legendum, *prosicia*. Nam ἀκροθίνια inter alia notat τὰς ἀπαρχάς, vt scribit Eustathius. Lexicon Græco-Latinum Cyrillo tributum interpretatur ἀκροθίνια, *rutricilia*. Sed & *prosicium* dicebatur, si recta vulgaris lectio apud Festum: *Prosicium, quod prosecatum proijcitur.* Ego apud eum *prosicia* legere malim. Nec mirandum quod à *prosecando*, *prosicia*, seu *prosicies*, dicantur per *I*, in secunda. Siquidem veteres in compositis à *seco* mutabant *E* in *I*. Itaque *prosicare* dicebant pro *prosecare*. Plautus, Pœn. Act. II.

———*Vetus exta prosicarier.*

Indè igitur *prosicia* non à πρὸς & ἄκρον, vt sensit is qui Isidorum emendauit: quam opinionem meritò ridet Palmerius in Spicilegiis. Sic & *insicare* dicebant, vnde *insicia*. Varro, lib. IV. de L.L. *Insicia ab eo, quod insecta caro, vt carmine Saliorum est: quod in extis dicitur nunc prosectum.* Vide *Salsicia*. Item diceb ant *exsicare*, pro *exsecare*. Plautus, Rudente, Act. I. Sc. II.

Quin tu in paludem is, exsicásque arundines.

Simile quoque *dissicare*, vel *dissicere*, quâ de voce fusè Aldus in Orthographia. Item *subsico*. vnde *subsiciuus*, de quo abunde diximus in voce *Cado*. Item *adsicare*, siue *assicare*: vnde apud Plautum (si vera vulgata lectio) *axitia*, quasi *adsicia* seu *assicia*. Eo nomine censet Turnebus, lib. XXXII. cap. XXVII. *forficem* intelligi, *quo secantur capilli*. Locus Plauti est Curcul. Act. IV. Sc. IV.

At ita me volsella, pectem speculum, calamistrum meum
Bene me amassint, meæ axitia, linteúmque extersum.

In veteri Veneta, quæ cum Saraceni aliorúmque notis prodiit, scribitur *axitia* per T. Saracenus autem non *axitia* legit, sed *exitia*, vultque *exitia* dici quasi *excutia*, quod ea *excutiatur puluis*. Censuit igitur Saracenus, intelligi à Plauto *scopas paruas*, *quibus excutitur puluis è vestibus, vt sint mundæ*. Eadem Lambini sententia: sed is pro *axicia*, quam vocem Latinam negat, *excutia* legendum putat, quod ἀναλόγως ab *excutiendo* fiet. Equidem etsi rebus adeò incertis nec *axiciorum*, nec *excutiorum*, siue (si singulariter hæc potiùs efferre placet) *axicia* aut *excutia* vocibus vti ausim: tamen magis in Turnebi inclino sententiam, quia *excutia* solius Lambini nititur conjectura; alterum verò illud, *axitia* dico, (pro quo facili literæ vnius, eiúsque similis lapsu *axitia* fore legi dicebamus) veterum libb. nititur auctoritate.

PROSEVCHÆ dicebantur *templa, quæ Iudæi inter gentes habebant*, à προσεύχεσθαι. Iuuenalis, Sat. III.

———*In quâ te quæro proseuchâ:*

Ad quem locum vetus Comment. *Proseucha*, inquit, *locus Iudæorum, vbi orant.* Cætera, quæ inibi adsuta, nec assis sunt. Putabat Politianus vocem hanc haut alibi reperiri, quàm apud Iuuenalem, & Cleomedem. Verùm Leopardus, lib. III. cap. IV. ostendit eâ vsos Iosephum, Philonem, Epiphanium. Sed ignoscendum Politiano, quandoquidem eius ætate hi libri nondum publici iuris facti erant. Vide & quæ de *proseuchis* annotauit Scaliger ad fragmenta subiecta operi de Emendatione temporum.

PROSPER, ex *pro* & antiquo *speres*, pro *spes*. Ita quidem Nonius, qui ait, *Sperem veteres spem dixere, vnde prosperè dicitur pro spe.* Similiter Perottus. Nempe, quia *prospera spem nostram implent*. Ac, vt idem ait, putant nonnulli *asper* similiter dici quasi *à spe*. Sed vtrumque etymon vanum. Nam *asperum*, vt suo loco diximus, venit ab, ἄσπορος, propteréque dicitur de *terra quæ saxis abundat, ac squallore obducta*. *Prosper* verò fit à προσφορος, quod est, *commodus vtilis*, ἀπὸ τοῦ προσφέρειν.

PROSTIBVLVM, siue *prostibula*, sic dicta putatur à præuerbio *pro*, hoc est, *ante*, & voce *stabulo*, hoc est, *diuersorio*. Id enim inter alia notat *stabulum*: vt in *Sto* ostendimus. Non. Marcellus: *Meretrix honestioris loci est & quæstus. Nam meretrices à merendo dictæ sunt, quod copiam sui tantummodo noctu facerent. Prostibula, quod ante stabulum stet, quæstus diurni & nocturni caussâ. Plautus, in Cistell. manifestissimè discreuit:*

Intro ad bonam meretricem, adstat ea in viâ sola.
Prostibula sanè est

Hæc Nonius. Sed magis placet *prostibulum* à *stando* quàm à *stabulo* dici, quia nempe *ante diuersorium stant*. De hac *statione* multa sunt veterum loca. Horatius, lib. Serm. sat. II.

———*Nullam, nisi olenti in fornice stantem.*

Seneca: *Meretrix vocata es, in communi loco stetisti: stetisti puella in lupanari.* Tertullianus quoque, lib. II. ad Vxorem vocat *lupanar*, *consistorium libidinum publicarum*. A *prostando* igitur *prostibulum* est; haut secus ac à *stando* est *stabulum*; à *tintinnando*, *tintinnabulum*; à *suscitando*, *suscitabulum*; ab *infundendo*, *infundibulum*; à *latendo*, *latibulum*, plurimáque alia id genus. Nec tamen *meretrices* semper ante *stabulum* stabant: sed interdum etiam in sellâ sedebant, atque indè est, quòd vt à *statione* dicebantur *prostibula*, sic à *sessione* dicebantur *proseda*: quam nominis caussam adfert Festus. *Prosedarum* appellatio est apud Plautum Pœnulo, I. II. Eadémque de caussâ dictæ etiam *sellariæ*. Hinc Iuuenalis, sat. III.

Et dubitas altâ Chionen deducere sellâ.

Ad quæ verba commentator vetus: *Inde sellaria dicuntur.*

PROTELI quadruplicem inuenio ἐτυμολογίαν, quarum quæ verissima sit, cognosci nequit nisi quid propriè, quid modificatè vocetur *protelum*, cognouerimus. In vett. Glossis exponitur ἐκλαμπρον, quod est, *lucidum*, *fulgidum*. Sed hæc interpretatio planè est aliena. Iosephus Scaliger, leuiculâ immutatione, pro ἐκλαμπρον legere iubet ἱμαντον, vel ζεύγλαιμαντον. Ita fuerit *protelum* idem, quod *cobum*, quâ de voce sic Festus: *cobum lorum, quo temo buris cum iugo colligatur, à cohibendo dictum.* Nam lorum huiusmodi Græcè ἱμάς, vnde ἱμαντον. & ζεύγλαιμαντον, quasi ζεύγλης ἱμάς. Itaque quod Aristophanes Lysistratâ dixit ἱμαντοδέτην, id Latinis erit *protelo ducere*. Sic locutus Cato, lib. V. Originum, *Sed protelo trini boues vnum aratrum ducunt*: Vbi *protelo ducere* contrarium est huic, subinde intermittere, tractúmque repetere. Sic Lucilius, lib. VI.

Quem

Quem neque Lucanis oriundi montibu' tauri,
Ducere protelo validu ceruicibu' possent.

Et lib. XII.

Hunc iuga mulorum protelo ducere centum.
Non possunt.

Quæ loca à Nonio adducuntur, vt ostendat, *protelare* interdum esse *adiunare*, vel potiùs *adiugare*; quomodo emendat N. Faber. pro quo est ea *proteli* significatio, quam adduximus. Sed simplicius veriúsque videtur, si dicamus *protelum* esse, non *funem*, sed *iugatorum boum perpetuum impulsum, continuamque protractionem*: vt *protelo ducere* nihil sit aliud, quam non strigare, sed continuatim, & vno tenore ac ductu aratrum, aliáve onera, protrahere. Quia verò non vna est impellendi ratio, cum aliter impellant ea, quæ incitant, ac trahunt: aliter quæ inimicè fugant: hinc fieri putant, vt *protelum* interdum ponatur pro incitamento, siue caussa impellente: interdum pro eo, quod, vel mole, vel vi corporis, vel imperio dictisque vel simili modo propellit. Priori modo accipi ait Nonius à Varrone in Cato, siue de liberis educandis: *Remotissimum*, inquit, *ad discendum formido, ac nimius timor, & omnis perturbatio animi: contrà delectatio protelo ad discendum.* Sed adsentio doctissimo Salmasio: qui diuisim *pro telo* legit, vt *telum* sit adiumentum quomodo Cicero de amicitia ait: *Nec medio re telum ad res gerendas existimare oportet beneuolentiam ciuium.* Et lib. VII. epist. ad Trebatium: vbi adducit hoc veteris poetæ:

Vsquequaque sapere oportet, id erit telum acerrimum.

Vtrobique *telum* est *adiumentum*. Sed *protelo* nunquam sic accipitur. At pro vno & continuo impulsu vtitur Lucretius, lib. IV.

Et quasi protelo stimulatur fulgure fulgur.

Similiter *protelare* dixit Turpilius Lemniis apud Nonium.

Propter peccatum pauxillum indignissime
Patriâ protelatum esse sæuitiâ patris.

Item III. Historiarum apud eundem: *Romanos impetu suo protelant, profectos persequuntur.* Et lib. IV. *Duæ cohortes de subsidio procurrunt, atque equites protelant.* Ac Terentius quoque, Phormione, Act. I. Sc. IV.

Ne te iratus suis sæuidicis dictis protelet.

Quod imitatur Rufinus, eruditus Iosephi interpres, cuius illud de bello Iudaico, cap. VIII. *Samoritibus dictis eum protelat* Scaliger quoque legit apud Varronem lib. III. de R. R. c. XVIII. *His enim sonus harum fuga existimatur esse protelum.* Hoc est, huiusmodi imaginibus apes longè *protelantur* in fugam. Vlpianus quoque lib. IV. de damn. inf. *diem protelare* dicit pro *protrahere*, siue *producere*. Et leg. Properandum, C. de iudiciis, legere est *litem protelare*, hoc est, *differre*. Item apud Tertullianum, de Pœnitentiâ, cap. IV. *Hæc* (pœnitentia) *te peccatorum fluctibus mersum prolauabit* (alij *proleuabit*) *& in portum diuinæ clementiæ protelabit.* Et aduersus Marcionem, lib. IV. *Nec quinque circiter, sed sexcenta millia hominum protelauit.* Pro eo quod est, vitam eorum, exhibito victu, produxit, ac prorogauit: vt interpretatur B. Rhenanus. Item lib. de spectaculis cap. I. *Tanta est enim vis voluptatum, vt & ignorantiam protelet in occasionem, & conscientiam corrumpat in dissimulationem.* Quia verò, vt diximus, *protelum* propriè est, perpetuus continuúsque impulsus, hinc fit, vt aduerbialiter quoque *protelò* dicatur pro *continuò*, *in continenti*. Sic vsus Catullus, epigrammate ad Val. Catonem:

———*Hunc ego, si placet Dionæ,*
Protelò rigidâ meâ cecidi.

Imò Lambinus similiter accipi putat, cùm Lucretius, aliíque dicunt, *protelo ducere*. Et hæc de significatione vocis *protelum*, *protelare*, & *protelo*. Ex his verò lucem capient, quæ deinceps de etymologia dicemus: Festi verba sunt: *Protelare, longè propellere, ex Græco videlicet, quod est τῆλε, & significat longe.* Duas alias adfert Donatus, ad Terentij locum, quem antè adduximus. Vnam, vt propriam, refert. Vult enim esse à πρὸ & [illegible], quod interpretatur *trahere*, vt *protelum* ei sit *protractio*; *protelare* autem *protrahere*. Alteram alijs tribuit, quos existimare ait dici ab *assiduo telorum iactu*: atque huc referri ab iis illud Lucretij lib. II.

Vndique protelo plagarum continuato.

Siue, vt Iosephus Scaliger (quem in Etymologico secutus Becmanus) versum hunc, cùm in notis ad Catalecta, tum ad Varronem de R. R. citat.

Vndique protelo telorum continuato.

Sed *plagarum*, cùm omnes Lucretij MSS. & editi codices habent, tum & Donat. et à vetus Tarisina anni CIↃCCCCLXXVII. Porrò hanc *proteli* etymologiam probat quoque Scipio Gentilis, qui lib. I. Pareig. cap. XXXVI. similiter à *telum* vult dici *extelare*, pro libertate donare, quia vt *telum* ab arcu, sic seruus è manu domini quasi eijcitur, atque excutitur. Prora & puppis huius sententiæ est locus in vett. Glossis: *Protelare*, [illegible]. Porrò Fungerus siue inuisis, siue insuper habitis tribus hisce *proteli* etymologiis, contentus fuit adserere sententiam Steuchi qui voluit esse à πρὸ, & τέλος, vt *protelare* ei propriè sit, *in longum fines siue metas temporis proferre.* Mihi & Donati & Steuchi sententia minùs verisimiles sunt. Nam si vel ab ἑλκῶ, vel τέλος veniret, proxima ab vltimâ corriperetur. Deinde si ab ἑλκῶ, vnde T in *protelare*? Alia quoque contra vtramque etymologiam proferre liceat, quæ mitto, ne videar in lente quærere vnguentum. Vera igitur est vel Festi sententia à τῆλε deducentis, vel potiùs illa, quam aliorum esse ait Donatus: vt sit à *telo*, propriéque notat continuatam teli è balista impulsionem; siue cum prorsus aliquid longè truditur, velut telum balistâ emissum: quomodo *proteli* vocem interpretatur Scaliger ad Varronis lib. III. de R. R.

PROTINVS, siue *protinus*, in Gloss. vett. exponitur [illegible], [illegible], [illegible]. Conflatum est ex *pro*, id est, *porro*; & *tenus*: Seruio teste in Eclog. I. Itaque *continuationem* significat, siue loci, siue temporis ratione. Vt cùm Virgilius de Sicilia olim coniuncta Italiæ sic scribit.

———*Cum protinus vtraque tellus*
Vna foret.

Item IV. Georg.

Protinus aerij mellis cælestia dona
Exsequar.

Nonium vide. Caper inter *protinus*, & *protinam*, hoc discriminis ponit, vt per *u* sit locale, per *a* tempori inseruiat. Verum dixit men hoc non obseruatum in antiquis & optimæ notæ codd. vt quoque agnoscit Pierius Castigat. Virg. I. Ecl. I. A *protinus* esse *protinam*, ac continuitatem significare scribit Varro extremo lib. VI. de L. L. Vtitur Terentius, Phorm. Act. I. Sc. IV.

Aliquid convasâssem, atque hinc me conijcerem protinam in pedes.

Quem in locum vetus interpres monet, etsi in vulgatis sit *protinus*, tamen rectum esse *protinam*, ac sic legisse Nigidium Figulum. Citat & hoc pacto Festus in *protinam*, qui & ipse *protinus* exponit. Afranium quoque, Næuium, Plautum, sic locutos docebit Nonius in *protinam*.

PROTOCOLLVM. πρωτόκολλον, à πρώτη κόλλῃ, *primo glutine*, quo paginæ coniunguntur. Itaque *protocollum* dixere librum, in quo acta primitus à notariis scriberentur, quo deinde nitidius exscribi, vel etiam fusiùs possent tractari. Nouell. XLIV. [illegible]. At [illegible] aliud est: de quo dictum in *macrocollum*.

PROVINCIA propriè est regio armis à populo Romano deuicta, aut quomodocumque in potestatem adducta, quam magistratui suo administrandam subiecerat. Etymon adfert Festus: *Prouinciæ*, inquit, *appellantur, quòd populus Romanus eas prouicit, hoc est, ante vicit.* Quamquam *pro* hîc non tam *ante* significat, quam *procul* siue *foris*. Sed [illegible] id nomen etiam ad regiones alias extensum: ac κατὰ μετωνυμίαν ita dici cœpit *munus regendæ prouinciæ*, ac per [illegible] *quoduis munus atque officium.* Plurimùm autem differunt *prouinciales* à *socijs*, contrà quàm scripsit Syluius, comm. ad Cic. Ligar. Nam *socij*, qui Græcis [illegible], suis legib. viuebant: *prouinciales* autem, qui iisdem [illegible], alienis viuebant legibus, ac insuper vectigales erant siue stipendiarij. Itaque Cicero hos meritò distinguit, Verr. VI. vt & in Maniliana, cùm ait: *Bellum graue & periculosum vestris vectigalibus atque socijs.* Et Tranquillus ait, Cæsarem Galliam omnem præter socias & bene meritas ciuitates in *prouinciæ* formam redegisse, eique in singulos annos stipendij nomen imposuisse. Itaque *in prouinciæ formam redigere*, nihil erat aliud, quam leges domesticas eripere, & prætorem dare, qui quotannis eam è legibus datis administret, & quæstorem instituere, qui curam gereret vectigalium. Stante imperio, aliæ *prouinciarum* dicebantur *Consulares*, aliæ *Prætoriæ*. *Consulares* ab iis, qui in Vrbe consulatum gesserant, anno proximo consulari administrabantur imperio: qui ideirco *proconsules* & *proconsules* dicebantur. *Prætorias* vero ij, qui in Vrbe fuerant prætores, anno proximo prætorio imperio obtinebant: vnde hi *Propraetores* & *Propraetore* vocabantur. Neque eædem *prouinciæ* aut semper consulares aut semper prætoriæ erant; sed ex eius anni magistratu nomen sortiebantur. Ciceronis vero ætate videntur & extra ordinem in *prouinciam* missi qui consules non fuissent, ac proconsulis tamen nomine gauderent. Cicero lib. I. de leg. *Gellium familiarem tuum, cum proconsul ex prætura in Græciam venisset.* At *sub imperio* prouinciarum aliæ erant populi, aliæ Cæsaris. In illas populus suos proconsules

consules & proprætores; in has Cæsar suos præsides mittebat. Ac Augustus quidem sibi prouincias seruabat, quæ militum præsidio indigerent: populo relinquebat pacatiores, & quæ sine armis facilè retinerentur. Auctores eius rei Strabo in operis sui calce, Suetonius in Augusto & Dio lib. LIII.

PRVINA, quam Aristoteles, vel quisquis auctor libelli de mundo, *rorem concretum* (δρόσον πεπηγυῖαν) esse ait; vel κατὰ μετάθεσιν quasi *pyrina* dicta, ἀπὸ τοῦ πυρὸς, id est, *ignis*, quia, si effectum spectes, eiusdem est ac *ignis* naturæ: vel, quod Festo placet, à *peruro*, quòd cùm sole liquefacta est, fruges *perurat* & arbusta. Eodem modo Græcis αὖρος vocatur ab αὔω, id est, *vro*; vnde & Suidas αὔρει exponit τὸ καίει. *Frigori* verò *vrendi* quoque facultatem inesse, docet illud Maronis, I. Georg.

> ——*Boreæ penetrale frigus adurat.*

Adurit autem *frigus* κατὰ συμπαθειαν, nempe τῷ συνάγειν ἢ ἀθροίζειν τὸ θερμόν, vt inquit Aristoteles; cuius tamen sententiam hàc in re impugnat Hieronymus Magius, lib. I Miscell. cap XVII.

PRVNA, *viuus carbo*, ἀπὸ τοῦ πυρὸς, siue à πυροῦν *ignitum esse*. Vt dicatur quasi *purina*. Id malim quam vt dicatur quasi *perura*: vt veteres censent. *Pruna* & *carbo*, vt differant, docet his verbis Seruius ad II. Æn. *Pruna, quamdiu ardet, dicitur. Horatius,*

> *Prætextam & latum clauum; prunaque batillum.*

Cùm autem extincta fuerit, carbo nominatur. Terentius,

> *Tam excoctam atque atram reddam, quam carbo est.*

Nam pruna à perurendo dicta est. Sic Seruius. Similiter distinguit & ἐτυμολογίζει Isidorus, lib. XIX. cap. VI. Cæterùm discrimen id inter *prunam* & *carbonem* perpetuum non est, vt diximus in *carbo*.

PRVNVS ex Græco προύνη, si idem προύνη ac κοκκυμηλέα, quod H. Stephanus arbitratur. Sed falli puto. Quare potiùs est à προῦμνον, quomodo *fructus pruni* Asiaticis dicebatur, vt est apud Aëtium & Æginetam: vel saltem *fructus pruni syluestris*, vt est apud Galenum, lib. II. de vi alim. Κέρασον καὶ προῦνον, aliásque arbores iungit Theophrastus in Historia Plant. lib. IX cap. I. Atque ad eum locum vtrumque etymon adducit Cæsar Scaliger.

PRVRIO quasi *peruror*, vt rectè Perottus. Nempe vt à *scateo* *scaturio*; à λείχω, siue *ligo*, pro *lingo*, *ligurio*: sic à *peruro* esset *perururio* pro quo κατὰ συγκοπὴν *prurio*. Hoc pleniùs intelligitur ex definitione *scalptionis* apud Scaligerum Exercit. CCCXVII. sect. V *Scalptio, inquit, est rarefactio cutis, quâ vtrumque fit vt emittat id, quod VRIT, & humoris attenuatio, vt id exhalet,* Καὶ μεταφορικῶς translatum ad τὰ Ἀφροδίσια.

PRYMNESIVS, πρυμνήσιος, pertinens ad πρύμναν, *puppim*. Festus. *Prymnesius palus, ad quem funes nautici religantur, quem alij tonsillam dicunt.* Atque vt *palus* ad quem nauis alligatur, *prymnesius* dictus: ita *funes* ipsi, quibus id fieret, πρυμνήσια. Homerus, Il. A.

> Ἐκ δ᾽ εὐνὰς ἔβαλον, κατὰ δὲ πρυμνήσι᾽ ἔδησαν.

Vbi Eustathius monet πρυμνήσια esse τὰ ὀπίσθια σχοινία.

PRYTANEVM locus erat Athenis, in quo *Prytanes* iudicia exercebat & in quo viri bene de Rep. meriti publicis sumptibus alebantur. Docet id Scholiastes Thucydidis, lib II. πρυτανεῖον, inquit, οἶκος μέγας, ἔνθα αἱ σιτήσεις ἐδίδοντο τοῖς πολιτευομένοις· ita autem vocatum addit, quoniam ibi sedebant οἱ πρυτάνεις, οἱ τῶν ὅλων πραγμάτων διοικηταί. *Prytanis* voce vsus & Seneca de Tranquillitate. *Sed vide ne totum istud vitium tuum sit. Non enim vis, nisi consul, aut prytanis, aut ceryx, aut sufes administrare Remp.* Quod si πρυτανεῖον, vt censet is Scholiastes, à πρύτανις venit: πρύτανις videri possit originem trahere à πρύμνα, *puppis*, vt propriè signet *gubernatorem*. Nam *gubernatoris* vox κυβερνᾶν de *naue* dicitur, vt alibi dictum nobis. Sed de origine seorsim sentio. Nam magis placet *Prytanes* accepisse nomen à loco, locum verò dictum πρυτανεῖον ab *igne perpetuo & inextinguibili, qui in eo asseruabatur.* Suidas: πρυτανεῖον, πυρὸς ταμιεῖον· ἔνθα ἦν ἄσβεστον πῦρ, καὶ ηὔχοντο. Quamquam nec improbo, vt ita dicatur à πυρὸς, hoc est, *frumentum*, quia, vt dicebamus, alebantur in eo publicis sumtibus, qui bene essent de Rep. meriti. Id confirmat Etymologus, cùm ait: [illegible] Ἀθηναῖοις ἐν ᾧ τόπῳ σιτήσεις ἦσαν [illegible] ἐδίδοντο· ἔστι καὶ πρυτανεῖον ἱερὸν, οἱονεὶ πυροταμιεῖον (πυρὸς γὰρ ὁ σῖτος) τοῦτο δὲ ἐκεῖ ἦν ταμιεῖον. Vide quædam de *prytanei* voce apud Casaubonum, lib. XV. Animaduers in Athenæum, cap. XIX.

PSALLO, à ψάλλω, hoc à צלל, quod interdum est *tinnire*: *Psallere* I. Sam. III. II. Ies. XVIII. I. Hab. III. 16. &c. A ψάλλω deriuatur fit ψαλτήριον. Quam vocem à Græcis, nescio quâ ratione, Syri acceperunt. Nam *psanterin*, פסנתרין ac פסנטרין apud Danielem (qui sanè Græcè locutus non est) legas III. V. & VII. & X. & XV. Angeli duo, Politianus cap XIV. Miscell. & Caninius in Hellenismi Alphab. sensere ψαλτήριον esse a Syriaco *psanterim*. Contrà Ios. Scaliger ad Festum in *Mamphula*, ait esse traducem Syriacæ linguæ ex matrice Græca, esséque & alias eiusdem generis voces capse in lingua. Nam in Paralipomenis seu Chronicis esse *rapsod* à ῥαψῳδία, & Hebræum *manphul* esse à μυρομίλας. Sed hæc mirè incerta, vti in *Mamphula* diximus. *Psalterij* descriptionem luculentam vide apud Chrysostomum protheoriâ in Psalmos. Ex iis verò, quæ cùm is, tum Hieronymus, & Augustinus de eo tradunt, colligi potest fuisse instrumentum non admodum dissimile *harpæ* nostræ, nisi quòd pluribus hæc chordis intendatur. Vide quæ hac de voce in Nomenclatore suo tradit H. Iunius. Vsus Arnobius, lib. VI. *Deum mater cum tympanis, cum tibiis, & cum psalteriis Musæ.* *Psalterium* quoque vocatur *famosi carminis genus*, quod alias *canticum* dicitur. Auctor Iul. Paullus, lib. V. sentent. tit. XV. *Psalteria* autem dixisse arbitror, quia similia essent illis, quæ in ludis scenicis canerentur ad *psalterium*. Varro περὶ Μενίππου.

> *Neque orthophallica attulit psalteria,*
> *Quibus sonant in Græcia dicteria,*
> *Qui fabularum collocant exordia.*

Vox propria instrumentorum musicorum. At *cantus* est modulatio quæ fit voce. Tacitus tamen, vt Græcam effugeret vocem, dixit, *Sermonem canere per tibias doctum*, vt annotauit Agricola ad Senecam pag. XXXIV. *Psallere* quoque pro *cantare ad tibiam*, vtitur Bassus. lib. II. Lyricorum,

> *Calliope princeps sapienti psallerat ore.*

Mirum à Cicerone, Catil. II. coniungi *cantare*, & *psallere*: nisi *cantare* de *assâ voce* capiendum; *psallere* verò sit *fidibus canere*. Aut hoc verum, aut cum Mureto (explicat eius orat.) legendum *cantare*, & *saltare*: aut dicendum *cantare* esse glossema: aut, quod maximè arridet, legendum *saltare* & *psallere*.

PSITTACVS, ψίττακος, quomodo Athenæo & Plutarcho dicitur, quæ Aristoteli ψιττάκη. Dicitur & σίττακος. sed & βίττακος à Ctesia vocatur, Indicorum initio. Non dubito, quin vox sit ab Indis, vnde auis ipsa. Vtrumque docet Plinius, lib. X. cap. XLII. *Super omnia humanas voces reddunt psittaci quidem etiam sermocinantes. India hanc auem mittit: sittacen vocat.* Vel dicebatur Indis σίττα, vnde σίττακος κατὰ παραγωγήν. Hesych. Σίττα· ἱέραξ, παῖς, οἱ δὲ τὸ ψιττάκιον λέγουσι. Ctesiæ, in Indicis, Βίττακος nominatur. De *psittaco* agit & Appuleius in Floridis: sed confudit ea quæ de *psittaco* & *pica*, scripserat Plinius: eiúsque errorem hac in re secutus est Solinus

PTISANA, πτισάνη, à πτίσσω, vnde & πτισάνη inuenitur. Πτίσσειν ab Hesychio tum κόπτειν exponitur, hoc est, *tundere*, tum ἀποδερματίζειν, hoc est, *decorticare*. Id enim est *cortex* in frugibus ac leguminibus, quod δέρμα siue *pellis* in animantibus. Hinc liquet πτισάνην siue πτισσάνην sic dictam, quod *tundendo decorticaretur*. Quippe πτισάνη à Suida exponitur κεκομμένη κριθή, hoc est, *hordeum tusum*, & à gluma corticéque purgatum: cuiusmodi hordeum ad vsum sorbitionis seruabant. Etsi verò *ptisana* propriè fieret ex *hordeo*, tamen & ex *aliis frugibus* conficiebatur, sed tum non simpliciter *ptisana* dicebatur, verùm nomen frugis addebatur. Sic dicebant πτισάνη πυρίνη, Χονδροπτισάνη, & sic in cæteris. A *ptisana* est ὑποκοριστικὸν *ptisanarium*, quo vsus Horatius, vbi *ptisana ex oriza* meminit. Locus est lib. II. sat. III.

> *Quid cessas? agedum, sume hoc ptisanarium orizæ.*

Plura de *ptisana* vide apud Hier. Mercurialem, lib. IV. Var. Lect. cap. XVIII.

PVBES, si Catholico credimus dicitur quasi *nubes pudendorum*: si Nunnesio, ab ἥβη, addito *p*: si Perotto quasi ἐπὶ ἥβης, κατ᾽ ἀφαίρεσιν. Sed verius dicatur quasi πυὸς ἥβη, hoc est, τῆς αἰδοίου χνοῦς, vel est à φοῖβος, quo notantur φαιδρὸς καὶ λαμπρὰς τρίχας, & ἀνθηρὰς τρίχας. vt constat ex Etymologo in φοῖβος & φοιβάζω, vbi φοῖβον exponit λάμπον. Vel est *pubes* à βουβών, quod primò *inguen* notat, etsi & pro *inguinis tumore*, ac ἐπιγονατίδος etiam pro aliis partis, velut axillarum aut colli tumore accipiatur, ἥβη ab ἥω, hoc est, *vireo*, vt ἥβη primò sit *vireo ætatis*. Fingunt poëtæ *Heben* esse Diis à poculis, quo innuunt Deos non senescere. Latinis hæc Dea *Iuuentas* dicitur. A *pube* est *pubes*, qui Græcis ἔφηβος, ab ἐπὶ & ἥβη. Vnde Vitruuio *ephebium*, siue *ephebeum*, ἐφηβεῖον, non quidem *ludus puerorum literarius*, quod quidam scripsere: sed *locus in palastra, in quo puberes exercebantur*: vti & *ephebeum*, i. τόπος, *locus in theatro vnde puberes spectabant*. Vide Mercurialem: in arte gymnastica. *Puberes* esse incipiunt *mares* anno ætat. XIV. *fœmina* XII. Itaque, qui propior huic anno, quam septimo (qui infantiæ terminus) is pubertati proximus dicitur. In caussis

tamen

tamen alimentorum, pietatis intuitu, laxiora pubertatis tempora præscribuntur, ac in puellis, XIV. in maribus XVIII. annus intelligitur, quæ plena est pubertas. Pro pubes etiam, si Grammaticis credimus, puber dicitur S in R abeunte: vt pro *Valesij & Fusij Valery & Fury* dixere. Imò Scaliger ait Catullum voce *puber* vsum: vt apud quem in Galliambo pro *mulier*, reponi debeat *puber*. Sed hoc admodum incertum, nequid grauius dicam. At *pubes* Cicero vsurpat pro Rabirio perduellionis reo. *Neminem*, inquit, *esse dico ex ijs omnibus, qui illo die Romæ fuerint, pubésque tum fuerit quin arma ceperit.* Porrò *pubes* in gignendi casu *puberis* facit, vt *Ceres, Cereris.* At substantiuum *pubes* facit *pubis. Impubes* quin *impuberem* faciat non dubium. Ita Cicero Catil. IV. *impuberem puerum* ait. Sed dubitant an *impuberem* quoque esse possit ab *impubes*. Non difficerer, si *impuber* legeretur. At altero vsus Ouidius. II. Fast.

Nam puer impubes, & adhuc non vtilis armis.

Obiectant hoc Maronis quod est in V. Æneid.

——— *Comitémque impubis Iüli.*

Quódque Horatius, lib. II. od. IX. *impubem Troilon* dixit. Sed sunt ista à recto *impubes. Nam dicer hic & hæc impubis, & hoc impube*, testatur Probus in Catholicis. Item Priscianus in VI. tradit. Cæterum quoque *puber* pro adiectiuo *pubes* dixisse. *Depubes* quid sit, docent ista Festi: *Depubem porcum lactantem, quia prohibitus sit pubes fieri.* Vbi in MS[ti] est *lactentem*: atque ita legendum. Nam *depubes* porcus necatur dum lactet, priusquam adolescat.

PVBLICVS, à *populus*. Nam priùs fuit *populicus*, hinc & ὀνοματοποιΐα *poplicus*: quod extat in veteri inscriptione, pag. CL. num. VI. collectan. Gruteri. Pro eo nunc *publicus* dicimus. Porrò *publicum* non rarò accipitur pro *vectigali populi Romani*. Cic. ad Q. Fratrem: *Hic te ita versari, vt & publicanis satisfacias, præsertim publicis malè redemtis.* Suetonius, in Caligula: *Addidit quoque ad caput legis, vt tenerentur publico, & quæ meretricium, & quæ lenocinium fecissent.* Apud Valer. quoque Maximum. lib. VI. cap. IX. è codd. mss. restituit Steph. Pighius: *Cum Asiani publici exiguam admodum particulam hausisset.* Ab hac *publici* significatione dicitur *publicanus*, qui *publica redimit*. Itaque scribit Caius Iurisconsultus propriè nullam ciuitatem præter Romam habere *publicanos*, eiúsque caussam esse, quod ciuitates omnes censeantur membra Romanæ reipubl. Verba Iurisconsulti sunt: *Eum qui vectigal populi Romani conductum habet, publicanum appellamus. Nam publica appellatio in compluribus caussis ad pop. Rom. respicit, ciuitates enim loco priuatorum habentur.* Erant autem tria potissimum *vectigalium* genera, *portorium, decuma, & scriptura. Portorium* fuit *vectigal, quod capiebatur ex rerum importatione & exportatione*, vnde & nomen. Huic propriè videtur *vectigalis* nomen competere, cùm colligatur ex mercium inuectione & reuectione. Id qui redimerent, *portitores*, à mercium *importatione*, sunt appellati. *Decumæ* erant *vectigal quod capiebatur ex agris*, ita dictum quia *decima frumenti pars daretur*. Hoc qui redimerent, vocati *decumani. Scriptura* erat *è syluis*, siue *è pastione pecorum*, cuius redemptores vocati *scripturarii*. His addi potest *salinarum* reditus ab Anco Martio rege primum institutus. Trium priorum meminit Tullius in Maniliana: *Nam, inquit, cum hostium copiæ non longè absunt, etiamsi irruptio nulla facta sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum nauigatio conquiescit. Ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conseruari potest.* Et eadem: *Cum publicani familias maximas*, (id est, maximum seruorum numerum ad exercenda vectigalia,) *quas in salictis* (alij *syluis*) *habent* (ad exigendam scripturam,) *quas in agris* (ad exigendas decumas,) *quas in portubus* (ad portoria requirenda) *atque custodijs magno periculo se habere arbitrantur.* Interdum tamen, quod ex Asconio, Festo, Nonióque discimus, *scriptura* vox generatim accipitur pro *mancupum rationibus*, ac *mancupes* ipsi generatim vocantur *scripturarij*. Quia autem dicebamus *decumas* ex *frugibus* prouenisse, illud quoque addamus, tria exstitisse *genera frumenti*, quod Romani ex prouincijs perciperent. Primum erat *decumanum*, siue *ex decumis*, quod Romanis aratores sine pretio dare cogebantur. Alterum fuit *emptum*, quod aratores, pretio ex Senatusconsulto statuto, Romano magistratui vendebant, vt Romam ad alendam ciuitatem mitteretur. Tertium erat *æstimatum*, quod magistratus æstimabat in vsum familiæ suæ, quia interdum pro frumento pecuniam accipiebat.

PVDOR, si Festum audimus, ab eo dicitur, quod antiqui *putum* pro *puro* dicebant. Vel *pudor* est ab Hebræo בוש, *puduit, erubuit*: aut potiùs Chaldæo & Syriaco בהת, quod idem ac illud Hebræum notat. Vel *pudor, & pudere*, ex eo sunt, quia cùm *pudet*, mens rem aduersatur, vt in *putidis*: quam nominis caussam adducit Cæsar Scaliger, Exercitat. CCCXII. Ac firmat hanc etymologiam, quod *putidulos* dicimus, *quos suppudet*. Locutus hoc pacto Tullius ipse. Martialis quoque. lib. IV. epigr. XX. *Caeliam putidulam* vocat, quòd sua bona non nosset: quippe quæ se anum prædicaret, cùm pupa, siue puella, foret. A *pudere* est *depudere*, de eo quem desinit *pudere*. Ouidius, Epist. IV. Heroid.

Depuduit profugúsque pudor sua signa reliquit.

Similiter vsi Tranquillus, & Velleius. Estque simile *desæuire* apud Maronem, & Lucanum: pro quo Liuius *exsæuire*. A *pudor* est *pudicus*, vnde *pudicitia*. Differunt autem *pudor & pudicitia*, vt *impudens & impudicus*: quorum illud ad *animum*, hoc ad *corpus* pertinet. Ita manifesta qui negat, *impudens*; qui partes verendas detegit, *impudicus* dicitur. Est a *pudicus depudicare*, quo vsus Laberius apud Agellium, lib. XVI. cap. VII. Dictúmque eodem modo, quo *deuirginare* dixit Petronius. Glossæ id optimè explicant ἀποπαρθενεύειν. A *pudore* quoque est *repudium*, quia *fit ob rem pudendam*, vt Verrium sensisse ait Festus. Fortè tamen verius sic dicitur, quia *renunciatio non fit sine pudore*, siue *sponsus à sponsa* separetur, siue *maritus ab vxore*. Sed imprimis id sine *pudore* fieri non potest quando maritus ab vxore recedit, ídque ob ea, quæ peramanter adeò inter se dixere, & fecere. Differt *repudium* à *diuortio*: quòd hoc tantùm in *coniugibus* est: at *repudium* etiam est, *cum sponsus à sponsa dirimitur*. Eiusdem originis est *Propudium*, qua de voce sic Festus: *Propudium dicebant, cùm maledicto notare turpitudinem volebant, quasi porro pudendum. Quidam propudium putant dici, à quo pudor & pudicitia procul sint.* Scaliger ad hunc locum addit, *propudium* idem esse quod καθάρματα, ac homines facinorosos vt Græcis καθάρματα, ita Latinis dicta *propudia*. Vsurpat Plautus, Curculione I. III. atque alibi. Ciceronem quoque, Philipp. XIII. vsum putat Hieronymus Ferrarius.

PVER, etsi propriè sit in *ætate prætextatâ*, tamen interdum etiam eo nomine vocantur *adolescentes*: quomodo Cicero sæpè *Octauianum* vocat *puerum*, quem alibi *adolescentem & propè puerum* appellat. Appuleius quoque in apologia *Pudentem* priuignum *puerum* vocat, qui iam curatorem haberet, non tutorem. Sed hæc καθ' ὑπόκρισιν dici videntur, more Oratorum. Quod ad etymon, Varro *pueros* ita dictos ait, quod sint *puri*, hoc est, *impubes*. Idémque traditum à Censorino, lib. de die Natali, & Isidoro. lib. XI. cap. II. Apud Festum, in *obpauiat*, legere est *pueros* dici à *pauiendo*, quia ætas *puerilis* subinde est *obpauienda*, hoc est, ferenda pauiendáque. Ios. Scaliger in Coniectaneis vult esse ab antiquo πὸς. Quippe Lacones, Hesychio teste, pro πῶς dixere πὸς, indéque hoc nomen accommodatum *seruulis*, quod à *pedibus* essent: quâ ratione & à Latinis *pedes* appellantur. Plautus, Menæchmis, act. II. sc. II.

Asseruatote hos, saltu nauales pedes.

Mihi placet, *puer* originem trahere à בר, *filium*. Indè esse πὸς; ita enim Dores pro παῖς dixisse. vnde Latinorum *por*, ac E inserto *peer*, pro quo postea *puer*. Nam O pro V pronunciabant veteres. Salm. lib. de Hellenist. pag. CCCCXXIX. Latinum *puer* dicit esse a Græco πόϊς pro παῖς. *Por* reperimus in veteri inscriptione Aufidenati in Samnitibus, pag. DCCCCLII. num. III. *P. Rauerio Latino vicinus P. por patrono, ac B.M.* A *por* sunt *Marcipor, Caipor, Lucipor, Quinctipor*, quæ (vt in oratorijs nostris ostendimus) nihil aliud sunt, quam Marci, Caij, Lucij, Quincti *por*, siue *puer*, hoc est, *seruus*. Id enim hic *puer* κατ' ἀντονομασίαν notat; quomodo Horatius ait, lib. I. Epist. VII.

Demetri (puer hic non lænè iussa Philippi
Accipiebat) abi, quære & refer, &c.

Et Propertius. lib. III. Eleg. XXII.

I puer, & citus hæc aliquâ propone columnâ,
Et dominum Esquilijs scribe habitare tuum.

Græci quoque similiter *seruulos* vocant παῖδας, vt videre est apud Aristophanem & alios. Docet Eustathius p. CCCCXXXVIIj. inde ortam hanc significationem, quod *seruuli* ferè *puerili ætate* eligerentur, vt quæ ministerijs sit aptior. Galli quoque hinc eos, quos Liuius *pueros regios* appellat, similiter vocant *pages*, pro quo potiùs *pajs* scribi deberet, si originem spectes, cùm sit a Græco παῖς. Quamquam & cum Turnebo dicere possis, *page* esse à *pædagogo* vel *pædagogiani* vocabulo. Nam *pædagogium* vocatur cœtus seruulorum *puerilis ætatis*, vnde Marcellino *pædagogiani pueri*, quos Galli *pages* vocant. Alias etiam & Græcum παῖ & Latinum *puer*, accipiuntur pro filios vt cùm Naso, Elegiâ de morte Tibulli, *Cupidinem* vocat *Veneris puerum*. Porrò pro *puer, puerus* dixere Plautus, & eo antiquiores. Ab hoc est *puerulus*, vnde *puellus*, quo ante B. Hieronymum vsus Lucretius, lib. IV. vide Marcellum. A *puerius* quoque est *puera*, vnde similiter *puerula*, ex quo *puella*: vt Priscianus monet in XI. Estque id magis *viridioris ætatis*

nomen, quàm *virginitatis*. Nam, vt præter alios Rittershusius ad Oppianum monet, *puellæ* quoque dicuntur, *quæ iam maritum habent*, imò & *grauidæ* sunt, atque adeò *eæ* etiam *quæ pepererunt*. Horat III. Carm. XXII.

——Laborantes vtero puellas.

Ouid. II. Fast.

——Iubet viduas cessare puellas.

Hoc est, abstinere maritorum complexibus. Apud eundem Penelope se puellam vocat, quæ iam Temelachum Vlyssi pepererat. Scæuola quoque *puellam* vocat quæ vidua erat, & post alteri nupta. Et Gellius, lib. XII. cap. I. bis *puellam* vocat *puerperam*. A *puella*, *puellitari* dixit Laberius:

Quanam vos dementia suppolitores facis
Cum cano eugio puellitarier?

Vbi *eugium* est τὸ γυναικεῖον αἰδοῖον; quemadmodum diximus, cùm separatim hac de voce tractaremus. Itaque *cum eugio puellitari* nihil aliud sit, quàm quod Græci similiter κλειτοριάζειν dicunt à κλειτορίς, quod idem ac *eugium*. Hesychius: Κλειτορίς, τὸ γυναικεῖον αἰδοῖον ὁ ἐπιδορίς, ὅθεν καὶ τὸ κλειτοριάζειν τὸ ψηλαφᾶν. Atque hinc lucem capit, quod apud Ciceronem eruditâ illâ epistolâ ad Pætum legimus de *coleis Cliterninis*. Quippe, vt ad Ithyphallica monuit Scaliger, hoc loco ad κλειτορὶς seu κλειτορίζειν alluditur, non (quæ multorum opinio est) ad *Cliternum* Italiæ oppidum, quasi vt Lauinij siue Lanuvij (idem enim id oppidum, vnde Lanuuinus dictus Terentij aduersarius) *Coleorum* familia erat; ita quoque eiusdem nominis familia fuerit *Cliterni*.

PVGNVS, est à πὺξ, quod valet πυγμῇ, hoc est, *pugno*. Nisi malis à πυγμὴ, conuerso μ in ν. Nec enim πυγμὴ semper notat spatium à cubito ad digitos clausos, siue spatium sex digitis cubito breuius; à qua notione dicti Πυγμαῖοι, *Pygmæi*, quia tanta eorum statura creditur: verùm sic quoque, Suida teste vocatur χεὶρ συγκλεισθεῖσα δακτύλων, hoc est, *manus in pugnum complicata*. An potiùs *pugnus*, à πυκνὸς, quæ Iulij Scaligeri sententia est. lib. I. Poët. c. XXII. Nam censet is, quia opponuntur πυκνὸς, id est, *densus*, & ἀραιὸς, *rarus*, eo appositè hinc *pugni*, & *manus* vocem accessisse, vt *pugnus* sit χεὶρ πυκνὴ, id est, *densa & digitis clausis contracta*: *manus* verò propriè sit χεὶρ ἀραιὰ, hoc est, *rara, digitósque habens exertos, non complicatos*. Quartum etymon est apud Festum, sed quod minimè probare possim. *Pugnus*, inquit, *à punctione, id est, percussione, dicitur*. Est & quinctum Nam ambigit Donatus, Adel. Act. II. I. vtrum *pugna*, à *pugno*, an potiùs à *pugna* dicatur *pugnus*. Sed mihi non dubium, quin *pugna* à *pugnus*, dicatur, eò quòd principio homines *pugnis* confligere soleant: quam nominis rationem probat quoque Cassiodorus, lib. I. Var. epist. XXX. Et sic ipse Donatus. Hec. prol. *Pugna*, inquit, *à pugno. Veteres namque ante vsum ferri & armorum, pugnis & calcibus & morsibus, corporúmque luctatione certabant.* A *pugnus* est ὑποκοριστικῶς *pugillus*, quam vocem nullâ auctoritate à Lexicographis fulciri miror. Extat autem apud Plinium, lib. XX. c. XII. *Marrubij semen, cum farris pugillo decoctum*, hoc est, quantum *pugno* exiguo capi potest Gloss. *Pugillum*, δρὰξ χειρός. Onomast. *Pugillum*, δράγμα. A *pugillus*, est *pugillaris*, quod *pugillum* implet. Quomodo *pugillares testiculos* dixit Iuuenalis: sat. XI. Inde & dicti *pugillares*, quia *pugillo contineri possent*. Nisi fortè potiùs, quia *stylo in his pungendo scribatur*. Singulari eius vsus Ausonius: *Bipatens pugillar expedi*. *Pugil* à *pugna* dictus vt Varro docet, lib. VII. de L. L. ac Donatus ad prol. Hec. Sed magis placet esse verbale, à *pugno*, vt à *consulo consul*: vel denominatiuum à *pugnus*; quâ nempe ratione Græcis vocatur πύκτης à πὺξ, quod idem ac πυγμὴ, siue *pugnus*. Sanè idem sunt πὺξ μάχεσθαι, πυγμαχεῖν, siue *pugilatu certare* seu *pugilari*, quæ vox in Pandectis inuenitur. Græco *pycta* vocabulo pro Latino præter Senecam vsus Tertullianus Scorpiaco.

PVLCER, olim *polcer*, quasi *policer*, à *polio*. Nam vt à *sepultum*, *sepulcrum*; à *fulcum*, *fulcrum*: ita à *politum*, *policrum*, & κατὰ συγκοπὴν *polcrum*. Quod etymon si verum, scribendum *polcrum*, seu *pulcrum*, absque spiritu: prout voluit Terentius Scaurus: ac *pulcerrimus* absque *H* in antiquis aliquot codd. se reperisse testatur Pierius. Sed obstat, quod Verius Probus clarè testatur, veteres in tribus hisce nominibus *pulcher*, *Orchus*, *lurcho*, adspirâsse consonantem. Quod ipsum Seruius quoque testatur, nisi quod is pro *lurcho* ponat *sepulchrum*. Præterea nec satis ἀναλόγως à *polio* videtur deduci. Nam quod ad *ferculum*, *lauacrum*, *inuolucrum* & similia, dispar horum ratio, quia substantiua sunt, quæ à supino formari solent. De adiectiuis idem probari nequit. Quare Santiam sequor, qui, vt apud Scaurum legimus, *pulcher* dici voluit, quasi πολύχροος à πολὺ & χρῶμα, vt propriè sit *pulcrum*, quod *multum coloris nitorisque habet*. Sanè *pulcritudo* partim *in proportione membrorum*, partim *in colore* consistit. Vel est *pulcher* ex πολύχειρος, vt propriè *pulcher* sit, in quo πολὺ χεῖρες. Sed argutè quoque, nec eruditè minùs Iul. Scaliger, cui lib. de causs. L. L. cap. XXII. *pulcher* dici placet quasi πολυχειρ. Ita *pulcher* propriè erit *fortis*, quomodo Seruius exponit hoc Maronis, VII. Æn.

——Satus Hercule pulchro
Pulcher Auentinus.——

Quomodo & *fortis* contrà ponitur pro *pulcro*, quo idem, idque Nonio ac Seruio ad IV. Æn, præeuntibus, trahit illud Plauti, Mil. Act. IV. III. *Ecquid fortis visa est?* siue, vt in Gruteri MSS^[tis] est, *ecquid fortiuscula est?* Sed hic quæritur, num ἐν τῷ ἀφροδισίοις strenua sit, vti solent quæ ætate sunt integrâ, nec viripotentes solùm, sed etiam virosæ.

PVLICES à *puluere*, quia *ex puluere oriantur*, siue quòd *ex puluere magis nutriantur*. Ita Isidorus, lib. XII. cap. V. Sed magis placet *pulex* dici à *pulo* seu *pullo colore*. Veteres enim non geminabant consonas. Vel potiùs κατὰ μετάθεσιν fieri ex Æolico σύλλα pro ψύλλα. Vt autem ψύλλα Græcis, ita & *pulex* Latinis non solùm dicitur de insecto homines, sed etiam olera infestante. Columella lib X.

Exurat sata ne resoluti pulueris æstas,
Paruulus aut pulex irrepens dente lacessat.

A *pulex*, *pulicosus*, quomodo *pulicosam* canem dicit Columella, lib. VII. c. XIII. Ab eodem fonte *pulegium*, herba. Plinius, lib. XX. cap. XIV. *Flos pulegij recentis incensus pulices necat odore.* Vbi corruptè in quibusdam libris *culices* legitur. Sequitur hoc etymon etiam Ruellius, de natura stirpium. lib. III. cap. XVI. Græcè dicitur γλήχων. Gloss. *Pulegium*, γλήχων. Vocatur & βλήχων, teste Dioscoride, lib. III cap. XXXVI. Vnde & *pulegium* à βλήχων venire putabat Nunnesius in Grammatistice. βλήχων verò vnde sit, ibidem his verbis Dioscorides docet: Καλεῖται δέ τινες αὐτὴν βλήχωνα, ἐπειδὴ τὰ γεύσαμενα τῆς πόας τῶν ἀνθούσης προβάτων, βληχῶς ἀποτελεῖσθαι. *Vocant aliqui eam blechona, quia dum floret, pecoribus concitat balatum.*

PVLLVS pro *colore* idem quod φαιός. A Seruio ad III. G. exponitur *niger*. Propriè autem iis hæc vox tribuitur, *qui terræ habent colorem*, qui & *Hispanus*, & *Bæticus*, dicitur. Hinc *pulligo* pro *pullo colore*, apud Plinium: & *pullatus*, pro *pullâ veste indutus*, apud Tullium & alios. *Pullus* hâc notione, si Perottum audimus, dicitur à *pullis auium*, quia ferè eo colore nascuntur. Iuxta alios à *puluere* dicitur, vt in Actio suo scribit Iouianus Pontanus, & ex eo describit Erythræus in Indice Virgiliano. Dicitur terra *pulla* quasi *puluilla*, id est, *resolubilis*, & *in puluerem versa*, qualis est *terra Campana*, vt ait Columella, quæ nequaquam *nigra* est, vt quidam arbitrantur, sed *resolutius & putrida*, *quæque sæpius arata in puluerem abit.* At Cæsar Scaliger Exercitat. CCCXXV. censet *pullus* venire à *purus*, quia color is ἀβαφὴς ac *natiuus*; qualis plurimùm *color penularum*: vnde *infima Romanorum plebs*, quæ pro toga *penulam* gestabat, *pullata* dici solet. Vt ab *vnus*, *vllus*; sic à *purus*, *pullus*. Maximè verò placet, à πελὸς esse *pulus*, siue *pullus*, E in V conuerso, quomodo ab Æolico ἕλκος est *vlcus*, à *terendo*, *turunda*, &c. Est verò πέλος siue πελὸς (vtroque enim modo hæc vox scripta inuenitur), idem quod μέλας siue *niger*, teste Suida & Etymologo; indéque πελιὸς, quod similiter exponit Hesychius: imò & *ciconia* putatur πελαργὸς dicta quia *pennarum colore*, partim πελὸς siue *niger*, partim ἀργὸς siue *albus*. Cæsar Augustus (vt in eius vita scribit Tranquillus) pro *pullo* dicebat *pulleiaceus*: nempe vt rectè Casaubonus monet, ad aliorum colorum exemplum, quadam ingenij lasciuiâ id verbum formabat. Sic enim dicimus *violaceus*, *hederaceus*, *herbaceus*, *miniaceus*: &c. quod planè geminum est, à colore *heluo* similiter dixerem *heluaceus*. Vnde *heluacea* apud Festum. De *pullus*, cùm adiectiuum est, ac *colorem* notat, hæc dicta sunto. At *pullus* substantiuum cùm *fœtum animalis* significat, si Isidorum audimus, lib XII. cap. VI. ita dicitur quasi *pollutus*, quia *recens nati sunt sordidi*. Sed omnino *pullus* est à πῶλος, quæ vox propriè signat *equuleum*, attamen & ad *asinos*, *elephantos*, aliáque animalia transfertur. Latini etiam auibus accommodarunt: éstque hâc notione *pullaster* de *gallina adolescente*, apud Varronem. *Arboribus* quoque tributum, quarum παραφυάδας, ac stolones *pullos*, siue *pullulos*, dici è Plinio constat: indéque verbum *pullulare* pro *stolones emittere*. Denique etiam *hominibus* tribuitur. *Puerum* enim, *quem quis amabat*, *pullum eius vocabant*, teste Festo. Hinc *pullus Iouis*, *pullus Martis*. Apud Suetonium quoque in Caligula legas: *Latissimo ebuitum agmine incessit super fausta nomina, sidus, & pullum, & pupum,*

&

& alumnum appellauerim. Atque hinc pullipremo, apud Lucillium, à premendo pullo, siue catamito. Sed non satis paret, an pullus hâc notione sit à Græcis. Nam videri queat πῶλος ὁ παῖς pullus pro puero: quomodo Lucretius, lib. IV. dixit

Puri sæpe lacum propter, ac dolia curta
Somno deuincti credunt extollere vestem.

Ita enim legitur is locus in vett. MSS. Ac Plauto quoque eam vocem restituit Ianus Gruterus, lib. VII. Susp. cap. I. Erit autem à puerulus, vnde pullus, vt ab vinum, vinulum, villum; à vitulum, vitulum, villum. Sanè sententia hæc non displicet. Sed tamen neque alteram damnare possum, vt nempe hâc quoque notione sit à πῶλος. Quippe Græcis similiter pueri & puellæ dicuntur πῶλοι, quomodo locuti Euripides & Nicander. Ac iuuencula meretrices itidem Ἀφροδίτης πῶλοι vocantur apud Athenæum, lib. XIII. Pullarius nunc est à pullo, hoc est, equulo: nunc à pullo aue, nunc pullo pro puero. Primum spectat hoc in Onomast. Pullarius, πωλοκόμος, hoc est, equulos curans. Ab altero sunt pullaria auspicia. A tertio apud Ausonium est pullaria feles, hoc est, qui instar felis, rapacis animalis, pullos siue pueros rapit. Ac inde, vt videtur etiam Plauto, in deperditis, pullaria manus, quæ pæderastiæ soleant συγγενέσθαι; vt loquitur Aristophanes in ὄρνισι.

PVLMO, κατὰ μετάθεσιν à πλεύμων, quod Atticum pro πνεύμων. Attici enim ponunt λ pro ν, λίτρον dicentes pro νίτρον, quos Latini imitati lympha quoque dicunt pro νύμφη. Hinc pulmonum inflammatio περιπνευμονία, peripneumonia. Quo & vsus Cælius Aurelianus, de morbis acut. lib. II. cap. XXV. Pulmonea poma, Plinio lib. XV. cap. XIV. appellantur stolidè stumentia, vt ipse interpretatur. Nempe à tumore pulmonum, vnde & pedes pulmoneos pro tumidis dixit Plautus, Epid. Act. Sc. I. Vide Ios. Scal. in Catalect. ad illud:

Et æstuantes nocte soluit pantices.

PVLPA, à pulso. Donat. in Hec. III. IV. Pulpa propriè ea caro, quæ manducatur, eò quòd pulsetur, & conscindatur. Vel à palpo. Isidorus, lib. XI. cap. I. Pulpa est caro sine pinguedine, dicta quòd palpitet. Resilit enim sæpè. Vel à puls. Idem Isidorus, lib. XX. cap. I. Pulpa dicta, quia cum pulte olim commixta vescebatur. Vbi vescebatur passiuè accipitur. Ex tribus istis etymis maximè placet, à palpitatione dici, quia caro sine ossibus (id enim est pulpa) mollis sit, ac tremula. A in V abit, vt ab ἄμβων, vmbo; à calco, inculco, &c. A pulpa est pulpamentum, quod è pulpa fit: ac generatim cibus delicatior. Pulpa vox etiam ad arbores transfertur. Plinius, lib. XVI. cap. XXXVIII. de arboribus ac lignis: Quibusdam pulpa sine venis mero stamine & tenui constat. Hæc maximè fissilia. Alia frangi celeriora, quàm findi, quibus pulpa non est, vt olea, vites. Nempe simili translatione pulpa arbori tribuitur, ac vena: item caro, ossa, medulla. Quomodo continuò subiicit: At è contrario totum è carne corpus ilico. Tota ossa e... ilex, cornus, robur: & quæ sine medulla esse diximus.

PVLS prius fuit pultis, vt mens mentis. Pultis à πόλτος, quod idem. Eo Alcmanem & Epicharmum vsos docet Athenæus, lib. XIV. Πόλτος fortè à materia sic dicta, à פול, quod est faba. Ex fabis enim, pisis, oryza aliisque leguminibus fieri solet. Apud Varronem geminum etymon habes, illud quod diximus, & alterum vt sit ὀνοματοποιητικόν. Sic enim scribit, lib. IV. de L.L. De victu, antiquissima puls, appellata, vel quòd ita Græci, vel ab eo, vt scribit Apollodorus, quòd ita sonet, cùm aquâ feruenti insipitur. Sed posterius hoc probare non possum, longéque minùs, quod Perottus voluit, venire à pullus, nempe quia puls potissimùm datur pullis in auspiciis: quod pluribus explicat Festus in Puls. Nihilóque melius, quod apud eundem Perottum legas, deriuari à pulso, vel à puluere, quia fiat ex farre quod pulsando quasi in puluerem sit redactum. A pulte est pulmentum, vnde pulmentarium. Priori vsus Plautus in Aulul.

Pulmentum quin et pridem eripuit miluius.

De vtroque ita Varro ibidem: Pulmentum, quod idem cum pulte essent, vt Plautus. Inde pulmentarium dictum. Ita è Charisio Varronis locum emendat Scaliger. Pultiphagus ex Latino puls, Græcoque φαγεῖν est conflatum. Vsus Plautus Mercatore, vbi ita vocatur, non Romanus quidem, vt putabat Turnebus: sed, vt Scaliger obseruat, Carthaginensis, siue Pœnus, qui & in Pœnuli prologo dicitur pultiphagonides:

Carchedonius vocatur hæc comœdia:
Latinè Plautus, Patruus pultiphagonides.

PVLVINAR, quasi pluminar, puluinus quasi pluminus dicitur, à plumis quibus farcitur: vt censet Perottus. Aliis puluinar à pulli, quia plumis horum replentur. Sed omnino est puluinar à pulu. seu pulula vt ex restitutione Scaliger. Varro scribit, lib. IV. de L.L. Olim enim fiebat ex alutacio scorto, quod pululas dixere. Vel eâdem de caussa erit ab antiquo polis pro pelis seu pellis, vnde remansit Pollio pro Pellio. Vide quæ hac de re diximus in Follis. Vel quæ Martinii sententia est, venit à πολφός, quod Erotianus exponit βολβοὺς, id est, bulbus, vnde & idem Martinius pulpa & pulpitum deducit, quia instar bulbi tumeant. Differunt puluinus & puluinar, quia puluinus fit, quo in sedendo vtimur: puluinar, quod dormituri capiti supponimus. Sed & puluinaria passim dicuntur lectuli molli tomento farti, qui diis in templis sternebantur, ac quibus deorum simulacra imponebantur, vt Seruius quoque testatur in extremum III Georg. Hinc Cic. III. Catil. Ad omnia puluinaria supplicatio decreta est. Et de Haruspicum responsis: Qui sacerdotem ab ipsis aris puluinaribúsque detraxisti. Et Liuius: Obsecratique circa omnia puluinaria Dii. Interdum etiam puluinaria pro templis ponuntur, quomodo Seruius interpretatur illud Virgilii IV. Georg.

Imparibus ductos alta ad donaria currus.

Vide quæ de Lectisternii voce dicimus voce Lectus. A puluinorum domesticorum similitudine puluini ab agricolis vocantur porcæ siue sulcorum eminentiæ: à nautis eminentia durioris arenæ, quæ fluctibus venientibus & in salum redeuntibus densatur, & banci siue scamni nomine appellatur vulgo: ab architectis, pars quæ inter abacum & echinum est, vnde voluta propendet: ex quo puluinata columnæ Vitruuio, lib. I. cap. IV. & lib. III. cap. vlt. Vide ibi Philandrum.

PVLVIS Isidoro à pulsum videtur esse, quia ob leuitatem ventis huc illuc agatur. Sed omnino est vel à πάλλω, iacto; vnde puluis generatur: vel à πάλη, farina, quæ pulueris instar prouolat. Insertum digamma Æolicum, vt in ὕλη, ὕλFα, sylua, σκαιὸς, σκαιFὸς, scæuus &c. Vel, quod Nunnesio perplacet, sit à κόνις, puluis: quia κ in p, & ο in V, & ν in L mutari solent. A puluere, pulueratica, vel potiùs pulueraticum dicebatur, quod agrimensoribus pro labore ac puluere soluebatur. Vsi Theodosius & Valentinianus in constitutione apud Iulium Frontinum de limitibus agrorum. Similiter à balneis balneaticum dixere, & à Marte Martiaticum, aliáque aliunde. Vide Cuiacium Obseruat. lib. IV. cap. XVIII. & Ioan. Meursium Auctarii Philologici cap. XXVIII. A puluis item puluero, apud Calpurnium, Ecl. X.

——— Et fragiles nimius sol puluerat herbas.

Vbi puluero est puluerem excito. Vnde pulueratio pro fossione vineæ, quæ fit sereno cœlo in sicca tellure, ad excitandum puluerem, quo vuas faciliùs à sole coqui putabant. Columella, lib. IV. cap. XXVIII. de vineis agens: Tum & crebras fossionibus implere: nam fit vberior puluerationibus. Virgil. — Georg.

Sollicitanda tamen tellus, puluisque mouendus.

Vbi Seruius: Hoc genus culturæ puluerationem vocant propriè: quo imminuta gleba ad vites appellantur.

PVMEX prius fuit spumex, atque ita dictus, quia nihil aliud est, quàm spuma ac fex quædam lapidum liquefactorum, vt scoria metallorum. Ita Scal. in Ætnam; idque præeunte Isidoro, lib. XVI. cap. III. Pumex vocatur eo quod spuma densitate concretus fiat. Sed fortasse veriùs dixeris à πτύω, id est, spuo, venire ptumex, & εὐφωνίας caussa, eiecto T, pumex. Caussa nominis eadem manet: nempe quia è spuma maris generetur. A pumex est pumicare, quod est, pumice polire. Lucillius, in septimo satirarum:

Scabor, suppilor, desquamor, pumicor, ornor.

Hinc pumicator, quod in Gloss. vett. exponitur ζμήκτης, & politor. Ab eodem pumicati Plinio, Martiali atque aliis, qui corpus pumice leuigarent. Legimus & expumicare. Tertullianus, aduersus Valentinianos: Ab omnibus iniuriis passionis expumicata. Vocabula quoque repumicationis & polituræ coniungit Plinius, lib. XVII. cap. XXVI.

PVMILVS, vt Iulius Scaliger censet libb. de causs. L.L. cap. XCV. contractum ex pueromulus, quod conflatum ex puer & homulus. Similitérque pumilio (quod idem) fuerit ex puer & homo. Eáque fortasse caussa, cur primam nunc corripiat, nunc producat Papinius. Nam vel συγκοπῆ statui potest, quâ ratione fuerit breuis: vel κράσει, quæ syllabam facit porrectam. Sed profectò de etymo longè meliùs Iulii filius Iosephus, notis ad Festum; item Nunnesius in Grammatistice, qui pumilio factum censent ex πυγμαλίων, vt idem sit ac Pygmæus, quod & ipsum à πυγμὴ, vt πυγμαῖος sit idem ac æqualis πυγμῇ. Pro pumilus aliqui dicunt pumilius: sed est hoc barbarum; nam quod ad locum Suetonii, in Augusto, cap. LXXXIII. (qui in vulgaris Lexicis citari solet) omnino pumilos legendum, prout in plerisque codd. excusum. Dicitur & pumilus de bestiis: quomodo pumilas aues dicit Columella, lib. VIII. cap. II. pumilas gallinas Plinius, lib. X. cap. LVI. etiam plantis tribuitur, vt arboribus apud eundem Plinium, lib. XII. cap. II. de chamæplatano: Hoc quoque ergo in genere pumilionum infelicitas dicta erit.

PVNGO, iuxta Nunnesium, sit à κεντῶ, quod idem notat. Sed pungo

priùs fuit *pugo* quod à πήγω, *figo*. Nam qui *pungit*, aciem in aliquo *figit*. Vel *pungo* à *pugno* fit τῷ μεταθέσει, quâ solâ, si sonum spectes, *pungo* à *pugno* differunt. *Pugio* à *pugo*, pro *pungo*. Nisi cum Festo malis esse à *pugno*. Nam & Græcis ἐγχειρίδιον similiter vocatur, quia commodiùs comprehendatur manu, quàm gladius. Huc quoque pertinent *punctum*, & *punctariolus*. Festus: *Punctariolas, leues pugnas appellat Cato in eâ, quam dixit de re Historia militari*. In schedis Farnesianis est *punctatoriolas*. Sed *punctatoriolas* etiam est in Paullo MS°.

PVNICVM à *Pœnu*. Festus: *Punicum quod appellatur, genus libi, translatum à Pœnu*.

PVPILLVS est à *pupus*, hoc est, *puer*. Glossar. *Pupus*, βρέφος νήπιον. *Pupus* Becmano à בוב, hoc est, *pupus fuit*. Iidem *pupilla*, (quo Appuleius vtitur Apolog. II.) est à *pupa*, hoc est, *puella*. Martialis. lib. IV. epigr. XX.

Dicit se vetulam, cùm sit Cerelia pupa.

Hinc per μετωνυμίαν ligni imagunculas dixere *pupas*. Gloss. vett. *Puppa*, θαγγόνη, ἢ τὸ παιδίον νύμφη. Hoc pacto vsurpat Varro Abong. *Magna pars in desiderium puparum & sigillorum veniebat*. Item Persius, sat. II.

Nempe hoc quod Veneri donata à virgine pupa.

Ac Belgæ quoque eodem modo *poppen* vocant. Idem etymon *pupilla* pro instrumento visus; quomodo vsus Lucretius, lib. III.

Vt lacerato oculo circum si pupula mansit
Incolumis, &c.

Et Cinna:

Iam grauis ingenti conniuere pupula somno.

Varro item apud Nonium:

———*Non vmbrantur somno pupulæ.*

Hinc patet, vt apud Græcos κόρη tum *virginem* notat, tum *visus instrumentum*: ita & *pupula* Latinis tum esse *organum visus*, tum *puellam*: ac primariò quidem signat *puellam*, secundariò *organum visus*, quia nempe *in eo puelli seu puellæ imago conspiciatur*. Non audiendus Isidorus lib. XI. cùm ait, *Vocatur pupilla, quòd sit pura atque impolluta, vt sunt puellæ*. Idem de ijs iudicium esto, quibus placet μεταφορικῶς *oculo* accommodari, quia *is virginis instar sedulò asseruatur*. Item de ipso B. Chrysostomo, cum Homilia Antioch. XX. ait, κόρην propriè de *oculo* dici, sed *virgini* tribui, quia sicut ille duabus palpebris, velut in quodam conclaui clausus est, ita & virgo domi diligenter conclusa permaneat. Pro *pupus* etiam dixere *pusus*, vnde apud Varronem, VI. de L.L. *pusum* & *pusam* pro *puerum* & *puteram* siue *puellam* legimus. Idem indicat nomen *pusio*. Nam id ipsum à *pusus* deducere malim, quàm à παιδίον, vt δ in *s* conuertatur: quæ Angeli Caninij sententia est. Ab eodem *pusulus*, vnde *pusillus*, vt à *pupulus*, *pupillus*. Hinc *pusillitas* apud Tertullianum, lib. aduersus Hermogenem; & lib. II. aduersus Marcionem.

PVPPIS, à *post*, quasi *postica pars*, iuxta Isidorum, lib. XIV. cap. II. Sed hoc durius. Vti & quod Becmano placet venire à τοῦ ὄπις pro ὄπισθεν, hoc est, *vbi retro*. Acutiùs & verisimiliùs Martinius deducit à πόποι, quomodo Dryopum lingua vocantur οἱ δαίμονες, vt Plutarchus, de audiendis poëm. scribit, ac Hesychius firmat. Vsus Homerus, apud quem χείρας ἀνασχὼν ἐπέφθεγξε, ὦ πόποι, hoc est, *ô Dij*, siue *pro Deum fidem*. Eò autem *puppis* à πόποι, quia tutela, quæ Deus Deave, in puppe poneretur. Hæc ex ijs meliùs intelliguntur, quæ de παραστήμ… alibi diximus.

PVRPVRAM Latinis à *puritate lucis* vocari scribit Papias & ante eum Isidorus, lib. XIX. Orig. cap. XXVIII. Sed mirum eum sic ineptire cùm agnoscat Græcis dici πορφύραν. Nam quod ait Latinis sine adspiratione, Græcis cum adspiratione proferri, id tanti non est, vt ideo ea vox Latinis debeat adscribi. Sanè vt à πορφύρα, *purpura*, ac ab ἀφύη, *apua*. Est verò *purpura* propriè conchæ genus, cuius liquore olim vestes tingebantur. Nam nunc quidem veterum *purpura* desiit. Varro, IV. de L.L. *Purpura à purpura maritima colore*. Plinius, lib. IX. cap. XXXVI. *Purpura florem illum tingendis expetitum vestibus, in medijs habent faucibus. Liquoris hic minimi est, in candida vena, vnde pretiosus ille bibitur, nigrantis rosæ colore sublucens. Reliquum corpus sterile. Viuas capere contendunt, quia cum vita succum eum euomunt. Et maioribus quidem purpuris detracta concha auferunt, minores trapetis frangunt, ita demum rorem eum excipientes Tyrij.* Quomodo inuenta sit *purpura*, commemorat Iul. Pollux, lib. I. cap. IV. & Nonnus, Dionys. lib. XL. & ex ijs Angelus Politianus I. Miscell. cap. XII. Operæ vero est ijs addere, quæ de hac siue fabella siue historia refert Rondeletius, lib. XVII. de piscibus, cap. XVIII. Μετωνυμικῶς verò *purpura* sumitur pro *panno purpurâ imbuto*. Imò & voce *purpura* Martialis & alij vtuntur pro *magistratu*, aut *nobilitate*: cuius caussa est, quod *prætextu purpura* vsque ad Augusti tempora *magistratus* fuerit *insigne*: quâ, labente disciplinâ, etiam multi ditiores nobilioresque extra *magistratum* vtebantur. Quâ ratione *nimem* etiam *purpuream* dixerit Pedo Albinouanus, diximus in Oratorijs institut. lib. IV. cap. XIII. A *purpura* est *purpurites*, marmoris genus Græcè πορφυρίτης: vbi respicitur πορφύρας. De hoc marmoris genere Plin. l. XXXVI. cap. VII. *Rubet porphyrites in eadem Ægypto. ex eo candidis intervenientibus punctis leucostictos vocatur.* Est & *porphyrites ficus* apud Plinium, lib. XV. cap. XVIII. Nomen ex eo quia *purpura* colorem referat. *Purpuro*, πορφυρίζω. Appuleius, lib. X. *Labias modicas ambrosio rore purpurantes*. *Purpurissum* Græcè τὸ πορφυρίζον χρῶμα. Est *spuma fermentis purpura*, vnde color efficitur, quo pictores vtuntur & feminæ genas tingunt. *Indicum purpurissum* inter floridos colores refert Plinius, lib. XXXV. cap. VI.

PVRVS à *purgo*, *g* eiecto. *Purgo* à ῥύπτω, *sordes eluo*, *purgo*: nempe τῷ μεταθέσει, & *T* in *g* conuerso. Vel potiùs *purgo* à verbo *puro*: vnde *purgo* quasi *purigo*. *Puro* autem à πῦρ, vt propriè dicatur de metallis, quæ igne purgantur. Confirmat hoc etymon, quod similiter *putus* & *putare* sint à πυρὸς & πυρόω, quod est *aurum explorare*. Vel erit *purus* à בר, *mundus*, *purus*, seu בר, *puritas* à Rad. ברר, *mundare*: ב abibit in tenuem, quomodo à שבר, id est, *spes*, venit *spero*.

PVS Græcè non tantùm πύον, sed & πῦος dicitur. Vsus Hippocrates de morb. Τὸ ἂν διάγηται καὶ γαλακτώδης τὸ πῦος ἐν τοῖς παιδίοις ἀποπάτησι. Charisius, lib. I. cap. De monoptotis: *Pus*, πῦος. Rectè itaque *pus* ex πῦος venire, iam olim monuit ad Plinium Hermolaus. Similéque est à θύος *thus*. Nempe extritum ο, quomodo à μένος est *mens*; vel contractio facta: πῦος πῦς, θύος θῦς. Alij deducunt à πύθω, hoc est, *puteo*. Sed πύθω potiùs est à πύον; vt dicatur de ijs, quæ *purulenta* sunt. A *pus* est *pustula* quia *pus continet*. Quare non assentio Petro Nunnesio, qui *pustula* deducit à φλυκταίνα, quod idem notat. Pro *pustula* dicitur & *pusula*: vnde *ouis pusulosa* apud Columellam lib. VII. cap. V. Μεταφορικῶς ad alia extenditur: vnde *pusulatum argentum*, quomodo legitur in Pandectis Florentinis; siue *pustulatum*, prout legitur apud Suetonium in Nerone cap. XLIV. *Exegitque*, inquit, *ingenti fastidio & acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurum ad obrussam, vt plerique omnem collationem palàm recusarent*. Vnde *pusulatum* dicatur, negat se facilè dicturum Budæus Annot. prior. in Pandectas. Mihi videtur *pustulatum* seu *pusulatum*, à *similitudine pusularum* seu *pustularum*, quas in animante morbido, vel panibus coctis exurgere videmus: vt nempe *pusulatum argentum* dicatur de *nummis adhuc nouitate asperis*: non autem de *argento purgatissimo & excoctissimo*. In quibusdam Suetonij codd. pro *pustulatum* legitur *postulatum* per O: vti & apud Martialem, lib. VII. epist. LXXXV.

Argenti tibi libra postulati.

Itaque & nonnulli à *postulando* deducunt, eò aduocantes illud Iuuenal. sat. VII.

Accipe victori populus quod postulat aurum.

Sed omnino est à *pustulis*: eóque per *V* scribendum, quamquam & si per O scribatur eadem futura notio. Nam veteres in multis O & *V* promiscuè vsurpabant. Vide Turnebum, lib. XXIV. cap. II.

PVTEO à πύθω, à quo ipso fit *putreo*, inserto R, vt à φλέγω, *flagro*. *Puteo* vsurpat Persius, sat. III.

———*Nec inuideas, quòd multa fidelia putet*
In locuplete penu.———

Quemadmodum autem à *putreo* fiunt *putris*, *putror*, *putridus*, *putresco*: sic à *puteo* sunt *putis*, *putor*, *putidus*, & *putesco* siue *putisco*: vtrumque enim in vett. libb. legitur, sed priùs malim ob ἀναλογίαν, cùm *puteo* sit secundæ, non tertiæ, à quâ fiunt verba in *ISCO*. *Putoris* vocabulo vsus Lucretius, vti & voce *putus*; si quibusdam libris vulgatis habenda fides. Nam in alijs *putre* legitur. Verba apponam:

Atque ideo tantâ mutatum pute ruinâ
Conciderit corpus penitus, &c.

Putiscere pro *putrescere* dixit & Cicero. Locum Nonius suggeret. Neutiquam verò adsentio Paullo Leopardo, qui lib. XVIII. Emend. cap. VI. *putrescerct* apud Cic. corrigit. In veteri quoque Horatij libro reperisse se ait Giffanius, lib. II. sat. III.

———*Cur Aiax heros ab Achille secundus*
Putescit toties seruatis clarus Athenis.

Rectiùs sanè, quàm in vulg. *putrescit*.

PVTEVS, *vnde sumi potest*, vt credidit Varro lib. IV. de L.L. Putabat autem Ianus Guilielmus, Plaut. Quæst. ad Mil. glor. cap. II. Varronem alludere ad illum Plauti locum Milite Glorioso, Act. II. VI.

Nam ex tuo puteo (ita emendat è veteri lib. Lipsius, pro

quo

quo vulgari è *summo puteo*) *similior nunquam potest*:

Aqua aqua inmi, quàm hæc est atque ista hostia.

Sed etymologiâ hâc nihil ineptius. Quare meritò idem ἐτυμολογίαν alteram superiori originationi adiicit his verbis: *Nisi potius, quod Æoles dicebant τὸ πύθον καὶ ποίημα. sic potura à potu, non vt nunc à πόσει.* Qui locus corruptissimus. Placet emendatio Scaligeri, *Nisi potiùs quod Æoles dicebant πότηρ, διὰ τὸ πίνειν, non vt nunc φρέαρ.* Quæ ἐτυμολογία longè verisimilior. Vel erit *puteus* à βυθὸς, hoc est, *fundus*: quod Angelo Caninio & Petro Nunnesio visum, vt media mutetur in tenuem, quomodo à βόσκω est *pasco*, à βαθὺς *pateo*, &c. Possis & deducere à *potu*. Isidorus, lib. XIII. cap. XXI. *Puteus est locus defossus, ex quo hauritur aqua, à potatione dictus.* Sed hoc etymon non multùm abit à posteriori Varronis, quando *poto* quoque est à πόω, vnde Æolicum πότηρ, vt eundem ad fontem recurrere sit necesse. Et sanè ἐτυμότης ea verissima omnium. Nam propriè *putei*, scrobes fossæ, vt recipiant aquam & *potum* suppeditent. A *puteus* diminutiuè dictum *puticulus*, vnde *puticuli* extra portam Exquilinam dicebantur cauernæ terræ, in quibus antiquitus sepeliebantur. Festus. *Puticulos antiquissimum genus sepulturæ appellatos: quòd ibi in puteis sepelirentur homines.* Nisi potiùs, quod ibi *putescerent* homines, vt Ælius Gallus volebat. Quod ibidem addit Festus. Ac vtrumque iam antè docuerat Varro in IV. de L. L. Itidem dubitatum, an oppido non procul à lacu Auerno *Puteol.* nomen datum sit à *putore* olido aquarum calidarum ob sulfureum solum: an potiùs à frequentia *puteorum*. Vtrumque legas apud Varronem, lib. IV. de L. L. item Strabonem in V. & Festum. Mihi vtrumque à *puteus* sic dici magis placet, idque ἀπροσδιονύσως. A *puteo* quoque *puteal*, vt à *toro toral*. *Puteal* dicebatur, quo *puteus* operitur. Vnde in Glossis exponitur φρεάτιον, quo signatur τὸ τοῦ φρέατος σκέπασμα. In foro Romano erat *puteal* Libonis, vt docet Sextus Rufus lib. de regionibus vrbis. Itaque hæc iungit Horatius, lib. I. epist. XIX.

——— *Forum putealque Libonis.*

Hic fœneratores versari: vnde Cicero pro Sextio: *Putcali, ac fœneratorum gregibus illatus*, Per. sat. IV.

Si puteal multâ cautus vibice flagellas.

Nempe morem exprimit fœneratorum, quo diem integrum ad Libonis puteal consisterent. Quamquam hoc de loco non consentiunt interpretes. Vide si voles quæ ad eum Casaubonus scripsit: item Rævardum, lib. V. Variorum, cap. VIII. Iosephum Scaligerum ad Festum, voce *Sceleratus campus*, & Salmasium ad Solinum. Erat & *puteal* in Comitio, sub quo defossa Attij Nauij nouacula, quâ cotem descidit temporibus regis Tarquinij Prisci. Cicero, lib. I. de Diuinat. *Ex eo euenit, vt & Tarquinius Atto Nauio vteretur, & populus ad eum de suis rebus referret. Cotem autem illam & nouaculam defossam in Comitio, putealque impositum accepimus.* Mirum hoc de loco sic Dionysium Halicarnass. scribere, Κεῖται δὲ φρέαρ ὑπὸ τῷ βωμῷ τῆς ἀγορᾶς. Nam φρέαρ, *puteus*; *puteal* verò *operculum putei*. Nec necesse est *puteum* esse, vbicumque *puteal* imponitur. Imò vbi *puteus* sit, non *puteal* vocabitur, sed *puteus*: quia *puteal* est *putei* caussâ, non contrà. *Puteal* hoc idem Dionysius βωμὸν appellat, hoc est, *aram*. Nimirum *ara* erat, sed *in medio foramen habens*, eóque *puteal* referens.

P V T V S duplicem habet notionem. De vtraque dicam. Interdum notat *purus*, ac dicitur tunc à πύθω, eliso θ, quomodo à πόσθη est *puta*, de quo post dicam. Atque hanc caussam putant, cur prima producatur Iuuenali, sat. IX. & X. vbi ait:

———*Argenti vascula puti.*

Vbi tamen in aliis libris est *puri*. Nonnulli *putus* à *puto* deducunt. Sed hi nihil dicunt, quando ipsum *puto* est ab eadem origine; nempe à πεύθω, vnde πυνθάνομαι venit. Est autem à πεύθω, *puto*; vt à νέω, *nuo*; à φυτεύω, *sutuo*, &c. Hinc patet propriè *aurum argentúmve* dici *putum*. Nam πεύθειν, seu πεύθεσθαι, est *aurum explorare*. Theocritus:

———χρυσὸν πεύθοντι λυδικῷ.

Sed πεύθεσθαι etiam est *audire*, vel *fando accipere*. Itaque vt *puto*, pro *putum facio*, sit à πεύθεσθαι, quà significat *explorare*; tamen *puto*, pro *opinor*, videtur potiùs esse ab alterâ notione τοῦ πεύθομαι quâ nempe *puto* propriè est *opinari aliquid quod sis fando acceperis*. Mihi quidem id non displicet. Sed veteres existimant, etiam hâc notione ab eadem origine venire, quâ *puto* pro *purgo*. Ostendit hoc iste Gellij locus, lib. VI. cap. V. *Verbum ipsum puto, quod declarandæ sententiæ nostræ caussâ dicimus, non significat profectò aliud, quàm id agere nos in re dubiâ obscuráque, vt decisis amputatisque falsis opinionibus, quod videatur esse verum, integrum & incorruptum, retineamus.* Proximè verò antecessit: *Putare veteres dixerunt, vacantia ex quaque re, ac non necessaria, aut etiam obstantia, & aliena auferre, & excidere, & quod esse vtile ac sine vitio videretur, relinquere. Sic namque arbores & vites, & sic etiam rationes putari dictum.* Sanè *putare rationes* est quod Græci similiter dicunt ἀποψηφίζειν λογισμούς. Item *putare* dicimus *vites arborésve*, quia cùm id quod impedimento erat, recisum est, remanent puræ. Indéque dea *Puta*. Arnobius, lib. IV. *Putationibus arborum, Puta, inquitis, præsto est.* Ab eodem *putamen*; vt à *leuando*, *leuamen*; à *moderando*, *moderamen*. Nonius: *Putamina non solùm arborum sunt, verùm omnium rerum purgamenta. Nam quicquid ex quacumque re proiicitur, putamen appellatur.* Item *disputo*. Varro, lib. V. de L. L. *Is sermo, in quo pura disponuntur verba, ne sit confusus, atque vt discernat, dicitur disputari.* Fortasse tamen simpliciùs dixeris esse à *dis*, & *puto*, hoc est, *opinor*. Nam cùm disputatur, diuersis opinionibus contenditur. Et hæc de priori notione vocabuli *putus*. Præterea *putus* notat πόσθωνα, éstque *putus* à *puta*, hoc est, πόσθη, à quo ipso etiam *puta* deriuatur; Quemadmodum à *puta* sunt *præputium*, & *salaputium*, vt de vtroque vocabulo seorsim dicimus. Ab hac *puti* significatione ὑποκοριστικῶς *putillus*, quod apud Plautum legimus, Asinaria, Act. III. Sc. III. vbi Libanus Philenium poscit, vt se appellet columbam suam, *putillum*, passerculum, &c. Nempe eâ ratione se à *puta*, *putillum*, vocari petit, quâ Augustus Cæsar Horatium vocabat *purissimum*, siue, vt alij legunt, *nitissimum penem*: quemadmodum tradit Tranquillus in eius poetæ vita, à Nannio & Cruquio edita. Nec *pueros* tantùm *putillos*, sed & *puellas* dixere *putillas*, vnde Horatius, lib. II. sat. III. *Putam aut putillam appellet.* Sic notis in Catalecta legendum monet Iosephus Scaliger, approbante id suæque meritò coniecturæ præferente ipso Cruquio. In quibusdam est *Pusam, aut pusillam*, in aliis *Rusam, aut pusillam*: quomodo & habet Veneta anni CIↃCCCCLXXVIII. Sed neutra vox loco accommodata est: atque adeò in *pusillam* metrum quoque reclamat: cùm prima sit correpta.

P Y G A R G V S *auis* à πυγὴ, & ἀργός. Ac πυγὴν paret *nates* notare: At non itidem manifestum, num ἀργὸς hîc sit *albus*, an *otiosus*. Quod ipsum etiam minùs paret de versu isthoc,

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Nam dubium, vtrum transferre oporteat,

Cres semper mendax, mala bestia, venter iners est;

An verò,

Crês semper mendax, mala bestia, venter & albus:

vt nempe ventri is color tribuatur quâ ratione Sulpitia in Satira dixit, *ingluuie albus*. Si placet *pygargus* esse ab ἀργός, hoc est, *otiosus*: sic dicetur κατ' ἀντίφρασιν, quia rarò est *natibus otiosis* vt quæ sit admodum salax. Hanc etymologiam adfert Vlysses Aldrouandus, lib. II. ὀρνιθολογίας, cap. V. eámque acceptum fert Cælio Rhodigino, lib. IV. antiquarum lectionum cap. VIII. Sed nihil tale ab eo dici de *aue*, parebit verba Cælij cum curâ legenti. Legitur enim de *homine in Venerem haud segni*; quem inde sic posse dici, etiam Varinus annotârat. Reuera etymon ineptum est; quemadmodum vniuersa antiphrasis nihil aliud est nisi Grammaticorum commentum. Quare si sit ab ἀργός, quà *otiosum* notat; sic dicetur, quia *reuera iners & fortis non in Venerem segnis*. Vera autem est sententia Hesychij & Varini, cùm sic dici scribunt παρὰ τὸ ἔχειν τὴν πυγὴν ἀργὴν καὶ λευκήν, *quòd caudam habeat albam*, q. d. *albiclunam*. Nam non tantum anus ei albis vestitur plumis, quod pluribus aquilis commune; sed totâ caudâ pennas habet albicantes. Confirmat hanc etymologiam Plinius: lib. X. cap. III. vbi cùm sex fecisset aquilarum genera, déque primo, hoc est, melanaeto egisset, de altero scribit hunc in modum: *Secundi generis pygargus in oppidis mansitat & in campis, albicante caudâ.* Est & *capra syluestris* genus, quod ab *albis clunium pilis* idem nomen adeptum est. Meminit eius Plinius, lib. VIII. cap. LIII. Dubium vtrâ significatione vtatur Iuuenal. sat. vndecimâ. Qui *auem* intelligi volunt, eo argumento vtuntur, quod proximè sequatur *Et Scythicæ volucres*. Sed si hoc argumentum validum est, obduci poterit, quòd proximè *apri* mentio antecedat, eóque hîc quoque *quadrupes* intelligi debeat. Et sic sanè accepit vetus Scholiastes; cuius hæc verba: *Pygargus fera est specie ceruus, quæ posteriores partes albas habet, ideo & pygargus dictus est, quia Græcè nates πυγαὶ dicuntur.* Sed pro altera interpretatione sunt verba hæc, quæ versu vnico post in alienum traiecta locum leguntur: *Pygargus, auis genus, quæ lagopus appellatur.* Sic is Scholiastæ locus legendus. *Lagopidem* verò *auem* esse docet Plinius, lib. X. cap. XLVIII. Meminit eius & Martialis, lib. VII. ep. LXXXVI. si sana quidem vulgata est lectio: de quo alibi dissertamus.

P Y R A à πῦρ, hoc est, *ignis*. Nam ita vocatur *ignis rogi*: vel *strues lignorum ad cremanda cadauera*. Seruius, ad XI. Æn.

Pyra est lignorum congeries. Rogus, cùm iam ardere cœperit, dicitur. Bustum verò iam exustum vocatur. Quem ordinem seruat poeta dicens. Constituêre pyras. Item. Subiectisque ignibus atris Ter circum accensos decurrêre rogos. Item postea, Semustáque seruant Busta. Rectene discrimen hoc statuatur inter *pyram*, & *rogum*, meliùs constaret, si vt *pyra*, ita *rogi*, ἔτυμον apertum foret. Nunc, cùm de *rogo* minùs liqueat, & *pyram* sic ab *igne* vocari clarum sit suspicor, si alterum eorum de *congerie lignorum etiam ante flammam*; alterum *de eâdem, vbi accensa* est, dicatur: potiùs *rogo* prius, posterius autem *pyrâ* denotari. Idem statuendum, si *rogus* sit à ῥωγή, *fissura*, quia è *fissis lignis* fieret, vt coniectat Martinius. Imò etiamsi ex aliorum sententia (cuius & Perottus meminit) ex eo nomen factum, quia *cadauere lignorum struis, vt vratur, imposito, dij manes soleant rogari.*

PYRAMIS, πυραμίς, à πῦρ, *ignis*, quia πυροειδής Ammianus Marcellinus, lib. XXII. *Pyramides ad miracula septem prouecta, quarum diuturnas surgendi difficultates scriptor Herodotus docet, vltra omnem omnino altitudinem, quæ humanis confici potest, erectæ sunt turres, ab imolatissima, in summitates acutissimas desinentes. Quæ figura apud Geometras ideo sic appellatur, quòd ad ignis speciem, τοῦ πυρὸς, vt nos dicimus, extenuatur in conum: quarum magnitudo quoniam in celsitudinem nimiam scandens gracilescit paullatim, vmbras quoque mechanicâ ratione consumit.* At aliis placet sit dictas à πυρὸς, id est, *triticum*, quia cùm in eas rex *frumentum* congessisset, penuriam huius fecit in vniuersa Ægypto. Docet id Stephanus περὶ πόλεων. Ὠνομάσθησαν δὲ πυραμίδες ἀπὸ τῶν πυρῶν, ὃς ἐκεῖ συναγαγὼν ὁ βασιλεὺς, λιμὸν ἐποίησε σίτου κατὰ τὴν Αἴγυπτον. Videtur hoc etymon priori præferendum, eò quòd *pyramis* & πυρὸς conueniant primæ syllabæ modulo, contrà quam fit in πῦρ, eiusque deriuatis. Postremo illud loco addamus, πῦρ esse ab אור, quod idem: vnde & *vro*, & *aurum*, ob *splendorem*.

PYRAVSTES, πυραύστης à πυρὶ αὔεσθαι, *igne vri*. Est insectum lucernis aduolans, exustísque aliis concidens & periens: vnde prouerbium, πυραύστου χάριν, & μόρος πυραύστου. Vide Zenodotum. De *pyraustis* in Cypri ærariis fornacibus, adeundus Plinius, lib. XI. cap. XXXVI. vbi & *pyrallidas* dici ait, nempe ἀπὸ τοῦ ἐν πυρὶ ἅλλεσθαι. In igne viuunt. si longiusculè auolent, moriuntur: vt ex Aristotele Plinius refert.

PYRGVS, vt Isidorus ait, lib. XVIII. cap. LXI. *ita dicitur, quòd per eum tesseræ pergant: siue quòd turris speciem habeat. Nam Græci turrim πύργον vocant.* Posterius verum. Quippe *pyrgus* est *turricula rotunda*, per quam mittebant talos, ne digitis ita à quoquam componi possent, vt caderent ad iacientis voluntatem Horatius, sat. VII. lib. II.

——— *Qui pro se tolleret, atque*
Mitteret in pyrgum talos. ———

Nisi, quæ quorundam suscipio est, *pyrgum* è glossemate in contextum irrepsit. Sanè in plerisque MSS. est *phimum*: quo de vocabulo mox dicam. Pro *pyrgo turriculam* Latino nomine dixit Martialis, lemmate epigr. XVI. lib. XIV. cuius distichon:

Quærit compositos manus improba mittere talos,
Si per me misit, nil nisi vota facit.

Dicitur idem *fritillus*. Seneca in Apocolocynthosi: *Qui contusso magna parastis Lucra fritillo.* Item: *Placuit nouam, inquit, pœnam excogitari debere, instituendum illi laborem irritum & alicuius cupiditatis species sine fine & effectu. Tunc Æacus iubet illum aleâ ludere, pertuso fritillo: & iam cœperat fugientes semper tesseras quærere, & nihil proficere:*

Nam quoties missurus erat resonante fritillo,
Vtraque subducto fugiebat tessera fundo.

E quibus Senecæ verbis, non obscurè cognoscimus *fritillos* non fuisse sine fundo, quod quidam putarunt. In eo enim erat irritus Claudij labor, quòd tesseræ per fundum exciderent, nec Claudius, quo stupore erat, id animaduerteret; sed putaret *fritillos* esse similes iis, quibus in terris vti soleret: vt bene obseruauit ad Martialem Ramirez de Prato. Vsus & *fritilli* voce Iuuenalis penè initio sat. XIV.

——— *Ludit & hæres*
Bullatus paruóque eadem mouet arma fritillo.

Vbi sic vetus schol. *Fritillus pyxis cornea, qui fimus dicitur Græcè. Fritinnire aues dicuntur strepere aut sonare. Apud antiquos in cornu mittebant tesseras, mouentésque fundebant. Aut fritillum pyrgum dixit.* Quod *fritillum* ait dici Græcis φιμὸν, id quoque patet ex Pollucis lib. X. cap. XXXI. vbi inter alia ... ponit φιμός. Ac citat Suidas ex Æschine in Timarchum: καὶ φιμοὺς καὶ κυβευτικὰ ὄργανα. Quod idem Scholiastes à *fritinnire*, μινυρίζειν, *fritillos* dici censet, id indè est, quòd *fritilli* intus trochleatim essent effecti, certásque haberent excisos gradus; quibus tali impingentes sonum strepitúmque ederent *fritinnientium* siue *fritillantium auium* voci non omnino absimilem. Sanè Agathias, lib. I. Ἀνθολ. Tit. εἰς κυβευτὰς clarè κλίμακας siue *gradus* tribuit *pyrgo* durateo seu ligneo, cùm ait: Πύργος δουράτεος κλίμακι κεκλιμένος. Et Sidonius, lib. VIII. epist. XII. ait: *Hic tessera frequens eboratus resultatura pyrgorum gradibus.* Crepitum verò sonúmque talos edere solitos, indicat hoc eiusdem. lib. II. epist. IX. *Frequens crepitantium fritillorum, tesserarúmque strepitus audiebatur.* Et carm. XXIII. quod Narbo inscribitur:

Hic talos crepitantibus fritillis.

Denique etiam *orca* appellatur. Persius, sat. III.

Scire erat in voto, damnosa canicula quantum
Raderet, angustæ collo non falleret orca.

Orca autem dicta à *similitudine vasis, in quo salsamenta reponebantur*. Id enim propriè *Orca* ab Æolico ὄρχα, quod est κεράμιον ...ος, vt diximus in *Vrceus*.

PYRITES, ὁ πυρίτης λίθος, à πῦρ, *ignis*. *Pyrites* nunc *lapidis* nomen est, nunc *gemmæ*. Quomodo *aetites* nunc de *lapide* nunc de *gemma* dicitur: ille sic vocatur, quia *in aquilæ nido inuenitur*, hic quia *aquilæ referat colorem*. Ac pro *lapide* quidem trifariam sumitur. Primùm, quia *igni resistat*, nec enim igni rumpitur: eóque focis idoneus est: vnde & πυρίμαχος vocatur. Idem est qui μυλίας vel μυλίτης, hoc est, *molaris*, appellatur. Vnde Plinius, lib. XXXVI. cap. XIX. *Molarem quidam pyritem vocant.* Subiungit deinde Plinius: *Sed est alius etiamnum pyrites, similitudine æris.* De quo sic Dioscorides, lib. V. cap. CXLIII. Πυρίτης λίθος ἐστὶν εἶδος, ἀφ' οὗ χαλκὸς μεταλλεύεται. ληπτέον δὲ τὸν τῷ χρώματι χαλκοειδῆ, δυσχερῶς δὲ σπινθῆρας ἀφιέντα. *Pyrites est lapidis genus, à quo conflatur æs. Eligi debet, qui est similitudine æris, facilèque edens scintillas.* Est & tertium *pyritarum* genus *plurimum habens ignis*, vt ibidem ait Plinius. Atque addit: *hi clauo, vel altero lapide percussi scintillas edunt, quæ excepta sulphuratis, aut fungis aridis, vel foliis, dicto citiùs ignem præbent.* Atque id ipsum legere est apud Isidorum, lib. XIV. cap. IV. Ab his tribus generibus differt ὁ πυρίτης λίθος, *pyritis gemma*, quæ ex eo nomen accepit, quia *attritu digitos adurit*: vt idem Plinius ait, lib. XXXVII. cap. XI. Apud Solinum pro eo legitur *pyrrhites*; quasi esset πυρρίτης à πυρρὸς, hoc est, *fuluus*. Sed *nigri* est *coloris*: & Plinius ab *igne* sic vocari non obscurè indicat. Quare locus ille Solini ex Plinio corrigendus. Isidorus confudit *gemmam* cum *lapide*. Nam quod de *gemma* diximus, tribuit *lapidi* æris qualitatem habenti & scintillas emittenti. Vide eum, lib. XVI. orig. cap. IV.

PYROPVS, πυρωπὸς, *mixtura trium partium æris, & quarta auri*, vt è Plinij lib. XXXIV. extremo, c. VIII. colligit Onuphrius Panuinus, lib. I de ludis Circensibus. cap. XVII. vbi & docet orbes, qui in circis superimponi solent obeliscis soli sacris, ex *pyropo* fieri solere. Idque quia *similis* quodammodo sit *soli*, quando vt ille plurimum ignis calorísque habere videtur, ita & *pyropus* calore solis quasi ignescat. Itaque idem Onuphrius scribit, basilicam S. Petri visam sibi ab obelisco Vaticano, qui in proximo est, reuerberantibus Solis radiis ita accensam, vt ardens clibanum videretur. Quare satis liquet; sic dici quia habeat πυρὸς ὦπα, hoc est, *ignis faciem*. Quidam ἀνθρακοειδῆ decepti putarunt esse *carbunculum*, quia & hic item à *carbone* nomen accepit. Sed *carbunculus*, gemma: *pyropus*, metalli genus est.

PYRRICHIVS pes, qui nonnullis *proceleusmaticus*, aliis verò inter dissyllabos, vt duo *pyrrichij* proceleusmaticum faciant, sic dictus est à *pyrrichâ*. Ita Martianus Capella, lib. IX. Marius Victorinus, Cledonius. Isidorus, lib. I. cap. XVI. itémque alij. *Pyrriche* verò est ὄρχησις ἐνόπλιος, *saltatio in armis*, teste Polluce in Onomast. Theone in Aratum, &c. Iulio autem Scaligero, lib. II. de R. P. cap. III. placet *pyrrichium* dici à πῦρ, hoc est, *ignis*, idque ob igneam celeritatem. Sed & quorundam ex antiquis fuisse hanc sententiam docet Diomedes, lib. III. qui & tertiam nominis caussam adducit, vt sit à *Pyrrho*, Achillis filio Pro quo alij *Pyrrhicum* Cretensem malunt dicere Dubium. vtrum scripserit Plinius, lib. VII. cap. LVII. vbi legitur: *Saltationem armatam Curetes docuere; pyrrichen Pyrrhus, vtramque in Creta.* Vbi *Pyrrichen* à *saltatione* ἐνόπλιῳ distinguit, non quasi sit planè diuersa, sed quia rudior illa à *Curetibus*, ex arte à *Pyrrho*, vel potiùs *Pyrricho*, Cretense: vt constat ex Strabone in X. & Eustathio in Il. Π. Marius quoque Plotius, qui ante annos paucos ab Heliâ Putschio lucem primùm editus est, hasce de *pyrrhichio* opiniones his verbis complexus: *Pyrrichius pes è duabus breuibus constat, temporum duum, vt herus: qui à Pyrrhicha lusus genere nomen accepit, quia hoc sono milites vsi sub armis per ludum, vt ille ait,*

ciebant

vitbant simulachra pugnarum. Ipsa tamen Pyrrhica dicta est à Pyrrho Cydoneo, qui primus Cretenses sub armis saltare, ad huius pedis sonum instituit. Alij à Pyrrho Achillis filio, quem dicunt primum in tumulo patris sui armatum honoris gratiâ saltasse. Aristoteles autem Achillem ait huius lusus inuentorem fuisse. Quibusdam placet ab ardore, hoc est, à velocitate sui sonus nomen accepisse hunc pedem ἀπὸ τοῦ πυρὸς, *id est, à flamma, ac per hoc à velocitate, cognatus enim sensus ardoris & velocitas est; vnde, Instant ardentes Tyrii, hoc est, festinantes: Et, Ardet abire fuga, hoc est, festinat.* Pro *Pyrrho Cydoneo* puto & hîc *Pyrrhico* scribendum Sic enim vocant Nicolaus Damascenus apud Stobæum. Strabo, lib. x. Eustathius, atque alij. *Pyrrichum saltationem* egregiè describit Dionysius Halic. extremo lib. VII. Vide & Diodorum Sic. lib. IV & VI. Biblioth.

PYTHAVLES legas apud Senecam, epist. LXXVI. Nisi legendum *pitiaules*. Vt enim ab ἀσκὸς ἀσκαύλης, qui Latinis *vtricularius*: sic fuerit πιθαύλης qui πίθῳ αὐλεῖ, siue πίθος & ἀσκὸς sint idem organum, seu figuræ vicinæ. Sanè πίθος, *dolium*; αὐλὸς *tibia*. Ergo πιθαύλης ex eo dicatur, quia tibiæ genus, quo *pythaules* vtitur, πίθον refert, vel, si malis, *vtrem*; vnde & *tibiam ipsam* Latini *vtrem* vocant, & eos, qui *tibiâ istâc* canunt, *vtricularios*; quam vocem inuenies apud Suetonium in Nerone, cap. LIV. Sed verius qui *Pythaulem* scribant per *Y*, atque ita dici arbitrentur *tibicinem Pythicum*, hoc est, *Delphicum*, siue qui *Delphis Pythia* cantare soleat. Vt ille Horatius memoratus epistola ad Pisones:

———Qui Pythia cantat,
Tibicen, didicit prius, extimuitque magistrum.

Quia ad etymon hoc præit Hyginus Mythologicon cap. CCLXXIII. *His quoque ludis Pythaules, qui Pythia cantauerunt*: Nicolaus tamen Loënsis, Epiphillidum lib. III. cap. XXVII. *Pithaules* retinet. Sed is censet esse πιθαύλης ἀπὸ τῆς πειθοῦς, quia *Suada* quædam, siue *Pitho*, modulationi *pithaularum* inesse videtur. Est & qui *physaules* malit à φυσᾶν, hoc est, *inflare*, quia inflentur tibiæ. Sed nô dubito, quin rectum sit *Pythaules*. At, inquiunt à *Pythys* esset *Pythiaules*. Rectè si à *Pythys* potiùs quàm *Pythone* deduceremus. Nempe non cogitant *Delphos* priùs Πυθὼ vocatos, vnde πυθαύλης, *qui caneret* αὐλοῖς πυθικοῖς, vt eos vocat Pollux, hoc est, qualibus Πυθοῖ siue *Delphis paana*, siue *Pythia* solent cantare.

PYTHIA nunc *appellatio est sacri certaminis in Apollinis Pythij honorem instituti*: nunc *Phœbadis* vaticinantis, quæ Apollinis tripodi vel ὅλμῳ insidens, genitalibus, vt aiunt, partibus subeuntem excipiebat cum halitu spiritum, inde repleta furore, crinibúsque resolutis, ac spumas ore emittens de rebus cùm futuris, tum dubiis, respondebat. Fiebat id *Delphis*, quæ & ipsa aliter *Pytho* dicebatur. Porrò tum *Apollo Pythius*, tum *sacerdos Pythia*, tum *vrbs Pytho* à nonnullis sic dici videntur à πυθέσθαι, hoc est, *interrogando*, propter oracula, quæ consulebantur: quam Strabo lib. IX. adfert rationem. Alijs verò, quia in primigenio ac deriuatis quantitas primæ syllabæ differt, magis placet id nomen dedisse his *serpentem* ab Apolline interfectum, qui *Delphis computruit*, quod Græcis est πύθεσθαι; quam nominis rationem vnà cum priori adfert Eustathius ad Dionysium περιηγητήν. *Serpentem* verò dictum *Pythonem* præter alios indicat Ouidius, qui & inde ludos *Pythia* dictos ait, I. Met.

Instituit sacros celebri certamine ludos
Pythia, perdomiti serpentis imagine dictos.

Non dubium autem quin *serpens* sic dicatur, non quidem à πύθω, hoc est, *putreo*, vti volunt: sed à פתן, quod & ipsum *serpentis genus* notat: *aspidem* vertunt Psalm. LVIII. 5. *Apollo*, vti notum, *Delphis* colebatur sub *serpentis* symbolo: vnde & vrbs Πυθὼ, & ipse *Pythius* vocatur. Res tota ab Oriente. Itaque & I. Samuelis, cap. XXVIII. vers. 7. *Pythonissa* vocatur domina אוב, *ob*, siue *oph*: quod idem. Sanè ab *oph* est ὄφις.

PYTISMA, an *pitisma* dici debeat, in controuersia est. Πύτισμα est *sputum*; à πυτίζω, *sputo*, teste Etymologo: hoc verò à πτύω, *spuo*. A πυτίζω verò est πυτισμὸς, quæ Latinis *pitissatio*, vt Adelphis: *Vinu quod pitissaui mihi*? Nisi malis *pityssaui*, vt dicatur Græcè πυτίζω. Vnde fit πύτισμα. Et sanè *pitysmate* penè in omnibus Iuuenalis codd. legas sat. XI.

———Ille fruatur
Vocibus obscœnis, omnique libidinis arte,
Qui Lacedæmonium pitysmate lubricat orbem.

Quos de versu mirè dissentiunt Critici, iam inde à Politiano, qui Miscellaneorum cap. XXXVIII. Domitium Calderinum impugnat, eò quòd *pitysmate* interpretatur *sputo*. At ille meliùs sanè quàm Politianus, qui *pitysmate* legit. Vide *Pitissare*.

PYXIS, πυξὶς, à πύξος, *buxus*. Propriè igitur dicitur de *vasculis è buxo*. Sed per abusionem alijs accommodatur: quomodo *pyxidem auream* dixit Petronius Arbiter: atque apud alios *argenteam* ac *corneam pyxidem* legas. Hinc Fabius, lib. VIII. κατάχρησιν exemplum allaturus, *Pyxides*, inquit, *cuiuscumque materiæ sunt*.

Q

QVADRA est à *quatuor*, conuerso tenui *T* in mediam *D*. Itaque nunc, quod est *quadratum* significat, vt cùm apud Vitruuium, lib. III. cap. III. notat *plinthum stylobatæ*: nunc *quartam partem*, & generatim *partem* siue *segmentum*. Sanè Seruius ad illud VII. Æn.

———Patulis nec parcere quadris:

scribit, *Quadris*, id est, *aut mensis*, & *est Antonomasia. Nam supra orbem dixit. Aut quadris fragmentis accipimus*: vt Iuuenalis:

Vt bona summa putes alienâ viuere quadrâ.

Itaque & in Philox. Glossis, vbi vulgò legitur, *quadra*, πίναξ, rectè τόμος emendat Scaliger: inque iisdem vbi est *quadra* βρωμα, rectè corrigunt ψωμός. Sanè Horatius quoque *pondere quadras* dixit l. I. epist. XVIII.

Et mihi dimidio findatur munere quadra.

Hæc illis, siue illa his adde, quæ de *quadra* ad Moretum scripsit Scaliger. In Architectura quæ sint *quadra*, docebit Vitruuius, & eius interpretes.

QVADRANS à *quatuor*, *T* mutato in *D*, vt in *quadra* fieri diximus. Est *quarta pars assis*, hoc est, *tres vnciæ*, vnde prius *triuncis* vocabatur. Plinius, lib. XXXIII. cap. III. *Quadrans antea triuncis vocabatur à III. vnciis*. Eadem de caussa dicitur *teruncius*; sed hoc discriminis inter *quadrantem* & *teruncium*, quòd ille *æreus*, hic *argenteus* esset. Materiâ igitur, non pretio, differunt. Olim *quadrans* erat *merces transuectionis*, vnde & *ratitus* dictus. Varro, IV. de L. L. *Velaturam facere etiam nunc dicuntur, qui id mercede faciunt. Merces dicitur à merendo, & ære. Hinc vectura, quas soluebant hi, qui ratibus transibant, Quadrans*. Ex eo Lucillius scripsit:

———Quadranti' ratiti.

Sed hoc de loco Lucillij aliter sensit Plinius eopse capite: *Nota*, inquit, *æris* (hoc est *assis*) *fuit ex alterâ parte Ianus geminus: ex alterâ rostrum nauis, in triente verò & quadrante rates*. Et Festus Pompeius: *Ratitum quadrantem Turpilius in libro quem inscripsit de .... & Oppius* (f. *Opilius*) *Aurelius dictum putant, quòd in eo & triente, ratis fuerit effigies, vt nauis in asse; à qua quidem re appellatum quoque ratitum dicunt*. Quod de *quadrante* à *Tarquinio Superbo* primùm signato scribit ad hunc locum Scaliger (quem & Lipsius & alij secuti,) id Farnesiano exemplari refellitur, e quo *Tarquinium Grammaticum* nominari patet non *Tarquinium regem*. Fuit & *quadrans* præmium balneatoris Horat. lib. I. sat. III.

———Dum tu quadrante lauatum,
Rex ibis.———

Iuuenal. sat. VI.

Cædere Syluano porcum, quadrante lauari.

Hinc Cicero pro Cælio: *Nisi fortè mulier potens quadrantariâ illa permutatione familiaris facta erat balneatori*. Et Seneca epist. LXXXVI. *rem quadrantariam* dixit pro *balneo*. *At olim & pauca erant balnea, nec vllo cultu exornata. Cur enim ornaretur res quadrantaria, & in vsum, non in oblectamenta reperta?* Clodia quoque, Metelli Celeris vxor, soror P. Clodij, à Cælio (vt Fabius testatur, lib. XI. cap. VI. de tropis, quo loco de allegoria tractat) dicta est *quadrantaria Clytemnestra*; *Clytemnestra* quidem, quia maritum sustulit, vt *Clytemnestra* Agamemnonem: *quadrantaria* verò, quòd ei amator callidus quadrantes ex ære pro nummis argenteis in loculos immisisset Plutarchus in vita Cicer. Κλωδίαν Μέτελλος ὁ Κέλερ εἶχεν; ἣν κουαδρανταρίαν ἐκάλουν, ὅτι τῶν ἐραστῶν τις αὐτῇ χαλκοῦς ἐμβαλὼν εἰς βαλάντιον ὡς ἀργύριον εἰσέπεμψε. Τὸ δὲ λεπτότατον τοῦ χαλκοῦ νομίσματος κουαδράντην ἐκάλουν. Quod autem Plutarchus hîc κουαδράντην dicit, Marcus Euangelista vocat κοδράντην, exponitque δύο λεπτά. Sed cur *quadrantes* plumbeos dixit Martialis? Sic enim interpretantur illud, lib. X. epist. LXXIV.

Anteambulones & togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto.

An dicendum, olim *quadrantes*, ac alios fortasse nummos exiguos etiam, ex *solido plumbo* cudi solere? Sanè confirmari hoc videtur loco Martialis, lib. I. epist. C.

Vt conuiua sumtuosiora,
Toto quæ semel apparas in anno,
Nigra sordidi is explices moneta,
Et septem veteres tui sodales
Constemus tibi plumbeâ selibrâ.

Quam

Quam priùs *nigram* dixeras *monetam*, hanc postea *plumbeam* appellat. Plautus quoque in iocis *plumbei nummi* meminit, Trinummo. & Casina. An potiùs dicendum *nummos* eò *plumbeos* dici, quia *plumbo admixto* conflarentur? an verò per contemtum ita vocari, cùm essent *arei*?

Qvadrantal (quo vsus Plautus, Curcul. Act. I. II) per ἀποκοπὴν factum ex *quadrantale*; vt *animal* ab *animale*. *Minerval* à *Mineruale*, &c. Sic autem vocabatur, quòd *pedem quaquauersum haberet quadratum*. Erat enim figurâ *cubicâ*: vnde Onomasticon. *Quadrantal*, κύβος. In Glossis Philox. legas *Quadrantal*, κεράμιον. At in Cyrilli Glossis est κεράμιον, *pretium amphora* Nempe quia *quadrantal* idem est, quod *amphora*, vt testatur Festus in *Quadrantal*. & ex Volusio supra in *Amphora* ostendimus. Itaque capiebat *octo congios*. *Congius* est *duarum* circiter *stoparum* Batauicæ mensuræ. Similis terminatio in *triental*; sed caussa nominis dispar. Nam sic dicebatur, quòd esset *poculum trientis capax*. Persius, sat. III.

——— Calidúmque triental

Excutit è manibus. ———

Ita iam olim legit Perottus, séque id in codice Puteano repperisse scribit Casaubonus. Sed nec improbandum *trientem*, quod in vulgatis legitur. Nam *triens* sæpe apud Martialem est vini mensura: & *bibere sextantem* similiter dixit Suetonius.

Qvadrvplatores, & *quadruplari*, (quo Plautus vtitur Persâ, Act. I. II.) veniunt à *quadruplo*, siue quia *quadruplatores* pro delationis præmio *quartam partem* in bonis delatorum consequebantur, siue quòd deferrent crimina publica, quorum conuicti damnabantur *quadrupli*: vt aleæ, aut pecuniæ grauioribus fœneratæ vsuris, quàm per leges liceret. Posteriorem nominis caussam adducit Festus. Vtramque autem adfert Asconius, cùm in Diuinat. tum in IV. Verr. Præter hos vide Turnebum lib. III. cap. IX. & I. Lipsium, ad lib. IV. Annal. Porrò generatim quoque dicti *quadruplatores*, qui *quadruplum caperent aut darent*. Ita apud Senecam, lib. VII. de beneficiis cap. XXV legimus *quadruplatores beneficiorum*. & Sidonius, lib. V. epist. VII. *quadruplatores* vocat *portitores*, *qui portorium in quadruplum conducerent*. & Appuleius, in Apolog. *Æmilianum* appellat *quadruplatorem*, quòd *ætatem quadruplaret Pudentilla*, assignando ei annos LX. quæ annorum erat XL.

Qværere à *qua & res*, vt propriè *quæstio* sit, cùm rogatur quo nomine aliquid vocetur vel quid voce notetur. Nisi potiùs *quærere* primâ suâ significatione de iis dicitur, *qui operam dant, vt res amissas recuperent*. Varro, lib. V. de L.L. *Quærere, ab eo, quòd, qua res vt recuperaretur, datur opera*. Vbi in Mediolanensi Baptistæ Pij, & Veneta Aldi, editum est, *vt reciperetur*. Quod magis probo. Nam antiquum est *recipero* pro *recupero*, vnde *reciperetur*, pro *recuperetur*. Pro quo malè *recuperaretur* ediderunt. Sed ne sic quidem locus integer, nisi legas *Quærere, ab eo, quòd qua res, cum vt reciperetur, datur opera*. Sententia est, quod *qua res dicitur*. Quòd *dicendi* verbum ἐλλειπτικῶς sæpe reticetur. Ceterùm etymon hoc etiam adfert Nestor Nouariensis, his verbis. *Auctore Varrone, propriè quærere est, qua sit res aliqua, inuestigare*. Verùm vir eruditissimus Petrus Nunnesius in Grammatistice sua deducit *quæro* à χηρόω hoc est, *orbatus sum, careo*. Credo quia *qui re quapiam carent, eam quærunt*. Saltem malim hoc, quàm quod eopse libello postea refert venire *quæro* à Dorico κείρω pro κείρω, quod valet *tondeo, scindo*. Ceterùm veteres pro *quæro* dixere *quæso*, quomodo & pro *ara* dixere *asa*, etsi sit ab ἄρω, vt putamus. Diximus hoc de veterum more alibi non semel. Sic hodiéque obsecrantibus in vsu *quæso*, quod nihil aliud quam *quæro*. Nempe vt nos *versoecken*, quod est *quæsere* siue *exquirere* ac *poscere* dicimus, à *soeken*, hoc est *quærere*, sic veteribus Romanis idem fuere *quæsere* & *quærere*; vnde Festus Pompeius dicentem. *Quæsere ponitur ab antiquis pro quærere*. Et sanè quomodo Virgil ait:

——— Pacémque per aras

Exquirunt. ———

ita Lucretius dixit, lib. V.

Nec Diuum pacem votis adit ac prece quæsit

Ventorum pauidus paces animásque secundas.

Ab *am*, quod est *circum*, & *quæro* est *anquiro*, quod est *circumquaque quæro*. Festus: *Anquirere est circum quærere*. Vbi MSS[1] quidam *amquirere*. Innumeris in locis est hæc vox corrupta: próque ea substitutum est *inquirere*: idque cùm in Cicerone, tum in aliis scriptoribus. Vide quæ de eo præter alios notauit Carolus Langius in primum Ciceronis de Officiis.

Qvæstor, quasi *quæsitor* vt *quæstio* quasi *quæsitio*. Vlpianus, lib. singulari de officio *Quæstoris*: *A genere quærendi Quæstores initio dictos, & Iunius, & Trebatius, & Fenestella, scribunt* Eandem quoque originationem ponit Beda de Orthogr. Sed vt genus quærendi non vnum, ita nec vnũ genus *quæstorum*. Primi & antiquissimi in vrbe *quæstores rerum capitalium*, qui & citra προσθήκην *quæsitores* sæpe dicuntur. Sic vocat Cicero in Diuinat. ad quam sic Asconius. *Quæsitor est prætor de pecuniis repetendis quæstionem exercens, nam propriè quæsitores dicuntur criminalium quæstionum, vt Virgilius, Quæsitor Minos vrnam mouet*. Dicitur & *quæstor* parricidij Festus: *Parricidij quæstores* (sic rectè emendat Scaliger. pro quo in vulgatis *parrici*) *appellabantur, qui solebant creari caussa rerum capitalium quærendarum. Nam parricida non vtique is, qui parentem occidisset, dicebatur, sed qualemcumque hominem. Id autem fuisse indicat lex Numæ Pompilij Regis his composita verbis*. Si qvis hominem libervm dolo sciens morti dvit, paricida esto. Idem: *Quæstores dicebantur, quod quærerent de rebus capitalibus, vnde qui talia quærunt, quæstores paricidi appellantur*. Hodie similiter in re Ecclesiastica dicuntur *inquisitores hæreticæ prauitatis*. Proximi antiquitate sunt *quæstores vrbani*, qui & *quæstores ærarij* dicti, quia præerant ærario, quod in æde Saturni erat. Hi demum creati liberâ Rep. anno V.C. CCLXIX, vt ex Dionysio & Liuio discimus. Nam quod Tacitus. & Pomponius, eos scribunt sub regibus fuisse, id tantùm verum videtur de *quæstoribus parricidi*. Munus *vrbanorum quæstorum* fuit, pecuniam publicam accipere, & expendere, prædam ex hostibus captam vendere, signa militaria (erant ea ex auro vel argento, velis enim non vtebantur,) in ærario adseruare, & consulibus in bella ituris mittere, legatos, qui Romam venerant, excipere, deducere, iis hospitium curare, ægrotantium curam gerere, mortuísque è publico munus facere. Etiam decreto Augusti Senatusconsulta asseruanda ærij tradita, quæ ante penes Ædiles & Tribunos. Tertius *quæstor* erat *prouincialis*, qui vna cum proconsule, vel proprætore, in prouinciam exibat. Munus eius versabatur, partim circa pecuniam attributam, partim circa vectigalem. Nam eius erat accipere pecuniam ex ærario à Tribunis ærarij, quæ pecunia *attributum* dicebatur, vt scribit Varro. lib. V. de L.L. Inde autem *viaticum*, ac *stipendium*, legatis cohorti prætorij & exercitui suppeditabat. Eiusdem erat à publicanis ex re frumentaria portoriis aliisque, exigere vectigalia, Romámque in ærarium referre. Ex hisce tribus *quæstorum* generibus primus dictus à *quærendis criminibus*: secundus tertiúsque à *quærendis pecuniis*. Atque hoc cùm ex iis quæ diximus, planum fit, tum illo Varronis, lib. IV. de L.L. *Quæstores à quærendo, qui conquirerent publicas pecunias, & maleficia, quæ triumuiri capitales nunc conquirunt. ab his postea, qui quæstionum iudicia exercent, quæstores dicti*. Erat & quartum genus *quæstorum*, qui *principis siue Augusti quæstores* dicti, aliòque nomine *Candidati principis* vocabantur. Hi principis epistolas & orationes in Senatu legebant, vt auctor est Vlpianus, L. vnicâ D. de officio quæstoris. Vnde *quæstores* nomen acceperit, parùm constat. Cuiacius paratitlis in Codicem putat, vt in Senatum venire possent, iccirco iis tributam fuisse *quæstorum* appellationem ac dignitatem. Nam lege Cornelia veritum ad vllum transire honorem quæsturâ necdum gestâ. Sed Scipioni Gentili libro singulari Originum, vero magis simile videtur sic nominatos à *similitudine veterũ quæstorum*, ad quos custodia Senatusconsultorum à Tribunis pl. & Ædilibus translata fuit. A *quæstoribus* his Constantini tempore originem cepit *quæstor palatij*, vt post à *quæstore palatij*, *Cancellarius*: de quo suo loco. Atque ex his apparet quatuor imprimis genera *quæstorum* esse, & vnde singulis nomen impositum videatur. Plura si de *quæstoribus* voles adi Vvolfgangum Lazium, lib. II. commentariorum Reip. Romanæ, cap. XIV. & Carolum Sigonium, lib. II. de antiquo iure prouinciarum, cap. IV. quo de *quæstoribus prouinciarum* & eorum ministris tractat: item cap. VIII. quo de potestate eorum agit. & lib. II. de Iudiciis, cap. IV quod est de *quæstoribus rerum capitalium*. At de *principis quæstoribus* vide Barnabam Brissonium, lib. I. Select. Antiquit. cap. XVI.

Qvalis, Græcè πηλίκος. Atque vt πηλίκος ab πῆ, sic *qualis* suspicor esse à pronomine *qua*. Ita *lis* sit vocis supplementum, quemadmodum in *agilis* & aliis multis. Sanè qui quærit *qualis* sit *persona*, aut *res*, is quærit quâ sit facie, aut conditione, ac vniuersè quæ ei accidant. Vel erit *qualis* ex Dorico & Æolico ἀλίκος pro ἡλίκος, vt literarum sit traiectio. Nam etsi propriè ea vox *magnitudinem* aut *numerum* respiciat tamen ἀναλόγως conuenit *qualitati*. Censet viri eruditi, *cui* etiam veteres dixisse pro *qualis*. Id probant istoc Nonij: *Cui est, pro qualis est, neutro positum pro masculino. Plautus, Amphit.* (I. III.)

Ædepol condignum donum, cui est quo donum dedit.

Sed magis verisimile fit, scripsisse Plautum *qual' est*, siue *cual' est*, eliso *s*, & absorptâ vocali: cuius rei similia multa apud Comicos exêpla. Sanè in MSS[is] Camerarii, vti & Aldinâ *qualest* inuenitur non *cui est*. Imo & *cual' est* forte scripserat Nonius.

nius. A *quale* primus *qualitatem* dixit Tullius; quæ Græcis ποιότης. A *qualis* est *qualiscunque*: vbi *cunque* est posterioris compositionis pars, vti & in *quicunque*, *quantuscunque*, *quandocunque*, *quotiescunque*, *quacunque*, *vtcunque*. Vtitur eo Cic. de Legibus. *Equitatum cunque qui regat*. Horat. lib. I. od. XXXII.

——Mihi cunque salue

Rite vocanti.——

Cornelium quoque Seuerum initio Ætnæ suæ vsum monuit Ios. Scaliger. In vulgatis locus legitur corruptissimè. *Cunque* conflatum ex *cum* & *que*, vti ex *ne* & *que neque*; ex *at* & *que*, *atque* &c.

QVALVS. cistæ genus, vt ait Festus in *Canephora*. In Gloss. Philoxeni exponitur ἠθμὸς, δύλισμὸς, σπυρίδιον, κόφινος. Item in Cyrilli Gloss. legas, τάλαρος, *fiscella*, *qualus*. Dicitur quasi *colus*, à *colando*, quia per *qualum* defluit colatúrque vinum, cùm vua calcatur. Ita Isidorus, lib. XX. cap. XIV. item Perottus. Sed non dubito, quin ex τάλαρος κατὰ συγκοπὴν fiat *qualus*. Quod nisi esset, deducerem à ξύλον *lignum*. E *ligno* enim, vel *vimine*, fiebat. Dicitur autem *qualus*, & *qualum*. *Qualus* dixit Maro, II. Geor. *qualum* Cato, cap. XI. *Corbulas*, inquit, *Amerinas* XX. *quala sataria* VII. *alueos* XL. Etiam inuenias apud Columellam, lib. VII, cap. III. Quamquam hîc malim, *Sit caula mundissima*: prout adscriptum legitur ad oram editionis R. Steph. *A qualus* est *quasillum*, vt scribit Priscianus. lib. III. vbi auctor est, quædam inueniri diminutiua, quæ non sequantur genera primitiuorum, vt *rana*, *ranunculus*, *qualus quasillum*. Apud Catonem tamen *quasillus* legitur, cap. CXXXIII. *Calicem pertusum sumito tibi, aut quasillum, per eum ramulum transferito, eum quasillum terrâ impleto*. Nempe à *qualus*, *quasillus*; à *qualum* est *quasillum*. Erat & *quasillum* in lanificio. Tibullus:

Sic tibi cura togæ potior, pressúmque quasillo

Scortum, quam Serui filia Sulpitia.

Designat eam, quæ Latinis *quasillaria* diceretur, quia in gynæceo conclusa lanificio vitam sustentaret.

QVAM ex *quantum*, *tam* ex *tantum*, κατ' ἀποκοπήν. Vt illo Ciceronis in Topicis: *Non tam vitandi laboris mei caussâ, quàm quia tua id interesse arbitrabar*. Vbi *tam* valet *tantum*, vel *tantopere*; *quam* item *quantum*, vel *quantopere*. A *quàm* est *præterquàm*, Terent.

Verbum si mihi vnum præterquam quod te rogo, faxis.

Pro, *præter quantum verbum te rogo*. Item *superquam*, quod idem valet. Liuius, lib. XXII. III. *Primoribus superquam dissenserant à consilio, territis etiam duplici prodigio*. *Extraquam* apud Liuium: *Campanos omnes, liberos esse iusserunt, extraquam qui eorum aut ipsi, aut parentes eorum apud hostes essent*.

QVANTVS ab ὅσος, vt *tantus* à τόσος, Vel vt ὅσος ab ὅς, sic *quantus* est à *quàm*, conuerso *M* in *N*, εὐφωνίας caussa: quemadmodum & *tantus*, à *tam*, non à *tam*, & *tenere*, vt Papias nugatur. Aliter tamen Cæsellius apud Cassiodorum, lib. de Orthogr. cap. X. *Tamtus & quamtus in medio M habere debent, vt quam & tam: vnde quamtitas, quamtus. Nec quos moueat si N sonat; Ita enim suprà docui, N sonare debere, tametsi in scripturâ M positum sit*. Verùm aliter hâc de re Papirianus apud eundem: iuxta quem, *aliter scribere, & aliter pronunciare, vecordiæ est*. *Quantus*, & *tantus*, pro *quot*, & *tot*, dixere posteriores: vt ad Manilium Scaliger docuit. Manilium vero inter posteriores à me reponi, non mirabitur, qui sciat, quæ de ætate eius ad Papinium docuit Geuartius. Componuntur *quanto* & *tanto* cum ablatiuo *opere*, *quantopere*, *tantopere*. Itaque diduit Plautus. Cas. III. II.

——Hoc erat,

Ecastor, quod me tanto vir opere orabat meus.

Item *tantum* & *quantum* adsciscunt *per*: vt *tantisper*, *quantisper*. Vbi *per* forte fuerit ex *operibus*, pro *tantis operibus*, *quantis operibus*. Sed potius censeo esse παρέλκον, vt ab *ὡς ὥσπερ*.

QVASI ab ὡσεὶ, quod idem. Vel potiùs, vt ὡσεὶ ab ὡς & εἰ, sic *quasi* ex *quam* & *si*. Cicero pro Quinctio: *Qui quasi sua res, aut honos agatur, ita diligenter Sex. Næuij studio & cupiditati morem gerunt*. Hoc est, ita diligenter, *quam si* sua res agatur. Sic *quasi vxorem habere*, hoc est habere haut aliter, *quam si* vxor esset.

QVATIO fit ablato ε à κραδάω, quod idem notat. Vel est, à *cudo*, quod ab Hebræo fonte, vt suo loco dictum. Vt à *glubo*, *glaber*; à *vndo*, *vnda*, sic à *cudo* erit *quatio*, *V* conuerso in *A*. quod rursum in *V* mutant composita, *incutio*, *succutio*, *concutio*, &c. A *quatio* est *quasso*, *Incus*, & *subscus*, huius loci non sunt, vt ostendimus in *Incus*.

QVATVOR, à πίσυρ, pro τέσσαρ, abeunte Π in Q, vt à πότερος, *quoteris*. Πίσυρ autem *quatuor* notare, etiam Festus docet, qui indè *petorritum* dici ait, nempe à *quatuor rotis*. Vel sit *quatuor* a Dorico τέτορες pro τέσσαρες. T in Q mutatum, quomodo à τις est *quis*. Vide *Quis*. Est & tertia Etymologia satis ingeniosa, quam docuit me Cæsar Scaliger, in suis de caussis L.L. libris, cap. XXVIII. Antiqui enim tres habuere numeros potissimos: ἓν, δύο, τρία, postea dicebant κἄτερον pro καὶ ἕτερον. Iuuat hanc sententiam, quod Aristophanes initio penè ἐχθρὰς, cùm ἄλλο dixisset, subiicit κἄτερον, hoc est, καὶ ἄλλο. Nam Atticè ἕτερος de *pluribus* dicitur non solum, vt vulgò, de *duobus*. Deriuata à *quatuor* mutant *T* in *D*, vt ex *quadra* & *quadrans* liquet, de quibus separatim diximus: item ex *quadraginta quadragesima*, *quadringenta*, *quadrifariam quadrupes*, *quadridens*, *quadriga*, & similibus. Est & eiusdem originis *quadrum*, id est, τετράγωνον, vnde *quadrare*, τετραγωνίζειν, *in quadrum redigere*, & κατὰ μεταφορὰν pro *omni ex parte conuenire*.

QVE enclitica particula à τε, quomodo à τίς, *quis*. Vel est à καὶ Æ in *E* simplex abeunte: quod censet Cæsar Scaliger, libb. de caus. L.L. cap. L.L. cap. CLXXIII. Vide *ET*.

QVEO plane ab Oriente. Sanè Arabibus קוה idem notat: vt epist. ad Philipp. cap. IV. v. XIII. Hinc *nequeo*, pro quo antiqui *nequino*. Festus: *Nequinont*, *nequeunt*. Sic pro *nato* dixere *natino*, pro *sentio*, *sentino*; pro *caro*, id est, κείρω, *carino*, & similia.

QVERCVS forte à τραχαλέος, quod valet *durus asper*. Est enim eiùm ligni duri ac corticis asperi.

QVEROR Martinio placet esse a Chald. קרא, *clamare*: vel כרה, quod significat *dolere*, *displicere*, *molestiam adferre*. Possis & cum Nunnesio Valentino deducere à χηρεύω, quod significat *viduum esse*. Nam *viduis* imprimis *querimonia* conuenit. Alibi tamen idem Nunnesius putat *querulus* esse à θρῆνος, quod idem notat: vnde Hesychio μεμψίμοιρος exponitur. Sed *querulus* omnino est à *queror*. Quare prius malum.

QVERQVEDVLA, ab Conradum Gesnerum audimus, vel est ὀνοματοποιΐα, vel nomen habet à *querquero*, hoc est, gelido hibernóque tempore, quo maximè apparet. Posterius hoc etiam Hadriano Iunio placuit. Sed magis mihi verisimile fit ὑποκοριστικῶς factum esse ex κερκὶς, seu κερκιθαλὶς, quod idem. Varro. lib. IV. de L. L. *Item alia in hoc genere à Græcis, vt Querquedula, Cercerus, Halcedo, quod ea Halcyon*. Hesychius: κερκὶς, ὄρνεον ἐρῳδιῷ. Nisi cum Scaligero apud Varronem malis κερκιθαλίς, quomodo, vt idem Hesychius ait, vocatur ἐρῳδιὸς, siue *ardea*, forte à κέρκῳ θάλλειν, *cauda virenti*. Quam sententiam nonnihil iuuat, quod vt Aratus ex ἐρῳδιῷ, Maro ex *ardea*, προγνωστικὸν *pluuiæ* petit: ita Varro *querquedulam* inter *aues nimbi prænuncias* reponit: cùm ait:

Aut frigidos nimbos aqua caduciter ruentis,

Prænunnere aquatiles querquedula natantes.

QVERQVERVS *morbus* (quomodo etiam Gellius & Minutius Felix loquuntur) nec dicitur à *querendo*: vt est in Catholico; nec à *coercendo*, vt ad Gellium notauit Petrus Mosellanus. sed vel quia *quercum duritie ac grauitate refert*: vel, quod verius, à κάρκαρος, quod Hesychius interpretatur δεινός, siue καρκαίρω, hoc est, *moueri*, *palpitare*, *tremere*: quomodo Scholiastes accipi monet in illo Iliad. Y,

——Κάρκαιρε δὲ γαῖα πόδεσσιν

Ὀρνυμένων ἄμυδις.——

Festus: *Querqueram febrem grauem & magnam, nam quidam quernam aiebant volunt, quod id genus arboris cum graue sit ac durum, tum etiam in ingentem euadat altitudinem. Aurelius autem Opilius frigidam ait dici, & cum horrore trementem. Santra eam ex Græco deducit, qui tremorem eiusmodi κάρκαρον, dicunt. Vnde dici etiam carcerem. Plautus in Frinolarià: is mihi erat bilis querquera tussis*. Lucilius:

——iactans me vt febris querquera terret.

Alibi:

Querquera consequitur febris capitisque dolores.

Hæc ille. Santræ opinionem firmat hic locus Apuleij in Apologia: *Posse dicitis ad res venereas sumpta de mari spuria & fascina, propter nominum similitudinem, qui minùs possit ex eodem littore calculus ad vesicam, testa ad testamentum, cancer ad vlcera, alga ad querquerum?* Quibus verbis similitudinem ponit Appuleius, non inter *quercum* & *querquerum*, sed *algam* & *querquerum*, quæ nulla est, nisi *querquerum* propriè significet *algidum*, ac *querquera febris* sit non instar *quercus dura*, sed *quâ quis algore strides ac tremis*. Κάρκαρος verò vnde Santram *querquerus* deducere dicebamus, venit ex duplicato קר. *frigidus*, קר. *frigus*. Ita propriè sit *tremor ex frigore*: quod cùm verbis Gellij conuenit probè. Vel potiùs τραχαλέος propriè τραχύς, *asper*, à τραχύνω, *exaspero*, *asperum reddo*.

QVERQVETVLANVS à *querceto* dictum: vt Romæ *porta querquetulana*, quæ *querquetum* iuxta se habuit intra muros,

& vira querquetulana, quæ Græcis *Hamadryades*. Festus: *Querquetulana vira putantur significari nymphæ præsidentes querceto virescenti: quod genus silua indicant fuisse intra portam, quæ ab eo dicta sit querquetulana*. Nominat & Varro. IV. de L. L. *sacellum querquetulanum*. Id quin Hamadryadum fuerit, dubitandum non est. Quin & Cœlius mons à *querqueto* dictus *Querquetulanus*. Tacitus lib. IV. Annal. *Haud fuerit absurdum tradere, montem eum* (de Cœlio sermo est) *antiquitùs Querquetulanum cognomento fuisse, quòd talis siluæ frequens fœcundùsque erat: mox Cœlium appellitatum à Cœle Vibennâ, qui dux gentis Etruscæ, cùm auxilium appellatum ductauisset, sedem eam acceperat à Tarquinio Prisco, seu quis alius regum dedit, nam scriptores in eo dissentiunt*. Ex quibus Taciti verbis, simul discere est, vnde *Cœlius mons* nomen acceperit. *Hamadryades* autem, quas easdem ac *viras querquetulanas* esse dicebam, sic vocatas Mnesimachus sensit, quòd ἅμα ταῖς δρυσὶ, *simul cum quercubus* nascantur & intereant. Quemadmodum & *Dryades* dictæ, quòd *quercubus* siue vniuersè arboribus vita earum insit. Nam δρῦς generatim *arborem* notat, speciatim autem *quercum* siue *robur*.

QVIA ab Hebræo כי, quod idem notat. *A* adiectum. Hinc *quianam*, apud Ennium, & Maronem. Id *quare*, siue *cur*, interpretatur Festus, & Priscianus. lib. XVII.

QVIESCO ab ἀτρέμα, id est, *quietè ac placidè* Hesychius: Ἀτρέμα, ἡσύχως, ἠρέμα, βραδέως. Eustathius effert cum circumflexo ἀτρεμᾶ, ac Ælius Dionysius apud eum adducit hoc Cratini, Σκίπωνι ἀτρεμᾶ προβαίνοντα. *scipione nixum pede tentim ac placidè progredientem*. Vel dicendum, vt à *meo* est *moneo*: ita à κέω, hoc est, κεῖμαι, quod notat *cubo*, venire *quieo*. vnde *quiesco*, vt à *caleo calesco*. Orcus, Festo teste, *Quietalis* dicebatur, nempe quia *mortui quiescant*. In plerisque libb est *Quietalis*. Sed MS[tus] habet *Quietalis*. atque id probat ἀναλογία.

QVIN κατ' ἀποκοπὴν ex *quine*, vt *seu* ex *siue*. *Quine* autem ex *qui* & *ne*, pro *non*. Sanè qui ait, *quin taces, quin domum is*: quid aliud dicit, quàm *qui non taces*, vel *qui non domum abis*? Atque hic quidem *quin* est aduerbium iubentis vel hortantis. Ac par ratio, cùm est coniunctio. Nam cùm dico, *non dubito, quin sit venturus*, idem est, ac quî sine quomodo non sit venturus.

QVINQVATRVS siue *quinquatria*, sunt dies festi Mineruæ, quos Græci πεντάθυρα vocant. Sosipater. lib. I. *Quinquatrus pluraliter, non quinquatria: non enim dicti sunt quinque dies atrus* (f. *atri*:) *sed quod quinque dies Iduum, quas atrum antiqui dicebant: siue à quinquando, hoc est, lustrando: quòd eo die arma ancilia lustrari sint solita*. Ego nec priorem opinionem sequor (omnino enim *atrus* est vocis παράληψις vt *simus* in *vigesimus*:) nec posteriorem, cùm ita dicatur à *quinque*; nempe quòd sint *post quinctum diem Iduum Martiarum*: quod tamen de *maioribus* tantùm *Quinquatribus* verum est. Nam *quinquatrus minusculæ* erant *Idibus Iunii*. Hanc sententiam sequitur Varro. lib. V. de L. L. *Ab Tusculanis post diem sextum Eidus vocatus sexatrus; & post diem septimum, septimatrus: sic hic quod erat post diem quinctum Eidus, quinquatrus*. Item Gellius, lib. II. cap. XXI. *In septentriones triones per sese nihil significare aiunt, sed vocabuli esse supplementum: sicut in eo, quòd quinquatrus dicamus, quòd quinque ab idibus dierum numerus sit, atrus nihil*. Eadem sententia Festi, cuius hæc verba: *Quinquatrus appellari quidam putant à numero dierum, qui ferè hi celebrantur, qui scilicet errant, tam hercule, quàm qui triduo Saturnalia, & totidem diebus Compitalia, nam omnibus his singulis diebus fiunt sacra: forma autem vocabuli eius, exemplo multorum populorum Italicorum, enunciata est, quòd post diem quinctum Iduum est is dies festus, vt apud Tusculanos triatrus & sexatrus & septematrus, & Faliscos decimatrus. Mineruæ autem dicatum eum diem existimant, quòd eo die ædes eius in Auentino consecrata est*. Hactenus Festus. Opinionem autem quam is damnat, secutus est Ouid. III. Fast.

> *Vna dies media est & fiunt sacra Mineruæ:*
> *Nominaque à iunctis quinque diebus habent.*
> *Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro:*
> *Caussa, quòd est illâ nata Minerua die.*
> *Altera, tresque super rasâ celebrantur arenâ:*
> *Ensibus exsertis bellica læta Dea est.*

QVINQVE vnde sit, argutè commentus Cæsar Scaliger, libb. de causs. L. L. cap. XXXVIII. Censet enim, veteres, postquam dixissent ἓν, δύο, τρία, subiecisse καὶ ἕτερα, siue Æolicè, κὴ ἕτερα, & contractè κἄτερα, indéque *quatuor* ortum capere: post quaternarium autem putat dixisse, καὶ ἓν, quia vnitas superadderetur: atque inde *quinque* esse conflatum. Cuius etymi veritatem vt præstare nolimus, ita vt ingeniosè commentum, laudem magis, quam culpem. Interim simplicius puto, & verius simul, *quinque* deduci à πέντε, idque partim soni affinitate adductus, partim quòd videam in cæteris quoque numerorum nominibus nonnihil Latina vocabula recedere à Græcis. Et sanè ἀναλογία quoque hoc etymon defendi potest. Nam Π & *T* interdum abeunt in *Q*. Π, vt πότερος, *quotus*; πίσυρα, *quatuor*; ἕπομαι, *sequor*; ἐνέπω, *sequo*, id est, *dico* (vnde Liuius Andronicus:

> *Insequè Musa virum versutum*.

id est, ἔννεπε, siue λέγε, *lique*, & inserto N *linquo*. &c. T vero in *Q* abit, vt τίς *quis*. Quâ in voce plura de hac immutatione diximus. Deinde Salmasius, De Hellenistica, pag. CCCLXXXVI. *Constat antiquiores Græcos, quales Æoles fuere, qui in Thessalia post Hellenem sub Æolo filio eius regnarunt, dixisse πέμπε non πέντε. Pro vtroque Dores pronunciarunt Πίμπε vel πύμπε, vt πόμπε pro πέντε. Inde Latinum quinque*. Πέντε autem vnde sit, suspari conatus Plutarchus, qui lib. de oraculorum defectu, sed Σπερματικῶς, meo iudicio, dici censet quasi πάντα, id est *omnia*, quia πέντε ex primis numeris integretur. Vide & eundem in Problematis Romanis, vbi quæritur, cur in nuptiis haud plures, paucioresve, quàm *quinque* cerei accêdantur. A *quinque* dicta sunt *quinquatria*, & *quinquertiones*: de quibus separatim. Ab eodem *quinctilis*, vnde mensis *Quinctilis*, quia (vt etiam in *September* dicimus) erat *quinctus à Martio*, vnde Romani primò annum auspicabantur. Postea in Iul. Cæsaris honorem *Iulius* dictus: qua de re Suetonium vide in eius vita. At *Quinctus* prænomen est à *nascendi ordine*, vt & *Sextus* ac *Decimus*, vnde nomina gentilia *Quinctius, Sextius, Decimius*. A *Quinctius* verò est *Quinctilius*, vt à *Sextius Sextilius*; ab *Atius Atilius*; à *Statius Statilius*. A *Quinctilius* autem est *Quinctilianus*, vt ab *Æmilius Æmilianus*, à *Terentius Terentianus*, à *Salutius Salutianus*, *Quintilius* verò *Quinctius, Quinctilius*, & *Quinctilianus* per CT scribi, constat ex vett. Lapidd. & libb. At à Græco πέντε est πεντηκοστὴ, *quinquagesima*, ac specialiùs *pentecoste*, πεντηκοστή, supple ἡμέρα, dies *quinquagesima* à festo paschatis: siue festum quod in eum diem incidit. Quod nomen retinent quoque Syri. Isidorus, lib VI. cap. XVIII. ait *Pentecosten* dici à πέντε. Rectè. Sed non indè ἀμέσως venit. A πέντε quoque est *penthemimeris* πενθημιμερής, vt à τρία, ἑπτά, ἐννέα, τριθημιμερής, ἑφθημιμερής, ἐννεημιμερής. Nempe quatuor hæc numeralia componuntur cum ἥμι, id est, *semi*; & μέρος, id est, *pars*: quod & significatio ostendit. Nam *triemimeris* est, cùm cæsura fit post primum pedem; *penthemimeris*, cùm post secundum; *hephthemimeris*, cùm post tertium; *ennemimeris*, cùm post quartum: cùmque pes minimùm duabus constet syllabis, *triemimeris* minimum in tertiam, *penthemimeris* in quinctam, *hephthemimeris* in septimam, *ennemimeris* in nonam incidit syllabam: vnde & singulis nomen. Hæc neutiquam fusè adeò adscripsissem, nis Alexander Schot, qui Antesignano inter alia inseruit doctissimi Caninii Hellenismi alphabetum, suásque vocibus interpretationes adiecit, putâsset hæc esse ab ἡμέρα, vt qui ἑφθημιμερής exponat *septem dierum*. Similis inscitia est, cum paullò post, vbi dicit Caninius, interdum adspiratam abire in tenuem, velut cum induciæ dicuntur ἐκεχειρία, quasi ἐχεχειρία, παρὰ τὸ ἔχειν τὰς χεῖρας, postrema verba interpretatur *habere manus*, cùm dicere debuerit, *abstinere*, vel *cohibere manus*, prout optimè exponit Agellius, lib. I. cap. XXV. Sunt id genus in isto opere sexcenta: quæ moneo vt diffidere talibus interpretibus discat pueritia, ipsáque potiùs sine cortice natare discat, quam miserè toties decipiatur ab istiusmodi doctoribus, qui nunc, (quæ pædagogorum stultitia atque imperitia est) soli propè in scholis regnum obtinent.

QVINQVERTIONES, πένταθλοι, à *quinquertium*, quod Græcè πένταθλον. Festus: *Quinquertium vocabant antiqui, quem Græci πένταθλον, vt indicat versus hic*:

> *Omnis æqualis vincebat quinquertio.*

Liuius quoque ipsos athletas sic nominat: Quinquertiones præco in medium vocat. Græcè πένταθλος dicitur, quasi πέντε ἄθλοι, *quinque certamina*. Similitérque *quinquertium* dictum à *quinque artibus*, quibus ingenuorum puerorum institutio constabat. Ἆθλοι siue *artes* eæ erant, disci iactus, cursus, saltus, lucta, & iaculatio. Atque hoc apud Græcos. Nam Latini natationem & equitationem adiecere. Laurentius Valla, & Raphaël Volaterranus putarunt πένταθλον ac παγκράτιον idem esse, cùm manifestè distinguantur à Luciano: quâ de re aliquid legere est apud Andr. Alciatum annot. in tres posteriores Codicis libros. Nempe πάγκρατιον μέρμηξ ἐκ πυγμῆς καὶ πάλης, vt præter alios scribit Plutarchus, Sympos. 2. & Nicephorus Gregorius, Scholiis in Synesii libellum de insomniis. Vallæ & Volaterrani errorem secuti quoque Hermolaus Barbarus, in Plinii lib VIII. cap. XXXIV. & Onuphrius Panuinus, lib II. de ludis Circensibus cap. I. *Quinquertium* autem & *quinquertiones*, malè confundit

dit doctissimus P. Faber, cùm in lib. II. ἀγωνιστικῶν, cap. VIII. scribit *quinquertione siue pentathlo decertare.*

QVIRITARE quid, & vnde sit, ac quomodo à iubilatu differat, docet Diomedes in primo; *Quiritare*, inquit, est *Quirites ciere*. Et plenius Varro, lib. V. de L.L. *Vicinaque, inquit, horum, Quiritare, Iubilare. Quiritare dicitur is, qui Quiritium fidem clamans implorat.* Et mox: *Vt quiritare vrbanorum, sic iubilare rusticorum.* Nempe vrbani Fidem *Quiritium* implorabant, vnde *Quiritatus* dictus. At rustici dicebant *iū, io* vnde *iubilatus* vocabatur. Videntur autem, qui *Quiritium* fidem implorarent, vsi esse hâc formulâ: *PORRO QVIRITES*: quemadmodum Liberij, auctoris Ithyphallici, ac Tertulliani locis probant Turnebius, lib. XIII. Aduers. cap. XXII. & Iosephus Scaliger notis in Priapeia. Laberij apud Macrobium est: *Porrò Quirites, libertatem perdimus.* In carmine obsceno est:

Porro (nam quis erit modus?) Quirites.

Tertulliani est in Valentinianos: *Vt etiam inclamauerit in vain, iū, iō, quasi, Porro Quirites, aut, Fidem Cæsaris.* Hanc lectionem locis hisce retinet quoque Barn. Brissonius, lib. VIII. formul. & Guil. Canterus, lib. I. Var. Lect. At non item Scipio Gentilis, qui notis in apologiam Apuleij, emem. CCCXCVII. pro *porro Quirites* legendum censet, *prò prò Quirites*: nec displicet. Quippe neminem video veterum Grammaticorum meminisse Interiectionis *porrò*. Egregiè verò muginan Oliuerius & Badius, qui in notis ad Val. Maximum, per *Quiritatum* intelligunt *ciuitatem Quiritium*. Si Varronem ipsum adire pigebat, vel etiam Nonium Marcellum, saltem consuluissent Vallam suum, qui annotat. in Euang. Marci, cap. V. eopse modo distinguit *quiritare* & *iubilare*, quo ea differre è Varrone ante ostendimus. *Quiritatus* verò non tantùm dicitur, cùm nomen ipsum *Quiritium* audiretur, sed etiam, cùm esset ἰσοδύναμον; vt apud Plautum, Curcul. Act. V. sc. II. vbi Curculio vapulans clamat: *ò ciues, ciues.* Hinc Glossæ vett. *Quiritans*, ἐκβοῶν. Puto Glossographum in animo habuisse illud Lucilij apud Varronem, lib. VI. de L. L. *Concursans velut angarius* (alij *vt arenarius*) *claréque quiritans.* A *quiritare* est Italicum *gridare*, Hispanicum *gritar*, Gallicum *crier*, &, nisi valde me coniectura fallit, Belgicum *krijten*, quasi *quiriten*. Vide & Donatum ad illud Terent. Adelph.

Obsecro, populares, ferte misero atque innocenti auxilium.

Extat & de *quiritatus* voce epistola Gasparis Schoppij, quam lib. V. suspectarum lectionum scripsit ad clarissimum socerum meum Franciscum Iunium. De *Quiritium* quoque, ac *Quirinus* etymo, quamquam propriè pertineat ad propria, *vnicè* aliquid addemus. Meo iudicio à Curibus est *Quirites*, & *Quirinus*; non contrà. Nam *Quirites* propriè, qui *Cures* incolebant Sabinorum oppidum, in quo regnabat Tatius: vt Romani, qui cum Romulo Romam tenebant. Verùm post fœdus ictum inter Romulum & Tatium pro eodem populo habiti *Romani* & *Quirites*: vnde *Quiritari* pro *populi Romani auxilium implorare*: vti dictum. Dubium verò, num *Curibus* sit nomen à *Curis*, quæ Sabinis, Festo teste, *hastam* significat: an *hasta* à *populo hastato* sit impositum nomen. Ouidius de *Quirini* appellatione varias est contentus adduxisse opiniones: iudicium verò suum non interponit. Sic enim ait II. Fast.

Siue quòd hasta quiris priscis est dicta Sabinis,
Bellicus à telo venit in astra Deus:
Siue suo regi nomen posuere Quirites;
Seu quia Romanis iunxerat ille Cures.

Secundam Ouidij sententiam amplectitur Varro, lib. IV. de L.L. vbi scribit *Quirinum* ita dictum à *Quiritibus*: sed Iustinianus lib. I. Institut. contrà vult *Quirites* à *Quirino* dictos. Verùm vterque lapsus, quia & *Quirinus*, & *Quirites*, sint, vt diximus, à *Curibus*. Quin tertio versu fortasse sententia Ouidij non est *Quirinum* a *Quiritibus* dictum, sed *Quirites* regi suo nomen indidisse à Græco κύριος, hoc est, *dominus*, vel κοίρανος, hoc est, *rex*. A *Quirino* dictus *collis Quirinalis*, in quo *templum Quirini*. *Porta Quirinalis*, quâ ad eum collem itetur, *flamen* item *Quirinus*, *Quirinalis*: festum eius, *Quirinalia*, quæ fiebant XII. Kal. Martij: eodem nempe die, quo *Fornacalia*. Festus: *Quirinalia mense Februario dies, quo Quirino fiunt sacra. Idem stultorum feria appellatur, quòd quidam, qui suorum Fornacalium sacra Roma ignorauerant, eo potissimum rem diuinam faciunt.* Idem: *Stultorum feriæ appellabantur Quirinalia, qui erat dies festus, quia primi quod eo die Quirino sacrificant ij, qui solemni die aut non potuerunt rem diuinam facere, aut ignorauerunt suorum fornacalium sacrorum diem; commissum piaculum expiabant more, atque, quod suis non fecerant, quibus permittebatur, feriis sacrum faciebant.* *Fornacalia*, quorum his locis meminit Festus, sacra erant quæ *ad fornacem* farris torrendi caussa fiebant Deæ *Fornaci*. Nam ante inuentum triticum eiúsque vsum, farra torrebant: vnde Deæ impositum nomen. De his sic idem Festus: *Fornacalia feriæ institutæ sunt farris torrendi gratiâ: quòd ad fornacem, quæ in pistrinis erat, sacrificium fieri solebat. Fornacalia sacra erant, cùm far in fornacibus torrebant.* De hoc etiam in *Fornax* diximus.

QVIS à κὸς, *qui* à κὸ. vt censet Cæsar Scaliger, libb. de causs. L. L. cap. CXXVII. Magis arridet sententia Angeli Caninij, in Hellenismi Alphabeto; & Iosephi Scaligeri, in coniectaneis: quibus placet, *quis* esse à τίς. Τ mutatum in Q more Dorum, qui pro πότε dicunt πόκα, pro ὅτε ὅκα, pro ἄλλοτε ἄλλοκα, pro τότε τόκα. vnde *tunc*. Iisdem Dorum imitatione *quatuor* factum videtur a τέτορες, *quinque* a πέντε. quamquam horum & altera adfertur ἐτυμολογία, vt suo loco vidimus. Vel est *quis* à ποῖος, quod est ποῖος, *qualis*. Iones enim mutant π in κ, vt ποῖος κοῖος. A κοῖος verò, extrito O, fit *cois*, siue *cuis*, vnde genitiuus *cuius*. *Qua* Aduerbium loci, ἐπιῤῥηματικῶς dicitur, pro *quâ viâ*. Hinc *quacumque*, per *quamcumque* viam. Ab *en* & *quis* est *ecquis*, N in C abeunte, vt censet Priscianus lib. I. Mihi placet C esse ex Γ. Vt dicatur quasi *&* *quis*. Et intellige non copulatiuum, sed interrogatiuum, vt in illo Ecl. I.

Et quæ tanta fuit Romam tibi caussa videndi?

Vel indignatiuum: vt I. Æn.

——*Et quisquam numen Iunonis adoret*
Præterea.——

Vtramque hanc significationem assignat etiam Diomedes, lib. I. cap. de Coniunctione. A *ne* pro *non* est *nequis*. Ab ablatiuo *Qua* est *nequaquam*, hoc est, *neutiquam*. Ab ablatiuo *Qui* est non tantùm *quidem*, sed & *nequiquam*, hoc est, *frustra*. Vocem *nequiquam* Valerio Flacco atque aliis ex codd. manuscriptis varij restituerunt, cùm in vulgatis *nequicquam* cum C legeretur.

QVISQVILIÆ sunt quicquid ex arboribus minutis surculorum foliorumque decidit, vt ait Festus. Idem scribit Isidorus in Glossis MSS. *Quisquiliæ surculi minuti. Quisquiliæ frumentorum purgamenta vel palea creentata.* Sic vsus Victor Vticensis lib. III. *Alij diffusi per campos, alij syluarum secreta petebant, antiquas radices herbarum vel quisquilias requirentes.* *Quisquilia* à κῦρ, hoc est, *vile minutum*, *quisquilia*. Vel *à* κοσκυλμάτια à *cavenda*, quod idem notare, etiam Charisius auctor est, lib. I. At minùs placet Iul. Scaliger, cùm deducit à *quisque*. & propriè sic dici ait τὸ τυχὸν, *quicquid obuium*. Vide eum de caussis L. L. cap. CXXXIX.

QVONIAM ex *cum* siue *quom* & *iam*: *quare*, ex *qua* & *re*. *quamobrem* quasi *quam ob rem*. Porrò quemadmodum *quoniam* ex *cum* & *iam* conflatur: ita *etiam* factum ex *&*, & *iam*: de quo suo loco.

QVORSVM, vt Priscianus scribit, in XVII. compositum est ex *quo* & *versum*, vnde & respondetur ad *quorsum*, Orientem versus Occidentem versus. Parique iacet o in *horsum*, *illorsum*, *dextrorsum*, *sinistrorsum*: quasi *hoc versum*, *illoc versum*, *dextroversum*, *sinistroversum*.

QVOT ab Ionico κόσοι, hoc est, *quot* vt *quotus* à κόσος, hoc est, *quotus*, *quantus*, *quoties* ab Ionico κότε. Iones enim in interrogatiuis & relatiuis π mutant in κ, vt πῇ κῇ, *qua*, πῶς κῶς, ποῖος κοῖος, πόσος κόσος, ποτὲ κοτὲ. *Quotiens* & *totiens* per N scribenda docet Caper Grammaticus; eóque se modo hæc scripta inuenisse in antiquis quotquot viderit codd. scribit Pierius ad Ecl. II. Verùm suspicor, Capro & aliis Grammaticis imposuisse morem veterum qui syllabis longis imponebant apicem, vt ostenderent syllabam esse longam. Metuo enim ne apicem N habuerint; quâ de re & alibi diximus. A *quotus* est *quotumus*. Vtrumque notat πόστος. Vsus Plautus, Pseud. act. IV. sc. II. *quotumas ædes*. Et IV. VII. *quotumo die*. *Quot* interdum ponitur pro *singulis*, vt in *quotannis*, quod Priscianus in XVIII. exponit *quotquot erunt anni*. Nempe cùm dicitur, *fit hoc quotannis*, est ἐλλειπτικῶς, q. d. *quot sunt*, siue *quotquot sunt*. Græci itidem dicunt ὅσα ἔτη. Similiter pro *singulis calendis*, *quotcalendis* dicit Plautus, Sticho, act. I. sc. II.

Vos meministis quotcalendis petere demensum cibum.

Sic *quotmensibus*. Vitruuius, lib. X. cap. VII. *Hæ itaque quotmensibus magistratus in eum locum proferuntur.* Metuo tamen ne rectiùs *quot annis* & *quot mensibus*, scribatur, vt duæ sint voces: Sanè auctor est Pierius, ad Ecl. I. se in omnibus exemplaribus quotquot versare contigerat, *quot annis* diuisim inuenisse: eodémque modo plurimum legi in marmoribus ac tabulis æneis. *Quotiare* non seruat analogiam aliorum compositorum à *quot* pro *singulis*. Nam dicendum fuerat *quotdiem*: quod ipsum tamen legas apud Vlpianum & Pomponium, ff. de

annuis legatis & fidei commissis. Imò & Appuleius vlt. Metam. similiter *quot dies* pro *singulos dies* dixit. Velius Longus mavult *cotidie*. Nam, inquit, *non est quotidie à quoto die dictum* (scripsit id Marius Victorinus. lib. I.) *sed a continenti die cotidie tractum* Velio subscribit Beda Verùm nec est à *quoto*, nec a *continenti*, sed à *quot*. Rectè enim Annæus Cornutus, apud Cassiodorum, in coniectaneis de Orthographia: *Quotidie sunt, qui per co cotidie scribant: quibus peccare licet: desinerent, si scirent quotidie inde tractum esse à quot diebus, hoc est, omnibus diebus.* Hactenus Cornutus.

R

RABIES iuxta Perottum, quia furentes huc & illuc rapiantur. Sed est *rabies* ab antiquo *rabio*, vt à *facio facies*, a *specio, species*, ab *effingo, effigies*. A *rabio* vel *rabies* est *rabidus*, vt a *caleo* vel *calor* est *calidus* ab *humeo* vel *humor humidus*. *Rabere* forsan quasi ῥαιβάζειν, *corrumpi violentia*. Vel est a ῥάζω, *latro*. Propriè enim dicitur de canibus. Vnde Festus: *Rabidus à rabie, qui morbus caninus est.*

RABVLA à *rauus*, quasi *raucula*. Festus, in *Rana*, *Rauam vocem significare ait Verrius raucam & parum liquidam, proximè canum latratum. vnde etiam caussidicus, pugnaciter loquens, rabula appellatur.* Vbi MSS quidam pro *rabula* habent *ravila*. Sed *rabula* etiam est in schedis Festi Farnesianis. Nec tamen probare etymon hoc possum. Nam si a *raua voce canum latrantium rabulam* dici putauit Verrius: quantò iustiùs à *rabie canina* originem arcessamus? Vel αὐτὸ: à ῥάζω, *latro*. Vt à ῥάζω sit *rabula*, quomodo à φάω, vel φάζω est *fabula*. Sanè non tam *rauam vocem canum* imitantur *rabulæ*, quam *rabiem, ac latratum*, vnde *latrare* eos meritò dixeris: quomodo iam olim *caninam* eorum *facundiam* dictam esse nemo nescit. Nec fugit prius ἱστορικὸς Festum, qui alibi à *radendo*, vel *rabie*, deducit istis verbis. *Rabula dicitur in multis intentus negotiis, paratúsque ad radendum quid, auferendúmque: vel est ita dictus, quia acrior sit in negotiis agendis, & quasi rabiosus.* Etiam legas apud Nonium. *Rabula à rabie dictus, quem nunc aduocatum, vel caussarum patronum dicimus.*

RACEMVS à ῥὰξ ῥαγὸς, quo signatur *acinus racemi*. Vt enim vua *racemis*, sic *racemus acinis* constat. Vulgo tamen *racemum* vocant *vuam* siue βότρυν. Sed aliud docet Seruius, in II. Georg. *Racemus botrionis est pars.* Et Glossæ Philox. *Racemus, μέρος ἀπὸ τ̃ σταφυλῆς.*

RADIVS, à ῥάβδος, id est, *virga*, eliso B, & tertiâ vocali insertâ. Virgil. Ecl. III.

Descripsit radio totum qui gentibus orbem.

Vbi sic Seruius: *Radio, id est, virga philosophorum, quâ Geometræ lineas indicant.* Ῥάβδος vero αὐτοῖς primæ consonæ sit à ש שבט, id est, *virga, baculus*. Sed Perottus deducebat a *radendo*. Ita princeps notio fuerit, quâ sumitur pro *bastone mensuram radente atque æquante*. Mihi alterum magis placet, vt nempe primò notet *virgam mensorum*: indéque translatum sit ad alia, quæ *longitudinem virgæ* eius imitantur, quomodo & *ligulis rotarum* id nomen datum, & *brachij ossi*, & *instrumento textorio*, & *lineis, quas Sol eiaculatur*, atque aliis nonnullis. At non satis proprietatem vocis perspexit Obertus Giffanius Indice Lucretiano, voce *Tela*, vbi *radium* putat propriè esse *hastile*, seu *hastam*, ac *telum*. Mouet eum, quod Lucretius *solis radios* vocat *lucida tela diei*, Ausonius Mosella *lætitia tela diei* Varro *iacula Solis*, Prudentius. *spicula radiorum*, & *solis*. Sed hinc minimè sequitur, quod putabat. Nec enim prohibet quicquam, a diuersis rebus metaphoram peti: vt cùm pro *stupido* dicimus *mulum, ouem, lapidem, numerum*, aliáque id genus quæ propriâ significatione plurimum differre manifestum est.

RADIX est ima plantæ pars, qui tanquam ore succum trahit è terra. Vnde Plato dicebat *arborem* esse *hominem inuersum*. Nam rami manibus ac pedibus respondent. Huguitio in Catholico geminum adducit etymon, quia quasi *radius* demergitur in terra: & quia è terra *raditur*, siue eruitur. Posterius etiam Perotto placuit. Nunnesius censet esse à ῥίζα. Crebrò enim ζ in δ ab τ. Non dubito ego, quin sit a Græco ῥάδιξ. Sed obstare videtur diuersa significatio. Nam ῥάδιξ notat *ramum*: vt apud Nicandrum in Theriacis. Non diffiteor. Sed quemadmodum superior arboris pars se in ramos spargit, sic & inferior se variis fibris ac quasi ramulis per terras diffundit: vt magna sit conuenientia. Ac placuit quoque hoc etymon Cæsari Scaligero, Exercit. CXLIV. sect. III. *Radix* etiam *raphanum* notat. Gloss. *Radix, ῥάφανος*. *Radix. ῥαφάνιον*. Fortasse & Græci similiter dixere. Nam legere est apud Varronem, lib. IV. de L.L. *Quæ in hortis nascuntur, alia peregrinis vocabulis, vt Græcis ocymum, menta, ruta, quam nunc πήγανον appellant. Item caulis, lapathium, radix. Sic enim antiqui Græci, quam nunc raphanum.* Sed Scaliger emendat καυλός, λαπάθιον, ῥάφυς. Nam ῥάφυς Athenæo est *rapum*. At ῥάδιξ pro *raphano* non inuenitur. Quare verisimilius est, Latinos *radicem* pro *raphano* dixisse per synecdochen eam, quam generis appellant.

RADO forrasse a ῥᾳδιον, *facile*. Nam qui *radit*, is è rudi atque aspero reddit æquum ac planum & tactu *facile*. Hinc *radula*, apud Columellam. lib. XII. cap. XVIII. Nam veterem picem ea è doliis radunt atque educunt. Habet & notionem generalem. Onomasticon: *Radula ξύστρα*. Vtque à *sacratum, sacramen, sacramentum*; à *motum, momen, momentum*: sic à *rasum ramen, ramentum*: pro quo Plautus *ramenta* dixit, genere muliebri, Rudente, act. IV. sc. III. & Bacch. act. IV. sc. III. At Nunnesium non audio; cui *ramenta* κατὰ μετάθεσιν fieri placet ex ῥίνημα, etsi notio sit eadem; nam ῥίνη, *lima*, vnde ῥινᾶν, *limare*; ῥίνημα, *scobs, siue quod limâ abraditur.*

RALLA vestis, Nonio teste, à *raritate texturæ* nomen accepit. Nempe vt à *bonus* (pro quo posteriores *bonus* dixere) est *bonulus, bellus*; ab *vnus, vnulus, vllus*; a *vinum, vinulum, villum*; ita à *rarus, rarulus, rallus*. Itaque *spissam* vesti *raram* opponit Plautus, Epid. act. II. sc. II.

Tunicam rallam, tunicam spissam, linteum casitum.

At non audiendus Isidorus, lib. XIX cap. XXIII. vbi à *radendo* deducere videtur. *Ralla*, inquit, *vestis quæ vulgo rasilis dicitur.* At *ralla*, vel *rallum*, à *radendo* est, cùm accipitur pro *ferramento, quo raditur vomer*, ita vsurpat Plinius, lib. XVIII. cap. XIX. *Purget vomerem subinde stimulus cuspidatus ralla.* Nisi malis *rallo*: vti Turnebus. lib. XXIV. cap. I. Sed *ralla* firmatur editione veteri Parmensi, vbi est *rulla*, item Glossis Phil. vbi legas: *Ralla, ξύστρα*. In Cyrilli verò Glossis habes: ξύστρα, *ralla, rallum, rallus, rasorium*. ἀπὸ τοῦ ξύω, quod idem ac ξέω, id est, *rado*. Quod allatum *ralla* etymon confirmat. Quidam pro eo & *Rulla* dici putant: de quo in *Rulius*.

RAMEX dicitur quæ similiter *hernia* vocatur ab ἔρνος, hoc est, *ramus*. Gloss. Phil. *Ramex, ὀστεοκήλη*. Ita vsus Iuuenal.

——Iacet exiguus cum ramice neruus.

Lucilius, apud Non.

Quod deformis, senex, arthriticus, ac podagrosus
Est, quod mancus, miserque, exilis, ramice magno.

Etiam pluratiuo numero *ramices* dicuntur *pulmones*, vt Nonius ait: siue potius *pectoris venæ lateres*: nempe quia *rami* habent *similitudinem*. Nonius *ramicem* & *ramices*, confudit. Atqui non *herniam ramicibus* notari, sed id quod dixi indicat Plauti hic locus, Mercat. act. I. sc. II.

Tua caussa rupi ramices, iamdudum sputo sanguinem.

Nam pulmonum, aut venarum pectoris rupturam sequitur sanguinis sputum, non autem diruptum scrotum: vt bene obseruat Hieronymus Mercurialis, Var. Lect. cap. XX. Et satis constat cursu, ac vocis intentione venas pectoris rumpi. Quo respexit Plaut. Capt. prol.

Ego me tua caussa, ne erres, non rupturus sum.

Sententia est, qui in extrema stat scena, propiùs accedat, vt argumentum comœdiæ intelligat. Neque enim mihi animus est, eius caussâ vocem magis intendere, ne ramices rumpam. Locutus & hoc pacto Varro Trihodite ὁδὸς ἀρετῆς ... *Priusquam in Orchestra Pithaules inflet tibias, domi sua ramices rumpit.* Putà vocem nimis intendendo. Citat Nonius & alterum Varronis, atque item Plauti locum. Ipsum, sis, adi.

RAMNES pro *equitibus Romanis* vsurpat Persius: Eos sic vocat ab illis equitibus quos cum Luceribus & Tatiensibus instituit *Romulus*. A *Romulo* id nomen esse volunt Varro, Asconius, Plutarchus. quorum verba adduximus voce *Tribus*. Robertus Titius putat esse à ῥάμνος, quod exponitur ἀκανθώδης καὶ ἰσχυρός, vt docet Suidas Sed corruptus eum decepit locus, quia pro ῥάμνος legendum ῥωμαῖος. Vide Yvonem Villiomarum aduersus Titium, lib. V. cap. vltimo, & Casaubonum in Athenæum. lib. XV. cap. V.

RAMVS, non quasi à *radice means*, vt aliqui putarunt: neque à ῥάδιξ, hoc est, *ramus*: quæ Scaligeri est sententia: sed, vt arbitror, ab ὄραμνος, quod est κλάδος, prout Nicandri scholiastes exponit in Theriacis, vers. XCII. Omissum ὀ, quomodo ab ὄπισθε est *post*, & ex quorundam sententia ab ὄνομα, *nomen*, vel fuerit *ramus* κατὰ συγκοπὴν à ῥάδαμνος; quomodo, Hesychio teste, vocatur ἁπαλὸς κλάδος, *ramus tener*. *Ramus* propriè in *arbore*: κατὰ μεταφορὰν in *animantibus*, vt in *cornibus ceruorum*, quæ Græci similiter κλάδους vocant.

RANA ab sua dicta voce, vt scribit Varro, lib. IV. de L. L. Sed Angelo Caninio videtur esse à γύρινος, vt duplex fiet mutatio. Nam & tollitur γ, quomodo à γαῖα fit αἶα, & υ mutatur

tur in *A*, quâ ratione *ravis* est à genitiuo *ravis*. Γῆρυς, ὁ φωνή: βάτραχος, vt scribit Stephanus ἐν Βιθυνία. Aliis est γρῦλος. Ionibus γρῦλος, vt Eustathius scribit. Sed simplicissima est Varronis sententia. Quin Græcis similiter βάτραχος, meo iudicio, ab eodem sono dicitur, non παρὰ τὸν βοᾷν τραχὺ ἦχον. Sed verbum *coaxare*, quod est apud Philomelæ auctorem, aptius vocem ranarum exprimit, quam vel Latinum illud nomen, vel Græcum. Notum illud Aristophanicum in Ranis, βρεκεκεκὲξ, κοὰξ κοάξ; imò & *rana* κοὰξ ex eo vocatur, teste Hesychio. Ex *coaxare* contractum *quaxare*, vel *quassare*. Festus: *Quaxare ranæ dicuntur cùm vocem mittunt*. Ita est & in MS°. Gloss. Philoxeni: *Quassat* (l. *quaxat* vel *quassat*) φωνεῖ βάτραχος.

Rancor significat odorem corruptum rerum diutiùs asseruatarum, & propriè quidem olei: vnde Glossæ Philoxeni: *Rancidum*, ταγγόν. De oleo ταγγῷ vide γεωπονικὰ Constantino dicata, lib. IX. cap. XXII. Sic τάγγη, *rancor*, olei vitium. Alexander Aphrod. problem. lib. II. τὸ ἔλαιον τὰ παλαιούμενα ταγγίζει [illegible]. Sed ad alia quoque ea vox extenditur. At κατὰ μεταφορὰν dixit Persius Sat. I.

———Rancidulum quiddam de nare locutus.

Et Martialis, lib. VII. epist. XXXIII.

Qui sic rancidulo loquatur ore.

Vbi accipitur pro *ingrato* ac *deformi*. Est verò *rancor*, ac *rancidus*, à *ranceo*, quod à *raceo* inserto N, vt in *frango*, à *frago*; in *pango*, à *pago*, & similibus. *Raceo* verò est ab Hebræo רקב, *putrescere*. Vel est *ranceo* à ῥαίω, *destruo*, *corrumpo*, *perdo*. Quod à רע, *malus*.

Raphanus vel *raphanis*, ῥάφανος vel ῥαφανίς, παρὰ τὸ ῥᾳδίως φαίνεσθαι nomen habere putatur, quia tertio à satu die appareat.

Rapio, ab ἁρπῶ, quod idem notat. Vsus Hesiodus. Eâdem metathesi ab ἅρπαξ fit *rapax*. Quamquam hoc quoque ἀναλόγως deduci possit à *rapio*, vt ab *audeo*, *audax*. Ἁρπῶ venire censeo à חרב, quod est, *desolare*, *destruere*, *gladio occidere*: vnde חרב, *gladius*, ex quo ἅρπη, *harpe*, *gladius falcatus*. Ouid. V. Met. fab. I.

Vertit in hunc harpen spectatam cæde Medusæ
Acrisioniades.———

Ab ἁρπῶ est ἁρπάζω, non ab [illegible] & עבר, quod censebat Becmanus. Ab ἁρπάζω est Latinum *harpagare*, & nomen *harpago*, de quibus seorsim. Item *harpastum* apud Martialem, & alios, *pilæ genus*, quod in ludendo alter alteri eripiebat. Item *Harpuia*, Ἅρπυια ob *rapacitatem*. Sed ad Latinum *rapio* redeamus. Ab eo fonte dicti *rapones*, qua de voce egimus in *Scabo*. At omnino ab eo *rapina*, *raptio*, *raptus*, de quibus sic Donatus ad Adelph. III. III. *Raptio ad personam refertur, rapina ad rem, raptus ad stuprum; si volumus propriè loqui*. Ridiculè verò causs. XXXVI. quæst. I. legere est, *raptum* à *corrumpendo* dici, vbi & insulsè Glossographus: *Et ita simplex dicitur à composito, sicut aliàs exponit lex simplex per compositum*. Ab *arripio* est *arreptitius*, qui à dæmone correptus, inque furorem actus. Gloss. Isidor. *Arreptitius*, *ariolus*, *furiosus*. Onomasticum vetus Latino Græc. *Arreptitius*, ἁρπαστικὸς [illegible].

Rapum, cuius diminutiuum *rapulum* est apud Horatium lib. II. sat. VIII. vel à *ruere*, vel potiùs à *ruendo* dictum videtur Varroni, mirificâ sanè ἐτυμολογίᾳ. Locus est lib. IV. de L. L. *Quod terra ruere ruapa, vnde rapa*. Vbi Scaliger emendat: *Quod è terrâ ruerent, ruapa, vnde rapa*. Isidorus, lib XVII. cap. X. deducit à *rapiendo*, hoc est, *comprehendendo*. Sed rectè Angelus Caninius (quem Iosephus Scaliger secutus) deduxit à ῥάπυς, quod apud Athenæum est, lib. IX. Est autem ῥάπυς Æolicum pro ῥάφυς, vt ἀμπὶ pro ἀμφὶ, πανὸς pro φανὸς, &c.

Rarum opponitur *denso*. Græcè dicitur ἀραιὸς, vnde, vt arbitror, *rarum* κατ' ἀφαίρεσιν, vt ab ἄρουρα, *rura*; ab ἀμέλγω, *mulgeo*, &c. *R* præterea insertum, vt à *rubo*, *rurus*; à κορίαννον, *coriandrum*, &c.

Rastrum Græci grammatici vertunt σκαπάνην & σκάφιον Gloss. *Rastrum*, σκάφιον. *Raster*, δίκελλα. Quare iis *rastrum* est *instrumentum fossorium*, quod aliter *ligo*. Nec potest negari sic poëtas vti, imò Plinium, & alios. Indéque *rastellum* pro *fossorio instrumento* apud Suetonium, in Nerone: *Tubâque signo dato primus rastello humum effodit, & corbula congestam humeris extulit*. Sed propriè *rastri* vsus erat in occanda poliendâque terra. Græcè dicitur βωλοκόπος, vnde βωλοκοπεῖν, *occare*, seu, vt loquitur Maro, I. Georg. *glebas frangere*. Vt à *rodo*, *rosum*, *rostrum*, sic à *rado*, *rasum*, *rastrum*. Varro, lib. ... de L. L. *Rastri quibus dentatis penitus eradunt terram, atque eruunt*. Vbi dentes tribuit *rastris*. Vt & Ennius:

Rastros dentefabres capsit agri poliendi.

Et apud Catonem est de R. R. *Rutra*, *rastri quadridentes*. Nempe & *rastri* erant *bidentes*, qui ἁπλῶς *bidentes*, Græci δίκελλαι. *Quadridentibus* verò vsi, quia quò plures haberent dentes, eò aptiores erant ad *occandum*, hoc est, ad *glebas frangendas*.

Rates (Festi verba sunt) *vocantur tigna inter se colligata, quæ per aquam aguntur: quo quidem vocabulo interdum etiam naues vocantur. Eodem nomine significarunt remos*. Originem inquit Varro in IV. de L. L. *Ratis dicta nauis longa, propter remos, quos hi, cùm per aquam sublati dextra & sinistra duas partes efficere videntur, rates vocant*. Sed Nunnesius maluit *ratis* κατὰ μετάθεσιν esse a ἐρετμός, id est, *remus*. Malim ego cum Martinio à ῥέω, *fluo*, vel potiùs Syriaco רהטא, *fluens*, vnde מרהטא, *remi*. Similiter Belgæ *ratem* vocant *vlot*, & *vlotbalken*, quasi *fluentes trabes*. A *ratis* est *ratitus*: vnde *ratiti quadrantes*, ab effigie *ratis*, teste Festo. In quibusdam Paulli MSS[is] pro *ratitum* est *raticum* per C. Sed altera lectio Farnesianis etiam schedis comprobatur. Vide *Quadrans*.

Ravcvs à βράγχος, quod est *raucitas*, *raucedo*, vnde βραγχᾶν, *raucesco*. Aufertur initio B, quod interdum fit. Vel fuerit *raucus* à *rauus*, interiecto C, quomodo a *paruus* est *paucus*, à βοῶ *voco*, &c. *Rauus* duplicem habet notionem. Nam vel de *vocis sono* dicitur: vel de *colore*. De *voce* sic Festus: *Rauam vocem significare ait Verrius raucam & parum liquidam, proximè canum latratum: vnde etiam causidicus pugnaciter loquens rabula appellabatur*. Similiter de *voce* vsurpantur *raus*, & *rauio*. Idem Festus: *Rauim antiqui pro raucitate dicebant*. Plautus:

Vbi siquid poscamus, ad rauim poscamus.

Item:

Expurgaui hercle omnia ad raucam rauim.

Isidorus, in Glossis: *Rauit, rauce loquitur*. Lucilius:

Rausuro Tragicus qui carmina perdit Oreste.

Plautus, Pœnulo, Act. III. Sc. IV.

Nego & negando, siquid refert, rauio.

Ita Turnebus lib XIX. cap XII. Ibique Palmerius Meursius *ravio* emendat quod minùs placet. At de *rauo colore* sic è Verrio Festus: *Rauilla a rauis oculis, quemadmodum à Casiis Casilla*. Item *Raui coloris, rauistelli appellantur à Plauto, qui sunt inter flauos & casios*.

Quis, inquit, hæc est muliercula, & ille rauistellus qui venit.

Varro lib. II. de R. R. cap. II. *Si arietes sint rauis oculis*. Et lib. II. cap. IX. *Canes debent esse rauis oculis*. Ac Horatius. lib. III. od XXVII. *lupam rauam*: ac in libro Epod. *rauos leones*. Frumenta etiam matura à colore *raua* dicuntur, vt ex eodem Verrio mox patebit. Eóque respexit Philoxenus in Glossis Latino-Græc. *Rauus*, ξανθός. Nempe quod de frugibus dixit Verrius, id ad quosuis *fructus maturos* transtulit Glossographus. Vtra autem ex hisce duabus *raui* notionibus prior sit, parùm liquet. Interim a vero non abludit, *primaria* de *voce* dici. Nam *rauus* videtur esse à רב, *clamauit*. *Clamor* enim *rauim* conciliat, vt loca antè allata docent. Vel *rauus* fit à *sono* factum ob literæ *r* cum prima vocali concursum, quemadmodum eædem concurrunt in Græco βράγχος, quod *rauim* notat. Inde translatum ad *colores*; simili nempe ratione ac *surdum colorem*, nec non *austerum* dixit Plinius. Vtrobique enim obiecto visus tribuuntur, quæ aliorum sensuum obiectis propriè conueniunt. Aliter tamen Verrius, qui putabat, à *colore translatum esse ad vocem*. Et sanè similiter *fuscam vocem* dicimus, etsi *fuscus* propriè *colori* competat. Festus: *Rauos appellatos esse ait Verrius videri ab ariditate, siue à similitudine quadam spicarum aristæ. In spicis namque flaua frumenta raua appellari idem Verrius docet*. Hoc vult Festus, *rauum* propriè dici *de frumentis aridis*: indéque *raucos* vocari, quibus clamando guttur ita exaruit, vt voces liquidò proferre ampliùs non possint. Sed non video quomodo doceri possit, *rauum* accipi pro *arido*. Nimis diluta illa probatio, quod veteres ita vocarint *frumentum* iam *maturum*. Nam non *siccitatem* respexere, sed *colorem*, qui in frumentis maturis *flauus* est. At hunc *rauum* dixere, vt ostendunt, quæ ante attulimus: ac Nonius firmat, *Rauum*, inquit, *fuluum*. Cicero lib. IV. Acad. *Quia nobismet ipsis tum cæruleum, tum rauum videtur*. Ita enim ibi Nonius legit. Vbi nunc pro *rauum* legitur *flauum*. Vulgo sic is locus concipitur: *Mare illud, quod nunc, fauonio nascente, purpureum videtur, idem huic nostro videbitur: quia nobismet ipsis modo cæruleum videbatur, manè flauum: quodque nunc, quia à sole collucet, albescit & vibrat, dissimileque est proximo ei continenti*. Similiter apud Horatium, Epod. od. XVI. alij libri *rauos* alij *flauos* habent, versu isthoc:

Credula nec rauos timeant armenta leones.

Reapse est *reipsa*, vt exponit Festus. Vsi etiam Cicero, Seneca, alij. Conflatum autem ex *re*, & *eapse*. Festus: *Eapse*, *ea ipsa*. Idem in *reque eapse* adfert hæc verba Scipionis Africani: *Quibus, de hominibus cum ego sæpè, atque in multis locis,*

operâ, factis, consiliis, réque eapse bene meritus siem.

RECENS, vt conijcio, à *re* & *candeo*. Nam noua ferè commendantur candore, qui vetustate perit. Ita *recens* idem sit ac *renouatum, candoreque pristino restitutum*. Vel dicendum idem esse *candidum* : *re* autem hîc non magis iterationem notare, quàm in *recresco*, aut cùm Maro *terras repostas* ait III. Æneidos, quod Seruius exponit *longe posita*. Est verò à *candeo, recens*, vt à *censeo, ingens* pro *incens*, quod tantum est, vt censeri non possit. A *recens* est *recento*. Nonius : *Recentari honeste positum pro renouari*, quod est Græcè ἀνανεοῦσθαι. Cn. Mattius :

Iam iam albicascit Phœbus & recentatur
Commune lumen hominibus, voluptasque.

Citat & Gellius lib. XV. cap. XXV.

RECIPERARE legas in antiquarum inscriptionum collectione Gruteriana pag. XCVI. num. VI. Est à *recipio, recipero*: sed pro eo posteriores dixere *recupero*. Sic *reciperatores*, qui postea *recuperatores*. Vide Festum in *Reciperatio*. Ita autem dicti iudices, qui præfecti erant recuperandis reddendisque. Meminit & Plautus Bacch. Act. III Sc. III.

Postquam prætor recuperatores dedit.

Vnde *recuperatorium iudicium*, apud Ciceronem, Suetonium, Plinium: quod per eiusmodi iudices exercebatur.

RECIPROCVS, παλινδρομος, ὁ αὐτὸς, ἐπιστρεφων, παλίνορσος, ἐπαλίρρυτος ; vt exponitur in Gloss. Philox. Vnde sit, docet Varro, lib. VI. de L. L. *Reciproca*, inquit, *est, cùm vnde quid profectum, redit eò ; quod ab recipere Reciprocare fictum ; aut quod poscere procare dictum*. Posterius etymon secutus Festus, cùm ait, *Reciprocare pro vltro citroque poscere vsi sunt antiqui, quia procare est poscere*. Estque hoc verum etymon. Nam veteres (vt in *Incitega* dictum,) C I κατ' ἐπένθεσιν inserebant, quo vox plenius afficeret aures. Sic *reciperare* quoque dixere pro *recipere*, vt antea diximus. A *reciprocis cornibus* est *reciprocicornis*, quo de ariete vsus Laberius. Græcis sit στρεψίκερως.

RECTA, *vestimenti virilis* genus, ita dictum quod *recta* sursum versum texeretur. Eius diminutiuum *regilla*, quod erat *muliebre vestimentum*, ab eadem caussa ita dictum. De vtroque pleniùs rem explicat Festus: *Recta*, inquit, *appellantur vestimenta virilia, quæ patres liberis suis conficienda curant ominis caussa; ita vsurpata, quod à stantibus & in altitudinem texuntur*. De *regillis* verò sic idem : *Regillis, tunicis albis, & reticulis luteis vtrisque ....itu textis susum versum à stantibus pridie nuptiarum diem virgines indutæ cubitum ibant ominis caussa, vt etiam in togis virilibus dandis obseruari solet*. Hiatus iste explendus voce *rectis*, vt Antonius Augustinus annotauit, vel quod non minùs placet *strictis*. *Regillæ* vestis meminit Plautus, Epidico, Act. II. Sc. II.

Quid erat induta, an regillam induculam, an mendiculam?

Vbi quæ *mendicula* diceretur, quæri potest. Sunt quibus placet, fuisse vestimenti genus, quale illud, quo *Meddices* apud Oscos vterentur. De his ita Festus: *Meddix apud Oscos nomen magistratus est*. Ennius : *Summus ibi capitur meddix, occiditur alter*. In alijs est *medix*, quod propius accedit ad μέδων, quod *regnatorem*, siue *præfectum*, signat. Hesychius : μέδοντες, ἄρχοντες, βασιλεύοντες. A *meddici* igitur *meddicula* erit. Sed facetus Comicus, vti ego arbitror, iocum captauit in his vocibus. Nam ad *regum*, & *mendicorum*, contrariam sortem alludens facetè, cùm *regillam* nominasset, subijcit *mendiculam*, quasi βασιλικὸν ἢ πτωχικὸν dixisset, cùm tamen *regilla* dicatur à *recta* non à *rege*; & vt *meddicula* vestis fuerit, quod negare nolo, tamen quæ propriè *mendicula* diceretur, fuerit nulla. An Plauti mentem assequamur, cogitent qui Plauti genium norunt.

REDIMICVLA quid sint, docebit Isidorus, lib. XIX. cap. XXXI. & XXXIII. Est à *redimire*, hoc à *re*, & δίημα, hoc est, δίαμμα, *vinculum*. Itaque *redimicula* in Glossis exponuntur ἀναδήματα. Vt à *perpendo, perpendiculum*: sic à *redimio, redimiculum*. Vel *redimire* est ex *redamicire* κατὰ συγκοπὴν factum. Nempe vt sit *redamicere*, ex *re* & *amicire*. *A* in *I* mutatur, vt in *afficio*, & similibus. *D* verò inseritur ob sequentem vocalem ; vt in *redire*, alijsque sexcentis. *Amicire* autem est ab *am*, & *icere*, vt suo loco diximus.

REDVVIÆ quasi *reluuiæ*, quia se reluit ac resoluit cutis circa vngues Festus: *Reduuiam quidam, alij reluuium appellant, cùm circa vngues cutis se resoluit, quia luere est soluere*. Propterea Turnebus in Aduersarijs, lib. XVII. cap. VIII. *reluuias* pro *reduuiis* dicere iubet. Sed aduersantur omnes codices : quos hic aspernari non possumus, cùm toties *L* abeat in *D* ; vt δάκρυον, *lacryma* ; *Medica* gallinæ, *Melica*, teste Festo. Imò quid si & deducamus ab antiquo *reduo*, vnde erit *reduuia*, vt ab *induo* & *exuo*, *induuiæ* & *exuuiæ* ? Ita *reduuia* propriè erit *noua cutis generatio* : quia cutis instar vestis vnguem denuo reduit, hoc est, iterum vestit ac tegit. Græcè dicitur παρωνυχία ; vt apud Pollucem. De ea prouerbium est apud Ciceronem orat. pro Roscio Amerino *Cum capiti mederi debeas, reduuiam curas*. Hoc est, maioribus malis neglectis minoribus remedium quæris. Inuenitur *reduuia* aut *reluuia* vox & aliâ significatione apud Solinum, qui *reduuias conchyliorum* vocat fragmenta eorum, & reliquias : quemadmodum & *reluuias escarum* appellat, quæ è cibis dentibus crocodili inhærent. *Trochilos*, inquit, *auis paruula est: dum reluuias escarum affectat, os belluæ huiusce penetrat*. Etiam vsi de pelle, cùm se flagris resoluit. Vt apud Titinium, comicum veterem : *Lassitudo conseruûm, rediuia flagri*. Etiam *reduuiosus* dixere pro aspero & hiante: vt apud Læuium poetam in scazonte istoc :

Scabra in legendo reduuiosa ne offendens.

REFRIVA faba, quasi *referiua*. Nam vt à *condo conditiuus*, sic à *refero referiuus*. Festus : *Refriua faba dicitur, vt ait Cincius, quæ ad sacrificium referri solet domum ex segete auspicij causa, quasi renocet domum. Data enim est & tritico ad rem diuinam faciendam. Ælius dubitat, an ea sit, quæ prolata in segetem, domum referatur, an quæ refrigatur, quod est torreatur. Sed opinionem Cincij adiuuat, quod in sacrificijs publicis, cùm puls fabata Dijs datur, nominatur refriua*. Hæc Festus, cuius verbis lucem adfert in castigationibus suis Ios. Scalig. Idem etymon adfert Plinius, lib. XVIII. cap. XII. *In eâdem (faba) peculiaris religio. Námque fabam vtique è frugibus referre mos est auspicij caussâ, quæ ideo refriua appellatur*. Quo loco *referiua* integrè legitur in MSS[ti]. Nec multum abit antiqua Parmensis, in qua μετάθεσις solùm peccatum. Nam *referiua* in ea excusum. At *refrina* per *N*, quod in quibusdam codd. legitur, minùs respondet analogiæ.

REFVTARE, & *confutare*, sunt à *futare* : quod Festus exponit *arguere*. Sed hæc acceptio est metaphorica, vt origo indicat. Est enim *futare* à *futo vase*, quia vt futo feruens aqua, ita oratione compescantur aduersarij. Varro, IV. de L. L. *Vas aquarium vocant futum, quo in triclinio allatam aquam infundebant*. Titinius, Setinâ :

Sapientiâ gubernator suam nauim torquet, non valentiâ :
Coquus ahenum, quando feruit, paullâ confutat truâ.

Vt vterque trochaïcus fit, prior versus (vt in Oratorijs quoque diximus) sic legendus : *Sapientiâ guber suam nauim*, id est, *gubernator suam nauim*. Hunc fortè locum respexit Philoxenus in Glossario : *Guber*, κυβερνήτης. Factum id more Græcorum poëtarum, tum Oscorum, & Ennij. Sic *guberna* pro *gubernacula* à Lucretio dictum, vt Victorinus & Nonius monent. Vide quæ de vocabulis huiuscemodi scribit Ob. Giffanius in Indice Lucretiano, voce *Guberna*.

REGO, & *rex* (quod ex *regis* contractum,) quibusdam placet esse à ῥέζω, id est, *facio*. Isidorus, lib. de Prælatis, *regem* ait dici à *rectè agendo*. Sed hæc Stoica est allusio. Nam planum est esse à *rego*. Hoc Caninius & Nunnesius non absurdè pro *rago* dici putat : esséque id ab ἄρχω κατὰ μετάθεσιν. Sed imprimis assentio doctissimo socero meo, Francisco Iunio, qui commentario in Danielis cap. IV. suspicatur *rego*, omniáque eius coniugata, venire à nomine *Rac*, quod Babylonijs *regem* notabat : vnde *Chananiæ* à principe aulicorum impositum nomen *Schadrac* à *scheda*, quod est *inspirare*, vel *effundere*, & *rac*, rex, quomodo Onkelos, Chaldæus Paraphrastes, exponit vocem illam *Abrec*, Genes. XLI. v. XLIII. ac idem patrem regis Iosephum in Ægypto dictum scribit. Atque ab hoc *rac* etiam ἄρχω venire, planè arbitror. Vnde, qui parasitos alerent, *reges* dicti sint : ostendimus in *Modimperator*. A *rego* est *regimen*, item *regulus*, item *regula*, de quo seorsim. Aliàs ***** vocatur. Ab eodem dicitur *regio*, quod antequam regiones fierent, prouinciæ sub *regibus* essent. Μετωφορικῶς verò *regiones* in vrbe dicuntur maiores eius partes : quæ diuiduntur in *vicos*, vt membra minora. Composita à *rego* sunt *arrigo*, *surrigo*, *corrigo*. Sed interdum *I* eliditur, vt in *pergo* : de quo seorsim, itémque *surgo*. Vsus Plautus, vers. vlt. Epid.

Plaudite, valete, lumbos surgite, atque extollite.

Sic in MSS[ti] Camerarij scriptum obseruauit clarissimus, & affinitate coniunctissimus, I. Gruterus. Dixit autem Plautus, *lumbos surgere* ; quomodo apud Maronem de famâ in IV. Æneid. est :

——*Tot surrigit aures.*

Glossæ vett. *Subrigit*, ὑπεγείρει, ὑπανίσταται. *Subrigo*, ἀναβιβάζω, ἀνεγείρω. Itaque *surgere* dici videtur κατ' ἔλλειψιν pronominis *me, te, se*. Vt, *Sempronius surgit*, nihil aliud sit quàm *subrigit se*, siue *extollit & erigit*. Nempe prior compositi pars est *susum* siue *sursum*. Vel dicendum *sub* quidem valere *subtus* :

sed

ſed vim verbi eſſe, *ex imo erigere*. Vel ſimplex *regere*, ponitur pro compoſito *erigere*: vt *ſurgere* ſit *ſurſum erigere*. *Erigo* verò non dubium, quin ſit ab *e*, & *rego*, vti *dirigo* ex *di* & *rego*. Quod non adderem, niſi Nunneſius traderet *erigo* eſſe ex ἐγείρω. Quemadmodum nec audiendus idem, cùm *ſurgo* κατὰ μετάθεσιν factum putat ex ὀρέγομαι, quod idem notat. A *ſurgo* eſt *deſurgo*. Horatius, lib. II. ſat. II.

Vides, vt pallidus omnis
Cœnâ deſurgat dubiâ.

Quem locum reſpexit Gloſſographus: *Deſurgit*, ἀφοδεύει, ἀποπατεῖ. Sed ἀφοδεύει legi debere, docuit Meurſius, in Auctario Philologiæ, cui præiuerat Turnebus, lib. XVII. Aduerſ. cap. XVII. Putabat B. Vulcanius, notis in Gloſſas, propter illum Gloſſographi locum, ſic apud Horatium legi debere,

Vt iugulent homines deſurgunt nocte latrones.

Sed omnino recta eſt vulgata lectio. Nec Gloſſographus hunc ſed ante dictum Horatij locum reſpexit. Eſt vero *deſurgere* ad ſeceſſum ire, ad exonerandum aluum, vt ibidem ex Scribonio Largo docet Turnebus. Verba ſunt Scribonij: *Teneſmos, eſt irritatio vltimæ partis inteſtini directi, in quo ſæpius libet deſurgere ſine menſura. Porrigo* quaſi *porrò rego*. Pro eo κατὰ συγκοπὴν *porgo* dixit Corippus Grammaticus Africanus.

Huic ego ſanantiſ, ſi qua eſt fiducia ſeruis,
Grates ſemper ago & pro munere carmina porgo.

Ita legi is locus debet, vbi ineptè editum *carmina poſco*.

REGVLA, *norma*, & *perpendiculum*, differunt: vnde Cicero, lib. II. Academ. Quæſt. *Atqui ſi id crederemus, non egeremus perpendiculis, non normis, non regulis*. Citat Nonius. Diſcrimen verò oſtendit Vitruuius, lib. VII. cap. III. *Longitudines ad regulam & lineam, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam reſpondentes exigantur. Regula* Græcis κανών; *perpendiculum*, κάθετος; *norma*, γνώμων. Primum, & poſtremum iunxit quoque Lucianus in Harmonide: Ὁ γνώμων, φησὶ, καὶ ὁ κανὼν τοιοῦτος; *norma, inquit, & regula talium*. Dicitur *regula*, quia *regit manum illius, qui altitudinem explorat*. Græci quoque εὐθύγραμμον dicunt: Quaſi dicas *rectilineam*. Nam lineæ rectæ ad *regulam* exiguntur. Sic vocat etiam Vitruuius, lib. I. cap. I.

REICVLVS, quod reijci meretur. Nonius Marcellus: *Reiculas oues, aut ætate aut morbo graues. Varro Cato, vel de liberis educandis: Et vt in grege opilio oues minùs idoneas remouere ſolet, quas reiculas appellat: ſæpè enim vnus puer petulans atque impurus inquinat gregem puerorum*. Vſus quoque Cato, de Re R. cap. II. *Vendas boues vetulos, armenta reicula, oues reiculas*. Ita vett. codd. Vbi in pleriſque, *Armenta delicula, oues deliculas*. Quod erit à *delicus*, vti hoc à *lacio*, vnde & *lactis* nomen. Vnde in vett. Gloſſis: *Delicum* (ſed in ijs malè *delitum* legere eſt) exponitur ἀπογαλακτισθὲν. Atque idem docuerat Varro, lib. II. de R R. cap. IV. *Cùm porci depulſi ſunt à mamma, à quibuſdam delici appellantur, neque iam lactentes dicuntur*. Sed hæc *delici* vel *deliculi* notio (vt optimè monet doctiſſimus Meurſius) locum apud Catonem non habet, vt omnino *reiculum* videatur præferendum. Inuenias idem apud Varronem, lib. II de R.R. cap.... *Præterea ſcire oportet, quot vtriuſque generis ſoboles, quot reicula ſint alimanda*. Sed mirum, quod Petrus Victorius, in cunctis ſe manuſcriptis inueniſſe ait, *Quot epula*. Vnde Ioſephus Scaliger legendum conijcit, *quot petila*, hoc eſt, ſtrigoſæ & macræ: vel *quot redula*, hoc eſt, faſtidioſæ: vel, quod imprimis probat, *quot pulla*, quando & Virgilius cauere iubet, ne aries maculis infuſcet vellera pullis. In plerique libris pro *reiculus* ſcribitur *reyculus*; quod non improbo. Nam vt *reyicio* & *reicio* dixere, ita *reyculus* & *reiculus*. *Reicio* eſt apud Maronem,

Tityre paſcentes à flumine reice capellas.

Simile eſt *adicio* pro *adjicio*, apud Martialem, lib. X. epigr. LXXXII. Item Manilium in ſphæra:

His adice obliquos, diuerſaque fila trahentes.

Et in Apoteleſmatis:

———Adice & ciuilia bella.

Etiam *abicio*, *ſubicio*, *obicio* dixiſſe, oſtendimus lib. II. de Arte.

RELICINVM *capillum* vocat Appuleius in Floridis, qui occiput verſus refugit. Ac ita dici putant, quia *retro receſſit*, vt Lucretius loquitur. Hoc ſi eſt, ita dicetur quaſi *reclinus*, κατὰ μετάθεσιν. Quod durius eſt. Quare puto eſſe à ſimplici *Licinus*. Gloſſæ vett. *Licinus*, ἀνάθριξ. Vbi Bonauentura Vulcanius ἀνάθριξ eſſe legendum ſuſpicatur. Sed hoc aliud ſignat. Quare ἀνάθριξ, etſi inſolens vocabulum, retineo, vt ſignet *capillum ſurſum reductum*. Nam ἀνὰ in compoſitione interdum valet *ſurſum*, vt in ἀναβιβάζω & alijs. De *Licino* ſuo loco dictum.

RELIGIO, quâ, Auguſtino teſte, ſignificatur *cultus diuinus*, à *relegendo* nomen accepit, ſi Tullium audimus. Eius hæc verba, lib. II. de Nat. Deorum: *Maiores noſtri religionem à ſuperſtitione ſeparauerunt. Nam qui totos dies precabantur, & immolabant, vt ſui liberi ſibi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati: quod nomen poſtea latius patuit. Qui autem omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter retractarent, & tanquam relegerent, dicti ſunt religioſi ex relegendo, tanquam à deligendo deligentes, ex intelligendo intelligentes. His enim verbis omnibus ineſt vis legendi eadem, quæ eſt in religioſo. Ita factum eſt in ſuperſtitioſo, & religioſo, alterum vitij nomen, alterum laudis*. Altera ἐτυμολογία eſt Maſſurij Sabini, ex cuius commentarijs, quos de Indigenis, vel potiùs de Indigitamentis compoſuit, hæc verba exſcripſit Gellius, lib. IV. cap. IX. *Religioſum eſt, quod propter ſanctitatem aliquam remotum ac ſepoſitum à nobis eſt. Verbum à relinquendo dictum, tanquam ceremonia à carendo*. Addit deinde Gellius: *Secundùm hanc Sabini interpretationem templa ac delubra, quæ non vulgo ac temere, ſed cum caſtitate ceremoniáque adeunda & reuerenda & reformidanda ſunt magis quam inuulganda. Sic dies religioſi dicti, quos ex contraria cauſſa propter ominis diritatem relinquimus*. Etiam à *relinquendo* deducit Aggenus Vrbicus, lib. de limitibus agrorum. Etiam Macrobius, lib. III. Saturnalium, cap. III. idem ἔτυμον adducit: ac ſimiliter ſenſiſſe docet Seruium Sulpitium. Ex horum igitur ſententia *religio* à *relinquendo* dicitur, ſiue quia ea propter ſanctitatem à nobis eſt ſemota: ſiue, quia cuncta, cùm ad religionem accedimus, omittere debemus; ſiue quia *religioſa* loca propriè ſint, quæ relinquantur nec amplius inſeruiant vſibus humanis. Locus enim de cælo tactus, ouis bidentis, ſiue, vt placet Porphyrioni & Senecæ, agnæ albæ ſacrificio Dijs conſecrabatur, manebátque inacceſſus, & inhabitatus, quia cum, vti & res fulmine tactas, calcari nefas erat: vti ſcribit Cornutus in illud Perſij,

Triſte iaces lucis euitandúmque bidental.

Tertium ἔτυμον eſt ab *re* & *eligo*, quod Auguſtinus adducit, lib. X. de Ciuitate Dei, cap. IV. de his verbis: *Hunc Deum religentes (amiſeramus enim negligentes, vnde religio dicta perhibetur) ad eum dilectione tendimus, vt perueniendo quieſcamus*. Quartum ἔτυμον eſt Aggeni Vrbici, De limitibus agrorum, qui geminum etymon adfert; vnum ſuperius commemorauimus: alterum his proponit verbis: *Religioſum à religando mentes, vt male agant homines*. Ac ſimiliter Seruius, in VIII. Æn. *Religio id eſt, metus, ab eo, quod mentem religet, dicta religio*. Lactantius quoque, lib. IV. cap. XXVIII. *Hac, inquit, conditione gignimur, vt generanti nos Deo iuſta & debita officia præbeamus, hunc ſolum nouerimus, hunc ſolum ſequamur. Hoc vinculo pietatis obſtricti Deo, & religati ſumus: vnde ipſa religio nomen accepit: non, vt Cicero interpretatus eſt à relegendo*. Ad hanc originationem adſtruendam ibidem adducit hoc Lucretij, lib. I.

———Arctis
Religionum animos nodis exſoluere pergo.

Sequitur quoque hanc ſententiam Auguſtinus, lib. de vera relig. capite LV. & libro I. Retract. capite XIII. Etiam à *religando* deducit vir doctiſſimus Deſiderius Heraldus, Animaduerſionibus in quartum Arnobij: ſed cauſſam aliquanto aliam adfert: nempe quod res diuinæ & humanam vim ſuperantes horrorem inijciant, animóſque quaſi teneant conſtrictos. Alibi certè monuimus à ſcriptoribus externis *religionem* non ſemel accipi pro *metu*, *atque horrore*: & hæc viciſſim pro *religione* vſurpari: ac *horribile* ſimiliter pro eo poni, *quod ſacrum eſt, tacitámque incutit religionem*.

REMVLCVM, quod apud Cæſarem, Liuium, Auſonium, alios legas, eſſe *naniculam* putat Doletus: ſed eius errorem vberrim refellit Floridus Sabinus, Subſeciuarum Lect. cap. III. Quid verò ſit, docet Feſtus. *Remulco, inquit, eſt, cùm ſcapha remis nauis magna trahitur*. Sententia eſt, *remulcum* dici, cùm ſcapha remis vtens trahit nauem maiorem ſibi alligatam. Iſidorus, lib. XIX. cap. IV. *Remulcum funis, quo deligata nauis trahitur vice remi*. De quo Valgius:

Hic mea me longo ſuccedens prora remulco
Lætantem gratis ſiſtit in hoſpitijs.

Nonius cenſet eſſe à *mulcendo*. Sic enim ſcribit: *Remulcare dictum, quaſi molli & leni tractu ad progreſſum mulcere*. Vbi & Siſennam hoc verbo vſum ait in ſecundo Hiſt. Sed de etymo valde fallitur. Nam eſt ea vox à Græcis, qui quod Latinis eſt *remulco trahere*, id dicunt ῥυμουλκεῖν, nempe quaſi ῥύμῳ ἕλκειν; hoc eſt, *loro funiculóque trahere*. Nam ῥύμα, *funis, quo trahunt remulcum*, à ῥύω, *traho*. Pro *remulco* etiam *promulco* dixere: ſi verè Feſtus: *Promulco, inquit, agi dicitur nauis, cùm ſcapha ducitur fune*. Sed non inuenio quemquam ita veterum locutum. Cæterùm non ſolùm *remulco* trahitur

nauis,

nauis, quæ scaphæ alligata: sed etiam quæ oram legens ab homine, seu pedite, seu equite protrahitur. Ac, ni valde fallor, eodem respexit Varro Marcipore, cùm apud Nonium in Equiso ait:

Quam nautici equisones per viam, qua ducerent lora.

Neque enim assentiri possum Antonio Delrio, qui suis in Senecæ Medeam commentarijs, pag. x per *equisones nauticos* gubernatorem intelligebat, eo tralationis genere, quo *aurigam* pro eo Ouidius & alij dixere.

REMVS, iuxta Isidorum, lib. XIX cap. II. *à remouendis & recutiendis fluctibus dictus.* Sed hoc longè petitum. Vti & quod Scaliger, lib IV. de R. P. dici ait quasi *ramum*, idque à *radendo*. Caninio placet esse à [illegible], vt à [illegible] *remulco*. Sed significatio non satis conuenit: vt apparet ex ijs, quæ dicebamus in *Remulco*. Quare malim deducere ab ἐρετμός præciso E & elisio T. A *remus* est *remex*, item *remipes*, lembi epitheton, quia *remis* tanquam pedibus progreditur siue ambulat, vt loquitur Cato. Ausonius, in Mosella:

Remipedes certant medio cum flumine lembi.

Ab eodem sunt *biremis*, & *triremis*: de quo seorsim. Etiam ex Perotti sententia à *remo* est *remillum*, vt propriè significet, quod *repandum est instar remi, qui reflexus in aqua videtur. Remillum esse repandum*, ex Festo constat, & Glossis Isidori.

REN à *riuus*. Isidorus, lib. XI. cap I. *Renes ait Varro dictos, quod riui ab his obscæni humoris nascuntur. Nam venæ & medullæ tenuem liquorem desudant in renibus, qui liquor rursum calore Venereo resolutus decurrit.* De Varrone idem antea scripserat Lactantius, lib. de opificio Dei, cap. XIV. Sed potiùs vti *riuus*, ita & *renes* sunt à Græco ῥέω, hoc est, *fluo*: vel Hebræo [illegible], quod itidem *fluere* notat. Caussa nominis erit, quòd *serosus humor per renes decurrat*. Petrus tamen Nunnesius existimat *rien* (sic enim veteres dixere, vt constat ex Prisciani libro v.) venire à Græco [illegible], quod idem notat. A *ren* seu potiùs *rien* est Belgicum *nier* [illegible].

REOR à *re* deducit Sipontinus, vt propriè sit *rem censeo*, siue *puto*. In mentem venit, posse etiam deduci à ῥέω, quod idem ac ἐρέω, hoc est, *dico*. Nam quia *sermo* est *imago cogitationis*; & *cogitatio, res*: hinc est, quòd facilis ab vno ad aliud fit translatio. Sic *verbum* pro *facto* Hebræis est frequens: & ipsum *Res* putabat Iosephus Scaliger esse κατ' ἀποκοπήν è ῥῆσις, quod est *dictum*: suntque multa huiusmodi. A *reor* est *ratus* & *ratio*, teste Festo. Quod nisi manifestum foret, existimari posset *ratio* esse ab Hebræo [illegible], *ratson*, id est, *voluntas*. Quia multis, vt ait poëta, *stat pro ratione voluntas*. Ab *ratio* est *ratiocinator*, vt à *sermo sermocinor*. A *ratus* est superlatiuus *ratissimus*: quo, Festo teste, vsus Cato aduersus Thermum: *Erga rempublicam multa beneficia ratissima atque gratissima. Rato* opponitur *irritum*, quasi *non ratum*. Scribitur vel gemino *R R*, vt voluit Scaurus, vel per *N* & *R inritus*, quod in veteribus monumentis inuenitur. Nam vsque ad M. Aurelij Antonini tempora integras seruabant præpositiones, vt è veteribus se monumentis obseruasse ait Pierius in IV. Æneid. Non tamen id vbique verum est. Quando, vt idem agnoscit, *Accipio* gemino CC Pompeij Magni ætate scribi solet: vt colligere est, ex inscriptione in Mineruæ delubro, quam ex manubijs condidit. In ea enim legere est: *In deditionem acceptis*. Et, *In fidem acceptis*.

REPAGVLVM, quia *pangitur* & *repangitur*. Veteres enim *pago* dixere, vnde *pagina*. Festus: *Repagula sunt, vt Verrius ait, quæ patefaciendi gratiâ ita figuntur, vt ex contrario, quæ oppanguntur.* Gloss. *Repagula*, [illegible].

REPENTE, vnde *repentinus*, est à *repens*, hoc est, *subitus*. Venit à ῥέπω, hoc est, *vergor inclinor, propendeo*. Nam quo quid propendet, eò subitò fertur: vt videmus in lance: vnde ἐν ῥοπῇ, *in momento*. Perottus volebat κατ' ἀντίφρασιν esse à *repo*, quòd reptilia sint tarda. Sed ἀντιφράσεις iam sæpius explosimus. Præterea obstat modulus prioris syllabæ. Est correpta. Lucretius, libro v.

Magnanimum Phaëthonta repenti fulminis ictu.

Maro in XII.

———*Quare ista repens discordia.*———

Ita & Seruius & Donatus legere: vbi in quibusdam legitur *recens discordia*. Cicero, Tusc. Quæst. lib. III. Euripideum versum ita expressit:

Ne me imparatum cura laceraret repens.

Vbi qui *recens* legendum esse coniectant, planè frustra sunt. Vsus & Seneca in Medeâ Act. v. Sc. vlt.

———*Quid repens adfert sonus.*

Et in Troad. act. III. sc. I.

Quid te repens commouet adstitam metus.

Item Statius, lib. VII. Theb.

———*Vocisque repens singultus apertum*

Interclusit iter.———

Valerius Flaccus, lib. II.

———*Vox inde repens vt perculit vrbem.*

Vbi malè quidam *recens*. Eodem libro inuenies:

———*Ecce recens consurgere Ponto*

Bellua.———

Claudianus, lib. II. de raptu Proserp. vers. CLV.

Ecce repens mugire fragor, considere turres.

Sed & in prosa inuenitur. Cicero, lib. III Tuscul. *Quamquam hostium repens aduentus magis aliquanto conturbat, quam expectatus.* Varro, lib. VI. de L.L. *Nam repens ruina aperuit*, &c. Liuius, lib. I. *Repens ex agris tumultus allatus pro nuncio fuit.* Tacitus, lib. VI. Annal. *Neque discerneres alienos à coniunctis, amicos ab ignotis, quid repens aut vetustate obscurum.* Et lib. I. Histor. *Sed sceleris cogitatio, incertum an repens, studia militum iampridem spe successionis, aut paratum facinoris affectauerat.* Et lib. II. Histor. *Atque illum iam supremas curas agentem, repens tumultus auertit.* Et lib. IV. Histor. *Cum accursu tot prouinciarum exstingui repens perfidia potuerit.*

RES vnde veniat, mirificè somniant grammatici quidam ac scholastici. Adferam verba vnius Amandi Bellouisij in Declar. diffic. term. cap. IV. *Res dicitur dupliciter, secundum quod diuersimodè de diuersis dicitur. Dicitur enim res secundum grammaticos à ratus, a, um; & quia ratum est idem quod firmum, ideo res dicitur de entibus, quæ habent firmam entitatem, quæ sunt entia realia, sicut lapis. Alio modo dicitur res à reris, & quia hoc verbum reor importat actum intellectus & rationis, ideo etiam res dicitur de entibus, quæ non habent firmum esse reale, sed solùm habent esse rationis, sicut secundæ intentiones. Et sic patet quod res, quod est transcendens, dicitur de entibus realibus, prout dicitur à ratus, a, um: & de entibus rationis, prout dicitur à reor reris.* Hæc Bellouisius quem vt multi in errorem induxere, ita in errore sequuntur multi. Rectius Cæsar Scaliger, in Theophrasti lib. v. de causs. Plant. cap. III. *Res, inquit, à pecore, quæ opes erant antiquorum*, [illegible], & [illegible], & [illegible]. Censet igitur esse à [illegible], quod est *ouis, pecus*: vnde Hippocrati [illegible], *ouilla aut agnina pellis*. Item [illegible], Etymologo, [illegible]; & [illegible], qui pecora habet multa. At Iosephus Scaliger Notis in Cirin factum ait à *reses*, hoc esse à ῥῆσις, quod à ῥέω, *dico*. Ita propriè notabit *dictum*: sed pro *facto* ea ratione vsurpetur, quomodo & Hebræi *verbum* dicunt pro *facto*, Homerus ἔπος pro eodem, & Maro *dictum* in Ciri:

Quæritur ex omni verborum iniuria dicto.

Et Plautus, Casin. act. v sc. vlt.

Feci ego istæc dicta quæ vos dicitis.

Vbi *dictum* est *res ea, quæ dicitur*. Tertia sententia Martinij est, vt sit à ῥέζω, *facio*. A cuius præterito ἔοργα est ἔργον. Quare *res* & ἔργον idem erunt. Quarta sententia est Becmani. Putat vt contractum sit ex רכוש, *rechus*: quod notat *rem, opes, facultates, quicquid homo sibi acquirit*, à רכש, *acquisiuit, comparauit*. Est & quincta Angeli Caninij, vt sit a Punico *resi*, siue Hebræo ראש, quod *caput* ac *summam* notat. Sed si extra Græciam abeundum, alterum illud malim. Sed imprimis placent qui a Græco ῥέζειν originem arcessunt, vt propriè *factum* notet, ac συνεκδοχῇ deinde ad quiuis transferatur.

RESEDA herba à *resedo*, quia morbos sedaret Plinius, lib. XXVII. cap. XII. *Circa Ariminum nota est herba, quam resedam vocant. Discutit collectiones inflammationesque omnes. Qui curant ea, addunt hæc verba: Reseda morbos, reseda. Scisne, quis hic pullos egerit? Radices nec caput, nec pedes habeant. Hæc ter dicunt, totiésque despuunt.*

RESINA, teste Isidoro, lib. XVII. cap. VII. est a Græcis, quibus dicitur ῥητίνη: vnde [illegible] apud Dioscor. lib. v. cap. x. & [illegible], eiusd. lib. cap. XXXV. Martial. lib III. epist. LXXVII.

Resinata bibis vina, Falerna fugis.

Resina etiam pilos euellebant in amatorum gratiam: vnde Iuuenali *resinata iuuentus*, pro *molli*.

RESTES, inquit Isidorus, lib. XIX. cap. IV. *siue quòd rates contineant, siue quod ijs retia tendantur.* Sed potiùs eiusdem origini est ac *rete*, nempe à רשת, quod est *rete*. Vel cum Perotto dicemus, vt à *præsto, præstes*: ab *antisto, antistes*, sic à *resto* esse *restes*, quòd ligata stare faciant. Hinc *restiarius* & *restio*, quæ sic distinguit Cornelius Fronto: *Restiarius*, inquit, *qui facit, restio qui vendit.* Sed discrimen id, nec vsu veterum, nec aliarum vocum ἀναλογίᾳ comprobari potest.

RESTIBILIS *ager* quis sit, docet Festus, his verbis: *Restibilis ager dicitur, qui continuo seritur farreo spico, id est, aristato. Quod ne fiat, solent, qui prædia locant, excipere. Restibilis ter-*

ra opponitur *vernacto*, siue *nouali*. Varro, lib. I de R. R. cap. XLIV. *Illud quoque multum interest, in rudi terra, an in ea seras, quæ quotannis obsita sit, quæ vocatur restibilis; an in vernacto, quæ interdum requierit.* Idem, lib. IV. de L. L. *Ager restibilis, qui restituitur ac reseritur quotquot annis: contra, qui intermittitur, à nouando nonalis.* Vnde existimare aliquis possit, sic vocari à *restituendo*, quia seges quotannis restituitur. Ac videtur pro hac sententia facere locus ille Plinij, lib. XVI. cap. XXXII. *Antandri platanus etiam circumdolatis lateribus restibilis sponte facta vitaque reddita.* Sed ἀναλογία repugnat. Quia sic diceretur *restituibilis*. Est igitur à *resto restibilis*, vt à simplici *sto, stabilis*; ab altero composito *prosto*, *prostibilis*: quo vtitur Plautus, Pers. Act. V Sc. vlt.

Hic faceret te prostibilem propediem,

Id est, *vt prostares*. *Restibilis* verò, quia nouali quiescente hic restat. Nam fecunditas eius in alterum quoque restat annum. *Restare* enim est *resistere*, *perseuerare*, *durare*. Vt apud Propertium:

———Dum restat barbarus Hector.

Græci *restibilem* vocant παλιμβλαστον, quia proximo anno *iterum germinat*, ac segetem producit. Vide *Nonalis* & *Vernactum*.

RETE *ab raritudine*, inquit Varro, lib. IV. de L. L. Ex Isidori autem sententia, lib. XIX. cap. V. *siue à retinendis piscibus, siue à restibus, quibus tenditur.* Nunnesio placet *rete* esse ab ἐρκος verso K in T. Sed tum *retis*, tum *rete*, siue, vt veteres dixere, *retis* est ab Hebræo רשת, hoc est, *rete*. Ab eo ὑποκοριστικῶς Varroni lib. IV. de L. L. *reticulum*, muliebre capitis tegumentum, quod capillum continet: quomodo vsus quoque Iuuenalis, sat. VI.

Reticulúmque comis auratum ingentibus implet.

Alias quoque eius notiones ex Lexicographis pete. Ab *reticulo*, Vitruuio, libro II. capite VIII. *reticulatum opus*, quod Græcis similiter δικτυωτὸν, quia δικτύου siue *retium instar sit cancellatum*: vti in Augusti Mausoleo Romæ videre est. A *reti flumina* dicuntur *retari*, hoc est, *reti purgari*, quod fiebat, ne virgulta moræ quid aut periculi adferrent nauibus. Vide Gellium, libro XI. capite XVII. Ab eodem dictus *retiarius*. Isidorus, libro XVIII. capite LIV. *Retiarius ab armatura genere in gladiatorio ludo contra alterum pugnantem occultè ferebat rete, quod iaculum appellatur, vt aduersarium cuspide insistente operiret, implicitúmque viribus superaret.* Iuuenalis, sat. VIII. vbi Gracchum *retiarium* pugnantem describit.

Postquam vibratâ pendentia retia dextra
Nequicquam effudit.

Origo exemplúmque armaturæ eius à Pittaco, vno ex sapientibus septem, qui à Phrynone prouocatus ad singularem pugnam, piscatorio indutus schemate pugnauit, & *reticulo* quidem eum inuoluit, inuolutum autem tridente & pugione impulit atque occidit. Auctores Strabo, lib. XIII. Plutarchus, lib. de Herodoti malignitate; & Diogenes Laërt. in Pittaco. Cætera de *retiarijs* apud Lipsium vide, Saturnal. lib. II. cap. VIII.

RETRIX, à ῥεῖθρον, *fluentum*, quod à ῥέω, *fluo*, Festus: *Retricibus cum ait Cato, in ea, quam scripsit, cùm edissertauit Fului Nobilioris censuram, significat aquam eo nomine, quæ est supra viam Ardeatinam inter lapidem secundum & tertium, quâ irrigantur horti infra viam Ardeatinam, & Asinariam, vsque ad Latinam.*

RETRO à *re*, præuerbio loquelari, nisi hoc ab illo esse malis. Priscianus in fine quartidecimi libri: *RE videtur à retro per apocopam factum, sicut & ipse sensus manifestat. Respicio, retro specio; reuerto, retro vertor; recurro, retro curro. Vel ab hoc natum est aduerbium, quomodo ab ex extra.* Eadem penè apud Alcuinum legas in Grammaticis. Omnino autem posterius malim: *Retro* verò dicitur, quasi *reitero*: vt omnino posterius sit quam *re*. Ab eo est *retrorsum*, quasi *retrouersum*; vt *antrorsum* quasi *anteuersum*; *rursum* quasi *reuersum*; *prorsum* quasi *prouersum*: vt etiam docet vetus Terentij interpres, in Adel. Act. I. Sc. I. Idem in illud Hec. III. I. *Cursari rursum prorsum*: *Rursum*, inquit, *propriè retro, prorsum ante significat: & est prouerbiale.* Sic Ennius,

Rursus prorsus reciprocat fluctus feram.

Plaut. Epid. II. II.

Capit rursum vorsum ad illas paullatim accedere.

Vide & *Prosa*.

REVS, à *re*, quia *eius res*, hoc est, *caussa*, *agitur*. *Res* enim non tantum de *Venere* dicitur, vt cùm dicimus, *rem habere*: aut de *imperio*, quomodo Tacitus aliquoties *rem Romanam* dixit, pro *imperio Romano*: sed etiam *caussam* siue *litem*, vnde Iurisconsultorum verba in actionibus vsitata, *rem siue litem*, quomodo & Varro locutus, libb. de L. L. Ridet hoc nomine Iurisconsultos Cicero pro Murænâ: *Iam*, inquit, *illud quidem mihi mirum videri solet, tot homines, tam ingeniosos, per tot annos, etiamnunc statuere non potuisse, vtrum diem tertium an perendinum, iudicem an arbitrum, rem an litem dici oporteret.* Equidem quòd hæc coniunxerint Iurisconsulti, id factum puto ob vocis ambiguitatem, quo posterius esset ἐξηγητικὸν prioris. *Reus* autem vocatur *omnis qui arguitur*, vnde & Cicero *Milonem* vocat *reum*, cuius innocentiam tuetur. Diximus hac de voce etiam in Oratorijs, lib. III. cap. II. A *reus* est *reatus*, quo significatur *status rei*, siue *tempus quo reus nec absolutus est, nec damnatus*: quo tempore non *reus* modò, sed etiam propinqui & affines non capillos aut barbam tondebant, non candidâ sed obsoletâ tritáque veste vti solent. Valer. Max. lib. VI. *Ordinum dissensione magis, quàm culpa suâ, reus factus, nec obsoletam vestem induit, nec insignia senatoria deposuit, nec supplices ad genua iudicum manus tetendit.* Imò & qui iniurias perpessi, sordes hasce assumebant, cùm supplices venirent ad Senatum. Cic. vlt. Verr. *Aspicite, aspicite, iudices, squalorem sordésque sociorum. Est hic Sthenius Thermitanus, cum hoc capillo atque veste, domo sua expilata furtorum tuorum mentionem non facit, &c.* Ab hoc squallore capillorum & barbæ, vestiúmque sordibus, *sordidati* dicuntur Verrina III. atque alibi.

RHA, radicis genus. Hesychius: Ῥᾶ, ῥίζιόν τι. Sic vocatur à *Rha flumio*, iuxta quem crescit. Ammianus Marcell. libro XXII. *Huic (Tanai) vicinus est amnis, in cuius superciliis quædam vegetabilis eiusdem nominis gignitur radix, proficiens ad vsus multiplices medelarum.* Aliter *Rheon* dicitur. Aetius, Ῥᾶ, τὸ ῥῆον. Meminit & Dioscorides, qui de loco conuenit cum Ammiano. Nam ait nasci ἐν τοῖς ὑπὲρ Βόσπορον τόποις. Item Plinius, libro XXVII. capite XII. qui *Rhacomam* vocat: *Rhacoma*, inquit, *affertur ex his, quæ supra Pontum sunt regionibus.* Etiam *radicem Ponticam* appellat Cornelius Celsus. Sed vnde *Rhacoma*? Fortasse *rhaica* scribendum. Nempe vt à *Rha* διαλέκτως hæc radix *Rhaica* dicatur. Quæritur, idemne sit, quod nunc *rhabarbarum*, hoc est, *rha barbaricum*, nuncupauit. Ita sensit Isidorus, Orig. lib.... cap.... vbi sic scribit: *Rheubarbarum, siue Rheuponticum: illud, quod trans Danubium in solo Barbarico: istud, quod circa Pontum colligitur, nominatum est. Rheu autem radix dicitur.* *Rheubarbarum* & *Rheuponticum* idem facit. At *rheu* est *rheon* siue *Rha*, & ex eo, quod *Ponticum* vocat, liquet idem esse ac *rha supra Pontum crescens*. Sed fallitur Isidorus. Nam *rha*, siue *radix Pontica*, adstringendi vim habet. Nam στυπτικὸν ei tribuunt Dioscorides, Aëtius, alij. At *rhabarbarum* laxat, vt omnes sciunt. Nempe *rhabarbarum nostrum* est *centaureum magnum*, quod officinæ pro *rha Pontico* diuendunt. Et simile ei est, vt facilè sit imponere. Nam & Dioscorides ait *Rha* esse ῥίζαν μέλαιναν κενταυρίῳ τῷ μεγάλῳ ἐοικυῖαν. Nimirum radix ea *rha* vocatur *ob similitudinem cum rha Pontico*: atque ad eius discrimen vocatur *rha barbaricum*: idque à *Barbaria*, non illa *Africa*, sed *Asia*, regione nempe *Æthiopia*, inter sinum Arabicum & Persicum interiecta, ac Troglodyticæ vicina: quod liquet ex Ptolomæo, & Marciano Heracleota, atque item Stephano, cuius vnius verba ponam: Ἔστι καὶ χώρα παρὰ τὸν Ἀράβιον κόλπον Βαρβαρία, ἀφ' οὗ καὶ βαρβαρικὸς κόλπος.

RHAPSODIÆ dicuntur *libri Homerici*, vnde castissimus scriptor Cornelius Nepos in Dione: *Non tulit hoc animo æquo Dion, & versum illum Homeri retulit ex secunda rhapsodia, in quo hæc sententia est: Non posse bene geri rem multorum imperijs.* De nominis caussa non conuenit inter veteres ipsos. Plerique ex eo sic dici putarunt, quia poëtæ epici, siue sua illi, siue aliena recitarent, ῥάβδον siue *virgam lauream* manu tenerent. Atque hæc caussa cur Hesiodus in Theogonia dicat & sibi à Musis datum esse δάφνης ἐριθηλέος ὄζον, *prauiridis rami laurum*. Ac meminit quoque eius rei Pausanias in Bœoticis. Sed quò minus iccirco hinc deducamus, ἀναλογία facit. Nam vt à λύρα & ᾠδὴ est λυρῳδὸς, *lyricen*; ab αὐλὸς & ᾠδὴ est αὐλῳδὸς, *tibicen*; sic à ῥάβδος & ᾠδὴ esset ῥαβδῳδὸς, quasi dicas *ramicen* siue *lauricen*. Rectiùs igitur Philochorus voluit esse ἀπὸ τοῦ ῥάπτειν τὰς ᾠδὰς, τουτέστι συντιθέναι, à componendis carminibus. Ῥάπτειν propriè *suere*, quo de *versibus* vsi, vt dixere ὑφαίνειν μῦθον, ac Latini *texere carmen*. Sic sumitur in illis Hesiodi, vt aiunt, versibus, quos veteres citant Grammatici, vt Homerum & Hesiodum vixisse eodem tempore ostendant:

Ἐν Δήλῳ τότε πρῶτον ἐγὼ καὶ Ὅμηρος ἀοιδοὶ
Μέλπομεν ἐν νεαροῖς ὕμνοις ῥάψαντες ἀοιδὴν
Φοῖβον Ἀπόλλωνα χρυσάορον, ὃν τέκε Λητώ.

Est & tertia opinio eorum qui à ῥάπτειν quidem & ᾠδὴ deducunt: sed solis Homeri carminibus ῥαψῳδίας vocem putent conuenire. Hæc verò sic vocari, quia cùm ante dissipata essent

 disiectáque,

disiectáque, à Pisistrato, vel filio eius Hipparcho, in libros seu rhapsodias digesta sint: vt & Cicero scribit, lib. III. de Orat. Valde hanc sententiam firmant, quod Pindarus τοὺς Ὁμηρίδας vocet ῥαπτῶν ἐπέων ἀοιδοὺς, *consutorum carminum cantores.* Sic enim scribit: Ὅθεν περ καὶ Ὁμηρίδαι ῥαπτῶν ἐπέων τὰ πόλλ' ἀοιδοὶ ἄρχονται Διὸς ἐκ προοιμίου. Vbi sic Scholiastes: Τὰ Ὁμήρου ποιήματα μὴ ὑφ' ἓν συνηγμένα, σποράδην δὲ ἄλλως, καὶ κατὰ μέρος διῃρημένα, ὁπότε ῥαψῳδοῖεν αὐτὰ εἱρμῷ τινὶ καὶ ῥαφῇ παραπλήσιον ποιοῦντες εἰς ἓν αὐτὰ ἦγον. Ῥάπτειν verò καὶ μεταφέρειν à רבח, *consuit.*

RHEDA vehiculi genus apud Ciceronem, Cæsarem, Horatium, vnde *rhedarius* Ciceroni, & Varroni: item *epirrhedium*, ex Græco ἐπὶ, & *rheda*, vt verbum sit *accorea*, siquidem ea vox, (quod in coniectaneis censet Scaliger) fit ex *ad*, & *carrus.* De *epirrhedio*, & *rheda*, sic Fabius, lib. I. cap. V. *Nam cùm sit præpositio* ἐπὶ *Græca, rheda Gallicum: nec Græcus tamen, nec Gallus, vtitur composito.* Sanè Germanis, ac Belgis (quorum lingua olim eadem ac Gallorum fuit) hodiéque *reden*, aut *ryden*, est *equo*, aut *curru vehi*. Inde igitur *rheda* quin sit dubium non est. Vt omnino fallatur Isidorus, qui lib. XX. cap. XII. *redam* censet dici, quasi *rotam*, quia haberet quatuor rotas.

RHINONVM meminit Varro, lib. IV. de L.L. Cæsar lib. VI. de Bello Gall. Sallustius apud Charisium, Seruium in III. G. & Isidorum lib. XIX. cap. XXIII. Sidonius, lib. IV. epist. XX. Erant Gallorum Germanorúmque velamenta pellicea ab humeris dependentia vsque ad vmbilicum. Ita autem dicebantur, non à *renibus*, quorum calorem tueantur ac conseruent, vti quidam commenti sunt: neque, quod Isidorus censet, à *Rheno* Germaniæ flumine, cuius accolæ eo frequenter vtantur: Sed vel à ῥινὸς, quo *pellis* significatur: vel à ῥῆνος, hoc est, *agnus*, vt propriè signet *pellem agninam*. Dixerit aliquis Gallicum tegumentum potiùs à Gallica voce, quàm Græca, deriuari. Sed cogitandum quàm multa Galli acceperint à Massiliensibus, quibus sermo erat Græcus. De *rhenonis* voce, si voles, vide è veteribus Seruium & Isidorum, locis, quos indicauimus: è iunioribus Ludouicum Carrionem, lib. III. Antiq. Lect. cap. II. Henricum Stephanum de Latinitate suspecta, cap. VIII. Sauaronem ad Sidonium, lib. IV. epist. XX.

RHINOCEROS animal Græcum nomen est. Nam gentibus, vbi viuit, aliter dicitur, vt Curtius ait initio libri noni. Latinè appelles *naricornem*. Dio, lib. LII. Ὁ δὲ ῥινόκερως τὰ μὲν ἄλλα ἐλέφαντι προσέοικε, κέρας δέ τι κατ' αὐτὴν τὴν ῥῖνα προσέχει, καὶ διὰ τοῦτο οὕτω κέκληται. *Rhinoceros autem cætera elephanti similis est, cornu autem ex ipsa nare prominens habet, hincque suum nomen inuenit.* Sed negotium viris doctis facessit locus poetæ, libello de spectaculis, qui Martiali tribuitur vulgo. In eo enim, Epigr. XXII. quod est de *rhinocerote* & *vro*, sic legere est:

Namque grauem gemino cornu sic extulit vrsum:

siue, vt recte emendabat Ianus Duza, *sic extulit vrum.* Cæsar Scaliger exercit. CCV. ad Cardanum, respondet *rhinocerota* præter grandius *cornu* quod in *nare* habet, & à quo nomen accepit, alterum habere minutum super illud: quod & Pausanias antea scripserat. Huc igitur summus ille vir respexisse Martialem arbitratur. Verum obstat sententiæ isti, quòd solùm pugnæ se parat maiori illo cornu, quod in nare habet: alterum verò illud ita est exiguum, vt eo grauis esse hosti suo non possit. Quod præter alios Plinius satis indicat lib. VIII. c. XX. Quare recta est sententia doctissimi Scriuerij nostri, qui verba illa *graue gemino cornu* refert, non ad *rhinocerota*, sed ad *vrum*, cui tantæ sunt magnitudinis cornua, vt binas impleant vrnas, iisque populi Septentrionales vtantur pro poculis: vt Plinius testatur lib. XI. cap. XXXVII. *Rhinocerotem quidam esse aiunt bouem Ægyptium*: vt ait Festus: Pro quo alij *Æthiopicum* tradunt, vt Pausanias in Eliacis & Bœoticis. Curtius initio noni libri ait *Rhinocerotas* etiam in Indiæ montibus ab Alexandro repertos. Quod si est, necesse est eò adductos ex Æthiopia, vel aliunde. Vel dicendum Curtium sui oblitum. Nam lib. VIII. retulerat nullos in India esse *rhinocerotas.*

RHOMBVS, ῥόμβος, ἀπὸ τοῦ ῥεμβεῖσθαι, hoc est, *in gyrum agi.* Muliebre erat instrumentum: sed quo & veneficæ vterentur in incantationibus. Meminit Theocritus in Pharmaceutria. Item Ouidius, lib. II. Amor. el. VIII.

Scit bene, quid gramen, quid torto concita rhombo,
Licia, quid valeat virus amantis equæ.

Et Propertius, lib. III. el. IV.

Non me moribus illa sed herbis improba vicit
Staminea rhombi ducitur illa rota.

Quibus ex locis videre etiam est, quid *rhombus* sit. Est & *rhombus* figuræ geometricæ genus. A quo & *piscis rhombi* nomen accepit. De eo vide Plinium, lib. IX. cap. XX. Sed omnes referre eius vocis notiones, non est huius instituti.

RHOPALIVS *versus* quis Grammaticis dicatur: & vnde ea sit appellatio, docet his verbis Marius Plotius de Metris: *Rhopalicus versus à monosyllabo verbo incipiens gradatim crescit, & ῥοπαλον, id est, Herculis clauam imitatur, ab angusto & tenui in latitudinem desinens, vt,*

ὦ μάκαρ Ἀτρείδη μοιρηγενὲς ὀλβιοδαίμων.

Latinum non reperi, sed potest illum Virgilius versum verba commutans sine sensus læsione formare,

Quarum quæ forma pulcherrima Deiopeia.

Vt sit sic,

Quæ quarum facie pulcherrima Deiopeia.

Sed hîc durior structura. Mollius istoc:

Spes Deus æternæ stationis conciliator.

RHYTIVM, Græcis itidem ῥυτὸν, aut ῥύτιον, poculi genus referens cornu. Martial.

Cum sint crura tibi, simulant quæ cornua Lunæ,
In Rhytio poteras, Marce, lauare pedes.

Ῥυτὸν ἀπὸ τῆς ῥύσεως, hoc est, *humoris fluxu*, dicitur: vt Dorotheus Sidoneus tradidit, teste Athenæo, lib. XI. vbi plura de hoc vase.

RICA quid sit, ne inter veteres quidem satis conuenit. Apud Nonium quidem legas: *Rica est, quod nos sudarium dicimus.* At Festus hoc pacto scribit: *Rica est vestimentum quadratum fimbriatum, purpureum; quo Flaminicæ pro palliolo mitrave vtebantur, vt Verrius existimat.* Titinius, *Rica ex lana succida alba vestitas. Alij dicunt pallium esse triplex, quod conficiunt virgines ingenuæ patrimæ matrimæ, quod cæruleo colore infectum lauetur aquâ purâ. Alij quo Flaminica cingat pileum.* Et paullò pòst: *Rica & ricula vocantur parua ricinia, vt palliola, ad vsum capitis facta. Granius quidem ait esse muliebre cingulum capitis, quo pro vitta Flaminica vteretur.* Si rectè Granius, erit *rica* à ῥῖκος, quod *cingulum* notat, Hesychio teste. Sanè id etymon magis est verisimile, quàm quod adfert Varro, lib. IV. de L. L. *Rica à ritu, quòd Romano ritu sacrificium feminæ cùm faciunt, capita velant.* Vnde itidem videmus, *capitis* esse *velamentum*. Vti ex isto Turpilij Veliterna apud Nonium in Rica: *Interea adspexit virginem iuuenculam in capite riculam indutam ostrinam.* Et hoc Cæsaris Germanici de Erigone:

——*Et ore*
Velato, tristique genas abscondita rica.

In vulgatis est *ripa*: sed *rica* legi debere, obseruat in Coniectaneis Scaliger. Vbi & monet *ricam* propriè esse *virgineum flameum*, quod Græci φλογίνην vocant. Idem sic Gellij locum emendat, lib. X. cap. XV. *Et quod in rica surculum de arbore felici habet.* Vbi vulgò, *quod virica surculum.* Porrò vel ex illo Germanici loco, vbi *tristem ricam* dicat, cognoscere est aliud *ricam* esse, aliud *flameam*: contra quam Scaligero visum. A *rica* dici *ricinium*, satis docent verba ex Festo allata. Idem ex eo cognoscitur, quod *rica* sit vestimentum quadratum, vt Festus ait. ac de *ricinio* sic idem Festus: *Ricinium omne vestimentum quadratum. Ij, qui duodecim interpretati sunt, esse dixerunt virilem togam, quâ mulieres vtebantur, prætextam clauo purpureo: vnde riciniati mimi planipedes, quam rem diligenter exsequitur Santra libro secundo de antiquitate verborum.* Addo, quòd *rica*, & *ricinium*, vt affinia, coniungantur à Nouio, veteri poeta, in Pedio, apud Nonium: *Mollicinam, crocotam, chiridotam, ricam, ricinium.* Ac apud eundem Nonium sic versus ille Lucillij, ex sat. II. concipitur in plerisque libris:

Riccini aurati, rica, & oraria mitra.

Siue, vt in aliis:

Ricini & aurati.

In nonnullis tamen, etiam Aldina, pro *rica* est *cica*: próque *ricini* in Merceriana est *hyodyti*. Imò in Nouij quoque loco libri aliqui solùm habent *ricam*, vt Aldina, vel solùm *ricinium*, vt quidam MSS. Sed optima omnium editio Merceri *ricam* & *ricinium* retinet. Itaque in ea sententia persisto, *ricinium* & *ricinium* esse à *rica*: ac proinde falli Seruiũ, qui ea putat esse à *reiiciendo*, hoc est, *reiiciendo*: quomodo Maro ait *reiice capellas*. Verba Seruij sunt ista I. in Æn. *Et sexus omnis & cõditio toga vtebantur: sed serui nec colobia, nec calceos habebant. Togas autem etiam feminas habuisse, cycladum, & ricini vsus ostendit. Ricinium autẽ dicitur ab eo, quòd post tergum reiicitur, quod vulgo Mauorte dicitur* Seruio tamen præiuit hac parte Varro ipse. Sic enim scribit in IV. de L.L. *Antiquissimi amicimi riciniũ, id quod eo vtebantur duplici, ab eo quod dimidiã partem retrorsum iaciebant, ab reiiciendo ricinium dictum.* Idem scribit Isidorus, lib. XIX. c. XXV. De eo sic Nonius: *Ricinium, quod nunc mafortium dicitur, palliolum femineum breue.* Hæc allatum à nobis etymon firmant, quando *rica* pro pallio vtebatur Flaminica, vt ex Verrio Festus scribit. Quod vero Nonius ait *mafortiũ* appellari, id lucem fert Actis proconsularibus sub Munatio Felice,

apud Baronium ad An. cccIII. T. II. p.cccv. *Tunica muliebres* LXXXII. *mafortea* XXXVIII. *tunica viriles* XVI. &c. Isidorus loco ante citato dicit *ricinium* vulgo *manortem* dici quasi *martem*: quia eo mulier caput tegit: eaque capitis velatio est signum maritalis dignitatis & potestatis. Vbi *manortem* vocat, quod Nonio est *mafortium*. Atque hæc clarè eos refellunt, qui *ricinium* dicunt pallium virile purpureo clauo prætextum. Cuius sententiæ etiam meminit Fungerus in Etymologico. Eandem refutat locus Varronis, lib. III. de vita prop. Rom. *Propinquæ adolescentulæ etiam anthracinæ, proxumæ amiculo nigello, capillo demisso sequerentur luctum: vt dum supra terram esset, riciniis lugerent: funere ipso, pallis pullis amictæ.* Locum apposui, prout eum emendat, atque ex duobus apud Nonium locis connectit Scaliger in Coniectaneis.

Ricinus priori vtrâque porrectâ quid sit, & vnde dicatur, exposuimus in *rica*. At cum *vermem alatum* notat, canes potissimum infestantem, corripit vtramque priorem. Serenus Sammonicus:

Sanguine cum ricini, quem bos gestauerit ante,
Herba chelidonia fertur cum melle mederi.

Ἔτυμον conatus afferre Isidorus, lib. XII. cap. v. *Ricinus vermis est canis, vocatus eo, quod hæret in auribus canum: κύων enim Græcè canis est.* Itaque *ricinus* diceretur quasi *cynus*: mallem dixisset quasi *racynus*. Nam *ricinus* Græcis dicitur κυνοραιστὴς παρὰ τὸ τὸν κύνας ῥαίειν, quod *canem lædat & corrumpat*. Sanè reponitur *ricinus* inter φθεῖρας. imò in Glossis Cyrilli legas: Κρότων, φθεὶρ, *ricinus*. At φθεὶρ quin itidem dicatur à φθείρω, hoc est, *corrumpo*, dubium non est. Nec tamen hæc sic accipi velim, quasi *ricinum* dictum contendam, quia ῥαίει κύνα. Puto potiùs κατ' ἀφαίρεσιν fieri ex *oricinus*, vt Becmanus coniectabat. Sic ab ὀμιχέω est obsoletum *mingo*: ab ἄρουρα, *rura*, &c. *Oricinus* verò ab *oru*, hoc est, *auru*: vti apud Catullum *oricilla* ex *oricula* pro *auricula*. *Cinus* est productio vocis, vt *cinium* in *tyrocinium*, *lenocinium*, & aliis. Firmant hanc sententiam verba Isidori, cùm ait *ricinum* auribus canum inhærere. Quòd si aphæresis ista durior videtur, sanè licebit deducere à ῥαγῆν, hoc est, *rumpere*, *lacerare*, quod à רגע, *disrupit*, *fissus est*. G in C crebrò abit. Imò in Glossis Philoxeni legas, *Riginus*, κρότων.

Ridio forte à ῥύγχος, hoc est, *rictus*: vel à Latino *ringo*. Horat. sat. x. lib. I.

———*Risu diducere rictum.*

Vel à μειδιάω, hoc est, *rideo*. *M* in *R* interdum transire, ostendimus alibi. Vel à κραδιάω, quod idem notat. Ita & ἀφαίρεσις fit, & συγκοπή. Hesych. Κραδιάω, γελᾶν, Addit deinde. Βοιωτοὶ δ' ἡ λέξις, *Bœotia verò hæc vox est.*

Ridica pedamenti genus, quod adminiculandæ vineæ melius esse palo, ait Columella. Gloss. Cyrill. χάραξ, *sudis*, *redica*, vbi *ridica* leg. Sic apud Pollucem legas, χάρακα παραπήξαι ταῖς ἀμπέλοις. Cùmque Latini ex Græcorum obliquis forment sæpe suos rectos, quid, si ex χάρακα τῷ μεταθέσει fuerit *ricca*, & postea *ridica*? An potiùs dicitur quasi *rudica*, à *rudis*, quà significat *virgam* seu *bacillum impolitum*: quomodo dicebantur gladiatores *rudibus* pugnare. Erant sanè *ridicæ* bacilli impoliti, hoc est, *rudes*. C A adiectio est, vt in *favrica*, & aliis.

Rigeo est à ῥιγέω, siue ῥιγῶ, quod notat *rigeo*, *horreo*, vt ῥῖγος, *horror*, *rigor*. Vulgò *rigere* ἁπλῶς exponunt *frigere*. Sed hi refelluntur eo, quod *frigore rigere* legamus apud Ciceronem, Lucretium, Ouidium, Plinium, & alios passim. Potiùs igitur significat *frigoris effecta* vt sunt, *durities*, *horror*, *capillorum erectio*, *stupor*, similiáque. Itaque *rigida ceruicis* sunt, quibus ea est erecta, immota que. Est & *rigor*, quod in agro inter duo signa in modum lineæ conspicere erat. Signum autem erat arbor, saxum, vel aliud eminens. Quod Heroni similiter τὸ λαμβανόμενον σημεῖον. Inter huiusmodi signa quod *rectum* prospiciebatur, *rigor* dicebatur. Nempe ob *rectitudinem*. Hanc nominis caussam adfert Aggenus Vrbicus: *Limes*, inquit, *est*, *quodcumque in agro opera manuum factum est ad obseruationem finium: rigor verò sua rectitudinis naturalis nomen accepit.* Inuenias & alibi apud Aggenum, vti & alios limitandorum agrorum auctores, Siculum Flaccum dico, & Frontinum.

Rigo, iuxta Papiam, quasi *riuum ago*: secundùm Perottum à ῥιγῶ, hoc est, *rigeo*. Malim cum Nunnesio à βρέχω, *rigo*. Sed coniectura nostra est, vt à *mari* est *mergo*, ita à *riuus* esse *rigo*. *Riui* enim inducuntur ad plantas irrigandas. Vnde Maro in Ecl.

Claudite iam riuos, pueri, sat prata biberunt.

Quod Græcis est ὀχετεῦσαι. ipsa *irrigatio* ὀχέτευσις vti cùm fontes & riui deficiunt, eóque aqua ad humectandum apportari debet dicitur βροχὴ, & βρέχειν. *Riuus* verò à ῥέω, *fluo*. Vel à ירה, *fluxit*. A *rigo* est *riguus*, quod in Philoxeni Glossis ὑδάτινος, item διάβροχος & εὔυδρος. in Onomastico exponitur διάβροχος. Legas hanc vocem sæpius apud Plinium in libb. vett. vbi nunc *irrigui* vulgo editum. Porro *riguus* & *irriguus* duplicem habent rationem. Nam aliter *aqua rigua*, ac fontes *rigui* vel *irrigui*, *flumen* item *riguum* dicitur: aliter *agri*, vel *horti irrigui*: illa quia *rigant*, hi quia *rigantur*: vt hic *irriguus* sit διάβροχος. Iunius Philargyrius in IV. Georg. prioris exemplum facit:

———*Irriguúmque bibant violaria fontem.*

Alterius hoc Horatij:

———*Irriguo nihil est elutius horto.*

Sic & *riguum amnem* dixit Maro:

Arua mihi, & rigui placeant in vallibus amnes.

Rima, à ῥῆγμα, *fissura*, quod à ῥήγνυμι. Vel potiùs à ῥωγμὴ, quod *rimam* notat, & genere cum *rima* conuenit. Γ elisum ante *M*, vti *T* ante *M*, in *remus* ab ἐρετμός. A *rima* est *rimari*, Festus: *Rimari est valde quærere, ut in rimis quoque.* Itaque proprium videtur suum è *rimis* terræ glandes eruentium: quemadmodum scripsit Seruius in I. G. & ex eo Angelus Decembrius, lib. IV. de polit. liter. part. XLVII. item Perottus.

Ringi est σαρκάζειν τοῖς ὀδοῦσι. Verbum hoc, si Festum audimus, est à *rumpor*: sed meliùs Perottus, qui censet esse à Græco ῥῖνες, hoc est, *nares*: nempe quia irascentes solent eas corrugare. Hinc *rictus*. Varro: *Rictus paruissimus, ut refrenato risu roseo.* Ita loquitur, quia non admodum labia diducunt, qui risum refrenant. *Rictum* pro *rictus*, neutro genere, non Lucretius modò dixit, sed etiam Cicero, lib. VI. in Verrem, vt Nonius obseruat.

Ripa propriè fluminis, *littus* maris: vnde Ouidius, I. Met. fab. II.

———*Pro ripis litora pulsant.*

Non raro tamen discrimen id negligunt antiqui. Videtur autem esse ab Hebræo רי, hoc est, *irrigatio*, à ירה, *irrigauit*, *fluxit*. Vnde & ῥέω, ac *ripa*. Vel *ripa* propriè notat *præcipitem ad mare locum*, à ῥιπὴ, quod à ῥίπτω, *præcipito*. Vel est *ripa* à ῥιπὴ, *impetus*, quia istic impetus aquæ sistitur. Quomodo (si veteres audimus) *montes Riphæi* à ῥιπὴ dicti, ob *impetum ventorum*. Quod si est, addità adspiratione ex *Ripæis* fecerint *Riphæi*. Errat enim Seruius, qui Græcos ait ῥιφὰ dicere, indéque iisdem montes dictos ῥιφαίους. Nam Græci ῥιπὴ dicunt & ῥιπαῖοι. Imò fortè ne quidem *Riphæis montibus* à ῥιπὴ nomen sed à *Riphat*. Quemadmodum & ab eodem *Paphlagones*, si Iosepho credimus, primo *Riphatæi* nuncupati. Fuit is, vt Genes. x. legimus, filius Gomeri, nepos Iapheti: cuius posteri septentrionalem ferè tractum supra Babyloniam obtinuerunt. Sed hæc pluribus persequi, non est huius loci.

Riscus est *cista pelle tecta*, vel *è vimine aut iuncis facta*, quâ mulieres lintea sua corpori abstergendo idonea concluderent, ac conseruarent. Item *riscus* dictus *locus concauus in pariete*, *qui fenestellâ clauditur*, ac cistæ vicem præstat, in seruandis linteis & aliis, quæ imponuntur. Priorem notionem docet nos Pollux, qui Antiphanem ῥίσκῳ voce pro *cista vestiaria* vsum testatur: item Donatus in illud Terentij, Eun. IV. VI. *Vbi sita est? in risco.* Vbi ait: *In risco, cista pelle contecta, nomen Phrygium.* At posteriorem notionem indicat Nonius his verbis: *Riscus, loca in parietibus angusta.* Adfert deinde eumpse Terentij locum. Quod si quis Nonij fidem in dubium vocet: at Donati non possit, quæ & suffulta est auctoritate doctissimi Pollucis, qui aperte reponit inter *cistas vestiarias*: vti dixi; imò nec aliter accipitur L. XXV. D. de auro arg. & in Glossis exponitur κιβωτὸς μεγάλη. Quod ad ἔτυμον, fortasse illud quærere non attinet, cùm Donatus dicat esse vocabulum Phrygium. Sed multa Phrygibus cum Græcis communia fuere: eóque commodè deduxeris à ῥύομαι, *custodio*, quia *vestes risco seruarentur*.

Ritus pro *consuetudine* planè est à Græco τρῖβος, ἐξ ὑφαιρέσεως, & C eiecto vt *omitto* dicimus pro *obmitto*. Τρίβος est à τρίβω, *tero*: nec modò significat *viam tritam*, sed & *morem tritum*: vnde Hippocrati τρίβον λαβεῖν, *adsuescere*. A *ritu* est *rite* in auferendi casum: vt *impete* pro *impetu*. Nam *rite* fit, quod facimus secundum ritum. Diximus de hoc quoque in *trito*.

Riuus quid sit, docet Festus: *Riuus vulgò appellatur tenuis fluor aquæ, non ope consilióve factus, verùm naturali suo impetu. Sed & riui dicuntur, qui manufacti sunt, siue super terram fossá, siue subter specu, cuius vocabuli origo ex Græco pendet.* Verisimiliter verò Festus ait esse à Græco. Nempe vt sit à ῥύαξ, quod idem notat: vel à ῥέω, *fluo*, inserto digamma, vt in aliis multis. A *riuo* dicti *riuales*, qui, vt in Horatij artem poëticam Acro scribit, *in agris riuum haberent communem, & propter eum sæpe discrepabant.* Vertere posses ὁμοχέτας. Est enim ea vox ἀπὸ τοῦ φρέατος, id est, *puteo*. Sed & *riuales* in Glossis Philox. exponuntur ἀντεραστής. Ita dicti quasi *in vnum amorem deriuantes*, vt Nonius interpretatur. At Donatus arbitratus esse

transl ationem à bestiis. Ita enim in extremam scribit Eunuchum: *Riuales dicuntur amici de mulieribus, facta translatione nominis à feris bestiis, quæ sitientes cum ex eodem riuulo haustum petunt, in prælium contra se inuicem concitantur.* Sed simplicius veriúsque est, *riuales* dici, quia vt agricolæ riuum habentes communem, de vsu aquæ, vt de aquæ ductu, & aliis, sæpius contendunt: ita hi certent de eâdem amasia. Est quoque a *riuo*, *corriuare*: quod in Digestis sæpius legas, indéque creditur esse *corrugus*. Sed *corrugus*, *corrigus*, an *corriuus*, dicendum sit, non satis patet. Apud Plinium quidem legas, lib. XXXIII. cap. IV. *Alius par est labor, vel hoc maioris impendij, flumina ad lauandum hanc ruinam iugis montium ducere obiter à centesimo plerumque lapide. Corrugos vocant, à corriuatione credo. nimirum & hic labor est.* Hactenus Plinius; cuius in verbis *corriuos* malim. Est enim *corriuare*, vnde *corriuatio*, *riuum ducere*. Nempe à *con* & *riuus*. N ante R locum non habet, ideóque in R mutatur, vt indicant *corrado*, *corrigo*, *corrodo*, *corruo*, &c. Par ratio in Græcis, vnde παῤῥησία dicunt pro πανρησία. Estque hæc ratio, cur multi hodie Petri Danesij iudicium secuti Ἐῤῥῖκος ac *Erricus* malint, quam Ἐνρῖκος aut *Henricus*.

RIXA à *ringendo* Perottus deducit, quod Græcè est σεσηρέναι. Et hactenus fauet Festus quod *rictus*, & *rixa*, ab vno verbo venire censet. *Rictus* verò non esse à *rumpendo*, vt Festus putabat: sed à *ringendo*, satis est perspicuum. Interim autumo, *rixa* non tam esse à *ringo*, quàm ab ἐρίζω, κατ᾽ ἀφαίρεσιν, vt *remus* ab ἐρετμὸς, *ructo* ab ἐρεύγω. Quamquam nec absurdè deducas à ῥᾶξις, quòd a ῥάσσω, vti hoc ab ἀράσσω, quod est *conflictari*, vt apud Sophoclem ἐνδόθεν ἀράσσειν, *conuersus impetere*. Propriè notat ἀράσσω, *ferro lacerare*, si rectè Eustathius ab Ἄρης deducit, quo *ferrum* significatur. Sed puto generale esse verbum, veniréque à הרס, *lacerauit*, *perrumpit*. Vel à רגע *disrupit*, aut רעץ, *confregit*: vnde & ῥήσσω siue ῥήγνυμι.

ROBVR propriè est *corporis fortitudo*. Estque à *colore robo* seu *robeo*, hoc est, *rubeo*: vt quidem Festus arbitratur. *Robum*, inquit, *rubro colore, & quasi rufo* (lego, *& rufo*) *significari, vt bouem quoque rustici appellant, manifestum est. vnde & materia, quæ plurimas venas eius coloris habet, dicta est robur. hinc & homines valentes & boni coloris robusti.* Sed, quod non satis perspexit Festus, *robus color*, & *robur*, diuersæ sunt originis. *Robus color* inde ortum trahit, vnde *ruber* & *rubeo*, de quibus infrà dicemus. At *robur* est à רהב, *robur vires*. Vel ῥώω, vnde ῥωννύω siue ῥώννυμι, *roboro, firmo*. Vel *robur* si à ῥώμη, vnde Nunnesius *robur* deducit, vt M in B transeat more Æolum, qui itidem pro μύρμηκα dixere βύρμηκα, vnde *formica*. Sed si non ἀρχαῖον sit à ῥώμη, dixero cum Salmasio non tam esse à ῥώμη, quàm ῥῶμος, quod idem significabat. Nam vt μῖμος *imitator*, & *imitatio*; μῶμος, *reprehensor*, & *reprehensio*: sic ῥῶμος *valens*, & *valentia*. Ῥῶμος Æolice ῥῶβος, vnde *robur*. A significatione ea quâ *valentem* notat nomen est *Romus*, quasi *Valentem* dicas. Vnde ὑποκοριστικῶς *Romulus*. Et fortasse idem est *Remus*. Vt *Ionus Ienus*, *Apollo Apello*. Metuo sanè, ne ex eo, quòd alij à *Romo*, alij à *Remo*, conditam scripserint, orta sit fabella de duobus fratribus *Romo*, & *Remo*, cùm vnus idémque sit *Romus* & *Remus*. Nonnihil tamen video huic sententiæ obstare prioris syllabæ modulum disparem. Vrbs *Roma* à *robore*, vt *Valentia*. Aliter tamen hac de re alij. Vide Festum in *Roma*, & Dionysium Halic. Possis & *Roma* deducere à רום, *exaltari, leuari*, vnde רום, hoc est, *altitudo*: quia in montibus exstructa. Eiusdem originis est רמה, *Rama*, itidem loci nomen ab *altitudine*. B. Hieronymus, lib. II. aduersus Iouinianum: *Roma vrbs potens, vrbs domina, vrbs apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum. Roma aut fortitudinis nomen apud Græcos est, aut sublimitatis apud Hebræos.* Redeo ad *robur*: quo dicebam propriè notari *corporis fortitudinem*. Sed ob *duritiem ligni* etiam *arboris genus* sic vocatur: nempe δρῦς ἀγρία, *syluestris quercus*, vt transfert Onomasticon. Eius lignum erat validissimum. Ac quia ex eo fiebant *arcæ, quibus includebantur malefici*, inde his *roboris* nomen inditum: vti & postea *carceri* ipsi. Festus: *Robur in carcere is locus quo præcipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robustis includebatur.* Appuleius in Apologiâ: *O subtilitas digna carcere ac robore.* Vide Lipsium in IV. Annal. Tac. Ab eodem *viuaria* aliter dicuntur *roboraria*, puta à *tabulis roboreis, quibus septa essent.* Auctor Agellius, lib. II. cap. XX.

RODO Græcis τρώγω. Gloss. *Rodit*, τρώγει, ἀποτρώγει. Atque indè puto origo. Nam & ἀφαιρέσεις ejusmodi crebræ: nec rarò G abit in D, vt Δημήτηρ quasi γῆ μήτηρ & *dulcis* quasi *gulcis* à γλυκύς.

ROGO κατ᾽ ἀφαίρεσιν ex ὀρέγω. Vel, & *rogo*, & ὀρέγομαι, à Syro רג, hoc est, *concupiscere, desiderare*. Hinc *rogatio*, quia rogarentur tribus, *Velitis, iubeatis, ita fieri*. Quod respondissent, *vti rogatis*, lex erat. Vide quæ ex Capitone refert Gellius, lib. X. cap. XX. Item ad Festum. A *rogo* quoque est *abrogo*, & *arrogo*, id est, *adrogo*. *Arrogans*, qui nimium sibi arrogat. Contrarium *abrogans*. Glossæ Isidori: *Abrogans, humilis*. *Arrogatio* quid sit, & vnde dicatur, docebit Gellius. lib. V. cap. XIX. Apud Romanos si lex ferenda esset, populus *rogabatur*, atque idem fiebat, si esset tollenda. Hinc *rogare legem* pro ferre: item *abrogare*, cum tollitur: *derogare*, si pars tollatur: *subrogare*, cùm quid adijcitur: *obrogare*, cum quid mutatur: teste Vlpiano, Tit. I. Reg. & Modestino, Tit. de Verb. & Rer. signif. leg. CII. De quibus plura in responsione nostra de Satisfactione Christi, cap. XXVII. Dixerunt & *Exrogare*. Festus: *Exrogare est ex lege vetere aliquid eximere per nouam legem.* Nempe idem videtur ac *derogare*. Nam sic idem Festus: *Derogare propriè est, cum quid ex lege vetere, quo minus fiat, sancitur lege noua. Derogare ergo detrahere est.*

ROMPHÆA, Gr. ῥομφαία. Ea iuxta Etymologici magni auctorem, dicta παρὰ τὸ ῥέπω, a quo ῥομπαία, vnde ῥομφαία. Penultimam tamen corripit Valerius Flaccus, lib. VI. Argonaut.

Æquaque, nec ferro breuior nec romphea ligno.

Ac puto Valerium secutum esse veterum auctoritatem. Nam & apud Agellium, lib. X. cap. XXV. legitur *rumpia*, dicitúrque *genus teli esse Thracæ nationis, positúmque hoc vocabulum in Q. Ennij annali quartodecimo.* Pro eo & *framea* dicitur. Isidorus, lib. XVIII. Orig. cap. VI. *Framea gladius ex vtraque parte acutus, quam vulgo spatam vocant. Ipsa est & romphæa.* Ibidem subiungit, à *ferro* dici *frameam*, quasi *ferrameam*: eóque *omnem gladium* posse *frameam* dici. Sanè de *gladio* quoque dici, Hesychius nos docet. Sed propriè erat *hastilis genus, cuius ferrum ligno æquale erat*: vt ex versu Valerij ante allato discimus. Quódque ad etymon, magis placet ῥομφαῖαν dici a ῥεμβάζω, hoc est, *circumago, in gyrum agito*. Hoc enim facere solent *romphæa* pugnantes. Vt qui anceps sit gladius, vt Isidorus ait. Vel cum *romphæa*, vel *rumpia*, tum etiam *framea*, veniunt ab Hebræo רמה, quod est, *iacere, deijcere, iaculari*: vnde *rompia* vel *romphæa* erit, inserto P, & *framea*, præmisso F. Cum verò Tacitus, vbi de moribus Germanorum tractat, *frameam* reponat inter arma Germanorum, satis verisimile est, quod ad eum scriptorem B. Rhenanus, inque Mithridate suo scribit Conradus Gesnerus, vel à *frameæ* similitudine esse Germanicum *pfriem*, pro quo inferiores Germani *priem* dicunt: vel Romanos a Germanis *frameam* accepisse. Vide quæ superius in *Framea* diximus, & lib. I. de Vitiis sermonis, cap. III.

RONCHVS, ῥόγχος ἀπὸ τοῦ ῥέγχειν quod à sono: vt multa alia. Vide magnam talium syluam apud Becmanum in *Murmur*.

ROS vnde sit, dissentiunt Grammatici. Geminum ponit etymon Isidorus, lib. XIII. cap. X. Nam ait, esse à Græco δρόσος, quod idem notat; quibusdam tamen videri sic dici, quasi *rarus*. Posterius hoc ineptum. Prius verò non improbo. Vti neque vt sit à ἔρση, quod idem ac δρόσος. Vel à ῥόος, *fluxus*, vel ῥοῦς, quod Theophrasto *profluuium* est. Saltem magis hæc verisimilia, quàm vt sit ab ὀρὸς, quod Angelus Caninius & Petrus Nunnesius voluere, nixi consuetudine sermonis Romani, in quo R sedem mutare solet: quâ ratione a Περσεφόνη est *Proserpina*; a Καρχηδὼν quasi Καρθαγὼν, *Carthago*; a ῥὶν ῥινὸς, *naris*, pluráque id genus, quæ adduximus in *cancer*, *caco*, *sterno*. A *rore* est *roscidus*, δροσερός item *rorare* δροσίζειν. Vnde *roratio*, quod siderationis est genus in vitibus deflorescentibus, aut cùm acini priusquam crescant, decoquuntur in callum: quemadmodum scribit Plinius, lib. XVII. cap. XXIV. Sic autem vocatur ab acinorum defluuio: vnde paullo post idem scribit: *Pessimum est inter omnia, cum deflorescentem vitem & oleam percussit imber, quoniam simul defluit fructus.* Theophrastus similiter appellat ῥοήν. Eandem esse Græci nominis caussam, indicat, cùm addit, τὸ δὲ πάθος ἐστιν, ὅτι ἀποῤῥεῖ τὰς ῥᾶγας. Ad vitium hoc auertuncandum, instituta Floralia, quemadmodum his verbis docet Plinius, lib. XVIII. cap. XXIX. *Itaque iidem Floralia quarto Calendas eiusdem instituerunt, Vrbis anno quingentesimo sextodecimo, ex oraculis Sibillæ, vt omnia bene deflorescerent.* A *rorando* quoque nomen *rorariis*. Varro VI. de L. L. *Rorarij dicti à rore, qui bellum committebant ante, ideo quod ante rorat quàm pluit.* Locum ante adduxerat è Plauti Friuolariâ:

Vbi rorarij estis? En sunt. Vbi sunt accensi? Ecce.

Similiter Festus: *Rorarios milites vocabant, qui leui armatura primi prælium committebant: quod vt ante imbrem fere rorare soles, sic illi, ante grauem armaturam quòd prodibant, rorarij dicti.* Nec aliter Nonius in *Rorarij*.

ROSA à ῥόδον. Varro, lib. IV. de L. L. *Item ex Græcis vocabulis* ἕρπυλλον, ῥόδον, *additâ & commutatâ vnâ literâ, Serpyllum, Rosa.*

Rosa. Ῥόδον autem si Etymologum audimus, nomen habet ab ὄζω, quasi ὄδον, & κατὰ πλεονασμὸν ῥόδον. Ita autem dici ait κατ' ἀντίφρασιν, quia δυσώδης, quasi ὄζω etiam non dicatur de *bono ac grato odore*. Plutarchus melius, lib. III. Συμποσ. cap. vlt. vbi scribit ita vocari, quia ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδωδῆς ἀφίησι. Ita enim rectè editum ab H. Stephano, vbi in Aldina est ἰδιότ.. Censet igitur Plutarchus fieri a ῥέω & ὀδμὴ, quia *fluit ab ea odor gratus*. Sed tamen neque in hac sententia acquiescit animus: verùm puto integrum esse βρόδον, quomodo Æoles pro ῥόδον dicunt. Βρόδον verò κατὰ μετάθεσιν dici censeo quasi βόρδον vel βαρδον, idque à ורדא, hoc est, *rosa*. Hebræis flos is dicitur חבצלת, vti Cant. II. 1. vbi Targum exponit ורדא, *rosa*: quomodo & Cant. VI. 1. שושנים Targum interpretatur ורדין, *rosa*.

ROSMARINVS diuisim etiam *marinus ros* dicitur Maroni in Culice.

> *Liliáque & rores, Nonacria tura, marini.*

Item *ros maris* vocatur Nasoni in III. de Arte:

> *Ros maris, & laurus, nigráque myrtus olet.*

Ros dici putatur, quia *roscida sit natura*: vel quia *roris instar aspergatur*. Vel quia *eius vsus in aspergillis*. *Marinus* autem, vel quia *in marinis locis feliciter proueniat*, vel quia *saporis marini*, hoc est, *amari*.

ROSTRVM propriè animalium est, ac imprimis auium, dicitúrque à *rodendo*; vt à *radendo*, *rastrum*; à *plodendo*, *plostrum*; à *claudendo*, *claustrum*; à *fluendo*, *flustrum*, quia *fluor maris sistitur*. Et κατὰ μεταφορὰν tribuitur *nauibus*, nam & sic vocatur *pars primore in naue exporrectior*, *cuneique in modum acutior*. Falli Lazarum Baifium puto, cùm libro de re nauali autumat *rostra* eadem esse, quæ Appiano, Diodoro, & aliis appellantur ἀκροστόλια. Sic enim Græci vocant tigna in prora puppique ad ornatum tantummodò apposita, quæ & facilè, cùm collibitum esset, auellebantur. *Rostra* quoque dicebatur Romæ suggestum in foro ante curiam Hostiliam exstructum, in quo magistratus ius dicebant, leges ferebant, concionésque ad populum habebant. Nomen ex eo erat, quod adornatum esset *rostris nauium ab Antiatibus captarum*. Liuius, lib. VIII. *Naues Antiatium partim in Naualia Romæ subductæ, partim incensæ, rostrísque earum suggestum in foro exstructum adornari placuit: Rostráque id templum appellatum.* Idem scribunt Varro, lib. IV. de L. L. & Isidorus, lib. XV. cap. II. Huc respexit Mamertinus in Genethliaco: *Itemque præter victorias toto orbe terrarum partas, etiam naualia trophea promittunt, vt post bella Punica, post Asiæ Syriaque reges, Romani rostra campi noui ornentur exuuiis, & oblitos iam Quirites in memoriam reducatu, cur ille solennis concionibus locus* ROSTRA *vocitetur.*

ROTA Isidoro, lib. XX cap. XII. & XV. sic dici videtur quòd *ruat*. Becmano placet esse à רהט, *rotauit, rotam gyrauit*. Sed potius est à ῥοθεῖν, quod non tantùm signat *strepitum edere*, sed etiam *cum impetu ferri*. Sanè *rotarum* munere currus velut pedibus ῥοθεῖ. Sic Græcis τροχὸς vocatur à τρέχω *curro*. A *rota* est *rotundus*, quasi dicas τροχοειδής. *Vndus* est productio vocis, vt in *iucundus*, à *ioco*.

RVBELLIO piscis, de quo Plinius, lib. XXXII. cap. X. ita dicitur à *rubellus*, quod diminutiuum à *ruber*. Ita verò à colore dici, argumento est, quòd piscis similiter Græcis vocetur ἐρυθρῖνος, ab ἐρυθρὸς, *ruber*. Hodie Græcis appellatur *lethrinus*, quod ex *erythrinus* corruptum.

RVBER color, item *rubidus*, & *rufus*, quis dicatur, cognoscere est ex Gellij libro II. capite XXVI. *Ruber color* ita dicitur fortasse à *rubo*, vt *russus* siue *russeus* à *rusco* virgulti genere, quo color is conciliabatur. Nisi potiùs *rubus* & *ruscus* à *rubore* ita vocantur, quòd *virgulta eius rubeant*; vt Perottus ait: vel quod *mora ferat rubra*, quod de *rubo Idæo* verum est. Sanè hoc malim. *Ruber* verò (si Scaligerum audimus, Exercit. CCCXXV. sect. XIII.) ita dicitur à *cortice vel granis mali Punici*, quod ῥοιὰ & ῥόα appellatur. Becmanus censet κατὰ παρώνυμον fieri ab Hebræo בוש, *erubescere*, vnde *rubor*, & postea *ruber*. Nec aliunde fit *rutilus*. Mihi verisimile fit *rufus* κατὰ μετάθεσιν esse ex πυῤῥὸς; *ruber* verò, & *rubens*, censeo venire à Græco ἐρυθρὸς κατ' ἀφαίρεσιν. Vt Θ in B abeat, quod insolens non est, cùm ab οὖθαρ fit *vber*, à πλῆθος vel πληθὺς, *plebs*. Pro *rubeus* veteres etiam *robus* & *robeus* dixere: vt in vet. inscript. *omnibus annis vitulo robeo & verre*. Est is color in venis durissimæ quercus, quæ *robur* vocatur: item in homine sano ac robusto: indéque tum *quercus genus*, tum *vires hominis valentis*, *robur* dici censet Festus: vt in *Robur* dicebamus. A *colore robo* vel *robeo* frumenti genus *robus* dicitur: quod & pondere & nitore præstat: vt ait Collumella, lib. II. cap. VI. Ab *eodem colore* dicta est *robigo*, siue *rubigo*. Est id vitium metalli ruborem contrahentis, quod in ferro speciatim *ferrugo*, in ære *ærugo* appellatur. *Rubigine* vtrumque comprehendi indicat Plinius, lib. XXVIII. cap. VII. *Æs etiam ac ferrum rubigo protinus corrumpit, odórque dirus.* Isidoro tamen, lib. XVI. cap. X. *robigo* dici videtur, quasi *rodigo*, quia arrodat. Sed satis liquet sic *rubigo* esse à *rubro colore*, quomodo Græcis vocatur ἐρυσίβη ab ἐρυθρὸς, *ruber*, quomodo item Belgis *roest* à *colore*, *russo*. Hæc propria notio. Sed & ita vocatur *vitium segetis*, quo spicæ fiunt marcidæ, & in tætrum puluerem finat.les. Virgil. I. G.

> *Mox & frumentis labor additus, vt mala culmos*
> *Esset robigo* ———

Vbi per *o*, *robigo* scribitur in optimo Virgilij codice Romano, quo vlus Pierius. A *robigine* dictus Deus *Robigus*, qui robiginem à segete auerruncare credebatur: vt scribit Varro, lib. V. de L. L. Gellius, lib. V. cap. XII. & Paullus Diaconus. Eius festum *Robigalia*, quòd *Robigo* fiebat VII. Kal. Maias, quia tunc fere segetes *rubigo* occupat. Auctor Plinius, lib. XVIII. c. XXIX. & Festus in *Robigalia*. Vulgo *rubigo* & *Rubigalia* malunt per *V*, nempe quia & *ruber* dicimus, a quo *rubere*, vnde *rubicundus*, vt a *fari facundus*. Fallitur Priscianus, cùm lib. IV. ait, vt à *ludo*, *vito*, *erro*, sunt *ludibundus*, *vitabundus*, *errabundus*, ita à *rubeo* dicendum fuisse *rubibundus*, sed δυσφωνίας ergo B in C esse conuersum. A *rubro* colore quoque est *rubrica*, terræ species, quà materiarij ad ligna dirigenda filo vtuntur. Vide de ea Vitruuium, lib. VII. cap. VII. Plinium, lib. XXXV. cap VI. aliósque. E iunioribus Bernardinum Baldum, in vocibus Vitruuianis.

RVBETA, genus ranæ venenosæ, in sicco degens, & ferè in *rubis* versans, vnde & nomen, Plinio teste, lib. XXXII. cap. V. *Rubus* verò à *rubro colore foliorum & fructus* nomen accepit: de quo in *Ruber* dicemus.

RVCTO est ἐρεύγομαι; *ructus*, ἐρυγὴ, vt interpretantur Glossæ Philoxeni: Itaque vt ab ῥέω est ῥέω, ac *ruo*: sic *ructus* ab ἐρευκτὸς, quod verbale ab ἐρεύγομαι. A *ructo* verò est *eructo*, nisi potiùs *eructo* simplex est, ac *ructo* ex eo factum κατ' ἀφαίρεσιν. Sanè id verisimilius, quando, vt Græci ἐρεύγω, sic Latini dixere *erugo*, vnde frequentatiuum *eructo*. Festus: *Erugere semel ructum significat, quod eructare sæpius; illud enim perfecta forma est, hoc frequentatiua.* Verùm vsus hæc confudit. Vnde in Glossis Philoxeni: *Eructant*, ἐρεύγονται. Ab *erugo*, *vinum eructum & fætidum potare* dixit Agellius, libro XI. capite VII.

RVDIS quasi *raudis* à *raudus*, quod à ῥάβδος. Intellige ῥάβδον ἀνέργαστον, *virgam impolitam*, quâ certabant gladiatores: vnde hoc certaminis genus Plutarcho in vita Alexandri dicitur ῥαβδομαχία. A *rude* etiam isthac, gladiaturâ emeriti, quia *rudem* accepissent, *rudiarij* appellati: vt videre est apud Suetonium in Tiberio capite VII. Aliàs *rudiarij* vocati, *qui noua saga poliunt*: vt ait Festus in *Rodus*. Nempe quia saga noua sunt *rudia* & impolita. A *rudis*, quâ *saguin* notat, est *rudicula*, quomodo Cato & Columella vocant *ligulam*, siue *spatham*, quâ agitamus ea, quæ coquuntur. Nempe sic dicitur quasi *parua rudis*. Onomasticon: *Rudicula*, ἀρύτηρ. Aliàs *rudis* est adiectiuum, vnde *rudire*, à quo *rudimentum*, ἰδιωτισμὸς, πρωτόπειρα, vt exponunt Glossæ Philoxeni: πρωτοπαιδεία, vt interpretatur Onomasticon. A *rudire* quoque est *erudire*, quasi extra ruditatem ponere. Aliud autem est *eruditus*, aliud *doctus*. Nam illud ad literaturam, ac humanitatis studia pertinet; hoc verò ad graues disciplinas. Hinc Sallustius Syllam ait fuisse *Græcè & Latinè iuxta atque eruditissime doctum*. Et Cicero in Bruto dixit *literatè doctus*. Sed maximè illustris locus Appuleij in Apologetico: *Virum accuratissimè doctum, atque eruditum.* Porrò *rudis* vtrâque notione fit è *raudis*, seu *raudus*, eliso *A*. *Raudus* verò est à ῥάβδος, quod & ipsum notat *virgam impolitam*. Sed *raudi* vox ad alia quoque extenta, vt cùm sic dixere *æs rude*, & *infectum*, vti auctores sunt Varro, & Festus. Hinc ὑποκοριστικῶς *raudusculum* legitur apud Ciceronem, Epistolâ VIII. lib. IV. ad Atticum: vbi *graui æri alieno* opponit *raudusculum* hoc est, *pauxillum æris*. Vtitur & libro VI. ad Atticum, Epistolâ VIII. quæ incipit, *cum instituissem*: & lib. XIV. eiusdem epist. XIV. cuius initium, *itera dum eadem*: & lib. VII. epist. II. inchoante, *Brundusium venimus*. Etiam *raudus* vel *rodus* dixere pro *saxo rudi ac grandi*: quomodo Attium loqui docet Festus in *Rodus*. Etiam *raudus* & in pluratiuo *raudera* dixere *lapidum frusta, ruinarúmque materiem*. Sed posteriùs pro eo dixere *rudus* & *rudera*: quâ nēpe ratione dicitur *claudo* & *cludo*, *defraudo* & *defrudo*. Glossæ Philoxeni: *Rudus*, βῶλος, χῶμα, καὶ χαλκὸς ἀνέργαστος, καὶ γῆς σωρός. Pluribus hæc comprobamus in Exercitationibus Grammaticis, lib. II. quo loco de genere nominum in *R* disserimus. A *ruderibus rudetum* Catoni dicitur, *locus plenus ruderibus*. Appuleio lib VIII. *ruderarium cribrum*, hoc est, *ruderibus expurgandis accommodatum*:

 non

non *ruderarium cibum*, vt scripsisse putat Bernardinus Baldus. Ab eodem est *ruderare* apud Vitruuium, lib. VII. cap. I. De quo ita ad eum Daniel Barbarus: *Rudera sunt lapides contusi, calce admixti, quæ pauimentis faciendis substernantur: vnde ruderare est huiusmodi opus substernere.* Item *eruderare*, hoc est, *ruderibus purgare*. quâ voce μεταφορικῶς vsus Sidonius, lib. V. Epist. VII. *Aures mariti virosa susurrorum face completas, opportunitate salsi sermonis eruderat.*

RVDO factum est à *sono*, siue is *proprius* sit *asinorum*, quomodo vsi Ouidius, Persius, alij: siue *funium nauticorum*, qui inde *rudentes* appellantur, vnde ea vox translata sit non ad *asinos* modò, sed etiam *leones* ac *homines*: quomodo vsus Maro. Festus: *Rudentes, restes nautica, & asini, cum voces mittunt.* Nonius Marcellus: *Rudentes eâ causâ sapientissimi dictos volunt, quòd funes, cum vento verberentur, rudere existimentur, atque hunc sonum proprium funium, non asinorum putant.* Isidorus, lib. XIX. cap. IV. *Rudentes sunt funes nautici, ex nimio stridore ita dicti.* Ita locutus Maro:

Insequitur clamórque virûm, stridórque rudentum.

Et Ouidius:

Quippe sonant clamore viri, stridórque rudentum.

Paccuuius nouè dixit *rudentisibilus*, Varrone teste, initio libri IV. de L.L. Cælius ad Ciceronem diuisim maluit *rudentum sibilus*. Nec animatorum tantum est, sed etiam terræ, cum venti subterranei mugiunt. Appuleius de Mundo: *Mycetias vocatur terri rudoris inquietudo terrena.* Ita Scaligerum secutus lego, vbi vulgo *odoris*. Descriptio est spiritus subterranei, qui μυκητίας dicitur ἀπὸ τοῦ μυκήματος, hoc est, *mugitu*: quem & Maro signat, cùm ait:

Sub pedibus mugire solum, & iuga celsa moueri.

RVGA, Græcè ῥυτὶς, vt *rugo* & *corrugo*, ῥυτιδῶ, item ῥυσόω, & ῥυσσόω. Est & Latinum, & Græcum, à ῥύω, hoc est, ἕλκω, siue *traho*. Est enim *ruga* aliud nihil, quàm *cutis in plicas & quasi sulcos contracta*. Ideo *medicamenta, quibus rugæ tolluntur*, vocantur τανυσμοὶ, quia efficiunt δέρμα τανυτὸν, *cutem extensam planámque*. Sanè contraria sunt τανύειν siue *extendere*: & ῥυτιδοῦν siue *corrugare*.

RVGIRE leonum est, vt Græcis βρυχᾶσθαι. Factum est vtrumque à *sono*: vt *mugire, gannire*, multáque alia, de quibus scriptor carminis, quod *Philomela* inscribitur. Id cùm vulgo nimis deprauatè scriptum circumferretur, multis partibus emendatius ex vett. cod. edidit Clar. v. Andreas Schottus, lib. II. Obseruat. Hum. cap. II.

RVLLVS est à *rure*, vnde *rurus*, à quo *rullus*; vt à *varus*, *vallus*; à *rarus*, *rallus*; ab *vnus*, *vllus*. Gloss. Philoxeni: *Rullus, mendicus*, ἀγροῖκος. *Rullam*, χωρικὴ, ἀγροῖκος. Vbi illud ἀγροῖκος, nihil ad *rullam*, sed interpretatio est vocis *rullus*. Nec *rullus* est *mendicus*: aut *mendicus* est ἀγύρτης. Num ergo pro *mendicus* reponendum *medicus*? Nam medici circumforanei sunt ἀγύρται. Sed quid hæc ad *rullum*? Quare videtur pro *mendicus* scribendum *rusticus*. Nam id *rullus*, & Græcum ἀγροῖκος. Pro ἀγύρτης verò scribendum ἀγροίτης. Hesychius: Ἀγροῖται, ἀγροῖκοι. At *rulla* rectè vertitur χωρικὴ. Nam χῶρος & χωρίον *agere*: vnde χωρικὸς & χωρίτης, *agrestis, rusticus*. Gloss. Cyrilli: χωρικὸς, *rusticus*. Χωρίον, *rus, possessio, villa, fundus*. Hesychius: χῶρος, ἀγρός. Χωρίτης, ἀγροίτης, ἀγροῖκος. *Rulla* igitur idem est ac *rustica*. Sed quæritur, an non & sic vocetur instrumentum rusticum, quo vomer purgatur. Id qui censent, adferunt hunc Plinij locum, lib. XVIII. cap. XIX. *Purgat vomerem subinde cuspidatus rulla.* Sic est in veteri Parmensi. Sed tanti id non est, cùm in quibusdam MSS. sit *rallo*. Qui *rulla* defendunt, putant sic dici vel à *ruo*, quia *ruit*, siue *eruit*: vel à *runa*, quod teli genus, teste Festo: vel à *ralla*, vt *a* in *u* abeat: quomodo ab ἀμφὶ dicitur *ambo* & *vmbo*. Sed obstat ijs, quòd eam significationem *rulla* nec rei rusticæ scriptores, nec Grammatici vel Glossographi agnoscunt: contrà quàm sit in *rallus, ralla, rallum*: de quibus suprà diximus.

RVMA est *mamma*. Gloss. Θηλὴ, *mamma, papilla, ruma, mamilla*. Ita dicta non à βρῶμα, *cibus*, quod vir doctus putabat: sed, vt censeo, κατὰ μετάθεσιν à μηρύκω, *rumine*. Nisi malis à *fluore lactis*, ex Græco ῥεῦμα, quod vsitatius ῥεῦμα, ab Æolico ῥεύω pro ῥέω, vel ῥεῦμα fuerit ab obsoleto ῥύω, vnde & ῥύσις, *fluxus*, ῥυτὸς, *fluidus*, & alia. A *ruma* (pro quo & *rumis*, *rumin*, & *rumen*, dixere) dicta Dea *Rumina*, vel *Rumia*: item agni *subrumi*, & ficus *Ruminalis*. Varro Cato, vel de liberis educandis: *Hisce manibus lacte fit, non vino: Cunina propter cunas: Rumina propter rumam, id est, prisco vocabulo, mammam, à quo subrumi etiam nunc dicuntur agni.* Citat Nonius in *Ruma*. Idem Varro, lib. II. de R.R. cap. I. *Si parum habet lactis mater, subijciat sub alterius mammam, qui appellantur subrumi, id est, sub mamma. Antiquo enim vocabulo mamma rumis, vt opinor.* Et lib. XI. eiusdem libri: *Non negarim ideo apud diuæ Rumiæ sacellum, à pastoribus satam ficum. Ibi enim solet sacrificari lacte vino & pro lactentibus; mamma enim rumis, siue ruma (vt ante dicebant,) à rumi: & indè dicuntur subrumi agni lactentes.* Quem locum sic legit Scaliger, *Mamma enim Rumis, siue Rumin, ea re, vt antè, dicebant, à rumi.* Vt sententia sit, pro *mamma* etiam dixisse *rumis* & *rumin*, siue *rumen*: indéque agnos à *rumi* depulsos dixisse, hoc est, ab *vbere*. Gloss. *Rumis*, θηλὴ, μαστὸς. *Rumen* eâ notione agnoscit quoque Plinius, lib. XV. cap. XVIII. *Colitur ficus arbor in foro ipso ac comitio Romæ nata sacra fulguribus ibi conditis: magísque ob memoriam eius, quæ nutrix fuit Romuli ac Remi conditoris appellata, quoniam sub ea inuenta est lupa infantibus præbens rumen (ita vocabant mammam) miraculo ex ære iuxta dicato.* Festus: *Ruminalem ficum appellatam ait Varro propè curiam sub veteribus, quod sub ea arbore Lupa rumam dederit Remo & Romulo, id est, mammam. Mamma autem Rumis dicitur, vnde rustici hædos lactentes subrumos vocabant qui adhuc sub mammis habentur. Alij autem sunt, qui putant, quòd sub ea pecus ruminari solitum esset.* *Ruma* verò & *rumen* alteram etiam notionem habent. Nam significant *cauum gutturis locum*, à ῥῦμα, *tractus, via*, quod à ῥύω, *traho*. Cibos enim attrahit *ruma*. De *ruma*, si locus sanus, ita Arnobius, lib. VII. *Rumas (alij rumina) quæ sunt prima in gurgulionibus capita, quæ deijcere cibos & referre natura est ruminatoribus secnlis.* Vbi *secnlis* dixit, vt Lucretius, *secla ferarum*. Vt audiendi non sint, qui *vitulis* substituunt. De *rumine* ita Festus: *Rumen est pars colli, qua esca deuoratur, vnde rumare dicebatur, quod nunc ruminare.* Seruius ad illud Ecl. VI.

———Pallentes ruminat herbas:

Ruminatio, inquit, *dicta est à ruma, eminente gutturis parte: per quam demissus cibus à certis reuocatur animalibus.* Isidorus, lib. XI. cap. I. *Rumen proximum curculioni, quo cibus & potio deuoratur. Hinc bestiæ quæ cibos reuocant ac remandunt, ruminare dicuntur.* Idem, lib. XII. cap. I. *Ruminatio dicta est à rumine, eminente gutturis parte: per quam demissus cibus à certis animalibus reuocatur.* Ita *ruminis* voce vsus quoque Pomponius Prostibulo.

Ego rumorem parui facio, dum sit rumen qui impleam.

Frustra, meo iudicio, est Nonius, qui *rumen* hîc poni ait pro loco in ventre. *Rumigare* Appuleius dixit pro *ruminare*. Nisi potiùs *rumitare* pro eo legi debet: quod mihi fit verisimile. Nam à *rumen* est *ruminor*: at à *ruma* est *rumo*, vnde *rumito*, vt à *clamo clamito*. *Ruminandi* autem verbum vt ad alia scitè transferatur, docet idem Nonius vno Liuij & tribus locis Varronis: quorum vnum apponam, qui est in Tanaquile: *Non modò absens quicquam de te segnius cogitabit, sed etiam ruminabitur humanitatem.* Hoc est, *in memoriam reuocabit*, interprete Nonio. Quemadmodum autem à *ruma*, vel *rumen* *rumare* dixerunt, Festo teste, ita ab eodem quoque est *irrumare*. A *rima* esse putabat Georgius Merula. Calderinus à *ruma* quidem, sed quâ notat *mamillam*. Vtrumque vide in lib. II. Martial. epist. XLVII. Sed omnino est ab ea *rumæ* notione, qua *cauitatem gutturis* signat: quod plenius explicare & honestas & vitæ institutum vetat. Quia autem *rumæ* duplex est notio: (vt quod interdum notet *mammam*, interdum *cauum gutturis locum*,) eò dubitatum, ab vtra notione sit *subrumare*. Vtrumque ἔτυμον respexit Festus, cùm ait: *Subrumari dicuntur hædi, cùm ad mammam admouentur, quia ea rumen vocabatur: vel quia rumine trahunt lac sugentes.* Sed magis prius ἔτυμον placet, idque propterea, quia *subrumare* est à *subrumus*: hoc verò non est aliunde, quam à *ruma*, hoc est, *vbere*, vt ante vidimus.

RVMEX, λάπαθον, vt est in Glossis Philoxeni, & Cyrilli. Perotto placet esse à *rumpo*. Sanè *rumpit calculum*. Sed à *rumpo*, vel, vt veteres dixisse videntur, *rupo* (à quo præteritum *rupi*,) esset *rupex*, vt ab *apio apex*. Quare magis ἀναλόγως deducas à *rumo* hoc est, *sugo*, quia *solerent succum eius exsugere ad sitim restinguendam*. Hoc nisi esset, videri possit dici *rumex* quasi *strumex*. Nam ad *strumas cum axungia est efficacissima*, Plinio teste, lib. XX. cap. XXI. Meminit præter Plautum, & alios, Virgilius Moreto:

Fœcundúsque rumex maluæque inulæque virebant.

Est & *rumex* teli genus, simile spari Gallici: teste Festo, qui illud Lucillij laudat:

Tum spara, tum rumices, portantur tragula porrò.

Scio esse viros eruditos, qui *murices* reponant. Sed ea vox primam habet porrectam. Præterea Festus, siue Verrius, reponit inter voces ab *R* inchoatas.

RVMOR, vel est à ῥέω, significante *dico*, vt sit à ῥῆμα *dictum*: vel potiùs ab Æolico ῥεύω, *fluo*, vnde ῥεῦμα, *fluxus*, siue, si malis, à ῥύω, ῥεύω, aut ῥέω, quibus in *fluendi* notione vsos

esse

esse veteres, partim tempora quædam ostendunt: vt ῥόθιον, ῥεῦμα, ῥυάς, partim deriuata, vt *pons, profluuium, ῥυτὸς, fluidus, ῥοδὸς & ῥοδέω, abunde*, aliaque. A ῥέω igitur significante *fluxum* erit *rumor*; quia nihil est aliud, quam sermo in populum emanans: vnde Plutarchus ait, φήμας ῥέοντας ἐν τῷ δήμῳ. Quam etymologiam miré confirmat, quod, vt Obertus Giffanius obseruat, veteres vti ῥεῦμα, vel ῥόος, ita & *rumor* de *aquæ fluxu* dixere. Poëta vetus apud Ciceronem:

Soluere imperat secundo rumore, atque aduersâ aui:

Virgilius:

Ergo iter inceptum celerant rumore secundo.

A *rumor* est *adrumo*. Festus: *rumorem fecit*: Quamquam nonnulli malint esse à *rumine*, vt ibidem Festus addit. Nempe vt propriè sit *gutture admurmurare*. Sed pro priori sententia est, quod apud Isidorum legitur: *Adrumauit, rumorem attulit.* & in vett. Gloss. *Adrumo, conrumo*, θρυλίζω, *vulgo*. Addo quod à *rumo* est *rumito*. Næuius:

Simulu alius aliunde rumitant inter se:

Id est, *rumorem spargunt*. Citat Festus in *Rumito*.

RVMPO, priùs fuit *rupo*; vt *frango*, prius *frago*: *pango*; priùs *pago*. Itaque in præteritis dicitur, *rupi, fregi, pepigi*. *Rupo* fortasse est à ῥάγω siue vsitato ῥήγνυμι, vel ῥήγνυμαι, quod idem notat. Vel deducas à ῥιπή, quo significatur *impetus rei proiecta*. Certè res cum violentia proiectæ solent *rumpi*. Vel simpliciter dicamus *rupo* aut *rumpo* esse a *sono rei, quæ rumpitur*. Quemadmodum & fortasse inde *frago* seu *frango*. Similiáque *crepo, fremo*, aliaque. A *rumpo* vel *rupo* est *rumentum*, vt a *moneo, monentum*. Festus: *Rumentum in auguralibus significare videtur interruptio, abruptione, dum verba auctibus monendis præit*: SI INTERIM AVIS CANERIT; TVM AQVE ATQVE AVSPICIO, RVMENTVM ESTO.

RVMPVS a *rumpo* quia auulsus est ab arbore, vt aliò traducatur, vnde & *tradux* dicitur. Varro, lib. I. de R.R. cap. VIII. *Quartum est pedamentum natiuum eius generis, vbi ex arboribus in arbores, traductis vitibus vinea fit: quos traduces quidam rumpos appellant.* Hinc arbusti genus è *rumpis* factum dicitur *rumpotinum* arboréique ipsæ è *rumpis rumpotina* vocantur. Ita vsi Columella, lib. VI. & Plinius, lib. XIV. cap. I. Inde idem *rumpotinetum*, locus arboribus *rumpotinis* consitus: apud Columellam. lib. V. cap. VI.

RVNA in Isidori Glossis exponitur *pugna*; vt *runata* præliata. Ac similiter Papias. Sed potior apud nos esse debet auctoritas Festi, vel Paulli, scribentis è Verrio: *Runa genus teli significat*. Ennius:

———*Runata recedit.*

Id est, pilata, Siue, vt in libris aliis est, *runata recidit*. Dissimulare tamen non possum, & in quibusdam Paulli codd. MSS[ti] pro *pilata* legi *præliata*. Sed perperam, vt puto. Sanè potior apud me auctoritas est schedarum Festi Farnesianarum, vbi est *pilata*. *Runa* igitur telum est, fortasse illud quod Belgis est co *runspees*. Nomen fortasse indè quod *rueret*, hoc est, sterneret aduersa.

RVNCINA, vt quidem Hermolaus Barbarus scribit, in glossematis Plinianis, Plinio *sunt maiores serræ, quibus fabri materiarij secant arborum moles subiectis canteriis, qui à rusticis ferè nominantur caballi, quia ipsos equos, vt notum est, canterios vocamus. Vnde Plautus verbum deruncinare vsurpat, quasi pro dissipare dissecaréque.* Sed falli puto Hermolaum. Nam *runcinam* dici instrumentum, quo ligna aspera leuigantur, claré indicant hæc Plinij verba, lib. XVI. cap. XLII. *Firmissima ad tectum abies. Eadem valuarum repagulis, & ad intestina opera aptissima, siue Græco, siue Campano, siue Siculo fabricæ artis genere spectabilis, ramentorum crinibus pampinato semper orbe sese voluens ad incitatos runcinarum raptus.* Idem illud Arnobij lib. VI. *Simulacra ista, quæ vos terrent, runcinarum leuigata de planis.* Quare & *deruncinare* non erit *dissecare*, vt Hermolaus putabat sed *radere*: vt cùm Plautus Capt. Act. III. Sc. IV. ait:

Ego deruncinatus, deartuatus sum miser, huius scelesti technis, dolis.

Belgæ simili metaphora dicunt, *yemand lustig afschauen*. Est verò *runcina* a Græco ῥυκάνη siue ῥυκάνα, quod in Epigrammatis legitur. Glossæ Græco-Latinæ Ῥυκάνη, *tribula, runcina*. Similiter a πατάνη, *patina*, μηχανή, *machina*, βυκάνη, *buccina*; quorum exemplo secunda in *runcina* corripi videtur: ne illis credamus, qui producunt, quasi simile sit, ac à *colo, culina*; à *popa, popina*. Erat & *Runcina* Dea: sed huic aliunde nomen. Nempe à *runcando*. Augustinus, lib. IV. de Ciu. Dei. c. VIII. *Præfecerunt ergo cùm runcantur, id est, à terra auferuntur, deâ Runcinam.* *Runcare* segetes Varroni est herbas è segetibus expurgare, quod Græci βοτανίζειν, & βοτανολογεῖν vt docet Pet. Victorius, lib. XXXVI. Var. Lect. cap. VIII. *Runcare* verò à *ruo*. Nam qui *runcat*, eruit herbas. Vt a *fodio, fodico*; ita à *ruo* fit *ruico*, sed *I* eiectum, & *N* insertum, vt in *frago*, & *pago*, pro quibus dicimus *frango* & *pango*. Saltem hoc verisimilius, quam vt *ruo* sit a *rus*, vt putabat Isidorus, lib. XVII. cap. I. *Runcatio*, inquit, *est à terra herbas euellere. Nam rus terra est.* Idem, lib. XX. cap. XIV. hinc deducit *runconem*. *Falcastrum*, inquit, *à similitudine falcis vocatum. Est autem ferramentum curuum cum manubrio longo ad densitatem veprium succidendam. Hi & runcones dicti, quibus vepres secantur, à runcando dicti.* A *runco* est *subrunco*, vnde *subruncinus*, vt à *cado caducus*. Hinc *subruncini* limites, qui in agris fiebant, octo pedes lati, per quos aditus patebat vicinis ad subruncandum. Atque vt à *runco, runcino*, ita a *subrunco subruncino*. Vnde *Subruncinator*, Deus, qui *subruncinationi* præesset. Indigitamenta Flaminis Cerealis: *Insitor, Obarator, Occator, Sarritor, Subruncinator*. Ludouicus Viues ad Augustini de Ciu. Dei lib. IV. cap. VIII. censet à *runcare* esse *auerruncare*. vnde Deus *Auerruncus*. Nempe vt ex *ab* & *fugio*, est *aufugio*: ita ex *ab* & *erunco*, (cuius prior pars *e* siue *ex*, altera *runco*) erit *auerrunco*. Sed putamus ab ἐῤῥάω & Æolicè Ϝεῤῥάω esse *verrunco*. Vide *Auerruncare*.

RVO Angelo Caninio placet esse ab ῥέω, vt ab θελλέω *cello*. Sed significatio non satis conuenit, si ῥέω est ἐπιχέω, vel ὀλισθαίνω vt Hesychius exponit. Rectiùs dixisset, esse ab ἐρύω, quod est *traho*. Sed neque ista notio ad amussim quadrat. Puto igitur esse a ירה, quod est *iecit, deiecit, præcipitauit*. Id enim est *ruere*, vt apud Terent. *ceteros ruerem*. Postea ab actiua significatione translatum ad absolutam. A *ruendo* & *cædendo ruta cæsa* citra copulam, dicuntur *quæ venditor possessionis, sui vsus gratiâ, concedit, ruendóque coëruauit*: vt Festus interpretatur. *Ruta* sunt creta, arena, similiáque eruta. *Cæsa* sunt carbones granaria ex tabulis facta, quorum stipites sint supra terram, tegulæ nondum impositæ tectis, &c. Huiusmodi in venditionibus excipi solent: vnde Cicero, in Top. *Fecique quod sæpe liberales venditores facere solent, vt cùm ædes fundumve vendiderint, rutis cæsis receptis, concedant tamen id quod emptori, quod ornandi causâ aptè & loco positum videatur.* A *ruendo* quoque sunt *rutrum, rutabulum, rutuba*: de quibus seorsim.

RVPES Græcis est ῥώξ, vel διαῤῥώξ, vel ῥαγάς. Estque *rupes* ab obliquo ῥαγός quâ de re plura diximus in *Lapis*. Hoc etymon Nunnesius etiam probat in Grammatistice. Vel sit a recto ῥαγάς, quod Hesychius agnoscit. Ῥώξ verò & ῥαγάς à ῥήσσω, id est, *rumpo*. Quomodo & Cretensibus, teste Stephano in Ὄαξος, *locus præcisus ac præfractus* dicitur ἄξος. nempe ab ἄγνυμι, id est, *rumpere*. Imò & Græcis aliis ab eadem origine ἀγμοὶ vocatur. Hesych. Ἀγμοὶ, ῥαγάδες, κατερρηγμένοι, διαῤῥῶγες. Vel eâdem mente *rupes* sit à *rumpo*, quia sint *partes prærupta*: quod etymon secuti Perottus, & Nannius in Ecl. I. Nec dici debet à *rumpo* fore *rumpes*. Nam veteres *rupo* dixere, vnde *rupi*, & *ruptum*: à quo itidem dicimus *loca prærupta*. Gloss. *Prærupta loca*, διαῤῥωγάδες τόποι. Iuuat etiam Isidorus in Glossis: *Rupinum, abrupta montium*. Ita *rupina* vocem vsurpat Appuleius. lib. VI. & VIII. Met. A *rupes* est *rupex*, qui & *petro* similiter à *petra*. Lucillius: *Verrucam ac rupicum squarrosa incondita rostra.* Vtitur & Tertull. scr. pro scholastico de pallio, cap. IV. atque alibi. Eiusdem originis *rupicapra*, quasi *rupium capra*. Quam δορκάδα *capream* appellat Martialis:

Pendentem summa capream de rupe videbis:

Casuram speres: decipit illa canes.

RVS siue *rura*, (vt rectè Seruius obseruat in I. Æn.) venit ab ἄρουρα præciso A, vt ab ἀμέλγω, *mulgeo*; ab ἁλμυρίς, *muria*, &c. At Varro ineptè in IV. de L. L. *Quod*, inquit, *in agris quotquot annis rursum facienda eadem, vt rursus capias fructus, appellata rura.* A *rure* est *rurare*. Plautus Capt. *Dum ruri rurant homines.* Varro in Setrano apud Nonium Marcellum: *Dum in agro studiosius ruror.* Qui locus manifestè indicat aliud esse *rurare*, quàm *rusticari*. Hinc *rurationis* Dij apud Appuleium, Apolog. I.

RVSPARI est *scrutari*, vt Nonius exponit, siue *crebrò quærere*, vt Festus interpretatur. Malim dixisset, *studiosè quærere*. Ita enim vsos liquet Accium in Meleagro & Nyctegresia apud Nonium, Appuleium in Apol. Tertull. de pall. cap. II. Videtur autem esse proprium animantium (vti gallinarum, ac suum) quando siue vnguibus exscalpunt, siue rostro ruunt terram, studio quærendi alimenti. Itaquo & doctissimus socer Franciscus Iunius notis in Tertullianum censet dici quasi *ruendo sipare* seu *supare*, hoc est, *iacere*: vt exponit Festus. Vel erit à sono, quem studiosè aliquid quærentes edunt: quem & exprimit Belgicum *ruyffelen, strepere, perstrepere*: pro quo & *ruysimmelen* dicitur. A *ruspari* est *ruspinare*, χαραγεάζειν, vt exponitur in Glossis. Hoc est, *manibus terere*. Ab eodem *conruspari*. Festus: *Conruspari, conquirere*. Plautus: *Conruspare tua consilia in pectore.*

RVSSVS

RVSSVS & *russeus* color idem ac rutilus, vel vicinus. Sanè cùm Varro, lib. VI. de L.L. ait, *mulieres valde rufas* dici *rutilas*, videtur non alias intelligere, quàm quas Cato in VII. Orig. dicit esse *facie russeâ*. Nisi legendum ibi *russeas fascias*. Etiam Catulli est:

Dentem atque russam defricare gingiuam.

Vbi de colore loquitur, quē Egnatij dentes contraxerant, dum lotio assiduo defricantur. *Tunicas russas* est apud Trebellium in Claudij vita, & Vopiscum in Aureliano. *Russulas fasciolas* dixit Capitolinus in Albido: Vti *russeam fasciolam* Appuleius lib. XI. Met. Hinc *russatus*, russo indutus. *Russati auriga* præter Liuium meminit Plinius, lib. VII. cap. LIII. ac *russatæ factionis* mentio itidem in inscriptionibus antiquis. *Russati* olim præliati milites. Cuius rei caussam indicat illud Sillij, lib. III.

——*Et rubra velamine vestis*

Ars erat in pugna fusum occuluisse ruborem.

Vide quæ de hoc notauit Isidorus, lib. XIX. cap. XII. item Septimius Florens ad Βατράχ. Aristoph. Vocatus *color russus*, non à *rosa* quidem, sed potiùs à virgulti genere, quod *russum* vel *ruscum* dixere: quo color is conciliabatur. Vide de eo Festum in *Ruscus*. Vel est *ruscus* inde vnde *ruber, rufus, rutilus*. Nempe ab ἐρυθρός. Vide *Ruber*.

RVTA à Græco ῥυτὴ siue ῥυτή. Varro, lib. IV. de L.L. *Quæ in hortis nascuntur, alia peregrinis vocabulis, vt Græcis, ocymum, menta, ruta, quam nunc πήγανον appellant*, &c. Sane Peloponnesios πήγανον vocasse ῥυτὴν, scribit interpres Theriacorum Nicandri, ac Hesychius quoque interpretatur ῥυτήν, τὸ σιμφύλλον, καὶ πήγανον λέγουσι. Estque id à ῥύω, *seruo*, quia, vt Dioscorides docet, valetudinem conseruat: vnde & ῥύσιμον Nicandro vocatur. At *ruta cæsa*, quæ & vnde dicantur, vide in *Ruo*.

RVTABVLVM, à *ruendo*; vt à *venatum, venabulum*. Festus: *Rutabulum est, quo rustici in proruendo igne panis coquendi gratiâ vtuntur*. Glossæ: *Rutabulum*, ἐσχαρεύς. Græcum hoc est à σκάλλω, *fodio, sarrio*, vnde instrumentum, quo id fit, σκαλίς. Κατὰ μεταφορὰν *rutabulum* pro *pene* vsurpat Næuius ibidem: *Ea licet senile tractet retritum rutabulum.*

RVTILVS color si non idem ac *russus*, admodum sanè vicinus. Varro, lib. VI. de L.L. *Iámque auroram rutilare procul cerno. Aurora dicitur ante solis ortum, ab eo, quod ab igne Solis tum aureo aër aurescit. Quod addit rutilare, est ab eodem colore. Aurei enim rutili: & indè etiam mulieres valde rufæ rutilæ.* Festus: *Rutilum rufum significat: cuius coloris studiosæ etiam antiquæ mulieres fuerunt: vnde traxerunt cognomina Rutiliæ, vt indicat frequenter Afranius.* Idem: *Rutilæ canes, id est, non procul à rubro colore immolantur, vt ait Atteius Capito canario sacrificio, pro frugibus, deprecandæ sæuitiæ causâ sideris caniculæ.* Rutilus est ab ἐρυθρὸς κατ' ἀφαίρεσιν. Vide *Ruber*. A *rutilus* κατ' ἀποκοπὴν fit Belgicum *root*, vel *rood*.

RVTRVM, Græcis σκαπάνη, vel σκάφιον, sic dicitur à *ruitum*, siue *rutum*; vt *aratrum*, ab *aratum*. Eóque Nonius fallitur, cùm à *radendo* deducit: vnde etymon *rastro*, quæ à *rutro* diuersa: quemadmodum argumento est Catonis illud, *Rutra rastri quadridentes*. Fallitur quoque Nunnesius, cui *rutrum* à ῥόχανον χ in T abeunte. Melius Varro, lib. IV. de L.L. *Rutrum, vt ruitum, à ruendo*. Item Festus: *Rutrum dictum, quòd eo arena eruitur.* Ibidem legas: *Rutrum tenentis iuuenis est effigies in Capitolio ephebi more harenam ruentis exercitationis gratiâ: quod signum Pompeius Bithynicus ex Bithynia supellectilis regiæ Romam deportauit.* Vsus & Varro apud Nonium: *Antipatri Stoici filius caput rutro displanat.* Item Pomponius in hoc trochaïco apud eundem:

Sarculum hinc illo profectus, illinc rediisti rutrum.

Sententia est, retro res tuæ ierunt, haut aliter ac si ager, qui iam sarculo sarriendus erat, talis euadat, qualis priùs fuit, cùm rutro deberet verti. Priùs enim rutro vertitur ager, indè seritur, hinc occatur, postremo sarculo sarritur. Sed & *rutrum* erat *hostorium*, hoc est, lignum id, quo in modio aceruum diruebant, & adæquabant. Hoc enim *ruere aceruum* dicebant, vt ex Plauto Ciceronéque notum est. Indè igitur *rutrum* & ὑποκοριστικῶς *rutellum*. Lucillius apud eundem Nonium:

Frumentarius est, modium secum atque rutellum
Vnum adfert.

RVTVBA eiusdem est originis ac *ruina*. Sic enim dici videtur, quia ruit atque euertit statum præsentem. Varro, Sexages.

Ergo tum Roma parcè puréque pudetis
Viuere cum patria: nunc sumus in rutuba.

S

SABBATVM σαββάτων, Plutarchus IV. Sympos. putauit esse ex eo, quòd *sabbatarij se sabbatis soleant cibo vinóque replere*. *Barchos* enim à multis dici σαβοῦς. Sanè Hesychius, quos σαβάζειν interpretatur ἀνάζειν, βακχεύειν. Sed insipientis fit à Plutarcho Hebrææ vocis originem expetere. Nam שבת, est *quies, cessatio*, Græcis ἀνάπαυσις, Theodoreto & Nazianzeno κατάπαυσις. Meminit *sabbati* ex gentilibus Horatius, qui *sabbata tricesima* vocat τὴν τριακάδα, siue νεομηνίαν, quæ festa erat Iudæis. Persius sat. V. *sabbata* appellat *recutita*, quia Iudæi recutiti. Mero siue nudo pede *sabbata* à regibus Iudææ celebrari solere, etiam Iuuenalis auctor est, sat. VI. A *sabbatis celebrandis* Iudæi dicti *sabbatarij*. Vnde Martiali *ieiunia sabbatariorum*.

SABVCVS, siue *sambucus*, Græci ἀκτῆ. Belgis *vlierboom*. Gloss. Phil. *Sabucus*, ἀκτῆ, εἶδος βοτάνης. Gloss. Cyrill. Ἀκτῆ, τὸ φυτὸν, *sabucus*. Ἀκτέα, τὸ δένδρον, *sambicus, sambucus*. Onomast. *sabucus*, ἀκτή. Serenus Sammonicus semper scribit *sabucus*. Primam enim corripit. Vide eum cap. II. VII. XXVIII. XXXII. Ruellius in primo de natura stirpium, cap. XX. *sambucum* dici putat à *sambuca*, instrumento musico: Ac præisse videtur ad hanc sententiam Isidorus, lib. II. cap. XX. *Sambuca in musicis species est symphoniarum. Est enim genus ligni fragilis, vnde & tibiæ componuntur.* Vbi post *symphoniarum*, excidisse suspicor hæc verba: *Vnde dicitur sambucus*. Sanè optime sic cuncta cohæreant. Vel pro *enim* legendum *etiam*. Sed hoc si dicamus, fatendum simul Isidorum *sambucum* & *sambucam* confudisse; quod vix putem.

SABVRRA, ἕρμα τῆς νηὸς, quod & γόμος dicitur. Vnde κατὰ μεταφορὰν *mulieres saturæ* dicuntur *saburratæ*, Epid. Act. I. Sc. I. Etsi vero sumitur pro *quocunque pondere*, quo onerantur naues, ne instabiles sint: propriè tamen dicitur de *arena*, quæ eo fine ad certam vsque mensuram nauibus solet imponi. Atque id etiam origo euincit. Nam vt bene monet Perottus, venit à *sabulone*, siue *sabulo*, quo signatur *arena*, non quidem illa tenuior & minutior, vt in thesauro Rob. Stephani scriptum est: sed crassior, viliórque: quod rectè docet intelligentissimus talium Georgius Agricola, lib. VII. de natura fossiliū cap. XVI. *Sabulum*, inquit, *crassius est arenâ, quod vel durum est, vel molle: illud marem, hoc feminam appellant: masculum vtilius sternendis viis: substernitur autem silicibus, & saxorum crustis, simul & interseritur.* Ex quibus verbis melius, quid *sabulum* sit, intelligas, quàm ex Isidoro, cùm lib. XVI. cap. I. hoc solum dicit, *sabulum* esse *leuissimum terræ genus*. Optimè indè etiam capere est, quid *sabulonem masculum* Vitruuius vocet, lib. II. cap. III. & lib. VIII. cap. I. Tria *sabuli* genera pro colore diuerso facit Plinius, lib. XVII. cap. IV. *Sabulum album*, inquit, *in Ticinensi, multisque in locis nigrum, itémque rubrum, etiam pingui terra permixtum, infœcundum est*. *Sabuli* vsus multiplex: quorum vnum apud Nonium indicat Varro περὶ Μισθοῦ: *Non vides in magnis peristylis, qui cryptas domi non habent, sabulum iacere à pariete, aut cryptis, vt ambulare possint.* Et videtur hic locus aliquid iuuare eos, qui vt est à *sto, statum, stabulum*: à *venor, venatum, venabulum*: à *pasco, pastum, pabulum*; sic à *sero, satum, sabulum* esse putant: vt *sabulum* sit arena hinc inde iacta sparsaque & quasi seminata. *Sabuli* voce, sed longè alia notione vsus Appuleius, lib. II. Flor. si vulgata lectio sana est. Ea est etiam in codd. vett. *Dextera psallentis gestu suo sabulum cithara admouet*. Vnde coniectabat Ios. Scaliger *sabulum* esse instrumentum Musicum. Sed seu pro *suo sabulum*, *suscitabulum* cum Coluio, seu cum aliis *pulsabulum* legi debet, seu aliter, omnino sanè locus corruptus videtur, eóque nec *sabulonis* voce pro eo, qui musico quodam vtatur instrumento, vsus Macrobius: quæ eiusdem Scaligeri opinio erat in Coniectaneis.

SACCHARVM Græcis dicitur σάκχαρ, ἢ σάκχαρον, vel σακχάριον. Arrianus, vel alius in Periplo maris Erythræi: Μέλι τὸ καλάμινον τὸ λεγόμενον σάκχαρι. Vox est ab Arabibus, qui dicunt סכר, *sacchar*. Meminit & *sacchari* Plinius, & eo antiquior Dioscorides. Quæritur, an idem illud sit, ac factitium nostrum. Sed quò minùs idem videatur, facit, quod Plinius dicat, tantùm eius vsum esse in medicina. Ac in quibus vsus iste consistat, Dioscorides refert. Hesychius quoque esse ait κοιλίας λυτικόν, hoc est, vim habere laxandi aluum. Sanè, quæ veteres referunt de *sacchara suo*, non conueniunt factitio nostro *sacchare*: sed potiùs isti, quod *Tabaxir* nominatur. Nec tamen nostrum omnimodis illis ignotum erat. Quia nouere *cannas Indicas*, ex quibus succus dulcis ad potum exprimebatur. Varro apud Isidorum:

Indica non magnâ nimis arbore crescit arundo:
Illius è lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeant succo contendere mella.

Lucanus:

Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos.

Meminere & Dionysius Afer in περιηγήσει, & ex Eratosthene

ipso

ipso Strabo. Hactenus igitur notant iam Dioscoridis & Plinij ætate *cannas istas*, quod dulcem inde succum fere haurirí potui accommodatum. Sed postea inuenta est ars succos istos coquendi ac coctione efficiendi, vt candorem acquireret, & induresceret. Huic ita candefacto, & quasi congelato succo nomen *sacchari* datum est quod nomen, dum fluidus esset liquor, non habebat. Noménque id datum quia simile esset mellis generi in arundine collecto, quod *saccharum* antea soleat vocari: atque etiam *sal Indicum* vocaretur, quia instar salis esset concretum. Ostendunt hoc ista Plinij verba: *Saccharum & Arabia fert, sed laudatius India. Est autem mel in arundinibus collectum gummium modo, candidum, dentibus fragile est, amplissimum nucis auellanæ magnitudine, ad medicinæ tantum vsum.* Quæ omnia conueniunt non *sacchara nostro facticio*, de quo loquuntur Græci recentiores atque Arabes. sed *natiuo* illi, quod Persæ atque Arabes colligunt ex arundinibus *Mambu*, & *Tabaxir* appellant. Nec vera est aliorum opinio, qui veterum *saccharum* censent esse illud fertilis instar aluminis tralucens, quod *Candi* vocatur. Nam priscum illud, hoc est, *tabaxir*, planè est natiuum. At illud, quod *candi* vocatur, vel maximè artem requirit: Nam cum *saccharum* mollius & minus album tantùm bis térve coquatur; hoc tertio quartóque est coctum, éáque re candorem illum ac densitatem acquisiuit. Nec tamen *candum* dicitur à *candore*, vti neque à *canna*: sed quod cùm frangitur, dissiliat in partes *angulatas*. Nam quod *angulosum*, id recentibus Græcis κάνδι, κανδὸς vel κάνδιον vocatur. Hæc paucis hîc attingimus, quia non delicatis illis suauior est *sacchari* sapor, quam φιλολογῶν eius cognosce naturam Sed accuratè & fusè de re tota ὁ πολυμαθέστατος Salmasius ad Solinum: vbi & Cæsaris Scaligeri, aliorúmque multorum, de eo opinionem refellit. Ex quo etiam cognoscere erit, quid statuere oporteat de eorum opinione, qui putant temporibus Statij Papinij notam fuisse Ebositis artem coquendi *saccharum*. Id quidem doctissimus Geuartius colligebat ex illo poetæ versu in primo siluarum.

Et quas præcoquit Ebosia cannas.

Quomodo hunc locum iam olim legit Ioannes Niniuita, Versificatoriæ artis lib III. pag CCCCXXXIII. edit. Rob. St. Sed planè accedo clarissimo Salmasio sic eum versum emendanti:

Et quas percoquit Ebosea caunos.

Vt nempe *caunis* sint *caricæ*: hoc est, *ficus siccæ*, quæ Græcis ἰσχάδες. Sane *caunas* pro *canneas* etiam dixit Columella in Horto: ac quemadmodum *Caricas* non pro iis solùm quæ è *Caria* aduehebantur, sed *quibuslibet siccatis ficubus* dixit Plinius: vnde & Syriæ eas tribuit, ac Ægypto: ita *Caunas* quoque siue *Cauneas* vocarunt etsi alibi quàm in *Caunensi* agro creuissent. Est verò *Caunus* Cariæ ciuitas, vt *Carica* & *Caunea* eædem sint: illa à religione, hæc à ciuitate sit appellatio. Vide *Carica*.

SACCVS, non à *sago*, quod eo consuto efficiatur, vt Isidorus putabat, lib. XX. cap. IX. Sed à Græco σάκκος, quod ipsum est, non à σάττω, id est, *onero*, neque παρὰ τὸ σάκος ἢ σάττειν, sed ab Hebræo שק, quod Celtis Belgicisque totidem literis est *sac*. A *sacco* & *saccare*, vt Theophrasto σακκος σακκίζειν, quod idem notat. Vsus Martialis. Nam quod ei, lib. XII. ep. LXI. est:

Turbida sollicito transmittere Cæcuba sacco,

Id ei, lib. II. ep. XL. est, *Cæcuba saccentur*. Sic enim Martialis locum, & legunt, & interpretantur, Beroaldus, Turnebus, Brodæus. Turnebum, si vis, vide, lib. XVII. cap. XVIII. & lib. XXIII. cap. XXV. Censet tamen Ramirez de Prato, defendi posse vulgatam lectionem, quæ est *siccentur*, vt per hypallagen ponatur pro *exhauriatur*; quomodo idem, lib I. ep. XXVII. de Sextiliano ait:

Testa sed antiqui felix siccatur opimi.

At optime hanc sententiam refellit doctissimus & amicissimus Scriuerius quem vide. Est qui Polluci οἶνος σακκίας. Sic Scribonius Largus probat *Falernum non saccatum*, hoc est, *non percolatum, liquatúmque*. Minùs rectè interpretatur Isidorus, lib. XX. cap. III. *Saccatum liquor est aqua faci vini admixtus, sacco expressus*. Imò & *saccatus corporis humor* Lucretio, lib. IV. & Sereno, de Medicina, cap. IV. pro *lotio* vsurpatur, eò quòd *saccetur & coletur per humanum corpus*. Sed apud Serenum, vt rectè in nuperâ Parisinâ, est *saccatus*, ita in eâ, quam Colinæus edidit, ac Cæsarius recensuit, corruptè legitur *siccatus*. Vesicam *saccum* vocat Seneca epistolâ LXXVIII. *Nihil interest, centum per vesicam tuam, an mille amphora, transeant. Saccus est. Saccularij* Asconio sunt, qui publicam inuolant pecuniam, qui aliter *peculatores*. Vlpiano autem ita vocantur, quia præstigiis quibusdam pecuniam ex aliorum *sacculis* subducere solent. Vnde generatim pro *impostore improbo* accipi solet. Onomast. *Saccularij*, βαλλαντιοτόμοι. At Græcis posterioris æui σακελλάριος est *præfectus sacculi siue pecuniæ Ecclesiæ*. Anastasius Sinaita putabat esse vocem Syriacum à שקל, *accepit*. Sed omnino origo ex eo est, quod *sacculos* vocarent *arculam ecclesiasticam*. Feliciarius de eleemosynâ: *Interim sacculis, id est, in visceribus pauperum reponamus, quia manus pauperis gazophylacium est.*

SACER, vt Iul. Scaliger. Exerc. CVII. & CCCXXV. sect. XIII. censet, acceptum est à Thuscis, qui ita vocabant, quæ ad religionem pertinent, eiusdémque originis esse ait *sanctum*, *sagmen*, *saga*, & alia. Fortasse ita est. Sed nec minus placet, venire ab ἅγιος, quod idem notat. Spiritum in *s* abire, ac γ in *c*, satis notum. Pro eo & *sacris*, Festo, teste, antiqui dixere. Vt apud Plautum Menæch. Act. II. sc. II. *Porci sacres, sinceri*, hoc est, integri, atque idonei, qui Laribus sacrificentur. *A sacris vniuersi sacerdotes dicti*, vt ait Varro, lib. IV. de L. L. Isidoro, lib. VII. cap. XII. sic dici videtur, quasi *sacram dans*. Vel ex *sacer*, & Græco ἱερός. Sed *do* non magis hic compositi pars est, quàm *do*, in *dulcedo*, *gravedo*, *an* in *virdans*; *dus* in *pallidus* &c. *Sacrarium*, locus, in quo sacra deponuntur: iuxta Iurisconsultos, & Isidorum, lib. XV. cap. V. *Sacrimam* vocant quasi sacrum. Ita dixere mustum, quod Liberalibus Libero sacrificabant. Vide Festum in *Sacrima*; item in *Sacrificium*. *Sacellum* diminutiuum ex *sacrum*: non quasi *sacra cella*, vt Trebatius volebat. Festus: *Sacella dicuntur loca diis sacrata sine tecto.* Qui locus consideratione dignus. Indè enim discimus, *sacellum* esse, quod Græci dicunt σηκός, hoc est, *conseptum*: nempe locum *sacrum*, tantummodo clausum muro. A *sacer* quoque est *sacrare*: vnde *sacramentum*, iuramentum militare. Gloss. Philox. *Sacramentum*, ὅρκος στρατιωτικός. Festus: *Sacramentum dicitur, quod sacratur fide interpositâ.* Sed *sacramentum* accipitur pro *genere militiæ*: de quo Isidorus, lib. IX. cap. III. Gloss. Στρατεία, *militia*, *sacramentum*. *Sacramentum* etiam *pecunia à litigantibus deposita apud Pontificem*. De quâ notione Varro, lib V. de L. L. & Festus. A *sacro* quoque sunt *obsecro*, *resecro*, *consecro*, *execror*. *Obsecrare* plus esse quàm *orare*, *orare* item quàm *rogare*, docet vetus Terentij interpres. Ac opponi hæc duo *obsecrare* & *resecrare*, indicat Plautus Aulularià:

——— *Nunc te obsecro,*

Fac mentionem cum auunculo mater mea,

Resecroque mater, quod dudum obsecraueram.

Pers. Act. I. Sc I.

To. *Obsecro te.* Sa. *Resecro.* To. *Operam da hanc mî fidelem.* Sa. *Ab odio me enecas.*

Festus: *Resecrare, soluere religione. Vtque cùm reus populum comitiis orauerat per Deos, vt eo periculo liberaretur: iubebat magistratus eum resecrare.* Nempe qui *obsecrat*, votis suis quasi vincit: qui *resecrat*, obsecratione ac deuotione liberat & soluit.

SACOMA Græcè σήκωμα & Doricè σάκωμα. Videtur esse verbale à σηκόω, vnde ἰσοσηκόω, quod est, ἀντισηκῶσαι τὸ ἴσον. Σηκὸς autem videtur esse à σηκὸς significante σταθμὸν, ἤγουν ὁλκὴν, quod & Eustathius suspicatur. Tamen nec σηκὸς, nec σηκὸν, eâ, quod sciam, notione legere est. Notat *sacoma*, *æquipondium*, siue quod in libra apponitur ad æquilibrium faciendum: vnde apud Aristotelem in Mechanicis legimus, σηκώματα ποιεῖν, *æquilibrium facere*. E Latinis vsus Vitruuius, lib. IX. cap. III. *Aurum ad sacomam appendit redemtori.* Vbi *sacomam* dixit pro *sacoma*: quomodo *glaucumam* pro *glaucoma* dixit Plautus, Mil Glor. Act. I. Sc. II. Et *fulmentas* pro *fulmenta* Trinummo, vbi Stasimus ait,

Fulmentas iubeam suppingi soccis.

Plutáque eius generis adduximus in libris de Arte Grammatica: & Oratoriarum lib. V. cap. I. vbi & monuimus in postremis editionibus Vitruuij legi *ad sacoma*: pro quo in Florentina anni CIↃCCCCXCVI. editum *ad sacomam*, leuiculo errore pro *ad sacomam*.

SACRAMENTI geminum etymon ponit Isidorus, lib VI. cap. vlt. Vnum, vt dicatur quasi *secrementum*, à *secretis virtutibus*. Sed hoc ineptum: quamquam & idem ex Isidoro scripserit Hhrabanus Maurus, lib. I. Instit. Cler. cap. XXV. Alterum, vt sit à *sacer*, vel *sacro*: quod verum. Siquidem eâ ratione est à supino *sacratum*, quâ à *iuratum* est *iuramentum*, à *tentatum*, *tentamentum*, quod est apud Maronem in octauo Quibusdam placet esse *sacramentum* à *sacra mente*; quod etymon nec improbare se ait Fungerus. Sed non magis in *sacramentum* duæ postremæ syllabæ compositi partem constituunt, quàm in *pauimentum*, quod à *pauire*; in *vestimentum*, quod à *vestire*; *calciamentum*, quod à *calciare*; *testamentum*, quod à *testaris*, quamquam hoc quoque, Gellio teste, à *mentis contestatione*

 dictum

dictum volebat Seruius Sulpitius: cuiusmodi non aliter excusare possumus, quàm dicendo allusiones esse, non vera etyma. *Sacramentum* quid sit, docet Varro extremo lib. IV. L.L. vbi indicat *sacramentum* vocari *pecuniam, quam contendentes, in lo. o sacro, vel apud Pontificem hac condicione deponebant, vt qui caussa esset superior, pecuniam suam auferret: qui inferior, arario relinqueret.* Atque idem plenius declarat Festus in *Sacramentum.* Hinc ille loquendi modus apud Tull. epist. ad Volumnium, *Sacramento contendas, mea non esse.* Praeterea. Festo teste, *sacramentum* ponitur pro *omni quod interposita iurامentis sacratione geritur*: vnde *sacramentum militare* dictum *quod imperatori à militibus praestatur.* Gloss. Philox. *Sacramentum*, ὅρκος στρατιωτικός. Vegetius, lib. II. de re milit. cap. V. *Victuris in cute punctis milites scripti, cum matriculis inseruntur, iurare solent, & ideo militia sacramenta dicuntur, &c. iurant autem milites, omnia se strenuè facturos, quae praecepit imperator, nunquam deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Rom. Rep.* Dubitant nonnulli ab vtra notione *sacramenti* vox in Ecclesiam sit inducta. A priori dici placet Zvvinglio, in lib. de verâ & falsâ relig. cap. de *Sacramentis*: *Sacramentum*, inquit, *nihil aliud est, quam initiatio & oppigneratio. Sicut enim qui litigaturi erant, certum pecuniae pondus deponebant, sic qui sacramentis initiantur, sese obstringunt & oppignorant.* Aliis placet esse à posteriori acceptione, eò quòd vt milites Imperatori, sic *sacramentis* nos Deo obstringamus. Nec dubitamus, quin haec sententia verior sit. Mouet nos, quòd Tertullianus, Latinorum antiquissimus (qui & primus fortasse *sacramenti* vocem, hac stricta notione, in Ecclesiam induxit.) libro ad Martyres scribat: *Vocati sumus ad militiam Dei viui, iam tunc cum in sacramenti verba spondimus.* Et lib. de Pudicitia: *Vt sacramento benedictionis exauctoretur, nunquam in castra Ecclesiae reuersurus.* Quibus ex locis colligimus, *sacramenti* vocem à militiâ bellicâ ad Christianam militiam esse translatum; quia nempe vt non Augustinus modò ait. Serm. CLXXXI. sed etiam ex gentium philosophis scripsit Arrianus, comment. de disput. Epict. lib. I. cap. XIV. Τῷ δεῷ ἔδει καὶ ὑμᾶς ὀμνύειν, οἷοι οἱ στρατιῶται τῷ καίσαρι. *Et Deo nos decebat iurare, vt milites Caesari.*

SACRILEGVS à *sacrum* & *lego*, hoc est, *furor.* Seruius ad illud Virgil. Ecl. IX.

Vel quae sublegi tacitus tibi carmina nuper:

sublegi, inquit, id est, furatus sum. Inde & sacrilegus dicitur, qui sacra legit, id est, furatur. Plautus in Milite:

Quae etiam nostrum hunc sermonem sublegerat.

Haec Seruius. Atque idem tradit Æn. X.

SAEPTVM, *saepio*, & aduerbium *saepe*, per Æ scribi in optimis codd. eiusdemque esse originis, tradit Pierius ad Ecl. I. Quae verò ea origo sit, his verbis docet Iouianus Pontanus in Actio, fol. CXXXIX. edit. Ald. *Iam primùm palam, saepè, à vestigio, rusticorum quidem sunt inuenta hominum. Nam quòd saepes spissa esset, & densa, dixerunt saepe pro deniè, & saepissimè spissimè.* De aduerbio *saepe* etiam adsentit non Perottus modò, sed etiam Caesar Scaliger, cap. IX. de L.L. vbi ait *saepe* & *pene* venire à nominibus *sapes* & *penus*: quae cùm sint nomina non secundae, sed tertiae, nihil mirum esse, si vltimam, vti in ablatiuis nominum, corripiant. Sed potius censeo *sepio* & *sepes* venire à σηκὸς, mutato κ in *p*, vt à λύκος est *lupus*. Σηκὸς enim Hammonio teste notat ποίμνιον περίφραγμα, quod & Maroni *septum*, Ecl. I.

Quamuis multa meis exiret victima septis.

Vbi *septis* est *ouilibus*: vt interpretatur Seruius. *Sepes* igitur & *septum*, rectiùs nudâ scribuntur vocali. *Sape* verò est ab Hebraeo שפע, hoc est, *copia* siue *affluentia*: vnde obsoletum *sapus* vel *sapis*, hoc est *copiosus, affluens*, à quo aduerbium *sape*, hoc est *copiosè, crebrò. Sapissimam discordiam* dixit Cato Nepos, teste Prisciano, lib. III. ac Hieronymus ad Eustochium, *Sapissimo rogatu*. Vt à *sape* sit *sapicule*, & *sapenumero*, *sapius*, *sapiuscule*, satis est apertum.

SAVVS, à *saeuus*, extrito C. Hoc verò est ἄμικτος.

SAGACES, inquit Festus, appellantur *multi ac sollertis acuminis.* Caesar Scaliger, Exercit. CCLII. sect. II. deducit à σαγήνη, quod est *nassa*, vel σαγὶς, hoc est, *reticulum.* Vt translatio sit à *venatione.* Sed vt *audax* est ab *audere*, ita *sagax* est à *sagire*, quod, vt I. de Diuinat. scribit Cicero, significat *acutè sentire*: indéque, vt idem inibi ait, *saga anus*, quia multa scire volunt. Festus; *Saga*, inquit, *dicitur mulier perita sacrorum.* Vsi Horat. Propertius, Tibullus, cuius is versus:

Pollicita est magico saga ministerio.

Quo confirmatur, quod de priori productâ scribit idem Festus. Acro non audiendus, cui *saga*, quia *satis agat. A sagire* est *prasagire*, hoc est, *sagire*, siue *sentire rem antequam contigerit.* Philoxeni Glossae interpretantur προαισθάνομαι. Item *prasaga*, πρόμαντις. *Sagire* vnde sit, obscurius est. Quibusdam placet esse *canum* proprium, nam Persis *sag*, canem dici: alij volunt esse à *venatione* translatum, quia σαγὶς sit *reticulum*, vt diximus: alij à Thusca voce *sacrum* notante, vnde & *sanctum, sacrum, sagmina, sanguis* & *saxum.* Sed his etymis, quia mirè incerta, inhaerere nequaquam visum. Vide lis Scaligerum. Exercit. CVIII. & CCCXXV. sect. XIII.

SAGENA, quo Manilius vsus, lib. V. est à Graecis, qui similiter σαγήνην vocant. Legas id quoque Matth. cap. XIII. Est autem retis genus, quod Galli vocant *seine*, voce sine dubio corrupta ex Latino illo, aut Graeco. Gloss. Cyrilli. Σαγήνη, *verriculum.* Hesych. Σαγήνη, πλέγμα τι ἐκ πλοκάμων εἰς ἰχθύων. Ἀλιευτικόν.

SAGINARE, *pingue facere, mastare.* A *sagina*, quo signatur *cibus pinguefaciens.* Sed interdum laxiùs accipitur. Vnde in Glossis Phil. exponitur παχυσμὸς -μοῦ. In Glossis item Cyrilli σιτισμὸς σίτευσις transfertur *sagina.* Sane simpliciter pro *cibo* capit Iuuenalis.

——— *Stomachum laxare saginis.*

Et Nemesianus in Cynegetico:

Tunc consuetam retinere saginam
Profuerit.

Vbi de *cibo canum venaticorum* sermo est. Is non potest propriè dici *sagina*, cùm non hoc agatur, vt canes isti fiant pingues. Quod ad etymon, Perotto placet, *sagina* dici à *sat*, & *ago*: Sed addit quosdam deducere à σάγμα, quod à σάττω, *onero.* Sanè quid *saginatus* aliud est, quàm τροφῇ σεσαγμένος? Gloss. Cyr. Σαγμάτιον, *saginas asinum.* Quare hoc longè verius.

SAGITTAM à *sagaci ictu*, hoc est, *veloci ictu*, ita appellari scribit Isidorus. lib. XVIII. cap. VIII. Ac videntur idem sensisse, qui *sagitta* scriptere per CT: quod in vett. codd. inuenitur, scribit Pierius in Æneid. Caesar Scaliger, cap. XXVIII. de causs. L.L. putat vti ab ἄμμα eliso *M* fit *amentum*; ita à σάγμα eliso *M* fieri *saga*, vnde *sagitta*. Est verò σάγμα *involucrum* siue *theca clypei*, ἔνδυμα τῆς ἀσπίδος, vt exponit Hesychius. Angelus Caninius & Petrus Nunnesius aiunt venire ab obliquo αἰγὸς praemisso *s*. Quomodo à ἐξ est *sex*, ab ὗς, *sus*. Sanè vel hoc verum est; vel est *sagitta* à σάγη, quod Pollux & Hesychius exponunt πανοπλίαν. Sed meliùs puto Scholiastes Aristophanis in Acharn. σάγη δὲ ὅπλον, καὶ πανοπλία ἡ πανοπλία, vt omnino σάγης nomine contineantur *omnia armorum genera*: ac verisimile est id communem habere originem cum militaribus vocabulis affinibus, σάγμα, *theca scuti*; σάγος, *sagum*, militare vestimentum, de quo inferiùs dicemus.

SAGMA, σάγμα, *clitella atque onus iumenti clitellari*, à σάττω, *onero*, *onus impono.* Vt omnino fallatur Isidorus, lib. XX. cap. XVI. cui *sagma* dici placet à *stratu equorum.* Hinc *sagmare*; vt à *plasma*, *plasmare*. Gloss. Phil. *Sagmas* (sic legendum pro *saginas*,) σάγμα ὄνου. Item, *Sagmatus*, σεσαγμένος. Vbi perperam, *saginatus*, quod longè aliud. Ab eodem *sagmarius*, *equus*, σαγματεύς, siue σαγματοφόρος. Vtitur *sagmario* voce Lampridius in Heliogabalo. Malè enim à Rob. quoque Steph. *saginarius* editum est. Locum ipsum apponam, quia habet quod doceat exemplo. *Fecit*, inquit, *& in colle Quirinali senatulum, id est, mulierum senatum, in quo ante fuerat conuentus matronalis, solennibus duntaxat diebus*, &c. Et paullò pòst: *Facta sunt Senatusconsulta ridicula de legibus matronalibus: qua quo vestitu incederent, qua cui cederet, qua ad cuius osculum veniret: qua pilento, qua equo sagmario, qua asino veheretur: qua carpento mulari*, &c. Meminit eius Senatusconsulti quoque Vopiscus, in Aureliano.

SAGMINA, vt Marcianus scribit in Digestis, L. Sanctum. de Diuis. rerum, erant *herba, quas legati populi Romani ferre solent, nequis eos violaret.* Addit inibi Marcianus, legatos à *sagminibus* hisce *sanctos* appellari. Sed Festus Pompeius docet, *sagmina* potiùs dici à *sanctus*, quàm *sanctus* à *sagmine*. Verba eius sunt: *Sagmina vocantur verbena; id est, herba pura, quia ex loco sancto arcebantur à consule Praetoreve legatis proficiscentibus ad foedus faciendum, bellumque indicendum: vel à sanciendo, id est, confirmando. Naeuius. Ius sacratum Iouis iurandum sagmine.* Hactenus Festus, cuius & mutilator vtramque adducit ἐτυμολογίαν, sed (quod mirum) legas apud eum hunc Naeuij locum: *Scapos* (Scal. *scopas*) *atque verbenas sagmina sumserunt.* Tertiam quoque quartámque ἐτυμολογίαν inuenio. Nam Melchior Guilandinus, commentario de papyro docet, *sagmina* dici quasi *segmina*, quia ex *loco sancto secabantur.* At Scipio Gentilis libro Originum putat, *sagmen* (à quo *sanctus* cum Marciano deducit) venire à Graeco σέβας, quod *cultum* quoque ac *religionem* significat. Mihi maximè placet Festi sententia, vt dicantur *sagmina* quasi *sanctimina*, vel *sancimina.*

Veteres

Veteres sane *sacmen* scribebant ante inuentum G. Imò in vett. quoque Glossis legas, *Sacmen*, θαλλός, στοιβάδια ἀρχῆς. Sed locus omnino corruptus Scaliger sic emendat: *Scapus*, θαλλός. *Sagmenarius*, στοιβαδάρχης.

Sagvm, Nonio teste, est vestimentum militare, vnde *sagatus* apud Martialem, *sagaria negotiatio* in Pandectis, & ὑποκοριστικῶς *sagulum*, quo de Maronis locum mox adferam. Quidam deducunt à σάττω, *onuo*: sed est σάγος, quo vsi Polybius, Plutarchus, alij. Glossæ vett. Σάγος, *sagum*. Hesychius, Σάγος. μέρος τι τῆς πανοπλίας. Quod magis placet, quam vt sit ἡ ὅλη πανοπλία, quomodo idem σάγη interpretatur. Rectiùs Scholiastes Aristophanis σάγον exponit. Vulgo tamen putant Latinos *sagi* vocabulum accepisse à Gallis. Id quidem voluit Isidorus, lib. XIX. cap. XXIV. & ante eum Varro, cuius hæc verba ex Scaligeri emendatione: *In his multa peregrina, vt sagum, reno, Gallica; Gaunacum, maius sagum, & amphimallum, Græca.* Confirmat idem Strabo, lib. IV. vbi eos ait σάγους φορεῖν, *saga ferre*. Idem, cùm ex Plinio, & Diodoro Siculo, comprobatur; tum Marone, qui lib. VIII. de Gallis ait, *Virgatis lucent sagulis*, hoc est, σάγοις ῥαβδωτοῖς, *scutulatis*, siue *cancellatis* siue *cancellorum in modum distinctis*, non autem *purpuratis*, provt ad eum locum putabat Seruius. Atque ex his simul patet, cur assentiri non possim optimo & doctissimo Paulo Merulæ, qui in Cosmogr. parte II. lib. III cap. XV. pro *sagum* apud Varronem legendum putat *sargium*, idque non aliâ de causâ quàm quòd hodiéque Gallis Belgis, hoc est inferioribus Germanis, *sarge* sit *lodix*, siue *stragulum cubiculare*. Quod verò Galli *sagum* vocarunt, id censeo esse à Massiliensibus, qui Græcè sunt locuti. Nam Græcum esse σάγος iam vidimus. Σάγος verò est ex lingua primæva. Nam סכך, *texit, operuit*, à quo & Latini *soccus*, quia *pedes operit*. His de *sago* & *sagulo*, quædam adde, si voles, ex Nonio in *sagum*, Baifio cap. V lib de re vestiaria, Scaligero in Coniectaneis. A *sagum* est *sagatus*, apud Tranquillum, id est, *sago indutus*. Item *sagarius*, qui saga vendit. Onomast. *Sagarius*, χλαμυδοπώλης.

Sal, vel est à recto ἅλς τῷ μεταπλασμῷ, vel potiùs, quando Latini rectos suos formant ab obliquis Græcorum (quomodo à πελεκᾶνος est *pelecanus*) ab ἁλὸς est *salis*, & per aphæresin *sal*. Spiritus asper conuersus in *s*: vt scribit Priscianus lib. I. Similiter ab ἕρπω est *serpo*; ab ἕρπυλλον, *serpyllum*, ab ὕλη, *sylua*; ab ὑάδες, *suculæ*, teste Gellio. Vide *Sus*. Ἅλς verò fortè τῷ μεταθέσει factum à מלח, quod idem. *Sales* dicimus *facetias*, nempe, quia vt *sal* cibi, sic hæ sermonis sint condimentum. Plinius, lib. XXXI. cap. VII. *Ergo hercule vita humanior sine sale nequit degere: adeóque necessarium elementum est, vt transierit intellectus ad voluptates animi quoque. Nam ita sales appellantur: omnísque vitæ lepos & summa hilaritas, laborumque requies non alio magis vocabulo constat.* Sanè & Latini *sales*, & Græci ἅλες, sic sæpe vsurpant. Vide Heraldum ad Martialem, lib. III. ep. XX. Ab eodem dictum *salarium*, quo nomine propriè significabatur tribunorum militarium, & ducum annona, fortè quòd nihil victui magis necessarium, quàm sal; vel quòd salaria percipientes, indè se alerent. Græci plurimùm vertunt σιτηρέσιον & ὀψώνιον. Sed latiùs postea hoc vocabulum patuit, ita vt non solùm de annonâ, sed etiam de commodo, & stipendio militum vsurparetur. Gloss. Philox. *Salarium*, ὀψώνιον, σιτηρέσιον, συνήθεια, ἀναλώματα. Ab eâdem origine est nomen *Salaria* viæ. Itaque de hac *salarij* voce sic continuò subiicit Plinius: *Honoribus etiam militiaque interponitur, salariis inde dictis, magnâ apud antiquos auctoritate, sicut apparet ex nomine Salariæ viæ, quoniam illâ sal in Sabinos portari consuêrat. De Salaria via* consentit Verrius Flaccus, qui apud Festum *Salariam viam incipere ait à porta, quæ nunc Collina à colle Quirinali dicitur. Salaria autem*, inquit, *propterea appellabatur, quòd impetratum fuerit, vt eâ liceret à mari in Sabinos salem portari.* *Salarij* quoque Martiali dicuntur, qui *salem vendunt*. *Quod viles pueri salarij unum.* A *sale* quoque est *salina*. Item *salinum*, quod *concham salis* appellat Horatius. Inde ὑποκοριστικῶς *salillum*, vt apud Catullum, *salillo purior*: quia sali inest vis contra putredinem. Vel potiùs, quia salina, quibus mensas sacrari crediderunt, mundissima esse solent. Item *salio*, & *sallo*: ab illo est *salitus*: ab hoc *salsus*, vnde *insulsus*: cui vt Catullus de Quinctia ait.

——— *non est in toto corpore mica salis.*

Gloss. vett. *Insulsus*, ἄναλος. A *salsus* quoque sunt *salsamentum* & *salsitudo*: Item *salsilago*, & *salsugo*, quomodo vocari videtur humor, qui in areis salinarum sub salis crustâ liquidus remanet, neque in salem concrescit. Plinius, lib. XXXI. cap. VII. *Præter has etiamnum appellatur in salinis salsugo, ab aliis salsilago, tota liquida, marinâ aquâ salsior, vi distans.* Onomast. *Salsilago*, ἅλμη. Estque à *salsus*, *salsilago*, vt à *mucus*, *mucilago*.

Salamandra, vt Isidorus ait, lib. XII. cap. IV. *vocata quòd contra incendia valeat.* Videtur hoc velle, *salamandram* dici quasi *valincendiam*. Sed est nomen à Græcis quibus itidem est σαλαμάνδρα. Martinius coniectat sic dici, quia propè σηκοὺς habet μανδρῶν. Nam stabulans gaudet iuxta loca humida.

Salapvtivm est à *salace puta*; vt *præputium* à *præ*, & *puta*. *Puta* autem est πόσθη, siue *mentula*, vt dictum in *Puta*. *Salaputium* Catullus falsè vocat Caluum epigr. L. hoc versu:

Di magni, salaputium disertum!

Quomodo Scaliger legendum comprobat ad Catullum, & castigat in Catalecta. Et profectò sic legisse patet, non dico Beroaldum, & Guarinum, (quorum ille sic legit, commentario in Tranquilli Iulium: hic autem commentario in Catullum;) verùm ipsum M. Senecam, lib. VII. controuers. IV. cùm ait: *Erat paruulus staturâ, propter quod etiam Catullus in hendecasyllabis, vocat illum salaputium disertum.* In veteri edit. Catulli, quæ Regij Lepidi excusa anno CIↃCCCCLXXXI. *salapantium* legitur, quod etsi vitiosum, propius tamen ad veram lectionem accedit, quàm *solozacinum*, vel *noiopacinum*, de quo Hermolaus Barbarus, in Plinij lib. VIII. cap. XXIX. & in glossematis Plinianis, voce *solopygium*, & *solozacinum*: vel *holopygium*, quod Alciatus probat, lib. II. παρ. cap. XXVI. vel *salicippium*, cuius emendationis meminit Hermolaus, quámque inter alios Lilius Gyraldus, dial. X. histor. poëtarum, item Paulus Manutius, & Antonius Muretus approbant: vel *ascalaborium*, quod magnus Turnebus ridiculè excogitauit, lib. XXI Aduers. cap XXVI Alias quoque alij lectiones commenti, quos videre possis apud Rob Titium, cùm *salicippium* potiùs, quàm *salaputium*, legendum contendit, cap XXI. lib XXI. locor. in controuersiam, nec non assertionis eorundem. Sanè si *salaputium* rectum non est, id planè erit *salopygium*, quæ fuerit *motacilla*. Nam vt ea dicta σεισοπυγὶς à σείω, *moueo*; & πυγή, *nates*: ita & dici σαλοπύγιον potuit à σάλος, hoc est, *motus*, & πυγή. Sic verò Caluus dictus sit, quia motacillæ instar in dicendo subsiliret Placuit hoc Salmasio: qui pro se adducit, quòd in vett. Catulli ac Senecæ membranis *salopugium* legatur.

Salar, *iunior salmo*, vnde & cum *salmone* coniungit Ausonius. Fortasse autem & *salar* & *salmo* à *saliendo* Nam qui naturam piscium tradunt, auctores sunt salmonem si in transitu sepem, vel aliud obstaculum sentiat, caudam ore prehendere, corporéque in orbem flexo transilire. Etiam in vase venalis, alíisque piscibus permixtus, si aqua adimatur, exsiliet eoque è piscibus cæteris dignoscitur.

Salgama, quæ sale & aceto condita ad victum in vasis seruantur. Est id nomen à *sale*. *Gama* igitur vocis est productio. Vel potiùs est ex eo quòd Græci ἁλμαία vocant. *G* insertum, vt ab ἴσταμαι, *spargo*. Hinc *salgamarius* apud Columellam.

Salio est ab ἅλλω, seu ἅλλομαι. Nam duobus λλ concurrentibus, posterius amant Latini mutare in *i*. Vt ab ἄλλος, *alius*; à φύλλον, *folium*, &c. A *salio* est *salto*, quâ nempe ratione à *dico* est *dicto*, à *iacio iacto*, &c. Quare ridiculus est doctissimus Onuphrius Panuinus, lib. II. de ludis Circens. cap. I. vbi *saltum*, quasi *exilicus in altum* dici probat auctoritate Isidori. lib. XVIII. cap. XIX. A *salio* dicti *Salij*, quòd ancilia per vrbem gestantes salire soliti. Varro. IV. de L. L. *Salij à saltando quod facere in comitio in sacris quotannis & solent, & debent.* Inde *saliares epulæ*, pro lautis & opiparis, quia tales erant *Saliorum*. Vide Festum, cuius hac de re locum emendat Hermolaus Barbarus in glossematis Plinianis. *Salisubsulus*, quasi *Salius subsiliens*. Erat ludius in sacris Herculis saltans. *Salebra*, vbi sæpius saliendum. Vt à *scateo*, *scatebra*; à *tero*, *terebra*; sic à *salio*, *salebra*. Nonius: *Salebræ à saltu dictæ.* A *saliendo* quoque tubi siue fistulæ aquæductus vel fontis dicuntur *salientes*, quia ab iis aqua salit; provt locutus Maro, Eclogâ V.

Dulcis aquæ saliente sitim restinguere riuo.

Et Vlpianus. l. XVII. D. de act. empt. *Constat sigilla, columnas quoque & personas, ex quorum rostris aqua salire solet, villæ esse.* *Salientium* voce vsus Vitruuius lib. VIII. cap. III. *Athenis ad portum Piræum ducti sunt salientes, è quibus bibit nemo.* Frontinus de aquæductibus, *Binos salientes diuersarum aquarum accipere* Et Vlpianus, l. XV D eod. tit. *Lines* (Haloander *funes*) *labra, salientes, fistulæ quoque quæ salientibus iunguntur, quamuis longè excurrant extra ædificium, ædium sunt.* Vocantur alio modo *silani*. Corn. Celsus lib. III. cap. XVIII. *Confert etiam aliquid ad somnum silanus iuxta cadens, vel gestatio post cibum & potum, maximéque suspensi lecti motus.* Quamquam in quibusdam libb. pro *silanus* sit *saliens*, quod ex interpretatione puto irrepsisse Lucretius lib. VI.

——— *Proque voluta.*

Corpora silanos ad aquarum strata iacebant.

Quem versum corrumpere conati Marullus & Baptista Pius, quorum ille legit, *Corpora sic amn* : hic *Corpora sola amn*. Visus & Hyginus in Astronomico. Sunt qui pro *Silano* dicunt *Siluanum*. Gloss. Philox. *Siluanus, κρουνός.* Nam κρουνὸς idem quod *saliens*. Eustathius sic dici ait. παρὰ τὸ ἄρχειν τοῦ χυμοῦ... Vocantur & *tulliy*. Festus: *Tullios aly dixerunt esse silanos, aly riuos, aly vehementes proiectiones sanguinis arcuatim fluentis: quales sunt Tiburi in Aniene. Ennius in Aiace: Aiax, misso sanguine tepido tullij efflantes volant.* A *salio* est *salax*; vt ab *audeo audax*. Nempe ab eâ notione *saliendi*, quâ in feris notat ὀχεύειν: quomodo & Belgæ dicunt *bespringen*. Quare non assentio iis qui à *sale* deriuant quia sal reddat salaces. Ab eodem est *salix*, de quo seorsim. Ab eodem est *salisso*: vnde *salissatores*. Isidorus lib. VIII. cap. IX. *Salissatores vocati sunt, qui dum eis membrorum quæcunque partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum seu triste significare prædicunt.* Gloss. vett. *Salissatio, παλμός.* Exstat Melampodis Hierogrammatei περὶ παλμῶν μαντικὴ, πρὸς Πτολεμαῖον βασιλέα. A *salio* quoque est *desilio*: vnde *desultor*, qui binos trahens equos ex vno mirâ celeritate in alterum transiliret. Sed κατὰ μεταφορὰν visus Ouidius, lib. I de Arte: *Non sum desultor amoris.* Hinc *desultoria leuitas* apud Martianum Capellam; *desultoria scientia* apud Appuleium: quam locutionem lib. IV. Oratoriarum defendimus aduersus Maioragium. *Subsilire*, Plauto, quasi *susum* siue *sursum, saltare*. Vt *sustollo* eidem quasi *sursum tollo*, quod Priscianus ait in primo. vbi & simile esse ait *suscipio* quasi *susum capio*.

SALIVAM dici aiunt vel quòd ferè habeat *salis saporem*, vt censet Isidorus: vel, vt alij, quòd in ore *saliat* & crescat. Sed, vt rectè coniectant Angelus Caninius & Petr. Nunnesius literarum traiectione fit à σίαλος. quomodo à σκέπτω, σκεπτῶ est *specio*, vnde *specto*; à φλέγω, *fulgeo*; ab ἀρέγω, *rego*, &c. *Saliuam mouere* Seneca dixit epist. LXXX. pro *appetitum ciere*, nempe quia quæ ὄρεξιν cient, saliuam in ore excitant, velut ministram saporis: vnde & pro *gustu* accipit Persius, cùm ait,

> ———*turdorum nosse saliuam.*

Belgæ id quod Senecæ est *saliuam mouere* similiter dicunt, *de tanden wätersch maken*. A *saliua* est *saliuosus*. Vt in Catalectis Virgilij:

> *Quibus repletus vt saliuosis aquis*
> *Obesam ad vxorem redis.*

Ab eodem est *saliuare* apud Plin. & Colum.

SALIX à *saliendo*, quomodo eadem ἰτέα παρὰ τὸ ἵεσθαι dicitur, si Etymologum audimus. Festus tamen hanc *salicis* ἐτυμολογίαν improbat, cùm scribit: *Salicem idem* (Verrius, an Stilo?) *virgulti genus, non arboris dicit, & ridiculè interpretatur dictam, quòd ea celeritate crescat, vt salire videatur.* Sed placet hæc etymologia quoque Seruio, in Ecl. I. vbi ait, *Salicti, virgulti genus, dictum eò quòd salit, & surgit cito.* Probat quoque Isidorus, lib. XVII. cap. VII. A *salix* est *salictum* quasi *salicetum*, vt *fictum* apud Varronem quasi *ficetum*. Nam integra desinere in *etum* ostendunt, *dumetum, olivetum, nucetum, pometum, arundinetum* atque alia. A *salicto* est *salictarius*; vt *lupulus salictarius*, qui in salicto prouenit.

SALMACIDVS in Glossis Philoxeni exponitur ἁλμυρός· *salmacidum*, ἁλμυρόν· *salmacia aqua*, ἁλμυρὸν ὕδωρ imò & *Salmacia*, Ἀμφιτρίτη. Sed postremo loco puto *Salaciam* voluisse. Nam antecessit, *Salacia, Ἀμφιτρίτη, Νηρεύς.* Nempe *salacia* à *salo*, cui præest. De *salacia* & *Venilia* alibi diximus. *Salmacidus* legas apud Plinium, etiam in antiqua Parmensi, & aliis, lib. XXXI. cap. III. *Ante omnia autem damnantur aquæ amaræ, & quæ scrobem statim implent, quod euenit Trœzene. Nam nitrosas atque salmacidas in desertis Rubrum mare petentes addità polentâ vtiles intra duas horas faciunt, ipsáque vescuntur polentâ.* Ac similiter est apud Plinium Empiricum: *Ipsum verò balneum ex dulci aqua fiat, non ex salmacida.* Satis liquet, *salmacidum* dici, quod salsum est & acidum simul: vt ὀξάλμη, quod apud Dioscoridem Ruellius *acidam muriam*. Hermolaus Barbarus *acetum salsum* interpretatur. Nempe ὄξος *acetum*, vt ὀξὺ *acidum*. At ἅλμη, *salsugo, muria*. *Salmacidum* igitur quasi *salsacidum*, *m* in *s* conuerso. Vel vt ab ἅλς, *sal*, sic ab ἅλμη, *salme*: ex quo & *acidus*, *salmacidus*, vt origine etiam cum ὀξάλμη conueniat. Si horum neutrum placet, non video quid dici possit, nisi corruptè vbique *salmacidus* legi pro *salinacidus*, vt à *salinis* dicatur. Volunt vulgo *salmacidus* etiam dici pro *molli & effeminato*, atque id ex eo, quòd tales redderet *fons Salmacis*, si ex eo biberetur. Quo de fonte præter Strabonem, Ouidiúmque, etiam Vitruuius, lib. II. cap. VIII. De eodem sic Festus: *Salmacis nomine nympha, Cœli & Terræ filia, fertur caussa fontis Halicarnassi aquæ appellandæ fuisse Salmacidis: quam qui bibisset, vitio impudicitiæ mollesceret. ob eam rem, quod eius aditus angustatus parietibus, occasionem largitur iuuenibus petulantibus accedentium puerorum puellarúmque violandarum, quia non patet effugium.* Ennius:

> *Salmacida spolia sine sanguine & sudore.*

Atque vnus hic Ennij versus impulit homines doctissimos vt putarent *Salmacidus* accipi pro molli. Sed diuisim legendum *Salmaci, da spolia*: nam vir mollis *Salmacidis* nomine compellatur, & dare spolia iubetur. In Festi verbis Hieronymus Columna notis in Ennij verba pro *petulantium* legit *petantium*: Turnebus lib. XXVIII. Aduers. cap. XXXIX. pro *accedentium* legit *ante cætum*. Sed vera est lectio, quam posuimus: sententia est, petulantibus iuuenibus loci naturâ dari occasionem violandi pueros ac virgines.

SALPA, à Græcis acceptum. Hesych. Σάλπη ἰχθύς ποιός, ὃς καὶ βοῦς... Idem est ὁ σάλπης, vt dicitur Archippo. Vide Gesnerum, Rondeletium, alios.

SALPICTA, siue *salpincta*, siue *salpista*, est *tubicen*, *buccinator*. Græcè σαλπιγκτής, à σαλπίγξω, vel σαλπιστής à σαλπίζω, *buccino, tubâ cano*. Vtrumque à σάλπιγξ, *tuba, buccina*. Glossæ Philoxeni: *Tubicines, σαλπιγκταί.* Ita vocatur Demostheni, Polluci, &c. At σαλπιστής, est apud Dionysium Halicarnassensem, Aëtium, &c. Vtroque & vsi Latini. Vopiscus in Aureliano: *Item & centum salpistas vno crepitu concinentes, & centum campeaulas, choraulas centum, etiam pithaulas centum.* Item Iulius Firmicus, lib. VIII. *Salpictas reddet, sed qui in bello confossi moriantur.* Godescalcus quoque Stevvechius similiter interpretatur illud Arnobij, lib. VII. *Delectantur, vt res est, stupidorum capitibus rasis, salpictarum* (in MSS^tis^ est *salapictarum*) *sonitu atque plausu, factis & dictis turpibus, facinorum ingentium rubore.* Sed Iosephus Scaliger in Catalecta legit *salapittarum*, déque mimorum alapis intelligendum putat. Nam histriones ad risum concitandum sese alapis percuti patiebantur: vt ex Martiale atque aliis constat: ac pertinet huc quoque illud Tertulliani, lib. de Spectaculis, cap. XXIII. *Placebit & ille, qui vultus suos nouaculâ mutat, infidelis erga faciem suam, quam non contentus Saturno, & Isidi, & Libero patri proximam facere, insuper contumeliis alaparum sic obiicit, quasi de præcepto Domini ludat.* Et hoc Cypriani de Spectaculis: *Ictibus infelix facies locatur.* Hinc apud Terentium, & alios, *os præbere alicui*. *Salapittam* verò esse *alapam*, docent vett. Glossæ, in quibus legimus: *Salapitta, ῥάπισμα.* Fortasse autem rectiùs sit *salapicta*, vt dicatur quasi *alapa ictus*. Sed metuo ne hac parte parùm stare liceat Philoxeni Glossis. nam apud Arnobium nihil prohibet σαλπιγκτὰς intelligere.

SALPVGA corruptum suspicor ex *solipuga*. Plinius, lib. XXIX. cap. IV. *Est & formicarum genus venenatum: non ferè* (al. *non nouere*) *in Italia. Solipugas Cicero appellat, salpugas Bætica.* Visus Lucanus, lib. IX.

> *Quis calcare tuas metuat, salpuga, latebras.*

Quem versum corrumpere adnixus Godesc. Stevvechius vt ostendimus in *Solipunga*. At idem rectè Arnobio, lib. II. restituit *solipuga* vocem, vbi in vulgatis est *soli fuga*.

SALTEM, an *saltim*, scribi debeat, nec olim quidem satis conuenit inter eruditos, vt notum est è Gell. lib. XII. cap. XIV. Priori scribendi modo fauet hoc Donati, in Adelph. Ter. Act. II. Sc. II. *Saltem, τὸ ἔσχατον. Natum est autem à captiuis saltem, qui nihil aliud præter salutem à victore petunt.* Id ipsum tradit in Andr. Act. II. Sc. I. & Seruius in IV. Planéque ex Gellio haustum videtur. Posteriorem verò scribendi modum confirmat Priscianus, cùm lib. XV. ait, *In IM & denominatiua inueniuntur, & verbalia siue participalia: vt à parte partim; à viro viritim; à statu, statim; à raptu, raptim; à saltu, saltim, & saltuatim.* Et sanè verisimile magis est à *saliendo* venire: non tantùm quia ferè per tertiam vocalem scribitur in vett. libb. sed etiam quia hac voce vti solemus, quando ab iis quæ antecesserunt subitò transilimus ad aliud, inque eo finimus. Vide Ianum Guihelmium, qui integrum hac de re caput concinnare non dubitauit primo Verisimilium libro. De variis autem eiusce vocis notionibus, vide varia veterum loca, quæ colligit Pincierus, lib. III. Parerg. cap. XLIII.

SALTVS, cùm *salientis actum* notat, à *salio* venire satis est apertum. Atque ab hac notione *insulæ saltuares* dictæ videntur. Plinius, lib. II. cap. XCV. *Sunt & Nymphæo parua (insulæ) saltuares dictæ, quoniam in symphonia cantus ad ictus modulantium pedum mouentur.* Ab eadem quoque acceptione est *saltuatim*, quasi dicas, *per saltus*. Visus Gellius & ante eum Sisenna: vt Nonius docebit. At *saltus* pro *loco pascuo & siluoso* puto esse ab ἄλσος, σ abeunte in T; vt à σύ, *tu*; à ... *tot*; à πρανὲς, *pratum*, &c. Falsò, nec ineptè tamen, quibus sic dici visum, quia *pecudes ibi saltant*: vt Varro indicat, lib. IV. de L. L. vel quòd *ibi exsiliant arbores*, vt Isidoro placet, lib. XIV. cap. VIII. & lib. XVII. cap. VI. Sed quòd Isidorus censet, componi

poni ex *salio* & *altum*, quia *in altum saliunt arbores*: id ferri nequit. Imò nec dubium, quin à *peculiari saltu* verisimilius deduxeris, quam *arborum*. Ab notione ista *saltus* est *saltuosus*, locus *saltibus* abundans, item *saltuarius*, ὀρεοφύλαξ, δρυμοφύλαξ, vt est in Gloss. Phil. & Onomastico.

Salvia est a *saluere*, hoc est, *saluum esse*. Nempe ob vim salutarem, quâ saluos præstat, atque incolumes: vnde *sacram herbam* vocabat Agrippa teste Aëtio.

Salvm dictum videri queat quasi ζαλόεν, id est, *fluctuans*, nempe a ζαλόω siue ζάλος aut ζάλη, quod est *aqua turbata ac fluctuans*, ὁ ταραχὴ τῆς κλύδωνος ὕδατος. Sed non dubium, quin sit vel à *salis sapore*, vnde & ἅλς ac *sal* pro *salo* accipitur: vel potiùs à σάλος, quod idem notat, nempe *mare*, vel *iactationem eius*: vnde vt Plutarchus initio lib. de garrulitat. σάλον καὶ ναυτίαν iungit. sic apud Cæsarem legas, lib. III. bell. ciuil. *multitudine nautium perterriti, & salo nauseaque confecti*. Σάλος verò est ab ἅλς ἁλός. Estque à σάλος σαλεύω, *in salo fluctuo*. A *salum* est *Salacia*. Varro, lib. IV. de L.L. *Salacia Neptuni, ab salo*. Festus: *Salacia dicta est, quod salum ciet, antiquos autem ait* (Verrius) *eo vocabulo poetas pro aquâ ipsâ vsos esse. Pacuuius: Hinc sauciam Salacia fugimus*, &c. Gloss. Philox. *Salacia*, Ἀμφιτρίτη, Νηρεΐς. In eodem tamen Glossario paullò aliter hæc vox scribitur: *Salmacia*, Ἀμφιτρίτη & ne errorem librarij putes, mox subditur: *Salmacia aqua*, ἁλμυρὸν ὕδωρ. Vt *Salacia* & *venilia* differant, in *Venus* dicemus. Ab *in* & *salum* est *Insula*, de quo separatim.

Salvs inserta liquidâ à σῶος venit, quod est, *saluus*. Vel, quod Bibliander Indice verborum in Marcum notauit est *salus* ab Hebræo שלה, id est, *saluus*: quomodo Græcos suum σῶος, σόος, & σώζω putant habere ab ישע, id est, *saluus*, vnde & nomen *Iehoschua* seu *Iesu*. A *salus* est *saluto*, & *salutaris*: quomodo *index* dicebatur, siue quia eo digito protenso *salutare* veteres soleant: siue quia *silentium* eo indiceretur, res maximè *salutaris*; vnde & Harpocratem & Angeronam singebant labellum indice comprimentem. Vtramque nominis caussam adfert Gyraldus, Dialogismo II. A *salus* quoque est *saluber*, & *saluus*, vnde *saluere*, quod est *saluum esse*. *Saluere*, autem iubebant, non tantùm accedentes vel abeuntes: sed etiam in sternutationibus. Petronius Arbiter: *Gyton collectione spiritus plenus, continuò ita sternutauit, vt grabatum concuteret. ad quem motum Encolpus conuersus, saluere Gytona iubet*. Plinius, lib. XXVIII. cap II. *Sternutamentis salutamur*. Et Appuleius. lib. IX. cùm dixisset, *crebras ei sternutationes commouebat*, subiicit mox, *quod cùm putaret ab ea profectum, solito sermone salutem ei fuerat imprecatus*. *Salue* atque *vale* iis dicebant, quos non putarent se deinceps visuros. Eóque mortuos sic affari solent. Virgil XI. Æn.

——*Salue æternum mihi maxime Palla,*
Æternúmque vale.

Primus autem Cleon in Epistolis χαίρειν scripsit: primus id sustulit Plato qui prætulit εὖ πράττειν.

Sambvca à σαμβύκη, *instrumentum musicum*, pro quo & ζαμβύκη apud Hesychium & B. Chrysostomum legere est. In MSS[ti] Paulli Epitomatoris codd. plerisque pro *sambuca* perperam est *sambina*, vel *sambila*. Σαμβύκη vocatur non quia inuentor dictus sit *Sambyx*, vt ait Ruellius, lib I. de natura stirpium, cap. XX. (nam quis veterum meminit *sambyces* huius?) sed à Syriaco סבכא, *sabbeca*, vt monuere Angeli duo Politianus, cap. XIV. Miscell. & Caninius, in Hellenismi Alphabeto. Vocem סבכא legas apud Danielem III. v. Græci Latinique interiecerunt *M*, quod & in aliis Hebræorum Syrorúmque factitasse vocabulis ostendimus voce *Simpulum*. est autem *sambuca* instrumentum id, quod vulgò ob aliquam formæ similitudinem vocamus *harpam*, quasi ἅρπην, quod propriè notat *ensem falcatum*. Vtitur hoc pacto *sambuca* vocabulo Persius, sat V.

Sambucam citiùs caloni aptaueris alto.

Nisi malis intelligere *genere machinæ poliorcetica*, quod maioris est ponderis, quàm vt vnus baiulare possit. Vtramque interpretationem adducit & Casaubonus, sic tamen vt priorem magis approbet. Vsus & Scipio Africanus orat. contra legem iudiciariam Cornelij Gracchi, apud Macrobium, in Saturnal. *Docentur*, inquit, *præstigias inhonestas cum cinædulis, & sambucâ psalterióque eunt in ludum histrionum, discunt cantare, quæ maiores nostri probro duci voluerunt*. Meminit & Vitruuius, lib. VI. cap. I. *Vti organi, quam σαμβύκην Græci dicunt*. Vbi Philander dicit esse *musicum organum triquetrum, imparibus longitudine fidibus & tonis*. A *sambuca* est *sambucina* & *sambucistria*: illo vsus Plautus, Stich. act. II. sc. III. hoc verò Liuius, lib. XXIX. De *sambuca*, quà organum est poliorceticon, Athenæum vide, lib. XIV. & imprimis Lipsium πολιορκητ. lib. I. dialog VI. Nos contenti erimus adducere nominis caussam: de qua sic Festus: *Sambuca, organi dicitur genus, à quo sambucistria quoque dicuntur, per similitudinem etiam machinam appellarunt, quâ vrbes expugnant. nam vt in organo chorda, sic in machina funes intenduntur*.

Samnites *gladiatorum genus*, cui hoc nomen, non quia natione essent *Samnites*, sed quia armatura eorum talis esset, qualis *Samnitum*. Liuius: *Campani ab superbia & odio Samnitium, gladiatores, quod spectaculum inter epulas erat, eo ornatu armarunt, Samnitiúmque nomine appellarunt*. Vide de iis in Saturnalibus Lipsium, quem non exscribam.

Sampsvchvs herba, quæ aliter *amaracus*, vt Isidorus ait, lib. XVII. cap. IX. Imò & Dioscorides auctor est, σάμψυχον à Cyzicenis & Siculis *amaracum* vocari. Videtur nomen esse ex eo, quia σώζει ψυχήν, *sanat animam*, hoc est, odore suo refocillet. Hinc *sampsuchinum oleum* Plin. lib. XXI. cap. XXII.

Sancio à *sanctus*, vel à *sanguine*, quo quid *sancitur*. Seruius in XII. Æn. *Sancire propriè est sanctum aliquid, id est, consecratum facere, fuso sanguine hostiæ: & dictum sanctum quasi sanguine sancitum*. Sed *sanctum* quidem est à *sancio*. *Sanguis* verò per accidens solùm concurrit ad ea, quæ *sanciuntur*: vt non videatur id verbum indè factum esse. Quare magis verisimile est, *sancio* esse a *sacer*, inserto *N*: quomodo à σάος est *sanus*; à πήγω, *pango*; à θίγω, *tango*; à ῥυκάνη, *runcina*, &c.

Sanctvm sciunt omnes idem esse, quod *inuiolabile*, indéque legatos, & tribunos plebis *sanctos* dici nullâ ratione habitâ vitæ, aut morum. Cæsar, lib. III. de bello Gallico: *Legatos (quod nomen apud omnes nationes sanctum inuiolatúmque semper fuisset) retentos ab se*, &c. Itaque putat Marcianus, *sanctum* dici, quia legati Romanorum gestarent *sagmina*, hoc est, *herbam verbenacam*, quæ Græcis ἱεροβοτάνη, hoc est, *Sacra herba*. Verba Marciani sunt ad L. sanctum, ff. de Rer. Diuis. *Sanctum est, quod ab iniuria hominum defensum atque munitum est. Sanctum autem dictum est à sagminibus. Sunt autem sagmina quædam herbæ, quas legati populi Romani ferre solent, ne quis eos violaret: sicut legati Græcorum ferunt ea, quæ dicuntur cerycia*. Vbi κηρύκειον Marcianus vocat *caduceum*. Quod ad morem illum Romanorum attinet, describit eum his verbis Liuius, lib. I. *Fecialis regem Tullum ita rogauit, Iubesne me, rex, cum patre patrato populi Albani fœdus ferire? iubente rege, Sagmina, inquit, te, rex, posco, rex ait, Puram tollito. Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit. Postea regem ita rogauit: Rex, facisne me tu regium nuncium populi Romani Quiritium? vasa comitésque meos? Rex respondit, Quod sine fraude mea populique Romani Quiritium fiat, facio*. Hæc Liuius. Existimo tamen non tam dici *sanctus* à *sagmine*, quàm *sagmen* à *sancto*: quod & sensit Festus. Quin & Isidorus, lib. XV. Originum, cap. IV. neglectâ hac etymologiâ, adducit alias duas. Vna est, vt *sanctum* dicatur *à sanguine hostiæ*, *quia* (vt verbis eius vtar) *nihil sanctum apud veteres dicebatur, nisi quod hostiæ sanguine esset consecratum, aut conspersum*. Hausit autem hanc sententiam à Seruio, cuius hæc verba in XII. Æneid. *Sancire propriè est sanctum aliquid, id est, consecratum facere sanguine hostiæ, & dictum sanctum, quasi sanguine consecratum*. Altera Isidori originatio est, vt *sanctum* dicatur, quasi *sancitum*, à *sancire*, quod est confirmare, & irrogatione pœnæ ab iniuria defendere. Sic *leges* propriè dicentur *sanctæ* & *μετωνυμικῶς mores sancti*, quia diuinis humanísque legibus adamussim conueniunt. Hanc ἐτυμολογίαν apud Festum quoque legere est. Et sanè plerique omnes antiqui, quibus & nos subscribimus, eam, vt simpliciorem, veriorémque sunt amplexi. Propertius lib. IV. eleg. X.

Hunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic sanctum Tatia composuere Cures.

Aggenus Vrbicus, lib. I. Commentariorum ad Frontinum: *Nam sanctum est plerumque vt incorruptum, & à sanciendo sanctum dicitur*. Vlpianus etiam (vt hunc Marciano potissimum opponamus) scribit in hunc modum, l. IX. § propriè. D. de Rerum Diuis. *Propriè dicimus sancta, quæ neque sacra, neque profana sunt, sed sanctione quadam confirmata: vt leges sanctæ sunt. Sanctione enim quadam sunt subnixæ. Quod enim sanctione quadam subnixum est, id sanctum est, etsi Deo non sit consecratum*. Idem cognoscere est ex voce *sacrosancti*, de qua & ipsa pauca dicam. *Sacrosanctus* quis fiebat, tum religione, tum lege. Religione quidem, quia certis ad hoc cerimoniis opus erat. Lege autem, quia hac sanciebatur, vt *sacer* esset, qui sacrum violâsset, siue nocuisset, cui hac lege non liceret. Hinc Liuius, lib III. cùm scripsisset, pulsis magistratu Decemuiris restitutum esse tribunatum, subiungit: *Et cùm plebem, hinc prouocatione, hinc tribunitio auxilio, satis firmâssent, ipsis quoque tribunis, vt sacrosancti viderentur*

tur (cuius rei prope iam memoria aboleuerat) relatis quibusdam ex magno interuallo cerimoniis renouarunt: & cùm religione inuiolatos eos, tum lege etiam fecerunt sanciendo, vt qui tribunis plebis, ædilibus, iudicibus, decemuiris nocuisset, eius caput Ioui sacrum esset: familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberaque venum iret. Addit continuò: Hoc iure legis interpretes negant quemquam sacrosanctum esse, sed eum, qui eorum cuiquam nocuerit, sacrum sanciri. Hinc liquet, sacrosanctum dici, quia sancitum esset, vt sacer haberetur, qui violasset, quod sancitum erat. Sanciebatur autem vel à solâ plebe, vel patriciis & plebe simul. Cicero, pro Cornelio Balbo: Primum enim, sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus plebsue sanxisset. Nec sanciebatur nisi intercedente iuramento, quemadmodum Festus docet in sacrosanctum. Erat autem iusiurandum tale, legem se perpetuò obseruaturos, addebatúrque exsecratio, vt qui legi parerent, ita deos superos inferósque propitios haberent: qui non parerent, infestos: quemadmodum Dionysius Halicarnassensis scribit, lib. VI. Quomodo differant sacrum, sanctum, & religiosum, docebit Aldus Manutius de quæsitis per epistolam.

SANDALIVM, σανδάλιον, γυναικεῖον ὑπόδημα, vt ait Hesychius. Menandrum & omnes prope Comicos, alios item scriptores eo vti, docet Pollux, lib. VII. cap. XXII. Nec tamen mulierum semper est: sed etiam virorum: vti liquet ex Act. XII. 8. vbi angelus præcipit Petro ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου. Syris dicitur סנדל, sandal: vt Guido testatur. Sed puto non Græcos à Syris, sed Syros à Græcis accepisse hanc vocem: vti alia multa. A sandalis Romæ dictus vicus sandaliaris: qui & Sandaliarium dicebatur. Mentio eius in vett. inscriptionibus, & apud Agellium, lib XVIII. cap. IV. & Galenum, lib. περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων. Indéque Apollo Sandaliarius, quod eius templum esset in hoc vico. Ab Augusto exstructum, docet Tranquillus in eius vita. Ac Victor quoque in IV. vrbis regione ponit. Vide I. Meursium Atticarum lectionum lib. III. cap. XXVI.

SANDAPILA est, quam Horatius vilem arcam, Martialis Orcinianam spondam appellat: nempe loculus in quo plebeiorum atque damnatorum cadauera portabantur, vt Fulgentius de de prisco serm. interpretatur. Etiam Gloss. vett. Sandapila, νεκροφορεῖον. Vsus Iuuenalis, sat. VIII.

Inter carnifices & fabros sandapilarum.

Hinc sandapilones, & sandapilarij, iidem ac vespillones. Gloss. Phil. Sandapilo, νεκροθάπτης. Sandapilam à sanna, hoc est, derisione, ineptè deducit Catholicon. Papias dicit esse à sandalio, significante pannum, quo corpora mortuorum operiebantur. Sed sandalium esse calceamenti genus omnes sciunt. Verum etymon est, sandapila esse ex sandapilia, hoc ex σανιδοπύλιον quasi dicas, σανίδα τοῦ πυλοῦ, hoc est, asserem siue tabulam loculi vel arcæ. Erat enim sandapila loculus ligneus, siue arca ex tabulis & asseribus compacta.

SANDARACA, vel sandaracha, σανδαράκη vel σανδαράχη, à σάνδυξ siue sandyx. Sunt enim vicini colores, imò, ex multorum sententia, omnino idem. Festus: Sandaracam ait Verrius esse genus coloris, quod Græci sandycem appellant. Vide de eo Philandrum ad Vitruuij lib. VII. cap. XII. Hinc sandaracinus. Næuius apud Festum: Merula sandaracino ore. Vbi sandaracinus est luteus. Hunc enim colorem habet os merulæ. Nempe sandaraca quidem rubet ipsa, sed luteo colore tingit.

SANDYX à Græcis acceptum, quibus itidem vocatur σάνδυξ. Plantam esse Seruius tradit, item Hesychius: Σάνδυξ δένδρον θαμνῶδες, οὗ τὸ ἄνθος χροιὰν ἔχει κόκκῳ ἐμφερῆ, ὡς Σωσίβιος. Alij censent esse cerussam vstam. Plinius, lib. XXXV. cap. VI. Hæc (cerussa) si torreatur æquâ parte, rubricâ admistâ, sandycem facit. Quamquam animaduerto, Virgilium existimasse, herbam id esse illo versu:

Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.

Sed ex eo versu non consequitur id quod Plinius, atque etiam Seruius putauit. Nam sententia Maronis est, fore, vt oues pascentes sponte sandycini coloris fiant. Et sanè Hesychius etiam deceptus videtur, cum eius nominis arborem esse credidit. Conficiendi sandycis rationem etiam Georgius Agricola docet, lib. IX. de nat. foss. cap. XIX. Videtur autem esse σάνδυξ à שני, quo signatur dibaphum coccineum. Sanè σάνδυξ, χρῶμα κόκκινον, vt ex Suida & Photio constat. Ac apud Vopiscum in Aureliano legas: Dicitur sandix Indica talem purpuram facere si curetur. Itaque & ab Hebræo istoc sanguis dici videtur, qui purpureus à poetis vocatur. Sed de hoc suo loco.

SANGVIS, iuxta Isidorum, lib. IV. cap. V. ita vocatur, quòd sit suauis: indéque esse, quòd suaues iucundique sint, quibus sanguis dominatur. Iuxta alios ita dicitur, quòd sanctus sit, vt qui in sacrificiis effundi soleat ad populum expiandum. Alij eiusdem esse originis censent ac sacer, & sanctus. Iulius Scaliger, Exercitat. CCCXXV. sect. XIII. Sanguis, Latinorum, & Auruncorum, prisca vox, quibus elementis alio flexu vtebantur ad ea designanda, quæ ad religionem pertinerent. Sic sagmina, sanctum, sacrum. Potiùs videtur esse à σῶος, saluus, incolumis, vel σώζω, saluum, & incolumem præstare. Nam in sanguine sunt spiritus vitales; vnde, eo etiam effluente, vita perit. Hinc Maro, in X.

Vnà eadémque viâ sanguísque animúsque sequuntur.

Notus & locus Genes. cap. IX. vbi prohibetur, nequis vescatur pecudis animâ, sanguine eius, q. d. sanguine quo animatur. Quare sanguis hominem σώζει, indéque nomen, N inserto, vt ab eodem σῶος Latini fecere sanus. Vel est sanguis à שני, hoc est, coccinum, vel purpureum. Qui sanguinis color. Vnde Poëta:

Purpuream vomit ille animam. ———

Sanguis per M in recto scribi; at in obliquis esse N, ait ex Prisciano Cassiodorus, lib. de Orthograph. cap. XII. Sanguisuga, vt Plinius ait, lib. VIII. cap. X. vulgò appellari cœpit hirudo, quòd sanguinem sugat. Glossæ Philoxeni: Sanguisuga, βδέλλα, λιμναία, id est, hirudo palustris. Plautus, Epid. Act. II. Sc. II.

——— Iam ego me conuortam in hirudinem,
Atque eorum exsugebo sanguinem.

Iulius Scaliger similiter muscam dixit sanguisorbam. Erat inter arbores infelices sanguineus frutex: teste Plinio, lib. XVIII. cap. XVIII. qui P. Crescentio inque Longobardicis legibus sanguinus dicitur. Est autem is frutex, nisi arborem dicere malis, cornus femina: cuius cortex sanguinei est coloris. Sanguinus igitur dicebatur ab antiquo sanguen. Meminit & Tarquinius, vel potiùs Tarquitius, apud Macrobium, lib. II. Sat. cap. XVI. Hinc virga sanguinea Plinio, lib. XXIV. cap. X. & alibi, item Modestino lib. penult. D. ad legem Pomp. de parricid.

SANIES Perotto placet dici κατ' ἀντίφρασιν, quia est sanguis non sanus. Sed ἀντιφράσεις sæpe explosimus. Melius Isidorus, lib. IV. cap. VIII. Sanies, inquit, dicta, quòd ex sanguine nascitur. Vel cum Martinio deriua à שנה, hoc est, mutari, variari. Est enim sanguis mutatus, quippe tenuior factus, & atrum colorem habens permixtum. Vnde Celsus, lib. V. cap. XXV. Ex vulneribus vlceribúsque exit sanguis, sanies, pus. Sanguis omnibus notus est. Sanies est tenuior hoc, variè crassa, & glutinosa, & colorata. Pus crassissimum, albissimúmque, glutinosius & sanguine & sanie. Plura ibidem vide.

SANNA irrisionis genus, quod Hieronymus ait fieri ab occipitio, ore distorto, & anteriorum dentium ostentatione. Hoc si est, deducere licebit à שן, dens. Sed Perottus censet esse risum solutum: atque ita dici à narium sonitu. Alij originem arcessunt à Græco σάννας, quo Cratinus vsus pro stulto, vt testatur Eustathius ad Odyss. Ε. pag. CIↃIↃCCLII. vbi & monet σάννας esse à Sannis populis, quos ipsius ætas vocabat Τζάνους, eâ putà ratione, quâ Opicum dicimus pro rupicone & agresti; Vmbrum, pro pingui; Marrucinum, pro stulto. Idem tamen alterum quoque etymon adducit ad Odyss. Ψ. pag. CIↃIↃCCXCII. vt nempe sit a σαίνω, quod est quatio. vnde σαίνουσ' οὐρὰν caudam quatiens canum instar. Sed imprimis placet coniectura doctissimi Isaaci Casauboni, qui ad primam Persij Satyram vult esse à שנן, id est, acuere, vnde שן, dens, & שנינה, aculeata oratio. Propriè igitur sanna sit oratio cum mordacitate aliquem ridens. Sed speciatim ei accommodatur irrisioni, quæ fit ore distorto, vnde sannio, Nonio teste, & verbum sannare & subsannare. Vetus interpres Persij in sat. I. Sanna dicitur os distortum cum vultu, quod facimus, cùm alios deridemus. Inde sanniones dicti, qui non rectum vultum habeant. Glossæ Philoxeni: Sanna, subsannator, μῶκος. Sannator, μωκητής. Ab eadem origine est sannio. Cic. lib. IX. ep. XVI. Salis enim satis est, sannionum parum. Et lib. II. de Oratore: Atque hoc etiam animaduertendum, non esse omnia ridicula, faceta. Quid enim potest esse tam ridiculum, quàm sannio est? Sed ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique corpore ridetur ipso, salsum hunc possum dicere, atque ita, non vt eiusmodi oratorem esse velim, sed vt mimum. Quod Latinis sanna, id Græcis μῶκος, vt ostendunt verba è Glossis ante adducta. Ac censet Cl. Salmasius veteres Latinos ex eo fecisse mocosus, hoc est, μωκός. Nam apud Cicer. legendum putat, lib. I. epist. ad Att. Consul autem ipse paruo animo & prauo, tantum cauillator, genere illo mocoso, quod etiam sine dicacitate ridetur, facie magis, quàm facetiis ridiculus. Vbi vulgo moroso. Et apud Quinctilianum, lib. XI. cap. III. sub finem: Quare non immeritò reprehenditur pronunciatio vultuosa & gesticulationibus molesta, & vocis mu-

tationibus

tationibus resultans, nec inutiliter ex Græcis veteres transtulerunt, quod ab his sumtum Lenæus Pompeius putat, vt & hanc admenam mocosam. Vbi in vulgatis *motosam* aliqui item *rocosam*.

SANQVALIS, seu *sanqualis*, auis Liuio memorata lib. XLI. aliquibus videtur *pullus ossifraga*: Massurius autem ipsam esse *ossifragam* arbitrabatur. Auctor vtriusque est Plinius, lib. X. cap. VII. Massurio assentit Onomasticon in quo est *Sanqualis*, φήνη. Nam φήνη est *ossifraga*. Idem docet Festus, qui & *Sangus* docet, his verbis: *Sanqualis auis appellatur, quæ in commentariis auguralibus ossifraga dicitur, quia in Sangi Dei tutela est.* Nomen ergo à Deo *Sango*, siue *Sanco*, siue *Sancto*, qui & *Fidius*, & *Semipater* vocabatur: vt Ouidius testatur in VI. Fast. Meminere numinis eius etiam Cato in Orig. Dionysius Hal. lib. IV. Sillius lib. VIII. Festus in *Propter viam*. Lactantius, lib. I. cap. V. & Augustinus, lib. VIII. de Ciu. Dei, cap. IX.

SANVS ex σάος, insertâ liquidâ Σάνος, & σῶος *sanus*, *integer*, pro quo contractè σῶς, vnde σώω, & σώζω. Σάος, & σῶος forte à שוע, *saluus fuit*; vel שעה, *se seruauit*. A *sanus* cur *sane* dixerint pro *certè*, obscurius est. Priscianus, lib. XV. *Sciendum, quod quædam aduerbia non plene seruant significationem, quæ in nominibus est, à quibus deriuantur: vt ferus fere, sanus sane, sensus sensim. Ideo autem diximus non plenè, quia potest esse aliqua ratio. Vt sanus pro validus accipitur, ergo & sane pro valde.* Vera nobis ratio videtur, quia *sanè* dicitur, quod *sana mente* dicitur, a cuiusmodi dictis malus dolus abest. Vnde *sanè*, id est, verè, certóque. *Sanates*, qui cùm defecissent à Romanis, paullo post rediere in amicitiam quasi *sanata mente*. Vnde in legibus XII. Tabb. *Idem ius esto Sanatibus, quod fortibus.* Vbi *fortes*, qui nunquam defecere. Vide Festi epitomen, & ibi Scaligerum. A *sanus* quoque est *insanus* pro *supra modum magno*, quia insani in omnibus modum excedere solent. Varro, lib. VI. de L. L. *Plautus vehementer cum vellet dicere, dixit Insane: quòd insani faciunt omnia vehementer.* Festus. *Insanum pro valde magnum vsus est Plautus*. Plautus, Bacch. IV. V.

Insanum magnum molior negotium.

Vbi *insanum* ponitur pro *insanè*, hoc est, vehementer, valde. Quod Græci dicunt μανικῶς ὡς μέγα vt ad Athenæi lib. XIII. cap. V. obseruat Casaubonus.

SAPA, *plantarum succus* Palladio vocatur, quia *sapit*, hoc est, *sapida* est. Eadémque nominis caussa cùm sumitur pro *musto decocto, donec tertia pars superfit*, vt Plinius describit, lib. XXIII. cap. II. Gloss. Phil. *Sapa*, ἕψημα. Vel *sapa* sit ab ὀπὸς, quomodo Græcis vocatur *humor ex arboribus vere auctumnoque quasi exudans*. Spiritus sæpe abit in S. Vt ab ἑ, *si*, ab ἕρω, vel ἔρω, *sero*, ab ἔρος siue Æolico ἔρος, *sermus*. *Sapa* & *saper* eiusdem sint originis, vt *lympha* & *lymfor*, quo vsus Lucillius. Sed *sapor* ab Æolico ὄπος pro ὀπός.

SAPERDA, *piscis*. Græcè itidem σαπέρδης dicitur. Alio nomine vocatur κορακῖνος Hesychius: Σαπέρδης, ὄνομα ἰχθύος. οἱ δὲ ἀρίστου εἴδος, ἄλλοι τῶν Ποντικῶν τῶν κορακίνων ἰχθύν. Etymologus: ὁ τῶν κορακίνων ἰχθύς, σαπέρδης οἱ Ποντικοί φασι. Sed assentio doctissimo Casaubono, qui animaduers. in lib. VII. Athen. cap. XVII. vtrobique pro κορακίνων legit κορακίνον, quomodo piscis is vocatus à *coruino* siue *nigro colore*: vnde Oppianus ἁλιευτ. α. vers. CXXXIII.

——— καὶ κορακῖνοι ἐπώνυμοι αἴθοπι χροιῇ·

Cognominem nigro colori. Athenæus tamen diuersum facit κορακῖνον à *saperda*. Sic enim scribit lib. VII. πλατίστακος ὁ καλούμενος σαπέρδης, κορακῖνος ἕτερος. Est verò *saperda* vox Pontica, quod Hesychij & Etymologi loca indicant, ac Persij illo confirmatur, sat. V.

———*En, saperdam aduehe Ponto.*

Habet & alteram ea vox significationem apud Latinos. Festus: *Saperda genus pessimi piscis: sapientem etiam significat, cùm ait Varro: Belli festiui, saperdæ cum simus omnes.* Nonius: *saperdas, quasi sapientes & elegantes. Varro Modio: Omnes videmur nobis esse belli, festiui, saperdæ, cum simus σαπροί.* Non tamen vsitatè, sic accipi solet. sed etiam significationem, vti censet, nouè finxit Varro, ad *sapiendi* verbum venustè alludens. Sed σαπροὶ extremo loco minùs conuenit: eóque Hadr. Iunius legit σαπροὶ, quod est *putidi* ac *marcidi*, ac κατὰ μεταφορὰν *nugaces*: quomodo ea vox exponitur in Philoxeni Glossis. Versus ipsos sic idem in numeros restituit:

Omnes videmur nobis esse belluli,
Et festiui saperdæ, cùm simus sapri.

Vt παρονομασία sit in *saperda* & *sapri*. Iustus Lipsius legebat, *Festiui saperdæ, cum simus copreæ*. Veteres *scurras* appellabant *copreas*: vt ex Tranquillo Dione, Lactantio & Isidoro ostendimus separatim.

SAPERE quorundam iudicio, primò dicitur de *rebus boni malive saporis*: indè ad *animum* transfertur. Hoc si est, fortasse *sapor* sit ab Æolico & Laconico ὄπος pro ὀπὸς, id est, *succus*. Nam *sapor* est in succo & humore: eóque pro succi bonitate aut prauitate, res bene vel malè dicitur sapere. Spiritum abire saepius in S non semel dictum. Sed aliis placet, *sapere*, primò de animo dici: eóque fieri ab antiquo, *sapus*, quod à σοφὸς, conuersâ adspiratâ φ in tenuem: quomodo à κάρφω, est *carpo*; à κεφαλὴ, *caput*; ab ἀφρὸς, *apua*, &c. Dicere etiam liceat *sapere* pro diuersa significatione diuersæ esse originis: de *gustu* esse ab ὀπὸς, de *animo* esse a σοφὸς. Σοφὸς verò monet Bibliander esse ab אשף. Nam *Ascaphim*, Dan. II. inter Chaldæorum doctissimorum ordines ac gradus numerantur. A *sapio* est *sapiens*, vt *prudens* quasi *prouidens* a *prouideo*. A *sapiens* verò *sapientia*, quâ voce etiam pro *sapore* vsus Symposius, poëta vetus in ænigmate hoc de perna:

Vna mihi soror est, plures licet esse putentur
De fumo facies, sapientia de mare nata est.

Vbi mauult Pithœus:

De fumo facies mihi, de mare gustus inde fit.

Quod, ni codicis alicuius veteris auctoritate subnixum sit, probare neutiquam possim, cùm nimiùm quantum discedat à vulgata. *Saperdam* quoque pro *sapiente* nouè dixit Varro. Sed hac de voce seorsum. *Consipere* pro *simul sapere* legas apud Gellium, lib. VII. cap. III. *Veretur sese, ne patres non satis consiperent.*

SAPINVS, ac *sappinus* etsi Gallis Italisque pro arbore tota sumatur (nam illis *abies* dicitur *du sapin*, hi tabulas abiegnas *sapineas* vocant:) veteribus tamen Romanis pars ima abietis sic dicebatur: si rectè vulgo apud Plinium legitur lib. XVI. cap. XXXIX. *Abietis quæ pars à terra fuit, enodis est: hæc quâ diximus ratione fluuiata, decorticatur, atque ita sapinus vocatur.* Sed videtur *sapinea* legendum. Nec enim dubium, quin Plinius secutus sit hoc Vitruuij, lib. II. cap. IX. *Ima autem cum excisa quadrifluuiis disparatur, eiecto torulo ex eadem arbore ad intestina opera comparatur, & sapinea vocatur.* Caussam nominis inuestigare conatus Bernardinus Baldus Vitruuius, lib. de verborum Vitruuianorum significationibus. Censet Abbas ille doctissimus, *sappineum* dici quod pars hæc abietis similis sit ligno eius arboris quæ *sapinum* siue, vt habent vett. codd. *sappinum* vocatur, ac inter piceas refertur. De hac ita Plinius, lib. XVI. cap. XII. *Inter hæc genera proprium quidam fecere sappinum, quoniam ex cognitione earum seritur, qualis dicta est in nucleis.* Vbi respicit locum, quo de nucum pinearum generibus agens, lib. XXXV. cap. X. ait, *Tertium sapinorum, à picea satiua nucleorum, cute verius quàm putamine.* Easque nuces etiam Columella intellexit, lib. XII. cap. V. *Alij nucibus sapineis ardentibus idem efficiunt.* Quæ, quod ad locum Plinij, satis firmant sententiam Bernardini Baldi: & refellunt illam doctissimi Turnebi, qui lib. IV. Aduers. cap. XVI. pro *sapino* apud Plinium *sapinum* legere iubet. Nam abietis pars *sapinea*. At arbor, vnde id nomen, *sapinum* vel *sapinus*. De etymo assentio Nicolao Fullero, qui lib. IV. Miscell. sacrorum cap. X. ait arborem inde *sapinum* vocari, quia apta sit fabricandis *nauigiis*, quæ ספינה vocantur ab Hebræis, Syris, & Arabibus. Sanè firmat Seruius, cùm in II. Æneid. *Est abietis species apta nauibus, quam sapinum vulgo vocant.* Etiam Glossæ veteres pro arbore habuere: vt in quibus legas, *Sappinus*, πεῦκη, *sapinus*, πίτυς. *Sappinus* igitur sit, quæ Latinis *picea*, *sapinus* autem, sit iisdem *pinus*. Non tamen quæ nis *picea* dicatur *sappinus* sed solum *satiua*, vt ostendunt Plinij verba, quæ adduximus ex lib. XXXV. cap. X. Nec *sapinus* simpliciter sit *pinus*, sed *species pinus*. Imò ne illud quidem *sappinus* & *sapinus* discrimen verum puto: sed Glossographus exscripserit hæc ex diuersis Lexicis: quorum in vno *sappinus*, in altero *sapinus* scriberetur: in vno πεύκη, in altero πίτυς verteretur. Notum enim, vt ea arborum nomina sæpe confundantur. Ergo *sapinum* vel *sappinum*, & *sapinus* vel *sappinus* eadem sint arbor ex picearum genere. Inde *sapineæ nuces*: & pars etiam abietis *sapinea*, quia *sappino* seu *sappino* similis.

SAPO à Gallis acceptum quorum olim lingua eadem ac Germanica. Sanè Germanis dicitur *sepe*, vel *seiffe*, Belgis *zeepe*. Rem autem a Gallis Germanisque esse docet his verbis Plin. lib. XXVIII. cap. XII. *Prodest & sapo. Gallorum hoc inuentum, rutilandis capillis ex seuo & cinere. Optimus fagino & caprino, duobus modis, spissus ac liquidus, vterque apud Germanos maiore in vsu viris quàm feminis.*

SAPHIRVS, σάπφειρος, appellatio est ab Oriente. Nam similiter Hebræis dicitur ספיר, Exodi XXVIII. XVIII. & XXIV. X. Videtur nomen esse à loco: qui forte fuerit Σαπφεὶρ vel Σαπφείρ. Sed Stephanus vocat Σαπφειρίνη perperam, vt videtur. Sic enim scribit: Σαπφειρίνη, νῆσος ἐν τῷ Ἀραβίῳ κόλπῳ, ἐν ᾗ γίνεται ὁ Σάπφειρος λίθος. Nisi forte insula σαπφειρίνη à *sapphiro* quæ inde aduehebatur.

SARABARA legimus apud Tertullianum de pall. cap. IV. Vbi doctissimus socer meus Franciscus Iunius monet esse *vestem Medicam*,

Medicam seu Babylonicam ad genua pertingentem. pro eo quod Chaldæis est סרבל. Dan. III. & alibi, quasi dicas, *quo viri principes vestiuntur, paludamentum*. Hesychius Σαράβαρα, τὰ ἀπὸ τῆς κνημῖδας ἐνδύματα. Antiphanes ea voce in Scythis vsus, vt docebit Pollux. B. Hieronymus ad Danielis cap. III. docet Aquilam & Theodotionem vertisse *saraballa*, proque eo corrupte legi *sarabara*. Sed R & L facile commutantur. *Sarabara* est & apud Isidorum, lib. XIX. cap XXIII.

SARCINA, φορτίον ὁδοιπορικόν, vt Glossæ Phil. exponunt. Cornelius Fronto: *Onus vehiculorum, & navis est, sarcina hominum*. Dicitur *sarcina* à *sarciendo*. A *sarcina* est *sarcino*, vnde *sarcinator*, & *sarcinatrix*. Lucillius apud Nonium: *Sarcinatorem esse summum suere centonem optime*. Et Varro ὄνῳ λύρας. *Homines rusticos in vindemia incondita cantare, sarcinatrices in machinis*. Apud Frontonem legas: *Sartrix, quæ sarcit: sarcinatrix, quæ sarcinas seruat*. Sed vt *sarcinator* dicitur, qui sarcit, vel *sarcinas* custodit (posteriorem notionem & Papias agnoscit;) ita *sarcinatrix* est tum quæ sarcit, tum quæ *sarcinas* custodit. Ac priorem acceptionem firmant Glossæ Philox. vbi est: *Sarcinatrix*, ἠπήτρια.

SARCIO videri possit conflatum ex σάω, *integrum præsto*; & ῥάκος, quomodo vocatur *lacera vestis*. Sed videtur primò notare ἀρτίως *integrum reddo*, vel *reficio*: postea συντεθειμένως ad vestes restrictum. Festus: *Sarte in auguralibus pro integro ponitur, sane sarteque audire videreque. Ob quam caussam opera publica, quæ locantur, vt integra præstentur, sarta tecta vocantur, etenim sarcire est integrum facere*. Onomasticon: *Sarcio*, ἐπισκευάζω. Itaque videri possit potis venire à Chald. זרז, *parare*. A *sarcio* sunt *sartor*, *sarcina*. De vtroque seorsim. Item compositum *exsercio*, siue *exercio*. Festus: *Exercirent, sarcirent*.

SARCOPHAGVS dicebatur *lapis, quo corpus humanum condebatur*, ac plurimùm erat lapis Assius. Ac *Assius* quidem vocabatur, quia effodiebatur in *Assia* regione Troadis vel Mysiæ: nempe circa Assum ciuitatem. Hermolaus Barbarus distinguit inter lapidem *Assium* & *Asium*: sed fallitur. Nam vbi *Asius* lapis legitur simplici S, librarij error credi debet. Stephanus: Ἀλέξανδρος δ' ὁ Κορνήλιος ἐν τῷ περὶ τῶν παρ' Ἀλκμᾶνι τοπικῶς εἰρημένων, Μυσολύδιον ἄστεος ἐν τῇ Μυσίᾳ φησὶν Ἄσσον, ὅπου ὁ σαρκοφάγος γίγνεται λίθος. Ergo σαρκοφάγοι συνθ ex lapide Assio, cuius vi citò corpus ad ossa redigitur, vt scribunt Seneca, Dioscorides, Celsus, & Galenus. Estque hæc caussa, cur dicatur *sarcophagus*, à σάρξ, hoc est, *caro*, & φαγεῖν, quod est, *comedere*. Quamquam non carnem modò, sed etiam ossa ipsa intra quadragesimum absumit diem, exceptis dentibus, vt docet Plinius, lib. XXXVI. cap. XVII. Vtitur *sarcophagi* voce Iuuenal. sat. X. & Macer. l. XXXVII. D. de relig. & sumt. funer. item Modestinus, ad l. libertis. D. de aliment. & cibar. legatis. Quamquam autem *sarcophagi* primo ex *Assio lapide*, postea tamen *sarcophagi* dicti *omnes mortuorum loculi*, etsi ex alia essent materie. *Sarcophagi* vocabulo planè geminum fuerit *Cerberus*, si vulgatum etymon spectes. Nam etsi poëtæ tricipitem inferorum canem sic dici fabulantur: mythologici tamen *terram* esse volunt, ac dici κέρβερον quasi κρεοβόρον, id est, *carniuorum*, à κρέας, id est, *caro*, & βορός, *vorax*, quia terra corpora omnia sibi credita voret ac consumat.

SARCVLVM, vnde apud Columellam *sarculare* & *sarculatio*, instrumentum est quo sarritur. Varrone & Isidoro testibus, ex quibus patet τὸ ἐτυμολογικὸν dici quasi *sarriculum*, vt *sartor* quasi *sarritor*. Etsi Nunnesius putarit, *sarculum* κατὰ μετάθεσιν fieri ex σκαλίδιον. Plautus, Captiuis, sarritionem coniungit cum occatione. Nam cùm dixisset Hegio:

Sator sartórque scelerum, messor maxime:

Subdit Tyndarus:

Non occatorem dicere audebas priùs.

Nam semper occant priùs quàm sariunt rustici.

Nempe dum semen est, occant; dum seges, sarriunt. Occare enim est grandes terræ glebas contundere, vt puluere semina iacta cooperiantur. Sarrire verò, vt è Varrone & Columella constat, est herbas inutiles inter segetem succrescentes *sarculo* euellere. Vide *sarrio* & *sartor*.

SARDA nunc Latinum nomen est *piscis*, qui Græcis πηλαμύς, Plinio teste: nunc *lapis*, qui & Græcis Σάρδα, & ἀπιθανώτερον Σάρδιον. *Piscis* nomen ex Tyria lingua arcessit Isidorus, lib. XII. cap. VI. nam eâ piscem quendam *sar* dici, indéque & *sardas* vocari, & *sardinas*, quæ Græcè θρίσσαι. Sed verisimilius sit, sic à *Sardinia* eas vocari. *Sarda* gemma dicta ex eo quia *primum Sardibus sit reperta*, vt Plinius ait, lib. XXXVII. cap. VI. Sed potiùs *Sardis* legendum: quod Salmasio placuit. Atque ita Isidorus, lib. XVI. cap. VIII. *Sardius dicta eo, quòd primùm reperta sit à Sardis*. Et Marbodæus in dactyliotheca:

Sardius à Sardis est, a quibus ante repertus.

Non igitur à *Sardibus* sit Lydiæ vrbe, sed insula *Sardinia*, quæ Græcè Σαρδὼ, & Σαρδών: vnde *Sardi*, vt in illo,

Sardi Venales, alius alio nequior.

Item *Sarda terra*, apud Plinium. *Sarda* igitur hîc valet non Σαρδιανικὴ, sed Σαρδονία, vt dicimus Σαρδόνιος γέλως, *Sardonius risus*. Quomodo & *Sarda* Græcis σαρδόνιον. Hesychius: Σαρδὼ ἐν Πανσφάτη, ὁ Σαρδόνιος ἢ σφραγὶς ἐγένετο. A *sarda* & *onyx* est *sardonyx*, σαρδόνυξ, non σαρδώνυξ, vt quidam scribunt. Auctor Isidorus, lib XVI. cap VIII & eo potior Plinius: cuius hæc verba, lib. XXXVII. cap. VI. *Sardonyches olim, vt ex nomine ipso apparet, intelligebantur candore in Sarda, hoc est, velut carnibus vngue hominis imposito & vtrimque translucido*. Vbi & *Onychis* etymon respexit. Nam ὄνυξ, *vnguis*. Gemmæ igitur ex eo nomen, quia vt Plinius hîc ait, colorem habet vnguis carnibus hominis impositi. A *Sardonycho Sardonychata manus* dicuntur Martiali.

SARDOA herba, Σαρδόνια, ἢ Σαρδόνιος. ἢ Σαρδόνιος πόα, sic dicta, quòd gignatur in *Sardinia*, quæ Græcè Σαρδὼ, Σαρδὼν, & Σαρδόνη, etiam Hesychio teste. Est ea herba, vt ex Sallustio Seruius scribit, apiastri similis, quaque vescentes risus similitudine cum spasmo emoriuntur. Idem scribit Pausanias in Phocicis, Eustath. in XX. Iliadis lib. & Hesychius in Σαρδόνιος. Hinc Homero & aliis Σαρδάνιος, Σαρδόνιος & Σαρδώνιος γέλως, *risus Sardonius*, qui simulatè & cum stomacho fit. Vide Erasmum in Chiliadibus, & Guilandinum commentario de papiro, pag. LXXXVIII. & seq. vbi inter alia narrat vt cum in *Sardinia* esset, experientiâ magistrâ didicerit *Sardoam* herbam passim in eius insulæ aquis pullulare, sed nullam vim noxiam aquis impertiri.

SARGVS, σαργὸς piscis, de quo Aristoteles in historia animalium, Athenæus, Ælianus, Oppianus Plinius, alij. Fortè ab Ægyptiis id nomen, vel vicinis gentibus. Sanè, vt Festus ait, *in Ægyptio ferè mari nascitur*. Ac firmat Lucillius:

Quem præclarus helops, quem Ægypto sargus mouebit.

Non displicet, quòd Martinius etiam scripsit, vt sit à שרג, quod Arabicè signat *splendorem*. Ratio appellationis erit, quia, vt Ælianus tradit, lib. I. cap. XXIII. χαίρουσι οἱ σαργοὶ φωτὶ μὲν πᾶσιν, τῷ δὲ ἀκτῖνι τοῦ ἡλίου τῇ μάλιστα ἀσπάζονται· *cùm luce sargi delectantur, tum vero solis maximè radios sitienter expetunt*.

SARISSA est *hastæ Macedonicæ genus*, vt ait Festus. Nec dubium, quin à Macedonibus ea vox accepta sit. Suidas: Σάρισσα δόρυ ἐστὶν Μακεδονικὸν δόρυ μακρὸν παρὰ Μακεδόσι.

SARMENTA sunt superfluæ vitium virgulæ, quæ iccirco amputantur. A *serendo*, quasi *seramentum* dici, putabat Isidorus, lib. XVII. cap. V. Nec valde abit Nunnesius in Grammaticè, vbi *sarmentum* deducit à σπέρμα, *semen*. Sed omnino est à *sarpo*, id est, *puto*, *purgo*. vnde *vinea sarpta*, id est, *putata*. Festus: *Sarpta vinea, putata, id est, pura facta. Virgula enim relicta impedimento vitibus solere esse, quæ ideo amputantur. Inde etiam sarmenta scriptores dici putant. Sarpere enim antiqui pro purgare dicebant*. Idem: *Sarpuntur vineæ, id est, putantur: vt in duodecim, Quandoque sarpta, donec dempta erunt*. Verbum *sarpo* etiam legas apud Priscianum. lib. X. vbi de verbis in *Po* desinentibus tractans, iungit *carpo carpsi*, *repo repsi*, *serpo serpsi*, *sarpo sarpsi*. In Onomastico legas, *Sarpa*, ἄμπελος. Imò & apud Perottum *sarpa* exponitur *vinea putata*. Nempe error is profluxit ex corruptis codicibus Festi, vbi *sarpa* pro *sarpta* inuenerant. Venit *sarpo* ab ἅρπη, *falce vitea*. Quod ab ἅρπη, *falx vinitoria*. Hesychius, ἅρπη, δρέπανον. Et paullò pòst: Ἁρπῶσαι, ἁρπάζω, δρεπάνῳ ἀποτεμεῖν. Spiritum in S abire, multis sæpius exemplis commonstrauimus. Ab ἅρπη igitur *sarpa*, vnde *a* in *i* conuerso *sirpicula* pro falcis genere. Sic vsus Cato de R. R. atque ex eo Varro: quorum vterque in falcium genere reponit. Vel est *sirpicula* à *sirpex*, quod ab ἅρπαξ. Vide *irpices*. Sed aliud est *sirpicula* à *sirpea*, hoc est, πλέγμα. Ios. Scaliger deducit *sarpo* à σαίρω, quod est, *purgo*, *verro*. Ita *sarmenta* propriè sint quisquiliæ & similia purgamenta. Sed falli puto. A *sarmentis* Tertulliano dicti *sarmentitij* qui *sarmentis* cremabantur. Ex eo iocus in antiquo epigrammate, quod citat vetus Iuuenalis interpres ad sat. V.

Aliud scriptum habet Sarmentus, aliud populus voluerat.

Digna dignis. Sic Sarmentus habeat crassas compedes.

Rustici, ne nil agatis, aliquid Sarmentum alligate.

Epigrammate hoc poëta *scurram*, nomine *Sarmentum*, axi alligatum, sarmentisque circumdatum, cremari postulat. Vide *Tunica*.

SARRIRE, verbum rusticum. Prius enim rustici terram vertunt, hinc serunt, inde occant, hoc est, glebas comminuunt, tum sarriunt. Vnde Plautus Capt. III. v.

Prius occant, quàm sarriunt rustici.

Occatio postremum erat in agro colendo. *Sarrire* erat primum

mum post enatas fruges. Fiebant enim, cùm seges esset in herba. *Sarrire* putat Varro esse à *serare*, cuius compositum *reserare*. Nam Varro, lib. VI. de L.L. cùm citasset istoc Saturnij versus ἀρχαϊκῶς, *Nec satum sarrire*, subiicit, *obserare, aperire*. Ita enim corrigit Scaliger. In vulgatis est *aperere*, quod tuetur Turnebus in notis postumis, quia *sarrire* sit terram sarculis aperire. Sed *serare*, & *obserare*, de eo dici, qui serâ claudit, omnes sciunt. Interim Varroniana illâ etymologiâ nihil ineptius. Est enim *sarrio* à σαρῶ. Σαίρειν & σαροῦν notant *purgare, verrere, abstergere*: at qui sarrit, purgat agrum euellendo ex eo herbas noxias. Vel *sarrire* est à σκάλλειν, quod omnino idem est ac *sarrire*: nempe sarculo terram circumfodere ad euellendas herbas. Vsus hoc pacto Theophrastus de causs. plantarum, lib. III. cap. XXV. Vbi ait eos, qui segniùs in terræ cultura elaborauerint, *cogi sæpius & sarrire & runcare, cùm multa herba erumpat*. Sic optimè transtulit Gaza hæc verba: ἀναγκάζονται σκάλλειν καὶ βοτανίζειν, ὅτι πολλὴ πόα ἐμφύεται. Vide *Sarculum*.

SATAGO videtur Isidoro, lib. XX. cap. VIII. de strepitu ac stridore quem edunt ea, quæ friguntur. Alij vel simplex deriuatum putant à τήγανον, quæ Nunnesij est opinio: vel conflatum arbitrantur à σὰρξ id est, *caro*, & τήγανον, quomodo vocatur *patella, in quâ friguntur carnes*: uti φρυγεὺς & φρύγετρον est, *in quâ torrentur farra*. Auctor Pollux. Verùm latiùs *sartaginis* vocem accipit Plinius, lib. XVI. cap. II. vbi meminit resinæ terebinthinæ in *sartagine* fictæ. Vsurpant hanc vocem quoque Persius Sat. I.

——— *Quærisne, vnde hæc sartago loquendi?*

Vbi Casaubonus putat poëtam respicere ad panes in sartagine frictos, qui fiebant è variarum rerum miscela, vt è farina, adipe, melle, sesamo, aliisque. Idem autumat *sartago* esse origine Syriacum. Nam ab inusitato שרח esse משרח, vnde *sartago*.

SARTOR, nunc est à *sarrire*, quomodo Plautum Captiuis vsum diximus in *Sarculum*: nunc à *sarcire*, quod generatim sonat *integrum reddere*, vnde *sarta tecta* apud Iurisconsultos ac Ciceronem quoque. Ponitur id, Asconio teste, pro eo, quod integrè dicitur *sarta & tecta*, vel *sarta tectaque*. Nam *tecta* hîc adiectiuum est: vt indicat, quòd locatione operum publicorum, quæ lege censoriâ fiebant, addi soleat, PORTICVM SARTAM TECTAM PRODVIT. Significat autem *sarta tecta*, quod Polybius vocat ἐπισκευὰς καὶ κατασκευάς. Nec *sarta tecta tueri* aliud est, quàm procurare, vt ædes sint *sarcta tectaque*, Belgis *de huysen onderhouden*: cui contrarium *negligere sarta tecta*, *de huysen laeten vervallen*. In vett. Glossis *sarta* exponitur ἐρραμμένα, nempe quia *sarcire* fere est ῥάπτειν. Verùm hîc in propriâ latâque significatione accipitur. Cuius significationis meminit Festus in SARTE: & ex eo Charisius, lib. II. *Sarte*, inquit, *pro integrè. Sarcire enim est integrum facere. Hinc* SARTA TECTA VTI SINT, *opera publica publicè locantur. Et, vt Porphyrio ex Verrio, & Festo: In Auguralibus, inquit, libris ita est*, SANE SARTEQVE. Hæc Charisius. Alij *sactè* scribunt.

SATAN, σατανᾶς, שטן, *aduersarius*, à rad. שטן, *aduersari*. *Satana* nomen κατ' ἐξοχὴν tributum est *diabolo*: nam & aliis tribuitur in Scripturis, iis nempè qui *aduersantur diuinæ voluntati*, siue *incogitantiâ*, vt Petrus Matt. XVI. XXIII. siue *malitiâ*, vt Iudas Ioh. VI. LXX.

SATELLES non à *satagendo*, vt Perottus putabat: sed à Syriaco טלר, id est *latus*, quia *latus stipat*: vt idem sit ac antiquâ linguâ erat *latro*: quem Varro similiter sic dici credidit, quia *latus cingeret*. Seruius in XII. Æn. *Varro dicit hoc nomen posse habere etiam Latinam etymologiam, vt latrones dicti sint, quasi laterones, quia circa latera regum sunt, quos nunc satellites vocant*.

SATIS, κατ' ἀποκοπὴν ex se facit *sati*, vel *sate*, vt à *magis mage*. Ex *sati* autem est *sat*. Est verò *satis* ab ἄδην, D in T conuerso: fortasse vt differret à pluratiuo *satis*. Ab eo est *satius*. Priscianus in XV. *Satis etiam loco nominis positiui accipitur. Itaque etiam comparationem recipit satius. Bene est*, quod *satis* est: vnde *satius* idem quod *melius*, vt ibidem interpretatur Priscianus. Quod verò ait Priscianus, *satis* etiam esse nomen, valde eo firmatur, quòd *satior* legamus apud Plinium, lib. XVII. c. V. *Erit igitur hæc* (terra pulla) *optima & operi satior*. Quare verisimile est veteres *hic & hæc satis* dixisse, ac fortasse etiam *hoc satis*, vt *potis* fuit omnium generum. A *satis* videtur esse *satur* de quo seorsim.

SATRAPA à σατράπης, vt *margarita* à μαργαρίτης, *catarracta* à καταρράκτης. *Satraps* tamen pro *satrapa* legas apud Sidonium. Carm. II.

Quique sedet sub rege satraps. ———

Porrò σατράπης *præfectum* notat: estque Persicum vocabulum, cuius recitrò originem frustra ex Hellade multóque magis è Latio petas. Quod tamen facit Tostatus in I Sam. cap. XXIX. quæst. IV. vbi *satrapam* dici ait, quasi *satis potentem*.

SATVR est à *satis*: vnde & *satio*, nisi à *sat* malis, quod ex *satis* κατ' ἀποκοπήν. A *satio* est *satietas*, & per syncopen *satias*. Huius & loci est *saturo*: etsi aliter visum Nunnesio in Grammatistice cui *saturo* κατὰ μετάθεσιν ex χορτάζω, quod est, *gramine aut fœno pasco*, & ἁπλῶς *pasco*, *saturo*. Sed omnino *saturo* est à *satur*, hoc à *satis*, vnde similiter *satio*. Distinguit hæc Charisius, vt *saturare* & *saturitas* tantùm sit in cibo: in cæteris verò *satiare*, & *satietas*, dicatur. Sed sexcenta sunt loca, in quibus discrimen hoc ab optimis scriptoribus negligatur. Vt verò ab *vnus*, *vnulus*, *vllus*; à *vinum*, *vinulum*, *villum*; sic à *satur* est *saturulus*, vnde *satullus*. Varro, lib. II. de R.R. *Hoc item faciunt mane, antequam matres in pabulum exeant, vt agni satulli fiant lacte*. Gloss. vett. *Satullus fuit*, ἐκορέσθη. Hinc aduerbium *satullè*, quod Appuleio VII. Metam. restituêre Ianus Guilielmius in Verisimilibus, & Petr. Coluius not. in Appul. Ab eódem est *satullare*. Varro περὶ ἐδεσμάτων. *Neque in puluere mythico coquam carnes, quibus satullem corpora ac famem ventris*. Ita citat Nonius: sed optime restituit Scaliger in Coniectaneis:

Nec in polubro mystico coquam carnes,
Quibus satullem &c.

SATVRA dicebatur lanx variis frugum, pomorum vel similium generibus referta. Porphyrio in Horatium: *Lanx plena uniuersis frugibus in templum Cereris infertur, quæ satura nomine appellatur*. Diomedes, lib. .... *Lanx referta variis multisque primitiis sacris Cereris inferebatur & à copia & saturitate rei satura vocabatur. Cuius generis lancium & Virgilius in Georgicis meminit cùm hoc modo dicit:*

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Et.

——— *Lancésque & liba feremus.*

Quamquam verò Diomedes dicat, nomen id esse à *rerum diuersarum saturitate*, tamen videtur potius esse à Græcis. Nam ex Hesychio & Varino scimus Græcos σάτυρον vocasse ... At ex σάτυρον, eliso ο fit σάτρον, ex quo *satura*. Nisi σάτυρον apud vtrumque Grammaticum legi debet. Hæc igitur princeps *saturæ* fuerit significatio. Ab hanc lance, in qua ciborum miscela, & velut farrago, cœpit etiam dici *satura*, vt Diomedes ait, *genus farciminis multis rebus refertum*. Probat hoc idem Grammaticus ex illis Varronis verbis, lib. II. Plautinarum Quæstionum: *Satura est, vua passa, & polenta, & nuclei pinei ex mulso conspersi: ad hæc addunt alij & de malo Punico grana*. Item, vt ait Festus, *Satura est lex multis aliis legibus referta*. Gloss. Philox. *Satura*, νόμος πολλὰ περιέχων. Quâ significatione vsi Antonius Luscus, & C. Lælius, vt ex Festo videre est. Vide plura in *Satyra*.

SATVREIA herba, quia *saturet*. Aliter *cunilam* vocari ait Columella, lib. IX. cap. IV. *Thymbram* etiam dici ait Plinius, lib. XIX. cap. VIII. Sed Columella distinxit in X.

Et satureia thymi referens thymbræque saporem.

Est à *saturo saturela*, vt ab *impeto impetuus*, qui impetit, vnde in Glossis exponitur ...

SATVRNALIA, quia *sacra Saturno*. Iis continuæ epulæ ac comessationes erant: vnde vulgo *Saturnum* dixere *Pollucis filium* Fulgentius in Mythologicis: *Saturnus Pollucis filius dicitur, siue à pollendo, siue à pollucibilitate, quam nos humanitatem dicimus, vnde & Plautus in comœdia Epidici ait, Bilise, pergræcamini pollucibiliter*. De *Saturnalibus*, vide sis Macrobium, lib. I. Sat. cap. VII. & I. Lipsium, lib. I. Saturnal. cap. II. *Saturnus* verò dictus putatur à *satu*, atque, vt ibidem Lipsius censet, prius fuit *Satumnus*; vt à *portu Portumnus*, à *naptu Neptumnus*, quia postea *Neptunus*: eadémque terminatio in *Pilumnus, Picumnus, Vertumnus*, quomodo & hodie hæc scripta legas in vett. libb. Fortasse tamen verius est, quod Scaliger scripsit in Coniectaneis, ac socer meus Fr. Iunius in Ellogio Hebrææ linguæ, & notis ad Tertull. de spectac. cap. VIII. vt sit ab Hebræo ac Phœnicio סתר, quod est *celare, abscondere se, latere*: vnde & Deus *Latius* vocatus, & vxor eius in Pontificalibus indigitamentis dicta *Lattia Saturni*, vt auctor est Gellius lib. XIII. cap. XXI. Et sedes ipsa *Saturni Latium* nominata. Alia alij adferunt *Saturni* ἔτυμα, quæ mitto, tum quia quæ attulimus, magis sunt verisimilia, tum quod propria nonnisi strictim obitérque, idque oblatâ occasione, attingere statuimus. Quod ad Græcas huius Dei appellationes, vsitatissima omnium est Κρόνος, quomodo dicitur quasi χρόνος, quia *auctor est temporum*, nec alius intelligendus quàm Sol: vt quidem Macrobius tradit, lib. I. Sat. cap. XXII. De eodem adferam locum Arnob. lib. III. *Nam si tempus significatur hoc* (Saturni) *nomine, Græcorum vt interpretes autumant, vt quod Chronos est, habeatur Cronus; nullum est Saturnium nomen*. Quo

loco pro *nomen* lubens legam *numen*. Sequitur enim: *Quis est enim tam demens, qui tempus esse dicat Deum*, &c. Nec Cuiacio aut Heraldo assentior, qui verba istæc, *habeatur Cronos*, in contextum aliunde irrepsisse autumant. Idem Saturnus etiam vocatus Ἴλος, vt testatur Philo Byblius, Sanchuniathonis Berytij, Phœnicum historiographi antiquissimi interpretes. Eius hæc verba citat Eusebius, lib. I. εὐαγγελικ. pag. XXIIII. Ἴλον, τὸν καὶ Κρόνον ἐκ Βηρύτου, &c. Et pag. XXIV. Οἱ δὲ σύμμαχοι Ἴλου τοῦ Κρόνου Ἐλωεὶμ ἐπεκλήθησαν, ὡς ἂν Κρόνιοι, οὗτοι ἦσαν οἱ λεγόμενοι ἐπὶ Κρόνου. Qui locus nonnullâ censurâ indiget. Neque enim Ἐλωεὶμ siue אלהים, est ab Ἴλος, vel etiam אל, aut Syriaco איל, sed ab אלה, *eloa*: at Ἴλος est a Syriaco איל, *il*, pro quo Hebræi dicunt אל. Id primum est inter decem Dei nomina Hieronymo memorata epist. CXXXVI. ad Marcellam. Sanè LXX interpretes אל transferunt Ἰσχυρὸν, quod Aquila, eius propriam significationem exprimens, ἰσχυρὸν id est *fortem*, exponit.

SATYRA etsi vulgò scribatur, tamen *satira*, vel ἀρχαϊκῶς *satura* scribere iubent Scaliger ad V. Manilij, & Casaubonus, libro de *satyra*. Qui verò *satyra* scribunt, eo id faciunt, quia hoc carminis genus à *Satyris*, habere nomen arbitrantur: idque ob dicacitatem: quæ & Cæsaris Scaligeri sententia est, lib. I. Rei Poët. cap. XII. Vt magis liqueat vtra sententia sit potior, distinguendum forsasse inter *Satyram Lucillij, Horatij, Persij*: & *Satyram Ennij, Varronis*. Prior ita dicta videtur à *Satyrica Poesi*. Nam huic & *sillus* erat similis ob maledicentiam. Sanè *silli* διασυρτικοὶ erant. vnde Hesychio σίλλος, ἐμπαιγμὸς, σκῶμμα, ἀναφαλαντίας, μῶμος, κακολογία ἢ χλευασμός. Atque hoc ita esse liquet ex reliquiis Sillorum Timonis, quæ apud Diogenem Laërtium leguntur. Estque *sillorum* nomen non ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν, hoc est, *irridere subsannare*: nec à σιλλὸν, quod Hesychius exponit κοινόν, sed ψόγον, κακολογίαν. Nec à σιλλὸς & σιλλαίνειν. Sed sunt hæc à σίλλος, hoc à Chald. סלי, quod est, *aspernari* Nam sillographi maledicis suis versibus alios in contemptum ducere conabantur. Vel potius σίλλος factum ex Σιληνοί. Nam *Satyri* & *Sileni* erant Bacchi comites, & conuitiis gaudebant ob lasciuiam. At *Satura* Ennij ac Varronis ex eo nomen accepit, quòd multa metra ac res pariter misceret. Quod ex Diomede cognoscere est. Sanè variis, quæ res miscerent, *satura* nomen competebat. Vti farcimini variis rebus referto, quod *satira* dicebatur. Item *satura lanci*, quæ variarum erat primitiarum plena. Item *satura legi* quæ multis aliis legibus conferta, vt inquit Festus. Ac similiter Glossæ: *Satura*, νόμος πολλὰ περιέχων. De hac pluscula congessit Scipio Gentilis, lib. II. Parerg. cap. XXVIII. Ab tribus illis, quæ dixi, etiam *Satyra Lucilliana* nomen quidam olim deduxere: vt videre est apud veterem Horatij interpretem ad sat. I. lib. I. Et Scaliger pater etiam putabat *Satyram illam* dici a varietate argumenti, vti & *satyram lancem* & *satyram legem*. originem autem esse ex eo, quòd *Satyri* in ludis tragicis gestarent lances & canistra variis referta pomis, quibus nymphas allicerent. Nam vt canistra illa variis erant referta pomis, ita *satyra* vario constabant argumento. Sed falluntur, quia hac quoque notione *satyra* est à Græcis. Hesychius: Σατύραι σκεῦαι βοτρύων παρὰ Λάκωσι. Error ex eo est, quia confundunt diuersissimas duas *satyra* significationes, quas indicauimus. L. Ioannes Scoppa *Satyram* & ipse per *I* scribit: nempe quia in vett. libb. ita inuenerat. sed ridiculam planè ἐτυμολογίαν adducit. Nam lib. II. Collectan. cap. I. eò quòd *satirici* taxent improbos hominum mores *satiram* ex *sat* & *ira* conflatum putat. In quo eum vel modulus mediæ syllabæ aliud docere potuisset. Sunt & aliæ aliorum de *Lucilliana Satyra* opiniones: vt quòd quidam ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι vocem eam arcessunt hoc est, *a rictu canino*. Sed in re aperta nolo tempus vltra perdere. Nam satis est verisimile Lucillianum carmen *Satyram* dici à *Satyris*; Ennianam autem sic vocâri censemus, quia haberet farraginem siue mixturam variorum metrorum & rerum. Vide quæ diximus in *Satura*. Quod si quis plura desideret, is adeat librum nostrum de re poetica.

SATYRIASIS & *priapismus*, vt differant docet Cælius Aurelianus, lib. V. tardarum pass. cap. VII. itémque, lib. III. cap. XVIII. vbi & de ἐτυμολογίᾳ ita scribit: *Satyriasis vocatur, vt quidam volunt, translatiuè à similitudine satyrorum, quos, vt Aenigus loquitur, siue fabula fingit, vinolentos, atque in vsum Veneris pronos dæmones accepimus: vel, vt alij dicunt, ab herba virtute, quam satyrion vocant. Hanc enim accipientes, in Venerem prouocantur, cum tensione genitalium partium.* Mihi prior magis placet sententia, vt ipsum *satyrion*, æquè ac *satyriasis*, sit a *satyris*, qui penem semper habent erectum. *Satyrus* verò (pro quo *Saturi* per *V* in codice Romano legi ait Pierius) nomen est ἀπὸ τοῦ σάθης, Macrobio teste, lib. I. Saturn. cap. VIII. item Hesychio, qui & ait σάθην esse τὸ μόριον τοῦ ἀνδρὸς, ὅπερ ἢ πέος λέγεται. Vnde σαθέριος, *bene vasati*. Vt ab ἄλφω ἄλφυρος, sic à σάθη σάθυρος, & adspiratâ in tenuem abeunte σάτυρος, *libidinosus, peni deditus*, vt Calphurnius Piso locutus est in Annalibus suis. Sanè id verisimilius, quàm quod aliqui ita dicant vocari παρὰ τὸ σεσηρέναι, quòd *more irridentium vultum haberent*. Possis & cum Casaubono deducere à Dorico σαῦνος, quod est παίζειν, vnde Lacedæmoniis, Hesychio teste, σαυνάκης, σαυνίζειν. Nam eos φιλοπαίγμονας poëtæ appellant, ac ludibundos inducunt. Vel, quod idem addit Casaubonus, dicuntur σάτυροι quasi סתורים, *satorim*, quod *in speluncis ferè ac montibus latere putarentur*. A radice סתר, quod est *latere*: vnde & *Saturnus* dictus, qui aliter Deus *Latius*, vti vxor eius *Latia*: imò & σάθη indè, quia *natura eam partem latere atque occultari voluit*. Sanè hoc *Satyrorum* etymon, si ab Hebræis arcessere lubet, longè magis placet quàm illud Hennischi, ad Aretæum, vbi scribit esse à שטר, id est, *præfectus, qui virgam aut baculum tenet*, quia *Satyri* habeant *extentam virgam*, quæ שטר dicitur.

SAVCIVS Nonio teste, propriè est *vulneratus*: quod verò aliquem *dolore saucium* dicimus, id fit μεταφορικῶς. Papias putat dici quasi *sanguine haustus*. Perottus a *seco* quasi *secius*. Suspicor ego esse ab inusitato τρώω, vnde τραῦμα, *vulnero*. Nempe ε præteritum, τέτρωκα ergo. *T* autem in *S*, & hoc in illud abire, millibus exemplorum è variis linguis comprobatur. Ergo quasi à σαύω pro τρώω sit *saucius*, vt à *fido fiducia*. Significatio sanè conuenit. Gloss. Phil. *Saucius*, τραυματίας. Gloss. Cyr. Τραυματίας, *saucius*, *vulneratus*. Onomast. *Saucio*, κατατραυματίζω.

SAVILLVM ὑπὸ τοῦ σαυνίου est ex *sauium*, siue *suauium*. Est placentæ genus, ita à *suauitate* dictum. Eius conficiendi rationem docet Cato, cap. LXXXIV.

SAVRA, à Græcis σαύρα, & σαῦρος, vt Latinis *lacerta* & *lacertus*. Isidorus lib. XII. cap. IV. *Saura, lacertus, qui quando senescit, cæcantur oculi eius, & intrat in foramen parietis, adspiciens contra orientem, & orto sole intendit & illuminatur.* Gloss. Cyr. Σαῦρος, ἑρπετὸν, *lacertus*. Eo autem addit ἑρπετὸν, quia est & σαῦρος ἰχθὺς, qui & ipse Latinis *lacertus* dicitur. Meminit Cyrillus iisdem Glossis. Verisimile est σαῦρος dici à זרוע, hoc est, *brachium*; nempe ob similitudinem: quemadmodum Latini quoque propterea *lacertum*, dixere. A σαῦρος est σαυρίτης gemma. Plinius, lib. XXXVII. cap. X. *Sauritem in ventre viridis lacerti arundine dissecti tradunt inueniri.* Σαῦρος etiam auis est genus, quæ Latinis *saurex*: de qua nunc videndum.

SAVRIX dicitur, & *sorix*, vt *caurus*, & *corus*. Plinius lib. XI. cap. penultimo: *Sorices & ardeolæ inuicem fœtibus insidiantur.* De *sorice* aue sic Marius Victorinus, lib. I. extremo cap. de Orthographia: *Sorix aut saurix, auis tributa Saturno ab auguribus, quia tarditati, & vetustati, & senectuti conuenit: nam & in veteranis maximè versatur locis, & nocturna est, & noctis maximè prima, & quia tempestatis nuncius, atque index paruis laris.* At *sorex* per *E* in posteriori est *mus syluestris*, μῦς ποικίλος ἢ ἀγροῖκος, vt in Gloss. Philox. exponitur. Etymon quoque diuersum. Nam *saurix* est à σαῦρος. Sic enim auis ea Græcis vocatur, quæ aliter πιπάλλις & πιπὼ & χαλαΐς. Vide Hesychium, & Salmasium in Solini cap. VIII. At *sorex* per *E* est ab ὕραξ, quod Æolicâ linguâ *murem* significat. Ita Camerarius in Append. Problem. & ante eum Gesnerus. Caussa nominis est, quia sit rostro suillo. Fallitur Isidorus, lib. XII. cap. III. vbi dici putat, quasi *serrax*, quia rodat, & quasi serrâ præcidat: Nec melius Perottus vocari ita censet à sono, quem edit rodendo. Hinc *soricina nænia*, apud Plautum.

SAXVM ex mente Scaligeri, Exercit. CXVII. Thusca vox est, qua non nisi in sacris vtebatur: vnde & eiusdem est originis ac *sacer*, & *sagmina*. In sacris eo vsos esse, vel fidem fecerit parœmia, *Stare inter sacrum & saxum*: de iis quibus præsens imminet periculum, vt victimæ à sacerdote iamiam *saxo* feriendæ. Sed simpliciùs dicamus, *saxum* dici à *grauitate*, à σάττω, *onero*, vnde σάγμα, *saxum*. Est enim *saxum* lapis naturalis, grandis, durus aspérque, quales è monte excidi solent.

SCABO ἀπὸ τοῦ σκάπτειν. Nam qui *scabit*, vnguibus locum prurientem σκάπτει, hoc est, *fodit*. Vel est *scabo* à *scaber*: hoc autem, ex Ios. Scaligeri sententiâ, ab antiquo *scarreo*, vnde & Belgæ dicunt *scharren*, quod idem est ac *scabere*. Vt à *facio*, *faber*; à *tumeo*, *tuber*; à *suo*, *suber*; à *cresco*, *creber*: sic à *scarreo* est *scaber*. Sanè à *scarreo* est *scarrosus*: siue, vt alij scribunt, *squarrosus*: nempe quia C & Q eadem sunt litera. Vtitur apud Festum Lucil.

Varronum ac rupicum squarrosa incondita rostra.

Scarreo autem, vti idē Festus docet, est a *squammarū piscium* simi

similitudine, quorum cutis exsurgit ob assiduam illuuiem. Ad *scauo* redeamus. Ab eo est *scabies*, vt a *specie*, *species*, ab *effingo*, *effigies*; a *rabere*, *rabies*, &c. Minùs [illegible] a *scauo* deducit Seruius ad illud 1. Georg.

——— *Scabra rubigine pila*:

Scabra, inquit, *hoc est aspera*: *vnde & scabies dicitur à corporis asperitate.* A *scabies* est *scabiosus*: quo olim vsi [illegible] de omnibus, quæ vituperabant, vnde apud Pers. sat. IV. *scabiosum far*, & apud Iuuenal. *scabiosum pomum*. Nec mirum, cum tantopere *scabies* apud omnes sit inuisa, imprimis quam Græci [illegible], hoc est, *ferum*, vocant quam Horatius *malam* videtur appellare, cum ait Epist. ad Pison.

Vt mala quem scabies, aut morbus regius vrget.

A *scaber* quoque est nomen *scabres*, & verbum *scabreo*. Pacuuius Teucro apud Nonium in Alumnum,

Quæ desiderio alumnum, pænitudine
Squale scabreque & inculta vastitudine?

Sic vt Turnebus, lib. XV. cap. XV. & lib XXIX. cap. XX. legit. *squales scabresque*, vt sit a verbis *squalleo*, *scabreo*. Interpretatur enim, *squalida & scabra es.* Varro Manio apud Nonium: *Ager derelinqueretur ac periret squale scabreque, illuuie atque vastitudine.* Et Virgilius, Ciri:

——— *Quam te tam tristibus illis*
Sordibus & scabie patiar tabescere talt.

Ita emendat Scaliger. Nam in vulgatis pro *scabie* est *scoria*, repugnante metro. Græce enim est [illegible]. Appuleius lib. II. Flor. *Infandi morbi putredine in serpentium scabiem vicinum religiosè humanis.* Dicitur & *scabredo*, quomodo *pumiceam scabredinem* dixit Hieronymus in Hilarione. Ab eadem quoque origine *scabrones* videntur dicti, qua voce vsus Vlpianus in l. XII. §. fin. ff. de ædilit. edict. *Trebatius ait, non esse morbosum, cui anima olere, vt*[illegible] *hircosum, scabrosum.* Vbi *hircosum* est, cui os olet ex detestabili libidine: qua de acceptione ex Scaligero diximus in *hircus*. Quare nihil opus pro *hircosum* legere *lurcosum*. *Scabrones* vero ab Vlpiano Trebatióque dicti qui illuuie laborant, nec os colluunt, nec os pulusculo mundant, vnde fit, vt iis, quemadmodum loquitur Ouid. VIII. Met. sint

——— *scabri rubigine dentes*:

quæ res & *scabrorum* genuit nomen. In vulgatis Iuris libris pro *scabrosum* est *strabonum*, quod *oculorum*, non oris vitium est. Primus *scabronum* legi posse vidit Cuiacius, Obseruat. lib. II. cap. X. Ios. Scaliger in Coniect. pro *strabonem* legit *rapo*nem, ac sic vocari censet, qui confertim ac raptim cibos vorant, quales Græci vocant [illegible], ab [illegible] quod est [illegible], & [illegible]. Sane ob [illegible] ac ingluuiem os hominibus olidum esse solet. Sed vix puto *raponem* hic locum habere, quando generatim *raptorem* notat: vt Nonius testatur; nec video, qui aliud eruere possit Varronis loco, quod vt pateat, totum apponam: *Prætor noster eripuit mihi pecuniam, de ea quæstum ad annum veniam ad nouum magistratum, cùm hic rapo vniuersam quoque spes deuorâsset.*

Scævus est *sinister*. Glossæ Philoxeni: *Scæua*, [illegible]. A [illegible] deducit Varro (cuius mox verba ponam) & Paullus Diaconus in *scæua*: nempe inserto V, quomodo a [illegible] est *Dauus*; à [illegible], *nouus*, &c. Hinc *scæua*, qui sinistrâ vterentur pro dextra: Vsus Vlpianus, l. XII. §. si quis. D. de ædilitiis edictis. Itaque & [illegible]: *Scæuola* nominatus, quia exusta apud Porsennam dextrâ, sinistrâ exinde vti cogebatur. A *scæuus* verò augurijs est, quod *scæua* ponitur pro re siue augurio, idque tum in bonam partem, tum malam. Plautus, Pseudolo, act. IV. sc. VII.

Bene ego ab hoc prædatus ibo, noui, bona scæua est mihi.

Idem, Casinà, act. V. sc. IV.

Caninam scæuam spero meliorem more.

Vbi per *caninam scæuam* aut occursum canis intelligit, qui inauspicatus habebatur: aut latratum, vt sententia sit, minùs hunc grauem fore, quam latratum ac iras vxoris. Illustris de hac voce *scæua* locus est apud Varronem extremo lib. VI. de L. L. *Vel*, inquit, *obscænum ab eo, quod pueris turpicula res in collo quædam suspenditur, ne quid obsit, bonæ scæuæ caussâ: inde Scæuola appellatus. Ea dicta ab scæua, id est, sinistra: quòd quæ sinistra sunt, bona auspicia existimantur. A quo dicuntur Comitia, aliudve, quod fit aue sinistrâ, scæua.* Ita optimo sensu legit Scaliger. In Ant. Augustini & Vertranij editt. extrema verba omnino corrupta. Sequitur deinde apud Varronem: *Id a Græcis est, quod hi sinistram vocant* [illegible] *quare quod dixi scæuum, bonum omen est: obscænum verò, turpe.* Festus Pomp. *Scæuam volgus quidem & in bonâ & in malâ re vocat, cum aiunt bonam & malam scæuam. at scriptores in mala ponere consueuerunt, vt apud Græcos inuenitur positum pro sinistro.* In malum vsus Donatus ad Adelph. act. IV. sc. II. vbi ait, *obnunciare dicuntur Augures, cùm aliquid mali ominis scæuúmque viderint.* Hæc vera lectio, non *sæuumque*, prout a Rob. Stephano editum. Porrò quod *scæua* tum bona dicantur, tum mala, id nihil mirandum, quando & *scæua* siue sinistra auguria nunc bona dicuntur, nunc mala. Bona, vt Ciceroni, lib. de L. L. [illegible] id est, *bono auspicio*. Item in Varroni loco supra allato, & Plinio, vbi de fulmine tractat. Mala, vt Accio apud Cicer. I. de Diuinat. & Persio, sat IV. At verò hoc ex eo fit, quod Romanis quidem sinistra, Græcis autem barbarisque dextra essent felicioria (quam rationem Beroaldus adferebat) id alibi commodiùs disquiremus. A *scæuo* est *obscæuare*, quod Nonius interpretatur *malum omen adferre*. Vsus Plautus, Asin. Act II. Sc. I.

Mirum nequid iste os[illegible]*auit meæ falsæ fallaciæ.*

Vbi male à Camerario editum [illegible]: quamquam id tueatur Baptista Pius. At recte in Palatinis est *obscæuauit*: vti & testatur Gruterus. A Græco [illegible], quia vel [illegible] vel [illegible] notat, Troianæ portæ quoque factum nomen [illegible] siue [illegible], cuius Homerus, Maro, Sillius, & alij meminere: ita autem vocata, vel quia *occidentem* spectaret, & [illegible] dicuntur *sinistra*, vel quia Troianis fuerit *infelix*, quippe per quam intromissus fuerit equus Durius. Vtramque rationem affert Eustathius. Imò & tertiam addit, vt sit à [illegible] architecto, quemadmodum *Dardania* a *Dardano*. Cui & quartam addere conatus Bernardinus Baldus de verb. Vitruu signif.

Scalas a *scandendo* dictas ait Isidorus, lib. XIX. cap. XVIII. Sed merito Angelus Caninius originem eius accersit à [illegible] quod idem notat. Porrò non solum etiam *poculi genus* dixere *scalam*, quod Isidorus, lib. XX. cap. V. putat esse a [illegible], id est, [illegible], vt propriè notet *pateram* [illegible]. Sed puto esse a Gothis, non Græcis. Sane hodieque Germani & Belgæ retinent eam appellationem. Vsus olim Paullus Diaconus, lib. I. de gestis Longobardorum, cap. XXVII. *In eo prælio Alboin Cunimundum occidit, caputque illius sublatum ad bibendum ex eo poculum fecit, quod genus poculi apud eos scala dicitur, lingua vero Latina patera vocitatur.*

Scalmus, [illegible], paxillus, siue teres lignum cui alligantur remi. Est a [illegible], *fodio*, quia paxillus cauo quasi infoditur. Hinc *interscalmium*, locus inter *scalmos*, item genus vacuus vtrimque.

Scalpo vel est à [illegible], *fodio*, L in P conuerso: vel à [illegible], quod idem notat, [illegible] in *p* mutato: vel à [illegible], quod eiusdem est significationis ac *scalpo* Atque hoc etymon prioribus præstat. Nam Æoles præponunt [illegible] vnde [illegible], & similia. Itaque pro [illegible] dicunt [illegible], vnde [illegible] *scalpo*. At quia non tantum [illegible] dicunt, sed etiam [illegible], & Æolice [illegible], hinc itidem fecere *sculpo*. A [illegible] est [illegible], à [illegible] dicta [illegible]. Similiter à *scalpo* est *scalprum*, vnde *scalpellum*; à *sculpo* est *sculptile*. Non differunt *scalpo*, & *sculpo*, vel saltem non natura, atque origine, sed fortasse vsu. *Scalptura* enim sæpius legas de iis, quæ figuras habent eminentes, & ectypas: *sculptura* autem crebriùs de his quæ habent figuras entypas siue depressas, & incisas. Etiam a *sculpo* est *exsculpo*: vt rectè censet Cæsellius apud Cassiodorum de Orthographia cap. X. Id displicet aliis, qui *sculpo* negant esse Latinum, eóque à *scalpo* deducunt, A in V conuerso: quomodo a *saltus* est *insultus*. Sed his adsentiri non possum, ob ea, quæ diximus.

Scambus Latinis, vt Græcis [illegible]. Suetonius: *Male pedatus scambúsque*. Videtur idem ac *varus* ac *valgus*: de quibus in *Varus*, & *Valgus* diximus.

Scamma in stadio siue circo dicebatur locus, in quo athletæ certabant. Cælius Aurelianus, lib. II. Chron. cap. I. *Ordinat præterea idem Asclepiades in arena spatia, quod Athletæ vocant scamma, deambulationem, atque transcensum ligurorum.* S. Ephrem, sub initium libri de luctamine spirituali: *Semper ergo perite ingressi athletæ sine aliquo metu, & cum summâ alacritate inueniuntur in scammate. Timidi autem & imbecilles, antequam incipiant decertare, defugiunt, & propter mollitiem de gloria immensam, nullo prorsus modo in scammate desudare contendunt. Scamma est autem, fratres dilectissimi, medius locus, in quo athletæ luctantur* In veteri Glossario exponitur [illegible], *fossa*, vel potius *fossa* estque à [illegible] hoc est *fodio*, vnde & Eustathius ac Suidas per aphæresin deducunt [illegible], quod idem est ac [illegible], siue *fossa*. Ita autem locus certaminis dicebatur, siue quia fossæ leuiter depressæ speciem ferebat: siue quòd apud Græcos, fossâ soleret cingi, vt apud Romanos euripo. Præter eos, quos ante adduxi, auctores, sic è Latinis voce *scamma* vsus Tertullianus lib. ad martyres, cap. III. *Itaque epistates vester Christus Iesus, qui vos spiritu vnxit, & ad hoc scamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione seponere, vt*

vires corroborarentur in rebus. Et B Hieronymus aduersus errores Ioannis Hierosolymitani ad Pammechium: *Cum ergo ista quærantur, cur eo omissis, super quibus pugna est, de scammate & loco certaminis egrediens in peregrinis & longè alienis disputationibus immoraris?* Vbi παρεμπεσὼν dixit *de scammate egredi*, ἐξω τῆς ἐν τῷ σκάμματι, *extra stadij terminos certare*, hoc est, a proposito digredi. Afferrem & locum Paullini ex epist. II. ad Seuerum, & Ambrosij de Heliæ ieiunio cap. XIII. & quorundam aliorum. Sed auctores sunt in manu. Si plura de *scammate* voles, adi P. Fabri agonistica lib. II. imprimis cap. I. II. & VII.

SCAMMONIA, vel *scammonium*, σκαμμωνία vel σκαμμώνιον, vel etiam σκαμωνία, fortasse à σκάμμα, *fossio*, quia intestina σκάπτει, hoc est, *fodit*. Radit enim ea acrimonia succi sui: vnde & *acridia* dicta. Isidorus, lib. XVII. cap. XIX. *Scammonia, quam Latini acridiam vocant.*

[SC]AMNA idem sunt ac *subsellia*. Ea alta erant editáque, vt *scandere* opus esset. Itaque etsi in vulgatis Lexicis legere sit, Isocrati etiam *scamna* dici σκάμματα & σκαμμία, ac Nunnesius propterea origine Græcum putet, tamen puto planè Latinum esse, ac venire à *scandendo*, prout Varro docet in IV. de L. L. *Quia*, inquit, *simplici scansione scandebant in lectum non altum, scabellum: in altiorem, scamnum.* Idem etymon amplectitur Isidorus, lib. XX Orig. cap. II. *Subsellia* verò, ac *cathedras*, ita vocari docet Iuuenalis Interpres ad sat. VII. & XI. Sed & lib. II. Codicis Theod. de contrah. empt. legitur: *Vt etiam si subsellia, vel, vt vulgò aiunt, scamna vendantur.* A *scamnum scamellum*, ὑποπόδιον, pro *scamnellum*, vt à *columna columella* pro *columnella*. *Scamellum* agnoscit Priscianus in III. Eóque vsum docet Appuleium in I. Hermag. *Verùm infirmâ scamellorum ope fulta fores.* Glossæ Cyrilli: Ὑποπόδιον, *scabellum, subsellium, scamellum, suppositorium.* Glossæ Isidori: *Scamellum, symphoniaci.* Sententia est, *scamellum* esse inter ea quibus vtuntur symphoniaci. Nam vnus symphoniacis modum dabat pulsu *scamelli*, vnde *scamellorum* vel *scabellorum crepitus* apud Suetonium in Caligula & Arnobium. Alij *scamillum* malunt, vt à *mamma* est *mamilla*. Mirum verò etiam *scamillus* dici genere virili. Nam Vitruuius, lib. III. cap. III. ait: *Stylobatam ita oportet exæquari, vti habeat per medium adiectionem per scamillos impares.* Et potest Appuleius *scamillorum* quoque dixisse à *scamillus*. Sanè & *ranunculus* à *rana* dixere Latini, & *panicula* a *panus*. Sed vtcumque hæc sint, vsitatius eâ notione est *scabellum*, cuius eadem origo. Nam & ipsum dicitur quasi *scamnellum*. Quinctilianus, lib. I. cap. IV. *Quare discat puer, quid in literis proprium, quid commune, quæ cum quibus cognatio: nec miretur, cur ex scamno fiat scabellum*, &c. A *scamno* quoque *scamnatus ager* dicitur Aggeno Vrbico, quasi per *scamna* diuisus.

SCANDALVM, σκάνδαλον, vox Ecclesiasticis scriptoribus vsitatissima, propriè est *offendiculum*, siue *obstaculum*, hoc est, quod in via insidiosè ponitur, vt pedem ad illud offendendo damus. Indicat id Hieronymus, cùm lib. II. aduersus Pelagianos ait: *Nisi fallor enim, σκῶλον & σκάνδαλον apud Græcos ex offensione, & ruina nomen accepit.* Quare Erasmus in notis ad eum Hieronymi locum, vti & Annotat. in cap. XVI. Matth. meritò suspicatur venire σκάνδαλον à σκάζω, hoc est, *claudico*, quòd cogat claudicare, siue instar claudi in obliquum tendere.

SCANDO quibusdam placet esse à *scamnis*: sed verisimilius est *scamnum* à *scandendo* dici, vti Varro, & Isidorus, volunt. *Scando* verò, inquit Becmanus, facilius ex Hebræo deduces, si memor confusionis Babylonicæ, elementa transponas פשן, hoc est, *scandit, conscendit*. A *scando* est *escendo*, *A* in *E* conuerso, quomodo pro *affligo* dicimus *effligo*, vnde *efflictim*. *Escendere* vsurpant Plautus, Varro, Sallustius, Cicero, Tacitus, alij: vt ostendêre Muretus, cùm alibi, tum lib. XIV. cap. III. Carrio, lib. I. Emend. cap. VI. Ianus Guilielm. lib. III. Verisimil. cap. XVI. Gaspar Schoppius, lib. I. Suspect. lect. epist. XXI. Colerus ad Sallustium. Et cui non aliquid de eo dictum? Glossæ vett. *Escendit*, ἀναβαίνει. Apud Paullum Diaconum, vbi in vulgatis est *excedere*, è codd. MSS[tis] legi debet, *escendere*, vel *exscendere*: vt iidem monent.

SCANDVLACA à *scando*, quia super alias scandit herbas, eásque implicando enecat. Hoc voluit Festus, cùm ait: *Scandulaca, genus herbæ, frugibus inimica, quod eas, velut hedera, implicando necat.* Turnebus, lib. VIII. cap. XXIII. mauult *scandulaca* per *T*, vti & *pastinata* pro *pastinaca*, *verbenata* pro *verbenaca*. Sed hanc sententiam alibi refellimus.

SCANDVLÆ, an *scindula*, dicere oporteat, disputatur. Isidorus, lib. XIX. cap. XIX. quod est de lignariis, *scindula* per *I* scribit, scribendúmque probat. *Scindula*, inquit, *eò quòd scindantur, hoc est, diuidantur.* Turnebus quoque, lib. XX. cap. XVIII. in exemplaribus Cæsaris, Vitruuij, Plinij, Palladij, vbi vulgo *scandula* per *A* legitur, *scindula* per *I* legere iubet: idque partim compulsus veterum librorum auctoritate, partim Isidori verbis iam adductis. Colutius item ad Appuleium, lib. III. Met. pro *scandulare tectum* (quod in vulgatis,) *scindulare* legendum censet. Etiam Stevvechius in notis ad Vegetium ait se in septem libris vett. *scindulas* reperisse. At Philander ad Vitruuium *scandula* retinet. *Scandulæ*, inquit, *sunt tabellæ vicem tegularum præstantes, quibus contectam fuisse Romam annis* CCCCLXX. *auctor est Cornelius Nepos, apud Plinium*, lib. XVI. cap. X. Similiter Daniel Barbarus in eundem scriptorem. Qui cùm dixisset, Isidorum *scindulas*, per *I* scribere, & à *scindendo* deriuare, ista subiungit: *Sed cur non à scandendo? quis enim videt, quâ ratione alia super aliam imponitur, scandere aliam super aliam squamarum more gradatim, cognouit.* Sed firmius hoc argumentum esset, si *scandulæ* solùm dicerentur assulæ illæ, quibus domus gradatim conteguntur. Nunc, vt bene aduersus Barbarum disserit Bernardinus Baldus, *scandulas* generatim dicimus materiam quamuis assulatim sectam. Vnde Columella, lib. VIII. cap. III. vbi de gallinariis. *Ab cohorte forinsecus prædictis fenestellis scandulæ similiter iniungantur, quibus irrepant aues ad requiem nocturnam.* Item Cæsar, lib. VIII. de bell. Gall. *Cupas seuo, pice, scandulis complent.* Quocirca ab origine argumentum duci non potest. Alij igitur cum Perotto (eos inter Bernardinus Baldus) *scandulæ* quidem reseruant, idque ob plurimorum codicum auctoritatem, vbi per *A* scribitur; at nihilominus à *scindendo* esse agnoscunt, eò quòd *scandula* dicatur quasi *scindula*. Sed profectò *A* quidem in *I* communiter mutari solet; at vix vnquam *I* in *A*. Quare vel in sententiam Turnebi pedibus eundum: vel dicendum, olim *scandulas* quidem dixisse de assulis tegularum vicem præstantibus: *scindulas* verò de alia materia assulatim secta: illud esse à *scandendo*, quia alia aliam *scandat*: hoc à *scindendo*, quia sint è robore vel alio ligno in assulas scissæ. Librarij verò hæc duo confuderunt: vnde est quòd promiscuè in libris vett. nunc *scandula*, nunc *scindula* legamus. Hinc veterem coniecturam nostram, quia verisimilis est, ne nunc quidem improbamus.

SCAPHIVM, σκάφιον, ἀπὸ τοῦ σκάπτειν, quod est, *excauare*, A Polluce, lib. X. cap. III. reponitur inter vasa muliebria ἐς ἀπόπατον pertinentia: & fauet huic interpretationi Vlpianus, L. XXIX. §. penult. D. de auro leg. *Scaphia*, inquit, *habita ventris caussa non puto argento legato contineri.* Sanè *scaphia* solere fieri ex auro, vel argento, etiam ostendit epigramma Martialis, lib. I. ep. XXXVIII.

Ventris onus miserò, nec te pudet, excipis auro,
Bassa. bibis vitro. carius ergo cacas.

Etiam ex Mentoreo opere faciebant: vnde lib. XI. ep. XII.

Te potare decet gemma, qui Mentora frangis
In scaphium mœcha, Sardanapale, tua.

Sunt qui hac notione etiam illud Iuuenalis accipiant, sat. VI.

Et ride, positis scaphium cùm sumpserit armis.

Ac vti muliebre vas *scaphium*, ita virile dicebatur *lasanum*: vt docet Giffanius Indice Lucret. Aliàs *scaphium* notat *poculi genus*, figurâ oblongâ, in *scaphæ* similitudinem: vnde & nomen. Ita Turnebus sumi putat in isto Plauti, Persâ:

Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium.

Et hoc Bacchidibus, Act. I. Sc. I.

Pro galeâ scaphium, pro insigni sit corolla plectilis.

Vnde colligit, habuisse similitudinem galeæ, vt pro eâ indui posset. Etiam Plutarcho in Numa *scaphium* vocatur vas illud concauum, quo ex eius præscripto ignem sole concipiebant. Huiusmodi enim forma ad eam rem accommodata est: vt ex vstoriis speculis constat.

SCAPVLA, ὠμοπλάτη, σπατουλίη, vt Glossæ Philoxeni exponunt. Dictæ ita à σκάπτεσθαι, id est, *cauari*. Nam exteriùs quidem prominent, interiùs autem cauæ sunt. Isidorus, lib. XI. cap. I. à *scandendo* deriuat. Papias, quia *scandant palàm*. Sed à Græco esse, verisimilius est. Hinc *interscapulum*, μετάφρενον, vt Glossæ interpretantur. Pro eo & *interscapilium* dicitur apud Hyginum in poëtico astronomico, vbi de vrsa ait: *In summo interscapilio stellam habet vnam.*

SCAPVS in herbis propriè est *caulis rectus in columnæ modum*. Sic vsi Columella, Plinius, alij. Sed κατὰ μεταφορὰν ad alia transfert: quomodo Vitruuio *scapus columnæ* dicitur, quod interiacet inter basin siue spiram, & epistylium siue capitulum. Item *scapus portarum*, apud eundem lib. IV. cap. VI. & *scalarum*, lib. IX. cap. II. *scapus candelabri* apud Plinium, lib. XXXIV. cap. III. Dicitur *scapus* à Græco σκήπτω, hoc est, *innitor, incumbo*: à quo *baculus, cui innitimur*, vocatur σκῆπτρον, σκηπάνιον, & σκίπων. Et quia *baculus* erat regium insigne, hinc factum, vt *sceptrum* pro insigni regio sumeretur. Et similiter Hebræis שבט, & *virgam*

huic

siue baculum, & regale sceptrum designat. Et peruerisimile est ab hoc שבט, esse Græcum σκῆπτρον. Porrò pro σκῆπτρον, etiam dicebatur σκηπανον, σκίμπτω & σκίμπων vnde σκίμπων, & σκίπων, idem ac σκίπων siue σκῆπτρον. Hesychius : Σκίπων, βακτηρία, ῥάβδος. Hinc Latinum scipio pro baculo apud Plautum, & alios. Etiam cognomen erat Corneliæ gentis. Caussam adfert Macrobius, lib. I. Saturn cap VI. Scipiones, inquit, Scipiones, quod Cornelium, qui cognominem patrem luminibus carentem pro baculo regebat, Scipio cognominatus, nomen ex cognomine posteris dedit. Possis & scipio deducere à σκίμπων eliso M. vt à μιμοῦμαι, imitor, quasi mimitor. sed prius illud malim : sed I solum interatur, vt à ναῦς nauis ; à μνᾶ, mina.

SCARABAEVS, Græcè κάραβος, vnde scarabaus, σ addito. Hesychius : Κάραβος, ... ἐν τοῖς ξηροῖς ξύλοις ... ζῶον. Aristoteles in historia animalium, lib. V. cap. XIX. sect. CCXVIII. Ἐκ τῶν σκωλήκων τῶν ἐν τοῖς ξύλοις τοῖς αὔοις οἱ κάραβοι γίνονται. Hoc est, è vermibus, qui in arido ligno oriuntur, fiunt scarabæi. Theodorus quidem Gaza vertit tauros : nempe quia cornuti : vti Galli ob eadem cornua ceruos volantes nuncupant. Sed scarabæos vocari ex Plinio scimus : qui & Lucanos ait à Nigidio vocatos. Ac sic ibidem Scaliger vertit.

SCARIFICO non videtur Latinum sed scarifo. Id notat leuiter in superficie rado. Gloss. Phil. Scarifat, ... Scarifo, ... Plinius, lib. XXII c. XXIII. de lasere : Pedum clauos circumscarifatos ferro, nullum iura extrahunt. Vbi vulgo est circumscarificatos : etiam in antiquissima Parmensi anni CIↃCCCCLXXVI. Sed in vet. libro circumscarifatos reperit Salmasius. Qui & vbique apud Plinium, Solinum, alios, scarifo legere iubet. Sanè Græcè dicitur σκαριφάω, & σκαριφεύω. Hesychius : ... Est verò σκάριφος, ..., vt exponit Aristophanis Scholiastes : vel ..., γραφὶς, vt interpretatur idem Hesychius.

SCARVS, σκάρος, quod Athenæo, lib. VII. placet esse à σκαίρω, quod, iuxta Varinum, est ..., depascor.

SCATEO, si Claudium Verderium in censura sua audimus, est à σκάτος. proptereáque dicitur de lacrimis humectantibus ac redundantibus. Sed hanc sententiam illud refellit, quod Lucretius, Plautus, alij vtantur de fontibus : vt ostendimus, cum de falso suspectis ageremus. Quare potiùs est à Chaldaico ..., quod est effundere, vel Hebræo ..., inundo. A scateo est scatebra, vt à lateo, latebra. A scateo quoque est scaturio, vnde scaturigo ; vt à verto, vertigo ; ab orior, origo. Quibus scaturigo quasi scatens origo dici placet planè ineptiunt. Glossæ Phil. Scaturrit, ... Gemino enim RR scribit : & sic sæpe in vett. libb. vti & scaturrigo. Item ligurrio, & quædam alia.

SCAVRVS, cui tali extantes. Horat. sat. III. lib. I.

——— Varum distortis cruribus : illum
Balbutit scaurum, prauis fultum male talis.

Contrarius ille, de quo Persius, sat. V.

——— Tibi recto viuere talo
Ars dedit.

Sed hic ad animi mores transfertur. In Gloss. Cyrill. ... exponitur scaurus. At in Philox. Gloss. legas, Scaurus, ..., ... Quod si scaurus est idem ac ..., videri possunt eandem habere originem : nempe à σκάζω seu ..., hoc est, claudico.

SCELOTVRBE, & stomacace, sunt eiusdem morbi vocabula, veteribus medicis ignota. Meminit Plinius, lib. XXV. cap. III. In Germania trans Rhenum castris à Germanico Cæsare promotis, maritimo tractu fons erat aquæ dulcis solus, qua pota intra biennium dentes deciderent, compagésque in genibus soluerentur. Stomacacen medici vocabant & scelotyrben ea mala. Stomacace, στομακάκη, à στόμα & κακὸν, quod oris vitium est : vnde & à Marcello Empirico vocatur oscedo : etsi & aliter hanc vocem accipiant nonnulli. Germani similiter vocant scheurbuyck. Scelotyrbe, σκελοτύρβη, à σκέλος, crus (vnde Belg. schene) & τύρβη, perturbatio, quia crura ita resoluit, vt homo rectus incedere non possit sed nunc sinistrum crus in dextrum latus, nunc dextrum in sinistrum transferat, nunc pedem alterum trahit, instar eorum qui locos accliues conscendunt : vt scribit auctor Græcus Definit. med. Germanis similiter dicitur scheurbein. Batavi à maculis liuidis, vel purpureis, quibus crura infestat, blauwscheurs appellant.

SCELVS, à σκολιὸς, obliquus. Nempe vt Latinis prauus pro malo, cùm propriè sit obliquus. Vel est scelus à σκελλόν, peruersus. Hesychius : ..., ... Gloss. Phil. Scaurus, ..., ..., ... A scelus est scelero, ..., vt exponitur in Onomast. At sceleratus nunc ... est à scelus, & signat idem ac scelestus : nunc à scelero, & significat pollutum alieno scelere ....

SCENA, à σκηνή. quare vulgo scribitur per simplex E. Sed per Æ scribendum docent Varro & Priscianus. atque ita scriptum inuenitur in vett. libb. ac lapidibus : quâ de re Turnebus in posthumis ad Varronem. Aldus in Orthogr. & Faernus in prologum Hecyræ. Nempe vt Priscianus monet Romanam hac in re, more suo imitantur Æoles, qui dicunt ... pro ..., & ... pro ...: sic pro Ἀσκληπιὸς Αἰσκλάπιος, vnde Æsculapius, & pro σκηνὴ σκαινὰ, vnde scæna. Similiter videntur dixisse σκᾶπτρον pro σκῆπτρον & σκαπτρον. Sanè sic in vett. libb. scaptrum passim legas. Σκηνὴ vulgò deducunt à σκιὰ, id est, vmbra, quia scena propriè sit vmbraculum seu tabernaculum. Verùm Bibliander Indice in Marcum, vult esse ab Hebræo שכן, (schachan) quod est habitare. Plura cùm de etymo, tum de re ipsa, diximus in Theatrum. A σκηνὴ est προσκήνιον quâ voce vsus Lucretius, lib. IV. Quamquam Turnebus & Lambinus malunt post scenam. Diomedes cap. de Præpos. Proscenium & prosceniam dicimus, cum quis est ante scenam & catenam. Vt plenius vocem eam exponamus, erat proscenium locus porrectus ante scenam, in quo pulpitum erat excitatum, quo prodirent fabularum actores : erátque pulpitum id inter scenam & orchestram, scenâ quidem depressior, sed altior orchestrâ. Vide Vitruuium, lib. V. cap. VIII. cum delineationibus Ioannis Iocundi, quas in Florentinâ Iunctæ habes. Adeundus & Scipio Gentilis, cap. VIII. lib. I. ... vbi vulgatam Lucretij lectionem defendit & explicat.

SCENOPEGIA, σκηνοπηγία, tabernaculorum festum ; σκηνὴ, scena, & πήγνυμι, quod est pango. Quid est manifestius? Misera igitur seculorum superiorum barbaries fuit : cùm Abulensis deduceret à scenos, quod est communis : & phagia, quod est epulum. In animo habuit vocem φαγεῖν, seu φαγησία & κοινὸς, siue comes, quod, si corruptam pronunciationem spectes, non abludit à schenos. Plutarchus lib. quarto Symposiacon. quæst. V. scribit scenopegiam à Iudæis cultam in honorem Bacchi, qui idem sit ac Adon. multáque alia inibi de Iudæis nugatur. Sed meliora quis à nationibus in rebus Iudaicis, exspectet? Veram caussam docebit Moses, Leuit. cap. XXIII. vbi discimus, festum hoc fuisse sollemnem recordationem peregrinationis illius, quâ Israelitæ ex Ægypto in terram Canaan migrantes, quadraginta annis tuguriis vsi sunt.

SCEPTRVM per simplex E scribunt, quia Græcè est σκῆπτρον. In veteribus tamen monumentis sceptrum scribitur per Æ. Nec reiicere ausim, cùm Græcum η interdum abeat in Æ. Quod Æolum more fieri diximus in Scena. Σκῆπτρον autem propriè est baculus, scipio : siue à σκήπτεσθαι, inniti, incumbere. Vel ab Hebræo שבט, ramus, virga. Quæ olim imperij signum ac symbolum erat.

SCHEDA. σχέδη, accipi solet de pagellis siue foliis, quæ cum aliis compactæ non sunt. propriè verò competit id nomen tabellæ vel chartæ, in qua exaramus, siquid ex tempore venerit in mentem. Est enim à σχέδον, prope, vnde & σχέδιον vocatur, quicquid subito & tumultuariè fit. Sic ratis siue naues subitò compacti : σχεδία vocatur, subintelligendo ναῦς, teste Eustathio. Indéque schedium vocatur poema subitum & inconditum : vt apud Ausonium :

Bissula in hoc schedio cantabitur.

Audiamus Festum : Schedia genus nauigij inconditi, trabibus tantum inter se connexis facti, quo mare mota circumferunt post amissam nauem. Vnde schedia etiam quoque poëmata dici & versus non satis perfectos, quæ essent appellantur schedium, cum dixit, qui schedium facit inconditum & inelaboratum. Qui locus cùm plane sit corruptus, tentabimus an emendare possimus. Mihi sic legendus videtur Vnde schedia vsus quoque poëmata dixit, & versus non satis perfectos qui essent, Apuleius schedium dixit, qui schedium facit inconditum & inelaboratum. Vel in hunc modum: Vnde schedia vsus quoque poëmata dicit, & versus non satis perfectos qui essent, Appuleius à schedium schedicum facit, inconditum, & inelaboratum. Schedium ita vsurpat Appuleius de deo Socratis : In illo schedico & incondito experimini, an idem sim repentinus, qui præparatus. De schedis, schedulis, scedis, aliqua etiam legere est apud Hermolaum Barbarum castigat. Plin. lib. XIII cap. XI. & Guil. Budæum annot. in Pand. ad L. pri. §. Nauem. de exercit. Act.

SCHEMA, σχῆμα, à σχέω, siue ἔχω vt ad verbum notet habitum. Penulæ seruilis genus significâsse linguâ Syracusanâ, comprobat Scaliger in Copam his Theocriti versibus :

Τὰς αἰπόλω δ' ἔχε ταν, ...,
Σχῆμα δ' ἔχω, ...

Quare nil mirum, si similiter vtatur Plautus, cùm in Amphitryone ait :

Quod ego huc processi sic cum seruili schemâ.

Quo ex versu cognoscere est Latinos cùm declinationem mu-

tâsse,

tasse, vt in aliis multis, sic etiam quantitatem. Hoc concoquere non potuerunt Alciatus & Merulius. Itaque ille legit, *processi cum seruili schemate*: hic autem, *processi sic cum schema seruoli*. Plura hoc de Plauti loco, ac *schematis* voce diximus, lib v. Orator. Institut. cap. I. Σχήματα etiam sunt *gestus saltantium*. Plato, lib. VII. de Leg. ἡ σχήματα μίμησις τῶν λεγομένων σχημάτων γενομένη, *cerum, quæ dicuntur, imitatio per gestus*. Σχῆμα quoque redditur *species, forma, figura*: vnde εὐσχήμων, *speciosus, decorus*, εὐσχημόνως, *decore*. *Eusceme* dixit & Plautus, Menæchmis. II. II. Sic ibidem, (si Iani Guilielmij emendationem sequimur) *dulice*, hoc est, inquit, *seruiliter*, quasi δουλικῶς, à δοῦλος, hoc est, *seruus*.

SCHIDIA, Vitruuio, lib. II. cap. I. & lib. VII. cap. VI. sunt ligni fragmenta, quæ in marmore dicuntur assulæ: vt interpretatur Philander. Nomen est ἀπὸ τοῦ σχίζειν. vt Latinus à *scindo*, *scindula*. Σχίζω vnde sit, ostendimus in *Scindo*.

SCHOENVS, σχοῖνος, *iuncus*, & speciatim *iuncus odoratus*, quomodo è Latinis vsus Scribonius Largus, compositione CLXXVI. & CLXXVII. Hinc meretrices *schœnicolæ*, quasi dicentes schœnum, hoc est, *vnguentum vile è schœno factum*. Sanè minoris erat pretij vnguentum, è iunco odorato, quam è calamo odorato. Hinc Varro, lib. VI. de L. L. *Schœnicula ab scœno, nugario vnguento*. Festus: *Schœniculas appellare videtur meretrices Plautus, propter vsum vnguenti schœni, quod est pessimi generis. Itaque dixit,*

Diabolares, schœnicolæ, miracula,

Cum extritis talis, cum crotilis crusculis.

Hæc Festus. Priorem versum citat & Varro loco antè memorato, posteriorem verò Priscianus, lib. IV. Vterque verò est è Plauti Cistellaria. Idem Pœnulo Act. I. Sc. II. pro *schœnicolis* dicit *schœno delibutas*.

Miseras schœno delibutas, seruilicolas sordidas.

Nisi legere malis *cœno delibutas, scœnicolas, sordidas*. Nam clarissimus Io. Meursius *scœnicola* vult idem esse ac *cœnicola*, siue *sutea*: Plautum enim imitatione Sabinorum *scœnum* vsurpasse pro *cœnum*; quomodo *scœlum* dicere pro *cœlum*, *scœna* pro *cœna*. Sed, quod pace eius dixerim, maioris est apud me auctoritas Varronis, & Festi. Est & altera vocis σχοῖνος significatio. Nam μετωνυμικῶς non rarò accipitur pro *fune è iunco plexo*. Indéque σχοινοβάτης, *funambulus*. Vsus eo Iuuenalis sat. III.

Augur, schœnobates, medicus, magus, omnia nouit.

At eodem *schœnobaticam facere* dixit Cælius ad Ciceronem. Est & *schœnus*, σχοῖνος, mensura Ægyptiaca, LX. stadiorum, teste Herodoto, lib. II. Videri posset vox ea à Græcis, quòd *funibus* (eos Græci σχοίνους vocant, vt diximus) *metiri vias* soleant. Sed Ægyptiacam esse dicit Herodotus. Sane ab Hebræo fonte deduci posse, ostendimus in *Parasanga*.

SCHOLA à σχολὴ, id est, *otium*. σχολὴ verò à שלה, *vacauit, ociatus est*. Ab *otio* verò *schola* nomen inditum, quia otio opus iis, qui studiis vacare volunt. Aptè igitur Ausonius Idyll. XXXII.

——Graio schola nomine dicta est,

Iusta laboriferis tribuantur vt otia Musis.

Huc pertinet & illud Maronis IV. G.

——Studiis florentem ignobilis oti.

Idem *ludus* dicitur, non κατ' ἀντίφρασιν, sed quia studia sunt animi liberalis ludus. De *schola* & *ludi* vocibus ita Festus: *Schola dicta sunt, non ab otio, ac vacatione omni; sed quod cæteris rebus omissis vacare liberalibus studiis pueri debent; vt etiam ludi appellantur, in quibus minimè luditur, ne tristi aliquo nomine fugiant pueri sua fungi munere.* Etiam in *balneis* locus erat, qui *schola* dicebatur, vt ex Vitruuio constat, lib. V. cap. X. Videtur autem *porticus* fuisse circa labrum: vt etiam censet Hieronymus Mercurialis, lib. I. de arte Gymnastica, cap. X. Ac satis verisimile est nomen ex eo esse, quod istic otiosè consisterent, atque vt Vitruuius loquitur, de hoc ipso loco agens, *circumspectantes starent*. Ab huiusmodi *otio* puto quoque *scholas* vocatas, quæ erant in *Octauia porticibus*, de quibus Plinius, lib. XXXV. cap. X. *Scholas* pro *disputationibus quæ in scholis haberentur*, *Cicero* dixit in *Tusculanis*. De *scholis militarum* vide Iosephi Scaligeri epistolam in opusculis posthumis pag. CCCXCIII. *Proscholus* à *schola* dictus, idem qui *subdoctor*. Vsus vtroque Ausonius. Vide de eius munere Ios. Scaligerum, lib. I. Auson. lect. cap. XIV. & P. Fabium lib. II. ἀγωνιστ. cap. VI.

SCHOLIASTICVS, σχολαστικὸς, ἀπὸ τῆς σχολῆς, vbi se exercet. Propriè sic vocatus, qui se in fictis litibus exercet. Vt apud Plinium in epistolis: *Annum sexagesimum excessit, & adhuc scholasticus tantùm est: quo genere hominum nihil aut simplicius, aut sincerius, aut melius. Nos enim qui in foro, verisque litibus tenemur, multum malitiæ quamuis nolimus, addiscimus.* Ac similiter Hieronymum epist. ad Pammachium de obitu Paullæ: *Meminisse te puto erroris mutui, quando omne Athenæum Scholasticorum vocibus resonabat.* Sed & sumitur pro *diserto*, *inque Oratoria arte exercitato*. Sulpitius Seuerus, dial. I. *Cum sis Scholasticus, artificiosè facis vt excuses imperitiam, qui exsuperas eloquentia.* Atque ita Gennadius Massiliensis, libello de viris illustribus ait, Saluianum Massiliensem multa scripsisse *scholastico & aperto sermone*. Imo Saluianus ipse proœmio operis sui de gubernatione Dei: *Non*, inquit, *id student nostri sunt, vt salubres & salutiferi, sed vt scholastici & diserti haberentur.* Quia autem præter iuris cognitionem facundia in aduocatis & caussidicis opus est: eo postea pro his accipi cœpit, qui *veras agerent caussas*. Sic vsus Augustinus Tractatu VII. in Ioannem: *Qui habent causam, & volunt supplicare imperatori, quærunt aliquem scholasticum iurisperitum.* Sic vsus quoque Macarius, homil. XV. & XXVI. Ac in actis virginis Dorotheæ Theophilus nunc dicitur *scholasticus*, nunc *aduocatus*. Imò & lib. II. Cod. Theodos. de concuss. aduoc. *Nec latet consuetudinem nostram sæpissimè scholasticos vltra modum acceptis honorariis in defensione caussarum omnium & annonas & sumtus accipere consuesse.* Vide & l. II. de lucr. Aduoc. lib. XII. Cod. Etiam in concilio Sardicensi, can. XIII. dicitur σχολαστικὸς ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς, *scholasticus de foro*, quasi *forensem caussidicum* dicas. Nec aliter Agathiæ nomen σχολαστικοῦ adhæsit. Generalius postea accepta vox *scholastici* pro *homine erudito*, & *scholarum disciplinis exculto*. Hieronymus in catal. script. Eccl. *Serapion ob elegantiam ingenij nomen scholastici meruit.* Augustinus, lib. de Dial. *Cum scholastici solum propriè & primitus dicantur ij, qui adhuc in schola sunt, omnes tamen qui in literis viuunt, nomen hoc vsurpant.* Ita Prudentius *Hispaniarum scholasticus* dicitur VValafrido Strabo. Tandem & barbari illi *scholasticorum magistri* id nomen meruere, qui sacram scripturam ad philosophorum morem tractarent: quales Petri Lombardi interpretes.

SCHOLIVM, σχόλιον, hoc est, ὑπόμνημα, ἑρμηνεία, vt interpretatur Suidas. Est diminutiuum a σχολὴ, quà *scholasticam* significat *doctrinam*. Vel ex eo, *quòd in scholis soleat tradi*. Hinc *scholiastes*, σχολιαστὴς, *scriptor scholiorum*, quasi à σχολιάζω.

SCIATHER, σκιαθήρας, vel σκιοθήρας, à σκιὰ, id est, *vmbra*, & θήρα, id est, *indago* siue *indagatio*. Aptè igitur Vitruuius, lib. I. cap. VI. *Collocetur æneus gnomon, indagator vmbræ, qui Græcè σκιαθήρας dicitur.* Dicitur autem σκιαθήρας, & σκιοθήρας, vt σκιαμαχία & σκιομαχία. Sic σκιαθηρικὸν & σκιοθηρικόν. Est verò *sciathericon*, horologium, quo ex vmbris cognoscimus horas. Plinius, lib. II. cap. LXXVI. *Anaximenem Milesium, Anaximandri discipulum, primum horologium quod appellant sciothericum, Lacedæmone ostendisse.* Hoc Anaximandro in eius vita ex Phauorino tribuit Laërtius. Sed solum dicit, σκιοθήρας eius valuisse ad cognoscenda æquinoctia ac τροπὰς Solis: de horis tacet, nec tam antiqua videntur *horologia sciotherica*, vt ad Anaximenem, vel Anaximandrum possint referri. Sanè Aristophanis tempore, qui tanto post vixit, necdum nota erant, vt Scholiastes eius annotauit. Atque aliter si esset, aliquis Græcorum meminisset horarum ex tot eius seculi ac proximi scriptoribus, qui supersunt. Pollux tamen suspicabatur, Aristophani πόλον esse, quod iunioribus ὡρολόγιον. Atque idem de Herodoti loco dici possit. Quod si verum est, dicere oporteat, fuisse quidem ὡρολόγια, at non ita vulgo nota, sed solis mathematicis & Astrologis. Aut hoc verum est, aut etiam Pollux fuerit deceptus.

SCILLA, planta, Græcè similiter σκίλλα: vt errent, qui *scylla* scribunt: vt inter alios Ruellius semper, lib. II. cap. CI. De hac Theognidis illud in prouerbium abiit.

Οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται, οὐδ' ὑάκινθος,

Non etenim è scilla rosa nascitur, aut hyacinthus.

Est è bulborum genere: imò bulborum nobilissima, vt Plinius ait, lib XIX. cap. XX. Itaque & hinc nomen accepisse videtur *squilla*. Nempe à capite ingenti, & radici *scillæ*, bulborumque aliorum simili. Sanè Q & C, eadem sunt litera, vt alibi dictum. Et Græcis similiter dicitur κάρις, à κάρα, hoc est, *caput*: non ex ἄκρις, quod apud Rob. Constantinum in supplemento L. L. legas. A *scilla* herba est *scillitum* & *scilliticum*, vt *scillites acetum* Plinio, lib. XXXII. cap. X. item Ausonio epist. LV.

Scillito decies si cor purgeris aceto.

Hoc est, ex *scilla* præparato. Simile est ac cùm dicimus *vinum absinthites*.

SCINCVS, σκίγκος, pharmacopolis perperam *stincus*. A Niceta Comneno, lib. II de Andronico Comneno dicitur *terrestris crocodilus*, cùm sit animal terrestre. sed, vt Solinus ait, *circa Nilum*

lum frequentissimum. Dioscorides vocat κροκόδειλον χερσαῖον, *crocodilum terrestrem*: non quasi sit eiusdem generis ac crocodilus, sed quia similis crocodilo. Ideo idem Dioscorides dicit esse ἰδιογενῆ, ac sui generis Nec solum circa Nilum est, sed etiam in Lybia, Arabia, India conditi solet, salsúsque adferri: ac valet ad venerem excitandam. Vide Dioscoridem, Plinium, Æginetam. Meminit & Theodorus Priscianus his verbis: *Reparatum est & pipere, satyrio, & sinco, & eruca semine.* Vir eruditus putabat sic propriè dici pedem crocodili. Quod conuenitet cum Germanis & Belgis, quibus *schinke* notat *pernam*. Quare videri possit animal illud *scincus* dici à lacertis & cruribus, quibus lacerti modo prorepit. Sed quis credat nomen animalis Germanis ignoti esse à voce Germanica? Quare si nomen animali isti à pedibus foret, potiùs esset ab Hebræo שוק, siue Arabico סאק, id est, *crus, pes*. Sed caussa non erat, cur animal *cruris* nomine vocaretur. Et omnino cùm ex Ægypto hoc animal ad Græcos adferri soleat, Ægyptiam esse appellationem verisimilius est.

SCINDO ἀπὸ τοῦ σχιδάζειν esse volunt, ideóque sine adspiratione scribi. Magis tamen verisimile fit esse à σχίζω, inserto *n*; quo modo à λείχω est *lingo*, à κίκιννος, *cincinnus* &c. Imò Græci ipsi à σχίζω etiam dicunt σχινδαλμὸς, ac σχινδαλμὸς, hoc est, *assula*, frustum scissione aut fissione aliunde ablatum. Omnino igitur erit à σχίζω: quod ipsum eo quoque confirmatur, quod *schindo* cum *H* scribitur in antiquissimo Romano codice, vt ad I. Georg. scripsit Pierius. Putat Camerarius & *scisma* absque spiritu scribi posse, quasi à *scindendo* fictita enim scribit: *Ecclesiasticus sermo vsurpat Græcum nomen schismatos, vel sine etiam adspiratione scisimatu, propterea o sermonis Latini*. Sed *cisma* probare non ausim, cùm omnino eam vocem acceperint Latini à Græcis, qui σχίσμα dicunt à σχίζω, vt ad verbum notet *scissuram* quomodo Maro dixit. II. Æn.

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Retinet *schismatis* vocem Euangelistæ Ioannis interpres, cùm ait, *Erat schisma inter eos.* Poterat tamen dicere *dissensio*. Σχίζω verò est à חצה, id est, *dimidiare*, vel à סכשׁ, id est, *scindere*, siue סכשׁ, id est, *findo*. A *scindo* quoque fuerit *scandula*, tabella ex arbore aut ligno assulatim scisso: vnde *tectum scindulare*. In vulgatis Cæsaris, Plinij, Palladij, Vitruuij aliorúmque codicibus *scandula* & *scandulare* plurimum legas per *A*: rectene, an secus, vide in ijs, quæ voce *scandula* diximus. Alteram quoque vocis *scindula* notione adfert idem Isidorus, lib. XVII. cap. III. vbi inter *frugum genera* recenset, itidémque à *scindendo* dici monet. Catholicon, imò & Becmanus, censent à *scindo* quoque esse *scintilla*, quasi *scindilla*, quia flamma videtur quasi *scindi*, dum *scintilla* excutitur. Sed longiùs id arcessitum. Veriùs sic dici *scintillam* quasi *spintillam* à σπινθὴρ, quod idem, Gloss. Philoxeni: *Scintilla*, σπινθήρ.

SCIO & *scientia* vnde veniant, subtiliter exquirit Iulius Scaliger, in lib. I. Theophrasti de caussis plantarum, cap. V. *Ratiocinatio*, inquit, *motus quidam est, scientia quies, vnde & nomen tum apud Græcos, tum etiam nostrum. Παρὰ τὸ ἐπὶ ἱστάναι, ἐπιστήμη. Sistitur enim mentis agitatio, & fit species in animo. Sic Latinum Scientia, ὅτι γίνεται χῶρος τοῦ ὄντος. Nam Latini quod nomen Entis simplex ab vsu abiecerunt, atque repudiarunt, omnibus actiuis participijs idem adiunxerunt. Audiens, ἀκούων ὤν. Sciens, χῶν ὤν.* Hæc vir summus. Sed quanto simplicius, &, vt ego censeo, verius fuerit, *scio* & *scientia* esse ab εἴω, quod Homerus quidem pro λέγω vsurpat, sed εἰδῶ idem est ac εἴω vel εἰδέω, à quorum altero etiam venit. Nam ab εἰδέω, vel potiùs εἴδω est εἴσω, vnde ἴσημι, pro quo dicimus ἴσαμι. Vel erit ex ἴσω contracto ex ἰσάω, vnde ἴσαμι. A *scio* est, *scitus*: hoc est, εἰδώς, vt interpretantur Glossæ Philoxeni. Vsus eo (vt Priscianus ait in IV.) cùm Appuleius in I. Hermagoræ, tum Pacuuius in Teucro: *Postquam defessus perrogitando aduenas de natis, neque inuenit scitum.* Est & apud Nonium, qui hoc *scitus* & *conscitus* differre ait, quod *scitus secum, conscitus cum alio scitus est*. Sed, vt ibidem agnoscit Nonius, *conscitus indifferenter positum legitur*. Ab eadem origine est *sciolus*, qui cum pauca sciat: multa tamen scire sibi videtur. Item hinc *inscius*, *nescius*, *prascius*, *multiscius*, *omniscius*. Item *conscire* pro *conscium esse*. Horat. lib. I. Epist. I.

———*Hic murus aheneus esto,*

Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

Hinc *conscientia*, quæ propriè actus potius est, quàm potentia. Est enim *scientia*, sed (quod præpositio *con* indicat) relata ad actum aliquem, de quo Deus iudicium suum scit, & homo conscit. Similitérque Græcis dicitur συνείδησις, Germanis *gewissen*, ab eodem, *scio* est *scisco*, vt ab *hio*, *hisco*. Plautus, Amphitr.

Ocyus accurro, vt sciscam, quid velit.

A *scisco* est *rescisco*. Item *sciscitari*, de ijs qui aliquid scire laborant, eóque quos *scios* rei putant, interrogant. Sed *sciscere* interdum abit à prima notione, & significat *decerno*, vnde *scita Pontificis*, apud Liuium, lib. I. & compositum eius *plebiscitum*, & *consciscere fugam*, apud Liuium & Tacitum, *consciscere facinus*, apud Brutum, epist. ad Ciceronem, *consciscere mortem*, apud Ciceronem & alios passim. In quibus est μετάληψις consequentis. Nam cùm *consciscere mortem, aut fugam*, propriè sit *decernere*, sumitur hic pro *exsequi quod decreuerit*. *Adsciscere* est *adiungere & assumere*, vt exponit Festus. Gloss. vett. interpretantur προσλαμβάνω. Verbo *adsuere* similiter vsus Maro, in XII.

Si Turno exstinctos socios sum adscire paratus.

Ita in optimis libris pro *accire* legi, auctor est Pierius. Non audiendi, qui *adscisco* conflatum aiunt ex *ad* & *cio*. A supino *scitum* est *scitari*: vt apud Maronem, II. Æn.

———*Scitatum oracula Phœbi*

Mittimus.———

Caussa originis eadem est ac in *scisco*. Quia verò quod scienter doctéque fit, id elegans esse solet, hinc *scitus* pro *pulchro*. Gloss. Philox. *Scitus*, ἐπιδέξιος χαρίεις. Gloss. Cyr. Εἰδήμων, *gnarus, scitus sciens*. Onomast. *Scitè*, ἐπιμελῶς. A quâ notione etiam *scita edulia*, Plauto, Appuleio, ac Macrobio *scitamenta* appellantur. Onomast. *Scitamenta*, ἡδύσματα.

SCIRPVS est σχοῖνος, id est, *iuncus*. Festus: *Scirpus est id, quod in palustribus locis nascitur leue & procerum, vnde tegetes fiunt.* Addit deinde hinc natum prouerbium, quod apud Ennium legitur:

Quæritur in scirpo soliti quod dicere nodum.

Nimirum, quia *scirpus* est enodis. Adducit & hoc Nouij in Phœnissis: *Sume arma, id est, an occidam claua ferrea?* Vbi legendum, *Sume arma. Quid est? an occidam claua scirpea?* Vt respondeat alter: Quid iubes arma sumi, vbi nihil est periculi? Nec enim *scirpus* pro claua vel lancea esse potest nisi si ranis & muribus sit decertandum. De *scirpo* eadem penè habes apud Isidorum, lib. XVII cap. IX. In Glossis Philoxeni est: *Scirpus*, φλοῦς, παπυρεύς. Vbi φλοῦς & πάπυρος coniunguntur, quia & *scirpo* & papyro in iisdem vtebantur veteres. Vt tum in candelis, quia & *scirpum* & papyrum cerâ circumdabant ad lumina: tum in funeribus, quia lectuli, cum quibus cadauera imposita comburebantur, papiro & *scirpo* farciebantur. De priori est illud Paullini:

Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Ad lectulos papyro fultos pertinet hoc Martialis, lib. VIII. epist. XLIV.

Fartus papyro dum tibi torus crescit.

Scirpum ad vtrumque vtilem esse indicat Plin. lib. XVI. c. XXXVII. vbi & alios eius vsus exponit. *Scirpi*, inquit *fragiles palustrésque ad tegulum, tegetesque, è quibus, detracto cortice, candela luminibus, & funeribus seruiunt.* Puto autem *scirpus* & *sirpus* idem esse. Ac à *sirpus* esse *scirpus*, C inserto, vt à σπέος, *specus*, à βοῶ, *voco*, à *nuns* vls. si vbi, *nunc vbi*, *sicubi*. Mouet me, quod *sirpus* sit à *sirpo*, id est *ligo*, *vincio*, *colligando implico*. Vnde *sirpus* μεταφορικῶς γρῖφος. At *iuncus* eam ad rem vtilissimus Virgil Ecl. II.

———*Quorum indiget vsus*

Viminibus, mollique paras detexere iunco.

Et Germanis *scirpus* siue *iuncus* dicitur *bintz* à *binden*, quod est, *ligare*, *vincire*. Ac σχοῖνος quoque à σχεῖν, *retinere*, quia *iunco* vincimus, vt quid retineatur. Quemadmodum igitur σχοῖνος propriè *iuncus*, & μεταφορικῶς *funis è iunco textus* ita & *sirpus* primo *iuncus* atque idem planè quod *scirpus* μεταφορικῶς verò pro eo quod è iunceis textum & vinciendo implicatum. Atque hæc caussa, cur *sirpus* ponatur pro ænigmate. Iunci quidem sunt enodes: sed τὸ γρῖφος nodis est implicatum. Etiam *sirpi* & *sirpicula* dicebantur *nassa piscatoria*: quibus vbi se piscis insinuauerit, exitus non patet. Atque indè etiam non incommodè ænigmati nomen datum sit *sirpi*. Vide quæ diximus in *Griphus* & *Sirpare*.

SCIVRVS, σκίουρος, à σκιά, id est, *vmbra*, & οὐρά, id est, *cauda*: quia in æstu vmbram sibi facit caudâ suâ: vnde & Oppianus sub finem I. κυνηγετ. eam comparat cum pauone explicante caudam suam, iuxta illud Sulmonensis poëtæ:

Laudatas ostentat auis Iunonia pennas.

Aliter vocatur ταναΐσουρος, à τανύω τὴν οὐρὰν, hoc est *flexu caudæ*. Item ἐρίουρος ob caudæ magnitudinem. Nam ἐρι augeт in compositione vel notum. Hesychius Ἐρίουρος, ζῷον, ὁ καὶ ταναΐσουρος ἢ ἐπὶ μᾶλλον ἐρίουρος. De *sciuris* vide Olaum Magnum, lib XVIII. cap. XIII & seqq.

SCOBS prius fuit *scobis*. Gloss. Ῥίνημα, *scobis*. Sic dicitur quasi *scabis*, quia *scabendo* abraditur. Hinc *scobina* dicitur, quæ Græcis ῥίνη. Nempe vt à ῥίνη ῥίνημα, sic à *scobe scobina*. *Scobina* est lima, quâ cum aspera leuigantur, quod cùm fit, *scobs* decidit. Varro, lib. VI. de L. L. In Neruolaria: *Scobinam ego illam actutum*

actutum abrasi. Scobinam à scobe ; lima enim materia fabrilis est. Isidorus, lib. XIX. cap. XIX. *Scobina dicta, quòd radendo scobem faciat.* Sic legendum. A *scobe* etiam est *descobinare*. Arnobius, lib. VI. *Tornis rasa, descobinata, dolitas*, hoc est, ἀποξυσθέντα.

SCOLIVS *pes*, idem ac amphibrachys: ita dictus à *scolio*, *citharæ genere*, cui habiliter comparabatur: vt ait Diomedes. At *Scolium carmen* dictum, quod in conuiuijs canebatur ad citharam: atque id ferè in virorum fortium laudem ; Σκολιὸν, hoc est, *obliquum*, vocabatur διὰ τὸ σκολιωτάτην τὴν ᾠδὴν. Nec enim iunctim canebatur, vt in choris & nuptijs ; nec sic vt ad proximè considentem ordo canendi transiret sed vt quisque cùm cecinisset, lauri vel myrti ramum & canendi ius traderet ei cui voluisset, vel, siquis ordo erat, is fuerit, vt ei daret, qui ex aduerso consideret, ita vt à summis quidem ad infimos ordo perueniret, sed ad modum, quo reciprocatur serra. De huius vocis etymo multa congesserat Didymus, in tertio Συμποσιακῶν ; vt ex Etymologo constat. Inuentionem eius Terpandro tribuit Plutarchus, de Musica. Quem vide. Vti & Athenæum, lib. XV. Aristophanis doctissimum Scholiastem & Suidam. Item Cæsarem Scaligerum lib. I. de re poetica ; & quæ ad Procli Chrestomathiam congessit Andreas Schottus, & quos ibidem laudat auctores.

SCOLOPENDRA. σκολόπενδρα. insectum octipes venenatum, cuius in altero extremo, quod caudæ loco habet, supereminet corniculum, quasi surculus impactus: à quo nomen creditur accepisse, nempe quasi σκόλοπα ἐν τῇ οὐρᾷ. Ab ea dicitur *planta scolopendrium*, σκολοπένδριον. Sed aliud σκολοπένδριον Theophrasti, aliud Dioscoridis. Illud Dioscoridis sic vocatur, quia *multis incisuris quodammodo refert pedes scolopendræ*. Alterum ita dicitur, quia *valet contra scolopendras, & similium morsus*.

SCOMBRVS, σκόμβρος. Vide de hoc pisce Rondeletium. Ab eorum copia Herculis *insula*, quæ prope Carthaginem, *Scombraria* nuncupata.

SCOMMA, σκῶμμα, ἀπὸ τοῦ σκώπτειν. Gloss. Cyrill. Σκῶμμα, *cauillatio*. Σκώπτω, *cauillor*.

SCOPÆ Perotto dici videntur quia *scobem* euerrunt. Possis & deducere à *scabo*, vel σκάπτω, quia ijs pauimentum scabitur, ac σκάπτεται, hoc est, *foditur ac fulcatur*.

SCOPVLVS à σκόπελος, quod idem notat. Dicitur autem σκόπελος, iuxta Etymologum, ὅτι ἐπ' αὐτοῦ σκοπεῖν ἐστιν ἀσφαλῶς. Ex loco enim editiori, cuiusmodi sunt rupes, commodè speculamur. Seruius, in I. Æneid. *Scopulus*, inquit, *aut à speculando dictus, aut à tegumento nauium*, ἀπὸ τοῦ σκεπάζειν. Sed prius rectum, dummodo non à Latino deducas ; sed à σκοπεῖν, quod est, *speculari*. Quod & Hesychij nos verba docent: Σκόπελος ὑψηλὸς τόπος, ἢ πέτρα, ἢ ἀκρώρεια, ἀφ' ἧς ἐστι σκοπεῖν τὰ κύκλῳ. Interdum verò *scopulus* est ὑποκοριστικὸν à *scopus*, vt apud Suetonium in Domitiano: *Nonnunquam in pueri procul stantis, præbentisque pro scopulo dispansam dextræ manus palmam, sagittas tanta arte direxit, vt omnes per interualla digitorum innocuè peruaderent.*

SCOPVS, σκοπὸς, à σκέπτομαι, *video considero*. Nam ad scopum collimat sagittarius. Περσεύς in Persius:

Est aliquid, quò tendis, & in quod dirigis arcum ?

Σκέπτομαι verò à שקף, quod idem notat.

SCORDALVS apud Petronium Arbitrum inuenitur ; item Senecam. ep. LVI. & LXXXIII. Idem valet ac *ferox*, prout exponitur in Glossis Isidori. Sunt quibus placeat esse à σκῶρ, *stercus* : vt *hominem* notet *sordidum*. Alij deriuant à σκόροδον, hoc est, *allium*, vt dicatur quasi *scorodalus*, propriéque signet *hominem qui allium olet*, *& illuuie squaloréque ingratum præbeat odorem*. Vti ille seruulus Plautinus, qui audire cogitur:

Germana illuuies, obeluisti allium.

Placuit posterius istoc etiam Turnebo, Aduers. libro VII. capite IV. Sed veram, vt puto, nominis caussam attulit Salmasius. Nam ait eo pro *ferri* vel *audaci* sumi, quia soleant gallis gallinaceis dare *allium* edendum, vt alacriùs pugnent. Σκορδαλ igitur idem ac ἐσκοροδισμένος ; quod propriè notat *allio pastum*, sed μεταφορικῶς ponitur pro *audaci*.

SCORIA, fex ac retrimentum ferri æris, vel alterius metalli. Plinius: *Quæ è cantino iactatur spurcitia, in omni metallo vocatur scoria.* Græcè est σκωρία. Corripere tamen primam videtur Maro siue alius, in Ciri : cùm scribit :

Sordibus & scoria patiar tabescere tali.

Quo offensus Scaliger pro *scoria*, *scabie* legere iubet. Sed nihil mutatione opus, quia *scoria* dissyllabam est κατὰ συνίζησιν. Dicitur σκωρία à σκῶρ, *stercus*, Itaque quod Græcè esset σκωρία σιδήρου, hoc commodè *ferri stercus* appellatur à Scribonio Largo.

SCORPIVS vel *scorpio*, σκορπίος, παρὰ τὸ σκολιῶς ἕρπειν, quòd *obliquè repit* : vel παρὰ τὸ σκορπίζειν τὸν ἰὸν, quòd *iaculum siue venenum spargat*. Vtrumque etymon ponit Etymologus : sed hoc scorpioni terrestri, illud marino magis putat conuenire. Auenarius verisimiliùs, qui venire censet ab Hebræo עקרב, ע in ס verso. Vtitur Moses, Deuteron. VIII. 15. & III. Reg. XII. 11. & 14. & II. Paralip. X. 11. & Ezech. II. 6. Quibus in locis ab interprete σκορπίος versum est. Vel σκορπίος sit à שרף, *shoreph*, id est, *inflammans* : quod à שרף, *inflammare*, quia ictu suo venenato inducit corpori ardorem tumorémque. Est & *scorpio* piscis, ita dictus, quia instar terrestris *scorpij* pungat, venenúmque affundat. Meminit & Isidorus, lib. XII. cap. VI. Item est *scorpio* genus machinæ bellicæ, apud Hirtium de bello Afr. Senecam quæst. Nat. lib. II. cap. XVI. Vitruuium, lib. I. cap. V. Erant verò vel maiores vel minores, quæ ab Ammiano ὑποκοριστικῶς *scorpidia* dicuntur. Ita verò vocabantur, vel, quod Heroni placuit, à forma, quâ *scorpium* referebant : vel ab effectu, quod, vti *scorpius* caudæ ictu, ita machina hæc spiculis paruis mortem adferret. Tertullianus, Scorpiaci aduersus Gnosticos cap. I. *Vnde & bellicam machinam, retractu tela vegetantem de scorpio nominant. Id spiculum & fistula est parula tenuitate in vulnus, & virus, qua figit, effundit.* Vegetius *Scorpiones dicebant, quas nunc manuballistas, ideo sic vocati, quod paruis subtilibúsque spiculis mortem inferant.* Vide de his Lipsium, lib. III Poliorcet. dial. IV. *Scorpiones* quoque, (quemadmodum ex scriptoribus de limitandis agris discere est.) dicuntur acerui, qui fiunt iactis lapidibus, vt termini loco sint. Docet Scaliger comment. in Ætnam nomen esse ex eo, quòd *in metam desinant*. Nam Græcis σκορπίος dicitur, *quicquid in metam aut conum fastigiatum est, ad modum caudæ scorpij* : vnde & *cincinnus crinium in puero* sic vocabatur ac herba etiam, quam dixere *vuam marinam*, hinc σκορπίου nomen inuenit.

SCORTEVM est *pelliceum*. Glossæ Philoxeni : *Scorteum*, σκύτινον, δερμάτινον. *Scortea*, δερματοχίτων. Glossæ Cyrill. Σκύτινος, *scorteus*. Festus : *Omnia ex pellibus facta scortea appellantur. Scortes, id est, pelles testium arietinorum ab ijsdem scorteis pellibus Verrius dictas ait* : Etiam *pharetra* hinc *scorteum* dicebatur : si vere vulgò legitur apud Festum : *Scorteum ab eadem caussa, qua scortum vocabatur pelliceum, in quo sagitta reconduntur, ab eo, quod ex pellibus factum est, quia pellibus nomen à σκύτος, quod pellis ; vnde scortica & scuta, quia non sine pellibus sunt.* Sed Salmasius ex codice soceri sui Iosiæ Merceri, V. CL. sic legebat : *Scrautum ab eadem caussa, qua scrotum, vocabatur pelliceum, in quo sagitta reconduntur.* Et fauent Glossæ Philoxeni, vbi est, *Strautum*, θήκη δερματίνη βελῶν, id est, *pellicea sagittarum theca*. Nempe *strautum* scriptum *scrautum*, familiari errore literæ *t* pro *c*. *Scrotum* autem dicit esse eiusdem originis : quod mirum non est. Nam *au* & *o* commutantur : vt *caurus corus*, *plaustrum plostrum*. Itaque idem Salmasius apud Propertium legit :

Non tot Achemenijs armantur scrauta sagittis.

Vbi vulgo *Etrusca* pro *scrauta*. Censet, vt vidimus, Festus *scrautum*, vel *scrotum*, esse à σκύτος, inserto *R*, vt à *rodo*, *rurus*. Sed, vt contra sentiam, facit, quod Festus ipse ait, *scorteum* esse *pelliceum*, *in quo sagitta reconduntur*. Vbi duo spectanda, quod docet *scorteum* esse φαρέτραν siue *pharetram*, & quod eam dicit fuisse *pelliceam*. At Hesychius est testis, Græcis γωρυτὸν dici φαρέτραν ; & θύλακον siue *saccum*. Ex γωρυτὸς autem fuerit *scrotum*, & *o* in *au* abeunte, *scrautum*. Σ præmisso, vt à κάραβος, *scarabæus* ; à γλάφω, *scalpo* ; à γρύτη, *scruta* ; & sic in aliis. *Pelliceam* verò fuisse *thecam sagittarum*, etiam Hesychius indicat in γωρυτοῖσι ; vbi vocat δερματίνους κωλεούς. Quare puto γωρυτὸν propriè & primò *pelliceum* notare, sed speciatim de *pharetra* dici, quia *saccus* esset *pelliceus*. Nempe fortasse *tellus* γωρὸς lingua veteri : עור, quod Hebræis *pellis* : nec ab Hebræo vel Græco illo multùm abit Latinum *corium*. Laconibus γωρυτὸς. Hesychio teste, erat σαρκοῦν, quod est, *carne opplere* : sed forsitan sit *cute carneque obducere*. Sanè vicina hæc. Sed vnde *meretrices* dicuntur *scorta* ? Nunnesio in Grammatistice placuit *scortor* esse à κοτέω, *inquino*. Nempe *K* in *C*, *N* in *T* conuerso. Quod probare non possum. Festum potiùs audiamus : *Scorta appellantur meretrices ex consuetudine rusticorum, qui, vt est apud Atellanos antiquos, solebant dicere, se attulisse pro scorto delicularum ; namque ex pellibus facta, scortea appellantur.* Vbi pro *delicularum*, nihili voce, corrigunt *pelliculam* : quia mox sequitur de *pellibus*. Saltem hæc ostendunt à *scorteo* siue *pelliceo* appellationem esse *scortis* : siue quia *scortis* olim *induta* siue vt κατ' εὐφημισμὸν *pelis* pro *feminæ corpore* ponatur vt Belgæ dicunt de impudica *een vuyl vel*, hoc est, *tur-*

pis

pis pellis: de improba, *cen quasi vel mala pellis*. Quamquam & aliæ possunt esse caussæ. Vt quod tè prostituentes pellem suam ostentent.

SCOTIA est *pars cava in ima columna*, ita dicta, quòd cavitas illa afferat obscuritatem. Nam σκοτία & σκότος sunt *tenebræ*. Vsus Vitruuius. lib. III. cap. III. & lib. IV. cap. III. Hesychio σκοτία μέρος τι κίονος τῆς ἀρχιτεκτονικῆς ... Idem exscripsit Varinus. Sed falluntur, vt ex Vitruuio liquet: cui in re architectonica potior habenda fides. Vide Bernardinum Baldum de vocibus Vitruuianis.

SCOTOMA Græco nomine dicitur, quod Latinè est *vertigo*. Estque σκότωμα à σκοτόω, quod notat *oculorum caligine tentari*, à σκότος, *tenebræ*, *caligo*. *Vertigo* autem dicitur à *vertendo*, quia omnia circumagi videntur. Isidorus. lib. IV. cap. VIII. *Scotoma ab accidente nomen sumpsit, quod repentinas tenebras ingerat oculis cum vertigine capitis.*

SCRAPTA *mulier* pro *meretrice* dixit Titinnius, teste Festo, qui Verrium scribit nominis originem petisse à *screatu*. Eandem ἐτυμολογίαν legas apud Varronem, lib. VI. Sed apud hunc pro *scrapta*, editum *scrancia* vel *scractia*. Imò in plerisque Pauli codd. MSS. est *Sarta*. Sed in aliis ac schedis Festi Farnesianis est *Scrapta*. Pro quo est Nonius, in quo itidem *scrapta* inuenias. Verisimile autem veteres *scracere* dixisse pro χρέμπτεσθαι. Inde tunc commodè & *scrapta* & *scractia* deduxeris cum Ios. Scaligero. Porrò *scracere* & χρέμπτεσθαι facta videntur à sono. Turnebus non tantum in postumis ad Varronem notis, sed ipsis etiam aduersariis, lib. XXIII. cap. XVIII. putat cùm Varronem, tum Festum Noniumque scripsisse *scracta*, dictque id nomen quasi *sputa*, hoc est, non minus contemnendæ quam quæ *sputa* appellamus, id est, quæ exscreamus & exspuimus. Pro hac ἐτυμολογίᾳ sunt Varronis codd. in quibus *scruncttia* vel *scractia* legi diximus.

SCREO est ὀνοματοποιητικόν, vt & Græcum χρέμπτεσθαι, à quo Χρέμης Comici senis nomen, quia *senes multum screare solent*. Onomast. *Screo*, χρεμπτομαι. *Screabile*, χρεμπτόν. Sed *screabile* ἀνάλογον quidem foret: non tamen est in vsu. A *screo* est *exscreo*, non à *creo* quod Perottus putabat.

SCRIBO Goropius Becanus, more suo, sub finem libri secundi Hieroglyphicon, arcessit à Belgis, quibus *scribere* est *schrijven*, *scrijven* autem censet esse à *scrabuen*, quia linea scribendo quasi *scabatur*. Vnde & et Germanicum *schreiben*, & Belgicum *schrijf*. Sed planè *scribo* est à χαράσσω, γ in *c* conuerso, quæ est Nunnesij in Grammaticâ sua sententia: S capiti apponitur, quomodo à γλύφω, *sculpo*, à χρίω, *scrio*. At χαράσσω à חרט, *charat*, quod idem notat. Est hæc sententia Ioannis Auenarij, vt ט in ד conuertatur. Vel est *scribo* à σκαριφάομαι, *scribo*, *scriptura*: vel ab Hebræo, ספר, quod est *recensere*, *scribere*: quomodo Psal. LVI. *scripsisti* exponitur à R. Dauid, item ab aliis Psal. CXXXVII. VI. Atque inde ספר, *scriba notarius*. Quis Latinis dicatur *scriba*, docebit Festus. *Scribas proprio nomine antiqui, & librarios, & poetas vocabant: at nunc dicuntur scribæ quidem librarij, qui rationes publicas scribunt in tabulis*. Sed de *scribis*, vide quæ fusè notat Barthius Aduersariorum lib. LX. in B. Augustini de Ciuitate Dei lib. I. cap. VI. A *scribo* quoque est *scriptura*: quomodo etiam dicebatur *vectigal pastionis*: nempe quia qui pecudes in pascuis publicis pascerent, numerum pecudum apud publicanos profiterentur, atque hi eum in commentarios referrent. Atque hoc qui faceret, *scripturarius* vocabatur: quia vectigal illud, quod *scriptura* dicitur, exigeret. Vtitur Lucillius apud Nonium in *scripturarius*. Ab eodem est *scribillo*: item à *conscribo*, *conscribillo*: quo vsus Varro Marcipore, & columnâ Herculis, siue περὶ δόξης. item Catullus, carm. XXV. Secunda in eo correpta est, vt in *mamilla* à *mamma*; *mitella* à *mitra*, *sigillum* à *signum*; *tigillum* à *tignum*: *quasillum* à *qualum*. Ab *adscribendo* milites *adscriptitij* dicuntur. Varro, lib. VI. de L.L. *Adscriptitij dicti, quod olim adscribebantur inermes, qui succederent armatis militibus, id est, si quis eorum deperisset*. Vide & Festum in *Adscriptitij*. Lusit in eo vocabulo Plautus, Menæchmis, Act. II. *Patres conscripti*, Festo teste, *dicebantur, qui ex equestri ordine patribus adscribebantur, vt numerus Senatorum expleretur*. *Inscribere*, ἐπιγράφειν, vt. *inscribere ædes mercede*, in Heaut. Et Cic. in Tusc. *liber qui inscribitur Memnon*. Item στίζειν. Plin. lib. XXII. cap. I. *Mares etiam apud Dacos & Sarmatas corpora sua inscribunt*. Vnde *inscripti*, οἱ στιγματίαι. Vt:

Quatuor inscripti portabant vile cadauer.

SCRINIA, (quâ voce etiam Græci posterioris æui vtebantur) Perotto ita quasi *secerninia* dicta putantur, quia *secernerentur* in iis, quæ seruarent. Sed omnino est *scrinium* è χηρίον, quod diminutiuum à χηρὸς. Σ præmittitur, vt à γλάφω, *scalpo*, à χύτη, *scutum* à τρέμω, *tremo*. Γρᾶα est *cauerna*: sed speciatim aliis aptatum, vt *capsæ interius, in qua justicia reponuntur*. *Scrinia* itidem *capsa* siue *arculæ*, in quibus libros, chartas, vel alia ejusmodi recondimus, vt etiam Isidorus testatur lib. XX. cap. IX. Vide Glossas Basilicorum. Σκρίνια, ἀρμάρια. Martialis lib. I. Epigr. LXVII.

Quæ nouit vnus, scriniòque signatas
Custodit ipse virginis pater chartas.

Hinc in Iure crebrò memorantur *scrinia palatij*, seu *principum*: quæ varij erant generis: vnde in Notitia Imperij legas: *Magistri scriniorum erant quatuor, memoriæ, epistolarum, libellorum, epistolarum Græcarum*. Et in Notitia Constantinopolitana: Μετὰ τῶν ποσάρων μαγίστρων τῶν σκρινίων λογοθέτης, *Scrinij magistrum* Alexandro fuisse Vlpianum, auctor est Lampridius. Hi & *scriniarij* dicti. Vetus Glossarium: *Scriniarij sunt magistri scriniorum, vel memoriales scriniorum*. Item: *Scriniarij*, Σκρινιάριοι, ἢ χαρτοφύλακες. Suidas: Σκρινιάριος, ὁ χαρτοφύλαξ τοῦ ἐπάρχου, ... Meminit & Etymologici auctor.

SCRIPLVM ex *scripulum*, quod in vett. codd. nonnunquam inuenitur. Hoc corruptum ex *scriptlum* quod Charisij æuo obtinuit; *scriptlum* factum ex *scriptulum*, quod veteribus fuisse in vsu cùm ex eodem Charisio patet (cuius verba mox ponam,) tum ex notis Tironis ac Senecæ, pag. CXLIX. Est verò *scriptulum* à *scribendo*: vnde cognoscere est & Græcis similiter γράμμα dici ἀπὸ τοῦ γράφειν, non, vti voluit Michael Neander, à *numero literarum*, quæ totidem sunt, quot vnciæ attribuuntur & scrupula. Idem autem esse γράμμα & *scriplum* indicat hoc versu Remus Fannius, siue vt alij appellant, Rhemnius Fannius Palæmon

Gramma vocant scriplum nostri dixere priores,

Idem confirmant Glossæ Philoxeni, in quibus legere est: *Scripulum*, γράμμα, ὀβολός. De voce *scripli* ac *scripuli*, ita Charisius Sosipater, lib. I. *Scriptulum, quod nunc vulgo scrupulum dicunt, Varro in Plautinis dixit. Idem III. Annali. Nummum argenteum conflatum primum à Seruio Tullio dicunt, is quatuor scriptulis maior fuit, quàm nunc est*. Multi, ac Medici comprimis, pro *scriptulo scrupulum* vsurpant, atque id à *scrupo* dictum putant. Sanè monet Gruterus in notis Tironis & Senecæ, codicem vnum habere *scrupulum*, alterum verò *scriptulum*. Elias quoque Vinetus, in annotationibus ad Priscianum de ponderibus, scribit, non vno Martialis loco, itémque in aliis scriptoribus antiquos codices habere & *scripula* & *scrupula*, ac censet idem, vt pro *carnifex* dixere *carnufex*, ita & è *scripulum scrupulum* factum esse. Mihi quoque ita se probant *scriplum*, *scripulum*, *scriptlum* & *scriptulum*, vt tamen *scrupulum* haud damnare ausim. Fuit autem *scriplum* siue *scrupulum* vigesima quarta vnciæ pars, vt cum ex aliis, tum ex Ant. Augustini obseruationibus constare potest.

SCROBS prius fuit *scrobis*. Atque integrum hoc etiam legas apud Columellam, lib. X. Est à σκάπτω, *fodio*, inserto *r*: vel potius à σκαριφάω, quod idem ac σκάπτω. A *scrobe* fortassis *scrofa*. Quia gaudet scrobes facere. Quo pertinet quod à sue putant esse ostensam rationem arandæ terræ, indéque esse quod *vomer* ὕνις dicatur, ab ὗς, *sus*. Ita Plutarchus, lib. IV. Sympos. probl. V. Vnde *Scrofa* cognomen adhæserit familiæ Romanæ, Varro docebit, lib. II. de R.R. cap. IV. & Macrobius, lib. I. cap. VI.

SCROTVM κατὰ μετάθεσιν è *scortum*, hoc est, *pellis*. Est enim *scrotum* pellis continens testiculos. *Scortum* verò propriè *pellem* notare, satis indicat vox *scorteus* pro pelliceo. Vide *Scortum*.

SCRVPVS à Festo exponitur *saxum asperum*, difficiléque *attrectatu*. Videtur esse à σκληρός, quod est σκληρός, *durum*: item λατόμημα, *cæmentum*. Vtraque interpretatio est apud Hesychium. Vel est à σκῖρος, quod idem ac σκίῤῥος: éstque *callosa durities*, qualis est lienis, hepatis, vteri malè affecti. Item notat *scrupum*, *calculum*, vnde σκιραφεῖον vel σκιροφεῖον, quod Suidas exponit κυβευτήριον, locus vbi conueniretur, vt *scrupis* seu calcibus luderetur: item aleatorum siue eorum, qui tesseris ludunt conuentus. Vsus Isocrates, & apud Suidam Theopompus. Similéque est apud Pollucem ex Amphide σκιραφώδης, hoc est, κυβευτικός. A *scrupus* dicitur *scruposus* victus, apud Plautum Captiuis, pro aspero, quique nihil habeat nisi terrâ natum, quam Horatius dixit *sine sanguine cœnam*. Ab eodem dicitur *scruposus*. Lucretius. lib. IV.

——— *Haud quaquam ratio scruposa relicta est.*

Quod si Lambinum audimus, Cicero quoque vsus sit IV. Tusc. quæst. Sic enim legit: *Reliqua, quoniam tanquam à scruposis cotibus enauigauit oratio*. Sed cum, vt à *scrupus* est *scruposus*; sic à *scrupulus* sit *scrupulosus*, nihil est caussæ, cur improbetur *scrupulosis*, quod in vulgatis legitur. Manutius in posterioribus editt. substituit *scopulosis*, sed improbante id meritò Francisco Fabricio. A *scrupus* quoque est *scrupeda*, quo vocabulo vsus Plautus, Neruolariâ, vt Varro testatur VI. de L.L. Est conuicium in meretrices. Eius ἔτυμον non satis perspexisse videntur

Aurelius, aut Iuuentius Comicus. Est enim à *scrupus* & *pes*, quasi quæ per *scrupos* ac lapillos eant. quo incessu difficultas significatur. Nisi potiùs, vt *stritauus* dixere pro *tritauus*, sic *scrupeda*, dixerint pro *crupeda*, à Græco κρουπέζα, quomodo, Hesychio teste *lignei calcei*, quos Latini appellant *sculponeas*: vnde homines duris & quasi ligneis pedibus, eodem teste, κρουπέζοι vocantur. Varronem vide, ac imprimis Scaligeri Coniectanea.

Scruta à Græco γρύτη, quod idem significat. Gloss. Phil. *Scruta*, γρύτη. ac similiter Gloss. Cyr. S appositum more Æolum, qui dicunt pro μῦς σμῦς, pro μικρός σμικρός. Sic à τρία veteres dixere *stria*, vnde *stritauus*, pro *tritauus* teste Festo. Similiter *stritare* dixerunt pro *tritare* à *terendo* iuxta Scaligeri restitutionem: qui & *scrupeda* itidem factum putat è κρουπέζα, quod idem ac κρούπεζα. Vide *Smaragdus*. & *Scrupus*. *Scrutorum* verò seu γρυτῶν nomine pro quo & γρυτάρια dicitur, intelligenda *vasa vilia*, cuiusmodi *friuola* & dicebantur, vnde *Friuolaria*. Plautinæ comœdiæ nomen, quæ deperiit. A *scrutum* est *scrutarius*: qua voce vsus Lucillius apud Agellium, lib. III. cap. XIV.

Quidni? & scruta quidem vt vendat scrutarius laudat.
Præfractam strigilem, soleam improbus dimidiatam.

Hin *scrutariam facere* apud Appuleium, lib. IV quod ex illo Horatij exponas licet lib. I. ep. VII.

Vilia vendentem tunicato scruta popello.

Nisi cùm aliis interpretari malis *scruta furari ac connasare*. Sed prius firmant Gloss. Cyrilli. vbi est γρυτοπώλης, *scrutarius*; γρυτοπώλιον, *scrutarium*, hoc est, locus in quo *scruta* venduntur. A *scrutis* non displicet vt sit *scrutor*. Ita *scrutari* propriè sit è ruderibus aut locis, in quæ veteramenta reiiciuntur, eruere quædam *scruta* friuoláque vsui accommodata. Firmant hanc sententiam Glossæ Philox. vbi est. *Scrutatur*, γρυτεύει, ἐρευνᾷ. Aliis placet *scrutor* κατὰ μετάθεσιν fieri à דרש, quod est, *inquirere*, *scrutari*.

Scrutillus in Glossis Isidori exponitur *venter fartus*. At apud Festum est: *Scortillus dicebatur venter suillus condito farre expletus*. Qui locus ex Isidoro corrigendus: vt iam aliis obseruatum. *Scrutillus* est ex *scrutulus*, quod à *scrutus*, hoc à *scrutor*, quia in ventre isto *scrutandum*, quid inesset.

Sculna in Philoxeni Glossis exponitur σωματοφύλαξ. similitérque Gloss. Cyr. Sed idem esse ac *sequestrum*, ex P. Lauinio scribit Agellius. Atque ita vsus Macrobius, lib. III. cap XVIII. *Cleopatra vxor, quæ vinci ab Romanis nec luxuriâ dignaretur, sponsione prouocauit, insumere posse in vnam cœnam sestertium centies. Id Antonio mirum visum, nec moratus, sponsione contendit dignâ, sculnâ Munatio Planco, qui tam honesti certaminis arbiter electus est*. Ita eum locum ex vett. libris restituit Fuluius Vrsinus, appendice de Triclinio. In vulgatis corruptè editum, *dignus culinâ*. Dicitur *sculna* quasi *seculna*, eiusdémque originis est ac *sequester*. Nam vtrumque dicitur, quod vtraque pars, quæ sponsionem fecisset, fidem eius sequeretur. Vide Gellium, lib. XX. cap. X.

Sculponeæ erant calceamenta seruorum & ancillarum: Earum meminit Cato de Re R. cap. LIX.

Sculponeas bonas alternis annis dare oportet.

Turnebo, lib. VI. Adv. cap. XXIII. ita eas dici placet à *scolpo* siue *sculpo*, sono fictitio, quem, qui eas gestarent, pedibus ederent. Sed vocis affinitate compulsus puto, vt à *scribo* vel *scriba* est *scribonius*, ita à *sculpo* dici *sculponeas*. Nempe vt propriè fuerint *calcei ex solido ligno exsculpti & excauati*: quod & Hadrianum Iunium sensisse video. Tales erant κρούπεζαι Bœotiorum, vt Pausanias & Eustathius indicant: quas κρουπέζια vocant Pollux & Hesychius. Itaque & Nunnesio placuit indè, sed durius sanè, *scuponeas* deducere. Fulgentius Planciades scribit, *sculponeas* dici *cæstus plumbo ligatos*. Ac putabat Ianus Duza vtroque modo, eleganti ἀμφιβολίᾳ, (quam malè ἀμφιβολογίαν vocat,) accipi in illo Plauti Cas. Act. II. Sc. vlt.

——— *Qui quæso potius quàm sculponeas,*
Quibus batuatur tibi os, senex nequissime?

Sed tanti apud me non est Fulgentius is, vt nouâ propterea significatione donare vocem hanc ausim. Eóque immeritò hac parte à Duza reprehendi Lambinum censeo. A *sculponeis* est *sculponeatus*, hoc est, *sculponeis indutus*. Varro in Serrano: *Dum in agro studiosius ruror, adspicio Triptolemum sculponeatum bigas sequi cornutas*. Citat Nonius in *Rurant*.

Scurra in vett. Glossis is esse dicitur, qui *incopriatur*, hoc est, κόπρῳ fœdatur. Etiam plerisque ita dici videtur à σκῶρ, q. d. *stercus*: quomodo idem *copria*, & Græcis κοπρίας dictus, à κόπρος, quod idem ac σκῶρ notat. Hac de *coprea* notione suo loco satis diximus. Quod si hoc *scurra* & *coprea* ἔτυμον placet, ita vocabitur, vel quia vilis sit instar stercoris: vel quia sit κοπρολόγος, hoc est, quia de stercore siue rebus sordidis & obscenis sermo ei esse soleat. Sed constat, olim *scurras* dictos, tum qui iocularibus dictis mensas ditiorum aucuparentur, tum etiam homines vrbanos & elegantes. Quomodo apud Plautum sumitur non vno loco, & Catullum carmine in Suffenum. Atque indè *mimus* hoc quoque nomen tribuitur: vt apud Iuuenalem:

——— *Mimum agit ille,*
Vrbani qualem facundus scurra Catulli.

Sic Iulius Capitolinus in Vero: *Adduxerat secum & fidicinas, & tibicines, & histriones, scurrasque mimarios, & præstigiatores, & omnia mancipiorum genera, quorum Syria & Alexandria pascitur voluptate: prorsum vt videretur bellum non Parthicum, sed histrionicum confecisse*. Propterea aliis magis placet Verrij, etsi Festo derisa, sententia. Existimabat ille *scurram* dici quasi *securram*, quia sequi alios soleat: vel quasi *sucurram*, ἀπὸ τοῦ συγχωρεῖν. Imo plerisque dici placet quia sit *sine curâ*. Vide de posteriore eâ notione *scurræ* Turnebum, Aduers. lib. XIX. cap XIII. Iosephum Scaligerum ad Catulli Carm. XIX. & Ianum Duzam, Centur. lib. II. cap. XIII. A *scurra* erit *triscurrium*, si sequimur Papiæ interpretationem, cui *Triscurrium*, *multiplex scurrilitas*. Vnus vicitur Iuuenalis, cuius illud Sat. VIII. *triscurria patriciorum*. Sed vetus interpres non à *triplici scurrilitate*, sed à *tribus curribus* factum putat. Imò Scaliger ne quidem *triscurria*, sed *trascurria* legendum censet, vt signetur *transcursus ad orchestram*. Quos verò Latini *iocos scurriles* vocant, hos Aristoteles tribuit τοῖς βωμολόχοις, quomodo vocantur, *qui fana ventris caussâ circumeunt*: vt Græcam vocem venustè exprimit Plautus Rudente, act. I. sc. II. Βωμολόχοι enim propriè sunt, qui in sacrificiis aras frequentant, & cum adulatione aliquid petunt & mendicant. Hesychius ἱερόσυλοι vocat, quia *insidiantur aris*. Plura vide apud Sept. Flor. Christ. in ἱερεῖ. Aristoph. p. LXXXII.

Scutilum, *tenue & macrum*: quasi σκύτινον, quia nihil sit nisi nisi σκῦτος, hoc est, *pellis*: quomodo de agno curione Plautus in Aulularia ait.

Qui ossa atque pellis totus est, ita cura macet.

Festus: *Scutilum tenue & macrum dicitur ex Græco, vt cùm dicimus scutilum hominem, exilem aliquem demonstramus, in quo pellicula tantùm*. Aliqui tamen, vt ex iis quæ Festus subiungit cognoscimus, sic dici putarunt, quasi *scrutilum*, hoc est, ἐξεταστικόν, vt sit is, qui *virtute potest scrutari*.

Scutum à *secando*. Varro, IV. de L. L. *Scutum à sectura, vt secutum, quod minutè consectum sit tabellis*. Sed profectò est à σκῦτος, id est, *pellis*. Nam *scuta* primùm è pellibus fiebant: quâ de re etiam diximus in *Ægis*. Differre *clypeum* & *scutum* satis indicat locus Liuij. lib. VIII. vbi scribit, Romanos antea *clypeis* vsos, deinde, postquam facti sunt stipendiarij, *scuta* pro *clypeis* fecisse. Idem, lib. I. primæ classi imperatum dicit esse *clypeum* cum galeâ, ocreis, loricâ: secundæ pro *clypeo scutum*, & præter loricam eadem omnia. Dionysius Halicarn. id libro IV. sic expressit, ἀντὶ τῆς ἀσπίδος θυρεούς. quare falli necesse est Hadr. Iunium, qui in Nomencl. suo *scutum* ἀσπίδα, *clypeum* θυρεὸν vertit. Similiter fallitur, cùm ait *scutum* fuisse rotundum, & *clypeum* oblongum: nam contrà *scutum* erat oblongum; vnde Maro, VIII. Æneid.

——— *scutis protecti corpora longis:*

ac Græci iccirco θυρεὸν dixere, nempe quod, vt Eustathius monet, referret similitudinem θύρας, siue *forium*, quæ longiores erant quàm latiores. At *clypeus* erat rotundus, vnde Homerus ἀσπίδας εὐκύκλους dixit, & Virgil. II. Æneid.

——— *clypeique sub orbe teguntur.*

Vide quæ de discrimine *scuti* & *clypei* scripsere Seruius ad illud IX. Æn. *Tercentum scutati omnes*, Turnebus, lib. II Aduers. cap. XXVII. & Aldus Manutius Nepos. lib. III. de quæsitis. epist. VI. A *scutum* est *scutula*, & eius diminutiuum *scutella*, à quo Belgarum *schottel*. vel *chotel*. Caussam nominis præbuit, quòd *scutella* olim esset quadrata & oblonga, eóque scutiformis. Fortasse tamen *scutella* non est ἁπλῶς à *scutum*, sed à *scutra*, hoc autem à *scutum*. *Scutra* voce vsus putatur Plautus, Persâ, Act. I. Sc III.

Commisce mulsum (Plinius Myrrham legit) struthea coluthea: quam appara,
Bene vt in scutris concaleat & calamum inijce.

Ita, vt Lambinus ait, libri meliores, non *struthea*, quod in vulgatis. Sanè in Glossis Philox. est, *scutra*, χαλκεῖον. Indéque & fit *scutiscum*, vasis genus, apud Catonem, cap. XL. A *scutulis scutulata rete* dicitur, quod texunt araneæ: vt Plinius indicat, lib. XI. cap. XXIV. Atque *vestes scutulata*, de quibus dicimus in *Vnda*. Nec *scutula* tantùm vasis genus est, sed etiã significat quicquid *scutiforme* est: etiam in arboribus. Nam

Cola

Columella, lib. v. cap. xi. præcipit *scutulam* in iis eximere in oculationis gratiâ, hoc est, partem corticis auferre, *cum ea* figurâ quo eius in locum inseratur par cortex ex arbore alia. Hanc rem à se inuentam scribit ibidem Columella: verùm eum Plinius modestè nec expresso nomine redarguit, lib. xvii. cap. xvi. *Non priarem, inquit, reperitum volunt hoc, quo nostris moribus fanem: sed id etiam apud veteres Græcos inuenitur & apud Catonem.* Dictæ & *scutulæ* in pauimentis, vt liquet ex Vitruuij lib. vii. cap. i. & Palladio, lib. i. cap. ix. Item in machinis vt ostendit idem Vitruuius, lib. x. cap. xvii. Turnebus, lib. ii. c. v. Et Bernardinus Baldus, in vocibus Vitruuianis eorum figuram se oculis propositurum promittit in commentarijs suis ad Heronis catapeltica.

Scymnus, σκύμνος, Ios. Scaliger, notis in Cirin. tradit, σκύλαξ, σκύλαξ & σκύμνος eâdem origine de *canino* genere dici: indéque scopulum in freto Mamertino σκύλλαν & σκύλακας appellari quia vndæ in concauas eius partes illisæ *canum latratus* imitantur. Sed de σκύμνῳ quod ait repugnat Pollux, qui scribit *leonum* ipsorum vocari σκύμνους, vt ἄρκτων σκύλακας, seu σκυλάκας, ac ἐλάφων νεβρούς. Hesychius quoque cùm *leonum aliarumque ferarum* esse ait, indicare videtur propriè esse *leonum*. Sanè passim *leonibus* tribuuntur: fere tamen quia & de *vulpibus*, vt apud Plutarchum in Lycurgo déque alijs feris dicitur additur genitiuus λέοντος vel λεόντων. Sic Herodotus ait, λέγουσι σκύμνον λέοντος συμβαλεῖν Καμβύσεα, *catulo canis scymnum leonis commisisse Cambysen.* Similitérque dixit Lucretius, libro v.

At catuli pantherarum, scymnique leonum.

Hoc tantùm differunt Lucretij & Herodoti locus, quòd ille *catuli* voce vtatur impropriè, hic σκύλακος vocem propriè vsurpat. Nam vt Latinis *catulus*, ita Græcis σκύλαξ propriè de *canibus* dicitur. Sed vtrumque non rarò alijs quoque feris tribuitur, vt cùm Maro & Claudianus *leonis catulo* dicunt, non *scymnos*: cumque Plinius dicit, *catulos simiarum, vulpium, murium, delphinorum, viperarum*, &c. Cui simile quod Lucianus ait σκύλακας ἄρκτου, Nicander in Theriacis σκύλακας γαλέης, &c.

Scyphi nomen Græcum est. Nam dicitur ὁ σκύφος σκύφου, & τὸ σκύφος σκύφους. Censet Athenæus, lib. vndec. dici quasi σκύθος, ídque quia *Scythæ bibaces*; vnde σκυθίζειν, *Scytharum instar potare*: item σκυθίζειν & ἐπισκυθίζειν pro *intemperanter bibere*, vel *bibere merum more Scythico*. Vide Herodotum in Eratone pag. ccccxi. postremæ edit. Stephanicæ. Alteram quoque aliorum opinionem adducit ibidem Athenæus, vt sit ἀπὸ τοῦ σκαφίδος. Eo ait significari *vas ligneum concauum & rotundum, quo lac aut serum continetur.* Meminit & Galenus in Lexico Hippocratico. Sed vix dubito quin σκύφος sit à צפחת, quod idem significat 1 Sam. xxvi. 11. Atque vt omnino à Græcis esset, rectius tamen meo iudicio diceretur, vt σκάφη, ita & σκύφος esse à σκάπτω, ac vtrumque propriè sonare *nauigium excauatum*, qualia erant illa veterum. Sanè σκύφος quoque nauigij genus fuisse non ignorat, qui scit, ex hâc vocis ὁμωνυμίᾳ ortam fabulam, quia Hercules dicitur poculo vectus maria maxima penetrâsse. Confirmant hanc quoque sententiam, quo eodem modo *cymbium & carchesium* à nauigijs accommodata sint vasis potoriis.

Scyricum, à *Scyro* insula. Est *scyricum* color ex sinopede & sandyce mistus, quo minium adulteratur, vti docet Plinius, lib. xxxv. cap. vi. Alijs corruptè, vt censeo, dicitur *syricum*. Caue autem *siricum* idem esse putes. Nam *siricum* posterioris æui scriptores ponunt pro *serico*, a quo *syricum* meritò distinguunt Plinius & Isidorus. Vide quæ de *syrico* scribit Hamenuelto Goldastus ad Sanct. Valerianum, de bono disciplinæ, pag. ciii. & civ.

Scytala, siue *scytale*, σκυτάλη. Quid sit, docent Plutarchus in Lysandro, Thucydidis Scholiastes, in lib. i. Liuius, libro xxxviii. & Agellius, lib. xvii. cap. ix item Hesychius, Harpocration & Suidas. De eadem sic Ausonius epistol. ad Paulinum:

Vel Lacedæmoniam scytalen imitare, libelli
Segmina pergamei tereti circumdata ligno,
Perpetuo inscribens versu: qui deinde solutus
Non respondentes sparso dabit ordine formas.

Meminit & *scytales* Cornelius Nepos in Pausania. Volunt σκυτάλην dici a σκῦτος, *corium*: quia surculo tereti membranâ obducebatur, vt ex scriptoribus constat quos diximus. Sed σκυτάλη quidem cum pro *scutica* capitur, a σκῦτος venit. At nihil habet cum *corio* commune, cùm sumitur pro *baculo*, quæ altera vocis eius significatio est: indéque pro *claua Herculis* capitur, quia hæc *baculus* erat, siue ramus recisus, nodis extantibus. A *baculi* similitudine *scytale* etiam dicitur *serpentis genus*: nempe quia referat σκυτάλην σιδηρᾶν, hoc est, *baculum qui in ligone pro manubrio est*. Hanc rationem nominis attulit Nicander in Theriacis. Vt non sint audiendi, qui recurrunt ad similitudinem *scytales Laconica*. Perperam apud Isidorum, libro xii. capite iv. scribitur *scitale*. Nam & σκυτάλη vocatur Nicandro, Dioscoridi, Æliano. E Latinis meminere Plinius, Solinus, item Lucanus, cuius illud, lib. ix.

Et scytale, sparsis etiam nunc sola pruinis
Exuuias positura suas.

Sebum seu *seuum*. Græcis est στέαρ, vt optimè in Onomastico exponitur. Isidorus, lib. xx. cap. i. ait a *sue* dici, quasi *suetum*, vel *sueuum*. Quia animal hoc pingue. Sed potiùs est a Chaldaico שׁוּמָא, quod *adipem* signat. A *sebo* est *sebaceus*, vt apud Apuleium, lib. iv. *Tædas, lucernas, cereos, sebaceos, ceteraque nocturni luminis instrumenta clarescunt tenebræ.* Vbi vides *cereos* distingui à *sebaceis*, nempe quia illa è *cera*, hæc è *sebo*. Belgæ tamen etiam *sebaceum* vocant *keerse*, etsi hoc planè ex *cerea* factum est. A *sebo* est *sebare*: vt *sebare candelas* apud Columellam, lib. ii. cap. vlt.

Secale, frumenti genus, à *secando*. Nam cùm duo sint genera frugum, *frumenta* & *legumina*, *legumina* quidem manu *leguntur* velluntúrque; *secale* ac *frumenta* alia *secantur*.

Secespita à *secando*, vt est apud Festum, qui & ex Antistio Labeone scribit esse *cultrum ferreum oblongum, manubrio rotundo eburneo, solido, vincto ad capulum auro argentoque, fixum clauis aeneis ære Cyprio quo Flamines, Flaminicæ, virgines, Pontifices que ad sacrificia vtuntur.*

Seco duplicem habet notionem: vulgarem, quando notat *tmesin*, & antiquam, cùm idem est ac *dico*. In vulgari illa ab ἰκω venire censet Cæsar Scaliger, libro v. de re poëtica, capite xvi. Becanus verò ab Hebræo שָׁקַל, hoc est, *secuit*. Nonnullus item traiectis deducit literis à ξυζω, *scalpro incido*, vel à ξεζω, *scindo*. Alij à ξέω, *rado*, *seco*: vt similiter [illegible] sit. Nam ξ valet *x*. Dicam quid coniectem. Puto vt ab ἀριστερὸς est *sinister*, ab Αἰγέστα, *Segesta*, sic ab ἀκή esse *seco*. Non quâ significatione ab ἀκέομαι est, *mederi*. Sed quatenus venit ab ἀκὶ vel ἀκή, id est, *acies*. A *seco* pro *tmesin* est *securis*, & *secespita*: item *insecta*, quo & ἔντομα, & ἄτομα, significantur. Festus: *Insecta, non secta. Sed & aliquoties significat secta.* At in altera illa notione pro *dico* venit *seco* siue *sequo* (vtroque enim modo scripsere) ab ἕπω, nempe simili mutatione ac à λείπω est *liquo* siue *linquo*, quibus similia vide in *Quatuor*. Ab eo est *inseco* siue *insequo*. Quo vsus Liuius Andronicus. Nam Homericum illud,

Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα πολύτροπον,

ita transtulit Andronicus:

Virum mihi Camena insece versutum.

Quemadmodum docet Gellius, lib. xviii. cap. ix. Atque item testatur similiter dixisse Ennium:

Insece Musa manu Romanorum induperator
Quod quisque in bello gessit cum rege Philippo.

Marcum quoque Catonem similiter locutum docet oratione contra Thermum: *Sed si omnia dolo fecit, omnia auaritia atque pecuniæ caussa fecit, eiusmodi scelera nefaria quæ neque insecenda fanda, neque legenda audiuimus: supplicium pro factis dare oportet.* Vbi τὸ *fanda*, si vera est coniectura nostra, planè deleri debet, quippe quod ex Glossemate in contextum irrepserit. Nam ex iis, quæ diximus liquet *secere* & *insequere*, nihil aliud esse, quam *fari*. Atque hinc, Gellio teste *insectiones* dicti sunt ab antiquis sermones, & narrationes. Simo Bosius, in lib. i. ad Att. epist. xvi. vult *sequi* habere significat onem ὁμιλεῖν, ac significare *inserat tac.* siue *conserem duc*, hoc est *tres verba*. Nempe putaunt *seco* & *sequor* ab eâdem origine fluxisse, vt significatione etiam sint affinia. Equidem non ignoro, *sequi* de sermone dici: sed sit hoc addito casu, vt i. Æn.

——— *Tali fugientem est voce secutus.*

At ἀκολουθεῖν aliud notat. Nec origo est eadem, verùm vt ab ἕπω est *seco*; sic ab ἕπομαι, *sequor*. Apud Festum est, *Insequere apud Ennium dic. Insexit, dixit.* Vbi MS[ti], *dixerit* quod malim. Vt à *facio faxo*, pro *faciam* vel *fecero*, sic a *seco sexo*, pro *dicam* vel *dixero*.

Secta etymon ineptum ponit Isidorus, lib. viii. cap. iii. Vult enim dici à *sequendo* & *tenendo*, propter propositum, quod quis tenendo sequitur. Donatus ad Eunuchi act. ii. sc. ii. & Phorm. act. i. sc. ii. censet esse à *sectando*, id est, *sequendo*. Sanè vt à *sequor sector*, hoc est, *iugiter sequor*: ita ab eodem *secta*, quam quis sequitur. Ac ad ἕπομαι hoc allusit Cicero pro Flacco: *Quotusquisque est, qui hanc in Rep. sectam sequatur.* Tertia sententia est Seruij, qui deducit à *seco* pro *sequor*: vt cum Virgilius ait lib. x.

——— *Quam quisque secat spem:*

ad quem locum ita scribit: *Secat, id est, sequitur, habet, tenet, vnde sectas dicimus.* Sed si est à *seco*, non ad hanc notionem, quâ notat *teneo*, recurrere opus: verùm simpliciùs deducas à *secare* pro *incidere*, quia sectis alij ab aliis secantur ac abscinduntur. Seruij autem sententiam minùs probo, quia quod de nouâ notione vocis *seco* ait, id verum non videtur. Quod autem ad Maronianum illud, vbi ait *secare spem*, videtur sic locutus, quia qui sperat, animum nunc huc, nunc diuidit illuc. Quemadmodum & cùm idem ait: *Ille viam secat ad naues*: sic loquitur poëta quia gressibus ac pedibus quasi secamus ac metimur viam. Nulla igitur hic noua eius vocis notio vt putarunt qui cùm dicunt *spem secare*, interpretantur *sequi*: ac cùm *viam secare* dicimus, verbum id accipi aiunt pro *tenere*, quod præter alios scripsit Fungerus. A *secta* est *sectarius*, vt apud Plautum Capt. *veruex sectarius*, quasi dicas sectæ principem, hoc est, ducem gregis Festus: *Sectarius veruex, qui gregem agnorum præcedens ducit.*

SECTOR pro significatione diuersâ, vel à *secando* est, vel à *sequendo*. Paulus è Festo: *Sectatores* (l. *Sectores*) *& qui secant, dicuntur, & qui empta sua persequuntur*: Nempe à *secando* est cùm accipitur pro eo qui secat: à *sequendo*, cùm eum notat, qui delectationibus id agit, vt homines, sæpe etiam insontes, suis euertantur fortunis. Vtriusque significationis exemplum habemus, cùm Cic. ait *Sectatores collorum & bonorum*. De posteriori tum significatione, tum origine, ita Asconius III. Verr. *Sectorem dicit æstimatorem redemtoremque bonorum damnati atque proscripti, qui spem sectans lucri sui, id est, secutus spem æstimationis suæ, bona omnia auctione vendit, & semel infert pecuniam, vel ærario, vel sociis.* Res ipsa *sectio* appellatur à Cicerone Philip. II. & Cæsare II. de bello Gallico, cum ait: *Intromissis militibus nostris sectionem eius oppidi vniuersam Cæsar vendidit.* Sic Iustinus, lib. XXVIII. *Rapacitas proconsulum, sectio publicanorum, calumnia litium.*

SECVLVM vnde sit, non conuenit. Prima est sententia Varronis, lib. V. de L.L. *Seculum*, inquit, *spatium annorum centum vocarunt, dictum à sene, quod longissimum spatium senescendorum hominum id putarunt.* Altera est Isidori, qui lib. V. cap XXXVIII. ait: *Secula generationibus constant: & inde secula, quod se sequantur. Abeuntibus enim aliis, alia succedunt.* Tertia est Turnebi, lib. XXVI. cap. XIII. Censet is *seculum* ab ἡλικία, deduci, vt nempe aspiratio in sibilum desciscat, quemadmodum alias sæpe: λ autem & κ inuicem transponantur sedibus mutatis. Ac pro hac sententia idem esse putat, quòd Lucretius dicat *buceræ secla*, & *secla ferarum*. *Seclum* enim hìc pro *genere* seu *sobole* accipi, haut secus ac Græcis ἡλικία non *ætatem* solùm notat, sed etiam *genus*: vti cùm Hesychius ait ζίγρα esse νεβρίου ἡλικία ἢ ἔκγονος, id est, *hinnulum esse genus ac sobolem cerui*. Quarta est Palmerij, qui in specilegio autumat, *seculum* esse à *seco*, quia nempe amplum id spatium temporis in minores secetur partes. Quincta est viri cuiusdam doctissimi, mihique coniunctissimi, qui, quòd *secula* generationibus distent, eò suspicatus est venire a *se*, id est, *sine*, vel *seorsim* vt in *seditio* capitur.) & *colo*, quod est διάγω, *dego*: quomodo Plautus Rudente, Act. I Sc. III, ait:

Egomet vix vitam colo, Veneri, cibo meo seruio.

Ex his adeò variantibus sententiis duæ ἀναλογίᾳ defendi possunt Nempe vt vel à *seco* sit, vel à *sequor*. Nam similia sunt *signaculum*, *curriculum*, *periculum*, *perpendiculum*, *auiculum*, multáque alia, in quibus duæ postremæ syllabæ sint vocis productio. Ac imprimis quidem à *sequendo* dici placet, cùm *seculum*, nihil aliud sit quam annorum multorum series ac sequela Nec obstat, quod *sequor* per Q scribatur, *seculum* per C. Nam veteres, vt *coco* & *coquo*, *locor* & *loquor* scribebant, sic *secor* & *sequor*. Quare hoc quidem argumentum planè est ficulnum. Maioris paullò momenti est, quòd in vett. libris monumentísque SÆCVLVM per Æ scribi soleat: vti testantur Pierius ad Eclog. IV. & Aldus in Orthographia. Tamen nec hoc mouere debet, quando ea scribendi ratio perpetua non est. Sanè cùm alias interdum, tum in argenteo Othonis nummo per E simplex inuenitur. Sculptores verò, & librarios, quòd sæpius per Æ scripserint, monitse id videtur, quòd prima esset longa. Quemadmodum & ÆDO sæpius in vett. monumentis legitur, pro *edo*, priori porrectâ. Quin ÆCATE reperias in antiquâ inscriptione p XXXIV. num. V. *Hecate* tamen tum modulus syllabæ requirit: tum ἑκάτη, siue sit ab ἑκάς, id est, *longe*, quia procul à nobis absit: siue ab ἑκατόν, id est, *centum*, quod victimis *centum* placaretur, vel quòd insepultorum animas cogeret *centum* annos errare, vel propter *centum*, hoc est plurimas virtutes. Vide Cœlium Rhodiginum. lib XX. Ant. Lect. cap. VI Lilium Gyraldum. syntagmate XII. & Natalem Com. lib. III. Mythol. cap XV. Sed vt in hac voce nihil præter crassam sculptoris inscitiam caussare possis: ita aliqua errandi occasio fuit in *seculum*, cùm id priorem habeat porrectam. Nec mirandū, quod dispar sit quantitas in *sequor*. Nam *seculum* contractum ex *secuculum* haut aliter ac ex *fericulum*, fit *ferculum* Quippe vt à *noto*, *signo*, *veho*, *perpendo*, mutatâ vltimâ vocali in A vel I, fit *notaculum*, *signaculum*, *vehiculum*, *perpendiculum*, sic à *fero* esset *fericulum*, vnde *ferculum*: à *sequor* seu *sequo*, esset *sequiculum*, ex quo *seculum*. Quod igitur in syllabarum numero amittitur, id compensatur in tempore. Quod ad significationem huius vocis, *seculum* Græce est γενεά, quo Plutarchus, de oraculorum defectu, *annum* significari ait. Artemidorus verò ei tribuit *annos septem*; *viginti quinque* Heraclitus, si Censorinum audimus; *triginta*, si Plutarchum: quam Zenonis sententiam facit Censorinus. Addit Plutarchus, eo *annos triginta* definisse Heraclitum, quia hoc spatio parens quem generauit, ad procreandum idoneum exhibet. Alios tamen quosdam *centum & octo annos* assignare: quod proximè conuenit cum *seculo Romano*. Nam Verrius Flaccus (vti ex eo scribit vetus Horatij interpres) definiebat *seculum annis centum & decem*: Varro, vti supra vidimus, *centum annos* dicit esse *seculum*: quia id sit longissimum senescendorum hominum spatium. Sed Verri sententia antiquior, doctisque probatior, quia ei respondeant Quindecimvirum commentarij, & Zosimi carmen, quod ipse Sibyllinum esse ait εἰς ἑκατὸν δέκα κύκλον ἰόντων. Ambiguitas huius vocabuli occasionem præbuit fabulæ de ætate Nestoris, qui veteri poëtæ *triseclisenex* vocatus, quasi trium seculorum senex. Sed *seculum* seu γενεά, hic summum est *annorum triginta*. Fabulose igitur Naso, cùm sic Nestorem inducit loquentem, XII Met.

——— *Annos*

Vixi bis centum, nunc tertia viuitur ætas.

Nempe secutus est Naso eam *seculi* notionem, quâ est *centum annorum*: prout a Varrone definiri supra diximus. A *seculum* est *secularis*: vnde Romanis *ludi seculares*, quos Græci αἰώνιος vocant Herodotus, lib. III. ...... Nempe αἰών, quamquam sic dici velint quasi ἀεὶ ὤν, non tamen semper *æternitatem*, sed & *seculum* significat: vt testatur Hieronymus in Ezech. c. XXVI. Itaque & illud Pauli ad Titum, cap. I. vers. II. πρὸ χρόνων αἰωνίων, transtulit vulgatus interpres, *ante tempora secularia*: quod cur aliud esse dicat Augustinus, non video. Nam *æterna*, quod magnus antistes præfert, cúmque eo Erasmus, id huic loco parùm accommodatum. De *ludis secularibus* vide Censorinum, Festum, itémque Scaligerum, in II de emendatione Temporum &c.

SECVNDVS vel à *secus* vel à *sequor*. Isidorus, lib. X. *Secundus, quia secus pedes: & tractus est sermo a sequentibus seruis pedissequis. Vnde & secunda fortuna dicitur, quòd secundum nos est, id est, prope nos. Inde & res secundæ, id est, prospera. Secunda autem à sequendo sunt dicta.* Et *secundus* quidem pro *prospero* à *sequendo* dici, etiam censet Festus: *Secunda*, inquit, *res non à numero dicuntur: sed quia vt velimus, sequantur.* Sed quando de numero dicitur, facilè credo Isidoro esse à *secus*, hoc est, *iuxta*, *secundum*. Vel à *secus* erit *secundum*, indè *secundus*. Sanè pleraque nomina à præpositionibus veniunt, vt *posterus*, *superus*, *exterus*, &c. Dicere etiam liceat, vt *sector* nunc est a *seco* nunc à *sequor*, de quo superius vidimus: ita & *secundus*, nunc à *seco* esse, nunc a *sequor*. A *sequor*, cùm *prosperum* notat: à *seco*, cùm *numerum* signat. A primo enim distinguitur *secundus*, inque secundo sectio siue diuisio incipit, cùm vnum sit indiuisum. Denique vtraque notione *secundus* videri possit à *sequendo* dici. Nam *secundus* sequitur primum. Ita *secunda* à fœtus numero planè est. Dicitur enim *secunda* ὑστέρα quasi *secunda membrana*: haut aliter ac cùm *secundas agere* dicimus, valet *secundas partes*, quod expressit Horatius:

——— *Aut nimiùm partes tractare secundas.*

Est verò *secundas agere*, nihil aliud quam *obsequi & assentari*, tralatione petitâ ab *histrionibus secundarum partium*, qui *primarum partium histrionibus* se subiiciebant, eósque excellere patiebantur.

SECVRIS geminam ἐτυμολογίαν ponit Isidorus, lib XIX. c. XIX: *Securis*, *inquit*, *vocatur eò*, *quòd ea arbores succidantur*, *quasi succuris*. *Item securis quasi semiuris: ex vnâ enim parte acuta est*, *ex alterâ solida.* Prior originatio planè inepta est, & Isidoro digna. Altera melior, vt sit a *semi* & *curis*, quod Sabinis significabat *hastam*, a quo & *Romulus Quirinus* nomē accepisse dicitur. Hanc *securis* etymologiam amplexus quoque Angelus Decembrius, lib. IV. de de politiâ literariâ parte XLVII Omnium simplicissima videri possit, vt sit à *secando*: sed vnum huic etymo obstat, quòd terminatio nequit ἀναλογίᾳ defendi. Quare à Sabino illo esse, mihi planè persuadeo. A *securis* est ......

aqui

ὑπὸ *securicula*, & τῷ συνϑέτῳ *securicla*: quod τῷ ὑποπόδῳ dicebatur de *subscude*, vel alio huic simili retinaculo ligneo, quo duo ligna tenacissime vinciuntur: vt in Pandectas scribit Budæus. Vsus Vitruuius lib. IV. cap. VII. *Sint compacta subscudibus & securiclis, vt compactura duorū digitorum habeat laxationem.* Hinc *securiclati cardines* apud eundem Vitruuium, lib. X. hoc est, *securicla compacti*. Figuram *securiclæ* ponit Bernardinus Baldus libro de vocibus Vitruuianis.

SECVS in vett. Glossis ἑτέρως, παρὰ. Nempe quia interdum notat *contra, aliter*: interdum *iuxta, prope, secundum*. Nec dubito, quin a posteriori acceptatione sit præpositio *secundum*. *Secus* ita vsurpatum inuenitur apud Catonem cap. XXI. *secus laminas*. Quo refellitur error Charisij, ita scribentis, lib. I. *Quod vulgus vsurpat, secus illum sedi, hoc est, secundum illum, & nouum, & sordidum est.* Suntque ab hac notione composita ista *intrinsecus, extrinsecus, altrinsecus*, hoc est, *secus interna, externa, alteram partem.* Similiter quoque vnâ voce apud Catonem scribendum *vtrinquesecus*, hoc est, *ex vtraque parte*. Pro quo & *vtrinsecus* dicunt Appul. lib. IX. & Solin. cap. XVI. quod ipsum reperire est in veteribus Glossis. Similiter dicitur *postsecus*, quod in iisdem Glossis legitur. Vti & *infecus*, quod in iis exponitur εἰς ἔσω. Ab eodem quoque dicitur *retro-secus*: quo vsus Tacitus de Sueuis loquens: *Apud Sueuos*, inquit, *vsque ad caniciem, horrentem capillum retrosecus, ac sæpe in ipso solo vertice religant.* Vbi in vulgatis est *retro sequuntur*: vnde Theodorus Marcilius *retrorsum* legendum putat: sed assentio Iosepho Scaligero, qui Diatribâ in libellum de spectaculis, Martiali tributum, ita, vti dicebamus, emendat. Venio ad alteram significationem pro ἑτέρως. Vt cum dico, *haut secus* id est, *non aliter*. Vnde comparatiuus *secius*. Quamquam non retineat id quantitatem primitiui. Vt ex Marone constat. Nec enim audiendus criticus vetus, qui eo offensus, vt ex vett. Glossis constat, pro *secius* apud Maronem *segnius* legit. Valgius, Festo teste, putat *secus* esse a Græco ἑκάς, quod est, *procul*. Sed Festus id ἀτόπως vocat absurdum. Sanè vt *secus* pro *iuxta* sit ab ἑκάς, quod est *longe*, aut *procul*: planè est absurdum. Sed puto Valgium eò respexisse, quòd, dum quis procul abest ab eo, quòd dicere, vel facere oportet, is aliter officium faciat, quam debet. Interim de etymo malo assentire vel Perotto, qui *secus* ex eo dici putat, quod quicquid prope est, immediatè à proximo secatur: vel multò potiùs à *sequendo*, quia quod iuxta est, id sequitur. Interdum autem *secus*, non præpositio, aut aduerbium, sed nomen est, & idem ac *sexus* notat: qua de notione vide quæ dicimus in *Sexus*.

SED, siue *set*, κατ' ἀποκοπὴν factum ex *sedum*; quomodo veteres dixisse, auctores sunt Annæus Cornutus apud Cassiodorum de Orthographia, Phocas item Victorinus, Scaurus, & Isidorus, lib. I. cap. XXVI. Aliter tamen hac de re Cæsar Scaliger lib. I. de caussis L.L. cap. XXII. Nam vult *atque* esse ex *ad*, & *que*: & similiter *sed* siue *set*, ex *se*, ac *&*. Nam cùm dico, *Tu atque ego*, sententiam esse *tu & ad te ego*: cùm verò dico, *Tu curris, sed ego sedeo*, sententiam esse, *Tu curris, sed separata est mea sedentis actio ab opere tuo*. Nam *se* hic disiunctionem notare, vt in *seorsim separo*, & aliis. Vel ex δὲ, τῷ μετὰ *ſ* fit *ed*, & *ſ* præposito, *sed*. Quod Nunnesius monuit in Grammatistice sua. At nimium abit ibidem Nunnesius, cùm alibi, sed eopse libello, ex ἀλλὰ, κατ' ἀποκοπὴν posterioris syllabæ, venire putat *sed*, spiritu, vt sæpe, in *ſ* conuerso, & λ abeunte in *d*, vt à μελετᾶν est *meditari*. Ac similiter *sedum*, de quo dictum, ex ἀλλ' ὧν factum arbitratur.

SEDERE ab ἕδω. Nam ἕζομαι, *sedeo*, cuius futurum ἑδοῦμαι, Spiritus asper in *ſ* abit, quomodo ab ὗ est *sus*, ab ὃς, *sus*, ab ἑκυρός, *socer*, &c. A *sedendo* est *sedile*. Idem *sella*. Nam olim fuit *sedda*; vt scribit Terent. Scaurus de Orthogr. Vel potiùs a *sedes* est *sedula*, indè *sela* seu *sella*, vnde *subsellium*. Varro, lib. IV. de L.L. *Vt subsipere, quod non plane sapit, sic quod non planè erat sella, subsellium dictum: vbi in eiusmodi duo bisselium dictum.* Sed *sella* voce μετωνυμικῶς nonnunquam notatur ἡ ἄφοδος, vt apud Marcellum Empiricum, *Per vomitum & sellas*. Varro. lib. I. de R.R. cap. XIII. pro eo *sellas familiaricas* dixit. Hinc *adsellare* pro ἀφοδεύειν apud Vegetium, similique ἀπαλλαγῇ *sedere* pro ... dixit Marcellus. A *sedendo* quoque dictæ *lactuca sessiles*, hoc est, χαμαίζηλοι, latæ magis, quàm altæ, quasi quas *sedere* cogat natura. Onomast. *Sessiles*, ἑδραῖοι. Martial. lib. III. ep. XLVIII.

Et vtrumque porrum, sessilesque lactucas.

Idem lib. X. epig. XLVIII.

In quibus est lactuca sedens & tonsile porrum.

Auctor carminis Ithyphallici

Ad ocimumve cucumeresve ... susos
Venire credo, sessilesque lactucas.

Item hinc *sessibulum* Plauto, id in quo sedetur. Et *sessimonium* apud Vitruuium, cui: *Deorum sessimonia* sunt, loca, in quibus dij sedent, hoc est, vbi simulacra deorum reponuntur quasi sedeant. Multa etiam ab huius verbi compositis descendunt. Ab *adsidendo adsidela, mensa ad quam sedentes Flamines sacra faciunt*: vt ait Festus. Item *assiduus*, de quo separatum. Simile est à *residendo residuus*, a *desidendo desiduus*. Gloss. Philox. *desiduus*, ὀκνηρός. A *præsidendo* est *præses*, qui dignitate præsidet: & προκαθήμενος, qui aliis præest, vt qui Prouinciæ est præfectus. Atque inde *præsidium*, vnde milites *præsidiarii*. *Reses* quoque à *residendo*, quod otiosorum est. Hinc Plautus Cap. III. I.

Itaque venter gutturque resident esuriales ferias.

Hoc est, otiose, sedentium instar ab opere suo cessant, feriásque agitant dicatas esuritioni. Alij tamen *desidere* malunt, quomodo Cæcilius dixit:

Tu tam callebis, ille festum desidet.

Mihi neutrum improbatur. Nam vt à *residendo reses*, sic à *desidendo deses*. Nec impedit quicquam quò minùs vel *residere* vel *desidere ferias* dicamus, cùm similiter in simplici *sedere ferias* pro *agitare* dixerit Plautus. Epid. III. IV.

Tuas sedebit mulier saxo ferias.

id est, *vbi seruet*. Ita rectè exponit Palmerius. Vide & quæ de voce *desidendi* ac similibus Torrentius notat ad Tranquillum. A *deses* est *desidium*, vnde *desidiosus*. Gloss. Philox. *Desidia*, ῥᾳθυμία. *Desidiosus*, ῥᾴθυμος. Isidor. lib. X. *Desidiosus, tardus, piger, à desidendo, id est, valde sedendo. De enim hic augentis est. Idem & residens à residendo.* Similiter ab *obsidendo obses*, & *obsidio*, siue *obsidium*. *Obses* autem dictus, quia soluendæ obsidionis caussâ dari consueuit. Vel quia & ipse, vtpote pignoris loco datus, obsidetur & custoditur. Falluntur igitur, quibus placet vnius literæ mutatione, *obsides* dici, *quasi obfides, quia ob fidem patriæ præstandam dantur*: quæ opinio est Festi in OB. Pro *obsidium* dicitur & *obsidio*: hoc Ennium, illo C. Lælium & Sallustium vsum docet idem Festus. De etymo sic Varro lib. IV. de L.L. *Obsidium dictum ab obsidendo, quo minùs hostis egredi posset indè. Item ab absidendo, cùm id ideo facerent, quò faciliùs diminuerent hostes.* Sed posterius etymon Varrone indignum. Nam planum est, vt à *præsidendo* est *præsidium*, à *subsidendo, subsidium*; sic ab *obsidendo* esse *obsidium*. Quarum vocum ratio non aliunde petenda, quam quòd veteres de exercitu vsurpare sueuerint, *sedere, assidere, insidere, præsidere, subsidere, obsidere*. Cato: *Hostium copia magna contra me sedebant*. Plautus, Amphitruone II. I.

Apud hostes dum sedemus.

Plancus ad Ciceronem, lib. X. Epist. XXIII. *Itaque copias prope in aspectum Lepidi Antoniique adduxi, quadragintáque millium passuum spatio relicto consedi.* Virgil. in Ciri:

Ille, vides, nostris qui mœnibus assidet hostis.

Suntque id genus apud veteres ἀπὸ κοινοῦ. *Subsidere* esse vocem militiæ propriam, docet Godescalc. Stevvech. ad Veget. lib. III. cap. VI. Inde que κατὰ ... adulteri dicuntur *subcessores* alieni matrimonij. Quo respexit Maro in XI.

——— *Deuictâ Asiâ subsedit adulter.*

Ita legit Seruius, vt sententia sit postquam Agamemnon deuicerat Asiam, adulter Ægisthus ei insidiatus est. Vide hoc de loco Pierium in Castigationibus. Ab *obsidione* dicta *corona obsidionalis*, de quâ sic Festus: *Obsidionalis corona est, quæ datur imperatori ei, qui obsidione liberauit ab hostibus obsessos. Ea fit ex gramine viridi, ferè ex eo loco decerpto, in quo erant inclusi.* Et paullò pòst: *Inter obsidionalem, & ciuicam, hoc interest, quod altera singularis signum salutis est; altera vniuersorum ciuium seruatorum.* Ab *obsidendo* quoque est *obstetrix*, de quo seorsim agimus. *Dissidium* est à *dissidendo*, quod propriè est *sedibus distingui*; μεταφορικῶς, *sententiis discrepare*. *Discidium animi est, dissidium corporis*, vt ostendunt Lambinus in Lucretium: itémque Ob. Giffanius in Indice Lucretiano. At Franciscus Fabricius ad Ligarianam, negat illud obseruari, quia non animorum dissensus, verum corporum distinctio significetur illo Ciceronis epist. I. lib. IV. ad Atticum. *Cognoram te acerbissimè dissidium nostrum tulisse.* Verum in vett. libris *discidium* hic quoque legi monuit Lambinus. Nec aliter legendum censet in illo pro Domo, ab eodem Fabricio adducto: *Desleui coniugis miseræ dissidium.* Validiorem arietem intorquent qui adducunt illud Propertij, lib. I. eleg. XII.

Tam multa illa meo diuisa est millia lecto,
Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.

Et eleg. seq.

Tu modò quam primum corruptas desere Baias.
Multis ista dabunt littora dissidium,

Quæ loca satis ostendunt, id discrimen non esse perpetuum.

SIDO Becmano placet esse ab ὕδωρ, id est, *aqua*, vt propriè si-

rigare, atque ita restinguere: vnde & *sitim sedare* apud Lucretium & alios legas. Sed *sudare* quidem esse ab ὕδωρ planè censeo: de *sedare* autem ἐπέχω. Quid, si potius deducamus à *sedeo*? Ita *sedare* propriè sit facere vt aliquid resideat, vti tempestas, aut ira. Sanè vti mare ventis, ita animus affectibus excitatur & commouetur: item vti fluctus maris subsidunt, vbi se ponunt venti: ita si affectus declinant, residet animi tumor. Maro, VII. Æn.

Cum venti posuere, omnisque repente resedit
Flatus.

Cicero lib. III. Tuscul. Qu. *Cùm timor animo resedisset.* Cœlius, apud Cicer. lib. VIII. epist. II. *Marce, ii motus resederunt, non inertia, sed, vt mihi videtur, consilio.* Auctor orationis in Sallustium, quæ Ciceroni tribuitur falsò: *Omniaque, quæ commouerat, pace & otio residerunt.* Quibus in locis *residere* idem est ac *sedari*. Et sane Belgis similiter *stillen*, est à *stellen*, id est, *ponere*.

SEDULUS à *sedeo*, quia quis in opere sit *assiduus*, quæ ipsa *assiduus* vox similiter est ab *assidendo*. Gloss. *Sedulus*, ἐπίμονος. Quia autem quod diligenter præstamus, id facimus fideliter: hinc fit, vt *sedulo* accipiatur pro *fideliter*. Ita vsus parasitus apud Plautum, Capt. act. IV. sc. II.

Quippe quando mihi nihil credis, quod ego dico sedulo.

Videtur autem *sedule* quam *sedulo* maluisse Sosipater Charisius cap. de Aduerbio, vbi & de etymo dubitat, cum ait: *Viderit Helenius Acron commentariis, quos Antipoti Terentij non indiligentes attulit, quod alterius caussa ratione perspexerit. Nam ita dicit: Vt falso, inquit, & consulto, ita sedulo adiectum. Nisi fortè sine dolo putat esse sedulo.* Vnde alterum etiam ἔτυμον discimus, sed de quo iure Charisius dubitauit. Nam, vt ex iis, quæ diximus, liquet, non propriè *sedulo* accipitur pro *fideliter ac sine dolo*, sed παρακολουθητικῶς. Etymon tamen istoc, de quo Charisius ambigit, amplexus & Nonius, ac Isidorus, lib. XI. qui ait, *se sine significat, vt sedulus, sine dolo*.

SEGES κυρίως dicitur de *frumento*: ac μεταφορικῶς de *terra arata & consita*. Vtramque notionem ponit Nonius. At καταχρηστικῶς capitur de *terra nondum consita*. Quomodo Accius ait *fruges in segetem dare*. Hoc καταχρηστικὸν esse ostendit ἔτυμον. Nam est *seges* à *sero*, vt *teges* à *tego*. Varro, IV. de L.L. *Seges ab satu, id est, semine.* Similiter, lib. I. de R.R. cap. XXIX. Item Festus. Itaque *seges* non tantum de frumento, aut agro frumentum ferente dicitur: sed etiam sic vocatur quicquid frumenti more in aruo seritur. Quare & *lini segetem* dixit Maro, & ne id ποιητικώτερον putes, legimus apud Columellam, lib. II. cap. XIV. *Omni solo, quod prædictorum leguminum segetibus fatiscit.* Scaliger etiam epistola ad Vertunianum, quæ est in epistolis postumis à Causaubono editis, censet Plinium, lib...., cap.... tam latè eâ vti significatione, vt cùm *vitrum* herbam, quæ & *glastum* Latinis, Græcis autem ἰσάτις dicitur, *in segetibus nasci* ait, *vitrum* inter *segetes* reponat: quod probare neutiquam possum. A *segete* dea *Segesta*. Plinius lib. XVIII. cap. II. *Hos enim Deos tunc maximè nouerant, Seiamque a serendo, Segestam à segetibus appellabant, quarum simulacbra in Circo videmus, tertiam ex iis nominare sub tecto religio.* Tertiæ nomen erat *Tutelina*: prout vocant Tertullianus de spectac. cap. VIII. & Macrobius, lib. I. Sat. cap. XVI. Pro *Seia* in vetustis Plinij lib. est *Seria*. Apud Macrobium est *Sata*. Sed rectum *Seia*, quod ex *Seria* contractum. Tertulliano *Sessia* vocatur. Atque vt à *serendo Seia* & *Sessia*: ita Tertulliano à *messe*, *Messia*: quæ eadem ac *Segesta*, vel *Segetia*. *Tutelina à tutela fructuum* nomen esse, clarè ait Tertullianus. De ea etiam diximus in *Tutus*. A *segete* dictæ etiam *amsegetes*. Festus: *Amsegetes dicuntur, quorum ager viam tangit.*

SEGESTRIS voce vsus præter alios Lucillius:

Penula si quæris, canterius, seruus, segestre,
Vtilior mihi quam sapiens.

Quid autem *segestria* sint, docet hic locus Varronis, lib. I. de vita populi Rom. *Quod fronde lecticam sternebant, ex ea herba torta torum appellatum: hoc quod inijcitur, etiamnum toral dicitur: lecticam qui inuoluebant, segestria appellabant.* Sic locum emendandum censeo apud Nonium in *Toral*: quod alibi quoque dixi. Non tamen *segestria* lecticarum solum, sed aliarum quoque rerum sunt inuolucra. Indicat id locus hic Plinij, lib. XIII. cap. XII. *Nam emporetica inutilis scribendo, inuolucris chartarum, segestriúmque in mercibus vsum præbet, ideò à mercatoribus cognominata.* De etymo sic Varro, lib. IV. de L.L. *Lecticam qui inuoluebant* (sic rectè corrigunt,) *quòd ferè stramenta erant è segete, Segestriam appellant, vt etiam nunc in castris. Nisi à Græcis, nam στέγαστρον, vbi lectus mortui fertur, dicebant.* Hæc Varro. qui *segestria* censet vel à *segete* sic dici, quia tegete, siue stramentis è *segete* lecticas inuoluerent, quò à pluuia, puluere, aliísque iniuriis essent tutæ: vel à Græco στέγαστρον, quod ἀπὸ τοῦ στέγειν, hoc est, στεγάζειν, καλύπτειν. Vnde & quidam *Stegestria* scribere malunt. Sed Τ abijci insolens non est, quomodo à πῖλος est veterum *pilo*, pro quo posteriores *pinso*: quomodo item a κρύπτω est Belgicum *kruypen*: & vt non longiùs abeam, superior Varronis locus satis docet cum putasse, *torum* dici ab herbâ *tortâ*, quæ & Seruij aliorúmque opinio fuit. Retinendum igitur *segestria*, prout in vett. libb. scribitur. Tertium quoque etymon adducere possumus. Nam vt à *suggerendo suggestus*; a *congerendo congestus*; a *regerendo regesta*, sic à *segerendo* fortè *segestria* appellata, eò quòd his *segerere* ac separare soleant, quæ occultata vellent. Sed maximè placet esse à Græco, quod etymon confirmat hic quoque locus in vett. Gloss. *Segestrum*, στέγαστρον, περίδερμον. vbi pro περίδερμον, præeunte ad Festum Scaligero, B. Vulcanius corrigit παλαιόδερμον, id est, *vetus pellis*. Nam priùs quidem è *segete* facta, quod superior Varronis locus testatur: postea verò facta è *pellibus*: vnde & *deris* siue δέρρις dicebatur, quæ vox generatim *pellem* notat, sed strictè sumitur pro *segestribus*. Festus: *Deris Græci appellant pelles nauticas, quas nos vocamus segestria.* In vett. quoque Glossis legas: *Segestre*, διφθέρα, διφθέρα πλοίου, hoc est, *scortea, pellis nautica*. Pellibus autem dormientes antiquitus incubâsse, etiam indicat vox κῶας, hoc est, κώδια, vt exponit breuium scholiorum auctor in Homeri Il. ι, atque addit eo significari τὰ ἐστρωμένα δέρματα atque ita dici ἀπὸ τοῦ κεῖσθαι ἐν αὐτοῖς κοιμωμένους. Idem euincit illud Maronis VII. Æn.

Pellibus incubuit stratis, somnósque petiuit.

Item Iuuenalis, sat. VI.

——— *Syluestrem torum cui sterneret vxor*
Frondibus & culmo, vicinarúmque ferarum
Pellibus.

Ac eodem refert Scaliger in Coniectaneis illud Plauti apud Porphyrionem, de anu dormiturientε: *Anus hæc in pellis periculum protenditur.* Valerius quoque Maximus docet Catonem *hadinis pellibus* vsum pro *stragulis* priscæ frugalitatis retinentissimum. Etiam *dormio* indè dictum, siue, vt veteres dixere, *dermio*. Nam quanquam Eustathius ad Il. ι scribat δέρμα ἁπλῶς dici τὸ ἀποδαρέν, κῶας verò appellari, ἐφ' ᾧ ἀναπαύονται, ἀπὸ τοῦ κεῖσθαι, non dubium tamen quin δέρμα quoque strictè vsurpari soleat pro *segestribus*, quemadmodum *deras* accipi scribit Festus. Indè igitur erit verbum *dermio*, ob eum, quem dixi veterum morem. Ac Etymologus & Aristophanis Scholiastes propterea δαρθάνειν, quod est, *dormire*, à δέρμα deducunt, vt propriè sit ἐν δέρμασι κοιμᾶσθαι, *pellibus incubare*.

SEGMENTUM (vnde Planco *vestes segmentatæ*, *cunæ segmentatæ* Iuuenali) est à *segmen*, vt *momentum* à *momen*. Vsus *segmina* voce Gellius ac Plinius. Est à *seco* quasi *segimen*, siue *secimen*, vt à *tego tegimen*, vnde *tegmen*. A *segmen præsegmen*, quia præsecatur. Horat. in Arte:

Præsectum decies non castigauit ad vnguem.

Sic enim melior. codd. legitur. Nonius. *Præsegmina, quæ vnguibus ex minulis præsecantur.* Glossæ Philoxeni: *Præsegmina*, ἀπονυχίσματα.

SEGNIS vel dicitur quasi *segenis*, quia nihil *genat*, hoc est, *gignat*, quomodo & *ignis* dici volunt, quasi *ingenis*, eâpse de causa: vel *segnis* quasi *seagis*, quasi qui nihil agat: vel (quod Festus voluit) à *se*, id est, *sine*, & *nitor*, quando propriè *segnis* est, qui ignauiâ quâdam non nititur ad id, quod honestum vel vtile est: vel (quod Seruius, & Isidorus, lib. X. putauit, ac Iosepho quoque Scaligero comment. in Ætnam placuit) à *se* & *ignis*, vt *segnis* sit, cui calor naturalis decessit, eóque immobilis: vnde Cornelius Seuerus in Ætnâ eleganter ait:

——— *pigráque tellus*
Conferta in solidum segni sub pondere cesset.

Probat quoque hanc ἐτυμολογίαν Angelus Decembrius, lib. III. cap. XXVII. eóque adstruere conatur, quòd constet, *ardorem*, & *ardens*, sæpe ad animum transferri, atque adeò *catus* quoque quasi *cautus* dicatur, a καίω, id est, *ardeo*. Nunc & *frigens* & *feruorem animo* tribui passim videas: sed de *catus*, quod ex Seruio ait, omnino falsum est, vt suo loco ostendimus.

SELIQUASTRUM, quasi *sediquastrum*, à *sedendo* ita dicitur. Varro, IV. de L. L. *Ab sedendo appellantur sedes, sedile, solium, sella, seliquastrum.* Festus: *Seliquastra sedilia antiqui generis appellantur: d litera in l conuersâ, vt etiam in sella factum est, & subsellio & solio, quæ non minùs à sedendo dicta sunt.* Quibus Festi verbis adductus Godscalcus Stevvechius ad III. Arnob. lib. in Varronis verbis pro *sedum* suspicatur legendû *solium*. Vsus *seliquastri* voce Hyginus: *Inter sidera sedens*, inquit, *in seliquastro constituta.* Item alibi: *In seliquastra constituta est.* Apud Arnobium quoque, lib. II. legitur ea vox, vbi Canterio

est

est de mendo suspecta, non item Steuvechio, qui defendit. Olim quoque legebatur, lib. IV. D. de supellectile legata, vbi ex Florentinis scantiaria reposuit Antonius Augustinus, sed seliquastra quoque in Nonij MSS. codd. inueniri se ait idem Steuvechius.

SIMBELLA, ἡμιλίτριον, quasi semilibella. Libella & as tantundem valebant; sed as nummus erat æreus, eóque grauior; libella argenteus, eóque pondere inferior. Ergo tantundem valebant semissis, & sembella, tantundem item decussis & denarius. Nam denarius decem erat libellarum, vt decussis decem assium. Varro, lib. IV. de L. L. Nummi denarij decuma libella, quod libram pondo as valebat, & erat ex argento parua. Sembella quod sit libella dimidium, quòd semis assis. Idem, lib. IX. Sic cùm dicimus eandem rationem habere assem ad semissem, quam habet in argento libella ad sembellam, quid sit analogon ostendimus.

SEMEN à semi venire censet Varro, in IV. de L. L. Semel, inquit, quod non planè id, quod inde. At Nunnesio placet semen esse à σπέρμα. Vterque fallitur. Nam vt a nosco est nomen; à moneo, momen; à fluo, flumen: ita à sero, semen, quasi sermen: quod iam olim in Actio suo monuit Iouianus Pontanus. A semen est sementis: quà voce subinde vtuntur veteres pro semente hiberna. Atque inde sementiua dicuntur, quæ tum seruntur. Vnde sementiua feria apud Festum in Conceptiua: item in Sementiua. Sic enim est in plerisque MSS.: vbi vulgo Sementina. A semen est seminarium, vt a planta plantarium, à pomum pomarium. Non igitur verbale est à semino: sed est à semen, vt rectè Varro in IV. de L. L. Semen verò ea notione, quà seminarium parit, haut notat granum: vti Accursius credidit, qui iccirco seminarium interpretatur locum in quo seruatur frumentum electum ad seminanda arua. sed semen accipitur pro surculo cum in finem depacto, vt postea in arbustum aut vinetum transferatur: quomodo Columella vsus lib. VI. cùm ait: Semina, inquit, lege crassa non minus, quam manubrium bidentis, recta, læuia, procera, sine vlceribus, integro libro, ea bene & celeriter comprehendunt. Vbi semina liquet dici, quæ aliàs quoque plantæ vocantur, vnde & seminaria aliquoties vocantur plantaria à Plinio, Græcorum exemplo, quibus φυτωρίαι vocantur. Ex quibus liquet, seminarium dici locum, in quo surculi arborum, aut vitium, panguntur: quò, vbi ad certam adoleuerint magnitudinem, in alium locum transferantur.

SEMIS. Festo teste ab ἥμισυ, quod postremam syllabam in compositione deperdit: vt ἡμιθνής, quem Maro seminecem vocat, ἡμίθεοι, semidei, vt apud Lucanum, Semidei manes, ἡμίανδρος, semiuir, vt Galli, Cybeles sacerdotes, ἡμιβλαύτια (quod à βλαύτη siue βλαύτιον, hoc est, sandalium) semiplotia, soleæ dimidiatæ, quibus in venando vtebantur, vt planius pedem ponerent, vt diximus voce Plautus. At quædam sunt, quæ à semis venire videantur, cùm aliunde sint. Tale est semestre, siue, vt in vett. Glossis scribitur semenstre: in quibus etiam exponitur ἑξάμηνον, ἑξαμηνιαῖον. Atqui tantum notat ἑξαμηνιαῖον, quod ibidem legitur. Nempe non est a semimense sed à senis mensibus, vt trimestre, à tribus mensibus. Nec Semipater dimidia ex parte patrem notat: sed ita dictus Semopater, quomodo & dixere, Iupiter, Diespiter, Marspiter. Ouidius, lib. VI. Fast.

Quærebam Nonas Sanco Fidione referrem,
An tibi Semipater.

Ita habet Aldina, & antiquior hac Veneta Bernardini Nouariensis, vbi aliæ, An tibi Semo pater.

SEMITA, quia angustè ibant, quasi semiiter dictum ait Varro, lib. IV. de L. L. Ac similiter Isidorus, lib. XV. cap. XVI. Imò & in Glossis exponitur non solùm ὁδὸς στενὴ & ἀτραπὸς, sed etiam ἡμίοδος. Verùm non compositum, sed deriuatum est à semis, quia ob angustiam est quasi semissis via. Martialis, lib. VII. epigr. LX.

Iussisti tenues, Germanice, crescere vicos,
Et modò quæ fuerat semita, facta via est.

Itaque passim opponuntur via & semita. Ennius apud Ciceronem I. de Diuinat.

Qui sibi semitam non sapiunt, alijs monstrant viam.

Plautus, Curcul. act. II. sc. III.

Quin cadat, quin capite sistat in viâ de semitâ.

Et Casinâ, Act. III. Sc. V. De viâ in semitam regredere. Atque hæc quoque comprobant eâdem Comœdiâ, Act. II. Sc. VIII. legi debere,

Nunc pol ego demum in rectam redij à semitâ.

Quod & Scaligero placuit. At pro eo malè in vulgatis editum, In rectam redij semitam. Phædrus

Ego porrò illius (Æsopi) semitâ feci viam,
Et cogitaui plura quam reliquerat.

Plura vide in via.

SENATORES dicti à senatu: senatus verò non quidem dicitur ab assentiendo, vt ineptè sensit Bartolus; sed neque meliùs Priscianus in VI. vbi ait: Senatus ideo quartæ est, quod à vocabulo natus componitur: sed indè nomen accepit vt bene ait Festus, quia à senioribus constabat: haut aliter ac Lacedæmone, quod ex γερόντων constabat, γερουσία vocabatur vt scribit vetus interpres Demosthenis, in Orat. κατὰ Λεπτίνου. De vtroque ita Tullius in Catone: Consilium & ratio, & sententia nisi essent in senibus, non summum consilium maiores nostri Senatum appellassent. Apud Lacedæmonios quidem ij, qui amplissimum magistratum gerunt, vt sunt, sic etiam appellantur senes. Ouid. V. Fast.

Nomen & ætatis mite Senatus habet.

Idem etymon adfert Quinctilianus, lib. VI. cap. I. Plutarchus, Festus, Eutropius, Isidorus, alij. Vide, si tanti, epistolicarum Maioragij quæstionem secundam. Duplex autem senatus erat. Maximus & Minor. Maximus erat Romæ & postea Constantinopoli. Minor in minoribus ciuitatibus. In illis dicti Senatores: in his Decuriones. Sed quia decuriones etiam, imprimis maiorum ciuitatum, senatores dicebantur, indè est, quod discriminis caussa (vt ad Spartianum monuit Casaubonus) sæpius apud antiquos legamus, Senator populi Romani aut Senator Vrbis. Spartianus in Hadr. Qui primus in sua familia Senator populi Romani fuit. Trebellius in Vopisco: Vetustas in Tetricum Senatorem populi Romani ad imperium deriuata est. Victor in Pio: Vir veterrimæ familiæ è Lanuuino municipio Senator Vrbis. Lampridius, in Alexandro: Senator Romanus. Dio in Seuero: βουλευτὴς τῶν Ῥωμαίων. Et crebro apud alios. Nunquam verò illis Senator ἁπλῶς Senatorem populi Romani significat. Vt verò locus, vbi cœnarent, cœnaculum: ita vbi conuenirent senatores, senaculum dicebatur, teste Festo, his verbis: Senacula tria fuisse Romæ, in quibus Senatus haberi solitus sit memoriæ prodidit Nicostratus in libro, qui inscribitur de senatu habendo: vnum, vbi nunc est ædis Concordiæ, Capitolium, & forum, in quo solebant magistratibus D. R. (hoc est, de Rep.) cum senioribus deliberare. Alterum ad portam Capenam. Tertium citra ædem Bellonæ, in quo exterarum nationum legatis, quos in vrbem admittere nolebant, senatus dabatur. Etiam Heliogabalus fecit mulieribus Senaculum, vbi solennibus saltem diebus conuentus fieret matronalis: vt in eius vita prodit Lampridius.

SENEX, si Isidorum audimus, lib. XI. cap. XII. ita dictus à sensus diminutione, quòd iam præ vetustate desipiant. At iuxta Perottum, quasi seminex, hoc est, semimortuus, quòd actâ maiore ætatis suæ parte, iam morti propinquior sit. Sed vel ἐκ μεταθέσεως factum ab Hebræo זקן, senuit, & senex, Genes. XXVII. I. & XXIV. & in regimine זקן, senex. Genes. XXIV. II. Vel à שנה, pro quo Arabes סנה, annus. Sanè & anus similiter dicta ab annus. Hinc seneo. Catullus, in Phaseli Carmine:

Sed hæc prius fuere, nunc reconditâ
Senet quiete.

Ab hoc deseneo. Citat Priscianus, in IX. illud Sallust. II. Hist. Nisi cum ira belli deseneuisse. A seneo etiam est participium senectus. Sallust. in IV. Histor. Omnis quibus ætas senecto corpore, animus militaris erat. Sed plurimùm substantiuè sumitur pro senio. Nisi enim potius properata est & σύγκοπος senectus. Sumitur & pro tædio atque odio, vt Nonius initio operis sui probat. Nempe quia mala illa ætas tædio odióque omnibus esse solet, vt idem Grammaticus docet. Quia & pro homine otioso & ἀργῷ accipitur. Vt illo Lucilij sat. lib. XV.

In numero quarum nunc primus Trebellius multo.
Obmarcescebat febris: senium, vomitus, pus.

Senex olim fecit senicis, vt à codex est codicis: à pellex, pellicis. Ab antiquo hoc genitiuo venit senecio, & senectus, item senica: de quo ita Nonius Marcellus: Senica significat senex. Pomponius, Pistoribus (in Aldina & apud Iunianum Maium est Pictoribus:)

Pappus hic medio habitat senica, non sescunciâ.

Ita lego, non sescuncia: vt est in vulgat. Idem præcone posteriore:

Sed me exercet senica nequam, neque illo quid faciam
scio.

Posteriores Seneca dixere. Atque indè cognomen Seneca in familia Annæa. Primùm qui ita vocatus, canum fuisse natum, atque inde Senica accepisse nomen, proditum est à nonnullis. Ni fallor, Cassiodoro & Isidoro.

SENSIM, σχολῇ, ἠρέμα, vt exponunt Philoxeni Glossæ. De eo sic Priscianus, lib. XV. Sensim pro paulatim, quia ea maximè faciunt sensum, quæ morantur. Sed puto sensim dici, quod paulatim fiat, ita tamen vt sentiatur. Vt a rapio raptim, à furor furtim, à cædo cæsim sic à sentio sensim.

SENTINA iuxta Perottum, quòd eius fœtor sentiatur. Hinc sentino,

re, quod propriè notat *exhaurire sentinam*. Quomodo vsus Paullinus ad Macarium. Sed quia eo pacto, præsertim vbi à naufragio metus, solet periculum euitari: eo accipitur pro *vitare periculum*. Id nos docet Festus: *Sentinare, satagere, dictum à sentina nauis, quam quis, vt aquâ liberet, euacuare contendit. Itaque sentinare, subtiliter periculum vitare.* Cæcilius:

Capit consilium, postquam sentinat satis

SENTIO propriè de *auditu* dicatur, si sit à *sonitu*. Sed verisimiliùs Nunnesius, qui κατὰ μετάθεσιν factum putat ab *αἰσθάνομαι*.

SENTIS à *situ*, quòd *in terra inculta, situque obducta nascatur*. Ita Isidorus, lib. XVII. cap. VII. Vel potiùs, quod à *tangentibus quamprimùm sentiatur*, vt censet Perottus. Vel à שן, *acuere*. Est enim *acuta*. Vel à סנה, quod est *sentis, rubus*. A quo & *Sinai* mons, סיני, nomen accepit. Nempe à *ruborum copia*. Id enim simplicius ac verius puto, quàm Rabbinorum quorundam opinionem, qui nomen inditum ex eo putant, quòd *lapis in eo inuentus impressam habuerit rubi figuram*. Quamquam Ephodæus se figuram hanc in fragmentis lapidis vidisse testetur. Quod somnium puto, vt multa Iudaica ac Rabbinica. A *sentis* est *sentus*, hoc est, *horridus, instar loci sentibus obsiti*. Donatus in illud Ter. Eun. II. II.

Video sentum, squallidum, ægrum, pannis annisque obsitum:

Sentum, inquit, *ad horrorem retulit, squallidum ad sordes*. Onomast. *Sentus, ἀκανθώδης*. Quod allatum ἔτυμον confirmat. Nam ἄκανθα *sentis*. Etiam à *sentis, senticosus* pro *spinoso*. Afranius in Abducta:

Quàm senticosa verba pertorquet turba.

Ita constanter est in MSS^tis codd. Festi siue Paulli. Videtur tamen postremo loco iambus requiri.

SEORSVM à *se*, præpositione loquelari. Hoc forte à *sine*. Nisi malis à *semis*, vel *secus*: quod legas apud Priscianum, in fine lib. XIV. *Se pro δίχα, Græcâ præpositione separatiuâ est, vt secubo, separo, seduco. Est etiam abnegatiua, vt securus, sine cura. Præterea seorsum fit aduerbium à se, vt à de deorsum, à super sursum. Quibusdam se à semis, quod separationem facit, quibusdam à secus videtur profectum.* Mihi placet, *seorsum* esse ex *se*. Sed quæ altera compositi pars? An *orsus*? Hoc si placet, diceretur *seorsus*, quia alio opus exordio. Sed magis fit verisimile *seorsum* dici quasi *seuorsum*, à *se* & *versus*, siue, vt antiqui dicebant, *vorsus*. *V* extritum, quomodo ab eodem fonte *deorsum* dicimus à *de* & *versum*; *sursum* quasi *sus*, siue *susum*, hoc est, *supra versum*. Vide eius generis plura in *Prosa*. Porrò non tantùm *seorsum* dixere, sed & *seorsus*. Quid mirum? quando in simplici est *versus versum*: vnde *aduersus aduersum, rursus rursum*, quasi *reuorsus reuorsum, prorsus prorsum*, quasi *prouorsus prouorsum*. Plautus Rudente, Act. V. Sc. II.

Nummi octingenti aurei in marsupio infuerunt,
Præterea centum denaria Philippea in pascendo seorsus.

Item Afranius in Emancipato apud Charisium, lib. II.

Principium hoc oro in animo vt sic tuo statuas,
Officijs cogi, vt abs te seorsus sentiam de re vxoria.

Imò nomen etiam esse generibus varians arguit hoc Terentiani Mauri:

Nunc quia qua potui videor tractasse seorsa,
Heroico profecta, quaque Iambico.

SEPELIO, si Perottum audimus, ita dicitur à *sepiendo*, quia locus, quo conditur cadauer, lapide, vel aliter sepitur. Possis & deducere à Chaldæo שפל, quod est, *humilem esse*: ita *sepelire* sit *condere in humili loco*. A *sepelio* est *sepelitus*, quo Cato vsus ad Thermum: teste Prisciano, lib. XVIII. Ex *sepelitus* fuit *sepoltus*, *e* in *o* abeunte. Nunc pro eo efferimus *sepultus*. Etsi Isidorus, lib. XI. cap. II. ita dici putarit quasi *sine pulsu*. At *sepulcrum* eâ ratione venit à *sepultum*, quâ *fulcrum* à *fultum*; *lucrum* à *luitum* seu *luo*; *inuolucrum* ab *inuolutum*; *lauacrum* à *lauatum*. Hinc paret sine adspiratione scribendum *sepulcrum*, non *sepulchrum*. Veteres tamen ipsi cum spiritu & pronunciabant & scribebant. Paret id ex lapp. & Grammaticis antiquis. Nunc vnius tantùm Seruij verba ponam in III. G. *Tria*, inquit, *veteres habebant nomina, in quibus C literam sequeretur adspiratio, Sepulchrum, Orchus, Pulcher; è quibus Pulcher tantum hodie recipit adspirationem.* Hæc loquendi scribendique consuetudo veteribus præbuit occasionem, vt mirifica *sepulchri* etymo comminiscerentur. Id ita esse, euincit hic Charisij locus, lib. I. *Pulchrum Varro aspirari debere negat, ne duabus consonantibus media intercedat aspiratio, quod minimè rectum antiquis videbatur, vnde & sepulchrum hodieque manet, quod sit seorsum à pulcro, propter recordationem doloris. Sepulcrum ab aduerbio seorsum & pulcrum alius tractum dicit, quod in hoc nomine componitur semis & pulcrum, quia pulcrum superficie, & intus plenum ossibus.* Item Donat. in Andr. Act. I. Sc. I. *Sepulcrum κατ' ἀντίφρασιν, quod sine repulchrâ sit; an quod ibi sine pulsu sint, id est, mortui? an quo illic animæ à viuis sepeliantur, id est, separentur?* Non tamen omnium is error fuit. Nam ibidem apud Donatum legas à *sepeliendo sepulcrum* dici. & in lapp. non semper *sepulchrum*, sed interdum etiam sine spiritu reperias: vti in Orthographia ostendit Aldus.

SEPIA, σηπία, quomodo appellant Aristoteles, Apollonius, Dioscorides, Oppianus, Athenæus, alij. Superfluus igitur error, tum Isidori ex eo deriuantis, quòd *sepibus interclusis facilius capitur*: tum Fungeri, qui & ipse origine Latinum credens, sic dici ait, quòd *piscatoribus velut iter præsepit*, nempe quia atrum euomit humorem, quo se occulat: vt tradit inter alios Plinius, lib. IX. cap. XXIX. Allusit eò Tertullianus, lib. II. aduersus Marcionem, cap. XX. *Sed enim sepiæ isti (quorum figura illud quoque pisculentum de cibis lex recusauit) vt traductionem sui sentiunt, tenebras hinc blasphemiæ internomine, atque ita intentionem vniuscuiusque tam proximum dispargunt, iactitando & asseuerando ea quæ relucentem bonitatem creatoris infuscent.* Dioscorides, lib. II. cap. XXIII. à *colore* appellat τὸ μέλαν, ac Cicero similiter lib. II. de naturâ Deorum, ac Plinius loco antè citato *atramentum* vocant. Imò neque Persius sat. III. *sepiam* pro *atramento* dicere dubitauit; quamquam id Romani non è *sepiâ* conficerent sed è *fornacium balneariúmque fuligine*. Sed & Athenæus, lib. VII. pro eo θολὸν dicit, quæ vox *sordes turbidas* (vti aquas cœno plenas) generatim signat, vnde θολοῦν *turbidum esse*: à quo ipso Gallicum *trouiller*, nisi forte à Latino *turbare* κατὰ μετάθεσιν esse malis. Aliud verò est θόλος, aliud θολός. Θόλος est *testudo ædificij, & opus testudinatum* De cuius origine in *Tholus* dicemus. Θολὸς notat *aquas turbidas*, ab Hebræo דלח, quod est *turbare*. De *Sepia* natura curatè tractat Rondeletius, lib. XVII. capite II. & III.

SEPLASIARIVS, in Glossis Philoxeni exponitur παντοπώλης, ac similiter Cyrilli Glossæ. Eâ voce notatur, *qui omnia vendit*. Itaque videtur interpretatio Glossarum laxior esse, quàm oportebat. Nam *seplasiarius* est, non qui ἅπαντα *omnia*, sed qui, vt nunc loquimur, *species omnes* diuendit, hoc est, τὰ ἀρωματίζοντα, vnde *aromatarios* vocamus. Est *seplasiarij* vox à *seplasia*, vel *seplasium*; quomodo vocari solent *aromata*, & *simplicia medicamenta, ac vnguentorum delicia*. Ita vsi Varro, Plinius & Ausonius. Sed propriè sic dicitur *locus, vbi ea venduntur*: vnde in Cyrilli Glossis legas, Παντοπωλεῖον, *seplasium*. Atque ad *quemuis locum* ea appellatio deriuata ab loco vno: vt indicant hæc Festi verba: *Seplasia, forum Capuæ, in quo plurimi vnguentarij erant.* Meminere & eius fori Tullius pro Sext. & Pisoniana; item Val. Max. lib. IX. cap. I. Item Marcellus:

Quódque ab Idumæis vectum seplasia vendunt,
Et quicquid confert medicis Lagia cataplus.

SEPS nunc notat *id, quod obiectum, prohibet introitum in agrum vel hortum*: nunc *genus* est *lacertæ*. Priori modo fit κατὰ συγκοπὴν è *sepes*; quo Virgilius vsus in Tityro. Hinc Ausonius in Technopægnio.

Bucolico sepes dixit Maro: cur Cicero seps?

Sepes verò à *sepio*. Nisi cum Nonio malis *sepes* à *sepibus*. Sed vtcumque hoc est, prima origo est à סב quod est *circumire*, vel Chaldæum סיף, hoc est, *terminus, finis*. Nam *sepes* hortorum termini ac fines esse solent. A *sepire* est *consæptum*, agri circa templum spatium Deo dicatum. Vnde Glossæ, *Consæptum*, σηκός. Et quod Clemens Alexandrinus, ἐν τῷ περιβόλῳ τῷ Ἐλευσινίῳ, Arnobius vertit, *in consepto Eleusino*. Arnobij quoque est lib. XI. *Æuibusque conductis extra consæptum temporis larem temporarium mihi constituo*. Antiqui pro *consæptum* dixere *consipitum*, teste Festo. At *seps* posteriori notatione non Latinam, sed Græcam habet originem. Vnde idem Ausonius paullò pòst:

An Libya ferale malum sit Romula vox seps.

Est autem παρὰ τὸ σήπειν τὰς σάρκας, vt ait Nicandri Scholiastes. Habet enim vim σηπτικήν, hoc est, *putrefaciendi, & putredinem corporibus morsu suo inferendi*. Isidorus, libro XII. cap. IV. *Seps exigua serpens, quæ non solum corpus, sed & ossa veneno consumit.* Cuius poeta (Lucanus lib. IX.) *sic meminit*:

Ossáque dissoluens cum corpore tabificus seps.

Prudentio quoque, præfat. lib. I. aduersus Symmachum, hanc vocem restituit Latinus Viterbiensis, quemadmodum monet Iohannes Castalio Var. Lection. cap. XXII. Dicitur & χαλκίς, χαλκίς à χαλκὸς, hoc est, *æs*, quia *tergus æneis lineis distinguatur*. Nicandri Scholiastes in Theriacis: ὁ δὲ σὴψ ὅμοιός ἐστι τῇ σαύρᾳ, καλεῖται δὲ καὶ χαλκίς· ἔχει γὰρ ἐπὶ τοῦ νώτου χαλκίζουσας ῥάβδους. Plinius, lib. IX. cap. V. *Lacerta, quam hi sepa, alij chalcidicen* (lego *chalciden*) *vocant, in vino pota morsus suos sanat.* Germanis similiter vocatur *Kufferader*, quasi *ærea*

area lacerta. Vide & de hoc serpentis genere, præter iam dictos Dioscoridem, Solinum, alios.

SEPTEM ab ἑπτά, vt à δέκα *decem*. *Septem* Philo Σεβαστικὸν dici ait ab initâ maiestate, quam Græci σεβασμὸν vocant, cóque & Romanos, qui S retinent, propiùs ait à primigenio abire. Locum vide sis lib. de opificio mundi pag. xix. edit. Turnebianæ. Sed verisimilius est ἑπτά esse ab Hebræo שבע. quod idem: ac sic quoque verum est, si initialem sibilum spectes, minùs ab Hebræo recedere vocem Romanam quàm Græcam. Ab ἑπτά est ἕβδομος, vt à *septem septimus*. Ab ἕβδομος ἑβδομάς, *hebdomas*, pro quo & *hebdomada* dicitur, vt pro *lampas lampada*. Vulgò pro *hebdomas* dicunt *septimana*, quæ vox non nisi adiectiuè vsurpatur ab iis, qui purè scripserunt. Ridiculè autem Isidorus, lib. v. cap. xxxii. Vbi *septimanam* ait dici, quia in eâ sint *septem mana*, id est, *septem luces*. Nam non dubium, quin sit ab adiectiuo *septimanus*, cui simile, *primanus*, *decumanus*, &c.

SEPTEMBER, esse à simplici *imber* scribit Priscianus in vii. Similiterque *October*, *Nouember*, & *December*, existimantur, quasi *octauus*, *nonus*, & *decimus imber*. Eadem mens Isidori, lib. v. cap. xxxiii. Nempe quia *his quatuor mensibus crebri decidant imbres*. Sed hoc si esset, *Octimber* diceretur. Quare sunt hæc non magis composita, quàm *Quinctilis* & *Sextilis*, in quibus *LIS*, vti in aliis *BER*, vocis syllabica productio est. *Quinctili* verò, *Sextili*, *Septembri*, atque ita in aliis (vt Varro ait in v de L. L.) inde nomen est, quòd *quinctum*, *sextum*, *septimum obtineant locum à Martio*, à quo Romulus annum inchoauit: sed Numa ei duos menses præposuit, Ianuarium & Februarium. Hac de re ita Naso, i Fastorum:

Tempora digereret cùm conditor vrbis, in anno
Constituit menses quinque bis esse suo.
Martis erat primus mensis, Venerisque secundus:
Hæc generis princeps, ipsius ille pater.
Tertius à senibus, iuuenum de nomine quartus;
Quæ sequitur, numero turba notata fuit.
At Numa nec Ianum, nec auitas præterit vmbras:
Mensibus antiquis præposuitque duos.

Atta, poëta antiquus:

—— Annum nouum
Voluerunt esse primum mensem Martium.

Tibullus, lib. iii. Eleg. i.

Martis Romani festæ venere Calendæ:
Exoriens nostris hic fuit annus auis.

Dionysius Petauius nuper cum Nicephor. Chronico edidit Gregorii cognomento Figuli, Tauromitani in Sicilia Archiepiscopi, homiliam in Indictionem, siue anni principium. In ea ait Gregorius *Septembrem* non tantum à *septenario* numero accepisse hoc nomen: sed etiam quia mensis ille sit σεπτός, hoc est, *venerandus*. Quò etiam refert quod festa tot in eum incidant. Sed seu originationem, seu allusionem condonare oportet homini Græco.

SEPTEMTRIONI vnde nomen sit, non conuenit. Quidam volunt esse à *solo numero stellarum*, vt *triones* sit supplementum. Alii maluit *triones* esse *boues*, vt apud Næuium: *Trionum hic moderator rusticus*. Sane in Philoxeni Glossis legas: *Triones*, βόες ἀροτῆρες. Estque id nomen ab officio, quasi *teriones*, quia *solum terant*: vel quasi *terriones*, quia *terram arent colántque*: vel quasi *striones*, à *stria*, quam proscindendo terram faciunt. Vide Varronem, lib. vi. de L. L. Festum in *Septemtriones*, Gellium, lib. ii. cap. xxi. & Scaligerum, coniectaneis in sextum Varr.

SEQVOR à *seco* venire, scripsit Cæsar Scaliger, ad Theophrasti de caussis Plantar. lib. i. cap. v. Mihi verisimilius fit, venire ab ἕπομαι, conuersa consonante priori, & spiritu aspero. Similiter sanè ab ἕπω est antiquum *sequo*, siue *seco*, vnde *insequo*, sine, quod Velio Longo magis placuit, *inseco*, quod est ἐνίσπω. Gloss. Philox. *Insequo*, εἰπέ. Itaque cum apud Homerum initio Odysseæ sit,

Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα πολύτροπον, ——

id Liuius Andronicus interpretatus est,

Virum mihi Camena insece versutum.

Et apud Catonem oratione contra Thermum fuit *insecenda*, pro *fanda*: ac *insectiones* dicuntur *narrationes*. Planè falli arbitror, qui *sectiones* eo pro *narrationibus* poni putant, quia hæ sectæ, & distinctæ, ordinéque suo distributæ. Vide, quæ pro sententiâ nostrâ adfert Agellius, lib. xviii. cap. ix. cuius initium non è vulgatis peti debet libris; sed è Guilielmo Cantero, qui lib. ii. cap. vi. id suppleuit ex antiquo codice Buslidiano. Ad *sequor* redeamus. Ab eo est *secutor*, qui & *adsecla* ab *adsequendo*. Gr. ἀκόλουθος. Sic in vett. lapp. legimus, SECVTORI CÆSARIS. Item SECVTORI TRIBVNI. Et si sanus Petronii locus, ab eodem erit *secutuleia*, vt ita dicatur *femina*, *quæ ipsa viros sectetur & appetat*. Sed speciatim in ludo gladiatorio quidam dicebantur *secutores*. Isidorus, lib. xviii. Orig. cap. lv. *Secutor est ab insequendo retiarium dictus*. Fusè de his Lipsius, Saturnal. lib. ii. cap. vii. Vbi & interpretatur Appuleii locum hunc, lib. iv. *Non diu cruciatus vitam emisit: quem prioris exemplo sepulturæ traditum, bonum secutorem Lamacho dedimus*. Hoc est, (iuxta Lipsium,) *qui Lamachum sequeretur, comitaretúrque ad Orci domum*. Sed meritò hac parte Lipsianam sententiam reiicit Iosephus Scaliger, Nam, vt vir ille summus in notis ad Manilium docet, *secutor* est, qui Græcis ἔφεδρος, alterque Latinis *subdititius*, Martiali etiam *supposititius* appellatur: in veteribus Glossis *tertiarius* vocatur, quia nimirum altero interfecto *tertius* sufficeretur. *Secutor* igitur Appuleio simpliciter est, qui sufficiebatur Lamacho interemto. A *sequor* quoque est *sequior* pro *deterior*: vt cùm *sexum sequiorem* pro *muliebri* dicit non semel Appuleius. Sic Seneca, *sequius de aliquo loqui*, hoc est, *deteriùs*, *sinistrè*. Gloss. *Sequius*, χεῖρον. Turnebus, lib. xix. cap. xvii. ex eo existimat hoc loquendi genus proficisci, quòd *præire* consueuit, cuius melior condicio; *sequi*, cuius deterior, vt seruus. Nisi potiùs dicendum: *sequior* seu *secior* (nam eadem C & Q littera est) venire à *secus*, hoc est, *aliter*, idque κατ᾽ εὐφημισμὸν, quomodo Græci dicunt ἑτέρως pro *irato*, & Latini *auem alteram* pro *infelici*. *Sequiorem sexum* pro *muliebri* dixit Appuleius, lib. x. *Si sexus sequioris edidisset fœtus, quod esset editum, necaretur*. Cui opponitur *sexus melior* pro *virili*, Statius, i. Theb. *Et sexus melioris inops*. *Sequius* aduerbialiter vsurpauit & Varro Tanaquile apud Nonium in *Ruminare*: *Non modò* (sic veteres locuti pro *non modò non*,) *absens quicquam de te seciùs cogitabis, sed etiam ruminabitur humanitatem*. Afranii quoque est: *Sin, id quod spero, ratio talis sequiùs ceciderit*. Et Appuleii, lib. viii. Asini Aurei: *Placuit Thrasyllo schema feralium nuptiarum, nec sequius aliquid suspicatus*. A *sequo* quoque iuxta Gellium, lib. xx. ὁ μεσίτης dictus *sequester*, quòd eius vtraque pars iudicium sequatur. Nisi potiùs à *sequo*, hoc est, *dico*, ἕπω, quia dicat sententiam inter partes. A *sequester* est verbum *sequestro*, hoc est, *sequestrum ago*, item *separo*, ἀποχωρίζω. Ab eodem, aduerbium *sequestrò*, vt cùm quid *sequestrò positum* dicerent. Ita locutus Agellius, lib. xx. c. xi. Ab eâdem origine *sequester* aliter *sequlus* dicitur, quasi *seculus*. Sed hac de voce separatim diximus. *Exsequi* est *sequi pompam funebrem ad sepulturam*. Itaque pro *funerare* sumit Tullius ii. Tuscul. Quæst. Atque ab eâ notione dictæ *exequiæ*. Gloss. vett. *Exsequiæ*, ἐκφορά, ἐκκομιδή. Ab *assequendo* est *assequula* & κατὰ συγκοπὴν *assecla*. Gloss. Isidori: *Assecula*, *buccellarius homo*.

SERA sunt quibus *remotis fores panduntur*, vt ait Varro, lib. vi. de L. L. Festus: *Seræ*, *fustes*, *qui opponuntur foribus*. Ouid. Amor. lib. vi. el. vi. *Excute poste seram*. Est *sera*, vel à שער, hoc est, *obseruauit*, (quæ Becmani sententia:) vel à Chaldæo סגר: quod est *claudere*. Aut à Græco σειρά, hoc est, *funis* siue *catena*, olim enim antè inuentum *seræ* vsum fune solebant munire ianuas: vt in veteri Lexico legitur. At malè Beda, libello de Orthographiâ, vbi ait *seras* dici à *serò*, quia *serò*, hoc est, *vesperè* ciuitatum obclauduntur portæ. Nec meliùs Perottus, quòd foribus admotæ *serantur*, hoc est, *inserantur & defigantur*.

SERENVS ab antiquo *serus*, vt ab *alius alienus*, à *dubius* antiquum *dubienus*, à *socius*, *socienus*. *Serus* à *serendo*. Nam *serum* seu *serenum* propriè dixere veteres agricolæ tempus sationi aptum. Nisi malis esse à ξηρός, quod vsitatius ξηρόν, id est, *siccus*. Quomodo & *sudus* est à *se*, id est, *sine*, & *udus*. Ita & *serenus*, & *sudus* opponantur cælo pluuio. Confirmat hanc sententiam, quòd à *serum* sit *sereo*, indè *seresco*, quod significat *siccari*, prout interpretatur Nonius, ac probat illo Lucretii, lib. i.

Denique fluctifrago suspensæ in littore vestes
Vuescunt, eædem dispansæ in sole serescunt.

Sanè & *serenus* similiter pro *sicco* accipitur; vt cùm Maro i. G. ait:

——Vnde serenas
Ventus agit nubes.

Quæ alibi *arida nubila* appellat. Habet *serescere* & alteram significationem, próque ea originem diuersam. Sed priorem tum producit, quia tunc à *lactu sero* id verbum formatum est, Plinius, lib. xi. c. xliii. *Omne lac igne spissatur: frigore serescit*, hoc est, *in serum abit*.

SERIA, vas fictile oblongum, à סיר, *olla*, *lebes*. Hinc *seriola*, apud Isidorum, lib. xx. cap. vi. Onomasticon: *Seriola*, κεράμιον, quasi diminutiuum, *vrnula*.

SERICVM videtur Becmano originis Hebrææ: nam שׂריק, esse *surculum*, indè שׂריקים, dici *serica*, *quæ in arborum ramis aut surculis fiunt*. Sed non dubium, quin vox sit à *Seribus*, quos *inter duos amnes Hydaspem & Indos constitutos* Orosius scribit

lib. III. cap. XXIII. Inter *sericum* & *bombycinum* discrimen ponit Vlpianus, l. XXIII. de aur. arg. leg. *Vestimentorum sunt omnia lanea, lineaque, vel serica, vel bombycina.* *Bombycina* quid sit, indicat locus Plinii, lib. II. cap. XXII. *Bombyces, telas araneorum modo texunt ad vestem luxumque feminarum, quæ bombycina appellatur.* Atque hæ vestes etiam *Coæ* vocabantur: quia *bombyces* nascerentur è *Co insula*. *Bombycina* igitur fit e textura vermiculorum toti iam Europæ notorum. Sed *Serica* vnde fieret, quia ex interiori Asia peteretur, non æquè constabat. Quidam veterum putarunt neri eam è cortice arboris Indicæ. Hanc fuisse quorundam sententiam auctor Pausanias in Eliacis. In iis est Strabo, lib. XV. cùm ait: Τοιαῦτα δὲ καὶ τὰ σηρικὰ ἔκ τινων φλοιῶν ξαινομένης βύσσου. *Tales & serica vestes, bysso ex corticibus quibusdam carminata, netoque.* Et sanè *sericum* esse *arborum fætum*, etiam sensit Ammianus Marcellinus, lib. XXIII. *Agunt*, inquit, *& ipsi quietiùs Seres, armorum semper & præliorum expertes. Cœli apud eos iucunda salubrisque temperies, & abunde siluæ sublucidæ, à quibus arborum fætus aquarum aspergininibus crebris velut quædam vellera mollientes, ex lanugine & liquore admixtam subtilitatem tenerrimam pectunt, nentesque subtegmina conficiunt sericum ad vsus antehac nobilium, nunc etiam minimorum sine vlla discretione.* Alii *arboribus depecti* agnoscunt, verùm *sericum* non ex *arborum naturâ*, sed *bombycum opere* fieri tradunt. Sic clarè Isidorus, lib. XIX. cap. XXVII. *Sericum dictum, quia id Seres primi miserunt. Vermiculi enim ibi nasci perhibentur, à quibus hæc circum arbores fila ducuntur. Vermes autem ipsi Græcè βόμβυκες nominantur.* In priori sententiâ fuisse videtur Tertullianus, cùm libro de habitu muliebri scribit, *Age nunc si ab initio rerum & Milesii oues tonderent, & Seres arbores nerent*, &c. At Isidoro fauet locus Chrysostomi à Brodæo quoque adductus: Καλὰ, inquit, τὰ σηρικὰ ἱμάτια. ἀλλὰ σκωλήκων ἐστὶν ὑφάσματα. *Pulcra sunt vestimenta serica, sed vermium textura.* Difficilius dictu, vtros sequatus Maro, cùm II. G. ait:

Velleraque vt foliis depectant tenuia Seres.

Aut Seneca, cùm in Hercule OEteo scripsit;

Quæ Phœbeis subditus Euris
Legit Eois Ser arboribus.

Aut Claudianus, cuius illud,

Stamine quod molli tondent de stipite Seres.

Sed veriùs sanè Isidorus, quam Strabo, vel Ammianus: quanquam Isidorum eo nomine, in notis ad II. Annalium Taciti, reprehendat Iustus Lipsius, quasi is malè confuderit *bombycinam* cum *serica*. At immeritò, quemadmodum ex iis patet, quæ Iul. Scaliger tradit ad Cardanum, Exercitat. CLVIII. tmem. IX. Vbi inter alia narrat vidisse se *in Calabria neglectos in arboribus vermiculos sine cura cultùque sericum facere, è quibus detrahunt incolæ.* Addit quoque ex commentariis nauigationum in Taprobanâ, *sericum*, sine cultu ex arboribus detrahi. Sed & partim ex Veneti legati narratione, partim ex peregrinationum scriptoribus ostendit, *sericum*, quod hodie à *Seribus* in loca alia demittitur, planè idem esse, ac illud quo hodie vtimur. Imò & Cardanus monuerat ex Indicis nauigationibus patuisse, non aliud iis esse *serici* genus, quam nobis. Dalecampius quoque ad Plinii lib. XI. cap. XXIII. scribit se vidisse folia aliquot ex Perside & Arabiâ aduecta, mori foliis similia, sed paullò angustiora & longiora, vellere sericeo circumuoluta, quod bombyx intus latens neuerat, vt omnino sericum filum orientale ac nostrum bombycinum non differant κατ' οὐσίαν, sed solùm accidenti, putà quòd in oriente bombyces id in arborum foliis producant, nobis verò animalculum id curâ maximâ sit tuendum seruandumque. Quare nec in eo audiendus Iustus Lipsius comment. ad eundem librum, aut Ioan. Bernartius comment. ad I. Silu. Statii, qui inter alia, quæ fusè de *serico* disserunt, hoc quoque tradunt, *sericum* apud nos desiisse, nec eius quicquam, præter nomen superesse. Porrò vsque ad Iustiniani tempora inuisa imperio Romano semina vermiculorum, qui *serica* nerent fila. Eius demum temporibus eò perlata, filáque ibi neri à vermiculis & inde texi *Serica* cœpere. Vt constat ex Procopii Gothicorum libro II. Ac primò quidem mulieres solæ *serico* vtebantur. Vnde Plinius: *Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, vt in publico femina transluceat.* Cœperant tamen iam tum viri eo vti: sed lege hoc repressum fuit. Quod accidit anno Vrbis IↃCCLXIX. quo decretum factum, vt ait Tacitus, Annalium lib. II. *Ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent, Ne vestis serica viros fœdaret.* Neque Dionis æuo, qui vixit temporibus Seueri Imperatoris hoc concessum fuit, vt constat ex libro XLIII. Paulatim verò & viri ea vti cœpere. Vnde Solinus, qui post eos vixit, cap. LIII. ait: *Hoc illud est sericum, in vsum publicum damno seueritatis admissum: & in quo ostentare potiùs corpora, quàm vestire, primò fœminis, nunc etiam viris persuasit luxuriæ libido.* A *sericum* fiunt *holosericum*, & *subsericum*. *Holoserica* vestis dicitur, quæ *tota* est *ex serico*, nulla alia admistâ materiâ. *Subserica* dicebatur, cuius stamen solum esset *sericum*. Lampridius de Heliogabalo: *Primus Romanorum holosericâ veste vsus fertur, cum iam subserica in vsu essent.* *Tramoserica* etiam legas apud Isidorum, lib. XIX. cap. XXII. *Holoserica*, inquit, *tota serica.* ὅλον *enim totum. Tramoserica stamine lineo, trama ex serico.* *Serici* etiam genus fuit *holoberum* siue *holouerum*. Vocem eam legas, l. IV. de vestibus holober. lib. II. Frustra sunt, qui *holobriza* corrigunt, ac intelligunt vestes quæ totæ sunt ex *obrizo*, hoc est, *auro purissimo*, quod quantumuis coctum non diminuitur. Nihil enim mutatione opus, quia & Zonaras auctor est, *sericeas vestes* dictas βήρους. Inde *holouera*. Sed quid βῆρος? Quibusdam videtur vox barbara, ab ea gente vnde primò id panni genus allatum. Sanè apud Prophetam Ezechielem cap. XXVII. vocem ברומים nec Iudæis magistris satis cognitam βήρους interpretatur Casaubonus notis ad Trebellium Pollionem. At Salmasio magis placet *holoueram* dici *sericam*, quæ tota esset tincta colore vero, hoc est, purpureo, tum staminis tum subteminis ratione: quomodo vox erit hybrida, atque è Græco ὅλος, & Latio *verus* conflata. Quam sententiam alii etiam postea fuere amplexi. Et sane Ἀ[illegible] Procopii comprobatur. Sed vtcunque de origine vocis sit, omnino rectum est *holouera*. Quam lectionem tuentur quoque Turnebus, lib. I. cap. XVII. Et Cuiacius ad citatum Cod. locum. Plura si de *bombycino* ac *serico* voles, cùm Scaligerum, Dalecampium, Lipsium, ac Bernartium, locis citatis adire potes, tum Raphaëlem Volaterranum, lib. XXVIII. Comment. Vrban. Lazarum Baifium, lib. de re Vestiaria, cap. & VI. Brodæum, lib. II. Miscellaneorum, cap. XXII. & Tiraquellum, in legg. connubial. leg. III. num. XVIII. Sed & quædam huc pertinentia diximus voce *Byssus*. At imprimis operæ fuerit adire, quæ Salmasius obseruauit ad Tertullianum de Pallio, & Historiam Augustam, & Solinum.

SERIES à *sero*, hoc est, *necto*. Gloss. Phil. *Series*, τάξις, εἱρμός. σύνταγμα ἄλυσις χρόνου καὶ ἑρμηνεύς Gloss. Cyrilli; εἱρμὸς, *connexio, series*. Vide *Serta*.

SERILLA, vel, vt alii legunt, *serilia*, si Verrium audimus, *sunt nauigia Istrica ac Liburcina quæ lino ac sparto condensantur, à conserendo & contexendo dicta.* Auctor Festus: qui & ex Pacuuii Niptris hos versus adfert:

Nec vlla subscus cohibet compagem aluei,
Sed suta lino, & sparteis serillibus.

Sed ex his liquet, verius esse quod ibidem subiicit Festus *serillas* esse funiculos ex sparteo consertos. Atque indè *serillis* nomen.

SERIVM à שרך, *firmare, certo affirmare.* Nisi malis ex *se*, hoc est, *sine*, & *risus* vt putat Nonius, & post eum Rodolphus Agricola notis ad M. Senecam. Cui origini non repugno. Nam *serium* & *iocosum* opponuntur apud Ciceronem, lib. I. Off. ac similiter Horat. dixit sat. I. lib. I.

Sed tamen amoto quæramus seria ludo.

SERMO, à *serendo*, quia inter duos seritur, vnde Plautus Curcul. I. III.

Quem quidem mihi pollucibus virgis seruus sermonem serat.

Et Maro VI. Æn.

Multa inter sese vario sermone serebant.

Adferunt hanc nominis rationem Varro, lib. V. de L. L. Seruius ad adductum Maronis versum: Vetus Horatii interpres ad Ecl. I. lib. I. Satir. &c. Et è iunioribus Iouianus Pontanus in Actio fol. CXI. edit. Ald. Iosepho tamen Scaligero in Coniect. videtur *sermo* dictus παρὰ τὸ εἴρειν, hoc est, *necto*: vt nempe præposito sibilo fiat ab εἱρμὸς, quo *series* significatur: vnde εἱμαρμένη, hoc est, *fatum*, definitur τῶν αἰτιῶν εἱρμὸς, *ordo seriesque caussarum* prout interpretatur Cicero. Tertia est Becmani sententia, qui κατὰ μετάθεσιν factum putat ex Hebræo מסר, hoc est, *tradere*, & speciatim *sermone tradere*: vel à רשם, hoc est, *sermonem habuit*. Tribus istis addamus coniecturam nostram. Puto *sero* antiquâ linguâ notasse *dico* ab ἐρῶ siue ἐρέω, quod idem signat. S præmissum, vt in Belgico eiusdem notionis verbo, quod est *spreken*, à *prædico*. Nec pauca sunt in Latinis, vbi spiritus lenis in S abiit: vt ἕπω *seque*, vnde apud veterem poetam *Insequé, inuam*. Item ab ἱδρὼς, quomodo vocatur *calida & sicca cœli tempestas*, fit *sudus*. Simile igitur fit ab ἐρῶ *sero*, vnde *sermo*, item composita *adsero* & *dissero*; non à *sero*, quod est ὑφαίνω. Sic *assero* fit *rationem dictis addo*, atque ita *rem firmo*. *Dissero* fit *dicendo rem diduco*. Vnde *disertus*, qui à *fando facundus*, ab *eloquendo eloquens*. Ab trium horum ὁμολογίᾳ argumentum petit Appuleius in Apologia, cùm scripsit. *Quis enim me hoc quidem pacto eloquentior? quippe qui nihil vnquam*

cog

cogitaui, quod eloqui non auderem? Eundem me aio facundissimum. nam omne peccatum semper nefas habui. Eundem disertissimum, quod nullum meum factum vel dictum exstet, de quo disserere publicè non possim.

SERO est duplex. Vnum notat *necto*, *iungo*, & facit ex se *serui*, *sertum*: alterum significat *semino*: ac facit *seui*, *satum*. Posterius hoc Angelo Caninio placuit esse à Chaldæo זרע, quod est, *spargere*, *dispergere*: vt Z mutetur in S, quomodo à מזג, id est, *mistio*, venit μίσγω, vnde *misceo*. Vel potius erit *sero* à σπείρω, quod idem notat. Nempe à futuro σπερῶ, abiecto σ, vt à σμικρὸς, *dammum*; à σκάμμαρος, *camurus*, à σκόκλωψ, *cocles*. At *sero* pro *necto* venit ab εἴρω, quod est *necto*. Nisi & σπείρω nectendi habuit significationem, vti videtur. Nec enim σπεῖραι solùm *fata* dicuntur, sed etiam, ex quibus aliquid fit, quod nectendi vsum præstet. Vnde σπάρτος, pro *linea*, siue *fune fabrili*, quod alter σάθμη dicebatur. Vnde Hesychius: Σάθμαι σπάρτος ἐν ᾧ ἀπευθύνουσιν οἱ τέκτονες. Itaque idem est σάθμη in prouerbio illo λευκὴ σάθμη ἐν λευκῷ λίθῳ ac σπάρτος in altero Laconum adagio: ποτὶ λίθον σπάρτον ἄγειν. Hoc Latine sit, *Lineam lapidi admouere*: illud, *alba linea in albo lapide*. Nam *linea* Latinis est funis ille colore aliquo illitus, quo lapidem aut lignum signare ac dirigere fabri solent. Imò vt Latini *lineam* dixere, vnde hamus dependet, sic Græci vocarunt σπάρτην & σπαρτίον, aliísque etiam ex materia aliqua nexis nomen simile indiderunt. *Funis* quoque inuolutus est σπεῖρα, quod ab eadem τοῦ σπείρειν significatione ortum duxerit. Quare & *sero* in *nectendi* significatione à σπείρω videtur originem ducere. Sed seu inde, seu ab εἴρω esse placet: non dubium, quin ab ea *serendi* significatione *series* dicatur, & *flores serti*, hoc est, πεπλεγμένοι. Et *serta* pro *fune*. Vt apud Palladium: *Cùm serta, quæ appensa sunt, auferantur.* Item *sertum* pro *corona*. De quo in *Serta* pluribus dicemus. Etiam hinc *sertor*, de quo Festus, etsi intricatius. Item *serto* frequentatiuum, pro *sæpius necto atque ordino*, vt fit in corollis. Glossæ: *Sertat*, στεφανοῖ. Diuersa hæc significatio simplicis verbi etiam in compositis remansit. A *seminandi* significatione sunt *consatus* & *prosatus*: quorum priori Solinus in Polyhistore, altero idem in Pontico vtitur. Eiusdémque ac *consatus* originis est *Ops Consiua*. Est enim vxor Saturni, qui sationi præerat. Vt non audiendus sit Cæsar Bullingerus, qui lib. de Circo, cap. VIII. secutus virum doctum, quem alibi nominamus, à *Conso* dici putat: vti & Deos *Consentes*. At à *consero*, quatenus non συμφυτεύειν, sed συμπλέκειν notat, dixit Maro, *Consertum tegmen spinis*, hoc est, συμπεπλεγμένον. Sic *desero* propriè notat id quod prius connexum erat pro derelicto habeo. Vnde *desertus* pro *derelicto*. Etiam *desero* significationem habet *inserendi*, siue *defigendi*. Vt apud Tibullum.

Nam veneror seu stipes habet desertus in agro.

Adsero est *adnecto rationem, ad aliquid probandum, & firmandum.* *Disserere* etiam propriè fuerit, *aptè res omnes in sermone connectere*. Nisi potiùs *adserere* & *disserere* sunt à *sero* pro *dico*, quod ab ἐρῶ: quod si est, triplex fuerit *sero*, pro *semino*, pro *necto*, pro *dico*: de qua significatione vide quæ in *Sermo* diximus. Ab *insero* quoque in *sationis* significatione est *insitus*: ab illa, quæ *seriem* spectat, *insertus*. Vnde putabat Scaliger dici Latinis *insertam*, quod Græcis διὰ τὸ ἐμβάλλειν *embolema*: atque ita Publium Syrum dixisse,

Frugalitas inserta est rumoris boni.

Sed *incerta* hic legi debere diximus in *Emblema*. Ab *insero* quoque est *insertitius*. Item *insertim*: vt à *prasero prasertim*, quando quid serie est ante alia. Lucretius, lib. II.

Insertim fundunt radios per opaca domorum.

Sic ab *exsero exsertum*, quod idem alibi vsurpat vt *exertè* Tertullianus, lib. II. ad vxorem.

SERPO, vnde *serpens*, ab ἕρπω, spiritu aspero conuerso in S; quod in plurimis fit. Tantum nunc ponam exemplum planè geminum. Ita ab ἕρπυλλος est *serpyllum*, vti Varro scribit, lib. IV. de L. L. & Seruius ad Ecl. II. Ἕρπυλλος verò vocatur ab ἕρπω. Nam *serpyllum*, syluestre imprimis, serpit, dispergitque se per humum. Pro *serpyllum*, *serpullum* per *V* in Romano cod. legi, scribit Pierius ad Eclogam. II. Ab ἕρπω quoque, sed πρῶτι μεθ' ὅλου fit *repo*: vnde, vt Tarentinis & Syracusanis ἕρπειν, ita Latinis *repere* interdum est *ire*. quomodo Maronem semel iterúmque locutum, obseruat Scaliger in Commentario. Sanè id etymon verius est, quàm vt sit à ῥέπω, quod notat *vergo*, *propendeo*. Propriè autem Latinis differunt *serpo* & *repo*, quòd *serpere* dicantur ἄποδα, *repere* autem, quæ pedes habent cruribus breuissimis, vti lacertæ. Itaque Martialis aptè, lib. IV. ep. LIX.

Flentibus Heliadum ramis, dum vipera serpit.

Non *repit*, quod immeritò vir eruditus præfert. A *serpendo* quoque dicta putatur *Proserpina*. Nonnulli caussam hanc adferunt, quod *in germinatione sata proserpant*: *Proserpina* autem sit filia Cereris, quæ frugum Dea. Arnobius, lib. III. *Quod sata in lucem proserpant, cognominatam esse Proserpinam.* A *cursu cælesti* caussam arcessit Varro, lib. IV. de L. L. *Proserpina*, inquit, *dicta, quod hæc vt serpens, modò in dextram, modò in sinistram partem latè mouetur.* Verùm neutrum placet: quòd omnino pateat, *Proserpina* ex Περσεφόνη factum esse. A Græco ἕρπω est quoque *herpes*, siue pro morbo ponatur, hoc est, *vlcere, cuius intemperies ad vicinas partes proserpit, eásque sæpè ad vsque ossa exedit*, quòd cùm fit, ἕρπης ἐσθιόμενος dicitur: siue etiam ponatur pro *animali, quo vlcera proserpentia persanantur*: de quo Plinius, lib. XXXIV, cap. XIII.

SERRA à *seco*, quasi *secerra*. Nisi potiùs, quod Isidorus ait lib. XIX. cap. XIX. à sono factum est. Nam duo *R R*, exprimunt,

—Serræ stridentis acerbum

Horrorem:

vt verbis vtar Lucretii. A *serra* est *serrago*. Est enim quod humi cadit, cum quid *serrâ* scinditur. Cæl. Aurelianus, *Cùm ceruini cornu serragine adspersâ.*

SERTA aliud in *singulo*, aliud in *pluratiuo* numero. In *singulo* notat σχοῖνον, hoc est, *funem* siue *restem*. nempe quia verè *serta*, hoc est, *conserta*, siue *plexa*. Hinc *sertam ducere*, quod Terentio *funem ductitare*. Vide Scaligeri in Varronem Coniectanea & in Tibulli libr. II. Fuerit igitur à *sero*, hoc est, *necto*: vnde & *series* dicta est. Vide quæ de hoc in *Sero* diximus. At *serta* plurale notat στεφάνους, siue στέμματα, prout exponunt Gloss. vett. Hac significatione à *serie* dici putat Varro, lib. IV. de L. L. Rationem etymi ostendit hic Tertulliani locus, lib. de Coronâ militis, cap. V. *Coronam si fortè fascem existimas florum per seriem comprehensorum.* Aliis placet, vt sicut ab Hebræo זרה, quod est *dispergo*, fit *sero*: sic à זר, hoc est, *circulus, corona*, fiat *sertum*, conuerso vtrobique *Z* in *S*, quomodo à מזג est μίσγω, vnde *misceo*. Sed nihil certius, quàm vt *serta* ita & *sertum* esse verbale à *sero*, pro *necto*. Et hanc, & Varronianam illam ἐτυμολογίαν ponit Plinius, lib. XXI, cap. II. *Cum verò è floribus fierent serta, à serendo seriéve appellabantur.* Ita legendum monuit Iac. Pammelius. Nam in vulgatis pro *serie* est *seruia*. Ac confirmat hanc emendationem quod Turnebus scribat in veteris ac fugientibus libris *serime* inueniri: quemadmodum & Dalecampius monet in suis legi *serina*. Quod si quis de allato *serti* etymo dubitet, omnem ei, puto, scrupulum eximet locus iste Seruii, in I. Æneid. *Sertum, & serta, cùm nihil adiicitur, dicimus. Sin autem sertos dixero, addo flores: si sertas, addo coronas vt Lucanus.*

Accipiunt sertas nardo florente coronas.

Hoc in multis nominibus obseruandum est, vt genus ex adiectione formetur, quâ detractâ, in neutrum cadat, necesse est: vt piscinalis locus, piscinalis cella, piscinale: sagmarius equus, sagmaria mula, sagmarium. Apud Appuleium etiam opponi videas *flores sertos* & *solutos*: item *rosam sertam*, & *solutam*. Vide, quæ in *Sero* diximus.

SERVI primùm è captiuis facti sunt, & dicti ita à *seruando*, quia *seruati* sunt, cùm iure belli possent occidi. Adferunt hanc ἐτυμολογίαν cùm Iurisconsulti, tum Donatus Adelph. act. II. sc. I. & Isidorus, lib. IX. cap. IV. Item Augustinus, de Ciuit. Dei, lib. IX. cap. XV. & Eucherius in Genesim, lib. III, cap. XLVI. Cautè autem capiendum, quod ait Donatus, sic dictos, quia *seruati essent, cùm eos occidi oporteret iure belli*: vbi *oporteret* sumitur καταχρηστικῶς pro *liceret*. Nam ea res iure gentium licentiam siue impunitatem habet: etsi non omni ex parte conueniat sæpè pietati & officiorum regulis: iuxta quas rectius captiuis parceretur. Eoque Augustinus, lib. I. de Ciuit. Dei, cap. II. Gothos laudat, quod supplicibus, inque templa confugientibus pepercerant. *Quod*, inquit, *belli iure fieri licuisset, illicitum sibi esse indicarunt.* Quod verò ad etymon, magis verisimile est, *seruum* dici à *seruando* seu *custodiendo*: *seruo* autem venire ab ἐρύω, quod idem notat; vnde Hesychius ἐρύεσθαι exponit φυλάξαι. Vel (quod in Coniectaneis censet Scaliger,) ac in Grammatistice sequitur Nunnesius, fuerit *seruus* ab antiquo *erus*, vnde *eritudo* pro *seruitute* apud Festum. *Erus* autem est à Græco ἔρος, vnde ἔρκος & ἔρεγμα, pro *seruitute* ac *captiuitate*, vsus Homerus Odyss. θ. Hesychius rectè exponit δουλείαν, αἰχμαλωσίαν. Indè etiam ἑρόδιος, vt idem sit quod δοῦλος, quamquam Hesychius malit, ita dici παρὰ τὸ ἔργον ἐργάζεσθαι, vt propriè sit γεωργὸς seu ἐργάτης μισθωτός. Sed hæc quoque deducere possis ab ea potione verbi ἐρύω, quam diximus. *Seruitium* & *seruitus* quemadmodum ex primo Charisii scimus, ita distinguunt quidam, vt hoc sit *seruiendi conditio* siue *actus*, illud *seruorum multitudo*, qua nempe ratione *auitium* (quod apud Ap-

puleium est, lib. de Deo Socratis) *auium multitudinem* significat. Verum (vt Charisius agnoscit) non obseruauit hoc discrimen Maro, cuius illud lib. III. Æn.

Seruitio enixa tulimus.

Cui addere possis illud Tibulli,

Sic mihi seruitium video dominámque paratam.

Cum autem & *seruitium* & *seruitus* proximam ab vltimâ corripiant, non possunt esse à *seruire*, à quo *seruitus* diceretur, vt ab *audio, auditus*: sed omnino sunt à *seruus*.

SERVM in lacte est, quod Græcis ὀῤῥὸς, vel ὀῤῥός. Nec dubito quin ex obliquo ὀῤῥὸν sit *serum*, spiritu in S abeunte, vt ab ἕπω, *sequor*; ab ἱδρὼς, *sudor*. Sed multò vsitatius, vt spiritus asper mutetur in S, vt ἕξ, *sex*, ἕρπω, *serpo*; ἑκυρὸς, *socer*. &c. Ac fortasse sic adiectiuum *serus* sit ab ὅρος, *terminus, finis*. Nam *serum* est, quod iam ad finem pertinet: quomodo Liuius dicit *serum diei*. Saltem hoc ἔτυμον verisimilius, quam allatum ab Isidoro, lib. v. cap. XXX. *Serum*, inquit, *vocatur à clausis seris, quando iam nox venit, vt vnusquisque somno tutior sit. Sero* quod aduerbium creditur, ablatiuus est, quia intelligitur *die*, vel *tempore*: vt in *manè*, quod integrè sit, *in tempore mane*.

SESAMVM, σήσαμον Plinio etiam *sesama*, vt Galeno σησάμη. Imò & in Glossis Cyrilli legas, Σήσαμος, *sesamus*. Videntur autem Græci *sesami* vocem ab Oriente accepisse.

SESQVI & *sesquata* vnde sit, his nos verbis docet Cæsar Scaliger, lib. II. de re Poëtica cap. XXVI. *Ac viri quidem docti, quid esset sesqui, diligentissimè declararunt: vnde esset, non dixere. Nobis in Originibus ita visum fuit: Sesqui fuisse per initia, semis aquum. Idem enim est, quod ἡμιόλιον. Semis totum. Postea vsu extorquente coaluisse ad breuitatem. Inde Terentianus nouam posuit vocem, Sesquata. Quam vocem Augustinus in libro de Musica malè fuit interpretatus, Quasi, inquit, se absque. Veluti dicas, præter se, id est, suam quantitatem, etiam dimidio superat.* Mihi simplicius videtur *sesqui*, conflari ex *semisque*: hoc est, *& semis*. QVE respectum habet ad totum, cui *semis* superadditur. Vnde Græcis dicitur ἡμιόλιον, *totum & semis*.

SESTERTIVS naturâ sua adiectiuum est, dicitúrque quasi *semitertius*. Interdum autem hæc mensuratio fit ratione pedum, interdum miliarium, interdum assium. Exempli gratiâ: *bipalium* (est id genus ferramenti, agris fodiendis accommodati) rustici dixere *sestertium*, quia latum esset duos pedes & dimidium. Columella libro de arboribus, cap. I. *Ipsum autem agrum, quem seminario destinaueris planum & succosum, sat erit bipalio vertere, quod vocant rustici sestertium.* Sic in lege XII. Tabularum. *Sestertius pes*, qui est pedum IIS. *Sestertium* quoque dixere locum, vbi cruces defixæ, aliáque quæ ad plebis supplicia. Auctor Plutarchus in Galba. Nam, cùm scripsisset, Galbæ caput abiectum esse in locum, vbi occidi solent, in quos Cæsar iussit animaduertere: addit, ὁ δὲ τόπος Σηστέρτιον καλεῖται, *locus Sestertius dicitur*. Sentit Hottomannus, lib. de re nummariâ, locum fuisse in carcere ita dictum, quòd ferè angustus adeò esset, vt non amplior *pede sestertio* videretur, hoc est, *spatio duorum pedum & semis*. Sed omnino fuit is locus extra vrbem, potiúsque id nomen accepit, quod ab vrbe *semitertio* abesset *milliari*: quæ sententia est Lipsii, ad XV. annalium Taciti, vbi & veterem Horatii interpretem, & auctorem Cypriani hanc *sestertij* vocem sic vsurpasse docet, sed loca in vulgaris codd. corrupta esse. Tertia & vsitatissima significatio est, quâ *sestertium*, genere tamen virili, appellamus nummum argenteum IV. assium, hoc est, quartam partem denarii, qui sexdecim valebat assibus. Caussa appellationis est, quòd *sestertius* priùs valebat duobus assibus & semisse, vt quinarius quinis, denarius denis assibus. Hinc caussa patet, cur in veteribus libr. pro *sestertius* scribatur HS. vel IIS. Nam duæ lineolæ asses binos; S autem *semissem* notat. Quin & nummos veteres inuenias hac signatos notâ cum inscriptione, SESTERTIVS. Quemadmodum & nummi inueniuntur, in quibus sit notatum V. ad indicandum eos valere *quinarium*, qui denarii dimidium est; item in quibus sit X. quod indicium est *denarij*, siue decem assium. Superiorem *sestertij* ἐτυμολογίαν claré nos docet Varro, lib. IV. de L. L. *Sestertius, quod semis tertius. Dupondius enim & semis antiquus sestertius est: & veteris consuetudinis, vt retro ære dicerentur, ita vt semis tertius, semis quartus pronunciarent.* Item Vitruuius, lib. III. cap. I. *Nostri autem primò decem fecerunt antiquum numerum, & in denario decem asses constituerunt. & eâ re compositio ad hodiernum diem denarij nomen retinet: etiámque quartam eius partem, quod efficiebatur ex duobus assibus & tertio semisse, sestertium nominauerunt.* Et Antius apud Priscianum, lib. de ponderibus. *Sestertius olim dupondius & semis, quasi semistertius, quo tempore denarius decussis* (I. *decussim*) *valebat.* Addit Priscianus: *Hoc quoque secundum Atticos & Iones, qui ἥμισυ τρίτον, dicebant pro δύο ἥμισυ, teste Dydymo.* Volusianus Metianus, de ponderibus: *Sestertius duos asses & semissem, quasi semistertius, Græcâ figurâ ἕβδομον ἡμιτάλαντον. Nam sex talenta & semitalentum eo verbo significatur.* Aliud autem per *sestertios*, aliud per *sestertia* intelligi debet. Nam per *sestertia* intelligendi mille *sestertij*. Ac putat Budæus hoc eo fieri, quia vt *sestertius* caperet duas æris libras & semissem, sic *sestertium* complecteretur duas argenti libras & semissem. Eam Budæi opinionem secuti Alciatus, Lambinus, alii. Sed *sestertium* numero singulo, neutróque genere apud neminem legas vel oratorum, vel poetarum; vt Budæus ipse agnoscit. Quod verò poetæ *sestertia* dicunt, id per metaplasmum fit metri gratiâ. Quod ad locum Ciceronis in Paradoxis, Sallustii in Catilin. ac similes, videntur in iis auctores non voces perscripsisse, sed notas vsurpasse; quas cùm imperiti librarii integras exprimere vellent, *sestertia* perscripsere pro *sestertium*. Hactenus quæ diximus, ad vocis Etymologiam pertinent. Nunc quia nihil vsitatius est in antiquis scriptoribus ratione numerandi per *sestertios*, eóque innumera loca ignorari necesse est sine huius rei cognitione, mantissæ loco in gratiam eorum, quibus ratio nummaria veterum perspecta non est, pauca complectar, quæ hac de re Budæus atque alii tradiderunt, simul quorundam, qui hac de re scripsere, errores obiter castigabo, illustriaque aliquot exempla inferam, è quibus cognosci possit, quam stupendæ fuerint Romanorum veterum opes, si conferantur cum nostri seculi diuitiis, quanta item eorum fuerit prodigalitas ac luxuria. Quod si cui hæc abundè perspecta, is pedem hic figat licet. Neque enim hæc doctis scribuntur. Pro numeri ratione aliter atque aliter loquuntur Romani. Per casum rectum, & absque vlla sermonis præcisione loquuntur necessariò vsque ad numerum millenarium. Ita dicunt *sestertij* viginti, triginta, centum, ducenti, mille. Vnum alterúmque ponam Agellii locum, vt simul pateat, quantum leges sumtuariæ, quæ iam florente Româ latæ, insumi concesserint. Sic igitur ille, lib. II. cap. XXIV. Syllam Dictatorem legem tulisse, *vt feriis solemnibus sestertios trecenos in cœnam insumere ius potestásque esset, cæteris autem aliis diebus non amplius tricenos. Treceni*, hoc est, CCC. *sestertij* Belgicâ moneta sunt *quindecim Carolei*. Nam Caroleus viginti *sestertiorum* est, vt ostendimus in AS. At *sestertij triceni*, siue triginta, valent Caroleo & dimidio. Idem Agellius ibidem refert, legem Iuliam ab Augusto peruenisse ad populum, qua (vt verbis eius vtar), *profestis quidem diebus ducenti finiuntur; Kalendis Idibus, Nonis, & aliis quibusdam festinis treceuti nuptiis autem & repotiis mille sestertij esset. Sestertij mille* sunt *carolei quinquaginta*. Adduxi autem vtrumque Agellii locum, prout emendat Hottomannus, lib. de re nummaria, pag. LXXXI. & LXXXIII. Nam vt in vulgatis leguntur codd. omnino numerus fallit: quando & priori in loco nimis summa est exilis, pro æui Syllani opibus: & in posteriori, vbi vulgo *HS millies* legitur, stupendæ luxuriæ summa est, non parsimoniæ, quam leges sumtuariæ præscribunt. Atque id magis parebit, ex iis, quæ post dicam de ratione per aduerbia numerandi. Sequitur, videamus, quomodo loqui soleant Romani, cùm numerus excedit mille *sestertios*, nec tamen est decies centenorum millium. In huiusmodi summis triplex occurrit loquendi ratio. Prima est simplicissima, cùm dicere *mille sestertij* vel *sestertium*, bis mille nummum, siue *sestertium*, octo millia *sestertium*, viginti quinque millia *sestertium*, &c. Macrobius, lib. III. Sat. cap. XV. *Asinius Celer mullum vnum septem millibus nummum mercatus est, in quâ re luxuriam illius seculi seculo eo magis licet æstimare, quod Plinius Secundus temporibus suis negat facilè mullum repertum, qui duas pondo libras excederet.* Sed Plinius, lib. IX. cap. XVII. auget pretium: *Asinius Celer*, inquit, *vnum mercatus octo millibus nummum.* Fuerit id pretium caroleorum quadringentorum. Idem Macrobius, lib. II. cap. IV. *Sublimis Actiacâ victoriâ reuertebatur Augustus: occurrit ei inter gratulantes coruum tenens, quem instituerat hæc dicens: Haue Cæsar, victor, imperator. Miratus Cæsar officiosam auem viginti millibus nummorum emit.* Fuerint mille carolei. Plinius, lib. I. epist. XIX. *Esse tibi centum millium censum, satis indicat, quod apud nos decurio es. Igitur vt te non decurione solum, verùm etiam equite Romano perfruamur, offero tibi ad implendas equestres facultates trecenta millia nummum.* Quo ex loco cognoscimus, vt ante & sub Augusto, ita Plinii quoque ætate censum equestrem fuisse *quadringenta millia sestertium*, hoc est, viginti millium Caroleorum. At Senatorum census ante Augustum erat octingenta millia nummum, hoc est, quadraginta Caroleorum millia: sub Augusto autem duodecies *sestertium*, quod est sexaginta millia Caroleorum. Suetonium in Augusto cap. XLI. *Senatorum*

torum censum ampliauit: ac pro octingentorum millium summâ duodecies HS taxauit, suppleuitque non habentibus. Hactenus de simplicissima loquendi ratione, in qua *milliúm* vox perscribitur. Sequitur altera, qua ea vel apice superscripto indicatur, vel subintelligitur. Nam non semper scribebant centena *sestertium* millia, sed etiam C̄HS̄. vbi lineola signat millia: vel simpliciter scribebant centena *HS*, vbi *HS* est genitiuus *sestertiûm*, ac subintelligitur millia. Ita capiendus Plinius, cum lib. x. cap. LI. & lib. XXXV. cap. XII. ait, Æsopum, histrionem tragicum, habuisse patinam fictilem, quæ taxaretur *HS* sexcentis. Nam non LX nummos intelligit, sed sexcenta *millia sestertium*. Belgis sint XXX caroleorum millia. Sic Agellius, lib. V. cap. II. *Equus Alexandri regis & capite, & nomine bucephalus fuit. Emtum Chares* (malè vulgati *Cares*, sine spiritu) *scripsit talentis tredecim. & regi Philippo donatum: aris nostri summa est HS* CCCXII. Bucephalum emtum ait *sestertium* trecentis & duodecim, supple millibus: nisi scribere malis *HS* CCCXII. vt apex sit pro *millibus*. Fuerint nobis sexcenti supra quindecim millia caroleorum. Multa huiusmodi occurrunt apud antiquos: non paucis tamen locis pro *sestertium*, vt supra diximus, corruptè legitur *sestertia*. Imò Budæus & alii, quoties *CHS* aut *CCHS* vel simile inueniunt, legendum putant *centum sestertia*, aut *ducenta sestertia*, cum soli poetæ dicant *sestertia* pro *mille nummis sestertiis*. Ponam hic quoque vnum alterúmque exemplum, quia is loquendi modus eius ignaris neutiquam negligendus. Horat. lib. I. Epist. VII.

Dum septem donas sestertia, mutua septem
Promittit, persuadet vti mercetur agellum.

Neque enim agellus septem nummis *sestertiis* emi potest. Idem lib. II. epist. II.

Carus ob id factum donis ornatur honestis,
Accepit & bis dena super sestertia nummûm.

Nam qualis fuisset illa Luculli liberalitas, si militi propter expugnatum castellum, donasset viginti *sestertios* siue Caroleos? Quare intelligit XX. millia *sestertium*, hoc est, mille caroleos. Superest, vt dicamus, quomodo loqui soleant veteres, cùm numerus minimum est decies centenorum millium. Tum enim vtuntur aduerbiis, decies, vicies, centies, ducenties, &c. In huiusmodi locis si addatur *centena* tantummodo intelligitur *millia*, vt apud Iuuenal.

—— Et ritu decies centena dabuntur
Antiquo.

Ex hoc Martial.

Illa illa diues mortua est Secundilla,
Centena decies qua tibi dedit dotis.

Nam indicat vterque poeta modum dotis amplissimum, qui erat decies centena millia *sestertium*. At si post aduerbium aut aduerbia (nam & decies quinquies *sestertium*, & vicies quater vel ducenties vicies *sestertium* geminato aduerbio dicitur) non subiiciatur alter numerus, intelligenda sunt centena millia. Itaque Seneca, de consolat. ad Albinum, eâdem de dotis summa loquens ait: *Beatioresne istos putas, quarum pantomima decies sestertio nubunt?* Sic cum Suetonius Augustum ait ampliasse Senatorium censum, vt esset duodecies, intelligenda centena millia. Facilè autem est huiusmodi summas redigere ad monetam Belgicam. Nam si viginti *sestertij* caroleum faciunt, centum *sestertij* erunt quinque carolei, mille *sestertij* quinquaginta carolei, centena *sestertium* millia quinque millia caroleorum, quod Rhetorum fuit annuum salarium sub Vespasiano, vt in vita eius scribit Tranquillus. Ergo decies centena erunt quinquaginta millia, qui summæ dotis erat modus, vt ante vidimus; duodecies *sestertium*, quem censum fuisse Senatorum sub Augusto, diximus, faciunt sexaginta millia caroleorum: vicies *sestertium* erunt centum caroleorum millia, quam summam à Syllâ mutuò sumsit Cicero domum Crassi emturus, vt Agellius scribit, lib. XII. cap. XII. At domus emta *HS* tricies quinquies, vt ipse Tullius scribit, lib. V. epist. VI. Sequor enim certissimam emendationem Budæi, Victorii, Lambini & Hottomani. Fuerit id nobis centum septuaginta caroleorum millia. Tanti olim habitabat Cicero, qui alioqui tenuis apud Romanos fortunæ habebatur. Hanc domum, eiecto in exilium Cicerone, incendit Clodius inque areâ templum libertatis extruxit. Sed reuocato Cicerone area ei reddita, superficies autem æstimata *HS* vicies vt scribit Cic. ad Att. lib. IV. ad Att. epist. II. Vnio, quem Cleopatra aceto liquefactum absumsit, æstimabatur centies *sestertium*, vt scribit Plinius, lib. IX. cap. XXXV. hoc est, quinquies centenis caroleorum millibus. Mundus ornatúsque quo Lollia Paullina, etiam in mediocribus sponsalium cœnis operta visebatur, æstimatus est *quadringenties sestertium*, hoc est, vicies centenis caroleorum millibus. Apud Iunium in Nomenclatore *quadringenties* rescribendum pro *quadringentis*, quod in prima, media, vltima ed te. legitur, sed contra auctoris mentem, vt interpretatio ostendit. Tantum Cæsar Galliæ tributi nomine annuum imperauit, vt scribit Eutropius, lib. VI. Tantum quoque & amplius se possedisse scribit Brutus, antequam accessit ad liberandam Rempublicam. Vide epist. X. lib. XI. Plinius, lib. XXXVI. cap. XV. *Pyramides regum miramur opera, cùm solum tantùm foro extruendo HS millies Cæsar Dictator emerit: &, si quidem impensa mouent captos auaritiâ animos, P. Clodius, quem Milo occidit, sestertium centies & quadragies octies domo emta habitauerit: quod equidem non secus ac regum insaniam miror. Itaque & ipsum Milonem sestertium septingenties æris alieni debuisse inter prodigia animi humani duco.* Quantum nobis summa quæque valeat, patet ex superioribus exemplis. Porrò de area Plinio ait pulatur Suetonius in Iulio. Sed de Clodianâ domo mirum id tantopere mirari Plinium, si sana lectio, lib. XVII. cap. I. vbi ait domum L. Crassi æstimatam *HS* millies. Ab ære alieno Milonis non longè abit, quod sexcenties debuit Curio Tribunus Pl. vt scribit Valer. Maxim., lib. IX. cap. I. Ac tanti redemit eius ad populum conciones Iul. Cæsar: quemadmodum & idem Paullo consuli, vt Plutarchus refert, tantùm ne incommodaret, mille dedit & quingenta talenta (non *sestertios*, vt olim scripsit interpres Plutarchi) quibus is in foro extruxit nobilissimam basilicam Fulviæ dicatam. In hac profusione nil mirandum Cæsarem tantum æris alieni conflasse, vt, Appiano teste, dixerit opus sibi esse bis millies & quingenties, vt nihil haberet. Crassi opes in solis agris fuere bis millies, vt scribit Plinius, lib. XXXIII. cap. X. Quamquam magis verisimile sit in vniuersum tantum possedisse. Nam pro *in agris* legendum *ex agris*, verbáque ea pertinent ad sententiam præcedentem vt docet Lipsius in admirandis Romæ, lib. II. cap. XV. Crasso igitur ditior Seneca philosophus, cui quod intra quadriennium ter millies *sestertium* congesserit, obiicit Suillius apud Tacitum, lib. XIII. Annal. Nec dubium quin postea opes plurimum auxerit. Libertus quoque Claudii Pallas ter millies possedisse dicitur XII. Annal. Nisi ex Dionis breuiario in Nerone legendum sit *quater millies*, quantum & collibertus eius Narcissus habuit: vt testatur idem Dio in Claudio. Lentulus quoque Augur tantum vidit suum, sed tantum vidit, quia pauperem fecerunt liberti, vt scribit Seneca philosophus, lib. II. de benef. Caligula non toto vertente anno absumsit vicies septies millies à Tiberio relictum. Auctor Tranquill. in Caligulâ cap. LVII. Ex his præterquam, quod ostendunt veterum, Romanorum imprimis, opes, magnificentiam, luxum plurimùm iuuentuti lucis accessurum puto in istis scriptorum locis, quibus *sestertios* numerant. Operæ autem fecerit, qui curatè legerit, quæ de vniuersa propè re nummaria scripsit magnus Budæus libris de asse, quos non magis esse in manibus iuuentutis, equidem indignor. Hottomannum quoque adeat velim, quando non panca sunt in eius de re nummaria libris, quibus Budæi obseruationes vel illustret, vel castiget.

Seta, plus durior rigidiórque, qualis imprimis suum, vnde & *seta*, quasi *suta* dici credidit Isidorus, lib. XII. cap. I. Sed vel *seta* dicitur quasi *chata* à χαίτη, quod idem notat. vel est à *sentis*, cuius instar in densiores durioresque pili pungunt. Plautus Cas. act. V. sc. II.

Ita, quasi setis, labra mihi compungit barba.

A *seta* & *bis* est *biseta*. Festus: *Biseta porca dicitur, cuius à ceruice seta bifariam diuiduntur, cùm iam esse incipit maior sex mensium.* In Glossis quoque Philoxeni, vbi vulgo, *Bisanus*, χοῖρος ἑξαμηνιαῖος, rectè B. Vulcanius corrigit *Bisetus*. Nam adiectiuè, vt *porcam bisetam*, ita *porcum bisetum* dixere. Ἑξαμηνιαῖος, positum pro ἑξάμηνος, pro quo Festus dixit *sex mensium*.

Severus, iuxta Isidorum, lib. X. *quasi satis verus, tenet enim sine pietate iustitiam.* Sed hoc ineptum. Æquè insulsi, quibus *seuerum*, quasi *secus*, hoc est, iuxta *verum*: quod legas in foro Romano. Nec multò melius Perottus *seuerus* factum putat ex *semper verus*. Alii deducunt à *sanus*. Cornelius Fronto; *Austerus Græca consuetudine; seuerus à sano.* Eandem ἐτυμολογίαν adfert Adamantius Martyrius apud Cassiodorum, lib. de Orthographia. Et sanè verisimilior. Imprimis autem placet, quod & Nunnesio visum, *seuerus* esse à σεβάζω, quod est *venerari*: vt ferè idem sit ac σεμνὸς seu *venerabilis*. Tales enim sunt, qui *seuerè* vitam instituunt. A *seuero* est *assevero*, quasi *seuerè dico*. Item *persevero*, hoc est, *seuerè in sententia permaneo*.

Sex ab ἕξ mutato spiritu in S. quomodo ab ἑπτὰ est *septem*; ab ὕπνος, *somnus*; ab ἕρπυλλον, *serpyllum*; ab ἕδος, *sedes*; ab ὅλος, *solus*, &c. A *sex* est *sextus*. Hinc *bisextus*, ἐμβόλιμος, vt vetus Onomast. exponit. Ita dicitur dies intercalaritius, qui

cohibet annum, nec in antecedentia vagetur, vti Ægyptius Armeniacus, & Iezdegirdicus, quemadmodum ad Eusebium monet Scaliger, & pluribus ostendit, opere de emendat.temp.lib. IV. & canonum Isagog. lib.V. *Bisexto* autem ex eo nomen est, quod intercalatio fiat post VI. Kal. Martias, eoque *bis* dicatur *sexto Kal. Martias*. Nam quia annus Iulianus constat diebus CCCLXV. & quadrante, hinc necesse est, quarto quoque anno intercalari diem, vt annus is fit dierum CCCLXVI. *Bissextum* sæpius Romanis fuisse infelicem, ostendit Macrobius, lib.I. Sat.cap.XIII.

SEXTARIVS, quia sit *sexta* pars congii: vt ait Isidorus, lib.XIV. In Glossis Phil. exponitur ξέστης. Sed Græci ξέστης accepere a Latinis. Verum Galenus. Deceptus in eo Erasmus, quod putarit esse à ξέω, polio, scalpo: proptereque ita dici *vas ligneum sculpturis ornatum*.

SEXVS iis partibus distinguitur, quæ in sedendo occuluntur, ideóque(vt in Accio suo scripsit Iouianus Pontanus)dictus quibusdam, eósque inter Papiæ, videtur à *sessum*. Neque vt SS geminum in X mutetur, qua ratione *Vixes* factum ex *Visses* siue O δεσσες. quomodo item(si eundem Pontanum audimus) *elixo* est ab *eliquasso*, quod ab *eliquo* venit, vt a *leuo leuasso*. Sed nec de *sexus*, nec de *eliquasso* assentio. Nam omnino *sexus* est vel ab ἕξις, spiritu aspero in S abeunte, quod crebrum: vel ab aduerbio *secus*, hoc est, *aliter*, quia aliter se habet corpus fœminæ ac maris: vel ab antiquo supino *sexum* pro *sectum*, quia per *sexum* animal in mas em ac fœminam *secatur* ac diuiditur, nempe distributione ab accidente petita, non ea, quæ est generis in species. Hoc etymon nunc confirmat, quod ab eadem notione *secus* dicitur pro *sexu*. Ita, vt Probus in Catholicis monet, Salustius dixit: *Virile ac muliebre secus*. Quod ipsum monuit Charisius, lib.I. Dixitque similiter Ausonius, Idyll. IV.

Vesta, Ceres, & Iuno, secus muliebre, sorores.

Vide quæ hac de re diximus in Exercitationibus Grammaticis.

SI veteres per *ei* proferebant, vt alia, in quibus est *I* longum. Id confirmat originem, cum sit ab εἰ, præmisso *S*, quomodo & ab εἰμι *sum*. abiecto I. A *si* est *sin*, N addito: vel est a *si* & *ne*, quæ particula hic non negat: nam *sin* non valet *si non*, sed *si autem*; verum est enclitica, vel complexiua, vt *ve* in *siue*: de quo sic Iulius Scaliger, libb. de caus. L. L. cap. CLXX. *Subdisiunctiua orta sunt a conditionali, quæ etiam impossibile admittit: sic, si tu homo sis, siue equus, siue lapis: necesse est corpore praditus fueris. Sic enim vsus est Terentius.* Sic Ennius dixit:

——— *Si viuimus, siue morimur.*

Vbi *si* idem est ac *siue*. Atque ab ea notione absque dubio est *siue*. A *siue* est *seu*, vt à *neue neu*, Virgil. in XII:

Siue errore viæ, seu tempestatibus acti.

SIBILVS & *sibilo* ab σφλωζω, exsibilo: vt quidem Nunnesius putat. Sed *sibilus* est a sono vt etiam Græcum σφλώζω. Est & *sibilus* serpentis nomen, Isidorus, lib.XII, cap.IV. *Sibilus idem qui regulus. Sibilo enim occidit, antequam mordeat, vel exurat.*

SIBVS pro *sobus* vel *sophus* siue σοφὸς dixere, vt *sispes* pro *sospes* Sane & à σοφος *sapus*, vnde *sapio*. Festus: *Sibus, callidus vel acutus*. Ita constanter est in MSSis, Hinc *persibus*. Ac vt *sibus* est *acutus*: ita *persibus* est *peracutus*. Sed in vulgatis Festi codd. pro eo est *persicus*. Perperam. Nam vetus codex habet *persibus*. Vbi sic legitur: *Persibus peracutum significare videtur*. Plautum deinde ac Næuium eo vsos docet. Placet etiam Scaligeri coniectura, qui apud Varronem, in VI. de L. L. legit, *Persibè, peritè*. Vbi vulgo, *Persibus aperite*.

SIBYLLA, σίβυλλα, commune nomen est: quippe quod generatim tribuatur *fœminis fatidicis*. Confirmat hoc ἔτυμον ipsum: si, vt veteres, & ex his Isidorus quoque tradit, lib.VIII. cap.VIII. sic dicitur, quasi σιοῦ βουλὴ. *Dei consilium*. Σιος pro Θεὸς Æolicum, vel potius Doricum est: vnde & *Sesyphi* nomen. Σισυφος enim notat *Theologum*, *& diuinorum intelligentem*, à σιος, & σοφος. Lacones quoque voce σιὸ vtun si quod pro θεὸς, more suo θ in σ mutantes dicant σιὸς. Hesychius: Σιος, θεὸς. Λάκωνες. Sed de βύλλα pro βουλὴ Æoles aut Græcorum alios dixisse, vix putem. Quare videndum, an non verisimilius sentiant, qui *Sibyllam* ab Hebræo fonte deducentes, ita dictas putent, quasi *cabalias*: vel qui putant primam fatidicam mulierem vocatam *Sibyllam*, atque ab ea posteriores hoc nomen esse consecutas. Quomodo in viris à primo *Bacide*, qui diuinandi scientia magnum retulit nomen, etiam secundo tertióque *Bacidis* nomen datum fuit. Placet hoc Salmasio, cui Σίβυλλα non est compositum, sed simplex, nempe a Σιβα, vt ab ἥρα Ἥρυλλα, à σπάθη σπάθυλλα, de quo Hesychius. A *Sibylla* verò est σιβυλλαίνειν, hoc commisceri Diodorus Siculus lib.IV. scribat, *Daphnen*, filiam Tiresiæ vatis, sæpe ἐνθουσιασμῷ edidisse oracula, atque indè dictam *Sibyllam*: τὸ γὰρ ἐνθεάζειν κατὰ γλῶσσαν ὑπάρχει σιβυλλαίνειν. *Sibyllæ* sic enumerantur à Clemente Alexandrino: Σιβύλλα ἡ Σαμία, ἡ Κολοφωνία, ἡ Κυμαία, ἡ Ἐρυθραία, ἡ Φυτὼ, ἡ Ταραξάνδρα, ἡ Μακέτις, ἡ Θετταλὴ, ἡ Θεσπρωτίς. At Varro aliique & alias, & aliter, recensent. Vide Lactantium, Augustinum, alios, ac imprimis quæ de his commentariolo integro complexus Onuphrius Panuinus. Ex *Sibylla* contractum est *Sylla*, si credimus Macrobio, lib.I. Saturn. cap.XVII. vbi scribit, Cornelium Rufinum decemuirum bello Annibalico inspectis libris *Sibyllinis*, primo *Sibyllam*, ac post *Syllam* cognominatum, atque id cognomen in posteritate eius retentum. Verum dissentit Plutarchus in vita Marii, vbi nomen habere docet ab *horrendo faciei rubore albori mixto*: vnde Athenius quidam subsannator eum vocabat *morum farinâ conspersum*. Vide quæ hac de re disserit Xylander Annotat. in Plutarch. Coriolanum pag.CCLIX. edit. Steph. Sed nulla in *Sylla* nomine ruboris notatio est, ac ne quidem ex *Sibylla* factum videtur; sed ab ὗς ὑὸς, vnde *Sylla*. Ὑλλος, *sucula*, *porcellus*, ab ὗς. Ergo similiter cognomen est, ac *Porcius* & *Suillius*.

SIBVNA vel *sibina*, σιβύνη. Hesych. Σιβύνη, ὅπλον δόρατι παραπλήσιον. Gloss.Cyr. Σιβύνη, *venabulum*. Festus: *Sibinam appellant Illyrici telum venabulo simile*. Ennius:

Illyrici restant sibinis fossique fodentes.

Fortassis igitur ab Illyribus accepere tam Latini, quàm Græci.

SIC à *si*, cui additum *ce*, vt in *hicce*, *illicce*: à *sice* autem *sis* κατ' ἀποκοπὴν *e* ablato: vt à *ne*, addito *ce*, *nece*, & ab'ato *e nec*; à *ne* item & *ve neue*, inde *neu*. Vel est *sic* ab *hic*, spiritu in *s* conuerso, vt sæpe. Itaque *sic* dicatur quasi *hoc modo*. Similiter οὕτως ab οὗτος, ὡς ab ὁ & fortasse Belgicum *soo* à ὡς, hoc est, *ita*: nisi *soo* potius κατὰ μετάθεσιν ex ὡς. Ex *sic* & *vt*, factum *sicut*: vt *sicuti* ex *sic uti*.

SICA ab ἀκὴ vel ἄκα Dorico, quod apud Hesychium, & *aciem* notat. Spiritus in *S* mutatur, & *A* in *I*. quomodo ab ἀριστερὸς, *sinister*. Nec multum abit A'κίον. *segesta*. Isidorus lib.XVIII. cap. VI. à *seco* deducit. Sed eodem id recidit, si *seco* fit ab ἀκὴ, vnde ἀκὴ, *acies*. Hinc *sicarius*: à quo σικάριος apud posteriores Græcos. Vsus B. Lucas in Actis, cap. XXI. & Isidorus Pelusiota, lib. III. epist. CXIX. Κατὰ μεταφοράν Catullus:

Languidior tenerâ cui pendens sicula beta.

SICCVS, vt censet Caninius, à σικχὸς, mutato *X* in *C*. vt ab ὄρχα, *orca*. Σικχὸς quàm variè sumatur, ex Hesychio & Suida discimus. Vel erit *siccus* à ציה, *siccus* siue *aridus locus*. A quo mons *Tzion*, ציון, dicitur, ob *loci siccitatem*. Habet & *siccus* magnam conuenientiam cum σαυκὸς, quod idem Syracusiis notat. Hesychius: Σαυκὸν, ξηρὸν, Συρακούσιοι.

SICERA etiam ab Hebræis accepere Ecclesiastici, non à Græcis, quod putauit Suidas. Heb. שכר, à שכר. quod est *ebrius fuit*. *Sicera* enim vocabulo *omnis potio inebrians*, *vino excepto*, significatur: vt quæ conficiatur è succo dactylorum, pomorum, frumenti. Hesychius in σικερα, Hieronymus epist. ad Nepotianum, & Isidorus, Originum lib.XX. cap.III.

SICILIRE, vel *sicelire* est *secare*: vt *sicilire prata* apud Varronem lib.I. de R.R. cap.XXIX. & Plinium, lib.XVI. cap.XXVIII. Et videtur *sicilio* esse à *seco*. Sanè vt *falces* à *secando secula* dictæ, teste Varrone, lib. IV. de L. L. ita eadem *sicilicula* appellatæ à *sicilire*: vt apud Plautum Rudente, Act. IV. Sc. IV. Vbi *siciliculam argenteam* commemorat in crepundiis puerorum, Quamquam *sicilicula* non ἀμέσως venit à *sicilire*, sed à *sicilices*: quomodo in lanceis aut venabulis appellantur, quas Græci vocant αἰχμὰς. Festus: *Sicilices, hastarum spicula lata*. Ennius:

Incedit veles volgo sicilibus latis.

Vbi MSSi quidam *sicilibus*. Sed meliores meliùs atque ἀναλόγως, *sicilicibus*. A *sicilire* etiam dicta creditur *Sicilia*, quasi *sicilita* auulsáque ab Italia: quæ res & *Rhegio* nomen fecit. Nam est ἀπὸ τοῦ ῥήγνυσθαι. Et *sicilicum* quoque, quod apud Fannium & Priscianum legas, hinc nomen habet, si rectè Festus: *Sicilicum dictum, quod semunciam secet*. Clarius dixisset, *sicilicum* quia *sicilit*, hoc est, *secat semunciam*. Vbi duo nos docere conatur, quid sit, & vnde veniat. Ait esse quartam partem vnciæ; quod etiam probat Budæus, lib. de asse. *Post hac*, inquit, *sequitur drachma*, *octaua pars vncia*, *qua ipsa geminata sicilicum efficit*. Similiter Neander in synopsi de mensuris. Atque vsi ita Vitruuius, lib.X. cap.XVII. item Plinius, lib.XIII. cap.XV. Sed de etymo fallitur Festus. Est enim ab Hebræo *siclus*, de quo in *Talentum* dicemus. A *sicilicus* est *semisilicus*, quod est apud Palladium. In vulgatis erat *semicinculus*. Sed *semisicilicus* legendum esse, rectè vidit Hermolaus Barbarus in Glossis Plinianis.

SICINNISTÆ, dicti mimi, qui vitam mortui repræsentarent, & *sicinnium* saltarent, Gellius, lib. XX. cap.III. *Quos sicinnistas vulgus*

vulgus dicit : qui rectiùs locuti sunt, sicinnistas litera N gemina dixerunt. Sicinnium enim genus veteris saltationis fuit. Saltabundi autem canebant, quæ nunc stantes canunt. Posuit hoc verbum Accius poeta in Pragmaticis, appellarique sicinnistas ait nebuloso nomine : credo propterea nebuloso, quod sicinnium, cur diceretur, ei obscurum esset. Hesychius : Σίκιννις ὄρχησις τις σατυρικὴ Σατύρων, εὔτονος. ὅθεν δὲ σοβαρὰ καὶ ταχεῖα καὶ οἱ δὲ καὶ ἐμμέλεια σπουδαία, καὶ κωμικὴ κόρδαξ.

SICYONIA, σικυώνια, à *Sicyonia* Peloponnesi regione. Hesychius, Σικυώνια, γυναικεῖα ὑποδήματα. Festus : *Sicyonia, genus calceamenti.* Lucilius :

Et pedibus lævâ Sicyonia demit honesta.

Vtitur & Cicero, I. de Orat.

SIDERITES, σιδηρίτης, à σίδηρος, *ferrum.* Sed *Siderita* vox ambigua est. Sic dicitur *magnes*, quia ferrum trahit. Item lapis, vt Plinius ait, *ferrei splendoris.* Quem Solinus nescio vnde, ait *in metallis ferrariis legi.*

SIDO, à *sedeo.* Nam propriè *sido*, ad sedendum me demitto. Similiter Græcis ἵζομαι, *sido, subsido, sedere facio*, ab ἵζομαι, *sedeo.*

SIDVS Varro, sexto de L.L. sic dici ait, quia *sidera insidunt*: quod plerique interpretantur σηρίζειν, hoc est, *stant*, siue *consistunt*: quâ ratione propriè *sidera* erunt *stellæ fixæ*, non item *planetæ*, quorum *vagus* videtur *cursus* : vnde & iis nomen. Alii à *sidendo* esse agnoscunt, sed sic dici aiunt, propterea quòd *sidera* occidentia in mari subsidere videantur. Quâ ratione *siderum* nomine non nisi ἀστέρα χειμερινὰ donare liceat,

Arctos, Oceani metuentes æquore tingi :

Vt est I. Georg. Satis quoque ineptè Isidorus, lib. III. Origin. cap. LXX. sic dici vult, quòd *ea nautæ considerantes iter suum dirigant.* Aliis placet sic dici παρὰ τὸ συνεῖδον quod est, *convenio*, idque quia *sidus* propriè sit *plurium stellarum coniunctio.* Nonnulli malunt ducere à σὺν, & εἰδεῖν, id est, *videre* : quòd plures stellæ simul conspiciantur. Duæ posteriores etymologiæ nituntur eo, quòd *stella* sit simplex, *sidus* autem vocetur signum ex pluribus stellis compositum, vt Aries, Andromeda, &c. Quâ ratione & apud Græcos differunt ἀστὴρ & ἄστρον. Ac discrimen hoc apertè indicat locus ille Manilii primo :

—— *Formas distinguere tantum*

Contenta, & stellis distinguere sidera certis.

Sæpè tamen, nec Latini, nec Græci, id obseruant discrimen quemadmodum de Latinis præter alios ostendit Iosephus Castalio, cap. XI. Var. Lect. Ex tot etymis simplicissimum illud, vt sit ab εἴδω. Sed S non est à σὺν verùm à more veterum, qui spiritum sæpè mutarint in S, vt ab ἕπομαι, *sequor*, ab ὗς, *serum*, ab ἱδρὼς *sudor*, &c. Similiter igitur *sidus* ab εἶδος quod est *forma, species.* Sunt enim *sidera* formæ siue figuræ cœlestes è stellis. A *sidus* est *siderari. Sideratio* autem Firmico est τὸ θέμα. vt lib. IV. cap. XIII. *Hæc tamen omnia, licèt a malo signata fuerint talis siderationis influxu, beneuolarum stellarum vt plurimum testimoniis minuuntur.* Eodemque modo & alibi idem loquitur. At Plinio, lib. XVII. cap. XXIV. *sideratio* vocatur, cùm siccitate Caniculæ (cum vulgo loquor, id Sirio tribuenti, quod est caneri) exarescunt, atque emoriuntur insitæ ac nouellæ arbores, præcipuè vites, ac ficus. A Græcis vocatur ἀστροβολία vel ἀστροβολισμὸς, quasi dicas, *sideris percussio.* quidam etiam σφακελισμὸν vocant, vt scribit Theophrastus : cui & ἀστρόβολα, *arbores siderata*, quasi dicas, *sidere percussa.* *Sideris* autem nomine Græci κατ᾽ ἐξοχὴν Caniculam intelligunt. Per translationem quoque ab eodem Plinio, lib. XXIIX. cap. XVI. *siderationis* nomen accommodatur animantibus, qui eadem membro aut corpore vniuerso exarescente, *siderati* ab eo appellantur. Idem & *siderosi* dicti. Glossæ Philoxeni : *Siderosus*, ἀστρόπληξ, ἐπιληπτικός. Huiusmodi σφακελίζειν quoque dicuntur ab Aristotele, & Paullo Ægineta. Ex his liquet cur Martialis *sideratam* optet linguam Baccharæ, qui si quid peteretur, haut intelligere se simulabat. Locus est, lib. VII. epigr. XCI. qui & etymologiam hanc confirmat :

Hoc opus est subitò fias vt sidere mutus,

Dicere ne possis, Bacchara, quid sit opus.

Similis locus, lib. XI. ep. LXXXVI.

Sidere percussa est subito tibi, Zoile, lingua.

Vbi *sidere percussa* τῷ λέξει exprimit Græcum ἀστρόβλητος. Lucem quoque hinc fœnerat locus Petronii in Satirico : *Nuper ventosa isthæc & enormis loquacitas Athenas ex Asia commigrauit, animisque iuuenum ad magna surgentes veluti pestilenti quodam sidere afflauit.* A *sidere* sunt composita *considero, præsidero, desidero. Considerare* Astrologorum proprium est Theologorum θεωρεῖν, quasi θεὸν ὁρᾶν. Festus : *Considerare à contemplatione siderum videtur appellari.* Item : *Desiderare, & considerare, à sideribus dici certum est. Præsiderare est* quando sidera citius hybernam tempestatem apportant, quam ex anni tempore rusticum vulgus collegisset. Festus : *Præsiderare dicitur, cùm maturius hiberna tempestas mouetur : quasi ante sideris tempus.* Græcis est προχειμάζειν vt etiam Plinius indicat, lib. XVIII. cap. XXVI. Sic *desiderare* sit ἀποχειμάζειν, *cum sideris tempus desiit.* Vnde *desiderari* dicuntur, *quæ desunt.* Ab eo veteribus Christianis (vt ad Tibullum Scaligero obseruatum) κοινωνία siue *sacra synaxis* dicta est *desiderata* : non à *desiderando*, vt vir doctus putabat, sed quod catechumeni eam multis votis ac *desideriis* prosequerentur. Ita in vett. Glossis. *Desiderata* (malè enim *desiderat* legitur), λειτουργία ποθητή.

SIGILLARIA, dies seruorum, vt indicat hoc Lucillii :

—— *Seruorum festus dies est.*

Quem plane hexametro versu non dicere possis.

Nam *sigillariorum* vocem non admittat versus hexameter. Ideo si περιφράζει Ausonius :

Festa sigillorum nomine dicta colunt.

Sigillaria continuò erant post Saturnalia. Macrobius lib. I. c. X. *Saturnalia vno tantùm die, id est, quartodecimo Kalendarum, solita celebrari : sed post in triduum propagata. Sigillariorum adiecta celebritas in septem dies discursum publicum & lætitiam religionis extendit.* Nomen ex eo *sigillaribus*, quòd *vltro citroque sigilla siue imagunculas, & munuscula alia, missicularent.*

SIGNINVM *opus*, quod in pauimentis olim magnopere commendabatur, fit è tusis testis additâ calce; vt ostendit Plinius, lib. XXXV. cap. XIII. *Quid non excogitauit ars? fractis etiam testis vtendo, sic vt firmius durent, tusis, calce addita, quæ vocant signina, quo genere etiam pauimenta excogitauit.* Meminere eius Vitruuius, lib. II cap. IV. Columella, lib. I. c. VI. lib. VIII. cap. XVII. atque alibi. Hodie *signino* vtimur in cisternis & aquæductibus tectorio inducendis. Nomen ex eo est, quod *meliores notæ essent testæ apud Signinos.* Erant autem *Signini*, Italiæ populus, quorum Plinius meminit, lib. III. cap. V. vnde *Signinum vinum* apud Celsum, lib IV. cap. X. *Signina pyra* apud Iuuenalem, sat. XI. atque eundem Plinium, lib. eodem cap. XV. Plura de eo Bernardinus Baldus, in vocibus Vitruuianis ; Cluuerius, lib. III. Italiæ antiquæ, & Salmasius in Solinum, pag. CIↃDCCXV.

SIGNVM, à δείκνυμι, *ostendo*, vel à σημεῖον, quod à סמך, *signauit.* Vel potiùs *signum* abiecto T fit à στιγμὴ quod à στίζω, *pungo, signo* : Vel fuerit ab ἴχνος, *vestigium.* Sæpe enim spiritus in S abit. A *signum* est *sigillum.* vt à *tignum tigillum.* Ex *sigilla* κατὰ συγκοπὴν factum *sigla*, de quibus diximus in *Nota.* A *signum* quoque est verbum *signare* : vnde *virgo signata* : Quomodo Nonius, subscribente etiam Ios. Scaligero, vocari eam putat, quæ integra est, & à viro intacta. Nempe vt metaphora sit à rebus iis, quæ tamdiu integræ ac saluæ sunt, quandiu *signum* ruptum ac imminutum non est. Verùm Scipio Gentilis, lib. I. παρέργων Iuris, cap. XVI. putat potiùs indicari eam quæ grauida facta est, atque id partim quia plena, non vacua, signari soleant : partim ob illud Lucilii :

Primum Chrysidem negat signatam reddere.

Quæ verba sunt Agamemnonis, negantis se Chrysidem reddere grauidam : quippe quam attigerit nondum. *Antesignanus*, quia *ante signa* constat. Gloss. vett. *Antesignanus*, πρόμαχος. A *signa* quoque est *insignis*, quo propriè notatur, *qui signo aliquo notatus*, vt ἐπίσημος, ἐφ᾽ ᾧ σῆμα. Festus : *Insignes appellantur boues, qui in femine & in pede, album habent, quasi insigniti.* Sed quia quæ aliis meliora, aut deteriora sunt, signo notari solent discriminis causâ ; hinc est, quòd *insignis* accipitur vel in laudem, pro præstanti : vel in vituperationem, pro eo quod malum est. Item hinc *significare*, cui simile est *ædificare*, & *ludificare.* Sed pro *significare* etiam *significere* dicimus, vt *lucrifacere.* Legere est id verbi, L. LXV. §. I. D. ad Trebell. Ac pro *ludificare* similiter *ludifacere* dixit Plautus, Epid. Act. V. Sc. II. vt Schoppius censet, lib. I. Susp. Lect. Epist. IX. A *significo* non tantùm *significatio*, sed & *significantia* dixere. Tertullianus, lib. I. aduersus Marcionem : *Nihil de arcanis attingam significantiis legis spiritualis.*

SILANORVM mentio fit apud Lucretium extremo lib. VI, Hyginum in Astronomico ; Cornelium Celsum, lib. III, cap. XIIX. Festum in *Tullii.* Aliqua de iis habet Gyraldus dialogismo XIIX. Propriè ea vox notat *aquarum tubos*, siue *fistulas.* Nempe ab Arabico סיאלן *fluxus aquæ*, quod à סאל *fluxus*, vnde & סאיל, *aquæductus* : vt obseruauit doctissimus, &, dum viueret, amicissimus mihi Thomas Erpenius, notis in Lex. Raphel. Hoc verum ἐτυμον. Sunt tamen, quibus videantur, ex eo dici, quod *tubi* eiusmodi erant in statuis Siluanorum circa fontes : nam *Silanus* idem quod *Siluanus.* Glossæ Philox. *Siluanus*, κρουνός. Nisi hic legendum *Silanus.* Quomodo in Cyrilli Glos-

si, eli, Υδ::ιεν, *lacum silanum*. Meliùs profectò. Nam *Syluanus* potiùs *Syluarum* fuit *numen*, indéque appellatio. Plinium vide, lib.xvi.cap.i. Aliquibus etiam *silani* vocantur, quia fingerentur superciliis eminentibus, quales *silones* dictos indicat Varro apud Nonium. Vel potiùs, quia fingerentur *naribus repandis*, quales Latini *Silones* vocant, Festo teste, Plinio item, lib.xi. cap.xxxvii. & Glossis Philoxeni, in quibus legas, *Silo*, σιμός. Vnde σιμογελοιογι *silunculus*, apud Arnobium, lib.vii. nisi *cilunculus* ibi legere malis, prout in membranis vett. exaratum. Est verò *cilunculus* à *cilone*, quomodo vocatur, cui frons est eminentior, ac dextrà sinistráque velut recisa videtur. Gloss. vett. *cilones*, σκηνοκέφαλοι Differunt verò *silus* & *silo*, (quorum vtrumque in Glossis exponitur σιμός:) quòd *silus* est *nasus sursum versus & repandus*: prout apud Nonium legendum putat Ianus-Gulielmus, lib.i.Verisi.cap.ix. Sane similiter exaratum in plerisque MSSis Festi siue Pauli codd.in *Silus*. Estque *silus* à σιμός, *M* in *L* abeunte, quomodo à *squamma* est *squaleo*. A *silus* verò est *silo*, vt à *nasus naso*, à mentum *mento*, à *dorsum dorso*. Imò & *Silenus*, ex quorundam sententia, hinc est nomen, quia, vti & *Satyri*, *simi* erant *naribus*: vnde Lucretius, in iv. ait *puellas simis naribus* à stultis amatoribus dici *Silenas*, & *Satyras*. Sed etymo obstat, quòd Græcè etiam dicantur σιληνοὶ & σιληνοί, quos & cum *Satyris* coniungit Plato. Nonnulli autem non aliter differre volunt, quàm quod *iuniores* dicantur *Satyri*, vbi senuere, *Sileni* vocentur: vt Seruius scribit in vi. Æn. Alii nimis discrimen statuunt: quia Bacchi nutricius *Silenus* sit vocatus, & *Sileni* cæteri comites Bacchi. δύο ἦ σιλεῦ ἐν τῇ γῇ. Imò & Bacchus ipse propterea *Silenus* vocatus sit, vt ex Suida constat.

SILATVM dicitur absinthium, respiciendo vocem *vinum*: quomodo *assiratum* dicimus, eàdem voce intellectâ. Ac *assiratum* quidem est ab *assir*, id est, *sanguis*: quia *sanguine* id vinum miscebant: vt diximus suo loco è Festo. *Silatum* verò dictum à *sili* vel *sile* herba, quæ recentioribus *siler*: non *siler montanum*, sed illud *aquaticum*, quod Græcis σίσαρ, de quo Dioscorides, & in eum Matthiolus, lib.iii.cap.liii. & liv. Festus: *Silatum antiqui pro eo, quod nunc ientaculum dicimus, appellabant, quia ieiuni vinum sili conditum ante meridiem absorbebant*. Etiam σίλι legas apud Græcos: Vt σιλικύπριον Herodoto, quod alii appellant Σέσελι κύπριον.

SILERE est à σιγᾶν, *G* conuerso in *L*. contra quàm fit in *magis*, μᾶλλον. Placuit hoc Nungesio in Grammatistice. Vel potiùs *silere* factum est à sono, quem edunt, qui alium vt loqui desinat, monent: vnde illud *ST* apud Comicos. Itaque Cornelius Fronto *Silere*, & *Tacere*, ita distinguebat, vt illo loquentis sermo comprimatur: hoc verò de iis vtamur, qui nec loqui cœperant. Itidem à sono sunt σιγᾶν & σιωπᾶν & Hebræum הסה. *siluit*. & Belgicum *swygen*. A σιγᾶν est *Sigalion*. Ausonius:

Aut tua Sigalion Ægyptius oscula signet.

Consiluere, pro *conticuere*, Ennius dixit, vt ait Festus.

SILEX, vt quidem Cæsar Scaliger scribit exercit. cap.vii. dicitur quasi *secilex*, quia nihil aliud est, quàm lapis sectus & lectus. Sed potiùs est à χάλιξ, vnde & *calx*, à quo *calculus*. Gloss. Cyr. χάλιξ, *silex*, *camentum*. Hesychius: Κάλικες οἱ τοῖς οἰκοδομοῖς ὑποτιθέμενοι μικροὶ λίθοι. A χάλικες, *bilices*, hinc *silices*. Vel est *silex* à סלע, *petra*, *silex*.

SILICERNIVM variè admodum accipitur, & quia non satis constat, quæ prima eius vocis significatio sit: hinc factum, vt variè admodum de eius etymo veteres ipsi sentiant. Interdum *silicernium* notat *senem*, quâ in significatione & *silicernius* dicitur: putatúrque esse à *silens* & *cerno*, quia breui *silentibus*, hoc est, *vmbris* sit *cernendus*: vel à *silex* & *cerno*, quia cùm sit incuruo in terram corpore, *silices platearum cernat*. Sic *silicernij* voce vtitur Terent. Adelph. act. iv. sc. ii.

I sanè, ego te exercebo hodie, vt dignus es, silicernium.

Quem ad locum sic inter alia Donatus: *Aut erit silicernium senex, qui iam iamque silentibus vmbrisque cernendus sit: & sic est melius, quàm vt quidam Xenophonta interpretantes putant, sic nos silicernium intelligere, hoc est, silicem cernentem senem, dum incuruus est, vel strata saxo via intentus, vel sarcophagi iamiam appropinquantis sibi*. Quo in loco pro *Xenophonta* lubens legerim *geronta*: vt sententia sit, putare quosdam, Græcum γέρων propriè exponendum esse *silicernium*, quia vt illis γέρων dicatur quasi γῆν ὁρῶν, sic Latinis *silicernium* dicatur à *silicibus cernendis*. Etsi autem hoc *silicernij* etymon reiicit Donatus, (cui & Nonius Marcellus eâ in re subscribit,) id tamen amplexus Fulgentius Planciades, cùm inquit: *Silicernios dici voluerunt senes incuruos, quasi iam sepulcrorum suorum silices cernentes*. Subiicit deinde locum Cincii de Georgia Leontino: *Qui dum iam silicernius sui finem temporis exspectaret, etsi mori non potuit, tamen infirmitatibus insultauit*. Sed Philelphus vtrumque reiicit etymon, ac mauult dici à *siliceâ herniâ*, quâ plurimi senes laborant. Sic enim scribit in epistolâ quâdam: *Non à silentio & cernendo silicernium descendit, meâ quidem sententiâ, sed à silice, & herniâ. Nam decrepitos admodum senes herniam nonnullos audio pati solitos, vt de Nestore legitur, quem annos nonaginta vixisse tradunt. Duo autem sunt herniarum genera. Nam alias molles & aquosas medici vocant; & eas quidem facilè sanabiles: alias duras & carnosas, quæ nullam curationem admittunt. Hinc igitur Silicernium dictum autumo, à siliceâ scilicet, hoc est, durâ herniâ appellatum. Illud enim genus farciminis, instar vestrarum lucanicarum, istarúmque crassiorum, durissimum erat: & iis simillima seniles illa carnosa hernia. Vnde etiam decrepiti senes huiusmodi morbo obnoxij, Silicernia per contumeliam vocantur. vt est apud Terentium:*

I sanè, ego te exercebo hodie, vt dignus es, silicernium.

Qui verò dicunt, Silicernium iccirco ita nominatum, quoniam qui sunt admodùm senes, incuruitate corporis silices cernant, ij siliceo sunt cerebro. Hactenus Philelphus, in quibus & alteram *silicernij* significationem tangit, de quâ occasione hac nunc dicam. Festus: *Verrius existimat silicernium dici, quod nos farcimen dicimus quo fletum* (legendum, *cuius esu*, vt obseruauit Frutetius) *familia purgabatur: quia cuius nomine ea res instituebatur, is etiam silentium* (alii *silicernium*, alii item *silicem solum*) *cerneret*. Hæc Festus. Vsus sic quoque Arnobius, cuius illud lib.vii. *Quid, inquam, sibi hæc volunt, apexabo, isicia, silicernia, longabo? quæ sunt nomina & farciminum genera hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus*. Quod ad etymon, si Philelphum audimus, sic diceretur, quia *silicea* esset farciminis istius durities, haut secus ac herniæ carnosæ: sin potiùs Verrio auscultamus, sic vocabitur, quia *silentes* siue vmbras cernatis, ob cuius mortem domus hoc farcimine purgari debet: sin alios sequi visum, erit nomen à *sili* herba, qui *sile condiatur*, vel *silaceo sit coloris*. Tertia *silicernij* significatio est, quâ accipitur pro *epulo Deorum manium*, hoc est, pro struicibus istis ciborum, quæ in rogum efferebantur vnà cum cadauere cremandæ: nam edere gustaréve de iis fas non erat. Vocis originem adducit his verbis Donatus, ad locum Terentii ante adductum: *Silicernium est, cœna quæ infertur Diis manibus, quòd eam silentes cernant, id est, vmbræ possideant: vel quòd qui hæc inferant, cernant tantùm, neque degustent. Nam de his quæ libantur inferis, quisquis comederit aut biberit, funestatur*. Sed de origine dissentit Seruius, ad illud v. Æn.

Tandem inter pateras & leuia pocula serpens
Libauitque dapes, rursúsque innoxius imo
Successit tumulo, &c.

Quo loco verba hæc *libauitque dapes* interpretatur, *leniter gustauit epulas, quæ silicernium vocatur, quasi silicenium, super silicem positum*. Huiusce fercalis cœnæ meminit quoque Ouid. ii. Fast.

Est honor & tumulis animas placare paternas,
Paruáque in exstructas munera ferre pyras.
Parua petunt manes, pietas pro diuite grata est
Munere: non auidos Styx habet ima Deos.
Tegula porrectis satis est velata coronis,
Et sparsæ fruges, paruáque mica salis.
Inque mero mollita Ceres, violaque solutæ:
Hæc habeat mediâ testa relicta viâ.
Nec maiora veto, &c.

Et mox:

Nunc animæ tenues & corpora functa sepulcris
Errant: nunc posito pascitur vmbra cibo.

Tegulam, nec non *testam* vocat Ouidius, quod Seruius nominat *silicem*, confirmátque hic locus, quod Seruius ait, super *silice* escas mortuales poni consueuisse, indéque factum esse nomen *silicernij*. Quarta quoque significatio est, vt sit epulum funebre, senibus constitutum, vnde discedentes tanquam se non ampliùs visuri alii aliis valedicebant. Nonius Marcellus: *Silicernium*, inquit, *pessimè intelligentes, ita posuisse Terentium putant, quòd incuruitate silices cernat senex. Silicernium est propriè conuiuium funebre, quod senibus exhibetur. Varro Meleagris: Funus exsequiati lautè*. (Palmer. leg. *cum lauto*) *ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus, id est*, περίδειπνον (ita emendat Iac. Cuiacius Obseruat. l.xxi. cap. xxi) *quo pransi discedentes dicimus alius alij Vale*. Hactenus Nonius. Vsus hoc pacto etiam Cæcilius Obolostate apud Festum: *Credidi silicernium eius me esse esurum*. Et Tertullianus in Apologetico, cap. xiii. *Quo differt ab epulo silicernium? à simpulo obba? ab aruspice pollinctor?* Sed de etymo dissentiunt à Seruio. Volunt enim sic dici, quia *silentes*, hoc est, *citra hilaritatem*, vtpote in luctu constituti, cenarent. Conueniunt autem cum Seruio de posteriori parte compositi, quam vterque dicunt *cesna* pro *ce-*

na

na : quomodo & *pesna* dixere veteres pro *pœna*, & *dusmosus* pro *dumosus*. Sed in *silicernium* S mutatum in R, quomodo prius dixere *Valesij, Fusij, Papisij*, qui postea *Valerij, Furij, Papirij*. & *carmen* priùs fuit *casmen*, à *casno*, vnde *casmena* olim, quæ postea *camena*. Aliis magis placet *silicernium* hac significatione dici à *se*, hoc est, *sine*, & *lucere*, quasi *selucernium*, hoc est ἀλυχνία, quia in luctu non accenderent lucernas, contra quam fiebat die natalitio. Hanc originationem respexit vetus Glossarium : in quo legitur: *Silicernium*, περίδειπνον, λυχνοῦ χωρὶς ἀπτόμενον ... Alij denique deducunt à *sile* & *cesna* seu *cena*, quia *sile* in huiusmodi cenis plurimus esset vsus. *Sile* herba est, quæ Græcis σέσελι vel σέσελις. Huius semine vel radice condiebant vinum: qua de re diximus in *Silatum*. In hacce & significationum & etymorum diuersitate maximè veritati consentaneam puto sententiam Seruij, vt sit ex *silex*, & *cesna* pro *cena* : ac notet *cenam ad silicem*. Ad *silicem* enim fiebat epulum funebre, de quo diximus. Postea hæc appellatio tributa tum *generi farciminis*, quia hoc in conuiuio funebri comederent ad domum purgandam : tum *seni decrepito*, quod eius caussâ breui *silicernium* futurum erat, aut quasi iam dignus videretur pro quo id epulum pararetur.

SILIGO. Græcis etiam σιλίγνις, indéque *panis siligineus* dicitur σιλιγνίτης. Vsi iis vocibus Galenus, lib. I. de alimentis & Paulus Ægineta, lib. I. Pro σιλίγνις in quibusdam libris legas σελίγνις per E. Sed prius magis probem. Nec tamen *siligo* à σιλίγνις factum puto. Potius placet Græcos eam vocem a Romanis accepisse. Sanè vocem esse exoticam, etiam Galenus agnoscit. Satis autem verisimile est, venire à שלג, *nix*. Nam est species ea tritici, quæ *niuea* ac molli *farina* præstat, pondere tamen cedit robo. Iuuenal. sat III.

Sed tener & niueus, molique siligine factus
Seruatur domino.

At Isidorus facile refellitur, cùm lib. XVII. cap. III. deducit à verbo *seligo*, quia tritici species sit præcipua, maximéque selecta. Nam contrà quàm in *seligo*, prima correpta est, media producta : vt allatus Iuuenalis versus ostendit.

SILIQVA dicitur tum de *inuolucro leguminum*, quod Græci vocant λοβόν, tum de *fructu arboris Ceroniæ*, qui Græcis κεράτιον nominatur. Ac fructus quidem iste eo *siliqua* dicebatur, quia *figurâ siliquam referret*, quæ legumina continet. Κεράτιον itidem, hoc est *corniculum*, vocabatur, quia *fructus esset incuruatus instar cornus*. Vnde Fannius, *siliquis lasitantia curuis*. Et Plinius de *arboris* illius *siliquis*, lib. XV. cap. XXIV. ait : *Digitorum hominis longitudo illis, & interim falcata, pollicari latitudine*. Ac quemadmodum fructus, ita & arbori ex eo nomen κερατία, vel κερατωνία. Nempe a κέρας, *cornu*. Κερατίων mentio est apud B. Lucam, cap. XV. vbi filius prodigus dicitur ventrem replesse ἀπὸ τῶν κερατίων, ὧν ἤσθιον οἱ χοῖροι, id est, *siliquis, quibus porci vescebantur*. Intelligunt *siliquas leguminum*, cùm ea λοβοὶ, nunquam autem κεράτια nominentur. Eoque rectiùs cum Salmasio intelligamus de *siliquis arboris*. Quæritur an eædem intelligantur ab Horatio, lib. I. epist. I.

——— *Viuunt siliquis, & pane secundo*.

Et Persius, sat. III.

——— *Siliquis & grandi pasta polentâ*.

Sed satius est hæc intelligere, non quidem de *siliquis leguminum*; quas λοβοὺς vocari diximus : verùm de *leguminibus ipsis*: vt phaseolis, pisis, lupinis, quibus constat vesci solere qui tenui victu gauderent. Ita συνεκδοχικῶς fuerit, *siliqua* pro *integro legumine*. At *inuolucris solis*, quæ propriè *siliqua*, sola pecora vescebantur. Vnde Plinius, lib. XVIII. cap. XII. de fabis: *Siliqua, cauliésque gratissimi sunt pabulo pecori*. Vbi vulgo *gratissimo* legitur : sed *gratissimi* rectè est in MS°, & antiqua Parmensi anni CIↃCCCCLXXVI. Quod ad etymon, *siliqua* iuxta Nunnesium in Grammaristice, venit à σιλυφος, hoc est, *integumentum, inuolucrum*. Nempe vt ν in Σ vertatur, quomodo & censet à σύμματος esse *supparum*. Aliis dici putatur, quasi ξυλίνη, vt propriè sit *lignosa vagina, quâ grana continentur*. Sed generatim pro *granorum folliculo* etiam eduli sumitur : vt *phaseolorum* : qua de re accuratiùs Scaliger in primum de plantis. Imò, ob *siliquarum magnitudinem*, *phaseoli* sibi speciatim vindicant nomen *siliquæ* : etiámque pro *ceratoniæ arboris fructu* capitur. Diminutiuum est *silicula*, καὶ συγκοπῇ *silicla*. Vsus Varro, lib. I. de R.R. cap. XXIII. *Lupinum cùm necdum siliculam cepit*. A *siliquis* quoque Plinio *siliquari*, λοβίζειν. *Siliqua* etiam in mensuris erat, ac valebat *septimam vnciæ partem* : nempe quia semen vel granum *siliquæ* arboris tantum habet ponderis. Fannius vocat *semina siliquis lasitantia curuis*. *Semina* fuisse *siliquæ arboris* ostendit, quod Græci vocant κεράτια. Iidem in mensuris erat θέρμος, seu *lupinum*, quod valebat *duas siliquas*. Africanus : Τὸ γραμμάριον θέρμους ἔχει τρεῖς, ὁ δὲ θέρμος κεράτια δύο.

SILIQVASTRVM. & *mentastrum*, quod *siliquæ & mentæ habeant similitudinem*. Nam *aster* terminatio est eorum, quæ similitudinem notant : vnde apud Ciceronem *Antoniaster* & *Fuluiaster*. *Siliqua* autem folliculus est, quo vestiuntur legumina. Aristoteli θήκη vocatur, quia eâ includuntur ac continentur grana leguminum. Vnde *siliquari* dicuntur legumina, cùm integumentum hoc amittunt.

SILVRVS, σίλουρος, piscis: ex eo appellatus, quòd sæpe σείει οὐράν, hoc est, *mouet caudam*. Meminere è Latinis, Iuuenalis, Appuleius & alij.

SIMIA etsi vsitatius dicatur, tamen & *simius* legitur, vt ex Afranio & Laberio probat Charisius. lib. I. Sed & vsus Horatius, Martialis, Claudianus, & iis qui prosâ scripsere, Vatinius (iuxta Roberti Steph. editionem) epist. X. lib. V. ad Famil. indéque Cicero format *simiolus* : quomodo Plancum Bursam vocat. lib. VII. epist. II. ad Marium *Simiam* quasi *mimiam* à μιμεῖσθαι, quod est, *imitari*, cùm alij dictam existimant, vt P. Victorius, initio comment. in artem poëticam Arist. Caussa est, quia *cùm homines non sint, homines tamen imitantur*, vt verbis vtar Cypriani, epist. LXXIII. Quod ipsum indicat Claudianus, lib. I. in Eutropium:

Humanæ quasi simulator simius oris.

Et Oppianus, lib. II. κυνηγετ. vers. DCV.

——— φωτῶν μίμημα πίθηκοι.

Et hic locus Nemesij, de naturâ hominis, cap. II. ... Atque hac de caussâ recentioribus Græcis μῖμος vocatur, vt apud Suidam in πίθηκος: item Achmetem, cap. CCXXV & cap. CCLXXXII. aliquoties. Sed rectiùs Seruius, cùm ad illud X. Æneid.

Dum tenera attondent sima virgulta capellæ:

sic scribit : *Sima Græcum est nomen, id est, pressis naribus. vnde & simias dicimus*. Quam Etymologiam etiam ponit Isidorus, lib. XII. cap. II. Ibidem & aliam aliorum addit, qui dici putarunt à *similitudine humanæ rationis*, vnde Ennius apud Cic.

Simia quàm similis turpissima bestia nobis.

Sed hanc nominis rationem meritò damnat Isidorus. Græcè dicitur πίθηκος siue παρὰ τὸ πείθειν ἡμᾶς, vt Suidas & Etymologici auctor censent; siue, vt alij malunt, παρὰ τὸ πείθεσθαι ὑφ' ἡμῶν, *qui facilè ab hominibus persuadeatur* : quod & Plutarchus confirmat, quando ait, ὁ πίθηκος μιμούμενος τὸν ἄνθρωπον ἐπιχειρῶν ... συγκινούμενος καὶ συνορχούμενος. *Simia tentans imitari hominem capitur simul motitans & saltans*. Huius diminutiuum πιθήκιον, *pithecium* : quo & vsus Plautus, Milit. act. IV. sc. I. Ab eodem nomen *Pithecusis*, πιθηκοῦσσαι, Tyrrheni maris insulis; quarum Ouidius meminit XIV. Metamorph.

——— *Sterilique locatas*
Colla Pithecusas habitantum nomine dictas.

Cuius loci sententia videtur, dici eas insulas à *simiarum in illis degentium multitudine*. Aliis tamen placet, id nomen accepisse, à *copia doliariorum*. Nam *Pithecusas* dici volunt non a πιθήκου sed πίθος, id est, *dolium*. Fundus huius sententiæ est Plinij locus iste lib. III. cap. VI. *Ænaria* (alij *Æutaria* legunt) *à statione nauium Æneæ, Homero Inarime dicta, Græcis Pithecusa, non à simiarum multitudine* (*vt aliqui existimauere*,) *sed à figlinis doliariorum*. Sed non deest, quod huic sententiæ obducam. Nam à πίθος esset *Pithusa* : at à πίθηκος, ἀναλόγως *Pithecusa* dici possunt. Præterea Strabo, lib. XIII. de *Arimis* siue *Pithecusis* agens, ait quosdam dicere, πιθήκους παρὰ τοῖς Τυῤῥηνοῖς ἀρίμους καλεῖσθαι, *simias à Tyrrhenis arimos vocari* : quod si verum, sine dubio, vt *Arima* ab ἄριμος, sic *Pithecusa* à πίθηκος factum erit. Nam *Arima* esse *Pithecusam*, satis superior Plinij locus indicat. Nec turbet, quod Virgilius *Inarime* dicat. Nam *Arima* dico cum Homero. Sed cùm Maro incidisset in codicem, in quo coniunctim Εἰνάριμα scriberetur : ipse librarij secutus errorem *Inarimen* nominauit. Scribi enim debebat Εἰν Ἀρίμοις, vbi εἰν Ionica est præpositio. Maronem autem secuti Ouidius & alij. Vide Virgilianum indicem Erythræi.

SIMILA, quæ & *similago*, est à σεμίδαλις per ἀποκοπὴν vltimæ syllabæ, & δ in λ conuerso, quomodo ab Ὀδυσσεὺς, quod Æolicum pro Ὀδυσσεὺς, Latini dicunt *Vlysses*, & à δάκρυον, *lacryma*. Σεμίδαλις est à Punico *semid* : vt monuit Angelus Caninius in Alphabeto Hellenismi Sanè *Aram*. סמידא, pro *simila* habet. Quid autem Latinis *similago* dicatur, docebit te Budæus lib. V. de asse. In vett. quibusdam libb. σεμίδαλις exponitur *siligo*: sed vitiosè, cùm *siligo* sit σιλίγνις, de quo in *Siligo*.

Similis ab ὁμαλὸς, *æqualis*. Sanè vt à *similis simul*, sic ab ὁμαλὸς est ὁμαλῶς, *vnà, simul*. Nam ὁμοῦ exponit Hesychius. Vel potiùs ab ἴκελος, *similis*, vt κ in μ abeat. Vel venit, *similis* à דמה, hoc est, *simile, similitudo, simulacrum*. Veteres pro *similis*, *simulis* dicebant vnde *simulo*, de quo seorsim; item *simil*. Analogum esset *simile*, vt à *facilis facile*. Sed pro *simule* κατ᾽ ἀποκοπὴν dicitur *simul*: quomodo & à *facilis* pro *facile* dixere *facul*. Festus: *Facul antiqui dicebant & faculter pro facile*. Vt vero *facul* & *faculter* pro *faciliter* (vnde *difficulter*), ita & *simul* & *simulter*, dixere pro *similiter*. Plautus:

Exoßabo cum similiter, vt murænam coquus.

A non placet, quod Nunnesio visum, vt *simul* sit ab ὁμοῦ. Ab eodem origine est *Semel*. Nam quod vnâ operâ absoluitur id *simul* & *semel* fit. A *simulis* quoque est *simitu*, antiquum aduerbium pro *simul*. Vt a *caio caltim*, a *radice radicitus*, ita à *similis* esset *similitus*, & κατὰ συγκοπὴν *simitus*, atque eliso S, *simitu*, vt ab ἔνδον *endo* vel *indu*. Plautus Amphit. Act. II. Sc. I.

Non ego cum vino simitu ebibi imperium tuum.

Etiam Lucillium vsum esse Nonius docebit. A *similis* præter alia sunt *absimilis*, & *assimilis*. quorum illud *omnino dissimilem*, hoc *planè similem* notat. Sed librarij interdum confundunt. Ita apud Paulum Diaconum de gestis Longobardorum, lib. I cap. v. editum est: *Apud hos est animal non satis assimile ceruo.*

Simpulum in vett. Glossis exponitur κύαθος. Pleniùs Festus. *Simpulum*, inquit *vas paruum, non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabatur, vnde & mulieres rebus diuinis deditæ simpulatrices dicuntur*. Fuisse vas fictile Appuleij loco probat Godesc. Stevvechius ad IV. Arnobij. Originem vocabuli adferre conatus Varro lib. IV. de LL. *Quo vinum dabant, vt minutatim funderent, à guttis guttum appellarunt: & quo sumebant minutatim, à sumendo simpulum nominauere*. Vult igitur Varro *simpulum* dici à *sumendo*, hoc est, *bibendo*, quomodo & Cicero dicit *sumere meracius*. Sed de origine fallitur. Nam est ab Hebræo ספל, quod nomen est generale omnibus vasis vinarijs conueniens. *M* interiectum, quomodo à *sadon* est *sindon*, à *copher camphora*, ab *abub ambubaia*. Hanc *simpuli* notationem adducit Ios. Scaliger in Coniectaneis. Sed idem in Appendice etymon hoc vocabuli vt incertum reiicere se ait, potiúsque esse diminutiuum à *simpo*, id autem esse à Græco σίφων, quando vtrumque sit vasculum cum tenui fistulâ vel angusto collo ad pitissandum vinum; nec alio differant, quàm quod Latini suo *simpulo* tantùm ad sacra vterentur, Græci σίφωνι ad gustandum in caupona vinum. Similiter Petrus Nunnesius in erudito Grammatisticæ libello. Sed socer Franciscus Iunius, in notis ad Tertulliani Apologeticum cap. XIII. putat potiùs ab Hebræo, quod dixi quam Græco illo originem capere. Sanè dubitari possit, an ἀναλογίᾳ comprobari possit forma illa diminutionis, quâ à *simpo simpulum* esse ait. Deinde eadem facilitate à *sephel* deducimus *simpulum*, quâ à σίφων. A *simpulum* venit *simpulo*, qui compotationibus indulget. Succius Piscatoria: *Summates viri facti sunt simpuiones gauei*. Iidem & *simpulatores* dicuntur. Isidorus in Glossis: *Simpulator, conuiua, amicus sponsi assiduus cum eo in conuiuio*. Ab eadem origine mulieres dictæ *simpulatrices*, vt è Festi loco supra vidimus.

Simulo est à *simulis*, quo antiqui vtebantur pro *similis*, vnde *simul* remansit: vt in *Similis* dictum. A *simulo* est *simulacrum*, vt à *lauo lauacrum*, ab *ambulo ambulacrum*. Ab eodem *dissimulo*. Vt differant *simulare* & *dissimulare*, ex Festo Nonióque satis notum. Ab eodem *insimulo*, quod propriè notat, *in aliquem simulatè ago*. Hinc sumitur pro *accusare aliquem falso simulando causa sua bonitatem*. Vnde Festus: *Insimulare, crimen in aliquem confingere*. Denique ἀπλῶς vsurpatur pro *accusare*: vnde in Glossis vett. exponitur κατηγορεῖν; in Onomastico προσαιτιάζω, hoc est *accuso*. Similiter Donatus in Phorm. *Insimulatio, veri aut falsi criminis accusatio*. Fronto: *Qui insimulas, arguis, vel fingis. Qui simulat, probare vult quod non est*.

Simultas, *latens odium inter eos, qui amici esse videntur* Gloss. Phil. *Simultates*, ἀπεχθείας, ἔχθραι, ἀντιπαλότητες. Gloss. Cyr. Δυσμενής, *simultas*. Geminum ἔτυμον ponit Festus siue Paullus: *Simultas, id est, odium, dicta ex contrario, quia minime sint simul. Potest & à simulatione dicta existimari, quia simulatè loquuntur ad inuicem*. In MSS[to] plerisque est, *quia odientes se minime sint simul*. Et ita, credo scripserat Paulus. Sed ἔτυμον non est assis, cùm nulla sit ἀναλογία. Quod si est à *simul*, potiùs ex eo sit, quia *simul odia exerceant*. Malim à *simulo*, quia *simulatè agant*. Verùm in TAS desinentia potius a nominibus veniunt, in AS a verbis. Itaque malim deducere ab *simul* quo *simulis* pro *similis*, vnde *simulo* remansit. Ita sit *simultas* κατὰ συγκοπὴν à *simulitas* pro *similitas*: quo, Nonio teste vsus Cæcilius Syracusis: *Vide, inquit, Demea, hominis quid fert morum similitas*. Et fortasse *simul* pro *simile* dixere, vt pro *facile*, Festo teste, dixere *facul*; qui & inde deducit *faculter*. Nec tamen ex eo appellatio quod *sit similitudo quædam amicitiæ*, sed quia *sit similitudo studiorum*, quæ *simultatem* gignere solet, quoties alter alterius vel honori, vel lucro obesse, vel obesse videtur. *Simultas* igitur pro *odio* ponitur per metalepsin antecedentis. Notum illud poetæ, καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, &c.

Simus, à Græco σιμὸς, *qui pressis est naribus*: vt exponit Seruius Maronis illud docet:

Dum teneras attondent sima virgulta capellæ.

Compositum eius *resimus*, apud Varronem, Columellam Plinium. Hoc Græcè sit ἀνάσιμος. A *simus* Delphini dicti *simones*, quia *simis ac pandis naribus*. Ouidius III. Trist. eleg. X.

Tum neque se pandi possunt delphines in auras.

Tollere. ———

Plinius, lib. IX. cap. VIII. *Dorsum delphinis repandum, rostrum simum: qua de caussâ nomen simonis omnes miro modo agnoscunt, maluntque ita appellari*. Cuius loci postrema verba omnino Plinio indigna sunt. Neque enim quemquam dicturum puto, delphinos magis Latini, aut Græcanici sermonis, quam alterius, peritos esse. At aliter Hispani vocant, nempe *romo*: aliter Galli nempe *camus*; aliter Germani, atque alij. Quare mendacij manifesti Plinium insimulare non dubitat Gometius Pereira, in Antonianâ suâ margaritâ, pag. DLXXI. Sed hoc vt manifesto falsum, ita quod de *rostro simo* ait Plinius, verissimum est ac hoc quoque Lucillij loco comprobatur, qui est apud Nonium in *Simare*:

Simauit saxum ad nares, delphinus vt olim.

De delphinis etiam accipio illud eiusdem apud eumpse Grammaticum in *Pecus*:

Lasciuire pecus susus rostrique repandum.

Et hoc Næuij:

Repandirostrum incuruiceruicum pecus.

Et illud Liuij apud eundem Nonium ibidem:

Tu autem lasciuum Nerei simum pecus.

Quamquam, cùm pisces omnes *rostrum* habeant *repandum*, vniuersè etiam de piscibus accipi possit: vt in Oratoriis diximus, lib. IV. cap. XIII. Pro *simus* etiam *silus* dicebant: ac vt à *simus simones*, ita à *silus silones* dixere, qui naribus essent *simis*. Vide quæ de hoc dicimus in *Silani*. A *simus* dici *simare*, satis indicat allatus superiùs Lucillij locus, vbi *simauit*, Nonio interprete, est, *depressit*. At caue *simo* legas cum nonnullis: quos vitiosi codices decepere.

Sinapi, σίναπι. Id Zoilus apud Athenæum, lib. IX. & Etymologici magni auctor, sic dici aiunt παρὰ τὸ σίνεσθαι τοὺς ὦπας, *quod oculis noceat*, vnde Columella lib. X.

Sèque lacessenti fletum factura sinapis.

Σίναι שנא: quod est, *odisse, obesse*. A σίνειν quoque est σίνις, *homo noxius*; aptum nomen latronis eius: qui aliter πιτυοκάμπτης vocatus, quòd viatores pinus ramis in terram à se flexis alligaret, atque ita eos ramis sursum redeuntibus distraheret. Nec minùs accommodatum *Sinonis* nomen, quomodo dictus, qui per iniurias suis, Troianis, vt equum in arcem reciperent, persuasit, quæ res fatalem Troianis perniciem attulit.

Sincerus est à *cera*, vt docet Donatus ad Eun. Act. I. Sc. II. *Sincerum, purum, sine fuco, & simplex, vt mel sine cerâ*. Reprehendit hanc sententiam Valla, lib. VI. cap. XXXVII. Negat autem præuerbium *sine* ingredi compositionem. Præterea *syncerum* scribendum ait per Y. Hinc colligit *syncerum* omnino esse à σὺν, & κηρὸς, vt propriè *syncerum sit mel cum cerâ*. Addit Ascensius *sincerum* legi pro puro, quasi *sine cariis*. Sed sunt hæc tricæ Tellenæ. Nam quod ait Valla, *sine* nunquam admittere compositionem, id vel vocabulo *simplex* refellitur, quod ex *sine* & *plico* conflari, manifestum est. Quod adiicit, vulgò primam eius vocis per Y scribi, id verò quàm rectè fiat, dispiciendum fuit. Sanè per *I* in vett. libb. ac Virgilio Carpensi, exaratum reperiri, testatur Aldus in Orthographiâ. Denique quod ait, *sincerum* propriè esse *mel cum cerâ*, id naturæ vocis, ac vsui bonorum omnium Scriptorum, planè repugnat. At Ascensius ne dignus quidem, cuius ratio hîc habeatur.

Sinciput non quasi *sine capite*, vt aliqui prodidere. Nec, vt alij, quasi *sincerum caput*, sed quasi *semi caput*, vt inter alios auctor est Velius Longus de Orthographia. Nempe quia eo *dimidium capitis* significatur, vnde Gloss. Phil. *Sinciput*, ἡμικεφάλιον. Et Gloss. Cyr. Ἡμικράνιον, ἡμικεφάλιον, *sinciput*. Græcis βρέγμα vocatur, vel βρεχμὸς, nempe, vt ad Il. ε. scribit Eustathius, ἀπὸ τοῦ βρέχειν, hoc est, *humectare, madefacere*

eò

eò quòd hæc pars humida sit infantibus. *Occiput* verò conflatum est ex *ob* & caput, quia ea pars *sincipiti opponitur*. Nam hanc esse vim præcutis OB, patet ex *obuio*, *obuerto*, & ipso *opponendi* verbo. Græcis ἰνίον dicitur, ἀπὸ τῶν ἰνῶν, ἢ τὸ ἰνώδες εἶναι, *quod fibrosum sit & neruosum*. Nam ἶς, ἰνός, *fibra*.

SINDON, σινδὼν, si Lazaro Baifio, libro de re Vestiaria, credimus, ita dicta est à *Sidone*, quæ *sindone nobilis*: vti & *Tyrus*, itidem Phœniciæ ciuitas, vnde & *Tyrias sindonem* Martialis vocat. Sed etsi verum est è Phœnicia in Græciam aduehi solere: tamen & alibi fiebat, vnde Prouerb. XXXI. XXIV. Σινδόνας ἐποίησε καὶ ἀπέδοτο, *sindonem fecit, & vendidit*. Ac Casaubonus, Exercitat. XVI. ad annales Baronij eo refellit, quòd *lintei hoc genus* per ס scribatur, puta סדין: at per צ *vrbs Sidon*, צידון. Assentio igitur Bibliandro, Indice verborum in Marcum: vbi notauit venire à סדין: quod est *linteum*: vnde nostrum *syde*, & quod propiùs ad Hebræum accedit, *sattin*.

SINI præpositio, à *fino*, vt *pone* à *pono*. Ita Cæsar Scaliger de caussis L. L. cap. CLV.

SINGVLTVS Perotto videtur esse à *gula*. Mallem dixisset quasi *sonus gulæ*. Sed potiùs est a *singulus*, quia *singulatim* ac per aliquod interuallum fiat. Hinc *singultim*, *singultio* & *singulto*.

SINGVLVS Papias dici ait, quasi *seangulus*, quia quæ sunt vnica, ea sint *se*, hoc est, *sine angulo*, id est angulum constituere non possint. Sed tales etymologiæ dignæ auritis Midis. Neque placet esse à *semel* & *vnus* vel *vdus*, quamquam *singulum* sit *semel vnum*: vnde Varro lib. I. *Lexitis*. *Tum vero doces historiam necessariam, semel vnum singulum esse*. Et Oclogesi siue περὶ τοῦ σημειωμένου. *Hoc erat incommodi, quod vescebamus semel vnum singulum esse*. Citat vtrúque locum Nonius in *singulum*. Vera autem ἐτυμολογία est ab Hebræo סגלה, id est, *peculium*, *peculiare*, *singulare*. Imò vt *singulare*, quod à *singulus* esse liquet Latinis non tantùm id notat quod *proprium ac peculiare* est, sed etiam quod *eximium* est, ita & Hebræa vox vtroque modo sumitur, secundùm R. Dauid. A *singulis sigla* dicta, si Cuiacium audimus, quia essent *singulares literæ*, *vocem integram significantes*. Sed eam sententiam refellimus in voce *Nota*, vbi de *Notariis*. A singulis quoque est *singulatim*: pro quo & dicimus *sigillatim*, nec enim cum nonnullis damnare id ausim: cùm & libris antiquis sit subnixum, & vt à *signum* est *sigillum*, ita nihil prohibeat, à *singulatim* dici *sigillatim*. Opponuntur autem *sigillatim* & *cunctim*. Appuleius lib. de Deo Socratis: *Sigillatim mortales, cunctim tamen vniuerso genere perpetui*. Appuleij imitator Sidonius lib. VIII. epist. *Qui non sensim singulatimque, sed summitatim potius & cunctim*. *Singulatores* dicti, quòd *veherentur equis singularibus*, qui Græcis κέλητες dicuntur. Gloss. Philox. *singulator*, ἰχνευτὴς ἀτρας. Gloss. aliæ *Singulator*, μονοπώλης. Huic opponitur *desultor*, ζεύξιππος μεταβάτης, *cui equi bini, quorum de vno desiliebat in alterum*.

SINISTER priùs fuit *sinisterus*, vt *dexter dexterus*, ac vt *dexterus* è δεξιὸς, ita *sinisterus* factum ab ἀριστερός. Hanc ἐτυμολογίαν adducit & Angelus Caninius in Hellenismi Alphabeto, item Nunnesius in Grammatisticе. Neque mira videri debet eiusmodi primæ syllabæ mutatio. Et melior sanè est, quam illa Festi qui *sinistras aues*, & *sinistrum auspicium*, dici ait, quia *sinat fieri*. Ad cuius probationem idem subiicit illud Varronis è quinto Epistolicarum quæstionum: *A deorum sede cùm in meridiem spectes, ad sinistram sunt partes mundi exorientes, ad dexteram occidentes*. [*Hinc*] *factum arbitror, vt sinistra meliora auspicia, quàm dextra esse existimentur. Idem ferè sentiunt Sinnius Capito & Cincius*. Hæc Festus. Eandem ἐτυμολογίαν probat & Angelus Decembrius, lib. IV. de politia literaria, parte siue cap. XLVIII.

SINO aliqui coniectant esse ab ἐῶ. Sed potiùs est ab Hebræo הניח, quod Exod. XXXII. 2. & Esth. III. 9. ἐᾷν vertitur à LXX. Vel sit ab ἀνίω, quod idem notat. Nempe vt ab ἄορ, vel ἄορ est *sica*, & ab ἀριστερός, *sinister*, sic ab ἀνῶ, *sino*. *Desinare* pro *desinere* dictum antiquè, teste Festo. Sed corruptè *desinare* ediderunt.

SINOPIS, σινωπὶς vel σινώπη. Plinio teste, sic dicebatur à *Sinope*, est, vrbe Ponti, vnde & γῆ Ποντικὴ, *terra Pontica*, item *rubrica Pontica* dicebatur. Sed generatim pro *rubrica* sumebatur, vt *magnes* propriè, qui ex *Magnesia*: sed generatim sic vocatus *lapis*, *qui ferrum trahit*. Hesych. Μάγνης, ὁ λίθος ὁ σιδηρᾶς ἑλκτικός.

SINVS de *mari* dicitur κατὰ μεταφοράν, quia vt in homine *sinus* est quod brachiis comprehenditur, ita & in mari *sinus* est maris pars quasi brachiis terræ interiecta. Græcis est κόλπος, vnde Itali *golfo* dicunt pro κόλπῳ. Est & *sinus* vasis genus: verùm tum & priorem producit, vt ex Maronis Eclogis notum est, & secundæ, est inclinationis, cùm apud Plautum Curcul. in ablatiuo legamus *sine*. Quòdque ad originem attinet, putatur sic dici, quia *sinuosum* atque amplum. Varro, in IV. de L. L. *Sinum à sinu, quòd sinum maiorem cauationem, quàm pocula, habebant*. Verisimiliùs autem Turnebus, & alij qui sic dici aiunt à δῖνος, quo *vortex* significatur. Nam magna est inter D & S affinitas: vt in ἱερὸν ἱερὸν ἱερὸν ἡμιν. Vnum tamen scrupulum inijcit, quòd *sinus* non videtur fuisse figuræ turbinatæ, vti δῖνος. Quare fortè *sino* nomen à *dino*, *verso*, *gyro*, quia in eo lac δινεῖται, hoc est, *circumagitur*. Sanè suauit illud Isidori in Glossis: *Sinum vas, in quo butyrum conficitur*. A *sinu* hominis est *insinuo*, quo propriè vsus Appuleius, lib. IX. cùm ait *manus insinuatas*: id est, *in sinu* conditas. Quod hominum est otiosorum.

SIPHO, σίφων, à sono, quem *siphone* extracto liquida edunt. Vel potiùs à צוף, *manauit*, *fluxit*. Nihil enim aliud est, quam *canalis*, *per quem fluit aqua*, *vel aliud*.

SIPHRA, quo in Arithmetica vulgò vtuntur, ab Arabibus ad nos venit. Estque ab Hebræo ספר, *numerauit*.

SIREMPS, Festo teste, conflatum est ex tribus istis, *similis re ipsa*. Idem Festus Catonem eo vsum docet. Ita, *sirempsque lexque* legimus in antiquis inscript. Vide pag. edit. Gruter. XCVIII. XCXXVIII. Carisius tantum in recto & auferendi casu inueniri putabat, sed dixit Plautus Amphitr. Prol.

Sirempse legem iussit esse Iuppiter.

prout Scaliger emendat ad Festum. Vbi & Frontino, Valerio Probo & Senecæ hanc vocem restituit. Nec tamen in loco Plauti improbem: *Sirempse in lege*, prout Lipsius legit lib. I. Antiq. Lect. cap. I. Vel *Sirempse lege*, vt legit Fruterius, lib. II. cap. III.

SIRENAS in insectis quid sint, docet hic Plinij locus, lib. XI. cap. XVI. *Cætera* (apum) *turba cum formam capere cæpit, nymphæ vocantur: vt fuci, sirenes aut cephenes*. Sententia est, vt *nymphæ* sunt *apum*, ita *sirenes* siue *cephenes* sunt *fucorum*. Nam, *vocantur* ἀπὸ κοινοῦ post *fuci* supplendum. Quare nihil mutatione istâ quorundam opus, qui legere iubent, *Vt fuci, quos cephenas vocant, Serenas*. Quod Delecampio videbatur. Idem *Sirenas* dici ait, ἀπὸ τοῦ σειρᾶς, quod intra membranam *contracti* & curuati iaceant. Est de his insectis prouerbialis versus apud Zenobium Suidam, & Apostolium:

Σειρὴν μὲν φίλει ἄχθεσθαι, ξεῖνοι δ' ἐμίλησαν.

Hospitem apis, verum siren prædicit amicum.

Cùm homines, prout animum habent affectum, aliter atque aliter ominantur. *Sirenes* etiam dicebantur *tria marina monstra* quorum vnumquodque (vt Horatij vtar verbis)

——— *turpiter atrum*

Desinat in piscem mulier formosa supernè.

De his multa Læuinus Torrentius, in epist. II. lib. I. Horat. Nos de etymo videbimus. Hoc quidam deducunt ἀπὸ τοῦ σύρειν, quòd delenifico cantu attraherent nauigantes. Vnde & *Syrenes* per Y, scribere malunt. Ac similiter, quia *Surrentum*, Campaniæ oppidum, à *Sirenibus* nomen creditur accepisse, eo *Syrentum* scribunt, ac *Syrentinus* pro *Sirentinus*. Quam opinionem meritò damnat L. Ioannes Scoppa lib. I. Collect. cap. XXX. Nam Græcè dicuntur Σειρῆνες. EI autem mutatur in I longum. Censet verò Scoppa Σειρῆν dici ab εἴρω, quod est, *necto*. Eadem puto mente quâ alij deducunt ἀπὸ τῆς σειρᾶς, quod est *catena* aut *vinculum*. Nempe quia cantu suo aduenas deuinciant ac ligent. Alij malunt esse à σειρὰ, quod κατὰ μεταφορὰν ἀπὸ τῆς ἐν ἀσκήσει σειρᾶς significat quoque συμφωνίαν, Hesychio teste. Sed nullis horum subscribo. Nihil enim dubito, quin sit ab Hebræo שיר, id est, *canticum*, quod à שור, *cecinit*. Vnde fortè & σύριγξ, *fistula pastoritia*. Nisi malis hoc à שרק, *sibilare*. Vtrumque etymon ostendit propriè dici de *calamo*, vel *stridentis fistula*, vt Maro vocat: eóque nonnisi ob similitudinem transferri ad *canaliculos*: quod Vitruuius indicat, lib. X. cap. V. Etsi ibi corruptè *strix* legatur pro *syrinx* legatur pro *syrinx*: vt iam olim obseruatum Turnebo.

SIRIVS, σείριος, *stella in ore Caniculæ*, vt ait Seruius. Hephæstio Thebæo omnibúsque Ægyptiis Σῶθις dicitur. Sæpe *Sirius* pro *toto sidere caniculæ* à Græcis accipitur: interdum etiam Latinis, vt apud Firmicum videmus. Ponitur quoque pro *sole ipso*: quomodo vsurpat Lycophron in Cassandra, imò & Maro, IV. G.

Iam rapidus torrens sitientes Sirius Indos,

Ardebat cœlo.

Imò Ibycus Rhegiнus quæuis astra σείρια nominauit. Hesychius: Σείριος, ὁ ἀστὴρ τοῦ κυνὸς ὁ ἥλιος, ὁ καὶ πάντα τὰ ἄστρα. Ob hanc vocis ambiguitatẽ Sophocles ἀμφιβόλως dixit Σειρίαν κυνὸς δίκην. Putant esse à σειραίω, quod interpretantur, λάμπειν, ἀστράπτειν. Sed σειραῖ potiùs est à σείριος. Notat enim *solis sideriúmque instar lucere*. Dicitur & σειραῖ de iis,

qui

qui morbo laborant, quem σειρίασιν Græci nominant. Vsus eo vocabulo etiam Plinius. lib. xxii. cap. xxi. *Infantium*, inquit, *destillationibus, quod siriasin vocant* Et lib. xxx. cap. xv. *Adustio infantium, quæ vocatur siriasis.* Alexandro in Problematis σείρασις dicitur. Est morbus ex inflammatione membranarum cerebri cum corporis totius siccitate: qualem vehemens solis æstus tempore solstitij, aut diebus canicularibus, solet adferre, imprimis pueris. Quem fortasse *solstitialem morbum* Plautus vocat, Trinummo, Act. ii. Sc. iv. Aëtio tamen placet, *Siriasin* dici non à *Sirio astro*, sed à σειρός, quod *scrobem* siue *foueam* notat. Nempe quia cerebri ac tunicarum eius inflammationem sequatur sincipitis & oculorum cauitas. Quod ex Aëtio etiam tradit Hermolaus Barbarus, in Glossis Plinianis. Quòd verò *canicula*, *stellaue alia*, aut *Sol ipse*, *Sirius* dicitur, id est à Græco σείω, hoc est, *exsicco*: vnde & *Sol* σείρ dicitur, teste Suida: nisi malis κατὰ μετάθεσιν esse ab חרם, id est, *Sol*. Σείριος verò (vti & ζέω) est ab Hebræo זור, hoc est, *efferbuit*, *tumuit*. Hæc sane magis placent, quam vt dicatur Σείριος, quasi ζείριος, ἀπὸ τοῦ ζέειν, vel ἀπὸ τοῦ σειρίασιν, quia *diebus canicularibus hient canes præ æstu*. vel ἀπὸ τοῦ σείεσθαι, quod *scintillet & tremulo motu feratur*. Quæ etyma à nonnullis adferri video.

Sirpare est *alligare*, vt interpretatur Varro, lib. iv. de L.L. qui hoc pacto dici ait *dolia sirpata*, cùm alligata. Est autem *sirpo* ab εἴρω, *necto*, *ligo*. Inseritur *p*, vt à σκῖρος, *scrupus*; à τέμενος, *templum*. Vel est *sirpare* à *sirpus*, *sirpus* à ῥίψ κατὰ μετάθεσιν Æolibus & Latinis vsitatam. Ῥῖπες enim & ῥίπες sunt πλέγματα. Hesych. Ῥῖπες, φάκελοι, πλέγματα ἐκ καλάμων. Item: ῥίψ, ἰδιωτικῶς ψίαθος. Vbi *signat tegetem è vimine plexam*. At *sirpus* à *sirpando*. Varro eodem libro dici ait *sirpiculam*. Quod est *canistri genus*, siue *cophinus è vimine contextus*. Malim tamen dicere, *sirpicula*, esse ὑποκοριστικὸν à *sirpea*: hoc esse à *sirpus*, quod est χοῖνος, vnde tegetes fiunt, vt ait Festus, & μετωνυμικῶς τὸ πλέγμα: at *sirpus* à *sirpare*, hoc est, πλέκειν, quia *sirpus* vtilis fit ad *sirpandum*, hoc est, *ligandum*. Vel à ῥίψ, quod πλέγμα notat, vt ex Hesychio iam vidimus. *Sirpea* est apud Catonem semel iterúmque. Item ac Ouidium, cuius hoc vi. Fast.

> ——— *In plaustro sirpea lata fuit.*

Sirpicula nunc falcis genus est, & dicitur à *sarpo*, id est, *puto*, *amputo*: qua de re diximus in *Sarmentum*: nunc autem significat πλέγμα, éstque diminutiuum à *Sirpea*. Sic vsus est Plautus, Capt. Act. iv. Sc. ii.

> *Eis ego ora verberabo sirpiculis piscariis.*

Et Propertius, lib. iv.

> *Pastorem ad baculum possem curare, vel idem*
> *Sirpiculis medio puluere ferre rosam.*

Sed neutro ex loco cognosci potest, *sirpicula*, an *sirpiculum*, dici oporteat. Vtrumque autem rectum est. Prius est apud Varronem, iv. de L.L. ac Lucillij quoque est:

> *Tintinnabulum abest hinc, sirpiculaque olerorum.*

Posterius vsurpat Columella, lib. x.

> *Et vos agrestes, duro qui pollice molles*
> *Demetitis flores, cano iam vimine textum*
> *Sirpiculum ferrugineis cumulate hyacinthis.*

Μεταφορικῶς *sirpus* ponitur pro *ænigmate*, siue quia *sirpus* etiam est πλέγμα, quod nodis est implicatum: siue quia vt pisces *sirpeis* nassis, sic homines capiuntur *ænigmatis*. Diximus hac de re abundè in voce *Gryphus*: item in *Sirpare*. Qui *sirpus* deducunt à σύρω, hoc est, *traho*, quia pisces nassis attraherentur: hi aliquid dicerent, si propriè *nassam* notaret, nunc metonymicè sic accipitur, quod nassa è *sirpis* fiat: vnde *piscatorios sirpos* Plautus dixit, vt antè vidimus.

Sirpe vel *sirpe* (sed prius malim) est à Græco σίλφι vel σίλφιον, quod idem notat. Σίλφι fortè à שרף, id Arabicè *nobilem esse*, nempe ob eius virgulti præstantiam. Nisi non tam attendere *virgultum*, quàm *succum*, vt sit ab Arabico שרב, *sorbere*. Sed *succus* propriè *laserpitium*, quasi *lac sirpitium*. Nam propriè est ὀπὸς σιλφίου, *succus è radice silphij expressus*: quomodo vsurpat Cato, lib. iii. Orig. *Laserpitium*, inquit, *pro pulmentario habet*. Item Plautus Rudente, Act. iii. Sc. ii.

> ——— *Si speras tibi*
> *Hoc anno multum futurum sirpe & laserpitium.*

At Plinius pro *ipsa silphij planta* accipit, cùm lib. xviii. cap. iii. scribit: *Ab his proximum dicetur auctoritate clarissimum laserpitium, quod Græci silphion vocant, in Cyrenaica prouincia repertum: cuius succum vocant Laser.* Censet Isidorus priùs dictum fuisse *lactir*, quia sit *succus lactis modo profluens*: postea ex *lactir* factum esse *laser*. Sed planè *laser* truncatâ voce dixere pro *laserpitium*: hoc conflatur ex *lac sirpitium*. Hanc eius vocis, vti & *laserpitij*, ἐτυμολογίαν confirmat Solinus, cap. xxx. *Apud Cyrenenses præterea Sirpe gignitur odoratis radicibus, virgulto herbido magis quam arbustoso: cuius è culmo exsudat æstatis tempore pingue roscidum: idque pascentium hircorum inhæret barbulis, vbi cùm arefactum inoleuit, guttis stiriatis legitur ad vsum mensarum, vel medelæ magis. Dictum est primùm lac sirpicum, quoniam manat in modum lactis: deinde vsu derivante laser nominatum.* Pro *laser* posteriores etiam *lasar* dixere. Quomodo apud Apicium legas *lasaris radice*: pro *laseris* siue *silphij*. Indéque apud eundem *lasaratus hædus* & *lasaratus porcellus*, σιλφιωτοὶ, id est, *carnes* [illegible] *nes essent condita lasare*. Vide de *silphio*, & *Laserpitio* Hermolaum Barbarum in Glossis Plinianis: item Iuonem Villiomarum siue Scaligerum aduersus Titium, lib. viii. cap. xxi. ac imprimis Claud. Salmasium, in exercitationibus Plinianis ad Solinum.

Sirupus siue *syrupus*, Actuario est σιρόπιον. Iuxta Calepinum est à σύρω, *traho*. Sed ineptè. Meliùs censet Becmanus ita dici quasi σειρᾶς ὀπὸς, *succus*, *quo Syri impensè delectantur*. Sed maximè placet, ab Oriente vocem petitam esse: siue sit à Syriaco *Sareb* conuersâ mediâ in tenuem, quæ Angeli Caninij sententia est, siue, vt Simon Ianuensis in claue sanationis indicat, ab Arabico שראב, *sirab*, quod est *potio medica*, à שרב, *bibere*, *lambere*.

Sis pro *si vis*. Particula est Comicis familiaris, ac Ciceroni quoque & aliis vsurpata ad imperium leniendum. Nam, vt ait Donatus in Eun. Act. iv. Sc. vii. *Quia imperatiua verba sunt contumeliosa, addebant veteres SIS, quod significat, si vis.* Nec tantùm imperatiuis additur, sed interdum etiam ἀπολύτως vsurpatur Plautus Asin Act. iii. Sc. iii.

> *Quæso hercle, Libane, sis herum tuis factis sospitari,*
> *Da mi istas viginti minas. Vides me amantem egere.*

Frustra est Lambinus, qui pro *sis* legit *sine*. Nam si cum Grutero, post *sospitari* inductâ τελείᾳ στιγμῇ, comma ponatur, ac *sis* accipiamus pro *si vis*, plana est omnino sententia. Simile est *sodes*, hoc est, *si audes*, vt scribit Donatus in Hec. Act. v. Sc. i. Idem Donatus in And. Act. i. Sc. i. in illud. *Dic*, *sodes*, *Dic*, inquit, *imperatiuum est: ideo temperauit iniuriam blandimento*, *sodes*. *Est autem*, *si audes*. Pro eo & *si audes* integrè dixit Plautus, vt obseruat vetus Persij interpres. Tum interpretis eiusce, tum Plauti ipsius locum de hoc emendamus cap. pen. librorum de Analogia. Nec aliena est hæc poscendi ratio. Nam similis est Belgico isti, *Heb ghy het hart*, *soo schenckt my dit*. Quod Latinè fit, *si audes largire*. Quasi dicas, *si tantum ab animo tuo impetrare possis*. Idem iudicium esto de *sultis*; quod similiter imperatiuum lenit. Festus: *Sultis si vultis significat, composito vocabulo, ita vt alia sunt, sodes si audes, sis si vis, illico è loco, scilicet scire licet, ilicet, ire licet, equidem ego quidem.* Ita enim is locus legendus videtur. Idem varia antiquorum loca adducit. Ennius:

> *Pandite sultis genas & corde relinquite somnum.*

M. Cato pro L. Cæsetio: *Audite, sultis, milites, siquis vestrum in bello superfuerit, siquis non inuenerit pecuniam, egebit.* Plautus Friuolariâ:

> *Sequimini me hac sultis legiones omnes lauernæ.*

Sed & aliquoties vsus idem Comicus in iis quæ supersunt.

Sisara, siue *sisara*, quam vocem haut alibi me legere memini, in Glossis Latino-Græcis exponitur σισάρου μῆλον [illegible]. Omnino autem est à Græcis. Nam σισύρα, *ouis*: vnde Aristophani sæpius σισύρα, quod Scholiastes eius ἐν ἐλλείψει semel iterúmque exponit [illegible]. Estque à σίσυρος, τίτυρος, vt à σ Doricum τ. Vt fortasse immeritò reprehendant Seruium, quod *tityrum* exponat *sectarium veruecem*. Sanè Theocriti quoque Scholiastes τίτυρον interpretatur κριόν. Sic enim legi debere, non [illegible], euidens est: & iamdiu à Scaligero obseruatum: quem vide in Varronem de R.R. lib. ii. cap. xvi. Alij tamen *tityrum* potiùs *capellam* interpretantur. Et fauet huic sententiæ, quod apud eundem Aristophanis Scholiastem in Aues legere est: σισύρα ἐκ τῆς αἰγείου δέρματος [illegible] ἐν ταῖς τρίχας [illegible]. Præterea ab Hesychio τίτυρος exponitur σάτυρος. At *Satyri* sunt *capripedes*, vt à poëtis vocantur. Videtur & ad alia animantia translatum. Nam Hesychio non solùm est σάτυρος [illegible], sed etiam ὄρνις, & Theocriti Scholiastes *simiarum genus* ita dici auctor est.

Sisto esse à *sto* factum, nec aliud esse quàm *stare facio*, scribit Angelus Decembrius, lib. iv. de politiâ literariâ parte xliii. Sed de etymologia fallitur. Nam est ab ἵστω siue ἵστημι, vt à ποιέω, *facio*. A *sisto* transitiuo est intransitiuum *exsisto*, quod est *oriri*, *atque emergo*. Item *consisto*: vnde *consistorium*. Tertullianus de resurrect. carn. cap. xx. *Terram, in qua homines consistunt, consistorium vocari.* Sed speciatim ita dicebatur *locus, vbi in rebus ciuilibus, aut sacris consultari solet*. Sic vsus Ammianus in xv. & xx. Idem & *Consistorianos* in xv. vocat eos, *qui in consisto-*
rio

rio conuenirent. Ac Græci posterioris æui similiter κονσιστόριον & κονσιστωριανοὶ dixere. A *consisto* quoque est *consistio*, vbi consistitur. Gellius, lib XVI. cap. V.

Sistrum, σεῖστρον, ἀπὸ τοῦ σείειν, quod est, *quatere*: vnde apud Suidam in hac voce adfertur, Σεῖστρα δονοῦσι. Et apud Martialem est:

Has quatiat tenerâ garrula sistra manu.

Erat Isiacorum insigne, vt *cymbalum* sacerdotum matris Deæ. Iuuenalis:

Isis & irato feriat mea lumina sistro.

Isis facile credo esse ab אישה, hoc est *mulier*. Sed pro certo asseuerare non ausim, eius cultum cepisse originem ex eo, quòd Ægyptij ab Israelitis audissent virginem fore θεοτόκον; quæ coniectura est Casparis Peuceri de diuinat. Extispicum.

Sitarcia, σιταρκία, *annona sufficientia*, à σῖτος, *frumentum*, & ἀρκεῖν, *sufficere*. Vsus è Latinis Appuleius, lib. II. Met. Σῖτος a סעד, *sustentauit*, *panis*. A σῖτος *Ceres* Syracusijs dicta Σιτώ, teste Athenæo.

Siticines Agellio ex M. Catone, lib. XX. cap. II. quia *canant apud sitos*: vbi *sitis* vox sumitur, vt in illo, *Hic est ille situs*, apud Cic. in II. de Legg. & libb. de Rep. Et illo Ennij de Scipione Africano:

Hic est ille situs, cui nemo ciui' neque hostis
Quiuit pro factis reddere opera pretium.

Ad quæ verba plura de hoc Hieronymus Columna, suis in Ennium notis.

Sitis, & *sitio*, à שתה, *bibit*: vel per μετάθεσιν à δίψος, *sitis*. Verisimiliora hæc, quam vt sit à σῖτος, quod est *frumentum*, *panis*, vel *quiuis cibus*. Quia nempe vbi edimus, sitimus: vt parùm δεξιῶς Cæsar Scaliger coniectabat, cap. XXVI. de caussis L. L.

Sittybus, planè Græcum est σίττυβος. Restituenda hæc vox Ciceroni, epist. IV. lib. IV. ad Att. *Etiam vellem mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio vtatur, glutinatoribus ad cætera administris; iisque imperes, vt sumant membranulam, ex qua indices fiant, quos vos Græci, vt opinor, σιττύβους appellatis.* Sed pro σιττύβους in vulgatis est συλλάβους. Emendationem hanc, quam ad oram codicis nunc mei Iosephus Scaliger adnotârat, confirmat quod epist. sequenti legere est: *Bibliothecam mihi tuam pinxerunt constrictione* (ita legendum, non *constructione*) *& sittybis.* Tum hoc epist. VIII. eiusdem libri: *Nihil venustius, quàm illa tua pegmata, postquam mi sittybis libros illustrarunt.*

Situla, vas quo aquam hauriebant ad sitim restinguendam: vnde & nomen teste Isidoro, lib. XX. cap. VI. Vel caplc de caussa fit ab Hebræo Chaldæóque שתה, hoc est, *bibit*. Vnde & *sitis* nomen accepit. Eiusdem originis est *situlus*, vas item aquarium: vsi Cato, Vitruuius, Paullus I C. Gloss. Cyrilli, Κάδος, *situla*, *situlus*. Κάδιον, *sitella*, *sitelium*. Atque hinc liquet simul, à *situla* esse diminutiuum *sitella*. Apud Pomponium tamen Sabinum legas: *Sinus, vt ait Apronianus, cuius diminutiuum sitella.* Sed hoc ἄτοπον nihil refellere opus.

Situs nunc adiectiuum est, nunc substantiuum. Vtrumque à *sino*. Nam vnumquodque ibi situm est, hoc est, positum, vbi illud sinimus, hoc est linquimus. Inde *siti* pro *mortuis*, à qua notione *siticines* dicuntur. Quia autem res sitæ ac relictæ negliguntur, neglectæque humore & sordibus obducuntur: indè fit vt *situs* accipiatur pro lanugine illa, quâ res relictæ, imprimis in loco humido & sordido, obduci solent.

Smaragdus, Græcè σμάραγδος & μάραγδος sine σ, quo Menander vtitur apud Athen. lib. III. Nempe vt dicitur σμαραγέω, & μαραγέω, *luceo*, *splendeo*: ab illo est σμάραγδος, ab hoc μάραγδος. Nam Ouidius:

In solio Phœbus claris lucente smaragdis.

Ac Plinius eos *radiantes* vocat. Statij est, *Florentes igne smaragdi.* Aliquis existimet σμάραγδος esse ab Arabico זמרד, quod idem notat. Sed contrà vocem eam Arabes accepere à Græcis.

Smaris, σμαρὶς, quæ & μαρὶς Athenæo *piscis marinus*, à μαρμαίρω, *luceo*: nempe ob colorem candidum. Nam eadem est ac *mæna candida*. Σ præmissum, quomodo dicitur μικρὸς & σμικρὸς, μαραγέω & σμαραγέω, μάραγδος & σμάραγδος, vt iam vidimus.

Smegma, σμῆγμα, à σμήχω, *abstergo*, *detergo*. Vtitur Plinius, apud quem & legas *smegmaticum*, quod inde deductum. Erat *smegma*, massa ex varijs confecta odoramentis, quâ manus soliti abstergere. Idem fiebat medullâ panis quam *magdaliam* siue *apomagdaliam* vocabant. Vide Fuluium Vrs. append. de Triclinio.

Sobrius videri possit corruptum esse à σώφρων; quæ Nunnesij sententia fuit. Sed non dubitandum, quin *sobrius*, & *ebrius*, eiusdem sint originis: nempe à *bria*, quâ voce non quidem *mensura* intelligitur, vt *sobrius* dicatur, quia *sine mensura bibat*, quomodo Catholicon exponit, sed *vasis genus*: vt ostensum nobis in voce *Ebrius*. Vide quæ ibi diximus. Verbo *sobrefacio*, pro *sobrium facio*, vsus Appuleius in VIII. *Nec in sermone sobriefactus Thrasyllus.*

Soccus quasi *saccus*, iuxta Catholicon atque adeo Isidorum etiam: apud quem vulgo quidem legas, in fine lib. XIX. cap. vlt. *Socci, quod soccum habeant, in quo pars plantæ inijcitur.* Sed *saccum* clarè exaratum in MS° meo. Vnde & corrigendus Papias, apud quem *succus* pro *saccus* legas. Nec tamen hoc verum etymum putamus: sed est *soccus* à סכך, *texit*, *operuit*, vt diximus in *Sagum*. Nempe quia sit *pedum tegumentum*.

Socer ab ἑκυρός. Asper spiritus in S abit, vt aliàs sæpè. Nec incommodè tamen Martinius deducit a Chaldæo זוג, hoc est, *coniugium*, vt γαμβρὸς à γάμος; at ἑκυρὸς ab Chaldæo יקר, *veneratio*, *honor*. Porrò antiquis Prisciano teste, *socrus* communis erat generis: postea in feminino quidem *socrus* retinuere: sed in masculino *socer* dixere.

Socius, iuxta Iulium Cæsarem Scaligerum in Theophrastum de Plantis ita dicitur, vel à *seco*, quia inter eos, qui socij sunt *secanda* est portio, vel à *sequor*, vt propriè *socius* sit, *qui alium sequitur ducem*. Priori sententiæ aduersantur verba hæc Asconij Pedani in III. Verr. *Aliud socius, aliud particeps, nam particeps qui certam habet partem, & non indiuise agit, vt socius.* Ecce negat, inter *socios* sectionem obtinere: vt qui indiuisè agant. Verùm dixerit aliquis non esse hoc in *socijs* perpetuum. Quare altero etiam argumento impugnetur. Nempe quod *secandi* vox in huiusmodi vsu impropria planè sit, vt parum fiat verisimile, indè *socij* nomen esse impositum. Et sanè minus durè à *sequo* deduxeris, quam etymologiam & Catholicon sequitur. Nec minus placet sententia Martinij, vt *socius* sit a Chaldæo זוג, *iugum*, *connubium*, *societas*.

Sodalis Nunnesio dici videtur ex poëtico ὅμηρος pro ὁμήρος. Magis placet *sodales* esse ex Græco ἔθαδες, hoc est, *assueti*. Nam ita vocantur, quibuscum sueuimus. Vel *sodalis* quasi *sedalis*, quòd crebrò adsideant. Festus: *Sodales quidam dictos putant, quod vnà sederent, essentque: alij, quòd ex suo dapibus vesci soliti sint: alij, quòd inter se inuicem suaderent, quod vtile esset.*

Sol Ciceroni lib. II. de Nat. Deor. dictus videtur quia *solus*: quomodo & Ἀπόλλων ex mente Chrysippi vocatus est ab α στερητικῷ & πολύς. Sane & Germanicum *Son*, quod *Solem* notat, *singulare* aliquid notat: vt in *sonderlick*, *besonder*, *in sonners*, *afsonderen* & similibus. Verius tamen puto *Solis* vocem à Sabinis esse acceptam, vt Varro innuit lib. IV. de L. L. Hos verò *Solem* vocasse a σέλας, *fulgor*: vti ἥλιος ab ἕλη, quomodo (vt Eustathius, & alij tradunt) vocatur ἀπὸ τοῦ ἀλεῖν αὐγῇ, *splendore solaris*: vti hoc ab הלל, vel הלה, quod est *splendere*. Est & tertia sententia. Nam Gentes *Solem* pro *Deo* coluere: atque adeò omnes Deorum appellationes *solem* spectant: vt Macrobius ostendit, lib. I. cap. XVII. Ergo ab *EL*, quod Hebræis *fortem* & κατ' ἐξοχὴν *Deum* notat, fuit ἕλ & ἄλ, vnde ἥλιος ac Dor. ἀέλιος, & Lat. *Sol*. Vide quæ fusè pro hac sententia adfert Cluuerius, German. Antiqu. lib. I. cap. XXVI. Imò ne quidem an *Apollo* quasi ἀπόλλυσι dicatur, satis inter veteres ipsos conuenit. Nam & alias easque dissentientes eius nominis caussas apud veteres legere est: quas studiosè congessit Macrobius lib. I. Saturnal. cap. XVII & Lil. Gyraldus in operoso syntagmate de Dijs gentium. Quare solum ponam illustrem locum Seruij in Ecl. V. *Constat secundum Porphyrij librum, quem Solem appellauit, triplicem esse Apollinis potestatem: & eundem esse Solem apud superos, Liberum patrem in terris, Apollinem apud inferos. Vnde etiam tria insignia circa eius simulacrum videmus: lyram, quæ nobis cælestis harmoniæ imaginem monstrat, gryphémque, quæ terrenum numen ostendit, & sagittas, quibus infernus Deus & noxius indicatur. Vnde & Apollo dictus est ἀπὸ τοῦ ἀπολλύειν. Hinc etiam & Homerus Apollinem tam pestilentiæ dicit, quàm salutis auctorem.* Et Horatius ait:

Condito mitis placidúsque telo
Supplices audi pueros Apollo.

Vnde Virgilius rationis huius peritus, per altaria supernum numen, per parem numerum infernam indicat potestatem. In quibusdam Seruij codd. pro ἀπολλύειν, quòd est *perdere*, est ἀπὸ ἐξελαύνειν quomodo & Gyraldus legit, sed corruptè. In quibusdam etiam pro *gryphémque* fuit *grypeum*, quomodo Boccacius legit lib V. de geneal. Deorum cap. III. In Seruio P. Danielis *gryphenaum* est excusum, à quo non longè abit *gryphon aneum*, quomodo in suis codd. inuenisse videtur Gyraldus. Qui & ita emendat locum Fulgentij in primo Mytholog. *His Gryphum quoque Apollini adijciunt, quod sol & præterita nouerit, & præsentia cernat, & futura visurus sit.* Vbi in vulgatis vel *triphum*, vel *tripum*, legitur. Sed omnino hic *tripodem*, non

gryphum legendum. Nam sententia est, vti tres in tripode sunt pedes, ita triplicis temporis notitiam esse *Apollini*. Apud Seruium verò, quin *gryphumque* legi debeat, nullus dubito. Quod & veterum quorundam codicum fide est subnixum. Ab *Apolline* hæc propria descendunt. *Apollinius*, & *Apollinaris*. Sic à *Sole Solinus*: de quo auctor Priscianus in secundo, his verbis. *Vrbs, vrbis, vrbanus, sol, solis, solanus, ex quo* (ἀπηλιώτης) *subsolanus: ex eo tamen est etiam Solinus*. Similéque à *Phœbo* est *Phœbadius*. *Phœbus* verò, Φοῖβος, non tam puto quia φοιτᾷ βίᾳ, *vt fertur*, quod ex Cornificio tradit Macrobius, lib. I. Sat. cap. XVII. quàm quod ibidem Macrobius alios sentire ait, à *specie & nitore*: Nam Φοῖβος natura sua adiectiuum est, ac notat *splendidum lucidum, purum*, teste Hesychio, qui exponit λαμπρὸς, καθαρός; item antiquo Apollonij Scholiaste, qui in lib. II. Φοιβήσαντε interpretatur λαμπρύναντε, καθαρίσαντε, atque id verbum esse ait παρὰ τὸ Φοῖβον, τὸ καθαρὸν, ὅθεν ὁ Φοῖβος ὁ Ἀπόλλων. Eandémque *Phœbes* nominis caussam etiam Phurnutus attulit. Et ita vsus Φοῖβος voce vetus poeta Tragicus, cùm ait, ἡλίου Φοίβη φλογὶ, *splendida solis flamma*. Vt omnino fallantur, quibus dici Φοῖβος placet, quasi φῶς βίου, *lucem vitæ*: vel etiam à *Phœbe* Latonæ matre: quam sententiam in Homeri allegorijs refellit Heraclides Ponticus.

Sᴏʟᴀʀɪᴠᴍ, quia *in eo horæ in sole inspiciebantur*, vt ait Varro lib. V. de L.L. Quippe erat instrumentum, quo horæ cognoscuntur ad solem, veruto vmbram faciente. Ita vsus Plautus in Bœotia scitis illis versibus à Gellio adductis lib. III. cap. III. Quod primum Romæ *solarium* fuerit neque olim satis conuenit, vt docebit Censorinus cap. XXIII. vbi & illud obseruat, etiam postquam *P. Cornelius Nasica Censor ex aqua fecit horarium, id ipsum ex consuetudine noscendi à sole horas solarium cœptum vocari*. *Solarium* præterea dicitur locus editus, in quo veteres solent apricari. Nempe quia Soli esset expositum, vt Isidorus indicat lib. XV. cap. III. Gloss. Cyrilli: ἡλιαστήριον, *solarium*. Putà, quia illic ἡλιάζονται, *apricantur*. Hoc pacto sumitur apud Macrobium, lib. II. Sat. cap. IV. *Cùm*, inquit, *Augustus de Tyria purpura, quam emi iusserat, obscuritate quereretur, dicente venditore, Erige altius ac suspice, his vsus est salibus. Quid ergo, vt me populus Rom. dicat bene cultum, in solario ambulaturus sum?* Græcis similiter ἡλιακὸν dixere: vt apud Leonem Imper. Constit. vlt. Sed & Latinâ vsi appellatione, quomodo Zeno Imp. in Const. σολάρια ἤτοι ἐξώστας. Vetus Glossar. Græc. ἐξώστης, ὁ ἀπόπατος.

Sᴏʟᴇᴀs dixere Romani, vt ex Castrutio scribit Gellius, lib. XIII. cap. XX. *omnia id genus, quibus plantarum calces tantùm infimæ teguntur, cætera prope nuda & teretibus habenis vincta sunt*. Itaque eo à *calceo* differt quòd *calceus calcem muniat*, vnde & nomen: *solea* verò *obtegat tantummodo solum siue plantam pedis*, vnde & Festo teste, atque item Isidoro extremo lib. XIX. *solea* appellata non quòd *solum premat*, quod scripsit Becmanus. Sanè *solum* quoque id notare quod dixi indicat hic versus Lucretij, lib. I. & IV.

Auia Pieridum peragro loca nullius ante
Trita solo.———

Et istud Ciceronis in Tusc quæst. ex epist ad Hannonem: *Mihi amictus est Scythicum tegmen; calceamentum solorum callum; cubile, terra*. Vsurpat & eo modo Varro, in libb. de R.R. Interdum quoque pro ipsa *solea* vsurpatur: Plautus, Bacch. act. II sc. III.

Qui habeat auro suppactum solum.

Vtroque modo accipi potest in illo Curcul act. II. sc. III.

Et datores & factores omnes subdam sub solum.

Porrò *soleis* domi, *calceis* foris vtebantur Romani. Itaque Asinius ad Cic lib. X. epist. XXXII. inter alia, quæ in Balbo culpat, hoc ponit, quòd *nudis pedibus* is, qui quæstor erat, obambularit in maxima hominum multitudine, quæ ad spectaculum gladiatorium confluebat. Apud Gellium quoque lib. XIII. cap. XX. habes illa Castrutij verba: *Soleatos vos populi Romani senatores per vrbis vias ingredi nequaquam decorum est, non hercle vobis minùs, quàm illi tum fuit, cui hoc M. Tullius pro turpi crimine obiectauit*. Monet ibidem Gellius, *soleas* easdem esse ac *crepidas* & *crepidulas*, sutores eorum Sempronio Asellioni dici *crepidarios*, esséque *crepidæ* nomen à Græco κρηπῖδος, sed Latinos primam vocis syllabam corripere. Sed & *Gallicas* esse easdem ac *crepidas*, verùm *crepida* vocem multò esse antiquiorem: antiquissimum eorum, qui ex grauis auctoritatis scriptoribus sic *Gallicarum* voce vsus sit, videri Ciceronem, cuius illud in secunda Antonianarum: *Cum Gallicis & lacerna cucurristi*. *Solea* κατὰ μεταφορὰν etiam dicitur piscis: nempe à *planitie, quâ soleam refert*. Gloss. Philoxeni: *Solea*, βούγλωσσος. Aliter dicitur *lingulaca*, vt βούγλωσσος Græcis, à *similitudine linguæ bubulæ*. Belgis similiter *scholle* & *tonge*: *scholle* ex *solea*, vt & Gallis *sole*, Italis *suola*: *tonge* autem (quod *linguam* notat,) velut Latinis *lingulaca*. Etsi autem *solea* vox metaphorica sit, tamen aptitudo tralationis & communis vsus facit, vt & qui ita loquitur, propriè loquatur: quemadmodum Fabius ait, lib. VIII. cap. III. quod est de perspicuitate. Sed transfertur ea vox & ad alia. Festus: *Solea dicitur materia roborea, super quam paries craticius exstruitur*. Imò & est inter instrumenta oleo conficiendo idonea: quomodo vsus Columella, lib. XII. cap. L. Eam notionem Philander etiam agnoscit ad Vitruuium, lib. VI. cap. IX.

Sᴏʟᴇᴏ, inquit Perottus, *significat consueui, quasi solus, hoc est, totus eo*. Sed puto simplex esse ab ἔθος, quia in quo toti sumus, id facere dicimur *solere*. A *soleo* est *solito*, apud Plautum Truculento Item *insolens*, vt apud Gellium, *insolens verbum*: apud Appuleium *insolens contumelia*. Hinc tributum hominibus bono alicui non assuetis, ac præcipuè τοῖς νεοπλούτοις. Nam tales ferè sunt iactabundi, ac lasciui: vt ab Aristotele II. Rhet. scriptum est: Vnde & Seneca. *Nihil*, inquit, *est insolentius nouitio diuite*. Vide quæ de hoc diximus lib. II. Orator. Instit. cap. XIV.

Sᴏʟɪᴅᴠs vnde sit, docet his verbis Festus in *Solitaurilia*. *Sollum*, inquit, *Oscè totum, & solidum significat; Vnde tela quadam sollisferrea vocantur tota ferrea, & homo bonarum artium sollers, & quæ nullâ parte laxata cauáque sunt, solida nominantur*. Mihi Festi sententia planè probatur. Nam vt *viuidus* est à *viuo* (vnde & *venum amorem*, pro *viuido* dixit Maro, I. Æneid.) sic *solidus* erit ab Osco *sollus* siue *sollus*. Sed vnico *L* scribebant ante Ennium, vnde & *solitaurilia* in vsu remansit, vt testatur Verrius apud Festum. Idem Verrius *solidas sellas* interpretatur totas, ac in quibus nihil esset concaui. Quam sententiam immeritò improbat Festus. *Solidus* quoque dictus *nummus aureus*, quasi integer, ad discrimen aureorum dimidiatorum & tertiariorum, qui semisses ac tremisses dicti. Hanc nominis caussam è Lampridij loco à se emendato probat Budæus in annotat. ad Pandect. A *solidus* est *solidare*. Vt apud Vitruuium sæpè, *solidare parietes tectorio*, hoc est, *loricare, tegere*.

Sᴏʟɪᴘᴠɢᴀ, siue *solipunga*, *genus bestiolæ maleficæ*. In quibusdam MSS[ts], etiam præceptoris mei Nansij, est *solipugna*. Sed perperam. Nam à *pungendo* sic dici, satis indicat Plinius, lib. XXII. cap. vlt. *Et leguminibus innascuntur bestiolæ venenatæ, quæ manus pungunt, & vitæ periculum adferunt, solipugarum generis*. De priori verò vocis parte, non æquè apertum. Festum si audimus, nomen hoc traxit, *quòd acrius concitatiúsque fiat feruore solis*. Eam vocem Arnobio, lib. VII. reponit Fuluius Vrsinus. Imò & vir apprimè doctus, Godscalcus Steuvechius, ad lib. II. Arnobij legendum ait apud Lucanum lib. IX.

Quis calcare tuas metuat solipunga latebras?

Sed hac quidem in re pueriliter errat, cùm metrum reclamet. Si quidem ea vox est à *Sole*, quod cum Festo ipse agnoscit Stevvechius, & vetus Glossarium indicat, in quo legere est. *Solipunga*, ἡλιοκέντρις, μύρμηξ εἶδος. Vti, quod dicitur esse μύρμηκος εἶδος non conuenit cum Plinio, qui ait esse *genus formicarum*, vel cum Solino, qui dicit *araneorum formam* habere. Planè autem subscribo Salmasio, qui ostendit esse *phalangium*, quod *cantharidi* simile esse, inque leguminibus inueniri Nicander prodidit. Gloss. inedita: *sphalangion, musca venenata*.

Sᴏʟɪᴛᴀᴠʀɪʟɪᴀ à *tauro* nomen habere in confesso est, non item, quæ prior sit vocis pars. Verrius censet esse à *sollus*: de quo sic ex eo Festus: *Sollum Oscè totum & solidum significat, vnde tela quadam sollisferrea vocantur tota ferrea, & homo bonarum artium sollers, & quæ nulla parte laxata cauáque sunt solida nominantur*. Hinc censet Verrius *Sollitaurilibus* ex eo nomen esse impositum, quod ijs *solida*, hoc est, non castratæ præberentur hostiæ, quas inter principem locum obtinent *tauri*. Fortasse obijciat quis, quòd si à *sollus* veniret, *sollitaurilia*, non *solitaurilia* diceretur. Sed hunc quoque scrupulum eximit idem Verrius siue Festus his verbis: *Quòd si à sollo & tauro earum bestiarum ductum est nomen, antiquæ consuetudinis per vnum L enunciari non est mirum, quia nulla tunc geminabatur litera in scribendo. Quam consuetudinem Ennius mutauisse fertur, vtpote Græcus Græco more vsus: quòd illi æquè scribentes ac legentes duplicabant mutas ac semiuocales, & liquidas*. Interim de ἐτυμολογίᾳ hac non adsentiuntur omnes. Sanè apud Liuium, libro I. legimus *Suouetaurilia*; & Festus ipse agnoscit, quosdam putare in *solitaurilium* voce, *suis, ouis* & *tauri* vocabula esse confusa. Indéque Gloss. vett. *solitaurilia*, θυσία ἐκ συὸς, προβάτου καὶ ταύρου. Sic enim rectè emendant, vbi vulgò, ἐκ συὸς ἀγροῦ. Tertia quoque etymologia est, quam adducit Iul. Scaliger, libb. de causs. L. L.

cap. LXXXIX. *Solitaurilia, non vt sunt interpretati male veritatem, Sue, Oue, Tauro; neque enim in voce hac, Soli, est Oui: sed sic fuit per initia, Sue, Soloce, Tauro: sic enim pecudem lanâ tectam prisci appellarunt, quam ad sacrificium egregiam habebant, id est, è grege segregatam, integram, non tonsam: vnde & nomen, quoniam cum totâ lanâ esset. Solon enim Osci dicebant totum, vt Graeci ὅλον.* Hæc ille. Sed à *soloce* si est, ex hac & *Tauri* voce conflatum erit: è *Sue* autem, *Soloce*, & *Tauro*, qui esse possit, non video. Neque enim *susolotaurilia* dicimus. Imò neque tam à *soloce*, quam Osco *sollus* venire verisimile est *Suouetaurilium* etymon satis manifestum: sed metuo ne vocabulum id primitus fabricatum sit ab iis, qui, cùm *solitaurilium* etymon ignorarent, vocem eam ex *suouetaurilia* corruptam crediderunt.

SOLIVM duplicem habet significationem: quarum vtramque Festus agnoscit. De priori, *solia*, inquit, *appellantur sedilia, in quibus non plures singulis possunt sedere.* Addit deinde sic dici à *sollo*: hoc est, *solido*. De altera sic scribit: *Aluei quoque lauandi gratia instituti, quo singuli descendunt, solia dicuntur. quæ à sedendo potiùs dicta videntur, quàm à sollo.* Vtramque significationem inuenias etiam in Glossis vett. Vbi legas: *Solium*, θρόνος βασιλικός. *Solium*, ἐμβάτη. Nam ἐμβάτη vel ἔμβασις, *alueus, in quem descenderent lauaturi*: vnde & nomen. Sanè πύελος similiter Græcis vtrumque notat. Sed eâ voce etiam significatur *sarcophagus* siue *arca*, *in qua mortuus iacet*. Ac videtur Curtius, quia apud Græcum scriptorem πύελον legisset, id similiter *solium* reddere voluisse. Sic enim scribit, lib. X. *Cæterum coronâ aureâ impositâ, amiculo, cui adsueuerat ipse, solium, in quo corpus iacebat, velauit.* Imò & Florus lib. IV. de Cleopatra ait: *in Mausoleum se (sepulcra regum sic vocant) recepit, ibi maximos, vt solebat, induta cultus in differto odoribus solio, iuxta suum se recepit Antonium.* Non solent tamen Latini id *solium* vocare: nec eius significationis meminit Festus. Vidimus vt *solium* à *sollo* dici putarit Festus. Sed alterum etiam etymon adfert Seruius ad illud VII. Æn.

——— *Solio medius consedit auito:*

Solium, inquit, *est veluti armarium de vno ligno ad regum tutelam factum. Secundum alios à soliditate dictum. Secundum Asperum, per Antistichon, quod solùm vnum capit, quasi sodium à sedendo. Nam & sella quasi sedda dicta est.* Cuius loci verba planè perturbata sic restituo: *Solium est veluti armarium de vno ligno ad regum tutelam factum, à soliditate dictum. Secundum alios, quod solum vnum capit. Secundum Asperum, per Antistichon, quasi sodium à sedendo. Nam & sella quasi sedda dicta est.* Sunt qui superiorem poëtæ locum interpretantur de *sellâ curuli*. Sed minùs rectè, cùm *solium* fuerit *solidum*; *sella* autem *compacta* fuerit *è partibus contiguis*: vti arguit locus hic Suetonij in Augusto cap. XLIII. *Rursus commissione ludorum, quibus theatrum Marcelli dedicabat, euenit, vt laxatis sellæ curulis compagibus, caderet supinus.* Porrò præter superiora tria etyma, quæ è Seruio ponebamus, reperio & quartum; vt nempe sit à *solum*, hoc est, πέδον, quia subiicitur insessori. Mihi maximè placet vel à *soliditate* dici, vel quod Asper voluit, à *sedendo*, quomodo & ex quorundam sententia, Festo teste, *sodalis* quasi *sedalis* dictus est. Sanè crebrò admodum mutatum E in O, quemadmodum ab *hemo* est *homo*, ab *Apello Apollo*, &c. A *solium* est *soliar*, quo *solium* integitur; vt à *toro, toral*; ab *aula, aular*.

SOLLEMNIS fuerit ex Osco *sollus*, & antiquo *amnus*, si ita pro *annus* dixere vt Iouianus Pontanus in Actio censet: sed omnino puto *MNIS* in *Sollemnis* esse vocis productionem: vt & Franciscus Sanctius, in Paradoxis, variis auctorum locis defendere conatur: vel si omnino est ab *annus*, atque id propriè notat, quod *solùm in anno* fit, fatendum veteres in hac voce ab Analogia recessisse: quod Aldus Manutius censet in Orthographiâ: vel denique iis potiùs libb. standum, in quibus *sollennia* gemino *NN* legitur, vt quemadmodum ab *anno* dicimus *biennis*, *triennis*, *perennis*, sic ab eodem & Osco *sollus* dicamus *sollennis*: quam scribendi rationem probat socer Iunius ad Tertull. de Pallio. Nec de media postremáque solùm syllaba eius vocis disceptatio est, sed etiam primâ. Quippe non omnes Festo assentiunt, qui ab Osco *sollus* deducit. sed sunt, qui malint esse a *solitus*, vt Isidorus, lib. VI. cap. CXVIII. Et videntur huic sententiæ fauere vett. Gloss. Nam legas in Gloss. Philox. *Solemne*, ἔθιμον. *Solenniter*, ἐθίμως. Ac similiter Gloss. Cyrilli: ἔθιμον *consuetum sollemne*, ἔθιμα, *sollemnia*, *hæc sacra*. ἐθίμως *rite*. Imò & trahi huc possunt verba Festi siue Paulli: *Sollemnia sacra quæ certis temporibus anni fieri solent.* Sed huic sententiæ etiam modulus primæ syllabæ refragatur. Vnde alii deducere malunt à *soleo*, vt sic dicatur, quod cum pompis & ritibus *solùm in anno* fieri consueuit. Hæc enim propria est eius vocis significatio, vnde Maro, V. Æn.

Annua vota tamen sollennésque ordine pompas.

Itaque hanc solùm ὀρθογραφίαν probat Becmanus, qui & multus in eo est, vt ostendat, rectè quidem *solemnis* scribi per *MN*, quando dicitur de sacro iuxta *amnem* celebrato: cùm verò pro *annua festiuitate* vsurpatur, *solenne* scribi gemino *NN*; at seu hac seu illâ significatione ponatur, semper primam simplici *L* scribi debere: idque non quia à *solendo* fit, vt quidam censent, (sic enim prior corriperetur) sed quia fit à *solus*. Verùm quod *solemne* dici putat de sacrificio quod iuxta *amnem* perageretur, id metuo ne idoneo scriptore comprobari queat. Scio adduci posse illud Macrobij, lib. I. cap XII. *Eodem quoque mense & publicè & priuatim ad amnem perennem sacrificatum itur, vt amare perennaréque commodè liceat.* Sic enim libb. quidam. Sed non Stephanica modò, verùm & vetus Aldina & quædam aliæ habent, *Ad Annam Perennam*. vt miter Carrionem ab hæc leuicula emendatione ordiri voluisse suos emendationum libros. Deinde, quomodo ex eo, quod ad *amnem* quotannis sacrificari soleat, probabunt id sacrificium propriè *solemne* dici? Atque hoc primum. Præterea neque in eo assentio Becmano quod *solenne* vnico *L* scribendum pertendit. Omnino maioris apud me est Festi, atque adeo fortasse Verrij ipsius quem is in epitomen redegit, auctoritas, qui, si vnico *L solenne* eo seculo scribi soleret, non ab Osco *sollus* deducere maluisset. At, inquit Becmanus, *sollus* est obsoletum. Quid tum? num quia extra compositionem in vsu non est, eo neque in compositione habebit locum? *Indus* non amplius dicimus. Eone & *industrius*, & alia ex eo conflata, obsoleta censebuntur? At, inquit, Oscum *sollus* est à Græco ὅλος, quod vnico λ scribitur. Rectè: verùm videndum vnde ἀμέσως, proximéque originem ducat. *Sollennis* autem proximè est à *sollus*, non ὅλος. Atqui inquit, veteres non geminarunt, eóque non *sollus* scripsere, sed *solus*: vnde sic quoque *solennis* vnico *L* scribendum paret. Minimè verò. Neque enim sequenda nobis rancida antiquitas, sed Ciceronis Maronísque seculum, & quod proximè secutum. Quare vt nunc *iussi* dicimus, non *iusi*, quod ante Ciceronis & Maronis ætatem obtinuisse ait Fabius, sic *sollemnis* dicimus non *solennis*, quia in eo ab antiquorum more posterius & felicius seculum recessit. Sanè aut antiquissimi nobis sequendi, aut non sunt. Si sequendi, etiam geminandæ vocales longæ, scribendúmque *aara*, *peen*, *o feelix* quod nemo dixerit: si non sequendi, neque opus erit simplices adhibere semiuocales. Vtrumque enim antiquissimis in vsu. Quinctilianus, lib. I. cap. VII. *Semiuocales non geminare, diu fuit vsitatissimi moris atque è contrario, vsque ad Accium & vltra, porrectas syllabas, geminis, vt dixi, vocalibus scripserunt.* Porrò quod de voce *sollemne* dixi, idem de voce *sollers* dictum velim. Nam quemadmodum *sollemne* dicitur, quod *sollis*, hoc est, *omnibus singulisque annis* fit, ita *sollers* est, non *qui in arte est sollicitus*, vt est apud Papiam: sed, qui *solam* hoc est, *omnem integrámque artem* nouit: vnde Glossæ Philox. *Solers*, πάντεχνος. Ex quibus liquet, Oscum *sollus* magis retinere naturam primogenij ὅλος, quam *solus*, quod propriè μόνος, cùm *sollus* sit *totus*, *omnis*. Sed in *sollenne sollus* non quantitatem continuam respicit, verùm discretam. Neque enim sic dicitur, quod *omnis*, hoc est, *integro anno* fit, sed quod *omni* fit *anno*, hoc est, *quotannis*. Contrà in *sollers* (quod ex *sollus* & *ars* componi diximus) *sollus* quantitatem continuam indicat, quia sic dicitur, qui *artem totam* callet. ita vt *solertia* Cæsari Scaligero (comment. in Hippocratem de insomniis) nihil aliud sit quam *habitus perfectus animi ad rem quampiam*. Quod verò hanc quoque vocem vnico *L* scribit Becmanus, cui *solers* dicitur, qui *solam artem* consequitur: id refellitur veteribus, & lapidibus, & libb. in quibus *sollers* gemino *L* scribi testatur Pierius ad IV. Georg. & Aldus in Orthogr. Deinde nec significatio vocis *solus* conuenit, quæ μόνος notat, sed Osci *sollus*, quod est, *totus*, *integer*. Præterea si simplici *L* scriberetur, non à *sollus* deduceret Festus siue Verrius, aut saltem caussam adderet, cur cùm à *sollus* sit, vnico tamen *L* scribatur: quemadmodum fecit in *solitaurilium* voce: quam idcirco solam ex omnibus à *sollus* compositis excipi putamus. Denique clarè pro nobis pronunciat Martianus Capella, cuius hæc verba, lib. III. cap. de Semiuocalibus: *L vero littera tripliciter sonat. Nam exilem sonum reddit, cùm geminatur, vt sollers, Sallustius, &c.* Quod si *solers* vnico *L* scribere placet, iam longè aliud etymon inueniendum: quod non nesciuit Donatus qui idcirco non à Latino *solus* sed Græco ὅλος deducit: verum ne vox sit hybrida (vt *monoculus* & similes) vult posterioremque quoque partem esse non *ars*, sed ἀρετή. Donati locus est Eun. Act. III. Sc. II. Et sanè, aut dicendum cum Donato, vt ab ἀρετή est *ars*, sic ex ὅλος ἀρετή fieri *solers*, aut si posteriorem vocis

vocis partem Latinam esse lubet, dicendum quoque priorem non esse *solus*, sed Oscum *sollus*. Vide sis etiam aliquid de his apud Hermolaum Barbarum, Gloss. Plinianis voce *solopygium*.

SOLLICITO in vett. libb. de gemino L.L. scribitur. Quidam tamen dici putant quasi *solo citare*, hoc est *loco movere*, κινεῖν ἕδρας ἐκ τόπου, quod Tullio, *sedibus commouere*, Maroni *sedibus imis ruere*. Fauet huic sententiæ Festus: *Sollicitare quidam dictum putant, velut citare ex solo, hoc est, ex suo loco & sententia mouere. Solum autem quin significet locum, quis dubitet, cùm exsules quoque dicuntur loco patria sua pulsi.* Quæ & αὐτολεξεὶ ex eo adfert Calpurnius ad Ter. Heaut. Act. III. Sc. I. Istoc si placet dicendum ἐν τύποις χαρᾶς, siue ob trium breuium concursum, geminato *L* scribi *sollicito*. Sed verisimilius est *sollicito* dici quasi *sollum cito*, hoc est, *totum commoueo*. Nempe vt sit ab Osco *sollus*: de quo diximus in *Sollemnis*. Vel potius dicendum, à *lacio* esse *lacito*: ab illo addita præpositione *sub* esse *sublicito*, ab hoc *sublicito*, & mutata vocali *sollicito* Sanè *sollicitare* dicuntur, qui alliciunt spe aliqua aut metu.

SOLOECISMVS, σολοικισμός, à *Solis*, teste Strabone, lib. XIV. Sed Σόλοι aliæ in Cypro, aliæ in Cilicia. Vtræ intelligantur, indicat hic locus Diogenis Laërtij in Solone: Ἔκτισε τι πόλισμα ἐν τῇ Κιλικίᾳ, καὶ πόλιν ᾤκισεν ἣν ἀπ' αὐτοῦ Σόλους ἐκάλεσεν. Ὀλίγους τέ τινας τῶν Ἀθηναίων ἐγκατῴκισεν, οἳ τῷ χρόνῳ τὴν φωνὴν ἀποξενωθέντες σολοικίζειν ἐλέχθησαν. καί εἰσιν οἱ μὲν ἐντεῦθεν Σολεῖς, οἱ δ' ἀπὸ Κύπρου Σόλιοι. *Solœcismus* igitur dictus à *Solis Cilicia* oppido, quòd eius incolæ Atheniensibus vitiosè loqui crederentur. Σόλοι verò à *Solone* conditore. Sumitur quoque *Solœcismus* pro *quouis errore*. Iuuen.

——*Solœcismum liceat fecisse marito.*

Et eodem modo loquitur alicubi Martialis. Veteres σολοικισμόν, teste Agellio, lib. V. cap. XX. appellarunt *imparilitatem*, itémque *striboliginem* quasi *streboliginem*. Est enim στρεβλὸς *prauus* στρεβλοῦν, *deprauare*. At aliud σολοικοφανές, nempe, vt Suidas definit, χωρὶς τὸ δοκεῖν μὲν μετέχειν σολοικισμοῦ, μὴ μετέχειν δέ. Plura de his extrema diximus Grammaticæ parte, quæ est de orationis structura.

SOLOX duplicem habet notionem. Festus: *Solox, lana crassa, & pecus quod passim pascitur non tectum. Titinius in Barathro,*

Ego ab lanâ soloci ad purpuram data.

Et Lucillius:

Pascali pecore, ac montano, hirto, atque soloce.

Priorem significationem confirmant Glossæ vett. in quibus *Solox* exponitur ἔριον παχύ. Sic enim rectè emendant viri docti. Vtitur Tertull. lib. de pallio, cap. IV. *Endromidas solocem aliqua multicia synthesi exstruxit.* & Symmach. lib. I. epist. I. *Quare elaboratam soloci filo accipe cantilenam.* Sed posterior significatio magis propria est, si verum est etymon, quod ex Iulio Scaligero in *solitaurilia* adferebamus; vt nempe sit ab Osco *sollus*, hoc est, *totus*, *solidus*, quia pecudes integræ, ac cum totâ lanâ, vtpote intonsæ, sacrificiis asseruarentur.

SOLSTITIVM quasi *solis statio*. Varro, lib. V. de L.L. *Alter motus solis est, alter cœli, quod mouetur à bruma ad solstitium. Dicta bruma, quòd breuissimus dies est. Solstitium, quòd sol eo die sistere videatur: aut quòd sol ad nos versum, proximum est solstitium. Cùm venit in medium spatium inter brumam & solstitium, quòd dies æquus fit ac nox, Æquinoctium dictum.* Vbi simul videmus, vt quamquam Astrologi geminum faciant *solstitium*, æstiuum & hibernum, imò Solinus quoque *solstitium brumale* dicat: Varro tamen solùm æstiuum *solstitij* nomine appellet: *hybernum* verò appellet *brumam*. Similiter Cicero lib. II. de Nat. Deorum: *Solis accessus discessúsque solstitiis brumisque cognoscitur.* Et Maro I. Georg.

Humida solstitia, atque hiemes orate serenas.

Vbi per *hyemes* intelligit *brumas*. Horatij quoque est,

Penula solstitio, campestre niualibus auris.

Imò, quicumque olim Latinè castéque sunt locuti, semper *solstitij* vocem de *æstiuo sole* intellexere: vt pluribus probat Iosephus Castalio Var. Lect. cap. XVII. Similiter Glossæ vett. *Solstitium*, τροπὴ θερινή, *conuersio æstiua*. Non addit ἢ χειμερινή, *aut hiberna*. Apud Columellam tamen, optimum & tersissimum scriptorem, legas *solstitium brumale*, vt quidem in Thesauro suo prodidit Rob. Stephanus, & ex eo alij. Citant autem hæc verba ex lib. IX. cap. XIV. *Ka. Ianuary Sol in Capricornum transitum facit brumale solstitium.* Atqui apud Columellam sic legitur: *Ab occasu Vergiliarum ad brumam, quæ ferè conficitur circa VIII. Kal. Ian. in octaua parte Capricorni.* Tanti interest, ipsos adire fontes, nec fidem habere iis, qui alienam sequuntur fidem: vti hic a Stephano factum apparet. Nempe Columellæ verba esse credidit, quibus aliquis mentem Columellæ, sed verbis suis exprimere voluit. Cùm verò *solstitium* sit τροπὴ θερινή, vt ex Glossis vidimus: *solstitialis plaga* Solino cap. XXXVII. sit ea cœli pars, vbi est *ortus æstiuus*: vt audiendus non sit Turnebus, qui *meridiem* intelligit lib. XXIV. cap XXXVIII.

SOLVM Festus exponit *terram*, ac hunc adducit Ennij locum ex tertio.

Tarquinio dedit imperium, simul & sola regni.

Item istum.

Sed sola terrarum postquam permensa parumper.

Sed non *solis terra* competere docet Seruius in illud V. Æn.

——*Vastis tremit ictibus area puppis,*

Subtrahiturque solum.——

Vbi *solum* esse dicit, *vniuscuiusque rei quod subiacet: vnde est solum nauis, mare; & aer, auium.* Et sanè Ouidius de *cœlo* vsurpat I Met.

Astra tenent cæleste solum.——

Quod temerè reprehendit Gaspar Barthius, Aduersariorum lib. LVIII. cap. X. *Non*, inquit, *humilior vox est telluris appellanda, quàm solum: neque poterat alia indignior tanta rei assimilanda reperiri.* Atqui aliud esse *tellurem*, aliud *solum*, satis indicant, quæ diximus. Nec moror Ascensium, qui *solum* idem esse ac *terram*, eo probabat, quia nomen sit à *soliditate*. Nam contrà à natura *soli* aliquid dicitur *solidum*, vt *humidum* ab *humo*. Nempe quia terra præcipuum ex iis sit quæ *soli* nomine censentur. Varroni placet *solum* pro *terra* vocari a *solo*, qua significat *plantam pedis*: quâ de *soli* notione abundè diximus in *Solea*. Varronis verba sunt, lib. IV. de L.L. *Quæ solo teri possunt, sola terra.* Ita rectè emendat Scaliger, pro quo corruptè in vulgatis: *Quæ sola terri possunt, sola terra. Solum* verò est à Græco ὅλον. Propriè igitur per *sola terræ* intelligitur *terrarum orbis totus*. Ὅλον est ab Hebræo כל, id est, *omnis*: vel *solum* dicitur quasi *sedum*, vt ab Ὀδυσσεύς, *Vlysses*. Sanè *solum* id, cui quidque insidet. Vel *solum* à סלה, *calcare*. A *solum* est *solarium* prima correpta, vectigal, quod pro *solo* penditur. Ita vsus Vlpianus, ff. nequis in loco. L. I. §. siquis. Sunt & hinc composita *subsolaneus*, qui infimum solum colit. & *supersolaneus*, qui *superius solum*: vt ex corrupto Festi loco cognoscitur. At *subsolanus* non à *solo*, sed *sole* dictus.

SOLVO quasi ὅλον λύω, vt quidem ait Scaliger, lib. I. de caussis L.L. cap. XXV. & Nunnesius in Grammatistice. Indicio autem meo fuerit quidem à λύω, vel *luo*: sed prior compositi pars non est ὅλον, verùm præpositio *sub*, vt integrum sit *subluo*, B. omissum, vt in *omitto* pro *obmitto*. Vel prior compositi pars sit præpositio inseparabilis *se*: quæ interdum abit in *so*, vt in *socors*. Ita *soluo* propriè erit *seiungo*, *vinculis liberando*. *Seiunctio* erit in *se*: in *luo* sit *liberatio à vinculis*. Hinc *absolutum*, quomodo propriè dicitur id, quod *vinctum esse desiit*, sed κατὰ μεταφορὰν sic vocatur, in quo nihil desideratur. Itaque in Glossis Philoxeni, & ἀπαλλαγμένον, & αὐτοτελὲς exponitur.

SOLVS ab ὅλος, id est, *totus*. Nempe, quia quandiu aliquid *totum*, tam diu *solum vnúmque* est; *diuidendo* autem idem fit *multa*. Vel *solus*, ex *se*, id est, *sine*, & antiquo *alis*, vel vsitato *alius*. Nã *sine aliis* est, qui *solus* est. A *solus* est *solitas* & *solitudo*. Priori Accius vsus, & Appuleius. Ab eodem est *persolus*, pro *planè vnico*, vt *oculus persolus* apud Plautum Menæchmis, Act. I. & Sc. II. & Curcul. Act. I. Sc. III. *persola nuga*, id est, *mera*. Vbi tamen Melior Hamenveltro Goldastus, approbante Taubmanno, mauult, *Ebriola, persolla, nuga*: quomodo legitur in MSS. Camerarij. *Persolla* est *persona minor*: vt exponitur in Glossis MSS. Nempe vt à *corona corolla*, sic (vt Placidus quoque Grammaticus testatur) à *persona* est *persolla*. A *persolla* dicta *persollata*, quæ Græcè dicitur προσωπίον, & προσωπίς. Dioscorides lib. IV. cap. CVII. Ἄρκειον, οἱ δὲ προσωπίδα, οἱ δὲ προσώπιον καλοῦσι. *Persollata* mentio apud Plinium, lib. XXV. cap. IX. & lib. XXVI. cap. V. & IX. Vulgo vocatur *bardana*, & *lappa maior*. Προσωπὶς autem & *persollata* dicta, quia προσωπεῖον ac *personæ* seu *laruæ* instar *hominum faciem contegere valet ob foliorum amplitudinem*. Græca προσωπίδος appellatione refelluntur, qui *persolatam* vnico *L* scribunt, atque ita dici aiunt, quia, *si capiti imponatur, solis calorem arcere apta sit*. A *solus* quoque est *desolatus*. Suetonius Caligula, cap XVI. *Deserta desolatáque reliquis subsidiis aula.* Statius, lib. II. Sylu. *Desolatáque tectorum.* Ab eodem *solari*, vt propriè sit ei, qui solus ac derelictus est, bonam spem facere. Quod etymon etiam sequitur Genuensis in Catholico. vbi legas: *Solari, alloqui vinum, & derelictum. Qui enim solatur, soli se applicat, dum loquitur, & solitudinem leuat alloquio suo.* Nisi malis esse ab Osco *ollus*, hoc est, *integer*, *totus*: vt notet propriè *redintegro*. Sanè qui animo factus est, is spe meliorum reficitur ac recreatur. Cæteroquin & affinitatem *solor* habet cum סלה, *eleuare*,

re. A *solari* est *consolari*, quod (si placet esse à *solus*) propriè fieret adlocutione eorum animos leniat, qui sibi *soli* videntur relicti, postquam orbati sunt parente, coniuge, vel pignoribus aut amicis. Distinguunt Grammatici inter *solatium* & *consolationem*, quod illud in re sit, hoc in verbis: sed discrimen id non obseruatur in epilogo orationis Milonianæ. *Nec verò si mihi eripueris, reliqua est illa tamen ad consolandum querela, vt his irasci possim, a quibus tantum vulnus accepero.*

Somnvs, ab ὕπνος. Agellius, lib. XIII. cap. IX. *Quod Græci ὑπὲρ, nos super dicimus: quod illi ὕπτιος, nos supinus: quod ὑφορβὸς, nos subulcum: quod item illi ὕπνος, nos primò sypnus, deinde, per Y Græca, Latinaque O literæ cognationem, sopnus.* Hæc ille. Parum autem refert, an dicas M inseri, dicique *somnus* pro *sompnus*, vt *damnum* quasi *dampnum* à δαπάνη, an potius P conuerti in M, Æolum more, qui pro πόδες dicunt πέδες, pro ὕπνον ὕμνον, quomodo & Cyprij dicunt [illegible] pro [illegible], vbi & λ in ρ conuertitur. A *somnus* est *somnium*, quasi *somni proprium*. Item *insomnium*, vt Græcis ab ὕπνος ἐνύπνιον. *Somnium* & *insomnium* his verbis distinguit Macrobius lib. I. in Somn. Scip. cap. III. *Omnium, inquit, quæ videre sibi dormientes videntur, quinque sunt principales & diuersitates & nomina. Aut enim est ὄνειρος, secundum Græcos, quod Latini somnium vocant: aut est ὅραμα, quod visio rectè appellatur: aut est χρηματισμὸς, quod oraculum nuncupatur: aut est, ἐνύπνιον, quod insomnium dicitur: aut est φάντασμα, quod Cicero visum vocauit.* Definitiones singulorum ibidem inuenies. At *insomnia* numero singulo aliud est. Nam IN hic priuat, vt idem sit quod ἀυπνία, quemadmodum *insomnis* ἄυπνος, pro quo & ἄχυπνος dicitur, χ per pleonasmum inserto. A *somnus* est non *somnurnus* (nec enim *somnor* dicitur) sed *somnurnus*, terminatione in *urnus*, vt a *coruo*, *coturnus* pro *coruinus*. Varro Prometheo apud Nonium:

Lenis inuns nunquam somnurnas imagines
Affatur. non vmbrantur somno pupula.

Ita ex vett. libb. edidit Iosias Mercerus. At non audiendus Scaliger, cum inuito Nonio *sonorum imagines* legit. Vide quæ ad Catullum annotauit.

Sonivm, hoc est, *sonus*, *sonitus*. Vel est à *tono*, T in S abeunte. Quod de etymo in *Tono* dicemus. A *sonus* fit *sonivus*, vt a *cado cadiuus*. Sed pro *sonivus* videntur dixisse *sontiuus*, quasi esset à *sons*, cùm omnino simplex sit. *Sonivius* est in MSS^tis Pauli Diaconi libris. Pleniùs Festus: *Sonivium tripudium, vt ait Appius Pulcher, quod sonet cum pullo excidit puls, quadrupedeve ex ore.* Ita in Pomponij Læti schædis legitur is locus, nisi quod corruptè in his sit *plus* pro *puls*, quod integre est in vulgatis. De eodem sic Seruius in illud Maronis:

———*Tremere omnia visa repente.*

Hoc augurium, ait, iuxta auguralem disciplinam dictum est, quod appellatur tripudium sonivium, id est, a sono. Ad quod pertinet, si arbor sponte radicitus cadat, si terra tremat. quod hic Æneæ factum ostendit, antequam voce diuinâ responsa perciperet. Quæ verba ex Seruio P. Danielis Scaliger citat: in impresso tamen ea non comparent. Cicero lib. VI. ad Cæcinnam. *Nec e tripudiis solistimis, aut soniuis tibi auguror.* Sanè in codice veteri ita scriptum fuisse, vt non minus *sonivis*, quam *omniuis* legi posset, auctor est Paul. Manutius. Ac probat eam lectionem quoque Lambinus. Plinius. lib. XV. cap. XXII. *Cadendo* (iuglandes) *tripudium sonivium faciunt.* Ita in vett. libb. esse monuit Turnebus. lib. XXVII. cap. XVII. Ac de MS^to codice Chiffletiano auctor Dalecampius. In vulgatis est *sonnivus*.

Sons in Glossis Philox. exponitur αὐθέντης, αἴτιος, βλαβερός. Quod & etymon firmat. Nam integrum est *Sontes*, quod a σίντης, hoc à σίνω, *noceo*, de quo dictum in *Sinapi*. *Sons* autem ex *sontis*, vt ex *plebes* est *plebs*, ex *mentis* (quo vsus Ennius) *mens*, ex *sepes seps*, &c. Egregie mihi nugari videntur, qui *sontem* à *sonando* deducunt, quia, vt aiunt, culpa eius sonat, postquam erroris est conuictus: quod Perottus. A *sons*, quod, vt dixi, propriè βλαβερὸν seu *nocentem* significat, venit *sonticus*, hoc est, *noxius*: vnde *morbus sonticus*, & *caussa sontica*. Festus: *Sons, nocens, vt ex contrario insons, innocens.* Item: *Insons, extra culpam: à quo dici morbus quoque existimatur sonticus, quia perpetuò noceat.* Idem: *Sonticum morbum in duodecim significare ait Ælius Stilo certum, cum iustâ caussâ, quem nonnulli putant esse, qui noceat* (leg. *nocet*,) *quod sontes significet nocentes. Næuius ait, Sonticam esse oportet caussam, quamobrem perdas mulierem.* Idem: *Sontica caussa dicitur à morbo sontico, propter quem, quod est gerendum, agere desistimus.* M. Porcius Cato de re R. *Attilo, quid dicam caussæ extitisse, timidusue sit, an impedimento tibi caussam sonticam fuisse?* Gloss. Philoxeni: *Sontes*, αἴτιοι, ὑπόδικοι, βλαβεροί. *Sonticus morbus*, ἱερὰ νόσος, hoc est, *comitialis*. Ita accipitur in Legg. XII. Tabb. Sanè apud Dioscoridem legas de gagate gemma, eam ἐλέγχειν τοὺς ἐπιληπτικούς. Appuleius in Apologia tradit *incenso gagate explorari morbum caducum*. Plinius vero, lib. XXXVI. cap. XIX. *Gagates deprehendit sonticum morbum, & virginitatem suffitus.* Vbi *suffitus* est, quod Appuleio *incensus*. Quare non dubium quin *sonticus morbus* sit *sacer*, siue *comitialis*, qui & *morbus maior* vocatur. Generatim verò accipi solet pro *morbo quouis qui rei agendæ impedimento est*, idque *non simulatè, sed verè*. Vnde in Philox. Glossis, *Sontius*, ἀληθής. Vbi pro *sontius* patet legendum *sonticus*. Id exponit ἀληθής, quomodo & in Glossis Isidori legas. *Sonticus verax*. Et apud Lutium, *Sonticum, iustum*. Pleniùsque apud Festum: *Sonticum, certum, cum iusta caussa.* Vbi *sonticam* rectè exponi *iustum*, illud argumento est, quod quæ *sontica chiragra* dici potest, quia excuset ne quis se iudicio sistat, ea ab Horatio *iusta* appelletur, lib. II. sat. VII.

Scurra Volanerius, postquam illi iusta chiragra
Contudit articulos.

Putabat Ianus Gulielmius lib. II. Verisimil. cap. VII. quemadmodum *sonticam caussam* dicimus, *quam subterfugere non possis*: ita quoque dici *sonticam eloquentiam*. Quare sic legebat Nouij versum in Gallinariâ.

O pestifera, sontica fera, trux tolutiloquentia.

Verùm longè magis mihi placet *Pontica*, quod in vulgatis legitur.

Sopor ab Hebræo ספו, hoc est, *finire*, *desinere*. Nempe quia eo tempore finiuntur actus sensuum nostrorum: vnde *somnum* Aristoteli est ἀκινησία [illegible], *quies seu cessatio primi sensorij*. Vel est ab ὕπαρ, cui opponitur ὄναρ. Vtrumque somnium est, sed ὄναρ vanum, ὕπαρ euentu comprobatur. Itaque Homerus, Odyss. T, cum dixisset, οὐκ ὄναρ, ἀλλ' ὕπαρ ἐσθλόν, subiicit copte versu, ὅ τοι τετελεσμένον ἔσται. Quasi dicas, *non vanum iam somnium est, sed vera visio, quandoquidem euentus somnio respondet.* Docet autem Eustathius versum hunc prouerbij loco vsurpari solere ἐπὶ τῶν ἐμφανῶν ἀγαθῶν. Censet idem ὕπαρ dici quasi ὕπαρ ἄγειν, [illegible], sicut ὄναρ [illegible] ἄγειν, quia φαντασίαι sunt τὰ κατὰ ὕπνον [illegible]. Quâ ratione ὕπαρ propriè erit, *visio quæ vigilanti obtingit*, vt ὄναρ, *quæ in somnis*. Ac voluit idem Ammonius, cùm ait ὕπαρ esse [illegible], ὄνειρον autem τὴν ἐν τῷ καθεύδειν φαντασίαν. Ex Homeri tamen loco id minimè euincas: vti neque ex illo Platonis epist. III. [illegible] ὕπαρ [illegible] ὄνειρος γίγνεται. Neque etymon id comprobat. Nam commodiùs deducas ab ὑπάρχω, id est, *subesse*, quia rei inſit siue subsit veritas. Nec tamen interpretationem hanc repudio. Nam censeo ὕπαρ complecti visionem, cùm eam, quâ quid vigilantes & reuera cernimus: tum quæ diuinitus in *somno* apparet, eóque euentu comprobatur. Vtraque sanè repugnat *vano somnio*, quod ὄναρ dicitur. Adferam de hisce vocibus illustrem locum summi viri Iulij Scaligeri, cuius hæc verba commentario in Hippocratem de insomniis: *Hoc vocant ὕπαρ Græci vnde noster sopor, propterea quod corpus penè mortuum est, in animâ totus homo continetur, atque ipsa in sese reducta, recepta, collecta. Eius vocabuli originem & caussam intelligamus: quoniam res vera subsit, [illegible]. Homerus in vndecimo Vlyssea ὕπαρ non ὄναρ esse dicit: non quod res ipsa visa esset, sed quod vera portenderent rerum imagines.* De vocibus ὄνειρος & ὄναρ sic aliquantò antè idem dixerat. *Vocem ὄνειρος prisci mortales a bene ominando fabricarunt. Ita enim dicebant ὄνειρον [illegible]. Nam concisum fuit ὄναρ.*

Soracvm Græcè σώρακος, quod Pollux exponit, τὸ ἀγγεῖον ἐν ᾧ τὰ σκεύη τῶν ὑποκριτῶν, *vas in quo histrionum vestimenta reponuntur*. Quibus probè concinit Festus, cùm ait: *Soracum dicitur, quo ornamenta portantur scenicorum.* Subdit deinde locum Plauti, Persâ. Act III. sc. I.

Librorum eccillum habeo plenum soracum.

Idem videtur ac *Saracum*: quod in Glossis Philoxeni Latino-Græcis exponitur *Sarraca*, ἅμαξα. Eo etiam Cicero vsus in Pisonianâ, ex qua Fabius. lib. VIII. cap. III. (quod est de ornatu) hæc verba adducit: *Cum tibi tota cognatio in sarraco aduehatur.* Item Iuuenal sat. V.

———*Aut illo tempore, quo se*
Frigida circumagunt pigri serraca boote.

Vbi vetus interpres *serraca* itidem exponit *plaustra*. Etiam *plaustra* & *sarraca* coniungit Vitruuius, lib. X. cap. I. item *vehicula* & *sarraca* Capitolinus in Antonino philosopho. Videtur autem *saracum* fuisse vehiculi genus, in quo corbis foret, aut simile vas, idoneum ad res plures in eo coaceruandas. Siquidē σώρακος vnde *saracum* factum literulæ mutatione venit à σωρὸς, quod est *aceruus*. Vt generatim σώρακος Græcis sit *vas omne, in quo aliqua coaceruantur*. Vnde Hesychio esse di-

citur ἀγγέλου ὅτι ὁ σωρὸς συμβέβηκε. Atque id quoque liquet ex loco Babriæ apud Suidam,& illo Plauti, quem antè adducebamus.

Sorbeo vel à vocis sono factum est, quod Varro, lib.v.de L.L. tradit:vel à Græco eiusdem significationis verbo ῥοφέω.quod non minùs placet, (nam adspiratio sæpe in s abit, vt lenticulâ μαλθάκῃ solùm sit opus,) vel denique,quod maximè placet,ab Arabico شَرِبَ *schariba, sorbere, bibere*: de quo & in *sirupus* diximus. Ac Rabbinis quoque שרף, *sorbere*. A *sorbeo* est *sorbillo*, siue,quod Turnebus malebat *sorbilo*.Sed prius ἀναλογίᾳ subnixum est,vt ostendimus libris de Analogia. Quod si Catholicon Ioannis Genuensis audimus, etiam arbor *sorbus* à *sorbendo*, quia *sorba* ad *sorbendum* idonea. Quod & Papiæ videtur.

Sordes,quia euerruntur, à σαίρω vel σύρω, *verro*. Siue vt Cæsari Scaligero notis in Theophrastum placet, à Græco σωρὸς, *aceruus, cumulus*.Nempe quia,quæ euerruntur è domo,atque in vnum locum accumulantur, ea sunt propriè σωρὸς ἄθροισμα. A qua σωρὸς voce & argumentationis Stoicæ genus Σωρείτης vocatur: & quia pronunciata multa accumulat. *Aceruum* similiter Persius appellat:

Inuentus, Chrysippe, tui finitor acerui.

Sordidus à *sordibus*: etsi Nunnesius deriuet ab ἄζαλέος,quod idem notat. Nempe vt λ abeat in *D*.

Soriculatæ vestes quæ sint Plinio. lib.viii. cap.xlviii. & vnde dicantur, satis est obscurum. Sunt quibus ita vocari placet vestes ex lino & spatto consertas.& a *conserendo*,quasi *sericulatas* dici. Turnebus, lib xxiv. cap xix testatur in vett. libb.legi *sororiculatæ*, & *sororeclatæ*. Ac vocari ita censet *vestes furis & latioribus regulis virgatas*: vt ita dicantur quasi *suroregulatæ* à *suro* ramo. vnde *surculus*, & *regula*. Addit, si minùs placet à *suro* & *regula* dici,posse originem arcessi à *suro* & *rica* siue *ricula*.Becmanus verò à *copia colorum & plicarum* ita vocari coniectat nempe à Græco σωρὸς vel σωρευτός, quo *aceruus*,ac *rei alicuius copia* signatur. Quid, si lineæ intextæ repræsentarint quodammodo *soricum figuram*? Sanè vt à *vermis, vermiculus*,vnde *opus vermiculatum*:sic à *sorex soriculus*, atque indè vestis *soriculata* ἀναλόγως dicetur. Fauet opinioni, quod Plinius iungit vesti *vndulatæ*, cui nomen indè,quod textura *vndas* imitetur.Hæc quia valde incerta,non sanè venditamus, sed timidè ponimus.

Soror, vt Isidorus, lib.ix. cap.vi. scribit, *est ex eodem semine ducta* (ita lege pro *dicta*,) *quod sola cum fratribus in sorte agnationis habeatur*. Sed aliquantò magis placet, ita appellatam, quòd *quasi seorsum nascitur separatúrque ab ea domo, in qua nata est, & in aliam familiam transgreditur*: quemadmodum ex Labeone Antistio scribunt Agellius, lib. xiii. cap.x & Nonius Marcellus in *Soror*. Ingeniosè quidem, si faueret ἀναλογία, quæ iubet vt potiùs deducamus a *sero*, siue quà *seminandi* notionem habet, quia *ex eodem semine ducta* est, vt Isidorus eam describit: siue potiùs, quà significat *necto*, vt *soror* idem sit ac *adnexa*, quomodo & Græcis *patrueles, consobrini* & *amitini* dicuntur ἀνεψιοὶ ab ἀνάπτω. Quemadmodum ab *amo amor*, à *clamo clamor*, ita à *sero seror*, & postea *soror*, vocali mutatâ. vel ex *hemo, hemus, Apello*, posteriores fecere *homo, honus, Apollo*. Vel hoc verum est,vel, vt doctissimus Martinius obseruat, fuerit ab Hebræis, quibus שאר, *caro, propinquus ratione carnis*, שארה, *caro*, aut *secundum carnem propinqua*. Quod impensè placet. A *soror* est *sororius*: vnde *sororium tigillum*: de quo Festus. Item *sororiare*: vt à *frater fratriare*, à *fraterculus fraterculare*. *Mammas sororiantes* Plinius dixit, lib.xxxv. cap.vi. De eodem ita Festus: *Sororiare* (perperam MSS[ti] *sororariare*) *mammæ dicuntur puellarum, cùm primùm tumescunt, vt fraterculare puerorum. Plautus in Frivolaria*:

——Tum papillæ primulùm
Sororiabant: illud volui dicere, fraterculabant. Quid opus est verbis?

Vide eundem in *Fratriare*. Etiam *consobrini* vocati quasi *consororini*: de quo seorsim diximus.

Sors num est à σωρὸς, *cumulus, aceruus*: quia accumulentur ea, super quibus *sors* ducenda? an à σύρειν, hoc est, *trahere*: quia ex vase aliquo sortem suam extrahere quisque soleat? Μετωνυμικῶς *sors* pro *hereditate* sumitur. Vnde *consors, exsors, dissortio*. Festus, siue Paullus: *Herctum citum, quod fit inter consortes, vt in libris legum Romanarum legitur*. Idem: *Dissortiones, diuisiones patrimoniorum inter consortes*. Glossæ: *Consortes*, κοινωνοὶ, σύγκληροι. Item: *Dissortes*, διακληρωθέντες. Sic *exsors* fuerit ἄκληρος. A quo *exsortium*, ἀκληρία. Appuleius de Deo Socratis: *Incerta vacatione ceu quodam exsortio puniuntur*. Ita rectè legit Salmasius, præeuntibus vett.codd. *A sorte legenda* dicuntur *sortilegi*, qui ductis pueri manibus *sortibus* prædicerent futura, siue quæstus sui gratiâ se prædicere simularent.

Sospes, & ab eo *sospita, sospito: sospitalis*, & *sospitator*, nunc dicimus: sed antiqui pro *sospes*, teste Festo, *sispes* dixere, conuerso O in I, contrà quàm fit in *illi*, pro quo *olli* dixere. Est *sospes*, eodem Festo auctore, à σώζω, *sospito*, vnde σωτὴρ, *sospitator*. Id examussim optimè exprimit nomen IESV. At minimè ei respondet Σωσίας, *Sosia*, quod Becmanus putauit. Est enim hoc seruile nomen, quia ita dictus, non quia *alios seruarit*, sed quia *ipse seruatus sit in bello*. Quemadmodum alibi etiam diximus. Sed vnde illud *pes*. Quid si ergo dicamus esse ex σῶς, *saluus*, & ποῦς, *pes*? Vt *Sospes* sit, cui vires sint quolibet meandi & remeandi. Saltem id malim, quàm quod Verrius existimasse videtur,vt sit ex σῶς & *spes*. Sic enim Festus: *Sospitare Verrius ait esse bona spe afficere, aut bonam spem non fallere*.

Spadix color idem ac φοινίκεος, siue *puniceus*: vt Seruius indicat in iii. Georg.Pleniùs Gellius, lib ii. cap.xxvi. *Spadix phœnicei συνώνυμος, exuberantiam splendorémque significat ruboris, quales sunt fructus palmæ arboris non admodum sole incocti: vnde spadicis nomen est. Σπάδικα enim Dores vocant auulsum è palma termitem cum fructu*. Philargyrius: *Spadix & Phœniceus est, quales sunt fructus palmarum neque diluti satis coloris, neque nimiùm pressi*. Isidorus quoque, lib.xii. cap. i. ait eundem esse colorem *phœniceum, spadicem*, & *badium*. Atque, inquit, *dictus spadix à colore palmæ quam Siculi spadica vocant*. Est verò poëticum vocabulum. Pollux: Καὶ ῥάβδος φοίνικος ἐν τοῖς ποιηταῖς σπάδιξ. Nomen ἀπὸ τοῦ σπᾶν, hoc est, *auellere*. Vt propriè sit *ramus palmæ cum fructu ab arbore auulsus*. Etymon si spectes, nomen *omni* conueniat *ramo auulso*. Sed κατ᾽ ἐξοχὴν *palmæ* tributum. Ac similiter σπάθην *palmitem* dixere, ab eadem origine. A *spadix* ἀναλόγως color eius diceretur *spadiceus*, vt à φοῖνιξ φοινίκεος seu *puniceus*.Sed Latini etiam colorem ipsum *spadicem* dixerunt: vt ostendunt allata Gellij verba. Hinc *spadix equus*. Maro iii. Georg.

——Honesti
Spadices, glaucique: color deterrimus albis.

Ac similiter Græcis σπάδικας ἵππους apud Hesychium. Nam σπάδιξ idem ac σπάδιξ. Vt intelligatur *equus rubei coloris*. Aliquid & de *spadice colore* inuenies apud Hermolaum Barbarum in Glossis Plinianis, voce *spadix*; Erythræum. indice Virgiliano,eadem voce; Camerarium in Hippocomico. Sed & vide quæ in *Badius* dicimus.

Spado, Accursio ita dictus videtur à Gallica voce *spata*, hoc est, *nouacula*, quâ inciduntur testes. Sed verisimilius, etsi haut verè, qui dici aiunt à pago quodam Persidis nomine *Spada*, in quo cœperit castrationis consuetudo, vt scribit Stephanus περὶ πόλεων. Cuius sententiam video & Duzam sequi notis ab eo additis poëmati suo, cui *Echo* nomen. Alij tamen *Assyriorum* inuentum, aut *Parthorum*, putant. Claudianus, lib. i. in Eutropium, vers.cccxxxix. vbi cùm collationem instituisset inter feminas & eunuchos, illásque multimodis prætulisset; hæc postremo loco subdit:

Illas præterea rerum natura creauit,
Hos fecere manus, seu prima Semiramis astu,
Assyrius mentita virum, ne vocis acutæ
Mollities, leuésque genæ se prodere possent,
Hos sibi coniunxit similes: seu Parthica ferro
Luxuries vetuit nasci lanuginis vmbram,
Seruatóque diu puerili flore coëgit
Arte retardatam Veneri seruare iuuentam.

Nisi,quod verum puto, *Parthos* dixit pro *Persis*,contrà quàm ab Horatio factum, cùm ait, lib.i. od.ii.

Quo graues Persæ meliùs perirent.

Quemadmodum & *Medos* pro iisdem dixit eapse odâ:

Neu sinas Medos equitare inultos
Te duce, Cæsar.

Verùm autem *spadonis* etymon est ἀπὸ τοῦ σπᾶν, quæ vox non solùm *vellere* significat, sed etiam *contorquere*, vnde σπασμὸς *neruorum contractio contortioque* medicis appellatur. Atque hinc est, quod non solùm *spadones* dicantur, *quibus auulsi extractique* παρασπασθέντες, sed etiam quibus *detorti*, atque adeò *recisi, collisi, concisi*. vnde Vlpianus, in l cxxviii. de verborum signific. *Spadonum*, inquit, *generalis appellatio est, quo nomine tam hi qui natura spadones sunt, item thlibiæ, thlasiæ, sed & si quod aliud genus spadonum est, continentur. Thlibiæ*, θλιβίαι, ita dicti à θλίβειν, hoc est, *atterere*, quibus testes attriti: vt *thlasiæ* à θλᾶν, hoc est, *frangere*, quibus testes fracti sunt. A *spadone* apud Tertull.de cultu feminarum est *spadonatus*, εὐνουχισμός. Ab eodem est *spadonius* pro *sterili*. Plin. lib. xv.

cap.

cap.XIV. de piris: *A conditione castrati seminis, quæ spadonia appellant Belgæ.* Sic *spadonia laurus*, lib.XV cap.XXX.

SPARGO etsi nonnullam habeat affinitatem cum Hebræo פזר, quod idem notat: magis tamen placet esse ab *σπείρω* inserto *g*. Ita propriè *semina spargi* dicuntur: quod placuit Perotto. At quod apud eundem legitur, putare quosdam *spargo* dici quasi *per spatium ago*, id verò quam ineptum sit omnes vident. Inter ministeria Circensia *sparsor* fuit: vt ex vett. inscriptionibus cognoscimus. Id si rectum, sic dicetur, quòd *spargeret vestes certantium aurigarum*: quod Onuphrius Panuinus scripsit, libro de ludis circensibus, cap XV. Verùm Cæsar Bulengerus, lib. de Circo, cap. XLVII. suspicatur legendum *strator*. A *spargo* quoque est *sparsio*: quæ vox speciatim dicitur de *vnda croco diluta in theatrum sparsione per latentes fistulas*: vnde in Glossis Philoxeni *sparsio* exponitur *ῥαντισμὸς ὁ φαινόμενος*; in alijs *καταχύσματα*. Vide Turneb.lib.III. Adu.cap.VIII.& Scalig.in IV.Propertij *adspergo* tum nomen est, tum verbum. Velius Longus volebat *adspergo* verbum scribi per E, *adspargo* nomen per *A*. Atque id probabat hoc Maronis III.Æn.

——*Salsâ spumant adspargine cautes.*

Verùm testatur Pierius se in plerisque codd. *adspergine* per E scriptum reperisse. Ab *adspergendo* formarunt iuniores vocem *adspergillum*, quomodo vocant id quo sacerdos populum sacris aquis *adspergit*. *Expergo* nunc à *spargo* est, nunc à *pergo*; cùm à *spargo* est notat *διαβραχῆναι* Maro.III.Æn.

——*Sanieque expersa natarent*
Limina.——

Vbi sic Seruius: *Hæc fuit vera lectio, id est, madefacta. Nam si adspersa dixeris, id est, inrorata, Tapinosis & Hyperbole iunguntur.* At *expergo* à *pergo*, quod hic sit transitiuum, significat *excito*. Eo Accium & Santram vsos docet Nonius. Viu.pat & Agellius. Indéque passiuum *expergor*, a quo Diomedes quoque deducit participium *expergitus*; vt ab *expergefio*, *expergefactus*. Distinguit ea sic Festus: *Expergitus, ab alio excitatus, quem solemus dicere expergefactum. Experrectus est qui per se vigilare cœpit.* Sed profectò discrimen hoc non obseruatur ab antiquis: quæ & ratio est, cur aliter longè de eo præcipiat Diomedes, lib I. Sic enim ille: *Expergitus qui satiatus somno sponte vigilat*: vnde & Lucillius ait:

——*Ergo*
E somno pueros cum mane expergitu' clamo.

Experrectus autem à quiete impeditus: vnde Sallustius: *Interdum somno experrectus tumultum facere. Expergefactus porro est qui per alium somno excitatur.* Hæc ille: De etymo sic Priscianus. lib.X. *Expergiscor, quia à pergo est, experrectum facit: quamuis vetustissimi etiam expergitus dicebant.* Item Festus: *Experrectus à porrigendo* (ita legendum) *sic vocatus, quod ferè facimus recentes à somno.* Quod etymon caue diuersum putes ab eo, quod diximus. Nam *porrigo* dicitur pro *perrego*, hoc per syncopen factum è *pergo*. In *porrigo* E conuersum in O, quomodo *homo* dicimus pro *hemo*, *pignoris* pro *pigneris*, vnde *pignero*. Item à *pendo*, *pondus*, à *σπένδω*, *spondeo*, &c. Ab *expergere* est *expergiscor*, vt à *pacere paciscor*, ab *apere*, *apiscor*, à *minere*, vel potiùs *menere*, *meniscor*, vnde *reminiscor*. &c. Quemadmodum autem *expergo*, vel est à *pergo*, vel à *spargo*: ita ex sententia Iosephi Scaligeri, *expers* quoque nunc est à *pars*: vt *ἄμοιρος* notet: nunc ab *expergo*, vt idem sit quod *expersus*, siue *imbutus*. Atque ita vsum censet Catullum carm. de coma Berenices:

——*Omnibus expers*
Vnguentis.——

Verùm *expers* nunquam ab *exspergo* dicitur: quod autem ad Catulli locum, in eo *expers* idem est, quod *particeps*. Ex enim hîc non minuit, sed auget: vt in alijs multis. Vide EXPERS.

SPARTEOS *funes*, *sparteas soleas*, *amphoras*, *vrnas*, apud Catonem, Columellam, Plinium legimus. Et satis constat, ita dici a *sparto* vitilium genere: quod quasi *aspartum* ab *asperitate* dici tradit Isidorus, lib.XX.cap.XIX. Sed valde inepte. Nam & Græcis *σπάρτος*, *σπάρτη* vel *σπάρτον*, & *σπαρτίον* appellatur. Hoc tamen discriminis erat, quòd veteribus Græcis *σπαρτίον* dicebatur *id omne, ex quo fierent vitilia, aut funes, aliáque ad nexum idonea*. Vt sunt *linum*, *cannabis*, *iunci*, *genista*, atque alia. Quomodo Dioscorides *σπαρτίον* describens ait, *ἴσχει ῥάβδους, αἷς τὰς ἀμπέλους δεσμεύουσι*. At Latinis *spartum* vocabatur *herba Hispanica, ex qua funes necterent*: quos Horatius signat, cùm libro Epodon ait:

Ibericis peruste funibus latus.

Græcis *σπαρτία* dicebantur, quia illa *sativa* essent, vnde funes fierent. Hæc quidem Plinij mens fuit: vt qui, lib.XIX.cap.de lino, dicat. *Hinc fuisse & nauium armamenta apud eundem interpretantur eruditiores, quoniam cùm σπάρτα* (Homerus) *dixit significauit sata.* Imò & Varro apud Gellium: *Liburni plerasque naues loris suebant: Græci magis cannabe, & stupâ, cæterisque satiuis rebus σπάρτα appellantur.* Videri tamen hæc possit nimis generalis significatio: Eóque fortasse ab ea *τοῦ σπείρειν* significatione potius veniat, quâ significat *nectere*. Quomodo & Latinis duplex est *sero*, quod ipsum à *σπείρω*; vnum notat *semino*, alterum *necto*: vt superiùs diximus. A *σπείρω* pro *sero* est *σπαρτόν*, *satum*: à *σπείρω* pro *necto* fuerit *σπαρτίον* pro eo *vnde aliquid fit ad nectendum ligandúmque*. Et sanè *iuncus marinus*, ac *genista*, etiam sunt inter *σπαρτία*: quæ tamen non *seruntur*, sed *sponte proueniunt*. Ac Latini quoque *herbam Hispanicam*, quæ non serebatur, *spartum* dixere ab vsu simili, quia *nectendi vsum præstaret, eorum instar, quæ Græci σπαρτία* dixere. Vt Homerus Iliad.B.

Καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν, καὶ σπάρτα λέλυνται.

Vbi cùm *sparta* dixit *dissoluta*, significat non *rudentes, quibus naues instruuntur*: neque etiam *spartum Ibericum*, quod tum necdum erat notum: sed *suturas nauium*, vnde & Hesychius *σχοινία* interpretatur. Rectè igitur apud Gellium Varro, lib.XXV. rerum humanarum: *Sparta apud Homerum non plus spartum significare puto, quàm Spartas, qui sunt agro Thebano nati.* Vbi per *Spartos* intelligit *fratres Cadmeos*, *qui è dentium satu nati erant*: vnde & nomen: quemadmodum indicat hic locus Apollodori Biblioth.lib.III. [illegible] Meminit eorundem Euripides in Phœnissis, & Ammianus Marcellinus, lib.XIX. vbi auctor est, fabulam hanc indè promanâsse, quòd viri isti repentino quodam impetu, & exuberanti pernicitate inopini per varia visebantur.

SPARVS, *ὁ δόρατος ἀκόντιον*. vt est in vett. Gloss. P. Merula in Cosmograph. putat esse a Belgico *sparre*, quod *sudem* notat. Mouent eum hæc Festi verba in *rumex*: *Rumex genus teli, simile spari Gallici.* Sed non magis hinc sequitur *sparum* esse à Gallis, quam *ensem* esse ab Hispanis quia legamus *ensi Hispanicus*. Origine Latinum facit Festus, cùm scribit: *Spara paruissimi generis iacula, ab eo quòd sparganur dicta.* Addit deinde hoc Lucilij:

Tum spara, tum rumices, portantur tragula porrò.

Sic enim eum locum legendum esse, liquet ex Festo in *rumex*. Alteram quoque etymologiam è Varrone adducit Seruius ad illud II.Æn.

Agrestésque manus armat sparus.

Vbi sic Seruius P. Danielis (nam in edit. G. Fabricij pleraque omissa) *Sparus est rusticum telum in modum pedis* (in alio MSS. est *pedi*, quod magis placet,) *recuruum*. Sallustius: *Sparos, aut lanceas, alij præacutas sudes portare. Varro ait sparum telum missile, à piscibus ductâ similitudine, qui spari vocantur. Alij sparum à spargendo dici putant.* Hactenus Seruius. De priori etymo contra Isidorus, lib.XII.cap.V. *Sparus à lancea missili accepit nomen, quod eiusdem figura sit. Terrestria enim prius sunt inuenta, quam marina. Nam sparus est telum rusticum missile à spargendo dictum.* Miratur autem Dionysius Gothofredus notis ad Milonianam Ciceronis, quod Nonius neget esse *telum bellicum*. Sed eò respexisse Nonium puto, quod, Isidoro teste, potiùs sit *telum rusticanum*. Hinc Virgil.II.

Agrestésque manus armat sparus.

Idem comprobat Sallustius in fine Catilinariæ, vbi ait exercitus bonam partem fuisse inermem, vtpote *sparis* tantummodo ac telis & similibus instrumentis armatam. Meminit & *spari* Cicero in Miloniana. Varro Meleagris apud Nonium in *tragula*, Nepos in vita Epaminondæ, vbi eum *sparo* percussum, eóque ex vulnere mortuum tradit, & Agellius, lib X.cap.XXV. *Sparus* quoque, vt ex Varronis & Isidori verbis discere iam fuit, *piscis* est genus. Gloss. Philoxeni: *Σπάρος ἰχθύς*, *cammarus*, *sparus*. Huius Plinius meminit. lib IX.cap.LI. In vulgatis corruptè editum *sargi*; sed *spari* rectè est in antiquâ meâ Parmensi anni CIↃCCCCLXXVI. Est hic piscis adeò similis *auratæ*, vt vbi primùm captus, etiam piscatoribus minùs intentis imponat. Imò & quidam eruditiores *sparum* eundem ac *auratam* esse scripsere, idque adducti versu isto Ouidij in Halieuticis:

Et super auratâ sparulus ceruice refulgens.

Sed horum errorem satis refellunt, quæ super *sparo* scripsit Rondeletius, lib.V. de piscibus, cap.II. Est verò *spari* piscis vox à Græcis, quibus itidem *σπάρος* vocatur, vt vel ex quarto Athenæi constat. Alijs vocatur *spargus*, ac tradit Rondeletius ab Æliano similiter *aspargum* vocari. Sed non Ælianus sic nominat, verùm interpretes eius P. Gillius & Conradus Gesnerus, qui lib.IX. cap.XLVI. *σπάδις* interpretantur *aspargos*. Fuerit *aspargus* ab *ἀσπαίρω*, hoc est, *palpito*, *tremo*. Pro quo & *σπαίρω*

 dicitur,

dicitur, vnde σπάρος piscis, non à teli similitudine, quod Varro credidit.

Spatalium est *ornamentum muliebre circa manus*: cuiusmodi est, quod ex coralio hodiéque gestant. Plinius, lib. III. cap. XXV. *Iuba tradit, circa Trog odytarum insulas fruticem in alto vocari Isidos plocamon, coralio similem, sine foliis: praecisum, mutato colore, in nigrum durescere: cum cadat, frangi: item alium qui vocetur Charitoblepharon, efficacem in amatoriis: spatalia eo facere & monilia feminas.* Tertullianus, lib. de cultu feminarum, cap. XIII. *Nescio an manus spatalio circumdari solita in duritia catenae stupescere sustineat.* Ab hoc *spatalio* nomen accepisse videtur *Spatale* nympha apud Claudianum in Epithalamio:

Et gravibus Spatale baccis diadema ferebat
Intextum, rubro quas legerat ipsa profundo.

Vulgò *spathalium* & *Spathale* scribunt. Sanè σπαθάλιον est diminutiuum à σπάθη, quod *palmae termitem* notat: vt in *Spartha* diximus. Ita *spathalium* propriè sit *sertum ex caryotis filo tractilis*. Inde ad *armillas* sit translatum. Sed longè verisimilius est *spatalium* dici, quia sit inter luxus instrumenta. Nam *spatula*, *delicia*, etiam Papia interprete, &, quia leuis eius auctoritas videri possit, ipsis Cyrilli Glossis, vbi legas, σπατάλη, *lascivia*, *delitiae*. Ergo eo significantur *lautitia*, seu *delicatae epulae*, τρυφή, vt exponit Suidas. Vnde σπαταλᾷν, quod Hesychius interpretatur τρυφᾷν, *delicatè viuere*, *luxuriari*. Cyrilli Glossae similiter, σπάταλος, *delicatus*, σπαταλῶ, *delicias ago*. Vtitur eo Paulus, I. Timoth. V. 7. inde fecere *spatalor*. Sanè Catholicon & gemma vocabulorum *spatulor*, *delicior*. Vtrobique *spatalor* scribi oportere, satis liquet. Eiusdem originis est *spatalocinaedus*, quod apud Petronium.

Spatha, vnde *spathula* est à Graeco σπάθη, atque haut secus ac Graecum σπάθη, varia notat. Interdum significat *rudiculam quâ spumam detrahimus*, ἀπὸ τοῦ σπᾶν, *detraho*. Indè translatum ad *instrumentum simile*, *quo pharmacopola mouent pharmaca in mortario, aut olla*: quomodo vsi Columella, Celsus, Plinius. Etiam σπάθη est *gladius*, teste Hesychio, & Glossis Cyrilli Latinis. Ita vsurpant Appuleius, & Vegetius. Ac videtur tum esse à ספה, quod est *consumi*, *perdi*. Verisimilius sanè id quàm vt sit à *spatio*, vel quia *spatiosa* sit: quorum vtrumque Isidorus tradit, lib. XVIII. cap. VI. Insuper signat *ramulos*, *vnde palmula dependent*: quomodo apud Plinium sumitur, lib. XVI. cap. XXVI. Atque hac significatione planè Graecum est. Pollux: ἐξ ὧν δὲ κρέμανται οἱ βάλανοι, σπάθη. Pro eo & σπάδιξ dicitur. Vtrumque ab eadem origine. Nempe ἀπὸ τοῦ σπᾶν, quod est *trahere*, *auellere*. A *spatha* fit *spathula*. Quod Papias agnoscit. Exponitur autem *fructus palmarum antequam aperiantur*. Graecè ἀναλόγως à σπάθη fit σπαθάλιον, *termes palmae*. Ita apud Martialem in Xeniis, dist. XXVII. legas tale lemma, *Spathalion caryotarum*. Quod Georgius Merula rectè interpretatur *ramulum cum caryotis dependentibus*. At *spalathium*, si ita dixere, aliud fuerit. Nam ficuum sit massa. Ea enim Graecis παλάθη. Hesychius: Παλάθη, ἡ τῶν σύκων ἐπιμελὴς θέσις. Παλάθαι σύκων πλάσμα. Indè sic diminutiuum παλάθιον, & praemisso σ, σπαλάθιον, vt σμικρός, & σμάραγδος pro μικρός & μάραγδος, & Latinis à κάραβος, *scarabaeus*.

Spatium saepè legas de *spatio loci, vbi cursu certabatur*. Quomodo Cicero *spatium* & *curriculum* crebro iungit: ac Lucretius similiter dixit, lib. IV.

——*Spatium decurrere amoris.*

Itaque accedo summis viris, Angelo Caninio in Hellenismi Alphabeto, eúmque secuto Iosepho Scaligero, eleg. in Pedonem: qui censent *spatium* esse à σπάδιον, quod Aeolicum, & Doricum, ac Creticum est pro στάδιον. Vnde & Hesychius. Σπάδιον στάδιον. Solent Aeoles, quos Romani sequuntur, Π & Τ commutare: quomodo pro σπολὴ dixere στολὴ, & contra à σπουδὴ est *studium*. A *stadiis* translata vox ad quaeuis loca. Ac quia ex loco quem res occupat iudicamus de eius magnitudine, inde pro *cuiusuis rei magnitudine* sumitur. Vt apud Iuuenalem:

——*Spatium admirabile rhombi.*

Vbi non sermo est de *spatio*, quod rhombus occupat, sed *magnitudine*, quam obtinet. Sic Gellius lib. I. cap. I. *Modum spatiumque plantae Herculis*. Hinc *spatiosus* pro *magno*. Nempe quia magna corpora magnum loci *spatium* requirunt. Ouidius de remedio Amoris:

Parua necat morsu spatiosum vipera taurum.

Item in Arte:

Omnibus Andromache visa est spatiosior aequo,
Vnus, qui modicam diceret, Hector erat.

Vbi *spatiosum* est *magnum*: *modicum* autem & *mediocre* siue *medium tenens*. Nec intra corpora translatio constitit: sed etiam ad tempus extensa. Vnde illa *spatium noctis*, *biennii*, *vitae*, & similia: quibus vt notissimis, frustra insistam.

Spectio antiquum est pro *video*. Eo Ennium vsum docet Varro, vt mox parebit. Vlpianum quoque vsurpare docet Scipio Gentilis, lib. I. παρέργ. cap. XXVII. verba eius sunt: *In persona eius, à quo alimenta relicta sunt, haec erunt spectenda*. Id quamquam nonnemini videatur esse à *specu*, vt militaris sit vox, è *specu*, quid hostes agant, *spectentibus*, magis tamen placet esse à σκέπτω siue σκοπῶ, quod idem notat. Vel Hebraeo צפה, *vidit*, *spectauit*, vnde מצפה, *adspectus*. Vnde & Graecum σκοπός. A *specio* est *species*, vt à *facio facies*, ab *effingo effigies*. Hinc est, quod *species* quoque pro *oculis* siue *adspectu* vsurpatur. Lucretius:

——*In luci quae poterit res*
Accidere ad speciem, quadrata nisi eius imago.

Et paullò pòst:

Verum nos oculis quia solis cernere quimus,
Propterea fit vti speciem quo vertimus, omnes
Res ibi eam contra feriant formâ atque colore.

Eodémque modo vtitur, lib. V. Item pro *spectrum*. Quomodo *vanas species* dixit Plinius: ac similiter Festus in *Lympha* ait, *Quicumque speciem quandam è fonte viderit*, hoc est, φάσμα. Eiusdem originis est *specimen*, τὸ δεῖγμα, vt à *leuo leuamen*, à *geno genimen*, pro quo dicimus *germen*. Hinc quoque est *spectrum*, vt à *plaudo plaustrum*, à *rado rastrum*, &c. Item antiquum *spectus*, quo vsus Pacuuius Dulorestе:

Amplus, rubicundo colore, & spectu proteruo ferox.

Appuleius, lib. III Met. *Obliquato tamen spectu rem admirationis maximae conspicio.* Arnobium quoque lib. V. aduersus Gentes vsum putat Godscalcus Steuvechius. Sunt & eiusdem originis *spectio* & verbum *specto*. Varro, lib. V. de L.L. *Spectare dictum ab specio antiquo, quo etiam Ennius vsus. Vos epulo postquam spexit. Et quod in auspiciis distributum est, qui habeant spectionem, qui non habeant.* Festus: *Spectio in auguralibus ponitur pro adspectione & nunciato* &c. Itaque & apud Cic. Philipp II. *spectionem* pro *inspectionem* legit Hieronymus Ferrarius, adstipulante codice Colotiano. Sunt ab eodem *specula* & *speculum*, vt à *perio periculum*, ab *amicio amiculum*, à *noto notaculum*, &c. A *specula* est *speculor*, vnde *speculator*, à quo *speculatorium*. Appuleius de Mundo: *Nocturni exploratores, & nuncii speculatoriorũ in censores assidui.* In vulgatis est *speculatorum*: in vett. libb. *speculatorum*: vnde legendum liquet *speculatoriorum*. A *speculum* est *specillum*, vt a *baculus bacillus*. Varro lib. V. de L.L. *Speculum, quòd in eo specimus imaginem. Specula, de quâ prospicimus. Speculator, quem mittimus ante, vt respiciat quae volumus. Hinc quo oculos inungimus, quibus specimus, specillum.* Vt *specillum*, sic *conspicillum* dici, ostendit ἀναλογία, non *conspicilium*, vti in Nonio editum ab H. Iunio, ac ab eodem scribitur in Nomenclatore. Sic verò, vt Nonius docet, dicitur locus, vnde conspicere possis. Idem vsum ait Plautum Medico:

In conspicillo adseruabam, pallium obseruabam.

Est & apud eundem, Cistell. I. I.

Conspicillo consecutus est clanculum me vsque ad fores.

Aliud verò *speculum*, aliud *specular*: in illo imaginem nostri videmus: Graeci κάτοπτρον; at per hoc videmus: Graecè διόπτρον. Vide mox *Specularis*. A *specto* est *spectaculum*, vt à *pio piaculum*, à *noto notaculum*. Ab eodem est *exspecto*. Varro, lib. V. de L.L. *Exspecto, quod spectare volo.* Vox ea, vt vult Velius Longus, absque S scribitur, cùm significat *opperior*: at S admittit quando venit à *specto*. Verùm haec differentia planè mihi inepta videtur. Quippe & *exspecto*, cùm *opperior* notat, venit à *specto*, siue quia qui exterius res alias *spectare* cogitur, is nondum ad penitiora admittitur: siue quòd *exspectantes* saepè eximus *spectandi* caussâ. Sanè & in *opperiendi* significatione per S scribi volebat Terentius Scaurus: atque ita scriptum inuenitur cùm in vett. libb. tum etiam inscriptionibus. Quamquam, nisi Scauri accederet auctoritas leue id futurum sit argumentum, cum & in iisdem inscriptionibus saepe omnino S redundet vt in *exsemplum*, quod est ab *ex* & *amplum*, item in *exsornare*, *exsoriente*, *exsiat*. & aliis quibusdam, quae adscribenda imperitiae insculpentium. A *specio* cum praeuerbio quoque sunt *adspicio*, *inspicio*, *conspicio*, *respicio*, *suspicio*, *despicio*, similiáque. Quamquam fortasse nec defutura sit ratio, siquis haec à *specio* deducere malit, vti Priscianus in XI. facit. Nam & ita videntur veteres pro *specto* dixisse. Plautus Mil. Glor. Act. III. Sc. I.

Flagitium est, si nihil mittetur, quo supercilio spicit.

Scio à Lambino editum esse *specit*. Sed *spicit* est in antiquissimis quibusque, vt in Plauto Parisiensi siue liliato, quem ante annos centum Simon Carpentarius emendarat: item in Venetâ quae ante annos nonaginta cum variorum notis edita est. Sed & Camerarius & Duza *spicit* ediderunt. A *spectendo* quoque ortum

ducant

ducunt *auspicij*, & *suspicionis*, voces : de quibus seorsim agimus. Eiusdem originis est *circumspectus*, quomodo propriè vocatur, quem homines circumspiciunt, siue qui ora in se hominum conuertit. Sed quia eum homines circumspicere solent, qui prudentià suà res omnes circumspicit, inde est, quod per metalepsim consequentis *circumspectum* dixere pro *prudenti*.

Spectile, Festo teste, erat inter *suilla obsonia*. Nempe *pars suis sub vmbilico*. Plautus Carbonaria:

Esto pernam, sumen sueris, (antiquè pro *suis*) *spectile, callum, glandia.*

In nonnullis tamen Festi libris pro *spectile* est *spetile* : Imò & in MSo est *spetiale* : sed perperam. Si *spectile* rectum est, videri possit ab ea voce esse, quod Germanis *lardum* dicitur *speck*. Erit autem *spectile* à *specio*, quâ forma dicimus *coctile*, *fictile*, & alia. Nempe quia pars in sue esset maximè pinguis, & crassa, eóque imprimis *spectabilis*. Et fortasse adiectiue eâ voce vsus Plautus vt *sumen suis spectile* dixerit sine ὑποστιγμῇ post *sueris*, seu *suis*. Quomodo legisse videtur Dalecampius ad Plinij lib. xi. cap. xxxvii. Sed Scaliger substantiuè accepit. Imò nec Festum aliter sensisse, satis ex interpretamento liquet.

Specularis *lapis* erat vitri modo διοπτρὸς ἢ διαφανὴς, hoc est, *translucidus*. qui ex Hispania, Cappadocia, Arabia portabatur. Eóque in tenues laminas siue tessellas dissecto vtebantur in fenestris loco vitreorum, quæ nunc in vsu. Plinius, lib. xxxvi. cap. xxii. *Specularis verò (quoniam & hic lapis nomen obtinet) faciliore multò naturâ finditur in quamlibet tenues crustas. Hispania hunc olim citerior tantum dabat, nec tota*, &c. Ita dicebatur, quia esset *perspicuus*: Eóque & διαφανὴ λίθον Græci appellant. Idem *speculi* præbebat vicem : vnde vulgò *speculum asini*, ac Belgis *spiegel-steen* appellatur. Etiam *Mariæ glaciem* nuncupant. *Specularium in fenestris ex hoc lapide* meminit Seneca epist. lxxxvi. *Quanta nunc aliquis rusticitatis damnet Scipionem, quod non in caldarium suum latis specularibus diem admiserat?* Et epist. xc. *Quædam nostra demum prodisse memoriâ scimus : vt speculariorum vsum perlucente testâ, clarum transmittentium lumen.* In sellâ quoque agnoscit Iuuenal. Sat. iv.

Quæ vehitur cluso latis specularibus antro.

Etiam arbores, vuas, rosas, aliáque id genus *specularibus* per hiemem custodiebant ; quod cum ex Columella, Palladio & aliis constat: tum hoc Martialis loco, lib. viii ep. xv.

Pallida ne Cilicum timeant pomaria brumam,
Mordeat & tenerum fortior aura nemus:
Hibernis obiecta notis specularia puros
Admittunt soles, & sine fece diem.

Meminit & *speculariorum* Plinius, lib. ii. epist. xvii. ac Vlpianus, in l. xii. §. xvi. & xxv. de instructo vel instr. legat. & l. xv. §. vi. de vsufr. Apud Symposium est ænigma cuius lemma, *specular*. In eo ænigmate est.

Perspicior penitus, nec luminis arceo visum.

Cornea specularia meminit Tertullianus : quasi vulgò vtimur in laternis.

Specus à σπέος, quod idem notat. Hesychius, Σπέος, σπήλαιον, ἄντρον. C insertum, quomodo (vt vulgo putant) ab ἰακχὴ, quod *clamorem* notat ; ὁ Διόνυσος dictus ἴακχος, vnde Latinum *Bacchus*. Verum autem *Iacchi* etymon in *Iuno* adduximus. A σπέος, Græce fecere σπήλαιον, & σπήλυγξ, inserto λ & productâ primâ vocali. Græco *spelæum* vsi quoque Maro & alij. Ab obliquo σπήλυγγος vel σπήλυγγα Latini formarunt *spelunca* : quæ caussa est, cur in eo, contra quam in *specus* fit, prima sit porrecta.

Sperno ineptè à quibusdam, Perotto teste, deducitur ex *spero*, & *non*, quia, quæ non speramus, ea reiicimus, ac aspernamur. Potiùs à σπείρω est *sperno*, vt a πείρω vel περάω fit περνῶ. Eustathio teste. Ita propriè *sperni* dicetur, quod per viam spargitur. vt *temno*, quod abscinditur Nam τέμνειν, *secare*. Aliud etiam in mentem venit. Quid, si *sperno* dicamus contractum ex *separno*, quod fit à *separo* ? Nam vt à *nato natino*, vnde *natinatio*, apud Festum : vt à *nego*, *negumo*, vnde *negumate*, pro *negare*, in carmine Cn. Marcij : vt à *sto*, *stano*, vnde *destino*, *obstino*, *præstino* : ita fortasse à *separo*, *separuno*, vel *separino*. Multùm hanc sententiam firmat, quod *sperno* antiquis notabat *separo*, *segrego*, Nonio teste. Atque ita vsus Ennius Hectoris Lytris:

Melius est virtute ius, nam sæpe virtutem mali
Nanciscuntur, ius atque æquum se à malis spernit procul.

Vbi *virtus* notat ἀνδρείαν siue *virtutem militarem*. hoc est, *fortitudinem*. Vel etiam dicamus cum doctissimo Martinio, *sperno* factum ex *separno* : *separno* esse à *separ*. Nam vt à *cor*, *concors*, *discors*, *secors*, vel *socors*, dixere: Ita fortasse & à *par* fecere *compar*, *dispar*, *separ* : Sane in Glossis Isidori legas, *separ*, *seorsim*, *a parte*. Vbi scribendum, *à pare*. A *spernere* est *spernari*. Gloss. Phil. *Spernatus*, ὑπερηφανηθεὶς, ἐξουθενηθεὶς, καταφρονηθεὶς, ὑπεροφθεὶς. Vbi ne *aspernatus* legamus, obstat literarum series. Iuuenalis:

——— *Viduas tantùm aspernatur adulter.*

Atque vt a *spernere* est *aspernere*, sic à *spernari* est *aspernari*.

Spes fortè ab ἐλπὶς κατὰ μετάθεσιν, & σ altero adiecto. Sed obstat, quod priùs dixere *speres*, vel *spores*, vnde genitiuus *speris*, & pluratiuus *speres*. Nonius : *Sperem veteres spem dixere. vnde & prospere dicitur pro spe.* Festus : *Speres antiqui pluraliter dicebant, vt Ennius* lib. ii.

Et semel effugit speres ita funditu' nostras.

Et libro sextodecimo:

Spero, si speres quicquam prodesse potes sunt.

Speres autem ac *spero* omnino sunt ab Hebræo שבר, id est, *spes* à rad. שבר, id est, *sperare*. Latini conuerterunt medium *B* in tenuem *P*, vt Græci in ἄππα à Syriaco אבא, *abba*. A *spero sperata* dicitur, quam quis petit vxorem. vel iam *promissa* dicitur *pacta*, vel *sponsa*. Plautus Astraba apud Varronem : *Lubenter, mea sperata, consequor.* At Nonius errat, cum similiter vsum putat Plautum Amphit. Act. ii. Sc. ii. Vbi Amphitryo redux vxorem suam vocat *peratam*.

Sphæra esse a σφαῖρα & cæco patet. Quare mirum, Fungerum, tanquam in re dubiâ, scribere : *videri* indè nomen accepisse illud minùs apertum, vnde σφαῖρα dicatur. Sed non abludit à vero, venire à צפר, quod est *pulchritudo* : quia forma est rotunda. A σφαῖρα est σφαιρίτης, supple πλακοῦς, ex quo Latinis *sphærita*, placentæ genus, in cuius solo *sphæra*, seu globuli multi positi essent. Cato, de R.R. cap. lxxxii. *Sphæritam sic facito, ita vti spiram, nisi sic fingito detractis caseo, melle, sphæras pugnum altas facito. Eas in solo componito, densas eodem modo componito, atque spiram, itemque coquito.* Ab eodem est σφαιρίζω, *pilâ ludo*, vt Pollux & Suidas exponunt: vnde σφαιριστὴς, *qui pilâ ludit*, σφαιριστικὴ, *ars ludendi pilâ*, de qua olim Timocrates Lacon scripsit, vt ait Athenæus, lib. i. σφαιριστήριον, *locus pilari lusui destinatus*. *Sphæristerij* voce vtuntur quoque Tranquillus in Vespas. Plin. lib. ii. epist. xvi. Lampridius in Alexandro Seuero, *Post lectionem operam palæstræ, aut sphæristerio, aut cursui, aut luctaminibus mollioribus dabat.*

Sphinx, Σφίγξ. Statius, lib. i. Theb. vers. lxvi.

——— *Si Sphingos iniquæ*
Callidus ambages te præmonstrante, resolui.

Quem ad locum sic Placidus Lactantius, (cuius scholia maxima ex parte cento sunt ex Seruio & Hygino:) *Dicta Sphinx, quod ita stringeret homines suis quæstionum, vt se expedire non possent. Nam Græcè σφίγξαι constringere dicitur vel vincire.* Sequitur ibidem: *Sphinx monstrum erat: alas & vngues habens in similitudinem Harpyarum, quod insidens scopulo via imminenti, insolubilia ænigmata transeuntibus proponebat, quæ cùm soluere non possent, ex improuiso veniens alis & vnguibus ad se in rupem trahebat.* Hæc ille. Reuera autem *Sphinx* erat (quemadmodum ex Socrate tradit Scholiastes Euripidis,) ἐγχωρία χρησμῳδὸς δυσγνωστα ποιοῦσα, *Vates eius regionis, quæ responsa daret intellectu difficilia*. Indéque à Sophocle OEdipo tyranno vocatur ἡ ποικιλῳδὸς. Quod de figura ait Lactantius, id pleniùs explicatur ab Ausonio his versibus:

Terruit Aoniam volucris, leo, virgo, triformis
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Sanè πτερῶσσαν, hoc est *alatam* vocat & Euripides. Sed hoc intelligendum de *sphinge Græcanica*, quæ erat capite nudo, capillis compositis, pennata. At *Ægyptiaca* erat capite velato, sine alis. *Ægyptiæ* figuram præbent multa marmora antiqua. *Græcam* videas in antiquis nummis Chiorum quorum ea insigne erat, vt Carthaginensium ἵππου προτομὴ, Rhodiorum rosa, Siciliæ tricrurium. Vide sis, quæ de *spinge* notauit Ios. Scaliger animaduersionibus Eusebianis ad annum dcclvii. hoc est, pag. xliv. & xlv. At κατὰ μεταφορὰν etiam aliis vox *Spingis* aptatur. Vt Cassandro illi ex munito Ætoliæ loco per Locridem infestante Phocidem, Megara & Atticam. Dux enim iste *Sphingis* nomine intelligitur in carmine Ithyphallico in honorem Demetrij Poliorcetæ ab adulatoribus composito; quod ex Duride Samio refert Athenæus, lib. vi. Sed corruptè admodum nunc legitur: Egregiè autem restituit Casaubonus in Animaduersionibus eiusdem lib. cap. xvi.

Spica à *spe* dicitur, si credimus Varroni, lib. iv. de L L. & lib. i. de R. R. cap. xlviii. vbi & antiquitùs *specam* sit vocatam. *Nam*, inquit, *eam quòd sperant fore, serunt.* Seruius autem à *spiculo* deducit, cùm contra *spiculum* fit à *spica*. *Spica* verò possit videri esse à σπάω, *extendo*. Sed placet Ios. Scaligeri & Nunnesij sententia, qui deriuant ab Æolico σπίχυς pro στάχυς, quomodo & pro σπάδιον dixere σπάδιον, vnde *spatium*,

tium, vt contrà à σπουδὴ fecere Latini *studium*. Non tamen *dubium* *spica* à στάχυς, vt existimasse Scaliger videtur: Sed à *spicus*, quod è στάχυς. Veteres enim dixere *spicus*, *spica*, *spicum*. Seruius in I. Georg. *Dicimus & hic spicus, & hoc spicum. Cicero in Arato.*

Spicum illustre ferens insigni corpore Virgo.

Sed scire debemus, in vsu esse à masculino vtrumque numerum: à neutro verò rarò, & tantum singularem inueniri. nam plurali nusquam lectum est. Et postea: *Spicos de maturis frugibus abusiuè dicimus. Nam propriè est spicus, cum per culmi folliculum, id est, extremum tumorem arista adhuc tenues in modum spiculi eminent.* *Spica* vox à *frugibus* ad alias etiam *plantas* extenditur. Vt cùm Ouidio & Propertio *crocus* dicitur *spica Cilissa*: nimirum quia *filis sine capillamentis refert aristas*. Nam valde fallitur summus vir, cùm per *spicam* hic *radicem* aut *bulbos* intellexit. A *spica* etiam *figura* oblonga & augulata *laterculi* videntur *spica* nominari: vnde *pauimentum spicatum* apud Vitruuium, lib. IV. cap. I. De quo vide Bernardinum Baldum in Lexico Vitruuiano. A *spica* est *spicare*: quod interpretantur *acuere*, sed parum commodè. Est enim *spicare*, concidere aliquid minutatim, sic vt assulis multis referat *spicam* cum aristis. Gratius in Cynegetico:

Spicatásque faces ferre ad nemora alta Diana.

Idem:

Quid Macetûm immensos libeat si dicere contos,
Quàm longa exigui spicant hastilia dentes?

Vbi *spicant* itidem interpretor, *spica similem faciunt* multis dentibus, quæ referant aristas. Quamquam aliter hunc locum ceperit Turnebus, lib. XXI. cap XXV. Compositum est *inspicare*. Maro I. Georg.

——— *Ferróque faces inspicat acuto.*

quod rectè Seruius exponit, *incidit ad spici & aristarum similitudinem*. Onomast. *Inspico*, διαστοιχίζω. quod Latini instar formatum à στάχυς, *spica*. A *spicare* est *spiculum*, vt à *iacio*, *iaculum*, à *noto notaculum*. Id magis placet, quàm vt *spiculum* sit à *spica*, quia in mucronem desinit instar spicarum: quamquam ita senserit Isidorus lib. XVIII. Originum, cap. VIII. & Iul. Scaliger, in lib. I. Theophrast. de caussis Plantarum, cap. IV. Belgæ & Celtæ pro *spiculo* dicunt *pijke*, quod ex *spiculo* corruptum arbitror, vel à *spicando* formatum. Est autem *spiculum* ἀκόντιον, ἀκίς, ἐπιδορατίς, provt exponitur in veteri Glossario: ἀκόντιον εἶδος, vt est in Glossis Cyr. A *spiculum* est *spiculator*, quod cum *speculatore* confudit Philoxenus in Glossis Latino-Græcis, cùm scribit *Speculator*, σπεκουλάτωρ, ὁ ἀποκεφαλίζων. Prius *speculatori* conuenit, posterius *spiculatori*, siue *carnifici*. Error ex eo est, quod Græcis *i* in *e* conuerso σπεκουλάτωρ diceretur: vt Marci cap. IV. item Suidæ, Theophylacto aliis.

SPINA iuxta Nunnesium in Grammatistice est à σπίλος, quod *spina* genus notat. Nempe λ in ν verso. vt à σκῦλον, *spolium*, à λύκος *lupus*. Malim ego, quia in acumen extenditur, ἀπὸ τοῦ σπίζειν, quod valet τείνειν. teste Eustathio Græcis est ἄκανθα ab ἀκὴ, *mucro*, *acies*. Antiqui *spinâ* & vsi loco *acicula*. Vnde Tacitus de morib. German. *Tegumen omnibus sagum, fibulá, aut si desit, spinâ consertum.* Atque indè *spinula* vulgo, ex quo Belg. *spel* & *spelde*. A *spina* etiam est *spinus*, prunus syluestris. Nam, vt Columella ait, pruni syluestres genera sunt *spinarum*. Virgil. IV. Georg.

Eduràmque pyrum & spinos iam pruna ferentes.

Vbi Seruius monet, *spinus* genere virili esse arborem prunorum: at *sentes* dici *spinas* in muliebri. Græcis ἄκανθα quidem *spina*, at de *spinosa arbore* tum ἄκανθος, tum ἄκανθα dicunt.

SPINTER, siue potiùs *spinther*, (vt Festi verbis vtar,) *vocabatur armilla genus, quod mulieres antiquæ gerere solebant brachio summo sinistro.* Quibus ex verbis liquet, cur ἀριστερόχειρον vocent Græci, vt Priscianus testatur in v. Vtitur Plautus, Menæch. Act. III. Sc. III. Nomen videtur esse à *fulgore igneo*. Nam σπινθὴρ, *scintilla*, *igniculus*. A σπινθὴρ sit σπινθαρὶς auis, de quo in *Spinturnix*. Fortasse & hinc Suetonio in Caligula dicuntur *spintriæ*. nempe à *monstruosarum libidinum ardore*.

SPINTVRNIX, vt ait Festus, *est auis turpis figuræ*. Subiicit deinde illud ex veteri aliquo scriptore: *Occursatrix artificum, perdita spinturnix*. Etymon cognoscere sit ex eo quod subdit. *Ea Græcè dicitur, vt ait Santra*, σπινθαρὶς. Plinius de eadem, lib. X cap. XIII. *Incendiariam auem aiunt spinturnicem vocant: sed hæc ipsa, quæ esset inter aues, qui se sciret dicere, non inueni.* Sed Scaliger ad Festum in voce *Bustum*, putat se inuenisse, quæ sit *spinturnix*. Nam ex nominibus σπινθαρὶς, & *auis incendiaria*, colligit, esse *auem bustuariam*, quæ ex busto sudem tectis inferat, atque ita incendium ciere. Sane σπινθὴρ, *scintilla*, *igniculus*. Itaque de ea intelligit hoc in Glossis: *Ambustandum* (leg. *ambustauem*) εἶδος ὀρνέου. Item Seruij illa in istud Maronis IV. Æn.

Solaque culminibus ferali carmine bubo
Sæpe queri:

Sanè bubo si cuius ædes insederit, & vocem miserit, mortem significare dicitur. Si autem de busto sudem ad tectum detulerit, incendium ædibus portendere. Sed hæc non probasset Santræ, Plinio, Festo, aut Glossographo: qui specie hanc auem ab aliis diuersam putarunt. Fortasse autem ne auis quidem fuit, etsi id veteres putarint. Censet id Salmasius. Putat enim Santram solo nomine compulsum aliud censuisse, ac reuera nullam esse *auem incendiariam* specie diuersam: *spinturnicem* autem non *auem* esse, sed *quadrupes Æthiopicum & Ægyptium*, deformitate sua ridiculum. Et fauet Ammianus Marcellinus, lib XXII. vbi animal hoc ἀνθρωπόμορφον *spinturnicium* vocat, iuxta verissimam emendationem Pithœi lib I. Verisim. cap X. Vulgo traiectis perperam literis, legitur *pisturnicia*. Sed *Spinturnicium* etiam vocat Plautus Menæchmis Act. III. Sc III.

Pithecium præ illa & spinturnicium.

Vbi deformium animalium nomina deformi aptat mulieri. Quæ verò de *spinturnicio* animali commemorat Ammianus, ea Agatharcides refert de *sphinge*: vti & Diodorus Siculus, lib. III. Hæc fingitur alata, vt ea fortasse caussa fuerit, cur *spinturnix* putaretur auis. Sed vtcumque fabulosa Græcia eas cum alis effingeret, Ægyptij tamen sine alis finxere: atque iis verè erat quadrupes. Itaque & Salmasio videtur ex σφιγξ productione nominis factum esse *spinturnix*, similitérque ex ὄρτυξ esse *coturnix*.

SPIRA à σπεῖρα, quo generatim significatur ἕλιξ, hoc est, *linea flexuosa faciens orbes non redeuntes in se.* Sed speciatim de variis rebus vsurpatur. Festus: *Spira dicitur, & basis columnæ vnius tori, aut duorum, & genus operis pistorij, & funis nauticus in orbem conuolutus: ab eadem omnes similitudine. Pacuuius: Quid cessatis socij eijcere spiras sparteas? Ennius quidem hominum multitudinem ita appellat, cùm ait: Spiras legionibus nexunt.* De notione quam primo loco ponit Festus, vide Bernardinum Baldum, libro de vocibus Vitruuianis. De altera, vt operis pistorij genus est (quomodo vsus Cato) adi Casaubonum in Athenæum, lib. XIV. cap. XIV. De tertia acceptione ita Papias: *Spira propriè funium. A sparto dicta. nam spira inuolucrum est funium.* Sed de etymo fallitur. cùm *funes conuoluti spira* dicantur à figura quâ conuoluuntur. Nam *spira* seu σπεῖρα, vt ipse Papias agnoscit, est *circulus non ad eundem punctum reductus*: siue, vt Græcis dicitur, figura ἐπικύκλιος, κύκλος ἐπὶ κύκλῳ. Vnde crebrò etiam de *sinuosis anguium flexibus* vtuntur Græci pariter ac Latini. Virgilius in Georg.

Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto
Squameus in spiram tractu se colligit anguis.

Et Ouid.

——— *Immensum spiris facientibus orbem.*

Hinc & pro *globo militari* vsurpatum. Sic vsus Ennius apud Festum:

——— *Spiras legionibus nexunt.*

Vbi *spiras* multitudinem hominum exponit Festus. Hesych. σπεῖρα, πλῆθος, τάγμα. Atque ita vsus Marcus Euangel. cap. XV. Chrysostomus interpretatur τάγμα, *numerum*. Latinè *cohortem* dixeris: vt in *Cohors* diximus. Indéque *Spira* Germaniæ vrbs nomen accepit; quia Constantius Cæsar ibi cohortes Græcas collocarat: de quo Mekerchus, lib. de pronunciat. Ling. Græc. cap XXX. Dicitur & *spira* de *arborum venis & nodis in orbem conuolutis*. Vbi sic Theophrastus Pliniúsque. Dicitur & de *fasciis galeri sub mento stringi solitis*: item *muliebri capilli ornamento*, quomodo vsurpat Lucillius:

Cùm tectum est, quidvis satis est. Visuri alieni
Sunt homines? spiras, pallam, redimicula promito.

Vsurpatur & de *cincinnis*, hoc est, *capillis calamistro intortis*, nempe quia intorti σπειροειδεῖς. Itaque fortasse & à *conuolutis crinibus spirillo* nomen. Festus: *Spirillum vocari ait Opilius Aurelius capræ barbam.* Sed pro *spirillum* in Catholico legas *stirillum*. Ponam verba: *Stirillum barba capræ & dicitur à stiria, quod pendet ad modum stiriæ.* Apud Papiam pro eo est *sterillum*, quod sine dubio corruptum.

SPIRO videri possit esse à σπαίρω. Nam in Glossis Cyrilli legas, Σπαίρω, *palpito*, *spiro*. Sed σπαίρειν, quod & ἀσπαίρειν, potiùs dicitur de animalibus moribundis, cùm palpitant & tremunt, extremum edituræ spiritum. Sanè Hesychius σπαίρειν exponit, τὴν ψυχὴν ἀφιέναι. Potiùs igitur *spiro*, vti & *sibilus*, suspicor esse à sono factum. Quamquam & acutè Martinius, cui *spiro*, quasi σπῶ ἀέρα, *traho aera*. A *spiro spiritus* vnde

vnde *spiritualis*, pro quo in libris quibusdam legitur *spiritalis*, verùm contra ἀναλογίαν, cùm (vt benè monuit Valla in notis ad priorem epist. ad Corinth. cap. III) denuata à quarta declinatione postulent -*alis*, vt *vsualis*, *manualis*, *consualis*, *casualis*.

Spissvs, (vt quidem scribit Pontanus in Actio, fol. CXXXIX. b. edit. Ald.) factum ex *sapissimus*, à *sape*, quòd *sapes spissa* sit densáque. Ac placuit id quoque Perotto. Próque iis est, quòd *sepinosum* quoque ponatur pro *obscuro*. Quare omnino meliùs hi, quàm Papias, qui *spissus* dici ait, quasi *sine passu*. At vera origo à σπιδὸς, quod est, *densus*, *obscurus*. Hesych. Σπιδνὸν, πυκνὸν, πυκνὸν, σκοτεινόν. Item, Σπιδὲς μέγα, πυκνόν, σκοτεινόν, πυκνὸν, μέγα. A *spissum*, est *spissigradissimum* apud Plautum in Pœnulo, act. III. Sc. I. non tamen ab hac vulgari significatione, sed quà notat *tardum*: quomodo &, Nonio teste, vsus Cæcilius, quando ait:

Nihil ego spes credo: omnes res spissas facit.

Spithama, σπιθαμή, διάστημα δακτύλων ἀνατολὴ, vt ait Eustathius: qui & dici ita ait παρὰ τὸ σπάω σπίζω. Simpliciùs dixeris esse à σπίζω, *extendi*, quia *spatium sit, à pollice & digito minimo longissimè extensis*.

Splen, si Isidorum audimus, contractum ex *supplen*. Sic enim scribit, lib. II. Orig. cap. I. *Splen dictus à supplendo, ex contrariâ parte iecoris, ne vacua existerent*. Quo profectò nihil ineptius, quasi *splen* homini solùm datus sit ad explendam inanitatem, non ad attrahendum succum melancholicum. Mirum autem Fungerium non aliud etymon ponere, cùm ignorare non potuerit venire à Græco σπλὴν: quippe qui, hac de voce tractans, ipse dicat *lienosos* seu *splenéticos* ab Hippocrate σπληνώδεας appellari. Σπλὴν fortè quasi σπιλὴν, quia attrahit *sordes*: à σπίλος, quod etiam *fraces* seu στέμφυλα notat, teste Hesychio. Nisi malis à σπίλος, quod, eodem teste, notat *impurum*, ἀκάθαρτον. A σπλὴν est σπλήνιον, *linteolum* vel *emplastrum*, non oblongum tantùm (vt Hesychius vult) nec semper *splenis figurâ* (quæ aliorum opinio est) sed quacumque formâ affectæ corporis parti aptatum. Interim propriè sic dici quod *spleni applicatur*, aut *splenis figuram refert*; ipsâ voce admonemur. Porrò vsitata quoque hæc vox Latinis scriptoribus: idque pro *linteolo oblongo*, quod fronti obuoluitur ad dolorem minuendum, aut catarrhum sistendum. Martial. lib. II. epigr. XXIX.

Et numeros à lunant stellantem splenia frontem.

Et lib. VIII. ep. XXXIII.

Talia lunata splenia fronte solent.

Hinc idem lib. X. ep. XXII.

Cur splenìato sape prodeam mento.

hoc est, *cui splenium impositum*. Ἄσπληνος, *lienis expers*. Herba *asplenon*, ἄσπληνον: quæ, vt Dioscorides ait, lib. III. cap. CLI. δύναμιν ἔχει τὰ φύλλα ἀποζεσθέντα σὺν ὄξει, καὶ πινόμενα ἐπὶ ἡμέρας μ΄, σπλῆνα τήκειν. Quod ita Plinius vertit, lib. XXVII. cap. V. *Huius foliorum iure in aceto decocto per dies XL. poto lienem absumi aiunt*. *Splenium* vocatur Isidoro, lib. XVII. cap. IX. *Splenium*, inquit, *quod splenem auferat*. Vitruuius, lib. I. cap. IV. *Dextra & sinistra eius fluminis (in Creta) pascuntur pecora: sed ex his qua pascuntur proximè Gnoson, splenosa. Qua autem ex altera parte proxima Gortynam, non habent apparentem splenem. Vnde etiam medici quarentes de eadem re inuenerunt lienes. Ita eam herbam colligendo curant lienosos hoc medicamento, quod etiam Cretenses asplenon vocant*.

Splendeo, etsi nihil splendore clarius, tamen si vocabulum spectes, sanè origo eius satis est obscura. Tentabimus tamen. Num corruptum ex σπλαγχνὸν, quod idem notat, quasi σπλὰς ἄγω; An ex σπινθηρίζω, *scintillo*, ε traiecto, & in λ mutato, quod crebrum? An ex σπλαδίω, vnde fiet *r* inserto, vt in multis? Σπαδίω autem idem fuerit ac σποδίζω, vel σποδέω, quod valet *torreo*, φλέγω, iuxta Hesych. Nempe σποδὸς & σπαλδὸς, quo vsus Nicander, *cinerem* notant ac propriè, vt videtur, *ignitum*: qui hoc habet, quod *splendeat* torreátque. An potiùs *splendeo* ex σπλᾶ ἰδεῖν, *intus luceo*, *p* inserto? Vel quasi σπλᾶ ἐν δεῖ, *splendeo in aëre*? A qua duè notione est ἔνδιος, *meridianus*. An, quod omnium maximè placet, est ex φλέγω, vel φλέω, quod notat *splendeo*, *niteo*? Nempe ex σπλέω τῷ μεταθέσει fit *spliso*. N autem inseri solet, vt ex πήγω seu *pago*, *pango*; ex *frago*, *frango*; & ita in aliis multis.

Spolivm, vnde sit, rimanti, in mentem venit, commodissimè deduci à στολὴ, quod Æolicum pro στολὴ, hoc est, *amictus*, *vestimentum*. Nec coniecturæ pœnitet. Nam *spoliare* propriè *vestem detrahere*: στολὴ verò est à στέλλω, hoc est, *vestio*, *amicio*. Vide quædam ad hanc *spolij* etymolog. iam pertinentia in voce *Paus*. Interea alterum quoque etymon apponam. Nam nec commodè minùs deduxeris à σκῦλον, *spolio* à σκυλάω, vt mutetur *k* in *p*. quomodo à λύκος est *lupus*. Σκυλάω verò est à שלל, quod est *expoliari*, *pradari*. *Spolium* notare *exuuias*, siue *vestem pellemve corpori detractam*, indicat hic Lucretij locus, lib. V.

Necdum res igni sciebant tractare, neque vti
Pellibus, & spolijs corpus vestire ferarum.

Item ille, lib. III.

——Cùm lubrica serpens
Exuit in spinis vestem, nam sape videmus
Illorum spolijs vepres volitantibus auctas.

Iidem *spoliare* est *vestem exuere*. Plantis scitè accommodat Petronius. *Dentibus*, inquit, *folliculos, peritè spoliat*. Nicander similiter in Alexipharmacis, vers. CCLXX. σκῦλα vocat *corium nucis castanea*. A *spoliando* est *spoliarium*, locus vbi se veste spoliabant balineas ingressuri. Hinc in vett. Gloss. Isidori exponitur, *exteriores cellula in balneis*. item ἀποδυτήριον & ἐκδυτήριον. Sed & sic vocabatur locus arenæ proximus, quo recipiebantur & exuebantur gladiatores in arena mortui. Hinc apud Lampridium illa Senatus exclamatio mortuo Commodo: *Gladiatorem in spoliario*. Et: *Gladiatoris cadauer vnco trahatur. Gladiatoris cadauer in spoliario ponatur*. In eodem & sine spe curationis læsi occidebantur, vnde Seneca, epist. XCIV. *Nunquid aliquem esse tam cupidum vita putas, vt iugulari in spoliario, quam in arena malit?* Sed de *spoliario* siqua legere voles, adi I. Lipsium, lib. I. Saturnal. cap. XVIII. & de amphitheatro cap. XXI. Nam nobis etymologicen professis, veterum consuetudines summum haut quam delibare licet.

Sponda *exterior pars lecti est, pluteus interior*: vt ait Isidorus, lib. XX. cap. XI. Sed sumitur etiam pro *interiori lecto*. Vt apud Mar.

Aurea composuit sponda.——

Item Hor.

Extrema & in sponda cubet.——

Imò propriè notet *thalamum*, si est à σπονδὴ, *fœdus*, vel *spondeo*, vnde & *sponsis* nomen. Sanè à *sponsis* vel *spondendo spondæ* nomen esse, Catholicon iam olim prodidit. Sed nec incommodè Martinius à ספן, *tabulatum*. Nam pluteus *sponda* est *tabula*, vnde Propert.

Et tabula vna duos poterit componere amantes.

Spondeo à *sponte*, si verè Verrius: de quo sic Festus: *Spondere Verrius putat dictum, quòd sponte suâ, id est, voluntate promittatur*. Imò & præit Varro, lib. V. de L.L. *Spondet, qui dicit sua sponte, spondeo*. Sed *spondere* ex eo est, quia *sponderent* in σπονδῇ, quo *libatio*, vel *libamen*, item *fœdus* notatur. Nam in *fœdere libabant*, quod σπένδειν Græcis. Vnde & Festus: *Verrius sponsam ex Græco dictam ait, quòd ij σπονδὰς interpositis rebus diuinis faciant*. De rim placet: de *sponsa* etymo mox videro. A σπονδὴ est σπονδεῖος *pes*, quod eo ἐν ταῖς σπονδαῖς ἐχρῶντο, id est, *in libationibus vterentur*: vt scribit Hephæstionis Scholiastes. Ac similiter Diomedes, *dictus*, inquit, παρὰ τὴν σπονδὴν, *quia in templis hoc pene quadam carmina componebantur: scilicet vt libantes sonum vocis ominosa audire non possent*. Indéque *spondiales*, qui ture incensis altaribus canerent *spondæs*: vt indicat Isidorus, lib. I. cap. XVI. Marius Victorinus, qui tibias inflarent supplicantes, à *spondæis spondales* ait dictos. Sed vel ex Isidoro *spondiales* legendum: vel *spondiaulas*, σπονδαύλας, quod placet Turnebo, lib. XXII. cap. XX. Vel, quod malim, σπονδαύλας, vt dicimus ὑδραύλας, μόναυλας. Inde *spondaulium*, quam vocem Ciceroni, lib. II. de Oratore, ac Diomedi libro III. restituit Salmasius: cùm apud vtrumque *spondalium* legeretur repugnante ἀναλογίᾳ. A σπονδὴ est *sponte*, id est, *voluntariè*, *ingenuè*, *libenter*. *Sponsiones* enim erant *voluntaria*, nec fiebant sine σπονδῇ siue *libamento*. Etsi autem *spondere* sit generale vocabulum habet tamen aliam significationem specialem: vnde dicuntur *sponsus* & *sponsa*, à quibus *sponsalia*, & *consponsor*, ac *consponsus*, apud Festum Posteriori vsus Afranius. Gloss. vett. σύνορκος, *consponsus*, *iunctrix*. At propriè quidem *pater sponsa* dicitur *spondere*, pater adolescentis *despondere*. Id obseruant Terent. Andr. act. I. sc. I. Adelph. act. IV. sc. VII. Cic. I. de oratore, &c. Non tamen id discrimen perpetuum est. Adi Brissonium, lib. de nupt. & Albericum Gentilem de iisdem lib. II. cap. II. Sed & vide quæ de variis *sponsionum* speciebus Cælius Calcagninus scribit ad Tit. de verborum & rerum signific. pag. CCCXLII. *Respondere* propriè est *repromittere*: sed generatim accipitur pro ἀποκρίνασθαι seu ἀπαμείβεσθαι. Etsi ne hoc aliter Festus siue Paullus: *Spondere*, inquit, *ponebatur pro dicere, vnde & respondere adhuc manet. Sed postea vsurpari cœptum est in promisso*. Siue, vt in quibusdam MSS^tis^ est, *in promissu*.

Spondylvs, σπόνδυλος, *anterior pars concha*, quæ aliter τράχηλος. Hesychius: τραχήλους, τὰς τραχήλους. ἔστι τὰς σπονδύλους τῶν κογχυλίων. Posteriori modo, hoc est, pro *parte concharum*

charum anteriori, accepit Plinius, cùm lib. XXXII. cap. VI. ait de ostreis: *Præcipua verò habentur spondylo breui, atque non carnoso.* Vbi Dalecampius per *spondylum* intelligit *interiorem carnis solidum callum.* Sed potius cum Hesychio intelligam τράχηλον, quem & *trachelos* nuncupant Latini. Festus: *Trachali appellantur muricum ac purpuræ superiores partes.* Petronius Arbiter Latinam appellationem prætulit. Nam *cochlearum ceruices* dixit. Etiam *spondylum* dixere certum *conchæ* genus. Plinius, lib. XXXII. cap. XI. *Spondylum, smaride, stella, spongia.* Pro quo *sphondylum* cum spiritu etiam legas apud Columellam, lib. VIII. cap. XVI. item Macrobium, lib. III. cap. XIII. vbi refert Metelli verba ex quarto eius Indice. Ac similiter σφόνδυλον legas apud Galenum lib. III. de Alimentis.

SPONGIA, iuxta Catholicon *à spuma, quòd ex spuma fiat; vel a pungere, quod est nitidare, quia apta est ad tergendum.* Sed *spongia* eiusdem est originis ac *fungus*: vtrumque enim, vt supra dictum, a σπόγγος. Siue *fungus* a σπόγγος, *spongia* à σπογγιά. Vtroque enim modo dicitur.

SPORTA geminam originationem ponit Nonius. *Sportas aut ab sparto, quasi spartea, aut ab asportando.* Isidorus, lib. XX. cap. IX. *Sporta dicta, quia exportet aliquid; vel quia ex sparto fit. Spartus verò est frutex virgosus sine foliis*, &c. Sed cùm *sporta* sit Græcè σπυρίς & Latini suos rectos forment ab obliquis Græcorum, quis non videt a σπυρίδα esse *sporta* quasi *sporida*, D in T conuerso, quomodo ab ἴδος est *iste*? Gloss. Cyrilli: Σπυρίς, *sporta, fiscella, fiscina.* A *sporta* est *sportula*, ab hoc *sportella*, vt à *cisto cistula*, vnde *cistella.* Quia verò *sportulis* cibi pecuniæque ferri solent, quæ à magnatibus dabatur iis, qui vel officij gratiâ comitarentur: vel primâ luce in atrium salutandi gratiâ conuenirent: indè est, quòd per metonymiam accipi soleat pro *pecunia cibisve sportula contentis.* Atque hinc quoque liquet, cur *sportula* opponatur *cœnæ rectæ*, cùm *sportula* non fuerit vera cœna, sed cœnam ementiretur. Quippe sordidiores non dignabantur clientes suos cœnâ, sed cœnæ loco asses aliquot dabant: atque hoc *sportula* dicebatur, quia, vt dixi, *sportula* ferretur: at liberaliores ad cœnam clientes vocabant, lautéque eos pascebant, quæ icciрco *recta cœna* dicebatur. Suetonius in Domitiano, cap. VII. *Sportulas publicas sustulit, reuocata cœnarum rectarum consuetudine.* Martial lib. VIII. ep. L.

Promissa est nobis sportula, recta data est.

Cæteras huius vocis acceptiones, ac pleraque horum, cum alia quæ de sportulis dici possunt, legere potes apud Alciatum, lib. III. Dispunctionum, cap. XVII. Budæum annotat. prioribus in Pandect. Turnebum lib. X. Aduers. cap. XXVII. & lib. XXVIII. cap. XXIV. Brissonium, lib XVII. de verborum significat. Iuretum ad epist. LV Symmachi: Fuluium Vrsinum in appendice de Triclinio, &c. E veteribus aliquid de sportis Asconius in Diuinatione. Græcis σπυρίδια dici τὰ παρ' ὑμῖν πρὸς Ῥωμαίους ἀπόρρητα, scribit Aristophanis Scholiastes ad illud in Nubibus: Θοῖς μοι σπυρίδια.

SPVO, à πτύω. A *spuo* est *sputum*, vnde *sputare*, à quo *sputatilicum* apud Cic. de Claris Orat. hoc est, κατάπτυστον, *consputatione dignum.* A *spuo* etiam *spuma*, vt bene Papias monet. Item ab hoc *spurcus*, de quo nunc dicam.

SPVRCVS iuxta Catholicon, ex *se* & *purus*, quasi *sine puritate.* Iuxta Isidorum, lib. XX. cap. III. quasi *spurius.* Sed Perottus optimè à *spuo* deducit, vt *spurcum* propriè fuerit κατάπτυστον, siue *ad quod exspuimus.* Καὶ ἀπόπτυστος de vino dicitur. Festus: *Spurcum vinum est, quod sacris adhibere non licet, vt ait Labeo Antistius libro decimo commentary iuris pontificij, cui aqua admixta est, defrutumve, aut igne tactum est, mustumve antequam deferuescat.*

SPVRIVS est qui nascitur scorto in cuius nidum plures conspirant amatores, adeò vt licet non minùs, quàm cæteri, vno nascatur patente; tamen, quia is incertus est, natus videri queat *ex patribus conuenticiis*, prout eleganter loquitur Plautus Cistell. Act. I. Sc. I. Et hæc caussa est, cur *spurius* dicatur παρὰ τὴν σποράν, vt Modestinus ait in L. vulgo. D. de stat. hom. Nisi ita dictum malis a parte, quâ feminæ id sunt, quod sunt: nam ea à σπορά vocatur *spurium*: teste Isidoro, lib. IX. cap. V. Vtitur hoc pacto, sed solus quod sciam, Appuleius in Apologiâ. *Sumtâ*, inquit, *de mari spuriâ & fascinâ.* Loquitur de rebus marinis idem quod obscenæ partes nomen fortitis. Inuenio & tertiam ἐτυμολογίαν. Nam neque desunt qui ita vocari velint, quia prænomina, vt Plutarch. in problematis auctor est, aut vnâ scriberentur literâ, vt *T. L. M.* aut duabus, vt *Cn.* aut tribus, vt *Sex. Seruilius. Spurius* autem est inter ea, quæ duabus literis notantur *Sp.* quibus iisdem literis scribunt, cum *sine patre* dicunt. Hoc igitur errorem fecisse volunt, quod *sine patre* & *spurius* iisdem literis scribatur. Addunt & quartam, quia in Epitome de nominibus Valerio subiectâ legere sit, *Spurii, patre incerto geniti, quasi epopta.* Vnde sic dici colligunt, quod sit velut *epopta* ad omnium spectaculum conceptus, vt qui aspicit, deterreatur à tali concubitu. Atqui ἐπόπται non *qui spectantur*, sed *qui spectant* appellati, éstque ea vox honesta, vt patet ex *epoptis Eleusiniis*, quibus quinctо contingebat anno μεγάλα μυστήρια ἐποπτεῦσαι, indéque cum antea *mystæ* dicerentur, pòst *epoptæ* vocabantur. Quare placet sententia Stephani Pighij, qui pro *Epopa* legit *spurie*, seu σποράδην vt nempe illud E POP Æ natum sit ex antiqua ratione scribendi C II O P O I. Denique nec desunt, qui *spurius* deducant a *spurcus* quod legas in Catholico, sed Nestore Nouariensi auctore. Vti nec qui conflatum putent ex *se*, id est, *sine* & *vrina*: quod impuro nascatur concubitu. Sed qui aliquo in hisce literis iudicio est, is facile videt vel a σπορά, vel *spurio muliebri* originem trahere.

SQVALIDVS & *squalere* vnico *L* in vett. lib. ac lapp. scribi monet in Orthographia Aldus. Idem comprobat origo, si sint à *squamminis piscium.* Festus: *Squalidum incultum & sordidum, quod proximè similitudinem habeat squamæ piscium, sic appellatum.* Sed Seruius ad IV. Georg. tum solum à *squamis piscium* dici vult, cùm *splendidum* significat, at cum *sordidum* notat, venire putat a *squallore.* Verum putidulum est pro diuerso vsu diuersas hac in voce origines putare, longeque verisimilius idem Seruius, cùm ad X. Æneid. αὐτὸς ait, venire a *squamarum crebritate & asperitate*, ac poetam dixisse *tunicam squalentem auro*, vt eo significaret *copiam densitatémque auri in squamarum speciem intexti.* Nempe, vt ibidem ait antiqui quidquid inculcatum obsitúmque aliquâ re esset, id quia *squamarum crebritatem* ferret, *squalere* dicebant postea verò cœpit ea vox de iis solùm vsurpari, quæ *sordium congerie munita squamosaque essent.* Vide Gellium lib. II. cap. VI. Macrob. lib. VI. Satur. cap. VII. & Nonium in *squalere.* Verùm etsi hæc eruditè ab iis dicantur: tamen magis placet esse *squalleo* ab αὐχμέω vel αὐχμάω, *doleo*: quia *mæsti squalent.* Nempe vtæ initio auferamt, vt ab ἀμέλγω *mulgeo.* Vel dixerim, vt à καλος est *caleo* & *calor*: ita *squaleo*, & *squalor*, esse a *squalus.* *Squalus* autem esse à κηλίς, *macula, labes, probrum.* Vel à σκληρός, *aridus*, quia ariditas caussat aspritudinem. *Squali* voce vsus Ennius Telamone:

Strata terra lauere lacrymis vestem squalam & sordidam.

Vbi *squalam* idem esse ac *squalidam*, Nonius obseruat. Sanè *squalidum*, & *lene*, hoc est, λεῖον, siue *glabrum*, opponuntur à Lucretio. Itaque & *squalo* pisci ab *asperitate* nomen impositum videtur. Meminit eius piscis Ouid. lib. III. de R.R. c. III. Ouid. in Halieutico, Columella, lib. VIII. cap. XVII. & Plinius, lib. IX. cap. XXIV. & LI. Vt caussa non fuerit, cur apud Plinium priori loco *squatus* legeret Gesnerus: qui aliud est piscis genus. Quemadmodum autem *squalus* pro *squalidus* dixere, ita & *squale* pro *squalore.* Varro Marco apud Nonium: *Ager derelinqueretur, ac perire squale, scabreque, situm, & vastitudine.* Vbi *squale*, & *scabre*, iunguntur. Nempe quia ad *asperitatem* vtrumque pertinet.

SQVAMA à *scaber*, quia *squamea* sunt *scabra*: vel à *scabo*, quia *scabendo* auferatur. Itaque & Belgis *schubbe* vocatur à Latinis *scabo.* Vti Græcis λέπος & λεπίς à λέπω, *decortico.* At à λεπὶς est λεπιδωτός quod in Gloss. vett. exponitur *squameo.* Nisi legendum *nesquamo*: quod verius.

SQVARROSVS, si Festum audimus, est à *squamis.* Nam cum *squalidus* indè deduxisset, subiicit: *squarrosos ab eadem squamarum piscium similitudine ait (Verrius) dictos, quorum cutis exurgat ob assiduam illuuiem. Lucilius:*

Varronum, ac rupicum squarrosa incondita rostra.

Sed magis placet, quod ad eum locum monet Scaliger, & in Grammatistice probat Nunnesius, *squarrosus* esse a *squarra*, siue vt veteres scribebant, *scara*: hoc autem venire à Græco ἐσχάρα, id est, *crusta vlceribus causis accrescens*: vnde ἐσχάρωσις, *incrustatio*, apud Galenum, lib VI, τῶν νόσων. Alias ἐσχάρα est *focus*, ab אש id est, *ignis*, vnde & *æstas* & *æstus.* Atque ab hac ἐσχάρας notione est ἐσχαρίς, *foculus, craticula*, ἄρτος ἐσχαρίτης, *in foco coctus*, ἐγκρυφίας, Hesych. Vide Athenæum lib. III. pag. CIX. edit. Commel.

SQVATVS, vel *squatina*, piscis quem Græci vocant ῥίνην. Glossæ Cyr. *Squatus*, ῥίνη, εἶδος ἰχθύος. Plin. lib. XXXII. cap. XI. *Raina, quem squatum vocamus.* Siue, vt est veteri edit. Parmensi an. CIↃCCCCLXXVI. *quem squatinam vocamus.* De eo sic idem Plinius, lib. IX. cap. XII. *Aspera cute, vt squatina, quâ lignum & eboraa poliuntur.* Atque indè & ῥίνης Latinæ Græcæque appellationis elucet. Nempe ῥίνη, quia ea limantur res: Nam ῥίνη, *lima.* At *squatus*, vel *squatina*, quasi *squalus*, & *squalida*, a *squalore* hoc est, *cutis asperitate.* Quod etymon etiam Perottus & Rondeletius sequuntur. Et habet Isidorus, lib. XII. cap. VI. *Squatinus*, inquit, *dictus*, *quod sit squa-*

mis

mis acutis: unde & etiam inde lignum politur. Qui locus emendandus ex optimo nostro MS°. vbi liquido *quatuor* perscriptum. Vult autem esse a *squamis*. ἐξ ὧν ἐγένετο ex *squamatum*. Quod ἴσως contentit pene cum illo Perotti, si a *squamis*, *squalore* dictum sit, vt veteres putarunt. Gallis vocatur *angelus marinus*, quod instar Cherubim, alas habeat vtrunque expansas.

STABVLVM a *stando*, vt ab *infundo*, *infundibulum*. Græcis similiter σταθμὸς à στῆναι. *stabulum* verò non tantùm significat ἱππεῶνα, sed etiam *diuersorium*. Gloss. vett. *Stabulum*, πανδοχεῖον. Inde *stabularius*. Gloss. vett. Πανδοχεύς, *diuersoriarius*, *stabularius*, *caupo*. Seneca, lib. 1. de benef. cap. XIV. *Nemo se stabularij aut cauponis hospitem iudicat.* Appuleius: *Pretio mansionis stabulario persoluto.*

STACTA est oleum ex cinnamomo & myrrhâ incisâ sudans: vt præter Theophrastum (cuius verba mox apponam) scribit Dioscorides, lib. 1. cap. LXXIV. Errat itaque Plinius, qui lib. XII. cap. XV scribit: *Sudant sponte, priusquam incidantur, stacten dictam.* Ex quibus verbis satis patet, putâsse Plinium, *stacten* ex arbore myrrhæ, non ex myrrhâ ipsâ fluere. Vsus Plautus, Mostell. Act. 1. Sc. III. Cùm enim puero diceret meretrix, *Vin' vnguenta?* (ita habent codd. MSS.) respondet amator:

Quid opus est? cum stacta accubo.

Et Lucret. lib. II.

Sicut amaracini blandum stacteque liquorem.

Item Columella:

Et lacrymas imitata tuas Cinyreia virgo.
Sed melior stacte ponatur Achaica myrrha.

Vbi *Achaicam myrrham* vocat *Græcam*, hoc est, quæ in Cilicia & Amano monte proueniret. Etymologiam *stactes* adducit Theophrastus, libello περὶ ὀσμῶν, vbi & quid sit, docet: ἐκ κινναμώμου, inquit, καὶ ἐκ σμύρνης τῆς τριβομένης ἔλαιον μὲν οὐκ ... Στάζω est *stillo*, vnde verbale στακτός, *stillatus*, siue *stillatitius*: hinc στακτή adiectiuum substantiue vsurpatum, subintellecto σμύρνης. Nam eò respici, ostendit locus Theophrasti in histor. plant. lib. IX. extremo cap. IV. ἡ σμύρνα ἡ μὲν στακτή, ἡ δὲ πλαστή. Στακτή liquidior pars, quæ ex myrrha incisa stillabat vel ex ea exprimebatur: at πλαστή durior sicc óque, quæ in offulas & pastillos conuoluebatur. Id enim Græci dicunt πλάσσειν, & ἀναπλάσσειν, vnde ei nomen πλαστῆς, quæ in offulas formata. Quare cùm Latini *myrrha*, hoc est, *myrrhini vnguenti* meminere, *stacten* intelligunt. Vt Propertius:

Aut quid Orontea crines perfundere myrrha.

Πλαστὴ enim ad suffitum magis idonea erat, quam ad vnguendum.

STADIVM, στάδιον, ἀπὸ τοῦ στῆναι nomen habet: siue propriè notat *locum, in quo cursu & luctâ certabant athletæ*: siue *ventrisporium illud multis gradibus constructum, è quo athletæ certantes spectabantur.* Si prior notio propria est, erit nomen inde, quòd *Hercules substiterit, cùm vno spiritu confecisset tantam mensuram*, hoc est, pedes sexcentos viginti quinque: siue centum & viginti quinque passus, quæ octaua pars est milliaris, quippe quod mille constet passibus. Sin propriè *spectantium locum* notat, ita dicetur, quia *stantes spectarent*: vt est apud Etymologum. Palæstræ, sinque ea stadij figuram vide apud Danielem Barbarum in Vitruuium, & Hier. Mercurialem, lib. 1. de re gymnastica, cap. X. De dispari magnitudine *stadij* Græci atque Italici, adi doctissimum & amicissimum virum Erycium Puteanum, centur. II. epist. XCVIII.

STAGNVM à Siculis accepimus, qui στεγνὸν dixere pro στεγνόν, vnde *stagnum* deducit Varro. At in Romanâ Varronis editione corrupte legitur ... quod aliud esse constat ex Aristophane. Στεγνὸν autem dicitur, quod *minimè rimosum est*, eóque optime continet: cui contrarium apud Latinos *futile*. *Stagno* igitur ex eo nomen, quod *contineat, ac coërceat aquam*, neque manare possit, vt & scripsit Festus. Στεγνὸν verò ἀπὸ τοῦ στέγειν, hoc est, *tegere*: quod ipsum à τέγω. Est & altera apud Festum *stagni* ἐτυμολογία, ac à Seruio quoque & Isidoro adducta, vt sit a *stando*: quòd in *stagnis* aqua perpetuò stet, nec decurrat. Hinc Glossæ vett. *stagnum* vertunt ... & Hippocrates lib. περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων, (si modò hæc vera inscriptio,) *aquas stagnorum ac paludum* appellat ὕδατα στάσιμα, ἑλώδεα, λιμναῖα. Sed placet magis prius etymon a στεγνός.

STAMEN placet Angelo Caninio in Hellenismi Alphabeto esse a στήμων. Sed vt Græci ab ἱστάναι dicunt στήμονα, sic Latini a *stando stamen*: quod ἄνω ἔστηκεν ostendit. Nam vt a *flatum flamen*, a *stratum stramen*, sic a *statum stamen*. Eadem sententia Varronis, qui IV. de L. L. ait: *Stamen à stando, quod eo stat omne in tela velamentum.* Hinc apud Propertium *stamineus*, vt Græcis στημόνιος. Item *subtemen*. Nam, vt post verba allata continuò subiicit Varro, *Subtemen, quod subit stamini*: Hisce adsti-

mat nonnihil Charisius, cùm ait dici *subtemen subtemen*, vt *stamen stamines*. Sed valide id probant hi versus Ouidij, VI. Metam. fab. I.

Haud mora, consistunt diuersis partibus ambæ,
Et gracili geminas intendunt stamine telas:
Tela iugo iuncta est: stamen secernit arundo:
Inseritur medium radiis subtemen acutis,
Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum
Percusso feriunt insecti pectine dentes.

Quibusdam tamen sic *subtemen* dici placet, quasi *subtegmen*, próque his facere videtur, quod in antiquis aliquot Maronis codd. lib. III. *subtegmine* vnâ voce legatur, non diuisim *sub tegmine*, neque *subtemine*. Aliis placet aliud esse *subtegmen*, aliud *subtemen*: illo signari pannum quo vestes suffulciuntur, siue commoditatis siue ornatus caussâ: dicique *subtegmen*, quasi *subtegimen*, quomodo & in B. Augustini grammatica legitur: *subtemen* verò esse, quod in texendo ad stamen connectitur, ac *stamini subest*, vnde & nomen, vt rectè sensit Varro. Verùm non dubito, quin *subtegmen* scripserint pro *subtemen*: quod a *stamine*. De vocis huius scriptura, vide, si lubet, Pierium in III. Æneidos, Lambin. in Horat. Ciofanum in VI. Met. Carrionem ad lib. VI. Val. Flacci. *Staminis* & *subteminis* discrimen optimè exposuit Salmasius in Tertullianum de Pallio, vbi docet, *subtemen*, quod Græcis κρόκη, pretiosius fuisse *stamine*, quod Græcis στήμων: mollius quippe & subtilius *subtemen*: imò in sublericis vestibus *stamen* de lino, *subtemen* de serico: idem in auro textilibus, *stamen* ex serico, *subtemen* ex aureis filis: vnde Maro:

Et picturatas auri subtemine vestes.

STANNVM, metalli genus, quod perperam confunditur cum plumbo albo, & Græcorum κασσιτέρῳ. Quid sit docet Plinius, lib. XXXIV. cap XVI. *Is, qui primus fluit in fornacibus liquor, stannum appellatur.* Vnde colligi videtur, esse à στάζω *stillo*, *fluo*. At Perottus aliter: *Stannum*, inquit, *à stando dictum videri potest, quod in fornacibus primum fluat, ac per se stet.* Becano autem placet esse à στίμμι, quod est *stibium*. Nempe ob similem *stanni* & *stibij* naturam. Ex antiquis vnus Isidorus aliquid de etymo attulit. Cuius verba lib. XVI. cap. XXII. *Stannum* ἐτυμολογίᾳ ἀποχωρίζων, *id est*, *separans dicitur*, *& secernens. Mixta enim, & adulterata inter se per ignem metalla dissociat, & ab auro & argento æs plumbúmque secernit: alia quoque metalla ab igne defendit. & cum sit natura æs ferrúmque durissima, si absque stanno fuerit, vritur, & crematur.* Fortasse videatur respexisse vocem *stagnare*, quod in Glossis Isidori exponitur, *firmare metallis mista*. Sed *stagnare* idem est ac *stannare*, quod à *stannum*. Nam *stannum* & *stagnum* confundebant. Vti in Glossis Philoxeni factum videmus. Quæ *stagnum* exponunt, tum κασσίτερος, quod est *stannum*: tum λίμνη, ὑδροστάσιον, quod est *stagnum*. Ac similiter confundunt *stagnare* à *stagno* pro *stanno*, & *stagnare* à *stagno* pro *palude*. Nam in iis leges: *Stagno*, κασσιτερῶ, χωνῶ, λιμνάζω. Vbi *stagno*, κασσιτερῶ, χωνῶ, est a *stagnum*, hoc est, *stannum* siue κασσίτερος. at *stagno*, λιμνάζω, est à *stagnum*, hoc est, λίμνη. Imò & tertia est significatio, quia *stagnare* etiam est *densare*, *muniare*. Vnde Glossæ: *Stagnat*, στεγνοῖ, πυκνοῖ. Quæ significatione est à στεγνὸς siue στεγνῶ. Verùm, puto, nec eò respexit Isidorus, qui, si à *stannare*, vel *stagnare*, *stanni* vocem deduxisset, non Græco ἀποχωρίζων fuisset interpretatus. Nam Hebræa quidem Græcè, Græca Latine interpretari solet. Quare ita censeo, non Latinæ vocis, sed Hebraicæ, afferre ἐτυμολογίαν. Nam Hebræis *stannum* בדיל, *bedil*; hoc autem a בדל, quod in Niphal significat ἀποχωρίζεσθαι. Verissimum esse quod dixi, eo liquidò probo, quod Isidorus more suo exscripserit B. Hieronymum: vt cuius hæc sint verba in Zachariæ cap. IV. *In Hebræo scriptum est* הבדיל אבן, *eo quod sit murus & fortitudo robúrque credentium. Sicut enim stannum ab igne alia metalla defendit: & cum sit natura æs ferrúmque durissimum, si absque stanno fuerit, vritur & crematur. sic omnis angelorum & hominum fortitudo, si non habuerit auxilium saluatoris, imbecilla probatur & fragilis. Lapis autem iste, id est, massa, qui apud Hebræos* הבדיל, *scribitur, id est, stanneus, ἐτυμολογούμενον ἀποχωρίζων, id est, separans & secernens: vt quomodo stannum mixta & adulterata inter se per ignem metalla dissociat, ita dominus verus probator & χωνευτής, ab auro & argento bonorum operum æs vitiorum plumbúmque secernat: vt purum aurum remaneat, & argentum.*

STATERA propriè differt à *trutinâ*, vt genus à specie. Duæ enim species *trutina*; *libra*, quæ binas habet lances, *statera*, quæ καμπανός, constans scapo punctis distincto, quæ pondera discriminant. Isidoro est *trutina Campana*. Vide omnino Philandrum ad Vitruuium, lib. X. cap. VIII. Scio H. Iunium velle

in Nomenclatore quod Ciceroni est *statera*, id Vitruuio quoque esse *trutinam*. Sed latiùs Vitruuium *trutinæ* voce vti, ostendunt hæc eius verba: *Id autem ex trutinis, quæ statera dicuntur, licet considerare.* Vult Isidorus, lib. XVI. cap. XXIV. *stateram* dici à *stando*, quòd, vt inquit, *duabus lancibus, & vno in medio stilo librata æqualiter stet.* Mihi magis placet esse ab *ἱστάναι*: quod interdum est *appendo, libro, pondero*: vnde & *σταθμὸς, mensura*; *στατικὴ, ponderandi ars*; & *στατὴρ, stater, argenteus nummus*, valens quatuor drachmas: vt ostendimus voce *Talentum*. Hadrianus Iunius in Nomenclatore suo ait Græcos pro *trutina* etiam dicere *στατῆρα*. Et fauent Cyrilli Glossæ, vbi legas. *Ζυγὸς, ὁ στατὴρ, libra, examen, statera, trutina.* Hoc si est, non dubium, quin *statera* sit à *στατὴρ*, quando Latini sua vocabula formare solent ab obliquis Græcorum. Auctorem laudat Iunius Pollucem. Sed is tantum ait: *στατῆρος δ' οἱ κωμῳδοὶ μνημονεύουσι τῶν λιτρῶν λέγοντες*: vbi per *λίτραν*, non *trutinam*, sed *libra pondo* intelligi cum alia fidem fecerint tum capitis lemma, quod est, *σταθμῶν ὀνόματα, ponderum nomina.* Quare non aliud ex Polluce colligi potest, quam *στατὴρ* notare tum *pondo vnciarum duodecim*, tum *nummum quatuor drachmarum Atticarum*.

STATIM priorem nunc corripit, nunc producit: quod minimè mirabitur, qui sciat, & composita à *sto*, in supino interdum quidem habere *I* breue, at sæpius *A* longum. Est interim diuersa aduerbij huiusce pro diuersa quantitate significatio. Quippe cùm priorem corripit, significat *recto*, &, vt Belgæ *ἐκ λέξεως* exprimunt, *op staende voet*. Gloss. Philoxeni, *Statim, εὐθέως, παραχρῆμα*. Cum verò producit, notat *ἐμμόνως, perseueranter, constanter*: quomodo Nonius Marcellus accipi docet in isto Plauti Amphitr. Act. I. Sc. I.

Nec recedit loco, quin statim rem gerat.

Quemadmodum & illo ibidem:

Ita statim stant signa, neque nox quoquam concedit die.

STATIO vnde sit, satis ostendit. quod propriè eo *statu* actio signatur. Hinc aptatum *loco vbi statur*. Nec pro *loco* accipitur vno modo. Nam Vlpianus, Pandect. lib. XLIII. sic in fluminibus vocari ait *locum, vbi tuto naues stare possunt*. Maro: *Statio tutissima nautis.* Appellatur & sic *locus vbi tuto ad tempus milites stant*: vnde eidem Vlpiano *milites stationarij* sunt *præsidiarij, qui in locis hosti finitimis agitant stationes*. Alias quoque significationes adfert Fungerus in Etymologico; quas apud eum legere potes. Minimùm tamen duæ his addendæ. Quarum prior *actum*, altera *locum stationis* signat. Prior est, quòd in Astrologia quoque sunt *siderum stationes*: quomodo aliquoties loquitur Plinius, lib. II. cap. XVI. Ibidem & caussam nominis his verbis assignat: *Percussæ* (stellæ) *in qua diximus parte & triangulo, Solis radio inhibentur rectum agere cursum, & ignea vi leuantur in sublime. Hoc non protinus intelligi potest visu nostro, ideoque existimantur stare, vnde & nomen accepit statio.* Hæc Plinius. Altera notio est, cùm *stationes* à Tertulliano vocantur *loca, in quibus Christiani conueniebant*: ideòque quia diebus Dominicis, vti & toto eo tempore, qui est à festo Paschæ vsque ad Pentecosten, non de geniculis, vt ieiuniorum diebus in pœnitentiæ signum fieri solet, sed *stantes Deum adorarent*, quod fiebat in memoriam resurrectionis Dominicæ, cuius fides vbi satis confirmata fuit, etiam consuetudo isthæc in desuetudinem abiit. Nonnihil de ritu isthoc legere potes apud Radulphum Fornerium lib. II. rerum quotidianarum cap. XXII.

STATIVVS à *sto*, vt à *cado, caduus*; à *recido, recidiuus*. Glossæ Cyrilli *στάσιμος* exponunt. Hinc *aquæ statiuæ*, quibus opponuntur *aquæ perennes*. Prioris generis sunt putei & lacus: alterius, fluuij & fontes. Varro de admirandis ad Fundanium socerum: *Secundo de statiuis aquis, vt sunt lacus & stagna, & putei & maria.* Plinius similiter, lib. II. cap. LXXXVIII. *In eadem & oppidum hanstum profundo, alioque motu terræ statiuas emersisse.* In vulgaris est *statinas per N*, sed *statiuas* tandiu emendauit Scaliger Coniectaneis ad IV. Varr. de L.L. *Statiua* quoque dicta loca in quibus castra haberentur: quod ibi milites *starent* ac morarentur. Onomast. *Statiua, σταθμοί*.

STATVO à supino *statum*. A *statuo* verò est *statua*. Plautus, Bacch. Act. IV. Sc. IV.

Hunc hominem decet auro expendi: huic decet statuam statui ex auro.

Ac similiter *staticulum*, quod *statuitur*, siue erigitur ac defigitur. Vt Tertulliano aduersus Gnosticos: *Comminue, & staticula eorum.* Pro eo, quod Deuter. c. XII. vulgatus interpres habet, *confringite statuas*. Hieronymus similiter: *Vxor Loth in staticulum salis conuersa est.* A *statuo* quoque est *statumen*, vt Græcè *στήριγμα* à *στηρίζειν*. *Statumen* Columellæ atque aliis vocatur *palus* siue *pedamentum vinearum*, & quicquid ad rem muniendam additur, quo ea stare possit: vnde Cæsari *statumina* quoque sunt, quæ Plinio *costæ*, hoc est, *orostaria ligna, quæ latera nauis suppingunt*.

STATVS nunc substantiuè sumitur, nunc adiectiuè. *Status* substantiuè est *locus quem sibi quisque dimicando capit*: nempe à *stando*, vel *sistendo*; vnde *deturbare de statu*, quod & *loco mouere* dicitur, vt penè initio Catilinariæ secundæ: *Loco ille motus est, cùm est ex vrbe depulsus.* Sed & *μεταφορικῶς* in decertationibus forensibus Ciceroni *status* dicitur, *id in quo defensor primum insistit ad repugnandum*: similiterque id Græci *στάσιν* appellant ab *ἵστημι*. Diximus abundè hac de re in Oratoriis nostris. At *status* adiectiuè dicitur, *quod stat, nec mouetur*, vnde *feriæ statæ* iis opponuntur, quas *mobiles* appellant. Sic *statas cerimonias* dixit Cic. pro Domo. & *stata sacrificia* pro Milone: vbi malè quidam habent *statuta*. Nam & Festus auctor est ita dici, quòd *statis*, hoc est, *certis fiunt diebus*: Vnde me non repugnante collegerit aliquis *status dies* dici non à *stando*, sed *sistendo*. Sanè & Onomasticon *status* exponit *πάγκοινος*. Ergo *status* valet *statutus*, quod à *statuo*: vti hoc à *statum*, quod à *sisto*. Hodie & *Reip. proceres* dicuntur *status*. Imò apud Hesychium legas, *Στάθοι, ἀρχαί*. A *status* est *staticulus*. Erat id *saltatio* non *motoria* sed *stataria*, qualis erat in choris *τραγικοῖς*, vt Turnebus docet, lib. XVIII. cap. X. & lib. XVIII. cap. IV. Hinc *staticulos dare*, *χορεύειν*. Marcus Cato in oratione apud Macrobium, lib. III. cap. XIV. *Descendit de canterio, inde staticulos dare, ridicularia fundere.* Et in eundem: *Cantat, vbi collibuit, interdum Græcos versus agit, iocos dicit, voces demutat, staticulos dat.* Plautus Persâ, Act. V. Sc. II.

Nequeo, leno, quin tibi saltem staticulum dem, olim quem Hegea faciebat.

Ita bene Acidalius ex vett. codd. *Staticulos dare* in saltatione dixere; vt *motus dare*, in illo Maronis, I. Georg.

Dat motus incompositos, & carmina dicit.

At *staticulum*, aliud est, vti in *Statuo* dictum.

STEGA, *στέγη*, à *στέγω*, *tego*. *Stega* legimus apud Plautum Bacch. Act. II. Sc. III. *Forte vt assedi in stega.* Estque *tabulatum nauis, in quo nautæ ambulant.* Petronius appellat *constratum puppis*. Quâ ratione & Cicero *nauem constratam* dicit, quæ Cæsari *tecta*.

STELLA quasi *luminis stilla* dici credidit clarus in literis vir: vt Fabius scribit, lib. I. cap. X. *sed*, inquit, *nominari in ea parte, quâ reprehenditur, inhumanum est*. Clarius autem dixisset dici quasi *ignis stillam*: quia philosophi antiqui, si Peripateticos exceperis, penè omnes, putarunt *stellas esse igneæ naturæ*: qua de re Theodoretum vide, lib. IV. Græc. affect. Isidorus, lib. III. cap. LXX. censet ita vocari à *stando*, quia non moueantur, nisi ad cæli motum. Sed vel est id nomen à *σέλας*, *lumen*, adiecto *T*: vel à *τελῶ* (vnde *ἀνατέλλω*, *orior*) præposito sibilo: vel, quod imprimis placet, *κατ' ἀφαίρεσιν* fit ex *ἀστήρ*. Latini enim ab obliquis Græcorum, vt sæpius diximus, rectos suos formare solent. *Ἀστὴρ* verò iuxta Eustathium fit ab *ἄω*, vel *αὔω*, id est, *splendeo*, vnde & *ἀὴρ* deducit, quasi *ἄηρ*, & *αὐγή*. Sed quis dubitet, *ἀστὴρ* ab Orientibus esse acceptum, cùm Persis *stella* dicatur *ster*: vnde *Esther* nomen habet: vt ad Eusebium Scaliger monet? item *Zoroastres*: quod *ἀστροθύτην*, hoc est, *astrorum sacerdotem*, notat: vt Dinon in quincto historiarum, & ex eo Diogenes Laërtius scripsit. Ac suspicor etiam hinc esse *Astarte*: quam *Lunam* esse censet Lucianus de dea Syria. Ab *ἀστὴρ* est *ἀστερίσκος*, *stellula*: item Grammaticorum nota, quæ signabat, si quid desideraretur, si quid laudabiliter dictum esset. Vide Eustathium in Iliados ε, & Od. ι Hieronymum præfat. in Paralip. atque alios, quos adduximus Resp. de Satisfactione Christi contra H. R. Est & piscis *stella*, mirè calidi temperamenti, sic vt vrere etiam, quæ contigerit, credatur. Tantam vim habet concoquendi, vt cochleas cum testis suis totas voret, & comminuat. Diximus de hoc operis de Theologia gentili, & Physiologiâ Christiana, lib. IV. c. VIII. A *stella* est *stello*. At aliud est *stellare*, aliud *stellari*: quæ perperam confudit eruditus Sidonij Interpres. Nam *stellans* est *stellarum* ar *micans*. Vt *gemma stellante* Ouidio. Nec *stellans nox* aliud est, quàm *lucens*. At *stellatus* est *stellis distinctus*. Vt I. Æn.

——— *Olli stellatus iaspide fuluâ*
Ensis erat.

Hoc est, capulus distinguebatur multa iaspide, singulæque gemmæ *stellas* referebant. nec enim audiendi, quibus *stellatus* est insignis iaspide vnicâ, quæ punctis velut stellis quibusdam distingueretur.

STELLATVRAM dici *annonam militarem* scribit Budæus annot. in Pand. Had. Iunius in Nomenclat. & plures alij. Sed ex Lampridij & Spartiani locis colligere est *stellaturam* esse lucellum illud, quod consequebantur tribuni annonam erogantes, detrahendo militibus aliquid annonæ ab imperatoribus ipsis assignatæ.

assignatæ, quod hodiéque tribunis, siue, vt vulgo vocant, capitaneis, insolens non est. Sane hæc verit minora, quam quæ scribit Cælius Rhodiginus lib. xi. cap. viii. De etymo valde disceptatur. VVolfgangus Lazius lib. xii. Comm. de R. R. ait militi loco pecuniæ datas tesseras stellatas, quæ proinde stellatura nomine appellarentur. Sed vellem eius moris veterem laudasset auctorem. Alciatus in annotationibus ad tres posteriores libros codicis deducit a stela, hoc est, columnis, quibus fœdera inscriberentur. Sed istas ille nihil ad rem facit: nec stelatura dicta, sed stellatura, gemino LL. Prateius in Lexico, censet stellaturas fuisse tesseras, per quas annonæ species militibus mitterentur. Et ita dictus ἀπὸ τῶν στιλάδων, hoc est, punctis. Nempe vt a vado, vadare fecerunt ita a stiria stellare, vnde stellatura. Sed στίλη etiam notat atomum. Nec dubium, quin princeps & honestissima ratio, cur aliquid tribuni militibus detraherent de stipendio, fuerit ea nomine vocatione siue dimissione temporaria. Quare ex eo potius stellatura dicta sit. Sed nec minus placet sententia Ioannis Baptistæ Egnatij, cui id vocabulum factum videtur a vitio stellionum: vnde & stellionatus crimen nomen accepit. Nempe vt stellatura contractum sit ex stellionatura, sicuti ex pellionator. Vide præter eos, quos diximus, scriptores, Casaubonum & Salmasium, Not. in Spartianum.

Stellio putatur, quam Romanum vulgus tarantulam vocat. Germani, Galli, Britanni, quia eo animali carent eo nec proprium nomen habent, quo designent. Duplex Latinæ vocis etymon ponit Festus: Stellionem genus animalis in terra: quod Verrius dictum ait, quia virus stillet cibo, potius quam quod aliis (dicit) a stellarum similitudine, quia varium est. Ouid. iv. Met fab. vii.

——aptúmque colori
Nomen habet variis stellatus corpora guttis.

Tertullianus de cibis Iudæorum: Quis stellionem? (comedit:) sed maculas execratus, prædam de aliena morte quærentes, Glossæ Latino-Græcæ Philoxeni interpretantur ἀσκαλαβώτης quam vocem Perottus ait esse à Græco ἄσκαλος, id est, circulus, quia, vt ait, circulis quibusdam sit depictus. Id etymon non placet Gesnero. Nempe quia ἄσκαλος potius notet purgatum sarculo, à σκάλλειν, id est, sarrire. Hinc Hesychius: Ἄσκαλα, ἀσκαλευτα. Verùm pro Perotto sunt Glossæ Cyrilli: in quibus est ἀσκαλος, circulus. Donatus ad Eun. act. iv. etiam γαλεώτην vocari scribit: vbi refert Terentium à quibusdam erroris argui, quod pro Menandrico illo γαλεώτης γέρων, dicat colore mustelino, cùm γαλῆ quidem mustela sit, sed γαλεώτης, stellio. Cùm autem γαλῆ mustelam ac felem notet, persuadeo mihi γαλεώτην vocari, quia γαλῆ instar vnguibus innixus per parietes adscendat. Fortasse & ob eamdem caussam appellatus est ἀσκαλαβώτης nempe, vt Gesnerus coniiciebat, quasi κωλοβάτης, à κῶλον, id est, artus, membrum, & βαίνω, eo, gradior: quod nempe artuum vnguiculis scandat in sublime: vel quasi ξυλοβάτης à ξύλον, id est lignum, & βαίνω, quod ligna scandat. Est & tertia appellatio, κωλώτης, vt indicat Suidas, ac Babrij loco comprobat. Complexus tres hasce appellationes Hesychius, cum ait: Κωλώτης, ἀσκαλαβώτης· λέγεται δὲ αὐτὸς καὶ γαλεώτης. δοκεῖ δὲ αὐτὸς δίστιχος ἄσκαλος εἶναι τῶν φυῶν. Quibus verbis Gesnero innuere videtur ἀσκαλαβώτην dici quasi δισκαλαβώτην ab δίστιχος & ἀσκαλος. Easdem appellationes coniunxit Plinius lib. xxix. cap iv. al. v. Hunc [stellionem] Græci colotem vocant, & ascalaboten, & galeoten. Idem lib. xxx. cap. x. cùm dixisset, stellionem anguis instar tunicam suam exuere, hanc autem, si in aceto bibatur, mederi morbo comitiali, adiicit hæc verba: Opera pretium est scire, quomodo præripiatur, cùm exuitur membrana hyberna, alias deuorante eam, quoniam nullum animal fraudulentius inuidere homini tradunt. Inde stellionum nomen aiunt in maledictum translatum. Hæc Plinius, quibus confirmatur interpretatio veteris Glossarij, in quo stellio exponitur κακοῦργος, κακότεχνος. Et apparet sic accipere Appuleium lib. v. Met. vbi Venus irata filium Cupidinem stellionem vocat. Verba apponam: Sed nunc irrisui habita quid agam? quo me conferam? quibus modis stellionem istum cohibeam, &c. Hinc etiam patet cur à stellione stellionatus dicatur pro κακουργία, prout eædem Glossæ interpretantur. Propriè autem stellionatus dicitur Iurisconsultis, cùm dolo quid factum & titulus criminis deficit, vt siquis rem alienam sciens obliget, vel cuipiam pigneratam, alij denuo oppigneret, vel in pignere dando pro auro æs subieceerit vel sciens statu liberum dissimulatâ eius conditione vendiderit, vel creditor numeratam iam sibi pecuniam iterum acceperit l. vii. §. i. ff. ad Turpil. l. i. ff. stellionatus. l. xvi. i. l. xxxvi. ff. de pign. act. l. xxix. §. penult. ff. mandat. l. ix. i. ff. de statu lib. In Glossis Isidori legas: Stellionatus crimen, cum vna res duobus venditur. Est id quidem stellionatus: sed vox ea multo latiùs patet: vt liquet ex iis quæ diximus.

Stemma, στέμμα. Gloss. Cyrilli. Στέμμα, infula, & offula, mitra. Στεφάνωμα, serta. Propriè στέμμα, corona, a στέφω, corono: speciatim verò accipi solet pro coronis illis, in quarum medio cera expressi erant maiorum vultus, lineis discurrentibus ad imagines pictas, & signantibus cognationum gradus. Qua de re Tiraquellum vide de Nobilitate, cap. vi. ἀστέφω à φαΣ, circumligauit, obuoluit.

Stercus (inquit Isidorus lib. xvii. cap. i.) vocatum, vel quia sternitur in agris, vel quod ex tergi oporteat quicquid sordium in ciuitate redundat. Si literas species, longiùs recedit à Græco eiusdem significationis verbo, quod est σκῶρ. Nec tamen nunc melius occurrit. Ab eo sterquilinium, quasi sterculinum. Glossæ Philoxeni: Sterculinum, κοπροδοχεῖον. Nec ὀξύχειρος hæc temere respuenda. Nam apud Plautum, Casinæ, Act. 3. Sc. 1. vbi in vulgatis est sterquilinio, ibi in Camerarij MSS erat sterculino, vt obseruauit Gruterus. Saturnus siue vt alij malunt, Picumnus primus Italos docuit agros stercorare, ac propterea Deus Stercutius, siue vt alij scribunt, Stercutius aut Sterculius, aut Sterquilinius dictus est. Vide Plinium, lib. xvii. cap. ix. Macrobium lib. i. Saturn. cap. vii. Seruium in initium ix. Æn. Meminit & Tertullianus Apolog. cap. xxv. Lactantius, & Augustinus, lib. ii. de moribus Manich. cap. xv. & lib. xviii. de Ciu. Dei. cap. xv. A stercus quoque est stercoro, quod est. stercore agros adsperge. Vox crebra scriptoribus rei Rust. sed & Tullio vsurpata in Catone maiore, vbi sic scribit: Quid de vtilitate loquar stercorandi? dixi in eo libro quem de rebus rusticis scripsi: de qua doctus Hesiodus ne verbum quidem fecit, cum de culturâ agri scriberet. At Homerus, qui multis (vt mihi videtur) ante seculis fuit, Laërtem lenientem desiderium, quod capiebat è filio, colentem agrum, & eum stercorantem facit. Sed de Laërte falli Ciceronem censent Budæus in quincto de Asse, & Brodæus lib. vi. Miscell. cap. xiii. Quibus subscribo. Nam Homerus quidem in vltimo Odysseæ Laërtium inducit λιστρεύοντα. Sed λιστρεύειν aliud est, nempe vel περισκάπτειν, hoc est, circumfodere, vel ξύειν, hoc est, radere vel leuigare. Vtroque modo interpretatur Hesychius. Indéque apud eundem Homerum λίστρον vocatur instrumentum, quo arbores circumfoderent, aut raderent. Et sanè λιστρεύειν Homero esse ξύειν, clarè indicat locus Æliani, lib. vii. hist. cap. v. Καὶ Λαέρτης αὐτουργῶν ὑπὸ τῷ παιδὸς εὑρίσκεται, καὶ φυτὸν ξύων, καίτοι γηράσκων ἀνὴρ ἤδη. Laërtes, quamuis iam extremâ senectute, in opere à filio deprehensus est arborem radens. Nec solus hâc parte Ciceró errauit: sed in errorem quoque Plinium induxit, cùm lib. xvii. cap. ix. ita scribit: Fimi plures differentiæ; ipsa res antiqua. Iam apud Homerum regius senex agrum ita suis manibus lætificans reperitur. Quamquam verò vterque de Laërte falsi sunt: tamen (vt Brodæus obseruauit loco quo ante dixi) ex Homero probare est, iam prisco æuo stercorationem fuisse notam. Vt in versu illo Odyss. P.

——Ὅθ' ἅμ' ἄργιος
Δμῶες Ὀδυσσῆος τέμενος μέγα κοπρήσοντες.

Sterilis nunc dicimus, veteres autem sterilus. Lucret. lib. ii.

Et fenitis sterila & succo ieiuna feruntur.

Sic femina sterila, Festus: Steriam mulierem appellabant, quam Græci στεῖραν dicunt, quæ non concipit semen genitale. Quibus ex verbis etiam discimus steria esse ex στεῖρα. Philox. Gloss. Sterilus, στεῖρος, ἄκαρπος, ἄγονος, Nempe à στεῖρος fuit [illegible] sternia, sterila & sterilis. στεῖρος autem ex στερέω, priuo, orbo. Possis & ἄκριτος a στερέω deducere. Et quid si Latini prisci stereo dixerint? vnde esset sterni, sternum: à quo sterilis, vt ab habitum, habilis.

Sternax à sterno, vt à vino vinax, ab emo emax, à vigilo vigilax apud Propertium & Caium IC. & à curro currax apud Rufinum, Iosephi interpretem: quæ duo vocabula obseruauit Scipio Gentilis, lib. i. περ. cap. xvii. vbi & suspicatur rectè itidem pro animal dici animax, quod in Florentina Pandectarum editione inuenitur. Est verò duplex notio verbalis sternax. Maroni ita dicitur qui sternit. Locus est xii. Æn.

Et sternacis equi lapsum ceruice Thymœten.

Vbi Seruius: Ferocis, qui sternit equitem. Ac similiter vsus Festus Auienus in Orbis descript.

——— Hac pecoris dorso sternacis in æquor
Inachis illata est.

Gloss. Græco-Lat. ἀφηνιαστής, senax. vbi sternax legendum esse, satis liquet. At sternax quoque vsi pro supplice, & humi se sternente, Sidonius, lib. v. epist. xiv. Ceruicem humiliatarum & sternacium cinium suspiriosa contubernia. Et lib. iv. epist. xii. Respondit ipse, quamquam esset trepidus, & sternax. Vbi coniungi videmus trepidus & sternax. Vnde Glossæ Isidori: Sternaces, pauidi. Ita enim est in MSS, vbi alij libri Sternaces, cupidi.

STERNO pro *storno* κατὰ συγκοπὴν factum è στορέννω, quod idem notat. Nempe quâ ratione ex στορέννυμι fit στόρνυμι, vnde part. fem. στορνῦσα, Pro eo & dicitur στρώω, vnde στρωννύω, à quo στρωννύω. Vnde στρῶμα, *stragulum*. Item *storea*, de quo seorsim. A *sterno* sunt *externo*, & *consterno*: de quibus in *Extra* dictum. Ab eodem est *sternax*: de quo seorsim. A supino *stratum* est *strator*, qui equum *sternit*: qui & *à statura* vocatur. Gloss. *Ab astratura*, (leg. *à stratura*) ἀπὸ τῆς ἀναβολῆς. In Glossis Cyrilli: στράτωρ, *strator*. In Onomastico ἀναβολεὺς exponitur. In Gloss. Basilic. legas, Στράτωρ ὁ ἀναβιβαστής. Vnde πρωτοστράτωρ, *princeps stratorum*, vt qui imperatorem in equum subleuat. A *stratum* quoque *stramen*: vt à *motum*, *momen*. Et vt à *momen*, *momentum*, ita à *stramen*, *stramentum*. Gloss. Philox. *Stramentum*, στιβάς, χόρτασμα. Glossæ Cyrilli; στιβάς, *stramentum*. στιβάς, *stramentum*. Nempe quia sternitur cubandi causâ, vnde & *stibadium* dicitur. Nam στιβὰς & στιβὰς idem. A *stratum* quoque *stragulum*: quod in Glossis Philoxeni exponitur ἀνάστρωμα. Nempe quia sternitur. Vide Vallam. lib. VI cap XLVI. Etiam *vestis stragula* dicebatur, quia quo de die amiciebantur, illud supra lectum noctu sternebant. Ouidius, lib. I. Am. El. II.

> *Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur*
>
> *Strata, neque in lecto pallia nostra sedent.*

Propertius lib. IV. Eleg. IV.

> *Tum queror in toto non sidere pallia lecto.*

Vnde liquet *pallia* fuisse *vestem stragulam*. Similiter *corrigiam* siue *ligulam calceamenti*, *obstragulum* dixere, quia in superi parte pedis sternitur, vt obstringat soleam, quæ plantam munit. *Ob* enim hîc valet *ex aduerso*. Eiusdem originis *strages*, cùm aut vento arbores, aut bello homines *sternuntur*. Gloss. Philox. *Strages*, ἀναίρεσις πολλῶν, ὡς τῶν ὑλῶν ἀνέμων καταφθορά. Glossæ Cyrilli, φόνος πολλῶν ἐν πολέμῳ, *strages*. Iouianus Pontanus in Actio p. CXXXIX. ed. Ald. censet hæc, *stramen*, *stragulum*, *strages*, κατὰ συγκοπὴν facta ex *stratamen*, *strataguium*, *stratages*. Sed nihil hîc syncope opus. Nam vltima supinorum syllaba non remanet in deriuatis. Sic à *nutum* est *numen*; à *flutum*, *flumen*; à *motum*, *momen*; à *notum*, *nomen*; à *fatum*, *famen*, vnde *affamen*; à *fultum*, *fulmen*; párque in aliis ratio est. A *stratum* quoque *strata*, pro *platea*, vnde Germ. & Belg. *strate*. Gloss. *Strata*, λεωφόρος. Procop. Στράτα ἡ ἐστρωμένη ὁδὸς τῇ Λατίνων καλεῖται φωνῇ. Nescio quid in mentem venerit Isidoro, lib. XXIX. cap. XVI. vt diceret, *strata* dici quasi *vulgi pedibus trita*. Verius, quod addit, *quia lapidibus strata*. Vide Giffanium Ind. Lucret. in *Strata viarum*, Paulum Diaconum, & Franciscum Lindebrogium ad eum scriptorem pag CCLXXXIII.

STERNVO vnde *sternutamentum*, est à *sternuo*: hoc verò non quidem à *sternendo* est; vti putarunt: ac Festus etiam voluisse videtur in *Consternatio*: sed à πταίρω, quomodo priscos pro πταίρω siue πτάρω dixisse, argumento est, quod à πταίρω etiamnum dicatur πταρνύμαι significat id *sternuo* seu *sternuto*. Π verò interdum in S abire eo cognoscimus, quòd *merula* auis tum κόψιχος, tum κόσσυφος dicitur; vt ex Athenæo & Eustathio discimus. *Sternuo* non modò Catullus & Propertius vsurpant, sed etiam Plinius, cùm alibi, tum lib. VII. cap. VI. *Oscitatio quidem in enixu letalis est, sicut sternuisse à coitu, abortiuum*. Sic lib II. cap. XL. de orige, animali Ægyptio, ait illud oriente Canicula *sternuere*. Et alibi, *Cur sternuentes salutamus*? Nestor Nouariensis putabat *sternuo* esse à *sterno*. Sed est à *sternuo*, vnde & *sternumentum* in vett. Plinij libris. Sed vulgo reponunt *sternutamentum*. Cur *sternutantibus* salutem soleant precari, (cuius ritus etiam meminere Xenophon. lib. III. de expeditione Cyri; Plinius, lib. XXVIII. cap. II Appuleius, lib. IX. atque alij;) in causa est, quod *sternutamenta* sint à capite: caput autem Ioui esset sacrum. Vnde certissima maximéque diuina hinc omina proficisci creditum fuit. vide hoc de more Plutarchum lib. de Homero; è iunioribus Alexandrum ab Alexandro lib. II. cap. XXVI. & Ianum Duzam in Petronium, lib. II. cap. IV. *Augurium per sternutationem* Græcè dicebatur ἐνόδιος σύμβολος ac Cereri erat sacrum: teste Hesychio & Suida, item Apostolio: quos vide in ἐνόδιος. Sed apud Apostolium corruptè editum διὰ τῶν πταρμῶν, pro διὰ τῶν πταρμῶν *per sternutationes*.

STERTO à sono *stertentium* effictum. Vti & Græcum ῥέγχειν, & ῥέγκειν. & Germanicum *schnarchen* & Belgicum *snorcken*. Nam quid est aliud quam, vt Cœlio Aureliano vocatur, *resonans pectoris stridor*?

STIBIVM. Græcè στίμμι, στίμμις, στίμμεως, ἀπὸ τοῦ στείβειν, seu στείβειν, quod est *constringo*, quia eam vim habet Hesych. Στίμμι, χρῶμα εἰς τὰ ὄμματα. Onomast. *stibium* στίμμι. Vsus eius est mulieribus in fucanda facie: quod quia dedecet homines religiosos, eò Italis *antimonio* videtur nuncupari ab ἀντὶ *contra*, & Italico *mono*, *monachus*. Vide de eo Georgium Agricolam, lib. X. de natura fossilium cap. XI.

STICAM in allio dixere, quam Græci φόλιγγα vocant. Quo nomine non tam capio περιφερείαν τῶν σκορόδων, vt Hesychius exponit: quam ὃ εἰώθει λέπυρον τῶν σκορόδων. vt exponit Aristophanis Scholiastes. Hoc est, *tunicas allij*. Vsi sic voce *stica* Cato, & Columella: sed vulgo *spica* substituerunt: vt obseruatum Salmasio. Columellæ locus sic legi debet:

> ———*tum teneris frondens lactucula fibris,*
>
> *Alliáque infractis sticis, & obunca laxè*
>
> *Vlpica.*

Idem lib. XI. cap. III. de Vlpico: *Habet enim, velut allium plures cohærentes sticas, easque cum sunt diuisa, stratim sere nebet.* Isidorus in Glossis: *Stica*, *tunica*. Idem: *Stigia*, *tunica*. *Stigma*, *ornamenta regia*. *Stigium*, *genus vestimenti*. Non dubito, quin *stica* sit à Græcis: sed vnde sit, non æquè patet. In Glossis Cyrilli legas: Στιχάριον, *tunica*. Sed hæc vox posterioris æui. De qua accuratè clarissimus amicus noster Meursius in Lexico mixobarbaro. Στιχάριον pro eo est in liturgia Chrysostomi. Num ergo *stica* potiùs ex στίζω, vt propriè sic dicatur χιτὼν ποικιλωτός, *tunica notis variegata*: atque inde generatim de *quauis tunica* cœperit vsurpari, & κατὰ μεταφορὰν traductam sit ad *tunicas cæpa*?

STILLA & *gutta* sic distinguebat Palæmon, quòd *gutta* stet, *stilla* cadat. Monet id Eusebius in Chronico: sed apud Tranquillum nihil tale legas in libello de illustribus Grammaticis, vbi & de Palæmone. Verùm legitur hoc discrimen in differentiis Cornelij Frontonis, Grammatici antiquissimi. Est verò *stilla* à σταλάζω, quod, Hesychio teste idem est ac στάζω, hoc est, *stillo*: nempe *A* in *I* conuerso, quomodo à κάμαρος est *camillum*. Gloss. Philox. *Stilla*, σταγὼν, σταλαγμός. Ac similiter σταλαγμός exponitur in Glossis Cyrilli. Vel potiùs est *stilla* à *stiria*: quod præter Festum in *Stiricidium*, Seruius tradit in illud III. Georg.

> *Stiriáque impexis induruit horrida barbis.*

Stiria, inquit, est gutta: inde fit diminutiuum, vt dicamus stilla. A *stilla* *substillum* dicitur tempus humidum, siue ante pluuiam, quia iam *stillet*: siue post eam, quia *stillare nondum desinit*. Auctor Festus. Vtitur Tertullianus, lib. de Pallio, cap. secundo. Ab eodem est *instillo*, quod est, *guttatim immitto*. Item *destillo*, & *stillicidium*: quod cum Seruius ibidem docet, tum etiam Varro, lib. IV. de L.L. his verbis: *A quo lege prædiorum vrbanorum scribitur: Stillicidia flumina aqua vti (ita rectè emendat Scaliger) fluant cadantque. Inter hæc hoc interest, quod stillicidium, eò quòd stillatim cadat: flumen, quod fluit continuè.* In Gloss. vett. exponitur ὁ ἀπὸ τῶν κεράμων σταλαγμός. Dicitur & *stiricidium*, à *stiria*. Festus: *Stiricidium quasi stillicidium, cùm stilla concreta frigore cadunt*. Catonem eo vsum esse, auctor est idem Festus. *Stiria* Pomponius Sabinus ait esse à *stilla*. At potiùs à *stiria* est *stilla*. Fungero, atque aliis, placet *stiria* esse à στεῖρα, quod est *sterilis*. Sed quæ hîc affinitas significationis? aliquibus placet esse à *sto*. Sed non magis est *stiria* cùm *stat*, quam cùm pendet, aut cadit. Quid si igitur dicamus esse à στάξ, quod *stiriam* siue *guttam* significat? *A* in *I* sæpe abit, vt non semel ostendimus. A στράγξ & οὖρον est στραγγουρία, cùm vrina stillatim it. Quem morbum ἀποστάζειν Cato de R.R. cap. CLVI. *Nunc de illis, quibus ægrè lotium it, quibusque substillum est.* In Glossis Cyrilli legas: Στραγγουρία, *culbicio*, *substillatio*. Στραγγουρῶ, *culbio*, *substillo*. Quid dicemus de barbara voce *culbicio*? Suspicor esse ex Belgico *coel-pis*, quod Germanis *kalte-piss*. *Kalt*, siue *coel*, frigidus; *pis*, vrina: quia à *frigore* est *stranguria*.

STILVS propriè est *graphium*, siue *stirum*, *illud enim acumine scribebatur in ceratis tabellis* Fortè igitur à στίζω, *pungo*. Alij tamen *stylus* malunt, quia Græcè στῦλος est *columna*. Vt nempe sic dicatur à similitudine quia est quasi *columella* quædam. Sanè Galeno idem sunt στυλοειδὴς χονδροειδής. Formam *stili* describit Symposius ænigmate, cuius lemma *stilus*. Cuius initium:

> *De summo planus, sed non ego planus in imo.*

Nempe acumine scribebant, plano verò complanabant ac delebant. Atque hoc est, quod Horatius dicit *stilum vertere*. Μετωνυμικῶς verò accipitur pro *phrasi* siue *genere dicendi*.

STIMVLVS, κέντρον ἀροτροῦ vt Glossæ Philoxeni exponunt. Hinc *stimulare* & *Dea Stimula*, quæ *stimularet ad actionem*. Meminit præter alios Scholiastes Iuuenalis, sat. II. *Stimulus* est à στίζω, *pungo*, vnde & *stigma*. Martiali, στίγμα, *nota*, *quâ quis compunctus*: vel *militum victura puncta in cute manu*: de quibus Vegetius, lib. I. cap. VIII. & lib. II. cap. XII. Aetius, lib. VIII. cap. XII. &c. Item *seruorum puncta in*

facie

facie aliave parte: vnde ϛιγματίας δοῦλος. *seruus cui nota inusta*. Nec aliunde, puto ser. ile *Stichi* nomen apud Plautum: etsi ϛίχος Græcis *ordinem* ac *versum* notet. A ϛίζω etiam est *stigo*, vnde *instigo*: de quo seorsum.

STIPENDIVM à *stipando* deducit Angelus Decembrius, lib. v. de politia literaria, parte LV. Sed omnino dicitur quasi *stipendium* à *stipe pendenda*. Varro extremo lib IV de L.L. *Hoc ipsum stipendium ab stipe dictum, quod as quoque stipem dicebant*. Vlpianus, lib. XVII. ad Edictum: *Stipendium à stipe appellatum est, quod per stipes, id est, modica æra colligitur*. Isidorus, lib. XVI. cap. XVII. *Stipendium à stipe pendenda nominatum. Antiqui enim appendere pecuniam soliti erant magis, quam annumerare. Stipendium est as militare*, vt docet Festus Hinc in vett. Glossis exponitur, ὀψώνιον ϛρατιωτικόν. Item μισθὸς ϛρατιωτικός. Vti & in Glossis Cyrilli, μισθὸς ὁ ϛρατιωτικός. Sed & *tributum* sic vocatur, teste Pomponio IC. At proprie differre, vel fidem fecerit hic Taciti locus: *Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt*. Binas quoque alias significationes adde è Turnebi lib. XXX. cap. XXVII.

STIPES pro *ære* (sic interpretantur Varro & Vlpianus) est à *stipando*. Varro, lib. IV. de L. L. *Nam quod asses libra pondo erant, qui acceperant maiorem numerum, non in arcâ ponebant, sed in aliquâ cellâ stipabant, id est, componebant, quò minus loci occuparet, à stipando stipem dicere cœperunt*. Festus: *Stipem dicebant pecuniam signatam, quòd stiparetur*. At præterea *stipes* dicitur *fustis terræ defixus*, vt Festus interpretatur, qui in voce *Stipatores* deducere videtur à *stipando*, id est, *firmando*: vnde & *stipam* siue *stupam* deriuat. Sed est *stipes* à ϛύπος, hoc est, *stipes, truncus*. Hesych. ϛύπος, τὸ ϛέλεχος. Gloss. Phil. *Stipes*, ϛέλεχος ἄκαρπον. Gloss. Cyr. Στύπος, *stipes*. Vbi legendum *stipes*. Apollon. I. Argon.

Ἔσκε δ' ὑπὸ ϛόρεσιν ϛύπος αὐτόθι.

Vsus & Nicander in Alexipharmacis. Itaque & quidem *stypes* scribunt per Y. vt auctor est Pierius ad VII. Æn. Sed rectiùs scribitur per *I*. Nam Y mutatur in *I*, quomodo & à ϛύφω fortasse est *stipo*, & à φρύγω *frigo*, ab Ὀδυσσεὺς in quibusdam vett. libb. *Vlixes*, item ab Αἰγύπτιος, *Ægiptius*, pro *Ægyptius*, siue *Æguptius*: quod ipsum non rarò reperias in vett. monumentis.

STIPO, video esse qui à *stipite* dictum velit, vt propriè sit, *stipite condenso, aut firmo*. Sed potiùs à ϛύφω venit, hoc est, *inspisso, condenso*, à quo ϛύπη, *stupa*, quia eâ rimæ farciuntur: vt alibi dicimus. Vel potiùs, *stipo* sit è ϛείβω quæ Varronis est sententia in IV. de L. L. Eam confirmant Gloss. Cyrilli, vbi est, ϛοιβὴ, *stipatio, stramentum*. ϛοιβάζω, *stipo*. Id propriè est *fullonum more calcare*, quomodo Homerus Od. ζ de lotricibus, ait: Στεῖβον δ' ἐν βόθροισι, supple τὰ εἵματα sed μεταφορικῶς accipitur pro πυκνοῦν siue πυκνοποιεῖν, *condensare, constipare*, quia nempe quæcunque calcantur, ea densantur, indurantúrque. Ab hac significatione vocis ϛείβω est ϛιβάς, quod Eustathius exponit πάχνη & ϛίβη *pruina*, quasi ros frigore concretus condensatúsque, vnde & πάχνη vocatur à πήγνυμι. *Stipatores* non à *stipe*, quam acciperent: quod apud Festum legas. sed quia *stiparent* ac cingerent Regum corpora. Sunt enim iidem qui Græcis σωματοφύλακες.

STIPVLATIO contrahitur, dum creditor interrogat, debitor spondet: vnde verborum nascitur obligatio. Gloss. Philox. *Stipulationes*, ἐπερωτήσεις. Varro, lib. IV. de L.L. & Festus in *Stipem*, eam dici putant à *stipe*, quia imprimis fit *pecunia*, quam veteres *stipem* dixere. Ita *stipulari* sit *stipe* proposita postulare aliquid sibi promitti, idque verbis conceptis. Alij malunt ita vocari à *firmitate*, quòd firmandarum obligationum caussa interponeretur. Nam veteres, quod *firmum* esset, id à *stipite* dixere *stipulum*. Ita Paullus, lib v Recept Sentent. Iustinianus, initio Tit. de verborum obligat. & Isidorus, lib. V. Orig. Sanè etiam Germanis *steif*, Belgis *stijf*, *firmum* notat. Fortasse ab ea notione *stipuli*, quam hi assignant. Sed *stipulum* vnde? Num quasi *stiptulum* à ϛυπτὸς, quod à ϛύφω, seu ϛύπω, *stipo*? Sanè Hesychio ϛυπτὸς, πυκνὸς, ϛερεὸς, πεπιλημένος. Est & tertium *stipulationis* ἔτυμον. Nam Alciatus, lib. I. Παρέργ. cap. XXXIX. deducit à ϛυφὸς, quòd *adstringat*. Id enim est ϛύφειν. In hoc dissensu planè iis subscribimus qui putant *stipulandi* verbum rure natum esse, & à *stipula* profectum, vt Isidorus tradit, lib. V. cap. XXIV. Caussa autem ex eo videtur, quia in contractibus agrariis *stipulam* manu soleant tenere, quæ agrum integrum repræsentaret. *Stipula* est arundo agrestis: vt.

Stridenti miserum stipulâ disperdere carmen.

Pro quo alibi *tenuem auenam* & *agrestem arundinem* dixit. *Stipula* verò diminutiuum ab inusitato *stipa*, quod à ϛύπος, quia *caulis* est *frumenti*. Nec enim audiendus est Isidorus, lib. XVII. cap III. cum *stipula* ab *vrendo*, quasi *vstipula*.

STIRPS fortè κατὰ μετάθεσιν trium principum literarum fit à ῥίζα. Nam hoc idem notat: vt Glossæ Philox & Cyrilli exponunt. In quibus & ῥιζόθεν, *radicitus, stirpitus*. Imo & in Onomastico legas *Stirpicus*, ῥιζοθήκη. Vbi fortè rescribendum *stirpicida*. Nam *stirpix* haut alibi me legere commemini. Hoc si etymon parum probatur, vide an magis arrideat Cæsaris Scaligeri: cuius hæc verba notis in Theophrasti histor. plant. lib. I. cap. II. Καυλὸς *generis nomen est*. ϛέλεχος *arborum tantum: stipes, vnde & stirps, de solidioribus tantùm, si etymon sequare*. ϛέλεχος *adhuc Itali vulgò exprimunt, tametsi corruptâ voce, stecco*. Hæc ille. Sed de Italicâ voce, fallitur. Quódque ad *stirpis* originem, aliter de ea Scaliger ipse ad Theophrasti de caus. plant. lib. III. cap. IX. *Stirps*, inquit, *primo significato stipitem significauit. Etiam nunc vtuntur Thusci. Græca est origo* ϛερέωμα. *Vsus postea detorsit etiam ab radice, vt est apud Poëtam & Ciceronem*. Fortasse in priori loco scripserat Scaliger, *stirps, vnde & stipes, de solidioribus tantum, si etymon sequaris*. Ita sententia loci fuerit, quemadmodum τέρμων Latinis dicitur *terminus*, sic ϛερέωμα priùs fuisse *terpes*, & postea s in *I* conuerso *stirpes*; pro quo nunc *stirps* dicitur quomodo pro *trabes trabs* dicimus, pro *plebes plebs*, pro *mentis mens*, &c. Ab inusitato autem *stirpes* factum esse *stipes*, eiectâ caninâ literâ, quomodo à *Carmena* est *Camena*, a *prorsa prosa*, à *κέντρωνες*, *centones*, &c. Sanè aut hoc voluit Scaliger, aut scribere potiùs debuit: in quo æquos harum rerum iudices facile mihi assensuros scio. Ab hac opinione, vt nempe *stirps* sit a ϛερέωμα vel ϛέρεωμα, non multum abit, quod in Catholico legas, vt dicatur quasi *staripes*. Quomodo Belgis *stam* à *stando*. Sed vtcunque concedamus Scaligero *stirps* esse ex Græca voce, quam dixi tamen probare non possum, vt ex *stirpes* sit *stipes*. Longe enim mihi verisimilius videtur esse *stipes* a Græco ϛύπος, hoc est, *stipes, truncus*. Vide quæ hac de voce seorsim diximus.

STIVA est *aratri manica*, quâ cursus eius dirigitur. Græcis, quia manibus tenetur, ἐχέτλη dicitur παρὰ τὸ ἔχειν, τὸ κρατεῖν. Latinis *stiua* vocatur, quasi *statiua*: quod, puto, voluit Varro, cùm IV. de L.L. à *stando* deducit *stiuam*. Vel fuerit *stiua* à ϛείβω quasi ϛειβή, non quasi pedibus calcata sed quasi manibus trita. Sanè & ϛιβὸς est ϛερεὸς, *firmus*, teste Hesychio quia quæ densata, ea & firma.

STLATA, *nauis piratica*. Glossæ Philox. *Slatta* (leg. *stlata*) πειρατικὸν σκάφος εἶδος. Originem indicat Festus in schedis Pomponij Læti: *Stlata genus erat nauigij, latum magis quam altum, sic appellatum à latitudine: sed ea consuetudine, qua stlocum pro locum & stlitem antiqui pro litem dicebant*. *Stlata* inter nauigij genera meminit Gellius, lib. XIX. cap vlt. Hinc *stlatarius*, & *stlatarium*. Caper: *Stlataris sine C litera scribendum est, à stlata, rate piratica*. Gloss. Isid. *Stlataria, vestis piratica*. Iuuenalis sat. VII.

Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo.

Vbi sic Scholiastes vetus. *Stlataria, illecebrosa*. Ennius:

Et melior nauis, quam quæ stlataria portat.

id est, multisonalis, quæ vulgo dicitur bacalaria. De Iuuenalis istoc loco agit & Turnebus, lib. XX. cap. vlt. in Glossis Philox. etiam legas *Stlactarius* (emenda *stlatarius*) ἐγχώμιος. Quo notatur *assentator, adulator*, vt in Glossis exponitur. Non dubium tamen quin *stlatarius* κυριῶς dicatur de eo *qui stlatam regit*. Sed fortasse quia *stlatarius* inseruiret exhauriendis aliis nauibus, transiit ea vox ad ministros alios, & ministrantium more adulantes. Vide Casaubonum in Charact. Theophrast.

STLEMBVS, ni fallor, à *lumbagine*. Nempe vt pro *lite stlitem*, pro *loco stlocum*, pro *lata stlata*, sic *stlembus* pro *lumbus*, quasi *lumbeius*, à *lumborum vitio*, & κατὰ μετάθεσιν, pro *tardo*, instar laborantis lumbagine Festus: *Stlembus, grauis, tardus: sicut Lucilius, Apulidæ pedibus stlembum dixit, cùm refert equum pigrum & tardum*.

STLOPPVS est ὀνοματοποιημένον. Significat enim sonum, quem edunt buccæ inflatæ collisæque. Glossæ vett. *Stloppus* ποππυσμός. Persius sat. V.

Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.

In vulgatis est *scloppus*: sed *stloppus* in omnibus antiquis Persij ac Prisciani codd. scribi, monuit Casaubonus: qui & vocem hanc restituit Marcello Empirico, carm. ad Rosas, vbi vulgo legitur: *Stelpus à cælo cecidit*. Nam duarum tantummodo literarum traiectione opus est. Itaque & bellicum illud instrumentum, quod vulgo à *scloppo sclopperum* nominant, potiùs à *stloppo stloppetum* puto appellandum.

STO. à ϛάω, ϛῶ, vnde ἵϛημι, vt do à δάω, δῶ, vnde δίδωμι. Ingens est caterua eorum quæ ab hac voce descendunt: quorum aliqua hoc loco commemorabimus: cætera, vt *statim*, *statuo*, *status*, *statiuus*, suis locis, literarum ratione habita, retulimus.

mus. A *flatum* est *ftator*, non vt epithetum est *Iouis*, quod à *fistendo*, sed quà notat *aditum carcerumque custodem*. Ita vsurpatur in carmine Ithyphallico. Item *seruus aut libertus, qui domino siue patrono adstat, eiusque latus tegit*: vnde & idem olim *latro*, quasi *latero* dictus. Sic *statoris* vocem accepit Petronius. Vide Turnebum, lib. IV. Aduersar. cap. XIX. & imprimis Ios. Scalig. in obscœnum carmen, cuius initium? *Heus tu*. A *statum* etiam est *statarius*, vt *stataria pugna*, quod crebrum apud Ammianum. Durantius Cascllius, lib. II. Var. cap. XIX. sic vocari censet *pugnam, a qua abesset equitatus*. Sed omnino intelligenda ea, *qua collato vtrimque pede sic decertatur, vt nemo loco recedat, sed quisque remaneat vbi steterat*: vnde & nomen. Huiusmodi pugnam descripsit Plautus Amphitr. act. I. sc. I. Græci similiter vocant *σταδίαν* & *σταδαίαν μάχην*, cui apud Plutarchum opponitur *δρομαίαν* & *πολεμικήν*, *qua excursionibus fit aut leuibus prœliis*. *Statarium prandium* vocat Mamertinus in Panegyrico Iuliano dicto, quod milites stantes caperent. *Stataria comœdia*, qualem suam Heautontimorumenon esse dicit Terentius) ea, quæ lenis tranquilláque, non affectibus æstuans. Sic Ciceroni in Bruto *statarij actores*, qui minùs actuosi eóque *statariis comœdiis* aptiores erant, quam motoriis. A *sto* quoque est *stabilis*, vnde *stabilio*. Nunc de compositis videamus. Quale est *absto*. Horat. in arte Poët.

> *Vt pictura poesis erit, quæ si propius stes,*
> *Te capiet magis, & quædam si longius abstes.*

Hinc *distantia* apud Vitruuium, lib. IX. cap. IV. Ab *antesto* siue *antisto* est *antistes*: de quo suo loco plura dicemus. Ab eodem *supersto*, vbi *stare* valet *esse*: *Superstes*, qui *superest*. sed propriam notionem attendit Lexicon Philoxeno tributum, vbi *ἱδρυμένος* exponitur. A *præsto præstes*, quod eiusdem esse significationis ac *antistes*; docet Festus. Hinc Dij *Præstites*, quod cognomen est Larium publicorum, hoc est, eorum, qui Vrbis sunt custodes, ideóque in compitis, semitis, ac viis publicis statuebantur: ac ex re dicebantur tum *Compitales*: vt apud Suetonium August. cap. XXXI. tum *Semitales*, vt in Catalectis Virgilij: tum *Viales*, vt apud Plautum Mercat. Act. V. Sc. II. A *præsto* quoque dicta dea *Præstana*. Arnobius, lib. IV. *Præstana est, vt perhibetis, dicta, quod Quirinus in iaculi missione cunctorum præstiterit viribus*. Et mox: *Nisi Romulus tenuisset teli traiectione palatinum, nulla esset Præstana*. Ab *insto* tempus præsens dicitur *instans*, vt Græcè *ἐνεστώς*, non quasi *instabile* & *momentaneum*, sed quod *instet cedenti præterito*, vt rectè obseruat Scaliger de caussl. L. L. cap. CXIII. A *consto* est *constans*, vnde *constantia*; à *præsto*, *præstans*, vnde *præstantia*; à *circumsto*, *circumstans*, vnde *circumstantia*, quâ voce non primus vsus Trapezuntius, vti sensisse videtur vir magnus, sed multò ante vsurparat Fabius Quinctilianus. Similiter à *substo* est *substans*, vnde *substantia*, quia *per se substat*. *Ἀναλογίᾳ* Fortunatum Crellium & alios conuicit manifesti erroris, cùm sic dici aiunt à *subsistendo*, quia *per se subsistit*. *Resto* interdum signat *resisto*. Plaut. Mostell. act. V. sc. II.

> *Hem, viden, vt restat furcifer?*

Propert. lib. III. el. VII.

> *Dum fugiunt Danai, dum restat barbarus Hector,*

Sæpius ita vsus Liuius. Sed quia qui subsistit, nec abit, is remanet, hinc factum, vt quandoque etiam accipiatur pro *superesse*. Nihil hodie eo vsitatius. Veteres sic rarius vsi. A *resto* est *restibilis*: de quo antea.

STOICÆ princeps factæ fuit *Zeno* Citriensis. Eius discipuli cum primo *Zenonij* dicerentur, post *ἀπὸ τῆς ποικίλης στοᾶς*, *à varia porticu*, *Στωϊκοὶ* sunt appellati, vt ex Epicuri epistolis probat Laërtius in *Zenone*. Vide & Isidorum, lib. VIII. cap. VI. Exagitans eos Comicus *στοάκας*, hoc est, *porticenses* appellat apud Athenæum, lib. XIII. *Στοὰ*, *porticus*, à *στάω*, *στῶ*, quòd ibi *starent*. Nam eo fine porticus struebant, vt in pluuia eò se quisque reciperet, vt de Theatri porticibus indicat Vitruuius, lib. V. cap. IX. *Στάω* à שׁרת, *stare*. Ab alteruttro *staen*.

STOLA Latinis est *muliebris vestis*: Græcis etiam *virilis*, imprimis autem genus vestis promissæ, Medis vsitatæ. Horat.

> *Ad talos demissa stola, & circumdata palla.*

Vnde cognoscimus, vt indusium suppar, supparum *stola*, ita *stolam* pallæ circumdari solere. Dicitur *στολὴ* à *στέλλω*, quod inter alia significat *ἐνδύειν*, *ἀμφιεννύναι*: vnde & *παρεσταλμένοι* illud apud Platonem de legibus, *ἐσταλμένοι στολῇ* *veste vestiti*, siue *amictu amicti*. Vide de *stola*, cùm eos, qui de re vestiaria scripserunt, tum Aldum in Quæsitis epistolâ de Toga Romanorum, & Hadrianum Iunium, animaduersionum lib. I. cap. XIII.

STOLO est vel ab Hebræo שׁלח. hoc est, *plantare*, *surculos aut stolones inserere*: vel à Græco *στόλος*, siue *στέλλω*, hoc est, *mitto*, quia emittitur è radicibus, aut caudicis lateribus. Quippe *stolo* vocatur propter id, *quod è radicibus circum arbores enascitur*, vt docet Varro, lib. I. de R. R. cap. II. siue *fruticatio inutilis*, vt interpretatur Plinius, lib. XVII. cap. I. In Philoxeni Glossis scribitur pro eo *stulo* per *V*, atque exponitur *παραφυάς*. vti & in Gloss. Cyril. ac Onomastico. Metaphoricè accipitur pro *stolido*. Ausonius, epist. V.

> ——*Sed iam non potes, ô stolo, doceri.*

Nempe homo imprudens planè inutilis est, eóque optime confertur coliculis istis, qui ex arboribus succrescunt. Hinc quoque est, quòd homo imprudens, a *stolone* sit dictus *stultus*. Ex Catholico Genuensis legas *stultus* dici quasi *stollidus*, quia se *extollat*. Meliùs Nunnesius ab *ἄναλτος*, quo non tantum *improbus*, sed & *vecors* notatur. A præciditur vt ab *ἀμέλγω mulgeo*. Sed maxime omnium placet, a *stolo* esse *stolidus*, & *κατὰ συγκοπὴν stoldus*, seu *stoltus*, & postea *stultus*. Quod etymon probat Scaliger Exercit. CXLIII. III. & Turnebus, lib. II. cap. XXIII. Quanquam Terentius Scaurus putant *stolidum* non tam notare *stultum* & *excordem*, quàm *tetrum* & *molestum*, quem Græci vocant *μοχθηρὸν καὶ φορτικόν*. Sed *stultum* interpretatur etiam Festus.

STOMACHVS, *στόμαχος*, primâ suâ significatione notat in corpore animali quod quasi *fistula* se habet, hoc est, *collum* siue *ceruicem cuiusque rei*. Itaque Hippocrates *vteri* quoque ac *vesicæ ceruicem* (vt Celsus vocat) eo nomine appellat. Vt in lib. de aëre, aquis, & locis, *στόμαχος τῆς κύστεως*, *collum* seu *ceruicem vesicæ*: & libro de superfœtationibus, de sterilibus & de morbis muliebribus, *στόμαχος τῆς μήτρας*, *ceruicem vteri*. Erit fortasse, qui *στόμαχος* hic interpretatur *στόμα* siue *os*. Sed huic expositioni aduersatur Erotianus, qui vtrobique *τράχηλον* siue *collum* explicat. Adde quod Hippocrates lib. de superfœtat. dicat *στόμα τοῦ στομάχου, τῆς μήτρας*, *os stomachi, vteri*: vt omnino interpretatio illa locum habere non possit. Iuuat quoque etymon ab Aristotele adductum, vt cui lib. I. de historia animalium, *στόμαχος* dictus videatur quasi *στενὸν μῆκος*, *angustia longitudo*. Et hæc meo iudicio princeps notatio. *Κατ' ἐξοχὴν* verò notat *οἰσοφάγον* siue *fistulam quæ cibum defert in ventriculum*. Hæc significatio fecit, vt vulgo *στόμαχοι* dici velint quasi *στόμα χεῖν*, quia sit *os ac vestibulum cibum in ventriculum infundens*. Verùm non ea propria eius partis appellatio, sed communis, vti dixi. & Aristotelis verba indicant, qui non *ὄνομα*, hoc est, *nomen œsophagi*, sed *ἐπωνυμίαν* siue *cognomen* facit. Verba Aristotelis sunt istiusmodi: *Κεῖται δὲ ὁ στόμαχος ὁ καλούμενος οἰσοφάγος πρὸς τῷ αὐχένι, ἔχων ἐπωνυμίαν ἀπὸ τοῦ μήκους καὶ τῆς στενότητος*, hoc est, *intra ceruicem est, qui vocatur œsophagus, cognomen habens à longitudine & angustia*. Sed clariùs idipsum docet Galenus principio quarti lib. primi de vsu partium: *ὄνομα δὲ τῷ πόρῳ τούτῳ ἴδιον μὲν οἰσοφάγος, κοινὸν δὲ στόμαχος*. *Proprium quidem eius ingressus est œsophagus, commune autem stomachus*. Hac significatione non rarò vtuntur Latini, quamquam non vno modo. Nam interdum quidem eo nomine quoque signant *priorem œsophagi partem, quæ subest faucibus*. Cic. lib. II. de nat. Deor. *Linguam autem ad radices eius hærens excipit stomachus: quo primum illabuntur ea, quæ accepta sunt ore. Is vtraque ex parte tonsillas attingens, palato extremo atque intimo terminatur*. Celsus, lib. IV. cap. I. *Deinde duo itinera incipiunt. Alterum asperam arteriam nominant, alterum stomachum. Arteria exterior ad pulmonem: stomachus interior ad ventriculum fertur*. Cui loco alius similis apud Agellium, lib. XVII. cap. II. Interdum verò *ima* solùm *œsophagi pars* eo vocabulo appellatur. Celsus, lib. IV. cap. I. *Stomachus verò, qui intestinorum principium est, neruosus à septima spinæ vertebra incipit, at circa præcordia cum ventriculo committitur*. Plinius, lib. II. cap. XXXVII. *Summum gulæ fauces vocantur, extremum stomachus*. Hinc factum vt gulæ orificium inferius, ac ventriculi item superius orificium, vbi nempe cum *œsophago* committitur, item ventriculus ipse cum orificio *stomachi* nomine vocaretur. Ita Galenus cùm alibi sæpe, tum lib. VIII. *τῶν κατὰ τόπους*, disertim ait veteres *os ventriculi* duobus appellâsse nominibus; nam & *στόμαχον* & *καρδίαν* vocasse, frequentiùs tamen *καρδίαν*. Pro *ventriculo verò cum orificio suo* siue *ἀπλῶς* pro *ventriculo* vsus Plutarchus, cùm ait *τὰ ῥωμαλέα ἔχει στομάχους*, *quæ sunt firmo stomacho*. eodémque modo vtuntur medici Græci, cùm dicunt *ἀῤῥωστία καὶ ἀτονία στομάχου*, hoc est, *infirmitas siue languor stomachi*: item: *ἔκλυσις στομάχου*, *solutio seu dissolutio stomachi*: atque ita & Celsus ac Plinius loquuntur. Nec aliter Horatius, lib. II. sat. II.

> *Ieiunus raro stomachus vulgaria temnit.*

Aut Iuuenal. sat. V.

> *Si stomachus domini feruet vinóque ciboque.*

Plinius item lib. XIX. prope initio cap. V. de peponibus agens, *Viuunt*, inquit, *hausti in stomacho in posterum diem, nec perfici queunt in cibis*. *Κατὰ μεταφορὰν* verò, *stomachus* accipitur pro

animo,

animo, aut *affectu*, vel *tædio*, &c. Cuius appellationis caussa est, quod vt *stomachus* ciborum aliis afficiatur, ab aliis verò abhorreat, similiter *animus* rebus moueatur.

Storax, à στύραξ. Isidorus, lib. xvii. cap. viii. *Storax dicta, quòd sit gutta arboris profluens & congelata. Nam Græci styriam guttam dicunt. Græcè autem στύραξ, Latinè storax dicitur*. Sed errat, quod *stiria* Græcum esse arbitretur. Rectè, quod deriuet à στύραξ. Qui *storax* barbarum putant, ac more Græco *styrax* semper dici oportere, valde errant. Nam Virgilius in Ciri, Plinius, & Solinus*, *storacem* appellant. Imo apud Terentium hinc nomen est seruulo in Adelphis:

Storax, non rediit hac nocte à cœna Æschinus.

Vbi Donatus: *& ab odore puer storax*. Diximus de hac voce etiam in Generum doctrina.

Storea, siue vt est in plerisque MSS[ti] *storia*, Cæsari, Plinio, aliis, *teges vilior*, ἀπὸ τοῦ στορῶ, id est, *sternendo*, quia humi sternitur. Vnde *terrasoria* vocatur in Glossis Cyrilli: vbi legas, ψίαθος, *teges, terrasoria, matta*. Ita enim ibi legendum pro *macta*.

Strabo, & *strabus*, iuxta Catholicon, & Vguitionem, est à *sterno*. sed ineptè vterque. Melius Nestor Nouariensis à στρέφω *verto*. Verè autem a στραβὸς vel στραβών hoc a στρεβλός, quia *oculus est distortus ac deprauatus*. Galenus in Lex. Hippocr. Στρεβλοὶ, οἱ τὰ ὄμματα διεστραμμένοι. Plinius, lib. xi. cap. xxxvii. *Vbi animalium hominis oculi deprauantur: vnde cognomina strabonum & paetorum*.

Strangulo à στραγγαλῶ, A conuerso in V. quomodo à κραιπάλη est *crapula*. Gloss. Cyrilli: Στραγγαλίζω, *strangulo*. Nonnesius deducit *strangulo* a στραγγαλίζω. Sed cùm & στραγγαλᾶν dixerint Hesychio teste, haut dubium, quin ab eo & στραγγαλίζω fit, & *strangulo*. Στραγγάλαι inter alia dicuntur *laquei*, παγίδες, vt exponit Hesychius.

Strategus, στρατηγὸς, vtitur Plautus Curcul. Act. ii. Sc. iii. Æmilio Probo siue potius Cornelio Nepoti *prætor* dicitur. Glossæ, στρατηγὸς Ῥώμης, *prætor*. Στρατηγία ῥώμης, *prætura*. Etiam *veluti imperatorem* siue *magistrum conuiuij*, *strategum* vocat Plautus, Stich. Act. v. Sc. iv.

Strategum te facio huic conuiuio.

Dicitur στρατηγὸς quasi ὁ ἄγων τὸν στρατὸν, siue quia στρατοῦ ἡγεῖται. Ab eo est στρατήγημα. Vnde στρατήγημα, *solers ducis consilium ad hostem circumueniendum*. Sunt qui *stratagema* scribant, ac secundam corripiunt in versu. Sed obstat, quod Græcè per η scribatur. Cæterùm pro στρατὸς etiam στρατιὰ dicitur, vnde στρατιώτης, *miles*, à quo στρατιωτικὸς, id est, *militaris*. Plautus Mil. Glor. Act. iv. Sc. viii.

Muliebres mores discendi, obliviscendi stratiotici.

Strebula *caro* est à στρεβλὸς, *prauus, curuus*, nempe à coxendicum curuatura. Varro, lib. vi. de L. L. *Caro strebula Opilius scribit circum coxendices sunt nobis: id Græcum est ab huius loco versura*. Vnde Turnebus, lib. xxiii. cap. xviii. coniectabat id nomen esse a στρέφω, *verto*. Sed ἀναλογία magis prius ἔτυμον probat. Festus: *Strebula Vmbrico nomine Plautus appellat coxendices hostiarum, quas Græci μηρία dicunt, quæ in altaria imponi solebant, vt Plautus ait in Frivolaria, strebula agnina*. Arnobius lib. vii. *Non enim placet carnem strebulam appellare, quæ taurorum è coxendicibus demitur*.

Strena Græcis οἰωνισμὸς, vt est in Gloss. Cyrilli: imò & illis Philoxeni, nam perperam editum ibi *strenua*. Εὐαρχισμὸς, autem vocatur, quia εὐαρχεῖσθαι, hoc est, *bonum & felix initium* vouerent optarentque. Sed votum hoc cum munere erat coniunctum. Vnde in Onomastico *strena* exponitur ξένιον· imò Dioni *strena* vocatur ἀργύριον· sed nimis laxe, cùm non *pecunia* semper, sed & alia multa soleant Kalendis Martiis donari. Nomen videri possit esse στερεῶ, quod est *firmare*: quia memoriam foueat ac firmet. Sed veteres aliter. Nam Festus *strenam* dici putat quasi *trenam*, quomodo antiqui *stlitem* dicebant pro *litem*, *stlocum* pro *locum*. *Strenam*, inquit, *vocamus, quæ datur die religioso, ominis boni gratiâ, à numero, quo significatur alterum tertiùmque venturum similis commodi, veluti trenam, præposita S litera, vt in loco & lite solebant antiqui*. Fauet huic etymo Pomponius Pistoribus: vnde Nonius citat: *Asside, si qua ventura est alia strena strenæ*. At Nonio Marcello placet *strena* dici quasi *strenua*. Ac pro eo est hoc Symmachi lib. x. epist. xxviii. *Ab exortu pene Martis, strenarum vsus adoleuit, auctoritate Tatij regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Strenuæ anni noui auspices primus accepit. Nomen indicio est virus strenuis hæc conuenire ob virtutem*. Etiam ad ritum hunc pertinet, quod in Philoxeni Glossis *strena* exponitur θαλλὸς, quod *ramum* notat, vel *verbenas felicis arboris*, vt Symmachus vocat. In Glossis Isidori legas, *Strenaces cupidi*. Hoc, si rectum fuerit, *strenax* a *cupiendis* & *capiendis strenis*. Sed ex MS[ti] locus is sic legi debet, *Strenaces, fatui*. Vide *Strenax*.

Strenvvs Papias deducit à *sterno*. Sed est à στρηνὴς, quod inter alia notat ἰσχυρὸς, *fortis*, prout Hesychius interpretatur. Hinc dea *Strenua*, *quæ faceret strenuum*; vt est apud Augustinum, lib. iv. de Ciu. Dei, cap. xvi. Ex huius deæ luco viris *strenuis* Kal. Ian. mittebantur verbenæ felicis arboris: quæ eamde *strena* vocatæ videntur: vt in *Strena* diximus.

Streppo est à sono: vt *strideo*, & similia. Hoc malim, quam vt sit à στρέφω, *verto*, quicum voce non signifi actione conuenit. Nisi eò respexere, quod, qui *rem vertat*, fere plurimum *strepat*. Sed prius omnino simplicius. Possit & κατ' ἀντίφρασιν factum videri à ψιθυρὸς, quod est ψιθυρὸς, *susurro*, teste Hesychio.

Stria a *stringendo* dicta videtur Perotto. Quomodo à *strige* differat, dicemus in *Strix*. A *stria* est *striare*: vnde *striata columna*, quæ Græcis ῥαβδωτὸς κίων & *striata concha* Plinii, quæ Aristoteli ῥαβδωτὴ quam & *virgatam* rectè dixeris. vt Virgilius, *Virgatis lagule*. Item *striatam frontem* pro *caperata* legas apud Appuleium lib. x. Miles.

Stribilita, siue *striblita*, *bellarium*, *mensæ secundæ*: quod Cato de R. R. cap. lxxviii. fieri ait ad modum placentæ sine melle. Vsi hac voce Plautus prologo Pœnuli. Petronius in sat. & Martialis, lib. iii. epigr. xvii. iuxta certissimam emendationem Domitij Calderini. qui cum in libris suis inuenisset, *cribitam*, acutè vidit *cribitam* esse legendum, quod immeritò arrodit Georgius Merula. Sed de ἔτυμο, ἀγνῶς, ac etymo non conuenit. Turnebus. lib. xxiii. cap. x. scribit *striblitam* per ε: ac sic dici conijcit, quod qui eam fingit, tanquam *scribat*: aut quòd esset notis quibusdam signata, & tanquam scripta videtur. Sane hodieque literæ aut figuræ quædam inscribuntur illi a dulciariis. Sed Hadriano Iunio in Nomenclatore magis placet *striblita* vel *streblita* per ι, quomodo & Perottus legisse videtur: vt nempe, quemadmodum a στρεβλὸς est *strebiligo*, & per syncopen *strebligo*, sic ab eodem sit *stribilita*, & extritâ literâ, *striblita*, vel seruato E *streblita*. Caussa nominis erit, quod in circuitu restis in modum torquebatur, qua ratione & quidam Gallis ac inferioribus Germanis *tartam* dici putant, quasi *tortam*. Sed *tarta* fortasse est ex *tracta* per μετάθεσιν. Interim à στρεβλὸς venire magis placet; quia à *scribo* potius *scribita* diceretur absque liquida. Qui *striblitas* conficerent dicti *striblitarij*. Afranius Fratris:

Pistori cur non, cur non striblitario,
Vt mittat fratris filio lucunculos?

Citat Nonius in *lucuns*.

Striblligo à στρεβλὸς, hoc est, *curuus, prauus*. Gellius, lib. v. cap. xx. *Solœcismus a Sinnio Capitone, eiusdemque ætatis aliis imparilitas appellatus, vetusti vocibus Latinis stribiligo dicebatur, à versura scilicet & prauitate tortuosa orationis, quasi strobiligo quædam*. Vtitur Arnobius, lib. i. *Stribiligines & vos illas libris istis in maximis atque admirabilibus non habetis?*

Striculus *puer* dici putatur, qui iam grandior ac durisculus est, siue à *stricta corporis soliditate*, siue quasi *strigosus*. Vtitur Arnobius, lib. v. & fortasse Tertullianus, lib. de pallio. cap. iv vti Turnebus monet, lib. vii. cap. xx. & lib. xi. cap. xxii. Sed de etymo melius Hugo Grotius notis ad Capellam, qui docet *striculum* esse ex *hystriculus*, vt *Spania* ex *Hispania*. *Hystriculus* verò quasi *paruus histrix*, ob *asperitatem pilorum in corpore*. Fauent Gloss. vett. in quibus *Hystriculus* ὑστριχοειδής.

Stridor est ὀνοματοπεποιημένον, vt *fragor*, & *murmur*, vt censet Scaliger, cap. xiii. de causs. L. L. Vel est à τρίζω, quod est, *stridere*. Gloss. Philox. *Strideo*, τρίζω. Τρίζειν verò à sono esse, dubium non est. Vel est *strido*, ab ἐρίδω. Nam στριφνὸς quoque pro τριφνὸς legas apud Arist. in iv. hist. animal.

Strigare est a *striga*, hoc à *strigo*, pro *stringo*. Nempe eâ formâ, quâ à *fallo* dixere *falla* pro *fallacia*, teste Nonio: quâ item à *cingo*, *cinga* & *cingula*; à *iungo*, *iunga*, *iungula*, *iungla*. Variè autem vox *striga* accipitur. In re rustica sic dicebatur sulcus, qui vno ductu peragebatur in longitudinem, vt *scamnum* in latitudinem. Hinc *strigare* dicuntur in agricultura boues, cùm in medio actu cessant, nec sulcum vno ductu continuant. Cui opponitur *protelo ducere*. Nam vt dicuntur *strigare*, cùm intermittunt, ita *protelo ducere* dicuntur, cùm vno ductu absoluunt. Vide *protelum*. A rusticis verò cum *striga*, tum *scamni* vocem acceperunt agrimensores, quibus quid vtrumque signet, docet his verbis Hyginus in Gromaticis. *Omnem mensuram huius quadraturam, dimidio longiorem siue latiorem facere debebimus; & quod in latitudinem longius fuerit, scamnum appellare; quod in longitudinem, strigam*. Eadem legas apud anonymos auctores de limitibus. Atque hinc *ager strigatus* & *scamnatus* Aggenus Vrbicus, lib. i. commentariorum in Iulium Frontinum: *Strigatus*

gatus ager est, qui à septentrione in longitudinem in meridianum decurrit. Scamnatus autem, qui eo modo ab occidente in orientem crescit, & altitudinem hanc secundum idioma artis voluit Frontinus in orientem intelligi. Interdum *striga* est vocabulum castrense, ac significat spatium turmarum, in quo equi stringuntur & interquiescunt. Caper de verbis dubiis: *Striga in turma, vbi equi astringuntur.* Gloss. vett. *Trigarium* (*striga*, præeunte Scaligero, emendat Bon. Vulcanius) τὸ ἵππων γυμνάσιον. Charisius lib. I. *Striga castrense est vocabulum, internallum turmarum significans, in quo equi strigantur.* Vbi pro *stringantur* vel *stringuntur* legi debet, vel *strigant. Strigare* est interquiescere, dicitúrque propriè de equis aut mulis in strigam collocatis. Sic vsus auctor parodiæ in Ventidium Bassum mulionem, quam habes in catalectis Virgilianis:

> *Et inde tot per orbitosa millia*
> *Iugum tulisse, læua siue dextera*
> *Strigare mula, siue vtrumque cœperat.*

Pro *strigare* in vulgatis inuenias *stringere*, sed metro reclamante, quod *strigare* exigit, quomodo in Veneta ante annos centum editum est. Ac sic quoque hunc locum adducit Turnebus. *Mula* autem cum Scaligero lego, non *mulæ*, quia alioqui non erunt puri iambi: quod cùm non animaduerteret Turnebus, scripsit, lib. VI. cap. II. & lib. XXIV. cap. I. *strigare* esse *in strigam agere ac dirigere*, quod falsum esse euincit hic locus, vbi non aliter quam absolutè accipi potest. Propertius quoque lib. VI. el. VIII. similiter vtitur, vbi Cynthia primo sedens temone aurigæ dicit, *striga*, hoc est, *interquiesce*: Sic enim emendabat Scaliger: quemadmodum & idem legit apud Senecam epistol. IV. *Surge & restriga. at clivum istum vno, si potes, spiritu exsupera.* Est & alia *striga* acceptio, quam his verbis ponit Festus: *Strigæ appellabantur ordines rerum inter se continuatæ collocatarum, a stringendo dicta.* Atque hinc est, quod (vt auctor est Hyginus libello de castrorum metatione) *striga* dicatur ordo & series equorum in castris redeuntium. Neque enim hæc diuersa est significatio ab eâ, quam ponit Festus, sed tantummodo generalis vocabuli ad rem specialem accommodatio. Denique *striga* quoque in veteri Glossario exponitur κιμωλία, hoc est, *creta*. Ac putat Ios. Scaliger sic dici, quòd *stringuntur eâ vestes apud fullonem.* A *striga* est *strigosus*. Gloss. Cyr. ῥακῶδες, ῥακώδης, *strigosus*. Melius sanè, quam in Onomastico, *strigosus*, λαγαρός. Nonius ait voce eâ signari *morbum iumentorum, qui corpora stringit, aut fame, aut aliâ vitij causâ, quasi stringosus.* Atqui non est vitium iumenti, verùm *iumentum morbidum & vitiosum.* Propriè enim *iumentum* illud *strigosum* dicitur, quod in *arando strigat*, hoc est, *moratur, nec sulcum continuat.* Quod quia macie sæpe contingit hinc fit, vt dicatur de *equis & bubus male curatis.* Μυξοσαλεῖν verò vsurpatur de *homine cunctabundo, ac tergiuersatore*, eâdem nempe ratione, quâ idem dicitur *bouinator*, quasi *qui imitatur boues in medio sulco intérquiescentes.* Sic vtráque voce vtitur Lucillius:

> *Hic strigosus, bouinatórque ore improbu' duro.*

A *striga* quoque *strigones* dixere, & N antique in R verso *strigeres*, quomodo *architectores* dicebant pro *architectones*. Auctor Festus, qui & scribit in Nelei carmine legi id nomen & ab aliquibus putari *strigones* dici *densarum virium homines*. Putabat Turnebus *strigonum* per N apud Festum legi debere: sed fallitur, vt ex iis patet, quæ diximus. Muretus credidit hac voce vsum Plautum Bacch. Act. II. Sc. III. vbi in vulgatis *rigorem*. Sed iure a Mureto dissentit Acidalius, quem vide.

STRINGO fortè (quod apud Nunnesium in Grammatistice legas) à στρέφω, *torqueo*: aut, vt alij censent, à στραγγάλω, vel στραγγίζω, quod est *torqueo, stringo*. Hesych. Στραγγίζω, πιέζω. vel potiùs à σφίγγω, *stringo, presso*. Onomast. *Stringo*, σφίγγω, πιέζω. Sanè & σφίγξ, *sphinx*, quia ita ænigmatis ac verborum ambagibus *stringeret* homines, vt se expedire non possent. Vel est *stringo*, à στλεγγίζω, quod est, *strigili rado*, similitérque *strigilis* videri posset deductum à στλεγγίς, quod idem notat. Verùm potiùs a στλεγγίζω quidem est *stringo*, à *stringo* autem venit *strigilis*, abiecto N: quomodo ab eodem *striga* dicitur, vt diximus, in *Strigare*. Atque hoc *stringendi* & *strigilis* ἔτυμον adducit Priscianus in septimo. *Strigil* igitur, quia eo equi atque in balneis etiam homines *stringuntur*. Horat.

> ———*Curuo destringere ferro.*

Græcè *strigil* non στλεγγὶς modò dicitur, sed etiam ξύστρα à ξύω, *rado, stringo*. Gloss. Cyril. ξύστρα, *strigil, strigilis*. ξυστροποιός, *strigilarius*. Sane *strigilis* & *destringendi* voce vtuntur crebrò scriptores. Vt Plinius, lib. III. epistola V. quæ est ad Macrum. *Solum balinei tempus studiis eximebatur. Cùm dico balinei tempus, de interioribus loquor. Nam dum destringitur, tergitúrque, audiebat aliquid, aut dictabat.* Et Plinius Veronensis, lib. XXXIV. cap. VIII. *Plurima ex omnibus signa fecit, vt diximus, fœcundissimæ artis: inter quæ destringentem se, quem M. Agrippa ante thermas suas dicauit.* Figuram *strigilis* depictam vide sis apud Hieronymum Mercurialem, lib. I. Artis Gymnasticæ cap. VIII. A *stringendo* quoque nomen *strictura*, quæ Græcis similiter à σφίγγω dicitur σφίξις. Gloss. Cyrill. σφίξις, *strictura*. Accipitur & pro *scintilla exeunte, dum ferrum stringitur.* Onomast. *Strictura*, σπινθήρ. Lucill. *Crebra vt strictura in scintillis.* Vide Nonium in *scintilla*. Verum & sumitur pro *lamina ferri*. Vnde Gloss. Philox. *Strictura*, μάλαγμα. Atque ita cepit Varro, cùm de Ilua ait, *nasci quidem illic ferrum, sed in stricturam non posse cogi.* Citat Seruius locum integrum in X. Æn. *Strictura* dicta est, vel quia aciter scintillando *stringit oculorum aciem*: vel potiùs quia in massam vnam *stringitur* ac coalescit. Quomodo & *stringendi* verbo de auro vsus est Persius:

> *Hac baccam concha rasisse, & stringere venas*
> *Feruentis massæ crudo de puluere iussit.*

Ab *stringendo* etiam *strigmenta* dicuntur sordes, quæ destringuntur & absterguntur de corporibus athletarum. Gloss. Phil. *Strigmentum*, γλοιός. Gloss. Cyrill. Γλοιὸς, *strigmentum, destrigmentum*. Onom. *Strigmenta*, ξύσματα. Vsus Plinius lib. XV. cap. IV. Valerio quoque Maximo eam vocem restituit Stephanus Pighius, lib. IX. cap. XIV.

STRIX pro significatione diuersa diuersæ originis est. Interdum *striges* sunt canaliculi in columnis striatis, hoc à *striis* differentes, quod *striæ* sint partes eminulæ & exuberantes: *striges* verò sunt partes depressiores intérque strias subsidentes: quomodo hæc quoque distinguit Hermolaus Barbarus Glossis Plinianis voce *stria*. Nomen ex eo esse videtur, quòd *strigilium more sint sulcata*. Nisi potiùs à Græco στρὶξ siue στρίγξ. Nam apud Vitruuium legimus lib. X. cap. XV. *Canaliculi, qui Græcè στρὶξ dicitur, longitudo foraminum XIX.* Ita legitur in illâ quam Philander exhibuit, tum autem ea quam dedit Iodocus Veronensis, quæ Florentiæ ab Iuntis edita anno CIↃIↃXXII. Altera Florentina anni CIↃCCCCXCVI. pro στρὶξ habet *striglæ*: quâ voce quidam comprobare conati syllabam etiam septem, atque adeò (cùm duplex duabus constet literis) octo literarum esse posse. Sed infirmum hoc est argumentum, cùm aliter in melioribus codd. legi constet. Adde quòd neque Græcè pro *strige*, vel στρὶξ, vel στρίγξ dicitur, sed σῦριγξ quomodo hic legendum putat Turnebus, lib. II. cap. IV. Omnino igitur *striges*, siue (vt aliis in codicibus legitur) *strigles*, ex eo nomen habent, quòd canaliculi isti canaliculis *strigilium* similes sint. Accedo ad alteram tertiámque significationem. Nam & Latini *strigem*, & Græci στρίγγα vocarunt auem, quam Græci vel νυκτικόρακα, vel νυκτοβόαν appellant, teste Hesychio, cuius locum corruptum emendat Scaliger notis in Catalecta. Item sic dixere *mulieres maleficas*, vnde Gloss. vett. *Striga*: γυνὴ φαρμακίς. Vtramque significationem coniungit his verbis Festus: *Striges, aues nocturnas, vt ait Verrius: Græci στρίγγας appellant: à quo maleficis mulieribus nomen inditum est, quas volaticas etiam vocant. Strix*, auis nocturna, vel vespertilio est, vel noctua, vel saltem auis noctuæ similis: cui, vt Ouid. VI. Fast. ait.

> *Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinæ,*
> *Canities pennis, vnguibus hamus inest.*

Pluráque de ea inibi leges. *Strix* igitur pro aue erit à Græco στρίγξ seu τρίγξ, quod ἀπὸ τοῦ τρίζειν, hoc est, *stridere*: non *strix* ἀμέσως à *strideo*, vt putare aliquis possit propter Ouidij illud in VI. Fast.

> *Est illis strigibus nomen, sed nominis huius*
> *Caussa, quòd horrenda stridere nocte solent.*

Quemadmodum autem θρὶξ à τρίζω, hoc est, τρίζω, *strideo*: ita & κερχνηΐς dici à κέρχνω, quod est, *asperum quid ac crepermu sono*, siue *strideo*. Itaque κερχνηΐς interpretantur *stridula*. Est auis vespas depascens, vuásque & maturas & immaturas exsugens. Ac volunt hanc esse eandem ac *strigem*; sed dissentiente Plinio, lib. XI. cap. XXXIX. vbi arbitratur, non constare, quæ auium *strix* dicatur. Serenus Sammonicus, cap. LIX. putat eas vbera immulgere labris infantium: quod esse fabulosum, ibidem Plinius censet. Inibi Plinius ait: *Esse in maledictis iam antiquis strigem conuenit.* Vbi respicit versus Græcos, quos apud Festum, sed corruptissimè, legere est. Eos variè varij emendant. Aliter enim (vt alios mittam) Turnebus lib. XIV. Aduers. cap. I. Aliter Had. Iunius in Nomenclatore suo, voce *lamia*. Aliter Ios. Scaliger in catalecta ad parodiam in Sabinum, hoc est, Ventidium Bassum. Aliter idem Castigat. in Festum ad vocem *striges*. *Lamias* verò siue *veneficas* vocarunt *striges*, quia putarunt veneficas se in aues illas inauspicatas conuertere. Atque hinc quoque liquet, cur easdem vocarint *volaticas*, quod ex Festo discimus.

STROPHIVM, στρόφιον, seu στροφίον. Vtroque enim modo scriptum inuenitur. Hesychio est, στρογγύλη ζώνη, ac Suidæ similiter στρόγγυλον ζωνάριον, hoc est, teres zona: quomodo Ouid. II. Fast. dixit:

Das teretem zonam, quâ modò cincta fuit.

Nonio *strophium* est *fascia breuis, quæ virginalem tumorem cohibet papillarum.* Quomodo Catullus dixit carm de nupt. Pelei & Thet.

Non tereti strophio lactantes vincta papillas.

Isidoro, lib. XIX. cap. XXXIII. definitur *cingulum aureum cum gemmis*, cui probando è Cinnâ adducit,

——Strophio lactantes cincta papillas.

Turpilium, Tullium, Plautum, Varronémque vsum docebit Nonius. Est στρόφιον à στρόφος, quod est *tænia aut vitta tortilis*, nempe ἀπὸ τοῦ στρέφειν, vnde Hesychio, στρόφος, ποικιλόγραφος ταινία. Lana enim linumve, si in longam fasciam torqueantur, zonæ præstant vicem. Qui fascias huiusmodi pararent, *strophiarij* dicti sunt. Vtitur Plautus, Aulul. act. III. sc. v.

Strophiarij adstant, adstant semizonarij.

Præterea *strophium* dicebatur de duabus aut tribus tæniis siue corollis inuicem tortis sic vt e pluribus vna fieret. Hoc discere est ex istis Plinij verbis, lib. XXI. extremo cap. I. & initio secundi: *Quadam corona per coronas currunt. Tenuioribus vtebantur antiqui, stropos appellantes, vnde nata strophiola.* Vbi *strophium* fascia capitis. Nomen itidem quia ea *tortilis* esset. Vsus Virgil. in Copa:

Et grauidum roseo necte caput strophio.

Vbi feminæ tribuitur. Sed vsi quoque sacerdotes. Hesychius: Στρόφιον, ὃ οἱ ἱερεῖς φοροῦσι. Indéque Latinum *stropus* seu potiùs *stroppus* siue *struppus*. Festus: *Stroppus est, vt Ateius Philologus existimat, quod Græcè στρόφιον vocatur, & quod sacerdotes pro insigni habent in capite.* Scal. *apice*: sed nihil mutatione opus. Subdit deinde Festus: *quidam coronam esse dicunt, aut quod pro coronâ insigne in caput imponatur, quale sit strophium. Itaque apud Faliscos diem festum esse, qui vocatur Struppearia, quia coronati ambulent, & à Tusculanis, quod in puluinari imponatur. Castoris struppum vocari.* Stroppus quoque seu *struppus* dicitur lorum, quo in naui remi alligantur scalmo. Isidorus, lib. XIX. cap. IV. *Struppi, vincula loro vel lino facta, quibus remi ad scalmos alligantur. De quibus Liuius: Túncque remos iussit religare struppis.* Glossæ: *Struppus*, σκαλμοῦ ἱμὰς κώπης δεσμός. Vitruuius *strophos* vel *strophas* vocat. Sic enim in vett. omnibus editt. legas, lib. X. cap. VIII. siue iuxta antiquiorem distinctionem, sexto: *Etiam remi circa scalmos strophis religati, cùm manibus impelluntur*, &c. In Glossis Philoxeni est, *Strepus*, τροπωτήρ. Vbi plane legendum *stropus*: qui Græcè κωπητήρ, τροπωτήρ ac interdum τροπός, teste Eustathio, qui sic ait vocari ἱμάντας, οἷς ἡ κώπη ἐκδέεται τῷ σκαλμῷ, id est, *lora, quibus remus alligatur scalmo.* Atque addit sic dici ἀπὸ τοῦ τρέπεσθαι, hoc est, στρέφεσθαι. Τροπὸν vocat Homerus Od. δ'. τροπωτῆρας Thucyd. lib. II. Hesychio quoque τροπώσασθαι est τὴν κώπην πρὸς τὸν σκαλμὸν δῆσαι τῷ τροπωτῆρι. Ex his liquet, quod Græcis est τροπὸς, id Latinis esse *stropus*: cóque *stropus* erit non à στρέφεσθαι, sed à τροπός, præmisso σ; quomodo Græci dicunt, σμικρὸς pro μικρὸς, σμάραγδος pro μάραγδος; Latini à γλύφω, *scalpo*; à γρύτη, *scruta*; à κρηπίς, *scrupeda*, & ita in aliis quibusdam. Cùm autem Isidorus *struppos* siue *stroppos* definiat vincula loro vel lino facta, minimè dubitandum puto quin ex eo sit Belgis *strop*: quod & ipsum *vincula* ac *laqueos* significat.

STRVFERTVM, siue *struefertum*, composita vox ex *strues*, & *fertum*. Vetus inscriptio: *Porcam & agnam, struibus & ferto. Fertum libi genus erat*: vt alibi diximus. A *struferto* dicti *strufertarij*. Festus: *Strufertarios appellabant antiqui, vt ait Verrius, homines conductos mercede, qui ad arbores fulguritas aut piacularium commissarum caussa, sacrificia quædam strue & ferto, sollemnibus verbis faciunt: Precor te, Iupiter, vti mihi volens propitius sies: quod & nullo etiam fiebat adhibito strufertario.* Vide & Festum in *Fertum*.

STRVMA à *struendo*, quia *structim assurgit*: quippe tumor glandularum ex impacto humore crasso. Vel à στερεά, ob duritiem: vnde & communem cum scirrhis curationem habet. Vel à *ruma*, cùm præcipuè collum infestet. A *ruma* fit *struma*, vt dixere *stritauus* pro *tritauus*. A *struma* est *strumia* herba apud Plinium. Item *strumosus*, & pro eo *strumaticus* apud Firmicum, Matheseos lib. VIII.

STRVO esse contractum suspicor ex στερεῶ, quod est *firmum solidúmque reddo*. Sed καταχρηστικῶς sumitur pro *augere*: vt apud Persium:

Rem struere exoptas caeso boue.——

A *struo* est *strues*, vt à *cædo*, *cædes*: item *struix*, vt ab *appendo*, *appendix*. *Struix* est exstructio cuiusuis rei, vt apud Næuium, Seruio teste, *Struix malorum*. & apud Plautum Menæchmis, Act. I. Sc. I.

Tantas struices concinnat patinarias.

Imò apud Solinum quoque cap. VIII. & XLI. vbi in vulgaribus est *struem* & *struibus*, è veteri codice *struicem* & *struicibus* reponit Andreas Schottus, lib. III. Obseruat. Humanarum cap. XXV. Ab eodem *structor* vocatur, cuius cura est mensas exstruere. Seruius in I. Æn. *Struere est ordinare, componere: vnde & Structores dicuntur ferculorum compositores.* Ac Athenæus, lib. IV. tradit ex Iuba, qui Græcis est τραπεζοποιὸς, hunc à Romanis στρούκτωρ vocari. Vsi ita Petronius, Iuuenalis, Martialis, etiam Seneca ex emendatione Lipsij, lib. II. Saturnalium, cap. II. Aliquid etiam de hoc diximus in *Carpo*. Ab *instruendo* est *instrumentum*, quomodo Iurisconsulti vocant omnem apparatum, quo instruitur fundus, aut taberna. Imò & simplex *strumentum* apud Appuleium legas, lib. VIII. Tertullianum, lib. I. ad vxorem de vnis nuptiis, cap. VII. & Ambros. in VIII. cap. epist. ad Rom. Et in Glossis vett. *Dotale strumentum* legimus. Vbi Bon. Vulcanius *instrumentum* legere iubet. Sed puto aliter scripserat Glossographus. A *præstruendo* est *præstructum*, id est, quasi viâ *præstructâ*. Vtitur Tertullianus, lib. de Pallio, cap. II.

STHRVTIA *mala* memorantur Plauto, Persa Act. I. Sc. III. Sed Στρούθεια sunt τὰ κυδώνια. Sic eâ voce generatim vsus Nicánder, atque item Philemon, teste Athenæo. Plinius, libro XV. capite XI. dicit esse *mala Cydonia minora*. Contrà Dioscorides *Cydonia*, στρούθεια & μεγάλα censet eadem. Quæ μικροῖς opponit. Vide eum libro I. capite CLXI. Fortasse nomen sit ex *passerina paruitate*. Nam στροῦθος, *passer*: vnde *struthiοni* seu *struthiocamelo* nomen: nisi hîc generatim στρουθῶν vocem pro *aue* sumi placet. Qua de re dictum in *Passer*.

STVPEO, & *obstupeo*, vulgò dicimus. Verùm scribit Pierius se in et longo illo codice, quem delicias suas vocabat Pomponius Lætus, tum item in aliis antiquis Maronis, Horatij, Terentij, aliorúmque scriptorum libris *stipet*, & *obstipuit*, inuenire per *I*. Atque hæc scribendi ratio eorum confirmat opinionem, quibus placet *stupere* siue *stipere* à *stipes* mutato tempore dici, quia *stipitis* vel trunci instar sit: quo & trahunt Comici illud in *stupidum*: *Caudex, stipes*. Sanè magis hoc placet, quàm quod Perottus ait, esse à *stupa*, vel *stipo*, quia sensus quasi *stipentur*, quod in nauium rimis *stupâ* fieri solet. Aliquantum etiam conuenit cum θάμβω, *stupeo*, *admiror*: à quo Nunnesius deducit.

STVPRVM à *stupeo* esse aiunt, vt à *prohibeo proebrum* siue *probrum*. Ἀναλόγως quidem, sed ratio originis non satis apta adferri potest. Quare potiùs est à στύω, siue στύομαι, quod in obscœnis est, ac notat τὸ αἰδοῖον ἀνορθοῦν. Vti στύμα, αἰδοῖα ἀνδρός, iuxta Eustathium. Vsi autem veteres *stupri* voce pro *quauis turpitudine*. Quod Festus inter alia Næuij gemino loco probat. Ponam vtrumque, vt versus eius digeram simul, ac emendem. Sic enim legi debent:

——Seséque ij perire mauolunt
Ibidem, quàm redire cum stupro ad suos
Populares.——

Item:

——Sin illos deserant fortissimos viros,
Magnum stuprum tum populo fieri pergitis.

Siue, vt Grotius corrigebat,

——Sin illos ac citus fortissimos viros
Magnúmque stuprum populo fieri pergitis.

STVRNVS, à στερῶ, quia se magna vi *sternat* humi ex alto. Nisi malis à Græco ψαρὸς, quod idem. Triplex ita facta sit mutatio. Initiale ψ conuersum sit in T. Μετάθεσις item sit. Tum autem fuerit N insertum, vt à ῥυκάνη, *runcina*; à πτίσσω, *pinso*, &c.

STVPA quæ dicitur vulgo, ea Festo *stipa* vocatur. Sic enim scribit: *Stipatores* (Verrius) *ait dictos à stipe, quam mercedis nomine accipiant custodes cuiusque corporis: vnde & stipam, quâ amphora cùm extruuntur, firmari solent.* *Stipam* igitur dici censet à *stipando*, id est, *firmando*. Sed potiùs *stipa* vel *stupa* fuerit è στιβὴ, quæ & Plinio *stæbe* herba, quâ culcitas farciebant. Nempe à στείβω, id est, *stipo*. Glossæ Cyrill. στιβὴ, *stipatio*, *stramentum*. Sed simplicissimum sit, si *stupam* deriues à στύππη vel στύπη, vel στυππεῖον. Στυππεῖον pro *stupa* dixit Iosephus: Polluci est στυππεῖον, quod fieri ait ἐκ λίνου καὶ κανάβεως. Vnde στυππειοπώλης, *stupparius*, in Glossis Cyrilli. Στύππη verò & στυππεῖον à στύφω, *condenso*: nempe quia *stupâ rimæ ac foramina farciuntur*. Fauet Seruius in primum Æn. *Stipant*, inquit, *densant. Translatio à nauibus, in quibus stupa interponitur vasis, quam stipam dicunt.*

Stygium pro *infernali* dicimus à *Stygo* inferni palude.

Di cuius iurare timent & fallere numen :

vt est apud Maronem in VI. Vnde & Ausonius in Monosyllabis :

Quaque piat diuum periuria nocticolor Styx.

Quod verò Homerus finxit *inferni* esse *paludem*, occasionem cepit ex *Styge* fonte Nonacridis regionis in Arcadia, cuius aqua tanti est frigoris, vt moriantur qui indè biberint, quemadmodum Plinius testatur, lib. II. cap. CIII. & lib. XXXII. cap. II. Ac nomen hoc habere dicitur à στυγερός, hoc est, *horribilis, terribilis*, quod à στυγέω, *odi, horreo*. Vide quæ de *Styge* ex Porphyrio atque aliis habet Stobæus Eclogâ Physicâ propè extremâ.

Stylus pro *charactere* sumitur κατὰ μετωνυμίαν caussæ. Nam *Stylus* est *graphium, quo in cera exarabant*. Huius materiam atque officium cognosces ex iis, quæ de ceris graphióque (quod idem ac *stylus*) scribit Isidorus, lib. VI. Originum cap. VIII. E iunioribus, præter alios vide Nicolaum Sutium limæ Ciceronianæ cap. I. Quod ad nominis caussam, *stylus* sic dicebatur κατὰ μεταφοράν, quia *similis est columnæ*, quæ Græcè στῦλος, vnde στυλοβάτης, *columnæ basis siue pes*: quia eo στῦλος βαίνει. Nam βεβαίνειν dicitur, quo quid fulcitur. Indè & ἐπιστύλιον, *lapis vel trabs, qua columna imponitur*. Aliter στῦλος dicitur στήλη, quod est à στάω siue ἵστημι. Ac videtur στῦλος quoque eiusdem esse originis ac στήλη.

Suadeo (vnde fortasse Belgicum *raden*, S in R conuerso, vt sæpè fit) videri possit esse a *suaue*, vt propriè sit, *opinionem à qua quis abhorret, edulcare*: vel ab ᾄδω, *celebro*, quia laudamus, quorum sumus auctores. Vnde & Græcis παραινεῖν ab αἰνεῖν. A *suadeo* est *suadela*, quod interdum appellatiuum; vt apud Plautum Cistellar. act. II. sc. III.

Iam perducebam illam ad me suadela mea.

interdum verò proprium. vnde Gloss. Philox. *Suadela*, Πειθώ, ἡ θεός. Sic vsus Horatius epist. VI. lib. I.

Ac bene nummatum decorat Suadela Venúsque.

Eadem & *Suada* dicitur: vnde apud Ennium,

——*Suadaque medulla.*

Ac Græcè eodem modo vocatur *Pitho*, Πειθώ, ἀπὸ τοῦ πείθειν, quod à פתה *persuasus fuit*. Quemadmodum autem substantiuè dicitur *suada*, ita & adiectiuè, sed in compositione, dicitur, *benesuada* & *malesuada*. Appuleius in Apolog. *Consilio benesuada paupertas*. Maro: *Malesuada fames*; hoc est, κακοσύμβουλος, prout exponunt Glossæ Græco-Latinæ. Imò & in masculino inuenitur & neutro. Prosper Aquitanicus in Epigrammatis:

Blanditur sonti dum malesuadus honor:

Sidonius. lib. VII. epist. V. *Malesuadus interpres*. Eucherius epist. parænetica ad Valerianum: *Cessent solatia malesuada discriminis*.

Suasum, an *insuasum colorem* dicere oporteat, dubitari potest. Nam apud Plautum, Truculento, act. II. sc. II. non minus legi potest, *Quia tibi suaso*, quam *quia tibi insuaso*. Et iam olim fuisse de hoc dubitatum, docet Festus: *Suasum*, inquit, *color appellatur, qui fit ex stillicidio fumoso in vestimento albo*. Plautus:

Quia tibi suaso infecisti propudiosam palliulam.

Quidam autem legunt insuaso. Nec desunt, qui dicant omnem colorem, qui fiat inficiendo, suasum vocari, quod quasi persuadetur in alium ex alio transire. Ac alibi idem: *Insuasum appellabant colorem similem luteo, qui fiebat ex fumoso stillicidio*. Mihi *insuasum* non displicet: præsertim quando & in Glossis vett. legas: *Insuasum*, εἶδος ...; vbi Ios. Scaliger legit, εἶδος ... Nempe quia est color iste, quem videmus in *trabibus diutino fumo infectis*. Quod ad etymon à Festo allatum: Iulius Scaliger, Exercitat. CCCXXV. sect. X. & Hadr. Iunius, in Nomencl. censent potiùs dici *suasum* quasi *seuasum*: nempe, quòd *sine vasis*, hoc est, *cortinis tinctorum*, suâ naturâ talis sit. Sed si vestem infici opus est, quod indicat locus è Plauto allatus: non video vt vestis suâ naturâ hunc habeat colorem.

Suauium & *osculum* vnde dicantur, docet hic locus Varronis è lib. de vita populi Rom. adductus à Nonio in *suauium*: *Ideóque hoc ab ore dicitur osculum, non à suauitate, vnde suauium, quòd simile sit suauitate*. Sanè Belgis puto similiter *suauium* dici *soen* à *soet*, quod est *suauis*. Falluntur, qui Donatum secuti, *suauium* tantum libidinum esse autumant. Cic. epist. XI. lib. XVI. ad Att. *Attica, quoniam, quod optimum in pueris est, hilarula est, meis verbis suauium des*. Interdum & *suauium* pro *labris* accipitur: quomodo Scaliger accipi monet illo Plauti Mil. act. II sc. I.

Itaque hic meretrices, labiis dum ductant eum
Maiorem partem videas valgis suauiis.

Scio Turnebum, lib. I. cap. XV. & lib. VI. cap. VI. non ineptè per *suauia* non tam *labra* intelligere, quam *oris ac labrorum ad suauiandum conformationem*. Sed priori modo interpretari cum Scaligero malim, tum quòd hoc pacto concinnior sit Plauti sententia, tum quia *suauii* vocem capse in significatione legere sit in catalectis Virgilii:

Os vsque lambis suauiis.

hoc est, labio labium semper lambis, canum instar, quando aliquid ligurierunt. Appuleium quoque similiter loqui, eundémque *oscula* itidem gemino loco pro *labris* vsurpare ostendit Colvius ad III. Met. Appul.

Sub ab ὑπό, vt ex ἀπό, *ab*. Hoc in compositione nunc localem vim retinet, vt *subesse*: nunc minuit, vt *subtristis*. Vide Priscianus, in XV. A *sub* est *subter*, vt ab *in inter*; à *præ præter*; quemadmodum de tribus his tradit Priscianus in quinctodecimo. A *sub* quoque *subtus*: vt ab *in intus*, mihi hoc potiùs ab ἐντός.

Subdiuum, quia *sub diuo*, siue *sub dio*, quod Horatio est *sub Ioue frigido*: *subdiuum* enim vocatur *luminus sub cælo claritas*. Tertullianus, lib. de pallio cap. II.

Cæli ambitus nunc subdiuo splendidus, nunc nubilo sordidus.

Ita optimè emendabat doctissimus socer meus Franciscus Iunius. Vbi in vulg. *sub diuo* Glossæ vett. *subdiuum*, ὕπαιθρον. Similiter *subdiual* dixere partem ædium, quæ *sub dio* est. Tertullianus, aduersus Iudæos: Ezechiel. IX. *Et claritas Dei adscendit à Cherubim, quæ fuit super ea in subdiual domus*. Gloss. vett. *Subdiual*, ὕπαιθρον. Indéque *subdiualis sentina* apud Tertullianum libris de anima.

Suber arbor, de qua Plinius. lib. XVI. cap. VIII. Est inter eas, quæ ferunt glandem, sic propriè vocatam: vt idem dixerat cap. VI. Itaque à *sue* deriuat Isidorus, lib. XVII. cap. VI. Vbi ridiculè ait, *corticem* dici *suberem*, *arborem* autem *suberiem* quasi *subedicem*, quia *sus edat eius fructum*. Rectiùs dixeris, vt a *facio faber*, à γλάφω vel *glubo gluber*, à *tumeo* est *tuber*; sic à *suo* esse *suber*: quia, vt idem Plinius cap. VIII. ait, *vsus eius in hiberno feminarum calceatu*. Imò non hiberno solùm tempore vtebantur valetudinis caussâ: sed æstiuo etiam, vt viderentur grandiores. Alexis Comicus apud Clementem Alexandrinum, lib. III. Pædagogi:

Τυγχάνει μικρά τις οὖσα; φελλὸς ἐν ταῖς βαυκίσιν
Ἐγκεκάττυται.

Est aliqua parua? suber in calceis insuitur.

Vel fuerit *suber* à σύφαρ; quod vsurpatur de extima pelle: vt de *exuuiis serpentium*: de *pellicula lactis*, quæ aliter γραῦς, de *rugosa & exsucca cute senecionum*. Quare nomen hoc tribuerint arbori, quo pacto dicitur φλοιός. Nam hoc propriè ... ; sed pro ipsa ponitur *arbore*, quia tota naturam habet φλοιοῦ siue *corticis*. Hinc Plinius, eodem cap. *Non infacetè Græci corticis arborem appellant*. Vel, quod Cæsar Scaliger in Histor. Theophrasti scribit, lib. III. cap. IV. *ab incrementis subeat, aut quia mergi nequit, sed subit*. Sed simplicissimum puto, vt à *suendo* sit.

Subices, teste Festo, dicuntur *nubes*, ab Ennio in Achille:

——*Per ego Deum subices humidas*
Vnde oritur imber sonitu sæuo & spiritu.

Scaliger notis ad Manilium *subices* ait dici, quia *subeant cælestia*, quomodo Græci vocant μετέωρα, quam *subire* esse *ascendere*, vt apud Manilium in sphæra: & Plinium in II. *Decidunt imbres, nebulæ subeunt*: & retinet idioma Hispanicum. Sed magis probo sententiam Festi, qui *subices* dici vult quasi *subiectas*. Nempe vt Ennius *nubes Deûm subices* vocet, quia Diis subiiciantur. Vt ab *obicio obex*, sic ab *subicio* (quod Festus agnoscit) *subex*. Veteres in compositis à *iacio I* alterum abiecisse, ostendimus alibi.

Subidus à *subando*. Vel à *subus*: vt *subidus* sit *suum instar habendus*. Vsus Valerius Æditius apud Gellium lib. vndeuigesimo, cap. IX. Hinc *insubidus*, à quo *insubidè*, & *insubiditas*. Vsus tribus istis Gellius. Loca sunt peruulgata. *In* autem hîc non negat, sed auget. Barthius tamen Aduers. lib. XXXVII. cap. IV. apud Valerium Æditium pro *subidus* legit *sabidus*, vnde *insubidus* sit, vt à *salsus insulsus*. *Sabidus* autem exponit *prudens sciénsque*. Ita, puto, fuerit à *sapio*. Sed ab eo est *sapidus*, vnde *insipidus*. Et sanè omnes libri *subidus* habent per *V*.

Sublestus propriè notat *tenuis*. Festus: *Sublesta, infirma, & tenuia*. Hinc sumitur pro re leui & exigui pretii. Nonius: *Sublestum est leue, friuolum*. Ita Plautus Neruolaria *vinum sublestissimum* dixit pro *languido* atque ... , quamquam Festus sic dici velit, quia animo corporéque faciat infirmos. Item *fides sublesta* pro *leui* apud eundem, Bacch. act. III. sc. *Reddidit patri*, & Pers. act. III. sc. *Quæ bene vertant*. Pro-

priè

priè autem *infirmum ac tenue* notare etiam origo ostendit. Est enim ab ὑπόλιστος, quod Aristophanis Scholiastes in Equit. interpretatur πετριμμένος hoc est, *attritus*. Ὑπόλιστος autem venit à λιστός, quod Eustathius exponit ξεστός, *grracile*. Imo & Aristophanis interpretes in Ran. ait, λιστοί, καὶ περιεσμηγμένοι [illegible] ὑπό λεπτοί, λιστοί λεῖοι. Ab ὑπόλιστος venit *sublestus* conuersio στ in *st*, vt à στάδιον, *stadium*. Et *sublestus* quidem ab ὑπόλιστος venire, etiam Scaliger monuit notis in Copam. Fallitur autem, cùm ait propriè ὑπόλιστος dici *picturas*, quæ alio nomine vocantur [illegible]. In errorem induxit, quòd in veteri Glossario *lista* exponatur γραμμή. Nam *lista* istoc non est Latinum, sed posterioris æui vox, vsitata Italis & Gallis: imò & Belgis, qui *catalogum* ac *schedam*, imò & *limbum* seu *fimbriam*, vulgo *listam* appellant.

SVBLICIVS pons à *sublicis* nomen accepit. *Sublica* siue *sublices* Volscum est vocabulum. Nam Formiani ita vocabant tigna, quibus pons eorum innixus. Auctor Festus. Et iuuat vetus Glossarium, in quo est: *Sublices*, [illegible]. Dictæ verò *sublices*, vel *quod sub eis aqua liquens laberetur*: vt aliquos voluisse auctor est Festus: vel, quod longè magis placet, à *sub* & *liquus* vel *liquis*. vnde & *obliquus*. Vide *Obliquus*.

SVBLIGAR & *subligaculum* erat id natium femorúmque inuolucrum, cuius in histrionica duntaxat vsus erat, non item in campo Martio, vbi iuuentus campestri succingebatur. Confundit hæc Robertus Titius, vt bene obseruat Yuo Villiomarus lib. II. Controu. cap. XVIII. A *subligando* sic dici satis est apertum.

SVBOLES Græcis [illegible], vt exponitur in Glossis Philoxeni. Ac in Cyrilli etiam Glossis legas [illegible], *suboles*. Festus: *Suboles ab olescendo, id est, crescendo: vt adolescentes quoque, & adulti, & indoles dicitur*. Porro *suboles* quin rectiùs scribatur, quàm *soboles*, nullus dubito. Nam in vett. libris sic legitur, ac inscriptione etiam, quæ apud Gruterum est, pag. DCCCCXXXIX. Vide Pierium ad Eclogam IV. & IV. Æneid. Nec negat hæc Aldus in Orthographia: sed, quod *soboles* per O scribat, dicit se largiri consuetudini, quæ auribus indulserit. Verùm non est nostrum immutare voces Romanas ex nostrarum aurium iudicio, sed potiùs eas satas tectas reseruare. Adde quòd non minùs suaue erit *suboles*, si adsueuerimus, quam *soboles*. Nec arbitror vnquam in præuerbio SVB, V in O mutari. Atqui non dubium est, quin *suboles* sit à *sub* & *oleo*, significante *cresco*: vnde *proles* a *pro* & *oleo*. Nam contractum est ex *proolas*. Item *indoles*, vis increta, hoc est, innata & ingenita. Id enim propriè notat, vel vt Festus censet, ipsum *incrementum*. Hinc apud Gellium *mentis indoles*, [illegible] verò aliis accommodatum. Gloss. vett. *Indoles*, [illegible]. Ac similiter Glossæ Isidori: *Indoles, spes in puero*. *Suboles* autem propriè vocantur παραφυάδες, hoc est, *stolones*, seu *pulli arborum si p. stibus accrescentes*; quomodo vsus Columella, lib. V. cap. V. Sed [illegible] dicitur de *liberis*, *qui eisdem parentibus suis succrescunt*, *& quasi subolescunt*: vnde Tibullus:

At tibi succrescat proles, quæ facta parentis
Augeat, & circum stet veneranda senem.

Et Pedo Albinouanus, eodem modo locutus de *filiis adoptiuis*. Sic enim scribit in verbis supremis Mecænatis, quæ elegiæ de obitu Mecænatis addi solent:

Et tibi succrescant iuuenes bis Cæsare digni,
Et tradant porrò Cæsaris vsque genus.

Loquitur de C & L. Agrippis quos (vt obseruat Scaliger) bis ait Cæsare dignos, quia & filii erant Agrippæ, qui Augusti gener erat: & insuper adoptati erant ab Augusto. vnde Cæsares quoque vocabantur. Dicitur *suboles* eleganter quoque de *capillis*, qui & ipsi sunt veluti stolones quidam. Varro [illegible]:

Antæ auris modo ex subolibus paruuli
Intorti demittuntur sex cincinnuli.

Vide *Cincinnus*.

SVBSCVS vera est scriptura, non *subcus*, aut *suscus*: vt est apud Budæum, annot. prioribus in Pandectas. Est ea tabella lignea, vel alius materiæ, quæ immittitur, vt trabes aliave committat. Cato de R. R. cap. XVIII. de orbe oleario: *Coagmentis facito crassum digitos sex, subscudes iligneas adindito: eas vbi confixeris, clauis corneis occludito*. Vitruuius lib. IV cap. VII. *Et ita sint compacta subscudibus, & securiclis, vt compactura duorum digitorum habeat laxationem*. Festus: *Subscudes appellantur cuneatæ tabellæ, quibus tabula inter se configuntur, quia quo immittuntur succiditur*. Pacuuius in Nyptris:

Nec vlla subscus cohibet compagem aluei.

Plautus in Astraba:

Terebratus multum sit, & subscudes addito.

Turnebus, lib. XXV. cap. I. *Eodem Festi libro in explicandis subscudibus quæ sunt cuneatæ quadam tabellæ. quibus [illegible] tabulæ inter se coniunguntur, puto legendum. Quia quo [illegible] tuntur, succuditur. Nam à succudendo mihi nomen videtur potius habere, quàm à succidendo. Etsi enim locus, cui inseruntur, excauatur, succiditúrque inde aliquid, vt immittantur: cum tamen id fiat cudendo, scalpris malleo percussis, & immittantur ictu mallei, non video, cur non debeant potiùs à succudendo, quàm à succidendo deduci. Quòd si Festus à succidendo scripsit, vt & fortasse fecit, ab eo libentissimè dissentio*. Formam *subscudis* in vocibus Vitruuianis depingit Bernardinus Baldus.

SVBSICIVVM dicebant agrimensores, *quod super est extra lineam normalem*, hoc est, eam, quæ latus quadrati claudit. Nam limitatio redigebatur ad quadraturam. Vt *subsicium* sit; quod erat inter normalem lineam, & extremitatem. Quod plenius mox Siculi Flacci verbis ostendam: *Subsiciuum* autem, an *succisiuum*, scribi debeat, quæritur. Vulgò *succisiuum* placet, atque aiunt, id esse à *succido*. Sed potius scribendum *subsecíuum*, siue *subsiciuum*, prout legere est in antiquâ inscriptione Domitiani, quæ est pag. CIↃLXXXI. n. II. editione Grut. Ita vox ea fuerit a *subsecando*, siue *subsicando*. vnde & in vett. lib. in secunda syllaba nunc per secundam, nunc per tertiam effertur vocalem. Rectiùs tamen per *i* proferatur quam per *e*, cum in vett. libb. itidem legamus *resicare*, *prosicare*, *dissicare* seu *dissicere*, quo de scribendi modo, Aldus in Orthographiâ & Colerus in VIII Met. App. Tantum ponam locum Plauti, Rudentis Act. I. Sc. II.

Quin tu in paludem is, exsicásque arundines,
Qui pertegamus villam, dum sudum est?

Subsicium probat quoque Turnebus. Vide & quæ fusè hac de voce scribit, & ab Angelo Colotio se accepisse tradit Hieronymus Ferrarius emendat. in Philipp. II. Ciceronis. Atque vt veteres potiùs citemus, quid apertius istis Siculi Flacci verbis? *Subsiciuorum verò genera sunt duo: vnum est, quod à subsecante linea mensura quadratum excedit: alterum est autem, quod in mediis centuriis relinquitur. Euenit hoc ideo, quoniam militi veteranoque cultura assignatur. Siquid enim amari & inertis soli est, id assignatione non datur*. Vnde eâdem cognoscimus, quid in agris *subsiciuum* dicatur, nempe quod nulli assignatur: siue quia non expleret modum centuriæ: eóque citra *subsecantem* lineam in extremis assignationis finibus relinqueretur: siue quia in medio quidem centuriarum esset, & fortassis explere centuriam posset, assignari tamen nulli posset, idque ob maciem soli & sterilitatem. Vnde inter agrimensores anonymus: *Subsiciui agri, quos in pertica diuisos recusant, quasi steriles, aut palustres*.

SVBSIDIVM à *subsidendo*, vt à *præsidendo præsidium*, ab *obsidendo obsidium*. *Subsidia* dicebantur, qui exspectabant, vt aliis periclitantibus essent auxilio. Gloss. Philoxeni: *Subsidium* [illegible]. *Subsidia*, [illegible]. Dicti alio nomine *Triarii*, vnde prouerbium, *Res ad Triarios rediit*. Quomodo à *præsidio* & *auxilio* differant, ostendit Cornelius Fronto, & ante eum Varro, lib. IV. de L. L. *Pilani*, inquit, *Triarii quoque dicti quod in acie tertio ordine extremi subsidio deponebantur. Quod hi subsidebant, ab eo Subsidium dictum*; à quo Plautus.

Agite nunc, subsidete omnes, quasi solent triarii.

Auxilium appellatur ab auctu, cum accesserant, qui adiumento essent, alienigenæ. Præsidium est dictum, quia extra castra præsidebant in loco aliquo, quò tutior regio esset. De *subsidiis*, & *præsidio*, ita Festus: *Subsidium dicebant, quando milites subsidebant in extremâ acie, laborantique acies succurrebant: quod genus militum constabat ex iis, qui emeruerant stipendia, locum tamen retinebant in exercitu, quæ erat tertia acies Triariorum, vt Plautus in Friuolaria*:

Agite nunc, subsidite omnes, quasi solent triarii.

Simili modo dicti præsidiarii, ante eo [illegible]: ati qui erant, aut in alio loco præpositi.

SVBTILIS à τῆλε, id est, *longè*, quia quæ *subtilia* sunt, ea longè à sensibus sunt remota. Facit pro hoc etymo, quod Priscianus in IV. vt à *sextus* est *sextilis*, vt a *gens gentilis*, ab *hostis hostilis*, ita à *subtel* esse *subtilis*. Atque eum secutus Papias. Est verò *subtel* in pede, quod *vola* in manu. Vnde Priscianus exponit κοῖλον τοῦ ποδός. Perottus scribit *subtal*, ac dici putat, quia sit *sub talo*. Inde fuerit *subtilis*, quia in concauo pedis cutis est tenuis, ac *subtilis*. Sed Cæsar Scaliger longè meliùs, Exercit. I. aduersus Cardanum: *A filis* (inquit) *tenuioribus originem traxisse videtur: quæ in tela bene texta oculorum aciem penè fallunt. Vnde significationis proportio ad alia quoque sumta fuit*. *A subtilis* verò fuerit *subtel*, quia caro ibi tenera. A *subtel* verò *calcei subtelares*, vel *subtalares*, de quibus Isidorus: qui dici ait, quia *sub talo essent*:

SVBVCVLA, quæ & *interula* dicebatur, quia *intima* foret, ex eo nomen accepit quia *tunica subesset*, vt tunica pallio. Persius:

——— *Subucula pexa*
Trita subest tunicæ.

Varro, lib. IV. de L. L. *Capitium ab eo, quòd capit pectus, id est, vt antiqui dicebant, indutui comprehendit. A tergum, quod subtus, à quo subucula: alterum quod supra, à quo supparus.* Idem, lib. I. de vita pop. Rom. citante Nonio: *Postea quam binas tunicas habere cœperunt, instituerunt vocare subuculam & indusium.* Ineptè verò Marcellus Donatus in Trebell. Poll. dici putat, quia *sub cute* connectatur. Sanè si putauit vocem esse compositam, meliùs dixisset [illegible] fieri *subuculam* à *subduo*, quod à *suere* pro *induo*: vt *exuo* pro *exduo*. Nempe à *δύω*, cuius principe litera in *induo* remansit. Et sanè fauet huic etymo, quòd in Glossis veterib. legas *Subucula*, [illegible]. Nam [illegible] ex [illegible] & *δύω*, vt *subucula* fuerit ex *sub* & *duo*. Alteram *subuculæ* notionem docet his verbis Festus: *Subuculam Ælius Stilo, & Cloatius vtrum fere verbis demonstrant vocari, quod Diis detur ex halica & oleo, & melle.* Ac ne hac significatione *subuculam* potiùs scribendum putes, (quomodo in Glossis antiquis legitur, *Subucula*, [illegible]) mox addit Festus: *Nam de tunicæ genere notum est omnibus.* Vnde liquet vtraque notione eodem modo scribi solere. Aut hoc verum est, aut Paulus vitioso fuerit codice deceptus.

SVBVERBVSTVS, [illegible], aut *verbero*. Itaque opponitur *liberalibus*. Tertullianus de Pallio, cap. IV. *Libertinos in equestribus, subuerbustos in liberalibus, dedititios in ingenuis, rusticos in Vrbanis, scurras in forensibus, paganos in militaribus.* Dictum quasi *sub verbustus*, B pro V posito. Festus: *Subuerbustam, verberibus vstam significat Plautus*, cum ait:

Vlcerosam, compeditam, subuerbustam, sordidam.

Sed longè feliciùs socer meus Fr. Iunius in notis ad Tertullianum de Pallio putabat, vt ab *vro* est *vstus*, ab *arbor arbustum* ab *onus*, *onustus*: sic à *verber* esse *verbustus*, & cum præuerbio *subuerbustus*.

SVBVLA [illegible] quasi *suibula*, à *suendo*. Si enim vocatur *instrumentum, quo corium calcei perforatur*. Hinc *subulo* apud Lucilium & Ausonium verbum flagitiosum de eo *qui subulæ instar mares perforat*, vt loquitur obscenus deus in carmine Ithyphallico. *Inforare* similiter vsurpat Plautus Curcu. Act. III. *Non inforabis me quidem.* Sed & Græci [illegible], quod itidem *suere* notat, similiter vsurpant pro *subigere*: vt diximus in *Mulleus*. *Subula* quoque dicuntur *instrumenta ferrea, quibus lapides excauantur, ac poliuntur*. Græci [illegible] vocant, vt ex Hesychio constat. Indéque animali, quod Græci vocant [illegible], quia [illegible], hoc est, *subulam* cornu suo efferat, itidem *subulonis* nomen datum. Glossi. vett. *Subulones*, [illegible]. Plinius, lib. XI. cap. XXXVII. *Alijs simplicia tribuit (cornua) vt in eodem genere (ceruorum) subulonibus ex argumento dictis.* Quo ex loco quidam collegere *subulones* seu *subones* dici ceruos bimulos, quibus cornua enasci incipiunt, sed recta & simplicia. At obstat, quòd *subulones* & *cerui* sic ætate solum differrent. Plinius autem dicit esse in genere ceruorum, hoc est, animal ceruo simile. Vide quæ de *Orige* suo loco, atque item in *Vpupa* diximus. Est & tertia *subulonis* significatio. Nam in vett. Glossis exponitur [illegible], ac pleniùs idem docet Festus, his verbis: *Subulo Tuscè tibicen dicitur.* Itaque Ennius:

Subulo quondam marinas propter adstabat plagas.

Est versus trochaicus. Sed apud Varronem, vbi eadem de *subulone* legas, aliter concipitur. Locus est lib. VI. de L. L. Apud Ennium:

Subulo finitimas propter adstabat aquas.

Subulo dictus, quod ita dicunt tibicines Tusci. Quocirca radices eius in Etruria, non Latio quærendum est. Hæc Varro. Si transectis postremis duabus vocibus legas *propter aquas adstabat*, erit Sotadicum, vt monuit Scaliger, qui nec improbat *assubat* pro *adstabat*, vt sententia sit, assa voce, hoc est, absque instrumentis Musicis canebat. Sunt & qui aliter versui medicinam facere conentur. Porrò etsi *subulonis* etymon, non in Latio, sed Hetruria quærendum dicat Varro, Turnebus tamen lib. XIV. cap. I. & lib. XXIII. cap. XVI. vult origine esse Latinum, & dici quasi *sibilo* vel *sibilid*. Mihi venit in mentem *subulo* potiùs dici quasi *surbilo*. Nam [illegible] est [illegible], [illegible], Hesychio teste. Sed quò minùs tamen in sententia hac animus acquiescat, facit quod Varro dicat vocem esse Hethruscam: Thusci autem plurima habeant ex Orientis linguis. Et sanè Chaldæis, שבובל, *sibbul*; Syris שבלא *sebel*; Arabibus سنبل, *sunbul*, est spica, vt capitur Matth. XII. I. Sed [illegible] eo notatur [illegible] siue *calamus*: quo primitus vsi pro *fistula*, vt vel ex Bucolicorum scriptoribus notum.

SVBVLCVS Agellio à Græcis videtur originem ducere. Sic enim scribit lib. XIII. cap. IX. *Quod Græci* [illegible], *nos super ascimus: quod illi* [illegible], *nos supinus: quod* [illegible], *nos subulcus*, &c. Dicitur verò [illegible] quasi [illegible], vt [illegible] pro [illegible] ab *ὗ*. siue *σῦς*, id est, *sus*, & *φέρβω*, id est, *pasco*: quod ipsum dici volunt quasi *φέρω βίον*. Sed quod ad *subulci* etymon attinet, etsi id etiam Nunnesio placuerit, tamen arbitror potius, vt ex *bouibus* est *bobus* & *bubus*, vnde *bubulcus*, & [illegible] *bubulcus*: sic à *suibus* esse *subus*, indè *subulcus*, & per syncopen *subulcus*.

SVBVRANAS *meretrices* vocat Horatius, in Epod. lib. & Martialis non semel. Nempe à *suburra*, qui vicus Romæ erat infamis lupanaribus. Vnde Persius, Sat. V.

——— *Totaque impune suburrâ*
Permisit sparsisse oculos mihi candidus vmbo.

Nomen *suburra* ex eo fortasse est, quod locus is *sub vrbe* foret. Nam muro terreo suberat. Varro, lib. IV. de L. L. *Eidem regioni attributa subura, quod sub muro terreo Carinarum. In ea est Argeum sacellum sextum. Suburam Iunius ab eo scribit, quod fuerit sub antiqua vrbe. Cui testimonium potest esse, quòd subest ei loco, qui Terreus murus vocatur.* Verùm huic sententiæ obstat, quòd antiqui *sucuram* per C scriberent: pro qua sententia aliquid legas apud Fabium Quinctilianum. Nam ait *Suburra* tertiam literam esse. Vbi C pro B scribi debere, iam seculum est quod monuit Hermolaüs Barbarus in Glossis Plinianis. Quare meritò Varro, cùm superiorem attulisset [illegible], hæc mox subiungit: *Sed ego à pago potius Sucusano dictam puto Sucusam. Nam scribitur tertia litera C, nunc B. Pagus Succusanus, quòd succurrit Carinis.* Festus. *Suburam Verrius alio libro à pago Succusano dictam ait: hoc vero maximè probat eorum auctoritate, qui aiunt ita appellatam & regionem vrbis & tribum à statiuo præsidio, quod solitum sit succurrere Esquilijs infestantibus eam partem vrbis Gabinis; indicióque esse, quòd adhuc ea tribus per C literam, non B scribatur.*

SVCCIDIAM latè nimis Onomasticon [illegible], hoc est, *salsamenta* exponit. Meliùs Nonius *lardum* interpretatur. Propriè autem est pars suilla, sale durata, & in quotidianos vsus seruata, sic dicta quia in vsum quotidie aliquid *succiditur*: vnde *succidiam* describens Petronius ait: *Sincipitis vetustissima particula mille plagis dolata*, id est, cui sæpius abscissa particula. Κατὰ μεταφορὰν ad alia transfertur: vt cùm hortum *alteram succidiam* dixere: vti est apud Tullium in Catone. Cúmque Hieronymus, libro II. aduersus Iouinianum, aliquem *gehennæ succidiam* vocat. Varro à *sus* & *cædo* deducit, quod placere nequit. Verba eius hæc, lib. IV. de L. L. *Succidia ab suibus concidendis: nam id pecus primum occidere cœperunt domini, & vt seruarent, salere.* At mirum, Perottum velle & *lanam succidam* dici à *succidendo*, quia, vt ait, talis fit, qualis *succisa*, hoc est, plena sordibus. Nam à *succo* esse ostendit, quod penultimam corripit: vt apud Martial. Lib. XI. epist. XXVIII.

Succida palliolo vellera quinque petit.

SVCCINVM Latinis idem est, quod Græcis *electrum*, ac *succinum* vocatur, quia sit *arborum succus*: vt Plinius [illegible], lib. XXXVII. cap. III. Et Athalaricus rex, epist. ad Hestos: cuius verba & ponit Fabricius, notis in Prudentium, pag. CXXVIII. Siquidem in Septentrionalibus Oceani insulis sudat ex arboribus pinei generis, ac tempore aut mari induratur, & Oceano intumescente defertur in litus. Meritò itaque ab Ambrosio, Hexaemeron lib. III. capite XV. dicitur esse *lachryma virgulti*. Vide plura apud Plinium lib. IV. cap. XVI. & Isidorum, lib. XVI. cap. VIII. & supra in *Electrum*.

SVCCROTILLVS Festo teste, (apud quem in codd. quibusdam MSS[ti] perperam est *sucrotillus*) idem notat ac *tenuis*: vnde Titinnio & Afranio vox *succrotila*, hoc est, *exilis*. Videri possit esse à [illegible] aut *crotalo*. Sed obstat quod simplex eius *crotilus* de aliis quoque quàm voce, vsurpetur. Plautus (in Syro dubium an Cistellaria vel potiùs Clitellaria.)

Cum extortis talis, cum crotilis crusculis.

Quid si ergo dicamus *crotilus*, [illegible] esse ex *curtulus*, à *curtus*? Quanquam profectò non est quod magnopere hoc Plauti loco moueamur, ob summam lectionis varietatem. Sanè Festus ipse versum hunc aliter atque aliter laudat. In *Crocotillum* legit, *cum crocotilis crusculis*. Siue vt in MS[ti] est, *crocotillis*. In *Succrotilus* non video quomodo aliter, quàm *succrotilis* scribere potuerit. In *Todi* verò sic legitur, etiam in MSS[to] Nansij: *Todi sunt aues paruæ, & todilli, quarum meminit Plautus in Syro*, cum ait:

Cum extortis talis, cum todillis crusculis.

Nec multum ab hac lectione abit MSS[tus] meus Priscianus bene antiquus, in quo lib. III. ex Cistellaria is versus hoc pacto citatur:

Cum

Cum extortis talis, cum todinis crusculis.

Super *todinis* adscriptum *exilibus*. In ipsa autem orationis serie, mox subijcitur: *Todus anus brevia tortaque crura habens.* Quod tamen non dubium, quin ex ora in contexta irrepserit. In antiquâ meâ Venetâ Prisciani editione (puta anni MCCCCLXXVI) inuenio: *cum torcinis crusculis*. Quod & ipsum ex *todinis* corruptum esse patet. Itaque nullus ambigo, quin *todin* vel *todinis* scripserit Plautus: vt nempe ea vox sit à *todis* auibus, quarum crura exilia esse ex Festo, & ant quo alio in Priscianum glossemate, liquidò discimus. Nec leuiter hanc rem confirmat, quod, vt in Coniectaneis monet Scaliger, simili tralatione Eubulus Comicus dixerit σπιλέρυθ..., nempe ab minutâ illac auiculâ. Quemadmodum autem *todulus* à *todus*, id est, *paruus*, ita *tonus* à τυτθὸς, quod item notat *paruus*.

SVCCVS si gemino scribatur CC, erit à supino *suctum*, T in C conuerso. Verùm ex Pierij castig. ad Ecl. III. constat in antiquis codd. ac iis etiam, quæ geminatione consonantium gaudent, vocem hanc vnico scribi C: ac similiter in Philoxeni Glossis exaratum, *Sucus*, χυλὸς. Ideóque magis verisimile fit, esse à priscieri *sugo*: vt ita dicatur, quasi *sugus*, vt est apud Donatum in Eunuch act. II. sc. III. Sæpe enim commutantur literæ C & G: imò & indifferenter in quibusdam scriptæ. Exempli gratia, in *Cortynia* & *Gortynia*. Quin interdum C scribebant, G pronunciabant, vt in *Caius*, *Caieta*, *Cneus*, & *Curculio*. Imò diu Romani caruere literâ G: primúsque nouam eius formam inuenit Spurius Carbilius, vt tradunt Scaurus & Victorianus.

SVDIS, quia in sepiendo eius vsus, nomen videtur accepisse vel à SEPIO, *sepire*; vel à *sudibus*, aduersus quas è *sudibus* sepimentum fieret: vel (quod ante trecentos & ampliùs annos in Catholico suo retulit Ioannes Genuensis) à *suo*, *quia sepes, quasi consuta sudibus videtur, eò quòd sudes ex transuerso per eam nittantur & figantur*. Verùm & *sudibus* pugnatum olim, loco gladiorum: vt ex Marone, Cæsare, Liuio, Appiano, aliis constat. Itaque aliis dici videtur à Chaldæo שריא, *hasta*: vel Græco σείω seu σεύω, hoc est, ὁρμῶ, vnde σοῦσθαι, hoc est, ὁρμᾶσθαι, idque quia *sudibus* cum impetu alij in alios irruerent: vel quia δόρατα dicuntur σείεσθαι, cum *vibrantur*. At *sudes* pro *pisce* à *sudis similitudine* ita vocatur. Græcis est σφύραινα. Fortasse à *sudes* est *sudiculum*: quod sic notabit *sudem minutam*, quâ seruorum terga subinde demulcerentur. Sed aliter Festus: vt in *Sudor* dicimus.

SVDOR ex ὕδωρ, *aqua* conuerso spiritu in S, quomodo ab ἕξ est *sex*, ab ἑπτὰ, *septem*, &c. Vel ab ἱδρὼς, quod idem notat fuerit *sudor* κατ᾽ αὐτὸ τοῦτο. Sed prius malim. Non audiendus Varro, qui ab *humo* deducit Nam IV. de L. L. ait, *Hinc* (ab *humo*) *ager vliginosus, humidissimus, hinc vdus, vuidus, hinc sudor, quasi ex deorsum in terra imber*. Quæ postrema verba aliquid commune habent cum sententia Empedoclis, qui *mare* volebat esse *sudorem terræ*. Nota res ex Μετεωρολογικοῖς Philosophi. Alij tamen locum corruptum putant: neque enim hic de *sudore* agi, sed scripsisse Varronem: *Hinc vdor. Aqua vis ab humo in terrâ, Imber*. Vel, quod Iosephus Scaliger præfert: *Hinc vdor, aqua vis deorsum. Hinc terra Vmbria*. Vel, in hunc modum: *Hinc vdor, hinc quasi ex deorsum terra, vt Vmbria, Humidior*. Vide Coniectanea. A *sudor*, vel potiùs *sudo* est *sudiculum*. Festus: *Sudiculum genus flagelli, quod vapulantes sudantes facit*. Sed quid si dicamus esse ὑποκοριστικὸν à *sudes*, mutato genere, vt à *rana* est *ranunculus*, ab *ergastulo* ergastulum? *Sudarium*, linteum, quo *sudorem* detergemus. Posteriores Græci iidem σουδάρια vocant. Veteres dixere καψιδρῶτα, ἀπὸ τοῦ καμπτεῖν ἱδρῶτα. Pollux, lib. II. cap. XVI. ἔστι δ᾽ ἐν τῷ τῶν μετώπων ἀποψήσει προσφέρομεν καψιδρῶτα, ὃ νῦν σουδάριον ὀνομάζουσι. Non refugit σουδάριον vocem Nonnus in paraphrasi cap. XI. & XX. Mirum verò, cùm Pollux clarè indicet esse posterioris ævi vocem, Mœrim tamen Atticistam scribere: Σιμικίνθιον, τὸ ἡμιζώνιον, ὃ ὑφ᾽ ἡμῶν σουδάριον. Vbi si intelligendus Hermippus, veteris comœdiæ poëta, sanè necesse sit Latinos *sudarium* ex Græco σουδάριον fecisse. Sed metuo, ne Mœris fallat fallaturque. Analogia enim comprobat à *sudando* vel *sudore* esse *sudarium*, vt à *pomo pomarium*, ab *auctu auctarium*, ab *admissu admissarium*. Similiáque *armarium*, *apiarium*, *rosarium*, & alia. Eò minùs Nonno credendum, qui locis antè memoratis Syriacam esse vocem dicit: Scio legi apud Chaldæum interpretem, Exodi XXXIV. 33. 34. & Ruth. III. 15. item apud Syrum interpretem, Act. XIX. 12. Verùm eo tempore vt alia multa, ita hoc etiam vocabulum Oriens acceperat à Romanis. De hoc iudicium ferre non poterat Nonnus, quia Latinè nesciret.

SVDVS, (vt quidem Angelus Decembrius tradit lib. IV. de politia literaria, part. XLVIII. & L.) ita dicitur, quasi *semiudus* vel *subudus*. Prius illoc & Iunius Philargyrius in IV. Georg. posterius & Verius probarat. Sed reprehenditur hic eo nomine à Festo. Qui, vt *securus* est *sine cura*, & *sedulo* dicitur quasi *sine dolo*, ita & *sudus* censet factum esse ex *se*, id est, *sine*, & *vdus*, hoc est, *humidus*. Et longe sanè rectiùs. Quippe *vdus* & *sudus* opponuntur. Appuleius, Apolog. *Videnturne vobis debere philosophi hæc omnia vestigare & inquirere, & cuncta specula vel vda, vel suda soli videre?* Vbi *suda* siue *artificialia specula* opponit *vdis* siue *naturalibus*, vt sunt fluuij & mare: vnde Maro, Ecl. II.

——— *Nuper me in litore vidi,*

Cùm placidum ventis staret mare. ———

Sed etsi hoc ἔτυμον non displicet, tamen veriùs puto, vt sit à Græco ἰδρὸς, quo non tantum *sudor* notatur, sed etiam *calidum siccum ac calidum*, τὸ ξηρὸν καῦμα, vt Eustathius interpretatur. Hesychius quoque ἰδρὸς interpretatur πνῖγος, hoc est, *ingenti æstus*, ita vt animal penè *suffocet*. Et Suidas ἰδρὼ non tantùm exponit ἱδρῶτα, hoc est, *sudorem*, sed etiam θέρμη, hoc est, *calorem æstum*. Atque ita vsus Hesiodus in Clypeo Herculis, vers. CCCXCVII.

Ἴδει ἐν αἰνοτάτῳ, ὅτε τε χρόα Σείριος ἄζει.

Ab ἴδος igitur erit *sudus* conuerso spiritu in S. quod non tantùm in spiritu aspero vsu venit, etsi hic vsitatius est, sed etiam leni, quomodo ab ἕπω est *sequo* pro *dico*, vnde Liuium Andronicum *insequæ* pro ἔννεπε. Et *sero* pro *dico*, (vnde *sermo*) planè puto esse ἐρῶ. Aliáque huiusmodi suis locis adduximus.

SVESCO ab vsitato *sueo*. Sanè non *consuesco* tantùm, sed etiam *consueo*, ponit Charisius: vt etiam monet Priscianus in IX. *Sueo* autem, vt Martinius coniectat, dicitur ab *vsu*, quasi *vsueo*: vel à *suus*, quia qui assuescit, suum quid & proprium facit: vel ab σεύω, siue σοῦω, hoc est, ὁρμῶ, quia *impetu* ac studio opus ad consuetudinem.

SVFES, summus erat Carthagine magistratus. Festus in schedis Pomponij Læti: *Sufes dictus Pœnorum magistratus, vt Oscorum Mediastuticus*. Calidius in oratione in Q. Cæcilium: *Nonne vobis, sufetes, ignem, & fumum prosequi, & flamma videtur?* Seneca, de tranquill. cap. III. *Non vis enim nisi consul aut prytanes, aut ceryx, aut sufes administrare Remp.* Atque idem ex Liuio & aliis notum est. Originem non ignorabit, qui sciat Pœnos esse Tyriorum colonos, Tyriorum autem & Hebræorum linguam fuisse eandem, nempe Chananæam. Sane & Tyrij & Hebræi magistratus ita distinguebant, vt alij essent Reges, alij Iudices. Habebant Iudices aliquid regium, quod essent perpetui, sed quia deerat eis τὸ ἀνυπεύθυνον, ideo magistratus potiùs erant quàm reges, vti & reges Lacedæmonij, qui nihil habuere regium præter nomen & τὸ ἰσόβιον. Tales igitur fuere Hebræorum ac Tyriorum Iudices, quos dixere שופטים, prout & in Scripturis Iudicum liber inscribitur, nempe à radice שפט, *iudicauit*. Ergo ex שופטים est Carthaginensium *sufetes*, hoc est, κριταί. Tertullianus, cùm pro libro *iudicum* dicit librum *Censorum*, non satis expressit vim Hebrææ vocis שופטים. Sunt enim *Sophetim*, non quos Romani *Censores* dixere, sed quales Atheniensium *Archontes* perpetui, ἄρχοντες διὰ βίου vt bene Scaliger obseruat. De etymo tamen paullò aliter idem Scaliger. Vult enim *suffetes* quasi *ephoros* dici à צפה, *speculari*, *inspicere*. A quo צופה, ἔφορος, ἐπίσκοπος, ἐπόπτης. Vide eum ad Festum, & imprimis lib. III. canonum Isagogicorum Eusebio adiunctorum, pag. CCCXXI & CCCXXII. & animaduersionibus Eusebianis ad annum MCCXLII. pag. LXIV. In plerisque Festi siue potiùs Paulli codd. MSS. legas *suffes* & *suffetes* gemino ff. Sed simplex malim, partim ob codices alios, partim originis caussâ.

SVFFLAMEN absque dubio est à *flamen*, & indè *sufflaminare*, quod propriè esset rem cum impetu ruentem in contrarium *flando* sistere. Sed κατὰ μεταφορὰν dicitur *sufflamen* de ligno, quo currus in decliuibus locis nimio impetu ruentes cohibentur. Τροχοῦ ἐγκόπτρον scitè vertunt vett. Gloss. Ad morem eum allusit Cæsar Augustus: *Haterius noster*, inquiebat, *sufflaminandus est. Ita videtur non currere, sed decurrere*. Propriè magis Seneca in Apocolocynthosi: *Aliquando Ixionis miseri rotam sufflaminandam*. Cuius vim vocis si intellexisset doctissimus B. Rhenanus, nunquam ibi substituendum putasset, *sublaminandam*.

SVFFOCO geminam notionem habet pro diuersa quantitate: vnde versiculus vetus in Catholico Ioannis Genuensis:

Suffocat, extinguit, suffocat gutture stringit.

Nempe *suffocat* secunda breui fuerit à *focus*. & significet id quod Græcis πνίζειν. vt cùm Theocritus ait, πνίζοντι δῶμα καπνῷ, *suffocate domum puluere*. Atque eo Propertium vti lib. IV. censet Scaliger. Nam legit apud eum, lib. IV.

Dein quacumque locum externa tetigere puella,
Suffocat, & pura lumina tergit aqua.

Vbi Beroaldus *suffit* legebat. At *Suffocare* secundâ porrectâ fuerit a *faux*, vti & *praefoco*: ac significet *obliquis faucibus interstinguere*, vt Appuleius loquitur, lib. IV. Metam. *AV* in *O* abit, quomodo ab *aulla* est *olla*; a *plaudo*, *explode*: ab eodem *faucis* nomine *focale*, fascia quâ ægroti obvolvebant fauces siue collum. Vsus Horatius, lib. II. Sat. III. Seneca, lib. IV. Natural. quæst. Fabius, lib. XI. cap. III. Indè & *focaneus palmes*: qui (vt Columella ait lib. IV. cap. XXIV.) *solet in bifurco medius prorepere: & iccirco eum praedicto vocabulo rustici appellant, quòd inter duo brachia, quà se diuidit vitis, enatus, velut fauces obsidet.* Alias *AV* mutatur in *V*, quomodo à *claudo* est *cludo* & *excludo*. Atque hæc quoque mutatio in *faucis* deriuatis locum habet. Nam a *faux* est *offucare*. Vnde Festus: *Offucare, aquam in fauces ad sorbendum dare.*

SVFFRAGO impropriè quidem dicitur de *quadam vitium sobole*: vt ex Columella cognoscimus, lib. IV. cap. XXIV. sed propriè ita dicitur *flexura in posterioribus quadrupedum pedibus*, quæ in prioribus *genu* appellatur. Gloss. Cyr. [illegible], *suffrages*. Laxè nimis Onomasticon vetus: *Suffrago*, [illegible]. Plin. lib. II. cap. XLV. *Aues, vt quadrupedes, alas in priora curuant, suffragines in posteriora.* Suffragines vocantur, eò quòd ibi cruris continuitas diuisa ac quodammodo fracta appareat. Isidorus, lib. XI. cap. I. *Suffragines, quia subtus franguntur, id est, flectuntur; non suprà, sicut in brachiis.* Eandem rationem apud Papiam legas, qui alteram etiam adiungit. *vel*, inquit, *quia suffragantur, id est, adiuuant neruos crurum.* Sed magis placet Isidori sententia, vt sit à *suffringo*, hoc est, *posteriori parte frango*. Quódque ad alteram *suffragandi* notionem attinet, quam Papias respexit, ea tralatitia est, vt bene vidit Perottus. Iuxta quem *suffragor* propriè est *annitor*, & *adiuuo*, primóque dicetur de bestiis, eâ formâ quâ homines dicuntur manibus pedibúsque obnixè omnia facere. Sed à bestiis est ad homines translatum: posteáque restrictum ad comitia, rostra, aut forum: dictúmque de iis, qui sententiâ suâ, tabellâ aut aliter cuipiam fauerent ac consultum vellent. Ei contrarium *refragor*, quod est aduersor, propriè autem notat *vim suffraginum in aduersum retinentem*. Sed addam alteram coniecturam. Nam quid si *suffragor*, & *refragor*, propriè de *oratione* ac speciatim *consiliis & deliberationibus* dicantur? Sanè φράζομαι est *delibero*. Vnde φράδη, *consilium*, teste Hesychio. φράδης, *consultus*. φραδάζω, *dico*. Vt φραδμων, *monitio*. A φράζω fit *fragari*, D in *G* verso, vt ab [illegible], *iugum*.

SVGGILLARE Verrio (si recta est Scaligeri ad Festum coniectura) sic dici videtur a *sub* & *gula*, quod à γύαλον, quod generatim [illegible] notat. Idem etymon in Catholico legas Ioannis Genuensis. Et Papias propterea *sugillare* exponit *gulam stringere*. Sed nec originem, nec notionem veram perspexere. Nec magis eorum placet commentum, quia à συγιλλᾷν factum putant, vt propriè sit *simul videre & illudere*. Verisimilius qui putant, vt à *sorbeo* est *sorbillo*, à *scribo scribillo*, vnde *conscribillo*: sic à *sugo* esse *sugillo*: eóque vnico *G* scribendum: propriéque dici de maculis, quæ nimio *suctu* fiunt. Aut qui cum Camerario in problematis censent dici quasi *succillo* ab antiquo *cello*, quod *percutiendi* habet significationem: vt in composito *perculit*. At apud eundem Camerarium in appendice problematum legas aliud etymon: nempe à κῦλον, quo *inferior*, vt ait, *palpebra* significatur. Pro qua sententia nihil reperio, nisi fortè apud Festum sic legi debet. *Suggillatum dici existimant ex Graeco vocabulo, quod ea pars quae est sub oculo, κῦλον ab eis dicitur.* Sed vulgò legitur *sub collo*: & κῦλον an id sit, quod hic dicitur, sanè dubito. Verum autem ἔτυμον aperit propria significatio, quam nos docent Philox. Glossæ. In iis enim *suggillare* cum [illegible] exponitur, quod latè nimis patet; tum ὑπωπιάζειν, quod magìs rem exprimit. Est enim id quod Belgæ dicunt *yemande assmeeren ende wat blau-oogen*. Etiam in Cyrilli Glossis est ὑπωπιασμός, *suggillatio*. Quemadmodum autem ὑπωπιάζειν venit ab ὑπώπιον, quod ipsum est ab ὑπὸ, id est, *sub*, & ὤψ, hoc est, *oculus*, vnde Galenus quasi ὑποφθάλμιον dici ait: ita quoque *sugillare* dicitur quasi *subcillare* à *succilium* siue *subcilium*, quod à *sub* & *cilium* venit. *B* in *sugillare* omissum, quomodo *omitto* dicimus pro *obmitto*. Caper de dubiis verbis: *Succilium, cùm se sanguis cilio suffundit.* Sunt verò ὑπώπια, quæ ad verbum *succilium* seu *subcilium* dicimus, *macula, qua sub oculis, siue ciliis contingunt.* Quare cùm Liuius atque alij *suggillare* vsurpaut pro *laedere alicuius pudorem atque existimationem*, est ea acceptio [illegible]. Propriè verò notat id quod dicebamus; ita nempe *percutere, vt sub oculis contingant vibices ac macula lurida*. Vsus hoc pacto Plinius, lib. XXXI cap. IX. loquens de sale: *Ex ictu suffusis cruore oculis, suggillatisque etiam inferiora parte ponderi.* Et lib. XXIII. cap. IV. *Caryota cum cotoneis & cera & croco sugillata emendant.* Et lib. XXVIII. cap. II *Caseus recens cum melle suggillata emendat.* Et lib. XX. cap. VI. *Cinis allij ex oleo & garo illitus suggillata aut liuentia ad colorem reducit.* Plura de Græco ὑπωπιάζειν & Latino *suggillandi* vocabulo vide annot. Budæi in Pandect. & imprimis apud P. Fabrum, qui admodum fusè de vtroque differit, lib. III. ἀγωνιστ. cap. XIV. Sed multus est in vtriusque vocis interpretatione Cornelius Iansenius commentariorum in concordiam Euangelicam, cap. CXXIV. ad verba illa Euangelistæ, *Ne in nouissimo veniens suggillet me*: vbi Augustini, Bedæ, Alberti & Dionysij interpretationem expendit.

SVGGRVNDA, & *suggrundia*, dicebantur partes tecti prominenentes, quibus stillicidia à parietibus arcentur. Græcis dicuntur γεῖσα & γεῖσον. In Glossis Phil. legitur: *Suggrunda*, [illegible]. Ac in Glossis Cyr. [illegible], *prosectus, aggrunda*. Vnde liquet Græcum nomen esse ab [illegible], hoc est, *proiicere*: vnde hîc *proiectus* exponitur. A *suggrunda* est *suggrundatio*: quo vsus Vitruuius, lib. IV. cap. II. *Sub tectis*, inquit, *si maiora spatia sunt, columen in summo fastigio culminis. Vnde & columna dicuntur, & transtra, & capreoli. si commoda, columen ad canterij extremam suggrundationem.* Dictæ autem *suggrunda*, & *aggrunda*, à *grunda*, quo nomine idem ac simplici significatur: nempe prominentiæ, & velut supercilia parietum arcendis pluuiis inuenta. Glossæ Philoxeni: *Grunda*, [illegible]. *Grunda* ex *gerunda*, quia, vt tectum promineat, *aggeratur*: vnde & *aggrunda*, quasi *aggerunda*, *suggrunda*, quasi *suggerunda* vocatur. A *grunda* dicti quoque lares *grundiles*, quorum Arnobius meminit lib. I. Ratio nominis fuerit, quòd antiquitus parentes in *subgrundiis* sepelirent, eorúmque animas conuerti putarent in lares. Quamquam & videri possint ita dicti à *grundili* illo pecore, cui animam pro sale datam ex Chrysippo dicebat Varro. Sanè Cassius Hemina scribit fanum *Laribus Grundilibus* factum, in memoriam *scrophae*, quæ XXX erat fetus enixa. Ac *Laribus* quoque *porco* faciebant rem diuinam. Vide, quæ hoc de etymo diximus in *Grunnio*. Sed prior magis ratio placet, eámque confirmat, quòd etiam cùm parentes desiissent sepelire in *suggrundâ*, infantes tamen in eâ sepelirent, qui nondum excessissent diem quadragesimum. Atque hinc liquet, cur infantum horumce sepulchrum diceretur *suggrundarium*: quod docet Fulgentius Planciades, lib. de prisco sermone his verbis: *Suggrundaria antiqui dicebant sepulchra infantium, qui necdum XL. dies implessent, quia nec busta dici poterant; quia ossa, quae comburerentur, non erant: nec tanta cadaueris immanitas, qua locus tumesceret.* Adducit deinde Rutilij Gemini locum in Astyanacte: *Meliùs suggrundarium misero quaereres, quàm sepulchrum.* Habes & eam vocem in Glossis Isidori sed ibi exponitur *sepulchrum*: sanè laxè nimis, quod vel allatus proximè Rutilij locus ostendit.

SVI ab οὗ, conuerso spiritu aspero in S, quemadmodum in aliis multis. οὗ ab [illegible], quod idem significat. *Sibi* à σφίν, mutato φ in *b*, quomodo pro φρύγες veteres dixere *Bruges*. *Se* ab ἕ, solius spiritus conuersione.

SVLCVS Varroni à *sustollo*. Sic enim scribit in IV. de L. L. *Arvum & arationes ab arando & ab eo quod aratri vomer sustollit, sulcus: quò ea terra iacta, id est, porrecta, porca.* Isidorus aliter lib. XVII. cap. vbi ait: *Sulcus à sole, vocatus, quod profectus solem capit.* Vel fuerit à *solo*, vt *soli scissura*. Sed meliùs Festus his verbis: *Sulcus* (in plerisque MSS[ti] est *solcus*) *à Graeco, quia ab illis ὁλκὸς appellatur.* Ita vsus Apollonius in IV.

——— Τῆς [illegible]
Οἱ [illegible].

A *dis* & *sulcus* est *dissulcus*, quasi *sulcis distinctus*. Sumitur & tralatitiè. Vnde Festus: *Dissulcus porcus dicitur, cùm in ceruice setas diuidit.*

SVLFVR malim, quàm *sulphur*, quia solis est Latinis in vsu. Posterior tamen pars debeatur Græcis, si conflatum est ex *sal* & πῦρ, vt aliqui censent, vel à *solum* & πῦρ, vt in Catholico suo tradit Ioannes Genuensis. Nempe quia sit *soli pinguedo* quæ ab igne accendatur. Saltem ab *igni* esse, etiam Isidori est iudicium: qui lib. XVI. cap. I. *Sulfur*, inquit, *vocatum, quia igne accenditur.* In Catholico additur, fortasse esse ab [illegible], quod Hebræis est *ignis*. Sed si ab *igne* est, cur non à πῦρ potiùs, quàm ab *ur* deriuemus? Nam vnde alioqui sit *f*, quod affine est τῷ *π*; id autem est in Græco πῦρ. Interea puto esse, non vocem hybridam ex Latina Græcáque, sed planè Græcam quasi ἕλον πῦρ. Græci tamen θεῖον vocant, tanquam *rem maximè sacram*: vt quo ad expiationes vteretur. Aristoteles in Problem. Sect. XXIII. [illegible]

SVM putatur esse ab εἰμὶ, siue vt Æoles dicebant, ἔμμι, vel v

Dores

Dores ἐμμί. Fauet etymo huic Iul. Scaliger. cap. cxii de caussis L.L. *SVM*, inquit, *ab* ἐμί. *Et tum* *sicut* *tum*, *sic* *a* *tertia* *vocali* ἐσί. Idem sentit Angelius Caninius, in Hellenismi Alphabeto, vbi ab ἐμί censet esse *sum*, præmisso sibilo: quomodo ab ἐ est *si*, eodemque modo *sunt* esse a Dorico ἐντὶ pro εἰσί. Sequitur & hanc sententiam Petrus Nunnesius in Grammatistice, omnibus verò prius Priscianus lib. ix. vbi clarè idem tradidit. Sed non displicet, vt *sum* sit ex futuro ἔσομαι κατ' ἀφαίρεσιν, & ἀποκοπήν, quam sententiam eo firmatum imus, quod veteres pro *sum* *esum* dixere: atque hoc ita inclinabant, *esum*, *esis*, *esit*, *esumus*, *esitis*, *esunt*: vnde illa, quibus nunc vtimur, facta κατ' ἀφαίρεσιν, & συγκοπήν. Diximus hoc pluribus in libb. de Arte, quæ non repeto. Quod Græci οὐσία dicunt, id Latinis ἀναλόγως diceretur *entia* ab *ens*, vt à *præsens* *præsentia*. Sed maluere *essentia*, siue Cicero primus ita dixit, siue Seruius Fabianus: de quo diximus in Oratoriis. Budæum fefellit memoria, cùm Plauti vocat, Annot. in Pand. p. DLXIII. A *sum* & præuerbio est compositum *adsum*, pro quo & *assum* dixere. vnde iocus ille Plautinus in Pœnulo, vt seruo dicente *assum*, adolescens subijceret, *At ego elixus sis volo*. Ab eodem *obsum*, *insum*, *desum*, alia. Etiam *interest*: quod quidam, cum differentiam notat, compositum agnoscunt ex *inter* & *est*: at cùm vtilitatem indicat, factum aiunt ex *in re est*. Sed falluntur, quia non magis *re* potest esse verbi pars, cùm dico, *interest mea*, quam cum dico, *mea intersunt*. Vide Augustinum Saturnium, lib. iii. cap. xvi.

SVMEN, οὖθαρ, vt exponunt Glossæ Philox. In Glossis etiam Cyrilli est: ὑπογάστριον, *sumen* *sumentale*. Item ὑπογάστριον, *sumen*. Qui à *sumendo* *sumen* dici putarunt, decepti videntur illo Plauti Captiuis: *Quanta sumina absumedo*. Quæ nihil nisi παρονομασία est, non ad ἔτυμον allusio. Sed cùm *sus* sit *abdomen*, à *sue* dici magis placet. Vel potiùs a *sugendo*, quasi *sugimen*. quæ Nonij sententia est: qui & Lucilium pro *mulieris uberibus* vsum docet. Sed propriè est ea *pars suillæ ventris, quâ vbera continentur*. Martialis, in Xeniis dist. xli.

Esse putes nondum sumen, sic vbere largo
Effluit, & viuo lacte papilla tumet.

Quæ lectio si recta est, *sumen* propriè dicetur, quando iam cum lacte abditum, inque aliam naturam versum est. Sed clarissimus Scriuenius legere mauult.

Esse potes nondum sumen. ———

Nempe vt opponat poeta *sumini* illi, quod cum muria, vel thynni liquamine aut garo apponi solet. Mihi lectio vulgaris non improbatur.

SVMO Nunnesio placet à λάζυμαι, quod Hesychius exponit λαμβάνω. Sed fortasse *sumo* κατ' ἀφαίρεσιν fit ab αἰσιμόω, quod est *impendo*, & propriè quidem *sumtus facio in ea, quæ decet*. Eustathius in Il. ι. pag. cIↃIↃxcv. edit. Rom. Τῦ ἐξ αἰσίμου ...... Verùm simpliciùs profectò deduxeris *sumo* a *sub* & *emo*. Nam prius fuit *surremo*, vnde κατὰ συγκοπὴν *sumo*. Sanè Festus *surremit* exponit *sumsit*. Atque adfert è veteri scriptore: *Inque manum surremit hastam*. Item *surrempsit* potitum ait pro *sustulerit puerum*. Ergo vt *demo*, & *promo*, ita & *sumo* ab *emo*, quod antiquis notabat *tollo*: vt alibi dictum. A *sumo* est *sumtus*, quia insumitur siue impenditur. Hinc *sumtus facio*, in Onomast. vbi exponitur ...... A *præsumo*, *præsumia* quia ante sumerent speculandi ergo. Festus: *Prosumia*, (ita etiam est in MSS^tis.) *genus nauigij speculatorium paruum*. Falli Scaligerum puto, cùm ait *prosumiam* antiquis fuisse *protumiam* pro *portumiam* à Græco πορθμεῖον.

SVO ex se gignit *sutor*, & *sutela*, & *sutrinus*: à quo *sutrina taberna aluminum* est apud Tacitum. Ipsum *suo* est ab antiquo σύω, vnde ὑποσύω pro ὑποῤῥάπτω. Atticè pro eo dicitur κάττω, quod Hesychius interpretatur ῥάπτω. Hinc καττύς, *sutor veteramentarius*, vt vocat Tranquillus. Posterioribus temporibus dicebatur *veterinallus*, aut *sutriballus*. Gloss. vet. παλαιοῤῥάφος, *veterinallus*. Item: παλαιοῤῥάφιον, *sutriballum*. Hinc vetus Iuuenalis interpres ad illa Iuuenalis verba, *consuto vulnere*: *Id est, à sutriballo sutus*. Interpretem cum post Constantinum vixisse, testatum facit, quòd ait, *antiquos crucibus fixisse*. Quemadmodum autem Græci dicunt καττύειν, & συῤῥάπτειν δόλους, ita & Plautus dixit *consuere dolos*. Ac vt illis Κάττυμα, (quod propriè *corium*, vel *soleas* aut *calciamenta* notat) pro *fraudibus* ac *dolosis artibus* sumitur, sic & his *sutelæ dolosæ dicuntur astutiæ à similitudine suentium*, vt scribit Festus in *sutela*. Vt omnino ineptiat Papias, cùm ait *sutela* dici quasi *subtile telum*. Nam vt *cautela*, *medela*, *suadela*, ita *sutela*. Indéque *sutelosi* dicuntur in vett. Glossis, qui Græcis δολοῤῥάφοι. Inter composita a *suo* est *subsuo*, hoc est, *subsarcio*, ὑποῤῥάπτω, vnde *subsutio*, & *subsumen*. Gloss. Phil. *Subsutio*, ὑπόῤῥαψις. *Subsumen*, ὑπόῤῥαμμα, ὑπόῤῥαμμα.

SVPELLEX iuxta Pomponium est, *domesticum patrisfamilias instrumentum, quod neque argento, auroue facto, vel vesti adnumeretur*. L. i. D. de supell. leg. Originem vocis adfert Labeo, L. vii. D. ibidem. Ex eo autem originem arcessit, *quod olim his, qui in legationem proficiscerentur, locari solerent, quæ sub pellibus vsui forent*. Ita enim locum legi debere iam olim Alciatus ostendit, lib. i. Dispunctionum cap. v. Non tamen à *legatis* magis esse arbitror, quam à *militibus*. Hi enim quæ secum in exercitum deportabant, pellibus inuoluebant, in quibus ipsis dormiebant, vti & inde tentoria faciebant. De *dormitoriis pellibus* satis dictum in *Segestra*. Sub pellibus verò hiemari solere, satis indicat locus hic Ciceronis in Academicis: *In quo magna res militaris esse occupatio solet, vt non multum imperatori sub ipsis pellibus otij relinquatur*. Aliud etiam etymon adfert Turnebus, Aduers. lib. xviii. cap. xxiii. Vult autem ita dicta esse, quæ *super* cubiculares vel tricliniales *lectos* poni solent, cuiusmodi sunt stragula, siue lodices: postea autem latiùs esse extensam significationem, ad alia domus vtensilia, siue omnia ea domus instrumenta, quæ in quotidianum vsum parata, in aliam speciem non cadunt. A *supellectile* dicti *supellectilarij*: de quibus Vlpianus, in l. quæsitum §. idem Celsus. ff. de instruct. vel instrument.

SVPERBIRE non incommodè deducas à *super* & *ire*, inserto *b*, vt in *ambages*. Ita verbum id erit à *superando*: quâ voce vsus Lucretius lib. iii. vers. cccxxv:

At pedibus læsis donec superire lacunas.

Sic libb. omnes vett. non *superare* quomodo editum ab Aldo. Magis tamen placet, vt sit a *superbus*. *Superbus* verò ab ὑπέρφρων, quod idem notat, vel potiùs ab ὑπερόφρυς, quod est, *superciliosus*, *superbus*, teste Hesychio, cui ὑπερόπτης exponitur. Vel deducamus ab ὑπέρβιος, quam etymologiam sequitur quoque H. Stephanus palæstrâ aduersus Lipsium, p. cLxvii. Sanè pro *superbo* vtitur hac voce Nonnus. Propriè notat *violentum*, ab ὑπέρ & βία. Sed quia *superbi* etiam *violenti* esse solent, nil mirum si hæc nomina permutentur μετωνυμικῶς. Possis & cum Prisciano *superbus* ἀπλῶς deducere à præuerbio *super*, vt sic dicatur, quia *extollit se super alios*; quam ob caussam Græcis quoque dicitur ὑπερήφανος, & ὑπερήφανος, ab ὑπερφαίνεσθαι, id est *super alios apparere*, epenthesi litteræ η, teste Eustathio. Est & alia ἐτυμολογία, sed parùm ἀναλόγως conficta. Eam adfert Cornelius Fronto: *Superbia*, inquit, *est à superhabendo: arrogantia etiam in pauperem cadit*. Vbi *superhabere* est *contemnere*, quomodo id verbum vsurpat Agellius, lib. i. cap. xix. item Papinianus, Appuleius, alij.

SVPERCILIVM dicitur de quacumque re, quæ supereminet ac propendit: quomodo Maro i. Georg. dixit *supercilium montis*: quomodo item superiorem scotiæ siue trochyli quadram *supercilium* vocat Vitruuius lib. iii. cap. iii & lib. iv. cap. vi. Sed hæc κατὰ μεταφορὰν dicuntur. Propriè verò in animantibus locum habet: vbi quid *supercilium* sit & vnde dicatur, & quomodo ab *intercilio* differat, docet Isidorus, lib. xi. cap. i. *Supercilia dicta, quia superposita sunt ciliis*. Et mox: *Intercilium verò est medium illud inter supercilia, quod sine pilis est*. De *ciliorum* voce sic Festus: *Cilium est folliculus, quo oculus tegitur: vnde fit supercilium*. Et Isidorus loco ante dicto: *Cilia sunt tegmina, quibus operiuntur oculi, & dicta cilia, quod celent oculos, tegantque tutâ custodiâ*. Sed cùm *cillere* antiquis sit *mouere*: (vnde & *oscilla*, quòd *cillant os*, dicta existimarunt veteres) magis verisimile fit, *cilia* dici, quia *perpetuo cillant*, haut aliter ac *palpebra* vocatæ à *perpetua palpitatione*. Porrò quam *ciliorum* notionem faciunt Festus ac Isidorus, ea locum habet in illo Lactantij lib. de opificio, cap. x. *Vt oculi munitiores essent ab iniuria, ciliorum tegminibus Deus occuluit: vnde oculos dictos esse Varroni placet*. Interim tamen videri queat, non tam primò id notare, quam per synecdochen partis: propriè autem significare, non *totam oculorum tunicam*, sed *superiorem*, nec hanc *totam*, sed *crepidinem eius*, vnde pili exeunt. Indicat id hic locus Plinij, lib. xi. cap. xxxvii vbi ait: *Extremum ambitum genæ superioris antiqui cilium vocauere, vnde & supercilia*. *Genæ* enim hîc non *malæ*, sed *oculorum tegmina*, vnde palpebræ prodeunt. Hadrianus Iunius in Nomenclatore *cilia* ait esse *pilos à palpebris enatos*, vti *supercilium* ductum pilorum supra palpebras. Sed pili isti dicuntur *palpebræ*, non *cilia*. Vnde idem Plinius paullo ante dixerat: *Palpebræ in genis homini vtrimque: Defluere eas haut immeritò Venere abundantibus tradunt*. Non desunt tamen, qui Hadriano Iunio hâc in parte subscribant. Sanè & Iosephus Scaliger in Coniectaneis censet à *ciliis*, quà pilos notat, tum dici *conciliare*, συμπιλεῖν, tum *cilicia*, quæ è *ciliis* seu *pilis* texta fuisse Asconius quoq. ait ait in Verr. iii. Sed etyma istæc hactenus probare non potui. Magis placet *cilicia*

licia dici. quia à *Cilicibus* inuenta, quæ & Varronis sententia est; lib. II. de R.R. cap II. Isidorus, lib. XIX. cap XXVI. *ciliciorum* vocem Arabicam facit: sed citra causam. *Consilium* autem & *consiliare* puto esse à *consulcu*, quòd vestes pedum insulcu cogerent: eóque & per S voces hæ rectiùs scribuntur.

SVPERSTITIO eo iuxta Cic., lib. II. de Nat. Deorum, differt à *religione*. quod hæc sit *pius Dei cultus*; illa *inanis Dei timor*. Græci ideirco *superstitionem* vocant δεισιδαιμονίαν, quasi dicas, *Deorum formidinem*: non quasi non metuendus Deus, vel parentes; sed quia non timendus. hostis instar. Vt Varro scripsit, teste Augustino, lib VI. de Ciu. Dei. *Superstitio* vnde sit, docere conatur Cicero lib. II. de Nat. Deorum: *Qui*, inquit, *totos dies precabantur & immolabant, vt sui liberi sibi superstites essent, superstitiosi sunt appellati; quod nomen postea latius patuit*. Et sane ea vox propria voti parentum. Hinc in querela parentis apud Quinctilianum, declamatione corporis proiecti: *ille est filius noster, cuius spes ipsas amauimus, quem apud omnia templa & surdos votis deos superstitem precati sumus, à quo sepeliri optauimus*. Nonius tamen superiorem nominis caussam improbat: censet enim *superstitionem* ex hoc habere proprietatem, *quòd superstitiosi præcultura Deorum supersedeant cætera, hoc est, negligant*. Improbat quoque Lactantius, lib. IV. de verâ sapientia, cap. XXVIII. *Superstitiosi*, inquit, *vocantur, non qui filios suos superstites optant (omnes enim optamus) sed aut ij, qui superstitem memoriam defunctorum colunt; aut qui parentibus suis superstites, colebant imagines eorum domi tanquam Deos penates. Nam qui nouos sibi ritus assumebant, vt Deorum vice mortuos honorarent: quos ex hominibus in cælum receptos putabant, hos superstitiosos vocabant*. Triplici huic sententiæ addam tres alias ex Seruio in VIII. Æn. Vbi sic scribit: *Superstitio est timor superfluus & delirus: aut ab aniculis dicta superstitio, quæ multis superstites per ætatem delirant, & stulta fiunt: aut secundum Lucretium, superstitio est superstantium rerum: id est, cælestium & diuinarum, quæ supra nos stant, inanis & superfluus timor*. Sententia est. *superstitionem* dici vel ab eo, *quod colitur*, vel *qui colit*, vel *modo quo colit*. Ab eo posse dici, quod colitur, quia Dij & sidera *supra nos stant*. Posse deduci, ab eo qui colit, quia nulli magis Deos colunt, quàm deliræ anus, quæ nimium diu *superstites* sunt. Posse deduci à modo, quo Dij coluntur, qui in multis supra modum est. Ex his tribus etymis maximè placet postremum, quod Seruioque primum. Nempe vt *superstitio* sit à *supersto*, quatenus valet idem ac *supersum*, vnde *superstes*, qui *superest*. Ita *superstitio* erit, quando in cultu vltra modum legitimum aliquid *superest*. Siue quando cultus modum rectum *superstat* atque excedit. Imò hoc etymon magis etiam probo, quam Tulli, Nonij, vel Lactantij. Maximè enim *superstitionis* naturam aperit. A *superstitio* est *superstitiosus*: de qua voce iam vidimus. Cæterùm præter notionem illam vulgarem *superstitiosus* [illegible] significat augurem futurorum, & ariolum præteritorum, quæ humanitus sciri non possunt. Ita Sosia Mercurium appellat *superstitiosum*. Amphitr. act. I. sc. I. Eodémque modo vsurpatur Curcul Act III. sc. I.

SVPINVS ab antiquo *suppus*, siue *supus*. Veteres enim non geminabant consonas. *Supus* verò vel est à *supare*, quod est *iacere*, prout Festus exponit: vel potiùs à Græco ὕπτιος, eiecto τ. Agellius, lib. XIII. cap. IX. *Quod Græci ὑπὲρ, nos super dicimus; quod illi ὕπτιος, nos supinus; quod ὑφορβὸς, nos subulcus, &c.* Festus: *Suppum antiqui dicebant, quem nunc supinum dicimus. ex Græco, videlicet pro adspiratione ponentes literam, vt cùm idem ὕλας dicunt, & nos siluas. item ἕξ sex, & ἑπτὰ septem. Eius vocabuli meminit etiam Lucillius:*

Si verò das quod rogat, & si suggeri suppum.

In arte verò Grammaticâ vnde *supina* dicta sint, non consentiunt eius artis magistri. Afferam ea de re verba Augustini Saturnij è lib. VIII. Grammat. Inst. cap. XIX. *Sunt, qui supina dicta velint, quasi subina, quòd sine tempore subeunt ex verbo ad participia, atque verbalia. Sunt, qui dicta putent, quasi supereuntia, quod sine tempore superent natura verbi ad participiorum verbaliúmque analogiam. Sed quicquid alij ariolantur, ego potiùs à supum vetustissimo nomine deductum puto, quod apud antiquos, interprete Sexto Pompeio, lib. XVII. idem significabat, quod supinum apud nos*. Rectè quidem de voce Saturnius: at interim rationem non adfert, cur *amatum*, *lectum*, similiáque à Grammaticis *supina* appellentur. Eam nos adducimus in Animaduersionibus Grammaticis.

SVPPARVM, vt Festus ait, *velum omne, quod ex lino est, dicitur*. Hæc igitur generalis notio. Variis autem speciatim id nomen aptatum. Primùm *vestimentis*. Nam, vt Festus inquit, *Supparus dicebatur puellare vestimentum lineum, quod & subucula appellabatur*. Atque addit, ita vsum Pomponium in Fullonia. Paullò pòst subiungit: *Mulier videtur puella suppare induta: vt Afranius ait: Puella non sum, supparo si induta sum*. Siue, vt apud Nonium est, *Tace. Puella non sum*, &c. Qui Afranij locus videtur potiùs repugnare ei, quod dixerat *supparum* esse *vestem puellarem*. Nisi fortasse [illegible] hæc efferenda. Vt sit sententia, Cùm me *suppare* indutam conspicias, dubitas vtrùm puella sim, an mulier? Videntur enim verba esse mulieris se puellam simulantis. Quo pertinent Festi seu Verrij verba, *Mulier videtur puella suppare induta*. Sed & aliis *vestibus* aptatum. Nam, vt idem Festus ait, *Puniceum vestimentum ita vocat Nauius de bello Punico*. Vbi pro *Puniceum* malim *Punicum*. Vt signet schema Karthaginensium, quorum cum Romanis bellum describebat Næuius. Addit deinde: *Et in Nautis vocat Neptuno vestem consecratam supparum*. Vbi *Nautis* non puto esse fabulæ nomen, sed commune seu appellatiuum. Vt sententia sit, Næuium, quo loco describit nautas vestem Neptuno consecrantes, appellare eam *supparum*. Ad *vestimenta mascula* refer & hæc Nonij verba: *Supparum est linteum femorale vsque ad talos pendens, dictum, quod subtus appareat*. De *mascula* etiam veste vsus Varro Eumenidibus, apud Nonium:

——— Hic indutus supparum

Coronam ex auro & gemmis in fulgentem gerit.

Nec de *veste* solùm vsi, sed etiam de *nauium velis*, non quibusuis, sed *minoribus*, quæ in summo malo, fauente vento, pandi solent. Hoc ita esse docet nos Festus in schedis, quæ ex Farnesiana bibliotheca & Pomponij Læti schedis, curâ Fuluij Vrsini prodierunt: *Supparum appellant dolonem, quod est velum minus in naui, vt acation maius. Supparum autem dictum, ait Sinnius Capito, velut separatum quod sit disiunctùmque à dolone interiore mali*. Quæ verba præterita miror in Commeliniana altera Festi editione, quæ promittit suppletas ex Farnesiano codice lacunas. *Supparum* pro minori illo velo, quod describit Festus, vsus Lucanus, lib. V. vers. CCCCXXIX.

——— Summáque pandens

Suppara velorum perituras colligit auras.

Vbi cur *summa* dicat *suppara*, satis ex dictis cognoscitur. Vsi similiter Seneca, Statius, Manilius, Festus Auienus, alij. Denique posteriores etiam *supparum* dixere (vt Festus ait) *vela linea in crucem expansa*. Quibus ex verbis colligo. Festum vixisse sub imperatoribus Christianis: cùm iam in honore ab omnibus sacra crux haberetur. Sed de notionibus variis satis. Tandem ad etymon veniamus. Varro originem adfert, sed quæ non habeat locum, nisi qua pro *veste* ponitur. Verba eius sunt, lib. IV. de L.L. *Capitium ab eo, quod capit pectus, id est, vt antiqui dicebant, indutu comprehendit; alterum quod subtus, à quo subucula: alterum quod supra, à quo supparus, nisi quod id dicunt Osci*. Ex Varronis igitur sententia, quando pro *veste* sumitur, vel erit à *supra*, vel originem non habebit è Latio, sed ab Oscis. Priorem sententiam sequitur & Nonius, qui sic dici ait, quòd *subtus pareat*, hoc est, *appareat*. Pro quo perperam scripserat Vguitio, ita vocari, quia *suprà appareat*: eóque nomine rectè culpatur à Nestore Nouariensi. Verùm quid si dicamus *suppara* esse à *supare* vel *sipare*, hoc est, *iacere*? nempe conueniet id non malè *vesti*, cùm à *iacere*, vel *icere*, similiter sit *amictus*. Possis & cum Nunnesio deducere à σίφωνος, quod idem notat. Vnde Hesychius exponit χιτὼν ὅπ[illegible]. K in Σ mutatur, quod interdum fit. Vel quid si dicamus esse ab ὑπὸ, id est, *sub*, & φᾶρος, quo pro *inuolucro*, seu *integumento* vsus Nicander: ac apud Iosephum quoque legas, λινοῦν φᾶρος, *lineum velamentum*? Quod non displicet. Præsertim cùm & φᾶρος pro eo dixisse videantur. Vnde βλέφαρον, quod Etymologus dici ait quasi τὸ βλέπειν τὸ φᾶρος. Sanè βλέφαρον eapse de caussa aliter [illegible], ἀπὸ τοῦ [illegible], ac Ciceroni *tegumentum oculorum* vocatur. Itidem pro *velo nauis* plane putamus esse à Græcis, qui σίφαρος vocant. Vt apud Epictetum: [illegible] ἐπιλύσας τὸ σίφαρος. Itaque & recta scriptura videtur *sipara* per I: quomodo Scaliger scribit ad Manilium. Cæterùm φᾶρος, σᾶρος, & σίφαρος, puto ab eodem fonte promanare, nempe Hebræo פרכת, quod *velum* significat: ac speciatim de *velo arcæ* sumitur, quod diuidebat inter Sanctum & Sanctum Sanctorum.

SVPPEDITO mihi sic dici videtur, quia qui *suppeditat*, is facit, vt aliquid alicui *suppetat*. Nunnesius tamé putat factū esse ex ὑπηρετῶ, quod est *ministro, operam nauo alteri*. Iuxta aliquos *suppedito* conflatur ex *sub*, & *pedito*. Quod à *pedes*, vt *equito* ab *eques*. Glossæ vett. *pedito* exponunt πεζεύω. Ita *suppeditare* propriè sit *sub aliquo peditare*. Fortasse igitur primùm ea vox ministris conuenit, qui domino equitanti pedibus ipsi iter facientes omnia præbere cogerentur. Vel *suppeditare* propriè sit *peditem*

peditem ad militiam præbere : à militia verò ad alia omnia extensa sit significatio. Quomodo à *choru* propriè sit χορηγεῖν, quod propriè est, *choros sumptibus meis adorno* sed generatim sumitur pro *præbere*, *suppeditare*. Gloss. vett. χορηγῶ, *præbeo*, ἐπιχορηγῶ, *subministro suppedito*. Perotto placet *suppedito* propriè esse *ita largè præbeo, vt etiam sub pedibus pedibus ponam*. Sed priora magis placent.

SVPPERNARE, seu *subpernare*, vsurpat Catullus carmine ad Coloniam:

In fossa Liguri iacet subpernata securi:

prout Festus legit, vt liquet ex schedis Farnesianis à Fuluio editis. In antiquis editionibus est *separata*, etiam illa, quæ Regij Lepidi prodiit anno CIↃCCCCLXXXI. Atque inde Politianus in Miscellaneis, cap. LXXIII. fecit *expernata*. Eámque ob vocem à Marullo Tharchoniata derisus fuit. Fuluius Vrsinus notis in Festum ait, mirari se, quòd Antonius Augustinus dicat, derisum à Marullo Politianum, quia *expernata* scripserit, cùm *suppernata* reposuerit. Miror equidem id à Fuluio scribi, cum editio Basiliensis operum Politiani, quam Episcopius dedit anno ∞IↃLIII. planè id dicat, quod dicere negat Fuluius. Nec sanè aliter in face critica eum Politiani locum repræsentat Gruterus. Valet *suppernare* idem ferè ac *suffraginare*, seu *suffraginum neruos incidere*, ὀπισθοκοπεῖν. Originem vocis aperit Festus: *Suppernati* (ita quoque in MSS^tis exaratum) *dicuntur, quibus femora sunt succisa in modum suillarum pernarum*. Ennius :

Hic pernas succidit iniqua potentia Pœni.

Quibus allatum antè Catulli locum subiungit. Ergo *suppernati* sermo est iste apud Petronium, initio Satirici: *Date mihi ducem, qui me ducat ad liberos meos. Nam succisi poplites membra non sustinent.*

SVPRA non est à *sup* siue *sub*, quod est apud Scaligerum, de caussis L.L. cap. CLV. vt nempe *supra* sit ab *sup*, vt ab *in intra*, à *con contra* : sed est *supra* ex *supera*, vt *infra* ab *infera*. *Supera* ex *superus* vel *super*, quod ab ὑπέρ. Vt à *super desuper*: quasi *de supero* : quod Lucretio *ex supero*. A *superus* est *supero*, non ab ὑπερέχω, vt Nunnesius in Grammatistice putabat. A *superus* esset *superissimus*, siue à *super superrimus* : sed pro eo κατὰ συγκοπὴν καὶ μετάθεσιν dicimus *supremus*, & alterâ συγκοπῇ *sumus* siue *summus*. Hinc in numerando *summa*, κεφάλαιον ἐπὶ ἀριθμοῦ, ποσότης, συγκεφαλαίωσις, vt veteres Glossæ interpretantur. Cicero in Hortensio : *Quid tu*, *inquam*, *soles*, *cùm rationem à dispensatore accipis, si æra singula probasti, summam, quæ ex his confecta sit, non probare* Seneca, extrema epist. XL. *Summa ergo summarum hæc est ; tardiloquum te esse iubeo*. Sic epist. LXXVI. *summula minuta*. Sed de etymo dissentit Cæsar Scaliger in comment. de Plantis ; *Summum*, inquit, *est contrisum, quod integrâ voce fuit supremum. At summam rei cùm dicimus, id aliud est, & à sumendo sumtum est : vt si dixerim cum Plauti parasito : quinquaginta, centum triginta, sexaginta; miles statim quærit ibi : quanta istibæc hominum summa est? propterea quod accipit ea quatuor membra, quæ sic sibi sumenda iubet miles, vt vnus fiat numerus, qui eam ob caussam dicatur summa*. Hæc ille. Ingeniosè quidem : sed falli arbitror. Simplicius enim fit putare, eò *summam* dici, quia verè *summus* est is numerus, quo colligitur totum. Seu enim magnitudinem spectes, nullus eo superior : seu locum, aut primo loco ponitur, aut potiùs extremo, qui & ipse *summus* vocatur. Vt apud Horatium:

Primâ dicte mihi, summâ dicende Camœnâ.

A *summa* est *summatim*, κεφαλαιωδῶς, siue ἐν ἐπιτομῇ. Item *summarium*. In quo fit illud, quod se facturum ait Maro, cùm dicit,

——— *Sed summa sequar fastigia rerum*,

Probam esse vocem, docet Seneca, epist. XXXIX. Vbi ait veteribus dici *summarium* : quod suo æuo diceretur *breuiarium*: quo vsi Plinius, Tranquillus, alij. A *summus* quoque est *summas*, vt apud Appul. *summatem eius regionis*, & *summatu Dea*. Onomast. *Summates*, μεγιστᾶνες. Ὑπὲρ verò, vnde *super* fieri dicebamus, est ab Hebræo עבר, quod est *trans*, *citra*, *super*. A qua ipsa voce Hieronymus, Theodoretus, & quidam alij Hebræos dici volunt, quasi περάτας, siue *transitores*, quia nempe Abraham, (cùm priùs in Mesopotamia habitaret.) diuino iussu, patris domo relictâ, traiecisset Euphratem. Sed rectiùs Iosephus, lib. I. Antiq Iud. cap. XIV. Eusebius de præparatione Euangelica, lib. II cap. IV. Theophilus, lib. III. contra gentes, pluresque alij, qui docent eam appellationem esse ab *Hebero*, Semi pronepote : nempe quia (vt quoque Eucherius in Genesin scripsit) *eo tempore, quando linguarum facta est varietas, in sola domo Heber, quæ antea fuit, lingua remansit*. Nec est quod aliquem transuersum agat auctoritas Ambrosij, qui in cap. XIII. ad Philipp. etymon hoc planè improbat, potiúsque ab auctore gentis Abramo *Ebræos* quasi *Abræos* dictos autumat. Nam omnem dubitationem tollit quod Moses Genes. XXXI. *filios Heberi* dicat pro *Hebræis*: quódque Bileam, Num. XXIV. XXIV. vt *Assurum* pro *Assyriis*, ita *Heberum* ponat pro *Hebræis*.

SVRA, est *pulpa* illa *tibia carnosa & ventricosa*, vnde Græci γαστροκνημίαν vocant. Ita accipit Plinius : lib. XI. cap. XLV cùm *homini tantùm datam* ait, : item Vegetius, qui eam in milite fortitudinis ait signum. Sed apud Maronem, aliósque, ponitur pro *integro crure*. Quare videri possit ob similitudinem sic dici à *surus*, quod antiquis (vt in *Surculus* dicam) *palum* significabat. Hoc sanè etymon placuit Iulio Scaligero, Exercit. CXL. Melius sanè hoc, quod in Catholico refert Ioannes de Genua, qui à *suo* duci ait, quia tibiam femori quasi consuit, atque vnit. Sed quò minùs in totum Scaligero assentiam, facit, quod *sura* non κυρίως, sed καταχρηστικῶς pro *palo* accipiatur. Quare *sura* potius sit ex Hebræo שאר, hoc est, *caro*, quia carnosa tibiæ pars. Vel ab Arabico سير *saiara*, hoc est, *ire*, *ambulare*, quia ad eundum conducit. Fuit & *Sura* cognomen apud Romanos. Primus sic vocatus P. Cornelius Lentulus, Catilinæ socius: nempe quia iterùm Sylla rationem ab eo posceret pecuniæ publicæ, quam quæstor tractauerat, dixerat se non posse rationem reddere, sed præbiturum *suram* : vt pueri solent, si in pila ludo deliquerint, pilâ *suram* præbent, percutiendam. Auctor Plutarchus in Cicerone. Itaque sic corrigo locum Isidori. lib. XIII. cap. vlt. *Suram dicitur dare, qui crure preiato pilâ feriendum collusoribus præbet*. In editis atque etiam MSS^tis corruptè expressum, *pilam crure obiato feriendam*.

SVRCVLVS à *serra* & *cado* deducere videtur Isidorus, lib. v. cap. VI. *Surculi*, inquit, *à præcisione serræ nominati*. Pro quibus Papias, corrupto, credo Isidori codice deceptus, habet *surcula à præcisione ferri dicta*. Sed Isidori etymon est ineptum. Esse verò *surculus* ὑποκοριστικῶς à *surus*, monent, Perottus, Iul. Scaliger Exercitat. CXL. & animad. in historiam Theophr. lib I. cap. I. Ios. Scaliger in Coniect. Imò è veteribus idem tradidit Festus, qui & *surum* interpretatur *palum*. Enniúmque eo vsum docet. Locus Ennij sic legitur in schedis Farnesianis:

——— *Vnus*

Surus surum ferret: tamen defendere possent.

Intelligit autem *allum* ; quod hic Festi locus indicat : *Crebrisurum apud Ennium significat valium crebris suris, id est, palis munitum*. *Sus*, quoque legas apud Varronem lib. VII. de L.L. item lib. IV ex Scaligeri emendatione. Videtur autem *surus* propriè dici *ramus maior*, quod ex *surculi* voce cognoscimus. Sed cùm à *surus* ὑποκοριστικῶς *surulus* fuerit dicendum prope est, vt suspicer antiquos etiam *surcus* dixisse, præsertim quando *surrus* legitur gemino *rr*, quod leui immutatione ex *surcus* corruptum videtur. Id si placet, dicam *surcus* esse à *surgo*, pro quo veteres qui G nesciebant *surco* dixere. Nempe quia exsurgit ex arbore. Quod etymon etiam inuenio apud Cæsarem Scaligerum, Animaduersionibus in Theophrasti Historiam Plant. lib. VI. cap. I. Vel deriuem à שרק, quod R. Selomoh *ramum* siue *palmitem vitis* optimè interpretatur.

SVRDVS, prius *sordus* contractum ex *sordidus*, quia aures *sordibus* oppletæ ; non quasi hæc sit *surditatis* caussa, sed quia notissima. Itaque è contrario *purgata à sordibus auris*, quæ bene audit. Vt apud Horatium lib. I, epig.

Est mihi purgatam crebrò qui personet aurem.

Atque hoc etymon & Papiæ & Perotto probatur. Vel dicatur *surdus* quasi *seoridus*, ex *se*, id est, *sine* ; & *ore*, hoc est, *aure*, vnde *oricula*, & *oricilla* vt apud Catull. *vel imula oricilla*. Ab *ore oridus* fuerit, hoc est, *auritus* ; vt à *caleo*, *calidus*. *Auritus* autem pro *audienti* quomodo *auritas quercus* in primo odarum poëta ait, quæ Orphei cantu caperentur.

SVRSVM esse compositum à *versum*, satis liquet ex iis, quæ de hoc diximus in *Prosa*: vbi ostensũ similiter dici *prorsum* quasi *proursum*, *dextrorsum* quasi *dextrouersum*, *istorsum* quasi *istouersum*, atque ita in aliis. Sed quæ in *sursum* prior sit compositi pars non ita euidens est. Sunt qui eam esse censeant *supra*, vel *super*. Sed arbitror, esse *sus*, quod sæpe in compositione inuenitur, & idem valet quod compositum eius *sursum* siue *susum*. Vt *sustollo*, siue *sursum tollo*; *suspicio*, *sursum specio*, *suscito*, *sursum cito*; Simil àque *suscipio*, & *suspicor*, teste Prisciano, lib. I. Sed & dicimus *susque déque*, quod propriè valet *sursum & deorsum*, ἄνω καὶ κάτω. Nam quid aliud est *susque déque fero*, vel *susque déque habeo*, quàm *nihil pensi habeo sursum an deorsum hoc eat* ? Vide de eo loquendi genere Gellium, lib. XVI. cap. IX.

SVS, vt quidem Donatus scribit. Eunuch. Act. III. Sc. II. factum è Græco ὗς, conuerso spiritu aspero in S. quomodo ab ἕξ est *sex*; ab ἑπτὰ, *septem*, &c. Sed nil opus eò recurrere, cùm Græci ipsi & ὗς dicant & σῦς. Ac dubium, verùm ὗς prius fuerit an σῦς. Si σῦς, sic videtur dicta à σεύειν, seu σεύεσθαι, διὰ τὸ ἐσμαίνειν ἔχειν. quod etymon apud Athenæum, Eustathium & Etymologum legere est: atque ab hac mente est, quod Papinius *suem* vocat *fulmineum*. Si ὗς prius fuit, verior poterit videri altera etymologia, quam idem Etymologus ponit, vt sit ab ὕειν, hoc est, βρέχειν, quia id animal aquis gaudet. Ita ab ὕω ὕσω erit ὗς, & pleonasmo τὸ σ, σῦς, quomodo à μικρὸς est σμικρός. Est & tertia huius vocabuli etymologia, vt sic dicatur à θύω, id est, *mactio sacrifico*, quia animal id sacrificiis accommodatum Varro, lib. II. de R. R. cap. IV. *Sus Græcè dicitur ὗς, olim thysus*, (malim θῦς) *ab illo verbo, quod dicunt θύειν, quod est, immolare. Ab suillo enim genere pecoris immolandi initium primum sumtum videtur: cuius vestigia, quod initiis Cereris porci immolantur, & quod initiis pacis fœdus cum feritur, porcus occiditur: & quod nuptiarum initio antiqui reges ac sublimes viri in Hetruria in coniunctione nuptiali, noua nupta & nouus maritus primum porcum immolant. Prisci quoque Latini & etiam Græci in Italia idem factitasse videntur, nam & nostræ mulieres, maximè nutrices, naturam, quâ feminæ sunt, in virginibus appellant porcum, & Græcæ χοῖρον, significantes esse dignum insigni nuptiarum.* Quem locum, licet prolixior, integrum adscripsi, vt eàdem pateat, vnde sit quod pars ea, quâ puellæ sunt feminæ, dicatur *porcus*, & Græcis χοῖρος, vel χοιρίον, quomodo eâ voce vsus Aristophanes. Quod verò dicit Varro, ὗς dici quasi θῦς, idem à Græcis quoque scriptoribus proditum est. Ita Athenæus, lib. IX. ait τοῦ συνεχοῦς, ὅ ἐστι θῦς, τὸ εἰς θυσίας ἐπιτήδειον. Et Clemens Alexandrinus lib. II. Strom. ait Αἰγυπτίων γ' ὗς κατὰ τῶν φιλοσοφούντων, ἐπιφαινομένων τὴν ὗν, θῦν ὄντα, φάναι, ὡς εἰς θοίνην & σφαγὴν μόνον ἐπιτήδειον. Quorum verborum mens est: dici quendam sapientiæ studiosum virum, *suis* etymon adducentem dixisse ὗς dici quasi θῦς, quòd viscerationibus tantùm atque epulis aptus esset. At miré in iis cæcutiit bonus Fungerus, qui somniat, non *suem*, sed *philosophum* quendam nominatum à Græcis ὗς quasi θῦς. Etymo *suis* allato fauet quoque hoc Ouidij, lib. IV. Fast.

A boue succincti cultros remouete ministri.

Bos arat: ignauam sacrificate suem

A *suis* in obliquo olim *sueris* dixere, vt à *Iouis*, *Ioueris*, à *bos bouerm*. Hinc *sueres* sunt quædam partes suillæ. Citat Festus ex Plauti Carbonaria:

Edo pernam, sumen, sueres, spetil (alij *spectile*,) *callum, glandia.*

A *sus* est *sucula*, exigua sus. Est & in torculari *sucula*, ita dicta ob similitudinem. Vtitur Cato cap. XIX. Plautus Rudente Act. IV Sc. IV. Vide Festum in *Scula*. Turnebum, lib. VII. cap. XXV. Philandrum & Baldum in Vitruuium. A *sus* quoque est *subare*, nempe à *subus* pro *sibus*, quomodo pro *bous* ut dicimus *bobus*, & *bubus*, vnde *bubulcus*. Vel si a Græcis esse malis, non tamen erit à θυᾶν, vt scripserunt, (nam & vox hæc longiùs abit, & significatio eius nimis laxa, vt quæ generatim signet *furibundo ad aliquid impetu ferri*,) verùm à Græco συᾶν, quod Æolicè est σοβᾶν, vnde *subare*. Nec longè abit σύβαξ siue σύβας, quod significat suillis moribus præditum, porcique instar libidinosum. Nempe itidem σύβας dicitur quasi σύας, hoc est συώδης. Hesychius: Σύβας, λάγνος. Σύβαξ, συώδης. Συβάκχας, ὁ ἀκρατὴς περὶ τὰ ἀφροδίσια. A *sue* quoque est *surire*: quod propriè de porcis maribus dici videtur, vt *subare* de feminis. Sic sanè sed in piscibus, distinxit Appuleius in Apologiâ: *Memento de solis piscibus hæc volumina à me conscripta, qui eorum coitu progignantur, qui ex limo coalescant, quoties, & quid anni cuiusque eorum generis feminæ subent, mares suriant.* Huc quoque trahunt, quod in Glossis Philoxeni *surit* explicatur κάπρᾳ, quod est à κάπρος: siue *apri*: *subat* autem exponitur ὀργᾷ, vbi quiuis legendum videt ὀργᾷ, hoc est, *libidinis impetu concitatur*, ab ὀργή, hoc est, *ira*. Verùm hoc argumentum planè inualidum, cùm ὀργᾶν sit vox generalis, non maribus minùs, quàm feminæ competens: καπρᾶν verò de feminis vel καπρᾶν dicatur: vt quod propriè notet *appetere marem*; nempe κάπρον, id est, *verrem*. Gloss. *verres*, κάπρος. Indéque apud Comicos καπραινα de *muliere ardentissima libidinis*. Voce καπρᾶν sic vsus Aristoteles lib. VI. de histor. animal. cap. XVIII. Καὶ αἱ ὕες, ὅταν ἔχωσι πρὸς τὴν ὀχείαν ὁρμητικῶς, ὃ καλεῖται καπρᾶν, ἐπιτίθενται & πρὸς τοὺς ἀνθρώπους. Vides vt Aristoteles clarè dicat *porcum feminam* καπρᾶν, non ὀργᾶν. Itaque & Gaza transtulit: *Sues*, inquit, *feminæ cùm libidine excitantur, quod subare dicitur, vt homines aggrediuntur*. Rectè, quamquam nec si *surire* dixisset, censoriam notam meretetur. Nam non Latini minùs, quàm Græci discrimen istoc negligunt. Ita *subare* de maribus dicunt Tertullianus exhortatione ad castitatem, & Hieronymus lib. I. aduersus Iouinianum. Contra *surire* quoque de feminis dici indicat hic locus Festi in voce Suillum: *Immundissimi sunt sues ex omni mansueto pecore, & ardentissimæ libidinis, ita, vt opprobrium mulieribus inde tractum sit, cùm subare & surire dicantur.* Nam *surire* legendum esse, non vt in vulgatis, *subire*, & Scaliger monet, & clare ostendunt, quæ hactenus diximus. Puto autem, vt à *subus* pro *subus* est *subare*; ita ab antiquo genitiuo *sueris* pro *suis*, de quo ante dictum, esse *surire* quasi *suerire*.

SVSINVM oleum, quod dicatur, indicat hic Plinij locus lib. XIII. cap. I. *Susinum tenuissimum omnium est* [olei generum.] *Constat ex liliis, balano, calamo, melle, cinnamomo, croco, myrrha, aspalatho.* Σούσινον μύρον vocat itidem Athenæus, σούσινον χρῖσμα Dioscorides. Est à σοῦσον, quod linguâ Punicâ ac Phrygiâ idem ac λείριον seu κρίνον, vt scribit Etymologus. Persicum quoque esse, docet Stephanus περὶ πόλεων. Vterque ait *Susa*, Susianæ regionis metropolim, hinc nomen accepisse, ob liliorum istic loci crescentium copiam. Alterum quoque eius vrbis etymon adfert Etymologus. Nam forte sic dici ἀπὸ τοῦ ἱππεύεσθαι αὐτόθι, ἐπεὶ σοῦσα γὰρ ὑπὸ Σύρων τὰ ἵππεα λέγεται. Sanè Hebræis סוס, *equus*. Sed iisdem quoque שושן, *lilium*, quod prius etymon confirmat. Indeque nomen proprium *Susanna*.

SVSPICOR & *suspicio* esse à *susum* siue *sursum*, abiiciéque alterum S, scribit Priscianus, lib. I. cap. de literarum numero ac permutatione. Mihi magis verisimile sit, esse a *sub* & *specio*. Nam quod Latinis est *suspicari*, id Græcis similiter est ὑποβλέπεσθαι & ὑφορᾶσθαι. Ὑπὸ autem est *sub*; vt ἀπὸ, *ab*. Hesychius: Ὑποβλεπόμενος, φοβούμενος, ὑπονοῶν. Idem: Ὑφορώμενος, ὑποβλεπόμενος, φοβούμενος, ὑπονοῶν. A *specio* est *suspicor*, vt ab eodem est *conspicor*. Et vt ab hoc *conspectus*, ita ab illo *suspectus*. Imò & *suspectio* pro *suspicio* dicitur. Terent. Andr. Act. III. II.

Nam qui istæc tibi incidit suspectio.

Tullius, Philipp. I. *Suspicionis aliquid adferret*. Ita in libro Longobardicis literis scripto se reperisse testatur Hieronymus Ferrarius. In vulgatis est *inspicionis*. Similiter in Ausonij ad Paullinum, Paullini item ad Ausonium epistola, ea vox legitur. Fortasse autem miretur quis, quòd in *suspicionis* voce secundam producat Martialis, vt cuius sit lib. II. ep. XXVI.

Oblinitur minima, siqua est suspicio, rima.

Similiter producit Plautus Amph. Act. I. Sc. II. Asin. Act. IV. Sc. I. & alibi semper. Nec desunt qui in Terentij, Ausonij, Paullini locis ante citatis *suspectio* pro *inspectio* legant antepenult. porrectâ. Rationem verò eius moduli puto, quod κατὰ συγκοπὴν sit factum è *suspicatio*. Nisi malis, quod adfert Iul. Scaliger, lib. VII. de re Poët. poster. partis cap. II. Ait enim à *suspiciendo* fore *suspicitio*, sed pro eo dici *suspicio*, ac si breuis reperiatur secunda eius vocis (quomodo in versibus Cornelio Nepoti falso tributis legere est:

Suspicione, Paris, ne credito ludimur, inquit.)

syncopen intelligi quoties verò producitur, esse synæresin. Sunt quibus placeat & *suspicio* verbum secundam habere porrectam, cùm significat *suspectum habeo*: quâ ratione Sallustius in Iugurth. dixit: *Suspectus regi, & ipse eum suspiciens*. Sed notionem agnoscimus, de modulo auctoritatem desideramus

SVSVRRO Nunnesio placet esse ψιθυρίζω. Aliis à συρίζω. Sed potiùs cuncta hæc à sono facta. A *susurro susurrones* pro *delatoribus* dixit Sidonius, lib. V. epist. VIII. ac monet ad eum locum Sauaro, similiter loqui Salonium in Ecclesiast. & Petrum Rauennatem, serm. LIII. Caussam nomini præbuit, quòd *delatoris*, ne exaudiri possint, in aures soleant *susurrare*. *Susurrus* quartæ est Appuleio: vt qui in Floridis dicat, *Fistula susurru iucundior*.

SVSYMBRIVM à Græcis accepimus, vt plurima alia herbarum vocabula. Locum hac de re Varronis apponam: *Quæ in hortis nascuntur, alia peregrinis vocabulis, vt Græcis ocymum, menta, ruta, quam nunc πήγανον appellant. Item caulis, lapathium, radix. Sic enim antiqui Græci quam nunc raphanum. Item ex Græcis vocabulis, ἕρπυλλον, ῥόδον, addita & commutata vnâ literâ, serpyllum, & rosa. Item Græca κορίανδρον, μαλάχη, κύμινον. Item Latina, lilium ἀπὸ λειρίου, & malua à μαλάχη, & susimbrium ἀπὸ σισυμβρίου.*

SVVS olim erat *sos*, *sa*, *som*. Vel idem ac ὅς. Nempe à Græco ὅς. Sed *suus* ab *sui*, vt à *mei meus*, à *tui tuus*, &c. Nisi magis placet *tuus* esse à Dorico τεὸς pro σὸς, *suus*, item ab ἑός. Nam E non rarò abit in V, vt ἔλαιον, *oleum*. Spiritum verò asperum crebro in S mutari notissimum est.

SYCOMORVS nominatur apud B. Lucam cap. XIX. vbi Græci codices, etiam MSS^ti, mirè variant. Legas enim συκομωραίαν

συκομορία, συκομωρέα, & συκομωρεγία. Nomen à συκῆ, *ficus*; & μορέα, *morus*. Celsus, lib. III. cap. XVIII. inuersis vocibus, è quibus id nomen conflatum est, *morosycon* in Ægypto appellari ait, quasi dicas *morosicum*. Dioscorides lib. I. cap. CLXXXII. ait esse δένδρον μέγα, ὅμοιον τῇ συκῇ, πολύφυλλον, τοῖς φύλλοις ἐοικὸς μορέᾳ: *arbor magna, similis fico, frondosa, foliis morum referens*. Atque hæc caussa nominis: quanquam aliam adfert Dioscorides. Vult enim sic dici διὰ τὸ ἄωρον ἢ γλίσχρον, *propter gustum inefficacem*. Quasi *fatuam ficum* diceris. Quod apertius est, si συκομωρία scribatur per ω. Quæritur verùm eadem sit συκάμινος. Quorundam ea sententia fuit, vt Dioscorides ibidem testatur. Ac Erasmum quidem censuisse cognoscere est ex iis, quæ ad Lucæ cap. XIX. annotauit. Verùm *sycominus* non *sycomorus* est, sed *morus*. Celsus. lib. III. cap. XVIII. *Græci morum sycaminum appellant*. Etiam Demetrius Ixio apud Athen. lib. II. eadem esse dicit συκάμινα & μόρα. Galenus quoque, lib. II. de alimentis, cap. de *sycaminis*, eandem arborem facit *sycaminum* ac *morum*. At de *sycomoro*, tanquam diuersa, singulari agit capite, eámque mediæ inter *ficum* & *morum* potentiæ facit. Nec συκάμινον aliud quam μόρον est in illo Attici scurræ de vultu Syllæ:

Συκάμινόν ἐσθ' ὁ Σύλλας ἀλφίτῳ πεπασμένον.

Sylla est morum polentâ sparsum.

Legas apud Plutarchum in vita Marij. Eo autem significabatur faciem Syllæ rubris & asperis partibus inter candidas sparsis retulisse *morum* conspersum farina. Est verò Συκάμινος ab Hebræo שקמה quod idem notat. Vt audiendus non sit Demetrius Ixio, qui apud Athenæum lib. II. recte quidem eadem esse dicit συκάμινα ac μόρα, sed perperam tradit, μόρα quidem dici ob *succi colorem sanguineum*, quasi αἱμόροα, συκάμινα autem, quasi σύκων ἀμείνω, hoc est *ficubus meliora, magísque sapida*.

Sycophanta, συκοφάντης, à σῦκον, id est, *ficus*; & φαίνω pro ἐγκαλῶ, *accuso*. Lege olim apud Athenienses cautum erat, nequis ficus Athenis exportaret. Qui deferebant aduersus legem eam peccantes, ex re dicti συκοφάνται. Solétque hoc hominum genus delationibus sibi parare victum, atque adeo sæpè & ficta crimina intendebat: eáque de caussâ *calumniatoribus* id nomen tributum fuit. Gloss. Cyr. συκοφάντης, *calumniator, sycofanta*. Aliam etiam nominis caussam adfert Festus his verbis: *Sycophantas quidam ex hoc dictos putant. Atticos quondam iuuenes solitos aiunt in hortos quorundam irrumpere, ficósque deligere, quam ob caussam legem factam, qui id fecisset, capital esset ei. Quam pœnam qui persequerentur ob paruula detrimenta, sycophantas appellatos*. Vide & Aristophanis Scholiastem ac Etymologici Magni auctorem.

Sylva Isidoro, lib. XVII. cap. VI. videtur dici quasi *xylina* à ξύλον, *lignum*, quia in eâ ligna cædantur. Sed est ab ὕλη spiritu aspero in S conuerso, quomodo ab ἕξ est *sex*, ab ἡμι, *semi*; interpósitque inserto V consono, quâ ratione ab Ἄορνος est *Auernus*, ab ἱερὸς *seruus*. Pierius ad Ecl. IV. quòd in veteribus libb. *silua* scribatur per *I*, putat *siluam* à *silendo* dictam esse, quia sit *locus silens*. Sed interdum Y in *I* conuertitur, quomodo à στύπος est *stipes*; à φρύγω, *frigo*, &c. Itaque & similiter in vett. libb. legas, *nimfa, limfa, martirium, signus*, & similia. Nec obstat significationis diuersitas. Nam ὕλη apud Homerum aliquoties legas pro *sylua*, eodémque locutus modo Herodianus, & quidam alij, qui prosâ scripsere. Indéque est, quod Macrobius, lib. I. in Somn. Scip. cap. XII. *syluestrem tumultum* interpretatur *hylen*. Etiam in Cyrilli Glossis legas: Ὕλη ὁ δρυμὸς, *sylua, nemus*. Atque vt Græcis ὕλη arbores, frutices, herbas comprehendit: ita & Latini quandoque eo vtuntur de herbis, non quibusuis tamen, sed asperis: vt sunt lappæ, & tribuli, vt I. Georg.

——— *Subit aspera sylua,*

Lappæque tribulique.

Sed imprimis arboribus conuenit: vndè pro *trabibus* capitur, ac *lignis*, vnde ædes exstruuntur aut ignis accenditur: Ἐκτενέστερον verò extensa vox ad omne id, ex quo aliquid fit: quod Latini apposité *materiam* dixere, quasi *rerum omnium matrem*. Siquidem in generatione corporum naturalium materies est principium passiuum, forma actiuum, eóque illa matris, hæc patris instar est. At philosophi etiam τῶν μαθημάτων ita appellant obiectum disciplinarum, quod Scholasticis dicitur *materia circa quam*. Gloss. Cyr. Ὕλη ξύλον, *materia*. ὕλη λέγω, *materies*. Itaque & Cornelius Seuerus in Ætna coniunxit *materiem syluamque*. A *sylua* est *Syluanus*, Πὰν, θεὸς ὑλαῖος. vt Glossæ Phil. interpretantur: siue θεὸς ὑλικός, vt est apud Seruium: quem vide in illud VI. Æn.

Aruorum pecorúmque Deo. ———

Liber de agrorum finibus: *Nam omnis possessio tres Syluanos habet: vnus dicitur Domesticus, possessioni consecratus: alter dicitur Agrestis, pastoribus consecratus: tertius dicitur Orientalis, cui est in confinio lucus positus, à quo inter duo pluresue fines oritur*. Erat & *Mars Syluanus*, ac *Hercules Syluanus*. Illius meminit Cato de R.R. cap. LXXXIII. huius Aurelius Victor. Nec alius, quam *Mars*, siue *Hercules*, cui rure hîc in siluis delubrum. A quo *pater Syluanus* differt. Vnde inscriptio vetus, Silvano & Hercvli. Et alia, Hercvli & Sylvano.

Symbolvm ait P. Lombardus, de *symbolo* Apostolico tractans, esse à σὺν, hoc est, *cum*, & *bolus*: quia *quilibet Apostolus contulerit suum bolum*. Sed planè origine Græcum est, diciturque σύμβολον ἀπὸ τοῦ συμβάλλειν, quod est *conijcere*. Nam σύμβολον propriè est *nota*, siue illud, *quod rei alicuius nobis indicium facit*: siue *ex quo de re coniectare licet*. Ab hac enim notione τοῦ συμβάλλειν, *symbolum* dici, etiam Budæi indicium est. Ab eadem voce dicta est Symbola, nempe quod ab iis, qui communi sumtu cœnaturi erant, pecuniæ conijectarentur, vt apposité ad ἔτυμον vocis loquitur Agellius. Hinc Curcul. Act. IV. I. *symbolarum collatores* legimus. Illud solum discriminis est inter *symbolum* & *symbolam* etymon, quod in illo συμβάλλειν ad animum pertinet, quomodo dicitur *feliciter coniecisse*, qui rectè *indicauit*: at in hoc refertur ad res corporeas, vt pecunias, quæ à variis *in commune conijciuntur, & conferuntur*. Crebrò autem in *Symbola* voce peccarunt librarij. vt cùm apud Terentium in Andr. *Symbolam dedit* scribitur pro *symbolum* quomodo in antiquis codd. legi testantur Georgius Fabricius & Gabriel Faernus, ipséque hanc lectionem probat H. Stephanus, libello de abusu linguæ Græcæ. Itidem a recto *symbola* non à *symbolum* est illud in Eunuch.

Is hunc ad cenam vt de symbolis essem.

Hinc quoque *asymbolus* in Phormione dicitur, *qui symbolam non dat*. Sunt qui *symbolum Apostolicum* dici putent, quia *vnusquisque*, vt aiunt, *Apostolorum caput vnum, velut symbolam contulerit*. Quippe hoc si esset, diceretur *symbola Apostolica*. Orta hæc opinio de collatione capitum singulorum ab Apostolis factorum ex ignoratione discriminis inter *symbolam* & *symbolum*. Nam *symbola*, vt diximus, erat collatio eranistæ ad conuiuium: *symbolum* verò (vt Casaubonus docet ad Athenæi lib. III. cap. XXXI.) erat annulus vel aliud, quod arrhæ loco ei dabatur, qui conuiuium parabat. postea extensa significatio, generatímque *symbolum* vocatum, quicquid arrhæ locum obtineret, ipsáque etiam tessera militaris id nomen meruit: vnde petitâ translatione fidei Christianæ capitibus *symboli* nomen impositum est, quòd iis veluti tesserâ milites qui sub Christo militant, ab infidelibus discernantur. Rufinus in expositione *symboli* vtramque adducit nominis rationem. Nam licet haud dicat ab Apostolis singulis singula capita esse collata (quæ vulgi opinio est, caput suum cuique Apostolo nominatim tribuentis, & Thomæ quidem assignantis caput de resurrectione Christi, quia is hanc primo non crediderat;) tamen in eo conuenit cum aliis, quod velit a *conferendo* dictum esse, quia Apostoli post ascensionem Domini, antequam ad gentes proficiscerentur, *futuræ prædicationis summam in vnum collegerunt*. Idem tamen quasi in hac opinione minùs acquiescens, alteram subiicit nominis caussam fusiúsque eandem exponit. Sed Rufinum ipsum audiamus: *Symbolum Græcè indicium dici potest & collatio, hoc est, quod plures in vnum conferunt. Id enim fecerunt Apostoli in his sermonibus, in vnum conferendo, quod vnusquisque sensit. Indicium autem vel signum idcirco dicitur: quia illo tempore, sicut & Paulus Apostolus dicit, & in Actis Apostolorum refertur, multi ex circumcisis Iudæis simulabant se esse Apostolos Christi, & lucri alicuius vel ventris gratia ad prædicandum proficiscebantur, nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nunciantes. Idcirco ergo istud indicium posuêre, per quod agnosceretur is qui Christum verè secundum Apostolicas regulas prædicaret. Denique & in bellis ciuilibus hoc obseruari ferunt: quoniam & armorum habitus par, & sonus vocis idem, & mos vnus est, atque eadem instituta bellandi, nequa doli subreptio fiat, symbola discreta vnusquisque dux suis militibus tradit, quæ Latinè vel signa, vel indicia nominantur: vt si fortè occurrerit quis de quo dubitetur interrogatus symbolum, prodat si sit hostis an socius*. Hæc Rufinus.

Symphoniaci Cic. & aliis, *qui symphoniam canunt*. *Symphonia*, συμφωνία, ad verbum *consonantia*, vti & vett. Glossæ interpretantur. Est enim (vt Isidorus ait lib. III. cap. XIX.) *modulationis temperamentum ex graui & acuto sono concordantibus sonis, siue in voce, siue in flatu, siue in pulsu*. Sumitur & pro *organo Musico*, vt idem Isidorus indicat libri eiusdem cap. XXI. *symphonia*, inquit, *vulgo appellatur lignum cauum ex vtraque parte, pelle extensâ, quam virgulis hinc & indè musici feriunt*.

fitque in ea ex concordia grauis & acuti suauissimus cantus.

SYNCERASTVM, συγκέρασμα, quasi *contemperatum*, à συγκεράννυμι, *commisceo, contempero*. Sed κατ' ἐξοχὴν ponitur pro *omni edulio*. Varro, lib. VI. de L. L. *In Phagone, Honos syncerasto perit: Syncerastum est omne edulium antiquo vocabulo Græco*. In vete. editt. vti Mediolanensi ann. CIↃIↃ. item Aldina pro *edulium* corrupte est *medulium*: vnde conectabat Beroaldus *omnem medullam* legi oportere. Eidem *Syncerastus* (est id nomen Plauto in Pœnulo) ita dici videtur, quasi *medulla plenus, & pinguis*. Sed omnino à *cibo* id nomen potiùs est.

SYNODVS geminam habet notionem pro diuersa scriptura apud Græcos. Nam σύνοδος vox Ecclesiastica, Ammiano etiam vsurpata, lib. XV. de *cœtu* dicitur *Ecclesiastico religionis caussâ collecto*. Ac rectiùs per *h* scribatur, *synhodus*, vti & *perihodus*. Sunt enim ab ὁδὸς, *via*. Sed piscis vocatus σύνοδος, ab ὀδοὺς, *dens*, vnde *dentex* vertitur à quibusdam. Glossæ Cyr. Συνόδους ὁ ἰχθὺς, *dentix, dentex*. Nec σύνοδος modò, sed & συνόδους nuncupatur, ἀπὸ τοῦ σίνειν, quod est, *nocere*. Quomodo Arcestrato vocatur apud Athenæum lib. VII. At συνόδους dicitur Numenio in Halieuticis, vt ibidem videre est.

SYNTHESIS, σύνθεσις, *compositio*, à συντίθημι. Itaque si vocis naturam spectes, generatim notat *rerum quarumuis congestionem ac constructionem*. Sed, quod bene obseruauit Hottomannus, speciatim sic vocari solent *vestes in vestiario constructa asseruatæque*. Docet hoc clarè locus iste Scæuolæ, l. XXXVIII. ff. de auro & arg. leg. *Quæro an ex vniuersa veste, id est, an ex synthesi, tunicas singulas & palliola Semphronia eligere possit*. Præterea sic dixere *vasorum congeriem*: vnde Papinius, lib. IV. Silu.

Aut vnam dare synthesin quid horres
Alborum calicum atque cacaborum?

Et Martial. lib. IV. ep. XLVI.

Et crasso figuli polita calo
Septenaria synthesis Saguntî.

Vbi *synthesin septenariam* vocat, quæ *constaret septem fictilibus vasis Saguntinis*. Sed imprimis de *vestibus* hac voce vsi, adeò vt quorundam opinio sit de *vasis* non nisi μεταφορικῶς dici. Non tamen semper notat *vestes compositas, ac concinnatas*, sed & συνεκδοχικῶς vsurpatur pro *veste vnica*: vt illo Martial. lib. II. ep. XLVI.

Sic micat innumeris arcula synthesibus.

Ac videas ferè accommodari *vesti cœnatoria*: vt illo eiusdem lib. V. ep. LXXXI.

Vndecies vna surrexti, Zoile, cœna,
Et mutata tibi est synthesis vndecies.

Suetonius quoque obseruat in Nerone, *quòd plerumque synthesinam indutus prodierit in publicum, sine cinctu & discalceatus*: quia nempe is habitus conuiuantium. De *synthesi* etiam scribit Alciatus lib. II. παρ. cap. XXI. sed satis oscitanter. Nam vult *synthesin* interdum notare *vestem vnicam*, sed *viliorem*: interdum *conformem vestium compositionem*, exempli gratiâ, *tunicam cum palliolo, quod ei respondeat*. Meliùs Brodæus lib. VI. cap. VII. Sed imprimis de *synthesi* ac *vestiu in cœna mutatione* adi Turnebum lib. XXIII. cap. XIX. & XXVII. cap. XVIII. ac I. Lipsi. lib. I. Saturnal. cap. II.

SYRMA ἀπὸ τοῦ σύρειν, quod est, *trahere*. Donatus, siue alius, prolegom. in Ter. *Syrmata dicta sunt ab eo, quod trahuntur: quæ res ab scenica luxuria instituta est*. Nempe *syrma* vestis erat oblonga; vnde *profundum* appellat Sidonius lib. VIII. epist. XI. Idem ostendit Prudentius in Psychomachiâ:

Vt tener incessus vestigia syrmate verrat.

Eo in tragœdiis vtebantur, teste Polluce, quò personæ heroum vel heroinarum viderentur proceriores. Hinc Valerius Phœnn.

Quid his cum tragicis versis (al. versibus) & syrma facis?

Vbi *syrmâ* antiquè vsurpat pro *syrmate*. Iuuenalis quoque est Sat. VIII.

——— *Longum tu pone Thyestæ*
Syrma, vel Antigones. ———

Quo ex loco patet, *syrma* ad vtrumque sexum pertinuisse. Vide & Martialem, lib. IV. epigr. XLIX. & lib. XII. epigr. XCVI. Quia autem *matronæ* vtebantur *syrmate*, indè est, quòd & *matrona* apud Terentium *Syra* ἀπὸ τοῦ σύρειν dicitur. Nam cùm à *gente* est, *famula* est nomen.

SYRTITES, συρτίτης, lapis quia in *Syrtium* litore inuenitur. Colore exterius est melleo: sed interiùs croceo refulget. Vide de eo Plinium, Solinum, Isidorum. Etiam in Lucania reperiri, idem Plinius testis. *Syrtes* verò ἀπὸ τοῦ σύρειν, quasi σύρτεις, *tractus*. Etymon id approbat Sallustius in Iugurtha, vbi à *tractu* nominatas ait. Ac respexit eodem Festus Auienus, cùm ait:

——— *Latè trahit æquora Syrtis.*

T

TABANVS, *muscæ* genus, Græcis μύωψ, vel οἶστρος, prout Glossæ Cyr. interpretantur. Fortasse ob *gracilitatem corporis* ita dicitur, quasi qui *tabidus* sit. Sanè similiter à σφὴξ, hoc est, *vespa*, dicitur σφηκώδης, hoc est, ἰσχνὸς, *gracilis, tenuis*.

TABERNA, ἐργαστήριον, vt Glossæ basilicæ interpretantur. Id literarum subductione è *tabulerna* factum esse rectè scribit Iouianus Pontanus in Actio suo fol. CXXXIX. edit. Ald. Nam & Verrius Flaccus, atque ex eo Festus in *tabernaculum*, *tabernas* sic dictas ait, quod ex *tabulis* olim fiebant. Ac Priscianus quoque, lib. I. quo loco de literarum affinitate agit: *L*, inquit, *in R transit, vt tabula taberna*. Sed de mutatione fallitur Priscianus. Nam vt à *naso* est *nasiterna*, (est id vasis genus, *tres habens nasos siue ansas*,) ita à *tabula* est *tabulterna* & per syncopen *taberna*. At longè spissior error Donati, qui in Adelph. III. III. κατὰ μετάθεσιν *taberna* pro *traberna* dici voluit, propriéque sic dici à validioribus *trabibus*, quibus superiora sunt suspensa. Decrymo hactenus. Differunt plurimùm *officina*, *apotheca*, *taberna*. In *officina* res fit ab opificibus. Hinc custodienda defertur in *apothecam*, è qua qui diuendunt, dicuntur *mercatores*, & interdum cum adiectione *mercatores magnarij*. Ex apothecis res mittitur in *tabernas*, vt ibi prostet venalis, sed tantum habent *tabernæ*, quæ minutatim vendant, quique iis præsunt *institores* appellantur. Hinc liquet cur Cicero pro Flacco coniungat *opifices & institores*: *Opifices*, inquit, *& tabernarios, quid est negotij concitare?* Liquet & cur Horatius dicat I. Odarum:

Pauperum tabernas Regúmque turres.

Erant autem varia *tabernarum* genera pro mercium varietate. Itaque *tabernæ librariæ* meminit Cicero orat. II. in Anton. *tabernæ sutrinæ*, Tacitus lib. XV. *tabernarum argentariarum*, Liuius, lib. XXVI. vbi intelligendę eæ, in quibus argentum pretio permutaretur, vel de manu in manum, vel vt alibi tantundem redderetur. Ac verisimile est in iisdem pecuniam fenori dari solere. *Tabernæ* quoque *diuersoria* meminit Plautus, Menæchmis, vbi intelligenda *caupona*, quæ & αὐλὴ sæpè *taberna* appellatur. Cicero pro Cluentio: *Hominem*, inquit, *multorum hospitum, A. Binnium quendam, cauponem de viâ Latinâ, subornatis qui sibi à Cluentio seruisque eius in tabernâ suâ manus allatas esse dicat*. Vbi manifestè *tabernam* pro *caupona* accipit. *Hospites* verò, vt alibi non semel pro *peregrinis* vsurpat, non pro iis, quorum sancta iura sunt. At propriè *hospitium* & *caupona* plurimùm differunt. Nam in *tabernas* diuertimus pretium soluturi. *Hospitium* verò est gratuitum: éstque vel nostrum, quo hospites excipimus, vel alienum, quo excipimur ab aliis. *Hospitia* quoque sunt ferè diuturnioris commorationis, atque obtinent quædam sanctiora iura, vnde *Hospitalis* & *Hospitales Dij*. Pro *hospitio* quoque *diuersorium* dicimus, sed hoc latiùs patet, quia & nostrum esse potest à nobis vel emptum vel conductum, idque ne vel ad hospitem, cui molesti esse nolumus, vel ad cauponem diuertere cogamur. Hinc Cicero epist. XXIII. *Multo libentius emerim diuersorium Tarracinæ, ne semper hospiti molestus sim*. Monuit hæc etiam P. Manutius comment. in Cic. epist. A *taberna* est *contubernalis*, A in V verso, qui in *eadem* viuit *taberna*. Vide quæ diximus in *Contubernium*.

TABES à Dorico τάκω pro τήκω, id est, *liquo, liquefacio*, quia vt calor ignis metalla, sic morbus is corporis soliditatem liquefacit & soluit. Itaque *tabes* nihil aliud quam τῆξις, seu *liquefactio*; *tabidum* item *quod colliquescit*, quomodo *tabidam niuem* dixit Liuius: *tabescere* idem quod *liquefieri*, quomodo *subtabescere* legimus apud Catonem: similitérque accipi videtur in illo Ciceronis II. de nat Deor. *Itaque & aquilonibus, reliquisque frigoribus adiectu, durescit humor, & idem vicissim mollitur tepefactus, & tabescit calore*. Quamquam nec male hic exponas *consumere*. Lucretius quoque dixit lib. IV.

——— *albas decedere ningues*
Tabificus subigit radiis sol omnia lustrans.

Id est, qui niues liquefaciunt. Obseruauit elegans hoc loquendi genus Gifanius in Indice Lucret. κατὰ μεταφορὰν autem *tabes* ponitur pro *pernicie*, quâ de acceptione sic Festus: *Tabem eam, quæ faceret tabescere, apud antiquos vsurpatum. Sallustius quoque frequenter, vt in Catilina, cùm ait: vti tabes plerosque ciuium animos inuaserat. Et in libro quarto historiarum: Qui quidem mos vt tabes in vrbem coniectus. Et Coruinus pro Liburnia: Propter hanc tabem atque perniciem domus totius*. A *tabe* verò vel τήκω, etiam est ἰχὼρ, *tabum*, quo significatur iuxta Seruium, *corruptus sanguis*: siue αἷμα σαπρὸν, vt Philoxeni Glossæ interpretantur.

TABVLA diminutiuum esse ab obsoleto *taba*, non tam argumentis, quàm è vocis sono cognoscimus. *Taba* verò, Becmani iudicio erit, vel ab Hebræo תא, id est, *cubiculum, conclaue*,

clans, quod nempe è *tabulis* id primò fieri soleat: vel (quæ sententia est Iul. Scaligeri, de causs. L.L. cap. XXXI.) a Græco τάζω, quod idem ac τείνω, id est, *extendo*, eò quòd tabulata in ædibus extendantur: τάζω verò à שטח, id est, *expandere*, *extendere*. Adde & tertiam opinionem, vt sit a Chaldæo טבלא, hoc est, *tabula*. Quod solum verum est. A *tabulis* est *tabulinum*, & κατὰ συγκοπὴν *tablinum*, quomodo & à *figulo figlinum* dicimus, pro *figulinum*. Festus, ex Scaligeri restitutione: *Tablinum proxime atrium locus dicitur, publicarum rationum causâ à factus. Quod antiqui magistratus in suo imperio tabulas rationum ibi habebant.* Vbi clarè indicat *tablinum* dici a *tabulis*, hoc est, *codicibus*. Sed aliorum mens dici à *tabulis* vnde fabricatum. Fauet huic sententiæ illud Varronis, lib. I. de vitâ pop. Rom. *Ad focum hieme ac frigoribus cænitabant: æstiuo tempore in propatulo; rure in corte; in vrbe tabulino, quod menianum possumus intelligere, tabulis fabricatum.* Citat Nonius in verbo *Cortes*. Tertia etiam sententia est. Nam sunt qui *tablinum* dici putant, quòd in eo picturarum *tabula* reponerentur, vnde & *pinacotheca* dicta sit. Sed hos falli puto. Nam in *pinacothecis* quidem *picta tabula* & *statua* asseruabantur: vt colligere est è Plinio, lib XXXV. cap. II. cùm dicit: *Et inter hæc pinacothecas veteribus tabulis consuunt, alienasque effigies colunt.* Sed eas à *tablinis* differre, argumento est, quòd de his, tanquam diuersis à *pinacothecis* meminerit Vitruuius. A *tabulis* quoque *tabularium* appellatum, curiæ pars, vbi *tabula* publicæ quâ de re diximus in *Archiuum*. Ab eodem ὑποκοριστικῶς fit *tabella*, vnde *tabellarij* nomen: teste Festo in *Tabellis*. Nam, *ante chartæ & membranarum vsum in tabulis dolatis, non solum testamentum sed etiam epistolarum alloquia scribebantur*: vt & inquit Isidorus, lib. V. Orig. cap. XXIV. Fiebant *tabellæ* istæ è fago, abiete, buxo, tiliâ siue philyrâ, acere, citro, ebore. Ijs verò cera inducebatur: vnde *ceratas tabellas* legimus, & *ceram* δελτῶ. pro *tabellis*. Hasce *tabellas* postquam scripserant, lino obligabant & ceram annulo suo obsignabant. Hine Plautus Pseud. act. I. I.

> *Phœnicium Callidoro amatori suo*
> *Per ceram & linum literásque interpretes*
> *Salutem mittit.*

Et Bacch. act. IV. sc. IV.

> *Cedo tu ceram ac linum actutum; age, obliga, obsigna citò.*

Et Cicero, III. Catil. *Tabellas proferri iussimus, quæ à quoque dicebantur datæ. Primùm ostendimus Cethego, signum cognouit. Nos linum incidimus, legimus, erat scriptum ipsius manu, &c.* Quo loco morem tangit veterum qui antequam aperirent literas, eum, aduersum quem facerent, signum cognoscere iubebant, nec fictæ dicerentur. Similis locus apud Plautum Bacch. act. IV. sc. VI. E Xenophonte quoque id comprobat Victorius, lib. XXV. cap. IV. Plura de tabellis istis vide in epistolicâ Lipsij constitutione.

TACEO ex sententia P. Nunnesij Valentini fuerit à τήκω, *liquefacio*, *consumo*. Nempe ab aoristo ταχεῖν. Malim ego ab ἀκέω, præmisso *T*, vt ab ἔρα, *terra*, siue *terra*. Ἀκέω quidem in vsu non est, sed obtinet participium eius ἀκέων, *quietus*, *tacitus*. Vt apud Homerum, Ἧ δ' ἀκέων; & in feminino, Ἀλλ' ἀκέουσα κάθησο. Sic & ἀκὴ non inuenias in recto: sed accusatiuum ἀκὴν crebrò: vt ἀκὴν ἔχον, & ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ apud eundem. Sanè ἀκὴν etiam Hesychius exponit per accusatiuum ἡσυχίαν, hoc est, *quietem*, *silentium*. Sed sæpius aduerbialiter exponitur *tacitè*. Dici existimat Eustathius quasi ἀχανῶς, *vt inscendo quidem*, ab α & χάνω *hisco*.

TÆDA à δαΐς, siue δᾲς, quod *faculam* vel *lampadem* significat: ac venit ἀπὸ τοῦ δαίω, quod est *vrere*. Ab accusatiuo δᾷδα est *tæda*, vt ab ἑβδομάδα dicimus τὴν ἑβδομάδα, vnde *hebdomadam* dicunt Latini. Quamquam autem *tæda* propriè sit *fax ex arbore πιτυώδει*, velut *picea* aut *pinu*, Latini tamen etiam vsurpant pro *ipsa arbore*, hoc est, *picea*. Quomodo Plinius vtitur non semel. Ac Iuuenalis quoque, vt alij *pinum* pro *naui* posuere, ita ipse *tædam*. Sic enim loquitur:

> ———*Si sit latissima tæda.*

Hinc Glossæ: *Tæda*, δαΐς, πεύκη, καὶ λαμπάς.

TÆDET quasi à *tædeo*. Hoc ab ἀηδέω, siue ἀδέω, hoc est, *defatigatione* vel *satietate*, *tædio afficio*. Nam ἄδος, κόρος. *T* præmissum, vt ab ἀκέω *taceo*; ab ἔρα, *tera*, seu *terra*. A *tædet* est *tædulus*; fastidiosus, siue qui omnibus *tædio* est, vt exponit Festus. Vt à *cado occido*, *a* in *i* abeunte, sic à *tædet pertisus*, & *distisus*. Festus: *Distisum & pertisum dicebant, quod nunc distæsum & pertæsum.*

TÆNIA, Græcè ταινία, quod à ταθῆναι, *extendi* hoc à τείνω *extendo*. Ταινία est apud Pollucem, lib. VII. cap. X. Latino vsus Maro, lib. V.

> *Puniceis ibant euincti tempora tæniis.*

vbi lemniscos intelligit Seruius. Vsus & in VII.

> ———*Fit tortile collo*
> *Aurum, ingens coluber, fit longæ tænia vittæ.*

Etiam Appuleius vsurpat in Apolog. Festus: *Tænias Græcam vocem sic interpretatur Verrius, vt dicat ornamentum esse laneum honorati capitis.* Adducit verò Festus cùm Attij locum, tum hoc Ennij in Alexandro:

> *Volans de cælo cum corona & tænijs.*

Item geminum Cæcilij locum. Vnus est:

> *Dum tantam, qui vidimus vincere, petis:*

Alter verò:

> *Sepulcrum plenum taniarum, ita vt solet.*

Sed posteriori hoc versu non accipitur pro *capitis ornamento*, verùm pro *fascijs*, *quibus mortui inuolui solent: a Græcis*. Ipsi ταινίας appellant. In architectura, quæ *tænia* dicerentur, ex Vitruuio disces, & Vitruuiano Lexico Bernardini Baldi.

TAPOCON (vt Festus ait) *soliti sunt appellare Græci genus scribendi deorsum versus, vt nunc dextrorsum scribimus.* Vbi sic Scaliger: *Oedipode opus est.* Atqui nullo ei opus Oepido, qui sciat Syros nec dextrorsum scripsisse, vt Hebræos & Arabas: nec sinistrorsum, vt Latinos & Græcos: sed deorsum, quemadmodum Masius tradit in Grammatica Syriaca. Interim vide sis, an non vera sit coniectura doctissimi Martinij, qui pro *deorsum* legebat *retrorsum*, vt Hebræorum, Chaldæorum, & plerarumque Orientis gentium scriptura notetur. Quod si ita est, optimè sane idem *tapocon* denuat a תהפכות, id est, *inuertes*.

TALATRVM, vel alijs *talitrum*, κονδυλισμός, à *talare*, κονδυλίζειν, vt obseruat Salmasius in Exercit. ad Solinum.

TALEA dicitur, quod ab arbore reciditur, vt in solo depangatum ac plantetur. Nonius exponit *scissiones lignorum vel præsegmina*. Etiam in Glossis Philoxeni explicatur κλημὶς, ῥάβδος, σχιδάκιον. Nisi quod ibi *talia* legitur. Nec id magis ab origine abit. Nam *talea* dicta à θαλλεῖν, quæ & θαλλὸς & θάλος & θαλία. Ea *ramum virentem* significat: nempe à θάλλω, id est, *vireo*. Varro, lib I. de R.R. cap XL. *Demum in oleagineis seminibus arbores videndum, vt sit de tenero ramo ex vtraque parte æquabiliter præcisum, quas alij clauolas, alij taleas appellant.* Vtitur & extremo cap. seq. Hinc *taleare* ac *intertaleare* pro *incidere*, rustica dicit simplicitas: vti monet Nonius Marcellus. Aliud verò in Architectura est *talea*, quàm in re rustica. Nam Vitruuio, lib. I cap V. *taleæ* dicuntur graciliores trabes, quibus murorum compages connectitur. Vide ibi Philandrum. Ita verò dicuntur, quia *talearum* instar sunt rectæ & teretes. *Thalia* quoque, Musarum vna, à θάλλειν dicta, quia semper *virescat poetarum gloria*. Græcè est Θάλεια, vnde Latinum *Thalia*, ει in *I* longum conuerso, quomodo à Δαρεῖος, & Βασιλεῖος, est *Darius*, *Basilius*, in quibus penè vltimam malè corripit vulgus. Seruius ad Ecl. VI. ait *Thaleia* per *E* Latinè dici debere, vt in *Cytherea* & *Medea*. Et sanè in Romano codice sic scribi monet Pierius. Non tamen Maronem sic scripsisse verisimile est, quando Seruius ipse agnoscit eum propter euphoniam *Thalia* per *I* maluisse. Et sanè vtrumque rectum, cum EI nunc abeat in *I*, nunc in *E* longum: vt omnino exilis admodum sit illa Seruij obseruatiuncula, quâ *Thalia* Græcum, *Thalea* Latinum esse persuasum cupit.

TALENTVM Atticum continet sexaginta minas Atticas: mina Attica viginti quinque stateres: stater drachmas Atticas quatuor: drachma Attica sex obolos. De quibus omnibus, quia mutuò facem allucent, coniunctim dicam nec originem solum vocum exponam sed pretium quoque explicabo quando absque huius rei notitiâ magnæ tum in sacris tum profanis auctoribus tenebræ esse solent. *Obolus*, ὀβολὸς, venit ab ὀβελὸς, id est, *veru*. Caussa nominis est quod habeat figuram ὀβελοῦ, ita tamen vt non planè in acutum desinat. Valet obolus asse cum besse: quod est monetæ Belgicæ paullò minus quinque deutis & dimidia: siue paullò plus quàm semibrasdenarius. Hoc sic esse liquet ex eo, quòd drachma, quæ denarium siue quatuor sestertios valet, contineat sex obolos, vt omnino sestertius sit sesquiobulus. At sestertius cùm dicatur quasi semitertius, valebit duobus assibus & semisse, hoc est, vncijs triginta. Ergo obolus tantùm erit vnciarum viginti, hoc est assis, qui duodecim vnciarum est, & bessis, qui octo vnciarum. As verò Belgicâ monetâ paullò plus quàm tribus deutis, seu semiblinca. At bes assis sunt duæ deutæ siue quadrans stuferi, vnde liquet, quod dicebamus, obolum esse paullò plus quàm semibrasdenarium. Drachma est idem Græcis quod denarius Romanis, hoc est, sestertij quatuor. Quod ad pondus, septem drachmæ incurrunt vnciam, vnde consequitur, cùm libra sit XII. vnciarum, LXXXIV drachmas fore in libra. Hinc Scribonius Largus epistola ad Callistum *Erit autem nota denarij vnius pro Græcâ drachmâ. Æque enim in librâ octoginta qua-*

enor apud nos, quot drachma apud Græcos incurrunt. Dicitur *drachma* à δράττεσθαι, id est, *continere*, quia comprehendit tantum κέρματα siue κερμάτια (sic Græci vocabant exiguos nummulos æreos quos cum Seneca minutias æris dicere possumus) quantum manu quis in pugillum contracta capere ac continere possit. Cùm superiorem ὀβολοῦ, tum hanc *drachmæ* originationem discimus, partim ex veteribus Grammaticis, partim illo Plutarchi loco in Lysandro. Κινδυνεύει δὲ καὶ τὸ πάμπαν ἀρχαῖον οὕτως ἔχειν, ὀβελίσκοις χρωμένων νομίσματι σιδηροῖς, ἐνίων δὲ χαλκοῖς, ἀφ' ὧν παραμένει, πλῆθος ἔτι καὶ νῦν τῶν κερματίων ὀβολοὺς καλεῖσθαι· δραχμὴν δὲ τοὺς ἓξ ὀβολούς· τοσούτων γὰρ ἡ χεὶρ περιεδράττετο. *Videtur autem omnino vetus moneta sic se habere quia obeliscis vtebantur, ferreis nummis; quidam etiam æreis. Vnde permanet, vt hodiéque multitudo minutiarum æris oboli vocentur: drachma autem sex oboli, quia tantum manus περιεδράττετο seu complectebatur.* Mihi dubium non est quin sit ab Hebræo דרכמן, quod idem significat. Inuenias Ezr. II. 65. & Nehem. VII. 78. Stater argenteus valet quatuor drachmis Atticis, tantundem nempe quantum apud Hebræos siclus sanctuarij: vnde B. Hieronymus in Ezechielis cap. XLV. *Siclus autem, id est, stater, habet drachmas quatuor.* Et Iosephus pro Hebraico siclo solet staterem dicere. Dicitur stater στατὴρ ab ἵστημι, quod inter alia notat *libro, appendo, pondero*, idémque Hebræis notat שקל, *schakal*, vnde שֶׁקֶל, *sekel*, siclus: vt omnino stateris ac sicli, quemadmodum significatio, ita origo similis sit. Vide sis quæ de siclo Budæus, & imprimis quæ ad Biblia Regia Benedictus Arias Montanus annotauit. Stateres vigintiquinque, siue, quod idem est, centum Atticæ drachmæ efficiunt minam Atticam. Est *mina* à Græco μνᾶ. Plinius lib. XXI. cap. vlt. *Mnã, quam nostri minam vocant, pendet drachmas Atticas centum.* Rhemnius Fannius:

> *Mnãs vocitant, nostrique minam dixere priores,*
> *Centum hæ sunt drachmæ.*

Quin Plautum quoque *mna* pro *mina* dixisse, comprobat numerorum ratio Asinariâ act. II sc. II. *viginti mnis.* Curcul. act. II. sc. III. *triginta mnis.* Pœnul. act. V. sc. V. *Si ego mnam non.* Sic hisce locis legit Meursius. Dicitur μνᾶ à *collectione numerorum*: nempe ab Hebræo מנה, quod idem notat, éstque à מנה, id est, *numerare.* Sexaginta minæ Atticæ, siue, quod idem est, sex millia Atticarum drachmarum, conficiunt talentum Atticum: vnde Rhemnius Fannius:

> *Cecropium superest post hæc docuisse talentum*
> *Sexaginta minas, seu vis sex millia drachmas,*
> *Quod summum doctis perhibetur pondus Athenis.*

Græce est τάλαντον, vnde *talentum* α in ε conuerso, quomodo à καμάρα est *camera*, à *mando* est *commendo*. Τάλαντον dicitur à ταλάω, hoc est, *sustineo, suffero.* Nam primâ suâ significatione non *pondus* notat, *quod lanci imponitur*, sed *stateram ipsam quâ pondera appenduntur.* Porrò ex ijs quæ diximus de Attica drachma, mina, *talento*, facile est statuere de drachmâ aut minâ Æginetica. Nam si *talentum* Æginetic um continet centum drachmas Atticas, habet se Atticum *talentum* ad Ægineticum, vt VI. ad X. ac proinde mina quoque Attica similiter se habet ad minam Ægineticam, drachma item Attica ad drachmam Ægineticam. Idem iudicandum de siclo Hebraico ratione *talenti* Hebraici. Nam quinctuplicem esse siclum necesse est, cùm quinctuplex sit Hebræis *talentum*, atque eorum vnumquodque diuidatur inter mille siclos. *Talentum* publicum minus tantundem valebat ac *talentum* Atticum. Ergo & siclus huius *talenti* tantundem valebit ac didrachmum. Nam vt *talentum* Hebræum in ter mille siclos, ita *talentum* Atticum in sexies mille drachmas distribuitur. *Talentum* sacrarij Hebræis erat alterâ parte maius quàm Atticum. Ergo & siclus sacrarij non didrachmum valebit, sed tetradrachmum. Atque hoc cùm Rabbini disertim testantur, tum è Iosepho quoque & Hieronymo comprobatur, qui & ipsi scribunt, siclum sanctuarij fuisse quatuor drachmarum: semisiclum, duarum. Nec obstat, quod Septuaginta Interpretes siclum sanctuarij didrachmum transferre soleant. Nam vt *talentum* hoc altera parte maius Attico, ita drachmæ hæ duabus Atticis drachmis valuerunt. Ac fuit hoc *talentum* omnium longè antiquissimum, quo & Abrahami, Isaaci, & Iacobi tempore Hebræi vtebantur: quamquam necdum sacrarij *talentum* dici potuerit. Imò & antiquis Græcis huiusmodi *talentum* in vsu fuit, quod ex Dionysio Halicarnassensi, Vitruuio & Hesychio probari potest. Sed alia quoque Hebræorum *talenta* persequamur. *Talentum regium*, hoc est, quo Iudæi sub regibus vsi sunt, habuit se ad *talentum sacrarij*, vt *dodrans* ad *as*, hoc est, vt nouem ad duodecim. Ergo & *siclus regius* similiter se habebit ad *siclum sacrarij*; cúmque *siclus sacrarij* sit Atticarum drachmarum quatuor, siclus regius erit trium drachmarum Atticarum. Par ratio tum in *talento* numismatico, prout Suidas in voce *obolus* vocat, quod Atheniensibus quoque in vsu fuit, ac se ad *talentum* Atticum habuit vt semissis, ad *talentum* verò sacrarij, vt vncia: tum etiam in *talento* publico maiori, quod se ad *sacrarij talentum* habuit vt dextans ad *as*, hoc est, vt X. ad XII. Quinctuplici huic Hebræorum *talento* addo ex Polluce *talentum* Babylonium, quod fuisse ait septuaginta Atticarum minarum, eóque se ad Hebraicum *talentum* sacrarij habuit vt septunx ad as. Porrò quæcunque hactenus diximus perfacile est redigere ad monetam Romanam, modò quis sciat drachmam Atticam valuisse apud Græcos quantum apud Romanos *denarius*: de quo pluribus tractamus voce *Denarius*. Nunc sufficiat è multis eius rei laudare auctores Plinium, lib. XXI. cap. vlt. Agellium, lib. I. cap. VIII. Isidorum, lib. XVI. cap. XXIV. Nec è Græcis aliter Cleopatras: τὸ ἰταλικὸν δηνάριον ἔχει δραχμὴν α. Hæc fusiùs prosequi visum fuit, quia præter Budæum, Agricolam, atque alios, ipsissé in iis non semel aberrat Hadrianus Iunius in Nomenclatore suo doctissimo, & inuentuti nunquam satis commendato. Quod si plura de *talento* & siclo Hebræorum voles, adi Stanislaum Gresepsium, qui cùm de his, tum de Hebraicis aridorum & liquidorum mensuris Michaëlem Neandrum, & priorum alios multis post se passibus videtur reliquisse. Sed & consule Casparum Vvaserum, lib. II. de nummis Hebr. cap. XVI. & Iacobum Capellum de nummis & ponderibus, atque alios, qui post Grepsium scripsere.

TALIA *folliculus cepæ*, vt Festus exponit. Lucillius pro eo *thalla* dixit;

> *Flebile cepe simul, lacrymosaque ordine thalla.*

Et fauent Glossæ, vbi legas, *Thalla*, κρομμύου λεπύριον. Sed & stipes cepæ, *thallus*. Quomodo *thallos separum* apud Columellam legas, lib. XI. cap. III. Fortasse *thallus* sit ex θαλλός, quo propriè *ramus virens* signatur. Nempe à θάλλω, *vireo*. A quo ipso *thalla* & *talia* dicuntur. At *talea* aliud est, etsi eiusdem originis. Diximus de eo seorsim. Vel potiùs sit *talla* ex θύλακος, vt à γαυσάπης, *gausapa*, à μαργαρίτης, *margarita*. θύλακος ex θύλακος, *saccus*.

TALIS κατὰ συγκοπὴν à τάλικος, quod Æolicum pro τηλίκος. Ab eo dictum *ius Talionis*, quòd nempe aliquis *tale* quid patitur, quale fecit. Ab Impp. in Codice Theodosiano, lib. IX. L. III. Tit. II. de exhibendis vel transmittendis reis, appellatur *pœna reciproci.* Theophilus. Iustit. de Iniur. §. pœna iniur. vocat ἀντιπεπονθός. Placuit hoc ius Rhadamantho, & auctoribus legum XII. tabb. Imò lege quoque Mosaica approbatum, vbi præscribitur *dens pro dente, oculus pro oculo*, &c. Quid Aristoteles, qui ἀντιπεπονθὸς appellat, senserit de eo, videre potes lib. V. Eth. Nicomach. cap. V. Vide & Gellium, lib. XX. cap. I.

TALPA Græcis dicitur ἀσπάλαξ; ac putat ex Græco hoc Nunnesius venire *talpa*, conuerso σ in τ, vt à σὺ, *tu*, à σέ, *te*, &c. Alij malunt dici κατὰ μετάθεσιν pro *tapla*, vel *tupla*: nempe à *cæcitate*, ex Græco τυφλή. Quod etymon respexit Isidorus, lib. XII. cap. III. Vel à Græco σκάλλω, *fodio*. Virgilius, I. Georg.

> *Aut oculis capti fodêre cubilia talpæ.*

Ac eapse de caussa possis & deducere à Chaldæo תלף, quod est *findo*.

TALVS, iuxta Nunnesium, est à τῆλε, *procul*. Sed vel erit à τλῆναι, quod est *ferre, tolerare*, (nam *tali* gestant corpus animalis;) vel fuerit *talus* ex *taxillus*, vt *palus* ex *paxillus*; *mala* ex *maxilla*. *Taxillus* verò est à *tago*, vnde *taxi*, ex quo *taxus*, vnde *taxulus*; à quo *taxillus*, vnde *talus* κατὰ συγκοπὴν, qua de re in *Ala* satis dictum. A *talus talaria calciamenta*, quia *talis* annectebantur. *Talax* eiusdem originis; *cui tali peruersi.* Isidori Gloss. *Talax, scaurus.* *Talatrum* quoque vocatum siue *talitrum*, quia *talo* fieret. Nempe olim videtur *talus* non modò de *pedum*, sed etiam *manuum ossiculis* vsurpatum. Glossæ Philoxeni: *Talares*, κόνδυλοι ποδός. *Talarij*, κόνδυλοι χειρῶν. Glossæ Philoxeni: κόνδυλος, *colafus.* Κόνδυλος ποδὸς, ἢ χειρὸς, *talatrum.* A *talo* igitur fuerit *talare*, hoc est, κονδύλιον. Indè *talatrum*, vel *talitrum*, κονδυλισμός. Nempe qua forma ab *aro aratrum*, a *fulgo fulgetrum*, ac similia.

TAM, & *quam*, contracta sunt ex *tantum*, & *quantum*. Plautus, Mil. act. III. sc. I.

> *Quam potes, tam verba confer maximè ad compendium.*

Quod integrè esset, *quantum potes, tantum*: Siue, vt & vetustæ etiam ratio habeatur, *in quantum potes, in tantum.* Etiam *tam* & *quam* coalescunt. Vnde *tanquam*. Vt, *Amo tanquam me ipsum.* Pro, *Amo tantum, quantum me ipsum.* Etiam *quam* geminatur. Vnde *quamquam*. Vt illo Plauti Pœnul. act. III. sc. I.

> *Quamquam sumus pauperculi, est domus quod edimus.*

Pro,

Pro *quantumquantum*, hoc est *quantumcunque*. Sic *quamuis* ex *quantumuis*. Vide *Tamen*.

TAMA (vt Festi verbis vtar) *dicitur, cùm labore via sanguis in crura descendit, & tumorem facit.* Videtur esse ἀπὸ τοῦ τέμνω, quod est, *secare, findere*. Quippe in tumore soluitur continuum, vnde dolor. Nisi placet *tama* quasi *tumea* dici, quia genus est tumoris.

TAMEN respondet particulæ *quamquam*. At *quamquam* est à *quam* per geminationem simplicis, vt fit in *vt vt*, *at at*, *identidem*, &c. *Tamen* autem ex *tam* & *en*: nisi potiùs à *tam* simplex deriuatum putes. Nec mirum si *quamquam* & *tamen* respondeant mutuo, cùm idem fiat in *tam* & *quam*, vnde deriuantur. Imò hæc duo *tam* & *quam* in *tamquam* coniunguntur: quod ad verbum Belgis esset *gelyck als*. Hæc sanè non minùs placent, quam vt ab ὅμως sit *tamen*, præmisso *t*. A *tamen* est *tametsi*. Quippe κατὰ συγκοπὴν factum ex *tamenetsi*. Integro hoc non rarò vsi veteres, atque adeò Cicero quoque, Cæsar, Seneca, alij: sed ferè loca vulgò corruptè leguntur. Vide Cuiacium, lib. I. obseru. cap. XIV. Muretum. lib. XI. Var. Lect. cap. XVII. Paullum Manutium, in epist. famil. Cic. lib. IV. XIV. & Ianum Guilielmium. lib. I. verisi. cap. XVI. Quemadmodum autem *tametsi* est ex *tamenetsi*, sic & *tandem* dicitur quasi *tamendemum*. Vbi *tamen* possis interpretari *aliquando*, ex Festo, qui ait, *Tamen cum significat aliquando, interdum tamen ex superuacuo ponitur.*

TAMINEA *vua* memoratur Celso, lib. III. cap. de hydrope; & Plinio, lib. XXIII. cap. I. De ea sic Festus: *Taminia, vua syluestris genus, videtur Verrio dicta, quod tam nitra sit, quàm minium.* Sic quoque est in Schedis Pomponij Læti. Nec abeunt Paulli codd. MSS^{ti} vel editi. Potiùs tamen scripserit *tam rubra quam minium*. Nec sic quoque de etymo assentiam: sed potiùs coniectem esse à *tama*, quam tumore coloréque refert. Vel quia tractata *taminet*, ac rubore suo inficiat tractantem. Sed Scaliger credebat Verrium *Taminea* pro *Aminea* legisse apud Maronem in Georg.

Sunt & Amineæ vites firmissima vina.

Amineæ verò sunt vites Apulæ. Hesychius: Ἀμιναῖος δὲ ὁ ἴδιος, ὁ οἶνος λέγεται· οἱ γὰρ Πελασγοὶ, Ἀμιναῖοι λέγονται.

TANGO à θίγω, aut θιγγάνω, quod idem notat; θίγω à נגע, *tanget*. A θίγω est ἀκροθιγής, *strictum*, sic vt extrema tantùm attingantur. Latini in *tango* N inserunt, quomodo à λείχω est *lingo*, à κίκιννος, *cincinnus*, &c. Ad Græcum magis accessit vetus *tago*, pro quo posteriores *tango*, vt *frango* pro antiquo *frago*, vnde *fragilis*. *Tagere* verò dixisse antiquos multis modis comprobatur. Nam vt de præterito *tetigi*, quod indè est, nihil dicam, Plauti est Bacch. *Si attigas eum*. Et Mostell. II. II. *Ædis ne attigatis*. Idem indicat nomen *tagax*, quomodo *furunculum*, Festo teste, dixit Lucilius, nempe ab ea *tangendi* significatione, qua pro *furari* accipitur: vt apud Plautum Milite:

Tetigit calicem clanculum.

Et Epidico:

Istos adeo tetigi triginta minis.

Hinc igitur *tagax*, vti dixi. Vtitur & Cicero, lib. VI. ad Att. epist. III. *Quattor leuis, libidinosus, tagax.* Sic eum locum rectè corrigit Cuiacius, pro quo in vulgatis parùm appositè est *fugax*. Est verò eâ ratione *tagere* à *tagax*, quâ à *rapere*, *rapax*: quæ duo differunt, quòd illud pertineat ad apertam vim, hoc ad occultam fraudem. Itaque *dextra* est *rapax*: vt apud Horatium:

Omne sacrum rapiente dextrâ.

At *læua*, quâ *lauernenes* aliquid occultè tollere solent, dum dextrâ aliud simulatur, propriè dicitur *tagax*. Plautus. Persâ. Act. II. Sc. II.

Vbi illa altera est furtifica læua?

Catull. epigr.

Marrucine Asini manu sinistrâ
Non bellè vteris, in ioco atque vino
Tollis lintea negligentiorum.

Frustra hic hæret Victorius, lib. XXXIII. Var. Lect. cap. II. Ab antiquo *tagere* quoque est *integer*. ἀθιγής. ἄθικτος, *non tactus, cuius nemo tetigit aut abstulit quicquam*. Gloss. vett. *integer*, ὁλόκληρος, ἀκέραιος, ὑγιής. Contrarium sit *adteger*, προσθιγής, *cuius aliquid attactum*. Vnde vinum *adtegrari* dicitur, cùm libatur. Nam vt vino sacrificium agetur, ita vinum minuitur. Vide Festum in *adtegrare*, atque ibi Scaligerum. Ab eodem *tagere* est *taxare*, vt à *vehere*, *vexare*: quemadmodum de vtroque monet Gellius, lib. II. cap. VI. & Macrobius. lib. VI. c. VII. Apud Festum quoque legas: *Taxat, & taxatio, à verbo tango dicuntur.* Ianus Guilielmius propriè accipi monet in illo Plauti. Asin. II. II.

Hercle verò tu caueâs, ne me attigas: si me taxis, ne hodie, &c.

Sed Cl^{mus} Ianus Gruterus monet, in Palatin^{is} codd. esse *tagis*: quod perplacet. A *taxo* est *taxim*, hoc est, *leuiter* & quasi *tangendo leuiter*. A *taxando* quoque *taxatores* scenicis dicuntur, quorum alter alterum maledictis *tangit*: vt auctor est Festus. Quod verò *taxare* dicimus pro *æstimare*, id indè est, quòd ad æstimandum ponderandúmque crebro tactu ac tractatu opus sit. Vel dicendum *taxo* esse duplex: vnum à *tango*, alterum à Græco τάσσω. Budæi hæc sententia est qui *taxo* pro *æstimo*, ex eo esse dicit, quia Græcis venditor dicatur τάττειν τὴν ἀξίαν τοῦ ὠνίου, hoc est, *statuere pretium rerum venalium*. Quomodo Thucydides lib. IV. ait, τάξαντες ἀργυρίου πολλοῦ, *cùm taxassent argento multo*, siue *pretio ingenti*. Quod etymon impensè placet. A *taxo* fortè etiam *tax. tax*, quod strepitum verberum exprimit. Sanè vt à *pago pax*, sic à *tago* erit *tax*. Quamquam & a sono factum videri queat: quod malim. Vtitur Plautus, Persâ, Act. II. Sc. III.

Tax, tax, tergo meo erit. Non curo.

Pro quo tamen in MSS^{tis} Camerarij *tax, cax*, legi monuit Gruterus. A *tango* est compositum *contingo*: quod & a *tingo* interdum est. Et nonnumquam ambiguum est ab vtro descendat. Vt cùm apud Lucretium *melle contingere* legimus, vel Maronem *contingere amurca* aut *sale*. Quibus in locis non minùs commodè & rectius fortasse à *tango* compositum putari, facit quod apud Celsum legamus, lib. II. cap. XXIV. *sale modico contactus*, & apud Arnob. lib. III. *Rationis aliquo sapore contactus*. A *contingo* est *contiguum*, quod alterum tangit: item *contages*, vel *contagio*, vel *contagium*, morbus contactu inficiens. Isidorus, lib. IV. cap. VI. *Contagium a contingendo, quia, quem tetigerit, polluit.*

TARDVS vir eruditus censet esse a טרד, quod est *iugiter occupari*. Sed qui assidui sunt in aliquo negotio hi tardi non videntur: etsi tardè ad alia accedere non diffitebor. Quare magis placet à βραδύς fieri, vt Nunnesius voluit nempe simili μεταθέσει ac ab eo fit *bardus*. Sed in *tardus* etiam princeps litera mutatur. Vel fuerit a Chaldæo תרח. *tardare, morari*.

TARMES qui Festo *tarmus* dicitur in Glossis Isidori: sed Festum malim audire: præsertim cum constanter ita scribatur in MSS^{tis}. *Vermiculus est carnes exedens*. A τέτρημαι, præterito verbi τείρω, hoc est *tero, attero*.

TARTARI ἐτυμολογίαν adfert Plutarchus, lib. de primo frigido: Τάρταρος ὅτι ἀπὸ ψυχρότητος κέκληται· δηλοῖ δὲ καὶ Ἡσίοδος, εἰπὼν, ταρτάρεα ἠερόεντα· καὶ τὸ ῥιγοῦντας πάλλεσθαι, καὶ τὸ φρίσσειν, ταρταρίζειν. Id est: *tartarus à frigore appellatus est, atque id ostendit quoque Hesiodus, cùm tartarum vocat aerosum siue obscurum. Et qui horrore concutiuntur ac tremunt, dicuntur tartarizein.* Eandem ἐτυμολογίαν adfert Eustathius Iliad. θ. pag. ICCXCIV. & Iliad. ξ. pag. ICCCCCLXXXV. Verùm etsi non nego ταρταρίζειν significare σφόδρα ῥιγοῦν, id est, *valde rigere*: non tamen *tartarum* à ταρταρίζειν, sed ταρταρίζειν à Tartaro dici suspicor, vt propriè ταρταρίζειν sit *tremere frigore instar eorum qui in tartaro sunt*. Τάρταρος autem fortasse est à ταράττω, id est, *perturbo*, παρὰ τὸ ἐν αὐτῷ ταράττεσθαι καὶ συγχεῖσθαι τὰ ἐν αὐτῷ πάντα; quam originationem adfert Etymologus. Vel cum Martinio statuere per reduplicationem fieri à τηρέω, quia illic impij τηροῦνται, hoc est, *custodiuntur*. Aut dici quasi טרחא דור, quod Chaldaicè est *locus molestiæ*. At ineptum planè vt sit à *tortura*, *quia torqueat quos absumat*: quod etiam apud Boccacium legas. lib. I. de genealogia Deorum cap. XIV.

TATA ex ἄττα, vt apud Hom. ἄττα γεραιέ. Ἄττα ex Chal. אבא, *abba, pater*. Vel, fuerit *tata*, à τέττα vt apud Hom. τέττα γεραιέ; τέττα autem quasi τέτις, *honoratus*. Vel, quod maximè placet, & *tata*, & ἄττα, & τέττα facta sint à sono puerorum, cùm *lallare* incipiunt. *Tata* etiam in tribus reperias inscriptionibus antiquis, quas apud Scaligerum vide in Ausonianis lectionibus. lib. I. cap. XXIX.

TAVRVS, ταῦρος, vt agnoscit Varro, IV de L.L. Ταῦρος verò minimè factum ἀπὸ τοῦ τείνειν τὴν οὐρὰν, *ab extendendo caudam*: neque παρὰ τὸ γαίω, τὸ γαυριῶ hoc est, *superbire*: quæ duo etyma ponit Etymologici magni auctor: sed à Chaldæo תור, quod *taurum* seu *bouem* notat. Legas id apud Danielem cap. IV. 22. (25.) & seq. ac cap. V. 21. Similiter autem locuti Phœnices, vnde eam vocem hausere Græci. Docet id nos Plutarchus in Sylla, vbi caussam adferens, vnde Apollo *Thurij* cognomentum acceperit, sic inter alia scribit: Οἱ δὲ φασὶ τὴν Κάδμῳ δεδομένην ὑπὸ τοῦ Πυθίου προηγεμόνα βοῦν, αὐτόθι φανῆναι, καὶ τὸν τόπον ἀπ' αὐτῆς οὕτω προσαγορευθῆναι. Θὼρ γὰρ οἱ Φοίνικες τὴν βοῦν καλοῦσιν. *Alij autem dicunt, vaccam, quam Pythius Cadmo dederat ducem, ibi conspectam, locúmque ab ea appellatum. Vaccam enim Phœnices Thor appellant.* Quin Syros, quique ab his profecti, Mauros, hodiè *bouem*, ita vocare scribit Iul. Scaliger, de causs. L. L. cap. XXVIII. Est autem à Chald. תור. ταῦρος, vti Syri ab eodem fecere תורא. Habet

&

& *taurus* aliquot alias significationes, vt diximus in *Lastaurus*. A ταῦρος est ταύρα, vnde Latinum *taura*. Festus: *Tauras, vaccas steriles appellabant, ait Verrius, quæ non magis pariant, quàm tauri; sed vero similius sit ex Græco dictas, quia Græci vaccas ταύρας appellant.* Vt à *tauris* dicti sint ludi *Taurei*, & *taureum* dicatur æs, quod in eos insumitur, ex Festo discere potes. A ταῦρος quoque est ταυρεία vel ταυρέη, subintellecto δορὰ, hoc est, *pellis*: sed per μετωνυμίαν siue συνεκδοχὴν materiæ pro *scutica* accipitur *è corio bubulo confectâ*. Itaque Hesychius τ̀ Μάγγυνα, (quo Platonem Comicum pro *scuticâ* vsum testatur Pollux, li. x. cap. XIII.) interpretatur ταυρεία. Apud eundem quoque κόρεγγυνα exponitur μάστιξ, ταυρεία, ῥάβδος. Vbi κόρεγγυνα scribendum docet literarum series. E Latinis *taurea* voce sic vsus Iuuenal. Sat VI.

——— Taurea punit

Continuò flexi crimen facinúsque capilli.

Et Tertull. lib ad Martyres cap. v. *Alij inter venatorum taureas patientissimis scapulis inambulauerunt.*

Taxvs quibusdam placet esse à *tago*, non quidem quà id verbum valet *tango*, sed quà notat *reprehendo, culpo*. Est enim arbor venenata. Alij malunt esse à τόξον, quo *arcus* & *sagitta* notatur. Nempe quia è *taxo* fierent. Quod non displiceret, si consuetudo ea auctoritate veterum niteretur. Nonnulli à *taxo toxicum* dici putarunt. Sed hanc sententiam suo loco refellemus.

Tecolithvs, τηκόλιθος, à τήκω, *liquefacio*. & λίθος, *lapis*, quia *liquefacit atque imminuit calculos*. Quippe, vt Necepso ait apud Aëtium, si teratur, & depilatis pudendorum partibus circa vesicam inungatur, τήκει τ̀ λίθον τ̀ ἐν τῇ κύστει; *liquefacit lapidem in vesica*. Plinius, lib. XXXVI. cap. XIX. *Spongiæ lapides inueniuntur in spongijs, & sunt natiui. Quidam eos tecolithos vocant, quoniam vesicæ medentur: calculos rumpunt in vino poti.* Paulus Ægineta, lib. VII. Ὁ δὲ Ἰουδαϊκὸς καλούμενος, ὁ ἐν νεφροῖς λίθους ἐπὶ θρύπτειν, ὅθεν καὶ τηκόλιθον αὐτὸν οἱ προσηγόρευσαν. *At quem Iudaicum lapidem vocant, calculos renum frangit: vnde & tecolithum appellant.* Aëtius auctor est non solùm *Iudaicum*, sed & *Syriacum lapidem* vocari. Caussa vtriusque nominis est, quia nascatur in Iudæa, siue Syria Palæstina. Meminit & Solinus, & alij.

Tego à στέγω, abiecto Σ, quomodo à σφάλλω est *fallo*. Στέγω à חפ, quod est *tegere*. A *tego* est *tegimen*, vt à *rego regimen*, à *specio specimen*. Sed pro *tegimen* κατὰ συγκοπὴν dicimus *tegmen*. Integro vsus Ouidius, III. Metam.

——— tegimen cui fulua leonis

Pellis erat. ———

Et Seneca in Hercule Fur. vers. cIↃcI.

——— Quoniam abijt tegimen meum.

Ita habent vtrobique quædam vetustæ editt. pro quo vulgari codd. *tegmen* expressere. Imò non vno loco apud Maronem in antiquis codd. legitur *tegimen* vel *tegumen*, quod magis quoque antiquitatem sapit. Exempli gratiâ, III. Æn.

Consertum tegimen spinis.

Et VIII Æneid.

Tegimen habet capiti.

Vt primâ sede sit proceleusmaticus; vt alibi in *parietibus* & *ariete*. Primo tamen primæ Eclogæ versu ita scriptum fuisse verisimile non est. A *tegumen* est *tegumentum*; vt à *documen, documentum*; à *monumen, monumentum*. A *tego teges*, vt à *trameo trames*. Gloss. *Teges*, ψίαθος, κάναπος. Fiebat è palustribus scirpis: vt indicat Plinius lib. XVII. cap. XXXVII. A *tego* quoque est *tegula* vt à *rego regula*. Vtrumque abit à quantitate verbi sui. Ouid. VI. Fast.

Stratáque erat trepido tegula quassa solo.

Persius:

Curua subit vel cùm fallit pede tegula vaso.

Hinc *tegularius figulus*, κεραμεύς, κεραμοποιός, vt est in Glossis Cyrilli. Item in Glossis Isidori. *tegularia, vel tegillaria sacrificia, quæ supra tegulas fierent.* & *tegularia* vel *tegillaria venefica*: quia nempe in tigillo, aut testa, sacra facerent. Vt nutrix illa apud Maronem vel alium in Ciri:

At nutrix patulâ componens sulfura testâ &c.

A supino eiusdem verbi est *tectum* siue accipiatur pro *summa ædium parte*, siue pro *veste*: quomodo vsus Titinnius Geminâ:

———— Syrus

Cum fercto institutit ire: clanis illo

Abstrudi iubeo, tecti ne sit copia.

Ita eum locum rectè emendat Carrio. lib. I. antiqu. lect. cap. XI. Lucillius quoque vsurpat apud Nonium in Palla:

Cùm tectum est (quid vis?) satis est: visuri alieni

Sunt homines spiram, pallas, redimicula.

Ita emendat Ianus Guilielm. lib. II. Verisimil. c. v. Ab hâc notione quasi à *tegulum* est ὑποκοριστικῶς *tegillum*, vt à *vella*, quod itidem vestis genus, *vegilla*. *Tegilli* voce vsus Plautus Rud. Act. II. Sc. VII.

Tegillum eccillud mihi vnum arescit, id si vis dabo.

Appuleius, lib. IX. *Nonnulli exiguo tegilto tantùm pubem iniecti.* Erat *tegillum cucullus*, vel *petasus è scirpeis factus*: vestis vilis & plebeia, vt è Festo, ac Nonio constat, qui & Varronem vsum docet. In MS° Festi cod. legitur, *Tegillum cucillum vngulum*. Item: *cucilli vnculum*. Sed rectè meliores libri *cucullunculum*. A *tegendo* quoque dictum *tectorium*, quia eo parietes ac solum loricarent, vt loquitur Varro, lib. I. de re Rust. Græcè κονία & κονίαμα vocatur, vt *tectores*, κονιαταί. Hinc Matth. XXIII. 27. τάφοι κεκονιαμένοι. Et Act. XXIII. 3. τοῖχος κεκονιαμένος. Constabat *tectorium* opere albario, arenato, & marmorato. *Albarium* fiebat ex gypso, aut purâ calce. *Arenatum* dicebatur arena cum calce: *Marmoratum*, arena cum marmore tuso. Plinius, lib. XXXV. *Tectorium, nisi ter arenato & bis marmorato inductum est, non satis splendoris habet.* Inductio tectorij *trullissatio* dicebatur, quia fieret *trullâ*. Plura de his vide apud Vitruuium; & ad eum Philandrum, lib. VII. cap. III. & Budæum in Pand. ad L. quod si seruus, §. 1. Dein rem verso. Huc quoque pertinet *Protectum*, quod idem esse arbitror ac *grundam*, hoc est, partem tecti vltra parietem prominentem, atque ita dici à *protegendo*, hoc est, *tectum proijciendo*. Indicat id Cic. in Top. *Quoniam Publius Scæuola id solum sic ambitus ædium dixerit, quod parietis communis tegendi caussâ tectum proijceretur, ex quo tecto in eius ædes qui protexisset, aqua deflueret, id tibi ius videri.*

Tela, quod & in Actio scripsit Pontanus. & ex eo Erythræus in Indice Virgiliano, priùs fuit *textura*, à *texo*, vt à *tego tegula*, à *rego regula*.

Telamones eiusdem originis sunt ac *atlantes*; nempe παρὰ τὸ τλῆναι, quod est *sufferre*. Nam Ἄτλας per ἀναγραμματισμὸν dicitur quasi τάλας, vt ἄρω quasi ἀέρ, quemadmodum tradit Eustathius. *Telamones* verò Latinis esse eosdem ac Græcis *atlantes*, Ennij auctoritate comprobat Seruius ad I. Æn. Mirum autem Vitruuium caussam huiusce rei ignorâsse. Sic enim scribit, lib. VI. cap X. *Item siqua virili figurâ signa mutulos aut coronas sustinent, nostri telamones appellant, cuius rationes quid ita, aut quare, ex historijs non inueniuntur. Græci verò eos ἄτλαντας vocitant.* Hæc Vitruuius. Sed profectò ratio in mundo est: quandoquidem idem est τλάω ac ταλάω vel τλάω, ac vt à τάλας vel ταλάω est ἄτλας, ita à τλάω est τελαμών.

Tellvs vel est à *terra*, de cuius origine inferiùs dicemus: vel à תבל, hoc est, οἰκουμένη, *orbis, terra habitabilis*: vel à prisca Græcorum voce τλάω pro ταλάω siue τλάω, hoc est, *sustineo*, quia nempe *tellus* omnia sustinet. Vel à *tollo*, quod olim *tello*, vt *benus* dixere pro *bonus*. Nempe quia *tollit*, hoc est fert omnia. Nam *tollo* vel *tolo* olim notabat *fero*: vnde præteritum *tuli*, & verbum *tolero*. Hoc etymon placuit Rabano in libro de originibus: *Tellus*, inquit, *dicta est, quia fructus ex ea tollamus.* Quæ verba ex eo opere etiam Boccacius adducit, lib. I. de genealogia Deorum cap. VIII. A *Tellus* est *Tellumo* Deus. Etiam à *tellus* ex quorundam mente est *meditullium*, quasi *meditellium*. Sed magis placet *tellum* hic esse productionem vocis, vt *torium* in *territorium*, *tolium* in *Capitolium*.

Telvm à τῆλε siue τηλοῦ siue τηλόσε, hoc est, *procul*; vel τηλόθεν, hoc est, *deprocul, è longinquo*. Festus. *Tela propriè dici videntur ea, quæ missilia sunt: ex Græco videlicet eorum nomine, quia illi τηλόθεν missa dicunt, quæ nos eminus.* Seruius ad illud VIII. Æneid.

Desuper Alcides telis premit. ———

Omne, inquit, *quod iaci potest, telum vocatur; dictum ἀπὸ τ̀ τηλόθεν; vnde addidit:*

——— Omniáque arma

Aduocat. ———

Et in illud lib. IX.

——— Telorum effundere contrà

Omne genus Teucri. ———

Ostendit telum vocari omne quod iacitur: Græci τὸ βέλος, ἀπὸ τ̀ βάλλειν: sicut Latini tela ἀπὸ τ̀ τῆλε, id est *longè*. Caius in lege Si caluitur, ff. de verborum significat. *Telum volgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur, sed nunc omne significatur, quod mittitur manu. Ita sequitur, vt & lapis & lignum & ferrum hoc nomine contineatur; dictúmque ab eo, quòd in longinquum mittitur, Græcâ voce figuratum, ἀπὸ τ̀ τηλοῦ. Et hanc significationem inuenire possumus & in Græco nomine; nam quod nos telum appellamus, illi βέλος appellant, eóque nomine volgo quidem id significatur, quod ab arcu mittitur, sed non minus omne significatur, quod mittitur manu, ἀπὸ τ̀ βάλλειν.* Admonet,

monet nos Xenophon; nam ita scribit: Καὶ τὰ βέλη ὁμοῦ ἐφέρετο, λόγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι, πλεῖστοι δ' ἐκ χειρῶν λίθοι. (id est, & tela simul ferebantur, hastæ, sagittæ, fundæ, plurimi item lapides:) *Et id quod ab arcu mittitur, apud Græcos quidem proprio nomine* τόξευμα (id est, *sagitta*) *vocatur, apud nos autem communi nomine telum appellatur.* Hæc Caius, vnde lucem capit quod in legg. XII. Tabb. scriptum est, interdiarium furem impune tum demum occidi, si se *telo* defenderit. Porrò interdum *teli* vox ita latè accipitur, vt etiam tribuatur *ijs, quibus cominus pugnatur.* Maro, IX. Æn.

At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,
Effugies: neque enim is teli vel vulneris auctor.
Sic ait, & sublatum altè consurgit in ensem,
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Diuidit. ———

Quem ad locum sic Seruius: *Telum gladium dixit à longitudine. Vnde & mustella dicitur quasi mus longus.* Et paullo post: *Telum autem pro gladio posuisse illud significat, quod infert paullo post.*

———*Consurgit in ensem.*

Nec soli sic loquuntur poetæ, sed etiam qui prosa scribunt. Quippe similiter locutus auctor Herennianus, lib. I quo loco tale adfert exemplum status coniecturalis: *Aiax in silua, postquam resciuit quæ fecisset per insaniam, gladio incubuit. Vlysses interuenit; occisum conspicatur; è corpore cruentum telum educit.* Quod priùs *gladium* nominat, mox *telum* appellat. Et fortasse *telum* generatim notat, quo quis se *tegit* ac tuetur. Nempe à *tego* fit *tegulum*, inde *telum*, producta priori ad syncopen compensandam. Quomodo a *premo* est *premulum*, inde *prelum*, eadem de caussa porrecta priori. Μονοσύλλαβος quoque *telum* vocatur *morbi genus*, vt indicat his versibus Serenus:

Est & vis morbi, quod telum commemoratur,
Cum subito furor insanus furit icitus telo.

De eodem sic Isidorus, lib. IV. Orig. cap. VI. *Telum lateris dolor est, dictum est autem ita à medicis, quod dolore corpus transuerberet quasi gladius.* Imò & *textoria instrumenta* plurali numero *tela* dixere, si credimus Scaligero: qui ita accipi ait Tibulli lib. II. eleg. I. Legit enim:

———*Et applauso tela sonant latere.*

Vbi *sonat* est in aliis libris, etiam editione illa, quæ Rhegij Lepidi prodiit an. cIↄcccclxxxi. Etiam adfert Seneca ep. XCI. *Quemadmodum tela suspensis ponderibus rectum stamen extendant.* Sed rectum est *extendat*, prout vulgò legitur. Ac in Tibullo quoque *sonat* legendum. Nempe *tela* singulo numero non tantùm signat quod texitur, sed & instrumentum quo texitur. Vt apud Maronem

———*Et licia telæ*
Addere. ———

Pro quo & *tela* in pluratiuo dixere Tibullus & Valerius Flaccus. Etsi *telis*, quo vtuntur à plurali *tela* esse putarit Scaliger.

Temere putabat Perottus esse à *temeto*, quia temulenti multa faciunt temerè sine inconsideratè, & inconsultò. Verùm quid si dicamus venire vel a τολμηρῶς, *audacter*: nempe detrahendo λ, vel, quemadmodum vult ἀθρόως ex ἄθρόος, *munio*, ab ἀμύνω, *mulgeo*, ac vt plerique volunt, ab ἄφατον (quod ab ἀθρόον) est *fatim*, vnde *affatim*: sic ab ἀτημελῶς esse *temerè*? Ἀτημελῶς fuerit *minime grauiter*, sed *leuiter plane & inconsiderate*. Nam θέμερος, teste Hesychio, valet σεμνὸς, εὐσταθής, ἀξιόπιστος. Indéque θεμερῶπις, σεμνὸς, σώφρων. Quia θέμερος notat *graue & venerandum*, videtur esse à θέμα: quia *firmum* possis deducere à θεμέλιον, vnde & θεμέλιον, *fundamentum*. A *temere* est *temero*. Festus: *Temerare, violare sacra, & contaminare, dictum videlicet à temeritate.*

Temno, iuxta Perottum, est à Græco τέμνω, hoc est, *seco, scindo*: quia quod aspernamur, hoc amputamus atque abscindimus. Vel fuerit ab Heb. טמן, *abscondere*, quia quæ contemnimus, ea ferè remouemus atque abscondimus, ne se in nostri vel aliorum crebrò ingerant aspectum.

Temo, ῥυμός, vt Glossæ Cyrilli exponunt: nempe *lignum longum & extensum in aratro vel curru, ad quod iugum ligatur*: prout in Catholico describit Ioannes Genuensis Dicetur ergo quasi *tenno*, à τείνω, quia à iugo ἀποτείνεται, hoc est, *extenditur*. Nisi malis, quod apud Varronem in VI. de L. L. *Temo*, inquit, *dictus à tenendo: is enim continet iugum.*

Tempus ὥραν sinat χρόνον siue ὥραν; hinc accommodatur τοῖς κροτάφοις, quæ vsitatiùs *tempora* dicuntur, vel *timpora* differentiæ causså. Sanè Hercules Ciofanus in illud II. Fast.

Casta sacerdotum tempora fronde regit:

Ait in Vrsini codice & istic & alibi *timpora* eâ notione scribi. Ita autem vocantur, non quia *quasi tempora, quibusdam interuallis mutantur*, quod ait Isidorus, lib. XI. cap. I. Sed quia inde *tempus*, hoc est, *anni siue ætas hominis* cognoscitur. At *tempus* pro χρόνος vel καιρός est à τέμνω, *tamis*. Quamquam & aliqui acutè satis deriuent a τέμνω id est, *seco*, quia etsi materialiter, vt loquuntur, sit res continua, formaliter tamen est discreta, vnde a Philosopho lib IV. φυσ. ἀκρ. definitur ἀριθμὸς κινήσεως motus secundùm prius & posterius hoc est mensuratio seu numeratio ab humano intellectu facta, quo is per se quidem in motu, per accidens verò in quiete, prius posteriúsque momentum considerat. A *tempus* est *tempero*. Nam veteres, vt *pignus pigneris*, ita inflectebant *tempus temperis*. Plautus, Persâ, Act. V. I.

To. *Temperi.* Sa. *Mihi istuc temperi sero est.*

Posteriores E in O mutato dixere *temporis* & *pignoris*. sed E in deriuatis reliquerunt, vt patet ex *tempero* & *pignero*. Putat Paullus Manutius Ciceronem quoque scripsisse ep. st. XVI. lib. IX. earum quæ vulgò *familiares*, rectiùs autem *ad familiares* appellantur; *Memini te mihi Phamea cœnam narrare: temperius fiat, cætera eodem modo.* Additque ex vita Terentij cuius auctor creditur Donatus, colligi posse, eodem modo locutum esse Cornelium Nepotem, Ciceronis æqualem. Sed cùm Cicero *tempore*, non *temperi* dicat, parùm verisimile est ἀρχαϊσμὸν voluisse in vocabulo *temperius*. A *temperis* remansit quoque *tempestas*, quo pro *tempore* sæpè vsi veteres. vt Festus etiam admonet. Idem *tempesta* exponit *tempestiua*. Ita constanter est in MSS[tis]. Ab eodem nox *intempesta* vocatur, quæ est inter vesperuginem & iubar: vt ait Varro lib. V. de L. L. Vbi & adducit versum Attij in Bruto, qui Lucretiam sic loquentem induxerat:

Nocte intempestâ nostram deuenit domum.

Et locutus similiter Ennius in Annal.

——— *Bellum*
Æquis de manibus nox intempesta diremit.

Et Maro, I. G.

——— *Aut intempesta silet nox.*

Ælius, vt ibidem Varro ait, *intempestam dici voluit*, quia nullum tunc est agendi tempus, cùm homines propè omnes, aliáque animantia cubare soleant: vnde & *conticinium* vocari ibidem dicitur. Similiter Seruius in III. Æn. *intempestam* ait dici tanquam inactuosam siue actibus carentem, quibus tempus dignoscitur. Macrobius item, lib. I. Saturn cap. III. *intempestam* ait quasi *intempestiuam*, quia *non habeat idoneum tempus rebus agendis*. Græcis similiter vocatur ἀωρία τῆς νυκτός, & ἄωρος ὥρα, quasi ἀπὸ τῆς ὥρας. Festus tamen: *Intempestam noctem dicimus pro incertiore tempore, quia non tam facile noctis hora quàm diei possunt intelligi.* At *tempestiua* dicta conuiuia, quæ tempori nimis fierent: *intempestiua*, quæ in longum traherentur. Nempe legitima cœnæ hora antiquis fuit sol occasus: Augusti verò æuo nona, & hominibus negotiosis decima. Hanc horam qui præuenirent, *tempestiua* dicebantur conuiuia celebrare; qui verò protraherent in noctem intempestam, *intempestiua*. vt *tempestiua* conuiua nihil aliud sint quàm *diurna*, vti quæ à meridie aut circiter inciperent: *intempestiua* autem, *nocturna*. *Tempestiuum* conuiuium indicat Iuuenalis, cum sat. VIII. ait:

Exul ab octauâ Marius bibit, & fruitur Dis
Iratis.

Item Plautus, Asin. Act. IV. Sc. II.

Cum suo sibi gnato vna ad amicam de die
Potare.

Et Catullus, epigr. XLVIII.

Vos conuiuia lauta sumtuosè
De die facitis.

Vbi *dies* non latiori illâ notione accipitur, (nam & nona hora cum duabus sequentibus quinctam faciunt diei partem:) sed strictè pro *spatio diurno ante nonam*, quod iustis occupationibus debetur. Similitérque Horatius capiendus, cùm ait od I. lib. I.

Est qui nec veteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die
Spernit.

Et od. VII. lib. II.

Cum quo morantem sæpè diem mero
Fregi.

Caue Donatum audias ad illud Adelph. Act. V. I. *Apparare de die conuiuium*: vbi *de die* interpretatur, *repente, neque ante prædictum nec pridie constitutum.* Nam omnino *de die* est idem quod *ante legitimum cœnæ tempus*. Sic autem loquebantur, quia spatium id ante cœnam est melior diei pars: vnde Maro, IX. Æneid.

Nunc adeò melior quoniam pars acta diei,
Quod superest, læti bene gestis corpora rebus
Procurate viri.

Qui locus lucem capit ex illo Paulli in l. Vrbis. §. I. D. de verb. significat. *Cuiusque diei maior pars est horarum septem primarum diei, non supremarum.* Hæc de conuiuijs *tempestiuis*. *In-*

 tempestiuum,

tempestiuum, autem conuiuium intelligit Propertius, lib. IV. El. VI.

> *Sic noctem paterâ, sic ducam carmine, donec*
> *Iniiciat radios in mea vina dies.*

Vtrumque verò comprehenditur illo Suetonij de Nerone: *Epulas à medio die ad mediam noctem protrahebat.* Et illud Cic. de Pisone. *Qui nunquam solem orientem aut occidentem viderit.* Pluribus comprobat Iustus Lipsius comment. ad XIV. Annal. Taciti.

TEMVLENTVS à *temetum*, vt à *vinum vinolentus*. Ab eodem *abstemius*, ἄοιν☉, quasi *absque temeto*: nisi potius ab *abstinendo*, quo de plura separatim diximus. *Temetum*, quòd *tentet mentem*, dictum ait Donatus And. Act. I. Sc. IV. item Nonius Marcellus. Aliis placet per μετάθεσιν dici à μέθυ, id est, *vinum*, vel μέθη *ebrietas*. Sed puto esse ex articulo & μέθυ. Nempe vt *aqua* quasi ἁ χύα, sic *temetum* quasi τὸ μέθυ. Scio & Rabbinis חמר, esse *temetum*. Sed illi hoc, vt alia multa, à Latinis acceperunt. Aliud autem *temetum* ac *vinum*. Nam *temeti* vsu mulieribus fuit interdictum, quibus tamen concessum esset *passum*, quòd inter *vina* reponitur. Nempe *temeto* solum, non quolibet vino iis interdictum erat. Quare significanter apud Nonium Cic. III. de Rep. *Carent temeto omnes mulieres:* *Non vino.* Item Varro, primo de vitâ pop. Rom. *Quantopere abstemias mulieres voluerint esse, vel ex vno exemplo potest videri.* Fateor tamen à quibusdam scribi, ἁπλῶς iis vini vsu fuisse interdictum, vt ab Arnobio, lib. II. *Potionibus abstinent vini? affinibus & propinquis osculari eas ius est, vt sobrias comprobent, atque abstemias esse?* Verùm arbitror vel ἀγνοίᾳ nimis hoc ab Arnobio dictum; vel, qui ita loquuntur, *passum* non reposuisse inter vina. Vide hoc de interdicto Dionysium Halicarnas. lib. II. Valerium lib. VI. c. III. Plinium libro XIV. cap. XIII. Agellium, lib. X. cap. XXIII. Athenæum. lib. X. pag. CCCCXL. edit. Commel. Tertullianum, in Apolog. cap. VI. &, si tanti, nos in Oratoriis, lib. I. cap. de statu finitiuo.

TENDO inserto D fit ab Æolico τένω pro τείνω, quod idem. *Tenno* etiam veteres vsi, quo de vide quæ dicta nobis in *Antenna*. A *tendo* est *tendicula*, quia ad capiendum tenditur. Ab eodem nomen *tendo*, quo Gaza & medici vtuntur. Factum autem ad instar Græci τένων. Nam vt hoc à τείνω, illud à *tendere*. Ratio appellationis, quia eius intentione & contractione huc illuc artus moueamus, prout visum. A supino *tentum* est verbale *tentio*, *nis*, vt est in Glossis: item *tentum* pro *veretro* apud Horatium. Nam *tendendi* vox etiam in obscenis: vnde *tentigo*, ἡ πριαπισμός. Ab eodem supino est *tentorium*, item *tentipellium*, de quo separatim. Inter composita est *intendo*, hoc est, *valde tendo*. Sed ferè ad alia transferunt: vt *intendere alicui actionem*. & *intentio* pro *scopo*. Donatus. Andr. IV. IV. *Intendere verbum à venatoribus translatum, qui retia intendunt ad feras captandas: vel à sagittis atque arcu.*

TENEBRÆ à δνόφεροι quasi *denefra* dictæ videntur Angelo Caninio in Hellenismi Alphabeto. Nempe adspirata conuertitur in mediam, quomodo ab ὀμφαλὸς est *vmbilicus*; à κεφαλή, *ca*... à κύφος, *gibbus*, &c. Vel, quod [illegible], vt à *verto* est *vertebra*, à *salio salebra*; à *lateo latebra*, sic à *teneo* erunt *tenebræ*: non quidem, quòd vmbras *teneant*, quam nominis rationem affert Isidorus, lib. XIII. cap. X. Sed potiùs quòd homines in *tenebris* quasi *teneantur*, nec liberè se commouere audeant, metuentes ne vel impingant vspiam, vel è locis sublimioribus decidant. A *tenebris* dicti sunt *tenebriones*, siue quòd mendaciis & fraudibus suis *tenebras* ob oculos obiiciant, siue (quod malo,) quia *tenebras* sectentur: vnde & *lucifugæ* dicuntur.

TENEO, si audimus Petrum Nunnesium Valentium, erit à τηρέω, *seruo*: nempe *e* in *n* abeunte, vt, à πλήρεις *plenus*; à δῶρον, *donum*. Puto ego eiusdem originis esse ac τείνω, *tendo*. Mouet, quod veteres pro *teneo* dixere *teno*, vnde præteritum *tetini*. Festus: *Tetini pro tenui*. Ita est in MSS[ti] & editis. Nec cur à τείνω *teno* & *teneo* dixerint, obscurum puto. Nam vt *teneamus*, neruos ex *contentione* [illegible] modum & inde *tenor* eâpse nempe de causa, ac ab eodem verbo τόνον dixere. Ponam de *toni*, *tenoris* & *tenendi* verbis egregium locum Cæsaris Scaligeri, lib. de causis. L. L. cap. LIII. *Hos omnes*, inquit, *Græci τόνους vocauere, translatione à fidibus, quarum intentione aut remissione acutior grauiorque redderetur vox. Inde nos Tenores, propterea quod vocem tenere inde auspicamur, scilicet* [illegible] *quod in xx quidam arcanius, in beneficio τοῦ τόνου fieret: & translata fuit significatio ab heluariis & aurigis curribus inhibentibus; item militibus*... *Hoc potes etiam percipere, ex maximè poëtâ Oppiani piscatione quadem*, ... *atque ante eum ex Theocrito, quorum*... *tenentiumque nixu primarij nerui τένοντες, expansi declarantur.*

Hactenus Scaliger. A *tenus* est *tonarium*, fistulæ genus, quo musici tonos temperant. Vt *fistula Gracchi*, quam *tonarium* dici ex Fabio scimus, lib. I. cap. X. Eiusdemque originis *syntonum* & *syntonarius*, de quibus in *Pedicinus* diximus. A *teneo* est *tenax*, vnde *pertinax*: de quo separatim. Hinc & *Tenera* (vt est In MSS[tis]) vel, vt alij, *Tenita*, *sortium Dea, quia sortium tenerent potestatem*: vt ait Festus. A supino *tentum* est *tentare*, hoc est, diu multùmque *tenere*, ac manibus tractare, vt solent aliquid exploraturi. Falli puto, qui à *tendo* deriuant. A *tento* est *tentamentum*, apud Maronem, VIII. Æn. In vett. codd. *tempto* & *temptamentum* legitur cum P. Sed posteriores hæc meritò repudiarunt. A *tento* quoque est *sustentare*, crebrò multùmque sustinere. Item *pertentare*: quæ vox grauior est, quam existimabat Valerius Probus; qui illud Maronis, IV. Æn. reprehendebat:

> *Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.*

Putabat enim *pertentare* tantùm leuem & in summâ quasi cute natantem lætitiam indicare; nec satis exprimere istud Homericum, Ὀδ. ζ. vers. CVI.

> ——— γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ.

Composita à *teneo* sunt longè plurima. Vt *retineo*, vnde *retinacula* funes nauium, quibus illæ alligatæ retinentur ne fluctibus aut vento huc illuc temerè impellantur. Item aliarum rerum. Vt I. G.

> *Atque Amerina parant lentæ retinacula viti.*

Et apud Vitruuium, lib. X. cap. V. *Est enim tignum, quod erigitur, & destinetur retinaculis quadrifariam.*

TENER à *teneo*, quia quod *tenerum* ac molle, id facilè tenetur. Vel à τείνω, quòd τείνεσθαι, hoc est, *extendi* possit. Vel potiùs κατὰ μετάθεσιν factum à τέρην, quod idem notat. Onomast. *Tener*, ἁπαλὸς, τέρην. Est hoc a τείρω, quia quod *tenerum* est, id nullo negotio τείρεται seu *atteritur*. A *tener* dicitur *tenerasco* vel *tenerasco*: illo Lucretius vtitur, hoc Plinius.

TENSÆ pro quo nonnulli *thensæ* scribunt, erant sacri currus, super quos in ludis circensibus Deorum simulachra collocabantur. In vett. Gloss. exponitur θρόνος, & ἅρμα θεῶν. Estque vel ἀπὸ τοῦ θείου, hoc est, à *diuinitate*, vel, quod magis placet, à *tendendo*, quia ante *tensas* lora tenderentur, quæ gaudent tangere qui eas deducunt: vel, quod maximè arridet, quia statuæ Deorum, quæ *tensis* ferebantur, velarentur circumquaque linteis ad cubiculi seu delubri speciem *tensis*. Primum etymon ponit & probat Iulius Scaliger lib. I. de re poëtica cap. XXXII. Idem, ac secundum quoque adfert Ascon. in II. Verr. *Thensa sacra sunt vehicula pompâ ordinum & deliciarum. Thensas alij à diuinitate dici putabant, alij, quod ante ipsas lora tendantur, quæ gaudent manu teneri & tangere, qui eas deducunt.* Vide & Seruium in istud, I. Æn.

> ——— *Hic illius arma,*
> *Hic currus fuit.* ———

Et quæ ex Sinnio Capitone refert Festus in *tensa*. Item Onuphrium Panuinum, lib. II. de ludis Circens. cap. II. Bulengerum. lib. de circo cap. XXXVIII. & Andream Scottum, Nod. Cic. lib. IV. cap. V.

TENTIPELLIVM (pro quo in quibusdam MSS[tis] Festi codd. perperam *tentipallium* per *a* legitur) à *tendenda pelle* nomen habet. Verùm non conuenit inter Verrium & Festum, num *pedis* nomine intelligi debeat *humana* an *bubula*. *Bubulam* intelligit Festus, quippe qui velit esse calciamentum ferratum, quo pelles extenduntur. Vbi per *pelles* manifestè *calceos* signat, quomodo & Ouidius dixit, lib Am.

> *Nec vagus in laxâ pes tibi pelle natet.*

Et Hieronymus ad Eustach. *Omnis his cura de vestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non folleat.* Quos locos eo lubentius attuli, quia hinc obiter colligere est, Hieronymo à *folle* dici pedem *follere* pro *natare*; quomodo præter Ouid. locutus Sidonius lib. VIII. epist. IX. *Laxo pes natat altus in cothurno.* Et hæc de Festi opinione. Verrius verò intellexit *pellem humanam*: vt qui dicat esse medicamentum quo rugæ extenduntur. Et sane Verrij opinionem confirmat, cùm hic Titinnij locus, quem Verrius adducebat.

> ——— *Tentipellium*
> *Inducitur, rugæ in ore extenduntur tuæ.*

Tum ridem quod in vett. Gloss. legitur. *Tentipellium*, [illegible] ὁ [illegible]. [illegible] vocant id medicamentum Græci quia χρῶτα τείνει, *cutem extendit*. Dioscorides, lib. III. cap. CII. dicit ichthyocollam ἀφ᾽ ὧν [illegible] τοῦ προσώπου. Idem docet Plinius lib. XXXII. cap. VII. *Ichthyocolla*, inquit, *appellatur piscis, cui glutinosum est corium, idemque nomen glutini eius.* Et mox: *Madescere autem debet concisa in aquâ aut aceto nocte ac die: mox tundi marinis lapidibus, vt faciliùs liquescat.*

quescat. Stilem eam in capitis doloribus affirmant & tetanothrum. Feminæ, quæ *tetanothris* vterentur, est Scaligeri sententia à stringenda cute dictæ sunt *strictipedæ*. si vera lectio codicum quorundam Varronianorum lib. vi. de L.L. Nam in aliis est *strutabilæ*, quod non in posthumis tantùm ad Varronem notis, sed Aduersarijs quoque lib. xxiii. cap. xviii. mirifice tuetur ac ἐτυμολογεῖ Turnebus. Nam a *stringo* ait esse *strictio*, ab eo, inquit, *strictillo*, quâ ratione a *conscristo* est *conscriptillo*: a *strictillo* autem fit *strictiuillo*, vnde feminæ *strictibillæ*, quæ terram tantùm stringerent, & extremo ped s quasi raderent, non ponentes planum vestigium: quâ nempe ratione & *atta* ab *attingendo* sunt vocati qui, vt Festus definit, *propter vitium crurum aut pedum plantis insistunt, & attingunt magis terram quam ambulant.*

Tenuis placet Perotto esse à *teneo*, quia tenuia ac exigua facile teneantur. Sed est a τείνω, quod est *tendere*. Vt propriè sit idem quod τεταμένος, *extentus*, *exporrectus*. Nam quæ extenduntur, ea attenuantur: vt liquet in pannis, laminis, atque aliis.

Tenus, à τέλος, hoc est, *finis*. Nam quid aliud *hactenus*, quàm, *hunc vsque*, siue, *hic finis est*? L & N subinde commutatur, vt λύμφαι, νύμφαι. Iuuant & Glossæ in quibus est *Tenus*, μέχρι, μέχρις. Quia verò *tenus* finem notat, eo fortasse (vt Seruius tradit ad vi. Æn.) etiam *tenus* dixere partes arcus extremas, siue duo extrema arcus cornua, vbi arcus sedet. Nisi hâc notione non tam à τέλος esse placet, quàm à τείνω, hoc est, *tendo*. Hæc cornua κορώνας appellant Græci. At Latinis *tenus* vocari, vt diximus ex Plauto probari idem Seruius addit. Perspexit autem illud Bacch. Act. v. Sc. vi.

Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit,
Pendebit hodie pulchrè, ita intendi tenus.

Atque hinc putat idem esse *hactenus*; quod si est, eiusdem quoque originis erit *protenus* & *quatenus*. De *protenus* plura diximus separatim.

Tepeo vel à τύφω, *fumigo* quia humida foco admota, cum tepescunt, vaporem ac fumum emittunt: vel a τέφρα, *cinis* qui igne extincto tepere solet; τέφρα verò vnde sit, in *Tephria* dicemus. Vel fuerit *tepeo* ab Arabico דפא, *calidus*.

Tephria marmoris genus coloris cinerecei Plinio lib xxxvi. cap viii. *tephritis* gemma eiusdem coloris, Plinio, lib. xxxvii. cap. x. Vtrumque à τέφρα, id est, *cinis*. Hoc ab Hebræo אפר, quod idem significat. *T* præmissum, quomodo ab ארץ siue ἔρα est Latinum *tera*, prout in Augurum libris scribitur pro *terra*.

Terebinthus, τερέβινθος. Num ab ἐρέβινθος, hoc est, *cicer*? Ita coniectat Lobelius. Nempe quia baccæ seu acini eius quodammodo ciceri videantur similes. Sed magis placet sententia Martinij arcessentis ab Arabibus, quibus & صرو *sirwon*, & بطم *butmon*, notat, *therebinthum*.

Terebro est à *tero*, vt apud Græcos τερέω à τείρω, quorum illud *terebro*, hoc *tero* significat. Sanè à τερέω est τέρετρον, vt Latinè à *tero terebrum*. Possit aliquis putare *terebrum* esse à τέρετρον, τ in β conuerso. Sed nihil mutatione eiusmodi opus. Nam vt à *lateo latebra*, à *dolo dolabra*, sic à *tero terebrum*.

Teredo à τερηδών. Solent enim Latini N omittere in huiusmodi. Ita Πλάτων est *Plato*, Ξένων, *Xeno*. ac contra N in Latinis addunt, vt *Cato*, Κάτων, *Cicero*, Κικέρων. Τερηδὼν vocatur à τερεῖν, id est, *perforare*. Est enim (vt Suidas describit) σκώληξ ξυλοφάγος, ὁ ἐν τῷ ξύλῳ, *vermis lignum rodens, inque eo habitans*. Propriè de iis vermibus dicitur, qui in mari ligna terebrant: vnde Theophrastus, lib. v. Hist. Plant. cap. v. ὁ γίνεται τερηδὼν ἀπ' ἢ ἐν τῇ θαλάττῃ. Plinius, lib xvi. cap. xli. *Teredines tantùm in mari sentiuntur: nec aliam putant teredinem propriè dici. Terrestres, tineas vocant: culicibus verò similes thripas.* Interdum tamen generatim de *terrestribus* quoque vsurpatur, quomodo vsus Plutarchus, Sympos. ii. probl iii. quo disputat, ouumne priùs fuerit an gallina; item Vitruuius lib. v. cap. xii. imò Plinius ipse *vestium vermes* sic appellat lib. viii. cap. xlviii vbi de prætextis Seruij Tullij inquit: *Mirúmque fuit, nec defluxisse eas, nec teredinum iniurias sensisse annis quingentis sexaginta.*

Teres dicitur, quod in *oblongo* est *rotundum*. Festus: *Teres in longitudine rotundatum, quales asseres natura ministrat.* Sic teretes digitos, cupressos, ramos, similiáque legimus. H. Stephanus censebat *teres* παρὰ τὸ ἀτειρὲς factum esse ex κυλινδρωτὸς. atque idem Petro Nunnesio visum. Sanè *teres* idem est ac κυλινδρικὸς, vt σφαιροειδὴς idem ac *rotundus*. Itaque vt Horat. in Satiris, & Ausonius carmine de viro bono ait, *teres atque rotundus*: ita hæc Parmenides de Deo suo ait:

Σφαίρης κυκλοτερής, ἐν ἴσῳ μεσσόθεν ἰσοπαλής

Sed non icciico κυλινδρικὸς esse censeam: verùm deducam a *tero*, vt *teretes* propriè dicantur quæ *torno trita & rotundata*. Quomodo Maro ait ii Georg.

Hinc radios triuere rotis. ———

Hoc est, torno teretes reddidere. Possit & à τορὸς esse *teres*. Sanè Hesychius exponit ὀξὺς, καὶ ἀκριβής. Atque ita Plato in Thææteto dixit, ὀξέως καὶ τορῶς διακονεῖν, *exactâ & accuratâ diligentiâ ministrare*. Sed potiùs à *terendo* esse censeo.

Tergo Scaligero in Coniectaneis placet esse à *tero*: credo, quia tergendo quid atteritur. Sed censeo potiùs, *tergere*, & *tersus*, esse à τέρσω Æolico pro τέρσω, quod significat ξηραίνειν siue *siccare*. Sanè cùm Plautus duo hæc, *lauantur*, *terguntur*, coniungit: quid *terguntur* est aliud quàm siccantur? Et *tersi dies*, qui non pluuij, sic sicci & sereni. Festus: *Tersum diem pro sereno dictum ab antiquis Verrius ait.*

Tergum ac *tergus*, differunt. Illo *dorsum* significatur: hoc *tota pellis*, præcipuè ferarum, atque etiam bouis. Sed discrimen hoc non est perpetuum. Nam in illo i Æn.

Taurino quantum possent circumdare tergo:

satis liquet, *tergum* pro *tergore*, hoc est, *corio*, dixisse. Itaque in Glossis vett. legas: *Tergus*, νῶτος, δορά. *Tergus* à *tegendo*. Varro, iv. de L.L. *Tergus suis ab eo, quod eo tegitur.* Propius ad ἐτυμολογίαν accedit *tegus* vox, si *tegus* pro *tergus* legamus cum Turnebo, lib. xxii. cap. vi. Sanè est in Glossario Cyrilli, ὀπισθομέρια χοίρου, *tegus*. ὀπισθομέρια, *tegus*. Et in Gloss. Isid. *Tegora, tegus, coria, vel posteriora iumentorum.* Imò idem Turnebus Plautum eo putat vsum Capt. act. iv. sc. iii.

Di immortales iam vt ego collos prætruncabo tegoribus.

Mihi quoque, metri causâ, placet *tegoribus*; quo & sequenti vtitur scenâ, quemadmodum & assentio pro *collos* legenti *callos*: quomodo dicimus *callum aprugnum*. Immeritò hanc lectionem reiicit Lambinus, quem vide, si tanti videatur. Sed vt à *tegendo tegus* dixerint: *tergus* tamen videtur aliunde dici. Non quidem à *tergendo*, quia pars ea, vt *tergeatur* alienis nobis oculis ac manibus opus est: sed ab Æolico τέρφος pro στέρφος, quod Ionicum, & idem est ac βύρσα, δέρμα, vt docet Nicandri Scholiastes. A *tergo* est *terginum*, lorum ex crudo corio factum. Gloss Phil. *Terginum*, ὠμοβύρσινον. Vnde videtur sic dici, quia factum sit vt eo *tergum* cædatur. Plautus Pseud. Act. i. Sc. ii.

Nunquam edepol vestrum durius tergum erit, quàm terginum hoc meum.

Lucillius:

Solus dum saluo tergo & tergino licet.

Hoc est, dum *lorum*, & *tergi* cutis perferret. Nam vt *terginum*, ita & *tergum* atteritur. Verisimilius tamen est sic dici non à *tergo*, quod eo cæditur, sed à *tergore*, vnde fit A *tergo* est *tergiuersari*; quod propriè est *tergum obuertere*: vnde in Glossis aptè exponitur ὑποστρέφειν. Valla, lib. vi. cap. l. *Qui, vertentes terga, adhuc tamen pugnant, nec rationibus volunt se victos agnoscere, tergiuersantur.*

Termes a Festo definitur *ramus direptus* (siue vt in MSS[ti] legitur, *defectus*) *ex arbore, nec foliis repletus: nec nimis* (al. *minus*.) *glaber*. Vsus Horat in Epod.

Germinat & nunquam fallentis termes oliuæ.

Quem in locum monet vetus interpres, *termitem* dici caulem seu thyrsum, seu ramum oleæ. Quod ipsum in Philoxeni Glossis legitur. Dicitur *termes* à Græco τέρμις, hoc est, τέρμα, *terminus*. Cuius caussa est, quod in diuisione agrorum, priusquam metæ ponerentur, *termes* figi soleat. Becmanus tamen mauult deducere ab Hebræo תמר, id est, *palma*, idque quia *termes* propriè non *oliuæ ramus* sit, quod ait Porphyrio: sed *palmæ*, quod indicat hic Agellij locus, lib. ii. cap. xxvi. *Spadica enim Dorici vocant auulsum è palmâ termitem cum fructu.* At longè aliud est *tarmes*, nempe *vermiculi genus, exedens carnem*, vt scribit Festus, siue *ligna rodens*, vt idem sit ac θρίψ, pro qua sententia facit illud Vitruuij, lib. ii. cap. ix. *Sed ea* (de abiete sermo est) *quòd habet in se plus caloris, procreat & alit termitem, ab eo vitiatur.* Ac putabat Ios. Scaliger, similiter vsum Plautum, Mostell. act. iii. sc ii.

Ambo postes ab infimo tarmes secat:

vt nempe sermo sit de postibus vermiculatis, ac *tarmes* dicatur postes secare, quomodo Lucillius dixit,

——— *tinea omnia caedunt.*

In vulgatis Plauti codd. pro *tarmes* legitur *trames*.

Terminus à Græco τέρμων, τέρμονος. Dixere & *termo*: quo Ennium Græcâ consuetudine bis vsum esse docet Festus. Vt autem *termo* à τέρμων, ita *terminus* est à τέρμονος. Multa enim formant Latini ab obliquis Græcorum, vt diximus in *Lac*, & alibi. Varro lib. iv. de L.L. à *terendo* deriuat, quòd hæ

agrorum partes maximè teruntur. Sed idem à Græcis τέρμα dici agnoscit. Quare liquet ab eo, vt alibi passim, sic hic quoque inuidiâ magis peccari, quàm inscitia. Cæcis nationibus & *terminorum Deus* erat: qui & ipse dictus *Terminus*: ac sub figura *termini*, hoc est, *rudis & informis lapidis*, colebatur. vt est apud Lactant. lib. I. de falsa relig. cap. XX. *Terminalia* à *Deo Termino* dicta. Ea fiebant vigesimo tertio die Februarij, quo nempe ita *annum* quoque *terminare* viderentur. Nam Februarius vltimus anni mēsis. ac cùm intercalaretur, quinque dies de XXVIII. Februarij diebus demebantur, vt remanerent XXIII. Varro: *Terminalia, quod is dies anni extremus constitutus. Duodecimus enim fuit mensis Februarius, & cum intercalatur, inferiores quinque dies demuntur mense.* Non semper tamen *Terminalia* hunc in diem incidebant. Quippe cùm mensis Mercedonius tantùm esset dierum XXII. tum *Terminalia* erant Kal. iusti Februarij. Vide hac de re Iosephum Scalig. lib. II. de Emendat. Temp. A *terminus* dicitur *anterminus* & *conterminus*. *Antermini* Festo teste dicuntur, *qui circa terminos prouinciæ manent*. Quem ad locum docet Scaliger. *anterminos* dictos qui non in agro erant Romano, sed in vicinia. Atque addit eosdem & *antermines* dictos. vnde Cato in Originibus apud Macrobium. lib. I. Saturn. cap. XIV. *Oratorum anterminum*. Falsus Macrobius, qui diuisim *an terminum* legit. Vt à *terminus* est *anterminus*, sic à *termen* dicti *antermines*. *Termen* autem pro *terminus* veteres dixisse, testatur Varro, quarto de L. L. A *termino* quoque *exterminare*, quod est è terminis finibusque profligare: vt *eliminare*, extra limen ac fores proferre.

TERO, à τείρω, quod est *perforo*. Latini enim sua verba formare solent à circumflexis, vt ἀρόω, ἀρῶ, *aro*; σιὼ, σῶ, *sic*; δόω, δῶ, *do*, &c. A *terendo* boues ἀροτῆρας nonnullis videntur *triones* vocati quasi *teriones*: qua de re dictum in *Septentriones*. A *terendo* quoque *teres* dici videtur, quia *terendo* fiat tale. Vide *Teres*. Ab eodem est *turunda*, E in *V* conuerso: de quo itidem separatim. Item *termentum*, quasi *terimentum*. Nam, Festo teste, idem est, quod *detrimentum*. Plautus Bacch. IV. IX.

Non Pelides termento fuit, prout ego herum expugnabo meum.

Simile est *termentarium* pro *terimentarium*. Varro, lib. IV. de L. L. *Hinc linteum, quod teritur corpore, termentarium*. A *tritum* verò tum *tritura*, vnde *triturare*, sequioris seculi vox: tum *tribulum*. vnde *tribulare*, pro *affligere*, apud Ecclesiasticos scriptores. De *tritura* & *tribulo* sic ibidem subiicit Varro: *Hinc in messe tritura, quod tum frumentum teritur, & tribulum, quo teritur.* Sed de *Tribulum*, & *Tribulo*, plura separatim. Ab eodem κατ' ἐξοχὴν dictum *triticum*. Idem Varro copse libro: *Triticum, quod tritum est spicis*. Siue vt Scaliger mauult, *è spicis*. Isidorus, lib. XVII. cap. III. *Triticum vel à tritura dictum, quod purissimum horreo condatur, vel quia granum eius commolitur & teritur.* Est à *tritu tritare*, pro quo dixere *stritare*, vt *stritauus*, pro *tritauus*. *Stritat* (vt Varro ait in VI. de L. L.) *qui agrè sistit, vt atta*: qui & *stritabilla* apud eundem ex veteri poeta. Nempe à *stritando*. Ab *interendo* est *intrita* seu *intritum*. Vtrumque enim in vett. libb. inuenitur. Apud Athenæum legas ἔντριτον ἀπὸ τοῦ σκορόδου. Non tamen hinc *intritum* venit: sed origine est Latinâ. Terent. Phorm. Act. II. Sc. II.

Tute hoc intristi, tibi omne est exedundum.

Vbi sic Donatus: *Παροιμία apta parasito, quæ de cibo est. Hoc autem inter rusticos de alliato mortario dici solet. Et bene intristi. propriè enim intrita dicitur huiusmodi cibus.* Appul. lib. II. Met. *Insuper fluctus libant intritum lacte confectum*. Idem & *intertrimentum* vocat X. Met. *Alter coquus, qui sapidissimus intrimentis succum pulmenta condita vapore mollibat.* Apud eundem & *protrimentum* à *proterendo*, legas lib. VIII. *Femúrque eius ad similitudinem perdicis detractum, & accuratiùs in protrimentis sapidissimè coctum, appone domino, ceruini vice.* *Detrimentum* & *intertrimentum* cur sic dicantur, docet his verbis Varro, IV. de L. L. *Detrimentum à detritu, quod ea quæ trita, minoris pretii. Ab eodem intertrimentum, ab eo, quòd duo, quæ inter se trita & deminuta.* De iisdem vocibus ita Asconius: *Detrimentum vel vnius partis dici potest: intertrimentum non ad vnius partis spectat, sed dantis & accipientis.* Cornelius Fronto quoque *detrimentum* explicat *vsu tritum*. Ac propriè est ipsa actio deterentis, vt *iactura* actio iacientis, éstque hæc ratio, cur plurimum dicamus *facere detrimentum*, aut *iacturam*. Plurimum dico, quia *pati iacturam* dixisse scio purissimum castissimúmque scriptorem Columellam: *Intertrimentum* est cùm aliquid *interitur*, id est, *detrahitur*. In Glossis veteribus legas, *Intertrimentum. ἀπουσία.* Ita ἀπουσίας voce Græci vtuntur, imò & *apusiam* sic legas in Querolo, quæ Plauti inscribitur. A *terendo* quoque est *acterius*, Prisciano teste in XV. Nempe quia illa sunt deteriora, quæ magis detrita. Eadémque sententia Cæs. Scaligeri, de caussis L. L. cap. CI. A *deter*, vel *detero*, *porca deteria*. Festus: *Deteria porca, id est, macilenta.* Ab *intertero* quoque est *intertrigo*. Sed de hoc separatim egimus. Quem in locum quoque ea de *Intertrimento* voce reiicimus, quæ nunc omisimus. A *reterendo* dicta *retrimenta*. Varro Prometheo: *Retrimenta cibi, quæ exirant per posticum enallefecerunt.* Vbi *enallefacere* est *eiicere*, vt ostendimus in *Vallus*. Gloss. Græco-Lat. Ἀπόμαγμα *retrimentum*. Eadem ἀπομάγμα, *retrimentum*.

TERRAM Varro, lib. IV. de L. L. ita dictam ait, quòd *pedibus teratur*: suámque sententiam eo confirmat, quod in Augurum libb. *terra* scribatur vnico *R*. Alij à *terendo* quidem dici agnoscunt, sed caussam adferunt aliam: nempe non tam quòd *teratur*, quàm quòd ipsa perenni excursu *cætera terat elementa*: vt ait Cælius Calcagninus libello de perenni motu terræ. Mihi neutrum placet. Sed nec placet, quod Scaliger tradit in Coniectaneis, *terram* esse à Δηώ, quod Hesychio teste, contractum ex Δάειρα, & ponit quandoque pro *Proserpina*. Nimis sanè hoc longè petitum. Nec enim *Proserpina* est *terra*, sed *Ops* siue *Rhea* mater. Nec *Proserpina* in nascentia è *terra*, sed *Ceres* imperium exercet: ipsa verò inferis præsidet. Quare potiùs puto esse ab τέρσω, hoc est, ξηραίνω, *sicco*. Quomodo Hesychius Æolicum τέρσεται exponit ξηραίνεται ὑπὸ ἡλίου. Nempe à *siccitate* id *terra* nomen datum ob eam caussam, ob quam, vt initio Geneseos legimus, Deus ipse יבשה, hoc est, *arida*, imposuit. Vel fuerit *terra* ab ἔρα, quomodo Græcis vocatur. Vnde fortasse *erebus*, ἔρεβος, quia *subterraneus*. Nisi hoc malis esse ab ἐρέφω *tego*: vel ab Hebræo ערב, *tenebra*, *vesper*. à ערב, *obtenebrari*, *vesperascere*. Vnde & νὺξ poëtis ἐρεβεννὴ appellatur. Ac *Arabes* quoque indè nomen accepere, quasi dicas ἑσπερίους. vt ad Festum Scaliger notauit in *Erebus*. Ridiculè Vguitio, & ex eo Bocacius, lib I. de genealogia cap. XIV. vbi ait *herebum* dici, quia *herrat illi quem capit*. Ab ἔρα quoque est Ἔραζε, quæ ἐπιρρηματικῶς Ἔραζε dicitur Homero Il. I. vbi breuis Scholiastes ἐπὶ τῆν γῆν ἐκχυθέντα. ἔρα γὰρ ἡ γῆ ... autem ab Hebræo ארע, quod idem. Ab Hebræo hoc etiam est Germanicum *erd*. Etiam *mmera* dici putatur, à מן id est, *de*, & ארע, quasi *de terra*. Ab ἔρα est *tera*, vt ab αἰὼ, *taceo*. A *terra* est *territorium*: quâ de voce separatim pluribus agemus. Vtrùm verò *tellus* quoque indè, suo loco videmus.

TERREO Perotto placet dici, quasi *in terram prosterno* Sed *terreo* aliud est. Aliqui deducunt à τρέω, quod est *timeo*. Sed qui *terret* alius est ab eo, qui *timet*. Hic enim perterrefit. Alij à τέρας hoc est, *monstrum*, quia hominem ea *terrent*. Ita Scaliger, exercit. CCCXII. Sed multa sanè sunt præter monstra, quæ *terrent*. Quare simplicius puto cum Nunnesio deducas à ταράσσω. quod est *turbo*, *terreo*, *pauore subito consterno*: ταραχθεὶς, *exterritus*, *metu perculsus*. A *terreo* est *toruus*, quasi *teruus*, à quo *proteruus*. Nisi hoc à *proterrendo*, quia *proterat* cuncta. Vtrobique *v* consonum inseritur: vt ab ὕλη, *sylua*. Ab *exterreo* est *exterricineus*, qui Græcis ἐκτρωματίας, qualem Eurysthea fuisse prædicant poëtæ. Festus: *Exterricineus dictus, qui ante tempus natus, vel potiùs eiectus est. Deus autem exterricineus, quòd eum mater exterrita aluo eiecit.*

TERRITORIVM dixere, *intra quos fines iuris dicendi ius esset*: prout lib. de agrorum conditionibus definit Siculus Flaccus, iuxta emendationem Barnabæ Brissonij. Nam in vulgatis vox *iuris* omittitur. Consentit Frontinus, qui in lib. de agrorum qualitate, ait, *territorium* esse, *quicquid ad coloniæ municipiive priuilegium pertinet*. Ita Pomponius, cui definitur, *vniuersitas agrorum intra fines cuiusque ciuitatis*: D. lib. L. tit. XVI. l. CCXXXIX. Ibidem hanc nominis caussam adfert, *quòd magistratus ibi ius terrendi habeat*. Ab eâdem voce sed caussâ aliâ deriuat Siculus Flaccus, cùm scribit: *Ab his populis, qui sedes in aliquâ regione constituerant, eorúmque agros occupauerant, præmensum quod vniuersis suffecturum videbatur solum, territis fugatísque indè ciuibus, territoria dixere.* Sed aliter Varro, lib. IV. de L. L. *Ab eo*, inquit, *coloniis locus communis, qui prope opidum relinquitur, Territorium, quod maximè teritur.* Dixerat antè Varro *terram* itidem, iuxta Ælium Stilonem, à *terendo* dici, quia *teratur pedibus*: atque indè esse, quòd in augurum libb. *tera* scribatur, vnico R. Aliam quoque originationem addamus è Seruio, qui ad illud V. Æn.

——— *Vrbem designat aratro*:

hunc in modum scribit: *Quem Cato dicit in Originalibus morem fuisse. Conditores enim ciuitates, taurum in dextrâ vaccam in sinistrâ iungebant: & cincti ritu Sabino, id est, toga parte caput velati, parte succincti tenebant stiuam obliquam, vt glebæ omnes intrinsecus caderent. Et ita sulco ducto loca assignabant*

muro

murorum, aratrum suspendentes circa loca portarum. Vnde & territorium dictum quasi tritorium, tritum bubus & aratro. Sic locum hunc lego, nisi quod ambigam num Seruius siue Cato scripserit senseritque dici *territorium* quasi *teritorium* siue *tritorium*, (ea vox est in Seruio P. Danielis,) quia nempe *bubus & aratro teratur*: an potiùs vera lectio sit, *teribonium*, quomodo in G. Fabricij Seruio editum est, vt sit à *tero* & *boue*, quia *tritum bubus*. Denique ab his omnibus dissentit Isidorus, qui lib. XIV. extremo cap. V. sic ait: *Territorium vocatum, quasi territorium, tritum bobus & aratro.* Ita hunc locum edidit Vulcanius. Alij legunt *tauriterium*, vel *teritaurium*: vt à *terendo* sit & *tauris*. Frontinus ineptè *territorium* ait dici, *quod hostis terrendi causâ constitutum esset.* Salmasius censet *territorium* vocem esse conflatam ex *terra*, & *torus*, siue *torris*, quo significatur *limes* siue *terminus*. Fragmentum de Limitibus: *Limitem torrem, hoc est, torum, sine dubio inuenies.* Vide eum Notis in Trebellij Pollionis XXX. Tyrannos, pag. CCCXV. Post tot aliorum opiniones addamus & nostram. Quid si dicamus *territorium* esse deriuatum à *terrâ*, ac tres postremas syllabas esse vocis productionem, haut secus ac *tolium* productio tantummodo est in *Capitolium*, quod sic dictum, quia *caput* esset *montium & vrbis*? Nam quod Arnobius, lib. VI. nomen accepisse ait à *capite* cuiusdam *Toli* in eo inuento, id est ad gentis nobilitatem confictum. Sanè non tanti hoc, vt integrum de eo caput contexeret Theodorus Canterus in Variis suis. Nec magis audiendos puto, qui *Capitolium* dici putant quasi *Capipolium*, quia esset caput πόλεως, id est, *ciuitatis*. Vide quæ hâc de voce diximus in *Caput*.

TERVNCIVS à *tribus vncijs*. Erat nummulus argenteus, eiusdem pretij ac *quadrans*, quomodo vocatur *quarta pars assis*: sed hic æreus. Ergo habet se *teruncius* ad semissem, vt quadrans ad sembellam, hoc est, dimidiam libellam: item ad as, vt quadrans ad libellam. Nam materiâ, non pretio differunt. Varro, IV. de L.L. *Teruncius à tribus vncijs, sembella quod valet dimidium, & est quarta pars, sic vt quadrans assis.*

TESQVA *loca* sunt *augurio designata*, iuxta Verrium: vel *loca consecrata ad augurandum*, vt Opilius Aurelius tradidit, teste Festo. Eius verba legi debent, non vt coniectabat Scaliger in Varronem & Festum, sed vt leguntur in schedis Farnesianis: quas Scaliger nondum viderat. Gloss. Phil. *Tesqua*, τραχεῖς τόποι, καὶ ἱερὰ καὶ ἔρημοι τόποι. Nomen ijs à *tueor*, hoc est, *curo*, quasi *tuesca*. Varro, lib. VI. de L.L. *Quod ibi mysteria fiunt, ac tuentur, tuesca dicta, postea tesca.* Scaligero placet *tesqua* esse ex δάσκια, quæ ita dicta, quasi δασύσκια, *densam seu spissam vmbram facientia*.

TESSERA ex τέσσαρα, hoc est, *quatuor*. Nam Ionicè τέσσερες dicitur pro τέσσαρες. Ita vocatur, non quia *quatuor latera habet*, (sunt enim *sex*;) sed à *radice constitutionis*, vt Mathematici loquuntur. Est enim *vndique quadrata*. De *tessera hospitali*, & quid sit *tesseram confringere*, omnibus notum arbitror. A *tessera* est *tesserarius*. Glossæ: Γραμματεὺς, *scriba, tesserarius*. Signat eum qui militibus tribuit *tesseras*. Habes & apud Plutarchum. Diminutiuum *tessera* est *tessella*, vnde opus *tessellatum*.

TESTA, *fictile coctum*, à *torrendo*, quasi *tosta* dicitur, quia sole, vel igni induratur: vt & Papias tradidit & Perottus. Hinc dictum *testuatium*, de quo sic Varro, IV. de L.L. *Testuatium quod in testâ caldâ (al. testu caldo) coquebatur, vt etiam nunc Matralibus id faciunt matronæ.* Similiter sic dictus *testaceus* panis, quia coqueretur sub *arco testu*: vt inquit Plinius, lib. XXXII. cap. VII. Cato: *In foco calido sub testu coquito leniter.* Plinius quoque, lib. XVIII. cap. XI. scribit ex M. Atteij Capitonis sententiâ, antiquiores, cùm non alios pistores haberent, quàm qui far pinserent, *testu panem lautioribus coquere solitos.* Sic Plinij locum corrigit Fuluius Vrsinus appendice de Triclinio. In vulgatis vitiosè *tostum panem* editum est. Turnebus tribus literis reiectis legit, *tum panem*.

TESTIS mirificè τετραλεχίζει Isidorus, lib. XVIII. cap. XV. Nam putat *testes* priùs dictos *superstites*, quia statuantur, vt decernant *super statu* caussæ: sed postea voce decurtata *testes* vocatos. Papiæ quoque *testis* dicitur quasi *tuens statum*. Nec multò meliùs doctissimus Iouianus Pontanus in Actio, fol. CXXXIX. edit. Ald. vbi *testis* scribit dici quasi *tertium sto*, vel *à te sisto*, quia & *testes* olim *sistebant* in iudicio. Verùm non dubitandum, quin (quod ad Phallica scripsit Scaliger) veniat à ἴστωρ, quomodo antiquâ Græcorum linguâ dicitur ὁ μάρτυς, nempe à ἴδω, quia dicebant μάρτυρας ἴδω, & ἐπιίδω, vt apud Hesiodum Ἔργ.

Καί τε μαρτυρίην χαλάσας ἐπὶ μάρτυρας ἴδω.

Testes verò δίδυμοι (quos eleganter *pares* vocat Plinius,) ita dixere, quia *testes* sunt ἀρρενότητος. A *testis* est *testor*, item *testitor*, ac similiter à *testiculus testiculor*. Festus: *Testiculari est immentis maribus feminas, vel mares feminis, admittere*; licet alij *dicant testilari*. Ita est quoque in MSS[is]. A *testor* est *testamen*, vnde *testamentum*; vt à *moneo*, *monumen*, vnde *monumentum*; à *doceo*, *documen*, vnde *documentum*; à *moueo mouimen* & per syncopen *momen*, vnde *momentum*. Atque ratio in *iuramentum, sacramentum, hostimentum, condimentum*, & similibus, in quibus semper MENTVM est vocis productio. Quare meritò Agellius, lib. VI. cap. XII. Seruium Sulpitium Iureconsultum reprehendit, quòd *testamentum* compositum dixerit à *mentis contestatione*. *Quid*, inquit Agellius, *calceamentum, quid paludamentum, quid pauimentum, quid vestimentum, quid alia mille per huiuscemodi formam producta? etiamne ista omnia composita dicemus?* Sulpitium tamen secutus imperator Iustinianus in pr. Instit. de Testam. ordin. Itaque & is eo nomine reprehenditur à Valla lib. VI. Eleg. cap. XXXVI. Sudant præstantes quidam Iurisconsulti in tuendo Iustiniano, ac in summa aiunt, Gellium & Vallensem vera quidem dicere in Grammaticorum, sed non in Iurisconsultorum scholis: illos verba spectare, hos res, eóque & Grammaticum dicturum, *iustitiam* esse à *iustus*, quod ipsum à *iure* vt à δίκη δίκαιος, vnde δικαιοσύνη; Vlpianum tamen *ius* dictum velle à *iustitia*: quia nempe *ius* è *iustitiæ fontibus* emanet, vt Cicero scripsit tertio de Rep. teste Augustino, lib. XV de Ciuit. Dei. Verùm, quod de dispari vocum rerúmque caussâ prædicant id tantùm in paronymis seu denominatiuis verum est: quomodo *iustitia* quidem est à *iustus*, si cum Grammatico vocem consideres, sed tamen si rem spectes homo *iustus* appellatur a *iustitia*. At nihil eiusmodi in voce *testamenti* ostendi potest. Eóque non tantum caussam suam Grammaticis non probabunt, sed neque Dialecticis aut Philosophis. Quare rectè meo iudicio faciunt Alciatus & Hottomanus, qui ne inficiari cogantur, quæ luce ipsa sunt clariora, sic Iustinianum purgare malunt vt dicant eam non esse veram etymologiam, sed festiuam allusionem: quæ non ad vocis originem, sed soni tantùm similitudinem refertur. In cuiusmodi allusionibus Iurisconsulti Stoïcos imprimis imitantur. Simile est, cùm dicunt *donatio* quasi *doni datio*; *possessio* quasi *sedis positio*; *mutuum* quasi *de meo tuum*: atque id genus alia. A *testari* est *detestari*: vbi *De* interdum auget: vt Menæch. Act. V. Sc. II.

Iouem deósque detestor me neque isti malum fecisse mulieri.

Ab eodem est *obtestari*, quod est, Deos ob aliquam caussam testes adhibere cum iureiurando vt scribit Tiberius Donatus in XII. Æn. Festus: *Obtestatio est, cùm Deus testis in meliorem partem vocatur. Detestatio, cùm in deteriorem.* At Appuleio in VII. Metam. *detestatio* nouè accipitur pro *testium* siue *genitalium amputatione*. Ab *am* & *testari* est *amtestari* siue *antestari*, quasi dicas, *circumtestari*. Sanè in Glossis Philoxeni reponitur hæc vox inter ea quæ post *A* habent *M*. Non desunt tamen, qui autument, *antestari* dici pro *adtestari*, *d* in *n* conuerso, quod & Turnebo magis verisimile fit: alij etiam putent *antestari* dici quasi *ante testari*, quia propriè notet testes facere, priusquam in ius voces: vnde & προδιαμαρτύρεσθαι exponitur a Prisciano, lib. VIII. cap. de Communibus, item in Glossis vett. Vsus Horat. lib. I Sat. IX. & Plautus non vno loco. Fiebat *antestatio* in hunc modum: Cùm quis vadatus non pareret, alicuius è præsentibus aurem tangebant rogabántque an *antestari* liceret, quo concesso, voce hac MEMENTO à teste petebant, vt meminisset alterum in ius vocatum noluisse sequi. Tum demum habebant ius aduersario iniiciendi manum, & ad Prætorem trahendi. At si absque antestatione in ius raperent, iniuriarum poterant postulari. Vide Acronem & Porphyrium ad illud Horatij: *Licet antestari*; & Cœlium Calcagninum ad Tit. de verb. significat. pag. CCCLXI. Lilium Gyraldum, dialogismo nono, Turnebum, lib. XXXIX. cap. XIII. Reuardum & Marcilium, ad Legg. XII. Tabb. Carrionem. lib. II. Emendat. cap XII.

TESTVDO à *testa*, siue *testu*, venire ait Priscianus in IV. *Testu* verò idem esse ac *testa* addit, vt *pecu* & *pecu*, *specus* & *specu*, *tonitrus* & *tonitru*. Rationem etymi adiungit Varro, lib. IV de L.L. *Testudo à testâ, quod testâ tectum hoc animal.* Ab eâ notione fluxere aliæ tres: vna in architectura: altera in Musica; tertia in re militari. In Architectura notat *opus concameratum*. Nonius: *Testudines sunt loca in ædificijs camerata, ad similitudinem aquatilium testudinum, quæ duris tergoribus sunt & incuruis.* Virgilius:

Tum foribus Diuæ mediâ testudine templi.

Hinc *opus testudinatum* apud Vitruuium, lib. VI. cap. III. Pro quo *testudineatum* legitur apud Columellam. Altera translatio est, cùm pro *instrumento musico* accipitur, quod Græcis similiter χέλυς. Nam vt Latinis *testudo*, sic χέλυς Græcis & *animal*, & ὄργανον notat ἐγχόρδον, πολύφωνον & ἀνώνυμον. Caussa autem eius appellationis allata nobis in voce *Chelys*: vbi & discrimen *testudinis* & *cithara* adduximus. Confundi tamen ea à

poëtis vocabula ostendimus voce *Cithara*. Denique, vt diximus, translata ea ad militiam, vbi notat quod Græci vocant *συνασπισμόν*, quasi dicas, *conscutationem*, cùm nempe corpora iungunt milites clipeósque partim lapidibus applicant, partim capiti superimponunt. Ita Ammianus: *Testudinem hac specie superstruxerunt: Densatis cohærentes super capita scutis*, &c. Vsum eius rei varium docebit Lipsius, lib. I. poliorceticon, Dial. V. Simili tralatione *testudo* vocabatur machina contegendi caussa fabricata, sub qua à militibus fossæ aliáque fiebant ad vrbium oppugnationem. Vide de hac Lipsium, dial. VIII. eiusdem libri.

Teter ab *ater* dici placuit Perotto, cui *tetrum* est, quod *nigrum ac tenebricosum*. Meliùs qui à *taedet* deducunt: vnde & *taeter* scribendum coniectant, quasi *cuius taedeat*. Ac fauent huic sententiæ Gloss. Philox in quibus est: *Σικχαντός, taediosus, tater*. A *teter* est *tetricus*, *homo tristis ac morosus*. Nempe vt à *cinis*, *cinicus*: à *modus*, *modicus*, &c. Est & *Tetrica mons* in Piceno qui Seruio *Tetricus*. Fortasse nomen ab asperitate loci. Cui sententiæ fauet Virgilij locus:

Qui Tetricæ horrentes rupes, montémque Seuerum,
Casperiámque colunt.

Et ad eum locum ait Seruius, *Tetricus mons in Sabinis asperrimus*: Sed mox subiicit, *vnde tristes homines tetricos dicimus*. Quare videri possit non *mons* ab *asperitate* dictus, sed *homines* ab *montis asperitate*, vel saltem ab *asperitate accolarum*. Posterius malim. Nam *montem* ab *accolis* accepisse nomen, videtur etiam indicare, quòd & *Seuerus mons* itidem hic Maroni memoratus non aliunde, quàm à *seueris accolarum moribus* nomen adeptus videatur. Et sanè Sabinæ gentis mores semper fuere graues seuerioresque, etiam cùm reliqua Italia iam moribus esset solutioribus, vnde *rigidos Sabinos* dixit Poëta. Putatur montis huius meminisse Persius, Sat. VI.

Iamne lyra & Tetrico viuunt tibi pectine chordæ?

Proximè antecesserat:

Admouit iam bruma foco te, Basse, Sabino?

Nihil tamen impedit, vt *tetrico* scribamus minusculo *t*, tamquam nomen *commune*, siue vt Grammaticis parum aptè vocatur, *appellatiuum*.

Tetrarches, *τετράρχης*, quod *κατὰ συγκοπὴν* dicitur quasi *τετρατάρχης*, ab *ἀρχὴ* & *τέτρατος*, quod Atticum pro *τέταρτος*. Eadem *συγκοπὴ* est in *τετράχυτος*, *τετράμετρος*, aliisque. H. Stephanus in Linguæ Græcæ Thesauro suspicatur *tetrarchen* dici, qui quatuor prouincias administrat. Sed omnino fallitur. Nam sic vocatur qui *τετράδα* siue *quadrantem* regionis pleno iure regit. Exempli gratiâ: Thessalia diuisa erat in quatuor *τετράδας*, *Θεσσαλιῶτιν*, *Πελασγιῶτιν*, *Φθιῶτιν*, *Ἑστιαιῶτιν*. His singulis constituerat Philippus Macedo dynastam, à quo pleno regerentur iure. Erant igitur *tetrarchiæ*. Vide, quæ de his scribit Harpocration. Agnoscit hoc vir doctiss. Iac. Cruquius comment. in Milon. Cicer pag. XCIX. sed vult hanc esse primam significationem: postea autem generatim hanc vocem cœpisse accipi pro *eo*, *qui regioni præesset*. Id eo probare conatur, quòd Herodes Antipas Matth. XIV. I & Lucæ III. I. dicatur *Galilææ tetrarcha*: tum autem, quod Deiotarus vocetur *Galatiæ tetrarcha*, qui ei penè solus præesset. Sed profectò necesse non est, vt si vnus sit *tetrarcha*, sint & tres alij. Nam *τετράρχης* est, *qui quartam regionis partem obtineat*, seu vnus, duo, tresve, seu nullus reliquas teneat regni partes. Ita cum regnum Herodis in tres filios diuisum esset ab Augusto, ac Archelao datum esset dimidium, reliquus autem semissis inter Herodem Antipam & Philippum diuisus esset: Archelaus quidem ethnarcha aut toparcha appellatus est: at duo reliqui nihilominus *tetrarchæ* meritò dicti sunt, quia regni *τετράδα* obtinerent. De Deiotaro agnoscimus *tetrarcham* dici *Galatiæ*, cuius penè totius à Pompeio solus *tetrarcha* constitutus erat. Nam id manifestè docet hic locus Hirtij de bello Alexandrino: *Deiotarus tetrarches Gallogræciæ tunc quidem penè totius, quod ei neque legibus neque moribus concessum esse cæteri tetrarchæ contendebant*, &c. Verùm non aliâ de caussâ sic is appellatus, quàm quòd Gallogræcia a quatuor *tetrarchis* regi soleret: quemadmodum ea ipsa ostendunt quæ Cruquius ibidem narrat e duodecimo Strabonis. In eâdem voce lapsus Eusebius in Chronico, & alius suis in Iulium Cæsarem notis: quorum errorem diluit Iosephus Scaliger animaduersionibus Eusebianis ad annum MMXXI. pag. CLXIII. b. & CLXII. a. b.

Texo eâ formâ est à *tego*, quâ est *vexo* à *veho*, *taxo* à *tago*: nempe, vt Ioannes à Genua in Catholico, eúmque secutus Perottus, aiunt quia in opere quod texitur, filum filo tegitur. Id si placet, deducere possis à *τάξις*, hoc est, ordine, quo fila artificiosè iunguntur. Probat & etymon Cæsar Scaliger in Arist. lib. XI. Hist. An. cap. LXIII. Sect. CCCII. *Dulcem tegmina tramam & stamen: vnde & texere*. *Texere* olim mulierum proprium. Vnde P. Consentius: *Fœminina, cum res fœmininæ significatur natura, vt parit, nubit: consuetudine, vt texit, nam hæc etiam fœminis apta sunt*. Hinc *textrinum*, cuius duas significationes iam olim Papias annotauit. Nam ita dici ait, tum *locum vbi texitur*, quæ propria significatio: tum *vbi naues fiunt*, *ναυπήγιον*. Posteriori modo Ennius vsus:

Idem campus habet textrinum nauibus longis.

Seruius P. Danielis ad illud II. Æn.

———*Sectâque intexunt abiete costas.*

Intexunt, inquit, *quia naues dicuntur texi. Nam vbi naues fiunt, textrinum vocatur*: Vt ipse,

Bis denas Italâ texamus robore naues.

Catullum, Ouidium, Silium, Panegyristen ad Maximianum, similiter locutos, docet ad Catullum Iosephus Scaliger.

Thalamus, *θάλαμος*, *cubiculum nuptiale*: vnde liquet *ἀκύρως* dicere Maronem, in VI.

Ferreique Eumenidum thalami.———

Nam, vt ibi Seruius notauit, *Furiæ nunquam nupserunt. Vnde thalamos habitationum loca, in quibus natæ sunt*. Dicitur *θάλαμος* à *θάλλω*, siue quia *viridem ætatem decerant nuptiæ*: quam caussam Etymologus adfert: siue quia *illic coniuges vireant & efflorescant, & germina profundant*: siue quòd olim *floribus ac virentibus ramis thalamus solebant ornari*: vt hodiéque à multis fieri solet. Vel potiùs est *θάλαμος* à חלן, quod *thalamum* significat. *Αμος* vocis productio est, vt in alijs.

Thallus, *θαλλός*, à *θάλλω*, *vireo*. Generatim Græcis notat *ramum virentem*, Atticis autem peculiariter sic vocatur *termes oliuæ*. Locutus similiter Maro in Ciri:

Pergit Amyclæo spargens altaria thallo
Regis Iolciaci animum defigere votis.

Nam *oliuæ termite* vtebantur in expiando & deuouendo. Hinc VI. Æn.

Idem ter socios purâ circumtulit vndâ
Spargens rore leui & ramo felicis oliuæ.

Nec aliter *thalli* vocem accipio in isto Appuleij, vndecimo Metam. *Exin gaudio delibuti populares, thallos, verbenas, corollas ferentes, exosculatis vestigijs Deæ, quæ gradibus hærebant argento formata, ad suos discedunt Lares*. Interdum verò Latinis notat *scapum* seu *colem caparum viridium & porrorum*. Sic vsus Columella lib. XI. cap. III. *Thalli caparum ventis prosternuntur, totúmque semen excutietur*. At aliud est *talla*, quod significat *interiores caparum tunicas*, à quibus Horat. *cæpe* vocat *tunicatum*. Gloss. vett. *Talla*, *κρομμύου λέπυρον*, apud Festum quoque legit Scaliger: *Talla, folliculum cæpæ*: quemadmodum idem apud Lucillium emendat:

———*Lacrymosáque ordine talla*:

In vulgatis codd. apud Festum *talia*, apud Lucillium *talpa* corruptè editum est.

Thapsia est *herba ferulacea*, cuius lignum coloris lutei siue aurei: vnde illud *χρυσίζειν* dicebatur. Aliter etiam *thapsus* dicebatur etsi interdum ea distinguant. *Thapsia* seu *thapso* lanam tinxere: imò & mulieres comam eâ tingebant. Vnde *θαψίνας χαίτας* ait Comicus, quod Scholiastes exponit *ὠχράς*. Nomen *thapsia* à maritimo Africæ oppido, quod *Thapsus* nominatum. Dioscorides sic ait vocari a *Thapso insula* & Nicandri Scholiastes ait dici sic à *Thapso*, *Sporadum vna*. At nulla est inter Sporadas eius nominis: nisi *Thasum* intelligit, eáque aliter *Thapsus* dicebatur.

Theatrum, *θέατρον*, à *θεάομαι*, *specto*, *video*, vnde ad verbum *visorium* transfert Cassiodorus lib. IV. Var. ep. LI. & lib. V. ep. XLII. Quin Th. Marsilius existimat *spectaculum* similiter vocari à Plauto Curcul. Act. V. Sc. II.

Exoritur ventus turbo, spectacula ibi ruunt.

Sed planè ijs assentio, quo *aulæa cæteraque instrumenta scenica* intelligere malunt. Cùm autem locus hic fuerit potissimùm destinatus ludis scenicis, videri possit potiùs dici debuisse *ἀκροατήριον*, hoc est, *auditorium*. Sed primò in ijs etiam celeritatis ac roboris certamen fuisse verisimile est. Ea autem res oculorum est, non aurium. Serò Roma *theatrum* vidit: seriùs probauit, nec nisi cùm a priscâ seueritate multùm degenerasset. Docet hoc cùm Liuius lib. XLVIII. & Velleius, lib. II. tum Valerius Maximus, lib. II. cap. IV. Valerij hæc verba: *Theatra inchoata quidem sunt à Messala & Cassio censoribus* (anno DXCIX.) *cæterum auctore P. Scipione Nasicâ omnem apparatum operis eorum subiectum hastæ venire placuit. Atque etiam S.C. cautum est, ne quis in vrbe propiusve passus mille subsellia posuisse, sedénsve ludos spectare vellet, vt scilicet remissioni animorum iuncta standi virilitas, propria Romanæ gentis nota esset*. Hæc Valerius. Postea L. Mummius, ludis quos in triumpho fecit, *theatrum* exstruxit, sed temporarium. Imprimis autem cele-

brature

bratur *theatrum* quod in Ædilitate fecit M. Scaurus: de quo operæ pretium est legere Plinium, lib. XXXVI. cap. XV. At mansurum *theatrum* primus ex lapide quadrato exstruxit Pompeius; idque ad eius exemplum, quod Mitylenis viderat bello Mithridatico. Hoc de *theatro* illustris est Tertulliani locus lib. de spectaculis, cap. X. *Pompeius Magnus solo theatro suo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum exstruxisset, veritus quandoque memoriæ suæ censoriam animaduersionem, Veneris ædem superposuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupauit, cui subiecimus, inquit, gradus spectaculorum. Ita damnatum & damnandum opus templi titulo prætexuit, & disciplinam superstitione delusit.* *Theatrum* hoc igne fortuito haustum sub Tiberio, scribit Tacitus, lib. III. Annal. Forma *theatri* cuiusque erat *hemicycli*, qua de re dicemus vocabulo *Amphitheatrum*. *Partes theatri* deinceps videamus. Primò erant *sedilia*, cum *porticibus* & *scalis*. *Sedilium* ordines *cunei* dicti à figura, quia hoc latiores erant, quo ad ambitum magis excurrebant, hoc strictiores, quo magis ad orchestram accedebant. *Orchestra* erat locus in medio *theatro*, hoc est, interior pars, quæ concaua à quâ *theatrum* ipsum *cauea* dicebatur. Sic enim Cicero, & alij eius æui vtuntur hâc voce, quæ postea transiit ad *amphitheatrum*. Ὀρχήστρα autem dicta ab ὀρχεῖσθαι, quod est *saltare*, quia in eâ apud Græcos chorus saltabat. In orchestra verò erat locus editior, qui θυμέλη dictus: nempe a muliere saltatrice, cui id nomen, iuxta quorundam commentum: vel ex aliorum sententia, ἀπὸ τοῦ ἱλάειν τὸν θυμόν, *quod animum curis fatigatum reficeret*. Sed puto, θυμέλην propriè signare *aram*: vnde Euripides θυμέλας θεῶν ἐμπύρους, *aras Deorum ignitas*, dixit. Et sane θυμέλη, βωμός exponit Hesychius. Origo nominis etiam fauet, siue sit ἀπὸ τοῦ θύειν, vt Suidas scribit: siue ἀπὸ τοῦ τὰ θύη, hoc est, θυόμενα μερίζειν, *quod in eâ diuiderentur illa, quæ sacrificantur*: vt apud Etymologum, & Varinum, legitur. Ab *similitudine* vero *aræ* factum puto, vt ita vocaretur *pulpitum* illud *Orchestræ*, in quo musicis instrumentis inseruiretur scenæ. *Pulpitum* discrimen vocat Isidorus, lib. XVIII. cap. XLVII. Et hanc quoque sententiam adducit Iulius Pollux, cuius hæc verba, lib. IV. cap. XIX. Καὶ σκηνὴ μὲν ὑποκριτῶν ἴδιον· ἡ δὲ ὀρχήστρα, τοῦ χοροῦ, ἐν ᾗ καὶ ἡ θυμέλη, εἴτε βῆμά τι οὖσα, εἴτε βωμός. *Et scena quidem histrionum erat propria, orchestra verò chori, in qua & thymele, siue ea pulpitum sit, siue ara.* Vbi mirum Pollucem etiam, cuius ætate ludi scenici florebant, dubitâsse, num θυμέλη *ara* sit, an *pulpitum*. At illud satis apertè hîc docet, *orchestræ* nomine *thymelen* contineri, non item *thymeles* voce comprehendi *orchestram*. Vnde *Senatores* quidem legimus *in orchestra* sedisse, non *in thymele*. Vitruuius, lib. V. cap. VI. *In orchestra autem Senatorum sunt sedibus loca designata.* Hinc Suetonius: *Deinde in Orchestram senatúmque descendit.* Et Iuuenalis:

——Similemque videbis
Orchestram & populum.

Vbi per *orchestram* manifeste intelligitur *Senatorum consessus*. Sed is quidem *orchestræ* vsus fuit apud Romanos. At apud Græcos eo differebant *thymela* & *orchestra* planicies: quòd in hac chorus canebat ac saltabat: in illa tantummodo canebatur à symphoniacis, hoc est, *citharœdis* ac tibicinibus qui ex eo dicti *thymelici*. Vnde Isidorus, lib. XVIII. cap. XLVII. *Thymelici erant musici scenici, qui in organis & lyris, & citharis præcinebant. Et dicti thymelici, quòd olim in orchestrâ stantes cantabant super pulpitum, quod thymele vocabatur.* Magis placet hæc Isidori interpretatio, quam quod Suidas scribit, sic appellari τοὺς ἐν σκηνῇ τὴν τέχνην ἐπιδεικνυμένους. Sanè Suidæ aduersatur quoque Phrynichus, qui in ἐκλογῇ Ἀττικῶν ὀνομάτων θυμέλην esse scribit τόπον ἐν τῷ θεάτρῳ, ἀφ' οὗ αὐληταὶ καὶ κιθαρῳδοὶ καὶ ἄλλοι τινὲς ἠγωνίζοντο. Plura si de *thymele* voles, adi Alexandrum ab Alexandro, lib. III cap. IX Rhodiginum, lib. VIII. cap. VIII. Budæum, in Pandect. Ludouicum Viuem ad Augustinum de Ciuit. Dei, lib. VI. cap. VII. Cæs. Scaligerum, lib. I. de re poëtica, cap. IX. & XIX. Pet. Fabrum in Agonist. Scip. Gentilem in Appul. Apolog. enemate CLXXX Bernardinum Baldum in Lex. Vitruuiano. *Orchestræ* proximum *proscenium*, quod sic dictum, quia ante scenam esset, Velio Longo & Diomede testibus. Erat locus à cornu vno *theatri* ad alterum porrectus, interque orchestram & scenam constitutus, scenâ quidem depressior, orchestrâ autem altior, in medio sui pulpitum habens, qui agentium ac loquentium locus erat. Græcis *pulpitum* hoc λογεῖον dicitur ἀπὸ τοῦ λέγειν, quia *in eo histriones stantes fabulam recitarent*. Erat igitur λογεῖον hoc scenicorum, vt *thymele* symphoniacorum, vnde discrimen natum inter *thymelicos* & *scenicos*: de quo sic Vitruuius, lib. V. cap. VIII. *Ampliorem habent orchestram Græci & scenam recessiorem, minoréque latitudine pulpitum, quod λογεῖον appellant. Ideóque apud eos Tragici & Comici actores in scena peragunt: reliqui autem artifices per orchestram suas præstant actiones: itaque ex eo scenici & thymelici Græcè separatim nominantur.* Pulpitum verò hoc in proscenio fuisse, indicant hæc verba eiusdem scriptoris, lib. eodem, cap. VI. *Ab eo loco per centrum parallelos linea ducatur, quæ disiungat proscenij pulpitum, & orchestræ regionem.* *Pulpita* autem dicta scribit Scaliger, lib. I. de re poët. cap. XXI. *quia fuerant ab imo solo primùm cespitibus elatiora*: quomodo *puluilli in hortis & pulpita in castris*. Sanè hoc malim, quàm vt *pulpitum* dicatur quasi *publicum*, vt Perottus putabat. De *pulpitis theatricis* accipiendum patet illud Ouid. II Trist.

An genus hoc scripti (de mimis loquitur) *faciunt sua pulpita tutum?*
Quódque licet mimis, scena licere dedit?

Et hoc Plinij, lib. IV. epist. XXV. *Inde ista ludibria, scenâ & pulpito digna.* Vulgo pulpitum hoc statuunt in orchestrâ, sed cùm Vitruuij loco manifestè refelluntur, tum quod apud Græcos quoque thymelicis tantùm fuerit in orchestra locus. Proxima erat *scena*: in qua latere soliti actores, priùs quidem tecti aulæis, postea verò sipparis vt quidem in vulgatis Donati codd. legitur, vel vt quidam corrigunt, *siparijs*, quomodo Festus vocari ait *genus veli, quo in scenâ mimi vtuntur*. Quod ad nominis caussam, σκηνὴ propriè *vmbraculum*. Itaque sic primo dicta camera ex arborum in se cubantium ramis ac frondibus, siue ea a naturâ esset, siue ab arte. Maro. I. Æn.

Hinc atque hinc vastæ rupes, geminique minantur
In cœlum scopuli, quorum sub vertice latè
Æquora tuta silent; tum syluis scena coruscis
Desuper, horrentique atrum nemus imminet vmbrâ.

Quod ad locum sic veteres Seruij codd. *Scena, inumbratio, & dicta scena* ἀπὸ τῆς σκιᾶς. *Apud antiquos enim scena parietem habuit: sed de frondibus vmbracula quærebant. Postea tabulata componere cœperunt in modum parietis. Scena autem pars theatri aduersa spectantibus: in qua sunt regia.* Extrema verba sic suppleo, *Regia & hospitalia*. Qua in re præit Vitruuius, lib. V. cap. VII. *Ipsæ, inquit, scenæ suas habeant rationes explicatas ita vti mediæ valuæ ornatus habeant aulæ regiæ, dextra ac sinistra hospitalia.* Redeo ad etymon, de quo Seruio assentit Cassiodorus, lib. IV. epist. LI. *Frons Theatri scena dicitur, ab vmbrâ luci densissimâ, vbi à pastoribus inchoante verno diuersis sonis carmina cantabantur.* *Scenarum* diuersa genera ornatúmque describit his verbis Vitruuius, lib. V. cap. VIII. siue, ex Philandri distinctione, septimo: *Genera sunt scenarum tria: vnum quod dicitur Tragicum: alterum Comicum: tertium Satiricum. Horum autem ornatus sunt inter se dissimiles, disparique ratione, quòd Tragicæ deformantur columnis, fastigijs & signis, reliquisque regalibus rebus. Comicæ autem ædificiorum priuatorum, & mænianorum habent speciem; perfectúsque fenestris dispositos imitatione communium ædificiorum rationibus. Satiricæ verò ornantur arboribus, speluncis, montibus, reliquisque agrestibus rebus, in topiarij operis speciem deformatis.* Altera quoque *scenæ* diuisio est; quam his verbis docet Seruius ad III. Georg. *Scena quæ fiebat, aut versilis erat, aut ductilis. Versilis tunc erat, cùm subitò tota machinis quibusdam conuertebatur, & aliam picturæ faciem ostendebat. Ductilis tunc, cùm tractis tabulatis hac atque illac species picturæ nudabatur interior.* De *scenâ* satis. Quemadmodum autem *proscenium* dixere *locum ante scenam*, sic & *postscenium* dixisse videntur *locum post scenam*. Voce hac, sed μεταφορικῶς, vsus Lucretius, lib. IV.

Nec veneres nostras hoc fallit, quò magis ipsæ
Omnia summopere hos vitæ postscenia celant,
Quos retinere volunt, adstrictósque esse in amore.

Sententia est, vt in Theatrico *postscenio* multa occultè fiunt, quæ ab auditoribus audiuntur, non videntur: sic amicæ crines emtos, rugas, maculas corporis, sordes, aliáque id genus amatoribus suis occulta esse volunt. In *postscenio* statuit Pollux βροντεῖον, in quo calculis compluribus in vtres coniectis, perque æra versatis tonitrus similitudo referebatur. Fuere & aliæ *theatri* partes: sed præcipuas tantùm commemorare animus fuit. Et profectò magis metuendum ne multa nimis quàm nimis pauca videar dixisse. Quare de cæteris, si voles, vide è veteribus quidem Vitruuium, lib. V. cap. V. & quatuor seqq. Pollucem, lib. IV. cap. XIX. Cassiodorum, lib. IV Var. epist. vlt. Isidorum, lib. XVIII. Orig. cap. XXXIX. E iunioribus autem Budæum annot. prior. in Pand. Cælium Rhodig. lib. V. cap. VIII. Lilium Gyrald. dial. VI. historiæ poëtarum; ac Iulij Scaliger. lib. I. de re poët. cap. XXI.

THERISTRA. Θέριστρον, à θερίζω, *æstatem transigo*, quod à θέρος, *æstas*. Θέριστρον est *vestis æstiua*, teste Polluce, lib. VII. cap. XIII.

cap.xiii. Contrarium χείμαστρον, à χειμὼν, vt idem eopſe docet capite. Tertull. de Pallio cap.v. *Qualis ille Hercules in theriſtro Omphales.* Hieronymus, quæſt. in Geneſin: *Theriſtrum pallium dicitur, genus etiam nunc Arabici veſtimenti, quo mulieres prouincia illius velantur.* Et ad Ieſaiæ cap.iii. *Habent & mulieres theriſtra, quæ nos palliola poſſumus appellare, quibus obuoluta eſt & Rebecca, & hodie quoque Arabia & Meſopotamiæ operiuntur feminæ: quæ Hebraicè dicuntur רדידים Græcè θέριστρον, ab eo quod in θέρει, hoc eſt, in æſtate, à caumate corpora protegant feminarum.*

Thermæ à θερμός, hoc eſt, *calidus*. Erant enim loca, quæ aquis calentibus, aut ſine his ſolo fornice calefacto ad lauandum aut ſudorem prouocandum apta erant. Ergo *therma* mulíebri genere, quia reſpicitur nomen *aqua*: vt Plutarcho & aliis θερμὸν in neutro, intelligendo ὕδωρ vel λουτρόν. De re ipſa vide Andream Baxium Elxidianum, item Hier. Mercurialem, lib.i. artis Gymnaſticæ, cap.x. Bartholomæum Marlianum, lib.iv. antiquæ Romæ Topographiæ, cap.xxv. aliósque, qui antiquæ Romæ Topographiam ſcripſerunt.

Thermopolium à θερμός, hoc eſt, *calidus*, & πωλεῖν, hoc eſt, *vendere*. Notat *cauponam delicatioris cibi ac potus*. Nam calida olim in delicijs erant, quâ de re vide quæ fusè notarunt Fuluius Vrſinus, appendice de Triclinio, & Lipſius, lib.i. Elect. cap.iv. Vſus Plautus, Curcul. act.ii. ſc.iii vbi tamen *in Hermopolio* legi poſſit. Nam id in cod. vet. reperit Camerarius, qui & ſuſpicatur Ἑρμῆν ſiue *Mercurium*, cum præſit mercibus, *cauponarium* quoque *Deum* fuiſſe, ac fortaſſe *effigiem eius cauponis* præponi ſolere, indéque dicta *Hermopolia*. Sed prius magis placet ob eum quem dixi veterum morem: de quo præter Fuluium Lipſiúmque & Plauti Scholiaſtas ſi alios deſideras, vide Turnebum in loca Ciceronis ex lib.ii. de Orat. Hieronymum Mercurialem lib.i. Var. Lect. cap.viii. Ioſephum Caſtalionem Decad.i. Obſeruat. cap.ix. Guilielmum Stuckium lib.iii. Antiquitatum Conuiualium cap.vii. Andream Schottum in Tiberium Aurelij Victoris, & lib.v. Obſeruationum Philologicarum cap.xxviii.

Thesavrvs, θησαυρός, παρὰ τὸ εἰς αὔριον θεῖναι, hoc eſt, *in craſtinum ſiue in poſterum reponere*: Vt *theſaurus* propriè dicantur *diuitiæ in longum tempus reconditæ*, quas Perſæ *gazam* appellant. Vel, quod verius puto, erit θησαυρός ex θεῖναι ſeu τιθέναι, & priſco αὖρος vel αὖρον, vnde Latinorum *aurum*: vt ſuo loco dictum. Fortaſſe imperitior aliquis opponat, quod in veteribus libris addito *N thenſaurus* legimus: quem ſcribendi morem iam Seruij æuo obtinuiſſe argumento eſt, quòd eum hæc ſcribendi ratio ſollicitum habuerit. Verùm nihil hæc res etymo ſuperiori obſtat, cùm Græci θησαυρός ſemper dixerint, ac Latini nonniſi poſterioribus ſeculis *N* inſeruerint. Neque difficile adeò eius erroris fontem ac originem coniectare. Nam primò fortaſſe, quia ſyllaba prima longa erat, ei apicem antiqui ſuperimponere ſolent: ſed cùm iuniores cauſſam eiuſce rei ignorarent, apicem pro *N* habuere: atque ita paullatim *thenſaurus* proferri ſcribique cœptum. Idem factum in *formonſus*, vt ex antiquis monumentis ac libris cognoſcere eſt. Vide quæ hâc de re ſcribit Pierius in caſtig. ad illud Ecl.ii.

Formoſum paſtor Coridon:

Et hoc primi Æn.

——Veteres tellure recludit

Theſauros.——

ac imprimis adi Radulphum Fornerium, lib.iii. rer. quotidianarum cap.xxvii. Lubens verò illuſtriſſimo Hugoni Grotio adſenſero, qui annotat. in Matth. cap.ii. putat, θησαυρὸς vocabulum non eſſe originis Græcæ, ſed ab Oriente, ex תשורה, quæ vox eſt i. Sam. ix.7. Nec ſanè verum eſt, *theſaurum* ſolùm dici de *repoſitione pecuniæ, cuius non exſtet memoria*: ſed omnino à Xenophonte atque aliis vſurpatur pro *quibuſuis pecuniarum* ἀποθήκαις, ſiue *conditorijs*: prout & Seruius exponit in iv. Georg.

Thiasvs, θίασος, vel quaſi σίασος, παρὰ τὸ σείειν, τοὺς θεοὺς, Doricè: quod etymon adfert Athenæus, lib.ix. vel, vt alij, παρὰ τὸ θεῖν ᾄδειν. Sic enim dicitur *cœtus tripudiantium*, ac propriè quidem τὸ Βακχικὸν πλῆθος. Hinc *tempora feſta ſiue ouantia*, Nonno dicuntur θιασώδεις ὧραι; & *loci conuiuales*, Heſychio teſte dicuntur θιασῶνες: vti & Ariſtoteli atque alijs θιασῶται ſunt *qui ſimul exercent choros*. Apud Feſtum eſt, *thiaſitas, ſodalitas*. Puto ſcripſiſſe. *Thiaſotas, ſodales*. Vt integrè fuerit, *Thiaſotas Verrius ſodales interpretatur*. *Thiaſitas* tamen eſt non in editis modò, ſed vtroque MS° Nanſij.

Thivs, vt Iſidorus indicat, lib.ix. cap.vi. Græcum eſt, quibus *patruum* vel *auunculum* ſignificat Gloſſæ Cyrilli: θεῖος ὁ πρὸς πατρὸς, *patruus*; θεῖος ὁ πρὸς μητρὸς, *auunculus*; θεία ἡ πρὸς πατρὸς, *amita*, θεία ἡ πρὸς μητρὸς, *matertera*. Ita vſi iuriſconſulti, l.xxxvii. cùm quis decedens. §. codicillis. D. De leg.iii. §.iii. de gradib. Inſtit. Nouell. cxviii. Harmen. lib.iv. tit.vi. Indéque fortaſſe Hiſpanorum *tio*, & Italorum *zio*. Paullò ſtrictius Gloſſ. Arabico-Lat. *Tius, auunculus*; & Papias, *Tia, ſoror matris*. Imò & Pollux, lib.iii. cap.ii. vbi θεῖον πατράδελφον ἢ μητράδελφον, καὶ θείαν, πατρὸς ἀδελφὴν exponit. Sed potior apud nos Iuriſconſultorum auctoritas. θεῖος autem cur pro *patruo* aut *auunculo* accipiatur, docet Simplicius ad Epictetum. Vult enim ita dici, quòd parentes liberis ſint quaſi θεοί, patrui autem auunculique proximè ad parentes accedant. Sanè θεῖος eſt *diminut*. Itaque & Plutarchus ſub finem libri περὶ φιλαδελφίας ait, nomen hoc debere fratres ad amorem ac beneuolentiam mutuam adhortari. Sed de eius vocis etymo paullò aliter alij, qui ita dictos cenſent, quòd *ſint ſeueri cenſores*, vnde Manilius, lib.v.

Tutoriſve ſupercilium, patruique rigorem:

& Perſius ſat. i.

Cum ſapimus patruos.

Vide & quædam alia ad *thij* vocabulum pertinentia apud Guilielmum Fornerium, lib.i. Select. cap.xiv.

Thois, θώς. Gloſſ. vett. *Lupus ceruarius*, θώς. Sed Plinius de *thoe* & *lupo ceruario* diſtinctis agit locis. Ex luporum tamen genere eſſe ait, lib.ii. cap.xx. Alij *pantheris* accenſent. Sane Scholiaſtes Homeri in x. & xiii. Iliad. θῶες exponit μικροπάρδαλεις, quaſi dicas, *minutos pantheras*. Varinus vtrumque animal iunxit. Nam ei θώς, ὁ λυκοπάνθηρος. Et fauet Oppianus, qui *thoem* ex coitu lupi & pardalis naſci ait. Heſychius voce θῶες, ait generari ex hyæna & lupo. Ac ſimiliter Suidas in θώς. Nam per ο ſcribit. Quare θώς fortaſſe à θοός, *ob celeritatem*. Apud poëtas tamen non aliter quàm per ω reperias. Hoc fuerit à θώσσω, quod Heſychius exponit τρέχω. Vide præter eos, qui de animalibus ſcripſere, Theophraſtum in fragmento de ijs quæ colorem mutant, Euſtathium in Il. Λ. Scaliger. Exercit. ccx.

Tholvs ab Iſidoro, lib.xix. cap.xix. dicitur propriè eſſe *veluti ſcutum breue, quod in medio tecto eſt, in quo trabes coeunt*. Iſidorus hanc vocem ſcribebat abſque ſpiritu: vnde & lib.xv. cap.i. ait: *Tolus dictus à tolo. Nam tolus eſt eminens rotunditas: vnde & faſtigium templi tolus vocatur.* Sed omnino ſcribendum *tholus*, cum Græce ſit θόλος; quam appellationem volunt eſſe ἀπὸ τοῦ θεῖν, quia ob rotunditatem poſſumus *circum currere*. Aliqui etiam iccirco ex θεῖν & ὅλος conflatum putant. Vide Etymologum, & Varinum, aliósque Lexicographos: qui & varias adferunt *tholi* notiones. Sed origo omnino ab Hebræo תלה, hoc eſt, *ſuſpendo*. Quam ſententiam valide firmat hoc Maronis, ix. Æn.

Siqua tuis vnquam pro me pater Hyrtacus aris

Dona tulit, ſiqua ipſe meis venatibus auxi,

Suſpendive tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi.

Vbi ſic Seruius: *Tholus propriè eſt veluti ſcutum breue, quod in medio tecto eſt, in quo trabes coeunt, ad quod dona ſuſpendi conſueuerant. Quæ tam diu dona dici poterant, quàm diu non profana fierent; ſicut in libris Sacrorum refertur. Alij tholum adium ſacrarum dicunt genus fabricæ Veſtæ & Panthera. Alij tectum ſine parietibus columnis ſubnixum. Ædes autem rotundas tribus dijs dicunt fieri debere, Veſtæ, Dianæ, Herculi, vel Mercurio.* Corruptum Seruij locum ſic emendo: *Tholum adium ſacrarum dicunt genus fabricæ Veſtæ & Panthei.* De *Veſtæ templo* apertum ex verſibus Ouidij, lib.vi. Faſt.

Par facies templi, nullus procurrit in illo

Angulus, à pluuio vindicat imbre tholus.

Pantheum verò apud Romanos fuiſſe θολοειδὲς, diſertim à Dione ſcriptum eſt lib.liii. Aliud vero θόλος, aliud θολὸς, de quo in *Sepia* diximus.

Thorax, θώραξ, à θόρω, hoc eſt, *ſalio* ob continuum eius partis motum: iuxta Etymologum, apud quem & alias etiam aliquot originationes inuenias. Quas mitto, quia omnino origine Hebræum eſt. Nam תריא idem ſignificat. A *thorace* dicuntur *thoracidæ*, imagines *thorace* tenus expreſſæ. Vſurpat præter Adhelmum & alios, Vvalafridus Strabo de officiis diuinis, cap.viii. *In geſtis Syluestri Papæ legitur, Conſtantinum Imperatorem per thoracidas Apoſtolorum, quos ipſe in viſione viderit, cognouiſſe.* Operæ verò eſt videre quæ de *thoracidis* obſeruat Scaliger animaduerſionibus in Euſebium, ad annum mmcclxxxvi. vbi inter alia monet *thoraces* ſiue *thoracidas* Arabibus dici *Methaiſa*, מתמנה. Nam ita vocant numiſmata Chriſtianorum, quæ caput humanum præferunt. Cùm verò Itali & Galli etiam vulgo numiſma *medaliam* vocant, neſcio quo commercio vocem eam ad hos ab Arabibus delatam eſſe planè cum eodem Scaligero putamus.

Threx, *gladiatorum genus*. Auſonius in Monoſyll.

Quis Myrmilloni componitur æquimanus? Threx.

Meminere

Meminere & Horatius sat. vi. lib. ii. Seneca, lib. iii. Controu. Sillius, lib. xvii. Tranquillus, in Calig. Fabius. declam. cccv. Minutius, in Octauio. Festus: *Threces gladiatores, à similitudine parmularum Thracarum.* Significat, sic vocari, quia *vterentur parmâ, Thracum propriâ.* Gloss. *Parma,* θρακικὸν ὅπλον. Hinc *parmam Threcidicam* dixit Plinius, lib. xxxiii. cap. ix. quod de speculis. Non solùm tamen *parma* iis *Thracum,* sed & arma alia: & *harpe* siue *sica.* Gloss. *Sica,* θρακικὸν ξίφος ἐπικαμπές. *Arma* hæc *Thracum* dicta *Threcidica.* Cic. Philip. v. *Mirmillo pugnans in Asia, cum ornasset Threcidicis comitem & familiarem suum, illum miserum fugientem trucidauit.* Nempe per *Threcidica* intelligit *parmam* & *harpen,* siue *sicam*: quam a *Thracibus* inuentam ostendit Clemens Alex. lib. i. Strom. Sed locus est corruptus. Nam legitur [illegible] pro ἅρπη, vt rectè Lipsio notatum in Saturnal.

THRONVS, θρόνος, quasi θρᾶνος, hoc est *sedes,* δίφρος. θρᾶνος est ab inusitato θράω, id est, *sedeo.* Apud Festum legimus: *Thronum, genus sellæ apud Plautum.* Ita pleríque MSS: alij autem *thocum,* vel *tocum.* *Thronum* proximè ad *thracum* accedit. Imò & in quibusdam id Festi codd. inuenitur.

THYNNVS seu *thunnus,* θύννος, pro quo & θύννα & θυννίς dicitur. Ouid. in Halieut. fragmento:

> *Et pauidi magno fugientes agmine thunni.*

Lucillius apud Nonium & Gellium lib. x. cap. xx.

> *Ad cœnam adducam, & primum his abdomina thunni*
> *Aduenientibus priua dabo, cephaleáque acarne.*

Sic locum hunc restituit P. Coluius. De *thunnis* vide Plinium, lib. ix. cap. xv. Hinc *thunnaria piscatio* in iure, L. xiii. D. Commun. præd. Dictus verò *thunnus* ab Hebræo תנין, *thannin,* quod *ingentem piscem* notat. Etymon hoc etiam Gesnerus probat ac Schindlerus. Vulgò censent dici παρὰ τὸ θύειν καὶ ὁρμᾶν, siue a *celeritate,* siue à *furore,* quo sub caniculæ ortum corripitur. Vide Oppianum, lib. i. vers. Ↄↄcclii. & lib. ii. vers. Ↄvi. & lib. iii. vers. Ↄxcvi. & Ↄcxx.

THYRSVS, θύρσος. Hoc, vt aiunt, à θύω, quia in *sacrificiis* Bacchi eo vterentur. Sed non ea est prima significatio. Propriè enim sic dicitur, *quicquid sic consurgit, vt in gracilitatem attenuetur.* Vt *arbores conifera,* vel *conspicea.* Hesych. Κῶνοι, οἱ θύρσοι, καὶ οἱ σφόνδυλοι, καὶ οἱ στρόμβοι. Itaque & *thyrsos* dixere pro *caulibus.* Glossæ: *Tursius,* καυλός. Seruius in xii. Æn. *Caulem autem medium fruticis, qui vulgo thyrsus dicitur.* Etiam θύρσους dixere tum pro *ramis,* tum pro *lampadibus,* ac *facibus*: nempe quia & rami, & lampadum flammæ in conum exeant. Hesych. Θύρσοι, κλάδοι, λαμπάδες, λύχνοι. Quare θύρσος potius sit a θύω, quatenus significat *impetu feror, atque erumpo.* Vt a θύρσος, *tursus,* sic à θύρσιον, *tursio*: de quo seorsim.

TIARAS, vel *tiara,* capitis ornamentum apud Persas: verùm reges eorum rectâ soli *tiarâ* vtebantur: teste Hesychio. Ea autem vtebantur sacerdotes apud Phryges: teste Seruio in vii. Æn. & Scholiaste Iuuenalis in sat. x. Vocem eam præter alios vsurpat Plautus Pers. Act. iv. sc. ii.

> *Tiara ornatum lepide condecoras tuum.*

Quamquam eam hinc expellere conetur Guilielmus Canterus, lib. iii. Nou. Lect. cap. xviii. Cum autem Persicum sit vocabulum, ἔτυμον eius neutiquam in Græcia aut Latio quærendum: sed potiùs ab Hebræa lingua, in qua עטרה, *corona, diadema,* à עטר, *coronare, cingere.*

TIBIA propriè in animali *os cruris* suræ oppositum, ita dictum, si Papiam audimus, quasi *tubea,* quia *tubum* referat. Inde translatum ad *organum musicum,* postquam id, cùm ex arundine fieret priùs, è tibiis gruum fieri cœpit. *Tibicen* cur penultimam producat, diximus in *Cano.* Ab eo est *tibicinium,* ars canendi *tibiâ.* Appul. in Flor. *Cum esset in tibicinio apprimè nobilis.*

TIGNVM pro *trabe* grandiori accipit præter alios Cæsar, quo loco agit de structura pontis super Rhenum. Sed latiùs patere docent hæc verba Caij, Tit. de verb. signif. *Tigni appellatione in lege duodecim Tabb. omne genus materia, ex qua ædificia constant, significatur.* Et illa Vlpiani, lib. xlvii. Dig. Tit. de Tigno iniuncto: *Lex xii. Tabb. neque soluere permittit tignum furtiuum ædibus, vel vineis iniunctum, neque vindicare. Quod prouidenter lex effecit, ne vel ædificia sub hoc prætextu diruantur, vel vinearum cultura turbentur. Sed in eum qui conuictus est iniunxisse, in duplum dat actionem. Tigni autem appellatione continetur omnis materia, ex qua ædificium constat, vineaque necessaria. Vnde quidam aiunt tegulam quoque, lapidem, & cæmenta, cæteráque signa ædificij. Tigna enim à tegendo dicta sunt,* &c. Ex quibus Vlpiani verbis eâdem cognoscimus *tignum* dici à *tegendo,* vt à *legendo lignum,* à *regendo regnum.* Hoc magis placet, quàm vt *tignum* dicatur, quia aliquid reddat *contignum.* A *tignum* est *tigillum,* vt à *signum sigillum.* Neque enim assentio Becmano, qui in Etymologico suo putat, quia dispar sit quantitas, *tigillum* esse inter ea quæ remotiorem sequuntur ἀναλογίαν. Nam & *tigillum* & *sigillum* quantitatem variant ob literæ amissionem, vti *mamilla* à *mamma, disertus* a *dissero, curulis* à *currus,* & similia. Præterea à *tego tegillum,* non *tigillum* diceretur. Notat autem *tigillum perticam* siue *longurium.* Tibullus:

> *Illic compositus primum docuere tigillis*
> *Exiguam viridi fronde operire domum.*

Generatim pro *quouis ligno* accipi censet Gruterus apud Plautum Aulul.

> *De suo tigillo fumus siqua exit foras.*

Ita enim habent vett. MSS. & excusi, non *sigillo,* quod Lambinus, Bosius & alij quidam probant, vt *sigillum* sit à *signum* eâ formâ, quâ duo illa priora. A *tignum* quoque est *intertignium,* spacium quod inter *tigna.* Vsus Vitruuius lib. iv. c. ii. Item *contignatio,* trabium *tignorúmque* textura: qua de voce Bernardinus Baldus, lib. de vocibus Vitruuianis abunde agit. Videtur & hinc esse *contignum,* [illegible] Festus: *Contignum, frustum carnis cum septem costis demtum.* Ita quoque est in MSS.

TIGRIS, Armeniaca vox est & à *celeritate* nomen habet. Varro iv. de L. L. *Tigris, qui est vt leo varius, qui viuus capi adhuc non potuit; vocabulum è lingua Armenia, nam ibi & sagitta, & quod vehementissimum flumen, dicitur Tigris.* Medicum vocabulum facit Plinius, lib. vi. cap. xxvii. vbi de Tigri fluuio ait: *Qua tardior fluit, Diglito (al. Digito) vnde concitatur, à celeritate Tigris incipit vocari. Ita appellant Medi sagittam.* Sane Chaldæis גיר, *sagitta,* vnde si *tigris* fuerit, T fuerit heemanticum. A *tigris* est *tigrinus*: vnde *mensa tigrina* Plinio, quæ longis macularum notis referunt *virgatas,* vt poetæ vocant *tigres.* Similiterque ab *intorto macularum* discursu dictæ *mensæ pantherinæ.* Locus Plinij est lib. xiii. c. xv. *Mensis præcipua dos in vena crispis, vel* (sic rectè Dalecampius emendat) *in vorticem sparsis. Illud oblongo euenit discursu, ideóque tigrina appellantur: hoc intorto, & ideo tales pantherina vocantur.*

TILIA si Papiæ credimus, quasi *telia,* quod lignum eius ad *telorum* vsum sit vtile, ob leuitatem eius. At Martinius a πτίλον, *penna,* nempe ob foliola albicantia, pennas referentia, vnde vmbellatim flosculi efflorescunt.

TIMOR quasi *tumor,* vt scribit Cornelius Fronto. Eius verba apposuimus in *Metus.* Verùm rectiùs Iulius Scaliger, Exercit. cccxii. deducit ἀπὸ τοῦ τιμῆς, cùm propriè sit eorum, qui *honorati.* Quamquam τιμὴ non *honor* modò, sed & *pœna,* ac τιμωρία, siue *vltio.* Quid, si igitur ab hac potiùs τιμῆς notione originem arcessamus? *Pœna* enim timetur, quia huius solius formidine peccare oderunt mali. Sed profectò omnium simplicissimum sit educere a δεῖμος, id est, *timor.* Nempe ex diphtongo ει ejecta altera vocali, quomodo à πειρᾶν est *periri,* vnde *experiri.* Nisi & τίω dixere pro *timere.* Sanè sic Homerum vsurpare censet Eustathius, qui à δίω esse vult. Donatus scribit, *metui* eos quos amamus, *timeri* etiam inimicos. Sed discrimen id non obseruatur.

TINA Varroni est *vas vinarium. Antiquissimi,* inquit, *in conuiuiis vtres vini primò, postea tinas ponebant.* Aliquibus placet esse ab Hebræo טנא, hoc est, *sporta, canistrum.* Sed significatio non conuenit. Quare fuerit à δῖνος, quod *poculi genus* apud Athenæum Hesychius: δῖνος, εἶδος ποτηρίου. Terminatio mutata, vt a λάνος *lana.*

TINEA, σής, vt exponunt Glossæ Cyrilli, atque aliæ. Isidorus, lib. xii. cap. v. *Tinea, vermis vestimenti, dicta, quòd teneat, & eò vsque insideat, quo erodat.* Sed potiùs ob similitudinem qualemcumque ita vocatur à *lumbrici genere,* quòd Græcis ταινία. A *tineis erosum* dicitur *tineatum.* Glossæ Cyr. *Tiniatum* (malim *tineatum*) σητόβρωτον.

TINGO à τέγγω, quod idem, vti τεγκτὸς, *tinctus.* E in *I* mutatum, quomodo ab ἐν fit *in,* ab ἐνδύω, *induo,* &c. Gloss. vett. *Tingit,* βάπτει. Papias verò: *Tingit, inficit, colorat, fucat, occidit.* Vbi cùm *occidit* exponit, respicit siue Papias, siue is, quem exscripsit, illud Maronis:

> *Arctos Oceani metuentes æquore tingi.*

Item:

> *Quid tantum Oceano properent se tinguere soles.*

Similiáque; nam sol æquore dicitur *tingere,* cùm occidit. Ab eo *tinctura.* Hinc quoque factum putant *extinguo,* vt propriè sit *tingendo deleo.* Ab eodē esse putant *Distinguo.* Quod si est, propriè notauit, ita diuersis coloribus *tinguere,* vt colores tamen separentur, non confundantur: vnde similitudo liquet, ob quam eleganter ad res alias est translatum. Cùm verò *distinguo* tantum dicamus, non *distingo, tinguo* quoque non *tingo* dici debe-

re iudicant Grammatici antiqui. Hanc rem illud quoque confirmat, quod, ex Attij instituto, *tinguo* omnes fere antiqui habeant codd ac Grammatici quoque veteres id approbent, qui tamen *V* in *vrgeo* & *vngo* (pro quo libri quidam *vrgueo* & *vnguo*) neutiquam admittant, vt apud Velium Longum scriptum inuenitur. Sed de *exstinguo* & *distinguo* quod diximus, non ita certum est: cùm vtrumque deduci possit, ab antiquo *stinguo*: de quo vide quæ diximus in *Instigo*.

TINNIO à sono factum. Nam *tinnitus*, ἦχος [illegible], vt est in Glossis Philox. Hinc *tinnulus*, idem ac *tinniens*: Ab eodem *tintino*, quo Catullus vsus ode eâ, quam è Sapphone expressit.

——Sonitu suopte

Tintina nt aures.——

Hinc *tintinabulum*: quod iccircò à sonitu nomen accepisse, ait Isidorus, lib. III. cap XXI. Eius mentio apud Plautum Pseud. Act. I. Sc. III. Phædrum, lib. II. Appuleium, lib. X. Sidonium, lib. II. Epist. II. Apud Festum *titinnire* & *titinnare* legas in editione Ant. Augustini: in MSS^tis verò quibusdam codd. ibidem est *tintinire*, & *tintinnire*: item *tintinare*, & *tintinnare*. Apud Nonium itidem & *tintinnare*, & *tintinnire*, gemino *NN* scribitur. Illo Nigidium, hoc Afranium, vsum docet. Ac similiter gemino *NN* *tintinnabulum* vulgò scribitur. Item hinc *viri tintinnabuli* Plauto Trucul. Act. IV. Sc. III. hoc est, *carnifices*, siue quia *tintinnabula gestarent*, vt est apud Zonaram, siue quia *cadendo loris corpora tinnitum quendam excitarent*.

TINNVNCVLVS, qui malè in vett. quibusdam libb. *tinnunculus* vocatur, est is, qui Græcis dicitur κεγχρεὶς. Videtur autem *Tinnunculus* vel *tinniunculus* dici à *tinnitu vocis*: quod & Perottus sensit. Sic vocat Plinius, lib. X. cap. XXXVII. Quem locum hausit è Columellæ lib VIII. cap. VIII. At quando è Græcis transfert, Græcam vocem retinere solet. Vt lib X. cap. LII. *Pennatorum infœcunda sunt, quæ aduncos habent vngues. Cenchris sola ex his supra quaterna edit oua.* Item, lib. XXIX. cap. vlt. *Fimum cenchridis: accipitrum generis eam Græci faciunt.* Etiam κεγχρηΐς & κέγχρις vocatur. Est & *serpentis* nomen; quod κέγχρεις dicatur. Meminit eius Plinius, lib. XX. cap. XXII. & Isidorus, lib. XII. cap. IV. Vocatur & κεγχρίνης, quæ vox tam de aue quàm *serpente* dicitur. Suidas: Κεγχρίνης, εἶδος ὄφεως, ὃ λέγεται μιλ' ἐλαφ' [illegible], ὁ εἶδος ἀετοῦ. Porrò & *aui* & *serpenti* id nomen est à κέγχρος, id est, *milium*, quasi dicas *accipitrem* aut *serpentem miliarem*. Ratio nominis vtrique, quòd *multis milij instar punctis distinguantur*. Id de *serpente* liquidò indicat hic Lucani locus. lib. IX.

Et semper recto lapsurus limite cenchris,

Pluribus ille notis variatam tingitur aluum,

Quàm paruis tinctus maculis Thebanus ophites.

De eodem sic Aetius Antiochenus, lib. tertiodecimo c. XXVII. ex interpretatione Baptistæ Veronensis: *Cenchrites serpens est magnitudine duorum cubitorum, figurâ autem crassa in tenuem abeunte, colore viridi, maximè iuxta aluum, vt milium colore referat, vnde & cenchrias, hoc est, miliaris appellatur. Aiunt etiam hunc seipso fortiorem fieri, cùm milium floret.* Hactenus ille. Eadem à caussa nomen habet κεγχρίνη *gemma, milij granis veluti sparsis*, vt Plinius ait.

TIPVLA siue *tipulla* voce vsus Plautus, Persâ: Act. II. II.

Neque tipula leuius pondus 'st, quàm fides lenonia.

Quem versum & Festus adducit, ex quo discimus *tipulam* esse non vermis genus, vt putauit Th. Gaza, qui ἀσκαρίδας vertit *tipullas*: sed genus insecti, quod in fontibus ac riuis visitur summâ celeritate superficiem aquæ percurrens; vnde Belgæ vocant *waterspinne*, quasi dicas, *araneum aquaticum*. Verba Festi sunt: *Tippula bestiola genus sex pedes habentis, sed tantæ leuitatis, vt super aquam currens non desidat.* Quæ verba conueniunt cum interpretatione veteris Glossarij, in quo exponitur ἰσθμεῖς, ἰξάριον ἐπιτρέχον τῷ ὕδατι. Sed in eo siue librarij culpâ, siue quia Glossographus in vitiosos inciderit codices, pro *tippula* malè legitur *tumulus*: quemadmodum monet in coniectaneis Scaliger qui & appositam valde *tipulæ* adfert originationem. Nam dici ait παρὰ τὸ τῖφος, quia *versatur circa paludes*. Nam τῖφος est ἕλος, vt exponit Hesychius; siue, vt Apollonij interpres explicat, ὁ ὑπόβροχος καὶ ἑλώδης τόπος. Quare appositè Varro:

——Leuis

Tipulla lintéon frigidos transit lacum,

Quamquam aliter hunc versum legit Ausonius Popma. Sed Scaligerum secutus sum, cuius si vera emendatio, errare liquet eos Lexicographos qui scribunt, secundam in *tippula* corripi. Sanè eam produci liquet quoque ex superiori Plauti versu est enim trochaïcus tetrameter catalecticus, vti & alij qui apud Plautum sequuntur.

TIRO non per *Y*, sed per *I*, vt est in Pandectis Florent. imò & antiq. inscript. in quo perperam sententiam mutauit Manutius, falsâ inscriptione deceptus. Nec enim veram esse, satis ostendit Anton. Augustinus, dial. XI. Est verò *tiro*, νεόλεκτος, νεοστράτευτος, νεοσύλλεκτος, vt exponunt Glossæ vett. Dicitur ex Becmani mente, à τείρω, quia etiamnum *tener ac rudis*. Nam opponitur veterano. Malim tamen, quia sic primum *teris* hoc est, exercet.

TITHYMALLVS, siue *titimallus*, ex τιτώ, *sol*, & μαλλός, *coma*: vt voluit Isidorus, lib. XVII. cap. IX. quia nempe, vt idem ait, *radiorum comam ad radium solis circumacta conuertat*. Sed Martinio placet esse ex τιτθὸς, *mamma*; & μαλός, *tener*: quòd instar mammæ teneræ lac fundat: vnde & Latinis *lactaria* vocatur, & Germanis *VVolfsmilch*, quasi *lupinum lac* dixeris.

TITILLO geminatione primæ syllabæ factum è τίλλω, quod est, *vello*, seu *vellico*. Nam ex leui vellicatione siue tactione prouenit *titillatio*. Videtur autem origo exigere, vt corripiatur prima. Sed producunt eam antiqui. Vt Lucret. lib. II.

Titillare magis sensus, quàm lædere possunt.

Similitérque Horatius, II. Serm. Sat. III.

Prætereane vos titillet gloria.

Ausonius quoque in epigramm.

Titillata breui cum iam sub fine voluptas.

Quos sequi debuerat H. Stephanus, epigr. de Th. Belegiis, vbi ait:

Tantum pectora gaudium titillat.

TITIO fortè à θύω, *fumigo*, vel eiusdem est originis ac *tæda*, nempe à δαίω, *vro*. *Titionem* Grammatici *ardentem fustem* interpretantur. Et rectè. Apuleius tamen *ardentem titionem* semel & iterum dixit: quamquam idem quoque pro eodem simpliciter dixerit *titionem*. Godscal. Stevvechius in Apuleium pag. III.

TITIVILITIVM (Festi verba sunt) *nullius significationis est*, vt apud Græcos [illegible], & [illegible]. *Plautus*.

Non ego istud verbum emisisem titiuillitio.

Sunt verba Olympionis villici apud Plautum, Casinâ. Festo subscribit Ios. Scaliger, qui nomen hoc inter ea refert, quæ Critici vocant [illegible], Latini *effutilia*. At Fulgentius Planciades de prisco sermone: *Titiuillitium*, inquit, *dici voluerunt fila putrida, quæ de telis cadunt.* Et mox Plauti loco adducto *titiuilitio* exponit *re admodum vili*. Etiam laudat M. Cornutum in Satira, cuius illud, *Titiuilitij sat* (pro quo in Heruagina *vel*) *cedo tibi*. Ex quibus colligere aliquis possit, verbum esse compositum, cuius posterior pars sit vel *villus*, quando exponit *fila putrida*, (prout nempe *tramam putridam* in simili notione dixit Plautus, Rudente, Act. IV. Sc. II.) vel à *vile*, quando *rem admodum vilem* interpretantur. Prior verò pars, vel erit à *totum*, vt signet *totum vile*, vel *totum villi æstimandum*, quomodo dicimus *flocci facio*: vel erit à *textum*, quando Turnebus, lib. XVI. Aduers. cap. III. *textiuilitium* dicendum putat, atque id quasi *textum vile* dici arbitratur. *Itium* verò nihil est, nisi παρέλκον, vt in *capillitium*.

TITTEX Latinumne sit, non facilè dixerim. In Glossis Philoxeni exponitur μύσταξ. Voce non multùm abit à τίτταξ, quod Hesychius interpretatur ἔντιμος, *honoratus*. Hinc si esse placet, caussa erit, quia barba honorem afferat viro. Vel deduc à τιταίνω, *extendo*. Nam *mystax*, si non tondeatur, latè se extendit.

TITVBO dubium, vtrum propriè de *lingua*, an de *pedibus* dicatur. Si de *lingua*, fuerit à sono eorum, quibus lingua hæsitat. Quomodo & Belgæ dicunt *tatelen*. Nisi placet *titubo* esse ab *attubus*, quomodo vocatur ὁ ἀσκαλαβώτης. *T* præmittetur, vt ab ἔρα, *terra*. Sed prius malim Sin malis *pedibus* propriè competere, nihil adhuc accommodatius occurrit etymo Martinij, vt dicatur, quasi τυτθὸν βάω, *paruum eo*.

TITVLVS à *tutando* quasi *tutulus* dicitur, si Varronem audimus, & Festum, qui & milites ait dici *Titulos*, quia patriam tuerentur. Et sanè verius hoc, quàm vt cum Papia nomen indè factum putemus, quòd, vti Titan mundum, ita *titulus* hominem illustret. Sed hoc seculi demus imperitiæ, quo huiusmodi se etymologiis pascebant. Omnino verò est à τίω, quod δηλοῖ τὸ τιμᾶν, vnde & τιμή. Quam *tituli* etymologiam amplectitur Iul. Scaliger, lib. I de Re Poët. cap. IX. & lib de caussis L. L. cap XVII. item Iosephus Scaliger, in coniectaneis. Nec tamen tam à τίω esse arbitror, quam à τιτώ, quod per reduplicationem à priori factum. Sanè Hesychio τιτώ, τιμή. *Titus* prænomen quin ab τίω sit, non dubitandum. Sed Festus à *tutando* deriuat. Ac Cornutus, vel quisquis interpres ille Persij, qui nomen illud præfert, quo loco exponit istud poëtæ,

Ingentes trepidare Titos.——

Ais

Ait *Titos* à *membri virilis magnitudine* vocari eos, qui ad libidinem sunt proni, sicut aues quibus comparantur: *titi* puta quomodo *columbas agrestes* vocari ait. Sed multùm ab his dissidet Isidorus, lib. XII. Orig. cap. VII. vbi ait *palumbes* appellari *titos* à *moribus castis*: quia amisso corporali coniuge solitaria incedat, nec carnalem copulam vltra requirat. Harunce auium meminit & Varro in IV. de L.L. *Titij sodales*, inquit, *dicti ab Titiis auibus, quas in auguriis certis obseruare solent*. A *titulus* est *titulare*, indere *titulum* vel nomen. Apud Tertull. aduersus Iudæos. Vnde *titulatus*, *titulis* instructus. Pomponius Pannuceatis:

Mulier vbi aspexit tam mirificè titulatam truam.

Sic locus is legitur in antiqua Veneta editione Nonij in *Trua*. Pro *titulus* Græci dicunt τίτλος, quod etiam apud Nonnum in paraphrasi legas: item Hesychium, Euthymium, & alios. Hinc Iustiniano παράτιτλα, summæ rerum ad *titulos* appositæ. Vide Glossarium Meursij.

TOCVLLIONES sunt *fœneratores*. Cicero, lib. II ad Att. ep. I. *Non habebam te in tocullionibus*. Turnebus, lib. XVIII. cap. III. scribit à τόκος, id est, *fœnus*, esse τοκύλλιον, hoc est, *fœnusculum*, indè τοκυλλίων, *fœneratorculus*: vt a ἀνθρωπάριον fit ἀνθρωπαρίων. Τόκος verò, quia partus est pecuniæ, ἀπὸ τοῦ τίκτειν, hoc est, *parere*, venit: quomodo & à *fœtura* dici *fœnus*, Varro, Festus, ac Nonius, prodiderunt.

TOFVS, pro quo minùs rectè *tophus* scriberetur, quasi planè Græcum foret, *lapis* est *cauernosus & mollis*, vt est apud Papiam. Fortè a τόπος, *locus*, quia vacui loci plenus, quippe friabilis & quasi spongiosus. Ac similiter πῶρος vocatur à πόρος, *meatus*. Nempe quia porosus. Vel potiùs sit *tofus* ab Hebræo תפש, *apprehendere*. Quia ob naturam porosam ac mollem imbibit multum humoris.

TOGA, Græcis τήμενος, idque ab inuentore *Temeno* Arcade: teste Polluce, Artemidoro, lib. II. cap. II. Suida. M abit in B. vt pro μύρμηξ, dicitur βύρμαξ, quod Hesychius exponit μύρμηξ. Item à μία, βία, vnde *vis*, & *vico*. A μορμύρω βορβορύζω, vnde *formica*. *Toga* verò Romanis dicta vel à τήβεννα, quod à τέγω, *tego*, vt à τέγω στέγω: vel fit *toga* à *tegendo*: quod scripsere Varro, lib. IV. de L.L. Pomponius, Tit. de verb. sig. lege CLXXX. Priscianus, lib. I. Capella, lib. III. Nonius in *toga*: Isidorus, lib. XIX. cap. XXIV. Quibus vnum è iunioribus, sed antiquis parem, addo Cæsarem Scalig. lib. I. de caussis L.L. cap. XL. Sic E in O abierit. Et fortasse veteres *togo* pro *tego* dixere: vti pro *veto* dixere *voto*: vt aliàs ostensum ex Plauto & Annæo Cornuto. Cur autem *toga* præ aliis vestibus nullis à *tegendo* dicta sit ostendit Varro, lib. I. de vita pop. Rom. *Præterea*, inquit, *quòd in lecto togas ante habebant*, *ante enim olim fuit commune vestimentum & diurnum*, *& nocturnum*, *& muliebre & virile*. Adde quòd *toga* erat vestis exterior, alias vestes *tegens*. Eadem de caussa & *tectum* à Titinnio appellatur: qua de re in *Tego*. A *toga tegilla* est in Catholico. Sed non modò *parua toga*, verùm & *mantile* exponitur. Nempe *tegilla* tum nostrum *twele*, seu *dweel*. Ex Græco ἐπί, & *toga*, fictum *epitogium*. Est ea vox apud Quinctil. lib. I cap. IX. Vetus & Clemens Pontifex in cap. II. de vita & honor. cler. in Clementinis. Item Iohannes Saresberiensis, lib. VIII. *Hic capa tunicatur, aut sanè pellibus & epitogiis, chlamydas penulam superducit*: Suntque multæ id genus hybridæ voces, de quibus egimus lib. III Orat. inst. cap. II. Iis adde, quæ congessit Radulphus Fornerius, lib. V. rerum quotidianarum, cap. II. *Togipurium* pro *toga pura*, legas in Glossis Isidori. Apud Papiam est, *Togiforium, locus vbi scholastici disputant*. Nempe quia *togam* ferant scholastici. Sane pro eo apud Ioannem de Ianua in Catholico est *togiferium*.

TOLERO, φέρω, ὑπομένω, vt est in Onomastico: *patienter fero* exponit Festus. Vult illud Angelus Caninius esse à τλάω, inserto R. quomodo a φλέγω est *flagro*, à πύθω est *putreo*. Sed simpliciùs puto deduxeris a *tolo*, siue *tulo*, vnde præteritum *tuli* in vsu remansit. Vt à *geno* pro *gigno* est *genero*, sic à *tolo* erit *tolero*. *Tolo* autem à τλάω, Τλῶ à תלה, hoc est, *sustine*. Confirmat hanc sententiam, quòd *tolerare* quoque accipitur pro *opitulari*, ac quasi tollere onus, quo premitur alius. Plautus, Trinummo, Sc. *quo illic homo*:

Quia sine omni malitia est, tolerare eius egestatem volo.

Et aliquantò pòst:

Cuius egestatem tolerare vis? Loquere audacter patri.

TOLLENO, ex Festi sententia, dicitur à *tollendo*, quia alternis sustollatur dimittatúrque. Est enim *tolleno*, vt non obscure ex eius verbis cognoscitur, cùm trabi in terram defixæ supernè connectitur altera transuersa, quæ nunc sustollitur nunc deorsum agitur, cuius rei exemplum videmus in quibusdam puteis. In Glossis vett. exponitur κηλώνειον, cuius non Herodotus modò lib. I. & VI. sed & Aristophanes meminit, vt tradit Pollux, lib. VII. cap. XXXII. Et Latino & Græco vsus Plautus. Nam Astrabâ dixit:

Quasi tolleno vel pilum Græcum reciproces planâ viâ.

Idem Pœn. Act. V. III.

Sunt Græca celonia: sustolli solent.

Ita emendat Ios. Scaliger in Coniectaneis. Hesychiò κηλώνειον exponitur ἀντλητήριον. Estque κηλώνιον, vel potiùs κηλώνειον, diminutiuum à κήλων. Hesychius: Κήλων, ὁ ἐπὶ τοῦ φρέατος, καὶ τὸ ἀντλητήριον. Ac profectò à κηλων κηλώνεος τῶν μολόβων sit *coleno*; vnde *toleno*, c in t abeunte: vt, Λευκετία, *Lutetia*; κάλχη, *calchia*. Quod verisimilius, quam vt sit à *tollendo*. Nec enim satis ἀναλόγως sic deriues. Plura de *tollenone* vide apud Budæum, in III. de Asse; Turnebum, Aduers. lib. VI. cap. XVIII. Brodæum, Miscell. lib. III. cap. VII. & Salmasium, Exercitat. Plin. in Sol.

TOLLO videri possit esse à τίλλω, quod est *vellico*, E conuerso in O, quomodo pro *elus*, *hemo*, *Apello*, posteriores dixere *olus*, *homo*, *Apollo*. Sed ob significationis conuenientiam longè præstat fortasse deducere a τλάω, τλῶ, quod est *sustinere*, *suffero*. Τλάω verò a תלה, quod notat *suspendit*, *sustulit*. Nec obstat, quod *tollo* dicatur geminato *LL*. Nam *tolo* dicebant veteres, quia non geminabant consonantes. Quòd si displicet vocalis diuersitas, quia in *tollo* quarta, in τλάω prima sit vocalis, poterit *tollo* deduci à prisco eiusdem notionis verbo τελάω: quæ Ios. Scaligeri sententia est, ac mihi quoque maximè adlubescit. Sane a τλάω, (vt idem notis in hymnos Orphei scribit) dicitur quoque *tellus*, quia nempe omnia sustinet: ac ab eadem voce dicuntur *Telamones*, qui Græcè *Atlantes*, itidem παρὰ τὸ τλῆναι, vt alibi dictum. A *tolo* quoque vel *tolo*, sunt *tolero*, *tolleno*, *tollutim*: de quibus seorsim dictum. Item a *tolo* mutuatur *fero* suum præteritum *tetuli* & *tuli*: ab eodémque videtur esse supinum *latum* κατ' ἀφαίρεσιν pro *tlatum*. Ab hoc supino, siue eius composito, est *translatitius*, quod eleganter ponitur pro *vulgari*: quomodo Petronius dixit *tralatitium bellum*, & *tralatitia determitas*, & Plinius in epistolis *tralatitia officia*. Ac censet Stephanus Pighius hoc loquendi genus ex eo originem capere, quod *Translatum* vocarent *infimam ludionum turbam*: vt cùm apud Valerium Maximum legitur, lib. II. cap. IV. *Translatum antea Punicea indutum tunica*.

TOLVTIM omnino est à *tolendis*, vt veteres loquebantur, hoc est, *tollendis pedibus*; non, quod Nonio visum quasi *volutim*, hoc est, *glomeratim*. Interim ex iis Nonij verbis cognoscimus *tolutim ingredi* idem esse illi Virgiliano:

——*Gressus glomerare superbos.*

Vsus Nouius; *Dixi*, inquit, *iturum in Tuscos tolutim*. Vtitur & Lucillius, cuius locum ita apud Nonium in *tolutim* legi debere putabat Ianus Guilielmius lib. II. Verisi. cap. VII.

Vel è tolutim semper bis incessurus videtur

A *tolutim* dictus *equus tolutarius*, qui alio nomine dicitur *gradarius*. In Onomastico exponitur ἱπποδρόμος, quasi qui *volando feratur & incedat*. Ab eodem & *loquendo*, *linguæ volubilitas* dicitur *tolutiloquentia*, τὸ ἐπίτροχον In Onomastico transfertur. Nonius Gallinaria:

O pestifera, Pontica, (lego cum Guilielmio fontica) fera, trux, tolutiloquentia!

TOMACVLA in veteri Onomastico exponitur τόμακλα. esse *pinguia quædam viscera*, scribit vetus Scholiastes Iuuenal. in sat. X. vers. CCCLV. At Valla ibidem monet esse *edulia è iecore porcino concisa*, ita dicta ἀπὸ τοῦ τέμνειν, quod est, *concidere*. *Farciminis genus è porcina* esse ait in Nomenclatore suo Hadr. Iunius. Aliter *tomacina* dicitur, nempe à *tomaca*: quo vsus Varro. Nempe itidem à τομῇ, quia est *segmentum carnis*, & imprimis *porcina*. Fortasse tamen non *apsima* sunt à τέμνω, vel τομῇ, sed à τομάχιον, vnde *tomacina*, à quo *tomacinula*, & postea *tomacula*. Sanè quod Latinis *tomaculum*, id Græcis τομάχιον, vel τομαχίσκιον, idque à τόμαχος, quod vt origine, ita significatione conuenit cum τέμνω.

TOMENTVM dicitur id, quo culcitæ infarciuntur. Tacitus, lib. V. Annal. *Drusus deinde exstinguitur, cum se miserandis alimentis e cubili tomento nonum ad diem detinuisset*. Græcis vocatur γνάφαλον. Gloss. *Tomentum*, γνάφαλον. Nempe ἀπὸ τοῦ γνάπτειν, quod fullonum est, cùm lanam iam textam radunt ac poliunt. A quo γναφεύς, *fullo*, γνάψις, *politura*; γνάφος, *spina*, quâ *fullo lanam textam radit & polit*. Γνάφαλον igitur est *lana illa*, *quæ adhæret spinis pectinis γναφικοῦ* siue *fullonij*. Hodie lana illa tondetur. Vnde & quidam arbitrantur *tomentum* sic dici à *tondendo*, quia propriè sit è floccis lanæ detonsis. Sed, vt dixi, veteres lanam iam textam pectine radebant, atque ex derasis floccis faciebant *tomentum*. Vnde Martialis, lib. XIV. ep. CLIX. sub lemmate *Lingonicum tomentum* ait:

Oppressa nimium vicina est fascia pluma.
Accipe Lingonicis vellera rasa iugis.

Atque hac de caussa nec illorum placet sententia, qui *tomentum* putant esse à τόμ@, id est, *frusto*, quia, vt aiunt, fieret è lana concisa. Nam, vt dixi, radebatur, non secabatur lana. Quanquam non inficior etiam culcitas aliquando fuisse ex materie, vbi sectio haberet locum. Nam fuere etiam ex arundinibus concisis: cuiusmodi *tomentum* idcirco *concisa palus* dicitur Martiali, lib. XIV.

Tomentum concisa palus Circense vocatur.
Hac pro Leuconico stramina pauper emit.

Circense autem dictum, quia in circo veniret: non quòd initio spectatores hoc substernere sibi soleant in ludis Circensibus: vt perperam putabat Turnebus, lib. IX. cap. XXIV. Nec magis assentio eidem, cum lib. IX. cap. XXIV. *Leuconicum* vocari *tomentum* putat a *Leuconio* Æolia oppido, cuius Thucydides meminit, lib. VIII. Vel nec eorum placet sententia, qui putant esse à λευκὸς, id est, *albus*: nempe quia flocci essent e lana alba: sed vt *Lingonicum* dixere *tomentum* à Celtarum populo, cuius Cæsar & alij meminere, sic idem *Leuconicum* vocarunt à *Leuconibus*: siue *Leucones* iidem ac *Lingones*: siue potius iidem ac *Leuci*, quos *Lingonibus* vicinos facit Ptolemæus. Atque hinc liquet, cur Plinius lib. VIII. cap. XLVI. dicat, suo tempore *tomenta* Gallicis discerni nominibus. Erat autem *Leuconicum* ac *Lingonicum tomentum* è lanæ rasæ floccis: eóque erat ditiorum. At *Circense*, quod ex arundine succisa, pauperum fuit, vt clarè Martialis dicit. Meminit quoque eius Seneca, libro de vita beata, cap. XXV. *Nihilo miserior ero, si lassa ceruix mea in manipulo fœni acquiescet, si super Circense tomentum per suturas veteris lintei effluens incubabo.* Fiebat quoque *tomentum* ex gnaphalio herba. Plinius, lib. XXVII. cap. X. *Gnaphalium alij χαμαίζυλον (sc. chamæzylon) vocant, cuius foliis albis mollibusque pro tomento vtuntur.* Nempe γναφάλιον, quia inde fieret γνάφαλον, hoc est, *tomentum*. Nec dubium, quin itidem *centunculus* dicatur quia eo *centunculos* farcirent: siue eadem sit herba ac *gnaphalium*, siue diuersa, quod Plinius putabat. Nam *chamæzylon* esse dicit. Ex arundine concisa, vel gnaphalij foliis fuerit id *tomentum*, quo edendo vitam sustentabat Drusus, vt è Tacito vidimus. Porrò ὡσαύτως γνάφαλον vocabatur, quod ex arundine vel herba fieret. Nam γνάφαλον propriè è lana rasa pectine γναφεὺς, vt vox indicio est. Necdum verum tomenti etymon adduximus. De quo planè adsentio Isidoro, qui lib. XIX. cap. XXVII. putat esse à *tumeo*: nempe quia eo tumeat culcita. Vt a *moueo momentum*, sic à *tumeo tumentum*, vel *tomentum*. Martialis, lib. XI. ep. LVII.

Leuconicis agedum tumeat tibi culcita lanis.

Vbi ad etymon allusisse videri queat. Idem alibi:

Farcitus papyro dum tibi torus crescit.

Ait culcitam intumescere ac crescere e papyro, siue Thusco fœno. Nam de radice papyri Ægyptiæ pessimè intellexit Melchior Guilandinus.

TOMEX siue *tomix* absque adspiratione scribi solet in vett. libris: sed errore fortasse: saltem Græci adspirant, quibus dicitur θῶμιξ. Id Suidas interpretatur λεπτὸν σχοινίον. Columella, lib. XII. cap. XXXII. *Deinde fasciculos tomice palmeâ aut iunceâ ligato.* Et Vitruuius, lib. VII. cap. III. *Tomice ex sparto Hispanico religentur.* Signari eo *funes e sparto tortos*, scribit Turnebus, lib. I. cap. XXVII. Sed ille, Græcos secutus, primam adspirat: contrà quam facit Grapaldus, Hermolaus Barbarus in Glossis, atque alij. Non desunt viri docti, qui *tomice* dicant in recto: sed falli eos ostendimus in libris de Arte. Perottus de copia vocabulo minimum bis errat. Ita enim scribit: *Tomicem, restis è cannabi siue sparto leuiter torta; siue puluillus apponi solitus è conciso cannarum cannabe, ne restis lædatur.* Nam primum non *tomicem*, sed *tomix* siue *thomix* dicitur. Deinde cùm esse *puluillum* ait, confundit *tomix* & *tomentum*. Nam *tomentum*, non *tomicem* dicere liceat *puluillum*, quem in collo ponunt animalibus, ne restis collum lædat. Legitur in quibusdam libris *tumex* per *V*, eadem significatione: indéque, vt Scaliger obseruauit, σχοινίον *tumicula* dicitur, siue *tumicla*, vnde *tumicla spartea* apud Appuleium. Alias *tumex* est à *tumendo*, *tumorémque* notat. Hanc notionem probant Gloss. Philox. in quibus legitur, *tumex*, ἐπαῖσις, μικρὸς τυλώδης ὄγκ@.

TOMVS, τόμ@, à τέμνω, vnde Ammonius inter τόμ@ & τομὸς distinguens, τόμος interpretatur, τὸ τεμνόμενον χάρτου. Vulgo sumitur pro *magna magni operis parte*. Sed veteribus significat idem quod *scapus*, Belgis *een boeck papiers*. Veteres Glossæ ab H. Steph. editæ: *Scapus*, κόλλημα χαρτῶν, ἢ χάρτου τόμος, *Scapus*, τὸ ἀπὸ βιβλίων χάρτου. Et sanè Hesychius quoque simpliciter interpretatur χάρτης. Et ita vsus Martialis, lib. I. epig. LXVI.

Scriptura quanti constet & tomus vilis.

Etiam *tomus* pars *salsamenti*. Vt *tomus Thurianus*, pars caniculæ salitæ, quæ canicula aliter *xiphias*. Plinius cum piscè confudit. Nam inter piscium genera reponit his verbis: *Tomus Thurianus, quem alij Xiphiam vocant. Thurianus* autem *Thuriorum* populo vocatur.

TONDERE a τένω, hoc est, *secare*. D insertum, vt ab Æolico τένω, *tendo*; ab audeo, *audeo*; a *caneo*, *candeo*, &c. *Tonstrina* à *tondeo* dici satis est apertum. Sed ἀναλογία est obscurior: nisi dicamus, olim in vsu fuisse *tonstrum*, vnde *tonstrina*. *Tonstrum* verò eâ formâ erit à *tondeo*, quâ à *claudo* est *claustrum*; à *moneo*, *monstrum*, a *fluo*, *flustrum*. Vt à *pendeo*, *pensilis*, sic a *tondeo*, *tonsilis*. Vt *tonsile nemus* Plinio, cuius rami eminentiores resecti. Sic *tonsilis corona*, vbi folia parùm tantummodo eminent. Martialis, lib. VI. epigr. LXXX.

Tonsilibus sertis omne rubescat iter.

Prout ex MSS.[tis] istic legit clarissimus, & affinitate, dum viueret, coniunctissimus Gruterus. Eadem est *corona tonsa* Maro:

Omnibus in morem tonsâ coma pressa coronâ.

Ac similiter idem:

Ipse caput tonsæ foliis ornatus oliuæ.

Vbi sic Seruius: *Tonsa oliua, minutis foliis composita. Habiturum se autem coronam tonsilem dixit.* Quibus ex verbis clarè liquet, *tonsilem* coronam & *tonsam* idem notare: nempe minutis foliis compositam. Virgil. I Æn.

—— *Tonsisque ferunt mantilia villis.*

Vbi *tonsis* Seruius exponit *minutis*. Similiter *tonsas tapetes* dixeris quæ aliter *tonsiles*. Vt apud veterem poetam:

Ne tonsiles tapetes ebrij fuco.

TONGO vel *tongeo* est *nosco*. Vel est ex *tango*, quomodo dicimus *rem acu tangere*. Vel ex *teneo*, vt dicimus *rem omnem tenere*. Quod malim: quia & *vinco* notat. *Tenere* autem valet quandoque κρατεῖν atque *obtinere*. G insertum, vt ab *spargo*, à *mari mergo*, à *tero tergo*. &c. Festus: *Tongere Ælius Stilo noscere esse, quod Prænestini tongitionem dicunt pro notione; & vincere etiam quandoque videtur significare.* Adduxit & hoc Ennij, vt pleniùs ex Paullo constat:

—— *Alij Rhetoricam tongent.*

TONO à τείνω, *intendo*, & speciatim *vocem* vel *sonum intendo*; à τόν@, quod propriè *intensio*, & speciatim *soni intensio*, vnde Grammatici προσῳδίας siue *accentus primariam speciem* τόνους appellant. Latini similiter *tenores* vocant quasi *tenores*. Quinctilianus lib. I. cap. V. *Adhuc difficilior obseruatio est per tenores, quos quidem ab antiquis dictos tenores comperi, videlicet declinato à Græcis verbo, qui τόνους dicunt.* Porro sæpe *tono* vsurpatur pro *sono*; quod & ipsum in compositis *attono*, *intono* atque aliis locum habet. Imò ipsum *sono* à *tono* factum videtur conuerso T in S quomodo & pro *pulto* dixere *pulso*, pro *tentus tensus*, &c. Hanc eius verbi etymologiam nonnihil confirmat tum quod Aristoteles, lib. V. de gener. animal. tenorat τόνον esse, quod κινεῖ τὸ ψόφ@ dicitur, atque hoc modo dici ἄνδρας καὶ βαρυτόνους tum quod Marcianus Capella, lib. III. cap. de fastigio, fastigia promiscuè *tonos* vel *sonos* vocari dicat: idémque lib. IX. caput de tropis sic orditur, *Tonus igitur idem plerumque appellatur & sonus.* A *tono* est *tonesco*. Vsus apud Nonium Varro Bimarco:

Tunc repente cæcitum altum tonitribus cælum tonescit.

Ab eodem est *tonitrus* seu *tonitru*, vbi postrema syllaba est vocis productio: vt in *vitrum* à *video*. Fallitur igitur Nunnesius, qui *tonitru* κατ' συγκοπὴν esse putat à *tono-ruo*. Fallitur & Isidorus, qui lib. XIII cap. VIII. *tonitru* conflatum censet ex *sonus* & *terreus*. *Tonitruum*, inquit, *dictum, quod sonus eius terreat: nam tonus, sonus.* Quæ sententia si vera esset, videri posset non *sono* à *tono* esse, sed contra *tono* a *sono*, conuerso S in T, more tum Attico, vt θάλασσα θάλαττα: tum Dorico, vt σύ, τύ: tum Latino, vt *Visurgus*, *Iturgus*: tum Germanico, vt *wasser*, *water*. Sed cùm *tono* sit a τείνω, quin *tono* prius sit dubitandum non est. A *tonando* quoque est *attonitus*. Propriè enim ita dicitur, cui casus vicini fulminis & sonitus tonitruum dant stuporem: quemadmodum scribit Seruius ad III. Æn. Hinc Glossæ Philoxeni interpretantur ἐμβρόντητος, ἐκπεπληγμένος. Talis est Plautinus Amphitruo, de quo ita Bromia, Act. V. Sc. I.

Quis ante ædes nostras sic iacet? numnam hunc percussit Iupiter?
Credo edepol. Nam, proh Iupiter, sepultus est quasi sit mortuus.

Et ipse mox de sese:

—— *Totus timeo: ita me increpuit Iupiter;*
Nec secus est, quasi si ab Acherunte veniam.

Talem se quoque describit Ouidius, lib. I. Tristium:

Non

Non aliter timui, quàm qui Iouis ignibus ictus,
Viuit & est vitæ nescius ipse suæ.

Huiusmodi igitur propriè dicitur *attonitus*. Sed & ἐμβρόντητος ponitur pro *consternato ac animo perturbato*: vnde in iisdem Glossis exponitur, ἐμβρόντητος. In iisdem quoque legas, *Attonitus*, ἐμβροντηθείς: vbi est qui corrigat ἐκπλαγείς, à voce πλήσσω. B. Vulcanius emendat, ἐκπεπληγμένος, quod non displicet.

TONSÆ sunt Ennio, Maroni, Senecæ Tragico *imæ remorum partes, quibus aqua tunditur*, vnde & nomen, non à *tondendo*: etsi hoc placuit Festo, qui sic scribit: *Tonsam Ennius significat remum, quod quasi tondeatur ferro: cùm ait* lib. VII.

Poste recumbite, vestraque pectore pellite tonsis.

Item:

Pone petunt, exim referunt ad pectora tonsas.

Et in Asota:

Alius in mari vult magno tenere tonsam.

Atque hinc ὑπαγωγικῶς *tonsilla*: quomodo vocantur *vncini ferrei vel lignei, ad quos in litore defixos nauium funes religantur*: quomodo Isidorus lib. XIX. cap. II. accipi scribit in illo Ennij:

Tonsillas apiunt, configunt litus ad vncas.

Siue, vt Paullus Merula emendat:

Tonsillas rapiunt, configunt litus aduncis.

Sed Festum potiùs, quàm Isidorum audiamus: *Tonsillam ait esse Verrius palum dolatum in acumen, & cuspide præferratum, vt existimat, quem configi in litore nauis religandæ caussa. Pacuuius in Medo:*

Accessi ad eam, & tonsillam pegi laeuo in litore.

Accius Phinidis:

Tacete, & tonsillas litore lado edite.

Vbi MSS[1], *litore inleda*, vel *illeda*. Vnde legendum videtur *in lato*, vel *in laeuo*. Est & altera *tonsillarum* notio, sed origine diuersa, quam his verbis indicat Festus: *Toles*, inquit, *tumor in faucibus quæ per diminutionem tonsillæ dicuntur. Tonsilla* igitur *faucium* est *inflammatio*. estque eâ notione ὑπαγωγικῶς à *toles*, vel *tola*. Gloss. vett. *Tola*, παρίσθμια. Et paullò pòst, *Tonsilla*, παρίσθμια. *Toles* autem vel *tola* à *tollendo*, quia in tumore aliquid tollitur & eleuatur.

TOPAZIVS, τοπάζιος. Papiæ ex articulo τὸ, & πᾶν constatur, quia contineat omnium lapidum colores. Sed hoc planè respuendum. Nec enim omnes colores habet, sed duos, aureum, & hyalinum; vnde Strabo ei tribuit χρυσοειδὲς φέγγος. Orpheus autem [illegible] vocat. Fallitur Epiphanius, cum rubere ait, & magis quidem, quàm carbunculi. Cum Papia in eo conuenit Becmano: quod & ipse priorem vocis partem articulum τὸ arbitretur: sed posteriorem censet esse ab Hebræo [illegible]. Sanè non inficior, quædam esse, quæ ex articulo fiant: vt *temetum*, τὸ μέθυ, & fortasse *aqua* à χώ. Sed in *topazio* locum non habet. Nam nomen habet ab insula, quæ & *Paz* dicebatur, & *opaz*, & *topaz*. Itaque & à *Pazo* lapis dictus *Pazius*. Hesychius: Πάζιον ὃ καὶ τοπάζιον, λίθος πολυτελής. Nec *Paz* solum in Scripturis dicitur: sed & *Opaz*: quomodo apud Danielem est כתם אופז, id est, *lapidem* siue *gemmam ex Ophaz*. Strabo, & Diodorus Siculus, putarunt *ophaz* dici quasi ὀφιώδη, quia *serpentibus* abundarent. Ita solent Græci omnia suæ linguæ vocabulis aptare. Denique à *Topazo* dictus *lapis topazius*. Stephanus: Τόπαζος, νῆσος Ἰνδική· τὸ ἐθνικὸν τοπάζιος. Subiungit deinde: Ἀλέξανδρος ὁ πολυΐστωρ φησὶν, ὡς [illegible] ἐν τῇ [illegible] τοπαζίων νήσῳ λίθον εὑρίσκεσθαι [illegible] χρυσῷ [illegible]. *Alexander Polyhistor ait in Topaziorum insula lapidem inueniri insulæ cognominem colore similem recenti oleo.* Sed in vett. libb. pro τοπαζίων est πάζιον: vt hic quoque locus comprobare videatur πάζιον ac τοπάζιον eundem esse lapidem. Epiphanius quoque: Πάζιον δὲ ἐν Τοπάζῳ, νήσῳ τῆς Ἰνδίας. Plinius, lib. VI. cap. XXIX. plenitùsque, de maris rubri insulis agens, *Topazos*, inquit, *quæ gemmæ nomen dedit.* Idem, lib. XXXVII. cap. VIII. *Iuba Topazon insulam in rubro mari à continente stadiis trecentis abesse tradit, nebulosam & ideo quæsitam sæpe nauigantibus; ex ea caussa nomen accepisse. Topazin enim Troglodytarum lingua significationem habere quærendi. Ex hac (topazium) primùm portatam Berenicæ reginæ, quæ fuit mater sequentis Ptolemæi, à Philemone præfecto regis, ac mirè placuisse. & inde factam statuam Arsinoæ, Ptolemæi Philadelphi vxori, quatuor cubitorum, sacratam in delubro, quod aureum cognominabatur. Topazius* igitur à *Topazo insula*: *Topazus*, si Plinium audimus, à Troglodytica voce *Topazin*, quæ significat *quærere*. Sed τοπάζειν pro *quærere* non Troglodyticum est, sed Græcum à τόπος, *locus*. At verisimile non est *Topazo* nomen esse à voce Græcanica. Est apud Hebræos vox non absimilis פזז, sed significatio abit: quia notat *apprehendere* [illegible]

TOPIARIVM *opus* vocant arbores aut herbas egregio artificio in formas variarum rerum ductas: siue quæ in picturas opere histonali trahuntur, vt Plinius loquitur, lib. XVI. cap. XXXIII. de cupresso. Alexander, lib. Genialium dierum III. cap. XXV. item Perottus, Fungerus, Becmanus, alij, ita dici censent à τόπος, id est, *locus*, eo quòd varia in eo loca constituunt, siue ἀπὸ τοῦ [illegible], quòd loca istiusmodi ad voluptatem mirè faciant. Sed magis placet sententia Hermolai Barbari in Glossis Plinianis, Turnebi, lib. XVIII. cap. XXIII. & Bernardini Baldi, in Lexico Vitruuiano, qui dici ex eo volunt, quia *funiculos* Græci τόπια appellant, vt ex Hesychio discimus, cui τοπεῖον, siue τόπιον, siue τοπεῖα, exponitur σχοινίον. Similiter Suidas & Varinus. Ac Pollux quoque sic ait vocari *funiculos instrumentis in ære terendo* [illegible]. Ratio verò appellationis erit, quod in opere *topiario* frutices & arbusculæ tonsiles, quæ variè torquentur & flectuntur, atque dum animalium vel aliarum rerum similitudinem repræsentent, *topiis* siue *funiculis* religant. Id enim magis placet, quàm vt dicamus ita quia arbusculæ illæ flexibiles & sequaces sint instar funiculorum, quod quibusdam placet. *Topiarij operis* crebro mentio apud Plinium: vti & apud Vitruuium, lib. VII. cap. V. legas, *Varietatibus topiorum ornare*. & mox, *per topia pingere*. Hinc *serui topiarij* apud Plinium, lib. III. epist. XIX. ad Caluisium. item L. XX. § vlt. de leg. lib. III. L. XII. Sed in respondit. & L. XVII. D. de instruct. vel instrum. Iulius Firmicus, lib. VIII. cap. X. ait: *Erit, qui ornatas arbores tondens, in velimus pingat.* Vbi legitur *topiarium* [illegible].

TORCVLVM, siue *torcular*, seu *torcularium*, quia eo vuæ & oliuæ torquentur ac premuntur. Gloss. *Torcula*, ληνός, ἐλαιοτριβεῖον. Differt à *prelo*, quòd hoc pars sit *torcularis*. *Torcular* enim dicitur tota machina vuis ac oliuis exprimendis parata. *Prelum* verò solam trabem notat, qua vua, vel oliua premitur. Hinc Columella, lib. XII. cap. L. *Oliuam diligenter* [illegible] *oportebit protinus in torcular deferri, & integram in fiscinis nouis includi, prelo que subijci.* Eamdem *torcularis* ac *preli* differentiam clarè adstruit hic Vitruuij locus, lib. VI. *Ipsum autem torcular, si non cochleis torquetur, sed vectibus & prelo premitur, ne minus longum quadraginta pedes constituatur.* Malè vulgò *torculum* & *torcular* penultimâ porrectâ efferri, ostendimus in Animaduersionibus Grammaticis.

TORMENTVM, à *torquendo*. Non tamen κατ' συγκοπὴν dicitur pro *torquementum*, quia *torquendo* hominis mentem aperiat, vt ridiculè Papias [illegible], sed ἀναλόγως à *tortum* est *tormen*, vnde *tormina* dicimus intestinorum morbum. A *tormen* verò est *tormentum*. Similiter à *motum* est *momen*, vnde *momentum*. Sanè, quæ nunc in *mentum* desinunt ea veteres per MEN extulere, vt *augmen* pro *augmentum*, *documen*, pro *documentum*, &c. Est verò *tormentum*, quo aliquid torquetur. Itaque sic dixere *cauillum*, *fidiculas*, similiaque. Item ea *machinamenta*, quibus solent magnæ moles è catapultis torqueri. Plaut. Curcul. act. II sc. I.

Tormento non retineri potuit ferreo.

Vide Lambin. Sæpe sic vsus Tacitus. Vt lib. III. Histor. *Neque illis manus nisi gladiis armatæ, & ad usum tormenta, aut missilia tela longum: eludantur.* Et eodem *Cuncta validissimarum vrbium exercitus reperta, testudinem, tormenta, aggeres, facesque.* Et lib. IV. Histor. *Sed excussa balistis saxa, stratuere inferiorem opus, & crates vineasque parantibus, adacta tormentis ardentes hastas.* Eàdem de causâ sic vocarunt morbi genus, quod Græci εἰλεὸν vocant. Nominis eam caussam his verbis affert Cælius Aurelianus, lib. III. Acutar. cap. XVII. *Tormentum dictum est, quod existiment ægrotantes contineri, atque torqueri veluti intestinorum tormenta: vel quod spiritus ob angustiam clausus iter inueniens ventilatione atque tormenta efficiat; vel quod vehementia dolorum supra eas partes quæ patiuntur, corotantes arcuatim concoluntur.* Etiam *tormentum* funis tensus, vt in ergatarum suculis, & similibus; cuius ratio est quòd & dicamus *funem torquere*, σχοῖνον πλέκειν. Propertius:

Dignior obliquo funem qui torqueat ocno.

Tormenti voce sic vsus auctor obscenorum carminum:

Tormento citharaque tensiorem

Et Appuleius in Apologia vbi de capillo loquens ait: *Horrore implexus, (Scalig. impexus) atque impeditus, stuppeo tormento adsimilis.* Vbi malè quidam emendant *tomento*. Apud Vegetium quoque similiter legimus ad II. Æn. *Cum Galli Capitolium obsiderent & deessent funes Romanis ad tormenta facienda.* Et mox: *Crines, vnde tormenta facta.*

TORNVS, τόρνος, vt *torno*, τορνεύω, pro quo & τορνόω dicitur. Τόρνος est à τείρω, nempe à τέρω, vnde & τορός. Est id instrumentum, quo quid τορνεύεται, hoc est *teritur*, siue *celatur*.

Sic & *terendi* voce vsi Latini. Vnde Gloss. *Tritores*, τορευταί. Et Phædrus ait:

Trito Myronem argento, Praxitelem suo.

Vbi *trito* valet *cælato*. A τορὸς est τορεῖν, quod Hesychius exponit τιτρᾶν, *secare*. Item τορεύειν, vnde τόρευμα. *Toreumatis* voce vsi Cicero, Sallustius, alij. Sic vocant vas *cælatum*, plurimúmque aureum vel argenteum. Nam τορεύω est *scalpo*, *cælo*. Martialis:

Nullum Phidiaci toreuma cæli.

Glossæ: *Cælo*, τορεύω, *cælator*, τορευτής, *cælatura*, τόρευσις. Glossæ vett. *toreumata exponunt*, *quæ torno vasa fiunt*. Atque ita etiam accepit Ciacconius de Triclinio: imò plerique omnes. Nempe confunditur ab iis τορεύειν cum τορνεύειν. Τορεύειν est *cælatorum*: τορευταὶ non *cælo*, sed *torno*, non in *metallo* elaborant, sed in *ligno*, *ebore*, vel simili materia. Non videtur tamen id discrimen esse perpetuum. Nam Hesychius τορεύειν exponit γλύφειν, & τορευτὰς, γλυπτάς. Etiam in Glossis est, τορεύω, *cælo*, *torno*. Imò Virgilio quoque *tornus* videtur accipi pro γλυφεῖον siue *cælo*, in III. Ecl.

————*Pocula ponam*
Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis;
Lenta quibus torno facili superaddita vitis
Diffusos hederâ vestit pallente corymbos.

Cælo enim vitis atque hedera in poculo fagino figurantur. Nempe *torni* vox latiùs patet, ita vt *cælum* comprehendat. Nisi magis placet ad *torni* facilitatem accessisse laborem *cæli*, atque ita prius quidem pocula *torno* fuerint trita ac leuigata, deinde vitis in iis fuerit *cælata*. Id placuit summo viro Salmasio. *Cælatura* dicebatur τόρευσις, ars ipsa τορευτικὴ cuius partes plures. Vel enim in corpore vasis *cælabat* figuras: vel sigilla faciebat, quæ vasi includerentur & illigarentur: (*emblemata* dixere:) vel crustas *cælatas* vasis inducebant, vnde *crustarii* nomen. Vide omnino, quæ de *toreumatis* & *toreutice* fusè tractat Salmasius ad Solinum.

TORPEO fortè à τέρπω, *oblecto*. Vt propriè de iis dicatur, qui voluptatibus immersi segnescunt ac *torpent*. Ab eo est *torpedo*, vt *vredo* ab *vro*. *Torpedo* piscis, quia torpedinem parit. Varro, lib. IV. de L. L. *Vocabula piscium pleraque translata à terrestribus ex aliqua parte similibus rebus: vt Anguilla, Lingulaca, Sudis: alia à coloribus, vt hæc: Asellus, Vmbra, Turdus: alia à vi quadam, vt hæc: Lupus, Canicula, Torpedo.* Ac similiter Græcis dicitur νάρκη, quo *torpor* significatur, vnde & *Narcisso* nomen. Gloss. *Torpedo*, νάρκη. *Torpor*, φεῖσμα, νάρκη.

TORQVEO non tam à στρέφω venire censeo, quo *ramus* significatur, quàm à τόρος, quomodo Hesychio teste vocatur ἐργαλεῖον τεκτονικὸν, ᾧ τὰ ξύλα τρυπῶσι [...]. *Torni* voce vtuntur & Latini. A *torqueo* sunt *torques*, *tormentum*, & *torculum*, de quibus seorsim. Ab eodem verbo *tortilis*, στρεπτὸς vnde *tortiloquium*, στρεψιρρημοσύνη, ut Glossæ Cyrilli exponunt.

TORQVES à *torqueo* quia *intortus* flexúsque. Vnde & Græcis dicitur στρεπτὸς, à στρέφω, *torqueo*, *flecto*. Gloss. Philox. στρεπτοὶ μανιάκαι. Gloss. Cyr. στρεπτὸς, *torquis*, *torques*, *tortus*, μανιάκης, *tortile*, *circulus*, *tortus*. Antiqui & *tores* dixere pro *torques*. Charisius, lib. I. *Seruilius, vt etiam Flauius Pomponianus vocat, aureus tores pro torques.* A *torque* est *torquatus*, *torque ornatus*. Cognomentum id familiæ intulit T. Manlius Tribunus, cum militem Gallum, a quo ad pugnam prouocatus erat, occidisset, ac *torquem* ei detractum induisset: qua de re Claudius Quadrigarius apud Agellium, lib. IX. cap. XIII. Item Cicero, III. Off. Liuiúsque, lib. VII.

TORREO à *torro* deductum ait Festus. Ita enim legere est in MSS° Nansij, atque aliis, vbi in vulgaris *torrere* à *terreo* legitur: quæ lectio sine dubio falsa est. *Torrus* dixisse veteres pro *torrido aridóque* scribit idem Festus. Est igitur *torreo* ab obsoleto *torrus*, vt à *serus* pro *siccus* (vnde *serenus*) *serescere* dicitur apud Lucretium. Multáque huiusmodi congessit Obertus Giffanius Indice Lucretiano, voce *Serescere*. *Torrus* omnino est à τέρσω, quâ notat ξηραίνω, *sicco*, *aresacio*, *torreo*. Vnde τερσαίνω, & τέρσω, quæ idem significant. Cæsar Scaliger, Animaduersionibus in Theophrasti Historiam Plant. lib. VII. cap. X. putat *torrere* esse à τορεύειν, eóque propriè dici de *iis quæ torrentur in veru dum assantur*, postea ad quemuis ignis modum translatum. Possis & *torreo*, ac *torrus*, deducere à θέρω vel θέρμω, id est, *calefacio*. E in O mutabitur, vt à σπένδω, *spondeo*, à *pendeo*, *pondus*. Eo autem iustius in *torreo* mutata sit vocalis, quia alioqui non differret à *terreo*. Nec *tero* a θέρω voluerunt quia iam *terere* fecerant pro τρίβειν. Θέρω verò est a דור, quomodo *pyra* siue *rogus* vocatur, vt liquet ex Ezech. XXIV. IX. *Torreo* iuxta Festum nunc notat *siccare*: nunc *igne torre*. Sed pro *ignescere* in MSS° Nansij est *igne vrere*. Ab *torreo* est *torris*, δαλὸς, siue, vt Æschylus vocat, φλογὸς μεμαλαγμένος. Nempe quia est aridus & *torridus*: quippe semiustus, atque ardens. Ab eodem est *torrens*, quia citò *torrescit* ac siccatur. Ita fluuius subitis imbribus concitatus, qui alioqui siccitatibus exarescit: vt describit Festus: Vel *torrens* dicitur, quod vnda rapido impetu æstuet, quâ ratione & *torrens fretum* dixit Iustinus, hoc est, *æstuans*. Naturâ quippe suâ adiectiuum est. Claudianus, lib. II. de raptu Proserp. vers. CXCVIII.

————*Torrentius amne*
Hiberno, tortáque ruunt perniciùs hastâ.

Vbi *amnem hibernum* vocat, vt Græcis χειμάρρους vocatur, quia *hieme fluat*. Gloss. *Torrens*, χειμάρρους, χαράδρα.

TORVS, vnde *toral*, à *torta herba* dici videtur Grammaticis. Seruius, ad I. Æn. *Torus dictus est, quia veteres super herbam tortam vel sedebant vel discumbebant: vt V. Æneid.*

————*Viridante toro consederat herba.*

Isidorus, lib. XX. cap. I. *Torus dicitur à tortis herbis, quæ accumbentium humeris supponuntur.* Varro à se & aliis dissentit. Nam lib. IV. de L. L. ait: *Torale, quod ante torum, & torus à tuendo, quòd is in promptu.* Atque addit, *Ab hac similitudine torulus in mulieris ornatu.* Sed de *torulo* mox curatiùs. *Tori* autem prius etymon amplexus idem apud Nonium, qui hæc adducit è lib. I. de vitâ Pop. Rom. *Quod frontem lectica struebant*, (lego. *Quòd fronde lecticam sternebant.*) *ex eâ herbâ tortâ torum appellatum: hoc quod inijcitur, etiamnunc toral dicitur lecticam quæ inuoluebant, segestria appellauant.* Ad consuetudinem eam, quâ *torum* frondibus sternebant, respexit Iuuenalis sat. VI.

Syluestrem montana torum cùm sterneret vxor
Frondibus, & culmo, vicinarúmque ferarum
Pellibus.

Qui locus validè firmat emendationem illam Nonij. Etymon tamen verum non est. Nam magis omnino placet *torus* propriè dici de *fune*, non quidem a *torquendo*, sed vel è τείνω, cuius præteritum τέτονα, vnde τόνος, vt generatim sic dicatur quicquid rotundum est: vel à τόνος, id est, *funis*, quomodo Herodotus dixit τοὺς τόνους τῆς κλίνης, *toros lectorum*, id est, *funes*. Indè *lectum* dixerint *torum*, quia lecti tenderentur *toris*, hoc est, *funibus*. Id enim Latinis olim *torus*: quomodo vsus Cato. Estque τόνος ἀπὸ τοῦ τείνειν, hoc est, *extendendo*. A τόνος autem *torus*, N in R abeunte, vt à μονὰ *mora*, à δανὸς *dirus*, à *genimen germen*, à *cluna clura*, & ita in aliis. Indéque σχοινίον *torulus*, hoc est, *funiculus*. Plaut. Amphit.

Tum meo patri autem torulus inerit aureus
Sub petaso.

Ammianus Marcellinus, lib. XXII. *Torulóque capite circumflexo*, &c. Falluntur igitur, qui in Plauti loco *trochulus* legunt. Sed & illi decepti sunt, qui *torulum* interpretantur *lectulum paruulum*. *Tori* quoque dicuntur in animali partes extantes carnosæ: nempe vel ob rotunditatem, quia musculosæ illæ partes neruis quasi toris seu funibus sunt compactæ. Maro, III. G. de equo:

Luxuriátque toris animosum pectus.————

Cic. in II. Tusc. Quæst.

ô pectora, ô terga, ô lacertorum tori.

Interpretatur illud Sophoclis:

Ὦ χεῖρες, ὦ νῶτ', ὦ φίλοι βραχίονες.

Hinc *torosus*, vt *torosa iuuentus* apud Persium, *boues ceruice longa & torosa* apud Columellam. Καὶ μεταφορικῶς etiam translatum ad *arbores*: vt discimus ex solo Vitruuio, lib. II. cap. IX. vbi *torulus* est lignum, quod cortice ambitur, proximéque ambit mediale, siue medullam: Theophrastus τὰς μήτρας appellat. Μήτραν autem definit τὸ μέσον τοῦ ξύλου, τρίτον ἀπὸ τοῦ φλοιοῦ. Vt μήτρα sit idem ac καρδία & μυελὸς, siue *medulla*. A brachiorum *toris* est *torantus*. Nam, vt Salmasius bene obseruat, in vett. Glossis, vbi legitur, *torantes*, ὀλλυτὸς, τροφὸς, item *tolarius*, ἀγκαλοτρόφος, vtrobique rescribendum *torarius* vel *torantus*, ἀγκαλοτρόφος. Sane in iisdem legas: *torus*, ἀγκάλη. *torum*, ἀγκάλη. *Torarius* igitur vel *torantus* propriè qui infantem gestare vlnis solet, *gerulum*, & posterioribus temporibus *baiulum* dixere. Hinc apud Romanos cognomen *Toraniorum*, quod à Thoraniis diuersum. Nam Θώραξ & Θωρακῖνος Græca appellatio.

TORVVS, ἀπότομος, vt exponunt Gloss. vett. Festo placet esse à *tauro*, quia animal hoc ferox & *toruum*. Sane *torui* quid aliud quàm ταυρωδῶς; vel sit à *terreo*, quasi *terribilis adspectu*. Quæ Perotti sententia est. Vel *toruus* à *torquendo*, quasi *torto vultu*: vnde & in Glossis vett. legas. *Toruum* λοξὸν. Λοξὸν verò *obliquum tortum*.

TOT à τόσα, vt à μοςμύς, *myrtus*. A *tot* est *totus* priori correptâ, quomodo vsus Manilius: vt alibi dictum tum priori porrectâ,

quia

quia *tot* in eo partes, quot ad *totum* exiguntur. A *tot* quoque vel *totus*, cùm priorem corripit, est *toties*, vt à *quot*, vel *quotus*, *quoties*. Pro eo *totiens* & *quotiens* cum N legitur in vett. libb. approbantibus id Victorino & Caprо, qui ita diserte scribere iubent. De *totidem* dictum in *Idem*.

Toxicum à *taxo* arbore venenata dictum putarunt Pomponius Sabinus in Virgil. & Brodæus comm. in Ἀλεξιφαρμάκοις, & ante hos veteres ipsi, teste Plinio, lib. XVI. cap. X. qui de *taxo* agens, *Sunt*, inquit, *qui & taxica hinc appellata dicant venena, quæ nunc toxica dicimus, quibus sagittæ tinguntur.* Verùm sententiam istam vel eo refellere est, quod differt *taxi venenum* à *toxico*: vt argumento est quod Nicander, postquam de *toxico* egerat, separatim postea de *taxo* tractat. Quare rectiùs, qui ἀπὸ τοῦ τόξου dici volunt. quo nomine Græci tum *arcum*, tum *sagittam* vocant, vt docent Homeri enarratores. Indè nomen datum, quia barbari eo sagittas inungerent: vt superior Plinij locus docet: & Virgilius in IX.

——Quo non felicior alter
Vngere tela manu, ferrumque armare veneno.

Et Lucanus:

——Tinxere sagittas
Errantes Scythiæ populi.

Rectè igitur Festus: *Toxicum dicitur cervarium venenum quo quidam perungere sagittas soliti sunt.* Prætiuit ad hanc etymologiam Dioscorides, lib. VI. cap. XX. Τὸ δὲ τοξικὸν ὠνόμασται μὲν ἀπὸ τοῦ τὰ τόξα τῶν βαρβάρων ὑπ' αὐτοῦ χρίεσθαι. Quod & apud Paulum Æginetam legas, lib. V. Τόξον verò, vt in Hellenismi Alphabeto tradit Angelus Caninius, literarum traiectione factum ex קשת, quod idem.

Trabea mutificam ἐτυμολογίαν adfert Isidorus, lib. XIX. Orig. cap. XXIV. *Trabea*, inquit, *dicta, quod in maiori gloria hominem transbearet, hoc est, vltra & in posterum ampliori dignitatis honoris beatum faceret.* In quibusdam libris pro *transbearet* legitur *transueheret*, ac nisi sequerentur apud Isidorum, quæ ostenderent, eum omnino a *trans* & *beo* deduxisse, poterat videri hæc genuina esse lectio. Nam equites *trabeati transuehebantur*. Fiebat ea *transuectio* hoc modo. Idibus Quinctilibus ex instituto Q. Fabij *equites trabeati*, equis insidentes, coronâ ornati oleaginâ, ab Honoris siue Martis templo in Capitolium *transuehebantur*. Si sine culpa essent, abibant; sin aliter, sistebant. & equum vendere iubebantur. Auctores Dionysius, Liuius, Valerius, Plinius, aliique, quos ritus hujusce auctores laudat & probat Iustus Lipsius, lib. I. de Militiâ, dialogo V. Sed, vt dixi, interpretatio, quam subdit Isidorus, ostendit eum à *beando* deriuasse. Et sic quoque ψευδετυμολογεῖ Annæus Cornutus, quem Elias Vinetus dedit. Nam iisdem verbis hæc apud eum legas in sat. III. Neutra autem ἐτυμολογία vera est sed omnino est à *trabibus*. Erat enim vestis segmentata *trabibus* purpurâ expressis. Vide quæ de *trabea* scripsere Baifius, de re vestiariâ, cap. X. VVolfgangus Lazius, lib. VIII. commentar. Reip. Rom. cap. V. Carolus Sigonius, lib. III. de Iudiciis, cap. XIX. Elias Vinetus, notis ad finem Ausonianæ gratiarum actionis pro consulatu. Ios. Scaliger, ad Festum in *trossulos*; Iustus Lipsius ad Tacit. lib. III. annal. Aldus Manutius, lib. II. de quæsitis per epistol. ep. III. & Iul. Cæsar. Bullingerus, commentario de triumpho, cap. XVIII.

Trabs, vt Isidorus ait, lib. XIX. cap. XIX. *quod in transuerso posita vtrumque parietem contineat.* Sed prius *trabes*, quod à τράφηξ. Ita Lycophroni vocatur ὁ ὑπὸ ταῖς ναυσὶ βάσις, teste Etymologo. Inde & teli genus *trifax*. Festus: *Trifax, telum longitudinis trium cubitorum, quod catapulta mittitur.* Ennius:

Aut permaceret paries percussus trifaci.

Nisi id potiùs à *triplici face*, quod Scaliger putat ad Festum. Nam & similiter *difax* à *duplici face* dixere. Gloss. vett. *Difax*, δίχαμος, διφόρητος, δίτιος. A *trabs*, *trabalis*, δοκώδης, vt exponunt Glossæ: & *trabica*, σχεδία, vt Onomasticon interpretatur. Festus: *Trabica nauis, quòd sit trabibus confixa. Pacuuius: Labitur trabica in alueos.* Ita quoque est in MSS[is].

Trachali, vt exponit Festus, *muricum ac purpuræ superiores partes*. Planè Græcum est. Nam τράχηλος, *collum*, ac Doricè τράχαλος. Nempe *conchæ pars anterior*, τράχηλος *media*, μήκων vel μηκώνιον. Mediæ sunt fauces, in quibus purpuræ est flos succi tinctorij. Vnde Aristoteles de purpurâ: τὸ δ' ἄνθος ἔχουσιν ἀνὰ μέσον τῆς μήκωνος, καὶ τοῦ τραχήλου. Plinius autem: *Sed purpura florem illum, tingendis expetitum vestibus, in mediis habent faucibus.*

Trado ex *transdo*, vt *tralatio* pro *translatio*. Integro vsus Ter. Phorm. prol.

Retrahere ab studio, & transdere hominem in otium.

A *trado tradux*, ramusculus arboris, siue auulsus, vt traducatur, siue necdum auulsus, sed qui auelli & traduci possit. Καὶ μεταφορικῶς vsus Seuerus in Ætna, cum ait, *traduce materiâ*.

Tragelaphus, τραγέλαφος, quasi dicas *hircocervus*; à τράγος, *hircus*, & ἔλαφος, *ceruus*. Sane barbam habet hirci, cornua autem cerui. Belgis vocatur *brand-hert*, quasi dicas: *flocceruus*: nempe quia colore refert *lignum semiustum*. De animali hoc Plinium vide, lib. VIII. cap. XXXIII. & Solinum cap. XXIX. vbi aiunt tantùm eo à ceruis differre, quòd villosos habent armos, & menta promissis hirta barbis. Vnde liquet, non esse id *tragelaphum*, quod pro eo exhibet Bellonius. Vt in quo nec sint cerui cornua, nec barbæ hircinæ.

Tragemata dicuntur, *quæ secundis mensis apponuntur comedenda*, à τρώγω, *edo*: vnde & τρωγάλια eadem dicuntur. vti τραγήματα ab aoristo ἔτραγον. Gloss. τραγήματα, *bellaria*.

Tragoedia, τραγῳδία· *tragœdus*, τραγῳδός, quasi *hircicen* dicas, à τράγος, *hircus*; & ᾠδὴ, *cantus*: quia præmium eius, qui *tragœdiâ* vicisset, *hircus* esset. quem ille Baccho sacrificabat. Vnde Horatius in Arte:

Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum.

Et fortasse eò respexit Maro in Eclogis cum ait:

An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula caprum?
Si nescis meus ille caper fuit. & mihi Damon
Ipse fatebatur: sed reddere posse negabat.

Nam vt in commentariis Seruio tributis, sed cùm alibi, tum super hoc loco laudantibus Seruium ipsum. *Varus tragœdiarum scriptor habuit vxorem literatissimam, cum qua Virgilius adulterium solebat admittere. cui etiam dedit scriptam tragœdiam, quam illa marito dedit tanquam à se scriptam. Hanc recitauit pro sua Varus, quam rem Virgilius dicit per allegoriam.* Alij τραγῳδίαν dici aiunt, quasi τρυγῳδίαν, à τρύξ, *feces*. quod scenici os perlinerent fece ante vsum personarum a Thespide inuentarum: quod idem tibi Horatius docet:

Ignotum tragœdiæ genus inuenisse Camenæ
Dicitur, & plaustris vexisse poëmata Thespis,
Quæ canerent agerentque peruncti fecibus ora.

Atque hoc etymon, vti & illud, ἀπὸ τοῦ τράγου, etiam adfert Cornutus vel Asper, aut quisquis auctor libelli de *comœdia* & *tragœdia*, qui Terentio præmittitur. Alij deducunt à τρυγῆς, hoc est, *vindemia*, siue quia *vindemiæ* tempore sit inuenta: siue quod tum ludi *tragici* agi, inque Bacchi honorem *caper* cæsi solerat. Vnde Maro II. Georg.

Non aliam ob culpam (scilicet quam quòd vites rodat)
Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proscenia ludi.
Præmiaque ingentes pagos & compita circum
Thesidæ posuere, atque inter pocula læti
Mollibus in pratis vnctos saliere per vtres.

Denique Isaacus Tzetzes prolegomenis in Lycophronem addit, sic dici vel quia in *tragœdiis* αἱ τραγικαὶ ὑποθέσεις, vel quasi τραχυῳδίαν à τραχὺς, id est, *asper*, eò quod agat de rebus duris atque *asperis*, vti cædibus ac mortibus heroum.

Tragopan auis, voce ex τράγος siue *hirco* & *Pane* conflata. Plinius, lib. X. cap. XLIX. *Equidem & Tragopanem, quam plures affirmant maiorem aquila, cornua in temporibus curuata habentem, ferruginei coloris, tantùm capite puniceo.* Nomen igitur, quia *Panem* referret cornibus *hircinis* & capite puniceo. Nam is color Panis. Vnde Maro in Ecl. de eo inquit:

——Quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.

Vbi Seruius: *Facie rubrâ pingitur Pan propter ætheris similitudinem.* In vulgatis Plinij codd. etiam ante quam Parmensi, perperam est *Tragopanades*: vti apud Melam, lib. III. cap. X. pro eo *Tragopomon*: vnde quidam faciunt *tragopogon*: quasi sit ab *hircina barba*. Nam πώγων, *barba*. Apud Solinum, cap. XXXIII. deficiente vltimâ literâ est *tragopa*. Ait esse *cornibus arietinis*. Debuit *hircinis* dicere. Nam τράγος, *hircus*. Vnde τραγόπαν, *Hircipan*, vt αἰγίπαν, *Capripan*.

Tragula, κεστρὸς, βολίς, vt est in Glossis: ἀγκυλητόν, vt Onomasticon interpretatur. Indéque *tragularius* Vitruuio, lib. II *qui tragulam iacit*; *Tragulam* à *traijciendo* dici vult Varro, lib. IV. de L. L. Aliter verò Festus: *Tragula, inquit, genus teli, dicta quod (inquit MSS. ex Scriuio) infixa trahatur.* vnde Scaliger *tragulam* dicendum putabat, quasi diminutiuum sit à *trahа*, vel *trahea*. Ab eadem ἐτυμολογίᾳ id *genus teli hamatum* fuisse, suspicatur Lipsius, lib. IV. Poliorcet. cap. IV. Agit de eo & Turnebus, lib. VII. cap. XII. *Tragulæ* quoque à *trahendo* dictæ sunt *verricula*, siue *retia piscatorum*. Vide eundem Turnebum, lib. XXI. cap. XIV.

Traho iuxta Nunnesium fit ab ἀρτάω, quod est *suspendo*, *facius*

vel

vel comes sum. Malim à *trans* & *veho*, quasi *traueho*, vt *tractum*, quasi *traiectum*. Nam S sæpe in compositione perit, vt *trado*, quasi *transdo*, quo vsus Terent. Contrà apud Lucretium est *traferri* pro *transferri*: ac apud Cic. in vett. codd. legas *tramittere*, quod & apud Sillium. Sed eiusdem generis sunt *tranare*, *trameare*, *traducere*, & similia. A *traho* est *tracto*, vti à *rapio*, *rapto*; à *veho*, *vexo*; de cuiusmodi verbis videndus Agellius, lib. II. cap. VI. In propriâ significatione vsus Ouid. III. Met.

———Tractata comis antistita Phœbi.

Ita libb. vett. Sed & Lucretius eodem pene modò dixit lib. III.

———Morsúque ferarum
Tractari.

Idem *tractare vitam*, eâ ratione dixit, quâ Maro *ducere vitam*. Locus Lucretij est lib. V.

Volgiuago vitam tractabant more ferarum.

Quanquam non desunt, qui *tolerabant* legere malint. A *traho* quoque est *traha*, vt monet Seruius. Nam quia rotas non habet, non voluitur; sed trahitur. Maro, I. Georg. *trahea* pro eo dicit κατ' ἐπένθεσιν. A *traha* est *trabarius*, qui *trabis* vehit sarcinas. Vsus Sidonius, lib. VI epist. II. A *traho* quoque est *tractim*, vt à *duco*, *ductim*; quibus similia *raptim*, *punctim*, *cæsim*, *saltim*. *Tractim tangere* dixit Plautus, Amph. Act. I. Sc. I. Ianus Gulielmius exponit *colaphum impingere*, eique opponi ait *ductim tangere*, hoc est, *pugno ferire*; quomodo Paullus IC. dixit, *pugnum ferro ducere*. Ab eodem dicta *tracta*, hoc est, ἑλκυσμοί, μηρύγματα, κατάγματα ἐρίων, prout à vett. criticis exponitur. Hesychius: μήρυγμα, κάταγμα ἐρίων. Sic vsus Varro, cùm ait: *Lanea tracta ministrâsset infectori.* Item Tibullus:

Ductáque de niueo vellere tracta putat.

Caussa nominis est, quòd dicatur *lanam trahere* pro *nere*. Varro γεροντοδιδασκάλῳ. *Sed simul manibus trahere lanam, nec non oculis obseruare ollam pultis, ne aduratur.* Et Lucretius, lib. IV.

Primáque dissperruant, quasi in ignem lana trahatur.

Et Pedo Albinouanus, eleg. de morte Drusi:

——— Clothoque duǽque sorores,
Pollice quæ certo pensa seuera trahunt.

Item Martialis in Xeniis:

Improba cum morsu fila manúque trahet.

Similiter *tractare lanam* dixit Iustinus, lib. I. *Indignatus tali fœmina tantum virorum subiectum, tractantique lanam, ferrum & arma portantes parere.* Contrarium est *retractare*. Appuleius, XI. Metam.

Qui fatorum etiam inextricabiliter retractas licia.

Ab ea autem *tracta* significatione, quam in lanificio habet, altera quoque orta est eiusce vocis significatio in panificio: vbi, vt me Scaliger docuit, sic dicuntur *pastilli in longum producti*, vt contrà *offa* sunt *pastilli in rotundum glomerati*. Sic *tracta* voce vtuntur Cato & Varro, atque adeò Athenæus quoque, qui Latinam vocem τράκτον vsurpauit, & in Glossis vett. est: *Tracta*, λάγανον. Quin apud Plinium quoque legit Scaliger: *Itaque à tractis herbam eam conuolui, atque ita offas fieri.* Vt sententia sit, herbam priùs in minimas *tractas* componi, deinde ex aliquot *tractis* in grandiores *offas* digeri. Vide, si voles, Scaligerum epistola ad Vertunianum, quæ est in opusculis postumis. A *tracta* τῷ μεταθέσει factum videri possit nostrum *tarte*. quod & Turnebum alicubi in Aduersariis scribere memini. Sed potiùs censeo *tarta* esse ex *torta*: quomodo superioribus seculis dici solere, cognoscimus ex Catholico Ioannis Genuensis. Imò & in Glossis est, τόρτα, *placenta*. Pro quo corruptè apud Papiam *toria*. Nomen *torta*, quia in orbem torqueatur. A *tracto* est *obtrecto*, vbi *ob* significat *contrà*. Nam, vt Festus ait, *obtrecto* esse *contra alius sententiam tracto*. Vbi perperam MSS[1] quidam, *contra scientiam tracto*. Sic, *Detrectare est malè tractare*: vt idem ait. *Attrecto*, etiam & *contrecto*, quid propriè notent, satis ex iis perspicuum est, quæ de simplici *tracto* ante diximus.

TRAMA, *filum quod intra stamen currit*, vt inquit Seruius ad III. Æn. Dicitur *trama*, quòd *trameat stamen & subtemen*. Id Cæsar Scaliger sic expressit in Arist. lib. IX. hist. Anim. cap. LXIII. sect. CCCII. *Trama, quod trameat inter filum & filum mutua superequitatione.* Inuenitur apud Varronem, lib. IV. de L. L. *Trama, quòd tranat frigus id genus vestimenti.* Vbi Ob. Giffanius, in Indice Lucretiano legendum monet: *Trama, quòd trameat filum densum genus vestimenti.* Scaliger emendat, *trama, quod trameat frugionis vestimentum.* *Frugio* idem quod *Phrygio*, de quo suo loco. Puto vulgarem lectionem esse genuinam: nisi quòd pro *tranat*, *trameat* legi debere res ipsa clamat. Καὶ μεταφορικῶς *trama* vocem vsurpat Persius:

———mihi trama figuræ
Sit reliqua: ast illi tremat omento popa venter.

Quem ad locum docet Casaubonus, quid sit *stamen*, *subtemen*, *trama*: in quibus vocabulis plurimi falluntur. Ipsum adi, & quæ de *stamine* ac *subtemine* suo loco diximus. Hinc apud Papiam *Tramoserica vestis*, *quæ*, vt inquit, *stamen ex lino, tramam verò ex serico habet.* Quæ ex Isidoro exscripsit, vt liquet ex iis, quæ in *Sericum* diximus.

TRAMES, *semita transuersa*, imò à *transuerso* dicta, vt ait Varro, lib. VI. de L. L. Rectè si rem spectes. Ἀτραπὸς verò est à *tramite*, quia transuersus scindat viam rectam. *Trameo* dicitur pro *transmeo*, quomodo & *tralatio*, & *trado*, & *trano*, dicitur, pro *translatio*, & *transdo*, & *transno*, siue *transnato*, hoc est, διανήχομαι, διαπερῶ, vt Glossæ exponunt. Siniléque & *tramo* pro *transmo*. Inuenias *trameandi* vocem apud Lucretium, lib. IV.

———Species quæ trameat omnis.

Sed & lib. VI. legendum putat Ob. Giffanius:

———integra transit
Multa foraminibus liquidis, quia trameat ignis,

Vbi in vulgatis *transiat*. Varronem quoque vsum, patet ex iis quæ in *Trama* diximus. *Trames* quoque est ἄγκος siue *conuallis*, ac generatim *locus saltuosus virgultisque obsitus*. Seruius: *Tramites sunt conualles, quæ de lateribus vtrimque pernix fastigiant montes: quæ soleat etiam saltus nuncupari.* Pro *siluâ* accipi monet Scaliger illo Propertij lib. III.

Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Vmbro
Tramite:

Vel & illo:

Et si fortè meo tramite quæris auem.

TRANQVILLVM de *mari* propriè dicitur, vel *serenum de cœlo*, vt in Catholico suo ait Ioannes Genuensis. Qui & *tranquillum* propterea dici ex eo putat, quia *transeat quietè*. Eadem Papiæ sententia est. Malim tamen priorem partem vocis *trans*, quàm *transeo*, statuere. Et quod ad posteriorem partem, non satis liquet, siue ex eo, quòd *trans quietè*, an quia *tranant quæ*. A *tranquillitate maris*, quâ nidificat *alcedo tranquilla* videtur vocata. Sed non aliunde hoc colligi potest, quam Glossis, vbi legas, *Tranquilla*. ἀλκυονὶς, ἡμ. γαλήνη. Vt sententia sit, *tranquillam* nunc ἀρχαϊκῶς dici de *alcedine*: nunc vsitatè de *tranquilla anni tempestate*, ac præcipuè *maris malacia*.

TRANS, iuxta Nunnesium in Grammatistice, venit τῷ μεταθέσει à πέραν, eiusdem notionis voce: vt π abeat in t, quomodo à σπουδὴ, *studium*; à πταίρω, *sternuo*, ac *sternuto*.

TRANSENNA quid sit, etiam inter eruditissimos homines disputatio est. Quod nemo negarit, qui legerit Turnebum, lib. V. cap. IX. Brodæum, lib. IV. cap. XIX. Lambinum ad Bacch. Act. IV. Sc. VI. & alios, qui post eos scripserunt. In eo dissensu dicam, quid maximè probem. *Transenna* est *opus cancellatum*, siue *reticulatum*, atque, vt Græci vocant, δικτυωτόν: atque appellatio ex eo, vel quia *adspectus transeat*, contrà quàm fit in corpore solido: vel quia *pertica*, *unde transenna fit*, *se transeant mutuò*: vt quæ lignis constet transuersis: vnde Varro in III. de R. R. cap. V. vbi de turdis loquitur, requirit *perticas inclinatas ex humo ad parietem, & in iis transuersis gradatim modicis interuallis perticis annexis ad speciem cancellorum scenicorum, & theatri.* Nimis laxè Nonius *transennam* interpretatur *fenestram*. Neque enim *qualibet fenestra* sic dicitur; sed *vbi spatium fenestra implent cancelli*: hoc est, cùm *fenestra* vel *ianua* est *reticulata*. Vnde θυρὶς δικτυωτὴ vocatur τοῖς ἑβδομήκοντα, III. Reg. aliis ὀπὴ διάφραγμα. Polybio θυρὶς διαφανής: quomodo & *perlucentem transennam* dixit Paullinus, epist. XII. ad Seuerum. In Glossis legas: *Transenna*, ἀγκυλὶς. At ἀγκυλὶς idem ac κιγκλίδες, vt ex octauo Pollucis & Aristophanis Scholiaste constat. Quare ex his colligimus, *transennam* siue *transenam* dici, siue *adspectus* ratio habeatur: siue *perticarum transuersarum*: vt diximus. At omnino Becmanus duriùs, qui ait conflari ex *trans* & *senna*, hoc autem esse ex סנש, hoc est, *transenna*: vel hoc à שנן. *Transennam* propriè, vt dixi, notare *opus cancellatum* siue *reticulatum*, indicat locus iste Ciceronis, lib. I. de Oratore, quem & Nonius adduxit: *Nunc pete à Crasso, vt illam copiam ornamentorum suorum, quam constructam vno in loco, quasi per transennam prætereuntes strictim perspeximus.* Non est caussa satis grauis, cur hunc Ciceronis locum esse corruptum arbitretur. Sed rectè est, quod agnoscit, si locus is sanus sit, per *transennam* intelligi *fenestram cancellatam*. Turnebo autem assentire non possum, qui existimat, Ciceroni hoc loco *transennam* dici *spatium peruium inter conclauia, triclinia, & cœnationes*: vt nomen ex eo sit, quia *ex vna aditum parte transitur in aliam*. Sanè ne Paullino quidem id *transenna* est, quod Turnebus censet: verùm *cancelli*, quibus diuidebantur sanctuarium

ctuarium & popularis Atque vt eius ætate pro *transitu transenna* voce vsi essent, negat tamen Nonius id *transennam* esse, vt vulgò putarent Ciceronis quidem ætate non aliter sumsisse, quam pro *cancellis* vel *opere reticulato*. Neque diffiteor etiam *transennam* dixisse *ostium circi*, vnde quadrigæ emitterentur Sed hoc eo factum quòd esset *cancellatum*. Hæc Circi *transenna* dimittebatur fune quod non Tzetzes modò testatur, sed Cassiodorus quoque his verbis: *Ostia ab Hermulis, funibus demissis, subitâ æqualitate panduntur*. Atque hæc caussa est, cur *transenna* etiam accipi cœperit pro *fune* eo, quem dixi. Hinc Glossæ: *Transenna*, ἀφεσις ἐν ἱπποδρομίῳ σημεῖον. Etiam in Glossis legas: *Transenna*, ὕσπληξ, ἄφεσις, κατὰ μαππῶν σημεῖον. Vbi tria coniunguntur, sed diuersa: coniuncta tamen tempore; quæ caussa est cur confundantur. Primùm exponitur ὕσπληξ quod *carceres* notat, *vnde equi emittuntur*. Sequitur ἄφεσις, hoc est, ipsa *equorum demissio*. Tertium est, κατὰ μαππῶν σημεῖον, hoc est *signum, quod mappa missione* ab eo dabatur, qui *mapparius* inde vocabatur Quo signo dato, quadrigæ emittebantur carceribus. Quòd si illa *transenna* significatio pro *fune*, quo demisso *transenna* aperiebatur, est συνεχδοχικὴ, satis liquet, errare eos, qui arbitrantur, *transennam* propriè dici de *fune*: ac vocari *transennam* quasi *transtentam*, a *trans* & *tendo*. Voluit hoc Isidorus, lib. XIX Orig. cap. I. *Hinc & traiectus, id est, extentus. Est enim funis latus, vnde & transenna dicitur extentus funis.* Quem locum more suo ex Seruio descripsit Isidorus. Is enim ad illud v. Æn.

———Et volucrem traiecto in fune columbam:

scribit hunc in modum: *Traiecto, extento, vnde transenna dicitur extentus funis.* Sallustius: *Machinato strepitu transennâ corona in caput imponebatur.* Hæc Seruius. Sed Sallustij locum pleniùs legas apud Nonium. Is enim hæc verba citat e secundo historiarum: *Transenna demissum Victoriæ simulacrum machinato strepitu coronam capiti imponebat.* Sed qui *transennam* propriè *funem* esse arbitrantur, (in quibus etiam est magnus Turnebus) tuentur se Plauti loco, Bacch. Act. IV. Sc. IV.

Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit.

Et Persâ, Act. IV. Sc. IV.

Nunc ego hominem hodie in transennam doctum ducam dolis.

At nihil cogit, vt hìc per *transennam* intelligamus *funem*. Quin potiùs per *transennam* capere oportet *cratem* vel *reticulatum opus*, quod suspendi solet, hordeo aliàve escâ sub eo adspersâ, vt simulac subiere cratem siue rete, illud dimittatur, atque ita aues capiantur. Hæc significatio parum abest ab ea, quâ sumitur pro *cancellis* vel *opere reticulato*. vt propter illa Plauti loca nihil opus sit aliud etymon quærere.

TRANSTRI de voce sic Festus *Transtra & tabulæ nauium dicuntur, & tigna, quæ ex pariete*; ita quoque est in MSS. Nansij) *in parietem porriguntur*. Ergo aliud sunt *transtra* in *ædificio*, aliud in *naui*. In *ædificio* sic dicuntur *trabes transuersæ*: in *naui scamna remigum*, quasi *transuersim strata*, vnde Glossæ Phil. ζυγὰ exponunt: Gloss. Cyr. ζυγὸν ξύλου πλοίου. Priori modo vtitur Vitruuius, lib. IV. cap. II. posteriori Maro, Æn. v. Vtraque significatio à *transeo*, vnde *transtrum* κατὰ συγκοπὴν quasi *transiterum*, vt à *monstro monstrum*, quasi *monestrum*. Id magis placet, quam Petri Nunnesij in Grammatistice opinio, vt *transtrum* sit à Græco θρανίον, quo *nauium transtra* denotantur. Erant & in machinis *transtra* & ὑποκοριστικῶς *transtilla*; quorum meminit Vitruuius, lib. v. cap. XII. & lib. x. cap. XX. Vide de his & imprimis de *ædificiorum transtris* Bernardinum Baldum.

TRAPETVM, vt ad II. Georg. monet Seruius, est *mola olearia* Glos. Phil. *Trapetum*, ἐλαιῶν μύλος, ἐλαιουργεῖον. Gloss. Cyr. ἐλαιοτριβεῖον, *trapetum*. Virgil. II Georg.

Venit hiems: teritur Sicyonia bacca trapetis.

Martialis, in xenijs, epigr. XXXVI. (cuius lemma in veteribus libris est, *cistella oliuarum*. non vt in vulgatis, *oliua*.)

Hæc quæ Picenis venit subducta trapetis,
Inchoat atque eadem finit oliua dapes.

Vide & Catonem de R. R. cap. XVIII. XXI. XXII. vbi refertur tam inter *torcularia vasa*, quàm *olearia*. Est à τραπέω, quod est, *calcare*, & speciatim *calcare vuas in lacu*: vnde τραπητός, *mustum*. Hesych. τραπητός, οἶνος.

TRAPEZITA, τραπεζίτης, hoc est, *argentarius nummularius*, à τράπεζα, quod dicitur quasi τετράπεζα, a τέτταρα πέζας. Ita sit *mensa quatuor habens pedes*; sed generatim pro *quauis mensa* accipitur, ac speciatim pro *mensa argentariorum*. quomodo & vox *mensa* interdum à Latinis vsurpatur, vt cum Cicero in Pisonianâ ait *Stipendium militibus mensis palam propositis esse numeratum* Indéque *mensarius* teste Festo qui aliter *nummularius*. Quod nisi satis verisimile esset [illegible] aliarum & iam à veteribus summo receptu consensum, possis τράπεζα etiam deducere ab Hebraicè [illegible], hoc est, *esca*.

TREBACVS, vel *trebax* ex τρίβακος, vt *Britannus*, Βρεττανός, *heri*, *here*, &c. Nam promiscuè his vsi literis. Τρίβακος quibusdam ὁ ἐντριβὴς πραγμάτων, vt ait Eustathius. Est ergo τρίβακος, *qui multo vsu exercitatus est & tritus*, nempe à τρίβω, *tero*: quasi dicas, ἐμπειροτριβακός. Similitérque & *lucernam tritam* dixere τρίβακον, quod aliter τριβώνιον, nempe eâdem origine. A τριβώνιον, credo, *Triboniani* nomen. Sed à Τρίβακος, *Trebatius*, cuius notio non multùm abit ab *Catonis* nomine. Nam vt hoc quasi *catus* & *prudens*: ita illud, quasi Τρίβακος & *multo vsu subactus*. *Trebaci*, vel *trebacis*, voce vsus Sidonius, lib I. epist. XI. *Colligit itaque sese trebacissimus senex.* Et lib. IX epist. XI. *Quicquid super huiusce scripti tenore censueris, malui factum confiteri simpliciter, quàm trebaciter diffiteri.* Vbi *trebaciter* & *simpliciter* opponuntur. Simplex est veritatis oratio Ad fraudem tegendam, ingenio opus est, eóque multo vsu subacto. Ergo *trebaciter* valet *callide*, more *trebacissimi* alicuius senis. Nec enim doctissimo Saraceni adsentio, qui *simpliciter* putat valere semel: *trebaciter*, terte, & sæpè.

TRECHEDIPNA, vt indicat vetus Iuuenalis Scholiastes, sunt *vestes cœnatoriæ*, ac maximè quæ parasitis in vsu erant, quales *Græcè caligulæ*, éstque ea vox à τρέχειν, hoc est, *currere*, & δεῖπνον, id est *cœna*, quòd ijs induti currerent ad cœnas. Turnebus. lib. III. Aduers. cap. XVII. & ex eo Stuckius lib II. conuiual. cap. XXVII. censet sic iocoso vocabulo appellari *vestes gymnasticas*, quæ aliàs *endromides* dicuntur. Sed fallitur vterque. Vsus voce eâ Iuuenalis, lib. I. sat. III.

Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine.

Ad quem locum in codice suo Ios. Scaliger adscripserat, significari [illegible]. Id cuiusmodi sit, pleniùs explicat in quincto de Emendatione temporum. In Glossario Philoxeni lego: *cupidicenus* (quasi *cupidum cœnæ* dicas) τρεχέδειπνος. Cœlius Calcagninus, lib. III. epist. I. vult *trechedipna* κατ' ἀντίφρασιν dici, quod probat auctoritate Plutarchi in Symposiacis, lib. VIII. quæst. VI. scribentis, eos vocatos τρεχεδείπνους, qui appetentes licèt & ambientes alienas cœnas, in morâ tamen essent cæteris conuiuis tardiùs accedentes. Verùm Plutarchus & alteram notionem agnoscit ibidem: nec vocis iste vsus quem Calcagninus probat, ad Iuuenalis locum facit quicquam.

TREMO à τρέμω, quod idem notat: ac factum à sono corporum, qui ex motibus contrarijs oritur. Eadem ratio vocis *trepido*. Quamquam Festus putârit hoc esse a τρέπω, id est, *verto*. Sic enim scribit: *Trepit, vertit; vnde trepide, & trepidatio, quia turbatione mens vertitur*. Ita quoque est in MSS. Sed nec *trepido* multùm abit à τρέω, quod idem notat. Vnde Nunnesius deducebat.

TRES, τρεῖς; *tria*, τρία; *ter*, à τρὶς κατ' ἀποκοπὴν. Nisi *ter* à *tres*, vt τρὶς à τρεῖς. *Tertius* item, vel à *ter*, vel ab Æolico τέρτος pro τρίτος. Estque τέρτος, vnde τρίτος, à Punico *thelath*, תלת, iuxta Angelum Caninium. Nempe ex θάλτος fuit θέρτος vnde τέρτος. Conuersum λ in ρ, vt in [illegible] à [illegible], quod idem. A *tertius* est verbum *tertiare*, hoc est, *tertiò iterare*; vt *tertiare agrum*. tertiò proscindere. Similitérque *tertiata verba* in quibus tertio quid repetitur, vt in perturbationibus fieri solet. Id verisimilius, quàm vt *tertiata verba* sint, *quando tertia solum pars exauditur*. cætera supprimuntur aut intelligi non possunt, quod & ipsum vsu venit, quando loquuntur exanimati.

TRIARII, qui, & vnde dicantur, docet hic locus Varronis: l. IV. de L. L. *Hastati dicti, qui primi hastis pugnabant; Pilani, qui pilis: Principes, qui à principio gladijs. Pilani, Triarij quoque dicti, quòd in acie tertio ordine extremis subsidio deponebantur. Quod hi subsidebant; ab eo subsidium dictum.* A quo Plautus:

Agite nunc, subsidete omnes, quasi solent triarij.

Vide de ijs Vegetium, lib. III cap. XIV.

TRIBVS dicitur *quod tributum exigitur, & in publicum confertur*. Est igitur à *tribus*. A *tribus* verò *tributum*, *quia ex priuato in publicum tribuitur*: vt ait Festus.

TRIBVLVM *vehiculi genus, quo, vt* Seruius ait, *matura fruges in areâ teruntur, siue triturantur.* Augustinus, libro I. de Ciuitate Dei, cap. VIII. *Sub eadem tribula stipula comminuuntur, frumenta purgantur.* De etymo Varro, libro IV. de L. L. *Hinc in messe tritura, quòd tum frumentum teritur, & tribulum, quo teritur.* Fauet ita Plinius, lib. XVIII. capite XXX. *Messis alibi tribulis in area, alibi equorum gressibus exteritur.* Vide & Varronem, libro I. cap. X. vti & Papias, & alij. Calepinus, vt veteres eius editiones ostendunt, *tribulum* dici putabat à *tribus lateribus*: quod ineptum. Nam omnino est à *terendo*. Nempe vt à *lateo*, *latibu-*

 lum,

lum; à pateo, patibulum; ab infundo, infundibulum; sic à tero terribulum, & τῷ συγκοπῇ *tribulum*. Vel potiùs à *tritum* est *tribulum*; vt à *fissum*, *fissibulum*. quo vsus Plautus Pœn. Act. I. Sc. II Similitérque à supinis sunt *exoraibulum*, *munasciabulum*, *suscitabulum*, *tintinnabulum*, *venabulum*, *conciliabulum*, pluráque alia. Quare nec opus vocem *tribulum* cum Becmano arcessere à Græco θλίβω, vt λ in ρ mutetur ; quomodo à σίλφη est *sirpe*. Etsi non ignorem, significatione conuenire. Nam in Glossis Philoxeni est : *Tribulatio*, θλίψις. Et in Glossis Cyr. θλίβω, *tribulo*, *pressio*, *premo*, θλίψις, ἡ ζῆσις, *pressura*, *tribulatio*. Nec *tribulare* quo Ecclesiastici scriptores vtuntur pro *affligere*, à θλίβω esse puto, quamquam significatione conueniant, sed à *tribulum*, vt inde posterior ætas formauit *tribulare*, quâ ratione eadem à *tritura* dixit *triturare*. Ita *tribulare* propriè erit hominem calamitatibus terere, haut secus ac spicæ *tribulo* teruntur. Pro *tribulum* etiam *tribula* dicitur. At *tribulus* aliud est. Nempe *spinæ genus*, quod & Græcis ita vocatur. Gloss. Cyr. Τρίβολοι, ἄκανθαι. *Tribulus*, *sentes*, *spina*. Nomen ex eo, quia habet τρεῖς βελόνας, *tres cuspides*. Vsus Matth. cap. VII. Μήτι συλλέγουσιν ἀπὸ τῶν τριβόλων σῦκα ; *nunquid colligunt de tribulis ficus* ? Sed & τρίβολοι Græcis, ac *tribuli* itidem Vegetio, lib. III. cap. XXIV. à *triquetrâ figurâ* dicuntur, qui aliter vocantur *murices*, quos spargere moris erat contra camelos, aut quadrigas falcatas, aut oppidanorum eruptionem. Nec repugnem, si quis *tribulare* non tam à *tribulo* siue *plaustro triturij*. quàm ab hac notione deducat, siue quâ *herbam*, siue quâ *muricem* notat cùm & hic, & illa, infestos protendat aculeos. Itaque *herbam ancipitem* vocat Prudentius, lib. II. in Symmachum :

> *Ancipites tribuli subeunt, & carduus horrens.*
> *Hos fert sicca situ, hunc ebrius educat humor.*

Prior tamen est notio *tribuli* pro *herba* quàm pro *instrumento* [illegible]. Nec enim dubium, quin [illegible] postea tributum *instrumento* ob eminentes cuspides. Differunt autem *tribulus* & *tribula* seu *tribulum* non modo genere, origine ac significatione sed etiam quantitate. Maro, I. G.

> *Lappæque tribulique.——*

Idem eodem :

> *Tribuláque trabeæque.——*

TRIBVNAL à *tribunus*. Nam, vt ab *anima* est *animalis* & *animale*, & per ἀποκοπὴν est *animal*: ita à *tribunus tribunalis* & *tribunale*, & ab eo *tribunal*. Nam propriè est *sedes tribuni*, vt Papias exponit, hoc est, *solium*, siue *locus sublimior*, *vbi is ius dicit*. Sed per συνεκδοχὴν sumitur pro *quouis loco vbi ius redditur*. Cyrill. Gloss. Βῆμα ἐπὶ ἄρχοντος, *tribunal*. Onomasticon: *Tribunal*, βῆμα δικαστηρίου. Dicitur autem βῆμα à βαίνω seu βάω, quia, cùm elatius sit, scandi oportet.

TRIBVS dici videtur à Græco τριττὺς siue τρίττυς, vnde τριττυάρχος ὁ ἄρχων τῆς τριττύος. Sic vt suspicer, facit, quod leuiculâ tantùm immutatione sit opus, literæ Γ in B, quæ in alijs quoque occurrit, vt cùm à τέρετρον dicitur *terebra*, à λίτρα, *libra*, &c. Summa quoque est significationis affinitas, siue sequamur Pollucem, Eustathium, & Aristophanis Scholiastem, qui aiunt τριττὺν idem esse quod ἔθνος ac φρατρίαν ; siue Harpocrationem, Suidam, & Etymologum, qui esse docent τρίτον μέρος τῆς φυλῆς. Isidorus tamen, lib. IX. cap. IV. *tribus ait dici*, *quòd in principio Romani trifariam fuerint à Romulo dispertiti*. Et quid Isidorum dico ? quando idem antiquiores vno ore volunt, quibus hac in re nolim magnopere aduersari. Loca eorum adferam quo simul pareat, vnde nomina *tribuum* (quæ fortasse Hetrusca sunt) deriuarint. Varro, l. IV. de L. L. *Ager Romanus primum diuisus in partes tres, à quo tribus appellata, Tatiensium, Ramnium, Lucerum ; nominata, vt ait Ennius, Tatienses à Tatio, Ramnenses à Romulo, Luceres, vt ait Iunius, à Lucumone. Sed omnia hæc vocabula Tusca, vt Volumnius, qui Tragœdias Tuscas scripsit, dicebat.* Eâdem de re sic Asconius Pedianus in III. Verr. *Tribus principio tres fuerunt, Tatiensis vna à Tatio rege, Ramnensis altera à Romulo, Luceres altera à Lucumone, siue Lucretino, siue à luco, quem locum Asylum vocauerat Romulus.* Et paullò pòst : *Obtinuerunt autem nomen aut à tributo dando, aut quia primò tres fuerunt, vnde etiam Tribuni.* Plinius de viris Illustribus : *Tres equitum centurias instituit, quas suo nomine Ramnenses, à Tito Tatio Tatienses, à Lucumone Luceres appellauit.* Hæc Plinius, vel potiùs Cornelius Nepos, quando contra veterum librorum fidem Plinio tribuitur: vt iam olim scripsit Hermolaus Barbarus, castigat. in Plin. lib. XVI. cap. XXIX. Vide & de eius libri scriptore Gyraldum, dialog. XXVI. De *tribubus* verò istis sic quoque scribit Plutarchus in Romulo : Φυλὰς δὲ τρεῖς καταστήσαντες, ὠνόμασαν τοὺς μὲν ἀπὸ Ῥωμύλου, Ῥαμνήνσεις, τοὺς δὲ ἀπὸ Τατίου, Τατιήνσεις ; τρίτους δὲ Λουκερήνσεις, διὰ τὸ ἄλσος, εἰς ὃ πολλοὶ καταφυγόντες ἀσυλίας διδομένης, τοῦ πολιτεύματος μετέσχον ; τὰ δὲ ἄλση λούκους ὀνομάζουσιν ; ὅτι δ' ἦσαν αἱ φυλαὶ τοσαῦται, τοὔνομα μαρτυρεῖ ; τρίβους γὰρ ἔτι νῦν τὰς φυλὰς καλοῦσι, καὶ τριβούνους τοὺς φυλάρχους. *Cum verò tres constituissent tribus, nomina hæc ijs fecerunt, Ramnenses quidem à Romulo, Tatienses verò à Tatio, tertia autem Lucerenses à luco asyli, in quem multi fugâ delati ciuitate donati sunt. Tres verò tribus fuisse, indicat ipsum nomen. Quippe nunc quoque, quas Græci φυλὰς, ipsi tribus vocant, quique ijs præsunt, tribunos.* Ex Asconij & Plutarchi verbis *tribuni* quoque vnde dicantur, cognoscitur : Pleniùs de eo Pomponius, lib. II. de Origine iuris, §. 20. *Dicti*, inquit, *tribuni*, *quòd olim in tres partes populus diuisus erat, & ex singulis singuli creabantur, vel quia tribuum suffragio creabantur.* Mihi placet, dictos *tribunos*, quia *præerant tribubus* ; quâ ratione *curiones* vocati, *qui præessent curijs*, hoc est, *decimæ tribus cuiusque parti*. Est autem *tribunorum* nomen antiquissimum, atque vnà penè cum vrbe natum. Nam & sub Romulo fuit *tribunus Celerum*, qui equitibus præerat, & velut secundum à rege locum obtinebat. Talis sub Tarquinio superbo fuit Iunius Brutus. Postea pro *tribuno* dictum *Magister equitum*. Postremo *præfectus prætorio*. Auctor idem Pomponius. Vnde autem *Tribunus Celerum* dictus sit, docet his verbis Dionysius Halicarnassensis, lib. II. [illegible] Κελέρες, ὡς μὲν οἱ πλείους γράφουσιν, ἐπὶ τῆς ὀξύτητος τῆς ὑπηρεσίας ; τοὺς γὰρ ἑτοίμους καὶ ταχεῖς περὶ τὰ ἔργα, κέλερας οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσιν ; ὡς δ' Οὐαλλέριος ὁ Ἀντιεὺς φησιν, ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος αὐτῶν ταύτης ἔχοντος τοὔνομα. *Hi autem cuncti commune habuerunt nomen, quod & nunc in vsu, Celeres, vt plerique tradunt, à ministerij celeritate ; nam promtos, & ad opus veloces Romani vocant celeres : sed vt Valerius Antias ait, à duce suo, cui id fuerit nomen.* Valerium Antiatem sequitus Festus. Sic enim scribit : *Celeres antiqui dixerunt, quos nunc equites dicimus, à Celere interfectore Remi, qui initio à Romulo ijs præpositus fuit, qui primitus electi fuerunt ex singulis curijs deni, ideóque omnino trecenti fuere.* Sed si ab antiquis hac quoque in re dissentire licet, contenderim, *celer* esse à κέλης, quod propriè signat *equum desultorem*, sed non rarò etiam dicitur de equite ipso, hoc est, qui non bigis aut quadrigis, sed equo certat singulari. Estque eadem sententia Iulij Scaligeri, I. Poët. cap. XXII. & Angeli Caninij in Hellenismi Alphabeto. Fuere & *tribuni militum*. Sic autem dicti, quòd *militibus*, hoc est, *peditibus*, *præessent*. Diuidebantur hi in *rufulos* siue *rutulos*, & *comitiatos*. Asconius Pedianus in Diuinat. *Tribunorum militarium duo sunt genera ; primum eorum, qui Rufuli dicuntur ; hi in exercitu creari solent ; alij sunt comitiati, qui Romæ comitijs designantur.* Festus Pompeius : *Rufuli tribuni militum appellabantur, quos Coss. faciebant, non populus : de quorum iure, quòd Rutilius Rufus legem tulerat, quâ ris cauebatur multis modis, (sic enim elenauerant eorum ius, ac tunc elenabant, qui populi suffragio creabantur,) rufuli à cognomine Rutili ac post rutilij appellati sunt.* Liuius, lib. VII. *Cum eo anno primùm placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri, (nam & antea, sicut nunc, quos rufulos vocant, imperatores ipsi faciebant,) secundum in sex locis tenuit.* Præterea erant *tribuni ærarij*, qui sic vocati, non quia *publicas pecunias conquirerent* : hoc enim, vt testatur Varro, lib. IV. *quæstorum munus* fuit ; sed quòd ijs, vt eopse libro Varro ait, *attributa erat pecunia, vt militi reddant* : hoc est, quod à quæstore ex ærario pecunia ijs tribueretur, quam in stipendium militum erogarent. Sed omnium celebratissimum est nomen eorum, qui *tribuni plebis* dicuntur, quomodo vocati, quia pro *plebe* creabantur, & quia pro *plebe*, idcirco etiam ex plebe, nisi quod semel patricios duos cooptatos legere sit apud Liuium lib. III. imo ferè ex infimâ plebe, vsque dum lata lex vt crearentur tantùm è Senatu, id est, vt nemo fieret *Tribunus plebis*, nisi qui antea senator fuisset : senator tamen plebeius. Num verò ab Syllâ, an ab alio *tribunatus* à plebe ad senatum translatus sit negat constare Appianus, lib. I. Ἐμφυλ. Sanè liberâ adhuc Rep. in vsu fuit : vnde Tranquillus in Augusto, cap. X. *Et quo constantius cætera quoque exsequeretur, in locum Tribuni plebis fortè demortui candidatum se ostendit ; quamquam patricius, necdum senator.* Et cap. XL. *Comitijs tribunitijs, si deessent candidati senatores, ex equitibus Romanis creauit.* Quem locum malè ab interpretibus de *tribunis militaribus* intellectum optimè in animaduersionibus suis exposuit doctissimus Casaubonus. Lucem hinc quoque accipit illud Plinij, lib. II. epist. IX. *Ego Sexto latum clauum à Cæsare nostro, ego quæsturam impetraui, meo suffragio peruenit ad ius tribunatus petendi, quem nisi obtinet in Senatu, vereor decepisse.* Fuere & alia *tribunorum genera*, imprimis sub principibus, ac maximè posterioris æui. *Tribuni Scholarum*, nominantur L. VIII. C. de erogat. mil. ann. lib. XII. Rubrica de comitibus

tibus & trib.scholarum. & apud Marcellinum, lib. XXII. *Tribunos vagorum* in l. penult. C. de apparitoribus magistr. milit. lib XII. *Tribunum fabrum* in veteri inscriptione, pag. CCCCXXXVII. II. *Tribunum fori suarii*, CCLXXXIV. IV. edit. Gruteri. item *Tribuni monimentorum* apud Cassiodorum. lib XII. Var. epist. XXIV. & *voluptatum, chartariorum, prouinciarum* apud eundem. lib. VII. epist. X. XLVII. & XXX. Dicti autem *tribuni voluptatum*, quorum munus erat moderari scenicas atque alias ludicras populi voluptates, vt monet Lipsius de amphitheatro, cap. XV. Hæc fusius prosecuti sumus, vt eadem exponeremus & quid signent, & vnde sint nomina *tribus*, Ramnium, siue Ramnensium. Tatiensium, quos quidam Titienses nominant. Lucerum, tribun celerum, rufulorum, rutilorum, comitiatorum tribunorum ærariorum, ac denique cur *tribuni* quidam speciatim *plebis tribuni* dicti sint, quámque latè *tribuni* vox extensa sit inferioribus seculis. Quod si scire voles, vt augescente Rep. è *tribubus tribus* paullatim factæ sint quinque & triginta: si item nosse animus, quæ earum nomina fuerint, vndéque dictæ: tum autem, quod *tribunorum* plebis officium fuerit ac potestas: cùm eos adi qui scripsere de magistratibus veteris populi Romani, tum imprimis Onuphrij Panuini commentarios in I. Fastorum, & libro II. commentationum Reip. Romanæ. A *tribu* dicti *tribules*, qui essent ex eadem *tribu*.

TRICÆ interdum pro *nugis* accipitur, quomodo vsus Plautus. Rudente. act. V. sc. II.

> GR. *Quid dare velis, qui istac tibi inuestiget, indicétque?*
> *Eloquere. propero celeriter.* LA. *nummos trecentos.* GR. *tricas.*
> LA. *Quadringentos.* GR. *tramas putridas*, &c.

Ac dixit similiter Martial in Apophoretis, epigr. I.

> *Sunt apinæ tricæque, & si quid vilius istis.*

Quod verò *apinas tricásque*, dicimus pro rebus futilibus & nugatorijs, id est, ab duobus ignobilibus Apulorum oppidis: vt ostendit hic Plinij locus, lib III. cap. XI. *Diomedes ibi deleuit gentes Monadorum, Dardorúmque, & vrbes duas, quæ in prouerbij ludicrum vertere, Apinam & Tricam.* Alias *tricæ* dicuntur *impedimenta*, siue quia res nugatoriæ ac friuolæ impediant negotia seria: siue quia translatio sit à *pilis pullorum gallinaceorum pedes inuoluentibus*: quos propriè *tricas* dici indicat Nonius, nempe à Græco τρίχες, id est, *pili*. Quamquam nihil prohibet, quominus dicamus vniuerse sic vocari *pilos mutuò implexos*; & figuratè tum *quaslibet res viles*, tum *impedimenta*. Posteriori modo vsus Plautus, Pers. Act. V. Sc. II.

> *Vt me in tricas coniecisti.*

Hoc est, in statum intricatum, & vnde quis difficile aut neutiquam se possit expedire. Alij *tricas* hic interpretantur, quomodo vsus eâ voce Euagrius interpres vitæ Athanasij. Sed falli puto. A *tricis* sunt *intricare*, pro *impedire*; & *extricare* pro *expedire*. Ad originem allusit Varro γερονποδιδάσκαλος.

> *Putas eos non citius tricas Tellenas, quàm id extricaturos?*

In vulgatis pro *Tellenas* est *Atellanas*; sed *Tolena* habent MSS., ac proximè accedunt editt. vett. vt Veneta anni CIƆCCCCXCVI. in qua *Tellanas* editum. *Iamdudum me fateor hæsitare, circumuiscere, sergiuersari, tricas, quemadmodum dicitur, conduplicare Tellenas.* A *tricis* est *tricari* apud Ciceronem, lib. XIV. ad Atticum epist. XIX. & alios. Significat id λαγγάζειν siue ὀκνεῖν. Hinc *tricones*, & *tricosi*. Glossæ Latino-Græcæ Philoxeni: *Tricosus*, ἀχρεῖος, ἰκλυτος, λαγγὼν, ὀκνῶν. Sic eum locum corrigit B. Vlcanius. Lucillius:

> *Hic tricosu' bominatorque ore improbu' duro.*

Idem:

> *Luciu' Cetta senex, Crassi pater huiu' Panati*
> *Magnus trico fuit nummarius, soluere nulli*
> *Lentus.*

Vbi *trico* quia priùs vocatur, mox dicitur *soluere nulli lentus*, hoc est facilis: vt quidem in Varijs suis Muretus censet. Nam aliter de eo Iuo Villiomarus hoc est, Iosephus Scaliger, lib. I. Animaduers. aduersus Titium, cap. XX. Ipsum adi. *Triconibus* opponuntur *reposcones*, quibus a *reposcendo* nomen Ammianus Marcellinus. lib XXII. *Ægyptij controuersi sunt, & reposcones acerrimi.*

TRICHILÆ sunt *vitium vel cucurbitarum compluuiatæ pergulæ*, quales describit Sidonius, lib. V. epist. XVII. cùm ait, *sub vmbrâ pampinei aduli, quam stipitibus allatis, cancellatimque pendentibus pampinus superducta texuerat*: Et Gregorius Turonensis, de miraculis S. Martini, lib. IV. cap. VII. *Vitium camerâ extensâ per traduces dependentibus vuis quasi picta vernabat.* Quem locum mihi suggessere Sauaronis ad Sidonium notæ. Vnde *trichilia* dicantur, optimè docet Iosephus Scaliger in Copam. Vult enim ita dici *vitium aut cucurbitarum iugamenta*, aut *cucumerum contignatas pergulas*, quas vulgo *tribellas* & *vmbracula* appellant. Nomen autem deducit a *trichinus*, hoc est, *densus* siue *spissus*: vnde Varroni apud Nonium, *quæstus trichinus*. Propriè autem *trichinus* significat *pilis densum* & quasi impeditum, à τρίχες, quomodo Græcis *pili* appellantur. Sed generatim notat *densum*, vt ex Varroni loco discimus, ideò quod *pergulis* indidere nomen *trichilarum*, quia δασύφυλλοι. *Trichilæ* voce præter auctorem Copæ, vsi etiam Columella, lib. XI. & Cæsar in tertio de bello ciuili. De Cæsare agnoscit quoque Cælius Rhodiginus, lib. XVIII. cap. XI. Sed male interpretatur, *tragulæ vestis prætenuis genus*. Nec audiendus magnus Turnebus, qui lib. IX. cap. XIX. tradit, *trichilam* in Copa & apud Columellam notare *vas æreum, in quo calices lauantur*. Est & *trichila* vocabulo aliud admodum adfine, quod & ipsum apud Columellam copæ carmine legi aiunt. Est id *triconium*, quo præter alios Rob. Stephanus in Thesauro suo, & Hadrianus Iunius in Nomenclatore, signari volunt *nasiternam*, vasis aquarij genus, tres nasos exprimens. Verùm apud Columellam, quemadmodum ad Copam monet Scaliger, *trocnilum* per *o* legi debet hoc pacto:

> *Tum modo dependens trochilis, modo more chelydri*
> *Intortus cucumis.*

Vt nempe *longum teretémque cucumerem* similem esse dicat partim *trochilis*, hoc est, *torylis in apophysibus columnarum*: partim *colubro serpenti*.

TRICLINII de voce ita Seruius in I. Æn. *Antiqui stibadia non habebant: sed stratis tribus lectis epulabantur. Vnde & triclinium sterni dicitur. Sic Cicero: Sterni tri lini & in foro iubebat. Vnde apparet errare eos, qui triclinium dicunt ipsam basilicam, vel cœnationem.* Vbi quod ait *triclinium* poni pro *tribus lectis*, indéque dici *triclinium sterni*: id quidem verissimum est. Nam & Varro ita dixit. lib. I. de R. R. cap. LIX. *In quo quidam etiam triclinium sternere solent cœnandi caussâ.* Et lib. III. cap. XIII. *Erat locus celsus, vbi, triclinio posito, cœnabamus.* Et Vitruuius, lib. X. cap. VI. *In eis triclinijs quatuor stratis.* Sed tamen fallitur, cùm negat pro *loco domus cœnatorio* accipi. Quæ sententia refellitur auctoritate Vitruuij, lib. V. cap. V. cùm ait. *Tricliniorum quanta latitudo fuerit.* Et similiter vsi Tullius, Valerius Max. Fabius, alij. Nomen *triclinio* fecit ὁ τῶν κλινῶν ἀριθμός, vt Pollux indicat, libro I. capite VIII. Vnde Horatius, lib. I. Sat. V.

> *Sæpè tribus lectis videas cœnare quaternos.*

Iuuenal. sat. V.

> *Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto.*

Triclinium igitur dictum, quia Romani pransuri vel cœnaturi τρεῖς κλίνας, hoc est, *tres lectos* sternerent, quibus incubantes cibum sumerent. Nonnunquam tamen duo tantum erant vnde *biclinij* nomen apud Plautum, ex Latino *bis* & Græco κλίνη; quod cùm displiceret Lambino, suspicabatur legendum *diclinium*: sed inuitis libb. Et potuit in δίκλινος (si à meris Græcis esse malis.) Δ in B transire vt à δὶς. *bis*, à *des*. *bes*; à *duonus*, *bonus*. Porrò lectuli isti, quos dixi *triclinares*, vel etiam *discubitorij* dicebantur ad discrimen *cubicularium*, prout hos vocat Cicero. II de Diuinat. cùm ait: *Quidam somniauit ouum pendere è fascia lecti sui cubicularis*, &c. Quod si *discubitorij* isti illustrium magnorúmque virorum forent, altiores esse solent; vnde Virgil. II. Æn.

> *Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto est.*

Contrà minùs honesti erant humiles, quales Punicani erant. Isid. lib. XX. cap. XI. *Punicani lecti parui & humiles, primùm à Carthagine aduecti, & indè nominati.* Ijs Q. Ælius Tubero vtebatur, cámque res integerrimum illum virum Præturâ quam petebat, deiecit; vt è Cicerone refert Valerius Max. lib. VII. cap. V. Porrò hi *lectuli*, si vnum tantùm hominem caperent, dicebantur *scimpodia*. Hesychius: Σκιμπόδιον, ἀπλοῦς κλινίδιον, μονοκλινον. Est autem diminutiuum à σκίμπους, quod inter *lecti* genera reponit Pollux. Κράββατον, hoc est, *lectulum humilem* esse aiunt Hesychius & Suidas. Vtitur *scimpodij* voce Agellius. lib. XIX. cap. X. *Offendimus eum cubantem in scimpodio Græciensi.* Interdum & *duos* capiebant: quales non pauci cernuntur Romæ in lapidibus antiquis. in quibus maritus & coniux accumbentes cœnant. Erant & qui *tres, quatuor, quinque* caperent. Postquam autem mensæ citreæ, quæ rotundæ, in honore magno apud omnes esse cœperunt, pro *tribus lectis* vsi *stibadio*. Ita vocabatur *lectus semicircularis mensis rotundis accommodatus*. Seruius ad I. Æn. *Antiqui stibadia non habebant, sed stratis tribus lectis epulabantur; vnde & triclinium sterni dicitur.* Vsus *stibadij* voce Plinius. lib. V. epist. VI. Est verò non a *stipite*, vt Isidorus voluit, qui ideirco *stipadium* scripsit: sed à Græco στιβάδιον, quod est ὑποκοριστικὸν a στιβάς; quod in Glossis vett. *stramentum* exponitur, quasi *stratum cubandi caussâ*. Hesychius verò: στιβὰς ἀπὸ ῥάβδων ἢ χλωρῶν

χέγνων φῶτας, καὶ φέρειν τὰ χαμαιζήλια. Nempe voce hac signatur *torus ex herbis aut pomario stratus* : vnde Eustathius deducit à *στείβειν*, quod est *calco* : vt ad verbum videatur sonare *culcitam*. Nam *culcitam* similiter Varro dictam ait, quòd in ea tomentum aut simile quid calcaretur. *Stibadium* alio nomine vocatur *sigma*, quomodo præter alios, quos mox adducam, non vno loco loquitur Petrus Rauennas. *Sigma* verò dicebatur, quia haberet *antiquam figuram literæ sigma*, quæ eadem erat ac Latini C : vt ex vett. & lapidibus & libris constat. *Stibadium* verò & *sigma* idem notare, satis clarè indicat Martialis, lib XIV. vbi lemma est *Stibadia* : disthichon verò tale :

Accipe lunata scriptum testudine sigma :
Octo capit : veniat quisquis amicus erit.

Vbi sermo de *sigmate* capacissimo. Nam communia septem, minima sex homines capiebant. Indè *sigma*, quod hîc octo capere Martialis ait, alibi cum *heptaclinon*, tum *hexaclinon* appellat. Ita loca isthæc Martialis, in quibus se torsit Ciacconius & Vrsinus, commodè conciliari puto. Septem quoque nominat idem lib. X. ep XLVIII.

Septem sigma capit, sex sumus, adde Lupum.

Eundem numerum indicat Lampridij locus, vbi sic de Heliogabalo scribit : *Habuit hanc consuetudinem, vt octo caluos rogaret ad cœnam : item octo luscos, & item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos, & octo pingues, cum capi non possent omnes vno sigmate, vt de his omnibus risus citaret.* Nec dubito quin de *septenario* accipi debeat illud Sidonij, lib. II. epist. ad Domitium : *Ita vt ministeriorum sese non impediente famulatu, tot possit recipere solia, quot solet sigma personas.* Quia verò *sigma* semicirculi figuram habuit, ideo Appuleius, lib. V. vocat *semirotundum suggestum* : eadémque de caussâ cornua ei semel & iterum tribuit Iuuencus Presbyter, vt ad Eusebium Scaliger ostendit. Cætera de *triclinio* & conuiuiorum apud veteres ritu, vide apud Philandrum in Vitruuium ; Hieronymum Mercurialem, lib. I de re Gymnastica, cap. XI. & Ciacconium ac Fuluium, in tractatu de *triclinio*. Item I. Lips. lib. III. antiq. lect. & Steuckium, in conuiualibus.

TRIFAX à Festo exponitur *telum longitudinis trium cubitorum, quod catapulta mittitur*. Idem illud Ennij promit :

———*Aut permaceret partes percussu' trifaci.*

Siue, vt in MS^to^ est, *Aut permarceret*. Onomasticum vetus : *Trifax, τρίχηλον*, id est, *trifidum, trisulcum*. Simile est *bifax*. Isidori Glossæ : *Bifax, duos habens obtutus*. Glossæ Philoxeni : *Bifax, Διχάραξ*, *διπρόσωπος*, *διττός*. Vbi pro *διχάραξ* scr. *δίχαραξ*. Porrò & hæ & illæ Glossæ videntur à *facie* deduxisse. Vt *bifax* sit *bina facie* præditus : *trifax* item *trina*. In MSS^tis^ tamen Festi codd. scribitur *triphax*. Sed perperam, vt puto.

TRIGLYPHA (quos Vitruuius vtitur, libro I. capite II. & libro IV. capite I.) ad verbum sonat *trisculpta* : prout vertit antiquus Aristotelis interpres. Est enim *τρίγλυφος* à *τρεῖς* & *γλυφίς*, quod est *sculptura* siue *canalicula*. Vt *triglypha* sint quæ *triplici sulco* sunt *sculpta* : vti pars zophori in opere Dorico. Vide de his Bernardini Baldi Lexicon Vitruuianum.

TRIGONVM piscem à *formâ triquetrâ* quidam dictum autumant. Sed scribendum *trygonum*, cùm sit à *τρύγων*, quod & *auis* est, & *piscis* nomen. Latini *turturem* & *pastinacam marinam* vocant. Vtitur *trygoni* voce Plautus Captiuis. act. IV. sc. IV. Nisi *trigona* potiùs scribendum, quod verum puto. Ita autem editum in antiqua Veneta anni CIƆIƆLXVIII. quæ cum Saraceni aliorúmque commentarijs in lucem prodiit. Vide plura in *Pastinaca*.

TRIPVDIVM, quasi *tripedium*. *tripudiare* quasi *tripediare* dici à vero non abludit. Horat. lib. III od. XVIII.

Gaudet inuisam pepulisse fossor
Ter pede terram.

Ita *tripudiare* simile sit ac *ἀποδιάζειν*. Similéque verbum *tripedare*. Gloss. Cyr. *τριποδίζω, tripedo*, *τριποδισμός, tripedium*. Sed Festus *tripudium* dici putat, quasi *terripauium*, siue, vt in MS^to^ est, *terripudium*, quia *terra pedibus pauitur*, id est, *caeditur*. Nam *pauire* idem ac *παίειν*, *ferire* : vnde *pauor*, *pauimentum*, *depuuere*, & alia. Est & auguralis vox, quomodo vsus Tullius, II. de Diuinat. Vbi & etymon antea allatum ponit. *Sed quia*, inquit, *cùm pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere, & terram pauire, terripauium primò, pòst tripudium dictum est.*

TRIREMIS olim fuit *triresmos*, quod legitur in basi columnæ Duilianæ : S inter ectum, quâ ratione dixere *duismus, casmo*, sexcentáque alia. Etsi autem non abludit a Græco *τριήρης*, quod ab *ἐρέσσω*, id est, *remigo* : vnde & *διήρης, biremis* : non tamen indè originem trahit sed ortu planè Latinum est, quando dicimus *biremis, triremis, quadriremis*, à *duobus, tribus, quatuor remorum ordinibus* ; ordinibus inquam, non in longum, in quo & viri longè doctissimi falluntur, sed in altum, hoc est à numero tabulatorum, quod manifestè docet vetus *ταχτικῶν* scriptor, cùm ait, fieri *κατὰ τὸν στίχον κατὰ τὸ ὕψος ἐπ' ἀλλήλοις*, *secundum versus altum alij iuxta altitudinem incumbentes*. Itaque in *triremibus* imus ordo erat propior aquæ, superior propior foris nauis, medius inter imum & supremum. Remiges imi *θαλαμῖται* vocabantur, medij *ζυγῖται*, summi *θρανῖται*. Formam videre potes apud Baifium, quamquam is non rectè satis hanc rem explicat. Nam cùm bene docuisset *biremem* veterum esse, in quâ superior ordo ternis, inferior binis esset remis instructus : male *triremem* veterum ponens, negat eam *triremem* esse, cùm tamen sit triplici remorum versu prædita. Refellit eum Virgilius, cùm inquit :

———*Triplici pubes quam Dardana versu*
Impellit, triplic consurgunt ordine remi.

Nam longitudo iacet, altitudo consurgit ; quare intelligi non possunt remorum ordines in porrectum. Idem indicat hoc Lucani, lib. III. de quadriremi.

Quosque quater surgens exstructi remigis ordo
Commouet, & terno consurgunt ordine remi.

Idem quoque confirmat quod de quinqueremibus sic scribit Vegetius : *quinos sortiuntur remigum gradus*. Nam gradus in altum sunt, non in longum. Et hæc & longè plura de *triremibus* alijsque veterum nauibus in tabulata consurgentibus legere potes apud Iosephum Scaligerum animaduersionibus Eusebianis, ad annum MCCXX. pag. LXII & LXIII.

TRISTIS, iuxta Papiam, quasi *tritus*, quia *tristis* sit animo contrito. Sed non dubito quin *tristis* sit à *τρέστης*, quod Hesychius exponit *δειλός*, hoc est, *timidus*. Nempe à *τρέω, tremo, formido*. Etsi nec absurdè deduxeris à *θράσσω*, hoc est, *ταράσσω*, *turbo*. Vt apud Maronem,

———*Tristi turbatus tempora bello.*

Vel quod non displicet, à *τρίζω strido*, vnde *τετριγὸς ἰδὼν τὸν*, *crepitus dentium*. vt propriè *tristis* dicatur, *qui præ mœrore horret totus, ac stridet dentibus*. *Τρίζειν* verò est a sono, vt & *strideo*. Nisi Latinum à Græco esse malis.

TRIVMPHVM quidam putarunt origine Latinum : quos inter Tranquillus, Isidoro teste, lib XVIII. cap II. Sed dubitandum non est, quin sit à Græcis, non quidem à *tris*, id est, *ter*, & *phonus*, id est *sonus*, quia tres canerent, vel tripliciter canebatur ad laudem victoriæ : vt ridiculè scribit Tostatus in I Sam. cap. XXX quæst. XIV. sed neque a *θριαμβεύειν* hoc est *triumphatione*, quod loco ante memorato censet Isidorus : neque ab *ἀμβαίνειν*, hoc est, *ἀναβαίνειν*, *ascendo*, quia *triumphantes* in locum altum ascenderent, quo ab omnibus conspicerentur : verùm à *θρίαμβος*, vt agnoscit quoque Varro, lib. V. de L. L. *Θρίαμβος* autem (vt Zonaras scribit in Diocletiano) venit à *θρῖα*, quo propriè *ficorum folia* designantur : generatim autem *quæuis folia* intelliguntur. Primus enim *triumphauit* Bacchus, cuius milites post victoriam Indicam *triumphanti* acclamabunt vultum foliis ficulnis cooperti. Hoc si etymon placet, vel duæ postremæ syllabæ erunt vocis productio : vel posterior compositi pars erit *ἀμβαί*, hoc est, *circum* quia tempora cingerent folijs. Addit ibidem Zonaras, alios *θρίαμβον* dictum velle à *τρία*, quasi *τρίαμβος*, quia qui *triumpharet*, *trium* iudicio honoraretur, nempe exercitus, senatus, & populi, qui omnes de *triumpho* decernebant. Ac hæc quoque causa Suetonium mouit, vt à *tribus triumphum* deduceret, Isidoro teste. Apud Etymologum legimus, Bacchum propriè dictum *θρίαμβον*, quasi *θριάμβον*, hoc est, *παρὰ τὸ θρῖα, τὸ κλαδίον*, *ὃ λέγεται ἀναβαίνοντα*. Quin neque desunt, qui *τρίαμβον* dici velint, quasi *τρεῖς ἰαμβοί*, quòd plebs, equites, Senatus ter *io* dicerent. Vide plura apud Suidam & Etymologum, ac imprimis Cæsarem Bullingerum, cap. IV. libri de spolijs bellicis.

TROCHILVS *τροχίλος*, *auis*, de qua scitè Ammianus lib. XXII. Nomen *ἀπὸ τοῦ τρέχειν*. Eius diminutiuum *trochiliscus*. Hâc voce vsum putat Casaubonus poëtam eum, cuius iambicos dimetros in apologiâ adducit Appuleius. In vulgaris est *trochiscili*. *Trochilus, rex* auium in Italia vocabatur vt Plinius refert, libro VIII. capite XXV. & libro X capite LXXIV. Neque propria hæc Italorum appellatio. Nam similiter vocarunt Græci. Aristoteles in Histor. Animal. lib. IX. capite XI. de *trochilo* : *Καλεῖται δὲ καὶ πρέσβυς καὶ βασιλεύς· διὸ καὶ τὸν ἀετὸν αὐτῷ φασι πολεμεῖν.* *Vocatur idem & presbys, & rex : eóque aquilam pugnare cum eo referunt.* *Πρέσβυς* dicitur eâdem mente, quâ *βασιλεύς*. Nam iuxta Hesychium, *Πρέσβυς*, *ἔντιμος*, *βασιλεύς*, *ἄρχων*. Apud eundem Hesychium legere est, *Σπέργυς*, *ὁ πρέσβυς*. Et

proximè

proximè ante hæc verba. Σπίγγυλος, ὀρνίθιον ἄγριον. Quare assentio Salmasio, qui censet τροχίλον & σπίγγυλον eandem esse auem. Nempe ex πρέσβυς Æolicè β in γ conuerso, & simul metathesi facta est πέργυς. vnde diminutiuè πεσγύλος, & Æolicè σπεργύλος. Ex eo. quòd dicerent *regem auium*, compositâ voce & diminutione est *regauiolus*. & fortasse etiam alterâ diminutione est *regauiolus*, & fortasse etiam altera diminutione *regauiliolus*. Gloss. Phil. *Regauiliolus*, Σπίνος, *Reganfolus*, βασιλίσκος, ὀρχίλος. Vbi pro *reganfolus* legendum *regauiolus*. Pro *i* irrepsit *f*, facili errore. Sed quod *regauiolum* exponit σπίνον, id verum non puto, quia σπίνος est στρουθίου γένος. Vnde Gloss. Cyrilli: Σπίνος, ὄρνις, *fringillus*. Nempe haut insolens est Grammaticis confundere auium nomina. Apud Suetonium in Iulio cap. LXXXI. auis hæc *regaliolus* vocatur. Sed corruptè, vt puto. Nam *regaliolus* esset à *regalis*, quod est βασιλικός. At auis ea vocatur βασιλίσκος, quod valet *regulus*. Itaque & in Gloss. Cyr. vbi vulgò est, βασιλίσκος, *regulia*, rescribendum *regulus*. Nempe scriptum erat *regulus*. Vnde *regula* fecere.

Trochlea ex τροχιλία. Gloss. Phil. *Trogula* (scribe *trochlea*,) τροχιλία, χαλίς. Sed vsitatius quod apud Pollucem, lib. x. cap. VI. scribitur τροχαλία. Estque à τροχαλός, *rotundus*, *volubilis*. Est autem *trochlea* machina tractoria continens rotulam æneam, ligneamve, (cui propriè *trochleæ* nomen competit) axiculum per eam rotulam traiectum, & funem, qui circa rotulam currit. Exemplum eius in puteis habemus. Belgæ vocant *een katrol*. Lucretius, lib. IV.

> *Multaque per trochleas, & tympana pondere magno*
> *Commouet atque leui sustollit machina nisu.*

Trochlea ab aliquibus *rechamus* dicebatur. Vitruuius, lib. x. cap. II. *Adligatur in summo trochlea, quam etiam nonnulli rechamum dicunt.* Cælius Rhodiginus, lib. XXVI. cap. XXIX. *rechamum* dici putat ἀπὸ τοῦ τέχνω, id est, *fissura*, quia nempe truncus, in quem orbiculi inseruntur, excauatur, & quodammodo scinditur. Nec etymon hoc in Vitruuianarum vocum explicatione aspernatur Bernardinus Baldus.

Trochus. Græcè τροχός, ἀπὸ τοῦ τρέχειν, quod à דרך, hoc est, *calcare, iter agere*. Caue *trochum* cum *turbine* confundas. Nam *turbo*, siue *turben*, Græcè βέμβιξ, at τροχὸς est *circulus* siue *rota*, quam pueri impulsu circumagebant. Monuit id iam olim Calderinus, ad Martialis Apophoreta. Quare mirum tantum esse pædagogorum stuporem, vt hodie quoque in Dionysio Catone, cùm præcipitur pueris, vt *trocho* ludant, *turbinem* significari velint. Atque id causæ est, cur nec hoc heroën Iosephum Scaligerum monere eos puduerit in suis ad Dionysium notis. Imprimis autem videndus Mercurialis, lib. III de arte Gymnasticâ, cap. VIII.

Troia, siue *Troianus* ludus erat equestris puerorum ludus in circo agi solitus, nomenque ex eo sortitus, quod à *Troianis* cum accepissent Romani, vt quem Æneas primus instituerit in Siciliâ, ad filij Ascanij pueri, atque cæterorum exercitationem. Eius lusus rationem ac modum describit Maro, v. Æneidos. Seruium ibi vide, qui ait originem eius ludi à Suetonio Tranquillo expressum esse in libro, quem scripserat de puerorum lusibus. Qui verò Cæsarum Romæ eum exhibuerint, docebit Onuphrius Panuinius, lib. II. de ludis Circensibus, cap. IX.

Tropæum, τρόπαιον, vnde & rectè hæc vox in antiquis codd. ac monumentis scribitur sine adspiratione: quemadmodum Pierius monuit, ad III. Georg. & x. Æn. Non audiendus Marcellus Donatus, qui notis in Suet. multus in eo est, vt doceat *trophæum* per *ph* scribi debere. Atqui *trophæum* est à praua consuetudine, quæ nimius inducebatur adspirationis vsus, adeò vt quoque dicerent, *chorona*, *chenturio*, *chommoda*, quod in Arrio ridet Catullus. Etymon quoque repugnat. Nam est τρόπαιον à τροπή, quo significatur *fuga hostium*. Quare non magis *trophæum* dicendum quàm *trophi* pro *tropi*, quod eiusdem originis. Dixeris fortasse π hic mutari in adspiratam, eodemque modo ῥιπαῖα ὄρη dici Latinis *Riphæos montes*, Βόσπορος, *Bosphorum*, ac Gallos similiter à *canis* dicere *chien*, à *caput chef*, non à κεφαλή. Sed parùm verisimile est, Romanos idem fecisse in *tropæum*. Nam si adspirassent deriuata à τροπή, confudissent ea cum deriuatis à τρέφω. Et si libb. vett. non creditur, saltem fides habeatur lapidibus vetustis: inter quos ille ipse à Donato adductus, vbi est: Arcvm Simvlacris Eorvm Tropæisqve Decorat. De *tropæis* vide Cæsarem Bullingerum, cap. III. libri de spoliis bellicis.

Tropicus *circulus* à *solis reuersione*, quæ Græcis τροπή. Glossæ Cyr. τροπὴ χειμερινή, *bruma brumalis*. τροπὴ θερινή, *solstitiale solstitium*. Fortasse metaphora sumta à *circensibus*, vbi *meta flexura* τροπὴ vocatur, vnde Manilius *cancri tropicum* describens, & eiusce nominis causam adferens, quo in metaphora persistat, alias etiam *circi* voces vsurpat, vt sunt *metæ*, *æstus*, *feruidus*: quam circo conuenire, vel ex prima Horatij odâ constat. Manilij versus sunt isti:

> *Alter ad extremi decurrens sidera Cancri,*
> *In quo consummat Phœbus lucemque diemque,*
> *Tardaque per longos circumfert lumina flexus,*
> *Æstiuum medio nomen sibi sumit ab æstu,*
> *Temporis & titulo potitur, metâque volantis*
> *Solis, & extremos designat feruidus actus.*

Trossvli de voce sic Festus: *Trossuli equites dicti, quòd oppidum Tuscorum Trossulum sine operâ peditum ceperint.* Et Glossæ vett. in Persium editæ à Pithœo: *Trossulum oppidum fuit Hetruriæ, non longè à Volscis. Hoc equites Romani sine peditibus expugnauerunt Numio quodam duce, vnde equites Trossuli dicti sunt.* Hæc quidem propria significatio. Sed post ita vocati omnes, *qui cultu vtraque genere aliis antistare conarentur*. Sic vsus Varro Sesquiulysse apud Nonium:

> *Nunc emunt trossuli nardo nitidi vulgo Attico talento equum.*

Pers. sat. I.

> ——— *Vnde istud dedecus, in quo*
> *Trossulus exultat tibi per subsellia leuis.*

Et Seneca epist. LXXXVII. *O quàm cuperem illi nunc occurrere aliquem ex his trossulis in viâ diuitibus!* Hæc significatio induxit Nonium, vt scriberet *Trossulos* quasi *torosulos* dici. Nec dubium quin eodem respexerit Glossographus antiquus, cum scripsit, *trossulus*, ὁ ὡραῖος τῇ ψυχῇ. Sane Belgis quoque homo istiusmodi *trensel* vocatur. Quia autem *trossuli* vox in malam partem accipi cœperat, hinc factum videtur, vt equites nominis huius puderet, eos præsertim, qui veram nominis caussam ignorarent. Adducam hac de re illustrem Plinij locum è libro XXXIII. cap. II. *Quin etiam ipsum equitum nomen sæpe variatum est, in his quoque qui ad equitatum trahebantur. Celeres sub Romulo regibusque appellati, deinde Flexumides (al. Flexumentes,) postea trossuli, cùm oppidum in Thuscis citra Volsinios passuum IX M. sine vllo peditum adiumento cepissent eius vocabuli: idque durauit vltra C. Gracchum. Iunius certè, qui ab amicitia eius Gracchanus appellatus est, scriptum reliquit his verbis: QVOD ad equestrem ordinem attinet, antea trossulos vocabant, nunc equites vocant: ideo quia non intelligunt trossulorum nomen quid valeat, multos pudet eo nomine appellari: & caussam quæ suprà indicata est, exponit, inuitósque etiamnum tamen trossulos vocari.* Hæc Plinius. Et sanè vel ob Iunij Gracchani antiquitatem hæc nominis ratio in controuersiam vocari minimè debet: quamquam Nonio subscribere quoque videatur Illustris Scaliger ad Festum. A *trossulis* dicta *trabea trossula*, quia hâc equites induti erant, vnde *trabeata agmina* pro *equitibus* dixit Papinius in Epulo Domitiani. Vide aliquid hac de re in *Trabea*.

Trva est *ingens cochlear*, quo cibus in ollis inter coquendum agitatur. Græcis dicitur τορύνη. Aristophanes Auibus:

> Ἔτνους δ' ἐπιθυμεῖ. δεῖ τορύνης, καὶ χύτρας.

quem ad locum sic Scholiastes: Τορύνη λέγεται τὸ κινητήριον τῆς χύτρας. Eodémque modo interpretatur Suidas. Id verò Latinis *truam* esse, docent hi versus Titinnij Setina, apud Nonium:

> *Sapientiâ gubernator nauem torquet, haud valentiâ.*
> *Cocus magnum ahenum, quando feruit, paulâ confutat trua.* ———

Et sane, etsi apud Varronem IV. de L.L. legam *trua, quòd trauolat ea aqua*: ac Nonius *truam* à *terendo* dictam putet: tamen longè verius puto, *trua* contractum esse ex τορύνη. Sed τορύνην à *terendo* dici verum est. Nam *terere* Græcis τορεῖν, vnde τορύνη, quia pleraque hoc instrumento in ollis inter coquendum terere ac comminuere soleant. A *trua* ὑποκοριστικῶς factum *trulla*, vt censet Nonius. Idque præeunte Varrone, cum IV. de L.L. ait: *Trulla à similitudine truæ, quæ quod magna, & hæc pusilla, vt truula.* Quibus mox subiicit: *Ab eodem est appellatum trulleum: simile enim figurâ, nisi quòd latiùs concipit aquam, & quod manubrium cauum non est, nisi vinaria cella accessit.* Gloss. Phil. *Trulleum, & guttum & aquiminale*, χερνιβεῖον ξεστίον. Gloss. Cyr. χερνιβεῖον, *trulleum*. A *trulla* est *trullissare*, *trullâ* inducere tectorium: vnde *trullissatio*. Vsus *trullissandi* vocabulo Vitruuius, lib. VII. cap. III. & IV. Græci id dicunt κονιᾶν & παρεγχρίειν. A *trua* quoque est verbum *truare*, hoc est, κινεῖν, vt cùm *truâ* mouetur olla. Ab eo est *antruare*, hoc est, *circumuoluere*. Indéque *redantruare*. Est hac de re illustris locus apud Festum, sed corruptissimus, quem apponam, prout eum restituit Scaliger: *Redantruare*, inquit, *dicitur in Saliorum exultationibus, cum præsul amtruauit, quod est, motus edidit, & referuntur inuicem iidem motus.* Lucilius:

> *Præsul vt amtruat, inde & volgu' redamtruat olli.*

Paccuuius.

——— *Promerenda gratia*

Simul cum videam Graios nihil mediocriter

Redamtruare, opibúsque summis persequi.

Hactenus Festus. Vide supra *Andruare*, & *antrum*. Caue autem confundas *tua* & *truo*, quomodo dictus qui enormem haberet nasum. Cæcilius:

Pro Di immortales! vnde prore; sit truo?

Afranii quoque versum ita emendabat Ianus Gulielmius lib. I. Verisi. cap. IX.

Quàm senticosa verba pertorquet truo!

In vulgatis est *turba*; pro quo quidam *lupa* legendum iudicarunt. In Glossario quoque veteri legendum putat B. Vulcanius: *Truo, ὀνοκρόταλος*. Vbi vulgati codd. *tribuo, trunero, ὀνοκρόταλος*.

Trvcta (pro quo & *trocta* & *tructa* & *trutta* legitur) Græcè est τρώκτης, vnde & nomen. Gloss. vett. τρώκτης, *trutta*. Τρώκτης verò est a τρώγω, ac *voratorem* siue *comestorem* significat. vnde Hesychius exponit φάγος. Sane intermedius est is piscis inter *salmonem* & *salarem*, quem *rapacissimum* appellat Sidonius lib. II. epist. II. Iidem *varij* dicti, quia *stellati*. Isidorus. lib. XII. cap. VI. *Varij à varietate, quos vulgò tructas vocant*. Meminere & *tructarum* Ambrosius, Hexameron lib. V. cap. III. & Gregor. Turon. de Lemano lacu, lib. I. de miraculis. cap. LXXVI. in fine. Vide Gesnerum de piscibus; Scaligeri Ausonianas Lect. lib. I. cap. III. & imprimis Sauaronem ad Sidonij lib. II. epist. II.

Trvdo propriè de *plantis* dicitur, vt Iul. Scaliger monuit ad Theophrasti de caussis plant. lib. I. cap. X. Vult enim sic dici, quasi *terrâ edi*: atque ideo dicere Maronem, II. G.

Truditur e sicco radix oleagina ligno.

Saltem verisimilius hoc, quàm vt *trudo* sit quasi *tero manibus*: vt Perottus ait. Interim maxime placet, vt *trudo* sit à τρύω, id est, *tero, terebro, pertundo, affligo, vexo*. D insertum, vt à τείνω Æolico, *tendo*; à τρέμω, *tonitru*, &c. A *trudendo*, vt est apud Isidorum, lib. XVIII. cap. VII. *trudes* dicuntur conti præacutâ cuspide, quibus naues, aliáque repelluntur. Si antiquis quibusdam codicibus MSS[ti] fides, atque Isidoro etiam, vsus eâ voce fuerit Maro V. Æn.

Ferratásque trudes: ———

vbi vulgo *sudes*. Nec obstat, quòd prior in *trudo* producatur, cùm & a *duco*, quod priorem habet longam, *duces* dicamus, non reseruatâ quantitate primogenij. A *trusum mola* dicitur *trusatilis*, quæ manibus protruditur, vnde & *manualis* vocatur. Onomast. *Trusatilis, ὤστης*. Gloss. Cyrilli, χειρόμυλος, *mola manualis*. Pro *obtrudo* etiam *obstrudo* dixere veteres: Festus docet id notare *auide cibum gula infercire*. Præter Titinium, de quo auctor Festus, etiam vsus Plautus Amphitr. sed extra cibum, ac generatim pro *trudendo infercire*. Videtur autem ex hac voce colligi posse, antiquos, vt *abs* pro *ab*, sic *obs* pro *ob* dixisse. Sed magis verisimile fit S esse insertum: vt *pasna* dixere pro *pœna*, *casno* pro *cano*, *dusmus* pro *dumus*, &c.

Trvncvs, *quod amputatis ramis in arbore relinquitur: cadauer item capite præciso*. Vnde *truncare*, aliquid *truncum reddere*. Quidam, vt Perottus ait, deducunt à *tero*. Sed quantò melius ἀναλογία seruetur, si deduces à τρύχω, quod & ipsum notat *tero, attero*, item *absumo, lacero, vexo*? Vel κατὰ μετάθεσιν sit à τρύχινος, quomodo Græcis *truncum* dici, auctor est Hesychius. A *trunco* est *trunculus*, ἀκρωτήριον, item *trunculi*, ex trunculis edulia.

Trvtina à τρυτάνη, α in *i* conuerso, quomodo à κάναστρον est *canistrum*; à στλεγγίς, *strigilis*, &c. Τρυτάνη à τρύω, hoc est *tero*: quia τετρύπηται ἐν ᾗ ὁ γνώμων, vt monet Eustathius. Vetus Persij Iuuenalis ad illud Sat. I.

——— *Examenve improbum in illâ*

Castiges trutinâ:

monet, *Trutinam esse foramen, intra quod est lingula, de quâ examinatio est*. Sed pro *statera* manifestè accipit Vitruuius lib. X. cap. VIII. *Id autem ex trutinis, quæ statera dicuntur, licet considerare*. Similitérque vsi Cicero, Iuuenalis, alij etiam Græci, vt Demosthenes pro coronâ: ὥσπερ ἂν εἰς ἐν τρυτάνῃ ῥέπων ἐπὶ τὸ λῆμμα συμβεβουλευκώς.

Trvx quasi *durax*, si verè Becmanus deducit à תָּקַע, id est, *transfodit, transfixit*. Sed quid si potiùs dicamus, corruptum esse ex σκυθρός, quod Hesychius exponit χαλεπός, ὀργίλος, σκυθρωπὸς ὄψει? vel ex τραχύς, *asper*? vel quid si deriuemus à τρύχω, quod significat *tero, attero, vexo, affligo*? Et sanè postremum hoc imprimis magis placet prioribus. Sed maximè omnium, vt ab *atrox* fiat per ἀφαίρεσιν, vt ab ἀμέλγω, *mulgeo*: quomodo & *sparagi* pro *asparagi* dixere, vt videre ex Varrone est apud Nonium. Item, *prugnus* pro *aprugnus*; de quo Festus in *Prugnus*. A *trux* est deriuatum *trucido*. Ac fortè non est deriuatum simplex, sed compositum à *truciter* & *cædo*. Nam & alia sunt quæ coniugationem verbi simplicis non retinent. At Papias non audiendus, qui *trucido* dici ait, quasi *truncando cædo*.

Trvxalis, si ita rectè scribitur, erit à τρύχω, *attero, consumo*. Plin. lib. XXX. cap. VI. *Est animal locustæ simile pennis, quod truxalis Græcè dicitur. Latinum nomen non habet, vt aliqui arbitrantur: nec pauciores hoc esse, quod gryllus vocetur*. Sed Ælianus in histor. anim. lib. VI. cap. XIX. vocat τρωξαλλίδα, vt & Latinis *troxalis* scribendum videatur. Nisi placet *o* in *u* abire: vt sæpe. Dixere τρωξαλλίδα à τρώγω, *edo*: quomodo & inde Τρωξάρτης *nobilis mus* in batrachomyomachia, quia τρώγει ἄρτον, *rodit panem*: quomodo & filius eius Ψιχάρπαξ iactat ibidem se non more aliorum murium vesci raphanis & similibus plantis; verùm ἐσθίειν πὰξ ἀνθρώποις τρώγων ἴδιον, *quibus mos vesci hominibus*.

Trygon, τρυγών. Propriè ita vocatur *turtur*, quia voce suâ τρύζει. Plerisque enim auibus appellatio est à sono, quem edunt, vt Varro indicat in libb. de L.L. Sed κατὰ μεταφορὰν nomen hoc impositum *pastinacæ pisci*, siue à *colore tergi*, siue potiùs, quia *quasi expansis alis turturem nonnihil refert*. Qua de re vide quæ diximus in *Pastinaca*. Meminit Ausonius, qui primam corripit, epist. V.

Letalisque trygon. ———

Nisi:

Letalis trygon.

scripsit. Sanè Nicander & Oppianus corripiunt. De pisce hoc præ cæteris Rondeletium adi. Sed quod ait, duo eius esse genera, quæ a Burdigalensibus & Aquitanis *tare ronde*, & *tare franche*, appellentur: id cognoscere se potuisse negat Elias Vinetus, qui Burdigalæ mathesin & humaniores literas multos annos docuit: quippe & Burdigalensibus, & Boiensibus, cum Medulensibus, vocari *pastenagas* ex Latino *pastinaca* nomine.

Tv est à Dorico τύ. Dores enim mutant σ in τ. Itaque & pro σὸς dicunt τὸς, vnde Latinum *tuus*: nisi simplicius sit dicere, vt à *me* est *meus*; sic à *tu* esse *tuus*. Τὺ verò ab Hebræo אתּ per aphæresin. A *tu* olim fuit genitiuus *tis*, vnde datiuus *ti*, & inserto *B tibi*. Vti à *mis mi* & inserto *H mihi*, & accusatiuus *te* à Dorico τὲ pro σὲ, vel *me* à μὲ pro ἐμὲ. A *tuus* est *tuatim*, hoc est, *tuo more*. Plautus Amphitr. II. I. *Iam tuatim facis*, id est, *prout soles*.

Tvba, quia *tubum* refert. Hinc *tubicen* σαλπιγκτὴς, vt exponitur in Glossis. Sed latiùs extensam vocem docebit Festus: *Tubicines*, inquit, *etiam ij appellantur, qui sacerdotes viri speciosi, publicè sacra faciunt, tubarum lustrandarum gratiâ*. Ab ea *tubarum lustratione tubilustrum*, vel *tubilustrium*. Varro, lib. V. de L.L. *Tubilustrium, quod eo die in atrio sutorio sacrorum tubæ lustrantur*. Fiebat ea lustratio agna, vt ex ruderibus Festi colligitur. Idque x. Kal. Apr. & x. Kal. Iun. vt è Fastis cognoscitur. Ouid. lib. III. Fast.

Summa dies è quinque tubas lustrare canoras

Admonet, & forti sacrificare deæ.

Idem lib. V.

Proxima Vulcani lux est, tubilustria dicunt:

Lustrantur puræ, quas facit ille, tubæ.

Tvber, siue pro *callo terræ*, siue pro *humani corporis tumore* sumatur, à *tumeo* fit; vt à *facio faber*, ab *humeo uber*, seu *vber*, à *glubo, glaber*; & similia non pauca. Donatus, in And. Act. I. Sc. II. *Tuber est genus cibi collectum ex tumentibus & quasi prægnantibus arenis*. Isidorus, lib. XVII. cap. X. *Tubera tumor terræ prodit, eáque caussa nomen illi dedit*. Videtur vterque putasse *tuberi* nomen esse à *tumore terræ*, vbi crescit. Sed potiùs censeo, ex eo ita dici, quia *fructus* ille sit *globosus* ac *tuberosus*. Eleganter Appuleius in Floridis: *vbi vber, ibi tuber*. Quod propriè fit, vbi soli vbertas, ibi & calli quidam. Eo significatur, (vt Appuleij verba reseruem) *in amplissima quaque lætitia subesse quampiam vel paruam querimoniam, coniugatione quadam mellis*. A *tubere* dicti *Tuberones*, vt à *pisis Pisones*, vel à *naso Nasones*. Sed Onomasticon etiam *tubero* verbum agnoscit. Nam *tubero* exponit φυματίω.

Tvbvrcinor, λαφύσσω, vt exponit Onomasticon: siue *raptim comedo*, Nonio interprete: qui & ita eo vsos docet Titinium Turpilium, Plautum. Vsurpat etiam Appuleius in VI.

Prandio raptim tuburcinato.

Perotto placet esse à *tumeo*. Scaligero placet esse à *tu*, voce nutricularum pro *cibo*. Aliqui à *tu* & *bucca*, vnde *tubuccinari* scribunt c geminato. Alij à *tuber*, vt *tuburcinari* propriè sit *manducare tuberes*. Vel à τύβαρις, quod, Pollice teste, Doribus notabat *id, quod postremò conuiuis inferebatur*. Vt *tuburcinari* propriè sit, *auide vorare mensas secundas*.

Tvbvs, *canalis teres ac concauus, quo aqua ducitur*. Gloss.

Tubi,

Tuber, ἐξάνθημα, ὑπώπιον, ὄγκος. *Tuber* plerique deriuant à *tumeo*, vt *tuber*. Scaliger ad Varronem,& Camerarius in Problem. deriuant,quia *percutiendo est excauatus*. Nam τύπος est *vestigium quod relinquit τὸ τύψαι*, vnde & nomen. A *tubus* est *tubulus*, canaliculus. Vnde *tubulatus* apud Plinium. A *tubulus* fortè & nomen *Tibullus*, vt *Tibullus* sit quasi *tuoullus*.

TVCETVM in vett. Glossis exponitur ζωμὸς παχύς, *ius crassum*. Arnobius videtur *minutalis* genus facere, & a *tundendo* deducere. Sed aliter vetus Persij interpres,ad illud sat. II.

——— *Grandes patinæ,tucetaque crassa.*

Tuceta, inquit, *apud Gallos Cisalpinos bubula dicitur, condimentis quibusdam crassis oblita ac macerata, & ideo toto anno durat. Solet etiam porcina eodem genere condita seruari, aut ad saturarum iura. Hinc Plotius Virgilij amicus in eadem regione est nominatus Tucca*. Intelligit *M. Plotium Tuccam*. Quare vitiosè hic legitur *Tuceta*. Sed quod *Tucca* à *tuceto* nomen esse ait, id Grammaticorum somnium meritò appellat Scaliger, in animaduersionibus Eusebianis pag. CLVII. *Tuceta* verò in deliciis fuisse, indicat Fulgentius Flauciades his verbis: *Tuceta dicuntur esca regia. Camamorphoses Pisau:*

——— *Ambrosio redolent tuceta sapore.*

Sed quid sibi vult Isidori illud in Glossis: *Tucetum bula condita apud Gallos Alpinos*. Num *bula* globus, an farcimen? Nam *globus* Gallis *boulet*, Germanis *bal* vel *bol*. At *farcimen* à *bolus* infartis Hispanis *bula*, Germanis *beuling*. Pro quo est, quòd Papias dicat esse *salsicia*, id est, *sal, insicia*, genus farciminis.

TVDES, quemadmodum è Festo discimus, *malleum* notat, éstque ab antiquo *tudo* pro *tundo*, quomodo & *frago* pro *frango*, & *pago* pro *pango* dicebant veteres. Sic *ditudes* à *ditudo* pro *detundo*: vt in *Tundo* dictum. Vocabulo *tudes* Seuerum in Ætna vsum censebat Scaliger. Sic enim legit:

Fabriles opera tudibus contundere massas
Festinant.

Metro tamen ne *tuditibus* potiùs, quàm *tudibus*, fuerit dicendum. Nam apud Festum est *tudites*. A *tudes*, eodem Festo testante, quidam dictus *Tuditanus*, quòd ei *caput malleo* esset *simile*. Ac quemadmodum à *miles militis* est *milito*, ab *eques equitis equito*, sic à *tudes tuditis* est *tudito*, quod, propriè est *malleo impello* ac *protrudo*: sed generatim notat *propellere*, aut *extundere*. Ennius in secundo Annal.

——— *Hæc inter se totà vi tuditantes*

Lucret. lib. II.

Nec tuditantia rem cessant extrinsecus vllam
Corpora conficere.

Vsus idem, lib. III. At *tudiculare* aliud est. Notat enim *commouere*, vt probat Nonius Marcellus isto Varronis Marcipore:

Haccine nobis,cibum tudiculâsse?

Estque à *tudicula*, quo significatur, quod Titinius vocat *truam*, hoc est, *cochlear maius* aut simile instrumentum, quo cibi in ollis agitantur. Græci vocant τορύνην, vt quod Suidas exponat κινητὴν τῶν χυτρῶν. Nec, quin *trua* è τορύνη factum sit, ambigo, adeò vt *truare* & *tudiculare* idem videri possint. Gloss. τορύνη, *tudicula*. Gloss. Cyrilli. τορυνῶ, *tudiculo insculpo*.

TVEOR notat *videre* & *seruare*: vt Græcis θεωρεῖν, quos Latini dicunt *vetera seruare*, cùm propriè Græcum notet *vetera videre*: Propriè autem ac primò notat *videre*, si sit à θεάομαι, vt censet Angelus Caninius. Nempe *theor* conuerso; quomodo à μίνθη est *menta*; à θυμῶ *tumeo*; à ῥέζω, *reo*. &c. Malim ego à חזה, hoc est, *explero, inquiro*. Ac fortasse ab eodem Græcum θεωρῶ. Etsi putarint, propriè dici de *contemplatione rerum diuinarum*. Sanè inquirentis & explorantis est rem inspicere ac contemplari. Ab *obtueor* est *obtutus*, quo præter Maronem, & alios, vsus Appuleius, I. Flor.

TVGVRIVM à *tego* deducunt. Capella, lib. III. & Priscianus, lib. I. Aliter tamen Festus, qui à *tecto* deducit. vel & Opilius, qui Pomponio teste, ait *tugurium à tecto tanquam tegularium esse dictum*. Nisi locus corruptus, legendùmque (quæ H. Grotij in notis ad Capellam suspicio fuit) *tugurium à tego, tanquam tegurium*. Locus est Tit. de verb. sig. Lege CLXXX. Sanè Isidorus similiter, lib. XV. cap. XII. *Tugurium casula est, quam faciunt sibi custodes vinearum ad tegimen sui, quasi tegurium*. Ita & est in MSS[ti] nostris.

TVLLIANVM, vt è Festo cognoscimus, ita dictum fuit à *rege Tullio*, qui hanc carceris partem adiecit. Meminit eius Sallustius bell. Catil. *Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur*. Item Liuius, lib. XXIX.

TVLLIVS à *tulo* seu *tullo* pro *tolo* vel *tollo*: vnde *tetuli* & *tuli*. Nempe quia in altum aquam attollat, vnde & *salientes* vocatur. Festus: *Tullios alij*; ita est in MSS[ti] *dixerunt esse silanos, alij riuos, alij vehementes proiectiones sanguinis arcuatim fluentis: quales sunt Tiburi in Aniene. Ennius in Aiace: Aiax, misso sanguine tepido tullij efflantes volant*. Vbi, vt alibi ostendimus, *Aiax* illud delendum, quod è præcedenti fabulæ nomine irrepsit. Versus verò sic in numerum redigendus:

——— *Sanguine*
Emisso tepido tullij efflantes volant.

Absque dubio verba sunt nuncij de *Aiace*, postquam manus sibi attulisset.

TVMEO, & *tumor*, iuxta Nunnesium in Grammatistice est à θυμός, quo *animus* & *ira* signatur: Iratis enim quia irati tument. Vel à דם, id est, *sanguis*, quia is tumorem facit. Nempe vt ab ἀμύλον, *amidum*, ita à דם, *tumidum*. Vel *tumor* sit ab οἴδημα, *tumor*, κατὰ μετάθεσιν, quod Nunnesius putauit: Vel potiùs à θύμος, id est, *tumor*. Nam Latini imitantur Æoles qui φ mutant in *f*, quomodo pro θὴρ dicunt φὴρ, vnde *fera*: similéque *fumus* à θυμὸς, hoc est, θυμίαμα, item à θύω, *fio*, vnde *suffitus*, & alia, quæ suis locis adduximus A *tumeo* fortè dixere *tumus*, & hinc ὑποκοριστικῶς *tumulus*. Aut si *tumus* non dixere, ἀναλόγως fit a *tumeo*. Eo autem à *tumore* nomen, quia est *eminentior terra*, siue *terræ aggestum*: vnde Maro:

Aggere composito tumuli.

Gloss. *Tumuli*, *Busti*, λόφοι, τύμβοι, σωροὶ, γῆς. Etiam à *tumeo tumex*. Est enim *tumor carnis percussæ*. Gloss. Phil. *Tumex*, ζωδίξ, οἴδημα τόπου. Vbi nec τόπος improbem, quod Martinio visum.

TVMVLTVS dici putatur quasi *timor multus*, quem Ciceroni originationem adtribuunt Lambinus aliique plurimi. Ita enim VIII. Philippicâ legunt: *Quid est aliud tumultus, nisi perturbatio tanta, vt maior timor oriatur, vnde etiam nomen ductum est tumultus*. Sed omnino *vltus* in *tumultus* vocis solum productio est. Deinde terpsit Cicero *tumor* non *timor*, planeque dictus *tumultus*, quia *res tumeant*, hoc est, *malum aliquod parturire* videantur. Ita *tumendi* voce vtitur Cic. epist. IV. lib. XIV. ad Att. *Tumentia negotia*. Et epist. proximâ: *Ne deserere viderer hunc rerum tumorem*. Et Propertio quoque *custodum tumor* haut aliud est, quàm *custodum densa corona*. Facit pro hac ἐτυμολογίᾳ quoque locus ille Maronis, I. Georg.

——— *Ille etiam cæcos instare tumultus*
Sæpe monet, fraudemque & operta tumescere bella.

Nam συνεμφασία est in vocibus *tumultus* & *opertis bellis*, quæ *tumescere* dicit, ad ἐτυμολογίαν fortasse alludens. Propriè autem *tumultum* dicebant *bellum*, *Gallicum*, aut *Italicum*. Hinc Cicero eâdem Philippicâ continuò subdit: *Itaque maiores nostri tumultum Italicum, quòd erat domesticus: tumultum Gallicum, quòd erat Italiæ finitimus: præterea nullum tumultum nominabant*. Aliter tamen interdum ipse loquitur Cicero, vt illâ pro Roscio Amerino.

TVNC à τῆμος, quod Doricum pro τόκα, quomodo & τῆνος dicunt pro τότε, pro ἐκεῖ, ἀμος, pro ἄμοτι &c.

TVNDO Angelo Caninio & Petro Nunnesio placuit esse à τύπτω, mutato E in V, quomodo à νὺξ est *tunis*; ab ἕλκος, *vlcus*; ab ἑὸς, *vnus*, &c. Sed significationis diuersitas facit, vt putem, *tundo*, priùs fuisse *tuno*, vnde *tudes*, & *tuditare*: de quibus seperatim. N in *tundo* insertum, vt in *frango* à *frago*, vnde *fragilis*; *pango* à *pago*, vnde *pagina*, &c. *Tudo* verò est à τύπτω, eiecto π, & conuersâ tenui in mediam. Vel potiùs à τύπω, *tudo*. Nam π interdum abit in *D*, vel *T*. Vt à *puta*, (ea est πυθὼ) *tuta*, vnde *Tutinus*, qui & *Priapus*. Notum è Festo Mutini *Tutini* sacellum. Τύμπανον verò à תוף, *tympanum*. A τύπτω est τύπος, *typus*. At à *tundo* est Dea *Pertunda*, quia præest *pertundendo cingio*. Arnobius lib. IV. *Etiamne Pertunda, quæ in cubiculis præsto est, virginalem scrobem effodientibus maritis?* A *tudo* fuit *detudes*. Gloss. vett. *Detudes*, μονόβυστος. Vbi cum Vulcanio legere malim μονόβυστος. Sanè Festus: *Detudes est detunsos, deminutos*. Vbi *detunsos* dixit, vt Appuleius ait, *detunsis pedum digitis ob lapides*.

TVNICA Isidoro, lib. XIX. cap. XXII. quasi *tonica*, quia homine incedente edit *tonum*, hoc est, *sonum*. Verùm hæc inepta Melius vel à *tuendo*, vel ab *inducendo*. Varro IV. de L. L. *Tunica ab tuendo corpore: tunica, vt induca*. Nempe si posterius ἔτυμον placet, *tunica* dicetur pro *intuca*, vbi omnes literæ, sed traiectæ. Non satis perspexit hoc Becmanus, cùm ait si ab *inducendo* deriues, duas tantùm literas fore in deducto Nam tantùm opus est mutatione mediæ *D* in tenuē *T*. Interea agnosco nec ἔτυμον hoc mihi satis probari. Angelus Caninius traiectione literarum factum ait a Græco χιτών siue Ionico κιθών, quæ & Petri Nunnesij in Grammatistice sua sententia est. χιτών idem Caninius factū putat a Punico *qetan*, vel Syriaco *qitana*. Sanè χιτών omnino est ab Hebræo כתנה, quod idem signat. At ab eodem fortasse *tunica* κατὰ μετάθεσιν. Romani *geminâ* vsi *tunica*, Varro apud Nonium de vita populi Romani, lib. I. *Postea quâ binas tunicas habere cœperunt, instituerunt vocare subuculam*

lam & indusium. Vnde simul videmus prius ὑπὸ vel *tunicâ* solere. Hinc idem Varro, Cato, siue de liberis educandis: *Mihi puero modica vna fuit tunica, & toga, sine fasciis calciamenta, equus sine ephippio, balneum non quotidianum, alueus rarus.* Vulgus autem *tunicâ* vsum est sine toga, aut pallio. Vnde *tunicatum* dicitur Horatio:

Vilia vendentem tunicato scruta popello.

Ennius etiam iccirco probrosè de Carthaginensibus, *tunicata iuuentus*: quia nec togata nec palliata: vt etiam liquet ex Plautina Pœnulo. De *tunica* forma legere potes Baïfium de re vestiaria, ac Aldum Manutium de quæsitis per epistolam. *Tunica molesta* (cuius Iuuenalis meminit sat....) erat *indusium cerâ litum*, quo fontes tædâ & papyro circumdati comburebantur. Hinc qui *tunica* hac induebantur, Scholiastæ Iuuenalis dicuntur *cerei*, quia vt cerei intus papyro farcti, exteriùs cerâ vestiuntur: sic homines istiusmodi interiùs essent papyro circumdati, exteriùs autem cerâ superinducerentur. Iidem, vt ex Tertulliani Apologetico constat, *semaxij* dicti & *sarmentitij*, *semaxij* quidem, quia *tunica* istac circumdati alligarentur *axi semissali*, *sarmentitij* autem, quia *sarmentis* circumdati comburebantur. Fusiùs de hoc supplicij genere Illustris Scaliger animaduersionib. Eusebianis ad annum MMLXXXIV. DCLXXXI. *Tunicatum cæpe* Persio πολύλοπον, à multis *tunicis*.

TVRBA ab Vlpiano ex sententia Labeonis dicitur esse à θόρυβος, quod Eustathio ex θρόος & βοή. Vide l. IV. in principio, & §. I. D. vi bonorum rapt. Sed omnino *turba* est à Græco τύρβη, quod παρὰ τὸ θορυβεῖν dicitur. Vtitur Lucianus: ἐρῶ πεσιάδην τινὰ τύρβην, καὶ πολλὴν ταραχὴν τῷ βίῳ. Hinc τυρβάζω, hoc est, *turbo*. Labeo ait, *turbam esse perturbationem cœtus siue multitudinis: rixam verò duorum*. Quomodo, vt IC. aiunt, *in turba factum accipimus, quod decem, aut quindecim hominibus coactis factum est.* A *turba* est diminutiuum *turbella*, non *turbela*. Nec enim simile est illis, *suadela* aut *querela*, sed his, *popellus*, *tenellus*, *vmbella*, &c. A *turba* quoque est *turbare*, & *conturbare*, quibus vocibus eleganter Latini vtuntur pro *fugiendi animo consusare*. Iurisconsultus: *Si pastor turbauerit.* Martialis lib. IX. epigr. IV.

Conturbabit Atlas, & non erit vncia tota,
Decidat tecum quâ pater ipse Deum.

Et lib. VII. epigr. XXVI.

——— *Noster te non capit ignis,*
Conturbator aper, vilius esurio.

Dubium an *turbari* ac *perturbari* ab eadem sint origine. Sanè videntur potiùs esse à ταρβῶ, hoc est, *terreo*, *consterno*, *metu perturbo*. *A* in *V* conuersum, vt à *labor*, *lubricus*; à *calco*, *conculco*. A *turbando* dictus *turbo*. qui Græcis τυφῶν, Lucretio *ventus versabundus*. Appuleius de mundo: *Turbo dicitur, qui repentinis flatibus prosilit atque vniuersa perturbat.* Nec aliunde *turben*. Nam actus flagellis veris instar *turbat* ac strepit.

TVRDVS *piscis* à *colore turdi auis* nomen habet, vt indicat Varro, IV. de L. L. Fabius quoque inter ea quæ à similitudine nomen habent, & *soleam* & *turdum* piscem ponit, lib. VIII. cap. II. At *turdus auis* dicitur quasi *tardus*. *A* in *V* abeunte, vt à *labor lubricus*, à *quatio concutio*. Sic sane Isidorus, lib. XII. cap. VII. *Turdi à tarditate dicti: hiemis enim confinio se referunt.* Hoc est, *in fine autumni*, vt in Catholico suo exponit Ioannes de Genua. Sed cùm crebrò adeò commutari soleant literæ *S* & *T*, malim dicere *turdus* esse ex *surdus*. Nam vsque adeò *surdus* est, vt prouerbio locum dederit, κωφότερος κίχλης, quod ex Eubuli Dionysio citauit Zenodotus. Sed simplicissimum fuerit, si cum Gesnero dicamus à sono accepisse nomen: quomodo & (iuxta Varronem in IV. de L.L.) à suis vocibus nomen impositum *vpupæ*, *cuculo*, *coruo*, *panoni*, *anseri*, *buboni*, aliisque. Quæritur an & dicatur *turda*. Negat Varro, lib. VIII. de L.L. vbi clarè ait, *Dici coruum turdum, non dici coruam turdam.* Sed omnes Persij codices ac membranæ, Casaubono adtestante, sat. VI. habent

——— *Sollers turdarum nosse saliuam.*

contra Varronis sanctionem. Etiam à *turdus*, est *turdarium*, locus vbi aluntur *turdi*. Et *turdelix*, *turdus exiguus*. Habes vtrumque apud Varronem, lib. V. de L.L. *Verba ex verbis ita declinari, vt literas alia adsumant, alia amittant, alia commutent: vt fit in turdo, turdario, in turdelice.*

TVRGEO vnde sit, parùm liquet. Fortè est ab ὀργῶ, quod est, *libidine turgere*. Vel ab *vrgeo*, quia quæ *turgent*, *vrgent*. *T* præmissum, vt ab ἀκέω, *taceo*, ab ἔρα, *terra*, &c.

TVRIO vocatur tenuis omnis ramusculus, quales maximè in summis arboribus. Ita exposuere Georg. Merula, & Phil. Beroaldus. Vsus Columella, lib. XII. cap. XLIX. Videtur ita dici, quia facilè teratur: vt *turio* sit quasi *terio*, quomodo *tugurium*, quasi *tegurium*.

TVRMA, (vt Varro ait, lib. IV. de L.L.) *factum è terma, E in V abiit: quod ter deni equites ex tribus tribubus Titiensium, Ramnium & Lucerum, fiebant. Itaque primi singularum decuriarum decuriones dicti, qui ab eo in singulis turmis sunt etiam nunc terni.* Festus, *Turmam equitum dictam esse ait Curiatius quasi terimam, quod ter deni equites,* &c. Ipsa Varronis verba deinceps exscribit Festus. Sed Ios. Scaligero in Coniectan. is placet, vt *cohors* in exercitu dicta, quia, *cohortis* villaticæ instar rotunda sit, sic etiam *turmam* ob rotunditatem nominari à τόρμος, quod Hesychio teste est *modiolus rotæ*, *cui inseritur axis*, ἡ πλήμνη τοῦ τροχοῦ εἰς ἣν ὁ ἄξων. Huius quoque vocis originem in iisdem coniectaneis adducit. Censet enim à τείρω, τέρω, τορῶ, τόρος, tum τόρνος venire, vt sic dicatur quicquid *rotundum*, vnde τορεύω & τορνεύω, tum τόρμος, vnde *torqueo*: tum τόρμος, vt nempe à φέρω φορμός, à κόρω κορμός, à μείρω μορμώ. Denique Martinio visum *turma* κατὰ μετάθεσιν esse ex δρόμος, *cursus*, nempe quia equitatus cursu plus pollet. Ac taceo illud in Glossis Philox. *Turma*, λόχος, διαδρομή.

TVRPIS iuxta Nunnesium fit κατὰ μετάθεσιν è σαπρός, hoc est, *putris*, *carie corruptus*. Possis magis verisimiliter deducere à *torpore*: vel à τρέπω, *verto*, vt idem sit ac *peruersus*: vel à τύρβη, *turba*, vt idem valeat ac inordinatus. Nam εὐταξίας nihil pulcrius, ἀταξίας nihil *turpius*. Hinc *turpiculus*, vt *turpiculo res* apud Varronem, In IV. de L.L.

TVRRIS (iuxta Varronem in IV. de L.L.) *à toruis, quòd ha prospiciunt ad alios.* At secundùm Isidorum, lib. XV. cap. II. *quòd teretes sint & longa.* Quippe, (vt subiicit) *vel rotundæ sunt, vel saltem procul videntibus rotundæ existimantur.* Apud Perottum habemus etymon geminum. Varronis illud, *quod adspectu torua sint, hoc est, terribiles*: item alterum, *à terrendis hostibus, sicut arces ab hostibus arcendis.* Sed non dubito quin origo eius à Græcis, vel Oriente sit petenda. Sane affinitatem habet cum βάρις, quod Hesychius & Suidas exponunt τεῖχη, ναοὶ, αὐλαὶ, πύργοι. Hieronymus in Hierem. cap. XVII. *βάρεις* esse dicit *turritas domos*. & in Oseæ cap. IX. *magnas & in modum turrium ædificatas domos*. Vide & eum in Psal. XLIV. Non tamen *turris* est à βάρις, sed est à τύρσις, *s* in *r* mutatum, quomodo *ero* est ab ἔσω, vnde *iterum*, à πορσὸν *porrum*, ac qui prius *Valesij* ac *Fusij*, postea vocati *Valerij* ac *Furij*. Galenus Lexico in Hippocratem: τύρσιν, πύργον, ἢ μᾶλλον τὸν ἐν τοῖς τείχεσι. Hesychius: τύρσεις, πύργοι, ἐπαύλεις, περιτειχίσματα. Idem: Τύρσις, τὸ ἐν τῷ τείχει ᾠκοδομημένον. Est ab Hebræo צור, quod *aciem*, item *turrim angusta acie* notat. A *turribus* fortasse nomen *Tyrrhenis*. Sanè id verisimilius, quàm vt τύρσις sic dicatur, quia eo inuenerint *Tyrrheni*: quod Tzetzes scripsit Comment. in Lycophr. & Cælius Rhodig. lib. VI. cap. XVIII. A τύρσις quoque, vel Hebræo צור, vnde τύρσις venire diximus, videtur esse τύραννος, *tyrannus*: Nisi malis à Chaldæo טירא, hoc est, *ædes*, *palatium*. Caussa appellationis sit, quòd *inhabitent turres ac palatia*. Vnde poeta primo odarum opponit *pauperum tabernas, Regumque turres*. Primò *tyrannus* in bonam partem pro *rege* seu *principe*, accipi solere, satis notum arbitror.

TVRSIO, τυρσίων, *salsamenti pars è canicula*, pisce marino. Nomen à *figurâ thyrsi*, qui in summo est capitatus. Plinio verò & *piscis genus* est, ex genere delphinorum. Ac videri possit nostrum *sturio* ex *tursio* contractum. Sed *sturio* alius est: & appellatio ea à Germanis, & Septentrionalibus populis, quibus hodiéque *steur* vocatur.

TVRTVR. Hebræis תור dicitur, quia *is sonus gementis turturis*. Latini syllabam eapse de caussa geminant. Græci κατὰ μετάθεσιν primam syllabam extulere. Nam iis *turtur* est τρυγών. Pro quo & τρυγὼς dixisse, auctor est Hesychius. Solent Lacones mutare ρ in σ, vnde in Ephororum decreto apud Lacedæmonios, πρεσβεῖες παραγενόμενος pro πρεσβεύς παραγενόμενος. Sic ex τρυγὼς potuerit esse τορυγὸς, κατὰ μετάθεσιν τύργος, indè γ in τ abeunte *turtur*. Sed simplicius videtur, si ex Hebræo fiat geminatione syllabæ, vel similiter dicatur à sono impositum. Est *turturis* vox quoque inter lasciua: indéque *turturilla* apud Senecam, epist. XCVI. vbi fortibus viris ac primoribus castrorum opponit molles & *turturillas*, siue, vt aliqui legere malunt, *turturillos*: quos turos dicit contumeliæ caussâ: quasi qui relinquantur non honoris, sed contemtus ergo. De *turturilla* voce ita Isidori Glossæ: *Turturilla ita dictus locus, in quo corruptela fiebant, quod ibi turturi opera daretur, hoc est, panem.* Vbi pro *panem* rectè Gruterus emendat *peni*. Sic *passeris* quoque nomen huic parti accommodatum fuisse varij monuerunt. Imò & τρυγὼν (qui Latinis *turtur*) notat τὴν τῆς γυναικὸς φύσιν, teste Hesychio. Nimirum quia etsi *turtur* vna contentus sit femella: femellæ tamen, si mare destituantur, se mutuò conscendant. Nec tamen displiceat si apud Isidorum pro *panem* legas *ganea*:

quod

quod Lipsio visum. Non quasi *turtur* interdum *ganeam* notet sed quia pœni impurimis in ganeis locus.

TVRVNDA est offa vel simile quid. At *turundæ* Marcello Empirico, quæ vulgo *suppositoria*, quia supponantur sedi ad ciendam duriorem alvum. Monuit ad Varronem Scaliger, utrumque a *terendo* sic dici; ut a *merendo*, *merenda*, à *præbendo*, *prebenda*. E in *V* conversum; quomodo a *tegendo* est *tugurium*. Vel *turunda* sit ab obliquo τυροῦντα, τυροῦν vero a τυρός, *caseus*. Ut propriè *turunda* sit, quæ caseo addito fieret: posteàque ad alius etiam materiæ genera extensa sit significatio. Placuit hoc Salmasio. Figura eius rotunda erat. Itaque Turnebus, lib. XVII. cap. VII. censet, ubi legitur *turunda*, transpositis literis esse legendum *rutunda*, quomodo in vett. libb. pro *rotunda* quandoque scriptum invenitur. Ad hoc firmandum citat illud Scribonij Largi, cap. CCI. *Atque ita dum desinat fervere, emplastrum manibus subigetur, & redactum in rotundas ampliores, quas magdalidas dicunt, reponetur.* Sed planè iudico, non tam metathesi in Catone, Varrone, aut Marcello Empirico, quàm in hoc unius Scribonij loco opus esse: ut nempe in eo pro *rotundas* legatur *turundas*. Neque enim à figura id nomen, sed uti dicebamus, vel à τυρός, unde fieri soleat, vel a *terendo*, quia ut hic Scribonij locus docet manibus subigitur, quod Latinis *terere*, unde *intritum*, Græci id dicunt μάττειν, unde iis μάζα, quæ Latinis *turunda*.

TVS (unde *tusculum* fecit Plautus Aulul.) à *tundendo* dici scripsit Sosipater; ut *tus* dicatur quasi *tusum*, nempe a *glebis tusis* sive *tunsis*. Aliis placet *tus* sive *thus* dici quasi θύος, ἀπὸ τοῦ θύειν, quæ sententia fuit Iulij Modesti: ut Charisius testatur, lib. I. De utroque etymo ita Servius, ad I. Georg. *Sane tus modo sine adspiratione dicimus. Nam antiqui thus dicebant ἀπὸ τοῦ θύειν, quod displicuit.* (Ita emendat Heroaldus Animadv. in I. Arnobij, pro quo in vulgatis *quod Dijs placuit.*) *Tura enim à tundendo dicta esse voluerunt, à glebis tunsis, cum quibus dicitur fluens de arboribus coalescere.* Mihi tamen magis placet esse à Græco θύος, quod idem ac θυμίαμα, *suffimen*, sive, ut recentiores loquuntur, *incensum*. Quemadmodum & θύειν, unde θύος, idem interdum ac θυμιᾶν, *suffire*. Qui à *tundendo* esse malebant, eo movebantur, quòd θύειν sit *sacrificare*. Sed θύειν est id quod dixi. Nec obstat, quod in antiquis codd. *tus* legatur absque adspiratione, ut Pierius quoque agnoscit ad II. Georg. Nam solent Latini voces à Græcis acceptas aut deductas ita conformare atque immutare, ut origine quoque Latinæ viderentur. Ita scripsere *silva*, non *sylva*, licet sit ab ὕλη; *lacrima*, non *lacryma*, etsi sit à δάκρυον; *scena* non *scæna*, etsi sit à σκηνή; idémque in sexcentis aliis factum, quæ qui conformant ad exemplum vocum Græcarum, cùm veterum monumentorum ac codicum auctoritati repugnent, nimium sibi alienâ in linguâ tribuere videntur. A *tus*, & præverbio *ad*, est *adturare*, hoc est, *tus addere sacrificio*, sive *accendere tus*. Glossæ vett. *Atturatio*, λιβανουργία.

TVSSIS plerisque à *tusu* ita dici videtur: quia *commotio est pulmonis pectus tundens*. Isidorus videtur deducere a Græco δύνειν, quatenus δύνω notat εἰς βάθος χωρεῖν, hoc est, *in profundum abire*. Nam lib. IV. cap. VII. ait: *Tussis Græce ab altitudine vocatur, quod a profundo pectoris veniat; cuius contraria est superior in faucibus, ubi uva destillat.* Mihi neutrum probatur: sed censeo appellationem esse à sono, quem edunt *tussientes*. A *tussi* *tussilago*, & *tussicularis herba* Cælio Aureliano dicitur, quæ *tussi* medetur: Græcis βήχιον eâdem de caussa dicitur. Nam βὴξ, *tussis*, βήσσειν, *tussire*.

TVTVLVS (quam vocem Tertulliano inter alias restituerunt viri docti lib. de Pallio cap. IV. cum in vulgatis legeretur *titulus*) priorem nunc corripit, nunc producit, ut bene observavit doctissimus socer Fr. Iunius ad Tertullianum. Corripit tum, quando in feminis ita vocatur *capillorum in conum congestio*, quem Lucanus nominat *turritam frontis coronam*, Statius *celsos frontis honores, suggestúmque comæ*, tum quando ponitur pro *apice flaminis*, hoc est *summo fastigio pilei, quo Flamen utebatur*, unde *tutulatus* Ennio dicitur. Videtur autem *tutulus* priori significatione esse à *tuendo*, quasi *tuitulus*: cuius causam Varronis verbis mox indicabo. Posterior verò significatio ex priori fluxit, ut ex eodem parebit. Mirum autem, quod & Belgæ hodiéque capillos fœminarum in duas quasi classes contectos, & fasciolâ circumligatos *tuiten* appellant. At cùm *tutulus* primam producit, notat ἀκρόπολιν, estque id nomen à *tutelâ*. Hasce tres significationes earúmque causas discere est ex Varrone, lib. VI. de L.L. Nam cùm adduxisset Ennij illud è II. Annal.

Libaque fictores Argeos & tutulatos:

deinceps sigillatim de versus singulis verbis tractat, ac de postremo sic scribit: *Tutulati dicti hi, qui in sacris capitibus* (Scal. *apicibus*, id est *flaminii*) *habere solent, ut metam. Id tutulus appellatur ab eo, quòd matresfamilias crines convolutos ad verticem capitis quos habent vitta velatos* (Scal. *velatos*) *dicunt tutulos, sive ab eo, quod tuendi causa id capilli fiebant, sive ab eo quòd altissimum in urbe quod est, arx, tutissima tutulus vocatur.* Vide & Festum in *tutulus*. Græci *capitum id conum fastigiatum*, quem Latinos in mulieribus *tutulum* vocare diximus, in iisdem nominant κόρυμβον & κρωβύλον, ut in viris κρωβύλον & κόρυμβον, in pueris σκορπίον. Vide Hadrianum Iunium, lib. II. Animadv. cap. I. & lib. de coma: Ios. Scaligerum, in Cirin & Ætnam: Florentem Christianum in [illegible] Aristoph. &c.

TVTVS à *tutulus* deducit Scaliger, lib. I. de causs. L. L. cap. XVII. in quo dissentit a Varrone, qui *tutulus* à *tutus* esse existimabat. Sed neutrum placet. Potiùs puto *tutulus* esse à *tuor*, à quo *tutus*. *Tutus* verò censeo esse ex *tuitus* à *tueor*, unde & *tutor* & *tutela*, à quo Dea *Tutelina*, quam sub tecto nominare erat religio. Nominat autem Varro in IV. de L. L. & in sat. *Hercules tuam fidem*, teste Nonio in *Tutelina*. Ad hæc Macrobius, lib. I. Saturnal. cap. XVI. & Tertullianus, lib. de spectaculis, cap. VIII. Ara huic in Aventino: uti extra portam Capenam *Tutano*, cui itidem à *tutela* nomen: nempe quòd adversus Hannibalem *tutatus* esset populum Romanum. Varro Menippeâ, *Hercules tuam fidem*:

Noctu Annibalis cum fugavi exercitum,
Tutanus hoc, Tutanus Romæ nuncupor,
Hacpropter omnes qui laborant, invocant.

Alius igitur *Tutanus* à *Tutuno* vel *Tutino*: qui idem ac *Priapus*: uti in *Muto* diximus.

TYMPANVM, τύμπανον, Aristophanis Scholiastes & Suidas innuunt esse à τύπτω, quia *pulsetur*. Sed non dubitandum, quin sit ab Hebræo תפים, id est, *tympanum*: nempe inserto *M*, quomodo à לפיד, est λάμπας, *lampas*: itidémque *N* inserto *sindon*, σινδών, est à סדין, *sadin*. Sanè Syrorum *tympana* è Græcia Romam tandem esse transvecta, docebit insignis hic locus Iuvenalis:

Iampridem Syrus in Tiberim deflexit Orontes,
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas nec non gentilia tympana secum
Vexit, & ad circum iussas prostare puellas.

Qui locus lucem capit ex iis, quæ diximus in *Ambubaia*. Existimat Ios. Scaliger, Latinos à Syro *tup* (unde Græcum τύμπανον & τύπτειν deducit) etiam pro *tympano* dixisse *topium* ac sic ut sentiat, facit, quod apud auctorem de Copâ, quo loco in vulgatis legitur, *Sunt cupæ calices*: in veteri invenerit scheda, *Sunt topia & chalybes*: ut nempe intelligantur *Syrorum tympana*, & *æra* ad *crotala* sive *crepitacula*. Sanè nihil mirum, si Copa Syrissa patrium pulset *tympanum*. Ut autem Latini Græcique *tympani* vocem habent à Syris: ita & Hispani hodie *tympanum* crotalistrium Arabum Maurorúmque voce appellant *atabal*: & *tympanum* maius *altambor*, quia in voce *al* articulus est, ut in *alchemia*, *almagestum*, & similibus. Quare non dubium, quin Belgicum *tambourijn*, ex *altambor*, sive *tambor*, factum sit. Etiam *tympanum* ad rem architectonicam transfertur: quâ de notione vide Bernardini Baldi Lexicon Vitruvianum.

TYPHVS, τῦφος, propriè *fumus*: sed per metaphoram ab Arnobio, aliisque, sumitur pro *fastu* & *arrogantia*. Est à τύφω *fumigo*. Unde & *typhon*, τυφῶν, *vortex fumigans, sed sine igne*. Indéque & gigas ille, cui Sicilia imposita, *Typhon* & *Typhoeus* vocatus à poetis.

V

VACCA, si Isidorum audimus, fuerit à *bos*. Sic enim scribit lib. XII. cap. I. *Vacca quasi boacca. Est enim ex qualitate mobilium nominum: sicut leo leæna, draco dracæna.* Malim dixisset *vacca* esse ex βοϊκά. Nam βοϊκός, *vaccinus*. Interim nec istud probarim: sed verum est, quod Angelus Caninius monuit, esse à Syriaco eiusdem notionis *baccara*, בקרא. Ac Hebræis quoque בקר, *bos*. Sæpe enim Latini mutant B in V: quomodo à βιῶ est *vivo*, à βοῶ, *voco*, & *aufero aufugioque* dicunt pro *abfero* & *abfugio*. Vide *Vu*, *Vescor*, *Volo*, &c.

VACERRA, propriè *stipes ad quem equi religantur*, & κατὰ μεταφορὰν *homo stupidus*, quâ ratione & idem *stipes* vocatur. Festus: *Vacerram Ælius, & alij complures vocari aiunt stipitem, ad quem equos solent religare. Ateius verò Philologus hoc nomine significari maledictum magnæ acerbitatis, ut sit vecors & vesanus, teste Lavio; qui dicit: Vecors & malefice vacerra.* Nam *vacerra* à *vaco*, quia *vacant* equi ei alligati? an potiùs à *varus* quo significatur *baculus furcillatus & infirmus*: ut inferiùs dicemus. Pro *vacerra* Augustus novè *vacerrosum* dixit, teste Suetonio.

VACILLO unico *c*, quamquam *vaccillo* subinde legas in MSS[ti]:

vt quibusdam codd. MSS[is] Festi siue Paulli in *Talipedare*: Ac similiter dicunt Belgæ *wackelen*: quod à *vacillare*. Nonnum si audimus, à *baculo* venit, quo se lassi & infirmi sustentant. Sanè summa est inter B & V affinitas. Sic à βάζω est *vado*, à βία *vis*, à βρῶμος, *vepres*, &c. Nec obstat, quod prima in *baculus* quidem corripitur, eadem verò in *vacillo* apud Lucretium, si sana est vulgaris lectio, inueniatur porrecta. Nam & idem Lucretius corripit eam in *vacillo*: & contra in *imbecillo* secundam Horatius producit. Vt syllaba *ba* vel *va*, videatur olim antiquis fuisse anceps. Locus Lucretij, vbi corripit, est iste lib. VI.

Hac igitur ratione vacillant omnia tecta.

Eiusdem est:

Denique sub pedibus tellus cùm tota vacillat.

At producit in III.

Tum quasi vacillans primum consurgit, & omnia.

Scio, Lambinum, vbi *vacillans* legitur, priori longâ, siue, vt in optimo nostro MS° legitur, *vaccillans*, scribere *talipedans*, voce Enniana. Sed facit id præter codd. omnium fidem. De etymo objiciat aliquis, quod Donatus in editione secunda sic scribat: *Sunt sine origine perfectæ formæ, vt pitisso, vacillo*. Verùm non aliud dicere vult, quàm non venire hæc à verbo, vti inchoatiua, diminutiua & similia, de quibus egerat. Fortasse tamen id verum non est. Suspicari enim liceat *vacillo* esse à *vaco*, vt à *sorbeo sorbillo*. Quod apertè negat Diomedes, lib. I. Vbi cùm dixisset *sorbillo esse diminutiuum perfectæ formæ*, subiungit *vacillo esse perfectæ formæ sine origine*. Sanè si à *vaco* est, aliud necesse sit veteribus *vaco* signant, quàm nunc putà *impingo, ruo cado*, vel simile. Fit hoc eo magis verisimile, quia tanta est affinitas ac similitudo inter *vaco* ac Hebræum פוק, quo notat *impingo, vacillo, ruo*. A *vacillo* est *vacillator*, quod Glossæ Philoxeni exponunt σφαλερός. Sic fortasse dictus, quia eius vacillat fides ac testimonium: quomodo loquuntur Iurisconsulti, l. XXVII. §. I. D. de lege Corn. de fals. & L. XIV. D. de quæst. Eædem Glossæ *vacillantes* interpretantur κραιπαλῶντες. Sed propriè Græca vox notat *vacillantes ex vino*, vt loquitur Fabius. lib. VIII. c. III.

Vaco ab Hebræo בקק, *euacuare, vacuum reddere*. A *vaco vacuus*, vt ab *irrigo irriguus*, ab *assideo assiduus*. Ab eodem *vacinus*, vt à *cado caduus*, à *recido reciduus*. Gloss. Philoxeni: *Vacinus*, ἄεργος. Item hinc *Vacuna*, dea vacantium siue otiosorum: de qua sic vetus Horatij interpres in epist. X. lib. I. *Vacuna apud Sabinos plurimum colitur: quidam Dianam, nonnulli & Cererem esse dixerunt, alij Venerem, alij Victoriam, deam vacationis, quod faciat vacare à curis. Sed Varro primo rerum diuinarum Mineruam dicit, quod eâ maximè hi gaudent, qui sapientiæ vacant*. Meminit & Auson. epist. V. Ab eodem *vacuefacio*, & *vacuefio*. Vide Carrionem, Antiq. lib. I. cap. XVIII. Pro quo alij legunt *vacefacio*, & *vacefio*. Vt Modius epist. CXIII.

Vado nonnullis Perotto teste dicitur quasi *via do*. Sed est à βαδῶ, quomodo linguâ Delphorum dicebatur pro πατῶ, teste Plutarcho in Hellen. A βάω est βατός, vnde βατέω, vel ab eo πατέω. Item βαδίζω, *badisso*: quo vsus Plautus Asin. III. III.

Demum hercle iam tibi de ordeo tolutim ni badizas.

Fit autem *vado*, à βαδῶ, mutato B in *v* consonum, quomodo à βίω est *viuo*, à βόμβος, *vomo*, ab ὄροβος, *eruum*, à βρῶμος, *vepres*, &c. Idem fiet si *vado* deducamus à Dorico βαδῶ, pro βάζω, eliso ς, quod non minùs placet. Vel fit *vado*, (quod simplicissimum,) à βάδω. Eustathius Iliad. II. p. DCXXXVII. ὁ βάδος ἐκ τοῦ βάδω, ὃ παρήγαγε τὸ βαδίζω. Βάδω autem à βάω, à quo βίβημι, & βαίνω. Βάω à בא, *venit*.

Vada in pluratiuo, & interdum *vadum*, aut *vadus*, τὰ βραχέα. Varro, lib. I. de ora maritima: *Vbi ab aqua summa non altè est terra, dicitur vadus*. Citat Seruius in I. Æn. Quod ad etymon à *vadendo* deducunt. Nempe quia sic dicatur cuiuscumque aquæ fundus, per quem vadere, siue pedibus transire licet, ita vt vbi quis in eo constiterit, iam periculū effugerit, ne mergatur. Sed ob disparem quantitatem censeo dubius venire à Græco βατόν, quod à βάω. Vel quod eodem redit, fit à βάθος, quamquam βάθος vniuersè notat, per quod vaditur, non solùm transitus per aquam. Aristophanes in Auibus:

Διὰ πάντα τ' ἄλλα δι' τοῦ βάδου βαδίζομαι.

Atq; hoc nisi certissimum videretur, minùs displiceret sententia eius, qui *vadum* censebat esse planè Arabicum, à وَادِي *vadum*, quod *torrentem* ijs notat. A *vadum* est *vadosus* amnis, cui crebra eiusmodi *vada*. Ab eodem prouerbium, *Res est in vado*, quia, vt in profundo periculum, ita in vado securitas.

Vafer. δόλιος, πανοῦργος, vt exponunt Phil. Gloss. De etymo sic Perottus: *Vafer, callidus, astutus, quasi valdè Afer. Mira enim semper fuit eius gentis calliditas*. Ita fuerit ex *Afer*, & *ve* intensiuo, vt in *vehemens*. Sed quid si dicamus esse ab ἀφὴ, quâ antiquū verbale est ab ἅπτω, *necto, ligo*: Vt *vafer* sit, qui norit artem verborum rerúmve vincula alteri nectendi? Sed simplicissimum puto, erit, si *vafer* dicatur esse ex *varifer* contractum, quasi qui *varia* semper *afferre* norit, quibus se vel alios norit extricare. Fauent nonnihil Glossæ Isid. in quibus *vafrum*, hoc est, *vafrum*, exponitur, *varium multiformem*.

Vagina, κολεός, ξιφοθήκη, vt est in Phil. Gl. Isidorus, lib. XVIII. cap. IX. *Vagina appellatur ex eo, quòd in eo mucro vel gladius baiuletur*. Ita *vagina* dicetur quasi *baiuligina*, vnde *baugina*, & per syncopen *bagina*, vt Isidori æuo scripsere pro *vagina*. Sed hæc inepta. Potiùs fit ab antiquo *pago*, pro *pango*: vnde *pepigi*, & *pagina*. Nempe vt *pagina*, vbi *pagimus* stylo, ita *vagina* pro *pagina*, mediâ discriminis caussâ, porrectâ, vbi pagimus gladium. Vel, quod imprimis placet, vt à *vacando Vacuna*, vacantium dea, ita & à *vacando vacina*, vacuum illud in quod gladius reconditur. *Vacina* enim antiqui dixere, quibus *g* in vsu non erat, vnde & scripsere *macestratos* pro *magistratus*, *ecfociont*, pro *effugiunt*, similiáque, vt vel ex columna Duilliana constat.

Vagire & *vagor*, (quod pro *vagitu* Ennium Lucretiúmque posuisse docent Varro, Festus, Nonius,) sunt voces à sono factæ. Varro, in libb. rerum Diuinarum apud Agellium lib. XVI. cap. XVII. *Vaticanus Deus nominatus, penes quem essent vocis humanæ initia; quoniam pueri, simul atque parti sunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano syllaba est: idcircóque vagire dicitur exprimente verbo sonum vocis recentis*. A *vagio* est *vagilo*, seu *vagulo*, vel *vagulor*: nempe eâ ratione, quâ à *pipio pipilo* est apud Catullum, de passere:

Ad solam dominam vsque pipilabat.

Vagulari vel *obuagulari* est cum vagitu quasi & clamore sua reposcere ab eo, qui alienum inuolasset. Festus: *Vagulatio in lege* XII. *Tabularum significat quæstionem cum conuicio*. Subiunguntur deinde verba ipsa XII. Tabb. *Cui testimonium defuerit, tertijs diebus ob portum obuagilatum ito*. Quæ verba etiam adducit in *Portum*, vt doceat *portum* in XII. accipi pro *domo*. Vide de *obuagilationis* ritu Rævardum in ijs, quæ ad XII. annotauit. At planè fallitur Theodorus Marcilius, cùm putat, quod Romæ *obuagulari*, id Græcis fuisse ἀπαιτεῖν, de quo Pollux, lib. VIII. cap. I.

Vagor, siue, vt vetustiores dixere, *vago*, ab *ago* esse plurium sententia est. Sed Papias putat dici quasi *vanus ago*: Perottus quasi *vacuus ago*. Puto potiùs, *vago* esse ex *ve*, id est, *valde*, & *agor*, hoc est, *feror*. Passiua enim significatio manifestè inest huic voci. Nec multùm abeunt à nobis, qui dici aiunt, quasi *vi agor*. Vide quæ diximus in *Nego*. A *vagor* est *superuaganeus*, vt à *vaco superuacaneus*. Itaque *superuacaneum* idem est, quod *superuacuum*: at *superuacanea auis* (Festi verbis vtor) *vocatur ab Auguribus, quæ ex summo cacumine vocem emisit, quia quasi in altissimis supérque omnia vagatur, appellata*. Ita est in schedis Farnesianis: & conueniunt MSS[ti] codices Paulli.

Vah κατ' ἀποκοπὴν ex *vaha* factum scribit Priscianus, lib. I. cap. de numero literarum: & lib. II. cap. de syllabâ. Itidem *ab* ex *aba* factum putat. Sic autem se sentire ostendit, quia nulla syllaba terminari possit adspiratione. Sed vt hoc verum sit in nominibus, verbis, iisque orationis particulis, quæ θέσει significant, locum tamen non habet in interiectionibus, quæ significant φύσει. Itaque etiam dicimus *oh*, quod ex *ohe* vel *oho* factum esse nequit, cùm diuersa harum interiectionum vis sit. Nec *proh* ex dissyllabo contractum est, sed ad præuerbium *pro* addita est aspiratio differentiæ caussâ. Vide *Ah*.

Valeo Ang. Caninius & Petrus Nunnesius putant esse ab οὔλω, vel ὀλέω, quod verbum agnoscit is, qui de dialectis scripsit. Vtrumque idem significat. Hom. Il. ω.

Οὖλέ τε καὶ μέγα χαῖρε.

Vbi οὖλε est ὑγίαινε, vt interpretatur Hesychius. Latini præposuere *V* consonum, quod non rarò fieri ostendimus in *Ventus*, *Video*, atque alibi. Οὔλω verò ab Ionico οὖλος pro ὅλος, *integer, sanus*. A *valeo* est *validus*, vnde *valide*, & κατὰ συγκοπὴν *valde*, vt Priscianus monet in XV. ac Beda libro de Orthogr. Cùm autem non *valitudo* modò, sed & *valetudo* dicatur per E longum, planè verisimile est, quemadmodum veteres dixere *olitum* & *oletum*, sic eosdem dixisse *valitum* & *valetum*, ab illo esse *valitudo*, ab hoc *valetudo*, quâ de re pluribus actum in Animaduers. Grammaticis. A *valeo* est *valesco*. Lucretius, lib. I. vers. DCXLIX.

Sed potius tali facto recreata valescat:

Quem ipsum versum vsurpat penè initio quarti libri. Hinc composita *conualesco, inualesco, reualesco*.

Valgus quis dicatur, Festus docet, his verbis: *Valgos Opilius Aurelius*

Aurelius, aliique complures, aiunt dici, qui diuersas suras habeant, & qui talos vitiosos habeant. Plautus in Milite Glorioso:

Maiorem partem videas valgis suauiis.

Et in Scytha liturgo:

———Sin ea mihi insignitos pueros parias postea,
Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut patum, aut broncum filium.

E contrario vari dicuntur incurua crura habentes. Nempe valgi sunt, qui, vt Petronius loquitur, *crura in orbem pandunt*; quales Æthiopum pedes. & ille, quem describit Martialis, lib. II. epigr. XXXV.

Cùm sint crura tibi, simulant quæ cornua Lunæ,
In rhytio poteras, Phœbe, lauare pedes.

Græcis *valgus* est βλαισὸς; vt *varus*, ῥαιβός. Imò ex sententia Angeli Caninij, & Petri Nunnesij, quasi *valsus*, *valgus* est à βλαισὸς, nempè τῇ μεταθέσει, & σ in G conuerso. Verùm quid si *valgus* dicatur à βάω, eo, & ἀλγεῖν, quod Laconibus *aegrotare* siue *morbum atque ægritudinem* notat? Vide quæ de *valgu* diximus in *Perna*, & *Varus*.

VALLIS à *vello*, iuxta Isidorum, lib. XIV. cap. VIII. *Valles*, inquit, *sunt humilia loca, quasi vulsa*. Græcis est αὐλὼν, vnde *vallis* literarum traiectione fieri censet Angelus Caninius, & Nunnesius in Grammat. Hellen. atque ait Caninius similia esse ὤμα, Æolicè αὔϊμα, *pulex*; ἄκυλος, *ilicis glans*; ζῴσιμος, *fasces*; δύναμαι, *dominor*; χιτὼν, *tunica*; ταχὺ, *cito*; ἄρχω, *rego*; ῥέεθρος Æolicè ῥέερθος, vnde *tertius*, *colurnus* pro *corulnus* à *corulus*, &c. Vel fuerit *vallis* à βάλλω, *deiicio*, *demitto*. Est enim *locus depressus, ac quasi demissus, seu deiectus*. Vel, quod Guicharto placet, ab אבל, *vallis, planities magna*. *Vallium* dea *Valonia*. vt apud Perottum lego. sed alium neminem. quod sciam. A *con* & *vallis*, patet esse *conuallis*. Quare non audiendus Varro, cùm lib. IV. de L. L. *conuallis* dici ait, quasi *cauata vallis*.

VALLVM dicebatur *murus è terra ad fossæ oram aggestus, crebris sudibus siue palis munitus*. Itaque duæ eius partes, agger siue terra, & pali siue sudes. De etymo sic Varro, lib. IV. de L. L. *Vallum, vel quòd ea varicare nemo possit; vel quòd singula ibi extrema bacilla furcillata habent figuram literæ V.* Quæ lectio si recta est, *varicare* hic erit ὑπερβαίνειν siue *transgredi*: quomodo *varicare* in vett. Glossis exponitur, vt diximus in *Varus*. Sed Ios. Scaliger Varronis locum sic legit: *Vallum, vel quod ea vari ac erumnæ essent*, &c. Verane hæc emendatio sit, difficile dictu est: Sed de etymo planè assentio. Quamuis enim, quia valli agger iactu aut aggestione terræ fieret, *vallum* & *vallare* non ineptè deduci queant à Græco βάλλω; tamen cum non omnis *agger* sit *vallum*, sed tum demum id nomen adipiscatur, cùm *munitus* est *vallis* siue *sudibus*: quin à *vallus vallum* dicatur, dubitandum minimè censeo. Idem esse *vallus*, quod *palus*, siue *sudis*, ostendimus superius. Vallos autem aggeri imponi solere, clarè docet hic Vegetij locus, lib. III. cap. VIII. *Primum in vnius noctis transitum, & itineris occupatione leuiore, cum sublati cespites ordinantur, & aggerem faciunt, supra quem valli, hoc est, sudes, vel tribuli lignei, per ordinem digeruntur.* Hinc Ammianus lib. XXXI. *Vallo sudibus fossáque firmato.* Quemadmodum autem *vallum* à *vallus*, ita *vallus* ὑποκοριστικῶς à *varus*, quo furcillas notari ostensum suo loco. A *vallum* est, *interuallum*, quomodo propriè vocatur *spatium inter cumos siue varos in vallo castrensi positos*. Sed συνεκδοχῇ speciei extensum ad alia quæuis. *Interualli* de voce ita Annæus Cornutus apud Cassiodorum, lib. de Orthogr. *Interuallum per duo L L. vallum enim ipsum non aliter scribitur, à quo interuallum. Varro dicit interualla esse spatia, quæ sint inter capita vallorum, id est stipitum, quibus vallum fit, vnde cætera quoque spatia dicuntur.* Hæc Cornutus. Atque idem tradit Isidorus, in XV. A *vallum* quoque est *euallare*, quasi *extra vallum mittere*, vt interpretatur Nonius, qui Titinnium ac Varronem vsus docet. A similitudine bacillorum furcillatorum & informium, quos *varos* dici dicebamus, homines duri asperique appellantur *Varones* vel *Varrones*. Vtroque enim modo vox hæc scripta inuenitur, quomodo & *vari* & *varri* legitur. Lucillius apud Festum in *Squarosus*:

Varronum ac rupicum squarrosa incondita rostra.

Persius, sat. V.

Varo regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages.

Atque hinc *Varronum* cognomentum apud Romanos. Quamquam de hoc aliter ipse Terentius Varro apud Seruium, in XI. Æn. his verbis; *Est & alia huius rei historia. Varro enim cùm de suo cognomine disputaret, ait eum, qui primus Varro sit appellatus in Illyrico hostem Varronem nomine, quod rapuerat, & ad vos* (lego, *nos* vel *suos*) *portauerat, ex insigni facto meruisse.* Vbi deesse videtur *Varronis cognomen*. Nisi cum Salmasio leg. *insigne ex facto meruisse*. Nam *insigne* & *signum*, dicebant pro *cognomine*: vt ad historiam Augustam annotauit.

VALLVS duplicem habet significationem, & pro eo duplicem originem. Interdum est diminutiuum à *vannus*, vt à *varus vallus*. Sic vsus Varro, lib. I. de R. R. cap. LII. *Iis tritis, oportet è terra subiactari vallis, aut ventilabris, cùm ventus spirat lenis. Ita fit, vt quod leuissimum est in eo, atque appellatur acus, euannetur foras extra aream, ac frumentum, quod est ponderosum, purum veniat ad corbem.* Interdum verò *vallus* est diminutiuum à *varus*, hoc est, *palus*. Maro, II. Georg.

Quadrifidásque sudes, & acuto robore vallos.

Vbi sic Seruius: *Bis idem dixit, nam & valli & sudes idem sunt.* Ac Vegetius quoque lib. III. cap. VIII. ait: *Aggerem, supra quem valli, hoc est, sudes vel tribuli lignei digeruntur.* A *vallo rustico* dicitur *euallare* & *euallefacere* pro *foras eiicere* & *uallefieri* pro *foras eiici*. Vt illo Varronis: *Donec foras nos intus euallauerunt.* Et hoc eiusdem in Promethe o: *Retrimenta cibi, (al. vbi) quæ exterant per posticum euallefecerunt.* Festus iuxta emendationem Salmasij, *Valuoli, folliculi fabæ, quasi valliuoli, quia vallefacti excutiantur.* Vbi perperam vulgo *vallo facti* pro *vallefacti*. Idem Salmasius apud eundem pro *vallescit* corrigit *vallefit*. Addit Festus, *Vallefit, à vallo militari; quod fit circa castra, quod qui eò eijciuntur, pro perditis habentur.* Sed potiùs ea sunt à *vallo rustico*, vt dixi. Nam pro *eijcere foras*, non solum *euallare* dicitur, sed & *euannare*. Sic sanè Pomponius *euannetur* dixit, pro *eijciatur foras*. Et fauent huic sententiæ ista Festi verba, vt quidem ea Salmasius corrigebat: *Euallatum, euentilatum vnde valli quibus frumenta ventilantur.* Qui locus in vulgatis corruptissimus est. *Euallare* igitur & *euallefacere* propriè est *excutere vallo* siue *vanno*; *vallefieri*, est *euannari*.

VALVA Guicharto sic dictæ videntur ab אובל, quâ voce inter alia significatione *porta*. vt ait B. Hieronymus Sed vellem docuisset, vbi sic sumatur. Valde accedit *valua* ad βαλβὶς, quomodo, vt ex Glossis constat, vocabatur θύρα τῶν ἱππέων, *ianua equitatus*, siue potiùs *carceres*. Sed βαλβὶς potiùs est *repagulum*. Quare placet Isidori sententia, lib XIV. cap. VII. qui *valuas* putat dici quasi *voluas*, quia introrsum reuoluantur. Imò idem Seruius scripsit ad I. Æn. atque ipsum Varronem eius sententiæ laudat auctorem. Horum iudicio *valuæ* sunt plicatiles, séque velant. Aliud igitur *bifores*, quæ Græcè δίθυρος; aliud *valuæ*, quæ Græcis θύραι διάπτυχαι. *Bifores* sunt ianuæ duæ quarum vtraque suos habet cardines, inque medio conniuent ac iunguntur. Quare cùm apertæ bifores, hinc & indè fores habemus. At in *valuis* eadem ianua complicatur, inque se ipsam reuoluitur: eóque egredientes ab eodem latere integras *valuas* habemus.

VALVOLVS dicitur *folliculus, cùm aliorum leguminum, tum fabarum* imprimis: nempe à *vallus*, & *volo*: quia *vallo*, hoc est, *fuste* frangatur, granisque excussis leuiculæ fracti voluoli partes indè prouolitent. Id mihi Festus voluisse videtur his verbis: *Valuoli folliculi fabæ appellati sunt, quasi vallivoli, quia vallo facti* (leg. *fracti*) *excutiantur.* Ad vocem *valli*, ad oram *fustibus* notatum: credo vt indicaretur *vallus* hic esse à *varus*, hoc est, *fustis*: non autem idem notare, ac à *vannus*: vti accipitur, cùm Varro deducit *vallum* à *volatu*, *quòd, cùm id iactant, volant indè leuia*. Quòd si etymon Festi parùm placeat, vide an non, vt *valua* dictæ quasi *volua*, *quia bifidæ interius voluantur*, ita & *valuolus* dicatur quasi *volulus*, siue quoniam in eo grana voluantur siue quoniam granis circumuoluatur. Mihi tamen non displicet. vt ab ὕλη siue Æolico ϝύλα est *sylua*: ita à πύλη, siue Æolico πύλα esse *valua*.

VANNVS factum ex *vallus*, *L* in *N* conuerso. Nam interdum hæ literæ commutantur, vnde *nimfa* & *limfa* dicimus. *Vallus* autem pro *vannus* dixit Varro, qui & lib. IV. de L. L. deducit à *volatu*, *quòd cùm id iactant, volant inde leuia*. Testatur quoque Ioh. Pierius, I. Georg. in optimo illo Romano codice legi:

———Et mystica vallus Iacchi.

Pro quo in vulgatis, *mystica vannus*. Beroaldus ad vndecimum Appuleij vult *vallus* esse ὑποκοριστικὸν à *vannus*. Sed si vox ea haberet significationem diminutiuam, non à *volatu*, sed à *vannus* deduxisset Varro. *Vallus* igitur alterius fontem putauit: etsi id non à *volatu*, vt putabat Varro; sed, vt bene Cæsar Scaliger, à βάλλω, *iacio*, *iacto*: nempe *ob iactationem ac successionem valli siue vanni*: ac similiter ἀπὸ τοῦ βάλλειν vel πάλλειν erit *palea*, quia iactatione ac succussione vanni à frumento discernatur. Vide quæ in *Palea* diximus. A *vannus* est *vannare* & *euannare*, hoc est, *vanno fruges aut legumina mouere ac ventilare*. Pomponium, Lucillium, Varronémque vsos docet Nonius. Gesnero & auem *vanellum* quasi *vannellum* dici placet.

quia *aluus instar vanni aut ventilabri commotis strepitum excitet*.

Vanvs putarunt Papias & Ioannes Genuensis, ita dici quasi *valde anus*, hoc est, *instar anus mentis vacuus, & insipiens*: vti Isidoro *vafer*, quasi *valde Afer*, hoc est, *Afri instar callidus*. Perottus arbitrabatur *vanus* esse ex *vacuus*, quod à *vacando*. Alij à *vado*, quia *vana vadunt*, nec eodem loco persistunt. Sed rectiùs deducas à φαίνω, *apparere*, quia vanum non est id quod apparet: vti phalinata aliud sunt, quam apparent. Vel à μανὸς id est, *vanus*: vt à καπνὸς, *vapor*, κ vtrobique in V consonum commutato. Vel a *ve*, hoc est, *valde*, & *inanis*, quod ipsum ab ἰνῶ, hoc est *vacuo*, vt suo loco diximus. A *vanus*, non *vanitas* modò, sed Plauto etiam *vanitudo*, & *vanities* Appuleio.

Vapor Græcis ἀτμὸς ab ἄω, id est *spiro*: ac similiter Latinis *vapor*, siue *vapos*, à καπνὸς *flatus, halitus*: nempe ab inusitato κάπω, hoc est, πνέω. Vnde & καπνὸς, *fumus, exhalatio*. Erit autem à καπνὸς *vapos*, K in V conuerso, vt fortasse à κενὸς, *vanus*. A *vapor* est *vapidus*, à quo male valentes *vapidè se habere*, Augustus dicebat, teste Tranquillo. Indè & verbum *vaporo* apud Solinum, cap. VIII. & Appuleium de mundo.

Vappa dicitur *vinum acescens, nondum tamen in acetum conuersum*. Græcis dicitur ὀξίνης, vt *acetum* ὄξος. Nempe quia in ὄξος conuerti cœperit. Gloss. Philox. *Vappa*, ὀξίνης. Si Scaligerum in Copam audimus, idem etiam dicitur ἐκφαντίδης. Mouet eum Hesychius in καπνίας. Sed, quod non attendit vir summus, non dicit καπνίαν alter vocari ἐκφαντίδην, verùm ait *vinum euanidum* dici καπνίαν, ac eo nomine nuncupatum etiam *Ecphantidem* malum poëtam comicum, quòd nihil scriberet præclari, sed *vappæ* instar censeri oporteret. Quod & ipsum à Iulio Polluce proditum est: atque ex hisce obseruatum Philippo Maussaco, dissertatione Criticâ, quam Harpocrationi suo attexuit. Sanè Latinis similiter *vappæ* κατὰ μεταφορὰν vocantur ἄχρηστοι ac *nihili homines*. Ita vsi Catullus, Horatius, alij. Obscœnus quoque Deus de se in Ithyphallico carmine ait:

> *Nos vappæ sumus, & pusilla culti*
> *Ruris numina.*

Vtramque significationem complexus Plinius, lib. XIV. cap. XX. *Vitiumque musto*, inquit, *quibusdam in locis iterum sponte feruere: quâ calamitate deperit sapor, vappaque accipit nomen, probrosum etiam hominum cùm degenerauit animus.* Græci similiter vsurpant ὀξίνης, vt Aristophanes ἐν Πλούτῳ, quamquam aliter cepertit vetus Scholiastes. Videtur autem *vappa* non solum esse οἶνος ἐξεστηκὼς, hoc est, *vinum saporem odorémque amittens*, sed etiam quoduis εὐτελὲς, hoc est, *tenue*, exiguæque impensæ, cuiusmodi etiam est, quod naturâ suâ tenuius languidiúsque est quod Plautus Neruolariâ *subtestum* vocabat quamquam aliter hac de re Festus. Sic autem *vappa* vocabulum vsurpari rectè monet Scaliger in carmine de Copa, versu istoc:

> *Est & vappa cado nuper defusa picato.*

Quod ad etymon, coniectabam *vappa* dici quasi *vapida*, hoc est, *euanida*. Hoc enim est *vapidus*, vnde *vapidè se habere* Augustus dicebat, id est, malè habere. Vt *vapidum vinum* optimè de *vappa* dici videatur. Neque multum abit Ioannes Genuensis in Catholico, vbi *vappam à vapore* deducit. Nam *vapidum à vapore* esse, suo loco diximus. *Vapor* sanè *exhalatio est calida ac humida*. Similisque *vappa*, postquam è vino calor igneus abiit. Ita Cæsar Scaliger, in priorem librorum de Plantis qui male Aristoteli tribuuntur, pag. XCIX. edit. Crisp. Sed magis tamen placet, quod & Iosepho Scaligero monitum, Æoles, quemadmodum pro ὄμμα dixere ὄππα, sic etiam pro βάμμα dixisse βάππα, indéque factum esse *vappa*. Nec obstat, quod βάμμα neutri, *vappa* muliebris generis est. Nam & *syrma*, & *schema*, & *diadema*, & *glaucoma* & *dogma*, & *sacoma*, & alia quædam quæ Græcis neutra sunt, Latinis quoque antiquioribus genere muliebri vsurpantur. Nec magis τοῦ βάμματος significatio repugnat. Nam propriè quidem *intinctum* significat, ἀπὸ τοῦ βάπτειν, quod est *tingere*: sed aceto imprimis ad ἐμβάμματα vtebantur: pro ἐμβάμματι autem simpliciter βάμμα dixere Syracusij, teste Hesychio. Hinc βάμμα simpliciter pro *aceto*. A quo Æolicum βάππα & Latinum *vappa* pro *vino acescente*.

Vapvlo Ioannes Genuensis in Catholico suo deducit à *vapor*: quasi propriè sit *plecti vsque dum è sudanti corpore exeat vapor*. Quomodo Germani similiter aiunt, *schlagen dat es dampfe: sor te slaen dum vaporet*. Si hoc etymon placeret, diceremus ἀναλογίᾳ posse defendi. Nempe non quasi *vapor*, sit à *vapor*, sed quasi à *vapeo*: vnde fit *vapulo*, vt ab *vro* siue *vstum vstulo*, à *pus pustulo*. Sed longè verisimilius est *vapulo* esse ab ἀπαλοῶ præmisso V consono, vt ab ἐα *vae*, cui similia non pauca adduximus alibi. A abit in V, vt à κραιπάλη, *crapula*, &c. Ἀπαλοῶ idem est ac simplex ἀλοῶ, quod est *trituro, tero*, *contundo*, etiam *flagris cædo*, quomodo eo vsus Synesius.

Varivs propriè est *diuersi coloris*: quod clarè indicat Tullius lib. II. de fin. *Varietas propriè in disparibus coloribus dicitur: sed transfertur in multa disparia.* A propria igitur notione est, quod *panthera* quæ diuersicolorem maculosámque pellem habent, *variæ* à Latinis appellantur. Plinius, lib. VIII. cap. XVII. *Panthera & tigris macularum varietate prope sola bestiarum spectantur, cæteris vnus ac suus cuiusque generis color est.* Et mox: *Nunc varias, & pardos, qui mares sunt, appellant in eo omni genere.* Et paullò post: *Primus autem Scaurus Ædilitate suâ varias centum quinquaginta vniuersas misit.* Glossæ Philoxeni: *Varia*, ποικίλη, παρδάλεις. Vbi coniungit vtramque *variæ* notionem, quà adiectiuum, & quà substantiuum. Allusit huc Plautus, Epid. III. vbi cùm Epidicus dixisset, *variè se valuisse*, respondet Thesprio:

> —— *Qui variè valent,*
> *Caprigenum hominum non placet mihi, neque pantherinum genus.*

Quod ad originem vocis *varius*, Ioanni Genuensi placuit esse à *via*, quasi *viarius*, hoc est, *diuersa via*. Aliquibus ab Æolico φὴρ pro θὴρ, *fera*: quia feræ multæ diuersicolores. Etiam sunt, quibus cum Perotto videatur, propriè *varios* dici à *varis*, hoc est, ἴονθοις, de quibus Celsus, lib. VI. cap. V. Glossæ Philoxeni: *Varius*, ἴονθος ἐξανθὴς, ποικίλος. Vbi planum est legi debere: *Varus*, ἴονθος, ἐξανθής. *Varius*, ποικίλος. Propriè igitur ex horum sententiâ *varij* sunt, *quibus varis est facies distincta*. Atque hoc confirmant ioco Ciceronis in Isauricum apud Quinctilianum, lib. IV. sine de risu: *Miror*, inquiebat, *quid sit, quod pater tuus homo constantissimus te nobis varium reliquit.* Sed omnino *varius* est à Græco βαλιὸς, siue βάλιος, quod idem interdum significat. Suidas: Βαλίαν, τὴν ἔλαφον τὴν ποικίλην. At βαλιὸς idem est quod ποικίλος, prout interpretatur Hesychius. Fit autem à βαλιὸς, *varius*, conuerso λ in R, quomodo à σίλφι est *sirpe*, à *Pales Palilia* & *Parilia*, à *Ianus Iannalius* (quomodo versus Saliares in *Iani* honorem *Iannalij* vocabantur,) & *Ianuarius*. Quemadmodum & contra R abit in L, vti à λείριον est *lilium*, à *Remo*, teste Porphyrione, *Lemures*, ac fortasse à *merendo milites*, qui priùs *melites*, &c. A *varietate coloris* dictus *varius* piscis. Isidorus, lib. XII. cap. VI. *A colore, vt Vmbri, quia colore vmbræ sunt. & Auratæ, quia in capite auri colorem habent: & Varij à varietate, quos vulgo tructas vocant.* *Varios* Germani ac Belgæ vocant *varellos* aut *vorellos*, quasi *variolos*.

Varix dicitur *vena feculento sanguine tumescens*, quales in temporibus, venere, ac cruribus imprimis oboriri solent. Fortasse est à Dorico & Æolico κερσὸς, quod idem significat, teste Polluce. Nempe vt ἄρσην pro ἄρρην, sic κερσὸς pro κιρσὸς dixere. Si longiùs abire Latina vox videtur: possis cum Nonio deducere à *varus*, id est, *obortus*. *Vari*, inquit, *obortus plantis: & varices inde dicuntur venæ in suris inflexæ aut obortæ.* Scio disparem esse quantitatem *varicis*, ac *vari*. Sed alia etiam sunt, quæ primogenij indolem non sequuntur. Oriuntur autem *varices* ex nimio labore, vt baiulis vsu venit, aut diuturna statione. vnde Iuuenalis, Sat. XVI. vers. CCCXCV.

> —— *Varicosus fiet aruspex.*

Vbi sic vetus interpres *Varicosus fiet multùm stando, dum deos aut exta consulit.* Idem ex nimio viæ labore contingit. Vnde Varro in epist. apud Nonium in *varus*, ac *varices*: *Nam si tuam rhedam non habuissem, haberem varices.* Atque hinc scomma captauit Vatinius in Tullium, vti Macrobius narrat lib. II. Sat. c. III. Cùm enim Cicero gloriaretur, se humeris Reip. ab exilio reportatum: *Vnde ergo*, inquit, *tibi varices?* *Varices* enim habebat Tullius: vnde Sidonius eundem, lib. V. epist. V. vocat *varicosum Arpinatem*.

Varvs quis propriè dicatur, indicat hic Horatij locus, lib. I. sat. III.

> —— *Hunc varum distortis cruribus, illum*
> *Balbutit scaurum prauis fultum malè talis.*

Quare Nonius interpretatur, *distortis cruribus*, ac Festus, *incurua crura habentes*. Sed generatim hæc dicta restringi oportet ex Acrone ad locum citatũ, vbi exponit *pedibus introrsum retortis*. Iis opponũtur *valgi*, quod & ipsum Nonius generatim nimis interpretatur *intorti*. Festus curatiùs, qui *varis* opponi ait, atque ita ex Opilij Aurelij, aliorúmque complurium mente dici, *qui diuersas suras habeant, ac talos vitiosos*. Sic enim apud eum legendum patet, etsi in vulgatis verba postrema sint de loco suo traiecta. Ac de *valgis* plura diximus in *Compernis*, & *Vatia*. *Varus* autem puto κατὰ μετάθεσιν fieri à ῥαιβὸς, quod est, ῥαιβόν, καμπύλον, vnde ῥαιβοσκελὴς, qui Latinis *varus*. Sed & ... dicitur ῥαιβός. Indè igitur *varus*. Non, vt aiunt,

aiunt, ab [illegible] *vtilige* nec eorum à *verto* simili ratione ac à *torqueo* est *tortuosus*. Nonnullis placet *vari* nomen esse à similitudine *bacillorum furcillatorum* & infomiuum, quos *varos* dici cognoscimus ex quarto Varronis de L.L. *Vallum*, inquit, *vel quod ea vari ac arumnas essent: vel quod singula ibi extrema bacilla furcillata habent figuram litera V*. Sic eum locum rectè emendant. *Ærumnas* vocat Varro *furcillas*, quam significationem docet Festus. At *varos* quoque esse *furcillas*, argumento est, quòd sic interdum dicantur *furcilla*, *quibus suspenduntur retia*, quæ [illegible] & [illegible] Græcis dicuntur. Lucanus lib. IV.

Aut dum dispositis attollit retia varis
Venator.

Sed profectò ὁ [illegible] non tam *vari* nomen adeptus à *bacillorum* similitudine, quàm a generali huius vocis significatione qua notat idem ac [illegible], hoc est [illegible], *obtortum incuruumque*, vnde & *furcillis* ipsis *varorum* nomen impositum esse vero consentaneum est. Ouid. lib. XI. Met. fab. I.

Brachiaque opposuit, tenuique a pectore varas
In statione manus.

Martialis lib. VII. epigr. XXXI.

Vara nec iniecto ceromate brachia tendis.

Sic enim est in vett. MSS^tis^. A *varus* est *varicus*, vt à *primo primus*, ab *imo imitus*. Vsus Appuleius, I. Metam. *Hic editis ab imo remoto grabatulo varicus super faciem meam residentes, vesicam exonerant*. Vbi vulgò editum *varicus*: repugnante ἀναλογίᾳ. Aliqui etiam *varicitus* legunt, quod à *varicibus* esset. A *varus* etiam est adiectiuum *varicus*: quod est *varicatis* ac dispessis cruribus, more eorum, qui grandibus ambulant passibus. Ouidius lib. III. de Arte, vers. CCCIII.

Illa velut coniux Vmbri rubicunda mariti
Ambulat, ingentes varica fertque gradus.

A *varus* quoque est *varare*: à *varo* autem *varico*, vt à *vello vellico*. *Varicare* vsurpat Fabius, lib. XI. cap. III. Imò Turnebus apud Varronem in IV. de L.L. legendum putat: *Vallum, vel quod ea varicare nemo possit*, id est, *transire, transcendere*. Glossæ Philox. *Varicat*, ὑπερβαίνει. Item: *Transuaricat*, ὑπερβαίνει. Gloss. Isidori: *Varicat, diuertit, ambulat*. Eædem *Varicant, ambulant*. Hinc *diuaricare*, διασκελίζειν. Eo [illegible] de *arboribus* vsus Cato pro *disiungere & separare*. Festus quoque *obuaricare*, & *præuaricari*. De priori sic ait: *Obuaricator dicebatur, qui cuipiam occurrebat, quo minùs in viam iter conficeret*. Ergo dicitur *obuaricare*, quomodo dicimus *malo ire obuiam*, hoc est, *malum impedire*. De altero verò sic scribit: *Præuaricatores à prætergradiendo sunt vocati*. In Glossis quoque Philoxeni legas, *Præuaricat*, διασκελίζει. Est ea vox a *rure* translata ad *forum*. Plinius, lib. XVIII. cap. XIX. *Arator, nisi incuruus, præuaricatur. Inde translatum hoc crimen in forum. Ibi itaque caueatur, vbi inuentum est*. Quid autem in *foro* sit *præuaricari*, indicant eædem Glossæ. Nam in iis est: *Præuaricor reo*, [illegible], hoc est *submitto me reo*. Ibidem legas: *Præuaricor tibi*, [illegible], hoc est, *parco & alludo tibi*. Itaque *præuaricator* opponitur *vero accusatori*, propriéque *præuaricari* dicitur, qui dum fingit se accusare, id agit potiùs, vt reus absoluatur. Fit hoc vel transeundo dicenda, vel breuiter attingendo, quæ sunt & fusiùs proponenda, & sæpius inculcanda. Porrò de etymo non omnes assentiunt Festo. Siquidem a *varietate* id nomen consecutum alij putant. Cicero enim in Partit. sic dici indicat *quod in contrariis caussis quasi variè esse positus videatur*. Ac Labeo in athletas, §. præuaricator ff. de his qui not. infam. à *varia certatione* dici monet. nisi cum Hottomanno à *varicatione* hic legere malis: quando ibidem habes: *præuaricator est quasi varicator, qui diuersam partem adiuuat prodita caussâ suâ*. Quæ etiam inuenias, l. I. ff. de præuaricat. Tullianum etymon iuuat, quòd vocem *varicator*, auctores basil. hîc exponunt [illegible]. Sed Andreæ Alciato neutrum etymon placet. censet enim *præuaricatoris* vocem esse à *varicibus*, quibus qui laborat, cùm rectà incedere non possit, ire obliquè: Idque propriè esse *varicari*: hinc autem *præuaricari* de accusatoribus dici, quia, aduersarij caussam iuuando, haud recto pede in officij præscripto ambulant. Alciati sententia facilè refellitur ἀναλογίᾳ. Imò & illa Tullij. Nam à *varus* est *præuarus*, hoc est, *valde varus*, vt à *grandi prægrandis*. A *præuaro* autem *præuaricare*, vt ab alia præpositione *obuaricare* & *diuaricare*. *Præuaricare* igitur est *præter modum varicare*: vnde & Festus *prætergredi* ostendit. Nempe quia *varicare* est *ingredi, ambulare*, vt Glossæ exponunt.

VAS *vadis*, ἐγγυητής, [illegible] factum è *vades*; quomodo *res* est ex *resis*, *mens* e *mentis* &c. Caussam nominis ponit vetus Horatij interpres, ad sat. I. lib. I. *Vades ideo dicti, quod qui eos dederit, vadendi, id est*, [illegible]. Sed obstare quantitas videtur. Quare [illegible] deriuem à Græco [illegible], quod à [illegible], hoc est, [illegible], vel [illegible]. Nempe vt à φάω φατις, [illegible], sic à [illegible] vades, & [illegible] *vas*. Simili errore [illegible] deducere à *vado*, cùm sit à βάδος, vel *vadio*, de quo iam etiam [illegible]. *Vas* autem dicebatur, qui promittebat suo se periculo aliquem iudicio stiturum. Propriéque *vas* erat *in re capitali*, vt Festus docet, & hi Ausonij versus indicant, quibus inter *vadem & prædem* differentiam ponit.

Quis subit in pœnam capitali iudicio? vas.
Quid si lis fuerit nummaria, quis dabitur? præs.

Hinc est *vadari*: vt vel fidem facit hoc Plaut. Persâ act. II. sc. *Penium meum*:

Sa. *Vadatur hic me*. Pæ. *Vtinam vades desint, in carcere vt sis.*

Et Liuius, lib. III. *Tot vadibus accusator vadatus est reum*. Est autem *vadari*, *vades* postulare, qui sub certa pœna aliquem vadimonium obiturum præstarent. Gloss. Philox. *Vadatur*, [illegible]. Gloss. Isidori: *Vadatur promittit, pacem dicit*. Eiusdem originis est *vadimonium*, non a *vadari*. Nam vt à *teste testimonium*, à *patre* & *matre patrimonium* & *matrimonium*, sic à *vade vadimonium*. Quomodo vocatur ipsa *sponsio se sistendi in iudicio*. Vnde illæ formulæ *vadimonium promittere*, *obire*, *deserere*, &c. Gloss. Philox. *Vadimonium*, ἐγγύη, [illegible]. Glossæ Cyrilli: ἐγγύη, *vadimonium, fideiussio*. Isidori Glossæ: *Vadimonium facit, fideiussorem dat*.

VAS *vasis*, pro & *vasum* veteres dixere, teste Gellio Charisióque. Becmano videtur eiusdem esse originis ac Græcum [illegible], vtrumque enim, sed Latinum illud [illegible] deducit ab Hebræo [illegible]. Isidorus, lib. XX. cap. IV. putabat *vas* dici à *vescendo*, quòd in eo escæ ponantur. Sed si propriè est *vas escarium*, potiùs a [illegible], [illegible], fuerit *vasum*, & [illegible] *vas*, vt à *nihilum nihil*. Vel potiùs *vas* sit ab [illegible], quo significatur *quicquid ex asseribus compositum*; vt *capsa*, *dolium*, *arca*, & quæ similia. Ita Georgius Henischius libro de asse. Sanè quò minùs à [illegible] esse credam, facit, quòd non eo nomine solum continentur, quæ edendi bibendique caussâ parantur, sed etiam, quæ eiusmodi *vasa* sustinent, ac generatim res omnes mobiles, domúsque instrumenta; vnde *vasa conclamare* veteres dicebant, cùm milites aliò diuersuri, iubebantur *vasa sua*, hoc est, *arma sua colligere*. Indéque vox *conuasare*, vt apud Terent. Phorm. *Aliquid conuasassem*. At [illegible] dixit Sidonius extremâ epist. XI. lib. I. [illegible] *omnium laudum conuasatis acclamationibus*. Quemadmodum autem Græci *genitalis sexus conceptacula* speciatim appellant [illegible], ita Latini quoque ea interdum appellant *vasa*. Plautus, Pœnulo, act. IV. sc. II.

——— *Facio, quod manifesto mœchi haud ferme solent.*

Mi. *Quid id est?* Sy. *Refero vasa salua.* ———

Auctor Ithyphallicus:

Hic legitimus Circen Atlantiadémque Calypso
Grandia Dulichio vasa tulisse viro.

Hinc *bene vasati*, qui auctori Ithyphallico *bene peculiati*. Lampridius Heliogabalo. *Romæ denique nihil egit aliud, nisi vt emissarios haberet, qui ei bene vasatos perquirerent*, [illegible], vt pro eo scribit Dio. A *vas* est *vasculum*, vnde *vascularius*, [illegible], vt interpretantur Glossæ Græco-Latinæ pag. LXIX. Sed pro *vasculum*, *vasillum* dicit Marbodæus in lapidario,

Quæ solis radiis in aqua subiecta vasillo.

Quem versum etiam adducit Nestor Nouatiensis, rectéque monet, *vasillum* eâ ratione contra primigenij naturam corripere primam, quâ idem fit in *sigillum*, *mamilla*, *tigillum*, & similibus. A *vasis* quoque est *vasarium* & *vasifer*. Vnde idem Glossarium: [illegible], *vasarium*, [illegible], *vasifer*, *sarcinator*. *Vasarij* nomine intelligebatur supellex omnis, ac instrumenta cuncta, quibus magistratus cum in prouinciam iret, instruebantur. Cicero in Pisoniana: *Nonne HS. centies & octogies, quod quasi vasarij nomine in venditione mei capitis adscripseram, ex ærario tibi attributum Romæ in quæstu reliquisti?* Indéque nobilium clientes dicti sunt *vasalli* quasi coram [illegible] sint *vasa*, atque eorum *vasario* sint. Ita Turnebus, lib. XXI. Aduersariorum cap. XV. & Andreas Schottus, lib. I. Nodorum Ciceron. cap. III. A diminutiuo *vasculo* est *vascularius*. Ita dicebatur, qui scyphos aliáque ex auro vel argento *vascula* faceret. Ab eo diuersus erat, qui hæc *vasa* cælaret: qui *cælator* dicebatur. Coniunxit eos Cicero Verr. VI. *In regiam maximam palam artifices omnes cælatores ac vascularios conuocari iussit*. Vsus similiter Labeo in Digestis.

VASCA *tibia*, μελιτηνὸς αὐλὸς, vt exponitur in Glossis Philoxeni: nempe quæ Græcis πλαγίαυλος αὐλός. Plinio *tibia obliqua*. Habes non apud Seruium modò, sed & Solinum, cuius hæc verba. c. XI. *Insula est arundinum ferax, quæ accommodatissima sunt in omnem sonum tibiarum, siue præcentorias facias, quarum locus est ad puluinaria præcinendi, siue vascas, quæ foraminum numeris præcentorias antecedunt. Vasca tibia à leniori sono.* Nam id est [illegible]: vnde in vett. Glossis, quæ apud Salmasium: *Vascum, nanc, leue.* Vide, quæ de voce *vasco* Salmasius notauit ad Flauium Vopiscum; item in Exercitationibus Plinianis.

VASTVS Perotto placet esse à *vaco*, quia propriè dicitur de locis latè patentibus, quæ ferè *vacua* esse solent. Sed fortasse *vastum* propriè conuenit *vasis capacibus*, aut *loco multorum vasorum capaci*. Quod si est, vt ab *honos honestus*, ab *onus onustus*, ita à *vas* erit *vastus*. Vnum obstat, quod non tam de *vasis*, aut ingentibus ædificiis, vbi *vastus* locus, vsurpetur, quam de quibusuis locis desertis & incultis, vel de solitudine aliqua syluestri, vel simili. Quare vide an magis placeat Martinij coniectura, deducentis è παύειν, quod a παύω, *cessare facio*, vel *cesso*. nempe quia *in locis vastis cessat cultura & conuersatio humana*. Vel potiùs dicendum esse ex ἀ ἄστατος, quasi ἀσπαίρων ἢ συγκεχυμένος, & præmisso digamma, more Æolum. Nam ἀιστοῦν est *vastare, euertere*: vnde Herodoto & aliis ἀιστωμένη πόλις, vel ἀνάστατος πόλις aut χῶρος, *de locis euersis ac desolatis*. Vt idem sit ἀνάστατος & *vastus*, ac πεπορθημένος. Gloss. Philox. *Vastat*, πορθεῖ, πολιορκεῖ. *Vastitatem*, πόρθησιν. Seruius in I. Æn. *Vasto pro desolato veteres ponebant, & etiam pro magno.* Addit deinde è Clodij commentariis, *Vasta, inania, magna.*

VATES est à *fari*. Vel potiùs vt à φημὶ est φήμη, sic à φάτης, more Dorum *η* in *A* conuerso, *phates* vel *vates* fecere. Sanè φάτης μάντεις, χρησμῳδοί. quod & λόγιον à λέγειν & *oraculum* ab *oro*. At Varro mirificè in VI. de L.L. vbi *vates* deducit à *versibus viendis*, hoc est, *vinciendis, ac ligandis*. Mirè etiam Isidorus lib VII. cap. XII. Cui *vates à vi mentis*. A *vates vaticinor*, vt à *leno lenocinor*, vt errat Perottus, cui *vaticinor* quasi *fata cano*. A *vates* est *vatica*, quæ & *bellonaria*: quam qui ederent, Deo pleni videbantur. vt est apud Appuleium in Herbario.

VATIVS & *varus* coniunguntur ab Vlpiano in Digestis de ædil. edict. lib. x. *Quæsitum est an balbus, & blæsus, & atypus, isque qui tardius loquitur, & varus, & vatius, sanus sit.* Opponit ea Varro, lib. II. de R.R. cap. IX. vbi de canibus loquitur: *Sint cruribus rectis ac potius varis, quàm vatiis.* Nempe *varus*, cui crura extrorsum contorta, Græcis ῥαιβός. *Vatius*, cui introrsum, Græcè βλαισός. Pro eo & *vatia* dicitur. Varro, in VIII. de L.L. *Cùm idem faciat, ac siquis puerorum per delicias pedes malè ponere, atque imitari vatias cœperit, hos corrigi oportere concedant: contra siquis in consuetudine ambulandi iam factus sit vatia, aut compernis, si eum corrigi non concedant.* Plinius, lib. XI. cap. XLV. *Námque & hinc cognomina inuenta, Planci, Plauti, Scauri, Pansæ: sicut à cruribus, Vari, Vatia, Vatinij.* Gloss. Isidori: *Vatia diuersis plantis.* Caper de verbis dubiis: *Vates olim vatios dicebant.* Corrige: *Vaigos olim vatios (vel vatias) dicebant. Vatius* vel *vatia à vitium*, quasi *vitiosis cruribus*. Vel potiùs βατίας, quod Tarentinis, Hesychio teste. ὁ ἑτερορρεπής, hoc est, *in vnam magis partem, quàm alteram propendens*. Nebrissensis ait, eosdem & *vatinos* dici. Nempe secutus is antiquos Plinij codd. Nam loco citato pro *Vatinij Vatieni* legitur in antiquâ Parmensi anni CIↃCCCCLXXVI. Assentio autem doctissimo & amicissimo P. Scriuerio, qui *vatij* vocem etiam restituit Martiali, lib. XII. epigr. LXX. vbi legit:

Lintea ferret Apro vatius cùm vernula nuper,
Et supra togulam lusca sederet anus;
Atque olei stillam daret enterocelicus vnctor. &c.

Dicit Aprum in balneis vsum esse ministris contemtissimis, seruo, qui lintea ad tergendum afferret, *vatio*, & luscâ anu, quæ togæ insideret ne eam balneatij fures prædarentur, & vnctore enterocelico siue enterocele laborante, hoc est, hernioso. Quare non dubium, quin verissima sit Scriuerij emendatio, vbi vulgo *vacuus vernula* legebatur, *vatius* corrigentis. Quæritur an & idem *vatrax*, & *vatricosus*, dicatur. Sanè apud Nonium legitur vulgò: *Vatrax & vatricosus, pedibus vitiosi. Lucilius lib. XXVIII.*

Vt si progeniem antiquam, qua est Maximus Quinctius
Vacax, qua varicosus vatrax.

Sed placet emendatio ista Iosiæ Merceri: *Vatias & varicosus, pedibus vitiosi. Lucilius:*

Vt si progeniem antiquam, qua est Maximus Quinctus
Vatia, qua varicosus.

Nam *vatrax* apud neminem veterum legas: & cùm Nonius istic loci pedum vitia recenseat, quibus & *vatia* insignes, horum fuisse oblitum, parùm est verisimile. Eo autem procliuior error fuerit, vt pro *vatias vatrax* scriberent, quia mox sequitur *vacax*, quod vocem corrumpendi fortasse occasionem præbuit. Si tamen *vatrax* retinere visum, videndum, an non *vatrax* sit ex βάτραχος, *rana*, quia *ranis pedes inuersi*. Próque ea sententia est, quod in MS° codice Victorini adscriptum erat βάτραχος, quod, etsi aliter Mercero visum, non imperitiâ librarij allitum fuit, sed à critico quodam, qui *vatrax* à βάτραχος deduceret. Possit tamen & *vatrax* à *vatius* deductum videri, vel Græco βατίας, de quo diximus.

VBER nunc idem est, quod *fœcundus*, aut *pinguis*, quomodo *vberes terras* dixit. Propertius: nunc *vbera mammarum* notat, quomodo *vberibus ali infantes* dicimus, vel *vbertatem ac feracitatem soli*, vt illo Maronis, II. Georg.

Terra antiqua, potens armis, atque vbere glebæ.

Item prouerbio illo apud Appuleium, *Vbi vber, ibi tuber.* De etymo *vberis* in media significatione, sic Isidorus, lib. XI. cap. I. *Vbera dicta, vel quia lacte vberta, vel quia vuida, humore scilicet lactis in more vuarum plena.* Alij vocem hanc, siue adiectiuum sit, siue substantiuum, venire censent ab ὕω, vel *humeo*, vnde eâ ratione *vber* formabitur, quâ à *tumeo* est *tuber*, à *facio faber*, à *cresco creber*, &c. Sanè hoc etymo secutos puto, qui *huber* scribunt cum adspiratione. Sed planè persuasum habeo, *vber* primò propriéque de *mammis* dici, veniréque ab οὖθαρ, θ in *ε* conuerso more Æolum, quomodo ab ἐρυθρὸς, siue Æolico ἔρυθος, pro ἔρυθρος, est *ruber*. à πλῆθος *plebes*. Quod ipsum etiam fit in eius tenui T, vt λίτρα, *libra*. Sanè vt Latinis *vber* non solùm *mammam* notat, sed etiam *terræ fœcunditatem*: ita οὖθαρ apud Græcos vtrumque significat, quemadmodum argumento est illud Homericum Il. ι.

Ἐν Ἄργεϊ ἰάσῳ ἔθ' Ἀχαιικῷ, οὖθαρ ἀρούρης.

quod planè geminum Maroniano illi, I. Æn.

——— *potens armis, atque vbere glebæ.*

Ac simili metaphorâ *sumen* de terrâ vsurpatur. Varro, lib. I. de R.R. cap. VII. *Cæsar Ædilitius, caussam cùm ageret apud censores, campos Rosiæ, Italiæ dixit esse sumen, in quo relicta pertica postridie non appareret propter herbam.* Quia autem rustici in soli commendatione illud subinde *vber soli* vocabant, hinc factum suspicor, vt *vberes agri* dici cœperint, qui *fœcundi* essent ac *pingues*. Postea etiam ad animalia translata hæc vox: vnde apud Gellium, lib. IV. cap. VII. *vberrimum & habitissimum equitem* legimus, hoc est, *obesum & bene curatâ cute*, vt loquitur Horatius. Ab *vber* est *vberare*, hoc est, *fœcundare*. Vsus eo Plinius Panegyrico, *Et cælo quidem nunquam benignitas tanta, vt simul omnes terras vberet foveátque.* Et Pallad. in vnd. *Hoc coitu sterilis arbores vberantur.* Apud eundem etiam est participium *vberatus*.

VBI ab ὅπη. vel ὅπου. Ab *vbi*, inserto C. est *sicubi*, iuxta Priscianum in XVII. Nempe ad firmandum vocem: vti quoque in *necubi*, & *alicubi*. Nisi malis tria hæc esse ex *siquo, nequo, aliquo vbi*. Nam *c* & *q* confunduntur. Ab *vbi* etiam est *vbique*, & *vbiuis*, quasi *vbi vis*. Item *vbicunque*, eâ formâ, quâ *quocunque*.

VDO ab ὕδος, id est, *pauimentum solum*, quòd eo calcatur. Vel ab *vdum*, quia *vdo* siue humido solò imprimis eo est opus. Est enim *calciamenti genus ex hircinis pilis confectum*. Id clarè docet Martialis, lib. XIV. ep. CXL. vbi lemma est *Vdones Cilicij*: distichon verò tale:

Non hos lana dedit, sed olentis lana mariti.
Cinyphio poterit planta latere sinu.

Est & eorundem mentio lib. Pandect. tit. de aur. argento mundo legato. l. argumento. *Alia*, inquit Vlp. *caussa est vdonum: (ita leg. pro odonum) quia vsum calciamentorum præstant.* Vbi malè Baïfius legit *burdonum*. Meminit & Octauius Horatianus, lib. IV. de Physicâ scientiâ, vbi chalasticum medicamentum describit, quod Titianus vir clarissimus in aluta pedibus dolentibus ait ligandum fasciolâ, & desuper *vndones* induendos. Vide Gyraldum dialogismo XXVII.

VDVS est ab Æolico ὕδος pro ὕδωρ. Quidam ab ὕδω deducunt, eóque *hudus* scribunt, quos meritò improbat Camerarius in Orthographia. Par error eorum, qui τὸ *etymon* ex *humidus* factum putant, quamquam pro hâc sententiâ sit Varro, vt qui lib. IV. de L.L. dicat: *Infimus, humillimus, quod in mundo infima humus. Humor hinc itaque. Hinc ager vliginosus humidissimus: hinc vdus, vuidus.* Ab *vdus* est *vdo*, hoc est, *humecto*, vnde *vdanda* apud Macrobium, lib. VII. Saturn. cap. XII. Item *vdor*. Gloss. Cyr. ὑγρασία, *vmectatio*, *mador*

dor.liquor, *udor*. An ab *udus* sit *sudus*, disquisivimus suo loco.

Vectis varias habet notiones, de quibus vide Bernardinum Baldum in Lexico Vitruuiano. Nomen vel est ex eo, quòd manu hoc illuc *vehatur*: vt ait Isidorus.lib.xx.cap.xiii.Addit, *vnde ostia saxaque euelluntur*. prout est in MSS^tis^ nostris, vbi libri aliqui *euelluntur*, aut *euehuntur*. Quod etymon aliud spectat. Sed puto potiùs *vectim* dici,quòd *eo vectentur pondera*,ligno puta,quod *palanga* dicitur, vnde *palangarii* nomen. Hinc *vectarij* Vitruuij lib. vi.cap. ix. qui premendo *vectium* machinam commouent.A *vectis vecticula*:vnde *vecticularia*. Festus: *Vecticularia vita dicitur eorum, qui vectibus parietes alienos perfodiunt furandi gratiâ*. Cato: *Vecticulariam vitam viuere,repentè largiter habere,repente nihil*.

Vehemens, non vt Papias, quòd *vehat mentem*,sed à *vi*: vnde Fronto: *vehementia a vi,id est, impetu mentis*. Quanquam non tam arbitror esse à *vi*, quàm à *ve* & *mens* inserto spiritu, vt sonus sit firmior vegetiórque Philelphus epist.ad Perleonum: *Vehemens ex ve & mens componi arbitror, tametsi vehemens eo dictum velint, quòd vehatur eminentius*. Philelpho præiverunt Agellius,lib.v.cap.xii. & Macrobius,lib.vi.cap.viii. vbi docent, *ve*, nunc augendi vim habere, nunc minuendi. Nec Terentius Scaurus, aut Cornelius Fronto, cùm *vehemens* dici scripsere a *vi mentis*,aliud voluere, quam *ve* hic magis intentiuum esse,quam priuatiuum. Quod autem ad secundam eius vocis syllabam attinet,vt veteres à trisyllabo *ahenum*,inserto spiritu formarunt *ahenum*, vt item pro *me* dixere *mehe*; sic ex *vemens* fecere *vehemens*.Vide quæ de hoc veterum more scribit idem Agellius, lib. ii.cap. iii. vbi etiam cum Atheniensium illustrat exemplo, qui similiter ἰχθύς dicunt. Sic enim ibi pro ἰχθύς legi debet quemadmodum manu Scaligeri adnotatum reperi ad oram Agellij, quo summus ille vir vsus est.*dum fata Deusque sinebant*. Quia autem de *ve* particula orsi fuimus dicere,non abs re fuerit adtexere alias aliquot voces,in quibus *ve* itidem vel augendi vel minuendi vi præditum est.Nam sic fiet,vt non necesse habeamus separatim in vocibus singulis de eius particulæ vsu latius fodicare lectoris. Minuit *ve* in *vesanus*, vt quod nihil aliud sit, quam *male sanus*.Item in *vecors*,quod idem atque *excors*.Item *Dispater* nuncupatus *Vejouis*:vbi, vt Agellius monet, *ve* iuuandi demit facultatem Festus *paruum Iouem* interpretatur. Et nihil apertius illis Ouidij iii. Fastorum.

> *Nunc vocor ad nomen vegrandia farra coloni,*
> *Quæ malè creuerunt,vesca que parua vocant.*
> *Vis ea si verbi est,cur non ego Vejouis ædem*
> *Ædem non magni suspicer esse Iouis?*

Ac similiter idem appellatus *Vedius*: vt apud Capellam. lib. ii. Nam vt optime ibi maximo Grotio monitum, vt dicimus *sub Ioue*, & *sub dio*, itidem dixere, *Vejouis*, & *Vedius*. Papias: *Vedius, Pluto, vel Orcus, malus deus*. At *vegrande*, vt præter Agellium Festus scribit, vtramque vim habet. Item notat interdum (quod allati etiam Ouidij versus indicant) *non grande*,siue,vt Ouidij verba retineam, *Quod male creuit*.Vnde Varro,lib.ii.de R.R.cap.ii. iungit *vegrandes atque imbecilla*. Interdum *valde grande*: quomodo Lucillium loqui, Nonius docet. Similitérque vetus Horatij interpres, ad sat. ii.lib.i. augere ait in illo Persij,

> *Vt ramale vetus vegrandi subere coctum*.

Non audiendi,qui *pregrandi* legunt. Ibidem interpres *vepallidum* exponit *valde pallidum*,in Horatij,

> ——— *Vepallida lecto*
> *Desiliat mulier*.

Et sic sumitur, cùm *stylus vegrandis* dicitur *tumidus*, quasi malè affectans sublimitatem In *vescum*. quod à *ve* & *esca*, nunc augere, nunc minuere docuit Agellius, lib.xvi. cap.v. Augere ait in illo Lucretij.lib.i.

> ——— *Vesco sale saxa peresa*.

Vbi Festus exponit *edacem*. Minuere in illo Lucillij, lib. xxvi.

> *Quâm fastidiosum ac vescum cum clastidio viuere*.

Quem locum Nonius citat in *vescum*. *Vescum* verò hîc est *gracilem, exsuccum, macilentum*. Vti & in illo Plinij, lib.vii. cap. xx. *Corpore vesco, sed eximiis viribus Tritanum*. Nempe quia ὀλιγόσιτοι siue *exigui cibi homines* solent esse *macilenti*. Glossæ Philoxeni: *Vesces* (l.*vescus*) ὀλιγόσιτος, ὀλιγοδεής.Vbi aliquis rescripserit, ὀλιγοδεής. quod magis ad λιγός vocem *vescus* interpretabitur. Sed nihil mutandum quia qui ὀλιγόσιτοι,is quoque ὀλιγοδεής. Imprimis verò illustris est Ouidij locus,lib.iii.Fast.

> ——— *Vegrandia farra coloni,*
> *Quæ malè creuerunt,paruáque vesca vocant.*

Iunius Philargyrius in iv. Georg. *Vescum* inquit,*tria significat,minutum, edule, & multum*. Et in iii. Georg.*Vescas*, inquie. *teneras & exiles*. Nam *vescum apud antiquos significabat macrum,& quasi quod escam non reciperet*. *Afrianus* (in Sororibus)

> *Ab puer est vescus, imbecillus viribus*.

Sed vide ne vescas appetibiles dixerit. Lucretius certè pro edace posuit,

> ——— *Vesco sale saxa peresa*.

Nonius.*Vescum*,*minutum, obscurum*. Affert deinde allata Lucillij, Maronis & Afranij loca. Eius diminutiuum *vesculus*. Festus: *Vesculi,male curati & graciles homines.vt enim syllabam res parua praponebant, vnde Veiouem paruum Iouem, & vegrandem fabam minutam dicebant*. Cùm autem *vescum* sæpiùs notet edacem, *vesci* edere, non ineptè dicamus,*vescor* esse a *vescus*.Alioqui video etiam a βόσκω deduci posse,conuerso β in *V* consonum, quomodo à βόλω siue βούλομαι est *volo*,a βιόω,*viuo*. &c.Quod si placet, non compositum erit,sed simplex deriuatum. Ac placuit posterius hoc Nunnesio in Grammatistice.

Veho ab Æolico ϝέχω. X mutatur in *h*,quomodo à χαίνω est *hio* & fortasse à χαμαί, *humi*. A *veho* est *vehiculum*, vt à *curro curriculum*. Item *vectis*. Vnde Græcum ἰέκτης, Tertullianus transfert *vectatevos*: more loquendi sui æui, qui hodiéque obtinet. Nam Belgæ itidem dicunt, *vaer. wel*.Et Galli similiter loquuntur. Vide Scaligerum ad Manilium. Eiusdem originis est *vectigal*. quòd è *vectura* pendatur, cuius de speciebus dicimus voce *Publicanus*. Item *vellit*, de quo seorsim. Ab eodem *via*, *vellatura*, de quibus sigillatim suo loco. Item *velabrum*, quod ratibus id transvehi soleat, vt indicat Varro iv. de L.L. Falsi, qui vt in Romulo Plutarchus testatur, existimant sic dictum, quòd ab ludorum editoribus soleat velis contegi. Nam longè ante hunc morem fuisse *velabri* vocem, non negabit, qui sciet Q. Catulum primum Romanorum spectantium consessum velorum texisse vmbraculis: quemadmodum scribunt Valerius Maximus, lib. ii. cap. iv. de spectaculis; Plinius. lib.xix cap i. Ammianus cap.xiv. Dicimus hac de re quoque in *Velum*. Est & ab eâdem origine *vexo*, de quo seorsim. Item *vexum*, vnde *vexillum*, de quo in *Velum*. Et composita *deuexum*, & *conuexum*, de quibus in *Conuexum*.

Vel, & *ve* encliticum, idem notant: *vt puerve,vel puer*.Et eadem vtriusque origo, siue *ve* ex *vel*, per ἀποκοπὴν siue *vel* ex *ve* per peragogen, quod malim. Nempe *ve* ex Hebræo? vel ex Græco ἢ,quod idem notat, spiritu in *v* mutato, & *e* longo abeunte in *e* breue. Sed *ve* loquelaris præpositio si auget, vt in *vehemens*, videri possit esse à *vi*.At à *va*,vel οὐαί, fuerit, si minuat: vt *vesanus*, *vecors*. Item *vefaba*, quod est *parua faba*, vt interpretantur Glossæ Isidori.Vide & Gellium, lib.xv.cap.xii. *Velut*, & *veluti* ex *vel*,& *vt*, vel *vti*; vt *sicut*, ex *sic*,& *vt*.vel *vti*.

Velarium in theatris suspendebatur ad arcendam pluuiam & solis æstum Nomen à *velando*.Iuu.sat.iv.

> *Et pegma & pueros hinc ad velaria raptos*.

Vbi vetus interpres, *id est,ad alta theatri velamina*.

Velites *leuis armaturæ milites*, teste Nonio, & B. Augustino in Grammat. cap. de Nomine Cum autem quatuor fuerint peditum genera in militiâ Romanâ. velites,hastati,principes, triarij: vilissimi eorum velites. Nam inter velites nulli militabant, nisi & armis tirones, & opum ratione pauperes,atque imarum classium. Nam si pauperes,sed vsu veteres,in triarios transferri solent: si diuites, sed tirones; inter hastatos militabant. Erant velitum arma gladius, hasta parma Hastæ autem eorum erant iaculatoriæ, non stabiles, quales hastatorum. Parmæ meminit Varro ἀμφὶ πυρῶν, ἢ φιλαγρίας.

> *Quem sequuntur cum rotundis velites parmis leues*.

Sic legendum censeo, vt trochaicus fit.Dicti *velites* videntur quasi *volites*, quia hac illac *volare* illis licet,quod cataphracti non possunt ob armorum pondus. Vegetius, lib. iii. c. xvi. *Iisdem miscendi sunt, quos expeditos velites, quasi volitantes, nominabant*. Sed verba illa, *quasi volitantes*, à melioribus MSS^tis^ absunt. Imò in nonnullis etiam *velites* abest: vt obseruat Stevvechius, qui legit, *quos expeditos veteres nominabant*. Ita enim *velites* non semel Cæsar appellat. Sed de etymo, quod Glossemate istic irrepserat, certior nobis auctor Festus: *Aduelitatio, iactatio quædam verborum, figurata ab hastis velitaribus. Velites dicuntur expediti milites, quasi volites,id est,volantes*. Aliud quoque etymon addit Isidorus, lib. xviii. cap. lvii. *Velites*, inquit,*vocati sunt, siue à volitatione, siue à ciuitate Hethruscorum, quæ Veletes vocantur*. Vbi videri queat legendum *Veleates* seu *Veliates*: quorum præter alios meminit Valerius Flaccus.Sed eos in Liguria,nô Hethruria ponit Plinius. Perottus cùm à veteribus recedens

dens à verbo *velare* dici ait), caussam sententiæ suæ addere debuerat. Quibusdam etiam placet *velites* dici quasi *volites*, ἀπὸ τῆ βολῆς, nempe à *telorum iactu*, quia iaculis vsi, cùm instituti primitus. *O* autem facilè in *V* transit. A *veles* est *velitaris*: quomodo Liuio, lib. XXXVIII. ac Festo etiam, vt paullo antè vidimus, *velitaris hasta* dicitur, quæ Ouidio est *velitis hasta*. Ita enim ille in Ibin:

> *Vtque petit primo plenum flauentis arena*
> *Nondum calfacti velitis hasta solum:*
> *Sic ego te nondum ferro iaculabor acuto.*

Polybius *hastam velitarem* vocat γρόσφον. Neque enim audiendi, qui, Constantinum Lascarin secuti, γροσφομάχους vertunt *pilanos*, cum *veli tes* dicere debuerint: quando *pilani* erant *triarij*, ac *pilum* erat commune legionariis telum: vt bene obseruat Lipsius, lib. III. de milit. Rom. dialog. I. *Velitares*, & *amentata* hastæ, vt differant, diximus in *Amentum*. Pro *velitaris* etiam *velatricus* legitur apud Sidonium, lib. VII. epist. II. *Habetis historiam iuuenis eximij, fabulam vel ita velatrica parem.* Sic enim est in vett. editt. Sed aut legendum *militia veteranici*; aut *militia vel Attica*: quod in MSS[tis] inuenitur. A *veles* quoque est *velitor*, quam vocem scitè ad sermonem transtulere Plautus, Turpilius, Afranius, Cæcilius, vt Nonius docebit. Idémque indicat Festi locus ante adductus. Item hic eiusdem: *Velitatio dicta est vltro citroque probrorum obiectio, ab exemplo velitaris pugnæ.* Plautus.

> *Nescio quid velitati estis inter vos.*

VELLATVRA à *vella*, id est, *villa*. *Vella* autem à *veha*, id est, *via*. *Via* autem à *vehendo*. Est autem *vellatura*, exercitium, vel quæstus vecturæ. Varro, IV. de L.L. *Velabrum dicitur à vehendo. Vellaturam facere etiam nunc dicuntur, qui id mercede faciunt.* Originem vocabuli, quam adsignauimus, aperit idem lib. I. de R. cap. II. *Rustici etiam nunc quoque viam veham appellant, propter vecturas, & vellam non villam, quò vehunt, & vnde vehunt. Item dicuntur qui vecturis viuunt vellaturam facere.* Quidam scribunt simplici *L*. Vnde in Onomastico, *Velatura*, πορθμεῖον.

VELLO ab ἕλω siue εἴλω, quod idem ac εἰλέω, hoc est, *cogo*, *coarcto*. Vel ab inusitato ἕλω, hoc est, αἱρέω, *capio*, *sumo*. Præponitur spiritus, vt in Ἕσπερος, *vesper*, & similibus. Vel etiã *vello* à τίλλω, quod idem notat, vt in prouerbio φαλακρὸν τίλλεις, *caluum vellis*: de inani operâ. Gloss. Philoxeni: *Vello*, τίλλω. A *vello* est *vellico*, vt à *fodio fodico*. Ab eo *vellicatim*. A supino *volsum* seu *vulsum*, est *volsella* seu *vulsella*, quia *pili hâc radicitus euelluntur*. Ac fortasse etiam sic dicebatur, *quo spinas euellerent*. Sanè in iisdem Glossis legas: *Vulsella*, τριχολαβὶς, ἀκανθολαβίς. Etiam à supino *volsum* dictæ *aues volsgræ*, quæ se vellerent mutuò: quæ res mali ominis credebatur. Apud Festum legas, *Voiscram auem, quæ se vellit*. Sed rectè *volsgra* præferunt viri docti.

VELLVS à *vellendo*, *quòd prius lana vellerentur, non tonderentur*: vt scribit Isidorus, lib. XIX. cap. XXVII. Idem docuerat Varro, lib. IV. de L.L. de Veliâ agens: *Quò ibi pastores Palatini ex ouibus ante tonsuram inuentam vellere lanam sint soliti: ex quo vellera dicuntur.* Et fusiùs, lib. II. de R.R. cap. vlt. *Lanam demtam ac conglobatam alij vellera, alij velumina appellant. ex quorum vocabulo animaduerti licet, prius lanæ vulsuram quàm tonsuram inuentam. Qui etiam nunc vellunt, ante triduo habent ieiunas, quòd languidæ minùs radices lanæ retinent. Omnino tonsores in Italia primùm venisse ex Siciliâ dicuntur, post R. C. A. CCCCLIIII. vt scriptum in publico Ardeæ in literis extat, eósque adduxisse P. Ticinium Menam. Olim tonsores non fuisse adsignificant antiquorum statuæ, quòd pleræque habent capillum & barbam magnam.* Hactenus Varro. Et *vellendi* ille mos, etiam tonsura introductâ, multis in locis remansit. Plinius, lib. VIII. cap. XLVIII. *Oues non vbique tondentur. durat quibusdam in locis vellendi mos.* Scaligero tamen magis placet, *vellera* dici quia *iis veletur cutis*: nempe quomodo Græcis *vellera* seu *lana* dicuntur στέμματα ἀπὸ τοῦ στέφειν. quod est, *ambire*, *redimire*. Sed argumentum hoc parùm firmum. Quippe haut absurdè Grammatici, quibus placet ea dici στέμματα non quia *illis redimiatur ouis*, sed *colus*. Nam vt caput regium στέμμα cingit, ita & caput colus ambit στέμμα suum. Nunnesio verò in Grammatistice placet *vellus* esse à μαλλὸς, quod idem notat. nempe vt *μ* abeat in *V*. Sed potiùs veteres dixere *vellus*, quòd vellitur.

VELOX propriè de *nauibus* dicitur, si recta ex Prisciani sententia in IV. Vbi de nominibus in *ox* agens, ait, *à voco vox*, *à velum velox*. Ac similiter Papias. Aliis à *volatu* dici videtur, quasi *volox*. Primæ tamen syllabæ modulus refragatur. At cum *vello* (vnde quidam originem arcessunt) nullam habet significatio affinitatem. A *velox* est *velocitas*, vt à *rapax rapacitas*, à *suauis suauitas*, &c. Cornelius Fronto: *Velocitas est corporalis celeritas, quasi velox & cita.* Quæ sententia nec refutatione digna est, cùm manifestum sit, non esse compositum, sed simplex deriuatum. Sed quod *velocitatem* propriè *corporis* esse ait, in eo alij quoque Grammatici adstipulantur. Agrætij solum verba ponam: *Velocitas pedum & temporum; celeritas animorum atque factorum.* Quæ totidem verbis apud Bedam legas de Orthographiâ.

VELVM & *velare* videri queant esse ab Hebræo בלא, quod est, *latere*, *absconditum velatúmque esse*. Sed potius arbitror *velare* esse à *velum*, quasi *velo tegere*; *velum* autem non tam à *volatu* dici arbitror, quæ Perotti sententia est, quam κατὰ μετάθεσιν fieri à λαῖφος, quod idem notat. Vel potiùs κατὰ συγκοπὴν fieri è *vexillum*, quomodo ab *axilla* est *ala*, à *maxilla mala*, atque ita in aliis. Scio Priscianum, lib. I. cap. de literarum numero & affinitate, velle vt, à *paullum* est *paxillum*, sic à *velum* esse *vexillum*, & à *mala maxilla*. Scio & Seruium ad initium primi Æn. scribere *vexillum* esse tractum à *veli* deminutione, vt *velum vexillum*. Scio & idem velle Festum in *vexillum*: & Isidorum, lib. XVIII. cap. III. Sed maioris apud me est Ciceronis auctoritas, cuius hæc verba in Oratore ad Brutum: *Quin etiam verba sæpe contrahuntur, non vsus caussâ, sed aurium. Quomodo enim vester Axilla, Ala factum est, nisi fugâ literæ vastioris? Quam literam etiam è maxillis, & taxillis, & vexillo, & paxillo, consuetudo elegans Latini sermonis euellit.* Ciceroni quoque quam Grammaticis subscribere maluit Cæsar Scaliger, lib. de caussis L.L. cap. XXXI. *L, inquit, in X non mutatur exemplis illis, Ala, Axilla; Mala, Maxilla, vt aiunt: non enim ab Ala Axilla, sed ab Axilla Ala, extritâ, vt ait Cicero, elementi vastitate. Sic enim censuit M. Tullius. Veho, Vexi, Vexum, Vexulum, Vexillum, & κατὰ συγκοπὴν Velum: Ago, Axo, Axa, Auxula, Axilla, Ala: Maxo, Maxa, Maxula, Maxilla, Mala, vnde μασητῆρες. Pango, Paxo, Paxus, Paxillus, Palus: vt non parùm errent, qui ab Ala putent Axillam deminutiuum dici. Axo autem & alia, sic sunt dicta, vt Faxo, Graxo.* Hæc Scaliger, in quibus nonnulla pensiculatiùs examinanda, vt illud de *paxillus*, *mala*, *maxa*; ac *graxo*, de quibus alibi dictum. Redeamus ad *Velum*, à quo nonnulli locum Romæ *Velabrum* dictum volunt, quia ab eo initium facerent, qui theatris & amphitheatris velum superducerent arcendo soli atque æstui. Sic enim hac de re Plutarchus in Romulo: Ἔνιοι δὲ λέγουσι τὴν εἰς τὸν ἱππόδρομον φέρουσαν ἐξ ἀγορᾶς πάροδον ἱστίοις καταπεταννύντας τοὺς τὴν θέαν παρέχοντας, ἐντεῦθεν ἄρχεσθαι. Ῥωμαϊστὶ δὲ τὸ ἱστίον Βῆλον ὀνομάζουσι. *Quidam dicunt, viam, quæ à foro ad circum fert à ludorum editoribus, velis solere contegi, inde (id est, à Velabris) initio facto. Velum autem appellant Romani, quod Græci hostium.* Sed vanum hoc etymon, ac verius quod antecedit: Καλεῖται δὲ ὁ τόπος Βήλαυρον, ὅτι τοῦ ποταμοῦ πολλάκις ὑπερχεομένου, διεπεραιοῦντο πορθμείοις κατὰ τοῦτο τὸ χωρίον εἰς ἀγοράν. Τὴν δὲ πορθμείαν, βήλαυρον καλοῦσι. *Vocatur autem nunc locus iste Velabrum, eò quòd, crebro fluuio exundante, eo loco traiectus esset in forum: traiectum autem appellant Romani velaturam.* Confirmat hoc ἔτυμον Varro, IV. de L.L. vbi *velabrum à vehendo* dictum ait, ac *velaturam facere*, qui ratibus aduehunt. Sed hac de re plura in *veho*. *Velificare*, *vela facere*, *nauigare plenis velis*, quod Græcis ἱστιοδρομεῖν. Sic vsi Propertius, Mela, Plinius, alij. Ita *Velificatus Athos*, apud poëtam, hoc est, *nauigatus*, διαπλευσθεὶς. Sed κατὰ μεταφορὰν dixere *velificari alicuius honori*, hoc est, *fauere ac studere*.

VENÆ Isidoro, lib. XI. cap. I. dictæ videntur, *eo quod viæ sint natantis sanguinis*. Quo significare videtur esse à *via*, & *no*, hoc est, *nato*. At Papias, & alij, *venas* dici existimant, quòd *per eas veniat*, hoc est, *deferatur sanguis*. Sed Angelus Caninius vult esse ab ἶς ἰνὸς, præposito digamma, siue *V* consono, quomodo ab ἶς est *vis*, ab ἐσθὴς, *vestis*. Rectiùs tamen & *vena* & *vis* deducas ab ἶς, ἰνός. Nam ἶς non dicitur, sed ἴς, quod propriè notat *fibram*; medificatè autem *vim*, quia corporis robur magna ex parte consistit in fibris, vnde & eæ partes sunt robustiores, quæ fibris imprimis abundant, maximéque sunt neruosæ. Ab ἶς igitur fit *vis*: ab accusatiuo ἶνα fit *vena*. A *vena* est *venosus*; quomodo propriè dicitur, *cui venæ extant carne senio absumta*. Hinc liber L. Accij, qui Pacuuij tempore vixit, à Persio sat. I. *venosus* dicitur. hoc est, *vetus*, *deformis instar senum macriorum*. Falsus Turnebus, cùm *neruosus* scribendum putauit pro *venosus*, vt legere est lib. XXVIII. cap. XXVI. Est & à *vena venox*. Erat *venox* cognomentum *Plautij* censoris, qui aquæ Claudiæ *venas* indagaret: vt ex Liuio & Frontino constat.

VENDO, contractum ex integro *venundo*, quod dicitur quasi *venumdo*. Itaque τὸ *venum* dixit Claudianus. lib. III. de raptu Proserpinæ, vers. CLXXVIII.

Venum cuncta dari.———

Similiter *veneo* dicitur quasi *venum eo*, vt bene censet Perottus. Estque *venum*, non supinum quidem, quæ à verbis veniunt, sed aduerbium, vti *pessum*. Itaque dicimus *venum eo*, vel *veneo*, vt *pessum eo*, item *venundo*, & *vendo*, vt *pessumdo*, atque vt ab aduerbio *satis* est *satisdo*. *Venum* putabat Priscianus esse τὸ συγκοπὲν ex *venitum*. Sic enim ἀναλόγως dici debuisse. Sed iam ostendimus, non esse supinum, quia supina à verbis veniant: at *veneo* fiat à *venum*. Ergo putabat Angelus Caninius esse ab ὠνὴ. id est *pretium, quo quid venit*. Quam sententiam etiam Nunnesius sequitur in Grammatistice. Imò nec repugnem; vt *veneo* dicatur ab Æolico ϝωνέω, seu βωνέω, pro ὠνέω: quomodo ab ἐσθὴς *vestis*, ab ἑσπέρα *Venus*; ab ἑστία *vesta*, ab ἰῶ, *vomo*, &c. Sanè longè id magis mihi fit verisimile, quàm vt sit à *venitum*: vel. vt alij aiunt, à supino *ventum*, eliso *T*, quia, quod publicè vendebant, id (vti aiunt) aliunde dicerent venire ac comportari. A *venum* est *venus*, nomen μονόπτωτον dandi casus. Vsus Appuleius, cuius est lib. VIII. *venui habere*. Item, *Quo venui castores viderentur*. Et lib. IX. *Venui subycere*. A *vendo* est *vendito*, quod non frequentatiuum est, sed desideratiuum. Cic. in Arusp. resp. *Atque ei sese, cui totus venierat, etiam vobis inspectantibus venditaret*. Hoc est, *vendere vellet*. Hinc *venditarium*, non quod frequentes vendimus, sed quod venale est, siue quod vendere cupimus. Ita Plautus, Sticho, Act. II. I. dixit:

Linguam quoque mihi etiam esse venditariam.

Est igitur *vendito* desideratiuum. Ac monuit Turnebus. l. XXV. cap. XV. similia esse *ostento*, hoc est, *ostendere* me cupio. *dormito* dormire cupio. *capto* capere cupio; *munito* munire cupio apud Cic. pro Roscio Amer. Item *prenso* pro *prendere* cupio. Nam qui candidatum ad se venire videbat prendendi caussâ, is vicino dicebat, *hic prensat me*.

VENENUM, quòd *venas petat*, siue quòd *per venas vadat*. Isidorus, lib XII. cap. IV. *Venenum dicitur eo, quòd per venas vadit. Infusa enim pestis eius per venas vegetatione aucta discurrit & animam exstinguit. Vnde non potest venenum nocere, nisi hominis tetigerit sanguinem.* Quod etymon Camerarius quoque innuit, lib. de Diuinat. pag. CVIII. Verùm non minùs placet, vt quemadmodum *toxicum* dixere à τόξον, ita & *venenum* dicatur, quasi *belenum* à βέλεμνον, *telum*. Sanè & Italis *venenum* dicitur *veleno*, & hyoscyamus Hispanis *velen*, voce conuenienti cum Græco βελένιον, cui ex eo nomen, quia esset ἰὸς τῶν βελῶν. Nam Persæ veneno eius cuspides sagittarum imbuebant: vt est apud Aristotelem, in lib. de plantis. Vide & quæ de eo præceptor meus Bon. Vulcanius ad Glossas vett. annotauit. *Venenum* ferè in malam partem sumitur, vt *medicamentum* in bonam. Vnde Cicero in Cluentianâ: *Constitutumque inter eos de alia re fuisse, vt medicamentum, non venenum Diogenes adferret. Medicamenti* tamen voce pro *veneno*, Nonio vsus Varro Sat. περὶ ἐξαγωγῆς. *Quæris ibidem ab Annibale, cur biberit medicamentum? Quia Romanis, inquit, me Prusiades tradere volebat. Venenum* pro *medicamento* hominis bono non dicitur. Scio tamen Caium ad legem XII. Tabb. scribere appellatione *veneni*, quod Græci φάρμακον dicunt, *medicamentum bonum* pariter ac *malum* contineri; atque id probatum ire isthoc Homerico Odyss. δ. de herbis in Ægypto crescentibus:

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Sed non si φάρμακον vox media est, similiter *venenum* erit. Ideo Glossæ Philox. *Venenum*, φάρμακον θανάσιμον, hoc est, *pharmacum letale*. Nec obstat, quòd etiam dicatur *malum venenum*. Vt apud Solinum, cap. XLIV. de Annibale: *Veneni mali poculo animam expulit*. Nam veteres omnes res noxias *mali* epitheto infamabant. Quare magis ad rem faceret, si ostenderem hominis ratione *bonum venenum* legi vspiam. Etsi & bonum esse *veneni* vsum non ignorem: sed ex eo vocem esse mediam non consequitur: quia tum *venenum* est ratione non hominis, sed alterius, cuius vim delet; vt *venenum* sit *veneni venenum*. Legas tamen *venenum* pro *colore*, fortasse quia vt *venenum* omne exitium adfert, ita succi illi pretiosi, veluti purpuræ, lanas verius corrumpant quam ornent. Certè Maro quoque eas mentiri colorem ait. Vel potiùs Græcorum hoc factum exemplo, quibus φάρμακον sumitur ἀντὶ τοῦ βάμματος. Quomodo Maro dixit, in Eclogis:

Alba nec Assyrio fucatur lana veneno.

Vbi *venenum* pro *colore* poni, monet Seruius. Et Solinus simpliciter *cocci venenum* dixit, hoc est, φάρμακον, βάμμα, χρῶμα. A *veneno* est *veneficus*, quâ voce, si ἐτυμολογίαν spectes propriè signetur, *qui venenum in cibo aut potu det*, vnde Gloss. Cyrilli, φαρμακὸς; *maleficus*, *veneficus*. Sed ὀνειροκριτικῶς ita vocatur, *qui animas sepulchro euocat, atque incantationibus nocet*. Ammianus, lib. XIX. *Siquis per monumentum transisse vespere argueretur, vt veneficus, sepulchrorumque horrores & errantium ibidem animarum ludibria colligens, reus capitis interibat*. Ab eodem est verbum *venenare*, quod propriè est *veneno inficio*: sed vt *venenum* non rarò generatim sumitur pro *peste* aut *labe*: sic & *venenare* accipitur pro *corrumpere*: vt cùm de Auerno ait Lucretius. lib. VI.

Vt spatium cœli quadam de parte venenet.

Ac quemadmodum Maro *venenum* dixit pro *colore*, sic *venenare* pro *colore contingere* dixit Cn. Martius apud Agellium, lib XX. cap. VIII.

Iam tonsiles tapetes ebrij fuco,

Quos concha purpurâ imbuens venenauit.

Atque ab eo *venenatum*, pro *pallio flaminica, quod flameo colore venenatum*, hoc est, *tinctum*, erat. Seruius in illud Virgilij. IV. Æneid.

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo:

Veteri ceremoniarum iure preceptum est, vt Flamen (leg. Flaminica) venenato operta sit. Operta autem cùm dicitur, pallium significatur. Venenatum autem, infectum, quod ipse ait in Bucolicis:

Alba nec Assyrio fucatur lana veneno.

Et mox: Flaminicam habere præcipitur arculum, rigam, venenatum, fibulam. Vbi pro *rigam* leg. *ricam*. Idem ad illud VII. Æneid.

Purpureos moritura manu discindit amictus:

Rem, quæ Flaminicæ competit, transtulit ad reginam. Flaminica enim venenato operiri debet. Nam cum amictam dicit, opertam dicit, quæ res ad pallium refertur.

VENERARI videri queat propriè dici de iis, *qui Veneri sacrificant*. Id si est, ad propriam hancce significationem allusit Plautus Rudente, Act. II. Sc. I.

Nunc venerem hanc veneremur bonam, vt nos lepide adiuuerit hodie:

Confirmat hoc etymon, quòd *venerari* quoque vsurpatur pro *Venerem exercere*. Sanè Hyginus in fab. *venerantes* de iis edixit, *qui sunt in maritali vacatione*, loquitur Martianus Capella, lib I. Atque hæc afferre visum pro sententia Scaligeri: cui placebat *veneror* esse à *Venere*, vt ὀπίζομαι ab ὦπις. Sed ὀπίζομαι non est ab *Ope dea*, verùm ab ὄπις, *curas* eóque propriè notat *curare*, & μεταληπτικῶς, sumitur pro *venerari*; vnde ὀπιδνὸς, *veneratione dignus*. Imò nec *Veneror* à *Venere* esse videtur, sed à *vereor*, vt *veneror* dicatur pro *verinor*, quod à *vereor* erit, formâ veteri. Sic enim à *naso* *nasino* dixere, à *domus* vel *domo dominor*, ab *expleo explemo*, vnde apud Festum, *explenunt*, *explent*, pluráque id genus alibi adduximus. Hæc vera, meo iudicio, etymologia. Etsi nec absurdè deduxeris à *venia*, vt *venerari* sit *veniam à diis exposcere*. Sed hoc si placet, dicendum esse simplex deriuatum, non compositum, vti censet Festi epitomator, qui vult *veneror* constari ex *veniam* & *oro*.

VENETUS *color*, (à quo *Veneta factioni* in ludis Circensibus nomen,) non est a Græco Βένετος, etsi hâc voce vtatur Arethus, in Apocalyps. cap. XXI. Achmes, cap. LVII. Etymologici auctor in voce Καλλα. Sed contra posterioris æui scriptores vocem eam a Romanis acceperunt. Originem vocis ponit Cedrenus pag. CXXI. vbi ait, τὸ δὲ Βένετον ἀπὸ τῆς Βενετίας. Et satis verisimile ita dici quòd color is *Veneta gentis* in vsu foret. De auctore ita Isidorus, lib XIX. cap. XVII. *Venetum colorem temperare primùm Alexandria docuit*. Sunt qui censeant, *colorem venetum* eundem esse ac *vitreum*: vnde & apud Lampridium vulgatem lectionem immutatum eunt, quia is in Heliogabalo *venetum* & *vitreum*, vt diuersos, coniungat. Sed adfines sunt colores, idem non sunt: quia *vitreus* est *veneto* remissior clariórque. Egnatius putabat *venetum colorem* eundem esse ac *flauum*, quem Germani *geel*, atque Itali voce hinc deductâ *giallo* vocant. Sed spissum hunc eius errorem solidè cùm Cassiodori, tum Olympiodori loco diluit Iul. Scaliger. Exercit. CCCXXV. sect. X. Ei succenturiamus Vegetij locum, qui lib. IV. ait nautas *colore veneto* debere indui & vela exploratoriarum nauium debere eiusdem esse coloris, quo similitudine coloris marini faciliùs lateant, hostiúmque oculos fallant. Item locum Lampridij, vbi ait Heliogabalum voluisse pisces coqui *conditurâ venetâ*, quò non alio colore mensis inferrentur, quàm quo in aquis essent viui. Verba Lampridij sunt: *Pisces semper quasi in marina aquâ cum colore suo coctos conditurâ venetâ comedit*. Etiam Græcus scriptor incertus de Circo ait: Οἱ δὲ Ῥωμαῖοι Ῥώμη ... ἀπὸ τῆς Ἀδριανῆς Βενετῶν, ... ἰδίων χρωμάτων.

Βένετοι δὲ οἱ Ῥωμαῖοι τὸ παρ' ἡμῖν καλλάϊνον προσαγορεύουσι. *Veneta verò fuit a sacra Saturno, aut Neptuno. Veneta autem dicta est ex eo, quia simili colore vestiuntur Veneti, accola Adriatici maris. Venetum autem colorem vocant Romani, quem nos callainon vel calaicum dicimus.* Ex his constare arbitror, *Venetum colorem* esse, quem dicimus *viridem marinum*. Nam is est *callaicus*, vt alibi diximus. Etiam *maris color* est, quem à Græco θαλάσσινα *thalassinum* vocat Lucretius lib. IV.

> ——*Tantùmque thalassina vestis*
> *Assiduè.*

Plautus similiter *thalassicum* vocat, Milite, Act. V. Sc. IV.

> *Palliolum habeas ferrugineum nam is color thalassicu'st.*

Etiam Epidico. II. II. *cumatilem* dixit, ἀπὸ τῶν κυμάτων, hoc est, *fluctibus*, vt Nonius docet qui & Titinium Setinâ, hac voce vsum comprobat. Vide, quæ de hoc in *Cymation* dicimus. Nec icciico tamen hosce omnes colores eundem esse putandum. Namque alius color maris in litore, alius in profundo: item alius placidi, alius turbidi maris.

VENIO inepte quidam interpretati, quasi dicatur *versus nos eo*. Meliùs à βαίνω deducunt Angelus Caninius in Hellenismi Alphabeto, Iulius Scaliger, in libb de caussis L. L. c. XXVII. & Nunnesius, in Grammatistice. *AI* in *E* conuersum, quomodo à φαίνω est *fenestra* pro *fainestra*. Præterea *B* mutatum in *V* consonantem, quâ ratione à βέρος est *verax*; à βοὴ, *vox*; à βίοτος, *vita*, &c. Βαίνω verò à βάω, βῶ, quod à Punico ac Hebræo בוא, hoc est, *venit*, descendere, rectè obseruauit idem Caninius. A *venio* est *venia*, quia ad aliquem *venit*, vel quia facit veniendi potestatem. Ab eodem est *Venilia*, maris reciprocantis incrementum, quia vnda venit ad litus. Cui opponitur *Salacia*, eiusdem decrementum, quia vnda ad salum redit. Intellige autem ea incrementa & decrementa, quibus bis in die intumere & detumere solet Oceanus. Varro, lib. IV. de L. L. *Salacia Neptuni ab salo. Venilia à veniendo, ac vento illo quem Plautus dicit:*

> *Quod ille dixit, qui secundo vento vectus est, tranquillo mari, ventum gaudeo.*

Quem locum fusè explicat Ios. Scaliger, partim in Coniectaneis ipsis, partim in eorundem appendice. A *venio* est *vento*. *Ventare* enim veteres Festo teste, dicebant, vt nunc *aduentare*. Compositum est *inuenio*, quasi *in rem venio*, item *reuenio*, *conuenio*, &c. *Conuentitij patres* Plauto Cistell. Actus I. Sc. I. dicuntur à *conueniendo*, quà notat συνόντας εἰς ἀφροδισιασμόν. Ita vsus Ouid. III de Art.

> *Conueniunt illas, cùm voluere viri.*

Ac *conuena* ab eâdem significatione dixisse videtur idem, in Mil. Act. II. Sc. I.

> *Qui amanteis vnà inter se facerem conuenas.*

Conuena autem dictum eâ formâ, quâ *aduena*, item *transuena*, quo vtitur Tertull. lib. de spectaculis cap. V. *Aduentus* pro *aduentus* scribi solitum, cùm Victorinus testatur, tum è codd. antiquis obseruauit Pierius ad initium V. Æn.

VENOR, vnde *venatio*, dictum à *venis ferra*, quas venatores canum sagacitate rimantur, vt indè damas, lepores, cuniculos excitent. Vel potiùs, vt à κύων & ἄγω, Græci κυνηγεῖν, ita Latini à *cane* vel *aui venari*, a abeunte in *V* consonum, vt à ναῦς, *vannus*; à ἀτμὸς, *vapor*. A *venor* siue supino *venatu* est *venabulum*, quâ formâ à supino veniunt *exorabulum*, *suscitabulum*, *mendicabulum*, *stabulum*, *tintinnabulum*, & similia: vt nugetur Papias, cùm censet, *venabula dicta, quasi venatu habilia, vel quia venientem excipiant.*

VENTER, quasi *vita alter*, vt quidem censuisse videtur bonus Isidorus: cùm lib. XI. Orig. cap I. ait: *Dictus venter, quòd per totum corpus vita alimenta transmittat.* Ioannes Genuensis in Catholico. *venter*, inquit, *quia ventum concipit.* At literarum subductione à *vehenter* *venter* factum putat Iouianus Pontanus, in Actio, fol. CXXXIX. edit. Ald. *Quid*, inquit, *venter nisi vehenter? quòd se implendo euehat, vel quòd vehat in cibum absumta, vnde ventrem exonerare dicimur; qui excrementa eijcimus.* Eandem Etymologiam amplexus Nicolaus Erythræus in Indice Virgiliano. Sed omnino est ab Æolico ἔντερον pro ἔντερον, hoc est, *intestinum*: nempe quia est intestinorum locus. Ἔντερον verò ab ἐντὸς, *intus*. A *venter* ὑποκοριστικῶς factum *ventriculus*, quasi *minor venter*. In Glossis Philoxeni exponitur γαστέριον. Ab eodem est *ventrale*, quomodo dicitur *vulgo*, quia ad ventrem præcincta. Gloss. Philox. *ventrale*; περιζώστρα, ζώνη. Ac clarè sic vsus Vlpianus, L. VI. ff. de bon. damnat. Sic enim ibi legi debere rectè docet Scipio Gentilis, lib. I. παρέργ. cap. XXII. In vulgatis est *ventralem*, pro quo alij *ventralem*. Sed in neutro vsus quoque Plinius, lib. VIII. cap. XLVIII. *Patris mei memoriâ cœpere amphimalla nostra, sicut villosa etiam ventralia.* Vsus capite voce, lib. XXVII. cap. VII. de absinthio agens: *Arcet inguinum tumorem in ventrali habitum.* Vide & Cujacium, lib. X. Obser. XXVI. *Ventriloquos*, quos Græci similiter ἐγγαστριμύθους. Nempe quia *spiritus malignus è ventre obsessi videtur proloqui.* Gloss. Isid. *Ventriloqui, præcantatores.*

VENTVS plerisque, eósque inter Scaligero, de causs. L. L. c. LXVII. à *veniendo* dictus putatur, quia sit aëris motus: *venire* autem sit *moueri*. Sed Angelus Caninius vult factum esse ab ἀέντες pro ἄεντες, quod ab ἄω, hoc est, *spiro*: vel esse ab ἀεὶ ἄεντος, quod ab ἄημι. Homerus Od. E. vers. CCCCLXXVIII. & od. T. v. CCCCXL.

> ——Ἀνέμων διάει μένος ὑγρὸν ἀέντων.

Ventorum perflat vis humida spirantium. Posterius hoc placet. Nempe Latini spiritum tenuem mutarunt in *V* consonum, quomodo ab ἐσθὴς est *vestis*, ab ἰὸς *venenum*, ab ἡ ἶνος *vena*, ab ἡ ἲς *vis*, &c. Vide *Video*. Κατὰ μεταφορὰν *ventus* ponitur pro *ostentatione*: vnde *ventosus* pro *tumido ac vano*. vt apud Maronem, XI. Æn.

> ——*An tibi Mauors*
> *Ventosâ in linguâ, pedibúsque fugacibus istis*
> *Semper erit?*

A *ventus* est *ventulus*, vnde *ventilare*. Cicero pro Flacco: *Cuius linguâ, quasi flabello seditionis, illa tum est egentium concio ventilata*, hoc est, *agitata, impulsa*. Appuleius in Apologiâ vtitur pro *exponere ventis calumniarum*. *Qui*, inquit, *nomen tuum pro tribunalibus ventilauit.* Huius compositum *euentilare*. Gloss. Philoxeni: *Euentilata*, ἐκλελικμημένα. Quæ interpretatio recta est, quia *ventilare* dicitur, *qui exercetur armis lusoriis*, quibus *decretoria* opponuntur apud Senecam epist. CXVIII *Quam stultum, inquit, est, cum signum pugnæ acceperis, ventilare?* Quod lucem accipit ex eo quod subiungit: *Remoue ista arma lusoria, decretoriis est opus.* Est igitur *ventilare* vel *euentilare*, id quod Maro dicit, Æn. V.

> ——*Alternaque iactat*
> *Brachia protendens, & verberat ictibus auras.*

VENVSTVS est à *Venus*, vt à *vetus vetustus*, ab *onus onustus*, ab *honus*, siue *honos*, *honestus*, &c. Eius compositum *inuenustus*, quod non solùm *deformem* notat, sed & *infortunatum*; quomodo dixit Terent. Andr.

> *Adeon' hominem inuenustum, aut infelicem quemquam vt ego sum?*

Græcis similiter ἐπαφρόδιτος pro *fortunato* accipitur. Vide quæ de hac *venusti* voce post Nannium scripsere Muretus priorib. in Terentium annotat. Turnebus Aduers. lib. XXII. cap. VIII. & Rob. Titius, lib. IX. Controu. cap. VIII. *Venus* à *veniendo* dicta putatur Ciceroni II. de nat. Deorum: quem secutus Arnobius, lib. III. *Quod*, inquit, *ad cunctos veniat, Venerem cognominatam.* Idem ibi *Veneris* nomen icciico esse ait *nomen libidinis per cuncta animantia diffusa*. Gaspar Schoppius censet, vt *exspectandi*, ita & *veniendi* voces esse inter verba prætexta, & ab significatione isthac *Venerem* accepisse nomen. Vide eum lis lib. IV. Suspect. ep. XXI. Si hoc placeat, erit *Venus* ab ea *veniendi* notione, quâ *venire* dicitur *amica ad amatorem* τῆς συμμίξεως χάριν. Sed quid si *venire* hic idem sit ac βαίνειν, à quo Latinum *venire*, vt suo loco ostendimus? Sanè *βαίνειν*, *inire*, *scire*, de animantibus dicitur *Venerem* exercentibus. Vt *Venus* sit à μίξις. Quod bene conuenit cum Arnobij verbis allatis, quando ait, *Veneris* nomen esse nomen *libidinis*. Ideo non in *A*, sed in *VS* extulere, quia primò non *Deam*, sed *actum Venereum* notat. Et fauet ἀναλογία. Nam vt à *facio facinus*, ita à *venio Venus*. Est ergo vox origine Latina, non à Græcis, non ab Oriente. Nec enim *Dea* alibi vspiam *Veneris* nomine, vel simili, nuncupatur. Dixerit aliquis חן notare non modò *fauorem, misericordiam*, sed quandoque & *oris venustatem*: quæ adeo conuenire *Veneri* visa sit, vt Latini ab ea *venustatem* nominarint: eóque & ab hac *Veneri* nomen indi potuisse. Verùm cogitandum *Veneris* nomen esse primarium: non secundarium. Quæ posterioris sunt generis, ea ab accidente, aut loco, vbi Deus Deave coleretur, similive circumstantiâ, peti solent. At princeps appellatio rem ipsam, hoc est, *munus* siue officium, cui numen præest, exprimere solet. Atqui hoc in *venere* est non *oris pulcritudo*: sed ἡ μίξις. Quare quin *actus venereus* eo propriè signetur, nullus dubito. Sed de isto satis: *venus* etiam dicebatur *talorum iactus*: nempe is (in quo falsus Theodorus Gaza) qui *talos omnes figurâ* exhibebat *diuersâ*, hoc est:

> ——*Steterit cùm vultu nullus eodem!*

vt loquitur Martialis. Caussa nominis est, quòd is iactus propitiâ *Venere* fieri putaretur, vnde & *Venereus* dicebatur. Græcis *Venus* est Ἀφροδίτη. Hoc ex Didymi sententia, à *vita mollicie* nomen accepit, vt sit ab ἁβρός, id est, *mollis*, & δίαιτα, hoc est, *diæta* siue *victus*. Sed passiua magis sententia est, ita

dici

dici ab ἀφρῷ, id est, *spuma*, è qua nata fingitur: quod præter multos gentium scriptores etiam Arnobius tradit in IV.

VEPRES vulgò sic dici putantur, quòd *vi prendant*: iuxta alios, quia βίᾳ πείρουν, id est, *vi penetrent*. Pro vtroque etymo est, quod in MSS optimis crebrò adeò offendas *vipres* pro *vepres*. Aliis placet sic vocari à *ve* hoc est, *male*, aut *valde*, & *presso*, quòd duriter ac vehementer pressent. Sed magis placet quod ad Varronem obseruat Scaliger & Nunnesius quoque amplectitur in Grammatistice) venire ab Æolico βρέπος, pro ἰέπος. Æoles enim nonnunquam verbis à ρ incohantibus præfigunt β, vt ῥάκος βράκος, ῥόδον βρόδον, ῥοδόεις βροδόεις &c. A *vepres* ὑποκοριστικῶς *veprecula* dici ostendit Priscianus isto Ciceronis pro Sextio: *Veprecula extracta nitedula*. Est & vetus adagio apud Pomponium, poëtam antiquum: *Vipera est in veprecula*: de iis qui subitò possunt adferre malum. Allusit Maro in Ecl.

Frigidus, ô pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

A *vepribus* est *vepretum* pro quo *vepreta* in muliebri Scaliger dixisse putat Varronem lib. I de R R cap XXIX. Similiter *myrteta* pro *myrtetum* dixit Plautus Vidularia, vt Priscianus docet lib. IV.

VER nec est à *virendo*, nec à *vertendo*, sed ab Æolico ϝὴρ pro ἦρ, quod ex ἔαρ vel hoc ab ἄω, vnde ἄημι, quia terra denuo verno tempore *emittit*. Varro, lib. IV. de L.L. *Tempus secundum, ver; quod tum virere incipiunt virgulta, ac vertere se tempus anni; nisi quod Iones dicunt ἦρ*. Eius diminutiuum est *verculum*. Μεταφορικῶς ita senex amator *sponsam* appellat apud Plaut. Casinâ, Act. IV Sc. IV. *Ver sacrum* quid sit docebit Petrus Victorius lib. XXXV. Var. lect. cap. XXIII. Strabo vocat ἔαρ ἱερόν, quia cùm Deo voueretur quicquid nasceretur vere proximo, vnius anni prouentus Deo sacrabatur. Eo *vere nati* propriè dicebantur *vernæ*, si credimus Nonio, cuius hæc verba: *Vernas veteres appellabant, qui vere sacro fuerant nati, & habebatur nomen hoc pro vitabili, & maledicto*. Sed melius, meo iudicio, Festus, qui non à *vere sacro*, sed ἁπλῶς a *vere* sic dici putat. *Verna*, inquit, *qui in villis vere nati, quod tempus, duce naturâ, feturæ est*. Deterior autem *vernæ* condicio est quàm *serui*, quia *verna* nascitur *seruus*. Glossæ Philox. *Verna*, οἰκογενής. Gloss Cyr. Οἰκογενής, *verna* Onomast. *verna*, οἰκότριψ. Hinc Plautus. Amphit. Act I Sc. I.

Satius est me queri illo modo seruitutem, hodie
Qui fuerim liber, eum nunc potuit pater
Seruitutis: hic qui verna natus est, queritur.

Val. Max. lib. III. cap. IV. *Vernam huic vrbi natum regem dando*. Adamantius Martyr apud Cassiodorum & Beda lib. de Orthographia, iubent *berna* scribere per *B*, sed id eiusdem est notæ ac *berbena*, & quædam alia apud eosdem. A *verna* est *vernalis* & *vernilis*. Onomast. *Vernalis*, οἰκογενικός. Idem, *Vernilis*, δουλικός. *Vernalis* etiam apud Papiam habes. Indéque & *vernaliter* & *verniliter* dicimus: Horat. lib II. Sat VI.

———Nec non vernaliter ipsis
Fungitur officiis.

Apud Nonium similiter *vernaliter* scriptum. Eandémque vocem habet MSS Puteani Seneca lib. II. de Benefic. cap. XI vbi Muretus *verniliter*, alij *venaliter* legunt Nec analogia repugnat. Nam similiter & *iuuenalis* & *iuuenilis* dicimus. Quare non audiendus Mar Mattius qui lib. III. Opin. c. XXII. à *verna* iubet dicere *verniliter*, quia à *scurra* est *scurriliter*. Interea fatemur *vernilis* magis esse vsitatum. Sic apud Tacitum lib. XIX. legas: *Vernile dictum omnem inuidiam in eum vertit, tanquam signum incendendæ Cremonæ dedisset, quæ iam flagrabat*. Vbi *vernile* est *scurrile*, quia *seruos vernas ad contumeliosas argutias erudiebant*. Vnde Seneca. lib in sap. non cad. iniur. *Pueros in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, & sub magistro habent, qui probra meditatè effundunt: nec has contumelias vocamus, sed argutias*. Et eodem libro: *Eadem caussa est, cur nos mancipiorum vrbanitas in dominos contumeliosa delectet, quorum audacia ita demum sibi in conuiuas ius facit, si cœpit à domino*. Et lib. de prouidentiâ cap. I. *Cogita filiorum nos modestiâ delectari, vernularum licentia, illos tristiori disciplinâ contineri, horum ali audaciam*. Eodem pertinet illud Martialis lib. X. ep III.

Vernaculorum dicta, sordidum dentem.

Vbi *vernaculus* ponitur pro *verna*, aut ἁπλῶς pro *mancipio*. Similiter *vernaculum* libero opponit Ambrosius, lib. VII. epist. *Minùs enim vile putatur seruire libero: geminatur autem seruitus, vbi seruitur vernaculis*. Quia autem *vernæ domi nascuntur*, indè est, quòd *vernacula* dicuntur quæ *domestica* sunt, ac vel *nobiscum nata* vel *nobis domi nata*. Varro. lib. IV. de L.L. *Aquatilium vocabula animalium partim sunt vernacula, partim peregrina*. Idem, lib. III. de R.R. cap. V. *Præterea volucres, cùm partim aduenæ sint, vt hirundines & grues: partim vernacula, vt gallinæ ac columbæ*. Similiter Columella in gallinaceis probat *fœcunditatem vernaculam*, hoc est, *nostratium & domesticorum gallorum*. A *vernus* quoque est *vernare*: vnde *vernatio*, quomodo vocatur, cùm *alius serpentis corium vere nouo* (interdum & *autumno*, vt Aristoteles testatur,) *exuentis*, tum etiam *ipsum serpentis corium*, quod aliàs *senectus*, Græcis λεβηρίς, & γῆρας dicitur.

VERARE à *verus*. Est enim *verum dicere*. Ennius:

Satin' vates verant ætate in agundâ.

Hinc Appuleius IX. Miles. sagas vocat *veratrices*, eâdem nempe ratione, quâ Belgæ eas appellant *waersegsters*. Nempe vt à *victum* est *victrix*, ab *vltum vltrix*, sic à *veratum veratrix*. Scaliger tamen in Ciris malit apud Appuleium legere *vaticinatricem*. Idem monet à *verare* helleborum dici *veratrum*, quòd nempe eo purgarentur *veratores*, & *veratrices*, qui pro insanis habebantur. Perottus *veratrum* dictum voluit, quia *vertat mentem*; quod ineptum planè. Ac ineptius in Catholico Ioa. Genuensis, quòd *vires habeat*: Quo Isidorus respexerit, minùs apertum. Sic ille, lib. XVII. cap. IX. *Veratrum dicunt pro eo, quod sumtum mentem motam in sanitatem reducit*. De *veratro* sic Plinius, lib. XXV. cap. V. *Candidum purgat vomitione, causásque morborum extrahit, quondam terribile, postea tam promiscuum, vt plerique studiorum gratiâ ad prouidenda acrius quæ commentabantur, sumsitauerint*. Notum de Carneade, qui solitus *veratro* purgari quoties illi negotium erat futurum cum Zenone Stoico. Itaque & Persio *Ilias Attii* dicitur *veratro plena*, quasi eam non scripserit naturæ munere, quod felicis poëtæ erat, sed ad scriptionem eius indiguerit multâ *veratri* potione

VERBASCVM vel ita dicitur, quasi *barbascum*, eâdem de caussâ, ob quam vulgò vocatur *thapsus barbatus*: vel quasi *vrascum*, vt Græcis vocatur φλόμος a φλέγω, *vro*: vel potius à *verbena*, de qua nunc dicemus.

VERBENARVM de voce sic Seruius, ad illud XII. Æn.

———Verbenâ tempora vincti:

Verbena propriè est herba sacra, ros marinus, vt multi volunt, id est, λιβανωτὶς sumta de loco sacro Capitolij, quâ coronabantur Feciales & Paterpatratus fœdera facturi, vel bella indicturi. Abusiuè tamen verbenas iam vocamus omnes frondes sacratas, vt est laurus, oliua, vel myrtus. Terentius:

Ex arâ sume hinc verbenas.

Nam myrtum fuisse Menander testatur, de quo Terentius transtulit. Sic lego eum locum in Seruio Danielis. Nam *Licitagone* planè corruptum ex *Libanotis*, próque *ros maximus*, *ros marinus* legi cùm vox λιβανωτὶς satis indicat, tum etiam fidem fecerit hic eiusdem scriptoris locus ad illud Ecl VIII. *Verbena dicuntur virgulta, quæ semper virent, iucundi odoris. Alij verbenas virgulta religioni apta. Alij propriè oliuarum ramos, nam ideo & pingues ait, quamuis hoc & de palmâ & de lauro dici possit. Alij rorem marinum dicunt. omnia tamen hæc à viriditate verbena appellantur*. Sed quod *verbenas* à *viriditate* sic dici ait Seruius, in eo non conuenit ei cum Donato vel Acrone. Nam Donatus, ad Andr. Act. IV III. *Verbena*, inquit, *quasi herbena, redimicula sunt ararum*. Acro autem ad Od. XI. lib. IV *Verbena*, inquit, *sunt omnes herbæ frondésque festæ ad aras coronandas, dicta quasi herbena*. Nempè spiritus asper mutabitur in *V* consonum, quomodo pro *Henetis Venetos*, & ἀπὸ τοῦ ἑσπέρα *vesperum* dicimus. Ioannis Genuensis ratio hîc habenda non est, qui in Catholico *verbena* dici ait, quasi *Veneris vena*. Quod autem veteres ipsi tantopere digladiati sint super *verbenarum* voce. vt ex posteriori Seruij loco discimus id non aliâ de caussâ factum puto, quàm quòd viderent vocem eam ab antiquis tribui rebus diuersis. Sed reuerà nullus inter eos est dissensus, quia latè adeò vox hæc patet, vt *ramos, virgas frondésque omnes sacrarum arborum*, vt *lauri, oliuæ, myrti*, atque adeò *herbas omnes ex puro loco decerptas* complectatur. Quare etsi de *myrti frondibus* vsurpârat Terentius, non dubitat tamen Plinius dicere, id esse *sacri graminis genus*. Ita enim ille, lib. XXII. cap. II. *Non aliunde sagmina in remediis publicis fuere, & in sacris legationibúsque verbena. Certè vtroque nomine idem significatur, hoc est, gramen ex arce cum suâ terrâ euulsum: ac semper & legati, cùm ad hostes, clarigatúmque mitterentur, id est, res raptas clarè repetitum, vnus vtique verbenarius vocabatur*. Quibus ex verbis etiam discimus primarium vsum *verbenarum*, siue ἱερᾶς βοτάνης, vt Dioscorides aliique appellant. Sed præter eum alium quoque fuisse, discere possumus ex eodem scriptore, lib. XXV. cap. IX. Verba Plinij apponam: *Nulla tamen Romana nobilitatis plus habet quàm hierabotane. Aliqui peristereon, nostri verbenacam vocant. hæc est quam legatos ferre ad hostes indicauimus. hac Iouis mensa verritur, domus purgantur lustrantúrque*.

VERBERA (vt Isidorus lib. V. cap. vlt. ait,) quia cùm *agitantur*,

aërem verberant. Verberant aëra, sed magis corpus vapulantis. Meliùs dixisset, *verbera* & *verbero* esse à *ferio*. Sæpe enim F & V consonum commutantur. Et videtur eò allusisse Ambrosius, cùm lib I. Off. cap. VIII. ait: *Ne vnquam pateret mihi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos.* Sed cum Salmasio dicamus, *verber* esse ab Æolico βέρεϝος pro δέρος. Æoles enim mutant δ in β, quos Latini imitantur: vnde *dis, bis*; κλάδον, *clava*. A *verber* est *verbero*: vnde frequentatiuum *verberito*, quo Cato vsus, teste Festo.

VERBVM quamquam angustè ferè accipitur, vt *nomini* opponatur; tamen naturâ suâ latiùs patet. vnde & *verba alicui dari* dicimus: *orationem* intelligentes. Idem confirmat ἐτυμολογία, quia ex eo dictum, quòd *illo verberetur aër*. Ita Scaliger, lib. V. de caussis L. L. & multò antè eum Priscianus, initio lib. VIII. Item Isidor. lib. I. cap. VIII. *Verbum dictum eò quòd verberato aëre sonet.* Idem sensit P. Consentius, de verbo: *Propterea verba appellata sunt, quoniam scilicet oratio fieri non possit, nisi aëre verberato.* Et Adamantius Martyrius apud Cassiodorum de Orthogr. iccirco potiùs per B quam per V in secundâ scribi ait. Stabilit hanc ἐτυμολογίαν, quòd Plautus Amphitry. dicat Mercurij aures voce verberari: itémque illud Ausonij ad Tetradium: *Auresque sermo verberet.* Imo & *verbera* pro *verbis* posuit Priscianus, in Periegesi:

> *Psittacus hic viridis decoratus torque rubenti*
> *Nascitur, humanæ simulat qui verbera linguæ.*

Fortasse tamen verius est, *verbum* venire ab ἐρῶ, *dico*. Nam spiritus crebrò mutatur in V consonum, vt ἧ, *vu*, &c. Vel à דבר, hoc est, *verbum*, truncatâ priori syllabâ. Nam B abire in V sæpius ostendimus. Porrò eò quòd *verbis* siue *sermone aëra verberare* dicimus, fides fit emendationi nostræ loci cuiusdam Ambrosiani, lib. de Helia & ieiunio cap XVIII. *spectat corona adolescentum, & fit miserabile theatrum, inter saltantium ruinas, & spectantium lapsum: cælum impuro contaminatur adspectu terra turpi saltatione polluitur, quæ obscœnis cantibus verberatur.* Nam pro *quæ* legendum citra dubium *aër*.

VEREDVS est *equus cursus publici*: quod etiam Procopius indicat, lib. II. de bello Persico: ὅσοι ἐν τοῖς τοῦ δημοσίου ὀχήματος, ὡς δὴ βερέδους καλοῦσι Ῥωμαῖοι. *Equus* iste olim *vehicularius* fuit: vnde & *veredo* nomen. Nam conflatum ex Latino *veho*, & Gallico *reda*, siue, vt alij scripsere, *rheda*: quomodo & *verheaus* cum spiritu scribitur in Pandectis Florent. l. vlt. ff. de mun. Etymon hoc verius adfert Festus *Veredos antiqui dixerunt quòd veherent redas, id est, ducerent.* Eadem verba legas apud Isidorum, lib. XII. cap. I. Sed addit is, vel dici sic, *quod vias publicas currant, per quas & redas ire solitum erat.* Sed vera est Festi sententia. Antiquis enim cursoribus *cursus publicus* erat *vehicularis*. quod indicat hic locus Suetonij in Augusto cap. XLIX. *Et quo celeriùs ac sub manum annunciari cognoscique posset, quid in prouinciâ quaque gereretur, iuuenes primò modicis interuallis per militares vias, dehinc vehicula disposuit.* Iuuat & Symmachus, lib X. epist. XXXVII. *Licet vehiculo publico cum cæteris, quæ ex more mittuntur, omnia necesse sit rursus ad serenitatis vestræ notitiam peruenire.* Ammianus Marcell. lib. XIV. *Decem vehiculis publicis, vt præceptum est, vsus, relicto palatio omni celebrare gradum compellebatur.* Idem *publicum hunc cursum* iccirco *rem vehicularem* vocat circa finem eiusce libri: item in fine lib. XXI. Ac Iulius Capitolinus similiter in Antonino Pio appellat *vehicularium cursum*. Sed & eapse de caussa *reda cursualis* vocatur, l. IX. C. Th. de legatis: ac *quadriga* itidē dicitur l. V. C. eodem de curiosis. quemadmodum & *fiscalis reda* appellatur à Sulpicio Seuero, Dialog. II. cap. IV. Hæc fusiùs prosequi operæ putaui, quia quorundam opinio est, *veredum* fuisse *equum sine vehiculo*, eoque *veredum* non quasi *veheredum*, sed quasi *vehedum* dictum videri. Nempe in errorem hunc eos duxit, quòd posteriori æuo etiam *equis singulis ad publicum cursum* vti soleant: quæ res fecit, vt his etiam *veredorum* nomen sit tributum. Martialis, lib. XII. ep XIV. ad Priscum venatorem:

> *Parcius vtaris moneo rapiente veredo,*
> *Prisce, nec in lepores tam violentus eas.*
> *Sæpe satisfecit prædæ venator & acri*
> *Decidit excussus, nec rediturus, equo.*

Similitérque vsus Ausonius epist. II.

> *Vel celerem mannum, vel rapidum terga veredum*
> *Conscendas, properè dummodo iam venias.*

Et Epist. VIII.

> *Sed cisium aut pigrum cautus conscende veredum.*
> *Non tibi sit reda, non amor acris equi.*

A *veredus* est *veredarius*, nuncius publicus, qui equis certo loco positis (vnde Itali. Celtæ, Belgæ. Hisp. aut *postam* appellant) maxima quam celerrimè itinera conficit. Hinc locus Paulini initio epist. IX. ad Seuer. *Vector epistolarum nostrarum veredarius pedes, aut bipes veredus.* Vsi eapse voce Firmicus, Sidonius, Symmachus, Cassiodorus, alij, quos recensere longum sit. Solum veteris Glossographi de eo verba ponam, licet iam ab aliis ante nos non semel adducta: *Veredarij dicuntur à vehendo, quia festinantes in equis currunt, nec descendunt de equis, antequam sua responsa liberent. Habent pennas in capite, vnde intelligitur festinatio itineris, daturque eis semper equus paratus: non manducant nisi super equos, quando proficiscuntur.* Vbi notandus ritus antiquus, quo nuncios ait fuisse πτεροφόρους, in quo illi imitari Mercurium Deorum nuncium. Huiusmodi nuncios πτεροφόρους quoque appellat Plutarchus in vitâ Othonis. A *veredus* etiam est *paraveredus*, quorum meminit lex II. & lib. XII. Codic de cursu publ. lib. XII. lex. III. Cod. de excus. muner. lib. X lex II. Cod. de præpos. sacr. cubic. lib. XII. lex III. C. de silentiar. lib XII. & Cassiodorus, lib. II. Var. epist. ad Gaudiosum; & lib. V. epist. ad Ampelium. In eius autem vocis enarratione non tam Alciatum vel Budæum sequor, quàm Cujacium, qui ad rubr. Cod. de cursu publ. ait, *paraveredos dici maiores equos agminales*, quos posteriores corruptè *parafredos* vocarunt, vt in lege Baiuuariorum, *Parafredos*, inquit, *donent, aut ipsi vadant, vbi eis iniunctum fuerit.* Similiter vocat VVilhelmus Tyrius, belli sacri lib. XIII. cap. XXVII. Estque ea equorum appellatio hodiè communis, Italis, Gallis, Hispanis.

VEREOR est à *ve*, id est, *valde*, & *reor*: quod etymon confirmatur sermone Germano-Belgico. Dicimus enim, *Ik ben beducht, dat het qualyck lucken sal*, hoc est, *vereor, ne res male cadat.* At *beducht* dicitur quasi *bedacht*, vt *bedacht zyn*, si etymon spectes, idem sit, quod *cogitare* aut *perpendere*. Alterum quoque etymon, sed mire incertum, & modulo syllabæ aduersans, apud Perottum inuenio. Nam censet is *vereor* dici à *vere*, *quoniam timentes pericula ea, quæ proximo vere nascerentur, immolaturos se vouebant.* Respicit autem consuetudinem veterum, qui in magnis periculis vouebant, sese omnia animalia immolaturos, quæ proximo vere nascerentur: de quo plura Festus in *Ver sacrum*. Sed hoc etymon probare minimè possum. Quare vel erit ex *ve* & *reor*, vt dixi: quod & Scaligero placuit aduersus Cardanum: vel (vt visum Martinio) ab Hebræo ירא, quod est *vereri*. Sanè & Arabes י in ו mutant crebrò. A *vereor* est *verecundus*, vt à *iuuo iucundus*. Differunt *verecundia* & *timor*, *vereri* & *timere*. Nam *veretur liber*, *metuit seruus*. Vt scribit Donatus, Andr. III. II. coniungit hæc duo Plautus prologo Amphitryonis:

> ———*Quippe qui intellexerat*
> *Vereri vos se, & metuere, ita vt æquum est Iouem.*

Nempe *vereri*, vt patrem; *metuere*, vt maximum & potentissimum. Differt & *verecundia* à *pudore*. Nam *pudor* est mali facti, *verecundia* recti & honesti; vt ait item Donatus, qui tamen discrimen id negligi fatetur ab ipso Terentio And. A. IV. Sc. I. A *vereor* est *veretrum*, Isidorus, lib. XI. dici ait vel à *viro*, cuius proprium: vel à *viris*, quod eò emittitur. Sed omnino est à *vereor veretrum*; vt à *ruo* siue *rutum* est *rutrum*; ab *aro* siue *aratum aratrum*. Nempe *penem* eâ ratione *veretrum* dixere, quâ & *verenda* nominamus. Nam *veretrum*, τὸ αἰδοῖον, vt explicant Glossæ Philoxeni: τὸ μόριον, vt eâdem mente interpretatur Adamantius Martyrius apud Cassiodorum de Orthogr. Eius diminutiuum est *veretilla*. Appul. Apol. *Duo hæc marina, Veretillum, & Virginal*, &c. Sermo est de piscibus idem nomen habentibus, quod in homine partes, quibus sexus discernitur. A *veretro* & *asinus* erit *veretrasinus*: si recta, vt censeo, correctio Isaaci Casauboni apud Capitolinum in Marco, vbi vulgo *veterasinus*. *Veretrasinus* erit, cuius αἰδοῖον ὡς ὄνου, quod legendi genus est apud Ezechielem, cap. XXIII. Indéque ὄνοι & *aselli* impuri istiusmodi homines, apud Iuuenalem & alios. Idem Casaubonus censet in veteribus Glossis Iuuenalis legendum *veretillopota*, vbi vulgo *drillopota*. Quamquam nec *drillopota* improbat, quod à δρῖλος erit, vt illud à *veretro*. Verba poetæ sunt Sat II.

> ———*Vitreo bibit ille Priapo.*

Vbi sic Scholiastes: *In vitreum penem, quos appellant drillopota.* Ego summi viri pace omnino vulgatam lectionem retinendam puto. Nam δρῖλος est *Priapus*, siue *veretrum*. vnde in vett. Gloss. Philoxeni legas: *Verpus*, δρῖλος, καὶ ὁ μόριος ἀπηρτημένος τὴν χεῖρα, καὶ ὁ λειπόδερμος. Hinc igitur δριλοποτ. *pocula drili seu veretri figurâ* Sed hac de re etiam in *Verpus* offeret se dicendi occasio. Commodus, vt apud Capitolinum legitur, istiusmodi vasa vocabat *phallouitrobolos*, vel potiùs, vt idem Casaubonus corrigit, *phallouitrobolos*, aut *phalloueretrobolos*. Si prius placet, erit ea vox conflata ex *phallus*, *vitrum*, & *bolus*. *Bolus* autem hic notat τὸ αἰδοῖον, nempe à Græco βόλος, quasi

quod

quòd sit *rigidum obsceni Dei telum.* Ἀνδῶς pro *telo* inter alios infimi ævi scriptores vsus Luithprandus Ticinensis, lib. II. *Versi terga ceu in fugam Hungari directu acriter belu plurimos sternunt.* Nec obstat, quò minùs à *vitro* nomen sortiatur, quod huiusmodi *pocula* etiam fierent ex *auro, argento, vitro, aut citro.* Nam quemadmodum *pyxidem ferream* legimus apud Plinium, etsi propriè *buxea* sit; vt etymon indicat, & Fabius testatur: ita & *phallovitrobolum* dici potuit, quia primo ex *vitro* fieri soleat. quod superior Iuuenalis locus indicat. Si tamen sententia hæc displicet, licet sequare alteram eius viri coniecturam, vt ex coniunctis tribus hisce synonymis *phallus, veretrum* & *bolus*, fiat *phalloveretrobolum*; idque ad maiorem obscœnitatem.

VERGO nunc absolutè, nunc actiuè sumi diximus in libris de Arte. Parque ratio in compositis *immergo, deuergo, euergo.* Erat autem *vergo* sacrorum verbum, vbi notabat *fundo*, quomodo, sed extra sacra, Lucretius accipit in v. versu MVII.

Illi imprudentes ipsi sibi sæpe venena
Vergebant.

Sic *inuergere* pro *infundere.* Maro, VI. Æn.

——*Frontique inuergit vina sacerdos.*

Quem in locum ita scribit Seruius: *Fundere est supinâ manu libare, quod fit in sacris supernis. Vergere autem est conuersa in sinistram partem manu ita fundere, vt patera conuertatur quod in infernis sacris fit.* Vnde videri possit, *vergo* esse à *verto.* A notione illa *vergendi*, quam diximus, Itali *versare*, Galli *verser* dicunt pro *infundere.* Quòd si hæc *vergendi* notio non videatur propria, vide an magis placeat, vt *vergo* propriè sumatur pro *deorsum ago*: & absolutè pro *deorsum feror.* Quod si est, conflatum videatur ex ἔρα, *terra*; siue ἔραζε, *terram versus, deorsum,* & ἄγω vel ἄγομαι, *ago, agor, feror.* Sed maximè placet esse à ῥέπω, quod idem notat. G insertum, quomodo à γείνομαι est γίγνομαι à *geno, gigno*; à πολλοί, *vulgus*, &c. A *vergo* est *diuergium*, vbi amnis in *diuersum vergit.* Vtitur præter alios Frontinus.

VERMINA quid sint, docet Festus: *Vermina dicuntur dolores corporis cum quodam minuto motu, quasi à vermibus scindatur. Hic dolor Græcè στρόφος dicitur. Vermina* igitur signat Cornelius Celsus, cùm lib. II. cap. VII. de signis aquæ intercutis loquens, ait: *Eiusdem morbi nota est, vbi circa vmbilicum intestina torquentur (στρόφους Græci vocant) coxæque dolores manent.* Ex quibus Celsi verbis patet, cur eundem morbum Plinius & alij appellent *tormina.* Dicitur autem *vermen* à *vertendo.* vt Græcis, quemadmodum vidimus, στρόφος vocatur à στρέφω, *verto.* Vt à supino *stratum stramen*; à *notum nomen*; à *fulsum fulmen*: sic à *versum vermen.* Videntur & antiqui *vermen* dixisse pro *vermis*, vt *sanguen* pro *sanguis.* Lucretius, lib. V.

Donicum eos vitâ priuarant vermina sæua
Expertis opis, ignaros quid vulnera vellent.

Vt sententia sit, vulneribus putrescentibus ob medicinæ inscientiam, *vermes* indè enatos esse. Ab hac significatione est, quòd *verminare* dicitur pro *vermibus infestari.* Gloss. *Verminat*, σκωληκιᾷ. Gloss. Cyr. Σκωληκιάσις, *verminata.* Nisi legendum, Σκωλήκωσις, *verminatio.* Seneca, lib. II. natur. quæst. cap. XXXI. *In venenatis corporibus vermis non nascitur: Fulminata intra paucos dies verminant.* At ab alterâ *verminum* significatione est *verminare* pro *tormina pati.* Sic, Nonio teste, dixit Pomponius Heruca Pappi:

Decumus mensis est, cùm factum est: ita fit, ita semper solet.
Decumo mense demum turgens verminatur, parturit.

Interdum autem non de *ventris torminibus*, sed generatim pro *torqueri ac cruciari* accipitur: vt apud Martialem, lib. XIV. ep. XXIII. vbi lemma, *Auriscalpium*:

Si tibi morosa prurigine verminat auris,
Arma damus tantis apta libidinibus.

Scio, & hic *verminare* à Perotto exponi *vermibus infestari.* sed cùm aurium *verminantium* morbus non auriscalpio curandus sit, sed curâ egeat grauiori, vti Celsus & Plinius docent: rectiùs hic ἁπλῶς accipi dicamus pro *torqueri, cruciari, vexari.* Ita & Seneca *verminationis* voce vsus, epist. LXXVIII. *Sic podagra & chiragra & omnis vertebrarum dolor, neruorùmque interquiescit, cùm illa quæ torquebat, hebetauit: omnium istorum prima verminatio vexat, impetus morâ extinguitur, & finis dolendi est obtorpuisse.*

VERMIS Perotto est à *verto*, quia sese vertendo, hoc est, torquendo repit. Malim ab ἕρπω, *repo*, vnde ἀναλόγως fieret ἕρμις. Vel ab εἴρω, *traho*, vnde εἰρμός, *tractus.* Neutrum tamen satisfacit. Planè autem venire censeo, ab Æolico Ϝέλμινς pro ἕλμινς, siue ἕλμινξ, id est, *lumbricus.* At ἕλμινς à רמש, hoc est, *reptile.* A *vermis* est *vermiculus*, vnde *vermiculari*, quo Plinius & alij de arborib. cæterisque plantis vsi, cùm ex iis *vermiculi enascuntur.* Onomasticon: *Vermiculor*, σκωληκίζομαι. Hinc & *vermiculata* dicuntur opera *tessellata*, quia minutis *tessellis*, quasi *vermiculis*, sint variegata distinctáque. Calcatum illud Lucilij.

Quam lepide lexeis compostæ, vt tesserulæ omnes
Arte pauimenti, atque emblemate vermiculato.

VERPVS pro *medio digito* Perotto, ac Tiraquello quoque notis ad Alexandrum Neapolitanum, sic dici videtur à *verrendo podice.* Ac quia hoc vtuntur ad eam rem Iudæi, indè hos quoque *verpos* idem Perottus nominari censet. Aliis placet sic vocari Iudæos à *versâ pelle*, quia recutiti. Sed sunt hæc planè insulsa. Nam Iudæi quidem ita appellantur, quia recutiti, verùm à *verpa* seu *virili membro*, quomodo *verpa* vocabulo vsi Catullus, Martialis, & auctor carminis Ithyphallici. Nec absurdè, quibus *verpam* dici placet ab ἕρπω, quia referat *lumbricum. Medius* verò *digitus* appellatus est *verpus*, quia si solus extentur, reliquis digitis compressis, referat *verpam* siue *veretrum.* Atque hinc quoque liquet, cur hoc digito monstrarentur molles & effeminati; quomodo Diogenes monstrabat Demosthenem, qui ob mollitiem malè audiebat, eáque de causâ βάταλος ab Æschine cognominabatur. Ea quoque consuetudo veterum caussam præbuit appellationi, quâ *idem digitus* dictus *infamis*, ac *impudicus*: vt quo monstrari soleant infames, quemadmodum diximus. Porro Hadr. Iunius in Nomenclatore suo *verpum* scribit pro *verpa*, eodémque modo accipit Iulius Scaliger libris de caussis L. L. cap. XXVIII. Et sanè fauent Glossæ Philoxeni, in quibus legas: *Verpus*, δεῖλος, καὶ ὁ μέσος δάκτυλος ὁ χειρὸς λέγεται, καὶ ὁ λωποδύτης. Nam δρῖλος *lumbricus*, & μεταφορικῶς *veretrum*, quomodo & *verpa* seu *verpus* ab ἕρπω, vt dicebamus. Ad δρῖλος proximè accedit Belgicum *trul*, quod idem notat. A δρῖλος & πίνω siue *bibo pocula veretri figuram habentia* dixerunt *drillopotas*: quod clarè ostendit vetus Iuuenalis Scholiastes ad illud sat. II.

——*Vitreo bibit ille Priapo.*

Vbi sic scribit: *In vitreum penem, quos appellant drillopotas.* Malè meo iudicio lectionem hanc immutatum it vir summus Is. Casaubonus in notis ad scriptores Historiæ Augustæ.

VERRES, *porcus* est *non castratus*, qui postquam *castratus*, *maialis* dicitur. Neque enim audiendi viri eruditi, eósque inter Iustus Lipsius, qui, lib. II. Var. Lect. cap. XVII. *verrem* Latinis dici ait, *porcum genitalibus membris infectis.* Verisimile est eos deceptos esse loco Plutarchi, in Ciceronis vitâ: vbi etiam in optimis editt. legas: Βέῤῥην γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τὸν ἐκτετμημένον χοῖρον καλοῦσι. Nam omnino legendum τὸν μὴ ἐκτετμημένον quod Hadr. Iunius rectè obseruauit, ac clarè comprobatur his Varronis verbis, lib. II. de R. R. cap. IV. *Castrantur verres commodissimè anniculi, vtique ne minores quàm semestres: quo facto nomen mutant, atque è verribus dicuntur maiales.* Quod ad etymon, Isidorus lib. XII. cap. I. *Dictus*, inquit, *verres, quod grandes habeat vires.* Quod omnino ineptum. Quare aliud quærendum. Si *verres* esset, quod Lipsius putabat, dici posset sic dici à *versâ* naturâ; eâ nempe ratione quâ Varroni inde *veruex* dici videtur, vt suo loco dicemus. Nunc verisimilius est *verres* quasi *verpes* dici à *verpa*, seu *genitali*: quo pollet Aristophanes Grammaticus apud Eustathium: τῶν συῶν οἱ μὲν τέλειοι καὶ ἀνέχοντες κάπροι· οἱ δὲ πίονες αὐτῶν, σιαλοί. Vbi κάπρος non *aprum* notat, (nam hic inter sues refertur) sed *porcum non castratum.* Similiter Gloss. Phil. *Verres*, κάπρος.

VERRICVLVM siue *euerriculum* est retis genus, vnde Philoxeni Glossæ σαγήνη vertunt. Itaque quod Herodoto & aliis est σαγηνεύειν, id rectè cum Valla transferas *euerriculare.* Idem Valla ἀμφίβληστρον, *euerriculum*, interpretatur: quod vulgatus interpres nunc *sagenam*, nunc generis nomine transfert *rete.* Omninò autem aliud esse ἀμφίβληστρον, docebit eruditus interpres in Notis ad Matth. cap. XIII. *Verriculum* siue *euerriculum* dicitur, quòd *verrat mare*: quomodo Silius Italicus, lib. XIV. vers. CCLXV. dixit:

——*Seu retibus æquor*
Verrere.

Sic enim pro *vertere* scribendum esse, rectè monuit Fr. Modius in Nouantiquis. Etymon hoc confirmat quoque Seruius ad illud I. Æn.

——*verrántque per auras.*

Verrere, inquit, *est trahere, à rete, quod verriculum dicitur.* Vbi putem Seruium scripsisse, *à quo rete verriculum dicitur.* Nonius: *Euerriculum genus est retis piscatorij, à verrendo dictum. vel quòd trahatur, vel quòd siquid fuerit piscium nactum, euerrat.* Idem deinde etymon confirmat Nonius loco Ciceronis Verrinâ quintâ, vbi cùm narrâsset, quomodo *Verres*, sublatis emblematis, pauca Siculis vasa reliquisset, ad nomen

eius alludens, dicit: *Quod vnquam, iudices, huiuscemodi euerriculum vlla in prouincia fuit?*

V E R R O Græcis est σαίρω, & σαρόω. Num ergo *verro* est vel à σαρῶ, vel à ἐρῶ, vt σ aut ε abeat in *V* consonum? Nonius *verro* exponit *traho, ferio*, seu *percutio* & *mundo*. Si propriè est *traho*, vt in illo Maronis,

Quippe ferant rapidi secum verrántque per auras.

Videatur esse à σύρω, vel ἐρύω. Sin *verrere mundo* signet, fuerit ab Hebræo פרר, *mundauit*: vnde פר, κόσμος, *mundus*. Sed puto *verro* propriè sumi, cùm ita accipitur, vt in illo Iuuenal. sat. XIV *Verre pauimentum*. Quare simplicius videtur, si à *verto* deduxeris. Nam *verrentes* vertunt sordes scopis: vnde Belgis *keeren* vtrumque notat, *vertere*, & *verrere*. Confirmat etiam hanc sententiam, quod Latini eadem notione dicunt *auertere*, & *auerruncare*. Conuenit & cum Æolico βέῤῥω seu ἔῤῥω. Quod interdum notat *deleo*, *perdo*: vt ἔῤῥησον, *pereo*.

V E R R V C A, *tuberculum cutis* ex bilioso multo enascens humore ab antiquo *verrunco* videtur nomen sumsisse. Est enim ingratum ac molestum quid, vnde opera datur, vt heliotropio, zacynthâ, aliâve herbâ *verrucariâ*, *auerruncetur*, hoc est, *auertatur*.

V E R S V R Æ vox quin à *vertendo* fit, nemo ambigit. Cæterùm ea vox aliter in agricultura sumitur, aliter in architectura, aliter in mercatura. In aratione *versura* à *boum conuersione* vocatur, vbi sulcus vnus desinit altérque incipit. Græci eodem modo βουστροφὴν vocant, vnde, vt ex Pausaniæ Eliacis & Hesychio discimus, βουστροφηδὸν dixere scripturæ genus, quo cum à sinistrâ dextram versus scripsissent, *versum* proximum à dextra incohabant: siue Hebræorum more secundus quisque *versus* scribi soleat, literarum situ reseruato, sed ordine solùm inuerso: siue *versu* vno absoluto tabellas necesse habuerint conuertere, vt literarum facies esset opposita, haut secus ac in diaulo fit, vbi cùm quis ad metam peruenit, facie diuersâ contrariisque vestigiis ad eundem reuertitur locum, vnde pedem extulerat: qualis item in aratione ratio est, vbi postquam sulcum vnum duxere, bobus & aratro in contrarium *versis*, alterum sulcum in contrarium ducunt. At in architectura *versura* dicitur exterior angulorum in parietibus flexus, quomodo vsus Vitruuius, lib. III. cap. I. Idem lib. V. cap. VI. *versuras* in theatris nominat porticus à scenâ ductas ad theatri cornua. Quid verò in mercaturâ dicatur *versura*, docebit hic locus Donati ad Phorm. act. V. sc. II. *Versuram facere dicitur, qui æs alienum ex ære alieno soluit. Dicitur etiam versuram facere, cum minore fœnore acceptam quis pecuniam maiore occupat.* Et Festus Pompeius: *Versuram facere, mutuam pecuniam sumere, ex eo dictum est, quòd initio, qui mutuabantur ab aliis, non vt domum ferrent, sed aliis soluerent, velut verterent creditorem.* Sanè *vertere* & *versari* sunt mercatorum verba, vnde Plautus Mostell. Act. II. Sc. II.

Is in homo in mercatura vertitur.

hoc est, *versatur*. Indéque *Vertumnus* iuxta Asconium in III. Verr. *Vertumnus*, inquit, *Deus inuertendarum rerum, id est, mercatura*. Quamquam huius nominis aliæ quoque adferantur caussæ: vt constat ex Propertij lib. IV. el. II. Vide & Baptistæ Pij annotat. poster. cap. XXXIII.

V E R S V S à *vertendo*: cuius ratio ex agricultura optimè intelligitur. *Vertere* enim, & *versare*, esse agricolarum voces, satis docebit vnus Maro, cuius illud initio libb. de agricultura:

——— *Quo sidere terram*
Vertere, Mæcenas.

Et aliquantò post: *Fortes inuertant tauri.* Et eodem libro: *Versando terram experti.* Et sæpe alibi. Græcis quoque similiter πολεῖν est *agrum vertere & arare*. Quemadmodum autem agricolæ vomere *vertunt terram*, ac sulcum faciunt, ita in ceris quoque stilo sulcabant scribentes: vnde T. Quintius Atta,

Vertamus ferrum à cera, mucronéque aremus
Osseo.

Et apud Ciceronem, *exarare literas*. Nec dubitari debet, quin singuli scripturæ sulci, ex eo *versuum* nomen acceperint, quod vt agricola vomere solum, sic scriptor stilo, *ceram versat*: ac vt ille in terrâ sulco vno absoluto, vertit aratrum, aliúmque sulcum efficit; sic qui scribit, stilo sinistrorsum *verso* prolatóque nouum in cerâ sulcum ducat. Cùm autem id non minùs in prosâ fiat quàm in carmine, patet *versus* nomen naturâ suâ non minùs solutæ quàm ligatæ orationi conuenire. Vulgò in prosâ *lineam* aut *regulam* appellare solet. Sed hoc loquendi genus Latinum non est. Quippe veteres in pedestri quoque oratione id *versum* dixere. Ita ait Iustinianus procem. de confirmat. Digest. *Hanc eis* (Digestorum siue Pandectarum) *appellationem imponentes, nec vltra quindecim myriadum versuum numerum eis dantes.* Imò Cicero quoque sic locutus epist. XVI. lib. II. ad Att. Eodémque modo non vno loco *versiculi* vocem vsurpat. Sed quia poëtæ *versus* suos certo absoluunt pedum numero, hinc factum vt hi sibi *versus* nomen prope fecerint peculiare. At ipsissimus est eorum error, qui *versum* ex eo dici putant quòd antequam legitimos accipiat numeros, modò hoc, modò illo modo *vertatur*. Errant & illi, qui à *verrendo* deducunt, quia à *verro* etiam, Prisciano teste, dicatur *versus*, vt apud Plautum Pseudol. Act. I. Sc. II.

Versa, sparsa, tersa, strata, lauta, coctáque omnia vti sient:

(ita Diomede præeunte corrigit Valens Acidalius:) & apud Cic. III. Verr. *Etenim quam tu domum, quam vrbem adiisti, quod fanum denique, quod non euersum atque extersum reliqueris?* Similitérque, Diomede teste, Seneca dialogo de superstit. dixit, *versa templa*. Sed vt hæc quidem fatemur, ita negamus à *verrendo versus* esse nomen inditum: nec patrocinatur huic sententiæ Iul. Scaliger, lib. II. de R. Poët. cap. V. nam (quod etiam Becmanus vidit) *vertere* is scripserat, non (prout in vulgatis legitur) *verrere*; vti argumento est, quòd verbum id interpretatur *sulcare*: *versúsque* vult esse *sulcos*, quódque sumtum ait ab agricolis, qui *terram vertere* dicuntur, indéque petitâ tralatione Tullium quoque dixisse *exarare literas*. Quare non est, quod quis summi viri auctoritate spissum adeò errorem deinceps defensum ire pergat. Sed de voce *versus* satis multa.

V E R S V T I & *callidi* originem exponit Tullius, lib. III. de Nat. Deor. *Versutos eos appello, quorum celeriter mens versatur: callidos autem, quorum tanquam manus opere, sic animus vsu concalluit.*

V E R T A G V M esse genus *canis venatici* docet hic locus Iulij Firmici, lib. V. Astron. cap. VIII. *Equorum nutritores, accipitrum, falconum, cæterarúmque auium, quæ ad aucupia pertinent, similiter & canum, molossorum, vertagorum, & qui sunt ad venationes accommodati.* Idem cognoscimus ex Martiale, lib. XIV. ep. CC. vbi lemma *Canis vertagus*: distichon tale:

Non sibi, sed domino venatur vertagus acer,
Illæsum leporem qui tibi dente feret.

Quod ad etymum, Turnebus, lib. XVIII. cap. I. nunc suspicatur non *vertagus* scribendum, sed *vertrahus*, ac sic dici quasi *pertrahus*, quòd *feras trahat*: nunc iudicat etymon quidem id rectum esse, sed *vertagus* tamen, vel *vertragus*, dici debere, abeunte spiritu aspero in g, quomodo *tragula* Grammaticis à *trahendo* dicta videtur. Sed fortasse frustra eius vocis origo in Latio quæritur, planéque ea vox peregrina est, quam quorundam esse opinionem, scribit Cælius Rhodiginus, lib. XVII. cap. XXVIII.

V E R T E X à *verto*. Variè sumitur. Pro *extremo axis*, *circa quem cælum vertitur*, à *vertendo* est, quomodo iunioribus Græcis πόλος & ἀπὸ τοῦ πολεῖν. *Verticis* voce sic vsus Cicero in Phænom. & Maro, I. Georg. Item accipitur pro *aquis in se contortis*; quòd nempe *versantur in gyrum*. Indè accommodatum *capillis*, propter eorum flexum. Ab *homine* autem translatum ad *montium cacumina*. Docere hæc possumus loco Fabij lib. VIII. cap. II. quod est de Perspicuitate, vbi sic scribit: *Secundo modo dicitur proprium inter plura quæ sunt eiusdem nominis, id est, vnde cætera ducta sunt: vt vertex est contorta in se aqua: vel quicquid aliud similiter vertitur. Indè propter flexum capillorum, pars est summa capitis: & ex hoc quod est in montibus eminentissimum. Rectè, inquam, dixeris hæc omnia vertices, propriè tamen, vnde initium sumtum est.* Porrò pro *vertex* veteres dixere *vortex*: vt vel significatione vel origine differre non possint. Aliter, scio, Charisius, cuius hæc verba, lib. I *Vertex à vertendo dicitur, vortex à vorando, & vult Plinius verticem immanem vim impetus habere, vt:*

——— *Ingens à vertice pontus:*

verticem verò circumactionem vndæ esse, vt:

——— *Et rapidus vorat æquore vortex.*

Similiterque Fl. Caper de Orthograph. *Vortex fluminis est, vertex capitis.* Sed rectè Annæus Cornutus, in Collectaneis Cassiodori de Orthographia, duo hæc pro eodem habet. *Vestra*, inquit, *olim ita per O, hodie per E; vt, Aduorsum, aduersum, Peruorsum, peruersum, Votare, vetare, Vortex, vertex, Conuollere, conuellere, Amplectere, amplectere.* Eadem sententia Arusiani Messi in Virgilianarum locutionum exemplis, vbi is quoque non aliter differre vult, quàm *vulnus* & *volnus*. Neque distinguunt Glossæ Philoxeni, in quibus quadruplicem eius vocis significationem legas: *Vertex*, ἰλιγξ ὑδάτων. *Vertex*, *montis* ἀκρα ὄρους ἀνάβασις. *Vertices*, ἄκραι ὀρῶν. *Vertices*, κεφαλῆς κορυφαί. Pierius quoque in Castigationibus Virgilianis testatur promiscuè ea vsurpari in vett. libb. Sed omnium

argu

argumentorum illud fortissimum quod Fabius Quinctilianus scribit, Scipionem Africanum primum in *vortices*, & *vorsus*, o literam vertisse in E.

VERTO Perotto dici videtur à *vere*, quia *vere* annus incipit *verti*. Contra Varro, lib. IV. de L.L. *Tempus secundum Ver, quod tum virere incipiunt virgulta, ac vertere se tempus anni, nisi quòd Iones dicunt* βῆρ. Sed *Ver* quidem patet esse à ἦρ siue ἔαρ. Vnde autem *verto* dicatur, non æquè manifestum est. Iuxta nonnullos non tam *veru* & *verro*, sunt à *verto*, quàm hoc ab illorum alterutro. Alij coniectant esse à *varus*, hoc est *flexus curuus*, vt dicatur quasi *varto*. Mihi necdum aliquid verisimilius occurrit, quam quod Nunnesio etiam in Grammatistice placuit. Nempe vt τὸ [illegible] fiat à τρέπω, *verto*, π etiam conuerso in *v* consonum: quomodo à [illegible] est *vaticus*, à *pater* nostrum *vader*. A *verto* est *vertex*, de quo pluribus seorsim. A *verto* quoque est *vertigo*, vt à *prurio prurigo*, ab *imitor imitago*, & τὸ [illegible] *imago*, &c. Quid sit *vertigo*, Isidorus dicet, lib. IV. cap. VII. A *vertigo* est *vertiginare*, quod est *circumferri*. Vsus Tertullianus, cap. III. de Pallio. A *vertendo* etiam dictæ *vertebræ*, [illegible], vt Glossæ Philox interpretantur. Nempe quia *vertebrarum* beneficio homo se *vertere* flecteréque possit. Ab eadem origine dictæ *verticula*, quomodo *articulos* à Lucillio vocari scribit Festus. Non tamen soli ita *articuli* dicuntur, sed etiam *spondili spinæ*. Quod indicant hi Lucillij versus apud Nonium in genu:

Huius verticulus adfixum in posteriore

Parte atque articulis vt nobis talu' genúsque.

Item *verticulum*, & [illegible] *verticillum*, quomodo Plinius nominat instrumentum, quod fuso adhibetur vt facilius *vertatur*. Onomasticon: *Verticulum*, [illegible]. Gloss. Philox. *Verticulum*, [illegible]. Ab eodem est *Vertumnus*: vt mox dicam. Et hæc quidem *T* retinent. Sunt alia plurima, quæ à supino descendant. Tale est *verso*, quod propriè de piscibus dicitur, quando assantur. Vide Turnebum, lib. XI. cap. VII. & lib. XXV. cap. XXIX. Item *versus* & *versura*, de quibus quia plusculа dicenda sint seorsim potiùs agam. Adhæc *versutus*, πολύτροπος, ποικιλόφρων, vt Glossæ Philoxeni exponunt. [illegible], vt in in Glossis Cyr. Nempe quia nouit *versare* dolos, séque *vertere* omnes in facies: vt loquar cum Marone. Cicero III. de natur. Deor. *Versutos eos appello, quorum celeriter mens versatur.* Festus: *Versuti dicuntur, quorum mentes crebrò ad malitiam vertuntur.* Etymon respexit Plautus, Epid.

Versutior est, quàm rota figularis.

Siniléque hoc Capt.

Vtroque versum rectum est ingenium meum, ad te, atque ad illum, pro rota vti me licet.

A *versum* quoque est deponens *versor*, & *conuersor*, quomodo Belgicè τῷ λίξῳ dicunt *met yemant verkeeren.* Hinc *versabundus*. Vitruuius, lib. IX. cap VII. *Circa meridianum cardinem, qui est propter inclinationem mundi subiectus terræ, sidera versabunda latentiaque non habent egressus orientes supra terram.* Ab eodem est *versorium*: Vnde *versoria* pro pede veli, hoc est, funiculo, quo extremus veli angulus religatur. Hinc apud Plautum Trinummo & Mercatore legimus, *Cape versoriam*: quod est, tene pedem veli. *Versoriam* dixere, quia prout hæc manu tenetur, ita velum profertur vertitúrque. Vide quæ in *Pes* diximus. Neutiquam verò audiendi, qui *versoriam* putant vocari instrumentum simile pyxidiculæ, cuius beneficio nautæ ad polos diriguntur: quam in Campania Amalphus non multis retro seculis inuenisse dicitur. Hanc interpretationem legere est apud Philandrum, Alciatum, Gyraldum; ante quos omnes eam attulit Hermolaus Barbarus in Glossis Plinianis: atque ante eum Blondus. Postremo loco addamus aliquot à *verto* composita. Huiusmodi est *versicolor*: quomodo vocatur, quod diuersorum est colorum. Gloss. Philox. *Versicoloria*, [illegible]. Propriè autem hoc nomen merentur, quæ versione sua varium oculis colorem ostendunt. Donatus, in X. Æn. *Versicolor est, quæ, dum vertitur, mutat colorem.* Tertull. lib. de Pallio, cap. III. vbi de pauone loquens: *Omni*, inquit, *syrmate solutior, quà cauda iacent, multicolor, & discolor, & versicolor, nunquam ipsa, semper alia, etsi semper ipsa quando alia, toties denique mutanda, quoties mouenda.* Simile est *versiformis*, quo vsus idem cap. antecedenti. *Nostra certè mutatio, (quod clausis vel in totum Homericis oculis liquet) totum versiforme est; dies & nox inuicem vertunt, solstitionibus annus, luna modulationibus menstruis variat*, &c. Simile quoque *versipellis* & *versipellio*, qui vertit pellem. Hinc Glossæ Cyrilli: [illegible], *Versipello, versipellio.* Qui locus corrigendus ex Philoxeno in cuius Glossis est, *Versipellis*, [illegible]. *Versipellio*, [illegible]. Nempe *chamæleontem* sic dixere, quia subinde colorem mutare creditur: vt Aristoteles & Plinius narrant: ac notum est ex prouerbio: *Chamæleonte mutabilior.* Lycanthropos quoque *versipelles* dictos, ostendit Plinius, lib. VIII. cap. XXII. *Homines in lupos verti, rursúmque restitui sibi, falsum esse, confidenter existimare debemus, aut credere omnia, quæ fabulosa tot seculis comperimus. Vnde tamen ista vulgo infixa sit fama in tantum, vt in maledictis versipelles habeat, indicabitur.* Lucillium Plautúmque *versipellis* voce vsos docebit Nonius Marcellinus. Vsurpat & Appuleius. Item *Verticordia*, Veneris cognomen. Valerius Max. lib. VIII. cap. XV. *Vt Veneris Verticordiæ simulachrum consecraretur; quo faciliùs virginum mulierúmque mentes à libidine ad pudicitiam conuerterentur.* Hinc Ouidius, lib. IV. Fastorum.

Roma pudicitia proauorum tempore lapsa est.

Cumæam veteres consuluistis anum.

Templa iubet fieri Veneri: quibus ordine factis,

Inde Venus verso nomina corde tenet.

VERV, in quo cibi assantur, à *versando* sic dici, scribit Varro lib. IV. de L.L. Possis alioqui & à πείρω deducere, hoc est, *transfigo*. Vnde Homerus, siue alius, in hymnis:

[illegible]

Et Od. γ dicuntur, [illegible]. Etiam ob similitudinem sic dixere *iaculi genus*. Virgil VII Æn.

Et teretes pugnant mucrone, veruque Sabello.

Sidonij quoque similem locum mox adferemus. Idem & *verutum* dicitur. Festus. *Veruta, pila dicuntur, quod velut verua habeant præfixa.* Ab Antonio Augustino perperam editum *verata*. Sane *veruta* est in MSS^{ti} Nanij. Meminere *verutorum* Liuius, Silius, Plinius, Ammianus, ac fortasse etiam Maro, II. Georg.

Assuetúmque malo Ligurem, Volscósque verutos

Extulit.

In vulgaris est *verutos*, quod *veru armatos* interpretantur. Sed *veruto* rectè legendum vidit I. Lipsius, lib. IV. [illegible]. dial IV. Ita sententia fuerit labori Ligurem, iaculationi Volscos assueuisse. Etiam a *veru verruina* vocatur; vnde paret vocem eam quatuor, non tribus syllabis enunciari debere. Fulgentius Planciades: *Veruina iaculi genus longum, quod aliqui verutum nominant. Galbius (al. Gabius) Bassus Satirâ:*

Veruina confodiendo, non te nauci facio.

Nauci enim pro nihilo posuerunt. Plautus Bacch. (act. IV sc. VIII.)

Si tibi est machæra, & nobis veruina est domi,

Quâ quidem te faciam, si tu me irritaueris.

Confossiorem soricinam næniâ.

vbi aptè *confossiorem* dixit. *Veru* enim, seu *veruina*, fodit, ac punctim ferit, non cæsim. Hinc & Sidonius carm. V. vers. CCCCXII.

———equo ruit aclide fossus

Ille, veruque alius.———

Græci vocant σαύνια. Nam vbi Liuius in classibus armandis *verutum*, ibi Dionysius Halicarnassensis σαύνιον dicit. Hesychius, Σαύνιον, [illegible]. Ab eo *Samnite*: Græcis putantur dicti Σαυνῖται. vnde Latinum *Samnites*: nempe quia *saunio* siue *veruto* imprimis vsi quod ipsum *veru Sabellum* Maro vocat, vti vidimus Plinius, lib. III. cap. XII. *Samnitium, quos Sabellos, & Græci Saunitas dixere.* Paulus Diaconus ex Festo: *Samnites ab hastis appellati sunt, quas Græci σαύνια appellant, has enim ferre assueti erant.* Idem scribit lib. II. de gestis Longobardorum. cap XX. *Samnites nomen acceperе olim ab hastis, quas ferre solebant, quásque Græci Saunia appellant.*

VERVACTVM, quasi *vere actum*. Nam sic dicitur *ager vere proscissus, deindeque quiescens vsque ad sequentem autumnum,* quo sementis fit. Plinius, lib. XVIII. cap. XIX. *Quidam vtique ab æquinoctio verno proscindi volunt. Quod vere semel aratum est, à temporis argumento Veruactum vocatur. Hoc in nouali atque requieto necessarium est.* *Veruactum* cum Probo intelligi puto à Marone I. Georg. vbi ait:

Illa seges demum votis respondet auari

Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sensit.

Nam *veruactum* primum frigus sentit, cùm sub exitum hyemis seu veris initio proscinditur: proximâ æstate, quâ siccatur, primum persentit æstum: hinc sub finem autumni aut veris initio, sementi paratur, hieméque interiectâ secundum sentit frigus: vti secundò æstum sentit æstate sequente, quâ fructum fert. Itaque paret *veruactum* idem esse, quod *nouale*, eique opponi *agrum restibilem*, qui sic vocatur, quòd is restet, *nouali* quiescente. Opponit ea Varro, lib. I. de R. R. cap. XLIV. *Illud quoque multum interest in rudi terra, an in ea feras, quæ quotannis obsita sit, quæ vocatur restibilis: an in veruacto, quæ* interdum

interdum requirit. Item Columella, lib.II. cap.X. *Ab hoc vecte phaselus terra mandabitur, vel in vernacto, vel melius pingui & restibili agro.* Et eiusdem libri cap. XIII. *Faba modij quatuor, vel sex, in vernacto duas operas vbulcorum detinent, ac in restibili vnam.* Vide *Nouale* & *Restibile*. A *vernacto* est *Vernactor* Deus *vernacti* præses. Vt in Flaminis Cerealis indigitamento, cùm sacra faceret Cereri ac Telluri: *Vernactor, Redarator, imporcitor, insitor*, &c.

VERVEX, si Perottum audimus, ab *inuersis testiculis*. Malim eâdem mente, à *verpa*, quòd notat *genitale*. Vt enim *verres*, quasi *verpes*, quia habet testiculos integros, quibus si careat, dicitur *maialis*: ità *veruex*, quasi *verpex*, quia non habeat testiculos integros, qui si adsint integri, appellatur *aries*. Nam vt ab *equo cantherius*, à *verre maialis*, ita ab *ariete* differt *veruex*. Isidorus verò (quod bonâ egregij viri veniâ dixerim) nugatur. Sic enim scribit, lib XII. cap.I. *Veruex vel à viribus dictus, quod cæteris ouibus sit fortior, vel quòd sit vir, id est, masculus, vel quod vermem in capite habeat, quorum excitati pruritu, inuicem se concutiunt, & pugnantes cum magno impetu feriunt.* Quorum postremum nec ipsum Isidorum seriò scripsisse crediderim.

VERVS non à *ve* id est, *valde*, & *reor*, quia *vera* animum maximè afficiant: sed nec à *ve*, & *res*, quia sermo *verus* rem ipsam profiteatur: quæ Perotti est sententia: multóque minùs à *vere*, quia verno tempore partus omnes ad maturitatem perueniant, quæ alioquin sæpe deficiant: quod idem tradidit Perottus: sed ab ἐρῶ, hoc est, *dicere* quia quod dicitur, est; quódque est, hoc dicitur; vt hæc duo sint ἀντιστρέφοντα, nempe in sermone tali, qualem esse conuenit. Valde hoc ἔτυμον confirmare videor posse, quod Hebræis דבר, non tantùm *verbum*, siue *sermonem*, quæ propria eius notio est, sed etiam *rem*, seu *factum* notat. Imò & Homero ἔπος pro *res ipsa* accipitur. Et putabat Scaliger *res* esse à *resis* vel *resis*, hoc à Græco ῥῆσις, *dictum*. A *verus* est verbum *vero*, ἀληθεύειν vt in illo poëtæ veteris,

——*Satin' vates verant ætate in agunda.*

Ab eodem coniunctio *verò*, vt à *certus certò*. Glossæ Cyrillo tributæ: Ἀληθῶς, *verò*. Plautus Mostell.

Eho mauis vituperari falsò, quàm verò extolli.

Hæc princeps notio eius particulæ: quæ deinceps pro *autem* accipi cœpit.

VESICAM per V vulgò scribimus. Adamantius tamen Martyrius BESICA per B prætulit. Pro vulgato scribendi more facit ἔτυμον si ita dicatur, quasi *vas aquæ*, vt censet Isidorus, lib.XI. cap.I sit a *vento*, vnde dictam ait Caper; atque inde est, quòd nonnulli, & hos inter Nestor Nouariensis, *vescicam* scribendum putent. Sanè Belgæ eodem modo, à *blasen*, quod est, *flare*, *blase* appellant. Possis eâpse de caussâ deducere à φυσᾶν, quod est *flatu distendo*. Vel ab huius verbi prole: φῦσα vel φύσκη. Gloss. Phil. *Vesica*, φῦσα. Gloss. Cyrilli: κύστις, ἡ φύσκη, *vesica*. Id malim, quàm ab eiusdem notionis & originis voce φύσκα, vnde venire censent Caninius, & Nunnesius, interiecto *I* post *v*, & conuerso *c* in *V*. Vel est *vesica* à Latino *visire*, quod ipsum est, *flatum emittere*, ac propriè de *ventris flatibus* dicitur, quando sine sonitu fiunt. Græcis est βδέω, vnde flatus ipse βδέλυγμα & βδέσμα dicitur. Quemadmodum si cum sonitu fiat, Græcis πορδὴ vocatur a πέρδω, vnde Latinorum *pedo*. Hæc discere est ex vett. Glossis. Nam in Latino-Græcis Philoxeno tributis legas: *Peditum*, πορδή. *Pedo*, πέρδω. *Vissio*, βδέλυγμα. *Visio*, βδέλυγμα. Itidem in Græco-Latinis, in Cyrilli calce inuentis, habes: Βδέσμα, *Vissium*. Βδέω, *Visso*. Πέρδομαι, *pedo, pepedi*. Πορδὴ, *peditus, peditum*. Ex quibus Ios. Scaliger facem primus alluxit loco huic Ciceronis in eruditâ illâ epistolâ ad Pætum: *Quid enim? non honestum verbum diuisio? At inest obscenum, cui respondet intercapedo.* Nam cacephaton illud quod voces eas habere ait Tullius, est propter finales syllabas *visio* & *pedo*, quibus significatur βδέσμα & πορδὴ. Vide *Pedo*.

VESPA, *aculeatum insectum*, Græcè σφήξ. Ioan. Genuensis in Catholico censet vocem hanc conflari ex *vis* & *peto*, vel *paro*, quia vi petat, vel paret. Meliùs quibus placet ex eo sic vocari, quòd *vespere* muscas venari soleat in cibum. Sed maximè placet esse ab accusatiuo σφῆκα, *vespam*, κ in *p* verso, vt à λύκος, *lupus*. *Vespæ* quoque vocantur, qui aliter dicuntur *vespillones*. Qui autem sint *vespillones*, docet Isidorus in Glossis: *Vespillones*, inquit, *fossarij, qui mortuos sepeliunt, baiuli*. Et Gloss. Græco-Lat. Νεκροθάπτης, *vespillo*, νεκροφόρος. Ioannes Genuensis in Catholico censet, *vespillonem* dici, quia mortuos *vestibus spoliat*. Sed non dubito, quin cùm *vespa* idem sit ac *vespillo*, communis sit vtriusque vocabuli origo. De vtriusque autem vocis origine sic optimè Festus: *Vespæ & vespillones dicuntur, qui funerandis corporibus officium gerunt; non à minutis illis volucribus, sed quia vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompâ duci propter inopiam nequeunt.* Vbi in MSS[ti] pro *vespillones* etiam *vespiliones* legas. Ex ea, quam adduximus, *vespa* significatione ortus de Terentio iocus apud Tullium, III. de orat. vbi *vespa* commune esse non proprium, censet & Turnebus. Hinc liquet diuersos esse *vespillones* à *pollinctoribus*. Nam *pollinctores* cadauera lauabant, vngebant, coronabant, *vespillones* efferebant & incendebant, vnde & *vstores* dicuntur Catullo epigr.LX. in Rufam. & Martiali, lib.III. epigr.XCI. (al XCIII.) in Vetustinam. Est tamen cùm & *pollinctorem*, pro *vespillone*, & hunc pro illo positum inuenias. *Barginnas* quoque dictos *vespillones* docent Glossæ Philoxeni, quibus legitur: *Barginna*, νεκροφόρος. In iisdem Glossis similiter exponitur *bispellio* & *bispelle*, quæ minime à *binis pallijs* sunt, vti vir magnus putabat: sed omnino corruptè sic scribuntur pro *vespilio*. Nihil enim vulgatius, quàm vt *B* ponatur pro *V* consono, vnde in Pandectis quoque Florentinis *beneficium* & *veneficium* eodem scribuntur modo.

VESPER duplicem imprimis habet significationem. Pro *vespertino tempore* accipitur in illo, *Nescis quid vesper serus vehat*: quomodo à Varrone inscriptam fuisse vnam ex satyris Menippeis, auctor est Agellius, lib.XIII. cap.XI. & ex eo Macrob lib.I. cap.VII. Nec dubium, quin eodem respexerit Maro, cùm I. Georg. de solis prognosticis tractans ait,

Denique quid vesper serus vehat.——

At pro *Hespero* accipit Catullus. Carm. Nupt.

Vesper adest, iuuenes, consurgite. Vesper Olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit.

Plin. lib.II. cap.VIII. *Infra Solem ambit ingens sidus, appellatum Veneris, alterno meatu vagum, ipsisque cognominibus æmulum Solis ac Lunæ. Præueniens quippe & ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, vt Sol alter, diem maturans: contra ab occasu refulgens nuncupatur Vesper, vt prorogans lucem, vicémque Lunæ reddens.* Vtra prior sit significatio, dubitatur. Si Seruium audimus, primò *tempus vespertinum* notat. Sic enim is ad hoc I Georg.

Illic sera rubens accendit lumina Vesper:

Vesper, stella, quæ & Venus & Lucifer dicitur, nam Vesper eo, quòd quibusdam mensibus vespere; Lucifer autem dicitur, quòd quibusdam mane oriatur. Ego verius puto tempus *vespertinum vesperum* dici quia tunc oriatur *vesper*: quâ ratione & Græcis tempus id ἑσπέρα dicitur, à sidere, quod ἕσπερος vocatur. Non dubium autem, quin *vespera* sit ab ἑσπέρα, vt *vesper* ab ἕσπερος, conuerso spiritu aspero in *V* consonum, quod interdum fieri ostendit his verbis Seruius ad VI. Æn. *Velia dicta est à paludibus, quibus cingitur, quas Græci ἕλη vocant. Fuit ergo Helia, sed accepit digammon, & facta Velia; Enetus, Venetus.* De voce *Velia* vrbis Lucaniæ, idem docet Halicarnassensis, lib.I. Rom. Antiq. Párque ratio *lacus Velinus* in Sabinis, vnde nomen *tribus Velina*. De *Venetus* idem monet Terent. Maurus, cap. de syllabis. Pro *vesper* quoque dicitur *vesperugo*. Vitruuius, lib.IX. cap IV. *Id ita esse maxime cognoscitur ex Veneris stella, quòd ea cùm solem sequatur, post occasum eius apparens in cælo clarissiméque lucens, vesperugo vocitatur: aliis autem temporibus eum antecurrens, & oriens ante lucem Lucifer appellatur.* Festus: *Vesperugo Vesper stella.* Plautus, *amph. act.I. sc. I.*

Nec Iugula, neque Vesperugo, neque Virgiliæ occidunt.

Glossæ Philoxeni: *Vesperugo*, Ἕσπερος. At nouis *vesperuginis* voce vsus Tertullianus, lib. de Anima, cap.XXXII. *Item contraria lumini, quæ cæca in totum, vel solis tenebris habent oculos, talpas, vesperugines, noctuas.* Vbi *vesperugines* dixit pro *vespertiliones*. Est autem vtriusque vocis eadem origo: vnde de *vespertilione* Ouid. IV. Met. fab. XII.

——*Lucémque perosæ,*
Nocte volant, seróque tenent à vespere nomen.

Quod etymon etiam est apud Nonium & Isidorum, lib.XII. cap.VII. Græcis similiter ἀπὸ τῆς νυκτὸς νυκτερὶς dicitur. Glossæ Philox. *Vespertilio*, νυκτερίς. *Vespertiliones* quoque Iurisconsultis vocantur, qui Senecæ & Appuleio *lucifugæ*, hoc est, qui noctu demum *vespertilionum* more prodeunt in publicum, ne forte in in dominos notosve incidant. Est & a *vespere vesperna*, quomodo *cœnam* à Plauto vocari, monet Festus. Vsus similiter Appuleius primo Met. *Ego denique vesperna, dum polenta caseata effutari granatiorem in conuiuas annulos contruncare gestio, minimo minùs interij.* Sic se in MSS[tis] reperisse testatus Baptista Pius, annot. post. cap.XL.

VESTALES. ἱέρειαι, vt exponunt Gloss. Cyr hoc est, *sacerdotes*. *Vestales* enim virgines dictæ a *Vesta*, non eâ, quæ Saturni mater est, sed eius Dei filia. Priorem aiunt esse terram,

ram, alteram verò *ignem*. De priori sic Ouid. VI. Fast.

Stat vi terra suâ, vi stando terra vocatur.

Sed potiùs sit ab στῶ, hoc ab ἵστημι, *statuere*. Nempe terra & ipsa immobilis est, & cæteris caussa est στάσεως καὶ μονῆς, id est, *stationis mansionisque*. Nam, vt philosophi docent, πᾶν τὸ κινούμενον περὶ τὸ ἀκίνητον κινεῖται: *omne quod mouetur, circa aliquod immobile mouetur*. Copernicus tamen putabat cœlum quiescere, terram moueri: eùmque etiam secutus Cœlius Calcagninus, cuius exstat libellus de perenni motu terræ: vt cæteros mittam. Alterum quoque etymon superiori addit Isidorus, cum lib. Orig. cap VIII ait: *Vestam, quòd herbis vel variis vestita sit rebus, vel à vi suâ stando*. Ibidem etiam docet, cur dicatur *Mater magna*, cur *alma*, cur cum claui fingatur, cur turritam gestet coronam, cur curru vehatur, cur ei seruiant Galli sacerdotes, aliaque, quæ apud ipsum legere potes. Altera autem *Vesta* est *ignis*, atque ita dicitur ἀπὸ τῆς ἑστίας, id est, *foco*, quæ ipsa vox est ab Hebræo אש, quod *ignem* significat: vnde & *æstus*. Fortasse autem non simplex deriuatum est, sed compositum, vt altera vocis pars sit יה, id est, *Deus*, vt sic dicatur quasi *Domini ignis*, siue *ignis Domino sacer*. Chaldæi enim ac Persæ ignem colebant, videtúrque id ortum prauâ æmulatione iugis Hebræorum ignis, quo de Leuitici c. VI. Porrò quia ignis nihil gignit, eo fingitur *Vesta* virgo permansisse, atque hanc quoque Ouidius rationem esse ait, cur ei seruiant virgines vestales, quarum munus erat, sempiternum ignis publici focum in Vrbe custodire: vt Tullius indicat II. de Legg. Sed Ouidium hac de re audiamus in VI. Fastorum:

Nec tu aliud Vestam quam viuam intellige flammam,
Nataque de flammâ corpora nulla vides.
Iure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit,
Nec capit: & comites virginitatis amat.

Ibidem etiam hinc caussam promit, cur in *Vestæ* templo nulla essent simulacra:

Esse diu stultus Vestæ simulacra putaui:
Mox didici curuo nulla subesse tholo.
Ignis inexstinctus templo celatur in illo:
Effigiem nullam Vesta nec ignis habent.

VESTER priùs fuit *voster*, vt ex Comicis imprimis liquet. Est id à *vos* vt *noster* à *nos*. Quare non placet sententia Angeli Caninij, qui in Hellenismi Alphabeto *vester* literarum trajectione factum putat à σφέτερος vel σφωΐτερος: quemadmodum nec cùm *meus* simili μεταθέσει factum ait ab ἐμός. Nam à *mei* est *meus*, vt à *tui tuus*, à *sui suus*. Vide *Meus*.

VESTIBVLVM à *Vesta* dictum ait Ouidius in VI. Fastorum: nempe quod *ignis*, qui est in *Vestæ* potestate, in *vestibulo* antiquitus accenderetur. Sed ipsum audiamus.

At focus à flammis, & quod fouet omnia dictus:
Qui tamen in primis ædibus ante fuit.
Hinc quoque vestibulum dici reor: inde precando
Dicimus, ô Vesta, quæ loca prima tenes.

Eadem sententia Seruij, quamquam is & alterum ἔτυμον adducit: *Vestibulum*, inquit, *dictum vel quia ianuam vestiat: vel quoniam Vestæ consecratum est. Vnde nubentes puellæ limen non tangunt. Lucanus:*

Translataque vetat contingere limina plantâ.

Singula enim domus, sacrata sunt Diis: vt culina diis penatibus: maceries, quæ ambit domum, Herceo Ioui. Tertium quoque etymon est vt sic dicatur a *ve* intensiua particula, & *stabulum*, quod primam vocalem mutat in *I*, quomodo & in *prostibulum* fieri videmus. Fuit hæc sententia Sulpitij Apollinaris, vt Agellius testatur, lib. XVI. cap. V. vbi inter alia sic scribit: *Qui domos amplas antiquitus faciebant, locum ante ianuam vacuum relinquebant, qui inter fores domus & viam medius esset. In eo loco qui dominum eius domus salutatum venerant, priusquam admitterentur, consistebant; & neque in via stabant, neque intra ædes erant; ab illa ergo grandis loci consistione & quasi quadam stabulatione, vestibula appellata sunt spatia, sicut diximus grandia ante fores ædium relicta; in quibus starent, qui venissent, priusquam in domum intromitterentur.* Hactenus Agellius: Ex hisce autem tribus etymis (quorum primum tertiúmque etiam adducit Nonius Marcellus in *vestibulum*) nullum non analogiâ subnixum est. Nam vt à *ture turibulum*, sic à *Vesta vestibulum*; vt à *statum stabulum*, à *prostitum prostibulum*, sic à *vestitum vestibulum*; vt à *ve* & *mens*, &, interjecto spiritu, *vehemens*, sic à *ve* & *stabulum vestibulum*. Sed cùm non analogiam solùm, sed vel maximè naturam vocis spectare conueniat: videre satis non possum, qui primum etymon defendi queat: nisi dicamus, veteribus *vestibulum* fuisse primorem ædium partem, quam *atrium* dixere, vt nempe quoniam in eo exstruebatur focus, qui *Vestæ* sacer erat, ideo locus ipse *vestibulum* dictus sit. Hoc quidem omnino voluisse videtur Ouidius versibus iis, quos ante adducebamus. Tamen manifestè *vestibulum* ab *atrio* distinguit Vitruuius, lib. V. cap. VII. *His qui communi sunt fortunâ, non necessaria magnifica vestibula, nec tablina, neque atria, quòd hi aliis officia præstant ambiundo quæ ab aliis ambiuntur.* Et Gellius quoque vult *vestibulum* id esse quod Græci πρόθυρον & πρόδομον appellant. Id clarè satis paret ex loco ante adducto: ac imprimis ex iis, quæ hac de re eiusce capitis initio scribit in hunc modum: *Animaduerti quosdam hautquaquam indoctos viros opinari, vestibulum esse partem domus primorem, quam vulgus atrium vocat. Cæcilius (Aquilius) Gallus in lib. de significatione verborum quæ ad ius ciuile pertinent, secundo; vestibulum esse dicit non in ipsis ædibus, neque partem ædium, sed locum ante ianuam domus vacuum, per quem à viâ aditus accessusque ad ædes est, cùm dextrâ sinistrâque inter ianuam tectáque quæ sunt viæ iuncta, spatium relinquitur, atque ipsa ianua procul à via est, areâ vacanti interstitâ.* Hic veterum de *vestibuli* voce dissensus facit, vt suspicer, antiquitus, cùm essent Romuleæ casæ, idem fuisse *atrium* & *vestibulum*: postea autem, cùm luxuries creuisset, non in atrio, sed areâ inter viam & domum interjectâ homines, priusquam admitterentur, consistere solere; indéque *atrij* & *vestibuli* voces fuisse distinctas, quamquam diu fuerit, vt multi, re quoque immutatâ veterem retinerent loquendi consuetudinem.

VESTIGIVM & *vestigare* à *vehendo* dici sentit Iouianus Pontanus, cuius hæc verba in Actio fol CXL. edit. Ald. *Quòd vehendis ex agro in oppida & vicos rebus instanter darent operam, factum est vehestigo, quod erat tunc eandem viam insistere, eâque sæpius itare. Nam & via initio fuit veha. Factum item est vehestigium, quæ nunc ademtis syllabis, sunt vestigo & vestigium, eaque ab iumentis atque à curribus in scholas profecta, à philosophis etiam recepta sunt.* Hæc Pontanus. Sed Becmanus censet, *vestigium* esse à *ve* particula ἐπιτατικῇ, & antiquo *stigo*, quod à στίζω, hoc est, *pungo*, *puncto distinguo*, vnde στιγμὴ, *punctum*. Ita *vestigium* propriè erit *illustre signum alicui rei impressum, vt bene deprehendi possit*: at συνεκδοχῇ generis adstrictum fuerit ad *signa pede impressa*. Sed mihi in mentem venit, si placeat esse à *ve* ἐπιτατικῷ, longè verisimilius alteram compositi partem statui posse στίβος, vel στιβεύω. Nam στίβος, teste Hesychio, ἡ τῶν ἰχνῶν ζήτησις, quod ad verbum Latinè sic *inuestigatio*: vti στιβεύειν, *inuestigare* Aliud etiam etymon addamus, & fortasse verisimilius. Olim non feminæ modò, sed viri etiam longis vtebantur vestibus: eóque non modò pedum, sed vestis etiam indicium relinquebatur ab incedentibus. Hæc causa, cur, etsi imprimis pedum relinqueretur signum, rei tamen à *vestibus* nomen daretur. Eritque *vestigium* vel compositum ex *vestis* & *ago*, vt signet, quâ *vestis acta* protractáque: vel *igium* erit vocis productio vt *cinium* in *patrocinium*, *tirocinium*, *lenocinium*. Vel dicamus, *vestigium* esse à *vestigo*, hoc à *vestis*; vt à *castus*, *castigo*; (*castus* lorum nec non *fustem* notare ostendimus suo loco:) item ab *insto instigo*, a *fuste fustigo*, quæ inferiorum seculorum vox est Sed magis placet prius: nempe, vt à *vestis vestigium* sit, vnde *vestigo*, hoc est, *per vestigia inquiro*.

VESTIS, si Varronem in IV. de L. L. audimus, fuerit à *vellus*. Nempe quia *vestis*, è *lana*, *lana* è *vellere*. Sed hoc longè petitum. Potiùs fuerit ab Laconico βέσις, quod idem notat Hesychius: Βέσις, ὁ ἱματισμὸς ὑπὸ Λακώνων. Vel fuerit ab ἐσθὴς, vnde iam olim deducit Terentianus Maurus. Ἐσθὴς autem est ab ἕω, hoc est, *induo*. Quamquam nec ineptè originem *vestis* arcessas ab ἐσθῆτι, quod est *indui*. Hesychius: Ἐσθῆναι, ἐνδῦναι. Ἐσθῆναι, ἐνδῦσαι. At non video, quid in mentem venerit incomparabili viro Iulio Scaligero, vt libb. de caussis L. L. cap. XXVI. negaret esse ab ἐσθὴς, potiúsque conflatum putaret ex *ve* particula ἐπιτατικῇ, (vt in *vemens*, & similibus,) ac verbo ἐσθῆναι, hoc est, *indui*. Nam manifestum est *V* consonum hîc non esse ex *ve*, sed à more Latinorum, quo initio dictionis digamma siue *V* consonum loco Græcanici spiritus præfigere solent. Ponam illustrem hac de re locum Terentiani Mauri è cap. de Syllabis:

Nominum multa inchoata literis vocalibus
Vsus Æolicus reformat, & digammon præficit:
Æolum dialectos etiam fermè mista est Itala.
Hesperum quem dico Græcè, vesperum cognominat,
Ἑστία sic Vesta facta, vestis ἐσθὴς dicitur,
Ἶν quam Græcè vocamus, vim iubet me dicere:
Ἔαρ est multis in vsu, & magis poëticum est.
Ἦρ enim natiua vox est, ille ver hoc dictitat:
Quos Homerus dixit Ἐνετοὺς, ille Venetos autumat:
Viola flos qui nuncupatur, hunc Græci vocant Ἴον
Et Iolaus, violeus fit, crede Marco Tullio.
Quamquam Ἶνιν dicunt Achæi, hanc Ϝῖνιν gens Æolis.

Secundum tertiúmque versum sic numeris restitui posse arbitramur. In vulgatis corruptè legitur:

Æolicus vsus reformat.———

Item:

Æolica etiam dialectos ferè est mista Italia.

A *vestis* est *inuestis*. Onomast. *Inuestes*, ἀχίτωνες. Tertull. de pallio, cap. III. *Nudus certè & inuestis figulo suo constitit.* De Adamo sermo est. Habet ea vox alteram quoque significationem. Nam quia *vestis* etiam *lanuginem malas aut inguina vestientem* signat, indè est, quod *inuestis* etiam accipitur pro *imberbi*, vel potiùs *impube*. *Vestis* vocabulo pro *barbâ* vsus Maro VIII. Æn. de Gallis:

Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis.

Vbi *vestem* de *barbâ* dici cùm Nonius innuit, tum Seruius clarè docet, his verbis: *Vestis*, inquit, *hoc est, barba. Vnde contra inuestes dicimus imberbes: vnde est,* (VIII. Æn.)

Tunc mihi prima genas vestibat flore iuuentas.

Pro *pube* vsus Lucretius, lib. V.

Nec minus in certo dentes cadere imperat ætas
Tempore, & impubem molli pubescere veste,
Et pariter mollem malis demittere barbam.

Ab hâc significatione est *inuestis* pro *impube*, eiúsque contrarium *vesticeps*, qui iam pubescit, nempe à *capiendâ veste* siue *pube*. Festus: *Vesticeps, puer, qui iam vestitus est pubertate; contrà inuestis, qui necdum pubertate vestitus est.* Nonius: *Inuestes dicuntur impuberes, quibus propter teneram ætatem nulla pars corporis pilat.* Ex his paret minimè audiendum Isidorum, cum lib. X. inquit: *Inuestis, id est, sine veste: nondum enim habet stolam, quod est signum maritalis virginitatis.* Porrò quia *impuberes* Venerem nesciunt: indè est, quod *inuestis* etiam accipiatur pro eo *qui Venerem expertus non est*. Atque id compulit Nonium, vt scriberet, (falsò tamen,) *inuestem* dici quasi *in Vestâ*, hoc est, *pudicitia* seu *castitate*, quam amat Vesta, Dea virgo, cuius neque virginibus nubere licebat. *Inuestis* voce vsus Macrobius, lib. II. Sat. cap. VIII. *Romani pueros & puellas nobiles & inuestes Camillos & Camillas appellant, flaminicarum & flaminum præministros.* Item Palladius, lib. XI. cap. XIV. *Illud memento seruare prætereà, vt quoties vinum mouetur, inuestis puer hoc, aut aliquis satis purus efficiat.* Item Nonius Marcell. *Virgines non solùm feminæ dicuntur, verum etiam pueri inuestes.* Quo ex loco discimus idem esse *marem inuestem*, & *marem virginem*: quamquam propriè *virgo* de sequiori sexu dicatur, *inuestis* de virili. Ita vsus hisce vocibus Tertullianus, lib. de velandis virginibus, cap. VIII. *Duæ leges obnoxia inuicem: hinc velandi, indè nudandi. Igitur si eo quod destinum sit omnis vir, commune est nomen viri, etiam nondum viri, masculi inuestes: communis autem cùm sit nomen secundùm naturam, communis est & lex non velandi eius, qui inter viros virgo est secundùm disciplinam, cur non præiudicatum sit proinde & mulierem virginem omnem muliere nominatâ contineri consortio nominis, vt contineatur & communione legis. Si virgo mulier non est, nec vir inuestis est. Si non operitur virgo, quia mulier non sit, operiatur inuestis, quia vir non sit. Eiusdem virginitatis æqua sit venia. Sicut virgines non coguntur velari, ita pueri non iubeantur reuelari.* Idem ostendit hic locus extremo capite vndecimo eiusdem libri: *Materfamilias vocatur, licet virgo, & paterfamilias, licet inuestis.* Assentiunt & Glossæ Philoxeni in quibus legas: *Inuestis*, ἄθριξ. Quemadmodum autem *inuestis*, ita & *vesticeps* geminam habet significationem. Propriè signatur eo, qui ad pubertatem peruenit, hoc est, qui maior est XIV. annis. Ita vsus Agellius lib. V. cap. XIX. *Sed arrogari non potest, nisi iam vesticeps.* At μετωνυμικῶς, *vesticeps* significat τὸν ἐσθαρμένον, καὶ τὸν ἀφροδισίων φθόγγον ἔχοντα: quomodo vsus Appuleius in Apologia; *At nunc adeò patientem te ei præbes, itaque eum indulgentiâ corrumpis, adeò ei nullâ re aduersaris, vt per hac suspicionibus fidem facias. Inuestem à nobis accepisti, vesticipem illico reddidisti. Cùm à nobis regeretur, ad magistros ibat: at ab iis nunc magnâ fugelâ in ganeum fugit,* &c.

Veterinum est *iumentum*, τὸ κτῆνος, quomodo Lucretius, Columella, Plinius vtuntur. Hinc *veterinarius*, & *veterinaria medicina*, quæ & *mulomedicina*, ac Græcis ἱππιατρικὴ vocatur. *Veterina* autem vel à *vehendo* ita dicta, vel (quod Opilius putauit,) à *ventre* vel *vtero*, quasi *ventrina* aut *vterina*, quia onus ad ventrem siue vterum religatum ferunt. Auctor Festus. Scaliger, castig. in carmen de Copâ, (de prima editione loquor) probat ἐτυμολογίαν primam, docétque simile esse *veturium* quasi *vehiturium*, & *Asibida*, siue *asinida* quasi *asinuehida*, vel integrè scribendo *asinuehida*, hoc est, ὀνοβάτης. Sileni cognomen est. Vtroque vtitur ineptus, sed antiquus Auctor prologi, qui Plauti Bacchidibus præmittitur in antiquioribus editis, vel illâ quæ cum Saraceni, Vallæ aliorúmque commentariis in lucem edita est Venetiis anno CIↃIↃXVIII. In eo sic loquitur Silenus:

Asinidam Ionij me vocitant greges:
Quod veturio senex vehar asinario.

Siue, vt in aliis:

Quod asino vehar senex veturio.

In eâ, quam dixi, editione legitur *asibida* per B. Sed notum in vett. lib. B poni solere pro digamma Æolico. Turnebus, lib. XIII. cap. XXII. putat *asinida* πατρωνυμικῶς legendum, vel potiùs *asiniga*, ab *asino agendo*. Sed neutrum placet. *Ionij greges* hîc sunt *histriones*. *Veturium* (pro quo corruptè capse in edit. *vecturio* inuenias) idem est, quod *veterinum*. Porrò ex hoc prologi loco putauit aliquando Scaliger in carmine de Copa legendum esse:

Huc Asinida veni.———

Pro quo in vulgaris *Alibida*, per L. Sed in posteriori editione ex Contij libro legit *Calybita*, vt intelligatur, qui crumata testulis, ære, aliâve re edit. Nomen id erit à *calybe*, καλύβη, quomodo lib. III. ἀγυρλογίας vocatur *sonus* siue *crepitus crumatum*. Hanc vocem eopse carmine vsurpat poëta, cùm ait:

Sunt topia & calyba.———

Sic enim hîc quoque ex Contij libro idem legendum monet. Censeo autem καλύβη esse non à καλύβη, hoc est, ἐκρύβητο, vnde descendit, quando *tugurium* siue *gurgustium* notat: sed à χάλυψ.

Veternus à *vetus*, iuxta Priscianum, extremo lib. II. nempe quia *labes* est *inueterata*. Donati etiam est in Eun. *Veternosus, morbo vetere confectus, id est, veterno; quales sunt, qui veternum patiuntur.* Maro, I. G.

Nec torpere graui passus sua regna veterno.

Vbi sic Seruius: *Pigritiâ, otio: quia plerumque otiosos solet hic morbus incessere. Plautus in Addicto:*

Opus facere nimio; quàm dormire mauolo,
Veternum metuo.

Veternus autem dicitur *morbus intercus*, *hydrops*. A *veternus* est *veternosus*. Festus: *Veternosus dicitur, qui graui premitur somno. Cato veternosum hydropicum intelligi voluit, cùm ait: Veternosus quàm plurimum bibit, tam maximè sitit.* Glossæ Philoxeni: *Veternosus*, φλεγματικός, ὑδρωπικός.

Veto ab οὐ, *non*, & ἐτὸν *permissum*. Antiqui pro eo *voto* dixere. Vnde *vosita* pro *vetita* apud Plautum, Asin. IV. Sc. I. Neque enim audiendus Nonius: cui *vetitus* est à *vetis*, quasi religione aliquâ obstrictus. Nam metrum reclamat, quia sic penultima produceretur, quam Plautus corripit. Annæus Cornutus apud Cassiodorum de Orthogr. *Vostra olim ita per o, hodie per e: vt, advorsum, adversum; pervorsum, perversum; votare, vetare; vortex, vertex; conuollere, conuellere; amplectere, amplectere.*

Vetvs vel à *ve* ἐπιτατικῷ, vel à *ve* μειωτικῷ. Posterius placuit Perotto, qui *vetus* dici ait quasi *vietus*, hoc est, *sine vi*. At alterum probat Agellius, lib. XVI. cap. V. his verbis: *Ve particula, sicuti quædam alia, tum intentionem significat, tum minutionem. Nam vetus, vehemens, alterum ab ætatis magnitudine compositum elisúmque est, alterum à mentis vi atque impetu dicitur.* Quæ ipsa more suo exscripsit Macrobius, lib. VI. cap. VIII. Perottus putat *vetus* contractum esse ex *vietus*, quod est *mollis & languidus*, quales homines redduntur ætate. Itaque *vietum senem* dixere Plaut. Mercat. & Terent. Eun. Et Agellius *poma vieta* dixit pro *præmaturis*. Sed maximè placet, quod in Conjectaneis monet Scaliger, *vetus* esse à βετής, quod à βοῦ ἐπιτατικῷ, & ἔτος, id est, *annus*. Nisi αὐτόθεν esse velis ab Æolico ϝέτος, vel βέτος, pro ἔτος, id est, *annus*. Sed *vetus* non tam est *annus* quam *annosus*. A *vetus* est *vetustus*, vt à *Venus venustus*. A *vetus* quoque est *veteranus*, παλαιοστρατιώτης, vt interpretantur Philoxeni Glossæ. Et *veterarius*, παλαιουργός, vt eædem exponunt. Et verbum *veterare*, à quo *inueterare*, vnde opiniones *inueteratas* dicimus. Ab eodem est *veterator*, πολυπράγμων, παλίντριψ, τρίβακος, ἀπατεών, vt est in Glossis Philox. Hinc *quasi vetus in astutia*, vt scribunt Festus, Donatus, Eugraphius. *Veteratorius* pro *subdolo* apud Cic. & alios. Propriè autem *veterator* dicitur de seruo, qui diuturna seruitute, ac sæpius fortassis commutatâ, astutus ac vafer euasit. Itaque *veteratores* & *nouitij* opponuntur, vt ostendunt verba Venuleij in Pandectis, cùm ait: *Seruum tam veteratorem quàm nouitium dici posse: nouitium autem non tirocinio animi, sed condicione seruitutis intelligi, ac veteratorem item non spacio annorum, sed genere & caussâ æstimandum.* Vide Rad. Forner. lib. IV. rerum quotid. cap. I.

Vexare est à *veho*; vt *luxare*, à *luo*; *taxare*, à *tago* siue *tango*. Docet id his verbis Seruius ad illud Mar. Ecl. VI.

Dulichias vexasse rates:———

Probus

Probus vult hâc ratione defendere, dicens vexâsse venire ab eo, quod est vebo, vecto, vexo, vt vexâsse sit portâsse, & sine dubio pro arbitrio suo euertisse. Non enim sui potens est, qui vehitur. Bene ergo inclinatum verbum est. Nam qui fertur, & raptatur, & huc atque illuc distrahitur, VEXARI propriè dicitur. Cato in Orat. de Achæis: Cumque Annibal terram Italiam laceraret atque vexaret. Cic. in Verr. Sed vt à barbaris prædonibus vexata esset. Item: Ablati, fana vexata, direpta vrbes reperiuntur. Hæc Seruius. Vnde liquet immeritò Maronem esse reprehensum ab Anneo Cornuto, quasi non satis graui vsus esset verbo. His gemina sunt apud Asconium Pedianum in Diuinat. Agellium. lib. II. cap. VI. & Macrob. lib. VI. c. VII. Adde quòd Maro respexit etymologiam *Scyllæ*, quod à σκύλλω, hoc est, *vexo*; sic enim interpretantur veteres Critici. Glossæ Philoxeni: *Vexat*, [illegible]. Item *Vexo*, [illegible] (leg. [illegible]) *Vexatio*, [illegible]. Gloss. Cyr. Σκύλλω, *fatigo, vexo*.

VIA ex Ios. Scaligeri opinione, eâ ratione fit ab οἶα, quâ, quod Græci οἶκον, Latini dixere *vinum*. Sanè οἶα *vicus* est seu *pagus*: quemadmodum vetus Scholiastes monet ad illud Apollonij, lib. II. Arg.

———Πείθεσθ' ... ἀλωῇ
Ἢ οἴῃ.

Fortasse simpliciùs deducas ab *Ire, eo*, præposito digamma Æolico. Placuit id Cæsari Scaligero in Arist. Hist. Animal. cap. IX. Sect. LXXIX. At non placet sententia Varronis: qui de *via, villa, villici*, & *vellatura* vocabulis scribit lib. I. de R. R. cap. II. *Villicus agri colendi caussâ constitutus, atque appellatus à villâ, quòd ab ea in eam conuehuntur fructus, & euehuntur, cùm veneunt. A quo rustici etiam nunc quoque viam, veham appellant, propter vecturas: & vellam non villam, quò vehunt & vnde vehunt. Item dicuntur, qui vecturis viuunt, vellaturam facere.* Idem *actus, via, villa, itineris* & *semita* natiuam ex etymo vim aperit, lib. IV. de L. L. *Vt*, inquit, *quà agebant Actus, sic quà vehebant, Via dicta. quò fructus conuehebant Villa, quà ibant ab itu. Iter appellarunt: quà anguste, Semita vt semiiter dictum.* Differunt *iter actus, via*, quòd *iter* hominis est; *actus* hominis & iumenti; *via* hominis, iumenti, & vehiculi. Nam *iter* ab *itum*, quà ab hominibus itur: *actus* ab *agendo*, quà iumentum agitur: *via* à *vehendo*, quà ire potest vehiculum: quod & Isidorus tradit, lib. XV. cap. XVI. Vnde consequitur, *iter* esse angustius actu; *actum* viâ. Nam angustiori spatio it homo, quàm armentum; ac armentum angustius spatium requirit quàm vehiculum. *Iter* duorum pedum latitudine definitur: quantum requiritur, vt transire possint occurrentes. *Actus* est *iter* quatuor pedes latum: vt Festus scribit voce *actus*. At *via* latitudo legg. XII. Tabb. in porrectum pedes habet octo, in anfractum, id est, vbi flexum est, pedes XVI. *Via* igitur actum, actus iter comprehendit: non quidem ex vocis proprietate, (nam iter solum ius eundi, actus solum ius agendi, via solum ius vehendi significat:) sed ex consequenti, quia minus in maiori comprehenditur, non contrà. Hæc trium harumce vocum proprietas est, quando de seruitute loquimur. Nam alias *via* καταχρηστικῶς accipitur pro *quouis loco, per quem ire omnibus licet*. Natiuam vocum vim spectauit quoque Pomponius, cùm in leg. si tam. XIII. de seruitut. ait: *Si tam angusti loci demonstratione factâ, via concessa fuerit, vt neque vehiculum, neque iumentum eâ inire possit: iter magis quàm via aut actus acquisitus videbitur. Sed si iumentum eâ duci poterit, non etiam vehiculum: actus videbitur acquisitus.* Ad quem locum prouocamus, siquis nobis opponere velit verba Vlpiani, qui l. I. de seruit. rust. ait: *Actus est ius agendi vel iumentum vel vehiculum.* Vbi, si proprietatem vocis spectasset, scribere debuisset: *Actus est ius agendi iumentum, non etiam vehiculum.* Sed popularem loquendi consuetudinem, non natiuam vocabuli vim spectauit Vlpianus: vti & Paullus, cùm LVII. Tit. eodem, ait, *Qui actum habet, & plaustrum ducere, & iumenta agere potest.* Item Modestinus LXII. *Actus est, vbi & armenta traijcere, & vehiculum ducere licet.* Quâ ratione nihil inter viam actúmque interesset, quia vtrumque tum agendi pecoris, tum vehiculi ducendi ius contineret. Sed de *via* vocabulo satis. A *via* & præuerbio sunt *auius, obuius, peruius, obuiam, peruiam*. Plaut. Aulul. Act. III. Sc. II.

———*Qui angulos hic omnis*
Mearum ædium & conclauium mihi peruiam facitis.

Item *viare*: vnde *viator*: quæ vox vel generatim sumitur, vel speciatim; Generatim, accipitur pro eo, *qui iter facit*. Vnde in Glossis Phil. exponitur ὁδοιπόρος. Cic. in Milon. *Quia non semper viator à latrone, nonnunquam etiam latro à viatore occiditur.* Et lib. de Fato: *Hoc modo viator quoque bene vestitus caussa grassatori fuisse dicetur, cur ab eo spoliaretur.* Speciatim verò vsurpatur pro *apparitore seu ministro publico*: cuius significationis rationem adfert Tullius in Catone Maj. *A villa in Senatum arcessebantur Curius & cæteri senes: ex quo, qui eos arcessebant, viatores nominati sunt.* Columella in præfat. lib. I. *Illis temporibus proceres ciuitatis in agris morabantur, & cùm consilium publicum desiderabatur, à villis arcessebantur in Senatum. Ex quo, qui eos euocabant, Viatores nominati sunt.* Festus: *Viatores appellantur, qui magistratibus apparent, eo quia initio omnium tribuum, cum agri in propinquo erant vrbis, atque assiduè homines rusticabantur, crebrior opera eorum erat in viâ quàm vrbe; quod ex agris plerumque homines vocabantur à magistratibus, & frequens eorum erat ab agris ad vrbem via.* Cæterùm in Glossis Philoxeni & tertia acceptio affertur pro *vici magistratu*. Exponitur enim κωμάρχης. Sed eam me reperire alibi non memini. A *viare* quoque est *viaticum*, quod Græcis ἐφόδιον, vt etiam Philoxeni Glossæ interpretantur. Ac tam Latinum quàm Græcum vocabulum, à *sumtu via ad aliarum quoque rerum apparatus* traducitur, vt Gellius docet lib. XVII. cap. VII. Eius diminutiuum *viaticulum*, quo vsus Vlpianus L. XVIII. in fine. D. de iud. Et Appuleius lib. VII. Met. Ab eodem est *viaticari*, hoc est, *viaticum parare*. Plautus, Menæchmis, Act. II Sc. I.

Viaticati hercle admodum æstiuè sumus.

Quem locum interpretatur Turnebus, lib. XVIII. cap. XV. A *via* quoque est *Viuia*. Arnobius, lib. IV. *Ab erroribus viarum Dea Viuia liberat.* Ita enim emendat Gelenius, pro quo in aliis libb. *Vibilia*. Composita à *via* sunt *biuium triuium quadriuium*. A *triuio* Diana dicta *Triuia*, vt initio libelli amphitheatri, qui creditur Martialis:

Nec Triuiæ templo molles laudantur Iones.

Hoc est, non habent Iones quod se iactent templo Dianæ Ephesino. Omnino enim *Iones* legendum, non *honores*: quamquam id retinet Marsilius, ac *honores templo* pro *templi*, vel *cum templo*, poni putat, quod probare non possum. Cur verò à *triuiis* Diana *Triuia* dicta sit, indicat Varro, lib. VI. de L. L. *Ab eo*, inquit, *Triuia, quòd in triuio ponitur ferè in oppidis Græcis*. Sed alteram mox rationem ibidem addit: *Vel*, inquit, *quòd Luna dicitur esse, quæ in cælo triuis viis mouetur, in altitudinem, & latitudinem & longitudinem.* Eodem de etymo sic Scholiastes prognosticorum Germanici: *Triuia, eo quod tribus fungatur figuris, de quâ Virgilius ait,*

———*Tria virginis ora Dianæ.*

Nam eadem Luna, eadem Diana, eadem Proserpina vocatur, id est, cælestis, terrestris & infernalis. De qua quidam:

Denique cùm Luna est, sublustri splendet amictu:
Cùm succincta iacet calamis, Latonia virgo est.

Hactenus is scholiastes, siue is Calpurnius seu Cæsius Bassus appellatus. Lactantius, lib. I. de falsa religione cap. II. ipsum Cæsarem Germanicum auctorem facere videtur. Sic enim ait: *Cæsar quoque in Arato refert Aglaosthenem dicere, Iouem cum ex insulâ Naxo aduersus Titanas proficisceretur, & sacrificium faceret in litore, aquilam ei in auspicium aduolâsse, quam victor bono omine acceptam tutelæ suæ subiugarit.* Eandem fabellam delibans Politianus cap XXVIII Miscell. eam apud Germanicum in Arateo commentario legi ait. At Germanicum non esse auctorem, cùm alia fidem faciunt, tum quod postremâ Scholiorum sectione, hoc est, pag. CXLIII. edit. Morell. scribat in hunc modum: *Iam verò, quia de eius cursu vel ordine sub breuitate diximus, restat, vt quid de ea gentiles sentiant, edicamus. Lunam gentiles Dianam, germanam solis, &c.* Quæ nonnisi ab homine Christiano proficisci potuerunt.

VIBICES sunt *excitatum verberibus corpus*, vt scribit Varro. VI. de L. L. Plautus scitè vocat *pragnantes plagas*. Originem ponit Festus: *Vibices*, inquit, *plagæ verberum in corpore humano, dictæ quòd vi fiant.* Sed de etymo meritò in Coniectaneis dissentit Scaliger: quem & Nunnesius sequitur in Conjectaneis. Volunt autem esse à Græco ἰβύκες, quod Hesychius exponit [illegible]. Ac ne locum corruptum putes, idem Hesychius ἴβυξ, exponit [illegible], (sic enim absque dubio legendum, non [illegible],) vt rectè monuit H. Steph.) ac ἰβύειν quoque interpretatur [illegible]. Ac videtur verbi huius origo esse ab aue quæ ἶβις siue ἴβυξ dicitur, vt propriè ἰβύειν sit *tundere*, vt *auis ibys*, quæ rostro pungit tunditque.

VIBRO, κραδαίνω, vt exponunt Glossæ Phil. Eo significatur *motus* vel *tremula*, vt κράδης, hoc est, *ficulnei rami*. Itaque Glossæ Cyrilli, κραδαίνω, *crispo*, interpretantur. Intellige *crispationem*, *quæ fit rei concussione, ac motu*. Perottus censet *vibro* dici quasi *vi agito*. Sed aliud est *vibro*, vt docent, quæ dixi. Minùs etiam verisimile vt fit à *vibex*: quæ sententia Ioannis de Genua in Catholico. Magis arridet Nunnesij opinio qui, vt à ῥίπτω est *purgo*, & [illegible], ita *vibro* censet esse à ῥίπτω, hoc est, *iacto proyicio*: Credo, quia *proiecta tremulum*

multum habent motum. Vel dicamus esse ab ἰβῶ, quod Ionibus notat *ferio, percutio*, vt Hesychius testatur. Nam & *percussa vibrantur*. A *vibro* est *vibrisso*, vt a *peto petisso*, apud Lucretium ac Ciceronem, & ab *appeto, appetisso*, apud Attium. *Vibrisso* naturâ suâ tam late patet, quam *vibro*. Speciatim de voce dicitur, quando *flectitur & crispatur in canendo*. Festus: *Vibrissare* (ita est in MSS[ti], non *vibrissare*) *est vocem in cantando crispare. Titinius: Si erit tibi cantandum, facito vsque exvibrisses.* Ab eodem verbo dictæ *vibrissæ*, τρίχες ῥινός, vt exponunt Glossæ veteres. Nempe quia ob spiritum, qui per nares ducitur, *perpetuò vibrissentur*, hoc est, *vibrentur, crispentur*. Hoc malim, quàm quod scribit idem Festus: *Vibrissæ*: inquit, *pili in naribus hominum, dicti quod his euulsis caput vibratur.*

VIBVRNVM à *vieo*, quia ad *viendum*, hoc est, *ligandum idonea* sint. Vnde *lenta* dicuntur Maroni:

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Vel quòd virgultum hoc aptum sit ad *cadendum*: vt sit ab *τύπω* hoc est, *τύπτω*. Strabus Gallus in horto suo latiùs vocem extendit. Nam *viburna rosæ pretiosa* appellat virgas stirpis eius quæ rosas producit.

VICIA pro *continentia* teste Festo. Vbi in plerisque libb. *vincia*. Sed *vicia* etiam est in MSS[ti] Nansij. Videtur esse à *vincendo*. At *viciam* leguminis genus, planè à Græcis esse censeo. Nam Asianis βικίον vocatur, teste Galeno, lib. I. de alimentorum facultat. cap. penult. Quod nisi esset, non displiceret sententia Varronis, lib. I. de R. R. cap. XXXI. *Vicia*, inquit, *dicta à vinciendo, quod item capreolos habet, vt vitis, quibus cum sursum versum serpit ad scapum lupini, aliúmve quem, vt hæreat; id solet vincire.* Sanè non paullò id verisimilius, quàm quod Isidorus tradit, lib. XVII. cap. III. *Vicia*, inquit, *dicta, quòd vix ad triplicem perueniat fructum, cùm alia legumina prouentum habeant fertilem: vnde & Virgilius, I. Georg.*

Aut tenuis fœtus viciæ. ———

Nec meliùs Ioannes de Ianua in Catholico, cui dictam placet, *quòd vice panis eâ in quibusdam locis vtuntur, vel quòd vitiosa*. Papias etiam geminum adfert ἐτυμολογίας vnum, *quia ad modum vitis hæreat*. Alterum, vt sit ex eo, quia est *herba victorialis, & vica est victoria antiquitus*. Respicit autem verba illa Isidori, lib. X. *Peruicax propriè dicitur, qui in proposito suo ad victoriam perseuerat. Antiqui enim vicam dicebant, quam nos victoriam: credo quòd inde dicatur herba vicia, id est, victorialis.* Videtur autem respicere Isidorus ad nomen *Vica Potæ*: quæ est dea vincendi potens. Nam à *vincendo potiendóque* esse docet Tullius, in II. de Legg. Meminit & Liuius, lib. II. vbi de domo agit Poplicolæ: & Seneca ludo de morte Claudij, *Proximus*, inquit, *rogatur sententiam Diespiter, Vicæ Potæ filius.* Vbi vide, quæ Nicolaus Faber annotauit. Non audiendi verò, quibus placet *Vicam* vel *Viciam* dictam antiquè quasi *vinciam*, à *vinciendo*, quia olim vinciebantur victi: vnde παρονομασία illa *victus vinctusque* apud Florum de Iugurtha, lib III. cap. I. *Sed ille, quamuis victus & vinctus vidit vrbem.* Eodémque locutus modo Orosius, lib VII. cap. XXXVII.

VICTIMÆ ἐτυμολογίαν triplicem adducit Festus: *Victimam*, inquit, *Ælius Stilo ait esse vitulum, ob eius vigorem: alij autem quæ vincta adducatur ad altare: aut quæ ob hostes victos immoletur.* Duas posteriores ἐτυμολογίας adducit quoque Isidorus, lib. VII. cap XIX. primæ verò loco hanc adfert, quia *ictu percussa cadat*. Quam etiam apud Papiam legas. Sed verissima est, quam Festus tertio loco ponit, quam & Ouidius probauit, vt mox parebit. Differunt *victima* & *hostia* trifariam. Primò *hostia* à quouis sacerdote immolabatur; *victima* eius tantùm manu, qui hostem ipse vicisset Ouid I. Fast.

Victima, quæ cecidit dextrâ victrice, vocatur.

Hostibus à domitis hostia nomen habet.

Atque hinc alterum quoque discrimen consequitur. Nam si *victima victoris* vnius dextrâ mactabatur, non potuit *victima* cædi, nisi hostibus *victis*: at hostia quoque esse poterat, quæ cum iretur in hostes, cædebatur. Seruius, in I. Æn. *Hostiæ dicuntur sacrificia, quæ ab his fiunt, qui in hostem pergunt: victimæ verò sacrificia quæ post victoriam fiunt. Sed hæc licenter confundit auctoritas.* Idem discrimen adducit Isidorus, lib. VI. cap. XIX. De *victimâ* conueniunt cum Ouidio: de *hostia* videntur dissentire, quia ille *victis* hostibus, hi antequam in hostem pergitur, hostiam immolari statuunt. Sed vtroque modo vsurpari euincit veterum scriptorum auctoritas. Tertium discrimen est, quòd *victima* est maior, vt vitulus; *hostia* minor, vt agnus. Itaque Cornelius Fronto his verbis differentiarum libellum claudit: *Victima maior est, hostia minor.* Isidorus quoque ibidem: *Erant*, inquit, *victimæ maiora sacrificia quam hostiæ.* Et in Philox. Glossis legere est: *Victima*, ἱερεῖα μεγάλα θύματα. *Victimarius*, μαχαιροφόρος. Confirmat & quod Ælius Stilo, Festo teste, *victimam* dicebat dici *vitulum* ob eius vigorem. Tum autem hoc Plauti, Pseudolo, Act. I. Sc. III.

Nolo victimas, minimis mendaciis placare volo.

Et ἀνεπανόρθωτον hoc Maronis:

———*Et maxima taurus*

Victima:

Quod cùm in Georgicis, tum in Catalectis legere est. *Victimare* pro *sacrificare*, semel iterúmque legas apud Appul. lib. VII.

VICTORIATVS, nummus erat argenteus, alteram denarij partem pondere & pretio exæquans: vt docet Varro lib. I. de L. L. & Volusius Metianus de ponderibus. Vsi quoque Pomponius in Pistoribus apud Nonium in *occupatus*. Cic. pro Fonteio, Quinctil. lib. VI. cap. IV. Caussam nominis adfert Plinius, lib. XXXIII. cap. III. *Qui nunc Victoriatus appellatur, lege Clodia percussus est. Antea enim hic nummus ex Illyrico aduectus mercis loco habebatur. Est autem signatus victoriâ, & inde nomen.* Idem, quia quinque valebat assibus, vt denarius, cuius dimidium est, decem; quinarius quoque dicebatur: vt indicat Varro lib. IV. de L. L. & Volusius ibidem.

VICVS à *via*, Varro, lib. IV. de L. L. *In oppido vici à via, quòd ex vtrâque parte viæ sunt ædificia.* At vici rure vnde dicantur, docet Isidorus, lib. XV. cap II. *Dictus vicus, quòd sit vice ciuitatis, vel quod vias habeat tantùm sine muris.* Sed vici nihil aliud sunt, quàm multæ domus iunctæ: eóque eadem est vocis origo, seu de vrbanis seu paganis vicis sermo sit. Nam minimè idem esse *vicum*, quod *pagum*, indicat Tacitus, qui cùm alibi *pagum vicúmque* iungit, tum libro de moribus Germanorum: *Eliguntur in iisdem conciliis & principes, qui iura per pagos vicósque reddant.* Sic igitur censeo, *vicus* esse ab Æolico Fοῖκος vel Bοῖκος pro οἶκος: vt ab ἴς, *vis*, ab ἐμῶ, *vomo*, &c. Quod nisi putarem verissimum esse, crederem, quemadmodum ex *vehia* factum *via*; ex *vehicula*, *villa*, sic & *vicus* priùs fuisse *vehicus*: vt id nomen omnibus iis sit ab *rebus ex agro aduehendis*. A *vicus* est *vicinus*, qui in eodem vico habitat: vt γείτων, quia in eadem γῇ. Estque à *vicus vicinus*; vt à *ferus, ferinus*; à *mare, marinus*. A *vicinus* est *vicinia* & *vicinitas*. Cornelius Fronto: *Vicinia vicorum coniunctio: vicinitas hominum conuersatio est.*

VIDEO ab εἴδω. Macrobius, lib. I. Sat. cap. XV. *Quod Græci ἰδεῖν dicunt, nos, V literâ additâ, videre dicimus.* Optimè Macrobius. Nam non asper solùm spiritus, (vt in ἑσπέρα, *vespera*, *inus*, *Venetus*, aliisque,) sed interdum & tenuis spiritus mutatur in *V*, vt ἰταλός, *vitulus*; οἶνος, *vinum*; ἦρ, *ver*, &c. Vide *Ventus*, & *Vis*. At ἰδεῖν, quod tum *videre*, tum *scire* notat, est ab Hebræo ידע, *scire, cognoscere*. A *video* est *prouideo*, vnde *prouidus*, & *prouidens*, ex quo *prudens*. Scaliger tamen ad Varronem censet, vt ab ὄζω est ὀσφραίνω, hinc *odor*: ita à φράζω, *considero*, esse προφράζω, vnde πρόφρων, hinc *prudens*. Sed prius est simplicius. Et fauet Cic. primo de Legg. *Quæ virtus ex prouidendo est appellata prudentia.* Inde *imprudens*, non *prudens*, vel valdè *prudens*. Priscianus, in XIV. *Est quando significantiæ causâ assumitur præpositio, vt Virgil. in I. Georg.*

Nunquam imprudentibus imber

Obfuit.

Ab eodem est *inuidere*: vnde *inuisus*. Ac in hisce vocibus etiam præuerbium nunc negat, nunc auget. Priori modo *inuisus* est *non visus*, quomodo Tullius Orat. de Harusp. respons. dixit: *Occulta, & maioribus non inuisa solùm, sed etiam inaudita sacra.* Locuti quoque eodem modo Seneca & Appuleius. Sed quia quos odimus, æquo animo videre non possumus, hinc accipi solet pro *exoso*. Vtramque significationem complexus Philoxenus in Glossis: *Inuisus*, ἀόρατος, μισητός. At lusit eius vocis ambiguitate Tullius, cùm inquit, *Res mihi inuisæ, visæ sunt, Brute.* Nam etsi *visis* opponat, non tamen ἀόρατα, sed μισητὰ intelligit. Auget verò præuerbium *IN*, cùm *inuidere* notat φθονεῖν. vnde dicta *inuidia*, & *inuidentia*. quorum illud ambiguum est, ac tam actiuè quàm passiuè accipitur: hoc actiuè tantùm. Cicero, lib. III. Tusc. quæst. *Etenim si sapiens in ægritudinem incidere posset, posset etiam in misericordiam, posset in inuidentiam: non dixi in inuidiam, quæ tum est, cum inuidetur: ab inuidendo autem inuidentia rectè dici potest, vt effugiamus ambiguum nomen inuidiæ, quod verbum ductum est à nimis intuendo fortunam alterius, vt est in Menalippo:*

Florem quisnam liberum inuidit meum.

Malè Latinè videtur, sed præclarè Attius; vt enim videre, sic inuidere florem rectius, quàm flori dicitur, nos consuetudine prohibemur: poëta ius suum tenuit, & dixit audacius. Hæc Tullius. Aspiciunt autem inuidi aliena bona oculis non rectis, sed prauis, straborum in morem: vnde scite dixit Lucillius:

Nulli me inuidere, non strabonem fieri saepe oportet istorum.

Et Varro Hexatabulis περὶ ἐπαγγελιῶν *Multi enim, quæ lumina intrarant*

traxerant integris oculis, strabones facti sunt. Habet enim quiddam ἰλλωπικὸν prouincialis formosula vxor. Horat. lib. I. epist. XIV.

Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat.

Ac possis cum viro erudito eodem referre istuc eiusdem, Od. II. lib. II.

Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat aceruos.

A *videre* & *licet* est *videlicet*; quomodo *scilicet* est *scire licet*, *ilicet*, *ire licet*. Donatus in Adelph. Act. III. Sc. IV. Ita iis vocibus vsos veteres, ostendit Giffanius Indice Lucretiano in *Scilicet* & *Videlicet*.

VIDVA, vnde dicta sit, variè disceptatur. Iabolenus scribit putâsse Labionem (eum quem Horatius insanum vocat, vulgi magis quàm sapientum iudicium secutus,) sic appellatam à *ve*, hoc est, *sine*, & *duitas*: quæ Græcis δυὰς, vulgo *dualitas*. Nempe existimabat, quomodo *vecors* est *sine corde*; *vesanus*, *sine sanitate*, ita & *viduam* dici, quæ est *sine duitate*, hoc est, quæ sola viuit, non in matrimonio, in quo duo sunt, maritus & vxor. Iaboleni locus corruptè legi solet: sed emendauit eum Ioh. Bapt. Pius annot. poster. cap. LII. Est & altera ἐτυμολογία. Macrobius enim, lib. I. Saturnal. cap. XV. putat *viduam* dici à *ve*, hoc est, *valde*, (quomodo & in *vemens*, aliisque ea particula auget,) & Thusco verbo *iduare*, hoc est, *diuidere*: vnde & *Iduum* nomen. Verba Macrobij sunt, lib. I. Sat. cap. XV. *Nobis illa ratio nominis vero propior æstimatur, vt idus vocemus diem qui diuidit mensem. Iduare enim Etruscâ linguâ diuidere est, inde vidua, quasi valde idua, hoc est, valde diuisa: aut vidua, hoc est, à viro diuisa.* Vnde verò sit *iduare*, diximus voce *Idus*. A *viduus* vel *vidua* est *viduuium*. Gloss. Philoxeni: *Viduuium* (*b* pro *v* ponitur ex more posteriorum seculorum) ἀγάμιον χρέος. Leg. χρῆμα. Hoc autem ex eo loco colligimus, haud secus ac æs, quod, qui vxorem nunquam duxerant populo pendebant, *vxorium*, Festo teste dicebatur; sic pecuniam quæ *viduitatis* caussâ pendebatur, *viduuium* esse appellatam. Nam ἀγάμιον, *mulcta, pœna*: vt est in Glossis Cyr. At perperam Glossæ Isidori, vbi *viduuium* exponitur *viduitas*: & *qua duos habuit maritos*. Etiam *viduertas* dicimus. Paullus: *Viduertas calamitas dicta, quòd viduet bonis*. Ita etiam est in Nansij MSS[is]. Si Nonium audimus, pro *vidua* etiam *biuiram* veteres dixere. Probat hoc isto Varronis, Lege Menia: *Ad biuiram venio. Cum vellem ostendere quid vellem; Metamelos, Inconstantiæ filius, me reprehendit.* Sed aliter accepit Isidorus in Glossis, vbi est, *Biuira, secundo coniux*. Et sane ἀναλογία hoc requirit. Sic dixere *bimaritus*, hoc est, δίγαμος, vt exponit Onomasticum vetus. Sin omnino placet Nonij sententia, dicendum *biuiram* non esse à *bis*, numerali aduerbio, sed à *dis*, præpositione loquelari, quæ diuisionem ac separationem indicat, vt in *discindo*, *dispesco*, *dimarito*. Vt à *dis* aduerbio est *bis*: D in B abeunte: sic à *dis* præuerbio & *vir* fuerit *biuira* pro *diuira*.

VIDVLVS est *marsupium*: vnde θυλακογεσσ exponitur in Onomastico. Martinio placet sic dici, quia crebrò videatur, vel à *via*, & *do*, siue antiquo *duo*, quia in *vidulo* recondatur pecunia quæ ob viam datur peregrinaturis.

VIERE est *inflectere, vincire, ligare*: vt exponit Varro, lib. IV. de L. item Festus, & Nonius. Græcis πλέκειν. Itaque *Viere Veneri corollam*, quod est apud Ennium Sotadico, nihil aliud est, quàm *plectere coronam*. *Viere* autem dicitur, non à *vi*, vt quidam putarunt, sed à βίω, quod Æolicum est pro μίω. Æoles enim μ conuertunt in β. Vt pro μύρμηξ, βύρμηξ, à cuius accusatiuo βύρμηκα, *formica*. Similis mutatio in τέμβρος, si nomen est à *Temeno* Arcade inuentore: vt ait Artemidorus, lib. II. cap. III. atque ex eo Suidas, sed dissimulato illius nomine, vnde refert. Videtur & sic *hibernus* dici pro *hiemernus*, ab *hiems*. Μίω verò est *ligo*. Vnde Hesychius: μίτωσαι, περιτίθεσαι. A μίω sunt μίτος, *filum*, quia eo aliquid ligatur, & μίτρα, quo vel medium corpus vel caput cingitur: qua de re alibi. A *vio* est *vimen*, teste Festo. Sic vocatur *virgultum aptum ad viendum*, Vt à *sternendo stramen*; à *latando latamen*; à *fluendo flumen*; sic à *viendo vimen*. Varro lib. I. de R.R. *Vt habeas vimina, vnde viendo quid facias.* Hanc ἐτυμολογίαν adducunt quoque Donatus, & Marius Victorinus, vt mox parebit. A *vimine vasa viminea*. Item *viminea sylua*. Ab ea autem *mons Viminalis*: non à *Viminio Ioue*, qui ipse à loco sic dictus. Varro tamen aliter, lib. IV. de L. L. *Collis*, inquit, *Viminalis à Ioue Viminio, quòd ibi ara sunt eius, aut quod ibi viminata fuerunt.* Sed meliùs Festus: *Viminalis porta & collis appellabantur, quòd ibi viminum sylua fuisse videtur, vbi est & ara Ioui Viminio consecrata.* A *viendo* quoque *vitex*; vt a *latendo latex*. Quia nempe ramuli viticis sunt lenti & flexibiles, atque ad viendum apti. Hinc quoque *vitilia*, quæ *viendo* fiunt: vt *sunt iuga*, quæ fiunt *viendo*. Sic *vitiles apium aluos* dixit Varro. Etiam vt a *fuendo futor*; sic a *viendo vitor*. Glossæ Philox. *Vitor*, ταλαροπλόκος hoc est, ὁ τὰ ταλάρια, qui Latinis *doliarius*. Sic Arnobius, lib. II. *scirpiarum vitores* dixit, vt est in MS° regiæ Bibliothecæ in Gallijs. In Onomastico veteri legas, *Vieo*, λυγίζω. *Vietor*, λυγιστὴς quæ si recta, vt *cieo* & *cio*, sic *vieo* & *vio* dixerunt. Et sanè *vieo* quoque dixerunt, si inde est *vietus*: vt censet Donatus ad illud Eunuch. Act. IV. Sc. IV.

Hic est vetus, vietus, veternosus senex.

Vietus, inquit, *mollis flaccidúsque, & flexibilis corpore; vnde & vimina & vimenta & vites & vietores dicuntur, & viere, religare dicitur; quia vietis virgis magis religare possimus quidlibet. Lucretius aranea dixit vietam vestem, hoc est, putri mollitia præditam.* Arminius placet eorum sententia, qui *vietus* à *vi* deducunt: quia apud Festum legere sit: *Vietus, languidus, sine* (MSS[i] *fine*) *vi, & naturalibus priuatus viribus.* Quæ notionem, non ἔτυμον continent. Glossæ Philoxeni exponunt: μεμαρασμένον, hoc est, *marcidum*. Ab eodem *viere vieti* dicuntur *canthi* siue *ferrei circuli*, *quibus rotas solent viere*, hoc est, *vincire muniréque*. Marius Victorinus in arte Grammaticâ, cap. de Poeticâ: *Vates, quod verba modulatione connectat. Viere enim connectere est, vnde vimen dictum virgulti species, & vitis in rotâ.* B. Augustinus in Dialect. Legendum enim: *Via dicitur à flexu, quia flexum vehiculi incuruum vietum veteres dixerunt: vnde vites, quibus cancho ambiantur rotarum ligna, vocant.* Sic optimè restituit ad Persium Casaubonus, cùm in vulgatis pro *vites* sit *vietos*. Etiam in Glossis Græco Lat. col. 191. leg. Κανθὸς τροχοῦ. *Vitus*. Vbi vulgati *Vtus*. Etiam de etymo falsi Victorinus & Augustinus. Nam *vitus* est ab Æolico Ϝἶτυς, vel βίτυς pro ἴτυς. Quomodo Homero vocatur τροχὸς ἀμφιδίνης. In excerptis etiam ex veteribus Glossis col. CCLII. inter ea quæ ad agriculturam pertinent, reponitur *betus*, quod exponitur ... Vbi *vetus* legi posset, ni obstaret lemma eius capitis. B. Vulcanius legit, *vitus*, ἀψίς. Sed nimis recedit à vulgata. Quare dicendum, esse errorem Glossographi, qui *vitus* & *vetus* confudit.

VIGEO, θάλλω, ἀκμάζω, vt exponunt Philoxeni Glossæ. Est id nomen à *vi*. Imò fortasse non simplex est deriuatum, sed compositum, quasi *vi ago*. Id censuit Festus: *Vigeo*, inquit, *dictum videtur à vi agendo, sed non* (ita quoque est in MSS[is] Nansij) *in agendis hostilibus rebus, verum in his, quæ celerrimo concitatoque animo ad bonam tendunt frugem.* Puto ab eadem origine esse *vegeo* quod præter Pomponium, Ennium, Varronem, quos Nonius adducit, vsurpant Lucretius, lib. V. & Sallust. initio Catilin. A *vigeo* est *vegetus*, vt à *floreo floridus*, à *torreo torridus*, &c. Quomodo *vegetum* & *viuum* differant, Nonius docebit. A *vegetus vegetare*: vnde philosophi animam & facultatem vegetatiuam dixere, quâ viuitur. Itaque Cicero, I. Tusc. *Fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat, diuina mallem ad nos. Quæ autem diuina? vigere, sapere, inuenire, meminisse.* Obertus Giffanius in Obseruationibus L. L. ait se nescire, quid *vigere* significet in his Tullij verbis. Atqui idem valet ac *vitâ præditum esse*, sed discrimine tamen eo, quòd *vitam* intelligit *propriam ac perpetuam, quâ diuina antistant humanis*.

VIGIL iuxta Papiam, compositum est, diciturque quasi *vi agilis*: iuxta Perottum simplex deriuatum à *vigeo*: iuxta Becmanum, ab ἀγαμαι, vnde ἀγαμένω. Non displicet Perotti sententia. Nam vt ab *ago agilis*; ita à *vigeo vigilis*, & per apocopen *vigil*: quomodo a *consulo consulis* esset, pro quo *consul* simili apocope dicitur.

VIGINTI ab Æolico Ϝίκατι, pro εἴκοσι. N insertum, quomodo à παχὺς & δασὺς sunt *pinguis* & *densus*; a λείχω, & σχίζω, *lingo*, & *scindo*, &c. Est autem εἴκατι Doricum pro εἴκοσι. Quippe Doribus moris est conuertere σ in τ, vnde pro σὺ dicunt τύ, inde Latinorum *tu*; pro σοῖ τοί, vnde fortassis *tuus*; pro εἰσὶ, ἐντὶ, vnde est Latinum *sunt*. Hygenus tamen Augusti libertus, initio libri de Limitibus constituendis, arbitratur *viginti* esse ex *duogenti* vel potiùs *duigenti*. Vt à *duis* est *bis*; à *duonum*, *bonum*; à *duellum*, *bellum*. D enim in B, B in V consonum abit. Non multum ab hac sententia abit Tonstallus, initio lib. I. de arte supputandi, atque alij, qui censent *viginti* dici a *bis*, quasi *biginti*, atque id patere ex *triginta*, *quadraginta*, & similibus, in quib. *ginta* signat *decem*; vt *genta centum*, quemadmodum patet ex *quadraginta* & *quadringenta*, *quinquaginta*, & *quingenta*, & similibus. Sed meo iudicio multimodis falluntur. Nam illa in *genta* esse à *centum* patet ex *ducenta*, *trecenta*, *sexcenta*, in quibus C remansit. cùm contrà in *quadringenta*, *quingenta*, & similibus, C post N *euphoniæ*

causâ abeat in G : quod immutationis genus, cùm exemplis adductis, tum &, quod *ango* dicamus pro ἄγχω, probat Priscianus, lib. I. cap. de literarum numero & permutatione. At si *viginti* similiter Latinam habet originem, vnde erit illud *ginti*? aut cur *viginti* per *I* dicimus, *triginta*, *quadraginta*, per *A*? Scio nullam idoneam caussam allaturos, qui voces has ortu Latinas volunt. At nobis, qui Græcam iis originem damus, in mundo est ratio, ob quam id fiat. Nam fit idem apud Græcos, quibus εἴκοσι est *viginti*, τριάκοντα *triginta*, ἑξήκοντα *sexaginta*, ὀγδοήκοντα, & Ionicè ὀγδώκοντα, *octoginta*; & in aliis, in quibus Latini O in *I* mutarunt, quomodo iidem à κῶνος fecere *cinus*, ab ὄμβρος, *imber*, ab *in loco*, *illico*, &c. Atque his quoque refelluntur, qui cum Papia putant *viginti* esse ex *bis* & *genitis* : quia numerus is gignatur ex bis denis.

VILIS, iuxta Papiam, à *villa*, quia rustica sordent præ vrbanis. Martinius deducit à φαῦλος, *vilis*, *prauus*. Possis & deducere à *pilus*, aut *villus*. Nam quæ *vilipendimus*, ea *pili* aut *villi* loco ducimus : quâ ratione dicimus *flocci facere*, tralatione plane geminâ.

VILLVS, *pili collecti, ac flocci vestium*. Philox. Gloss. *Villus*, μαλλός. Ac similiter Gloss. Cyr. in quibus & μαλλωτός, *villosus*. Putat Papias esse à *velando*. Malim ego à *vellendo*, quâ ratione ab eodem *vellus* venit. Vel fuerit ab ἴλλω pro εἰλῶ, *conuoluo*, vt notet *pilos conuolutos*. Vel deriuemus a *pilus*. Nam *p* & *v* consonum sæpe commutantur. Nec obstat, quòd liquida geminetur, cùm idem fiat in *capillus*: quod dicitur quasi *capitis pilus*. Vel denique, quod maximè placet, vt à *varus vallus*, ab *bira hilla*, à *vinum villum*, sic à *vinnus villus*. *Vinnus* est *cincinnus molliter flexus*, vt Isidorus exponit, lib. III. cap. XIX.

VIMEN, à *viere*, vt δεῖν τὸ δεσμεῖν, *ligare* : de quo alibi.

VINCO Papiæ placuit esse a *vi*, quia qui *vincit*, *vi* superat. Haut inepte. Potiùs tamen censeo esse à νικῶ. Quamquam obscuriorem eam faciat ὑπερβολογίαν, quòd duæ priores literæ μετάθεσιν sint passæ. Insuper præmissum *v*, quomodo ab ἰξὸς est *viscus*; ab ἰταλὸς, *vitulus*; ab ἐμῶ, *vomo*, &c. A νικῶ est ἐπινίκιον, vt apud Tranquill. Nerone, *Cantaturum epinicia*, hoc est, carmina de partâ victoriâ. Ab eodem est *niceterium*, νικητήριον. Id victorum erat præmium, quod *ob victoriam fiebat*, *& de collo pendens gestabatur* : vt scribit vetus Iuuenalis interpres in illud Sat. III.

Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.

Idem interpres inibi scribit, *niceteria* quoque vocari *fyllateria* : quod monstrum verbi est. Omnino autem legendum *filacteria* seu *fylacteria*, quod placet, vt sit Græcum φυλακτήρια, quod à φυλάσσειν, id est, *custodio*, puta à *seruato populo*. Sunt & propria, quæ ab eo descendant. Φερενίκη, pro quo vulgò dicimus *Veronica*. Item à δῆμος & νίκη, *Demonicus*, & inverso vocum ordine *Nicodemus*. Item à λαὸς & νίκη, *Laonicus*, & simili inuersione *Nicolaus*. Germanis idem exprimit nomen *Volcwinus*. Nam *volk*, populus; *winnen*, vincere. Vidimus de iis, quæ veniunt à Græco νικῶ. At à *vinco* dicta *victima* & *prouincia*. De vtroque agimus separatim. *Victoria* quoque à *vincendo* dicitur, non quia eam *vi* adipiscamur : quæ sententia est Isidori, lib X. cap. II. Nec à *vinciendo*, quamuis ita Varro, lib IV. de L. L. *Victoria*, inquit, *ab eo quod separati vinciuntur*. De more hoc, diximus aliquid in *VICIA*. Hinc *Victoriatus*, nummi genus apud Romanos, de quo separatim.

VINDICO geminam notionem habet, quam Diomedes adfert, lib. I. his verbis : *Hoc verbum non pro defendo veteres dicebant, sed pro animaduerto & punio, vt Sallustius : Nisi vindicatum fuerit in noxios. Et in Catilina, vindicatum in eos, qui contra imperium pugnauerant. Vindico* & *vendico* origine differre volunt : nam vt *iudico* Varroni, lib. IV. de L.L. est à *ius* & *dico*; ita *vindico* esse à *vim* & *dico*; sed *vendico* esse à *venum*, vnde & *vendo* ac *venundo*; eòque *vendicare* propriè dici de dominio, quod emtione nobis acquirimus. Ita Perottus, & alij. Ego semper *vindico* dicendum censeo : quomodo & ea vox scribitur in Pandectis Flor. & lapp. antiquis. Estque *vindicatio* à *vi* dicta, quia & vi fit, & aduersus *vim* : quemadmodum indicat hic locus Ciceronis II. de Inuent. *Vindicatio est, per quam vis, & iniuria, & omnino quod obfuturum est, defendendo aut vlciscendo propulsatur.* Sed κατ' ἐξοχὴν hæc vox accipitur de actione, quâ *vim* & iniuriam propulsamus aduersus eos, qui nobis res nostras aut ius in rebus ereptum eunt. Vtrumque enim *vindicatio* dicitur, & cùm rei nobis dominium asserimus, & cum pignori nobis obligatam esse contendimus, vnde hypothecaria actio *vindicatio pignoris* vocatur, leg. XVI. §. in vindicat. ff. de pignoribus. A *vindico* est *vindex*, vt à *indico index*, ab *indico index*. *Vindex* speciatim appellatus, qui, cùm cuipiam esset iniecta manus, vt ad prætorem iudicemve duceretur, eum liberabat. Hæc Festi mens, cum scribit : *Vindex ab eo quod vindicat, quò minùs is qui prensus est, ab aliquo teneatur.* Atque ita vsurpatur in legg. XII. Tabb. ASSIDVO VINDEX ASSIDVVS ESTO : PROLETARIO, CVI CVI VOLET, VINDEX ESTO. Sententia est, homini assiduo siue locupleti solum locupletem fieri posse *vindicem* seu sponsorem : at proletario ac nullius classis homini, quisquis velit, hoc est, non locupletem tantùm, vtpote meliorem, sed etiam proletarium, tanquam parem. A *vindicando* quoque dictæ *vindiciæ*; vt ab *indicando indicium*. Ac confirmatur hoc etymon eo, quod Liuio, lib. III. *vindicare* sit *dare vindicias secundùm libertatem*. Quare non placet eorum sententia, qui à *Vindicio* seruo originem arcessunt : quâ de sententiâ Liuij locum inferiùs adferemus. Quid *vindiciæ* fuerint, docet Festus : *Vindiciæ*, inquit, *appellantur res eæ, de quibus controuersia est, aut potius dicuntur vindiciæ inter eos qui contendunt.* Priorem Festi interpretationem sequuntur vett. Critici in Glossis Philoxeno tributis. Siquidem in iis legas : *Vindigesta*, (omninò *Vindiciæ* scribendum,) τὰ ἐν ἀμφισβητήσει πράγματα. Etiam Seruius Sulpicius nomine singulariter formato *vindiciam* dixit, Festo teste, qui & addit, *vindiciam ab eo definiri rem, de qua controuersia est.* Sed clarissime quid *vindiciæ* sint, docet his verbis Asconius in III. Verr. *Lis vindiciarum est, cum litigatur de re apud prætorem, cuius incertum est quis debeat esse possessor. Et ideo, qui eam tenet, satisdat pro prade litis vindiciarum aduersario suo; quo illi satisfaciat, nihil se deterius in possessione facturum, de qua iurgium esset. Rursus sponsione ipse prouocatur ab aduersario certa pecunia, aut æstimationis, quam amittat, ni sua sit hereditas, de qua contendit. Prades ergo dicuntur satisdantes locupletes pro re, de qua apud iudicem lis est : ne is, qui tenet, diffidens caussæ, possessionem deteriorem faciat, tecta dissipet, excidat arbores, & culta deserat.* A *vindicando* quoque dicta *vindicta* : quâ de voce ita Priscianus, in XVIII. *Vindico in vtraque significatione inuenitur, tam pro ulciscendo, quàm contra lædentem accipiendum : vnde vindicta non solùm pœna, sed etiam liberatio accipitur. Persius :*

Vindicta postquam meus à prætore recessi.

Vnde & assertio tam à seruitute in libertatem, quàm à libertate in seruitium trahi significat : quod apud Plinium in multis legimus locis. Vindicta pro *liberatione* dicebatur, quia hâc serui *vindicarentur*, hoc est, assererentur in libertatem. Quidam tamen olim putarunt id nomen accepisse à *Vindicio* seruo, qui cùm patefecisset nobilium adolescentum (quos inter Bruti liberi) de reducendo Tarquinio coniurationem, libertate & ciuitate donatus est. Liuius, lib. II. *Secundùm pœnam nocentium, vt in vtramque partem arcendis sceleribus exemplum nobile esset, præmium indici, pecunia ex ærario, libertas & ciuitas data. Ille primùm dicitur vindicta liberatus, quidam vindictæ quoque nomen tractum ab illo putant; Vindicio ipsi nomen fuisse; post illum obseruatum, vt qui ita liberati essent, in ciuitatem accepti viderentur.* Quo loco pro *Vindicio* legendum *Vindici*, vt ex Plutarcho & Dionysio constat. Sed quod ad etymon, non à *vindice* est *vindicta*, sed à *vindicando*. Quippe, Boëthio teste, erat ea *virgula quadam, quam lictor manumittendi serui capiti imponens, eundem seruum in libertatem vindicabat*, dicens quædam verba solemnia. Verba ea, vt ex Constantino Harmenopulo constat, hæc erant : *Profitemur hunc præsentem hominem esse liberum & ciuem Romanum.* Græca Harmenopuli verba sunt : Φαμὲν τὸν παρόντα ἄνθρωπον εἶναι ἐλεύθερον καὶ πολίτην Ῥωμαῖον. *Vindicta* voce sic vsus Persius loco, quem Priscianus adduxit è sat. V.

Vindicta postquam meus à prætore recessi.

Et pòst :

An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat.

Festuca ab eodem vocatur eầpse satyrâ, cùm ait

Non in festuca lictor quam iactat ineptus.

Ac similiter vsus Plautus, Mil. act. IV. sc. I.

Quid? ea ingenua an festuca facta, serua an libera est?

Indéque *exfestucare* pro *abdicare*, *honoreve alteri abrogare*; in legg. Alemanorum & Saxonum eorúmque temporum historiis. Plura de *vindicta* vide apud Alexandrum ab Alexandro, lib. IV. cap IX. Guljelmum Fornerium, lib. I. Select. cap. V. & Iacobum Ræuardum, lib. IV Varior. cap. X.

VINVM à *vi*, vt quidem scribit Varro, IV. de L. L. Sic autem dicetur, quia *vim inferat menti*. Vnde Plinianum illud, *Sapientiâ vino obumbrari*. Aliis placet *vinum* dici quasi *vitinum* à *viti*. Erythræus, in Indice Virgiliano, voce *Imago* : vbi & ma-

gnam adfert vocabulorum turbam, quæ similem sunt passa συγκοπήν. Quanquam autem in nonnullis cum ratio fugit quemadmodum suis locis ostendimus: tamen, quia plura sunt, quæ rectè annotauit, locum integrum apponere, pretium operæ duxi. *Imago, inquit, quasi imitago, facta literarum subtractione dicitur. Sic pessum unde pessundare dicimus, contractum est à pedessum, maior à magnior, maximus, & inde maximus, à magnissimus, taberna à tabulerna, tablinum à tabulinum, venter à vehenter, lautus à lauatus, pabulum à pascibulum, panis à pascinis, pasta à panista, vimen à vitimen; flumen à fluimen, tegmen à tegimen, semen à serimen, discrimen à discernimen, prosa à promissa, fœnum à fouenum, fœtus à fouetus, postes à positer, tela à texula, cliens à coliens, strages à stratages, stragulum à stratagulum, stramen à stratumen, sarculum à sarrisulum, nuper à nouper, sequium à sequaculum, caussa & causa à cauisa, momentum à mouimentum, & eiusmodi non pauca. Nec verò dictiones literarum tantùm subductione, sed & mutatione contrahuntur. Nam, quæso, quid nunc est vultus (vt pauca attingam,) nisi quod olim fuit voluntus? quid coxa, nisi coissa? quid ferculum nisi fericulum (nulla hîc mutatio?) quid fortuna nisi forentuna? quid denique terra pulla, nisi putrilla? hoc est, putrida, resolubilis, quæque sæpius aratro versa in puluerem abiit, qualis est terra Campana, vt inquit Columella, quæ hautquaquam nigra est, vt quidam imperitè arbitrantur, sed putris & quæ arando in puluerem resoluitur.* Hæc olim in Erythræo legebamus: quæ post cum exscripsisse animaduerti ex Iouiani Pontani Actio, imprimis è fol. CXXIX. edit. Ald. Sed nec huic Pontani ac Erythræi sententiæ subscribo: verùm plane censeo *vinum* dici ab οἶνος: οἶνος verò esse à Punico ac Hebræo *iain*, יין, quod & sensit doctissimus Angelus Caninius. Erit verò eâ ratione ab οἶνος *vinum*, quâ quibusdam placet *via* esse ab οἶμα, omissâ præpositiua, & præmisso *V* more Æolum, quos Latini imitari amant. A *vinum* est *vinulum*, vnde *villum*; vt ab *vnus*, *vnulus*, *vllus*; à *benus*, *benulus*, *bellus*. *Vinulum* etiam adiectiuè accipitur pro *venusto blandóque*: quod nempe *vini* instar in sensus animúmque hominis suauiter permanet. Itaque Nonius exponit *illecebrosum*. Vsus Plautus, Asin. Act. I. Sc. III.

Oratione vinulâ, venustulâ.

At censet Simo Bosius à Cicerone quoque vsurpari epist. XVI. lib. IV. ad Att. Sed Ios. Scaliger ad oram codicis, quem habeo, manu sua emendabat, *rem habes tinnulam*, id est, *claram*, vt dicatur παρὰ τὸ τίνειν. Imò Ianus Duza in Centurionatu suo, ne apud Plautum quidem *vinula* legit, quam lectionem Turnebus ac Lambinus secuti: verum *vinnula*: quæ vox propriè significat *flexuosam instar vinni*, hoc est, *cincinni*: μελῳδεῖν autem dicitur de oratione suauiter inflexa qualis est in minuritionibus cantus, siue in chromati à Musicâ prout Boëthius appellat. Prora & puppis Duzianæ huius interpretationis est locus hic Isidori lib. III. Orig. cap. XIX. *Vinnolata vox est lenis & mollis, atque flexibilis. Et vinnolata dicta à vinno hoc est cincinno molliter flexo.* Sanè *vinnula* etiam in vtroque Nansij MS° Festo perscribitur. Ad *vini* deriuata redeamus. Ab eo dicta *vinacea*, nempe granula, quæ in vuarum acinis. Onomasticon exponit γίγαρτα. Ab eodem *vinalia*, *dies quo vinum nouum Ioui libabant*, vt ait Festus. Item hinc *vineus*, vnde *vinea*: vt naturâ suâ id adiectiuum esse pateat. A *vineis* autem rustici castrenses nomen acceperunt. Annæus Cornutus apud Cassiodorum lib. de Orthograph. *Vineas per E quidam scribendas tradiderunt si has significarent, quas in agris videremus: at contrà per I vinias illas, sub quibus latere miles solet, quod discrimen stultissimum est. Nam neque aliunde vineæ castrenses dictæ sunt, quàm quòd vineis illis agrestibus similes sint.* Hæc Cornutus. A *vinea* dictus *vinitor*, non à *vino*. At à *vino* est *vindemia*, nempe à *demendo vino*. Varro, lib. IV. de L. L. *Vindemia, quod est vini demia, vel vitis demia. Vindemiator, vel quod vinum legere dicitur, vel quod de vite id demit.* Iocosè autem ad vocis *vindemia* exemplum *virgindemia*, vel potius *virgidemia* finxit Plautus, Rudente, Act. III. Sc. II. Virgarum apparatum, vel demtionem, vel decerptionem ob verbera interpretatur Nonius, qui & Varronem Agathone vsum docet.

VIOLA nonnullis ita dici placet, quia *iuxta viam crescat*. Sed Perottus quadruplicem originem ponit. At enim vel per ἀντίφρασιν dici, quasi *minimè violandam* vel quia *minimè violanda*, vel à *vi olendi*, quod etymon hausit ex Isidori lib. XVIII. cap. IX. Vel per diminutionem à Græco ἴον. His duas alias addere est ex vulgaris Lexicis, in quibus legas, vel sic dici, quòd manibus, dum carpitur, *violetur*, atque adeo pedibus conculcetur, vel dici *violam* quasi *vitulam*, propterea quòd poëtæ fabulentur florem hunc in pabulum *Ius* puellæ, iam in vitulam conuersæ, à terra fuisse effusam, ac Græcis similiter à puellæ nomine ἴον appellari. Quin & plerique volunt eundem florem hâc ipsa occasione *vaccinium* appellari; vt à *vacca* sit *vaccinium*, quomodo à *mucco* est *muccinium*. Sanè *vaccinia* violas esse scripsit Seruius ad illud II. Ecl.

Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Ac similiter Gloss. Phil. vbi legas, ἴον λευκόν, *ligustrum*; ἴον μέλαν, *vaccinium*, ἴον ἄνθος, *viola vaccinium*. Verum falli hosce indicat istud Ecl. X.

——*Quid tum si fuscus Amyntas?*

Et nigræ violæ sunt & vaccinia nigra?

Vbi manifestè distinguit. Idem facit Vitruuius, lib. VII. cap. XVII. *Tinctores cùm volunt sil Atticum imitari, violam aridam coniicientes in vas cum aquâ, conferuescere faciunt ad ignem*, &c. Et mox: *Eadem ratione vaccinium temperantes, & lac miscentes, purpuram faciunt elegantem.* Quódque ad originationem censet Leonartus Fuchsius *vaccinia* esse, quæ Galeno lib. II. de alimentorum facultatibus, cap. XIII. τὰ βάτινα τῶν μόρων appellantur, quæque Ouidio I. Met. dicuntur.

——*In duris hærentia mora rubetis.*

Hoc si est, videri queat Latinorum *vaccinia* à Græco βάτινα, vel βάτινα. Aut quia mora illa agrestia similia sunt bacciis, à *bacca* erit *vaccinium*, *B* in *V* conuerso, vt sæpe alias. Sed omnino fallitur Fuchsius cùm *vaccinia* flores sint, non fructus, vt argumento est, quod inter flores semper ponit Virgilius. Quare assentio Ruellio, Matthiolo, Dodonæo, aliisque, qui *vaccinia* hyacinthum esse censent. Fauent his Glossæ Philox. in quibus est, *vaccinium*, ἄγριον, ὑάκινθος. Similitérque Gloss. Cyr. Ὑάκινθος ἄνθος, *vaccinium*. Vt omnino verisimile *vaccinium* esse ex Græco ὑάκινθος. Nempe vt priùs fuerit *vacinthium*, hinc *vacinium*. Quod vero ad genuinam *violæ* originationem, qui aliquo in hisce rebus iudicio valent, facilè vident ab ἴον *violam* esse *viola*. Spiritus tenuis mutatus in *V*, quomodo ab ἰταλὸς est *vitulus*; ab ἱμῶ, *vomo*; à νικῶ, *vinco*, vbi & μετάθεσις: ab ἴς, *vis*; ab οἶκος, *vicus*; & similia. Ἴον verò vnde sit, mirus dissensus est. Iuxta poëtas ei nomen dederit *Io* in vaccam conuersa, quemadmodum ante retulimus. Alij ex Nicandro tradunt, sic dici, quòd Nymphæ quædam *Ionia*, eum florem Ioui primùm donarint. Alij suspicantur, esse ab ἰέναι, *ire*, nempe ob eam causam, ob quam à *viela violam* dici censent, vt diximus: vel à *vi* τοῦ ἰᾶσθαι, *sanandi*: vel quia non crescat ἴον, hoc est *solum*, quod apud Eustathium est. Sed istis, vt valde incertis, non insisto. Ab ἴον & ἄνθος, id est, *flos* est ἴανθος, quod Hesychios ait esse ἄνθος & χρῶμα τὸ πορφυροειδές. Ab eo *ianthinus*, id est, *violaceus*. Plinius, lib. XXI. cap. VI. *Violis honos proximus: Earum plura genera, purpureæ, luteæ, albæ: plantis omnes, vt olus, satæ. Ex iis verò, quæ sponte apricis & macris locis proueniunt, purpureæ, latiore folio, statim ab radice carnosâ exeunt, solaque Græco nomine à cæteris discernuntur, appellatæ Ia, vt ab his Ianthina vestis.* Martial. l. II. ep. XXXIX:

Coccina formosæ donas & ianthina mœchæ.

Hinc idem *Violantillam*, quæ Statij Papinij amica erat *Ianthidem*, Græco nomine, appellat lib. VI. epigr. XXI. lib. VII. epig. XIII &c.

VIPERA Isidoro, lib. XII. cap. IV. aliisque Grammaticis dicta videtur, quòd *vi pariat*. Nam, vt Plinius scribit, lib. X. cap. LXII. *Terrestrium vipera sola intra se parit oua vnius coloris, & mollia vt pisces. Tertiâ die intra vterum catulos excludit: deinde singulos diebus singulis parit, viginti ferè numero. Itaque cæteri tarditatis impatientes perrumpunt latera, occisâ parente.* Viperinos catulos è matris lateribus cum interitu eius erumpere, scribunt quoque Nicander, Plutarchus, Appuleius in Magiâ, Horus lib. II. pluresque alij, quos auctores laudat Cœlius Rhodiginus, lib. VI. cap. XLII. Atque ab hac opinione est; quòd parricidæ culeo cum *vipera*, simiâ, cane gallóque insuti in mare vel flumen proiicerentur: quo de more fusè Christ. Colerus in parergis cap. II. & Melior Hamenvelro ad lib. II. Dositheí. Apollonius tamen apud Philostratum, lib. II. cap. VII. refert *viperam* esse visam serpentes, quos pepererat, lambentem quasique expolientem. Atque addit: οὐ γὰρ ξυγχωρήσω τῷ ἀνοήτῳ λόγῳ, ὡς ἀμήτορες αἱ τῶν ἐχιδνῶν τίκτονται. οὔτε γὰρ ἡ φύσις ξυγχωρεῖ, οὔτε ἡ πεῖρα. *Non enim assentior imprudenti eorum sermoni, qui viperarum fœtum absque matre nasci putant. Id enim neque natura admittit, neque experientia comprobat.* Eadem sententia Maximi Tyrij. Quare rectiùs illi, qui *viperam* dici aiunt quia *latere soleat in vepre*, hoc est, *vepre*. Nam *vipre* & *vipretum* crebrò inuenias in codd. MSS^{is}. Et Germanis *vipera* propterea dicitur *heckenater* qua *veprium natrix*. Rectiùs quoque qui *viperam* dici aiunt, quasi *viuiparam*) quia sola è serpentium genere (quamquam idem de cerastis scribat Brodæus lib. VI. Misc. cap. XI.) *viuum pariat animal*. Hac de re integrum caput concinnauit Guil. Canterus, lib. VI. Var. Lect.

Sed

Sed ante eum iamdudum idem obseruarat Franciscus Massarius, annotationibus in lib. IX. Plinij.

VIPIO Hispanis dicitur *minor grus*. Plinius, lib. X. cap. XLIX. *In Balearibus insulis buteo accipitrum generis in honore mensarum est, item vipiones, sic enim vocant minorem gruem.* Quæ etsi Hispanica vox sit, originem tamen habet Græcam, à Latinis inductam. Nam *vipio* ex πιπίων, vel *pipio*. Sic columborum pulli *pipiones* dicuntur Lampridio in Alexandri vita.

VIR à *vi* non quòd *vi agat feminam*: sed quod *maior in eo vis est, quàm feminis*: vnde & à *viro virtus* nomen accepit. Vtramque nominis caussam ponit Isidorus, lib. XI. cap. II. Non insuauis autem consideratio est, quomodo *vir* sit à *vi*: *vis* à Græco ἴς, quod idem notat: hoc ab Hebræo איש, id est, *vir*. Ita Latini *virum à vi*, Græci contra *vim à viro* dixerunt. Quemadmodum autem Hebræis ab איש, quod *virum* notat, *feminam* vocant אשה, ita Latinis eadem à *viro* dicta *vira*: vnde *vira Querquetulana*: Estque à *viro virago*, ex hoc autem κατὰ συγκοπὴν factum *virgo*. Festi hæc auctoritate comprobemus: *Querquetulanæ viræ putantur significari nymphæ præsidentes querqueto virescenti: quod genus syluæ indicant fuisse intra portam, quæ ab eo dicta sit querquetulana. Sed feminas antiqui quas nunc dicimus, viras appellabant. vnde adhuc permanent virgines & viragines.* Itaque optimè doctissimus socer meus Fr. Iunius. in suâ bibliorum tralatione, sic vertit locum Genes. II. *Hæc vocabitur vira, eo quòd hæc ex viro desumta est.* Quo de loco sic B. Hieronymus, quæstionibus in Genesin: *Hæc vocabitur mulier, quoniam ex viro sumta est. Non videtur in Græco & in Latino sonare, cur mulier appelletur, quia ex viro sumta sit: sed etymologia in Hebræo sermone seruatur. Vir quippe vocatur* איש, *& mulier* אישה. *Rectè igitur ab* איש *appellata mulier* אשה. *Vnde & Symmachus pulchrè etymologiam etiam in Græco voluit custodire, dicens: αὕτη κληθήσεται ἀνδρὶς, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη αὕτη: quod nos Latinè possumus dicere, hæc vocabitur virago, quia ex viro sumta est.* Hæc Hieronymus. Sed *virago* minus appositum videtur, quia non ἁπλῶς *feminam* notat, sed eam *quæ animo aut robore virum refert*: quæ Græcis ἀῤῥενωπὸς καὶ ἀνδρόμορφος dicitur. Nempe, vt agrestis cunila *cunilago* vocatur, quia similis *cunilæ*: sic *virago*, similis *viri*. Eóque errat Papias, qui compositum putabat; ac sic dici, quia *virum agat*. Cui etymo & modulus syllabæ refragatur. A *viro* est *virilis*, vnde *veretrum* Plinius vocat *virilia*. quomodo idem mulierum naturam *muliebria* appellat. Sed *virilia* etiam ἁπλῶς *virum*. dixit Catullus de Aty:

Itaque vt relicta sensit sibi membra sine viro.

Neque aliter accipit Plautus Asin. Act I. Sc. III.

Quin si tu voles, domi serui qui sunt, castrabo viros.

Ac Arnobius quoque ita locutus aliquoties. A *viro* quoque mulier *viri* appetens dicitur *virosa*. Afranius Diuortio:

Vigilans ac solers, sicca, sana, sobria.
Virosa non sum, & si sim, non desunt mihi,
Qui ultro dent. ætas integra est, forma satis.

Appuleium quoque, lib. IX. Met. *virosa* hac significatione dixisse, putat Coluius: vbi in vulgatis est *vitiosa*. At *virosa* primâ productâ est à *virus*. quomodo Maro dixit, I. G.

———*Virosaque Pontus*
Castorea.

Nec *viri potens* semper est à *viro*, sed interdum à *viribus* id nomen factum. Priori modo *viri potens* dicitur virgo

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.

Atque ita vsus Labeo, l. LXV. D. de don. inter vir. & vxor. *Quod vir ei, quæ nondum viripotens nupserit, donauerit, ratum futurum existimo.* Et Papinianus, l. CI. D. de condic. & demonst. *Cùm ea priusquam viripotens fieret, vitâ decesserit.* At à *viribus* id nomen est, cùm Plautus, Act. II. III ait:

Ioui opulento, inclyto, Ope gnato, supremo, valido, viripotenti.

A *vir* & *bis* conflatum est *Virbius*; quomodo dictus est *Hippolytus*, eò quòd ab Æsculapio vitæ fuit restitutus. Hanc quoque originationem commemorant Glossæ veteres in Pers. Sat VI. & Adamantius Martyrius apud Cassiodorum de Orthographiâ, qui tamen & alias etymologias adfert. Nam cùm dixisset, dici *Virbium, quoniam virum bis factum esse memorant*; addit hæc verba: *Quidam virum bonum, alij verò Virbium, tanquam sit ἀπὸ ἀρετῆς, alij deum esse, qui viribus præsit, interpretantur.* Vide Ouid. XV. Met. fab XLV. vbi hæc inter alia:

———*Quique fuisti*
Hippolytus, dixit, nunc idem Virbius esto.

Sunt huius originis *duumuiri*, *treuiri* seu *tresuiri*, item *triumuiri*. qui multiplices: vt capitales, monetales, nocturni. Sed de his omnibus illi, qui de magistratibus Romanis scripsere.

VIRGA plerisque sic dici videtur à *vi sua in ligando, verberandóque*: quod apud Isidorum, Perottum, alios legas. Sed rectiùs iisdem deducitur à *virendo*, vt Græcis θαλλὸς, *ramus*, à θάλλω, *vireo*. Dicta autem quasi *viriga*, simili συγκοπῇ ac *virgo* factum ex *virigo* si est à *vireo*; vel ex *virago*, si est à *vira*. A *virga* sunt *virgator* & *virgatus*. Caue enim hæc verbalia credas, cùm *virgare* Latinum non sit. Similia sunt *columnatus*, *tunicatus*, *paludatus*, &c. *Virgator* autem dicitur, *qui virgis cædit*. Vsus Plautus, Asin. *Virgatus* est *virgis cæsus*, quomodo Val. Flaccus lib. II. ait:

———*Nostrosque toros virgata tenebit*
Et plaustro direpta nurus.

Alios *virgatus* est *virgarum in modum distinctus*, ac *quibusdam variegatus lineis* quas Græci ῥάβδους, vocant: vt ex Polluce discimus. Sic dixit Sillius lib. V.

Corpore virgato tigris: ———

Et Seneca Hippolyto: *Tigres virgatæ.* Parrhasius ad Claudianum ῥαβδωτὸν ἐπίθετον tribuit Maroni. Sed huius est:

Virgatis lucent sagulis.———

A *virga* est *virgula*; vnde *virgultum*, βλάστημα. vt exponunt Gloss. Phil. & Cyr. φρύγανον, vt Onomasticon interpretatur. Dicitur quasi *virguletum*, simili syncope ac à *carice* & *salice* dicimus *carectum* & *salictum*. Falsus Varro, cùm l. IV. de L. L. scribit: *Virgultum dicitur à viridi, idque à vi quadam humoris, quæ si exaruit, moritur.* At Papias omnino ineptè, qui compositum putat. *Virgultum*, inquit, *quod ex virga tollitur: Nam ramus dicitur, qui de ipso robore exit: virga verò, quæ de ramis.* Eiusdem originis est *Virgarius*, qui *virgas* fert. Gloss. Cyr. *Virgarius lictor*, ῥαβδοῦχος. Item *primus virgarius*, qui *primus* est *virgâ*. Est enim primus siue summus lictor. Glossæ vett. Πρωτοραβδοῦχος, *Primivirgarius*.

VIRGILIÆ dictæ, quòd *virgula mora porrigantur*. Sanè Græcis itidem a figura βότρυς quoque appellantur. Festo tamen, imò & Isidoro, lib. III. cap. LXX. magis placet, ita dici à *vere*, quòd *extremo vere oriantur*: ita vt earum ortu ver desinat, æstas incipiat. Eædem sunt, quæ *Pleiades*: quæ ita dictæ ἀπὸ τοῦ πλεῖν, quia *exortu suo indicant tempus nauigationi idoneũ*. Idem apud Arati Scholiastem legas: sed addit tria alia, vt dicantur. quia *vtiles ad motũ*, vel quia πλησίον ἀλλήλων, quia *prope se inuicem posita*, vel à πολεῖν, *quòd vertantur in orbem*. Apollonij interpres ita dictas ait à *matre Pleione*, quæ Atlantis vxor, Oceani filia fuit: (quod etiam apud Hesychium legas:) vel potiùs παρὰ τὸ πλεῖν, ὅ ἐστι ἐν αὐταῖς σημαίνεσθαι χειμῶνος καὶ θέρους. At alij ex eo nomen arcessunt. quia sint πλείονες, hoc est, *plures*. Hinc Cæsar Germanicus in Aratea *Pleiades à pluralitate Græci vocant.* Et B. Gregorius in Iob. lib. XXIX. cap. XXVII. *Pleiades sic ἀπὸ τοῦ πλειόνων, hoc est, à pluralitate vocatæ sunt, ita vicinæ sibi, & diuisæ sunt conditæ, vt & simul sint, & tamen contingi nequaquam possint.* Maro *Pleiadas* vocat *Pliadas*. Ita enim in antiquis codd. legi III. Æn. testatur Pierius:

Arcturum, Pliadásque Hyadas, geminósque Triones.

Nempe altera vocalis è diphthongo ει extrita; quod Græcis frequens. At in vulgatis est *pluuiasque*.

VIRGO à *viridi ætate* dicta videtur Seruio Ecl. VI. Atque hanc is caussam esse autumat, cur Maro *virginem* appellat *Pasiphaen*, quæ iam mater erat Phædræ. Ariadnes & Androgei. Angelus Caninius, in Hellenismi Alphabeto arcessit à Pœnis Hebræisque. Sed simplicissimè deduci arbitror à *vira* vnde *virago*, & per syncopen *virgo*. Eadem Festi sententia est. cuius verba adduximus in *Vir*. Propriè autem dicitur hæc vox de iis, *quæ non cognouere virum*, quales à Plauto Pœn. *puræ* vocantur, Act. I. Sc. II. Maro autem vsus καταχρηστικῶς, vt in Oratoriis diximus. Quin Ecclesiastici scriptores etiam *viris* tribuunt *Venerem non expertis*: quemadmodum copiose libro dictum nobis: nunc duo tantùm loca ponam tunc intacta nobis. Tertullianus, lib. de velandis virginibus, cap. V. de Eua ait: *Ex viro sumta est, & ipso adhuc virgine.* Petrus Chrysologus, serm. CXLVIII. *Inducta virgo induit virginem mox maritum.* A *virgine virginal* dicitur genitale siue id, quâ mulier est. Prudentius: *Intactum ab omni crimine virginal.* Vtitur quoque Solinus, cap. IV. Appuleius in Apolog. August. lib. XXII. de Ciuitate Dei cap. VIII. agnoscunt & Glossæ Isidori. Similiter à *feminâ* est *feminal*. quod idem notat. Vsus Appul. II. Met & in Apol. Vtrumque autem & *virginal* & *feminal* κατ' ἀποκοπὴν, factum ex *virginale* & *feminale*: quâ nempe ratione *capital*, *Minerual*, aliáque id genus fiunt ex adiectiuis in *IS* & *E* exeuntibus. Imò etiam substantiua similem patiuntur apocopen. Nam à *sale* est *sal*; & forte à *strigili*, *strigil*, &c. *Virginensis dea*, quæ habita sit à stultis nationibus, docet Augustinus, lib. VI. de Ciuit. Dei cap. IX. *Si adest Virginensis Dea, vt virgini zona soluatur: si adest Deus subigus, vt viro subigatur;*

tur : si adest Prema, vt subacta ne se commoueat : Dea Pertunda ibi quid facit ?

Viriæ, & ἀποκρεμαστὰς *viriola, brachialia*, vt exponunt Glossæ Isidori. Gloss. Philox. *Viriola*, κλανια, ψέλια, περιχείρια. Gloss. Cyr. ψέλιον, *viriola, armilla*. Habes vocem eam, l. xiv. ff. de contr. empt. & l. vlt. ff. de auro mundo. Corrigendus Isidori locus, lib. xix. cap. xxxi. *Armillæ propriè virorum sunt collata victoriæ causa militibus ob armorum virtutem. Vnde & quondam vulgo viriliæ dicebantur*. Legendum enim puto *viriolæ*. Sanè *viriolæ* armillæ virorum, indéque & nomen, non à *virore* : etsi quidam putarint eo notari *virides gemmas*, quales auro potissimùm includebant. Vnde Martialis, lib. ix, epig. lx.

Et virides picto gemmas numerauit in auro.

Vnde & alibi *virentis auri* dixit de auro, cui gemmæ virides insertæ. Sed nihil hæc ad *virias* & *viriolas* : quæ, vt Glossæ exponunt, erant ψέλια seu ψάλια, atque ex ebore sæpius erant. Vnde Strabo, lib. iv. ἐλεφάντινα ψάλια, *eburneas viriolas* vocat. Apud Hesychium est, ψάλια, κρίκοι, δακτύλιοι. κρίκους vocat Eratosthenes apud Plutarchum in fine vitæ Demosthenis ; vbi ait eum ἐν κρίκῳ κοίλῳ τὸ φάρμακον φυλάσσειν· τὸν δὲ κρίκον ὅνπερ τότε αὐτῷ φορεῖν περιβραχιόνιον. De *viriolis*, si voles, vide & Alciatum Παρέργ. Iur. lib. iv. cap. xviii. & Turnebum, lib. xiv. cap. iii.

Viridis putat Iul. Scaliger exercit. cccxv. sic dici à *vegeto aspectu*, compositque eam vocem ex *vireo* & *idos*. In quo planè fallitur. Nam *viridis* non compositum est, sed deriuatum à *vireo*. *Dis* vocis productio est, vt *DVS* in *calidus* à *caleo* ; *LIS* in *facilis* à *facio*. *Vireo* autem dicitur à *vis* seu *vigore*. Nam virent plantæ, quæ necdum arescunt, sed in suo sunt vigore. Nisi cum Becmano malis *viridis* deducere ab Hebræo חרה, id est *viror* : vel cum Martinio à פרה, aut Chaldæo פרא, *fructus ferre*, quia virentia ferè eò tendunt, vt fructum producant. A *viridis* dicta *viridaria*, quæ & à ... *viridia*. Sic autem *prata arboretáque* ob *virorem* appellantur. Vitruuius, lib. vi. cap. vi. *Vti viridia per spacia fenestrarum prospiciantur*. Seneca, epist. lxxxvi. *Cisternam ædificiis ac viridibus subditam, quæ sufficere in vsum vel exercitus posset*. Aliquoties quoque sic vtitur Plinius, lib. v. epist. vi. ad Apollinarem. Ad eandem significationem pertinet locus Macrobii, l. i. Sat. cap. iv. vbi docet, *viridia*, cùm ἐπίθετον est, velut cùm dicimus *viridia prata*, facere genitiuum *viridium* : at quando αὐτὸ οὐσιαστικὸν sumimus, vt cum *ipsam loci viriditatem* significare volumus, facere *viridiorum* : vti cùm dicimus, *formosa facies viridiorum*.

Virtus à *viro*, quasi *viritus*, κατὰ συγκοπήν, quomodo à *volo* est *volitus*, atque indè *voltus*, pro quo nunc dicimus *vultus*. Varro, iv. de L. L. *Virtus vt viri vis à virilitate*. Vbi cum Iosepho Scaligero legere malim : *Virtus vt viritus à virilitate*. Est autem id nomen à *viro* factum, non quia nullæ sint sequioris sexus virtutes, sed quia propriè hac voce signetur *animi fortitudo*, quæ *viri* propria est. Glossæ Philoxeni : *Virtus*, ἀρετὴ ἀνδρεία. ἰσχύς. δύναμις. Iraque à *probitate* plurimùm differt, vnde Ouidius *probitatem* in vxore agnoscit, at requirit *virtutem*. quia non auderet pro marito apud Augustum aut Liuiam intercedere. Ita enim scribit lib. iii. de Ponto, el. i.

Nota tua est probitas, testatáque tempus in omne,
Sit virtus etiam non probitate minor.

Id autem *virtutis* nomine à poetâ intelligi quod dicebamus, docent versus plusculi qui sequuntur. Sæpè etiam accipitur de *fortitudine militari*. Attius :

Melius est virtute ius : nam sæpè virtutem mali
Nanciscuntur : ius atque æquum se à malis spernit procul.

Locuti similiter Cicero, Sallustius, alii, apud quos legimus, *virtute belli, virtute armorum*, &c. Neque nesciuit hoc loquendi genus Sulpitia in satirâ, cùm ait,

—— Duo sunt quibus extulit ingens
Roma caput, virtus belli, & sapientia pacis.

Græcis eodem modo ἀρετὴ propriè *fortitudinem* significat, quod & ἐτυμολογία indicat, cùm sit ab Ἄρης, hoc est, *Mars*. Sanè videntur veteres solam *fortitudinem* admirati, aut saltem eam rebus omnibus antepoſuiſſe. Hæc eo quoque confirmari arbitror, quòd ex Grammaticorum sententiâ ἀγαθὸν dicant Græci pro ἀγαστόν, quasi *rebus gestis admirabilem*, ab ἀγάζω, hoc est, θαυμάζω : & contra κακὸν dixerint quasi *timidum & imbellem*, à χάζω, hoc est, *cedendo*. quod item ἀρείων propriè sit *fortior* ; & ἄριστος, *fortissimus* ac *maximè Martialis*, ab Ἄρης. βελτίων item à βάλλω, hoc est, *iacio*, quia robore in iaciendo præstat ; κρείσσων item, ex quo κράτιστος, & κρατερός, à κράτος, hoc est, *robur* : ac par ratio in aliis quibusdam.

Virus, ac *vires*, eiusdem sunt originis, nempe à *vi*. Etsi autem pro *fætore* aut *noxia vi* sumatur plurimùm, generatim tamen designat *rei cuiusque vim natiuam*. Itaque Seruius in illud i. Georg.

Ille malum virus serpentibus addidit atris :

Bene, inquit, *ad discretionem epitheton addidit. Nam virus & bonum, & malum est, sicut venenum*. Latè vsus Plinius, lib. xxxiv. cap. xiv. *Sola hæc materia* (ferri) *virus ab lapide* (magnete) *accipit, retinétque longo tempore, aliud apprehendens ferrum*. Ita legitur is locus in antiquâ Parmensi anni mcccclxxvi. In Dalecampiana pro *virus* est *vires*. Similiter vsurpat Statius in i. Silu. in Soteriis pro R. Gallico :

—— Iungam ipse manus, atque omne benignè
Virus, odoriferis Arabum quod doctus in aruis,
Aut Amphrysiaco pastor de gramine carpsi.

Veteres hoc nomen etiam inflectebant, vt *viri viro*. Lucretius, lib. ii.

———— Tetri primordia viri.

Et eodem :

Concoctósque suo contactos perdere viro.

A *virus* est *virosus*, primâ porrectâ. Nam cùm eam corripit, est à *Vir*. De vtroque in *Vir* diximus.

Vis à nonnullis, eósque inter Alciato, lib. viii. Παρέργ. Iuris, cap. xxviii. à βία venire placet, vt β conuertatur in *V* consonum, quomodo à βόλω siue βούλομαι est *volo* ; à βαίνω, *venio* ; à βιβρώσκω, *vescor* ; à βορός, *vorax* ; à βοῶ, *voco* ; pluráque id genus, vt in *Vado* & *Viuo* diximus. Sed assentio Terentiano Mauro, qui cap. de *syllabis* docet *vis* esse ab ἶς ἰνός, conuerso tenui spiritu in *V*, quomodo ab ἐμῶ, *vomo* ; ab ἔαρ, ἦρ, *ver*, &c. Nempe Æoles, quos Latini sequuntur, vocali præmittunt *F*, vel β. Itaque pro ἶς dicunt ϝὶς vel βίς, vnde *vis*. Ἶς propriè est *fibra* aut *neruus* : sed quia robur in neruis consistit, ideo etiam pro *vi* seu *robore* vsurpatur. Scaliger in priorem de Plantis, perperam cum altero Aristoteli tributum, pag. lii. edit. Crispin. *Antiquos Græca vsos voce mutatâ liquidâ in suam congeneram, auctor Festus, qui exilem vocat ῥὶς ἶνας. Ab eorum officio, quibus musculi contexuntur, & nerui, dicta fuit ἶς. Cui nos addidimus Æolicum digamma, vt VIS fieret*. A *vis* sunt *vires* : cuius diminutiuum *viricula*. Onomast. *Viricula*, ἰσχύς. Vbi perperam ἰχθύς editum. Et fortasse ex eo *viriculum*, teli genus. Idem Onomast. *Viriculum*, αἰχμή. Etiam à *vis* est *violo*, vt à βία βιάζομαι. Item *violens*, vel *violentus*, vt ab *ops opulens* vel *opulentus*. *Violens* vsurpat Horatius, Od iii. lib. iii. & epist. x. lib. i. De *opulens* suo loco diximus.

Viscum seu *viscus*, *gluten aucupum*. ab Æolico ϝισκὸς seu βισκὸς, pro ἰξὸς, quod idem significat. Latini Æoles sequuntur. Vnde est, quòd non asperum tantùm spiritum in *V* conuertunt, quomodo ab Ἕσπερος est *vesper*, sed & lenem, vt ab ἐμῶ est *vomo* ; ab ἰταλὸς, *vitulus* ; ab ἄλω, *valeo* ; ab ἐσθής, *vestis* : quemadmodum etiam diximus in *Ventus*. Obiter addo Druidis nihil fuisse *visco*, & arbore in qua gignitur, si modò sit robur, sacratius, vt Plinius scribit, lib. xvi. cap. xliv. Aiunt & Druidas solitos fuisse per suos adolescentes *viscum* suum anni principio mittere, quo viso clamarent omnes annum esse nouum, atque hinc manasse, quòd iuuenes hodieque anni principio ostiatim discurrentes, stipémque carmine poscentes, appellent id *aguilaneuf*, quasi *A gui l'an neuf*, id est, *ad viscum annus nouus*. Eóque referunt versum hunc auctoris nescio cuius. (Ouidio tribui video à Cambdeno in Britannia, & P. Merula in Cosmographicis.)

Ad viscum Druidæ, Druidæ cantare solebant.

Hanc Gallicanæ istius vocis originationem Merlino Sanctogelasiano Engulismensi, ad quem Longolii extant epistolæ, acceptam refert Elias Vinetus, notis ad Ausonii Professores, carm. iv. Eandem & alii adducunt, eósque inter Goropius Becanus, Gallicorum lib. v.

Viscus, *visceris*, σπλάγχνον, siue *intestinum* : quamquam latius patet. Nam *viscus*, *quicquid sub cute* : vt est apud Seruium in vi. Æn. Idem Seruius in i. Æn. *Viscera non tantùm intestina dicimus, sed quicquid sub corio ; vt in Latinis visceratio dabatur, id est, caro. Est autem nominatiuus hoc viscus, huius visceris : vt Lucretius,*

—— Viscus gigni sanguénque creari.

Viscus igitur *caro ipsa*. Quomodo & Tullius in Tusculanis ait, in ἀγωνίᾳ Laconica sanguinem è *visceribus* defluere : vbi *carnes cuti subiectas*, non *intestina* intelligi satis liquet. Isidorus, lib. xi. cap. i. censet *viscera* dici à *viscum* : cuius etymi hanc caussam adfert, quòd sint *viscosa*, & *visci* instar corpori agglutinentur. Meliùs dixeris, *viscus* dici quasi *vescus*, à *vescendo*. Nam carnibus vescimur. Et pleraque ex intestinis non in cibum modò, sed etiam in deliciis. A *visceribus* est *visceratio*, ἡ κρεωδοσία. Nempe *epulum*, quod fiebat ex *visceribus* siue *carnibus immolatis*. Quale describit Maro, lib. viii.

Tunc lecti iuuenes certatim, araque sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum. ——

Vbi clarè etymon respexit. Subiungit deinde,

—— *Onerantque canistris*
Dona laboratæ Cereris, Bacchúmque ministrant.
Vescitur Æneas simul, & Troiana iuuentus,
Perpetui tergo bouis, & lustralibus extis.

Postremo versu indicat, quid *viscerum* nomine intelligatur. *Viscerationis* voce vsus & Seneca epist. XIX. *Sine amico visceratio, leonis ac lupi vita est.* Nempe olim, quoties victimam mactabant, vel conuiuium celebrare moris erat, vel è victimâ ad amicos partes mittere. A priori more est, quòd in Glossis *visceratio* exponitur εὐφρασία, hoc est, *lætum epulum.* Nam vt est in Glossis Cyr. εὐφραίνω. *lætor.* εὐφραίνω, *lætifico. epulor.* εὐφρασία *epulatio.* Ab carnium verò diuisione *visceratio*, in iisdem Gloss. Græco-Latinis, exponitur, διανομή, κρεῶν. Et in Glossis vett. Argentorati cum Calepino olim excusis, similiter legas: *Visceratio, κρεανομία. Euiscerare* est *exenterare.* Vnde vetus poeta apud Cic. II. Tusc. Quæst. *Euisceratus latere pendens saxa spargens tabo, sanie, & sanguine atro.* Vbi tamen Turnebus mauult *visceratus*, quod interpretatur *discerptus, dilaniatus.* Vide eum, lib. XXIII. cap. III. Sed omnino *euisceratus* dicitur, *cui viscera exempta.* Sic ibidem ex Sophoclis Trachiniis:

Accede, nate, adsiste, miserandum adspice
Euisceratum corpus laceratum patris.

Vbi metrum planè requirit *euisceratum.* Est enim trimetrum. At Solinus voce eâ aliter vsus, cui vnio è concha *euisceratus* dicitur, cùm è conchæ visceribus extractus. Ammianus lib. XXII. conchas dicit *euisceratas* parere vniones. Sed videtur corrupto Solini codice vsus, vel ipse deprauatus.

VISVLA, genus *vitis*, apud Columellam, lib. III. cap. II. *Visula fructus*, inquit, *nisi primo quoque tempore maturè legantur, ad terram decidunt humeribus etiam, priùs quàm defluant, putrescunt.* Forma vocis videtur diminutiua, & hæc Columellæ descriptio exiguas ei tribuit vites. Quare fortasse contractum ex *viticula*, *T* in *S* abeunte vt sæpe. Nisi malis deriuatum esse à *vi*: vt *sula* vel *vla* sit vocis productio.

VITAM à *vi* dictam probat Varro, IV. de L. L. illo Lucillii versu:

Vis est vita, vides, quæ nos facere omnia cogit:

Siue, vt est in aliis libris:

—— *Vis nos facere omnia cogit.*

Eò, vt bene monuit Stevvechius, respicit Arnobius, cùm lib. V. ait: *Tunc sancta & feruentia numina vim vomuisse Lucilly ac regem Seruium natum esse Romanum.* Idem etymon adducit ac eopse Lucillii versu firmatum it Isidorus, lib. XI. cap. I. Sed addit ille, vel à *vigore* sit dici. Verùm neutrum probare possum. Nam omnino *vita* est à βιοτή, κατὰ συγκοπὴν vnius vocalis. *B* enim in *V* abire insolens non est. Sic à βοῶ est *voco*; à βόσκω, *vescor*; βαδίζω, *vado*; ab ὄροβος, *eruum*, pluráque huiusmodi. Nec magis *viuo* à *vi* dictum puto: sed à βιῶ, itidem nempe β in *V* conuerso. In medio autem inseritur *V*, vt in *scæuus* à σκαιός, in *æuum* ab αἰὼν, in *seruus* ab antiquo ἔρος, multísque aliis, quæ suis locis annotauimus. A *viuendo* dictum liquet *viuarium*, quomodo nominatur locus in quo feræ pascuntur, siue ad quæstum, siue ad venationem ac voluptatem. Quemadmodum autem à *viuis feris*, *viuaria* dicta, ita & à Varrone *leporaria* vocata à *leporibus*, & à Scipione *roboraria*, quia *septa* e *robore* essent. Vide Gellium, lib. II. cap. XX. De *viuario*, quod Romæ pone castrum prætorium extra Vrbis mœnia inter portam Nomentanam & Tiburtinam erat, scripsit Onuphrius Panuinus, lib. II. de ludis Circens. cap. VI & VII. A *viuo* quoque est *victo*, vnde *victito*, vt *dictito* à *dicto*, quod à *dico.* Veteres *victo* dixisse probatum it Meursius isthoc Plautino, Capt. Act. I. II.

In occulto miseri victant succo suo.

Ita enim ni legatur, numeros ait claudicare, quia primâ sede erit bacchius. Cæsar Scaliger tamen retinet *victitant*, quod in vulgatis, ac primâ sede anapæstum statuit, eiecto *C* altero ex secundâ voce. A *viuo* est *viuidus*, vt à *fluo fluidus*; à *marceo marcidus.* Hinc *viuidum merum*, pro *meraco*, quod Græcè ζωρὸν, hoc est, ἄκρατον. Nam ζωρὸν, Græcè similiter quasi ζωηρὸν, κατὰ συγκοπὴν. Martialis, lib. VIII.

Hic scyphus est, in quo misceri iussit amicis
Largius Æacides viuidiúsque merum.

Ita rectè restituit Scaliger ex MSSis, in quibus erat *inuidiúsque.* Hoc est quod ζωρότερον κέραιε, siue κέρασον, dixere Homerus Iliad. I. Ephippus apud Athenæum, lib. X. & alii. A *viuo* quoque est *conuiuo*, συμβιόω. Vtuntur Plautus & Quinctilianus. Indè *conuiua*, σύνδειπνος, συμπότης. Item *conuiuium.* Cicero de Senectute: *Bene enim maiores accubationem epularem amicorum, quia vitæ coniunctionem haberet, conuiuium nominarunt, meliùs quàm Græci, qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem vocant.*

VITILIGO Arnobio, & aliis, ἀλφὸς, prout exponunt Philox. Glossæ. Quamquam & eædem *alopeciam* interpretentur. sed hæc aliud est, etsi in hoc conueniant, quod vtrobique excidant pili. At in Cyrilli Glossis exponitur λευκοπάθεια. Festus de ea hoc modo: *Vitiligo in corpore hominis macula alba: quam Græci ἀλφὸν, vocant, à quo nos album; siue à vitio dicta, etiamsi non lædit; siue à vitulo propter eius membranæ candorem, quâ nascitur inuolutus. Lucillius:*

Hæc odiosa mihi vitiligo est, non dolet inquit.

Pro priori etymo est, quòd in Cyrilli Glossis *vitiligo*: pro altero, quò in Philoxeni Glossis, imò & vtroque MSo Festo Nansii *vitiligo* scribatur. Prius malim. Nempe à *vitium* est *vitiligo*, vt à *fumus fumiligo*; ab *vdus vdiligo.* Sed pro his per syncopen *fuligo*, & *vligo* dicitur.

VITIS à *vino*, vt gemino loco scribit Varro, IV. de L. L. Sed rectiùs Donatus in Eunuch. Act. IV. IV. qui *vimen* & *vitis* esse ait eiusdem originis; nempe à *viere*, quod Festus *alligare.* Nonius interpretatur *vincire* & *inflectere.* Sanè *vitis* lenta est, facilèque flectitur, vnde & ea centurionum erat insigne, quo milites cædebant. Plinius, lib. XIV. extremo cap. I. *Quid quod inserta castris summam rerum imperiúmque continet? Centurionum in manu vitis, & opimo præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis pœnam ipsam honorat.* Epitomator Liuii, lib. LVII. de Scipione Africano: *Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset vitibus, si extraneus, virgis cecidit.* Iuuenalis Sat. VIII.

Nodosam post hæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigrâ muniret castra dolabrâ.

Sillius, lib. XII.

Ennius antiquâ Messapi ab origine regis
Miscebat primas acies, Latiaque superbum
Vitis adornabat dextrâ decus.

Martianus, in l. milites agrum. XIII. D. de re milit. *Irreuerens miles non tantùm à tribuno vel centurione, sed etiam à principali coërcendus est. nam eum, qui centurioni castigare se volenti restiterit, veteres notauerunt. si vitem tenuit, militiam mutat. si ex industria fregit, vel manum centurioni intulit, capite punitur.* Vetus Iuuenalis Scholiastes ad illud Sat. XIV.

—— *Aut vitem posce libello:*

Vt, inquit, *centurio fias, da libellos. nam vitis insigne centurionum est.* Græcè dicitur κλῆμα aut ῥάβδος. Plutarchus in Galba: τὸ κλῆμα, ᾧ κολάζουσι ἑκατοντάρχαι τοὺς στρατιώτας, διαφέρων, ἐπιγέγραπται. Nec aliter vsus Eusebius, lib. VII. cap. XIV. quo de Marino agit iam Christiano, & mox futuro martyre. Τιμὴ τίς ἐστι παρὰ Ῥωμαίοις τὸ κλῆμα, οὗ τοὺς τυχόντας φασὶν ἑκατοντάρχους γίνεσθαι τὸν κολάζοντα. Sic optime is locus interpungitur in edit. Rob. Stephan. At Christophorsonus interpres & quidam alii male postrema duo verba ad sequentem reiiciunt periodum. Nec enim omnes, qui *vitem* gestarent, centuriones erant: vt vel ex eo patet, quòd euocatis quoque hæc daretur: vt testatur Dio. Quare datio eius solùm fuit designatio ad centurionatum, qui dabatur, simul ac vacaret locus. Sic igitur vertendum: *Est quidam honos apud Romanos, quem vitem nominant, quem qui adepti sunt, eos centuriones fieri aiunt, cùm vacat locus.* Atque id apertè comprobant, quæ apud Eusebium sequuntur. A *vitis* est *viticula*, quo ἀγγεῖον quidem notatur *exigua vitis*; accomodatum verò & *flagellis* seu *capreolis vitium*, & κατὰ μεταφορὰν etiam *herbarum* quasi *capreolis*, quibus alia prehendunt & amplectuntur. A *viticula* autem alterum est diminutiuum *viticella*, de qua sic Isidorus, lib. XVII. cap. IX. *Viticella herba appellata, quòd, sicut vitis, quicquid proximum fuerit, apprehendat corymbis, quos annulos appellamus.*

VITIVM, quia *vitandum*, sic dictum creditur. *Vitare* quasi *vi auertere.* Ab eo *euitare*, pro *fugere, effugere.* Item *inuitare*, quod interpretantur *non vitare.* Sed non quemcumque non vito, hunc inuito. Verior igitur, meo iudicio, interpretatio fuerit, vt *inuitare* sit *blandâ vi ad se allicere.* Interdum autem & *inuitare* & *euitare* non à *vi* aut *vito* sunt, sed à *vita.* Ennius:

Hæc omnia vidi inflammari.
Priamo vi vitam euitari.

Hoc est, Priamo *vi eripi vitam.* Plautus, Casin. Act. III. Sc. VI.

—— *Gladium*
Ancilla Casinam habere ait, qui me atque te inuitet.

Ita MSSi vett. tanto consensu, vt de lectionis veritate nullus dubitem. Possit & *inuitare*, cùm de *conuiuiis* dicitur, à *vita* dictum videri: quasi *ad se vocare conuiuij caussâ.* Sanè in hac ipsa

ipsa conuiuij voce *viuere* ita sumitur, vt *vita* in *inuitare*, siquidem ea vox *conuiuiis* propriè conuenit.

VITRICVS non à *vi* & *tricari*, vt nugantur, sed quasi *patricus* seu πατρικός, quia in patris locum succedit, ac priuignum vt pater filium amare debet. P abiit in V consonum, quomodo à *pater* est *vader*. Hinc in Glossis Isidori: *Vitricus, patricus*. Et Glossis Philoxeni, *Vitricus*, πατρῷος.

VITRVM, quia perspicuum, à *videndo* nomen accepit: vt benè scribit Isidorus, lib. XVI. cap. XV. Nec ἀναλογία repugnat, aut vlla hic opus syncope. Vltima enim syllaba supini prioris solet mutari in *trum*. Ergo vt ab *aratum*, *aratrum*, à *rutum rutrum*, ita à *visum vitrum*. *Vitreum* pro gemma *vitrea*, siue falso lapide. Vt illo Tertulliani: *Tanti vitreum, quanti margaritum*. A *vitrum* posteriores dixere *vitriolum*, quia habeat *vitrioli* pelluciditatem. *Vitrum* etiam herbæ genus est: cui ex eo nomen, quia tingit colore *vitri*, hoc est, *hyalino* seu *viridi*. Græci hanc herbam vocant ἰσάτιν, teste Vitruuio, lib. VII. cap. XIV. *Vitri* vox hac significatione crebrò est corrupta, dum nunc *vitro* pro ea, nunc aliud substituunt: vt docet Turnebus, lib. VI. cap. XVII. Ab ea herba alia dicta est *vitrago*, quæ Græcis ὑαλῖτις, vt testatur Oribasius, libro de virtut. simpl. Vt cunila agrestis *cunilago*, quia similis *cunilæ*, sic *vitrago*, quia similis herbæ *vitri*, vel similis virtutis, aut, vt alii malunt, quia abstergendis vasis *vitreis* idonea. Pro qua sententia est, quod aliter *vrceolarem* dixere ab *vrceolis* seu *vrceis* purgandis.

VITTA à *vinciendo*, vt *diadema* à διαδεῖν, quia *vittâ* crines vincirent sacerdotes, vt reges *diademate*. Seruius in Æn. III. *Vt plenum ostenderet officium sacerdotis, fecit solas vittas, quæ fuerant nexa*. Sed magis ἀναλόγως fit ab Æolico βίτος pro μίτος. Hesychius: Μίτος, τρίχες, σπεῖρα, νῆμα. Μίτος igitur *vitta*, mutato genere cum terminatione, vt Græci ὁ χάρτης, Latini *hæc charta*. Μίτος ab antiquo μίω, de quo dictum in *Vieo*, quod itidem ab Æolico βίω pro μίω, hoc est, *nectio*.

VITVLVS nomen est ætatis: vt docet hic locus Varronis, lib. II. de R. R. cap. V. *Primum in bubulo genere ætates gradus dicuntur quatuor. Prima vitulorum: secunda iuuencorum. tertia boum nouellorum: quarta vetulorum. Discernuntur in prima, vitulus & vitula: in secunda, iuuencus & iuuenca: in tertia, & quarta, taurus & vacca*. Non semper tamen discrimen id obseruatur: vt argumento est, quod etiam *vitulæ* iuuenci nomen quandoque maneat post partum. Maro, Eccl. III.

> —— *Ego hanc vitulam (ne forte recuses,*
> *Bis venit ad mulctram, binos alit vbere fœtus)*
> *Depono.*

Ad quem locum monet Seruius, *vitulus* dici à *viridiori ætate*, vt & *virgo*. Quæ verba more suo exscripsit Isidorus, lib. XII. cap. I. Sed potius est *vitulus* vel à ἰταλός, vel ab ἰταλός, quorum vtrumque *vitulum* notat. Posterius etymon sequuntur veteres, qui & inde deducunt *Italiæ* nomen ob *vitulorum copiam*. Varro, IV. de L. L. *Vitulus quod Græcè antiquitus* ἰταλός: *aut quod plerique vegeti, vegitulus*. Idem, lib. I. de R. R. cap. I. *Denique Italia à vitulis, vt scribit Piso*. Et cap. V. *Bos in pecuaria, maxima debet esse auctoritate: præsertim in Italia, quæ à bubus nomen habere sit existimata. Græcia enim antiqua, (vt scribit Timæus) tauros vocabant* ἰταλούς: *à quorum multitudine & pulchritudine, & fœtu vitulorum Italiam dixerunt*. Columella in præfat. lib. VI. *Nec dubium, quin (vt ait Varro) cæteras pecudes bos honore superare debeat; præsertim autem in Italia, quæ ab hoc nuncupationem traxisse creditur, quod olim Græci tauros* ἰταλούς *vocarent*. Similiter Gellius, lib. XI. cap. I. Item & Hesychius, cui ἰταλός, ταῦρος. Porro *vituli* vocem etiam transferri ad *equorum, elephantorum, aliorumque quadrupedum*; imò etiam *balænarum* fœtus, ex Marone, Plinio, atque aliis, cognoscere est. A *vitulus* est diminutiuum *vitellus*, vt *agnellus* ab *agnus*, *hædillus* ab *hædus*. Coniungit Plautus Asin. act. III. sc. III.

> *Agnellum, hædillum me tuum dic esse, vel vitellum.*

Sed cùm ponitur pro *luteo in ouo*, à *vita* potius dici censet Perottus, quia ex eo viuat pullus. Sanè & Aristoteles putauit ex albumine oui generari pullum: sed pasci *vitello*. Ac mouit eum quod vidisset formato iam pullo exstare *vitelli* partem. Sed Hippocrates contrà ex *vitello* nasci, albumine autem pasci arbitrabatur. Vnde & *vitellus* Chrysippo τροφεῖον vocatur. A *vitulus* ex Festi sententia est *vitulari*. Sic enim scribit: *Vitulans, lætans gaudio, vt prato vitulus*. Ennius:

> *Habet is coronam vitulans victoria.*

Confirmat hanc sententiam, quod Græci similiter à μόσχος dicunt μοσχίζειν. Sed obstare videtur modus primæ syllabæ. Nam natura illè producit Ennius versu adducto. Ac similiter Næuius apud Nonium:

> *Vt in venatu vitulantes ex suis*
> *Locis nos mittant pœnis decoratos feris.*

Quanquam Scaliger hic legit: *vitulantes ex auiis*. Sed fallitur. Sanè aut dicendum vtrumque locum esse corruptum, aut verior est Nonii sententia, sic scribentis: *Vitulantes veteres gaudentes dixerunt, dictum à bona vita commodo: sicuti, qui nunc est in summa lætitia, viuere eum dicimus. Ita à vita erit* παρωνυμως *vitula inde vitulari pro lubentius degere*. Ab hac quoque caussa erit, quòd Dea hilaritatis præses *Vitula* est appellata. Illustris autem de *vitulandi* & *vitula* vocibus locus est apud Macrobium, lib. III. Sat. cap. II. quem eo apponemus, quòd contineat, quæ alibi legere non sit: *Primò*, inquit, *pontificij iuris libro apud Pictorem verbum hoc positum est vitulari. De cuius verbi significatu Titius ita retulit. Vitulari est voce lætari. Varro etiam in libro quinto-decimo rerum diuinarum ita refert, quod pontifex in sacris quibusdam vitulari soleat, quod Græci* παιανίζειν *vocant. Has tot interpretationis ambages quàm paucis verbis docta eloquentia Maronis expressit,*

> —— *Lætúmque choro pæana canentes.*

nam si vitulari est voce lætari, quod est παιανίζειν, *nonne in cantu læti* παιᾶνος *enarratio verbi perfecta seruata est? &, vt huic vocabulo diutius immoremur, Hyllus lib. quem de Diis composuit, ait Vitulam vocari deam, quæ lætitiæ præest. Piso ait vitulam victoriam nominari, cuius rei hoc argumentum profert; quod postridie Nonas Iulias re benè gesta, cùm pridie populus à Tuscis in fugam versus sit, vnde Populi fugia vocantur, post victoriam certis sacrificiis fiat vitulatio, quidam nomen eius animaduersum putant, quòd potens sit vita toleranda*. Hactenus Macrobius.

VIX à *via* dictum esse censet Iouianus Pontanus in Actio, fol. CXXXIII. edit. Ald. Nam quia, Nonio teste, *laborem ac difficultatem* hoc notat aduerbium, verisimile indicat primò dictum fuisse de hominibus qui cùm infirmis essent pedibus, baculo veherentur: vnde & *imbecilles* dicti. Mihi magis verisimile fit dici à *vi*. Nam *vix* fit, quod cum labore fit, ita vt summis adniti viribus oporteat. Ac similiter Græcis μόγις, *vix*, à μόγος, *labor*. Vti & μόλις quod cum μόλῳ fit. A *vix* sunt *vices*. Nempe quia, quod ob difficultatem ab vno semper præstari nequit, id alternis facere solemus: ideo apto vocabulo *alternas operas* illam à *vix* dixere *vices*. Et fortè olim recti singularis numeri fuit *vix*, vnde genitiuus *vicis* apud Liuium, lib. I. ac pluralis *vices*: quomodo nempe *necis* cæterique casus sunt ab inusitato *nex*: quod tamen non vsque adeò desitum, cum apud Tullium quoque legas in Miloniana. A *vic* est *vicissim*, pro quo & *vice mutua* crebrò legas apud vett. Iurisc. Ab eodem est *vicarius*, qui vicem alterius obtinet. Sic C. de offic. vicar. *vicarij* dicuntur *præfectorum substituti*, & *locum tenentes*, vt vulgo vocant. Sed speciatim vocabatur *vicarius*, qui in familia atriensi seruo, id est, maiori, seruiret: ὁ τοῦ οἰκέτου οἰκέτης, vt interpretatur Theophilus. Sic vsus Plautus Asin. Act. IV. Sc. II.

> *LE. Cui datum est? LI. Sticho vicario ipsi*
> *Tuo. LE. Vah, delenire apparas. scio mihi vicarium*
> *esse.*
> *Neque eo esse seruum in ædibus, qui sit pluris quàm*
> *ille est:*

Martial. lib. II. ep. XVIII.

> *Esse sat est seruum, iam nolo vicarius esse.*

Vlpianus l. suos autem seruos. LXXII. ff. de legat. III. *Vicarios autem seruorum suorum numero non contineri Pomponius lib. quinto scribit*. Paullus, l. si in se. XIX. ff. de noxal. act. *Si seruus tuus nauem exercuerit, eiúsque vicarius, & idem nauta in eadem naue damnum dederit*. Opponuntur autem *vicarius* & *seruus ordinarius*, ac ille in huius, quasi domini, peculio est. Vlpianus l. XVII. Dig. de pecul. *Si seruus meus ordinarius vicarios habeat, id, quod vicarij mihi debent, an deducam ex peculio serui ordinarij?*

VLCISCOR ab *ullo*, vel *ulluo*, vel potiùs *ulluco*, ut hæc ab ὄλω vel ὀλέω vel (quod apud Hesychium) ὀλλύω, *perdo*. Ab obsoleto *vlluo*, vel *vlluco*, in futuro subiunctiui per syncopen est *vllo*, hoc est, *perdidero*, *vltus fuero*. Nonius; *Vllo*, pro *vltus fuero*. Accius Epigone:

> *Qui nisi genitorem vllo, nullum meis dat finem miseriis.*

Vt ab *apio apiscor*, sic ab ὀλλύω siue *vlluco vlluciscor*, & per syncopen *vlciscor*: vt propriè id notet *vindictæ gratiâ aliquem perditum ire*.

VLCVS nec à *vi*, quasi *violcus*: nec quia *olet*, quasi *olcus* dicitur: quæ etyma Isidorus adfert, lib. IV. cap. VIII. sed ex eo, quia Græcè dicitur ἕλκος, quæ & caussa est, cur præter cæteros Ioachimus Camerarius lib. de Orthographia putet *helcus* cum spiritu aspero scribi oportere. Sed malim absque hoc spiritu. Romani enim imitari solent Æoles, qui voces à quacun-

que vocali inchoantes, tenui afficiunt spiritu. Itaque pro ἧλος dicunt ἆλος, pro ἕλκος, ἕλκος, vnde *vlcus*, ἕλκος verò ἀπὸ τοῦ ἕλκειν, quod est *trahere*. Quia *vlcere* distrahitur caro.

VLEX *genus est fruticis*, cuius vsum in auri metallis Plinius ostendit, lib. XXX. cap. IV. *Vlex*, inquit, *siccatus vritur, & cinis eius lauatur substrato cespite herboso, vt sidat aurum. Vicena millia pondo ad hunc modum annis singulis Asturiam atque Gallaeciam & Lusitaniam praestare quidam tradiderunt, ita vt plurimum Asturia gignat. Neque in alia parte terrarum tot seculis haec fertilitas.* Placet Martinio sic dici ab *vligine*, quod in ea nascatur: vel potius ab οὖλος, hoc est, *crispus, contortus*.

VLNA κατὰ συγκοπὴν vocalis E factum ex ὠλένη, quod πῆχυς Pollux & Glossae Philoxeni βραχίονα interpretatur Hesychius. Itaque *vlna* propriè de *cubito* seu *brachio* dicitur, vnde, (vt & *cubiti* vox,) ad mensuram translatum est. Seruius ad illud Ecl. III.

Tres pateat coeli spatium non amplius vlnas.

Vlna, proprie est spatium in quantum vtraque extenditur manus. Dicta vlna, ἀπὸ τῶν ὠλενῶν, hoc est, a brachiis. vnde & λευκώλενος Ἥρα dicitur, licet Suetonius vlnam (l. vlnam) cubitum velit esse tantummodo. Idem, ad illud III. Georg.

—— Septémque assurgit in vlnas.

Vlna, inquit, *secundùm alios, vtriusque manus extensio est: secundùm alios, cubitus: quod magis verum est, quia Graecè ὠλένη dicitur cubitus.* Vnde cognoscimus, vlnam etiam antiquitus quandam sumi pro *cubito*; vnde exponitur πῆχυς interdum pro *extensione vtriusque manus*: vnde Glossae: ὀργυιά, *vlna*. Nam ὀργυιά, ἡ τῶν ἀμφοτέρων χειρῶν ἔκτασις, vt Hesychius ait. Qui & τρεῖς πήχεις, *tres cubitos* exponit. Vti & Eustathius τρίπηχυ μέτρον.

VLTRA ab *vls*, quo vsus Cato, & Pomponius de origine Iuris, *vls Tiberim*. *Vls* verò prius fuit *vlter*: vnde *vltra*, vt à *cis citer citra*. Videtur autem *vls* esse ab *ollus* pro *ille*. Vt *vltra* sit *in illa parte*. Quomodo Graecis ἐκεῖνα ab ἐκεῖνος. Onomast. *Vltra*, ἐκεῖνα. Ab *vlter* vt *vlterus* est *vlterior*, *vltimus*. Ab *vltra* & *citra* sunt *vltro citróque*. Sed *vltro* pro *sponte* fortè potiùs sit à *volendo*, quasi *vultro*: vt Graecè αὐθαίρετον, ab αἱρεῖν, & Belgicè, *vvillig*. Gloss. Cyr. αὐθαιρέτως *suâ sponte, vltro*. Atque hinc *vltroneus*, αὐθαίρετος, vt eaedem Glossae exponunt.

VLVLARE lupos dixit Maro, I. Georg. quomodo & Graecos de iis ὑλακτεῖν vsurpare docet Pollux, lib. V. cap. XIII. Itaque nec ineptè dicamus, *vlulare* esse à Graeco ὑλακτεῖν. Tamen verius puto *vlulare* esse ab ὀλολύζειν, extrito ζ, quemadmodum ab *vlulare* vicissim est Belgicum *huylen*: ac Graecum ὀλολύζειν contrà venit ab Hebraeo *ialal*. ילל, quod nequaquam ab alia voce descendit, cum sit ὀνοματοποιηθέν. Quanquam nec multum repugnem, si quis hic singulas linguas sonum spectasse putet sed diuersimodè eum esse imitatas. Ab *vlulando* est *vlula*, vti Graecè iis nomen ab ὀλολύζειν. Gloss. Phil. *Vlula*, ὀλολυγών. Eucherius ad Salonium, lib. II. cap. IX. *Sunt qui vlulas putent aues esse nocturnas, ab vlulatu vocis, quem efferunt, quos vulgò cauannos dicunt.* *Cauannos* appellat Aldhelmus de laudibus virginitatis, cap. XXVIII. Iouianus Pontanus censet scribendum esse *hulula, hululare, hululatus*, idque quòd vox ea sine adspiratione non satis exprimat *vlula luporúmque vlulatum*. Et pro eo est, quod Belgae dicunt *huylen*, pro *vlulare*. Sed hi vicissim *vlulam*, *vyl* vocant, non *huyl*. Praeterea Graeci vt spiritu aspero efferunt ὑλακτεῖν, ita tenui dicunt ὀλολύζειν. Ex quibus patet, nihil in *vlula* ac *vlulatus* vocibus innouari debere praeter veterum codicum auctoritatem.

VMBILICVS ab *vmbone* deducit Isidorus, lib. XI. cap. I. Item Perottus. Nempe quia medium in ventre locum obtineat, vt in clypeo *vmbo*. Sed omnino est *Vmbilicus* ab ὀμφαλικός. Aeoles, quos Latini fere sequuntur, α in ο conuertunt. Itaque & ὄνυμα dicunt pro ὄνομα, vnde ὁμώνυμος· ὄρχος pro ἄρχος, vnde ...ος ὄμφαλος pro ὄμφαλος, vnde ὀμφαλικός. Ὀμφαλὸς notat *vmbilicum*. Μεταφορικῶς ponitur & Latina & Graeca vox pro *media cuiusque rei parte*. Vt inter alia quod in placentis in medio protuberat. Moeris Atticista: φθοῖς μεσόμφαλος· Ἀττικῶς, ἐν δὲ πέμμα πλατὺ, ἔχον ὀμφαλόν. πόπανον Ἑλληνικῶς. In *libris* quoque sic dixere ossea vel eburna ornamenta in medio integumenti exstantia. Martialis, lib. V. epig. VI.

Nigris pagina creuit vmbilicis.

Plura de *librorum umbilicis* vide in voce *Volumen*. Etiam ita dicebatur *cochlea marina*, quae Aristoteli fere κόχλος, vt κοχλίας, *cochlea marina*. Cicer. lib. II. De oratore: *Non audeo dicere de talibus viris, sed tamen ita solet narrare Scaeuola, conchas eos & vmbilicos ad Caietam & ad Laurentum legere consuesse.* Atque ita etiam vocat Valerius Maxim. qui rem eandem narrat. *Constat námque eos Caietae ac Laurenti vagas litoribus conchulas & vmbilicos lectitasse.* Vide & Aurelium Victorem in Caligula, vbi de conchis & *vmbilicis* loquens ait, *huiusmodi pisces à Graecis vocari lumina Nympharum*: vt citat in Thesauro suo Rob. Stephanus, qui *vmbilicos* in Ciceronis loco superiori *politos lapillos* interpretatur. Adi etiam Andream Schottum, Obseruat. Human. lib. III. cap. XXI.

VMBO ab ἄμβων. Varro, lib. IV. de L.L. iuxta restitutionem Turnebi, ac Scaligeri: *Vmbones, à Graeco, quod ἄμβωνες. Ἄμβων*, siue *vmbo*, quid propriè sit, à variis est explicatum: inter alios Scaligero, Coniectaneis in Varronem; Casaubono, Animaduersionibus in Athenaeum, lib. XI. cap. I. Salmasio, Exercit. ad Sol. Nempe sic propriè vocabant, *quicquid in plano exstat ac protuberat figura rotunda, vel rotundâ*. vnde & Graeci ἀμβῶνα, Hesychio teste, ac Latini, vt è Statio constat, montibus *vmbonem* tribuunt: Iulio quoque Polluci in *poculis*, quorum latera non assurgunt recta, ἄμβωνες dicuntur αἱ ἐπὶ τῶν ... Et in veteri Ecclesia Graecis Latinisque scriptoribus *ambo* siue *vmbo* dicebatur *suggestus, ex quo sacrae ad populum fierent conciones*. Scripsit Paulus Silentiarius poema, vbi is describitur. Inscriptio est, Ἔκφρασις τοῦ ἄμβωνος. Et aui *gemmis* tribuit Plinius. *Vmbo* item in *clypeo* est, vnde συνεκδοχικῶς pro *clypeo* sumitur. Itidem *vmbo* erat in extremum *togae*: vnde simili synecdoche pro *toga* à Persio accipitur. Maiores enim ita togam corrugabant ac componebant, vt *vmbonis* seu *clypei* figuram referret. Quam rem fuse exposuit Salmasius notis in Tertullianum de Pallio.

VMBRAM vnde deducat Isidorus, non satis perspicio. Verba eius sunt haec, lib. XIII. Orig. cap. X. *Vmbra est aer carens sole. Dicta autem, quòd fiat, cum Solis obiiciuntur radii.* Apud Sipontinum legas quosdam *vmbram* dictam putare à Graeco ὄμβρος, id est, *imber*, idque tum quia *vmbra* imprimis fiant nubium obtentu; tum quòd *vmbrae* omnes *humidae* sint. Becmanus tradit *vmbra* prius fuisse *humbra*, ac dici quasi *humi* ζεῖα, hoc est, *terra calor*. Mouet eum, quòd non *nubes*, vt Isidorus ait, sed *terra* propriè efficiat *vmbram*, vnde & Aristoteli I. Meteorol. cap. VIII. νὺξ definitur σκιὰ τῆς γῆς, *vmbra terrae*. Nec ignorauit Poëtarum Stesichorus, cùm scribit II. Aeneid.

—— Ruit Oceano nox

Inuoluens vmbrâ magnâ terrámque polúmque.

Est & *piscis* genus, sic à *colore nigrescente* appellatum: vt Isidorus auctor. Et ante eum Varro, lib. IV. de L. L. his verbis: *Vocabula piscium pleraque translata à terrestribus ex aliqua parte similibus rebus: vt Anguilla, Lingulaca, Sudis: alia à coloribus, vt haec, Asellus, Vmbra, Turdus: alia à vi quadam, vt haec, Lupus, Canicula, Torpedo.* Ouidius in Halieuticis:

—— Et auri

Chrysophrys imitata decus, tum corporis Vmbrae

Liuentis, rapidique lupi, &c.

Sic distinguendus is locus. *Vmbra* quoque appellatur: videri potest ob lineas quasdam obliquas à dorso descendentes auratas, & obscuras, quae alterius videntur *vmbra*. Vna enim nitentissima est, sequens obscura, & sic deinceps à capite ad caudam vsque; quemadmodum tradit Rondeletius lib. V. de piscibus, cap. IX. vbi plura hoc de pisce legere potes. Graecis inter pisces hic σκιαινα appellatur à σκιά, id est, *vmbra*. Numenius quoque σκιάδα nominat: vt docet Athenaeus, lib. VII. *Vmbrae* quoque Latinis dicebantur *tabernacula* siue *tentoria* in vrbis viis, aut locis suburbanis compacta ad excipiendos peregrinos, qui vndique vel ad spectandos ludos, vel ad vendendas merces conuenerent. Festus: *Vmbrae vocabantur Neptunalibus casae frondeae pro tabernaculis.* Graecis similiter dicuntur σκιάδες, quarum ex Demetrio Scepsio mentionem facit Athenaeus, lib. IV.

VNCIA ab *vno*, vt scribit Varro lib. IV. de L.L. Sed rectiùs Scaliger in Coniectaneis deducit à Siculo οὐγκία, quod ab ἕνα, ε conuerso in *u*, vt fit & in *vnus*. Nam *vnus* est ab ἑνός. Pollux, lib. IX. Καὶ μὴν ἐν Ἀκραγαντίνων πολιτείᾳ φησίν. Ἀκραγαντίνους ζημιοῦσθαί τινα τοιάνδε τινα λίτρας ... δὲ τὴν λίτραν ὀβολὸν Αἰγιναῖον ... ἐν τῇ Ἱμεραίων πολιτείᾳ ... Σικελιῶται ... ὅτι δύναται χαλκοῦς ἕνα. Ergo *vncia* ab οὐγκία & *vna* ab ἕνα, quia *vnicum* valeret *nummulum aereum*, vt ex Aristotele hic tradit Pollux. Ab *vncia* est *teruncius*, nempe à *tribus vnciis*, vt ait Varro, lib. IV. de L. L. & Festus. Qui dicit simile esse *nonuncius*. De vtroque sic schedae Festi Farnesianae: *Nonuncium, quod vulgo Magistri ludi appellant, significat nouem vncias: at teruncium, quòd singula sexuncia dimidium vnciarum triums sit.*

VNCVS nunc substantiuè sumitur: vt cùm legimus damnatos *vnco* trahi solere ad scalas Gemonias: nunc adiectiuè, vt cùm

Pl:

Plinius, lib.xi. cap.xlv. ait *uncos ungues*. vnde *uncare*: ex quo *uncati*, vt apud Cælium Aurel. lib.v. cap. iii. *Adeò vt quidam uncati permaneant*. Ab eadem componitur *aduncus*, vnde *adunco*. Gloss.vett. ἐπικαμπτω, *adunco*. Item *inuncare*. Nonius: *Inuncare*, *quasi unco inuadere & arripere*. Citat ibidem hoc Lucilii, lib.xv.

—Qui nummos tristis inuncet.

Pro quo idem Lucilius lib.xxviii. ait,

Omnia viscatis manibus leget, omnia sumet.

Sic Columella, lib.vii. cap.iii. *hamis inuncata*. Appuleius, i. Flor. *unguibus inuncet*. Et in Apol. *hamis inuncandæ*. Item *reduncus*, vt *reduncum rostrum* apud Ouid. xii. Met. *redunca cornua* apud Plinium, lib.xi. cap.xvi. Item *obuncus*, vt *obuncos ungues* apud Cassiodorum, lib.vii. cap.iii. *Vncus* volunt esse ab ὄγκος, quod est *tumor*, eo quod qua parte quid vncum habet, eâ intumescat ac protuberet. Aliqui ab *ungue*, quia hi *unci*. Alii ab ἀγκύλος, quod gemino in loco scripsit Angelus Caninius. Sed maximè placet esse contractum esse ὄγκινος. Nam quod Latini *uncum* vel *hamum*, id Græcis ὄγκος vel ὄγκινος. Hesychius ὄγκοι. γωνία. μέρος. Et Hesychius in sagittis, quas hamata. Ouidius vocat, *cuspidis hamum* ὄγκινον vocat lib.i. Aristophanis quoque Interpres sic loquitur, ἐδόκει τοὺς ὀφθαλμοὺς, ὥσπερ ὄγκινοι. Imò & *uncinum* pro *hamo* Latini dixere. Appuleius lib.iii. *Fistulis inseclis, & uncino firmiter immisso*. Gloss. Cyr. Ὄγκιος, *vincinus reticulus*. Leg. Ὄγκινος, *uncinus, reticulum*.

VNDA Perotto dicta videtur, quòd *una* sit, hoc est, *simul vnita & in se coacta*. *Vnda* enim συνεκδοχικῶς quidem pro *aquâ* accipitur: propriè verò sic dicitur *pars aquæ in se collecta, & in unam partem tendens*, cuiusmodi in mari vento concitato cernere est. Magis placet *unda* ab *udus* vel ὕδος siue ὕδωρ, quod *aquam* notat, fieri inserto N; quomodo à ῥυκάνη est *runcina*, à μέγας, *magnus*, à *piso pinso*, à *rego regnum*, &c. Vel fuerit ab ὠθέω, *commoueo*, cum *unda* propriè sit *aqua commota*. Ab *unda* est *undula*, vnde *undulatæ vestes* Varroni apud Nonium in *undulatum*, item Plinio dicuntur: nempe ab *undarum* imagine per eas discurrente: qua ratione eidem Plinio *vestes scutulata* appellantur à *scutulis*, quales in in aranearum telis cernimus: vnde & earum retia idem Plinius *scutulata* appellat, lib.xi. cap.xxiv. Ab *unda* quoque *undare*, vnde *undantem chlamydem* dixit Plautus, Epid. iii. iii. quia in incessu ac succussatione corporis crispatur, atque ita *undas* imitatur. Ab *unda* sunt composita *redundo*, *exundo*, *abundo*, vnde *abundè*. Imò & *abundus* pro *abundanti* & *plano* dixisse videntur. Gellius, lib.i. cap.ii. *Lauacris nitidis, & abundis, & collucentibus*. Originationi superiori obduxerit aliquis, quod nonnullis in codd. *habundare* scribatur. At non id eo factum, quòd sit ab *habeo*, sed quo vox fiat incitatior: vt ad Ecl. ii. & xi. Æn. scripsit Pierius. Ita & *heluo* scripsere, quod tamen ab *eluendo* esse creditur. Ab eodem & *inundare*, quo vsus Maro in vndecimo:

— Nec inundant sanguine fossæ:

Siue, vt Priscianus legit, *fossa*: qui hoc loco probat *inundare* non absolutam tantum sed & actiuam habere significationem. Dicitur & *perundare*. Gloss. καταποντίζω, *demergo*, *perundo*, *pessumdo*. Itaque putat Christophorus Colerus apud Plautum Epidico 2. 2. [illegible]

Puppis perundata est probè.

Pro quo in vulgatis, *puppis peremnda e.p.* Ab eodem *redundo*, D inserto, vt in *redamo*, *redintegro*, *redeo*. Propriè dicitur de *aquis alueos excedentibus*, quomodo de *lacu Albano* vsus Cicero de Diuinat. *Si lacus Albanus redundasset, isque in mare fluxisset, Romam perituram*. Plutarchus in Camillo hoc τὴν Ἀλβανίδα λίμνην ἐκχυθεῖσαν dicit.

VNEDO, *arbuti fructus e pomum inhonorum* (vt Plinius ait), *vt cui nomen ex argumento sit, vnum tantùm edendi*. Ergo, ex ex Plinii mente sit ab *unus* & *edo*, vnde & cognoscimus corripere penultimam. Nempe cibus iste, si vnico plus sumas, noxius est. Ac propterea Græcis quoque μεμαίκυλον dici videtur quasi μία ἄκυλος, *unica buccella*. Nam ἄκυλος, *bucella*, *frustulum cibi*, à κόλον, vnde βουκόλος, κόλαξ, εὔκολος δύσκολος, aliaque. Arbor Græcis κόμαρος: vnde Dioscorides, lib.i. cap.clxxvi. Κόμαρος δένδρον ἐστί, κυδωνίῳ ὅμοιον, μιμαίκυλα καλούμενον. Hesych. Κόμαρος φυτόν τι. ὅπερ ἔχει καρπὸν μιμαίκυλον. Μιμαίκυλον igitur fructus arbuti, qui *vnedo* dicitur. Galenus tamen & Ægineta putant μιμαίκυλον esse fructum τῆς ἐπιμηλίδος quæ *mespili* genus, eòque ab *arbuto* diuersa. Sed Plinium sequimur, qui clarè ait, quam arborem Græci vocant κόμαρον, hanc Latinis *arbutum* dici. Addit & μιμαίκυλον nominari. Sed Græci non tam *arborem*, quam *fructum* sic vocant: quod Theophrastus testatur, præter eos quos dixi. Idem Theophrastus auctor est τὸν κόμαρον etiam appellari οἰναρον nempe à *vinoso sapore*: vt ei conueniant, quæ Asclepiades apud Athenæum, lib. ii. de μιμαικύλοις scribit his verbis: Ὁ δὲ κόμαρος τοῦ πλείω χρησάμενος, πόνον ἐμποιεῖ τῆς κεφαλῆς, ὥσπερ οἶνος. *Fructu largiore si quis vtatur, haut aliter ac vino caput grauatur, ac dolet*. Vbi Athenæus ait, putare se hæc Asclepiadem de *mimæcylo*, siue *arbuti fructu*, scripsisse: quia ὁ πλείω τῶν ἑπτὰ τῶν κομάρων φαγὼν κεφαλαλγὴς γίνεται, *qui plura quàm septem ex eo poma comederit: capitis dolore vexatur*. Si verè hoc Athenæus, non vnum solum arbuti pomum comedere licebat, sed etiam septem: quod aduersatur *vnedonis* etymo ex Plinio antè allato. Itaque aliqui, qui Plinii ἔτυμον probant, errâsse Athenæum dicunt. Aliud enim esse κόμαρον siue *arbutum*, cuius fructus sit μιμαίκυλον siue *vnedo*: aliud esse χαμαικέρασον, siue *cerasum syluestrem*, quæ passim in sepibus prouenit. Alii Dioscoridem sequuntur, sed de etymo à Plinio recedunt. Sanè doctissimo Salmasio placet *vnedo* esse ex Græco οἰνίζω quia *vini instar dolorem capitis adfert*. Oi in V sæpè abit, vt *punicus* à φοίνικος, *punio* & *impune* à ποινή. *vnus* ab οἶνος pro μόνος, vnde οἰνίζω, μονάζω, & οἰνόω μονόω. Z quoque sæpe mutatur in D: vt ab ὄζω, *odor*, à βάζω, *vado*; ac pro *Mezentius* veteres dixere *Medentius*, Prisciano teste.

VNGO siue *vnguento*, videtur aliquibus dici sic quasi *vnum ago*, quia in *vnguento vniuntur* diuersa. Vel ab *vngue*, vt propriè notet *vngue illinere*. Ab *vngo vnctum* & *vngue* vel *vnguentum*. Pulmentum *vnctiusculum* Plato: cui oleum additum. Nam eius in pulmentariis vsus erat: vt Plinius indicat, lib.xix. cap. v. Sic *exvnctio* apud Persium hoc est, *sine oleo, atque intincto*, quod Græcis ἄνευ ἐλαίου. Nam intinctus in oleo, aut aceto, vel vtroque, vt in acetariis. Solino *vnguilla*, vas ex quo inunguntur.

VNGVIS ab ὄνυχος. Multa enim ab obliquis descendunt, vt sæpe diximus. X conuersum in G, quomodo ab ἄγχω est *ango*, à χαλβάνη, *galbanum*. Ab *vnguis* est *vnguiculus*: vt in prouerbio, *A teneris vnguiculis*. Diomedes ait diminutiuè ab eo dici *vngula*. In quo fallitur. Quippe si indè venit, non diminutiuum est, sed denominatiuum, vt Priscianus censet. Nos putamus eiusdem esse ac *vnguis* originis, & vt ab ὄνυχος est *vnguis*, ita ab ὄνυχα esse *vnga*, & ὑποκοριστικῶς *vngula*. Quomodo *vnguis* & *vngula* differant quidam è Grammaticis non satis perspexere. *Vnguis* est in iis, quæ digitos habent: *Vngula* verò in illis, quæ solidos vel *bisulcos* habent pedes. Illud Græci ὄνυχα, hoc ὁπλὴν appellant. Plinius, initio cap. xlv. lib. i. *Vngues clausula neruorum summa existimantur*, *Omnibus hi, quibus & digiti*. Et mox de elephanto inquit: *Hæc informes numero quidem quinque, sed indiuisi ac leuiter discreti, vngulisque, haut vnguibus similes*. *Vngulas* quoque dixere supplicii genus, *vngulas ferarum* referens, quo latera reorum effodiebant ac sulcabant, ad veritatem extorquendam. Sæpè eius meminit Prudentius. Ab *vngularum* figura *vngulatam vestem* dici censet Hermolaus Barbarus Glossis Plinianis, ut *Scutulata*. Nisi malis ex eo, quòd *vngulum* pro *annulo* dixere prisci, teste Plinio lib.xxxiii. cap.i. Cui & Festus subscribit: *Vngulus*, inquit, *Oscorum linguâ, annulus*. Pacuuius in Iliona:

Repugnanti ego porro hunc vi detraxi vngulum.

Et in Atalanta:

Suspensum in laeuo brachio ostendo vngulum.

Nempe quia curuus est ab *vncus* fecere *vnculus*, hinc *vngulus*. Nisi malis ex *annulus* corruptum esse *vngulus*. Paullus in epitoma: *Vngulates, vngues magnos atque asperos Cato appellauit*. Ac similiter ex eo Iulianus Maius. Sed puto scripserat Festus *Vngulatos, qui haberent vngues magnos*. Nam *vngulati* ὀνυχωτοί sunt, quibus non tam *vngues* sunt, quam *vngula*.

VNIONES sunt μαργαρῖται, vti vetus exponit Glossarium Philoxeni. Isidorus, lib.xvi. Originum cap. x. ait, vniones *aptum habere nomen, quòd tantùm vnus, nunquam duo vel plures simul inueniantur*. Idem antè etiam scripsit Solinus, cap. lvi. *Nunquam*, inquit, *duo simul reperiuntur: vnde Vnionibus nomen datum*. Sed falluntur vterque. Nam, vt Plinium mittam, qui quaternos se & quinos vidisse affirmat, Antonius Musa scribit se Venetiis in vnâ conchâ septem vidisse *vniones*. Imò etiam centum & triginta à Lusitanis inuentos esse asserit idem, atque id ipsum quoque in Americâ accidere, auctor est Petrus Martyr. Decepit cùm Isidorum, tum Solinum, locus Plinii malè intellectus. Neque enim is scribit, *vnum* tantùm inueniri; sed negat duo inueniri indiscretos. Verba eius apponam è lib. x. cap. xxxv. *Dos omnis in candore, magnitudine, orbe, læuore, pondere: haut promtis rebus, in tantum vt nulli duo reperiantur indiscreti: vnde nomen vnionum Romanæ scilicet imposuere deliciæ. Nam id apud Græcos non est, ne apud barbaros quidem inuentores eius aliud quàm margarita*. Indiscretos vocat vel cohærentes, vel potiùs similes: siue indiscretâ similitudine. Semper enim vel magnitudine, vel orbe, vel candore, vel læuore, aut pondere

differunt. Huc quoque facit auctoritas Ammiani Marcellini sic scribentis extremo lib. XXIII. *Apud Indos & Persas margarita reperiuntur in testis marinis robustis & candidis, permixtione roris anni tempore præstituto concepta. Cupientes enim velut coitum quendam humoris, ex lunari aspergine capiunt densius oscitando. Exindeque grauida edunt minutas binas aut ternas, vel uniones, ideo sic appellatos, quod enisceratæ conchulæ singulas aliquoties pariunt, sed maiores.* Quod si veterum opinio non placet, vide an non *vnio* dicatur ex eo, quia *capa* habeat figuram. Nempe vt *elenchi* dicuntur ab oblonga figura, quia referant elenchos, hoc est, titulos amphoris adfixos ad indicandam vini ætatem, sic *uniones* vocentur, quæ non planè rotundæ sint, sed *caparum* similes. Nam Latini rustici sic dixere *capam vnici capitis vel nuclei*. Columella, lib. XII, cap. X. *Pompeianam vel Ascaloniam cepam, vel etiam Marsicam simplicem, quam vocant vnionem rustici, eligito. ea est autem, quæ non fruticauit, nec habuit soboles adnascentes.* Vbi dicit, idem esse *simplicem Marsicam*, & *vnionem*. *Simplex* dicta, quia simplici capite nascetur: vti ab *vno* hoc capite *vnio*, Græcis μονοκέφαλον, & μονόκοκκον. Glos. cap. de oleribus: *Holus marinum*, θαλασσόκραμβον. *Vniones*, μονόκοκκα. *Origanum*, ὀρίγανον. In Glossis Philoxeni est: *Vniones*, μαργαρῖται μεγάλοι μονόκοκκοι: vbi dubium, an μονόκοκκοι notet cæpam *simplicem* siue *vnionem*, vt vtraq; notio exponatur: quod si est, distingui ante μονόκοκκοι oportet: an potius connexum legi debeat μεγάλοι μονόκοκκοι vt eò respexerint, quod *margarita* vna vni insit conchæ. Ab eo *cepe* genere, quod *vnio* dicitur, omnem cæpam Galli *oignon*, Belgæ *aiuyn*, Angli *onyon* appellant.

VNVS ortum ab ἕνος. Nam interdum Latini rectum formant ex obliquis, quomodo *crepida* est à κρηπῖδος potius, quam κρηπίς, & *sporta* quasi *sporda* à σπυρίδος non σπυρίς. Nec est quod quis ab ἕνος *vnus* venire neget ob mutatam vocalem, cùm ab Æolico ἶλος itidem fit *vicus*, &, ne quantitatem diuersam obiicias, est ab ἴον *viox*. Sed aliud est, quod hanc sententiam minùs verisimilem reddit. Nam Æoles dicebant οἶνος pro μόνος, hoc est, *solus*. Vnde οἰνίζειν, & οἰνοῦν, *solum* siue *solitarium viuere*. Hesych. Οἰνίζειν, τὸ μονάζειν, κατὰ γλῶσσαν. Οἱ Οἰνῶντες, μονήρη. Abas, οἶνος, *vnus*, vt à φοίνικος *puniceus*: à ποινή, *pœna*, *punio*, & *impune*. Ab *vnus* est aduerbium *vna* pro *simul*. Vt *vna esse*. Sed prius nomen fuit: vt cùm dicerent, *vná cognosces*, pro *vna eàdemque operá*. Sic Cicero: *Si mei consilii rationem cognouerit, vnà & id quod facio probabit, & in hac caussa putabit.* &c. *Vná operá* apud Plautum, & alios, crebrum est. Ab *vnus vnicus*: quæ vox, quia vnici semper cariores sunt, interdum idem significat, quod ἀγαπητόν. Plautus Capt. Act. I. Sc. II.

Tibi ille vnicu'st, mihi etiam vnico magis vnicus.

Sed *vnicum* quoque accipitur pro *summo*, siue *præclaro* ac *singulari*. Turpilius:

Homo vnicá est naturá & singulariá.

Afranius:

Quis tam sagaci corde, atque ingenio vnico?

Plautus Asin. Act. V. I.

Nam tu Poeta es prorsus ad eam rem vnicus.

Cicero in Cat. *In quem illud elogium vnicum*. PLVRIMÆ CONS. &c. Catullus: *Imperator vnicus*. Festus: *Sardanapalus rex Assyriorum fuit vnica luxuria*. Ab *vno* est *vnulus*, vnde *vllus*. vt ab *vinum*, *vinulum*, *villum*: à *benus* (ita antiqui dixere pro *bonus*. vnde aduerbium *bene*.) *benulus*, *bellus*: ab *homo*, *homulus homullus*. Qui nonnunquam & huiusmodi alia ex se diminutiua formant, vt *cista cistula*, *cistella*, *cistellula*. A *cistellâ* est *Cistellaria* Plauti. Idem *cistula* & *cistellula* vsurpat, Rudente, Act. II. III. Cuius initium, *Intelligo hanc*, &c. ab *vllus* est *neullus*, & κατὰ συγκοπὴν *nullus*. vt *nemo* ex *nehomo* ab *vnus* & *versus*, est *vniuersus*. quasi *vnum versus*. Cornelius Fronto: *Vniuersi in vnam sententiam conuersi, dicendi quid, siue faciendi.*

VOCONIA *pyra* à Plinio, lib. XV. cap. XV. referuntur inter ea, quorum nominis ratio nescitur. *Incerta*, inquit, *nominum caussa est (pyris) barbaricis Venereisque, quæ colorata dicunt, regiis, quæ minimo pediculo sessilia, patriciis, voconiis, viridibus, oblongisque.* Sed valde verisimile est, nomen hoc habere ab eo, per quem innotuerint Romæ. Nempe ab *Voconio* aliquo. Nam Romæ erat *Voconia gens*, è qua Ciceroni, in Cluentiana, *Q. Voconius* iudex memoratur, in Verrina III *C. Voconius Saxa* Tribunus Pl. *Voconius Victor* poëta Martiali, lib. VII & aliis alii. *Voconii* verò, vti & *Scantini*, venere Romam ex Aricino municipio, vt auctor est Iulius Philipp. III.

VOLA *media palma & pedis*, vt Seruius ait. De eodem Festus: *Vola vestigium medium pedis concauum. Sed & palma manus vola dicitur. Vola* dicta à βολὴ, *ictus*. Quia hac parte comprehendimus, quod proiicimus. Vnde & Hebræis *manus* est יד à ידה, quod itidem notat βάλλειν. Græcis *vola* est θέναρ, à θείνειν, *percutere*; quod ea parte feriamus. A *vola* (vt Seruius ait in III. Æn.) *pira* quædam *volema* dicuntur, eò quòd *volam impleant*. Meminit & Maro, lib. II. Georg.

Crustumiis, Syriisque pyris, grauibúsque volemis.

Vbi idem Seruius *volemis* interpretatur *magnis*. Atque idem etymon adducit. Sed addit *volema pira lingua Gallica bona & grandia* dici. Quod si est, non è Latio vox est arcessenda, sed Gallica lingua, quæ eadem olim ac Germanica. Proinde potiùs *volema* dicatur à Germanico & Belgico *vol*, id est, *plenus*, à quo *vollen*, implere. Quicum optimè conuenit, quòd *grauia volema* dicit Maro. Veteres Grammatici, Seruius imprimis, à *vola manus* dici putant *inuolare*, quasi *volâ amplecti*. Sed à *volando* potiùs esse, dicimus in *Volare*.

VOLARE aliqui factum putant ab *ala*, vt dicatur quasi *alare*, præposito digamma, more Æolum. Sed facilius assentirem, si *ala* Græcum foret; in quibus Latini solent Æoles imitari: vnde ab ἐμῶ, *vomo*. Quare alia origo quærenda est. Mihi non displicet, vt à ποτῶ fit *volo*, *T* in *L* abeunte, more antiquo, quomodo pro Θέτις dixere *Thelis*: similiáque, de quibus suo loco diximus. Πωτάομαι, ποτάομαι, & πετάομαι idem notant, quod πέτομαι siue *volo*: vnde ποτὴ *volatus*, ποτεινὰ, *volucris*; atque alia. Sic Latini *volucris* à *volatu*, vt Varro ait, IV. de L.L. Composita eius *aduolo*, *conuolo*, *deuolo*, *inuolo*, aliáque. Varro, lib. III. de R.R. *At in villam intro inuolant columbæ.* &c. Columella, lib. VIII. cap. III. *Neque enim debent ipsis nidis inuolare, ne dum adsiliunt, pedibus oua confringant.* Καταπέτεσθαι sumitur pro *irruere in aliquem*, nempe tralatione ab auibus in escam irruentibus: quam tralationem Donatus in illo Terentii Eun. V. II. *inuolare in capillum*. Ac planè habeo persuasum, indéque esse, quod accipitur, pro, *vi aliquid tollere*. Cornelius Fronto: *Inuolat, qui in die venit & surripit clam, id est, furtiuè*. Sed videtur latiùs patere, & vniuersè de eo dici, *quod vel apertè vel clam tollatur*. Gloss. *Inuolo*, κλέπτω. Onomast. *Inuolare*, ἀφαρπάζω. Catullus:

Remitte pallium mihi meum, quod inuolasti.

Non audio veteres, qui censent, non tam à *volando* esse, quàm à *vola*: vnde & *volare* deducunt. Seruius in illud VI. Æn. de columbis:

Pascentes illæ tantùm prodire volando.

Volando, inquit, *ambulando. Vola enim dicitur media pars pedis siue manus* Idem in illud III. Æn.

— — Prædam pedibus circumuolat vncis.

Aut, inquit, *circum prædam, dixit, volat vncis pedibus: aut intra volam interiorem amplectitur prædam. Vnde & inuolare dicimus, intra volam tenere. Vnde & pira quædam volema dicuntur, eò quòd volam impleant.* Idem in II. Georg. *Volema ab eo, quod volam impleant, dicta sunt. Vnde & inuolare dicimus.*

VOLO pro *cupio* (vt Varro quidem putabat in quinto de L.L.) *à voluntate dictum, & à volatu, quòd animus ita est, vt peruolet, quò vult.* Sed est *volo* à βούλομαι. Nam vicinus olim sonus litteræ *B* & *V* consoni. Indè est, quòd posteriori æuo *B* pro *V* vsurparunt, adeò quidem, vt non distinguerent inter *albus*, & *aluus*; *bos*, & *vos*; *bacca*, & *vacca*. Multa huius rei exempla reperies in antiquis Smetii Gruterique inscriptionibus: vt inter alia *benefitio* pro *veneficio*, & in præterito, *impetrabit*, *adsignabit*, *procurabit*. Idem in Pand. Florentinis factum. Vide apud Cassiodorum de Orthog. Adamantium Martyrium, qui fusè hac de re scripsit, vt corruptam seculi sui pronunciationem emendaret. Βούλομαι putatur esse à βοῦ particula intensiua, & λῶ, quod κατ' ἀφαίρεσιν factum à θέλω, vti hoc ab ἐθέλω. Quæ tria idem ac *volo* significant: Estque à λῶ λώιον, *melius*, siue *quod malumus*: Aliis placet βούλομαι esse ab Hebræo יאל, *iaal*: id est, *velle*. Nempe mutato *iod* in *vau*. A *volendo* est *volup*, seu *volupe*: Plautus, Asinar. V. III.

Hem senex si quid clam vxorem suo animo fecit volup.

Ita quoque legit Nonius. Ab adiectiuo *volupis*, vnde neutrum *volupe*, pro quo & *volup* κατ' ἀποκοπὴν apud Plautum legas, est *volupitas*, & per syncopen *voluptas*, vt à *facile facilitas*, vnde *facultas*. Durius Nunnesius, qui κατὰ μετάθεσιν factum putabat è τερπωλή, quod poeticum pro τέρψις, *delectatio*, *voluptas*. A *voluptas* est *voluptari*, vt à *nepote nepotari*. Vtitur *volup*. *andi* voce Apuleius IX. Metam. & Quinctilianus, Declam. III. cuius inscriptio, *Miles Marianus*. In vulgatis Quinctiliani codd. legitur *volutabitur*: sed ex manuscripto Lipsii leg. *voluptabitur*. A *volendo* quoque dicti sunt *volones*, de quibus lib. III. belli Punici. Item Festus: *Volones*, inquit, *dicti sunt milites, qui post Cannensem cladem, usque ad octo millia, cùm essent serui, voluntariè se ad militiam obtulerunt.* Macrobius, lib. I Sat. cap. II. *Bello Punico, cùm deessent qui scriberentur, serui pro dominis*

pugnaturos se polliciti, in ciuitatem recepti sunt, & Volones, quia sponte hoc voluerunt, appellati. Volenter & *voluntariè, sponte*; à *volens*, vt à *sapiens sapienter*. Vtitur Appuleius, lib. VI. A *ne* & *volo* est *nolo*: vnde in secunda persona olim fuit *neuis*, pro *nonuis*. Nævius, in Agitatoria:

> *Quasi deditâ operâ: quæ ego volo, ea tu neuis; quæ ego nolo, ea cupis.*

Citat Charisius cap. de Aduerbio. *Nolo*, vnico *L*: *nolle* duobus *l*. quia illud est *neuolo*, hoc *neuelle*, vt scribit Cornutus apud Cassiodorum de Orthographiâ. *Ne* in compositione priuat: vt in *nemo*, *nefastus*. A *nolo nolentia* dixit Tertullianus, lib. I aduersus Marcionem. A *magis* & *volo* est *mauolo*, quod non vno in loco vsurpat Plautus. Ex eo contractum *Malo*. Hac de voce ita Annæus Cornutus apud Cassiodorum in collectaneis de Orthographia: *Malo, qui putant ab eo, quòd est Græcè μᾶλλον comparatiuo modo, descendisse, & per duo LL scribunt, peccant. Non enim à Græco translatum est. Sed ab antiquorum consuetudine, qui primò Magis volo dixerunt, postea pluribus elisionibus hoc verbum angustauerunt, vt Mageuolo, deinde Mauolo, quod frequentissimum apud illos est, nouissimè hoc subsistit, vt Malo esset, sed Malle per duas LL; Velle enim est. item Nolo per vnum L, Nolle per duo LL; Nolo enim neuolo est, Nolle ne velle.* Hæc Cornutus. Similitérque Isidorus, lib. I. cap. XXVI. Etsi verò *magis* in *malo* continetur: tamen *κατὰ πλεονασμὸν magis malle* dicunt Paullus & Vlpianus. Imò similiter loquuntur Plautus, Terentius, Cicero. quod præter alios ostendunt Scipio Gentilis, lib. I. Παρεργ. cap. XXVII. & Franciscus Fabricius ad Ligarianam.

VOLVO, iuxta aliquos, vt Perottus indicat, à *volare*, quia *volando* quasi *voluit ala* videntur. Verum id placere non potest. Sed omnino à Græcis est, siue sit à *κυλίω*, quod ab Hebræo גלל, quæ idem significant. Siue ab *εἴλω*, spiritu aspero in *V* conuerso, quomodo ab *ἕσπερος* est *vesper*; ab *Ἔλια*, *Velia*, vnde qui Græcis *Zeno Eleates*, is Appuleio Apolog. II. dicitur *Zeno Veliâ oriundus*. Siue à *κυλίω*, hoc est, *verso*, *circumago*. A *voluo* est *voluto*, vnde *volutabrum*, locus in quo sues voluuntur. A *voluendo* quoque dicuntur. *Valua*, & *Valuolus*, & *Volumen*: de quibus seorsim. A *conuoluendo* est *conuoluulus*, prout vocat Cato de R.R. cap. XCV. qui & *inuoluulus*. Plauto. Cistel. Act. IV. Sc. II. *Vermiculus* est *damnificus se in pampini folio implicans & inuoluens*: vnde & nomen teste Festo. Sed apud eum corruptè, etiam MSo, est *Inuoluus* pro *Inuoluulus*. Ab *inuoluendo* est *inuolucre*, quod Græcis *ὠμόλινον*. Plautus, Capt. Act. II. Sc. II.

> *Nunc senex est in tonstrina, nunc iam cultros attinet,*
> *Ne id quidem inuolucre iniicere voluit, vestem vt ne inquinet.*

Vbi Turnebus *inuolucrum* mauult. Aliàs *inuolucrum* dicitur herba, quæ aliter *epithymum*. Nomen *ἐπίθυμον* & *inuolucri*, ex eo, quia *thymo se inuoluit*. Vnde *pallioli similitudine esse* ait Plinius. Sic enim est in melioribus libris, non *pili*, aut *palearis*. At Isidoro *epithymum* aliud. Nempe *flos thymi*, qui flos similis est thymbræ.

VOLVMINA generatim dicuntur *ea, quæ voluuntur*. Hinc quæ B. Ioannes cap. XI. Euangelii sui vocat *κειρίας*, quæque vulgatus interpres nominat *fascias sepulchrales*, ea Arnobius appellat *pollinctorum volumina*. Ita enim rectè ex vett. membranis emendat Carrio, lib. II. Emendat. cap. XIII. pro quo in vulgatis erat *velamina*. *Libris* quoque impositum hoc nomen, quia antiqui eos conuoluerent ad cylindri similitudinem, vt hodieque faciunt Turcæ, non verò in tabellas componerent, plicarentque, quæ apud nos consuetudo obtinet. Sic Plinius suos naturalis historiæ libros *volumina* appellat. Et Ouidius Metamorphosin suam *ter quinque volumina* vocat. Cicero quoque *epistolarum volumen*, inquit, epist. IX. lib. IX. ad Att. non quia singulæ epistolæ inuolutæ clauderentur (hæ enim plicabantur): sed quia multæ cum essent, librum efficerent, eóque circa lignum inuoluebantur. Ad hanc *libri conuoluti* figuram respexit Iuuenalis, quando ait,

> *— Penem*
> *Tam magnum, quàm sunt duo Cæsaris Anticatones:*

Addamus & hoc obiter, *voluminibus* absolutis solere addi *vmbilicos*, qui sic dicti, quòd *vmbilici nostri* formam imitarentur: vnde Horatius de epodis suis od. XIV. *ad vmbilicum ducere*, hoc est, *finire*; & Martialis similiter *peruenire ad vmbilicum*, lib. IX. epigr. vlt. Ii, Porphyrione auctore, non lignei modò, verùm & ossei cornei*v*e erant. pingi quoque solitos ex Martiale discimus. *Exterior interiorque voluminum pars* dictæ *frontes*, vnde Ouidius, eleg. I lib. I. Trist.

> *Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes.*

Martialis quoque *punicatam libri frontem* dixit, lib. I. Indéque lucem capit hoc Catulli:

> *Cui dono lepidum nouum libellum*
> *Arida modò pumice absolutum.*

Extrema verò *partes*, quòd extra volumen eminerent, cornuum similitudinem haberent, *cornua* nominatæ, vnde Ouidius ibidem:

> *Candida nec nigrâ cornua fronte geras.*

Non, inquit, atram & infelicem sortem tuam doceat candida cornua: quæ lætioris sunt fortunæ indicia.

VOMO videri possit esse à Chaldæo פום, *os*, quod & Arabibus *Fom*. Est enim *vomere*, *cibum vel aliud stomacho per os eiectare*. Sed non dubito quin sit ab *ἐμῶ*. Quippe idem notat, & *ἀναλογία* fauet penitus. Nam non tantùm spiritus asper, sed & tenuis, interdum mutatur in digamma siue *V* consonum. Sic ab *οἶνος* est *vinum*; ab *ἰτυλος*, *vitulus*; ab *ἰδῶ*, *video*; ab *ἔαρ*, *ἦρ*, *ver*, &c. A *vomo* est *vomitio*, quæ & *vomitus*. Gloss. Cyr. *ἔμετος*, *vomitus*. Ab eodem *vomitaria*, quomodo vulgò dicebantur ostia per quæ populus in spectaculis ab exterioribus porticibus veniebat in sedes suas. Macrobius, lib. IV. Saturn. cap. IV.

> *Mane salutantum totis vomit ædibus vndam.*
> *Pulchrè vomit vndam. & antiquè. nam Ennius ait:*
> *— Et Tiberis flumen vomit in mare salsum.*

Vnde & nunc vomitaria in spectaculis dicimus, vnde homines glomeratim ingredientes in sedilia se fundunt. Hæc Macrobius. *Aditus* appellat Vitruuius, lib. V. cap. III. A *vomo* quoque est *vomer* seu *vomis*, *quòd vomit terram*: vt scribit Varro, lib. IV. de L.L. Nescio quid suspicaturus sim de Fungero, quòd etymi huiusce auctorem laudare malit ignobilem Ascensium, quam eum, ex quo is hauserat, Varronem. Saltem Isidorum potius nominasset nobis antiquitatis ergo. Nam idem apud eum legas, lib. XX. cap. XIV. Sed apud eum alterum quoque, ac peruiæ rei, etymon legas. Nempe *vomis* dicatur, quòd *vi humum eruat*. A *vomendo* quoque dictæ *vomica*, vnde Serenus Sammonicus:

> *Sunt vomicæ, quos dira vomit natura tumores.*

Quamquam non tam eas sic dici puto, quia *natura illas vomat*, quam quòd *hæ saniem ac pus vomant*.

VOPISCVS quis sit, docet Plinius lib. VII. cap. X. *Vopiscos appellabant è geminis, qui retenti vtero nascerentur, altero interempto abortu.* Solinus, cap. IV. *E geminis, si remanente altero alter abortiuo fluxu exciderit, alter qui legitimè natus est, Vopiscus nominatur.* Probus, vel alius, de Nominum ratione, Valerio Maxim. annexus. *Vopiscus, qui in vtero matris geminus conceptus, altero abortu eiecto, incolumis editus erat.* Nonius extremo opere suo: *Vopiscus, qui ex duobus conceptis, vno abortu excluso, ad partum legitimum deducitur.* Fuit id cognomen in gente Iulia. *Vopiscus* fortè ex *vi* & *apisci*, quia vigore virtutéque naturæ fiat, vt post vnius abortum, alterum mater fœtum apiscatur. Vel sit ab Dorico Ὦπις siue Æolico Ὤπις, quæ ἡμῖν Οὖπις. Ita dicta Diana. *Λοχεῖα*, *ἀπὸ τοῦ ἐπιζητεῖν αὐτὴν τὰς τικτούσας*. Vt à *Syrus Syriscus*, ita à *Vopis Vopiscus*: tanquam qui fauore Dianæ *λοχείας* vitalis permanserit.

VORO à *βορὰ*, hoc est, *pabulum*, *cibus*, ac propriè *bestiarum*: vt *vorare* primâ propriàque significatione notet, *ferino more comedere*. *β* in *V* consonum sæpè mutatur, quomodo à *βιῶ*, est *viuo*. à *βόλω volo*: interdum etiam in *V* vocale, vt *aufugio* & *aufero*, pro *abfugio* & *abfero*. A *voro* est *vorax*, vt ab *edo edax*, Gr. *βορὸς*, vel, vt alii, *βορός*. vnde apud Homerum *δημοβόρος*, *populiuorus*, aliáque composita. A *vorando* quoque est *vorago*, vt ab *imitando*, *imitago*, ex quo *imago*. Eiusdem originis est *vorarrina*, vorandi officinæ, & *πανδεκτοφάγος*, *homo vorax*. Legas apud Tertullianum in Apologetico.

VOVEO à *βοάω*. Duplex facta mutatio. Nam & *β* conuersum in *V* consonum, & *AI* in *E* breue. Vtriusque exemplum quoque habes in *venio*, vt quod sit à *βαίνω*. Vide *fenestra*, *viuo*, *vescor*, *vorax*, &c. Vel est *voueo* à *βοῶ*, vt propriè de iis dicatur, *qui contentiori voce Deo spondendo aliquid se obligant*. Prius etymon secutus Angelus Caninius, in Hellenismi Alphabeto; Nunnesius, in Grammaticis; alterum Iul. Scaliger, Exercitat. CCCX Sect. I. A *voueo* est *votum*: vnde *Votorum dies* dicebantur Kalendæ Ianuariæ, & imprimis III. post Kalend. Ianu. quibus sollennia pro salute Principis vota faciebant: vt ad Spartianum Casaubonus obseruat ex Dion. lib. LVIII. & Leg. CCXXXIII. De verborum significationibus. Quibus alios scriptores adiungit Schottus, lib. V. Obseruat. Human. cap. XXXI. Ac eumpse morem, cum votorum appellatione, retinuere Christiani Imperatores: vt liquet ex Tit. Cod. De oblatione votorum, & canon. LXII. Concilii Trullani: vbi Balsamo Latinæ linguæ ignorantiâ ridicule ait Festum huiusmodi diem dici *βοτὰ ἀπὸ τοῦ βοτοῦ* siue *πρόβατον*, quia in honorem Panis, pastorum Dei, fuerit institutus. Vt à *voueo votum*, ita à *deuoueo* est *deuotus*, vnde *deuotare*. In Isidori Glossis legas: *Deuoto*, *accuso*. Quæ mi-

interpretatio parum commoda. Rectiùs Glossæ Græco-Latinæ *Ἀφοσιῶ, sacro, deuoueo, deuoto.* Vsus Accius Æneadis:

Patrio exemplo, & me dicabo, atque animam deuotabo hostibus.

Sic liquet scripsisse Accium, etsi Nonius videatur legisse *deuorabo*. Etiam in MSSis codd. legas apud Cic. in Paradoxis: *Quæ vis patrem Decium, quæ filium deuotauit, ac immisit in armatas hostium copias.* Etiam in vett. Plauti libb. est, Casinâ, act. II. sc. VI.

Credo hercle hodie deuotabis sortes, si attigeris.

Vbi in vulgatis malè *deuorabis*. Appuleius quoque, lib. IX. Met. *Cuncta cœli numina, quæ deierando temerè deuotasti, pessimum pessimè perdant.*

VOX vnde sit, docet his verbis Priscianus, lib. I. cap. I. *Vox dicta est vel à vocando, vt dux à ducendo; vel ἀπὸ τοῦ βοῶ βοῶ, vt quibusdam placet.* Sed omnino vox est à *voco*, *voco* à *βοῶ* inserto C. quomodo à *ϲπέοϲ* est *specus*: quomodo item Varroni ab *vna* est *vncia*. Nec absurdè tamen Nunnesius, cui in Grammatistice *vox* est à *βάζω*, siue futuro *βάξω*, *loquor*. Idem tamen alibi censet *vox* esse à *φωνὴ*. Ac Becmanus similiter deducit *voco* à *φωνῶ*. Sed huic obstat tum quantitas prioris syllabæ, tum quòd *N* non soleat in *C* conuerti, imò fortassè neque cognatam *G*, nisi sequente *C* vel *G*. quomodo vetustissimi Latini, Prisciano teste, scripsere *Agchises, agceps, aguinus*, pro *Anchises, anceps, anguinus*. A Syriaco tamen ENO est *ἰγω*, vt monuit Caninius. A *vox* est *prox*. Festus: *Prox, bona vox, velut quidam putant, significare videtur; vt ait Labeo de iure pontificio*, lib. IX. Addit Paullus: *Prox, quasi proba vox*. A *vocando euocati* dicebantur milites veterani qui expletis stipendiis in gratiam consulum ducúmque militiam sumerent. Nempe tales rogatione ac precibus, sæpeque literis aut nunciis nominatim *euocabantur*: vnde iis nomen. Ac singuli eorum *centurionum* honore & insignibus afficiebantur: vnde & Dione teste, vitem gestabant, quod centurionum, vel eorum, qui ad centurionatum erant designati insigne fuisse, alibi diximus. Hæc ratio est, cur Cæsar *centuriones euocatosque* passim coniungat & æquet. Idem in caussâ est, cur vocabula ea à veteribus interdum confundantur, vt cùm Valerius Maximus Titinium *centurionem* vocet, qui Velleio est *euocatus*. In Glossis etiam vett. legas: *Euocatus, ἀπόμαχος*. Plura de *euocatis* vide apud Lipsium libro primo de militiâ Romanâ, dialogo octauo. Ab *aduocando* dicti *aduocati*, qui Græci *παράκλητοι*, ἀπὸ τοῦ παρακαλεῖν. Hodie forensis opera continetur *caussidicorum* & *procuratorum* munere: olim autem diuersæ erant functiones *patroni*, *aduocati*, *cognitoris*, & *procuratoris*, qua de re ita Asconius in Diuin. *Qui defendit alterum in iudicio, aut patronus dicitur, si orator est: aut aduocatus, si aut ius suggerit, aut præsentiam suam commodat amico: aut procurator, si negotium suscipit: aut cognitor, si præsentis caussam nouit, & sic tuetur, vt suam.* Pluráque de *aduocati* & *cognitoris* munere vide sis apud Budæum Annot. Poster. in Pand. Ab *aduoco* est *aduocito*. Festus: *Aduocitat, sæpè aduocat.* Vbi MSSi. *Aruocitat*. Quod placet. Nam veteres *ar* pro *ad* dixere, vnde *arcesso*, *arfari*, & alia.

VPVPA vulgo nomen eo accepisse putatur, quòd Tereus, Thracum rex, in auem eam commutatus, etiam nunc requirens filium Ityn, quem Progne marito comedendum apposuerat, inclamet *ποῦ ποῦ*, hoc est, *vbi, vbi*. Sed sanè possumus cum Varrone nomen hoc deducere à voce eius *pu, pu*, vtcumque non ad fabulas recurramus. Magis interim eò inclinat animus, vt sit ab *ἔποψ*, quo pacto auis illa Græcis vocatur: vt est in Onomastico veteri, atque etiam B. Hieronymus indicat in V. cap. Zachariæ. E conuersum in *V*, quomodo ab *ἕλκοϲ* est *vlcus*. *Vpupa* etiam ob similitudinem dicebatur instrumentum ferreum, quo in lapicidinis vtebantur ad eruendos & excauandos lapides quod Græci ἀπὸ τοῦ ὀρύττειν, id est, *fodiendo*, *ὄρυγα* dixere. Gloss. vett. *vpupa, ὄρυξ*. Sic vsum videmus Plautum, Captiuis, scen. vltim. vbi Tyndarus ait, sibi, simulatque in lapicidinas detrusus esset, datam esse *vpupam* in manum: vt scilicet hoc esset illi misero, quod patriciis pueris monedula, anas aut coturnix. Hæc auium nomina recenset, quia & *vpupa* auis nomen esset: vnde ferreo huic lapicidarum instrumento *vpupa* nomen erat. Videntur hoc instrumentum etiam *subulam* dixisse: vnde in scriptoribus de limitibus legas: *subulis impoliti lapides.*

VRBS est à עיר. quod est *ciuitas*, vt Genes. IV. XVII. Numer. XXXV. II. & alibi. Nec tamen sententiam eorum damno, quibus placet, *vrbs* esse contractum ex *orbis*: quomodo *πόλις* à *πόλος*, hoc est, *πόλος*. Censet hoc Varro, qui & alterum addit etymon. Sic enim scribit, lib. IV. de L. L. *Oppida*, inquit, *quæ prius erant circumducta aratro, ab vrbe & vrbo vrbes.* Quibus verbis indicat, vel *vrbem* dici quasi *orbem*, quia in *orbem* fieret: vel ab *vrbo* siue *vruo*, hoc est, *buri*, siue *aratri* *curuatura*: vnde *vrbare*, hoc est, in *vrbe* condenda circumdare *vruo aratri*. Vide Festum in *Vruat*. Et in Philox. Gloss. legas, *Vrbata, περιεσφραγισμένα*. Nimirum *vrbem* conditur (quod pluribus ostendit Varro, in IV. de L. L.) taurum & vaccam futuræ fecunditatis spe, iungere solebant, & aratro sulcum designabant, intra quem *vrbem* ædificarent. Vtramque, quam attulimus, nominis caussam ponit etiam Isidorus, lib. XV. cap. II. Morem verò aratro mœnia signandi probat idem his verbis Catonis in Originibus: *Qui vrbem nouam condit, tauro & vacca aret: vbi araucrit, murum faciat: vbi portam vult esse, aratrum sustollat & portet, & portam vocet.* Fusiùs idem ad V. Æn. explicat Seruius: *Conditores*, inquit, *ciuitates taurum in dextram vaccam intrinsecus iungebant, cincti ritu Gabino, id est, togæ parte caput velati, parte succincti, tenebant stiuam incuruam, vt glebæ omnes intrinsecùs caderent. Et ita sulco ducto, loca murorum designabant aratrum suspendentes circa loca portarum.* Est hac de re illustris quoque locus apud Ouidium, quarto Fastorum.

Apta dies legitur, quâ mœnia signet aratro, &c.

Et paulò pòst:

Indè premens stiuam designat mœnia sulco;
Alba iugum niueo cum boue vacca tulit.

Quia autem quo ritu quid factum, eodem vel contrario reddi solet infectum, (quomodo qui mancucapti, indeque mancipia dicti manumissione restituebantur libertati:) ideo, vt condendis, sic etiam euertendis *vrbibus* aratrum adhibebant; quemadmodum Seruius monet ad illud I. Æn.

— *Cui littus arandum:*

idémque probat illo Horatii, od. XVI. lib. I.

— *Imprimerétque muris*
Hostile aratrum exercitus insolens.

Idem ex Philippicis Cicero & Caio I. C. probant Horatii interpretes ad locum citatum. Ex his planum fit, cur *vrbi* nomen indidum voluerit Varro ab *vrbo* siue *vruo*. Quod autem Romani aratri curuaturam *vruum* vocarunt id eo factum, quia *vruum* generatim dicerent τὸ ἀνάστροφον, hoc est, *quod ita flexum, vt redeat sursum versus*. Hinc *vruare*, & compositum *amburuare*, corpus saltu reciprocare, prout Salii facere solent. Lucillius apud Festum & Nonium:

Præsul vt amburuat, sic volgu' redamtruat indè.

Ita eum locum in Coniectaneis emendat Scaliger. Vide *Trimare*. Verum ad Festum legere mauult,

Præsul vt amtruat, indè & volgu' redamtruat olli.

Quod magis placet, eò quòd propiùs abit a schedis Festi antiquis à Fuluio editis: vtpote in quibus legatur:

Præsul vt ampiruat, indè vulgus redamtruauit.

Nam *ampiruat* ex *amptruat* facili errore factum, quia *t* & *i* eodem scribuntur modo. Et *indè* clarè ponitur ante *vulgus* non postremo loco, vbi *illi* magis conuenit, nisi *olli* mauis. Vt *quadrinium* dicimus, ita *quadrurbem* dixit Attius, quòd Græcè *τετράπολιν*. *Τετράπολιν* autem vocarunt OEnoen, Probalinthum, Tricorythum, & Marathonem, quatuor Atticæ populos, teste Stephano in *Τετράπολιϲ*. At fallitur Festus, cum ea de re sic scribit: *Quadrurbem Athenas Attius appellauit, quòd scilicet ex quatuor vrbibus in vnam domicilia contulerunt, Braurone, Eleusine, Piræo, Sunio.* Sed hanc sententiam satis refellunt, quæ hac de re notauit clarissimus atque amicissimus collega meus Ioannes Meursius, lib. de Fortuna Atticæ, cap. III.

VRCEVS, *vas aquarium*, vnde *vrceolus*, quod lemma est disttichi XCV. in Apophoretis Martialis. De etymo *vrcei* sic Isidorus, lib. XX. cap. VI. *Orca est amphoræ species, cuius minore vocabulo vrceus, diminutiuo vrceolus est.* Sed omnino & *orca* & *vrceus* sunt ab *ὑρχη*, quod est *genus vasis fictilis*. Vide quæ dicimus in *Orca*.

VRGERE ab *ὀργᾶν*, si credimus Iulio Scaligero, in lib. de Plant. *Plantæ quoque, inquit, primo vere dicuntur ὀργᾶν, sicut & animalia, quæ vrgentur in Venerem, eâdem potissimùm tempestate, vnde & verbum nostrum à Græco illo.* Nunnesio in Grammatistice visum deducere ab *εἴργω*, vt *ει* in *G* mutetur, quomodo ab *ἀμνὸς* est *agnus*. Mihi neutrum placet. Sanè *vrgere* est *ἐργάζεσθαι*: eòque videtur esse ab *ἔργον*, vt quod nihil sit aliud quam *ad opus excito*, aut *stimulo*. Eius compositum est *exurgeo*. Festus: *Exurgentes, exprimentes.* Vbi vulgò *exugentes*, vt sit à *sugo*. Sed MSSi partim *exurgentes*, partim *exsurguentes*. Est & ab *vrgeo indulgeo*. Scio esse, qui ab *algeo* deducant, quia qui indulget, is operi haut feruidè instat. Sed planè assentio doctissimo Casaubono, qui ad Persii sat. V. monet, conflari hoc verbum ex *in ἐν...*, & *vrgeo*: *D* internectum esse, vt in *indoles*, quod est ab *olescere*, hoc est, *crescere*: & autem in *L* mutari,

quomodo

quomodo à *Remo Lemures* dicti existimantur: aliaque id genus sexcenta. Aliud quoque in mentem venit. Quid si conflatum dicam ex *indu*, pro *in*, & *vrgeo*: Matres indulgentes & his similes, quicquid puero gratum, *vrgent* aduersus patres, & seueriùs educantes. *Indulgentiam* medio æuo dixere, cum tributa & vectigalia Imperatores laxabant. Quod verò vir eruditus auctarij Philoxeni cap. XXXIII. censet natum esse illud vocabulum Ammiani Marcellini temporibus, nonnihil eum fugit ratio. Nam, vt ipse agnoscit, vsus eo scriptor Panegyrici Flauiensium nomine dicti Constantino Augusto. At Ammianum quis æuo Valentis & post vixisse nescit; qui legerit librum vltimum?

VRI *boues siluestres* ab *vrendo* dicti videntur Angelo Decembrio, lib. IV. de politia literaria parte I. Sed hoc ineptè. Verisimiliùs Seruius in Georg. II. vers. CCCLXXIII. vbi ait *Vros* dici ἀπὸ τῶν ὀρέων, id est, *montibus*, ac nasci eos in montibus Pyrenæis, qui inter Gallias Hispaniásque. Sed maxime credimus Macrobio, lib. VI. Saturn. cap. IV. *Punicis*, inquit, *Oscisque verbis vsi sunt veteres: quorum imitatione Virgilius peregrina verba non respuit, vt in illo,*

Siluestres vri assiduè.———

Vri enim Gallica vox est, quâ feri boues significantur. Hanc sententiam firmare est ex eo, quod (vti Gesnerus, lib. I. de quadrupedibus, obseruat) hodiéque in Germania *vr* in compositione *siluestrem* notet: vt *vr-ochs*, bos siluestris; *vr-han*, Gallus *syluestris*. Atqui Germanicam & Gallicam linguam, imò & Hispanicam, Britannicam, ac Illyriam linguam antiquis fuisse eandem, fuse docet clarissimus Cluuerius, lib. I. rerum Germanicarum.

VRINA sic dicta putatur, vel quòd *in exeundo vrat*, vel quasi *egerina*, quia ex *renibus egeritur*. Vtrumque etymon ponit Isidorus, lib. II. cap. I. Sed est à Græco οὖρον, vnde δυσουρία, quæ Plinio & aliis *difficultas vrinæ*; & οὐρητῆρες, *venæ à renibus ad vesicam vrinam deferentes*, vt scribit Celsus, lib. IV. cap. I. Ab eadem origine est Παλίνουρος, ex πάλιν, hoc est, *rursus*; & οὐρεῖν, hoc est, *meiere*. Est & nomen proprium gubernatoris classis Trojanæ, qui dormiens è naui in mare decidit, vt narrat Virgil. extremo lib. V. Lusit in hâc voce Mart. lib. III. epigr. LXXVIII.

Minxisti currente semel, Paulline, carinâ:
Meiere vis iterum, iam Palinurus eris.

Vrinam τὸ μεταφορικὸν dici de *genitali semine*; *meiere* item ad *Venerea* transferri, iamdudum viri docti monuerunt.

VRINATORES sunt, quos Græci vocant κυβιστητῆρας. Vel etiam κυβιστῆρας ac κυβιστάς; quam vocem Etymologici auctor exponit κολυμβητάς. Idem κυβιστᾶν interpretatur ἐπὶ κεφαλὴν πηδᾶν, quod est *in caput velut*. Talis enim *vrinantium* habitus. Sed & κυβισταὶ aliter dicti ἀρνευτῆρες, vt ex Hesychio & Eustathio constat. Quæ vox ab ἄρνες, hoc est, *agni*, quia *soleant hi pedibus sublatis subsilire in caput*. *Vrinari*, pro *mergi in caput*, crebrum est apud Plinium. Columella quoque, lib. VIII. cap. XIV. *inurinare* dixit, de anseribus agens. Putant quidam *vrinare* esse ab *vrnâ*, cùm *in aquam mergitur*: *vrnam* verò ab *vrgendo* dici aiunt cum Catholico, & Vgutione. Verùm contra Varro *vrna* deducit ab *vrinare*, hoc ab *vrbo* siue *vruo*, quomodo vocatur τὸ ἀνάπαλιν, hoc est, *quod sursum versus repandum*. Verba Varronis, quæ sunt lib. IV de L.L. sic restituit Ios. Scaliger: *Vrnæ dictæ, quòd vrinant in aquâ haurienda, vt vrinator. Vrinare est mergi in aquam in vrbum; fictum ab vrbo, quod ita flexum, vt redeat sursum versus: vt in aratro, quod est vrbum.* Hæc Varro. Quem videmus *vrna* deducere ab *vrino*, *vrino* ab *vrbo*, qua de voce plura in *Vrbs* diximus. Quod si ab *vrbo* minùs esse placet, vide an non corruptum sit ab ἀρύω, traiecto *v*, literisque aliquot immutatis. Sanè significatio conuenit, cùm ἀρύειν sit κυβιστᾶν siue *vrinare*, vt paullò antè diximus.

VRO vnde sit, non satis paret: sed tamen non dubitandum, quin vel sit ab Hebræo אור, id est, *ignis*; vel Græco πυρῶ, quod à πῦρ, id est, *ignis*. Si posterius placet dicendum erit veteres ex πυρῶ fecisse *buro*, atque id comprobari è composito *comburo*, & deriuato *bustum*, ac *bustar*. Sed de *comburo*, obiici potest, quod vt ex *am* & *ago* inserto *b* fit *ambigo* & *ambages*: sic à *cum* & *vro* inserto *b* fieri *comburo*. Id ita esse, comprobari videtur ex cæteris compositis *exuro*, *aduro*, *inuro*, atque aliis, in quibus *M* illud non apparet. Sed inualidum hoc telum, quia & *vro*, & *buro* dixere, vnde *bustum* & *bustar*. Nam ridiculum est, quod Grammatici volunt *bustum* dici κατὰ συγκοπὴν pro *beneustum* ex *bene*, & *vstum*. Nec multò melius, quod alij credunt *bustum* κατ' ἀφαίρεσιν factum esse è *combustum*, quomodo ab ἄρουρα est *rura*. Sic igitur statuendum, & *buro* dixisse & *vro*. Ac *buro* esse à πυρῶ, quod à πῦρ. *Vro* verò esse ab חרר, *ardere*, *comburi*. Vel ab אור, id est, *ignis*: quod etymon iam olim Papias adduxit. Hoc verò ab אור, *lucere*. A quorum altero & *aurum* nomen accepit, ob *igneum eius metalli fulgorem*. Ab *vstum* est *vstor*, νεκροκαύστης, prout Glossæ veteres interpretantur. At νεκροκαύστης vox in Cyrilli Glossis *bustuarius* & *rogarius* exponitur. Ab eodem est *vstrina*. Gloss. Phil. *Vstrina*, πυρκαϊά. Item, *Vstrina*, καυστήριον. Est igitur *vstrina* locus in quo cremabatur cadauer: quâ de voce plura diximus in *Bustum*. Ab eodem *vstulare*; vnde *semiustulatus*, in Milonianâ. A *viuus* & *comburo* est *viuicomburium*, quod sic dictum ad discrimen cadauerum, quæ olim comburi mos erat. Vsus Tertullianus, lib. de animâ cap. I. *Sed de patibulo & viuicomburio per omne ingenium crudelitatis exhauriat.* Quibus delictis hoc supplicium irrogari soleat; docet Radulphus Fornerius, lib. I. rerum quotidianarum cap. VII.

VROPYGIUM dicitur *pars vltima spinæ, vbi vertebræ desinunt*. Martialis, lib. III. Epigr. XCIII.

Et anatis habeas vropygium sacra.

Vbi clarissimus Gruterus in Palatino repetit *ortopygium*, in Bongarsiano, *hortopygium*, in alio verò prius *vrtopygium* scriptum fuerat, posteàque mutatum in ὀρθοπύγιον. Scribendum autem vel *vropygium* vel *orropygium*, vel *orthopygium*. Nam *oropygium*, quia prima est correpta, locum in hoc versu non habet. Esse à πυγή, quo *nates* signantur, satis liquet. Prior verò pars est ὄρρος, vel ὀρρός, vel ὄῤῥος, vel ὀρθός. Ac tria quidem priora idem signant, nempe τὸ ἱερὸν ὀστοῦν, vt Galenus exponit in Lexico Hippocratis. Vnde ὀρροπύγιον, siue ὀῤῥοπύγιον, siue ὀρροπύγιον, pars ea quæ inter ὄῤῥον, & πυγήν. Ὀρθοπύγιον verò est ab ὀρθός, id est, *rectus*, vt propriè signet *partem illam erectam elatámque supra clunes, quam ὄῤῥον dicimus*. Itaque & Hesychius ὀῤῥοπύγιον exponit ὀρθοπύγιον, vnde etiam liquet eius ætate ὀρθοπύγιον vsitatius fuisse.

VRRUNCUM quid sit, docet hic locus Varronis lib. I. de R. R. cap. XLVIII. *Illud autem in summa spica iam matura, quod est minus, quàm granum, vocatur frit. Quod in infima spica, ad culmum stramenti summum, item minus, quàm granum est, appellatur vrruncum.* Est à Græco ἤρυγγος, vel Latino *aruncus*, quibus notatur *villus de mento hirci dependens*: vt in *Aruncus* diximus. Caussa etymi, quia *quasi villos de se fundat*. Vel deducamus ab *vrendo*, quia summa quæque in segete æstu maximè vruntur.

VRSUS deducit Ang. Caninius & cum eo Petrus Nunnesius, ab ἄρκτος, eliso *κ*, & conuerso *T* in *S*, quæ mutatio frequens in omnibus libris. Sic Græci dicunt γλῶττα vel γλῶσσα, Latini *pulso* vel *pulto*, ac quod Germani *was*, *das*, *wasser*, id Belgæ *wat*, *dat*, *water*. Quamquam verò etymon hoc duriusculum est, tamen quia significatio eadem est, magis placet, quàm vt *vrsus* sit ab Hebræo *VR*, ob *igneam animantis indolem*; vel à supino verbi *vrgeo*, quia *animantes alias vrgendo ac propellendo prosternit*: vel vt sit quasi *irtus* siue *hirtus* dicatur, hoc est, *hirsutus*, δασύτριχος. Nihilo magis verisimile *vrsus* dici quasi *orsus*, quia pariat non fœtum perfectum, sed *tenuem fœtus orsum*; vel vt eadem de caussa dicatur venire ab *ore*, quia *ore* suo mater fœtum lambat & lambendo perficiat, vt quem ediderat informem. Cæteroquin fauet huic sententiæ Isidorus, lib. XII. *Vrsus*, inquit, *dictus fertur, quòd ore suo formet fœtus, quasi orsus*. Sententia vulgata est, & Plinio etiam tradita, lib. VIII. cap. XXXVI. Sed planè fabulosa. Nam in *vrsis* fœtis à venatoribus captis & dissectis catuli inuenti, sed membris planè formatis distinctísque. Sententia verò vulgaris ex eo originem traxit, quod nascentibus *vrsis*, secundinâque obuolutis, quâ ratione tantùm informem carnem præferunt, lambere mater fœtum soleat, vsque dum reuellerit secundinas. Vide Scaligerum, Exercitat. VI. sect. XV. & Dalecampium ad memoratum Plinij locum; & quæ in opere Idololatriæ gentilis ac Physices Christianæ diximus, lib. III. cap. LIV. Africa *vrsos* non habet, si Plinio credimus. Qui iccirco miratur, in annalibus scribi, Domitium Ænobarbum Curulem M. Pisone & M. Messalla Coss. dedisse *vrsos Numidicos centum*. Iustus Lipsius, lib. II. Elect. cap. IV. intelligi putat *leones*. Quam sententiam in Oratoriis nostris secuti sumus. Sed placet nunc magis Salmasij opinio, qui Plinium putat errasse. Vide eum in Exercitationibus ad Solinum; & quæ diximus opere ante memorato, lib. III. cap...

VRTICA ab *vrendo*, quòd igneæ sit naturæ, vnde admota carni pruritum ac pustulas excitat. Rectè igitur supposititius ille Macer:

———*Nec immerito nomen sumsisse meretur,*
Tacta quod exurat digitos vrtica tenentis.

Eandem vim habet *conchylij* genus: vnde & ipsum *vrtica marina* nominatur.

VRUS, *bos agrestis*, in Pyrenæis montibus nascens, animantibus

bus cæteris, elephanto excepto, maior, atque ita dictus ἀπὸ τῶν ὀρῶν, hoc est, à *montibus*. Hæc Seruij sententia est in II. Georg. Sed Macrobius in VI. Sat. cap. IV. auctor est, *vri* vocem esse Gallicam. Nec repugnat, quòd Solinus refert *inter Germaniæ & Septentrionis feras*: quódque in Philox. Glossis legas, *Vror*, (leg. *vrus*) βοῦς Γερμανός. Nam & Gallis, & Germanis, vox *vri* erat communis. Quemadmodum enim vtrique communi Celtarum appellatione censebantur, ita linguam etiam communem habuere. Ergo *vrus* est, qui Germanis *vhrochs*. de *vris* vide Cæsarem, lib. VI. de Bello Gallico. Item Aristotelem, Plinium, Solinum. Qui *vri* sunt, vulgò *bubali* dicuntur, errore inueterato: qua de re in *Bubalus* diximus.

VSQVE ex ὥς κε. Ita Cæsar Scaliger de caussis L. L. cap. CLV. Vbi ὡς valet ἕως. *Vs* ergo ex ὡς. Habes idem in *vsquam* & *vspiam*: vbi aliam vim habere videtur. Nam vtrumque valet quod parum Latinè dicitur *vllibi*, quasi *vllo ibi*. Itaque videri possit *vs* istoc esse ex *vllo*. Sed nihil prohibet, quo minus *vs* habuerit apud Latinos notiones varias, vti apud Græcos ὡς, cui XXX notiones tribuit Tryphon: in quibus tamen exponendis parum se valuisse iudicio ostendit. *Piam* in *vspiam* vocis est productio, haut secus ac in *quispiam*. *Nusquam* à *ne* & *vspiam* esse, vti *nusquam* à *ne* & *vsquam*, satis liquet.

VT videtur κατ' ἀποκοπὴν factum ex *vti* quod eiusdem est significationis. *Vti* autem ab ἴθι venire, non abludit à vero. Sed cùm, quemadmodum Latinis particula *vt*, nunc similitudinis est, ac idem quod *sicut*: nunc caussale, ac ponitur pro *quo*: nunc temporis, ac exponitur per *postquam*: nunc optandi, vt in illo Terent.

Vt illum Di Deæque senium perdant.

(Vbi *vt* ab Aruntio Celso *vtinam* exponi, etiam Charisius obseruat cap. V. de Aduerbio:) sic particula ὡς apud Græcos accipiatur: (quod de ἴθι dici non potest:) dispiciendum planè an non longè verisimilius sit, quod Angelus Caninius & Petrus Nunnesius putabant, *vt* venire ab ὡς, Σ in T conuerso, more Dorum. Sanè & à τόσ, similiter est *tot*, & à μυρσίνη, *myrtus*: & à πρασιά, *pratum*; & à μυσσωτὸς, *moretum*. Suntque id genus alia non pauca. *Vt* propriè esse similitudinis, impropriè sumi pro *postquam*, argumento est quòd interdum etiam cùm ponitur pro *postquam*, *sic* additur. Liuius lib. XXI. *Saguntini vt a prœliis quietem habuerant per aliquot dies, ita non nocte, non die vnquam cessauerunt ab opere*. Etiam similitudo est cùm dico, *Vereor, vt placari possit*. Nam valet, *quomodo possit*. Item cùm est optantis; Quemadmodum in illo, *Vt illum di deæque perdant*. Nam intelligitur, *ita precor*. Ex *vt* vel *vti*, cùm similitudinis est, & particulâ *sic*, conflatum est *sicut* seu *sicuti*: quemadmodum ex *vel* & *vt*, vel *vti*, est *velut* & *veluti*. Ab *vt* & *cunque* est *vtcunque*. Ab *vt*, cùm optandi est, & particula *nam*, factum est *vtinam*. In quo *nam* non caussale est, sed potiùs significat *verò* siue *autem*, quomodo & sumitur in *quisnam*. Estque particula *nam* κατὰ μετάθεσιν facta ex Dorico μάν, pro μήν, quod idem sæpe signat ac μέντοι, id est, *vtique*, *autem*, *verò*. *Vt* optantis fortasse ab εἴθε, *vtinam*. Vel ab ὡς, quod Græcis optandi, vt dictum.

VTER interrogatiuum, videtur Perotto esse ab *vnus*, eò quòd notet *vnum ex duobus*. Sed quæ hic vocum affinitas præsertim cùm & princeps syllaba disconueniat quantitate? Quare mihi magis placet, id esse à πότερος, quod idem notat. Truncata prima litera, vt in *rura* ab ἄρουρα, & multis aliis. Vel est ab ἕτερος, hoc est, ὁ ἕτερος, quod in Hellenismi Alphabeto scripsit Angelus Caninius. At minùs placet, quod idem eapse commentatione *vterque* ab ἑκάτερος deducit. Nam planum est, vt à *quis* est *quisque*, ita ab *vter* esse *vterque*. *Que* verò hîc non tam coniunctio est, quàm syllabica adiectio: vt Priscianus docet in XIV. vbi similia esse dicit *ita itaque*, *vbi vbique*, *abs absque*. Neque enim in his remanet significatio coniunctionis. Ab *alter* & *vter* est *alteruter*. *Neuter* verò est à *ne* & *vter*, vt apud Græcos μηδέτερος, quod idem notat à μηδὲ, & ἕτερος, vt apud Latinos item à *ne* & *vllus* est *nullus*, à *ne* & *homo* est *nemo*: in quibus *ne* valet *non*; vt pluribus exemplis ostendimus in *Homo*.

VTER *vtris*, ἀσκὸς, ab *vterus* sic dicitur, teste Isidoro, lib XX. c. VI. Et conuenientia *vtris* & *vteri* satis etymon hoc firmat. Siquidem *vter* vinum, oleum, aquam; *vterus* fœtum continet. *vter* corio, cute item *vterus* tegitur: denique, quod imprimis tralationi præbuit caussam, quemadmodum *vter* eminet & protuberat, ita & *vterus* ventriculi figuram refert. Quas metaphoræ caussas iam olim in Catholico suo attulit Ioannes de Ianua. Et firmat nonnihil, quod etiam pro *vtero*, *vter* dixere, quomodo Cæcilium in Vmbris locutum esse ex Nonio docemus, in *Vterus*. Ab *vter* Liuio *vtrarij*, qui *vtribus* afferunt aquam.

VTER *vterus* deriuat ab ἕτερος, *alter*, *alius*, E in V abeunte, vt ab ἕλκος, *vlcus*; à καταπέλτης, *catapulta*. Sed ne mutatione istac opus sit, mauult ab ὁ ἕτερος deducere Scaliger de caussis L. L. cap. XXVII. Puto potiùs esse ab ὕστερος per syncopen facto ex ὑπόστερος, quod & ipsum *vter* significat.

VTERI mirificam etymologiam adducit Isidorus, lib. XI. cap. I. *Vterus*, inquit, *vocatus*, *quod duplex sit*, *& ab vtraque in duas se diuidit partes*, *quæ in diuersum diffusa ac reflexa circumplicantur in modum cornuum arietis*. Rectiùs dixisset, *vterum* dictum ab *vter*, quâ notat pelles, quibus vinum aut oleum deferri solet: vt nempe ita appelletur, quia fœtum contineat, quemadmodum *vter* liquorem. Fulciendo huic etymo est, quòd veteres etiam *vter* pro *vterus* dixerunt: vt probat Nonius istoc Cæcilij in Vmbris;

Nunc vter crescit, non potest celari.

Sed imprimis hanc sententiam firmat locus Plinij, lib. XI. cap. XXXVII. *Feminis*, inquit, *eadem omnia*, *præterque vesicæ iunctus vtriculus*, *vnde dictus vterus*. Interea ne hoc quidem etymon verum est. Sed venit *vterus* ab ὑστέρα, quomodo vocatur matricis integumentum, ὁ καλυμμὸς τῆς μήτρας, vt ait Suidas. Vel potiùs dicitur quasi ὁ ἕτερος, hoc est, *alter venter*: quod etymon adducit Cæsar Scaliger in tertium Aristotelis Historiæ animalium Sect. XXII: vel, quod maximè placet, cùm *venter* Græcis ἦτρον dicatur, vnde ea vox γαστήρ ab Hesychio exponitur, planè ἀναλόγως ab ἦτρον fit *vterus*, conuerso δ in T, quomodo à ἀσκὸς est *tesqua*; à δαΐς, δαΐδος, *tæda*; à σπυρὶς, σπυρίδος, *sporta*, &c. Propriè tamen aliud *vterus* vti & *aluus*; quibus de vocibus sic Seruius ad illud II. Æneid.

———*Vterúmque armato milite complent*:

Vterus, inquit, *est mulierum*: *nam prægnantis propriè est*, *quem modo ideo dixit*, *quia dicturus est*, *fœta armis*. *Aluus est*, *quo defluunt sordes*: *vt Sallustius*: *Simulans sibi aluum purgari*. *Venter*, *qui videtur*. Iuuenalis:

Montani quoque venter adest abdomine tardus.

Ab *vter* est *vterinus*. Ita *vterini fratres* dicuntur, qui ex eodem *vtero* prodierunt. Quibus opponuntur *consanguinei*, qui de vno patre nati, vt Caius definit lib. II. Instit. tit. VIII. Similiter Theophilus in Instit. de legit. adgnat. success. οἱ ἐκ τῆς αὐτῆς μητρὸς τεχθέντες ἀδελφοὶ ῥωμαϊστὶ μὲν λέγονται οὐτερῖνοι, ἑλληνιστὶ δὲ ὁμομήτριοι. Vide quæ de *vterinorum*, *consanguineorum*, *germanorum* fratrum discrimine, scribimus in *Frater*.

VTOR ab ἴθω, conuerso E in V, quomodo ab Æolico ἕλκος pro ἕλκος est *vlcus*. Quòd si quantitas diuersa assensum remoratur, dicere liceat similiter ab obliquo ἑνὸς esse *vnus*. Sed nihil sanè opus eò recurramus. Nam ab εἴκω, ἔοικα, ita ab ἴθω fit ἔοιθα, pro quo Atticè εἴωθα, communiter εἴωθα dicimus. Ergo ab ἔοιθα fit *oitor* & *oisus*, pro quo posteriores *vtor* & *vsus* dixere. Nam *oi* in *v* abire solet, vt à ποινὴ *pœna*, *impune*. Ab *vtor* est *vtilis*. Nam κατὰ συγκοπὴν factum ex *vtibilis*, quo vtitur Plaut. Mercat. Act. V. Sc. vlt.

Eamus intro, *non vtibilis hic locus factis tuis*

Dum moramur, (ita Scaliger emendat pro quo in omnibus vulgatis *memoramus* editum,) *arbitri vt sint*, *qui prætereant per vias*.

Idem, Milite, Act. III. 2:

Magis ad rem non potest esse vtibile.

In quibusdam etiam Terentij exemplaribus legitur Phorm. Act. IV. Sc. IV.

Quid minus vtibile fuit quàm hoc vlcus tangere.

In præfatione quoquè elegantissimâ, quam Sallustius præmittit bello suo Iugurthino, Palmerius legit *tamque vtibili* idque ex veteribus libb. Hinc liquet *vtile* propriè esse, *quod vsum sui præstat*, sed μετωνυμικῶς ita appellatum fuisse, *quod commodum affert*. Itaque & *vtilitas* propriè non commodum, sed *vsum* notat. Hoc pacto videtur vsurpare magister Herennianus, lib. IV. *Si idoneus esse potest ad eas vtilitates & aptus*, *quæ desiderantur ab equo*. Pro *vtilis* etiam dixere *vtensilis*, χρειώδης, vt exponit Onomasticon: Vnde *vtensilia*, & apud Tertullianum *vtensilitas*. Etiam ab *vtor* dicitur *vsio*, *vsus*, & *vsura*. *Vsio* est apud Catonem de re R. & Varronis est apud Nonium: *Diogenem litteras scisse tum*, *vsioni quod satis esset*. Indéque *abusio* remansit, ἡ καταχρῆσις. Plura de *vsionis* voce in oratoriis diximus. *Vsura* pro *vsu* est apud Lucillium:

———*Et in vsura omnia poni*

Non magna, *proprium vero nil neminem habere.*

Pro quo Lucretius postea:

Vitaque mancupio nulli datur omnibus vsu.

Plautus Amphit.

Eiúsque vsuram corporis cepit sibi.

Quasi dicat, proprietatem fuisse penes Amphitryonem: *vsuram* etiam penes Iouem. Hinc eidem *vsuraria vxor*, cuius solum habeas *vsum*. Speciatim verò *vsura* ὁ τόκος: indéque *vsurarius* pro *fœnebri*. Gloss. Cyrill. Δανειστικὸς. *Vsurarius*, *fœnebris*. Onomast. *Vsurarius*, ὁ χρεώφειλος, δανειστής. Etiam ab *vsura*

vsurpo

vsuripo esset, pro quo κατὰ συγκοπὴν dicimus *vsurpo*. *Deutor* est apud Nepotem in Eumene. Sed Lambinus pro *deutererur*, quod erat in MSS[is], reposuit *se vteretur*. Perperam sanè. De *vsucapione* & *vsufructu* nota res ex Iurisconsultorum libb.

VTRICVLARIVS ab *vtriculus*, hoc ab *vter*, quo *vtricularius* canit, tibiis ei infixis. *Vter* verò dicitur ab similitudine vteris eius, quo vinum, oleum, vel aliud, aut deportatur, aut asseruatur. Vtitur Sueton. in Ner. cap. LIV. Græcè dicitur ἀσκαύλης, quia ἀσκῷ αὐλεῖ, vt qui è *cado* siue *dolio* idem facit πιθαύλης, de quo intellige illud Propertij, lib. IV.

Tibia Mygdoniis cantat eburna cadis.

Et illud Senecæ, quod è Metrodoro vertit: *Quomodo in dolio cantantis vox per totum, cum quadam discussione percurrit ac resonat, & tam leniter mota, tamen circuit non sine tactu eius tumultuque, quo inclusa est*, &c. Plura de *vtriculariis* & *pithaula* discrimine docebit Scaliger in Ætnam. Malè igitur hæc duo confundit H. Stephanus in Thesauro, voce πιθαύλης. Præter eos, quos adduxit Stephanus, vsus *Pithaula* voce è Latinis Varro ὀνῳ λύρας.

Inflet priusquam tibias orchestrâ,
Domus sua Pithaula ramices rumpit.

VVA nunc *fructus* est, nunc *columella* aut *eius inflammatio*: vnde Glossæ Philoxeni: *Vua*, σταφυλὴ, κίων, γαργαρεών. Pro *columellæ affectu* vsus Plinius, lib. XX. cap. XVII. *Tonsillis quoque & vuis medetur, & capitis doloribus*. Et Serenus Sammonicus, cap. XV.

Si verò adflictam languor deiecerit vuam.

Sed & capitis eiusce initio legendum:

——— *Atque ipsas flatus grauis inficit vuas.*

Non, vt in vulgatis, *vndas*. *Vua* autem vocatur, quia luteo colore subrubescat, acini referens figuram. At *vua* pro *fructu* sic dicitur ab *vuore*, vt scribit Varro, IV. de L. L. & Seruius ad Ecl. X. Nempe ob *humorem intrinsecum*: vnde ab *humore* deducit Isidorus, lib. XVII. cap. V. Sed *humorem intrinsecum* quæ habent, propriè *vda* vel *vuida* dicuntur, quomodo quæ exteriùs madent, *humida* vocantur. Ita hæc duo vocabula distinguunt Acron ad Od. V. lib. I. & Seruius loco ante citato. Videntur autem veteres etiam *vueo* dixisse, vnde *vuor*, vt à *caleo calor*. Item *vuidus*, vt à *caleo calidus*. Item *vuesco*, vt à *caleo calesco*. *Vuor* apud Varronem est, vti diximus. *Vuidus* apud Maronem Ecl. X. *Vuesco* apud Lucret. lib. I.

Denique fluctifrago suspensæ in litore vestes
Vuescunt. ———

VVLGVS, quod olim *volgus*, à *volendo* deducit Papias, nempe ob *vagam voluntatem*, quia quisque quod vult agat. Alij, vt Sipontinus tradit, à *voluendo* deductum existimant, quòd nempe stultè huc atque illuc voluatur. Verùm vel est à πολλοὶ, quandoquidem οἱ πολλοὶ dicebantur Græcis *vulgus*: quomodo *amicum non è multis* dicimus *amicum non vulgarem*: vel potiùs κατὰ μετάθεσιν fit ab ὄχλος, pro quo Æolicè βόχλος, vnde traiectis literis βόλχος, ex quo *volgus*.

VVLNVS, iuxta Papiam, à *vi*, quasi *vi vulnus*, quia *vlcus* quidem ab interiori prouenit caussa: sed *vulnus* infligitur *vi externa*. Perrotto placet sic dici, quia *voluendo*, hoc est, *vibrando fiat*. Sed est *vulnus* à *vulsa carne*. Nam, vt ait Nonius, *Vlcus, clausa & tecta est malignitas: vulnus hians & patens*. Vel *vulnus* est ab οὐλὴ, inserto N; quomodo à κίκιννος est *cicinnus*; à δασὺς, *densus*, &c. Est verò οὐλὴ *vulnus*, sed propriè *ad sanitatem iam perductum*, siue potiùs *vulneris cicatrix*, ab οὖλος, quod ὑγιὲς interpretantur Hesychius & Etymologus.

VVLPEM à *celeritate* nomen adeptum putant, vt ita κατὰ συγκοπὴν dicatur pro *volipes*. Varro. IV. de L. L. *Volpes, vt Ælius dicebat, quod volat pedibus*. Idem scribit Caper de vocibus dubiis. Ac sequitur eandem sententiam Isidorus, lib. XII. cap. II. Sed est ab ἀλώπηξ, pro quo Æoles βαλώπηξ, vnde *valopes* & postea *volpes*. Latini enim ξ & ψ mutant in S, quomodo à κύκλωψ est *cocles*. A *vulpe vulpionem* pro *callido* dixit Appuleius in Apologia. Ab ἀλώπηξ & οὐρὰ, id est, *cauda*, est *alopecurus*, ἀλωπέκουρος, *herba cauda similis vulpina*. Theophrastum vide, & Plinium, lib. XXI. cap. XVII. *Alopecia*, ἀλωπεκία, *profluuium capillorum, ex morbo proueniens*. Laborant eo *vulpes*, vnde nomen teste Isidoro, lib. IV. c. VIII. Imò Callimachus hymno in Dianam ἀλώπηξ pro ἀλωπεκία vsurpat: vbi aliam caussam adfert Scoliastes. Ἀλώπηξ, inquit, πάθος περὶ τὴν κεφαλὴν γινόμενον. ἀπὸ μεταφορᾶς τοῦ ζώου. τὸ γὰρ ζῶον τοῦτο λέγεται, ὅπου ἂν οὐρήσῃ, ἄγονος ὁ τόπος καὶ ἔτος αὐτῷ γίνεται. *Morbus est capitis voce ab animali translata. Nam dicitur, vbi hoc animal minxerit, ibi sterilescere locum, vt eo anno nihil istic crescat.*

VVLTVR, qui & *vulturius*, ac Græcè γὺψ dicitur, sic ex sententia Isidori, lib. XII. cap. VII. dicitur à *tardo volatu*, quasi *volitardus*; vnde Serenus Sammonicus ei *tardi* epithetum tribuit, vt alibi *ampli*. Nam ob amplam corporis molem, vtpote aquilam sesquialterâ proportione excedens, ægrè se humo attollit, tardóque per aëra motu fertur. Hinc liquet cur & *aues magnas* vocet Plautus, Rudente, Act. III. Sc. IV.

Nam hercle ego te barbâ continuò arripiam, & in ignem coniiciam,
Téque ambustulatum obiiciam magnis auibus pabulum.

Verùm quod ad etymon hoc attinet, non tam vocabulum compositum esse censeo, quàm simplex deriuatum: vt nempe à *volando* sit *voltur* seu *vultur*, quomodo à *volendo* est *voltus* seu *vultus*. Sic autem dicetur ob *crebrum volatum*, quomodo & hæc ipsa auis apud Hebræos דאה, vocatur à דאה, id est, *volare*. Eximia huic aui odorandi facultas, adeò vt non tantùm cadauerum putorem vltra maria percipiat, quod Isidorus scribit loco ante citato; sed etiam per quingenta passuum millia, vt tradit Thomas Aquinas comment. ad lib. II. de animâ, cont. XCVII. Hæc res occasionem præbuit fabulæ, quâ quatuor ei narium spiracula tribuêre, adeò vt & Philes idcirco τετράρινα appellet. Æquè fabulosum, quod biduo triduóve aut etiam septenis diebus circumuolare dicuntur loca, vbi cadauera sunt futura. Quam opinionem secutus Georgius Pictorius scripsit:

Hanc volucrem narrant luces tres nosse cadauer
Venturum, olfactu tam viget hæc volucris.

Verùm nihil hoc commento ineptius. Nam cùm sensus sit præsentium, cadauera autem nondum sint, neque vllus eorum odor esse potest. Nihilo verius, quod Horus Appollo, Philes, multique alij veterum tradidere, *vultures* omnes esse *feminas*, easque vento concipere: quæ opinio vnde orta sit, docebit Vlysses Aldrouandus, lib. III. ὀρνιθολογ. cap. I. Porrò à rapaci huius auis natura, *vultures* quoque, ac *vulturij*, dicti *homines rapaces*: quomodo Tullius vsus in Pisonianâ & alibi. Sed & in talis *vulturius* dictus *iactus* is, qui alio nomine vocabatur *canis*. Sic vsus Plautus Curcul. scenâ *Date viam*, caussa appellationis est, quod iactus is *vulturis* instar hominem spoliaret. Nam qui *canem* aut *senionem* iecerat, singulos denarios in iactus singulos amittebat: quos vniuersos auferebat, qui *venerem* iecerat. Etiam *vulturis* nomen est inter sidera. Arabes enim *lyram* vocant *vulturem cadentem*: cuius rei caussam adduximus in *Chelys*. Sed imprimis vide, quæ hac de re monet Scaliger ad Sphæram barbaricam Manilij.

VVLTVRNVS est ventus spirans ab ortu brumali, ac à Græcis quibusdam, quia inter Eurum Notumque sit intermedius, εὐρόνοτος vocatur: vt docet Fauorinus apud Agellium, lib. II cap. XXII. De Græca appellatione paulò aliter Plinius lib. II. cap. XLVII. vbi ait: *Ab oriente æquinoctiali subsolanus, ab oriente brumali vulturnus: illum apeliotem, hunc eurum Græci appellant*. Idem quoque scripserat Columella, lib. V. cap. V. vbi de Bætica prouincia agens, *Quædam*, inquit *partes eius regionis sic infestantur euro, quem incolæ vulturnum appellant, vt nisi tegminibus*, &c. Sed pro Agellio sunt hæc Vitruuij verba, lib. I. c. VI. *Euri*, inquit, *medias partes tenens, in extremis cæcias & volturnus*. Quod ad vocis etymon, de eo sic Isidorus lib. XIII. Orig. cap. XI. *Vulturnus, quod altè tonat: de quo Lucretius:*

Altitonans Vulturnus & Auster fulmine pollens.

Quæ sanè mirifica est ἐτυμολογία. Sed planè persuasum habeo scripsisse Isidorum, *quod alte volat*, vt nempe à *volando Volturno* sit nomen, quâ ratione ab eodem verbo dictus *voltur* siue *vultur* teste ipso Isidoro, lib. XII. cap. VII. Errori ansam præbuit vox *Altitonans*, quæ est in versu Lucretiano. Atqui non vnde *altitonans* sit, sed vnde *Vulturnus* dicatur, in quæstione est. Dicere quoque liceat, vt ab *aquila aquiloni*, ita à *vulture vulturno* esse nomen. Nempe illi ab *aquilæ*, huic à *vulturis pernicitate*. Possit tamen contra hoc etymon opponi, quod *vultur* ob corporis molem *tardè volet*: quemadmodum & ob eam vix tertio quartóve nisu sese de terrâ in altum attollit: vnde sæpenumero fit, vt antequam sit in sublime elatus, ab aucupe in insidiis latente capiatur, veluti scribit Albertus, lib. XXIII. de animal. vbi & sese quendam, sed iam cadaueribus saturum & aggrauatum, cepisse testatur. Idem confirmat Ouidius in Ibin, vbi ei idcirco *tardi* tribuit epitheton:

Vnguibus & rostro tardus trahet ilia vultur.

Verùm facile est hoc argumentum eludere, quando idem Albertus, *tardè* quidem *volare* ait, vbi se primum terrâ eleuat; at idem vbi iam subuectus, & benè & *altè volare* statuit: adeò vt ipse quoque hac de caussâ à *volando* nomen putet accepisse. Hanc tamen Alberti sententiam improbat Vlysses Aldrouandus lib. III. ὀρνιθολογίας cap. I. vbi contendit *vultures* non difficulter tantùm sese humo tollere, verùm & iam sublatos tardo ferri volatu: indéque eos ab Aristophane dici γαμψώνυχας ἀεροφοίτας, quasi *qui lento adeò gradu ferantur, vti*

veriùs natare videantur, quàm volare. Quòd verò Homerus *veloces* nominat, id *de celeritate in absumendis cadaueribus* intelligendū putat. Quæ quia aliquem mouere possint, de tertio quoque etymo cogitandum putaui. In mentem autem venit, quemadmodum λίψ siue *Africus* dicitur, quia ex *Libya* siue *Africa* spiret. Ita *Vulturnum* appellatum, quia spiret à *Vulturno mari*. Ita à Plinio, lib. XXXV. cap XXVI. vocatur id mare, quod erat ad ostium *Vulturni*, fluminis Campaniæ, quem iuxta Cumas in mare labi scribit Seruius, ad illud VII. Æn.

——— *Amnisque vadosi*

Accola Vulturnus. ———

Hac in sententia maximè animus acquiescit.

VVLTVS iuxta Priscianum in XI. à *volo* est, vt à *colo cultus*. Nempe ab inusitato supino *voltum* est *voltus*, & κατὰ συγκοπὴν *voltus* seu *vultus*. Hoc nomen habet, quia *voluntatis* est *index*. Quippe (vt quoque scribunt Donatus & Eugraphius in Andr. Act. I. I ac Nonius in *Vultus*,) aliud est *facies*, aliud *vultus*: illa naturæ est ac immutabilis; hic voluntatis, eóque mutabilis: in illâ formam commendamus seu pulchritudinem; in hoc elucentem modestiam. Itaque aptè ait Maro de Sibylla.

——— *Non vultus, non color vnus.*

Ac vtrumque coniunxit Terent. Andr. Act. I. Sc. I.

——— *Formâ & vultu Sosia*

Adeò modesto, adeò venusto, vt nihil supra.

Sallustius: *Prorsus in facie vultúque verecundia inerat*. Græci πρόσωπον vocant, quasi τὸ πρὸς τοῖς ὠψὶ μέρος, *pars quæ est circa oculos*: quomodo *frons* iisdem μέτωπον dicitur, quasi μετὰ τὰ ὦπα, hoc est, ὕπερ τῶν ὠπῶν, *post siue supra oculos*. Πρόσωπον verò idem esse quod *vultum*, indicat Pollux lib. II cap. IV. vbi ait, *quod sub fronte est, id in homine dici* πρόσωπον, in *aliis animalibus* προτομὴν, vt in *auibus* ῥύγχος, ἢ ῥάμφος. Seruius quoque ad XII. Æn. ait *obtutum* à Marone in Turno dici quod Græci dicunt πρόσωπον, eo autem *vultum* signari Quin Tullius etiam πρόσωπον *vultum* transtulit. Verùm quia πρόσωπον vox, si ἐτυμολογίαν spectes, & *mutis* conuenit *animantibus*, indè est, quod Tullius I. de Legg. scribat vim quidem rei Græcos nosse, at nomen omnino non habere. Ex his autem liquet πρόσωπον ac *vultum* propriè *hominum* esse, nec temerè aliter inuenias præterquam apud poëtas, vt cùm Lycophron *cælum* vocat πολυπρόσωπον, aut cùm Maro scribit, VII. Æn.

Quos hominum ex facie dea sæua, potentibus herbis,

Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.

Vnus, quod sciam, ex prosæ scriptoribus aliter locutus, Alexander Myndius, qui durè admodum *passeribus* πρόσωπον tribuit apud Athenæum, lib. I.

VVLVA de etymo sic Isidorus, lib XI. cap. I. *Vulua vocata quasi valua ventris, id est, ianua, vel quòd semen recipiat, vel quòd ex ea fœtus procedat.* Quo ex loco videtur colligi posse *vuluam* non tam esse *vterum*, quam *interfemineum* seu *virginal*. Sed aliter Glossæ Phil. *Vulua*, μήτρα, ὑστέρα. Quod verissimum est. Nam Plinius clarè docet, quod in mulieribus sunt *loci* siue *vterus*, id in aliis animantibus esse *vuluam*. Verba eius ponam è lib. XI. cap XXXVII. *Fœminis eadem omnia, præterque vesicæ iunctus vtriculus, vnde vterus appellatur quod alio nomine locos appellant, hoc in reliquis animalibus vuluam*. Nonnunquam tamen os *vteri* seu *virginal* notare verum est. Ita enim dixit Iuuenal. Sat. VI.

——— *Adhuc ardens rigidæ tentigine vuluæ.*

Sed hæc impropria acceptio est. Quod verò ad etymon Isidorianum, omnino id repudiandum est. Nam *vulua*, siue, vt veteres dixere, *volua*, est ab Æolico βελφὺς pro δελφὺς, hoc est, *vterus*: vnde & ἀδελφοῖς nomen. Æoles δ sæpe mutant in β. B autem in V consonum abire, notissimum est. Quod nisi esset dicerem *voluam* esse à *voluendo* dictam, quia fœtus eo inuoluatur. Pro qua sententia est, quòd similiter *voluam* dixere album boletorum inuolucrum in oui speciem erumpentium. Plinius, lib. XXII. cap XXII. *Voluam enim terra ob hoc prius gignit, ipsum postea in volua, ceu in ouo est luteum.* Porrò veteres pro *vulua* etiam *folliculum* dixere ac *bulgam*; quia vt *folliculus* siue *bulga* (nam idem hæc duo significant vnde Nonius *bulgā* interpretatur *folliculum*,) pecuniā continet, sic *vulua* contineat fœtum. De *folliculo* id docet hic locus Seruij ad III. G. *Genitali aruo, pro muliebri folliculo, quem scilicet vuluam vocant, vt etiam Plinius docet. Nam folliculus ante dicebatur.* *Bulgam* autem pro *vulua* dixit apud Nonium Lucillius lib. XXVI.

Ita vt quisque nostrum è bulgâ est matris in lucem editus.

Quo loco adductus Iacobus Dalecampius, notis ad Plinij locum ante citatum, scripsit *vuluam* à *bulga* nomen accepisse. Et hanc sententiam eo fortasse aliquis firmatum iverit, quod pro *bulga* etiam *vulga* dixerint veteres: si stare licet Nonio Marcello, qui fulciendæ huic rei citat cum Lucillij locum, tum hoc Varronis Sexagesim.

Eo vt viaticum ex arculâ adderem in vulgam.

Interea etymon hoc nihilo melius, quàm illud Isidori.

VXOR non dubito quin sit à Græcis, quibus ξυνάορ, vel ξυνάορος, aut συνάορος, *coniugem* notat, ac præcipuè *vxorem*, ab ἄορ vel ἄορ, aut ἄορος, quomodo tum *vxorem*, tum *lusus Venereos* dixere, Hesychio & Etymologo testibus. Quod nisi hoc etymon impensè placeret deducerem a קשר *ligauit*, quia *vxor* viro sit *alligata*. Veterum autem opinio est, *vxor* dici quasi *vnxor*, hoc est, *vnctrix*. Nam antiquis verbalia in OR fuere communia: quemadmodum in Grammaticis animaduersionibus ostendimus. Caussam etymo præbuit quòd sponsa mariti domum ingressura *postes inungeret*. Eadémque ab re Iuno dicta *Vnxia*. Donatus ad Hec. Act. I Sc. II. *Vxor dicitur vel ab vngendis postibus, & figenda lana: hoc est, quod cum puellæ nuberent, maritorum postes vngebant, ibique lanam figebant; vel quòd lotos maritos ipsæ vngebant, cuius rei testis est Ennius:*

Exin Tarquinium bona femina lauit & vnxit.

Seruius ad illud IV. Æn.

Velleribus niueis & festâ fronde reuinctum:

Moris fuerat vt nubentes puellæ simul cùm venissent ad limen mariti, postes, antequam ingrederentur, propter auspicium castitatis ornarent laneis vittis: vnde ait velleribus niueis: & oleo vnguerent, vnde vxores dictæ sunt quasi vnxores. Idem tradit Isidorus, lib. IX. cap vlt. Solet autem *postes inungere adipe suillo* vel *lupino*. De *suillo* testis his verbis Plinius, lib. XXVIII. cap IX. *Proxima in communibus adipi laus est, sed maximè suillo, apud antiquos etiam religiosi. Certè nouæ nuptæ intrantes etiamnum solemne habent postes eo attingere.* *Suillo* autem *adipe* vsæ boni ominis caussâ, vt tam fœcundæ essent, quàm sues, quæ denos pariunt. *Lupino* verò vtebantur, nequid veneficum aut pestilens domui obesset: vnde idem Plinius eodem capite: *Massurius palmam lupino adipi dedisse antiquos tradit. Ideo nouas nuptas illo perungere postes solitas, ne quid mali medicamenti inferretur.* Ab *vngendo* quoque sunt *vnguen* & *vnguentum*: in quibus quia post G scribitur V, eo multi *vnguo* etiam scribebant. Sed qui *vngo* malunt, eo se tuentur quod quando V est in præsenti, id maneat in præterito: vt *voluo volui*. Quare *vngo* dicere iubent: vnde ἀναλόγως est *vnxi*, vt à *fingo finxi*, à *pingo pinxi*. Vide Velium Longum, à quo hæc hausimus.

X

XENIA, ξένια, à ξένος, id est, *hospes*, vnde ab Appuleio vocatur *munus hospitale* Glossæ Cyr. Ξένιον, τὸ δῶρον, τὸ παρεχόμενον ξένῳ *hospitale*. Martialis *xeniorum* nomine inscripsit librum distichorum, cuius epigr. III. de *Xeniis* ita ait.

Hæc licet hospitibus pro munere disticha mittas,

Si tibi tam rarus, quàm mihi nummus erit.

Demosthenes orat. περὶ παραπρεσβ. appellat ξένια, *quæ exterarum gentium legatis dono mitterentur*. Latini, Festo teste, vocant *Lautia*: quam vocem exponens Plutarchus, non ἁπλῶς ξένια dicit, sed τὰ πεμπόμενα τοῖς πρέσβεσι ξένια. Sed & aliis, atque adeò etiam picturis, ea vox tributa: vt docet hic Vitruuij locus, lib VI. cap. X. *Cum fuerunt Græci delicatiores, & à fortunâ opulentiores, hospitibus aduenientibus, instruebant triclinia, cubicula, cum penu cellas, primóque die ad cœnam inuitabant, postero mittebant pullos, oua, olera, poma, reliquásque res agrestes. ideo pictores ea quæ mittebantur hospitibus, picturis imitantes, ξένια appellauerunt. Ita patres familiarum in hospitio non videbantur esse peregrè, habentes secretam in his hospitalibus libertatem.* Hactenus Vitruuius. A ξένος est ξενὼν, *hospitium*. Vnde & C. lib I. Tit II. l. XXIII. *venerabilibus xenonibus* legas. Idem à ξένος & δέχομαι vocatur ξενοδοχεῖον, *xenodochium, caupona*, τὸ τοὺς ξένους ὑποδεχόμενον, vt ait Suidas. Ab eodem est πρόξενος quod primò notat *hospitem publicum*. Sed latiùs pòst extensâ significatione de iis dici cœpit, *qui negotium alicuius procurant*: vnde προξενεῖν, *interpretem esse ac conciliatorem versurarum aliorúmque contractuum*. Id qui facit, προξενητὴς dicitur, ac Latinis quoque *proxeneta* Glossæ: Προξενητὴς, *conciliator, proxeneta*. Gloss. Isidor. *Proxeneta, homo præcurrens* (l. *procurans*) *quodcumque negotium*. Vtitur Seneca epist. CXIX. ac in Pandectis quoque est Tit. *de proxeneticis*. Ξένος à גור illud est, *in hospitium diuertit*.

XERAMPELINÆ *vestes* sic dictæ à *colore xerampelino*. Meminit earum Iuuenal. Sat VI.

Et Xerampelinas veteres donauerat ipsi.

Xerampelinum autem color est, quem videre est *in arefactis vitium foliis*: vt Iul. Scaliger, Exercit. CCCXXV. Sect. X. innuit, & etymon docet. Est enim ξηραμπέλινος ex ξηρὸς, hoc est *aridus*, & ἀμπέλινος, hoc est, *vitens*, quod ab ἄμπελος, *vitis*, vti hoc δῶρον τῷ ἀμπέλῳ, vt est in scholiis Græcis ad

epigr.

epigr. Philippi Tit. εἰς ἄμπελον, lib. I. Ἀνθολογ. vel ab ἀνὰ & πέλος, si modo πέλος etiam *vinum* notat: de quo alibi dicimus. Quamquam quæri possit, num *xerampelino* colori à *vitis foliis* id nomen impositum sit, quæ adulto iam autumno velut *cruentata* rubent; quam nominis rationem in Nomenclatore suo Had. Iunius sequitur: an à *vestibus ipsis*, quarum *color pullus*. Sanè quidam censent *xerampelinum colorem* potiùs esse *pullum* siue *atrum* colorem, idque adducti verbis Suidæ, qui χλαμύδας ξηραμπελίνας etiam ἀτραβατικὰς dictas ait: at has idem à *colore atro* vel *trabeâ*, quâ simul vtebantur, dictas arbitratur: quemadmodum apud eum in Ἀτραβατικὰς videre potes. Vtra verior sit sententia, docemur verbis hisce Iuuenalis scholiastæ veteris, ad vocem *Xerampelinas* sic commentantis: *Vestes scilicet, quæ ad vsum matronarum fuerunt, ampelinis coloris, qui inter coccinum & muricem medius est. Xeron verò siccum significat.* Hæc ille, quæ planè priorem opinionem firmant.

XEROPHAGIA, ξηροφαγία, *aridorum esus*, à ξηρὸς & φαγεῖν. Genus ieiunij est. Nam, vt ad Tertullianum scripsit socer Fr. Iunius, triplex est abstinentiæ modus, si nullus cibus, si serus, si siccus: si nullus, ieiunium; si serus, statio; si siccus, *xerophagia* dicebatur. Hinc Tertullianus, initio libri aduersus Psychicos: *Proinde gulæ frenos induentem per nullas interdum, vel seras, vel aridas escas.* Et paulò pòst: *Arguunt nos, quòd ieiunia propria custodiamus, quòd stationes plerumque in vesperum producamus, quod etiam xerophagias obseruemus, siccantes cibum ab omni carne & omni iurulentia & vuidioribus quibusque pomis nequid vinositatis vel edamus vel potemus: lauacri quoque abstinentiam congruentem arido victui.* Quo ex loco manifestè apparet quid sit *xerophagia*. Sed & triplex hoc ieiunij genus respicit cùm cap. II. ait: *Vt vnusquisque promtor venturi possit superuacua, nec adeo necessaria existimare sublati vel diminuti, vel demorati cibi officia.* Et cap. XI. *Quantum proficiant recusati vel recisi vel retardati pabuli efficia.* Fuit & athletarum hic cibus, vtpote firmus & solidus. Eò pertinet illud Tertulliani, lib. de spectaculis, cap. X. *Et tamen alij quoque xerophagijs inualescunt.* Ab hacce *xerophagia* est, quòd παραφαγεῖν κατ̀ ξηρῶ aliquid accipi dicitur, hoc est, *dure & sine commoda interpretationis quasi condimento.* Locutus hoc pacto B. Athanasius: Εἰ δὲ κατ̀ ξηρῶ τὰς λέξεις ἀναλαβόντες ὡς ἄδηλον ... *Sicco cibo* opponitur *vnctus*, vt apud Pers. Sat. VI.

——*Cænare sine vncto.*

XIPHIAS, ξιφίας, nunc *cometa*, nunc *piscis* genus est, sic dicti à figurâ, quâ *ensem* refert, qui Græcè ξίφος. Priori modo vsus Plinius lib. II. cap. XXV. Posteriori lib. XXXII. cap. II. Eapse de caussa herba quædam dicta ξίφος & ξιφίον. Qua de re in *Gladiolus* diximus; cùm verò ξίφος sit *militare instrumentum*, verisimile est venire ab Arabico سَيْف *seif*: quod idem ξίφος. Vel sit ab Hebræo צבא, *militauit*: vnde צבאות, id est, *exercitus*. Retinuere Græci interpretes, à quibus *Deus* vocatur κύριος Σαβαὼθ pro *Zebaoth*.

XYSTVS, ξυστὸς, ἀπὸ τοῦ ξύειν, quod est *polire*, *radere*: quod in *xysto* athletæ *raderentur* strigilibus. Quamquam alijs id nomen esse placet à *lanceis*, quas ξυστὰς vocant. Dicunt Græci ξυστὸς & ξυστὸν, eâpse notione: vtrumque enim notat τόπον ἐν ᾧ οἱ ἀθληταὶ γυμνάζονται; vt Hesychius & Suidas docent. Latini quoque *xystos* & *xysta* dicunt, sed notione diuersa: (quod non obseruauit Hieronymus Mercurialis, lib. I. de arte gymnastica cap. IX. vbi pro eodem accipit.) Atqui clarè indicat Vitruuius, lib. V. cap. XI. discrimen inter ea tale fuisse, vt *xystus* sit in quo hieme exercebantur: *xystum* verò ambulatio siue arena in qua sudo cœlo sub dio se exercebant: quam Græci περίδρομιδα appellant, quia *vndique posset circumcursari*. Minùs rectè παραδρομίδα vocari scribit Budæus in Pandect. Quem & secutus Bernardinus Baldus in Lexico Vitruuiano. A *xysto* athletæ dicti *xystici*: quomodo eos vocat Suetonius, in Augusto cap. XLV. & Galba, cap. XV. itémque vetus Inscriptio. Qui *xysto* & athletarum exercitijs præerat, *xystarchus* siue *xystarches* dicebatur: quam vocem etiam reperias in Inscriptione Græca: item apud Tertullianum, lib. ad Martyres, cap. III. Plura qui de *xysto* & *xysticis* volet, adeat Onuphrium Panuinum, lib. II. de Ludis Circensibus cap. I.

Z

ZAMIA voce vsi Plautus, Aul. act. II. sc. II. & Plinius, lib. XVI. cap. XXVI. Est à Dorico ζαμία pro ζημία, hoc est, *mulcta, damnum, pœna*, vt ζημιόω, *damno afficio, mulcto.* Ζημία verò vel ita dicitur, quia τὸ ζῆν μειοῖ hoc est, *vitam* aut *victum minuit*: vel est ab Hebræo זהם hoc est, *abominari*, vel זעם, id est, *spernere, detestari*. Quod etiam monet Bibliander, indice in Marcum.

ZEA, ζέα, pro quo & ζειὰ dicitur, quod Homero, & Hippocrati, & vniuersè Ionicè scribentibus, familiaris est. *Far* sic vocari scribit Hieronymus in Esai. cap. XXVIII. & Ezech. cap. IV. Sed manifestè distinguit Plinius, lib. XVIII. cap. VIII. vbi sic scribit: *Ægypto ac Syria, Ciliciaque & Asiæ ac Græciæ peculiares zea, olyra, tiphe. Qui zeâ vtuntur, non habent far.*

ZELVS, ζῆλος, non tam puto quasi ζεῖν λίαν, *valde feruere*, quam simpliciter à ζεῖν, *feruere*. Propriè enim est *feruor ille animi, qui in æmulatione cernitur.* Hinc ζηλότυπος, siue à ζῆλος & τύπος, quia in *zelotypis* non *amor verus* sit, sed eius solùm *typus ac imago quædam*: vel quasi ζήλῳ τυπείς, *zelo percussus*, quia quis sic affectus est, vt riualem in amore metuat, nec pati possit. Vnde patet, esse in hoc malo, amoris feruorem, suspectæ amatæ fidem, simúlque inuidentiam, quâ societatem in amore pati non potest. In Glossis Cyr. ζηλοτυπία exponitur *pellicatus*, *pellicatio*. Sed *zelotypia* non tam *pellicatus* ipse, quam à *pellicatu zelotypia* proficiscitur. A ζῆλος ζηλοῦν, quod idem ac μιμεῖσθαι nisi quòd posterius hoc ἐμφατικώτερον. Vellem Ioannes Sturmius initio operis sui de Imitatione Oratoria non scripsisset, ζηλοῦν sic dici quasi ζητεῖν. Verùm non pro etymo, sed allusione habeamus. Quale & quod addit *æmulationem* per Æ scribi, quia *æmulus* studeat esse *alteri æqualis*.

ZEPHYRVS flat ab occasu solstitiali, vt auctor libri de Mundo scribit, idque adstipulante Gellio, lib. II. cap. XXII. & Plinio, lib. XVIII. cap. XXXIV. Eustathio in Iliad. [8] pag. CXCIII. ac alibi sic dictus videtur quasi ζωηφόρος, siue τὴν ζωὴν φέρων, quoniam nempe τῷ ἦρι ... *genitalis mundi spiritus* Plinio appellatur. Plinius quoque de vento hoc agens lib. XVIII. cap. XXXIV. ait: *Hic ver inchoat, aperitque terras, tenui frigore saluber. Hic vites putandi, frugésque curandi, arbores serendi, poma inserendi, oleas tractandi ius dabit, afflatúque nutricium exercebit.* Seneca similiter ait, *vernas euocare herbas*: cúmque eo consentit hoc Catulli, carm. de nupt. Pelei & Thetid.

——*Quos propter fluminis vndas*
Aura parit flores tepidi fœcunda Fauoni.

Nam *Fauonius* (vt bene exponunt Glossæ Cyrilli,) idem qui *zephyrus*: quamquam differre putarit Vegetius, vt suo loco diximus. A *zephyro* dicta ὠὰ ζεφύρια, quæ & ὑπηνέμια, ab ὑπὸ & ἄνεμος, id est, *ventus*. Vtriusque appellationis meminit Aristoteles lib. III. de generat. animalium, cap. I. & historiæ animalium, lib. VI. cap. II. De iisdem sic Plinius, lib. X. cap. LX. *Irrita oua, quæ hypenemia diximus, quidam & vento putant generari, quâ de caussâ etiam zephyria appellantur.*

ZETA significat *ædificium ac partem domus, quæ cubiculum habeat ac cœnationem.* Legas eam vocem in vett. libris Plinij, lib. II. epist. XVII. item apud Lampridium in Heliogabalo, atque alios. Cataneus ad superiorem Plinij locum ait, quosdam putare, vt pro *Medentius* Prisciano teste *Mezentius* dicitur, sic ex *diæta* factum *zeta*, & hinc κατ̀ συγκοπὴν *zeta*. Quam opinionem etsi planè damnat Cataneus, omnino tamen est verior eâ, quam ipse sequitur. Non tamen ἁπλῶς hic Z pro D ponitur, sed ζα pro διὰ, more Æolico qua nempe ratione in Antonini Itinerario est *Hipponem Zarrhytum*, pro *Diarrhyto*, & apud Cyprianum, Hilarium, aliósque scriptores Ecclesiasticos, Paulinum imp. imis *Zabulum* legas pro *diabolo*: quomodo & ζαβάλλειν dixere pro διαβάλλειν, hoc est, *calumniari*, quanquam Hesychius & Etymologus exponant ἐξαπατᾶν, *decipere*. Vt audiendi non sint, qui ab Hebræo arcessunt, etsi & B. Hieronymus, in cap. VI. ad Ephes. dicat, *diabolum* Græcè quidem sonare *criminatorem* sed Hebraicè significare *deorsum fluentem*, quia habet affinitatem cum *zabulon*, quod significat *... fluorem*. Simile quoque est ζάκορος à ζα pro διὰ & Attico κορεῖν pro σαίρειν; vt propriè sic dicatur, *cuius operâ in verrendis expurgandisque sacris ædibus vtimur.* Æolica quoque sunt ζάκτυπος, & ζαφλεγής, pro διάκτυπος, & διαφλεγής. Hæc satis ostendunt, *zeta* fieri ex *diæta*: eóque *zæta* scribendum erat: sed cùm posterioribus seculis *dieta* absque diphthongo scripserint, nihil mirum si ijdem *zeta* scripserint nudâ vocali. Falluntur igitur, qui eâ ratione à similitudine literæ *zeta* dici putant, quâ *mensa* aut *locus* à literæ figura nominatur *sigma*. Item, qui deducunt à ζητεῖν, hoc est, *inquirere*: vt *locus sit in quo versantur ζητηταί*. Quas opiniones probat Rhodiginus, lib. XII. cap. XVIII. Falluntur & illi, qui vel à ζέω deducunt, hoc est, *feruere*, idque quia in eo heliocaminus poneretur: vel à ζῶ, hoc est, *viuere*, quod in ea commodissimè viuatur: quam etymologiam probat Fuluius Vrsinus, appendice de Triclinio. Vtramque etiam adducit Cataneus ad superiorem Plinij locum. A *zeta* dicta *zetarij*, apud Paullum, lib. III. Sent. Tit. VI. ijdem qui

diaria appellantur, l. quæsitum, §. idem respondit. ff. de instr. vel instr. leg.

ZINGIBERI, ζιγγίβερις. Plinius, lib. XII. cap. VII. de pipere; *Non est huius arboris radix, vt aliqui existimauere, quod vocant zimpiberi, alij verò zingiberi: quamquam sapore simile. Id enim in Arabiâ atque Troglodyticâ in villis nascitur, parua herbæ radice candidâ.* Vide Dioscoridem, lib. II. cap. CXC. Nomen est Arabicum, זנגביר. Nempe regio Æthiopum זנגי dicta: vt *Æthiopes* זנג, at בירי *fructus*. Vulgaris opinio est in vett. medicorum libb. per ZZ intelligi *zingiberi*, qui error sanè periculosus. Omnino autem intelligenda *myrrha*. Sic autem scribere moris fuit, eò quòd non ζμύρνα tantùm, sed & ζμύρνα scriberetur: quemadmodum notauit Herm. Barb. Coroll. lib. I.

ZIZANIA, ζιζάνιον, ἡ ἐν τῷ σίτῳ αἶρα, iuxta Suidam. Τὸ ἄγριον ἀνάμεσον παρεμφυόμενον τῷ σίτῳ, vt ait Etymologus: qui addit γίνεται παρὰ τὸ σῖτος, ἢ τὸ σίνω τὸ βλάπτω, σινάνιον καὶ ζιζάνιον, τὸ βλάπτον τὸν σῖτον; ἢ παρὰ τὸ σῖτος καὶ τὸ ἰζάνω τὸ καθέζομαι, σιτίζανον, τὸ τῷ σίτῳ παρεδρεῦον καὶ συμφυόμενον. Sed cùm ea vox non legatur, nisi apud Euangelistas, & Theologos, veri simile est esse à Syris, qui dicunt זיזנא, quod Becmanus esse censet ab Hebræo ציץ, id est, *flos*, vt propriè dicatur de ijs, quæ tantùm oblectant, non autem edulem fructum proferunt. Alij malunt arcessere à Chaldæo זן, *nutrire*, vel Hebr. מזון, *esca*; quia alimenti atque escæ habeat speciem.

ZONA, ζώνη, primò *cingulum* notat, unde ad *cœlestem circulum* translatum, nec non ad *herpetis genus*; quod ita dicitur, quia *medium cingat hominem*. Scribonius Largus, cap. LXIII. *Facit hoc medicamentum ad carbunculos, & ad ignem sacrum, & ad zonam, quam Græci ἕρπητα dicunt.* Aliàs dicitur ζωστὴρ, *zoster*, quomodo & Plinius vocari scribit, lib. XXVI. cap. XI. *Ignis sacri*, inquit, *plura sunt genera, inter quæ medium hominem ambiens, qui Zoster appellatur, & enecat, si cinxerit.* Sed lib. III. cap. XXXIII. Plinij de re medicâ legas à quibusdam vocari *circinum*, nempe à *circando*: vbi idem vt fiat docet. *Circinus*, inquit, *quam alij zonam vocant, talis est. Vesicæ tanquam combustæ exeunt & crepant, primum pauca, deinde citò multiplicantur, quæ si hominem cinxerint, occidunt.* Est ζώνη à ζωννύω, vt *cinctus* ac *cingulum* à *cingo*. Ab eodem ζωννύω est Belgicum *zoomen*, quod est *vestem circumsuere*. At ζωννύω est ab זין, quod est *armare*, *arma accingere*, vel potiùs ab זור, id est, *zona*, *cingulum*. R abit in N, quomodo ab ἄξονα est *asser*, à *gnoma groma*, vnde *gromaticus*, &c. A *zona* quoque est *Parazonium*, nempe à παρὰ & ζώνη. Erat *gladiolus*, *quem zona appendebant*. Est id lemma in Apophoretis Martialis: quamquam hanc lectionem improbet Calderinus, qui *parazon* legit. Vide ad eum locum Georg. Merulam. Item Turnebum, lib. IX. cap. XXIII. & lib. XII. cap. VI.

ZOOPHYTA, ζωόφυτα, à ζῶον, hoc est, *animal*, & φυτὸν, hoc est, *planta*, vt ad verbū *plantanimantes* vel *plantanimalia* dici possint. Istiusmodi sunt *vrtica*, *spongia*, *ostrea*, & similia quæ Aristoteles dicit ἐπαμφοτερίζειν φυτῷ καὶ ζώῳ, *ambigentia esse plantæ & animalis*, hoc est, *intermedia esse naturæ inter vegetabilia, & sensu prædita*. Vide de ijs Plinium, lib. IX. cap. XLV. Similiter à ζῶον, & φέρω, est *zophorus*, siue ζωοφόρος, quomodo Vitruuio, lib. III. cap. III. dicitur *pars illa columnæ inter epistylium & coronidem*, idque quia ea animalium aliarúmque rerum signis sæpè ornatur. Vulgo *Fregio* appellant: nempe à *Phrygionibus*, vt Philander ostendit. Aliàs ζωοφόρος est *circulus cœlestis, sustinens duodecim signa cœlestia*, quæ ζώδια dicuntur, vnde & ipse circulus ζωδιακὸς dicitur, item *Zodiacus*, quæ appellatio Latinis quoque in vsu. Nonnulli, sed minùs ἀναλόγως, censent ita vocari ἀπὸ τοῦ ζωῆς, quia Solis cæterorúmque planetarum sub hoc ciculos motus, *vitam* & vigorem nobis & animantibus omnibus impertiat. Idem à *duodecim signis* Ciceroni in Arati tralatione, & aliis, *signifer orbis* appellatus, Manilio dicitur *balteus stellarus*, aliis aliter.

ZYTHUM, ζῦθος, οἶνος ἀπὸ κριθῆς γενόμενος, vt interpretatur Suidas. Dubium num vox ea ac res ipsa à Gallis, an Ægyptijs. Gallis tribuit Diodorus Siculus. Gallica autem lingua eadem olim ac Germanica. Germanis autem *sieden* est *coquere*. Indè igitur *zythus*. Et pro hac sententia est, quod, vt in Britanniâ suâ scribit Cambdenus, hodiéque *sider* dicatur Britannis, quorum lingua ferè eadem ac Celtarum, vt idem magnâ vocum syluâ comprobat. Sed Ægyptijs assignat Plinius, lib. XXII. cap. XXV. vbi *caliam* & *ceriam* Hispanorum, *ceruisiam* Gallorum, *zythum* Ægypticrum potum facit, fieríque ea omnia è frugibus docet. Confirmat Columella, qui versu hoc *Pelusiacum*, hoc est, *Ægypticum* appellat:

Et Pelusiaci proritet pocula zythi.

Item Hieronymus, cuius hæc verba in Esaiæ cap. XIX. *Notandum quod pro lacunis LXX. ζύθον transtulerunt, quod genus est potionis ex frugibus aquâque confectum, & vulgò in Dalmatiæ Pannoniæque prouincijs gentili barbaróque sermone appellatur sabaium. Hoc maximè vtuntur Ægyptij.* Hæc Hier. Quomodo *zythum* à *ceruisia* differat, aliáque quædam ad hoc genus pertinentia, videre potes apud Hadr. Iunium in Batauiæ historiâ cap. XV.

FINIS.

INDEX

INDEX VOCABVLORVM EXTRA SERIEM.

αἰλῆς,

annulus

D.

δαπανᾶν,

Ero.

F.

G.

gibber,

H.

induvia,

K.

lautus

mandille,

mordices,

pabulum

πόπανον,

Q.

R.

refocillo

sangualis,

severus,

vertilia,

X.

FINIS.